8
4 N
4

Digitized by Google

GLOSSA
IN SACRAM
SCRIPTURAM.
TOMUS QUARTUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom. S.T. Bibl. Com. Cat. Inscript.

A.R.P. BARTHOLOMÆI

DE

BARBERIIS

A CASTRO-VETRO

PROVINCIÆ CAPUCCINORUM

Lombardiæ Definitoris, & S. Theologiæ Lectoris,

GLOSSA

SEV

SUMMA EX OMNIBUS S. BONAVENTURÆ

expositionibus in Sacram Scripturam exactè collecta, & in facilem usum Studiosis, ac Concionatoribus secundùm ordinem biblicum concinnata.

TOMUS QUARTUS.

CONTINENS TOTUM TESTAMENTUM NOVUM.

LUGDUNI;

Apud ANISSONIOS, JOAN. POSUEL, & CLAUD. RIGAUD.

M. DC. LXXXV.

CUM APPROBATIONE SUPERIORUM.

Digitized by Google

8.4:N.4

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ

IN

MATTHÆI EVANGELIUM.

PROLOGUS

IN NOVUM TESTAMENTUM,
& in Evangelium Divi Matthæi.

APPARUIT rota in medio rotæ : *Ezech. c.*1. Ecce tandem quòd in plenitudine temporum apparuit rota in medio rotæ jam pridem Ezechieli in figura demonſtratæ ; rota inquam habens quatuor facies, continens in centro aliam rotam, & ideò utraque apparuit in unam congeſta, nempè vetus Teſtamentum incluſum in novo, & novum in veteri; nihil enim aliud eſt vetus Teſtamentum niſi novum, ſed involutum in figuris, & involucris abſconditorum myſteriorum, & nihil itidem aliud eſt novum, niſi vetus, ſed ſpiritualiter, & apertè expoſitum, & ideò utraque rota apparuit habens quatuor facies oſtendentes Chriſtum ſervatorem : In veteri namque Teſtamento in libris legalibus præfigurabatur per figuras ; in hiſtorialibus præmonſtrabatur per exempla ; in ſapientialibus prædicebatur per documenta, & exempla, & in prophetalibus prophetabatur per oracula, ad quæ quatuor capita omnes Libri veteris Teſtamenti reducuntur ; itidem in novo Teſtamento oſtenditur Chriſtus jam incarnatus per eaſmet quatuor facies ; & primò per Evangelia reſpondentia legalibus ; per Acta Apoſtolorum reſpondentia hiſtorialibus ; per Epiſtolas Apoſtolorum, maximè Pauli reſpondentes ſapientialibus ; & per Apocalypſin ſancti Joannis reſpondentem Prophetalibus Libris, ut ſic appareret mira correſpondentia inter utrumque non ſolum in continentia ſenſuum, verum etiam in quadriformitate facierum, & partium : & hinc in libris legalibus, & Evangelicis apparet facies Leonis propter excellentiam auctoritatis, & majeſtatis Chriſti : in hiſtorialibus facies Bovis propter exempla virtutis; in ſapientialibus facies Hominis propter prudentiam ſagacem ; & in Prophetalibus facies Aquilæ propter intelligentiam perſpicacem, ut ſic homo per timorem, & amorem moveretur ad bonum, & revocaretur à malo, ſcilicet per præcepta potentiſſimæ majeſtatis vel per documenta ſapientiſſimæ veritatis, vel per exempla, & beneficia innocentiſſimæ bonitatis, vel ex his omnibus in unum collectis in oraculis prophetalibus, quod totum noviſſimè apparuit in rota novi Teſtamenti, quia hæc doctrina revelata eſt per os Chriſti prolatum, per Evangeliſtas conſcripta, per ſanctos Apoſtolos divulgata, additis etiam documentis, quæ Spiritus ſanctus ſuper eos veniens docuit nos per eos, ut omnem veritatem per Spiritum ſanctum, juxtà divinum promiſſum edocti, omnis veritatis ſalutaris doctrinam Eccleſiæ Chriſti darent, & ſacram Scripturam conſummando veritatis notitiam dilatarent : Hæc ſanctus Bonaventura *in op. Principium Sacræ ſcripturæ ; & in op. Bre-*

vilin proœm Primus igit ut Liber novi Teſtamenti, eſt Evangelii, quod à quatuor Evangeliſtis fuit conſcriptum, & hoc voluit ex ſpeciali myſterio Spiritus ſanctus: nam cum Evangelium Græcè ſignificet idem, quod bonum nuncium Latinè, ideò ſic appellatur, quia nunciat nobis Adventum verbi Dei in carne: Et cum Chriſtus ſit Deus homo Rex, & ſacerdos, hinc Spiritus ſanctus ordinavit; ut ſanctus Matthæus principaliter exhiberet Chriſtum ut hominem, tractans de ejus humanitate, ideò habuit faciem hominis: ſanctus Marcus ut Regem triumphatorem mortis, & inferni, ideò habuit faciem Leonis: ſanctus Lucas ut ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech; ideò habuit faciem Bovis; & ſanctus Joannes divinitatem, ideò habuit facie m Aquilæ volantis ad Cœlum: *in Luc. proœm. & in Ioan. proœm.* Notant etiam ſancti Patres, ad majeſtatem Evangeliorum Chriſtum in ſuis ſermonibus valdè conciſum fuiſſe licet clarum ob quod multa ſupplenda & ſuppleta fuere per alios libros novi teſtamenti, & SS. Patrum: ſic etiam idem advertit Sanctus Bonaventura *in op. meditat. vitæ Chriſti*; & hoc genus dicendi præſefert auctoritatem dicentis, ſoletque mirè mentem auditorum monere, & movere ſtimulos ad intelligentiam dictorum magiſtri, quod equidem fecit Chriſtus, tum quia ut Deus, & filius Dei, ac proinde ſummæ majeſtatis talis modus ei conveniebat dicendi: tum quia ex conciſione movebantur ad intelligentiam auditores, ac proinde excitabantur ad deſiderium ſciendi, & ex mora, & labore ipſa verba ſalvatoris amplius infigebantur, ac proindè in intelligentia Evangeliorum laborandum eſt: Et quia primo loco ſe ſe nobis exhibet Evangelium ſancti Matthæi, hic ordo rectus videtur exigere tractationem de auctoritate hujus Evangelii, de ſanctitate Evangeliſtæ, de ordine, & aliis quæ ſpectant ad Prolegomena: majoris brevitatis cauſa remittere Lectorem ad ſacros Expoſitores Evangeliorum præcipuè ad Gloſſam, Ugonem, Sebaſtianum Paradiſum *tom.* 1. & alios melius exiſtimavimus, & immediatè ad expoſitiones traditas ſparſim in ſuis operibus à Seraphico Doctore devenire.

CAPUT PRIMUM.

1. *Chriſti generatio fuit complementum omnium generationum creaturarum, & productionum hominis.*

LIBER *generationis Ieſu Chriſti Filii David.* Nota cum audis generationem Chriſti, ne intelligas generationem æternam, de qua Sanctus Joannes tractat, ſed temporalem: undè poſt ſeriem multarum aliarum generationum in hoc capite narratarum concluditur generatio Chriſti ex Maria Virgine; nec ſine myſterio quia, cum cæteri homines per varias generationes; & conditiones habuerint eſſe, conveniens erat, ut omnium aliarum in mundo adveniret complementum ad complementum univerſi; & hoc patet quia Adam habuit eſſe ſine patre, & matre immediatè à Deo Creatore: Eva producta fuit ex Adam ſine matre, cæteri homines ex patre, & matre; Chriſtus verò habuit eſſe ex matre ſine Patre. *Op. Comp. Theol. lib.* 3. *c.* 10. Addit hic Sanctus Auguſtinus, quòd cum Adam, & Eva de optimo ſtatu cecidiſſent in peſſimum, & cæteri ſequentes de ruina genuerint, ſucceſſit quarta, quæ aliis ſalutem attulit.

2. *Chriſtus liber ſcriptus intus, & foris.*

Liber generationis Ieſu Chriſti filii David &c. Quis iſte liber? annè totum Evangelium Divi Matthæi, quod tamen non poteſt dici, cum de aliis materiis tractet? ſed intellige ad litteram tantùm hoc Capitulum, in quo de generatione Jeſu Chriſti temporali agitur, ſed cur appellatur liber, cum ſit tantùm ſchedula parva reſpectu totius Evangelii? optimè proponitur liber, dum proponitur Chriſtus generatus temporaliter, ut videas, quòd Chriſtus eſt iſte liber ſcriptus intus, & foris continens divinitatem, & humanitatem; liber inquam ſcriptus intus, in quo Deus legere poterat, & foris dum carne aſſumpta, & pœnalitatibus ſubjecta poteſt ab omnibus legi, & in eo veluti in libro; vel potius in ſchola quilibet addiſcere poſſit myſteria cæleſtia; proponitur igitur iſte liber, ut ſemper in eo ſtudeamus, & addiſcamus, quæ à nobis agenda ſunt. *in Pſ.* 68. *& ſer.* 3. *Dom.* 1. *Adv. Op. Brevil. p.* 2. *c.* 11.

3. *Chriſtus fons omnis gratiæ caput, & fundamentum totius boni: communiſque omnibus, & bonis, & malis.*

Liber generationis Ieſu Chriſti &c. Cur ſic incipit Matthæus deſcendendo per varias generationes uſque ad Chriſtum, & non potiùs aſcendendo uſque ad Adam, ut fecit Sanctus Lucas. cap. 3. Ad litteram reſpondetur, quòd iſti duo Evangeliſtæ variant propter duplicem modum paternitatis, quia Matthæus deſcribit generationem ſecundum naturam, ideò utitur hoc verbo genuit; & Lucas legalem, & gratuitam, ideò utitur verbo qui fuit, & quia natura eſt principium propagandi; gratia principium reducendi in Deum: ille vero Sanctus Matthæus generationem principaliter; iſte ſcilicet Sanctus Lucas regenerationem; ille exordium naſcendi, iſte reconciliandi intendit; ideò Matthæus ab Abraham exorditur uſquè ad Chriſtum, Lucas à Jeſu Chriſto uſq; ad Adam aſcendit, & ab Adam ad Deum; uterque tamen incipit etiam à Jeſu Chriſto, quia licèt Matthæus intendat narrare

Generatio

generationem carnalem descendendo ab Abraham usquè ad Christum, non tamen sine mysterio ponit primo loco generationem Jesu Christi, dicens velut in titulo Capituli Liber generationis Jesu Christi, ut intelligeremus, quòd Jesus est Salvator, salvans omnes à servitute peccati; & veluti fons à quo est omnis gratia, virtus, & scientia; est enim à Patre per Verbum incarnatum, crucifixum, & inspiratum, omnis remissio culpæ, plenitudo justitiæ, & assecutio gloriæ. *in Luc. c. 3. v. 24. & ser. 2. Hexam. & ser. 1. Dom. 3. Adv. & op de septem itin. atern. itin. 7. d. 7. & op. Eccles. Hier. p. 4. c. 6.* Notá etiam, quòd non sine mysterio voluit descendere de progenitoribus bonis, & malis expositis in hac genealogia, ut se ostenderet puerum benignum, & communem bonis, & malis; ut per ejus nativitatem exultarent sancti, quia fiunt proximi ad palmam, & peccatores, quia invitantur ad veniam. *Ser. 3. de Innocent. in addit.*

4. *Christus fons, & principium omnium virtutum.*

Abraham genuit Isaac, Isaac Iacob. Cur isti tres in principio descriptionis genealogiæ proponuntur, & non fit exordium ab antiquioribus, vel inferioribus? sed nota, quòd non sine mysterio Deus dicitur, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, quia in his tribus viris significantur tres virtutes Theologicæ, quæ à Christo in filios descendunt: In Abraham fides, ex qua multitudo Filiorum Christo provenit; In Isaac spes, ex qua mentis hilaritas provenit; & in Jacob charitas, ex qua animæ omnis fortitudo, & virtus provenit, & sic in Abraham Christi nativitas designatur, in Isaac congregatio credulæ plebis, & fidelis, & in Jacob resurrectio salvatoris, ut intelligamus, quòd ex Christo omnes virtutes, & bona spiritualia pullulant tamquam à fonte. *in Psal. 45. & ser. 16. Hexam.*

5. *Quàm grave malum, & Deo exosum contemptus verbi Dei, & ipsius Præconum.*

Ioram autem genuit Oziam. Mirum Sacris Expositoribus valdè est, quomodò Sanctus Matthæus in texendo genealogiam Christi transit ab Ioram immediate ad Oziam, dicens. Ioram genuit Oziam, & tamen Ioram genuit Ochoziã, Ochozias genuit Ioas, & Ioas genuit Amasiam, Amasias verò genuit Oziam, qui omnes successivè multis annis regnarunt in Israël; ut patet ex Paralip. & libris Regum; cur ergo hos tres Reges de medio præterit? & qua veritate dicitur Ioram genuisse Oziam, si ejus filius regni successor fuit Ochozias? ad litteram dicitur Ioram genuit Oziam; non immediatè, sed per alios interjectos, & ob id genuit Oziam non tamquam filium, sed tamquam abnepotem; sed cur omittitur generatio istorum trium? nec valet responsio id fuisse, quia fuerunt peccatores, cum etiam in hac genealogia alii peccatores adnumerentur; sed videndum hic est, quale fuit istorum peccatum, ob quod demeruerint super alios malos deleri à genealogia Christi: Notat Rupertus Abbas, cum aliis Doctoribus, quòd inter varia istorum scelera, fuerunt celebres in persecutione facta contra Sacerdotes, Prophetasque ipsis verbum, & voluntatem Dei prædicantes, & malà comminantes, & ideò etiam verbi Dei publici, & solemnes contemptores fuerunt; hinc quo reatu astringantur, aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, nutrientibus animabus vitæ remedia abscondunt. *Op. Phar. lib. 1. c. 17.* & hinc à Deo sunt maledicti, qui prohibent gladium à sanguine, ut dicitur Ieremiæ c. 48. scilicet qui prohibent fructum à gladio verbi Dei vel in se, vel in aliis, maximè Prælatis, & hinc ex qualitate pœnæ infertur gravitas culpæ istorum Regum. *Psal. 118. c. 1. v. 5. & op. Eccles. Hier. p. 4. c. 4.*

6. *Cur in genealogia Christi non texitur ordo mulierum.*

Abraham genuit Isaac &c. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ de qua natus est Christus. Cur texitur iste ordo virorum, qui non pertingunt ad immediatam generationem Christi, & ideò non videtur facere ad Christum secundum veritatem? sed attende ad id, quod omnes cum Divo Hieronymo respondent, quia non est consuetudinis sacræ Scripturæ, ut mulierum ordo in generationibus texatur, tum etiam, quia texendo generationem virorum usque ad Ioseph virum Mariæ significatur ambos ortum traxisse ex eadem tribu, quia lex præcipiebat viris accipere uxorem ex eadem tribu, & propinquam; sed cur hic mos ordinatur in Sacra Scriptura? hoc fuit tum propter defectum ex parte significantiæ, quia mulier non Christum, sed Ecclesiam significat, non superiorem portionem, sed inferiorem; tum propter defectum ex parte remedii, quia mulieri non competit remediare, sed remediari; tum propter defectum principii, quia non vir ex muliere, sed mulier ex viro, tum propter memoriam primi peccati. *in Luc. c. 3. v. 24.* Nota hanc ultimam rationem: ut videas quod primus peccans, aliosque inficiens deletur de genealogia Christi.

7. *Maria liber continens mysteria cælestia.*

Ioseph virum Mariæ de qua natus est Christus Ecce compendium hujus libri generationis Christi, quod terminat ad Mariam Virginem; ut intelligamus, quòd Maria Virgo fuit liber, & liber verè grandis; liber inquam totius legis divinæ, & arca tabernaculi: fuit enim promptrix justorum, congregatio errantium, expromissio Patriarcharum, veritas Prophetarum, præconium, & doctrix Apostolorum, magistra Evangelistarum. *Op. Psalt. min. in hymno, & op. Laus B. Virginis figura 15.* Adde quod notavit Sanctus Andreas Jerosolimitanus, nempè quòd meritò hoc Evangelium continens totam vitam Christi appellatur liber generationis ipsius, quia cum hæc generatio facta fuerit in Maria, & per Mariam, hinc & ipsa est liber, & totius hujus libri caput sigillo consignatum.

8. *Adſtruitur conceptio Beatæ Virginis immaculata ex Seraphico Doctore, aliiſque Doctoribus in hoc,& ſeq.*

Iacob genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Ieſus : Cur in fine hujus genealogiæ ponitur Beata Virgo Maria generans Chriſtum Jeſum, abſque eo, quod ulla fiat mentio Patris,vel Matris ejus ? Cur iterum hoc Evangelium ab Eccleſia legitur in feſto Conceptionis, & Nativitatis Mariæ ? ergone tunc vix concepta, & nata declaratur Mater Dei ? ſed reſpondetur ex ſancto Petro Criſologo :*ſer.*146. Quomodò non ante conceptum mater, quæ poſt partum Virgo Mater ? aut genitrix quomodo non, quæ ſæculorum generavit Authorem ? Maria mater vocatur, & quando non Maria Mater ? ſed dices quomodo Mater antè Incarnationem, imò & in ſuæ conceptionis momento ? ſed attendendum eſt ad id, quod dicunt Theologi cum Seraphico Doctore, *Op.Brevil.p.4.c.3.& lib.3.d.4.a.3.qu.1.& 2.* nempè, quod ad conceptionem Verbi in utero Mariæ, concurrit virtus innata Beatæ Virginis virtus infuſa, & virtus increata : habuit quidem Beata Virgo,ſicut cæteræ mulieres virtutem innatam generandi, ſed tamen ad generandum filium Deum, requirebatur virtus infuſa, & ſupernaturalis, quæ in Maria tunc fuit illi infuſa, collocans eam in primo actu, quæ poſteà concurrente Spiritu ſancto virtute ſua increata ad actum deducta fuit in Incarnatione ; ex qua doctrina elicitur, quod in inſtanti Conceptionis in Maria indita eſt talis virtus generativa Verbi, quæ communiter appellatur donum Maternitatis, quod eſt donum ſupereminens omnia alia dona communicabilia creaturæ puræ, & ex quo tamquam ex fonte emanant omnes gratiæ, & privilegia, quæ in Maria redundarunt ; ergò meritò in ſua Conceptione ab Eccleſia appellatur Mater, quia tunc verè Mater Dei conſtituta, & ratione talis doni repugnantis formaliter cuicumque peccato,elicitur ejus immunitas ab omni fœditate peccati ; & hinc piiſſimè, & acutiſſimè concludit hunc conceptum ſanctus Ildephonſus. *Ser.* 3. de Nativitate Mariæ : Adjuvet nos ipſe Deus per interceſſionem ſuæ Matris, in qua felix ejus eſt inchoata Nativitas, ſcilicet in Conceptione Mariæ, inchoata eſt Nativitas Chriſti Dei, ſcilicet ratione maternitatis infuſæ: de hac materia Vide Vegam *in Theologia Mariana*, & Savedram *de Conceptione* fuſiſſimè ipſam differentes.

9. *Immunitas à peccato in Maria expenditur ex eodem motivo.*

De qua natus eſt Ieſus,&c. Cur nulla ſit mentio Parentum,ſed veluti ſolitaria proponitur Maria jam nupta viro? ſed transfer mentem ad Jeremiam *c.*31.dicentem:Novum creavit Dominus ſuper terram, fœmina circumdabit virum ; quid hoc novum? fœminane ? an vir ? an circuitus ? vel circulus? & quomodo dicitur hoc novum,& etiam creatum ? ſed reſpondetur hic à Ric. à S.Laurentio : bene dicitur creavit, quia creare eſt aliquod novum facere, quod prius anteà non fuiſſet : ſed quid prius non antea fuit? nonne prodiit Maria in utero ſanctæ Annæ & præjacente materia virtute Parentum præparata ? Verum hoc eſt ; & ideo non eſt rigoroſa creatio hæc : creatio autem dicitur, quia eſt productio magnæ novitatis ; nam extruxit in Maria ſibi domum ſapientia cæleſtis, quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis ejus fœcundaretur & caro, ac Virgo ſingulari gratia, eamdem ipſam ſapientiam carne tectam pareret, quam prius mente pura conceperat : ſic ſanctus Bernardus, & ſanctus Bonaventura *in op. ſpec. Beatæ Virginis lect.*7. Addit ſanctus Iſidorus in feſto Aſſumpt. Talem multoque verè creditur Matrem creaſſe, qualem divinitus per eam tranſiens (ſcilicet Deus carnem ſumens) decus virgineum non amiſit ; dum ab illo creari ita eſt ab ipſo concipi ; quaſi dicat : (& hæc eſt horum Patrum mens) licèt Maria communi concubitus lege genita fuerit, tamen Deum illam creaviſſe talis puritatis decore creditur, qualiter poſteà tranſiens per eam nullo inquinamento ſuam puritatem temeravit, & ideò in ſua conceptione ei Deus peculiariter aſtitit, ut omnem labis originariæ ſordem abigeret, & hinc eſt, quòd nulla fiat mentio de Parentibus Mariæ, ut ejus conceptus attribuatur gratiæ: Confirmatur hæc ſancta meditatio ex eo quod dixit Apoſtolus 1.Cor. c.13. *Primus homo de terra terrenus,ſecundus homo de Cælo cæleſtis :* quomodo ſecundus homo de Cœlo cæleſtis ? nonne & ipſe indutus eſt humo humanitatis hujus terræ ? ſed reſpice Mariam, quæ vere eſt Cœlum, & nitidam Cœlorum munditiem ſanctitate puritatis excellit ; ideò veluti Cœlum novum à Deo creatum appellari poteſt. *Op.ſpec.Beatæ Virginis lect.*5.

10. *Quidquid eſt Maria, & in Maria totum eſt ut Mater ad Filium, ut Filia ad Patrem, & ſponſa ad Spiritum ſanctum.*

De qua natus eſt Ieſus,&c. Cur in hac linea non ponitur directè Maria, ut priùs genita, poſteà genitrix aſſeratur ? Cur ſolùm nominatur ut genitrix ? Ut videas, quod quidquid eſt Maria, & in Maria, totum eſt ad Deum, non ad creaturas ; Transfer igitur mentem ad illa verba Angeli, Dominus tecum;quaſi dicat : Pater eſt tecum, Filius tecum,& Spiritus ſanctus tecum:Pater eſt tecum,cujus Filia es nobiliſſima, tam multiplici interiùs ornata gloria, & ditata ejus fœcunditate, ut poſſis patere eumdem Filium Patris : Filius eſt tecum, cujus es Mater digniſſima, & tali Filio decentiſſima : Spiritus ſanctus tecum, cujus ſponſa venuſtiſſima es. *Op. ſpec.Beatæ Virginis lect.*10. Hinc infer, quòd ſolùm proponitur Beata Virgo generans Filium, ut videas, quod totum quod eſt, totum ad Deum eſt : ad Patrem generantem, ad Filium genitum, & ad Spiritum ſanctum concurrentem ſua virtute : confirmat hanc veritatem doctrina, quam afferunt plures Theologi apud Salazar de Conceptione *c.*18. quod ſi Deus non veniſſet, nec venturus fuiſſet, nec Maria lucem vidiſſet, ſic & Vega, & alii : Et Seraphicus Doctor id infert ex illo textu Gen. *c.*2. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus adjutorium ſimile ſibi, nempè ex eo, quod fœmina dicitur Mas occaſionatus, ſcilicet producta ex occaſione viri; hoc

Digitized by Google

hoc multò magis dicendum de Maria producta, ut esset adjutorium simile Christo, scilicet ejus Mater, ut ipsum generaret; sic etiam ex Divo Augustino: Vide Suar. *in 3.p. t.2. d.1.s.3.* Scotum *lib.3.d.19.qu. un.*

11. *Christus in Maria, de Maria, ex Maria dictat ejus immunitatem à peccato.*

De qua natus est Iesus. &c. Cur dicitur de qua, & non ex qua, vel à qua? sic Paulus dixit Christum factum esse ex muliere: sed attende hanc præpositionem (De) habere rationem consubstantialitatis, & habitudinem efficientis, ut denotetur, quod Maria Virgo cum Filio habuit consubstantialitatis relationem, & rationem causæ efficientis; cum autem consubstantialitas importet societatem, & conjunctionem substantiæ; hæc fuit inter Mariam, & Christum physica ratione carnis assumptæ, & moralis ratione habitationis, quam habuit Deus in Maria, hinc clarissimè elicitur, quàm immunis debuerit esse Maria ab omni fœditate culpæ: Vide sanctum Bonaventuram. *Lib.1.d.4 dub.1.& d.5. q.1. ad 3. & d.18.dub.6.*

12. *Maria, quia virum genuit sine viro, ideò sua puritate abstulit mala à muliere homini illata prodiente ex viro.*

Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, &c. Cur nasci Mariæ virum Evangelista sollicitat, quem tamen Maria non cognovit? audi ipsam *Luc.c.1.* Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quomodo non cognoscis virum ô Virgo, ex cujus latere mulier prima prodiit? nonne fœmina ex viro fuit, cui debuit structuræ materiam? optimè dixit hoc Maria, ideoquè Maria hic apponitur ad latus viri, non tamen ex viro genitat virum, tum ut rependat viro genito absque viro munus productionis fœminæ ex viro absque fœmina, tum ut cum Maria producitur innuatur se mundè, & sanctè produci, ac manibus Dei prima fœmina ex latere viri: sic ex sancto Cyrillo Ierosolymitano *Catech.* 12. & S. Bon. *in spec.B.Virginis.*

13. *Sola Maria Virgo proponitur in ejus conceptu ad pedes scala genealogia, quia ipsa sola homines ad Cœlum ducit.*

De qua natus est Christus, &c. Notá, quod in hac genealogia sanctus Matthæus descendit ab Abraham usque ad Mariam, in qua genealogia etiam memorantur fœminæ, quod non facit sanctus Lucas, qui à Jesu baptizato ascendit usque ad Adam, & ad Deum nulla mentione facta mulierum, cur hoc discrimen? respondet Origenes *Hom.18.in Lucam*, quod ideo est, quia in descensu semper mulieres fuerunt causa interitus, & casus; in ascensu autem per baptismum, & sacramenta ad Deum nullus apponitur obex: sanctus Matthæus verò in imo collocat Beatam Virginem, ut pateat, quod ipsa sola inter mulieres expugnato peccato ducit homines ad Christum; unde in Conceptione canit Ecclesia, quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis Cân. *c.7.* quia gressus Mariæ, sunt toti pulchri, puri, & sancti, & ad Cœlum ducentes.

14. *Concipitur, & nascitur Maria medica salutis, quando Mundus ad extremum statum infirmitatis pervenerat.*

Omnes ista generationes sunt quatuordecim de qua natus est, &c. Nota, quod in hac genealogia enumerat Evangelista quatuordecim Reges, quatuordecim Patriarchas, & quatuordecim Duces, cur hoc? cur quatuordecim solùm notantur? cur non quindecim? cur non alio numero? sed attende ad mysterium; quartus decimus dies in infirmitatibus gravibus est apud medicos criticus, & ominosus, in quo valdè solet periclitari ægrotus; Mundus autem erat redactus ad extremum periculi in sua gravissima infirmitate, & tunc concipitur, & nascitur Virgo Maria, ut ipsa Mundo salutem inveheret, quippe quæ ipsa sola immunis fuit à morbo peccati quocumque, undè rectè medica, & medicina salutis appellatur, quia ipsa sola post Christum est ordinata ad generandum ipsum Christum & ideo salutis antidotum viris, & mulieribus propinavit. *Op. spec.B.Virginis lect.9.& op. Psalt. min. quinqa. & op. in salue.*

15. *Maria liber & membrana purissima, in qua Dei Verbum purissimum fuit conscriptum.*

Liber generationis Iesu Christi, &c. Virum Mariæ de qua natus est Christus, &c. Vide qualis sit hic liber generationis Christi; nempè Virgo Maria, de qua natus est, & mundo expositus est Christus, ut videas, quòd membrana purissima fuit, & digna, ut in ipsa imprimeretur, & exprimeretur, & scriberetur Verbum Dei incarnatum, ut loquitur sanctus Damascenus, liber verè grandis, & ab omni macula defæcatus, & mundus, in quo mundo exponitur gloriæ Dei magnitudo de restauratione facta in Cœlo, gratiæ, de redemptione facta in mundo, gloriæ de liberatione facta in inferno. *Ser.12.Hexam. & ser.2. Dom.Passionis: & op. Laus B. Virginis fig.* 15 sic & Nissen. Titus Bostrens. S. Bas. Seleuc. Hic autem verificatur id, quod dicitur Isa. *c.*29. Dabitur liber obsignatus viro scienti litteras, & dicet non possum legere: hic vir est sanctus Joseph, ait S.Greg. Thaumat. sed cur non potes legere ô Joseph hunc librum? quia est obsignatus, & quia rerum omnium Creatori pro domicilio custoditur.

16. *In maternitate Dei Maria infusa, continentur omnia ejus privilegia.*

De qua natus est Christus, &c. Quid amplius requiris in Virgine Maria? sufficit tibi quod Mater Dei est: quænam obsecro pulchritudo, quænam virtus, quæ perfectio, quæ gratia, quæ gloria, Matri Dei non congruit? in hoc unico verbo tibi eam descripsit Spiritus sanctus, in hoc quidquid de Virgine scire, aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breviloquio, de qua natus est Jesus; hoc solùm plusquàm si mille libros in ejusdem laudem componas, Virginem extollit, de qua natus est Iesus Filius Dei, splendor Patris, candor lucis æternæ: sic S.Thom. de Valentia *Ser.2. de Nativit.* hoc solùm tibi sufficiat, quòd Deus ipsam sibi Matrem digniss-

Digitized by Google

mam, & decentiſſimam conſtituit; nec majorem matrem potuit facere Deus. *Op. ſpec. B.Virginis lect.*10.

17. *In Maria perfectio eſt omnium creaturarum.*

Liber generationis, &c. Virum Maria de qua natus eſt Ieſus? Vide quomodo per varias generationes Regum, Patriarcharum, Ducum, & hominum, mulierumque, tandem ad Mariam Matrem Chriſti devenit: cur hoc? niſi quia non ſolùm proles alta eſt Regum, & nobilium, ſanctorum virorum, ſed quia ipſa eſt perfectio omnium creaturarum, & veluti compendium totius perfectionis diſperſæ per omnes creaturas, & ideò dicitur ipſa de Cœlo à regalibus ſedibus veniſſe. *Ser.*1. *&* 2. *de B.Virgine: & op.ſpecul. B.Virg.lect.*10. *& op.Pſalt. min. quinq.*3. *& ſer.*2. *Dom.*3. *Adventus.*

18. *Maria generatio æmula generationis Verbi ex Patre: Vbi de ejus maternitate, & puritate.*

Chriſti autem generatio ſic erat. Nota illud verbum ſic erat: Cur ſic loquitur Evangeliſta? cur non potius ſic fuit, cum jam facta eſſet, & tranſacta? Erat, hoc verbum, inſonat aliquid æternum, & interminabile, tali enim modo, exprimitur etiam generatio æterna Filii à S. Ioanne, In principio erat Verbum? reſpondet S. Ildephonſus hoc verbo utitur, quia generationis hujus maternæ imago, & ſymbolum jam præceſſerat ab æterno in generatione Patris, quaſi dicat; tali modo loquendi utitur Evangeliſta, ut ſignificet, quod generatio Verbi in Maria æmula fuit generationis Paternæ; & quomodo æmula, cum illa Patris ſit æterna, iſta Matris temporalis? quia illam benedictam Matrem ſic condidit Deus ipſe æternus (ait S. Bernardinus) in tempore, qualem eam ſanctam elegit in ſua æternitate; & talem tam nobilitate naturæ, quàm perfectione gratiæ condidit Matrem, qualem eam decebat habere ſuam glorioſiſſimam Majeſtatem, quia in ea, & de ea debebat ſumere, quod in æternum ſibi erat unitum unitate naturæ, de quo exiret pretium totius liberationis, juſtificationis, & beatificationis humanæ: & S. Bon. *Lib.*3. *d.*4. *a.*2. *q.*2. *addit.* quod potentia ſuprà naturam indita fuit in Maria in tempore ſuæ ſanctificationis, ut & antè tempus Incarnationis, & in tempore ejus, & poſt Incarnationem eſſet vera Mater Dei, ſcilicet ut ſaperet ſaltem in umbra aliquid de æternitate.

19. *Idem de generatione Mariæ æmulæ generationis paternæ.*

Chriſti generatio ſic erat: Nota iterum hanc æmulationem amoroſam: Præmittit Evangeliſta nativitatem Chriſti ex utero Mariæ, de qua natus eſt Chriſtus: generatio autem Chriſti ſic erat: quomodo erat? erat ſcilicet veluti æmula generationis ex Patre, & quomodo? natus eſt Filius ab æterno de utero paternæ mentis ſecundum fæcunditatem naturæ: tamen ut eſſet etiam Filius paternæ voluntatis, & charitatis, & amoris Mariam elegit, Matrem ejuſdem in tempore conſtituit, ut ſicut ab æterno ex ſapientia, & cognitione natus erat, ſic in tempore ex amore voluit, ut naſceretur veluti ex Matre voluntate, & charitate, & ex Maria Virgine cooperante concurſu voluntatis matris: unde S.Bern. *Hom.*3. *in miſſus*, dicit, Concipies ô Maria ſed ſine peccato; gravida eris, ſed non gravata: qualem Filium? illius eris Mater cujus Deus Paret, Filius paternæ charitatis erit corona tuæ caſtitatis, ſapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis: En contra Hæreticum Arianum, qui negabat Verbum gigni ex mente paterna, ſed ex voluntate Patris veluti creatura; en inquam mater voluntas eſt, & tamen Deus ex Patre genitus eſt: Hoc itidem confirmatur ex eo, quod ſubdit Evangeliſta: Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph; Itane vir deſponſata, & jam mater nuncupatur? maximè ait Criſol. nunquam Maria à Matris nomine ſejungitur, quaſi ſit mater æterna, idem & S.Bonav. ſupra cit.

20. *Maria & Joſeph matrimonium verum.*

Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph, &c. Hic quæritur an verum interfuerit Matrimonium inter Mariam & Joſeph? in cujus affirmativa conſors eſt Theologorum ſententia, & Eccleſiæ conſenſus; ſed nota, quòd licet uterque conjux poteſtatem ſui corporis alteri tradat in ordine ad copulam, tamen poteſt dari etiam matrimonium verum ſine tali conſenſu conſentientibus ambobus, ut evenit in hoc matrimonio: conſenſerunt enim in copulam conjugalem, non in carnalem, præcedente ad hoc revelatione divina: ſed cur voluit Deus, ut Maria Virgo deſponſaretur viro? reſponderur hoc fuiſſe ex triplici ratione: primò ob ſignationem Eccleſiæ, quæ eſt ſponſa, Virgo, & mater; ſecundò ob infamiam vitandam; tertiò ad occultandam Incarnationem Verbi diabolo: Deus enim impedivit, ne ipſe ſua naturali ſagacitate noſceret ſtatum virginitatis Mariæ, & copulam non ſecutam; & eò magis, quia diabolus non poterat Beatæ Virgini appropinquare cum eum à ſe repelleret ſua virtute ſupernaturali. *lib.*4. *d.*28. *a.*1. *qu.* 6. *& lib.*4. *d.*30. *a.*1. *qu.*2. Vide in cit. locis alia multa tangentia hoc ſanctum matrimonium. *& op.Comp.Theol.lib.*6. *c.*38. *in Luc.c.*1. *v.*27.

21. *De tempore, quo ſecutum eſt hoc matrimonium: an antè Incarnationem, an poſt.*

Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu, &c. Hic videtur. quòd matrimonium factum eſſet, quando ſecuta, & facta fuit Incarnatio? Nota, quòd hic in dubium vertitur apud Patres, & Theologos circa tempus matrimonii iſtius; nam Sanctus Hieronymus, Divus Ambroſ. Anſelm. aliique plures Sancti Patres, & Theologi apud Vaſques, *3.p.d.*125. *c.*8. docent ante Incarnationem ſolùm facta fuiſſe ſponſalia, & Beatam Virginem adhuc habitaſſe tunc temporis, quando venit ad ipſam Gabriel in domo paterna; ratio eſt, quia poſt Incarnationem Angelus dixit Joſepho, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, ergo ſolùm deſponſata per ſponſalia contracta: unde etiam dicitur antequam convenirent inventa eſt &c. E contra alii cenſent oppoſitum, cum quibus

bas videtur etiam S. Bon. *Op. medit. c.4.& 6.* & hoc ut Joſeph eſſet tam inſignis pudicitiæ inſignis teſtis; tum ob Sacramentum, ut ſicut peccatum prodiit ex conjugata Virgine inobediente, ita ſalus ex Virgine conjugata obediente prodiret, ut ſic honorabile connubium eſſet, & præberet exemplum ſanctitatis, & virtutum omnibus ſtatibus mulierum, & ne Chriſtus ullam infamiæ notam ſpurii apud homines contraheret: Vide S.Bon. *in locis citatis lib. 4. & in op. medit. vita Chriſti & op.Comp. Theol.lib.6.c.38.* De qua quæſtione Vide Theolog.Marianam Vegæ *Pſ.22. certam.* 3. qui addit tempus ſponſalitii fuiſſe in principio Decembris; ex utroque inferuntur varia privilegia maxima Sancti Joſeph inde conſequentia; de quibus vide cit.Author.& Petrum Morales in Matth.de Sancto Joſeph.

22. *Chriſtus ſtatim ac incarnatus fuit ſe omnibus exhibuit communem.*

Antequam convenirent inventa eſt Maria habens in utero de Spiritu Sancto. A quonam inventa? inventa eſt à Joſeph, qui omnia geſta uxoris perſcrutabatur; inventa eſt, quia vidit patenter ventrem ejus intumeſcentem: cur autem hoc permiſit Deus? ſed nota, quòd à tribus inventus legitur Chriſtus in pueritia; ſcilicet in utero, nempè à Joſeph, ab Elizabeth, & à Sancto Joanne Baptiſta; per quod deſignatur inventio facta de Chriſto corporalis, ſcilicet induto humanitate, facta à Joſeph viro, ab Elizabeth muliere, & à Joanne Baptiſta parvulo, daturquè intelligi, quòd Chriſtus ſtatim ac incarnatus eſt, omnibus ſe communem fecit, ut ab omnibus poſſet inveniri, ſi tamen ſanctitatem Joſeph, Elizabeth, & Sancti Joannis Baptiſtæ ſectentur. *Ser.6.in Nativit.*

23. *Sancti Joſeph ſponſi Beatæ Virginis laudes recenſentur.*

Joſeph autem cum eſſet juſtus voluit occultè dimittere eam. Quomodò Joſeph appellatur juſtus, ſi voluit occultè dimittere Mariam, veluti adulteram exiſtimatam, & non potiùs ut juſtus eam ſecundum legem Dei manifeſtavit Iudicibus? tum etiam quia hoc nomen juſti aliis omnibus Dei amicis competit; ergo hæc laus eſt etiam ordinaria, & communis? ſed attende ad myſteria: Joſeph prædicatur juſtus, ſcilicet præditus juſtitia generali, quæ complectitur omnem virtutem, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad ſe, tum in ordine ad proximum; & ideò à Deo merito electus fuit tamquam ſimilis Mariæ Virgini, tum in puritate virginali, tum in ordine ad mores; & quia erat ſingulari prudentia præditus, hinc animo valdè hærebat, & anxiabatur, videns ex una parte puritatem, ſanctitatem ſponſæ, ex alia intumeſcentem ventrem, ſic tali animo hæſitanti cogitabat dimittere eam, donec Deus ſuam voluntatem oſtenderet. *Op.medit.c.6.& lib.4. d.30. ſupracit.& in Luc. c.1. v.27.* Nota etiam, quòd hæc hæſitatio Joſeph fuit in hoc, quòd ipſe cum Zelo & amore ſemper ſe admonente vitam circumſpiciebat Mariæ, & quia deficiebant omnia argumenta, quibus intelligi, vel argui ſolet fornicatio mulieris, ſola apud eum manſit ſuſpicio gratiæ Dei, per quam exiſtimavit Mariam habere in utero, antequam convenirent ad cohabitandum ſimul. *Ser.6.in Nativit.*

24. *Ex conjugio cum Joſeph Mariæ virginitas, & puritas floridior apparuit.*

Joſeph noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod in ea natum eſt de Spiritu Sancto eſt. Hoc totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per Prophetam, *Ecce Virgo concipiet; & pariet Filium*, ſed ad quid copulat Angelus hoc conjugium cum oraculo Iſaiæ Ecce Virgo concipiet & pariet Filium &c.nonnè poterat adimpleri ſine hoc conjugio? ô quam grandis eſt hæc commendatio Sancti Joſeph: ut pareat, quòd virginitas Mariæ non ſolùm detrimentum non eſt paſſa, ſed floridior apparuit; tradita eſt Joſeph in conjugem, ut ſic virgo deſponſaretur, ut caſta ſervaretur, ut gravida inveniretur, ut concepiſſe, & paritura eſſe diceretur hoc totum factum, ut adimpleretur hoc oraculum, Ecce Virgo concipiet, ſic enim Joſeph virgineæ puritatis cuſtos, & teſtis fuit; ſic S.Bon. locis citatis, & Sanctus Anſelmus, Rupert. Abbas: Nota autem, quòd Angelus dixit, quod in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, ergo accipe hanc eamdem in conjugem, quaſi dicat eſto unum cum ea, mediante Spiritu Sancto, qui erit nexus inter utrumque, ſicut eſt nexus Patris & Filii.

25. *Similitudo Mariæ Virginis, & Sancti Joſeph expenditur.*

Joſeph noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Nota, quòd ex hoc textu apparet patenter, quòd Virgini Mariæ à Deo deputatus fuit Joſeph ut conjux, & ſponſus, ex quo infertur maximam ſimilitudinem inter ipſos interceſſiſſe: *lib 4.d.30.a.1.qu.2.& d.28. cit.& op. medit.cit.ſupra.* Vide in quibus fuerint ſimiles: primò enim ſicut decuit, ut Maria ſumma puritate, & virtutibus niteret, ſic & decuit, ut ſuo modo haberet ſponſum parem puriſſimum, qui cum perpetua Virgine Virgo prius, ac poſterius permaneret: ſecundò utrèquè regali ex progenie renitens & illuſtris: tertiò uterque ſanctificationem in utero, diverſimodè tamen recipiens: quartò uterque vovit virginitatem; quintò novit Maria myſterium Incarnationis à ſæculis abſconditum Spiritu Sancto, & Angelo nunciante; novit & Joſeph admonitus ſuper hæc in ſomnis: ſextò turbata eſt Maria in ſalutatione, ſed non conturbata, vel incredula: turbatus eſt & ipſe Joſeph ad ſtupendum tantæ novitatis miraculum, non tamen conturbatus, vel incredulus culpabiliter; ſed ſtupor apprehenderat eum: ſeptimò Maria fuit voluntariè pauperrima, fuit & Joſeph: octavò obedientiam exactiſſimam Maria Deo præſtitit; obedientiſſimus fuit & Joſeph, ut patet cum dixit ei Angelus ſurge, & fuge in Ægyptum, & ſtatim obedivit: nonò Beata Virgo Maria à Spiritu Sancto fuit obumbrata, & repleta, ſic & Sanctus Joſeph; refert enim Sanctus Euſtachius in Exameron in Bibliot. Patrum, quòd ſacerdotes ex oraculo divino audierant quòd cujuſcumque virga flores germinaſſet, & in ejus cacumine Spiritus Domini in ſpecie columbæ conſediſſet,

Digitized by Google

ſet, ipſum eſſe, cui Virgo commendari, & deſponſari deberet, quare cum virga Ioſeph floruiſſet coram ſacerdotibus, & columba ad eius caput advolaſſet, pari voto illi Mariam deſponderunt; ſic & in corde Beatæ Margaritæ tres gemmæ repertæ fuerunt, quarum prima pulcherrimam fœminam Virginem referebat; ſecunda ſpecioſum infantulum, quem oves circumdabant repræſentrabat; tertia honeſtum, & venerabilem virum referebat & juxta eum columbam albam.

26. *Ioſeph in terreſtri Trinitate vices Spiritus ſancti geſſit.*

Noli timere Ioſeph accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt. Sed poterat dicere, ſi in ea, quod natum eſt de Spiritu eſt, quid ergò ad me? in nullo ſum ei neceſſarius? ſed nota quod in his verbis latent maxima myſteria, ait cum Gloſſa Divus Thomas, & Sanctus Bonavent. locis citatis, ſubdit autem Angelus, pariet autem Filium, &c. hæc autem dixit ne videretur ei non eſſe neceſſarius, ſcilicet ut ſolatium Beatæ Virgini, & infantulo teſu eſſet ſimulque Cuſtos, procurator, nutritor, & defenſor, quaſi dicatur, ut ipſe, & Maria eſſent duo Cherubim expandentes alas, ut Exodi *cap.* 25. ſuper propitiatorium, ſic Arias Mont. ut ſicut Mater, & Filius repræſentabant perſonas Patris, & Filii in divinis, ſic & Ioſeph gereret vices Spiritus ſancti; undè Gerſon exclamat dicens ô beata, & veneranda Trinitas Ieſus, Maria, Ioſeph; quam charitatis concordia divinitus conjunxit, & hoc eſt, quòd Evangeliſta has tres perſonas ſimul conjunctim refert dicens: cum eſſet deſponſata Mater Ieſu Maria Ioſeph.

27. *Ioſeph fuit ferculum Chriſti Ieſu.*

Noli timere, &c. pariet autem Filium, &c. Iterum dubitatur cum D. Thoma, ſi pariet Filium, quid ad me? ſi ex Spiritu ſancto ad quid ſum ego neceſſarius? neceſſarius certè es ô Ioſeph dicebat Angelus, ut ſis Mariæ, & infantulo ſolatium; & quale ſolatium? ſed perpende, quod Evangeliſta extendit in genealogia Chriſti ſcalam ab Abraham uſque ad Ioſeph, Iacob autem genuit Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Chriſtus, & transfer mentem ad ſcalam, quam vidit Iacob in cujus ſummitate innitebatur Deus; ut videas, quòd ultimus gradus hujus ſcalæ, eſt Ioſeph, cui innitebatur Chriſtus, dum in brachiis veluti in ferculo nobiliſſimo ipſum portabat; ô quale hoc privilegium! unde rectè de Ioſeph dici poteſt, ferculum fecit ſibi rex Salomon, Cant. ſic Rupert. Abbas *lib.* 2. *de gloria filii hominis*; quæ omnia inferuntur rectè, & ſine violentia ex ſupradictis ex Seraphico Doctore.

28. *Ioſeph Salvator Salvatoris Mundi, & Mariæ.*

Ioſeph noli timere, &c. Ergò in ſolatium, in cuſtodem, in defenſorem Mariæ, & Ieſus, voluit Spiritus ſanctus deputare Ioſeph, nempè ne lapidaretur, vel combureretur Maria Virgo à Iudæis veluti adultera, ut infantulum ab Herodis crudelitate eriperet, ut ipſos cibo, & alimento neceſſario provideret, ne fame perirent; ergò merito magis Ioſeph ſponſus Beatæ Virginis meretur nomen Salvatoris, quàm Ioſeph ille Patriarcha, qui vocatus fuit Salvator Mundi: *in Gen. c.* 41. ſic meditatur cum Sancto Bonaventura, D. Thoma, &c. Bernardinus de Buſtis.

29. *Crevit ex partu, & purior effecta eſt Maria virginitas.*

Quod enim in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt. Hoc autem factum eſt, ut adimpleretur, &c. Ecce Virgo concipiet: Nota, quod non ſine myſterio maximo, quando Maria dicitur Mater, tunc etiam proponitur Virgo, & appellatur; cur hoc? ut videas, quod ex quo de Spiritu ſancto eſt prole divina fœcundata nequaquam ejus virginitas ex tali prole vitiata, ſed in prole nobilitata, in prole ditata, & dotata, conſignata, & confirmata eſt ſua virginitas: *Op. ſpec. B. Virginis lect.* 4. Grande quidem hoc elogium virginitatis Mariæ, quæ ex dono maternitatis dotata, ditata, approbata, & Dei uſibus conſecrata; *ibid. & lect.* 14. & 16.

30. *Maria uterus officina Sanctiſſimæ Trinitatis.*

Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Quomodo dicitur Chriſtus natus in Maria? naſci eſt ex utero exire in lucem? & cur non dicitur potiùs, quòd in ea conceptum eſt? præterea quomodo dicitur, de Spiritu ſancto eſt, & non potius Spiritus ſanctus de eo eſt, cum procedat à patre, & à filio; ſed attende ad myſterium, & ad magnalia Mariæ Virginis Matris: Naſci (ait Gloſſa) de Maria eſt ex ea produci in lucem, & in ea naſci & concipi; ſed quomodo naſcitur in utero? ſed reſpondet Sanctus Bernardinus, quod ſit alluſio non ſolùm ad conceptionem factam Chriſti in utero matris, ſed ad generationem ipſius Verbi ex Patre ab æterno in ventre matris, tanquam in officina ſanctiſſimæ Trinitatis, ubi Pater generabat Filium, & Pater & Filius ſpirabant Spiritum ſanctum; ergò uterus Mariæ nobiliot ipſo Empireo, & ejus fructus generoſus non tantùm propter virginitatem parientem, ſed etiam propter Virginem ex utero mentis paternæ. *Op. ſpec. B. Virginis lect.* 16.

31. *Ex Mariæ nominis invocatione tollitur omnis pavor: item ex nomine Ieſu.*

Noli timere Ioſeph accipere Mariam conjugem tuam: Ecce quali medio Angelus in primis expellere conatur timorem, & titubationem à Ioſeph corde, nempè nominis Mariæ pronuntiatione; ſic etiam idem Angelus in Annunciatione cum in primis verbis non expreſſiſſet nomen Mariæ dicendo Ave gratia, &c. poſteà videns eam turbatam, ſubjunxit, ne timeas Maria; cur non dicit, ne timeas ô Virgo, ô filia, ô puella, vel ſimpliciter ne timeas, quia inveniſti gratiam, & hoc fuit, quia ad invocationem hujus ſanctiſſimi nominis omnis timor, pavor, dubietas afflictio, & tribulatio evaneſcit: Vide *op. ſpec. Beatæ Virg. c.* 2. & *cap.* 9 & 11. & *op. Pſalt. B. Virg Pſalm.* 6. & 114. & *in Luc. c.* 1. *v.* 28. idem & Sim. Caſſian. aliique Patres: Idem & dic de nomine Ieſu, ideo Angelus, Pariet autem Filium,

lium, & vocabis nomen ejus Iesum; ecce quòd ad prolationem nominis Mariæ, & Iesu fugatur omne nubilum, & pavor: *Op. de quinq. solemnit. pueri Iesu solemn.* 3. Hic autem notandum, quod cum ad impositionem perfectam nominis requiratur perfecta cognitio rei nominandæ, per consequens dicendum est, quòd mens sancti Ioseph tunc fuerit elevata ad perfectam cognitionem virtutis horum nominum.

32. *Ex fructu ventris Mariæ nobis Iesus salvator prodiit salvans nos ab omni malo.*

Vocabis nomen ejus Iesum. Cur? ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum: Ecce ad quid voluit Deus Filium Mariæ Jesum nominari, ut intelligeret Joseph, & magis nobis innotesceret qualis fructus ex ventre Mariæ prodiit, nempè fructus aptus ad expiationem peccatorum, & ut per expositionem talis fructus auferretur omne peccatum de mundo, secundum illud Isaiæ c. 27. iste omnis fructus, ut auferatur peccatum, & ideo voluit nasci præter, & suprà carnem, scilicet ex Spiritu sancto, ut potestatem haberet suprà carnem, peccataque ex infecta carne emanantia, & quia ad perfectam salutem requiritur pacificatio inimicitiæ capitalis inter hominem, & Deum, & relevatio ad statum gratiæ, & gloriæ; hoc totum effecit Jesus salvator. *Op. spec. B. Virg. lect. 8. & op. Comp. Theol. lib. 4. cap. 7. & serm. 1. in Pascha, & in Luc. cap. 1. vers. 77. & cap. 7. in fine: & capite 14. vers. 6.*

33. *Ex nomine Iesus habetur victoria contrà peccatum & diabolum, & vera salus.*

Vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim salvum faciet, &c. Vide quomodo præposito nomine Jesu promittitur salus generi humano: & meritò, nam in hoc nomine, & ex invocatione hujus nominis obtinet homo victoriam contra diabolum, expiationem à peccatis, & salutem per gratiæ infusionem; ò ad hunc fontem nominis Iesu devotè confugiamus: *In Luc. cap. 9. vers. 55. & cap. 19. vers. 10. & ser. 4. de circumcis. & op. medit. c. 100.*

34. *Adventus Christi in carnem dignatio expenditur.*

Et vocabitur Emanuel, idest nobiscum Deus: Quomodo supra dixerat Angelus Ioseph, quod nomen hujus parvuli erit Iesus, & postea mutat nomen dicens ex Isaia, quod erit Emanuel? si Emanuel, quomodo Iesus? & si Iesus, quomodò Emanuel? sed attende, quod utrumque competit rectè huic parvulo verbo incarnato: Nomen Iesus est illi proprium ex natura sua; Nomen Emanuel est illi debitum ex dignatione cohabitandi nobiscum in carne; dicitur enim nobiscum Deus, idest communis nobis factus per humanitatem nostram assumptam; & per hoc patet quanta ejus dignatio; nam ipsam ad nos invitavit benignitas, traxit misericordia, compulit veritas, suscepit pulcritas virginalis, eduxit integritas, deduxit obedientia, armavit patientia, manifestavit charitas; ergò verè Emanuel nobiscum Deus factus homo, nobiscum scilicet in carne per carnem assumptam, nobiscum in anima per gratiam, nobiscum totus per Eucharistiam; ô infinita charitas Dei nostri. *Psal. 101. & 17. ser. 1. & seq. Dom. 1. Adv. & ser. 2. Dom. 3. Advent. & libr. 3. d. 1. a. 2. qu. 1. & in Psal. 83.*

35. *Mariæ Virginis excellentia, virtutes, & merita à solo Deo cognosci possunt, & ideò Ioseph nec poterat figere oculos in faciem ejus dum continebat Verbum incarnatum.*

Et non cognoscebat eam, donec peperit: Quid est non cognoscebat eam? duos sensus his verbis tribuunt sancti Doctores, alius est, quod ipsam Ioseph non cognovit carnaliter, ubi notandum, quod illud adverbium, donec, hic sumitur pro &: dicitur autem non cognoscebat, quia ipsam numquam cognovit: alius est ad litteram non cognoscebat eam, dum gestabat in utero Verbum, scilicet tanta erat irradiatio lucis, & splendoris ex facie ejus prodeuntis, quòd in ipsam non poterat figere oculos, donec peperit, quia tunc Ioseph elevatus est ad visionem Dei, & confortatus in pupillis, quod posteà poterat ipsam videre: sic S. Hilar. *in cat.* *S. Thom.*; sic Origenes, aliique Patres, vide Suarez *t. 2. in 3. p. d. 2. sect. 1.* Alens. *3. p. q. 49. membr. 1.* Nec id mirum, quia Maria est abyssus profundissima in pulchritudine, in splendore, in bonitate, in misericordia, in gratia, in privilegiis, quod solus Deus eam potest mensurare, & ideo inaccessa est ejus dignitas, & sanctitas omnibus hominibus, & Angelis. *Op. spec. B. Virg. lect. 3. & ser. 2. de B. Virg. & Psal. 17. & 109.* Ideo pro hoc facit Prophetia Isaiæ c. 19. Dabitur liber obsignatus viro scienti litteras, & dicet non possum legere: cur ô Ioseph non potes legere hunc librum? quia obsignatus, reservatus pro domicilio omnium Creatori: sic sanctus Gregorius Thaumaturgus. *Ser. 3. de Annuntiatione.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota,quòd in hoc capitulo agitur de Nativitate Chriſti,de Adventu Magorum, de fuga Joſeph cum puero in Ægyptum, de interfectione puerorum ; de reditu Chriſti de Ægypto in Nazareth ; Matthæus autem de circumciſione ſubticet, ſed Lucas ſupplevit : Matthæus tranſit brevius de Nativitate, Lucas narrat diffuſius : Matthæus enim tribus brevibus verbis Nativitatem inſinuavit : nempe in fine genealogiæ dicens, de qua natus eſt Chriſtus, & paulo poſt,quod enim in ea natum eſt,de Spiritu Sancto eſt, & hic cum natus eſſet Ieſus,&c. ubi ponuntur quatuor à Prophetis roborata,ſcilicet primò Nativitas,cum natus eſſet, &c. ſecundò,nomen,dicens Ieſus:tertiò locus, dicens in Bethleem Iudæ : quartò,tempus, dicens in diebus Herodis Regis, & Auguſti Imperatoris : Hæc ex Gloſſa, & aliis Expoſit. & S. Bonav. infra cit.*

CAP. II.

2. *Chriſtus voluit teſtimonium ſui Adventus ab omnibus creaturis, & ſtatibus hominum.*

Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, Ecce Magi ab oriente venerunt Ieroſolymam dicentes, ubi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum. Cur voluit Chriſtus ad ſui adorationem ſtatim natus etiam iſtos reges ? hoc factum eſt cum maximo myſterio ; voluit enim Chriſtus habere teſtimonium ſui adventus ab omni genere creaturarum, & perſonarum,ut inexcuſabiles ſint,qui non credunt Evangelio:habuit enim teſtimonium Angelicum,& humanum,& iterum quantum ad ſimplices,& quantum ad perfectos,& iterum perfectorum in utroque ſexu, ut oſtendatur,quòd omnes ſpectant ad redemptionem, ſicut omnes ceciderant. Imò ut nihil deſit ad teſtimonii firmitatem Chriſtus natus habuit teſtimonium ſeptiforme, ſcilicet à natura cœleſti, videlicet ſtella, à ſuper cœleſti, ſcilicet Angelica ; à natura ſubcœleſti, ſcilicet virili ſimplici,ſcilicet à Paſtoribus,à virili ſapiente, ſcilicet à Magis, à ſenili in ſexu maſculino, ſcilicet à Simeone, à ſenili in ſexu fœmineo,ſcilicet ab Anna Propheriſſa,ab infantili,ſcilicet à pueris, qui non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt ; & ſic omnis natura, omnis ſexus, omnis ætas Chriſto naſcenti teſtimonium perhibuit,quia ipſe debebat reparare omnia.*in Luc.c.2. verſ.56.*

3. *Eccleſia myſtica eſt Bethlehem,ideſt domus panis cœleſtis Euchariſtici.*

Cum natus Ieſus eſſet in Bethlehem Iudæ, ecce Magi, &c. Cur voluit naſci in Bethlehem,cum alibi fuerit conceptus, ſcilicet in Nazareth ? ad litteram, ut daret intelligere, quòd eſſet de domo, & familia David, cujus caput erat illa civitas : myſticè ſignificat Eccleſiam ; in qua natus Chriſtus exponitur in altari, ut panis cœleſtis in Euchariſtia, ut omnes ad ipſum manducandum, piè, & ſanctè accederent ; ideò voluit collocari in præſepio, quod ſignificat Altare, invitans animalia,ſcilicet homines animaliter viventes,ut relicta vita animali ad hunc panem Angelorum ſumendum accedant, & ſocii Angelorum, imò, & Angeli fiant.*In Luc.c.2.v.4.& 7.ſermon.6 in Nativ.* De myſteriis conceptionis, & Nativitatis, & infantiæ Chriſti Ieſu agetur. *in Lucam cap.1. & 2.*

4. *Chriſtus in Evangelio hoc, Ieſus, Puer, Dux,& Chriſtus Rex exponitur.*

Cum natus eſſet Ieſus, &c. ubi eſt qui natus eſt Rex.&c. Nota, quod non ſine maximo myſterio Chriſto multa nomina tribuuntur in hoc Evangelio;primò Jeſus,cum natus eſſet Jeſus;ſecundò Rex,ubi eſt,qui natus eſt Rex Judæorum ; tertiò Puer, & intrantes domum invenerunt puerum; quartò Dux,ibi ex te exiet Dux qui regat, &c. quintò Chriſtus,ibi ſciſcitabatur ab eis,ubi Chriſtus naſceretur ; per quæ nomina proponuntur nobis mirabilia Chriſti nati;nam exhibet ſe puerum, ut oſtendat ſe leviter poſſe placari; ſecundò ſe Ducem animarum noſtrarum in pugna contra hoſtes, ducens nos per deſertum hujus mundi ad terram promiſſionis : tertiò Chriſtus,ſcilicet unctus omnibus donis Spiritus Sancti, quæ nobis continuè infundit : quartò Rex ſuper omnes Reges, faciens omnes ſuos ſequaces Reges, & eos in gloria coronans ; & Jeſus, ideſt ſalvator ſalvans nos à peccato. *Serm.1.in Epiph.*

5. *Homo, maximè Religioſus ſi vult Chriſtum invenire,relinquat patriam, & parentes.*

Ecce Magi ab oriente venerunt Ieroſolymam quærentes, & dicentes, ubi eſt, &c. Vide quomodo iſti Reges,ut quærant, & inveniant Chriſtum natum relinquunt patriam, & parentes, ut intrent Ieruſalem, & ibi inveniant Chriſtum ; & hoc eſt quod dirigitur ad nos, & maximè ad Religioſos volentes quærere, & invenire Chriſtum, ut patriam, & parentes relinquant, quia Chriſtus nec à Matre ; nec à Joſeph inventus eſt inter notos. *Serm.5.Dom.infrà oct. Epiph.*

6. *Sæpè ſæculares homines ſuperant Religioſos in actibus pietatis,& cultus Dei.*

Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum. Ecce Reges, & homines ſæculares negotia regni intermittunt, & Deum quærunt, quem tamen multi litterati, & aliquando Religioſi negligunt. Sic enim viri iſti extranei, & gentiles cognoverunt Chriſtum,quem ſacerdotes, & Religioſi Synagogæ neſciebant, nec curabant : ô quoties actione ſæcularium confunditur vita Religioſorum, dum illi extra habitum opera aſſumunt, & iſti juxta ordinem

ordinem proprium non excitant corda; verecundum verè est, quòd sæcularis possit claustralem reprehendere. *Ser. 2. in Epiph.*

7. *Ubi, & locus Christi in quo quærendus, & inveniendus exponitur.*

Ubi est, qui natus est Rex Iudæorum. Vide quomodo isti Reges interrogant de Vbi, & loco, ubi habitat Iesus natus, & meritò quærendum est tale Ubi; est enim quadruplex, scilicet ubi natus, ubi passus, ubi resurgens, ubi ascendens; Natus est enim in diversorio, ut te excitet ad paupertatem sectandam, & te doceat, quòd in loco pauperratis invenitur, passus in cruce, ut per crucem, & labores ad quietem resurrectionis studeas incedere, & tandem ad Cœlum pervenire. *Sermon. 2. in Epiph.*

8. *Exemplo istorum Regum quærendus est Christus, & cur?*

Quærentes, & dicentes ubi est, &c. Hoc est, quod quælibet anima facere debet; quærere, & investigare non cessat ubi est, qui natus est Rex Iudæorum? ad hoc enim nos cogit multiplex necessitas quærendi: est enim homo impotens in agendo bona, intipiens in noscendo mirabilia, miser in patiendo diversa pericula, indigens in habendo cibaria necessaria; adverte hoc homo, require Deum, & dic hoc, Ubi est potens adjutor? ubi est sapiens doctor? ubi est misericors liberator? ubi est liberalis pastor? quære ergo ô homo ubi est, quia non ubique invenitur, nisi vel in Bethlehem, in diversorio, vel in cruce. *Sermon. 2. in Epiph.*

9. *In utero Beatæ Virginis Mariæ ab ipsa constitutus, & coronatus est Rex Christus Iesus.*

Ubi est, qui natus est Rex Iudæorum. Quomodo natus est Rex Iudæorum Christus? Reges fiunt homines non concipiuntur, & consequenter solùm postquam nati sunt, non in utero? ô perbellum mysterium: sed transfer mentem ad id, quod sponsa dicebat *Cant. 3.* Egredimini, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis, & lætitiæ, & quia hic fit allusio ad Christum, qui dicitur coronatus in die desponsationis, & lætitiæ: quæritur quæ dies fuit ista desponsationis, & lætitiæ, in qua coronatus fuit à matre? quomodo coronatus à matre, & quando? dies desponsationis, & lætitiæ Christi Iesu fuit dies Incarnationis, quando Beata Virgo ipsum concepit, & cum humana natura indissolubili vinculo copulavit cum lætitia matris, & filii inenarrabili gaudio, & tunc ipsa inunxit filium in Regem coronaque aurea suæ carnis decoravit: Ecce quomodo statim ac fuit in utero Christus, tunc simul est constitutus, & coronatus, & conceptus & natus est Rex universorum à Maria Virgine coronatus. *In Psalm. 144. & serm. 1. in Vigil. Nativit. & serm. 1. Dom. Palm. & in Ioan c. 11. v. 6. sic & Ric. à S. Laur. lib. 4. de laudibus Virginis.*

10. *Nativitas Christi Regis gaudium non solùm istis Regibus, sed toti mundo attulit.*

Vbi est qui natus est Rex Iudæorum. Nota gaudium, quod in corde istorum Regum redundabat, dum tam absolutè, & lætanter quærunt ubi sit Rex Iudæorum natus? dicitur autem Rex Iudæorum, sed si Rex Iudæorum, quid ad vos ô Reges exteri, & Orientales? si tantùm natus est Rex iste pro Iudæis, ad quid contenditis ad ipsum adorandum adire? & cur tanta lætitia redundat in vestro corde, si ad vos non pertinet? ô quàm mirabilis est ista Nativitas; Iam intellexerant lumine superno perfusi, quis iste Rex esset, ipsumque appellant Regem Iudæorum; & idcò dixerunt, vidimus stellam ejus; Nota ly Ejus, ut quid ejus? quoniam nisi ejus, & ab eo singulare lumen illuxisset, non poterant ad ipsum fontem luminis pertrahi, ut possent dicere, in lumine tuo videbimus lumen, *Psalm. 35.* Hinc ipsum appellant natum Regem Iudæorum, scilicet confitentium, & credentium, in quo apparet qualiter hæc nativitas talis Regis fuit materia desiderandi sanctis Patribus, maxima gaudendi cernentibus, materia loquendi prædicantibus, materia admirandi meditantibus: materia item reverendi, & adorandi omnibus tantum Regem, in quo apparuit excellentia dignitatis, munificentia potestatis, & affluentia liberalitatis, ex eo quòd à Regibus voluit adorari, & eos donis cœlestibus repleri. *Ser. 1 in Epiph. in Ioan c. 18. & 19.*

11. *Omnes creaturæ Deo obsequuntur, solus homo ei adversatur.*

Audiens autem Rex Herodes turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo. Cur turbatur Herodes? cur non potius gaudet? sed hoc quidem mirum non est, cum esset Allophilus, & extraneus, sed verè mirum est, quòd omnis Ierosolyma turbata, & conturbata fuerit cum illo impio; audiunt Reges dicentes natam esse stellam mirabilem indicantem ortum Regis Iesu, & tamen non lætantur, imò turbantur, & cum Herode omnes Ierosolymitani ipsum quærunt ad mortem, ut videas, & patefiat, quod cum omnes creaturæ obsequuntur Christo, Bos, & Asinus ipsum adorant, stellæ prædicant, & admirantur Cœli, & laudant, omnisque scriptura ipsum venisse denunciat, & tamen solus homo, demptis paucis, propter quem venerat, non laudat, non prædicat, sed persequitur venientem *Serm. 3. de Angelis*: ô magna, & intolerabilis hominum protervia, & cæcitas, & ingratitudo.

12. *Prædicatores, & Religiosi, qui benedicunt, & malè faciunt incusantur.*

At illi dixerunt in Bethlehem Iudæ, sic enim scriptum est, & tu Bethlehem Terra Iudæ, nequaquam minima es. Vide quomodò isti sacerdotes benè loquuntur, sed malè operantur, pulchra & bona sua verba, sed opera mala: ô impii, ait Augustinus, cur non vos comites Magorum facitis, cum ab eis auditis, quod visa stella ejus venerint, cum adorare cupientes? cur ipsos ad Bethlehem vos ipsi non ducitis? cur & vos ad Iesum videndum, & adorandum, quem Magis indicastis, non incedistis

ſed potius cum impio Herode vos contrà ipſum colligaſtis Ecce quid faciunt multi Prædicatores, & Prælati,qui aliis fontem vitæ indicant,ipſi verò ſiti exardeſcunt,alios docent, ſeipſos non docent,facti velut æs tinniens, aut cymbalum ſonans: ô quotquot ſunt tales in Eccleſia; ô quot etiam ſunt Religioſi, qui ſuperantur in bonitate operum à ſæcularibus multa benè dicunt, & mala agunt.*Op.Phær.lib.1.c.15.& ſer.2.in Epiph.in Luc. c.2.v.4.*

13. *Maria Virgo myſtica Bethlehem civitas parva, & magna.*

In Bethlehem Iuda, ſic enim ſcriptum eſt, & tu Bethlehem Terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda,ex te enim exiet Dux,&c. Ad litteram loquitur de civitate materiali Bethlehem, quæ erat quidem apparenter minima inter alias civitates Iudeæ,ſed maxima omnium facta eſt ex Nativitate Chriſti; myſticè hæc eſt Beata Virgo Maria, quæ quidem omnium minima erat humilitate,& in ſui æſtimatione, ſed omnium maxima facta eſt Dei maternitate, ideò meritò dici poteſt Civitas regalis,& præſidium noſtrum.*Op.in ſalve.* Unde Bernardus dicit,ô Maria Bethlehem parva, ſed jam magnificata à Domino; magnificavit te, qui factus eſt in te parvus ex magno;nequaquam minima ideò es,ſed omni creatura nuda major,ex te enim exiit Dux,qui regit totum mundum.

14. *Prælati malitia quàm reipublica damnoſa.*

Herodes turbatus, & omnis Ieroſolyma cum illo.&c.tunc Herodes clam vocatis.&c. Cur & Ieroſolyma cum Herode turbatur? Nonne vos Ieroſolymitani eſtis,qui tam ardenter expectatis, & deſideratis Meſſiam veſtrum liberatorem,Regem,& ſalvatorem? ô vide quàm noceat reipublicæ iniqua poteſtas, quomodò caput impium ſubjectos quoque ſuæ conformat impietati;miſera planè civitas,in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ particeps erit malitiæ: Herodiana verò malitia eſt naſcentem velle extinguere Religionem; ſi quid ergò ad ſalutem pertinens, ſi quid Religionis exoritur quicumque reſiſtit, naſcentem perſequitur ſalvatorem.*In Luc.c.13.v.31.*

15. *Hypocrita incuſatur,ſub ſpecie pietatis perſequens Chriſtum.*

Herodes mittens illos dixit.ite & interrogate,&c. & cum inveneritis renunciate mihi,ut & ego veniens adorem eum. O ficta calliditas, credisne Deum decipere? ecce quod infixus eris in interitu,quem feciſti, & paraſti: Herodes interpretatur pellibus glorians, & deſignat quemlibet ſuperbum, hypocritam, & vaneglorioſum, qui gloriatur in oſtentatione operum, & verborum; & talis cum Herode perſequitur Chriſtum naſcentem in Bethlehem;hic enim naſcitur ut pauper, & ideò tales Herodiani perſequuntur pauperes, & naſcentem volunt extinguere Religionem, reſiſtentes voci Dei.*in Luc.c.13.v.31.*

16. *Qualis eris cum Deo,talis erit tibi Deus: unde aliis eſt Chriſtus in ſalutem, aliis in damnationem.*

Tunc Herodes clam vocatis Magis, &c. Ecce quàm eſt vera propoſitio Sancti Simeonis, quod Chriſtus poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum, nam ſuperbus Herodes nolens cum humilibus Magis ſubdi omnipotenti ſub infirmitate noſtræ carnis jacenti humiliter,imò accepta occaſione à tam benigna humilitate aſſumptæ infirmitatis, ſola malignitate voluntatis fuit ſibi cauſa maximæ ruinæ, quærens interficere Chriſtum, & quod fuit ſuperbo Herodi abutenti cauſa ruinæ,& mortis,fuit magis benè utentibus cauſa ſalutis.*Ser.1.Dom.infrà oct.Nativit.*

17. *Creaturæ omnes & verbis,& factis confitentur Chriſti poteſtatem, & reverentiam ei debitam.*

Et ecce ſtella, quam viderant; antecedebat eos. Vide hoc ſignum nati infantuli, & copula ipſum cum tot aliis, quæ apparuerunt in ejus Nativitate, & morte, & intelliges, quod omnis creatura, & verbis,& factis oſtendit,& confitetur,quod ipſe eſt Deus omnipotens in Cœlo, & in terra, ut in nomine ejus omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. *Sermon. 1. Dom.1. Adv.& ſerm.2.Epiph. ſerm.1. Dom. infrà oct. Aſcenſionis.*

18. *Chriſtus per creaturas viſibiles nos ducit in cognitionem inviſibilium.*

Et ecce ſtella, quam viderant Magi in Oriente antecedebat eos uſque, dum veniens ſtaret ſuprà ubi erat Puer. Nota illud verbum antecedebat eos uſque, &c. ut videas, quod Chriſtus per ſigna ſenſibilia ducit ſuos ad cognitionem inviſibilium, & ideò inveſtigatoribus diligentibus ſapientiæ divinæ Deus infundendo ſimul lucem ſupernam immittit ſigna ducentia in ipſius cognitionem; Inviſibilia enim per ea quæ facta intelliguntur,ſic iſti fœlices Reges,qui fuerunt primitiæ,fidei gentilis inveſtigaverunt Chriſti notitiam per ſignum fulgentis ſtellæ, quouſque ipſis manifeſtaretur. *Ser.1.Dom.2.poſt oct.Epiph.*

19. *Stella eſt divina gratia ducens nos ad Ieſum, & afferens gaudium ineffabile.*

Et ecce ſtella antecedebat eos, donec veniens, &c. Verum quidem eſt,quod illa ſtella exterius videbatur. & Reges iſtos cum gaudio magno ducebat ad Chriſtum,ſed nota,quod alia lucidior ſtella irradiabat eorum animam, ſcilicet divina gratia; hæc enim ducit ad Ieſum, & ad poſſeſſionem ſalutis eos qui auro charitatis,thure devotionis, & orationis, & mirrha pœnitentiæ ſe Deo præſentant. *Ser.3.de Pluribus Martyr.in addit.*

20. *Stella ducens ad videndum Deum cum lætitia immenſa eſt fides.*

Et ecce ſtella,quam viderant in oriente antecedebat eos.&c.videntes autem ſtellam gaviſi,&c. Nota, quod etiam per hanc ſtellam intelligitur fides, quæ nobis oſtendit viam ad Chriſtum videndum,

illuminat

illuminatque mentem, ut possit in hac vita à nobis videri, & hoc cum maxima lætitia mentis. *ferm.5.de Nativitate. & ser.3. in Epiph.* ubi nota, quòd nec sol, nec Luna, nec Cœli, nec aliæ stellæ potuerunt ducere istos fœlices Reges ad Christum, sed sola hæc lucidissima stella valdè ab aliis differens: sic est fides, nam cæteræ scientiæ sine illa ad Christum non possunt ducere, nec ejus mysteriorum veritates dictare, hæc verò præterita simul & præsentia, ac futura sinu suo vastissimo comprehendit; hanc stellam adspiciamus, hanc non deseramus, caveamus ne à nobis in hujus vitæ itinere disparear, sicut evenit tot regnis, & regionibus. Vide *Op.Diat.tit.5.c.3.& tit.8.cap.5.& lib.3.d.23.a.1.q.4.*

21. *Christus, & Maria Virgo est stella nos ducens ad Christum, & ad Cœlum.*

Et ecce stella, quam viderant Magi in Oriente antecedebat eos, &c. Nota, quòd terminus itineris horum Regum fuit inventio Christi, & Mariæ Virginis, invenerunt, ait, Puerum cum Maria, &c. per hoc datur intelligi, quod Christus, & Maria Virgo sunt stella nos ducens in itinere hujus vitæ ad portum salutis; Christus quidem immittit in nos radios suæ lucis per fidem, & intelligentiam mysteriorum suorum, & securè expellendo tenebras ignorantiæ nos ducit ad possessionem veritatis supernæ: Maria Virgo item stella purissima, radiosissima, & utilissima; purissima sine peccato, purior quidem sole, & stellis, & Luce, & omnem Lucem corporalem, imò & spiritualem, scilicet Angelicam superans; radiosissima æternum radium emittendo, & Dei Filium parendo & sic illuminando totum mundum; utilissima, quia nos illuminando, & docendo ducit per mare hujus sæculi ad gratiam filii sui, tanquam ad portum Paradisi, & ideò radii hujus stellæ duxerant Magos ad Christum, *Ser.7.in Regat.& op.spec.B.Virg. lect.3.*

22. *Gaudium justorum grande: impiorum parvum, & vanum.*

Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno, &c. Nota illud verbum, gaudio magno; ut videas, quod quærentes, & invenientes Christum, eique servientes gaudio magno perfunduntur: sicut è contra impiorum vita plena est turbationibus, ut patet in Herode, qui turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo, nam gaudium hypocritæ est adinstar puncti, vanumque, & transitorium, nam in solo Deo verum gaudium invenitur. *In Luc.c.2.v.11.*

23. *Christus non invenitur in stabulo, sed in domo sua, scilicet in brachiis Mariæ.*

Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus. In quam domum intraverunt isti sancti Reges? nonne puer erat in stabulo in medio jumentorum positus? sed attende illam copulam Puerum invenerunt cum Maria: invenerunt puerum, scilicet infantem inter brachia Mariæ: nam ipsa sentiens strepitum comitatus Regum venientium ad tugurium, accepit Puerum inter brachia sua. & ipsi intrantes genu flexerũt, & adoraverunt Puerum ut Regem, & Dominum. *Op.medit.c.9.* Et tunc verè poterat dici Maria domus Dei repleta omnibus bonis, in qua arca viva, urna, & manna servabatur, ideò verè dici potest, quod isti Reges intrarunt domum istam sanctissimam, ut ibi adorarent Christum. *Op.spec.B.Virginis lect.14.*

24. *Christus non in stabulo, sed in domo sua invenitur, scilicet in Cruce.*

Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus. In quam domum? nonne ipsum adoraturi in stabulo: in stabulo quidem materiali, sed ut à Christo stabulum longè fiat, Evangelista dicit Reges invenisse Christum in domo: cur in domo? & in qua domo, si non habebat, ubi reclinaret caput? sed hic recurrendum ad mysterium: domus Christi est Crux, in qua sola invenuri potest: undè & Sanctus Bernardus dicebat; circuire possum Cœlum, terram, mare, & aridam; & nunquam te inveniam, nisi in cruce, hæc est domus tua, ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie, sicut autem non invenitur sol in nocte, nec rosa in stabulo, sic nec Christus in stabulo mundanæ vanitatis. *Ser.7.in Rogat.* Vide quam sit verum, quòd ipsum solùm invenerunt, & inveniri potest in sua domo, scilicet in Cruce, si enim ipsum aspicis inter brachia matris, ecce brachia crucis, si in præsepio, ecce in lecto crucibus pluribus efformato, quia quot paleæ, tot cruces, si in deserto, si in passione, si in tota sua vita ipsum contemplatis, semper ipsum invenies in cruce, in laboribus, & miseriis: ô qualis vis amoris Domini Jesu. *Sic S.Bon.& Bern.*

25. *Qui vult invenire Christum Jesum, quærat ipsum per Mariam, & Joseph.*

Et intrantes, &c. invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & Luc.c.2. invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio. Cur primo loco ponitur inventio Mariæ, & Joseph à S. Luc. & à S. Matthæo inventio Jesus cum Maria? sed tamen subintelligendus etiam est Joseph, & hoc non vacat mysterio, ut sciamus, quòd qui vult invenire Christum, debet recurrere ad Mariam, (adde & ad S. Joseph) quia per ipsam solam potest inveniri Christus Jesus. Nota etiam aliud mysterium, in Maria intelligitur puritas, in Joseph justitia, in præsepio humilitas; quia qui vult invenire Christum, debet habere munditiam respectu sui, justitiam respectu proximi, & humilitatem respectu Dei. *Ser.4.Dom.infrà oct. Nativ. & in Luc. c.2.v.17.& ser.2.de sanctis Innocentibus in addit.*

26. *Qui vult invenire Christum, quærat exemplo istorum Regum.*

Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes, &c. Vide quàm sit verum id, quod postèa dixit Christus: omnis, qui me quærit, invenit, Matth.c.7. quia enim quæsierunt Christum sollicitè & puro corde ideò invenerunt, ad quod invitantur & Reges & divites, & pauperes, quia omnibus factus est communis. *Ser.2.de inventione S.Crucis.* Sed tamen caveat unusquisque ne ineat ad Christum manibus vacuis, sed exemplo horum Regum manibus plenis, scilicet bonorum operum, quod facere possunt & divites, & pauperes. *Ser.4.Dom.2.Pentecost.*

27. *Qui vult oblationes Deo offerre prius aperiat theſaurum cordis, & recipiat theſauros Dei.*

Et apertis theſauris ſuis obtulerunt aurum, thus, & mirrham. Ad quid ponitur apertis theſauris ſuis? videtur hæc notatio ſupervacanea? ſed verè eſt continens maximum ſacramentum; nam priùs Deus aperuerat theſauros ſuos cœleſtes donorum, & ipſi itidem aperuerunt theſaurum cordis, ad munera cœleſtia recipiendum, & ſic repleti ſcilicet theſauris cordis ſanctis virtutibus coram Deo aperuerunt, & obtulerunt ſua munera, ut videas, quòd ad oblationem Dei ſanctam hæc apertio, & receptio, & exhibitio prærequiritur. *Ser.2.in Rogat.& ſerm.2.feria 2.Paſchæ.*

28. *Theſaurus cordis mundo claudendus, Chriſto ſoli aperiendus.*

Et apertis theſauris ſuis obtulerunt munera, &c. Cur hic tantùm in tugurio aperiunt theſauros ſuos? cur non etiam coram Herode, ut per munera ipſi oblata gratiam ſuam concilient? ſed attende ad myſterium; ſolùm coram Chriſto aperiunt theſauros ſuos; theſauri Deo placiti, ſunt virtutes animæ, & iſtæ debent claudi mundo, hominibus, & carni ſera humilitatis, ne à furibus, ſcilicet Dæmonibus ſurripiantur, & ſolùm coram Chriſto aperiendi, & humiliter offerendi. *Serm.2. feria 2.Paſchæ.*

29. *Soli Reges Chriſto poſſunt offerre munera grata, & accepta.*

Et apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera. Quinam ſunt? ſunt Reges: ergò ſolùm Reges à Chriſto acceptantur? maximè: Reges, ſcilicet qui ſeipſos regere noverunt; Reges, qui ſuper ſeipſos, & ſuas paſſiones dominium habent, & exercent; Reges inquam, ſcilicet perfecti vel profeſſione, vel converſatione, vel contemplatione. *Serm.3.in Epiph.*

30. *Religioſorum oblatio qualis.*

Et intrantes domum, &c. & apertis theſauris ſuis, &c. Nota, quòd hic myſticè ſignificantur Religioſi, qui in Religionem intrantes fiunt Reges dominantes ſibi ipſis, & ſuis inclinationibus, iſti in profeſſione Chriſto offerunt aurum continentiæ, & caſtitatis corporis, & animæ; thus obedientiæ; ſed adverte, quòd thus debet minutatim frangi; ſcilicet propria voluntas in mortariolo cordis; ſicque ex corde offerrè thus obedientiæ, mirrham paupertatis, & aurum caſtitatis. *Serm.3. in Epiph.*

31. *Contemplativorum oblatio qualis.*

Et apertis theſauris obtulerunt, &c. Nota, quòd per iſtos Reges intelliguntur etiam contemplativi, qui intrant in domum orationis, ſeque coram Deo præſentant, eique offerunt aurum, thus, & mirrham: aurum, ſcilicet contemplationem auri divinitatis, ejuſque attributorum; thus, contemplationem divinæ bonitatis; & mirrham, ſcilicet meditationem paſſionis Chriſti, & hæc oblatio Deo eſt chariſſima. *Serm.3. in Epiph.*

32. *Theſaurus cordis, oris, & operis Deo offerendus.*

Obtulerunt & munera, &c. Scilicet ex theſauris ſuis: Nota, quod triplex theſaurus in unoquoque noſtrum invenitur, ſcilicet cordis, oris & operis: ſi bonus eſt theſaurus, & bona proferuntur, ſi malus mala: ex corde igitur Deo offerendum eſt aurum charitatis, thus devotionis in fervore, & mirrha contritionis; de theſauro oris Deo offerre debemus aurum laudationis divinæ, thus orationis, & mirrham confeſſionis; de theſauro operis offerre debemus aurum miſericordiæ; thus vitæ exemplaris, & bonæ famæ, & mirrham mortificationis *Serm.4.in Epiph.*

33. *Modus, & ordo oblationum Deo exhibendarum traditur in oblatione iſtorum Regum.*

Et apertis theſauris ſuis, &c. Nota, quòd non ſine maximo myſterio traditur ab Eccleſia oblatio, & adoratio iſtorum Regum, ut nos inſtruamur qualiter oblationes noſtras ut Deo ſint gratæ offeramus; nam in iſtis ſanctis Regibus relucent omnes virtutes Chriſtianæ; primò enim ipſos, ut venirent ad Chriſtum adorandum, non retardavit longitudo viarum, non aſperitas temporum, non magnitudo regalium expenſarum, ſed venientes, & intrantes domum invenerunt puerum Jeſum, & procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris, &c. Nota hic ordinem; nam venerunt, procciderunt, adoraverunt, & obtulerunt, quia ad Deum veniendum eſt devotione, procidendum toto corde, adorandum eſt corde, & ore, & offerendum eſt ei opere; & ideò in hoc facto relucent omnes virtutes Chriſtianæ, obedientia nempè promptiſſima, charitas ardentiſſima, humilitas profundiſſima, oratio ferventiſſima, mortificatio aſperrima, fides, ſpes, & cæteræ virtutes. *Ser.3.de Angelis, ſerm 3. Epiph.ſer.1.Dom.3.poſt oct.Epiph.in Luc.c.2.v.16.*

34. *Repræſentatur anima Deum amans imitatrix ferventiſſima iſtorum Regum.*

Et intrantes domum, &c Nota, quòd hæc hiſtoria exhibetur à Spiritu Sancto animæ Deum diligenti, ut ſit imitatrix fideliſſima iſtorum felicium Regum: nam per tres vires animæ, quaſi tres Reges ſibi ipſis dominantes quærit anxiè puerum natum in civitate hujus mundi: quærunt igitur iſti tres Reges meditationibus, requirunt affectionibus, interrogant devotis cogitationibus; ubi eſt (inquiunt) qui natus eſt? vidimus ſtellam ejus in oriente, ideſt charitatem ejus fulgentem in devota mente, videlicet ſplendorem ejus radiantem in intimis animæ, audivimus ejus vocem, quæ eſt dulciſſima, guſtavimus ejus dulcedinem, quæ eſt ſuaviſſima, percepimus ejus odorem ſuaviſſimum, experti ſumus ejus amplexũ dulciſſimum: jam Herodes redde reſponſum, oſtẽde dilectum monſtra infantulum deſideratum, propter tuam gloriam non venimus vidẽdã, tua enim gloria, majeſtas, & opulentia eſt ejus factura: dic igitur, ne protrahas; ubi eſt qui natus eſt? ubi eſt ergò lõgitudo brevis, magnitudo levis, altitudo ſubdita, latitudo anguſta? ubi lux lucẽs, aqua ſitiens, panis eſuriẽs: dic nobis, ubi æternus Dei Filius infans inveniatur? ubi ſplendor paternæ gloriæ pannis involutus cernitur?

ubi

ubi audiemus in cunabulis vagientem, qui eſt miſerorum conſolatio? ubi videbimus inter brachia bajulantem infantulum, qui eſt Angelorum, & hominum, Cœlorum, & creaturarum omnium conſervator? hunc deſideramus, hunc quærimus; ô dulciſſime, ô amantiſſime Pater æterne, infans antique, quando te videbimus, quando te inveniemus, quando ante faciem tuam apparebimus? tædet gaudere ſine te, delectat gaudere tecum, & flere tecum, omne, quod tibi eſt adverſum, nobis eſt moleſtum: tuum beneplacitum eſt noſtrum indeficiens gaudium, & deſiderium: ô ſi tam dulce eſt flere de te, quam dulce erit gaudere de te? Ubi ergo es, quem quærimus, & præ omnibus deſideramus? Ubi es, qui natus es Rex Judæorum, lex devotorum, Dux miſerorum, lux cæcorum, vita morientium, ſalus æterna æternaliter viventium? Ecce reſponſio conveniens: in Bethlehem Judæ, ſcilicèt in domo panis confitentibus exhibetur, ibi poſt confeſſionem criminum evangelica doctrina ſumitur. *op. de quinque feſtivit. Jeſu feſtivit.* 4. Vide ibidem plura alia documenta affectuoſiſſima. *& op. Lignum vitæ.*

35. *Homo per aliam viam ad Deum revertatur, quam per illam in qua cecidit.*

Et per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam. Diſce hoc exemplo ô homo, quid tibi faciendum eſt, ſi vis ad patriam tuam, ſcilicèt ad Paradiſum pervenire, debes enim per aliam viam incedere ab illa, in qua cecidiſti: incediſti per ſuperbiam, debes ad Deum redire per humilitatem, & ſic de aliis; & in ſignum hujus Clerici in proceſſionibus per aliam viam revertuntur ad Eccleſiam, & chorum, quam ea, per quam egrediuntur. *in Pſal.* 106. *in Luc. c.* 7. *in fine.*

36. *Chriſtus omnibus communis eſt.*

Et per aliam viam reverſi ſunt. Vide, quòd Chriſtus in Bethlehem natus recipit & divites, & pauperes: divites Reges cum muneribus, pauperes Paſtores ſine muneribus, ut videas, quòd non eſt acceptator perſonarum, ſed tamen vult, quòd divites pauperibus largiantur, & ſuccurrant; & pauperes largiantur bona voluntate ſuſtinentes patienter ſuas miſerias, & talibus Chriſtus ſe libenter communicat. *Ser.* 3. *de Inn. in addit.*

37. *Quid fecerint Chriſtus, & Maria in Bethlehem, antequam fugeret in Ægyptum: ubi de humilitate, & communitate ſectanda à ſervis Dei.*

Qui cum receſſiſſent, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph. Nota, quòd Angelus non ſtatim ac Reges receſſerant à Bethlehem, apparuit Joſeph, ſed Maria, & Joſeph permanſerunt ibi per quadraginta dies uſque ad tempus proficiſcendi in Jeruſalem diſtantem quinque, vel ſex milliaria, ad myſterium Purificationis celebrandum, in quo tempore pauperibus diſtribuerunt aurum & munera, quæ in magna quantitate relicta fuerunt à Regibus illis; & licèt Maria eſſet inter alias mulieres privilegiata, & Chriſtus eſſet Deus omnium Dominus, tamen voluerunt ibi manere ſecundum legem uſque ad tempus Purificationis, ut per hoc exemplum darent viventibus in congregatione, ne privilegia ſuper alios exigant, & communitatem cum cæteris ſervent. *Op. medit. c.* 10.

38. *Chriſtus in ſe aſſumpſit modò proſpera, modò adverſa.*

Angelus Domini apparuit Joſeph in ſomnis dicens ſurge, & accipe puerum, &c. Vide quomodò Chriſtus aſſumpſit in ſe modo proſpera, modò adverſa: fuit enim magnificatus in Nativitate à Paſtoribus, & Regibus, poſtea circumciſionem ſanguinis aſſumpſit: poſtea præſentatus in templo, & ibi itidem magnificatus, & nunc fugit in Ægyptum, quia Herodes volebat eum occidere. & hinc diſcant ejus ſequaces, ne ſint impatientes in adverſitatibus, ſed in Deo confidentes, quòd juxta montem aſperitatis, invenient vallem conſolationis, diſcentes item, quòd cum conſolationem habuerint, expectare debent tribulationem, & poſt tribulationem conſolationem, ut nec extollantur proſperis, nec dejiciantur adverſis; dat enim Deus conſolationes ad ſpem ſublevandam, & tribulationes ad patientiam exercendam. *Op. medit. c.* 11. Vide etiam, quomodò Deus permittit ſuos amicos tribulari ad ipſorum profectum, ut fecit dum Maria & Joſeph. *ibid. & in Luc. c.* 2. *v.* 24. *& ſer.* 3. *de Innocent. in addit.*

39. *Servi Dei non invideant proximo à Deo beneficiis cumulato.*

Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, &c. Vide, quòd non apparet patenter, ſed in ſomnis, & nec Mariæ, ſed Joſeph; & tamen uterque humiliter favores Cœli libenter approbavit; undè nec qui percipit tales favores, eoſquè non ſecundum ſuum velle & libitum, nec qui non percipit debet alteri invidere exemplo Mariæ, & Joſeph. *Op. medit. c.* 12. de hac apparitione vide *Op. de profect. Religioſ. lib.* 2. *c.* 76.

40. *Sine ductrice Maria nemo iter, vel negotium arripiat.*

Surge, accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Cur etiam, & Matrem? ad quid addit Matrem? ut videas, quòd nemo debet arripere iter, vel negotium ſine Mariæ ducatu: à Deo enim poſita eſt in mundo, ut ſit ductrix omnium hominum, & eos ducat per tenebroſam Ægyptum hujus mundi, ne in errorem, & in præcipitia ruant, & ſecurè ad patriam perveniant. *Op. Pſ. B. Virg. Pſ.* 24. *& op Pſ. min. quinq.* 2.

41. *Chriſtus ſocius fidelis, & ſponſus Eccleſiæ Matris omnium fidelium.*

Surge & accipe puerum, & Matrem. Cur Matrem etiam? Nota hæc Mater eſt Eccleſia; Mater dicitur Chriſti, quia ipſum peperit ex Mariâ ſua filia (ut ait Gloſſa) mater etiam noſtra; & per hoc ſignificatur fida ſocietas Chriſti cum Eccleſia Catholica, cum qua ſemper moratur, nec ipſam unquam deſerit, ſed ſecum permanere vult uſque ad conſummationem ſæculi. *Ser.* 4. *Dom. infrà oct. Nativit.*

42. *Obedientia prompta ſancti Ioſeph qualis ad noſtram inſtructionem.*

Et conſurgens accepit puerum, & Matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum. Vide promptam obedientiam Ioſeph, & Mariæ, qui incontinenti ſurgentes, nulla mora contracta iter arripuerunt, concuſſa enim ſunt viſcera eorum ad hanc vocem, & circà Filii ſalutem nolebant negligentes inveniri; ut hinc diſcas qualem obedientiam tuis Prælatis, qui ſunt Angeli tui revelantes voluntatem Dei, præſtare debeas. *Op. medit. cap.* 12.

43. *Iter Mariæ, & Ioſeph in Ægyptum expenditur.*

Qui conſurgens, &c. ſeceſſit in Ægyptum, &c. Nota, quòd unico verbo ſe expedit Evangeliſta de hoc itinere, & de mora facta in Ægypto ſolùm dicit, & erat ibi uſque ad obitum Herodis, & hoc, ut anſam daret animæ contemplativæ expendere varia accidentia hujus itineris, & moræ, in Ægypto: Vide igitur ô anima quomodo fugiebat Dominus ante faciem Herodis, & ſervi diaboli: portabat eum Mater tenera, & juvenis, & ſanctus Ioſeph multum ſenex in Ægyptum per viam ſilveſtrem, obſcuram, nemoroſam, & inhabitatam, per viam etiam longam, quia ad iter curſoris ſunt duodecim, vel quindecim diætæ, & pro eis fuit iter forte duorum menſium, & plurium; Iuerunt autem per deſertum illud, per quod tranſierunt filii Iſraël, in quo ſteterunt quadraginta annis: Vide quomodo de nocte quieſcebant, tarò enim domos in illo deſerto inveniebant: comparere ergò eis, quia labor difficilis, & magnus, & longus eſt tam ipſis, quàm puero Ieſu, & vade cum eis, & adjuva puerum portare, & ſervias in omnibus, in quibus potes: & hinc accendatur anima noſtra, ne labor pro ſe ipſa aſſumptus pœnitentiæ ei videatur aſper pro qua tantus labor à Chriſto, à Maria, à Ioſeph, & toties eſt aſſumptus. *Op. medit. c.* 12.

44. *Mora Mariæ, Ioſeph, & Ieſus in Ægypto expenditur; ubi de laboribus paupertate, & miſeriis ab ipſis toleratis.*

Et erat ibi uſque ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum eſt à Propheta, ex Ægypto vocavi filium meum. Nota, quòd cum iſti ſancti itinerantes intravetunt Ægyptum, omnia Idola ipſius Provinciæ corruerunt, ut jam prædictum fuerat ab Iſaïa c. 19. & manſionem in civitate Heliopolis fecerunt per ſeptem annos tamquam peregrini, & advenæ, & pauperes, & egeni: Vide quomodo Maria colo, & acu quærebat ſibi, & filio neceſſaria; ſuebat enim, & filabat mundi Domina, paupertatis amatrix, ibat autem ipſa per domos petendo pannum, & alia in quibus operaretur; & cum Jeſus cœpit eſſe quinquennis, portabat ipſe ambaſciatas matris, petendo pro ipſa ſolutionem, & pretium; nonne in talibus erubeſcebat puer Jeſus, filius Altiſſimi, & etiam mater ipſum mittens? ſed quid ſi aliquoties, dum opus reddidiſſet, & pretium peteret, mulier aliqua rixoſa, ſuperba, & loquax injuriosè reſpondit, opus factum accepit, eum ſine pretio expulit, & ſic vacuus domum rediit? ô quot, & quantæ fiunt injuriæ advenis, quàs Dominus vitare non venit, ſed ſuſcipere; quid etiam ſi aliquando domum rediens, & famem patiens more puerorum petiit panem, nec undè daret haberet mater? nonnè in his, & ſimilibus toraliter concutiebantur viſcera ſua? conſolabatur verbis filium ſuum, & opere, ut poterat, procurabat, & ſibi fortè aliquando ſubtrahebat de victu; ut filio reſervaret; & ſi ex opere manuum victum quærere oportebat, quid de veſtimentis dicemus? quid de utenſilibus, ſcilicet lectis, & aliis intra domum opportunis? numquid duplicia habebat? numquid ſuperflua? numquid curioſa? hæc contrà paupertatem ſunt, & ideò etiam ſi habere poſſet, nollet ea paupertatis amatrix; conſpice igitur Mariam in laboribus ſuis, ſuendo, filando, & texendo, quomodo ea fideliter faciebat, humiliter, & ſollicite; habens nihilominus diligentiſſimam curam ſuper Filio ſuo, & ſuper gubernationem domus; nec non vigiliis, & orationibus juxta poſſe ſemper intenta; hæc & ſimilia de puero Jeſu, & Matre meditare, nec ea parvipendas tamquam humilia, & puerilia, quia & ſunt vera, & accendunt maximè amorem, fervorem, compaſſionem, puritatem, & ſimplicitatem. *Op. meditation. cap.* 12.

45. *Angeli providentia ſpeciali protegunt pueros.*

Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph dicens, ſurge, & accipe puerum, &c. Cur fugam Jeſus pueri per Angelum revelata fuit, & ordinata? Cur ipſe puerulus ipſam non revelavit, & inſpiravit, ſed per Angelum? hoc factum eſt, ut videas, quòd ſicut Deus per Angelos regit hunc mundum, ita ipſi Angeli providentia ſpeciali protegunt pueros, eoſque à multis, & maximis periculis liberant, & ſæpè de morte non ſolùm corporali, ſed & ſpirituali, quod patet ex pluribus Sacræ ſcripturæ locis. *Ser. 2 de Innocent. in addit.*

46. *Fuga Chriſti à perſecutione Herodis expenditur; ubi de patientia habenda in perſecutionibus.*

Surge, &c. & fuge in Ægyptum, futurum enim eſt, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Cur Chriſtus voluit fugere perſecutionem Herodis? nonnè ipſe poterat ſe liberare multis modis mirabilibus abſque tali fuga, quæ ſibi inuere poterat impotentiam? Nota, quòd hoc fuit factum cum maximo myſterio, & in tali fuga latent myſteria; poterat quidem ſe liberare, ſed noluit: voluit autem vix natus ſe ſubjicere perſecutionibus, & fugam de terra nativitatis ſuæ arripere, & tam benignè cedere furori illius, quem poterat tam faciliter perdere, ut profundam humilitatem, & patientiam magnam oſtenderet; nolebat enim ſibi vicem reddere, nec offendere, ſed fugiendo inſidias ejus vitare, ut nos excitaret ad ejus imitationem; nempè non reſiſtere nos objurgantibus, vel de ipſis vindictam expetere, ſed patienter eos portare, & ipſorum furori cedere, & quod plus eſt pro eis orare. *op. medit. c.* 12. Dicunt etiam hic ſacri Expoſitores, quod Chriſtus noluit occidi

tunc

Digitized by Google

tunc ab Herode, quia grandior factus decreverat contra mundum, diabolum, & carnem aperta acie pugnare, ideò dignatus est Christus figere in Ægyptum. aut D. Fulgentius, ut posteà crucem dignaretur ascendere.

47. *Alii quærunt Christum benè, alii malè.*

Futurum est, ut Herodes quærat puerum. Dum audis Herodem quærentem Christum, statim obrepet in mentem illum esse conversum ad Christum, & ob id quærentem ipsum, ut adoret, & illi toto corde serviat; sed ne decipiaris nota quod subdit, ad perdendum eum, ut videas primò quod eadem actio aliis est causa salutis, aliis perditionis; Pastoribus, & Magis quæsitio Christi fuit in salutem, Herodi in damnationem, & ruinam. quia rectum non est rectum, nisi rectè fiat; quære igitur Iesum, non ut Herodes impius, sed uti Reges ad ipsum adorandum, uti doctores, ut percipetent veritatis documenta, ut sponsa ad degustandam ejus dulcedinem, & secreta colloquia, & ut Maria, ut ipsum perditum requireret, & ab ea se amplius non alienaret. *Op. de quinq. festivit. pueri Iesu: 4. solemn. & ser. 1. Dom. infrà oct. Nativ.*

48. *Diabolus maximè contra pueros, & juvenes machinatur mala.*

Futurum est, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum, &c. Nota illud verbum, quærat puerum, nam Herodes est diabolus, qui contrà omnes homines iniquus quidem est, sed maximè tamen suas insidias tendit contrà pueros, & juvenes, ut eos perdat, nam ex ipsorum bonitate, & malitia dependet maximus fructus bonus, vel malus reipublicæ. *Serm. 2. de Innocent. in addit.*

49. *Quod præcipit Angelus Ioseph, idem mysticè præcipit Deus Prædicatori.*

Surge, & accipe Puerum, & Matrem, & fuge in Ægyptum, &c. Mysticè per Joseph nutritium Christi intelligitur Prædicator, qui nutrimento Christi, scilicet Verbi Dei nutrit animas, cui dicitur. surge, & accipe Puerum Jesum, & ipsum porta in Ægyptum, scilicet in cor peccatorum, ut ibi moretur, & suos effectus producat: *Serm. 3. in Purificatione Beatæ Virginis in addit.*

50. *Sancti Innocentes quomodo Martyres Christi.*

Et mittens Herodes, occidit omnes pueros à bimatu, & infrà. Hic excitant Doctores plures quæstiones præcipuè: primò cur Herodes fecit occidere omnes pueros à bimatu, &c. secundò cur ab Ecclesia celebrantur ut Martyres, cum talis mors secuta fuerit sine concursu voluntatis ipsorum? Ad primam respondent ferè communiter quod ab apparitione stellæ ferè duo anni circiter transacti erant, non enim statim post discessum Magorum occisionem perpetravit: Alii aliter sentiunt, de quo possunt videri expositores maximè Paradisus: Ad secundam plures Patres censent Christum acceleraviſſe istis infantibus usum rationis; & S. Bonaventura dicit, quòd Christus supplevit in istis, quod defecerat, quia propter Christum occisi sunt; voluit autem Christus puer societatem assumere horum puerorum Innocentum, ut significaret, quantum parvuli, & pueri, & mundi placeant. *Lib. 4. d. 4. p. 2. dub. 1. & ser. 4. Dom. infrà oct. Nativit. & ser. 3. de Innocent. in addit. & in Luc. c. 2. v. 36.* Voluit etiam Christus, ut adventus suus testificaretur mundo ab his infantibus non vocis clamore, sed sanguinis, nam per totum Orbem hæc Herodis immanitas diffusa est: *in Luc. c. 2. v. 36.* Undè fertur Augustum ad hoc nunium dixisse, quod melius erat esse in domo Herodis porcus, quam filius, cum etiam inter hos fecerit occidi proprium filium, alludens ad legem Hebraicam, quam ipse observare profitebatur, probibentem occidi suos; sed malè hoc dictum est, quia fuit melius esse filium Herodis tunc, cum inter Christi Martyres adnumeratus fuerit; Vide etiam, quod Christus voluit in suæ Nativitatis celebratione sanctum Stephanum Martyrem & re, & voto: sanctum Joannem Martyrem voto, sed non re, & sanctos Innocentes Martyres re, sed non voto.

51. *Avarus figuratus in crudeli Herode.*

Tunc Herodes missis satellitibus suis occidit omnes pueros: Vide ad quantam immanitatem redactus fuerit iste impius, & hoc ob avaritiam, nec mirum, nam Herodes est diabolus, ejus satellites sunt omnes avari proprias animas trucidantes; gladii autem, & arma trucidantium sunt violentiæ, & fraudes, & adinventiones avarorum. *Serm. 2. in festo Innocent. in addit.*

52. *Quàm perniciosa, & cavenda malorum societas; quàm fructuosa, & amplexanda bona, & maximè ductore Christo Iesu.*

Surge; & accipe puerum; &c. & fuge in Ægyptum, &c. Surge, & accipe puerum, & vade in terram Israël, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Vide quomodo Pater æternus voluit ut Joseph puerum Iesum de terra Israël portaret in Ægyptum vivente Pharaone; hoc mortuo præcipit, ut iterum redeat in eamdem regionem, cur hoc? nonne poterat ipsum liberare de manibus Herodis mille modis? poterat, sed hoc voluit ad instructionem nostram, ut addisceremus, quàm sit malorum societas periculosa etiam in terra Israël, imò in Cœlo, ideoque quàm vitanda, & è contrà mortuo Herode præcipit ipsi Ioseph, ut duceret secum Christum, & cum tali societate rediret ad propria, talis enim societas reddit quemlibet securum à quocumque periculo. *Ser. 2. de Innocent. in addit. ser. 3. Dom. 3. post oct. Epiph.*

53. *Cum Christo in quocumque loco est securitas.*

Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, &c. item surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & vade in terram Israël, &c. audiens autem quod Archelaus regnaret timuit illo ire, &c. & secessit in partes Galilææ, &c.

Digitized by Google

Vide quomodo ſanctus Ioſeph tam in Ægypto, quàm in terra Iſraël vixit ſecutus ab omni perſecutione, ut addiſcamus, quòd qui habet ſocietatem Chriſti ſecutus eſt ab omni malo: ubi enim Chriſtus eſt, ibi eſt omne bonum; ubi non eſt Chriſtus, ibi omne malum: de hac ſocietate Vide *in Ioan. collat. 52. & 78. & ſer. 4. in vigilia Nativit.*

54. *Inſpirationes divinæ quocumque modo nobis miſſæ acceptari debent cum gratiarum actione, & maxima æſtimatione.*

Defuncto Herode, ecce Angelus apparuit in ſomnis Ioſeph. Vide, quòd apparitiones, & revelationes Angeli factæ Joſeph omnes hucuſque fuerunt in ſomnis, quas tamen cum maxima animi humilitate accepravit, & obedivit; ut addiſcamus in quali æſtimatione debeant eſſe divinæ allocutiones, inſpirationes, & monita quocumque modo facta; debentque ſemper nobis videri magna, & excedentia incomparabiliter noſtra merita, tenentes pro certo, quòd Deus ſemper ex parte ſua facit, quod nobis utilius eſſe cognoſcit. *Op. medit. c. 13.*

55. *Pueri Jeſu Matris Mariæ, & Ioſeph reditus in terram Iſraël expenditur, & contemplativis proponitur myſticè meditandus.*

Accipe puerum &c. & vade in terram Iſraël &c. qui conſurgens accepit puerum &c. & venit in terram Iſraël. Nota, quòd paucis verbis Evangeliſta proponit reditum Joſeph, Matiæ & pueri Jeſu de Ægypto in terram Iſraël relinquens animabus devotis meditationem omnium circumſtantiarum hujus facti: meditare igitur ô anima devota, quomodò Joſeph diſceſſit ex Ægypto non eo modo quo à Iudæa diſceſſerat, quia tunc veluti fugiens nemini manifeſtando timebat de morte pueri; ſed tunc prædixit & præmonuit diſceſſum ſuum per viciniam, gratias agens omnibus illis, à quibus beneficia acceperant; & ſic cum magna devotione plures viri, & mulieres eos comitarunt uſque ad portas civitatis, & ſic valedicentes eis ſeſe itineri huic longo dederunt: ſed quomodo redibit puer Jeſus adhuc tener infantulus? difficilior enim reditus, quam acceſſus videtur, nam quando venit in Ægyptum erat ita parvulus, quòd facile portari poterat, nunc autem ſic magnus eſt, quòd portari non prævalet: ô puer egregie, ac délicate, Rex Cœli, & terræ, quantum laboraſti pro nobis; & quàm citò cæpiſti? ô quàm verum, quod prædixit Propheta, Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea *Pſalm.* 87. penurias magnas, labores arduos, & afflictiones corporis conſtantiſſimè aſſumpſiſti: habuiſti te ipſum quaſi in odio pro amore noſtro; ſicquè cum immenſis laboribus, & pœnis, & penuria tranſierunt per deſertum, ubi piè credendum eſt, quòd viderunt Ioannem Baptiſtam in illo deſerto pœnitentiam agentem, quo benedicto, reduxerunt ſe in Nazareth, & ibi manſerunt, nec aliquid de ipſo legitur factum niſi in duodecimo anno, attamen credendum eſt, quòd Jeſus, ut ſubditus Matri, & Patri Joſeph eos adjuvaret in ſervitiis domus, quodque innuit Evangeliſta dicens *Luc. c. 2. v. 51.* & erat ſubditus illis; Vide quis? quibus? Deus hominibus: *Op. medit. c. 14. in Luc. ibid.* undè contemplativi notant, quòd Jeſus varia ſervitia domus faciebat ad ſubievandam Matrem, quod S. Joſeph adjuvabat in ſuis operibus manualibus &c.

56. *Chriſtus Nazarenus libenter habitat inter flores.*

Ut adimpleretur &c. quoniam Nazarenus vocabitur. Cur in Nazareth voluit Chriſtus habitare, & non in Jeruſalem? quia Nazareth flos interpretatur, eratque locus fœcundus floribus, ibique ſemper viride Ver aderat; ut intelligamus, quòd Chriſtus habitat libentèr in Nazareth, cilicet in cordè flor bus virtutum ornato, flores iſti ſunt cæleſtes, ſcilicet humilitas, paupertas, ſui mortificatio, patientia, caſtitas, exigit ergo cunam cordis noſtri, ſed floribus virtutum reſperſam; abhorret autem animam in hyeme frigoris, & vitiorum morantem. *Ser. 4. Dom. infrà oct. Nat. & ſer. 5. Dom. infrà oct. Epiphanie.*

57. *Chriſtus Nazarenus vocatus, quia in utero Matris inter flores habitavit.*

Quoniam Nazarenus vocabitur. Nota, quòd hanc denominationem magis ab utero Matris, quàm à loco ſumpſit Chriſtus, quia Nazarænus interpretatur floridus, & ipſe habitans in utero matris Virginis inter flores virginitatis, puritatis, & aliarum virtutum floridus dicitur. *Op. ſpec. B. Virginis lect. 9. & 10. & op. laus B. Virginis fig. 15. & op. Pſalt. min. quinq. 2.*

58. *Chriſtus inter flores humilitatis, & abjectionis habitavit maximè in tempore, quo habitavit in Nazareth.*

Et habitavit ibi, ut adimpleretur &c. Hic diſquirunt Doctores quid faciebat, & fecit Chriſtus in tempore intermedio à duodecimo anno uſque ad trigeſimum, Evangeliſtæ autem ſolùm dicunt. *& erat ſubditus illis. & habitavit in Nazareth.* Ecce quid faciebat nihil faciendo: magiſter enim ſummus aliquando docturus virtutes, & viam vitæ cæpit à juventute ſua opera facere virtuoſa, ſed modo mirabili, & incognito, ac retroactis temporibus inaudito, ſe videlicet reddendo in conſpectu hominum inutilem, & abjectum, & inſipientem, & hoc fundamentum omnium ſuorum operum jecit in maximo ædificio ſuæ vitæ. *Op. medit. c. 15.*

ARGUNENTUM CAPITIS

1. *Nota, quod ſanctus Matthæus prætermiſſis iis, quæ ſpectant ad pueritiam Chriſti Jeſu, quæ à ſancto Luca tradita ſunt, & à ſacris Doctoribus, tranſit ad prædicationem ejus, & primò narrans prædicationem Ioannis, & inde Baptiſmum Chriſti.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

2. *Pœnitentiæ neceſſitas expenditur; propoſiturque Prædicatoribus enarrianda.*

IN diebus illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudæa, & dicens pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum. Cur à pœnitentia exorſus eſt ſanctus Joannes ſuam prædicationem? & cur non primò à baptiſmo? hic enim baptiſmus fuit figura baptiſmi ſacramenti, quod eſt prima tabula poſt naufragium? optimè, & ex inſpiratione ſuperna incepit à pœnitentia, ſcilicet virtute, quia cum prædicaret adultis, & pœnitentia interior ſit virtus, & tabula, vel potiùs medium removens omne impedimentum, quia eſt actus liberi arbitrii gratiæ excitanti cooperans, & cum removeat impedimentum ad reconciliationem cum Deo obtinendam, ideò rectè ab hac incæpit, ut diſpoſitiva ad tollendum peccatum, & gratiam obtinendam, & hinc; ut habitus habilitans animam ad iſta dicitur fundamentum totius ſpiritualis ædificii, & neceſſaria neceſſitate medii, & hinc meritò ab hac Prædicator debet incipere ſuam prædicationem, & ideò ſicut hoc fuit primum thema prædicationis Joannis, ſic & fuit Chriſti Jeſu. *Lib. 4. d. 14. p. 1. dub. 2. & 3. & per totum & d. 22. 4. 3. per totum: & ſer. 3. de ſanct. Ioan. Bapt. in addit.*

3. *Prædicator ſuam concionem incipiat à deſerto, & ad deſertum dirigat.*

In diebus illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iudæa, & dicens pœnitentiam agite; Sanctus Lucas *cap. 3. v. 2.* dicit: *Factum eſt Verbum Domini ſuper Ioannem in deſerto:* Ergò Joannes erat in deſerto, quando factum eſt Verbum Domini ſuper eum, ſcilicet quando conſtitutus fuit & deſtinatus, & miſſus ad prædicandum, & ipſe prædicavit in deſerto: ſed quomodo in deſerto prædicabat, & non potiùs in locis populis plenis, & frequentatis? ad quid in deſerto? ſed attende ad myſterium; erat ipſe in deſerto, ſcilicet totus pœnitentiæ, & vitæ auſteritati conſecratus; ut veluti lux confortativa exemplis, & operibus populos præcederet, & animaret, & confortaret ad ſui imitationem: & hoc eſt, quod debet facere Prædicator; prius exemplis ſanctis præcedere auditores, & deindè dirigere ſuam prædicationem ad deſertum, ſcilicet ad corda peccatorum, quæ ſunt deſertum gratiâ Dei nudatum, & ad mundum, & mundanos, qui ſunt deſerta abominabilia, ut ipſos reddat per pœnitentiam, & perfectam converſionem hortum delitiarum. *Sermon. 1. de ſanct. Ioan. Baptiſt. & in Pſalm. 77. & 94.*

4. *Prædicatio ſancti Ioannis Baptiſtæ dicitur inchoata in deſerto, ſcilicet à vitæ exemplaritate; ubi de ejus pœnitentiâ.*

Prædicans in deſerto Iudæa. O qualis prædicatio fuit iſta ſancti Ioannis in deſerto; incæpit enim prædicationem à ſeipſo, à propria pœnitentiâ antequam ipſam aliis prædicaret; & hinc à Sacra Scriptura dicitur magnus coram Domino, quia priùs fecit poſteà docuit, magnus inquam non ſolùm ex parte abundantiſſimæ gratiæ, quam à Deo accepit, ſed etiam ex parte humilis conſcientiæ, per quam vilia de ſe ſenſit; & ex parte auſteræ pœnitentiæ, quam ſemper portavit, ſcilicet & ex parte loci, ſcilicet deſerti, in quem infantulus intravit, quod eſt locus vilis; locus ſterilis, & locus inhabitabilis: & ex parte veſtimenti viliſſimi; & ex parte cibi auſteriſſimi, modici, & admirandi; vide igitur qualiter tibi priùs prædicavit Ioannes poſtea aliis. *Sermon. 1. de ſanct. Ioan. Baptiſt. & ſerm. 3. de eodem in addit. & 4. ibid. & ſer. 1. Dom. 3. Advent.*

5. *Prædicatio ſancti Ioannis Baptiſtæ omnibus erat communis.*

Et venit prædicans, & dicens pœnitentiam agite. Notandum; quod Evangeliſta hic extollit mirabiliter prædicationem S. Ioannis præcipuè ex quatuor conditionibus; prima ex communi omnium eruditione, quia omnibus cujuſcunque conditionis ſe adaptabat, dicens pœnitentiam agite; & iterum facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, quaſi diceret, humanum dico propter fragilitatem carnis, ſi nondum in vobis eſt plenitudo omnium bonorum, non ſit in vobis ſaltem plenitudo omnium malorum, ſi non poteſtis facere fructus dignos perfectæ juſtitiæ, faciatis ſaltem fructus dignos pœnitentiæ: ſecunda eſt ex imbecillium, & infirmorum ſupportatione; inſtruebat enim in ſpiritu lenitatis; onera eorum cum charitate portans, undè & dicebat militibus neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, ideſt nec violentiam inferatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris, nec eis imponebat gravia, docens eos ſupportandos eſſe; tertia ex dura obſtinatorum, & hypocritarum redargutione, eo quod multi Phariſæorum, & ſcribarum veniebant ad baptiſmum exteriorem, ſed maculam ferentes internæ corruptionis, tales enim ſunt ſeverè corripiendi: quarta ex conſtantia in paſſione, quæ ejus doctrinam acceptabilem reddidit ut fecit cum Herode: tales igitur Prædicatores ſunt eligendi. *Sermon. 4. de Sanct. Ioan. Bapt.*

6. *Pœnitentia portat regnum Dei in anima.*

Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum. Nota myſterium iſtorum verborum; primò non dicit pœnitemini, ſed pœnitentiam agite; aliud enim eſt pœnitere, aliud pœnitentiam facere; pœnitere eſt actus interior, quo intus anima dolet, & de peccatis contetit, & hoc debet præcedere tamquam quid neceſſarium: addit *pœnitentiam agite*; ideſt condignè exterius pro peccatis ſatisfacite, & hæc eſt pœnitentiæ exterior, & ſatisfactio debita Deo pro injuria ſibi illata: ſubdit, *appropinquavit enim regnum Cœlorum*. Nota etiam, quòd non dicit vos regno Dei appropinquaſtis, quia per gratiam vocantem nos Deo appropinquamus, undè hoc regnum Dei priùs appropinquat nobis; datquè intelligere, quòd qui gratiæ

vocanti obtemperat, qui pœnitentiæ opera amplexatur, eradicando à ſe omnia vitiorum genera, iſti appropinquabit regnum Dei, ſcilicet gratia Dei, & adventus Chriſti in animam, quod eſt omnium bonorum maximum. *Ser. 2. Dom. 3. Quadrag. & lib. 4. d. 14. p. 1. per totum ſparſim; & ſer. 1. in die Ciner.*

7. *Joannis Baptiſtæ baptiſmus expenditur, & qualis differentia inter ipſum, & baptiſmum Chriſti.*

Pœnitentiam agite & in Luca c. 4 dicitur, quòd venit prædicans baptiſmum pœnitentiæ: hic quæritur quiſnam baptiſmus erat, & qualiter differebat à baptiſmo Chriſti; reſpondetur, quòd baptiſmus Joannis non erat Sacramentum verum, ſed quoddam Sacramentale, quod Sanctus Joannes juſſu, & in nomine Chriſti exercebat in venientes ad ſe, ut eſſet diſpoſitio ad recipiendum Chriſtum, ejuſquè prædicationem, & ad verum baptiſmum à Chriſto inſtituendum, quod & materialiter inſtituit, quando in Jordane voluit baptizari, & formaliter, quando dixit, ite baptizantes eos &c. *lib. 4. d. 2. p. 4. dub. 3. 4. & 3. a. 2. qu. 1. & 2. & op. Comp. Theol. lib. 6. c. 9. & Op. medit. cap. 16.*

8. *Pœnitentia aperit Cœlum.*

Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum. Quid eſt appropinquavit? ergo Cœli inclinati ſunt ad terram? ſed transfer mentem ad illud Salvatoris dictum Matth. c. 11. *A diebus Joannis Baptiſtæ vim patitur regnum Cœlorum*, qualem vim? quali valvæ Empyrei verbere quatiuntur? quo turbine ænei Cœlorum tonduntur muri? quo ariete franguntur à diebus Joannis Baptiſtæ? cur non potiùs à Chriſti Nativitate, quâ inclinavit Cœlos, & deſcendit? ô quàm benè, quàm verè, & congruè dicitur, *A diebus Joannis Baptiſtæ:* à diebus, ſcilicet quibus apparuit prædicans baptiſmum pœnitentiæ; nam Cœlum ſolùm innocentes amabat, & ob id vix deliquerat lucifer, quod ſtatim ipſum cum ſequacibus depulit in orcum; venit Joannes præco, & vox clamantis in deſerto, & inclamat pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum, & ecce Cœlum apparuit cum pœnitentia, gloria cum patrata culpa, ſed per pœnitentiam deletâ, imò ipſum Cœlorum regnum deſcenſurum ad pœnitentem promittit. *Sic ex Guerric. Abb. ſer. 2.* meritò igitur connectitur regnum Cœlorum cum pœnitentia, quia hæc appropinquare nobis facit regnum Cœlorum, hæc introducit peccatorem in Cœlum, hæc eſt ſcala, per quam ſecurè in poſſeſſionem gloriæ pervenit homo. *Ser. 2. Dom. 3. Quadrag. ſer. 2. Dom. 2. poſt oct. Epiph. & ſer. 5. Dom. 8. Penter in Luc. c. 3. verſ. 3.*

9. *Pœnitentiæ clamor fugat Dæmones è domo noſtra.*

Ego vox clamantis in deſerto. Quid clamantis? qualis iſte clamor? clamantis, ſcilicet pœnitentiam agite; ſed cur clamantis, & non potiùs prædicantis, vel ſuadentis? clamantis vox jure meritò; quia ſicut contra fures effodientes domos clamatur, ſic pœnitentia eſt clamor fugans Dæmonem è domibus noſtris, & elongare eos faciens. *Op. Dietait. 2. c. 1.*

10. *Pœnitentia eſt ſecundum baptiſma baptizans animam ab omni macula.*

Pœnitentiam agite &c. prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Nota, quòd Sanctus Lucas appellat hanc pœnitentiam, ad quam Sanctus Joannes invitat, baptiſmum, & meritò, nam eſt ſecundum baptiſma à Chriſto virtute ſui ſanguinis præparatum, verè mundans animam ab omni ſorde, & maculâ, & ipſam albam, & pulchram ſimilem Angelis reddens. *Serm. 1. & 2. in Cœna Domin.*

11. *Ad pœnitentiam omnes excitantur multiplici ratione.*

Pœnitentiam agite. Cur à pœnitentia cœpit ſuam prædicationem Sanctus præcurſor? ſic etiam Chriſtus? cur non proponit aliam virtutem? hoc facit, quia ut ſuprà dictum eſt, hæc eſt fundamentum totius fabricæ ſpiritualis, & ideò ad pœnitentiam nos monere debet periculi immenſitas, loci opportunitas, Dei benignitas, & pœnitendi utilitas; nam immenſa ſunt pericula hujus vitæ, ob quæ ſemper in periculo mortis, & ſæpè damnationis homo vivit; locus autem pœnitentiæ fructuoſæ non eſt in Cœlo, non in Inferno, ſed in hac vitâ: ergo facienda eſt pœnitentia dum vivimus, & eò maximè, quia Deo ſummè chara & Angelis; quia hæc à malis culpæ, & pœnæ nos liberat; id. ò meritò Præcurſor pœnitentiam inſonat. *Ser. 3. Dom. 3 Pent.*

12. *Explicantur verba prædicationis Præcurſoris; Parate viam Domini; ubi de præparatione viæ Dei agitur, & de modo talis præparationis, maximè pro feſto Nativitatis Domini.*

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Nota, quòd Sanctus Joannes Baptiſta tamquam bonus diſcipulus; & verus æco Domini noſtri Jeſu Chriſti veri magiſtri, magni regis, æqui judicis, volens officium ſibi à Deo injunctum obſequi diligenter in verbis propoſitis facit tria, in quibus dat modum, quo perfecta pœnitentia jam prædicata peragi debeat: dicit autem parate viam Domini, ubi proponit primo objectum omnium noſtrarum operationum pœnitentialium, quod eſt Deus, dicit enim Domini, parate viam Domini, quia Deus eſt magiſter ſapientiſſimus, cui omnes viæ noſtræ ſunt notæ, item quia eſt potentiſſimus, cui omnia ſunt ſubjecta, & à quo omnes ordinabuntur vel ad pœnam æternam, vel ad ſalutem æternam; item quia æquiſſimus, cui qualem ſe exhibuerit homo, talem adventum experietur; & ideò ſubdit parate ut boni diſcipuli vos ipſos anhelantes ad credendum docenti magiſtro per captivitatem intellectus; ut ſervi, & ſubditi obſequentes parate vos ad obediendum Regi potentiſſimo præcipienti per executionem effectus; & ut veri pœnitentes parate vos ad reſpondendum Judici æquiſſimo per emundationem defectus; ſed quid parandum eſt Domino? Parate viâ Domini, rectas facite ſemitas, &c. quæ eſt hæc via, & qualiter paranda? via hæc eſt ſpi-

ritualis

Digitized by Google

ritualis paranda ad exemplar vitæ materialis ad adventum Principis; primò per sordium amotionem, secundò per vestium prostrationem, tertiò per florum superpositionem; sic via mentalis habitaculi Christo advenienti paranda est, primò per sordium animæ amotionem in confessione; secundò per vestium prostrationem in lasciviæ carnalis discretâ, & debitâ castigatione, per florum supererogationem; scilicet per exercitium virtutum: sicque anima securè poterit expectare desiderati Christi adventum. *Ser. 1. Dom. 4. Adv.*

13. *Perfecta præparatio ad Adventum Christi qualis facienda à Religiosis, & perfectis.*

Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Nota quòd non solùm exigit Propheta præparationem viæ Domini, sed & rectificationẽ semitarum ejus: quænam via, quænã semitæ Domini? semita est via angustior, ergo via est observãtia mãdatorum Dei omnibus communis, & ab omnibus custodienda, & calcanda: semitæ Dei sunt consilia evangelica; hæc autem diriguntur justis, & perfectis, qui sternere debent fundamentum sui itineris per observantiam mandatorum Dei, & deindè hoc non contenti debent rectificare semitas observando consilia evangelica, & ad hoc dirigere omnes suas intentiones, affectiones, & actiones, ut per perfectam justitiam parati possint fructuosè recipere Dominum in corde. *In Luc. c. 3. v. 4.*

14. *Austeritas corporalis multum confert ad munditiam cordis.*

Parate viam Domini, &c. & statim subdit. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem ejus erat locusta, & mel silvestre.* Ad quid ô glorioſe juvenis tanta vitæ austeritas? nonnè sanctificatus fuisti in ventre, & in gratiâ confirmatus? ad hoc respondet Ecclesia; *ne levi posset maculare vitam crimine lingua*; sciebat enim, quod cordis munditia exigit castigationem carnis, & fornacem tribulationis; & qui nutrit carnem suam non potest diu conservare mundam animam. *Op. Dist. tit. 7. c. 5.*

15. *Austeritas vitæ exterior quàm necessaria Prædicatoribus, & Prælatis.*

Ipse autem habebat vestimentum, &c. tunc exibat ad eum omnis Jerosolyma, &c. Nota; quod non sine mysterio Evangelista inchoata prædicatione Joannis statim subjungit austeritatem suæ vitæ exteriorem. & postèà redit ad prædicationem ejusdem Sancti Præcursoris, ut daret intelligere, quàm sit necessaria exemplaris austeritas vitæ in Prædicatoribus, & Prælatis ob subditorum exemplum, & profectum, & meritò quia isti sunt similes Cœlo, cujus claritas non deficit, quamvis, vel nubibus obducatur, quia sub sacco, vel cilicio pœnitentiæ cælestis thesaurus occultatur: *Op. Eccles. Hierarch. p. 4. c. 5.* unde mirum non est, quod multitudo populorum ad Joannis exemplum, & ad prædicationem confluerer ad baptismum: *ibid. & ser. 1. de S. Joan Bapt. & hinc Sanctus Ambrosius notat*, quod cum Sanctus Matthæus, & Marcus declaraverint expressè austeritatem sancti Joannis: Lucas tamen solùm dixit, factum est verbum Domini super Joannem in deserto, sat æstimans declarasse ministerium ejus, ut etiam ejus austeritas intelligatur. *Ser. 3. Dom. 3. Adv.*

16. *Joannes Baptista exemplar fuit vitæ perfectæ Religiosorum.*

Ipse Joannes habebat vestimentum, &c. Nota; quod hîc forma, & exemplar in Joanne datur; sæculum, & temporalia relinquentibus, & Religiosis perfectis in tribus maximè: primò in ciborum, & potus parcitate, *Vinum, & siceram non bibit*; comedebat autem locustas & mel sylvestre: secundò in vestimentorum austeritate; & vilitate; *erat Joannes vestitus pilis camelorum, &c.* tertiò in solitudinis raritate; *erat in deserto usque ad diem ostensionis suæ, in Israel*: audiant hæc Religiosi profitentes viam perfectionis incedere, & Joannem imitentur. *Ser. 6. in Pent. & ser. 2. de S. Joan. Baptist.*

17. *Sancti Francisci austeritas figurata in Joanne Baptista: ubi de obligatione Religiosorum.*

Ipse Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ejus: Cur zonam circà lumbos? ut daret intelligere, quid faciendum sit à perfectis Religiosis qui non solùm austeritatem vitæ exterioris debent servare, sed & munditiam cordis in mente, quæ per cingulum continentiæ, & pœnitentiæ servari debet, & in hac parte fuit sanctus Pater Franciscus perfectissimus imitator sancti Joannis. *in Joan. collat. 91. & cap. 21. vers. 19. & Psal. 108.*

18. *Prædicator Evangelicus pro gloria Dei manifestanda, & ad salutem animarum non respiciat in faciem potentum.*

Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, & ne velitis dicere Patrem habemus Abraham. Cur sanctus iste Prædicator tam durè tractat istos Religiosos venientes ad recipiendum suum baptismum? cur differenter eos recipit à tot sæcularibus? hos enim mitissimè recipiebat, & tractabat? hoc factum est, ut exemplum daret Prædicatoribus Evangelicis; erat enim lux missa in mundum, cujus proprium est tenebras arguere, & expellere, occulta detegere, & absconditas manifestare; & ideò sicut ipse, sic & Prædicatores Evangelici, dum agitur de gloriâ Dei, & salute animarum, non debent respicere faciem potentum, eosque metuere: isti enim sunt hypocritæ; apparenter Religiosi, sed patenter iniqui. & scelesti, eorumque crimina publica, ideò eos publicè correxit; sicut & Herodem propter adulterium publicum; & isti sunt veri & fideles ministri Evangelii. *Ser. 1. de sanct. Joan. Bapt. & ser. 4. de S. Joan. Bapt. in addit.*

BIBLIOTECA RIZ ROMA

19. *Peccatum mortale ſerpens, ſicut & diabolus; & peccator filius ſerpentis.*

Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere à ventura ira, &c. Cur appellat iſtos Phariſæos genimina viperarum? quia & peccatum mortale & diabolus, eſt ſerpens, & vipera venenoſa, & parturiens ſerpentes; & ideò meritò peccator dicitur, & eſt filius diaboli ſerpentis, & viperæ, & ut talis dum parturit peccatum & ex diabolo naſcitur, & mortem ſimul incurrit animæ: fuge ergò ab iſtis ſerpentibus ô peccator; fuge ne venenum attrahas, & mortem incurras. *Serm. 2. in Tranſlat. S. Patris Franc. in addit.*

20. *Pœnitentia ficta, & falſa quam Deo exoſa.*

Progenies viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Ideſt quis oſtendit vobis fugere à ventura ira cum tali pœnitentia externa abſque interna, ſcilicet cum pœnitentia ficta, & falſa? talis enim pœnitentia eſt falſa Deoque abominabilis, & exoſa; & ideo per hanc non evitatur furor Dei, ſed potius excitatur & attenditur ejus ira, de hac pœnitentia. *Vide lib. 4. d. 14. p. 2. a. 1. q. 1. ad arg. & d. 15. p. 2. a. 1. q. 2. ad arg. & op. Comp. Theol. lib. 6. capit.* 22. & hinc rectè eos appellat progenies viperarum, quia vipera exterius eſt pulchra, & varie picta ſed intus repleta veneno: ſic & iſti hypocritæ veluti ſepulchra dealbata foris ſpecioſa, intus plena immunditiis. *Luc. cap. 3. v. 7.*

21. *Fructus digni pœnitentiæ quales.*

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Ad quid fructibus pœnitentiæ addit dignos fructus? nonne omnis fructus ex pœnitentia prodiens dignus, & ſanctus, & meritorius eſt: ſed nota, quòd aliud eſt pœnitentia, aliud fructus pœnitentiæ; ſicut aliud eſt arbor, & aliud eſt fructus ejus; Pœnitentia, eſt dolor præteriti peccati; & facti improbatio, fructus eſt delicti correctio; ſed quia pro menſurâ delicti, correctionis menſura penſanda eſt, ideò pœnitentiæ fructus dignos facere oportet, ſed ſi in correctione minor eſt afflictio, quàm in culpa delectatio fuerit, non eſt fructus pœnitentiæ tuæ; & quia non poteſt facilè ſciri, qualis ſit hæc condigna pœnitentia, ideò ſollicitus eſto, ſatage, da operam, ſtudium impende, ut culpa finem habeat, ſed non pœnitentia; eſto ſemper pœnitens, & devotio ſit ſine fine; da operam, ut compleas pœnitentiam exteriorem impoſitam, & habe fiduciam in divina miſericordia; & hinc ad talem pœnitentiam hi gradus aſſignantur: primò abrenuntiare peccatis, ſic enim claudes januam diabolo, declina inquam à malo: ſecundò lachrymas effunde, ut laves, & mundes peccatorum vulnera: tertiò carnem mortifica; ut vulnerum loca tergas, & ſicces: quartò eleemoſynas fac; ut alliges contrita, fracta conſolides, & omnia ſanes; quintò ad orationem te applica, quæ hæc omnia bona ſanat, ſanctificat, & conſervat. *Op. de ſex Alis Cherub. in Luc. c. 3. v. 8. & Pſalm.* 47. Nota etiam, quòd poteſt hic textus exponi cum tali moderatione; *facite fructus dignos pœnitentiæ*, non dicit juſtitiæ perfectæ, ſed pœnitentiæ; quaſi diceret; humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ; ſi nondum eſt in vobis plenitudo juſtitiæ perfectæ, ſaltem in vobis non ſit plenitudo omnium malorum, pœnitentiam agite; & ſi non poteſtis fructus dignos perfectæ juſtitiæ, facite ſaltem, ut veſtri fructus ſint digni pœnitentiæ, ſcilicet ut opera veſtra procedant tamquam à radice à verâ pœnitentiâ, quæ præterita plangit, & futura vitat, & opera bona apprehendit. *Ser. 4. de Sanct. Ioan. Bapt. in addit.*

22. *Religioſi, qui ſe ſine operum imitatione gloriantur de ſublimitate ſuæ Religionis, & Fundatoris, ſimiles ſunt Phariſæis, & Saducæis.*

Et ne velitis dicere Patrem habemus Abraham. O quàm benè Sanctus Ioannes incuſat iſtos hypocritas Phariſæos, & Religioſos, qui ſe gloriabantur de Patre eorum Abraham, quod ex tanto Patre ortum trahebant, quòd ex Patribus ſanctis, & nobilibus deſcendebant, ô impii, ait Sanctus Joannes, cur gloriabundi inceditis de nobilitate, & ſanctitate veſtrorum majorum, ſi ipſorum opera non facitis, ſi inimicos vos demonſtratis de eorum ſanctitate, & virtutibus, ſi opera diaboli facitis; ſi filii Abrahæ eſtis & opera Abrahæ facite, nam Deus potens eſt de lapidibus iſtis, de Ethnicis deſcendentibus ex patribus gentilibus filios Abrahæ, ejuſque virtutum imitatores facere: hoc attendant maximè Religioſi, qui ſe receptos, & profeſſos vident in aliqua Religione ſublimem ſanctitatem profitente, qui ſanctorum ſublimiſſimæ virtutis antiquorum memorias celebrantes gloriantur de ipſorum ſanctitate, ſed opera ſanctorum non profitentur, nam ipſis poteſt verè dici; vos ex fornicatione nati eſtis, vos non filii hujus ſancti, ſed diaboli eſtis. *in Ioan. c. 8. v. 40. ſeq.*

23. *Deus exiget rationem à nobis non ſolùm de donis nobis collatis, ſed & de fructu ex ipſis reportato.*

Iam ſecuris ad radicem poſita eſt; omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Quænam ſecuris eſt hæc, de quâ hîc loquitur, & ad quam arborem poſita? ſed attende ad myſterium; dat nobis intelligere, quòd omnis homo, eſt arbor, vel ejus voluntas, ejus actus ſunt fructus prodeuntes ex tali arbore; & hinc, ut fructus bonos faceret, & produceret nos plantavit in vineâ Eccleſiæ, nos irrigavit pluribus donis, & gratiis, & hinc fructus dignos à nobis exigit & continuè: veniet autem exacturus; & repeturus à nobis non ſolùm ipſa dona, ſed & fructus indè productos; væ ergò iis, quos inveniet infructuoſos, ut de ficu infructuosâ legitur: *Matth. c. 21.* habente folia tantùm, & nullum fructum; nam tales arbores excidentur à ſecuri divini judicii, & in ignem mittentur. *Luc. cap. 19. v. 23. & c. 21. v. 30. & Ioan. cap 15. v. 2. Luc. cap. 3. v. 9. in Pſal. 17. & 111. & 136. & opuſc. ſpec. an. in præfat.*

24. *Optima arbor fuit Beata Virgo Maria, quæ fructum optimum nobis protulit.*

Omnis arbor, quæ non facit, &c. Ecce quomodo Maria Virgo, ut se opponeret infructuositati hominum, ut remedium nostris malis afferret, & à damnatione æterna nos liberaret, velut arbor optima nobis protulit fructum dulcissimum, efficacissimum, & habentem, & communicantem omnia bona. *Op. spec. B. Virg. lec.* 18.

25. *Arbores malæ à Religionibus eliminandæ.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur. Ecce quid intonat Deus Prælatis Religionum, ut si viderint in suâ vineâ arborem infructuosam, ipsam excidant ad radicem, & ejiciant à Religione; sed attendant, quòd ad hoc requiritur, ut concurrant quatuor conditiones; nempè quod Religiosi isti mali sint graviter delinquentes, manifesti, & sine spe correctionis, & quod sint inficientes alios, tunc abscindantur, & ejiciantur, ne alios corrumpant: *Op. de sex alis Seraph. c.* 7.

26. *Sanctus Ioannes adaptabat suas conciones secundùm capacitatem Auditorum; ubi de requirendo consilio in rebus publicis à ministris publicis.*

Ego quidem baptizo vos in aquâ in pœnitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare: Sanctus Lucas ait, *calceamentorum corrigiam solvere*, sic & Sanctus Marcus: Antequam solutionem horum verborum attripiamus; notandum, quod antè ipsa describit Sanctus Lucas, quod & turbæ, & publicani, & milites ad Joannem confugerunt, ut monitis saluti necessariis imbuerentur, quibus ut perfectus præco Christi se unicuique adaptavit; hoc enim debet facere bonus Verbi Dei Prædicator. *Ser. 4. de S. Ioan. Bapt. in addit.* Aliud etiam documentum etuitur ex exemplo harum turbarum militum, & publicanorum ad Ioannem recurrentium, & dicentium quid faciemus & nos: ex hoc enim discere debent magistratus mercatores, & cæteri exercentes munera publica, quod in rebus gravioribus debent recurrere ad Theologos pios pro consilio, & directione obtinendâ ne errent, ô utinam attenderent ad hoc exemplum, ait Sanctus Bonaventura, quia sic non deficerent in suo ipsorum munere. *Serm. de S. Ioan. Bapt.*

27. *An Christus calceamenta portaverit; ubi de calceamentis spiritualibus.*

Cujus ego non sum dignus calceamenta portare. Hic oritur maxima quæstio an ad litteram Christus portaverit calceamenta, an verò nudis pedibus ambulaverit? in qua quæstione aliqui Patres sentiunt calceamenta portasse ex hoc textu, alii negant interpretantes hunc textum spiritualiter: Sanctus Bonaventura *in opus.* cui titulus præfigitur, de sandaliis Apostolorum fusè, doctè, & clarè docet ex textibus Sacræ Scripturæ variis, ex doctrinâ antiquorum Patrum vicinorum temporibus Apostolorum Christum non esse usum calceamentis, eaquè vetusse discipulis suis, & concessisse tantùm sandalia, quæ erant quoddam calceamenti genus, quo planiæ pedum tegebantur, nudâ remanente parte superiori: probat & exemplo Sancti Francisci, qui in Regulâ à Christo sibi dictatâ hæc suis fratribus interdixit, eo modo, quo Christus suis discipulis: undè ista verba Sancti Ioannis non sunt intelligenda litteraliter, & assertivè circa calceamenta, sed spiritualiter. *In Ioan. c.* 1. *dicit non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, scilicet quia calceamentum Christi est ejus humanitas, non sum dignus, non dicit non solvam, quia solvit, quando manifestavit ipsum & de humanitate, & divinitate; sed quis dignus est hoc facere? ego certè non sum dignus. *In Luc. c.* 3. *non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*, ideſt non sum dignus mysterium solvere Incarnationis, nec nomen sponsi mihi usurpo, nec sponsus credi, sed amicus sponsi volo esse *In Marc. c.* 1. *non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.* ideſt Incarnationis mysterium, quandò Verbum caro factum est. *In Matth. hic non sum dignus calceamenta ejus portare.* Ideſt ostendere excellentiam Christi, & tali pacto sui humilitatem manifestare, utens tali modo loquendi, non asserendo, sed usitato modo sicut dicitur de homine valdè nobili non lavante manus suas, non sum dignus aquam effundere super manus ejus ego vilissimus homuncio; vel potest dici (& forsan probabilius) quod tunc Christus non adhuc prædicationem assumpserat, non adhuc regulam discipulis edidetat, sed in deserto morabatur, & ideo potest dici; quod tunc calceamentis communibus uteretur, postmodum verò, cum ista discipulis prohibuerit, quia ipse priùs cœpit facere, postea docere, dicendum omninò ea ipsum non portasse, nec ipsius discipulos: *Vide in opusc. cit. & in Luc. c.* 3. *v.* 16. *& in Ioan. c.* 1. *v.* 27. *Psal.* 59. Ex hac humilitate Ioannis addiscamus & nos quo tremore, qua reverentia qua humilitate ad mensam Christi ad ipsum tangendum, & sumendum accedere debeamus: *Op. fasicul. c.* 7.

28. *Christus, ut Iudex æquissimus ventilabrum, scilicet flaberam in manu tenet ad continuò purgandam aream suam.* Ideo dicit Sanctus Ioannes, *cujus ventilabrum in manu sua.* Scilicet ut Iudex discernens bona, & mala, merita, & demerita, ut illa præmiet, & ista puniat, ut frumentum in horreum suum collocet, & paleas det igni inferni. *Op. Eccles. Hier. p.* 4. *cap.* 6. *& opusc. sine dis. am. p.* 1. *cap.* 7. *& Psalm.* 34. *in Luc. cap.* 5. *vers.* 17.

29. *Christi baptismus expenditur, ejusque humilitas.*

Tunc venit Iesus ad Ioannem in Iordanem, ut baptizaretur ab eo. Nota, quod in hoc textu exprimitur quomodo Christus venit ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo, & ideo nobis proponitur meditandum hoc mysterium. Vide ergo quomodo Christus à Nazareth, & à Matre discedit, solus vadit ad Ierusalem, & indè ad Iordanem, invenit ibi multitudinem maximam hominum, qui illuc convenerant ad baptismum Ioannis, cui dixit, rogo, ut me cum istis baptizes. Ioannes verò in spiritu eum cognoscens, renuebat: Christus ut baptizare

baptizare dicens, Ego à te debeo baptizari; cui dixit Chriſtus,ſine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam;ideſt non dicas hoc modo, nec me divulges,quia nondum venit tempus meũ, ſed me baptiza; nunc enim tempus eſt humilitatis, & ideò implere volo omnem humilitatem. Nota hic qualem humilitatem; nam primus ejus gradus eſt ſe ſubdere majori, & non ſe præferre æquali; ſecundus eſt ſe ſubdere æquali, & non præferre ſe minori:tertius eſt,& ſummus ſubdere ſe minori,& hunc gradum tenuit hic Chriſtus,& ideò omnem humilitatem implevit, ſuprà enim cõverſatus eſt tamquam vilis,& abjectus,& inutilis,nunc verò ſe ſubjicit Joanni ſervo quem magnificat ſupra ſe,& inter peccatores indigentes baptiſmo ſe adnumerat: Vide igitur quomodo ſe Chriſtus expoliat, & mergitur in aquis frigidis tempore & loco frigoris magni, ut pro noſtro amore operaretur ſalutem, inſtituens Sacramentum baptiſmi,& lavans crimina noſtra: deſponſat ergo univerſalem Eccleſiam, & ſingulariter omnes animas fideles; nam in fide baptiſmatis deſponſamur Domino noſtro Jeſu Chriſto; unde merito in hac tantâ ſolemnitate cantat Eccleſia, *Hodie cœleſti ſponſo junctа eſt Eccleſia, quoniam in Jordane lavit Chriſtus ejus crimin*; & in hoc opere excellentiſſimo tota ſe Trinitas modo ſingulari manifeſtavit; deſcendit enim Spiritus Sanctus ſuper eum in ſpecie columbæ,& vox Patris intonuit;Hic eſt Filius meus dilectus, &c. *Op.medit. c.16.in Luc.c.3.v.18.ſ.q.*

30. *Iterùm baptiſmus Chriſti expenditur.*

Tunc venit Jeſus ad Joannem, ut baptizaretur ab ipſo. Cur Chriſtus voluit baptizari, cum non indigeret ſanctificatione? voluit baptizari, non ut ſanctificaretur,cum non indigeret, ſed ut vim regenerativam aquis conferret; tunc enim inſtituit baptiſmum,licèt quoad executionem ipſius uſum ordinaverit ſolùm poſt Aſcenſionem.voluit etiam baptizari,ut aliis exemplum,& formam daret, & ut etiam ſuo baptiſmo innoteſceret,tum etiam ut baptiſmum Joannis approbaret. *in Luc.c.3. v.21.* Nota tamen,quòd hic baptiſmi Sacramentum inſtitutum fuit materialiter tantùm: effectivè,quandò Chriſtus paſſus eſt.ex ejus enim paſſione habet efficaciam; formaliter verò poſt Reſurrectionem,quando dixit *euntes in mundum,&c.baptizantes eos,&c.*finaliter tandem, quando ſalvator utilitatem,& neceſſitatem baptiſmi declaravit,& divulgavit dicens,*niſi quis renatus fuerit denuo, &c. Ioan.c.3.v.8.& Comp.Theol.lib.4.c.13.& lib.6.c.3. & 9.*

31. *Humilitas eſt brevis ſchola, & compendium totius juſtitiæ.*

*Sine modò: ſic enim nos decet omnem implere juſtitiam.*Quam juſtitiam?& quomodò tali baptiſmo impleta eſt omnis juſtitia? nonne & hæc apprehenditur in aliis ſacramentis?omnem juſtitiam, ſcilicet quantum ad honeſtatem morum, & ad figurarum impletionem,ſed præcipuè humilitatem; ideò ſalvator in hoc actu,quo ſervo ſuo ſe ſubdidit, & inter peccatores voluit adnumerari,comprehendit omnem ſummam humilitatis,& meritò dicitur ſumma juſtitia,quia eſt fundamentum omnium virtutum,& ideo ſalvator,ut magiſter optimus in ſuâ ſcholâ prolixitatem totius legis reduxit ad quamdam ſummam, ideſt ad methodum humilitatis,& ideò dixit:Diſcite à me,quia mitis ſum,& humilis corde.*Op.Dist.tit.7.c.1.& op. meditat.c.16.& op.Comp.Theol.lib.4.c.13.& cap 5.& c.37.& in Luc.c.4.v.21.& c.22.v.16.& ſerm.5. de plurib.Martyr.*

32. *Baptiſmi utilitates expendantur in hoc Chriſti baptiſmo.*

Baptizatus autẽ Jeſu ſtatim aſcendit de aqua,&c. Nota,quod ultrà inſtitutionem baptiſmi materialem factam à Chriſto in hoc baptiſmo,etiam utilitates ipſius ex circumſtantiis,innuuntur, nam Chriſtus baptizatus ſtatim aſcendit de aqua, per quod notatur in nobis gratiæ infuſio, quia per baptiſmum non ſolùm homo liberatur à culpa, ſed etiam ad virtutes infuſas ſtatim aſcendit; ſecundò apertum eſt Cœlum,per quòd notatur hominis poſt baptiſmum aſcendentis elevatio, & evolatio ad ſtatum cœleſtem:tertiò deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, per quod notatur, quod baptiſmus facit hominem Spiritus Sancti habitaculum; quartò vox Patris audita eſt;hic eſt Filius meus dilectus; per quod notatur in homine priùs filio iræ, filiationis Dei,& gratiæ adeptio per baptiſmum:Nota etiam, quod in baptiſmo Chriſti notantur ſubſtantialia baptiſmi noſtri,ſcilicet baptizans,baptizatus,materia, forma,& intentio; Baptizans fuit Joannes,in quo notatur ſanctitas miniſtri; baptizatus fuit Chriſtus, noſtrum baptiſmum conſecrans tangendo ſua carne aquas; materia fuit aqua magis conveniens, & communis cæteris liquoribus. forma notatur per teſtimonium Trinitatis Patris,Filii,& Spiritus Sancti;intentio conſequitur formam, quia voces ſunt ſigna earum, quæ ſunt in anima, paſſionum. *Op. Comp.Theol. lib.4.c.13.*

33. *Quale diſcrimen inter baptiſmum Chriſti, & S.Ioannis.*

Et baptizato Domino,&c. Si hic baptiſmus datus eſt à Ioanne, quomodo dicitur, quòd in ipſo Chriſtus inſtituit Sacramentum baptiſmi? fuitne baptiſmus Joannis verum Sacramentum à Chriſto inſtitutum? ſed reſpondeo; quod baptiſmus Ioannis fuit à Deo inſtitutus,ut principali auctore,& Ioanni,ut adminiſtratori plenario,& principali ordinatus à Deo,ut à nemine adminiſtraretur præter ipſum Ioannem; ut in baptiſmo Chriſti nullus erat adminiſtrator plenarius, quia ibi eſt interior regeneratio,quæ ſolùm fit à Deo,non miniſterio hominis,nullus etiam fuit præcipuus,quia inſtitutus fuit à Chriſto per ſeipſum, & omnibus ipſum commiſit, ut in ejus nomine conferretur; baptiſmus item Ioannis fuit tantùm ſignum baptiſmi Chriſti ipſum prænuntians,& diſponens, in cujus receptione Chriſtus tactu ſuo contulit virtutem regenerativam aquæ,quæ poſteà veluti materia debebat eſſe baptiſmi veri Chriſti, & ideò baptizati à Ioanne rurſum debebant rebaptizari. *Lib.4.d.2.a.1.per totam in Luc.c.3.v.3.& 16.ſeq.*

Digitized by Google

34. *Baptiſmo ablutus, & ad Deum converſus ſemper aſcendat de virtute in virtutem.*

Baptizato Ieſu aſcendit de aqua. Quid eſt aſcendit? ubi aſcendit? aſcendit quidem ad litteram de illis aquis; ſed myſticè dat intelligere, quòd baptizatus, & ad Deum converſus debet toto conatu aſcendere de virtute in virtutem, & ad maximam perfectionem; hoc maximè dirigitur ad Religioſos baptizatos in baptiſmo profeſſionis, quæ ſecundùm ſanctos Doctores eſt alterum baptiſma delens omnem culpam, & pœnam, ſic ſanctus Paſcaſius. Igitur aſcendamus cum Chriſto ad veritatem per contemplationem, ad virtutem per converſationem ſanctam, ut tandem evolemus ad æternitatem per reſurrectionem. *Serm.2. Dom.16.poſt Pentec.*

35. *Quomodo dicuntur aperti Cœli Chriſto baptizato.*

Et ecce aperti ſunt Cœli (ſcilicet Chriſto) & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſuper ſe ſicut columbam. Quomodò Chriſto aperti dicuntur Cœli? nonne ſemper aperti ei fuerunt, cum ab inſtanti ſuæ conceptionis, & plenus gratia, & beatus ſemper fuerit? ſed attende, quòd hic eſt modus loquèdi Sacræ Scripturæ ad inſtructionem noſtram; dicuntur autem Cœli aperiri, quando vehemens influentia venit de ſupernis, & tali pacto dicuntur aperiri in miſſa in immolatione Euchariſtiæ, dicuntur, & aperti in Nativitate Chriſti, in miſſione Spiritus Sancti, & hic in baptiſmo Chriſti: ſed quænam influentia vehemens fuit iſta? ecce qualis; teſtificatio claritatis Chriſti per tres perſonas divinas facta; nam ibi adfuit lux, columba, & vox: lux ad ſignificandam perſonam Filii, qui eſt lux vera illuminans omnem hominem, quæ lux, & fulgor divinus apparuit in aperitione Cœlorum; ibi columba ſcilicet Spiritus Sanctus, & in voce Pater æternus tali voce exprimens excellentias Filii. *Luc.c.3.v.21.& lib.4.d.11.p.1. dub.3. ſerm.3. Dom.Trinit.*

36. *Quibuſnam aperiuntur Cœli.*

Apertum eſt Cœlum. Scilicet Chriſto: ſed tamen apertum eſt pro nobis, ut in ipſum ingredi poſſemus; ut intelligamus, quod ſicut poſt humiliationem ſuam, & aſcenſionem ex aquis, ipſo baptizato apertum eſt Cœlum; ſic illi, qui ſe humiliaverit, qui baptiſmum receperit, qui in altum de virtute in virtutem aſcenderit, aperiuntur Cœli, & ex ipſis promanant in talem animam influentiæ vehementes gratiarum totius Trinitatis. *in Luc. c.3.v.21.*

37. *Oratio aperire facit Cœlum.*

Apertum eſt Cœlum; & quando hoc? *Ieſu baptizato: addit S.Lucas & orante, tunc aperti ſunt Cœli.* Talis enim fuit mos Chriſti, ſemper in magnis factis, præmittere orationem, ut patet hic, & in deſerti ſolitudine, *Luc.c.5.* & in prædicationis aſſumptione. *Luc.c.6.* in miraculorum operatione. *Ioan.c.11.* in Paſſione *Matth.c.26.* in inſtitutione Euchariſtiæ. *Luc.c.22.* in Spiritus commendatione. *Luc.c.23.* datutque per hoc inſtructio accedentibus ad baptiſmum, ſecedentibus ad deſertum contemplationis: Prædicatoribus benè operantibus, ſacerdotibus offerentibus & morientibus, & omnibus, ut orationem frequentent, per quam aperiantur Cœli, & è Cœlo veniunt influentiæ cœleſtes, quia oratio ſola eſt, quæ ad Cœlum volat, ipſumque aperit. *Luc. capit.3. v.21.ſer. de Sanctis Sim. & Iuda, & ſer.de 3.Mart. & ſer.5.de uno Confeſſ.& in Luc.c.18.v.1.*

38. *Columbæ apparitio expenditur ad gloriam Spiritus ſancti.*

Et vidit Spiritum Dei deſcendentem in ipſum ſicut columbam. Quid ſignificat hæc apparitio ſpiritus ſancti ſub ſpecie columbæ? & cur in tali ſpecie? & cur non Pater, non Filius; ſed Spiritus Sanctus? item quæritur, an in illâ columba eſſet perſonaliter unitus Spiritus Sanctus? reſpondetur, quòd apparitio ſupponit miſſionem activam, & paſſivam, ideò ſolus Filius, & Spiritus Sanctus apparuerunt in mundo: Chriſtus quidem in creatura rationali, ut oſtenderetur mediator uniens in unum perſonam ſuam, & humanitatem; Spiritus Sanctus verò venit ut magiſter ad eruditionem ignorantium, ideò apparuit tantum per ſignum ſc. per columbam, aſſumpſit verò creaturam irrationalem in ſignum, quia uſui ſignificationis puræ magis erat conveniens, ne crederetur habere aliquid pluſquam eſſe ſignum; in ſpecie verò columbæ ſuper Chriſtum, quàm alterius animalis, apparuit, & aliàs in ſpecie ignis ſuper diſcipulos, quia columba eſt avis ſuper omnes alias cultrix charitatis, ut ſignificaret Chriſtum veniſſe in mundum ad exercendam manſuetudinem, & charitatem; & ſuper diſcipulos ad conſummandam eorum rubiginem. *lib.1.d.16. q. ult. & lib.3. d.1. dub.4.& in Luc.c.3.v.22.& op.Centil.p.3.ſect.3. & op.Comp.Theol.lib.4.c.13.ſer.9. Hexam.& in Ioan. c.1.op.medit.c.16.*

39. *Spiritus Sanctus quàm diligat columbas: Mariaque Virgo columba.*

Vidit Spiritum Dei deſcendentem ſuper eum ſicut columbam: Cur ſicut columbam? quia Spiritus Sanctus valdè diligit columbas, ſcilicet animas ſimplices, & in Deum elevatas, quæ libenter ſe recipiunt in foraminibus ſalvatoris; taliſque fuit Maria Virgo, tales ſunt animæ puræ. *Op.de ſeptem itin.ætern.itin.3.d.7.& ſer.2.de uno Doct.& ſer. de S.Cathar.& op.ſpec.B.Virginis lect.9.& op.in ſalve. & op.Laus B.Virginis fig.16.*

40. *Chriſti dignitas expreſſa voce Patris exponitur.*

Et vox Patris: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Nota, quòd per hanc vocem Patris præcipuè quinque dignitates, & excellentiæ Chriſti innuuntur: dicitur enim (hic eſt) ut commendetur Chriſtus à vera eſſentia divina, quia ſolus Deus habet verum eſſe, & ipſe ſolus eſt pura forma, à qua eſt omne eſſe: dicitur (Filius) ut denoretur ſimilitudinis paternæ convenientia: dicitur (meus) ideſt ſimul conſubſtantialis: dicitur (dilectus) ob amoris benevolentiam, ob quã Pater dedit ei omnia: dicitur (in quo mihi compla-

Digitized by Google

complacui)ſcilicet ſpeciali complacentia,& cum Spiritu Sancto, ſecundùm naturam aſſumptam quievi. *Op.Comp.Theol.lib.4.c.13.& ſer.2.in Epiph. Pſal.18.& op.Expoſ Miſſa. c.4.*

41. *Chriſti dignitas iterum expenditur.*

Et vox Patris,&c. Nota primò, quod Sanctus Matthæus inſinuat per illa verba complacentiam Patris reſpectu Verbi,in quantum dicit ſe in ſe, ideò dicit in quo mihi complacui : ſecundò Sanctus Marcus dicit Tu es Filius meus dilectus in te complacui, ideſt in ordine ad Verbum, in quantum Pater dicit ſe nobis,& complacet aliis: tertiò Sanctus Lucas Tu es Filius meus dilectus in te complacuit mihi ; ſcilicet in quantum Pater Verbo omnia dicit,ideò dicit generaliter in te complacuit mihi,ſcilicet quidquid placet, & dicens (Tu) loquitur diſcretivè, ſcilicet quia nullus alius : Tu verò, unigenitus : dicit (dilectus) ſcilicet per quem & alii odioſi diliguntur, & ad majorem expreſſionem addit in te complacuit mihi,ſcilicet omne, quod placet, & hoc propter perfectiſſimum nexum amoris, qui eſt inter Patrem, & Filium, quaſi Pater in Filio complaceſ ſibi,ex quibus patet,quod inter Evangeliſtas non eſt contrarietas, quia non ſonum verborum, ſed ſenſum,& ſententiam exprimunt, ſignificantque, quòd Chriſtus eſt Verbum Patris ſimillimum, & expreſſum,& ideo placitiſſimum, quoniam Pater ſe dicit verbo in ſe,& in nobis per quod ſe aliis declarat, dicit etiam omnia Verbo, quæcumque dicit,& hoc perfectiſſimum eſt,& quia non poterat nobis hoc ſimplici verbo Evangeliſta exprimere,licet illa vox cœleſtis totum hoc inſinuaret, ideò Evangeliſtæ expreſſerunt diverſimodè. *In Luc.c.3.v.22.*

42. *Filiatio adoptiva Dei quàm ſublimis.*

Hic eſt Filius meus, &c. Nota, quòd de baptizato, & ad Deum perfectè converſo per filiationem adoptivam, poteſt dicere de ipſo Deus, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui ; ſcilicet filius meus per fidem, & ſpem, & dilectus per charitatem, & gratiam. *Vide lib.3.d.10. a.2. quæſt.2. & in Ioan. c.1. verſ.12.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd ſecundùm verum ordinem Ieſus baptizatus eâdem die ſeceſſit in deſertum, ubi tentatus eſt,ut intelligamus, quòd poſt acceptam gratiam Spiritus Sancti inſurgit tentatio diaboli acrior dolentis ſe derelictum, & hinc Matthæus hanc deſcribit, ſicut & jejunium,deinde ad alias Chriſti tranſit operationes, ut videbimus, nam poſt jejunium rediit ad Matrem,& cum ipſa ſtetit per totum annum, & in principio ſequentis incepit ſuam prædicationem, & electionem diſcipulorum, præmiſſo tamen miraculo converſionis aquæ in vinum.*

CAP. IV.

2. *Chriſti inceſſus in deſertum, & jejunium expenditur.*

TUnc ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo. Nota, quòd Ieſus ſtatim poſt baptiſmum perrexit in deſertum, quod eſt inter Ieruſalem, & Iericò, ubi ille homo incidit in latrones *Luc.c.10.* & ſe collocavit in montem quemdam, ibi ad quatuor milliaria, vel circa diſtantem, qui appellatur quarantena, ductuſque ibi fuit à Spiritu Sancto,& hæc ductio explicatur diverſimodè ab Evangeliſtis, nam à Sancto Marco dicitur, quod expulit eum Spiritus in deſertum : Sanctus Lucas dicit, & agebatur à Spiritu in deſerto : Sanctus Matthæus dicit, quòd ductus eſt à Spiritu in deſertum. Cur hoc diſcrimen modi loquendi ? ut intelligeremus, quod ad deſertum pœnitentiæ venitur tripliciter, ſcilicet vel timore ſecuritatis, & judicii divini, cujus eſt expellere à malo ad bonum:ut dicitur *Eccli.c.1.* vel ſplendore, & illuminatione veritatis, cujus eſt ducere, ut dicitur *Prov.c.4.* vel amore bonitatis, cujus eſt agere, ut dicitur *ad Rom.c.8.* ideò per comminationes admoniciones, & promiſſiones trahitur homo ad bonum, quæ tria reſpondent tribus viribus animæ ſcilicet iraſcibili, rationali, & concupiſcibili : & per hoc voluit Chriſtus Ieſus, cujus quælibet actio eſt noſtra inſtructio, exemplo vitæ ſuæ efficaciter informare, & inſtruere tum de modo multiplici convertendi nos ad Deum, tum reſiſtendi diabolo, tum rectè operandi in Dei obſequio, ideò voluit à Spiritu Sancto dirigi,in deſerto morari, & à diabolo tentari & de diabolo triumphare jejunio, & oratione : conſidera ergo hic, & conſpice Chriſtum plurium virtutum nobis exempla tradidiſſe : vadit enim in ſolitudine, jejunat, orat, & vigilat, tacet, dormit in plana terra, & humiliter cum beſtiis converſatur ; compatere ergo ei, quia ſemper, & ubique, ſed hic maximè vita ſua pœnoſa eſt, & corporis afflictiva. ac ejus exemplo diſce ab eo in his exercitari *Op. medit. c.17. in Luc. c.4. a.1. & ſermon.2. Dom.1. Quadrag.*

3. *Ex Chriſti exemplo diſcamus exercitia ſolitudinis,jejunii, orationis, & pœnitentiæ corporalis.*

Et cum jejunaſſet, &c. Nota, quòd in hoc facto quatuor præcipuè tanguntur à nobis imitanda, ſcilicet ſolitudo,jejunium, oratio,& afflictio corporis quæ mirabiliter ſe adjuvant,& animam ducunt ad munditiam cordis,quæ eſt complementũ vitæ ſpiritualis,continet enim charitatem,humilitatem,patientiam,& cæteras virtutes,&remotionẽ omniũ vitiorum,quia cum vitiis,vel cum defectu veritatis

Digitized by Google

veritatis non ſtat puritas cordis, ad quam habendam requiritur oratio fervens, & aſſidua, ſed oratio cum crapula, vel ingurgitatione corporis, vel ejus mollitie, vel otioſitate parum valet, ideò requiritur jejunium, & afflictio corporis diſcreta tamen, nam indiſcreta impedit omne bonum, præterea ad omnium Prædicatorum conſummationem videtur facere ſolitudo, nam cum tumultu, & ſtrepitu non poteſt decenter oratio fieri, & videre, & audire multa vix fieri poteſt ſine impuritate, & offenſa: Eia ergo Chriſti diſcipule, cum pio magiſtro ſecreta ſolitudinis perquire, ut ſocius ferarum effectus (converſatio autem Chriſti cum beſtiis innuit nobis humilitatem in converſatione, & æquanimem tolerantiam eorum, qui etiam videntur irrationabiliter ſe habere) arcani ſilentii, orationis devotæ, diuturni jejunii, trinæ conflictationis cum callido hoſte, imitator fias, & particeps, & omnium tentationum diſcrimine ad illum diſcas habere recurſum, pro eo, quod non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. *Op. medit. c.* 17. *& Lignum vitæ tit. Jeſu hoſte tentato. Pſal.* 60. *&* 103.

4. *Nihil fecit Chriſtus niſi vel miſſus, vel juſſus, vel ductus à Patre & Spiritu Sancto, ut nos obedientiam doceret.*

Ductus eſt Jeſus à Spiritu in deſertum. Cur ductus à Spiritu? nonne ipſe erat Deus ſui Dominus? erat quidem Deus Filius Dei, & ut homo ductus eſt à Patre, & Spiritu Sancto, quia nihil unquam fecit, niſi vel juſſus, vel miſſus, vel ductus, ut nos obedientiam doceret; in mundum enim veniens, manens, & à mundo tranſiens ſemper obedientiam voluit exercere ita ut voluerit potiùs perdere vitam, quàm obedientiam, ne nos à proprio conſilio, & voluntate ſinamur duci. *Op. Dietzii 4. c. 2. & Pſal.* 147.

5. *Spiritus Sancti ductus in ordine ad Chriſtum expenditur ad inſtructionem Prædicatorum.*

Ductus eſt Jeſus à Spiritu, ſcilicet Sancto. Vide quomodò in principio, cum vellet aſſumere miniſterium publicum prædicationis, & Redemptionis Chriſtus Jeſus oſtenditur ductus à Spiritu Sancto; quia Spiritu Sancto ducente venit in mundum; ductus inquam à Spiritu veritatis ad docendum ignaros; à Spiritu æquitatis ad arguendum iniquos; & à Spiritu fortitudinis ad ſuperandum diabolum, & hoc ad inſtructionem Prædicatorum, in quibus exigitur ſanctitas animi, Zelus juſtitiæ, & fortitudo animi in executione ſui officii. *Ser. 2. Dom. 1. Quadrag.*

6. *Chriſtus antè omnia voluit confundere concupiſcentiam carnis*, ideò in deſertum intravit, & ibi jejunavit, deindè voluit confundere jactantiam ſæcularis ambitionis, ideò elegit deſertum pro ſua habitatione; tertiò voluit ſuppeditare avaritiam, ideò locum ſterilitatis elegit. *Ser. 2. Dom. 1. Quadrag.*

7. *Deſerti, & ſolitudinis laudes.*

Ductus eſt Jeſus à Spiritu in deſertum. Cur in deſertum; & non potiùs ad civitatem ad aliorum exemplum? quia voluit ſuo exemplo informare homines, & maximè Religioſos, ut addiſcant, quàm inhiare debeant ad ſolitudinem, & ad ſequeſtrandum ſe ab hominum converſatione: Deſertum enim eſt locus aſperitatis, ut addiſcant exercitium abſtinentiæ corporalis, & mortificationum carnis: item eſt locus deſpectabilitatis, ut fugiant jactantiam ſæcularem: & avaritiam, & ſe ſeparent ab affectu omnium temporalium; & ad hoc maximè confert ſolitudo, & remotio à converſatione hominum; tu ergo ô anima exemplo Chriſti vade in ſolitudinem, & quantum potes te ſepara ab aliorum conſortio, & eſto ſolitaria, ſi vis ei conjungi, & per puritatem cordis eum videre: ô ſancta anima ſola eſto, ut ſoli omnium ſerves teipſam, quem ex omnibus tibi elegiſti: fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis, & ab intimis; an neſcis te verecundum habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam præſentibus cæteris? ſecede ergo ſed mente, licèt non corpore, ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu, imò & corpore, cum opportunè potes, & præſertim tempore orationis. *Op. medit. c.* 17. *& ſer. 2. Dom. 1. Quadrag.*

8. *Qualem tentationem habuerit Chriſtus.*

Ductus eſt Jeſus à Spiritu in deſertum, ut tentaretur à diabolo. Quæritur hic qualis fuit iſta tentatio an interior? an exterior? & cum certum ſit, & de fide Chriſtum à diabolo fuiſſe tentatum, quæritur an habuerit Angelum bonum deputatum ad ſui cuſtodiam? ſed reſponderur, quòd ejus tentatio fuit tantùm exterior, non interior, nec fuit ad ejus probationem, ſicut in nobis, ſed potiùs ad noſtram inſtructionem, & ad adverſarii confutationem, ex quo Chriſti dignitas non minuebatur, ſed manifeſtabatur, ideò non indiguit Angelo cuſtode, ſic enim eſſet talis deputatio potiùs defectibilitatis oſtenſio quam virtutis. *lib. 2. d. 11. a. 1. qu. 3. ad 4. in Luc. c. 4. v. 1. ſeq.*

9. *Cur Deus fecerit hominem ſubjectum tentationibus.*

Ductus eſt Jeſus &c. ut tentaretur à diabolo. Si Chriſtus ſubjectus fuit tentationibus, ergo multò magis homo, ſed cur Deus fecit hominem ſubjectum tentationibus? nonnè eſt optimi optima adducere ut ait Divus Dionyſ.? ergo melior fuiſſet natura rationalis impeccabilis: ſed attende, quòd Deus in omnibus ſuis operibus attendit ad ordinem rectum debitum tum ſuæ potentiæ ſuprem æ, miſericordiæ, & juſtitiæ; tum & ipſis creaturis Univerſi; faciens autem creaturam rationabilem peccabilem, manifeſtat magis ſuam potentiam, ſine quâ homo nihil poteſt, & ideò ipſi ſubjici debet: manifeſtat ſuam ſapientiam, ordinando bona cum malis, & eligendo bona ex malis: manifeſtat magis ſuam miſericordiam, ut patet in miſſione ſui Filii ad redemptionem hominis: manifeſtat magis ſuam juſtitiam, retribuendo unicuique ſecundum opera ſua: tum etiam in ordine ad nos hoc magis congruit, quia ſinit creaturam liberam agere ſuos liberos motus, & vincendo tentationem glorioſior eſt ipſius triumphus, & ſic optimi eſt optima adducere ſed ſervato recto ordine Univerſi *lib. 2. d. 25. a. 1. qu. 1. & 2.*

10. *Nemo ex ſeipſo colloceat in tentationis periculo, ſed tantùm Spiritu ſancto ductore.*

Ductus eſt Ieſus à ſpiritu in deſertum, ut tentaretur à diabolo. Vide, quod Spiritu ſancto ductore Chriſtus collocavit ſe in loco tentationis, & hoc fecit, ut eruditet nos, ne ſponrancè nos ipſos in pericula tentationis collocemus, ſed Spiritu ſancto ductore: hinc diſquirunt Theologi, an licitum ſit tentationes appetere, & quærere? Cui reſpondent, quòd tentatio alia eſt à Deo, alia eſt à carne, alia à diabolo: prima ſimpliciter à viris juſtis eſt appetenda, quia Deus nos tentat ſolùm ad bonum: quæ eſt à carne omnino eſt vitanda; quæ eſt à diabolo eſt appetenda ab habente charitatem Spiritus ſancti radicatam, & ſtabilem, non verò ab eo, cui deeſt iſta charitas; & per conſequens ſine Spiritu ſancto ductore nemo ſe immittere debet in tentatione. *Lib.2. d.23.a.1.qu.3.*

11. *Tentationis utilitates expenduntur.*

Ductus eſt Ieſus, &c. ut tentaretur à diabolo. Spiritus ſanctus ducit in tentationis occaſiones, ergo de ſe non eſt mala, ſic quidem eſt: nam tentationibus probatur homo an ſit aurum, vel ferrum, purgatur tamquam aurum in fornace, exercitatur ad majus meritum, eruditur, & illuminatur, & ſimul humiliatur, bona ergò ex tentationibus toleratis pro Chriſto ſunt innumera. *Op.de Prof. Religioſ.lib.2.c.1.& ep.Phar.lib.2. c.1. & ſer.18.Hexam.in Luc.c.11.v.4.*

12. *Jejunium quadrageſimale à Chriſto conſecratum: ubi de quadrageſima à ſancto Patre Franciſco ſuis Fratribus commendata poſt Epiphaniam.*

Et cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus poſtèa eſuriit. Cur voluit Chriſtus jejunare quadraginta diebus, & noctibus? cur non quinquaginta diebus? Nota, quod quadrageſima eſt decima, quam Deo exhibemus, & hæc fuit canonizata in veteri teſtamento per jejunium Eliæ, & Moyſis; & à Chriſto in deſerto, ex cujus exemplo juſſu Chriſti ordinata ab Apoſtolis, & præcipuè à ſancto Petro, ſic communiter ſancti Patres, & Doctores; impoſita autem fuit de præcepto Chriſtianis ante Paſcha, ut per tale jejunium fideles ſe præpararent ad communionem in Paſchate. *Lib. 4. d.12. p.1. a.2. qu.2.* Hoc autem jejunium quadrageſimale utile eſt ad conſequendam veniam peccatorum, ad augendam gratiam, ad obtinendam victoriam contra hoſtes, & ad promerendam gloriam. *Serm.14. Dom.1.Quadrag.* Nota autem, quòd Seraphicus Pater Sanctus Franciſcus in ſua regula tres quadrageſimas ſuis Fratribus ordinavit, duas de præcepto, & unam de conſilio tantùm; & hoc fecit in memoriam trium quadrageſimalium jejuniorum, quæ celebrantur in Sacra ſcriptura, ſcilicet Moyſis, Eliæ, & Chriſti; per primum ſcilicet Moyſis jejunatur pro mœrore culpæ, & ad præterita peccata expianda: per ſecundum ſcilicet Eliæ jejunatur pro amotione omnis miſeriæ, & præcipuè ad futura peccata præcavenda: per tertium verò, quod eſt Chriſti, & jejunium gaudii, eſque ad excitationem devotiones, quo jejunio ipſum cor tantis inungitur ſpiritualibus deliciis, ut pœna ſit vacare menſis, ex quo non tantùm à cibis carnalibus, ſed ab omni terrena delectatione (in qua tunc mundus, & mundani verſantur) delectabiliter abſtinetur, & hinc hanc ſanctus Pater Franciſcus cum benedictione Dei ſuadet, ut devotione ſolâ, & non aliquâ coactione adimpleatur: *Op. Expoſ.Regul.c.3.* Dat igitur ipſam jejunantibus benedictionem Dei, quia hæc quadrageſima conſecrata fuit (veluti efficaci contactu) à jejunio Chriſti in deſerto: Invitatur ergo anima fidelis ad viſitandum Chriſtum Ieſum in deſerto morantem jejunantem, & orantem, & in terra jacentem de nocte, ſaltem ſemel in die ad minus, maximè ab Epiphania uſque ad quadraginta dies, quibus ibi manebat. *Op. medit.c.17.*

13. *Jejunii laudes, & conditiones expendunter.*

Et cum jejunaſſet quadraginta diebus, &c. Ex quo patet, quod cum Chriſtus in ſeipſo jejunium conſecraverit, noſtrum jejunium eſſe opus Deo valdè gratum, & nobis valdè proficuum: ſed notandum, quod jejunium poteſt ſumi tum propriè, & ſic eſt afflictio corporis ſecundum guſtum: tum communiter ſicque eſt omnis carnis afflictio per vigilias, flagella, & jejunia, tum communiſſimè eſtque abſtinentia à peccatis, omnibus his modis Deo eſt placitum jejunium, quia concupiſcentiam carnis domat, ordinatque in homine corpus, & ſpiritum, tùm in ordine ad Deum, tùm ad ſeipſum. *Lib.4.d.15.p.2.a.1. q.4. & a.2.q.2.& ep.Apolog. Paup. reſp.2. cap.2. & 3. & ep. Dict. tit.2. cap. 6. & ſerman. 6. in die Cinerum.*

14. *Jejunium Deo acceptum eſt cum perfecta converſione & puritate animæ.*

Cum jejunaſſet quadraginta diebus poſtèa eſuriit. Nota, quod Chriſtus poſt baptiſmum incœpit jejunium quadrageſimale, ut nobis oſtendat, quod noſtrum jejunium tunc erit Deo gratum, ſi erit ſimile, ſcilicet ſi cum perfecta converſione, & peccatorum confeſſione ipſum arripiamus; ſic enim conſequemur victoriam inimicorum, gratiam, & veniam peccatorum. *Serm.4. Dom.1.Quadrag.*

15. *Intrans in ſtadium perfectionis, ſtatim aggreditur in tentationibus à diabolo.*

Et accedens tentator. Ecce quomodo ſtatim ac Chriſtus baptizatus eſt, & intravit in deſertum ibique jejunavit ipſum adoritur tentator diabolus, ut diſcant, qui ad ſervitium Dei ſe transferunt; qui in deſerto Religionis ſe conferunt ad ſerviendum Deo, quomodo debent ſe præparare ad tentationes, nec ob id timendum, quia ſi habuerint ductorem Spiritum ſanctum, nihil eis poterit nocere diabolus, nec Chriſtus ſuprà id, quod poſſunt, eis nocebit: *Ser. 10. in Pentec.* Hinc ſanctus Hilar. ait, tentatur Chriſtus ſtatim poſt baptiſmum, tentatione ſua indicans, in ſanctificatis nobis maximè diaboli

tenta

tentamenta graſſari, quia victoria eſt ei magis exoptata de ſanctis : ne ergo turberis addit Chryſoſtomus ô Religioſe, ſi poſt ſanctificationem majoribus tentationibus vrgearis, quaſi inſperatum aliquid obviaverit, ſed permane cuncta viriliter ſuſtinendo, ideircò enim arma accepiſti, non ut otiaris, ſed ut pugnes : Notat etiam Chryſoſtomus, quòd diabolus Chriſtum non jejunantem, ſed eſurientem tentat, ut diſcas, quàm ſit bonum grande jejunium, & quòd hæc adverſus diabolum arma ſunt maxima, quodquè poſt baptiſmum, poſt ſanctificationem non deliciis, ac temulentiæ, non menſæ epulis onuſtæ, ſed jejunio animum debemus armare.

16 *Sine ſocietate, & duce Mariâ Virgine diabolus acriùs tentat; præſente Mariâ vires amittit.*

Et accedens tentator, &c. Cur non prius adoritur Chriſtus à diabolo tentatore ? cur non legitur, quòd in ſpatio triginta annorum antecedentium ipſum tentaverit, ſed ſolùm quando ſe in ſolitudinem deſerti contulit? ſed attende, quod inter alia myſteria in hoc facto relucentia, aliud etiam ad gloriam Mariæ Virginis eruere poſſumus, & inferre, quòd licèt Chriſtus Jeſus non indiguerit auxilio Mariæ Virginis Matris ad expellendos dæmones, tamen ad inſtructionem noſtram voluit tentare abſente Mariâ Virgine, quod non auſus eſt impius Satan, dum morabatur cum ſua ſanctiſſima Matre, ſed dum illum à Matre avulſum ſolum in eremo invenit, tunc auſus ipſum aggredi, & tentare; unde ſanctus Methodius dicit, quod ipſa Chriſtum corpore induit decenti Panopliâ, hoc eſt omni armorum genere, per quam etiam omnia ignita tela illius maligni extinguerentur : & meritò hoc dicitur de Mariâ, quia ipſa imperium ſuper dæmones habet, & exercet, & eſt veluti aurora tenebras ipſorum, & tentationes fugans. *Op. ſpec. B. Virgin. lect. 3. & 11.*

17. *Eſuries, fameſquè, & ſitis Chriſti litteraliter, & myſticè expenditur.*

Et cum jejunaſſet quadraginta diebus poſtèa eſuriit. Quæritur hic an tempore jejunii eſurierit, an ſolùm poſt jejunium quadraginta dierum ? communis tamen ſenſus ſanctorum Patrum eſt, non eſuriiſſe in toto illo tempore, nec inediam, nec debilitatem paſſum eſſe ut ſe oſtenderet Deum ; ſed tamen poſtea eſuriit, ut anſam daret diabolo dubitandi, an eſſet Deus, & illum tentandi. ſed cur eſuriit ? cur notatur hæc eſuries, & per conſequens ſitis ? eſuriit quidem corporaliter, ſed magis ſpiritualiter, eſuriit non ſibi in deſerto, & ſitivit in cruce, ſed nobis, ejus enim fames, & ſitis ardentiſſima erat noſtræ ſaluris, & ut nobis promereretur refectionem ſpiritualem corporis, & ſanguinis ſui, quibus reficimur, & potamur. *In Luc. c. 4. v. 2.*

18. *Cur triplici tentatione, & non pluribus adorſus eſt diabolus Chriſtum.*

Et accedens tentator, dixit illi. ſi Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant, &c. Quæritur hic cur triplici tentatione Chriſtum tentaverit diabolus, & non pluribus ? reſpondetur, quod ſub hac triplici tentatione omnes aliæ continentur; motivum enim tentandi eſt peccatum ad commutabile bonum, quod eſt in triplici differentiâ, aut enim eſt inferiùs, hoc eſt carnis; aut exterius, & hoc eſt mundi ; aut interiùs, & hæc eſt excellentia animi : ex primo efficitur homo voluptuoſus ; ex ſecundo curioſus ; ex tertio præſumptuoſus : primo ergò modo infert tentator ſuggeſtionem per bonum inferius, ut alliciat ad gulam ; ſecundo per bonum exterius, quod eſt mundi, ut alliciat ad avaritiam; tertio per bonum interius, quod eſt excellentiæ, ut alliciat ad pompam, ſive ſuperbiam ; & hæc tria reſpondent tribus tentationibus, quibus tentavit, & vicit primum hominem, & habent iſtæ tentationes ordinatum proceſſum ab inferiori ad ſuperius ; quia per primam impenditur quantùm ad actum vegetabilis; per ſecundam quantùm ad actum ſenſibilis ; per tertiam quantum ad actum rationalis : *in Luc. c. 4. v. 3.* Tentavit ergo diabolus Chriſtum de gula, ut inficeret animæ, & corporis puritatem : ſecundò de vana gloria, ut induceret ad mundanæ oſtentationis vanitatem ; tertiò tentavit de avaritiâ, ut deciperet per mundanæ pulchritudinis delectabilitatem, & iſtæ tria ſunt quæ capiunt omnes peccatores. *Serm. 1. Dom. 1. Quadrag.*

19. *A minimis incipit tentando diabolus, ut ad maxima perveniat.*

Si Filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant : Vide artem diaboli quantam, & qualem, quia ut in idololatriam peſſimam induceret Chriſtum, à minimis incipit, & à facilioribus, nempè tentavit eum de gula, & incitavit eum ad comedendum panem, ipſum miraculosè ſibi parando; quid namquè vilius pane, & aquâ inter cibos appoſitos eſurienti poſt tantum jejunium ? ſed hæc eſt fraus maligniſſima diaboli à minimis incipere, ut ad maxima ſcelera inducat, & tali arte multos incautos ſeducit, & tali ordine procedit, maximè introducendo in ſervis Dei familiaritates mulierum bonarum ſub ſpecie pietatis, & devotionis, ſic tamen frequentando tandem ſæpè in graviſſima ſcelera perducit. *Ser. 1. Dom. 1. Quadrag. & op. de prof. Religioſ. lib. 2. cap. 5. d. 21. a. 1. qu. 3.*

20. *Cur voluit Chriſtus tentari tentationibus carnalibus.*

Dic ut lapides iſti panes fiant : Vide quod panes proponit diabolus Chriſto, ad excitandam gulam in carne, ſed cur non tentavit eum immundis cogitationibus carnalibus ? Hoc voluit Chriſtus, ut doceret nos non debere ingerere huic tentationi etiam ſpe triumphi, & præmii, ſed eam pro viribus fugere, & ratio eſt, quia cum hæc tentatio magnam habeat delectationem admixtam, & in hoc vitio omnes concepti ſimus, & non ſolum mens, ſed & corpus delectetur ; ideò periculosè ejus aditus conceditur, ſicut hoſtis, qui in vrbe aliquos faventes ſibi habeat, ſi intrà portas irruperit, potentius ipſam capit ; ideò fugienda hæc tentatio toto conatu : *Op de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 5. vide lib. 2. d. 21. & 22. per totam & Brevil. lib. 2. c. 3.* ubi patet, quod diabolus hanc

Digitized by Google

arte primò tentando mulierem veluti debiliorem, virum decepit, quia à carne incipiendo facilius vincit hominem.

21. *Non Chriſtus, ſed diabolus vertit lapides in panem, Chriſtus verò panem in lapides.*

Dic ut lapides iſti panes fiant. Vide quid prætendit diabolus: ad litteram experimentum volebat ſumere an eſſet Deus; ſed tamen Chriſtus voluit, ut proponeret lapides, non aliam rem, ut nobis ſignificaret, quod hoc proprium eſt diaboli, nec aliud intentat Dei ſervis, niſi ut vertant lapides in panes; per lapides autem ſignificatur pœnitentia auſtera; per panes vita delicata; & hoc eſt, quod inſinuat inceſſanter, *dic ut lapides iſti panes fiant*, ut detur tregua & remiſſio auſteritatibus, & afflictationibus, & pœnitentiæ; ſic enim poſteà facilius trahit ad præcipitium; ſed hoc non eſt proprium Chriſti, ſuorum ſequacium, imò oppoſitum, præcipit enim & ſuadet converſionem panum vitæ delicatæ in lapides pœnitentiæ, & qui hoc non fecerit, inveniet in fine panes converſos in fel amaritudinis, & draconum in inferno. *Ser.1. & 4. Dom.2. poſt eſt. Paſcha: & ſer.1. & 4. Dom.1. Quadrag.*

22. *Dei tentationes ſunt in bonum: diaboli tentationes ſunt ad perſuadendum malum & per ſe, & per ſuos ſequaces: ubi de ſcandaloſis.*

Dic ut lapides iſti panes fiant: Vide quale munus eſt diaboli, nempè tentandi homines, ſed non quocumque genere tentationis, nam etiam Deus tentat ſuos, ſed eos probando, & exercendo in actibus virtutum; ſed tentatione perverſæ perſuaſionis, quâ conatur inducere homines ad malum, & hoc eodem genere tentant miniſtri ejus, ſcilicet viri ſcandaloſi alios, eos inducentes malis exemplis, verbis, muneribus, conſiliis, aliiſque modis ad mala opera, & iſti ſunt coadjutores diaboli. *Op. in Pater noſter, & ſerm.3. fer.2. Paſcha.*

23. *In ſolitudine mundi paſcitur homo panibus duris diaboli, in ſolitudine Chriſti paſcitur pane cæleſti.*

Dic ut lapides iſti panes fiant, & reſpondens Ieſus dixit, non in ſolo pane, ſed in omni verbo, &c. Ecce diſcrimen paſcuæ diaboli, & Chriſti; nam in hoc mundo, qui eſt ſolitudo, & regio diaboli, ipſe ſuis offert panes duros; & quinam ſunt, & quàm duri? iſti panes ſunt vitia, ſuperbia, ira, invidia, luxuria, &c. hos panes verè duriſſimos offert ſuis diabolus; Chriſtus è contrà panes, qui ſunt omne verbum, ſcilicet omne bonum, nempè ſacramenta ſuis offert; ſuntquè cibi animæ dulciſſimi, item ſunt dona Spiritus ſancti, quibus anima referta currit, & volat verſus Cœlum. *Ser.1. Dom.6. Pentec.*

24. *Panis verbi Dei cibus perfectus reficiens animam.*

Non in ſolo pane, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: Ideſt non ſolo pane, ſed etiam verbo: quomodo hoc? ergonè homo paſcitur omni verbo, & non ſolo pane? ſed nota, quod hic loquitur de verbo, quod eſt omne verbum procedens ex ore ſuo, ſcilicet de verbo Dei, & meritò comparatur cibo, ſicut enim cibus habet ſaporem, nutrimentum, & maſſam: ſapor ad palatum, nutrimentum ad naturam, & maſſa ad miſeriam, quia onerat: primus delectat; ſecundus ſuſtentat: tertius onerat: ſic cibus ſpiritualis delectat facies ſpirituales animæ, paſcit, & nutrit animam exercitio virtutum, ad quod inducit, & onerat etiam, ſcilicet ad labores, & pœnitentiam excitat. *Pſal.118. in p. expoſ. v.104. & ſer.17. Hexam. in ſap. c.16.*

25. *Lectio ſacra quare introducta ad menſam Religioſorum.*

Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: Nota hic, quod ſimul cum pane materiali copulat Chriſtus cibum verbi Dei, per quod dat intelligere, quod ſui ſequaces debent intendere cor non ſolùm ad paſcendum in neceſſitate corpus, ſed etiam animam; & hinc ipſo inſpirante introducta fuit in cœnobiis Religioſorum lectio ſacra in tempore refectionis communis, ad hoc ut dum paſcitur corpus, paſcatur etiam, & reficiatur anima verbo Dei. *in Luc.c.14.v.12.*

26. *Cur Chriſtus noluit convertere lapides in panem? ubi de ſenſu reſponſionis Chriſti.*

Dic ut lapides, &c. non in ſolo pane, ſed in omni verbo, &c. Quæritur hic cur Chriſtus noluerit convertere lapides in panem? nonne hoc opus erat licitum, & bonum? & ſi hoc feciſſet quodnam malum fuiſſet vel ad quodnam peccatum potuiſſet inducere? Reſponderur primò, quod hæc converſio de ſe erat licita, ſed non ut præcepta à diabolo, tunc enim illud opus non debet fieri ad juſſionem, vel conſilium diaboli, quia tunc ſuis conſiliis daretur conſenſus; ſed hic diſquirunt, in quonam conſiſtit peccatum, quod hac occaſione intendebat diabolus? reſpondetur conſequenter ad ſupra dicta, quod licet non ſit peccatum uti neceſſariis ad ſuſtentationem, eſt tamen peccatum, quando ex deſiderio hujus ſuſtentationis aliquid interdictum fit, inordinatum autem eſt ad conſilium diaboli aliquid patrare, & maximè prætendere miracula, ubi non adeſt neceſſitas; *ſic etiam D. Thomas 3.p. q.4. a.4. ad 1. S. Bon. op. Comp. Theol. lib.2. c.66.* Et quid reſpondit Chriſtus? *non in ſolo pane, &c.* quæ verba ſunt deſumpta *ex cap.8. Deuter. & in ſap. c.16.* & ſic exponuntur ad litteram: non in ſolo pane Deus ſuſtentat hominem, ſed quocumque alio cibo, quem voluerit ad nos mittere, poteſt id facere; vel non in ſolo pane paſcitur homo, hoc enim eſt corporalis paſtus, ſed etiam verbo Dei ſpiritualiter, ſcilicet verbo Dei; obſervantia ejus mandatorum, *ſic cum S. Bon. alii Patres.*

27. *Vis & efficacia verbi Dei contra diabolum expenditur: ubi de lectione ſacrorum librorum.*

Non in ſolo pane &c. Cur verbis ſolùm eludit diabolum Chriſtus Jeſus? cur præcepto ſuæ poteſtatis non expellit à ſe? hoc fecit ut intelligeremus, qualem efficaciam habent verba ſacræ ſcripturæ contra tentationes, & technas diaboli, & ad ipſum confundendum, expellendum, & vincendum. *in Luc.c.4.v.4.* hinc infertur quàm proficua, quàm ſancta, quàm Deo chara, quàm efficax ſit lectio librorum ſacrorum: hæc enim debet eſſe refugium noſtrum in tentationibus, & tribulationibus; hæc debet eſſe ex primis, & præcipuis actionibus Religioſi, maximè in principio converſionis, ut per ſanctam lectionem ſe præparet anima ad meditationem, ut in viâ pœnitentiæ ſe confortet ad iter perfectionis proſequendum, hæc illuminat intellectum, hæc inflammat voluntatem; hæc defendit ab hoſtium incurſionibus, hæc innumera bona animæ affert. *Vid. op. Phar. lib. 4. c. 31. & op. de inſtitut. Novit. p. 1. c. 14.*

28. *Qui in Tyrocinio vitæ ſpiritualis non efficaciter refrænat gulam, inutilis ad alia perfectiora redditur.*

Non in ſolo pane vivit homo. Cur Chriſtus voluit incipere à reſiſtentiâ & victoriâ gulæ? ut addiſcerent ſui ſequaces, & maximè Religioſi, quòd primus gradus vitæ ſpiritualis, vel ſaltem inter primos actus principales Tyrocinii ſpiritualis debet eſſe efficax mortificatio gulæ, & ab hac reſiſtentia inchoandum eſt, ſi volumus alia vitia ſuperare; qui enim ſe finit ab hoc vitio dominari, redditur imbellis, ita ut fruſtrà contra alia vitia laboret; norent diligenter hoc Religioſi, maximè Novitii. *Op. medit. vitæ Chriſti c.17.* Vide igitur, quòd ſicut diabolus per hoc vitium vicit primum hominem, ſic & tentavit Chriſtum, quaſi per januam aliorum vitiorum aditum quærens ad ulteriora; nec mirum, quia nimia ciborum repletio pigrum reddit hominem, hebetat intellectum, & affectum devotionis obruit, & refrigerat, & agilitas ſpiritualis retardatur, & in ſomnum ducit ſuperflua ciborum repletio. *Vide op. de Prof. Relig. lib. 1. c. 36. & 37. & lib. 2. d. 22. qu. 1. & op. de pugna ſpirit. c. 1.*

29. *Diaboli proprium eſt in altum ducere homines, ut facilius præcipitet.*

Et aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei ſi Filius Dei es, mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandavit de te &c. Vide iterum proprietatem maligni tentatoris; ut enim facilius ad profundum præcipitet homines, eos in altum ducere contendit, ſic cum Chriſto fecit ducens, vel portans eum ſuper tecta templi Jeroſolymitani, ſuadens poſtea ipſi, ut mitteret ſe deorſum, quia quantùm aſcendunt mali per ambitionem, tantùm deſcendunt per damnationem. *Ser. 4. in Aſcenſ.*

30. *Multi ſunt diaboli imitatores in aſſumendo Chriſtum, ut ipſum præcipitent.*

Aſſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem; &c. Verè mirum eſt, quomodò Chriſtus permiſerit ſic aſſumi, & portari à diabolo ſuper pinnaculum templi, quæ vera, non imaginaria fuit aſſumptio, ut docent communiter Sancti Patres; ſed hoc permiſit Chriſtus, ne diabolus ejus potentiam agnoſceret, ſicquè voluit humiliter ſe duci quò diabolus voluit, ut undequaque victus ſolus aufugeret; verè inquam hoc eſt mirum, ſed magis eſt mirabile, quòd quotidiè à tot hominibus, quaſi à tot Dæmoniis ſub Sacramento Altaris malè recipiatur, imò in hoc peccatores ſunt pejores Diabolo, quia hic Chriſtum aſſumpſit in ſanctam civitatem, in templum & in montem, perverſi autem homines ipſum in Babylonem, in lutum, & in ſentinam, & fœtidam cloacam aſſumunt. *Ser. 3. Dom. 1. Quadrag.*

31. *Eccleſia eſt ſancta civitas ob præſentiam Chriſti aſſiſtentis, & quia locus eſt orationis.*

Aſſumpſit eum in ſanctam civitatem. Cur Jeruſalem appellatur ſancta civitas, ſi plena erat perverſis hominibus? ſancta civitas appellatur ob templum Sanctum in ea exiſtens, ob Sacrificia ibi oblata: ergo multò magis Sancta Eccleſia, & templum Deo ſacratum dici debet ſancta civitas, & locus dignus omni reverentiâ, quia ibi aſſervatur, & adoratur, & ſanctificatur corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti; quia ibi aſſervantur Sanctorum Reliquiæ, quia ibi Chriſti aſſiſtentia ſpecialis habetur, ergò qui intrat in hanc ſanctam civitatem, reverenter ſe habeat, & caveat ab omni irreverentiâ. *Ser. 1. de dedicat. in Luc. c. 19. verſ. 46.*

32. *Diabolus magis tentat Religioſos, quàm ſæculares.*

Aſſumpſit eum in ſanctam civitatem; ſcilicet ut ibi Chriſtum tentaret; ſed cur in templum? quia per hoc ſignificantur Religioſi, contra quos ſpeciali modo ſe armat, ut de ipſis triumphum reportet, ut diſcant ſe humiliter coram Deo, quia nullibi eſt aliqua ſecuritas. *Serm. 5. Dom. 1. Quadrag.*

33. *Diabolus inermis eſt contra hominem, nec aliud poteſt niſi ſuadendo mitte te deorſum.*

Si Filius Dei es mitte te deorſum. Cur ſi habuit poteſtatem portandi Chriſtum ſuper pinnaculum templi, dicit ei nunc mitte te deorſum? cur Chriſtum non expellit deorſum, ſed tantùm ei hoc ſuadet? Ecce qualis poteſtas diaboli in hominem: Verè enim de ſe ejus poteſtas eſt maxima, cum nulla in mundo poſſit ei æquari, ſed in hominem eſt ligata, nihil enim aliud poteſt in nos, niſi clamare mitte te deorſum, eſt enim hoſtis inermis, & miſerabilis, ideò non vincit, niſi volentem, & præſtantem ei conſenſum; & cum nos tentat nihil aliud facit, niſi à nobis exigendo, ut præſtemus ei arma noſtra, quibus ipſe occidat: vel ut ipſa arma noſtra

ſi ei præſtemus, vel conſenſu, vel connivendo, hebetet, & tetundat, ut nobis minus apta, & utilia fiant, & minus acuta, & minus efficacia ad ipſum per ea impugnandum, ſicque tentando, immittendo cogitationes pravas, vel ſuadendo malam actionem, vel malam locutionem, nihil aliud eſt, niſi nobis dicere, inermis ego ſum contra te, non habeo undè te lædere poſſim, niſi tu præſtes mihi arma tua, ut te vulnerem, & occidam, præſta ergo mihi cor tuum ad pravas affectiones, vel cogitationes, linguam ad loquendum iniqua, & manus, & alia membra ad actiones, & opera prava, quibus lætale vulnus in animâ accipias, & gratiam Domini Dei tui perdas, & merito gloriæ cœleſtis ſpolieris; ecce quod in peccatore nulla datur excuſatio, ſi à diabolo vincitur. *Lib. 2. d. 6. dub. 3. & op. de Profeſſ. Religioſ. lib. 1. c. 2. in Luc. c. 3. v. 9. & 5.*

34. *Idem de tentatione diaboli.*

Si Filius Dei es, mitte te deorſum. Cur non potius volens tentare Chriſtum de vana gloriâ non dicit, aſcende tu in altum verſus Cœlum, cum talis actus magis proprius videtur ad excitandam vanam gloriam? ſed nil aliud poterat ſuadere; jamin altum aſſumpſerat Chriſtum, ſed quia procurat aſcenſum in altum homini, ut tuinoſius ipſum præcipiter, ideò poſt aſcenſum dicit, mitte te deorſum, quia ſemper eſt intentus ad noſtrum præcipitium; ubique enim nos impugnat, ſicque in deſerto, neque in templo; neque in monte ſinit nos quieſcere. *Ser. 5. Dom. 1. Quadrag. & Vgo Cardinalis.* Vide ergo, quòd dicit mitte te deorſum, quiâ ipſe deorſum ceciderat, libenter etiam omnes deorſum trahit, hoc igitur ſuggerebat, ut deſcendendo corporaliter faceret eum ſuperbire ſpiritualiter, ut ſimul eſſet aſſenſus vanus, & deſcenſus verus, in quo erudimur, quòd ſemper ſunt conjunctæ humiliatio, & exaltatio. *In Luc. c. 4. v. 9.*

35. *Proprium eſt diaboli auctoritates Sacræ Scripturæ adhibere, & obtruncare ad pernitiem hominis.*

Mitte te deorſum; ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis, ne forte offendas, &c. Vide hic verſutiam diaboli, nam ut deciperet Chriſtum affert in medium textum Sacræ Scripturæ deſumptum *ex Deuter. c. ult.* quia ejus proprium eſt uti Sacra Scriptura, & rebus Sanctis ad hominis perniciem, & quod eſt notabile affert textum obtruncatum, nam ibidem ſubdit ſacer textus, ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, &c. *In Luc. c. 4. v. 10. & 11.* Hæc doctrina eſt patentiſſima continuâ experientiâ, nam multos decipit per actiones, vel res ſacras, ut patet in incantatoribus, qui ad ſua veneficia, & ſuperſtitiones ſemper utuntur rebus ſactis.

36. *Humiliatione, & humilitate vincitur diabolus.*

Ait illi Ieſus, ſcriptum eſt Dominum Deum tuum non tentabis. Notandum eſt hic diligenter, quòd Chriſtus non uſus eſt ſua poteſtate ad devincendum diabolum, ſed humilitate, & ſacram ſcripturam adducendo in medium, ut propulſaret ictum diaboli; dicit igitur, non tentabis Dominum Deum tuum, ſcilicet experientiam non ſumes de me per oſtentationis ſignum, qui hoc facit Deum tentat præſumptuoſæ elationis: ecce quomodò habemus Chriſti exemplum, quòd qui ex contemptu vanæ gloriæ ſe humiliat, vitia ſuperat, ſed qui ſe exaltat, vincitur; ne igitur ſimus quaſi homo, qui tentat Deum, ſed humiliemus nos ipſos coram Deo, ſi volumus, & de diabolo triumphare, & quod oratio noſtra ad Deum aſcendat. *Ser. 2. Dom. 1. Quadrag.*

37. *Diabolus ſemper alta quærit, ut præcipitet hominem.*

Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi. Vide iterum hic, quod proprium eſt diaboli ſemper alta petere ut ſuperbus, & homini idem ſuadere, ut faciliùs ruat in præcipitium, ſicut & ipſi accidit. *In Luc. c. 4. v. 5.*

38. *Maxima Damonis tentatio eſt circa cupiditatem rerum temporalium, & dignitates mundanas.*

Aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi. Ecce qualis eſt periculoſior tentatio diabolica, quâ nititur cogere hominem veluti ad idololatriam, nempè proponendo divitias temporales, & dignitates mundanas ſive ſæculares, ſive Eccleſiaſticas, & per hoc decipit infinitos non reſiſtentes tantæ tentationi, & exemplo Chriſti deſpiciendo mundanas proſperitates; & nota, quod diabolus tentavit Chriſtum in deſerto, in templo, & in monte; in deſerto hujus mundi tentat omnes ſæculares, per carnalitatem, in templo monachos per apoſtaſiam, & in monte Prælatos, & divites per avaritiam. *Ser. 2. & 5. Dom. 1. Quadrag. & in Luc. c. 4. hic.*

39. *Diabolus dives in promiſſione, mendax in ſolutione.*

Et oſtendit illi omnia regna mundi. Vide in primo proſpectu quanta bona exponit diabolus Chriſto; omnia regna mundi, ſcilicet innumeras divitias, & delicias, & ad quid? ecce ad quid. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens, &c.* ô impie mendax, quomodò iſta dabis, ſi non ſunt in tua poteſtate? Ecce quàm dives eſt diabolus in promittendo ſtultis; & cæcis hominibus, & exponendo illis omnia aſpera in vias planas, ſed poſtea mendaciſſimus eſt in ſolutione ô quot, ô quot tali pacto illuſi, & deluſi; & hoc eodem modo decipit Mercatores, carnales, cupidos, avaros, ipſis exhibens, & promittens multa, ſed modica dans, modica quidem ſunt, quæ per injuſtam acquiſitionem acquiruntur, quæ cum Dei offenſa habentur, quia per hæc inducit ad ſui adorationem, & tandem ad æternam damnationem. *Ser. 1. Dom. 3. Quadrag. & ſer. 7. in Pentec. & in Luc. c. 4. v. 5.*

40. *Mundi*

Digitized by Google

40. *Mundi bona momentanea, & transitoria.*

Et ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum. Addit Sanctus Lucas, in momento temporis; quomodò in momento potuit ostendere tot & tanta regna? & qualiter ea ostendit? ô nota homo, ostendit ei non singulariter, sed generaliter omnes partes mundi; ostendit ei omnia concupiscibilia mundi, in quibus homines regnant, & vivunt; ostendit ei non vitium ampliando, sed vanitatem pompæ humanæ, quam amabat, eam laudans, amplians, spatiosam, & speciosam ostendens, quia sic ad ipsius amorem excitare intendebat Christum; sed tamen addit in momento temporis, copulans celeritatem aspectus cum caducâ fragilitate prosperitatis mundanæ, & potestatis, ut nobis pateat, quod omnia ista sunt transitoria, caduca, momentanea, & honor sæculi sæpè abiit, antequam venerit, ita ut cum Propheta *Psal.*36. dici possit, *Vidi impium, &c. transivi, & non erat. in Luc.c.4.v.5.*

41. *Alii accipiunt à Christo, alii à diabolo divitias, & bona temporalia.*

Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me. Vide connexionem, & conditionem, qua diabolus exhibet regna, divitias, &c. nempè si cadens adoraveris me, ut videas, quod licet ipse sit Pater mendacii, & intendebat decipere Christum, tamen nolens verum dicit scilicet in hoc sensu; nempe quod ipse est, qui dat divitias, bona temporalia iis, qui ipsum adorant, faciuntque voluntatem ejus, quia ista acquirunt injustè, & peccatis, offensisque Dei, ergo si per rapinam, per usuram, per fraudes, & alios injustos modos habes bona tua, tunc à diabolo accepisti, quia eum pro Deo adorasti; è contrà si justè habes bona tua, de manu Dei accepisti; væ ergo eis, qui injustè accipiunt temporalia. *Ser.1. de S. Matthia in addit.*

42. *Diabolus ipse, licet Pater mendacii fatetur, quòd facere ejus voluntatem est cadere.*

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Quid intendis, quid prætendis ô apostata Paradisi? quid? si cadens adoraveris me; sed quid est cadens? cur non dicit, si prostratus, si genua flectens adoraveris me? Ecce, quod ipse diabolus etiam invitus fatetur hanc veritatem; scilicet, quòd facere ejus voluntatem, quod ipsi obtemperare est adorare eum, est auferre Deo vero adorationem, & diabolo tribuere, & hoc est cadere, & inclinare deorsum, ô qualis casus; cadere, scilicet ab alto Cœli, cadere ab amicitiâ Dei, cadere in profundum omnium miseriarum; sic, sic facit omnis, qui tentationi diaboli, qui peccato consentit; Ideò enim tibi dat, vel exhibet, & promittit, ut cadendo ipsum adores; verè enim cadit, qui non largiente Deo, sed ad nutum diaboli acquirit sæculi dignitates, divitias, &c. *Ser.7. in Pentec. in Luc.c.4. v.7. & sanctus Irenæus hic, S. Hier. hic S. Max. hom.4. & Ugo Cardinalis.* Notandum autem hic, quod hæc tentatio facta fuit à diabolo secundo loco, quod & advertit Sanctus Lucas, sed à Sancto Matthæo ponitur tertio loco, ut alluderet ad ordinem, quem servavit diabolus in tentando, & dejiciendo primum hominem; *Sic Glossa hic.*

43. *Mali, & reprobi retrò incedunt dorsum vertentes Christo: Justi post ipsum facie versa ad ipsum.*

Vade Sathana. Nota, quòd hic in antiquis exemplaribus legebatur, Vade retro me Sathana, sed in modernis correctis legitur tantùm Vade Sathana: Cur à se abjicit diabolum Christus? quod non fecerat priùs? quia retrò à se expellit, confer autem id, quod dixit Petro; *Matth.c.16.* contradicenti Christo circa sustinendam passionem, nempè vade post me; ex quo modo dignoscitur discrimen inter præscitos, & prædestinatos; nam electis dicitur à Christo vade post me, sequere me; illi autem vade à me, recede à me, quod est idem quod retro, quia isti vertunt dorsum Christo vocanti, & abeunt cadentes retrorsum per viam Inferni. *in Ioan.c.20.v.9.*

44. *Avaritia qualiter exemplo Christi vincatur.*

Vade Sathana, scriptum est enim Dominum Deum tuum adorabis, &c. Ecce quali modo Christus nos docuit triumphare de avaritiâ à diabolo propositâ, nempe totali despectione mundanæ prosperitatis, & exaltationis; & hæc habetur, quando propter Deum, ejusque cultum omnia contemnuntur, sicut è contra qui propter aurum, vel aliquod aliud, alium quàm Deum adorat homo, idololatra est, qui verò omnia contemnit propter Deum, servit illi soli, eo quod nulla admittit contraria, nullâ æquiparat disparata, & ad nihil aliud per affectum alligatur præter ad illum, cui in dilectione totum cor debetur; & hinc diabolus apponit cupidis, & avaris mundanæ pulchritudinis delectamenta, ut toto corde ad ea ferantur, sicque in laqueum adducantur, & in interitum perditionis æternæ. ô caveamus ab avaritiâ, quæ est radix omnium malorum. *Sermon. 2. Dom.1. Quadrag.*

45. *Vera Dei adoratio in quonam consistit.*

Dominum Deum adorabis, & illi soli servies! Nota connexionem horum verborum, adorabis, & servies; dat enim intelligere Christus Jesus, quod contemptâ creaturâ debemus Deum solum adorare, & ipsi soli servire, ut videas, quod perfecta adoratio exigit mentem ab omni impuritate expurgatam, cultumque ad Deum in spiritu, & veritate, ita, quod cultus exterior interiori respondeat. *In Ioan. collat. 22. op. de septem itin. ætern. itin.2.d.4.*

46. *Diaboli tentationes repelluntur per legis divinæ allegationem, & recordationem;* sic docuit nos Christus, qui omnes tentationes, & præcipuè hanc ultimam superavit tali pacto. *Psalm.118. 67.v.4.*

Digitized by Google

47 *Diaboli verſutia in deſiſtendo aliquando à tentando, detegitur; nec id poteſt, niſi à Deo permiſſus.*

Tunc reliquit eum diabolus. Sanctus Lucas addit uſque ad tempus: Quid eſt uſque ad tempus? Reſpondetur, quòd dupliciter hoc intelligitur; primò uſque ad tempus, ſcilicet quando id Deus permittit, non enim poteſt tentare hominem, quando vult, ſed ſolùm quando, & quomodo à Deo permittitur. *In Luc. c.4. v.* Secundò uſque ad tempus, ſcilicet, quia aliquando victus ceſſat à tentatione, ut homo credens ſe ſecurum vivat deſidiosè, ut poſteà redeundo impetu fortiori ipſum jam imparatum, & deſidioſum inveniens ſuperet. & de ipſo triumphet. *Op de Prof. Religioſ. lib.1.c.1.& 2.& 39.& lib.2.c.1.& 2.*

48. *Poſt victoriam de diabolo Angeli ad conſolationem tentati accedunt.*

Tunc reliquit eum diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei. Quomodo dicitur, quod Angeli acceſſerunt Chriſto poſt devictam tentationem? nonne ſemper Angeli erant cum Chriſto, & comitabantur ipſum, ipſique in omnibus inſerviebant? ſed tamen benè dicit acceſſerunt, quia ab ipſo ex ejus voluntate receſſerant ad horam, ut Diabolo locus tentandi daretur, & per hoc addiſcimus (*Ait Chryſoſtomus Hom. 13. in Matth.*) quod ad nos accurrunt Angeli plaudentes poſt confectam de diabolo victoriam: & in hujus veritatis oſtenſionem Salomon juſſu Dei *In 3.Reg.c.6.* in portis templi ſculpſit figuras Cherubim, & Angelorum, & Palmarum, ut ſignificaretur, quòd Angeli victoribus accurrunt, & ſancto fœdere copulantur eos adjuvando, & ad Deum, Cœlumque deferunt. *Ser.4. Dom. Palm. & ſer.3.Dom.3.poſt Pentecoſt.*

49. *Chriſtus valdè honorificat ſuos ſervos.*

Cum autem audiſſet Jeſus, quod Joannes traditus eſſet, ſeceſſit in Galilæam, &c. Nota, quòd Chriſtus anno tranſacto poſt baptiſmum, in quo Joannes publicè prædicavit, Joannes miſſus eſt in carcerem ab Herode Rege Galilææ Judaicæ, ſeceſſit in aliam Galilæam gentium, cujus metropolis erat Capharnaum; in quo multa myſteria nobis panduntur. & primò, quòd Chriſtus in illo anno, qui erat trigeſimus ſuæ ætatis nullum ſignum fecit, niſi converſionis aquæ in vinum, & vocationem aliquorum diſcipulorum, nec unquam prædicavit tunc temporis publicè; & hoc ut talem honorem deferret Joanni, & ne hujus prædicationi aliquod præjudicium inferret, ut videas, quòd Chriſtus ſummoperè ſuos amicos, & ſervos ſemper honorificavit, & honorificat, ut excitetur homo ad miniſtrandum, & ſerviendum Chriſto, qui ſic honorificat miniſtrantem, & miniſterium ſuorum tam excellenter, tam multipliciter, quàm perennitet. *In Ioan.c.1.v.43.& c.12.v.27.* Notant etiam Sacri expoſitores, quòd Chriſtus ſolùm poſt carcerationem Joannis cœpit prædicare ne verbi Dei prædicatio deficeret ad ſalutem peccatorum, & hoc cœpit paulatim, & gradatim, non omninò publicè in principio, ſed poſt, aliquo proceſſu temporis, ut nobis inſinuaret omnia facienda cum maturitate, & judicio, & maximè munus prædicationis; Notant etiam, quòd ipſe incœpit prædicationem à pœnitentiâ, ſicut fecit Joannes, tum ut confirmaret prædicationem ipſius Joannis, tum ut edoceret nos ſalutem inchoandam à pœnitentia. *In Luc. cap.15. verſ.27.& c.3.v.32.*

50. *Chriſtus, & Joannes Baptiſta prædicationem incœperunt à pœnitentiâ: cur hoc? ubi de pœnitentiæ effectibus.*

Exindè cœpit Jeſus prædicare, & dicere, pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum Cœlorum. Vide quomodò, & Præcurſor, & Chriſtus concorditer prædicationem ſuam incœperunt à pœnitentiâ, ut addiſceremus finem propter quem Chriſtus venit in mundum, ſcilicet ut inducerent peccatores ad pœnitentiam & ſic gratiam, & ſalutem obtinerent, & hæc tria ſunt, quæ prædicantur in tota ſcriptura, ſc. primò pœnitentia, 2. gratia, 3. ſalus, & gloria, ſed cur à pœnitentia incœpit? Nota, quòd hoc fecit, quia pœnitentiâ deſtruitur culpa, & delentur peccata, recuperatur juſtitia, confutatur dæmonum ſuperbia, efficax efficitur Angelorum cuſtodia, reparatur Eccleſia, vocat enim Chriſtus ad unitatem Eccleſiaſticam, in qua fit remiſſio peccatorum, & datur ſuperna gratia, & hoc præcedente pœnitentia tanquam medio neceſſario placatur item ira divina, & reintegratur ſuperna Jeruſalem. *In Luc. c.15. v.10. & 27.& ſer.3.Dom.3.Pentec.*

51. *Pœnitentia eſt ſecundus baptiſmus, & porta ad omnia ſacramenta, & bona ſpiritualia.*

Exinde cœpit prædicare, & dicere pœnitentiam agite, &c. Cur à pœnitentiâ, & non à fidei perceptione, vel alterius operis incœpit prædicationem? ſed nota, quòd non ſine myſterio Chriſtus poſt baptiſmum incœpit prædicationem à pœnitentiâ, ut addiſceremus, quod hæc eſt prima lectio Chriſti in ſuâ ſchola, & ſicut baptiſmus eſt porta intrantium, ſic pœnitentia, eſt porta reſurgentium, quia dum per eam peccatum deſtruitur, homo ad innocentiam reparatur *Ser.3. de S.Andrea.& op.Diat.ſit.2.c.1.*

52. *Qui renuit pœnitentiam facere eſt in foro Dei peſſimus uſurarius.*

Exindè cœpit prædicare, & dicere pœnitentiam agite, &c. Quid eſt exindè? hic terminus alludit ad aliquod antecedens, ad quid refertur? refertur ad pœnitentiam auſteriſſimam à Chriſto factam in deſerto, ut ſcirent homines, quòd qui vult cum Deo frui, & fructus ſalutis acquirere, debet pœnitentiæ deſertum intrare, alioquin in foro Dei erit uſurarius diſcipulus, & fictus Chriſtus; & ſicut uſurarius vult eſſe ſocius illius, cui pecuniam mutuat in lucro, & non in damno, ſic multi volunt ſequi Chriſtum in proſperis, & non in adverſis, volunt cum Chriſto regnare in Cœlo, ſicut filii Zebedæi, & non cum Chriſto pugnare in ſtadio. *Op. Diat.ſal.ſit.2.c.1.*

53. *Chriſtus*

Digitized by Google

53. *Christus suo exemplo invitat nos ad pœnitentiam, & ad sobrietatem ciborum.*

Exindè cœpit prædicare, & dicere pœnitentiam agite, &c. Exindè; Nota iterùm quid nobis referat hic terminus, *exinde*, quasi dicat, vide priùs pœnitentiam, & modum, quo ipsam assumpsit, & ipsum imitare; & qualem pœnitentiam? nam in deserto jejunavit rigidissimè, & post tam districtum jejunium Angeli accesserunt, ipsique ministraverunt refectionem; sed ex quibus cibis? forsan ex cibis miraculosè præparatis, & lautis? minimè; quia ad sui utilitatem noluit miracula facere, & ideò Angelos misit ad Mariam, & ipsa modicum pulmentum, quod sibi, & Iosepho paraverat, & panem cum tobalea, & aliis opportunis misit, & fortè etiam aliquos pisciculos, per ipsam procuratos, quæ omnia Angeli portaverunt Christo in deserto, vide igitur quomodo Angeli ista in plana terra præparant, & facta benedictione solemni Christo sedenti in terra ministrant, alius serviens ei de pane, alius de vino, & alius de pisciculis, aliique cantantes de canticis Sion, in quo facto mirabiliter elucet divina dignatio, paupertas, & humilitas ad nos excitandum, & ad sobrietatem simul in omnibus viis nostris. *Op. medit. c. 17.*

54. *Qui in hac vita pœnitentiam non agit, in alia pœnitentiam frustratoriam faciet.*

Exindè cœpit prædicare dicens pœnitentiam agite, &c. Vide quomodo à principio suæ prædicationis intimat omnibus pœnitentiam, & semper eamdem inclamat, sic enim nobis indicat illud verbum *exindè*; ut intelligamus, quòd necessariò homo debet pœnitentiam facere toto tempore vitæ suæ: qui enim in hâc vitâ ipsam recusat, in aliâ pœnitentiam necessariò assumet, sed frustratoriam in inferno, ô si scirent homines qualis est pœnitentia damnatorum, certè totam hanc vitam ducerent in pœnitentiâ, quæ quantumcumque dura, tamen est veluti nulla in comparatione illius æternæ. *Ser. 3. de S. Andrea.*

55. *Pœnitentia attrahit gratiam, & animam reddit Paradisum Dei.*

Pœnitentiam agite appropinquavit enim regnum Cœlorum. Quodnam est hoc regnum Cœlorum, quòd per pœnitentiam appropinquatur animæ? Nota, quod inter effectus mirabiles pœnitentiæ, hic est præcipuus, nempè afferre regnum Cœlorum in anima, quia enim pœnitentia expellit, & destruit peccatum, & per consequens attrahit in animâ gratiam sanctificantem, quæ reddit animam Paradisum Domini, & habitaculum Spiritus Sancti, quid ergò dignius potest desiderari? vide ergò qualis sit efficacia pœnitentiæ. *Serm. 3. Dom. 3. Pentec. op. Brevil. p. 1. c. 3. op. Diet. tit. 5. c. 1. op. spec. B. Virg. lect. 14. serm. 4. Dom. Trinit. Ioan. collat. 81.*

56. *Mare mundus est, & pertranseundus, ne submergamur.*

Ambulans Iesus juxtà mare Galilææ, vidit duos fratres, &c. Cur Christus volens vocare ad suam sequelam discipulos ambulare voluit juxtà mare, & mare Galilææ, & non per ipsum mare, sed extra, & propè? sed attende ad mysterium; voluit Christus, ut nos addisceremus, quòd mundus iste est mare, in quo licet vivimus corpore, anima tamen ipsum pertransire, solúmque ad exemplum Christi juxtà, & extrà ipsum debemus in sequela Christi incedere, quia in mari; & in mundo nulla est quies, *Ioan. cap. 6. v. 1. & 4. serm. 1. fer. 4. Pentec.* Nota etiam, quòd non vacat mysterio talis transitus juxta mare Galilææ, Galilæa enim interpretatur rota volubilis, per quod significatur volubilitas mundi, & cordis impiorum, quæ nunquam quiescunt, nisi adveniente Christo Iesu. *Luc. c. 6.*

57. *Qui vult mare tempestuosum mundi securè pertransire ambulet cum Iesu.*

Ambulans Iesus juxta mare Galilææ. Cur juxtà mare ambulat volens vocare discipulos existentes in mari? quia volebat eos à mari liberare, ideò ipsos ad se vocavit; & ut hinc addiscamus, quòd mare mundi semper surgit, & turbatur, nisi adsit Christus; præsente autem Christo quiescit; quia ipse solus tranquillitatem, & securitatem affert *Ioan. c. 6.*

58. *Qui vult mare mundi pertransire securè in mare Mariæ se projiciat, & ipsius regimini se subjiciat.*

Ambulans Iesus juxta mare, &c. Vide, quòd Iesus volens iri tuto ponere discipulos, ambulat juxtà mare, eos ad se vocans; quid mysterii latet in hoc; sed nota, quod Maria Virgo est mare omnibus gratiis redundans; qui vult ergò mare mundi securè pertransire, juxtà hoc mare cum Iesu ambulet, quia ipsa est stella maris purissima, radiosissima, & utilissima, nos securè ducens per mare hujus mundi ad portum Paradisi. *Op. spec. B. Virg. lect. 3. Luc. c. 2.*

59. *Christi visio animam fœlicitat.*

Ambulans Iesus juxtà mare Galilææ, vidit duos fratres mittentes retia in mare. Cur notatur Christus vidisse duos fratres, & non tot alios, qui forsan ibidem erant? Sed attende, quod videre Christi salutem animæ affert, quia cum gratiam suam efficacem offert, tunc dicitur videre: vidit ergò inter tot alios istos piscatores, eis immittendo suam gratiam efficacem, & ipsos fecit videre tantam gratiam vocationis, eligensque eos tot aliis relictis, inter suos servos: ô fœlix, & beata visio, utinam & nos adspiciat, & oculos suæ pietatis in nos dirigat, sicut fecit cum istis discipulis, & cum filio prodigo, quem cum adhuc longè esset, vidit, & amplexatus est. *Ser. 2. Dom. 2. post Oct. Paschæ. op. de Invisibil. Dei.*

60. *Vbi charitas eſt, ibi Deus advenit.*

Vidit duos fratres mittentes rete in mare. Nota, quòd Chriſtus volens vocare ad ſe quatuor fratres, ſcilicet Petrum, & Andream, Iacobum, & Ioannem exprimit hanc vocationem non omnium ſimul,ſed binos,& binos eos vocat; hic autem dicit vidit duos fratres: cur hoc? quia binarius ſignificat charitatem, charitas enim non eſt ad ſe, ſed ad proximum. *Pſal.* 106. Nota etiam, quòd dicit: vidit duos fratres mittentes rete in mare, ideſt ſe invicem ſimul coadjuvantes, ſicut præcipit lex charitatis; & per hoc datur intelligi,quòd ubi eſt charitas fraterna, ibi Deus advenit, & ſua dona exhibet. *In Ioan. collat.* 68. *in Luc.c.*10.*v.*1.*&* 2.*&* c.6.*v.*14.

61. *In Prædicatoribus requiritur charitas.*

Vidit duos fratres.& vocavit eos. Cur ſimul binos fratres primos ad prædicationis miniſterium vocat? ut videas, quòd nemo aſſumere debet miniſterium prædicationis, niſi charitate imbutus ſit: unde miſit illos binos ad prædicationem. *In Luc.c.*10.*ibid.*& c.6.*v.*14.

62. *Vocatio triplex Apoſtolorum facta à Chriſto expenditur, ubi de modo vario vocationum Chriſti.*

Venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum. Nota, quòd videtur contrarietas inter Lucam, Matthæum, & Ioannem in deſcriptione vocationis iſtorum Apoſtolorum, quantum ad locum, quantum ad tempus, quantum ad modum, quia Ioannes juxtà Jordanem, & antè adventum Chriſti in Galilæam, & ſingillatim illos vocatos dicit; Matthæus, & Lucas poſt adventum in Galilæam, & ſimul vocatos dicunt: ſed reſpondetur, quòd nulla eſt contrarietas; nam vocatio enarrata à Ioanne importat ſimplicem notitiam Chriſti Meſſiæ: ſecunda vocatio narrata à Luca fuit ad Chriſti familiaritatem: tertia enarrata à Matthæo eſt ad diſcipulatum perfectum Chriſti, quia poſt primam, & ſecundam reverſi ſunt ad propria, ſed in hac tertia totaliter Chriſto adhæſerunt relictis omnibus; & per hoc triplex vocatio Chriſti inſinuatur; prima eſt trahendo converſos ad amaritudinem pœnitentiæ in deteſtatione culparum: ſecunda eſt ad rectitudinem juſtitiæ in implerione neceſſaria mandatorum;tertia eſt perfectorum ad perfectionem vitæ in voluntaria ſupererogatione conſiliorum. *In Luc.c.*5.*v.*11.*&* ſer.1. *Dom.ſeptuag. in Ioan.c.*1. *verſ.*3.&

63. *Chriſti præcipua cura in fundatione Eccleſiæ fuit proviſio Piſcatorum; ubi de Piſcatoribus Chriſti,& diaboli.*

Venite poſt me, &c. Ecce quale fundamentum primò jecit Chriſtus fabricæ Eccleſiæ: nempè proviſio Piſcatorum, ut relicta piſcatione ranarum, & piſcium, incumberent piſcationi hominum. ſic mutarent non officium, ſed objectum; ſed cur tam citò providit Dominus hos prædicatores Eccleſiæ? quia unum ex præcipuis muneribus, & mediis pro ſalute mundi eſt talis piſcatio hominum, in qua piſcatores laborant, ut trahant retia, & piſces à ſiniſtra peccati, ad dexteram gratiæ, & ſalutis: ſicut è contra diaboli piſcatores quærunt trahere animas à dextera, ad ſiniſtram: & hinc patet, quàm neceſſaria, & utilis ſit in Eccleſia verbi Dei prædicatio. *Ioan.* c.21.*v.*8.*& in Luc.c.*5.*v.*7.*&* 11.*& ſer.*3. *Dom.*3. *poſt oct.Epiph.& ſer.*2.*ſer.*4 *Pentec.& ſer.*3 *Dom.*4. *poſt Pentec.*

64. *Prædicatoris munus non ex propria auctoritate, ſed divina, & ſuperiorum aſſumendum.*

Venite poſt me faciam vos fieri piſcatores hominum, ideſt Prædicatores: Nota; quod non dicit eritis, vel conſtituetis vos ipſos Prædicatores, ſed faciam vos fieri,ſcilicet, vel per me immediatè, vel per Prælatos quia hoc munus ſublimiſſimum Deo ordinante, & ſuperioribus præcipientibus debet aſſumi. *In Lucam capit.* 9. *verſ.*2.

65. *Prædicator debet ſolùm ad lucrum animarum incumbere.*

Faciam vos fieri piſcatores hominum. Nota,quòd non dicit piſcatores pecuniarum, lucri, vanitatis, auræ popularis, ſed hominum, & animarum, quia ad hoc ſolùm debet incumbere ejus ſtudium, & zelus, alioquin maledictus erit à Deo. *Luc.c.*9.*v.*3.*Pſal.*118. *c.*2.*v.*3.*&* 5.*&* c.11. *v.*3.*& op. Expoſ. Regulæ, cap.* 9. *op. Phar. lib.*1. *cap.*14. *& ſeq.*

66. *Chriſti ſapientia.& potentia maximè elucet in electione Piſcatorum, & vitium ad Apoſtolatum.*

Erant enim Piſcatores. Cur Piſcatores elegit, & non potius viros doctos? quia in hoc maximè elucet Chriſti potentia,& ſapientia,ut cognoſceret mundus, quòd converſio mundi opus eſt ſolius Dei, non ars hominum. *opuſcul. meditat. cap.*19.

67. *Obedientia eſt prima virtus, ſuper quam incepit Chriſtus fundationem Eccleſiæ, quam per inobedientiam antiqua ſe perdidit.*

At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Ecce quale fundamentum ſupponitur fabricæ Eccleſiæ Chriſti: nempè obedientia, & meritò, nam obedientia eſt prima virtus, quæ accepeas Deo reddit alias virtutes, & per quam diſcipuli, & Apoſtoli Chriſti, Chriſto perfectè ſe ſubdiderunt, & ideò primo loco ponitur vocatio Simonis Petri, Simon autem interpretatur obediens,quia ipſe fuit primus obediens,& omnia terrena contemnens propter Chriſtum; hoc autem voluit Chriſtus, ut cum homo per inobedientiam omnia perdidiſſet,per obedientiam gratiam perditam recuperaret. *Serm.* 1. *in Cathedra S. Petri,ſer.*1.*de Apoſtol.op.de Prof. Religioſ.lib.*2. *cap.* 39.

68. *Obedien*

Digitized by Google

68. *Obedientia forma eſt aliarum virtutum.*

At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt Dominum. Nota hic, quod non ſine maximo myſterio prima obedientia Apoſtolorum exponitur facta & executa ex mari Galilææ, nam Galilæa interpretatur rota, ſeu rota volubilis; & cur per rotam & in rota exprimitur obedientia; Vidit autem Ezechiel rotam in medio rotæ, ſpiritum vitæ habentem, & ideo datur intelligi, quod obedientia dat motum & vitam omnibus aliis virtutibus tamquam Regina, & vita, & forma omnium virtutum, & actuum noſtrorum, ſic ex pluribus ſacris Expoſitoribus: *Vide lib. 4. d. 14 p. 1. a. 1. qu. 2. & 3. & op. Expoſ. Reg. c. 1. & lib. 2. d. 15. dub. 4. & op. de grad. virt. c. 2. & Diet. ſal. tit. 4. c. 2.*

69. *Obedientia perfecta exigit promptitudinem, & ſollicitudinem.*

At illi continuò relictis retibus, &c. Nota illud verbum continuò, ſcilicet ſtatim ſine mora; & in hoc obedientia Petri, & Andreæ, fuit Chriſto acceptiſſima, & mira, quia nihil reſpondit, vel dixit ad juſſionem Chriſti, inducias nullas petiit, impoſſibilitatem non allegavit, ſed mox omnibus relictis in medio ſuorum negotiorum, & occupationum Petrus & alii tres Chriſtum ſecuti ſunt Redemptorem, & eo amplius redditur mirabilis, quia adhuc nulla miracula facere viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant, & tamen ad unicum Domini præceptum, hoc, quod poſſidere videbantur obliti ſunt; & hoc dicitur ad confuſionem noſtram, qui tot miracula vidimus, qui tot flagellis affligimur, qui tot minarum aſperitatibus deterremur, & tamen vocantem contemnimus; quid igitur in ejus judicio dicturi ſumus, qui ab amore mundi nec præceptis flectimur, nec verberibus deterremur. *Ser. 1. in Cathedra S. Petri*: Vide qualis obedientia iſtorum ſanctorum Apoſtolorum, nam vocati à Domino nullos gladios timuerunt, nullos Reges fugerunt, nullorum ſapientiam formidaverunt, ſed accepto imperio omnes angulos terræ penetraverunt. *Serm. 1. de Apoſt.*

70. *Ad ſequelam Chriſti quæ ſint retia relinquenda, & qualia aſſumenda.*

At illi continuo relictis retibus ſecuti ſunt Dominum. Quomodò hic dicitur de iſtis piſcatoribus, relictis retibus cum denuò ad piſcationem redierint, ut patet *Ioan. c. 21.* ſed nota, quod retia alia corporalia, alia ſpiritualia, verum quidé eſt, quod tunc reliquerunt & navem, & retia, ut Chriſtum ſequerentur, ſed tamen magis hoc verificatur de retibus ſpiritualibus, cum retia adhibere de ſe non ſit malum; reliquerunt ergò omnia terrena, & quæ habebant, & quæ non habebant; reliquerunt affectu totali poſt ſe projicientes omnia creata; & per hoc voluit Chriſtus oſtendere, quod volens ipſum ſequi, debet omninò contemnere omnia temporalia, & creata, & illi ſoli adhærere toto corde; ſed quomodò dicitur poſteà faciam vos fieri piſcatores? ad hoc enim requiritur rete; attende ad myſterium; reliquerunt retia mundana, quæ illaqueant corda, & retia ſpiritualia Chriſti aſſumpſerunt neceſſaria ad piſcationem hominum, nempè doctrinam Evangelicam, & monita ſalutis. *In Ioan c. 21. v. 8. in Luc. c. 5. v. 7. ſer. 1. Cathedr. S. Petri ſer. 1. de S. Iacob. ſer. 3. Dom. in Albis & ſer. 4. Dom. 4. Penit. & ſer. 4. Dom. 11. Pentec. & Pſal. 67.*

71. *Paupertas voluntaria neceſſaria ſequenti Chriſtum.*

At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum, &c. Vide fundationem Eccleſiæ, & religioſi ſtatus, factam à Chriſto in obedientia, paupertate, & caſtitate; præcipuéque in paupertate voluntaria, quia volenti poſt Chriſtum currere, neceſſe eſt, ut ſarcinam ponderoſiſſimam rerum terrenarum deponat: ô quàm bene torre reliquiſti omnia, quia ſic oneratus non poteras currere poſt Chriſtum. *S. 1. in Cathedr. & ſer. 1. de Apoſt. in Luc. c. 5. v. 2. & c. 18. v. 28 & ſer. 4. Dom. 4. Pentecoſt.*

72. *Prædicatores ſint Chriſti imitatores omnia relinquendo.*

At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum. Sic dicitur de Petro, & Andrea: & *v. 21. & 22.* de Jacob, & Joanne, & relictis retibus & Patre ſtatim ſecuti ſunt eum: Vide quomodò inſtruit Chriſtus Jeſus ſuos Prædicatores: nempè exigens ab eis deſertionem impedimenti retrahentis per contemptum terrenorum, ut liberius poſſint delinquentes arguere, & eos convertere, quia melius perſuadet vita, quàm ſigna, & exempla quàm verba. *Serm. 4. Dom. 4. poſt Pentec.*

73. *Renuntiatio temporalium affectu omnibus eſt neceſſaria, & perfectioni tendentibus etiam actu.*

Relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Nota, quod iſta renunciatio quoad rem ſolùm præciptur ſequentibus Chriſtum in ſtatu Religionis; omnibus tamen quoad affectum, ait enim Chriſtus niſi quis renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: *ſer. 4. Dom. 4. Pentec.* Sed hic oritur dubium, quomodo Prælati Eccleſiarum poſſeſſiones terrenas poſſidere permittuntur, cum primi Prælati, & Apoſtoli omnia reliquiſſent? ſed reſpondetur, quod illi fuerunt exemplar Religioſorum perfectorum, & tamen cum Chriſtus loculos habuiſſe legatur, datur intelligi, quod permittitur poſſeſſio temporalium Prælatis propter ſponſi honorem, ſponſæ decorem, viatorum ſuſtentationem, pauperum proviſionem, infirmorum conſolationem, fidelium devotionem, & etiam propter uſum communem, quæ omnia meritum augent in Prælatis bonis, & ſanctis. *Serm. 4. ibid. Vide op. de paup. Chriſti, & op. Apol. paup. reſp. 4.*

74. *Sequela Chriſti perfecta quænam exigat.*

Et ſecuti ſunt eum: Nota, quòd non ſufficit relinquere omnia, niſi addatur ſequela Chriſti; ſicut fecerunt perfectiſſimè Apoſtoli, qui relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum; ſed quid importat hæc ſequela? ſecuti ſunt, ſcilicet Chriſtum tamquàm finem, & complementum omnis boni:

Digitized by Google

ſecuti ſunt humiliter ſine ſuperbia, humilitas enim in ipſis irradiationem in intellectu, & inflammationem in affectu ad Chriſtum intulit; ſecuti ſunt item concorditer ſine invidia propter amorem ſupernæ converſationis, & perſeveranter cum conſtantia propter tolerantiam continuæ afflictionis. *Ser.4.Dom.4. Penitc.*

75. *Chriſtus Ieſus totus intentus erat ad ſalutem omnium: ubi de viſitatione Diæceſum à Prælatis facienda, & quomodo.*

Et circuibat Ieſus totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populis. Nota, quòd hic exprimuntur tria officia Chriſti, ſcilicet docere, prædicare, & ſanare; docebat, prædicabat, & ſanabat; docebat virtutes, & obſervantiam mandatorum Dei; prædicabat; ſcilicet prænuntiabat regnum Cœlorum obſervantibus; & miracula patrabat ad confirmationem ſuæ prædicationis: ſicque omnibus ſeipſum exhibebat in ſalutem. *Luc. c. 4. v. 40. & c. 7. v. 11.* Et hinc inferunt Doctores obligationem Prælatorum circa viſitationem ſuarum Diæceſum, & ovium, quæ tota debet eſſe ad docendum, ad prædicandum, ad ſanandum, ſcilicet ad reformationem morum.

76. *Chriſtus ſuo divino Verbo docebat, & ſanabat, & curabat vulnera, & infirmitates ſpirituales animæ.*

Et circuibat Ieſus totam Galilæam docens, & prædicans, &c. Nota ordinem horum verborum, primò docebat, & prædicabat, poſtea ſanabat; ad quid iſte ordo, & connexio? ut videas vim divini Verbi Dei, & fructus prædicationis ejus; nam Chriſtus, ut bonus medicus univerſalis circuibat regiones, ut ægrotos peccatores viſitaret & vocaret, eoſque advenientes ad ſe Verbo Evangelico curabat tali ordine, ſicut Chirurgus priùs ſtupida membra diù palpando ad ſenſum revocat, & tactu levi dolentia membra, & vulnera tangendo ad ictum confirmat, deindè ſecat, poſt ungit, deinde ligat, poſt fovet ad plenam ſanitatem reparans; ſic Chriſtus verbo Evangelico hæc omnia facit cum anima peccatis ſauciata: In Verbi enim Dei prædicatione eſt conquæſtio, qua palpat, & deindè increpatio, qua ſecat, & deindè conſolatio qua ungit, deindè præceptio, qua ligat; & tandem deprecatio, qua fovet; ſicque applicando emplaſtrum verbi ſui, tumorem vulneris deprimit, ardorem caloris lenit, carnes putridas depellit, & ſanitatem animæ perfectam confert. *Pſal 118. v. 161. in prima Expoſ. Luc. c. 5. v. 31.*

77. *Chriſtus bonus medicus animarum, curationem corporum ordinabat ad ſpiritualem animæ.*

Et circuibat docens, prædicans, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Nota, quòd dicit omnem languorem, & infirmitatem, ſcilicet non ſolùm corporalem, ſed & ſpiritualem, imò omnem curationem corporalem ordinabat ſemper ad ſpiritualem animæ. *lib 4. d. 15. p. 2. d. 9.* & hinc inferunt Doctores, quòd omnes, qui curati fuerunt à Chriſto corporaliter, & curati fuere ſpiritualiter & ſalvi facti.

78. *Chriſti doctrinæ authoritas qualiter expoſita mundo fuit.*

Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & curavit eos. Nota ex ſupradictis, & hic ultimo propoſitis, quomodò authoritas doctrinæ Chriſti patefacta eſt mirabiliter mundo, nempè ex merito vitæ, & pœnitentiæ in deſerto factæ: ſecundò ex plenitudine gratiæ, & virtutis, qua Evangelium prædicabat: tertiò ex latitudine famæ, quæ per totam Syriam, & alias regiones diffuſa erat: quartò ex certitudine doctrinæ quam promebat publicè in ſynagogis, & plateis omnibus audientibus: quintò ex magnitudine efficaciæ, tum ob miracula, quibus verbum ſuum confirmabat, tum ob virtutem, quam quilibet audiens, in ſe ſentiebat. *Luc. c. 4. v. 14. & c. 7. v. 17.*

79. *Curatio diverſarum infirmitatum corporalium, & ſpiritualium hic moraliter expenditur.*

Obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus, & tormentis, & qui dæmonia habebant & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos. Nota, quòd hic confirmatur id, quod ſupradictum eſt, nempè Chriſtum ſemper ordinaſſe curationem infirmitatum corporalium ad ſpiritualem: Nota etiam, quòd cum dixerit Evangeliſta, quòd oblati ſunt Chriſto omnes malè habentes, ſingillatim deſcribit dæmonia habentes, lunaticos, & paralyticos; ut intelligamus gravitatem talium infirmitatum cæteras omnes excedentem, nam cum peccatum ſit languor naturæ, & tormentum conſcientiæ, hocque competit omni peccato; periculoſior tamen eſt infirmitas dæmoniacorum, & paralyticorum; nam dæmoniaci ſunt malitioſi, qui ex malitia peccant, & in peccato reſident; lunatici ſunt iracundi, qui veluti luna mutantur. Paralytici ſunt accidioſi, uſu membrorum, & potentiarum privati, qui quocumque ſe vertunt nunquam à luto carnalitatis recedunt, iſtiquè indigent ſpecialiſſimo Dei auxilio. *Ser. 1. Dom. 18. poſt Pent.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod in hoc capite Chriſtus præcipuè diſcipulos ſuos inſtruit, quos ad prædicandum mittere decreverat, quæve prædicare deberent eos docet: undè primò octo tradit beatitudines, quibus ad Cœlum pervenitur: ſecundò eos ſalem eſſe, & lucem mundi dicit: tertiò multa alia documenta Evangelica, & præcepta tradit, ut Eccleſiam firmiſſimis fundamentis ſtabiliret. op. medit. c 21.*

CAP.

CAP. V.

2. *Ad montem nos invitat Christus, scilicet ad contemplationem, & auditionem verbi, & inspirationum divinarum.*

Videns Iesus turbas ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli. Nota ad litteram, quod Christus volens instruere discipulos, eisque documenta perfectionis altissimæ præbere, ascendit ad montem Thabor, relinquendo turbas, ut nos doceret, quòd qui vult ad contemplationis statum ascendere, & allocutiones divinas recipere, debet turbas creaturarum relinquere, & Christo se totum inhærere. *In Luc. c.9. vers.28. & serm.2.Dom. 16. Pentecost. Psal. 76. & op. meditat. cap.21.*

3. *Christus omnibus se communem reddidit.*

Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli; scilicet faciendo ipsi coronam, ut ipse omnibus esset communis & condescenderet, quia non est acceptator personarum: *in Ioan.c.6. v.4* sedens autem docebat, quia exercebat suam authoritatem prædicandi suis discipulis primariò, & cæteris omnibus. *In Ioan. collat. 40. op. meditation. cap.21.*

4. *Christus incepit aperire os suum, quando ea, quæ per Prophetas dictaverat, ipse incepit evangelizando explicare.* Dicitur autem aperire os suum, quia de rebus magnis locuturus erat, nempè tradere volens quidquid pertinet ad Christianæ vitæ statum, & summam evangelicæ doctrinæ quantum ad mores: volens per hoc avocare homines ab iis, quæ mundus magni facit, item docere veram Christianorum justitiam non esse sitam in externis cæremoniis, sed in affectu, sinceriſſimoquè cultu Dei, in vera proximorum dilectione usque ad inimicos, in proximorum subventione, in humilitate, mansuetudine, misericordia, patientia, contemptu rerum, & in similibus animæ virtutibus; & quia omnes beatitudiné expectant, & de ea variæ sunt Philosophorum opiniones, in quibus vera consistit, aperit, quæ veluti paradoxa videntur carnalibus sensibus: hinc colligendum quàm divinum, quàm super humanum totum sit, quod in hoc sermone, verè Dei Filio dignum, ac summa illa sapientia incarnata; unde signanter ait Evangelista, quòd aperuit os suum, hæc sancti Doctores, & ad sensum sancti Bonaventuræ, qui notat *in Luc. cap.6.vers.19.* quod iste sermo continet præmiorum promissiones, quibus docemur, quid sperandum; suppliciorum comminationes, quibus docemur, quid timendum, & leges præceptorum, quibus docemur, quid operandum. *ibid.*

5. *Beatitudinum numerus, ordo, quidditas, & effectus expenduntur.*

Et aperiens os suum docebat eos dicens, Beati pauperes, &c. Quæritur hic, quare appellantur beatitudines actus paupertatis, mititatis, &c. cum beatitudo sit status omnium bonorum aggregatione perfectus? Respondetur, quod cum Christus sit perfectissimus reparator, & reformator per donum gratuitum, ideò gratiæ donum ramificari debet usquè ad habitus perfectionum, qui habitus cum fini approximent, ideò recto vocabulo nuncupantur ex nomine beatitudinum: ad integritatem autem perfectionis requiritur necessario perfectus recessus à malo, perfectus processus in bono, & perfectus status in optimo; & quia malum procedit ex tumore superbiæ, vel ex rancore malitiæ, aut ex languore concupiscentiæ, ideò ad perfectè elongandum ab hoc triplici genere mali, tres sunt necessariæ beatitudines, scilicet paupertas spiritus elongans à malo tumoris; mititia à malo rancoris, & luctus à malo libidinis concupiscentialis: processus verò in bono attenditur secundum divinam imitationem & quia universæ viæ Domini misericordia & veritas: hinc secundum has duas vias est duplex beatitudo, scilicet esuries, sive Zelus justitiæ, & affectus misericordiæ: status verò in optimo est per limpidam cognitionem, vel per tranquillam affectionem, hinc sunt duæ ultimæ beatitudines, scilicet munditia cordis ad Deum videndum, & pax mentis ad perfectè fruendum, & hinc omnes beatitudines à Deo petuntur in oratione Dominica continente septem petitiones. *Op. Brevil. p.5 c.6. op. in Pater noster & op. de septem donis in communi c.3. & 4.*

6. *Idem de beatitudinum perfectione.*

Docebat eos dicens, Beati pauperes &c. Nota, quòd in his beatitudinibus Christus inclusit, & expressit perfectionem omnium statuum Ecclesiæ nempè Religionis, prælationis, & internæ sanctitudinis; ad perfectionem Religionis necessariò requiritur abdicatio boni privati, quæ fit per paupertatem Spiritus; acceptatio boni fraterni quæ fit per mititatem affectus, & appetitio boni æterni, quæ fit per amaritudinem luctus: Ad perfectionem Prælationis requiritur zelus justitiæ, & affectus misericordiæ: Ad perfectionem internæ sanctitudinis puritas conscientiæ, & tranquillitas totius animæ per pacem Dei omnem humanum sensum exuperantem, & ad hoc sunt duæ vltimæ beatitudines: Nota autem, quod ad paupertatem Spiritus disponit timor donum Spiritus sancti; pietas ad mititatem; scientia ad luctum, qua cognoscimus nos relegatos ad hanc miseriæ vallem; fortitudo ad esuriem justitiæ, consilium ad misericordiam, nihil enim Deus magis consiliat in Scriptura, quàm facere misericordiam; intellectus, & speculatio veritatis ad munditiam cordis; sapientia nos jungens summo bono ad pacem. *Op. Brevil. p.5.cap.6. Vide op. Censil.p.3.f.46. & lib.3. d.34. p.2.a.2.qu.1.& d.36.qu.2.Comp.Theol. lib.5. c.47. seq.op. Phar. lib.2.cap.48. op. de septem donis Spiritus sancti: Diet.tit.5.c.1.ser.1. de pluribus Martyribus.*

7. *Quid*

Digitized by Google

7. *Quid ſit paupertas ſpiritus ; & qualiter eſt fundamentum totius fabricæ ſpiritualis , & beatitudinis participata in hac vita.*

Beati pauperes ſpiritu. Quid eſt pauper ſpiritu multi intelligunt hic pro paupertate humilitatem, ſed tamen germanior ſenſus eſt quod hic eſt ſermo de paupertate ſpiritus ſcilicet voluntaria abnegatione omnium rerum, cui conſequitur virtus humilitatis, quia non ſufficit relinquere omnia, niſi etiam homo relinquat ſeipſum & ſequatur Chriſtum : unde rectè dicit Petrus ecce nos reliquimus omnia , & ſecuti ſumus te ; & Chriſtus dixit *Matth.c.*16. & 19. ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia , quæ habes , & da pauperibus; ecce paupertas perfecta , poſtea ſubdit , & ſequere me , ecce humilitas quæ facit ; quod abnegando homo ſeipſum tollat crucem ſuam, & ſequatur Chriſtum . hinc meritò primo loco ponitur paupertas cum humilitate tamquam præcipuum fundamentum totius perfectionis Evangelicæ,& per quam ad culmen perfectionis pervenitur:Audiant ergo Chriſtum hanc lectionem tradentē reverenter Clerici,& Prælati,qui ſe diſcipulos Chriſti gloriantur , unde Chriſtiana doctrina ſumat exordium:Audiant diligenter Religioſi Evangelii profeſſores, quale ſit Evangelicæ perfectionis fundamentum;Beati,inquit,pauperes ſpiritu,& propter hoc paupertas , quæ ab omnibus ſæculariter viventibus cum timore fugitur,à veris perfectis cum honore , & amore debet ſuſcipi. *Op.Bevil p.5.c.6.& ſer.1. Dom.22. Pentec.& ſer.1.in Converſione S. Pauli in Luc. c.6. v.14.& c.10.v.4. op. Expoſ. Regulæ c.1.op. Apol. Paup.reſp.1.c.1.*

8. *Diſcrimen quale inter paupertatem neceſſitatis,& perfectionis; Divitum Chriſtianorum, & Religioſorum.*

Beati pauperes ſpiritu,quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum : Notandum hic,quod Chriſtus in hoc ſermone loquebatur ſuis diſcipulis , & ſimul etiam turbis ad ipſum concurrentibus , quibus omnibus intimat paupertatem tamquam primum elementum perfectionis Chriſtianæ : ſed hic occurrit dubium ; ergone omnes ſequentes Chriſtum debent eſſe pauperes? nonnè tot divites ſancti in Eccleſia celebrantur. ſed attende,quod duplex paupertas hic innuitur , ſicut & duplex diſcipulatus Chriſti,alius neceſſitatis, alius ſupererogationis:in primo diſcipulatu neceſſariò debet quis omnibus terrenis renunciare; dicente Chriſto, *Luc. c.* 14. Qui non renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet,non poteſt meus eſſe diſcipulus , & hæc renunciatio non excludit poſſeſſionem temporalium , ſed tantùm nimiam affectionem : in ſecundo diſcipulatu , qui eſt Religioſorum , & perfectorum,requiritur,ut renuntient , & relinquant omnia,& quoad affectum , & quoad rem ſolis æternis inhiantes ; & hoc eſt primum elementum inter Chriſti documenta , & per conſequens,qui hoc ignorat, neſcit quæ ſint elementa exordii ſermonum Chriſti , ac per hoc Chriſti diſcipulus non eſt,nec Chriſtum intelligit ;attendant hoc diligenter Religioſi : & hinc ſequitur, quod divites ſpiritu Dei ſunt pauperes rebus proprijs : divites rebus communibus ſunt pauperes, quibus ſufficiunt ea , quæ habent , abſque eo, quod in ipſis cor apponant.*in Luc.c.*14. *prope finem,& Pſal.*9.

9. *Idem de paupertatis,& humilitatis laudibus,*

Beati pauperes ſpiritu : Nota , quod duplicitet hoc exponitur;primò beati pauperes ſpiritu, ſcilicet ſui reputatione, & ſic pauperes ſpiritu ſunt veri humiles,qui non habent inflatum ſpiritum, ſed quaſi nihil in ſpiritualibus ſe reputant:ſecundò pauperes ſpiritu, ſcilicet voluntariè non coactè,qui renunciaverant rebus mundanis ſola ducti voluntate,non neceſſitate , ut amota avaritia, quæ eſt radix omnium malorum , inſeratur paupertas , quæ eſt exordium Chriſtianæ doctrinæ, cum Chriſtus inceperit docere ab ipſa , & ob id primarium fundamentum omnis boni. *Ser.*1. *Dom.*22.*poſt Pentec.: fol.*118.*v.*153.

10 *Paupertas voluntaria pro Chriſto quàm honorabilis & dives ſponſa Chriſti Ieſu, & ſervorum ſuorum.*

Beati pauperes : Nota hanc connexionem beatitudinis,& paupertatis,ut videas , quod iſta virtus non modo non vilificat homines, imò ſuperexaltat ad maximos honores apud Deum,& apud homines ; nam & ſuper omnia creata ipſos elevat, veluti Dominos totius mundi , imò & regni cæleſtis ; quia ipſos hæredes Dei , & cohæredes Chriſti conſtituit , & quia paupertas oculis hominum mundanorum apparebat turpis , & vilis? undè Seneca eam appellat odibile bonum ; hinc Chriſtus junxit ei dotem maximam , ut per illam ſaltem in conjugium poſſet aſſumi , cum dixit Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. *Ser.*1. *Dom.*22. *Pent. & ſer.*1. *in Converſ.S. Pauli: & op.Diet.tit.*4.*c.*3.*Luc.c.*10.*v.*4.

11. *Quomodo pauper ſpiritu dicitur Beatus, & Dominus regni cæleſtis.*

Beati pauperes , quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. Quomodo pauper dicitur Beatus, cum ipſi deſint tot bona temporalia? & quomodo exiſtens in hac vita mortali , dicitur eſſe Dominus regni Cœlorum? ſed attende ad magnalia hujus virtutis ; dicitur Beatus pauper quia in hac vita tot miſeriis ſubjecta ducit vitam ſecuriſſimam, & alienam à luctibus,à ſollicitudinibus ; item vitam, & mentem quietiſſimam, quia divitiarum ſpinæ, eum non lacerant : item vitam Chriſto ſummè copulatam,quia pauperes ſunt Chriſti familiares, & domeſtici , in cujus ſignum in ortu ſuo prius vocavit pauperes,quā divites Magos , illos de propè,iſtos de longè , prius piſcatores, quàm mercatores:dicitur etiam quoniā ipſorum eſt regnum Cœlorum,ſcilicet per ſpem & ſaporem cæleſtium,æſtimationemquè,tum quia ad prandium cæleſte vocat pauperes,& divites ſuperbos excludit : *Luc.c.*14. tum quia pauperes in cæleſti ſolio collocantur; tum quia pauper omnia relinquens Cœlum tangit ; & cum terrenis nihil commune habet;tùm quia regnum Cœlorum jure emptionis convenit pauperibus. *Op. Diet.tit.*4.*cap.*3.*in Luc. cap.*12. *verſ.* 21. & 32. & *cap.* 18, *verſ.*17. &

& in Eccleſ. cap. 6. & op. de paup. Chriſti artic. 2.

12. *Confidentia qualis in Deo habenda à renunciantibus omnibus terrenis.*

Beati pauperes ſpiritu. Si hic ſuadet Chriſtus renunciationem omnium temporalium, quomodò providebit ſibi talis renuncians neceſſaria vitæ humanæ? nonnè hoc eſt Deum tentare? minimè: nam qui pro Chriſto omnibus renunciat, etiam Deum habet pro ſe fidejuſſorem, & ideo in Deo confidere debet, quia unum de tribus à Deo ſperandum eſt à projicientibus avaritiam à ſe pro Deo; quia aut procurabit homini neceſſaria aut cum parco victu, & penuria dabit homini vires; quas in abundantia poſſet habere, & hoc eſt jucundius de modico eſſe magis fortem, aut quod ſubtrahit corpori, refundet menti in conſolatione ſpirituali, ut libenter careat abundantia corporali, quæ ſpiritualibus deliciis fæliciùs recompenſatur, inſuper magnam gloriam in Cœlo mereatur patienter tolerata pro Chriſto corporalis penuria, quia Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. *Op. de profeſt. Religioſ. lib. 1. c. 35. & lib. 2. c. 17.*

13. *Paupertas Fratrum Minorum ſanctis Franciſci expenditur; ubi de mendicitate ipſorum.*

Beati pauperes ſpiritu, &c. Notandum, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus volens elevare homines ad apicem totius perfectionis pro fundamento & verbo, & exemplo ſuppoſuit paupertatem ſpiritus, & hanc omnibus Religioſis indixit, ut per ipſam ad perfectionem tenderent, & quia paupertas habet multos gradus, hinc Seraphicus Pater ſanctus Franciſcus perfectus Chriſti imitator, ſublimam, & altiſſimam ſuis Fratribus indixit, ſuper omnes Religiones, & Religioſos, & propinquiorem, & magis conformem Chriſti pauperrati ordinavit, præcipiens, quod Fratres nihil ſibi approprient, nec in communi, nec in particulari: & hoc ob multas rationes; primò ut veſtigia Chriſti perfectius imitarentur: ſecundò ut laqueos avaritiæ facilius declinarent; tertiò ut culpas ſuperfluitatis pleniùs expiarent: quartò ut altioris meriti gloriam conſequerentur per varia exercitia paupertatis, quintò ut liberiores eſſent mente ad ſpiritualia ſtudia orationis, contemplationis, & lectionis: ſextò ut prædicationis ſtudio expeditius intenderent: ſeptimò ut Verbum Dei minus trepidè omnibus proponerent: octavò ut magis confidere omnes in Deum ſpectantes docerent: nonò ut occaſione eleemoſynæ perendæ ad aliorum ædificationem frequentiùs exirent: decimò ut qui nobis ſubveniunt in temporalibus fiducialius ſpiritualia requirant: undecimò ut magis cauti ſint ab omni ſcandalo, qui magis timent in temporalibus deperire: duodecimò ut tantò humiliores ſint, quantò magis aliorum ſubſidio indigent: *Op. determinat. qu. 4. op. Expoſ. Regulæ c. 1. & op. de Profeſſ. Religioſ lib. 2. cap. 41. & op. Regula Novit. cap. 14. & op. de Perfect. vitæ cap. 3. & lib. 2.*

d. 44. qu. ult. & op. de Paup. Chriſti & op. Apolog. Paup. c. 1.

14. *Paupertatis gradus expenduntur: ubi de paupertate iterum Fratrum Minorum.*

Beati pauperes, &c. Nota, quod tres gradus paupertatis recognoſcuntur, quorum primus eſt relinquere ſuperflua, ſed non neceſſaria: ſecundus eſt relinquere & ſuperflua, & neceſſaria ita particulari, ſed non in communi; & hoc eſt plurium Religionum: tertius gradus eſt relinquere omnia in particulari & in communi, & hic eſt paupertas, quam ordinat ſanctus ater Franciſcus in ſua Regula, nempè extrema. *Serm. 2. in Pentec.*

15. *Beatitudo paupertatis expenditur.*

Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. Nota hanc conjunctionem beatitudinis; & poſſeſſionis regni Cœlorum; quomodò beatus cui deſunt neceſſaria? quomodò in terrâ indigens dicitur acta eſſe Dominus regni Cœlorum? ſed attende; quod non ſine cauſa dicitur Beatus pauper, & de præſenti, quoniam eſt ipſius regnum Cœlorum, ſcilicet dum in hoc mundo vitam degit; & hoc eſt propter certitudinem promiſſionis, tum etiam quia ſunt Reges pauperes voluntarii regni Cœlorum; unde dicebat Seneca; nemo naſcitur dives, quiſquis exit in lucem; juſſus eſt pane; & lacte eſſe contentus; & nemo in hoc pauper eſt, inter quæ ſi quis deſiderium ſuum clauſerit, cum Jove poterit de felicitate contendere. *in Luc. cap. 6. verſ. 19.* Vide autem quomodo pauper voluntarius, & verus contendit cum Beatis in felicitate; Beatorum autem dotes ſunt quatuor; prima eſt impaſſibilitas: ſecunda eſt agilitas: tertia eſt ſubtilitas: quarta eſt lux ſive luciditas, & claritas, & pauper omnia in hoc mundo relinquens à nemine lædi poteſt; ſuper omnia creata volat; & omnia tranſiens ad Cœlum penetrat, & fulgentiam in hac vita veluti aurum inter homines; elevat item paupertas animam ad Dei contemplationem; & fruitionem, ita ut tota in Deum ſine impedimento feratur. *in Luc. cap. 12 verſ. 21. & 31. & cap. 18. verſ. 17. in Eccleſ. cap. 6. op. Apolog. Pauper. a. 1. aliis locis citatis.*

16. *Beata Virgo Maria ſuper omnes homines parem pauperrimæ ſpiritu fuit.*

Beati pauperes ſpiritu, &c. Hic poteſt diſquiri an Beata Virgo Maria caruerit hac virtute excellentiſſima, & an paupertatem voluntariam profeſſa fuerit? ſed transfer mentem ad id, quod de Magdalena dicitur: *Luc. cap. 11.* applicaturque ab Eccleſia Mariæ Virgini, Maria optimam partem ſibi elegit: quænam eſt hæc optima pars? niſi perfectiſſima obedientia, paupertas, & caſtitas, ſed præcipuè paupertas ſpiritus dicitur optima pars, quia eſt fundamentum totius fabricæ ſpiritualis: & hanc voluntariè ſibi elegit Maria, renunciando omnibus ſuis

facultatibus, quæ jure hæreditario ſibi ex bonis paternis contingere debebant: & ideo ſemper paupertatem ſtrictiſſimam ſervavit in tota ſua vita, & ideo ſolemne votum paupertatis emiſiſſe creditur à D. Doctoribus. *Vid. op. ſpec. B. Virg. lect. 4. on. m dit. c. 5. & ſeq. op. Phar. lib. 1. c. 5. & ſer. 2. in feſto omn. Sanct. Luc. c. 2. ſer. 3. Dom. 4. Advent. Vide Barrad. tom. 3. in Evangel. libr. 5. cap. 10.*

17. *Sanctus Franciſcus ſpiritum paupertatis ex Beata Virgine concepit.*

Beati pauperes &c. Nota, quod Sanctus Franciſcus hujus virtutis excellentiſſimæ ſpiritum concepit auxilio Beatæ Virginis Mariæ cujus imitator perfectiſſimus fuit. *Op. Legenda S. Franc. c. 3. op. Apol. Paup. reſp. 4 c. 2.*

18. *Cur ſecundo loco inter beatitudines collocatur mititas, & quid ſit.*

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Hæc eſt ſecunda beatitudo à Chriſto hic expoſita ſecundo loco, & meritò: mititas enim eſt habitus animi expurgans ab ira, & impatientia, ob idque etiam veluti complementum afferens primæ beatitudini, ſcilicet paupertati: ad quid enim prodeſt contemnere divitias, & ea, quæ ſunt extra nos, ſi nos ipſos non contemnimus? & ſuperiores eſſe pecuniis, ſi nos animi commotiones ſuperare non poſſumus? nos ipſos integros retinentes, animum rebellem, iram effrenem? & ideò pauper ſuperbus Deo odibilis eſt, & diabolus pauper, & ſuperbus ſimul eſt: ergo neceſſe eſt ad hanc virtutem inhiare; eſt autem mititas, & manſuetudo virtus, qua homo pacem in ſe & cum aliis, & tranquillitatem in corde ſervat, item gratiam & familiaritatem cum Deo, & regnum hereditatemque in Cœlo habet. *Op. de Profeſſ. Religioſ. lib. 2. c. 35. & op. Diæt. tit. 7. c. 2.*

19. *Mititas eſt propria virtus Chriſtianorum reddens eos Chriſti imitatores.*

Beati mites. Cur beati mites? quia ipſi ſunt perfecti imitatores Chriſti, & ideò propria eſt virtus Chriſtianorum; ait enim Chriſtus *Matth. c. 11.* Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; & ideò per aquam baptiſmi deponi debet hoc venenum ſerpentinum iræ, quo ſerpens diabolus intoxicavit Adam, in corde per rancores, in lingua per blaſphemias, & in manibus per oppreſſiones: ergo ex quo Chriſtianus es, non tantùm ore, & verbo ſed opere, & veritate te Chriſtianum oſtende; & ut directe imiteris Chriſti manſuetudinem, reſpice in faciem Chriſti tui, & conſidera coronam ſpineam, alaparum injuriam, virgam arundineam, ſputorum nauſeam, in manibus, & pedibus clavorum fixuram, in latere acutiſſimam lanceam, in ore felleam ſpongiam, in aure garrientium contumeliam, in toto corpore flagellorum vulnera, & in ligno crucis ignominiam & pro his omnibus recompenſationem nullam: Pater inquit, ignoſce illis, non dicit vindica: ô cor amariſſimum, quod ad tam ſuaviſſimam vocem non dulceſcat, & amaritudinem odii non deponat: qui igitur vult ad beatitudinem cum Chriſto pervenire, debet ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare, & diſcat ejus doctrinam, ut ſit mitis, & manſuetus in affectione; in ſermone, & in converſatione, quia mitis eſt, quem nec ira, nec rancor afficit, ſed omnia æquanimiter ſuſtinet, nec turbatur. *Ser. 2. in feſta omn. Sanct.*

20. *Mititas quàm felicem & beatum reddat hominem: ubi de manſuetudine Mariæ Virginis.*

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram; ſcilicet viventium lacte divinitatis, & melle humanitatis Chriſti manantem, cur Beati? quia pacem, & ſocietatem cum proximo habent, & familiaritatem cum Deo, & poſſeſſionem in Cœlo; mitis enim pacem cum proximo ſervat, & cum his, qui oderunt pacem ſcit eſſe pacificus, ſicut enim contra lapidem machinæ opponitur aliquid molle, per quod frangitur impetus violentiæ ſuæ, ſic & vir mitis frangit iram, & impetum indignationis, opponendo mollitiem reſponſionis; habet & cum Deo familiaritatem & hujus ſignum eſt patens, quòd Deus libenter exaudit orationem mitium, libenter pauſat, & habitat in anima miti quia manſuetudo eſt ſicut culcitra mollis in lecto floridæ continentiæ: & ideò Deus ad videndum, & loquendum ſe oſtendit mitem ut pater de Moyſe, qui erat homo manſuetiſſimus: habet & hereditatem in Cœlo, & hoc eſt, quia mites poſſidentur à Deo, ideò lege viciſſitudinis poſſidebunt in Cœlo Deum, tum quia ipſi poſſident corda ſua, & ſibi ipſis dominantur quietè & tranquillè, & ob id quietè etiam & optimè poſſident bona ſpiritualia, & temporalia, quod non permittitur iracundis. *Op. Diæt. tit. 7. c. 2. op. in Pater noſter ſer. 4. Dom. 2. poſt oct. Epiph. & ſer 4. Dom. ſexag.* Et cum hæc ſint veriſſima quid dicendum de manſuetudine Mariæ Virginis? ipſa enim fuit ſuper omnes creaturas mitiſſima, & manſuetiſſima, quia non ſolùm propriâ irâ caruit ſed etiam iram Domini ad manſuetudinem convertit; ipſa eſt, quæ oravit, & inceſſanter orat pro crucifixoribus, & inimicis filii ſui dilectiſſimi: ergo beatiſſima fuit. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 4. & 15. c. 6.*

21. *Luctus à Chriſto expoſitus pro tertia beatitudine quis, & qualis ſit.*

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Nota, quòd optimè tertio loco proponitur iſte luctus in numero beatitudinum, quia cum per duas ſuperiores beatitudines nos Chriſtus Jeſus à malo cupiditatis, & crudelitatis abſtraxerit, nunc per tertiam abſtrahit nos à malo noxæ voluptatis; ſed quis, quali què eſt iſte luctus? quodnam ejus objectum? ar attende, quòd huic beatitudini reſponder donum ſcientiæ Spiritus Sancti, per quod anima elevatur ad cognitionem malparum, & peccatorum contra Deum patratorum tum à nobis, tum ab aliis, & relegationem noſtram in hac valle miſeriarum à ſtatu perfecto gloriæ: elevatur item ad notitiam dolorum, & pœnarum, quas Chriſtus pro peccatis noſtris paſſus eſt, hinc de triplici luctu hic eſt ſermo: ſcilicet cõpunctionis, compaſſionis & devotionis, primus

primus fletus est sicut collyrium medicativum, quod purgando oculos turbat visum, & in turbando ipsum purificat, sic animam turbat per pœnitentiam, & medicat per gratiam: secundus est sicut unguentum lenificativum sanans ab avaritia, & aliis peccatis: tertius est sicut balsamum dulce afferens delectationem animæ. *Opusc. Dict. tit. 7. c. 3.*

22. *Fletus incitamenta, & motiva proponuntur.*

Beati qui lugent, &c. Sed quomodò excitandus est iste luctus? Nota, quòd plura sunt incitamenta luctus: primum est recognitio culpæ: secundum est incolatus præsentis vitæ: tertium timor gehennæ: quartum est recordatio Passionis Christi: quintum compassio humanæ miseriæ: sextum desiderium cœlestis patriæ. *Op. Dict. tit. 7. c. 3 Ioan. collat. 73. Luc. cap. 19. v. 41. op. Comp. Theol. lib. 6. c. 20. Luc. c. 6. v. 21. op. de Profect. Religios. lib. 2. cap. 19.*

23. *Qui in hac vita lugent in altera consolabuntur: è contra qui hic rident, &c.*

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quomodò beati, & lugentes? nùm etiam quia multi lugent in hac vita, & in altera damnantur? sed attende, quòd loquitur de luctu à Spiritu Sancto excitato, scilicet pro peccatis suis, vel alienis, pro desiderio cœlestis patriæ, pro Passione Domini; isti dicuntur Beati; scilicet in spe ob certitudinem promissionis æternæ consolationis, quia fit alterna mutatio à Christo, qui in hac vita lugent tali modo, in alia consolabuntur; E contra væ iis, qui nunc rident immersi in voluptatibus terrenis, in altera mœrebunt, & tristabuntur: *Luc. capit. 6. vers. 11. & c. 16. v. 15. & cap. 19. v. 41. Ioan. cap. 16. vers. 20.*

24. *Fletus, & lachrymarum enarrantur effectus.*

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et quandonam erit hæc consolatio, & qualis? Consolabuntur in hac vita, & in futura; consolabuntur inquam per multiplicem effectum mirabilem consequentem, ex effusione lachrymarum pro Christo; primò quia lachrymæ sunt lavatorium in claustro animæ, in quo delentur litteræ, quas diabolo dedimus, quasi chirographum, quando peccavimus: sunt & veluti mare æneum tabernaculi animæ (de quo 3. Reg. c. 7.) in quo lavantur manus, & pedes, scilicet opera, & affectiones: secundò quia lachrymæ elevant animam devotam per contemplationem: tertiò quia in ipsis suffocatur Spiritus malignus (de quibus Psal. 73. Contribulasti capita Draconum in aquis: quartò quia irrigant terram cordis, & fœcundant ad producendum fructus bonorum operum: quintò quia sitim, & ardorem concupiscentiæ sedant: sextò quia sicut parvuli plorando impetrant sinum matris, sic lugentes pro Christo, & Christi sinum obtinent consolationum in hac, & alia vita: ô felix, & Lætus fletus *Op. Dict. tit. 3. ser. 1. in festo omn. Sanct. serm. 2. de mortuis in addit. serm. 3. in Cœna Dom. serm. 1. Dom. 2. Quadrag.*

25. *Aqua lachrymarum convertitur in vinum consolationis.*

Beati qui lugent. Cur hoc? quia consolabuntur, & hoc est quia lachrymæ sunt, & convertuntur in vinum Angelorum, quo potantur animæ in hac, & alia vita, consolatio enim, & dulcedo, quæ eruitur ex lachrymis pro Christo fusis; est partic patio dulcedinis Paradisi. *Serm. 2. Dom. 1. post oct. Epiph. & serm. 3. Dom. 12. Pentec.*

26. *Esuries, & sitis justitiæ qualis in hac quarta beatitudine.*

Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Quæritur hic qualis sit ista esuries, & sitis justitiæ & de qua justitia sit hic termo? sed nota; quòd post exclusionem mali in tribus præcedentibus beatitudinibus, ad profectum in bono invitat nos Christus, & in hoc proponit primo loco justitiam amplectendam, qua homo sua cuique tribuit sibi, proximo, & Deo, & ideò complectitur exercitium omnium virtutum: nempè religionem, qua Deo debitus cultus impenditur; pietatem, qua proximis, & maximè conjunctis officium cultus exercetur, item disciplinam, & obedientiam, & gratiam, & observantiam, vindicationem mali, & veritatem, & innocentiam, & misericordiam, & ideò beati sunt, qui hanc justitiam esuriunt, & sitiunt. *Op. Cenil. p. 3. fol. 44. & op. Brevil. p. 5. c. 6.* Nota autem, quod ad hanc justitiam disponit donum fortitudinis Spiritus Sancti, qui enim fortis est tam avidè se tenet cum justitia, ut malit à vita corporali, quàm à justitia separari. *Op. Brevil. ibid.*

27. *Justitia saturat animam: avaritia reddit eam famelicam.*

Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, &c. Et quandonam saturabuntur? saturabuntur in hac, & altera vita; nam talis fames, & sitis justitiæ saturitatem simul, & consolationem affert animæ: sicut è contra avaritia famem, & penuriam. *Luc. cap. 9. v. 17. Ioan. c. 6. v. 36. & collat. 30. & 38.*

28. *Fames, & sitis justitiæ in hac vita roborat; in alia saturat animam.*

Beati qui esuriunt, &c. Quomodò dicuntur beati esurientes, & sitientes: ergone beatitudo potest stare cum tali deficientia? sed attende ad mirabilia opera Dei; fames, & sitis justitiæ in hac vita roborat, & fortitudinem adauget animæ, ne deficiat, & in alia saturiat, ita ut nihil amplius ei possit deficere: hoc enim est discrimen inter bona spiritualia, & corporalia, quod illa excitant appetitum dum non habentur, & novam famem, & sitim confortantem generant: corporalia desiderantur,

dum non habentur, & dum habentur generant faſtidium & nauſeam, eſuriamus igitur, & ſitiamus ſpiritualia, & relinquamus iſta terrena defi-cientia,& vana.*Op.in Pater noſter in Ioan. coll.*30. & 38.& *c.*6.*v.*36.*Luc. c.*9. *v.*17. *Pſalm.*31. & 62. & 118.*c.*1.*v.*10.

29. *Fames, & zelus juſtitiæ qualis exigatur in Prælatis.*

Beati qui eſuriunt, &c. Suprà dictum eſt Chriſtum in hoc ſermone inſtituiſſe omnes ſtatus Eccleſiæ in ordine ad perfectionem, & ideò pro Prælatis poſuit has duas beatitudines, ſcilicet zelum juſtitiæ, & affectum miſericordiæ; & ideò ut ipſos excitet ad juſtitiam pronuntiat hoc; Beati qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam: ſed quid eſt eſurire,& ſitire juſtitiam? eſuries iſta videtur pœnam ſecum ferre, & ideò non benè convenit cum ſatietate, & beatitudine; ſed transfer mentem ad id, quod dicit S. Ioannes *c.*2. zelus domus tuæ comedit me: quid eſt hoc? niſi indicare,quod is zelus juſtitiæ comedit, & accendit famem,& ſitim,& excitat ad juſtitiam;quaſi juſtitia convertatur in ſubſtantiam Prælati zelantis, vel ipſi Prælati convertantur in ſubſtantiam juſtitiæ:debent enim Prælati exemplo Chriſti, comedi tali zelo Dei, ideſt inflammari, & illo agi, & regi,ita,ut omnia quæ ibi vident perverſa ſatagant corrigi, & emendari, & ſi non poſſunt tolerent, & gemant.*Vide Ioan.c.*2.*v.*17. *op.de ſex alis cherub.c.*3 *op.Phar.lib.*3.*c.*35.& *lib.*4.*c.*36. *op. de dono Timor.c.*4.

30. *Miſericordia, quam ſuadet Chriſtus in hoc ſermone, qualis.*

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Nota, quod quinto loco collocat Chriſtus inter beatitudines miſericordiæ exhibitionem,ad quam conſilium donum Spiritus Sancti diſponit, cum nulla virtus in Sacra Scriptura magis conſulatur, & proponatur à Deo, quàm hæc miſericordia, quia hæc reddit hominem Chriſti imitatorem: tum etiam, quia miſericordiam exhibens proximo,benè ſibi conſulit, & in ſeipſo anguſtias proximi totaliter accipit, ſicque ſuas medetur miſerias.*Op.Brevil. p.*5. *c.*6. Unde non in ſolis divitiis eſt miſericordia, ſed & in ſermone,& ſi nihil habes, etiam in compaſſione, & lachrymis. *Op. Eccleſ. Hier.p.*4. *c.*4. *op. de ſex alis Cherub.op de Inſtit. Novit. p.*2. *c.*7. *op. in Pater noſter. Luc. cap.* 6. *verſ.* 37. *ſic etiam alii S.Patres.*

31. *Miſericordia exhibitio qualis hic ſuadeatur.*

Beati miſericordes, &c. Nota, quod dicit miſericordes. *Luc.c.*6. dicit *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cæleſtis,&c* Quia duplex genus miſericordiæ poteſt à nobis proximo exhiberi, ſcilicet operum miſericordiæ ſpiritualium, & corporalium,quibus veluti duabus alis ad Cœlum, & ad Deum,ejuſque imitationem volare poſſumus: corporales continentur in hoc verſu; Colligo, poto,cibo,redimo, tego viſito,corrigo: ſpirituales verò in hoc: Conſule; caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora, cui poſteà ex Tobia additur ſeptima quæ eſt ſepelire mortuos: & hoc eſt, quod in oratione Dominica petimus, Fiat voluntas tua, ubi petimus voluntatem Dei fieri, per donum conſilii, & hoc virtute miſericordiæ quæ perimit avaritiam, ut miſericordiam conſequamur: ſicut enim avaritia conſiſtit in acquirendo, & retinendo, ſic miſericordia in dando, & dimittendo: quid autem prodeſt ſæpius dicere fiat voluntas tua, & nolle juvare? vult autem Deus apud te eſſe pauperes, ut per eos ſalveris & corpore, & anima. *Sermon. 2.Dom.1.poſt oct.Pent. op.in Pater noſter.op.Diæt.tit.*7.*c.*4.

32. *Miſericordia in proximum interna Chriſti Paſſio, prima ipſius lectio, & optima unctio.*

Beati miſericordes, &c. Nota, quòd Chriſtus prætendit nos dirigere ſecundum regulam ſuæ divinæ exemplaritatis in his verbis, excitando nos ad ſui imitationem in hac ſublimiſſima virtute:Hæc enim fuit ejus interna Paſſio, quæ melior eſt, & major fuit, quàm paſſio aliqua exterior: fuit & ſumma Chriſti lectio, ſuper quam ante omnia examinabit ſuos ſcholares in die judicii, & diſcoli,qui neſciunt hujus lectionis verſiculum in æternum ſentient ſine pietate flagellum: eſt & Chriſti optima unctio, & de hoc unguento jubet ipſe, ut ungamus caput, ideſt intentionem, pedes, ideſt affectiones, & manus ideſt operationes. *Op.Diæt.tit.*7.*c.*4.

33. *Miſericordia in proximum virtutis ſublimitas expenditur.*

Beati miſericordes, &c. Ex hoc poteſt quiſque percipere,quàm ſublimis ſit hæc virtus, quæ extrahit à fonte divinæ pietatis omnem miſericordiam, & meritò, quia miſericordia ſuperat omnes alias virtutes præcipueque pœnitentiam,quia pœnitentia immolat corpus, hæc verò animam: Undè Apoſtolus ait,1 *Tim.c.*4. Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt, ſcilicet reſpectivè; pietas autem ad omnia utilis ſuperat charitatem, quia charitas eſt fluvius non exiens extrà ſuas ripas, quia ſolùm bonum diligit, & ſua communicat:pietas verò, & miſericordia extrà ripas,inundat, & ſua bonis,& malis communicat, ideoque non ſolùm bona proximorum, ſed etiam mala libentiſſimè portat: ſuperat item juſtitiam, quia peccator de curia juſtitiæ poteſt appellare ad curiam miſericordiæ, quia ſæpe exaltat judicium; miſericordia item virtus eſt,liberans reum à delicto,& debito, & Deum obligans: item clavis eſt Cœlum reſerans.*Op.Diæt.tit.*7.*c.*4.

34. *Miſericordia negotiatio lucroſiſſima.*

Beati miſericordes. Cur beati? quia ipſi miſericordiam conſequentur. Nota hic divinum commercium à Chriſto propoſitum inter hominem miſericordiam exercentem, & Deum miſericordiam impertientem; & ideò in his verbis proponitur divina negotiatio, & mercatura inter hominem & Deum; nam ex parte hominis miſericordiam exercentis, eſt compaſſio in omnes, quia nititur portare onera omnium, & ſic de bonis aliorum ditatur,de malis meliorat ur, de ſordibus lavatur, de paupertate ditatur, de infirmitate

Digitized by Google

tate ſanarur, de onere alleviatur : vide qualis, & quàm lucroſa negotiatio, nam ſicut mercator libenter mutuat illi, qui poteſt ſibi capitale reddere, & damna reſarcire, & uſuras, & lucrum reddere, ſic vir miſericors negotiatur cum Deo, qui mercatoribus ſuis capitale cuſtodire ſolet conſervando gratiam, damna reſarcire, remittendo culpam, & uſuras ſolvere, ſcilicet largiendo gloriam, & vitam ſempiternam : vide iterum qualis hæc mercatura, nam vir miſericors renovat veteres merces in novas, & viles in pretioſas, & quodammodo circumvenit Deum in ſua negotiatione, quia pro calice aquæ frigidæ recipit tortentem voluptatis æternæ : ô grandis beatitudo. *Op. Diat. tit. 7. c. 4.*

35. *Rationes excitantes nos ad opera miſericordiæ expenduntur.*

Beati miſericordes, &c. Nota, quòd in his verbis involuuntur rationes excitantes nos ad miſericordiam exercendam in proximum: Beati, inquit miſericordes in proximum, cur proponitur talis miſericordia? Nota, quòd duo ſunt, quæ homini ſuadent miſericordiam; primum eſt, quia eſt homo: ſecundum quia eſt membrum Chriſti; quia enim eſt homo, ob idque homini conformis, & ex uno, & eodem principio, & Patre, & ideò etiam omnes ſumus fratres: & quia eſt homo, ob id ſubjectus multis miſeriis hujus vitæ, ideo etiam in ſeipſo debet recognoſcere miſerias fratris, & proximi; & quia eſt homo à Deo communiter creatus, & membrum Chriſti, hinc in proximo debet recognoſcere communem filiationem Dei, & communicationem, ſeu conſanguinitatem in Chriſto, & per Chriſtum; hinc etiam quilibet excitari debet ad commiſerandum proximo. *Opuſc. Diat. tit. 7. c. 4. opuſc. de ſex Alis Cherub.*

36. *Miſericordia operum exercitium nos reddit ſimiles Chriſto.*

Beati miſericordes, &c. Et quinam ſunt iſti miſericordes? ſed attende ad id, quod *Luc. c. 6.* dicit, *Eſtote miſericordes, ſicut, & Pater veſter miſericors eſt*; ſcilicet eſtote miſericordes in exhibendo vos proximis benevolos, pacificos, & beneficos; & addens formam, & circumſtantiam, dicit ſicut & Pater veſter, ſcilicet Chriſtus miſericors eſt, qui non tantùm amicis, ſed & adverſariis condeſcendit exigens illam miſericordiam à nobis, quam ipſe in nos impendit; & per hoc intendit nos conſtituere ſimiles filio hominis, quem S. Ioannes in Apoc. *c. 1. vidit in medio ſeptem candelabrorum aëreorum, & habentem in dextera ſua ſeptem ſtellas.* iſta candelabra ſunt ſeptem opera miſericordiæ corporalia, quæ ſunt ut aurum pretioſum; ſeptem ſtellæ ſunt ſeptem opera ſpiritualia in cordis emiſpherio lucentia tamquam ſidera radioſa; ſicque homo miſericors ſit ſimilis filio hominis. *Op. Diat. tit. 7. c. 4. Luc. c. 6. verſ. 37. opuſc. Eccleſ. Hier. p. 4. cap. 4.*

37. *Beatitudo miſericordiæ; de qua hic loquitur Chriſtus, expenditur; ubi de fructu ipſius.*

Beati miſericordes, &c. Cur beati? & quænam eſt hæc beatitudo? Beati inquit Chriſtus miſericordes; & hoc eſt, quia miſericordia liberat à peccato reſolvendo vincula culpæ, & ratio eſt, quia ut dicitur *Prov. c. 16. miſericordia, & veritate redimitur iniquitas*, ſcilicet per veritatem juſtitiæ in punitione, & deteſtatione vitiorum per pœnitentiam purgatur culpa, ſed per pietatem miſericordiæ in ſubventione miſerorum per eleemoſynas dimittitur pœna: miſericordia item locupletat in merito augmentando dona gratiæ, imò & multiplicat bona temporalia, & tandem elevat animam in Cœlo. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Penter.*

38. *Miſericordia à nobis in hac vita exhibita proximo menſura erit miſericordiæ nobis exhibendæ à Deo in alia vita.*

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Qualem miſericordiam conſequentur iſti miſericordes ô benigniſſime Ieſu? Ecce reſpondet *Luc. c. 6.* eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. dat igitur nobis intelligere quòd hæc erit mensura, & regula, ſecundum quam aget nobiſcum Chriſtus in judicio, ſcilicet ſecundum menſuram à nobis exhibitam miſericordiæ in proximum, & ipſe remetietur nobis: pro bona igitur menſura bonam, pro mala, malam recipiet homo, quia tota judicialis diſcuſſio, & ſententia judicis erit ſecundum exhibita, & non exhibita opera miſericordiæ, & qui miſericordiam fecerunt habebunt vitam æternam, qui miſericordiam negaverunt, cruciabuntur ſupplicio æterno, ut evenit diviti Epuloni. *Ser. 2. & 3. Dom. 1. poſt oct. Penter.*

39. *Maria Virgo ſuper omnes creaturas participavit hanc beatitudinem miſericordiæ.*

Beati miſericordes, &c. Si hoc verificatur de omnibus miſericordibus, ergo ſuper omnes creaturas beatiſſima fuit Maria Virgo, quæ ſuper omnes miſericordiam exercuit in hac vita, & exercet nunc in Cœlo: ipſa enim eſt plena miſericordia, quam in mundo pro omnibus exercuit, & nunc in Cœlo & juſtis, & peccatoribus eamdem impertitur, & quia inceſſanter profunditſimam miſericordiam filii ſui in Cœlo pro nobis interpellat. hinc, & pro tanta pietate ſua Deus ipſam exaltavit ſuper omnes choros, tamquam Reginam miſericordiæ, & totius mundi. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 4. & 5. & 16. & 17.*

40. *Sexta beatitudo, Beati mundo corde, &c. expenditur.*

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Vide hic quali ordine procedit Chriſtus ex inſtitutione Eccleſiæ, & diſcipulorum, nam non ſufficit eſſe pauperem, mitem, lugentem, eſurientem juſtitiam, & miſericordiam, niſi concurrat munditia cordis: ſed hic diſquirunt Patres de qua munditia hic ſit ſermo, an de munditia caſtitatis, ut volunt aliqui, an verò de munditia excludente omne peccatum, & adhæſionem terrenorum? & dicendum eſt, quòd hic propriè eſt ſermo de munditia diſponente ad viſionem Dei in hac vita per contemplationem, & in alia vita per clarum aſpectum Dei:

Digitized by Google

hæc enim eſt veluti forma, & complementum omnium virtutum, nempè munditia cordis, quæ ad os, ad cor, ad carnem & ad opera ſe extendit, & per quam homo fit ſimilis Angelis. *Op. medit. c.17. & op. Eccleſ. Hier. p.3. c.1.*

41. *Munditia cordis totum hominem reddit mundum.*

Beati mundo corde: Cur dicit mundo corde, & non potiùs mundis manibus? quia cor eſt creatione primum, eſt animæ principale domicilium, eſt influentia maximum, & ideo motu continuum, & eſt omnis motus, & vitæ principium, quia nec os aperimus nec aliquid aliud agimus, niſi hoc ex corde operemur, & tale eſt verbum oris, & operis, quale eſt cordis, quia qualis eſt fons, talis eſt aquarum fluvius, & qualis eſt radix arboris, tales ſunt rami; & hinc rectè dicit Chriſtus, Beati mundo corde, non dicit mundo ore, vel opere quia poſſent opera videri pura cum corda eſſent immunda, ſed poſſunt eſſe opera immunda, ſi fuerint corda munda; daturque intelligi, quod illa munditia eſt vera, quæ eſt foris, & intus, & quod cor mundum, mundum etiam reddit totum hominem, & ipſius actus: & per hoc patet diſcrimen inter impium, & juſtum, quod impii à foris apparent mundi, & juſti intus, & foris. *In Luc. c. 11. v. 38. & ſer. 2. fer. 2. Paſcha: & ſer. 4 de Apoſt.*

42. *Munditia cordis quomodo obtineatur.*

Beati mundo corde. Quæritur hic qualiter hæc munditia cordis obtineri poſſit, cum ſit tam neceſſaria? ſed attende quod non ſine myſterio maximo Chriſtus poſt jejunium, ſolitudinem, & orationem nos invitat ad hanc munditiam, quia voluit intendere, quod medium perveniendi ad hanc munditiam eſt ſolitudo, & receſſus à converſatione hominum, jejunium, & oratio, ſic enim pervenire poterit homo ad ipſam munditiam cordis. *Op. medit. c. 17. Vide op. Diæt. tit. 7. cap. 5.*

43. *Ad munditiam externam attendunt mundani: ad internam Deum diligentes.*

Beati mundo corde. Nota hanc connexionem beatitudinis, & munditiæ cordis, ut videas, quod hoc eſt diſcrimen inter beatos juſtos, & Deum diligentes, & impios mundanoſque, quod illi totum ſtudium ſuum convertunt ad mundandum cor ab omnibus fœcibus terrenis, & culpis; iſti è contrà ad mundationem externam, non internam; & hoc valde deteſtabile eſt videre, quod toto poſſe ſic homines laborant lavare à turpibus corpora, mundare à vermibus capita, mundar à noxiis inteſtina mundare à ſordibus veſtimenta quærunt in lectis munda linteamina, munda fercula, munda vina, & munda valdè mancipia, & non curant, ſi immunda habeant corda; quid ſtultius quid deteſtabilius? quid inordinatius? Vis habere omnia munda, & animam Cœlo nobiliorem non curas eſſe immundam ô quot ſimiles ſunt ſepulchris dealbatis exterius, & interius omni ſpurcitia plenis, ſcilicet cadaveribus mortuorum; ſed cum ſolus Deus poſſit facere mundum de immundo, ergò rogandus eſt Deus, & toto corde invocandus, ut mundet nos ab immundis cogitationibus, & mundanis ſordibus gratia ſua, & ſic omnia valeant eſſe munda. *Ser. 4. de Apoſt. & ſer. 2. fer. 2. Paſcha in Luc. c. 11. v. 38.*

44. *Beatitudo mundis corde promiſſa expenditur pro hac, & alia vita.*

Beati mundo corde. Cur beati? quia ipſi Deum videbunt, & quando hæc erunt? hoc erit in hac, & alia vita, ſed differenti modo: nam in hac vita mundi corde elevantur ad Dei viſionem, & hoc vel per enigma, ſcilicet per fidē, vel per contemplationem, nemo autem ad talem viſionem pervenire poteſt niſi mediante hac munditia cordis ab omni ſcoria peccati & abſtractione pulveris terreni & ſenſibilium, hanraſmarum; & poſteà in alia vita facie, ad faciem, & in utroque ſtatu, licet differenter ita eſt Deus notus, atquè conſpicuus, ut videatur à nobis ſingulis in propria conſcientia, & ſimul in nobis videatur; ab altero item in altero videatur, vel ſe ipſo videatur in cœlo novo, & in terra nova, ſed hoc iſtum oculum, quo videre debent Deum Deorum in Sion multi excæcant pulvere avaritiæ, & ſtercore terrenorum; vide qualis ſit iſta beatitudo mundi corde; nam hæc viſio rapit ſui deſiderio omnem animam tamò ardentiorem, quantò ad ſpiritualia aſſurgentem, & carnalibus morientem. *Ser 2. feria 2. Paſcha ſer. 2. feria 4. Paſcha: ſer. 2. Dom. in Albis & ſer. 20. Hexam. in Ioan. c. 1. v. 48. & c. 14. v. 7.*

45. *Mariæ beatitudo in hac, & alia vita ex munditia cordis expenditur.*

Beati mundo corde, &c. Si hoc eſt verum: ergo magis de Maria Virgine Dei Matre verificabitur, & ideò quia mundiſſima, & puriſſima fuit ob meritum virginitatis, & fœcunditatis, ideò ſola in hac vita gloriam propriam beatorum habuit; & in alia elevata eſt ſuprà omnes Angelos ad ſummum gloriam, & beatitudinem. *Op. ſpec. Beat. Virg. lect. & op. de ſeptem grad. contemplat. & in Luc. c. 1. v. 48.*

46. *Pax, cui promittitur beatitudo, & Dei filiatio, expenditur.*

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Quærunt hic ſancti Patres, quid per pacificos intelligit Chriſtus Jeſus? an ſcilicet eos, qui pacem cum proximo ſervant an etiam in hoc nomine involvantur alia? Et reſpondetur, quod pacifici verè ſunt, qui per donum ſapientiæ ſpiritus Sancti ſunt tales in ſemeti, ſis habentes omnes motus ſuos compoſitos, & ſubjectos rationi, & ſpiritui, & tali pacto fiunt regnum Dei, & hoc eſt, quod petitur in oratione Dominica Adveniat regnum tuum: quod regnum importat perfectam unionem, tranquillitatemque cum Deo, ità ut unus ſpiritus, & idem ſint cum ipſo Deo: item debent eſſe pacifici cum proximo, & ideo in textu Græco legitur Beati pacificantes, vel pacem facientes, ſcilicet qui odia, contentiones, lites, jurgia reſtringunt non ſolùm in ſeipſis, ſed & cum aliis, & inter alios. & ipſos etiam ad pa-

cem

Digitized by Google

cem cum Christo contrahendam inducunt : isti dicuntur filii Dei, scilicet imitatores filii Dei, cujus opus fuit dissidentia in unum reducere, atque inimicos reconciliare. *Op. Brevil. p. 5. c. 6. op. in Pater noster. ser. 1. Dom. in Albis. ser. 1. in festo omnium Sanctorum. Luc. c. 10. v. 6. Diat. sal. tit. 7. c. 6. & op. de dono Timor. c. 4.*

47. *Pacis vera, & falsæ discrimen expenditur.*

Beati pacifici, &c. Nota; quòd hic laudatur pax, quæ filiationem Dei confert, ad differentiam pacis falsæ, & diabolicæ : nam pax, quæ oritur ex conformitate ad divinam voluntatem, ex humilitate interna, & ex tranquillitate cordis, est Cœli, & Angelorum linguagium, & virtus summè Christo chara, quia ipsam legavit discipulis suis tanquam hæreditatem cœlestem: Pax verò falsa, & diabolica est iniquitas inter malos ad malum patrandum, simulata, & inordinata, in qua ratio subjicitur carni, à qua excluduntur filii Dei. *Opuscul. Diat. tit. 7. c. 6.*

48. *Pacis gradus enarrantur; & qualis his exponatur.*

Beati pacifici, &c. Idest magnificabuntur ut filii Dei. Nota hic, quòd triplex gradus pacis assignatur, primus est ille pacificus, qui bona pro bonis reddit, & quantum in se est nemini nocere volens, & hæc est incipientium, & imperfectorum, in quibus lex carnis adhuc repugnat legimentis : secundus est pacifici, qui non reddit mala pro malis, sed potens est sustinere malum ab aliis illatum, & hæc patientia est custos virtutum, estque proficientium in stadio virtutis : tertius est illius qui bona pro malis reddit, & in promptu habet prodesse nocenti, & hic solus veram pacem habet, & multos Christo lucrifacit, & hæc pax, est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis ; hæc est quæ bella compescit, imo comprimit, discordes sedat, inimicos concordat, & cunctis est placita, & qui in hac pace non inventus fuerit abdicatur à Patre, exhereditatur à Filio, & à Spiritu Sancto efficitur alienus ; hæc pax, est quæ homines similes filio Dei, & ejus filios facit. *Opuscul. de dono tim. cap. 4. op. incend. am. cap. 2. Ioan. collat. 66.*

49. *Octava benedictio, Beati qui persequuntur, expenditur secundùm sensum litteralem.*

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, &c. Nota, quòd hæc est ultima omnium beatitudinum hujus vitæ, estque summa, & complementum, & consummatio omnium reliquarum, nam pace intrinseca firmata, ait S. Augustinus, quascumque persecutiones homini advenientes sunt extrinsecæ, augentesque gloriam, quæ secundum Deum est. Nota autem, quòd patientia, & tolerantia persecutionum, & pœnarum debet esse propter justitiam ; vel ut dicitur Lucæ c. 6. propter Filium hominis ; & ideò exigitur triplex conditio, nempè rectitudo voluntatis, & intentionis respectu causæ; promptitudo respectu pœnæ in voluntate, & fortitudo in prosecutione : & quoad primam scilicet rectitudinem causæ, non pœna, sed causa facit martyrem ; ideò dicit Sanctus Petrus 1. c. 4. nemo vestrum patiatur sicut fur, aut homicida, sed ut Christianus, & sic non erubescat : nec sufficit sola causa ; nisi adsit & voluntas recta, quæ etiam malam causam vertit in bonam, & tormentum martyrium facit, ut patet in bono Latrone, cujus causa priùs fuit injusta, sed per talem rectitudinem patiendi pro peccatis suis facta est justa : quoad secundam requiritur quòd homo cum gaudio, & libenter pro Christo patiatur ; non cum murmure oris, vel cum tristitia cordis : & quoad tertiam requiritur fortitudo voluntatis respectu pugnæ, ut nullo modo deseratur virtus patientiæ, ut possit homo patiens dicere cum Apostolo 2. Cor. c. 4. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, &c. Ex quibus patet hanc beatitudinem competere non solùm Martyribus, sed & omnibus fidelibus. *Ser. 2. de plur. Mart.*

50. *Ad patientiæ altissimum gradum nos invitat Christus.*

Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Nota hanc particulam propter justitiam; scilicet propter Christum, ut videas, quod hic nos invitat ad imitationem Crucifixi, & quia patientiæ primus gradus est tolerare afflictionem, quam homo pro peccatis meruit : secundus gradus est sustinere patienter, & innocenter mala : tertius gradus est non solùm hæc sustinere, sed ipsa appetere, ut assimilemur Christo, qui pœnas ardentissimè pro peccatis nostris desideravit ; ad hunc altissimum gradum a Deo invitamur, ut cum ipso regnemus in Cœlo. *Op. de Grad. virt. c. 3.*

51. *Patientia est lucrosissima negotiatio cum Christo.*

Beati qui persecutionem, &c. Cur beati ? quia patientia reddit hominem prudentem, ipsum dirigens ad solvendum debita sua de his, quæ nihil videntur valere, scilicet de malis pœnæ, quam sustinet, ut Deus remittat sibi debitum culpæ ; & solvendo nihil expendit de suo, sed de his, quæ accepit ab aliis, scilicet de opprobriis, & contumeliis soluit quod debet, & dives efficitur acquirens gratiam in præsenti, & gloriam in futuro; dirigit etiam hæc virtus hominem in conservando, quia cum perdat bona temporalia, conservat spiritualia : imò addiscit commutare veluti per artem chimicam, sputa, opprobria, & persecutiones vilissimas in aurum, & argentum, & lapides pretiosos, vide igitur qualis virtus est patientia, nam cum pœna peccati sit mors, hæc mortem & pœnas peccatis debitas convertit in coronam, & summam gloriam. *Op. Diat. tit. 7. cap. 7. & S. August.*

Digitized by Google

52. *Patientia eſt ſcutum, quo homo ſe ab omnibus hoſtibus defendit: ubi de memoria Paſſionis Chriſti.*

Beati qui perſecutionem, &c. ſcilicet per patientiam: ſed cur beati? quia patientiæ ſcuto ſunt armati, tali enim ſcuto muniti ſine fuga evadunt, ſine ictu toli recedunt, ſine repercuſſione vincunt: Nota tamen, quòd iſtud ſcutum debet eſſe triangulum; in inferiori enim angulo debet eſſe timor ſupplicii: in dextro amor proximi, & in ſiniſtro paſſio Chriſti, cujus memoria maximè auget vires, & ſecurum reddit hominem; cum hoc ſcuto anima ſuſtinet omnia tela, præcipuèque tria, ſcilicet damnum rerum temporalium, moleſtias corporis, & contumellas verborum, cum hoc ſcuto homo ſe conformat voluntati Domini, correctiones ejus ſuſtinendo, vincit diabolum ejus tentationes evadendo, ſanctificat ſemetipſum, carnis afflictiones, & paſſiones corporis tolerando, & ad hujus virtutis exercitium maximè invitantur Sacerdotes, dum manipulum ſibi imponunt in ſiniſtra, quaſi ſe muniendo contra adverſa omnia. *Op. Diet. tit.7. c.7. ſerm. 2. de plur. Martyr. opuſc. Expoſ. Miſſæ, cap.1.*

53. *Patientia facit hominem Regem, & dominum omnium rerum.*

Beati qui perſecutionem patiuntur, ſcilicet cum patientia propter juſtitiam, ſcilicet propter Chriſtum, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum: Quomodò ipſorum eſt regnum Cœlorum? ergone ſunt Reges patientes pro Chriſto? maximè, & ideò beati: Patientia enim Regem hominem facit, ſcilicet regale dominium ipſi conferens in omnibus, ipſique ſerviunt, & juvant quæ aliis ſunt nociva, ut ſterilitas agrorum, quæ implet ſibi cellarium; hoſtes ſibi fabricant coronam; febres parant ſibi medicinam; mors aperit ſibi carcerem ad evadendum miſeriam; ignis, qui domos aliis incendit, ſibi confert pabulum, & conſtituit ei in Cœlis palatium, & tandem omnia ſibi cooperantur in bonum. Patiens item introducitur ad regale prandium, quod Chriſto fuit ſimiliter paratum, ſcilicet tribulationes, perſecutiones, cruces, opprobria, tormenta, dolores, & mors, & ideò Chriſtus hæc fercula, & calicem, quæ ipſe guſtavit ſuis fidelibus immittit, tamquam regales divitias apponit, ut poſtèà in Cœlo coronentur tamquam Reges regni cœleſtis. *Op. Diet. tit.7. capit. 7. & ſermon.1. & 2. in feſto omnium Sanctor.*

54. *Patientia memoria dominicæ Paſſionis dulcia reddit omnia amara.*

Beati qui perſecutionem, &c. Quomodò poſſunt dici beati, qui ſunt immerſi in perſecutionibus? ſed attende ad illud verbum propter juſtitiam: quænam eſt hæc juſtitia? addit Sanctus Lucas propter filium hominis, ſcilicet ipſum imitando in paſſionibus, ideò hic proponitur memoria dominicæ Paſſionis, ut in ipſa omnia amara dulcia reddantur, nam ſicut vinum forte, & aſperum tranſiens per gariophilos, & ſpecies aromaticas, efficitur nectar dulciſſimum, ſic tribulationes mundi dulceſcunt, ſi per memoriam Paſſionis Chriſti tranſeant; ad ipſum Chriſtum igitur crucifixum dirigamus aſpectum, & cor, ut per patientiam dulceſcant nobis omnia amata. *Opuſc. Diet. tit.7. cap.7. ep. de Grad. virt. cap.5.*

55. *Paſſiones, & perſecutiones omnes cum gaudio ſuſcipiendæ propter Chriſtum, & gloriam æternam.*

Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, &c. *gaudete, & exultate in illa die*, &c. Nota, quòd hic ad duo capita reducit omnes perſecutiones, ſcilicet oris, & operis; ſcilicet opprobria, contumelias, injurias, oppreſſiones, mendacia, odia, & tribulationes, has omnes ſuadet Chriſtus aſſumendas cum gaudio, quod eſt novum, & inauditum; & quomodo cum gaudio? nota ly propter me, & quoniam merces veſtra eſt in Cœlis, ſcilicet ſi propter juſtitiam patiemini, nempè propter virtutem, propter imitationem crucifixi, ſic dicitur de Apoſtolis, quòd ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Act. c. 5. Item quoniam merces præparata eis copioſa, & multa in Cœlis: quia corona eis texitur ex pœnis, & tormentis glorioſa in Cœlis: Item propter exemplum aliorum martyrum, & præcipuè Jeſu Chriſti, unde ſubdit; hæc enim faciebant Prophetis. *Luc.c.6.v 22.ſeq.*

56. *Coronam patientibus pro Chriſto fabricant perſecutores.*

Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. Nota connexionem beatitudinis cum perſecutione, & poſſeſſione, ſeu dominii regni cœleſtis: ut videas cum quali fundamento dicitur, quoniam ipſorum eſt (non dicit erit) regnum Cœlorum, & hoc eſt, quia perſecutorum manus fabricant ex una parte coronam patientibus pro Chriſto, & ex alia ipſi patientes fiunt Reges, & Domini regni cœleſtis. *Ser. 2. de S. Antonio: opuſc. Diet. tit.7.c.7.*

57. *Merces à Chriſto parata pro juſtitia pugnantibus expenditur.*

Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis. Nota illud verbulum copioſa merces, nec exprimitur qualis determinatè; ut videas, quòd in quocumque ſtatu pugnantibus parata eſt merces, & hæc copioſa; quia eſt merces ſalva, magna, digna, plena, temporanea, feſtiva fidelis copioſa, & perpetua, ſalua Angelis miniſtrantibus vobis; magna Prælatis, & Præſidentibus; digna obedientibus; plena contemplantibus; temporanea operantibus; feſtina proficientibus: fidelis perficientibus, multa patientibus, & perpetua perſeverantibus; ut pateat, quod non eſt, qui ſe abſcondat à charitate Dei *Luc. c.6.verſ.23.*

Digitized by Google

58. *Merces parata patientibus debita ex justitia.*

Gaudete, &c. quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis. Si merces appellatur gloria, ergo erit debita ex justitia? ideo disquirunt Theologi an remuneratio gloriæ sit actus justitiæ Dei, an acceptationis divinæ; & licet aliqui asserant hoc secundum tamen convenientius est dicere, quod sit actus justitiæ, & ob id debita merito, quod tamen intelligendum est non de justitia rigorosa, cum meritum fundetur initialiter in Dei gratia, qua adjuta anima elicit actum meritorium; sic enim per meritum, vel fit ex indebito debitum, ut evenit in gratiæ infusione, & motu liberi arbitrii, vel ex debito magis debitum, ut evenit in profectu de virtute in virtutem, vel ex debito uno modo, fit magis debitum alio modo, quod fit per exercitium habituum diversorum: unde concludendum est, quod licet ex parte Dei nulla possit cadere obligatio, suppositâ tamen divina permissione, & infusione gratiæ, in liberi arbitrii actibus nostris debetur merces, & præmium de condigno, & ex justitia. *Lib. 2. d. 27. a. 2. qu. 3. & lib. 3. d. 18. a. 1. q. 2. in Comp. sic & D. Thom & Cajet.*

59. *Mercedis gloriæ magnitudo expenditur parata bonis operibus.*

Gaudete & exultate: Ad quosnam hoc dicitur gaudete, & exultate? & cur gaudendum? Invitantur boni fideles, & benè operantes, & præcipuè justè & sanctè patientes: quasi dicat, nolite fieri pro adversis, nihil est, quod patiminis: nihil est, quod operamini, nihil talis labor, si mercedem attenditis; & quam mercedem? mercedem copiosam in Cœlis vobis paratam: merces ista copiosa est, quia replet totam animam ratione suæ sufficientiæ; & tunc gaudium erit plenum, scilicet pleno corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine illo gaudio, & omnibus bonis totius Trinitatis, bonisque Angelorum bonis Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & omnium sanctorum; gaudete igitur ô animæ justæ patientes gaudete interiùs in anima, & exultate exteriùs in verbo, & factis. *Ser. 1. & 3. Dom. 5. mag. & ferm. 2. Dom. 4. post Pentecost. & op. Diet. tit. 8. cap. 4.*

60. *Comparatio fit inter passiones hujus temporis ad futuram gloriam.*

Gaudete, & exultate. Scilicet vos, qui passiones sustinetis in hac vita pro Christo, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis? quasi dicat leve est quidquid in adversis, & pœnitentiis sustinetis, leve est quidem, & momentaneum, nec condignum, imo indignum ad gloriam illam vobis paratam, in qua sedebitis ad dexteram Christi in contemplatione divinitatis, & ad sinistram in contemplatione humanitatis. *Ser. 3. Dom. 4. Pentec.*

61. *Christi Discipuli & Prædicatores sint sal terræ.*

Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, in quo salietur. Cur Christus Apostolos suos sal terræ appellat? sed attende, quod hac comparatione pulcherrima intendit docere suos discipulos, Apostolos, Prælatos, Doctores, & Prædicatores, qualiter & quales in seipsis debent esse, & quales ad alios: sal autem cibos condit, vermes necat, carnes siccat, & à putrefactione præservat, & sine ipso omnis cibus insulsus redditur. sic debent esse discipuli Christi, qui exemplo, & verbo debent condire corda aliorum. vos estis sal (ait Christus) scilicet per discretionem, quæ est condimentum omnium virtutum, & præcipuè Prælatorum, & regiminis, & ideo verbo, & exemplo debent condire corda hominum, eos à putrefactione vitiorum vel præservando, vel reformando; subdit Christus, quod *si sal evanuerit, &c. in quo salietur?* id est si ipsum sal erit insipidum, & marcidum in se, nec aliis poterit prodesse; sic Christi discipulus si erit indisciplinatus, indiscretus, indevotus, vanus, scandalosus in conversatione, in actione, in regimine, in prædicatione, erit despectibilis, inutilis tam coram Deo, quàm hominibus, tam in spiritualibus, quàm temporalibus, & quod horrendum est, & terribile, neque in terram, neque in sterquilinium utile est sed foras mittetur; Nota hic infelicitates malorum Prælatorum, Religiosorum, Prædicatorumque: si aliqua res evanescit, & marcescit, si in se, & ex se utilis non est, sit tamen utilis in hoc, quod in sterquilinium mittitur ad condiendam terram; non sic sal quia si evanescit, ad nihil utile est, sed noxium, cum sterilem faciat terram, & sterquilinium ipsum; & alia omnia, sic, sic est Religiosus, Prælatus, discipulus Christi, Prædicator, si cadit à suo statu, si deficit in suo officio, si verbo, & exemplo redditur scandalosus, & sibi, & aliis redditur damnosus, inutilis cæteros omnes inficiens: ô attendant ad hæc Prælati, & Prædicatores, & Religiosi Christi. *in Luc. c. 14. ad finem op. Diet. tit. 10. c. 6.*

62. *Sanctorum Doctorum expositio sal est condiens studium Sacræ scripturæ.*

Vos estis sal terræ, &c. Nota quod hoc præcipuè sanctis Doctoribus Ecclesiæ dirigitur, & per hoc datur intelligi, quod sicut omnia cibaria sine sale sunt insipida, quia sal est sapor omnium saporum, sic verba Sacræ scripturæ, maximè legalia sacramenta sine catholica expositione Doctorum redduntur maximè simplicibus insipida, & non multum fructuosa, unde valde errant Prædicatores, qui ex proprio cerebro, præterendunt exponere Sacram scripturam absque directione sanctorum Patrum, & Doctorum. *Op. Diet. tit. 10. c. 6.*

63. *Christus sol per essentiam constituens suos discipulos, Prælatos, & Prædicatores tot soles mundi.*

Vos estis lux mundi Quomodo appellantur discipuli Christi lux mundi? lux mundi totius est sol, & quomodò cum sol sit unus in mundo, ipse tot soles constituit? sed attende ad id, quod dicitur

à *S. Ioanne c.*1. Et vita erat lux hominum & lux in tenebris lucet, & tenebræ eum non comprehenderunt, quaſi dicat, Ecce quomodò cum totus mundus eſſet in tenebris involutus, venit Chriſtus ſol per eſſentiam illuminans mundum, ex qua irradiatione ſuos ſequaces lucem mundi, ideſt veluti tot ſoles per participationem conſtituit, ut totum mundum peragrantes ipſum illuminarent: dat igitur intelligere obligationem Apoſtolorum, & diſcipulorum ſuorum, & Prælatorum, Prædicatorumque Eccleſiæ: nempè ſicut lux tota pulchra eſt, pulchrificans ſua præſentia omnia, , nec tranſiens per ſordida ſit immunda: ſic & iſti Chriſti miniſtri debent eſſe lumina radioſa, totius honeſtatis exemplaria, in nullo penitus ſordida, vel corrupta, ſed à ſordibus alios trahentia; undè non ſolùm in ſeipſis, ſed & aliis, & toti mundo debent lucere ſanctis exemplis, doctrina, ſanctitate, verbo & prædicatione; luceant & ardeant, ait Sanctus Bern. nam lucere tantùm eſt vanum, ardere tantùm eſt parum, lucere, & ardere eſt perfectum; luceant doctrina, & ardeant charitate, & vita ſancta. *Ser.*2. *de Apoſtolis in Ioan.c.*1. *v.*8. *Pſal.*146. *op. determin. prafat. Luc.c.*24. *v.*19.

64. *Chriſti ſequaces perfecti ſint civitas ſuprà montem poſita, ſcilicet ſuprà Chriſtum fundata.*

Non poteſt civitas abſcondi ſuprà montem poſita. Nota hic, quòd ſicut Chriſtus ſuos miniſtros lucem appellavit totum mundum illuminantem, ſic nunc eos comparat civitati ſuprà montem exædificatæ, quia debent fundamentum ſuorum operum, & miniſterii in monte collocare, ſcilicet in Chriſto, contemnendo omnia terrena; ſiè enim omnium oculis expoſiti attrahent ad ſequelam Chriſti omnes. *Ser.*1. *de S. Agnete.*

65. *Verbum Dei lucerna omnibus exponenda: item & Prælatus, & Prædicator.*

Nemo lucernam accendit; & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat &c. Nota, quòd Chriſtus non contentus appellare ſuos ſequaces lucem mundi, ſed etiam lucernam: quo nomine dat intelligere, quòd ſicut lucerna eſt vas æneum, & rotundum olei, & lychni, & ignis contentivum; ſic & Prædicator, & Evangeliſta debet in ſe continere oleum divinæ gratiæ, & ignem charitatis, & opera proportionata, ut poſſit exponi in altum, & omnes illuminare: item lucerna eſt verbum Dei illuminans intellectum, tenebras ignorantiæ expellens, & inflammans affectum, & ad opera bona excitativum. *Serm.*2. *de Evangeliſt. & op. Eccleſ. Hier.p.*1. *cap.*3. *Pſal.*51.

66. *Non ſufficit perfectis Religioſis in ſe lucere, ſed vult Deus, ut etiam aliis lumen expandant: ubi de Religione magis, vel minus arcta.*

Vos eſtis lux mundi &c. ſic luceat lux veſtra coram hominibus &c. Ergone præcipit Deus, ut in operando bonum, quæramus videri ab hominibus, cum alibi id vetet? ſed attende ad compationem; loquitur autem ad Religioſos perfectos, exigitque, ut ſint veluti ſoles; nempè ſicut ſol in ſe priùs lucidus eſt & igneus, poſtea alii diffundit lucem, ſic debent eſſe Religioſi in ſe ipſis ignei, & lucidi charitate, & Dei amore, ita ut ob plenitudinem, & ſuperabundantiam charitatis ſuam lucem diffundant aliis fugantes tenebras errorum & peccatorum, & in Dei amore per ſanctam prædicationem, & converſationem alios accendentes, & illuminantes, undè ſubdit luceat lux veſtra &c. & talis fuit illa mulier, & anima, quam vidit Ioannes amictam ſole, coronatam ſtellis, & calcantem Lunam pedibus, ſcilicet coronatam fide, & virtutibus in ſe, lucentem per ſanctam converſationem, & bona opera, & calcantem omnia terrena; ut hinc redundet profectus ſpiritualis animarum, & glorificetur magis Deus: & hinc inferur primò, quòd Deus non eſt contentus, ut ſui ſequaces ſint ſolùm ſibi ipſis ſancti, ſed ad ſanctitatem propriam internam, exigit ut operatio exterior ſuperaddatur; hinc ſecundò infertur, quod in illis Religionibus, ubi magis viget cultus Dei, auſteritas exemplaris, multiplicatio operum bonorum, ad ſalutem animarum etiam recognoſcitur major perfectio: infertur tertiò, quòd Religioſi, & Prælati ſunt oculi mundi, ſicut ſol oculus mundi; unde ſi oculus eſt tenebroſus, & totum corpus tale eſt. *Op. Apol. Paup. reſp.*1. *c.*3. *ſer.*3. *Pent ſer.*3. *ſer.*3. *Pentec. op Eccleſ. Hier p.*4. *c.*3. *op. in Pater noſter. op. de ſex Alis Seraph. c.*7. *Luc.c.*6 *v.*15. *& c.*8. *v.*16. *& c.*11. *v.*36. *ſerm.*1. *in feſto omn. Sanct. ſer.*1. *dedican. op. mediat. c.*8. *Pſ.*1.8. *Ioan. c.*10. *v.*9. *& c.*15. *v.*8. *& c.*16. *v.*13. *ſer.*1. *in Purificat. B. Virg. ſerm. S. Clara ſerm.*1. *in feſto omn. Sanct. in addit.*

67. *Inſtruitur Diſcipulus Chriſti in ordine ad oſtenſionem vel occultationem operum bonorum.*

Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona &c. Hic textus videtur contrarius iis, quæ poſtea tradit Chriſtus ſuis diſcipulis: Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, ut videantur ab hominibus: &c. Quomodo nunc præcipit, ut operemur, ut videamur ab hominibus, & poſtea vetat, ne videamur? ſed attende hanc regulam conformem ſenſui Chriſti Jeſu: Bona enim quandoquè debemus aliis oſtendere, aliquandò occultare, bona noſtra ad quæ tenemur ex præcepto Dei, vel Eccleſiæ, vel ex voto, vel ex ſtatutis religioſis, debemus cunctis oſtendere, ut fidem, charitatem, juſtitiam, veritatem, caſtitatem, obedientiam, & contemptum mundanorum, & hoc ad gloriam Dei, quia ſi homines non viderent hæc in nobis, cum ſciant nos ad ipſa teneri, ſcandalizarentur, & reputarent nos prævaricatores voti noſtri, & de hujuſmodi dicit, Luceat lux veſtra &c aliquando verò bona occultare debemus, quæ ſpecialiter accepimus, ut gratiam internæ devotionis, vel quæ poſſunt nobis ſingularem laudem parere, ut ſingularis abſtinentia vigiliæ, aliaquè ad quæ non tenemur, aliquando etiam mala debemus occultare, quando vergunt in malum temporalium, & damnum proximi; aliquando ea manifeſtare, ut in confeſſione privata, vel quando ſunt publica, vel imperfectiones ordinariæ &c. *Op. de Prof. Relig. l.*1. *c.*10.

68. *Quomodo*

Digitized by Google

68. *Quomodo Christus non solvit legem, sed adimplevit.*

Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere. Quomodo hoc verè dixit Christus, cum multas leges antiquas in Adventu suo abrogaverit, ut præcepta cæremonialia, aliaquè multa? sed attende, quòd omnis lex, vel est naturæ, vel legis scriptæ, vel gratiæ, quas omnes in se voluit adimplere, etiamsi ad hoc non teneretur, vel adumbrata per figuras complevit, & ordinavit; Undè lex Evangelica est veluti complementum veteris, quia omnia ibi figurata adimpleta sunt in Evangelica. *Ser.21.Hexam. Luc.c.2.v.21.& c.10. v.26.& c.16.v.17.& c.22.v.17.in Ioan.c.1.v.17.*

69. *Sacræ Scripturæ infallibilitas, & irrefragabilitas expenditur: ubi quid iota & Apex.*

Amen quippè dico vobis, donec transeat Cælum, & terra, iota unum, aut apex non præteribit à lege, donec omnia fiant: cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Nota, quòd in his verbis voluit ostendere Christus infallibilitatem, & irrefragabilitatem Sacræ Scripturæ: in quibus primo loco apponit Amen dico vobis: *Amen* in Sacra Scriptura aliquandò tenetur nominaliter, ut in Apoc. c.3. Amen testis fidelis; aliquando adverbialiter, ut hic Amen dico vobis: quandoquè verbaliter, ut in oratione Dominica, significatquè verè, & fideliter, scilicet confirmationem eorum, quæ nos, vel alius dixit. qui modus frequens est in testamento veteri; vel affirmationem significat eorum, quæ dicturi sumus, & hic modus frequentissimus est in testamento novo: Nota etiam, quòd Iota est minima littera Hebræa: Apex verò est non punctum, sed summum fastigium, & caput Ipsius Iotæ, vel alterius quamtumvis minimæ litteræ aut caput, aut cauda, estquè ad ipsius litteræ decorem, & quasi minimum quiddam, daturquè intelligi, quòd nihil omninò nec parvum, nec magnum est in Scriptura, nec aliquid, quod non habeat complementum suum; omnia autem referuntur ad salutem humanam, quæ habebit dominationem, & durationem perpetuam, transeunte etiam mundana creatura secundum exteriorem faciem; undè liber Scripturæ est proximior libro vitæ, quàm libet creaturæ, & ideò inexpletus remanere non potest; & cum Scriptura Sacra sit tradita per revelationem divinam, dictante Spiritu Sancto, in ipsa nihil est contemnendum tamquam inutile, nihil respuendum tamquam falsum, nihil repudiandum tamquam iniquum, pro eo; quòd Spiritus Sanctus ejus auctor perfectissimus nihil potuit dicere falsum, nihil superfluum, nihil diminutum, & propterea Cœlum, & terra transibunt, verba autem Scripturæ Sacræ non præteribunt; quin impleantur. *Op. Brevil. in præam. & in Luc. c.16. v.17.& c.24. v.44.* Sed quid significat Cœlum, & terra transibunt? numquid vere corruptioni erunt subjecta? sed nota, quòd duplex sensus his verbis traditur à Doctoribus, alter est Sancti Bon. aliorumquè quòd Cœlum, & elementa transibunt, scilicet mutationem aliquam subibunt, non verò verba Christi; Alter sensus est ab impossibili, scilicet sicut impossibile est ista secundum cursum ordinarium transire ad nihilum, sic & verba Sacræ Scripturæ: *Sic S. Hilar. aliique SS. PP.*

70. *Quis minimus Doctor, magnus, & maximus in Ecclesia Dei.*

Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno Cælorum, qui autem fecerit, & docuerit hic, magnus vocabitur. Nota, quòd hic exprimit solùm minimum, & magnum Doctorem, reticet autem maximum, ut videas, quòd in Ecclesia Dei collocatus fuit minimus Doctor, & magnus, sibique Christus reservavit maximum gradum: minimus enim est, qui docet exterius dicens; non faciens, & operans; & iste minimus, scilicet pro nihilo reputabitur à Deo, & Angelis in judicio, scilicet respuetur, & damnabitur, magnus est, qui docet, & simul operatur, qui verbis, & factis docet legem Dei, & iste magnus erit in regno Cælorum, & à Deo coronabitur magna gloria; maximus verò est solus Christus qui verbis, & factis docuit exteriùs & interiùs lucens, & perficiens. *Psal. 118. c.11.v.11.& Psal. 125. & serm. 4. de uno Doct. in addit. Ioan.c.12. v.46.& c.20. in fine op. de tribus quæst. ad magistr. in nomin.*

71. *Parva in Dei servitio non sunt contemnenda, tam in bono, quàm in malo.*

Qui solverit unum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno Cælorum. Quæritur hic quænam sunt ista mandata minima? si sunt mandata à Deo præcepta, ergo non sunt minima, sed magni æstimanda? Chrisostomus respondet hæc minima esse additamenta facta à Christo præceptis decalogi, v. g. præcepto non occidendi additum est mandatum non irascendi, non injuriandi; præcepto non fornicandi additum est mandatum non concupiscendi, non adspiciendi objectum peccaminosum, & similes alios actus ad perfectionem evangelicam inducentes; Per hocque datur intelligi, quòd in Dei servitio, & stadio perfectionis nihil est minimum, licet videatur extrinsecè tale velut Iota, aut Apex, omnia enim à Christo ordinata sunt maxima, scilicet quoad præmium promissum, hocque in bono, in malo autem dat intelligete, quòd qui modica spernit incidet in maxima peccata, quia eadem fidelitas est servanda in re parva & maxima. *Luc.c.16.v.10.*

72. *Pœnitentia exterior sine interiore apud Deum nihil valet.*

Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Pharisæorum non intrabitis in regnum Cælorum. Quænam justitia est hæc Pharisæorum, quam Christus rejicit a suo servitio? hæc est pœnitentia exterior sine interiore, nam isti collocabant totam perfectionem suam in cæremoniis exterioribus; cavere ait Christus à tali justitia sola, sed superaddite etiam interiorem, sine qua non intrabitis in Cœlum. *Ser.5. de plur. Martyr. Luc.c.9. v.17.& c.16.v.15.& c.11.v.39.seq.*

73. *Qualem perfectionem exigat Chriſtus à ſuis ſequacibus: ubi de adimpletione conſiliorum.*

Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & Phariſæorum, &c. Nota, quod ad literam Chriſtus excellentiam legis Evangelicæ, ſuper veterem legis ſcriptæ, hic intendit extollere: attamen hæc verba poſſunt dirigi, & ad Chriſtianos omnes, & ſpeciali modo ad Religioſos; ſi ſumantur dicta omnibus Chriſtianis, ſenſus Chriſti eſt, quod qui volunt intrare regnum Cœlorum, debent non ſolùm pœnitentiam ſcribarum & Phariſæorum, etiam juſtorum aſſumere, & præcepta obſervare à Deo omnibus impoſita, ſed etiam in aliquibus caſibus conſilia Evangelica, quæ non ſolùm nos elongant ab illicitis, ſed etiam à licitis, quæ poſſunt eſſe occaſio mali. *Op. Brevil. p. 5. c. 9.* de qua doctrina *Vide Scot. lib. 1. d. 21. q. 1. Saar. de Relig. ſtc. 3. l. 1. c. 4. qui citat S. Bonav. alioſque.* Ex quibus inferunt Doctores, quod in multis caſibus homines tenentur obſervare conſilia aliqua Evangelica ſub veniali, & ipſa omittens ſe proximè diſponunt ad mortalia patranda: Attamen proprie diriguntur ad Religioſos, & profitentes perfectionem peculiarem, quibus dicitur, niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & Phariſæorum, ſcilicet ſæcularium, vel etiam Religioſorum legis ſcriptæ, non intrabitis in regnum Cœlorũ; quia veſtra juſtitia debet eſſe integra per zelũ divini amoris, per obſervantiam divinæ legis, & per deſiderium fraternæ ſalutis; debet eſſe ordinata per obedientiam ad ſuperiores; per ſocietatem ad pares, & per caſtigationem ad inferiores, debet eſſe perfecta, ut omni veritati conſentiat anima, omni bonitati faveat, & omni malitiæ adverſetur tam mente, quàm verbo, & opere, nihil agens alii, quod tibi nolis fieri, nihil negans alii, quod tibi velis impendi. *Op. de regim. anim. & op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 69.*

74. *Iracundia vitium quale malum, & quot gradus habeat.*

Dictum eſt antiquis non occides: ego autem dico vobis, omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio; qui autem dixerit fratri ſuo Racha reus erit concilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Nota quod hic Chriſtus incipit promulgare legem ſuam Evangelicam, in qua & falſas interpretationes à Phariſæis inventas ſuper legem veterem, abolere intendit, & additionem multorum actuum perfectorum ſuper, & ultra legem veterem tradit; incipit autem non à dilectione Dei, quæ jam expoſita erat in lege veteri, ne admitteretur in ipſa aliquid contrarium, vel mortale, vel veniale, ſed ut ait Chryſoſtomus, ab illis paſſionibus, ſcilicet furore, & concupiſcentia, quæ deſtruunt charitatem Dei, & proximi; meritò ergo incipit ab iis, quæ contrariæ ſunt charitati proximi, in quas facilius, & frequentius labitur homo: hinc dicit Chriſtus, omnis qui iraſcitur, &c. in quibus verbis Dominus ponit tres gradus circa reatum iræ: in quibus creſcens ipſe reatus culpæ, creſcere etiam debet ordo pœnæ: in primo eſt ira interior ſine voce, quæ punitur judicio: in ſecundo eſt ira cum voce quæ punitur concilio: in tertio ira cum voce contumeliæ, quæ punitur gehennæ incendio: In primo eſt rancor in affectu: in ſecundo eſt rancoris ſignum per Racha, quod eſt interjectio, & ſignum externum indignantis: in tertio eſt actio in proximum, ſcilicet certa expreſſio irriſionis, & contumeliæ: *Op. Comp. Theol. lib. 3. cap. 17. in Ioan. c. 12. v. 12.* Sed quid eſt reus erit judicio, concilio, & gehennæ? Reſpondent varii Doctores hic alluſionem fieri ad tria tribunalia Judæorum, primum erat triumvirum, in quo de minutiſſimis diſputabatur cauſis, & ſimul etiam de aliquibus gravibus, ut de homicidio ſimplici: ſecundum erat viginti trium Judicum, in quo diſputabatur de cauſis majoribus, & capitalibus, ut de homicidio ſeditioſo, proditorio, & ſimilibus: tertium erat ſeptuaginta & unum Judicum, in quo tractabatur de graviſſimis, maximéque publicis, ut de pace bello, falſo Propheta, de ſummo ſacerdote: Et quia Chriſtus perfectionem legis Evangelicæ oſtendere intendebat, ideo iram excludere conatur, ejuſque gradibus pœnam intentat ſecundum magis, & minus: ſic apud Lucam Burgenſ. Baron. aliique: Nota etiam, quod ſecundum aliquos Doctores, de ira, ejuſque gradibus agit Chriſtus, ſecundum quod eſt peccatum non ſolùm mortale, ſed etiam veniale: illi minatur mortem æternam, iſti judicium, ſcilicet pœnam in Purgatorio luendam: S. Bonavent. verò tenet hic agi de ira, ſecundum quod eſt peccatum mortale: *Sic op. ſpecul. Animæ: cap. 1. & op. de pugna ſpirituali cap. 4.*

75. *Ira ſecundum ſe, & in corde hominis quale malum.*

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio. Vide hic quomodò Dominus Jeſus volens retrahere genus humanum à furore iracundiæ animum deordinantis, ne prorumpat in damnum proximi, tamquam Judex rectiſſimus in his verbis cuilibet iraſcenti fratri ſuo prænuntiat pœnam æterni judicii; deſcribens peccati iracundiæ qualitatem, quantùm ad interiorem originem, quam habet ex malo animo, ut unuſquiſque intelligat quale malum ſecundum ſe ſit iracundia, non prout eſt propaſſio, ſcilicet primus motus abſque conſenſu; ſed prout paſſio eſt accedente conſenſu; & talis iracundia originem habet ex malo animo, in quo concurrit error cæcitatis ignorantiæ, ex defectu veritatis diſcernendæ, quantum ad rationalem, quia irâ perverſitur oculus rationis, ut animo non videat, vel diſtorqueatur, ut pernoſſe aliud pro alio probet, & improbet, & falſa pro veris approbet: nec ſinit cognoſcere, quàm Deo ſit charus frater ſuus, quàm dives virtutum, quàm dignus amari: concurrit, & livor malignitatis invidiæ, quantùm ad concupiſcibilem ex defectu charitatis fraternæ, & ob id ingerit pronitatem ad omnia facinora patranda: concurrit furor iracundiæ ad iraſcibilem ex defectu pacis, & concordiæ, reddentis hominem, ut feram, & irrationabilem beſtiam. *Ser. 1. Dom. 5. poſt Pentec.*

76. *Ira ad extra ſe diffundens quale malum.*

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio. Nota, quod hic Chriſtus explicat objectum iræ, quia non ſolùm in ipſo iracundi animo ſtrages affert, ſed foras effunditur in frattem, quod tripliciter fit ſecundum tria inſtrumenta corporis, ſcilicet cordis, otis, & operis: nempe perverſo judicio malignæ cogitationis in corde, duro verbo injurioſæ conviciationis in ore, & pravo maleficio fraternæ læſionis in opere, qui gradus in verbis ſalvatoris innuuntur; dicit enim omnis qui iraſcitur fratri ſuo, quaſi dicat Ego plus addo quàm non occidere, ſcilicet non iraſci, ut perfectius impleatur præceptum charitatis; & removeatur omnis quantulacumque occaſio occidendi, ſicque prohibetur ira ex malo animo, quo patibulum paratur proximo in domo cordis: ſecundò ſubdit Chriſtus, qui dixerit fratri Racha, vel fatue, ſcilicet prohibet vocem commotionis ad extra contra fratrem, & hinc tertiò prohibetur pravum maleficium fraternæ læſionis in opere, ut evenit in infelici Cain, qui priùs iratus eſt, poſteà conſurrexit in fratrem ipſum interficiendo: undè patet, quòd ex ira procedunt homicidia, furta, incendia, & quæcumque damna. *Ser. 1. Dom. 5. poſt Pentec.*

77. *Idem argumentum de effectibus peſſimis iræ malæ, ubi de ira virtuoſa.*

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, &c. Nota, quòd hic damnat Chriſtus iram provenientem ex perverſo, & maligno animo, quæ habet pro objecto læſionem fratris; non verò iram virtuoſam, quæ habet pro objecto vitium, non perſonam fratris, & procedit ex animo ordinato ſecundùm juſtitiam, & æquitatem: damnat igitur iram malam, & vitioſam, & meritò, nam hæc eſt veluti ignis conſumens omnem humorem boni gratuiti: comparatur autem iracundus ollæ bullienti, quæ bulliendo emittit foras ſpumam, ſcilicet ſtultitiam, & verba inordinata: undè iracundus eſt veluti inſanus, & arreptitius, allidit enim per impatientiam moleſtando, ſpumat per clamores contendendo, & contemnendo, & ſtridet dentibus machinando, & areſcit odium, & rancorem concipiendo: Iræ autem damna ſunt primò excæcatio rationis non ſinens videre quid juſtum, & quid injuſtum eſt: ſecundò pronum facit ad quodcumque malum: tertiò reddit hominem veluti inſanum, & rabidum, & in beſtiam commutat: quartò aufert homini ſeipſum, & tandem aufert omnem compaſſionem, & miſericordiam; iræque filiæ ſunt odium, lis, bellum exterius, & inteſtinum, homicidium, & rapina. *Op. Diæt. tit. 1. c. 5. p. ſpec. Animæ c. 1. & op. de pugna ſpecul. c. 4. op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 20. op. Comp. Theol. lib. 3. cap. 17. Pſal. 82. in Eccleſ. c. 11. ſer. 2. de S. Michaele, ſer. 1. de uno Doct. in addit.*

78. *De pœnis à Chriſto comminatis iracundis.*

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Quid eſt & quale eſt hoc judicium à Chriſto comminatum iracundo? Nota, quòd hic alludit ad pœnas, quas in judicio finali ſubibit iracundus; ſicut enim triplex gradus iræ aſſignatus eſt, ſic & triplex judicium pœnæ ordinatur à Chriſto; nam contra iram ſecretam in corde paratum eſt judicium, in quo ſcrutabuntur temeraria judicia cordis, in quo reperientur ſcripta veluti in libro omnia peccata accuſantia: contrà ſecundum gradum opprobrioſæ vituperationis inſurget judicium increpantis injurioſa verba oris: contra tertium gradum, ſcilicet furorem vindictæ erit judicium gehennæ infernalis. *Sermon. 1. Dom. 5. Pentec.*

79. *Paradiſus felicitatis mundanæ Infernus verè eſt, vel porta Inferni.*

Reus erit gehennæ ignis. Quid eſt gehenna? omnes conveniunt hanc eſſe Infernum: ſed cur appellatur Infernus gehenna? ſciendum eſt, quòd Gehenna erat vallis amœniſſima, quæ appellabatur ab Hebræis Ge-ideſt vallis, & Ennon, nomen proprium, de qua *Joſu. 15. & 18.* ſed cur vallis deliciosiſſima orcus, & infernus? Reſpondet S. Hieron. quia ibi colebatur idolum æneum, ſcilicet vel Saturnus, vel Moloc, ad quod Iſraelitæ concurrebant ad offerenda ſacrificia, & tali Idolo offerebant, & immolabant filios, ipſos deponentes in manibus Idoli, quod intus incenſum erat, & ſic paulatim conſumebatur parvulus, ipſis ſono, & cantu debachantibus circa Idolum, & hac ratione vocatus eſt iſte locus, & vallis, orcus, & Infernus, in quo miſerè filii cruciabantur. Pſalm. 82. Ex quibus inferendum eſt moraliter, quod locus voluptatis, & in quo delitiæ mundanæ debachantur, Infernus, vel janua inferni poteſt appellari, quia ex talibus delitiis exhauritur ab homine mors æterna. *Vide ſer. 7. de Apoſtolis.*

80. *Exponuntur ad litteram verba Chriſti: Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus, habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Ubi de reconciliatione inimicorum latè diſſeritur: Vide quomodò Chriſtus omnia, quæ ſupradixit, & quæ nunc dicit, & quæ infrà poſteà dicturus eſt, de dilectione ſunt; cum enim eſſet Deus, noſtri amore homo factus eſt, omniaque paſſus, ut & nos Deum, ac invicem amaremus, omnes pugnæ nervos, & cauſas præcidere intendit, quæ dilectionem corrumpunt, & hoc voluit Chriſtus principaliter facere, ad compaginandos lapides vivos ad perficiendam ædificationem Eccleſiæ. *Ser. 2. de Apoſt. in addit.* At hic occurrit difficultas: cur Chriſtus dixit, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, & non potiùs, quòd habes aliquid contra fratrem tuum, ut ſic prorſus ira à corde expellatur? Sanctus Ioannes Chryſoſtomus, aliique reſpondent, quod ly ſi habet aliquid adverſum te, intelligendum eſt ſive juſtè, ſive injuſtè; hoc eſt ſive injuſtè, quia ille te læſit, ſive juſtè, quia tu eum læſiſti, relinque ibi munus tuum, &c. vult ergo, ut proximos gravantes potremus indulgendo, gravatos verò compatiendo, ait S. Bonav. ſed cum hac differentia, ut qui fecerit injuriam teneatur adire fratrem, qui autem accepit, teneatur ante ſacrificium remittere, licèt non adire injuriantem ad reconciliandum illum; ex quibus concluditur, quod quantum ad affectum hoc præceptum aſtringit univerſos, eſt enim præceptum neceſſitatis

ceſſitatis excludere odium à corde, & remittere omnem injuriam proximo: quantùm ad ſignum aſtringit perfectos, nec ſemper, ſed pro loco, tempore, & circumſtantiis, quantùm ad effectum aſtringit omnes in articulo neceſſitatis: de qua materia. *Vide Luc. c. 6. v. 28 & c. 11. v. 3. & cap. 17. v. 4. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 17. lib. 3. ſentent. d. 30. per totam op. ſpec. Animæ c. 1. in fine.*

81. *Reconciliatio peccatoris cum Deo dependet ex ipſius reconciliatione cum proximo.*

Si offers munus tuum ante Altare, & recordatus fueris, &c. Vide quomodò, & quàm Deus diligat fraternam charitatem in nobis: cum enim ſacrificium ſit medium obtinendi gratiam, & reconciliationem peccatorum noſtrorum à Deo, potiùs vult, ut omittatur hoc propter reconciliationem faciendam à nobis cum proximo, & ſic ſuam gratiam vult pendere à gratia fratris, ita ut ſuam impertiri nolit, niſi fratris gratia impetrata; & hanc veritatem oſtendunt illa verba. *Matth. c. 6. ſi non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cœleſtis dimittet peccata veſtra. Luc. c. 11. v. 3.*

82. *Oblationis Deo variæ circumſtantiæ expenduntur.*

Si ergò offers munus tuum, &c. Nota, quòd in his verbis Chriſtus oſtendit nos offerre debere Deo munera, & ſacrificia, innuens etiam circumſtantias debitas tali oblationi; hic autem proponitur conſiderandum, quid, cui, quantum, quomodo, ubi, & quando offerre debemus: primo, quid; quia offerre debes tuum, non alienum, unde dicit munus tuum; tuum inquam non alienum ex rapina; tuum etiam, ſcilicet optimum Deo optimo, non deteriora, ut Cain, ſed ſicut Abel: ſecundò, Cui, ſcilicet Deo, omnia pro amore Dei faciendo; Deo item, non diabolo, ſcilicet in offenſam, & cum offenſa Dei: tertiò, quantum ſcilicet ſecundum facultatem tuam, & ſi non potes actu, offer tuam bonam voluntatem, quia, cor, non ſubſtantiam penſat Deus: quartò, quando, ſcilicet frequenter; & primò ante omnia Deo tua offeras: quintò, ubi, ſcilicet ad Altare vel verum, vel myſticum, ſcilicet in corde, vel in paupere: ſextò, quomodò, ſcilicet ſincere; & ſine rancore, vel mala affectione, vel cum peccato. *Ser. 2. Dom. 5. Pentec.*

83. *Qualis recordatio, & meditatio facienda in oblatione ſacrificii.*

Si offers munus tuum ad Altare, & recordatus fueris, quia frater tuus, &c. Nota ly, recordatus fueris, ſcilicet inter alia, quòd frater tuus habet aliquid adverſum te, &c. ergo recordatio multiplex facienda, ſive conſideratio facienda in oblationibus noſtris, ad hoc ut ſint Deo charæ: & quænam ſunt iſta? Ad quatuor capita præcipua reducuntur iſta: & ſunt primò recordatio peccatorum ſuorum, & proximi, ut per oblationem obtineatur ipſorum remiſſio: ſecundò largitas beneficiorum Dei, ut Deo gratiæ reddantur pro infinitis beneficiis, quæ inceſſanter à Deo recipimus: tertiò neceſſitas proximorum, ut ipſis ſubveniamus corporaliter, & ſpiritualiter; quartò, eſt ſtipendiorum diverſitas in ordine ad bonum, & malum, ut excitemur ad benè vivendum: hæc omnia proponuntur memoranda in oblatione Deo à nobis facienda. *Serm. 3. Dom. 5. Pentec.*

84. *Confraternitas mutua hominum excitat ad dilectionem mutuam.*

Vade priùs reconciliari fratri tuo. Cui fratri? ergone tantùm exigitur hæc reconciliatio inter fratres, & non inter alios extraneos? inter fratres ſolùm; ſed attende, quòd omnes homines ſunt fratres ex uno, & eodem Creatore conditi, ex uno Patre progeniti, ex eodem ſanguine Chriſti redempti, & ad idem præmium in Cœlo ordinati; ergo ut fratres debemus nos mutuo diligere. *Luc. c. 10. v. 27. & ſer. 4. Dom. 5. Pentec.*

85. *Pax cum diabolo qualis habenda.*

Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mitteris. Tota hujus ſententiæ difficultas eſt, quid per adverſarium intelligatur. Multi cum S. Hieronimo volunt intelligi diabolum: at quomodò poſſibile eſt, ut in hac vita diabolo conſentiamus, ſive ut ex Græco eſt, benevoli, ac placati ſimus? ſed attende ad moraliſſimum myſterium: diabolus creatione dicitur etiam frater noſter, cui nequaquam reconciliari debemus in aliqua etiam minima ſuggeſtione, quia ſemper nobis intentat malum, & ruinam. *Ser. 4. Dom. 5. Pentec.* Et ſi id, quomodò poſtea dicit eſto conſentiens iſti adverſario tuo? ut id intelligas, ait S. Hieronimus cum Tertulliano, transfer mentem ad abrenuntiationem, quam in Baptiſmo feciſti, quando diabolo, omnibus pompis, & mundanis, & carnalibus renuntiaſti; cave ergo, ne aliquid, quod diabolo renuntiaſti, reaſſumas; ne Chriſtus in jus adverſarii te tradat, ſicque & pacem, ſimulque bellum cum diabolo habebis. *Vide Tertull. lib. de Anima, c. 35.* Pugnandum eſt igitur inceſſanter contra diabolum, nec ei obtemperandum, ne jus aliquod in nobis aſſumat.

86. *Angelo cuſtodi adverſario noſtro quomodo conſentire debemus.*

Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via. Quis iſte adverſarius in via ſolùm? Nota hic eſt Angelus noſter Cuſtos à Deo deputatus; ſed ſi ad cuſtodiam deputatus eſt, quomodo dicitur adverſarius, & non potius amicus, & frater? eſt quidem amicus, & frater amantiſſimus noſter, & quia eſt talis dicitur meritò adverſarius noſter in via hujus vitæ, quia ejus munus eſt nobis obſiſtere in malis, & peccatis, ponere impedimenta, ne peccemus, objurgare nos, ſi in peccata labimur, ô bonus, & pius, & amans adverſarius noſter; eſto igitur conſentiens iſti adverſario tuo, ait Chriſtus, eique obtempera, ne fortè poſtea in morte tradat te judici; & ideò dicit eſto conſentiens citò, dum es in via hac mortali, quia poſt ipſam Angeli te accuſabunt de tua inobedientia, & obſtinatione, & inſtabunt, ut judex te tradat miniſtro ideſt diabolo tortori,

tortori, & mittat te in carcerem infernalem usque ad minimum quadrantem, ideſt ubi nihil remanebit impunitum, vel usque ad minima peccata. *Ser. de S. Michael. & lib. 2. d. 21. a. 2. q. 1. ad ult.*

87. *Verbum, & sermo Dei est adversarius nostra carnalitatis ducens nos in via hac.*

Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via, &c. Nota etiam, quòd iste adversarius, cui obedire debemus est sermo, & verbum Dei, quod est contrarium nostris carnalibus desideriis in præsenti vita, quodque nobis immittit Christus; ut ducat nos in via hujus vitæ sive Innocentiæ, sive pœnitentiæ, sive sapientiæ, & vitæ spiritualis; huic jubemur consentire, & obedire implendo præcepta, declinando prohibita, sperando promissa & timendo comminationes, per quas vias carnalitas ire recusat, sed beatus est; qui se duci sinit ab isto adversario felici, & sancto, & amico, alioquin judex Christus nos tradet exactori diabolo ut mittat nos in carcerem infernalem, donec reddamus usque ad ultimum quadrantem: nota ly, donec, quod importat tempus coæ vum solutioni, ideò dicitur donec, scilicet semper in æternum punietis, quia numquam reddes, & solves, vel persolves, nec unquam obtinebis veniam. *In Lucam cap. 12. ad finem.*

88. *Discordes punientur acerbissimè in inferno.*

Esto consentiens adversario tuo citò; dum es in via, &c. Nota, quòd ad litteram loquitur Christus de discordiam foventibus, & de pœna ipsis præparata, esto, ait Christus, consentiens adversario tuo, scilicet illi; cui per discordiam advetsaris, pacem, & concordiam exete. cum ipso; & hoc fac citò dum es in via, quia nemo novit diem mortis; & ideò in hac via necessario vel ad Cœlum, vel ad infernum pergit homo, ne forte Christus tradat te in morte tortori diabolo, ut in carcere Inferni puniaris in æternum. *Sermon. 3. Dom. 22. post Pent.*

89. *Peccata sive parva, sive magna impunita esse non possunt: ubi de pœna peccatorum venialium in hac, & altera vita.*

Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas ultimum quadrantem. Nota hic, quòd Christus dat intelligere, quòd nulla peccata sive magna, sive parva impunita esse non possunt; nam vel homine pœnitente, vel Deo puniente plectuntur. ultimum quadrans verò significat peccata venialia, quæ in hac vita retardant gloriam, in altera vita in Purgatorio debent purgari pœna acerbissima, in Inferno verò simul cum mortalibus punientur pœna æterna, quia dicit Christus donec reddas, &c. ideſt numquam reddes, & impetrabis veniam, ideò æternaliter punieris, semper solves, & numquam persolves. *Serm. 3. Dom. 22. Pentec. Luc. cap. 12. ad finem. Bonsfal. Commen. Theol. lib. 3. cap. 7. & 13. Vide lib. 4. d. 22. p. 1. a. 1. q. 1. ad arg.*

90. *Omnis actus luxuria sive externus, sive internus à Deo prohibitus:* ideò hic dicit Christus, *Audistis, quia dictum est antiquis, non mœchaberis:* quæ verba malè intelligebant Judæi credentes, quòd soli actus exteriores essent hic prohibiti, & Christus, ut tollat fallaciam talem à cordibus hominum addidit, Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam (scilicet extra formam Matrimonii) jam mœchatus est eam in corde suo; & ideò omnis actus internus circa hanc materiam ubi incurrit consensus voluntarius, est peccaminosus mortaliter. *Luc. c. 18. vers. 10. serm. 6. in op. sc. de decem præcept. serm 2. Dom. 11. Pentec. ap. Comp. Theolog. lib. 5 c. 70.*

91. *Luxuria est major mercatura diaboli super alia vitia.*

Non mœchaberis: amen dico vobis, quia omnis qui viderit, &c. Quæritur cur in tot locis scripturæ Deus prohibeat mœchiam, & concupiscentiam hanc? Respondetur, quia est peccatum contra legem naturæ, quam etiam bruta servant in hoc: tum etiam, quia est quædam animæ labes, quæ cito maculat, & vix potest tergi; tùm quia est quidam animæ ignis, qui subitò inflammat, & vix potest extingui; est & sitis animæ, quæ semper cruciat, & vix potest sitiari, & hinc hæc est major mercatura diaboli, quia in aliis peccatis lucratur diabolus unum peccatorem pro uno peccato, sed in mœchiâ lucratur pro uno peccato duos, & plures, & hinc est, quod diabolus plus intendit in hac materia, quàm in quacumque alia; & ideò est communior via inferni, per quam fere omnes incedunt; dicitur autem per fabulam, quod diabolus habuit uxorem, & ex illa septem filias habuit, superbiam, quam tradidit mulieribus, quæ totum suum studium ponunt in vanitate, & speculo, & pectine, & crinibus, & monilibus, & ornatu capitis: usuram dedit Mercatoribus, rapinam militibus, & magnatibus, simoniam Clericis, & Prælatis, hypocrisim Religiosis, & luxuriam omnibus. *Onusc. Diat. tit. 3. cap. 5. & 8.* Nota etiam, quod aliquis recipit unam, & alius plures, alius omnes istas filias in uxores; & quantò plus habes filias diaboli tantò plus habebis de hereditate ejus; scilicet de igne æterno, quando cum filiabus ejus veneris ad Infernum. *Ser. 1. dom. 5 Quadrag.*

92. *Mulieris aspectus inficit sicut Basiliscus, imò pejor Basiliſco.*

Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo. Vide qualis morbus sit mœchia & luxuria: sed cur ad solum aspectum mulieris cum perverso animo committitur mœchia? scilicet peccatum mortale? ut videas, quòd mulier mala est veluti Basiliscus, quæ solo aspectu interficit hominem, imò peior est: nam Basiliscus si aspicit hominem, ipsum interficit, non verò si solùm aspicitur (imò tradunt naturales, quòd interficitur in tali casu ipse Basiliscus) hic verò

verò ſi homo aſpicit malitiosè mulierem, remanet læthaliter percuſſus, & venenatus : fuge ergo ò homo aſpectum mulieris. imò propinquitatem. & familiaritatem tamquam ſerpentis, ne morbo contagioſo inficiaris. *Op. Diet. tit. 3. cap. 5.*

93. *Oculorum cuſtodia quàm ſollicitè ſervanda, maximè ab aſpectu mulierum.*

Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, &c. Nota ordinem, primo loco ponit viſum, qui viderit, poſteà ſubdit ad concupiſcendum eam, ſcilicet in corde, ut videas, quod mors intrat per feneſtras ſenſuum, & maximè oculorum, & quàm ſollicitè cuſtodiendi ſint oculi, ne vana carnaliaque objecta videant, quia ſæpè ex tali injuria mors peccati mortalis intrat in animam. *Ser. 2. Dom. 19. Pent. & ſer. 4. Dom. 16. Pentec. & op. Prof. Religioſ. lib. 1. c. 39. & op. Comp. Theol. lib. 3. c. 28. & l. 6. 5. c. 70. & in ſap. c. 14. & ſer. 1. de nno S. Doct. in addit.*

94. *Occaſiones ad peccandum excitantes vitandæ.*

Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te erue eum, &c. Et ſi dextera manus tua ſcandalizat te, abſcinde eam. &c. Nota hic, quod non ſolùm vult Chriſtus, ut evitentur peccata manifeſta, ſed etiam omnes occaſiones reſcindantur ad peccatum inducentes, & hoc probat exemplo oculi dextri, & manus dextræ, ità ut ſi tibi eſſent occaſio peccandi, ea debeas reſcindere ; qui enim amat periculum, in illo peribit. *Op. Diet. tit. 1. c 9. & op. Apol. Paup. Reſp. 1. c. 3. op. Comp. Theol. lib 5. c. 70.*

95. *Conjuges mutuò ſupportent inter ſe imperfectiones, & vitia : ubi de libello repudii, & divortio.*

Dictum eſt antiquis : quicumque dimiſerit uxorem ſuam, det ei libellum repudii : Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam machari ; & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Vide hic (ait Gloſſa) quomodo Chriſtus nil intactum, nil imperfectum relinquit, ut ſanctiſſimam, ac ex omnibus illibatam nobis legem præberet : nam ſuperius cum docuerit alienam uxorem non eſſe concupiſcendam, conſequenter hic docet ſuam non eſſe dimittendam : hic autem ſuboritur quæſtio, quid ſit hoc libellum repudii, & an eſſet licitum in lege ſcripta, & an ſit modo licitum, & quid de divortio : quibus omnibus reſpondetur : Primò, quòd libellum repudii erat ſchedula, in qua vir manifeſtabat ſe dimittere uxorem, eique concedebat facultatem alteri nubendi : hoc libellum numquàm fuit licitum ſine peccato, & culpa, quia erat contrà jus naturale, & primam inſtitutionem matrimonii ; erat tamen licitum, quoad pœnam, quia in lege non puniebatur talis dimiſſio, & hoc factum eſt à Moyſe ob condeſcentiam duritiei illius populi : & ſi hoc non fuit licitum ſine peccato in lege ſcripta, multò minus in Evangelica : *lib. 4. d. 33. a. 1. per totum* : Nota tamen, quòd aliqui Doctores excuſant etiam à peccato : ſecundò : Divortium permittitur in lege Evangelica ob fornicationem, quia hæc eſt contra Deum, contrà corpus ſuum, contrà matrimonii bonum, contrà conjugii actum, & contrà corpus conjugis, & ideo amittere facit jus petendi debitum, non tamen poſteà licet conjugibus ſepatatis ad novum matrimonium tranſire : *lib. 4. cit.* & c. Doctores tamen etiam ob alias cauſas graves poſſe fieri divortium admittunt ; & iſtæ, in ſumma ſunt ; prima fornicatio, ut dictum eſt : ſecunda, ſævitia, ex qua periculum alteri imminet : tertia, furor vehemens ob eamdem cauſam ; quarta, fornicatio ſpiritualis. maximè hæreſis, vel quandò adeſt continuum periculum, & occaſio peccati : quinta, crimen ſodomiæ, &c. de qua materia agunt Doctores morales : *Vide lib. 4. d. 35. a. 1. per totum Luc. c. 16. v. 18.* Cum autem Chriſtus coarctaverit ad has graviſſimas cauſas divortium, elicitur ex hoc documentum morale : nempè, quod conjuges debent ſe mutuò ſuſtinere, & propria vitia, & onera portare, ut ſervetur perpetua unio cum ipſis.

96. *Explicatur ſenſus Chriſti circà juramentum ; ubi de conditionibus requiſitis ipſius.*

Audiſtis, quia dictum eſt Antiquis : non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua : Ego autem dico vobis, non jurare omnino, &c. Ecce quomodo Chriſtus reformata charitate proximi, ſtatim ad charitatem Dei tranſit ; & primo loco agit de juramento, ne adſit occaſio mali (ut dicit Gloſſa :) hic autem quæritur quis ſenſus fuerit Chriſti Jeſu in his verbis : an vere prohibuerit omne genus juramenti, dicendo : Ego autem dico vobis non jurare omninò ? Hæretici plures, ut Manichæi, Anabaptiſtæ, aliique peſſimè aſſeverant hic omne juramentum prohiberi : ſed tamen hic non eſt ſenſus Chriſti verborum, nam differt dicere, non jurare omninò, & omnino non jurare, ſicut differt dicere quidam homo non currit, & non quidam homo currit : omninò non jurare, eſt nullo modo jurare (hoc non dixit Chriſtus) non omnino jurare eſt non omnibus modis jurare, ſed ex certis, & juſtis cauſis : primus ſenſus eſt in ſenſu compoſito, ſecundus in ſenſu diviſo : lubet ergò Dominus, ut non aſſumatur juramentum omnibus modis, ſed cum debitis circumſtantiis, ſive per Deum immediatè, ſive per creaturas quaſcumque Deo ordinatas ſivè communes ſignificatas per Cœlum, & terrã. ſivè per ſacras ſignificatas per Jeroſolymam, ſive proprias ad nos pertinentes ſignificatas per caput noſtrum, ad juramentum autem licitum requiritur primò veritas, ſecundò judicium, ſcilicet cum maturitate, & neceſſitate ; tertio juſtitia, ſcilicet de re licita, & juſta, extrà quas circumſtantias ſit noſtra aſſertio eſt, eſt. vel negatio non, non, ſcilicet ſimpliciter affirmando verum, vel negando falſum ad imitationem Chriſti, qui per Amen aſſerebat verum, negabat falſum ſine juramento : undè addit Chriſtus, quod autem his abundantius eſt, à malo eſt. quaſi dicat, à malo eſt ſive noſtro, ſive alieno, ſcilicet aut quia fide non digni, aut ex alterius injuſta diffidentia, ex qua oritur uſurpatio juramenti :

Digitized by Google

menti : ſic S. Auguſtinus ; vel cum aliis dicendum, à malo eſt, ſcilicet ex mendacio, in quo homines tam faciliter peccant, undè juramentum omne ab hoc malo provenit, licet de ſe non ſit malum. *Op. de decem præcept. ſer. 3. & S. Auguſt. S. Hieronim. Abul. Aliique & opuſc. Comp. Theol. lib. 2. c. 63. & in Pſal. 118. c. 7. verſ. 10. in Eccleſ. cap. 8.*

97. *Idem de juramento : ubi de ſimplicitate verborum.*

Non jurare omnino, &c. ſit ſermo veſter eſt, eſt, &c. Nota quod hic inculcat Chriſtus ſimplicitatem verborum, quam à ſuis exigit ; undè dicens ſit ſermo veſter eſt, eſt, non, non, ideſt ſi affirmatio, vel negatio eſt in ore, ſit etiam in corde, & ſi addatur juramentum ſit ex cauſa ; undè juramentum quantum ad infirmitatem pertinet, à malo eſt, ſcilicet à diffidentia ; vel à periculo mendacii, ideò ob id permittitur, ut hoc malum tollatur ; inter perfectos autem non eſt neceſſarium juramentum, quia in his quod in ore, & ex ore promitur, ex corde veraci provenit : addit Chriſtus neque per Cœlum, &c. prohibens jurare per creaturas propter idololatriam, ne ſcilicet credamus aliquid numinis eſſe in illis, fiunt tamen juramenta aliquando per Evangelium, & Crucem, id eſt per eum, cui hæc ſunt dedicata : *Op. Comp. Theol. lib. 5. c. 70. & lib. 3. ſent. d. 37. dub. 2. & d. 49. a. 2. qu. 2. & 3.* Nota etiam, quod Deus prohibet juramentum, non quia malum, ſed ob pronitatem hominum ad dicendum falſum, & ob id non vult, ut paſſim aſſumatur, ſed tantùm ex neceſſitate. *in Eccleſ. c. 8.*

98. *Manſuetudo in læſione corporis, & rerum ſuadetur viris perfectionem profitentibus ; ubi de pœna talionis : de percuſſione dexteræ : de repetitione rerum in judicio.*

Audiſtis, quia dictum eſt Antiquis : oculum pro oculo, & dentem pro dente : Ego autem dico vobis non reſiſtere malo. Vide hic, ait Gloſſa, quòd Chriſtus poſtquàm docuerat proximo non eſſe inferendam injuriam ; nec irreverentiam Domino, conſequenter hic docet, qualiter Chriſtianos ſe habere debeat ad injuriam ſibi inferentes, & quia hæc injuria, & læſio poteſt fieri vel reſpectu corporis, vel rerum, hinc inſerit proportionata documenta ad utrumque : Et primò innuit pœnam talionis in lege ſcripta, in qua eadem pœna fulminatur ei, qui injuſtè pœnam proximo infert, dicens oculum pro oculo, &c. ſcilicet per æquivalentiam ; ſed hanc legem rigoris Chriſtus ſuis diſcipulis moderavit aſſignans aliam & oppoſitam pœnam talionis, nempè imprimendo legem amoris in ſuis, ut non ſolùm injurias tolerarent, ſed & ipſas cuperent, quod proprium eſt hominis verè pacifici, ut vitia repenſent non vitiis, ſed virtutibus, & amore : ſic Sanctus Auguſtinus, Theophilactus, aliique Patres cum Seraphico Doctore : Dicit igitur, ſi quis tè percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram, ideſt ſis paratus aliam injuriam ſuſtinere patienter : & ſi quis vult tecum contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, renuntiando ſcilicet omnibus : Nota autem hic, quod contingit ſua repetere coram Judice fideli dupliciter, aut cum contentione, & fraude, aut cum charitate ; primum nulli licet ; ſecundum verò licet infirmis ; & imperfectis, non verò perfectis, illis eſt conſilium, iſtis præceptum, unde licet repetere ſuà ex zelo juſtitiæ ; intendendo conſulere ſaluti rapientis, & refrænationi cupiditatis alienæ, & etiam timore caſus, ſcilicet ne ob paupertatem cadat quis in culpam ; & etiam homine communitatis, ſed ſi hoc verum, quomodò Religioſi repetunt ſua licitè in judicio, qui omnibus renunciaverunt ? Reſpondetur, quòd Religioſis, qui renunciaverunt proprietati ; non licet repetere ſuà, ut ſua, ſed ut congregationis, non propter ſe, ſed propter commune bonum. *Op. Comp. Theol. lib. 5. c. 70. Pſal. 36. & 54. & 100. in Luc. c. 6. v. 30.* Excipe tamen ab hac facultate Fratres Minores, qui renunciaverunt omnibus in particulari, & in communi : Nota etiam, quod dicens Chriſtus, ſi quis te percuſſerit, &c. non propter hoc prohibet bellum juſtum pro tutela patriæ, vel pacis, vel fidei, ſed talem patientiam proponit vitis perfectis ut ipſam exerceant exhibendo maxillam animo, ſed non ſemper exterius. *Luc. c. 3. v. 14. & c. 22. v. 49.* & tali exemplo uſus eſt Chriſtus Jeſus percuſſus in maxilla, ſcilicet cordis præparatione. *In Ioan. cap. 19. verſ. 23.*

99. *In judicio univerſali pauper exiget cùm Chriſto pallium à divitibus crudelibus.*

Qui vult tecum contendere in judicio, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium : Quis iſte, qui contendere conatur in judicio ſuper id, quod non eſt ſuum ? ergonè juſtè id poteſt fieri ? ſed attende quod myſticè id evenit divitibus ; qui à pauperibus in hac vitâ petunt tunicam, panem, vinum, & neceſſaria : ſi crudeliter ab ipſis divitibus tractentur ; in judicio univerſali cum ipſis coram judice contendent ſuper tunicam, & eleemoſynam ipſis injuſtè negatam ; ergo ſi nunc paupet ad te confugit contendens, & petens tunicam, veſtem, &c. noli ipſam ſibi negare. *Serm. 3. de S. Barthol. in addit.*

100. *Juſtus nihil ſiniſtrum habet, ſed omnia ſua ſunt ad dexteram.*

Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Quam alteram ? Alteram maxillam dexteram dicit Chriſtus, ſed quomodò id dicitur ? ergone duplex maxilla dextera ineſt in homine ? maximè reſpondet S. Hieron. in homine, ſcilicet juſto, in quo nihil ſiniſtrum eſt, ſed totum eſt dexterum, quia omnia ſua ad Deum, & Cœlum ordinat : ſi igitur quis te percuſſerit in dexteram, quæ eſt fortior, præbe illi & alteram promptus ad idem, & majora ſufferendum : *Sic & S. Bona.* Addit hic Paſcaſius Rathb. per dexteram intelligi conſcientiam, quæ percutitur ab inimico, quando ei aliquod falſum impingitur, & maximè quando bonum, ut malum exiſtimatur ; tunc autem virtutis actus heroicus erit, ſi id patienter non ſolùm feramus, ſed & ſi totum corpus, & nos ipſos offeramus ad

ſa, & majora ſufferenda contrà calumniatores, & calumnias.

101. *Charitatis completio eſt ex inimicorum dilectione.*

Audiſtis quia dictum eſt : diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum : Ego autem dico vobis : Diligite inimicos veſtros, Vide, ait cum Gloſſa, hyperboſtomus, quomodò Chriſtus ſuos ſequaces gradatim ex infimo ſtatu ad ſupremum ſanctitatis, & gloriæ veluti manudicit : nam ſuprà primò cavit eos non incidere in injuſtitiam : ſecundò æqualem non vindicare : tertio non reddere malum irroganti, quæ quis paſſus eſt quartò eſt exponere ſeipſum ad patiendum malat quintò ampliùs ſe tribuere quam ille vult : ſextò non odio habere eum, qui hæc operatur : ſeptimò diligere : octavò benefacere ; nonò pro ipſo orare, & quia magnum eſt hoc & præclarum præceptum, & præmium ſubdit, ſcilicet fieri ſimiles Dei, ut ſitis filii Patris veſtri. *op. de dono conſilii c. 4. ſic etiam Chryſoſtomus Homil. 18. in Matth. & Gloſſa hic.* Hic autem ſuboriuntur plures quæſtiones prima an verè in lege veteri concedatur odium in inimico ; ſecunda quomodo dilectio inimicorum ſit ſumma perfectionis Chriſtianæ : tertia quomodò, & qualem filiationem Dei afferat : Quibus reſpondetur : Primò numquam fuiſſe licitum alicui velle malum ſpirituale, vel triſtari de bono proximi ſpirituali, quia tenemur ipſum diligere in ordine ad Deum, & beatitudinem, in aliquibus caſibus poteſt quis odiſſe bonum temporale inimici, quando hoc redundat in damnum animæ : & ſi inter Judæos admittebatur hæc propoſitio diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum, hæc fuit interpretatio falſa Phariſæorum, qui arguebant à contrario ſenſu, quia tantùm præcipiebatur eis diligere amicos, ex hoc arguebant, quod debebant odiſſe inimicos : unde poteſt reduci ad verum ſenſum hæc propoſitio, quod inimicus, ſcilicet Eccleſiæ, & cultus divini, quoad effectum poteſt odio haberi, non tamen inimicus perſonalis, & odio affectus, quia ſemper diligendus eſt. *Lib. 3. d. 30. a 1. q. . ad primum : Poteſt etiam exponi de diabolo inimico. Pſ. 12. & S. Auguſt. ſer. 55. de temp.* Præterea notandum, quod hoc præceptum Chriſti de dilectione inimicorum intelligendum eſt de dilectione quoad affectum prout ordinatur ad Deum, & ſummam beatitudinem ; quoad effectum verò non ſemper, niſi concurrente neceſſitate vel ex parte diligentis, vel ex parte inimici v.g. ad vitandum ſcandalum, vel ratione officii ſuſcepti, vel exiſtente inimico in extrema, vel gravi neceſſitate, qua deficiente dilectio quoad effectum eſt actus ſupererogationis : *lib. 3. d. 30. a. 1. qu. . . & 5.* Tertiò reſpondetur ad ſecundam quæſtionem, quod charitas, ſi conſideretur ſecundum ſe, ejus ordo exigit, ut prius diligatur amicus, quàm inimicus ; ſi verò ex parte diligentis, ſic dilectio inimicorum eſt dignior, quia ibi eſt major difficultas, & reſiſtentia, ideò majorem perfectionem exigit, & Dei charitati facit magis ſimilem, qui cum inimici eſſemus, nos dilexit ; & hinc dicitur iſta dilectio complementum totius charitatis. *Lib. 3. d. 30. qu. ult. op. de dono pieta. c. 1. op. medii c. 28. & 79.*

102. *Inimicorum dilectio in quibuſnam tradit ſub præcepto, vel conſilio.*

Ego autem dico vobis, diligite inimicos, &c. ut ſitis filii Patris veſtri, &c. Nota quod tria involvuntur in hoc præcepto : primum eſt dilectio, affectio interior, & hæc cadit ſub præcepto omnibus hominibus : ſecundum eſt benefacere inimicis, & hoc quoad opus externum tempore neceſſitatis cadit ſub præcepto, extrà neceſſitatem cadit ſub conſilio : tertium eſt orare pro ipſis, & hoc loquendo in communi præceptum eſt ; quia quis peccaret mortaliter, ſi inimicum excluderet ab orationibus ſuis ; in particulari eſt actus perfectioni Chriſtianæ, quia qui amat Chriſtum amicos, & inimicos amplectitur, & hic actus eſt proprius pietatis doni Spiritus ſancti ; diligere enim ſolùm amicos eſt actus pietatis naturalis ; diligere amicos, & inimicos eſt donum Spiritus ſancti. *Op. Comm. Tocal. lib. 5. c. 70. op. de dono Piet. c. 1. op. de ſeptem itin. æter. itin. 4. d. 4. a. 3. & lib. 3. d. 30. ſuprà cit. Pſ. 118. c. 10. v. 15.*

103. *Charitatis ignis in inimicos convertit mala in bonum, & theſaurum ditiſſimum diligenti præparat.*

Ego autem dico vobis, diligite inimicos, &c. ut ſitis filii Patris veſtri, &c. eſtote perfecti ſicut Pater, &c. Nota, quod in his verbis aperit ſuis ſequacibus modum quo veluti arte chimica poſſit converti omne malum in bonum, ſpinæ, tribulationes, perſecutiones in theſaurum ditiſſimum ; duas autem rationes adducit Chriſtus ad excitandum nos ad hanc dilectionem inimicorum, altera eſt ut ſitis filii Patris veſtri, ſcilicet ut ſimilitudinem acquiratis Domini noſtri Jeſu Chriſti : altera eſt, eſtote perfecti ſicut Pater veſter perfectus eſt, ſed quis eſt, qui poſſit eſſe perfectus ſicut Pater cæleſtis ? ſed tamen per hoc prætendit, ut divina imago in nobis ſplendeat, nempè ſicut ipſe pluit ſuper bonos, & malos, ſic & ipſius imitatores : unde hic infertur, quod majus lucrum ſine comparatione nobis provenit ex inimicorum dilectione, quàm amicorum ; nam dilectio inimicorum, ait S. Auguſt. & Baſilius, eſt veluti ars chimica, quæ convertit ſentes ſpinarum, tribulationum, perſecutionum, odii in puriſſimum aurum meritorum, ut evenit feliciter tot ſanctis Martyribus. *Vide lib. 3. d. 30. ſuprà cit. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 28. op. medii c. 12. ſ. r. . ſer. 2. Pentec & ſer. 1. in feſto S. Petri ad vincula : in Luc. c. 22. v. 21. & 50. & c. 23. op. expoſ Reg. s. 10. in fine.*

104. *Qualis filiatio divina obtineatur per dilectionem inimicorum : ubi de diſpoſitione ad gratiam, & ad indulgentiam obtinendam.*

Diligite inimicos veſtros, ſcilicet ex charitate ; ut ſitis filii Patris veſtri, &c. Quæritur qualis ſit hæc filiatio adipiſcenda per exercitium hujus actus charitatis ? nonne ſupponitur ad hunc actum charitas in corde diligentis, quæ eſt filiatio adoptiva Dei ? ad quid denuo promittit novam filiationem ? ſed attende ad mirabiles effectus dilectionis inimicorum, qui enim ut Chriſto obediat diligit

inimicum

inimicum, vel habet habitum charitatis in corde, vel non, ſi habet, ergo & imaginem filiationis divinæ in eſſe permanenti fuit in anima: quid amplius denuo requiritur? requiritur cooperatio conſequens ad tale eſſe, ſed inter omnes actus charitatis in proximum, dilectio inimicorum cæteros ſuperat, & per conſequens veluti novam filiationem in actibus ſecum fert; ſi autem caret gratia Dei diligens inimicum, ecce medium efficax obtinendi gratiam, & filiationem divinam; nempè dilectio inimicorum, & ideò hoc cæteris omnia media diſpoſitiva ad gratiam obtinendam excellit, & ſupereminet; eſt enim eleemoſyna ſpiritualis, quæ proximo fit Deo chariſſima; ſic diſcurrunt S. Aug. cum aliis Sanctis patribus. *Vide Seraph. Doct. locis cit. & lib. 3. d. 30. dub. ... & lib. 4. d. 16. p. 2. dub. 4. & 5. & ſer. 3. Dom. 5. poſt Pentec. op. de ſeptem itin. æternit. itin. 4. d. 4. a. 3.*

105. *Maxima vindicta eſt pro inimicis orare.*

Orate pro perſequentibus vos. Cur Deus addit ad dilectionem inimicorum orationem pro ipſis fundendam? ut adderet novum, & inuſitatum modum ſumendi vindictam de inimicis, & verè maximam, & aſperrimam: vide quomodo: Saulus perſequebatur Chriſtianos, & inter ipſos maximo odio Stephanum, qui Dei charitate accenſus orabat pro perſequentibus, & ideò vi ſuæ orationis, convertit Saulum in Chriſti Apoſtolum; quid inde ſecutum eſt? hoc ſecutum eſt, quod numquam Stephanus potuiſſet tot mala Saulo inferre, quibus ipſe converſus ad Chriſtum ſe ſubjecit, nempè vincula, carceres, flagella, perſecutiones, & mortem violentam ob peccatum commiſſum contra Stephanum unde frequenter dicebat quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei. *Sic S. Auguſt. lib. 1. c. 4. de ſer. Dom. Vide S. Bon. op. inſtruct. Novit. p. 2. c. 11. op. ſpec. B. Virg. lib. 17. In Ioan. c. 13. v. 34. Luc. c. 23. v. 34 ſer. 1. Petri ad vinc.*

106. *Patientia Dei, & miſericordia in bonos, & malos expenditur.*

Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Ad quid ponitur iſte ortus ſolis ejuſque irradiatio ſuper bonos, & malos, cum hoc ſit omnibus notiſſimum? ut pateat quanta ſit Dei miſericordia in homines, ejuſque patientia, quæ ſingulariter elucet in tribus, primò quia multa beneficia præſtat bonis & malis ſecundò, quia dum miſericordiam ſuam in juſtos effundit, injuſtos & peccatores tamen diu expectat ad pœnitentiam; tertiò quia conſolatoriè punit & bonos, & malos. *Pſal. 1. Sap. c. 15 Pſal. 135.*

107 *Chriſtus ſol mundi, Eccleſiæ, & animarũ.*

Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Quis eſt iſte ſol Patris ſolem ſuum oriri faciens? Nota, quòd dicit ſolem ſuum poteſtque intelligi, de ſole materiali quem oriri facit ſuper omnes indifferenter: myſticè de ſole ſpirituali, qui eſt Chriſtus ſolus præ omnibus lucens tamquam oculus mundi, quia ipſe cathedrã tenens in Cœlo, corda hominum in tertiis illuminat, ideò illuminator eſt Eccleſiæ, fons totius caloris, & amoris ſpiritualis, & Pater plantarũ ſpiritualiũ, & hinc ſuper bonos, & malos oritur, ut omnes illuminentur. *Sap. c. 5.*

108. *Oratio etiam peccatorum exauditur.*

Qui ſolem ſuum oriri facit, &c. & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Vide ex hoc, quòd etiam ſæpè oratio malorum exaudiatur à Deo, maximè in bonis temporalibus. *Ser. 4. de dedic.*

109. Eleemoſyna danda quidem juſtis principaliter, ſed tempore neceſſitatis etiam injuſtis; exemplo Dei, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper juſtos, & injuſtos. *Diurnit. 2. c. 7.*

110. *Deus per juſtos bona ſua in injuſtos influit: ſicut & flagellat juſtos propter injuſtos.*

Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper juſtos, & injuſtos; & pluit ſuper juſtos, & injuſtos. Cur primò nominat Evangeliſta juſtos, poſtea injuſtos? cur non dicit ſuper injuſtos, & juſtos, ut gradatim aſcendat ad ſuperabundantiam ſuæ miſericordiæ? ſed hoc fit cum maxima advertentia, & myſterio; dicit priùs ſuper juſtos, in quos bonitatis ſuæ Deus radios ſubmittit; & deinde eos ad ſeipſum attrahens, per ipſos ſuper malos etiam expectans forinſecus ſicut radius ſolaris ad feneſtram clauſam expectat; de natura ſuæ bonitatis nullatenus retrocedens, ſed pulſans continuè, ne per defectum ipſius conferentis; ullus ſpiritus rationalis Chriſtianus videlicet, infidelis aliquis, vel Judæus divini amoris inopiam patiatur; ex quo addiſcere debent Deum diligentes, qua cura, & fervore ipſi curare debeant orationibus, & aliis exercitiis ſpiritualibus ſalutem peccatorum; & ad tam multiplicem ſtragem animarum pereuntium vitandam accurrere; ut omnes ad vitam amoris mortui ſuſcitentur, & excæcati interius illuſtrentur, & perveniant ad cognitionem lucis divinæ veritatis. *Op. my. Theol. c. 1. n. 3* Ecce quomodo peccatores omnia ſua bona juſtis debeant & Sanctis. Addit hic S. Joannes Chryſoſtomus, quòd non ſolùm pluit Deus ſuas gratias ſuper juſtos & injuſtos, ſed etiam eos ſimul flagellat, non ſeparando peccatores à juſtis in bonis, ne deſperent, nec in malis juſtos à peccatoribus ne glorientur. *Sic Chriſtianus in Imperf. Hom. 13.*

111. *Qualem perfectionem exigat Chriſtus à ſuis ſuprà Ethnicos, & mundanos.*

Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? & ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facitis? nonnè & Ethnici hoc faciunt? Dubium ſuboritur in his verbis, ex eo, quod videtur Chriſtum negare mercedem diligentibus amicos, & fratres, dicendo quam mercedem habebitis, & tamen etiam hoc eſt virtutis politicæ chriſtianæ; ſed attendendum eſt, quòd Chriſtus non negat ſuam mercedem diligentibus amicos, & fratres ob motivum ſupernaturale, id enim eſt actus charitatis ordinatæ; negat autem mercedem ob motivum mere naturale, quia non naturæ, ſed gratia remuneratur, idque eſt perfectionis valdè conformis naturæ, ſed amplius exigit Chriſtus à ſuis ſequacibus, ſcilicet dilectionem & amicorum, & inimicorum, hæc enim eſt, quæ nos Chriſti diſcipulos facit differre à mundanis, & Ethnicis, *Serm. 2. & 5. Hexam. in Luc. cap. 14. verſ. 12.*

Et ratio iſtius differentiæ eſt quia prima dilectio eſt pietatis naturalis, non ſupernaturalis actus; ſecunda verò eſt p etatis doni Spiritus Sancti, cujus fructus ut plenitudo juſtitiæ debitè ordinantis hominem in ordine ad ſe, ad Deum, & proximum *Ser. 2. & 5. Hexam. op. de dono piet. c. 2.*

112. *Perfectio qualis exigatur in nobis ad ſimilitudinem Patris cœleſtis.*

Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Quid eſt hoc, quod in nobis prætendit Chriſtus? ergone ad perfectionem divinam poterimus pervenire? maximè, loquendo de perfectione, non quoad æqualitatem, ſed quoad ſimilitudinem; & hoc eſt, quod nos docuit Chriſtus gradatim aſcendendo de perfectione in perfectionem uſque ad dilectionem inimicorum, cum exhibitione operum charitatis, & orando ſimul pro ipſis, hoc enim eſt perfectiſſimorum Chriſtianorum, & Religioſorum, ſicut ſuo exemplo nos docuit Chriſtus cum perſecutoribus, & cum Juda proditore. *Op. de grad. virt. c. 2. & 15. & opuſc. Comp. Theol. lib. 3. c. 70.*

113. *Idem de perfectione requiſita in Chriſti diſcipulis.*

Eſtote perfecti ſicut Pater, &c. Nota, *ly, ſicut Pater*; ſcilicet ad ſimilitudinem Chriſti Patris veſtri, quæ perfectio conſiſtit in charitate Dei, & proximi, quæ eſt perfectio amicitiæ ad Deum, & ad proximum, & probatur triplici munere, ſcilicet in munere beneficentiæ, ut ad ſimilitudinem Patris cœleſtis facientis oriri ſolem ſuper bonos ſerviamus amicis; in munere indulgentiæ, ut indulgeamus injurias, hoc nimis valdè gratum, & perfectum eſt coram Deo: in munere excellentiæ, ut amore excellenti, & filiali Deo ſerviatur, & non timore ſervili, qui redigit Dei ſervos uſque ad dandam animam pro Chriſto. *Serm. 2. de S. Anton. in addit.*

114. *Idem de perfectione, & perſeverantia.*

Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Ecce concluſio hujus capitis, in quo virtutes ad regnum Chriſti ducentes innuuntur, ſcilicet mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleemoſyna, obedientia, abſtinentia, patientia, charitas in amicos, & inimicos; ad hæc quid ultrà ſupereſt? ecce quid, Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt: Pater cœleſtis perfectus eſt in ſummo, & perpetuo, ſic requiritur perſeverantia, hæc enim ſola coronat animam; unde ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt ſine termino, ſic à ſuis ſequacibus exigit perſeverantiam in currendo de virtute in virtutem ſine intermiſſione. *Pſalm. 67. op. ſtim. div. am. p. 3. cap. 4.* Et hoc eſt, quod Seraph. Pater Sanctus Franciſcus ſuis fratribus ordinavit. *Opuſc. Expoſ. Regul. c. 10.*

115. *Charitatis proximi gradus enumerantur.*

Eſtote perfecti, &c. ſcilicet uſque ad ultimum gradum charitatis in proximum, quorum primus eſt, quod fratri nec verbo, nec facto noceas; ſecundus, quòd fratri te offendenti indulgeas; tertius, quod de malo fratris tui non gaudeas, ſed doleas: quartus, quod de bono non doleas, ſed gaudeas: quintus, quòd ejus ſcandalum caveas: ſextus, quod fratri ſcandalizato ſatisfacias: ſeptimus, quod fratri ſubvenias: octavus, quod fratris rem, & cauſam cum Deo non negligas: nonus, quòd fratrem non contemnas: decimus, quod fratrem fraternè admoneas: undecimus, quod cum fratre benignè te habeas, benigne ſupportando, loquendo, & agendo: duodecimus, quòd pro fratre animam ponas. *Ser. 1. de Apoſt. in addit.*

116. *Mariæ Virginis perfectio ſit exemplar noſtra.*

Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Nota, ait Tertullianus, quod hic proponitur Pater, & cum ſit terminus correlativus, involuitur etiam Mater; unde verè poteſt dici eſtote perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis, ſcilicet Chriſtus, & ſicut Mater, ſcilicet beatiſſima Virgo Maria; ut autem intelligatur Mariæ perfectio, transfer mentem ad dies creationis, qui omnes habuerunt manè, & veſpere, initium, & finem, excepto Sabbatho, in quo Mariæ creatio figurabatur, ut videas, quòd Maria ab inſtanti Conceptionis fuit dies perfecta, & ſine termino; ut hinc excitemur ad imitationem in ſtadio virtutis Chriſti, & Mariæ. *Vide ſer. 1. 2. & 3. de B. Virg.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Suprà Dominus noſter determinavit de operibus miſericordiæ, & juſtitiæ, nova præcepta antiquioribus perfectiora tradens: nunc in iſto capite, ne aurea ejus mandata in aliquo vitientur, ordinat, & regulat finem, quo operanda, ne ſcilicet ob pravam, & vanam gloriam, ſicut nec ob avaritiam, aut lucri deſiderium; undè prius pravum finem excludit, juxtà illud, Attendite ne juſtitiam &c. poſteà bonam apponit juxtà illud, Tu autem cum oraveris, &c. Sic Chryſoſtomus, & Gloſſa, &c.*

CAP. VI.

2. *Vana gloria peſtis, & beſtia diſſipans omnia bona.*

ATtendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ne videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt. Ecce quomodo Chriſtus Jeſus zelans, quòd bona opera noſtra nó ſint fruſtratoria, præcipuèque externa, quæ ſunt eleemoſyna in ordine ad proximum, oratio ad Deum, & carnis mortificatio, & jejunium quoad nos dicit, Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ſcilicet ob vanam gloriam; quaſi dicat, cavete

cavete à vana gloria, quasi à mala bestia, & serpente, & quasi à peste, ait Chrysostomus: cavete ne faciatis opera vestra pro terrena mercede, vel gloria externa, alioquin merces vestra, quam in cœlo haberetis, commutabitur in terrenam, & vanam, & sine fructu? quia justitia ista non est veritatis, sed vanitatis, non ad rem, sed ad hominem, non intra, sed extra, & potiùs culpa detestanda, quàm virtus commendanda, potiùs digna pœnâ, quàm retributione æterna, ideò cum tali justitia falsa non intrabitis in regnum Cœlorum. *Luc.c.*14.*v.*12.*& c.*16. *v.*14. *op. de pugna spirit.c.*8.

3. *Idem de vana gloria, & de modo eam superandi.*

Attendite, ne justitiam vestram faciatis, &c. Nota, quod non sine mysterio Christus post enumerationem virtutum, quas exigit in suis discipulis, statim admonet, ut caveant à vana gloria; cum enim omne malum ex malo nascatur, sola vanagloria de bono procedit, & ideò non destruitur per bonum, sed magis nutritur, quare meritò tinea vocatur virtutum, quæ se occultè ingerit virtutibus, & in medio ipsarum moratur ita, ut vix à spiritualibus valeat comprehendi; hæc est multiformiter vana, semper & in omnibus vanitatem ingerens in vestitu, in apparatu, in loquela, in taciturnitate; si veste pretiosa indutus fueris, adest; si humilis fueris, amplius gloriatur, si loqueris, gaudet unde dixeris, si taces, laudat te humilem; ipsa semper suggerit, & magnum desiderium ingerit ad illa, in quibus laus, & honor consistit, etiam per magna pericula, & labores; & majorem dat fortitudinem suis amatoribus, quàm ipes beatitudinis vetis prælatoribus: hæc eadem bestia suggerit gradum clericatus, presbyterii, & diaconatus; ipsa quærit, quod ad gradus quis cogatur ascendere, ne ipse appetere videatur, non possunt varietates hujus bestiæ explicari, cum ubicumque eam projeceris, semper stat aculeo recto sicut tribulus; ipsa est allium, quoties unum tegmen removeris, aliud adhuc intus habet; ubi autem ipsa intraverit, matrem dolosam sequuntur filiæ perversæ, quæ sunt inobedientia, contentio, jactantia, hypocrisis, pertinacia, discordia, novorum inventio, sed quomodo vinci potest hæc bestia? attende; cave summo studio, nec quicquam intentione gloriæ incipias facere cogitans id, quod hic advertit salvator, receperunt mercedem suam: & illud. *Gal.c.*1. *si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*; item debes niti, quòd id, quod bona intentione incepisti, simili custodia ab inquinatione gloriæ custodias; item quidquid singulare est, & undè laus, & gloria posset conquiri, semper est vitandum bellanti contra hanc bestiam, nam principium privationis vanæ gloriæ est custodia oris, & linguæ, & amor humilis societatis, ignominia consummata coram multitudine miserabiliter adinveniri, & potissimum tandem remedium est orare Deum, ut ipse te liberet. *Op. de pugna spirit c.*8. *op. Cantil.p.*1. *ser.*18. *op. Comp. Theol.lib.*3.*c.*11. *op. spec. an.c.*1. Sed tamen adverte, quod hoc consilium Christi contrarium non est dicto superiori Christi: videant opera tua, & glorificent patrem suum, &c. nam ut ait Chrysostomus *in Imperf. Hom.* 19. qui justitiam facit, non ut ab hominibus videatur sed ut glorificetur Deus, & si coram hominibus fecerit, non tamen coram hominibus fecisse videtur, qui enim aliquid facit propter Deum, neminem videt in corde suo, nisi Deum, propter quem facit, sicut artifex, cum semper præ oculis habet, qui sibi oculis faciendum commisit. *Luc.c.*6.*v.*25. *& c.*16 *v.*10. *Vide quod suprà dictum est in capite antecedente de hac materia.*

4. *Meritum aliud est præambulum ad supplicium æternum, aliud ad gloriam.*

Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Quinam sunt isti? sunt qui justitiam suam faciunt, ut videantur ab hominibus, & ideò propter gloriam vanam: & quam mercedem? mercedem transitoriam, fugacemque gloriolam; & quid superest eis? nil aliud, nisi supplicium æternum, ut expertus est dives ille epulo, cui dictum est fili recordare, quia recepisti bona, scilicet mercedem tuam in vita tua, & isti sunt mercenarii mali, quibus meritum est præambulum ignis æterni; non sic mercenarii boni, qui propter gloriam Christi solam operantur, & ideo mala, quæ patiuntur, merita, quæ lucrantur, sunt præambulum ad vitam, & mercedem æternam, quia mercedem non exquisierunt in hac vita. *Luc.c.*16.*v.*25. *& c.*14.*v.*12. *& c.*15.*v.*17.

5. *Eleemosyna qualis est semen vile, & qualis pretiosum.*

Cum ergo facis eleemosynam noli tuba canere, &c. receperunt mercedem suam. Quid est tuba canere? quinam sunt, qui tuba canunt, cum faciunt eleemosynam? Notant hic plures Patres ad litteram, morem fuisse antiquum congregandi ad unam horam pauperes ad eleemosynam percipiendam, ne per totum diem vagarentur, & ut nullus eleemosyna defraudaretur & hinc Chrysostomus notat, quòd Christus alludit ad illos, qui more Pharisæorum eleemosynam distribuunt, veluti tubam sonantes ad gloriam captandam, caveant discipuli Christi ab hac tuba, quia eleemosyna est semen, si jacitur ob vanam gloriam. sic est semen vile simile illi grano, quod in eodem anno seminatur, & metitur, sicut milium, & ordeum, scilicet in anno hujus vitæ; si verò jacitur motivo charitatis, sic est semen pretiosum, sicut frumentum, quod in uno anno seminatur, & in alio metitur, quodque licet videatur perdi, tamen renovatur, & cum fœnore colligitur in alio anno, scilicet in æterna gloria: felix qui sic seminat. *Op. Diast.it.*2. *cap.*7.

6. *Prædicatorum, & Confessorum infelicitas, qui eleemosynam verbi Dei jactant pro munere temporali.*

Cum facis eleemosynam noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ, &c. receperunt mercedem suam. Nota, quòd hic nomine eleemosynæ non solùm venit subsidium temporale egenis porrectum, sed & spirituale, & præcipuè verbum Dei, quod Prædicatores frangunt, & distribuunt auditoribus famelicis; hos igitur admonet Christus, ne talem eleemosynam distribuant pro mercede temporali, sed tantùm pro salute animarum; nam illi Prædicato-

res,& Confeſſores non excuſantur à peccato qui magis pro commodo corporis frequentant loca illa, ubi ſunt bona hoſpitia, & majus lucrum temporale, & uolunt pro ſalute animarum divertere ad villas pauperculas, & ibi paupertatem pro Chriſto apud illos aliquandiu tolerare, cum ipſi profeſſi ſint extremam paupertatem, indignos ſe faciunt eiſdem officiis,quæ pro ſubveniendo omnibus ſuſceperunt, ſi pro commodo temporali, vel muneribus, vel ob vanam gloriam à magnatibus capiendam ea vendunt,amen dico vobis, ait Chriſtus,receperunt mercedem ſuam, quam hic principalius, & ſtudioſius quæſierunt; & de his conqueritur Jeremias,dederunt pretioſa quæque, ſcilicet verba Dei, & auctoritatem abſolvendi à peccatis confeſſis, pro cibo, ſcilicet pro corporis alimento ea principaliter impendunt, væ & iterum væ iſtis infelicibus. *Op.libel.apologet.q.*19. *vide num.ſeq.*

7. *Qualis intentio præfigenda actibus noſtris,& an plures fines poſſint eidem actioni præfigi.*

Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua,quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Dubium hic ſuboritur, quid ad litteram intelligat Chriſtus per ſiniſtram, & dexteram? & quomodo poſſit aliquid agi à dextera ſine participatione ſiniſtræ? in quo alii exponunt ipſum litteraliter, alii myſticè & omnes conveniunt, quòd Chriſtus intendit excludere ab actibus noſtris omnem intentionem ſiniſtram; temporalem,& pravam; nam per dexteram intelligit Chriſtus intentionem rectam in Deum, per ſiniſtram temporalem in terrenas res, ne decipiamur putantes per ſe conſtituere plures fines incompoſſibiles actibus noſtris, ſcilicet pro Deo, ejuſque gloria,& pro vana gloria,vel aliquo alio pravo fine: neſciat, ait Chriſtus, ſiniſtra tua,quid faciat dextera tua. ideſt cave, ne mixtionem pravam ingeras tuis operibus, ſed totum ordina ad Dei gloriam, & ad mercedem æternam;& totum ſtudium converte, ut in corde tuo viva, vera, & perfecta intentio ſoli Deo nota reſidear:nota tamen, quòd duos fines ſubordinatos poſſumus eidem actioni præfigere,vel duos fines compoſſibiles; primo modo fit, ſi ad Dei puram gloriam agis,& ſecundo ad mercedem æternam: ſecundo modo,ſi aliquod opus agis ad Dei gloriam primario, licet ſit ordinata ad aliquod commodum licitum temporale. Vide *Op. Comp. Theol. lib.*5. *c.*70. *Luc.c.*11.*v.*41.*Ioan.collat.*28.*lib.*2. *d.*38. *a.*1. *q.*3.*op. Eccleſ.Hierarch.* p.4.c.4. Notant etiam hic plures Patres cum S. Bern. quòd in illis verbis Chriſti, ſed Pater tuus, qui videt in abſcondito,&c. dat intelligere, quod noſtra bona opera debent ita fieri directa ad Deum, ut ſint tantùm in Dei ſcientia abſcondita,ita, ut ſi poſſibile eſſet ſint nobis veluti ignota. ideſt non reflectendo in ipſa;unde Sanctus Antonius Abbas dicebat illum non orare, qui attendit ſe orare, illum perfectè orare, qui ſic orat ad Deum, ut non advertat ſe orare. *Sic Theophil.& Caſſian.*

8. *Oratio cum eleemoſyna connectenda.*

Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant, &c. Notandum primo loco,quare immediatè Chriſtus poſt eleemoſynam propoſitam ſubjungit orationem? ſed in hoc relucet maximum myſterium,ait Chryſoſtomus, cum enim ad orationem prærequiratur præparatio, hæc omnium optima eſt, ſcilicet eleemoſynæ largitio; quia vacuus intrat antè Deum, qui veniens ad orationem nullam facit eleemoſynam,ſed munita eleemoſyna excedit mundum, penetrat aradiſum,evolat ad ipſum ſummæ majeſtatis, Angelo offerente, conſpectum.*Op.Phar.lib.*4.*c.*45.

9. *Oratio fundenda ad Deum ſine mixtione vanæ gloriæ,& intentionis mundanæ.*

Et cum oratis,non eritis ſicut hypocritæ.qui amant in ſynagogis, & in angulis plateærum, (ſive in *compitis*, ut legit Chryſoſtomus) *ſtantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam.* Vide quomodò Chriſtus zelat ardenter,ut omnia opera bona noſtra appareant in conſpectu ſuo abſque mixtione terrenitatis,& gloriæ vanæ, quæ eſt propria hypocritarum, de quibus dicitur hic, quòd ad captandam auram popularem, & vanam orabant in ſynagogis,ſcilicet in conventu publico, & in angulis plateanim,ſcilicet in compitis,& in viis publicis ſtantes,veluti immobiles, ut à tranſeuntibus attenderentur,ſic Chryſoſtomus, Abul.aliique: Cavere.ait Chriſtus à ſimili oratione, quæ ſolum Deum debet habere pro objecto, ejus cultum,venerationem. & devotionem;nam ſuperbia,& humanæ gloriæ appetitus meritum tollit orationis, & hominem cadere facit. *Ser.*5.*de uno Confeſſore. ap.ſpec.diſcipl.p.*2.*c.*1.

10. *Oratio ut volet ad Deum debet habere alas, ſcilicet eleemoſynam,& pœnitentiam, jejuniumque.*

Cum oratis,non eritis ſicut hypocritæ.&c.tu autem cum oraveris intrà in cubiculum, &c. Nota, quod Chriſtus poſt propoſitam eleemoſynam, ſubjungit orationem à nobis faciendam, & modum, quo facienda,& deindè proponit jejunium, tu autem cum jejunas, &c. Ad quid in medio inter eleemoſynam, & jejunium collocat orationem?cur non primo loco,vel ultimo, ut oratio ſit vel principium, vel complementum ſanctæ vitæ, & perfectionis; ſed merito.& cum maximo myſterio id facit quia cum oratio ſit volatus, & aſcenſus animæ in Deum; & ad hunc indigeat alis ad volandum ad tribunal Dei; hinc ecce alæ à Chriſto propoſitæ, nempe miſericordia, & jejunium, pœnitentiaque, unde media inter iſtas ſocias conſtituta duabus alis volat ad Cœlum quia ſic expoliatur omnibus terrenis, & carnalibus blandimentis, & citiſſimè ad Deum aſcendit. *Ser.de S. Martino. & ſerm.*2. *de S.Martino in addit.*

Digitized by Google

11. *Oratio non ſolùm ab oſtentatione, ſed & ab inquietatione creaturarum expurganda.*

Tu autem cum oraveris intrà in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum. Vide quomodo Chriſtus ordinatè procedit in inſtitutione ſuorum fidelium, nam proponens orationem ab ipſis Deo faciendam, ſuprà ab oſtentationis vitio expurgandam docuit, nunc ab inquietatione creaturarum docet nos debere cavere, dicens intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora &c. *Luc. c.18.v.1.*

12. *Cor efformetur ad modum templi Deo ſacrati ad fundendam ibi orationem.*

Intra in cubiculum tuum; & clauſo oſtio ora Patrem &c Cur in cubiculum vult, ut intret homo ad orandum, & non potiùs in Eccleſiam; quæ eſt domus orationis? ſed attende ad myſterium; invitat nos Chriſtus quidem in Eccleſiam, tamquam in domum orationis, ſed de hoc non eſt contentus, vult ut in aliud templum ſecretius intremus, nempe in cor noſtrum Deo dicatum contritione, & affectu, & devotione, & ibi orationes noſtras ſequeſtrati à creaturis fundamus Domino; dicitur autem cubiculum, quia ibi anima quieſcit, & cubat; dicitur templum, quia dum contritione, & devotione refertum eſt, templum ſit Deo dicatum, dicitur, & altare ſuper quod omnia noſtra vota, & oblationes ipſi ſunt offerenda. *Ioan. collat. 22. Dict.tit.2. c.2.& 6.ſer.1.de dedic.Luc.c.5.v.16.*

13. *Idem de oratione fundenda in corde.*

Intra in cubiculum tuum. Cur in cubiculum, & non in Eccleſiam? undè quæritur an oratio fuſa in Eccleſia ſit Deo gratior, quàm in loco ſecreto? ſed attende, quod ſe habent tamquam excedens, & exceſſum: nam oratio fuſa in Eccleſia, quæ eſt domus orationis eſt cæteris paribus Deo gratior, dummodo tamen ſit fuſa in corde clauſo ab omnibus creaturis, ſed tamen oratio facta in loco ſolitario ſecurior eſt ab omni oſtentatione, ab aliorum inquietatione, ab occaſionibus, quæ ſe ſenſibus offerunt. *Op.myſt.Theol.c.3.p.3.Luc.c.5. v.16.ſer.4.Dom.9.Pentec.ſer.4 de dedic.*

14. *Solitudo, & ſeparatio à creaturis quàm conferat efficatiæ orationis.*

Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum &c. Nota, quòd in his verbis ſuadet animæ oranti ſolitudinem; & qualem? duplex ſolitudo ſcilicet mentis, & corporis; prima ſemper neceſſaria ad perfectam orationem, ſecunda utilis valde, & ideò dicit intrà in cubiculum tuum, ſcilicet ad ſimilitudinem Chriſti, qui ſecedebat in deſertum, & ibi orabat; *Luc.c.5.* quaſi dicat, ô ſancta anima ſola eſto, ut ſoli Deo omnium ſerves teipſam, quem tibi ex omnibus elegiſti; fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis, & intimis, & ab illo, qui tibi miniſtrat; an neſcis te habere verecundum ſponſum, & qui nequaquam velit tibi ſuam indulgere præſentiam præſentibus cæteris? ſecede ergo, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu, quamquam & corpore interdum non otioſè te ſeparas præſertim in tempore orationis. *Luc. c 5. v. 16. & op. myſt. Theol.ſupracit.& op.Dict.tit.2.c.2.*

15. *Omni tempore ſemper orandum.*

Intra in cubiculum &c. Cur locum aſſignat orationi, ſcilicet in cubiculo; non tempus? ſed attende ad id, quod *Luc.c.11.* dicitur, Et factum eſt, cum eſſet Jeſus in quodam loco, ſcilicet orationi apto, ſolitario, & ſecreto; ubi locus exprimitur ſed tempus tacetur, ut oſtenderet, quòd omni tempore indifferenter eſt orandum; oportet enim ſemper orare, & non deficere, & licet hoc non fiat actu, ſaltem affectu, & bonis actibus, quia non ceſſat orare, qui non ceſſat benefacere. *Luc.c.9.v.1.& c.18.v.1.ſer.4. Dom.9. Pentec.*

16. *Gloria, & gratia, & divitiæ animæ orantis ſunt ab intus ad modum Cœli.*

Intra in cubiculum tuum; & clauſo oſtio ora Patrem tuum. Cur vult Dominus, ut orans intret in cubiculum intetius, in ſe ipſum ab intus, & non oret etiam exterius? Nota, quòd Chriſtus non prohibet orationem exteriorem, ſed intendit, quod anima orans ſit veluti Cœlum myſticum; nam ſicut Cœlum interpolare aliqua de ſuis divitiis aſpicientibus repræſentat, ſed plura, & nobiliora ab oculis intuentium ſubtrahit; & occultat; ſic & juſtis; & Religioſis orantibus convenit, ut aliquas de ſuis virtutibus oſtendant aliquando ad ædificationem proximi, ſed plures abſcondant propter humiliationem ſui, ut de ipſis verificetur, tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum &c. ideſt non omnia omnibus reveles propter oſtentationem, hoc enim proprium eſt hypocritarum, quorum opera ad tempus lucere veluti ſtellæ videntur. ſed quia non ſunt veræ ſtellæ, ſed apparentes in fine, quia à fructu ſunt vacua, funditus annullantur; at juſti, quando aliqua oportet facere proximis ad exemplum, in occulto faciunt quoad intentionem, nam nobiliora in Cœlo, plus cælantur, quàm illa, quæ in firmamento ſenſibiliter intuentur, ideò in Dei abſcondito ſua occultant opera, & ſic ſtabilia permanent uſquè in poſterum, atque fixa, *Op.Eccleſ.Hier.p.4.c.4.* intra ergo ô anima in cubiculum cordis ad orandum, nam non in publico, ſed in ſecreto tractantur negotia gravia, & divitiæ occultantur, ut ſerventur ſecuriùs. *Dict. tit.2.c.2.& Eccleſ.Hier.ibid.*

17. *Anima intret in Cœlum ad orationem ibi fundendam, & in Dei immenſitate cubet.*

Intra in cubiculum tuum &c. Quodnam eſt hoc cubiculum? cubiculum eſt locus, in quo cubant animæ beatæ, & quieſcunt, hoc eſt Cœlum; vis ergo orate? oratio eſt aſcenſus animæ ad Deum, & ingreſſus in Cœlum, in hoc Cœlo ingreſſa, intra priùs in aliud cubiculum, ſcilicet in teipſam, ibi deſcende per tui humiliationem, & conſiderationem tuæ vilitatis, hinc aſcende

ad

ad Dei immenſitatem, & ingreſſa ad illud collegium beatorum, tunc divina charitate ignita incipe orare ferventer, ut poſſis dicere cum Propheta, concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. *Pſal.* 38. & dum dù oras, ſpeculare illam Jeruſalem triumphalem ut ſpeculando poſſis dicere cum Apoſtolo. *Phil.* 3. *noſtra converſatio in Cœlis eſt: op. Regula Novit. cap.* 2.

18. *Anima ut benè oret, intret in latus Chriſti vulnus.*

Intra in cubiculum tuum &c. Quodnam eſt hoc cubiculum apertum cuique volenti intrare? hoc eſt pectus ſacratiſſimum Chriſti ſemper omnibus apertum; intra ergo ô anima in vulnera Chriſti, & ibi fac tria cubicula, & tabernacula unum in manibus, unum in pedibus, ſed aliud continuum in latere, ibi quieſce, ibi dormi, ibi comede, lege, ora, meditare, & omnia tua negotia pertracta, ibi loquere ad cor Chriſti, & ab ipſo, quod volueris, impetrabis; ô ſtulti, & tardi corde, qui ad poſſidendum Dei Filium ſummum bonum, candorem, & ſplendorem æternum per apertas vulnerum januas non introitis; intra, intra ô anima in hoc cubiculum tuum tibi apertum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum; quid eſt clauſo oſtio? quale oſtium in hoc cubiculo claudi poteſt, ſi ſemper omnibus apertum ſervatur à Chriſto? clauſo oſtio, ideſt ad omnia exteriora, ad omnia creata, etiam ad ſeipſum, ut ſic anima exiens extrà ſe, & ſuper poſita univerſis, imo ſuper te abſtracta ab omnibus creatis tota reſolvatur in Chriſtum crucifixum, transformetur, & convertatur, ut nihil videat, aut ſentiat in hoc mundo, imò intrà ſeipſam, niſi Chriſtum crucifixum, illuſum, exprobatum, & paſſum pro nobis, & ſic reſoluta, & veluti ſitibunda eamdem Paſſionem orando ruminare non ceſſet, & intrans ſecundum poſſe ſuum illum Paſſionis theſaurum humiliter, & devotè liqueſcat amore devoto, & fervida devotione vel dilectione deficiens à ſe requieſcat in Chriſto crucifixo; ô felix anima intrans in hoc cubiculum cæleſte. *Op. ſtim. p.* 1. *c.* 1. *&* 4.

19. *Tempus ſurripiatur ſæpè cæteris negotiis, ut in oratione impendatur.*

Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio &c. Nota iterum, quòd Chriſtus aſſignando locum pro oratione facienda à ſuis ſervis, tempus tacet, quare hoc? quia cum omne tempus aptum ſit orationi, hoc relinquit fervori ſuorum ſervorum, dans intelligere, quòd ſi non ſemper, ſaltem frequenter inſtandum eſt orationi, & ideo ſanum, & ſanctum conſilium eſt Sanctorum Patrum ut ſervi Chriſti, maximèque Novitii curare debent tempus, & otium vindicare ut ad ſe reverſi, mentiſque cubiculum introgreſſi orent in abſcondito Patrem ſuum, & in corde contrito, & humiliato univerſorum Domino familiariter aſtent; tempus autem ad hoc magis aptum eſt manè, & veſpere, & maximè cum profundum nocturnus ſopor indicit ſilentium, tunc ſurripienda eſt carni, & ſi fortè non ſemper, ſæpè tamen ſomni requies matutini; cum illa horâ reſurrexerit Chriſtus; tunc eſt tempus allidendis ad petram parvulis (Pſal. 136.) mortificandæ carni, & recreando ſpiritui opportunum; tunc ſpirituales aviculæ dulcem Deo in cordis organo exhibent melodiam, tunc planè liberior erit, puriorque oratio nullo tunc turbata clamore, nulla aſpiciente laude, ſic mentis tranquillitas, & quædam ſpontanea quandoque animi promptitudo, imò inſpiratio, quæ ſe offert, otiiquè libertas non innoxia negliguntur, quæ etiam ſi deſierint, labore ſunt quodam, ac ſtudio comparanda Pſalmorum, hymnorum ſanctarum meditationum, & genuflexionis inſtantia, devotionis eſt ſpiritus excitandus, quia devotus quiſque vix oppottunitate fraudatur, Deum enim, quem ex animo quærit, ubique invocans invenit; ignavus autem, & tepidus, nec in ipſo valet oratotio, orandi affectum invenire, ideò frequenter orandum, quia oratio eſt flagellum hoſtis, peccatoris ſubſidium, proximi ſolatium, Dei ſacrificium, frequens oratio viatorum impugnationem extinguit; in oratione datur bona voluntas, oratio frequentata eſt munitio animæ. *Op. ſpec. diſcipl. p.* 1. *c.* 12. *& p.* 2. *c.* 1.

20. *Orationis præparatio qualis facienda.*

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum. Ad quid præcipitur ingreſſus talis? intra in temetipſum ad præparandum cor tuum ad devotionem, nam quales volumus orantes inveniri, tales debemus ante tempus præparare nos; ad iſtam autem præparationem tria occurrunt; primò quinque ſenſuum revocatio ſcilicet ab exterioribus, ut ad nihil intendat anima, niſi ad quietem mentis, ne fortè anima, quæ ſoli Deo vacare intendit, per eos ad plura diffundatur; nam ſi inviſibilis anima inviſibili Deo conformis eſt, dum Deum orat, debet omnium viſibil um oblivi ſci, ut impermixta terrenis ad cæleſtia citò tendat, ſed quia nemo aſcendit ad Dei contemplationem, niſi priùs deſcendat per ſui humilitatem; ideò ſequitur ſecundum, ſcilicet propriæ paucitatis conſideratio, ſi autem vis videre tuam paucitatem, qui oras conſidera illius majeſtatem, & immenſitatem, quem oras & hoc eſt tertium: nam nihil es, reſpectu Dei viventis; & hinc ſequitur tertium, ſcilicet Chriſti Redemptoris ignita dilectio, ſi autem vis diligere Chriſtum, conſidera quantum fueris à Chriſto dilectus, & ſic aſcende mentaliter ad Deum, ut divina charitate ignitus incipias orare ferventer; hic tamen attende, ut in oratione, quam facis, magis ſtudeas ad devotionem, quàm ad conſummationem, ut ſtatim cum inveneris Chriſtum, orationem ulterius non protendas, ſed eo fruere, quem quærebas, dicens cum ſponſa, Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, & ſubtrahente ſe Jeſu, orationem perficias, quam incepiſti. *Op. Regula Novit. c.* 2.

21. *Præparatio ad orationem, & comites orationis proponuntur.*

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum: Nota, quod hic proponitur præparatio ad orationem, & orationis progreſſus; intra priùs in cubiculum tuum, ait Chriſtus, ſcilicet intra in teipſum, ut humilitas

Digitized by Google

litas animi in reputatione præcedat, quia oratio humiliantis se penetrat nubes: secundò comitari debet sanctitas desiderii in affectione, & ad hoc faciendum claude ostium cordis, præparaque secretum ipsius hocque facies, si claudes sensus corporis, quia Christus solùm intrat clausis januis, ut sic mens transcessis sensibus humanis, & similitudinibus imaginariis, non sono vocis, & linguæ motu, nulla syllabarum disjunctione, sed conglobatis desideriorum affectibus in Dei amorem, & laudem resolvatur: tertiò orationem debet subsequi sedulitas studii in continuatione, quia oportet semper orare, & numquam deficere, semper inquam sine intermissione, & cum importunitate, quousque obtineas, quod desideras. *Ser. 4. Dom. 9. Pentec. & in Ioan. c. 10. v. 26.*

22. *Vtilitates, & fructus orationis expenduntur.*

Tu autem cum oraveris, &c. & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi: Nota illud verbum, reddet tibi, quid est reddet, & quid reddet? ergòne Deus debitor tibi factus? cur non dicit, dabit, sed reddet? sed per hoc patet quanta sit nobilitas orationis, & quàm admirabilis, pro ea enim quid rogatur à nobis Deus, merces promittitur bonis ab ipso danda; quis enim Princeps mercede dignum putat, quod à quibusdam rogatur, & non potiùs summum beneficium deputat se impendisse, quod oranti aurem, suique copiam exhibuerit? ô quàm bonus Deus sic impensus ad nobis dandum, sic procurat nostrum bonum, ut pro servitio, ac dato habet ipsam expostulationem, quid amplius de Dei bonitate excogitari potest? sed quid reddet? quid dabit? at hic attende ad mirabiles effectus, & utilitates orationis: primò quia impetrat relaxationem divinæ sententiæ, ut patet in Ezechia Rege, ob cujus orationem Deus revocavit sententiam mortis: Isaiæ *c.* 38. secundò remissionem culpæ perpetratæ: tertio repulsionem pugnæ, & tentationem diaboli, sic Christus dicit Matth. *c.* 26. orate ne intretis in tentationem: quarto reparationem virtutis naturæ; oratio enim fidei salvabit infirmum: Iac. *c.* 5. quintò conservationem pacis in tempore: sextò custoditionem tranquillitatis conscientiæ: septimò inflammationem divinæ gratiæ, & adventum Spiritus sancti, ut evenit Apostolis perseverantibus in oratione Act. 2. octavò illustrationem supernæ, sapientiæ: nonò aperitionem cælestis gloriæ, est enim janua Cæli: decimò acquisitionem mercedis æternæ; undè patet, quod oratio prævalet naturæ inferioti, prævalet virtuti Cœli, imperat naturæ spirituali, attrahit Spiritum sanctum, inclinat Filium Dei, & mitigat Patrem, ac per hoc quodammodo habet dominium respectu universorum. *in Luc. c.* 18. *v.* 1.

23. *Vtilitates orationis multiplices iterum expenduntur.*

Et Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. Quid est, quod reddet, reddet, idest tibi omnia contraria saluti auferet, & necessaria conferet, & conservabit, & perficiet; nam oratio Dei iram placat; peccatorum veniam impetrat; tentationis impetum sedat, vitia cordis expellit, in periculis liberat, & defendit, de hostibus vindicat; difficultates complanat, familiaritatem Dei confert, impetrat dona Spiritus sancti, item sapientiam cælestem, & gratiam prædicandi, revelationem secretorum, potestatem quorumlibet miraculorum: tempotalia subsidia confert, sublevationem quarumlibet adversitatum, & donationem quorumlibet utilium, vel necessariorum, & vitam æternam; item est speculum, in quo clarè videt homo sùos defectus, & profectus, & propter illos facit seipsum hominem confunderi, & simul in spem erigere, mentem item à terrenis magis levat, & elongat, quàm cæteræ actiones; & hoc est, quod licet alia bona opera coadjuvent ad impetrandum, quæ à Domino desideramus, tamen non sicut oratio, quæ facit, ut securiùs, & citiùs obtineatur, quod petitur, & hinc in omni casu, in omni periculo, pro omni re desiderata semper inveniemus sanctos principaliter ad orationis subsidium refugisse, quasi ibi promptiùs, quod petebant consecuturi; omnia enim potest oratio. *Op. de profec. Religios. lib. 2. c. 65. & 66.*

24. *Cur instituerit Christus orationem, & tam sollicitè hanc à nobis Deus exigat?*

Et Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi, &c. scit enim Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Si hæc sunt vera, quæ prodit hic Christus, cur Deus instituit orationem? & si Deus novit, antequam petamus, & quid peremus, & scit quid opus habeamus, ergo illum frustrà otabimus? & hæc fuit hæresis aliquorum; alii addunt errantes, quòd Deus vel decrevit, vel non, conferte auxilia sua: sit quomòdocumque decretum Dei est infallibile, ergo frustra fundituf oratio? alii iterum sub specie resignationis in Dei voluntatem, ablegant à se omnem orationem; qui omnes sunt graves errores, vel contrà principia fidei, vel contra mentem Dei, qui sub præcepto positivo instituit orationem, ut notant Abul. Torres. aliique Theologi: Dicendum igitur, quòd sanctissima, pissima, & utilissima sit institutio orationis, non enim ideo oramus, ut divinam dispositionem immutemus, sed, ut id impetremus, quod Deus disposuit dare per orationes nostras, quia est medium à Deo ordinatum ad impetrandas gratias, & ideo oratio non est causa ejus beneficentiæ, sed via, ut si non propter illam, tamen per illam nobis misereatur; vult ergò Deus orari, non ut ipsi enarremus nostras necessitates, ut ignaro, sed ut scienti rogemus eum; vult non tantùm orari, & rogari pro eo, quod & ante dare disposuit, sed ut plus orando mereamur per exercitium virtutum, nempè per fidem, qua credimus, quod non videmus: per spem, qua obtinere confidimus: per charitatem, qua exauditionem ampliùs amemus; per humilitatem, qua in supplicatione perseveramus, per desiderium, quo bona adipisci cupimus. *Vide lib. 3. d. 17. a. 2. qu. 1. ad 1um. & lib. 4. d. 45. a. 3. qu. 1. ad argum. & ep. de profect. Religios. l. 2. c. 65. & 66.*

25. *Oratio qualis exauditur, & qualis non, & quænam sit causa.*

Et Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. Si reddet tibi ergò semper exauditur oratio? sed hoc est falsum, nam sæpè non exauditur, cur

ergò hoc;ſed attende ad iſta pulcherrima documenta : oratio alia eſt,quam Deus approbat,alia, quam ſuſtinet ex infirmitate noſtra , alia , quam Deusconſentit;prima eſt,in qua homo erat piè pro ſe,& perſeveranter , & ad ſalutem , & hanc ſemper audit,& exaudit , quia eſt oratio devota,ſcilicet tota ignea , lachrymis perfuſa , ad modum aquæ bullientis fervida , eſt & ſecreta , ſcilicet facta in corde non ad oſtentationem , ſed ad Dei gloriam,eſt & importuna , undè dicit Chriſtus petite,& accipietis,quærite,& invenietis, pulſate, & aperietur vobis ; *Luc c.*18. quia qui nos ad petendum invitat , utiquè dare deſiderat,ſi enim dare non vellet, quomodo ad petendum ſic inſtanter invitaret,eſt & continua . & perſeverans; ſecunda non ſemper exauditur ; tertia numquàm auditur . & ſi auditur hoc eſt ad majorem confuſionem petentis. *In Pſal. 54.ſer.5.de una Confeſſ. Vide op.de Prof.Religio .lib.1.c.65.*

26. *Cauſa cur oratio exauditur,vel non exauditur,vel differatur exauditio.*

Sed quænam ſunt cauſæ quare Deus non exaudit : ecce quales; prima eſt ex meritis culparum orantis,quia ejus manus ſunt plenæ ſanguine, ideſt peccato.aut ex tepore orandi,ſcilicet quia non devotè,& ferventer , aut ex defectu perſeverantiæ,aut ex diffidentia exauditionis , aut quia nocivum,& indiſcretum eſt quod petitur,aut ut magis ad petendum quis provocetur , aut ut tantò cautius cuſtodiatur acceptum, quo difficilius impetratur , aut ut humilietur orans , dum tardiùs exauditur, & ſic duo bona proveniunt , videlicet ut inſolens reprimatur elatio,& tamen petitionis non caſſetur effectus , aut ut in aliud reſervetur tempus exauditio magis congruum , & utile petenti,aut ut aliorum etiam ſuffragiis quærat juvari , ne fortè ardua petitio , aut præſumptio eum reprimat,*ſic Apoſtolus Rom.*15. *obſecro , ut juvetis me in orationibus veſtris* ; aliquando etſi negatur unum , quod fortè minus expedit , pro eo datur aliud utilius,& melius,ſic Paulo,cui ſtimulus carnis datus eſt,non eſt ablatus, ut virtus in infirmitate perficeretur in eo.2. *Cor.*12. Utilior ſæpè eſt exercitatio tribulationis, quàm quies proſperitatis, licet hanc plus optemus ; ex his per contrarium poteſt adverti.quæ valeant ad exauditionem orationis,id eſt culpæ remotio,fervor,& conſtantia,fidei confidentia,humilitas,& aliorum ſuffragia , & acceptæ gratiæ cum gratiarum actione ſtudioſa conſervatio,& ut ea tantùm petantur à Domino,quæ ipſe novit magis expedire,& quando. *op.de Prof.Religioſ.lib.2.c.71.*

27. *Quare Deus exigit tam inſtanter orationem à nobis:ubi de motivis excitantibus ad ipſam.*

Et Pater tuus,qui videt in abſcondito,reddet tibi. Quid videt in abſcondito?& quid reddet ? videt & aſpicit ad cor tuum expectans orationem tuam quia Deus valdè delectatur in hoc,quod frequenter oretur propter multiplicem orantis utilitatem, ſcilicet,ut Deo indefinenter inhæreat, quod ſummè eſt homini utile;eſt enim optima pars, quam eligit ſibi anima.*Luc.c.*10.item ut Dei multiplicius beneficia experiatur per multarum præcum exauditiones; item ut abundantiori affectu devotionis in amorem Dei excreſcat,ideo benignè nobis providet plures orandi modos,& occaſiones, quibus ad orationem ſæpiùs ſtimulemur,ſive pro nobis ipſis. ſive pro aliis orando , aut pro malis evadendis aut pro bonis affectandis, & aſſequendis,ut cum affectus devotionis repercat ad unum, in alio recaleſcat , ſicut ignis ſubjiciendo ligna quoridie,ne deficiat, reſtauratur : Undè *in Levit. c.6.Ignis in altari meo ſemper ardebit , quem nutriet ſacerdos* (ideſt fidelis factis deo) *ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies impoſito deſuper holocauſto*;tu ergò ô anima fidelis , cum per noctem negligentiæ deprehenderis ignem devotionis in altari cordis tui tepuiſſe , manè , ideſt apparente prima lucis cognitione , ſubjice ligna orationis , diverſis occaſionibus quaſi adjacentibus variis ſylvis collecta,magna ſylva,& abundè ligna ſupplicationum miniſtrans ſunt peccata propria,quotidiana,& antiqua;magna ſylva negligentiæ noſtræ,& miſeriæ,& defectus virtutum , & gratiarum,& vitia tam ſpiritualia,quàm carnalia,& tentationes,& varii eventus,quibus pulſantur, & incommoda quæ patimur , vel timemus , vel pro quibus dolemus,tam pro nobis quam pro aliis, quorum miſeriis compatimur: magnæ ſylvæ ſunt omnia,quæ deſideramus habere, pro quibus omnibus oramus,ut impetremus;ſimiliter omnia beneficia nobis collata,pro quibus gratias agere debemus;item pro defunctis orare,ut à peccatis ſolvantur,& pro gloriâ ſanctorum, Deum collaudare multam devotionis materiam, quaſi perpetuus ignis nutrimenta miniſtrat,quo ſuperpoſito operis holocauſtum reddat odorem ſuavitatis;ſemper enim debet mens Deo dedita per aliquam piam occaſionem ſe aſſuefacere ad Deum erigere,orando,ſupplicando,gratias agendo,laudando pro diverſis cauſis, in omni tempore offerentibus. *Op. de Prof. Religioſ.lib.2.c.69.quàm ſit Deo grata. Vide ſerm.5. Pentec.& ſer.4. Dom.8. Pentec. & ſer.2. Dom 14. Pent.& ſer.3.de dedic.& ſer.1. ſer.2. poſt oct.Paſcha & ſer.2.de S.Lucia.*

28. *Oratio multiplex proponitur.*

Orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici faciunt,putant enim , quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Quid eſt hoc ? ergòne prohibet nobis Deus longam orationem,vel iteratam , cum ipſe ter in horto oraverit;minimè ſed morem Ethnicorum deteſtatur putantium ſe exaudiri à ſuis idolis non ex oratione,ac præcatione, ſed ex multiloquio , ex batologia, ſcilicet ex vana verborum repetitione , ex concinnitate verſuum exaudiri, ſed.ut ait Auguſtinus verat,ut vis cognoſcatur in multo ſermone,non in affectu diuturno;unde hic jussit Chriſtus multiplicem modum orandi nobis exhiberi ; oratio enim multiplex eſt , alia eſt aſcenſus in Deum ad ipſum orandum, vel ad aliquod obtinendum alia eſt bona actio,quæ in conſpectu Dei vim habet orationis ; propriè autem dividitur oratio in orationem,obſecrationem,poſtulationem,& gratiarum actionem ; propriiſſimè autem dividitur in vocalem,& mentalem,quibus omnibus anima aſcendit in Deum. *Lib.4. d.15. p.2.a.1.qu.4.corp.& in Pſal.41. & op. Brevil. p.5. cap.10.*

Digitized by Google

29. *De oratione vocali multa myſteria enodantur.*

Orantes autem, nolite multum loqui. Ergo hic non excludit orationem vocalem, ſed præcipit, ut non in multiloquio recognoſcatur vis ejus, ſed in modo, & affectu, quo funditur: ſed quid eſt oratio vocalis? & ad quid inſtituta? Nota, quòd oratio quædam eſt pure mentalis, quædam vocalis, quædam media: purè mentalis, eſt quando labia non moventur, ſed cor ad Deum loquitur: purè vocalis, eſt quando nil cogitat in his, quæ dicit, nec in generali, nec in ſpeciali, ita quòd referat intentionem ad ſenſum verborum, vel finem, ſed cum orat, fabricat caſtra; quædam eſt mixta, in qua orat anima mentaliter, & vocaliter; ſecunda à Dei ſervitio excluditur, ſed tertia admittitur, & eſt valdè Deo chara, & animæ proficua; eſt enim inſtituta ad affectus accenſionem, ad intellectus inſtructionem, & ad faciliorem recordationem, unde patet, quòd oratio vocalis miniſtra eſt mentalis, & ad mentalem ordinata, & ob ipſam eſt vocalis Deo accepta, & proficua ad remiſſionem, & ſatisfactionem peccatorum, in qua cor contra peccatum incenditur, & ad Dei affectum provocatur, & hinc ejus effectus patefiunt, quia valet maximè ad ſuſcitandam memoriam, ad excitandam ſomnolentiam, ad deſiderium accendendum, ab obſequium impendendum, ad gaudium exprimendum, & ad exemplum demonſtrandum. *lib. 4. d. 15. p. 2. a. 2. q. 2. Luc. c. 11. v. 2. epiſc. Brevil. p. 5. c. 10.*

30. *Qualis attentio exigatur in oratione vocali.*

Orantes autem nolite multum loqui, &c. Nota, quòd dicit orantes, id eſt verè applicati ad orationem, & ad hanc applicationem triplex invenitur attentio: alia eſt ſuperficialis tantùm, ut ſcilicet attendat quid dicat, quem Pſalmum interim dicat, vel quam antiphonam, vel orationem: alia eſt litteralis, qua attenditur ad ſenſum verborum, quem ſonant; alia eſt intellectualis, & myſtica, quando ex verbis pſalmodiæ quæritur ſenſus ſpiritualis, & meditatio alicujus myſterii: fructus primæ attentionis eſt, quòd orans non cogitur repetere, cum ſciat ſe dixiſſe, pro labore etiam corporis, quem Deo orando obtulit; quo ſe cogit ſervire Deo, mercedem qualemcumque meritò expectabit: fructus ſecundæ attentionis eſt reportare ex verbis intellectis affectus accenſionem, ſed tamen iſtæ duæ attentiones ſunt valdè imperfectæ ſine tertia, cujus fructus eſt maximus, quia & erudit animam per ſpiritualem intelligentiam, & afficit eam per devotionis affectum. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 60. in ſeptimo proceſſu.*

31. *Multiplex modus orandi vocaliter expenditur.*

Orantes nolite multum loqui, &c. Nota etiam, quòd ad duo capita principalia, in alia tamen diſtributa reducitur modus orandi vocaliter: Primus eſt per verba compoſita, & in Eccleſia uſitata, ſi cum Pſalmos, hymnos, collectas, & alias orationes, vel laudes compoſitas ad excitandam devotionem, vel ſolvendum debitum recitamus: ſecundus eſt ſæpè efficacior per verba proprio affectu formata, ut cum Deo familiariter confabulatur verbis ſuis, vel etiam utitur verbis alterius affectui ſuo conſonantibus, quaſi coram Deo præſente cor ſuum effundens, vel neceſſitates ſuas conquerens, vel peccata confitens, & miſericordiam petens, gratiam, auxilium contra tentationum pericula, vel alias neceſſitates; hic modus magis requirit ſolitudinem, ſilentium, otium, & quietem, quo plenius, & ſerenius in Deum effundat affectum, & quia in eo eſt major labor, capiti, & corpori, ideò cautè in ipſo procedendum maximè debilibus capite, ne ipſum frequentantes diſſipent vires capitis & corporis; in hoc modo orandi format affectus, & voces, & imaginationes diverſarum perſonarum, v. g. rei coram Deo judice aſtantis, vel obſeſſi ab hoſtibus, vel ſervi ad Dominum recurrentis, vel mendici petentis eleemoſynam, vel filii ad Patrem, & ſimilium; de quo *Vide conſul. de Prof. Religioſ. in ſeptimo proceſſu lib. 2. capit. 60. ſeq.*

32. *Pſalmodiæ orationis vis, & efficacia, & modus expenditur.*

Orantes autem nolite multum loqui. Nota, quòd orationem vocalem ſpectat Pſalmodia ab Eccleſia inſtituta, de qua ſequentia notantur: Primò, quod Pſalmodia, & officium divinum in Eccleſia Spiritus Sanctus ordinavit fieri quinque de cauſis; primò propter imitationem cœleſtis concentus, quo Sancti, & Angeli in Cœlo aſſidue in præſentia Dei laudibus ſunt intenti: ſecundò ut beneficiorum Dei memores certis horis gratias pro his laudando, & orando ei ſupplices referamus: tertiò ut nos metipſos ſic aſſiduè ad devotionem excitemus, & ignem amoris Dei contrà deſidiam, & alias occupationes continuè reaccendamus: quartò ut per hoc invitentur ſæculares ad conveniendum ad Eccleſiam ad Deum laudandum; quintò ob decorem Religionis Chriſtianæ, quæ ſæpè ſuos fideles excitat ad divinas laudes. *Op. de ſex alis Seraph. c. 8.* Secundò, quòd ad ſeptem capita reducitur hæc materia laudationis divinæ, quibus quaſi ſeptem tubis myſticis jubilæorum Eccleſia utitur, ſcilicet laudare, benedicere, magnificare, confiteri, honorificare, glorificare, gratias agere, & ſuperexaltare Deum, ſed tamen omnia ſub nomine laudationis divinæ continentur: Tertiò laudatio Dei digniſſimus eſt affectus, & naſcitur ex conſideratione divinæ bonitatis, & ex admiratione profunditatis ſapientiæ Dei, & ex ſtupore altitudinis divinæ potentiæ, & immenſitate majeſtatis, quæ de ipſo, vel per catholicam doctrinam fidei intelligimus, vel per operum ejus veſtigia colligimus, vel per illuminationem inſpirationis internæ puro mentis intuitu contemplamur omnia, quæ de Deo cogitari, vel dici ſecundùm veritatem poſſunt, vel ſentiri, non niſi laus ipſius ſunt, eo quod nihil in Deo ſit niſi ſummè laudabile, admirabile, amabile, & venerandum, & quantò perfectiùs cognoſcitur, tantò veriùs laudatur, & ardentius amatur, divinæ laudis ampliſſima eſt materia, quia tam ipſe Deus, quam omnia ejus opera docent eum ſuper omnia laudabilem eſſe; laudare Deum, eſt eum laudabilé cognoſcere, & oſtendere; unde Eccleſia & Sancti omnes creaturas non ſolùm rationales, ſed irrationales, & inviſibiles

Inviſibiles ad Dei laudem invitant, quia omnia opera ejus oſtendunt eum laudabilem in ſe, & in omnibus agnoſcitur laudabilis ejus virtutis potentia,& provida ſapientia.& clemens miſericordia,benigna patientia,& tolerantia, juſta meritorum retributio,larga remuneratio, & incomprehenſibilis ſuper omnia ejus dignitatis exaltatio, quod mirabiliter exercetur in decantatione Pſalmorum,& hymnorum in Eccleſia: Quartò, hæc opera autem Dei ipſum laudabilem reddentia ad ſeptem capita reducuntur: Primum eſt creatio,in qua apparet ejus mira virtutis potentia: ſecundum gubernatio mundi, in qua elucet laudabilis ſapientia:tertium redemptio hominis,in qua apparet laudabilis clementiæ ejus miſericordia: quartum,juſtificatio noſtra,in qua apparet laudabilis ejus patientiæ ſuſtinentia: quintum eſt juſta meritorum retributio, quoad reprobos, in qua laudabilis ejus juſtitia apparet: ſextum eſt glorificatio bonorum,in qua laudatur ejus longa, & mirifica remuneratio: & ſeptimum non eſt opus, ſed operis Dei impletio per quietem in Deo,quia Deus quieſcit in ſe,& nos in Deo, & hic eſt terminus totius vitæ ſpiritualis, & complementum orationis noſtræ, qui gradus adaptantur ſeptem diebus creationis. *Op.de Prof.Religioſ. lib.2. c.64. & 65.in ſeptimo proceſſu.*

33. *Pſalmodia quàm Deo,& Angelis chara, & quàm excellens opus ſit.*

Orantes autem nolite multum loqui, &c. Notandum quòd inter orationes vocales præcipua eſt Pſalmodia ab Eccleſia inſtituta, per horas canonicas diſtributa in qualibet die, & hæc inſtitutio piiſſima, digniſſima, & utiliſſima eſt; & primò quia ſicut Sancti, & Angeli in Cœlo aſſiduè in præſentia Dei, ejus laudibus ſunt intenti; ſic cum Chriſtus dignetur eſſe veraciter nobiſcum in terra tàm ſacramentaliter, quàm ſpiritualiter, dignum eſt, ut nos ei pro modulo noſtro aliqualem exhibeamus reverentiam honoris, & laudis, juxta exemplar ſimilitudinis cœleſtis,& ut ei, ſi non continuè,ſicut illi Cœli cantores,ſaltem interpollatè pro noſtra fragilitate pſallendo alacriter aſſiſtamus, imitantes illam cœleſtem Ieruſalem matrem noſtram.*Op.de ſex Alis Seraph c.8.* Secundò, & ſequitur ex dictis, ſi enim eſt imitatio Pſalmodiæ Angelorum, & Beatorum, ſequitur, quòd cum pſallimus,in medio Angelorum id facimus;dicit enim Propheta.Pſal.67. Prævenerunt Principes,ideſt Angeli conjuncti pſallentibus,unde non ſolùm coram hominibus, ſed etiam coram Deo,& Angelis ejus, & ideo Pſalmodia eſt muſica dulciſſima auribus Dei, & Angelorum, ex quo patet quòd convenientes ad chorum aſſiſtentiam Angelorum obtinent, fugientes ipſam perdunt: tertiò, eſt modus id peragendi; nam officium divinum, ſive in choro, ſive extrà non perfunctoriè quidem;ſimiariticis, ut aiunt, labiis, ſed devotè ſemper,& integrè dicere ſtudeant.nec aliam ei occupationem admiſceant; ceſſent manus, oculorum evagatio reprimatur, ut mens penitus libera ab exteriori cura, valeat ſoli Deo vacare,ideo pure, & ſemper ſtrenuè pſallentes ad divinam laudem intendant;pure quidem; ut dum pſallunt, nihil aliud cogitent, quàm quod pſallunt: ſtrenuè verò,ut ſicut reverenter, ita & alacriter Deo aſſiſtent, non pigri, non ſomnolenti, non oſcitantes,non parcentes vocibus,non præſcindentes verba dimidia, non integra tranſilientes, non fractis, & remiſſis vocibus muliebre quiddam balba de nare ſonantes, ſed virili (ut dignum eſt) ſonitu, & affectu voces ſancti Spiritus depromentes; reverentiam in officio,honeſta corporis diſpoſitio, quæ mentis devotionem non mediocriter promovet, atteſtantur, & tandem ſtent in choro ſicut in medio Angelorum. *Op. ſpec.diſcipl.p.2.c.1.& p.1.c.14.& op.Inſtruct. Novit.p.1.c.33.& op.Reg.Novit.c.1.& ſerm.4.Dom.8. Pent.& ſer.1.Dom.3.poſt oct.Epiph. ſer. in dedicat. in communi.*

34. *Expenditur myſterium Pſalmodiæ inſtituta ſuis Fratribus à Sancto Patre Franciſco.*

Orantes nolite multum loqui. Si Chriſtus præcipit, ut orantes nolimus multum loqui; cur Sanctus Franciſcus, ex quo volebat Fratres ſuos prædicationi incumbere,eos oneravit tam prolixo,& oneroſo officio, quo utitur Sancta Romana Eccleſia? reſpondetur, quia voluit eos magis unitos Eccleſiæ illi, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum, ut cum ipſa majorem cumulum meritorum acquirerent, & quia multum valet ad illuminationem piarum mentium laudum frequentatio; vox enim Pſalmodiæ,cum per intentionem cordis agitur,per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur,ut devotæ menti,vel prophetiæ myſterium, aut compunctionis gratia infundatur. *Vide opuſc. Expoſ.Reg.c.3.ubi myſteria omnium partium divini officii explicantur.*

35. *Quid oratio mentalis, ejuſque myſteria multa, & utilitates pandantur.*

Orantes autem nolite multum loqui. Ecce, quòd Chriſtus præponit orationem mentalem vocali, & meritò,nam vocalis ſine mentali à Deo reprobatur, & mentalis numquam poteſt fieri ſine fructu.fit autem cum mens ſola tacito ore ſua deſideria Deo pandit,& affectum cordis Deo effundit, & cum intus per amorem amplectitur, vel cum reverentia adorat; tantò ſe latiùs in Deum diffundens, quantò pluta valet affectus comprehendere,quàm lingua exprimere, & de hac oratione dixit Chriſtus *Ioan. c.4. Veri adoratores adorabunt in ſpiritu,& veritate, &c.* Et hæc oratio videtur magis propria cum Deus magis cor attendat quàm verba oris;in qua tamen aliquando verba apponimus, ut cum mens pigra eſt ad ſe elevandum in Deum, per verba orationis ſuſtentata elevetur, ut memoria Deo inhæreat, intellectus ſurſum tendat, affectus per devotionem inflammatus guſtet quàm ſuavis eſt Dominus,ex intentione ſacræ orationis afflatus, Deus enim, qui creavit nos, ſcit quid nobis neceſſe ſit,antequam petamus nos, & ideò non indiget ut per orationem inſinuetur ei,quid deſideremus, & licet non indigeat flecti oratione noſtra ad miſerandum, quod ante diſpoſuerat facere,tamèn vult rogari à nobis,ut ampliorem nobis in hoc profectum procuraret. *Op. de Prof. Religioſ. lib.2. c.6.in ſeptimo proceſſu.*

Digitized by Google

36. *Orationis mentalis ortus, objectum, & fructus expenduntur.*

Orantes autem nolite multum loqui. Si hic loquitur Chriſtus de oratione mentali, ut dicunt Sancti Doctores, quæritur qualis ſit ejus ortus, objectum, & fructus: ortus autem eſt è Cœlo, quia eſt datum optimum deſcendens à Patre luminum, & ideò exigit in anima potentiam ſupernaturaliter confortantem, ſapientiam regulantem, & clementiam conſolantem, quæ omnia à ſolo Deo obtineri poſſunt; & hinc anima in principio orationis ſe coram Deo humiliet; & fidenter in Dei majeſtatem intret, & à Dei bonitate, & ſapientia quærat lumen, & fervorem neceſſarium ad tantum opus: objectum verò omnis orationis mentalis eſt Deus ipſe, ad quem tamen per quatuor gradus aſcendere poteſt, continentque interiora, exteriora, inferiora, & ſuperiora; debet enim anima devota per mentale exercitium contemplationis radium reflectere primo ad interiora ſua (intra ait Chriſtus in cubiculum tuum, ſcilicet cordis) & videat qualiter ſit formata per naturam, deformata per culpam, reformata per gratiam; ſecundò debet convertere radium contemplationis ad exteriora, ut cognoſcat, quàm inſtabilis ſit mundana opulentia, quàm mutabilis mundana excellentia, & quàm miſerabilis mundana magnificentia: tertiò ad inferiora, ut intelligat mortis inevitabilem neceſſitatem, judicii finalis formidabilem auſteritatem, & pœnæ infernalis intolerabilem pœnalitatem: quartò ad ſuperiora, ut cognoſcat, & ſapiat cœleſtis gaudii inæſtimabilem pretioſitatem, ineffabilem delitioſitatem, & interminabilem æternitatem; hæc eſt illa crux beata quatuor finibus terminata, in qua debes ô anima jugiter cum Chriſto pendere, hic eſt ille curſus igneus quatuor rotis conſummatus, in quo debes poſt fideliſſimum tuum amicum aſſidere, contemplando Cœli palatium conſcendere: hæc eſt quadruplex regio ſcilicet orientalis, aquilonaris, occidentalis, & meridionalis, quam tu ô anima debes quotidie peregrinando intrare, & ibi inveſtigare, & quærere tuum dilectum; & hinc fructus optimi conſequuntur, nempe Dei poſſeſſio, & fruitio, qui eſt plenitudo totius boni. *Op. ſolil. in præfat. op. Itiner. ment. c. 1. de orat. ment. vide op. de ſenem it. in. æternit. per totum, op. Reg. Novit. c. 2. op. de perfect. vita c. 3. op. ſpecul. diſciplin. p. 1. c. 12. ubi fusè de præparat. methodo, & fructu.*

37. *De oratione mentali traduntur aliqua documenta, & regulæ.*

Orantes autem nolite multum loqui. Quare hoc? quia non in multiloquio, ſed in punitione cordis, & compunctionis lachrymarum nos exaudiri ſciamus; hanc orationem præcedat meditatio, ut autem ipſi alas faciamus, ut aſcendere poſſit ad Deum, præcedat conſideratio miſeriæ & indigentiæ noſtræ, & miſericordiæ Dei parati nos recipere, & audire, ſit oratio devota, quæ opportunitate juvetur, & frequentia foveatur; devotionem intentio, diligentia, puritas, & affectio probant; opportunitas loci, & temporis, quietis motuum internorum, diſpoſitæ affectionis, & otii ad orandum, non tranſeat otioſa. *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 12.*

38. *Orationis Dominicæ excellentia ſuper omnes alias expenditur.*

Sic ergo orabitis: Pater noſter, qui es in Cœlis, &c. & in Luc. c. 11. v. 1. & 2. Dixit unus ex diſcipulis ejus ad eum, Domine doce nos orare; & ait illis, cum oratis dicite, Pater noſter, &c. Nota quòd Chriſtus perfectiſſimus magiſter poſtquam ſuaſit orationem, ejuſque modum tradidit, ſubjungit etiam ipſam methodum orationis, qua ad Deum refugere valeamus, & hæc eſt oratio Dominica quæ eſt omnium aliarum orationum maxima, & privilegiata, præcipuèque in tribus, nempè in dignitate, quia à Chriſto immediatè, eſt compoſita, non ſic cæteræ: ſecundò in brevitate, & hoc, ut citiùs ſciatur, meliùs retineatur, & frequentiùs dicatur: tertiò in fœcunditate, quia omnes petitiones continet, & utriuſque vitæ neceſſaria continet. *Op. in Pater noſter: & op. ſtim. div. am. p. 3. c. 18.* Et hinc conſequuntur variæ excellentiæ hujus orationis ſuper omnes alias, quas fusè tradunt Sancti Patres; quia hæc oratio, eſt exaudibilior cæteris, cum orationem, quam filius docuit, Patri porrigimus; quia numquam ſine fructu ſit, ex qua enim obtinetur remiſſio peccatorum venialium, & pœna mortalium jam dimiſſorum. *Sic S. Bona. lib. 4. d. 16. p. 1. dub. 4.* quia omnia, quæ in ſcriptura inveniuntur petita, in his ſeptem petitionibus continentur, hanc autem brevitatem ſervavit Chriſtus, ut faciliùs commendaretur memoriæ, ut frequentiùs diceretur, ut tædium non faceret, ut de ignorantia ejus nemo excuſaretur, ut Deus citiùs exaudiret: tum etiam quia communis eſt omnibus magnis, & parvis, doctis, & indoctis, & ob id ſecundum probabiliorem ſententiam omnes tenentur ſub mortali ſcire, & alii addunt omnes teneri eam quotidie dicere ſub veniali, quia in ea exercentur omnes virtutes Chriſtianæ, humilitas, fiducia, fides, ſpes, charitas, & aliæ conſimiles. *Sic S. Doctor. locis citat.*

39. *Orationis Dominicæ partium diviſio expenditur.*

Sic orabitis, &c. Nota, quòd hæc oratio dividitur in exordium, narrationem, & epilogum, concluſionemve: Exordium conſiſtit in his verbis Pater noſter, qui es in Cœlis, in quo vocando eum Patrem, ſummam ejus miſericordiam manifeſtamus, & dum eſſe in Cœlis confitemur, ejus potentiam, & excellentiam laudamus, quæ omninò juxta Rethoricæ regulas exordium includit continens largitorem, benevolum, attentum, & propitium ex laudibus docens nos Dominus ex hoc (ait Chriſoſtomus) quomodo incipere orationem noſtram debeamus, ut grati, beneficenter, & amoroſè ſuſcipiamur, quæ etſi Deo non eſſent neceſſaria, tamen nobis proficua, & digna, & ſecundum ejus majeſtatem, altitudinem, & magnificentiam cum eo tractemus. & ob id cum fiducia ipſum oremus, captatio autem benevolentiæ eſt ex tribus attributis; primò quia Pater ſcilicet principium ſpiritualis generationis; ſecundò noſter ob diffuſionem ſuæ bonitatis ad omnes: tertiò qui es in Cœlis tamquam Rex magnificus. *Op. myſtic. Theol. c. 2. p. 2.* Tractatus, ſeu narratio continet ſeptem petitiones, de quarum

tum ſufficientia infra: & concluſio eſt Amen, quod interpretatur verè, & fideliter, ad inducendam certitudinem orationis exauditæ, & terminatæ in liberatione ab omni malo pœnæ; nota tamen, quòd dum dicitur hæc oratio in Miſſa, ſacerdos non reſpondet clara voce Amen, ſed ſubmiſſa voce ob incertitudinem liberationis à morte, & pœna, dum moramur in hac vita *Op. in Pater noſter. Luc. c.* 11. *v.* 2. *ad* 4. Nota etiam, quòd in Matthæo, & Luca adeſt aliqua differentia in enarrando hanc orationem Chriſti; & hoc eſt, quia plures Sancti Patres cum Seraphico Doctore, docent Chriſtum bis docuiſſe hanc orationem, una vice Apoſtolis, alia turbis, & minoribus diſcipulis, ſed tamen in ſubſtantia non diſcrepant, quia altera in altera virtute continentur. *Luc. ibid.*

40. *Orationis Dominicæ fœcunditas, & ſufficientia in ſeptem petitionibus expenditur.*

Sic ergo orabitis: Pater noſter, &c. Nota, quòd non ſine maximo myſterio in ſeptem petitiones reducitur hæc oratio; quia in his omnia petenda Chriſtus concluſit, & omnes orationum affectus comprehendit; nam in duas partes dividuntur iſtæ petitiones, prima eſt pro bonis adipiſcendis; ſecunda pro malis amovendis, pro bonis adipiſcendis ſunt primæ petitiones; in prima ſanctificetur nomen tuum, petimus, quòd gloria, ſive perfecta notitia confirmetur in nobis, ſcilicet inchoata hic per fidem, & conſummata in gloria: in ſecunda, Adveniat regnum tuum, petimus bona ſpiritualia in meritum, ſive in bonum per ſpem perſeverantiæ, unde ſenſus eſt adveniat, ſcilicet Eccleſia, vel anima mea, in qua per gratiam regnas, adveniat, ſcilicet in finem perveniat: in tertia, fiat voluntas tua, ideſt libertas noſtri arbitrii ſocietur per gratiam, tuæ voluntati per charitatem; unde in his tribus petitionibus petuntur bona ſpiritualia pro hac, & pro alia vita; bona verò temporalia petuntur in quarta petitione, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, pro ſuſtentatione, & temporali ſubſidio, & ſpiritualia in Euchariſtia in ordine ad nutrimentum temperantiæ: pro malis amovendis ſunt aliæ nempe pro malis præteritis dicimus, & dimitte nobis debita noſtra, &c. quantum ad correſpondentiam juſtitiæ; pro futuris præcavendis dicimus, & ne nos inducas in tentationem, quantum ad actum prudentiæ; pro præſentibus eſt & petitio, ſed libera nos à malo quantum ad fortitudinem in tolerandis adverſis: prima ſunt delenda, ſecunda præcavenda, tertia vitanda; & ad has ſeptem petitiones reducuntur ſeptem beatitudines, ſeptem dona Spiritus Sancti, & ſeptem virtutes Theologicæ, & Cardinales. *Op. in Pater. & ſimul. p.* 3. *cap.* 18. *Luc. c.* 11. *v.* 2. *ſeq. op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 61. Alia etiam expoſitio his petitionibus aliis verbis dari poteſt, ſcilicet in ordine ad divinum honorem, & præmium patriæ, nam vel eſt viſio ſummi veri, quod non videtur niſi à mundis corde, & hæc petitur per verba ſanctificetur nomen tuum, ideſt mi nominis perfecta notitia ſanctis, & mundis corde donetur: vel eſt tentio ſummi ardui, quæ Reges facit, & per quam regnum habetur, & hæc petitur per Adveniat regnum tuum: vel eſt fruitio ſummi boni conſiſtentis in conformitate voluntaria divinæ, & hæc petitur per fiat voluntas tua; quæ autem ſpectant ad hanc vitam petuntur in aliis. *Opuſcul. Brevil. p.* 5. *cap.* 10.

41. *Deus Pater noſter: ubi de bonitate Dei in nos: de filiatione adoptiva.*

Pater noſter, qui es in Cœlis; quæritur hic an hoc nomen ad primam perſonam, an ad totam Trinitatem ordinetur? & cur dicimus Pater, & non Deus? Reſponderur ordinari primò ad Patrem æternum tamquam principium fontale, omnium productionum æternarum, & temporalium, & ex conſequenti ad totam Trinitatem, dicitur autem Pater generaliter omnium per creationem, ſpecialiter juſtorum per adoptionem, & ſingulariter Patet Chriſti; primo modo eſt Pater per impreſſam imaginem Trinitatis, unde per hanc ſolus homo, & Angelus dicitur filius, ſecundò per appoſitam gratiæ ſimilitudinem, tertio modo per æternam originem, undè in hoc nomine Patris excitatur in nobis reverentia debita Patri à filiis: additur, noſter, cur non dicitur Pater meus, ſed noſter? & cur non dicitur Deus, vel Dominus? hoc factum eſt, quia Pater meus ſolùm dicitur à Chriſto, cujus eſt Pater per generationem, dicitur noſter, ut explicetur ejus communis bonitas, & influentia ad omnes, & in nobis ingeratur filialis confidentia. *Op. in Pater. Luc. c.* 11. *v.* 2. *op. myſtic. Theol. c.* 1. *p.* 2.

42. *Alii verè poſſunt dicere Pater noſter, alii nequaquam, cum ſint filii diaboli: ubi de bonitate, & benignitate Dei in nos.*

Pater noſter, qui es in Cœlis. Quæritur an Deus Pater dicatur ratione creationis, an ratione adoptionis? ſi creationis ratione, ergo & irrationales creaturæ poterunt dici filii Dei, quod eſt abſonum, ſed reſpondet S. Doctor, quod utroque modo, nempè ratione creationis ſpecialis, in qua confert ſolis rationalibus imaginem ſuam, non irrationalibus, ſed tamen magis propriè ratione adoptionis, quia filiatio ſolùm per gratiam juſtificantem acquiritur, hinc infertur, quod ſolum exiſtentes in gratia poſſunt verè dicere Deo Pater noſter, nam exiſtentes in peccato mortali ſunt filii diaboli adoptione, & imitatione, & ſimilitudine, ergò mendacium dicit peccator tunc appellans Deum Patrem ſuum, niſi forſan ſalvetur veritas, ex parte Dei ſemper parati ad eſſe Patrem noſtrum. *Opuſcul. in Pater: in Ioan. capit.* 8. *verſ.* 40. *& collat.* 24. *ſer.* 1. *de Apoſtolis in addit.* Ex quo patefit Dei immenſa clementia, & ineffabilis benignitas, mira dignatio, longitudo, latitudo, ſublimitas, & profunditas bonitatis divinæ. Vide ô anima, quomodo viliſſimum lutum, & deteſtabilis ſanies, nequiſſima creatura, ſe Dei filium nuncupat & Dominus Dominorum, Rex Regum ſe noſtrum Patrem dicit, & hoc verum eſt, quia plus ſine comparatione me diligit, quàm pater,

Digitized by Google

pater, & mater carnalis, imò quàm nos ipsi; de tanto ergo Patre elevabitur cor nostrum, ut aquila, & tamquam hæredes Cœli omnia inferiora contemnamus; accedamus ergo ad Patrem nostrum quia nihil aliud vult, nisi ut ipsum habeamus: ô dulcedo ineffabilis posse dicere Pater noster. *Op. stim. div. am. p. 3. c. 17.*

43. *Explicatur particula, qui es in Cœlis: in quibus invitatur anima orans ad introeundum in Cœlum.*

Cur dicimus, *qui es in Cœlis?* Cur restringi videtur immensitas divina in solo Cœlo? dicitur in Cœlis esse, ideſt in Sanctis, & Angelis, & Beatis; Sancti enim dicuntur Cœli quadrupliciter, scilicet propter vitæ sublimitatem, quæ conversantur in Cœlis; propter bonorum operum claritatem, quia veluti luminaria lucent in mundo propter propositi firmitatem; & denique propter Deum in eis quiescentem per gratiam: dicit igitur Pater noster, qui es in Cœlis, ideſt in spiritualibus, ut ad spiritualem mansuetudinem, in qua habitat, festinare discamus, & cœlestia ab eo quæramus: & ob id Pater ratione naturæ, noster ratione gratiæ, qui es in Cœlis ratione gloriæ: Cum igitur oratis dicite, Pater, ideſt primò invocare Patrem, dicite inquam non voce tantùm, sed etiam corde nequando dicatur vobis illud *Marc. 7. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*; dicite etiam non tantùm corde, sed etiam ore, quia vocalis oratio accepta est Deo, dicite inquam corde & ore reverenter, & fiducialiter Pater noster: sed ubi est? qui est in Cœlis, sed quomodo in Cœlis, si ubique est? Attende hic anima orans, quia si vis perfectè orare, debes prius intrare in Cœlum: dicitur qui es in Cœlis, quia per hoc anima à terrenis ad cœlestia elevetur, ubi maximè sua potentia, sua sapientia, & bonitas elucescat, ut ibi sit semper sua conversatio cum Deo, & introducatur in illam cœlestem Jerusalem scilicet in intima contemplationis quiete, ubi cubant, ubi quiescunt animæ delicatæ, ut ab ipso cœlestia, non terrestria quærat, aut petat, aut certè, ut ipse orans spiritualis habitator Cœli factus, Dei fiat habitatio; quid ergo nos retardabit, quid nos extrahet, quid impedimenta præstabit, quin cœlestem vitam, non terream ducamus, ut in nobis sit habitatio Dei? ô digna admissio, mira dignatio, & dignativa Christi habitatio in nobis, ego fœtidissimus, fimus, & abominabilis peccatorum latrina valeo esse ex immensa clementia Dei mei tabernaculum ejus, & qui sum plenus sanie, & fœtore ero sanctum Dei templum, sapientiæ sedes, & habitaculum Spiritus Sancti: ô fælix dies, ô beata hora, cum tale hospitium possidebo. *Op. in Pater Luc. c. 11. v. 2, op. stim. div. am. p. 3. c. 17.*

44. *Anagogicè iterum explicatur hæc particula: Pater noster, qui es in Cœlis.*

Vide, quomodo ab anima orante dilectus in tribus præcipuè commendatur captando ipsius benevolentiam in suis petitionibus, ut sua beneficia conferenti Domino adscribens, idem Dominus favorabilior habeatur; primò ut perfectæ, & spiritualis generationis principium; secundò ut suæ bonitatis velut quoddam diffusivum: tertiò in habitaculi, & mansionis dignitate, qui tamquam Rex præexcellens habitare non dignaretur, nisi ubi est firmum habitaculum, & decore multiplici interius decoratum; primum per Pater, secundum per noster: tertium per Cœlis importatur: primò illud, quod est secundum proprietatem vocabuli anagogicè ad sensum mysticum transferendo: v. g. Pater ad litteram est qui de se aliquid emittendo, filium generat; sic verissimè Deus dicitur Pater, qui non naturaliter, sed adoptivè generat filios multos, à se germen amoris deificantis emittendo, quo mens perfecta nativitate gignitur, quando vivere in vera vita incipit, verius, & efficacius progrediens; quam quando de nihilo creata fuit de Deo vero, qui est vera vita, nascitur per amorem, & ab ipso sensum, & motum spiritualem recipit, ejusque ad perfectam ætatem claritatis æternæ, crescit. & hoc indicitur in nomine Pater, ut est totius vitæ fontale principium: secundò sequitur noster, ubi laudatur ipsius beatitudinis inclusæ diffusio, q. d. Tu es ille, qui ratione tuæ lautissimæ bonitatis, non singulares personas consideras, sed omnes rationales spiritus quantum ex te est, per immissos à te radios ad te trahis, ut non sit mens humana, vel angelica, quæ se abscondat à calore tuo naturaliter abstractivo: tertiò sequitur qui es in Cœlis, scilicet in anima dilecta habitans, quæ est veluti Cœlum firmum in Dei amore, mobile, scilicet currens in odorem unguentorum sponsi, & stellis, scilicet virtutibus ornatum: *op. imp. Theol. c. 1. p. 2.* Et hinc in prædictis verbis invitatur anima ad orandum, nam Deus se Patrem nominari vult, dat fiduciam impetrandi, quia Pater libenter filiis thesaurizat, cum dicitur noster docet dilatationem affectus, ut nullus orationem suam ad se solùm contrahat; cum dicitur qui es in Cœlis excitat puritatem intentionis, ut orans sola cœlestia orando requirat, & veluti Cœlum Dei sedes efficiatur. *Op. Expos. Reg. cap. 3.*

45. *Post Deum, Maria ut Mater Dei & nostra invocanda, imo ad ipsam recurrendum, ut Patrem propitium habere possimus.*

Cum oratis dicite Pater noster, qui es in Cœlis. Cur ad Patrem vult Christus dirigi nostram orationem, & non potiùs ad Spiritum sanctum, tamquam originem omnium gratiarum, vel ad ipsum Verbum, quod factum homo peregit redemptionem nostram? vel saltem in Deum, ut subsistentem in tribus personis, ficque nulla persona prætermitteretur? nihil horum inquit Christus, sed orabitis, Pater noster, &c. Cur ad Patrem vult dirigi orationem? Ecce perbellum mysterium à Tertulliano expressum, *sic orabitis Pater noster &c.* In Patre Filius invocatur, nec Mater quidem præteritur; si quidem in Filio & Patre Mater recognoscitur, de qua constat & Patris, & Filii nomen, sic *lib. de orat. c. 2.* ac si diceret, omnis Ecclesiæ oratio non tendat ad Numen sub Dei solius appellatione, non sub verbi nomine, neque sub Spiritus sancti invocatione, sed sub Patris nomine, quia in Patre, & Filius, & Mater invocatus

tur,& in Patre Matris nomen correlativum elucet; noverat utique Chriſtus precum ad Matiam tendentium efficaciam, ut ergò irrita noſtra vota non maneant; edocet nos, ut ſi velimus bonorum noſtrorum affluentiam faciliùs, ac ſuavius nobis nanciſci, nolimus preces noſtras ad Deum ſolum dirigere, ſed media interventione Matiæ; & hinc Eccleſia fidelibus proponit poſt orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam ad Mariam, Ave Maria gratia, &c. & meritò, qui enim vult invenire gratiam, & miſericordiam Dei,adeat cum fiducia ad thronum Mariæ, ipſamque inveniat. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 5. & 6. & op. 25. memorialia.*

46. *Sanctificatio nominis Dei qualiter expectanda & exercenda.*

Sanctificetur nomen tuum. Hæc eſt prima petitio hujus orationis, in qua anima poſtquam jam eſt introducta in Cœlum coram Patre ad fundendam ſuam orationem petit, ut ſanctificetur nomen ſuum; ſed ad quid hæc petitio? nonnè per ſe, & ex ſe ſanctificatur infinitè nomen Dei? ſed attende arcanum: Anima enim ſtatim ſe reverenter convertit in Patrem, ipſum rogans, ut fidei veritas certiſſima, qua Deus eſt Pater fidelium, & fideles filii Dei appellantur, ab omnibus cognoſcatur; ſanctificetur, ait, nomen tuum, ideſt non terrenas divitias, delitias, & honores peto, ſed ut ſim, & ſint omnes in te toti converſi, & toti divini; ut noſtra vis rationalis ſua ſapientia illuſtrata, & omni errore, & ambiguitate, & tenebroſitate purgatam habeat conſcientiam, ideſt puriſſimam notitiam Dei: ſanctificetur ergo nomem tuum in nobis Domine, quod ab æterno ſanctiſſimum eſt in ſe ut quidquid intelligimus, & ſentimus, totum ad ſanctiſſimi nominis tui notitiam ordinemus, ut in nobis nomen tuum ſit ſanctum, ideſt ſine terra, & purum, ut exciſi ab omni curioſitate, & vanitate; & omni inutili phantaſia, te ſolum in omnibus cognoſcamus: ſanctificetur in nobis nomen tuum, ut ſemper piiſſime, & ſanctiſſime Pater mentis noſtræ oculus ad te lumen æternum inceſſabiliter dirigatur, ſemper te, qui in omnibus es, & à quo omnia ſunt, in omnibus te intuear, in omnibus te cognoſcam: ô quàm dulce lumen, & delectabile oculis à te ſole juſtitiæ numquam mentis intuitum amovere; ô quàm dulcis, & amabilis, quàm admirabilis oculis noſtris tuorum claritas radiorum, ſanctificetur ergo nomen tuum. *Op. ſtim. diu. am. p. 3. c. 17. op. myſt. Theol. c. 2. p. 2.*

47. *Explicatur iterum hæc petitio, ſanctificetur nomen tuum.*

Nota hæc ſanctificatio involuit donum ſapientiæ Spiritus Sancti, item pacem, & filiationem Dei contra vitium luxuriæ: nomen autem Dei tripliciter conſiderari poteſt, ſcilicet terribile, admirabile & laudabile; terribile quantum ad potentiam, admirabile quantum ad ſapientiam, & laudabile quantum ad bonitatem: ſanctificetur ergo, ideſt in nobis firmetur nomen tuum terribile in cognitione ſummæ poteſtatis, admirabile in cognitione primæ veritatis; & laudabile in cognitione ſummæ bonitatis: ſanctificetur ergo, ideſt da nobis ſpiritum ſapientiæ, ideſt jucunditatem internam, ut guſtemus, quàm ſuavis es, & hoc generet in nobis pacem, & hoc contra luxuriam dicente Prophera *Pſal.* 37. *non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. op. in Pater.*

48. *Explicantur iterum myſteria hujus petitionis.*

Sanctificetur nomen tuum; id eſt ſanctum appareat nomen tuum, hoc eſt notitia; & hæc notitia incipit in gratia, & conſummatur in gloria; ſed quænam notitia eſt hæc, quæ petitur? notitia nominis Dei,quod in ſe ſanctum eſt, ſemper ſanctificatur in nobis, & magnificatur triplicèter: prima eſt notitia, qua cognoſcitur per fidem, liberans hominem ab inſipientia ob quam inſipiens dixit, non eſt Deus: *Pſal.* 13. ſecunda notitia eſt, qua cognoſcitur, quod non eſt,quia, ut, ait Auguſtinus, multum comprehendis, ſi comprehendis quod non ſit Deus, & hæc liberat ab idololatria, qua colitur quod non eſt Deus: tertia,qua cognoſcitur ſicuti eſt, & hæc liberat ab omni miſeria,& hæc erit in Patria,faciens nos ſimiles Deo: petimus ergò,ut ſicut in Cœlo modo perfecto ſanctificatur nomen Dei in ſanctis, ſic & ſuo modo in nobis ſanctificetur, ut ſcientes eum ſanctum timeamus, & ſollicitè vigilemus, ne fortè violemus ſanctitatem nominis ejus in nobis. *In Luc. c. 11. v. 2.*

49. *Explicantur iterum arcana hujus petitionis.*

Sanctificetur nomen tuum: Nota,quod cum hæc petitio reſpondeat ſapientiæ dono Spiritus ſancti, homo ipſo inebriatus, immemor ſuimet, Deo deditus, & ei per amorem inhærens ſuper omnia ipſius gloriam, & honorem promoveri, & ejus notitiam ad omnes dilatare deſiderans, tam pro ipſius, quàm pro aliorum ſalute rogat Patrem, dicens ſanctificetur nomen tuum (non dicit in me, ſed generaliter) ut ſanctificationis ſuæ notitiam omnibus manifeſtet, infideles ad lumen ſuæ cognitionis vocando per fidem, & fideles ad gratiam ſuæ ſanctificationis convertendo per amorem, & rebelles per oſtenſionem ſuæ potentiæ utiliter confundendo; & quaſi non poſſit,vel nolit ſine aliis cæleſti gaudio frui, anhelat, & ſatagit plures ſecum trahere orando, docendo, bono exemplo præcedendo, & quocumque alio modo honorem Dei, & proximorum ſalutem, & profectum ſpiritualem promovendo hoc orabant, hoc deſiderabant ſancti, hoc oramus, cum dicimus ſanctificetur nomen tuum, ut nominis tui ſanctificatio nobis plenius innoteſcat, quo te perfectius agnoſcere, & amare,& revereri poſſimus, & ſanctitatis tuæ ſimilitudinem induendo tibi Patri ſicut veri filii conformemur; ut unus tecum ſpiritus efficiamur in tuam transformati claritatem. *Op. de prof. Religioſ. lib. 2. c. 61.*

50. *Quale regnum Dei petit anima in ſecunda petitione Adveniat regnum tuum.*

Nota, quod petitio hic ſit regni Dei; & hoc per donum intellectus Spiritus ſancti, & virtutem munditiæ cordis, & beatitudinem viſionis Dei, & hoc contrà vitium gulæ, ſed quale regnum petitur? regnum Dei dicitur Eccleſia militans; item doctrina Evangelica, item & beatitudo æterna, de omnibus his tribus, ſed præcipuè de tertio eſt hæc petitio, in quo dicimus Adveniat regnum tuum, ideſt da nobis ſpiritum intellectus, quo mundati corde intelligamus te in præſenti regnare per fidem, ut in futuro te videamus regnare per ſpeciem. *Op. in Pater.*

51. *Regnum Chriſti, & regnum diaboli quale.*

Adveniat regnum tuum: Quodnam regnum eſt, quod petitur? eſt ne regnum cæleſte? ſed quomodo in hac terra poteſt quis habere, & obtinere hoc regnum Dei? ſed attende ad myſterium; tunc regnum Dei in animam venit perpetuo ſolio ſtabilitum, quando virtute ardentis amoris prævalentis in ſpiritu, inordinationes non ſolùm interiorum ſenſuum comprimuntur, per quod domina totius regni ſpiritualis apparet, ſed etiam omnia opera ſua, cogitationes, & actus ſecundum perfectum beneplacitum Dei fiunt, ita ut ſemper quærat quæ Jeſu Chriſti, non quæ ſua; & hoc eſt, quod homines Reges regni cæleſtis conſtituit; nempè perfectè ſubjectos Regi Cœlorum, in quibus regnum Dei, & juſtitia, & ipſe Chriſtus regnat: ſicut è contra diabolus regnat ſuper eos, qui obediunt ei, ubi enim regnat peccatum, ibi regnat diabolus; magnum autem diſcrimen inter utrumque Regem, & regnum: nam regnum & ſubjectio Chriſti acquiritur fiendo, vigilando, pœnitendo, bonum agendo, quos tandem coronat in Cælo immarceſſibili corona: diabolo ſervitur ridendo, dormiendo, voluptuosè vivendo, quos tandem remunerat cum gehenna; dicamus ergo Deo Patri adveniat regnum tuum, non regnet in nos diabolus. *In Luc. c.11. verſ.2. op ſtim. p.3. cap.17. & op. de Prof. Religioſ. lib.2. cap.61. & op. myſt. Theol. cap.2. p.2. & ſerm. 1. Dom.14. Pentec. op. Expoſ. Reg. cap.3.*

52. *Explicatur tertia petitio: Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in terra.*

Nota, quod in hac oratione petitio eſt voluntatem Dei fieri, & hoc per donum conſilii mediante virtute miſericordiæ, exercitæ, in miſeros, per quam conſecutio fit miſericordiæ divinæ: eſt ergo ſenſus, fiat voluntas tua, &c. ideſt da nobis ſpiritum conſilii, ut faciamus voluntatem tuam, maximè miſericordiam, quæ perimit avaritiam, quatenus miſericordiam conſequamur, vult enim Deus apud nos eſſe pauperes, ut per eos ſalvemur, & corpore, & anima. *Op. in Pater noſter.*

53. *Voluntati divinæ conformitas, quale bonum.*

Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in terra. Quomodo petitur, ut in terra fiat voluntas Dei, ſicut in Cœlo? quis eſt, qui ad tantam perfectionem pervenire poſſit? ſed attende quod in hoc, & per hoc aperitur juſtis Cœlum, & proponitur beatitudo quædam debita, & propria filiorum tanti Patris: nam homo ardens amore Dei ut filius Patri per omnia parere, & placere affectans, Patrem devotiſſimè orat, ut eum à voluntatis ſuæ beneplacito in nullo diſcrepare patiatur in actibus, & voluntatibus, & moribus ad omnia, & in omnibus eum ſibi ita conformem faciens, ut nihil in eo paternos oculos offendat, hoc ſolùm ſibi reputans ſolamen, & ſuper omnia deſiderans, ut ipſe cæleſtis Pater tantùm in eo voluntatem perficiat, ſive exercendo in adverſis, ſive conſolando in proſperis, ſive deprimendo, vel quocumque modo ſibi magis placet; verè hoc magnum eſt, & nil melius nihil utilius in mundo poteſt nobis conferre etiam ſummus Pater, quàm tales nos facere, ut ei per omnia placeamus; hoc petimus cum dicimus fiat voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra, ideſt ſicut in Angelis ſic & in hominibus, & ſicut in Chriſto, ſic & in Eccleſia, & ſicut in juſtis, ſic & in peccatoribus, & ſicut in mente, ita & in corpore; & ſicut hoc eſt Angelorum, Beatorum, & juſtorum in Cœlis poſſe tibi totaliter obſequi, totaliter te frui, tuæ voluntati plenariè conformari, & tuum honorem, & magnificentiam admirari, ſic in nobis fiat hæc voluntas tua, ut tuæ voluntati adeo libenter, & ferventer, ac voluntariè obſequamur, ut ipſi ſecundum poſſibilitatem noſtræ virtutis totaliter conformemur; fiat igitur voluntas tua ſicut in Cœlo, & in terra, ut homines degentes in terra fiant ſimiles Angelis. *Op. in Pater in Luc. c.11. v.2. & op. Expoſ. Reg. c.3. op. ſtim. div. am. lib.1. c.17. & op. de Prof. Religioſ. lib.2. c.61. & op. myſt. Theol. c.2. p.2. & ſer.3. Dom.8. Pentec.*

54. *Explicatur quarta petitio: Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.*

Nota hic peti panem, ſimulque donum fortitudinis, eſuriem juſtitiæ, & ſaturitatem beatitudinis contrà acediam: Panis autem, quem petimus hic eſt triplex, ſcilicet corporalis, ſacramentalis, & æternalis, ſcilicet panis, & neceſſaria pro ſuſtentatione corporis, & ſacramentum viſibile, & inviſibile verbi Dei, illud ad animæ refectionem, iſtud ad æternam retributionem; dicimus ergo Panem noſtrum, &c. ideſt da nobis ſpiritum fortitudinis, qui multiplici pane roborat animam, ne deficiamus in præſenti eſuriendo juſtitiam, per quam expellentes acediam plena juſtitia ſaturabimur in futuro: *Op. in Pater noſter*: Nota autem pro intelligentia litterali, quod ſanctus Matthæus dicit Panem noſtrum ſuperſubſtantialem, & ſanctus Lucas Panem noſtrum quotidianum, ſic & Eccleſia, quæ in hoc non ſequitur tranſlationem ſancti Hieronymi, quæ, cum ante ipſum legeretur quotidianum, & ipſa

tranſtulit ex Græco ſuperſubſtantialem, ſequi voluit uſum antiquum, & textum Sancti Lucæ: cur igitur hoc diſcrimen? ſed reſpondet Sanctus Bon. *Luc.c.* 11.*v.*3. quòd cum in hoc nomine panis quotidiani intelligatur & panis corporalis, & quidquid eſt neceſſarium nobis in hac vita, ſcilicet quæcumque alimonia ſivè ſpiritualis, ſivè corporalis, ſivè dicatur quotidianum. ſivè ſuperſubſtantialem, utrumque conſonat vocabulo hæbraico Socholla, ſic etiam apud nos utrumque ſonat hoc nomen quotidianum, quia uterque panis ſpiritualis, & corporalis eſt nobis neceſſarius, & quotidiè à Domino percipiendus, & poſtulandus; notant etiam Doctores, quòd in primitiva Eccleſia præceptum erat percipiendi Euchariſtiam quotidiè, & ideò dicebatur etiam Euchariſtia panis ſuperſubſtantialis & quotidianus. *Luc.ibid.*

55. *Quotuplex panis hic petatur.*

Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodiè. Si de pane corporali, & ſpirituali hic intelligitur, quæritur quis iſte panis? Reſpondetur, quòd primò nomine panis venit corporalis, cum cæteris, quæ ſunt ad vitæ ſuſtentationem corporalis neceſſaria; ſecundò intelligentia Sacræ Scripturæ, quæ eſt panis vitalis animæ: tertiò Sacramentum Euchariſtiæ; quartò adjutorium gratiæ: quintò obſequium pœnitentiæ, & obedientiæ, de quo dixerat Chriſtus, meus cibus eſt ut faciam voluntatem Patris: his panibus reficit nos Dominus, qui deſignati fuerunt in quinque panibus, quibus ſatiavit quinque millia hominum, & ideò quilibet iſtorum ſemper petendus, nempè corporalis pro corpore, ſpiritualis pro anima. *Luc.c.*11.*v.*2.*ſer.*2. *Dom.*4.*Quadrag. ſal.*40.*&* 118.*v.*56.*op. Expoſ.Reg.c.*3.

56. *Panis Euchariſtici manducatio præexigit præparationem in præcedentibus petitionibus præmiſſam.*

Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie. Ideſt Sacramentum Euchariſtiæ; hæc nota pulcherrimum ordinem, & elegantem conjunctionem hujus petitionis cum antecedentibus, in quibus præmittitur præparatio digna ad receptionem hujus Sacramenti; nam cum antecedenter ordinaverit Chriſtus hominem ad Deum quantum ad intellectum, ut ex Ægypto tranſeat peccatorum per ſanctificationem nominis Dei in ſe, *in ſanctificetur nomen tuum*, & quantum ad affectum *in Adveniat regnum tuum*, ut tranſeat mare rubrum tentationum inundantium ſubmerſis Ægyptiis, & quantum ad effectum, *in Fiat voluntas tua*, ſe totum in deſerto exhibitum contemplationi offerat ſe totum Deo; hic meritò petit panem de Cœlo verum, qui de Cœlo deſcendit, exquirit, & acquirit; & hæc eſt vera præparatio ad dignè recipiendum Euchariſtiam, ut ſcilicet in ſe volens ipſam recipere verificetur prima, & ſecunda & tertia petitio; ad hunc igitur panem convertat homo cor ſuum, & relictis his caducis, & vanis rebus dicat Chriſto Jeſu, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; da nobis hunc panem, ut ſemper in præſenti, & ſemper præſentialiter eum habeamus, ſit ſemper præſens ſpiritualiter hic cibus, & numquam ſciat præteritum, vel futurum, ſed doces ô bone Jeſu, ut dicamus hodie, quia tu ardenter deſiderans eſſe ſemper nobiſcum, ſic & nos ad amplexum tuum amor noſter impellit. *Op. ſtim. div. am. p.* 3. *cap.*17.

57. *Quàm conveniens fuerit inſtitutio Euchariſtiæ in Pane, & Vino.*

Da nobis panem ſuperſubſtantialem hodie, &c. Cur dicitur panis ſuperſubſtantialis? hoc eſt, quia Euchariſtia eſt panis excedens mirabiliter omnes ſubſtantias, & res creatas, convenientiſſimè autem inſtituta fuit Euchariſtia in pane, & vino; tum quia utrumque ex multis partibus aggregatur in unum, ſic hoc ſacramentum unit omnes fideles in unitatem Eccleſiæ, tum quia eſt cibus magis conveniens homini, numquam generans faſtidium, magis efficax in confirmando, magis ſanos, & ſicut panis à ſua natura habet habilitatem cibandi, ſed tamen requirit artificium, ut ſic conficiatur panis, ſic Chriſtus à ſua origine habuit cibandi habilitatem, ſed actu cibus effectus eſt decoctione in igne Paſſionis, & compreſſione in torculari crucis. *Lib.*4.*d.*11.*p.*2.*a.*1.*q.*1.

58. *A Maria, & à Chriſto petendus eſt panis Euchariſticus.*

Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodiè. Cur ſit petitio hæc? certum eſt, quod ſit Patri, diximus enim in Principio Pater noſter, &c. ſed in Patre, ut dictum eſt, ſubintelligitur Mater etiam Maria; ergo à Maria Virgine etiam petendus eſt ſed cur à Maria? quia eſt panis Mariæ; nam ex farina candidiſſima carnis, & ſanguinis Mariæ eſt compoſitus, & in clibano uteri ſui igne Spiritus ſancti compactus, & nobis præparatus; dicamus ergo Mariæ frequenter Panem noſtrum, ideſt nobis paratum ſuperſubſtantialem hunc da nobis hodiè, & veluti mendici antè januam conſpectus Chriſti, & Mariæ in oratione mendicemus hunc panem. *In Pſal.* 73. *& ſer.*6.*Dom.infrà oct.Epiph.*

59. *Omnes homines ſunt mendici indigentes mendicare à Deo quotidie.*

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Cur dicitur hodie, & non potiùs pro craſtina die? hodie merito dicitur, quia omnes homines ſunt mendici indigentes pane cæleſti, ſpirituali, & terreſtri, ſine quo nullo die ſubſiſtere poſſumus, quia omni hora Dei gratia indigemus, & adjutorio, & alimento, & ideo ſemper poſtulare jubemur auxilium ad quælibet aggrediendum. *Op.de Prof Religioſ.lib.*2.*c.*61.

60. *Panem à Deo petere debemus de die, non de nocte.*

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Cur ad quotidianum additur hodie? ſi eſt quotidianus ergo eſt hodie? benè dicit hodie, quia non ſufficit petere panem quotidianum, niſi petatur hodie, dicitur autem quotidianus, quia ipſo quotidie indigemus, ſcilicet pro conſervanda

vita

vita corporali pane materiali, pro vita ſpirituali, ſcilicet amore unitivo, gratia, & auxilio Dei, hic panis petendus eſt non in nocte creaturarum, ſed in die, ſcilicet in quo oritur ſol juſtitiæ cum radiis ſolaribus elevans animam ad ſuperiora, & ſeparans à tenebris creaturarum, ut ipſa tota defixa inhæreat ſuo ſponſo. *Opuſc. myſt. Theol. cap. 2. p. 2. & op. de ſeptem itin. æternit. itin. 6. diſt. 6.*

61. *Panis Chriſti, & panis diaboli quis.*

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Cur dicimus panem noſtrum? & ſi eſt noſter, cur à Deo petitur? meritò, ait Chryſoſtomus, dicimus panem noſtrum, ſcilicet cum juſtitia, & obſervantia mandatorum Dei, & noſtra induſtria, & ſudore laboreve juſto acquiſitum, talem panem petimus à Deo, quia panis cum juſtitia acquiſitus eſt panis Cœli, panis Chriſti, panis de Cœlo deſcendens: è contra panis acquiſitus cum injuſtitia panis eſt diaboli, qui intrinſecus vertitur in fel aſpidum, ut dicitur, Iob c. 20. Da igitur nobis hunc panem Cœli Pater clementiſſime, & elonga nos à pane diaboli. *Serm. 1. in Regat. ſermon. 2. Dom. 6. Penteceſt. in Ioan. collat. 32.*

62. *Exponitur quinta petitio. Et dimitte nobis debita noſtra, &c.*

Nota, quòd in his verbis petitio eſt dimitti debita per donum ſcientiæ, & virtutem luctus, ut ad conſolationem perveniatur, eſt ſenſus, dimitte nobis debita noſtra, id eſt da nobis ſcientiæ donum Spiritus Sancti, & virtutem luctus quo tam noſtra quàm aliena peccata cogitemus, & deflea-mus, ut nobis debita noſtra dimittas, & ità conſolationem habeamus contra invidiam, quæ facit hominem de alieno bono tabeſcere. *opuſcul. in Pater noſter.*

63. *Peccata ſunt maxima debita ſuprà poſſe noſtrum.*

Et dimitte nobis debita noſtra. Quæ debita? ſcilicet peccata, quæ meritò dicuntur debita quoad reatum obligationis, quia faciunt nos debitores Deo eorum, quæ non poſſumus ſolvere. Undè in libertate eſt hominis peccare, & ſe debitorem Deo facere, ſed non tamen in ſua poteſtate eſt ipſa debita ſolvere: ideò ad Dei miſericordiam eſt refugiendum dicendo, & dimitte nobis debita noſtra ex tua gratia, & liberalitate. *Luc. c. 11. v. 4. & c. 14. v. 7. ſer. 4. Dom. 16. Pentec.*

64. *Qui vult remiſſionem ſuorum peccatorum à Deo, remittat injurias proximis, ubi explicatur vis hujus quintæ petitionis.*

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Nota, quòd hæc petitio continet multa arcana, & ſimul terribilem ſententiam, nam cum in antecedentibus orans ad Patrem Deum recurſum habuerit pro obtinendis gratiis, & bonis ſpiritualibus, tranſit poſteà ad ſupplicandum Deum pro amovendis malis à ſe, & quia inter hæc maximum eſt debitum, & reatus contractus propter peccata commiſſa, hinc primo loco ſupplicitet petit remiſſionem peccatorum à divina miſericordia recognoſcens infinitam ſuam miſericordiam, deſideriumque ardens in ejus pectore nobis remittendi ſuas offenſas, ſic dicit anima; & dimitte ô Pater debita noſtra, ut veri filii tui ſimus purgati à peccatis: hoc ſtante quæritur cur Chriſtus addiderit conditionem adimplendam; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris? ergone operatur Deus reſpiciens ad extrà, quod negatur à catholicis, quia Deus ipſe eſt regula noſtra, & non nos Dei, ſtum quia Deus & multò majora, & multò plura, & multò liberaliùs, & multò minùs merentibus remittit, quàm nos debitoribus noſtris remittere poſſimus, & ideò hoc videtur præjudicare infinitæ independentiæ divinæ? ſed attende ad ordinem divinæ bonitatis, & juſtitiæ; meritò enim hanc conditionem appoſuit ad veniam noſtrorum peccatorum impetrandam, quia juſtum eſt ut qui fugit, vel offendit legem clementiæ cadat in legem juſtitiæ; undè Deus dimittens per miſericordiam peccata, ipſa repetit per juſtitiam offenſam, in quo caſu regula ſimus non ſimpliciter, ſed ex Dei dono, & benignitate, & non ejus, ſed noſtri, quia ſecundùm regulam, quàm nobis miſericordiæ impoſuerimus, ſecundùm illam Deus nobiſcum ſe habebit. *Serm. 4. Dom. 16. Pentec. epiſtim. p. 3. cap. 17.*

65. *An quis odiens proximum poſſit tutâ conſcientia dicere orationem Dominicam?*

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hinc inſurgit quæſtio ſatis moleſta, an ſcilicet qui rancorem, vel odium in proximum gerit in corde, vel vindictam machinatur in inimicum, poſſit tuta conſcientia, & abſque peccato dicere hanc orationem? & ratio dubitandi eſt, quia iſte mendacium in hac oratione in faciem Dei pronuntiat; tùm quia imprecatur contra ſe Deum; dum enim petit à Deo, ut ſibi dimittat peccata eo modo, quo ipſe proximo remittit injurias, & cum nolit remittere, patet, quod ab oppoſito videtur petere; quod Deus nunquam ſua peccata remittat, quod ipſum excludat à ſui viſione, & amicitia, quod ipſum in oreum, & gehennam æternam detrudat: huic quæſtioni reſponderur primò, quod non eſt credendum aliquem unquam inveniri, qui hanc orationem dicat animo imprecandi contra ſe iram Dei, ſed potiùs ad petendam miſericordiam, & licet adſit in hac oratione illa conditio, ſicut nos dimittimus, &c. tamen non intendit vim conditionis aggravare, quia vel ordinat implicitè adimpletionem ipſius ad tempus, & pro tempore remiſſionis futuræ: vel ſi gerit in animo propoſitum nunquam reconciliandi ſe cum proximo, tunc exiſtimandus eſt ſe dicere orationem pro ut eſt membrum Eccleſiæ, & omni alio meliori modo, & ob id non intervenire novum contemptum; ſecundò, quod licèt non interveniat novus contemptus, tamen

tamen occaſionaliter aggravatur magis ſuum peccatum odii in proximum, & ſi cum contemptu divini præcepti, & remiſſionis peccatorum obtinendæ ipſam diceret orationem, tunc non eſſet ſine peccato, & forſan mortali: tertiò nec qui tale odium gerit in corde, poteſt omittere orationem Dominicam, quia maximum præjudicium ſibi inferret animæ, & graviùs etiam peccaret, ſi in dicendo hanc orationem obtruncaret hanc particulam ipſam omittendo: Et hinc infertur, quòd ſanum, & tutum conſilium eſt cuilibet, quod in fraterno odio nullatenus perſeveret; appare enim, quod ſine maximo diſpendio maximè eſſe non poteſt. *Vide lib. 3. d. 30. dub. 3. & lib. 4. d. 16. p. 2. dub. 5. Vide Aval. hic q. 116. & Torres in 2. 2. D. Thom. q. 85. a. 9. n 67.* Et hinc in Sacerdotali Romano præcipitur Parochis, ut in principio Quadrageſimæ curent ſuorum ſubditorum reconciliationem, ex hoc (ait Canon deſumptus ex D. Auguſtino) ut jejunia, orationes, & alia opera bona ipſorum nullum habeant impedimentum acceptationis divinæ, & ut liberiùs, & tutiùs facere poſſint, & dimitte nobis debita, &c. Et hæc eſt ratio (ut opinor) quare in principio Quadrageſimæ proponitur ab Eccleſia Evangelium de dilectione inimicorum: Addit Seraphicus Doctor, quod etiam non habens ullum peccatum debet dicere, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos, &c. quia tunc orat pro aliis confratribus. *Lib. 4. d. 16. p. 2. dub. 3.* Addit D. Thomas quemlibet debere dicere orationem Dominicam etiam maximum peccatorem, quia licet non ſit meritoria ad vitam æternam, poteſt tamen proficere de congruo ad impetrandam converſionem, & bona temporalia.

66. *Oratione Dominica obtinetur indulgentia peccatorum maximè ob eleemoſynam ſpiritualem, quæ exercetur in hac petitione.*

Et dimitte nobis debita noſtra. Nota quomodò abſolutè petitur indulgentia peccatorum à Deo, veluti præcipiendo, & quaſi imperiosè hæc pronuntiando & id quomodo poteſt fieri, cum ſolius divinæ pietatis ſit remittere peccata? ſed attende ad efficaciam hujus orationis Dominicæ, nam per ipſam delentur peccata venialia, & etiam pœnæ debitæ mortalibus, & hoc non tantùm ratione orationis, ſed magis ratione eleemoſynæ ſpiritualis implicitæ in oratione, quia remiſſio injuriarum eſt una ex præcipuis eleemoſynis Deo acceptis, quæ proximo poſſunt fieri, quare verè poſſumus exclamando dicere; ô beatum proximi debitum, ô felix offenſa, quam allegare coram Deo poſſumus in remiſſionem debiti noſtri, & ſecurè dicere, & dimitte nobis, &c. quia ipſa pax facta eſt, & pacis convivium celebratum. *Op. ſtim. p. 3. c. 17. & lib. 4. d. 16. p. 2. dub. 4.*

67. *Qualis fueris cum proximo, talis erit tibi Deus.*

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut, & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quæritur hic quid importet illa particula, ſicut, an ſit nota ſimilitudinis, ſeu regula, an verò conditio neceſſaria? Reſpondetur cum communi SS. Pr. quòd hæc particula, ſicut, eſt conditio, & etiam nota ſimilitudinis, & regulæ non quidem in rigore ſcholaſtico, ſed proportionaliter, & materialiter; nam cum Chriſtus totus fuerit ad charitatem fraternam ſtabiliendam, & cum impoſſibile ſit hanc poſſe conſervari ſine remiſſione injuriarum, ſic nobis inſinuavit illum dimiſſurum, ſicut nos dimiſerimus, aut nullo modo dimiſſurum, ſi hæc conditio deerit: ſed quia per hanc conditionalem ſolùm videtur poſſe complecti illa dimiſſio, quæ eſt de præcepto, hinc ut omnem cauſam tollat eorum, quæ poſſunt impedire uſum perfectæ charitatis fraternæ, hinc & etiam voluit, ut ly ſicut, haberet vim ſimilitudinis, nempè nobis promittendo liberaliter dimiſſionem peccatorum ultra condignum, ſicut & nos dimittimus injurias non ſolùm quæ ſunt de præcepto, ſed etiam de conſilio, & in hoc caſu nos ſumus regula, non abſolutè, ſed ex Dei dono, & ipſius benignitate; regula inquam non Dei, ſed noſtri, quia ſecundùm regulam quàm nobis miſericordiæ impoſuerimus, ſecundùm illam Deus nobiſcum ſe habebit: Homo (ait Sanctus Petrus *Criſol. ſer. 71.*) tu tibi miſericordiæ factus es ipſe menſura, quantum quæris miſericordiæ fac tantum, & Niſſen. ordo quodammodo invertitur, ut accedamus ſperare futurum, ut Deus noſtra facta imitetur, ut dicas, quod ego feci Domine, fac, ſolvi, ſolve, dimiſi, dimitte. *Idem & S. Aug. Hom. 4. & S. Cipr. hic, & Chryſ. Hom. 8. & S. Bonav. op. ſtim. p. 3. c. 17.*

68. *Qui non dimittit proximo debita mentitur coram Deo.*

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus, &c. Vide quomodo patenter petens à Deo remiſſionem peccatorum, & nolens reconciliari proximo, videtur poſſe notari peccato temeritatis irreligioſitatis, & inverecundiæ contra Dei debitam reverentiam, quia in faciem Dei ipſe mentitur in ſuis precibus & ideò de iſtis dicit Propheta Pſal. 80. Inimici Domini mentiti ſunt ei, & erit tempus eorum in ſæcula, quia Domino mentiuntur dum dicunt ſe debitoribus dimittere, & non dimittunt, ergo tempus erit in ſæcula, quia ignis eorum erit in ſæcula. *Ser. 1. Dom. 1. Quadrag.* Attende igitur fructum, attende periculum, quia magnus fructus, quod pro dimiſſione unius denarii, tibi dimittentur mille marchæ, ſcilicet peccata, quia magnum periculum eſt ne quis contra ſe petat. *Ser. 3. Dom. 21. Pentec.*

69. *Expenditur ſexta petitio: Et ne nos inducas in tentationem.*

Nota, quod in hac ſexta particula petit homo non induci in tentationem, ſimulque donum pietatis per virtutem manſuetudinis, ut beatitudinem aſſequatur, ſcilicet poſſeſſionem terræ contra vitium iræ: & hic eſt ſermo de tentatione malæ perſuaſionis diabolicæ, vel humanæ, ſenſuſque eſt, Et ne nos inducas, &c. da nobis ſpiritum pietatis, & manſuetudinem Spiritus, ut per Spiritum pietatis vincamus tentationem, exercendo nos ad pietatem, & per manſuetudinem vincamus vitium iræ, non reddendo malum pro malo, ut ita beati poſſideamus terram viventium, quam per ſpiritum pietatis, & manſuetudinem obtineamus. *Op. in Pater noſter.*

70. *Quale*

70. *Quale diſcrimen eſt tentari, & induci in tentationem, & quale malum ſit tentatio.*

Et ne nos induxas in tentationem. Quid eſt, quod petitur? ergone tentatio erit de ſe mala, cum Chriſtus præcipiat, ut ad ipſum confugiamus pro auxilio contra tentationem? ſed attende, quòd hic non petimus non tentari, ſed non induci, ideſt non ſuperari, ut in conflictu obtineamus victoriam; tentatio enim de ſe non eſt mala, quia ipſa hominem probat, facitque cognoſcere noſtram fragilitatem, & neceſſitatem auxilii divini, & hoc eſt quod hic petitur *In Luc. c. 11. v. 4. & Pſalm. 34. & 64.* Nota etiam, quòd hic edocemur nos teneri confugere ad orationem, quando imminet tentatio gravis. *In Luc. c. 22. v 4. & op. ſtim. div. am. p. 3. c. 17. & ſeq. & op. Expoſ. Regula c 3. & op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 61. & op. myſt. Theol. c. 2. p. 2.* Ex quibus rectè inferant Theologi, quod homo abſque aliqua gratia ſuperna non poteſt tentationibus reſiſtere, cum hoc diſcrimine tamen; quod cum gratia gratis data poteſt homo reſiſtere diabolo, & tentationi ejus, & ob id non conſentire, ſed tamen non poteſt eſſe amicus abſque gratia gratum faciente. *Op. de reſurrectione à peccato.*

71. *Expenditur ultima petitio ſed libera nos à malo.*

A quo malo? Nota, quòd hic petitur liberatio à multiplici malo, ſcilicet culpæ, pœnæ æternæ, & miſeriæ & hoc per donum timoris, & virtutem paupertatis Spiritus, ut adipiſcamur regnum cœlorum contra inanem gloriam, & eſt ſenſus, libera nos à malo, da nobis ſpiritum timoris, ut per illum vincamus mala, per virtutem paupertatis ſpiritus bona adipiſcamur, quatenus excluſis vitiis & contemptis terrenis habeamus æterna, ſcilicet, beatitudinem regni cœleſtis, quam Lucifer, & primi parentes per vitium inanis gloriæ amiſerunt; libera igitur nos ô Pater ab omni malo, ſcilicet concupiſcentiæ carnis, mundi, & diaboli, quæ ſunt mala, quæ nos in præſenti conturbant. *Op. in Pater. Luc. c. 11. v. 4. Ioan. c. 17. v. 15. opuſc. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 61. op. myſt. Theol. cap. 2. p. 2.* Nota, quòd Sanctus Lucas omiſit hanc petitionem, quia ipſam involuit in antecedenti, & ne nos inducas in tentationem, qui enim eripitur ab omni tentatione, ne cadat, liberatur ab omni malo. *Luc. ibid. & op. ſtim. p. 3. c. 17. & 18. & opuſc. Expoſ. Reg. c. 3.*

72. *In oratione Dominica continetur multiplex affectus, & modus, quo anima orans ad Deum induit vices diverſarum perſonarum.*

Sed libera nos à malo. Nota, quòd cum omnes ſeptem petitiones contineantur in ſeptem beatitudinibus à Chriſto in monte expreſſis, in hac oratione proceditur modo, & ordine diverſo, nam ultima petitio reſpondet primæ beatitudini de paupertate; penultima ſecundæ beatitudini, & ſic de ſingulis uſque ad ultimam, & primam; in his autem edocetur anima induere in oratione ad Deum vicem diverſarum perſonarum confugientium; nam dicens, ſed libera nos à malo, induit perſonam Rei coram Deo aſtantis cum tremore, & petentis liberari à condemnatione mortis æternæ: & dicens, & ne nos inducas in tentationem, induit perſonam obſeſſam ab hoſtibus, tribulationibus, & tentationibus petentem liberari, ne ob demerita ſuorum peccatorum tradatur in manibus hoſtium: & dicens dimitte nobis debita; &c. induit perſonam peccatoris contriti & petentis veniam: dicens panem noſtrum quotidianum, &c. induit perſonam mendici, & paupertis indigentis ſubſidio temporali, & ſpirituali: dicens fiat voluntas tua; induit perſonam filii per omnia ſe exhibentis parere patri, & orantis, ne à voluntatis ſuæ beneplacito deflectere ſinat: dicens adveniat regnum tuum, &c. induit perſonam ſponſæ anhelantis ad renuntiationem omnium terrenorum, & ad amplexum ſolùm dilecti; dicens ſanctificetur nomen tuum, induit perſonam animæ inebriatæ divino amore, ſolumque adſpirantis ad divinum cultum, & honorem in ſe, & in omnibus aliis; quid igitur plus peti poteſt? *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. cap. 61.*

73. *Expoſitio Sancti Patris Franciſci in orationem Dominicam.*

Hucuſque variæ expoſitiones appoſitæ fuerunt traditæ à Seraphico Doctore, ſed quia valde conformes ſunt iis, quas ante ipſum tradiderat Sanctus Pater Franciſcus, ut pateat conformitas, quæ in ſenſibus ſpiritualibus vigebat inter Patrem, & Filium, congruum exiſtimavimus his ſuperaddere dictæ expoſitionem Sancti Patris Franciſci ſic devotiſſimè traditam. *Pater noſter.* Beatiſſime, & Sanctiſſime, Creator noſter, Redemptor noſter, & conſolator noſter. Qui es in Cœlis, ſcilicet in Angelis, in Sanctis illuminando eos ad tui cognitionem; quia tu Domine lux es; inflammando eos ad tuum amorem divinum, quia tu Domine amor es inhabitans, & implens eos ad beatitudinem, quia tu Domine ſummum bonum es, & æternum bonum, à quo omnia bona, & ſine quo nullum bonum: Sanctificetur nomen tuum, ideſt clarificetur in nobis notitia tua ut cognoſcamus: quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promiſſorum, ſublimitas Majeſtatis, & profunditas judiciorum: Adveniat regnum tuum, ut regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum, ubi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra, ut amemus te toto corde, te ſemper cogitando, ex tota anima ſemper deſiderando, ex tota mente omnes intentiones noſtras ad te dirigendo & honorem tuum in omnibus quærendo, & ex omnibus viribus noſtris, omnes vires, & ſenſus animæ, & corporis in obſequium tui amoris, & non in aliud expendendo, & proximos noſtros amemus, ſicut nos metipſos, omnes pro viribus trahendo, de bono aliorum gaudendo, in malis compatiendo, & nemini ullam offenſam faciendo: Panem noſtrum quotidianum, ſcilicet dilectum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum da nobis hodie, in memoriam, & intelligentiam, & reverentiam amoris, quem ad nos habuit, & eorum, quæ pro nobis dixit, & fecit, & ſuſtuli: Et dimitte nobis debita noſtra, per tuam miſericordiam ineffabilem, & Paſſionis dilecti Filii

tui Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem ; & per Beatiſſimæ Virginis Mariæ , & omnium electorum tuorum merita,& interceſſionem;ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris; & quod non plenè dimittimus,tu Domine fac nos plenè dimittere,ut inimicos noſtros propter te veraciter diligamus,& pro eis apud te devotè intercedamus,nulli malum pro malo reddentes, & omnibus in te prodeſſe ſtudeamus. Et ne nos inducas in tentationem,ſcilicet occultam , vel manifeſtam , ſubitam,vel importunam, ſed libera nos à malo præterito;præſenti,& futuro: Amen ſpontaneè,& gratis. *Hæc ex opuſcul. S. Patris Franciſci tom. 1. & conformiſſima,ad ea,quæ ſuprà tradit S. Bon. filius digniſſimus tanti Patris.*

74. *Indulgentia plenaria,& jubileus plenariſſimus à Chriſto promittitur dimittentibus injurias proximo.*

Amen ; ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet , & Pater veſter cæleſtis peccata veſtra , ſi autem non dimiſeritis hominibus , nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Vide quomodo Chriſtus redit ad quintam petitionem, & dimitte nobis.&c. cæteris nobilioribus prætermiſſis:cur hoc? cur non potius ad fiat voluntas tua, vel ad aliam petitionem objecti nobilioris:ſed ex hoc patet infinitum deſiderium noſtræ ſalutis , & ſimul impetrationis omnium eorum , quæ poſtulate nobis juſſerat , cum non dimittendo nos fratribus impoſſibile ſit,ut peccatis abſolvamur, ſicuti è contra dimittendo dimittentur nobis : Nota autem quòd poſt illam particulam Amen per quam ſignificatur fidelitas,veracitas,& infallibilitas impetrationis,conditionalem voluit ſubnectere,ut hinc addiſceremus(ait Rabanus)quod ex hac dependet omnis petitionum noſtrarum impetratio; ſubjungens ſtatim ſi dimiſeritis, &c. in quibus obſervat Caiet. ſubtiliſſimè Chriſtum non oppoſuiſſe particulam reſtrictivam,ſicut dicendo, ſicut dimiſeritis ſic dimittet , ut ſupra in oratione Dominica appoſuerat, ſed extendendo ſuam miſericordiam, ſimpliciter dixit, ſi dimiſeritis , &c. ſed cur hoc? quid myſterii latet in hoc modo loquendi ? verè maximum myſterium nobis hic aperitur(ait S.Bonav.) nempè, quod ſicut impoſſibile eſt recipere remiſſionem à Deo , ſi non dimittimus proximis, ſic è contra Chriſtus Jeſus hic nobis apperuit annum Jubilæi,& obtulit indulgentiam peccatorum plenariam ,in quo homo homini peccata dimittit,& Deus tali homini omnia peccata remittit;ſi dimiſeritis (ait) hominibus peccata eorum, ſi indulgentiam concedetis veſtris inimicis ſuorum delictorum , & Pater meus cœleſtis aperiet vobis theſaurum miſericordiæ ſuæ concedendo indulgentiam omnium peccatorum veſtrorum, ut autem ſciatis modum , quo talem indulgentiam obtinere poſſitis , adſpicite ad ipſum Chriſtum in cruce pendentem , & pro crucifixoribus orantem, Pater, ait , dimitte illis , &c. tunc nobis ſuo exemplo ſignificantem qualiter id obtinere poſſimus:adſpicite inquam quem petit;pro quibus;quis? ubi petit Patrem Filius,pro impiis crucifixus;inter ipſas injurias mortis illatæ, pendens in cruce ; in quibus datur tibi exemplum , quàm integrè , quam magna voluntate ; quàm citò debeas indulgere peccantibus in te ; integrè , quia amicos tuos volentes injurias tibi illatas vindicare, oportet te rogare,ut dimittant tecum , ſicut Chriſtus rogavit Patrem : magna voluntate, quia in mortis illatione ; citò , quia in eodem loco,ubi mortem Patris , vel aliam injuriam accipis , dimittamus igitur quod debetur nobis , & dimittetur,quod debemus nos. *Sermon.3. Dom.4. poſt oct. Paſchæ;ſer.3. Dom.21. Pentec. op. ſim. dim. am. p.3.c.18.& 19. Luc.c.6.v.37.& c.17.v.4. Diet. tit.7.c.4. Pſalm. 34. & 63.* Et hinc inferunt graves Theologi fundantes ſuam opinionem in plurib⁹ textibus claris Sacræ Scripturæ , quòd cum rem ſibi injucarum ſit actus excellentiſſimus , & ſimul difficillimus etiam ferr ſecum quandam infallibilitatem ſalutis , & juſtificationis , non quidem immediatè , ſed qua per ipſum quis meretur etiam exiſtens in peccato mortali , ſaltem de congruo , auxilium efficax , quo infallibiliter ad Deum convertetur , & ſalvabitur , ſicuti etiam dicunt voluntatem martyrii afferre ſecum hanc juſtificationem , & de hac veritate habentur apud authores plura exempla in S.Petro Dam. in Cantipratenſi, &c. de qua doctrina certe probabili. *Vide Caiet.in hunc locum ; D. Thom.lib.4. d.15.q.2.a.2.ad 1. Bannez in 22.q.32. a.4. concl.6. Torres ibid. q.83. a.9.* Hinc etiam S. Vincentius Ferrerius dicit ſuper hunc textum , ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum,&c. hæc eſt indulgentia omnium peccatorum data per Bullam,& Papam Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cujus Notarius fuit Beatus Matthæus : quis igitur renuet dimittere injurias ad tam largam exhibitionem divinæ pietatis ?

75. *Miſericordia hominis in hominem miſericordiam Dei attrahit : odium in hominem odium Dei contrahit.*

Si dimiſeritis hominibus peccata eorum dimittet & Pater veſter , &c. ſi non dimiſeritis , &c. Quæritur hic cur hoc privilegium à Chriſto tam amplum conceditur , & promittitur condonationi injuriarum ? cur non ſacrificio,jejunio , &c. ſed attende ad myſterium : Condonatio peccatorum reſpectu Dei fundatur tota in divina miſericordia , quæ quia infinita , indignis inſpirat , movet , conſulit , pungit , gratiam tribuit , ad pœnitendum , tandem & de ſuo aliquid gratis condonat. *Vide lib.2.d.28. a.1. q.1. & lib.3. d.20. a.1. q.1.& lib.4.d.5. a.3. quæſt.1 his ſtantibus.* Cùm ergo miſericordia ſuperet juſtitiam , & ſua bonis, & malis communicet , & Deum perfectiſſimè imitetur, quid mirum,quod Deus proſpiciens hominem miſericordem in fratrem,qui gratis dimittit,qui laceſſitus condonat,qui potens ſe vindicare,non vindicat , imò & qui etiam beneficia largitur,non ſinat ſe ab homine vinci,& ideò miſericordia hominis in proximum eſt veluti magnes attrahens Dei miſericordiam;& modus abſolutionis optimus liberans reum , & Deum obligans,& hoc eſt quod dicitur Matth.c.5 Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur:& hic,ſi dimiſeritis,&c.& *in Luc.c.6.* Dimittite,& dimittemini:& è contra mirum non eſt, quòd qui à Deo tam alienatur per odium in proximum,odium Dei contrahat. *op. Diet.tit.7. cap.4. ſer.3. Dom.21. Pentec. Luc.c.6.*

76. *Oratio quibus alis volare possit ad Cœlum.*

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Vide quomodò Christus in medio inter eleemosynam, & jejunium reposuerit orationem, quare hoc? quia nos docere prætendit, quibus alis ad Cœlum oratio volare possit, nempe alà eleemosynæ & jejunii, de hoc nunc tractat Christus. *Ser. de S. Martino.*

77. *Jejunans propter vanam gloriàm, & ad laudem humanam captandam pascit diabolum, mundumque.*

Cum jejunatis nolite fieri sicut hypocritæ, tristes; exterminant, &c. Nota, quod Christus sicut eliminavit ab oratione, & eleemosyna vanam gloriam, sic nunc à jejunio, & ideo advertit, ne jejunantes sint veluti hypocritæ tristes; qui simulant se tristes in facie, ut appareant hominibus pœnitentes; & meritò reprobatur vana gloria; quia sic jejunans, quod subtrahit uni hosti, scilicet carni, de ipso pascit diabolum, & mundum hostes crudelissimos, & ideo verè martyres diaboli tales sunt. *Op. Diet. tit. 2. c. 6. & op. de septem itin. æternit. itin. 2. d. 4. & serm. 1. feria 4. Paschæ.*

78. *Peccatum mortale larvatam reddit animam, & transformat in bestiam.*

Exterminant enim facies suas. Et quinam sunt isti stulti? sunt hypocritæ, sed quid est hypocrita? hoc nomen est Græcum, idemque sonat ac simulator, undè hypocritæ dicebantur mimi, & histriones, comedias, & tragædias facientes, aliud se esse simulantes, quàm revera erant: In Scriptura sacra verò nomine hypocritæ venit homo impius, quia exterius aliud apparet, aliud interiùs est, & hoc est mendacium apud Deum, quia tales se dicunt Christianos, sacerdotes, &c. & verè tales non sunt, quare? quia exterminant facies suas vel ut legit Theophil. obscurant facies suas, sanctus Hieron. legit demoliuntur; Chrysostomus, corrumpunt facies suas, sed quomodo hoc? quia exterius apparent homines, sed interius sunt veluti bestiæ, & similes dæmonibus, & ideo larvati incedunt. *Serm. 2. Dom. infra oct. Ascens. op. de Prof. Religios. lib. 2. c. 15. & serm. 6. Dom. infrà oct. Epiphan. op. Comp. Theolog. lib. 3. cap. 7.*

79. *De jejunio plura differuntur.*

Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris jejunans. sed Patri tuo, &c. Nota hic, quod alluſio fit ad morem Palæstinorum, qui ad lætitiam ostendendam, se ungebant oleo odorifero, & lavabant, tum etiam ob necessitatem, ut caput, & pedes refrigerarent contrà calorem illius terræ, quod etiam faciebant Religiosi, imò Christus, ne singularitate notaretur, sinebat se ungi; quod & notandum est à spiritualibus, qui aliquando delicatiora sumere sobriè debent ad vitandam singularitatem &c. sic facti Expositores: Hic textus tamen intelligendus est de unctione spirituali: unge caput tuum, scilicet intentione recta in Deum, & lætitia exteriori religiosa, & faciem tuam lava, scilicet munda conscientiam tuam; tum etiam per unctionem intelligitur misericordia, & compassio in proximum; dat igitur intelligere, quod ad hoc, ut jejunium eo sit charum, exigit jejunium à peccatis per munditiam cordis, & assumi debet ad Dei honorem, & ad sui mortificationem, & quod subtrahitur carni, tribuendum est pauperi, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. *Diet. tit. 2. c. 6. & tit. 7. c. 4. Psalm. 88. in Eccles. c. 9. in Luc. c. 7. v. 46. & ser. 2. de sanctis Innocent. in addit.*

80. *Christus avaritiam eliminare intendit à cordibus hominum, tamquam causam omnium malorum.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. Vide quam sollicitus sit Christus, ut suos sequaces faciat homines cælestes; nam post præcepta de oratione, jejunio, & eleemosyna, & modum, quo facienda, & post avocationem à cupiditate laudis humanæ, nunc totus est ad avocandum hominem à cupiditate rerum terrenarum, & divitiarum, quæ est origo omnium malorum; dicens nolite thesaurizare vobis thesauros in terrà, aut ex auro, & argento, aut vestibus, aut lapillis constant pretiosis, aurũ & argentum subjacet æruginì, vestes tineæ & lapilli futuribus, scilicet, ait Auth. Imperfect. aut seipsis veterascunt ut vestes, aut æruginant, aut à furibus auferuntur, scilicet vel ab extraneis, aut luxuriis, persecutionibus, dolis, &c. quæ omnia mala ab avaritia causantur: Avaritia igitur à corde nostro eliminanda, quia in hac vita subjacet infinitis malis, & plus in alia vita. *Luc. c. 12. v. 15. seq. ad 21. & c. 13. v. 11. & 33.*

81. *Avaritia incurvat hominem ad terram, nec sinit adspicere ad Cœlum.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Cur hoc? quia hoc est proprium avaritiæ, quæ incurvat animam ad terram, nec finit adspicere ad Cœlum. *In Luc. c. 13. v. 11.*

82. *Thesaurizare in terra, & in Cœlo quid.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. Sed in Cœlo: Quid est thesaurizare in terra, & in Cœlo? thesaurizat in terra qui ad terram adspicit, qui terrena sapit, qui cor suum divitiis affligit: thesaurizat in Cœlo, qui suam spem in Cœlum, & in Deum collocat. *In Luc. c. 12. v. 21. & 33. & c. 13. v. 11.*

83. *Ubi thesaurus vester, ibi & cor vestrum: quomodo id sit verum.*

Nota hanc sententiam Christi verissimam, estque proverbium tritum, & vulgare; & ratio est, quia anima est plus ubi amat, quam ubi animat, & ideò si in terra est thesaurus tuus, ibi cor deorsum est, & in terra sepultum; si in cælestibus, & in Christo fixum est cor. *In Luc. c. 12. v. 23. & in Joan. coll. 11. 70. in Eccles. præam.*

84. *An*

84. *An liceat theſaurizare.*

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra &c. Textus iſte ingerit dubium, an cum conſcientia poſſit homo theſaurizare in terra? Reſpondetur, quòd cum avaritia ſit immoderatus amor habendi: hoc poteſt eſſe tripliciter, vel in appetendo, vel in acquirendo, vel in retinendo: in appetendo poteſt eſſe quinque modis: primò in appetendo determinatè aliena modo illicito; ſecundò in appetendo illicita voluntate incompleta, ut ſi indignus appeteret Eccleſiaſticum beneficium: tertiò ſi ſuperflua appetit appetitu ſuffocante mentem à cura ſui, & propriæ ſalutis, ſic omnibus iſtis modis eſt peccatum mortale: ſi verò appetit voluntate conditionata, ſcilicet ſine offenſa Dei, vel proximi ſic nullum peccatum eſt, vel ſolùm veniale; ſic etiam ſi ſuperfluo amore inhæret temporalis infrà Dei amorem, eſt veniale. In acquirendo verò poteſt eſſe tripliciter; primò vel juſtè, vel injuſtè, ſcilicet quocumque modo: ſic eſt mortale, vel per artem, & medium mortiferum, ſic eſt mortale; ſi per artem, & medium veniale, ſic eſt veniale: In retinendo: & hoc poteſt eſſe, quia retinet voluntariè aliena, ſic eſt peccatum mortale: vel retinet ea, quæ neceſſitatem ſui, vel aliorum reſpiciunt, ſic nullum eſt peccatum; vel retinet res ſuperfluas in tempore extremæ neceſſitatis proximi, ſic eſt peccatum mortale. & hujus ſignum eſt maximè, quia potiùs res putreſcere ſinit, quam aliis utiliter dare: vel retinet ex inordinato amore temporalium deficiendo à ſtatu largitatis; ſalvo tamen ſtatu virtutis, ſic eſt veniale; & hinc avaritia comparatur idololatriæ, quia avarus magis ſervit creaturæ, quàm Creatori. *Op. Comp. Theol. lib. 3. c. 19. & 24.*

85. *Avaritiæ mala expenduntur.*

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo &c. Nota ly vobis, & in terra, quia per hæc verba ſignificat, quòd dediti avaritiæ nihil ſibi proficiunt cum acquiſitione terrenorum, quia ſubjacent ærugini, tineæ & furibus, per quæ remanent avari omni bono prætenſo privati: meritò igitur Chriſtus eliminare conatur hanc peſtem à cordibus hominum, quia innumera ſunt mala ex tam peſſima radice derivantia: nam primò facit hominem nudum, nempè miſerum, quia ſemper laborat pro divitiis; pauperem, quia eas cum dolore perdit, & cæcum, & nudum omni bono; item ſervum, & captivum divitiarum, ſtultum, quia ſuum non præcavet periculum damnationis, etiam ſi ſit vicinus morti inſatiabilem reddit; corpus eviſcerat, ut aranea, ut divitias congreget; mentem ſuffocat, & hidropicam reddit animam, quia quantò plus bibit, tantò plus ſitit. *Vide op. Diæt. tit. 1. cap. 6. & op. Comp. Theol. lib. 3. c. 19.*

86. *Diſpergens in hac vita pro Chriſto theſauros ſuos: theſaurum impretiabilem in alia congregat.*

Nolite theſaurizare &c. theſaurizate autem vobis theſauros in Cælo. Nota hanc anthiteſim, nolite theſaurizare, & theſaurizate; quomodò ſubſiſtunt hæc duo contraria; ſed attende ad diverſa tempora, & rationes & loca: nolite aſt in hac vita theſaurizare in terra, ergo vult ut diſpergantur terrena in hac vita, & cur hoc? quia bona hujus mundi interitui, & corruptioni ſunt ſubjecta, ergo diſpergantur in pauperes, ut in Cœlo congregentur, ubi nec ærugo, nec tinea, nec fures ipſa poſſunt demoliri; ideò in his verbis non juſſit Dominus, ut theſaurum perderemus, ſed locum oſtendit, in quo poneremus, ſed nota, quòd magna vis eſt facienda quomodò locetur theſaurus, quia eodem loco locatur & animus, *ubi enim theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit. Luc. c. 12. v. 33. Eccleſiaſt. c. 11.*

87. *Dives in Deum theſauros in Cælo reponit; dives in mundum eſt ſtultus, quia eos perdit.*

Theſaurizate vobis theſauros in Cælo. Connectenda eſt hæc admonitio cum verbis Chriſti *in Luc. c. 12.* ubi dicitur de divite ſtulto, qui non eſt in Deum dives; dicitur ſtultus iſte dives, & hoc, quia laborat indeficienter, ut congreget in hac vita, neſciens cui laborat: è contra dives in Deum eſt qui abundat meritis, & operibus pietatis, & hoc per ſpem remunerationis in Cœlo præparatæ. *Luc. c. 12. v. 21.*

88. *Renuntians omnibus propter Chriſtum theſaurum indeficientem in Cœlis præparat.*

Theſaurizate vobis theſauros in Cælo. Et quomodo quis id poterit facere? non theſaurizando in terra, ſed omnia relinquendo, & renuntiando propter Chriſtum, omnia inquam, non partem, ut fecit Ananias: *Act. 5.* quia regnum Cœlorum tantum valet, quantum habes. *Luc. c. 18. v. 22.*

89. *Paupertate voluntaria theſaurus pretioſiſſimus præparatur in Cælo.*

Theſaurizate vobis theſauros in cælo. Et ſi deſideras ſcire quomodo hoc facere poſſis, attende quòd antecedenter dicit Chriſtus, nolite theſaurizare vobis theſauros in terra; ideſt per voluntariam paupertatem, mundum, & omnia mundana, contemnendo, ô quàm fælices qui eligunt cum Chriſto pauperes eſſe, præter victum, & veſtitum nihil aliud appetentes: ô quam infælices è contra, qui paupertatem effugientes, divitias toto animo quærunt, non attendentes, quòd tunc ſunt maximè vacui, quandò ſe credunt plenos, ſed vacui ſunt Dei donis, pleni peccatis, pleni in arca, vacui in conſcientia, acquirunt peccata, & perdunt aurum, quærunt aurum, & acquirunt infernum, ſic Luna quando verſus terram dicitur plena, tunc verſus Cœlum eſt vacua; & è contra quando verſus terram eſt vacua, vel nulla, tunc verſus Cœlum dicitur eſſe tota plena, quia quantò plus à ſole recedit, tantò verſus terram plena exiſtit, & plus vacua verſus Cœlum; è contrario quantò plus ſoli appropinquat, tantò verſus terram ſe evacuat, & verſus Cœlum fortitudinem ſuam augmentat, ita quòd ſoli tunc eſt perfectè conjuncta; ſic vir ſanctus dum nihil habet in mundo, eſt dives in Cœlo. *Ser. 5. de un. S. Mart.*

Digitized by Google

90. *Thesauri Christi, & thesauri diaboli quales, &c.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, thesaurizate autem vobis thesauros in Cælo : Et quinam sunt isti thesauri ? Nota, quod alii sunt thesauri terrestres, alii cælestes, illi sunt thesauri auxilio, & opera diaboli congregati, hosque exhibet, & suadet diabolus superbis, avaris, luxuriosis; thesauri Cœli sunt dona gratiarum, quos Christus suadet, offert, & aperit suis militibus, ut ipsorum pauperiem diter, ad istos convertè ô homo oculos mentis tuæ, ad istos labora, ut pervenias, ut ipsis fruaris in Cœlo. *Ser.10 regat.*

91. *Cælestis mercatura, & infernalis quales.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, &c. thesaurizate vobis thesauros in Cælo. Ecce quomodò Christus suadet hominibus mercaturam, & negotiationem sanctam, & hoc thesauros tibi præparando, isti ut bona voluntas, virtutes, & opera bona, quibus per Spiritum sanctum repletur arca cordis : è contra thesaurizant sibi iram in inferno, qui otiosè vivunt, qui cum diabolo negotiantur, qui in mala vita, & pravitate vivunt. *Ser.3 fer.1. Pentec. fer.6. & 7. & 10. Regat. Luc c.6.v.44. fer.4. Epiph. fer.1. & 2. fer.2. Pascha : & fer.3. Dom.13. Pentec. & fer.8. in Pentec. & fer.4. Dom.6. Pentec. & fer.3. Dom.14. Pentec. & ep. Diat. tit.7.c.4.*

92. *Ubi thesaurus tuus est, ibi est & cor tuum.* Quasi dicat : Vis scire, si Deum perfectè diligas, vel aliud plus Deo ames, si de Deo, quam de aliis plus cogitas, si è contra, si plus cogitas de aliis rebus, tunc plus illas amas Deo, quia amor transformat amantem in rem amatam, & de ea generat continuum cogitatum. *Sermon. 2. de sancta Magdalena.*

93. *Intentio recta in Deum quanti æstimanda, & quam utilis, & necessaria intentio mala quam sollicitè vitanda.*

Lucerna corporis tui est oculus ; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Primò hic notandum, quod cum suprà dixerit thesauros in terra non esse congregandos, quia subjacent ærugini, tineæ, & furibus, hic superaddit dato etiam, quod tales thesauri non subjacerent talibus inconvenientibus, tamè essent abrenuntiandi, ob malum, quod causabunt, nempè cordis abstractionem à cælestibus, quia ubi thesaurus, ibi & cor nostrum est. ideo nunc eleganti metaphora concludit, & demonstrat illud malum nempè totum hominem obscurare, tenebrosum reddere, ac potiùs inferno, quàm Cœlo aptum, undè ait Lucerna corporis tui est oculus tuus, &c. In qua metaphora dat intelligere pulcherrimum documentum de recta intentione in Deum habenda in omnibus actibus nostris, quia lucerna est vehiculum lucis, sivè vas continens lumen similitudine oculi, quia sicut oculus ab alto, scilicet à sole, & luce lumen recipiens dirigit, & illuminat totũ corpus, & operationes ejus; sic intentio cordis, si à Deo illuminatur, si ex Deo recipit suam vim, scilicet à mandatis, & à verbo Dei, etiam habet dirigere, & illuminare, & sanctificare totum corpus, scilicet actionum, cogitationum, & affectionum congeriem, sic recta intentio à luce divina irradiata, & à charitate inflammata nomen toti operi imponit, & rectificat, meritoriaquè reddit omnia opera nostra : & è contrà si oculus intentionis tenebrosus erit, si intentio cæca, mala, & iniqua, hæc omnia opera nostra erunt tenebrosa, & impia : Vide ergo ô homo, ne lumen quod in te est tenebræ sint, scilicet ne intentio, per quam debes esse lux, vitiorum tenebris obscuretur, sed nota, quod oculus iste debet esse simplex, ut totum corpus lucidum appareat ; ut intelligas, quod non sufficit bona intentio sine recta operatione, ne sit ulla admixtio pravitatis in intentione, in cognitione, in affectione, in locutione, & operatione, quæ sunt partes totalitatis nostræ & operationis meritoriæ ; & sic tuus lucerna illuminabit tè, scilicet conscientiam tuam, & opera tua, & ad ædificandam Ecclesiam, ad confundendam pravitatem alienam, ad habendam notitiam divinam, ad videndam claritatem suam. *in Luc. cap.11. vers.34. seq. & c.12.v.34. & ser.4. Dom.21. Pent.*

94. *Ignis charitatis in corde existens totum corpus virtutum calefacit.*

Lucerna corporis tui est oculus tuus, &c. si oculus tuus, &c. Nota, quod per oculum intelligitur cor, in quo debet esse lumen, ideſt ignis charitatis, ut intelligas, quod sicut à corde in totum corpus manat vitalis calor, sic ab isto corde charitate ignito manat vitalis calor in totum corpus operationum ; & virtutum, est enim charitas forma, & vita spiritualis omnium operationum, & virtutum, sine qua non possunt haberè vitam. *in Luc. c.13.v.11.*

95. *Christo & mundo, carni, & diabolo simul servire est impossibile, & quare.*

Nemo potest duobus Dominis servire ; aut enim unum odio habebit, &c. Non potestis Deo servire, & mammonæ : sequitur Christus sua argumenta ad persuadendam concupiscentiæ rerum mundanarum abnegationem ; & quia suprà dixerat intentionem esse necessariam in Deum ad parrandum bona opera, ne quis sibi persuaderet posse habere intentionem ad res mundanas pronunciat hanc propositionem per se notam, nemo potest duobus Dominis servire ; & qui sunt isti Domini quorum servitium est incompossibile : sunt Domini inter se contrarii, & diversi, & isti sunt primò caro, & spiritus, qui ad invicem contrà se pugnant : secundò sunt Christus, & diabolus, mundus ; & Deus, ; ratio autem, quare quis non potest simul servire Dominis prædictis est primò, ob oppositionem ministeriorum ; nam servitium Dei est exercitium virtutum in sanctitate, & justitia : servitium diaboli est in exercitio vitiorum : secundò ob dissimilitudinem ministrorum, nam ministri Christi sunt oculati habentes ambos oculos dextros, scilicet directos ad Deum : ministri diaboli sunt monoculi, scilicet cum oculo sinistro converso ad temporalia tantum : item ministri Christi sunt compositi, & ordinati, diaboli ministri sunt incompositi, & deformati, illi sunt humiles

humiles, iſti arrogantes: tertiò eſt oppoſitio locorum, quia Chriſtus vult ſuos ad Cœlum aſcendentes. diabolus ſuos ad infernum deſcendentes: quartò ob diſcretionem temporum, quia diabolus vult, ut ſemper ei ſerviatur. vult & totum cor: Chriſtus è contrà vult totum tempus, & totum cor. *In Luc.c.16.v.13.& lib.2.d.38. a.1.q.3.*

96. *Idem argumentum.*

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, &c. Vide quam meritò hæc intonat Chriſtus, quia ſunt diſſimiles in omnibus iſti duo Domini ſcilicet Chriſtus, & diabolus: nam Chriſtus eſt ſuaviſſimus, diabolus crudeliſſimus; primus remunerat ſuos in gloria, ſecundus in gehenna: Chriſto ſervitur flendo per pœnitentiam, diabolo ridendo per laſciviam: Deo ſervitur vigilando in cuſtodia contra diabolum; diabolo verò dormiendo in negligentia contra Deum: Chriſto ſervitur aſcendendo de virtute in virtutem uſque in Cœlum; diabolo deſcendendo de vitio in vitium uſquè in infernum: cum igitur nemo poſſit duobus Dominis ſervire, repudiemus alterum, ſcilicet diabolum, ut ſoli Deo ſerviamus. *Ser.1. Dom.14.Pentec.*

97. *Crudelitas diaboli in ſibi ſervientes expenditur.*

Aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet: Nota ait, ſanctus Auguſtinus, quod non dicit Chriſtus unum ſuſtinebit, ſcilicet diabolum, & alterum odio habebit, ſed contemnet, nec unum diliget, & alterum odio habebit; quia Deum odiſſe nullius fere conſcientia poteſt; nec quis poteſt amare diabolum. ſed tantum ſuſtinere, ſed quid eſt ſuſtinere diabolum? eſt ſuſtinere ipſius crudelitatem ei ſerviendo: ergo nec videtur poſſibile, quòd quis mente capax induci poſſit ad voluntariè diabolo ſerviendum, ſciens ſe reportaturum tam diram ſeveritatem, & ſævam crudelitatem? ô nimis verum, ô quot homines ità vecordes, & ſtulti: Vide qualem crudelitatem exercet in ſuos ſibi fideliter ſervientes: primò enim ligat eos funibus vitiorum veluti beſtias, & inſanos, ne poſſint, niſi ad ſuum nutum, incedere, & operari: ſecundò ipſos paſcit ſiliquis inferni, in quibus non inveniunt refectionem, ſed ſolùm indigentiam, & miſerias, famemque caninam, nam delectationes carnales onerant, non ſatiant animam: *ſerm.2. & 3. Dom. 18. Penteceſt.* & hinc ſuos vexat, & opprimit in luto luxuriæ, in lateribus avaritiæ, & in paleis ſuperbiæ, exemplo Pharaonis, & tandem continuo jugo, & tributo ſubjicit. *In ſap.c.10. & in Thren. c.1. Luc.c.15.v.15.& c.16.v.13.*

98. *Alii ſunt Domini, alii ſunt ſervi divitiarum: Et cur Chriſtus à nobis exigit contemptum divitiarum.*

Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ, ſcilicet divitiis: Nota quod non dicit Chriſtus non poteſtis duos Dominos habere, ſed non poteſtis duobus Dominis ſervire, quia aliud eſt habere divitias, aliud ſervire divitiis; nam ille, qui habet divitias ad bonum uſum, & cum obſervantia mandatorum Dei, iſte Dominus eſt divitiarum, qui verò in malum uſum eas vertit, & cor ſuum in ipſas affigit tunc fit ſervus, & captivus divitiarum: *In Luc.cap.16.verſ.13.* Nota autem, quod Chriſtus quatuor de cauſis vult à nobis contemptum divitiarum: prima, quia earum amor retrahit ab amore Dei, & patriæ cæleſtis, quia ſicut de profundo terræ tolluntur, ſic ſuo pondere ad infima terræ ſuos detrahunt amatores, ſcilicet ad profundum inferni: ſecunda, quia retardant hominem à profectu virtutum, onerant enim, ne poſſit currere in via Dei: tertia, quia ratione meriti, quia quantò minus tibi de terrenis indulges, tanto amplius recompenſabitur tibi de cæleſtibus: quarta, quia temporalis ſubſtantia eſt contemptibilis, tum de ſui natura, viliſſima eſt, non ſatiat appetitum, vana, communis bonis, & malis. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. cap.44.*

99. *Cordis lectus anguſtiſſimus non valens duos ſimul continere.*

Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ, ideſt diabolo, mundo, & carni: Cur hoc? quia cor noſtrum eſt lectus anguſtiſſimus non valens ſimul duos capere, ſcilicet Chriſtum, & diabolum, mundum, & carnem: ideo ſi in ipſum intrat diabolus, ſtatim Chriſtus exit; & è contra; & hinc in baptiſmo præcipitur abrenuntiatio diaboli, & ejus pomparum, & hinc impoſſibile eſt ſimul Deo, & mundo ſervire, exigit enim Chriſtus à nobis totum cor, totum ſui amorem abſque mixtione alterius. *Ser.3.Dom.4. Adv. ſer.2.ſer.2. Paſſiva ſer.1.ſer.3.Pēi.ſer.3.Do.9.Pent.ſer.3.Do.17. Penteс.ſer.1.de Evangel.ſer.2.S.Nicol.op. de inſtit. Novit.p.1.c.16.in Luc. c.16. v.13. & c.14. v.12. c.13.v.23.*

100. *Cor unum, & ſimplex Deus amat, rejicit, & reprobat cor diviſum.*

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, &c. Nota, quod hic Chriſtus intendit ad ſe cor noſtrum attrahere, ut ad ipſum nos totos dirigamus; & ideo cor ſimplex amat & habitat, reprobatque diviſum, ſimplex autem eſt, quando omnes ejus partes ad unum ſimpliciſſimum feruntur, ſcilicet ad Deum, ſimplicitas autem hæc eſt ſimplex unitas cordis, quam facit fidei unitas in rationali, charitas in concupiſcibili, & pax in iraſcibili: per primam excluditur error in intellectu, per ſecundam multiplicitas deſideriorum ad res creatas in affectu; & per tertiam diviſio in effectu: Cor autem à Deo reprobatum eſt diviſum, & duplex, nempe quando ad diverſa feruntur ejus partes, & hoc eſt ſignum mortis. *Sap.c.1.*

101. *Qualem ſollicitudinem Deus à ſuis rejicit.*

Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis anima veſtra quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini; nonne anima eſt plus quàm eſca, &c. Totus Chriſtus in demolienda avaritia, ac auri cupiditate, & rerum terrenarum, nunc excuſationem fortiſſimam præcludit theſaurizandi ſub ſpe neceſſitatis, undè dicit ne ſolliciti ſitis. &c. ſed quomodo hoc: nam ex hoc videtur ſuos ſequaces non

debere

Digitized by Google

debere aliquid operari propter neceſſaria vitæ? ſed attende, quòd hic non prohibet ſollicitudinem, quæ provenit ex providentia animi, ſed moderata, & cum moderata diligentia, & labore; ſed illam, quæ venit ex diffidentia Dei, quaſi Deus non habeat curam de nobis, & inducit ſollicitudinem vitioſam, quæ importat curæ anxietatem, illicitam conquiſitionem, & avaram ſuperfluorum proviſionem cum ſtudio nimio, & anxietate, & etiam cum quadam deſperatione, etiam in ordine ad ſuperflua, quia talis ſollicitudo ſuffocat animam. *Luc. c. 9. v. 2. & c. 12. v. 22. opuſc. determin. quæſt. 7.*

102. *Confidentia in Deo quàm proficua; diffidentia quàm noxia.*

Ne ſolliciti ſitis, &c. Ecce quomodo Chriſtus ſciens ſuos diſcipulos perſecutiones, paſſiones, inopiam, & penuriam omnium rerum eſſe paſſuros, tamquam magnificus Imperator milites ſuos pro imminentibus bellis, & malis confortat, & animat, ſuadens eis confidentiam in Deum dicens ne ſolliciti ſitis, &c. quaſi dicat confidite in Deum, quia hæc confidentia reddit hominem invincibilem in omnibus perſecutionibus. & Deum inducit ad ſuccurrendum in omnibus neceſſitatibus & angustiis ne ſolliciti ſitis, quid manducabimus, ait Chriſtus, quia Deus non derelinquit ſperantes in ſe; qui enim fecit hominem ſic, ut alimentis indigeat, non patietur eum perire per neceſſariorum ſubtractionem, ſi ejus curæ ſe committat, nam qui libenter vult dare homini cœleſtia, & maxima, quomodo negabit ei minima, & terrena? & ſi beſtiæ, & bruta, & etiam crudeles homines filios ſuos nutriunt, multò magis optimus, & verus Dominus filios ſuos non deſeret: qui etiam benignus eſt, & miſericors ſuper ingratos, & malos, quantò magis ſuper omnes bonos omnem ſollicitudinem ſuam in eum proiicientes? ideò non eſt mirum ſi Deus ſinit perire neceſſitate avaros, & in Deum diffidentes. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 35. Luc. c. 12. v. 36. Joan. collat. 74. Luc. c. 12. v. 22.*

103. Non operandum, vel evangelizandum propter cibum, vel lucrum. hoc enim vetat Chriſtus ſuis Apoſtolis, & ſequacibus in his verbis, ne ſolliciti ſitis, &c. *Joan. collat. 31.*

104. *Relinquenti omnia propter Chriſtum, Chriſtus ſe fidejuſſorem conſtituit providendi ei neceſſaria*; unde dicit: *ne ſolliciti ſitis anima veſtra, quid manducetis, &c.* & addit exemplum de volatilibus Cœli, ut ſuos ſequaces ad ipſorum imitationem inducat, nam animalia irrationalia, & præcipuè volatilia non laborant, ut congregent pro tempore futuro, ſic & ſequaces Chriſti ſicut volucres Cœli debent Cœlum petere, & remoti eſſe à mundo, ut jam in terris nihil agant, nihil laborent, ſed ſola contemplatione jam in Cœlo degant: ſi ergo ſuorum vita altiſſima eſt, ergo ſpretis omnibus totam ſpem vitæ ſuæ in Deo conſtituere eſt virtutis perfectæ. *Op. de Paup. Chriſti. c. 1. & 2. Luc. c. 21. v. 2. c. 9. v. 3. Eccleſ. c. 1. ſer. 1. de S. Petro ad vinc.* Dices, quod formicæ, apes, & taxi, aliaque animalia congregant victum pro tempore futuro. ergo congregatio hæc non eſt vitioſa? Reſpondetur quod verum eſt, ed hoc eſt ad neceſſitatem naturæ, non ex libidine avaritiæ, quia cibos invenire non poſſunt in hyeme, non ſic illa animalia, quæ invenire poſſunt: o utinam ſic congregarent homines ſicut formicæ & apes, nihil enim congregant ſibi, ſed communitati: communiter enim colligunt, communiter reponunt, communiter comedunt, nihil proprium ſibi retinentes, quod ſi homines facerent, ſtatum innocentiæ repræſentarent, eo quòd non quæ ſibi tantùm, ſed quæ communiter eſſent neceſſaria, procurent. *Serm. 5. de Apoſtolis.*

105. *Curioſitatem veſtium cum ſollicitudine vetat Chriſtus.*

Ne ſolliciti ſitis, &c. & de veſtimento, &c. Vide, quòd non ſolùm Chriſtus prohibet nimiam ſollicitudinem in victu, ſed etiam curioſitatem nimiam veſtium: hæc enim Deo valdè exoſa eſt. *Luc. cap. 12. v. 24. ſeq. & c. 16. v. 19 ſeq. Eccleſ. cap. 2.*

106. *Chriſti diſcipuli creſcere debent de virtute in virtutem in perfectione.*

Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt, &c. Nota, quod non ſine maximo myſterio proponit aſpectui ſuorum diſcipulorum Chriſtus exemplum liliorum creſcentium in agro, quaſi dicat, conſiderate lilia, flores, non folia, ſcilicet laudabilia opera, ad quæ vocati eſtis, non ad vituperabilia, quomodo creſcunt, non quomodo decreſcunt deficiendo, & quia lilium ſignificat putam caſtitatem, & ſancta opera, docet, quòd debent creſcere de virtute in virtutem, ad quod tenentur vi profeſſionis. *Pſal. 118. c. 1. v. 15. & ſer. 1. de S. Clara in addit.*

107. *Qui in hac vita vilitatem pro Chriſto ſectatur, in alia decorabitur & exaltabitur.*

Conſiderate lilia agri, &c. ſi fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, quanto magis vos modicæ fidei. Cur lilia, & fœnum proponit Chriſtus conſideranda à nobis? & quid eſt hoc, quod conſiderandum eſt? Attende quid, & altiſſimum myſterium: proponit primò lilium, quod in hyeme apparet vile. & poſtea decoratur in vere, & æſtate: ſecundò fœnum, datque intelligere, quod homo debet ſuam vilitatem, fragilitatem, & caducita em conſiderare, & humilitatem ſectari in hyeme, & tempore hujus vitæ mortalis, ut in alia vita decoretur in gloria, alioquin in ignem projicietur. *Op. Diuzii. 10. c. 2. ſermon. 4. Dom. 4. Quadrag.*

108. *Quia Deus Pater noſter, ideò in ipſo confidendum.*

Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Nota, quod non ſine myſterio; non dicit, ſcit enim Deus, vel Dominus, ſed Pater noſter, quia cum nos ſollicitudinem vitioſam abjicere docet, & omnem confidentiam in ipſum velit nos habere, dicit ſcit enim Pater veſter, &c. verè Pater noſter primò propter paternam procreationem, quia ipſe providit, & fecit, & creavit nos, fecit corpus, creavit animam, poſſidet totum, ergo ipſe amat

amat nos naturaliter; ergo Pater noſter eſt non ſolùm in creando,ſed in recreando, ergo ſi natus es ex Deo Patre vince mundum, ideſt avaritiam, luxuriam,ſuperbiam, invidiam, infidelitatem, & alia vitia, quæ faciunt hominem filium diaboli: Pater item propter paternam procurationem, qui a ad ſolum bonum, & ſalutem noſtram anhelat: undè ſubjungit ſcit enim, quia his omnibus indigetis; nempè ne ſollicitudinem habeamus vitioſam in his terrenis, promittit habere providentiam in omnibus neceſſitatibus noſtris: Pater item propter paternam hereditatis collationem,ad quam nos inceſſanter invitat. *Sermon.*2. *Dom.*14.*Pentec.*

109. *Præceptum Chriſti circa ſollicitudinem vitioſam, & virtuoſam expenditur.*

Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Vide,quomodo Chriſtus Jeſus perfectiſſimo ordine procedit in conſtituendo ſuos diſcipulos,nam primò eis dat præceptum negativum de ſollicitudine vitioſa rerum terrenarum abigenda, nolite ſolliciti eſſe, quid manducabimus,&c.ſecundò præceptum affirmativum de ſollicitudine virtuoſa amplexanda dicens, quærite primùm regnum Dei,&c.in quo pro regula benè vivendi duo proponit; primum circa ea,quæ ad Deum ſpectant; ſecundum circa ea, quæ ad nos, nempè præcipiendo,ut primus locus tribuatur iis, quæ beatitudinem reſpiciunt, ipſam proponens pro fine omnium deſideriorum, actuum, & operationum, & ideo dicit: quærite primùm regnum Dei, ideſt ipſum Deum, ejuſque poſſeſſionem, & amicitiam, & hinc & media ad conſecutionem finis apprehendit, ſcilicet juſtitiam ejus, nempè opera juſta, & ſancta, tamquam via, & medium per quæ venitur ad regnum, ſubjungit poſteà ea, quæ circa nos ſunt, & hæc omnia adjicientur vobis, ſcilicet ſollicitudo veſtra ſit circa cœleſtia, non terreſtria, quia hæc vobis à Deo proviſore adjicientur: Quæ promiſſio eſt perfectè ordinata, quia qui quærit regnum, & juſtitiam ejus eſt Dei ſervus, Dei amicus,& Dei filius, quòd autem Deus deſit ſervo ſuo amico,& filio,ut ei non provideat, quæ ſunt neceſſaria, valdè perverſum eſt ſentire; nam talis habet Deum, & talis habetur à Deo, & ideò habet per conſequens quæ habet Deus: Vide igitur quomodo ordinatiſſimè Chriſtus diſſuadet ſollicitudinem avaritiæ, & cupiditatis, promittendo ſufficientiam viatici, ſuperexcellentiam præmii, & ſuperabundantiam, theſauri, & in hoc oſtendit temporalia non eſſe petenda, tamquam bona noſtra; etſi neceſſaria, ideò dicit hæc adjicientur veluti adjectiva; regnum autem Dei eſt petendum,& in illo finis ponendus eſt, propter quod omnia faciamus,ideò ſollicitudo noſtra non debet eſſe pro acquirendo cibo,ſed pro acquirendo regno æterno. *Luc.c.*12. *verſ.*30. *Ioan. cap.*21. *v.* 3. *&* 5. *&* *collat.* 81. *ſermon.*6. *Regul.*

110. *Quid ſit quærere regnum Dei, & juſtitiam ejus.*

Nota,quòd primo loco proponit Chriſtus regnum Dei quærendum, & ſecundò juſtitiam ejus; per quod procedit ordine excellentiſſimo: primò enim hortatur ad diligentiam debitæ inquiſitionis, dicendo quærite; ſecundo exprimit magnificentiam finis quæſiti, ſcilicet regni, & ſupernæ habitationis: tertiò introducit ad efficaciam virtuoſæ operationis, addendo, & juſtitiam ejus: dicendo igitur quærite, & proponendo ordinatam inquiſitionem, ut dirigat intellectivam potentiam ad ordinatè quærendum, præcipit, ut quæramus diligenter, & toto conatu interiori, & exteriori. hocque faciendum eſt ſecundum triplicem virtutem theologicam: nempè potentia cognoſcitiva per fidem,nempè inveſtigatione continuæ meditationis, & relinquendo omnes phantaſticas cogitationes, & omnia terrena per puram contemplationem cor affigendo in Deum: quærite item aviditate appetitus in delectationibus puris per charitatem, & amorem, quærentes quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram: quærite item cum ſtrenuitate effectus per potentiam operativam elevatam per ſpem elevantem animam ad cœleſtia: ecce quid eſt quærere, & qualis modus quærendi à Chriſto ordinatus,ſed quid quærendum? quærite ait regnum Dei, per quod allicit affectivam potentiam proponendo regnum Dei,ſcilicet excellentiam ſupernæ habitationis, in qua tria præcipuè, quæ ipſam de longinquo manifeſtant,ſuntque refulgentia divinæ claritatis, ex qua redditur ſpeciosa ad videndum in ordine ad rationalem potentiam, quæ introducitur ibi ad contemplandam pulchritudinem Dei, cujuſque viſio omnem animam ſuo deſiderio in ejus concupiſcentiam trahit, quod eſt ſine labore, & terrore, & cum immenſa delectatione: item delitioſitas regni Dei, ad perfruendum in concupiſcibili propter influentiam deificæ voluptatis habentis omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitatem: item æterna duratio regni Dei propter continuam omnimodæ contrarietatis privationem: tertiò ſtabilit virtutem operativam dicendo & juſtitiam ejus: quid eſt juſtitia Dei, vel regni? hæc eſt, omnia quæ docuit Chriſtus ſervare; ad quod tria efficaciter movent ad operandum,nempè ſimplicitas intentionis in declinando malum, ſtrenuitas operis in faciendo bonum; & ſtudioſitas ſollicitudinis in corrigendo erratum; & hæc eſt perfecta juſtitia, per quam pervenitur ad regnum. *Sermon.*4. *Dom.*14.*Pentec.Luc.c.*18.*v.*18. *&* 29. *Ioan.cap.*14. *v.*15.*&* *c.*16.*v.*26.

111. *Alii quærunt regnum Dei, alii regnum diaboli, & quid ſit utrumque.*

Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus. Quærite, ait, regnum Dei, non regnum diaboli; ſed quodnam eſt hoc regnum Dei? regnum Dei eſt ipſe Chriſtus, ſcilicet medicus ſanans ægros,theſaurus ſatians avaros, ſponſus ſibi copulans Eccleſiam, & animam, & gloriæ plenitudo beatificans quærentes; quærite ergo,ait Chriſtus, regnum

Digitized by Google

regnum Dei, ſcilicet Chriſtum medicum vos, qui ægrotatis; quærite ut vos ſanet: quærite vos avari Chriſtum, in quo theſaurum omnium bonorum invenietis: quærite ô animæ ſponſum veſtrum, ſponſum ſanctæ Eccleſiæ ipſam dirantem, quærite vos exules Chriſtum, ut vos in patriam reducat, & nolite quærere regnum diaboli. *Sermon. 3. Dom. 14. Pentec.*

112. *Gratia, & amor Dei eſt ſubſtantivum, temporalia ſunt adjectiva.*

Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Quid eſt adjicientur? cur non dicit dabuntur vobis? Reſpondent S. Auguſtinus, & Chryſoſtomus, ut diſceremus, quod temporalia non dantur quærenti regnum Dei, & juſtitiam ejus in mercedem, ſed veluti accidentia, & acceſſoria, ut evenit in emente aliquod magnum, & pretioſum, cui ex gratitudine aliqua veluti corollaria gratis ſuperaddantur; ſic quando quis quærit regnum Dei, & juſtitiam ejus, Deus ipſi promittit temporalia veluti accidentia; undè patet, quod ſubſtantivum ſunt amor Dei, & regnum ejus, gratia Dei, & bona ſpiritualia; temporalia verò ſunt veluti adjectiva, & accidentia, nam tùm adſunt, tùm non, & ſicut adjectiva ordinantur ad ſubſtantivum; ſic temporalia ad ſummum bonum; & ſicut adjectiva non poſſunt ſubſiſtere ſine ſubſtantivo, ſic iſta temporalia, ergo propter Deum, & per Deum ea ſolùm quærenda *Pſalm. 104. in fine.*

113. *Deus proviſor eſt relinquentium pro ipſo omnia: ubi de felicitate pauperum Chriſti.*

Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Et hæc omnia; quæ omnia? ſcilicet temporalia neceſſaria adjicientur vobis: ergo qui omnem ſollicitudinem ſuam in Deum jactat, & omnem cogitatum habet ipſum Dominum proviſorem; ergo à contrario, qui propter ſe ſollicitus eſt in temporalibus relinquitur ſuæ proviſioni: ſimiliter qui habet alios proviſores, relinquetur illis; ex quo rectè infertur, quòd Chriſtus ſecundùm ſua promiſſa numquam permitteret juſtum in ipſum confidentem perire, quia aut procurabit ipſi neceſſaria, aut cum parco victu, & penuria dabit homini vires, quas in abundantia poſſet habere; aut quod ſubtrahit corpori, refundet menti in conſolatione ſpirituali, ut libenter careat corporali abundantia, quæ ſpiritualibus delitiis feliciùs recompenſatur, inſuper magnam gloriam in Cœlo meretur patienter tolerata pro Chriſto temporalis penuria. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1 cap. 35. & lib. 2. c. 45.*

114. *Evangelii profeſſores ſint volucres Cœli.*

Reſpicite volatilia Cœli. Cur proponit volatilia Cœli, non alia animalia? hoc facit, quia volatilia Cœli non ſolùm non congregant in futurum victualia, ſed eorum vita, & delectatio eſt in altum volare, & per hoc invitantur profeſſores Evangelii, ut relictis terrenis rebus ad Cœlum, & ad cœleſtia ſola aſpirent, & toto corum in Deum ferantur. *Op. de ſept. virtut. æternit. itin. §. d. 7.* Vide ex hoc miſeriam eorum, qui in principio vocationis veluti aves Cœli ad cœleſtia ſolùm aſpirabant, poſteà proceſſu temporis ad vitam animalem per ſollicitudinem rerum terrenarum ſe transferunt.

115. *Exhortatio ad Religioſos maximè Fratres Minores circa confidentiam in Deum.*

Quærite primùm regnum Dei, &c. & hæc omnia adjicientur vobis. Nota, quòd hæc verba Chriſti Jeſu maximè ad Religioſos diriguntur, præcipuèque ad Fratres, & ſorores pauperes Ordinis Seraphici, qui altiſſimam paupertatem profitentur, ne ob abdicationem omnium rerum timeant eis defectura neceſſaria: Noterit igitur hanc infallibilem promiſſionem Religioſi pauperes, & ſciant, quod quanto perfectiores, & ferventiores erunt paupertatis amatores, & evangelicæ paupertatis imitatores, tantò magis bonis omnibus tam temporalibus, quàm ſpiritualibus abundabunt, quod ſi ad contrarium ſe converterint, ſi paupertatem, quam profeſſi ſunt, contempſerint, omnium bonorum tam temporalium, quam ſpiritualium egènes erunt: dicit enim illa pauper Dei genitrix pauperis Jeſu Maria, eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes. *Luc. c. 1. & Propheta Pſal. 33. Divites egenerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono: ſic Luc. cap. 22.* Nihil defuit Apoſtolis miſſis ſine ſacculo, ſine pera, ſine calceamentis; & ſi inter Judæos duros, & crudeles paſcebat Dominus diſcipulos ſuos ſine omni ſollicitudine; quid mirum, ſi paſcit Fratres Minores, & pauperes ſorores paupertatis Evangelicæ imitatores inter populos Chriſtianos & fideles? omnem itaque ſollicitudinem veſtram projicite in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis; cum igitur tanta ſit Dei Patris circa nos ſollicitudo, tanta ſit ſibi cura de nobis, mirum videtur, cur iſtis curioſis, & defectibilibus tanta occupatione ſolliciteamur: certè nullam aliam cauſam invenio, niſi quia affectiones noſtræ longè receſſerunt à Deo ſalutari noſtro; niſi quia fervor divinæ charitatis refrigeſcit, & congelatus eſt in nobis; certè ſi eſſemus benè ferventes nudi nudum ſequeremur Chriſtum. *Op. de perfect. vitæ, c 3.*

116. *Homines ſibi ipſis ſuâ incuriâ reddunt graviores tribulationes advenientes.*

Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum, craſtinus enim dies ſollicitus eſt ſibiipſi, ſufficit diei malitia ſua. Proſequitur Chriſtus ſuum ſermonem, quo ablegare à corde noſtro intendit omnem ſollicitudinem vitioſam; & ideò in hac concluſione vetat ſollicitudinem de craſtino, & per hoc dat intelligere, quod non ſolùm ſollicitudinem anxiam pro præſentibus rejicere debemus, ſed & pro tribulatione futura vel quam expectamus, vel quæ imminens eſt, vel de qua timemus, quia hoc eſt turbationem voluntariè ſubire ante tempus, ſicut pueri aliquando flent recordantes doloris, quem fortè haberent, ſi parentes eorum moriantur, qui adhuc vivi ſunt, ſani, & incolumes. hoc enim eſt à nobis cavendum, quia ſufficit diei malitia ſua, ſcilicet tribulatio, & anguſtia illius tribula-

Digitized by Google

lationis, quando fortè eveniet, ut non duplicemus fruſtratoriè nobis dolores,& anxietates præcedente anguſtia, cum ſequens tribulatio per ſe ſatis excruciet; & hoc maximè verum eſt, & obſervandum, quando talis anguſtia antecedens aſſumitur cum periculo offenſæ Dei; ſufficiat (ait Chriſtus) diei malitia ſua, ideſt noſtra mortalitas, ſufficiat nobis, non apponamus ultrà peccare, addendo malitiam malitiæ, & tribulationi; non quæramus neceſſaria ultrà ſufficientiam, ſi fortè non ſufficit ultrà dies malitia. *Pſal.68.op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 37.* Idem & dicitur contrà eos, qui poſtquàm injuriati fuerunt, denuò reminiſcuntur dictarum injuriarum, ſe ſe denuò,& magis inquietantes, hæc eſt maxima ſtultitia, cum in nobis inſint tot moleſta, ſi ſuper hæc volumus ea nobis aggravare per odii, & rancoris conſervationem, ſic enim citiùs obruemur. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 2.* Nota tamen, quòd iſta documenta ſunt amplexanda loquendo de anxietate pro temporalibus afflictionibus, non pro æternis, quia propter hæc debemus timere, trepidare, expaveſcere, prævidere, & providere, ne nobis ſuperveniat æternus interitus. *Op. de Prof. Religioſ. ibid. c. 37.*

117. *Caveat homo, ne ſuis malis inclinationibus naturalibus ſuperaddat malitiam.*

Sufficit diei malitia ſua. Quæ propoſitio verificatur in omnibus, nam ſi corpori vitiato per malas inclinationes naturales ſuperaddat irritamenta nova, exponet ſe in pericula gravia; idem, & applicari poteſt cæteris omnibus eventibus tùm externis, tùm internis. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 29. & 37. & 39.*

118. *Expenditur præceptum à ſancto Patre Franciſco ſuis Fratribus factum de cavenda ſollicitudine, & collectione rerum victualium pro futuro.*

Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum, &c. Prohibet igitur hic Chriſtus Jeſus ſollicitudinem anxiam, & vitioſam pro futuro tempore, quod & Seraphicus Pater Franciſcus perfectus imitator Chriſti, & Evangelicæ paupertatis præcepit ſuis Fratribus in ſua Regula *c. 6.* ut oſtiatim petendo eleemoſynam ſibi procurarent neceſſaria, & in *c. 10.* exhortatur eos, ut caveant ab omni ſuperbia, vana gloria, invidia, avaritia, cura, & ſollicitudine hujus ſæculi, detractione, & murmuratione, &c. quibus ſic ſtantibus quæritur an Fratres Minores poſſint colligere eleemoſynas plures, quàm quod poſſit quotidie unius diei victum ſufficere? ſed attende ad ſenſum verborum Evangelii, & Regulæ Seraphicæ: Evangelium enim prohibet ſollicitudinem de craſtino, non proviſionem, ſic in præxi fecerunt Apoſtoli Evangelii perfectiſſimi obſervatores, qui collectas faciebant, & ſervabant pro tempore futuro res neceſſarias: ſollicitudo autem, quam reprobat Chriſtus, notat curæ anxietatem, illicitam conquiſitionem, avaram ſuperfluorum proviſionem: & ſollicitudo vetita à Sancto Patre Franciſco eſt quæ naſcitur ex avaritiâ, & cupiditate rerum terrenarum, & ob id involuit non ſolùm procurationem rerum ſuperfluarum, ſed & ſollicitudinem quamcunque vitioſam, & etiam curioſitatem vanam, tum in rebus victualibus, tum in veſtibus, tum in utenſilibus, libris, paramentis, tum in ſtudiis ſæcularibus, non verò in iis rebus, quæ ſunt aliqualiter neceſſariæ: Vult enim Deus, ut toti confidamus in ejus divina providentia, ſed non tamen, ut prætendamus nobis miraculosè ſubveniri, ſed exigit à nobis induſtriam moderatam non ſolùm, eorum, quæ quotidiana mendicatione poſſunt obtineri, ſed & aliorum, quæ ſine maxima difficultate, vel etiam cum recurſu ad peccuniam, & cum magno pretio poſſunt haberi extra tempora quædam determinata, uti in tempore collectionis fructuum, & ſimilium, quando eſt copia illarum rerum, quando inter manus communiter habentur à populo: ſic & mendicti ſolent maximè eo tempore petere neceſſaria, quo ſciunt ea promptiùs à dantibus inter manus haberi, ut circa horam comedendi; ſic & Dominus certo tempore mannæ alimoniam colligere juſſit, quia non omni tempore in agro, etiamſi quærerent, invenirent, Exod. c. 16. & hoc edocetur à Propheta Pſal. 144. Tu das eſcam in tempore opportuno; & in hoc non tam nobis, quàm illis, à quibus petitur, providemus, quando tali tempore petimus, quo ipſi faciliùs dare poſſunt, & magis ſunt voluntarii, ad eleemoſynam largiendam; unde concluſio eſt, quòd ſollicitudo vitioſa prohibetur, non moderata: *Op. determin. q. 7. & op. Expoſ. Regula c. 10. Vide Apolog. Paup. Reſp. 3. cap. 1. poſt medium.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd Chriſtus rejecta ſollicitudine vitioſa à cordibus fidelium, expurgare eos nunc intendit à judicio temerario, deinde docet ſanctum non dandum canibus, omnem poſſantem in oratione exaudiri; faciendum aliis quod nobis fieri volumus. per anguſtam portam ad vitam intrandum, aliaque varia documenta Evangelica tradit.*

CAP. VII.

2. *Judicium temerarium, & iniquum à Chriſto prohibetur ubi de multiplici judicio.*

NOlite judicare, ut non judicemini. Nota, quod hic videtur Chriſtus prohibere quodlibet judicium, & tamen non quodlibet judicium eſt peccaminoſum; ſed attende, quod hic loquitur ſolùm de judicio, quod eſt contra juſtitiam; datur enim judicium licitum, & ſanctum, quod exercetur à Judicibus juſtè ſecundum acta, & probata; datur etiam judicium, quod ſine peccato ſit de peccato proximi quando eſt de re manifeſta, & dicitur judicium certitudinis; ſed prohibetur judicium temeratium; & hoc eſt quod provenit ex errore, eſtque triplex, vel definitionis vel arguitionis vel diſcretionis: Judicium definitionis, eſt cũ quis de

Digitized by Google

de futuris malè judicat ; v g. desperat de alicujus correctione, vel contemnit aliquem malum, veluti damnatum : Arguitionis judicium est, cum quis judicat de his, quæ ad se non pertinent ; judicium assertionis est, cum quis judicat de occultis, de quibus incertum est quo animo fiant, & de hoc præcipuè hic loquitur Christus, & ideò dicit, nolite judicare, ubi præcipitur, ut ea facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur : primum est pernicioſum, secundum præsumptuoſum, tertium superstitioſum : hujus peccati gravitas pensatur ex regula salvatoris, in quo judicio judicaveritis, judicabimini, ideſt si est de re veniali, erit veniale, si de mortali, erit mortale ; hic etiam prohibetur judicium suspicionis, quod est in opinando cum dubitatione temeraria & hoc est triplex, scilicet suspicionis violentæ, quando omnia signa apparent mali, pauca vel nulla boni : temerariæ, quando omnia, vel plura signa apparent boni, nulla vel pauca mali ; & levis suspicionis, quando multa signa mali, parva boni : primo modo non est peccatum, secundo, & tertio modo veniale : nullum autem est peccatum, quando manet in suspicione sine ulla assertione. *Op Cenil. p. 1. sect. 10. Luc. c. 6. v. 37.*

3. *Qualis tu fueris cum Deo, talis & cum eadem mensura erit tibi Deus : ubi de damnatione æterna peccato mortali præparata.*

Eadem enim mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. ideſt sicut pro bona bonam, sic pro mala malam mensuram recipietis ; quæ mensura exercetur vel nocendo, vel malè agendo, sive promovendo ; & hinc disputant D.D. qua justitia Deus æternaliter condemnat animam pro actu mortali temporali, nam hoc videtur contrarium huic regulæ Christi ? sed tamen omnes Theologi respondent, quòd æterna damnatio est mensura debita peccato mortali, quia enim justus Deus debet punire impium secundum exigentiam culpæ, & quia culpa mortalis habet rationem deordinationis perpetuæ, & libidinoſæ, & multimodæ, ideò etiam secundum proportionem punitur, & ideò peccati pœna debet esse perpetua, quia peccatum, quod quis committit. & cujus numquam pœnitet, perpetuò in anima durat, & à vita, scilicet à Deo separat & à voluntate procedit, quæ in peccato vellet perpetuò delectari, & licèt delectatio citò transeat, quia tamen deordinatio tenet rationem perpetuitatis, etiam pœna deordinationi respondens debet habere carentiam finis, ut sicut in suo perpetuo non apposuit à peccato recedendo, sic Deus in suo perpetuo non desistat à puniendo, & sicut homo contra infinitum peccavit, sic pœnam habeat infinitam, & quia non potest habere pœnam infinitam intensivè, habeat saltem in duratione, & sicut voluntas ejus post mortem semper malo adhæret sine susceptione pœnitentiæ ; sic Deus semper affligat sine immutatione sententiæ, requirente hoc deordinationis perpetuitate in impiis damnatis : Rursus quia peccator deordinationem delectationis libidinoſæ assumit contemnendo Deum, ideò pœna contraria, & afflictiva meretur puniri, & hinc justè mittitur in locum à statu gloriæ longinquum, & infimum, scilicet in infernum affligendus à substantia corporali infima, scilicet in igne, & sulphure, cui justè alligatur perpetuò ; & quia in omni peccato est deordinata aversio à summa luce, & bonitate, & conversio ad bonum commutabile, & deordinatio voluntatis contra dictamen rationis rectæ, hinc est, quòd omnes damnati puniuntur triplici pœna, scilicet carentia visionis Dei propter aversionem à Deo ; pœna incendii materialis propter conversionem ad creaturam ; & pœna vermis propter pugnam voluntatis, & rationis, ut sic pœnæ mensura respondeat mensuræ culpæ : ecce quàm grande malum est peccare mortaliter in Deum, licèt enim pœna sit major delectatione, & minor quam offensa, attamen reatui obligationis æquatur necessariò : nec mirum, si actionem temporalem comitatur reatus perpetuus, quia in contractu temporalis est actio, & tamen jus perpetuum acquiritur ab emptore, sic peccans sciens, & volens cum Deo similem contractum facit, sic & vulneratio temporalis ducit ad mortem perpetuam, & bellum diurnum acquirit servitutem perpetuam, & temporale peccatum exilium sempiternum. *Op. Brevil. p. 7. c. 6. op. de tribus peccat. gen. c. 4. op. Diast. 10. c. 1. Luc. c. 6. v. 39.*

4. *Qualis eris cum Deo, ideſt si bona erit tua mensura vitæ, talis erit tibi Deus in gloria.*

Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Hoc maximè verificatur in glorificatione Beatorum, in qua secundum merita bona servatur eadem mensura in retributione, ut autem pateat quomodo simul currunt istæ mensuræ, notandum, quòd præmiatio justorum fit à Deo secundum quod exigit productio virtuosa spiritus, factus est enim super omnes alias creaturas propè Deum, capax secundum imaginem Sanctissimæ Trinitatis, nec ulla re minus Deo potens repleri, & præmiari, ideò in præmium datur ei deiformitas gloriæ, per quam Deo effectus conformis, ut ratione ipsum videat clare, & voluntate diligat plenè, & memoria retineat in æternum, ut sic anima tota vivat, tota doretur in tribus animæ viribus, tota Deo configuretur, tota illi uniatur, tota in illo requiescat, in ipso, sicut in omni bono inveniat pacem, lucem, & sufficientiam sempiternam, per quam in statu omnium bonorum congregatione perfecto constituta vivens æterna vita, dicatur beata, & gloriosa : Rursus, ut retributio hæc fiat secundum quod exigit gubernatio ordinata, ideò sicut corpus subjecit, & univit spiritui, sic & in gloria fiet talis unio corporis animæ conformis, ideò ex visione clara animæ redundabit claritatis dos in corpore, ex dilectione subtilitatis, & spiritualitatis dos, ex tentione perpetua animæ impassibilitatis dos ; & ex promptitudine animæ ad tendendum in Deum agilitas summa, & quia corpus ex istis dotibus fiet conforme cælestibus, ideò etiam locabitur in cælesti habitatione ; hinc meritò dicit Christus eadem mensura &c. & *Luc. c. 6.* mensuram bonam, & superefluentem dabunt in sinum vestrum, mensuram inquam bonam in animæ fruitione, & confertam in corporis glorificatione,

rificatione, & coagitatam, in Sanctorum ſocietate, & ſupereffluentem in gaudiorum æternitate. *Op. Brevil. p. 7. c. 7. ſer. 3. Dom. 1. poſt oct. Pentec.*

5. *Qualis fueris cum proximo, talis erit tibi Deus: ubi de eleemoſyna.*

In qua menſura &c. menſuram bonam in ſinum veſtrum dabunt &c. Quaſi diceret, ea menſura, qua menſuras proximum tuum, eadem remetietur tibi, ſi bonum menſuras nunc in ſinum proximi, menſurabitur in ſinum tuum in Cœlo, ſi autem menſuras in ſinum proximi tui malum in mundo, menſurabitur malum in ſinum tuum in inferno; igitur eleemoſynas dare, non eſt perdere, ſed ad uſuras maximas dare. *Ser. 3. Dom. 1. poſt oct. Pentec. & ſer. 1. de SS. Phil. & Iacobo; & in Pſal. 39.*

6. *Qualis fueris cum Deo in ejus ſervitio, talis erit tibi Deus in remuneratione: ubi de operibus ſupererogationis.*

In qua menſura menſi fueritis &c. Nota, quòd non ſolum hæc propoſitio verificatur in actionibus, quæ reſpiciunt proximi noſtri bonum, vel malum, ſed magis in iis, quæ reſpiciunt Deum; nam qui pro velle ſuo ſervit Domino, etiam ab ipſo Deo remunerabitur pro velle ſuo, ſi verò ſtuderis ei ſervire pro velle ſuo, ipſe remunerabitur te pro omni velle tuo; & hinc ſummam liberalitatem Dei experiuntur etiam in hac vita illi, qui non ſolùm divina præcepta obſervant, ſed & conſilia diligentes Deum ſine modo, ſine exceptione, nullo habito reſpectu ad ſeipſos. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 25.*

7. *Judicium temerarium eliminandum à corde.*

Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides. Vide hic quàm ſollicitè judicium temerarium à corde ſuorum eliminare conatur Chriſtus, eſt enim peccatum graviſſimum, & Deo valdè exoſum, & ideò hic modum aſſignat elongandi à nobis tale peccatum; quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides; quaſi dicat, ô qui feſtucam frattis concernis ocello, quæ tua conturbat lumina tolle trabem; idcirco numquam te transferas ad aliorum judicium, vel contemptum, ſed quandocumque videris aliquid fieri, quod tibi diſpliceat, antequàm judices facientem, primò reſpice temetipſum, utrum in te invenias aliquid reprehenſibile, quod ſi inveneris, tunc in illo in quo alium judicas, temetipſum condemna dicendo cum Prophera 2. *Reg.* c. 24. Ego ſum, qui peccavi, ego ſum, qui iniquè egi, & non ſis ſicut hypocrita, qui numquam reſpicit defectus ſuos, ſed præſumit de ſe & omnes alios judicat detrahit, & condemnat, & vult videre feſtucam in oculis eorum, & trabem, quæ eſt in oculo ſuo non conſiderat; hinc datur tibi regula hæc, cave alienæ vitæ eſſe curioſus explorator, aut temerarius judex, etiamſi perpetret actum, quem reprehendas, nec ſi videris, judices proximum tuum, magis autem excuſa; excuſa intentionem, ſi opus excuſari non poteſt, puta ignorantiam, puta caſum, puta ſurreptionem; quod ſi rei certitudo nullam excuſationem admittit, excuſa tentationem, & dic ô vehemens tentatio, & quid de me illa feciſſet, ſi accepiſſet in me talem poteſtatem? non ſis ergo pronus ad judicandum, vel murmurandum, ſed potius judica, & reſpice temetipſum, dicendo cum Propheta. *Pſal. 37. Iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo: op. Regula Novit. c. 12. Vide op. Phar. lib. 3. c. 10. & op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 1. & op. ſpec. an. c. 1. & op. ſtim. p. 2. cap. 1. & 4. & p. 3. cap. 8. & 9.*

8. *Vir ſpiritualis alios judicans reprehenditur.*

Quid autem vides feſtucam in oculo, &c. Dubium hic inſurgit, quomodo hoc poteſt dici de viro contemplativo, qui totus in Dei obſequio dicatus videns peccatores malè agentes, vel non tam in Dei ſervitio laborantes, ſicut ipſe, eos judicat negligentes, oblivioſos, vecordes, &c. quomodo peccatum iſtorum poteſt dici feſtuca, & ſuum trabs? optimè hoc dicitur, & veriſſimè, quia iſte de ſe præſumens eſt, quia judicium temerarium Deum fugat, præſumptionem graviſſimam inducit, & abhorreſcendam; peſtis eſt, & mors graviſſima, & occulta, quæ veſcentem in croceis, facit ſtercora amplexari, & hæc ſpirituali plenum lætitia ad accidiam ducit; hæc omnia ad Dei honorem referenda facit diabolicè fraudari; hæc in altum exiſtentem per vitam ſpiritualem in majus præcipitium, quàm ſit illud proximi, inducit, ideo meritò abominabilis Deo redditur. *Vide ſtim. p. 3. c. 8. & 9.* ubi remedia ad hanc peſtem effugandam traduntur.

9. *Corrigens alios prius corrigat ſeipſum.*

Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc, &c. Ecce quam benè Chriſtus ordinem aſſignat in correctione facienda, & in vitando judicio temerario, nempè ut volens alios corrigere, vel judicare primò à ſeipſo incipiat, & poſt alios corripiat; cum enim vis ô hypocrita me corrigere, nihil aliud appetis, niſi apparere juſtus, dum me corripis, & te negligis, aut ſi me, & te corripis, quare à me incipis, & non à te. *Op. de ſept. ſtin. æternit. ſtin. 1. d. 4. Pſal. 118. c. 1. v. 6.*

10. *Prædicatio non eſt facienda indignis, & obſtinatis, & ſolùm ſecundum capacitatem auditorum*; ubi de transformationibus peccati: ait enim Chriſtus: *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras antè porcos, ne forte conculcent eas ſuis pedibus, & converſi diſrumpant vos.* Nam per ſanctum, & margaritas intelliguntur abdita myſteria Sacræ ſcripturæ, & per canes, & porcos intelliguntur illi, qui obſtinati in malo, quales ſunt Judæi, Hæretici, & peſſimi Chriſtiani; nolite, ait Chriſtus, ô Prædicatores, & Doctores exponere antè canes & porcos iſtas margaritas, ne fortè eas conculcent, &c. *In Luc. cap. 3. v. 10. & 37. & c. 15. v. 15. in Eccleſ. c. 9. in Pſal. 21. & 140.* (Nota etiam ex textu, quomodo peccatores vocantur canes, & porci, ſed qua veritate? verè dicuntur canes, & porci moraliter, quia peccatum eſt vera Circes transformans hominem in beſtiam. *Vide op. Diar. tit. 10. c. 5.*) Et hoc ſignificatur in Miſſa, in cujus principio offertur liber Evangeliorum clauſus, quia in tali principio

ſignifi

ſignificatur ſtatus legis, in qua velamen ante oculos habebant Judæi, ſed poſtea offertur apertus ſacerdoti ad Evangelium, & Canonicis in choro, quia non minoribus, non plebi, ſed majoribus, & ſacerdotibus eſt aperta Sacra Scriptura. *Pſal.* 56. *ſer.* 1. *Hexam.* & hinc admonentur Prædicatores, ut ſe adaptent capacitati auditorum. *Op. Eccleſ. Hier. p.* 4. *c.* 4.

11. *Sapientibus hujus ſæculi abſconduntur à Deo myſteria altiſſima, & revelantur tantùm parvulis, & humilibus.* Undè Bernardus ſcribens cuidam, qui amore ſcientiæ mundanæ retardabat propoſitum intrandi Religionem, ait, quam ſalubriùs diſceres Chriſtum crucifixum, quam utique ſcientiam haud facilè, niſi qui mundo crucifixus fuerit, apprehendit; falleris fili, falleris, ſi te putas invenire apud mundi magiſtros, quam ſoli Chriſti diſcipuli, ideſt mundi contemptores, Dei munere aſſequuntur, ideò iſta ſcientia non innoteſcit canibus, & porcis, ſcilicet mundi amatoribus, & carnalibus. *Op. Apol. paup. Reſp.* 3. *c.* 3. *op. Dict. tit.* 5. *c.* 1. *op. de dono intellect. c.* 5.

12. *Euchariſtia non danda canibus, & porcis, ſcilicet indignis.*

Nolite dare ſanctum canibus &c. Sanctum ideſt Euchariſtiæ Sacramentum indignis, & ad vomitum redire volentibus: hoc attendant ſacerdotes. *Op. Confeſſion. c.* 4. *p.* 3.

13. *Quam ardenter Deus optet nobis tribuere quod petimus, & orationem noſtram exaudire*; patet ex hoc, quod dicit Chriſtus: *petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis.* Vide quale deſiderium, & voluntatem Dei ad noſtrum profectum, ideò magnam ſpem tribuit qui promittendo, non decipit, & quam ardenter cupiat dare, qui toties nos ad petendum invitat *Ser.* 1. *in feſto S. Lucia Virg. Luc. c.* 11. *v.* 9.

14. *Quid ſit petere, quærere, & pulſare multipliciter exponitur.*

Petite & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate & aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit &c. Diſquirunt hic Sacri Doctores quid ſit hoc, quod dicit Chriſtus, & qualiter iſta tria differant? Reſpondent quòd his tribus verbis intendit Chriſtus nos excitare ad orationis inſtantiam, & frequentiam; & ideò unum, & idem ſignificant; poteſt tamen diſtingui tali pacto; primò in ordine ad actum orationis, ſic petite ore, quærite pedibus, ſcilicet affectu, & corde, & pulſate manibus ſcilicet opere: vel in ordine ad res petitas, petite veniam, quærite gratiam, & pulſate ad gloriam: vel in ordine ad petentes, petite incipientes, quærite proficientes, pulſate perfecti; primi accipiunt, ſecundi inveniunt, tertii intrant: vel penès modos perveniendi ad ſapientiam; petite orando, quærite legendo libros ſcripturæ, & pulſate plangendo: vel ex parte veniendi ad gloriam, petite orando, quærite benè vivendo, & pulſate perſeverando; vel in ordine ad media; petite fide, quærite ſpe, & pulſate charitate, fide enim petimus ad Chriſtum venientes, quærimus ſpe attingentes uſquè ad interiora, & charitate pulſamus deſudando laboribus, ut quod petimus, & quærimus, conſequamur. *Luc. c.* 11. *v.* 9. *ſer.* 2. *Invent. S. Crucis ſer.* 4. *de dedicat. Pſal.* 76. *op. ſtim. p.* 2. *c.* 2. *Luc. c.* 9. *v.* 17.

15. *Ex deſiderio, quod oſtendit Deus nobis concedendi quod petimus, & ex facilitate obtinendi excitatur anima ad orationem.*

Petite & dabitur vobis, quærite, & invenietis; pulſate &c. omnis enim, qui petit &c. Nota, quòd anima excitari, & inflammari debet ad orationem fundendam Deo ex duabus præcipuis rationibus, primâ eſt ex parte Dei, ſecunda, ex parte noſtri; ex parte Dei, qui dare tam ardenter nobis deſiderat, dum toties ad petendum invitat; ex parte noſtri, dum tam facilitèr poſſumus orando obtinere, quod deſideramus; quis ergo amplius ſe continere poterit, quin ſtatim omnibus oblitis in Deum ſe totum projiciat, dum cogitat Dominum ſuum ſummum bonum, delicias Angelorum, præmium Beatorum, homini infirmo, & corruptibili, cujus miſeriam nemo poſſet exprimere, ſemetipſum negare non poſſe, & quantumcumque infirmus, & miſerrimus, & peccator, ſi ad ipſum ſe converterit, & ab ipſo petierit, obtinebit, & hæc nos deſiderat petere, & largiri, cum dicit petite; & accipietis; neſcio quid ampliùs laboramus; cur quotidiè nos affligimur circa nihil, cum poſſidere Creatorem omnium valeamus: Vide quomodo ipſe Deus prius petit, ut nos petamus, quærit, ut nos ipſum quæramus; quærit animam noſtram viſitare, & intrare deſiderat, & diu eſt, quòd pulſavit: dic ergo ei, ſcio, quòd pluſquam ego me diligis, de me amplius non curabo, ſed ſolùm tibi, & tuis deliciis inhærebo. *Op. ſtim. p.* 2. *c.* 2. & *ſer.* 1. *de S. Lucia Virg. Pſal.* 118. *v.* 41.

16. *Oratio quare ſæpè non exauditur.*

Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit &c. Si Deus eſt fideliſſimus in ſuis promiſſis; & promittit tam liberaliter ſe conceſſurum omnia petita, & quæſita, & deſiderata; undè evenit, quòd tot orationes non exaudiuntur? ſed attende, quòd propoſitiones affirmativæ & ſponſiones factæ à Deo ſemper ſunt intelligendæ cum ſuis conditionibus, & ſemper conditionatæ ſunt non abſolutæ, quapropter ſi ritè, & rectè peratur proculdubio oratio eſt infallibilis, & hinc Sacri Doctores multas cauſas afferunt, ob quas orationes non exaudiuntur: Nam id provenit vel ex parte rei petitæ, quæ non eſt pia, non ad gratiam, & gloriam ordinata, ſed ad utilitatem puram temporalem; vel ex indignitate petentium, non quidem præcisè, quia peccatores ſunt, in hoc enim omnes convenimus, ſed quia non rectè petunt: vel provenit, quia Deus ad profectum noſtrum intendit tentare, & probare fidem, & perſeverantiam noſtram, vel quia in aliud tempus magis opportunum differt concedere quod petitur; vel ob defectum fidei, ſcilicet fiduciæ, qui defectus eſt contra ſpem ob hæſitationem, quæ maximè impedit exauditionem, qui autem piè, juſtè, fiducialiter & perſeveranter, ſcilicet digna dignè petierit, infallibiliter exaudietur. *Vide Luc. c.* 11. *v.* 10. *op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 2. & 67. & 71. *Pſ.* 21. & 54. & 85. & 87. & 101. *Pſal.* 118. *v.* 41. *ſer.* 2. *de S. Matteo.*

17. *Explicantur conditiones perfectæ orationis.*

Omnis enim qui petit accipit, &c. Suprà diximus, quòd qui petit piè & dignè digna exauditur infallibiliter; quæritur ergo quid eſt petere piè? Reſpondetur, quod pietas eſt cultus latriæ, & ideo oratio piè facta ordinatur ad exhibendum Deo cultum debitum latriæ, & ideo exigit fidem, ſpem, humilitatem, & devotionem, ſcilicet fervorem cum toto conatu, & conſequenter contrà hoc orant, qui ex malo fine, aut prava intentione, aut iniqua petitione, vel aliqua mala circumſtantia ipſius orationis, vel media ad obtinendum debita non aſſumunt; alia conditio eſt, ut petatur digne, ſcilicet cum fide: quæritur hic quæ fides eſt hæc? Reſpondetur, ſupponere fidem Theologicam, ſed tamen hæc fides propriè dicitur fiducia, ſcilicet modus ſpei, vel ſpes roborata, & hæc eſt, vel in gradu heroico excludens omnem dubietatem, eſtque fides miraculorum, vel in gradu remiſſo non excludens omnem dubietatẽ: prima non eſt ſemper neceſſaria, ſed quidem ſecunda qua quis credit Deum eſſe omnipotentem, fideliſſimum in promiſſis, ſummè bonum, & liberalem, & ideo conceſſurum, quod petitur, niſi ex parte noſtra aliquid obſtet. *Vide S. Bon. loc. cit. & Suarez de orat.*

18. *Fiducia habenda in oratione expenditur.*

Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem numquid lapidem porriget ei? aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei? Addit *S. Luc. c. 11. aut ſi petierit ovum numquid porriget illi ſcorpionem? ſi ergo vos, cum ſitis mali, &c.* Vide quali argumento efficaciſſimo Chriſtus excitat nos ad fiduciam habendam in oratione ex liberalitate incomparabili Dei in nos ſuos filios; & utitur exemplo liberalitatis patris in communicatione cibi filiis ſuis cum cautela contrarii, & hoc ſecundum triplicem differentiam nutrimenti aut naturæ terreæ, aut aqueæ, aut aëreæ: primum ſpectat ad vegetabilia, ſecundum ad natatilia, tertium ad volatilia; homo enim ſuſtentatur, & reficitur pane, piſcibus, & ovis, quæ ſunt fructus volatilium; è contrario lapide obruitur, ſerpentibus occiditur, & ſcorpione necatur; quæ ſimilitudo eſt clara per continuam experientiam, & per hoc exemplum excitat animam ad majora, ad fiduciam habendam in Deo, cujus cor ardet amore in nos, & nihil aliud deſiderat niſi noſtrum bonum, & ut nos omnibus bonis ditet, invitat nos ad orationem, proponendo nobis ſuam infinitam liberalitatem. *In Luc. cap. 11. verſ. 12.*

19. *Quid præcipuè petendum ſit in oratione: ubi de fide, ſpe, & charitate.*

Quis eſt, &c. quiſi petierit panem, &c. Nota hic, quod Chriſtus non ſine maximo myſterio mentionem facit de pane, piſce, & ovo, quia per hæc tria intelligitur fides, ſpes, & charitas, quæ debent eſſe objectum principale noſtrarum petitionum; nam in piſce fides, in ovo ſpes, & in pane charitas intelligitur; in piſce intelligitur fides, vel propter aquam baptiſmi, vel quia in hujus ſæculi fluctibus fides integra eſt, quia ſancti per fidem vicerunt regna, vel quia ſicut piſcis ſub tegumento aquarum naſcitur, vivit, & alitur, ſic fides trahitur de occultis ſcripturis, & de occultis eſt, & occulta; huic contrarius eſt ſerpens, id eſt infidelitas erroris diabolici, quem induxit ſerpens diabolus in mentem primorum parentum, ne crederent Deo: Per ovum intelligitur ſpes, quia vita pulli in ovo nondum eſt, ſed futura eſt, nec jam videtur, ſed adhuc ſperatur, & quia in ovo pullus eſt imperfectus, qui dum perficitur teſta ovi frangitur, ſic ſpei ſuccedit perfectio beatitudinis, & evacuabitur tunc, quod ex parte eſt, huic contrarius eſt ſcorpio, id eſt deſperatio, quæ facit retrorſum reſpicere, & ex illa parte nocet, ſicut ſcorpio venenatam, & aculeatam caudam retrorſum habet: Per panem intelligitur charitas; hæc enim eſt majus omnium bonorum ſpiritualium, ſicut panis in cibis vincit cæteros; tum quia charitas nutrit, & reficit animam, & confirmat ad modum panis: Unde ſacramentum charitatis traditur in ſpecie panis; tum quia ſicut ſine pane menſa eſt vacua, ſic ſine charitate omne cor eſt vacuum; huic opponitur lapis, ideſt duritia, quæ reſpuit omnem charitatem: Eſt igitur ſenſus ſententiæ à Chriſto propoſitæ, quod petenda ſint maximè à Deo bona ſpiritualia, fructuſque fidei ſpei, & charitatis, ſi quis ergo petierit fiducialiter, & inſtanter panem charitatis, & piſcem fidei, & ovum ſpei, dabit ei Deus, & removebit ab eo omnia ipſis contraria. *in Luc. c. 11. v. 12.*

20. *Omnis homo malus, & tamen à Deo tractatur ut filius.*

Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter cæleſtis dabit bona petentibus ſe: S. Lucas legit, *dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Nota, quod ut dictum eſt hic Chriſtus concludit argumentum ſuum efficaciſſimum à minori, ſcilicet ex Patre carnali, ad majus in Patre cæleſti, in ordine ad efficaciam orationis, & liberalitatem Dei, in quo iſta duo perpenduntur, quomodo dicit Apoſtolos, eoſque, quibus loquebatur, malos, cum eſſent diſcipuli, etiamſi Chriſti: ſecundò quæ bona ſunt, de quibus hic dicit, dabit bona petentibus ſe? Ad primum autem reſpondetur, quod omnis homo mendax, ſcilicet peccator eſt, & ut talis malus, Apoſtoli namque non erant immunes à peccatis ſaltem venialibus, ex quo etiam vide, quod peccata venialia malum faciunt hominem, ſunt enim inficientia bona noſtra: tum etiam quia hæc diriguntur ad ſæculi amatores, qui ſunt mali malitia culpæ; tum etiam, quod nullus homo in comparatione Dei poteſt dici bonus: ad ſecundum reſpondetur, dabit bona, ſcilicet bona omnia ſive temporalia, ſive ſpiritualia, ſed tamen temporalia in ordine ad ſpiritualia quæ propriè à Spiritu ſancto proveniunt, ex quibus infertur quanta ſit benignitas Dei noſtri in hominem licet malum, qui, quod eſt Patris numquam ſe expoliat, & veluti Patrem amantiſſimum ſe appellat.

21. *Omnis*

Digitized by Google

21. *Omnis legis perfectio completur in dilectione recta proximi, & in quonam consistit.*

Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim lex, & Prophetæ. Omnia ergo: nota hanc notam illationis, ad quid antecedens refertur hæc sententia, vel conclusio? sed optimè connectitur cum antecedentibus, in quibus suadetur oratio ad Deum, & promittuntur bona petita in oratione: Pater vester dabit bona petentibus se, subdens, si vos vultis obtinere à Deo bona concupita, necessaria est impletio legis charitatis in proximum, in qua involuitur charitas ad Deum, dicit ergo, omnia ergo, &c. idest si vultis vobis dari petita, & invenire quæsita, & si vultis vobis ista conferri, facite ergo & aliis, quæ vobis vultis fieri ab istis, & nota, quòd non dicit prout faciunt, sed prout vultis; quia quilibet vult, cum indiget sibi subveniri, & benè fieri, & in necessitate relevari, ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei, reddam unicuique secundum opus suum, ideò dicit facite non prout volunt homines, sed prout vultis, &c. tum quia voluntas nostra nobis notior est, tum quia magis movet nos consideratio nostri; tùm etiam quia loquitur ad eos, qui voluntatem habent ordinatam, & secundum illam etiam est operandum: vult ergo Deus, quod semper bonum, quando possumus, cuilibet faciamus, & mala vitemus, sicut promptì sumus pro nobis bona recipere, & mala vitare: & hinc in hoc loco stabilivit Christus duo principia moralia generalissima (sicut est in speculabilibus principium, quod appellant de omni, & de nullo) alterum affirmativum, alterum negativum, ex quibus deducuntur omnes leges, regulæ, & præcepta ordinantia hominem ad dilectionem proximi perfectam, & ob id dicitur, hæc est enim, lex, & Prophetæ, scilicet totum, quod dictat lex, & docuerunt Prophetæ. *Luc. c. 6. v. 31. & c. 18. v. 20. op. Diet. tit. 4. c. 2. op. Centil. p. 1. t. 34. & op. de Grad. virt. c. 11. op. Comp. Theol. lib. 5. t. 2. & 31. op. Expos. Regula c. 5. in fine Psal. 57.*

22. *Dilectionis proximi præceptum quàm nobile, & fructuosum, ejusque gradus quales.*

Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant, &c. Nota, quod dum suprà Christus nos docuerit viam perfectionis nunc instruit nos ne ad dexteram, vel sinistram declinemus, sed incedamus media via, & recta in quo processu varii gradus exponuntur, quorum primus est nullum odisse, nulli malum cupere, nullius velle bonum impedire, in necessitate subvenire, & hæc est lex naturæ, & Dei; secundus gradus est alterius profectui congaudere, & bonum alterius diligere quasi proprium, & sic ejus adversitati compati, sicut propria, vel aliena lucra sua deputare ex affectione pietatis, item sic bona aliena, vel mala sentire sicut propria; ultimus autem & perfectissimus est inimicos diligere, ex affectu, & dulcedine tali, quali erga dilectos, & amicos, & etiam pro ipsis animam ponere, exemplo Christi. *Op. de Prof. Religios. lib. 2. c. 18. ser. 3. S. Amen, in addit. & Comp. Theol. lib. 5. cap. 2. & 31.*

23. *Quomodo dicitur arcta, & angusta porta, & via Cœli.*

Intrate per angustam portam, quia lata est, & spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, &c. Vide quàm consequenter procedit Christus in in stitutione fidelium; supra enim suaserat eos, ut pulsarent ad portam suam; postea assignavit duplex præceptum de dilectione proximi affirmativum, & negativum, nunc invitat ad ingressum, sed docet, quod porta, vel pons est angustus, & via arcta, ut caveant à declinando ad dexteram, vel ad sinistram, nempè per præceptum affirmativum supra datum à dextris, & negativum à sinistris, & propter hoc redditur hæc via angusta, & arcta; sed quomodo via salutis dicitur arcta, cum in Prov. c. 4. promittat suis sequacibus latitudine m viæ: non arctabuntur gressus tui (ait) per semitas justitiæ? sed attende: non dicitur angusta, & arcta propter parvitatem potentiæ, sed propter arctitudinem molestiæ, & rectitudinem justitiæ, quia Christus est ista porta, nec in se recipit, nisi eos, qui se exuerunt à peccatis, & deposuerunt omnem sarcinam mundi, ideò necesse est volenti intrare, redigere se ad parvitatem, & austeritatem; & hinc est, quod multi intrant per viam perditionis, & pauci incedunt per viam salutis, quia illi non quærunt intrare voluntate integra, & perfecta, & volunt simul servire Deo, & mundo, quod est impossibile. *Luc. c. 13. v. 23. ser. 3. de S. Anton. in addit.*

24. *Idem argumentum.*

Intrate per angustam portam, &c. Idest per Christum: Quare dicitur Christus porta angusta; & via arcta; quia qui vult sequi Christum debet omnia relinquere, unum solum Deum diligere, unum quærere, ad unum quotidie pulsare, prospera non ambire, adversa non timere; & ideò cum Christus sit unus, debet homo esse unus; non divisus, & quia hoc est difficillimum ex arduitate hujus itineris, hinc & majoris meriti; & quia pauci sunt, qui hanc viam tali pacto sectantur, ideò etiam pauci sunt, qui intrant per eam. *Op. Apol. Paup. Resp. 1. c. 3. & Psal. 129. op. de Prof. Religios. lib. 1. c. 3.*

25. *Lata via Inferni*, Per quam major pars hominum incedit est luxuria, cætera vitia spectant ad peculiares status, sed hæc omnem hominem ferè inficit. *Op. Diet. tit. 3. c. 5.*

26. *Hypocritæ sunt exteriùs agni, & oves, sed interiùs lupi lacerantes gregem Christi*, & hoc maximè verificatur de Prælatis malis, à quibus cavendum est, ait Christus, *Attendite à falsis Prophetis, &c. ser. de sanctis Simone, & Juda, ser. 1. in Cathedra in addit.* Nota autem, quòd cum mysterio hic Christus ponit in medium duos fructus præcipuè laudabiles, scilicet ficum, & uvam, & duo arbusta pessima, scilicet rubum, & spinam, nam per ficum intelligitur dulcedo pietatis; per spinas homines iracundi, & schismatici in alios crudeles, per uvam cognitio veritatis, per rubum Hæretici, per quæ dignoscuntur Prælati boni, qui fructificant in vinea Domini, & mali, qui eam dissipant. *Luc. c. 6. v. 44.*

27. *Veſtimenta extrinſeca, & intrinſeca Dei ſervorum qualia.*

Qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces; à fructibus eorum cognoſcetis eos, &c. Ecce quid exigit Chriſtus in ſuis ſequacibus, nempè veſtimenta extrinſecùs, & intrinſecus correſpondentia; vult enim, ut anima induta ſit veſte nuptiali, ſcilicet ſanctitate, & munditia, & extrinſecus veſte ſanctæ converſationis. *Ser.3.Dom.18.Pentec. Joan. collat.14.*

28. *Homo malus arbor mala ex radice infecta.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Ecce quomodo Chriſtus apertè quemlibet etiam rudem inſtituit hac ſimilitudine arboris malè producentis fructus proportionatos, datque intelligere per arborem plantatam in terram originem malitiæ, & malorum operum, nempè malitiam provenire non ex natura, ſed ex voluntate mala ſic facta per arrogantiam; illa enim arbor, quæ eſt adulterina, ideſt non inſerta ſpiritui Chriſto, ſed ſeparata, fructus bonos non poteſt gignere, ſic enim eſt arida, ideſt non perfuſa ſtillicidio gratiæ, & ob id infructuoſa, quia non exercitio juſtitiæ exculta. *Sermon. 1. Dom.7. Penteceſt. Luc. cap.6.verſ.43. ſequent.*

29. *Arboris mala ſcilicet hominis fructus mali, & in quo conſiſtat talis malitia.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur. Nota, quòd hic Chriſtus aſſignat diſcrimen inter prædeſtinatos, & reprobos ex qualitate fructuum; qui ex ipſa gignuntur: nam homo malus fructus malos, infectos, & corruptos producit, quodque tripliciter patefit; primò, ex putredine, & fœditate carnalis laſciviæ contriſtantis viſum, & ſcandalizantis alios; ſecundò ex acerbitate furoris, & iracundiæ amaricantis guſtum, & ipſius iracundi & aliorum: tertiò, ex venenoſitate cordialis invidiæ deformantis affectum, ex quibus proveniunt infinita mala, ideò meritò tales arbores excidentur, & in ignem mittentur. *Ser.1.Dom.7.Pentec. Luc.c.6.v.43.*

30. *Pœna peccato mortali à Deo præparata quàm proportionata.*

Excidetur, & ignem mittetur. Ecce terminus, ad quem peccatum mortale à divina juſtitia, ordinatum eſt, eſt enim pœna perfectiſſimè ordinata, ſcilicet ſumma, & perfecta, quia enim peccatum mortale eſt infinita offenſa, quia eſt Dei infiniti, ideò inextinguibili igni deputata propter æternitatem, intolerabili propter vehementiſſimi doloris acerbitatem, & inevitabili propter divini rigoris ſeveritatem. *Ser.1.& 2.Dom.7.Pentec. & op.Brevil.p.7.c.6.* Nota autem ô peccator illud verbum, & in ignem mittetur; in quem ignem? in ignem inferni, ô qualis, ô quantus ignis in inferno, quando omnes ſteriles arbores, omnes ſimul impii ardebunt in inferno! Vide quomodo nemus incenditur, in quo tot millia arborum ardent, & quantò plures, tantò horribilius: ſic vide in inferno maximam ſilvam arborum, ſcilicet hominum ibi ardentium, in quo cortex cum arbore & rami aridi comburentur, ſcilicet corpus, & anima, & membra in æternum. *Ser.2.Dom.7.Pent.*

31. *Idem argumentum ex ſimilitudine arboris infructuoſæ, deputata ad ignem.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, &c. Plena quidem formidine eſt hæc ſententia ſalvatoris, in qua quatuor mala oſtendit circa damnationem impiorum; & primò, quod culpa eſt inexcuſabilis, dū homo velut arbor plantata in mundo, & in horto præcipuè Eccleſiæ, tamdiu expectatus eſt à Chriſto ad pœnitentiam, quod ſignificatū eſt in ficu infructuoſa, quæ expectatio ſignificatur per tres annos, qui ſunt puerit a, juventus, & virilitas, cui ſæpè à Dei miſericordia additur quartus annus, ſcilicet ſenectus, in quibus vocat, & expectat pœnitentiam omni tempore, & tamen in multis Chriſtus quærens fructus non invenit, ideò ſubjicitur divinæ maledictioni, ideò ſecundò ſequitur ſententia inevitabilis, unum ſecuris tandem talis ſententiæ ad radicem ponitur, ut arbor infructuoſa excidatur; & hinc tertio projicitur in ignem interminabilem, in quo gratia eſt irrecuperabilis; tunc enim nec reſiſtendi virtus, neque fugiendi facultas, neque pœnitentiæ locus, neque ſatisfaciendi tempus erit, ex angustia omnium rerum nihil remanet niſi luctus; fac ergò fructus ô homo in mundo, age pœnitentiam, dum vivis, dum potes, dum Chriſtus te invitat, quia non poteris in inferno. *Ser.2. Dom.7.Pentec.*

32. *Prima pœna, & ſententia Judicis ordinatur ad radicem arboris, poſteà ad ramos: ubi de parentibus malè educantibus filios, & de ſcandaloſis.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur. Excidetur? ubi excidetur? in qua parte? reſpondet Sanctus Lucas: Jam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: cur ad radicem, & non potius ad ramos non producentes fructus? ad quid radix de terra evellitur? ecce quam meritò ad radicem prius extenditur ſecuris, poſteà ad ramos; radices malæ ſunt mali parentes malè educantes filios, ex quorum mala educatione pullulant mali rami, ſcilicet filii iniqui, & vitiorum parentum imitatores: malæ radices item ſunt ſcandaloſi primi vitiorum inventores, rami ſunt eorundem vitiorum ſequaces, & quia iſti ſunt tot malorum cauſa, ideò priùs ad ipſos ſecuris ſententiæ vindicativæ Dei extenditur, & ſicut ſecuri porci mactantur, ita iſti ſicut porci diaboli mactantur primò, & mactabuntur æternaliter in inferno, & ſi ſecuris ſic cœpit radices ferire, quomodo rami evadent eam. *Sermon. 2. Dom.7. Penteceſt.*

33. *Malæ arboris radix, truncus, folia, & fructus expenduntur.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, bona arbor, bonos, &c. mala, &c. Nota, quòd primò dicit omnis arbor abſque eo, quòd ipſi addat bonitatem, vel malitiam,

tiam, quia hæc arbor eſt voluntas noſtra libera, quæ omnibus eſt communis; fit autem mala ex conſequenti, ejus radix eſt concupiſcentia, ſeu cupiditas, quæ transfunditur per parentes ad nos: ſed quomodo fit mala arbor? fit mala ait Sanctus Gregor. ex humore, quem attrahit ex terra, ſcilicet ab imaginatione, & quando conſequitur conſenſus, & tunc truncus procedit venenatus, & cum ex trunco procedant rami, ſic ex mala voluntate venenata per conſenſum in malum procedunt malæ affectiones, & rami vitiorum, ex quibus pullulant folia verborum, & fructus peccatorum, & hinc tota arbor ſola apta eſt ad ignem inferni. *Op. ſpec. anima in præfat.*

34. *Arbor bona, eſt noſtra voluntas charitate, & gratia informata.*

Arbor bona bonos fructus facit, &c. quomodo hæc arbor bona eſt? non de ſe, ſed ex unione cum Chriſto, quia ſine hac nulla bonitas poteſt eſſe, nec fructus bonus poteſt gigni. *Ioan. c. 15. verſ. 2. & collat. 18. ſermon. 4. Dom. 19. Pent. ſer. 2. Dom. 21. Pentec. ſer. 1. de plurib. Confeſſor.*

35. *Virtus ſapientiæ arbor bona.*

Omnis arbor bona fructus bonos facit. Nota, quòd virtus ſapientiæ dicitur arbor bona, quæ per timorem ſeminatur in agro cordis noſtri, per gratiam irrigatur, per fidem radicatur, per devotionem germinat, per deſiderium creſcit, per charitatem roboratur, per ſpem vitet, per circumſpectionem frondet, per diſciplinam floret, per doctrinam fructificat, per patientiam matureſcit, per mortem capitur. *Opuſc. Comp. Theol. lib. 5. capit. 6.*

36. *Novitii Religioſi quomodo in arbores fructuoſas creſcere poſſint.*

Bona arbor bonos fructus facit. Quis iſta arbor? in quo horto invenitur? Nota, quod Eccleſia, & magis Religio eſt hortus, in quo Deus agricola plantat diverſas arbores, & ideò Religioſus debet eſſe inſtar plantulæ plantatæ in hoc horto, & nutriri in diſciplina; iſtæ plantulæ ſunt Novitii; quia ſicut plantulæ de uno loco eradicantur & in alium tranſplantantur, clauduntur, rigantur, purgantur, fodiuntur, & coluntur, ſic Novitius debet inſtar plantulæ de mundo eradicari, & radicitus evelli, & in Religione tranſplantari, & in ſancto propoſito radicari, circumſpectione claudi, devotione rigari, confeſſione purgari, exercitio, & occupatione fodi, & excoli, & tales ſunt ſicut novellæ plantationes in juventute ſua. Pſal. 143. Ad hoc autem, ut bonos fructus faciat, debet habere radicem humilitatis, ſtipitem rectæ intentionis, frondes ſinceræ dilectionis, folia honeſtæ locutionis, flores pulchræ converſationis, & tandem ſuper omnia fructus bonæ operationis, quia per fructus eorum cognoſcit eos Deus: & nota, quòd ſicut ramus, in quo pendet fructus, eſt ſicut ſpica plena grano, reſpicit, & declinat verſus terram, ſic anima onuſta fructibus bonorum operum, & virtutum reſpicit terram, ideſt propriam fragilitatem, & carnis, corporiſque conditionem terrenam per humilitatem: è contrario ramus erectus monſtrat, quod in eo nullus eſt fructus, & ſpica erecta, quod eſt gracilis, & vacua, ita homo per ſuperbiam erectus eſt ad modum rami ſterilis, & infructuoſi. *Op. Diet. tit. 4. c. 1. & tit. 7. c. 1.*

37. *Arboris bonæ ſcilicet juſtorum fructuum qualitas expenditur.*

Arbor bona bonos fructus facit. Nota illud verbum bonos, & aliud fructus, ut per hos terminos indicetur utilitas, multiplicitas, delectabilitas, & durabilitas fructuum animæ juſtæ. ſi enim aliqua ex his conditionibus deficeret non poſſent dici abſolutè boni fructus, ideſt optimi: primò utilitas autem horum fructuum conſiſtit in retributione, quia juſti congregant fructum, non in mortem, ut impii, non in vitam tranſitoriam, ut mundani, ſed ad mortem, ideſt ut eis fruantur in morte ad vitam æternam: ſecundò multiplicitas fructuum oſtenditur in illo verbo bonos fructus, non dicit unum, vel duos fructus, quia ſic ager talis eſſet infructuoſus, ſed multos bonorum operum fructus, & ideò in omnibus ramis debet juſtus proferre fructus, ſcilicet in omnibus membris, oculis, manibus, pedibus, ore & corde: tertiò delectabilitas, ideò dicit bonos fructus, ſcilicet delectabiles ex colore bonæ converſationis, ex odore bonæ opinionis, ex ſapore melliſluæ devotionis: quartò durabilitas ſubintelligitur in bonitate fructuum, & ut duret reſcindit ſe, & ſeparat juſtus à vitio, à malis, à mundo, in quibus omnia marceſcunt. *Serm. 3. Dom. 7. Pentec. vid. ad cap. 9. n. 18.*

38. *Maria Virgo arbor omnis bona, ex cujus fructibus cognoſcitur.*

Omnis ergo arbor bona bonos fructus facit. Quid eſt omnis arbor bona? ergone datur una arbor, quæ eſt omnis arbor bona? maximè: hæc eſt Beatiſſima Virgo Maria, quæ eſt omnis arbor bona, unde ſubdit Chriſtus, *à fructibus arboris cognoſcitur arbor*, ergo ex fructu Mariæ cognoſcitur qualitas ipſius; quis ejus fructus, niſi Jeſus Chriſtus? fructus autem eſt Filius, quia fructus ex ramis, rami ex trunco, truncus ex radice; ergo eſt fructus bonitate, & ſanctitate, ſanctitas, & bonitas radicis dignoſcitur; ergo radix, ſcilicet conceptio Mariæ ſancta, & pura, *ait Ric. à S. Lauremio*, & qualis hic fructus? fructus quidem generoſitate, & nobilitate ſublimiſſimus, delectabilitate deſiderabiliſſimus, virtuoſitate utiliſſimus, & copioſitate univerſaliſſimus; ſi igitur ex fructibus arboris cognoſcitur arbor, qualis arbor fuit Beata Virgo Maria? quæ rectè dici poteſt omnis arbor bona. *Op. ſpec. B. Virg. ſect. 16.*

39. *Maria Virgo arbor pulcherrima.*

Omnis arbor bona bonos fructus facit. Si bona arbor eſt Maria, quia continet omne bonum, ergo & pulcherrima? de qua Levit. c. 23. ſumetis vobis fructus arboris pulchertimæ; pulchra quidem in foliis oris, pulchrior in floribus cordis, & pulcherrima in pulcherrimo fructu ventris, & ideò arbor altiſſima, & procera in oculis Domini. *Op ſpec. B. Virg. lect. 16.*

40. *Maria Virgo arbor procera ramos ſuos,& fructus extendens per totum mundum.*

Omnis arbor bona bonos fructus facit. Verè Maria fuit arbor procera,& crescens. quia in humore gratiæ crevit ab utero (ab inſtanti Conceptionis) ejus rami,ſunt virtutes, & gratiæ & merita, multæ ejus miſericordiæ;& beneficia, in quibus libenter habitant,& volitant aviculæ ſcilicet animæ puræ:hos ramos & fructus extendit ipſa per univerſum orbem, ut omnes accipiant de ejus plenitudine: ô quàm latè, quàm longè, quam altè: quàm latè ad homines, quàm longè ad Angelos, quam altè ad Deum. *Opuſc.ſpec. B.Virg. lect.5.*

41. *Maria lignum vitæ.*

Omnis arbor, &c. Scilicet Maria Virgo dicitur omnis arbor bona,quia eſt lignum vitæ,plantatum in medio Paradiſi Eccleſiæ,de quo canitur. hic Rithmus. *Arbor,& lignum vitale | in Paradiſi medio | Plantaris ſpirituale | cujus fructus fruitio | replet omni gaudio | numquam fuit,nec eſt tale | lignum incommodale: Tu es virga, tu es ſtella | tu es gratia fluvius | Deitatis munda cella | Genitrix cujus Filius | ſuos dicitur, & radius | charitatis fundens melle | Cœlo luctus ſuperius | mundum ſervans à procella: Ave Virgo fertilior | univerſis arboribus.univerſis ſideribus | factis,dictis virtutibus | univerſis præſtantior | creaturis hominibus | cuſtos, & quies tutior.op. laus B.Virg.fig.2. & 10.*

42. *Mutuus influxus arboris in fructum, & fructus in arborem: ideſt.ex Maria in Filium, ex Filio in Matrem.*

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Quid eorum? nonne unam arborem in medio poſuit, & quomodo variat numerum dicens eorum? Ecce myſterium per maximum, à fructibus eorum, ſcilicet Matris,& Filii: Maria, eſt omnis arbor bona, cujus fructus,eſt Chriſtus Jeſus,& ideò natus ex iſta arbore fructus ſuaviſſimus, & pulcherrimus ex Maria pulcherrima, & ſanctiſſima: Chriſtus ipſe fructus quidem eſt Mariæ, ſed ſimul arbor influens in Matrem omnem decorem, ſuavitatem, & ſanctitatem, ideò Maria, eſt pulcherrima,ex prolis fœcunditate,pulcherrimus eſt Chriſtus, quia natus ex pulcherrima Matre. *Serm.3. Dom.14.Pentec.& ep.ſpec.B.Virg.lect.5.& 16.*

43. *A fructibus devotorum Maria cognoſcentur in Cœlo ejus filii.*

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Si hæc arbor eſt Maria,& Chriſtus Jeſus, ergo filii Mariæ, & Chriſti cognoſcentur à fructibus, ſed à quibus fructibus? & quandonam, & à quibus cognoſcentur? ſed attende ad myſterium: Maria arbor eſt procera, & altiſſima ramos ſuos extendens ad homines, ad Angelos, ad Deum, ut ſupra dictum eſt, quia fructus extenditur in homines ſuæ ſublimiſſimæ pietatis, influxuſque cœleſtes immittit ad omnes, ſed maximè ſuos devotos, & ideò in Cœlo,ex charactere ejus nominis in ipſis impreſſo agnoſcentur à civibus Paradiſi,& ſignati in libro vitæ: bonum igitur eſt confiteri Virgini Mariæ, & pſallere illi gloriam proſperitas eſt mundi; annuntiare merita ejus lætificat intellectum, & imitari opera ejus, exhilarat Angelos Dei, qui acquirit gratiam ejus agnoſcetur à civibus Paradiſi, & qui habuerit characterem nominis ejus, annotabitur in libro vitæ. *Op. Pſals. Min.in Pſal.91.*

44. *Non verba, ſed opera bona exigit à nobis Deus.*

Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei, &c. Quomodo hoc dicitur,nonne homo dicendo Domine, Domine etiam facit voluntatem Dei,non enim poteſt quis dicere Jeſus, niſi in Spiritu Sancto? ſed attende ad ſenſum verborum Chriſti: incuſat enim eos,qui benè loquuntur, & malè operantur, iſtoſque tanquam mendaces reſpuit: exigit enim à nobis non ſolùm bona, & ſancta verba; ſed opera bona, & ſancta,hoc enim eſt facere voluntatem Dei, quæ conſiſtit in fideli uſu, & diſpenſatione bonorum ſpiritualium commiſſorum, & in ſanctis operibus, unde mendaces coram Deo ſunt qui gloriantur de profeſſione, & altitudine ſui ſtatus, ſine operibus, & hinc Chriſtos maledixit ſicut habenti tantùm folia, nullumque fructum: *Luc.c.19.v.11.Joan.c.8.v.41.Luc.c.10.v.1.& c.13. verſ.6.*

45. *Quale mendacium, & quàm turpe ore confiteri Domino, & opere negare.*

Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum,ſed qui facit, &c.quod & repetitur Luc. c. 6. quid autem vocatis me Domine, Domine, ſcilicet confeſſione oris, & non facitis, quæ dico, ſcilicet oſtenſione boni operis? quaſi dicat.hoc eſt mendacium turpiſſimum, quia verbum bonum indicat bonitatem in corde, & opera mala malignitatem, & hoc eſt oſtendere reverentiam in ore, ſed fallacem, & mendacem eſſe ſine exhibitione obedientiæ & tali pacto ne credatis decipere Dominum. ſed vos metipſos fallitis. *Luc.c.6.v.46.& c.11.ad finem.*

46. *Miraculorum patratio, eſt effectus fidei, non charitatis, ideò non eſt ſignum infallibile ſanctitatis.*

Multi dicent mihi in illa die, Domine in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus, & dicam, eis neſcio vos. Hæc verba Chriſti ingerunt dubium, quomodo Chriſtus dicat iſtis patratoribus miraculorum,neſcio vos? hoc enim eſt eos à ſe rejicere,& ab æterna ſalute excludere? nonne dicit Joan. *c.14.* qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet? ergo hoc eſt imitari Chriſtum, quomodo ergo dicit iſtis neſcio vos? ſed attende ad hanc divinam veritatem: virtus patrandi miracula debetur fidei etiam informi, non præcisè charitati, & ratio eſt,quia in fide eſt prima elevatio hominis ſuprà ſe, & ſuprà naturam, ideò etiam fides poteſt impetrare poſſe agere ſupra vim naturæ; at meritum ad gloriam,& adeptio gloriæ præexigit non ſolùm primam elevationem, ſed ſummam,

ob

ob idque ſolùm per habitum charitatis ; hinc rectè dicit Chriſtus his patratoribus miraculorum, qui in ſolis miraculoſis operibus confidebant poſſe obtinere gratiam, & gloriam, neſcio vos, ſcilicet ſcientia approbationis ; & ob id opera meritoria, non miracula à nobis exigit Chriſtus. *Lib.* 3. *d.* 17. *a.* 2. *q.* 1. *ad arg. & lib.* 4. *d.* 1. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 1. *in argum. & d.* 10. *p.* 2. *dub.* 2. *Ioan. cap.* 5. *v.* 36. *& cap.* 9. *verſ.* 20. *& c.* 10. *propè finem : Vide Comp. Theol. lib.* 1. *cap.* 28.

47. *Fundamentum ſalutis eſt fides cum operibus.*

Omnis, qui audit verba mea hæc, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit, &c. Ecce quale fundamentum exigitur ad fabricam ſalutis, nempè fides cum operibus, qui enim audit, & credit in Chriſtum, & operatur ſecundum dictamen fidei, hic eſt imitator Chriſti, hic ædificat ad ſalutem, ejuſque fabrica non poteſt concuti ulla tentatione diaboli. *Luc. c.* 14. *v.* 29.

48. *Fundamentum totius fabricæ ſpiritualis eſt Chriſtus, ſine quo non poteſt domus ſubſiſtere.*

Aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſuprà petram. Quis iſte vir ſapiens, & quæ petra fundamentum domus? hic eſt Chriſtus ædificator Eccleſiæ, ſimulque petra, & fundamentum hujus domus ſtabile, & firmum, contra quod portæ inferi prævalere non poſſunt : vis ergo extollere fabricam tuam uſque ad ſydera ? ſuppone ad ipſam fundamentum ſtabile, ſcilicet Chriſtum, ejuſque divina præcepta. *Op. de Eccleſ. Hier. p.* 4. *c.* 6.

49. *Sapiens ædificat utraque manu ad æternitatem : Inſipiens una manu ædificat, alia deſtruit domum.*

Aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram, &c. Ecce diſcrimen inter ſapientem, & ſtultum ; nam ſapiens ædificat ad æternitatem, quia utraque manu laborat, ſcilicet una manu recipit fidem, audit verba Dei, apprehendit, quod debet agere, altera manu operatur, ſicque fidem ex operibus oſtendit, iſte ædificat ad ſalutem, ad vitam, ad æternitatem, ad Cœlum erigit fabricam : Inſipiens verò quod facit una manu, altera deſtruit, unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor, ait Spiritus Sanctus. *Eccli. c.* 34. ædificat dum bene facit, deſtruit, dum malè operatur, facit quidem aliqua bona, ſed non fundat ea in petra Chriſto, in gratia, vel non perſeverat, vel ædificat in arena temporalium, & ſic ſubjecta eſt fabrica talis ruinæ. *Ser.* 1. *de S. Anton. in addit.*

50. *Sine fundamento, & tecto non poteſt ſalva perſiſtere fabrica noſtræ ſalutis.*

Aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. Quæ petra iſta tantam ſtabilitatem conferens domui ? Nota, quod iſta petra eſt Chriſtus : hoc eſt fundamentum, quod ſupponendum eſt à nobis in fabrica ſpirituali noſtræ ſalutis ; ſed attende, quòd non ſolùm hæc petra eſt fundamentum, ſed etiam tectum : nam per hoc differt fabrica ſpiritualis à materiali, quod materialis ab imo incipit, & in altum aſſurgit, & in fine tecto munitur, ſed in ſpirituali, è contra ab alto, ſcilicet à Chriſto incipit, & ideò Chriſtus eſt fundamentum, & ſimul culmen, & tectum, quia exigit, ut fabricans benè incipiat à Chriſto, & in Chriſto, & uſque ad finem perſeverer; quid enim prodeſt homini fundare domum ; & parietes erigere, ſi deſinat tectum adjungere, & ſic deſinat domum conſummare ? quid prodeſt aratori terram ſulcare, & ſemina plura jacere, ſi jam aucta, & matura negligat colligere ? quid prodeſt vineam plantare, & in palos erigere, & uſque ad maturitatem fructuum diligenter excolere, ſi deſinat ejus fructus in fine colligere ? & ſic eſt in omnibus invenire, quia laus in fine canitur ; ergo ædificemus cum Chriſto, & in Chriſto, qui eſt principium, fundamentum, & conſummatio omnium noſtrorum operum. *Sermon.* 3. *de Apoſtolis.*

51. *Stultus benè incipit, ſed in curſu deficit ubi de recidivis poſt Quadrageſimam.*

Qui audit verba mea hæc, & non facit, ſimilis eſt ſtulto, qui ædificat ſuper arenam, &c. Quis eſt iſte ſtultus ædificans ſuper arenam, & ad ruinam ? ille eſt, qui benè incipit, ſed in curſu deficit ; qui non perſeverat uſque in finem ; & tales ſunt plurimi Chriſtiani, qui in Quadrageſima pœnitentiam incipiunt, ſed poſt Paſcha deponunt eam, ſuntque ſimiles cani, qui ſuperflua rejicit, quæ comedit, & comeſturus, iterum ad ea redit, Porcus etiam lotus aquis, ad lutum ſponte redit, & magis lutum, quam munditiam, diligit. *Sermon.* 3. *de Apoſtol.*

52. *Fiducia in Deum fundamentum eſt in fabrica ſpirituali ſtabile, & firmum contra omnes ictus tentationum.*

Aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram. Nota illud verbum ſuprà petram, quid eſt ædificare ſuprà petram ? hoc eſt totam ſpem ; & fiduciam in Chriſto collocare, qui enim cum tali fiducia ædificat, & operatur, conſtruit domum ſuam ſtabilem, & firmam contra omnes ictus tentationum ; & tali fundamento ſecurus fuit Stephanus contra lapides, Petrus, & Andreas contra crucis patibulum, Laurentius contra ignem : ô beati, qui ſic fabricant, quia in domo illa perpetua Cœli fruuntur in æternum. *Serm.* 1. *in feſto omn. Sanct. ſer.* 3. *de Apoſtol.*

53. *Quis vir ſapiens, quis ſtultus.*

Aſſimilabitur viro ſapienti, &c. Nota, quod dum Chriſtus loquitur de eo, qui audit verbum Dei, & facit, ipſum appellat verum ſapientem ; quando verè loquitur de eo, qui audit, & non facit vocat eum virum ſtultum, cur ille vir ſapiens, & iſte vir ſtultus ? quia hoc diſcrimen inter ſapientem, & ſtultum, quod ſapiens audit diligenter verba Dei, & in converſatione per opera oſtendit ſe virum ſcilicet viriliter, utiliter, efficaciter, & perſeveranter operantem ; vir quidem, quia juſtus eſt viriliter proximo, viriliter perfectus

ctus in ſeipſo, & viriliter ambulat cum Deo, nempè viriliter ſapiendo voluntatem Dei, viriliter agendo, & viriliter patiendo; è contra ſtultus non eſt vir, niſi apparenter, & nomine. quia ſolùm ſapiens eſt ſapientia diabolica, & mundana ſciens vias ad peccandum exquirere, proximos conculcare, pecuniam congregare, & ſimilia perpetrare, abſque eo, quod cogitet ad finem, ſolum præſentibus bonis intendens. *Luc. c.6. v.48. & c.14.v.29. ſerm.1.de S. Gregor. ſer.1.de S. Franciſco in addit.*

54. *Fabrica juſtorum ſtabilis, & inconcuſſa; impiorum ſubjecta continuis terræmotibus.*

Fundata enim erat ſuper petram, &c. ℣ contra ſtulti ædificant domum ſuam ſuper arenam; ſuprà terram ait Sanctus Lucas: Vide hic diſcrimen inter fabricam juſtorum, & ſtultorum, illa enim habet pro fundamento petram, ideſt ſtabilitatem, quia fundata eſt in charitate, in Deo: iſta ſuper arenam, & terram; terram, & arenam dicit, ſcilicet ſuper locum inconſtantem, & motui continuè ſubjectum, nempè ſuper cupiditatem terrenam. *Luc.c.6.in fine.*

55. *Sapientia mundana maximum impedimentum in obſervantia præceptorum Dei.*

Et factum eſt cum conſummaſſet Jeſus verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina ejus. Nota, quòd non ſine myſterio dicit admiratæ ſunt turbæ; non dicit Principes, vel Phariſæi, vel Doctores legis, vel nobiles, ſed turbæ; cur hoc? ſed meritò hoc dicit Evangeliſta, ut videas, quod ſapientia mundana eſt maximum impedimentum ad receptionem verbi Dei, & inſpirationum divinarum, & ideò pauperiores, & ſimpliciores ampliùs, & facilius crediderunt in Filium Dei, quàm nobiliores, & ſapientiores, & ſic etiam fuit in vocatione gentium, quia ſua ſimplicitate faciliùs apprehenderunt; quomodo Chriſtus tam virtualiter, tam artificialiter, tam ſuaviter, tam magnificè loquebatur, & ideò ſubdit, quod erat ipſe docens tamquam poteſtatem habens. *Luc.cap.7.v.49. & c.2.v.47. & c.19.in fine. Joan.c.7. v.46. & cap.18. verſ.38.*

56. *Prædicator exemplo Chriſti doceat, ſed tamquam poteſtatem habens, ſcilicet prius exemplo, poſtea verbo.*

Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens; & non ſicut ſcriba eorum, & Phariſæi. Quid eſt hoc docere Chriſti tamquam poteſtatem habentis? ad quid refertur hæc poteſtas; ſed attende ad myſterium verborum, cum enim dixerit Evangeliſta, quòd admiratæ ſunt turbæ ſuper doctrina ejus, tamquam aliis, ſcilicet ſcribis, & Phariſæis diſſimilis, & priùs inaudita: ſubdit, quòd talis doctrina tradebatur cum poteſtate; ſcilicet cum opere, & ſermone, priùs faciendo, poſteà docendo, & non ſicut ſcribæ, & Phariſæi, qui dicebant, & non faciebant; & hæc eſt poteſtas maxima, qua Prædicator ſuper auditores excellit. *Op. Phar. lib.1. c.14. & 15. Luc.c.4.v.22.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Primò ſuppono, quod Evangeliſta non ſemper ſervaverunt ordinem geſtorum Chriſti, ſed tantùm ea ſcribebant, ſecundum quòd Spiritus Sanctus mentibus dictabat, quod & fecerunt Prophetæ & Sanctus Matthæus facit hic, ubi præterit poteſtatem datam à Chriſto diſcipulis, curandi, & prædicandi poſt ſermonem, & vocationem ſuam, & tranſit à ſermone ad miracula facta à Chriſto, ut in praxi doceret poteſtatem Chriſti copulatam cum prædicatione.*

CAP. VIII.

2. *Chriſti condeſcentio ad omnes ſecundum capacitatem cujuſque expenditur.*

Cum deſcendiſſet Jeſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ. Vide quomodo Chriſtus poſtquam aſcenderat in montem, ibique Apoſtolos inſtruxiſſet, deſcendit ad plana. & ibi eum ſecutæ ſunt turbæ multæ, ut ſe ſe capacitati cujuſque accommodaret, nam in monte actus contemplationis ſuis perfectis imitatoribus tradidit, ſanctque oratio, lectio, cognitio divinorum, & revelatio ſecretorum. de quibus in præcedenti capitulo. ibi enim orare docet, majeſtatem ſuam demonſtrat, Patris vocem Apoſtolis pandit, deſcendens autem à turba excipitur, miſerorum fletu pulſatur, infidelitatis peccata exprobrat, malos Spiritus expellit, ſicque activos, maximéque Prælatos inſtruit, ut deſcendant ad ſubditos viſitando, compatiendo, vitia increpando, & neceſſitates relevando, & hinc tranſit ad miraculoſam curationem leproſi. *Luc.c.9.v.37.*

3. *Chriſtus ad ipſum quærentes infirmos deſcendit, ut ſanet eos.*

Cum deſcendiſſet Jeſus de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & ecce leproſus, &c. Vide quomodo ad turbas ipſum quærentes, & ſequentes Chriſtus deſcendit, ut infirmos ſanaret; per hoc datur intelligi condeſcentio Chriſti ad peccatores ipſum quærentes, & ſequentes, ut illos ſanet à morbo peccati per juſtificationem; Nota autem, quod dicit cum deſcendiſſet, &c. quia ſemper præſto eſt ad ſanandum peccatorem. *Ser.5. Dom. infrà oct. Epiph. & op. meditat. c.21.*

4. *Peccatum mortale lepra eſt, abominabilem, & fœtentem coram Deo, & Angelis reddens.*

Et ecce leproſus veniens adorabat eum dicens, Domine ſi vis potes me mundare. Quia quælibet Chriſti

Digitized by Google

Christi actio nostra est instructio, ideò hic proponitur homo leprosus coram Christo veniens, ut significetur, quod Christus venit leprosos spirituales curare, isti autem sunt, qui in peccato mortali sunt in morbo, & sicut leprosus abominabilis, & fœtidus coram hominibus est, & ejicitur à societate aliorum, sic spiritualiter existens in peccato mortali abominabilior, & fœtidior est omni leproso coram Deo, & Angelis, & si ad Christum non refugit pro curatione per pœnitentiam ejicietur de consortio sanctorum in die novissimo. *Ser.2.Dom.2. post oct. Epiphan. & ser.1.Dom.3.post oct.Epiph.*

5. *Peccatum superbiæ lepra abominabilis.*

Et ecce leprosus: Si lepra significat peccatum, quale præcipuè est hoc? sed attende, quod superbia potest dici lepra abominabilis: lepra enim morbus assimilativus paternæ malignitati, descendit enim à patre in filios, sic superbia assimilat maximè animum paternæ malignitati, scilicet diabolicæ. *Ser.1.Dom.3. post oct. Epiph. ser.1. in Parasceve.*

6. *Peccatum luxuriæ lepra infectiva.*

Et ecce leprosus: Nota item, quod sicut lepra tollit, & deformat corporalem pulchritudinem, multò magis luxuria; nam sicut quando in corpore abundant mali humores corrupti, generant quamdam scabiem, & impetiginem, & aliquando leptam, tollentem munditiam, & pulchritudinem corporis; sic inordinatæ affectiones, immundæ cogitationes, & corrupti motus carnales generant scabiem incontinentiæ, lepram luxuriæ, & tollunt munditiam castitatis, & pudicitiæ, ac per hoc corpus fit deforme, & fœtidum habitaculum diaboli, & Deo, & Angelis abominabilior, quàm hominibus leprosus. *Ser.1. Dom.3.post oct.Epiph.*

7. *Avaritia lepra abominabilis.*

Et ecce leprosus: Nota iterum, quod rectè comparatur avarus leproso, quia sicut lepra est morbus separativus leprosi à consortio hominum, sic avaritia facit hominem separari ob crudelitatem, & cupiditatem à consortio hominum, & Deo, & Angelis est abominabilis, & ideo separatur à consortio Paradisi. *Ser.1. Dom.3. post oct. Epiph.*

8. *Adoratio Dei qualiter facienda.*

Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens, Domine, si vis potes me mundare. Quid est adoratet si adorabat, ergo cultum latriæ Christo, ut Deo exhibebat, undè in hac adoratione exhibuit debitam subjectionem Deo; perfecta autem adoratio exigit debitam humiliationem timoris, & reverentiæ in corde ad infinitam Dei Creatoris majestatem; item debitam expressionem honoris, & magnificentiæ in ore ratione gubernantis sapientiæ, item cum ostensione amoris, & benevolentiæ in opere ratione redimentis, & glorificantis clementiæ; sicquè perfecta adoratio Christi Jesu exigit concursum in adorante cordis oris, & operis per debitæ subjectionis exhibitionem. *Ser.1.Dom.3.post oct.Epiph.*

9. *Leprosus in anima qualiter pro emundatione recurrere ad Deum debeat.*

Domine si vis potes me mundare. Vide & nota perfectam orationem hujus leprosi, cum quanta discretione, humilitate, reverentia, resignatione ad Christum recurrit pro remedio, & per hoc edocentur peccatores, quomodo, & quibus conditionibus recurrere debeant ad medicum cœlestem pro sanitate; nam superbus debet petere mundari à tumore superbiæ per amorem filialis & humilis reverentiæ & timoris; carnalis à fœtore luxuriæ per decorem castitatis, & munditiæ; & avarus per dulcorem spiritualis lætitiæ, ut mens refrigeretur, & mundetur à terrenis affectionibus. *Ser.1.Dom.3.post oct.Epiph.*

10. *Orationis efficacia hujus infirmi expenditur.*

Et veniens adorabat eum dicens Domine, si vis potes me mundare. Vide quam perfecta fuerit oratio hujus leprosi; primò adorabat Christum interiùs, & exteriùs; & dum dicit Domine si vis, &c. insinuat largitatem Christi, in hoc quod dicit Domine insinuat dignitatem, in hoc potes me mundare, insinuat potentiæ facilitatem, & ideò ostendebat fiduciam, & omnes conditiones orationis perfectæ: nota autem, quod dum dixit Christo, Domine, si vis, statim Christus respondit volo, mundare, quia ipse voluntatem timentium se facit. *In Luc.c.5.v.12.seq.*

11. *Christi velle est posse, & facere.*

Volo, mundare; in quibus verbis ostendit se velle, & quod velle est posse, & facere, quia inter dictum, & factum nihil est intermedium. *In Luc.c.5.v.13.*

12. *Emundatio peccatorum qualiter à Christo facta.*

Et extendens Jesus manum dixit volo, mundare, & confestim sanata est lepra ejus. Vide quàm efficax, & valida hæc manus Christi ad emundationem omnis lepræ: nota, quod quadruplicitèr sua virtute emundat animam à quacumque lepra peccati, nempè per regenerationem Baptismi, per baptismum pœnitentiæ, per orationem, & per tribularionem; in his omnibus extendit Christus suam manum, & emundat ab omni inquinamento. *Ser.1.Dom.2.post oct.Epiph.*

13. *Christus animarum medicus affligendo tangit nobis pulsum, ut ab omni malo curet.*

Et extendens manum tetigit. Quid tetigit? & ad quid hæc extensio, & tactus, cum solo nutu suæ voluntatis poterit curare? ô quàm benè, & providè: extenderat manum suam, & tetigerat hunc leprosum correptione lepræ, sed ut ostenderet se medicum perfectum hac extensione, & tactu ipsum curavit; homo ergo à Deo tangitur, cum corripitur, & sanatur. *Ser.2.Dom.2.post oct.Epiph. & ser.1.Dom.23.Pentec.*

14. *Chriſtus ad ſalutem noſtram extendit manus, ut nos invitaret ad extendendum manus noſtras ad ipſum imitandum.*

Et extendens manum Jeſus tetigit eum dicens volo, mundare: Cur Chriſtus in hac ſanatione voluit extendere manum? ſed nota mirabilia arcana divinæ bonitatis: poterat quidem curare ſolo verbo, ſed tamen voluit extendere manum ſuam, & tangere leproſum, ut oſtenderet ſuam potentiam, & clementiam ſimul, quia verbo, & tactu voluit ſe oſtendere Verbum carnem factum, & medicum curantem interiùs, & exteriùs, & ut invitaret nos ad extendendum manus noſtras in tentatione ad reſiſtendum contrà diabolum, qui totus eſt in extendendo ſuas manus contra nos ad inficiendum lepra peccati, item ad extendendum manus in operatione ad perficiendum, item in Paſſione ad ſuſtinendum, & ad crucifigendam carnem in mortificatione; item ad corrigendum ſubditos in Prælatione. *In Luc. cap. 5. verſ. 13. ſermon. 1. de Sanct. Andrea in addit.*

15. *Vana gloria quàm ſollicitè vitanda.*

Et præcepit illi, ut nemini diceret. Cur huic leproſo ſanato Chriſto tradit hoc præceptum, quod tamen ſciebat ipſum non obſervaturum, ſed divulgaturum etiam ſine peccato, imò cum merito? ut dicitur *Marc. c. 1.* Nota, quod aliud eſt præceptum executionis, & hoc eſt obligatorium ut ſunt præcepta Decalogi, item aliud eſt præceptum probationis, ut Abrahæ de immolando filio: item aliud eſt præceptum inſtructionis, ut hic, unde non peccavit hic cum nomen Chriſti divulgavit: ſed qualis inſtructio continetur in hoc præcepto? hoc voluit Chriſtus docere, quod non eſt quærendum præconium laudis, imo vitari debet, ut ſui ſequaces intelligerent, quod quantum eſt ex ſe latere debent velle in magnis, quæ faciunt, ſed ut proſint aliis prodamus inviti. *In Luc. c. 5. v. 14. & ſer. 1. de S. Andrea.*

16. *Sacerdotis officium omnibus venerandum.*

Sed vade oſtende te ſacerdoti, &c. Cur ad ſacerdotem legis Moſaycæ iſtum Chriſtus mittit, cum ab ipſo ſummo, & vero ſacerdote fuerit mundatus? ſed hoc fecit Chriſtus ob plures rationes, quarum potiſſima eſt; ut oſtenderet ipſe in ſe humilitatem, & doceret ſacerdotale officium eſſe omnibus venerandum, & venerabile, & id eſſe ad curationem peccatorum neceſſarium; item id ordinavit propter utilitatem, ut videntes miraculum credentes ſalvarentur, & ut eſſent inexcuſabiles, ſi non crederent; item propter veritatem, ne videretur legem frangere; item propter oſtendendam majeſtatem legis gratiæ, ſuper legem ſcriptam, quæ non tantum potuit curatum oſtendere, ſed etiam curare. *In Luc. c. 5. v. 14.*

17. *Confeſſio peccatorum auricularis hic oſtenſa à Chriſto.*

Sed vade, & oſtende te ſacerdoti & offer munus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium. Nota verba, ſigna myſteria hujus facti: cur ad ſacerdotem mittit Chriſtus curatum à lepra? cur munus voluit offerri ſacerdori? quia in hoc facto inſinuavit ſacramentum Confeſſionis, quod poſtea Chriſtus inſtituit: Vade ô leproſe, ô peccator, ô tu qui in anima lepram portas peccatorum, vade ſcilicet pande plenariè omnia peccata, quæ commiſiſti, ſacerdoti Vicario Chriſti, habendo interiùs contritionem, pandendo exteriùs per oris apertionem, & ſatisfaciendo poſteriùs per debitam operationem, & hoc eſt munus, ſcilicet confeſſio, quæ eſt teſtimonium mundationis tuæ à lepra peccatorum, & hinc confeſſio peccatorum eſt de neceſſitate ſalutis, quia licet Deus mundet interiùs per contritionem, nihilominus ligat ad ſacramentalem confeſſionem, ſicut voluit, ut leproſus jam curatus oſtenderet ſe ſacerdoti; licet enim cognitio lepræ corporalis ſpectet ad medicos, cognitio tamen lepræ ſpiritualis ſpectat ad ſacerdotes. *in Luc. cap. 5. verſ. 14. & ſer. 2. Dom. infrà oct. Aſcenſ.*

18. *Fides ad Deum facit cum reverentia accedere,* Ut fecit Centurio, qui centum militibus præerat, & cum audiſſet miracula à Chriſto facta per fidem excitatus, & illuminatus cognovit admirabilem majeſtatem ipſius, & ideo per fidem acceſſit ad Jeſum, quod hic notanter dicitur, Acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens, Domine puer meus jacet in domo Paralyticus, & malè torquetur: In quibus verbis tamen occurrit dubium, quomodo Matthæus dixerit ipſum acceſſiſſe ad Jeſum, cum Lucas aſſerat ipſum miſiſſe ad Jeſum ſeniores Judæorum, rogans per ipſos, ut veniret, &c. ſed non eſt contrarietas, quia Matthæus loquitur de acceſſu per fidem. Lucas narrat ordinem rei geſtæ, acceſſit quidem corporaliter per alios, ſed ſpiritualiter per ſeipſum. *In Luc. cap. 7. verſ. 3.*

19. *Timor filialis à ſe recedere facit Deum, ſimulque tali pacto ipſum attrahit: ubi de frequenti vel rara communione.*

Acceſſit ad eum Centurio rogans eum, & dicens Domine puer meus, &c. in Luc. cap. 7. dicit *rogans eum, ut veniret, & ſalvaret ſervum ejus, &c.* & poſteà ſubdit ipſe Jeſus venienti: *Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, &c.* & Lucæ dicitur, *Domine noli vexari, non enim ſum dignus, &c.* Nota hic, quod primò Centurio deſiderans adventum Chriſti in domum ſuam, ipſum rogat & per ſe, & per alios, ut vadat, &c. poſteà repellit eum dicens noli vexari, ideſt noli venire amplius, ergo vult, & non vult Chriſtum venire in domum ſuam; & qua fronte poſteà ipſum elongare à domo ſua conatur? Ecce effectus amoris, & filialis timoris; nam timor filialis ex humilitate ſe à Chriſto elongat, ſed ſic elongando ipſum ad ſe attrahit: Ex hoc diſcamus, quod amare Deum, & in ipſum confidere debemus, ſed cum timore, & reverentia, ſicque inter utraque confidentes, & timidi fluctuemus; & per hoc ſolvitur illud dubium an melius ſit

accedere

accedere ad Deum cum amore, an verò ex timore se ab ipso elongare cum humilitate; an frequenter, an rarò accedendum ad sumendam Eucharistiam; in quo uniuscujusque conscientiæ, quod ei melius visum fuerit, relinquendum est; sed tamen securum iter est medium incedere inter utraque. *Op. Fascic. c. 7. Luc. c. 7. v. 6. Vide infrà n. 22.*

20. *Christus non est acceptator personarum.*

Domine puer meus &c. Ego veniam & curabo eum &c. Mirum verè est, quomodo Jesus statim ac rogatur, vadit sollicite, & sine mora ad sanandum istum servum Centurionis cum rogatus à Regulo. *Ioan. c. 4.* ut descenderet ad sanandum filium suum morti proximum, ire recusavit, sed è longinquo ipsum sanavit; cur hæc differentia tractat istos duos rogantes, scilicet Centurionem rogantem pro servo; & Regulum rogantem pro filio? sed quia Christus sapientissimè omnia operabatur ad nostram instructionem: dat nobis intelligere primò, quòd quæ sunt alta hominibus à sequacibus Christi despicienda sunt: secundò quòd ipse non est acceptator personarum, & secundum uniuscujusque dispositionem ipse nos tractat, quia enim Centurio majorem fidem, & humilitatem habuit, ideò ad ipsum descendit, non ad Regulum: tertiò quòd magis humilitatem amplectebatur, quàm elationem. *Luc. c. 7. v. 6. Ioan. c. 4. v. 42. & seq. propè finem.* Attendamus igitur hic meritum fidei Centurionis, & humilitatem Salvatoris, & discamus, quòd non debemus acceptare personas: sicut enim Dominus plus honoravit hic servum militis, quàm filium Regis, sic & nos debemus non ad oculos servire, nec secundum exigentiam pompæ exterioris, sed secundum intentionem, vel bonitatem ejus, qui servitio indiget, & non ex complacentia, sed ex charitate serviamus. *Op. medit. cap. 22.*

21. *Fide, humilitate, & contritione attrahitur Christus in domum animæ.*

Domine puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur, & dixit Jesus, ego veniam, & curabo eum. Vide quàm promptè Christus promisit suum adventum in domum Centurionis; & expedire sine mora iter arripuit; & per hoc datur intelligi, quòd qui vult ad domum animæ suæ Christum attrahere fide, devotione, contritione, humilitate exemplo Centurionis dicat, Domine puer meus, anima mea jacet paralytica, fœdata, vulnerata; sic enim securus erit adventus Christi Jesu, & sanitatis, & gratiæ. *Luc. c. 7. v. 6. seq. serm. 2. Dom. 4. Advent. op. lignum vitæ:* Dic ergo ô homo Christo: Domine puer meus, ideſt spiritus meus, jacet languens in peccato, veni Domine, & sana me à languoribus peccatorum. *Ser. 3. Dom. 2. post oct. Epiph.*

22. *Exemplar devotionis, humilitatis, confidentiæ, & reverentiæ in receptione Eucharistiæ traditur Ecclesia.*

Domine noli vexari; non enim sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Cur iste Centurio cum priùs tam ardenter desideraverit adventum Christi in domum suam, & miserit seniores Judæorum ad ipsum rogandum pro isto adventu & cum iter arripuisset Christus, Centurio rogabat, ut non accederet ad domum suam? & quod est mirum Ecclesia utitur iisdem verbis in susceptione Sacramenti Eucharistiæ, Domine non sum dignus, ut intres sub tectum &c. & tamen postea vult, ut fideles accedant ad susceptionem ipsius? cur hoc? nonnè hoc videtur contrarium verbis prolatis? sed attende, quòd Ecclesia proponit duo exempla suis fidelibus in receptione hujus Sacramenti, alterum est Zachæi, alterum Centurionis: Zachæus quærebat videre Jesum, ad ipsum accessit, & promptissimè sine mora ipsum suscepit in domo sua: Centurio è contra suscipere Jesum in domo non audebat præ reverentia, & humilitate: undè reverentiam Centurionis Ecclesia repræsentat in dicto, vult enim, ut priùs corde humili & reverente dicat: Domine non sum dignus &c. & devotionem Zachæi in facto, eò quòd corpus Domini cum debet suscipi Centurionica reverentia, & Zachæica devotione, & ideò exemplo istorum bene facit qui corpus Domini frequenter suscipit pro reverentia, & qui pro reverentia cessat, utriusque enim salus datur sicut Centurionis servo, & ipsi Zachæo: quid autem sit melius ex istis duobus actibus relinquitur conscientiæ uniuscujusque generaliter, tamen est melius frequentare communionem cum reverentia, & amore, quàm omittere præ timore. *Luc. c. 7. v. 10. & ser. 4. Dom. 16. post Pentec. op. fascic. 7; vide supra n. 19.*

23. *Christus verbo sanat suos, diabolus vulnerat.*

Sed tantùm dic verbo. Quomodo verbo solo? meritò quia Verbum Dei est medicina animæ; qua per linguam canum, ideſt Doctorum, & Prædicatorum, sanat omnes infirmitates; è contra diabolus vulnerat lingua serpentina detractorum, & perversorum. *Serm. 3. Dom. 2. post oct. Epiph.*

24. *Exemplar pœnitentis perfecti, & tenditi in Centurione traditur.*

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo &c. Nota, quòd Centurionis exemplum proponitur verè pœnitentibus, & afflictis, sicut talis verè erat iste magnus vir, qui cum torqueretur dolore propter infirmitatem graviſſimam dilecti pueri, & cum se agnosceret gravatum onere peccatorum, & ob id indignum, ut Christus appropinquaret domui suæ, dicebat corde contrito, humili, & reverente Domine non sum dignus &c. datutque exemplum pœnitentibus, & afflictis qualiter se gerere debeant coram Deo, nempè attendendo & confitendo Dei magnitudinem, & suam indignitatem,

tem, & parvitatem, & dicere Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed nec ut tibi appropinquare valeam ullo modo; ſufficit enim mihi, ut tuæ pietatis oculis digneris me reſpicere à remotis; quod ſi hoc fecerit homo, & perſeveraverit non quieſcens, non ſolùm ipſum videbit, ſed ad ſua ſecretiſſima ipſum introducet, quod ſi quieſcere non valet præ deſiderio Chriſtum poſſidendi, accipe hoc documentum; quotieſcumque Deum volueris ad te inclinare, in corde tuo vulnera Chriſti porta, & ejus conſperſus ſanguine te Patri quaſi unigenitum præſentabit, & ipſe tamquam Pater dulciſſimus tibi plenariè providebit: Accede ergo ad Chriſtum, & eum ſupplicitèr deprecare, ut ex quo non decet ipſum denuò vulnerari, dignetur in tuo corpore ſua vulnera renovare, teque totaliter rubricare, & ſic indutus purpura poteris Regis palatium intrare: ô tentate vulnera hæc meditare, & hæc ſemper tibi erunt refrigerium, & ſolamen: ne dubites, quòd ſi ea in corde tuo impoſueris, nulli aditus tentationi patebit. *Op. ſtim. p.3.c.12. Vide ibid.p.1.c.13.ad finem.*

25. *De præparatione ad ſuſceptionem Euchariſtiæ.*

Domine non ſum dignus, ut intres &c. Nota, quòd meritò hæc verba Centurionis proferenda ſunt ex inſtitutione Eccleſiæ ante ſumptionem S.Euchariſtiæ; nam in his verbis continentur omnes conditiones neceſſariæ ad dignam tanti Sacramenti ſuſceptionem: nempè fides vera, fiducia, devotio, humilitas, contritio, deſiderium, & intentio recta cultus Dei, & hinc in hoc myſterio timor, honor, & amor in Deum exercetur, præcipuèque in Miſſa: excitatur autem timor ex conſideratione ſuæ omnipotentiæ & juſtitiæ, qui nos pleniſſimo jure damnare poteſt, ſimiliter & ſalvare, ex quo timore oritur dolor peccatorum, pudor, ſuſpiria, lachrymæ, tunſiones pectoris, ſupplicationes, jejunia, diſciplinæ, mortificationes, & hujuſmodi: ſecundò ex conſideratione ſuæ ſapientiæ, & majeſtatis ſummè eſt honorandus, ex hoc namque oritur veneratio, & reverentia, genuflexiones, proſtrationes, orationes, conſecrationes, purificationes, incurvationes, munditia ſacrorum vaſorum, paramentorum ornatus, & decor, feſtivitates, celebritates, & ſolemnitates luminarium, cantus, pſalmodiæ hymnorum, lectionum, & hujuſmodi: tertiò ex conſideratione bonitatis requiritur amor, ex quo oriuntur gratiarum actiones, laudes, hymni, benedictiones, vota ſancta, incenſationes, & hujuſmodi. *Vide op.de præparat.ad miſ. & de inſtruct.ſacerd.per totum.*

26. *Dominium rationis exercendum ſuper ſeipſum edocetur exemplo Centurionis.*

Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade &c. Ecce exemplar perfecti dominii ſervorum Dei ſuper ſeipſos, quia enim cognoſcunt ſeipſos Deo ſubjectos, ob idque obligatos ad perfectum dominium rationis, & regulæ juris divini ſuper ſeipſos, & ſuas potentias, & paſſiones, debent toto ſtudio conari ad perveniendum ad tale dominium, ut poſſint dicere appetitui, phantaſmatibus, occupationibus, iraſcibili, concupiſcibili, ſenſibus, & potentiis, vade, & veni, & vadit, & venit, fac hoc, & facit, tunc enim Deus libenter venit, & habitat in tali anima. *Sermon.22. Hexam.*

27. *Potentes, Prælati, & Principes humilitatis exemplar habent in Centurione.*

Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, &c. Nota, quod non dicit in poteſtate conſtitutus, ſed ſub poteſtate; & cur ſub poteſtate, ſi imperium in milites exercebat? optimè dicit; ego ſum homo ſub poteſtate, ſcilicet ſuperiorum, ſub poteſtate ſummi Dei, & per hoc ad humilitatem ſe provocabat; hoc attendant Principes, & Prælati memores, quod ſub Dei poteſtate, ejuſque voluntate, & imperio debent ſubjecti eſſe, & non recedere à ſuis mandatis, quia duriſſimum judicium fiet his qui præſunt. *In Eccles. cap.5. & in ſap.c.3.*

28. *Prælati Deo obedientes, obedientiam promptam à ſubditis obtinent, & utrique per ipſum ad Deum accedunt.*

Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade, & vadit, &c. Vide quo ordine procedit iſte magnus Centurio; priùs ſe dicit hominem, poſteà ſub poteſtate conſtitutum, poſteà imperantem ſubditis, poſteà exprimit exactam obedientiam iſtorum; ſed qua conſequentia infert ex hoc, quod eſt homo, ideo eſt poſitus ſub poteſtate, ideſt obligatione obediendi? & ſi ineſt ei hæc obligatio, quomodo poſteà infert præſidentiam in ſubditos? ſed optime & optimo ordine ſic loquitur, quia enim eſt homo, id eſt deſcendens ab Adam, qui ſuperbiendo contrà Deum cecidit & amiſit tot dona, & gratias, ideò Deus ad recuperationem iſtarum gratiarum omnes homines ſub poteſtate obedientiæ collocavit, & licet ſit quis Princeps ſupremus tamen ſub poteſtate alterius, & tandem Dei eſt poſitus, obligatuſque obedire ſuis præceptis, quod ſi hoc fecerit, ecce quod inde conſequitur obedientia perfecta ſubditorum, & hoc eſt ire à Deo ad Deum, & ſecundum Deum, & propter Deum, & ecce omnia tranquilla; hoc audiant, hoc attendant Prælati, & Principes, ſi volunt ſecundum Deum ambulare, & quietam vitam in ſe, & ſubditis ducere. *Op.de Prof.Religioſ.lib.2. c.39. & ep. Cenſil. p.3.ſ.44. & in Luc.c.17.v.19. & c.7. v.8.*

29. *Admiratio Chriſti ſuper fidem Centurionis expenditur.*

Audiens autem hoc Jeſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſraël. Graves difficultates ingerit hic textus, & primo quomodo Chriſtus miratus fuerit? admiratio enim oritur ex debilitate cognitionis rei inaſſuetæ. *Lib.3. d.34. p.2. dub.2.* quid autem de novo potuit umquam evenire Chriſto incognitum, vel non præviſum? ſecundò quomodo non invenit tantam fidem in Iſraël? nonnè in Beata Virgine reſidebat fides ſuper omnes creaturas vivida? ſed reſponderur primò Chriſtum

Digitized by Google

ſtum ad modum admirantis ſe habuiſſe, non quia hoc eſſet ei incognitum antè; vel magnum, ſed ut ſigno oſtenderet fidem gentilis hominis eſſe magnam; & hinc ad ſecundum reſpondetur non inveniſſe tantam fidem in iis, in quibus magis ex hæredirate myſtetiorum cæleſtium debebat vigere. & ideo nec fuit major fide B. Virginis, ſed major habito reſpectu ad talem perſonam gentilem, ſicut puer laudatur ex aliqua argutia, quæ in homine ſapiente non attenditur. *in Luc. cap. 7. verſ. 9.*

30. *Quomodo gentiles dicuntur filii Abrahæ.*

Multi ab Oriente, &c. & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno Cœlorum. Scilicet tamquam filii Abrahæ: ſed quomodo gentiles dicuntur filii Abrahæ? & quomodo dicitur recumbent cum Abraham, &c. ſed reſpondetur, quod ideo hæc dicuntur, quia imitatores fidei Abrahæ, ij ſunt filii Abrahæ ſcilicet promiſſionis, non ſecundum carnem, & ideo propter fidem Centurionis gentilis, dicitur multi ab Oriente, &c. ſcilicet venient ad hanc fidem exemplo hujus Centurionis. *In Luc. c. 3. v. 8. & c. 5. v. 29.*

31. *Vocatio gentium, & reprobatio Iudæorum expenditur.*

Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, &c. in regno Cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores. Nota, quod hic Chriſtus prædixit vocationem gentilium ad fidem ſuam, & reprobationem Judæorum, gentiles autem vocati ſunt ab Oriente, & Occidente, ſcilicet ex omnibus partibus mundi, & fuerunt ſignificati in hoc ſervo ægroto, erant enim ſervi peccati, & infirmi, & per ſeniores, ideſt Apoſtolos fuerunt vocati ad fidem; Iudæi autem dicuntur filii regni, ideſt credentes, & filii Eccleſiæ reprobati fuerunt; unde patet, quod adventus Chriſti aliis fuit in ſalutem aliis in damnationem ex culpa eorum. *In Luc. cap. 7. v. 10. c. 5. v. 17. & c. 16. v. 22. & in Ioan. c. 12. v. 21. & ſer. 1. Dom. infrà oct. Nativit.*

32. *Chriſtus ſe communem omnibus benefactorem ſine acceptione perſonarum exhibuit, & exhibet.*

Et ſanatus eſt puer in illa hora; & cum veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem; & tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat ei. Vide quomodo Chriſtus poſt ſanationem viri ad curandam mulierem accedit, & meritò, quia cum uterque ſerus lapſus eſſet, ita & uterque pertinebat ad redemptionem, in quo ſe communem Redemptorem, & benefactorem ſine perſonarum acceptione ſe exhibuit; & ideò in ejus Nativitate fuit Joſeph cum Maria; in prædicatione diſcipuli, & mulieres: in Reſurrectione diſcipuli, & Magdalena, ſic vir, & mulier ad Dei gloriam oſtendendam curamur. & à graviori mulier, quàm vir, quia pluribus pœnis ſubjecta eſt *in Luc. c. 4. v. 38.* ſanat autem Dominus totaliter, velociter, faciliter, & multipliciter, ſanat quidem totaliter corpus, & animam, & potentias, & ſenſus; velociter, quia tardius videtur ei veniam dare, quàm peccatori recipere; faciliter, quia ſolo verbo; multipliciter, ſcilicet medicina contritionis, confeſſionis, & operationis bonæ. *Ser. 3. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

33. *Chriſtus libentiùs ad domum pauperum, quam divitum tamquam paupertatis amator accedebat.*

Et cum veniſſet ad domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem, &c. Nota, quod invitatus, & rogatus Chriſtus à ſenioribus Judæorum, ut iret ad domum Centurionis, non legitur ibi intraſſe, ſed curaſſe puerum languentem antequam perveniret ad ipſam; hic autem notatur domum Petri intraſſe etiam non rogatus, vel invitatus; cur hoc diſcrimen? hoc fecit Chriſtus quia domus Petri erat domus pauperis, domus Centurionis domus divitis; hoc autem fecit, ut ſe humilitatis, & paupertatis amatorem oſtenderet, & ideò in domum pauperis, non divitis intravit familiariter ſe ponens ad ſedendum in medio menſæ, cui cibi aliqui groſſiores, & quæ citò parari poterant, appoſita fuere, & comedit alacriter, & præcipuè cum in prandio reluceret paupertas, quam ſic amabat. *Op. meditat. c. 24.*

34. *Infirmorum viſitatio ſuadetur exemplo Chriſti, & maximè pauperum, & in xenodochio jacentium.*

Et cum veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem, & tetigit manum, &c. Vide quàm libenter Chriſtus, & promptè, & alacriter intrat in domum, in qua jacet paupercula infirma, cui ipſe extendit manum, & ipſam ſanavit, quid eſt extendere ſuam manum, niſi extendere ſe, & ſe communicare tali mulieri jacenti, & infirmanti, quia ipſe infirmitates noſtras in ſe aſſumpſit, & ideo dicit *Matth. c. 25. infirmus eram, & viſitaſtis me.* Libenter igitur ad viſitationem infirmorum ibat, ut nos invitaret ad idem ſuo exemplo faciendum; & maximè ad pauperes, & ad infirmarias pauperum; aſſiſtendo enim, & ſerviendo infirmo propter Chriſtum, aſſiſtes, & ſervies, miniſtrabiſque ipſi Chriſto; cur ergo ô ſponſa quæris Chriſtum ſponſum, ut ſponſi oſculo delecteris? cur quæris ubi jacet, ubi cubat? ecce in infirmaria jacet, ibi anguſtiatur, ibi dolore gravatur, & torquetur, accede ad leproſum, ad infirmum; & oſculare eum; & ei aſſiſte, quia Chriſtus in infirmo ibi jacet, cur ſponſa miſera præ ſponſi amore languere te dicis, & ipſum quotidie nudum, diſcalceatum, & afflictum ante te vides tranſire; & negligis, & etiam non compareris ei? accipe igitur hoc conſilium, cum in lecto vides proximum infirmum, cogita videre Chriſtum in ipſo, ipſique ſervi non ut homini, ſed ut in homine Deo, totumque referas ad Ieſum, qui dixit *Matth. 25. Quod uni ex minimis meis feciſtis*, & per hoc nihil tibi difficile, nihil tibi abominabile, nihil ignominioſum æſtimabis facere pro infirmis, & pro aliis deſolatis, ſed omnia ſuavia, omnia amabilia judicabis, cum ſic in proximo miniſtrabis Chriſto: credo ſine præjudicio, quòd qui ſic, ut dictum eſt,

ferventer, & diligenter Chriſto in proximo miniſtraret, potè propter Chriſtum tendens in Chriſtum quòd plus mereretur, & virtuoſius mereretur, & à Deo ampliùs approbaretur, quàm ſi proprio corpori Chriſti miniſtraret, quod ſic facere poteſt: Unus enim peſſimus homo, ſi videret Chriſtum eſſe in uno lecto, & benè cognoſceret eum, non eſt dubium, quòd ſibi ferventer, & diligenter miniſtraret, ſed ſibi ideſt Chriſto in proximo cum tanto fervore, & diligentiâ miniſtrare non poſſet, niſi perfectus, ut credo, imò ut ita loquar, & pluſquam perfectus; ergo cum toto animi conatu hanc gratiam habere conemur: quis igitur de cætero abhorrebit leproſum, declinabit infirmum, negliget deſolatum, cum in eis inruemur Chriſtum, & plus ibi poſſumus mereri, & Deo placere, quàm ſi etiam miniſtraremus ipſi Chriſto: & ſi non poſſumus fratres, omnibus præſtare obſequia, quia multi ſunt indigentes, ſaltem omnibus compaſſionem donemus, & in omnibus conſideremus Chriſtum, quòd ſi Chriſtum neglexerimus in cœno, vel in terra, ipſum non habebimus in Cœlo, dicit enim, *Infirmus eram, & non viſitaſtis me, ite maledicti in ignem æternum:* non ergo interrogemus eum de cætero, nec dicamus ei ubi jaces? ubi cubas in meridie, *Cant.c.*1.quia jam novimus locum, ſcimus enim eum in infirmaria jacere, non autem reſtat, niſi præſtare obſequium. *Op. ſim.p.2.c.7.*

35. *Febris ſeptuplex anima, ad quam curandam venit Chriſtus in Mundum.*

Vidit ſocrum Simonis jacentem, & febricitantem. Sed qualis erat iſta febris? febris enim corporalis habet varios gradus: ſed ex myſterio eam non exprimit, quia ſignificatur in ipſa febris ſeptem vitiorum capitalium, quâ laborat anima hominis: nam quæ eſt ex putrefactione humorum, ſignat luxuriam; quæ eſt immoderatorum appetitiva, ſignat avaritiam; quæ eſt inflammativa, ſignat iram; quæ eſt alterativa naturæ ſignat accidiam; quæ eſt deformativa colore livido, ſignat invidiam; & quæ eſt ſæpè inflammativa, ſignat ſuperbiam: febris igitur noſtra eſt ſuperbia, avaritia, luxuria, invidia, ira, gula, & accidia; & ideò ad ſanandam hanc multiplicem febrim venit Chriſtus in Mundum, ut medicus cæleſtis. *Ioan.c.4.ad finem in Luc.c.4.v.38.ſeq.ſer.1.Dom.10. Pentec.*

36. *Homines plus inhiant ad ſalutem corporis, quàm animæ.*

Vidit ſocrum ſimonis jacentem & febricitantem. Addit Sanctus Lucas *& rogaverunt illum pro ea.* Vide quàm ſolliciti ſunt omnes domeſtici domus, & amici pro ſalute corporis hujus mulieris febricitantis, ut videas, quòd omnes ferè homines plus ſolliciti ſunt pro ſalute corporis, quàm animæ: vide quàm ſit verum ex continuâ experientiâ; ſi fortè in corpore parvum aliquid morbi pulſaverit, ſtatim medicos adhibemus, & pecuniam profundimus: anima verò quotidiè cum vulneretur, cum per ſingula lanietur, uratur, præcipitetur, & modis omnibus patiatur, & ſæpè languens ſit ex triginta, vel quadraginta annis, ne parva quidem cura pro ea nos ſollicitat; ô inſania maxima ægroti! anima tua languet in peccatis uſquè, ad mortem æternam, & non quæris medelam? *Ser.10.in Rogat.*

37. *Infirmitas corporalis eſt viſitatio Dei medici volentis nos curare.*

Vidit ſocrum ſimonis jacentem, & febricitantem. Cur dicitur, quòd Chriſtus vidit iſtam mulierem jacentem? ad quid hæc viſio hic apponitur? ut intelligamus, quòd cum Deus immittit infirmitates corporales, tunc ut medicus venit nos viſitare, ut ab infirmitatibus ſpiritualibus curet, quia virtus in infirmitate perficitur. *Lib.3. d.15. qu.1. ad arg. lib.1.d.46. dub.3.lib.4. d.12.a.2.qu.1.corp. ad primum.*

38. *Sanctorum interceſſio quàm utilis & neceſſaria.*

Vidit Socrum Simonis jacentem & febricitantem; & curavit eam &c. Sanctus Lucas addit, *& rogaverunt illum pro ea & ſtans ſuper illam &c.* Quinam ſunt iſti, qui rogaverunt Chriſtum pro ſanitate mulieris? iſti fuerunt diſcipuli, & illi, qui aderant, hic autem duo præcipuè documenta nobis innuuntur; alterum eſt, quòd quamvis Dominus velit dare, nihilominus vult rogari; ſecundum eſt quam valeat interceſſio Sanctorum pro adipiſcendis bonis temporalibus, & ſpiritualibus; & nota, quòd aliquos Dominus curavit ſine precibus, alios precibus alienis, alios precibus propriis, in quo ſignatur, quòd tripliciter animas peccatrices curat gratia ſalvatoris, nunc intercedente ſolâ benignitate ſuæ clementiæ; nunc interveniente oratione Eccleſiæ, nunc interveniente proprio gemitu, hæc autem curatio facta eſt ex interceſſione diſcipulorum, ut nobis innoteſcat, quam utilis, & neceſſaria nobis ſit interceſſio Sanctorum, qui nobis impetrent, & merito, & affectu, & oratione; voluit enim nos orare Sanctos pro nobis, & per Sanctos Deum ipſum ad dandam fiduciam pavidis, ut quod non audent, vel non poſſunt impetrare per ſe, per idoneos impetratores obtineant, ac per hoc in orantibus humilitas conſervetur in ſanctis intercedentibus, dignitas declaretur in omnibus etiam membris Chriſti charitas, & unitas oſtendatur, & in hoc mirabilis ordo ſapientiæ divinæ eluceſcit, quo quæ inferiora ſunt ad ſuperiora fiducialiter recurrant, & ſuperiora inferioribus liberaliter condeſcendant, & hinc ſanum conſilium eſt cuilibet eligere aliquem ſanctorum in Patronum, & ei ſua fiducialiter committere, & ad ipſum quotidie recurrere. *Op.Brevil.p.5.c.10. ap.myſt.Theol.c.3.p.3.lib.4.d.45.a.3.per totum Luc. c.4.v.38.*

39. *Maria Virginis interceſſione ſanata eſt ſocrus Simonis.*

Vidit Socrum Simonis jacentem & febricitantem, & tetigit manum ejus & dimiſit illam febris: Sanctus Lucas addit c. 4. *Et rogaverunt illum pro ea, & ſtans ſuper illam, &c. & ſurgens miniſtrabat illis*; qui ſunt illi, qui rogaverunt Chriſtum pro infirmâ muliere? iſti fuerunt diſcipuli Chriſti, & illi, qui ibi aderant, ut ſuprà dictum eſt: ſed quinam

Google

quinam sunt isti, qui aderant? Nota id, quod subjungit, & surgens ministrabat illis; nota hic quod consuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantiâ suâ victum, atque vestitum præceptoribus, & Prædicatoribus ministrarent, quod & fecit Christus, & Apostoli, ut notatur à *S. Luca c.* 8. tali enim pacto etiam verbum Dei facilius transibat, & diffundebatur ad mulieres regionis in quâ fiebat prædicatio: & hinc S. Ildephonsus, Metaphrastes, Gerso, aliique Patres asserunt Beatam Virginem individuam fuisse Filii comitem in omnibus suis peregrinationibus, & ideo à S. Germano Maria vocatur baculus peregrinationis Christi; & hinc Christus Virgini adhærens languores omnes sanabat, ait Ricardus à S. Laurentio; & hinc infertur, quod ii qui aderant cum Christo, rogaverunt ipsum pro infirmâ muliere, hoc magis, & efficacius fecit Maria Virgo tamquam advocata omnium miserorum, & ideo meritò dicitur mediatrix inter Deum, & homines, & medica quia salutis antidotum viris, & mulieribus propinavit. *Op. spec. B. Virginis lect. 9. & op. in salut. in Luc. c.* 8. *v.* 3.

40. *Christi charitas in omnes indifferenter expenditur ex sanatione omnium infirmitatum.*

Vespere autem facto, obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo, & omnes malè habentes curavit, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam c. 53. *Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit.* Vide quomodo post curationem sexus virilis, & muliebris, subjungitur curatio universalis respectu omnis sexûs, ætatis, & infirmitatis; in quâ manifestatur admirabilis potentia, & charitas ex varietate languorum, ex facilitate curationum, ex confessione, & repressione dæmonum; quæ omnia fecit in vespere, vel ut ait S. Lucas, cum sol occidisset, ut ostenderetur, quod in omni tempore Christus erat sollicitus de omnium salute absque eò quòd sui sollicitus esset; tum etiam post solis occasum ad virandam gloriam hominum; tum ut indicaret, quod ipse sol post suum occasum, & mortem præparaturus erat per suam mortem generale remedium generi humano. *in Luc. c.* 4. *v.* 40.

41. *Sequentes Christum alii perfecto corde, alii duplici sunt, illi magna promittunt, & faciunt, isti magna promittunt, & parum faciunt.*

Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire transfretum; & accedens unus scriba ait illi Magister, sequar te quocumque jeris. Cur Christus voluit se cum suis discipulis separare à turbis, cur non eas secum permisit ire? hoc factum est, quia volebat discipulos suos instruere, ut volentibus sequi Christum per viam perfectionis, necesse est se separare à turbis scilicet à mundanis curis, & temporalibus; undè S. Lucas ait c. 9. *Factum est autem ambulantibus illis in viâ*, scilicet discipulis in viâ perfectionis; *Ecce quod unus scriba legis peritus se obtulit Christo dicens, sequar te quocumque jeris*, cui respondit Christus *Vulpes foveas habent, &c.* ipsum taciτè appellans vulpem simulatam, quare hoc? hic attende, quòd Christum sequebantur discipuli, sed puro corde; iste autem se obtulit, sed duplici, & vulpino corde, quia prætendebat acquirere virtutem faciendi miracula, & sic lucrari divitias, & vanam gloriam mundi, per quod datur intelligi, quod Christum sequuntur alii puro corde propter Christum, ipsumquè imitandum, ut ejus discipuli; alii sunt, qui magna promittunt, & parva faciunt, qui sequuntur Christum propter temporalia, & isti verè vulpes sunt in conspectu Domini. *In Luc. cap. 9. v.* 57.

42. *Sequela Christi qualis ad perfectionem ducit.*

Sequar te quocumque jeris. Hoc dicebat ista vulpes dolosa, sed sine animo id exequendi: sequar te quocumque jeris debet dicere quicumque vult esse discipulus Christi: Nota autem, quod dicit quocumque jeris, scilicet sequi debet discipulus Christum ipsum imitando, scilicet diligenter, libenter, & voluntariè, universaliter, & totaliter, ideſt ex toto corde ad prospera, & adversa, sine exceptione, item perenniter, & perseveranter usque ad mortem, & sic adimplebitur quod à Christo dicitur. *Ioan. c.* 12. *qui mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic, & minister meus erit. in Ioan. collat.* 58.

43. *Simulatio vulpina exterior, & interior Deo exosa.*

Vulpes foveas habent, & volucres Cæli nidos: Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum. Vide quâ metaphorâ à se rejicit Christus hunc scribam petentem se admitti ad suorum discipulorum consortium: affert enim in medium vulpem, & volucres: vulpes enim est typus simulationis exterioris, quia se fingit canem placidum, ut alia animalia decipiat, & significat hypocritas, & hæreticos, qui se exteriùs fingunt sanctos per opera bona externa; volucres verò petunt alta, & in alto nidos faciunt, per quos significatur simoniaco interior, quæ alta & dignitates quærit; quasi diceret quid me sequeris propter pecunias, qui vides non tantùm mihi diversorium quantùm avibus. *in Luc. c.* 9. *v.* 59. meritò ergo repellitur à Christo quia volebat sequi Christum, ut divaretur, & honoraretur, ideò ipsum appellat vulpem habentem terrenam foveam cupiditatis, & volucrem habentem aëreum nidum vanæ gloriæ & ambitionis; propter hoc non poterat sequi Christum, qui erat pauperrimus, & humillimus. *Sermon.* 1. *Dom.* 4. *Quadragesim.*

44. *Christi paupertas, & humilitas expenditur.*

Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum. Vide quâ ratione præmittit exemplum vulpis, & volucrum; nam illa habet foveam, & isti nidos, in quibus requiescunt, & significant divites habentes sua repositoria, & nidos dignitatum, & honorum; Christus verò non habuit, ubi reclinaret caput suum, nec in mundi ingressu, nisi in præsepe; nec in mundi progressu, undè volens se reficere, vel in domos aliorum se conferebat, vel in terrâ requiescebat in aperto aëre; item

Digitized by Google

item in exitu, quia inclinato capite tradidit ſpiritum, ò quàm pauper & egenus,& humilis propter nos factus. *Ser.3. Dom.4. Advent. & ſer.5. de Apoſtol.& ſer.3.Dom.2. poſt oct. Epiph. in Luc. c.9.v.58.in Thren.c.3. op. de perfect. vitæ c. 3. in Luc.c.19.v.51. in Ioan.collat.20.*

45. *Chriſtus ſe omnibus expoliavit, ut in ſeipſo ſuos ſequaces reciperet.*

Vulpes foveas, &c. Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput ſuum. Si non habes ô Domine Jeſu, ubi reclines caput tuum, quomodo, & in quo loco recipies ad te venientes tuos diſcipulos? ſed transfer mentem *ad c.1. Ioan.* ubi interrogatus Chriſtus ubi habitabat, ubi habitas quænam eſt domus tua? in quo loco? reſpondit eis: venite & videte; venite affectu, & amando, & videre intelligendo veritates meas, ſed quid viderunt ipſum nudum, & expoliatum omnibus terrenis, & ideo eos recipere promiſit, ſicut recepit latronem converſum, ſcilicet in ſeipſo, in ſuis vulneribus, in regno ſuo; non tantum non tardat eos recipere, non ſub porticu, non in ſtabulo, ſed in ſeipſo: ô miſera hominum nequitia Dominus noſter latronem, & ſuos diſcipulos recepit in hoſpitio, in ſeipſo, & nos recuſamus ad ipſum confugere terrenis, & luctuoſis domibus intenti. *In Ioan. c.1. v.40. & op. ſtim.p.1.c.14.*

46. *Superiores Religionum non omnes ad ſe venientes recipere debent, ſed tantùm qui perfecto corde ſe offerunt, ut Deo ſerviant, & Chriſtum ſequantur, & eos, qui carent tali intentione, & ſpiritu exemplo Chriſti à ſe repellant. op. Expoſ. Regulæ cap.2.*

47. *Sanctus Pater Franciſcus fundavit ſuam Religionem in paupertate conſimili Chriſti.*

Vulpes foveas habent &c. Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput ſuum. Si hoc eſt verum, quomodo poſtea interrogatus. *Ioan. c.1.* ubi habitaret; & ſecum duxit diſcipulos, qui ſecum manſerunt duos dies? ergo domum habebat, ubi habitaret? ſed attende, quòd, ly, non habet, ubi caput reclinet, demonſtrativum eſt ejus, quod nullum proprium habitaculum habebat, ſcilicet jure proprietatis, & poſſeſſionis, non ejus, quod in domo manebat: habebat enim locum ad quietem manſionis *Ioan. c.1 v.40.* Et hinc Seraphicus P.Franciſcus perfectus imitator paupertatis Chriſti prohibuit omnem proprietatem in communi, & in particulari ſuis Fratribus, undè ſæpè ſermonem faciens de paupertate ingerebat evangelicum illud, Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos, Filius autem &c. volens ſuos erigere ad culmen hujus paupertatis, ut expropriati, & poſſeſſione rejectâ, & omni proprietatis jure omnium terrenorum, & omni humanâ prudentiâ, & litteratum peritiâ introirent in potentias Domini, & nudos ſe offerrent crucifixi. *Op. legenda S. Franc. c. 7. op. eternit. nat.qu.4.*

48. *Cur Chriſtum appellaverit Matrem hominem, filius hominis (ait) ubi de perfectionibus Mariæ.*

Filius autem hominis non habet ubi reclinet caput ſuum. Filius hominis, ideſt Beatæ Virginis Matris, ſed cur non dicit, Filius Mariæ? Filius Virginis? ſed hominis? & cur Maria dicitur homo? Attende ad ſubtiliſſimum myſterium: dicitur filius hominis ad indicandam ſublimitatem ſingularem, & ſuam, & Mariæ. *Ioan. collat.54.* ſed qualis eſt hæc ſublimitas? maxima quidem, & incomprehenſibilis, ait S. Anſelmus: Homo appellatus eſt Adam in ſtatu innocentiæ, antequam ex ipſo mulier efformaretur, tunc enim, & Adam & homo appellatus *Gen. c.5. v.1.* quia unus erat, & ex uno duo. quæ in ipſo totius humanitatis perfectiones compilatæ ſine corruptione, ſine imperfectionibus, in quas poſt peccatum cecidit: & quia non decuit (*ait S. Thomas 3. p. qu.4.a 5.ad 2.cum Damaſc. lib.3. de fide c. 11.*) ut Verbum aſſumeret totam naturam humanam in communi, quia omnes homines inimici erant Dei, hinc ſi non re homines omnes aſſumpſit, ſaltem totius naturæ vocabulum adamavit, ſe Filium hominis efferendo, ſcilicet Filium Virginis, ut ſignificaret in Mariâ fuiſſe totius naturæ humanæ ornamentum, & nobilitatem, & quicquid perfectionis eluxit in homine in ſtatu innocentiæ, eluceret pariter in Virgine, ideo elegit Matrem, cujus cum ſingulariter eſſet Filius, ex ſimplicitate tamen virgineâ hominis Filius poſſet appellari, ut oſtenderetur, quod ſicut ex Patre ſine Matre natus eſt Deus, & cum plenitudine omnium perfectionum divinarum; ſic ex Mariâ diceretur Filius hominis, & quidquid hominis perfectum eſt à Matre traxiſſe perhiberet, quam univerſitas perfectionum non ſuſtinet; niſi univerſali vocabulo definiri: omnes igitur alii (*Concludit Anſelmus*) ſunt filii hominum, quia originem habent ex conjunctione duorum, ſed Chriſtus Filius ſolius hominis,quia ſine carnali Patre natus eſt de Virgine; & ideo magnum quid,& incomparabile eſt apud Deum, nempe apud Deum magnus, quia Filius hominis eſt, ubi verbum erat apud Deum, quoniam à paterna magnitudine non deſciverat,qui Verbi pudicam generationem ex uno homine genitus, nempè ex Virgine, non turpavit. *Idem & Sanct. Irenæus, &c.*

49. *Quid ſit ſequi Chriſtum.*

Ait autem ad alterum, ſequere me. Ecce quomodo Chriſtus poſt repulſionem Scribæ duplicitate animi ſe exhibentis, advocat alium verè ſimplicem, & innocentem,dicens ei ſequere me: ſed quid eſt ſequi Chriſtum hoc eſt perfectè illi ſe configurare; ſequere me, ait ad alterum, ſcilicet qui alterius diſpoſitionis erat à ſcriba, quia erat ſimplex, & humilis; ſequere me ſicut filius Patrem, & ſicut diſcipulus magiſtrum; ſequere me per ſummam rerum mendicitatem, & per ſummam cordis humilitatem, hoc eſt ſequi perfectè Chriſtum,& hoc eſt,quod continuè dicitur volentibus relinquere mundum.& Chriſto perfectè ſervire. *in Luc.c.9.v.59.& c.18.v.22.& ſer.2. de S.Magdal.*

Digitized by Google

50. *Exceptio vocationis ad ſequelam Chriſti non differenda etiam pratextu pietatis.*

Domine permitte mihi primum ire, & ſepelire patrem meum. dixitque ei Jeſus: ſine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos. Notandum hic, quod iſte à Chriſto vocatus non recuſat ſequi, & obedire Chriſto, ſed licentiam petit, ut poſſit exercere officium pietatis in Patrem, ideo in hoc apparet puritas ejus, non celando cordis affectum, nec refutando conſilium, quia expleta paterni funeris pietate liberior conſilium Chriſti aſſequi deſiderabat, & ad hoc morabatur, tùm ex obedientiâ debitâ Patri, tùm ex clementiâ animi ordinati ad opus pietatis; ſed tamen his non obſtantibus Chriſtus ei hoc non permiſit; ſed cur hoc fecit Chriſtus? nonnè filius obligatus eſt ad obediendum parentibus, eiſquè ſubminiſtrare obſequium, & maximè quando id exigit neceſſitas? ſed tamen per hoc voluit Chriſtus oſtendere, quod quando parentes aliquid exigunt, quod eſt contrà profectum ipſorum non in illis pietas exhibenda; vult ergò Dominus, quod ex affectu paterno non dimittat homo facere quod pertinet ad ſalutem ſuam; ſi ergo Pater in limine jaceat, ſi Mater ubera, quibus te lactavit, oſtendat, percalcatum perge Patrem, percalcatam perge Matrem, & ad vexillum crucis evola; ſolùm enim genus pietatis eſt, in hoc eſſe crudelem. *In Luc. v. 9. v. 60. & ſer. 5. in op. de dec. prac.* Ex hoc patet error illorum, qui differunt exequi vocationem Religionis propter parentes portantes in utero conceptum boni propoſiti per multum tempus, & parere non poſſunt.

51. *Malorum ſocietas diligenter fugienda.*

Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Qui ſunt iſti mortui ſepelientes mortuos? ergone mortui carentes vitâ hæc poſſunt facere? ſed tamen hic per mortuos intelligit peccatores, ſcandaloſos, & infideles, ut intelligamus conſortium malorum declinare, ne nos ſepeliant morte peccati: *in Luc. c. 9. v. 60.*

52. *Majora bona, & opera miſericordiæ ſpiritualia, præcipuéque Prædicatio verbi Dei, præferenda minoribus, & operibus miſericordiæ corporalibus.*

Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos: addit ſanctus Lucas; *Tu autem vade, & annuntia regnum Dei:* Nota, quod hic erudit Chriſtus minora bona pro majoribus eſſe poſtponenda; majus eſt enim animas mortuorum ſuſcitare prædicando, quàm corpus mortui in terrâ abſcondere, quia opera miſericordiæ ſpiritualia ſunt corporalibus anteponenda: quod enim pietatis opus majus, quàm ſepelire mortuum, & hoc Patrem proprium? & tamen Chriſtus vult pro prædicationis officio hoc dimitti, & meritò, quia quantò anima melior eſt corpore, tantò melius eſt animam paſcere prædicando, quam corpus alimenta præſtando, vel maximè quia plures ſunt idonei ad ſepulturam, quàm ad dandam doctrinam. *in Luc. c. 9. Vide op. Apol. Paup. Reſp. 4. c. 3. poſt initium.*

53. *Pompa funeralium reprehenditur.*

Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Cur Dominus prohibuit huic iuveni, ne ad funus mortui Patris iret curandum? ſed notâ, quod alludit ad mortem parum laudabilem Judæorum, qui cum pretioſis aromatibus, & pompâ magnâ exequias celebrabant mortuorum, quæ omnia cum ſint magis ſolatia vivorum, quàm ſubſidia mortuorum, recitè à Chriſto reprehenduntur, quia cura fidelium maximè debet eſſe de anima, & non de mortuo corpore. *in Ioan. c. 19.*

54. *Homo exiſtens in peccato mortuus eſt, & verè plangendus.*

Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Mortuos ſcilicet peccatores, ſed cur apellat peccatores mortuos, cum vere vivant? meritò mortuos appellat quia mors animæ advenit, cum illam Deus, qui eſt vita animæ, deſerit, ſicut mors corporis eſt, cum illud deſerit anima, & hi mortui ſeparatione Dei ab animâ ſimiles ſunt mortuis corporaliter, ut enim iſti carent ſenſu, & motu, & ſunt algore frigidi, gravitate ponderoſi, calore debito privati, & citò putrefiendi, ſic & mortui ſpiritualiter; & ideo anima peccatrix cadaver dicitur, cadaver enim dicitur à caſu, & ideo qui in mortem peccati ceciderit, cadaver dici poteſt, quaſi enim exanimis jacet, qui vivificantem ſpiritum non habet, & ideo taliter mortuus eſt plangendus. *In Ioan. collat. 27. Eccleſ. c. 8.*

55. *Verus diſcipulus numquam deſerit Chriſtum.*

Aſcendente Jeſu in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli ejus. Duo hic adnotanda principaliter: primò condeſcenſio Chriſti, qui aſcendit in naviculam cum diſcipulis, ut per ejus obſequium veheretur, & ut oſtenderet ſe eis ſimilẽ in naturâ & indigentiâ: ſecundò ſecuti ſunt eum diſcipuli, ut oſtendatur perfectio comitatus, quia numquàm deſerebant magiſtrum, quia non erant de illis, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt, & ideo ad veritatis notitiam numquàm attingunt, voluit autem Chriſtus, ut ſecum aſcenderent, ut oſtenderet, quod non poſſunt pervenire ad portum ſalutis, niſi per mare tribulationis præſentis. *In Luc. c. 8.*

56. *Eccleſia eſt navis myſtica à Chriſto expoſita in hoc mari mundi, ad piſcandum, bellandum, negotiandum, & peregrinandum.*

Aſcendente Jeſu in naviculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli: Nota quod hæc navis myſticè eſt Eccleſia, quæ tempeſtatibus, & fluctibus tribulationum frequenter quaſſatur; à Chriſto verò eſt expoſita ad uſum ſuorum diſcipulorum; & ſicut quatuor genera hominum utuntur navibus, ſcilicet piſcatores, bellatores, negotiatores, & viatores; ſic eſt Eccleſia navis piſcatorum, qui ſunt Doctores, & Prædicatores, ut in mari mundi, & fluminibus concupiſcentiarum piſces, ſcilicet peccatores capiant, & extrahant, & per pœnitentiam eos ad Chriſtum ducant: eſt & navis bellatorum, eſtquè multiplex ſecundùm multiplicitatem ſtatuum, ſcilicet ſtatus virginalis, vidualis, & conju-

conjugalis, & Religionum diverſarum, in quibus contrà diabolum,mundum,& carnem eſt bellandum, ſcilicet oratione,mortificatione & ſpirituali colluctatione. hanc navem Chriſtus replevit pane,ſcilicet ſuo corpore,& ſanguine, ut fideles hoc cibo fortificati poſſint triumphare de inimicis: Navis item eſt in qua, & per quam negotiatores facti poſſint lucrum ſpirituale reportare per exercitium bonorum operum: item navis eſt viatorum vehiculum, ut in peregrinatione ad portum ſalutis pervenire poſſimus. *Ser.1. Dom.3.poſt oct.Epiph.*

57. *Avaritia, & cupiditas qualia mala Eccleſiæ afferat.*

Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Si hæc navicula eſt Eccleſia, quomodò Chriſtus permittit, ut fluctibus quaſſetur, cum ipſi ei ſuam perpetuam aſſiſtentiam promiſerit;ſed attende ad id, quod ſequitur,ipſe verò dormiebat:cur hoc? cur in tanto periculo Chriſtus dormit? dormiebat,ſcilicet,licet omnia videret oculo ſuæ ſapientiæ,tamen videbatur dormire permittendo Eccleſiam ſuam tot tempeſtatibus quaſſari, ut ipſam excitaret ad confugiendum ad ejus auxilium: Nota autem, quod Eccleſia præcipuè quaſſatur per avaritiam Chriſtianorum, & præcipuè Religioſorum, & Prælatorum, quod figuratum fuit in confractione navium Regis Joſaphat 3.*Reg.* c.22. quas miſerat in Ophir propter aurum; quando enim avaritiæ, & cupiditati auri, & divitiarum temporalium dediti ſunt Eccleſiaſtici, & Chriſtiani, tunc navis Eccleſiæ quaſſatur, & frangitur, quia & idololatriis,& ſciſſuris, & ſimoniis, & omnibus malis repletur. *Ser.3. Dom. 3. poſt oct. Epiph.*

58. *Malorum ſocietas quaſſat Eccleſiam.*

Motus factus eſt in mari,ita ut navicula,&c. Cur ad præſentiam Chriſti, & diſcipulorum tanta tempeſtas contra navem inſurgit?ſed aſpice tempeſtatem quaſſantem navem, in quâ erat Jonas, qui fugiebat à facie Domini, & dic, quod propter præſentiam Judæ proditoris turbatur hæc navis,& qui ſuis meritis firmi erant, turbantur alienis;unde patet,quod melius eſt habere malorum odium,quàm ipſorum conſortium; & ideo meritò Eccleſia turbatur ob conſortium iniquorum inter bonos, quia periculoſa eſt malorum ſocietas in Cœlo,ut patet in Lucifero, & ſociis: in mundo, in Eccleſiâ, fuge ergò conſortium malorum, & bonorum ſocietatem habe, bonos in conſilio,bonos in obſequio,& in omnibus tuis actionibus. *Ser.3.Dom.3.poſt oct.Epiph.Luc.c.8.*

59. *Inobedientia ſubditorum quaſſat navem Eccleſiæ.*

Motus factus eſt in mari,&c. Nota, quod inter fluctus quaſſantes Eccleſiam etiam inobedientia ſubditorum adnumeratur, ſignificata in proditore: ſicuti enim inobedientia præcipitavit Jonam in mare; & navem in maximo periculo reduxit, ſic inobedientia ſubditorum totam navem Eccleſiæ,& Religionum quaſſat, & in pericula infinita exponit, nec id mirum, nam inobedientia de Cœlo Angelos, homo de Paradiſo ejectus. *Ser.3.& 4.Dom.3.ibid.*

60. *Prælatorum dormitio, & negligentia ruina eſt Eccleſiæ:item oppreſſio pauperum, & ſubditorum.*

Motus factus eſt in mari,ita ut navicula operiretur fluctibus,ipſe verò dormiebat. Ergo dormiente Chriſto inſurgunt tempeſtates,& fluctus in navi? quid eſt hoc? ſed attende ad metamorphoſim mirabilem: dormitio Chriſti in navi ſignificat dormitionem,torporem,ignaviam, & negligentiam Prælatorum, ex qua immobilitate inſurgit motus magnus in navi Eccleſiæ,nempè maxima ruina. *Ser.4.Dom.3.poſt oct.Epiph.* Quod eſt multo magis dicendum de oppreſſione ſubditorum ob avaritiam,& crudelitatem Prælatorũ. *Ser.4.ib.*

61. *Ex Chriſti abſentiâ oriuntur omnia mala navi Eccleſiæ, & animæ.*

Ipſe verò dormiebat. Si dormiebat ergò erat veluti abſens,& ad modum abſentis ſe habebat, undè mirum non eſt;quod navis quaſſetur fluctibus, undè Chriſto abſente Lazarus moritur,navis agitatur,Thomas dubitat; nam Chriſtus eſt via,ergo ipſo abſente viator periclitatur;eſt vita, ergo ipſo abſente,anima moritur,eſt veritas,ergo ipſo abſente dubitatur in fide: ſed quomodò dici poteſt abſens, cum ut Deus ſit ubique? dicitur Chriſtus abſens moraliter ſcilicet ubi Chriſti amor non eſt, ibi Chriſtus abeſt, è contra ubi Chriſti charitas eſt,ibi Chriſtus adeſt;tanto enim habemus Deum præſentiorem,quanto ferventiorem in ipſum puriorem habebimus. *Ser.4. Dom. 3. poſt oct.Epiph.& in Luc.c.8.*

62. *Sancta crux navis eſt, in quâ Chriſtus tempeſtatibus ſubjectus fuit, & obdormivit,& per quam ſalus Mundo venit.*

Aſcendente Jeſu in naviculam, motus factus eſt in mari &c. ipſe verò dormiebat &c. Ecce qualis eſt iſta navis ſubjecta fluctibus, & in quâ Chriſtus dormivit, hæc eſt ſancta crux figurata in navi, in quam Chriſtus aſcendit ſubjectus innumeris motibus, & fluctibus perſecutionum, & in quâ ipſe moriendo dormivit; in hanc exigit, ut omnes ſui ſequaces intrent, & per pœnitentiam ducantur ad portum Cœli. *Ser.1. Dom.4. Pentec.& Pſal.106.* Nota iterum, quòd hæc navis crucis ſtricta fuit in ſummo, quia non habuit, ubi reclinaret caput, & in imo ſimiliter habens pedem ſuper pedem, lata fuit in medio, quia ibi expandit manus ſuas Deitas malum, velum humanitas,ventum perſecutio Judæorum,qui ventus quinque locis perforavit velum, & duxit ad litus mortis; hanc navem aſcendit Jeſus in Paraſceve, & cum eo diſcipuli, non in eadem die, ſed poſtea, & tunc motus omnium elementorum factus eſt in mari hujus mundi; aſcendit autem Chriſtus hanc crucem, ut nos ad eumdem aſcenſum invitaret relicto ſæculi amore. *Luc.c.8 v.15. & Vgo Card.*

63. *Chriſtus immittit, & immitti permittit in nos tempeſtates,& ut ad ipſum confugiamus, & excitemus ad noſtrum ſubſidium;ubi de orationis neceſſitate.*

Motus factus eſt in mari (ſcilicet ex Chriſti imperio *ipſe verò dormiebat, & ſuſcitaverunt eum dicentes, Domine ſalva nos,perimus.* Cur Chriſtus per

Digitized by Google

permiſit tam ſævam tempeſtatem, & maximè tempore, quo ipſe dormiebat? ſed nota myſterium: Dat nobis intelligere, quod licet circà nos, & facta noſtra videatur dormire, maximè cum tribulamur, ipſe tamen diligentiſſimus, & vigilantiſſimus eſt ſuper cuſtodiam noſtram, & ideò debemus eſſe in fide conſtantes, & de nihilo hæſitantes; immitti autem permittit nobis tribulationes, & tempeſtates, ut in periculis ad ipſum confugiamus, & bonis operibus maximéque oratione excitemus ipſum dicentes Domine ſalva nos perimus, allegando ejus potentiam, & bonitatem, & noſtram indigentiam; vult enim nobis largiri gratias, ſed vult rogari, quia & oratione noſtra delectatur, & ad majorem profectum noſtrum ipſam exigit. *in Luc. c.8.v.24. & 25.& ſer.2.Dom.2.Quadrag.& ſerm.4. Dom.4. Adv.& op.meditat.c.2.*

64. *Dormitio Chriſti multiplex in bonum, & in malum noſtrum.*

Ipſe verò dormiebat, & ſuſcitaverunt eum, &c. & ait illis quid timidi eſtis, &c. Nota, quod Chriſtus dicitur dormire multipliciter: primò dormivit ad litteram, ut ſe hominem, ſicut nos, oſtenderet dormivit in cruce, & poſtea reſuſcitatus à Patre: dormire dicitur, cum gratias petitas differt concedere: dormire etiam dicitur, cum ſubtrahit gratiam ſuam; item per negligentiam noſtram, & defectum fidei, & confidentiæ ut hic, ô Deus liberet nos à tali dormitione. *Pſal.34.& 43.& 55.& in Luc. ibid.*

65. *Chriſtus in omnibus ſuis operibus ſe oſtendit Dominum Cœli, & terræ, & ſummum Imperatorem, cui omnia obediunt, & ideo meritò dicitur, quis, qualis eſt hic, cui & venti, & mare, & omnia obediunt. In Luc. hic & op. ſpecul. B. Virgin. lect.7.*

66. *Ex noſtra oratione ad Deum quot bona.*

Imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Ecce fructus orationis diſcipulorum nam ex oratione excitatur Chriſtus ad ferendum auxilium, provenit & tranquillitas magna animæ, & honorificatio Dei. *In Luc. cap.8. verſ.25.*

67. *Dæmonis crudelitas in hominem expenditur.*

Et cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum occurrerunt ei duo habentes Dæmonia de monumentis exeuntes, ſævi nimis, &c. Nota ad litteram, quod Geraſa erat civitas Arabiæ, ad quam Chriſtus ſe contulit, ut eos per miracula, & prædicationem attraheret ad ſe, & ut oſtenderet ſe veniſſe ad ſalvandum non ſolùm Judæos, ſed & Gentiles, & cum Judæi repellerent verbum Dei ad Gentiles ſe tranſtulit; & licet duo obſeſſi à dæmone occurrerent Chriſto, ut narrat hic S. Matthæus, tamen S. Lucas de uno tantùm refert ob ipſius notabilem vexationem ſuper alium, & cujus crudelitatem refert, quam in homine iſto exercebat, nempè jam multis temporibus obſeſſum, de quo plenam poſſeſſionem habebat ex diuturnitate temporis; tùm ex habitus deformitate dicens & veſtimento non induebatur, quia non ſolùm diabolus vexabat corporis membra, ſed etiam laniebat veſtimenta; tum ex loci horribilitate dicens, neque in domo manebat, ſed in monumentis, loca enim horribilia ſunt propria dæmonis; Addit Sanctus Lucas, quod multis temporibus arripiebat illum, ſcilicet impetu fortitudinis, cui non poterat obſeſſus reſiſtere; addit, & vinciebatur catenis, ſcilicet quantum ad manus, & compedibus cuſtoditus, quantùm ad pedes; & ruptis vinculis agebatur in deſertis à dæmonio, quia nullis retinaculis teneri poterat, ô qualis crudelitas diaboli in hominis corpus, & animam. *In Luc.c.8.v.26.ſeq.& ſer.2. Quadrageſim.* Ex quibus elicitur, quod cum diabolus ſubjectus ſit poteſtati abſolutæ Chriſti, ipſi non poteſt reſiſtere nec impedire liberationem, quando ipſe Jeſus præcipit per ſe, vel per ſuos miniſtros, dummodò non impediat incredulitas, ut evenit in diſcipulis *Luc.c.9.v.40. ſeq.* & ideo licet ex diuturnitate obſeſſionis, & plenâ poſſeſſione dæmonis videatur difficilior curatio, tamen nihil poteſt imperio Chriſti obſiſtere; & hinc dixit diabolus, *quid nobis, &c. veniſti ante tempus torquere nos*; quid eſt antè tempus? & torquere nos? hoc dicit ante tempus, ſcilicet judicii, quia perditio poteſtatis in homines, licèt inchoata fuerit à tempore Chriſti, tamen completa non erit omninò, niſi in die judicii, dicit torquere nos, quia tormentum maximum eſt diabolo ab hominum læſione ceſſare, & quantò diutiùs poſſederit, tantò difficilius dimittit; laboret ergo homo læſus à diabolo, ut citò jugum diſrumpat. *in Luc. capit.4. verſ. 34. & capit. 8. verſ.29.*

68. *Venit Chriſtus liberare nos à diaboli poteſtate.*

Quid nobis, & tibi Jeſu Fili Dei veniſti huc torquere nos? O quam verè venit Chriſtus torquere diabolum; venit enim cum potentia vincendi, ſcilicet cum potentiâ ad torquendum dæmones corporaliter in mundo, & ejiciendo ſpiritualiter, in inferno captivos auferendo, & in judicio pleniùs damnando. *Ser.2.Dom.2. Adv.& in Luc. c.4.v.34.*

69. *Exiſtens in peccato mortali obſeſſus eſt à dæmone, & quot plura peccata tot dæmonia.*

Occurrerunt ei duo habentes dæmonia ſævi nimis, &c. Hoc dicitur de obſeſſis corporaliter ad litteram, ſed magis verificatur ſpiritualiter de peccatoribus exiſtentibus in peccato mortali; vide hic talis hominis calamitates; in iſto obſeſſo erat legio dæmonum, ſcilicet ſex millia ſexcenta, & ſexaginta ſex dæmones; ô qualis miſeria iſtorum hominum, quàm horribilis, ſed rectè horribilius eſt habere tot peccata mortalia, imò unum peccatum mortale; & nota, quod quandoq; unus, quandoque ſeptem, quandoque legio vexat hominẽ; unus, quando homo laborat in uno peccato mortali, ſeptem quando in ſeptem peccatis mortalibus, legio quando eadem vitia multimodè multiplicantur, quia in ipſis diabolus accipit poteſta-

poteſtatem. *Ser.1.Dom.3. Quadrag. & in Luc.c.8. verſ.30.*

70. *Scandaloſi alios ad peccatum trahentes ſunt dæmoniaci impedientes tranſitum per viam pœnitentiæ.*

Duo dæmonia habentes, ſævi nimis, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam. Cur nemo poterat tranſire per illam viam? quia omnes pertranſeuntes impediebant, & lædebant; hoc eſt, quod faciunt ſcandaloſi peccatores dæmonibus, & dæmoniacis, qui variis actibus, & modis alios trahentes ad peccatum, ſævi ſunt nimis, id eſt plusquàm dæmones, alioſque à bono retrahentes, non permittunt aliquem tranſire per viam pœnitentiæ ad Deum. *Sermon.1. Dom. 14. Penteceſt.*

71. *Luxurioſi ſunt porci Dæmonum, in quos libenter intrant, & morantur.*

Erat autem non longè grex porcorum multorum, & Dæmones rogabant illum, ſi ejicis nos, mitte nos in porcos. Nota hic duo notabilia: primum eſt, quòd ibi propè erat grex porcorum, ſi hoc ergo ibi erant cuſtodes porcorum? & ſi hoc quomodo priùs dicitur, quòd nemo poterat tranſire per viam illam, cum ibi illæſi tranſiſſent cuſtodes porcorum? ſecundum eſt, cur magis in porcos mitti eligunt, quàm in cuſtodes, vel in boves, vel alia animalia, vel alios homines? ſed attende, quòd inter porcos, & Dæmones eſt maxima convenientia; iſti habitabant in ſepulchris fœtentibus, & ejiciendi eligunt immundiſſimos porcos, ſunt enim inter animalia immundiſſimi; porcus enim dicitur quaſi ſpurcus, eò quòd ſpurcitiis delectetur, & ideò propriè ſignificant luxurioſos, eò quòd ſunt veluti ſepulchra fœtentia, & vitam ſuam cœnoſæ libidini, & voluptatibus ſæculi mancipant; in his diabolus poteſtatem accipit pluſquam ex aliis vitiis: ergo Dæmones libenter intrant, & habitant in his porcis, ſicquè eos præcipitando de vitio in vitium, & de peccato in peccatum, tandem in inferno dejicit, & hinc Prodigus ſtatim traditus eſt ad cuſtodiam porcorum. *Ser.1.& 2. Dom.3. Quadrag. ſer.2.feria 3. Aſſbe.ſer.2.Dom.7.Pentec.& ſer.4. Dom.19. Luc.c.15.v.15.ſer.1.in feſto omnium Sanct. in addit. & ſer.2.in Cathedra in addit.*

72. *Superbia hominum in poteſtatem diabolo ducit, item & iracundia.*

Sævi nimis: cur dicuntur iſti homines ſævi nimis, & non potiùs Dæmones? quia diabolus in eos inſpiraverat ſuperbiam, & invidiam, iracundiamquè, per quam elati in corde, & per oſtentationem jactantiæ in opere, ſævitiam in alios exercebant, quos tamen Chriſtus depreſſit ſuâ potentiâ. *Ser.2.Dom.3. Quadrageſima.*

73. *Crudelitas Dæmonis iterum expenditur in hominem.*

Occurrerunt ei duo Dæmonia habentes de monumentis exeuntes ſævi nimis &c. Nota, quòd dicit duo Dæmonia habentes; qui duo? erant ne homines, an beſtiæ? ſed hoc non exprimit, licèt eſſent duo homines, & hoc non ſine myſterio, ut pateat crudelitas Dæmonis in homines, quia diabolus ſuâ manſione, & poſſeſſione hominem ſubducit extrà humanam conditionem; nam malignitas diaboli rationalem excæcat errore falſitatis, & malitiæ; concupiſcibilem deformat fœtore carnalitatis, & luxuriæ, quia homo luxurioſus ita abſorbetur delectatione carnis, ut totaliter ſit deditus libidini, ſicut equus, & mulus quibus non eſt intellectus propter ſubverſionem rationis, & ſuper talem habet Dæmonium poteſtatem præcipitandi de peccato in peccatum, quouſquè ruere faciat eum in profundum inferni, ſicut vas, quod tantùm de loco in locum volvitur, donec labatur in foveam, & ideò miſſi Dæmones in porcos, eos præcipitarunt in mare, & mortui ſunt; deordinat item iraſcibilem tumore ſuperbiæ, vanitatis, iracundiæ, & invidiæ: Vide igitur qualis malignitas diaboli, qui tam pulcherrimam creaturam, ſcilicet animam factam ad imaginem, & ſimilitudinem Dei interficit, & ſecundùm omnes potentias à Deo avertit, & pervertit. *Ser.2.Dom.3. Quadrag.*

74. *Oratio Dæmonis qualis: ubi de oratione hominis malè facta, & exaudita in malum orantis.*

Quid nobis, & tibi Jeſu Fili Dei? Addit S.Lucas: *Ut vidit Jeſum procidit antè illum, & exclamans voce magna dixit, quid nobis, & tibi Jeſu Fili Dei Altiſſimi, obſecro te ne me torqueas, & rapiùt vinculis agebatur in deſerto &c.* poſtea ſubdit, *& rogabant eum, ut permitteret eis, ut in porcos abirent. & dixit ite. & permiſit illis &c.* Vide hîc diabolum ad pedes Chriſti proſtratum, & orantem, & exauditum; ergone hæc oratio fuit debitis circumſtantiis ornata? minimè: fuit oratio diaboli, & hoc ſufficiat; exhibebat enim reverentiam non ex amore, ſed magis abhorrebat præſentiam, exiens cum clamore, per quem oſtendebat gemitum, & dolorem in corde, dolebat enim de Chriſti præſentiâ, quia nulla erat cum Chriſto convenientia. ideò rogabat Chriſtum, ſed ſimul agitabar, & torquebat obſeſſum, benè loquebatur, & malè agebat, hinc ad ſui confuſionem exauditus eſt, ut hinc videas, quòd oratio malè facta, vel malâ intentione apud Deum non eſt accepta, & ſi aliquando exauditur, id evenit in damnum, & ruinam orantis. *Luc.c.8.v.28.ſeq. in Pſal.16.& 74.& 108.& 101.& 118.c.10.v.16.*

75. *Vincula peccatoris qualia.*

Et ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deſerto. Sic de iſtis obſeſſis loquitur S. Lucas; & bene dicit de poſſeſſo à diabolo per peccatum, nam iſte ruptis vinculis divinæ legis, ligatus à diabolo vinculis ferreis peccati, & torquetur in deſerto; ſcilicet omni bono privatus: ligatur enim peccator à diabolo vinculo peccati tamquam beſtia, ut ipſum circumducat de loco in locum, de peccato in peccatum: ligatur inquam pedibus per pravum affectum, manibus per iniquum tactum, collo per nocivum verbum, linguâ per indebitum ſilentium: ligatur & anima vinculo mentalis ſuperbiæ, ne poſſit moveri ad honorandum Deum; item infrigidatione invidiæ, ne poſſit moveri ad ordinandum ſeipſum in proximum, & vinculo corporalis laſciviæ, ne

poſſit

poſſit moveri, & ordinari ad dirigendum rectè ſeipſum. *Sermon.* 2. & 3. *Dom.* 11. *Pentecoſt.* & *Pſal.* 2.

76. *Dominium abſolutum Chriſti ſuper totum mundum, expenditur, & Beatæ Virgini communicatum.*

Exierunt ergo dæmonia, & intraverunt in porcos, & impetu abiit grex in mare, &c. Hic movetur dubium, quâ juſtitia Chriſtus permiſerit damnum ex morte porcorum dominis ipſorum conſequens? cum enim illi homines eſſent poſſeſſores juſti illorum animalium, quomodò juſtè Chriſtus ruinam, & damnum eis contulit? Nota, quod hæc quæſtio ſolvenda eſt ex doctrinâ, quam tradunt Theologi agentes de dominio temporali Chriſti, an verè Chriſtus fortitus fuerit temporale regnum, ejuſdemquè ordinis, quo gaudent cæteri Reges, in quâ quæſtione variant DD. ſed tamen probabiliùs loquuntur illi, qui recognoſcunt in Chriſto dominium temporale in omnes creaturas, ordine tamen præexcellenti, & ſuperiori ſuper dominium Regum. & Principum temporalium, & hæc præexcellentia in hoc conſiſtit, quod ejus regia poteſtas eſt perpetua, ſtabilis, immutabilis, & univerſalis in omnes creaturas divinitus ei communicata, & hac poteſtate ſæpè uſus eſt, ut in hoc facto, quando permiſit porcos abire in abyſſum, tamquam poſſeſſor, & Dominus dæmonum, & porcorum oſtendens omnes homines poſſeſſores rerum eſſe ſuos villicos, & ideò in nullo injuriatos fuiſſe & ideò in poteſtate illius eſſe & ſalvandi, & occidendi. *in Luc. c.* 8. *v.* 32. Et hinc pronum eſt recognoſcere in Beatâ Virgine Mariâ dominium temporale omnium creaturarum ipſi à Chriſto ut Matri, & jure maternitatis collatum, & ideò meritò titulo decorata legitur Reginæ totius Orbis à ſanctis Patribus; & hoc infert ſanctus Bonaventura in illa verba Angeli, Dominus tecum; nota, quod dicit Dominus, non Deus, ſed Dominus ſcilicet opulentiſſimus proprietate, cujus omnia ſunt propria, Cœlum, & terra, corporalia, & ſpiritualia, omnis natura, omnis gratia, omnis cæleſtis gloria, omnia ſunt Domini propria, & quia iſte Dominus eſt tecum, ideſt pluſquam mecum, & non ſicut mecum; tecum eſt opulentiſſimè & ditiſſimè, ideo tu es opulentiſſima, & ditiſſima ſecum, ideò tu Domina omnium creaturarum. *Op. ſpecul. Beat. Virgin. lect.* 8.

77. *Chriſtus plus diligit ſalutem unius hominis, quam omnes alias creaturas irrationales.*

Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos. Nota, ly, ab homine, in quo confertur ſalus unius hominis cum perditione gregis porcorum, ut videas, quod Chriſtus plus diligit ſalutem unius hominis, quàm millia brutorum animalium: *in Luc. c.* 8. *v.* 32. Et hinc mirum non eſt, quod aliquando Deus permittat ſubverſionem Regnorum, & Provinciarum, vel unius civitatis, vel domus ob ſalutem aliquorum paucorum ſe toto corde ad Deum convertentium; hinc peſtilentiæ, bella, tempeſtates, grandines, &c.

78. *Diaboli impotentia qualis, & quanta.*

Et rogabant eum, ut permitteret eis in porcos ingredi. Ad quid rogant de hoc Chriſtum dæmones? nonne poteſtas dæmonis talis, & tanta, quod nulla in mundo ei poteſt æquiparari *Lib.* 2. *d.* 6. *dub.* 3. Verè tanta, & talis eſt loquendo de poteſtate naturali dæmonis, ſed tamen a Chriſto eſt confracta, ideo hic fatentur dæmones Chriſti potentiam, & eorum impotentiam, quia nihil poſſunt, nec etiam in beſtias niſi permiſſi, multò què magis nec in hominem; & quia Dominus juſto judicio permittit eis multa, ſubditur, & permiſit illis; hic ſequitur, quod neminem poteſt cogere ad peccatum, ſed tantum ſuggeſtione inducere, nec in hominem poteſt, niſi involuntarie ſe illi ſubjicientem. *Lib.* 2. *d.* 8. *p.* 2. *q.* 5. *ad arg.* & *lib.* 3. *d.* 19. *dub.* 3.

79. *Diabolica obſeſſio in hominem qualiter fiat, & cur permittatur à Deo.*

Occurrerunt ei duo dæmonia habentes. Quæritur hic quomodò diabolus poſſit poſſidere hominem corporaliter, cum certum ſit ipſum non poſſe illabi in hominem? Reſponderur, quod certum eſt, & de fide dæmonem poſſe habitare in corporibus humanis, quia cum ſint puri ſpiritus poſſunt quæcumque corpora penetrare, & conſequenter intrare in homines, & ideo etiam eos vexare, niſi prohibeantur à ſuperiori virtute; ſed cur hoc permittit Dominus? Reſpondetur, quod hoc permittit ſivè ad gloriæ ſuæ oſtenſionem, ſivè ad peccati punitionem, ſive ad peccantis correctionem, ſivè ad noſtram eruditionem; ſed ex quâ iſtarum cauſarum determinatè permittat, latet hoc humanam induſtriam, quia occulta ſunt judicia Dei, hoc tamen certum eſt, quod non ſunt injuſta, & ideò non permittit talia ſine cauſâ. Nota autem, quod tunc dæmon dicitur eſſe in homine, ſcilicet intrinſecus, ſicut contentum reſpectu continentis, ut aqua reſpectu vaſis, non verò intrinſecus, quaſi influat in intima rei, ſcilicet in ſupremum animæ, hoc enim eſt ſolius Dei. *Lib.* 2. *d.* 8. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 1. & 2.

80. *Diabolus in quas creaturas à Deo facilius permittitur exercere ſuam poteſtatem; ubi de luxurioſis.*

Et permiſit illis. Cur Chriſtus tam faciliter, & citò permiſit dæmones intrare in porcos? quia porci propriè ſunt luxurioſi, & quia diabolus amat loca fœtida, hinc ob actum libidinoſum, qui cum ſpurcitiâ, & fœtore eſt conjunctus, ideo facilius intrat, & poſſidet luxurioſos; & hinc eſt etiam, quod maleficia habent faciliorem effectum in impedimento coitus inter uxoratos, quia actus ille fœtens eſt, & ut plurimum conjunguntur homines ad illum actum vitioſè, & libidinoſè, ideo diabolus habet ibi plus poſſe, & plus ei permittuntur, & ideo Aſmodæus *Tob.* 3. ſeptem viros in lecto interfecit, non in convivio; *Vide ſuprà n.* 71. Nota etiam, quod diabolo permittitur poteſtas magis ſuper ſerpentes, quàm ſuper alia animalia, in prioris facti memoriam. *Lib.* 4. *d.* 34. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 4.

81. *De maleficiis aliqua expenduntur.*

Occurrerunt ei duo dæmonia habentes. Hac occaſione quæritur an detur maleficium? & an poſſit eſſe perpetuum? & cur à Deo permiſſum? & cur ad petitionem malefici habeat effectum? Reſpondetur, quod certum eſt, & ab Eccleſiâ acceptum dari maleficia etiam contrà uſum matrimonii; ſecundò quod dantur etiam maleficia perpetua, licet enim omne maleficium à Deo diſſolvi poſſit, vel etiam per diabolum, non tamẽ omne maleficium diſſolvi per maleficium, vel per humanum conſilium. quia malefici aliqua maleficia ſciunt facere. quæ ipſi ad pœnitentiam converſi non poſſunt deſtruere, nec homines ſciunt conſilium adhibere, quia diabolica induſtria ſuper excelsit humanam, & quoniam humanum conſiliũ deficit, & Deus propter meritum peccati præteriti frequenter non exaudit, & diabolus ad hoc non debet invocari, nec ejus patrocinium implorari, hinc eſt, quod tale maleficium dicitur eſſe perpetuum: nota tamen, quod potiſſima ratio talis difficultatis liberandi obſeſſos, & maleficiatos eſt propter infidelitatem vel patientis, vel miniſtri, ut expreſſe docuit Chriſtus. *Luc. c.9.v.39 ſeq.* Tertiò, quod Deus hoc permittit ob multiplicem rationem, ut dictum eſt ſuprà. ſed magis ad manifeſtationem ſuæ gloriæ, & virtutis fidei, & ideo ſæpè maleficium ſuum obtinet eſſe cum merito infidelitatis, vel ſortiariæ, vel malefici, vel patientis ſic exigente, & hinc cum ſortiaria facit ſortilegium reſpectu perſonæ determinatæ, quia diabolus præſto eſt, hunc vel propriâ virtute, vel per herbam, vel lapidem, vel naturam occultã, obtinet effectum ſic occulto permittente judicio Dei. *Lib.4.d.34.a.2.q.2. ad arg. & Luc.cit.*

82. *Documenta aliqua moralia ex hac mirabili curatione inferuntur.*

At illi exeuntes, abierunt in patriam &c. Paſtores autem fugerunt, & venientes in civitatem nunciaverunt omnia &c. & ecce tota civitas exiit obviam Jeſu, & viſo eo rogabant; ut tranſiret à finibus eorum; hic terminat capitulum S. Matthæus: ſed S. Lucas addit, quòd volens iſte liberatus inter diſcipulos ſuos admitti, ipſum dimiſit, & ei præcepit, ut narraret quanta fecit Deus ipſi. & quod abiit per univerſam civitatem prædicans &c. Ex quibus omnibus infertur primò, quòd potentia ſolius verbi Chriſti excedit virtutem infinitorum millium Dæmonum: ſecundò, quòd maximus eſt furor dæmonis in hominẽ: tertiò, quod maximus eſt timor Dæmonis reſpectu hominis Chriſtiani cum per ſignum crucis, invocationem nominis Jeſu, aliaque remedia Eccleſiaſtica poſſit illum à ſe ablegare: quartò quod Dæmones ſunt incorporei: quintò quòd ipſi nihil poſſunt nec in homines, nec in alias creaturas, niſi à Deo permiſſi: ſextò quòd quilibet poſſeſſor rerum eſt vilicus Dei: ſeptimò quòd Deus unius hominis ſalutem plus æſtimat, quam cæteras omnes creaturas irrationales: octavò quòd qui ſe ſubjicit diabolo, nihil aliud debet expectare niſi ſubmerſionem æternam: nonò quod Dominus per viles perſonas voluit aliis notificari, ſicut per porcarios, & pecorarios: decimò quòd non omnes ad ſtatum perfectionis ſunt admittendi, ſed tantùm illi, qui ſunt idonei; quoſdam enim repulit Dominus propter infirmitatem, quoſdam propter cupiditatem, quoſdam admittit propter fidelitatem: undecimò quòd à prædicatione nominis Chriſti non ſunt arcendi illi, quos Chriſtus curat à vexatione diaboli: duodecimò quod ad gratiarum actionem pro beneficiis acceptis debemus eſſe promptiſſimi: tertiodecimò quòd exemplo iſtorum civium aliquando ob humilitatem, & reverentiam majeſtatis divinæ licet cum merito dicere cum iſtis, ut diſcedat Deus à nobis, & cum Petro, exi à me Domine, quia peccator ſum; & cum Centurione, Domine non ſum &c. *In Luc.c.8.v.33. & deinceps.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. *Nota, quod in hoc capite nono S. Matthæus agit de curatione paralytici, & emorroiſſæ, & ſuſcitatione filiæ Iairi, & illuminatione cæcorum, & de vocatione Matthæi, per quæ oſtendit ſuam potentiam, & clementiam, &c.*

CAP. IX.

2. *Chriſtus advenit in mundum per Mariam Virginem, tanquam in civitatem ſuam.*

Aſcendit Jeſus in naviculam, tranſfretavit, & venit in civitatem ſuam. Quænam civitas hæc Chriſti? S. Marcus dicit fuiſſe Capharnaum, dicitur autem civitas Chriſti, quia Nazareth erat vicus ſubjectus huic civitati, & quia etiam in ipsâ fecit multa miracula; ſed cur dicitur civitas Chriſti? quænam civitas Chriſti, cum ipſe eſſet pauperrimus? ſed attende myſterium maximum: Chriſtus, ut ſe transferat ad hanc ſuam civitatem prius intravit, & aſcendit in navem; civitas iſta eſt mundus, in quem deſcendens venit in propria, & ad hoc exequendum intravit, & aſcendit in navem, ſcilicet in uterum Beatæ Virginis. ideo per Mariam venit in mundum peccatores ſalvos facere, vel civitas Chriſti propriè eſt Maria Virgo in quam intravit aſſumendo carnem. *Pſal.106.*

3. *Infirmorum cura quàm Deo chara.*

Offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Quinam ſunt iſti offerentes Chriſto Paralyticum? & quomodo? Nota quod S. Lucas c.5. modum expreſſit dicens, quod cum non poſſent viri portantes iſtam machinam accedere ad Chriſtum propter turbas comprimentes, aſcenderunt ſuprà tectum, & per tegulas ſubmiſerunt illum cum lecto in medium ante Jeſum, quorum fide commotus Chriſtus ipſum ſanavit: in quo facto datur nobis intelligi, quod Chriſtus libenter acceptat

Digitized by Google

acceptat ſervitium, quod infirmis pro Chriſto præſtatur, nam ipſe commotus fide iſtorum, & charitatis, obſequiiquè exhibitione, annuit eorum pio deſiderio, & ſanitatem infirmo contulit; cum igitur in lecto vides, ô homo, infirmum, intuere in ipſo Chriſtum dicentem, quod uni ex minimis meis, ſcilicet membris meis feciſtis, mihi feciſtis, & ipſi Chriſto in infirmo miniſtra, ſic enim ipſi placebis, & meritorum cumulum tibi acquires. *In Luc. cap. 5. verſ. 19. op. ſtim. p. 2. cap. 7.*

4. *Oratio pro proximo, & præcipuè pro infirmis in neceſſitate poſitis Deo valdè chara.*

Et ſubmiſerunt paralyticum cum lecto in medium ante Jeſum. Nota illud verbum in medium ante Jeſum, quaſi dicat, non ſolùm obtulerunt infirmum Chriſto medico, ſed antè Jeſum exhibuerunt ſua vota, deſideria, & orationes; taleſquè ſunt viri ſpirituales, qui infirmos per orationem Domini conſpectui repræſentant, levando manus ſuas pro ipſis ad Chriſtum, quorum fidem, & orationem ut vidit Jeſus ſanitatem animæ, & corpori contulit. *Luc. c. 5. v. 19. & 20. & ſerm. 1. Dom. 18. Pentec.*

5. *Peccata ſunt ſæpè cauſa infirmitatum, ideò exemplo Chriſti priùs per pœnitentiam auferenda.*

Homo remittuntur tibi peccata tua; Quid eſt hoc, ô bone Jeſu? cur ſanitatem corporis ſtatim non ei donas? nam ipſâ habitâ, poſtea ad templum coram Deo ſe offeret pro remiſſione peccatorum obtinendâ? ſed tamen aſpice ad hunc perfectum medicum, qui volens perfectam curationem facere, ad cauſas infirmitatis evellendas primò ſe applicat, ut cauſis infirmitatis ablatis, ſanitas reſtituatur, ideò dixit primò remittuntur tibi peccata tua, & ideò ex hoc diſcamus, quòd ſæpè ex confeſſione, & abſolutione contingit liberatio infirmitatum. *Op. medit. c. 23. Luc. hic.*

6. *Meritum fidei aliena cum propriâ obtinet homo gratias omnes à Deo.*

Et videns Jeſus fidem illorum &c. Ecce quid eſt, quod movit Chriſtum ad conferendam ſanitatem animæ, & corporis huic infirmo, nempè fides: fides inquam valdè intenſa ipſorum portantium lectum, & in lecto infirmum, ex quâ inchoata eſt ſalus infirmi, ſed conſummata in fide ipſius infirmi, ut videas primò, quòd quærenti per fidem Chriſtum ſæpè impedimenta occurrunt, ut evenit iſtis portantibus infirmum: ſecundò quòd in habente ſollicitudinem fidei impedimenta non retrahunt, ſed accendunt, & acuunt intellectum ad ipſorum remotionem: tertiò quòd iſta curatio inchoata fuit à fide aliena, quæ multum valet fides, & fiducia ad efficaciam orationis pro ſe, & pro proximo. *Luc. c. 5. v. 19. ſeq. & op. medic. cap. 23.*

7. *Chriſtus perfectus medicus ſemper ordinat curationem infirmitatum corporalium ad ſpiritualem, & ad profectum animæ.* ut hic patet, ubi dicitur, *priùs remittuntur tibi peccata tua &c. Luc. c. 5. v. 20. & lib. 4. d. 15. p. 2. dub. 9.*

8. *Paralyſis ſpiritualis animæ eſt invidiæ, & accidiæ.*

Offerebant ei paralyticum. Nota, quòd in iſto paralytico ſignificatur infirmitas invidiæ, & accidiæ: Invidiæ, quia ſicut paralyſis aufert motum, & ſenſum, ſic invidia aufert motum charitatis ab affectu, & ſenſum veritatis ab intellectu. *Ser. 1. in Paraſceve.* item accidia, quia reddit pedes impotentes ad ambulandum, manus ad operandum, membra omnia ad laborem pœnitentiæ ſuſtinendum, ſemper enim accidioſi in lecto corporis ſunt, & quocumque ſe vertunt, lectum carnalitatis non relinquunt, ideò Chriſtus venit ut medicus ad ſanandas has infirmitates, dicens inceſſanter ſurge piger, ſurge de lecto pigritiæ, & labores attiome. *Op. Diet. tit. 1. c. 7. & ſerm. 1. Dom. 18. Pentec.*

9. *Omne peccatum paralyſis eſt ſpiritualis animæ: & quomodo à Chriſto tollitur.*

Offerebant ei paralyticum. Nota, quòd in hoc infirmo figuratur quilibet peccator: nam iſta infirmitas reddit hominem inhabilem ad ſtandum, impotentem ad operandum, impoſſibilem ad ambulandum, debilitat enim crura, brachia, & membra & caput, & reddit ipſa tremula: ſic peccatum mortale aufert rectitudinem ſtatus per culpam; quia avertit hominem à Deo, & ad terram, & creaturas convertit; & proſternit fortitudinem ad operandum per juſtitiam, quia ejus opera ſunt mortua, & promptitudinem motus per negligentiam: undè Chriſtus contra iſta tria mala præcepit tria bona, & primò dicit ſurge, ſcilicet per pœnitentiam. ſurge à peccato, ab ignorantiâ erroris obcæcantis, & per fidem, & converte mentem tuam ad Deum, ejuſquè veritatem cognoſcendam; ſurge ab illecebris carnalis concupiſcentiæ deformantis animam, per mali deſertionem ſurge, & vade ad Patrem tuum per contritionem peccatorum tuorum, ſurge à præſidentiâ diabolicæ poteſtatis opprimentis, per auxilium manus Chriſti te ſublevantis: ſecundò ait tolle lectum tuum per executionem juſtitiæ; tolle inquam veritatem, & intelligentiam fidei à Sanctis, à Prophetis, & Apoſtolis, & exemplum charitatis à Patriarchis, & Virginibus, & auxilium patientiæ à Sanctis Confeſſoribus, & Martyribus, & vade in domum tuam, ſic enim prompte, ſecurè, & velociter ibis in domum cæleſtem. *Ser. 4. Dom. 18. Pentec.*

10. *Poteſtas Chriſti multiplex expenditur.*

Ut autem ſciatis, quia Filius hominis poteſtatem habet in terra dimittendi peccata &c. Nota, quòd ſecundum rectam philoſophiam potentiæ diſtinguuntur, & cognoſcuntur per actus, hinc eſt, quòd Chriſtus per opus miraculoſum ſuprà naturam fecit cognoſci potentiam ſuam divinitatis dimittentem peccata, cum ſolo verbo paralyticum perfectè ſanitati reſtituerit, ſed quænam poteſtas hæc eſt: poteſtatem habet Chriſtus in mundo juſtificandi, in judicio judicandi, in Cœlo regnandi,

nandi, & in inferno cruciandi : Nota autem quod dicitur, quod Chriſtus habet poteſtatem in terrâ quidem, non in Cœlo non in inferno ; in Cœlo enim peccatum non dimittitur, quia ibi nullum peccatum committitur, & ideò Lucifer, qui in Cœlo commiſit peccatum cum ſuis nullam remiſſionem obtinuit, nec in inferno, quia ab ipſo numq àm ibi cadens liberabitur, ergo quamdiu in terrâ ſamus, petere veniam debemus. *Ser. 1. Dom. 18. Pentec. Luc. c. 5. hic.*

11. *Lectus carnalitatis tollendus.*

Surge tolle lectum tuum, &c. Ecce quod iſta dicuntur ad jacentem in lecto concupiſcentiæ, qui ſi non tollit ipſum à ſe abjiciendo, in lectum ignis inferni mittetur; ſurge, ait Chriſtus, tolle hunc lectum funibus malarum cogitationum, conſenſuum, & operationum interum, quibus veluti beſtia ligatus à diabolo incedis. *Ser. 2. & 3. Dom. 18. Pentec. & in Luc. c. 5. ibid.*

12. *Lectus conſcientiæ pœnitentiæ & ſapientiæ tollendus, & portandus in hac vita.*

Surge tolle lectum tuum. Nota, quod iſte lectus myſticè eſt conſcientia, quæ debet lavari lachrymis, & ornari virtutibus, & pœnitentia, & ſic incedere in domum cœleſtem. *Ser. 3. Dom. 18. Pentec. & in Luc. c. 5. hic.*

13. *Sanatus, & juſtificatus à Chriſto debet ambulare in domum ſuam non alienam.*

Et vade in domum tuam. Quæ hæc domus hujus hominis? domus hæc eſt anima noſtra; intra ergo tu, qui juſtificatus es, in interiora domus tuæ. & ambula coram Deo, ambula de virtute in virtutem, non in domum alienam, ſcilicet ad mundana, ne transferas. *in Luc. c 5. v. 17. in Ioan. collat. 25.*

14. *Alii ſunt portitores diabolo offerentes animas, alii Chriſto.*

Offerebant paralyticum Chriſto, &c. Qui à quatuor portabatur, ait S. Marcus : Vide qua charitate moti iſti portitores Chriſto offerunt hunc infirmum, ut ipſi conferat ſalutem, ſic faciunt illi, qui in cura ſalutis proximi incumbunt. ſunt enim portitores ſancti, qui animas diabolo auferunt, eaſquè Chriſto offerunt, & portant prædicatione confeſſione, conſiliis, admonitionibus, eleemoſynis, aliiſquè piis operibus, per iſtos Deus venatur animas : è contrà alii ſunt portitores, & venatores animarum pro diabolo, & inferno, quibus utitur diabolus ad capiendas animas ; ſuntque laſcivæ mulieres, hæretici, mali conſiliarii, deceptores, & omnes ad peccatum trahentes. *Ser. 3. Dom. 4 Pentec. & ſer. 1. & 2. feria 4. Pentec. & ſer. 4. Dom. 11. Pentec. & ſer. 1. Dom. 14. Pentec.*

15. *Pueri Chriſto offerendi, non diabolo, præcipuè à parentibus, & Prælatis.*

Offerebant Jeſu paralyticum, & illi ait fili remittuntur tibi peccata tua. Nota illud verbum (fili) &c. ut videas, quòd Chriſtus Jeſus ſe habet cum iſto infirmo, ut Pater amantiſſimus ad filium parvulum ; & ut doceret exemplo horum quatuor portitorum, Parentes, Prælatos, animarum Curatores, quòd eorum obligatio eſt offerre filios Chriſto, undè illis, qui prohibebat parvulos ne accederent ad Chriſtum, dixit, *ſinite parvulos venire ad me, & nolite vetare eos Luc. c. 18.* ex quo apparet, quòd pueri Chriſto ſunt offerendi tamquam Epiſcopo, vel Patri, ut ab eo benedictionem reciptant, in quo apparet obligatio parentum, quantâ curâ eos educare debeant in Dei timore, ne ad partes diaboli per malam educationem tranſeant, & diabolo ipſos immolent. *Luc. c. 18. v. 15. & ſeq ſerm. 1. Dom. 18. Pentec. & ſerm. 1. Dom. 24. Pentec. & ſer. 1. de S. Anton.*

16. *Judicium temerarium quam Chriſto exoſum.*

Ut cognovit Jeſus cogitationes eorum dixit, quid cogitatis in cordibus veſtris. Vide, quòd Chriſtus oculatiſſimus ſciens malignitatem Phariſæorum, & Doctorum, quam in corde fovebant, temerariè judicantes de ipſo, ejuſque operationibus, eos ſeverè reprehendit, & confundit, ut diſcamus quàm diligenter fugere debeamus judicium temerarium ; nam ſicut ipſi perverſi obſervabant, quod poſſent reprehendere, non quod poterant laudare ; ſic carnales homines ſæpè in malam judicant partem quæ vident, & quaſi de omnibus perdunt, & animæ propriæ præjudicium reportant : ſpirituales autem viventes omnia referunt ad laudem Dei, & non dubitant, quin omnia rectè fiant. *Op. medit. c. 42. op. Phar. lib 3. c. 10.*

17. *Sancti Matthæi vocatio expenditur.*

Et cum tranſiret inde Jeſus ; S. Lucas dicit, *Et poſt hæc exiit ; vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine :* S. Lucas, *Publicanum nomine Levi : & ait illi ſequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum :* S. Lucas. *& relictis omnibus, ſurgens, ſecutus eſt eum.* Hic exponitur vocatio Matthæi ad Apoſtolatum : in qua primò notatur, & cum tranſiret, vel indè exiit, & vidit, & vocavit : exiit Chriſtus, ut requiret ; vidit, ut attrahat, vocavit, ut ad ſe convertat ; exiit quidem per ſollicitudinem requirendi opus ſuum, ut conduceret operarios in vineam ſuam, vidit, ut per reſpectum miſericordiæ ſuæ attraheret ad ſe ipſum, & hoc modo vidit illum, quia licet eſſet peccator in facto, tamen erat electus in divino propoſito : vidit inquam Matthæum, qui & Levi (erat enim binomius) ſedentem ad telonium, vectigalia exigentem, & allocutus eſt eum, ut converteret, dicens ſequere me, ſcilicet diſcute per omnium temporalium abrenunciationem, ſequere me, non lucra temporalia, non deſideria carnalia, non flagitia mundana ſed me. ſcilicet Dominum tuum, tuum Deum Redemptorem ; & relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum, in quo deſignatur conſenſus liberi arbitrii, quoad receſſum à malo, & profectum in bono & conſummationem in ſtatu perfecto, ſubdit, & factum eſt, quod diſcumbente eum eo, &c. per quod perfecta vocatio oſtenditur ex parte devoti obſequii, ſubſequentis in miniſtrando. *In Luc. c. 5. v. 28. ſeq. & ſer. 2. Dom. 2. poſt oct. Paſcha.*

18. *Perfecta*

Digitized by Google

18. *Perfecta ſequela Chriſti exigit, ut homo primò ſurgat, poſteà ſequatur.*

Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum. Nota illud verbum (ſurgens) hoc enim in ſequelâ perfectâ Chriſti exigitur primo loco, ſurgendum eſt autem à ſomno pigritiæ, ut operari poſſimus: nam hic maledictus ſomnus, quo totâ die jacemus, & ſedemus inſtar corporalis ſomni aufert uſum bonæ refectionis, & phantaſmata ſomnii vana, & phantaſias inducit; unde ſtultum eſt dormire, ubi vigilare oportet, talis erat priùs Matthæus, quem vidit hominem ſedentem, ideſt dormientem in ſalute propria: ſurgendum eſt ſecundò à frigore avaritiæ, quo totaliter terræ incumbimus, ſic Matthæus ſedebat in terrâ avarè temporalia lucra quærens, ſurrexit, & ſecutus eſt eum: ſurrexit ad modum virgæ, quæ mox nata incipit aſcendere à terrâ ſe elevare, & verſus cœlum ſe erigere, numquàm ad terram ſe flectit, ſi violenter incurvata fuerit, mox dimiſſa, ſe ad Cœlum erigit, ſolùm autem pedem in terram figit, ubi tantùm attrahit alimentum neceſſarium; ô homo fac ſicut planta, ſolùm pedem in terrâ tene, quia creatus es erectus ad Cœlum, ad Deum ſolùm poſſidendum: tertiò ſurgendum eſt à peccato luxuriæ, per quod nos totos inficimus, & corpus, & animam maculamus: item à peccato gulæ, quo carnem augmentamus, & ſpiritum deprimimus. *Ser. de S. Petro ad vincula.*

19. *Vocationi divinæ ſollicitam obedientiam exigit Deus, diabolus ſuadet procraſtinationem.*

Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum. Vide ex unâ parte quàm potens ſit vox Chriſti vocantis, & ex aliâ parte promptam obedientiam Matthæi, nam inter vocationem, & ipſam executionem nulla alia mora intereſſit, niſi ſurgere, ſurgens ſecutus eſt eum: & hoc eſt, quod vult à nobis Chriſtus Jeſus (ait S. Baſilius) qui in ore habet hodiè, hodiè. diabolus è contrà cras, cras: Chriſtus dicit hodiè ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra. *Pſal.* 94. diabolus verò ait, mihi hodiè. cras Deo, & Matthæus amplexus eſt hodiè, nullâ interpoſitâ morâ vocatus Chriſtum eſt ſecutus, & aſpera quidem via ac difficili; ſic ſic & nos, ne differamus pœnitentiam noſtram de die in diem, quia qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. *Ser. 5. Dom. 1. Adv. & ſer. 3. & 5. in die Cinerum & ſer. 1. Dom. 1. Quadrageſim. Luc. c. 5. v. 29. & ſerm. 1. de S. Matth.*

20. *Chriſti ſequela perfecta qualis ubi de paupertate, humilitate, & mortificatione.*

Et ſurgens ſecutus eſt eum. Quid eſt ſurgens: ad quid hoc ſurgere? hoc declarat S. Lucas, & ipſe relictis omnibus ſecutus eſt eum: nota (ly) relictis omnibus non ſolùm divitiis, ſed & cæteris omnibus creatis, ut Chriſtum nudus ſequeretur: ſed quid relquit? reliquit omnia creata, & ſecutus eſt Chriſtum in perfectâ juſtitia, & ſanctitate; & hoc in volùntariâ deſpectione terrenæ cupiditatis; ſedens enim in telonio terrenæ cupiditatis, vocatus à Chriſto ſurrexit à pulvere cupiditatis, ſecutus eſt Chriſtũ per amplexũ ſanctiſſimæ paupertatis in affectu, & in effectu: hæc paupertas enim, & abrenuntiatio totalis neceſſaria eſt cuicumque volenti adnumerari inter diſcipulos Chriſti; aliis autem in latiori viâ ambulantibus ſufficit in affectu: ſecutus eſt item in verâ dejectione profundæ humiliatis: Chriſtum enim debemus imitati ſequendo ejus veſtigia non ſublimitatis potentiæ, ſed profundæ humilitatis; ſecutus item eſt in continuâ maceratione propriæ carnis, qui enim vult ſequi Chriſtum accipere debet crucem mortificationis in ſuo corpore, in quibus Matthæus mirabiliter eluxit, qui omnia dura, aſpera, diuturna pœnitentiæ opera patientiſſimè ſuſtinuit pro Chriſto in diſcurrendo, in prædicando, in fame, in ſiti, & calore, & frigore, & ultimò mortem acceptando. *Serm. 1. Dom. 4. Quadrag. ſer. 1. de S. Matthæo & ſer. 4. Dom. 4. Pent.*

21. *Apoſtolorum renuntiatio omnimodà expenditur.*

Et ſurgens ſecutus eſt eum; & relictis omnibus addit S. Lucas: Nota, quod hæc verba (*relictis omnibus ſecuti ſunt*) compendium ſunt totius perfectionis Apoſtolorum; nam Chriſti doctrina ab altitudine paupertatis ſumpſit exordium, ideo & fundamentum collocarut primarium Evangelicæ perfectionis; hinc Chriſti Apoſtoli ſancti Evangelii profeſſores, & in quibus Chriſtus fundaturus erat Eccleſiam reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, ſcilicet dereliquerunt omnia, quæ poterant impedire eorum miniſterium, ſcilicet omnia tamquam onera prægravantia, ut eſſent expeditiores ad currendum poſt Chriſtum; item tamquam vincula detinentia, ut ſecutiùs poſſent arguere peccatores cujuſcumque conditionis in prædicatione Evangelii, & efficacius perſuadere bonum ſuo exemplo; & non ſolum reliquerunt omnia, ſed ſecuti ſunt Chriſtum, ſcilicet humiliter ſine ſuperbiâ propter ſplendorem internæ cognitionis Dei, & ſui: & concorditer ſine invidiâ propter amorem ſupernæ, converſationis, & imitationem Chriſti charitatis, qui pro nobis voluit mori & tandem ſecuti ſunt Chriſtum perſeveranter cum conſtantiâ propter tolerantiam continuæ afflictionis, & hoc eſt, quod dixit Chriſtus *Luc. 9.* Qui vult venire poſt me humilem, ſcilicet, & mortificatum, abneget ſemetipſum per humilem ſubjectionem, tollat crucem ſuam continuæ mortificationis, & ſequatur me perſeveranter uſquè ad æterni palatii ingreſſum. *Ser. 4. Do. 4. Pent.*

22. *Quale convivium corporale, & ſpirituale Matthæus Chriſto præparaverit: ubi de deſiderio Chriſti in ordine ad noſtram ſalutem.*

Et factum eſt, diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes, diſcumbebant cum Jeſu, & diſcipuli ejus: S. Lucas ait, *Et fecit convivium magnum Levi in domo ſua, & erat turba, &c.* Vide, quod Matthæus à Chriſto invitatus ad ſequendum, Chriſtum invitavit ad veſcendum, vocatus ad diſcipulatum, vocavit ad convivium, domum ſuam adduxit, epoloque ſplendido Dominum excepit; convivæ publicani erant, & peccatores; hocquè facit Matthæus, ut devotionem ſui obſequii in miniſtrando Chriſto oſtenderet; & quia magnitudo convivii requirit multitudinem

convivantium, ideo & multos alios commenſales invitavit, mirum eſt hoc, cur Chriſtus admitti permiſit ad tam ſplendidum convivium, & cum talibus commenſalibus, cum profiteretur maximam paupertatem, humilitatem, & puritatem exemplarem? & hinc anſam dedit Phariſæis murmurandi de ipſo; ſed attende ad opera admiranda Dei, in quibus ſemper ſalutem hominum quærebat; ivit Dominus Ieſus ad convivium peccatorum, ait S. Hieron. ut occaſionem haberet docendi, & ſpirituales invitantibus ſuis præberet cibos; ivit ad hoc convivium comeſturus, & portaturus peccatorum lachrymas, & pœnitentiam magis, quàm cibos corporales, meus cibus, dicebat, eſt ut faciam voluntatem Patris mei, meus cibus eſt ſalus peccatorum, hoc eſt convivium, quod quærit Chriſtus, quod deſiderat, quod eſurit, quod ſitit. *In Ioan. collat.* 23.

23. *Matthæus à telonio diaboli ad telonium Chriſti tranſlatus.*

Vidit hominem ſedentem ad telonium, & ait illi ſequere me. Quid eſt hoc telonium, ad quod ſedebat, & aſſiſtebat Matthæus Publicanus? Nota, quod telonium eſt locus, in quo vel vendebantur merces conductæ in navibus, vel locus, vel domus vel officium, quo exigebantur vectigalia Imperatoris, & quia Iudæi ut filii deſcendentes ab Abraham ſe reputabant liberos, & injuſtè gravatos, reputabant iſtos exactores veluti excommunicatos, tùm etiam, quia ut ex iſtis aſſolet fieri, etiam aliena injuſtè diripiebant, & ideo potius poterat appellari telonium diaboli, quàm Imperatoris, cum ibi per injuſta lucra major mercatura animarum fieret à diabolo per hos miniſtros. *Vide in Luc. c.5.v.18. & lib.4.d.16. p.1. dub.15.* Chriſtus Ieſus ergo vocat ab iſto telonio diaboli Matthæum, ut in ſuo telonio incumberet ſaluti animarum, & ut negotiator, & piſcator Chriſti piſcaretur de mari mundi animas Chriſto; non ſubtrahitur operi, ait Chriſoſtomus; ſed mutatur & telonium ſuſcipit magis, quàm relinquit, ut manſura Deo, non peritura homini conquirat. hoc enim munus fuit (*ait ſanctus Bon. ſer. de S. Matthæo*) exigere ab hominibus quæ Deo debentur tributa, fidem, ſpem, charitatem, converſionem, & juſta opera, quod & fecit immenſis laboribus exactiſſimè: Vide ergò quale diſcrimen eſt inter mercatores diaboli, & Chriſti, nam illi pro numo, pro delectatione carnali, & mundanâ animas diabolo vendunt, iſti è contrà omnia relinquunt pro Chriſto, ut animam ſuam, & aliorum cœlo lucrentur. *Ser.9. in Regul. ſer.2. de S. Nicol. ſer.1. in dedicat. ſer.1. de S. Andræa. ſer.3 in Pentec. ſer.3. Dom.14. Pentec. Dict. tit.7. c.4. & ſer.3. Dom. Paſſion. in Ioan. c.21. v.6. & ſerm.4. Dom.19. Pentec.*

24. *Proprium impiorum eſt famam lacerare bonorum.*

Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magiſter veſter? S. Luc. *Et murmurabant Phariſæi, & ſcribæ eorum dicentes, &c.* Ecce patens ſuperbia Phariſæorum, & ſcribarum, quæ eos in duplex peccatum induxit, nempè quia & ipſi ſeipſos juſtos & ſanctos reputabant, & iniquos publicanos, qui jam erant converſi ad Chriſtum, & his addiderunt peccatum murmurationis, & judicii temerarii, quia bonum dicebant malum, & quia non poterant mordere Chriſtum in proprio peccato, mordent in alieno, ipſi imponentes perversè maculam; ſed hoc non eſt mirum, non enim poteſt, quicumque ille ſit, etiam ſanctus fieri, ut abſque morſu hominum impiorum, hujus vitæ curricula pertranſeat: malorum ſolatium eſt bonorum vitam carpere, & de peccatorum multitudine putant culpam minui ſuorum peccatorum; audiant hoc viri Deo ſervientes, & animarum ſaluti incumbentes, ne propter talium verba, & obloquutiones deſerant opera miſericordiæ exemplo Jeſu Chriſti. *In Luc. c.* 30.

25. *Omnis peccator infirmus quærere debet medicinam, & medicum.*

Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Qui ſunt iſti ſani, & qui infirmi, de quibus loquitur hic Chriſtus? Nota hæc propoſitio eſt per ſe nota, nam certum eſt, quod valentes non indigent medico, & medicinâ, ſed tantùm infirmi, & quia hoc trahi debet ad ſenſum ſpiritualem Chriſti; ideò per valentes intelligit Phariſæos, & ſcribas, qui ſe reputabant juſtos, & non indigentes medico, ideò eos tali modo loquendi redarguit de ipſorum ſuperbiâ, cum omnes ſint peccatores, & ob id infirmi, peccatum enim eſt infirmitas animæ infirmum reddens hominem; ideò dicit Chriſtus, *Non eſt opus, &c.* ideſt ſi medicina eſt propter ægritudinem, igitur non eſt redarguendus ægrotus, qui confugit ad medicum, nec medicus, qui accedit ad ægrotum, ſed magis redarguendi ſunt, qui hoc redarguunt; quærite ergo ò infirmi, ô peccatores medicum Chriſtum, cujus medicina appoſita eſt pœnitentia quæ licet ſit amara, tamen eſt ſalubris, ſicut expertus eſt Matthæus, qui cum publicanis, & peccatoribus ad Chriſtum medicum confugit. *In Luc. c.1. v.31 ſer.3. Dom.14. Pentec. & ſer.2. de S. Matth. in addit.*

26. *Chriſtus medicus verus, & perfectus; diabolus medicaſter fictus, & doloſus.*

Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus. Qui ſunt iſti malè habentes? ſunt omnes infirmi, ſcilicet ſunt omnes peccatores, & quia decretum eſt Dei *in Eccl. c.*38. quod qui delinquit in conſpectu Dei, ideſt omnis qui peccat, incidet in manus medici, ſciendum eſt, quod Chriſtus ſe medicum vocat, quia verè medicus eſt perfectiſſimus, qui venit curare omnes noſtras infirmitates ſpirituales: medicus etiam eſt diabolus, licet fictus, & doloſus, ideo neceſſario in manus vel Chriſti medici, vel diaboli neceſſariò incidet; ſunt igitur iſti duo medici, qui ad nos ægrotos accedunt, ſed diverſis modis; nam Chriſtus medicus ſeipſum fecit medicinam, & ſeptem medicamenta ſacramentalia pro noſtris infirmitatibus ſanandis præparavit ſanguine ſuo validiſſima: diabolus è contrà omnia bona noſtra conſumit, nempè bona naturalia, ſanitatem, ſenſus, & vires corporis, & animæ, & tempus, ſicut accidit Hemorroiſſæ *Luc. c.*8. quæ omnia in medicos erogaverat abſque fructu; ſed attende ad diverſos modos curandi iſtorum medicorum; nam Chriſtus medetur verbo prædicationis, ligno redemptionis, ſacramen

ctamento reconciliationis & cauterio caſtigationis, ſcilicet vulnerat, & medetur. percutit, ut ſanet occidit, ut vivificet : diabolus è contra palpat, ut vulneret, delectat, ut occidat, blanditur, ut decipiat; cave ergo ó infirme ab iſto medicaſtro, & ad Chriſtum verum medicum confuge, ut te ſanet, & dic ei hic ure, hic ſeca, ut in æternum parcas. *Luc.c.5.v.31. & ſer.2.de S.Matth in addit.*

27. *Chriſtus medicus ſeipſum fecit medicinam contra omnes morbos.*

Non eſt opus valentibus medicus &c. Quis iſte medicus, niſi Jeſus Chriſtus, qui talem ſe vocat, & verè talis, qui videns medicamenta legalia non eſſe valida ad curandas noſtras infirmitates lethales, mortalitatem noſtram univit vitæ, & in ſeipſo fecit confectionem ſuavitatis, & ſanitatis, ſcilicet Sacramenta inſtituit, quæ ſunt medicamenta efficaciſſima contra omnem morbum, eaquè ex ſuis vulneribus extraxit præcipuè ex latere, ex quo exivit ſanguis & aqua, ſcilicet materia, & forma, & collocavit in domo Eccleſiæ expoſita omnibus; venite igitur ó homines infirmi ad Chriſtum crucifixum medicum, ecce aperta eſt apotheca omnibus aromatibus plena, & medicinalibus opulenta, per vulnerum ergo feneſtras intrate, & accipite medicinam ſanativam, reſtaurativam, præſervativam, & conſervativam. ibi quaſcumque voluetitis, ſpecies accipite, ibi quæcumque delicata appetibilia electuaria ſumite. *lib.4.in Prol. & l.1. in Prol.op.ſtim.p.1.c.1. Luc.c.1.v.27.*

28. *Chriſtus per Sacramentum Euchariſtiæ maximè ſanat noſtras infirmitates.*

Non eſt opus valentibus &c. Nota, quòd qui malè ſe habent, debent confugere ad Chriſtum medicum, & ad ſua medicamenta, inter quæ Sacramentum Euchariſtiæ eſt efficaciſſimum ad curandum, & confortandum, ad præſervandum, & ad conſolidandum nos. *Lib.1. Prol.lib.4. Prol. & op.de Prof.Religioſ.lib.2.c.77.*

29. *Chriſtus in hunc mundum veniens, & in hac vita noſtra mortali miſericordiam ſuam principaliter oſtendit juſtitiam oſtenſurus in alia vita; ubi explicatur ſenſus illius dicti, miſericordiam volo, & non ſacrificium.*

Diſcite quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium, non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Nota, quòd hæc propoſitio miſericordiam volo, & non ſacrificium deſumpta eſt *ex Oſea 6.* & dubium ingerit, quomodo ſacrificium repudiare dicit, volens ſolùm miſericordiam? nonne ſacrificia in lege veteri ordinata erant ab ipſo Deo? & in lege Evangelica multò magis ab ipſo Chriſto exiguntur? ſed attende, ait S.Auguſtin. quòd hic non reprobat abſolutè ſacrificia, ſed comparat inter ſe ſacrificium miſericordiæ, & ſacrificia pecorum, illudquè anteponit ſacrificiis pecorum, datquè nobis intelligere, quòd ipſe ex miſericordia venit, & licet à peccatoribus ſurpiter contemnatur, tamen ipſe peccatores juſtificat, vocat, patienter expectat, & clementer ſuſcitat; ô qualis miſericordia dum à peccatoribus pacem petere non dedignatur per inſtantiam gratuitæ vocationis, eò quod avidius optat noſtram ſalutem, quam aliquod aliud ſacrificium, ne igitur contemnamus tantam miſericordiam, niſi velimus ejus juſtitiam experiri, nam in hac vitâ tempus eſt miſericordiæ, in alia tempus juſtitiæ. *Ser.1. Dom.1.poſt eſt.Pentec.ſer.2.Dom.2.Adv.Luc.c.5.v.8.*

30. *Miſericordia fuit principalior crux quam in mundo portavit.*

Miſericordiam volo, & non ſacrificium; ideſt magis ſacrificium miſericordiæ, quam juſtitiæ; quid eſt hoc ſacrificium miſericordiæ? Nota, quòd, Chriſtus in hâc vitâ duplicem crucem portavit, & in duplici cruce mortem paſſus eſt. nempè in cruce lignâ, in quâ ſe obtulit Patri ſacrificium juſtitiæ, & in cruce compaſſionis illa corpus expoſuit, in hâc animam pro nobis, & hæc eſt potior, & nobilior, ideò dicit miſericordiam volo. ſcilicet magis, quàm ſacrificium juſtitiæ. *Op.Diet.tit.7.c.4.*

31. *Miſericordia eſt prima lectio Chriſti, quam ſuis ſcholaribus tradidit.*

Diſcite quid eſt &c. diſcite ſcilicet hanc meam lectionem, ſuper quam examinabit principaliter ſuos diſcipulos in die judicii, & tunc diſcoli, qui neſciunt hujus lectionis verſiculum, in æternum ſentient ſine pietate flagellum. *Op.Diet.tit. 7.c.4.*

32. *In quo ſenſu dicitur à Chriſto non veni vocare juſtos ſed peccatores.*

Quomodo hoc dicitur à Chriſto? ergone juſti ſunt excluſi à vocatione divina? nonne vocavit Natanael juſtum, Andream, & alios? ſed attende, quòd multiplicem ſenſum admittunt hæc verba Salvatoris, ait Gloſſa; *non venit vocare juſtos, ſed peccatores. addit S.Lucas ad pœnitentiam*, quia juſtos vocavit ad profectum ſalutis, & virtutum culmen, peccatores verò ad pœnitentiam, & converſionem: ſed litteralior eſt hæc expoſitio S. Bon. non venit vocare juſtos, ſcilicet eos, qui ſe juſtos reputant ut Phariſæi; venit enim Chriſtus in mundum propter peccatores, venit omnes vocare ad pœnitentiam, & ideò à pœnitentia incæpit ſuam prædicationem, ſed tamen ſuperbi Phariſæi, qui ſe juſtos, & reputabant ſanctos non vocavit ob ipſorum dutitiam, imò potiùs hoc fuit magis ad excæcationem; nos igitur qui ſumus peccatores, & qui nos tales eſſe agnoſcimus, vocem Chriſti vocantis non contemnamus nolentes obdurare corda noſtra. *Luc.c.5.v.33. & c.15. v.9. & c.24.v.10. Ioan.c.9.in fine.*

33. *Detractores ex propria malignitate omnia, quæ vident, etiam bona in pejorem partem perverſunt;* ſic Phariſæi videntes Apoſtolos, & diſcipulos Chriſti non jejunantes ſed vitam communem ducentes, murmurantes dicebant; *quare diſcipuli tui non jejunant? diſcipuli autem Joannis jejunant frequenter?* ut ſic comparatione eorum Chriſti diſcipulos reprehendere poſſent, eiſque, & ſimul Chriſto tamquam voracibus, & potatoribus detraherent, hoc enim eſt proprium malignitatis

tis detractorum, ex quocumque objecto ſive bono, ſivè indifferenti ſumere occaſionem detrahendi. contra præceptum Apoſtolicum Rom.14. Qui non manducat manducantem non ſpernat, & è contra &c. *in Luc.c.5.v.33.* Nota etiam,quòd ſimilis quæſtio mota eſt à diſcipulis Joannis non propter malignitatem, ſed propter amorem diſcendæ veritatis, quam & ab ipſo Joanne didicerunt. *Ser.2.Dom.2.Adv.*

34. *Lex Evangelica lex eſt benignitatis: ubi de gaudio ex præſentia Chriſti redundante in anima.*

Non poſſunt filii ſponſi lugere quamdiu cum illis eſt ſponſus: veniet autem tempus, quando auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt. Ad litteram hic oſtendit Chriſtus legem evangelicam eſſe legem benignitatis, & ideò ſuos Apoſtolos, & diſcipulos vocans filios ſponſi ab obſervantia legis Moſaycæ, quæ erat rigoris, abſolvit, eos manuducens paulatim ad ſtatum perfectionis, ad quam poſtèà poſt ejus mortem, & Aſcenſionem in Cœlum per aſperitates pervenerunt; myſticè dat nobis intelligere, quod præſente Chriſto ſuperabundat gaudium in corde fidelium, abſente Chriſto, mœror,& aſperitas ſupervenit. *In Luc. c.5.v.33 ſeq.in Ioan.c.14.v.13. & cap.16.v.7. in Thren.c.1.v.16.*

35. *Novitiis in Dei ſervitio non ſunt imponenda onera gravia propria perfectorum.*

Non poſſunt filii ſponſi jejunare. Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus,pejor enim ſciſſura fit; neque mittunt vinum novum in utres veteres. Nota, quod Chriſtus Jeſus,ut edoceret diſcipulos non eſſe arctandos ad jejunium,& ad aſperitates maximas, quia non erant conformes ruditati incipientium, & Novitiorum in via Dei tres ſimilitudines hic affert, ſcilicet veſtimenti veteris, veteris utri & veteris vini,ſicut enim qui commiſſuram, ideſt particulam aſſumit à panno novo, & eam veteri connectit, in cauſa eſt pejoris ſciſſuræ, & indecora veſtis redditur, & qui novum vinum in utrem veterem mittit, & vinum corrumpitur, & uter rumpitur: ſic dat intelligere ſpiritualiter, quod compatiendum eſt ruditati Novitiorum,tum propter converſationem veterem, tum propter fragilitatem carnis, tum etiam propter diſſuetudinem affectionis; ideò non ſunt imponendæ novæ obſervantiæ Novitiis, quamdiu homo non eſt priora exutus,& totaliter imperfectiones priſtinæ converſationis,ſed paulatim debent deduci ad altiora, alioquin totus fructus perditur. *In Luc.c.5.v.32.ſeq.& ſer.2. Dom.1. poſt oct. Epiph.* Nota etiam quod hæc metaphora illos Prælatos incuſat, qui ante tempus,& præpropere promovent juvenes, & nondùm probatos ad ordines, & officia confeſſionis, prædicationis, prælationis, & ſimilium, quæ ſunt proprtia tantùm probatorum, & veterum, nam ex his promotionibus ſæpè pejor ſciſſura fit. *Op. de ſex Alis Seraph.c.5.*

36. *Explicatur litteraliter duplex miraculum à Chriſto factum in reſuſcitatione filia Archiſinagogi, & ſanatione Hemoroiſſæ à fluxu ſanguinis.*

Hæc illo loquente ad eos, Ecce princeps unus acceſſit, & adorabat eum dicens, Domine filia mea modo defuncta eſt. &c. Nota, quod videtur diſcrepantia inter Evangeliſtas, nam Matthæus introducit hunc præfectum ſynagogæ dicentem, quod filia ejus erat mortua; & SS Lucas & Marcus notant, quod illa filia in extremis erat, & moriebatur, ſed tamen nulla diſcrepantia eſt; nam à tempore diſceſſus ſui è domo primò erat in extremis, & poſtèà credebat firmiter ipſam eſſe mortuam, non credens ipſam amplius poſſe inveniri vivam, & ideò calamitatem amplificavit, ſic Chriſoſtomus, Auguſtinus, &c. undè Marcus,& Lucas expreſſerunt verbum Principis, & Matthæus intellectum,ſic S.Bon.c.8.v.42. expreſſo autem deſiderio præſentiæ Chriſti, in qua iſte Princeps, licet aliqualem in Chriſtum haberet fidem, tamen non adhuc ipſum ut Deum credebat, cum peteret ipſius adventum in domum, & impoſitionem manus ſuprà mortuam, neſciens ipſum poſſe eam reſuſcitare unico verbo; deſcribit poſtèà Evangeliſta potentiam admirabilem Chriſti in mirabili curatione mulieris à fluxu ſanguinis, quæ patet tùm in diuturnitate morbi, tum in impoſſibilitate curationis ab arte medica, tùm in facilitate curationis factæ à ſalvatore: quæ autem fuerit hæc mulier, diſputant Doctores; aliqui dicunt fuiſſe mulierem ex Cæſarea Philippi, ob idque ethnicam, & gentilem, collocaſſeque in loco miraculi ſtatuam repræſentantem Chriſtum, quæ poſtèà diruta fuit à Juliano Apoſtata, & loco illius collocavit propriam imaginem, quæ ab igne è Cœlo deſcendente combuſta eſt, *Sic Euſeb. Cæſar. Alii cum S.Amb.apud S.Bon. in Luc. c.8. v.43. & op. medit.c.27.* fuiſſe Martham ſororem Magdalenæ diſquirunt etiam hic Doctores, quænam virtus fuit, quam exiſſe ex ſeipſo dixit Chriſtus, ego novi virtutem de me exiſſe? an corporea an ſpiritualis,an ex divinitate immediatè, an ex humanitate? concludunt hanc virtutem fuiſſe ex divinitate mediatè, ſed mediante humanitate, & ideo ex corpore Chriſti exibat quædam virtus corporea, ſimulque ſpiritualis,veluti connaturalis, qua inſtrumentaliter miracula, & mirabiles effectus producebat; de qua virtute agunt Theologi. *In lib.3. ſent. & in 3.p.& S.Bonav. in Luc.c.6. v.19. Vide ſuar. in 3. p. tom.3. de gratia lib.9.c.1.* His prælibatis ad ſenſus myſticos tranſeamus.

37. *Princeps, & Prælatus debet eſſe Iairus, & unus.*

Et ecce Princeps unus acceſſit, & adorabat Ieſum: huic nomen Iairus,addit Lucas: Nota,quod de iſto Principe dicitur, quod erat nomine Jairus, & dicitur unus; nec ſine myſterio; nam Jairus interpretatur illuminatus, & erat unus, ſcilicet unitatis charitate, & amore præditus, undè per hoc non ſolùm exprimitur, quod erat perſona notabilis inter Judæos, erat enim præfectus ſynagogæ, ſed etiam quia nomen reſpon-

debat

debat officio, & dignitati, quia Princeps, & Prælatus debet esse illuminatus, idest gratia, fide, charitate, humilitate præditus, & ideò cum reverentia cecidit ad pedes Jesu, ipsius majestatem recognoscens, & suam indigentiam, debent igitur Prælati esse luminosi in se per conscientiæ puritatem, & lumen ad alios diffundere per doctrinam, & sanctæ conversationis claritatem, ut possit eis dici, sic luceat lux vestra, &c. *In Luc.c.8.v.41. op. Eccles. Hier. p.4. cap.3.*

38. *Prælati sint solliciti de salute subditorum, & Ecclesiarum sibi commissarum.*

Et ecce Princeps unus; scilicet Archisynagogus accessit, & adorabat Jesum dicens Domine filia mea, &c. Vide quàm sollicitus est iste Princeps de salute mulieris, quia nec itineri, nec labori parcit, ut Christum conveniat, & ipsum ad domum suam inducat, ut salutem, & vitam filiæ summè dilectæ; & morte peremptæ ab ipso impetret; & hoc est, quod debent facere Prælati, & animarum Curati, quorum filii regiminis defectu, vel ex aliis causis infirmantur, undè eorum cura est, ut evacuentur vitia, corrigantur mores, & reformentur subditi per morum disciplinam ad deiformem vitam & similitudinem; debent & orationem fundere pro subditorum necessitatibus, maximaque cura invigilare, ne morte spirituali pereant. *Op.Eccles.Hier. p.2.c.1. & lib.4.d.14.p.2. dub.13. in Thren.c.2. & serm 4. Dom.3.post oct.Epiph.in Luc.c.9. v.56. & cap. 22. vers.26.& cap.12. v.36. & serm.2. Dom. 20. Pentecost.*

39. *Tribulationes mentem illuminant, & ad Christum ducunt.*

Ecce Princeps unus accessit ad Jesum, & adorabat, &c. Quid est, quod iste Jarus, scilicet illuminatus, ad Christum tanta fide, reverentia, & humilitate ad Christum accessit? quia unica filia ei erat, & hæc moriebatur, Ecce quomodo tribulatio mentem illuminavit hujus Principis ad cognoscendam virtutem Christi, ipsumque induxit ad se humiliandum coram Deo; ecce quale bonum sunt tribulationes, quot bona animæ afferunt, nam utilis est tribulatio, quæ probationem operatur, illuminat mentem, & ducit ad Deum, & ad gloriam. *Ser.4. Dom. Quinquag. & op.medit.c.36.*

40. *Quanta cura est procuranda salus animæ, quia est dilecta, & unica, & ad gloriam ordinata.*

Filia mea modò defuncta est, sed veni impone manum tuam, & vivet. Nota mysticè hæc filia est anima nostra, pro qua liberanda à morte spirituali omnis labor, cura, & sollicitudo assumenda sunt; & sicuti isti Principi unica erat hæc filia, ob id summè dilecta. Ideo pro salute ipsius totum studium suum impendit; sic anima nostra unica est. *Lib 2.d.18 a.2. qu.1.* & decorata imagine Sanctissimæ Trinitatis, ob idque ad similitudinem Dei, particeps rationis, & capax æternæ beatitudinis; recognosce ergo ô anima, quàm mira, & inæstimabilis dignitas tua, quære Deum tuum, quia nihil potest domum tuæ mentis inhabitare, nihil potest in te mansionem facere, nisi simpliciras, & puritas Trinitatis æternæ, ô felix anima, quæ totam suam curam impendit, ut inhabitantem Deum suscipiat, *op.solit cap.1. Vide igitur ô homo addit Chrisostom. Hom.12. ad pop.* quod omnia nobis duplicia dedit Deus, duos oculos, duas aures, &c. si igitur unum horum lædatur, per alterum necessitatem consolamur; Animam verò dedit unam nobis, si hanc perdiderimus, quanam vivemus? hujus igitur providentiam faciamus, nihil ipsius saluti præferentes; & si moritur hæc unica filia, ad pedes Christi mox properemus dicentes, Domine filia mea modo defuncta, &c.

41. *Mors spiritualis expenditur.*

Domine filia mea modo defuncta est, &c. Nota quod ut dictum est, hæc filia est anima, quæ dicitur defuncta, & privata per culpam. quia peccatum mortale mors est animæ; mors quidem terribilis, & abominabilis, quia per peccatum aufertur vita, scilicet per privationem caloris charitatis, & gratiæ; tollit virtutis efficaciam, quia quidquid peccator operatur mortuum dicitur, & ad Gehennam, & mortem æternam obligat. *Op. de 3.peccat.infam. c.4. & ser.1. Dom.13. Pentec.*

42. *Qualiter resuscitatio spiritualis animæ procuranda.*

Domine filia mea modo defuncta est, &c. Nota quod in istis verbis traditur instructio, quomodo à quolibet peccatore animæ resuscitatio procuranda, hæc enim requiruntur primò nempè propriæ culpæ recognitio, undè dicit filia mea; id est anima mea, estque non alterius; anima mea mortua est ob culpam, privata vita vera, & reatum Gehennæ inducta: secundò festina conversio, undè dicit modò, non dicit anno præterito, sed modò defuncta est, quia cecidit modò in peccatum: Væ ergo illi, cujus anima non modò, sed antè annum, imò antè triginta, vel quadraginta annos defuncta est, & sepulta in peccato & adhuc non petit eam suscitari, quantis ergo lachrymis, & orationum clamoribus suscitanda est anima mortua per tot annos, ex quo lachrimis, & clamore Christi suscitatur Lazarus quatuor diebus defunctus: tertiò veniæ postulatio, ibi imponemanum: ô virtus, & gratia hujus manus. *Serm.1. Dom.18. Pentec.*

43. *Manuum, & operationis Christi in nos per gratia collationem effectus expenduntur.*

Sed veni impone manum tuam. Cur petit manus impositionem à Christo? sed optimè impone manum tuam, impositio enim manuum Christi est exhibitio gratiæ suæ quæ specialiter quatuor efficit in anima mortua: primò purgat à culpa, secundò reparat naturam, tertiò confert gratiam, quartò præparat ad gloriam: extendendo enim manum suæ misericordiæ liberat animam; & purgat à culpa, & peccatis, reparat etiam natu-

ram per peccatum deformatam,deturpatam, debilitatam, & excæcatam ; extendit item manum ſuam benedicendo per collationem gratiæ & præparando ad meritum, & præmium gloriæ. dicat ergo peccator coram Chriſto toto corde, Domine anima mea defuncta eſt,veni,& impone manum tuam, & vivet. *Sermon.1.Dom.23. Penteceſt.*

44. *Oratio quàm efficax apud Deum.*

Domine filia mea modo defuncta,&c.& ſurgens Jeſus ſequebatur eum. Vide quàm promptus Chriſtus ad orationem hujus Principis, & qualiter ſurgens ſequebatur eum,ſed quare ſequebatur, & non potiùs præibat Jeſus ? nonne ſequi aliquem eſt ſe ſubjectum ei reddere ? verum eſt, hic fuit effectus orationis hujus viri, quia enim Chriſti præſentiam adiit cum reverentia,rogavit ex confidentia, deſideravit ex indigentia,ideo ejus oratio fuit evaudita, & ideò Chriſtus ſequebatur eum, quia voluntatem timentium ſe facit,ô maxima vis orationis. *in Luc.c.8.v.42.*

45. *Judæi primò vocati à Chriſto, ſed fide à Gentilibus præventi.*

Et ſequebatur eum,& ecce mulier, que ſanguinis fluxum patiebatur acceſſit retro. &c. Nota,quod non ſine myſterio, ponitur primo loco ſupplicatio Principis ſynagogæ, iter aſſumptum à Chriſto, ut reſuſcitaret ejus filiam, poſteà antequam patraret hoc miraculum, perveniret ad domum Principis, liberatio ſecuta in hac muliere ab infirmitate : cur hoc ? cur non primò ad domum Principis accedit ? ſed hoc ordine voluit ſignificare Chriſtus,quod licet primò venerit ad Judæos convertendos ſignificatos in hoc Principe, tamen fide præventus fuit populus Judaicus à muliere ſignificante gentilitatem, poſt cujus converſionem in fine mundi denuò ad Judæos veniet, tunc enim convertentur ad fidem Chriſti, & fiet unum ovile, & unus Paſtor : ſic Doctores in Gloſſa cum Seraph Doctore: Dicitur autem converſa per tactum fimbriæ non ipſius Chriſti, quia venit ad fidem,non immediatè prædicatione Chriſti, ſed Apoſtolorum,qui ſignificantur per fimbriam veſtis Chriſti. *Pſal.44.*

46. *Medicorum error detegitur in divina potentia non confidentium,magis quàm in ſua arte.*

Et ecce mulier que ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis : addit : S.Lucas, *que in medicos erogaverat omnem ſuam ſubſtantiam* ; addit S.Marcus, *que à medicis compluribus multum fuerat perpeſſa. nec ab ulle potuit curari.* Cur cum Dominus præceperit honora medicum propter neceſſitatem, & creaverit ipſe medicinam, à medicis non potuit curari ? ſed attende ad errorem maximum, in quo falluntur plures medici ; medicorum ars eſt laudabilis, quando ſequitur divinam potentiam, & naturam abſtractam ; ſed tunc eſt vituperabilis, quando negligit conſiderare naturam, & non apponit divinam potentiam. *In Luc c.8.v.43.* Audiant hoc medici & diſcant,undè ſæpè procedit infructuoſitas ſuæ artis, quia inimici Chriſti exercent hanc artem, quia plus confidunt in ſuis libris, quàm in divina potentia : Nota etiam, quod cum S. Marcus dicat, quod iſta mulier multum perpeſſa fuerat à compluribus medicis, & erogaverat omnia bona ſua nec quicquam profecerat, ſed magis deterius habebat ; Lucas medicus hoc tacet de medicis, curialiter de ipſis tractans. *in Luc. c.8.* ut diſcas non eſſe murmurandum de medicis, quando vides, vel experiris ipſos omni diligentia ſua arte fuiſſe uſos, etiam ſine profectu, ſed potiùs ad Dei judicia hoc transferendum.

47. *Chriſtus totus oculus per omnem partem videt in ſe credentes.*

Et mulier acceſſit retrò, & tetigit fimbriam &c. Retro? cur retro ? nonne hæc eſt incurialitas maxima in Chriſtum omni honore dignum ? cur non à parte ante ? ſed optimè ; videbat hæc mulier Chriſtum hominem oculis corporis, ſed oculis cordis videbat ipſum Deum, cui retro nihil eſt, & ibi faciem, quam declinabat, invenit, ait Criſol. *ſer.33.* erat in Chriſto corpus multiplex, ſed deitas ſimplex, erat totus oculus, qui poſt ſe ſupplicem ſic videbat &c. acceſſit hæc mulier, quia credebat in Chriſtum, & ideò fide videbat ipſum Deum omnia videntem, & ubique & totum ex omni parte gratiis ſcatentem : acceſſit retrò, quia timebat, tetigit, quia ſperavit. *Luc. c 8.v.44.* Ergo quacumque ex parte ad Chriſtum acceſſeris, dummodo fide, & ſpe fis imbutus, à Chriſto aſpicieris, & ejus gratias obtinebis.

48. *Ex nomine Jeſu, & Maria venis nobis ex omni parte influxus gratiarum.*

Acceſſit retrò. Nota, quòd acceſſit quidem retrò, ſed ut adſpiceretur a Chriſto etiam in tali loco, & ſitu ; ſciebat enim ejus nomen eſſe Jeſum, nomen quidem omnibus gratiis refertum; & quia eſt quadrilitterum,ob idque princeps facierum appellatur ſicut nomen Mariæ, quia veluti ſol ad omne tempus, ad omnem populum, & ad omnem locum ſe extendit, & undique gratiis ſcatens, & gratias immittens, & quia Dominus erat cum Maria, ideò etiam ejus nomen quadrilitterum, & princeps facierum veluti Sol per omnia reſpiciens dicitur, hinc accedentes ad Jeſum, & ad Mariam nihil retrò intuentes, ſed quacumque ex parte adſpiciuntur *Sic.S.Method., & S.Bon.op.ſpec. B.Virg.lect.2.& 3.& 9.op. Pſals B.Virg.Pſal.93.Luc.c.1.v.28.*

49. *Quid ſit tangere fimbriam veſtimenti Chriſti, litteraliter, & myſticè ; ubi de virtute crucis Chriſti ; de interceſſione Sanctorum, de virtute Sanctarum Reliquiarum.*

Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Cur ad fimbriam veſtimenti Chriſti ſe convertit ? quid eſt hæc fimbria ? Notat hic Gloſſa, quòd juſſu Dei. *Num.c. 15.* Judæi portabant in veſte hoc ſignum diſtinctivum ab aliis nationibus, nempè in fimbria veſtimenti vittam hyacinthinam, & coloris cæleſtis, ut intelligerent, quòd inter alias rationes ipſorum vita debebat etiam eſſe cæleſtis, & proportionata fidei, quam

profitebam

Digitized by Google

profitebantur, & tali uſu legali inducebat Chriſtus ſuas veſtes; undè etiam eruitur admonitio ad Religioſos, & Eccleſiaſticos, quòd tenentur conformare eorum converſationem ſacris veſtibus, quibus utuntur differentibus à ſæcularibus: myſticè per veſtimentum Chriſti intelligitur ejus humanitas, & caro, qua tegebatur ejus divinitas; undè ex divinitate derivabat virtus miraculoſa in veſtem humanitatis, ita ut ex tactu ipſius etiam fimbriæ, & minimæ partis derivari poterat virtus ſanans omnem infirmitatem? per fimbriam etiam ſignificabatur minimum præceptum legis Evangelicæ, ex cujus obſervantia ſalus provenit; item per fimbriam Chriſti ſignificabantur Apoſtoli, & ſervi Dei, ex quorum miniſterio, & virtute à Chriſto ad ipſos promanante fiebant mirabilia, & miracula; item & per fimbriam ſignificantur Reliquiæ Sanctorum v.9. ſudaria, ſemicinctia, quæ Sanctis inſervierunt, ut legitur in actis de S. Paulo. *c.*19. ex quorum contactu Deus operatur mirabilia, ſicut hæc mulier ſanitatem recepit ex contactu fimbriæ Chriſti. *Luc. c.*8. *verſ.*43. *ſeq. op. medit. cap.*27. *in Pſalm.* 44. *& plures SS. Patres.*

50. *Chriſti caro cæleſtis, quia ex puriſſima Virgine aſſumpta eſt.*

Si tetigero tantùm fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero. Cur fies ſalva ex tactu fimbriæ? & non potiùs ex tactu ipſius Chriſti? 'am dictum eſt fimbriam veſtimenti Chriſti fuiſſe ornatam vitta cæleſtis coloris, ſic jubente Deo. *Num. c.* 15. & ideò quia veſtis Chriſti erat caro qua tegebatur ejus divinitas, ob id datur intelligi, quòd caro Chriſti meritò dicitur de Cœlo deſcendiſſe. *Ioa. c.*3. non quia non deſcenderit per propagationem ex Adam, ſed quia miſſus à Patre, etiam ejus caro formata eſt ſecundum divinam operationem, carens omni originali peccato, & omni rebellione, ob idque purior ipſo Cœlo, & quia hæc veſtis in utero B. Virginis fabricata eſt à Spiritu Sancto de carne ipſius Mariæ hinc patet etiam puritas ipſius, ideò rectè Maria comparatur velleri, de quo facta eſt veſtis cæleſtis Chriſto. *lib.*3. *d.*2. *a.*2. *qu.*1. *& Pſal.*71.

51. *Qualem contactum à nobis exigat Chriſtus ad ſuam veſtem.*

Si tetigero tantùm fimbriam veſtimenti ejus &c. Hoc dicebat hæc felix, & illuminata mulier; hoc & dicere, & deſiderare nos debemus; ſed qualis eſt contactus deſiderandus? non contactus materialis, ſed ſpiritualis carnis Chriſti, nam Verbum caro factum eſt, ut per carnem eſſet nobis amicabilis, paſſibilis, eſibilis, & ſenſibilis, ut nos alliceret ad ipſum diligendum, ad hanc carnem deſiderandam: paſſibilis item, ut per Paſſionem, & mortem, cui ſubjecit ipſam carnem, nos liberaret à morte: eſibilis item, ut ad manducandam hanc ſuam carnem accederemus: & tandem ſenſibilis, ut nos ſuo exemplo ad ejus imitationis contactum attraheret: amicabilis igitur fuit hæc caro Chriſti pro deſiderio ad dilectionem; paſſibilis pro triumpho ad redemptionem; eſibilis pro Sacramento ad refectionem; & ſenſibilis pro exemplo ad imitationem: ô ad hunc contactum carnis Chriſti accedamus, dicentes, ſi tetigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalvus ero. *ſer.*8. *&* 9. *in Nativit.* Nota autem, quòd contactus Chriſti fit fide, & devotione; ſic enim ad Chriſtum accedit anima, ipſumque tangit, & ab ipſo omnia bona reportat. *Luc. c.* 6. *v.* 19. *& c.*8. *v.*44.

52. *Multi tangunt Chriſtum, ſed pauci recipiunt virtutem, quia multi ſunt vocati pauci electi.*

Tetigit fimbriam veſtimenti ejus, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis ejus, ſic addit Lucas, & poſtea ſubdit, atque Jeſus, *quis me tetigit &c. præceptor turba te comprimunt & affligunt, & dicis quis me tetigit?* Verè hoc eſt mirum, quod dicit Chriſtus; comprimebatur à turbis, tangebatur ab omnibus ſine diſcretione, & tamen dicit Chriſtus, quis me tetigit? tetigit me aliquis? cur non dixit tangunt me omnes? ô nimis hoc verum; turbæ ipſum tangebant, ſed ſimul affligebant, quia ſine devotione, fide, imo irreverenter, & indiſcrete ipſum tangebant, ſola hæc mulier tetigit fide, fiducia, humilitate, devotionis charitate, & amore Chriſtum, ideò ſola inter tot infirmos legitur ſanata; quid hoc ſignificat? quia multi tangut Chriſtum, multi ſunt vocati, multi ad fidem veniunt, multi tangunt ipſum, ſed carnaliter, ſcilicet non deſerendo carnalitates; & pauci ſpiritualiter, ideò meritò dicit Chriſtus continuè, tetigit me aliquis, ſcilicet pauci ſpiritualiter viventes. *Luc. c.*8. *v.*45. *ſeq.* Tangit Chriſtum fides paucorum (ait S. Auguſtinus) præmit eum turba multorum, & S. Gregor. multi Dominum comprimunt, & una tangit, quia carnales quique in Eccleſia eum præmunt, à quo longè ſunt, & ſoli tangunt, qui huic veraciter humiles adjunguntur, præmit turba carnalium, & non tangit, quia & importuna eſt per præſentiam, & abſens per vitam; & hoc nimis verificatur in receptione Sacramenti Euchariſtiæ. *ait S. Cirillus.*

53. *Tactus multiplex Chriſti proponitur, ubi de tactu vulnerum Chriſti.*

Tetigit me aliquis &c. ſi tetigero tantùm fimbriam &c. Nota, quòd in hiſtoria Evangelica tactus trium mulierum exponit, nempè tactus pedum à Magdalena; in veſte ab iſta, & lateris à Thoma, in quo intelligitur triplex imitatio appropinquantium Chriſto, ſcilicet in effectu operationis bonæ ſignificatæ in pedum inceſſu, in habitu converſationis ſanctæ ſignificatæ in veſte Chriſti, & in tolerantia paſſionum ſignificata in oſtenſione vulnerum, quæ tria etiam intelliguntur comprehenſa in tactu veſtimentorum Chriſti facto ab iſta muliere, cum veſtimentum ejus ſit ipſius humanitas, quæ à Chriſto ſubjecta fuit paſſionibus, & vulneribus; ideò ad iſtum tactum pedum, manuum, & vulnerum invitamur, ut rectitudine operationum, honeſtate converſationis, & tolerantia paſſionum ad ipſius imitationem mereamur ſalutem acquirere. *Luc. cap.*8. *verſ.*28.

54. *Fide, ſpe, humilitate, & oratione anima pervenit ad Chriſti, ejuſque virtutis tactum.*

Tetigit me aliquis, ego enim novi virtutem de me exiiſſe; ſic S. Lucas hic. Ex hoc apparet, quòd Chriſtus non loquitur de tactu corporali, & materiali, ſed de ſpirituali, quo iſta mulier pervenit ad hunc tactum, & ad experimentum virtutis Salvatoris Chriſti; datur autem intelligi, quòd fide, ſpe, humilitate, & oratione, obſecratione que anima ad tactum Chriſti, & ad attingendam virtutem Chriſti pervenit. *Luc.c.*8.*v.*44. *ad* 48.

55. *Confidentia & fidei in Deum effectus quales.*

Confide filia fides tua te ſalvam fecit, & ſalva facta eſt mulier. Vide quomodo Chriſtus attribuit ſalutem mulieris ſuæ fidei, & confidentiæ in Deum, & meritò, nam fides cum fiducia, & ſpe in Deum omnia obtinet. *Luc.c.*8. *v.*44. *ad* 47. *opmedit.c.*27.

56. *Proprium eſt tantum filiorum confidentiam perfectam habere in Chriſto.*

Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Nota hæc verba: dicitur ergo primò filia confide, quia filiorum Dei eſt confidere in ipſum u. Patrem, filia; quomodo filia? filia per adoptionem, qua imbuitur mens ſplendore cæleſtis intelligentiæ, decore munditiæ, & timore humilitatis, & reverentiæ, quibus hæc mulier ditata acceſſit ad Chriſtum confidenter, quia confidebat in Dei ſapientia, potentia, & bonitate, & ſic perfectè curata eſt. *Ser.*3.*Dom.*23.*Pentec.*

57. *Suffragium, & invocatio Sanctorum præcipuè Beatæ Virginis medium placandi Deum, & obtinendi omnes gratias.*

Confide filia, fides tua te ſalvam fecit. Fides ideſt confidentia: quomodo poteſt dici, quòd confidentiæ virtus eam fecerit ſanam, cum non auderet ſe coram Chriſto præſentare, ſed tantùm à retrò? ſed tantùm tetigit fimbriam à parte poſteriori? ſed attende ordinem, quo iſta mulier pervenit ad ſalutem animæ, & corporis: primò acceſſit retrò, ſecundò tetigit fimbriam, & tertiò deinde admiſſa fuit ad præſentiam Chriſti, & ſanata eſt. quid nobis innuit hoc factum? primò ad litteram nobis inſinuat vim, & efficaciam humilitati, orationis, & confidentiæ in Deum, ut ſuprà dictum eſt: myſticè per fimbriam veſtimentorum ſignificantur ſervi Dei, Apoſtoli, Sancti, & præcipuè ob humilitatem Beata Virgo, qui ornant veſtem Chriſti, quæ eſt Eccleſia, & ideò ſicut à fimbria hæc mulier pervenit ad aſpectum Chriſti, ſic qui ad ſanctos confugit, & præcipuè ad Mariam Virginem, ut impetret à Chriſto gratias, iſte tandem perveniet ad finem optatum; undè quilibet tribulatus, & afflictus videns experimentaliter ſe ſuccumbere, nec poſſe tribulationibus reſiſtere, non debet deſperare, vires ſuas debiles metiendo, ſed curet tangere fimbriam veſtimentorum Chriſti, ſcilicet humiliter ad orationem, & ſuffragia amicorum Chriſti ſe convertere, & præcipuè Virginis Mariæ, quia ipſa tentante non corrues, ipſa protegente non metues, ipſa duce non fatigaberis, ipſa propitia pervenies. *Opmedit.c.*27.*ſer.*1.*Dom.*20 *Pentec.*

58. *Mors juſtorum eſt ſomnus dulcis.*

Et cum vidiſſet tibicines &c. dixit, recedite, non eſt mortua, ſed dormit. Quomodo dormit, ſi jam anima eſt ſeparata? ô benè, dormit, quia mors filii Dei, & juſtorum non eſt mors, ſed dulcis ſomnus, quia eſt tranſitus ad vitam, & requiem ſempiternam. *Pſal.* 108. *Ioan.c.* 11.*v.*5. *Luc.c.*23. *ve ſ* 54.

59. *Ubi Chriſtus adeſt, ibi mors abeſt.*

Non eſt mortua puella, ſed dormit. Quomodo non eſt mortua, ô bone Jesu; ſi ſuprà dicitur, quòd erat mortua? ſi jam cadaver ſepeliendum paratur? optimè, & verſſimè hoc dixit; ad litteram in his verbis non removet mortis virtutem, ſed irremediabilitatem, quia poterat eam ita facilè à mortuis ſuſcitare, ſicut ſuſcitatur de ſomno dormiens à vigilante, myſtice dat intelligere, quòd ubi Chriſtus adeſt, ibi mors abeſt; & ideò Deo dormiebat, in cujus ditione, & anima recepta vivebat, & caro reſuſcitanda quieſcebat, ideò in officio defunctorum meritò cantat Eccleſia, Regem cui omnia vivunt, venite adoremus: & quia Deus non eſt mortuorum, ſed vivorum, omnes enim ei vivunt, & quia præſens aderat Chriſtus ideò meritò dicebat non eſt mortua puella, ſed dormit. *Luc.c.*8.*v.*52.

60. *Sapientia mundi ſtultitia eſt: Sapientia Chriſti vera ſapientia, licèt mundo appareat ſtultitia.*

Et deridebant eum ſcientes quòd mortua eſſet. Vide quomodo ſunt inter ſe oppoſitæ ſapientia Chriſti, & ſapientia mundi, & quàm faciliter decipitur, & decipit; & hoc eſt, quia divina ſapientia frequenter perſuadet contrarium ſcientiæ humanæ, hinc eſt, quòd homo per humanam ſcientiam irridet Deum, & ſuos ſequaces, & ſic efficitur ſtultus, & hinc eſt quòd iſti non apti ad recipiendam virtutem ejecti ſunt à Chriſto. *Luc.c.*8.*v.*53.

61. *Mundi delectationes in luctum terminantur, & ad ſepulchrum ducunt; Chriſti voces ad vitam.*

Recedite, & cum ejecta eſſet turba &c. Vide, quod Chriſtus volens transferre hanc puellam à morte ad vitam, expulit tibicines, & turbam: cur hoc? nonne iſti tibicines, & turbæ concurrerant ad hoc officium pietatis exercendum, quod tam in Eccleſia magni fit? cur ejiciuntur à præſentia Chriſti? optimè id factum eſt, quia fines adventus iſtorum erat ſepultura puellæ; finis Chriſti erat vita; & ideò tibicines ſignificant mundanas delectationes, quæ cantu, muſica, & ſono ducunt ſtultos ad ſepulchrum æternum: Chriſtus verò à morte ad vitam ducit ſuos, ideò iſti ejiciuntur, quia non erant idonei teſtes ad vitæ reſtitutionem, ſed ſolùm ad vitæ perditionem. *Luc.c.*8.*v.*53.

62. *Mala*

Digitized by Google

62. *Mala ſocietas maximum impedimentum ſalutis.*

Et cum ejecta eſſet turba intravit Ieſus &c. Nota illud verbum ; cum ejecta eſſet; per quod ſignificatur expulſio facta cum violentia;cur ejecta eſt turba:turba hæc erat,quæ deridebat Jeſum ; turba hæc eſt congregatio malorum , quorum ſocietas debet vitari ab eo, qui vult Chriſti monita, gratiam,& juſtificationem recipere , quia hæc turba ſæpè impedit ſalutem;hæc viratio malorum maximè valet ad remiſſionem peccatorum , ad immiſſionem donorum à Deo , & ad contemplationem cæleſtium ; igitur ſi non ejicis à te turbam malorum in mundo, non pervenies ad turbam Beatorum in Cœlo. *Ser.2. Dom.23. Pent. in Luc.c.19.v.3.*

63. *Turba malarum, & vanarum cogitationum ejicienda à domo mentis ab eo,qui vult ingreſſum Dei.*

Et cum ejecta eſſet turba , intravit Ieſus , &c. Nota etiam , quod hæc turba ſignificat malas cogitationes , & vanitates mundi , & deſideria mala, quæ impediunt adventum Chriſti in domum animæ,ergo exporganda eſt hæc domus,ut Chriſtus intret in cor noſtrum , & hinc dicitur Eccli. Effunde ſicut aquam cor tuum, dicit ſicut aquam,non ſicut vinum,vel lac,vel mel, quia ex his odor,color,& ſapor mundi remanet,ſed ſicut aquam , quia non benè in una ſede morantur Chriſtus,& mundus. *In Luc.c.8. v.54. & ſerm.2. Dom.23.& in Luc.cap.19. v.3. & ſer.2. in Rogat. in Thren. cap. 2.& ep. 25. memorial. ſic etiam Gloſſa.*

64. *Intrat Ieſus libenter , ubi mortuus plangitur.*

Et cum ejecta eſſet turba intravit Ieſus. S.Marcus c.5.addit,*& videns tumultum,& flentes , & ejulantes multum.* Cur Chriſtus antequam intraret non ejecit flentes,& ejulantes? ad quid iſte fletus,ubi cura redundanda erat in gaudium , & lætitiam ſuſcitationis puellæ ? ſed attende ad mirabilem ordinem operum Chriſti Jeſu ; volens enim ſuſcitare puellam , voluit,ut antecederet ad ſuſcitationem fletus , & planctus ; libenter enim Chriſtus intrat in domum luctus , & fletus , & ubi plangitur mortuus ; hæc ſuſcitatio eſt juſtificatio peccatoris prius mortui in peccato , & ad hanc debet præcedere contritio,fletus , & planctus pro peccatis commiſſis ; ſi ergo vis, ut anima tua ſuſcitetur à Chriſto,plange mortem ejus, luctum unigeniti fac tibi planctum amarum , & ſi non plangis , planè non ſentis vulnera animæ tuæ , conſcientiæ tuæ læſionem. *Ser.2. Dom.23. Pentec.& in Luc.c.8.v.51.*

65. *Memoria , & recordatio mortis attrahit Chriſtum.*

Et cum ejecta eſſet turba intravit , &c. Intravit ſcilicet in domum luctus , in domum , in qua jacebat mortua puella : quid eſt hoc ? niſi nobis oſtendere , quod Chriſtus attrahitur in domum mortis , ſcilicet ad eos , qui memoriam mortis frequentes tefricant ; melius enim eſt ire ad domum luctus , quàm ad domum convivii, ait Spiritus ſanctus Eccleſ.7. quia in ſepulchro & in domo mortis finis cunctorum admonetur hominum,& ibi addiſcitur lectio cunctis ſenſu neceſſaria. *Luc.c.8.v.51.*

66. *Chriſti ingreſſus in animam effectus expendumtur , item ingreſſus diaboli.*

Intravit Ieſus cum ejecta eſſet turba. Nota,quod ut dictum eſt , iſte ingreſſus Chriſti in hanc domum myſticè ſignificat ingreſſum ejus in animam , ejuſque mirabiles effectus ; cum enim ejicitur turba malæ ſocietatis ; & malarum cogitationum , & per contritionem deflетur culpa, tunc intrat Ieſus in animam ad ſuſcitandum in juſtificatione ; ad defendendum eam in tentatione , & ad convivandum , ſicut fecit in domo hujus Principis : cum verò deridetur Chriſtus , tunc foras ejicitur Chriſtus , & intrat diabolus ad occidendum , & proſternendum in tentatione & ad torquendum : uterque autem ad oſtium cordis noſtri pulſat libenterque intrat ; utrique non eſt aperiendum ; ideo claudatur oſtium diabolo, & aperiatur Chriſto. *Serm.2. Dom. 23. Pentec.*

67. *Ordo converſionis peccatoris , quem ſervat Chriſtus,expenditur.*

Intravit Ieſus,&c. & tenuit manum puellæ , & dixit,puella ſurge,&c. Ecce quomodo hic ordo converſionis , & juſtificationis peccatoris proponitur;turba ejicitur, Chriſtus ingreditur , manus puellæ tenetur , ſurgere jubetur : primò ejicitur turba malarum cogitationum ex præcepto Chriſti , qui tunc intrat per gratiam prævenientem, tenet manum per gratiam ſubſequentem, virtutem operandi meritoriè tribuens , quia ſine Deo operante,ut velimus,ſine cooperante ut poſſimus,ad pietatis opera non valemus , tenet autem manum Dominus bonis ad ſurgendum , ad deducendum , & ad ſumendum , ſcilicet ad ſuſcitandum de culpa,ad deducendum in gratia , & ad ſuſcipiendum in gloria ; ſed advertе ô peccator,quod neceſſe eſt,ut tu ſinas tuam manum teneri à Chriſto , & ſimul ad ipſius manum tuam,& in te extendas , teneas,& ſtringas Chriſtum per amorem amando,& timendo, & ſic ſuſcitaberis à peccato *Ser.2.Dom.23.Pentec.*

68. *Chriſtus cum nobis dat adverſa , tunc tangit ut medicus nobis pulſum,ut ab omni malo eripiat nos.*

Intravit , & tenuit manum ejus , & dixit,puella ſurge : Ad quid Chriſtus volens reſuſcitare hanc puellam extendit ſuam manum ad manum puellæ ipſam tangens ? hoc fecit , ut oſtenderet,quod priùs ipſi infirmitatem hanc mortiferam immittendo , & eam ſubjiciendo morti , tetigit ejus pulſum , ſed ut intelligeremus , quod quando tali modo nobis tangit pulſum, id facit, ut ſanet, & vitam nobis donet , & ideo cum ipſo tactu manus copulavit vocem dicens puella ſurge,quia vulnerat , ut medeatur , ferit , ut ſanet, occidit, ut vivificet , & reſurgere faciat à morte peccati,

adverſa enim corporis ſunt animæ remedia, ægritudo carnem vulnerat, mentem curat, languor vitia excõquit, & vires libidinis frangit. *Op. Phar. lib. 4. c. 48. & op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 37. Pſ. 118. v. 161. & S. Bernardinus.*

69. *Chriſtus continuè clamat ad aures peccatoris ſurge, offerens vitam.*

Et dixit: S. Lucas, *& clamavit dicens, puella ſurge:* Vide, quod Chriſtus extendit ſuam manum, & ſimul clamavit, ſurge, ut videas, quod Chriſtus inceſſanter manum ſuæ gratiæ prævenientis, & ſubſequentis extendens clamat ad aures peccatoris ſurge, ſcilicet à morte culpæ, ut diſcas benignitatem Dei vocantis peccatorem ad pœnitentiam, & inexcuſabilitatem non obedientis, & ideò quibus in hoc ſæculo vita offertur, & nolunt eam recipere, juſto Dei judicio, in inferno quærent mortem, & non invenient. *Ser. 2. Dom. 23 Pent.*

70. *Quid exigit Deus in reſuſcitatione peccatoris, ſcilicet ſocietatem Petri, Iacobi, Joannis, Patris, & Matris.*

Et cum ejecta eſſet turba, intravit Ieſus, &c. Nota quod S. Lucas dicit, quod non permiſit Chriſtus intrare ſecum quemquam, niſi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & Patrem, & Matrem puellæ: cur tantùm iſtos, & non alios advocavit Ieſus in teſtes tanti miraculi? ad litteram id voluit, quia cum miracula fiant ad utilitatem multorum voluit teſtes diſcipulos tamquam domeſticos, & Patrem, & Matrem tamquam extraneos, quia in ore duorum, vel trium teſtium, ſcilicet quinque teſtium eſt omne verbum: myſticè in Petro, qui interpretatur agnoſcens, ſignificatur fides: in Iacobo, qui interpretatur luctator, ſignificatur ſpes; in Joanne, qui interpretatur gratia, ſignificatur charitas, & hæ tres virtutes, quæ ſunt Domino familiariſſimæ, concurrunt ad ſuſcitationem peccatoris à morte; Pater autem, & mater ſunt legis Doctores Curati, & Prædicatores: Pater, qui inſtruit in fide, mater, quæ fovet in moribus, hæc autem ſunt cum Chriſto ſuſcitante peccatorem, eiſque utitur tamquam familiaribus in ſuſcitatione dicta, per quod ſublimis ſtatus Prælatorum, Doctorum, & Prædicatorum exprimitur. *Luc. c. 8. v. 51. ſer. 3. de S. Joan. Evang. in addit.*

71. *Triplex ſuſcitatio ſpiritualis animæ.*

Et puella ſurrexit. Nota quod tres mortui leguntur ſuſcitati à Chriſto, licet enim plures alios ſuſcitaverit, tamen tantum hos tres notant Evangeliſtæ, ſcilicet hanc puellam, juvenem Filium Viduæ Naim, & Lazarum, ut oſtendat, quod triplex mors ſpiritualis ab anima incurritur, ſcilicet cogitatione, conſenſuque voluntatis, actione, & conſuetudine, de hac puella dicitur, quod ſurrexit, de juvene, quod reſedit, & de Lazaro, quod ligatus manibus, & pedibus prodiit, ut intelligamus, quod qui ſolum cogitatione peccavit, vivificatus continuò ſurgit, & parva remanet difficultas; qui verò opere complevit peccatum, vivificatus ſedet, quia adhuc remanet pronitas; qui autem in conſuetudine peccavit, ligatus eſt, quia habet magnam pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum. *Ser. 4. Dom. 15. Pentec. & ſer. 2. Dom. 23. Pentec. & Luc. c. 8. in fine.*

72. *Anima à Chriſto ſuſcitata debet ambulare de virtute in virtutem.*

Et ſurrexit: Addit S. Marcus, *& ambulabat:* Cur ambulas ô puella? ſolùm tibi Chriſtus impoſuit ſurgere à morte, non ambulationem? optimè, quia cum Chriſtus extendit manum ad ſuſcitationem animæ, tunc vult, ut non ſolùm & ipſa extendat ſuam manum ad hoc, ſed & vult eam deducere in gratia, ut ipſa ambulet de virtute in virtutem, & ad culmen perfectionis acquirendum aſpiret. *Sermon. 2. Dom. 23. Pentecoſt.*

73. *Oſtentatio fugienda toto conatu; ubi de multiplici præcepto Dei.*

Et exiit fama in univerſam terram illam. Quomodo exiit hæc diffamatio tanti miraculi, ſi Chriſtus, ut notat S. Lucas, præcepit Patri, & matri puellæ, & diſcipulis, ne alicui dicerent, quod factum erat? & ſi id publicarunt, ergò contra præceptum Chriſti fecerunt? ſed attende, quod præceptum Dei aliud eſt executionis, ſicut ſunt ea, quæ continentur in decalogo, & in his invitatur intellectus ad cognoſcendum quid faciendum, & vitandum, affectus ad id volendum, & effectus ad exequendum; Aliud eſt probationis ſicut fuit præceptum Abrahæ de immolatione filii, in quo excitatur affectus ad volendum, ſed non effectus: Aliud eſt inſtructionis, ut hîc, in quo tantùm inſtruitur intellectus ad diſcendum, non ligatur affectus, nec prohiberur effectus: ſed quid voluit nos erudire Chriſtus? ut addiſceremus ejus exemplo humiliter latere, & vellè latere in magnis factis, & ut occulteamus quæ agimus quantum poſſumus. quod ſi ex toto non poſſumus, fit in animo voluntas occultandi, ut ſemper ad humilitatem reſpiciamus: *Luc. ca. 8. in fine:* Vult igitur Dominus Jeſus veritatem ſalutarem publicandam, gloriam Dei, & utilitatem proximi & propriam vitandam, ideò aliquando præcipit ut dicantur ejus miracula, ut ſuprà c. 8. & aliquando ut taceantur. *Luc. c. 8. v. 39.*

74. *Cæcitas ſpiritualis animæ, unde, & quomodo curatur.*

Et tranſeunte inde Ieſu, ſecuti ſunt eum duo cæci clamantes, & dicentes miſerere noſtri fili David. Cum autem veniſſet domum acceſſerunt ad eum cæci, & dixit eis Jeſus, Creditis quia hoc poſſum facere vobis? dicunt ei utique Domine. tunc tetigit oculos eorum dicens, ſecundum fidem veſtram fiat vobis, & aperti ſunt oculi eorum: *v. 28. & 29.* Nota, quod hoc miraculum ſolum à S. Matthæo affertur, & dat nobis intelligere myſticè, quod cæcitas cujuſque, eſt quæ aufert viſum ipſi, & oritur ex carnis voluptate, ex ſuperbiæ vanitate, ex rerum cupiditate, ex mentis infidelitate, nam carnis delectatio mentem, quam inficit, obſcurat,

by Google

obſcurat, ne videre indè luminis claritatem valeat, ſed undè inferius delectatur, inde caliginem ad ſuperna patiatur; item tumore ſuperbiæ excæcatur anima, reddens ſimilem dæmonibus, ſic & terrena cupiditas excæcat oculum rationis; & infidelitas magis, & pejus facit idem, ſed qualiter curatur? curatur à Chriſto ſuo facto, nempè tribulatione, ſua incarnatione, veritatis prædicatione, & gratiæ inſpiratione, & ad hoc requiritur fides in Chriſti potentia, & fidelitate, nam fidei adjutorio cor noſtrum erigitur ad juſtitiam. *Ser. 3. & 4. Dom. Quinquag. Luc. c. 18. v. 42.*

75. *Qui dæmonium introducit intrà ſe mutus efficitur.*

Egreſſis illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem, & ejecto dæmonio locutus eſt mutus. Vide undè mutus factus eſt iſte homo, nempè quia poſſidebatur à diabolo, qui reddiderat ipſum mutum, nec volentem loqui; ſic & in multis ſpiritualiter evenit, qui in poſſeſſionem diaboli traditur per peccatum mortale, & tunc totum ſtudium ejus eſt ipſum reddere mutum propter rubrem confeſſionis, & crucifixi, & ad hoc efficiendum conatur ligare linguam animæ, vinculo mentalis ſuperbiæ, ne poſſit moveri ad honorandum Deum humiliatione, & ſic excæcatus non recurrit ad confeſſionem ſuorum peccatorum, ſed tamen cum offertur Chriſto in eum credendo per captivationem intellectus ejicitur dæmonium cæcitatis, & malitiæ per illapſum illuminantis ſapientiæ, & reſtituitur verbum per expreſſionem veritatis creditæ, quod præcipuè obtinetur per integram confeſſionem ſuorum peccatorum. *Ser. 2. Dom. 3. Quadrageſimæ & ſer. 2. Dom. 11. Pentec.*

76. *Opera Chriſti bonis in bonum ſunt, malignis in malum.*

Et ejecto dæmone mirata ſunt turba dicentes, numquam apparuit ſic in Iſraël; Phariſæi autem dicebant, in Principe dæmoniorum ejicit dæmones. Vide effectus ſolis juſtitiæ, qui cum venerit illuminare omnem venientem in hunc mundum, ſicuti ſol materialis ſecundùm varias diſpoſitiones intuentium alios contriſtat, alios delectat, quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, tamen hoc miraculum tam excellens, & mirabile turbis fuit in ſalutem, quæ admiratæ ſunt & laudaverunt divinam potentiam, & pietatem Chriſti Jeſu; Phariſæis autem fuit in ruinam, quia quod fiebat à Spiritu ſancto, attribuebant ſpiritui maligno motui invidiæ, & æmulationis maligno ſpiritu; ô nimis vera prophetia Simeonis de Chriſto, ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum; in ruinam non credentium, nec ſe diſponentium ad receptionem radiorum hujus ſolis; in reſurrectionem credentium, & humilium; hoc quotidiè experientiâ continua eventit tum in prædicatione miniſtrorum Chriſti, tum in patratione operum, & mirabilium ſervorum Dei. *Ser. 1. & 2. Dom. infra oct. Nativ. & Luc. c. 11. v. 15.*

77. *Chriſtus verus Paſtor ibius in paſcendo oves.*

Et circuibat Jeſus omnes civitates, & caſtella docens, & prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem. O quàm verè, quàm benè ſe Paſtorem verum, & bonum Chriſtus appellavit *Joan. c. 10.* dicens ego ſum Paſtor bonus, qui carne noſtra indutus totus ſemper fuit intentus in quærendo oves perditas, nec umquam labori ulli pepercit, ut eas paſceret verbo ſalutaris doctrinæ, ſuſtentando corporali ſubſidio, & ſacramentali refectione, & vigilantia ſua cuſtodiendo, & hinc eſt quod non ceſſabat circuire, & frequentare civitates, & caſtella, vicoſque annuncians regnum Dei, oſtendenſque ſuam benignitatem, & miſericordiam erga gregem ſuum, ut diſcant Paſtores ſuo exemplo, quod ut præſint ſecundum divinum beneplacitum debent, non parcendo laboribus, & afflictionibus paſcere gregem ſibi commiſſum, ſcientia quantùm ad verbum, doctrina, quantum ad exemplum, & oblectabili ſubſidio miniſtrando eis reficientia ſacramenta, & cuſtodire præſidio protectionis à morſibus dæmonum. *Ser. 1. Dom. 6. Pentec. & ſer. 1. Dom. 11. poſt oct. Pentec.*

78. *Prædicator inſtruitur ad exemplum Chriſti.*

Circuibat Jeſus omnes civitates & caſtella, &c. ſcilicet omnibus indifferenter: Nota hoc dicitur, ut diſcat Prædicator, quod exemplo Chriſti debet eſſe communis perſona, & ſi bonus eſt acceptus hominibus, ut etiam ſit acceptus Deo, & Angelis, debet eſſe immunis ab oſtentatione in ſigno, ab ambitione in animo, ab adulatione in verbo, à perſonarum acceptione in facto, ſcilicet prædicare debet ex Deo, coram Deo, & in Chriſto cum ſinceritate. *Luc. c. 4. in fine.*

79. *Chriſtus bonus Paſtor iterum expenditur.*

Videns Jeſus turbas, miſertus eſt eis, quia erant vexati, & jacentes ſicut oves non habentes paſtorem. Ecce Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus viſcera plena ſunt miſericordia, & pietate, videns turbam vexatam, & anguſtiatam variis languoribus, & neceſſitatibus, miſertus eſt eis, ſed in quo miſertus eſt eis? miſertus eſt eis, ipſos ſanans à variis languoribus, motus ab indigentia ipſorum; miſertus eſt eis, eos ſuſtentando, & paſcendo etiam cibo corporali, ipſorum ignorantiam illuminando documento ſalutari, & ipſorum tepiditatem inflammando oblectamento ſuæ gratiæ: & nota quod iſtos effectu immiſit in turbas, non in Phariſæos calumniatores, ſed ſuper turbas, quia iſtæ ſicut oves ſequebantur paſtores, & ſicut diſcipuli ſuum magiſtrum. *Luc. c. 14. v. 15. & ſer. 1. Dom. 8. Pentec.*

80. *Explicatur propoſitio ſalvatoris: Meſſis multa, operarii autem pauci: Ubi de obligationibus Prædicatorum.*

Quæritur hic quænam meſſis eſt hæc multa? & qualiter dicitur meſſis multa, cum pauciſſimi in Judæa in Chriſtum crediderint? ſed attende, quod pro ſtatu legis naturæ, & legis ſcriptæ, & legis

legis Evangelicæ hæc propoſitio verificatur: nam in lege naturæ numquam defuerunt ſacramenta auxilia, Doctores, & magiſtri docentes viam ſaluris, & multò magis poſtea in lege ſcripta, & ſuper hos ſtatus poſtèà in lege Evangelica, quia in omni tempore ſemper fuerunt parvuli petientes panem doctrinæ ſalutaris, & indigentes pabulo verbi Dei, ſed tamen ſemper operarii pauci; & ſi quæras, ergone Deus non ſufficienter providit indigentiæ hominum? providit quidem, quia multos ad collectionem meſſis ſemper vocavit; ſed tamen inter iſtos, operarii ſemper fuerunt pauci: Nota, quod dicit operarii, quia ad hoc, ut falce prædicationis operarius meſſem colligat, neceſſe eſt, quod manus operis eam teneat, nam ad hoc, ut ſerverur veritas prædicationis, neceſſaria eſt altitudo vivendi. & tales ſunt, qui dicunt, & faciunt quod dicunt & quia pauci ſunt operarii, & plurimi ſunt malitioſi, & deſidioſi, qui dicunt, & non faciunt ut Phariſæi, hinc pauci operarii. *Luc. cap.* 10. *verſ.* 2.

81. *Prædicatorum proviſio in Eccleſia eſt à Deo ideo ad ipſum oratione confugiendum, ut mittat operarios bonos.*

Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem. Quia meſſis amittitur, quando boni operarii deſunt; & quia proviſio operariorum divinitùs datur, ideò Chriſtus inſinuat Apoſtolis, & toti Eccleſiæ, quod neceſſe eſt ad Deum recurrere in oratione, ut dignetur providere Eccleſiam operariis bonis; & hinc providentiſſimè Chriſtus miſit Seraphicum P. S Franciſcum ut Religionem inſtitueret ordinatam principaliter ad collectionem meſſis dominicæ, & ideò ſuos Prædicatores inſtituit, ut coadjutores Epiſcoporum, & Parochorum in hoc miniſterio, & ſummum Pontificem inſpiravit, ut cum hilaritate ſuſciperet, pietate confortaret, auctoritate roboraret, & poteſtate defenderet talem ordinem. *Luc. cap.* 10. *verſ.* 3. *op. Apol. Paup. Reſp* 4. *cap.* 3.

ARGUMENTUM CAPITIS

1. *Nota, quod enumeratis in ſuperioribus duodecim miraculis à Chriſto patratis, ſcilicet de leproſo, de ſervo Centurionis, ſocru Petri, & veſperè ſanatis aliis; de imperio facto ventis, & mari, de duobus damoniacis, de paralytico, de vocatione Matthæi, de Hemorroiſſa, de filia Principis, de duobus cæcis, de muto damoniaco; nunc primò agit de duodecim Apoſtolis, eorumque nominibus; ſecundò de miſſione eorum in prædicationem: tertiò quales eſſe debeant: quartò prædicit eis futuras tribulationes: quintò conſolatur eos dicens Tyrannos non eſſe timendos: ſextò removet carnalem affectum ab Apoſtolorum cordibus: Nota etiam, quod Divus Matthæus ponit hic miſſionem Apoſtolorum ad prædicandum, ut narret quomodo, cum Chriſtus videret meſſem copioſam, ipſum provideret mundum operariis, licet hæc miſſio ſecuta fuerit poſt carcerationem, & mortem Baptiſtæ, quam poſteà in cap.* 14 *narrat per anticipationem: nota etiam, quod ſupponit electionem factam Apoſtolorum, & alias miſſiones factas à Chriſto, ſed hanc fusè tractat tamquam notabiliorem.*

CAP. X.

2. *Electio, & convocatio Apoſtolorum expenditur.*

ET convocatis duodecim diſcipulis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Nota quod prius Chriſtus elegerat duodecim diſcipulos, eoſque Apoſtolos, ideſt miſſos nominavit, cui electioni præmiſit orationem ferventiſſimam, ut patet *Luc c.* 6. qua facta elegit iſtos, & deindè convocavit eos in unum, dedirque eis virtutem, & poteſtatem in creaturam ſpiritualem, ſcilicet ſuper dæmonia, & corporalem, ideſt ſuper infirmitates corporales, ut ſic vitam, & exempla copularent cum prædicatione verbi. *Luc. cap.* 9. *verſ.* 1. & *cap.* 6. *verſ.* 12. *ſeq.*

3. *Apoſtolis Chriſtus communicavit Spiritum ſanctum antequam eos mitteret ad prædicandum.*

Dedit illis virtutem, & poteſtatem, &c. Nota, quod in his verbis datur intelligi, quod antequam mitteret Apoſtolos ad prædicandum, eis infudit, & communicavit Spiritum ſanctum, in qua infuſione eos convocavit in unum per unitatem, & concordiam, & dedit illis virtutem ſuper dæmonia, & infirmitates ſpirituales, & corporales. *Luc cap.* 9. *verſ.* 1. & 2. & *ſerm.* 6. *in Pentec.*

4. *Prædicator non propria auctoritate, ſed juſſu Dei, & ſuperiorum exerceat ſuum munus.*

Convocatis duodecim diſcipulis, &c. addit S. Lucas, *quos & Apoſtolos nominavit.* Nota, quod Apoſtolus idem eſt ac miſſus, ſicque elegit hos duodecim, & miſit illos prædicare, ut videas, quod nemo debet munus prædicationis aſſumere, niſi ſit miſſus à Deo, & à ſuis ſuperioribus, undè tria requiruntur ad hoc: primum eſt auctoritas mittentis, ſecundùm quod miſſus ſit diſcipulus Chriſti, ſcilicet, quod ſit amator, & zelator ſalutis animarum, tertium, quod converſioni ipſarum diligentiſſimè incumbat. *Luc. capit.* 9. *verſ.* 2.

5. *Soli*

5. *Soli diſcipuli Chriſti apti ſunt ad prædicationem.*

Convocatis duodecim diſcipulis, dedit illis poteſtatem, &c. duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc. Nota, quod antequam ſuos nominet Apoſtolos, prius eos appellat diſcipulos: cur hoc? ut intelligamus, quod nemo dignus eſt eſſe Apoſtolus, ſcilicet miſſus ad prædicandum, niſi ſit Chriſti diſcipulus: ad diſcipulatum autem Chriſti requiritur perfecta humilitas; diſcite à me, ait ô diſcipuli mei, quia mitis ſum, & humilis corde Matth. c. 11. item, perfecta paupertas; omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus: *Luc. c.* 14 item perfecta charitas; in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, &c. *Ioan. c* 13. qui autem has tres virtutes habet, poteſt ſecurè mitti ad prædicandum. *Luc. c. 6. v.* 13.

6. *Sectatores Chriſti ſint ſemper diſcipuli, & ſimul magiſtri.*

Convocatis duodecim diſcipulis, hos Apoſtolos nominavit: Si diſcipuli dicuntur, cur etiam Apoſtoli, ſcilicet Doctores, & magiſtri? quia veri Chriſti ſectatores debent eſſe ſemper diſcipuli & totum ſtudium collocare in hoc, ut fiant diſcipuli Chriſti, in hoc clarificatus eſt Pater meus, ait Chriſtus, ut efficiamini mei diſcipuli, quia eorum vita debet eſſe tota in diſcipulatu Chriſti, ipſi obediendo, & ipſum imitando; ſimulque magiſtri alios promovendo ad virtutem, & perfectionem. *Luc. ibid. & in Ioan. collat.* 62.

7. *Apoſtoli cur duodecim tantum electi.*

Nomina autem Apoſtolorum ſunt hæc. Nota, quod dicit duodecim Apoſtolorum, cur duodecim? etiamſi tertius decimus addendus erat, duodecim tamen dicuntur, cur hoc? ſed meritò duodecim, quia duodenarius numerus eſt primus numerus excreſcens ſuprà denarium, in perfectione quia multiplicat ſenarium, qui eſt numerus perfectorum primus, & involuit in ſe virtutes Cardinales informatas virtutibus Theologicis, per quarum multiplicationem in ſeipſis conſtituitur numerus duodenarius, & hinc voluit ſignificare Chriſtus, quod fundavit Eccleſiam ſuper iſtos duodecim Apoſtolos tamquam perfectiſſima fundamenta. *Luc. cap. 6. v.* 13. *& lib. 4. d. 37. a. 1. q. 1.*

8. *Fundamentum primarium ſanctitatis Apoſtolorum eſt charitas.*

Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater ejus, &c. Nota autem, quod in enumeratione duodecim Apoſtolorum binos, & binos nominat dicens Petrus, & Andreas, Jacobus & Joannes, Philippus, & Bartholomæus, & primo loco ponit duos, & duos fratres; cur tali modo fit hæc combinatio? ſed ad myſterium inſinuandum, nempè quod præcipuum fundamentum, ſuper quod erigenda erat ipſorum perfectio, eſt charitas, fraterniratiſque unio, per quam in vita, in doctrina, & exemplo debebant præcellere omnes alios: *Luc. 6. 6. v.* 14. *ſeq. & op. Apol Paup. reſp. 3. c. 2.* De myſteriis nominum Apoſtolorum, & de hoc numero duodenario, & figuris variis Apoſtolorum. *Vide Luc. ibid.*

9. *Cur inter Apoſtolos adnumeratur Iudas proditor.*

Et Iudas, qui & tradidit eum. Cur inter ſanctos Apoſtolos adnumeratur Judas traditor? & cur hic fit mentio de ſuo peccato, cum nondum ipſum commiſiſſet? imò qui tunc erat bonus, & ſanctus? hoc eſt ut intelligamus, quod Chriſtus in eligendo eum, non ignoravit, qualis futurus eſſet, ſed cur ipſum elegit? quia hoc competebat humilitati Chriſti, quæ ex hoc elucebat, quod non recuſarit conſortium proditoris ſui; item & ſuæ benignitati, quia non ſolùm bonis, ſed & malis benignum ſe oſtendebat; congruebat etiam ſtatui præſenti Eccleſiæ, in qua mali permiſcentur bonis; item & conditioni noſtræ, ut non diffidamus, ſi viderimus aliquos, qui ſtare videbantur, cadere, & ne propter aliquos malos deſpiciamus bonos, tum ut omnes cum metu, & tremore vivant. *Luc. c. 6. v.* 14.

10. *Apoſtoli principaliter ad Iudæorum converſionem miſſi ſunt, ne daretur ulla excuſatio reprobationis eorum.*

In viam gentium ne abieritis, & civitates Samaritanorum ne intraveritis, ſed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domus Iſraël. Cur cum Chriſtus elegerit Apoſtolos, ut per totum mundum diſcurrant prædicando, ſtatim ac eos Prædicatores deſtinavit, ipſis vetat, ne ad Gentiles, & Samaritanos vadant, ſed ad oves Iſraël? nonnè & ipſi erant redimendi, & ſalvandi? ſed attende, quod hoc abſolutè eis non prohibuit, cum dicat, potiùs ite ad oves Iſraël; voluit enim ut primò, & principaliter prædicarent Judæis, & hoc, ne apud ipſos daretur ulla excuſatio, ut ſcilicet expulſi à Judæis, poſteà tranſirent ad gentium converſionem; ut pateat, quod vocati à Deo ſpeciali modo, ſi non convertuntur, nec ullam excuſationem habent, & loco illorum alii vocantur, qui accipiant coronam. *Ioan. cap. 4. verſ. 6.*

11. *Deus mittens Prædicatorem, & prædicationem alicui loco, ipſi appropinquare facit regnum Cœlorum.*

Et dicite illis appropinquavit vobis regnum Cœlorum. Quodnam eſt hoc regnum Cœlorum appropinquatum? hoc eſt Evangelii prædicatio; verbum enim Dei regnum Cœlorum eſt, & animæ Paradiſum, & participationem Paradiſi portat, nempè viſionem, & cognitionem Dei. *Luc. c. 10. v. 9. & op. in orat. Domin. & Luc. c. 18. verſ. 17. & cap. 9. verſ. 2. & capp. 22. verſ. 16. ſeq. & cap. 4. verſ. 2.*

12. *Prædicatorum munus eſt miracula ad imitationem Chriſti patrare.*

Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones ejicite. Ecce quid præcipit Chriſtus ſuis Apoſtolis, & Prædicatoribus, cum enim ſuprà ipſis dederit per infuſionem Spiritus Sancti virtutem, & poteſtatem ſuper omnes infirmitates, & Dæmones, nunc præcipit, ut ipſam exer-

ceant ad auditorum, & populorum ſalutem, ut ſcilicet virtutibus, & miraculis verbum Evangelii confirmarent; ſed cum hæc omnia dirigantur ad ſucceſſores Apoſtolorum, & miniſtros Evangelii, quomodo verificatur hoc promiſſum, & præceptum Chriſti? & quot ſunt Prædicatores, qui miraculorum gratiam non habent; pauci, pauciſſimi? ſed tamen Chriſtus, cùm non ſit acceptator perſonarum, & omnibus Prædicatoribus hæc verba direxerit, dicendum, quòd non eſt neceſſe, ut hæc verba verificentur ſemper materialiter, ſed tantùm ſpiritualiter; unde munus Prædicatoris eſt mortuos ſuſcitare, ſcilicet à peccati morte convertere ad vitam, & ſi hoc debent in mortuos, multò magis in infirmos ſpiritualiter. *Op. Eccleſ. Hier. p.3. c.1. & p.4.c.5.* Verbum autem Dei prædicatum eſt medicina omnium infirmitatum animæ, & medium ejiciendi Dæmones à peccatoribus. *Sermon. 3. Dom. 2. poſt oct. Epiph. & ſer.3.Dom.3.Quadrag.* Nec hoc mirum, quia verbum Dei prædicatum eſt verbum verbi incarnati, verbum veritatis, ſapientiæ virtutis, potentiæ, vitæ, & gratiæ *Op.Princip.S.Scrip.*

13. *Sola virtus præmium eſt virtutis, ſcilicet ſibi eſt præmium.*

Gratis accepiſtis, gratis date. Cur dicit gratis date? verum quidem quòd gratis à Deo nobis gratia exhibetur, alioquin non eſſet gratia, ſed tamen cum gratiam recipimus, vult, ut negotiando & per exercitium gratiæ nobis lucra ſpiritualia acquiramus; undè dixit negotiamini donec veniam; quomodo ergo nunc dicit gratis date? ſed optimè hoc dicitur, vult enim, ut imitatores Dei ſimus, qui gratis nobis gratias diſtribuit ſine intuitu ullius lucri ſibi obvenientis, ſic & nos ſine intuitu ullius mercedis eaſdem gratias in proximi utilitatem expendamus: ſed dices ergone virtutum actus erunt ſine mercede? minimè, ſed hoc dato etiam ipſa virtus ſibi pro præmio ſufficeret, eſt enim tam magna, tam ſublimis, tam pretioſa res ipſa virtus, ut nullo præmio hujus mundi poſſit æquiparari; ideò de ſe laudabilis eſt in dignitate, in ſublimitate, in jucunditate, in utilitate; ergo ad virtutis acquiſitionem aſpiremus, & in virtutis hoſpitio bono ſemper morari ſtudeamus. *Op. Comp Theol.lib.5.c.6. ſeq. ad 10.& ſer.2.Dom.3.poſt oct.Epiph.*

14. *Prædicatores verbi Dei; miniſtri Eccleſiæ gratis ſine præmii temporalis ſpe aliis communicent gratiam ſibi à Deo datam.*

Gratis accepiſtis, gratis date. Audiant hoc Prædicatores, Curati, Prælati, miniſtri Eccleſiaſtici, qui tot gratias à Deo gratis acceperunt: gratis accepiſtis, ait Chriſtus, gratis ſine veſtris meritis à Deo electi eſtis ad hæc miniſteria ſublimia, & honorabilia, gratis etiam ſine intuitu mercedis temporalis aliis date; cavete à negotiatione hac maledicta, cavete à ſimonia, & propter ſolum amorem Chriſti, & deſiderium ſalutis animarum, date, communicate veſtra dona, imò dona Dei; hoc & audiant Prædicatores, qui tanto ſtudio procurant loca, ex quibus lucra, & commoditates temporales ſperare poſſunt. *Luc. c.1. v.77.& c.3. v.11. & c.8. v.39. & c.9. v.1. Joan. collat.24. ſer.22. Hexam. Eccleſ.c.18. op.ſpec. anima c.2.op.Confeſſion.c.3.p.53.op.libel. Apologet.qu.19.*

15. *Prædicator abjiciat cupiditatem præſentium, & ſollicitudinem futurorum.*

Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris neque peram in via. Ecce quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus poſt commiſſam auctoritatem ſuis Apoſtolis, & Prædicatoribus, injungit honeſtatem converſationis, quæ conſiſtit in tribus, ſcilicet in paupertate omnium rerum, & præcipuè victus, & tenuitate veſtitus, & in humilitate convictus; undè ait nolite poſſidere aurum, argentum, & pecuniam, per quod cupiditatem omnium rerum præſentium ab ipſis abjicit, & eos ab omnibus rebus hujus mundi, præcipueque ab auro, argento, pecunia alienos vult, cui & addens, neque pecuniam in zonis, neque peram in via, abjicit ab ipſis ſollicitudinem futurorum. *Luc.c.9.v.3.ſeq.*

16. *Prædicator cupidus, & nimis ſollicitus de neceſſariis non Prædicator veritatis, ſed adulationis eſt: ubi de Prædicatoribus Ordinis Fratrum Minorum.*

Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam &c. neque peram in via &c. Quomodo hæc generaliter intimat Chriſtus omnibus Prædicatoribus? ergone aurum, & argentum, & proviſio neceſſariorum ſunt ipſis omninò vetita, cum videatur praxis in Eccleſia in contrarium? & cum dicat Apoſtolus, non alligabis os bovi trituranti? ſed in hoc diſtinguendum eſt, quòd ad duplicis generis Prædicatores diriguntur hæc verba: alii enim ſunt Chriſti perfecti imitatores, qui omnibus cum Apoſtolis renuntiarunt, iſtiſque litteraliter dicitur nolite poſſidere, ſcilicet nihil in mundo velitis poſſidere, neque ſollicitudinem de vobis ullam habeatis, ſed jactate veſtrum cogitatum in Domino, & tales voluit S. P.Franciſcus ſuos Filios; undè quando eos mittebat ad prædicandum dicebat eis, jacta cogitatum tuum in ſolo Deo: alii ſunt, qui capaces ſunt poſſeſſionis iſtarum rerum, qui licèt ad litteram hæc non obſervent, ſpiritualiter tamen ea obſervare tenentur, ſcilicet abjiciendo à ſe cupiditatem præſentium, & hoc quia Prædicatores cupidi, & nimis anxii in his terrenitatibus, non veritatis, ſed adulationis Prædicatores ſunt. *Luc. c.9.v.3.*

17. *Paupertas Apoſtolorum eſt quam Sanctus P. Franciſcus in ſua Regula ſuis Fratribus impoſuit: ubi de triplici gradu paupertatis.*

Nolite poſſidere aurum, neque pecuniam in Zonis veſtris. Quomodo hoc dicitur à Chriſto ſuis Apoſtolis, cum habuerint loculos? ſed attende ad id, quod dicunt communiter SS.Doctores: Chriſtus quidem habuit loculos non pro ſe, ſed pro aliis, ſcilicet pro pauperibus; & quia Chriſtus duplicis generis diſcipulos habuit? alii enim erant Apoſtoli, alii non tam perfecti, pro iſtis ædificandis loculos habuit, ut intelligerent poſſe

Digitized by Google

ſe ſibi neceſſaria providere, renuntiando tamen ſuperfluis; perfectis autem, ſcilicet Apoſtolis prohibuit omnem proviſionem; dicens nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, in Zonis veſtris, neque peram, ſcilicet neque pecuniam, ideſt nihil; in pecunia intelliguntur omnia bona hujus mundi; neque pecuniam, ait, in Zonis, qua neceſſaria vobis poſſitis providere, neque peram, ideſt neque ipſa neceſſaria poſſideatis, ſed omnibus, & ſuperfluis, & neceſſariis renuntiate, & tales voluit ſuos Apoſtolos; hocque voluit, tum ad majorem efficaciam prædicationis, tum ad abjiciendam terrenam ſollicitudinem, ut eis commendaret cæleſtem providentiam in Deo; tum ut virtuti perfectiùs incumberent; tum ut liberius poſſent prædicare; tum ne cor diviſum haberent, ſed ab omnibus rebus creatis expeditum; & hæc eſt illa abdicatio, quam exigit à ſuis S.P.Franciſcus, ut ab ipſorum cordibus radicem omnis avaritiæ expelleret, eoſque perfectos Apoſtolorum imitatores faceret. *Op. Expoſ. Regulæ c.4. ſer.2.in Pentec. op. Apol. Paup. reſp.3.c.3. reſp.4.c.1.* in quibus locis fuse explicatur quomodo Eccleſiæ Prælatis, & Clericis permittitur proviſio bonorum temporalium; idem & tractat de paupertate Chriſti.

18. *Triplex paupertas à Chriſto in Eccleſia ordinata; ubi de paupertate Fratrum Minorum.*

Nolite poſſidere aurum, neque argentum &c. neque pecuniam &c. neque duas tunicas. Nota, quòd ex his verbis infertur, quòd multiplex eſt gradus paupertatis: prima renuntiatio temporalium eſt relinquere ſuperflua, ſed non neceſſaria, undè hic dicit, neque duas tunicas, ideſt neceſſariam, & ſuperfluam, hanecque debent abjicere ſequentes Chriſtum: Secunda perfectio paupertatis eſt relinquere non ſolùm ſuperflua, ſed etiam neceſſaria, relinquere inquam in particulari, ſed non in communi, ſicuti habent ferè omnes Religioſi aliorum Ordinum, qui bona temporalia poſſident non in particulari, ſed pro neceſſitate communi: tertia perfectio eſt relinquere omnia ſuperflua, & neceſſaria in particulari, & etiam in communi, & ſe privare omni jure poſſeſſionis cujuſcumque rei, etiam quoad uſum; & hæc eſt, quam Chriſtus Jeſus ſuis Apoſtolis præcipit, & S. Franciſcus renovavit in ſua Regula, cum uſque ad illa tempora talis paupertas à nemine fuerit amplexata. *Ser.2.in Pentec. Op. Expoſ. Regulæ c.2.& 4. op. Determinat.qu.4.* Si autem quæratur quare S. Franciſcus talem expropriationem ordinaverit tam differenti modo à cæteris Ordinibus Reſpondetur, quòd perfectio diverſos habet gradus & alius alio ſublimior eſt. Hanc autem ſummam paupertatis perfectionem ſine præjudicio perfectionis aliorum Ordinum Sanctus Franciſcus in ſua Regula ordinavit; primò ut eſſet ſimilis perfectioni paupertatis Chriſti, & Apoſtolorum, ut ejus Ordo veſtigia Chriſti perfectiſſimo modo imitaretur; ſecundò ut laqueos avaritiæ facilius declinaret: tertiò ut culpas ſuperfluitatis plenius expiaret; quartò ut altioris meriti gloriam conſequeretur per varias virtutes paupertatis: quintò ut liberiores mente eſſent ſui Fratres ad ſpiritualia ſtudia orationis, contemplationis, lectionis &c. ſextò ut prædicationis officio expeditius intenderent: ſeptimò ut verbum Dei minus tepidè omnibus proponerent: octavò ut magis confidere omnes in Deum ſperantes docerent: nonò ut occaſione petendæ eleemoſynæ ad aliorum ædificationem frequentiùs exirent: decimò ut qui eis ſubveniunt in temporalibus fiducialiùs ſpiritualia requirant: undecimò ut magis cauti ſint ab omni ſcandalo, quo magis timent in temporalibus deperire: duodecimo, ut tamè humiliores ſint, quanto magis ſubſidio aliorum indigent, & quia ſpiritualia fidelibus ſeminant, non tantùm ex gratia ab eis carnalia ſubſidia expectant; dignus eſt enim operarius mercede ſua, ait hic Chriſtus. *Op. Determin. qu.4.*

19. *Apoſtoli diſcalceati incedebant, ſicut & Chriſtus tempore prædicationis, ſicus & Franciſcani.*

Neque calceamenta. Cur Chriſtus præcipit ſuis Apoſtolis, ut deponant calceamenta? hic oritur maxima quæſtio, an Chriſtus calceamenta portaverit? & videtur quod ſic, cum S. Joannes Baptiſta dicat ſe indignum ſolvere ejus calceamenta, *ſic Ioan.c.1. Marc.c.1. Luc.c.3. Matth.3.* & Petro dixit Angelus, calcea te caligas tuas *Act.12.* quibus non obſtantibus; Reſpondetur, quòd ut ſuprà ſuo loco dictum eſt, vel illa Baptiſtæ verba intelligenda ſunt ſpiritualiter, vel ſecundum uſitatum modum ad deſignandam ſuam humilitatem, ut dicitur etiam de eo, qui non laxat ſuas manus, non ſum dignus aquam effundere ſuper manus ejus: vel dato, quòd Chriſtus uſus fuerit aliquando calceamentis, tamen poſt inſtitutionem Apoſtolicæ Regulæ Chriſtus, ſuique diſcipuli ſine calceamentis ad litteram inceſſerunt: nam Chriſtus non habuit, quod non habendum docuit, qui primò cæpit facere, poſteà docere; igitur ut dicitur *Marc.c.6.* incedebant calceati ſolùm ſandaliis, & ad illud Actuum de Petro, reſpondetur, quod in textu Græco pro caligis, legitur ſandalia, quod communiter dicitur à SS. Patribus, & ideò S.P Franciſcus divino ſpiritu imbutus idem præcepit in ſua Regula, ſcilicet, ut Fratres ſui ſandaliis, vel ſoleis tantum uterentur. *Op. de ſandal. Apoſtol. op. Apol. Paup. reſp.4.c.1. Luc.c.10.v.4.*

20. *Nudum Chriſtum ſequi debent nudi ſui imitatores; & diſcalceati diſcalceatum.*

Nolite poſſidere, &c. neque duas tunicas, neque calceamenta. &c. Nota, quod voluit Chriſtus ſuos Apoſtolos veluti nudos, & omnibus bonis expoliatos ut nudi nudum ipſum ſequerentur, ſic dicitur Iſai.c.20. quod Iſaias nudus, & diſcalceatus ambulabat prædicans; ſed attende, quod quidam ſunt nudi, & diſcalceati, quidam nec nudi, nec diſcalceati, quidam nudi, ſed non diſcalceati, quidam diſcalceati, ſed non nudi: qui non ſunt nudi, nec diſcalceati ſunt divites mundi, qui nec poſſeſſione rerum, nec cupiditatis affectu exuti ſunt, & rebus abundant, & adhuc cupiditatibus inhiant; nuditas enim eſt carentia poſſeſſionis rerum, diſcalceatio eſt carentia affectionum

ctionum cupiditatis, pedes enim ſunt affectus animæ,nudi autem, & non diſcalceati ſunt pauperes mundi, qui etiamſi res non habeant, cupiditate tamen habendi exardeſcunt; diſcalceati verò, & non nudi ſunt divites boni, qui cum divitias habeant, cupiditate tamen earum carent; nudi verò, & diſcalceati ſunt, qui omnibus rebus, & cupiditatibus exuti ſunt, qui nec proprietatem in aliqua re, nec cupiditatem in corde habent.& tales voluit Chriſtus ſuos Apoſtolos ut nudi, & diſcalceati,nudum, & diſcalceatum Chriſtum ſequerentur; taleſque voluit S.P.Franciſcus ſuos filios;voluit inquam, quod non ſolùm eſſent pauperes, ſed etiam apparerent, & ad paupertatem magis exemplis, quàm verbis vocarent, & quia paupertas apparet de ſe vilis,& turpis, junxit ei dotem maximam, ut per illam faciliùs in conjugium poſſet aſſumi,cum dixit Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum. *Luc. cap.10. v.4.ſermon.1. in Pentecoſt.*

21. *In quo ſenſu Chriſtus prohibuerit duas tunicas.*

Neque duas tunicas. Si hoc Chriſtus prohibuit ſuis Apoſtolis, quomodo poſtea S. Franciſcus in ſua Regula duas tunicas concedit? ſed reſpondetur,quod per duas tunicas intellexit Chriſtus unam tunicam neceſſariam, aliam ſuperfluam, ſicque præcepit, ut omnia ſuperflua abjicerent: S.Franciſcus verò ad litteram concedit duas tunicas,ſed tantum tempore neceſſitatis, ſi enim una ſola ſufficit, aliam rejicit. *Luc.c.9. v. 3. op. Expoſ. Regulæ c.1.op.Apol.Paup.cit.* Spiritualiter autem duplicitas prohibetur, ſcilicet ne habeant aliam veſtem in occulto, & aliam in aperto.

22. *Quid intelligit Chriſtus præcipiendo, ut virgam non deferrent Apoſtoli.*

Neque virgam. Quomodo hic virga prohibetur Apoſtolis, cum virgam in Marco c.6. concedat, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum? ſed attende ad myſterium: virgam non ferre ideſt ſuſtentaculum, eſt ſollicitum non eſſe, nihil niſi virgam ferre eſt uti conceſſa Prædicatoribus accipiendi poteſtate, edendo, & bibendo quæ ſunt neceſſaria. *Luc.c.9.v.3.*

23. *Prædicatoribus licet accipere ſtipendium pro labore ob neceſſitatem, non ob cupiditatem.*

Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Quomodo Chriſtus infert hanc propoſitionem ex antecedentibus, cum omnium rerum expropriationem præceperit? ſed rectè infertur nempè voluit ſignificare, quod licet velit Prædicatores expropriatos omni cupiditate, admittit tamen quod poſſint recipere neceſſaria pro labore ſuo.ut dum ipſi ſpiritualia ſeminant, carnalia poſſint metere & recipere. *Luc.c.8.v.3.& 39.c.10.v.7. op. determin.9* 4. Dat etiam intelligere, quod ſectatores Chriſti debent expectare non ab hominibus, ſed à Deo remunerationem,& pro hac vita eis ſufficere debet pro præmio ipſa virtus, & in alia gloria æterna. *ibid.Vide ſuprà n.13.*

24. *Prædicator inſtruitur circa electionem hoſpitii: Ubi de vitandâ cohabitatione malorum.*

In quamcunque civitatem, aut caſtellum intraveritis, interrogate, quis in eâ dignus ſit. Vide quomodo adamuſſim Chriſtus in omnibus, & per omnia inſtruit ſuos Apoſtolos, & Prædicatores ut vitent quidquid poteſt præjudicium aliquod fructificationi verbi Dei afferre: hic enim de habitatione Prædicatoris documenta tradit: Vult enim, ut miſſi ad prædicandum in aliquo loco, prius interrogent, quis in eâ Civitate, & loco dignus ſit ipſorum cohabitatione, ne temere ad hoſpitem quemlibet divertant, & impiorum hominum cohabitationem, ac conſortium diligenter vitent: hoſpes enim (ait Sanctus Hieronym.) famâ eligendus eſt populi, & judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas ſuſcipientis infamiâ deturpetur, ſed eligere debent dignum, ſcilicet Dei cultorem: quo hoſpitio invento, & acceptato: ibi manete (ait Chriſtus hic) & S.Luc. Inde ne exeatis, ſcilicet propter melius requieſcendum: mutatio namquè hoſpitii teſtatur impatientiam in Prædicatore, qui pro modicâ causâ non poteſt quieſcere: tum quia alienum eſt à Prædicatore curſitare per domos, & immobilis hoſpitii jura violare: hujus autem inconſtantiæ mater eſt ſuperbia, quæ cum nullo poteſt in pace cohabitare. *Luc.c.9.v.4.*

25. *Beneficus in pauperes Chriſti, dum dare videtur accipit.*

Interrogate quis in ea Civitate, vel Caſtello dignus ſit, & ibi manete, donec exeatis. Quid eſt,quod quærere debet Prædicator? Interrogate, quis in ea dignus ſit,ait Chriſtus: Quinam re dignus? dignus tanto hoſpitio, ſcilicet veſtra cohabitatione: dignus pace, quam vos annunciaturi eſtis: Ergo verum eſt,quod beneficus in pauperes Chriſti, dum dare videtur accipit ipſe: Sed quid accipit? Accipit, & acquirit multa bona: primò enim meretur mundationem peccatorum, defenſionem à multis malis corporalibus, victoriam de hoſtibus, mitigationem concupiſcentiarum, & fiduciam in Deo, æternamquè mercedem. *Luc.c.11.v.41.& c.12.v.32.*

26. *Miniſtri Chriſti recipiendo à benefactoribus eleemoſynam, ipſis eandem ſimul conferunt, atque elarginantur: Ubi de ſalutatione proximi.*

Intrantes autem in domum, ſalutate eam, dicentes pax huic domui. Vide quomodo Chriſtus inſtruit ſuos diſcipulos, & Prædicatores, quid ſibi faciendum eſt,quando admittuntur in hoſpitio à fidelibus, & miſericordibus, & qualem gratitudinem ipſis exhibere debent: ſaluate eam, ſcilicet habitatores domus vos recipientes: ſed quid eſt ſalutate, ideſt ſalutem eis optando præcamini, nimirum per remotionem omnis mali, & adeptionem omnis boni: & dicite pax huic domui, ut ſcilicet appareat, vos eſſe amatores pacis, & annunciate eis pacem, ad bonum, & utilitatem ſpiritualem, & temporalem, quæ eſt majus bonum,atquè utilior benedictio, quæ in

hac

hac vitâ poſſit haberi: Per hocque patet, qualis ſit retributio miniſtrorum, & ſervorum Chriſti ſubvenientibus ipſos eleemoſynis, & ſubſidio corporali, unde ſubjungit Chriſtus: *& ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra*, ideſt efficaciter ſuper illum deſcendet pax à vobis nuntiata. *Luc.c.*10.*v.*4.*&* 5.*&* 6. *expoſ. Regul. c.*3.*ſer.*2.*de B. Virg.* Sed hîc ſuboritur dubium: quomodò hic præcipit ſuis Diſcipulis Chriſtus, ut ſalutent habitatores domus, in quam recipiuntur, & poſtea *Luc c.*10. vetat eis ſalutationem alicujus in viâ, neminem ſalutaveritis in viâ? ſed tamen nulla eſt contrarietas: nam ad litteram prohibet ſalutationem in viâ, non ad declinandum affabilitatis indicium, cum ipſe fuerit benigniſſimus, & curialiſſimus, ſed ad declinandum multiloquium, & confabulationes impedientes executionem injuncti officii: & ideo dixit: *neminem ſalutaveritis in viâ*: Nota, ly. in viâ, ideſt ibi remorando, & tempus perdendo in loquacitate, & multiloquio: ſpiritualiter dicit etiam, in viâ, id eſt nemini ſalutem optate, quæ eſt ſolum ſalus viæ, ſed ſalutem ordinatam ad patriam: Item, viæ, nempè non propter ſalutem viæ, ſed vitæ, ut diſcamus, quod nobis non eſt ſalus propter ſocietatem, & collocutionem cum ſanctis, etiamſi è Cœlo nobis adſtent collocuturi, ſed propter imitationem: dicitur in viâ, quia nemo, dum moratur in hac vitâ certus eſt de ſalute. *Luc.c.*10.*v.*4.

27. *Pacis annunciatio quale bonum.*

Et dicite pax huic domui. Sed quid eſt hoc? quale bonum eſt iſta ſalutatio, & hæc annunciatio pacis à Prædicatoribus facta? Maximum bonum, & majus omnium bonum eſt iſta pax, quam ſalutando annuntiabant Apoſtoli, & annuntiant ſervi Dei ſuis benefactoribus, & omnibus fidelibus: hoc enim eſt idioma oris Chriſti, oris Apoſtolorum, & habitatorum cæleſtium, & Diſcipulorum Chriſti: pax vobis, dicebat, ſalutando Chriſtus ſuos Diſcipulos: pax hominibus bonæ voluntatis canebant Angeli in ortu Salvatoris: pax vobis dicebant Apoſtoli, & hanc ſalutationem impoſuit ſanctus Pater Franciſcus ſuis fratribus, præcipuéque Prædicatoribus, & meritò, quia hoc eſt encænium, & donum; benedictóque, quam Chriſtus ſuis teſtamento reliquit. *Luc. cap.* 2. *verſ.* 14. *&* c.8. *verſ.*48.*Op.Expoſit.Reg.c.*3.*Op.Diæt.tit.*7.*cap.*5.*& Luc.c.*10.*v.*6. Et nota, quod ſubjungit Chriſtus: quod ſi ibi fuerit filius pacis, veniet pax veſtra ſuper illum: ſin autem, ad vos revertetur, nempe veſtra ſalutatio, & annuntiatio pacis maximam utilitatem dignis afferet: non verò indignis, ſed ad vos revertetur, quia vobis ſaltem erit utilis, & meritoria *Luc.c.*10. *v.*6.

28. *Deſpicientes prædicationem, & Prædicatores verbi Dei, deſpici, & relinqui debent.*

Et quicumque non receperint vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras, excutite pulverem de pedibus veſtris. Vide hîc, quàm verum ſit, quod qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus, & quod Deus neminem deſerit, niſi prius ipſe deſeratur: Nam mittens Apoſtolos, & Prædicatores ad ſeminandum verbum ſalutis ad Civitates, & loca, jubet, ut ſi qui protervi, inveniantur recuſantes eos accipere, & audire verbum Dei, ipſi ab eis ſe ſeparent, declinantes eorum malitiam, excutiendo etiam pulverem de pedibus ſuis ſcilicet nihil retinendo de eorum malâ converſatione, tumore, vana gloria, & aliis vitiis. *Luc.c.*9.*v.*5.*&* c.8.*v.*37.

29. *Caveant Prædicatores, & Confeſſores, ne pulvere vitiorum illorum, quos curant, inficiantur:* Unde hic dicitur à Chriſto *excutite pulverem de pedibus veſtris*, pulverem, ſcilicet mundanæ gloriæ, vel ſordium illorum, ad quos miſſi eſtis prædicare; vel qui ad vos veniunt, ut ſanitatem animæ acquirant: excutite, ita ut nihil in vobis ſordis illorum remaneat. *Luc. c.*9. *v.*5. *op. Confeſſion.c.*1.*p.*2. ſimplex autem pulvis excutiendus, ſcilicet inanis gloriæ, cupiditatis terrenæ, & indignationis, & impatientiæ: primus excutitur conſideratione ſui, cogitando ſcilicet, & attribuendo ſuam prædicationem ſpiritui Dei, qui per ipſum loquitur: ſecundus per memoriam mortis, & præmii cæleſtis: Tertius excutitur per rememorationem Chriſti, contra quem perſecutiones tot, & tam diræ inſurrexerunt. *Luc. cap.*10. *v.*11. Nota etiam, quod dicit pulverem, non lutum, quia boni etiam aliquando pulvere levis cogitationis, vel vanæ gloriæ, vel negligentiæ in pedibus, ſcilicet in voluntate tanguntur, ideo talis pulvis diligenter excutiendus. *Luc.c.*2.

30. *Chriſtus exponendo oves ſuas rabiei luporum, hos lupos venatur, & in agnos convertit.*

*Ecce mitto vos ſicut oves in medio luporum; ſicut agnos inter lupos, legit ſanctus Lucas v.*16. Quomodò, & cur Chriſtus expoſuit ſuos dilectos Apoſtolos veluti oves, & agnos crudelitati tot luporum, quot erant idololatræ, & inimici nominis ejus? quomodò, qua arte ſe defendent inter tot perſecutiones, & crudelitates? ſed attende ad artem, & induſtriam Chriſti mirabilem: Conſuevit luparius, & venator luporum exponere agnum, vel ovem lupo, ut cum agno capiat lupum. Iſto modo novo venationis uſus eſt Chriſtus, qui lupis crudelibus, ſcilicet Principibus mundanis expoſuit Apoſtolos, & ſuos ſervos, & per iſtos cepit Principes, & Reges mundanos, de illiſque triumphavit. Vide ergo quomodò oves vincerent lupos, & lupi vincerentur ab ovibus, & agnis: ſint igitur oves, & agni Prælati, & Prædicatores, Curatique animarum, ſic enim triumphabunt de lupis, eoſque in oves, & agnos convertent: & ſi fiunt lupi, à lupis vincentur. *Op.Diæt.in apend.pro Apoſt. & Luc.c.*10.*v.*3.*& ſer.*2.*de dedicat. & ſer.*1.*Dom.*1. *poſt Pent* Nota etiam, quod hic aſſignat diſcrimen inter ſequaces ſuos & ſequaces mundi: iſti ſunt lupi ob avaritiam, & crudelitatem, & perverſitatẽ, verè lupi inhiantes ad rapiendum rem alienam, ad vindictam, ad voracitatem: illi agni, & oves inter lupos habitantes, ſervant ſcutum innocentiæ ſine morſu malitiæ dicentes, maledicimur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus. *Ser.*2.*Dom.*1.*poſt oct.Paſcha.*

31. *Vocati à Deo ad ſuum obſequium ſe præparent ad tentationes, & tribulationes.*

Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum: ite ecce mitto vos ſicut agnos inter lupos, ait ſanctus Lucas. Quid eſt iſte quod? Ite, ait Chriſtus vos, quos conſtitui oves, & agnos meos: Ite ad lupos vos, quos vocavi ad meam ſequelam: Ite, ſcilicet expeditè in ſimilitudinem fulguris coruſcantis: Ite, & pro ſalute luporum periculis vos exponite; vitamque veſtram morti, luctæ & certamini: Ite, inquam, ſicut oves, & agni, ſcilicet humilitate, & manſuetudine præditi ad lupos, & vos exponite in medio luporum, & triumphabitis, quia ego ſum, qui miſi vos. *Luc. c.10. v.3. & Op. in append. pro Apoſtol.*

32. *Chriſti ſequaces ſint prudentes ſicut ſerpentes.*

Cur ſicut ſerpentes? Ergone ſerpentes habent prudentiam, quæ eſt ſcientia docens apprendere bonum, & fugere malum? nonne ſerpens animal irrationale eſt? ſed attende quod licet ſerpens, ut animal irrationale propriè, & in rigore prudentiam non habeat, præditus tamen eſt tali induſtriâ quæ aliqualem ſimilitudinem habet cum prudentiâ, ad cujus ſimilitudinem intendit Chriſtus ſuos informari à minori ad majus: Hæc autem eſt multiplex: & primò patefit ejus aſtutia in cuſtodiâ capitis, quia pro capite ſalvando totum corpus exponit verberibus: ſic ſervi Dei pro ſervando capite quod eſt Chriſtus, ejuſque gratiam, & amorem, omnia alia, etiam vitam ipſam morti exponunt: ſecunda aſtutia eſt depoſitio pellis veteris: ponit enim ſe in arto foramine, ubi renovatur. ſic ſervi Dei in arctâ pœnitentiæ cuſtodia ſe incarcerant ad deponendam veterem converſationis veſtem, & ad novam inducendam: ad hoc enim inſtitutæ ſunt auſteritates Religionis, ut per eas renoventur Religioſè, & novam veſtem induant converſationis, & vitæ: Tertia eſt deluſio incantatoris, obturando unam aurem in terrâ, & aliam caudâ: ſic Sancti deludunt tentatorem diabolum, obturantes unam aurem cum caudâ, ideſt memoriâ mortis, & aliam cum terrâ, conſideratione nempè propriæ fragilitatis: quarta aſtutia eſt infidiatio pedis, ſcilicet calcaneo, non capiti: ſic ſancti ſuperant deſideria carnis, attendentes ad finem delectationis, qui eſt mors æterna: quinta aſtutia eſt fuga mulieris: ex proprio enim inſtinctu fugiens mulieres latitat ſe ſub ſpinis: ſic juſti propter inimicitias fornicationis, fugiunt conſortium mulierum, & latitant ſub ſpinis pœnitentiæ: Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, ait Salvator, &c. *Op. Diet. Tit. 1. c. 3. op. appendix pro Apoſt. ſer. 1. Hexam. & ſer. 4. Dom. 4. Adv. & ſer. 2. de uno S. Doct.*

33. *Prudentia ſerpentina ſit copulata cum ſimplicitate columbæ.*

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cur addit ad prudentiam ſerpentis ſimplicitatem columbæ? nonne ſufficiebat prudentia virtuoſa? optimè iſta duo Chriſtus connectit: nam cùm nos invitat ad prudentiam ſerpentinam, ne iſta aſturia ſit virulenta, ne ſcilicet in humanam aſtutiam declinet, exigit ſimplicitatem tendentem ſolùm in Deum, ejuſque voluntatem, & ſic his virtutibus ornata anima, ſecurè inter lupos ſe exponit pro Chriſto, miniſteraque pulchra pro Chriſto exercebit. *Op. Diet. ibid. Jean Gerſon. ſer. 90. op. de 7. Jniatr. æterna. d. 7. & item. 1. d. 6.*

34. *Malorum ſocietas transformat homines in ſerpentes.*

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, &c. Cavete autem ab hominibus. Quid eſt hoc, quod Chriſtus ſuos ſervos mittit ad ſerpentes, irrationales ad addiſcendum; & eos admonet, ut caveant, & fugiant homines? nonne apud ipſos melius eſt morari, quàm apud ſerpentes? ô attendant juſti, qui Deo volunt ſervire, diſcant prudentiam à ſerpentibus, & ſimplicitatem à columbis, ſed caveant ab hominibus, ſcilicet iniquis, caveant à ſocietate malorum: unde ſuprà dixerat Apoſtolis, quod ſi invenerint depravatos ſe nolentes reducere ad bonam frugem, exeuntes foras de domo, vel Civitate, pulverem de pedibus veſtris excutite, ſcilicet, ut oſtenderent ſe nihil cum eis velle habere commune: ſic, ſic periculoſa eſt malorum ſocietas non ſolùm in terrâ, ſed & in Cœlo. *Ser. 1. Dom. 3. poſt oct. Epiphan.* Unde poteſt dici, cavete ab hominibus tanquam ab incantatoribus, ne vos in ſerpentes, vel in beſtias monſtruosâ metamorphoſi transformet. *Sic S. Paulinus, &c.*

35. *Nil homini nocentius homine.*

Cavete autem ab hominibus, tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis flagellabunt vos. Vide, & audi rem mirabilem: homo dicitur ab humo, quia ſubjectus eſt infinitis miſeriis, ærumnis, morbis, infortuniorum caſibus, tum internis, tum externis, & tamen Chriſtus non admonet Apoſtolos ab iſtis cavere, ſed tantùm ab hominibus? Cur ab hominibus? nonne in homine inſita eſt naturaliter humanitas, & benevolentia connaturalis, quâ ob ſimilitudinem reſpicit alium hominem? nonne ſimilitudo eſt incentivum amoris inter ſimilia? Cur ergo homini ſuadet, ut caveat ab homine? ut fugiat hominem? ne ſeipſum fidet homini? homo enim eſt animal naturâ manſuetum, ratione diſcretum, ſtaturâ erectum, cur ergo vitandus? ſed attende quod ſequitur: *Cavete ab hominibus: tradent enim vos in Conciliis, & in ſynagogis flagellabunt vos, & ad Reges, &c.* Nota, ly, in Conciliis, & in ſynagogis, ſcilicet in illis locis, ubi conſilia diſcutiuntur in ordine ad bonum publicum, & in locis, ubi actus religionis exercentur, ibi experiemini omne genus crudelitatis ab hominibus, non à ſerpentibus, non à feris non à beſtiis, ſed ab hominibus: & meritò dicitur ab hominibus, quia licet amor naturaliter ingeratur à ſimilitudine, tamen ubi eſt imperium voluntatis, & malæ voluntatis, ibi etiam major crudelitas in ſimilem ſæpe oritur: & hinc eſt quod homo habens uſum rationis, ſed liberè & malè utens ratione eſt beſtialior quâcumque beſtiâ, & crudeliot in homi[illegible] quàm ſerpens in ſerpentem, quod continuâ patet experientia. *L. 2. d. 6. a. 1. q. 3. ad 3. ſermon. 4. Dom. 3. Pent. Sap. c. 8.*

36. *Chriſtus munivit ſuos ſervos contra omnes perſecutiones.*

Tradent vos in conciliis, & in ſynagogis flagellabunt vos. & ad Reges, & Præſides ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus. Nota, quod Chriſtus Jeſus munivit his verbis ſuos miniſtros contra puſillanimitatem, auferendo ſollicitudinem de periculo, & conferendo certitudinem de præſidio: & quia à Judæis, & gentibus perſecutiones paſſuri erant, hic tria genera perſonarum enumerat, coram quibus formidaret homo loqui, ſcilicet coram multis, coram peritis, & coram magnis: coram multis, cum dicitur, in Synagogis: coram peritis, cum dicitur, in conciliis: coram magnis, cum dicitur, & ad Reges, & Præſides &c. contra quos Dominus promittit eis ſuam aſſiſtentiam, ſapientiam, & Spiritus Sancti eloquentiam. *Luc.c.12. v.11.& c.21. v.15.ſeq.*

37. *Chriſtus quovis miraculo certius, & expreſſius ſeipſum prædicatione ſui verbi manifeſtat.*

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Notandum hic, quod Chriſtus volens munire, & armare ſuos Diſcipulos contra omnes perſecutores, ut non timeant eorum potentiam, & crudelitatem, & ut eos converterent ad fidem, eis non promittit potentiam, & virtutem miraculorum, ſed tantum Sapientiam, & eloquentiam: dabo vobis os, & ſapientiam, ait *Luc.c.21.* & hic, *Spiritus Sanctus loquetur in vobis.* Cur hoc? ergo efficaciam converſionis infidelium magis collocat in ſermone, quàm in miraculis? maximè? plus in efficacià verbi Dei, quàm in miraculis, & hoc eſt, quod dixit Abraham diviti ipſum roganti, ut mitteret Lazarum ad ſuos fratres, ut teſtaretur illis ipſius damnationem: Non reſpondit Abraham, ſcilicet Deus, habent Moyſen, & Prophetas, audiant illos, & ſi hos non audient, nec credent mortuis ſuſcitatis: & ratio eſt, quia qui non credit teſtimonio magis credibili, quale eſt verbum Dei, nec credet minus credibili, ergo qui non convertitur ad prædicationem verbi Dei, nec convertetur ad miracula. *Luc. c.15. v.28.ſeq. ad finem.*

38. *Prædicatio verbi Dei qualiter exercenda, & quoad præparationem & quoad executionem.*

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. & in Luc.c.12. Nolite ſolliciti eſſe qualiter aut quid reſpondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim Sanctus docebit vos in illa hora, quid loquamini. Si hoc, ergo Prædicatores nullam ſollicitudinem in præparando ſe ad exercitium prædicationis? Et hoc eſt velle, quod Deus ſemper faciat in prædicatione miracula? nonne hoc eſt temare Deum? ſed attende, quod hic removet à Prædicatoribus, non ſollicitudinem ſtudioſitatis, ſed curioſitatis: non enim intendit retrahere à ſtudio veritatis, cum dicat *S. Ioan. c. 5. ſcrutamini ſcripturas: & in Prov. Ne innitaris prudentiæ tuæ, ſed tolle ſtudium vanitatis, atque curioſitatis:* non enim quærendus eſt ornatus verborum, nec profunditas ſententiarum, ſed mera, & ſimplex fidei veritas cum multâ conſtantiâ, & fervore prolata, & hoc maximè in neceſſitate, & præcipuè in periculo mortis, ne confidant de inventionibus ſuis, quia homo deficit in inveniendo, fallitur in judicando, & ideo deviat frequenter innitens ingenio ſuo: ſed innitatur aſſiſtentiæ Spiritus Sancti. *Luc. c.12. v.11. & 12.* Et hoc eſt, quòd à viris illuminatis ſapientiâ cæleſti, & experientiâ dicitur, nempè Prædicatorem in præparando ſe concioni, ita ſeduld operetur, & ſtudio incumbat, quaſi à Deo nullum ſpeciale auxilium habiturus, cum autem actu prædicat, ſe totum ſpiritui divino committat, ac ſi ipſe nihil eſſet operaturus.

39. *Vana gloria evitanda à Prædicatoribus.*

Non enim eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri eſt, qui loquitur in vobis. Perpende hæc verba Chriſti Prædicatoribus dicta, & hæc confer cum ſupradictis, *Excutite pulverem de pedibus veſtris:* pulverem ſcilicet vanitatis, curioſitatis, & vanæ gloriæ: & hoc per conſiderationem ſui, quando laudantur, & cum applauſu audiuntur à populis: ô ſtulti excutite hunc pulverem de cordibus veſtris, conſiderando veſtram miſeriam, & fragilitatem; & quod non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Sanctus eſt, qui per vos loquitur. *Luc.c.10.v.11.*

40. *Spiritus Sanctus eſt, qui loquitur per Prædicatores bonos, & ſanctos.*

Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Quid eſt, quod loquitur Spiritus Sanctus? ſed attende ad promiſſionem Chriſti *Luc.c.21. Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarii veſtri.* Nota, ly, os, & ſapientiam: ſapientiam in corde, & eloquentiam in linguâ: ſapientiam, nempè doctrinam, illuminationemque veritatis, virtutem, & conſtantiam, atque fervorem, quibus poſſitis eſſe ſuperiores omnibus Principibus & Poteſtatibus, & eloquentiam, vel rethoricam efficaciſſimam in ore: Et hoc eſt, quod ſancti martyres, & puellæ, & pueri tot mirabilia, & fecerunt, & dixerunt contra Tyrannos, dum ſubjecti pœnis, flagellis, tormentis, ignibus, & cruciatibus tam liberè fidem Chriſti prædicabant, & eorum violentiam deridebant. *Ser.2.de S. Agnete. Luc.c.21.v.15.ſeq. Ioan. c.1.v.32. Pſal.61. Sap.c.7. Luc.proem.*

41. *Deum vel diabolum in corde reſidentem, nulla re aptiùs, quam linguâ homines manifeſtant.*

Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur. Ecce quomodo nos docet, quo ſigno poſſit cognoſci, an Spiritus ſanctus, an verò Spiritus diabolicus reſideat in corde hominis, ſcilicet ſermone, & verborum prolatione? cum

cùm enim verbum ſenſibile ſit ipſa vox ſignificativa prolata ad extra exprimens conceptum interiorem, & id,quod in corde reſidet. *L.1.d.17. p.2.a.1.q.4.l.2.d.10. a.3. q.1.* hinc fit, quod ex qualitate ſermonis egredientis de ore, manifeſtatur, an Spiritus ſanctus reſideat in corde, an verò ſpiritus diabolicus: ſi enim utilia, & ſancta, & ædificatoria verba loquimur, tunc ſignum eſt, quod in corde reſidet Spiritus ſanctus qui ſe diffundit à corde per os confeſſione fidei, & laudis divinæ: ſi verò detractoria verba, & increparoria, contentioſa, ſcurrilia, & carnalia proferantur, tunc ſignum eſt, quod ſpiritus diabolicus,& ſerpens infernalis reſidet in corde, & per os,& linguam perverſorum loquitur. *Ser.11. Pent.* Qui enim eſt in mundo, & mundana non loquitur, evidenter demonſtrat ſe de mundo non eſſe:qui enim de terrâ eſt,de terrâ loquitur, quia unuſquiſque ex ſermonis qualitate dignoſcitur, an ſit de terrâ, an de Cœlo,an de inferno. *Op. de perfect. vitæ c.4.*

42. *Perſecutiones Apoſtolorum publicæ, & privatæ à Chriſto prædictæ,ut ſe ad ipſarum tolerantiam præpararent, & cognoſcerent bonum quale ex tribulatione.*

Tradent enim vos in conciliis, & ſynagogis flagellabunt,&c.tradet autem frater fratrem,&c. Nota quod in his verbis Chriſtus prædixit Apoſtolis duplicem perſecutionem contra eos inſurrecturam, ſcilicet publicam à conciliis, ſynagogis, & Regibus;& privatam, quæ erit omnium duriſſima, nempè à fratribus, & parentibus, à filiis, & à domeſticis: quia graviſſimum eſt pati ab iis qui potiùs deberent diligere,& fovere:ſed tamen mitigat eorum dolorem, dum addit propter nomen meum,& in teſtimonium illis,nempe oſtendens, quod eorum paſſiones illis evenient ſolùm, quia credunt in Chriſtum,& virtutis propriæ.& fructuum, quos habebunt ex talibus perſecutionibus, quod tamen reſultabit in inimicorum damnationem. *Luc.c.21.v.12.ſeq.ad 17.*

43. *Tribulationes toleratæ teſtimonium prædeſtinationis ſunt.*

Et ad Reges, & Præſides ducemini in teſtimonium illis,& gentibus. Quid eſt in teſtimonium? In teſtimonium dilectionis divinæ, ſcilicet, quod vos eſtis filii Dei dilecti; quod eſtis de numero prædeſtinatorum, quia per multas tribulationes oportet introire in Regnum Cœlorum. *Luc.c.21. verſ.13.*

44. *Inter impios, & juſtos ſemper fuit contrarietas.*

Tradet autem frater fratrem, &c. propter nomen meum. Ecce cauſa,quare juſti ab impiis perſecutiones patiuntur: hoc enim ſemper fuit proprium invidorum, & malignorum contra bonos inſurgere, nolunt enim ſe meliorem vivere, ne ex vitâ ſanctâ ipſorum ſibi adveniat improperium,& confuſio. *Luc.c.21.v.17.*

45. *Sola perſeverantia coronatur.*

Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Sed in quonam debet eſſe hæc perſeverantia? ſuprà enim affert perſecutiones, quas ſuis Apoſtolis prædixit, nec aliud proponit, niſi hoc:*qui autem perſeveraverit, &c.* ſed attende ad illud verbum ſuperius (propter nomen meum) alludens ad patientiam, quâ propter nomen Chriſti tolerantur paſſiones, & hinc ſubdit: qui autem perſeveraverit uſque in finem, ut pateat, cùm omnes virtutes currant ad pallium, & coronam mereantur, tamen ſola perſeverantia accipit bravium, & coronam: & ideo ipſa ſola eſt, quæ perficit inchoata, quæ impetrat poſtulata, quæ ſtabilit acquiſita:ſic,ſic igitur currite exemplo Chriſti, qui uſque ad mortem perſeveravit, patiendo, & operando, ut comprehendatis. *Op. Diæt.tit.8.c.2.& op.de dono fortitud. c.3. Pſal.33. & 82.& 142.Eccleſ.c.7.ſer.1.Dom.infr. oct. Nativit.ſer.3.de Apoſtol.Luc.c.10. v.4. & c.11. v.10. Ioan.c.8.v.32.& c.10.v.5.*

46. *Fuga perſecutionum licita eſt viris imperfectis,& etiam perfectis.*

Cum autem perſequentur vos in iſtâ Civitate, fugite in aliam. Quomodò, cum ſuprà ſuaſerit Chriſtus tolerantiam, & perſeverantiam uſque in finem, modò ſuadet fugam perſecutionum? ſed reſpondetur, quod omnia tempus habent, & non omnia omnibus competunt: ſic enim Chriſtus condeſcendit aliquando infirmis, abſcondendo ſe à quærentibus ipſum interficere: Et per hoc datur documentum & imperfectis, & perfectis: illis fugiendi à perſecutionibus propter cavenda pericula, ſcilicet cum viderint ſe exponi periculo labendi: perfectis verò, cum viderint quod magis expedit ſaluti populi,quod fugiant. *Luc.c.21.v.21.& c.9.v.56.*

47. *Qui diſcipulatum Chriſti profitetur debet cum Chriſto & ad exemplum Chriſti vivere.*

Non enim eſt diſcipulus ſupra magiſtrum,nec ſervus ſuper Dominum ſuum. Unde proponit ſeipſum exemplar ſuis ſequacibus, ut addiſcerent, quod ſicut vita, & via Jeſu Chriſti fuit tota in paupertate, humilitate, in laboribus, in ærumnis uſque ad crucis mortem;& talis debet eſſe vita, & via ſuorum ſequacium, alioquin nomen, non rem habebunt tantùm diſcipulorum Chriſti. Audiant hoc Religioſi, & diſcant à Chriſto humilitatem, & tolerantiam, quia qui vult aliis præeſſe,ſupra magiſtrum vult eſſe. *Diæt. tit.7. c.1. op. expoſit.Regul.c.4.op.de perfect. vitæ c.2.Io. cap.14. v.18. & collat.62.Luc. c.6. v.40.* Ergo ut bonus Chriſti diſcipulus, attende non ſolum ad id, quod fecit Chriſtus pro te, & ad modum, ſed etiam ad cauſam, quia paſſus eſt propter tuam redemptionem, illuminationem,juſtificationem, & glorificationem,ita tu ſemper attrahe tibi hoc beneficium, quaſi pro te ſolo paſſus: ita cogita ſemper, ut quidquid legeris, vel cogitaveris, quaſi dicat Chriſtus, hoc feci, ut ſequaris veſtigia mea, te humilies, patiens ſis, tollas crucem tuam, & ſequaris me, quia non eſt ſervus

ſuper

ſuper Dominum ſuum. *Op. faſcicul. cap.* 8. *in fine.*

48. *Nihil ſive bonum, ſive malum occultum, quod non reveletur, neque abſconditum, &c.*

Audiant hoc boni, & mali : audiant boni, & intelligant, quod ipſorum bona opera Deo nota ſunt, licèt occulta hominibus, quæ tandem à Deo manifeſtabuntur : Audiant mali, & intelligant, quod eorum malitiæ coram omnibus hominibus cum maximâ ipſorum confuſione revelabuntur in judicio, & ut plurimum etiam in hoc mundo : ſtultum ergo eſt ad tempus abſcondere, quod manifeſtari oportet coram toto mundo : revela ergo, ô homo, Domino, & ſacerdoti viam tuam. *Luc. capit.* 8. *verſ.* 17. & 12. *verſ* 3.

49. *Evangelica doctrina omnibus apertè eſt prædicanda :* Dicit enim Chriſtus, *quod dico vobis in tenebris,* ſcilicet ſub myſteriis latitans, *prædicabitur in tectis,* nempe in publico, in locis altis : Et hinc eſt, quod ſugeſtus in Eccleſia in alto loco ponuntur, & ideo *Matth. c.* 14. *dicitur, hoc Evangelium Regni prædicabitur in univerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus*, ut nullus poſſit ſe per ignorantiam excuſare.

50 *Evangelicus Prædicator ſuper tecta debet prædicare non infrà tectum.*

Quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Quid eſt ſuper tecta ? Nota, quod dicit ſuper tecta, nec infrà tectum, quia in tecto eſt, & ſuper tectum, qui carnalia excedens, & tranſiliens, velut in aura libera ſpiritualiter vivit : ſuper hoc tectum debet aſcendere prædicator veritatis, ut faciat illud, quod aliis perſuadet : ſuper montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion, ait *Iſai. c.* 40. ſuper montem, ſcilicet per contemptum ſæcularium, & carnalium rerum. *Luc. capite* 17. *verſ.* 31.

51. *Timor timore propellitur.*

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam verò non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehenam. Nota, quod Chriſtus primò abjicit timorem à ſuis, dicens, nolite timere : poſtea timorem eis incutit, dicens, timete : quomodò vult, ut non timeamus poſtea, quod non timeamus : ergone timor timori adverſatur ? nonne timor eſt amor fugiens quidquid ei adverſatur ? ſed attende, quod hic in medium affert duplicem timorem, alium malum, alium bonum : malus eſt mundanus, quo quis timet nimis de amiſſione vitæ præſentis, vel rerum temporalium, hicque naſcitur ex nimio inordinato amore vitæ præſentis, & rerum temporalium, & hic eſt peſſimus, quia impellit animam ad omnia mala : hunc timorem à ſuis elidit, & abjicit Chriſtus, & ad hunc abjiciendum proponit timorem Dei filialem, qui reddit animam benè mobilem ab inſpirationibus divinis, & totaliter ſubjectam Spiritui ſancto : & hic habet tres gradus : nam primò timet puniri à Deo : ſecundò privari gratiâ, & gloriâ : & tertiò neutrum timet, quia eſt copulatus cum perfectâ charitate : & ideo eſt reverentia quædam humilis ad Deum jure conditionis, & quaſi neceſſitate impenſa, ſed neceſſitatem ignorans ob libertatem dilectionis : timorem igitur mundanum abjicere docet Chriſtus timore Dei. *Op. de dono timoris c.* 1. & 2. *Pſal.* 2. & 28.

52. *Idem argumentum de timore mundano, & Dei.*

Nolite timere eos, qui occidunt corpus, &c. Nota, quod duo ſunt maxima mala, quæ omnem ruinam afferre poſſunt animæ : alterum eſt impediri à bono : alterum eſt impelli ad malum ; primum cauſatur à cupiditate, & hanc in ſuperioribus eradicare à corde ſuorum curavit Chriſtus : ſecundum eſt à timore mundano, & hoc maximum malum intendit hic eradicare, confortans nos ad repellendam timiditatem vanam ; & ad hoc inducendum, duplicem conſiderationem proponit, ſcilicet gehennalis punitionis, quam nullus hominum poteſt effugere : primum reſpicit divinam potentiam : ſecundum divinam providentiam : ex divinâ potentiâ vera ſpes, & utrumque eſt medicamentum contra mundanum timorem, & ſic timore Dei propellitur vanus timor : Vanus timor primò eſt in ordine ad homines, qui poſſunt in corpus, non verò in animam : & quia corporalis eſt tranſitoria, ideo non timenda, ſed timenda eſt æterna animæ. *Luc. c.* 12. *v.* 4. & *c.* 21. *v.* 9. *Pſal.* 2. *Op. Diet. tit.* 2. *c.* 1. & *op. Comp. Theol. l.* 5. *c.* 37.

53. *Timor Dei eſt diligens oſtiarius animæ noſtræ ipſius oſtium diligenter cuſtodiens.*

Timete eum, qui poteſt & corpus, & animam perdere in gehennam. Quaſi dicat, ſi vis ô homo, diligenter cuſtodire animam ne ibi intret diabolus, vel mundus, vel caro, colloca timorem Dei ad oſtium animæ, qui ipſum diligenter cuſtodiet ab ingreſſu hoſtes tuos, quia timor Dei portat clavem pœnæ æternæ, gladium ex utraque parte acutum, ſcilicet æquitatem divinæ ſententiæ, quæ condemnabit improbos in animâ, & corpore, & tali gladio elongabit inimicos. *Op. Diet. tit.* 3. *c.* 1.

54. *Potentia, & leges Principum ſolùm poſſunt in veſtimenta, & bona mobilia : leges & potentia Chriſti poſſunt in corpus, & animam, in bona mobilia, & immobilia.*

Nolite timere eos, qui occidunt corpus : ſed potius timete, &c. Cur Chriſtus vetat, nos timere eos, qui in corpus ? nonnè maximum malum eſt hoc : ſed attende, quàm meritò hoc dixit, & ordinavit nobis Chriſtus : nam quid eſt corpus, niſi veſtis animæ ? quid ſunt mala corporis, niſi tributa debita corpori, mors, exilium, luctus, dolor, non ſunt ſupplicium, ſed tributa vivendi, quæ homo quilibet, velit, nolit, debet ſolvere ? quid aliud ſunt expoliationes harum temporalium rerum, niſi privationes bonorum mobilium, & tranſeuntium ? Ergo ſicut ſi quis ſcindit veſtem alterius, ille quidem injuriam ſentit, dolorem, & damnum

num in perſonâ non patitur: ſic & juſti,ſi læduntur in corpore, & bonis temporalibus, ſentiunt quidem injuriam in veſtibus, & in bonis mobilibus, & in hoc poſſunt leges Principum, Imperatorúmque potentia: ergo non timenda iſta mala,ſed tantùm timenda eſt potentia Dei, quæ & in corpus, & in animam poteſt, quæ in omnia bona mobilia, & immobilia poteſt, quæ in carcerem æternum Inferni poteſt concludere. Et nota quod dicit, *qui poteſt & corpus, & animam perdere in gehennam*, ideſt in ignem infernalem, ut videas,quod anima, & corpus abſorbebuntur in inferno in incendio ignis. *Od. Diet. tit.1. c.9. & tit.10.c 1.& Luc.c.12.v.4 & Luc.c.21.v 9. Ioan. c.14 v.1.de timore Dei.Vide op. de dono timor. per totum.*

55. *Divinæ providentiæ conſideratio omnem timorem humanum, & vanum expellit.*

Nonne duo paſſeres aſſe væneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Nota hîc quod Chriſtus revocat nos à timore hominum, quia nihil poſſunt contra generalem Dei providentiam: Dicit autem, nonne duo paſſeres aſſe væneunt: *in Luca dicitur, nonne quinque paſſeres væneunt dipondio*, nec hîc eſt contrarietas: dipondius eſt nomen monetæ habentis duos obolos, ſeu aſſes: quod enim in numeris eſt unum, hoc in ponderibus eſt as, quod duo. hoc dipondius: nec diſcordant Matthæus, & Lucas: Matthæus dicit: nonne duo paſſeres aſſe væneunt, quia ſicut videmus cum quinque ova venduntur pro uno denario, duo dantur pro obolo,vel aſſe: Parvi igitur pretii eſt paſſer, cum tot ibi væneant pro uno denario, nec tamen ipſe eſt alienus à divino patrocinio, & ideo dicit Chriſtus & unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo: imo divina providentiâ gubernatur: minus autem hic dicens plus ſignificat, afferens duos paſſeres in medium, quæ facilliſſimè cadunt, morbum caducum patientes, & tamen ſubjectæ ſunt divinæ providentiæ. Dat igitur intelligere Chriſtus,quod cum divina providentia uſque ad minima ſe extendat, ſi hanc habet de ipſis, multo magis de majoribus, & ſuper omnia de homine: tantaque cura illi de nobis,ut nec capillus capitis noſtri ſine ejus nutu poſſit auferri:ideo non oportet nos ſollicitari per timorem,ſed omnem ſollicitudinem noſtram projiciamus in eum: & nota quod dicendo, *ſed & capilli capitis veſtri numerati ſunt*, hîc numeratio ſumitur pro ſollicitâ conſervatione, cognitione, & providentiâ. *Luc. cap.12.verſ.6. ſeq. Pſal.138. & Luc.cap.8. verſ.32. & op.*

56. *Qualis cura ſit in Deo reſpectu ſuorum Sanctorum Reliquiarum, & quali reverentia à nobis tractandæ.*

Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Cur dicit capilli, & non potius membra veſtri corporis, cum capilli ſint de ſuperfluitate corporis? Nota, quòd minus dicit, ut plus ſignificet, ut à minori ad majus fiat illatio: loquitur autem de ſuis amicis, & ſanctis Chriſtus Jeſus, darque intelligere, quòd non ſolùm animæ, non ſolùm corpora. non ſolùm membra corporis ipſorum ſunt pluris apud ipſum, & maximam curam habet de ipſis, ſed etiam de minimis capillis: Unde cum numeratio hîc non tam referatur ad cognitionem, ſed etiam ad diligentiſſimam conſervationem. quia de corporibus ſanctorum patientium nec capillus perire poteſt, cum ad reſurrectionem corporum ipſe etiam pertineat: Datur nobis intelligi, quâ reverentiâ omnia, quæ reſpiciunt corpora, & Reliquias ſanctorum tractanda ſint, cum tanti à Chriſto æſtimentur. *Luc. ibid.& pſal.138.op.meditat.c.19.* Et hinc inferendum eſt, ſi Chriſtus numerat, & tanti æſtimat capillos ſuorum amicorum, & ex conſequenti ſuorum Reliquias, qualis cura erit de animabus, pro quibus poſuit animam ſuam. *Ser. 2. Dom.4. Pentec.*

57. *Qualis fueris cum Chriſto, talis erit tibi Chriſtus.*

Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt. Nota, quòd Chriſtus in ſuperioribus repulſa timiditate à ſuis Apoſtolis, eos inducere conatur ad ſervandam veritatem, & fidelitatem cum ipſo: & per hoc promittit, quòd qui confitebitur eum coram hominibus confitebitur & ipſe coram Patre ſuo: & è contra, qui negaverit eum coram hominibus, negabit & eum coram Patre ſuo. Hîc autem quæritur, quid intelligat per hanc confeſſionem, quam à ſuis fidelibus exigit? ſcilicet non intelligit confeſſionem fidei, ſequitur, quod nullus Chriſtianus damnabitur? ſed tamen hic loquitur de confeſſione perfectâ: confiteri enim eſt corde, & ore fateri: ergo confeſſio importat veracitatem, & fidelitatem in Chriſtum Deum, & hominem corde, ore & opere, quia dilectio non conſiſtit ſolum in verbo, ſed & in opere, & corde, & ſic exigit dilectionem charitatis in Chriſtum corde ore, & opere: Ut autem nos excitet ad talem confeſſionem exhibet remunerationem, dicens: & ego confitebor eum coram Patre meo. Sed quænam confeſſio promiſſa eſt iſta? Ecce qualis: confitebitur & ipſe quod talis eſt de ſuis, quibus dicet, *venite benedicti Patris mei, percipite regnum.Matth c.25.* Et è contra, *qui negaverit &c.* negabo eum, dicens, neſcio vos: Ex quò patet, quòd qualis fueris cum Chriſto, talis erit tibi Deus: & dat per hoc intelligere, quòd confeſſio nominis Chriſti perfecta magnam habet remunerationem. quia meretur confeſſionem Chriſti approbativam, honorificativam, & ſalvativam, quia Chriſtus eſt Rex, Judex, & Pontifex; item publicam, præclaram,& perpetuam, licèt noſtra ſit modica,& momentanea: Et ſimiliter per contrarium intelligitur de negatione ſuâ: & ratio hujus eſt hæc, quia veritas eſt vera, ideo non poteſt negare ſe,nec confitentem ſe, nec confiteri mendacem, nec contra ſe, & ideo ſi negaverimus; & ille negabit nos: ſi non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt. Vide igitur,ô homo, quàm nobilis eſt hæc propoſitio Chriſti, quæ mentes noſtras erigit ad veracitatem, & fidelitatem, & ad fugiendam infidelitatem, & ingratitudinem. *Luc.c. 12. v.8. Ioan. c.3.v.12.Luc.c.9.v.10.Pſal.112.*

58. *Pax Chriſti ſequacium armata, & bellatrix: Pax mundanorum exarmata, & pacifica.*

Nolite arbitrari, quia pacem veni mittere in terram, non veni pacem mittere, ſed gladium, ideſt bellum. Quis unquam crederet, niſi ipſamet veritas, quæ mentiri non poteſt, publicè profiteretur, & palam Chriſtum Dominum humanæ ſalutis vindicem, & cæleſti Jeruſalem, hoc eſt è pacis metropoli in terram delapſum, ut homines armis inſtructos non diſſociaret modò, ſed ad diſſidia provocaret? non veni pacem mittere (ait) ſed gladium: an non ille ipſe eſt, qui dicitur Princeps pacis *Iſai.c.9.* Ergo Princeps pacis arma miniſtrat ad bellum? Ergone benevolæ conjunctionis auctor imbutos humanitate animos excitat ad furorem? ſed attende, quod ex his infertur, Chriſtianorum, & juſtorum pacem armatam eſſe, & bellatricem: Bellum enim nobis imminet triplex, ſcilicet domeſticum cum carne, civile cum mundo, & campeſtre cum diabolo: contra iſtos hoſtes debet homo ſemper toto tempore vitæ pugnare, & numquam pacem admittere ſicut iniqui faciunt, ſed ipſorum pax eſt inquinata cum mundo, & ſimulata cum diabolo, & inordinata cum appetitu, & carne. *Op. Diet. tit.7.c.6. ſer.17. Hexam. Luc.c.11.v.21.& c.7.v.35.*

59. *Religioſorum & juſtorum bellum quale.*

Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram &c. veni enim ſeparare hominem &c. inimici hominis domeſtici ejus. Proſequitur Chriſtus declarare hoc bellum, quod à ſuis ſequacibus exigit dicens, ſe veniſſe exhibere gladium, quo fieret ſeparatio inter Patrem, & filium, inter filiam & matrem, inter domeſticos tanquam inimicos: & hoc præcipuè dirigitur ad Religioſos, à quibus vult, ut hoc bellum ſemper fiat, quibuſque oſtendit, quòd ipſorum inimici ſunt domeſtici, nempè ſanguinei, & amicitiâ conjuncti; ut hinc diſcant, quòd iſtos maximè cavere debent, quia carnales amici conſiliis ſpiritualibus adverſantur, & ideo ad ſuum conſortium non ſunt admittendi: Contra illos hæc dicuntur, qui curioſi vivunt de factis conſanguineorum, qui curſitare per domos ipſorum non ceſſant, qui ſæpe viſitant conſanguineos: & iſti non inter Chriſti diſcipulos adnumerari merentur. *Luc.c.9. v.61.& c.6. v.12.* Notanter igitur admonet Religioſos, ut gladio amoris Dei ſepant cor ab amore carnali conſanguineorum, & amicorum mundanorum, quia callidus hoſtis cùm in bonorum cordibus repelli ſe conſpicit eos, qui ab illis valdè diliguntur exquirit (ait D. Gregor.) & per eorum verba blandiens, loquitur, qui plus cæteris amatur, ut dum vis amoris cor perforat, facilè perſuaſionis ejus gladius ad intimæ rectitudinis munimina irrumpat: cavendi ſunt ergo improbi amici, conſanguinei, domeſtici, eorum ſuaſiones, ſi à Dei præceptis diſſentiant, non audiendæ. *Ibid. & in Threno.3.*

60. *Servi Dei gladio mortificationis bellum faciant cum domeſticis domus.*

Inimici hominis domeſtici ejus. Quaſi dicat! cave, ô ſerve Dei, à domeſticis domus tuæ, quia ſunt peſſimi inimici tui, arripe gladium, eoſque occide. Et quinam ſunt? ſed quid domeſticum magis, quàm appetitus? quàm amor? quàm odium, ira, invidia, nequitia, cupiditas? gladium arripe mortificationis, & armis virtutis Dei adverſus has immanes feras deſideriorum appetitus tui dimica ſtrenuè. *Luc.c.1.v.35.*

61. *A quibus inimicis cavendum eſt à ſervis Dei, & bellandum.*

Nolite arbitrari &c. inimici hominis domeſtici ejus. Nota, quòd in iſtis verbis Chriſtus docet ſuos ſervos, ut gladium arripiant ad fortiter bellandum cum inimicis ſuis: alii enim ſunt inhærentes, alii ſævientes, alii blandientes primi ſunt peccata animæ inhærentia: Secundi ſunt caro, & appetitus carnalis adhærens animæ: Tertii ſunt Dæmones ſævientes: Quarti ſunt mali homines; contra iſtos omnes præcipit Chriſtus, ut ſui ſequaces perpetuò dimicent, nec unquam pacem faciant. *Pſal.30.*

62. *Amoris mundi, & carnis expoliatio fundamentum perfectionis chriſtiana.*

Qui amat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus, & qui amat filium, vel filiam pluſquam me non eſt me dignus. Nota, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus volens ſuos perfectè inſtruere in viâ perfectionis, poſtquam tradidit in ſuperioribus principium vitæ ſpiritualis, quod conſiſtit in expoliatione concupiſcentiæ mali, nunc fundamentum ipſius aſſignat, quod conſiſtit in expoliatione omnis carnalitatis, dicens: *qui amat patrem &c.* volens, quod amor quicumque ille ſit, qui non eſt in ordine ad Deum, vel non ordinat ad Deum, relinquatur, & loco ſui collocetur in corde ſtabiliter amor Dei: in quo plures gradus: primus autem dicitur amor intemporalis, ſeu incomparabilis, qui eſt communis omnibus electis, eſtque neceſſitatis etiam in mundanis, ut homo fiat dignus æterna mercede, & hic eſt tantæ virtutis, quod omne peccatum mortale ab animâ expellit, & Deum ſuper omnem creaturam diligit: & ideo amor in patrem, vel matrem, vel filium, vel filiam, qui omnes alios carnales excedit, ſi eſt cauſa offenſæ Dei, abjiciendus eſt ab animâ. Secundus gradus dicitur incontaminabilis, eſtque Religioſorum, & mundum contemnentium, qui tantæ virtutis eſt, ut hominem à mundanâ converſatione abſtrahat, ne mens polluatur, & ne charitas ab opere impediatur, ſeparatque heterogenea, & unit homogenea: ſeparat enim omne circonveniens à Chriſto amato. Tertius gradus eſt amor infatigabilis, & iſte eſt jugiter proficientium, & Chriſti confeſſorum, eſtque tantæ virtutis, ut animam non ſinat quieſcere, donec invenit quem diligit. Quartus gradus dicitur amor inſeparabilis, eſtque contemplativorum, & eſt tantæ virtutis, ut continuis ſtimulis ageret mentem contemplantis ad comprehendendum dilectum. Quintus gradus dici-

tur

tur inſuperabilis, eſtquè Chriſti Martyrum, & adverſitatibus non cedentium, eſtquè tantæ virtutis, quòd nihil tam durum, & aſperum quod amoris igne non vincatur. Sextus gradus dicitur inſatiabilis, eſtquè jugiter deſiderantium, & ſolitariorum, eſtque tantæ virtutis, ut nihil ſibi ſufficiat præter unum ſolum Deum, quem amat, & perpetuo nititur, & deſiderat. *Op. de ſept. itiner. ætern. in 4. d. 5. Luc. c. 14. v. 12. & 26. & c. 8. v. 29. ſeq. & c. 2. v. 45.*

63. *Carnalibus carnem ſuam Chriſtus proponit amandam ut ab omni alio carnalitatis amore expoliet.*

Qui amat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus &c. Nota, ly, me pluſquam me, ſcilicet Chriſtum Deum, & hominem: Cur non dicit pluſquam Deum, ſed me? quia carnalibus loquitur, qui carnalia reſpiciunt: ut ergo eos facilius traheret ad Dei amorem, ſeipſum ut Deum, & hominem propoſuit amandum: & ob hanc cauſam voluit Deus inviſibilis in carne fieri viſibilis, ut carnalium, qui non niſi carnaliter amare poterant, cunctas primò ad ſuæ carnis affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem purum perduceret ſpiritualium: Et hoc eſt, quod præcepit dicens, qui amat patrem, matrem, filium, & filiam, & ex conſequenti omnes conſanguineos, & charos carnales pluſquam me, non eſt me dignus: ergo toto corde vult diligi pluſquam omnia alia carnalia, ergo vult, ut carnis ejus dilectio præferatur carni, & ſanguini; & ſic gradatim fervor & charitas creſcat ad majora: per quod patet quàm, & quale donum ſit hæc meditatio carnalis, ſeu amor Chriſti carni exhibitus, quia per ipſum paulatim vita carnalis excluditur, contemnitur, & vincitur mundus, ſtabilitur murus in virtutibus, & omnis robur acquiritur. *Op. medit. c. 99. & ſer. 8. in Nativit.* Hoc attendant illi miſtici, qui excludunt à ſuis ſcholis amorem, & meditationem humanitatis Chriſti, exiſtimantes hoc eſſe maximum impedimentum ad amorem Dei acquirendum; error peſſimus, ait: *cum S. Bernardo, Seraphico Doctor quod & ſpecialiter notavit S. Thereſia in ſuâ vitâ.*

64. *Crucis Chriſti ſumptio, diſcipulatûs Chriſti conſummatio.*

Et qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Cur non dicit Chriſtus: qui non accipit crucem meam, ſed ſuam? & cur hanc crucem vult in humeris ſuorum diſcipulorum? ſed reſpondetur, quod crux Chriſti eſt crux diſcipulorum ejus, quia ſequendo Chriſtum ad calvariæ locum cum cruce non in angaria, ſed voluntariè crux talis ſit communis utriſque; & hoc eſt conſummatio diſcipulatûs Chriſti, quia ibi Chriſtus conſummavit redemptionem hominum: ſed attende quòd hîc non loquitur de bajulatione crucis materialis, ſed ſpiritualis, nempè pœnitentiæ, mortificationis, & pœnalitatis: ſed cur hanc appellat nomine crucis? quia non omnis pœnitentia, & mortificatio facit diſcipulos Chriſti, ſed illa, quam comitantur virtutes, quas Chriſtus in Cruce exercuit: nempe prima eſt pœnitentia reſpectu peccatorum, & hæc conſiſtit in infimum brachium crucis, quia pœnitentia virtus eſt fundamentum omnium bonorum: ſecunda eſt ſuperior, & eſt miſericordia reſpectu afflictorum: nam compati alteri ex vero corde, eſt quodammodo crucem portare: Tertia conſtituit brachium dextrum, eſtque temperantia reſpectu proſperitatis voluptatum, & deliciarum mundi: Quarta conſtituit brachium ſiniſtrum, eſtquè patientia reſpectu adverſorum: hæc enim nos reddit conformes filio Dei, & martyres. *Ser. 3. in feſt. S. Andr. & Luc. c. 14. v. 27.*

65. *Idem argumentum de Cruce portandâ poſt Chriſtum.*

Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Nota quod accipiens crucem Chriſti, debet ipſum ſequi, nempè quia in cruce Chriſtus exercuit ſummam humilitatem, ſummam paupertatem, & ſummam auſteritatem: hinc diſcipuli Chriſti debent ipſum ſequi, portando humilitatem in corde, auſteritatem in carne, & paupertatem in poſſeſſione, contra illa tria radicalia vitia, concupiſcentiam carnis, oculorum, & ſuperbiam vitæ: ad hanc crucem potiſſimè nos invitavit Chriſtus, qui primus eam portavit, ſicut vexillum, & ſignum regale: qui ergo non vult eum ſequi, non Chriſti diſcipulus, quia non vult eum imitari, in quo præbuit ſeipſum nobis exemplar, & magiſtrum. *Luc. c. 14. v. 27.*

66. *Tota vita Chriſtianorum debet eſſe feria ſexta Paraſceve.*

Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus: ſcilicet non eſt dignus vocari meus diſcipulus: ſed quando hoc faciendum? nam Chriſtus tantum feria ſexta crucem portavit ad Calvariæ locum; ergòne tantùm illa die portanda? ſed attende, quod *Luc. c. 9. addit, tollat crucem ſuam quotidie:* quomodo quotidie, quia tota vita Jeſu Chriſti fuit in cruce, in pœnalitatibus, quas feria ſexta conſummavit, portando crucem ad Calvariæ locum, & ibi moriendo. Quotidiè igitur, ideſt per continuam auſteritatem toto tempore vitæ, unde quotidiè debet, renovari, ut poſſit ſemper dici: dixi, nunc cœpi: ſic dicebat S. Pater Franciſcus in morte, nunc incipio benefacere: fratres, incipiamus, quia nunc uſque parum proficimus: crux namque Chriſti renovativam habet naturam: nam, licet (*ait Apoſt. 1. Cor. 4.*) is, qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen qui intus eſt renovatur de die in diem. *Luc. c. 9. v. 23.* Quotidiè igitur celebremus feriam ſextam paſſionis Chriſti: ſic enim verè diſcipuli Chriſti erimus. *Sic B. Pater Damianus.*

67. *Diſcipuli Chriſti ſunt tantum cruce Chriſti ſignati, & milites honorati ſui exercitus: Vbi de cruciatâ ſpirituali Eccleſiæ.*

Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Dignus, ſcilicet me ſequi: & quia Chriſtus eſt dux noſter, qui vexillum crucis in altum toti mundo expoſuit, ideo invitat nos ad ipſum ſequendum, ſed cum cruce, ut cruce ſignati milites: Et nota quod ſicut ſum-

mus

mus Pontifex aliquando intimavit Cruciatam militibus Christianis, ut mare transirent ad capiendam terram sanctam, eisquè concedens indulgentiam plenariam peccatorum : sic Christus hic eandem Cruciatam intimat, invitatque nos, ut milites ad accipiendam crucem pœnitentiæ, vel religionis, ut per mare hujus sæculi, transeamus in terram sanctam viventium; nobisque exhibendo remissionem, & indulgentiam peccatorum : & ad attrahendum omnes Christianos, ut in tali Christi militiâ adscribantur, quatuor motiva validissima exponuntur : primum est exemplum irrefragabile Domini nostri Iesu Christi tanquam capitis, & Ducis omnium cruce signatorum : secundum est adjutorium invincibile, quod promittit & exhibet suis contra mala culpæ, & pœnæ : Unde cruce signati sunt veloci templum consecratum, in quo est signum crucis, & ibi fit inunctio olei benedicti : sic pœnitentes portant exterius crucem, sed interius unctionem habent adjutorii, & gratiæ Dei : Tertium est privilegium inviolabile; quia tales milites vivunt privilegiati sub protectione summi Pontificis : Quartum est præmium inamissibile promissum perseverantibus usque ad mortem, ut possint dicere cum Christo, consummatum est, scilicet votâ, quæ promisi, præcepta, quæ mihi fuerunt imposita fideliter servavi : O felix, qui hoc potest verè dicere : sequamur igitur perseveranter Christum cum amore, & in crucem, ut inclinato capite tradamus Christo spiritum. *Ser. 3. Dom. in Albis.*

68. *Crux spiritualis qualis à nobis portanda.*

Qui non accipit crucem suam, &c. Nota quod hoc est decretum, & lex universalissima facta à Christo, à qua nemo quicumque ille sit excipitur, estque tantæ necessitatis, ut cum nullo dispensetur : Decretum autem, & lex in hoc stat; quod nullus possit Christum in Cœlo videre, nisi sit cum ipso crucifixus, ut vita Jesu Christi in corpore nostro manifestetur per imitationem, alioquin non erimus digni ipsum sequi ad coronam, sine vexillo victoriæ. Nota autem, quod assumptio hujus crucis est assumptio crucis spiritualis, in quâ debet esse imum, altum, latum, & longum : imum est profundum humilitatis tanquam fundamentale principium crucis pœnitentiæ. & hæc est abnegatio, quam exigit Christus à nobis *Matth. c. 16. Abneget semetipsum, &c.* superbiam cordis abijciendo, & perfectam humilitatem amplectendo, & post ipsam tollere crucem pœnitentiæ : & ire post Dominum : Altum hujus crucis est altitudo paupertatis, quia elevat hominem à terra, & Christo approximat : Latum crucis est latitudo charitatis, quæ facit extendere brachia pietatis ad omnes pro Christo, qui pro nobis vitam cum morte commutavit : Longum est longitudo perseverantiæ, sicut Christus voluit de cruce descendere, sed quod cæpit usque ad finem tenuit, & opus redemptionis nostræ complevit. *Ser. 1. Dom. 4. quadrag. & ser. 2. de S. Andr.*

69. *In via Dei, qui quærit salvare animam, ipsam perdit : qui quærit perdere, ipsam salvat : Vel in viâ Dei, invenitur vita in morte, & mors in vitâ.*

Qui invenit animam suam, perdet illam : & qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Nota quod hæc sententia Christi cum aliâ consimili toties repetita *in Luc. cap. 9. vers. 24. & cap. 17. vers. 33. & in Ioan. cap. 12. vers. 25. qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, & qui eam perdiderit propter me, salvam faciet illam :* Sed quomodò verificari potest hæc propositio tam ænigmatica? nonne bonum est, imò necessarium incumbere saluti animæ? quomodò, qui vult eam salvare, perdet illam? & è contra, quomodò perdendo eam, salva fiet? Sed attende; quod hîc primò Christus ad martyrium exhortat suos; ut pro ipso vitam morti exhibeant, nec pro salvandâ vitâ mortem timeant quia sic crucem accipiendo, & mortem subeundo, Deus mortem morte dissolvet, tormenta tormentis discutiet, vitam auferendo, conferet; carnem lædendo juvabit, animam arripiendo servabit. *Sic Tertull.* Secundò pro anima intelligit vitam carnalem, quæ morte finitur : datque intelligere, quod qui in hac vitâ carnalitatem quærit, nimis fovendo carnem, & animæ concupiscentiam, animam perdet æternaliter : qui verò propter Christum ipsam crucifiget mortificabit, & comprimet, ipsam inveniet; scilicet inveniet præmium æternum. Vult igitur Christus, ut amor in animam nostram ad hoc tendat, ut ipsa pereat, scilicet carnalitas; concupiscentia, & odium in ipsam tendat, ut pereat : & si talis occasio venerit, ut hæc conditio proponatur : aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vitâ emigrandum, aut ipsa vita naturalis morti, flagellis, & pœnis subjiciatur; in tali casu eligatur Deo dilecto crucifigi, & mori, quàm offenso vivere; & sic patet, quàm verum sit, quòd vita in morte, & mors in vita invenitur; quodque pro Christo qui perdit, lucratur, & qui recusat perdere, ut lucretur, ipse totum perdit : & qui accipit crucem suam, & sequitur Christum, qui crucis mortificationem jugitet in suo corpore gerit, ut & vita Jesus in ipso per imitationem manifestetur talis cum perdiderit animam suam cum vitiis, & concupiscentiis in præsenti, inveniet eam per Deiformis gloriæ acquisitionem in futuro, quia qui sunt socii tribulationum, erunt & consolationum. *Luc. cap. 9. vers. 24. & cap. 17. vers. 33. Ioan. cap. 12. vers. 25. ser. 1. Dom. 1. post oct. Paschæ.*

70. *Quanta cura sit Christi in ordine ad suos amicos : Ubi de Reliquiarum Sanctorum veneratione.*

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quomodò inveniet justus animam, quam perdidit pro Christo? nota, ô homo, quali cura custodiat suos amicos Christus Jesus : perditi enim per mortem, restituuntur in integrum per resurrectionem : benè autem dicitur in integrum, quia neque pes, quem lupus

comedit, nec oculus, quem corvus effodit, neque aliquid membrorum negligetur: Times ne perdas animam, qui capillum non perdes? Deo omnia numerata ſunt, omnia reintegrabit qui omnia creavit: ô beatus, qui propter Deum perditur temporaliter, quia æternaliter invenietur: Et è contra perdentur impii in morte & reſpectu corporis, & reſpectu animæ, qui pro Chriſto noluerint perdere in hac vitâ. Hinc infertur, quod Deus maximam curam habet de anima, & de corpore ſuorum amicorum: Unde mirum non eſt, quod etiam in hac vitâ eorum corpora, & reliquias tam mirabiliter honorificet. *Ser.2.Dom.3.Pent.*

71. *Hoſpitalitas, maximè in ſervos Dei, quàm ipſi chara.*

Qui recipit vos, me recipit, & qui me recipit, recipit eum, qui me miſit, &c. Idem & *Luc.c.10.v.16. & Ioan.cap.13.verſ.20.* Vide providentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, & curam ſpecialem de ſuis diſcipulis: quia enim debebant exire ad prædicandum, & terribilia pati, eos conſolatur duobus modis: primò à ſeipſo, ut haberent eum in memoria: ſecundo ab aliis, ut eorum providentia illis procurent, omnium eis aperuit domos, quia ex quo ſtatuit Chriſtos, quod qui reciperent ipſos miſſos ad prædicandum, ipſum Chriſtum etiam reciperent, provocavit omnes ad eos recipiendum: magna ergo promiſſio ſuſcipientibus miſſos à filio Dei: Dicit autem, quod qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ ſeu Doctoris, & Prædicatoris, ideſt, qui præbet alimentum Prophetæ in nomine Prophetæ propter hoc, quod Propheta miſſus à Chriſto eſt: prophetiæ illius vires ad loquendum dedit, & apud Dominum prophetiæ habebit præmia, ut evénit in Abdia 3.*Reg.c.18.* cui dedit Deus ſpiritum prophetiæ, ob hoſpitalitatem factam Propheris: & quia non omnes ſunt Prophetæ, & Doctores, ideo addit, & qui juſtum recipit, ſcilicet chriſtianum quemlibet, & mercedem juſti accipiet. Et nota, quod dicit juſtum, nempe ſub ratione juſti, vel chriſtiani, vel membri Chriſti, etiam ſe de ſe, ut talis perſona, eſſet mala, & iniqua, quia Dominus dabit unicuique ſecundum merita propria. *Ioan. c.13.v.20.* Ex quibus infertur, quàm Deo ſit chara, & homini proficua, & meritoria hoſpitalitas, quæ exercetur in membra Chriſti, de qua Vide *Luc.cap.19 v.5.& 6.& c.24.verſ.29. & ſer.5.Dom.8.poſt Pentec.*

72. *Inſpirationes, & vocationes è Cœlo nobis immiſſæ ſunt Apoſtoli à Chriſto nobis miſſi, ideo promptè recipiendi.*

Qui recipit vos, me recipit. Vos? quos vos? vos Apoſtolos à me hominibus miſſos?: ſed nota, quòd Apoſtolus interpretatur miſſus: ergo per iſtos Apoſtolos poſſunt myſticè ſumi inſpirationes omnes divinæ à Deo nobis miſſæ, inter quas etiam adnumerantur tribulationes, infirmitates, flagella, & omnes vocationes ſuperni, quæ omnes immittuntur nobis à Deo quaſi correctores, Prædicatores, & ſuaſores, ad revocandum nos ab errore, à vitiis, & reducendum nos in viam ſalutis: felix igitur, qui tales nuntios recipit libenter, eiſque obtemperat. *Op. de ſept.donis,c.6.& op.de ſept.Itiner. ætern. itin.x. d.5 & Vgo Card.hic.*

73. *Nemo excuſatur à largitione eleemoſynæ.*

Quicumque potum dederit calicem aquæ frigidæ tantum uni ex his minimis meis in nomine diſcipuli, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam. Nota quod poſt adhortationem ad hoſpitalitatem, & eleemoſynam, ne quis poſſit ſe excuſare, ſubdit, quod quicumque dederit potum calicem aquæ frigidæ uni ex his minimis, ſcilicet fidelibus, mercedem non perdet: Notanter autem dicit calicem aquæ frigidæ, non dicit calicem vini vel calicem aquæ calidæ, quia quis poſſet ſe excuſare, dicens non habere vinum, vel ligna, & ignem ad aquam calefaciendam; ſed aquæ frigidæ, quia hæc omnibus præſto eſt, & communis: qui igitur pro amore Chriſti dederit quodcumque ſubſidium etiam minimum proximo mercedem accipiet: & qualem? immenſam, & præmii inæſtimabilis: nemo ergo ſe excuſatum poterit præſentare Chriſto, quod eleemoſynam non potuit habere, qui calicem aquæ frigidæ Lazaro denegaverat. *Ser.3.Dom.ſeptuag.*

74. *Qualecumque opus pro Chriſto factum in hac vitâ, in alterâ præmiabitur ſine proportione.*

Quicumque calicem aquæ frigidæ, &c. Si Chriſtus promittit præmium pro ſubſidio aquæ frigidæ Chriſti diſcipulis exhibitæ, ergo nullũ eſt bonũ opus quantumcumque minimum, quod à Chriſto non remuneretur in alterâ vitâ: & ſi hoc de calice aquæ frigidæ, quid putandum eſt de operibus maximis, de tribulationibus, pœnis, tormentis, & morte pro Chriſto perpeſſis? ergo ſi labor terret, merces invitat, & excitat nos ad laborandum pro Chriſto. *Ser.3.Dom.3 ſeptuag.& ſer.2.de plurib.martyr.in addit.*

75. *Eleemoſynam proximo pro Chriſto largiens, theſaurum inamiſſibile ſibi congregat.*

Quicumque calicem aquæ, &c. non perdet mercedem ſuam. Si non perdet, ubi hanc mercedem inveniet? ſed transfer mentem ad id, quod dixit Chriſtus ſuis fidelibus: *date eleemoſynam, facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in Cœlis. Luc.c.12.* Quos ſaculos? & ex quâ materiâ? ſacculi iſti ſunt ipſi theſauri, qui in largitione eleemoſynarum à Deo reconduntur & in Cœlo ſervantur, ut anima poſt hanc vitam ipſis ditetur, & præmio coronetur. O quàm dives eſt divina miſericordia, quæ nihil irremuneratum nobis relinquit. *Luc. c.12.v 33.* Vide exemplum pro hac veritate confirmanda aptiſſimum in vita S. Patris Franciſci. *Op.legenda,c.11.*

76. *Qualis*

Digitized by Google

76. *Qualis debeat esse Prædicator, quoad victum, vestitum, & convictum.*

Quicumque calicem aquæ frigidæ dederit uni ex his meis minimis. Quibus his minimis? scilicet meis Prædicatoribus à me ad prædicandum missis: sed cur pro potu assignat aquam frigidam? cur non vinum? Nota, quod hoc dicitur à Christo, ut per argumentum à minori ad majus ostendat mercedem ab ipso præparatam hospitalitati, & eleemosynæ proximo, sed præcipuè suis Prædicatoribus elargitæ: Sed tamen non vacat mysterio exemplum hic traditum de potu aquæ frigidæ, quia per hoc retunditur sumptuositas, & insatiabilitas illorum prædicatorum, qui non contenti de parco cibo, volunt vivere tanquam nobiles, & magnati divites, quod signum est, ipsos esse Prædicatores, non Christi, sed Bel, qui comedebat omnia oblata templo: Prædicatoribus autem suis Christus, dum eis vetuit provisionem, virgam, peram, &c. eis etiam ordinavit paupertatem in victu, tenuitatem, & moderationem in vestitu, & humilitatem in convictu. *Luc. 9. v. 3. & Ugo Card. hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quod in hoc capite undecimo primò agitur de interrogatione Ioannis per discipulos suos: Tu es, qui venturus es? &c. & hoc fecit ad tollendam ab ipsorum cordibus omnem dubitationem de veritate Messiæ: secundò exprobrat Christus Iudæis, quod nec Ioannis prædicationi, nec suæ voluerunt credere: Tertiò exaltat Christus humiles, fundens suis discipulis mansuetudinem & humilitatem.

CAP. XI.

2. *Consummatio, & finis operum & verborum Christi est manifestatio æternitatis, præmii bonorum & pœna malorum.*

ET factum est, cum consummasset Iesus, præcipiens duodecim discipulis, transiit inde, ut doceret, & prædicaret civitatibus eorum. Nota hoc verbum cum (consummasset Jesus:) quid consummavit? Ad litteram consummavit Jesus opera, & præcipuè sermones suos suprà traditos: sed ad quid ponitur hîc consummatio prædicationis Christi, cum statim subjungatur, quòd inde transiit, ut prosequeretur suam prædicationem? ergo nondum consummata erat prædicatio? sed attende ad finem prædicationis antecedentis: dicit enim quicumque receperit Prophetam, vel justum in nomine suo, & qui dederit calicem aquæ frigidæ pro amore suo, mercedem non perdet, sed mercedem æternam in Cœlo habebit: & è contra, qui hæc non fecerit, pœnam æternam subibit in inferno: & hæc consummatio, hic finis omnis prædicationis Christi Jesu; hæc consummatio, & finis totius vitæ nostræ: Ad hanc ergo consummationem, ad hunc terminum interminabilem considerandum ordinantur omnia opera, verba, miracula, omnis prædicatio Christi Jesu. *Op. solil. c. 3. & 4. Op. de sept. itiner. æter. per totum.*

3. *Magistri, & parentum cura qualis debeat esse de profectu discipulorum & filiorum explicatur exemplo Ioannis.*

Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi, tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Cur Joannes misit suos discipulos ad interrogandum Christum, an ipse esset verus Messias? forsan dubitavit de veritate toties ab ipso prædicatâ? & de eo, quem ipse digito demonstravit? sed hoc non est dicendum de viro tam luculenter à Christo illuminato: cur ergo misit discipulos? hoc fecit, ut saluti ipsorum consuleret: nam cùm audissent tot mirabilia facta à Christo, simulque dubitarent an Christus esset Messias expectatus, imò & eum discipuli Joannis cum aliquali invidiâ narrarent tanta opera, quæ fama circumquaque divulgabat, ut eorum errorem, & dubitationem à corde evelleret, misit eos ad Christum, ut occasione videndi miracula, quæ patrabat Jesus, & audiendi ejus prædicationem, certi fierent de veritate, & sic excitarentur ad ipsum sequendum, cum ipse se nosceret morti vicinum: hoc enim est munus perfecti magistri. *Ser. 2. Dom. 2. Adv. Luc. c. 7. v. 18.* Nota ergo, *ait Chrysost. & Tertul.* quod Joannes non sibi, sed Christo erudierat; quemadmodum nutrix non sibi, sed matri infantem nutrit: felix ille magister est, qui discipulos; felix ille pater, qui filios, felix ille dominus qui servos ad Christum bonis instructos moribus mittit, nec sibi, sed Christo alit, & nutrit, & erudit. Nota etiam, quòd licèt non dubitaret de veritate Christi Redemptoris, tamen dubitavit an ipse esset venturus ad Lymbum ad liberandos sanctos ibi detentos: unde dicebat, tu es, qui venturus es? scilicet, quem jam ostendi populis mediatorem per prædicationem, die mihi an etiam venturus sis ad Lymbum, ad quem citò descensurus sum, ut etiam possim annuntiare illis sanctis Patribus tuum imminentem adventum. *Ser. 2. ibid.*

4. *Peccatum originale qualibus vinculis liget hominem.*

Ioannes in vinculis. Nota, quod Joannes, licèt sanctissimus, cum & ipse vinculis culpæ originalis aliquando ligatus fuerit; significat tamen miserabilem hominis ligati tali culpâ originali, ejusque effectibus: nam peccatum originale, licet transeat, quoad reatum culpæ, & pœnæ ei debitæ, in baptizato tamen remanet in eo ligamen promptitudinis ad malum, difficultatisque ad bonum, & hinc consequenter subjectus aliis vinculis durissimis, nempe famis, sitis, nuditatis, infirmitatis, absque ullâ respiratione, & quiete, eò quod æstas, impugnat per nimiam caliditatem, hyems per nimiam frigiditatem, autumnus per nimiam

nimiam ſiccitatem, ver per excedentem humiditatem: ſenſualitas repugnat rationi, ipſa quoque voluntas in ſemetipsâ eſt contraria, & diverſa: ô quam miſerabilis humanitas in hac vitâ: quod ſi cum peccati mortalis vinculo deceſſerit ex hac vitâ, ecce nova omnium duriſſima vincula ei ſuperveniunt: nam diabolus ipſam ligat in carcere inferni compedibus reatus pœnæ æternæ, & carentiæ viſionis divinæ. *Sermon. 2. Dom. 2. Advent.*

5. *Juſti vincula qualia.*

Joannes cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti. Nota, Joannes interpretatur gratia, & ſignificat quemlibet juſtum, qui ut Chriſto ſit charus, debet ad conſervationem gratiæ quadruplici vinculo eſſe ligatus: vinculo ſcilicet pœnitentiæ, nec ab hoc vinculo ſolvi debet uſque ad mortem exemplo Joannis: Vinculo item amicitiæ, & amoris: Vinculo item obedientiæ perpetuæ: & vinculo ſapientiæ, & eruditionis cæleſtis, quâ evitatur malum, & ad bonum excitatur anima. *Ser. 3. Dom. 3. Adv.*

6. *Herodes ligatus in Throno: Joannes in vinculis liber, & ſolutus: Vbi de vinculis peccati mortalis.*

Cum audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti, miſit duos de diſcipulis, &c. Si Joannes conſtrictus eſt in carcere, quomodò audit opera Chriſti? & quomodò tam liberè mittere potuit pro libito ſuos diſcipulos ad Chriſtum? ſed attende, quod Joannes quidem corpore erat ligatus in carcere, ſed mente liber, & ſolutus: nam gratia, & amor Dei ipſum liberum reddebat: è contra Herodes erat quidem ſolutus corpore, ſed ligatus in animâ: ligatus quidem (ſicuti eſt omnis exiſtens in peccato mortali) vinculo mortalis culpæ ipſum impediente, ne moveri poſſet ad honorandum Deum: vinculo item invidiæ, ne moveri poſſet ad diligendum proximum, & vinculo corporalis laſciviæ, quia catenam ex impio amore fecerat impiæ Herodiadis, & quaſi bos ductus ad victimam ut dicitur *Prov. c. 1. ſequebatur eam:* ſicque diabolus hoc laqueo ipſum ligaverat & ad mortem æternam ipſum duxit cum impiâ muliere. *Ser. 2. Dom. 11. Pent. ſer. 1. & 2. de S. Ioan. Baptiſt. & ſermon. 1. de S. Petro ad vinc. in addit.*

7. *Vincula peccati mortalis iterum expenduntur.*

Cum audiſſet Joannes in vinculis opera Chriſti, &c. Nota, quòd dicitur, Joannes in vinculis, nec exprimit in quâ corporis parte eſſet ligatus? ſi erat in vinculis, quomodò iſta vincula ipſum torquebant? & in quâ parte? ſed id non exprimit, ut intelligamus ſtatum peccatoris ab Herode, ſcilicet à diabolo ligati, à quo peccator totus ligatur: ligatur, inquam vinculo peccati mortalis: quot enim commiſiſti peccata mortalia, tot vinculis diabolus te totum, & totaliter alligavit, & talibus vinculis ligat peccatorem in pedibus per pravum affectum; manibus per iniquum tactum; collo per verbum nocivum; linguâ per indebitum ſilentium; in voluntate per iniqua deſideria, & per pravam conſuetudinem, ne poſſit in bonum meritorium exire: Vnde ad rem, dicebat flens S. Auguſt. Suſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed mea ferrea voluntate, velle meum mihi tenebat, & inde diabolus mihi catenam fecerat, & obſtrinxerat. O quot miſeri, ſic incedunt captivi diaboli! *Ser. 1. S. Petri ad vinc. & ſer. 3. Dom. 11. Pent.*

8. *Ioannes Baptiſta quia magnus coram Domino, ideo & magnus in laboribus, & afflictionibus: Vbi de bono tribulationum.*

Cum audiſſet in vinculis opera Chriſti, &c. Quid eſt hoc, quod auditur? ergo Ioannes, qui magnus coram Domino prædicatur in vinculis exponitur, & Herodes impius in throno ſublimi collocatus tripudiat? ergone Deus dat veniam corvis, vexat cenſurâ columbas, ut dixit quidam Poëta? ſed attende ad metamorphoſim divinam: ideo ligatus in carcere eſt Ioannes, quia magnus eſt coram Domino: qui enim magnus eſt, magna tolerat patienter, nam potentes virtute, potenter tormenta ſuſtinent, ait Chryſoſtom. Dominus enim ſuos permittit vexari tribulationibus, & quò ſanctiores, eò gravioribus afflictionibus probat. *Op. medit. c. 6. & 12. & 29. & 30. & ſer. 4. de uno mart. & ſer. 4. de plurib. mart. & ſerm. 3. de Apoſtol.*

9. *Adventus Chriſti multiplex expenditur.*

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Nota quòd, ut ſuprà dictum eſt, Joannes non dubitavit de veritate Meſſiæ, ſed cum fuerit deſtinatus Præcurſor ejus, & in terrâ ipſum prædicaſſet, & oſtendiſſet hominibus talem, cum præſciret ſuam mortem imminere, ut certus eſſet de ipſius adventu ad lymbum ad liberandos ſanctos Patres, de hoc adventu dubitans, ipſum interrogavit: *Tu es, qui venturus es &c.* & hoc, ut poſſet etiam cum illis Sanctis Patribus exercere munus Prædicatoris, & præcurſoris adventus Chriſti in Lymbum. Hic autem ad mores dirigendos, hanc interrogationem, notatur quadruplex Chriſti adventus: nempè exterior, interior, inferior, & ſuperior: primus in mundum: Secundus in animam: tertius ad lymbum: Quartus ad judicium: In mundum autem venit Chriſtus, non miniſtrari ſed miniſtrare: venit enim ut miniſter humilis, & nobis ſervivit triginta tribus annis, ut denarium animæ noſtræ lucraretur, & tamen à tot impiis defraudatur indebitâ ſolutione, cum nos ipſos totos illi debeamus; Venit item in animam ſicut dilectus amabilis in hortum animæ ſuæ floribus virtutum ornatum, non tamen in ſentinam diaboli: Venit tertiò ad infernum, & ſupervenit: venit juſtis liberator: ſupervenit Dæmonibus triumphator: venit ut diabolo ſpolia auferret, liberando animas à captivitate: Venit quartò ut judex in morte, & venit in judicio judicare, & condemnare impios ad infernum, & glorificare juſtos. *Ser. 4. Dom. 3. Adv. & ſer. 2. Dom. 4. Adv. & ſer. 2. Dom. 2. Adv. & op. medit. c. 29.*

10. *Poſt primum Chriſti adventum in carnem, nobis promittitur adventus ejus in animam, in Euchariſtiam, & ad judicium ut viam ipſi paremus.*

Tu es, qui venturus es, an alium expectamus. Quomodo dicit Joannes Chriſto, tu es, qui venturus es? Si jam venerat, & jam digito oſtenderat, quomodo nunc dicit pro tempore futuro, qui venturus es? Optimè: nam jam ipſum viderat, & oſtenderat, Meſſiam jam veniſſe in carne; ſed quia adventum Chriſti expectabat, ideo dicit: Tu es, qui venturus es? Venturus enim tunc erat in Euchariſtiâ per tranſubſtantiationem, ſicut nunc venit exhibendo corpus, & ſanguinem in renovationem redemptionis jam factæ in cruce: Venturus erat item in animam per baptiſmalem regenerationem, & pœnitentialem converſionem, quæ ſunt duo media Chriſtum attrahentia ad animâ hominis ſanctificandam: Venturus item erat, non ſolùm ad liberandas animas Sanctorum Patrum è Lymbo, ſed & ad judicium particulare, & univerſale: ideò in tempore futuro dicitur: Tu es, qui venturus es &c. *Ser. 2. Dom. 2. Adv. & ſer. 1. Dom. 4. Adv.*

11. *Dei dicere eſt facere, quia opera magis, quàm verba comprobant veritatem cæleſtem.*

Et reſpondens Jeſus dixit: euntes renunciate Joanni, quæ audiſtis & vidiſtis cæci vident &c. Notandum quòd Chriſtus non reſpondit apertè, ſe eſſe Meſſiam, ſed tantùm dixit: *renunciate quæ &c.* Cur non reſpondit cathegoricè interrogationi? Imò reſpondit, & ejus reſponſio fuit propria Chriſti: nam Dei dicere eſt facere: ideo factis magis reſpondit, quàm verbis: per quod ſignificatur, quod veritates cæleſtes magis factis comprobantur, quàm dictis: hoc attendat Prædicator; hoc quilibet Chriſtianus, nam ſanctis exemplis magis comprobatur, & ſuadetur, quàm verbis. *l. 2. d. 37. a. 1. q. 2. ad 1. Luc. c. 7. v. 21.*

12. *Curatio ſpiritualis facta à Chriſto omnium infirmitatum ſpiritualium expenditur.*

Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur. Nota, quòd per iſta miracula præcipuè certificati ſunt diſcipuli Joannis de veritate Meſſiæ, quia enarata maximè Chriſtum Deum demonſtrabant: tum quia talia opera ſunt tantùm virtutis infinitæ: tum etiam quia per iſtas infirmitates denotatur curatio perfecta ſpiritualis animæ infirmæ facta à Chriſto: nam homo per peccatum contrahit cæcitatem in intellectu, deordinationem in proſequendo, quæ intelligitur per claudos; contagium in converſando, quod intelligitur in linguâ; obduratio in perdurando, quæ per ſurditatem ſignificatur; deſperatio in contemnendo, quæ intelligitur per mortem: ab omnibus iſtis curat virtus Chriſti per gratiam ſuam. *Luc. c. 7. v. 23.*

13. *Paupertas qualis virtus, quâ Deo charâ.*

Pauperes evangelizantur: ideſt per Evangelium prædicantur, & exaltantur. Sed cur dicit pauperes evangelizantur, & non potius omnes, cum venerit Chriſtus omnes ſalvare? Sed meritò hoc dicit: unde *Luc. c. 4.* proteſtatur Chriſtus ſe præcipuè veniſſe ad evangelizandum pauperes; quia ejus prædicatio præcipue ad pauperes ordinata eſt, & per pauperes alios paupertatem prædicavit, ſcilicet per Apoſtolos: meritò igitur dicit pauperes evangelizantur, non dicit divites, Principes, vel virgines, vel obedientes, ſed pauperes, quia ſicut fundamentum civitatis Babylonis eſt avaritia, ſic fundamentum evangelicæ perfectionis eſt paupertas ejuſque conſummatio: & per hoc dat intelligere, quod paupertas evangelica eſt evangelizanda, & prædicanda, & omnibus Chriſti ſequacibus ſuadenda, quia hæc affert ſecum divitias cæleſtes, & à Deo exaltatur in hac, & in alterâ vitâ, & à Chriſto ſummè dilecta, & amplexata tanquam chariſſima ſponſa. *Luc. c. 4. v. 18. & c. 7. v. 13.*

14. *Scandalum paſſivum quando vitandum, & quando non, ejuſque origo.*

Et beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Sed quomodo hoc dicit Chriſtus? nonne toto conatu Chriſtus vitavit ſcandalum paſſivum proximi? Unde *Math. c. 17.* ut vitaret ſcandalum, voluit ſolvere tributum? ſed attende, quòd ſcandalum paſſivum aliud eſt ob infirmitatem, & ſimplicitatem, ut evenit diſcipulis in paſſione; aliud propter malignitatem, quæ ex judicio temerario, & tunc ſcandalum paſſivum debet vitari: quando venit ob ſimplicitatem, & ob aliquod opus indifferens; non verò quando ex omiſſione talis operis detrimentum patitur veritas vitæ, vel doctrinæ, vel juſtitiæ: Nota autem, quòd veritas vitæ pertinet ad omne comprehendens præcepta, prohibita, & conſilia: veritas doctrinæ pertinet ad Prædicatores & magiſtros: veritas juſtitiæ pertinet ad Prælatos, comprehendens duas partes juſtitiæ, ſcilicet ſeveritatem in puniendo malos, & reos, & liberalitatem in ſuſtinendo, & præmiando juſtos: in quibus caſibus propter quodcumque ſcandalum paſſivum non non debet omitti tale opus: Beatus igitur, ait Chriſtus, qui non fuerit ſcandalizatus in me: [illegible] eſt beatus, qui in me, & meis operibus credideſit, nec in meam humilitatem, velut in petram ſcandali, & lapidem offenſionis per incredulitatem, & malignitatem impegerit. *Luc. cap. 7. verſ. 23. & 17. v. 1. ep. Camil. p. 1. fol. 31. & ep. Phar. l. 3. c. 39. & ep. medic. c. 38.*

15. *Ut ſcandalo paſſivo occurratur, aliquando licet prodere opera bona, quæ aliàs abſcondi deberent, & alia occultare, quæ revelanda eſſent.*

Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Quare? quia Chriſtus omnia ſua opera fecit, quæ erant neceſſaria ad ſui, & veritatis manifeſtationem, & ad ſalutem hominum; alia etiam occultavit: & per hoc datur intelligentia, quid Religioſis faciendum, maximè profitentibus perfectionem maximam, ut eſt Ordo Fratrum Minorum:

norum : & hinc Seraph. Doctor multa dubia diſſolvit in iis, quæ in Religione practicantur, quæ aliàs poſſent ingerere aliquod ſcandalum paſſivum. *Op. Determinat. in præfat. & per totum.*

16. *Scandalum activum quàm grave peccatum, & quàm fugiendum, maximè à Prælatis, & Religioſis.*

Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus in me: Cur hoc? quia Chriſtus ab omni malo etiam apparente perfectiſſimè cavit : & per hoc datur intelligi, quod ſcandalum activum debet diligentiſſimè vitari, & maximè à Prælatis, & ab iis, qui nomen, vel ordinem ſanctitatis habent : nemo enim in Eccleſiâ magis nocere poteſt, quàm ſcandaloſi, & ideo pejores crucifixoribus Chriſti, quia iſti corpus, ſcandaloſi verò animas Chriſto rapiunt, & diabolo tradunt. *Op. Phar. l.3. c.39. Luc.c.17.v.1.& ſer.1.ſer.3.Pent. & ſer.3. Dom.1. poſt oct.Epiph.ſer.3.Dom.1.poſt oct.Paſchæ,& ſer.3. Dom.4. Pent.*

17. *Qualis fueris cum Chriſto, talis erit tibi Chriſtus.*

Illis autem (nuntiis, & diſcipulis Ioannis) *abeuntibus cæpit dicere ad turbas, quid exiſtis in deſertum videre?* Ecce quomodò Chriſtus reſpondet Ioanni, qui cum miſiſſet diſcipulos, ut certificarentur de veritate Meſſiæ, Chriſtus eundem Ioannem canonizat apud turbas : Ex hoc diſce, quod qualis fueris cum Chriſto, talis erit tibi Chriſtus. *Luc.c.7.v.24.*

18. *Laudes ſancti Ioannis à Chriſto prædicatæ expenduntur.*

Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem, &c. Nota quod laus à Chriſto prædicata in his verbis ad turbas ad quatuor capita reducitur : primum reſpicit vitam Ioannis, quæ laudabilis fuit propter conſtantiam ſuam in fide : unde dicit, ipſum non eſſe ſicut arundinem vento agitatam ; & propter abſtinentiam reſpectu delectabilium, unde dicit, in deſertum. & hominem mollibus veſtitum, ſcilicet reſpectu veſtium, & cibi : Secundum caput reſpicit doctrinam, unde appellatur Propheta, & pluſquam Propheta, ideſt in ordine ad limpiditatem cognitionis divinorum,& de ipſo additur : *hic eſt, de quo ſcriptum eſt : Ecce mitto Angelum, &c.* per quod exprimitur ejus auctoritas in docendo : iſta enim requiruntur in Doctore, & Prædicatore : nempè primò vita ſancta : ſecundò doctrina, & auctoritas docendi : Tertium caput reſpicit donum gratiæ, dico vobis nemo ſurrexit major Ioanne Baptiſta: Quartum caput reſpicit famam, unde dicitur, & juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis : quæ omnia comprehendunt ſummam omnis laudis ſancti Præcurſoris. *Luc.c.7.v.24.ſeq.*

19. *Conſtantia Ioannis, & juſtorum in Dei obſequio qualis, & quomodo adipiſcenda.*

Quid exiſtis in deſertum videre? Arundinem vento agitatam? Nota ad litteram, quod Chriſtus ne turbæ crederent, Ioannem fuiſſe inconſtantem, cum viderent, ipſum prius prædicaſſe Chriſtum eſſe Meſſiam, & poſtea miſiſſe diſcipulos, ut interrogarent : *Tu quis es? &c.* dixit ipſum non eſſe veluti arundinem inconſtantem, quæ ab omni vento movetur: igitur hic prædicat ejus conſtantiam, quæ eſt propria omnium juſtorum, ut ſtabiles, & conſtantes ſint in vitâ ſpirituali : Et nota, quod dicit Chriſtus : *quid exiſtis in deſertum videre, &c.* ut videas, quod qui in Dei obſequio vult adipiſci conſtantiam, debet in deſertum incedere, ſcilicet relinquere mundum, & abſtrahere cor ab omnibus creaturis, & in deſertum cum Ioanne ad Deo ſerviendum toto corde exire. *Luc.c.7.v.24.Eccleſ.c.11.*

20. *Cultus, & pompa veſtium à ſervis Dei fugienda.*

Sed quid exiſtis in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum. Nota, quòd hîc Chriſtus laudat Joannem ab aſperitate veſtitus, ut doceret, quàm ſedulò ſervis Dei fugienda ſit pompa, & cultus veſtimentorum : tum quia ſunt occaſio inanis gloriæ, tum quia, ut dicebat Sanctus Pater Franciſcus, diabolus accipit magnam vim in Religioſos veſtibus mollibus veſtitos ; & hinc auſteritatem veſtium ſuis Fratribus præcepit. *Luc. c.7.v.25.ex legenda S.Franc.c.5.*

21. *Joannes Propheta, & pluſquam Propheta, & ſimul vox.*

Sed quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis pluſquam Propheta. Quomodo Joannes dicitur Propheta, cum ipſe interrogantibus Phariſæis reſpondit, non ſum Propheta, ſed vox clamantis in deſerto? Sed verè dicitur Propheta quia futura prædixit : dicitur magis propriè Propheta, quia cæteri Prophetæ à longè prædixerunt, ipſe propè, ſcilicet ipſum Chriſtum digito oſtendit : Unde dicitur vox, quia vox patefacit præſentia. *Luc c.7.v.26.*

22. *Ioannes Baptiſta cur Angelus nuncupatus.*

Hic enim eſt de quo ſcriptum eſt : ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te: ex Malach.c.3. Quomodo ſpecialiter Joanni tribuitur hoc nomen, cùm ipſe eſſet homo carne indutus? Joannes dicitur Angelus, non ſimplicitate naturæ, ſed auctoritate doctrinæ, quia nuntius fuit ad modum Angeli, quia ſicut Angeli miſſi ad miniſteria hominum, ſemper vident faciem Patris in Deitate, ſic ipſe vidit faciem Chriſti, & monſtravit in carne : & ut talis Angelus fuit miſſus antè faciem Chriſti, ſcilicet ante apparitionem ejus in carne, ut homines præmunirentur, & pararent ſe ad iſtam faciem recipiendam, & videndam, quam deſiderarant antiqui Patres videre, & non potuerunt : ideo ut Angelus miſſus, ut omnes manu duceret ad Chriſtum, ſicut vox ad verbum, quod & fecit omnibus modis, ſcilicet naſcendo, converſando, baptizando, & prædicando : unde magnum quidem eſt hoc nomen tributum Joanni, ſed tamen vita non fuit diſſimilis. *Luc. c.7. v.27. ſer.1.de S.Ioan.Baptiſt.in addit.*

23. *Ioan*

Digitized by Google

23. *Ioannes Baptista Angelus Patris æterni.*

Ecce ego mitto Angelum meum &c. Cur Angelus? & Angelus meus dicitur à Patre, mitto Angelum meum? nonne omnes Angeli sunt Angeli Dei Patris ab ipso missi? sed attende ad subsequentia: *Ante faciem tuam* (loquitur Pater ad Filium in carne venturum, illique Angelum noviter conflatum promittit, & præparat) ante faciem tuam, mitto Angelum, non purum spiritum, sed Angelum Deo homini consonantem, qui Dei hominis jussa discat, votis obtemperet, cubicularium agat, obsequiis mancipetur, cætera cælitum cohors totius Trinitatis communis est: ex terris Angelus Joannes exoritur, quia Deus veritas de terrâ orta est: sic Chrysost. discurrit. *Ser.* 89. Cum Christus & Deus nasceretur in carne, Joannes Angelus generatus est in terris, ut ita officia terrena officiis se cælestibus miscerent, sicut humanis se divina miscebant, & in terrâ Deo Angelus, Domino ordo cælestis obsequi non deesset, scilicet ut aptus famulatus non deesset in terrâ Domino carne induto. Angelus igitur dicitur Joannes, non naturâ, sed officio missus ante faciem Christi: & hoc tum propter munditiam cordis, tum propter limpiditatem divinæ cognitionis, tum propter humilitatem subjectionis, tum propter rectitudinem intentionis, tum propter sedulitatem, & diligentiam ad ministrationis, tum propter continuitatem dulcedinis contemplationis, tum propter fixum & stabilem motum dilectionis in Deum. *Op. de Eccles. Hier. p. 1. c. 1. Luc. c. 7. v. 27.*

24. *Sanctus Ioannes Baptista magnus, major, & maximus, in quo sensu: Ubi de majoritate Christi, & Maria.*

Amen dico vobis non surrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptista, qui autem minor est in Regno Cælorum major est illo. Vide qualiter commendatur Joannes à Christo in ordine ad donum gratiæ, quia magnus fuit coram Domino, dans intelligere, quòd donum gratiæ in Ioanne prærogativam habuit in gradu, & mensurâ sanctitatis in statu, quia inter homines puros omnes ipse excessit in gradu gratiæ: unde magnus fuit per vitæ meritum, major per doctrinæ magisterium; & maximus per gratiæ privilegium: non autem dicitur omnibus ut omnibus præferatur sed quod alius non fuerit major eo: nec dicitur de omnibus universaliter præteritis, & futuris, sed tunc præteritis: nec dicitur etiam respectu utriusque sexus, sed tantùm virilis, unde non includitur Beatissima Virgo Maria quæ exaltata est super choros Angelorum nullam parem creaturam habens nec superiorem, nec æqualem. Nota etiam quod dicitur major inter natos mulierum, & simul minor eo, qui est minor in Regno Cœlorum: qui autem minor est in Regno Dei, major est illo: quis est iste minor in Regno Cœlorum major Ioanne Baptista? Hic est Christus Iesus conceptus de Virgine Mariâ, unde communiter non includitur inter natos mulierum, scilicet ex viro; & muliere dicitur minor in Ecclesiâ, qui infrà omnes se humiliavit, & ideò super omnes exaltatus est. *Luc. c. 7. v. 28. ser. 4. in Nativit. sancti Ioan. in addit.*

25. *Quare Christus dicitur filius hominis: & Ioannes filius mulieris.*

Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptista. Si inter natos mulierum major fuit Ioannes, ergo & major Christo, qui fuit filius mulieris? & hoc non sine maximo errore potest dici: quomodo ergo hoc intelligendum? Sed attende quòd Christus se appellat sæpe filium hominis, & Ioannem hic filium mulieris; cur hoc discrimen? Hoc fuit ut posset intelligi manifestè distantia inter nativitatem Christi, & Ioannis: homo enim licet sexum utrumque complectatur, tamen retinet nomen roboris, & virtutis visibilis: mulier autem nomen fragilitatis habet: Christus ergo dicitur filius hominis, quia ejus nativitas fuit in spiritu, & virtute Altissimi: & Ioannes dicitur filius mulieris, quia ejus nativitas in corruptionis fragilitate fuit. *Ser. 4. de nativit. S. Ioan. in addit.*

26. *Dignitas multiplex Ioannis ex commendatione Christi iterum expenditur.*

Inter natos mulierum non surrexit major Ioanne Baptistâ. In quibusnam major? major quidem fuit in nativitate, in conversatione, in prædicatione, & in remuneratione: In nativitate fuit admirabilis dignitas Joannis ex dignitate nunciantis, qui fuit idem Angelus, qui conceptionem Christi nunciavit, ex miraculo concipientis, quæ erat sterilis, ex sanctificatione nascentis, quia fuit in utero operata à spiritu sancto, & ex impositione nominis, quod est gratia: In conversatione ejus puritas incomparabilis proponitur, quæ patet: tum ex fidei confirmatione, quia Christum digito demonstravit: Tum ex pudicitiâ, propter quam Angelus vocatur, & mortem subiit: Tum ex carnis mortificatione, & pœnitentiâ suæ vitæ: Tum ex humilitate profundissimâ, quam in corde, & in operibus demonstravit: in veritate prædicationis, quam perfectissimè exercuit, & constantissimè defendit; & in remuneratione, quam à Deo recepit: ergo major inter natos mulierum &c. *Ser. 4. de S. Ioan. Baptist. in addit.*

27. *Christus quia se minorem appellavit: & Sanctus Pater Franciscus Minores voluit appellari suos Fratres: Ubi de Religionis suæ sublimitate, & professione.*

Qui autem minor est in Regno Dei, major est illo: Quis iste minor, nisi Christus? minor quidem vult appellari, quia minor fuit humilitate, & abjectione infrà omnes homines: Et hinc Seraphicus Pater Sanctus Franciscus voluit suos Fratres Minores appellari, ut intelligerent se vocatos ad Religionem, quæ est schola Christi in quâ prima lectio, & præcipuum studium est de vera humilitate; & qui hanc non addiscere conâ ut, non discipulus Christi, non filius Francisci debet appellari, sed adulterinus, & extraneus. *Or. legenda S. Francisc. 6.* Et hinc in principio Regulæ Ordini traditæ dicitur regula, & vita Fratrum Minorum hæc est: Regula dicitur, quia rectè ducit per medium absque declinatione ad extrema; dicit inquam ad observantiam paupertatis nuditissimè: dicitur vita Fratrum Minorum, ut tota Fratrum

trum converſatio Regulæ applicetur, ut ſint verè Fratres Minores, ideſt ut de nullo dignitatis gradu contendentes. nec ſibi nomen honoris alterius uſurpantes, omnibus ſe humilitatis amore, ſalvo Dei honore, ſubjiciant, ad nullam temporalem magnitudinem, ut paupertimi, humillimi. & puriſſimi aſpirantes: & ideo dicuntur Fratres Minores ad imitationem illorum, de quibus dicitur *Matth.c.25.quandiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis*, quia Chriſtus propriè voluit dici minor, & inter ſuos diſcipulos Frater minor. *Op.expoſ.Reg.c.1.*

28. *In quo ſenſu dixerit Chriſtus: A diebus Ioannis Baptiſtæ uſque nunc Regnum Cælorum vim patitur: Ubi de pœnitentia virtute & effectibus.*

A diebus Ioannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quid eſt A diebus Joannis? Nonne antè Joannem Sancti Patres vim ſibi intulerunt, & regnum Cœlorum meruerunt? maximè: ſed hic agit Chriſtus de tempore legis evangelicæ, & gratiæ, dans intelligere, quòd à prædicatione Ioannis Baptiſtæ incæpit tempus magis commodum & aptum ad promerendam gloriam, & hoc amplexando pœnitentiam quam Ioannes, & Chriſtus prædicabant, & Ioannes incæpit digito demonſtrare adventum Chriſti in carne, & ſimul invitare homines ad præparandam viam Domino per pœnitentiam: Unde *Luc.c.16.* dicitur, Ex eo, ſcilicet tempore Ioannis regnum Dei evangelizatur, ideſt Evangelium gratiæ inchoatur: Dat igitur intelligere, quod pœnitentia eſt violentia, quam ſibi homo facit, & ideo per pœnitentiæ violentiam homo excedit ſuam vim naturalem: ſicque in terra genitor Cœlorum ſedem, quærere poſſidere velle per virtutem facit. quod non poteſt per naturam: per hanc item homo vincit incurvationem naturæ, à terrenis erigens ſe ad cæleſtia: per hanc & vincitur torporis pigritia, currere faciens ad ſublime virtutis, & tandem per hanc violentiam homo mitigat ſeveritatem divinæ ſententiæ, & æternam gloriam meretur. *Luc.c.16.v.16. Op. Diat.tit.5.c.7. ep. Comp. Theol.l.5.c.36. Luc.c.13.v.24.*

29. *Amoris patientia, & fidei telis expugnatur regnum Cælorum, imò & ipſe Chriſtus.*

Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Quodnam eſt iſtud regnum Cœlorum, quod vim patitur? & quomodò patitur? Vim patitur, ideſt expugnari violentiâ poteſt: Nota ergo, quod hoc Cœlorum regnum eſt ipſe Chriſtus, qui cupiens, ut ipſius poſſeſſionem capiamus, dat intelligere in his verbis, quod ſolùm violentia poteſt, ſed tamen violentia amoroſa, & jaculis amoris, quæ tamen debet habere ſociam armaturam patientiæ, & fidei: Anima ergo, quæ talibus jaculis ipſum appetitur, ſecura eſt ipſum rapiendi, & poſſidendi: ô ſancta, & dulcis violentia. *Op. de ſeptem itiner. æter. itin.4. d.5. Op. ſtim.div.am.p.3.c.13. & ſer.2. de omnib. ſanctis.*

30. *Quot modis Regnum Cælorum poſſit acquiri.*

Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Ergo ſolùm violenti? ergo ab aliis non violentis non poteſt acquiri? ſed attende, quia regnum cælorum omnibus eſt expoſitum, quod regnum cœlorum alii furantur, alii emunt alii compelluntur, alii violenter obtinent: mercantur, qui dant in præſenti temporalia pauperibus, ut in futuro recipiantur in æterna tabernacula: furantur, qui bona occultè faciunt vitantes laudes hominum, ſolùm divino teſtimonio contenti: compelluntur pauperes, qui igne paupertatis probantur: violenter rapiunt regnum Cœlorum, qui relinquunt omnia propter Chriſtum, vel etiam qui locum debitum alias Angelis malis, vel Religioſis impiis per pœnitentias, & opera ſancta acquirunt, de quibus dicitur, publicani, & meretrices præcedent vos in regno cœlorum, & ideo hoc eſt tempus proprium legis evangelicæ: nam ante Ioannem promittebatur opulentia, nunc proponitur paupertas. *Luc. cap.16. v.16. & idem S.Bernard. & Ugo Cardin.*

31. *Chriſti diſcipuli, & ſequaces habent aures audiendi, & audiunt.*

Qui habet aures audiendi, audiat. Quis modus loquendi eſt hic? nonne omnis, qui non eſt ſurdus habet aures ad audiendum aptas? ſed attende, quod Chriſtus hoc dicit, inſinuans, quod duplex, imò triplex eſt auris ad audiendum: nempe auris exterior, & qui audit tantùm hoc aure, non dicitur audire apud Deum: Alius auris eſt interior ad intelligendum, ſcilicet myſteria verborum Dei, & hic modus requiritur, ſed non ſufficit, quia ad perfectam auditionem requiritur auris affectus diligendi audita, & promerendi ea, quæ dicuntur, vel promittuntur, & hoc proprium eſt tantùm ſervorum Dei, & Deum diligentium. *Op.de ſeptem itiner.æter.itin.1.d.3.*

32. *Alii benè ſaltant, alii malè.*

Cui ſimilem æſtimabo generationem iſtam: ſimilis eſt pueris, &c. dicentibus, cantavimus vobis, & non ſaltaſtis, lamentavimus, & non planxiſtis? Hic contra Judæos ſermo eſt, qui ad prædicationem pœnitentiæ Ioannis non ſunt converſi ad planctum, nec item ad prædicationẽ Chriſti dulcem, & ſuavem: nempe ad ſuavem vitam evangelicã amplexandam, aſſignat morem uſitatum inter ipſos: nam pueri ſolebant percutere baculos, vel inſtrumenta, ſimulque canere cantiones, modò lamentationis, modò gaudii, ut excitarent alios ad planctum, alios ad ſaltum, & gaudium: myſticè dat intelligere, quod alii ſaltant benè, alii malè: benè ſaltant excitati à Deo, qui in altum ſaltant per contemplationem, & amorem ferventem in Deum ad modum Angelorum: malè ſaltant, qui incipiunt opera bona, & in altum ſaltant, ſed miſeri citò corpore aggravati coguntur relabi, quare ſine perſeverantiâ, & profectu de virtute in virtutem non poſſunt ſequi Chriſtum. *In Thren.prol.*

33. *Mundani ſunt pueri ſtolidi, & mundanæ felicitates pueriles ludi.*

Cui ſimiles æſtimabò generationem iſtam? ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro. Cur perverſos iſtos comparat pueris? nonne tales dicuntur à puritate, ſuntque Deo valdè chari? Sed attende, quod in Sacrâ ſcripturâ puer ſumitur in bonum, & in malum, ut hîc: habent enim ſtoliditatem in ratione, concupiſcentiam in concupiſcibili, & iraſcibilem in iraſcibili. *Luc.c.*18.*v.*16. Vide igitur. ait S. Doctor, opera puerorum riſu digna, dum quaſi ſuperbam extructuri molem, ædificant; & pro trabibus feſtucas adhibent, pro marmoribus lutum, & in his imperitiis delectantur, veluti molis nobiliſſimæ architecti: Vide quomodo inanibus figuris delectantur, vide quomodo nihil conſtantius in pueris inconſtantiâ: mutantur enim in horas, nunquam ipſi, ſemper alii: Ecce vita puerorum moralium, ſcilicet mundanorum, qui in his caducis rebus, & vanis cor affligunt ſubjecti voluntati, & veluti puerilibus ludis: *hæc ad ſenſum Seraph. Doct.*

34. *Invidus, & malignus ex quocumquè opere, etiam ſancto ſumit occaſionem malignandi.*

Hoc patet de Phariſæis, & Scribis malignis, de quibus dicit Chriſtus: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet: Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini, amicus publicanorum, & peccatorum:* Sic enim facit malignus, & invidus, ſumens ex quocumque proximi opere motivum malignandi. *Luc.c.*5.*v.*33.

35. *Vitia ſunt ſchola virtutum.*

Tunc cæpit exprobrare civitatibus &c. Væ tibi Corozaim &c. quia ſi in Tiro, & Sidone &c. olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent: velut legitur *Luc.c.*10. *ſedentes pœniterent.* Quomodo ſapientiſſimus magiſter volens torporem horum hominum abjicere, eorumque animos ad pœnitentiam excitare, illis in medium producit, & proponit idololatras, & peſſimos homines in exemplum? Sed nota, id facit ut comparatione iſtorum perverſorum eos confundat, & ut addiſcant in ſchola ipſorum non eos imitari, ſed opera pœnitentiæ arripere: & ad id acquirendum tria propoſuit Chriſtus, nempe cilicium, cinerem, & ſeſſionem Ninivitarum: in cilicio exprimitur dolor ex conſideratione divinæ offenſæ: in cinere timor ex conſideratione vindictæ: & in ſeſſione pudor ex conſideratione culpæ, & viliratis propriæ *Luc.c.*10.*v.*13. Prætendit igitur Chriſtus, ut quiſque morbo animæ laborans, ad viſendum ſimiles infirmos adeat, ut videat v.g. in Lucifero, in Judâ, in Cain, in Tiriis, & Sidoniis effectus talium morborum, & ut dicebat Sanctus Zeno martyr, diſcat ex alienis plagis Dei diſciplinam.

36. *Dei beneficia impiis collata ſupplicia ſunt.*

Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida. Cur? *quia ſi in Tiro & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio &c.* Et quæ virtutes? plurima beneficia à Chriſto his civitatibus collata fuerunt, nempe plurima miracula; prædicationes, & alia dona à Chriſto exhibita; & propter hæc, ait Chriſtus, *Væ tibi*, cur? quia dona mutantur in ſupplicia graviora ingratis; & non obtemperantibus, & ideo ſubdit: *& tu Capharnaum uſque ad Cælum exaltata*, ſcilicet exaltata tantis donis, & ob id exaltata in ſuperbiam, ideo per divinam ſententiam demerſa in Infernum; ex quo diſcamus divina dona ſuſcipere cum timore, & magnâ reverentiâ, quia cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum: unde meritò clamabat Propheta: Ne declines in ira à ſervo tuo, nempè ſinendo me ſine flagellis. *Luc.*c.10.*v.*14.*&* 15. *Pſal.*26.

37. *Deus omnibus confert auxilia neceſſaria ad ſalutem, licèt non æqualiter: Ubi de ſcientiâ Dei conditionatorum.*

Si in Tiro, & Sidone facta eſſent virtutes &c. Hîc oritur dubium an Chriſtus prævideritt certò & doncon ecturaliter pœnitentiam, quam Tirii, & Sidonii acturi fuiſſent ſi Deus exhibuiſſet ipſis eadem auxilia data Judæis: Secundò cur ipſis talia auxilia dedit, quæ illis negavit? Tertiò, ab ſufficientia auxilia Tiriis, & Sidoniis dederit, licèt non tanta ſicut Judæis? Reſpondetur ad primum, quod Chriſtus, ut Deus habuit illam cognitionem futurorum conditionatorum (quam Neoterici appellant mediam) & ratio eſt, quia præſcientia in Deo importat, & includit totum in cognitione liberi arbitrii; & ejus cooperationem, & vertibilitatem, & totum, quod in ſe veritatem continet, etiam contingens, etiam nunquam futurum, quia omne verum relucet in ejus æternâ, & ſummâ veritate. *Sic l.*1. *d.*40.*a.* 1.*q.*2. *per totum & d.*38. *a.*2. *q.*2. Ad ſecundum, & tertium reſpondetur, quod Deus omnibus ſemper auxilia neceſſaria ad ſalutem dedit, licèt non omnibus æqualiter, & licèt non debetit Tiriis majora auxilia ſupererogationis; quibus potuiſſent converti; non per hoc tamen eis defecit in neceſſariis, imò etiam in pluſquam neceſſariis; nec ullam excuſationem poſſunt, vel ipſi, vel quicumque ſint, adducere de peccato ſuo. *Vide Luc.*c.10. *cit. l.*1. *d.*46. *a.*1. *q.*1. *& l.*2. *d.*29. *a.*1. *q.*2. *ad* 3. *ſer.*1. *ſer.*2. *Pent. ſer.*3. *ſer.*4. *Pent.*

38. *Deus noſter Deus eſt parvulorum communicator ſuorum bonorum.*

Confiteor tibi Pater (ideſt laudo tè & benedico gratiaſque ago) *quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Cur abſcondiſti ſapientibus, hæc myſteria & revelaſti ea parvulis? optimè, & optimo ordine id dicit: dicit autem abſconditam eſſe ſapientiam, ſeu notitiam myſteriorum Dei ſapientibus, ideſt, qui ſe ſapientes exiſtimant, & prudentes; iſti enim verè ſtulti ſunt, *ait Apoſtol. ad Rom.*c.1. ſed revelatam parvulis? Nota, quod loquitur de humilibus, quos appellat parvulos, & hoc cum miſterio maximo, quia ſicut pueri quandiu ſunt in pueritiâ habiles ſunt ad omnem doctrinam, eſt enim prima ætas calida, & humida, & ideo ad modum ceræ calidæ, & liquidæ facile recipit omnem formam; ſic & in ſpiritualibus ſuo modo ſe habet, eo quod qui ſunt parvuli propter humilitatem ſunt valdè diſpoſiti ad divinam ſcien-

tiam, imò ad omnem divinam influentiam : & ſicut ſol nobiliores impreſſiones facit in re râ, quia eſt omnium infima , quàm faciat in aliquâ altâ elevatâ naturâ ; ſic & Deus ſuas influentias majores in infimis , ſcilicet in parvulis, & humilibus imprimit , ideo bene dicitur doctor parvulorum , quod & patenter in ſancto Antonio Patavino factum eſt. quia enim fuit humilis in converſando, in ſuam ſcientiam ab condendo , ideo multum illuminatus eſt à Deo , ſicut manifeſtat ejus prædicatio , & vita. *Ser.1. de S.Ant.& ſerm.4 Dom. poſt oct. Paſche. Luc. cap.1 verſ.3.& cap.12 v.12 & Ioan. c.7. ad fin.m & ſer.1.& 2. Hexam. Luc.c.18.v.17.ſap.c.6.op. de ſept.itin.ætern.5. d.6.op. Anſel. paup.reſp.1.c.2. & reſponſ.3.c.3.op.in Pater noſter.*

39. *Dei providentia mirabilis expenditur in bonos , & malos , à nobiſque laudanda oſtenditur.*

Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & terræ. Sanctus Lucas ad hæc verba præmittit : *In ipſa hora exultavit in ſpiritu ſancto , & dixit : Confiteor tibi Pater Domine Cœli , & terræ.* Cur præmittitur hæc exultatio poſtea confeſſio ? Et cur filius appellat hic Patrem Dominum Cœli , & terræ ? Hoc eſt , quia dicendo ipſum eſſe Dominum Cœli , & terræ ejus præſidentiam in medium affert , providentiamque univerſalem totius mundi , ut intelligamus ipſius exemplo eſſe gaudendum ejus irreprehenſibili providentiâ, & ſimul confitendum ; ſcilicet laudandum : & addens : quia abſcondiſti hæc à ſapientibus , &c. & poſtea quod , ſic fuit placitum ante ſe , dat intelligere , quod mirabiliter elucet talis providentia in protegendo , & illuminando , & ſalvando parvulos , ſcilicet humiles , & bonos , & puniendo malos : Dicit autem , revelaſti hæc , nempe myſteria redemptionis humilibus , non dicit ſtultis , & hebetibus , quia non damnat acumen intelligentiæ , ſed tumorem ſuperbiæ, & hunc reprobat , & ſuperbos punit : cur autem ſunt illi humiles & iſti ſuperbi ? Corque illos ſalvat, iſtos verò damnat ? quia ſic fuit placitum ante ſe , quia judicia Dei ſunt occultiſſima , nec temerè diſcutienda. *Luc. cap.10. verſ.21.*

40. *Omnipotentia Chriſti Jeſu communis cum Patre , & Spiritu ſancto.*

Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo , & nemo novit filium,&c. Nota quod hic expreſsè Chriſtus ſe filium Patris docet , & ejuſdem naturæ , & ob id omnipotentem,& dum dicit , quod nemo novit filium niſi Pater, docet, ipſum eſſe incomprehenſibilem , nec in hoc excludit Spiritum ſanctum ; & ideo dat intelligere , quod hæc veritas ſolùm haberi poteſt per revelationem , non viribus naturæ. *Luc. cap 10. verſ.22. op.de reduct. art. ſerm.1. Hexam. & de ſept. itin. ætern. itiner. 3. d.5. & itin. 5. d.4. Ioan. cap.16. verſ.15.*

41. *Nil peccato laborioſius, nil gratiâ Dei levius : Ubi de ſervitute peccati , diaboli , & Dei.*

Venite ad me omnes , qui laboratis , & onerati eſtis,& ego reficiam vos : Tollite jugum meum ſuper vos. Verè mirum prima facie eſt , quod hîc omnibus hominibus fatigatis intonat : *Venite*, ait,*ad me,& ego reficiam vos :* quæ verba redolent maximam conſolationem , dum fatigatis promittit refectionem , ſed tamen amaricantur iſta verba ex eo, quod ſubdit : *Tollite jugum meum ſuper vos :* quodnam jugum ? Jugum meum, ſcilicet crucem meam ; & hæc eſt refectio , quam promittit ? Levamen , quod oneratis exhibet ? nonne hoc eſt ipſos majori onere velle onerare ? & quid rigidius?quid durius?quid onerosius cruce Chriſti,quæ tam ipſum Dominum fatigavit ? ô metamorphoſis divina!Optimè dicit Chriſtus fatigatis in viâ mundi,& peccati : Venite , venite vos, qui in tanto labore viam miſeram ducitis, quia via peccati eſt laboriosa.& tam laboriosa, ut nihil ipſa laboriosius: Via Chriſti eſt quidem crucibus,& ſpinis plena,ſed tamen ipſa nil levius,nil dulcius,nil facilius:Vide quàm hæc ſint vera,qui facit peccatum , ſervus eſt peccati, ait Chriſtus *Ioan.c.8.*& hæc ſervitus eſt ignominioſitate viliſſima, quia nihil vilius quàm ſervire vilitati peccati , & ſub jugo dæmonis , eſt & multitudine numeroſa , & ſervitute onerosa , quia malus tot Dominos habet, quot vitia , eſt & perennitate continua , quia diabolus nunquam dat ſuis requiem , eſt & ſtipendio damnoſa , unde ad rem *in Ezech.c.29.v.18.* dicitur , *Nabucdonoſor* , ideſt diabolus , *ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magna : omne caput decalvatum, & omnis humerus deſilatus , & merces eis non eſt reddita :* quid igitur his Dominis acerbius : Iſtis igitur clamat Chriſtus, dicens:*Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis,& ego reficiam vos :* Venite , & tollite jugum meum ſuave , & dulce , quia mea ſervitus eſt ad lucem,ad pacem,& lætitiam ſempiternam,& ad dulce exercitium virtutum. *Ioan. coll.42.Luc.c.16.v.13.& c.19.v.31.Pſal.118.c.11 v.14.ſer.2.Dom.21.Pent. op. Comp. Theol. l.5. c.9. Vide infrà n.43.*

42. *Chriſtus invitat ad ſe velut ad refugium & centrum omnis boni,omnes cujuſcumque generis, & ſtatus.*

Venite ad me,qui laboratis,& onerati eſtis, & ego reficiam vos. Qui ſunt iſti laborantes , & onerati? Ergone ſoli laborantes , & onerati invitantur ad Chriſtum? ſed attende , quod Chriſtus omnes cujuſcumque generis, & qualitatis ad ſe invitat, quia omnes ſine Chriſto laborant , & onerati ſunt ; ſolus enim Chriſtus eſt unica requies , & refectio : Venite igitur,ait , ad me omnes labore fatigati , onere gravati , inediâ macerati : Venite ad me quales ad qualem , ſcilicet clauſi ad oſtium , ægroti ad Medicum , naufragi ad portum ; ad oſtium luminis , ad portum quietis , ad Medicum ſalutis : Venite ad oſtium , ut ingreſſi veritatem videatis ; ad Medicum , ut curati ad ſanitatem convaleſcatis ; ad portum , ut collecti poſt laborem quieſcatis : Venite vani, ut veritatis lumine adimpleamini ; onerati, ut

à pondere peccatorum elevemini ; laborantes, ut quiete adeptâ consolemini : ô quàm dulcia verba. *Psal.* 118. *v.* 50. Videigitur, quàm quod dicitur *Sap. c.* 8. Divina sapientia attingit à fine ad finem fortiter, & omnia disponit suaviter; quia se extendit ad omnia, & ad omnes, omnes vocando, omnes invitando, omnibus seipsum exhibendo refugium, virtutem, & centrum omnium bonorum. *Sap. c.* 8. *Luc. c.* 5. *v.* 27. *Psal.* 118. *cit.*

43. *Christi vocatio ad omnes homines expenditur. Ubi de suavitate ingi ipsius.*

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Connectenda verba hæc cum illis. *Psal* 33. *Venite filii, audite me.* In quibus Christus ostendit suam benevolentiam, ut homines facilius retrahetentur à vitiis, & à sequelâ diaboli, mundi, & carnis : invitat autem ad quietem, & veniam, mandans simul obedientiam. Venite, ait, post me: quem ? audite ut summum Pontificem, ut Dominum, & magistrum. Venite : & quò ? ad quem locum ? ad me, ad Dei reverentiam, & ad orationem fundendam. Venite, qui laboratis, ne sitis, ut illi stulti, qui non credunt laborare in sequela mundi, cum tamen eorum vita sit amarissima pœna, & cura, & febris, & labor, & inquietudo: ne sitis sicut freneticus, qui non sentiens durissimam febrem, quam toletat, cantat, & quò gravior est febris, eò altius cantat, nesciens, quod mors sibi instat : sed tollite jugum meum super vos ; jugum enim meum suave est, & leve : & quomodo leve, & suave ? quia jugum amoris sua dignitate, & jucundâ allicientiâ, sic ligat interius voluntatem, ut nihil pœnæ sentiat, qui cervicem suam supposuerit ad jugum Christi suavissimum sustinendum : nam contra consuetudinem aliorum jugorum illud manifestissimè comprobatus : nam aliud jugum trahentes, ab ipso cervices inclinant inferius : jugum autem Christi in tantum sustinentes elevat, ut commorantes in terra, faciat in cœlestibus habitare, ita ut ad modum avis, qui quò pluribus pennis est ornatus, eò facilius in altum volat supra nosmetipsos extendendo Spiritum, concives faciat superiorum : ideo verè leve dicitur, quia ab inferioribus mentem allevians, & ipsum ad superiora supra seipsum statuendo est levigans : suave etiam dicitur, quia ipsum sustinens vivit vita Angelorum, non hominum, quia in tanta lætitiâ, & jucunditate facit interiora animæ vitam istam amaram deducere, quòd sibi jam vita gloriæ incipit esse particeps, ita ut jucunditas mentis pœnalitates corporis propter sui abundantiam exuperat absorbendo : levé etiam dicitur propter interioris animæ pinguedinem, quæ non sinit pœnas exterius sentire. Venite igitur, ait Christus, tollite jugum meum, &c. scilicet ad meliorem omnium sustinentiam me sequendo, ad paupertatis meæ eminentiam amplexandam, ut reficiamini in hac, & altera vita. *Ser. 2. de SS. Philip. Iacob. op. mystic. Theol. c.* 2. *p.* 2. *in Thren. c.* 1. *&* 3. *op. de dono piet. c.* 3. *Op. Diæt. tit.* 5. *c.* 2. *op. de quinque solemn. fest.* 2.

44. *Prælati sint refugium subditorum in tribulationibus.*

Venite ad me, qui laboratis, &c. Vide, quòd Christus postquam exposuit suam potestatem à Patre sibi traditam, omnia mihi tradita sunt à Patre meo postquam se Prælatum super omnes declaravit, omnes etiam suos subditos invitat, ut ad se veluti ad refugium unicum omnium laborum ; & necessitatum recurrant, & hoc ut Prælatis doceret, quid sibi faciendum, cum exaltatos se viderint ad Prælaturam in juvamen subditorum, nempe ostendere, & exhibere eis omnem benignitatem ; confidentiam præbere, ut ad ipsos tanquam ad Patrem, & refugium in omni eorum tribulatione possint recurrere. Et hinc sanctus Pater Franciscus in sua Regulâ *c.* 10. ordinat suis fratribus, ut recurrant ad suos Prælatos in ipsorum necessitatibus cum omni confidentia. *Op. exposit. Regul. c.* 10.

45. *Qualis refectio obtinetur in Christi sequelâ.*

Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. Quid est reficiam ? quæ refectio est ista promissa à Christo laborantibus ? nonne omnibus istis paratæ sunt persecutiones volentibus piè vivere ? nonne inter lupos immanes eorum vita exposita ? quomodo igitur dicitur, & reficiam vos ? optimè hoc promittit Christus, & vos reficiam. O dulcis refectio ; & pascua ! sequentibus Christum, iste per suam pietatem, & charitatem paravit refectionem, & convivium dulcissimum : vide qualem refectionem : nam per fidem exhibet tot dulcia fercula, quot saporosæ virtutes, & veritates in ea continentur, & ostenduntur : per spem, dulcedinem beatitudinis, & per charitatem facit animam transire omnia creata, & penetrare ad amàrum, & in ipsum intrare, & quietare : ô qualis gustus ! gustus iste amorosus totam animæ familiam mundat ab omni impuritate, virtutibus ornat, dulcedine ebriat, dilectione inebriat, lumine serenat, gaudiò exhilarat : gustus, & cibatio ista est ignis in meditatione, lux in oratione, mel in gratiarum actione, vinum in contemplatione, sol in beatitudine, mentem exhilarans inefabili gaudio, & perenni jubilatione : ô accedamus ad Christum nos invitantem, & gustemus, & videbimus quàm sint hæc vera. *Op. de dono piet. c.* 3.

46. *Christi jugum quale, & quàm suave.*

Venite ad me, &c. & tollite jugum, &c. Nota quòd hic præcipit Christus tria, scilicet jugum in præceptis, mititatem in adversis, & humilitatem in prosperis : & primò præcipit, ut tollamus jugum super nos, quodnam jugum, & quare suave ? hoc jugum est crux, est observantia in præceptis dominicis ; dicit autem, quòd est jugum suave, & onus leve, quia Christus in cruce subiit hoc jugum, & adhuc sub eo vult esse nobiscum, unde ipse portat quasi totum pondus, vel majorem partem ponderis, & cum addit charitatem, & amorem, tunc

ejus jugum redditur ſuave,& leve, ne fatigemur in ipſum portando.*Op.Diat.tit.5.c.2.*

47. *Chriſtus ad ſe omnes vocat: diabolus, mundus,& caro faciunt idem, ſed differenti fine.*

Venite ad me,&c. Nota, quòd per totum mundum clamatur,venite ad me omnes,qui laboratis, & onerati eſtis,& ego reficiam vos, clamat mundus,clamat caro, clamat diabolus: clamat mundus,venite ad me,&c.ego deficiam, clamat caro, ego decipiam, & inficiam: clamat diabolus,ego interficiam: clamat ſolus Chriſtus, ego reficiam verè Clamat mundus, ego deficio, quia totum vanitas, totum afflictio, & in majori neceſſitate deſerit: clamat caro, ego inficio, quia putrida, quia lutrina, & omnium fœtorum ſentina, & omnibus vitiis fœtidis inficiens: clamat diabolus invitans ad altitudines ſæculi,ut durius, & præcipitoſius interficiat: clamat Chriſtus, ego refitio paſcuis deliti ſiſſimis inhàc, & alia vitâ, ad quem igitur ibis ô homo, quem ſequeris? ô calamitas miſeranda! homines potius volunt ſequi carnem,diabolum, & mundum.inficientes, deficientes,decipientes, & interficientes, quàm Chriſtum reficientem: nos, nos chariſſimi ad Chriſtum accedamus,ſed parvi,& humiles, ut refectionem habeamus, & dulcedinem cœleſtem deguſtemus.*Ser.4.Dom.6.Pent.ſer.1.ſer.4.Pent.ſer.1.de S.Thoma Apoſtol.*

48. *Chriſti ſchola quales diſcipulos,& lectiones continet.*

*Venite ad me,&c.diſcite à me,quia mitis ſum, & humilis corde.*Ecce quid conſequitur ad infinitam ſapientiam Chriſti, qui ſupra ſe omnium veritatum magiſtrum proclamat, dicens, omnia mihi tradita ſunt, &c. & nemo Patrem novit, niſi cui ipſe voluerit revelare: nunc verò addit, diſcite à me, &c. Quid? forſan mundum fabricare? vel miracula facere? item ad quoſnam dirigitur, diſcite à me? ſed tamen cum dicat diſcite, patet, quòd ad ſuos diſcipulos diriguntur iſta verba, quia ſoli diſcipuli Chriſti ſunt mites, humiles, & fideles: ſed quid eſt, quod præcipit addiſcendum quænam, & quales lectiones ſunt iſtæ? Diſcite ait, à me, quia mitis ſum,& humilis corde; & iſtæ ſunt lectiones, quos continuè Chriſtus tradit addiſcendas, & practicandas ſuis diſcipulis: inter quos prima,& ſumma eſt miſericordia, mititas,atque humilitas, de qua in judicio extremo rigoroſè examinabit ſcholares ſuos. *Luc.proem. Pſal.17.Joan.coll.62.op Diat.tit.7. c.2.*

49. *Chriſtus ſe ipſum exemplar, & librum imitandum, & legendum propoſuit diſcipulis ſuis.*

Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Nota,quòd in hoc magiſterio nihil proponit,niſi ſeipſum,dicens. diſcite à me, ideſt reſpicite ad me, & ad opera mea. Sed cur non potius dicit diſcite à libro ſacræ ſcripturæ, vel Evangeliorum ea quæ tradita & ſcripta ſunt,ſed dicit à me,quia ſum mitis, &c.ſed optimè. & optimo ordine hæc profert Chriſtus verus, & perfectiſſimus magiſter: quia enim ſciebat, quòd magis exempla movent,quàm verba, nam concio, & lectio per exempla termina: ad oculos, & inde tra ſit ad cor.*Op.Brevil.in proem.Pſal.125.* Hinc proponit ſeipſum veluti librum legendum, & ſimul exemplar omnium virtutum, & præcipuè humilitatis, & mititatis,ſicut dicitur *Pſal.* 24. docebit mites vias ſuas,ſcilicet, quos ipſe calcavit, bonaſque operationes, quas ipſe exercuit. Ecce quales lectiones ex vitâ Chriſti Jeſu nobis proponuntur addiſcendæ.*Ser.70 Op.medit.c.6 op.grad.virtut. c.3.Luc.c.19.v.5.Pſal.1.ſer.1.Dom.22.Pent.ſer.2. Dom.infra oct. Nativit. Joan.coll.62.*

50. *Chriſti muſica,& diaboli qualiter differant.Ubi de humilitate Chriſti, & ſuperbia diaboli.*

Diſcite à me. Quid? Diſcite,quia mitis ſum, & humilis, ſcilicet meas lectiones ab imo incipientes,& ecce Chriſtus magiſter noſter docens nos lectiones muſicæ, incœpit enim ſuum cantum ab imo, ut in altum aſcenderet; è contra diabolus cantavit antiphonam ab alto, in Cœlum conſcendam,ſimilis ero Altiſſimo.Vide quomodo incepit ſuum cantum Chriſtus, ſcilicet ab humilitate, quam ſemper ſervavit,& à quâ,& per quam à Patre exaltatus in Cœlum: è contra diabolus ab alto,& hinc præcipitatus. *Pſal.149.* Qui vult ergo addiſcere cantum Chriſti,ad ipſum recurrat, & ſeram, clavemque humilitatis ab ipſo recipiat ad imitandum.*Ser.2. ſer. 2. Paſcha. ep. de perfect. vitæ.c.2.*

51. *Exemplo Chriſti, & Mariæ Virginis invitatur anima ad exercitium humilitatis.*

Venite ad me,&c.Diſcite à me, &c. Nota. quòd hæc verba inceſſanter dicuntur à Chriſto ſuis ſequacibus, & etiam à Beata Virgine: unde *Luc. c.2.dicit quia reſpexit humilitatem Ancillæ ſuæ.&c.* hinc & ipſa ordinat eadem verba omnibus hominibus,diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: ſed quàm humilis? humilis in ſuperlativo gradu; nam in Cœlis glorioſa conſervat eandem humilitatem,& licèt ſit plena ſummo bono, & honore ſummo ſublimata, ſuper omnes Angelos,nullum tamen motum, ſuperbiæ habet de hoc, ſed quò altior, eò humilior eſt in Deo. *Opuſc.de profec. Religioſ. l. 2.cap. 33. opuſc. ſolil. cap.4.*

52. *Charitas immenſa Chriſti iterum expenditur in hac vocatione.*

Venite ad me omnes. &c. & ego reficiam, &c. O Domine Jeſu quo indiges? quare vocas? quid tibi commune nobiſcum.ô verè pietatis vox: venite, inquit ad me, & ego reficiam vos: ô Dei noſtri dignatio admirabilis? ô charitas ineffabilis? quis enim aliquando fecit talia? quis unquam audivit, quiſque conſpexit ſimilia? ecce invitat inimicos, hortatur reos, allicit ingratos: Venite, inquit ad me omnes, & diſcite à me tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris: ô verba dulcia, verba deifica, & penetrabiliora omni gladio ancipiti, intima præcordiorum eviſceratria, nimiáque repleta dulcedine uſque ad diviſionem animæ pertingentia

Digitized by Google

gentiq. Expergiſcere hunc anima chriſtiana ad tantæ benignitatis amorem, dulcedinis tantæ ſaporem, & ad tantæ ſuavitatis odorem: ô infirmitas, & perverſitas miſerabilis noſtra? nam vocamur ad requiem, & ſequimur laborem, invitamur ad ſolatium, & quæritnus dolorem, promittitur gaudium, & appetimus mœrorem: ô dulciſſime Jeſu ſubleva noſtram infirmitatem, trahe nos ad te, ut voces tuas audire, & tuis mandatis obtemperare poſſimus. *Op. 25. Memor.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Cum in præcedenti capitulo egerit Evangeliſta de miraculis factis ante mortem Joannis Baptiſtæ, nunc de iiſdem poſt mortem: nam poſt arguitionem Phariſæorum in diſcipulos Domini, eo quod in die Sabbathi vellebant ſpicas, &c. deſcribit ſanitatem collatam manui aridæ eiuſdem, & damoniaci cæci, & muti, & aliorum infirmorum, poſtea confutat Phariſæos, qui petebant ſigna à Chriſto, aliaque geſta à Chriſto, ut patebit.*

CAP. XII.

2. *In hac vita omnia tranſitoria.*

IN illo tempore abiit Jeſus per ſata in Sabbatho. Ad litteram Chriſtum ſequebatur multitudo maxima populorum, & hinc propter illorum compreſſionem, & importunitatem non potuerunt Apoſtoli providere cibum neceſſarium, ideo vellebant ſpicas, ut comederent. Dicitur igitur, quod Chriſtus abiit per ſata; & ſanctus Lucas, *quod tranſibat per ſata*, & hoc myſticè dat nobis intelligere quod ſi Chriſtus cum eſſet viator tranſibat, & decurrebat ad finem & ad mortem, multò magis & nos, quia omnia abeunt, tranſitoriaque ſunt, nec permanent, nec habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus, ideo in hoc tranſitu debemus nobis providere ſuſtentationem pro alia vita. *Luc. c. 6. verſ. 1.*

3. *Paupertas ſequacium Chriſti qualis.*

Diſcipuli autem eſurientes cœperunt vellere ſpicas, & manducare. Vide, ad qualem neceſſitatem, & paupertatem redacti fuerant diſcipuli Chriſti, & hoc voluit Chriſtus, ut nobis volentibus ipſum ſequi, inſinuaret, quod paupertas altiſſima eſt Chriſto ſuper omnia chara: ſed attende ad perbellum myſterium: iſti Chriſti ſequaces erant quidem pauperes voluntarii, quia eorum paupertas voluntariè fuerat aſſumpta, ſed tamen non ab aliis honorata, ſed potius conculcata, & calumniata, ut evenit pauperibus coactis: hinc addiſce, quòd ſi pauper eris, etiam voluntarius, niſi ad talem ſtatum perveneris, nempe non quærendo honorem in tali ſtatu, ſed amando contemni, conculcari, calumniari, & propter Chriſti exemplum ab aliis abhorreri, tunc verè pauper, & Chriſti diſcipulis eris. *Op. medit. cap. 44. Luc. capit. 6. verſ. 1.*

4. *Abſtinentiam exigit Chriſtus in ſuis, guloſitatem abhorret.*

Nota hic, quòd magiſter noſter Chriſtus intendit præbere notabiliſſimam lectionem, & doctrinam omnibus chriſtianis, ſed præcipuè profitentibus perfectiorem ſui ſequelam circa curam corporis, & guloſitatem. Vide hoc loco quomodo Apoſtoli nihil curabant providere neceſſitatibus corporum in parando cibos, toti intenti in auditione verbi Dei, & in ea operatione ad ſalutem animæ ſuæ, & proximorum, ut intelligas, quàm neceſſaria ſit abſtinentia, & rigor vitæ in Dei ſervitio, & quàm ſollicitè debeas inſiſtere, & bellum continuum gerere contra gulam: in hoc enim omnes Sancti maximè ſtuduerunt: non enim ſpiritus, & caro, ignis, & tepiditas in uno domicilio commorantur: ſi enim Apoſtoli, carni dominicæ adhuc adhærentes, quæ ſola ſancta, quia ſancti ſanctorum erat, Spiritu ſancto repleri nequiverant, donec tollererur ab eis: tu carni tuæ, quæ ſordida eſt, & diverſarum ſpurcitiarum phantaſiis repleta, aſtrictus, & conglutinatus meraciſſimum ſpiritum Dei te poſſe putas ſuſcipere, niſi iſtis carnalibus conſolationibus funditùs renunciare tentaveris? cavemus igitur à guloſitate, & à nimia ſollicitudine in corporis, & carnis voluptatem. *Op. medit. c. 44. Luc. c. 6. v. 1. Ioan. cap. 4. verſ. 8.*

5. *Chriſti ſequaces ſoli ſabbathum obſervant, non autem impii.*

Diſcipuli autem vellebant in Sabbatho. Cur in Sabbatho, cum hoc illis in lege prohibitum eſſet, & ob id à Phariſæis calumniabantur? Sed hoc ponitur à Spiritu ſancto, ut intelligas, quòd illa obſervantia legalis tunc non obligabat tempore tantæ neceſſitatis, & quòd Chriſti ſequaces obſervant ſpiritualiter Sabbathum, dum auditioni verbi Dei, & piis operibus ſunt intenti: impii verò nunquam ſabbathum obſervant, quia ſemper in labore peccati vivunt. Hic autem attende ad perbellum myſterium: Diſcipuli Chriſti dicuntur obſervaſſe ſabbatum, vellendo ſpicas manibus; nempè quia ſpicæ ſunt purgationes dulcedinis internæ, quæ aſperitatibus in hac vitâ ſunt permixtæ; ideò manibus confricantur, ſcilicet laboribus, & operibus pœnitentialibus: Sic enim granum purum ſpiritus, & ſanctitatis elicitur, & hoc eſt Sabbathum perfectè obſervare in diſcipulatu Chriſti, nempè laborando & fatigando in operibus fructuoſis, & ſanctis. *Luc. c. 6. v. 1.*

Digitized by Google

5. *Peccatores, & hypocritæ redarguuntur.*

Phariſæi autem videntes dixerunt ei, ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbathis. Vide hîc quàm facile ſuperbi, & hypocritæ in judicia, & detractiones præcipitant, ſic iſti Phariſæi ſcientes, neceſſariam eſſe obſervantiam ſabbathi, quia præcepta erat in lege, ſed neſcientes, quòd talis obſervantia prohibet ſervitutem, & ſervilia opera, non autem neceſſaria, ex ignorantia legis, & tumore ſuperbiæ, & hypocriſi redarguebant diſcipulos: ſic, ſic multi faciunt contra ſervos Dei, quotieſcumque vident in eis aliquod veſtigium imperfectionis, eos redarguere non ceſſant, & malè ſuſpicari de eis, & obloqui, & detrahere contra ipſos. *Luc. cap. 6. verſ. 2.*

7. *Malignitas invidorum in Phariſæis, expenditur, qui omnia in malum pervertunt.*

Unde hîc dicitur de Phariſæis, quod poſt calumnias diſcipulis Chriſti factas, à quibus ipſe eos liberavit, obſervabant Chriſtum an in Sabbato curaret habentem manum dexteram aridam, ut ſi curaſſet, tranſgreſſionis Sabbati arguerent: ſi non, imbecillitati, vel crudelitati attribuerent: ſic acit malignitas invidiæ. *Luc. c. 6. v. 7*

8. *A bono ſpirituali non ceſſandum propter ſcandalum paſſivum, & obloquutionem malignorum: à commodo verò corporali aliquando abſtinendum.*

Et ecce homo habens manum aridam, & interrogabant Jeſum dicentes, ſi licet ſabbatis curare, ut accuſarent eum, &c. Nota quod *S. Lucas c. 6.* dicit quòd Chriſtum obſervabant Phariſæi, ſi curaret in Sabbato, & Sanctus Matthæus dicit, Chriſtum interrogaſſe Phariſæos, &c. ſed non ſunt contrarii, quia interrogatio Phariſæorum erat dubitatio, & cogitatio, quam faciebant in corde, quam Chriſtus videbat, & forſan etiam exteriùs fecerant, & ut confunderet eos, ulteriùs interrogavit, an liceret ſabbatis curare, & hanc facere an non, unde poſtea ſanitatem contulit infirmo: ut nobis inſinuaret, quòd ob ſcandalum paſſivum, & magis ob malignitatem alienam non debemus omittere bona opera, licet aliquando licitum ſit omittere ea, quæ ad commodum corporis ſpectant, ut dicit Apoſtolus. *Ad Rom. c. 14. Bonum eſt non manducare carnem, &c. in quo frater ſcandalizatur Op. medit. cap. 33.*

9. *Sine exercitio miſericordiæ, & pietatis ſacrificia Deo non placent.*

Si autem ſciretis, quid eſt, miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnaſſetis innocentes, & ecce homo, &c. extende manum, &c. Nota quòd hæc verba deſumpta ſunt ex *Oſea c. 6.* in quibus oſtendit, quod ſacrificia Deo non placent, nec alia bona opera ſine miſericordia: hæc enim eſt prima Chriſti lectio, hæc eſt forma, & fomentum bonorum operum, & hanc ait Gloſſa dixit huic infirmo, extende manum tuam, &c. ſcilicet miſericordiæ. *Luc. c. 10. v. 32. & c. 11. v. 32. ſerm. 1. de S. Matth. in addit. & Gloſſa hic.*

10. *Ariditas ſpiritualis expenditur, ad quam curandam venit Chriſtus.*

Et ecce homo habens manum aridam, &c. & ait illi Jeſus, extende manum tuam, &c. Iſte infirmus erat cæmentarius, ait Sanctus Hyeronimus, qui ad Chriſtum ſupplicitter recurrit, ne cogeretur mendicando quærere ſibi victum, & Dominus miſericorditer annuit ejus votis, & per hoc ſignificari voluit, ipſum adveniſſe Medicum in hoc mundo ad ſanandam ariditatem humanæ naturæ, nempe defectus vigoris propter defectum humoris gratiæ, quæ hominem torquebat propter ſeptem vitia capitalia, & ad cor pervenerat impediens bonas cogitationes; ad os impediens bonas locutiones, ad manus impediens bonas operationes, & ſe extenderat ad inficiendum totum hominem, auferendo virtutem ad ſuſtinendum. Unde Chriſtus Medicus ſapientiſſimus venit ad curandum tantum malum. *Luc. c. 6. v. 11. ſeq.*

11. *Ariditas avaritiæ grande malum.*

Habebat manum aridam, &c. extende manum, &c. Nota quòd non ſine maximo myſterio inter prima miracula ad confundendam malitiam Phariſæorum, voluit ſanare hunc pauperem manum dexteram aridam habentem, & coram omnibus ipſum ſanaret, voluit, ut in medio ſynagogæ ſiſteret. Cur hoc? quia infirmitas ſpiritualis ſignificata in hac ariditate erat inter majores maxima, eſtque avaritia, quæ uſum manus miſericordiæ impedit in pauperes, & miſeros; & quia hæc erat peſtis, quâ Phariſæi maximè laborabant, hinc dixit Chriſtus, extende manum tuam, nempe ad pauperes, & miſeros, ſi vis ſanari, quia ſine exercitio miſericordiæ ſacrificia tua nihil apud Deum valent: dixerat enim ſupra, miſericordiam volo, & non ſacrificium. *Luc. c. 6. v. 9. ſeq.*

12. *Mundus plenus eſt foveis, in quas cadunt recedentes à Chriſto.*

Et ſi ceciderit ovis ſabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam. Nota, quod non ſine myſterio Chriſtus, ut confunderet Phariſæos vaniſſimos obſervatores ſabbati proponit ovem cadentem in foveam, ad quam levandam, ſine reſpectu ad feſtum currebant, &c. per quod voluit docere, quod omnes, qui cadunt in peccatum, etiam cadere dicuntur in foveam, unde cùm mundus plenus ſit foveis, etiam major pars hominum in foveas profundas peccatorum cadunt, & jacent, indigentes Chriſti auxilio. *Ser. de SS. Petro, & Paulo.*

13. *Bona voluntas ſine operatione, in eo, qui poteſt, parum juvat.*

Extende manum tuam. Vide, quod Chriſtus, ut ſanitatem conferret huic infirmo, voluit primò extenſionem manus. Cur hoc? quia ad bonam voluntatem, requiritur, dum fieri poteſt, etiam operatio. *Sermon. 3. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

14. *Maxima*

14. *Maxima, & periculoſiſſima infirmitas eſt liber uſus ſiniſtræ manus, cum carentiâ uſus dextera.*

Habebat dexteram manum aridam. Cur notatur ariditas in dexterâ, & non potius dicitur, habebat manum aridam, ſine tali expreſſione? hoc notatur, ut pateat gravitas infirmitatis hominis habentis dexteram, & non ſiniſtram infirmam, & impeditam: nam per dexteram ſignificantur & agilitas, & intentio, & opera ſpiritualia ad Deum ordinata; per ſiniſtram verò temporalia: infeliciſſimus ergo eſt ſtatus hominis (ait S. Hieron.) aridi in cæleſtibus, & ferventis in temporalibus: unde cum dextrum, & ſiniſtrum non faciant membrorum diſtinctionem, ſed majorem, vel minorem influentiam cordis ad brachia. *L. 2. d. 14. p. 1. art. 2. q. 2.* & cum per dexteram ſignificentur, ut dictum eſt, ſpiritualia; & per ſiniſtram temporalia. *Op. ſumma de eſſent. & Pſal. 100. & 9⁻. & 34.* hinc ſequitur, quod iſte erat à parte ſiniſtrâ dexter, & à dexterâ ſiniſter, ferventiſſimus ſcilicet, & totus, & agilis in temporalibus, & mundi vanitatibus, & frigidiſſimus in cæleſtibus: ô qualis infirmitas? unde dicebat Salomon, cor juſti ad dexteram, cor ſtulti ad ſiniſtram, *Eccleſ. c. 10.*

15. *Invidus, & irracundus inſipiens.*

Exeuntes autem Phariſæi concilium fecerunt adverſum Chriſtum, ut eum perderent: Sanctus Luc. dicit, quod repleti ſunt inſipientiâ. Ergone ſtulti facti ſunt? Et quomodo ſtulti ſi concilium fecerunt adverſum Chriſtum? ſed optimè dicitur hoc, quia invidia & ira ſunt duo vitia in unum coëuntia, quæ maximè excæcant rationem, & ejus uſum auferunt, & inſanum reddunt hominem, ipſum inducendo ad actus velut arreptitii, & dæmoniaci. *Op. Diet. tit. 1. c. 2. & 3. Op. Centil. p. 1. f. &. 16. & 19. cap. 6. verſ. 11.*

16. *Qualis circumſpectio à prælatis exercenda cum diſcolis exemplo Chriſti.*

Jeſus autem ſciens receſſit inde, & ſecuti ſunt eum multi. &c. Nota illud verbum, & receſſit inde Jeſus? Cur ſciens Phariſæos obloqui contra ſe, & quærentes ipſum perdere, non eos arguit, & curat eos retrahere ab illa malitia? ſed attende, quod omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtructio: hoc fecit ad inſtruendos Prælatos, quod aliquando cum ſubditis diſcolis, & veluti perditis, & paſſionibus iracundiæ, & furoris exacerbatis debent cedere eorum furori, & manſuetudine, & patientiâ eorum malitiam frænare, & ideo hîc affert Evangeliſta textum Iſaiæ dicentem de Chriſto ecce puer meus; &c. ponam ſpiritum meum, ſcilicet manſuetudinis, &c. non intendit, nec clamabit, &c. arundinem quaſſatam non confringet, &c. & lignum fumigans non extinguet, &c. dans intelligere Prælatis, eos, qui tenerâ, vel modicâ virtute ſunt præditi, tenerè ac blandè eſſe tractandos, ne dum ſcintillæ virtutis extinguantur, & illos, qui non ſincerè, ſicuti debent mandata exequantur, non conterendos, ſed ſuadendos. *Sic. S. Baſil. aliique Patres,* de qua materia fusè *S. Bonavent. in Op. & ſic al. Seraph. c. 4. ad 7.*

17. *Pueros vult Deus in ſuo ſervitio.*

Ecce puer meus, quem elegi dilectus meus, &c. Nota quod hîc loquitur de Chriſto, & ipſum appellat puerum ſuum Pater, & hoc ut ſignificet, quod ad ſuum ſervitium vult tantùm pueros, ſcilicet habentes puritatem in carne, ſimplicitatem in intentione, docilitatem in cognitione, amabilitatem in operatione, veracitatem in ſermone, & humilitatem in converſatione. *Luc. c. 18. v. 16.*

18. *In Jeſus nominis virtute omnes ſperare debent.*

Et in nomine ejus gentes ſperabunt. Vide quis ſit terminus Chriſti actionum: nam Spiritu ſancto repletus eſt (ponam ſpiritum meum ſuper eum) Judex omnium conſtitutus eſt, (& judicium gentibus nunciabit) opera redemptionis faciens, (non contendet,) &c. tandem concludit, (& in nomine ejus gentes ſperabunt:) In quo nomine? in nomine Jeſu: nec enim nomen datum eſt ſub cœlo hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri, ait Paulus Apoſt. ſcilicet omnem vim & virtutem redemptionis, paſſionis, & operum ſuorum in hoc nomine concluſit: hoc enim eſt proprium Chriſti, & nobis expoſitum in ſalutem acquirendam. *Luc. cap. 2. verſ. 21. op. medit. cap. 10.*

19. *Diabolus eſt peccatum reddens hominem mutum, ſurdum, & cæcum.*

Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus. Nota, quod cùm dicitur mutus ex ſe dæmoniacus involvitur etiam ſurditas, & optimè ſignificatur ſtatus miſerabilis exiſtentis in peccato, quia peccatum eſt dæmon crudeliſſimus, imò crudelius omni diabolo, reddens hominem cæcum; affert enim cæcitatem animæ, ſurdum ad audiendum Dei verbum, & inſpirationes divinas; & mutum ad confeſſionem divinæ laudis, & peccatorum. Et cum in ſtatu tam miſero jaceat peccator, patet quàm neceſſarium ſit ei auxilium Chriſti, cujus eſt proprium, & poteſtas liberandi peccatorem ſuâ miſeriâ, ad hoc enim venit in mundum, ut aperiret oculos cæcorum, & aures ſurdorum, ut dicitur *Iſai. c. 35.* & in hoc eſt dignus admiratione, & laude. *Luc. c. 11. v. 14. & ſer. 1. & 2. Dom. 3. quadrag.*

20. *Diaboli ejectio multiplex expenditur.*

Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, & curavit eum: Nota quod ut poteſtas Chriſti cognoſceretur non reſtricta ad hanc ejectionem diaboli ſolam, ſanctus Lucas refert hoc idem miraculum his verbis: *erat Jeſus ejiciens dæmonium:* & notanter utitur hoc verbo, erat ejiciens, quo denotatur, quod non in hac ſolâ ejectione relucet poteſtas ejus: nam multiplex ejectio diaboli facta à Chriſto traditur: & primò ejectus fuit à Paradiſo propter ſuperbiam, ut daret intelligere, quod omnes ſuperbi exclu-

excludantur à Regno cœleſti. Secundò ejicitur à Chriſto ex poſſeſſione peccatoris, dummodo ſe ſubjiciat Chriſto per contritionem, & compunctionem peccatorum: Tertiò ejicitur de corporibus virtute poteſtatis Chriſti, quam in Eccleſia reliquit. Quar ò ejectus eſt de mundo, quando Chriſtus abſtulit ei poteſtatem in genus humanum. *Ser.1.Dom.3.quadrag.*

21. *Diaboli crudelitas quanta in hominem.*

Tunc oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, &c. Vide crudelitatem, quam exercet diabolus in hominem permiſſus à Deo: nam primò rationalem excæcat errore falſitatis, & malitiæ, poſtea mutum eum reddit in confeſſione peccatorum, & Crucifixi, ſecundò concupiſcibilem deformat fœtore carnalitatis, & luxuriæ: nam ſuper carnalem peculiarem poteſtatem accipit dæmon, auferens ei uſum rationis, & eum abſorbens in carnis voluptatibus: Tertiò deordinat iraſcibilem tumore vanitatis, & ſuperbiæ: ô quàm magna malignitas diaboli, eo quod tam pulcherrimam creaturam ſcilicet animam creatam ad imaginem, & ſimilitudinem Dei interficit, & ſecundum omnes potentias ſuas à Deo avertit, & pervertit. *Ser.2. Dom.3. quadrag. Luc. c.8.v.27.*

22. *Diabolus in quos poteſtatem habeat.*

Oblatus eſt ei unus dæmonium habens, cæcus, & mutus. Si dæmonium habebat iſte miſer, ergo poteſtatem habebat in ipſum diabolus: hic autem innuit, quod diabolus poteſtatem exercet in aliquos, & ſuper alios non poteſt: ſed quinam ſunt iſti miſeri à diabolo poſſeſſi? Illi ſunt, qui voluntariè ſe ſubjiciunt diabolo peccando, quotieſcumque enim peccas mortaliter, tunc diabolus accipit poteſtatem ſuper te, & intrat in te, & tunc poſſideris à diabolo. *l.3. d.22. dub 1.* & præcipuè introducitur per triplicem libidinem, principandi, delectandi, & poſſidendi: primum fit ſuperbiâ; ſecundum carnalitate; tertium avaritiâ, & tunc imprimit in animâ quod in ſe habet, nempe fœtorem, errorem, amantem concupiſcentiam, & phantaſiam protervam: hæque ſunt, quæ conſtituunt characterem diabolo. *Ser.12.Hexam.l.4.d.6 p.1.a.1 q.3.ad 3.l.2.d.8.p.2. a.1.q.4. Pſalm.118.c.8.verſ.6. Luc. cap.8. verſ.32. In Thren.c.2.*

23. *Chriſti miſericordia in liberando hominem à poteſtate diaboli expenditur.*

Et curavit eum, ſcilicet plenariè, & perfectè. Sed in quo conſiſtit hæc curatio? Vide hic qualem miſericordiam exercet in iſtum miſerum miſerorum pater, & continuè exercet in nos poſſeſſos à diabolo: nam indigito Dei, ſcilicet in immenſitate ſuæ potentiæ, ejiciendo primò dæmonium erroris & malitiæ per illuminationem rationis in aſpectu primæ veritatis, & ſic cum tali lumine reſtituitur verbum per expreſſionem veritatis, creditæ, & hic eſt effectus fidei infuſæ, & elevatæ, & elevantis animam ad cognitionem veritatum cæleſtium: ſecundò dæmonium ejicit fœtoris, & luxuriæ, decorando conciſcibilem in amplexu munditiæ, & caſtitatis, & inducendo hominem ad pœnitentiam, & orationem: Tertiò ejicit dæmonium ſuperbiæ, ordinando iraſcibilem in deſpectu ſubjacentiæ & humilitatis, & tali pacto Chriſtus fortior diabolo recuperat domum jam perditam, quæ omnia mirabilia operatur per gratiam Chriſtus, quam exhibet, & confert ſubjicientibus ſe Chriſto per contritionem, & pœnitentiam, & obedientiam: ô immenſa miſericordia Dei noſtri. *Ser.2.Dom.3.quadrag.*

24. *Dæmonium mutum quodnam ſit, ejuſque poſſeſſionis effectus, & quomodo ejiciatur.*

Oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus, & mutus, &c. & curavit eum, &c. Vide hîc expreſſam crudelitatem dæmonis, quam in multos exercet reddens eos muros, ſeiſque auferens uſum loquelæ, ex q■ totalis ruina animæ conſequitur: nam ad triplicem uſum loquela data eſt, ſcilicet ad laudandum Deum, ad ædificandum proximum, & ad accuſandum ſeipſum: hæc triplex loquela auferetur per triplex dæmonium: primam aufert ſpiritus luxuriæ, quæ reddit fœtidam animam & manus offerentium plenas ſanguine: ſecundam aufert ſpiritus avaritiæ, qui facit ſibi ſoli intendere, reddens crudelem in proximum: Tertiam aufert ſpiritus ſuperbiæ, qui non permittit, quod homo accuſet ſe. Primum dæmonium ejicitur per jejunium: ſecundum per memoriam paſſionis Chriſti: Tertium per orationem. *Luc.c.11.v.14.*

25. *Blaſphemi diaboli pejores.*

Phariſæi autem audientes dixerunt: in Beelzebub principe dæmoniorum ejicit, &c. Confer iſtam blaſphemiam graviſſimam Phariſæorum cum verbis diaboli *Matth.cap.8.* & videbis, quod iſti Phariſæi, ſicut & omnes blaſphemi ſunt pejores diabolo: dæmones enim credunt, & contremiſcunt, & reverentur, & timent Chriſtum, & homines ipſum blaſphemant!: ô quam grande malum blaſphemia! nam pejores ſunt blaſphemi crucifixoribus Chriſti, quia iſti crucifixerunt Chriſtum mortalem habitantem in terris, & illi contemnunt, & inceſſanter flagellant & crucifigunt ipſum regnantem in Cœlis. *Luc.c.8.v.28. & c.11.v.15.*

26. *Idem de blaſphemiæ gravitate.*

In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Ecce qualem blaſphemiam pronunciant iſti maligni pejores diabolo in Divinitatem Chriſti, & ideo omnes blaſphemi Divinitatem lædentes, provocant contra ſe tres Perſonas, & ſanctos, & totum Paradiſi cœtum, & ideo meritò Deum & omnes electos in judicio contra ſe judices, & inimicos habebunt. *Op. Diat.tit.3.cap.2.ſermon.2. Dom. infr. oct. Aſſenſ.*

27. *Quidquid recipitur per modum recipientis recipitur, in bonum, & in malum: Ubi de malignitate invidiæ.*

Et stupebant omnes turbæ, & dicebant: numquid hic est filius David? Pharisæi autem audientes dixerunt, hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub &c. Vide quomodo verificatur in Judæis propheria Simeonis: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum; & ideo miracula tam magna, potentia & insolita diversos effectus gignebant in videntibus, & audientibus Judæis: nam in turbis stuporem, & reverentiam ingeneraunt: in Pharisæis invidiam; & detractionem atque blasphemias: Cur hoc discrimen? quia quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. sicut aspectus solis alios contristat, alios lætificat: & hinc mirum non est, quod isti maligni calumniarentur bonitatem Christi; ponentes bonum malum, & malum bonum; & ipsi detrahunt, & quod fiebat à Spiritu sancto, attribuebant spiritui maligno: sic enim facit invidia, malignitas, & hypocrisis. *Ser.*1. *Dom. infrà oct. Nativit. Luc.c.*11.*v.*15.

28. *Detractionis vitii malignitas expenditur.*

Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub &c. Ecce qualis malignitas, & maligna proprietas detractorum, quales erant isti pervesi calumniatores Pharisæi, qui totum vitæ tempus desumebant ad condemnandum Christum, ipsique detrahendum: hocque proprium est detractorum: ubi notandum, quòd dum Christus liberat istum mutum dæmonio afflictum, & isti in possessionem se tradunt eidem diabolo, & eodem inspirante obloquebantur de Christo; nec id mirum quia in eis, qui detractoria, & increpatoria, & calumniatoria, & contentiosa, & scurrilia, & carnalia verba loquuntur, patris infernalis spiritus loquitur: omnis enim sermo vanus, qui dicitur, immundo spiritu dictante profertur, ille ergo spiritus in eis loquitur, qui olim in serpente loquebatur. *Ser.*11.*in Pent. Op. Phoret. l.*3.*c.*3.

29. *Confutatio, & improbatio fraudis Pharisæorum facta à Christo perfectissimè expenditur.*

Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis, omne regnum in se divisum desolabitur. In quibus, & sequentibus verbis Christus, ut peritissimus magister veritatis; apertè confutavit malitiam Pharisæorum triplici modo: & primo deducens ad manifestum impossibile, dicens omne regnum in se divisum desolabitur; quia hoc ipso, quod dividitur in se, desolatur: sed si unus dæmon ejicit alium; satanas in seipsum divisus est, ergo non stat regnum ejus: sed minor est falsa, quia satanas satanæ non est contrarius, sed concors in malo: Secundò perducit ad falsum impossibile dicens, cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet; ideòst diabolus fortis est, & armatus, & fortior homine, ergo à minus forti non potest expelli, ergo si expellitur potentia divina fortior est: Tertiò reducit ad verum infallibile, dicens cum immundus spiritus exierit ab homine reprobando dolositatem; cujus origo est à spiritu maligno; sicut & progressus, & consummatio, & è contra, cujus egressio est per veram pœnitentiam; hinc evitur, quòd à Deo fierit talis liberatio, non à diabolo. *Luc.c.*11.*v.*17.

30. *Concordiâ res parvæ crescunt, & maximæ conservantur: discordiâ maximæ dilabuntur.*

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Nota, quòd hic Christus proponit propositionem per se notam, in quâ causa prædicati est in subjecto, nempe divisio est causa interitus, & ruinæ: & ideo verum est, quod sicut concordiâ res parvæ crescunt, sic discordiâ maximæ dilabuntur: & hinc patet quàm laudabilis, & desiderabilis sit unitas, & concordia, quæ est causa salvationis: & è contrâ quàm detestabilis & perniciosa divisio, quæ est causa ruinæ, & ideo ubi suboritur divisio, omne regnum, omnis respublica, omnis congregatio ruinæ, & interitui subjacet. *Luc. c.*11. *vers.*17.

31. *Concordia malorum in malitiâ, quàm perniciosa.*

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur &c. si autem Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? Vide, quòd Christus afferens concordiam regni diaboli, ex quâ promanat conservatio ejus, dat intelligere quàm perniciosa sit concordia malorum in malitiâ: sicut enim regnum diaboli in profundo malitiæ perseverat ex concordiâ, quam ad male dicendum servant Dæmones contra Deum & homines: sic est & in malis hominibus, qui ex tali concordiâ comites sunt dæmonum & fortiores fiunt ad perdendum se, & alios, & in omni vitio, quia regnum diaboli est in malis, & peccatoribus. *Luc.c.*12.*v.*18.

32. *Nulla Congregatio potest stare, & permanere sine uno capite.* Dicit enim Christus: *omne regnum in seipsum divisum desolabitur:* & hinc est, quod in quacumque Republicâ, Regno Provinciâ, Religione, & Ecclesiâ debet substitui unus, qui omnium sit caput. *Op. expos. Regulæ, c.*8.

33. *Solum in virtute Spiritus sancti potest ejici diabolus.*

Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia: filii vestri in quo ejiciunt? & si in spiritu Dei ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei. Nota; quòd ex ejectione Dæmonum, quam faciebant Apostoli, quos appellat filios Judæorum, & quam esse à Deo credebant, & confitebantur Pharisæi, infert patenter, quod & ipse ejiciebat dæmones ex virtute Spiritus Sancti: non enim homo suâ naturali virtute potest in diabolum fortissimum, ideo indiget fortificari virtute superiori, & divinâ, quæ attribuitur digito Dei, scilicet Spiritui sancto. *Luc.c.*11.*v.*19. *Op. de individ. Dei.*

34. *Homo in peccato mortali poſſidetur à diabolo: in gratiâ à Chriſto, & in ipſo regnat.*

Si autem in ſpiritu Dei ejicio dæmones, profectò pervenit in vos regnum Dei. Quid eſt hæc pervenio regni Dei? quomodò infertur hæc attingentia regni Dei ex expulſione dæmonis? ſed attende ad perbellum myſterium, quia nihil eſt medium, quin homo ſit ſub poteſtate Dei, vel diaboli, & cum quando eſt in peccato, ſit ſub poteſtate diaboli, ſequitur, quod ſi expellitur per pœnitentiam, & virtutem Chriſti intret Deus, & regnet in tali animâ: hinc ex neceſſaria conſequentiâ infertur tale regnum Dei in animâ. *Luc.cap.11.v.20 ſer.1. & 2. Dom.3. quadrag.*

35. *Qualiter, & quali ſpiritu Dei expelli poſſit diabolus.*

Si autem ego in ſpiritu Dei ejicio dæmonia profectò pervenit &c. Nota, quod hic loquitur Chriſtus de poteſtate ſpirituali, quam accipit diabolus per peccatum, præcipuéque ſuperbiæ, avaritiæ, & luxuriæ, ad quæ cætera alia reducuntur: hinc intelligendum eſt, quod per triplicem ſpiritum Dei ejicitur à corde peccatoris, nempe ſpiritu humilitatis, paupertatis, & ſanctitatis, de quibus dicebat Prophera *Pſal. 50. & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis, & ſpiritu principali confirma me, & Spiritum ſanctum tuum, ne auferas à me*: ſpiritus rectus eſt paupertatis, ſanctus caſtitatis, & principalis humilitatis. *Luc.c.11. v.20.*

36. *Diabolus qualem pacem ſuis ſequacibus donat.*

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet. Nota quod hæc ſententia expreſsè non eſt poſita à ſancto Matthæo, ſed à ſancto Luca, quæ tamen involvitur in aliis verbis Matthæi: quomodò poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa ejus diripere, niſi prius alligaverit fortem? quaſi dicat: quomodò dæmon in poſſeſſionem habet peccatorem ſi non advenit fortior, ipſum liberans à diabolo? tunc in pace ipſum poſſidet: & ecce ſtatus miſerabilis peccatoris poſſeſſi per peccatum à diabolo, qui in ipſo moratur tanquam in caſtro, & ipſum cuſtodit in pace: ſed quomodò in pace, & quomodò diabolus dicitur, ipſum cuſtodire, & non potius diripere? ô maledicta cuſtodia, & pax: vide qualis ſit cuſtodia diaboli: hæc enim conſiſtit in hoc, quod illum pulſare, & affligere negligit, quem quieto jure ſe poſſidere ſentit: & hæc eſt pax peccatorum peſſima, pax, inquam, quæ armat diabolum, & poteſtatem ejus in peccatorem auget: Caveat nos Deus à tali cuſtode, & ab hac maledicta pace. *Luc.c.11.v.21.*

37. *Chriſtus fortiſſimus perdendo vitam vicit diabolum, eique abſtulit poteſtatem ſuper nos.*

Aut quomodo poteſt quiſquam in domum fortis intrare, & vaſa ejus diripere, niſi prius alligaverit fortem, & tunc domum illius diripiet. Nota quod Chriſtus loquitur de ſeipſo, indicans ſe fortiorem diabolo, & ideo ſuâ poteſtate debelleſſe diabolum: ſed quomodo hoc dici poteſt, cum inſtigatione diaboli ad crucem actus ſit ab inimicis ſuis? Unde *Herem.c.46.* dicitur *fortis impegit in fortem, & ambo pariter ceciderunt*: Si ambo ceciderunt, quomodò dicitur victor Chriſtus? ô mirabilis ars Domini noſtri Jeſu Chriſti: Chriſtus concidit quidem corporaliter, temporaliter, & viſibiliter: diabolus verò tempiternaliter, totaliter, & irrecuperabiliter: ideo perdendo Chriſtus triumphavit de diabolo, & ipſum ſpoliavit ſua poteſtate, qua prius grabatur in genus humanum, unıverſaque ſpolia ejus diripuit, liberando animas ſanctorum Patrum: unde ex tunc diabolus inermis, & ligatus eſt. *Luc.cap.11. verſ. 22. & Ioan. collat. 74.* Confidat igitur homo voluntatem bonam habens, & inhæreat Chriſto fideliter, qui dicit: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. Ioan.cap.16.* quia diabolum fortiùs alligavit, & ſpolia diripuit, & citò inimicos ejus convertet ad pacem, & ſubjiciet exactores ſuos, ſcilicet carnis, & libidinoſum pruritum, & affectionis illecebrarum appetitum. *Op. de præf. Religioſ.1.c.56.*

38. *Diabolus quomodo dicitur armatus, & fortis, & ſimul inermis.*

Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis, & vaſa ejus diripere, &c. Nota quod hîc loquitur de diabolo, & dicitur fortis: & à ſancto Luca armatus: Ideo quæritur, quomodò dicatur armatus, & ſimul exarmatus, & inermis ſic factus à Chriſto? Armatus dicitur diabolus aſtutiis, & nequitiis multis: ſed tamen adverte, quod ejus poteſtas in nos ligata fuit à Chriſto, ita quod nihil poteſt, non ſolùm homini nocere, imò nec beſtiis, niſi qualiter, & ſicut à Deo permittitur. *Ser.1.Dom.10. Pent. Luc.c.8.verſ.32.* Cave ergo ne te ſubjicias voluntariè diabolo, cum in te nihil poſſit, niſi tu te ipſi ſubjicias. *L.3.d.19.a.1. quæſt.3. ſer.3. Dom.1. Adv. ſerm. 4. Dom.2. Adv. ſer.1. & 2. in Paſcha.*

39. *Diabolus ex ſe inermis eſt, ſed tantùm à nobis contra nos armatur.*

Et tunc domum illius diripiet. Nota, quod in his verbis Chriſtus docet, ipſum exarmaſſe diabolum, diripiendo omnia ſua arma, & poteſtatem contra nos: & ſi hoc: quomodò poſtea tot devincit diabolus? quibus armis tot ferit, vulnerat, & occidit? ô ô, ô, Vide ſtultitiam peccatoris: diabolus eſt ſolùm armatus nequitiis, & malitiâ, quâ poteſt contra nos ſuggeſtiones tantùm immittere, ſed non poteſt vel minimum nos lædere. Hic autem nota, quod cum Deus dederit nobis cogitationes, & mentis affectiones, & voluntates, & membra corporis, ut per iſta tanquam per inſtrumenta virtutum meteremur, & manſiones nobis in cœlo ædificaremus, & Chriſto militando, per ea quaſi armis muniti, hoſtem noſtrum diabolum impugnaremus: & cum ipſe diabolus contra nos ſit inermis, & ſolis aſtutis ſuggeſtionibus nos impugnet, ſuadendo ut peccemus, non cogendo; ideo in noſtro arbitrio eſt ſi velimus ei conſentire: & ad hæc vitanda præmunivit nos ſuis auxiliis, & ſimul ponens inimicitiam

micitiam implacabilem inter ſerpentem, & hominem, ut quidquid ſuaderet nobis, non reciperemus, ſcientes, quòd ſemper tendit ad noſtram ruinam, & damnationem. Et hinc eſt, quòd diabolus, cùm ſuadet nobis peccatum, tunc exigit à nobis arma noſtra, ut ipſis confodiat nos; vel ut ipſa arma noſtra hebetet, & retundat, ut nobis minus apta ſint, & efficacia ad impugnandum: unde immittens cogitationes malas ad cor, tunc dicit, præſta mihi cor tuum, ut tibi ipſi læthale vulnus infigam: cum ad prava verba inſtigat, dicit præſta mihi linguam tuam, &c. & ſic de ſingulis: & cum hoc ſit certum, tam ſtulti tot homines ſunt, qui exarmatum diabolum armant, exhibendo membra ſua, & potentias ſervituti diaboli & peccati: ô attendant ad hæc ſtulti peccatores, nec imputent ſua peccata diabolo ſuadenti, ſed ſibimetipſis. *Op. de prof. Religioſ. l. 1. c. 2.*

40. *Qui non eſt cum Chriſto, contra Chriſtum eſt: & quomodo id intelligendum.*

Nota, quòd hæc verba à Chriſto prolata dant intelligere, quod cùm inter Deum, & diabolum non detur medium in homine, neceſſariò ſequitur, quòd qui non eſt cum Chriſto, contra Chriſtum eſt, & cum diabolo eſt, à diabolo poſſidetur. *Luc. c. 11. v. 23. & c. 9. v. 50.* Nota etiam, quòd hæc verba videntur adverſari aliis dictis à Chriſto: qui eſt adverſum vos, pro vobis eſt; ſed verè non ſunt contraria, quia hic loquitur de iis, qui ſunt contra Chriſtum poſſeſſi à diabolo, & opera diaboli faciunt: in aliis verò loquitur de operantibus benè pro Chriſto, licet cum admixtione imperfectionis, quæ eſt toleranda. *Vide Luc. cap. 9. v. 50.*

41. *Chriſti officium eſt congregare, diaboli diſpergere.*

Et qui non colligit mecum, diſpergit. Ecce qualè officium Chriſti, & quale diaboli? nam Chriſtus omnia operatur ad congregandum in unum, & in unitate fidei homines: & diaboli officium eſt diſpergere per diſcordiam, ideo optimum eſt introire in ovile Domini, quia non poteſt ſuperari à fortiori. *Luc. c. 11. v. 23.*

42. *Peccatum blaſphemiæ contra Chriſtum, quomodo dicitur remiſſibile: irremiſſibile verò peccatum contra Spiritum Sanctum.*

Ideo dico vobis: omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus (Addit Sanctus Lucas c. 12. Verbum in filium hominis) remittetur ei: qui autem dixerit Verbum in Spiritum Sanctum, non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro ſæculo. Cur peccata, & blaſphemiæ in Chriſtum remiſſionem inveniunt, non verò in Spiritum Sanctum; nonne omnia ſunt Divinæ majeſtatis offenſiva? ſunt quidem, ſed tamen diverſas circunſtantias habent: nam qui in filium hominis verbum dicit, falſum ei imponendo, non per malitiam, ſed per ignorantiam, iſte remiſſionem accipiet, ſcilicet capax eſt recipiendi remiſſionem talis peccati: at peccans in Spiritum Sanctum, veritatem Spiritus Sancti ex malitia impugnat, & conſequenter manifeſtè, & ex directo opponit ſe gratiæ per impœnitentiam, hîc remiſſionem non meretur, quia nullam excuſationem habet in ſua malitia. *Luc. c. 12. v. 10.*

43. *Peccata in Spiritum Sanctum expendantur.*

Qui autem dixerit verbum in Spiritum Sanctum non remittetur, &c. Hîc quæritur an verè iſta peccata ſint irremiſſibilia, cùm dixerit Deus: quotiescumque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus, non recordabor amplius, *Ezech. c. 8.* Sed reſpondetur, quòd in hac vitâ non datur peccatum, quod ſit abſolutè irremiſſibile; ſed dicitur irremiſſibile, quia rarò, aut vix dimittitur in hoc ſæculo quantum ad culpam, aut in futuro quantum ad pœnam: item quia non legitur admiſſum: item quia repugnatur fonti remiſſionis, nempe Spiritui ſancto: item propter impotentiam hominis, quia vix poteſt ſe præparare ad gratiam, quam tantâ moles peccati premit. Nota autem, quòd hoc nomen, irremiſſibile, poteſt ſumi tripliciter: primò negativè, ſic peccatum Angeli, & damnatorum dicitur irremiſſibile: Secundò privativè, ut quia non habet congruentiam de ſe, ut remitti debeat, licèt ex congruâ Dei bonitate poteſt omne peccatum remitti, ſic eſt omne peccatum mortale: Tertiò contrariè, ſecundum quod habet aliqua culpa contrariam diſpoſitionem ad remittendum: & hoc modo peccata in Spiritum Sanctum dicuntur irremiſſibilia, quia contrariantur gratiæ Spiritus Sancti, vel per deſperationem, vel præſumptionem, vel obſtinationem, vel per impugnationem agnitæ veritatis, vel per invidentiam fraternæ gratiæ, vel per impœnitentiam. *Op. ſpecul. an. c. 3. Op. Comp. Theol. l. 3. c. 29. Op. Diat. tit. 1. c. 4. Luc. c. 12. v. 13. & c. 12. v. 10. Vid. l. 2. d. 83. a. 1. per tot.*

44. *Qualis peccatorum remiſſio obtineri poſſit in altera vita.*

Non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro. Nota, quòd clariſſimè ex hac ſententia Salvatoris rectè infertur; quòd aliquorum peccatorum remiſſio obtinetur in alia vita, alioquin argumentum Chriſti nullam vim illativam haberet: quæritur ergo, an in altera vita remittatur non ſolùm pœna debita peccatis, jam quoad reatum culpæ remiſſis, ſed etiam quoad culpam: Et reſpondetur, quòd pœna peccatorum mortalium jam remiſſorum purgatur in Purgatorio; & quod peccata venialia quoad culpam, & pœnam purgationem accipiunt: Et ratio eſt, quia licèt in alia vitâ voluntas non poſſit eſſe adjutrix gratiæ ad merendam remiſſionem; tamen adjuta anima exiſtens in gratia, & ob id totaliter Deo conformis ſupervenientе adjutorio exteriori, ſcilicet igne, recipit remiſſionem culpæ venialis. *L. 4. d. 21. p. 1. art. 2. quæſt. 1.*

45. *Qualis arbor, tales fructus facit ſimiles: Ubi de bona voluntate, & mala.*

Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut arborem malam, & fructum ejus malum. Quænam iſta arbor, de qua loquitur Chriſtus? & quid innuere vult hac metaphora? Hæc metaphora ordinatur ad exprimendam qualitatem operum ex voluntate prodeuntium bona, vel mala, quia qualis voluntas eſt, talia ſunt opera: ſi voluntas eſt infecta, & ejus opera, &c. Ad hoc autem ut talis arbor producat bonos fructus, requiritur, ut calore charitatis foveatur: nam per gelicidium peccati privatur fructibus. *Luc. c. 6. v. 43. Vid. ſupra ad cap. 7. Matth. ſuper illud omnis arbor bona, &c. ſer. 1. & ſeq. Dom. 7. Pent. op. ſpecul. an. in præfat.*

46. *Cor receptaculum eſt theſaurorum Dei, vel diaboli.*

Bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala. Ecce quid Chriſtus docet nos de corde noſtro: nempe receptaculum eſſe vel theſaurorum Dei vel diaboli: & quinam ſunt iſti theſauri? Theſauri Chriſti ſunt virtutes, fides, ſpes, charitas, amor Dei, humilitas, aliæque ſimiles, in medio quarum reſidet Chriſtus, in quo ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei: ô felix anima, quæ tales theſauros reconditos intra ſe continet; nam quidquid ex ipſa prodit foras, ſive in opere, ſive in verbis, ſive in cogitationibus totum bonum eſt, & medium ad augendum theſaurum meritorum: è contra theſauri diaboli ſunt vitia, cogitationes mala, adulteria, fornicationes, homicidia, & his ſimilia, ex quo theſauro prodeunt infinita mala: ex quibus patet, quòd ex qualitate operum; vel verborum uniuſcujuſque dignoſcitur quid reconditum habetur in theſauro cordis. *Luc. c. 6. ſer. 3. Dom. 13 Pent. ſer. 5. in Nativit. ſir. 7. & 10. in Regat. ſer. 1. & 2. ſer. 3. Paſſion. ſer. 4. Epiph. Luc. c. 12. v. 33. & 37.*

47. *Filii mali progenies viperarum, & quomodo.*

Progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali. Cur progenies viperarum appellat Chriſtus Phariſæos? ergone filii viperarum erant? maximè: erant filii patrum iniquorum, & ipſi tanquam filii viperæ, ſcelerum Patrum imitantes. Hoc etiam dicitur de malis filiis Eccleſiæ, qui naſcendo rumpunt viſcera matris, ſic mali in ſuis operationibus venenatis rumpunt viſcera materna, &c. *Luc. cap. 3. verſ. 7.*

48. *Verba mala, & impudica ſunt fructus veneni in corde reſidentis.*

Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Quaſi dicat. Vos cum ſitis ſerpentes venenari, habentes cor plenum veneno, ſcilicet peccatis, quomodo poteſtis emittere foras verba bona? Ex quo patet diſcrimen inter ſequaces Chriſti, & diaboli: nam ſicut Chriſtus loquebatur humilia verba ad deſtructionem ſuperbiæ, & verba utilia, & ſancta ad ædificationem: ſic & ſui ſequaces: è contra diaboli ſequaces prorumpunt in verba ſuperflua, onerosa, contentioſa, impudica, & pernicioſa, quia eorum cor repletum eſt veneno, ſicut viperarum. *Ser. 1. Dom. Pent. Luc. c. 24. v. 14. Op. ſpec. diſcipl. p. 1. cap. 31.*

49. *Amor in Deum dignoſcitur ex corde, & ore, & opere.*

Ex abundantia cordis, os loquitur. Ecce ſignum irrefragabile cognoſcendi quid reſidet in corde, an ſcilicet amor Dei, an amor mundi: primò enim inquirendum eſt à corde an Deum diligas, quia quod cor amat, ſæpe de eo cogitat, ſæpe enim cogitant vani de carnis delitiis, & ſuperbi de eminentiis, ergo & ſpirituales de Deo ſæpè: Si enim ſæpè de eo non cogitas, Deum te verè amare non credas: & ſi ſæpe de mundo cogitas, mundum plus te amare, quàm Deum credas. Secundò interroga linguam, ſi Deum amas, quia ex abundantia cordis eos loquitur: idem enim omninò eſt verbum otii, & cordis, & lingua libenter nominat id, quod cor amat, ergo qui plus de mundo fatur, quàm de Deo, magis mundum, quàm Deum diligere comprobatur. Tertiò ſi Deum diligas, ab opere tuo require: non enim poteſt ignis eſſe in palcis, & non ardere, ergo nec ignis divinus in corde & opere poteſt vacare. *Serm. 8. de Apoſt. Luc. c. 23. v. 50*

50. *Verba otioſa cavenda diligenter ab omnibus, præcipuè à Religioſis, & quænam ſint.*

Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Nota quòd hic Chriſtus Ieſus intendit ſuadere cuſtodiam linguæ atque ſilentii, & affert in medium verba otioſa: & ſunt illa, quæ ſine neceſſitate proferentis, aut utilitate audientis proferuntur, & hinc inferre intendit à minori ad majus, quod ſi homines reddent rationem in judicio de omni verbo otioſo, multo magis de pravis, impudicis, injuriosis, & multo à fortiori de malis cogitationibus, & pravis operibus. Caveat ergo homo ab omni verbo otioſo, cuſtodiat diligenter linguam & ſilentium ne præcipitet in verba mala, & ſub rigore divini judicii ſubjiciatur *Ser. 3. Dom. 22. Pent. op. Diet. tit. 9. c. 1. op Legenda S. Franc. c. 5. op. ſpec. diſcipl. p. 1 c. 31. op. de prof. Religioſ. l. 2. c. 10. op. de perfect. vita c. 4. op. de regul. Novit. c. 13. Luc. c. 16. v. 2. Eccleſ. c. 12. Sap. c. 4.*

51. *Superbi ſigna ſublimia, & eminentia quærunt: Chriſti ſequacium ſigna humilia.*

Magiſter volumus à te ſignum videre: ſignum ſcilicet è Cœlo, ut dicitur Luc. c. 11. Qui reſpondens ait illis, *generatio mala ſignum quærit, &c. & ſignum non dabitur illi, &c.* Cur negantur ſigna iſtis Phariſæis, per quæ vel poſſunt converti, vel confundi? Sed attende, quòd ſigna è Cœlo petebant, ut poſſent malignare in Chriſtum, ideo negantur: hoc enim eſt diſcrimen inter Chriſti ſequaces, & diaboli: nam diaboli ſequaces ſigna

in

in altum, & ex alto quærunt, inhiantes ad alta; & ſublimia potentiæ, ſapientiæ, & vanitatis mundi: Chriſtus autem è contra ſigna in terra, ſcilicet in humilitate dedit: imò ipſe ſignum ſe expoſuit omnibus, nempè humilitatis, & paupertatis à ſua nativitate uſque ad finem vitæ: contrà quod ſignum armantur ſuperbi, & diaboli ſequaces ad contradicendum. *Ser. 7. Dom. infra oct. Nativit. Luc. c. 12. v. 16.*

52. *Solus Chriſtus verus magiſter docens, & illuminans.*

Magiſter volumus à te ſignum videre. Vide quomodo iſti perverſi, & callidi ſimulatores Chriſti inimici, velint, nolint Chriſtum declarant magiſtrum: unde contra ſuam perverſam ipſorum voluntatem laudes etiam cum inimici ſint, pronunciant, & laudibus extolluut Chriſti ſapientiam, & magiſterium, prædicantes ipſum Chriſtum magiſtrum, & hoc factum eſt, ſic Deo diſponente, quia ſolus Chriſtus eſt verus magiſter: & hoc propter luculentiam claritatis ſcientiæ in cognoſcendo infallibiliter, item & efficaciâ virtuoſitatis facundiæ in exprimendo utiliter, & eminentiam ſanctitatis vitæ in movendo ſalubriter, quæ tria ſunt neceſſaria cuilibet docenti, & prædicanti, ſcilicet ſcientia regulata, facundia exprimens, & vita utrumque confirmans: nam docere ſine ſcientia regulante eſt periculoſum, ſine facundia exprimente infructuoſum, & ſine vita utrumque confirmante eſt ignominioſum. *Sermon. 1. Dom. 22. Pent.*

53. *Hypocrita, & impii aliud in corde, aliud in ore habent.*

Magiſter volumus à te ſignum videre. Nota verba iſtorum impiorum, nam copulant ſimul duo contraria, quæ non poſſunt ſimul conſiſtere: dicunt enim magiſter, per quod ſe profitentur diſcipuli talis magiſtri, poſtea addunt volumus, quo verbo deſtruunt id quod prius profeſſi ſunt: ſi volunt, ergo nolunt obedire, ergo aliud in corde habent, aliud in ore: unde ipſam veritatem Dominum noſtrum confitentur ore, non tamen corde diligunt, & obſequuntur. *Ser. 1 Dom. 22. Pent.*

54. *Voluntas propria grande malum inficiens omnia bona.*

Magiſter volumus, &c. O iniqui quando appellatis Chriſtum veſtrum magiſtrum Prælatum, vos in hoc verbo ſubjicientes ipſi, & poſtea additis, volumus? ergo fictè recognoſcitis ipſum veſtrum magiſtrum? ergo ficti, & iniqui religioſi? ſic, ſic eſt: ô grande malum propria voluntas, quæ in hoc conſiſtit, quod non eſt communis cum Deo, & hominibus, ſed noſtra tantùm, quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad utilitatem proximi; ſed propter nos ipſos facimus, & intendentes placere; & ſatisfacere propriis animorum motibus, & ideo propria voluntas omnia bona inficit, & facit, quòd bona noſtra, bona non ſint; etenim ſi in die jejunii mei innuitur voluntas mea, non tale jejunium elegit Dominus, nec ſapit illi jejunium meum, quod non obedientiam, ſed vitium voluntatis propriæ ſapit, & idem dicendum eſt de vigiliis, orationibus, aliiſque operibus bonis. *Op. de bono conſil. c. 3. op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 4.*

55. *Chriſtianus Deum derelinquens, & diabolum ſequens, generatio prava, & adultera dicitur.*

Sic Chriſtus Phariſæis dixit: generatio mala, & adultera ſignum quærit. Nota, quòd iſti appellantur generatio mala propter infidelitatem, & adultera propter idololatriam, in quam ſui progenitores ſæpe inciderant: ipſi verò in Meſſiam non credentes, & relicto ipſo, diabolum ſequentes, meritò dicuntur generatio mala, & adultera. Tales ſunt Chriſtiani, qui ſe profitentes Chriſti ſequaces, diabolum tamen, relicto Deo, ſectantur. *Luc. cap. 11. v. 29. & 30.*

56. *Explicatur reſponſio Chriſti dicentis, ſignum non dabitur huic generationi, niſi ſignum Jonæ Prophetæ.*

Cur in medium ponit Jonam hîc? & quomodo dicit, ſignum ſe non daturum ullum, niſi ſignum Jonæ Prophetæ, & tamen poſtea tot ſigna, & miracula fecit omnibus patentia? ſed tamen hoc dixit Chriſtus, quia ad petitionem Phariſæorum nullum ſignum voluit facere, & multa miracula poſtea facit ad utilitatem aliorum: adduxit autem in medium Jonam Propheram, quia ſicut Jonas & verbo, & facto prædicavit Ninivitis; & iſti verbis Prophetæ crediderunt, & pœnitentiam fecerunt, quodque non fecerunt ipſi Phariſæi ad prædicationem, & opt miracula Chriſti, qui figuratus fuit in Jona: ſicut enim Jonam tertiâ die evomuit piſcis, poſtquam in ejus ventre abſorptus fuerat: ſic & ipſe Chriſtus futurus erat in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus (intellige de tribus diebus inchoatis) poſtea reſurrecturus, & tunc glorioſus appareret: dat igitur intelligere, quòd, qui huic ſigno non credit, durior eſt Ninivitis; nec alia ſigna ei proſunt. *Luc. c. 11. v. 30.* & hinc ſubdit. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſtâ, & condemnabunt eam,* & ecce pluſquam Jonas hic condemnabunt eam in judicio comparationis. *Joan. c. 5. ad finem. Sap. c. 4. ep. Comp. Theol. l. 4. c. 23. Joan. cap. 1. verſ. 20.*

57. *Qualis confuſio erit Chriſtianorum damnatorum in judicio comparationis cum infidelibus.*

Viri Ninivitæ ſurgent in judicio, &c. Regina Auſtri ſurget in judicio, &c. Quomodo Ninivitæ condemnabunt iſtam gentem Judæam in judicio, cum Pater omne judicium dederit filio? Sed notandum, quòd hic non attribuitur judicium Ninivitis auctoritativè, quia hoc eſt ſolius filii, nec ſecundùm aſſiſtentiam, & approbationem, quia hoc eſt Apoſtolorum, qui prò Chriſto omnia reliquerunt. Sed loquitur comparativè, quia in judicio fiet comparatio à Chriſto inter Judæos, & Ninivitas, ſicut & inter Chriſtianos ipſos & Judæos ex una parte, multos Idololatras ex aliâ; quia vel illi pœnitentiam ad prædicationem unicam Jonæ fecerunt, vel non prolapſi ſunt in tot ſcelera, etiamſi nec tot ſigna, non tot auxilia habuerint;

ſicut fideles,qui in medio tot gratiarum duri perſiſtunt,frigidi, & pertinaces in peccatis. *Ioan.c.5. in fine.Luc.c* 11.*v.*32.Vide quàm verum : crediderunt Niniviræ in Dominum, & pœnitentiam aſperrimam fecerunt ad prædicationem viri ignoti & paucorum dierum, & abſque miraculis:& ecce pluſquam Jonas hic,ſcilicet Chriſtus Deus,& homo inceſſanter prædicat per ſe, & per ſuos miniſtros cum tot ſignis, ſacramentis, & auxiliis, & cum Niniviræ, intra tres dies facti ſint populus Dei,plures Chriſtiani in medio tot ſignorum, & auxiliorum fiunt populus diaboli:O magna confuſio. *Luc.ibid & ſer.*3 *Dom.*4.*Pent.*

58. Eadem confuſio erit in judicio contra Chriſtianos in comparatione cum Regina Saba, quæ cum eſſet mulier,de remotis, relicto Regno, cum muneribus ad Salomonem purum hominem, ſola fama cognita venit audire ſapientiam Salomonis: & ecce pluſquam Salomon hic : & ecce nos tam lenti, tam averſi, tam frigidi in medio, & loco fidei, ad Dei verbum audiendum ſumus ſicut Iudæi,imò Iudæis frigidiores. *Luc.c.*11.*v.*31.

59. *Sibi,& rebus ſuis optimè proſpicit, qui amore Dei ſe, & ſua deſpicit.*

*Viri Niniviræ.&c.Regina Auſtri,&c.*Nota quòd non ſine myſterio Chriſtus affert in medium exemplum pœnitentiæ Niniviarum, & deinde adventum Reginæ Auſtri in Ieruſalem, ut addiſcamus, quod ſicut Niniviræ ad nihil aliud adſpexerunt,niſi ad pœnitentiam & interiorem. & exteriorem, veſtiti ſaccis,& cinere cooperti, & illa Regina proprium imperium reliquit.ut adiret Ieruſalem ad audiendam ſapientiam Salomonis, Sicque deſpiciendo ſeipſos, & propria propter Deum,optimè proſpexerunt, & providerunt ſibi, & ſuis rebus : ſic & cuilibet pro Chriſto contemnenti omnia idem eveniet. *Luc.c.*11.*v.*29.*&* 35.

60. *Diabolus immundus ſpiritus quare dicatur,& qualiter ejiciatur, & ejectus quò ambulet.*

Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida,quærens requiem. &c. Nota quòd meritò diabolus dicitur ſpiritus immundus, quia ſemper immunda ſuggerit : ejicitur autem pœnitentiâ,abſtinentiâ, & oratione:& habitat libenter loca aquoſa, ſcilicet animas concupiſcentiis deditas. *Luc.c.*11.*v.*24.

61. *Diaboli præcipuus conatus eſt in ſervos Dei.*

*Cum exierit ab homine,ambulat per loca inaquoſa,quærens requiem,& non invenit.*Cur diabolus ad loca deſerta,atque arida ambulat, & non potius ad aquoſa,& delitioſa ? Nota,quod loca inaquoſa ſunt loca,in quibus non viget carnalitas,aut concupiſcentia. Talis fuit Maria Virgo, quæ dicitur petra deſerti ob ſuam puritatem Virginalem mentis,& corporis, & circa hæc loca ambulat diabolus,quærens requiem,quia præcipuus conatus diaboli eſt contra ſervos Dei, ut ruere faciat in peccata gravia:vel ut ſaltem fabricet in eis umbram negligentiæ, & fontem contumeliæ, vel alicujus concupiſcentiæ : ſed tamen in ſanctis viris afflictis,& maceratis non invenit requiem.& ideo fugit. Caveant ergo ſervi Dei à negligentiis in Dei ſervitio; caveant, ne locum dent diabolo eis ſuggerendi graviora,& ut id aſſequantur,ſint loca arida per temperantiam, abſtinentiam, jejunia, orationes,his enim ſolùm ejicitur diabolus, nec in talibus invenit requiem *Luc.c.*11.*v.*24.*Op.Diuturni.*5.*c.*6.*ſer.*1.*Dom.*3.*quadrag.*

62. *Locus, & requies diaboli eſt voluptas & carnalitas.*

Ambulat per loca arida,quærens requiem, & non invenit. Cur non invenit requiem, quam quærit? quia loca arida non ſunt apta : ſed cur ad arida loca ambulat, cum non ſint apta ad ſui requiem? quia cùm loca humida ſint tantùm apta ad talem requiem, quærit loca arida, ut ea humida reddat, ſcilicet ut hominem transferat à ſtatu pœnitentiæ, abſtinentiæ, jejuniorum, & orationis ad laxandas habenas ſenſualitatis ad indulgendum corporis indulgentiis,quia ſolùm voluptuoſi ſunt ipſius locus, ubi requiem invenit. & moratur : requieſcit igitur, ubi ei non reſiſtitur, ubi voluptatum fræna laxantur, ubi peccata occultantur. *Luc.c.*11.*v.*24.*op.Diuturn.*5.*c.*6.*ſer.*2.*in Sabb.Sancto.*

63. *Domus diaboli eſt peccator exiſtens in peccato mortali.*

Revertar in domum meam unde exivi. Quæ eſt domus,quam ſuam appellat diabolus?ô,ô attende ad hoc miſer peccator : homo dum peccat mortaliter fit ſervus peccati (ait Chriſtus *Ioan.c* 8.) & tunc non eſt ſui juris,ſed alieni.& cujuſnam fit juris diaboli, quia ſe voluntariè ſubjicit diabolo tanquam ſervus, & captivus,& per conſequens fit domus,& habitatio diaboli : ô miſer peccator tali poſſeſſori ſubjectus. *Luc.c.*11.*v.*24.

64. *Peccata venialia quàm perniciosa,& periculoſa.*

*Revertar in domum meam,unde exivi.*Si ejectus fuiſti ab illa domo, quomodo tuam appellas ? & ſi ejectus, quomodo reverteris ? Reſpondet ſanctus Bonaventura, ſuam vocat domum, quia nondum ab ea plenè expulſus fuerat. Sed quomodo plenè non erat expulſus ? nonne eſt purus ſpiritus, & ideò ſi expellitur, totus, & plenè expellitur ? Expulſus quidem fuerat per pœnitentiam, ſed tamen in multis remanent negligentiæ, defectus,malæ inclinationes, & peccata ab ipſis lævia reputata;hæc enim ſunt, quæ quærit diabolus in ſpiritualibus,& ſi ea invenit, tunc dicit,revertar in domum meam,quia etiam adhuc retinet aliquid juris ſuper eam. *Luc.c.*11.*v.*24. Hinc addiſcendum, quàm periculoſa ſint peccata venialia neglecta, & quomodo facile datur ingreſſus ad diaboli adventum. Si aliquid ſui juris remanet in anima,quia facile regreditur per ſimulationem juſtitiæ. *Luc. ibid.*

Digitized by

65. *Anima ſcopis mundata, & ornata quale receptaculum ſit Spiritus Sancti, & quale diaboli.*

Et veniens invenit eam vacantem ſcopis, mundatam, & ornatam, &c. Quo jure diabolus prætendit poſſeſſionem ſuper animam ſcopis mundatam, & ornatam? nonne ſuprà dixit, quòd in tali anima requiem non invenit? ſed attende ad digniſſimum myſterium. Anima ſcopis mundata, & ornata poteſt talis eſſe duobus modis: vel exteriùs tantùm, vel interiùs, & exteriùs: ſi interiùs, & exteriùs, ſic fit receptaculum Spiritus Sancti: ſi tantùm exteriùs (quod eſt hypocritarum) tunc anima eſt vacans à gratia Dei, & ideo receptaculum ſit diaboli. Audiant, & attendant ad hæc illi Chriſtiani, qui totam curam ponunt in emundatione exteriori corporis, & in ceremoniis exterioribus, ut coram hominibus appareant mundati, & ornati, nihil curantes de munditia, & Sanctitate interiori animæ. Hoc & obſervent etiam Prælati, & Religioſi, ne nimis ſint ſcrupuloſi, veluti Phariſæi, qui decimabant mentam, & rutam, & relinquebant quæ graviora erant: *Luc. c. 11.* Nempè qui magna pro paucis reputant, & levia quaſi maxima ponderant, trabem feſtucam judicant, aliquando culicem, deglutiendo camelum. Verbi gratia, ſi pro una inclinatione in choro neglecta plus accenduntur puniendo, quàm pro longa detractione de alio religioſo excitata; graviùs indignantur pro verſiculo, & rubricula neglecta, quàm pro magna perturbatione cum ſcandalo procurata: qui totum ſtudium in ceremoniis exterioribus ponunt, neglecto cultu interiori, & ſanctitate, exercitioque virtutum. *Luc. cit. opuſc. de ſex alis Seraph. c. 3.*

66. *Otioſus facile occupatur, & poſſidetur à pluribus dæmonibus.*

Invenit eam vacantem. Vacantem? A quibuſnam? vacantem, ſcilicet otioſam, vacantem exercitio virtutum: & ideo ſemper boni aliquid facito, ne te diabolus inveniat otioſum: nam tales facile dæmonum actionibus ſunt occupabiles: Vide quale malum? Dum Diabolus invenit animam vacantem, vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi &c. Quid eſt hoc? quomodo in tali animâ intrat diabolus cum ſeptem aliis ſpiritibus &c. ecce myſterium: occupatus in aliquo exercitio, ab uno dæmone impugnatur, otioſum autem ab innumeris dæmonibus vaſtatur (ſeptem enim ſpiritus ſignificant univerſitatem dæmonum) quia quot cogitationes, & mala deſideria in corde verſantur, tot inimicorum jaculis patet: omnium enim tentationum, & malarum cogitationum ſentina eſt otium: Caveant, & attendant hæc Religioſi. *Luc. c. 11. v. 24. Op. de prof. Religioſ. l. 1. c. 39.*

67. *Septenarium Spiritus Sancti, & diaboli expenditur: Ubi de recidivantibus, & conſuetudinariis.*

Tunc vadit, & aſſumit ſeptem ſpiritus &c. Quos ſpiritus aſſumit diabolus ad intrandum in animam? Et cur ſeptem? Nota, quòd dicitur ſeptem ſpiritus propter ſeptem vitia capitalia quæ diabolus opponit animæ habenti ſeptem Spiritus ſancti dona: nam ſapientiæ opponitur luxuria, intellectui gula, conſilio avaritia, fortitudini acedia, ſcientiæ ira, pietati invidia, timori ſuperbia, & iſta ſunt ſeptem dæmonia, quæ de Maria Magdalena ejecit Chriſtus. *Marc. c. 16.* Sed cur dicit ſeptem ſpiritus nequiores ſe? quia in peccantibus ante converſionem ſunt quidem nequam; ſed in recidivantibus ſunt nequiores, & nequiſſimi in conſuetudinariis. *Ser. 3. Dom. 3. quadrag. Luc. c. 11. v. 26.*

68. *Iniquitas ſub ſimulatione ſanctitatis pallians quale malum.*

Aſſumit ſeptem ſpiritus alios nequiores &c. Quis ſpiritus nequior diabolo? Sed attende; quòd ſpiritus quando ejectus fuit à Chriſto erat manifeſtus. & hinc ejectus dicitur quando aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe. nempè ſimulationes, quæ virtutes ſpecie eſſe ſe ſimulant, & mentiuntur, & iſtæ dicuntur ſeptem ſpiritus nequiores, ſcilicet vitiis apertis, quia majorem habent malitiæ perverſitatem quia ſimulata æquitas non eſt æquitas, ſed duplex iniquitas; & ideo nequiores, cum ſub ſpecie ſanctitatis decipiant innocentes: dicuntur autem ſeptem, quia ſeptem donorum Spiritus ſancti ſpeciem ſimulatam præferunt. *Luc. c. 11. v. 26.*

69. *Qui à peccato mortali poſſeſſus eſt, etiam à diabolo poſſidetur.*

Vadit & aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & intrantes habitant ibi &c. Jam dictum eſt, quòd per iſtos ſeptem ſpiritus, intelliguntur ſeptem vitia capitalia, & hinc rectè infertur, quòd qui his vitiis ſubjectus eſt, etiam ſeptem dæmonibus ſpiritualiter obſeſſus eſt: ex quo patet, quòd habens unum peccatum mortale habet unum diabolum obſidentem ſpiritualitet: qui ſeptem peccata habet, & ſeptem dæmonia; & qui legionem peccatorum, etiam & legionem dæmonum: & ideo mirum eſt, quòd horribile apparet hominibus videre hominem aliquando à pluribus millibus dæmonum obſeſſum, cùm ſit horribilius habere tot peccata mortalia in animâ, imò unum tantùm. *Ser. 1. Dom. 3. quadrageſ.*

70. *Diabolus deſponſat peccatorem cum ſuis filiabus.*

Vadit, & aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe; & intrantes habitant ibi &c. Quos ſpiritus aſſumit diabolus? & ad quid intrant? Nota; quòd iſti ſpiritus ſunt ſeptem filiæ diaboli; nempè ſuperbia, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia, & acedia: eaſque aſſumit, ut peccatori aſſumere faciat in uxores; & ipſum veluti conſanguineum adhærere faciat: & ſic alicui unam, alteri duos, alteri omnes ſeptem tradit in uxores; & pro dote aſſignat hæreditatem ſuam, ſcilicet de igne inferni, & ideo quantò plures uxores aſſumit peccator, tantò plus de iſta hæreditate ei contingit: ex quo conjugio naſcuntur aliæ filiæ, ſcilicet iniquitas operis, nequitiæ conſuetudinis, & obduratio impœnitentiæ

pœnitentiæ : ſic & filius prodigus, diſcedens à patre, adhæſit uni civium regionis peccati, nempe diabolo, ſumens in uxorem luxuriam &c. *Serm. 1. Dom. 3. quadrag. Luc. cap. 15. Op. Dict. tit. 1. cap. 4.*

71. *Lingua mala pejor diabolo.*

Aſſumit ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe. Cur ſeptem ſpiritus? & quomodo nequiores diabolo? poteſt ne dari ſpiritus nequior diabolo? ſed attende, quòd hîc loquitur Chriſtus figuratè, & myſticè: nam ſeptem ſpiritus nequiores ſignificant univerſitatem iniquitatis pejoris iniquitate diaboli: & qualis eſt? *Sanctus Iacob.* appellat meritò linguam univerſitatem iniquitatis: ergo dicendum eſt, hic alluſionem fieri ad perniciem malæ linguæ, quia cùm diabolus non poſſit per ſe facere ſtrages, quas prætendit in homines, aſſumit linguam detrahentem, & malam, ſicque (ait Sanctus Cyrill. Alexandr.) innumeras ſtrages, & mala efficit in Republicâ Chriſtianâ: nec hoc mirum, quia lingua mala inſtrumentum eſt diaboli, & per ipſam loquitur diabolus in homine, & venenum inſtillat in alios. *Ser. 1. in Pent. & 2. & 3. Dom. ſexageſ. ſer. 3. Dom. 2. poſt oct. Paſchæ ſer. 1. Dom. 11. poſt Pentec.*

72. *Recidivantium in peccato ſtatus miſerrimus.*

Et fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus Cur pejora prioribus? quia ſtatus recidivantium eſt miſerabilior, & ſecuriùs diabolus habitat in ipſis. *Luc. c. 11 v. 26.* ô infelicem domum! ô quàm demens eſt, qui hoſpitem tam malignum, à quo oculis, atque linguâ privatus fuerat, milléque ſordibus inquinatus, domo excipiat revertentem, ut eadem iſtorum faciat: ſic, ſic eſt demens, qui poſt primam converſionè iterum ad peccatũ revertitur.

73. *Parentum, & conſanguineorum affectus poſtponendus Dei obſequio, & prædicationi, &c.*

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei. In hoc textu notandum primò, quod propter multitudinem turbarum non poterant liberè Maria Virgo Mater Chriſti cum conſanguineis intrare in locum, ubi prædicabat: Venerat autem Maria non ob oſtentationem aliquam, ſicut in hoc afferendo exceſſit D. Chryſoſtomus, quod & notant omnes ſancti Patres, & Doctores, & in hoc cautè legendus eſt; ſed venit ad Chriſtum ob aliquam cauſam, & rem honeſtam nobis ignotam, vel ut cibum ſumeret, vel ut à periculo mortis à Phariſæis intentatæ liberaret, &c. Notandum ſecundò, quod ex modo, quo textus narrat Chriſto fuiſſe nunciatum, ibi adeſſe matrem, eruit ſanctus Hieron. non fortuitò, & ſimpliciter nunciatum id eſſe Chriſto, ſed inſidias tendendo Salvatori, ut ipſum obſervarent, an ob affectum ad matrem, & conſanguineos, relinqueret concionem, & ob id Auctor imperfecti dicit, iſtum nunciantem fuiſſe advocatum diaboli, qui volebat per hoc exturbare fructum prædicationis; ſed tamen Chriſtus reſpuens tunc locum dare matri, & conſanguineis docuit, quod talis affectus poſtponendus eſt Dei ſervitio, & quod magis ipſe æſtimabat eruditionem diſcipulorum, & auditorum quàm affectionem parentum. *Luc. c. 8. v. 19. ad 21.*

74. *Auditores verbi Dei veri quomodò ſunt mater, fratreſque Chriſti.*

Quæ eſt mater mea, & qui fratres mei? extendens autem manum in diſcipulos ſuos, dixit, ecce mater mea, & fratres mei. Quomodò diſcipuli Chriſti dicuntur mater Chriſti, & fratres Chriſti? ſed attende ad perbellum myſterium: mater Dei dicuntur diſcipuli Chriſti, & Prædicatores, in quantum per verbi Dei prædicationes ipſi Chriſto filios generant, & ſimiles eidem Chriſto generant: vel in quantum recipiebant verbum Dei, & ob id veritatem divinam in ſe Chriſtum gignebant, & alios intelligere facientes, in aliis ipſum Chriſtum generabant, & ſic pater & mater Chriſti dicuntur, & ſimul fratres Chriſti, facti Chriſto ſimiles in gratiâ, & veritate, quia qui verbum Dei recipiunt illi inſerantur Chriſto tanquam ſtipiti radicali, & per conſequens per humorem Spiritus ſancti rigantur, & ſic efficiuntur filii Dei. *Luc. c. 8. v. 21. Pſal. 28. Op. medit. c. 20.*

75. *Generatio ſpiritualis perfectior, & deſiderabilior carnali.*

Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei, &c. ecce mater mea, &c. Per quæ verba dat Chriſtus intelligere, quòd non ſolùm non debet intermitti eruditio doctrinæ propter affectum, & indigentiam parentum, ſed etiam quod generatio ſpiritualis præferenda eſt carnali, quia præeſt ſpiritus carni, & gratiâ naturæ, & divina humanis, & æterna caducis; & ideo verus Prædicator plus afficitur ad filios generatos per prædicationem, quàm ad parentes carnales. *Luc. cap. 8. verſ. 21.*

76. *Religioſi tanquam mortui ſepeliant in oblivionis ſepulchro parentes.*

Quæ eſt mater mea, & fratres mei? hæc dixit Chriſtus, dum opera redemptionis faciebat, & per hoc docuit ſuos ſequaces, & præcipuè Religioſos idem dicere debere, & ſepelire in ingreſſu Religionis memoriam, & ſollicitudinem affectus ad parentes, ſicut legitur de quodam ſancto Eremitâ, quod cùm ad ipſum adveniſſet carnalis frater auxilii gratiâ, reſpondit, ut adiret alium fratrem eorum, cùm ille jam obiiſſet, eumque admiratus, qui venerat, reſponderet, quod ille jam obiit, Eremita quoque ſe ſimiliter obîſſe reſpondit: optimè ergo docuit Dominus, ne ſolliciti ſimus ſuper propinquis carnis noſtræ pluſquam religio poſtulet. *Op. meditat. c. 20.*

77. *Dei voluntatem faciens frater, ſoror, & mater efficitur.*

Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Quomodò frater, ſoror, & mater fit faciens Dei voluntatem? ſed attende: maſculus faciens voluntatem Dei Patris Chriſti frater eſt: fœmina

Dei

Digitized by Google

Dei voluntatem faciens ſit ſoror Chriſti, quia gignuntur per filiationem gratuitam ad Chriſti confraternitatem : & ſimul quilibet ſit mater Chriſti, quia Chriſtum à Spiritu ſancto concipit per fidem, & amorem, & geſtat in utero caſtitatis ſpiritualiter, ſicut Maria Chriſtum pro nobis geſtavit corporaliter ; quam generationem ſpiritualem etiam habuit Maria Virgo. *Ser.3. Dom.8.Pent. Luc.c.8.v.21.*

78. *Mariæ Virginis maternitatis ſublimitas expenditur.*

Quæ eſt mater mea? quicumque fecerit voluntatem Patris mei, &c. mater eſt, &c. Quid eſt hoc quod audio? ergóne Chriſtus renuit matrem, ac ideo contemptu reſpicit uterum Genitricis? Abſit : licet non defuerint impii hæretici, qui id aſſeruerint : non enim hoc dixit, quia matrem contemneret, cùm illam præ omnibus dilexerit. *Luc.c.8.v.21.* imò nunquam ſatiùs excellentiam ſuſtulit matris : ſic aſſerit Guerricus *ſer.4. de Aſſumpt.* his verbis. Mariam, quæ ſecundum carnem mater erat, aliâ quoque ratione matrem ſibi Jeſus probat, quandoquidem ipſa voluntatem Patris in tantum faciebat, ut de ipsâ prædiceret Pater, Vocaberis voluntas mea. *Iſai.c.62. v.4.* Igitur ubi eam viſus eſt ignoraſſe filius, ibi amplius honoraſſe invenitur, dum ei ſcilicet maximi nominis honor duplicatur, pro eo, quod eundem filium, quem alvo geſtaverat incarnatum, etiam animo geſtabat inſpiratum. *Sic & S.Bon. Op ſpec. B.Virg.lect.11. Luc.c.11. v.28. & clarius Guerricus Abb. ſer.4. de Aſſumpt.*

79. *Ex hac duplici Mariæ maternitate laudes, & mirabilia promanantia expenduntur.*

Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, &c. ipſe meus frater, &c. mater eſt. Sed quid hinc hodie promanat in Beatâ Virgine? nempe quia eſt duplicíter mater Chriſti? Sed attende : filius naſcitur ſemel apud Patrem ; & bis apud matrem : ſemel ab intellectu Genitoris, gemina ſorte à Maria, voluntate ſcilicet, & utero : quia Patris intellectus eſt infinitus, totum ſe exerit in infinitum Verbum, nec ſupperit locus alteri ſoboli, ubi impleta manet vulva generantis : Mariæ jam per voluntatem matri, adhuc uterus ſupperebat implendus, non altero filio, ſed eodem ; ut maternitatis titulus geminaretur, & defectus infinitatis, quam habere non poterat creatura, aliquantulum per numerum ſuppleretur ; quamobrem citra infinitatem Marianæ voluntatis in ſupremum verticem excrevit excellentia ſupra omnem Angelicum, & humanum amorem : Unde Angelus dicens Mariæ, Dominus tecum, voluit ſic inferre : Dominus tecum pluſquam mecum : Dominus tecum, ſed licet ſit in me, non tamen ſicut mecum. *Op.ſpec.B.Virg.lect.8.* Sed quomodò dicit Angelus, Dominus tecũ pluſquam mecum, cùm nondum eſſet conceptus in utero? Ecce mirabilis potentia Mariæ : potentia creata extra ſuam ſphæram non poteſt exirè, voluntas non poteſt regimen exercere in uteri officinâ, quia naturæ eſt, non voluntatis arbitrii : volens quidem poteſt Deo uniri, ſed tamen per culpam poteſt talis nexus diſcindi : ſed in Mariâ excreſſit talis potentia, & virtus : nam per voluntatis conſortium mater Dei effecta eſt ex carnis communione, & vinculo, ut nequeat diſſolvere culpa, quam per impoſſibile perpetraret : unde, ut dicebat S. Bernard. ſi omnes voluntates creatæ in unam recolligerentur, non haberent tantam unionem cum Deo, quantam habet B. V. Maria ſola, quia hoc ſuum conſentire, & velle, efficit ipſam fieri matrem Dei, in tantum, quod Deus non poſſet ipſam ſeparare à ſe : Et hinc etiam infertur aliud miraculum ex hac duplici maternitate : nam cum mater declarata fuerit prius ſpiritu, quàm utero, hinc non ſegniter Virginitas Mariæ ſuaderur quaſi venter à maternitate ſpirituali addiſcere deberet, quali modo carne concipere deberet : Hinc etiam aliud præconium redundat in Mariam : nempe Mariam evectam fuiſſe ad maternitatis dignitatem ex eo, quod ipſa perfectè voluntatem Dei adimplevit, & per conſequens ex merito ſuo de condigno. *Sic S.Juſtin. alique Patres ex Vegan.1698.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. In hoc capitulo Chriſtus tranſit ad explicandam veritatem verbi, & doctrinæ cæleſtis, & mirabili modo hoc facit per ſeptem parabolas, ut in decurſu expoſitionis patebit, & ideo nihil ulterius eſt adnotandum.

CAP. XIII.

2. *Chriſtus in unam Eccleſiam congregavit omnes nationes.*

EXiens Jeſus de domo, ſedebat ſecus mare : & congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, &c. Vide quàm ſollicitus eſſet Chriſtus Jeſus in miniſterio prædicationis ; nam poſt ſermonem in domo exiit, & ſecus mare proceſſit, ut ibi doceret turbas, quæ in maxima multitudine ad ipſum concurrebant : Voluit autem aſcendere in navim, & hoc ob copiam turbæ, ut ex ea quaſi ex ſuggeſtu concionem haberet ad turbam circumfluentem, & littus maris occupantem : Sed cur in navim aſcendit concionaturus, & non potius in aliquo alio loco in terrâ eminentioti? ſed hoc fecit, ut myſterium innueret : nempe Chriſtum è domo, ſcilicet è Cœlo deſcendiſſe impulſu amoris, & volens congregare in unum omnes nationes Gentilium, Judæorúmque, aſcendit in navim Eccleſiæ, ipſam conſtituendo ſuam, & ſuorum habitationem, & locum magiſterii. In hac conſtituit gubernaculum fidei, quæ hanc per mare, & per terram, ideſt per adverſa, & proſpera dirigit : Item anchoram ſpei ſtabilientis, & in tuto conſervantem ipſam navem : Item

& velum charitatis trahentis, ut malo, ideſt Chriſto fortiter adhærens, non metuat ventos tribulationum, imò ipſis impellentibus, citius ad portum ſaluris æternæ perduceret congregatos in navi: è navi igitur prædicans, ad navem Eccleſiæ ſub ſuo gubernaculo invitat omnes ad ſalutem conſequendam, extra quam nulla eſt ſalus. *Ser.1.Dom.4.Pent.*

3. *Prædicator ad exemplum Chriſti in prædicatione ſe adaptet capacitati auditorum.*

Et locutus eſt eis multa in parabolis. Vide qualiter congregabantur turbæ in multitudine, & conveniebant in promptitudine ad audiendum verbum ex ore Chriſti, quia eis ſuam doctrinam exponebat per parabolas, & res quibus aſſueti erant, ſcilicet de area, de agro, de vineis, & ſimilibus, ob id libenter ipſum audiebant, & facilius intelligebant: Ut diſcant Prædicatores teneri, ſe aptare capacitati auditorum. *Luc. c.18. verſ.4.*

4. *Inter munera præcipua Chriſti Redemptoris, prædicatio verbi Dei præeminet cæteris.*

Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Nota quod in iſtis paucis verbis explicantur mirabiles operationes redemptionis per Chriſtum factæ: nàm Verbum divinum per Incarnationem dicitur exiiſſe non loco, ſed habitudine, ſcilicet carnem aſſumendo, & in hoc exitu exiit de quiete ad laborandum pro nobis: & ipſe, qui ſeminat (ſcilicet qui ſemper verbi Dei prædicationem ſeminavit in mundo) ipſe arripuit hoc munus prædicandi, unde exiit ſeminare ſemen ſuum, id eſt ad exercitium prædicationis: Unde *Luc. c.4.* dixit, *quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum*, ſcilicet quia hæc eſt voluntas Patris, qui me miſit ad evangelizandum, & prædicandum Dei verbum: ex quo patet, quàm neceſſaria, & utilis ſit prædicatio verbi Dei in Eccleſiâ. *Luc. c.4. in fine, & c.14.v.21.*

5. *Ad exemplum Chriſti exire debet homo à quiete, ad laborem.*

Exiit, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Vide quomodò Chriſtus à quiete æterna exiit ad laborandum, & patiendum in mundo: per quod inſtruitur homo, quod ſi vult colligere bonos fructus ſalutis, debet exire de domo ad agrum, nempe de quiete ad laborem; nimirum ad laborem vel in opere juſtitiæ, vel miſericordiæ, quæ in ſeminatione ſignificantur, quia quale ſemen jaciet homo, tales fructus colligat. *Luc. c.8. v.5. ſer.2. Dom.ſeptuag.*

6. *Quale ſemen jaciet homo, talem fructum etiam colliget: Vbi de qualitate ſeminis, & modo ſeminandi, & colligendi.*

Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Ergo ad exemplum Chriſti debet homo ſeminare, ut fructum colligat: hicque eſt Doctor, & Prædicator, & juſtus: ille enim ſeminat ſemen verbi Dei, iſte bona opera. Ad hoc autem, ut bona ſeminatio fiat, requiritur ſeminis bonitas, ſeminantis liberalitas, telluris fœcunditas, temporis congruitas; ſicut hæc requiruntur in ſeminatione temporali: & quo ad primum, nempè ſeminis bonitatem, qui bona opera pœnitentiæ, miſericordiæ, & juſtitiæ ſeminaverit, fructus etiam proportionatos colliget: ſi verò urticam, vel zizaniam ſeminaverit, metet etiam urticam ſpinas, vepres, & pœnas in Inferno. Secundò requiritur ſeminantis liberalitas, qui enim parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, ſcilicet per multa opera bona, de benedictionibus & metet: ſi ſeminas in lachrymis, in exultatione metes, centuplum ſcilicet rèddet tibi Deus. Tertiò telluris fœcunditas, nempe cor bonum, & bona voluntas gratiâ informata, & charitate Dei. Quartò temporis congruitas concurrere debet, ſcilicet in hac vitâ, mane & veſpere ab infantiâ ad ſenectutem: ſed heu, quia multi pro tritico zizaniam, pro coro, ſcilicet magna quantitate, ſolum granum, pro bona tèmpeſtâ, in petroſis, pro diebus vitæ, una hora ſeminant, hinc ſe vacuos in morte inveniunt. *Ser. 2. & 3.Dom.ſeptuageſ.Luc.c.8.v.5.ſeq.*

7. *Verbi Dei auditorum quatuor genera enumerantur, quorum tantum unum genus benè audit.*

Aliud cecidit ſecus viam &c. Nota, quod in hac parabolâ aſſignantur quatuor genera audientium Dei verbum, & hoc ſub ratione terræ recipientis diverſimodè ſemen: prima enim terra ſemen recipit, ſed non retinet, ſcilicet ſecus viam, ubi eſt decurſus, & non ſtatus retentionis, ſed oblivionis, propter ſtrepitum multitudinis: tale autem eſt cor hominis recipiens malas ſuggeſtiones hominum, & tentationes dæmonum, qui per volucres cœli intelliguntur, per quos diabolus comedit, & devorat totum: dicuntur autem dæmones volucres cœli, ideſt aëris, tum propter velocitatem, tum propter rapacitatem: oblivioſi igitur, & deſidioſi hîc notantur. Secunda terra eſt, quæ recipit, & aliqualiter retinet verbum Dei, quia cadit ſemen ſuper petroſa, nempe ſuper cor durum, ob defectum humoris devotionis, & gratiæ. Tertia terra eſt, quæ recipit, & retinet, & aliqualiter fovet, ſed non complet, nec fructum profert, quia recipit inter ſpinas, ſcilicet inter ſollicitudines mundanas, & cogitationes carnales, quæ ſuffocant verbum Dei, cum iſtæ prævaleant, & proficiunt, & creſcunt magis, quàm cura ſpiritualium. Quarta eſt, quæ recipit, & retinet, fovet, & fructum profert: recipit enim verbum Dei in terram bonam, & optimam, legit S. Lucas, ideſt in corde bono, & optimo: bono ſcilicet, quo ad cognitivam, optimo quoad affectivam, retinetque ſemen, quo ad memorativam, & fructum afferunt in patientia, quoad ſupputativam per patientiam in adverſis: & hæc patientia eſt neceſſaria, nè ſemen in arce marceſcat (ſcilicet ut dicit Ugo Cardi.) in quaternionibus, & libris, nunquam ſeminando, nunquam idem comedendo, & ideo nunquam metendo: terra enim etiam optima nunquam emittit fructum, niſi in patientiâ, nempe patiendo

aratrum, & adversa. *Luc.c.8.v.5 seq.& 15.ser.1. Dom.sexages.*

8. *Verbum Dei quare appellatur semen.*

Nota, quòd verbum Dei dicitur semen primò, quia tenet rationem principii activi: Christus enim est principium omnis boni, quod & verba Dei communicavit: Secundò quia habet rationem principii propagativi: & tertiò quia tenet rationem principii multiplicativi, taléque est verbum Dei, ut increatum, ut inspiratum, ut incarnatum, ut prædicatum, & explanatum: quos omnes effectus gignit in Ecclesia. *Luc. c.8.v.15.*

9. *Quare dæmones appellantur volucres Cœli: ubi de loco dæmonum.*

Et volucres cœli comederunt illud. Si per volucres cœli dæmones intelliguntur, quare appellantur volucres cœli, & non potius terræ, vel inferni? Sed jam suprà dictum est, quòd hîc nomine cœli intelligitur aër: & meritò dicuntur dæmones habitatores aëris, scilicet in hac inferiori, & magis sordida parte aëris, quia hîc est locus dæmonum usque ad diem judicii, nempe aër tenebrosus, scilicet mixtus aliis elementis, maximè terreis, ut magis aptus, & proportionatus tenebrositati culpæ ipsorum, & etiam quia aër est mobilis, & subtilis competit velocitati ipsorum, ideo volucres appellantur, scilicet propter velocitatem, & rapacitatem, & hinc circa nos velut musca volitant, & hinc etiam provenit, quod facilè commoveant in aëre tempestates, quando à Deo permittuntur; dicit ergo Christus, quod isti volucres maledicti comedunt suis morsibus, & tentationibus fructum verbi Dei. *Luc. c.8.v.5. Eccles.cap.10.in fine. l.2.d.6.a.2.qu.1.ser.3. Dom. sexages.*

10. *Divitiæ, & voluptates sunt spina suffocantes animam.*

Aliud cecidit inter spinas, & simul exorta spina suffocaverunt illud: addit Christus infrà: *quod autem inter spinas, hi sunt qui audiunt, & sollicitudinibus, & voluptatibus vitæ &c.* Vide quomodo Christus apertè appellat divitias, sollicitudinesque temporales, & voluptates spinas: & meritò: nam istæ suffocant animam, & configunt eam: dicuntur autem spinæ, tum quia fructum non afferunt, tum quia fructum impediunt spirituales; tum quia habentem affligunt, quia cogitationum suarum punitionibus mentem lacerant; avidè enim quæruntur, & sollicitè, & difficillimè servantur. *Luc.c.8.vers.14.ser.1. Dom.sexages.*

11. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.*

Et aliud cecidit in terram bonam, & optimam. Vide quòd ex quatuor generibus audientium verbum Dei, tantùm quantum benè, & fructuosè, & cum salute recipit illud, ut hinc discamus, quòd multi sunt vocati, pauci verò electi. *Luc. c.8.v.8.*

12. *Ad fructum colligendum ex verbo Dei, & inspirationibus quid requiritur, & quænam vitanda.*

Alia autem ceciderunt in terram bonam: Addit S.Luc. *in terram bonam, & optimam.* Iterum v.22. addit, *qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.* Notandum autem, quòd in primâ parte parabolæ proponitur verbum Dei tanquam semen jactum in terram: in secundâ parte explicans Christus, eandem parabolam transit ad personas diversimodè recipientes semen verbi Dei, quos & appellat semen, quæ & ipsæ dicuntur semen Dei, vel infructuosum, vel fructuosum. In supradictis ergo verbis agens de fructuositate respectu verbi Dei, & personarum recipientium, procedit Christus ordine mirabili: nam terra ad hoc ut fructificet, primò debet præparari, deinde seminari, postèà fructus ex ea tolli: sic notatur primò nostri cordis debita præparatio: Secundò divini seminis debita susceptio: Tertiò debita fructificatio: & quo ad primum debet esse terra cordis nostri præparata, & hoc primò extirpatione malarum radicum peccatorum per gladium acutæ compunctionis, confessionis, & mortificationis: Secundò debet terra cordis nostri irrigari aquis pluvialibus lachrymabilium compunctionum: Tertiò inflammari incendiis divinorum desideriorum: & hoc quoad præparationem terræ: quoad seminationem verò debet verbum Dei reverenter audiri, & recipi cum mentis quietatione, sine spinis sollicitudinum mundanarum: debet & retineri, & firmiter credi cum unionis adhæsione, ne supra petram, & secus viam recipiatur: & inde intelligi diligenter practicè nempè cum operis executione, ut fructum multiplicem producat consequentem ex supra præmissis, nempe fructum puritatis, munditiæ pulchrificantis conscientiam, item claritatis intelligentiæ, gratiæ illuminantis, & familiaritatis divinæ dulcorantis affectum. *Ser.1.Dom.sexag.ser.1.Dom.5.post oct.Epiph.*

13. *Fructus trigesimus, sexagesimus, & centesimus expenditur.*

Fructum affert, & facit aliud centesimum &c. trigesimum &c. Cur Christus affert in medium istos numeros, & non alios? sed tamen optimè fecit, ut alluderet ad artem computationis per quam fit appropriatio meritorum ad merita: nam per tricesimum intelligitur meritum conjugatorum, qui consurgit ex ternario, & senario, scilicet per fidem Trinitatis, & observantiam mandatorum, senarium operum misericordiæ; per centesimum verò meritum Virginum qui est numerus completus, & perfectus, alioqui excedens, & continens observantiam mandatorum, & exercitium virtutum, maximéque castitatis, & puritatis. *Ser.1.Dom. sexages.* ubi etiam expenditur computatio mystica horum numerorum per quinque digitos.

14. *Terra bona ſemen bonum recipiens multiplex.*

Alia ceciderunt in terram bonam. Nota, quòd quadruplex eſt iſta terra bona myſtice: ſcilicet terra materialis, virginalis, ſpiritualis, & æternalis. Terra materialis bona, eſt quæ exigit diligentem culturam, per quod ſignificatur, quòd ſine labore non poteſt perveniri ad aquirendum fructum optatum à Deo: Terra Virginalis eſt Beata Virgo Maria, de qua fructus terræ hujus ſublimis, ſcilicet Chriſtus prodiit: Terra ſpiritualis eſt cor juſti, quæ debet recipere in ſe humorem gratiæ, ut producere poſſit fructus dignos: Terra æternalis eſt Paradiſus, cujus fructus beatam reddit animam: Ad hunc autem fructum recipiendum terra cordis noſtri in hac vita debet producere fructum trigeſimum meritorum in incipientibus, ſexageſimum in proficientibus, & centeſimum in perfectis. *Ser. 4. Dom. ſexageſ. ſer. 3. Dom. 7. Pent.*

15. *Caſtitatis fructus, & corona multiplex expenditur.*

Aliud dedit fructum trigeſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum. Nota, quòd iſte triplex fructus tribuitur à Chriſto caſtitati: nam caſtitas conjugalis reportat fructum trigeſimum, ſcilicet meritum fidei, & obſervantiæ decem mandatorum. Vidualis ſexageſimum: & centeſimum virginalis caſtitas: ex quibus patet, quod caſtitas conſequitur, & poſſeſſionem accipit de Deo, currendo per bonam operationem, natando per internam devotionem, & volando per ſupernam contemplationem, & ſic ſequitur Agnum quocumque ierit. & hinc corona in Cœlo ei tribuitur præmii eſſentialis. Sed tamen Virginibus additur aureola præmii accidentalis *Op Diet. Tit. 4. c. 4. & Apoſtol. pauper reſp. 1. c. 3. Op. Comp. Theol. l. 7. c. 30.*

16. *Beata Virgo Maria omnes creaturas ſuperat in fructu huius ſeminis.*

Aliud dedit fructum trigeſimum. &c. Nota autem, quòd Sanctus Matth. dicit, *qui autem in terram bonam recipit ſemen, &c.* addit S. Luc. *in corde, vel terra bona, & optima.* Si optima, ergo bona eſt, ad quid ſuperfluè ponitur, bona, cum ſufficeret, optima? Sed attende ad myſterium. Alia eſt terra bona, alia optima: bona eſt in conjugatis, in viduis, & Virginibus, & iſti ſtatus ita ſe habent, quòd numquam in eadem perſona ſimul inveniuntur. At ultra hoc datur terra optima, quæ ſimul omnes iſtos fructus in ſe continet: & hæc eſt Beata Virgo Maria, in qua caſtitas, & perfectio conjugalis, vidualis, & virginalis ſimul colliguntur, & connectuntur. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 15. & 16. Abſalon Abbas. ſer. 34. de perfect. B. Virg.*

17. *Alii habent aures audiendi, & non audiunt: Alii idem habent, & non audiunt.*

Qui habet aures audiendi, audiat. Nota, quòd cum iſta verba in ſacra Scriptura proferuntur, tunc per multiplicationem actus audiendi attentionem maximam exigunt, & ad conſideracionem myſticam eorum, quæ proponuntur concitant, tanquam cæteris digna expendi. Dat autem intelligere Chriſtus Ieſus per hæc verba, quod hæc parabola, & cæteræ ſimiles propoſitæ in ſacra Scriptura ſunt ſpiritualiter, & non carnaliter audiendæ, & diſcutiendæ: ſic enim verè audiunt verbum Dei, qui non ſolùm auribus corporalibus, ſed & interioribus verba Dei audiunt, ſcilicet intelligendo, ruminando, meditando, & affectu diligendo, ſimulque optando ea, quæ ſuadentur: & qui hæc non facit, nihil facit, habet quidem aures audiendi, ſed non verè audit. *Op. de dono conſil. c. 3. de ſept. itiner. æter. itin. 6. d. 6. Sap. c. 6. Luc. c. 8. v. 9. & cap. 14. in fine.*

18. *Qui otioſè verbum Dei ſuſcipit, & ſine fructu, Dei judicio ſubjectus ſit.*

Qui habet aures audiendi, audiat. &c. Jam dictum eſt, quod hic Chriſtus excitat ad ſuſcipiendum verbum Dei cum fructu, & non otioſè. Ut autem intelligatur quali curâ id eſt exequendum, transfer mentem ad dicta à Chriſto cap. antecedenti. *Omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Luc. c. 8.* hinc à minori ad majus infertur quòd ſi hominis verbum otioſè ore prolatum ad ſtrictioris judicii examen vocabitur, quàm terribile judicium ſubibit, qui verbum divinum otioſè, & ſine ullo fructu ſuſcipit. *Sic S. B. ſil. l. 3. de baptiſmo c. 3.* Tales autem ſunt ſtulti, qui juxta viam ſeminant per vanam intelligentiam, & coram hominibus ponunt, & ſunt, qui ſuper petroſa per cordis duritiam, ſine compunctione, & pietate, & qui inter ſpinas, per terum opulentiam, verbum Dei inane reddunt. *Ser. 1. de Evangeliſtis.*

19. *Chriſtus eſt magiſter docens diſcipulos ſuos amantes ſalutem animæ.*

Et audientes diſcipuli, dixerunt ei, quare in parabolis loqueris eis? & Luc. c. 8. dicitur, qua eſt hæc parabola? Et alibi, *Ediſſere nobis parabolam: qui reſpondens ait illis: vobis datum eſt noſce myſteria Regni cœlorum, &c.* Vide quomodo Chriſtus facilitèr condeſcendit interrogationi diſcipulorum tanquam piiſſimus Pater, & tanquam magiſter ſapientiſſimus explicat myſteria cœleſtia ipſis interrogantibus: ſic enim amantibus propriam ſalutem, & veris diſcipulis ipſe Chriſtus doctor eſt, & magiſter illuminans mentem, docens viam ſalutis, & inflammans affectum. *Luc. c. 8. v. 9 & 10. ſermon. 1. de Evangeliſtis. & Luc. cap. 2° verſ. 15.*

20. *Prædicator exemplo Chriſti ſe aptet capacitati auditorum.*

Vobis datum eſt noſce myſteria regni cœlorum, cæteris autem in parabolis. Vide, quòd Chriſtus diverſimodè tractabat ſuos diſcipulos, & turbas: ignaris namque turbis loquebatur in parabolis, ſeorſum autem omnia diſcipulis ſuis diſſerebat, ut doceret Prædicatores, quod diverſimodus debet eſſe ſermo eorum pro diverſitate audientium. *Luc. c. 8. v. 26. & c. 8. v. 10. Pſal. 113.*

21. *Intelligentia ſacræ Scripturæ datur à Deo gratis.*

Vobis datum noſce myſterium regni Dei. &c. Nota illud verbum, datum eſt: quia intelligentia Sacræ Scripturæ à Deo deſcendit, & ex gratia datur, eſtque maximum donum ſuis diſcipulis, & Eccleſiæ à Chriſto collatum. *Luc.c.*8.*v.*10.

22. *Sacræ Scripturæ, & fidei myſteria quæ dicuntur regni Dei. Vbi de meditatione myſteriorum Roſarii.*

Vobis datum eſt noſce myſteria regni cœlorum. Nota etiam, quòd Myſteria noſtræ fidei dicuntur regni Dei, vel regnum Dei oſtendunt, & promittunt, & ipſis obedientem ad regnum Dei perducunt, *Luc.cap.*8.*v.*10. Addimus autem, quòd iſta myſteria regni cœlorum, ſcilicet noſtræ fidei ſunt myſteria quæ in recitatione Roſarii Beatæ Virginis meditanda proponuntur: Sunt enim compendium (ait Navatrus de Roſario) omnium myſteriorum noſtræ fidei & continent omnes prærogativas Chriſti, & Mariæ Virginis. Unde meritò dicuntur myſteria regni cœlorum: tum quia amor, & obſequium in Beatam Virginem peculiare præſtatur, eſtque veluti character prædeſtinationis (*ait S. Bon. Op. Pſal. B. Virg. Pſal.*10.) Tum quia corenula Roſarii ad cœlum pertingit, & tanquam funiculis amoris Deum tenet, & alligat, ne ſceleratos puniat. & ſicut vitta coccinea oculos Dei contegit, ne peccata videat: tum quia eſt veluti altera ſcala Jacob 150. gradus habens; quibus ad Cœlum ſcandimus, ubi Maria omnibus prædeſtinatis gloriæ coronas ex roſis intertextas præparat: Sic Sanctus Bonaventura devotionem in Mariam ſæpè appellat nomine ſcalæ ad Cœlum pertingentis: tum quia Mariæ globuli precarii chirographum Dei ſigillo munitum ſunt, quo veniam peccatorum, & gratiam, & gloriam conſequimur. *Vide S. Bon. Ser. 2. Dom. paſſ.* tum quia Roſarii Confratres prædeſtinationis charactere ſunt ſignati: tum quia cœleſtem Jeruſalem in decantando laudes Beatæ Virgini incolunt, ut dicebat S. Catharina Sen. & cum Angelis ſocii Mariam laudant.

23. *Cooperantibus gratiæ Dei nova confertur gratia: negligentibus auferetur tota.*

Qui enim habet, dabitur ei; & qui non habet; etiam quod putat ſe habere, auferetur ab eo. Vide, quàm Deus promptus eſt conferre ſua dona cooperantibus fidelibus, & quàm juſtè privet eos, qui deſides ſunt ſuis donis; qui habet (ait Chriſtus) ſcilicet affectum, & facultatem perficiendi, dabitur ei facultas augmentandi dona, & alios docendi, & è contra, qui non habet affectum ad meam doctrinam, etiam quod videtur habere per rumorem ſuperbiæ, auferetur ab eo per rigorem divinæ ſententiæ. *Luc.c.*8.*v.*18.

24. *Dei dona aliis ſunt in ſalutem, aliis in ruinam: & Deus nobiſcum ſe habet, ſicut & nos cum ipſo.*

Ideo in parabolis loquitur, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, & adimpletur in eis prophetia Iſaiæ, &c. auditu audietis, &c. Ecce quomodo Dei dona aliis ſunt in ſalutem; aliis in ruinam, & hoc eſt ratione diverſæ diſpoſitionis recipientium, ideo Dei verba bonos illuminant, & inflammant, malos, & deſides excæcant: quales enim nos cum Deo ſumus, talis Deus eſt nobis. *Luc.c.* 8. *v* 10. *& c.*15. *verſ.*3. *& c.*14. *in fine, & cap.*19. *v.* 25. *Ioan.c.*18. *verſ.*10.

25. *Fidei lumen beatam reddit animam.*

Veſtri autem beati oculi qui vident, & aures, quæ audiunt, &c. multi Prophetæ & juſti cupierunt videre quæ videtis, & non audierunt, &c. Quomodo hîc appellantur beati, qui vident Chriſtum, ſi aliàs dixit Thomæ, beati non viderunt, & crediderunt? Sed attende, quòd iſti textus contrarii non ſunt: nam utrobique agit de viſione fidei, quæ non ad exteriorem apparentiam terminat, ſed ad interiorem penetrat, & per hoc dat intelligere, quod fidei lumen affert animæ beatitudinis participationem: & ideo beatus eſt, qui ad viſionem Dei penetrat.

26. *Ad Chriſtum hominem, & Deum dirigatur ſemper noſter aſpectus.*

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, &c. Nota, quòd Chriſtus ſeipſum, ut hominem, & Deum proponit ſuis ſervis adſpiciendum, ut diſcant ſervi Dei numquam debere ſeparare humanitatem à Divinitate, & ſibi præfigere Chriſtum ut hominem operantem redemptionem, & ſubjectum paſſionibus, & myſteria, & Sacramenta inſtituentem, & præcipuè ipſum cruci expoſitum, & hinc tranſire ad contemplationem ejus Divinitatis lumine fidei, & ipſi adhærere: in qua unione pervenit anima ad participationem viſionis, & fruitionis divinæ ad modum ferè beatorum: & hinc fructum hunc eruere debemus, nempe videre peccata dolenda, bona agenda, terrena ſpernenda, æterna recipienda; & ad hæc toto tempore vitæ adſpicienda totum cor ponere. *Sermon.* 5. *de Apoſt. ſerm.* 1. *Dom.*12. *Pentet.*

27. *Chriſtus ſeminavit ſemen Evangelii in Eccleſia.*

Aliam parabolam propoſuit eis dicens: ſimile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Nota, quòd Chriſtus de ſe hîc loquitur, qui ſeminavit doctrinam evangelicam in Eccleſia, & dicitur bonum ſemen quia omne bonum continet, unde prædicans evangelium imitator eſt Chriſti. *Luc. cap.* 13. *verſ.*19.

Digitized by Google

28. *Deus omnem hominem fecit: diabolus ipſum ſibi conſentientem malum.*

Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo, &c. cùm autem dormiret, &c. Vide quomodo à Deo ſolum bonum deſcendit: à diabolo ſolum malum: nam Deus cùm fecerit omnia bona, fecit hominem valdè bonum dotibus cœleſtibus præditum, in quo manifeſtavit ſuam ſummam potentiam, ſapientiam, & bonitatem: Cum autem Adam, & Eva dormirent, ideſt negligenter operarentur in cuſtodiâ mandatorum Dei, diabolus ſuperſeminavit zizania, ideſt vitia, & peccata in medio tritici, id eſt in corde ipſorum: ex quibus naſcuntur omnes homines filii iræ. *Sermon. 1. Dom. 5. poſt oct. Epiph.*

29. *Ager multiplex Dei, & diaboli.*

Simile eſt Regnum, &c. qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo. Quis iſte ager Dei? Nota, quòd multiplex ager Dei invenitur, in quo jacit ſuum ſemen bonum: Ager enim eſt iſte mundus, quem replevit tot creaturis bonitate præditis: Ager item eſt conſcientia, & cor hominis: Ager item eſt regnum cœlorum. Primus ager eſt contemnendus propter Deum: ſecundus excolendus ad recipiendum ſemen divinum, excolendus eſt autem per ſanctam diſciplinam, & bonum exercitium, ne impleatur ſpinis vitiorum, & urticis prurientium deſideriorum, & ne fiat ager diaboli: tertius ager eſt deſiderandus propter odorem, & pulchritudinem floris divini, nempe Dei unius, trinique, & Chriſti Jeſu, qui fuit ager plenus floribus virtutum, ſcilicet roſis donorum, & liliis chariſmatum Spiritus Sancti ſuavium conſolationum. *Sermon. in Dom. 3. poſt oct. Epiph.*

30. *Semen multiplex ſeminatur in mundo à Deo.*

Qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo. Quodnam bonum ſemen eſt hoc, quod non exprimitur ab Evangeliſta? Sed attende, quod multiplex eſt ſemen, ſcilicet in natura, in gratia, & in gloria: ſemen in natura, eſt multiplex creatio animarum, & generatio corporum, quæ ab initio uſque ad finem fit, & fiet à Deo: ſemen in gratia ſunt omnes juſti, qui per juſtificationem fiunt bonum ſemen, & fructiferum: in gloria verò ſeminat Deus electos ſuos, qui florebunt æternaliter in corpore, & anima. *Ser. 4. Dom. 4. poſt oct. Epiph.*

31. *Semen bonum ſeminatum à Deo in Sacrâ Scripturæ libro, & libris ſacris: Ubi de lectione ſpirituali.*

Qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo. Nota, quod ut ſuprà dictum eſt, hoc bonum ſemen eſt verbum Dei, & quælibet veritas divina, quam Deus in libris Sacræ Scripturæ, & Sacris ſeminavit, & impoſuit. *Luc. c. 13. v. 19.* Nota etiam quòd dicitur talis doctrina bonum ſemen, ob mirabiles effectus; qui ex lectione Sacræ Scripturæ, & Sacrorum librorum provenium; quia per ipſam nobiſcum loquitur Deus, & ideo lectio Sacra mentem illuminat de Dei notitia, accendit affectum ad Dei amorem, mores bonos inſtruit, animat ad toletandum adverſa, mundi contemptum ingerit, deſiderium patriæ cœleſtis infert, docet ſecernere inter vitia, & virtutes, & vincere tentationes, & alia multa utilia ad ſalutem affert, & præcipuè parat viam ad orationem, & allocutionem cum Deo, ô quàm bonum eſt hoc ſemen? & è contra zizania diaboli ſunt falſitates, & vanitates, quæ ſunt reſpertæ in libris prophanis, quæ lectio tempus perdit infructuosè, affectum infrigidat, inutiles cogitationes cordis inſerit, conſcientiam rodit, profectum ſpiritualem impedit, & pœnam meretur. O quot mala in Eccleſia gignit lectio librorum prophanorum impuritates redolentium. *Op. de prof. Religioſ. l. 1. c. 58. Op. de ſepten. itiner. æter. ſtim. 2. d. 5. Op. de inſtitut. Novit. p. 2. c. 4. Pſal. 1.*

32. *Pax & concordia eſt bonum ſemen in Eccleſia ſeminatum à Chriſto.*

Qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Nota, quòd dicit bonum ſemen, ideſt continens omne bonum: & quodnam eſt ſemen tam bonum? hoc eſt pax, & concordia, eſt enim complementum omnium bonorum, & ideo ſuper omnia quærenda, & deſideranda. Hoc ſemen inter omnia ſeminavit Chriſtus in Eccleſia, & ideo ipſam reliquit ſuis diſcipulis jure donationis inter vivos, & ſimul jure ultimi teſtamenti, quando dixit. *Joan. c. 14. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Item jure codicillorum quando poſt reſurrectionem, quaſi firmando teſtamentum, dixit, *Pax vobis. Joan. cap. 20.* Unde merito dicitur iſta pax & concordia ſemen bonum, ſcilicet conferens bona ſpiritualia, & temporalia. *Opuſcul. Diæt. titul. 7. cap. 6.*

33. *Deus ſemper per ſe, & ſuos ſervos ſeminavit bonum ſemen virtutum in mundo.*

Qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo, &c. Vide charitatem Dei noſtri, qui totus ſemper fuit in ſeminando ad noſtrum profectum bonum ſemen virtutum in mundo: & in hoc concurrunt octo agricolæ. Pater enim ſeminavit panem Cœli, ſcilicet filium, ipſum veſtiendo carne, & collocando in Euchariſtia; Filius veritatem & verbum Dei; Spiritus Sanctus charitatem, & per Angelos ſeminavit etiam ſtabilitatem, & perſeverantiam, quando alii cadentibus, ſteterunt: per Apoſtolos prudentiam; per Martyres fortitudinem; per Confeſſores juſtitiam, & devotionem: & per Virgines temperantiam. Cave ergo, ô homo, ne aves rapaces rapiant ſemen, & ſeminent zizaniam. *Pſal. 118. v. 148.*

34. *Prælati*

Digitized by Google

34. *Prælatorum dormitio, & negligentia ruinæ subditorum: Unde otium est mercatura & mundi, & diaboli.*

Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit. Quid est hoc, quod inimicus volens inficere fata Dei, superseminando zizania, expectat ad id exequendum tempus dormitionis Dominorum agri? sed notanter id observatur, quia per dormitionem intelligitur ignavia, & negligentia Prælatorum qui cum sic dormiant, causa sunt, quod diabolus omnes strages inrentat, & causat in subditos. *In Toren. c. 4. ser. 1. Dom. 5. post oct. Epiph.* Vide etiam quomodò otium nundinæ sunt diaboli, quia est sentina omnium malorum. *Op. de profect. Religios. l. 1. c. 39.*

35. *Qui facile credit detractori, & susurratori, dormitat.*

Cum autem dormirent homines, venit inimicus homo, &c. Nota, quod diabolus volens inficere, & suffocare semen à Deo jactum, expectat tempus dormitionis: Cur hoc? Sed attende ad mysterium: Diabolus volens destruere semen bonum pacis, & concordiæ, superseminando zizania, nempe discordiam, assumit linguam detrahentem, & tunc cum dormiunt homines, scilicet, cum non advertunt ad malitiam diaboli, & malignorum, dormientes, cum nimis sunt creduli, tunc superseminat zizania, quia qui citò credit, levis est corde, *ait Eccles. c. 19. v. 5.* Unde ad evitanda ista mala, vigilent homines, nec facile credant: nam ista dormitio, sive dormitatio aperit viam diabolo ad omnia mala. *Ser. 1. Dom. 5. post Epiph. ser. 2. Dom. 4. post oct. Epiph.*

36. *Diabolus per homines, & familiares inimicos semen Dei suffocat.*

Venit inimicus homo, & superseminavit zizania, &c. Si iste inimicus est diabolus, cur vocatur homo? quomodò homo dicitur diabolus? sed attende ad artes, & technas diaboli: nam videns à Deo seminatum bonum semen charitatis, & concordiæ in Ecclesiâ, in Republicâ, in Congregatione, nec valens ex se scindere hanc pretiosam vestem Ecclesiæ, & superseminare zizaniâ, assumit hominem malum; nec quemcumque impium, sed hominem inimicum, & ejus auxilio innumeras strages efficit: Et nota, quod iste auxiliator, & ministet diaboli dicitur homo inimicus: Quid est homo inimicus: homo dicitur ab humanitate, amicitiâ, & familiaritate: & si hoc, quomodò dicitur inimicus, scilicet amicus, & inimicus? familiaris, & adversarius? ô, ô attende: assumit diabolus non quemcumque malum, sed inimicum familiarem, scilicet sibi cum amicum, quia nulla pestis atrocior, & magis noxia, quàm familiaris inimicus, & sic sub specie amoris, amicitiæ, & familiaritatis zizania, & discordiam seminat inter fratres, & omnia mala inducit. *Psal. 12. & 30. ser. 2. fer. 4. Pent. fer 3. Dom. 4. Pent. ser. 2. Dom. 4. post oct. Epiph.* Cave igitur, ô homo, ne dormias: cave ab istis amicis verè inimicis, qui sub specie amicitiæ detrahunt proximo, & charitatem scindunt.

37. *Dei pietas expenditur in tolerando malos inter bonos.*

Venit inimicus homo, & superseminavit zizania, &c. Vide quomodò statim inter bonos intermiscentur mali, & iniqui: Cur ergo Deus permittit, ut in agro suo zizania misceantur? sed tamen hic est affectus maximæ pietatis divinæ in nos: tolerat enim Dominus malos propter maximam bonitatem suam, & hoc præcipuè ex quatuor causis: primò propter eorum conversionem, ut scilicet ex zizaniâ fiant triticum: multi enim sunt mali nunc, qui processu temporis fiunt boni: Secundò ob bonorum exercitationem: omnis enim malus ideo permittitur, ut corrigatur, aut ut bonus exerceatur: Tertiò propter bonorum meritum Deus sæpe non delet malos: Quartò permittit malos, ut per multos affligantur: Deus enim sæpe utitur impiis ad puniendos impios: sic utitur Turcis, & hostibus fidei ad puniendos malos fideles. *Ser. 1. Dom. 4. post oct. Epiph.*

38. *Diabolus in servos Dei dormientes tantùm prævalere potest.*

Cum autem dormirent homines, venit inimicus homo, &c. Cur cùm dormirent venit inimicus; & non potius cum vigilant? quodnam peccatum potest proponere diabolus in dormientes: ô pessima dormitio, & dormitatio: Dormiunt verè; & dormitant Prælati, & alii Deo servientes, cum se otio, torpori, & negligentiæ donant; & tunc in eos tantùm prævalere potest: Ut quid igitur ô serve Dei piger, & in pigritia dormis? & quid tibi posset facere diabolus, si non dormires? certè nihil: cave ergo à tali pestifero somno. *Ser. 2. Dom. 4. post oct. Epiph. ser. 1. Dom. 5. post Epiphan. ap. Comp. Theol. l. 3. c. 2.*

39. *Diaboli proprium officium est seminare zizania in medio tritici: Ubi de scandalosis.*

Venit inimicus homo, & superseminavit zizania in medio tritici. Ecce quale officium præcipuum diaboli: nam suum semen scilicet zizania sunt adulteri, rapaces, usurarii, aliique perversi, hæc maledicta zizania seminare conatur, & præcipuè quando per torporem dormiunt homines, in medio tritici, intermiscens malos bonis, ut scandalo sint eis; ut suffocetur triticum bonorum, vel ut destruatur. *Sermon. 1. Dom. 4. post oct. Epiphan.*

40. *Justorum virtus qualis inter malos servare justitiam: Impiorum quale vituperium inter bonos esse malos.*

Sinite utraque crescere, &c. Vide quomodo in mundo crescunt boni, & mali, simulque in unâ domo, in una mensa, in via, in Ecclesia usque ad messem vivunt: Bonorum autem virtus maximè elucet servare justitiam inter malos, sicut malorum maximum vituperium est inter bonos esse malos: & ideo bonis maximum præmium in consummatione perpetua; & malis maximæ pœnæ. *Ser. 1. Dom. 4. post oct. Epiph.*

41. *Socii*

41. *Socii in peccatis ſimul alligabuntur in faſces in Inferno.*

Colligite primum zizania,& alligate ea in faſciculos ad comburendum. Ecce finis vitæ malorum: nam in morte, & in judicio illi, qui ſocii fuerint in peccato congregabuntur, & colligabuntur in faſces, & in ignem projicientur à dæmonibus: unde dicit Chriſtus, alligate ea in faſciculos: ſcilicet adulterum cum adulteris, homicidam cum homicidis, raptorem cum raptoribus, &c. & in igne æterno comburendos projicite. *Ser.2.& 3. Dom.4. poſt oct. Epiph. ſer.1. Dom.1. quadrag. ſer.1. ſer.4. Penteceſt. & ſerm.4. Dom.8. Pentec.*

42. *Cur Deus permittit malos in Congregatione bonorum, & quando tolerandi ſunt in religione, vel non.*

Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem,&c. Mirum eſt quomodò Chriſtus permittit zizaniæ inter bonos, & in Religionibus? Cur ea evelli non præcipit? Sed transfer mentem ad Judam à Chriſto èooptatum inter Apoſtolos, & dic: quod hoc expediebat conditioni noſtræ, ut non diffidamus, ſi quos, qui videntur ſtare, cadere videamus, & ne propter aliquos malos, bonorum conſortium deſpiciamus, & ut cum perpetuo timore ſalutem noſtram operemur: nemo enim ſcit finem ſuum. Sed notandum tamen eſt, quod ſicut Chriſtus Judam toleravit in conſortio diſcipulorum, donec latuit ejus malitia, ipſum autem repulit quando in publicum prolapſus eſt: ſic & in Religionibus tolerandi ſunt mali occulti, & curandum à Prælatis, ut convertantur ad meliorem frugem, ſed tamen ejiciendi quando in publicum ſcandalum produnt, ne alios inficiant: fecit Chriſtus cum Judâ, & ſic juſſit, ut zizania in altum elevata projicientur in ignem *Luc. c.6. v.14. Op. de ſex alis Seraph. c.1.*

43. *Angelorum bonorum eſt proprium congregare in unum diaboli diſgregare in diverſas ſectas.*

Triticum autem congregate in horreum meum, &c. Nota, quod hæc à Deo diriguntur ad Angelos ſuos, ut detur intelligi, quod proprium eſt Angelorum bonorum congregare fideles in unum, ſicut & diaboli diſgregare, & ſeminare zizania: Angeli autem libenter totam meſſem Congregant in hac vitâ in unum, & libentiùs in horreum Cœli. *Ser.2.& 3.Dom.4.poſt oct. Epiph.* Unde Chriſtus clamat inceſſanter ſuis, *Triticum congregate in horreum meum,&c.*

44. *Diaboli totum ſtudium eſt diſgregare, & ſeminare zizania, ut poſtea homines colligat, & congreget in inferno.*

Venit inimicus homo, & ſuperſeminavit zizania, &c. Colligite zizania.&c. Vide quale ſit officium diaboli, nempe in hac vitâ ſuperſeminare diſcordias in agro Eccleſiæ, ut poſtea diſcordes, in fine, in unum congreget in luſerno. *Ser.2.& 3. Dom.4.Epiph.*

45. *Unio civium cæleſtium ordinata expenditur.*

Triticum autem congregate in horreum meum: Nota illud verbum, congregate. ſcilicet in unum per quod inſuitur unio ordinatiſſima Beatorum in Cœlo, & nobiliſſima: omnes enim colligentur ab Angelis, & veluti Reges, & Principes in illâ nobiliſſimâ reg â Civitate exaltabuntur, & coronabuntur cum Angelis, & ſanctis in una voce, in uno populo, in una patriâ, quia ibi omnes erunt unum cor, una anima, non in ſubſtantia, ſed in charitate, quæ omnes ſibi ſociat ut bonum, quod quiſque in ſe non accipit, in alio ſe accepiſſe gaudeat: ô quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. *Ser.2. in feſto omn.Sanctor. in addit.*

46. *Chriſtus granum ſinapis parvum, & maximum.*

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, &c. Cur cœlorum regnum grano ſinapis comparatur, cum inter ipſa tanta videatur diſparitas? ſed attende, quod hîc ſermo eſt de Chriſto, qui verè regnum cœlorum eſt, & granum ſinapis, parvum quidem humilitate, quia caro factum eſt, & plantatum in horto Eccleſiæ, & uteri virginalis Mariæ: ſed efficax virtute, quia jam in fide credentium arbor magna facta eſt, cujus rami ſunt exempla, & opera, quæ exhibuit pro ſalute noſtrâ: hos ramos extendit Chriſtus ad omnes ſanctos, & animas Eccleſiæ militantis, & triumphantis, & ideo in ipſis volucres cœli, ideſt animæ ſanctæ per contemplationem, & amorem requieſcunt, & prædicando, orando, ſuſpirando, & laudando cantant. *Ser.4. Dom.8. Pent.ſer.2.in ſabb.S.ſer.1.in feſto omn.Sanct. in addition.*

47. *Humilitas granum minimum, & arbor maxima Cœlum attingens.*

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis. Vidè quomodò copulat in unum infimam parvitatem, cum maxima proceritate arboris: per quod intelligitur humilitatis virtus, quæ eſt omnium virtutum maxima, quia infrà omnes ſe proſternit; & omnium maxima, quia erigitur, & extendit ramos ſuos uſque in Cœlum, in quâ habitant ſolùm volucres cœli, ideſt animæ puræ. *Luc.c.13.v.19.*

48. *Fidei magnalia expendantur in grano ſinapis.*

Simile &c. grano ſinapis, quod acceptum homo miſit in hortum ſuum,&c. Notâ, quod alibi dicitur à Chriſto, quod iſtud granum ſinapis eſt fides, quæ primò plantata eſt à Chriſto in horto ſuo, ſcilicet in Eccleſiâ, eſt enim fundamentum radicale omnium bonorum: comparatur autem grano ſinapis, ob multa mirabilia ſua attributa: eſt enim hoc granum quantitate parvum, acumine fœcundum, & incremento magnum: per quod intelligitur liberi arbitrii cooperatio quantum ad captivationem intellectus, inflammationem affectus, & multitudinem boni effectus: fides enim humilem animam reddit, & ferventem, cui

Digitized by Google

cui nunquam ſufficit, quod benè geſſit, & ideo purificat intellectum, & captivat in obſequium Chriſti: acuit item, & inflammat affectum, & bona opera augmentat uſque in cœlum, & ideo dicitur, quod ſit arbor, ita ut volucres Cœli habitent in ramis ejus; ſcilicet veri ſpirituales requieſcunt in ramis ejus, ſcilicet in documentis, & diverſorum myſteriorum notitiâ, & meditatione, ſicque pennis virtutum in alta conſcendunt: ecce quales fructus fidei apprehenſæ, & meditatæ. *Luc.c.*13.*v.*19.*& c.*17.*v.*6.*ſer.*2. *in feſto omn.Sanct.in addit.*

49. *In ſacrâ Scripturâ eadem res uſurpatur ad ſignificanda contraria ob diverſas proprietates: Ubi de fermento ſit multipliciter ſumpto.*

Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus. Quomodò hîc exprimitur per fermentum regnum cœlorum, cùm *in cap.*16. dicat, *cavete à fermento Phariſeorum*: Sed attende ad mirabilia Sacræ Scripturæ, quoniam multis modis res ſimiles rebus apparent; & ex aliâ parte diſſimiles ob diverſas proprietates ipſarum, & cum fermentum ſit paſta vetus, & ex vetuſtate corrupta, & in acrem verſa, quæ reliquam maſſam corrumpit, & in acriorem vertit; item eſt calida, & ideo paſtam calefacit, & quemdam fervorem in eam inducit quaſi ab occulto, & interiori: ideo ſecundùm primam qualitatem ſignificat hypocriſim corrumpentem omnia bona: & ſecundùm aliam ſignificat charitatem, aliáque bona ſpiritualia; quæ animam calefaciunt & perficiunt: Ex quibus apparet quomodò de una re parvulâ Spiritus ſanctus varios intellectus exterius eduxit per Sanctos ſuos, ut ex hoc appareat multiformis ſapientia Dei, &c. *Luc.c.*13.*v.*21.*ſequen.*

50. *Explicatur myſticè multiplex ſenſus parabolæ fermenti.*

Simile eſt regnum Cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentaretur totum. Pro explicatione hujus parabolæ, primò nota, quod per fermentum primò intelligitur charitas, & amor Dei, & appellatur regnum cœlorum, quia in ſolis illis regnat Chriſtus, qui ipſum diligunt: ſecundò, quod ſatum eſt menſura Palæſtinorum, modium, & dimidium capiens: Tertiò per hanc mulierem intelligitur ſapientia divina, vel Eccleſia, vel Maria Virgo, de quâ infrà, &c. Farina autem ſunt fideles; qui teruntur inter duas molas, ſuperiorem, ſcilicet, & inferiorem, ideſt timorem, & ſpem: ex quâ farinâ fit unus panis, quem Chriſtus in corpus ſuum tranſivit myſticum: Tria ſata ſunt tres differentiæ fidelium; in quibus Dei ſapientia dilectionem abſcondit in via, ſcilicet boni Prælati, boni contemplativi, & boni activi: vel tria ſata ſunt tres modi diligendi Deum, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: vel ſunt ſpiritus, & anima, & corpus: vel tres vitæ animæ, quæ reformantur charitate: vel eſt fides Trinitatis mixta charitati: vel tres ſtatus, conjugatorum, viduatum, & virginum producentium per charitatem fructus meritorum: vel ſunt tres partes Sacræ Scripturæ, nempe Moſaica, Prophetica, & Evangelica. Subdit donec fermentatum eſt totum, quia charitas in mente abſcondita creſcit ita, ut fermentet totam animam, ut nihil præter Deum diligat. *Luc.c.*13.*v.*21.

51. *Proprium viri eſt foris ſe exercere, mulieris in domo.*

Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, &c. ſimile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus. Vide ordinem mirabilem Chriſti in his duabus parabolis: primò proponit virum ſeminantem granum foris: ſecundò mulierem, ſe exercentem in domo abſconditam: Ut videas quæ alia ſint officia viri & mulieris, ait *Chryſol.ſer* 90. nam homo aptè agri curam gerit, forentia negotia tractat, aptius mulier domeſticarum rerum munita ſubit. *Sic S. Bon. Pſal.*118. *verſ.*146. *Ioan.cap.*11. *verſ.*20.

52. *Mariæ œconomia expenditur.*

Quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus. Nota quod hæc fermentatio tribuitur mulieri, non viro, per quod explicatur ſedula œconomia mulieris circa res domus, & familiæ, ut dictum eſt: & quia hic præfiguratur Maria Virgo, ut cum D. Petro Chryſol. *Seraphicus Doctor* docet hinc & proponitur ipſius œconomia in domo ſua exercita: vera enim domus eſt fœminarum tota philoſophia ait Demoſthenes. Maria ergo Domina mundi non ſolùm orationibus, & vigiliis, & Deo obſequio intenta erat, ſed & ſuper gubernationem domus; laborabat enim ſuendo, filando, & texendo fideliter, humiliter, & ſollicitè, habens diligentiſſimam curam ſuper filio ſuo, & ſponſo, quærens de laboribus ſuis, vera amatrix paupertatis, victum requirere, & domum providere de veſtimentis, utenſilibus ipſis neceſſariis, ut recte munera matris familias exerceret. *Op. meditat.c.*12.

53. *Maria Virgo mundi renovatio.*

Quod fermentum mulier acceptum miſit in farinæ ſatis tribus, donec fermentaretur totum. Nota quod, ut ait D. Petrus Chryſol. Maria Virgo hujus myſterii implevit typum: ſed quid eſt, quod ipſa fermentavit? fermentavit, ideſt renovavit totum mundum, cooperando Incarnationi Verbi, & ipſum in farinam ſui ſanguinis immiſcendo, & copulando; ut omnes homines renovaret, ait S. Iſid. Peluſiota, & S. Laurent. Juſt. n. Undè de plenitudine ipſius charitatis omnes accipiunt; captivus libertatem æger ſanitatem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angeli lætitiam, Trinitas tota gloriam, filius carnem. *Op.ſpec.B.Virg.dell.*3.*Luc.c.*13.*v.* 21.*ſer.*1. *in die Nativit.*

54. *Maria Virgo in ſuo utero paravit Euchariſtiam.*

Quod fermentum accipiens mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus. Ad quid fermentum à muliere abſcondituri in farina, niſi ad conficiendum panem perfectum, & ſapidum? Hoc & fecit Maria Virgo: nam de ſupernis ſuſcepit fermentum

rum Verbi & in farina carnis, & ſanguinis ſui abſcondit, & immiſcuit ad conficiendum pro nobis panem. Et ut eſſet perfectus recepit ignem Spiritus Sancti intra ſua viſcera velut in clibano, & ibi coctus eſt panis vitæ, *ait S. Bon. ſer. 2. in Nativit.* Ergo à Maria petendus eſt panis Euchariſtiæ. *Pſal. 33. & 138. Op. medit. c. 4. Op. de dono ſap. c. 5. Luc. c. 13. v. 21.*

55. *In judicio fiet totalis ſeparatio bonorum à malis miniſterio Angelorum: illi ad regnum gloriæ ducentur, iſti in Infernum præcipitabuntur cum dæmonibus:* ſic apertè dixit hîc Chriſtus: *Meſſores ſunt Angeli, quos mittet filius hominis, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium, tunc juſti fulgebunt ſicut ſol &c. Luc. c. 3. v. 17. & c. 6. v. 25. & c. 7. v. 30. & c. 19. v. 15. ſer. 1. Dom. 2. inf. oct. Epiph. ſer. 2. ſer. 3. Pent.*

56. *Judicium Univerſale fiet principaliter ob peccatum ſcandali judicandum, & puniendum.*

Et colligent de regno ejus omnia ſcandala. Ergone ſolùm peccata ſcandali in judicio examinabuntur? nonne & judicio Chriſti ſubjicientur tot & penè infinita alia peccata? Examinabuntur quidem, & judicabuntur omnia peccata: ſed tamen hîc fit mentio tantùm peccatorum ſcandali, ut appareat gravitas ejus: ſed cur hoc? quia in morte peccatoris cætera peccata finem cum morte ſubeunt, & tunc in judicio particulari etiam examinantur, & puniuntur: At ſolùm peccatum ſcandali finem non habet, quia adhuc poſt mortem peccatoris remanet in eſſe, & ſtrages in alios durat: ſic enim peccatum homicidii Cain viam aperuit cæteris, ſic & cæteri primi peccantes; & ideo ſolùm in judicio finem talia ſcandala habebunt: & hinc eſt, quòd in judicio Univerſali dæmones judicabuntur, & eorum pœna conſummationem. & complementum habebit, ob tot ſcandala, & ruinas in mundo cauſatas. *L. 4. d. 47. a. 1. q. 2.*

57. *Juſtorum felicitas in alia vita: Impiorum infelicitas in inferno expenditur.*

Bonum ſemen hi ſunt filii regni: Zizania ſunt filii nequam &c. Angeli eos mittent in caminum ignis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Cur appellat Chriſtus bonos filios regni? malos item filios, nequam? hoc eſt ut indicet diſcrimen inter æternitatem gloriæ bonorum, & pœnæ malorum: Benedicuntur filii regni, ſcilicet abſorpti in Deo, ob idque eorum æternitas erit intrinſeca, quia ipſe Deus eſt animæ æternitas, eſt habitatio, & gloria, & fruitio: malorum verò æternitas eſt in camino ignis, quia damnati toti, & totaliter erunt abſorpti in igne: & quia hic ignis eſt inſtrumentum divinæ juſtitiæ, ideo dolor damnatorum eſt maximus, tum propter potentiam divinæ manus ipſum ignem excitantis, & moventis, tum propter ſenſibilitatem patientis, tum propter immediationem conjunctionis, quia penetrabit totaliter in totum corpus, & animam, & in omnes ipſorum partes, & potentias: Subdit, *ibi erit fletus, & ſtridor dentium:* Fletus, inquam, non corporalis per reſolutionem lachrymatum, ſed ſpiritualis, nempè dolor intrinſecus, & ſtridor dentium ob alias pœnas maximas, nimirum calor ignis, ſtridor rigoris, tenebræ, fumus, mærores aſpectus dæmonum, clamor improperii, ariditas, ſitis, fætor ſulphureus, vermis conſcientiæ, vincula, carcer, timor, dolor, pudor, invidia, rancor, carentia viſionis divinæ, ablatio ſpei omnis ſalutis, ipſum etiam eſſe, quod omnes creaturæ appetunt, erit eis pœna, quia quærent mortem naturalem, & non invenient: ibi erit demens concupiſcentia, protervà phantaſia. & furor iraſcibilis. O miſeria deplorabilis! ô qualis ſtultitia peccatorum. *Op. Diæt. tit. 10. c. 1. & de ſept. itiner. æter. prol. & Comp. Theol. l. 7. c. 22. ſer. 1. Dom. 9. Pent.*

58. *Dotes beatitudinis corporum glorioſorum expenduntur in ſolis ſimilitudine.*

Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol: in regno Patris eorum. Nota quòd dicit, fulgebunt juſti ſicut ſol ut appareat, quòd hîc non loquitur de gloria eſſentiali animæ, ſed de claritate, & aliis dotibus glorioſis corporum glorificatorum, & rectè exprimuntur ſimilitudine ſolis, in cujus ſplendore denotatur dos claritatis: in perpetuitate ſolis, dos impaſſibilitatis: in virtute ſolis activâ, quâ etiam vitrum penetrat, dos ſubtilitatis; in celeritate ſolis, dos agilitatis, ſed tamen ſole celeriores erunt: erunt enim tam celeres, quòd à Cœlo ad terram dicto citiùs dilabuntur. Has dotes corpus Chriſti exigebat, ſed ad redemptionem efficiendam repreſſit, quas tamen aliquando ad tempus aſſumpſit, ut in Nativitate; & quando januis clauſis intravit, dotem ſubtilitatis & claritatis in transfiguratione, agilitatis quando ſuper aquas ambulavit, & impaſſibilitatis in Euchariſtiâ. *Ser. 5. in Paſcha. Luc. c. 9. v. 29. ſer. 4. Dom. 2. Paſcha. Joan. collat. 28. Op. lign. vitæ tit. Jeſus decor præcipuus; & de perfect. vitæ c. 8. Op. ſolil. c. 4. ad finem. Op. in Pater noſter. Op. Comp. Theol. l. 7. c. 28.*

59. *Corpus glorioſum unius Beati poteſt illuminare ſeptem mundos.*

Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol. Nota, quòd in hac comparatione inter ſolem, & corpus glorioſum oſtenditur magis diſſimilitudo, quàm ſimilitudo: nam corpora glorioſa erunt lucidiora incomparabiliter, quàm iſte ſol materialis: & ut appareat aliqualis ſimilitudo, adverte quòd poſt diem judicii ſol erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum, & lux lunæ ſicut lux ſolis, ſic teſtante Iſaia c. 30. & conſequenter corpus unum glorioſum erit tam lucidum, quòd poſſet illuminare ſeptem mundos, ſicut ſol nunc illuminat iſtum mundum: Et ſi hoc, quid erit de animâ? ô filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? cur non ad hanc gloriam toto animo, & corde curritis? *Op. Comp. Theol. l. 7. c. 28.*

60. *Corpus Chriſti, & Beata Virginis quàm lucidum, & ſplendens.*

Juſti fulgebunt ſicut ſol. &c. Si talis fulgor, & tot excellentiæ Beatis tribuuntur, multo magis debentur corpori Chriſti glorioſo, & Beatæ Virginis Mariæ, tanti, inquam, fulgoris eſt ipſum corpus Chriſti, quod ſuperat cætera omnia corpora, & poſt diem judicii ſuperabit, imò ut fert communis Doctorum opinio, ex fulgore corporis Chriſti redundabit augmentum fulgoris cæterorum non ſolùm ex beatitudine animæ, ſed ex redundantia clàritatis corporis Chriſti: Idem & dicendum cum proportione de Beata Virgine Maria, cujus fulgor, & claritas eſt proportionata meritis, præmio, & gloriæ ipſius, ob idque excedet claritatem omnium corporum beatorum ſimul ſumptorum. O felices oculi, qui vident, & videbunt in gloria tantam lucem, & claritatem. *Opuſc. lign. vitæ ſupra cit. Opuſc. ſpecul. Beat. Virg. lect. 3. 6. & 15. Brevil. p. 7. capit. 5. Solil. cap. 4. ſermon. 2. de Aſſumpt. B. Virg. in addit. ſerm. 2. de Dedicat. in addit.*

61. *Ex Mariæ gloriæ viſione qualis gloria in beatos redundet.*

Tunc fulgebunt juſti ſicut ſol, &c. Si hoc dicitur peculiariter, merito de Maria Virgine, ergo ſi tam fulget in cœlis ejus corpus & anima, non ſolùm redundabit in gaudium ineffabile non ſolùm ſibi, ſed & cæteris Beatis, quod & à fortiori dicendum eſt de Chriſto. Quæritur igitur qualis gloria redundet in beatos ex viſione Beatæ Mariæ Virginis? nempe an dempta viſione Dei, viſio gloriæ Mariæ Virginis ſufficeret ad beandum cœlites? In qua quæſtione duplici via incedendum eſt: Altera eſt Theologorum aſſerentium præmium dari à Deo ſupra condignum: Altera eſt dari ſecundum condignitatem meriti: & hinc cum Maria in gloria ſuperet ipſa ſola gloriam omnium beatorum, & Angelorum ſimul ſumptorum, ſequitur, quòd data hypotheſi, quòd viſio Dei clara eſſet impoſſibilis, viſio Beatæ Virginis in prima ſententia de condigno bearet Sanctos: cùm ſit inferior viſione Dei ſupra condignum, & ipſi omnibus proximior. In ſecunda verò opinione ſequitur, quòd viſio Mariæ magis accederet viſioni de condigno, quàm ex quocumque alio objecto beatifico infrà Deum. O quanta gloria, quale gaudium eſt hoc videre Mariam glorioſam! Glorioſum igitur gloriæ Mariæ privilegium eſt, quod poſt Deum major gloria noſtra, majus noſtrum gaudium de Maria eſt: ſuprema gloria ô Maria poſt Dominum te videre, tibi adhærere, in tuæ protectionis umbimine demorari. *Op ſpec. B. Virg. lect. 6.* Hinc rectè infertur, quod Maria véluti ſol per omnia reſpicit, & in cœlis illuminans gloria ſua per omnes Angelos, & ſanctos gloriæ ſuæ illuminationem extendit. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3.* Ex quibus poteſt ſolvi illa quæſtio Theologorum, An B. Virgo, ſicut Chriſtus oculis corporeis videat omnia objecta hujus mundi; quod ſicut de Chriſto affirmant, idem de Beata Virgine dicendum eſt. quod tribus modis fieri poteſt: primò per elevationem objectorum viſibilium, ut poſſint immittere ſpecies oculis Mariæ: Secundò per productionem ſupernaturalem ſpecierum in ejus oculis. Tertiò immediatè ſine ulla ſpecie emittendo viſionem in objecta in quibus modis nulla repugnantia. *Vide Suarez in 3. p. tit. 2. diſt. 47. ſect. 6. & Scotum l. 4. d. 56. a. 6. Vulgam Paleſtrâ 35. ſect. 2. §. Bon. l. 2. d. 14. p. 1. a. 2. q. 1. ad ult.*

62. *Paupertas theſaurus opulentiſſimus, pro quo comparanda omnia renunciando.*

Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit, &c. Si iſte theſaurus eſt abſconditus, quomodo dicitur inventus, & manifeſtatus? Et quis iſte thesaurus? Theſaurus iſte eſt paupertas voluntaria, dicitur abſconditus, quia paucis eſt cognitus, & prima facie videtur contemptibilis, ſed tamen ab iis, qui à Deo gratiam habent cognoſcendi ejus pretioſitatem; quocumque diſpendio, & renunciatione omnium comparatur, cùm ſit omnium rerum deſiderabilium pretioſiſſimus. *Luc. c. 10. v. 4. & c. 18. v. 22.*

63. *Theſaurus eſt Chriſti Divinitas abſcondita in humanitate.*

Simile eſt regnum Cœlorum theſauro, &c. Nota quòd theſaurus iſte pretioſiſſimus, pro quo comparando omnia ſunt vendenda, eſt Divinitas abſcondita in agro humanitatis: ad hunc agrum, & theſaurum acquirendum invitatur quilibet homo, ut in hoc agro ſemina meditationum, deſideriorum, & orationum, & bonorum operum, diſpergat: ſic enim lucrum inæſtimabile, & melius centies millies recipiet: ô avare hunc theſaurum quære, qui finiri non poteſt, qui erogatus non minuitur: Vendàmus ergo iſta tranſitoria pro hoc gaudio, relinquamus caduca pro hoc agro, & ad incomparabiles divitias aſpiremus. *Ser. 5. in Nativ. Op. myſtic. Theol. c. 3. p. 2.*

64. *Theſaurus in agro cordis, & religionis, atque pœnitentiæ eſt opulentia virtutum, & devotionis à ſummo ſtudio quærendus.*

Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito, &c. Nota etiam, quòd iſte ager continens theſaurum pretioſiſſimum, pro quo acquirendo omnia ſunt relinquenda, eſt cor juſti, item & religio, in quibus abſconditur theſaurus opulentiſſimus virtutum, devotionis, charitatis, contemplationis, & caſtitatis, quibus ditatur anima, & regni cœlorum fit Domina. *Sermon. 7. in rogat. Opuſc. Diet. tit. 4. cap. 4 Luc. c. 1. v. 24. & c. 12. v. 34. & c. 10. v. 42. Opuſc. Comp. Theol. l. 3. c. 6.*

65. *Qui vult acquirere theſaurum, quærat prius poſſidere agrum, ſcilicet Mariam Virginem.*

Simile eſt regnum Cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit, vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum. Ad quid emitur tanto, pretio ager? Et cur iſte negotiator non

non immediatè ſe applicat ad comparandum theſaurum? Sed attende ad myſterium: Applicat ſe iſte prudens ad comparandum agrum, ut citiùs,ac meliùs, & firmiùs theſaurum poſſideat. Sed quis ager? quis theſaurus: Theſaurus eſt Chriſtus,in quo ſunt omnes theſauri Divinitatis. Ager eſt Beata Virgo Maria: qui ergo vult hunc theſaurum comparare, ad agrum, ipſum continentem ſe applicet,& vendat omnia,nempe comparare ſibi ſtudeat Mariam, obſequiis ſubornare ipſam ſatagat, ſic enim citiùs quæritur, ac ſecuriùs poſſidetur, & per Mariam ad Chriſtum acceditur.*Opuſc.ſpecul. B.Virg.lect.6. & Luc.cap.2. verſ.6.*

66. *Qui vult poſſidere theſaurum hunc pretioſiſſimum, priùs effodiat agrum cordis.*

Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit,vadit, & vendit, &c. Quomodo invenire potuit hunc theſaurum abſconditum in agro, niſi agrum ipſum effodiendo,& ſic effodit, & invenit, cur non immediatè ipſum capit, ab que eo, quod vendat ſua, & agrum emat? Sed attende ad myſterium: hic ager eſt proprium cor, quod effodiendum eſt, & excavandum, purgandumque à curis, ſollicitudinibus, & vitiis, atque inclinationibus terrenis, & pro hoc expurgando, omnia terrena relinquenda, & tunc & poſſeſſio cordis, & theſauri virtutum ſimul habentur. *Sermon. 3. Dom.4. Penitc.*

67. *Caſtitas,& Virginitas theſaurus pretioſiſſimus in agro carnis abſconditus.*

Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, &c. Vide quomodo in terra viliſſima, & fragiliſſima conſervatur theſaurus pretioſiſſimus, nempe caſtitas, & Virginitas, quæ in vaſe fragiliſſimo conſervantur, & pro quo conſervando, & poſſidendo, omnia relinquenda: dicitur autem in agro contineri, ſcilicet per humilitatem; & ideo ſummè chara Chriſto: meritò autem dicitur theſaurus, quia theſaurus conficitur de raris rebus,de pretioſis, & de durabilibus: Sic Virginitas eſt rara, quia non omnes capiunt verbum iſtud, pretioſa, quia omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ *Eccleſ.* 26. de durabilibus,quia aſſimilat animam Angelis: Et hinc Virgines propriæ ſunt ſponſæ Chriſti habentes coronam ſtellarum duodecim, ſcilicet prærogativarum nobiliſſimarum, quarum prima difformitas à carne, quæ limoſa eſt, & ipſa cœleſtis: Secunda conformitas Angelorum: Tertia integritas: quarta munditia: quinta fragrantia: Sexta raritas: ſeptima pretioſitas: octava à ſollicitudine terrena alienatio: nona difficultas eam obſervandi: Decima remuneratio: Undecima ſignificatio ejus, ſignificat enim Eccleſiam triumphantem: Duodecima ſponſa Chriſti: ô qualis theſaurus Deo, & Angelis chariſſimus. *Opuſcul. Diet. tit. 4. cap.4. & Ugo Card.hic.*

68. *Negotiatio bona, & mala expenditur.*

Simile eſt regnum Cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, &c. Ad quid proponit in principio parabolæ negotiationem Chriſtus Ieſus? Ergone vult ſuos negotiatores? maximè:Sed attende,quòd negotiatio alia eſt bona, alia peſſima: bona eſt in qua laboribus, vigiliis, orationibus, bonis operibus emitur regnum cœlorum: mala, in qua vitus, & peccatis perditur regnum cœlorum, & emitur pœna æterna: in prima pretioſiſſima pro viliſſimo pretio comparantur; in ſecunda perduntur. *Luc. capit. 19. verſ.13.*

69. *Chriſtus negotiator margaritarum, ad unam bonam comparandam aſpirat. Ubi de confeſſione.*

Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventa autem una pretioſa, abiit, & vendit, &c. Quis iſte mercator, qui ſuam apothecam volens ditare margaritis,incidens in unam, ipſa contentus eſt? Nota: hic eſt Chriſtus Jeſus, qui in hunc mundum venit quærens bonas Margaritas, & ut eas compararet ſeipſum, & omnia vendidit, & tradidit paſſioni, quærens animas, ut eas ad Cœlum lucrifaceret. Sed quomodo unâ pretioſâ contentum ſe demonſtrat? Nota, quòd hæc pretioſa margarita cæteras omnes continet: hæc eſt confeſſio peccatorum, & pœnitentia quam à nobis, & in nobis, requirit, quæ ſi integra, & perfecta eſt, fert ſecum veniam, & gratiam, & Paradiſum; hanc à nobis exigit inceſſanter, & ideò à pœnitentia ſuam cœpit prædicationem, pœnitentiam agite, & cum hac copulavit regnum cœlorum: appropinquavit enim regnum cœlorum. *Op.Diet.tit.21 f.3.Luc.c.15.v.17.*

70. *Chriſtus Margarita pretioſiſſima ſuper omnia quærenda.*

Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori.&c.inventa autem una pretioſa, &c. Nota,quòd iſte negotiator eſt quilibet homo ſuæ cupidus ſalutis, & perfectionis: hic debet totum ſuum ſtudium collocare in quærendo, & ſibi providendo Margaritas,ſcilicet Sanctorum protectionem, virtutes,& imitationem, & ut hoc obtineat, debet ad unicam Margaritam ſuper omnia pretioſam comparandam ſe applicare: & hæc eſt Chriſtus Jeſus verè Margarita pretioſiſſima, in qua ſunt omnes theſauri ſapientiæ Dei abſconditi: quærat igitur homo Chriſtum,curet ipſum poſſidere, & ſic theſaurum inæſtimabilem obtinebit. Ut autem hæc Margarita inveniatur, neceſſe eſt omnia ſua vendere, ideſt relinquere omnem ſubſtantiam, & ſeipſum: Sancti enim viri lumine divino præditi omnis præſentis vitæ copiam reputant inopiam, quia nihil extra Chriſtum menti ſufficit, qui veraciter ipſum quærit. *Ser.6. in Rogat. ſer.3. Dom.17.Pent.*

Digitized by Google

71. *Christus, & gratia Dei margarita est pretiosissima, quâ habitâ, habentur omnes virtutes, & pro qua habenda, omnia dimittenda.*

Simile est regnum cœlorum, &c. inventa una pretiosa, &c. Si ob unicam Margaritam omnia, ô negotiator, vendis, quomodo tuam officinam providebis? qualiter apothecam tuam expositam habebis quærentibus Margaritas? Sed attende ad mirabiles effectus divinæ charitatis, & gratiæ: hæc pretiosa margarita est charitas Dei, & proximi, pro qua acquirêda omnia sunt relinquenda, quia qui hanc comparat, omnia bona, omnes divitias spirituales virtutum possidet: si enim dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam: & si homo negotiator tot curis, & studiis, & cogitationibus die, noctuque quærit thesaurum per terram, maréque in pericula corporis, & rerum, quia sic instantius quæritur, quod instantius diligitur, quid à nobis faciendum est, ut thesaurum spiritualem virtutum comparare possimus tergo ad hanc margaritam comparandam, omnia nostra expandamus. *Ser. 3. Dom. 24. Pent. ser. 6. in Regat.*

72. *Paupertas voluntaria pretiosissima Margarita.*

Inventâ autem una pretiosa Margarita abiit, & vendidit omnia sua, &c. Quis iste negotiator omnia relinquens pro comparanda tam pretiosa Margarita? & quænam est? Nota, quòd negotiator iste est Christus, & quilibet ipsius imitator, qui ut inveniret pretiosam Margaritam summæ paupertatis, jam mundo ignotam, & deperditam, venit in hunc mundum, & ipsam reinvenit in domo Virginis Mariæ, & emit ipsam in Nativitate, & possedit eam in toto tempore vitæ suæ: hanc suis sequacibus proposuit, & exposuit, ut omnibus renuntiando, ipsam emerent: hanc collocavit pro fundamento totius ædificii spiritualis: nam cum sarcina rerum temporalium spiritus non potest ad Deum ascendere: hanc & Seraphicus Pater Sanctus Franciscus Christi imitator suis filiis commendavit, & proposuit loco omnium Margaritarum, & divitiarum hujus mundi. *Op. medic. c. 7. & Diæt. sit. 4. c. 3.*

73. *Coronâ gloriæ conficitur ex una Margarita à Christo proposita.*

Inventâ autem una pretiosa Margarita, abiit, & vendidit omnia, &c. Ad quid tantum studium pro acquirenda unica Margarita, & non potius pro acquisitione plurium? Sed attende ad id, quod dicitur. *Psal. 20 Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Ubi dicitur, quòd corona, qua coronantur Beati, composita est de uno lapide pretioso. Hæc est Margarita unica, quæ hîc proponitur, nempè corona gloriæ; nam ad ipsam efformandam cæteræ ordinantur, & ideo pro ipsa comparanda, omnia terrena sunt despicienda, & calcanda. *Op. Diæt. sit. 10. c. 2.*

74. *Maria Virgo concha, in quâ ex rore Cœli genitus est Christus Margarita pretiosissima.*

Inventâ una pretiosa Margarita, &c. Inventa? in quo loco? Inventa in concha maris ibi genita ex rore Cœli: sic nascuntur Margaritæ in conchis marinis, quæ apertæ recipiunt rorem Cœli: sic Christus genitus est veluti Margarita pretiosissima in Utero Beatæ Virginis Mariæ velut in concha Spiritus Sancti, dum os suum aperuit, & consensit in opus Incarnationis, per illa verba: *Ecce Ancilla Domini, &c.* Tu igitur meritò diceris (ô Maria) concha cœlestis rorida, rivus cœlestis fluminis, tuam conchâm munditiæ, ros repleviti dum numinis, sacri muneris gratiæ, plena solis justitiæ, mater Dei, & hominis fis hos pudicitiæ, vernans mattis, & Virginis. *Op. Laus B. Virgin. fig. 11.*

75. *Ecclesia, & prædicatio verbi Dei sagena est, in quam congregantur boni, & mali. qui postea in littore immortalitatis discernentur, & separabuntur.*

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, &c. Sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, &c. Nota, quòd hæc est ultima ex septem parabolis propositis à Christo in hoc capite; in quibus per ordinem proposuit Christus ædificationem Ecclesiæ, profectum, dilatationem, fervorem, operum conservationem, sollicitudinem amoris, sollicitudinémque timoris, quod ultimum facit in hac parabola ultima: nam per prædicationem in Ecclesiæ rete trahuntur plurimi ad fidem, significati in piscibus: hic autem sicut non discernuntur pisces boni, & noxii, neque vipera à murena, neque serpens ab anguilla, neque tinea à rana, neque aliquis bonus piscis à malo, imò neque boni à bonis, neque mali à malis discernuntur in aqua, sed in sagena tracta ad littus: sic quandiu sagena Ecclesiæ sub aquis præsentis miseriæ trahitur, vix inter bonos, & malos, & pejores discernere possumus, sed postquam ad littus immortalitatis, in die judicii perventum fuerit, discernentur: Tunc enim Angeli separabunt bonos à malis, & illi in Cœlum ducentur, isti in infernalem ignem projicientur, qui in igne luxuriæ, invidiæ, iræ, &c. in hac vita projecti fuerunt à Dæmonibus. O mala sors infælicium, quando parentes à filiis, fratres à fratribus, & sororibus, maritî ab uxoribus separabuntur in æternum: quid igitur ager, qui à conspectu Judicis rapietur, & ab electorum societate separabitur. *Ser. 4. Dom. 15. Pent. ser. 3. de S. Michaël. ser. 2. de S. Petro in ad lit. Luc. 5. v. 7. & c. 6. v. 14. & 16. Ioan. c. 21. v. 7. ser. 2. Dom. 3. post oct. Epiph.*

76. *Prædicator utatur auctoritatibus veteris, & novi testamenti, extractis ex thesauro sacræ Scripturæ.*

Ideo omnis scriba doctus in regno Cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova, & vetera. Vide quale officium sit Prædicatoris, nempè extrahere de thesauro Sacræ Scripturæ auctoritates veteris, & novi testamenti, ut notitiam veritatis cæteris auditoribus ingerat, & sic

Digitized by Google

vos introducat ad videndum Deum, & cognoſcendum, & amandum. *Ioan. coll. 15. Luc. cap. 21. verſ. 18.*

77. *Cor uniuſcujuſque theſaurus eſt vel bonus, vel malus: Vbi de malo locutione.*

Qui profert de theſauro ſuo nova & vetera, &c. Qualis eſt iſte theſaurus, niſi cor? quod neceſſariò repletum eſt vel rebus pretioſis, vel abominabilibus, nempe vel notitia, & amore Dei, vel peccatis, & ſecundùm qualitatem ipſius profert foras vel bonum, vel malum. *Luc. cap. 6. v. 47.*

78. *Infinitus eſt theſaurus ſacræ Scripturæ, ſuper quam ſemper ſuperſunt nova prædicanda, & dicenda. Idem & de Beata Virgine Maria.*

Qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera. Nota quòd prius dicit nova, poſtea vetera. Cur non potius vetera, ut ordinem temporis ſervaret: Sed optimè procedituv, ait S. Aug. Non enim reſpicit Chriſtus ad ordinem temporis, ſed ad meritum. Sic & de Chriſto, & de Maria dicitur *Cant. 7. v. 13.* Nova, & vetera ſervavi tibi: quia loquendo de Sacra Scriptura, quicquid dictum eſt ab antiquis, parum eſt, cum ſemper ſuperſint nova, quæ uſque ad diem Judicii à Doctoribus in medium proferentur: ideò comparatur fonti, & fluvio, quia ſemper nova ſuperveniunt excerpenda. Idem & dicendum eſt de Beata Virgine, ait S. Germanus cum Damaſceno, cùm ſit miraculum omnium miraculorum maximè novum, & miraculorum abyſſus profundiſſima, nec unquam ſit finis ſuæ magnitudinis laudum, & præconiorum. *Op. Brevil. proem. ſer. 13 Hexam. ſeq. Op. ſpec. B. Virg. proem.*

79. *Invidi, & detractores obſervatores rigidi proximi tranſiliunt bona, ſolùm, ſi quid in ipſo vituperabile eſt, quærentes: Vbi de humilitate Chriſti.*

Docebat Jeſus in Synagogis, ita ut mirarentur, & dicerent, unde huic ſapientia hæc, & virtutes? Nonne hic eſt fabri filius? Nonne hic eſt faber? ait S. Marcus. Vide malignitatem ſcribarum, & Phariſæorum, qui dum turbæ laudabant, & reverenter mirabantur, ob tot miracula, & tam profundam doctrinam, ipſi rigidi obſervatores, invidi deſpicientes opera tam ſublimia, & doctrinam cœleſtem, ipſum tantùm ob generis notitiam contemnunt, & cùm non poſſint ſe ſe opponere moribus, ſanctitati, & ſcientiæ, ſaltem ipſum vituperare contendunt ex parte naturæ. Sic, ſic & talis eſt conſuetudo malignorum invidentium, & detractorum. *Luc. c. 4. v. 22.*, Ex quibus etiam patet, quòd Chriſtus ſemper humilia petebat, & quæ ſunt alta hominibus deſpiciebat. *Ioan. c. 1. v. 20. & c. 6. v. 42.*

80. *De Sancto Joſeph aliqua differuntur.*

Nonne hic eſt fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joſephus, & Simon, & Judas? Sorores ejus, &c. Quæritur hîc qualem artem fabrilem exercuerit Sanctus Joſeph, cum nomine fabri veniant Argentarii, ferratii, aurarii, & lignarii, vel lapidarii, & quælibet ars, quæ verſatur circa figuras exteriores ad operimentum, & utilitatem hominum *Op. de red. lect. artium, & Op. de dec. præcep. ſer 4.* Aliqui Patres aſſerunt fuiſſe artem ferrariam, ſed communis, & vera eſt fuiſſe lignariam, in qua ſe exercebat: & victum pro ſe, & parvulo Jeſu, & Maria captabat, proprium hujus artis, quæ ſolet eſſe pauperum. *Op. meditat. c. 12.* Hinc Doctores dicunt, hanc artem eſſe humiliorem, & remotiorem à fraudibus, à periculis, & peccatis. Quæritur ſecundò quomodo dicuntur Jacobus, & alii fratres, & ſoror Chriſti? Aliqui dixerunt, Joſephum prius duxiſſe uxorem, & ex ea generaſſe filios, & poſt ipſius mortem, duxiſſe Mariam Virginem: ſed communiſſima, & vera eſt oppoſita, nempe Joſeph ſemper ſervaſſe Virginitatem integerrimam, ut eſſet Beatæ Virgini ſimilis, & dignus ſponſus: illos autem dictos fratres, ſcilicet conſanguineos ſecundum morem Judæorum. *Vide Vegam num. 921. & deinceps.*

81. *Chriſtus faber, & fabri filius, & quomodo.*

Nonne hic eſt filius fabri? Nonne hic eſt faber? ut legit Sanctus Marcus. Vide quomodo mentita eſt iniquitas ſibi, & quomodo in iſtorum malignitate, & errore veritas latet. Verè Chriſtus eſt filius æterni Patris, qui ut faber omnipotens ædificavit mundum; & ipſe fuit faber. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 4.* & Sanctus Hieron. hîc. Ergo cùm iſti maligni ſapientiæ ſiſcitantur originem, in ipſo, quod ſubjiciunt, inveniant: ſi enim faber, & fabri filius, ergo artifex per ſapientiam operatur, ut Deus per Verbum. Nota etiam, quòd dum tacent nomen fabri, ſcilicet Joſeph, & exprimunt nomen matris Mariæ, tacitè etiam, ipſis invitis, Mariam Virginem, & matrem appellant, ſolúmque Patrem omnium creatorem fatentur. Sic *Paſchaſ. Ratbert.* Adde cum Sancto Idelfonſo, quòd dum mirantes ſapientiam Chriſti, ipſum appellant filium Mariæ: tacitè (ſic Deo diſponente) innuunt, Chriſtum ſub diſciplina Mariæ educatum fuiſſe, ſub cujus magiſterio in proſpectu hominum proficiebat ſapientia, & ætate; licet de ſe eſſet ipſa ſapientia Patris.

82. *Miracula Chriſti impediuntur ab incredulitate noſtra.*

Sicut dicitur de Nazaræis, ob quorum incredulitatem Chriſtus vel nulla, vel pauca miracula ibi faciebat: & hinc ortum eſt proverbium, nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua, & ratio eſt, quia ut plurimum cives civibus invident, tum quia conſiderant concivium infantiam, aliaque viliora, &c. *Luc. c. 4. v. 23. & 24.*

RAGU

Digitized by Google

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota quod in præcedenti capite ſeptem parabolis ſpiritualiter pavit turbas: In hoc capite quinque panibus, & duobus piſcibus paſcit corporaliter, ſed tamen præmittitur carceratio, & decollatio Ioannis Baptiſtæ, & cauſa talis mortis. Et nota, quod ſanctus Matthæus occaſione admirationis Herodis ob virtutes, & miracula Chriſti, dicebat enim, Chriſtum eſſe Ioannem Baptiſtam reſuſcitatum, quia jam decollatus fuerat: & ſic ſanctus Matthæus hac occaſione quod omiſerat de carceratione Ioannis, & morte, nunc narrat.

CAP. XIV.

1. *Sæculares ſæpe ſuo fervore confundunt tepiditatem Religioſorum.*

AVdivit Herodes tetrarcha famam Ieſu, & ait pueris ſuis, hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Vide quomodò Herodes alienigena, & allophilus, & dicebatur Antipas filius Herodis Aſcalonitæ, licèt nullum miraculum vidiſſet, tamen ex ſola fama motus altam æſtimationem concipit de Ieſu: Phariſæi verò, & Scribæ, qui viderant tot miracula patrata à Chriſto, ipſum repellunt, & deſpiciunt: per quod confunditur tepiditas Religioſorum, qui de Deo notitiam habentes, & myſteria ſactæ Scripturæ noſcentes, frigidè, & tepidè vivunt in Dei obſequio, & ſæpè ſæculares carentes tot auxiliis, & beneficiis fervidè Deo ſerviunt. O qualis hæc confuſio. *Ser. 2. in Epiph. Luc. cap. 1. verſ. 5. & cap. 9. verſ. 7. ſeq.*

3. *Impius contemnens Dei Verbum, & inſpirationes, in graviora ſe præcipitat ſcelera, & in profundum vitiorum.*

Hocque accidit Herodi Antipæ, qui licèt libenter audiret conciones Joannis Baptiſtæ, tamen cùm monitis reſpicientibus ſuam converſionem non obediret, imò contemneret, in hoc tantum ſcelus ſe præcipitavit, ut Joannem ipſum ad inſtigationem Herodiadis poſuerit in carcerē: Unde *Luc. c. 3.* dicitur Adjecit & hoc ſuper omnia, & incluſit Joannem in carcerem, quia hoc permittitur à Deo, juſto ſuo judicio, quod qui in ſordibus eſt, nolens ſe convertere, nec Dei monitis obedire, ſordeſcat amplius, & in profundum peccatorum præcipitetur. *Luc. c. 3. v. 20.*

4. *Servus Dei inter vincula maximè liber, & expeditus ad præclara perficienda facinora.*

Herodes enim tenuit Ioannem, & alligavit eum, & poſuit in carcerem, &c. Vide Joannem propter juſtitiam, & veritatem prædicatam miſſum in carcerem, & catenis alligatum: ſed tamen, ut ſuprà dictum eſt *c. 11.* non ſic impeditus, ne mitteret diſcipulos ad Chriſtum, ne in errorem eos relinqueret, ut auditis verbis, & viſis miraculis crederent in Chriſtum: ut intelligamus, quod ſervi Dei, licèt inter vincula, & in carcere alligati, ſunt maximè liberi, & expediti, quia hoc eſt proprium vinculorum Chriſti: vincula autem Chriſti ſunt pœnitentiæ, amicitiæ, obedientiæ, & ſapientiæ cæleſtis; ligant enim animam, ne libere ſecundum deſideria carnis, & mundi moveantur, quæ vincula ferrea ſunt ſi timentur; aurea ſi amantur: aurea, inquam, & libertatem ſpiritus afferentia. E contra vincula mundi, licèt libertatem portent in peccatis, & vitiis, tamen veræ libertate filiorum Dei privant. *Ser. 3 Dom. 3. Adv.* Unde Sanctus Bernardus meritò Monacho, qui deſiderio ſtrictioris vitæ ſibi catenâ ferreâ ligaverat pedem, dixit: ſi ſervus Deus es, non ferrea, ſed Chriſti catena te teneat; aurea quidem vox, & digniſſima.

5. *Correctio peccatorum, maximèque ſcandali, facienda ab omnibus, & præcipuè à Prælatis, & Prædicatoribus.*

Arguebat enim Ioannes Herodem, dicens, non licet tibi habere uxorem fratris, &c. Ecce quomodò Joannes dignè, & plenè exercebat munus ſuum; ut diſcamus, quod non eſt omittenda correctio fraterna, maximè in peccatis publicis; & hoc onus maximè incumbit in Prædicatoribus, & Prælatis. *Ser. 1. Dom. 3. poſt oct. Paſcha, Luc. cap. 5. verſ. 8.*

6. *Nativitas alia eſt juſtorum, alia impiorum.*

Die autem natalis Herodis ſaltavit filia Herodiadis, &c. Nota, quod in ſacra Scriptura, non legitur, quod aliquis obſervaverit, & celebraverit diem natalis ſui præter Herodem, & Pharaonem, ut (ait Sanctus Hieron.) quorum erat par impietas, eſſet & una ſolemnitas. Meritò igitur reprehenditur hic abuſus, cùm omnium hominum nativitas ſit cum pœnâ, & culpâ, vitioſa, & vilis: ſicut laudatur celebritas natalis Sanctorum, & Chriſti, quia eſt ad gratiam, & ad gloriam, & ad laudem hominum. *Ioan. 1. 3. coll.* Unde natalis Herodis infamis reddicus eſt. natalis Joannis nobiliſſimus fuit, & dies feſtus Chriſto, & toti Eccleſiæ.

7. *Concupiſcentia laſciviens, & ſaltans caput rationis obtruncat.*

Et cum ſaltaſſet filia Herodiadis, &c. da mihi in diſco caput Ioannis, &c. Vide quod iſta ſaltatrix obtinuit ab Herode caput Joannis: ſic, ſic facit nobiſcum concupiſcentia, quæ dum ſaltare permittitur, dum rationi præſidet, caput ipſius rationis obtruncat, & mortem inducit. *Sermon. 4. Dom. 12. Pent.*

8. *Saltatio in choreis mulierum ſignum eſt impudicitiæ.*

Et cum ſaltaſſet filia Herodiadis, &c. Vide quod in hoc convivio ſaltat mulier, ſed filia adulteræ, quia qualis mater talis filia: quæ enim pudica, quæ caſta eſt filias ſuas religionem docet, non ſaltationem. *Op. Phar. l. 1. c. 8.* Unde Chryſoſtomus ait, ubi eſt ſaltatio, ibi diabolus: neque enim ad hoc dedit Deus pedes, ut cum canibus ſaltemus, ſed ut cum Angelis chorum faciamus, in talibus ſaltant dæmones, in talibus lætantur dæmonum miniſtri.

9. *Mundani liberaliſſimi ad vitia: ad opera virtutis tenaces, & avari: ubi de peſſimâ negotiatione eorum.*

Cum juramento pollicitus eſt Herodes ſe ei dare quodcunque poſtulaſſet (etiam dimidium regni mei) ait S. Marc. Vide quàm liberalem ſe oſtendit Herodes: ſed tamen hoc eſt proprium mundanorum cum mundo, cum carne, cum diabolo liberales eſſe: ſed cum Chriſto tenaciſſimos. Vide iterum quàm peſſima negotiatio peccatorum in exhibitione facta ab Herode, etiam dimidii regni ſui pro ſaltu unius fœminæ: verè mala negotiatio, & peſſima, quæ ſic fit à peccatoribus cum diabolo. *Vide in Thren. cap. 1. Luc. cap. 16. v. 10. ad 13.*

10. *Herodis feſtivitas diabolica: Joannis calica.*

Die autem natalis ſui, &c. fecit cœnam Principibus, &c. ut notat S. Marc. c. 6. Nota, quod non ſine myſterio advertit Evangeliſta decollationem Joannis factam fuiſſe in die natalis Herodis, in quo fecit cœnam ſplendidam ſuis Principibus, quia per hoc datur intelligi, quàm differant feſtivitates mundanorum, diabolique, nec non juſtorum: nam in illis indulgetur converſationibus, & peccatis: in iſtis luctui, & laudibus divinis: & ideo in convivio Herodis ſecutum eſt tam immane ſcelus: in die natalis Joannis ſecutus eſt tranſitus à laboribus ad quietem, & tranquillitatem. *Joan. coll. 36.*

11. *Luxuria in omnia ſcelera præcipitat animam.*

Et decollavit Joannem, &c. Vide in quale præcipitium induxit Herodem luxuria, nempe in gulam, deinde in vanitates, & tandem in ſacrilegum homicidium: nec mirum, quia hoc vitium aufert uſum rationis ſuper omnia vitia: captivat hominem, & ſic veluti beſtiam ligatam in præcipitium ruere facit: unde non eſt ſcelus, vel malum, in quod luxurioſus non ſe præcipitet. *Op. Diet. tit. 1. c. 8.*

12. *Mulier iniqua quale malum.*

Et decollavit Joannem &c. Cur tantum ſcelus Herodes commiſit in Joannem, cujus concionem libenter audiebat, & multa bona ejus juſſu faciebat, & quem ſanctum exiſtimabat? Propter Herodiadem, ait Sacer Textus: Ecce quam verum eſt, quod dicitur *Eccleſ. c. 7.* Mulier eſt laqueus venatorum, quia iſta peſſima adultera, ſicut & quælibet alia mala laqueus eſt diaboli, & venatrix animarum: illaqueat enim verbis, & aſpectibus, illaqueat pulchritudine faciei, & in perditionem inducit. O, ô cave, fuge ô homo aſpectum, converſationemque mulierum. *Eccleſ. cap. 7.*

13. *Malus conſiliarius venator diaboli.*

Quid petam? Vide quòd conſulit filia matrem ſed matrem impiam: vide item quale conſilium nefaria dat conſiliatrix: pete, inquit, caput Joannis: quid peteret luxuria (ait Chryſologus *ſer. 17.*) niſi caſtitatis interitum? & ſic abiit ſtolida puella in conſilium impiæ matris, adiit Herodem, & caput Joannis Baptiſtæ petiit, accelerat necem ſaltatrix. O ſaltum tartareum, & tripudio in cædem ſanctiſſimi Præcurſoris ſalit, ait Sanctus Fulgentius. Ecce quàm verum, quod dicitur *Prover. c. 6. mulier pretioſam animam viri capit*: nam iſta laſciva mulier, & conſiliatrix infamis cum filia fuit verè venatrix diaboli. *Ser. 3. Dom. 4. Pent. ſer. 2. in die S. Joan. Baptiſ. in addit.*

14. *Trans mare convivium cæleſte exhibetur.*

Quod cum audiſſet Jeſus (ſcilicet mortem Joannis) ſeceſſit inde in navicula in locum deſertum ſeorſum, & cum audiſſent turbæ, ſecutæ ſunt eum pedeſtres de civitatibus: Sanctus Joannes hoc ſic refert: *Poſt hæc abiit Jeſus trans mare Galilææ &c.* Ecce quid præmiſit Chriſtus miraculo multiplicationis panum, nempe tranſitum maris: quid myſterii latet in hoc facto? ecce quale: Per mare turbatio ſæculi ſignificatur: per Galilæam, quæ rota interpretatur, vel volubilis ſignificatur voluptas: ſignificat & cor noſtrum furore turbidum, rixis amarum, elatione ſuperbiæ tumidum, fraude malitiæ obſcurum: trans illud Dominus tranſit, illud calcans, non in illo quieſcens: poſt quod convivium parat cæleſte ipſum ſequentibus. *Joan. c. 6.* Datur autem nobis intelligentia, quòd hic poſtquam pœnitentiæ mare trajicimus, cæleſti Euchariſtiæ pabulo paſcimur: In cœlo autem poſtquam ſæculi hujus fluctus tranſnavigaverimus, cæleſti convivio excipiemur in gloria.

15. *Sequentes Chriſtum ardenter & devotè aſcendunt cum ipſo ad montem.*

Seceſſit in deſertum locum; ſubiit in montem (addit S. Joan. *& ſecuta ſunt eum turbæ &c.* Cur ad montem poſt tranſitum maris aſcendit Chriſtus, & in deſertum locum, volens poſtea patrare miraculum multiplicationis panum? Nota, quòd hîc exhibetur moralis inſtructio ſuis membris, & electis, ipſum volentibus ſequi, nempe quòd debent aſcendere ab inferioribus ad ſuperiora, & relinquere creaturas, ad Deumque & in Deum per cognitionem, & amorem ſe transferre: talis enim aſſenſus proximus eſt feſto: ſubdit enim, *quod erat proximum paſcha*, ſcilicet vacatio in Dei cultu, & ſervitio. *Joan. c. 6. v. 14.*

16. *Proprium eſt Principis, Prælatorum, & Patris familias intelligere, & circumſpicere ad neceſſitates ſubditorum.*

Et exiens inde, vidit turbam multam, & miſertus eſt eis: dicit S. Joan. *Cum ſublevaſſet Jeſus oculos, & vidiſſet, &c.* Vide pietatem Domini noſtri Jeſu Chriſti: Regis enim, & Imperatoris, & Prælati, & Patrisfamilias eſt tenere oculos ad circumſpiciendum populum ſequentem, & illius miſereri, & in neceſſitatibus eis ſubvenire. *Ioan. cap. 6. verſ. 6.*

17. *Chriſti pietas, & miſericordia multiplex expenditur in nos.*

Et miſertus eſt eis. Vide quomodò ſuper turbam miſeretur Chriſtus inceſſanter: & ſuper quam turbam? ſuper turbam viventium in terris, quieſcentium in ſepulchris, gementium in pœnis, & fruentium in Cœlis: miſereturne, inquam, ſuper turbam viventium in terris, ſuſtentando nos cibo corporali, illuminando documento ſuæ doctrinæ, & inflammando óblectamento Euchariſtiæ ſacramentalis, & expectando peccatores ad pœnitentiam, & dando tempus ad pœnitendum: ſecundò miſeretur ſuper turbam quieſcentium in ſepulchris, quia eos reſuſcitabit in integrum in die reſurrectionis: Tertiò ſuper turbam gementium in pœnis, quia continuè hortatur Eccleſiam, ut animas in Purgatorio degentes juvet, & ſublevet ſuffragiis: Quartò ſuper turbam fruentium in Cœlis, ipſa largiendo gratiam, & gloriam, & æternam beatitudinem per ſua merita. *Sermon. 1. & 3. Dom. 6. Pent.*

18. *Chriſtus miracula ſua ſemper ordinavit ad ſalutem animæ.*

Deſertus eſt locus, & hora jam præteriit dimitte turbas, ut euntes in caſtella emant ſibi eſcas. Sic dixerunt diſcipuli ad Chriſtum: & Joannes addit, *quod interrogavit Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?* Quæritur cur potius Philippum, quàm alios interrogaverit? Et reſpondetur, quia ipſe magis indigebat doctrinâ & ideo hæc & alia præmiſit miracula, ut certiùs cognoſceretur, & amplior fructus pro animabus diſcipulorum, & magis indigentium reportaretur: & ideo ſubdit textus, quod hoc dicebat tentans eum, ſcilicet in bonum, ut ipſum induceret in cognitionem veram ſui. *Ioan. c. 6. v. 10. Luc. c. 9. v. 17.*

19. *Quali obligatione teneamur ſuccurrere miſeris, & animabus Purgatorii: Ubi de Prælatorum obligatione.*

Vos date illis manducare. Hoc dixit, & præcepit Jeſus ſuis diſcipulis: ſed cur hoc? cum ſciret hoc non eſſe ipſis poſſibile, nempe in talis loci ſterilitate in concurſu tantæ multitudinis, & tantâ cibi modicitate paſcere tot perſonas? ſed tamen hæc à Chriſto ordinabantur ad Apoſtolos, quando ſubſtituendi erant Prælati Eccleſiarum. Vos, ô Prælati, date illis manducare, ſcilicet ſubditis ſubveniendo pane corporali in eorum neceſſitatibus, & magis ſpiritua-

li. *Ioan. c. 19. 6.* Item ad omnes diriguntur, ut exemplo Chriſti miſereantur, & ſuccurrant indigentes in eorum neceſſitatibus, ſicut ipſe fecit. *Serm. 4. Dom. 6. Pentec. Luc. cap. 9. verſ. 13.* Addunt & alii Doctores, hæc dirigi divitibus, & viatoribus: Vos, ſcilicet, qui habetis bona eorum, nempe pauperum, & defunctorum) date illis manducare, eos ſubveniendo ſecundùm veſtram poſſibilitatem. *Sic Ugo Card. ſic & S. Auguſt. Pſalm. 125.* Hic autem ſuboritur quæſtio: quali obligatione teneatur homo ſuccurrere proximo poſito in gravi neceſſitate ſimili iſti, in qua erant iſtæ turbæ? Item & animabus Purgatorii? Cui ſecundùm communem ſententiam Doctorum reſpondetur, quod hæc obligatio cogit omnes homines ad ſubveniendum proximo in extrema neceſſitate, & quoad Animas Purgatorii: obligatio alia eſt ex juſtitia, reſpicitque legatarios in ordine ad adimplenda legata pia: aliâ eſt gratitudinis, reſpicitque ipſas animas mendicas, in igne patientes, poſitas in extrema neceſſitate, & ſimul vivorum facultatem habentium ſubveniendi. *Videl. 4 d. 15. p. 2.*

20. *Explicantur variæ circumſtantiæ de quinque panibus, & duobus piſcibus.*

Non habemus, niſi quinque panes, & duos piſces: In Ioan. dicitur: *Eſt puer hic unus, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces.* Nota, quod in hoc facto proponitur opportunitas miraculi ex parte indigentiæ tantæ multitudinis, & liberalitas ex parte miſericordiæ Salvatoris: opportunitas autem talis indigentiæ exprimitur ex quattor conditionibus, nempe ex parte tarditatis diei, cum eſſet prope occaſum ſolis: ex parte ſterilitatis loci, quia erant in deſerto: ex parte modicitatis cibi, quia non habebant niſi quinque panes: & ex parte numeroſitatis turbarum, quia erant viri quinque millia, excepris mulieribus, & parvulis. Liberalitas ex parte Chriſti exprimitur, tùm in convivantium ordinatione, qui per Apoſtolos diſpoſiti fuerunt per quinquagenos, tum in victualium multitudine miraculosâ factâ, tum in miniſtrantium urbanitate; fuerunt enim ab Apoſtolis diſpenſati æqualiter omnibus, tum in manducantium ſaturitate. *Luc. c. 9. v. 12. ad 17.*

21. *Myſteria varia quinque panum enodantur: Ubi de obligatione Prælatorum paſcendi ſubditos.*

Non habemus niſi quinque panes, &c. Eſt puer hic qui habet quinque panes. Nota, quod idem eſt, quod dicit Beatus Matthæus, nempe diſcipulos habuiſſe quinque panes, & Beatus Joannes, quod iſti panes allati fuere ab uno puero: nam per iſtum puerum intelliguntur Prælati, & Paſtores, qui debent eſſe unus, & puer; ſcilicet amantes unitatem, & puritatem, immunes, alienique à concupiſcentia, & paſſionibus. Per panes autem intelliguntur ſolida documenta Sacræ Scripturæ, quibus debent eſſe inſtructi: per quinque panes intelliguntur libri Moyſis: per duos piſces dicta Prophetarum, & Pſalmorũ, quæ ſunt condimenta totius doctrinæ ſacræ:

Digitized by Google

hoſque debent ſuis ſubditis frangere, eoſque paſcere; & ex Sacra Scriptura emere panem pœnitentiæ, panem doctrinæ Salvatoris, panem juſtitiæ delectantis, panem charitatis informantis, & panem cælicæ conſolationis ſatiantis. *Ioan.collat.* 30.

22. *Prædicator ſibi provideat quinque panes, & duos piſces.*

Iſti quinque panes hordeacei ſunt primò vilitas veſtium: Secundò maturitas ſenſuum: Tertiò temperantia gulæ: Quartò cuſtodia linguæ: Quintò labor manuum, ſcilicet adimpleat in ſe, quod docet; & hoc eſt condimentum totius prædicationis; & ut doceat, ſumat piſces duos, nempe ſcripturam duorum Teſtamentorum, ipſamque miniſtret ſuis auditoribus. *Ioan.collat.*30.

23. *Eleemoſynam diſtribuens reſpiciat in Cælum.*

Acceptis quinque panibus, & duobus piſcibus, Ieſus aſpiciens in Cælum, benedixit, & fregit, dedítque diſcipulis panes, diſcipuli autem turbis. Cur reſpexit in cœlum antequam diſtribueret panes? Reſpexit Chriſtus in cœlum ex humanitate, & benedixit ex divina virtute: Vult dicere, quòd ut humanitatem, & miſericordiam exerceret in illos indigentes, reſpexit in cœlum, dirigens ſuam intentionem in Deum. Dat per hoc intelligere, quòd illum reſpicere oportet in cœlum, qui pauperibus bona ſua vult diſpergere, ſi bona reſpicias cæleſtia, tribues liberali manu terrena: ſapiens ille eſt, qui terrâ emit cœlum, quia vilem pulverem cum æternis commutat opibus: reſpice item in cœlum cum eleemoſynam largiris, cæleſti tantùm Patri ſtude placere, hominum gloriam deſpice, ſubleva oculos tuos, cum vides pauperem, non infirma, non ignobilitatem non nuditatem, non cæcitatem, non paupertatem, ſed Chriſtum in paupere conſidera. *Luc.ibid.Ioan.c.6.v.6.*

24. *Chriſtus miſericordiam in nos impertiens ſublevat oculos in cælum.*

Vidit Chriſtus turbam multam, & miſertus eſt eis, & aſpiciens in Cælum benedixit &c. Addit S. Ioan. *Cum ſublevaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet multitudinem &c.* Quid myſterii latet in hoc aſpectu Chriſti, & in ſublevatione oculorum in turbas, & in Cœlum? Ecce quale: oculi Dei ſunt ſua dona: hos oculos ſublevat Dominus, quando miſeretur, & diſtribuit dona ſua, tunc oculi ejus in pauperem reſpiciunt: ô reſpiciat Chriſtus nos pauperes tali pacto, ut donis ſuis ditemur. *Ioan.c.6.v.6.*

25. *Benedictio menſæ & gratiarum actio nobis à Chriſto propoſita.*

Reſpiciens in cælum benedixit, & fregit, dedítque diſcipulis ſuis: Addit S. Ioannes: *& cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus.* Cur benedixit, & gratias egit? quod non fecit in aliis miraculis? Hoc fecit ad inſtructionem noſtram: benedixit ex divina virtute panes multiplicando: gratias egit, ut nos doceret ante comeſtionem orationem præmittere, & gratias deinde agere Deo pro hoc, & pro tot aliis beneficiis: nempè ait Chryſoſtom. *Hom.79.ad popul.* quod mens ab oratione incipiens, & in orationem deſinens numquam deficiat, ſed fonte largius, omnia nobis bona afferet; ne itaque tantum prætermittamus emolumentum: unde hîc erat mos Chriſti, ut ſemper benedictionem præmitteret ante manducationem, creavit enim Deus cibos, ut eos percipiamus cum gratiarum actione: & hinc conſuetum eſt maximè Clericis, & Religioſis ante cibum præmittere benedictionem, & poſt, gratiarum actionem. *Ioan.c.6.v.8. Luc.c.9.v.17. & c.24.v.30. V. Op. ſpec.diſcipl.p.1.c.21.& de inſtit.Novit.p.1.c.8.*

26. *Euchariſtia multiplicatio figurata in multiplicatione panum.*

Benedixit fregitque &c. Nota, quòd hæc multiplicatio panum figura fuit multiplicationis ſacramenti Euchariſtiæ, in qua Chriſtus ſit præſens ſimul, & ſemel multis in locis, per quod reficit totam multitudinem credentium: unde panes benedictos dedit diſcipulis ſuis, in quorum manibus multiplicati ſunt: ſic in manibus ſacerdotum quotidie multiplicat panem Euchariſticum. *Ser.5.in Cana Dom. Luc.c.9.v.16.*

27. *Quinque panes ſunt quinque vulnera Chriſti reficientia animas.*

Accepit quinque panes, & benedixit eos &c. Cur voluit multiplicare panes hordeaceos? quia per panes hordeaceos ſignificatur paſſio Chriſti, & quinque panes ſunt quinque vulnera Chriſti crucifixi, ex quibus reficitur quælibet anima. *Serm.5.in Cana Dom. & ſerm.3. Dom.4. quadrageſim.*

28. *Chriſtus nobis exhibet, & offert continuè quinque panes.*

Accepit Ieſus quinque panes, benedixit, fregit &c. Nota quòd Chriſtus nobis inceſſanter exhibet quinque panes, ſcilicet naturæ, doctrinæ, pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & gratiæ. Primus eſt panis corporalis, quem exhibet ipſum acquirentibus ex juſtitia; non verò cum injuſtitia: de quo colliguntur fragmenta eleemoſynarum pauperibus diſtribuenda, & animabus Purgatorii: Secundus eſt panis doctrinæ, qui frangendus eſt, & exponendus à Prælatis: Tertius pœnitentiæ, & frangendus eſt per contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem: quartus panis Euchariſtiæ, qui debet eſſe hordeaceus, ſcilicet cum dolore de peccatis, & meditatione paſſionis Chriſti ſumendus: frangi autem debet in tres partes, ſcilicet pro honore Sanctorum, pro ſalute vivorum, & pro refrigerio mortuorum offerendus: quintus panis eſt gratiæ, & ut ſit hordeaceus, requiritur ſollicitudo timoris Dei. *Serm. 2. & 3. Dom. 4. quadrageſim.*

29. *Quinque*

Digitized by Google

29. *Quinque panes ſunt quinque partes pœnitentiæ.*

Accepit Ieſus panes, &c. Nota, quod dicuntur panes iſti hordeacei, ſcilicet aſperi, ſignificantes pœnitentiam, ejuſque partes, nempe contritionem, confeſſionem, jejunium, eleemoſynam, & orationem, quibus animæ noſtræ confortantur. *Ser. 4. Dom. 4. quadrageſ.*

30. *Qualiter fuit facta à Chriſto hæc multiplicatio, & quid nobis myſticè, & moraliter indicet.*

Et benedixit, &c. ſcilicet eos multiplicando. Hic quæritur quomodo fuerit facta hæc multiplicatio? An per creationem, an per generationem, an alio modo? Reſpondetur, quòd hæc non fuit creatio, nec appoſitio novæ materiæ ad priores panes, nec extenſio materiæ, ſed fuit multiplicatio in materia, & forma ſimul: Sed quomodo dicitur opus miraculoſum? Reſpondetur, quod cum Deus indiderit in materia ſeminales rationes, ſeu formas omnes corporales in eſſe imperfecto; iſtæ ſi ſunt in potentia naturæ propinqua, & proximè diſpoſita, ut eſt in ſemine deciſo reſpectu hominis, ſic naturaliter extrahuntur ab agente naturali ad eſſe completum: ſi verò ſunt in potentia remota, & inſufficiente, ut eſt in pane, vel alimento reſpectu hominis producendi, ſic mediate, & mediantibus diſpoſitionibus naturalibus gradatim introductis, educitur forma corporalis: immediate autem ſine talibus diſpoſitionibus, & inſtantaneè, non poſſunt à natura educi, ſed tantùm ab agente virtutis infinitæ, ut de pane corpus hominis immediatè; & tunc educerentur formæ non ſecundum rationes ſeminales, ſed cauſales, & ex hac parte opus eſt miraculoſum, nempe quoad modum, & eductionem inſtantaneam, talium formarum non ſecundum ſubſtantiam: & tali pacto Chriſtus multiplicavit iſtos panes. *Ex l. 2. d. 18. a. 1. q. 1. Ioan. c. 6. v. 12. & 13* Ex quo infertur, quod majus miraculum eſt gubernatio mundi, quàm multiplicatio panum, & eum admirationem hæc cauſet in mentibus hominum majorem admirationem deberet cauſare gubernatio tot hominum ex paucis granis, quod non evenit, quia aſſiduitate talia miracula viluerunt, *Ioan. ibid.*

31. *Neceſſitati, non ſuperfluitati Deus provides.*

Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. Cur panes, eoſque hordeaceos? Cur piſces tantùm, & non carnes providit Chriſtus? Ut videas, quòd neceſſitati, non ſuperfluitati providit: ut doceat nos neceſſitati eſſe ſerviendum, non cupiditati, & qui neceſſitati ſervit facili dominæ ſervit, qui cupiditati ſervit, difficili ſervit tyranno. *Luc. & Ioan. ibid.*

32. *Myſterium duodecim cophinorum explicantur: Ubi datur inſtructio neceſſaria Prædicatoribus.*

Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum, &c. Cur duodecim cophinos? hoc factum eſt propter duodecim Apoſtolos, qui ut diſtribuerent cibum doctrinæ divinæ, impleti ſunt ſapientia cœleſti. Ex quo datur forma Prædicatoribus, ut non nova, & de cerebro ſuo adinveniant, quia Dominus non creavit novos panes ad reficiendam turbam, ſed debet ſumi doctrina ex fundamento ſacræ Scripturæ, & multiplicanda per orationem, quâ reſpicitur in Cœlum, & devotione, quâ benedicitur, & meditatione, quâ frangitur, & prædicatione, qua diſtribuitur, & explicatur: Doctrina enim catholica primò ſumenda eſt de Sacra Scriptura per lectionem, cujus verba ſunt panes, ſed lectioni debet adjungi oratio; orationi, devotio, & gratiarum actio, devotioni meditatio, & veritatis explicatio: & tunc diſtribuitur, quando pro capacitate auditorum miniſtratur, & ex hoc auditores ſaturantur: & ideo plus hoc miraculum fecit pro informatione mentium, quàm ad refectionem corporum. *Luc. c. 9. v. 17.*

33. *Collectio fragmentorum à nobis facienda conſideratione beneficiorum Dei.*

Collegerunt duodecim cophinos, &c. Ad quid collegerunt hæc fragmenta? Cur non ipſa reliquerunt ipſis turbis veluti monumenta tanti miraculi? Sed maximo myſterio Chriſtus dixit diſcipulis: colligite fragmenta, ne pereant: conſiderate fragmenta beneficiorum innumerabilium, quæ à Deo accepiſtis, & naturalium, & ſupernaturalium, ne pereant à veſtri memoria, ut gratitudinem debitam Deo reddatis: hæc eadem nobis continuè intonat auribus noſtris Deus. *Op. de prof. Religioſ. l. 2. c. 5.*

34. *In curia Chriſti nobiliores ſerviunt ignobilioribus: Ubi de ordine, & de miniſterio ſacerdotum.*

Accepit Ieſus panes, &c. dedit diſcipulis, diſcipuli autem turbis. Cur non per ſe Chriſtus pavit turbas, ſed voluit uti miniſterio diſcipulorum? Sed attende ad myſteria nobiliſſima. Venit Chriſtus in mundum, fundavit Eccleſiam, & in ea collocavit Sacramenta, quæ tamen non per ſe miniſtravit, ſed voluit, ut miniſtrarentur per ſuos diſcipulos, & miniſtros; & hoc, ut ſtabiliret in Eccleſia perfectam Hierarchiam, & conſequenter voluit, ut ſui miniſtri, Apoſtoli, Epiſcopi, & ſacerdotes inferioribus miniſtrarent, quia in curia ſua nobiliores miniſtrant, & ſerviunt: Et hinc eſt, quòd in proceſſionibus priores dignitates ſunt poſteriores ad ipſius Chriſti imitationem, & ſedes excellentiores ſunt remotiores ab Altari. *Luc. c. 9. v. 16. & c. 14. v. 10.*

35. *Panis Chriſti ſaturitatem, & repletionem portat: panis mundi famem, & afflictionem.*

Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt. Vide felicitatem ſequentium Chriſtum: nam ab ipſo pane cœleſti cibantur, & reficiuntur, & ſaturantur, quod notatur ad differentiam panis mundani, qui nec reficit, nec famem tollit, nec ſublevat, ſed onerat, & quietem tollit. *Luc. c. 9. v. 17.* Idem & dic de ſcientia Sacræ Scripturæ, & mundana: illa paſcit, & reficit, ſta vento replet vanitatis. *Opuſc. Princ. Sacra Scriptura.*

36. *In Hierarch. a Eccleſiaſtica ordo ſervandus.*

Ait autem ad diſcipulos, facite illos diſcumbere per convivia quinquagenos, &c. Sic S. Luc. In S. Matth. dicitur, *fecit eis diſcumbere ſuper fenum ſcilicet quinquagenos.* Cur tali ordine? quia voluit ſignificare Chriſtus, quòd ſicut decet magnificum, & liberalem Dominum ordinem attendere in diſponendo: ſic & ipſe ordinem diſpoſuit cum determinatione numeri: & hinc eſt quòd Hierarchia Eccleſiaſtica continet talem diſpoſitionem ordinationis à ſupremo ad medium, & à medio ad finem. Et hinc eſt, quòd etiam in Religionibus ordo debet ſervari in omnibus ceremoniis, ſic etiam ſuo modo exigitur ordo in ſæcularibus ſtatibus, ſcilicet Imperatoris, Regum, Ducum, Comitum, & aliorum. Hinc etiam in vita ſpirituali neceſſariò reperitur ordo, ut ad perfectionis culmen procedatur. *Luc. c. 9. v. 14. ſer. 21. Hexam. l. 4. d. 24. p. 2. art. 2. Op. myſtic. Theol. p. 3. c. 3.*

37. *Servi Chriſti fugiant honores, & dignitates mundanas.*

Et ſtatim compulit Jeſus diſcipulos aſcendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, & dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Sanctus Joannes dicit, quod cum cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Cur compulit diſcipulos? Cur & ipſe fugit? Sed attende ad antecedentia, quia prævidit, quòd volebant ipſum proclamare Regem: fugit ideo, & fugere fecit ſuos diſcipulos, erudiens nos contemnere ea, quæ ſunt hic, & futura amore, & honores, qui ab hominibus ſunt, non concupiſcere: erat ipſe Chriſtus Rex. ſed non talis, qui ab hominibus fieret, ſed talis, qui hominibus regnum daret, venerat ipſe, non coronas regales quærens, ſed crucem, mortem, & ignominiam, & ad hoc etiam compulit diſcipulos ſuos. *Ioan. c. 6. verſ. 14.*

38. *Oratio ſpirituale certamen eſt, in quo vincit, qui ſolus eſt, auditur, qui cordis ſecretiore ſilentio loquitur.*

Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi. Occurrit hîc difficultas maxima: nam Matthæus dicit, quòd aſcendit in montem Jeſus ſolus, & quòd erat ibi ſolus, & S. *Luc. c. 9.* Quòd ſolus erat orans, & erant cum illo & diſcipuli: ſi ſolus, quomodo erant cum illo diſcipuli: Sed attende, quòd, ly, ſolus, appellat orantem Chriſtum, non excludens conſortium diſcipulorum, ſed turbarum tumultum. Solus notanter dicitur orans, oratióque ejus ſolitaria: per quod datur intelligi, quòd qui vult triumphare de mundi vanitatibus, & ab illis ſe liberare, ad orationem confugiat, aſcendat ad mentem, ſcilicet in Deum, & ipſi cultum debitum exhibeat: fugiat ab oſtentatione, & tumultu, à converſatione, & intret in cubiculum cordis, ibique ſilentio ſecretiore Deo loquatur: Sic enim & vincet diabolum, mundum, & carnem, & à Deo audietur, & exaudietur. *Luc. c. 9. v. 18. & 28. & c. 6. v. 12. & c. 19. v. 3. & c. 22. v. 29. Ioan. c. 6. v. 3. & coll. 10.*

39. *Sine Jeſu totum eſt tenebræ, & periculo, & ruina abundant.*

Veſpere autem facto ſolus erat ibi: navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. S. Joan. ait: deſcenderunt diſcipuli ad mare, ſcilicet ut tranſirent ad Capharnaum; & tenebræ factæ erant, quia nondum venerat ad eos Chriſtus: mare autem magno flante vento exſurgebat. Vide quomodo diſcipuli in navi agitabantur, & in tenebris involuti in manifeſto periculo navigabant. Cur permiſit eis tantum periculum Chriſtus? ecce cauſa: quia Chriſtus nondum venerat ad eos: ut ſignificaret, quòd ubi abeſt Chriſtus vera lux, ibi totum eſt obſcuritas, & tenebræ, & ibi abundant pericula, ruinæ, & mortalitates, & omnia mala. *Ioan. c. 6. v. 15. ſer. 4. Dom. 3. poſt oct. Epiph.*

40. *Navis Eccleſiæ in mari hujus mundi quaſſatur variis fluctibus, ſic permittente Chriſto.*

Navicula in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus. Ecce cur jactatur navis in medio mari, nempe ex vento contrario: Datur que nobis intelligi, quòd navicula Eccleſiæ in mare hujus mundi, ob ventos contrarios, & fluctus exurgentes jactatur, & torquetur tribulationibus. Venti autem, & fluctus iſti ſunt temporalium avaritia, & opulentia, malorum fratrum, & filiorum ſocietas, ſubditorum inobedientia, Prælatorum negligentia, iniqua innocentium oppreſſio, & inter omnia Chriſti ſpiritualis abſentia, ut ſuprà dictum eſt: quia ibi Chriſtus abſens eſt, ubi Chriſti amor non eſt. O, ô caveat Deus ab Eccleſia iſtos fluctus. *Sermon. 3. & 4. Dom. 3. poſt oct. Epiph.*

41. *Mundus ſemper contrarius Chriſto, ejuſque ſectatoribus: Unde dicitur: erat enim ei contrarius ventus. Io. c. 6. v. 16.*

42. *Chriſtus ſectatores ſuos vult tranſeuntes ſupra mare cum ipſo.*

Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans ſupra mare. Ecce quomodo Chriſtus volens ſe conjungere ſuis diſcipulis, ad eos tranſit ſupra mare: docens, quod ſectatores ſuos vult ſecum tranſeuntes ſupra mare, ideſt non quieſcentes, nec ponentes cor ſuum in mundo, & mundi vanitatibus, ut ad littus gloriæ tandem perveniant. *Ioan. c. 6. v. 4.*

43. *Qui vult unionem cum Chriſto quatuor vigilias celebret.*

Quarta autem vigilia noctis venit ad eos. Cur quarta vigilia? quia Chriſtus ſuis perfectis cultoribus ordinat iſtas quatuor vigilias: prima dicitur conticinium. Secunda intempeſtum. Tertia galli cantus. Quarta ante Lucanum, quarum quælibet habet tres horas: in prima ſolebant vigilare pueri: in ſecunda adoleſcentes: in tertia juvenes: in quarta ſenes: myſticè. Prima vigilia eſt contemptus mundi: Secunda mortificatio carnis: Tertia exercitium virtutum: quarta deſiderium benedictionum divinarum, & unio cum Chriſto, & in hac quarta præcipuè Chriſtus

Digitized

Chriſtus ſe totum effundit animæ. *In Thren. cap.2.*

44. *Chriſtus ſemper præſto eſt in auxilium nobis.*

Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, &c. Cur non in prima vigilia? Venit Chriſtus, & ſemper paratus eſt auxilium nobis ferre in qualibet horâ: ſed tamen in hac quarta vigilia veniens ad ſuos, duo dat nobis intelligere, primum quòd illis, qui laborant in prima, ſecunda, & tertia, & quarta vigilia promptè venit, ut eos ad Cœlum ducat de mari hujus vitæ: ſecundum eſt, quòd etiam ſi homo non laboraverit in via Domini in juventute, & reducat ſe ad ſenectutem malè vivendo, ſi ſe converterit toto corde, ipſe promptus eſt recipere eum etiam poſt quartam vigiliam noctis. *Luc.c.12.v.38.*

45. *Ubi Chriſtus, ejuſque gratia adeſt, ibi abeſt omnis pavor.*

Videntes eum ſupra mare ambulantem turbati ſunt, dicentes, quia phantaſma eſt, & pra timore clamaverunt: ſtatimque Jeſus locutus eſt, &c. habete fiduciam, ego ſum, nolite timere. Ecce fructus præſentiæ Chriſti: ubi enim hæc adeſt, ibi omnis pavor abjiciendus eſt: & meritò, eſt enim virtus Dei omnia portans verbo. *Ioan.c.6. v.19. & c.19. v.17. & c.21.v.8.*

46. *Peccatum maximum pondus faciens ſubmergere animam.*

Et videntes eum ſuper mare ambulantem, &c. Petrus verò cum cœpiſſet mergi, clamavit, &c. Vide diſcrimen inter Chriſtum ambulantem ſuper mare, & Petrum: nam Chriſtus ambulat ſuper mare per dotem agilitatis tunc aſſumptam: Petrus verò à Chriſto vocatus incœpit quidem ambulare ſuper mare, reddità à Chriſto aquâ veluti ſolidâ, & corpore Petri veluti glorioſo, ne gravitaret, ſed paulo poſt, inſurgente valido vento cœpit mergi, ita ut timore perterritus clamaret. *Domine ſalvum me fac.* Cur hoc permiſit Chriſtus in Petro à ſe vocato? Ad litteram id permiſit Chriſtus, ut Petrus ſuam infirmitatem cognoſceret, & ſe coram ipſo humiliaret, & adjutorium poſceret. Myſticè dat nobis intelligere diſcrimen eorum, qui pertranſeunt more hujus mundi, & oneroſitatem peccati: nam quidam pede ſicco pertranſeunt mare mundi, & non merguntur, quia ſine peccato ſunt, ut Chriſtus, & Beata Virgo: quidam in pertranſeundo merguntur, & ſubmerguntur, quos ſua peccata ad fundum trahunt, quia ſine Chriſto incedunt: Alii merguntur, ſed non ex toto, quia peccata ſua ſuperant, ut Petrus ob aliqualem diffidentiam uſque ad genua: ut videas, quòd peccatum eſt pondus graviſſimum. *Ser.1.fere 4.Pent.*

47. *Diſcrimen tranſitus bonorum, & malorum per mare hujus ſæculi iterum expenditur.*

Domine, ſi tu es, jube me venire ad te ſuper aquas. Cur Petrus, & qua confidentia petit à Chriſto hoc miraculum? & qualis inerat neceſſitas tunc talis miraculi? Attamen hoc factum eſt à Chriſto inſpirante Petrum, quia Petrus caput erat aliorum & ſignificabat virtutem Chriſtum ſequentium, & volens diſcrimen in hoc facto aſſignare inter tranſeuntes mare hujus mundi: quidâ enim tranſeunt ſuper mare ſicco pede, ſuntque perfecti perfectè ſequentes Chriſtum: quidam inter aquos, ut filii Iſrael mare rubrum. *Exod. c.14.* & ſunt imperfecti & ſæculares boni, qui tranſeunt quidem mare hoc, vitantes peccata mortalia, tamen non ſicco pede, quia pedibus affectuum terram tangunt: quidam verò ſubmerſi remanent, ut Ægyptii incedentes per vitia tenebroſa: ſubjacent enim peſſimæ, & horribili ſubmerſioni, quia vanitas corripit, curioſitas ſeducit, cupiditas allicit, voluptas deducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat triſtitia, ſicque miſeri talibus ſubmerguntur in vitiis omnibus. *Ser.1.fer.4.Pent.*

48. *Spiritus boni, & conſolationum ſpiritualium ex una parte, & Spiritus mali, & conſolationum carnalium diſcrimen.*

Et pra timore clamaverunt, ſtatimque Jeſus locutus eſt eis, dicens, habete fiduciam. Syrus: *Bono eſtote animo, &c.* Ecce diſcrimen inter Spiritum bonum, & malum: nam Spiritus bonus, & Chriſtus dat primò adverſa, & terret: mox conſolatur, ſerenat, & lætificat: Spiritus malus initio gaudium ſenſuale ingerit; ſed mox mœrorem, angorem, & deſperationem immittit: ſicut ſancto Joſeph accidit, qui poſt tribulationes, conſolationes à Spiritu Sancto habuit, &c. *Op.medit.c.12.& de perfect. religioſ.l.2.c.74.ad 76.*

49. *Chriſtus nobis inceſſanter clamat: habete fiduciam: ego ſum, nolite timere.*

Nota, quòd hæc verba continuè nobis intonat, prætendens magnificus Imperator, milites ſuos, & ut benigniſſimus Pater filios ſuos confortare, & animare contra imminentia bella, & pericula continua, quæ in hoc mundo continuè occurrunt: Dans intelligere, quod non in humana poteſtate, nec in ſe ipſo, nec in promiſſis mundi debet homo confidere, ſed in Deo, qui eſt inviſibilis poteſtatis, & fidelitatis, & piiſſimus protector in ſe confidentium. *Ioan.c.6. v.20. & col.74. ſerm.3. Dom.25.Pent.*

50. *Confidentia qualis in periculis, & neceſſitatibus in Deo habenda.*

Domine, ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas: & ipſe ait, veni: & deſcendens Petrus ambulabat ſuper aquas. Ecce effectus confidentiæ, qua Petrus rogavit Chriſtum, & ut ipſe poſſet ad Chriſtum ambulare ſuper aquas: Domine, (ait) *Si tu es jube me ad te venire, &c.* Si tu (ait Auguſt.) non miror, quod ſolidam carnem ſuper liquentis elementi terga ſuſpendis: quid enim mirum, ſi conditori ſuo creatura famulatur? hoc ego non miror: fac quod mirer ambulet Petrus: & Jeſus reſpondit, veni, certitudinem, & ſecuritatem immittens menti Petri, & ipſe ſe in fluctibus jactavit: motus fidei confidentia: fides enim, qua credimus Deum, eſt fides notitiæ, ſi ies, qua credimus in Deum, eſt quæ operatur per dilectionem, fides, qua credimus Deo, ut credidit Petrus: eſt fides

confidentiæ, quæ eſt refugium noſtrum in tribulationibus imminentibus *Pſal.118.v.59. Op.Diet. tit.6.c.1.Op.medit.c.36.*

51. *Confidentia in Deum ſit perſeverans, & maximè in majori periculo.*

Petrus videns ventum validum timuit, &c. Vide quomodo Petrus confidentiâ armatus ſe jactavit in mare, ſed poſtea in periculo exiſtens defecit: Unde reprehenſus eſt à Chriſto, &c. Ut diſcamus, quòd confidentiam debemus habere in Deo ſolo, etiam ſi ratio naturalis contradicat: nec in adverſitate debet deficere, ſed tunc plus invaleſcere, & hac Sancti triumpharunt de humana poteſtate, & ideo debet eſſe perſeverans, nec deſiſtere quouſque obtineat, quod petit. *Op. Diet. tit.5. c.3.*

52. *Tribulatio ſignum amoris, & probationis divinæ.*

Vidit eos laborantes in remigando, &c. & Ieſus venit ad eos, &c. Ecce quomodo Deus ſic facit ſpiritualiter nobiſcum, quomodo corporaliter egit cum diſcipulis: tempeſtas enim invaſit eos in tempore nocturno & ſine præſentia Chriſti: ſic vult, ut electi affligantur in hoc mundo in interiori, & exteriori homine, quia flagellat omnem filium, quem diligit, & hoc nobis expedit; nam inde erudimur, inde virtutes acquirimus, & acquiſitas conſervamus, & quòd majus his eſt, inde futura, & æterna præmia expectamus: & ideo non debemus in eis frangi, vel eſſe impatientes, ſed ipſa affectare, & diligere. Non igitur miteris, ſi Dominus permittebat diſcipulos ſuos, quos ita diligebat, vexari procellis, utilitatem ipſorum exinde cognoſcens: pluries enim legitur eorum noviculam fluctibus, & contrariis ventis exagitatam, ſed numquam ſubmerſam: his ergo monitis ô anima cor tuum ſtabilire, ac ordinare procures, ut in contingentibus adverſis, & in quibuſcumque diſplicentiis, & patienter, & lætanter te habeas, & in via ſpirituali ita te exerceas, & ejus repleta fervore, etiam appareas pro amore Domini Ieſu tribulari, qui in ſe, & in ſuis hanc viam tenuit, & monſtravit. *Opuſcul. medit.c.36.*

53. *In mare Sacræ Scripturæ intrans ſine ligno ſanctæ crucis ſubmergitur, niſi ſit Petrus.*

Cum cæpiſſet mergi, clamavit, Domine ſalvum me fac, &c. Nota etiam, quòd iſta merſio figuret ſubmerſionem intrantis in mare Sacræ Scripturæ ſine ligno crucis: qui enim in tantum profundum intrat ſine ductore Chriſto, fide crucis, ſubmergitur, niſi ſit Petris à Chriſto miraculosè ereptus. *Sermon. 13. Hexam.*

54. *Chriſto manus extendenti, qui non porrigit ſuam manum, ſubmergitur in inferno.*

Et continuò Ieſus extendens manum, apprehendit eum. Vide qualiter Petrus liberatur à ſubmerſione, nempe quando Chriſtus extendens ſuam manum ad manus extentas Petri, in navim introducitur: Ut videas, quòd quando Chriſtus ſuam manum ad nos extendit, & nos itidem noſtras debemus extendere ad ipſum: tunc autem extendit ſuam manum ad nos, quando ad nos immittit ſuam gratiam, inſpirans amaritudinem pœnitentiæ in deteſtatione peccati, ut dirigat nos in operibus juſtitiæ per adimpletionem præceptorum, & tribuens fortitudinem patientiæ in toleratione malorum inflictorum: qui autem non extendit manus ſuas ad Chriſtum, ſubmergetur in mari amariſſimo pœnarum æternalium. *Sermon.4. Dom.15. Pentec.ſerm. 1.fer.4. Pentec.*

55. *Ex diffidentia in Dei providentiam venit omnis caſus, & malum: Vbi iterum confidentia habenda.*

Modicæ fidei quare dubitaſti? Vide unde derivat periculum Petri, imo omnis tentatio, & caſus, & malum hominis, nempè ex modica fide, & ex diffidentia in Dei auxilio; & providentia: modicæ fidei quare dubitaſti, dicit Chriſtus continuè, increpando dubietatem, & ſuadendo fidei firmitatem? ſi quis igitur rectæ fidei, credens omnia gubernari ſuperna providentia, cum hæc majorem curam gerat, & gerere debeat de omnibus & maximè de nobis, numquam deficient nobis, quæ ſunt neceſſaria. *Luc.c.8.v.22.& c.12.v.28.*

56. *Multiplex navis à Chriſto nobis exhibita, ut ſalvet ab excidio, & damnatione.*

Et cum aſcendiſſent in naviculam, ceſſavit ventus. Addit S. Joannes *cap. 6. Voluerunt ipſum accipere in navicula*, Scilicet agnoſcentes Chriſtum, & gaudentes, & ipſum invitantes. Myſticè datur nobis intelligentia, quòd multiplex navis nobis à Chriſto exhibetur ad liberationem à ſubmerſione æternali: navis ſanctæ pœnitentiæ, per quam liberamur à naufragio: navis item eſt Eccleſia, ubi Chriſtus perfectè adoratur: navis item eſt ſancta crux triumphalis, cujus beneficio ad littus patriæ cœleſtis perducimur: navis item eſt vita noſtra portans fluctuationes procellis, & tempeſtatibus ſubjacens, cavens naufragium, & ſuſpirans portum; navis item eſt anima rationalis, quæ exoneranda eſt onere peccatorum, ne naufragio ſubjiciatur: navis item eſt baptiſmus, & iſtæ naves portant ad terram diſcipulos, Chriſto præſente, & gubernante, & trahente: & ſicut navigantibus mos eſt ſemper cœlum intendere

intendere, & inde vias sui cursus agnoscere, per diem solis indiciis, in noctibus astrorum signis: sic debet justus respicere ad solem justitiæ, & ad stellas, scilicet ad Sanctorum exempla. *Ioan. c. 6. v. 21. Ser. 1. Dom. 4. Pent.*

57. *Miracula in hoc facto à Christo operata cum discipulis continuè renovantur in nobis.*

Et statim navis fuit ad terram. Vide quot miraculis Christus suam potentiam, & misericordiam manifestavit: primò enim ambulavit super mare: secundò est erectio, & ambulatio Petri super mare: tertiò sedatio tempestatis: quartò quod subitò navim ex medio maris ad littus transtulerit. *Ioan. cap. 6. cit.* Hæcque miracula quotidie renovat, faciens nos suâ gratiâ calcare altitudinem sæculi, sedare tentationes, & ad portum nos deducendo salutis æternæ.

58. *Oratio fundenda tempore tribulationis, & quàm Deo placita.*

Cessavit ventus, &c. Et qui in navicula erant adoraverunt eum, dicentes, verè filius Dei es. Vide quomodò discipuli in tanto periculo expositi, ad Christum oratione confugerunt, ut discamus, & nos in tali necessitate positi, ad Deum in oratione confugere: est enim talis oratio Deo valdè placita, & facilius exauditur. *Ser. 1. & 2. Dom. 2. quadrag. Luc. c. 8. v. 24.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quod traditis actis à Christo à secundo Paschate usque ad tertium, ideſt actis secundi anni suæ prædicationis, supereſt tertius annus, & ultimus prædicationis Christi, scilicet à tertio Paschate usque ad quartum, quo passus est, & crucifixus; & in hoc capite reprobat primò lotiones, & alias frivolas traditiones Phariſæorum, quas legi Dei anteponebant; deindè ad preces Chananea sanat filiam ejus ob matris fidem, & obsecrandi constantiam, & tandem sanat multos mutos, cæcos, claudos, & septem panibus cibat quatuor millia hominum.

CAP. XV.

1. *Traditiones vanæ mundi, & Phariſaica rejiciendæ; ſanctæ, & ſpirituales in Eccleſia introductæ æſtimandæ & obſervandæ.*

Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ, & Phariſæi dicentes, quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum, non enim lavant manus, cum panem manducent. Primò nota, quod Moyses in lege veteri jussu Dei sanxit, ut Judæi abstinerent à contactu morticinii, & cadaveris mortui, avium rapacium, leprosi, & multarum rerum consimilium, ita ut non liceret hæc tangenti ingredi templum, nisi prius lotione lege præscripta hanc legalem immunditiam purgando expiaret, ut *Levit. c. 11.* sic enim per has lotiones excitare volebat crassos Judæos ad lotiones spirituales animæ per contritionem, & pœnitentiam faciendas: Phariſæi autem, qui volebant cæteris haberi religiosiores, totam suam sanctitatem in hac externa lotione constituentes crebro ante cibum, imò in ipsa mensa se lavabant, ideóque in nuptiis Canæ Galileæ positæ erant sex hydriæ ad hanc purificationem, & istæ lotiones instar legis fuerunt inductæ à Phariſæis, quas Christus rejecit tamquam inutiles, & vanas; & hinc ad mores etuitur, quod traditiones, & consuetudines mundanæ non sunt æſtimandæ, sed tantùm traditiones ſpirituales inductæ, ab Apoſtolis; licet Hæretici in hoc textu malè fundati omnes traditiones respuant. *Op. de sex alis Seraph. c. 3. Luc. c. 11. v. 37. op. medit. c. 38. Ioan. c. 4. v. 9. Vide lib. 3. d. 9. a. 3. qu. 2. ad ult. lib. 4. d. 8. p. 2. a. 1. q. 2. ſub. c. 2.* Nota etiam, quod hîc incuſantur Prælati illi, qui aliquando ad modum Phariſæorum magna pro parvis, & parva pro magnis, leviáque quaſi maxima ponderant, trabem feſtucam judicant, aliquando culicem deglutiendo camelum, ſic enim pro una inclinatione in choro neglecta plus accenduntur puniendo, quàm pro longa detractione de alio Religioſo excitata, gravius indignantur pro verſiculo, & rubricula neglecta, quàm pro magna perturbatione cum ſcandalo procurata, tales namque zelo proprio, & Phariſaico feruntur, & non ſpiritu Dei. *Op. de ſex alis Seraph. c. 3.*

3. *Propter ſcandalum paſſivum vanum non debemus recedere à virtute juſtitiæ.*

Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum, &c. Cur Christus vetuit Apoſtolis lotiones, quas non poterant omittere discipuli ſine ſcandalo Judæorum, cum eſſent introductæ ſpecie pietatis? ſed attende quod eſt loqui de operibus juſtitiæ, & divini cultus, & de operibus, quæ reſpiciunt noſtrum commodum temporale; illa numquam ſunt omittenda ob ſcandalum paſſivum aliorum, nec debemus de eo curare, cùm ſit ſcandalum frivolum, & vanum, & magis proveniens ex malitia aliorum; ut in Phariſæis evenit; alia autem aliquando ſunt omittenda, quando nihil detrimenti redundat in cultu Dei, nempè in triplici veritate vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ. *Op. medit. c. 38. Luc. c. 17. v. 1. op. Comil. p. 1. ſect. 31. Ioan. c. 6. v. 46.*

4. *Statuta Dei parvi pendens propter ſtatuta hominum Deo exoſus.*

Quare & vos transgredimini mandata Dei propter traditionem vestram: Arabicus legit: *propter ſtatuta veſtra?* Nota illam particulam, veſtram traditionem: quaſi dicat traditiones veſtræ, non ſunt à Deo, ſed à vobis, à veſtris craſſis Phariſæis, & Scribis, ſicque vos eſtis reprehenſione digni,

Digitized by Google

digni, quia contemnentes mandata Dei, magni facitis ſtatuta veſtra, & humana, qui enim valde æſtimant leges, & ſtatuta hominum, nihil facientes ſtatuta Dei, ſunt Deo ſummè exoſi. *Luc. c. 7. v. 30. ſup. c. 2.*

5. *Obedientia, & ſubventio parentum filiis impoſita à lege naturæ, & divina.*

Nam dixit Deus, honora patrem tuum, & matrem, & qui maledixerit patri, &c. Vos autem dicitis quicunque dixerit patri, vel matri, munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit, &c. & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem, &c. Ut intelligatur hic textus, ſciendum eſt, quod Phariſæi dicebant, filios poſſe deſerere patrem, & matrem etiam poſitos in extrema, vel gravi neceſſitate, ut munera, & obſequia templo offerrent, & hoc docebant, ut ſuo quæſtui, & lucro ſtuderent; contra quos inſurgit Chriſtus docens obligationem filiorum eſſe de jure naturali, & divino, nec Deum velle talia obſequia, quæ non poterant exerceri ſine maximo damno parentum; & hinc oritur aliud debitum, nempè filios non poſſe recipi in Religione in gravi neceſſitate parentum. *Ser. 3. op. de decem præcept. Vide lib. 4. d. 29. a. 1. qu. 3. lib. 3. d. 37. per totam.*

6. *Prælati aliquando cum manſuetudine, aliquando durè corrigant errata ſubditorum.*

Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei, &c. Hypocritæ benè de vobis prophetavit Iſaias, &c. Vide quomodò Chriſtus cum utplurimum cum manſuetudine carperet vitia, nunc durè, & rigidè corrigit Phariſæos, quia eorum hypocriſi animas perdebant, & propter proprias traditiones mandata Dei conculcabant; per quod inſtruuntur Prælati, quòd licèt debeant eſſe mites, & manſueti, & cum manſuetudine, magis quàm cum rigore tractare ſubditos, aliquando tamen debent eſſe duri, & rigidi eſſe, quando agitur de correctione offenſarum, & tranſgreſſionum manifeſtarum, quæ reſpiciunt cultum Dei, & obſervantiam Regulæ. *Op. Expoſ. Regulæ c. 10. op. de ſex alis Seraph. c. 3.*

7. *Mali ore tantùm Deum laudant: juſti ore, & corde, illi diſtantes, iſti proximi Deo ſunt.*

Hypocritæ benè de vobis Iſaias prophetavit dicens populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Nota, quod hæc verba deſumpta ſunt ex Iſaia c. 29. aſſignatque diſcrimen benè, & malè orantium, & Deum laudantium; nam impii, & hypocritæ, ore Deum laudant, & ſic videntur Deo appropinquari, ſed corde ſunt diſtantes, quia corde orant impuro, frigido; & mortuo, ideò longè ſunt à puritate ſumma, veritate, & vita, exteriùs tantùm ſe abluentes, ſed interius abſtergere ſordes non curantes; è contra juſti priùs corde appropinquant Deo per puritatem, ſanctitatem, & gratiam. *Luc. cap. 6. v. 48. Pſal 62. & 112. op. Reg. Novit. c. 1. ſer. 2. Dom. 23. Pentec. ſer. 2. Dom. 17. Pentec. ſer. 3. de S. Magd. in addit.*

8. *Non cibus, ſed tranſgreſſio præcepti coinquinat animam.*

Audite, & intelligite, non: quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem: Quomodo dicitur cibum non coinquinare hominem, quando à lege eſt prohibitus? item quomodo, quod procedit ex ore coinquinare poteſt? ſed attende ad myſterium: cibus ab extrinſeco venit, quod ex ore venit ab intrinſeco, datque intelligere, quod cibus non poteſt attingere animam, ut ipſam inficiat, ſed ſolùm quod ex corde provenit, nempe tranſgreſſio volentaria mandatorum Dei. *Op. Apol. Paup. Reſp. 2. c. 2.* Nota autem, quod Hæretici abutuntur hoc textu contrà jejunia ab Eccleſia indicta; undè dicebat impius Eraſmus; conſuetudo quædam impia diem Veneris piſculentum reddidit; dein adjuncta eſt dies Sabbathi, nunc autem periclitatur dies Mercurii, ſed malè uſurpant dictum Chriſti: Eccleſia enim non prohibet carnes, quia in ſe ſint malæ, ſed ad refrænandam gulam, & luxuriam, & ad exercendam pœnitentiam ſimul cum obedientia, undè in diebus vetitis comedens carnes peccat, non quod carnes, ſed quod ipſa inobedientia, & intemperantia comedentis coinquinant animam. *Op. Apol. Paup. ibid.*

9. *Scandalum activum vitandum, & quandonam etiam ſcandalum paſſivum.*

Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt. Si ſcandalizati ſunt, hoc fuit ex doctrina Chriſti; ſed cur Chriſtus dedit hanc occaſionem ſcandali? nonne dicebat Paulus 1. Cor. 8. ſi eſca ſcandalizat fratrem meum non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem? ſed attende, quòd duplex eſt ſcandalum, activum, & paſſivum: activum eſt dictum, vel factum minus rectum præbens alteri occaſionem ruinæ, & hoc eſt impietatis, vel verè, vel apparentis, cum quis malo exemplo animam proximi occidit, & ipſe dignus morte efficitur, eſtque ſollicitè ab omnibus vitandum: Paſſivum eſt cùm quis ſumit occaſionem ruinæ ex dicto, vel facto proximi, hocque etiam eſt vitandum, ſalva tamen veritate vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ. ſed quando hæc triplex veritas læditur, non eſt omittenda actio bona, vel doctrina, vel juſtitia ob ſcandalum alterius, quia tunc provenit ex malitia proximi, & talc fuit in Phariſæis, & in eodem ſenſu loquitur Apoſtolus. *Luc. c. 7. v. 25. & c. 17. v. 1. V. Cenſil. 1. ſect. 31.*

10. *In Eccleſiæ viridario aliæ ſunt plantæ à Chriſto, aliæ à diabolo plantatæ.*

At Chriſtus reſpondens ait; omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis eradicabitur. Nota, quòd hic plantatio ſtat pro planta, vel ſemine, vel arbore; loquiturque de hominibus ſub hac metaphora, dans intelligere, quòd in horto Eccleſiæ, alii ſunt arbores à Deo plantatæ, aliæ à diabolo; ſed hîc oritur dubium, quomodo dicit iſtas arbores non eſſe plantatas à Deo? nonne omnes homines, & creaturæ à Deo ſunt factæ? ſed reſpondetur, quod ſunt quidem creaturæ, & homines à Deo facti, & creati, & boni, & capaces bonitatis gratuitæ, ſed quia malè

Digitized by Google

mali recedunt voluntariè à Deo. & inſtigationibus, ſuggeſtionibuſque diaboli conſentientes, dicuntur ſic plantati, ideſt reprobi facti à ſua ipſorum mala voluntate & diaboli opera, qui licet ſint plantati in viridario Eccleſiæ, ſunt tamen tandem exſcindendi, & in ignem mittendi: alii verò ſcilicet boni plantati à Chriſto, ejuſque ſanguine irrigati tranſplantandi in Eccleſia triumphante. *Ser.17. Hexam.*

11. *Cæcitas Prælatorum ſpiritualis, & ſacerdotum quale malum.*

Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum, cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet ambo, &c. Loquitur hîc Chriſtus de Phariſæis ex propria malignitate ſcandalizatis; ſed quomodo cæci dicuntur, qui tam rigidi obſervatores erant operum Chriſti? ſed tamen verè dicuntur cæci, ſcilicet cæcitate ſpirituali, cæci, quia non videbant lumen veritatis, legis, & fidei à Chriſto exhibitum, ſed in ſua cæcitate, & errore obſtinati, & incorrigibiles permanebant, vide qualem cæcitatem; audientes mirabilem doctrinam Joannis, ipſum credebant Meſſiam, & tamen eamdem doctrinam audientes in Salvatore tantis ſignis, & virtutibus approbatam, & ipſo etiam Joanne atteſtante; non credebant in eum, & hinc dicuntur cæci, & duces cæcorum; cur duces cæcorum; duces cæcorum, ſcilicet populorum, & turbarum, ipſos docentes eumdem errorem, & ſecum in foveam gehennæ trahentes, per quod incuſantur ſacerdotes, & Prælati cæci, & malitioſi qui cum cæci ſint, & ignorantes, & obſcurati, & vecordes in his, quæ muneris ſui ſunt, ſubditos ſecum trahunt ad infernum; ô grande malum talis cæcitas, maximè in Prælatis. *Luc.c.3.v.15. & c.18. verſ.35. ſermon. 1. in Epiphan. op. Cenil. p. 1. ſect. 31. op. Diet. tit. 5. cap. 3. Ioan. capite 9. verſ.33.*

12. *Cæcitas ſpiritualis quàm cavenda à Clericis, Religioſis, & ſacerdotibus.*

Cæci ſunt; & duces cæcorum. Notà, quod ad litteram hæc dixit Chriſtus de Phariſæis, & Scribis, & de eorum ſectatoribus, qui cùm eſſent ſacerdotes, & Religioſi, ſimulque cæci, etiam cæcos reddebant populos, & in foveam errorum, & inferni ducebant eos; Per quod edocentur Religioſi, Clerici, & ſacerdotes, quali diligentia debent cavere à tali cæcitate, & ignorantia vitioſa; & hinc eſt, quod in feria quarta temporum, in quibus ordinationes habentur legitur lectio Propheratum, & epiſtola, in quibus deſignatur, quod omnes ordinandi in ſequenti Sabbatho eruditi debent eſſe in veteri, & novo Teſtamento, ſimulque mundi in corpore, & anima; & hinc in Sabbatho ſequenti leguntur quinque lectiones ad deſignandum, quod omnes, qui illo die Ordines conſequuntur, illuminatos debent habere ſenſus, ut populum ſibi commiſſum, eo melius regere valeant, ne de eis dicatur cæci ſunt, & ſi cæcus cæco ducatum præſtet, &c. Hoc attendant diligentiſſime Confeſſarii, & Prædicatores. *Op. Exoſ. Miſſa t. 2. op. de puritate conſcientiæ c.16. op. libell. Apologet. qu.22.*

13. *Cæcitas ſpiritualis culpæ quales effectus in anima producat*

Cæci ſunt, &c. cur cæci? cæci ob culpas, in quibus morantur, tale enim eſt peccatum, quia ſicut cæcitas corporalis facit hominem ignarum in diſcernendo, incautum in evitando, ineptum in agendo, præcipitem in eundo, ſic & peccatum mortale. *Ioan.c.6.v.53.*

14. *Cibus ſpiritualis non materialis quærendus: ubi explicatur ſenſus hujus ſententiæ Chriſti; Quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur.*

Nota, quod iſtè textus difficultatem ingerit, ex eo quod videtur falſus, cum non totum, quod in ſtomachum trajicitur in ſeceſſum emittitur, cum pars cibi purior convertatur in chilum, in ſanguinem, & ſubſtantiam aliti? Unde Porphirius, & Julianus calumniabant Chriſtum tamquam Phyſicæ ignarum; in quo ſenſu impiiſſimè errant, alii cum Magiſtro Sentent. dicunt nihil ex ſubſtantia cibi converti in ſubſtantiam aliti, ſed totum ad inferiora dilabi, & per meatus corporis, & per ſeceſſum, hominemque augeri ex ſubſtantia radicali immiſſa ex Adam abſque additamento materiæ exterioris.; quæ omnia ſunt falſa contra rationem, ſenſum, & auctoritates SS. & ideò ſenſus verborum Chriſti., eſt quod cibus, qui per os immittitur in ſtomachum, in ſeceſſum trajicitur ſecundum partem; ſcilicet partem impuriorem, licèt ſecundùm puriorem convertatur in ſubſtantiam aliti; & licet Chriſtus hoc non dicat ex preſsè, tamen id ſupponit, ſolùm afferens in medium. quod ad propoſitum intentum ordinat, ſcilicet quod cibus ſpiritualis; non materialis quærendus, & deſiderandus, & quod cibus materialis non attingit cor, nec ipſum inficit, ſed eſt tranſgreſſio præcepti. *Lib.2. d.30. a.3. qu.1. Luc. cap.8. verſ.45. Ioan. cap.6. verſ.26.*

15. Nota etiam, quod Hæretici torquent ineptè hæc verba contra realem præſentiam carnis Chriſti in Euchariſtia, undè Oecolampadius dicit; ſi caro Chriſti eſt cibus noſter., ergo ut cibus in ſeceſſum emittitur, quod abſit, cui tamen reſpondetur, quod cum in Euchariſtia Chriſti corpus ſit modo indiviſibili, & impaſſibili, à nobis comedentibus in ſe non dividitur, non alteratur, non concoquitur, ut caro communis, & per conſequens non habet fæces, quæ emittantur, omnis enim concoctio, & mutatio fit in ſpeciebus, non in corpore Chriſti: *Vide lib. 4. d.10. per totam, præcipuè p.2. a.2. per totum: &. d.12.p.3. a.2. qu.1.* Euchariſtia non convertitur in ſubſtantiam ſumentis corporalem, ſed potius è converſo habet vim convertendi ipſum ſumentem per unionem ſpecialem, & ſpiritualem, qua Chriſto unitur, & in Chriſtum transformatur.

16. *Detractio infectio eſt oris, & cordis, & totius hominis.*

Quod procedit de ore, hoc coinquinat hominem, & quæ procedunt de ore. de corde exeunt &c. Nota hanc veluti circumlocutionem, ſeu repetitionem horum verborum, quæ procedunt de ore, hæc coinquinant hominem, & quæ procedunt de ore, exeunt de corde, & hæc coinquinant hominem, ad quid ponitur in medium os, ſi tota hæc malignitas de corde procedit? nonne ſufficiebat dicere de corde exeunt &c. hæc coinquinant hominem? ſed tamen continetur maximum myſterium in his Chriſti verbis; dum enim inter os, & cor aſſignat correſpondentiam, & primo loco exponatur infectio totius hominis ex ore provenientis, ad peſſimos effectus detractionis, & ſtatum miſerabilem detractoris alludit. undè efformare videtur veluti circulum, vel fluxum, & refluxum, qui redundat inter ipſa. de ore enim contra cor, & de corde contra os, imò contra totum hominem inficiendum exit peſſimus virus, & venenum, quia enim, ait Seraph. D. lingua detractoris eſt lectus, & locus proprius diaboli, qui per ipſam loquitur, & ad cor immittit ſuum venenum, hinc & cor remanens infectum, & veluti novum venenum conficiens; ipſum ad os immittit, & diffundit per totum hominem, reddens ipſum totum infectum, & diabolicum; & ideò de hoc loquens S. Iacobus dicebat, quòd lingua maculat totum corpus; & in ſignum hujus veritatis, Deus permiſit, ut Maria Moyſis ſoror ob vitium detractionis, per totum corpus lepra inficeretur. *Ser.1. Dom.13. Pent.ſer.11. Pent. Eccleſ.c.10.v.11. Sap.c.1.v.10.*

17. *Idem argumentum de detractione expenitur.*

Quod de ore procedit &c. qua de ore procedunt, de corde exeunt &c. Vide iterum malignitatem detractionis, quæ reddit infectum totum hominem in ore, in corde, & in opere; nam ex ore promanant verba detractionis, & infamationis proximi; de corde cogitationes malignæ, judicia temeraria, ſuſpiciones iniquæ contabeſcentia livoris propter invidiam, & alia peſſima mala: ex opere, quia hinc oritur læſio proximi, infamia, & homicidium ſpirituale; ô peſſimum vitium, grande malum detractio. *Ser.4. Dom.21. Pentes.*

18. *Cor impiorum officina omnium vitiorum: Cor juſti theſaurus virtutum.*

De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria &c. Vide quomodo de homine, vel de corde hominis exeunt exercitus hoſtium contra ipſum hominem; armatur enim cor. & ex corde homo contra Deum per ſuperbiam, contra proximum per invidiam, & detractionem, contra ſeipſum per iracundiam. eſt enim ſentina omnium vitiorum, cloaca diaboli, ager plenus urticis vitiorum; & è contra cor juſti continet theſaurum virtutum & omnium bonorum. *Pſal. 118. c.3.v 4. ſer.5. Dom. infrà oct. Epiph. ſer.3. Dom.4. poſt oct. Paſchæ. op ſpec. B. Virg. lect.2. ſerm.2. Dom. ſeptuageſimæ, ſer.1.& 2.& 3. feria 2. Paſchæ.*

19. *Cogitationes pravæ ſunt fructus cordis noſtri: ſanctæ & puræ ſunt fructus ex Spiritu Sancto provenientes: ubi de cuſtodia cordis.*

De corde exeunt cogitationes malæ. Quomodo de corde exeunt cogitationes malæ ſolùm? nonne etiam cogitationes bonæ? ſed optimè dicit; cùm enim mala in corde verſamus, noſtra cogitatio eſt, ſi bona, ſermo Dei eſt, cùm omnis ſufficientia noſtra ex Deo ſit; Audiam quid loquatur in me Deus, dicebat Propheta *Pſal.*84. quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. quia Deus in nobis loquitur pacem, juſtitiam, pietatem, nec talia cogitamus ex nobis, ſed in nobis audimus; & è contra cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, blaſphemiæ, & his ſimilia de corde exeunt, nec illa audimus ſed ea dicimus; & ſi audimus, audimus ex Spiritu maligno, qui in nobis aliquandotalia loquitur. Ex quibus patet, quàm vera illa propoſitio *Ioan. c.3.* Qui de terra eſt, de terra loquitur, qui de Cœlo eſt, de Cœlo cæleſtia loquitur. *Op. de 7. itiner. æternit. itin.2. d.5. Ioan cap.3. verſ.33. ſerm. 11. in Pentec. Luc.cap.24. verſ.* 38. Ex quibus infertur, quàm ſollicitè cuſtodiendum cor, ne in ipſum intret diabolus, nec in cogitationes malas exeat, dicente Salom. Prov.c.4. omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit, Intellige & mors. *Op. de Prof. Religioſ lib.2.cap.12.& 15. ſerm.1. de S. Matthiâ ſerm. de S. Luca ſerm.4. de Apoſtol. ſerm.1. de una Mart.*

20. *Chananea oratio, & impetratio expenditur.*

Et egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri &c. & ecce mulier &c. miſerere mei &c. Nota quomodo Ieſus, ut declinaret iras, & odia Scribarum, & ut Gentilibus, quales erant Tyrii, ſuam doctrinam, & miracula, quæ Iudæi aſpernabantur; impertire inciperet, & Eccleſiam ſuam ad gentes transferret, & docere volens Apoſtolos, ut idem facerent, ſeceſſit in fines Tyriorum, & Phæniciæ, ubi ad ipſum acceſſit mulier Chananæa, ideſt de terra Chananæorum, & non Iudæorum, rogans eum, ut liberaret filiam ſuam à Dæmone vexatam, & perſeverans in oratione, fide, & humilitate armata, obtinuit quod deſiderabat. *Op. medit.c.37.*

21. *Orationis conditiones expenduntur.*

Clamavit dicens, miſerere mei &c. Quomodo hæc mulier obtinuit gratiam à Chriſto, ſi Chriſtus ipſam repulit? Sed attende ad efficaciam, & conditiones orationis; obtinuit virtute efficaciſſimæ ſuæ orationis, ejuſque efficacia conſiſtit in maxima fide de qua à Chriſto fuit commendata, in perſeverantia orationis uſque ad piam importunitatem, & tertio in profunda humilitate mulieris, ſe appellans canem, & indignam obtinendi, vel panem integrum, ſed tantùm poſtulantem aliquas ex micis, quæ cadebant de menſa miſericordiæ Chriſti; hinc, ô anima, diſce, quòd ſi corde integro, fideli, & puro te humiliaveris coram Deo, certiſſimè impetrabis poſtulata. *Op. medit.c.37.*

22. *Chriſtus*

Digitized by Google

22. *Chriſtus aliquando repellit à ſe ſuos ſervos orantes, & ſurdum ſe oſtendit, ut plus ad ſe attrahat, & majori profectu ipſos exaudiat.*

Miſerere mei, &c. & non reſpondit ei verbum. Cur ſtatim Chriſtus non reſpondit huic mulieri tam intenſi, & ferventer deprecanti? ſed attende ad pietatem Dei noſtri, qui cum ſit verè pius, & miſericors, & velit nos ipſum rogare, aliquando tamen ad noſtrum profectum majorem, & ad ſuam gloriam magis manifeſtandam, non reſpondet, nec audire orationem noſtram oſtendit, & id evenit quando Cœlum veluti æneum deſuper ei reddit, & hoc eſt, quando orans anima nullam devotionis velut rotis cœleſtis ſtillam pulſando, & clamando in oratione percipit, & terram cordis ſui ferream videtur habere, dum nullo Pſalmorum, vel orationum irriguo ad fructum compunctionis emollitur, ſed veluti mulier Chanànæa averſum à ſe Domini vultum æſtimans, peccata, ſua quaſi canis immunditiam ſibi exprobari reputat, & pane filiorum ſe arbitratur indignam; vel aliquando Deus quaſi aliis occupatus orantis affectum non curare videtur, quaſi videat, & orantem audiat, ſed non reſpondeat & aliis intentus: Sed tamen in his caſibus prudenter advertendum eſt, quòd iſta pavidæ mentis imaginatio eſt, qua durum, & auſterum ſibi proponit anima Deum, qui verè mitis, & benignus eſt, in veritate pius, & miſericors: aut eſt deceptæ mentis propria confictio, qua format ſibi idolum, credens ſe eſſe, quod verè non eſt ipſe; aut eſt diſpenſativa permiſſio ad terrendum, vel humiliandum, & corrigendum, vel ad purgandum animum, quo poſtmodum ſuavius ei benignitate Dei reſpectio, ſicut poſt experiam amaritudinem deſiderabilior fit dulcedo, & ſi non ſtatim exaudiatur, non diffidendum, ſed perſeverare debet pulſando, donec amicus, quaſi victus improbitate ſupplicantis, ei det quod poſtulat; ut mirabiliter obtinuit hæc mulier. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 67.* Sanctum verè, & neceſſarium monitum vitis ſpiritualibus.

23. *Qui vult ad Chriſtum cum fructu accedere, & clamare, debet exire à finibus gentilitatis.*

Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egreſſa clamavit, dicens, Domine miſerere mei, &c. Ecce quid tibi faciendum eſt, ô homo, ſi vis accedere ad Chriſtum, & cum fructu clamare, & impetrare quod deſideras; debes namque cum iſta muliere exire de finibus gentilitatis, ſed quid eſt hoc? quinam ſunt iſti fines? fines iſti ſunt gentiliratis, & converſationis mundanæ, fuge igitur, fuge ô homo, mundum, & mundana propter eum, qui eſt ſuper omnia, quia poſſeſſa onerant, amata inquinant, & amiſſa cruciant; & ſunt vitcula habentia aſperitatem veram, jucunditatem falſam, certum dolorem, incertam voluptatem, dutum laborem, timidam quietem, plenam miſeriam, nullam beatitudinem, & inanem ſpem; ô anima ſi hoc in mente portares, mundum, & ea, quæ ſunt in mundo contemneres, & ad Chriſtum advolares. *Op. ſoliloq. c. 2. ſer. 1. Dom. Palm.*

24. *Tribulationes animam ire ad Deum compellunt: ubi de vexatione diaboli bona, & mala.*

Clamavit dicens miſerere mei, &c. filia mea malè à Dæmonio vexatur. Vide quomodo tam ſollicitè iſta mulier gentilis ad Chriſtum converſa confugit pro remedio ut intelligamus, quòd mala, quæ nos hic premunt ad Chriſtum, & ad Cœlum nos ire compellunt, nam Deus quandoque permittit hominem tribulari, ut excitetur ad orationis ſtudium, & confugiat ad Dominum, & experiatur ejus auxilium, & ad ejus ſolatium exauditionis amplius in eo amorem ardeſcat. *Ser. 2. Dom. 2. Pemec. Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 6.* Nota autem, quòd dicit filia mea malè à Dæmonio vexatur; quid eſt malè vexari à diabolo? malè vexatur à diabolo, qui ab ipſo vincitur, benè vexatur qui ipſum vincit; vincitur autem homo à diabolo, quando ſe exaltat; vincit diabolum, & vincitur cum ſe humiliat; malè igitur vexatur à diabolo, qui ab ipſo vincitur per avaritiam in curioſa inquiſitione divitiarum, per ſuperbiam in vana inquiſitione honorum, per luxuriam in explendis voluptatibus, per mundanam ſapientiam in perſcrutatione inani ſcientiarum mundanarum. *Eccleſ. Procem Ser. 2. Dom. 1. Quadrageſ. ſerm. 2. Dom. infrà oct. Nativ. Luc. c. 22. v. 31.*

25. *Diaboli crudelitas in peccatorem expenditur.*

Malè à Dæmonio vexatur. Nota, quòd optimè dicit hæc mulier, malè vexatur à diabolo, nam vexatio diabolica eſt mala, & peſſima; qui enim ſe ſubjicit tam crudeli Tyranno, ſubjicitur innumeris malis; eſt enim dominando tyrannicus, crudelitate impius, in exigendo ſervitium laborioſum inceſſabilis, & iniquus, in reddendo ſtipendium durus, & fraudulentus; vide iterum quàm crudelis, nam ſua maligmitate excæcat rationalem errore falſitatis, & malitiæ concupiſcibilem deformat fœtore carnalitatis, & luxuriæ; iraſcibilem deordinat tumore vanitatis, & ſuperbiæ; ô quàm malè vexatur talis miſer à diabolo. *Ioan. c. 14. ad finem ſer. 2. Dom. 3. Quadrag.*

26. *Interceſſio Sanctorum, & Angelorum quàm efficax, & utilis, & præcipuè Mariæ Virginis.*

Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum dicentes, dimitte eam, quia clamat poſt nos. Diſcipuli commoti miſericordia, vel etiam importunitate mulieris rogaverunt Chriſtum, ut ipſam liberaret; per hoc edocemur, quòd in neceſſitatibus debemus ad Deum clamare, & Sanctos invocare, & Angelos, ut pro nobis intercedant apud Deum, & ſic perſeveranter clamare uſque ad fores palatii cœleſtis regni, ita ut Angeli, Virgines, Martyres, Apoſtoli audiant, & dicant, dimitte eam, quia clamat poſt nos, & hoc præcipuè ad aures Mariæ Virginis, qui cum ut Regina miſericordiæ audiet clamorem noſtrum. *Ser. 3. Dom. 2. Quadrag. op. medit. cap. 37.*

27. *Panis eleemoſynæ dandus filiis, ſcilicet pauperibus, non canibus.*

Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Nota ad litteram, quòd Chriſtus expreſſit ſuis diſcipulis, quod aliàs docuerat, nempè priùs prædicationem faciendam Iſraëlitis, poſteà gentilibus, ſed myſticè docet divites, quod panis, & divitiæ quæ eis ſuperſunt dandæ ſunt filiis, ſcilicet pauperibus Chriſti, non canibus, & beſtiis. *Luc. c. 16. v. 21. Pſal. 108. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. Ioan. c. 15. in fine. ſer. 5. Dom. 2. Quadrag.*

28. *Oratio cum humiliatione diſpoſitio neceſſaria ad dignam receptionem panis divinæ gratiæ.*

Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Nota, quòd patenter in his verbis Chriſtus docuit panem miraculorum, & ſuæ cœleſtis gratiæ non eſſe dandum indignis, ſed tantùm filiis, & cùm hoc ſit veriſſimum; quomodo poſteà liberaliter ipſum impertivit huic mulieri gentili, quam nomine canis declaravit indignam? Sed vide fidem, & conſtantem, & perſeverantem orationem hujus mulieris qua ſe dignam reddidit recipiendi panem filiorum, ut diſcant & peccatores, & juſti quid ſibi faciendum eſt, ſi volunt à Chriſto recipere hunc panem divinæ gratiæ: peccatores inquam, qui indigni ſunt, fiant digni per fidem, humilitatem, contritionem, & orationem; juſti verò inſtanter quærant à Deo hunc panem, quia ad tam magna dona nemo ſe reputare debet dignum. *Ioan. cap. 2. verſ. 7. Luc. capit. 11. verſ. 8.*

29. *In orationis exordio captanda eſt benevolentia à Deo.*

Miſerere mei, fili David. Cur Chriſtum hæc mulier appellat filium David, & non potiùs Dei, cum ipſum interiùs illuſtrata recognoverit Meſſiam miſſum à Deo; hoc fecit inſtinctu Spiritus Sancti, quia hoc nomen ſonat benevolentiam, benignitatem, & manſuetudinem, & ideò in principio tamquam bona oratrix voluit captare benevolentiam à Chriſto, ut faciliùs exaudiretur. *Sap. c. 3. Pſal. 101.* Vide igitur, ô anima qualiter te exerceas in rhetorica cœleſti, & qualiter captanda ſit benevolentia à Deo, nempè humiliatione ſui, & conſideratione altiſſimæ bonitatis divinæ,

30. *Orationis clamor optimus nuncius, eſt ad aures Dei.*

Clamavit miſerere mei, &c. dimitte eam, quia clamat poſt nos. Quomodo dicitur clamare inceſſanter hæc mulier, ſi tantum quatuor, vel quinque verba in ſua oratione protulit? quia clamavit quidem voce exteriori ad Chriſtum, ſed magis interiori, quia voces valentiores apud ſacratiſſimas aures Dei faciunt non multa verba, ſed deſideria; & talis clamor optimus nuncius eſt apud Deum. *Ser. 2. Dom. 2. Quadrag. Pſal. 118. verſ. 146.*

31. *Clamor orationis debet emitti in tribulationibus.*

Clamavit: Cur? quia, *filia mea malè à Damonio vexatur.* Per quod intellige, quòd in tribulatione clamandum eſt ad aures Dei; quatuor autem ſunt, quæ faciunt homines clamare, ſcilicet aqua tribulationis, ignis infernalis periculum, gladius, ſcilicet judicialis, & beſtia infernalis, nempè quando homo opprimitur tribulationibus, quando in peccato mortali, & in ſtatu damnationis exiſtit, & per conſequens ſubjectus pericul judicii, & ſententiæ Judicis ſupremi, & quia ſe videt circumdatum lupis infernalibus ipſum invadentibus. *Sermon. 2. & 3. Dom. 2. Quadrageſimæ.*

32. *Deus exigit in noſtra oratione non ſolùm fidem, humilitatem, ſed & importunitatem.*

Etiam Domine nam, & catelli edunt de micis, quæ cadunt, &c. Nota conditiones orationis hujus magnæ mulieris, nam ejus oratio non ſolùm cum fide maxima, & cum humilitate facta eſt, ſed & cum importunitate; nam cum Chriſtus ipſam repellere videretur pluries, tamen perſeveranter, & cum ſancta importunitate proſecuta eſt uſque ad totalem impetrationem; exigit enim Deus præcipuè perſeverantiam, & veluti perſeverantem importunitatem; ſic enim oratio Deo charior, & efficacior redditur. *Ser. 5. de uno Confeſſore. Op. medit. c. 37.*

33. *Sanctorum ſuffragia ſunt micæ, quæ cadunt de menſa Dei.*

Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Vide, quod mulier ſentiens ſibi à Chriſto negatum panem, ad micas cadentes de ſua menſa mentem, & linguam revolvit, & quænam ſunt iſtæ micæ? ſed attende, quod prius ipſa audierat Apoſtolos pro ſe intercedentes, & confidens ſe exaudiendam petit micas, ſcilicet fructum ſuffragiorum Sanctorum Apoſtolorum, ut quod ſua indignitate non poterat percipere, ſaltem dignitate, & meritis Sanctorum impetraret, & optimè id ſenſit, nam ſuffragia Sanctorum, & gratiæ, quæ ipſis intercedentibus nobis adveniunt, ſunt micæ cadentes de menſa illa opipara Cœli. *Sap. c. 3.*

34. *Quod canibus negatur à Chriſto, datur catellis.*

Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus: etiam Domine, nam, & catelli edunt de micis, &c. Vide, quòd mulier Chriſto neganti panem canibus reſpondens proponens non canes, ſed catellos fame labefactos; catelli iſti ſunt peccatores humiles, & contriti, per quod datur intelligi, quod iſtis Deus libenter impertit panem, & cibum & gratias. *Ser. 5. Dom. 2.* Si igitur ô homo caſu fuiſti crudelis, & iniquus, fac te catellam, humilia te coram Deo, recognoſce tuam indignitatem, & ut catellus ad ipſum fidenter accede, & habebis panem Cœli.

35. *Non canibus, ſed catellis datur à Chriſto panis Euchariſtiæ.*

Etiam Domine, nam & catelli edunt, &c. Qui ſunt canes, quibus negatur panis? qui catelli, quibus conceditur? Canes ſunt peccatores exiſtentes in peccato, ſcilicet avari, guloſi, detractores, iſtis non conceditur panis Euchariſtiæ, & ſi aliquando conceditur, id eſt in ipſorum damnationem, nam multi in Paſchate recipiunt ipſum, ſed ſtatim poſt vomitum ad ipſum redeunt; ſcilicet ad peccata; conceditur autem catellis humilibus, qui fide, devotione, contritione, & oratione ad menſam Chriſti accedunt. *Ser. 3. Dom. 2. Quadrag.*

36. *Fidei effectus in anima expendantur.*

O mulier magna eſt fides tua. Cur magna? ſed attende ad ordinem quo proceſſit iſta mulier coram Chriſto; nam primò egreſſa eſt à finibus Tyri, & Sidonis, & præparavit ſe ſecundum interpretationem nominis ſui, Chananæa enim interpretatur præparata; quia ſe præparavit per captivationem intellectus ad credendum primæ veritati propter ſe, & ſuper omnia, & ſic ſe elongavit a mala ſocietate infidelium, poſteà clamavit cum animi ſanctitate in affectiva potentia, & tandem cum ſedulitate propoſiti in operativa, & hinc recepta lucis veræ ſublimitate ad altam ſanctitatem provecta, ut meritò Chriſtus diceret, ô mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. *Serm. 1. Dom. Palm. Luc. cap. 11. verſ. 27. & cap. 7. v. 9.*

37. *Fidei effectus iterum expendantur.*

O mulier, magna eſt fides tua. Cur dixit Chriſtus magna eſt fides, & non potius humilitas, vel oratio? meritò laudatur fides, quia hæc eſt donum primarium, in quo omnes virtutes fundantur, & donum eſt aliorum donorum impetrativum, quia cæteris imperat, & ipſa etiam ſimul cuſtodit. *Luc. cap. 17. verſ. 5. Opuſc. Comp. Theol. lib. 3. c. 19.*

38. *Oratio fundata in fide omnia bona impetrat.*

O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Nota, quòd dicit ſicut vis; ergo totum factibile reponitur in voluntate hujus mulieris? maximè, quia oratio fundata in fide impetrat omnia bona ſpiritualia, & temporalia. *Sermon. 3. & 7. in Regat.*

39. *Expenditur iterum humilitas, fides, & oratio hujus mulieris, & ad finem trahitur.*

O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis. Nota hanc largiſſimam conceſſionem à Chriſto factam huic mulieri, fiat tibi ſicut vis, quæ eſt conceſſio ſine termino; non enim dicit, ſicut petiiſti, ſed ſicut vis; ſcilicet non ſolùm ſanitas mulieris, ſed quidquid aliud deſideras; cur ergo tam amplam exhibet promiſſionem? meritò tali modo mulier tractatur à Chriſto, quia eximia fuit ejus humilitas, devotio, fides, oratio, perſeverantia, modeſtia, charitas, reſignatio, prudentia; meritò inquam (*ait S. P. Chryſolog.*) quæ ſe canem confeſſa eſt, in hominem commutatur, meritò adoptatur in filiam, levatur, & honoratur ad menſam, quæ ſe ſub menſa laudabili humilitate, dejecit; Vide quàm hoc ſit verum ex verbis ipſius; etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum; vox quidem (ait Seraph. D.) digna, & propria peccatoris contriti, converſi, humiliati, quaſi dicat, omninò ita eſt, veriſſimum dicis, mi Chriſte, agnoſco enim me vilem canem, nec par eſſe, ut panis filiorum, ideſt gratia miraculorum, Meſſiæ Judæis promiſſo mihi gentili, quaſi cani detur, ſed tamen canes, & catelli ſolent edere de micis panum, quæ cadunt de menſa dominorum, & filiorum ſuorum, nutri ergo me ut catellam tuam, quia non poſſum relinquere menſam Domini mei, cujus catella ſum, quod ſi pede, vel fuſte, abigas, recedam, ſed per aliam portam, ut catella rurſum intrabo, verberibus non cedam; da igitur, ô Domine, benigniſſimè, tantùm micam, ideſt minimam gratiam ſanctis filiæ meæ, mihi gentili detur à te mica gratiæ, & miſericordiæ. Judæis verò filiis ſervetur integer panis promiſſionis, & juſtitiæ. Vide igitur quomodo Chananæa ſtringit Chriſtum prudenter, modeſtè, & nervosè ſua ipſius ſententia, atque humili fide, & ratiocinio ipſum vinci volentem, oratione, & ratione vincit, imò (ait Chryſoſtomus) Chriſtum ſuis verbis irretit, comprehendit, & capit; & hinc meritò Chriſtus quaſi admirans exclamat, ô mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis, & ſanata eſt filia ejus ex illa hora: hæc ad mentem Seraph. Doctoris, S. Hilarii, Chryſoſtomi, Hieronymi, &c.

40. *Chriſtus aſcendebat ſæpè ad montem, ut ſuos invitaret ad aſcendendum, & volandum in altum ad Cælum.*

Et cum tranſiſſet indè Jeſus venit ſecus mare Galilæa, & aſcendens in montem ſedebat ibi, & acceſſerunt ad eum turba multa, &c. Cur poſt hæc Chriſtus aſcendit ad montem, dum ipſum tot turbæ ſequerentur? cur ipſas compulit ad talem laborem, & fatigationem? Sed nota, quòd omnis Chriſti actio noſtra inſtructio eſt: in montem aſcendit, ſicuti ſæpè ſolebat, ut quaſi avis teneros fœtus provocaret ad volandum, ut ſcilicet ſuos ſequaces erigat ad ſuperna, & cœleſtia meditanda, ſedebatque ibi, ut demonſtraret non niſi in cœleſtibus requiem eſſe quærendam: & hinc eſt, quòd præcipua myſteria Chriſtus in monte celebravit, quia mons eſt locus eminens, & à terrenis ad cœleſtia porrectus, & magis idoneus contemplationi, & orationi. *Luc. c. 9. v. 28. ſeq. Joan. collat. 40. ſer. 2. Dom. 16. Pentec. S. Hieron. Gloſſa, Rabanus.*

41. *Ad Chriſtum Medicum invitantur ægroti.*

Et acceſſerunt ad eum turba multa habentes ſecum mutos, claudos, debiles, & alios multos, & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos. Ecce qua ſedulitate, & diligentia ducti fuerunt iſti tot infirmi, ad Chriſtum Medicum, ut ſanarentur

tur à languoribus ſuis, per quod datur nobis intelligentia, quòd nos, qui ſumus infirmi ſpiritualiter ſequi debemus Chriſtum per deſertum pœnitentiæ & aſperitatis, ut à noſtris infirmitatibus liberemur, ipſe enim eſt Medicus miſſus à Patre in terram, ut omnes infirmitates curaret. *Sermon. 1. Dom. 4. Quadrag. ſermon. 3. Dom. 14. Pentec.*

42. *Poſt triduum pœnitentiale anima à Chriſto reficitur.*

Miſereor turbæ, quia jam triduo perſeverant mecum, & non habent quod manducent. Vide quomodo Chriſtus non ſolùm ſanavit infirmos, ſed & turbas refecit corporaliter: In quo facto notandum, quod ideò pavit eas, quia triduo ſecutæ ſunt, & perſeveraverunt manere cum Chriſto, per quod datur nobis intelligi, quòd qui vult à Chriſto reficiſpiritualiter, debet per triduum ſequi Chriſtum, & cum ipſo perſeveranter manere; triduum autem hoc eſt contritio, confeſſio, & ſatisfactio, hoc triduo debet anima perſevera e toto tempore vitæ cum Chriſto, qui recedere vult à diabolo; & reficiàChriſto ſeptem panibus, ſcilicet donis Spiritus Sancti. *Sermon. 5. Dom. infrà oct. Epiph. ſerm. 3. Dom. infrà oct. Aſcenſ. Luc. cap. 4. v. 2. ſermon. 1. Dom. 6. Pentec.*

43. *Cum deficiunt humana auxilia, tunc ſuccedunt divina; ubi de providentia divina.*

Miſereor turbæ, quia jam triduò perſeverant mecum, & non habent quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Cur in tertio die ſolùm turbas pavit? Cur non in ſecunda die? reſpondent Sancti, quia adhuc erat illis cibus, nec devenerant, ad extremam inopiam, cùm autem tertia die redacti eſſent ad extremam neceſſitatem, nec poſſent induſtria humana ſibi providere cibos in illo deſerto, tunc Chriſti auxilium advenit, & miraculo inſigni eos ſaturavit, ut videas, quod quando humana auxilia deficiunt, tunc divina adveniunt, & ſuccurrunt, ut diſcamus, quod numquam debemus deſperare de auxilio divino, etiam in deſperatis caſibus; & hinc confidere debemus in Dei providentia, quæ oeqlatiſſima, eſt ſuper nos, & habens curam ſollicitam noſtri non ſolùm in rebus ſpiritualibus, ſed & corporalibus, undè clamat inceſſanter quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. *Serm. 3. Dom. 14. Pentec. Luc. cap. 12. v. 6. & 22. ſermon. 1. Dom. 6. Pentec.*

44. *Chriſtus paſcit ſpiritualiter, & corporaliter ſuos: ubi de triplici indigentia hominis.*

Miſereor ſuper turbam, &c. nec habent, quod manducent. Nota, quòd miracula à Chriſto facta corporaliter ordinata ſunt ad ſpirituale bonum hominum, ſicut & iſtud hîc ab Evangeliſta narratum; in quo primò nobis occurrit maxima indigentia ubi corporalis iſtarum turbarum, per quam ſignificatur triplex indigentia, qua homo exterior, & interior opprimitur, & ad quam ſublevandam venit Chriſtus: prima eſt corporalis, ſecunda eſt indigentia panis ſpiritualis doctrinæ Chriſti contra cœcitatem ignorantiæ: tertia indigentia ſpiritualis refectionis ſacramentalis contra tepiditatem ignaviæ; & acediæ, ad quas ſupplendas Deus continuè nobis ſuppeditat cibum corporalem, prædicationem verbi Dei, & exhibitionem Sacramenti Euchariſtici. *Serm. 1. Dom. 6. Pentec.*

45. *Chriſtus ſuis exhibet ſeptem panes cæleſtes; diabolus ſeptem panes inferni.*

Unde in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam. Vide quòd diſcipuli videntes ſe in deſerto diſquirant quomodo poſſent ſaturare tantam turbam, non advertentes, quòd ſicut ſuprà Chriſtus ſatiavit quinque panibus tot millia hominum, idem & nunc poterat facere, ſicut & verè fecit, ut confunderet eorum humanam rationem, & oſtenderet ſuam infinitam potentiam. Advertendum autem, quod notanter dicitur hæc proviſio miraculoſa facta in deſerto, per quod alluditur quadruplex deſertum ſeu ſolitudo myſtica, in qua proponuntur panes, alia eſt mundus, alia Eccleſia, alia eſt anima, & alia eſt Cœlum; In hoc mundo diabolus proponit ſeptem panes ſuis ſequacibus, ſcilicet ſeptem vitia capitalia; Chriſtus autem nos invitat in ſecundam ſolitudinem, ſcilicet Eccleſiam ſuam, in qua proponuntur ſeptem panes, ſcilicet Sacramenta Eccleſiaſtica, quibus reficitur mirabiliter anima, in tertia ſolitudine, ſcilicet cordis paſcit Chriſtus hominem ſeptem panibus donorum Spiritus Sancti, ut poſtea in ſolitudine myſtica Cœli perpetuò refreiatur ſeptem aliis panibus, nempè quatuor dotibus corporum & tribus animæ, ſcilicet claritate, ſubtilitate, agilitate, & impaſſibilitate, cognitione, dilectione, & fruitione, ſeu tentione æterna. *Serm. 2. Dom. 6. Pent. Op. Comp. Theol. lib. 6. c. 5.*

46. *Miſericordia Chriſti ſuper turbam multiplex expenditur.*

Miſereor turbæ, &c. cuinam turbæ miſereor ſuper turbam, ſcilicet viventium in terra, quibus multiplicem miſericordiam exhibet, & corporaliter, & ſpiritualiter; ſecundo ſuper turbam quieſcentium in ſepulchris, quia eos reſuſcitabit in die judicii: tertiò ſuper turbam gementium in pœnis Purgatorii, quia vult, ut ab Eccleſia, & à nobis ipſis porrigantur ſuffragia & quartò ſuper turbam fruentiũ in Cœlis, ut reparentur per glorificationem hominum ruinæ Angelorum. *Ser. 3. Dom. 6. Pentec.*

47. *Septem panes item ſpiritualiter proponuntur à Chriſto ad refectionem animarum.*

Quot panes habetis? Septem: Cur ſeptem? quia ad ſeptem capita reducitur omnis refectio ſpiritalis animæ: primus autem panis, eſt doloris pœnitentiæ, de quo dicebat David Pſal. 41. fuerunt mihi lachrymæ, panes die, ac nocte, & Pſal. 126. ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris: ſecundus eſt panis laboris, & juſtitiæ, de quo Pſal. 127. Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit: tertius eſt panis inſtructionis, & doctrinæ, de quo Chriſtus Matth. c. 4. non in ſolo pane, &c. ſed in

omni

omni verbo, &c. quartus panis Euchariſtiæ, de quo *Ioan.c.6. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt:* quintus panis conſolationis internæ, de quo *Sap. c.16. Panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore:* ſextus eſt panis contemplationis ſupernæ, de quo *Prov.9.* Venite, comedite panem meum: Et per hos ſex panes tandem venitur ad ſeptimum, ſcilicet convivii cæleſtis, ſic juſti de pane ad panem perveniunt, in quo ſtatu eſt ſaturitas, & refectio plena ſine ulla penuria. *Luc.c.* 14. *verſ.*15. *ſer.7.Hexam.*

48. *Ad menſuram ſuæ potentiæ, videtur Chriſtus exercere ſuam miſericordiam in nos.*

Miſereor turbæ, &c. O quàm lata, quàm magna eſt Chriſti miſericordia ſuper turbam omnium hominum, quia cum in ipſo ſit plenitudo omnipotentiæ veritatis, & ſapientiæ, etiam ipſam exercet in aperiendo fontem omnium gratiarum in nos, undè poſt expreſſam miſericordiam ſuam perfectè refecit, & pavit turbas. *Vide Ioan. collat.6 ſer.*1. *Dom.6.Pent.*

49. *Chriſti miſericordia fons, ex quo dimanant omnia flumina gratiarum.*

Miſereor turbæ, &c. Quid indè? Ecce ex tali miſericordia Chriſti refectio plena turbarum, ut videas, quod Chriſti miſericordia eſt fons pleniſſimus omnium theſaurorum, & donorum, ex quo derivant in nos omnia flumina gratiarum & donorum, & bonorum naturalium, & ſupernaturalium, undè dicit S. Joan. *c.*1. quod de plenitudine ejus accepimus omnes gratiam pro gratia, ſcilicet virtutem ad ſubſiſtendum, & operandum, doctrinam ſapientiæ ad cognoſcendum, dona gratiarum, & virtutum ad rectè, & benè vivendum; gratiam pro gratia, ſcilicet non ſolùm aurum, & argentum, & bona tranſitoria, ſed gratiam gratis datam, & gratum facientem ad ſanctè vivendum in hac vita, & gratiam finalem, & conſummativam ad benè vivendum in gloria: ô infelix, qui non exhaurit dona de iſta tanta plenitudine fontali. *Ioan.collat.*6 *ſer.*5. *Dom.*5. *Pent.ſer.*10. *in Regæ.*

50. *Perſeverantia ſola ad convivium æternum Dei conducit.*

Miſereor turbæ, quia triduo jàm perſeverant mecum. Vide ad quoſnam dirigitur convivium à Chriſto præparatum, nempe ad perſeverantes manere cum Chriſto; nam perſeverantia convivantes in convivio Chriſti non ſolùm perſeverare facit uſque ad convivii temporalis terminum, ſed & introducit in convivium ſine termino æternum, ubi eſt refectio mentis excellentiſſima, & ſatietas. *Op. de dono fortitud.c.*3.

51. *Deus numerat omnia noſtra opera bona, ut mercedem dignam eis tribuat.*

Quia ecce jam triduo ſuſtinent me, & non habent quod manducent. Nota illud verbum, ecce jam triduo, &c. ut videas, quod Deus numerat dies perſeverantiæ noſtræ, omnia etiam minima quæque numerat, vel ut præmiet, vel ut puniat. omnes vitæ noſtræ dies, omnes numerat horas, ac momenta; omnes tum animæ, tum corporis greſſus, omnes actus, verba, & cogitationes; Vide igitur, quod non otioſis, ſed operantibus, & perſeverantibus merces detur à Chriſto, ſicut & pœna malis, & malè operantibus. *Ser.*1. *& 3. Dom ſeptuageſima. Ser.*2. *Dom.*8. *Pentec.* Et hinc dicunt Reges, & Principes, & Domini famulorum numerare annos, & opera, ut meritis præmia aſſignent.

52. *Sine Chriſto deficit in via omnis homo.*

Et ſi dimiſero eos jejunos deficient in via. ô quàm verum; ſi nos Dominus jejunos dimiſerit, deficiemus in via; etenim ſi cibum divina manus non ſuppediter, quis vitam poteſt conſervare? & ideò dicit Chriſtus, Ego ſum via, veritas, & vita, ut intelligamus, quod à Chriſto, & per Chriſtum eſt totum noſtrum eſſe, noſtrum noſſe, noſtrum velle, quod ipſe illuſis eſt veritas, errantibus via, mortuis vita, fatuis ſapientia, infirmis medicina, captivis redemptio, famelicis refectio, & hinc ſine ipſo omne factum eſt nihil: *Pſal.*71. *&* 101. Patet ergo, quod nos non habemus, quid manducemus, niſi ipſe det, & in via deficimus, ſi nos jejunos dimittit, & ſinè ipſo nobis non poſſumus in aliquo ſpirituali negotio providere. *Op.medit.c.*34.

53. *Sine Euchariſtico pane deficit homo in via.*

Et ſi dimiſero eos jejunos, deficient in via. Ergo ne deficiant in via provideri debent pane, & quo pane? pane ſcilicet Euchariſtico; periclitatur enim, ait S. Hieron. qui ſine cæleſti cibo ad optatam manſionem pervenire feſtinat; pane igitur hoc cæleſti nos ditavit Chriſtus, quo anima mirabiliter confortatur in laborioſis hujus vitæ actionibus, & tentationibus, donec perveniat uſque ad ſanctum montem Dei Oreb, ſcilicet ad Cœlum. *ſer.*5. *in Cœna Domini:* & hinc eſt, quod ſub ſpeciebus panis inſtituit hoc ſacramentum, ut ſicut Angelos viventes ſpiritus cibat Deus verbo increato, ſic homines mortales cibat verbo incarnato in ſacramento ſuſcepto, ſine quoad nihilum tendunt, & ad mortem ſempiternam. *Ser.*5. *in cœna Domini: op. Præpar. ad Miſſam c.*7. ergo Domine Jeſu ne dimittas me quaſi jejunum, ne deficiam in via.

54. *Avarorum excuſatio in eleemoſynarum exhibitione retunditur.*

Unde nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam? Ecce typus Avarorum ſe excuſantium, & negantium largitionem eleemoſynæ pauperibus, nam iſti diſcipuli cum aliâ vice vidiſſent Chriſtum quinque panibus ſaturaſſe tot millia hominum, debuerunt reſpondere, Domine, jam ſemel majorem turbam ſaturaſti paucioribus panibus, poteris & idem nunc facere cum iſta, ſed nullum verbum de hoc faciunt, ſolùm rei difficultatem opponunt; & hoc eſt, quod crudeles avari dicunt, ne pauperibus ſuas facultates diſtribuant, nempè undè potero pauperes paſcere, qui familiæ alendæ neceſſaria non habeo? ſi pauperi eleemoſynam dedero, pauper ipſe fiam, &

Digitized by Google

& familiâ ; ſi verò ludere, ſi voluptati, ſi libidini ſervire volunt, facilè reddunt omnia, amplamque pecuniam exhibent , & hoc eſt , quod dicitur *Luc.c.19.* quando diſcipuli Chriſti voluerunt ſolvere Aſinam ad uſum, & præceptum Chriſti , inſurrexerunt Domini Aſinæ , dicentes , quid facitis ? quare ſolvitis pullum ? Domini enim mundanorum impedientes eleemoſynas, & opera bona miſericordiæ ſunt voluptates , honores , cupiditates, quæ reſiſtunt gratiæ Dei. *Luc. c.19. v.35. & cap.16. verſ.2.ſeq. Chryſoſtom. & Gloſſa hic.*

55. *Eleemoſyna promptè exequenda ad vocem Domini , & clamorem pauperis: eſt enim ſemen glorioſæ meſſis.*

Quot panes habetis ? ſeptem. Vide quomodò diſcipuli prompto animo Domino obtulerunt panes, quos habebant, nec tergiverſati ſunt dicentes , ſi panes turbæ ; præbemus , quid nos manducabimus ? ut diſcas , quod ſi pauper eleemoſynam petit , imò Chriſtus in paupere, promptè , & abſque tergiverſatione ipſi præbeas , & hilariter , quia qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur , & qui de panibus ſuis cibat pauperes, locupletabitur divitiis temporalibus, & ſpiritualibus , & acquiret honorem gloriæ in Cœlo. *Ser.1.Dom.1.poſt oct.Pent.*

56. *Chriſtus noſtrum ſervitium accipit pro beneficio ipſi exhibito.*

Miſereor turbæ, &c. quia ecce jam triduo perſeverant mecum : Legit S.Marcus, *ſuſtinent me.* Quid eſt perſeverant , & ſuſtinent me : ſuſtinent patienter ſequendo , & audiendo prædicationem meam : Ecce quàm curialis , & gratus eſt Chriſtus , nam cum magnam miſericordiam gratis turbis exhiberet , ſanando infirmos , prædicando eis verbum Dei , docendo viam ſalutis , & cum de tantis beneficiis maxima obligatione tenerentur , tamen quaſi pro beneficio ab eis recepto ſic loquitur, cum in veritate ipſorum bonum eſſet , & non ſuum, ſed ſic, ſic eſt , ut alibi dicit Prov.8. delitiæ meæ eſſe cum filiis hominum, cum ſibi nihil boni accreſcat , nobis autem proveniat ſalus , illos autem , qui eum ſequuntur , & præcepta , & monitiones ejus cuſtodiunt diligit Dominus , nec manum ſuam eis claudit, quin ſubveniat , cum expedit eis. *Op. meditat. cap.34.*

57. *Chriſtus ſibi ipſi rigidus, & auſterus, nobis largus , & miſericors, & miſerator omnipotens.*

Et accipiens ſeptem panes, & piſces, gratias agens fregit , & dedit diſcipulis , & diſcipuli populo , & comederunt omnes , & ſaturati ſunt. Vide hîc quomodo poſt verba facta Chriſtus fecit , nempè miraculum multiplicationis panum ; quâ ſaturati ſunt tot millia hominum ; per quod ſuam pietatem , & omnipotentiam manifeſtavit : notandum autem diligenter quod non invenitur, quod hac potentia uſus umquàm fuerit pro ſe , vel pro diſcipulis ſuis , legitur enim quod diſcipuli vellebant ſpicas , ut famem expellerent , & de ipſo, quod fatigatus ex itinere miſit diſcipulos ; ut emerent cibos , quos tam facilitèr poterat creare, vel multiplicare , & tamen non fecit , pro turbis autem tot miracula fecit ad ipſorum refectionem plenam , ut diſcamus , quod ſicut Chriſtus ſibi ipſi auſterus , & rigidus erat, aliis autem pius , & miſerator , & largus , ſic & ſervi Dei debent eſſe : *Op.medit.c.17.* Audiant , & diſcant Prælati Chriſtiani , maximèque Religioſi quales eſſe debeant in ſubditos : *Op. de ſex alis Seraph.* Conſpice ergo Chriſtum multiplicantem panes , & aſpicientes illos comedentes , & in jucunditate illorum lætantem , ô quàm bonus Dominus , & pius , & miſericors , & miſerator. *Op.medit.c.34.*

58. *In convivio mundi omnes fame torquentur : In convivio Chriſti omnes ſaturantur.*

Manducaverunt , & ſaturati ſunt. Vide quos fructus parturit menſa à Chriſto ſuis præparata; omnes ſaturati ſunt , nam qui ad convivium Chriſti admittitur, ſaturatur ab ipſo , ſcilicet panibus gratiæ , donorum Spiritus ſancti , & tandem gloriæ cæleſtis ; è contrà in convivio mundi omnes fame torquentur , quia tantùm ſiliquæ porcorum eis apponuntur, quæ onerant ventrem, non ſatiant , & ideo mundi ſequaces ſunt ſicut canes impudentiſſimi boliſmum patientes , qui numquam ſaturari poſſunt in hac vita, ſolúmque eis ſupereſt ſaturitas in inferno, ubi ſaturabuntur non melle beatitudinis, ſed felle æternæ amaritudinis , & tormentorum multitudine. *Serm.5. Dom.6.Pentec.*

59. *Opera miſericordiæ locupletant temporaliter , & ſpiritualiter.*

Et quod ſuperfluit de fragmentis tulerunt ſeptem ſportas plenas. Vide quomodo in hoc convivio tot millia hominum ſeptem panibus à Chriſto multiplicatis ſaturati ſunt , & ſuperfuerunt ſeptem ſportæ fragmentorum. Ex quo apparet quanta ſit largitas Domini in nos , qui nón ſolùm ad neceſſitatem , ſed & ad voluptatem nobis providet : Myſticè autem datur intelligi per ſeptem panes, quòd per ſeptem opera miſericordiæ corporalia , & ſpiritualia homo locupletatur in merito augmentando dona ſpiritualia gratiæ , & etiam bona temporalia. *Ser. 1. & 2. Dom. 1. poſt oct.Pentec ſer.5.Dom.6.Pentec.S.Bern.ſer.3.de ſeptem panibus.*

60. *Fragmentorum collectio Sancto Franciſco ordinata.*

Et quod ſuperfuit de fragmentis tulerunt ſeptem ſportas. Cur voluit Chriſtus , ut colligerent fragmenta, ſeu micas , quæ remanſerunt ? ad literam, ut pateret magis magnitudo miraculi : myſticè iſtæ micæ ſunt fragmenta , ſeu capitula principalia Evangelii , quæ colligenda primò Apoſtolis juſſit, & ſecundò S. P. Franciſco, qui volens regulam ſuo Ordini tradere obſervandam, & ad Deum in oratione confugiens elevatus eſt in extaſim , tuncque ſibi videbatur de terra micas panum ſubtiliſſimas collegiſſe , multiſque Fratribus famelicis ipſum circumſtantibus debere tribuere, cumque micas tam tenues diſtribue-

re

re formidaret, ne fortè inter manus exciderent, vox ei de ſuper ait, Franciſce unam de micis omnibus hoſtiam facito, & manducare volentibus tribue, quo id agente, quicumque illud non devotè recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti notabiles apparebant; cum autem non perciperet myſterium, ſequenti die cum vigil in oratione perſiſteret, hanc vocem de Cœlo audivit: Franciſce micæ præteritæ noctis verba Evangelica ſunt, hoſtia regula, lepra iniquitas inobſervantium; per quod intelligitur, quòd S. Franciſcus deſtinatus à Chriſto fuit ad colligendum fragmenta panis Evangelii, & ſub compendio unius Regulæ ipſam volentibus obſervare, tamquam ſequacibus Chriſti, & Apoſtolorum, exhibendam & per ipſam ad ſaturitatem cæleſtem omnes ſuos imitatores perducendum. *Op. Legend. S. Franc. c. 4.*

61. Nota etiam, quòd ex hoc loco inducta eſt in obſervantibus Religionibus ſancta conſuetudo colligendi micas in fine menſæ, ne depereant, ſicut habetur in vita B. Odonis Abbatis apud Surium die 18. Novembris: habentur autem hæc verba in cap. 14. vitæ Abbatis. Micas ex panum ſectione decidentes ſinguli colligebant & antè lectionis finem cum benedictione ſumebant. finita lectione, nec illas, nec cibum ullum quiſpiam capere auſus erat; has autem micas aliis cibis ſacratiores exiſtimabant propter miraculum: nam cuidam monacho moribundo, qui micas ſinebat cadere à menſa, dæmon ſacculum micis plenum oſtentavit ſæpius terens hominem; & ſe crucis ſignò munire, ac vociferari cogens, ex quo factum eſt, quod ex ind. magno ſtudio micæ illæ à Religioſis colligebantur; ibidemque c. 17. narratur micas in manu Religioſi eas ſtudioſe colligentis in margaritas fuiſſe converſas, quæ poſtea ornamento cuidam Eccleſiæ intextæ ſunt. Et Drexellius affert quemdam Religioſum graviſſimis pœnis punitum in Purgatorio, quia tales micas deſidioſè ſinebat è menſa cadere. *Vide op. Regula Novit. c. 5.*

62. *Vini temperantia ſuadetur.*

Et comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Mirum eſt, quòd Chriſtus cibos paravit his indigentibus, nec ulla mentio fiat vini, quomodò ergo ſaturati ſunt, qui nil biberant? ſine potu enim ſitibundum, & caninum eſt prandium: Reſpondent Sacri Doctores, quòd Chriſtus non dedit eis vinum, quia vicini erant fontes aquarum potus enim aquæ eſt naturalis, & ſanus, ac naturæ ſufficit, ulterius verò Chriſtus gulam vino irritare nolebat; undè ab Adamo uſque ad Noë per mille annos homines aqua extinguebant ſitim; & hinc edocemur quali abſtinentia, & moderatione uti debeant homines, maximéque ſequaces Chriſti vini potu, nam ex immoderato ipſius uſu infinita mala proveniunt: *Ioan. coll. 12. op. ſpec. diſcipl. p. 1. cap. ultim. Apol. Paup. Reſp. 2. cap. 1. & 2.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quòd in hoc capite proponuntur Phariſæi petentes ſignum è Cœlo, quibus Chriſtus dat ſignum Ionæ, deinde monet diſcipulos, ut caveant à fermento. ſcilicet à mala doctrinâ Phariſæorum, & ſequitur poſteà promiſſio Chriſti facta Petro Pontificatus ſummi ob confeſſionem apertam factam de ejus Divinitate, & tandem prædicit ſuam Paſſionem, & Reſurrectionem, & inde vocat ſuos ad crucem.

CAP. XVI.

2. *Alii benè accedunt ad Chriſtum, alii malè, illi inveniunt, iſti perdunt Deum.*

ET acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi; & Sadducæi tentantes, & rogaverunt eum, ut ſignum de Cœlo oſtenderet eis. Vide quomodo iſti Phariſæi accedunt ad Chriſtum, & ab ipſo repelluntur; cur hoc? nonnè dicit Propheta *Pſal. 33. accedite ad eum, & illuminamini*? Sed attende, quod alii accedunt ad Deum benè, & cum fructu, ipſumque inveniunt; alii malè; ipſumque perdunt: Accedunt benè, qui affectiones ſuas ad Deum dirigunt, qui in Dei laudibus ſe exercent, qui timent Dei contumeliam, qui lætantur de omnibus, quæ Deo placent, qui triſtantur de omnibus, quæ Deo diſplicent, iſtique illuminantur, & Deum ſanctè inveniunt. *op. de grad. virtut. proœm.* Malè autem accedunt ad Deum, qui imitatores iſtorum Phariſæorum petentes non utilia, ſed vana, & curioſa, non ut credant, & ipſi ſerviant, ſed ut eorum vanitatem expleant, ait Chryſoſtomus; iſti accedendo tali modo Chriſtum perdunt, & ab ipſo repelluntur. *Ioan. c. 8. v. 21. & Chryſoſt.*

3. *Infelicitas Chriſtianorum expenditur, qui magis laborant in notitia ſcientiarum mundanarum, quàm in notitia doctrinæ Chriſtianæ.*

Et Ieſus reſpondens ait ad illos, facto veſpere dicitis, ſerenum erit, rubicundum enim eſt Cœlum, & mane, &c. Nota quod Chriſtus alludit ad ſtatum infelicem Phariſæorum, qui cùm profiterentur notitiam ſacrarum Scripturarum, tamen iſtis relictis magis intendebant Aſtrologiæ, ut præcognoſcerent effectus futurorum, imò prætendebant notitia curſus ſtellarum pervenire ad notitiam adventus Meſſiæ, & ideo ſigna in Cœlis à Chriſto petebant; & ideo à Chriſto reprehendentur tamquam hypocritæ, & in ipſis omnes Chriſtiani; qui relinquentes ſtudium doctrinæ Chriſti in vanarum ſcientiarum litteraturâ ſe immergunt, hoc enim eſt vanitas vaniſſima & afflictio ſpiritus; & cùm cætera cognoſcant; ſeipſos neſciunt, & proprium ſtatum, pondus ſuorum peccatorum, pœnas inferni, quæ eos impœnitentes expectant, eiſque accidit, quod Anaximeni; qui dum ſtellas ſecutus explorabat in ſubjectam foveam incidit, *Luc. c. 12. v. 54.* Nota autem, quòd ratio phyſica, quare rubor Cœli in ſero ſignum eſt ſerenitatis futuræ in craſtino, eſt quia rubor

talis indicatur per nubes raras, & ſiccas, & ob id facilè in nocte ſequenti deſicandas; rubor autem in mane oriente ſole ſignum eſt pluviæ, quia talis rubor cum non potuerit deſiccari à ſole, nec nubes conſummari, facile a ſole increſcente in pluviam converti poſſunt. *Sic Abulenſ.*

4. *Tempus hujus vitæ tempus eſt gratiæ, & ſerenitatis ſpiritualis: tempus futurum, tempus eſt tempeſtatis*; ſic Symbolicè alludit ad hanc veritatem Chriſtus in ſupradictis verbis, hodiè enim, ideſt hoc tempore adventus Chriſti in carnem eſt tempus gratiæ, ad quod animum intendere debemus, & opera; tempus craſtinum eſt tempus ſecundi Adventus, eritque tempeſtatis contra reprobos. *Luc. ibid.*

5. *Prædictiones futurorum ab Aſtrologis facta quales vanæ, quales veræ.*

Faciem ergo Cæli dijudicare noſtis, ſigna autem temporum non poteſtis ſcire? Nota, quòd cum dicat Chriſtus iſtos Phariſæos profeſſores Aſtrologiæ ſcire poſſe faciem Cœli, ſcilicet futura, videtur quòd ipſe canonizet hanc facultatem tamquam veram, & tamen alibi reprehenditur, & ab Eccleſia prohibentur tales prædictiones: ſed reſpondetur, quòd in iis, quæ motum Cœlorum concernunt, poſſunt Aſtronomi vera infallibiliter prædicere, & per artem, ut patet in Eclipſi ſolis, & Lunæ; in iis, quæ concernunt effectus naturales circa hæc inferiora, quæ ſubſunt influentiis Cœlorum, & ſtellarum, ut circa tempeſtates, pluvias, ſerenitatem, poſſunt vera, & per artem prædicere probabiliter: In his verò, quæ ſunt liberi arbitrii omninò non poteſt fieri prædictio certa, ſed in his potius procedunt divinando, quàm ſcientificè loquendo, & ſi prædicunt vera id eſt caſu, vel inſtinctu diaboli, qui libenter ſe immiſcet in his divinationibus; & hinc eſt, quòd ortus cometarum non eſt ſignum evidens mortis Regum, vel perturbationis Regnorum, & ſi aliquando hæc eveniunt, id eſt divino juſſu, qui magis mortem Regis prænuntiat, cum ſit perſona communis, ex hoc, quòd poteſt provenire perturbatio Regni, in cujus cuſtodia magis ſollicitantur Angeli, dum bonum commune præponunt bono ſpeciali. *L. 2. d. 14. p. 2. q. vult.*

6. *Generatio adultera quanam ſit inter Chriſtianos.*

Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Jona Prophetæ. Cur appellat iſtos Phariſæos generationem adulteram, cum eſſent de ſemine Abrahæ? Nota, quòd anima dicitur adultera, quæ relinquit Chriſtum ſponſum incedens poſt amatores multos, ſcilicet mundum, carnem, & diabolum, & hæc generatio à Deo maledicta eſt. *Pſal. 118. c. 2. v. 14. ſic & D. Hieron.*

7. *Diligentes ardenter Chriſtum cor, & mentem abſtrahunt à corporis neceſſitatibus.*

Et cum veniſſent trans fretum, obliti ſunt panes accipere. Vide quàm ardenter diligebant Apoſtoli Chriſtum, quàm ſolliciti in ejus ſequela, & quàm intenti in audiendo verbum Dei ex ore Chriſti; nam abſtracti dulcedine veri cæleſtis panis, ſcilicet Chriſti, qui cum eis erat, obliti ſunt ſumere panes neceſſarios ad refectionem corporis; ſic, ſic accidit juſtis ardenter Deum diligentibus, ait S. Anſelmus, ut Chriſto ſerviant; ut ipſum ſequantur, & imitentur, omnem curam corporis poſtponunt ſaluti animæ. *Vide op. Myſt. Theol. c. 5. pag. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 23. ſeq.*

8. *Chriſti ſequaces caveant à doctrina, & maximè mundanorum*; unde dixit diſcipulis Chriſtus, *Cavete à fermento*, ſcilicet à doctrina Phariſæorum. idem & continuè ſuis ſervis dicit, cavete à doctrina, & maximis mundi, & carnis, quæ ſunt contrariæ doctrinæ Chriſti. *Luc. c. 13. v. 20. Eccleſ. prolum.*

9. *Chriſtum interrogabat diſcipulos, ut ipſos, & nos tali occaſione inſtrueret*; unde licèt ſciret, quem dicerent homines eſſe filium hominis, de hoc tamen interrogavit diſcipulos, tum ut ipſos de veritate inſtrueret, tum ut formam nobis tribueret in inveſtigatione veritatis. *Luc. c. 24. v. 19.* Nota autem, quòd licèt ſe eſſe Chriſtum filium Dei fateretur coram diſcipulis, hoc tamen tacebat Judæis, ne daret eis occaſionem malignandi. *Luc. c. 23. v. 2.*

19. *Confeſſio facta à divo Petro de humanitate, & divinitate Chriſti compendium eſt totius fidei noſtræ.*

Vos autem quem me eſſe dicitis. Nota, quòd poſt expreſſionem factam circa ſenſum aliorum exiſtimantium Chriſtum eſſe vel Joannem Baptiſtam, vel Eliam, vel Jeremiam, vel alium ex Prophetis mortuis, diſquirit à diſcipulis quid ipſi ſentiant, cui Petrus ad commendationem unitatis Eccleſiæ in fide, in confeſſione, & prælatione, tamquam Prælatus univerſalis Eccleſiæ pro omnibus reſpondit, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi; in quibus verbis complexus eſt omnia quæ & naturam, & nomen continent, ſcilicet in nomine Chriſti eſt expreſſio divinitatis, & incarnationis, & fides paſſionis, & perſonæ unius in duabus naturis, & dignitatis regiæ, & ſacerdotalis propter unctionis prærogativam; in hoc enim nomine Chriſti intelligitur unctus, ungens, & quo ungitur, ac per hoc ſimul Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, intelligitur etiam uncti gratia, qua ungitur, & dignitas ad quam ungitur, ſive officium, intelligitur etiam dignitas regalis, & propheralis, & ſacerdotalis ſecundum triplicem excellentiam ſuam, ſcilicet poteſtatis, veritatis, & bonitatis, in cujus rei figuram in lege veteri hæ tres perſonæ conſueverant inungi; unde in hoc patet clarè quòd Chriſtus hoc verbo confutavit errores omnes contra fidem incarnationis & ſtravit totius fidei fundamentum; hinc eſt, quòd Petrus eſt vocatus & ei conceſſum eſt, ut de Eccleſia ejus numquam deficiat fides vera. *Luc. c. 9. v. 20. Joan. c. 6. v. 69.*

11. *Sancti Petri laudes à Chriſto expreſſæ expenduntur.*

Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in Cælis eſt. Ecce quid conſecutus eſt ex confeſſione clariſſima facta à Petro, Tu es Chriſtus &c. nam Chriſtus ei reſpondit, Beatus es Simon & c. ubi adverte quod cum duplex ſit beatitudo, altera viæ conſiſtens in plenitudine gratiarum, altera patriæ conſiſtens

ſiſtens in dotibus gloriæ: licèt poſſit hæc ſententia de utraque beatitudine ſumi, magis tamen propriè ſumitur de beatitudine viæ per quam manifeſtatur excellentia virtuoſa Petri, & cauſa talis excellentiæ: ejus autem excellentia conſiſtit maximè in quatuor virtutibus, nempè quia propter Chriſtum omnia reliquit, & prompte ipſi obtemperavit: ſecundò quia Chriſtum confeſſus eſt quoad humanam, & divinam naturam: tertiò quia Chriſtum perfectius cæteris dilexit: quartò quia præ cæteris majora miracula fecit; primum habetur *Matth. c. 19.* ſecundùm, hîc; tertium *Matt. c. 20.* quartum, *Joan. c. 14.* & *Act. c. 5.* Sed cur tam magnas laudes reportavit ex ſua confeſſione, cum habeatur eadem confeſſio de Chriſto facta à Nathanael *Joan. c. 1.* & à Martha. *Joan. c. 11.* Primus dixit Rabbi, tu es Chriſtus Filius Dei, ſecunda dixit, ego credidi quia tù es Chriſtus Filius Dei, ſed reſpondetur, quòd Nathanael, & Martha credidêrunt Chriſtum eſſe Filium Dei non naturalem, ſed adoptivum, & maximum Prophetam, & Sanctum. *Ser. 1. in Cathedra: Joan. c. 1. ad finem, & c. 11. v. 26. Vide Barradium hoc loco fusè, & doctè ſolvemem hoc dubium.*

12. *Qualis revelatio facta fuerit Petro.*

Quia caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, &c. Quæritur qualiter facta fuerit talis revelatio Petro: reſpondetur, quòd hæc revelatio non fuit per carnem, & ſanguinem, ſcilicet imaginaria, vel ſenſibilis, ſed ipſa veritas immediatè ei manifeſtata eſt per interiorem, & intellectualem inſpirationem, & infuſionem, & ideo mirabilis, & excellentiſſima. *Op. de 7. itiner. æternit. itin. 4. d. 4. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 76. Luc. c. 1. v. 45.* Et hinc meritò vocatur beatus, quia per talem revelationem vitavit omnem errorem, & pervenit ad lucem veritatis ad modum ferè beatorum. *Luc. c. 7. v. 22. ſer. 1. de Cathedra.*

13. *Fides qualis faciat beatum.*

Beatus es, &c. quia caro, &c. Vide quomodo beatus appellatur Petrus ob mirabilem confeſſionem ejus, quia ſcilicet non ſolùm corde, non ſolùm ore, ſed & opere credidit; talis enim fides cum operibus beatam reddit animam, & fert ſecum plenitudinem gratiarum. *Ser. 1. Cathedr. Joan. c. 2. in fine & c. 6. v. 44. Pſ. 118. v. 61.*

14. *Sanctus Petrus poſt Chriſtum Petra, & fundamentum Eccleſiæ.*

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Nota, quod Petrus fuit quadrinomius; dicebatur enim Cephas, ideſt caput, eo quòd in capite Apoſtolorum fuit conſtitutus, ità Simon, quod interpretatur audiens, vel obediens; item Petrus, ideſt agnoſcens; & Simon Bar-Jona, quod idem eſt, ac filius columbæ, vel idem, quòd Simon Joannis, ſc. filius Joannis: Petrus autem eſt præcipuum nomen, dicitur enim à petrâ, quia ipſum tamquam principalem lapidem, & fundamentalem collocavit in Eccleſia conſtituens ipſum caput, & Dominum Eccleſiæ. *Ser. 2. Cathedræ Luc. c. 22. v. 31. Joan. collat. 90. lib. 3. d. 24. a. 1. q. 3. ad ult. De unitate capitis Eccleſiæ, & ſummi Pontificatus Vide Op. Expoſ. Regula præfix. ſer. 22. Hexaem. lib. 4. d. 20. a. 1. q. 1. d. 25. q. 2. Brevil. p. 6. c. 5. 10. & 12. ſer. 1. de plur. Conſeſſor ſer. 1. de S. Petro in addit. ſer. 2. de S. Petro ad vinc. in addit.*

15. *Extrà Eccleſiam, & ſine ſubjectione ſummo Pontifici non eſt ſalus.*

Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni Cœlorum. Ecce quàm clare patet auctoritas ſummi Pontificis ſuper totam Eccleſiam, ideò mirum eſt quomodo hæretici hallucinentur ſuper hanc rem; dat autem Chriſtus intelligere, quòd extra Eccleſiam, & ſubjectionem debitam ſummo Pontifici non poteſt haberi ſalus. *Op. Brevil. p. 6. c. 5.*

16. *Fides Petri, & ſucceſſorum, & Eccleſiæ fundamentum totius ædificii ſpiritualis.*

Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quid nomine petræ hoc loco ſit intelligendum ambigitur? Calvinus, & Hæretici, ut Petri, & Papæ auctoritatem, & primatum evertant, dicunt, quòd loquitur Chriſtus de ſeipſo, quaſi dicat, ſuper hanc petram, ideſt ſuper meipſum, qui ſum petra, ſed hic eſt ſenſus extorſus, & violentus; cum enim reliqua omnia manifeſtè tribuantur Petro, cum quo Chriſtus loquitur, perſpicuum fit, quòd loquitur de Petro, ejuſque confeſſione, & fide, ſcilicet ſuper hanc petram, ſuper fidem confeſſionis tuæ; & meritò, nam talis fides Petri, & ſucceſſorum inconcuſſa ſemper remanſit in Eccleſia, eſtque fundamentum totius ædificii ſpiritualis Eccleſiæ, & animarum, ſine quo nihil boni poteſt fieri. *Op. Diæt. tit. 5. c. 3. & tit. 8. c. 3.*

17. *Claves regni Cœlorum qualiter à Chriſto datæ Petro, Eccleſiæ & Sacerdotibus.*

Tibi dabo claves regni Cœlorum. Hîc quæritur quænam ſint iſtæ claves datæ Petro, & ſucceſſoribus, & cur claves dicantur. Reſpondetur autem, quod ſicut in his corporalibus, clavis eſt inſtrumentum ad removendum aliquod obſtaculũ, quod obſtaculum adærat ad ingrediendum regnum cœleſte, ideò neceſſe erat illud removere, & hinc ad ſpiritualia tranſlatum eſt nomen clavis illi poteſtati, per quam obſtaculum removetur, ſive per quam excluditur, vel includitur: triplex autem obſtaculum ingrediendi in Cœlum reperitur, ideò & triplex clavis: primum obſtaculum eſt peccati mortalis commiſſi, ſecundum eſt debitum peccati contracti, ſcilicet ſolutionis pretii; tertium, debitum peccati dimiſſi: primum removetur per culpæ deletionem à ſolo Deo per clavem auctoritatis abſolutæ; ſecundum per Chriſtum mediatorem, tertium per Petrum, & ſucceſſores ſacerdotes per clavem miniſterii. *Lib. 4. d. 18. p. 1. a. 1. per totum, Luc. c. 5. v. 10. & 36. & c. 7. v. 10. & c. 9. v. 28. & 46. Joan. c. 20. v. 23.* Nota tamen, quod videtur S. Doctor aſſerere, Sacerdotem abſolvere tantùm per modum deprecantis, & impetrantis, non per modum imperantis, & abſolventis à culpa; ſed tamen intelligendum eſt hoc dictum de poteſtate impetrativa, & auctoritativa principali, quæ eſt propria, ut ait ibid. & hæc reſidet in Chriſto, non tamen negat miniſterialem, & inſtrumentalem in Sacerdote. *Vide infrà, c. 18. n. 23.*

18. *Per confeſſionem Chriſtus liberat à vinculo peccati, & Demonis.*

Tibi dabo claves regni Cœlorum, &c. Cur clavis nomine appellat Chriſtus poteſtatem, quam contulit Petro, & Sacerdotibus? quia per hanc poteſtatem quam exercent in confeſſione peccatorum aperitur janua, & liberantur illi, qui captivi tenentur à diabolo. *Ser. 10. in Regat.*

19. *Poteſtas clavium extenditur ſuper terram totam.*

Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c. Nota ly ſuper terram, quia in inferno non eſt baptiſmus, neque pœnitentia ſine quibus non dimittuntur peccata mortalia; fac ergo pœnitentiam, dum vivis ſuper terram, quia in inferno nulla eſt redemptio. *Ser. 1. Dom. 18. Pentec. Op. Comp. Theol. lib. 6. c. 25.*

20. *Qui à poteſtate Papæ ſe elongat, & eximit, in lupum infernalem incidit.*

Tibi dabo claves regni Cœlorum, &c. Nota, quod dicit tibi, ſcilicet Petro, & ſucceſſoribus, ut videas, quòd qui ſe eximit à poteſtate Petri, & à numero ſuarum ovium ſe ſeparat, neceſſariò luporum crudelitati ſe exponit, ut patet in Eccleſia Antiochena, Conſtantinopolitana, & aliis, quæ receſſerunt ab obedientia Romani Epiſcop. *Ser. 16. Hexaem. Luc. c. 5. v. 10. lib. 4 d. 25. a. 1. q. 2.* Nota autem, quod hîc per claves Calvinus, & ſequaces intelligunt poteſtatem annunciandi tum Evangelium, tum remiſſionem peccatorum ei, qui dumtaxat credit Evangelio, illam promittenti, quod verè inſulſum eſt, & ridiculum, nam ut dicit *S. Doctor lib. 4. ſupra cit.* Clavibus aperiuntur oſtia, non ora prædicantium, unde claves ſunt inſigne regum, & regentium, non Doctorum, vel prædicantium, unde claves propriè ſignificant jus regendi, ad quod pertinet non ſola poteſtas prædicandi Evangelii, ſed & abſolvendi à peccatis, præcipiendi, ordinandi ſacerdotes, interpretandi Sacram Scripturam, excommunicandi, cæteraque omnia, quæ ad bonum regimen Eccleſiæ ſpectant peragendi; unde per claves hîc ſignificatur ſumma poteſtas tum ordinis, tum juriſdictionis in totam Eccleſiam Petro hîc à Chriſto promiſſa, & tradita. *Ioan. ult. v. 16.* Ad hunc enim finem traduntur claves Regibus, & Principibus, & ita claves explicat Chriſtus hic dicens, quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolveris, &c. ſic Oſius Epiſcopus Cordub. Præſes Concilii Niceni Conſtantio Imperatori Ariano reſpondit, ipſi deberi claves urbium, claves verò Eccleſiæ ſoli Pontifici. *Vide S. Bon. lib. 4. d. 18. & 19. per totam.* Nota etiam, quòd Chriſtus dixit quodcumque ligaveris, &c. non dicit quemcumque hominem, quia Pontifex habet auctoritatem non tantùm ſuper homines, ſed & ſuper alia multa, ut vota, juramenta, &c. Unde omnis poteſtas Eccleſiaſtica in inferiores derivat à Vicario Chriſti, de qua ſe infrà.

21. *Summi Pontificis poteſtas quomodo dicitur ſuper terram, an ſe extendat ad defunctos.*

Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c. Hîc quæritur quomodo ſummus Pontifex extendat ſuam poteſtatem etiam ſub terra, etiam in inferno, vel Purgatorio, aliquando enim excommunicat aliquem defunctum, vel ab excommunicatione abſolvit, & etiam defunctis diſpenſat indulgentias, &c. Reſponderur, quod ly ſuper terram, refertur ad Petrum ligantem, vel ſolventem, dum eſt ſuper terram, non ad res ligatas, & ſolutas; undè juridicè non habet poteſtatem ſuper mortuos, non enim eos juridicè ſolvit, ſed per modum ſuffragii, nec directè excommunicat, nec abſolvit defunctos, ſed tantùm indirectè, ſcilicet vel vetando vivis, ne pro illis orent, ac ſi eſſent excommunicati, vel indulget, ut pro iis orent, ac ſi eſſent abſoluti ab excommunicatione, unde nomen ſolutionis quodcumque ſolveris) extenditur non ſolùm ad juridicam abſolutionem, ſed & ad omnem diſpenſationem, favorem, & gratiam ex vi poteſtatis illius à Chriſto ipſi collatæ, ut eſt diſpenſatio theſauri Eccleſiæ. *Sic ſentiunt S. Bon. D. Thom. Alenſis, & major pars Theologorum, & Doctorum apud Bellarm. & Suarez de pœnitentia d. 53 ſ. r 2. ſeq. Vide S. Bon. ſer. 21. Hexaem. & lib. 4. d. 20 p. 1. a. 1. q. 3 & p. 2. a. 1. & d. 25. a. 1. q. 2. & d. 38. a. 2. q. 3. & d. 9. dub. 6.*

22. *Fundamenta, & principia Chriſtianæ fidei ſunt divinitas, & Chriſti humanitas, ejuſque Paſſio.*

Exinde cœpit Jeſus oſtendere diſcipulis, quia oporteret eum ire Jeroſolymam, & multa pati à ſenioribus, & ſcribis, & Principibus ſacerdotum, & occidi, & tertia die reſurgere. Vide quàm opportunè, & ordinatè procedit Chriſtus in inſtructione diſcipulorum ſuorum ſuper fundamenta fidei catholicæ; nam exinde, ideſt ab illo tempore, quo ſcilicet illis divinitatem ſuam patefaceret, cœpit eos docere de ſua Paſſione, & morte, eiſque proponens duo præcipua fundamenta fidei, ſcilicet divinitatem ſuam, & humanitatem, & conſequenter paſſionem, & mortem, hocque fecit, ne Apoſtoli videntes eum occidi, & mori, de ejus divinitate dubitarent. Dicit igitur Chriſtus, quòd oportet, ideſt ſuppoſita diſpoſitione divinæ voluntatis, & permiſſionis, opportunum eſt, & expediens Chriſtum multa pati, ſcilicet pro multis animabus redimendis, multis culpis remittendis, & multis reatibus abſolvendis, multa & magna pati, & à multis, & magnis, ſcilicet à ſenioribus præcellentibus antiquitate, à Principibus auctoritate, & Scribis doctrina; & ſimul occidi, ut ejus Paſſio eſſet cæteris omnibus gravior; & quia hæc Paſſio eſt vivificativa mortuorum, addit & tertia die reſurget; & hinc in his verbis liquet perfecta fidei notitia, in qua Chriſti fundatur Eccleſia, & per quam approbatur divinus honor, reprobatur humanus error, aſſeritur mediator, & agnoſcitur reparator. *Luc. c. 9. v. 22. & c. 18. v. 31.*

23. *Satanas, & adverſarius eſt tibi quicumque pro commodo corporali ab exercitio, & bono ſpirituali te retrahere vult: ubi de cæcitate cordis humani in cognoſcendo myſteria fides.*

Et aſſumens eum Petrus cœpit increpare eum dicens, abſit à te Domine, non erit tibi hoc: legit Græcus, *propitius ſis tibi Domine, non erit hoc quaſi neceſſarium: qui converſus dixit Petro, vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominum.* Vide, quòd Chriſtus Petrum, quem priùs ita magnificaverat, parum poſt vocat Satanam, cur hoc? quomodo modò appellatur beatus à Chriſto, poſteà Satanas? hoc eſt, quia cum prius illuminatus à Spiritu Sancto divinitatem Chriſti confeſſus eſſet, nunc à Spiritu Dei recedens propter amorem carnalem, quem ipſe Petrus ad Chriſtum habebat, diſſuaſit ei de Paſſione ſua, ut non fieret, unde carnali affectione movebatur, ut hinc videas, quòd qui pro temporali alleviatione te retrahere tentat ab exercitiis mortificationis, & virtutum, à te reputandus eſt ut Satanas, & adverſarius. *Op. medit. c.40. Luc c.18. v.15. & 34. Ioan. c.2. ad finem.* Nota etiam, quòd diſcipuli licèt toties audirent ſermonem dominicæ Paſſionis replicatum, intelligere non valebant, ſed iſta allegoricè dici putabant, & hoc, tum quia, cum ſcirent Chriſtum eſſe Deum, putabant ipſum non poſſe mori; tum etiam cum Chriſtum carnaliter diligerent, diſplicebat eis, quod deberet Chriſtus pro nobis mori; ex quo apparet, quòd affectus carnalis cæcitatem cordi affert, & quòd abſque lumine fidei, & revelationis myſteria talia non poſſunt à nobis cognoſci: Nota autem, quod dixit Chriſtus Petro, vade poſt me, ſcandalum es mihi, ideſt vis impedire Paſſionem meam, &c. Vade poſt me, ideſt ſequere me, qui contrarius es voluntati meæ quod tamen non dixit diabolo Matth. c.4. ſed vade Satana, non dixit retrò me, &c, ſed vade nempe in ignem æternum: *Luc c.2. v.51. & D. Thomas hic.*

24. *Pharmacum ſecurum, & efficax contra amorem proprium & carnalem, eſt abnegatio ſui.*

Tunc Jeſus dixit diſcipulis ſuis, ſi quis vult venire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Ecce quale pharmacum opponit ſapientiſſimus Medicus amori proprio, & carnali Petri, & omnium hominum, nempè abnegationem ſui, & crucem, ſi quis ait Chriſtus, vult. non cogit, non vim infert, ſed volentes invitat, abnegor ſemetipſum, quid eſt abnegare ſemetipſum? abneget in ſe, quod in ſe vivit, quod ſibi chariſſimum eſt, & in quo oblectatur, & paſcitur, nempè ſuum judicium, & affectum humanum, abeat à ſe (ait S. Gregor.) & fiat alienus à ſe, & deſinat eſſe quod erat, & incipiat eſſe quod non erat, fiatque quaſi novus, & alter homo; abneget inquam ſua deſideria, ſuas imaginationes, ſuos concupiſcentiæ pruritus, ſuas rationes humanas, ſuam voluntatem, eamque invertat per omnia, & conformet voluntati Dei; ergo nihil aliud eſt ſemetipſum abnegare, niſi voluntatem ſuam Deo dare; & ſe totum Deo committere; nihil de ſe ſibi retinere. *Ser. 1. de S. Marco.*

25. *Homo Chriſtum ſequens liberè libertate ſe expoliat in imitatione Crucifixi.*

Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat, &c. Nota illam particulam, qui vult venire poſt me; per quam oſtenditur, quòd qui vult eſſe ſervus Dei, debet eſſe liber, & liberè ad ipſius ſequelam ſe conferre: qui vult venire, ſcilicèt venire liberè, & ſine coactione, quo facto ſubdit, abneget ſemetipſum, ſcilicet ſe privando libertate, & abnegando propriam voluntatem ita ut non ſecundum ſeipſum, ſed ſecundum Deum vivat; & quid poſteà agere debet? tollat crucem ſuam, aut Chriſtus, ſcilicet aſſumat crucem pœnalitatis, & patientiam, & ſequatur me, ſcilicet me imitetur, qui tandiu clypeum pœnitentiæ portavi, donec vitam finirem. *Ser. 4. Dom. 18. Pent.*

26. *Abnegatio qualis in Chriſti ſequela exigatur.*

Qui vult, &c. abneget ſemetipſum, &c. Nota, quòd triplex abnegatio in ſequela Chriſti poteſt exerceri: prima eſt neceſſaria per modum ſubcontrarietatis, quâ homo, in quibuſdam ſuæ voluntati renunciat, ut in peccatis; in aliis verò, ut in indifferentibus ſibi retinet ſuam voluntatem; ſecunda eſt per modum contrarietatis, ut in illis omnibus, ſive ſimpliciter, ſive accommodè ſuæ renunciant voluntati, nihil volentes, ſive agentes ſecundùm ſuam voluntatem, vel ſecundùm nutum ſuæ voluntatis, & hæc mactatio voluntatis eſt altiſſimum, & Deo gratiſſimum ſacrificium, quia Deo, & propter Deum hominibus exercetur obedientia, ſicut ipſe Chriſtus fuit ſubditus parentibus: tertia eſt quaſi contradictoria, quæ propriam vitam exponit pro gloria Dei, & ad hanc exemplo Chriſti invitantur omnes Chriſti perfecti ſectatores. *Op. Expoſi. Regulæ. c.1. ſer. 2. S. Andr. ſer.2. de SS. Phil. & Iacob ſer.1. de Apoſtol. ſerm.3. Dom. in Albis.*

27. *Abnegatio ſui, & crucis mortificatio, terminus, & complementum ſequelæ Chriſti.*

Si quis vult venire poſt me, abneget, &c. Nota ordinem horum verborum Chriſti: prima dicit, ſi quis vult venire poſt me; quia oblatio ſuæ voluntatis requiritur primò in homine volente ſequi Chriſtum perfectè; deindè ſubdit, abneget ſemetipſum; quid eſt abnegare ſeipſum? abnegat ſemetipſum, quia ſua omnia pro Chriſto, & ſeipſum abnegat, relinquit, & Deo offert: & hæc duo Sanctus Pater Franciſcus perfectè præmiſit in ſequela Chriſti: & tandem ſubdit, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, crucem ſcilicet humiliatis, paupertatis, mortificationis, & exercitii virtutum, & hac cruce ſequatur me, ſcilicet per viam oſtenſam per crucem meam: hos gradus Sanctus Franciſcus reſtrinxit in ſua Regula, & ſuis fratribus indixit obſervandos. *Op. legenda S. Franc. cap. 1. & 3. ſerm. 1. de S. Thoma in addit. Ioan. collat. §8.*

28. *Obedientia qualis exigatur à Chriſto in ſuis ſequacibus.*

Si quis vult poſt me, &c. abneget ſemetipſum. Ideſt propriam voluntatem, per quod datur intelligi, quòd obedientia neceſſaria eſt volenti ſequi Chriſtum ſemetipſum autem abnegat, qui ſui juris eſſe recuſat, & totum ſe alterius arbitrio ſubjicit propter Chriſtum, quæ obedientia debet eſſe imitatrix obedientiæ Chriſti, nempè non propter timorem ſupplicii, vel ſpem præmii, ſed ex dilectione ſola Dei, non tantùm voluntariè, ſed cum gaudio, & ad facilia, & ad difficilia, & dura uſque ad mortem. *Op. de Prof. Religioſ lib 2. c. 42. Op. Diæt. tit. 6. c. 2. Op. ſtim. p. 3. c. 11. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 15. & lib. 5. c. 70.*

29. *Tria vota Religioſorum in verbis Chriſti proponuntur obſervanda.*

Si quis vult poſt me venire. Vide quomodo Chriſtus invitat nos ad crucem ferendam ſuo exemplo, & id conſiſtere docet in obſervantia trium votorum Religioſorum obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis: dicit autem abneget ſemetipſum per omnimodam humilitatem captivando ſenſum, affectum, & intellectum in Chriſti obſequium per exactam obedientiam: ſubjungit, & tollat crucem ſuam, addit S. Lucas. quotidie, ſcil. per continuam auſteritatem, ut poſſit dicere cum Apoſtolo, Chriſto confixus ſum cruci. *Gal. 2. & 1. Cor. 4. ſemper mortificationem Jeſu Chriſti in corpore noſtro circũferentes,* Et idcò addit, quotidie, quia quotidie pœnitentia crucis debet eſſe nova, & recens, ut dicat ſemper, Et dixi nunc cœpi. *Pſal. 76.* Crux namque renovativam habet naturam: deindè addit, & ſequatur me, ſcilicet per altiſſimam paupertatem, ob quam nihil omnino volebat portare in via, ut rectè, & expeditè perveniret ad patriam; & hinc triplex conſilium proponit obſervandum, ſcilicet votum obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis; & hinc his conſiliis præmittit, ſi quis vult, & ut nemo ſe excuſet, quaſi non habeat gratiam, ſed præſto eſt omnibus gratia Dei; ſi non deſit voluntas. *Luc. capit. 9. verſ. 23.*

30. *Qui perdit animam ſuam in hac vitâ ſalvat eam in altera, & è contra, qui ſalvat eam in hac vita, perdit in altera.*

Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eam, qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Vide quomodo Chriſtus proſequitur argumentum abnegationis ſuorum ſequacium invitando ad hanc ex conſideratione proprii periculi, dicens; qui voluerit ſalvari in præſenti vita, perdet vitam in futuro, ſcilicet pro vita momentanea perdet æternam: undè Ioan. c. 12. dicit, qui amat animam ſuam, perdet eam, quia qui minus amat, iniquè amat, & qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam; qui enim diligit animam, & vitam ſupra Deum, perdit Deum, & perdendo Deum, perdit per conſequens ſeipſum; & quia iſta videtur dura ſententia, ideò probat à contrario ſenſu, nam qui perdiderit animam ſuam propter me, ſcilicet in hac vita, ſalvam faciet illam, ſcilicet in futura vita & ſic patet, quòd perdere animam pro Chriſto eſt ſalvare, ſcilicet abnegando ſeipſum, & tollendo crucem Chriſti, velle animam ſalvare, eſt eam perditioni exponere. *Luc. c. 9. v. 24.* Nota autem, quod hîc accipitur anima pro vita carnali, quæ morte finitur, non pro anima rationali, quæ migrat à corpore, hanc quærit ſalvare per amorem proximum, qui nimis eam diligit, & qui perdiderit illam, ſcilicet per odium omnis carnalitatis eam crucifigendo, vivificabit illam per præmium æternæ fœlicitatis: Ex quibus patet, quòd Chriſtus mortem vitæ fontem fecit, in morte voluit vitam reperiri, & ex morte contraria vitam naſci, ex morte, inquam, Chriſti cauſa fortiter tolerata, & abnegatione aſſumpta pro ipſo. *Luc. c. 17. v. 33.*

31. *Stultiſſimus eſt, qui ut omnia lucretur temporalia, perdit ſeipſum.*

Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. Nota; quòd ad confirmationem ſupradictorum Chriſtus proponit hanc ſententiam, quæ de ſe clariſſima eſt, qua prætendit exprimere ſtultitiam maximam plurium, qui ſe perdunt, & ſalutem, ut alia exteriora acquirant, quid prodeſt hoc? ſcilicet nihil, qui enim perdit ſe, omnia perdit, ideò non prodeſt, ſed obeſt. Et ratio eſt, quia nemo habet injuſtum lucrum, ſine juſto damno, lucrum in arca, damnum in conſcientia, tulit veſtem, & perdidit fidem, acquirit pecuniam, & perdidit juſtitiam, & ſic per conſequens animam ſuam: quid igitur tibi prodeſt, ſi haberes ſapientiam Salomonis, ſi pulchritudinem Abſalonis, ſi fortitudinem Sampſonis, ſi longævitatem Enoch, divitias, & poteſtatem Octaviani? quid inquam prodeſt tibi, ſi tandem caro datur vermibus, anima Dæmonibus cum divite crucianda ſine fine? ô ſtulti amatores mundi. *Luc. c. 9. v. 26. in Eccleſ. proœm. ſer. 2. in Converſ. S. Pauli. ſer. 2. de mortuis in addit.*

32. *Stultus eſt qui ſaluti animarum aliorum incumbit cum præjudicio ſalutis propriæ.*

Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, &c. Nota, quod hæc verificantur non ſolùm de iis, qui divitiis, honoribus, aliiſque bonis creatis toti incumbunt cum damno ſpirituali animæ, ſed etiam de iis, qui in operibus ſanctis ſe exercent pro ſalvandis animabus aliorum cum præjudicio ſalutis propriæ, hoc enim ſtultiſſimum eſt, undè Prælati, Prædicatores, & Curati ſedulò ſeipſos circumſpicere debent, ne aliis providentès, ſeipſos negligant, ne alios ſalvantes, ſeipſos in periculum demergant. *Op. de ſex alis Seraph. c. 7.*

33. *Animæ nobilitas expenditur, & ejus pretioſitas inæſtimabilis.*

Aut quam dabit homo commutationem pro animâ ſuâ? Vide, quod Chriſtus in medium exponit nobilitatem, & pretioſitatem animæ rationalis, dicens, quam commutationem dabit homo pro animâ

Digitized by Google

anima ſua ? quaſi dicat nullam, quia anima plus valet, quàm totus mundus, & pro ipſa lucranda totus mundus renuntiandus eſt. *Ser.1. Dom.4.poſt eſt. Paſcha.*

34. *Qualem commutationem dedit Chriſtus pro anima noſtra.*

Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Quis homo ? quilibet, ſed præcipuè Chriſtus, qui commutationem ſui, ſcilicet ſervivit triginta annis, & ſeipſum dedit pro anima noſtra, & ſi hoc, vide quanti valet anima. *Ser.1. feria 4. Paſcha ſer.2, Dom.22.Pent.*

35. *Stultitia vendentium animam ſuam diabolo qualis.*

Quam dabit commutationem homo pro anima ſua? Nota quod hîc Chriſtus proponit duplicem mercaturam hominum, bonam, & malam: mala eſt, in qua ſtultus exhibet animam ſuam, & theſaurum pretioſiſſimum diabolo pro nihilo, pro divitiis, honoribus, voluptatibus : bona eſt, in qua commutationem homo dat Chriſto pœnitentiam, eleemoſynam, exercitium virtutum pro anima, ſcilicet pro corona gloriæ : & bona commutatio. *Ser.9. Regat. ſerm.4. Dom.6. Pentec.ſer.2.dedicat.ſer.8.in Pentec.ſer.3. Dom.14. Pentecoſt.ſermon.1. de S. Bartholom. Diet. tit.7. cap.4.*

36. *Merces à Chriſto præparata ſecundùm merita, & demerita cujuſque.*

Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus. Nota illud verbum, in gloria Patris ſui : quomodo in gloria Patris, & non potius in gloria ſua ? ſed dicitur in gloria Patris ; quia à Patre conſtitutus eſt judex vivorum, & mortuorum; ſic enim S. Joan. Apoc. 19. vidit Chriſtum habentem diademata multa, ſcilicet ad coronandum electos, eoſque præmiándum ſecundùm opera ſua; & in utraque parte acutum gladium ad feriendum, & damnandum malos, qualia igitur erunt opera tua, talis merces tibi dabitur. *Ser.1. Dom.Paſ.Luc.c.6.v.35.& cap.17. v. 23. ſeq. lib.4 d.48. op. de ſeptem itiner. æter. itin.7. in principio.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod in hoc capite in facto oſtendit Chriſtus quod in verbo promiſerat; in fine enim capitis antecedentis, dixerat, quod inter Apoſtolos erant aliqui, qui viſuri erant ipſum in regno ſuo antequam guſtarent mortem; igitur ne tardaret promiſſionem poſt tempus unius ſeptimanæ, hanc gloriam oſtendit tribus aſſumptis in montem Thabor; & ideo in hoc capite agitur de fide, & effectibus fidei : primò enim proponit tranſitum de paſſione ad gloriam: ſecundò de infidelitate ad fidem, vel de culpa ad gratiam; tertiò de morte ad reſurrectionem. Luc.c.9.v.28.*

CAP. XVII.

1. *Chriſtus à labore ad contemplationem vocat ſuos ſervos : ubi de tempore transfigurationis.*

ET poſt dies ſex aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt antè eos : Nota, quod prima facie videtur diſcrepantia in hac narratione inter Evangeliſtas: nam S. Matthæus dicit poſt ſex dies, idem & S. Marcus : ſanctus Lucas verò factum eſt autem poſt hæc verba ferè dies octo ; ſed tamen non eſt contrarietas, ſed una ſententia aliam exponit propter myſterium inſinuandum ; nam S. Matthæus computat tantùm ſex dies intermedios completos ; S. Lucas addit primum, & octavum, qui non erant completi, ſed tantùm pars cujuslibet concurrit ad iſtos dies octo, ob id dicit ferè dies octo ; myſterium autem hujus diverſitatis eſt, quod ſicut ſex diebus mundum Deus fabricavit, & poſt ſextum diem requievit, ſic dat nobis intelligere, quod ſex diebus eſt laborandũ, & poſt contemplationi vacandum, ſcilicet poſt labores activæ, ad quietem contemplationis tranſeundum eſt: ſed quia perfecta, & ſumma quies, & contemplatio non eſt antè octavam ætatem, ſcilicet reſurrectionem, ideò dicit Lucas dies octo, dicit autem ferè dies octo, quia contemplatio hujus vitæ eſt quidem participatio illius quietis æternæ, non tamen completa, quia ſolùm in Cœlo poteſt haberi : diſce ex hoc, ô ſerve Dei, laborare in hac vita in exercitio pœnitentiæ, & hinc tranſi ad contemplationem aſpirando ad quietem æternam Paradiſi. *Luc.c.9.v.28.*

2. *Ad contemplationem trahit Chriſtus non omnes, ſed tantùm dilectos, & familiares.*

Aſſumpſit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem, & duxit illos in montem excelſum. Cur hos tantùm tres duxit ſecum Chriſtus, cur & non etiam alios ſuos diſcipulos ? quia iſti inter cæteros erant magis dilecti, & familiares, & propter eminentiam, quam in eis conſiderabat : Petrus quidem futurus erat primus in Eccleſia gubernanda : Jacobus primus interficiendus erat inter Apoſtolos pro Eccleſia multiplicanda : & Joannes præcipuus in matre cuſtodienda ; & quia mons eſt locus eminens ; ſignificatque ſtatum perfectiſſimum contemplationis, & per hoc docet, quod Deus ad contemplationem non omnes ſuos ſervos, ſed tantùm dilectos, & familiares ex ſua gratia, & dono ſpeciali elevat. *Luc. cap.9.verſ.28.& c.8.v.51. ſerm.4. Dom. 2. Quadrageſimæ.*

Digitized by Google

4. *Tres ſunt ſtatus ſalvandorum in Eccleſia.*

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum. Cur hos ſolos tres duxit ſecum in montem? hoc eſt ad myſterium inſinuandum: ſunt enim tres ſtatus ſalvandorum in Eccleſia, ſuntque Prælati ſignificati in Petro, activi in Jacobo, contemplativi in Joanne; item conjugati in Petro, continentes in Jacobo, & virgines in Joanne. *Luc.c.9.verſ.28.ſerm.4.Dom.2. Quadrageſima.*

5. *Prælatorum aſſumptio à Deo facta in Eccleſia quàm perfecta, & completa donis divinis.*

Aſſumpſit Ieſus Petrum: Notà, quod primo loco ponitur Petrus tamquam caput, & Prælatus Eccleſiæ, per quod figuratur divina dignatio Chriſti in providendo Eccleſiam Prælatis, quos ab ipſo, non à mundo, vel diabolo vocatos ipſe aſſumit per gratiam benignæ adoptionis eos ſibi in ſervos conſtituens, & ſuper alios præſidere faciens, ut fidem in ſubditos promoveant, & ad præliandum contra diabolum, & mundum excitent, & dirigant in via hujus vitæ ad cæleſtem patriam; & ut hæc omnia exerceant, illos aſſumit in montem altum ſeorſum ſuper alios, ut primò ab ipſo ſole increato recipiant divinas irradiationes, & illuminationes, & poſtea in ſubditos ipſas immittant verbo, & exemplo. Audiant hoc Prælati à Deo vocati, ſublimitatem ſui ſtatus, obligationem, quam & reſpectu ſui, & ſubditorum habent. *Ser.4. Dom.2. Quadrageſimæ.*

6. *Servorum Dei ad ſtatum perfectionis obligationes expenduntur.*

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum: Vide quod ſecundo loco Chriſtus volens Eccleſiam ſuam perfectè ordinare, primò facit proviſionem Prælatorum in Petro, aſſumpſit Jacobum, & in Jacobo, qui ſupplantator interpretatur, omnes vocatos ad pœnitentiam, & ad Deo ſerviendum, eos enim aſſumit de ſtatu actionis ad abſtinentiam carnalis delectationis in amaritudine pœnitentiæ: ſic ducit ipſos per collationem gratuitæ juſtificationis, & auxiliorum in montem immobilis pœnitentiæ per virtuoſam tolerantiam omnimodæ tribulationis, & hic eſt ſtatus Deo ſervientium perfectus; ut ſicut montes ventis, & pulſionibus aëris, & grandinum ſunt immobiliter expoſiti, ſic activi debent eſſe expoſiti ad tolerandum fortiter, & conſtanter omnes tribulationes exemplo Chriſti; & hinc in tali ſtatu eis ſe transfiguravit Chriſtus, ſcilicet erigendo eos in ſpem expectationis gloriæ futuræ. *Ser.4. Dom.1. Quadrageſim.*

7. *Contemplativorum ſtatus, & obligationes, & felicitates expenduntur.*

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Joannem. Ecce quod tertio loco ponitur Joannes, in quo ſignificatur ſtatus contemplativorum, qui à Chriſto ex vita activa elevantur ad affluentiam ſpiritualis conſolationis in plenitudine gratiæ ut eos inflammet per myſticam transfigurationem, ſcilicet per amorem charitatis, & benevolentiæ, in ea jus virtute debent alios inflammare, & per prædicationem, & ſanctam converſationem ad alios tranſmittere rorem, quo ipſi pleni ſunt, ut non ſolùm ſibi, ſed & aliis ſint in ſalutem. *Ser.4.Dom.2.Quadrag.*

8. *Chriſti transfiguratio ad litteram expenditur.*

Et transfiguratus eſt ante eos. Quæritur qualis fuit hæc transfiguratio? & cur appellatur transfiguratio? & an fuerit mutatio lineamentorum corporis, vel figuræ? Reſpondetur, quod præcipuè apparuit in facie per emiſſionem immenſæ claritatis vultus: Pro cujus rei intelligentia ſciendum eſt, quod anima Chriſti fuit à principio creationis glorioſa per apertam viſionem, & perfectam fruitionem, & quia connaturaliter debebant redundare in corpus omnes dotes corporum glorioſorum, ex divina diſpenſatione factum eſt, ut corpus ejus eſſet paſſibile, & mortale. Deus retraxit ſuum concurſum, nè redundarent iſtæ dotes, & hoc fuit continuum miraculum, cum autem aſſumpſit tres diſcipulos in hoc monte, ut ipſos confortaret in fide reſurrectionis, & animaret ad paſſiones, quas in præcedenti capite eis prædixerat, aſſumpſit dotem claritatis, non per modum qualitatis permanentis, ſed tranſeuntis, & ſic cum tali, & tanta claritate dicitur transfiguratus viſus ab Apoſtolis, & Moyſe, & Elia: *Luc.c.9. v.28. ſeq. op. lignum vitæ: op. medit.c.41.ſer.4. Dom.2. Quadr. Ioan.c.6.v.21.* Ex quibus patet, quod impediendo tranſfuſionem claritatis in ſuum corpus, miraculum continuum fecit in tempore ſuæ mortalitatis, ut pro nobis labores, ac cruciatus tolerare poſſet; per quod & nos invitamur ad ipſius imitationem, & idem miraculum faciamus pro Chriſto patiendo libenter, & lætanter.

9. *Ad familiaritatem Chriſti tantùm aſſumitur Petrus, Iacobus, & Ioannes: ubi de votis Religioſorum, & paſſionibus toleratis pro Chriſto.*

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Joannem, & duxit illos, &c. Cur iſtos tres ſolùm ſecum duxit? cur non etiam cæteros? quomodo Chriſtus ſe oſtendit acceptatorem perſonarum? ſed quia omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtructio; hoc fecit ad maximum myſterium inſinuandum, quia per hos tres ſignificantur perfecti Religioſi, & eorum perfectio per obſervantiam trium votorum, ſcilicet obedientiæ in Petro, paupertatis in Jacobo, & caſtitatis in Joanne. datur que intelligi, quod illi, qui tranſactis difficultatum obſtaculis, & laborantes in aſcenſu ad montem perfectionis per exercitium virtutum, orationis, contemplationiſque, tamquam familiares ad juſtitiæ culmen Chriſto duce conſtituuntur, & introducuntur ad ſpecularionem transfigurationis Chriſti. *Op. de Prof.Religioſ.lib.2.c.22. ſer.3.de S.Ioan.Evang.in addit.*

10. *Per*

Digitized by Google

10. *Per labores, & mortificationes ſolùm adipiſci poteſt homo gloriæ fruitionem.*

Poſt ſex dies aſſumpſit Ieſus, &c. Cur poſt ſex dies, ſcilicet ſex diebus tranſactis poſt opera patrata in capite antecedenti? ſed attende, quod Deus in ſex diebus totum mundum creavit, & in ſeptima requievit; datur que intelligi, quod in ſex diebus hujus vitæ laborandum eſt, & qui laboraverint, mandata Dei obſervaverint, poſt laborem, & opera, ipſos quoque in æternam abſque labore vitam aſſumpti requieſcent; poſt vigiliam enim ſequitur feſtum, poſt laborem requies. *Luc. c. 9. v. 28. ſeq.*

11. *Contemplationis gradus expenduntur.*

Poſt ſex dies aſſumpſit Ieſus, &c. Lucas: poſt hæc verba ferè dies octo: Cur diverſificant ſancti Evangeliſtæ in modo loquendi, cum idem velint ſignificare, ut dictum eſt ſuprà? ſed attende ad notabiliſſimum myſterium: S. Matthæus proponit ſex dies tranſactos, ut denotet ſex gradus, quibus anima ab activa ad contemplationis montem aſcendere poteſt: primus eſt in imaginatione pura, eſtque de corporalibus puris: ſecundus in imaginatione ſecundum rationem, ſcilicet aſcenſus de corporalibus ad Deum: tertius in ratione ſecundùm imaginationem, ſcilicet circa corporalia recognoſcendo Dei attributa: quartus in ratione ſecundùm rationem, nempe in ordine ad animam: quintus ſuprà rationem, ſcilicet in ipſa animâ per collectionem potentiarum in anima: ſextus eſt ſuper rationem ſcilicet aſcenſus totalis ad Deum, & ſeptimus additur apud Deum, poſt quos tantùm ſupereſt gloria cæleſtis. Aſcenſus igitur contemplationis exigit hos gradus in anima, nempè contuendo Deum extra ſe per veſtigia, & in veſtigiis per corporalia, & in corporalibus, in quibus potentia, ſapientia, & bonitas Creatoris repræſentatur: ſecundo intrà ſe per imaginem & in imagine, ſcilicet intrando ad mentem noſtram, quæ eſt imago Dei æviterna, & ſpiritualis, & intra nos nempe in veritatem Dei, ſcilicet elevando ſe ad contemplationem Dei æterni unius, & trini: & tertiò tranſcendendo ſeipſum in Deum, & apud Deum per lucem ſuper nos relucentem, & in ipſa luce contuendo Deum in ſe, in quo ſtatu anima transformatur in Deum per viſionem, & fruitionem ſublimiſſimam, in quo ſtatu verè dicit, Domine bonum eſt nos hîc eſſe, quæ omnia exercentur per concurſum trium perſonarum, quæ à Chriſto fuerunt aſſumptæ, ſignificantes tres virtutes ad contemplandum neceſſarias, ſcilicet fidem, ſpem, & charitatem, ſine quibus nullus poteſt conſcendere ad montana, item ſignificantes tres diſpoſitiones neceſſarias animæ contemplativæ, ſcilicet induſtriam, diſciplinam, & gratiam, oportet enim intelligentiam illuminari, concupiſcentiam dominari, & affectum inflammari, ut poſſimus ſurſum cum Deo ferri; in primo enim multum valet induſtria, vel ſcientia; in ſecundo permiſcetur multum induſtria, vel ſcientia cum gratia; in tertio eſt gratia per quam aſcenditur ad cognitionem, & amorem transformativum in Deum. *Luc. cap. 9. v. 28. op. Itiner. mentis c. 1. & ſeq. per totum ſer. 3. de SS. Phil. & Iac. in addit.*

12. *Oratio, & contemplatio exigit ſequeſtrationem, & ſilentium.*

Et duxit illos in montem excelſum ſeorſum. Quid eſt ſeorſum? ſeorſum refertur ad illos, quos ſecum Chriſtus duxit, ut ſcilicet eſſent ſequeſtrati à turba, & à terrenis numero, & merito; nam perfecta oratio, & contemplatio, quæ ducit ad Dei perfectam unionem, exigit talem ſequeſtrationem, & hinc in montem ducti ſunt, & ab aliis ſequeſtrati, quia mons, & ſolitudo locus eſt aptus orationi, & in tali ſtatu dantur, & immittuntur à Deo apparitiones, inſtructiones, & contemplationis. *Luc. c. 9 v. 28.*

13. *Qui divinam transfigurationem, viſionem, & fruitionem Dei deſiderat, aſcendat cum Chriſto ad montem.*

Et duxit illos in montem excelſum, & transfiguratus, &c. Cur in hoc monte Chriſtus tantum prodigium voluit operari? hoc fecit ad inſtructionem noſtram; aſcendit enim in montem oraturus, & ſuam gloriam oſtenſurus, ut innuat, quod qui reſurrectionem expectant, & cupiunt altitudinem ſublimis orationis obtinere, debent mentem in excelſis elevare, & continuis precibus inſiſtere, & in tali monte ſolitudinis, & perfectionis habitare. *Luc. c. 9. v. 28.*

14. *Contemplationis ſtatus nobilitas qualis.*

Et duxit illos in montem excelſum ſeorſum. Scilicet in montem contemplationis ducit animas dilectas, in quo monte abundat plenitudo diſcretionis, luminis, & cognitionis, plenitudo item devotionis, plenitudo item charitatis, & amoris, quia anima ibi irradiatur lumine ſuperno, plenitudo item ſecuritatis ab omni impetu inimicorum: plenitudo item tranquillitatis & pacis, plenitudo item ſuavitatis, quia ibi Chriſtus mirabiliter paſcit deliciis cæleſtibus ſuos, & plenitudo per conſequens omnium bonorum. *Luc. cap. 9. verſ. 28.*

15. *Multiplex transfiguratio ad noſtram ſalutem facta à Chriſto expenditur.*

Et transfiguratus eſt ante eos: legit S. Lucas *Et facta eſt dum oraret ſpecies vultus ejus altera.* Nota, quod dicit altera, non alia, vel aliud, ſcilicet eadem facies facta eſt altera ob ſupereminentem claritatis refulgentiam, oſtendendo in hoc gloriam ſuæ reſurrectionis, & noſtræ futuram; ſed attende, quod myſticè multiplex transfiguratio legitur de Chriſto, & ordinata ad ſalutem hominum: transfiguravit ſe in nobis, quando in Incarnatione Deus factus eſt homo; in monte Thabor, quando oſtendit diſcipulis claritatem ſuam in Euchariſtia, quando ſub ſpeciebus viſibilibus collocavit corpus, & ſanguinem, & ſeipſum: in Reſurrectione, quando reſurrexit totus glorioſus cum ſactis ſtigmatibus; item in Aſcenſione; & transfigurabit ſe in judicio, quando apparebit in nubibus Cœli; per quas transfigurationes intendit nos in ſe transfigurare per exempli exhibitionem, & attractionem ad ſui imitationem: *Pſal. 88. & 67 & 15.* Nota etiam quod in hac transfiguratione omnia in ſe transfiguravit,

guravit, quia Chriſtus ut homo habet in ſe aliquid creaturarum omnium,& ideò in ipſo dicuntur omnia transfigurata, & nobilitata, & exaltata. *Ser.4.Dom.2.Quadrag.*

16. *Oratio transfigurat, & illuſtrat animam orantis.*

Et transfiguratus eſt ante eos. Transfiguratus eſt (ait S. Lucas) ideſt facta eſt facies ejus dum oraret altera; Ecce medium, quo transfiguratus eſt Chriſtus, nempè orando; ut videas, quod in oratione, & contemplatione facies hominis illuſtratur, quia dum facies mentis noſtræ ad Deum convertitur illuminatur, melioratur, & perficitur, ſicut de Moyſe legitur Exod. c. 34. quod ex conſortio ſermonis Domini illuminata eſt facies ejus,ſic orantis facies, lingua, manus, geſtus, operaque omnia, veſtes, ideſt converſio, ex orationis conſortio cum Deo illuminantur, ac transfiguranter: Sed quid eſt hæc transfiguratio animæ? nihil aliud eſt, niſi figuram Chriſti, ex ipſo Chriſto irradiante, veluti exemplari in nobis pingere; nam in oratione anima inſpiciens crucifixum, in ſeipſum imprimit, & veluti ſpeculum in ſeipſa repræſentat, & transformatur, ait Apoſtolus,in eamdem imaginem à claritate in claritatem tamquam à Domini ſpiritu. *Luc. c.9. verſ.31.*

17. *Ex Chriſto ab intus venit omnis gloria, & bonum ad nos.*

Et transfiguratus eſt ante eos. Nota, quod hæc claritas redundabat ad extra ab interiori animæ, per quod datur nobis intelligi, quod Chriſtus eſt regnum Cœlorum,& Paradiſus, ex quo promanat nobis omnis plenitudo chariſmatum, donorum, & gratiarum,& beatis omnis beatificatio, & gloria, & ideo maxima aviditate appetendus eſt Jeſus à nobis, cùm ſit unica ſalus humana, totum bonum Chriſtianorum, plenum gaudium bonorum, in quo corporaliter habitat plenitudo deificæ voluptatis, in quo abſorpta anima proficit, & omnia ejus deſideria conſummantur. *Ser.4.Dom.13.Pentec.Luc.c.27.v.21.*

18. *Veſtimenta Chriſti alba litteraliter, & myſticè.*

Veſtimenta ejus facta ſunt alba ſicut nix. Quomodo alba? & ideò quæritur an talis albedo fuerit naturalis? cui reſpondetur, quod ex anima Chriſti in corpus, & ex corpore emanavit claritas in veſtimenta, quæ ipſa reddidit alba ſicut nix in ſignum lætitiæ; & talis erit figura Chriſti in die judicii: myſticè autem veſtimentum Chriſti eſt ipſius humanitas ex unione cum divinitate facta candida, & puriſſima; item ſunt viri ſancti Chriſto adhærentes, & ipſum adornantes: dicuntur autem alba, quia eorum converſatio eſt irreprehenſibilis ex eo quod conformantur Domino Jeſu: *Luc. cap. 9. verſ. 31. Pſal.92.* Veſtimentum etiam Chriſti dicitur Eccleſia, quæ virtute ſanguinis ejus lucida facta eſt. *Ser.2. in Cœna Dom.*

19. *Adventus Chriſti teſtificatus ab utroque teſtamento, & ab omnibus creaturis.*

Et ecce apparuerunt illis Moyſes,& Elias cum eo loquentes. Cur Moyſes, & Elias inter tot alios ſanctos veteris teſtamenti? quia in Moyſe ſignificabatur lex; in Elia prophetia, ut indicaretur, quod utrumque teſtamentum ordinatum eſt ad teſtificandum adventum Meſſiæ, tum quia unus eorum eſt vivus, alter mortuus, unus de Cœlo, alter de inferno, ut Chriſtus haberet teſtimonium ex omni genere, & quod ipſe eſt, qui vivos, & mortuos facit gloriosus. *Luc. cap. 9. verſ.31.*

20. *Omnes Chriſti ſocii Reges ſunt,& in gloria coronantur.*

Et ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias cum eo loquentes: addit S. Lucas, *viſi in majeſtate*, alii legunt,*in gloria*; ſed quænam majeſtas eſt iſta? Majeſtas propria eſt Regum, & per hoc datur intelligi, quod omnes intimi ſocii Chriſti ſunt veluti Reges, qui ab ipſo Chriſto coronantur. *Vide ſer.4.in Aſcenſ.ſer.3. in Epiph. Ioan. collat.56.ſap.c.11.*

21. *Ad gloriam pervenitur per paſſionem.*

Apparuerunt Moyſes, & Elias cum eo loquentes. Quid reſpondet S. Lucas, dicentes: *exceſſum, quem completurus erat in Jeruſalem.* Nota, quod exceſſum hîc vocat paſſionem Chriſti, ob exceſſum humilitatis,paupertatis amoris,doloris,hunc exceſſum complevit in Jeruſalem, ubi crucifixus eſt, in quo fuit conſummatio noſtræ redemptionis: myſticè autem datur intelligi, quod in oratione cum Chriſto datur intelligentia myſteriorum Chriſti, & præcipuè ipſius paſſionis, per quam ſolam pervenitur ad gloriam. *Luc. c.9. verſ.31.*

22. *Quale bonum, & quàm bonum eſt eſſe cum Chriſto.*

Dixit Petrus ad Jeſum, Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Cur bonum? ô quàm verum hoc, quàm bonum eſt eſſe cum Chriſto, bonum eſt Chriſtum expectare, & quærere, ſed magis bonum eſt ipſum deguſtare, ſed maximum eſt cum Chriſto gaudere; primum bonum eſt, quia meritum; ſecundum magis bonum, quia viaticum; tertium quia præmium;ergo bonum eſſe cum Chriſto, & maximum bonum. *Luc.c.9. v.33.ſerm.4. Dom.2. Quadrageſim.*

23. *Quomodo dicitur à S.Luca, quod Petrus neſciebat quid diceret, dum propoſuit manere ſemper in illo ſtatu cum Chriſto?*

Domine ſi vis faciamus hîc tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Elia unum: neſciens quid diceret. Quomodo dicitur hîc, quòd Petrus neſciebat quid diceret? aſt ne hoc neſcire, vel actus ignorantiæ & non potius veræ ſapientiæ, quærere, & velle manere perpetuò cum Chriſto in gloria? ſed attende ad ſublimiſſima myſteria; Petrus

Digitized by Google

trus tria tabernacula in monte proponit, primum principale pro Chriſto; ſecundum Moyſi tamquam legiſlatori, & tertium Eliæ tamquam excellenti Prædicatori, quia in Cœlo ſecundum diverſitates dignitatum diſtinguuntur habitacula manſionum, pro ſe autem & ſociis non proponit tabernacula, quia ſui oblitus hæc protulit per exceſſivum deſiderium, quod ſolet eſſe in contemplantibus, præ nimietate igitur deſiderii, & præ profunditate myſterii neſciebat quid diceret. Ex quo patet, quòd ſi Petrus pro humana conditione neſciat quid dicat, in ſiti tamen dat ardoris indicium, dum eos, quos videre delectat, etiam obſequio ſiſtere quærit; errabat autem, quia in terra, & in hac mortali carne ſibi; & coapoſtolis ſuis dari cupiebat regnum, quod tantùm in Cœlis, & carne mortali expoliatis eſt promiſſum. *Luc. c. 9. v. 33.*

24. *Ex errore Petri infertur documentum neceſſarium pro contemplativis.*

Neſciebat quid diceret. Sed quomodo neſciebat quid diceret, quærens manere cum Jeſu? neſciebat & decipiebatur, primò quia volebat manere in ſtatu, à quo eſt tranſeundum, non enim habemus hîc manentem civitatem: ſecundò quia umbram credebat in hoc verificandam, & ablatam, & tabernaculum gloriæ credebat materiale, cùm tamen ſit ſpirituale; & per hoc datur admonitio multiplex contemplativis, ne exiſtentes in quiete contemplationis recuſent tranſire ad laborem actionis, quotieſcumque Dei gloria id exigit; item ne decipiantur in figuris, ſed ad Deum contemplandum ſine umbris ſe transferant, & ſicut decipiebatur Petrus, dum dividere volebat unita, & quod erat unum, triplicare volebat, ſic in unum Deum cor noſtrum transferri debet: Nota tamen, quòd hæc deceptio non erat per judicium, & aſſenſum, ſed magis propter mentis exceſſum, attendant benè ſervi Dei ad hæc neceſſaria monita. *Luc. c. 9. v. 33.*

25. *Impoſſibile eſt frui deliciis ſimul in hoc, & in altero ſæculo.*

Neſciebat quid diceret. Cur hoc? quia in terra, & in hac mortali vita dari cupiebat ſibi regnum, quod ſolum habetur, & haberi poteſt in Cœlo, impoſſibile enim eſt in hac vita perfrui deliciis, & etiam in altera vita; nam vita hæc eſt laboris, alia eſt gloriæ. *Luc. ibid. Ioan. c. 18. v. 11.*

26. *Gloriæ magnitudo expenditur.*

Domine bonum eſt nos hîc eſſe. Vide quomodo una ſtilla gloriæ rapuit Petrum; & ſi hoc; quid putas dixiſſet, ſi magnam illam multitudinem dulcedinis Paradiſi deguſtaſſet? Hinc poſſumus inferre quàm magna, quàm immenſa, quàm magnifica ſit illa gloria Beatorum quàm glorioſa, quam famoſa, quàm gaudioſa eſt illa domus Dei, civitas cæleſtis, manſio ſecura, patria continens torum quod delectat. *Vide on ſoliloq. c. 4. op. med. c. 52. Luc. c. 6. v. 38. ſer. 4. Dom. 2. quadrag.*

27. *In itinere perfectionis non oportet manere, & ſtare, ſed ſemper in altum progredi.*

Domine bonum eſt nos hîc eſſe, neſciens quid diceret &c. Cur tamquam ignarus reprehenditur Petrus? volens in monte glorioſo permanere? ſed nota illam particulam hîc, bonum eſt nos hîc, ſcilicet in hoc monte eſſe, & manere; & ideo faciamus tria tabernacula ad hîc permanendum: hîc vis permanere ô Petre, dum adhuc es in via? hîc? ubi tranſeundum eſt ulterius; quia adhuc tibi grandis teſtat via? hîc? ubi eſt motus perpetuus, & continuus fluxus; & nihil permaneus? hîc? in ſtatu perfectionis aſſequendæ, in quo qui ulterius non procedit, neceſſariò regreditur? Ecce qualis iſta deceptio, & ignorantia, vel potiùs oblivio, nonenim tunc ob mentis exceſſum recordabatur, qualis eſſe ipſius obligatio in ſequela Chriſti aſcendendi ad montem perfectionis, & numquam in unico ſtatu permanendi, hoc enim eſt vinculum ſtatûs Apoſtolorum, hæc obligatio Religioſorum ſemper ulterius aſcendendi de virtute in virtutem. *Vid. ſtim. p. 3. c. 4. bp. de ſept. don. c. 6.*

28. *Ad tabernacula vulnerum Salvatoris invitatur anima.*

Si vis faciamus hîc tria tabernacula &c. neſciens quid diceret. Cur neſciebat quid diceret? quia extra humanitatem & corpus Salvatoris quærebat tabernacula; cum enim paulo ante Chriſtus ipſi prædixiſſet ſuam crucifixionem, & mortem, & per conſequens idealiter ipſi oſtendiſſet ſua vulnera in manibus, pedibus & latere à Judæis excavanda, & ab ipſo Jeſu exponenda mundo tamquam loca refugii tutiſſima, ipſe veluti tanti beneficii; & myſterii oblitus quærebat alia extranea tabernacula nos, ô dilectiſſimi, ſi non corpore, ſaltem mente, relictis omnibus creaturis ad Chriſtum accedamus; quia bonum eſt nobis ſecum eſſe, & in ipſius corpore tria tabernacula facere, unum in manibus, unum in pedibus, & aliud continuum in latere, ibi intremus, ibi quieſcamus, ibi dormiamus, ibi comedamus, ibi bibamus, ibi legamus, ibi oremus, ibi omnia negotia noſtra pertractemus; ô amantiſſima vulnera Chriſti Jeſu, ô felix anima, quæ ad hæc tabernacula ſe convertit. *Op ſtim. p. 1. c. 1.*

29. *Maria Virgo mons in quo transfiguratus eſt Chriſtus.*

Et transfiguratus eſt ante eos &c. & ecce nubes lucida obumbravit eos. Ad quid hæc nubes lucida? & quomodo obumbravit, & non potius illuminavit? ſed attende ad myſterium: Hæc transfiguratio indicavit transfigurationem Verbi factam in Maria, quæ eſt mons non Thabor, ſed potiùs Olympus mons ſuper omnes montes, mons glorioſus, & puriſſimus, in quem Verbum aſcendit, & aſſumendo carnem transfiguratus eſt; & ſicut ad transfigurationem Chriſti in monte Thabor apparuit nubes lucida oſtendens divinam majeſtatem, ipſam veluti ſenſibiliter diſcipulis viſibilem reddens; ſic in utero Virginis aſſumpſit nubem carnis, quæ contemperabat lumen divinitatis

oculis noſtris, ut poſſimus in eam intendere, tum ut eſſet vehiculum divinæ lucis ſuper terram tenebroſam, & ſimul etiam pluviæ Salvatoris divinæ gratiæ ſuper totam terram animarum noſtrarum: ô beata, & benedicta Virgo Maria, per quam nobis transfiguratus eſt Chriſtus, & in terris oſtenſus, & viſus. *Luc.c. 9. v.34. ſer.1. de B. Virg.*

30. *Meditationis, & contemplationis obſectum ſit divinitas, & ſimul humanitas Chriſti.*

Et ecce nubes lucida obumbravit eos. Ad quid hæc nubes lucida? & quoſnam obumbravit? obumbravit diſcipulos præſentes transfigurationi, contemperans lucem divinitatis, & nubem humanitatis, ut facilius tantum myſterium agnoſcerent, & ſimul timore filiali, & reverentiali cor eorum occuparetur, & per hoc datur admonitio ad orantes, & contemplantes, ut non tantùm erigant oculos ad lucem divinitatis radiantem, ſed etiam ad nubem humanitatis obumbrantem: ſic enim Angeli orantes aſcendunt, & deſcendunt ſuprà filium hominis, quia in humanitate latet divina majeſtas. *Luc.c.9.v.34.* Diſcant ex hoc loco aſcetici illi, qui toti fixi ſunt in ſuis meditationibus in rejiciendo omnia creata etiam humanitatem Chriſti, ut ad Deum ſolùm ſe conferant, quia poteſt ſæpè deceptio intervenire, ut ſparſim, & ſæpè notavit, qui perfectiſſimè hæc expertus eſt in ſe, & in aliis Seraph. Doctor.

31. *Chriſtus Filius Dei naturalis, perſonalis, & coæqualis à Patre declaratus.*

Ecce vox de nube dicens (ſcilicet vox Patris) *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Nota, quòd per hæc verba excitare voluit Pater æternus nos ad reverentiam erga Chriſtum, oſtendendo, quis, & quid ſit; Hic eſt, certam demonſtrans perſonam? ſcilicet Verbum, Filius meus, ſcilicet connaturalis & per naturam genitus; dilectus; ideſt præcipuè, & ſummè electus, & coæqualis, & per hos terminos diſcretivos oſtendit proprietatem filiationis in Chriſto eſſe perſonalem, & connaturalem, & coæqualem, ideo rectè ſubditur. Ipſum audite, ut oſtenderet omnia dicta Chriſti eſſe credenda; audite ipſum non ſolùm aure corporis, ſed & cordis, audite cum omni reverentia, audite cum omni obedientia, audite cum omni diligentia, per quam vocem ita firmata ſunt corda diſcipulorum, ut etiam ipſorum dicta, & doctrina ex hoc facta ſunt autentica. *Luc.cap.9. verſ.35.*

32. *Chriſtus ut Deus ex Patre genitus per intellectum, per Mariam genitus ex amore.*

Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Cur ſic Pater dilectionem exaggerat, cùm filius Dei non ex voluntate, & amore, ſed ex intellectu, & cognitione procedat? ô benè, quia ut incarnatus filius dilectionis eſt, filius ex amore Mariæ, & ex concurſu voluntatis Mariæ. *Sic Guer. Abb. & S. Bonav. ſæpè in ſpec. B. Virg.* Nota autem, quòd hæc vox, hic eſt filius meus dilectus poterat æquivocationem pati; cùm enim videretur ut homo, licèt glorioſus, poterat etiam attribui, imò patentius B. Virgini, & tamen tribuitur Patri; & hinc infertur, quod hæc vox ſoli Patri, & B. Virgini communis eſt. *Sic S. Anſel.*

33. *Chriſtus cum Patre, & Spiritu Sancto totus intentus ad elevandum ſuos in culmen perfectionis.*

Ecce nubes lucida obumbravit eos; addit S. Lucas; *intrantibus illis in nubem.* Cur ex nube declaratur Ieſus filius Dei, & in ipſa involvit diſcipulos? hoc factum eſt, quia ad illud myſterium peragendum concurrit Pater, & Spiritus Sanctus cum Chriſto ad elevandum ſuos in nube, ſcilicet faciens eos aſcendere de virtute in virtutem uſque ad Cœlum. *Luc.c.1.v.51.*

34. *Ad Adventum Chriſti in mundum tranſit lex vetus, & remanſit in æternum Evangelium.*

Levantes autem oculos, neminem viderunt niſi ſolum Ieſum. Quomodo niſi ſolum Jeſum? nonne & ipſi diſcipuli ibi erant? ſolùm Ieſum, quia diſparuerunt Moyſes, & Elias, ut pateret, quòd lex vetus tranſiit, & ſolum Evangelium permanet in æternum. *Luc.c.9.v.36.*

35. *Solus Ieſus ſalvare poteſt, & ſolus adorandus, & æſtimandus, cæteraque abjicienda.*

Neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum. Cur ſolum Ieſum? ut intelligamus, quòd ſolus Ieſus eſt, qui poteſt ſalvare, & ideò ſolus, ut Salvator adorandus, cæteraque omnia deſpicienda. *Luc.c.9.v.36. ep. de contemptu ſæculi. ep. Incend. c.2.*

36. *Orantes ad ſolum Ieſum crucifixum levent oculos, & mentem.*

Levantes autem oculos neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum. Ecce quid faciunt iſti diſcipuli in loco orationis, levant oculos, & mentem non ad Eliam, & Moyſen, ſed ad ſolum Jeſum, hoc enim eſt, quod anima orans debet facere; oculos, cor & mentem dirigat ad ſolum Ieſum, ſic & exiſtens in loco orationis, non ad mulieres pulchras, non ad viros, non ad curioſitates, ſed ad Chriſtum ſolum & hunc crucifixum. *Ser.2. Dom.13. Pentec. ſerm.1. Converſ. Pauli.*

37. *Revelationes divinæ, & magna facta occultanda, nec ſine neceſſitate propalanda.*

Nemini dixeritis viſionem, donec Filius hominis à mortuis reſurgat. Cur voluit Chriſtus revelationem tanti myſterii? hoc fecit ad inſtructionem noſtram, ut intelligamus, quod revelationes divinæ, & maximà facinora non ſunt manifeſtanda ſine gravi neceſſitate, & ſolùm ad gloriam Dei, & utilitatem proximi. *Luc.c.9.v.36. & c.8. in fine.*

38. *Elias,*

38. *Elias, & Enoch reſtituent omnia ante judicium univerſale, & convertent Judæos ad fidem.*

Quid ergo dicunt ſcribæ, quòd Eliam oportet primum venire? Nota, quòd occaſione apparitionis Eliæ in monte, & videntes diſcipuli eum poſteà receſſiſſe, interrogaverunt Chriſtum, quomodo intelligi debeat prophetia de futura apparitione ante judicium ipſius Eliæ. Chriſtus autem reſpondit ad litteram, & poſteà myſticè: primò, quod verum eſt ipſum venturum eſſe ante judicium, & poſteà myſticè appellans Joannem Baptiſtam alterum Eliam, non perſona, ſed ſpiritu, dixit ipſum veniſſe, & occiſum fuiſſe ab Herode; ſciendum autem, quod ante judicium univerſale venient Enoch, & Elias, qui nunc in Paradiſo terreſtri degunt, & per prædicationem convertent omnes Judæos ad fidem Chriſtianam, & poſteà ab Antichriſto occidentur, & poſt hanc occiſionem, ipſe Antichriſtus occidetur. *Op. Comp. Theol. lib 7. c. 12. ſer. 2. invent. S. Crucis; lib. 2. d. 19. art. 2. q. 2. ad 3.*

39. *Sanctus Pater Franciſcus alter Elias.*

Dico autem vobis, quia Elias jam venit. Ad litteram Chriſtus loquitur de Joanne Baptiſta, qui ipſum præceſſit in Spiritu, & virtute Eliæ; ſed attende, quod myſticè hæc poſſunt etiam dici de Seraphico Patre Franciſco, qui fuit imitator Eliæ, & Joannis Baptiſtæ: iſti enim zona pellicea accincti prædicaverunt pœnitentiam populis; Sanctus Franciſcus verò accinctus zona pœnitentiæ; & crucis (indutus enim, incedebat habitu repræſentante crucem) & cingulo regularis diſciplinæ cohibentis, & reſtringentis omnes ſenſuales appetitus, & mentales affectus, populis prædicabat pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. *Joan. cellat. 91. & Op. legenda S. Franc. Prolog.*

40. *Diaboli crudelitas in hominem ab ipſo obſeſſum expenditur.*

Acceſſit ad Jeſum hominem, & dicens, Domine miſerere filio meo, &c. Ecce qualis crudelitas diaboli obſidentis hominem, expreſſa, in hoc miſero, quem diabolus fecerat lunaticum, arripiendo eum per intervalla, ſcilicet, tempore certo curſus Lunæ, & ipſum projiciens in ignem, & aquam, & torquens afflictione repentina, cum maximo dolore, & afflictione. *Luc. c. 9. v. 39. & c. 8. v. 29. Joan. c. 14. verſ. 31.*

41. *Diabolica obſeſſio ſpiritualis in homine expenditur.*

Miſerere filio meo, quia lunaticus eſt, & malè patitur. Nota hæc verba, malè patitur; patitur quidem, & malè, ideſt peſſimè; hoc enim eſt, quod facit ſpiritualiter diabolus in peccatore exiſtente in peccato mortali, & ab ipſo ſpiritualiter obſeſſo, apprehenditur enim per ſuperbiam, clamare facit per jactantiam, elidit per invidiam, diſſipatur per iracundiam, quæ omnes cogitationes conturbat, dilaniat per cordis mœſtitiam, qua præcipitat in impatientiam, & per hanc dilaniatur in conſcientia, & hinc eſt difficultas liberationis, quia vix diſcedit propter perfidiam, in qua vivæ peccator: ſed inter hæc, omnia mala tria ſunt præcipua, nempè elliſio in terra, projectio in ignem, & aquam, ſcilicet diabolus hominem elidit in terra per terrenorum amorem, & avaritiam, mittit in aquam, & ſubmergentem luxuriam, & in ignem per elucentem ſuperbiam, ſuntque illa tria vitia de quibus 1. Ioan. c. 2. concupiſcentia, ſcilicet carnis, & oculorum & ſuperbia vitæ, ſignificata per ignem urentem, in quo etiam ſignificatur urens invidia, urens iracundia, urens avaritia, & luxuria. *Luc. c. 9. v. 39. ſerm. 1. S. Magdal. in addit.*

42. *Chriſtus venit liberare lunaticos homines.*

Miſerere filio meo, quia lunaticus eſt. Quid eſt lunaticus? lunaticus eſt, qui per intervalla tempora, & ſecundum curſum lunæ arripitur furore; o quàm benè exprimitur ſtatus generis humani, qui lunaticus erat, per gulam, & ebrietatem, & crebrò ſe præcipitabat in omnia ſcelera, Chriſtus autem venit ipſum liberare, projiciendo ſe in ignem paſſionis, in mare amaritudinum, ſubjiciendo ſe ſalivæ Judæorum conſpuentium ejus faciem; ſic enim lunatici ſpumant, & emittunt voces horrendas, Chriſtus clamans voce magna emiſit Spiritum, & omnes dolores, & torſiones noſtras ſuſtinens. *Ser. 1. in Paraſceve.* Et hinc eſt, quod in ſanatione hujus pueri figurata eſt liberatio generis humani, nam excitata fide in parentibus ipſum liberavit à Dæmone, & reddidit ſanum patri. *Luc. c. 9. v. 42.*

43. *Converſio peccatoris impeditur per infidelitatem, & duritiam in peccato.*

O generatio incredula, & perverſa, quouſque ero vobiſcum, & patiar vos? Nota, quòd Chriſtus hæc dixit non per impatientiam, ſed ut per increpationem duram expelleret cordis duritiam in diſcipulis, & auditoribus, & eos ad pœnitentiam converteret; nam infidelitas reddit peccatorem ſtultum in cognitione, & perverſitas durum in affectione, & hoc eſt, quod ſæpè peccatores patiuntur, nempè amittendo fidem, vel ſaltem ſuperficialiter tantùm credendo minis, & increpationibus Dei & per malam conſuetudinem invetetati remanent in peccatis. *Luc. c. 9. v. 41. & c. 7. v. 31.*

44. *Qualis fides neceſſaria ad liberationem hominis ab obſeſſione diaboli.*

O generatio infidelis, & perverſa, &c. afferte illum ad me, & attulerunt eum. Ecce cauſa quare diſcipuli non potuerunt liberare hunc obſeſſum; primò perverſitas parentum, ſecundò infidelitas ipſorum, & etiam diſcipulorum, ut infrà dixit Chriſtus, propter incredulitatem veſtram: & hinc per increpationem auferre conatus eſt perverſitatem cordis, ſcilicet peccatum, & deindè illos excitavit ad fidem, dicens afferte illum ad me, ſcilicet per fidem veſtram afferte eum, qui non poteſt per fidem ſuam venire; fides enim eſt illa, qua mediante quis ducitur ad Chriſtum, quia ipſa eſt via deducendi ad Deum, quibus præmiſſis, Chriſtus liberavit obſeſſum. *Luc. c. 9. v. 41. & 42.* Ex quibus elicitur eruditio neceſſaria Exorciſtis, qui ad liberationem energumenorum debent priùs excitare ad fidem obſeſſos, & ſi ipſi non ſunt capaces, eorum parentes, & curatores, quæ fides

debet eſſe formata,nempe a uferendo prius peccatum mortale ab anima , ut tollatur obſeſſio ſpiritualis diaboli , & poſtea excitando eos ad fidem vivam . in cujus virtute Exorciſta', & ipſe viva fide armatus infalliblitet liberabit obſeſſum , ad quam liberationem etiam multum conferet increpatio ſpiritus immundi,exemplo Chriſti. *Sic S.Bon.pluries ſparſim.*

45. *Chriſti increpationes ſunt ad ſalutem, non ad pœnam.*

O generatio incredula , &c. addit S.Lucas; *Et increpavit Jeſus ſpiritum immundum:* Vide ad quid terminant increpationes Chriſti , nempè ad ſalutem increpati ; nam ipſe eſt , qui vulnerat , & medetur , percutit , & manus ejus ſanabunt; undè poſt increpationes reddidit puerum ſanum patri , & ſic lenivit dolorem ejus. *Luc. capite 9. verſ.42.*

46. *Fidei magnalia in grano ſinapis expreſſa.*

Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis , & dicetis monti huic,tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil erit vobis impoſſibile. Nota , quod in his verbis non levis difficultas inſurgit : ſi enim ſufficit fides , ut granum ſinapis, ideſt exigua ad faciendamiracula , ſequitur , quod omnes , qui habent hanc fidem exiguam poterunt miracula patrare; ſequitur etiam diſcipulos non habuiſſe hanc minimam fidem , dum ipſos Chriſtus reprehendit , non liberaſſe obſeſſum propter incredulitatem eorum ; ſed tamen ſolvitur dubium à ſanctis Patribus , dum Chriſtus comparans fidem grano ſinapis , quæ minima eſt mole, ſed maxima virtute excedens omnia alia ſemina , unde loquitur hîc de fide maxima , & innuit Chriſtus magnalia fidei : nam fides Chriſtiana humilis videtur, & contemptibilis infidelibus , miræ tamen virtutis eſt,& fructum affert plurimum : & quot ſunt articuli fidei , tot poſſunt dici grana ſinapis; & ſicut granum ſinapis ſi ore conteritur lachrymas extrahit ab oculis , ſic articuli fidei , ſi diligenti conſideratione , & devota affectione tenentur , lachrymas contritionis producunt : item virtute hujus fidei etiam ſæpè obtinetur fides miraculorum , & præterea per hanc fidem transfertur mons , ſcilicet diabolus de corde peccatoris , & mons tollitur peccatorum. *Ser.1. in Circumcif.Pſal.35.* Nota autem , quod ſancti Patres alii exponunt hunc locum de fide miraculorum, alii de fide Theologica ; ſed tamen magis propriè exponitur de fide Theologica ; quæ eſt fundamentum omnium virtutum , & bonorum operum , & ex qua fides miraculorum gignitur , & per quam acquiritur imperium reſpectu corporalium elementorum , dæmonum , & tentationum , & per quam mirabilia poſſunt perfici, *Luc.c.17.v.6.*

47. *Oratio, & jejunium quàm efficax contra dæmones, & vitia.*

Hoc autem genus non ejicitur niſi per orationem & jejunium : Hîc ſuboritur maxima quæſtio inter ſacros Expoſitores , de quo genere hic Chriſtus loquatur , an de quibuſdam ſpeciebus dæmonum , an de omnibus , an de aliqua alia tè adverſante nobis ; aliqui dicunt loqui de omnibus dæmonis , alii de quibuſdam ſpeciebus magis nocentibus, alii, ut S. Bon. Gloſſa , & plurimi,intelligunt ſpiritualiter de vitiis maximè gulæ , & ex gula provenientibus. Et ratio eſt , quia ſicut in diverſis rebus corporalibus adminiſtrandis diverſi Angeli à Deo præponuntur , & diverſorum ordinum , ſic etiam in diverſis tentationibus diverſi dæmones habent diverſum ſpecialem effectum , quia aliqui potiſſimè tentant de diviciis congregandis , aliqui de honoribus appetendis , aliqui de luxuria , &c. & de hoc genere præcipuè loquitur Chriſtus; hoc genus ſcilicet dæmonum tentantium de gula , & luxuria , non ejicitur niſi per orationem , & jejunium , iſtæ enim virtutes ſunt efficaces contra omnia vitia, ſed maximè contra iſta ſpecialia, & dæmones ad ipſa excitantes. *Sic Lyran.hic,& S.Bon.Diat.tit.2. c.4.Luc.c.11.v.14.& 24.& c.18. v.1. ſerm. 1. & 4. Dom.1.Quadrag.ſer.2.& 3.Dom.3.Quadr.*

48. *Chriſti quanta cura , ne Apoſtoli ſcandalizarentur , & ut fructum de ipſius Paſſione referrent;ubi etiam de multiplici traditione Chriſti.*

Converſantibus autem eis in Galilæa , dixit illis Jeſus filius hominis tradetur in manus hominum , & occident , & tertia die reſurget , & contriſtati ſunt vehementer : Vide quanta ſollicitudine Chriſtus regebat , inſtruebat ,& dirigebat ſuos diſcipulos , & maximè in hoc , quod ſæpè eos præmonebat de futura ſui Paſſione,& hoc tum ne ſcandalizarentur poſteà de magiſtro , videntes ipſum traditum ad mortem ; tum ut facilè ferrent tribulationem ſuam tempore talis paſſionis ; tum ut memoriam ſuæ paſſionis ad noſtrum excitamentum ſæpe refricaret. Nota autem, quod dum dicit ſe tradendum in manus. ne putes ſolùm traditum à Juda proditore ; traditus enim fuit à Deo Patre ex clementia , & bonitate,ex obedientia à ſeipſo, à Juda ex malitia,& à Judæis ex perfidia. *Luc.c.9.v.44.*

49. *Scandalum quale vitandum exemplo Chriſti.*

Ut autem non ſcandalizemus eos,vade ad mare, &c. Nota , hæc eſt hiſtoria : cum enim tributi exactores conquererentur,quod Chriſtus,& diſcipuli non ſolverent tributum ab Imperatore impoſitum , licèt ad hoc non tenerentur , miſit tamen Petrum ad mare , ut invento ſtatere ad ſcandalum vitandum , & murmurationem , ſolveret pro utroque tributum ; ex quo facto erudimur , quod quotieſcumque ſalva exiſtit veritas vitæ , doctrinæ , & juſtitiæ debet aliquod opus omitti, ex quo redundaret ſcandalum in proximo. *Op.Cemil.p.1.ſect.31.Luc.c.17.v.1.*

50. *Mundus, & homo tributarius prius diaboli , à Chriſto liberatus.*

Vade ad mare , & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit.tolle.& aperto ore ejus , invenies ſtaterem , illum ſumens , da eis pro me , & te. Vide quot mirabilia myſteria relucent in hoc facto

facto; primò enim præscientiâ relucet; secundò virtus Christi valens miraculosè providere modo tam mirabili, & insolito stateremi, qui continebat duas drachmas, quas pro Christo, & pro Petro tamquam capitibus illius familiæ Apostolicæ dedit exactoribus, quo facto datur nobis intelligentia, quod cùm totus mundus, & humanum genus esset diabolo tributarius: cui denarius censualis, scilicet anima propria solvebatur, Christus venit, & duas drachmas, scilicet substantiam & naturam humanam, & divinam solvit Patri, & à tributo liberavit nos: ô quàm pretiosissimus stater, qui pro totius mundi tributo sufficientissimus fuit; ô quàm pretiosissima massa, de qua tam pretiosissimus stater est sumptus. *Ser. 1. de S. Marco in addit. Pf. 109.*

51. *Ex thesauris Mariæ Virginis desumptus est stater in solutionem debiti hominum.*

Invenies staterem. Nota, quòd non sine mysterio extractus est stater ex mari pro solutione tributi, significaturque, quòd Christus ex mari thesaurorum viscerum Mariæ Virginis desumpsit modicam carnem quæ sufficit solvere debita totius humani generis, ô quàm dives in omnes, & super omnes Maria. *Serm. 1. de S. Marco in addit.*

52. *Quàm exacta obedientia, & humilitas Christi etiam præstita servis diaboli.*

Ut autem non scandalizemus eos, &c. Vide, quòd Christus audiens querelas exactorum, & perennium tributum, statim providit didrachma, voluit enim pronus obedire etiam servis diaboli, ut scandalum evitaret. *Opuscul. stim. p. 3. cap. 11. opuscul. de Paup. Christi. art. 1. in princip. Opuscul. Apol. Paup. Resp. 3. cap. 2. in princip.*

53. *Quàm summa paupertas Christi.*

Vade ad mare, & invento stratere in ore piscis. Ex hoc facto elucet summa paupertas Christi; nam undè daret tributa non habebat, Judas quidem loculos habebat pro alis infimis, & imperfectis, & pauperibus, sed res pauperum in usus suos convertere nefas duxit. *Opusc. Expos. Reg. c. 4. Op. Apol. Paup. Op. de Paup. Christi suprà cit.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod cum suprà egerit Evangelista de ascensu, & descensu discipulorum de monte cum Iesu, hîc determinat qualia debeant esse opera activorum, & contemplativorum, & præcipuè monet eos cavere summoperè debere à scandalo, & ab ambitione.*

CAP. XVIII.

2. *Ambitio, & superbia facilè subrepit inter incautos, etiam Religiosos.*

In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, quis putas major est in regno Cœlorum. In illa hora: in qua hora? & cur in illa hora talem interrogationem Christo faciunt super majoritatem in regno Cœlorum? Sed S. Lucas *c. 9.* respondet, quòd discipuli videntes Christum duxisse tres discipulos in montem, solvisse tributum pro se, & pro Petro tamquam capite omnium, quæstionem inter se excitarunt super majoritatem inter ipsos, alii volentes præferre Ioannem, alii Petrum, & ideò ad Christum accesserunt dicentes, quis esset major in regno Cœlorum, scilicet in Ecclesia militante, & triumphante; ut videas, quòd si superbia in Cœlo invasit Angelos, mirum non est, quod etiam in terra inter discipulos non adhuc confirmatos in gratia suborta fuerit, & minus mirum est, quod etiam aliquando inter Religiosos ob errorem intellectus subrepat. *Luc. c. 9. v. 46. Ugo, & Glossa hîc.*

3. *Parvulos solùm Christus admittit ad suam sequelam, & regnum: ubi de sancto Antonio Patavino.*

Et advocans Iesus parvulum, statuit eum in medio eorum, dicens amen dico vobis; nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum Cœlorum. Vide quomodo Christus factis respondet interrogationi discipulorum, ostendens quàm contrariæ sint regulis mundi, regulæ sui discipulatus; nam statuens in medio eorum parvulum, eos docuit non admitti ad regnum & ad suam sequelam nisi parvulos, ideſt habentes proprietates laudabiles puerorum, quæ sunt sequentes; sunt enim ad discendum dociles; nam humiles Dominus mirabiliter illuminat: ad obediendum valdè flexibiles, nec majorum imperiis rebelles: sunt ad amandum habiles, & maximè se amantes: ad indulgendum perfaciles, & ad accipiendum munuscula veloces; & istæ sunt qualitates parvulorum Christi, scilicet humilium, quibus Christus sua munera tribuit secundum mensuram parvitatis: quid igitur, fratres charissimi, per diversa nitimini? quid laboratis in ventum? nisi enim superbia deposita non efficiamini parvuli, regnum non accipietis æternum, & tantò ibi majorem obtinebitis locum, quantò hîc esse poteritis parviores. Nota autem, quod suprà dictæ conditiones optimè quadrant humillimo Antonio Patavino, ut videre est. *Ser. 1. de S. Antonio. Luc. c. 9. v. 48. op. Apol. Paup. Resp. 3. cap. 3. Ioan. tellat. 30.*

4. Solâ

4. *Sola humilitas Deo gratam reddit animam, & in regnum cæleſte introducit.*

Niſi efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum Cælorum. Cur ſicut parvuli? cur non potiùs dicit pauperes, amantes, patientes, ſed parvuli? quia oſtium Cœli anguſtum eſt, & parvum, ergo ſi ſano capite voluerimus intrare, debemus fieri parvuli, & caput dimittere; ſola enim humilitas eſt, quæ ad Chriſtum appropinquat, quæ Chriſto accepta eſt, quæ cæteras virtutes acceptabiles reddit, unde nec Maria Virgo abſque humilitate acceptabilis, & grata fuiſſet. *Ser. 1. ſer. 4. Pentec. ſer. 1. Dom. 13. Pentec. Op. medit. c. 16. Luc. c. 14. v. 21. & 24. & c. 18. v. 13.*

5. *Parvulorum perfectiones myſticè iterùm expenduntur.*

Niſi efficiamini ſicut parvuli &c. addit Chriſtus *Luc. c. 18. talium enim eſt regnum Cælorum.* Ecce quàm Deo placiti, & chari parvuli, ſcilicet habentes parvulorum perfectiones, nempè puritatem in carne, ſimplicitatem in intentione, docilitatem in cognitione, amicabilitatem in operatione, veracitatem in ſermone, & humilitatem in converſatione, & hæc ultima eſt præcipua, quæ facit animam dominam regni Cœlorum. *Luc. c. 18. v. 16.*

6. *Prædicatores Chriſti ſint parvuli.*

Niſi efficiamini ſicut parvuli, &c. Hoc dixit Chriſtus ſuis Apoſtolis, & Prædicatoribus Eccleſiæ; debent enim, ſi volunt fructificare inter homines, eſſe puri ſanctitate, puri ab invidia, à concupiſcentia, & aliis paſſionibus. *Ioan. collat. 30. Luc. c. 10. v. 8.*

7. *Qui pauperem, & Chriſti ſervum pro Chriſto ſuſcipit, Chriſtum ipſum ſuſcipit.*

Sic patenter ſe proteſtatur Chriſtus dicens, *& qui ſuſceperit parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit*, quod maximè verificatur de ſuſcipientibus miniſtros, & ſervos Chriſti, in quo apparet ſublimitas humilium, & pauperum, & ſervorum Chriſti, & meritum ipſorum ſuſcipientium per fidem, & dilectionem, & charitatem pro Chriſto. *Luc. c. 10. v. 8. & c. 9. v. 48. Op. de Paup. Chriſti. q. 1. a. 2.*

8. *Minimus in hac vita, maximus erit in Cœlo.*

Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt major in regno Cœlorum. Ecce reſponſio categoricæ data à Chriſto interrogationi diſcipulorum quærentium quis ſit major in regno Cœlorum, qui minor eſt in hac vita, major erit in Cœlo, ergo minimus erit maximus; ô beata humilitas, ad cujus menſuram tribuuntur coronæ in Cœlo: minor autem eſt per reputationem, & humiliationem, & major ſecundum divinam acceptionem, & veritatem. Et ratio eſt, quia quantò ſumus humiliores, tantò ſumus à tumore ſuperbiæ inaniores, & per conſequens tantò pleniores dilectione, & Chriſto ſimiliores, & proximiores; ergo in ſchola Chriſti minimus erit maximus, & maximus erit minimus reputatus. *Luc. c. 9. v. 48. & c. 7. v. 28. & c. 18. v. 16.*

9. *Scandali peccati gravitas expenditur.*

Qui autem ſcandalizaverit, &c. Væ mundo à ſcandalis, &c. væ homini illi, &c. Vide quàm abominabile ſit apud Deum, & pernicioſum apud homines ſcandalum, nam toties à Chriſto inculcatur ejus gravitas, ut patenter ex verbis Salvatoris pateſit. Caveant ergo omnes, præcipuéque Religioſi à tanto malo, quia ſcandalizantes à Deo ſeveriſſimè puniuntur. *Vid. ſer. 2. Dom. 14. Pentec. ap. de ſex Alis Seraph. c. 7. ap. de modo confit. c. 14. Luc. c. 17. v. 1. p. Op. Determinat. q. 21.*

10. *Peccati occaſionem quàm ſedulò reſecanda.*

Si oculus tuus ſcandalizat te erue eum, & projice abs te, &c. Nota, quòd hæc ad literam non ſunt intelligenda, ſed myſticè, & metaphora deſumpta eſt à Chriſto exemplo curationis corporis, nam ſi membra aliquando reſcindimus, cum incurabili morbo ipſa tabeſcunt, & reliquis officiunt; multò magis id faciendum in morbo ſpirituali reſcindendo omnes occaſiones peccati, & infectionis; poteſt autem eſſe occaſio peccandi ex aſpectu, & tunc oculus ſiniſter ſcandalizat, vel ex tactu, & & tunc manus dextera ſcandalizat, inſuper poteſt eſſe occaſio ex alio, & hoc à conſiliario, qui dicitur oculus, vel ab adjutore, qui dicitur manus; tales enim ſi ſcandalizant abjiciendi ſunt. *Opuſcul. Comp. Theol. lib. 4. cap. 70. ſermon. 2. de Apoſtol. in addit.*

11. *Scandalizans proximum iram Angelorum contrahit.*

Videte ne contemnatis unum ex his puſillis. Quid eſt contemnatis? contemnatis ſcilicet ſalutem parvulorum, & humilium, ipſoſque ſcandalizare, ponereque offendiculum ante ipſos in ordine ad ſalutem. addit que Chriſtus rationem, quare non contemnendi? quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, &c. quaſi dicat, quia ſe opponunt vocibus, inſpirationibus, & cuſtodiæ Angelorum, ideò valdè irritantur contra tales impios, exclamant enim veluti flentes, & vindictam invocant à Deo contra ſcandalizantes puſillos ſibi commendatos, videntes eos veluti vi extractos, & abeuntes tetrorſum, qui jam unum pedem habebant in Cœlo. *Lib. 2. d. 11. art. 2. q. 3. ad 1. & 2. ſer. 3. & 4. Dom. 3. Pentec. ſerm. 2. Dom. infrà oct. Aſcenſ.*

12. *Angelorum cuſtodiæ quàm nobis proficuæ, maximè in pueros.*

Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, &c. Nota hîc quanta, & qualis fuit miſericordia, & pietas Dei noſtri, dû dignatus eſt aſſignare ad cuſtodiam hominum Angelos, qui ſemper vident faciem ejus, & beatitudine perpetuò fruentes; deputantur autem tum in auxilium noſtrum contra potentiam diaboli, qui conatur perpetuo opprimere nos, tum ut nos illuminent, & excitent ad pœnitentiam; tum ut promoveant nos ad virtutes,

tum

tum exhibendo ſalutaria documenta ; tum prævidentes noſtra pericula imminentia nos admonendo, & obſiſtendo in malis per impedimenta, tum elevando mentem, & inflammando affectum noſtrum, tum ut offerant vota noſtra Deo, tum ut electos ad Cœlum portent : Nota etiam, quòd cùm omnes homines protegant, & cuſtodiant, id tamen peculariſſimo modo faciunt ad pueros veluti ipſorum patres, matres, aſſiſtentes, pædagogi, duces, & rectores. *Ser. de S. Michaële. Vide lib. 2. d 11. per totam, ſer. 1. Dom. 16. poſt Pentec. ſer. 1. de S. Laur. ſer 1. Dom. 16. Pent ſer. 3. Dom. 14. Pentec. op. de Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. op. medit. c 3. ſer. 2. de SS. Innoc. in addit. op. Comp. Theol. lib. 2. v. 18. & 27. ſer. de Angel. op. ſpec. B. Virg. lect. 18. v. 16.*

13. *Exercitium præſentiæ Dei reddit hominem alterum Angelum.*

Quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris. Ad quid proponitur viſio continuata Dei in Angelis ? nonne certum hoc, cùm ipſi ſint perpetuò beati ? Sed attende ad myſterium ; proponuntur Angeli miſſi in miniſterium noſtrum, ut intelligamus ipſos ita hanc cuſtodiam, & exteriora diſponere, ut tamen ab intimis nunquam recedant, & à perpetua viſione Dei, & hoc ut & nos excitemur ad eorum imitationem. & quomodo hoc ? ut exerciteamur ad exercitium præſentiæ Dei ; nam ſervi Dei mentem habent ad Deum ita ſuſpenſam, orando, cogitando, & contemplando, ita ut, licèt cogantur ad exteriora aliquando ſe convertere, nunquam tamen vel actualiter, vel habitualiter recedant ab interna Dei præſentia, & de iſtis verè dicitur, quia ſemper vident faciem Patris : ô quam ſublime exercitium. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 20. op. de Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1.*

14. *Scandalizantes proximum ſe directè opponunt Redemptioni per Chriſtum factæ.*

Videte ne contemnatis unum ex his puſillis &c. Venit enim filius hominis ſalvare quod perierat. Ecce altera ratio, quare ſcandalum puſillorum vitandum, quia cùm venerit Chriſtus ſalvare animas per crucem, & mortem ejus, ſcandalizantes proximum, directè ſe opponunt Redemptioni Chriſti, auferunt enim, & furantur animas à Chriſto redemptas, & eas in manibus diaboli collocant, & æternæ damnationi ſubjiciunt, ideò ſunt pejores crucifixoribus Chriſti, venatores diaboli, latrones iniqui. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Epiph. ſer. 3. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ ſer. 3. Dom. 4. Pentec.*

15. *Chriſti curâ quantâ in ſalvando animas : ubi de humilitate Angelorum.*

Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam &c. Vide quæ curâ Chriſtus quærit ſalvare animas noſtras ; per oves intelliguntur Angeli, & homines ! Angeli dicuntur oves in montibus, oves ratione humilitatis ipſorum, in montibus ratione altitudinis dignitatis eorum, ut igitur ſalvet oves hominum è Cœlo venit, veluti relinquens Angelos, in hunc mundum quærere per deſertum hujus mundi, ut inveniat animas perditas, ea quæ ad caulam cæleſtem reducat. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 33. ſer. 1. & ſeq. Dom. 1 poſt oct. Epiph. ſer. 1. & ſeq. Dom. 3. Pentec.* Nota autem, quòd per centum oves intelligitur natura Angelica, & humana, quas habuit, & creavit Deus in perfecto numero, & ſtatu ſuæ conditionis ; & quando homo peccavit, tunc perdidit centeſimam ; & remanſerunt nonaginta novem in deſerto, ſcilicet in Cœlo, per iſtum enim numerum deſignantur Angeli propter ternarium triplicatum in ordinibus ; qui numerus remanſit imperfectus Angelis manentibus, & homine perdito, & ideò Cœlum appellatur deſertum, quia deſertum eſt ab Angelis peccantibus. & ab hominibus, quia nullus poterat ibi introire. *Luc. c. 15.*

16. *Chriſti ſollicitudo quantâ in quærendâ ovem perditam.*

Et vadit quærere eam, ſcilicet ovem perditam. Ecce quid fecit Chriſtus bonus Paſtor pro invenienda ove perdita ; venit enim de Cœlo, ut homines ſalvos faceret, nec deſiſtit ab inquiſitione ante ſalutem, donec inveniat eam, ſcilicet quando ejus ſanguine à perditione liberatur, & ideo pro ovibus ſuis liberandis laboravit uſque ad mortem ; propter quod & paſtor iſte agnus factus eſt inter oves, ut redimeret oves. O qualis, & quantus amor, qualis, & quanta ſollicitudo Chriſti ſummi Paſtoris ! *Luc. c. 15. v.*

17. *Per pœnitentiam peccator perditus invenitur à Chriſto, & ex cloaca diaboli extrahitur.*

Donec inveniat eam. Et quando eſt hoc ? tunc peccator à Chriſto quæſitus invenitur in cloaca diaboli ; & per pœnitentiam extrahitur ex illo fœtido loco, & in ſtatu ſalutis collocatur. *Ser. 1. Dom. 3. Pentec. Luc. ibid.*

18. *Hominis perditio multiplex expenditur.*

Et ſi perdiderit unam ex his &c. Quæritur hìc qualis ſit iſta perditio ovium Chriſti, ſcilicet hominis ? Reſponderur, quòd ſit per peccatum, & hoc multipliciter, nempè per conceptionem culpæ originalis, & per tranſgreſſionem peccati actualis, quæ ſi non deletur per pœnitentiam inducit perditionem animæ in morte, & in inferno poſt judicium animæ, & corporis. *Ser. 2. Dom. 3. Pentec.*

19. *Gaudium quale ſit Deo, & Angelis advenit per pœnitentiam peccatoris.*

Amen dico vobis, quia gaudet magis ſuper illum, quàm ſuper nonaginta novem, quæ non erraverunt. Quomodo hoc dicitur verè ? ergone melior eſt peccator pœnitens, quàm nonaginta novem juſti innocentes ? ſed reſpondetur, quod abſolutè id non eſt verum, Sed compatativè, ſed hoc dicitur, tum quia in Redemptione humani generis major operatus eſt Deus, quàm in conſervatione totius multitudinis cæleſtis, & hoc

eſt manifeſtativum majoris potentiæ, majoris prudentiæ & majoris miſericordiæ: majoris potentiæ, quia majus eſt juſtificare impium, quàm creare Cœlum, & terram; majoris prudentiæ, quia per hoc percuſſit & ſpoliavit diabolum; majoris clementiæ, quia major fuit in Chriſto condeſcentio, & humani generis ſublimatio; tum etiam ex cauſa noſtræ pœnitentiæ, quæ eſt humani generis redemptio, in ipſa enim eſt major gaudii materia, quàm in cæteris Dei operibus; tum etiam quia magis Deo placet pœnitens fervens, quàm juſtus tepidus, tum etiam id dicitur ratione confuſionis adverſariorum. *Luc.c.15.v.7.*

20. *Idem argumentum de gaudio pœnitentiæ.*

Amen dico vobis, quia gaudet magis, &c. Ergone poteſt augeri gaudium Dei ex pœnitentia noſtra? nonne ibi ipſi ſufficientiſſimus eſt? non poteſt quidem augeri in ſe, ſed tantùm in effectibus, & in demonſtratione; eſt enim tam vehemens amor Chriſti in nos, tam fervens deſiderium noſtræ ſalutis, quod ut foris pateat, oſtendit ſe poſſe ex pœnitentia noſtra novam veluti glorificationem acquirere, ita quod videtur collocaſſe gaudium totale in vita, & ſalute noſtra, & hinc eſt, quod Luc. c.15. invitat Angelos ad ſecum congratulandum, congratulamini mihi, ait Chriſtus, mihi inventæ ovi, mihi: quia ejus gaudium eſt ſalus noſtra, & hinc redundat & maximum gaudium in Angelos pro pœnitentia noſtra, ô magna pœnitentiæ virtus, & utilitas. *Luc.c.15.v.7.ſer.3.& 4.Dom.3.Penec.*

21. *Correctio cum charitate facienda illi, qui te laſerit.*

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum, &c. Nota ly in te; ubi patet ſe hîc loqui de recipiente injurias à proximo, vultque ut læſus corrigat lædentem. ſed quomodo convenit cum alio præcepto Chriſti Luc.c.6. dimittite, & dimittemini? ſed tamen non ſunt contraria iſta duo præcepta, vult enim, ut læſi dimittamus, ſed etiam, ut curam de ſalute eorum geramus; poſſumus enim dimittere peccantibus in nos, ità tamen, ut in peccato illi non perſeverent; & hinc ait S. Auguſt. ſi injuriam pateris, & taces, & proximum non corripis, plus peccas negligendo ejus ſalutē, quàm ille affligendo, ſic etiam Chriſtus patienter alapāpaſſus eſt, & tamen dixit, cur me cædis. *Luc.c 6.v.29.*

22. *Correctio facienda à Prælatis ex juſtitia, ab aliis ex charitate: ſic enim dixit Chriſtus; ſi peccaverit in te frater tuus, &c.* ubi præceptum correctionis imponit & poſteà modum, & gradus, de hac materia Theologi. *Vide lib.4.d.19.dub.4 op. ſpec.anima, c. 3. & 4. op. Apol. in Adverſar. Fr. Min.qu 1.& 2. Luc.c.17.v.3. op. Phar. lib.4. c.58. op. de Eccleſ Hier.p.3 c.1. op. de inſtit. Novit. p 1. c.7 ſer.1.Dom.1.poſt oct.Paſcha ſerm.1. de Apoſtol. ſer.2.de Eccleſiaſt. in addit. op. Comp. Theol. lib.5. c.70.* Nota, quòd ordo correctionis hîc poſitus non eſt neceſſitatis, ſed congruitatis; poteſt enim deferri culpa gravis Prælato ſine præcedente correctione, & maximè quando non ſperatur emendatio, ſi occulta eſt, deferatur extra judicium; ſi probabilis, deferatur in judicio. *Vide Luc.c.17.v.4.*

23. *Correctio debitè facta eſt medicina animæ.*

Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. In quonam conſiſtit hoc lucrum? lucratus eris fratrem tuum jam perditum; nam correctio debitè facta medicina eſt ſalutaris animæ, quæ etſi ad tempus vulnus mordeat, tamen ſanat; ideò prudens non odit medentem, imò diligit, & ſuſtinet corrigentem; & hinc ſequitur, quod homines aſperi, & amari, qui nolunt corrigi, & corripi, non poſſunt ſanari, & quod horribilius eſt, eis imminet repentinus interitus. *Op.de Eccleſ.Hier.p.3.c.1.*

24. *Pietas quanta Chriſti in poteſtate data Eccleſiæ, & ſacerdotibus ſolvendi peccatores à vinculo peccati, & qualis ſit poteſtas.*

Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo. Nota, quod ſuprà Dominus Eccleſiam audiendam dixerat, eumque ſicut ethnicum, & publicanum habendum qui illi non obtemperarit, quantam Eccleſiæ paſtores poteſtatem habeant, oſtendit, ne quis Eccleſiæ repugnare audeat: quidquid enim alligaverint in terra, vel quidquid ſolverint, erit & alligatum, vel ſolutum in Cœlo; vide igitur quanto, & qualis ſit poteſtas Paſtorum, & ſacerdotum in Eccleſia, nam cum Dei proprium ſit remittere offenſam, & infundere gratiam purgantem, & delentem maculam & ſimul remittere obligationem ad pœnam æternam, ad quæ concurrit Chriſtus ut mediator, & ſatisfaciens pro peccatis; hominibus autem, ſcilicet ſuis Vicariis primò, nempè Papæ, Apoſtolis, Prælatis, conſequenter & ſacerdotibus dedit clavium poteſtatem exigendi pœnam temporalem, & abſolvendi, ſeu denuntiādi illos, qui ſunt contriti & confeſſi abſolutos, & conſequenter in homine ligato requiritur diſpoſitio ab interiori, ut Deus à ſuperiori abſolvat; ſicque in tali ſolutione operantur ſacerdotes per exteriorem diſpenſationem ſacramentorum, & peccator per interiorem diſpoſitionem, ſcilicet per deteſtationem peccati, & Deus per ſuperiorem Spiritus ſancti: ô quanta, & qualis pietas in nos miſeros ligatos à diabolo. *Luc.c.13.v.16. Joan.c.11.v.44.& c.20.v.23.*

25. *Quàm lata poteſtas à Chriſto collata ſacerdotibus ſuper omnia creata.*

Quæcumque alligaveritis ſuper terram, &c. quæcumque ſolveritis, &c. erunt ligata, & ſoluta, &c. Nota, quod non dicit quemcumque hominem, ſed quæcumque; quænam ſunt iſta quæcumque? primò, & principaliter hominem ligatum peccatis, cujus ſolutio dependet à poteſtate clavium, qua poteſt ſolvere, & ligare homines à tali vinculo, &c. Sed ut pateat, quàm lata ſit poteſtas ſacerdotū dicit quæcumq; ſcilicet omnia creata, quo modo loquendi uſus eſt ſuprà etiam in poteſtate collata Petro *c.16* ſed ad quid poteſtas, quænā ligatio & ſolutio eſt iſta? ſed transfer mentem ad ſuprà tradita *c.17.v.19.de fide, & Luc.c.17.v.6.* ubi dixit Chriſtus loquens Apoſtolis, & ſuis ſacerdotibus ſucceſſoribus ſicut hîc, *ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, & dicetis huic arbori more eradicare,*

dicere &c. & transi hinc, &c. in quibus patet ad litteram, quòd hæc poteſtas extenditur ſuper elementa, & omnia corporalia, & ideò habens fidem vivam poteſt elementis imperare, & obtemperabunt tali imperio ex juſſu, & poteſtate Dei prolata, ſicut Sancti fuerunt, qui per fidem viceſunt regna, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum. *Hebr. cap.* 11. O quanta, & qualis poteſtas ſacerdotum, quanta, & qualis poteſtas Domini Jeſu. *Luc. cap.* 17. *verſ.* 6.

26. *Unanimitas, & concordia in congregationibus quàm ſit Deo chara: ubi de concordia conjugum.*

Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis, &c. Quid eſt conſentire, de quo hîc agit Chriſtus, hoc eſt plures ſimul ſentire, loquitur igitur de unitate, unanimitate, & concordia plurium ſimul congregatorum, datque intelligere, quòd ubi eſt concordia, ibi Deus in medio adeſt, ubi eſt ſeparatio, & diviſio, ibi abeſt Deus; ſic etiam *Joan. c.* 20 quando Thomas ab aliis diviſus eſt, Dominum tunc non vidit, cùm eſſet ſimul cum aliis ipſum vidit; & ideo diabolus in nobis continentiam non timet, quia neque premitur carne, nec laſcivia diſſolvitur; abſtinentiam non timet, quia neque cibo utitur, concordiæ autem noſtræ nimis inſidiatur, quia quod ipſe amiſit in cœlo, facit, ut non ſervemus in deſerto: Chriſtus verò è contra in nobis quærit concordiam, & charitatem, eique adeò familiaris eſt, quòd ipſe manſionem habere recuſat, ubi charitas non fuerit. *Sermon. in Epiph. Joan. c.* 20. *v.* 20. Nota etiam, quòd aliqui Patres applicant hunc textum uxoratis, de quibus propriè dicitur, quòd per mutuum conſenſum in unum conveniunt corpore, à quibus Chriſtus exigit etiam unitatem, & conſenſum corde, ſic enim Chriſto placebunt, & Chriſtus manebit in medio eorum.

27. *Idem argumentum de congregationibus ſacris, & de oratione facta in communi.*

Si duo ex vobis conſenſerint, &c. ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Vide, quòd cùm hæc verba ordinentur à Chriſto, ut omnibus pateat, quàm ipſi ſit chara unitas, & concordia; hoc maximè verificatur de congregationibus virorum, & mulierum factis in nomine Chriſti, ſcilicet ad cultum Dei ampliandum, & ad orationem fundendam in Eccleſia, nempè ad exercitium virtutum, orationis, Pſalmodiæ, & aliorum actuum ſpiritualium, ad ſtudium veritatis, ſcilicet ad audiendum verbum Dei, ad collationes ſpirituales Religioſorum, & ſpiritualium, ordinatas ad cognoſcendum divina Sacramenta, cœleſtia promiſſa, & arcana vitæ ſpiritualis: ſi enim iſtæ congregationes ſimul corde unanimi conſenſerint, ſi in charitate, & unitate vixerint, ſi dilectionem ad invicem habuerint; in medio eorum Chriſtus aderit, eos fovens, favens, & dona, & illuſtrationes cœleſtes conferens: ô Domine Jeſu ſalvos nos fac, & congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini ſancto tuo, & gloriemur in laude tua. *Luc. c.* 3. *v.* 17. *Joan. c.* 20. *cit. op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 71.

28. *Oratio multorum quàm Deo chara, & efficax.*

Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio, &c. Quinam ſunt, qui in nomine Chriſti congregantur, niſi qui ad orandum ſimul conveniunt? & per hoc Chriſtus dat intelligere, quòd oratio ſimul congregatorum eſt magis Deo placita, quàm privata, quia ibi quod deeſt uni, ſuppletur per alterum, & maximè exercetur charitas, unitas, concordia, & cultus Dei, undè in tali oratione mutuo orantes ſibi communicant armâ contrà tentationes, & Dominus eis peculiari modo aſſiſtit, quia ibi maximè virtus humilitatis, & dilectionis exercetur. *Op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 71. *Op. Dist. 3. 4. c.* 12.

29. *Communis vita in Religionibus quàm Deo chara, & Religionis proficua.*

Si duo ex vobis conſenſerint, &c. ubi fuerint duo, vel tres, &c. Nota iſta, ô Religioſe, notent hæc Prælati Religionum, ut ſedulò obſervent communitatem vitæ in omnibus, ſi volunt, quòd Chriſtus in medio eorum habiter; patet hoc multis exemplis; videmus enim quòd plures homines, quando ſunt congregati incedunt ſecurius, reſiſtunt fortius, ſolantiantur jucundius; videmus è contrario, quòd avis ſola ſingularis, vel eſt rapax, ut accipiter, vel amiſit ſocium, ut turtur; ſic Religioſus ſingularis, vel eſt rapax detrahendo, vel judicando proximum, vel Superiores, vel amiſit ſocium, ideſt Chriſtum; ideò in oblatione Domini in templo, *Luc. c.* 1. fuit par turturum, non ſola turtur; videmus etiam, quòd ſola candela per ventum extinguitur, ſed non ita de facili quando cum aliis ardet, ſic plures congregati vinculo charitatis ardent per deſiderium divinum; undè dicitur Pſal. 49. Congregate illi ſanctos ejus; videmus præterea, quòd non ſolus denarius theſaurum facit, ſed plures, non unus miles, ſed plures faciunt exercitum: ſic cùm plures ſunt ubi per amoris vinculum, eſt in eis abſque dubio major abundantia meritorum, & in figura hujus non unus diſcipulus, ſed plures unâ receperunt Spiritum Sanctum, *Act.* 2. Attendant hæc qui zelum Religionis conſervandæ habent. *Op. Dist. 3. 4. c.* 1. *Joan. c.* 20. *v.* 19. & 20.

30. *Chriſtus medium eſt Eccleſiæ in medio ſemper ſtans, ut excitet nos ad ſui imitationem.*

Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. Nota illam particulam, in medio eorum, non dicit in ipſis, apud ipſos propè ſum, ſed in medio: cur hoc? quia cùm ſit ipſe mediator & reconciliator humani generis cum Deo, medium tenet; & amat, & ideò præcipuas appartitiones, & operationes ſæpe in medio poſitus

poſitus fecit; dicit igitur, quòd qui fuerint congregati in nomine ſuo, ſcilicet in eadem fide, & charitate, in medio eorum ſtat, ſcilicet ut Pontifex clementiſſimus ad purgandum delinquentes à malo culpæ, ut Doctor ſapientiſſimus ad illuminandum verbo doctrinæ, ut Rex potentiſſimus ad liberandum impotentes à malo pœnæ, & inducendum ad bonum gloriæ: Sed quid eſt congregati in nomine Chriſti? hoc eſt ipſum Chriſtum imitari, ſtetit enim parvulus in præſepio in medio duorum animalium, ut nos traheret ad imitandam ſuam paupertatem; in medio Doctorum, ut nos doceret apperere ſuam ſapientiam, & veritatem, in medio diſcipulorum, ut doceret nos imitari ſuam humilitatem, & hîc dicit ſe ſtare in medio congregatorum, ut doceret nos imitari ſuam charitatem; in medio latronum in cruce, ut doceret nos imitari ſuam patientiæ longanimitatem. *Ioan. cap. 19. v. 18. ſermon. 1. Dom. 3. Advent.*

31. *Chriſti nomen communicatum nobis qualem obligationem ingerat.*

Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Quid eſt congregati in nomine Chriſti? in nomine Chriſti congregati ſunt, quibus nomen, & fides Chriſti facta ſunt communia, ex quo appellantur unico nomine Chriſtiani, nomen quidem cæteris omnibus majus, nobilius, & ſublimius, importat enim filiationem, & amicitiam divinam, ingerit enim excitationem ad exercitium omnium virtutum, & imitationem capitis, quod præcipuè competit Prælatis, qui propriè in nomine Chriſti, ſcilicet auctoritate Chriſti, ipſius nomen, & numen repræſentant in ordine ad Eccleſiam gubernandam, in medio autem iterum dicitur eſſe, ut adjutor, protector, & exauditor. *Ioan. c. 1. v. 43.*

32. *Chriſtus ſemper paratus dimittere peccata quæcumque pœnitentibus.*

Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties? dicit illi Ieſus non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties. Nota, quod cùm fecerit Chriſtus ſuprà verba de fratre peccante, & juſſerit corripi, nec tamen expreſſerit quoties dimittenda eſſet fratri injuria, Petrus hanc quæſtionem proponit Chriſto, quoties ei dimittam? Chriſtus autem, ut ſuam miſericordiã patefaceret, & ſe ſemper paratum oſtenderet, reſpondit, non dico tibi uſque ſepties, &c. ponens numerum determinatum pro indeterminato, ſcilicet quotieſcumque peccabit. Nota autem quòd Petrus, non alius diſcipulus Chriſtum interrogavit tamquam caput Eccleſiæ dicens, quoties peccabit in me frater meus, ideſt contra me, vel me ſciente, vel publicè, quia omne peccatum publicè factum in totam Eccleſiam eſt, dicit autem uſque ſepties, quia ſeptem modis poteſt quis lædere proximum; ſcilicet ſeducendo intellectum, corrumpendo affectum, affligendo corpus; ſubtrahendo propria, denegando ſua, verbo lædendo famam, & exemplo vitiando vitam, ſed tamen Chriſtus ad iſta ſeptem non reſtrinxit ſuam miſericordiam, quia ſemper paratus eſt peccatorem recipere quotieſcumque veniam petierit. Ex quo patet, quòd ſicut gutta aquæ ad pelagus, ita hominis humanitas ſe habet ad infinitam bonitatem Dei. *Luc. c. 17. v. 4.*

33. *Miſericordiâ, & juſtitiâ maximè gubernatur regnum Chriſti.*

Aſſimilatum, eſt regnum Cœlorum homini Regi, qui voluit ponere rationem cum ſervis ſuis. Ecce quales virtutes maximè relucent in regimine regni Cœlorum, ſcilicet Eccleſiæ, quæ eſt regnum Meſſiæ cœleſtibus inſtitutis gubernatum, nempe miſericordiâ, & juſtitiâ, & ideò hæc eſt vox, quæ auribus omnium reſonat ex ore Chriſti, redde rationem villicationis tuæ, ut bonis habentibus meritum gratiæ divina miſericordia reddat præmium gloriæ, & malis habentibus demeritum culpæ, divina juſtitia reddet ſupplicium gehennæ, hæc autem redditio, & executio reſervatur in morte, & in judicio, cùm nil latere poſſit ſupremo judici. *Ser. in Dom. 5. poſt oct. Epiph. Luc. c. 16. v. 2.*

34. *Peccatum, eſt maximum debitum onerans hominem.*

Oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decem millia talenta; cùm autem non haberet unde redderet, juſſit eum Dominus ejus venundari, & uxorem, ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. Nota, quod in hac parabola primo loco ſe offert qualitas debiti, quo peccator tranſgrediens præcepta Dei, obſtringitur, debitum namque magnum, & grave peccatum eſt, & pluſquam decem millium talentorum, quia eſt infinitum; vide quàm magnum debitum, nam qui mortifero crimine ſe obſtringit, infinitas pœnas, ideſt æternas Deo debet, & eò majus debitum, quòd homo nihil in ſe habet, quo poſſit ſolvere, quod & ſignificatur in venundatione uxoris, filiorum, & omnium rerum; uxor autem eſt converſatio, filii ſunt opera, quæ omnia venundantur, & traduntur in manus diaboli per peccatum mortale, quia talis anima deputatur tunc ſuppliciis æternis; in hoc ſtatu autem homo ſe libere præcipitat, nec de ſe habet aliquid, quo poſſit reſurgere, & Deo ſolvere, niſi adveniat Dei miſericordia. *Ser. 2. Dom. 13. Pentec. ſer. 1. Dom. 18. Pentec. ſer. 1. & ſeq. Dom. 21. Pentec. lib. 2. d. 28. a. 1. q. 1. & lib. 2. d. 20. a. 1. q. 4. ſeq. Brevil. p. 3. c. 11. & p. 5. c. 3. Comp. Theol. lib. 3. c. 7. ſer. 4. Dom. 16. Pent.*

35. *Deus iram ſuam nobis patefacit, ut ad miſericordiæ tribunal confugiamus.*

Voluit ponere rationem cum ſervis, &c. Cur Deus, qui tam miſericors eſt in hominem, ſe manifeſtat tam rigidum in exigenda ratione à peccatoribus? ſed attende ad Dei iram plenam miſericordiâ; Nota illud verbum voluit, ideſt ante exactionem minatus eſt; minatur enim antequam puniat, ne verè puniat; intimat autem exactionem peccatorum, ut ad ſe peccatorem attrahat, & ut per pœnitentiam confugiat ad ſuam immenſam miſericordiam pro remiſſione debitorum ſuorum; quod & patefacit in iſto, qui debebat decem millia talenta, cui petenti veniam ſtatim condonavit omnia; nullus ergo de Dei miſericordia deſperet, quia major eſt ejus miſericordia, quàm noſtra miſeria, & tardius ei videtur veniam dare, quàm peccatori recipere. *Ser. 2. Dom. 4. Pentec.*

36. *Dei misericordia expenditur in expectando peccatorem ad pœnitentiam.*

Voluit rationem ponere cum servis suis; oblatus est ei unus qui debebat, &c. & jussit venundari, &c. Cur tantus rigor in hunc miserum non habentem unde redderet debitum? ô immensa pietas Dei nostri! hoc totum factum est à Deo, ut peccatorem à malo refrænaret, & converteret, ut cognosceret qualis sit ejus pietas in expectando, imò in attrahendo ipsum ad pœnitentiam, ejus enim misericordia maximè eluceſcit non solùm in justificando conversos, sed etiam in tolerando perversos, quos & toleravit, & tolerat in mundo, qui potiùs deberent ardere in inferno, si non misericordiâ Domini plena esset terra. *Ser. 2. Dom. 4. Pentec.*

37. *Socordia hominis, & stultitia in statu peccati mortalis expenditur.*

Oblatus est ei unus, qui debebat, ei decem millia talenta. Nota illud verbum, oblatus est, idest non sponte, sed quasi vi, & violenter oblatus est coram Christo, ut rationem redderet de tanto debito, cui ipse sciens Regem velle rationem exigere à suis debitoribus, non prævenit judicium? ô, ô vide quali socordia, imò stultitia laborat peccator, qui cùm debeat solutionem de tot peccatis ob transgressionem decem millium talentorum, scilicet præceptorum decalogi, in qua se oneravit tot millibus peccatis mortalibus, & tamen in socordia, negligentiaque summa, velut in molli culcitra stertit improbus peccator debito obrutus, somnumque capit mortiferum, donec ad tribunal ducitur, tortoribusque traditur. O quot sunt miseri obstricti debito decem millium talentorum, & tamen cæci, & stulti non recogitant super suum statum miserabilem. *Serm. 1. Dom. 18. Pentec. Luc. 2. 16. v. 2. seq.* Hinc de Sancta Magdalena de Pazzis legitur, quòd nunquam potuit mente capere quomodo Christianus in peccato mortali existens posset ridere, lætari, dormire, & quiescere, & de Divo Thoma legitur se solitum dicere, quòd talis homo vel est stultus, mentéque captus, vel non credens, & infidelis; & de Augusto Imperatore legitur, quòd cùm res cujusdam equitis Romani gravi debito obstricti, facultates subjicerentur auctioni, ut creditoribus ex pecunia satisfieret, ipse Imperator jussit sibi emi culcitram illius cubicularem, & mirantibus hoc præceptum, respondit, habenda est ad somnum mihi conciliandum illa culcitra, in qua ille tanto ære alieno obstrictus somnum capere potuit, cùm ipse Imperator sæpè maximam noctis partem insomnem ducebat ob ingentes suas curas: ô ô sic sic, & à fortioti magis mirandum, quòd homo fidelis tot debitis obstrictus sit cum divina justitia, & tamen quiete, & delectabiliter vivat.

38. *Ex beneficiis divinis qualis gratitudo à nobis expectatur à Deo.*

Obtulit ei unus, qui debebat decem millia talenta. Quænam sunt ista decem millia talenta debita Regi? Nota, quòd hîc proponit Christus hoc debitum decem millium talentorum, ponens numerum determinatum pro indeterminato, & per hoc indicans infinita debita, quæ unusquisque nostrum debet Deo pro beneficiis nobis ab ipso collatis, unde cuique dicitur à Deo, redde quod debes. Sed quid est, quod debet homo? debet homo Deo decem millia talenta pro bonis naturæ, gratiæ, & superexcellentiæ; de donò naturæ est quod ipsum creavit in tempore; & quod ab æterno disposuit te creandum; non creavit te pecus, sed hominem, dedit visum, auditum; & cætera, & singulis creavit sensibus ea, quæ sibi congruunt oblectamenta; item dedit animam immortalem, cui dedit rationem, ingenium, industriam, qua omnia materialia potest intelligere; dedit mentem, & intellectum, qua immateriales Spiritus Deum, & Angelum intelligeret; propter hominem omnia in terra creavit; omnia elementa ad suam vitam, omnia animantia ad suum nutrimentum: De donis gratiæ considera, ô homo, quantum debes Domino Deo; nempè quia tot peccata contra ipsum commissa tibi remisit, & toties, in ô & dimisit tot, quot facere potuisti; à quibus te præservavit; attende quàm longanimiter te expectavit in peccatis; & non te occidit, sicut meruisti; cogita, quòd innumerabilia dona tibi contulit; & munera, voluntatem tuam ab eo aversam revocavit ad se, & ei gratiam suæ justificationis infudit, dedit & voluntatem, ut velles te emendare, & locum ordinavit, ut possis: De donis superexcellentiæ cogita, quod propter te fecit Filium suum incarnari, ut esset amicus tuus, frater tuus, qui & propter te mortuus est, & crucifixus, & seipsum dedit in Altaris Sacramento, misit tibi Spiritum Sanctum, & hoc in signaculum acceptationis, in privilegium amoris, in annulum desponsationis; ô quàm immensa, quàm stabilis, quàm communis ostensa fuit à Deo nobis ejus dilectio: immensa fuit ob tot beneficia collata; stabilis, quia dilexit nos ante omne tempus, per omne tempus, ad omne vitæ tempus præsentis, & futuræ, non enim potest vivere homo, quin semper, & incessanter dilectionis signa non experiatur; communis cum amicis, & inimicis, & omnibus creaturis, sed communior tecum, redde ergo quod debes, ô quis unquam poterit hoc facere? *Op Fascicul. 2. 6. serm. 1. ser. 2. Pentec.*

39. *Homo non habens unde reddat, & solvat debita sua coram Deo, quomodo poterit omnia reddere in integrum.*

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Si jam supradictum est hunc servum non habuisse unde redderet, quomodo nunc dicit omnia reddam tibi? si nihil habes, si inops, & ad extremam miseriam redactus es, quomodo reddes omnia? ô, ô utrumque verissimum, non habet peccator unde reddat, & potest cum fiducia maximâ dicere omnia reddam tibi; non habet unde reddat à se, habet unde reddat à Deo, non potest peccati debitum solvere pecunia propria, potest solvere pecunia, & meritis Domini Iesu Christi, in seipsum si oculos conjiciat, nihil reperiet, quòd pro peccatis dimittendis sit satis, si Christum cruci affixum intueatur, fidenter clamabit. Domine omnia reddam tibi, non reddam, ex operibus meis, sed

ſolvam ex opulentiſſimis theſauris vulnerum Domini mei, *Serm. 1. in cœna Domini. ſer. 4. in Paraſ. ſer. 1. Dom. 1. & 3. poſt oct. Paſchæ. op. de perfect. vitæ c. 6. op. ſtim. p. 1. c. 1 ſeq. ſer. 10. in Rogat.* Quia igitur omnia, quæ habemus, Chriſto debemus, & ipſi reddamus, omnia ſcilicet in Dei gloriam. & obſequium ordinemus, & conferamus, *ait S. Bern. ſer. de quadruplici debito.*

40. *Quò ditior eſt peccator in debito, eò copioſior eſt Dominus in miſericordia.*

Patientiam habe in me, &c. miſertus autem Dominus debitum dimiſit illi. Vide hîc quàm magna, & excedens eſt Dei largitas, & miſericordia, quæ ſuperexaltat judicium, & omnes iniquitates noſtras; nam iſte ſervus petit tantùm dilationem temporis, ut ſolvere poſſit, & Deus liberaliſſimè non ſolùm tempus, non partem, ſed totum debitum, non mille, ſed decem millia talenta, ideſt innumerabiles reatus contra decem præcepta contractos tam facilitèr dimitti petenti, unde patet, quòd quò ditior eſt homo in culpa, & debito, eò ditior, copioſior, & liberalior eſt Deus in miſericordia in pœnitentem. *Serm. 1. Dom. 21. Penec. Luc. 5, 8. v. 39. & c. 14. v. 6.*

41. *Per pœnitentiam reddit peccator Deo quidquid debet.*

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Quomodo reddes, ſi ad extremam inopiam redactus es? optimè dixit hic pœnitens, omnia talenta tibi reddam; quid talentum, niſi pœnitentia, vel ſatisfactio, quam ſolvere tenetur homo pro peccato? unde decem millia ſunt condignæ ſatisfactiones pro decem mandatorum multiplicibus tranſgreſſionibus; undè propitiatur Deus peccatori, & dimittit debitum, propter vehementiam dolorosæ contritionis; item propter diligentiam puræ confeſſionis, & propter æquipollentiam condignæ ſatisfactionis, & in his concurrit perfecta ſolutio talentorum, quia affectu, affatu, & effectu concurrit totus homo ad hanc ſolutionem, & omnes defectus ſuos redintegrat, & reducit ad perfectum. *Ser. 2. Dom. 8. Penec. ſerm. 4. Dom. 21. Penec.*

42. *Omne debitum Deo ſolvendum, vel in hoc mundo, vel in inferno.*

Oblatus eſt unus, qui debebat, &c. Vide, quòd Deus ab iſto debitore exigit ſolutionem omnium debitorum ſuorum, & cùm non haberet, juſſit eum venundari cum uxore, filiis, & rebus, ut diſcas quòd peccata impunita eſſe non poſſunt, quia vel homine pœnitente, vel Deo vindicante plectuntur, ſive ſint magna, ſive parva, ſi enim debitum non ſolvis per pœnitentiam in hoc mundo, debitum æternæ calamitatis reddes in inferno luendo, & patiendo æternaliter in gehenna; elige ergo nunc peccator, ubi poſt reddas debitum, an in mundo, ubi decem millia talenta dimittuntur, an in inferno, ubi neque unus quadrans dimittitur. *Serm. 1. Dom. 21. Penec. ſer. 3. Dom. 22. Penec.*

43. *Qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus.*

Patientiam habe in me, &c. miſertus autem Dominus ſervi illius, debitum dimiſit illi. Si iſte Rex eſt Deus, quomodo cùm ſit immutabilis poſt ſententiam condemnationis hujus ſervi, ei veluti mutatus omne debitum remittit? Sed hæc eſt vis ſublimiſſima pœnitentiæ: verum quidem eſt, quòd dum homo in peccato mortali vivit, tunc à Deo condemnatus exiſtit ad luendum debitum æternaliter in inferno, ſed tamen adjuvante Dei gratia, ſi reſipiſcat, ſi conteratur, ſi veniam poſtulaverit, & Deus ipſe quaſi pœnitens decreti jam facti mutat ſententiam quoad effectus, quia qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus; ô magna virtus pœnitentiæ, hæc enim peccata Deo miſerante remittit, & Paradiſum reſerat, omnia ligata ſolvit, omnia ſoluta reſerat; omnia adverſa mitigat, omnia contrita ſanat, omnia confuſa lucidat, omnia deſperata animat, & omnia debita ſolvit. *Op. Phar. lib. 2. c. 17.*

44. *Pœnitentia vera non differt executionem ſatisfactionis.*

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Quid ſibi vult iſte ſervus? quid eſt hæc patientia, quam experit, & poſtulat à Deo? Patientiam habe in me, ait, expecta Domine, tempus aliquod vitæ concede, ut quas pro peccatis pœnas debeo, eas potius in hoc ſæculo, quàm in purgante igne reddam, ſed tamen cave, ne decipiaris, cave, ne propoſitum, & promiſſa Deo facta tardes exequi ô pœnitens, quia vera pœnitentia non remittit ad futurum tempus opera ſatisfactoria, ne differas ad craſtinum pœnitentiam, quia periculoſum eſt languenti differre medicinam. *Sermon. 5. in die cinerum.*

45. *Pœnitentia vera perpetrata mala plangit, & plangenda non committit.*

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Vide quàm prompta, quàm ſollicita, quàm larga promiſſio, & propoſitum hujus pœnitentis, & tamen à Deo poſt elargitam remiſſionem punitus ſeveriſſimè fuit, quare hoc? quia facta promiſſis non reſponderunt, quia crudelis fuit in ſuum conſervum, quia denuò nova peccata commiſſit, & ideo hæc non fuit perfecta pœnitentia, qui enim ſic deplorat peccata, ne tamen quædam committat, iſte pœnitentiam veram non facit. *Sermon. 1. in die cinerum. Sermon. 2. Dom. 8. Penec. ſermon. 3. & 4. Dom. 21. Penec.*

46. *Tribulationibus Deus pugnat cum peccatore; felix qui vincitur, infelix qui vincit.*

Et tenens ſuffocabat eum dicens redde quod debes. Vide ingratitudinem hujus ſervi, qui paulò ante coram Domino procederat, fleverat, horruerat, oraverat, promiſerat emendationem, heu quàm ſubitò hæc omnis humilitas, & afflictio ex animo exaruit, & evanuit; ecce quid multi ingrati faciũt, tempeſtate graſſante procidunt coram Deo, veluti navigantes orant, multa vovent, ubi venti poſuere,

poſuere, mox ad ſolita revertuntur; ſic ſervus hîc exorta minarum tempeſtate procidit, oravit, debitum ſe redditurum promiſſit, poſt pacatum mare, mox ad alia debita contrahenda reverſus eſt, ſedata tempeſtate à conſpectu Domini ſervus nequam egreditur, mox ad ſolita regreditur, conſervum reperit debitorem centum denariorum, & ecce quando debebat roganti omnia condonare, potius in guttur manus homo avarus crudelis injicit, miſerum ſuffocans, & in carcerem conjicit: ô vide quid ſæpè faciunt iniqui ingrati, contra quos pugnat Deus tribulationibus, ut eos ad bonam frugem, & emendationem reducat; ſed infælices in tali prælio non vincuntur, dum caſtigatione non corriguntur, & ideò meritò à Deo, ſicut iſte ſervus nequam graviſſimè puniuntur, & tamquam indigni ſuſcepto beneficio expoliantur. *Ser. 1. in oct. Paſchæ ſer. 1. & 4. Dom. 21. Pentec.*

47. *Præſentiæ Dei exercitium deſerens, in omnia mala cadit.*

Egreſſus autem ſervus ille, invenit conſervum &c. & tenens ſuffocabat eum &c. Videtur incredibile, quòd iſte poſt tot lachrymas, preces, vota, & humiliationes factas Deo, tam citò in peccata relabitur, & hoc verè mirum eſt, imò non eſt mirum; Nota autem, quòd iſte iniquus dicitur egreſſus à facie Domini, quia ſi Deum præſentem, omnia que cernentem cogitaſſet, tam turpe facinus non commiſiſſet, Ecce quid facit exercitium præſentiæ Dei meditatum, vel omiſſum: de hoc exercitio *Vid. op. ſtim. div. am. p. 2. c. 4. & 8. & 9. op. 25. Memorial. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 10.*

48. *Charitas in proximum menſuretur ab homine ex ſeipſo.*

Invenit unum ex conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum. Nota, quòd iſte ſervus ingratus in tantum ſcelus prorupit ob defectum menſuræ charitatis: nam dicitur *Eccli. c. 31.* Intellige quæ ſunt proximi ex ſeipſo, quia charitas diligit proximum ſicut ſeipſum, & ob id menſurari debet ex regula illius primi principii, quod tibi vis, alteri feceris; ſic iſte impius ex remiſſione à Deo obtenta decem millium talentorum diſcere debebat, quid conſervo ſuo præſtare debebat. *Diet. tit. 6. c. 5. Eccleſ. c. 7. Luc. c. 12. v. 57.*

49. *Avaritia filia inſeparabilis eſt inhumanitas, & crudelitas*, ut patet in hoc impio, qui non reſpiciens ad divinam benignitatem, & gratitudinem Deo debitam, tam inhumanus; & inexorabilis fuit in conſervum ſuum. *Pſal. 19. Eccleſ. proœm. Luc. c. 13. v. 11.*

50. *Ad Confeſſarium pertinet dicere uſurpanti res alienas: redde quod debes; quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*, & qui id non vult obſervare, non eſt capax abſolutionis. *Op. Confeſſion. c. 4. p. 2. ſer. 2. Dom. 1. Advent.*

51. *Confeſſio non integra non invenit remiſſionem.*

Serve nequam omne debitum dimiſi tibi. Notâ quòd dicit omne debitum, non partem, quia Deus non confert dimidiatam peccatorum mortalium remiſſionem, nec unum peccatum mortale remittitur abſque alio. Et ratio eſt; quia remiſſio peccati mortalis affert reconciliationem perfectam cum Deo; ſi autem remaneret peccatum mortale indeletum, tunc eſſet peccator reconciliatus, & irreconciliatus ſimul cum Deo, quod eſt impoſſibile; unde confeſſio debet eſſe integra, non dimidiata. *Lib. 4. d. 21. p. 2. a. 1. qu. 1. & d. 20. p. 1. qu. 1. ad 2.*

52. *Orationis efficacia ad obtinendam remiſſionem peccatorum, & alia bona, expenditur.*

Omne debitum dimiſi tibi; quoniam rogaſti me: Nota illud verbum, quoniam rogaſti me: ut videas, quàm efficax ſit oratio ad obtinendam veniam, & gratiam Dei, in qua oratione tria attendi debent: primò loci, & temporis opportunitas, ut nunc in mundo, & in hac vitâ roges, non in inferno, quia ibi oratio non exauditur, ut patet in oratione divitis: ſecundò mediatorum idoneitas, Legati autem, & mediatores ſunt lachrymæ, eleemoſynæ, orationes, bona opera: tertiò utilitas conſequitur, ut patet hîc. *Ser. 1. Dom. 21. Pent. ſer. 4. Dom. 16. Pent. ſer. 1. de S. Magd. in addit.*

53. *Peccator nequam eſt contra ſeipſum, contra proximum, & contra Deum.*

Serve nequam omne debitum dimiſſi tibi &c. Cur nequam? quia iniquus eſt & crudelis peccator in ſeipſum, quia peccato ſeipſum occidit, & damnat; in proximum ipſum perſequendo, & in Deum ipſum offendendo. *Ser. 1 Dom. 21. Pentec.* Nota autem quòd iſta nequitia incurritur propter malitiam reſidentem in corde, tamquam in ſuo fonte, ex quo pullulant omnes aliæ malitiæ, & præcipuè fraudulentia deceptoriæ locutionis in ore, & ſævitia alienæ offenſionis in opere. *Ser. 4. Dom. 21. Pent.*

54. *Qualis fueris cum proximo, talis erit tibi Deus: ubi de avaris divitibus.*

Serve nequam &c. nonne oportuit & te miſereri &c. & tradidit eum tortoribus &c. ſic & Pater veſter cæleſtis faciet vobis, &c. Ecce lex talionis à Chriſto facta & publicata; datque intelligere, quòd qualis fueris cum proximo, talis erit tibi Deus; audiant hoc avari divites crudeles, qui ſine miſericordia, & fide permittunt mori fame vicinos ſuos, de his, quæ dant canibus, & porcis; & quod plus eſt eis auferunt multis artibus res ſuas ſub ſpecie pietatis, vel miſericordiæ, vel juſtitiæ, contra quos commovebit divina vindicta Dæmones, qui eis auferent divitias, qui eos torquebunt in inferno, & in terra deficient, & deſolabuntur. *Ser. 1. Dom. 24. Pentec. ſer. 1. de S. Nicolao ſer. 4. Dom. 5. Pentec.*

55. *Qualem*

ized by Google

55. *Qualem indulgentiam impenderis proximo, talem recipies à Deo.*

Serve nequam, omne debitum &c. nonnè oportuit & te miſereri &c. Nota verba, ſigna myſteria, quæ multipliciter nobis objicit facer textus: & primò quomodo Deus pro gratitudine inſin totum beneficiorum, quæ nobis elargitur copioſiſſimè Deus, aliam recompenſationem à nobis non exigit, n ſi ut impendamus miſericordiam proximo noſtro pro ſui amore, & imitatione: Secundò quod qualem indulgentiam impendetimus proximo, talem nobis ipſe exhibebit: hæc autem miſericordia exhibetur, & elargitione eleemoſynæ & remiſſione offenſarum, dimittite, & dimittemini, date & dabitur vob s, ait Chriſtus *Luc c.6.* hiſque duabus alis ſecurè anima volat ad tribunal divinæ miſericordiæ, impetratque faciliter quidquid deſiderat; & è contra ſeveriſſimè punit ſervos nequam, qui in proximum crudeles ſunt. *Ser.1. & 2. Dom.1. Pent. ſer.1.2.3. & 4.Dom.21.Penitec.*

56. *Miſericordia iterum ſuadetur in proximum pluribus motivis.*

Nonnè oportuit & te miſereri &c. Vide, quòd Chriſtus in his, & ſequentibus verbis tres rationes motivas proponit, ut in corde noſtro imprimat affectum, & miſericordiam in proximum: primò docet nos teneri miſereri alteri, & dimittere offenſam ratione ſuſcepti beneficii; & quale eſt hoc teeee quale, omne debitum, dimiſſi tibi, ſcilicet decem millium talentorum, ô grande debitũ, debitum ſcilicet culpæ, & offenſæ infinitæ, & debitum gehennæ; nonnè igitur deteſtabile eſt alteri denegare crudeliter beneficium, quod ſibi recognoſcit miſericorditer exhibitum, & ſi Deus per Filium ſuum miſertus eſt ſervorum, quanto magis ſervi ipſi invicem ſibi debent miſereri, & donare, ſi alter in alterum peccet: Secundò ex conſideratione divini exempli, undè Apoſtolus ait: *eſtote invicem miſericordes, benigni, condonantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto nobis donavit, Eph.c.4.* quaſi dicat eſtote miſericordes non prorumpendo in iram interius in animo, benigni, non irrogando injuriam exterius in verbo, condonantes invicem, non aſſumendo vindictas celeriter in facto, ſicut Deus nobis per Paſſionem F.lii condonavit: tertiò ex conſideratione æterni ſupplicii, quia iſtum ſervum tradidit Dominus iratus tortoribus, donec redderet univerſum debitum. Ex quo duo notabilia inferuntur, primum quòd meritò ille, qui noluit ſibi fieri alteri expoliatus fuit juſtè exhibito beneficio, & quod Deus per miſericordiam exhibuerat, iſte per juſtitiam repetit: ſecundum eſt, quòd judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam, & tota judicialis ſententia, & judicii diſcuſſio erit ſecundum exhibita, & non exhibita opera miſericordiæ, quæ eſt in conſideratione alienæ offenſæ: ô attendant hæc terribilia verba, & exempla vindicatorum injuriarum. *Ser.4.Dom.21. Pentec.*

57. *An peccata remiſſa poſſint per ſubſequentem culpam redire.*

Dominus tradidit eum tortoribus, donec redderet univerſum debitum. Dubium hic valdè difficile inſurgit, nam cùm ſuprà dicatur Deum remiſiſſe omne debitum iſti ſervo, quomodo nunc ab eo exigitur ratio de eodem jam remiſſo, cum dona Dei ſint ſine pœnitentia, ait Apoſtolus ad Rom. c.11. ſed reſpondetur, quòd peccatum mortale poteſt conſiderari quoad maculam culpæ, vel quoad reatum pœnæ; & primo modo impoſſibile eſt redire in ſuum eſſe peccatum quoad maculam, ſi jam deletum fuit (licet aliqui dixerint poſſe redire ex reditu odii fraterni, vel apoſtaſiæ, & contemptu formalis pœnitentiæ, ſed tamen falſum eſt) ſecundo verò modo quoad reatum pœnæ. ſi jam totum deletum fuit peccatum, nec iſto modo poteſt redire; ſi deleta eſt pœna ſecundum partem tantùm, tunc per novam culpam redire verè dicitur, cùm in ſtatu peccati mortalis non poſſit deleri, & in hoc ſenſu verificatur dictum Chriſti, donec redderet univerſum debitum; verum quidem tamen eſt, quòd nova culpa magis aggravatur ob contemptum præſtiti beneficii; in hocque ſenſu iſte indignus expoliatur ſuſcepto beneficio, & meritò Deus, quod exhibuerat per miſericordiam, repetit per juſtitiam: *lib.4. d.22.a.1.per totum ſer.4. Dom.21. Pentec.* Notandum tamen ex Seraphico Doctore, & aliis SS.Patribus, quòd in parabolis, ſicut & in picturis aliqua adjunguntur parerga, quæ ad ipſum parabolæ ſignificatum non pertinent, ſed ad narrationem complendam adjunguntur, undè non ad omnia explicanda, quæ in ipſis ſunt poſita eſt anxiè animus applicandus, ſed tantùm ad id, quod pro utilitate noſtra intendit Chriſtus, & hinc etiam ſupradicta verba de redditione debiti ſumi poſſunt ut parerga, & extra intentum finem Chriſti, & ſolùm poteſt intervenire in contractu humano non in divino.

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quod hic, & in ſequentibus refertur ultimus inceſſus Chriſti in Judæam diſponentis ſe ad Paſſionem, & ideò in hoc capite tradit quæ ſunt neceſſaria ſingulis in ſuo ſtatu, tum conjugatis, tum contemplativis, tum cæteris omnibus, ſimulque proponit præmium paratum benè operantibus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIX.

1. Tota perfectio operum & verborum Chriſti eſt oſtenſio æternitatis, ad quam currit homo ſive in bonam, ſive in malam.

ET factum eſt cum conſummaſſet Jeſus ſermones iſtos, migravit à Galilæa & venit in fines Judææ trans Jordanem. Cur poſt conſummationem ſermonum antecedentium Chriſtus migrat à Galilæa in Judææ fines? & qualis eſt iſta conſummatio? Sed attende ad myſterium; Chriſtus antecedenter propoſuerat ſententiam æternæ damnationis contra iniquum ſervum fulminatam, & ipſius incluſionem in carcere æterno inferni, hinc expoſita hac æternitate, dicitur conſummaſſe ſermones ſuos & tranſiſſe à Galilæa, quæ tota volubilis interpretatur, ad fines Judææ, ſcilicet confeſſionis; ut hinc perciperemus, quod ad æternitatem meditandam pœnarum inferni terminant omnes ipſius ſermones, & quod fructus inde emendus debet eſſe tranſitus à culpa ad gratiam, & ad ſequelam Chriſti; *Vide quæ dicta ſunt ſupra ad c. 11. n. 2.*

3. Conſummatio, & perfectio verborum Dei eſt operatio, ut facta reſpondeant dictis.

Et cum conſummaſſet Jeſus ſermones iſtos, migravit à Galilæa, & venit in fines Judææ. Ad quid eum conſummatione ſermonum connectitur tranſitus à Galilæa in Judæam? ſed Divus Lucas c. 9. ſolvit hoc dubium dicens, factum eſt dum complerentur dies aſſumptionis ejus, & ipſe faciem ſuam firmavit, ut iret in Jeruſalem; per quæ datur intelligi, quod cum appropinquaret tempus à Patre decretum Paſſionis Chriſti, ipſe ut conſummationem ſuorum ſermonum daret, ſcilicet, ut oſtenderet dictis facta reſpondere, acceſſit ad locum Paſſionis, & ad hoc firmavit faciem ſuam per conſtantiam, & patientiam, per quam non ſolum non fugit, ſed promptè acceſſit ut ſe exhiberet in manus inimicorum, per hocque docet ſuos ad ſui imitationem, & ut diſcant, quod nomini Chriſtiano debent facta, & opera reſpondere. *Luc. c. 9. v. 51.*

4. Matrimonii ſacramenti inſtitutio expenditur.

Et acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, & dicentes, ſi licet homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa, &c. quod ergo Deus conjunxit homo non ſeparet. Nota, quod in his verbis ſupponitur matrimonium inſtitutum eſſe à Deo, undè quæritur de ipſius inſtitutione, quis inſtituerit, cur, & ad quid. Reſpondetur, quod matrimonium ante lapſum inſtitutum fuit à Deo in officium, ut ſcilicet per ipſum multiplicaretur genus humanum, & repleretur mundus hominibus, & poſt lapſum etiam in remedium, ſcilicet concupiſcentiæ, undè ejus obſervantia eſt de dictamine legis naturæ, quod poſteà in lege Evangelica à Chriſto adnumeratum eſt inter ſacramenta gratiam conferentia, redditumque indiſſolubile ex inſtitutione divina; in quo ſunt tria bona, ſcilicet fides, proles, & ſacramentum; fides eſt, quod conjux ſuam cognoſcat, & non aliam; proles eſt ad ſpeciei conſervationem, & perfectionem numeri, ſacramentum, ſcilicet ſignans ante Chriſti adventum unionem animæ cum Deo, & in lege Evangelicâ ſignans unionem Chriſti cum Eccleſia, quia ipſum uni capiti Chriſto unitur, & ex ea ipſe filios generat, & quia nunquam ſeparatur, & ideò triplex bonum in Sacramento hoc intervenit, ſcilicet honeſtum ratione primæ conditionis; utile ratione ſecundæ, & delectabile ratione tertiæ. Vide igitur quàm honorabile ſit Sacramentum hoc: inſtitutum enim fuit non à vili perſona, non ab homine, non ab Angelo, ſed à Deo; non in vili loco, non in tabulo, non in angulis, ſed in Paradiſo; non in ſtatu culpæ, ſed innocentiæ; non poſt lapſum hominis, ſed ante lapſum; ſed hoc modo poſt lapſus multos multi contahunt; & hinc Chriſtus ſua præſentia cum Matre nuptias honoravit, & cum miraculoſa converſione aquæ in vinum, ut ejus honorabilitas patefieret. *Lib. 4. d. 26. & ſequentib. ſer. 1. Dom. 1. poſt oct. Epiphan.*

5. Matrimonii unitas quoad virum, & uxorem unicam expenditur.

Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet. Quæritur hîc an liceat cum uxore admittere aliam, vel plures? Reſpondetur, quod jus naturale dictat, quod unus uni tantùm copuletur; undè concubina illicita eſt, & fornicatio prohibita; & hoc quia mala eſt, & à Deo prohibita; & licet Deus cum Abraham, aliiſque Patribus legis ſcriptæ, diſpenſaverit, id factum eſt à Deo ad hoc, ut multiplicarentur facilius, & citius fideles cultores Dei veri, nunc autem in Evangelica lege ceſſavit. *Lib. 4. d. 33. per totam.*

6. De repudio, & divortio aliqua expenduntur.

An liceat homini dimittere uxorem ſuam. Quæritur hîc in quo caſu, & quando licitum fuerit repudium, & divortium? Reſpondetur, quod repudium, & divortium differunt per hoc quod repudium fiebat ex indebita cauſa, & per ipſum diſſolvebatur matrimonium; divortium verò eſt ſeparatio conjugum ſine diſſolutione matrimonii, & conceditur ex debita cauſa, & hinc poſt repudium non prohibebantur nubere alteri; non ſic poſt divortium; item repudium fiebat tantùm à viro, non ab uxore; divortium verò poteſt fieri ab utroque conjuge: An verò repudium fuerit aliquando licitum, eſt in quæſtione apud Theologos; Aliqui affirmant: S. Bonavent. *Lib. 4. d. 33. a. 1.* docet ſemper fuiſſe illicitum, Judæiſque à Moyſe permiſſum ob duritiam ipſorum, ne uxores occiderent, quando autem, & quomodo divortium permittatur, *Vide S. Bonavent. Lib. 4. d. 33. a. 1. per totum: Luc. c. 16. v. 18. & c. 18. v. 19. op. Brevil. p. 6. c. 13.*

7. Matrimonium ſpirituale Chriſti, & Eccleſiæ, ejuſque bona expenduntur.

Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt: Nota, quod hæc verba Chriſti ſunt reſponſiva dicto diſcipulorum, ſi ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere; ideſt uxorem ducere, per quæ cælibatum extollit tam-

quam Dei donum ſingulare, nec omnibus, imò nec multis conceſſum, & meritò. nam implicitè ſeipſum tamquam exemplar poſuit à nobis imitandum in matrimonio ſpirituali, quod cum Eccleſia contraxit, quando naturam humanam univit cum ſua in unitate perſonæ, & tunc pro nobis nova jocalia expoſuit, ſcilicet tria Evangelica conſilia; primum eſt caſtitas contra concupiſcentiam carnis, & hoc amplectuntur Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Cœlorum: ſecundùm eſt voluntaria paupertas contra concupiſcentiam oculorum: tertium eſt obedientia, & humilitas contra ſuperbiam vitæ & de his verè dicitur, non omnes capiunt verbum iſtud, quia paucis datum eſt. *Op. Diæt. tit. 6. cap. 2. ep. meditat. cap. 16. & ep. de Paup. Chriſti qu. 1. a. 2. ep. Expoſ. Regulæ c. 1. ep. Comp. Theol. lib. 5. c. 70. ſer. 2. in die Purific. B. Virg. & de Virg. in addit.*

8. *Virginitatis, & caſtitatis encomia.*

Non omnes capiunt verbum, &c. ſunt enim Eunuchi, &c. Nota, quod in his verbis Chriſtus tranſit à bono matrimonii ad extollendam excellentiam virginitatis, & caſtitatis, quam dicit eſſe donum ſpirituale non omnibus datum. & hoc aſſumptum voluntariè ab hominibus propter regnum Cœlorum, indicans per illud verbum qui ſe caſtraverunt, difficultatem ipſam obſervandi, & per aliud propter regnum Cœlorum, præmium, quod à Chriſto paratum eſt talibus obſervantibus; hæc igitur virtus meritò exaltatur, quia eſt Angelica, quam Angeli primitùs didicerunt ab ipſo Domino fontali principio omnium virtutum; hanc Chriſtus Dominus de cœleſti ſchola ad terras publicè docendo attulit, & Matrem ſuam gloriosam Virginem perfectam, & primam poſt ſe hujus diſciplinæ magiſtram in cathedra virginalis pudicitiæ, & munditiæ cæteris mirandam, & imitandam præfecit; hæc eſt, quæ corpus mundificat, ſicut è contrà luxuria inquinat, mentem liberam facit, & expeditam, quia nec pro uxoris proviſione, nec pro filiorum educatione ſollicitum reddit, affectumque ad conjugem, & filios non ligat, nec ſpiritus zelotypiæ caſtum exagitat, & liberat ab infinitis aliis ſollicitudinibus uxorem, filios, conſanguineos, res familiares reſpicientem; conſcientiam item lætificat, quia Deo placet, Deum placat, Deo proximare facit, & Dei offenſam cavet in delectatione carnali, & præmium cæleſte meretur, & Deum auctorem munditiæ per caſtitatem imitando ſequitur, cùm ſit gloria magna ſequi Dominum, qui nos præceſſit in munditia caſtitatis Virgo Virginis Filius, Virginum ſponſus: item amabilem facit, & ſpectabilem & Angelis, & hominibus: hominibus, quia tam boni, quàm mali venerantur eam: Angelis, quia cùm naturaliter omne animal diligat ſibi ſimile, etiam Angeli caſti homines caſtos familiariùs diligunt. Notabile autem eſt, quod acquiſitio, & conſervatio hujus virtutis explicetur per hoc quod homo dicitur ſe caſtrare, quia requiritur ſeparatio fœminarum à viris, & è converſo, fuga deliciarum, cuſtodia ſenſuum exteriorum, & interiorum, maceratio carnis, orationis frequentia; ô beati, qui ad has nuptias Agni vocati ſunt. *Op. de prof. Religioſ. lib. 2. c. 52. ſeq. ad 56. ep. Diæt. tit. 4. c. 4.*

9. *Chriſto quàm chari parvuli, & in ipſis humilium converſatio; ubi de benedictione eis data.*

Tunc oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret, diſcipuli autem increpabant eos: Jeſus verò ait eis, ſinite parvulos, &c. S. Marcus c. 10. addit, Et complexans eos, & imponens manus ſuper illos, benedicebat eos. Vide, quod non ſolùm parabolis inſtruebat Dominus Jeſus diſcipulos, ſed & exemplis ad humilem converſationem inducere ſatagit eos exemplo, ſcilicet infantium qui ipſi oblati ſunt, & accepti; in quo facto primò datur intelligi, quod innocens, & ſimplex ætas ad gratiam pertinet; ſecundò, quod ſummè chara eſt Chriſto innocentia, & humilitas, & ideò ſuper innocentes, & humiles maximè communicat ſua dona, & benedictiones. *Luc. c. 18. v. 15 ſeq. & cap. 6. v. 47. & cap. 9. v. 48. ſer. 1. Dom. 23. Pentec. ſer. 1. de S. Ant.*

10. *Ad Chriſtum ducuntur parvuli, & juvenes à Prælatis, & Prædicatoribus.*

Sinite parvulos venire ad me, &c. Et hoc facto diſce, quàm libenter ad ſui obſequium recipit parvulos, & juvenes, quos ideò amplexabatur, inter ulnas recipiebat, & benedicebat, imponens ſuper eos manus; & hoc manus ſpectat maximè ad Prælatos, Prædicatores, & Patres: Et ad hujus veritatis confirmationem Joan. c. 21. Petro committens Eccleſiam dixit bis, Paſce agnos meos, & una vice Paſce oves meas, ut ſignificaret, quod pueri, juvenes ſimplices debent paſci duplici ſubſidio corporali, & ſpirituali, & quod cura ipſorum debet eſſe cum maxima ſollicitudine. *Luc. c. 18. v. 15. ſeq. Joan. c. 21.*

11. *Manuum impoſitio, & benedictio ſuper homines, munus eſt Chriſti, & ſuorum miniſtrorum.*

Et amplexans eos, imponensque manus eis benedicebat. Ex quo exemplo in Eccleſia adducta eſt pia conſuetudo impoſitionis manuum, & benedictionis ſacerdotum, & miniſtrorum Chriſti ſuper infirmos, alioſque benedicendos. *Luc. ibid.*

12. *Pueri tantùm à Chriſto inter ulnas ſuas admittuntur, Grandes expelluntur.*

Sinite parvulos venire ad me, &c. & amplexans eos, &c. Cur admittit tantum parvulos? nonnè etiam grandiores ad Chriſtum poſſunt duci? minimè: nam Chriſtus tantùm recipit pueros, ſcilicet humiles, puros, innocentes; ſuperbos autem, qui ſe magnos æſtimant, à ſe expellit. *Luc. c. 18. v. 16. ſeq. ſer. 1. de S. Ant. ſer. 1. Dom. 23. Pent.*

13. *Sollicitudo cognoſcendi quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, primum eſt ſecundum gradum ſalutis æterna.*

Et ecce unus accedens (ſcilicet adoleſcens) *ait illi Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam, vitam æternam?* Nota, quòd poſtquam Chriſtus, expreſſerat deſiderium admittendi parvulos & juvenes ad ſui amplexum, & obſequium, quidam adoleſcens dives ad Chriſtum acceſſit interro-

rogans

rogans quid ſibi faciendum eſſet ut ſecurè poſſet ad ſalutem pervenire; quæ interrogatio valdè Chriſto accepta fuit, ex hoc, quòd non de factis operibus, ſed de faciendis non curiosè, ſed ſtudiosè quærebat propter meritum ſalutis, & ideò ad Chriſtum tamquam ad magiſtrum veritatis pro conſilio, & adipiſcenda veritate confugit. Per quod datur intelligi, quòd primus, & ſecurus gradus in via ſalutis eſt inquiſitio veritatis, undè in arduis eventibus debet homo confugere ad Chriſtum magiſtrum, & Doctorem Eccleſiæ pro conſilio in oratione; ipſe enim eſt ſecurus, & verus, conſiliarius. *Luc. c.* 18. *v.* 18. *& c.* 10. *v.* 25.

14. *Solus Deus bonus, à quo omnis bonitas, & ſine quo nihil bonum.*

Magiſter bone &c. quid me interrogas de bono? unus eſt bonus Deus. Nota, quòd hîc non reſpondet Chriſtus arguendo, ſed potiùs docendo, inſtruxit enim nos, quòd in ſolo Deo eſt bonitas per eſſentiam, & ideò quæcumque bonitas ſivè naturalis, ſivè ſupernaturalis creaturarum eſt bonitas per participationem ab ipſo Deo emanans, & in Deum unum finaliter tendens, undè ſine Deo nihil bonum, quia ſolus Deus habet ſuam bonitatem, omnis creaturæ alienam. *Luc. c.* 18. *v.* 19. *Sap. c.* 12.

15. *Mandatorum Dei cognitio, & obſervantia quàm neceſſaria, & utilis.*

Si autem vis ad vitam ingredi ſerva mandata: S. Lucas præmittit hoc: *mandata noſti? Quæ? non homicidium facies &c.* Vide igitur hîc quænam ſunt neceſſaria ad ingreſſum in vitam æternam, ſcilicet mandatorum Dei cognitio, intellige non ſpeculativam ſolùm, ſed practicam, & experimentalem, & conſequenter obſervantia ipſorum, per quæ homo in præceptis negativis declinat à malo, & indè tranſit ad bonum faciendum, in qua inſtructione ſolùm mentionem Chriſtus facit de præceptis ſecundæ tabulæ, quia in dilectione proximi continetur dilectio Dei, tum etiam, quia mandata primæ tabulæ non ſunt de agendis, ſed dirigunt in illud ſummum bonum deſiderandum. *Luc. c.* 18. *v.* 20.

16. *Mandatorum Dei obſervantia ſuadetur.*

Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata. Nota pulcherrimum ordinem, quem ſervat Chriſtus in his verbis; nam volens ſuadere obſervantiam mandatorum Dei primò proponit finem, deindè ea, quæ ſunt ad finem, & ut moveat ad talem obſervantiam innitur primò auctoritas mandantis, ſecundò utilitas obſervantiæ, tertiò tranſgreſſionis periculum, quartò irreprehenſibilitas mandatorum; auctoritas autem divina patet ex potentia, quâ nos creat, ex ſapientia, quâ gubernat, ex bonitate quâ nos ſalvat; utilitas, quæ oritur ex tali obſervantia, eſt communicatio divinorum charismatum, & aſſecutio divinorum præmiorum, tranſgreſſionis verò pericula, nempè quia ex ipſa oritur amiſſio divinæ gratiæ, & æterna damnatio; irreprehenſibilitas tandem mandatorum nos excitare debet ad ea obſervanda, non enim continent impoſſibilia, nec difficilia, nec onerosa, ſed ſuavia, dulcia, utilia, conformia legi naturali, & divinæ, & ideò obſervanda, & propter ſalutarem obligationem, propter maledictionis, & pœnæ evaſionem, & adeptionem gloriæ; ſi ergo vis, ô homo, vitam æternam poſſidere, ſerva mandata Dei; nec in hoc datur excuſatio aliqua, cum Deus ipſa non minus impreſſerit in corde, & in conſcientia, quàm in tabulis marmoreis. *Op. de decem præc. ſer.* 1. *op. Diat. tit.* 3. *c.* 1. *op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 12. *&* 25. *Pſal.* 118. *c.* 1. *v.* 6. *& c.* 10. *v.* 2 *ſer. de S. Luca ſer.* 1. *de Apoſtol.*

17. *Vita ſola æterna eſt vera vita; vita præſens mors potiùs dicenda.*

Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata. Nota, quòd iſte adoleſcens cupiens poſſidere vitam æternam, petit à Chriſto, quid ſibi faciendum eſt, & Chriſtus reſpondit, ſi vis ad vitam ingredi &c. nec addit æternam, ergo videtur non reſpondere categoricè interrogationi? ille petit vitam æternam, Chriſtus exhibet ſolùm vitam; vita autem abſolutè prolata eſt communis omnibus, morti etiam ſubjectis, cur hoc? Sed attende, quòd meritò abſolutè Chriſtus exhibet vitam, quia ſola vita æterna eſt abſolutè vita, & vitalis, & ſine mixtione mortis; vita autem hæc caduca non eſt talis, ſed eſt mortalis immixta morti, quæ potius dicenda eſt mors, quàm vita, & perpetuus curſus ad mortem, ergo ſtultiſſimi ſunt qui quærunt vitam in regione mortis. *Ioan. collat.* 75. *Pſal.* 89. *&* 117. *ſer.* 2. *Dom.* 20. *poſt Pentec.*

18. *Iuvenes alii captivi Chriſti, alii diaboli; illi fælices, iſti infælices.*

Hæc omnia cuſtodivi à juventute mea. Sic reſpondit iſte adoleſcens à Chriſto vocatus: ô fælix ille juvenis, qui verè poteſt cum iſto dicere, hæc omnia, ſcilicet præcepta tua, abſque macula peccati mortalis cuſtodivi, & ideò ſubdit S. Marcus *c.* 10. Jeſus autem intuitus eum, dilexit eum; undè in ſignum ſuæ dilectionis, ut ad ſui obſequium perfectiùs induceret, ſubjunxit, ſi vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes &c. ſic enim homo captivus fælix fit Chriſti; ſed tamen non obtemperavit, & forſan in captivitatem diaboli ſe tradidit; erat enim (ait textus) habens multas poſſeſſiones, quia qui amant divitias, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa, & inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum: ô quot juvenes vivunt captivi diaboli, dantes ſuam vitam diabolo. *Luc. c.* 18. *v.* 21. *ſeq. Thren. c.* 1.

19. *Ingreſſus ad vitam æternam exigit obſervantiam mandatorum: progreſſus ad ulteriora exigit etiam conſiliorum Chriſti obſervantiam.*

Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata; & ait illi adoleſcens, hæc omnia cuſtodivi, reſpondit Jeſus; adhuc unum tibi deeſt. Sic S. Lucas: S. Matthæus &c: *ſi vis perfectus eſſe vade, & vende quæ habes; & da pauperibus &c.* Nota ordinem, & myſteria & ſimul difficultates horum verborum;

Adoleſcens petit à Chriſto modum acquirendi vitam æternam,Chriſtus ipſi reſpondet, quòd ad hoc neceſſaria eſt obſervantia præceptorum Dei; & iterùm audito, quòd hæc omnia obſervaverat perfectè,ſubdit, adhuc unum tibi deeſt; & quomodo unum ſibi deeſt, ſi omnia præcepta obſervaverat:Quid eſt,quod deeſt perfecto obſervatori præceptorum Dei? Sed attende ad verbum Chriſti,ſi vis ad vitam ingredi; dicit ingredi,quia ad ingreſſum perfectionis Chriſtianæ ſufficit obſervantia mandatorum Dei, hæc enim eſt perfectio communis omnium Chriſtianorum, & ſufficiens ad ingreſſum Cœli,& ſequelæ Chriſti; at ad progreſſum altiorem adhuc unum ſuperaddendum, ſcilicet obſervantia conſiliorum Chriſti, & ad hunc progreſſum altiorem in iſto juvene invitat Chriſtus ſuos perfectos ſequaces, ut ſcilicet non ſolùm, ut communia contenti ſint ſervare præcepta,ſine quibus non eſt ſalus, ſed etiam ad omnia, quæ Dei ſunt ſtudioſi ſint, & voluntarii tam faciendo in ſe, quàm in aliis promovendo,& deſiderando,& hoc eſt obſervare conſilia, & ſic ſequi imitando omnis juſtitiæ Doctorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*Op.de Prof. Religioſ. lib. 2.c.15.*

20. *Perfectio alia neceſſitatis,alia ſupererogationis.*

Si vis perfectus eſſe vade, & vende. &c. Ecce, quòd Chriſtus aperit viam ſalutis omnibus,oſtendens duplicem viam calcandam;altera eſt neceſſitatis, quæ conſiſtit in obſervantia mandatorum Dei,ſine qua non eſt ſalus,altera perfectionis, & ſupererogationis in obſervantia conſiliorum Chriſti,quæ voluntaria eſt omnibus,ſed tamen neceſſitatis,etiam eſt in Religioſis, qui ad ipſam ſe voto obſtrinxerunt.*Op.de Prof.Religioſ.lib.2.c.12. & 23.Op.Apol.Paup.Reſp.1.c.3.*

21. *Conſilia Evangelica expenduntur.*

Si vis perfectus eſſe: vade,& vende omnia. Quid eſt vendere omnia,niſi renuntiare omnibus,in qua renuntiatione involvuntur conſilia Evangelica, quæ Apoſtolis, & Religioſis proponuntur Hæc autem in multis differunt à præceptis;quia conſilium prout dividitur contra præceptum eſt perſuaſio melioris boni,ad quod non tenemur,& ideò ad præcepta tenemur,ad conſilia verò nequaquam præcepta dat lex vetus, Evangelium ſupperaddit conſilia, conſilia ſpectant ad perfectos, præcepta ad perficiendos,iſta ſeparant nos ab illicitis,illa à conceſſis: Conſilia autem Evangelica ſunt ſequentia: primum eſt paupertatis,quæ conſiſtit in abdicatione proprietatis rerum: ſecundum eſt obedientia,& hæc eſt duplex,alia neceſſitatis,de qua ſuprà circa obſervantiam præceptorum, alia ſupererogationis,& hæc eſt religioſa, & eſt duplex,alia eſt ſine reſtrictione ad omnia, quæ non ſunt contra Deum,& Regulam,& eſt Fratrum Minorum;alia eſt reſtricta ad ea,quæ tantùm in Regula continentur, eſtque aliorum Religioſorum: tertium conſilium eſt caſtitas, eſtque eorum, qui ſe caſtraverunt propter regnum Cœlorum: quartum eſt charitas in inimicos, quæ non ſolùm diligit eos, ſed etiam multa ſigna, & ſervitia ſupererogationis exhibet: quintum eſt manſuetudo in lædentes in res, in corpus, & in alia: ſextum eſt miſericordia in pauperes dando eis ſua; ſeptimum eſt vitare ſollicitudinem in rebus terrenis,& corporis: alia conſilia etiam aſſeruntur à Doctoribus,quæ ad ſupradicta reducuntur,& præcipuè ad tria vota obedientiæ paupertatis, & caſtitatis.*Op. Comp.Theol.lib.5.c.45.69. & 70. Op. Diæt.sit.6.c.1.*

22. *Paupertas voluntaria fundamentum totius perfectionis Evangelicæ.*

Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes. Ecce quomodo Chriſtus hic ſubſtituit fundamentum totius perfectionis Evangelicæ: nempè ordinando paupertatem voluntariam, quæ nihil ſibi retinet in mundo, & ad hoc amplexandum propontur nobis exemplum Chriſti Jeſu, qui ſemper pauperrimus, & pauperrimam vitam profeſſus eſt in tota vita ſuaſque ad mortem, & divinum promiſſum, quoniam pauperum eſt regnum Cœlorum; dicit igitur omnibus, qui ad perfectionem inhiant, ſi vis perfectus eſſe, vade,ideſt per negligentiæ excluſionem,vende omnia, quæ habes per terrenæ ſubſtantiæ deſpectionem,non commuta, non conſerva,ſed vende, & renuntia; omnia,non partem, ſed omnia, & da pauperibus per divinæ complacentiæ acceptationem, non divitibus, quia tunc Deus non acceptaret, & habebis theſaurum in Cœlo per æternæ gloriæ adeptionem.*Ser.4.Dom.18.Pentec. ſer.1.de S.Matthia.ſer.2.de SS.Philip.& Iac. ſer.de S.Luca.ſer.1.om.ſanct.Diæt.sit.5.c.2. Op. Legenda S.Franc.c.1.& 7.Op.Expoſ.Regulæ,c.2.Op.de Paup. Chriſti a.1.& 2.Op.Apol.Paup.Reſp.1.c.3.& Reſp.3. c.3.Op. de Prof.Religioſ.lib.1.c.3. & lib.2.c.45. Op. de Perfect.vitæ,c.3. Op. Brevil.lib.5.c.6. Luc.c.4. v.41. c.9. verſ.23. & 59.c.18. v.23.ſeq. & c.21. verſ.4.*

23. *Cupiditas divitiarum quale malum,& quàm periculoſum.*

Cum audiſſet adoleſcens verbum,abiit triſtis, erat enim habens multas poſſeſſiones: Ieſus autem dixit diſcipulis ſuis; Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum Cœlorum. Vide quid facit amor divitiarum, quia iſte abundabat divitiis, horruit penuriam paupertatis,& ideò de paupertatis laude, & conſilio triſtis effectus eſt, & hæc triſtitia eſt effectus cupiditatis, & tenacitatis, eſtque mala,ſæculique mortem in anima operans, & hinc Chriſtus docuit, quod dives,difficilè intrabit in regnum Cœlorum, dives inquam, qui temporalia æſtimat,& ſpiritualia,& cœleſtia contemnit, & ideò difficilè animo ſeparatur ab iſtis terrenis, & temporalibus.*Luc.c.18.v.23.ſeq. & c.4. verſ.43.*

24. *Avaritia, & cupiditas iterùm retunditur.*

Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum Cœlorum. Nota, quòd hic iterum retunditur à Chriſto avaritia, & cupiditas rerum terrenarum per hanc ſimilitudinem cameli; camelus autem ſignificat animal, & etiam funem nauticum, quo projicitur anchora in aquam, ſed tamen hîc comparat avarum camelo animali, eſt enim animal

mal ingentibus membris, enorme, monſtruoſum, & gibboſum, ſic avarus per amorem divitiarum, eſt monſtruoſus, & divitiis oneratus, non valens intrare per portam regni Cœlorum, quæ eſt anguſta, unde major impoſſibilitas ipſius avari ad aditum in regnum Cœlorum, quàm cameli ad tranſigendum foramen acûs propter arctitudinem, & ſpiritualitatem, quare ſi vis ingredi, ô homo, depone ſarcinam. *Luc.c.*18. *v.*25. *& c.*16. *v.*19. *& c.*13. *v.*23. *Pſal.*78. *&* 111.

25. *Paupertas, & humilitas neceſſaria eſt ad ingreſſum regni cæleſtis.*

Facilius eſt camelum per foramen acûs tranſire. &c. Cur Chriſtus uſus eſt hac metaphora? Nota, quòd in Jeruſalem erat inter alias porta, quæ dicebatur acus, erat autem anguſta, per quam cameli, & animalia grandia, & oneribus gravata non poterant intrare; igitur dat intelligere Chriſtus, quòd homo non poterit intrare in cœleſtem Jeruſalem, quia ejus porta eſt anguſta, niſi depoſitis ſarcinis rerum terrenarum, & maximè per injuſtitiam acquiſitarum, & ſe ad terram humiliet. *Serm.*3. *Dom. Palm. ſermon.* 7. *Regat. ſermon.* 1. *de plur. Confeſſor. ſerm.*4. *Dom. Paſſion.*

26. *Mercatores alii ſunt Chriſti, alii diaboli, ubi de Sancto Antonio Patavino.*

Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, &c. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti, &c. Vide, quod Chriſtus vult ſuos ſequaces mercatores; dicit enim vade, & vende, non dicit relinque, dona, ſed vende; & in hoc eodem ſenſu dixit Petrus pro ſe & ſuis ſequacibus, Ecce nos reliquimus omnia (ſcilicet ſicut præcepiſti) vendidimus omnia, &c. propter regnum Cœlorum, quaſi dicat, optima quidem mercatio, ubi pro paucis dantur magna, pro corruptibilibus incorruptibilia, pro caducis æterna; bonus quidem mercator, qui novit mercationem ſuam ſine damno deducere; ſed ſapientior ille, qui novit ex paucis multa acquirere; ſed ille ſapientiſſimus, qui ſcit quaſi ex nihilo inæſtimabilia comparare, tales fuerunt Apoſtoli, quibus cum eſſet modica ſubſtantia terrena, tamen cum ipſâ omnia creata reliquerunt, & vendiderunt pro theſauro cœleſti; talis & Beatus Antonius Patavinus: è contra ſtulti mundani vendunt æternam hæreditatem pro modica ſubſtantia terrena, eorumque fructus; tandem eſt amiſſio cœleſtis gloriæ. *Ser.* 2. *de S. Antonio. ſer.*1. *Cathed. ſer.*1. *Dom. Paſſion. ſerm.*1. *de S. Barth. ſer.*1. *de uno Doct. Pſal.* 39. *Op. de dono conſil. c.*4. *Luc. c.*21. *v.*3.

27. *Paupertas Apoſtolorum confertur cum paupertate Fratrum Minorum Sancti Franciſci.*

Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, &c. Ecce nos reliquimus omnia. Dubium hîc inſurgit; quomodo dicuntur Apoſtoli omnia reliquiſſe, & vendidiſſe propter Chriſtum, cum legatur in Act. c.6. Apoſtolos habuiſſe loculos, & recepiſſe pecuniam oblatam? ſed attende, quòd duplex modus vivendi impoſitus eſt à Chriſto Apoſtolis, & diſcipulis; nam Apoſtolis præcepit extremam paupertatem prohibentem proprietatem in particulari, & in communi: ſub Apoſtolis verò conceſſit Chriſtus multitudini virorum, & mulierum primitivæ Eccleſiæ loculos, ut poſſent recipere pecuniam, & res oblatas pro communi neceſſitate, non in particulari, ſicque hunc ſecundum modum amplexati ſunt S. Bened. Ord. Auguſtinus, aliique Fundatores, qui recipiebant poſſeſſiones, agros, & villas, eaque poſſidebant in communi, renunciantesque omnes omnia in particulari, ſed quia Seraph. Pater S. Franciſcus vidit pericula, & ſacrilegia affluentiæ terrenæ, quam multi poſſident, elegit Regulam ipſis Apoſtolis ad prædicandum miſſis à Domino conſtituram, injungens Fratribus, ne aliquid in hoc mundo poſſiderent ſive in particulari, ſive in communi. ſed ad imitationem Chriſti, & Apoſtolorum rebus uterentur neceſſariis non tamquam propriis, ſed alienis, ut verè poſſint dicere cum Petro, ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te &c. *Op. Expoſ. Regulæ c.*1. *&* 2. *Op. Determinat. q.* 4. *Op. Libell. Apologet. Op. de tribus quæſt. Op. de Paupert. Chriſti per totum.*

28. *Perfecti ſervi Dei ad ſolùm Dei beneplacitum mente aſpiciunt.*

Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes, & veni, ſequere me. Hoc dixit Chriſtus adoleſcenti deſideranti cognoſcere viam ſalutis: & hinc Petrus ait, Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? Nota, quòd Petrus tunc non pervenerat, ſicut nec Apoſtoli ad ultimum, & ſummum ſtatum perfectionis, de qua locutus fuerat Chriſtus illi adoleſcenti, nam inquirendo, quid erit nobis, dat intelligere ſe ſecutum fuiſſe Chriſtum propter retributionem, quam intenti nem tamen Chriſtus non reprehendit, quia non principaliter quærebat mercedem, ſed Domini voluntatem, ſed tamen cum hoc aliquid de proprio ſibi retinebat, undè ſummus gradus eſt & perfectus ſequi Chriſtum intentione immediata, ſimplificata, & Deificata, & amore finis æterni totaliter attracta, in qua nihil remanet proprii, vel creati admixtum, quæ & ſi in hoc vis aliqualiter beberur ab aliquibus, tamen eſt propria beatorum; & ad hanc perfectionem inhiat anima Deum diligens: *Op. de 7. itin. æternit. itin.* 1. *d.*3.

29. *Deus aſpicit magis intentionem, quàm ipſum opus.*

Ecce nos reliquimus omnia. Quid eſt, ô Petre, quod reliquiſti? reliquiſti retia tantùm, & naviculam. & te jactus reliquiſſe omnia? ô quàm benè; omnia reliquit, & tanta, quanta à non ſequentibus concupiſci poterant, & quia omnia poterant concupiſci, idcò omnia ſunt dimiſſa; multum igitur reliquit qui ſibi nihil retinuit. qui eum re, quam habuit voluntatem habendi dereliquit, in hac re ergo magis debemus penſare affectum, quàm cenſum. *Luc. c.*9. *v.*11. *ſer.*1. *in Cathedr.*

30. *In quo ſenſu Apoſtoli, & ipſorum imitatores erunt Judices.*

Amen dico vobis, quod vos, qui, &c. ſedebitis ſuper ſedes judicantes duodecim tribus Iſraël. Quæritur quomodo Apoſtoli judicabunt homines in judicio, cùm Pater dederit omne judicium Chriſto? Sed

reſponderet, quòd in judicio concurrit tota Trinitas, quæ in juriſdictione ordinaria judicabit; item Chriſtus cum delegata poteſtate ut homo; item Apoſtoli cum acceſſoria dignitate, & eorum imitatores tamquam aſſiſtentes senatores; item omnes Sancti, & Angeli tamquam approbatores; ad hoc judicium etiam concurrent mali, ut culpatum manifeſtatores: & hinc patet ſenſus verborum Chriſti, qui meritò eos, qui perfectè ſunt imitati Chriſtum, omnia renuntiando, & relinquendo pro Chriſto, exaltabit ad judicandum ſecum omnes homines. *Opuſc. Comp. Theol. lib.7. cap.* 18. *Ioan. cap.* 5. *v.* 27. *& in fine. Luc. c.*22. *v.*30. *ſerm.de SS. Sim.& Iuda. ſer. de SS. Petro,& Paul.*

31. *Paupertas ſolium cæleſte Chriſti, & ſequacium.*

Vos qui reliquiſtis, &c. ſedebitis ſuper ſedes, &c. Quid eſt ſuper ſedes? cur non in ſedibus, ſed ſuper, ideſt in loco ſublimiori Cœli? Nota, quòd iſte locus ſublimior ſuper cæteras ſedes eſt paupertas voluntaria, quam Chriſtus, & Apoſtoli ſecuti ſunt, eſt enim cœleſte ſolium ipſis debitum, qui omnia creata deſpicientes, ſuper ipſa elevati ſunt, & ideò meritò in ſedibus ſuperioribus cæteris Sanctis, & Angelis in Cœlo collocabuntur. *Op. Diæt. tit.*4. *c.*3.

32. *Omnia relinquens pro Chriſto, in Chriſto omnia invenit, & recuperat.*

Et omnis, qui reliquerit, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet (addit S. Marcus: *etiam in tempore hoc*) *& vitam æternam poſſidebit.* Quid eſt hoc centuplum? ſed ponitur numerus determinatus pro indeterminato, quaſi dicat, qui propter me omnia reliquerit in me omnia inveniet, & recuperabit, ſcilicet ſpiritualia pro temporalibus, & poſtea vitam æternam. *Ioan. collat.* 35. *&* 86.

33. *Centuplum à Chriſto promiſſum expenditur.*

Centuplum accipiet, &c. O qualis mercatura, & pia uſura: qui enim omnia relinquet pro Chriſto, & Chriſtus non ſolùm pro ipſis centuplum retribuet, ſed & pro qualibet re pro Chriſto relicta, ô quam pius, & liberalis Dominus: uſura mundi dat centum ad unum, Deus verò unum accipit ad centum, ergo pro Chriſto relinque omnia, & habebis centuplum, & gaude gaudio magno, quòd ad talem negotiationem te adduxit. Hoc autem centuplum ſpiritualium, non temporalium rerum eſt, ſcilicet conſolationum internarum, & virtutum, quas per experientias cognoſcimus; an non centuplum habet, qui impletur Spiritu Sancto? qui Chriſtum habet in pectore? imò pluſquam centuplum eſt talis viſitatio Paracleti, & præſentia Chriſti; gaudium item non ſolùm in ſpe gloriæ, ſed in tribulationibus; ô felix anima à Chriſto ſic vocata ad tantum bonum. *Op. medit.c.*36. *ſer.*1. *de S. Thoma. ſer.*4. *Dom.*2. *poſt eſt. Epiph. Luc.c.*18. *v* 30.

34. Major eſt numerus reproborum, quàm prædeſtinatorum dicente Chriſto, multi ſunt vocati, pauci electi; & ideò appellantur *Puſillus grex. Luc.c.*12. *v.*32.

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *In hoc capite docet, quomodo ſit verum, quod ſuprà in fine capitis dixerat, quòd erunt primi noviſſimi, &c. proponens parabolam de vinea, & laborantibus in ea, & præmium ipſis collatum: deindè prædicit Paſſionem ſuam imminentem, & ſimul redarguit filios Zebedei, in quo invitat nos ad humilitatem, & tandem curationem duorum cæcorum refert.*

CAP. XX.

2. *Chriſtus Paterfamilias juſtorum, judex iniquorum.*

Simile eſt regnum Cœlorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Nota, quod nucleus, & medulla hujus parabolæ præcipuus eſt in oſtenſione vocationis primò factæ de Judæis, & ſecundò de Gentilibus, qui cùm eſſent noviſſimi, per converſionem ad fidem facti ſunt primi, & ideo à Chriſto remunerati mercede æterna: loquitur etiam de omnibus vocatis à Deo à principio mundi uſque ad finem? in qua primò offert quomodo Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus appellatur Paterfamilias, & meritò, quia habet ſuam familiam, ſuntque omnes juſti, quam ut Pater benigniſſimus regit, fovet, nutrit, & dirigit in finem ſalutis æternæ; ideo Pater verè dicitur creatione, prædeſtinatione, redemptione Sacramentali, gratiæ adoptione, & glotiæ collatione; reſpectu autem malorum propriè dicitur judex, & vindicator. *Luc.c.*13. *v.*25. *op. Comp. Theol. lib.*1. *c.*4. *op. myſt. Theol. in Pater. Op. ſim. l.*3. *c.*17. *ſer.*2. *Dom.*13. *Pentec. ſer.*4. *de una Virg.*

3. *Deus à principio mundi ſemper ad ſe, & ad gratiam vocavit homines, nec eos deſeruit auxiliis neceſſariis.*

Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Quid eſt primo mane, niſi in principio mundi, ut videas, quod ſtatim ac hominem creavit, nunquam deſtitit vocare homines ad gratiam, & ſalutem, cum quibus veluti conventionem fecit, ſcilicet præbendo, & offerendo eis auxilia neceſſaria ad ſalutem, ne ullam excuſationem haberent, vult enim omnes homines ſalvos fieri voluntate antecedente, in cujus virtute offert omnia, quæ ſunt diſponentia media ad talem finem, nec unquam deſtiturum reliquit hominem talibus mediis tum internis, tum externis, & ideo conduxit

Digitized by Google

conduxit in ſua vinea in quacumque ætate operarios, & miniſtros, ut in ea laborarent pro ſalute hominum. *Ser. 15. Hexam. Luc. c. 5. v. 28. lib. 1. d. 46. a. 1. q. 1. & lib. 3. d. 25. a. 1. qu. 2. ad ult. & lib. 2. d. 28. a. 2. qu. 1.*

4. *Nunquam fuit ſalus abſque fide, & auxilio Chriſti mediatoris.*

Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Si per primum mane intelligitur principium mundi, & per Patremfamilias intelligitur Chriſtus, quomodo exiiſſe, ſcilicet de ſinu Patris, cum Incarnatio facta fuerit poſt plura millia annorum? Sed attende, quod licet incarnatio non fuerit facta in principio mundi, dicitur tamen primò exiiſſe, ſcilicet quia ipſe Chriſtus tunc futurus conduxit ſemper operarios in vineam ſuam, nullus enim poterat ſalvari, & ſalutem obtinere, niſi in fide ipſius mediatoris. *Lib. 3. d. 25. a. 1. q. 1. & q. 2. ad ult.*

5. *Explicatur ſenſus parabolæ circa horam primam, tertiam, &c.*

Exiit primo mane, &c. egreſſus autem circa horam tertiam, &c. ſextam, nonam, & undecimam. Quæritur hîc quid intelligatur per iſtas horas? & cur in medium ponit primam, & tertiam &c. & omittit ſecundam, quartam, & quintam, & ſeptimam, &c. Reſpondetur, quod olim dies à ſolis ortu, uſque ad occaſum, dividebatur in duodecim horas inter ſe æquales, quæ tamen ſecundùm augmentum, vel diminutionem diei etiam ipſæ mutabantur ſecundùm longitudinem, vel brevitatem, ſic itidem & nox: prima autem hora diei erat in ortu ſolis: & quia dies dividebatur in quatuor partes, ſic prima continebat tres horas, & dicebatur tertia; ſecunda pars tres alias horas, & dicebatur ſexta, etarque meridies: tertia pars alias tres, & dicebatur nona; & veſpera erat poſt alias tres horas in ſolis occaſu. Ex quia dies duodecim tantùm horis conſtabat, ideò undecima dicebatur ultima ante ſolis occubitum, ſicut & prima in ſolis ortu, & hinc aliqui laboraverunt per duodecim horas, alii minus, alii una, & ultima hora: myſticè verò alluſio fit ad diverſas ætates, in quibus Deus invitavit homines ad laborandum in vinea ſua; nempè in prima hora innuitur vocatio Adæ uſque ad Noë, quando dedit legem naturæ; in tertia Noë uſque ad Abraham; in ſexta Abrahæ, uſque ad Moyſem, quando dedit legem ſcriptam: in nona Moyſis uſque ad Chriſtum mittentem Prophetas; in undecima à Chriſto uſque ad Judicium. *Ser. 15. Hexam. ſer. in Dom. Quinquag.*

6. *Deus vocat hominem in quocunque tempore hujus vitæ.*

Exiit primo mane conducere, &c. Nota etiam, quod per iſtas horas intelliguntur ætates hominis, ſcilicet pueritia, adoleſcentia, virilis ætas ſenectus, & decrepita ætas, in quibus omnibus horis Chriſtus paratus eſt recipere operarios in vineam Religionis, vel in vineam proprii cordis, ut ibi creſcat vinum compunctionis, & devotionis, & gratiæ Spiritus ſancti: horæ ergo operandi non te tranſeant, ô miſer homo, attende denarium, attende fidelißimum operis tui remuneratorem, attende ſtrictißimum omnium operum tuorum computatorem, & horarum monitorem: certus quidem apud Deum nullum bonum intemoneratum nec momentum de tempore periturum. *Ser. 3. Dom. 20. Pentec. ſermon. 2. Dom. ſeptuag.*

7. *Peſſima cura Chriſti eſt proviſio dignæ Prælatorum, & ſacerdotum in Eccleſia.*

Exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Quid eſt conducere operarios? hoc eſt (ut aliàs dixit) locare eam colonis: Ex quo patet, quod tota cura Chriſti, poſtquam plantavit vineam, ſcilicet Eccleſiam, eſt in proviſione cultorum; iſti autem ſunt Prælati, Epiſcopi, Curati, & Sacerdotes, iſtiſque conducit vineam ſuam, ſcilicet tradendo eis curam animarum, quam & ſuſcipiunt, vel ad magnam gloriam, ſi diligenter, vel ad perpetuam ignominiam ſi negligenter egerint; hanc ergo coloniam debent iſti coloni diligentißimè exercere, quia ad hoc conſtituti ſunt à Chriſto, ut ſic placeant Deo non ſolùm propter ſuam juſtitiam, ſed & pro populi ſanctitate, quia ſua juſtitia una eſt, populi autem multiplex: Audiant hæc Prælati Eccleſiarum, & caveant, ne vinea Chriſti repleatur urticis, & ſpinis, ſcilicet peccatis luxuriæ, avaritiæ, & aliorum vitiorum, ubi igitur eſtis, ô boni agricolæ, & coloni? quid agitis? quare vacatis? videtis quo malo iſta plena ſit terra, hinc ſpinæ, hinc tribuli, hinc fœnum ſurgit, ſpinas incendite, tribulos eradicate, ſemina bona ſpargite. *Luc. cap. 20. verſ. 9. ſermon. in Dom. Quinquag.*

8. *Qualis ſit vinea, in qua Chriſtus vult nos laborantes: ubi de vinea diaboli.*

Conventione autem facta de denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Quænam & qualis eſt hæc vinea Chriſti, in qua vult homines laborantes? Nota, quòd vinea hæc eſt quadruplex, ſcilicet Eccleſiæ, conſcientiæ, ſapientiæ, & pœnitentiæ: Eccleſiam autem plantavit Chriſtus veluti vineam, de cujus vino, veluti alter Noë, ideſt ferventi amore inebriatus eſt, & nudatus in cruce; de hac vinea fructum fidei, amoris, & juſtitiæ reddere debet homo, alioquin per damnationem ejicietur, quia malos male perdet, & alius aſſumetur ad recipiendum denarium: Vinea Chriſti item eſt conſcientia, & anima, de qua Chriſtus expectat vinum devotionis, & compunctionis: penſet ergo unuſquiſque quid agat, & conſideret an in vinea laboret, vel an repleta ſit urticis, & ſpinis peccatorum facta vinea diaboli; Vinea item Religio, & ſtatus pœnitentiæ, in hunc que mittit homines, ut laborent, circumcidendo à ſe vitia, & plantando, ſeu excolendo virtutes: Vinea item eſt ſapientiæ, vel Sacra ſcriptura, ex cujus ſtudio vinum cognitionis myſteriorum fidei exquirit Dominus; In his quatuor vineis quatuor animalia timenda ſunt; in vinea Eccleſiæ timendus eſt leo perſecutionis, & ambitionis, in vinea conſcientiæ vermis, qui rodit conſcientiam; in vinea Religionis, & pœnitentiæ aper diſcolæ converſationis; in vinea S. Scripturæ timenda eſt vulpes hæreticæ decepcionis

ptionis corrumpentis ſcripturas. *Ser. 2. Dom. Quadrag.*

9. *Denarius eſt vita æterna à Chriſto paratus laborantibus in vinea.*

Conventione autem facta ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Nota qualitatem præmii à Chriſto parati laborantibus in vinea, eſtque denarius diurnus, quid eſt diurnus? diurnus non nocturnus, ſcilicet præmium, quod neſcit veſperam, eſtque vita æterna, quæ non datur niſi laborantibus in vinea, & ob id triumphantibus de diabolo. *Ser. 1. in oct. Paſchæ, Luc. c. 15. v. 8. ſer. 3. Dom. inf. à oct. Aſcenſ.*

10. *Chriſtus vocat omnes homines ad ſuam vineam in quocumque tempore.*

Miſit eos in vineam ſuam &c. ite & vos in vineam meam. Vide quomodo Chriſtus ex ſua mera benevolentia omnes vocat, & in quocumque tempore ad ſuam vineam, nempè hora prima tertia, ſexta, nona, & undecima; vocat autem inſtanter ſine deſitione inſtruendo per documenta, & exempla, item gratis ſine recompenſatione alliciendo per beneficia, & promiſſa, & tertiò generaliter ſine acceptione perſonarum comminando æterna ſupplicia: Nota autem, quòd in omnibus dictis vocationibus horæ numeratæ ponuntur, ut ſcias, quòd & converſionum, & actionum, & paſſionum, & devotionum noſtrarum omnes horæ apud Deum computantur. Igitur nulla momenta temporis per annum tranſeunt ſine vocatione divina, & ſine ſtatu retributionis. *Ser. 1. Dom. 2. Pentec. ſerm. 1. Dom. 8. Pentec. ſer. 3. Dom. 20. Pentec.*

11. *Idem de vocatione divina.*

Voca operarios, &c. miſit eos in vineam, &c. Nota iterùm, quod Chriſtus venit in hunc mundum vocare omnes ad Cœlum, & ad æternam retributionem; & quia omnes homines ſub triplici differentia conſiderari poſſunt, ſcilicet mali, converſi, & perfecti, ideo etiam triplex vocatio ordinatur ad iſtos, nempè ad malos, qui à Deo vocantur ad amaritudinem pœnitentiæ, & ad deteſtationem vitiorum; ſecundò ad converſos, qui vocantur, & excitantur ad rectitudinem juſtitiæ in obligatoria impletione præceptorum; tertiò ad perfectos, qui vocantur ad perfectionem vitæ in voluntaria ſupererogatione conſiliorum, ut ſic nullus ſit, qui ſe abſcondat à calore divinæ miſericordiæ, & omnes cujuſcumque conditionis tandem reducantur ad recipiendum denarium diurnum mercedis æternæ. *Ser. 1. Dom. ſeptuag.*

12. *In hac vita laborandum, non otiandum, ubi deſidia Chriſtianorum notatur.*

Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Vide quomodo clamores Domini Dei noſtri feriunt tantùm deſidioſos, non enim otioſis, ſed laborantibus, & operantibus redditur merces; quid igitur ſtatis tota die otioſi, ô Chriſtiani, nec enim poteſtis dicere, quia nemo nos conduxit, conducti enim eſtis jam, & vocati, ex denario conveniſtis cum Patrefamilias, quando vos vocavit ad fidem, ad ſuam vineam, ſcilicet Eccleſiam; cur hîc ſtatis otioſi? hîc ſcilicet in hoc loco, in Eccleſia Dei, quæ locus ſummi negotii eſt, vos otiamini? hîc in loco laboris, & operæ, vos ſub tegmine arborum recubatis? hic in loco, in quo cæteri pondus diei, & æſtus portant, vos deliciis vacatis? hic in loco pœnitentiæ, vos voluptatibus indulgetis? hic in valle lachrymarum, vos ridetis? hic in loco ſudoris, vos unguentis mademini? ſi Paterfamilias vos non vocaſſet, ſi non conduxiſſet, ſi in vineam non veniſſetis, ſi vel Ethnici, vel Mauri, vel Turcæ eſſetis, non miraret, ſi non operaremini? cùm verò & vocati ſitis, & immenſa mercede propoſita conducti, cùm ad vineam veneritis, cum Chriſtiani ſitis, quid hic ſtatis tota die otioſi? hoc eſt cur operibus bonis non incumbitis? cur pœnitentiam non agitis? cur orationi non inſtatis? cur ſuppliciorum, & retributionum æternitatem non conſideratis? cur vineam non colitis? ô qualis deſidia plurimorum Chriſtianorum, qui cùm ſint primi, fient noviſſimi, & detrudentur in tartara, aliis ſupervenientibus noviſſimis ad fidem, & ſanctitatem; hæc ad mentem S. Bon. ſparſim *Ser. 1. & ſeq. Dom. ſeptuag. per totum.*

13. *Otioſus eſt apud Deum omnis, qui non laborat pro æterna ſalute.*

Vidit alios ſtantes otioſos in foro &c. quid hîc ſtatis tota die otioſi? Quomodo Chriſtus vidit iſtos in foro otioſos? ſi degebant in foro, ſi ſua negotia pertractabant in foro, quomodo dicuntur otioſi? Sed vide, ô lector, quid agitur à majori parte hominum in foro, ideſt in mundo, & videbis quàm vera ſit propoſitio Salomonis, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, ſcilicet ferè omnes inhiantes, incumbentes, laborantes in acquirenda vanitate divitiarum, vel honorum, vel ſcientiarum mundi, quæ omnia vana ſunt, & de his audies eumdem ſapientem cum admiratione clamantem, quid habet amplius homo de univerſo labore, quo laborat ſub ſole, quaſi dicat, nihil niſi vanitatem, & notanter dicit ſub ſole, quia omnes ipſius labores terminantur ſub ſole, ideſt in adipiſcendis terrenis, non ſupra ſolem, non aſpiciendo ad Cœlum, ad Deum, ad æternitatem; & cùm hæc omnia ſint vanitas, & ſine fructu, ideò meritò dicitur iſtis ſtultis, quid hic ſtatis tota die otioſi? quia ſolùm opera ad Deum, ad Cœlum ordinata à Deo præmiabuntur, cætera omnia perdita, & amiſſa *Ser. 1. & 3. Dom. Septuag. In Eccleſ. proœm. & c. 1. op. de Profect. Religioſ. lib. 1. c. 39.* O quot miſeri in hoc mundo toto tempore vitæ, laborantes poterunt dicere in morte: Jacta eſt alea, omnia perdidimus, quia pro Chriſto, & Cœlo otiavimus.

14. *Otium quàm Deo abominabile, & homini exitiale.*

Quid hîc ſtatis tota die otioſi? Vide quomodo tota cura Chriſti in hac multiplici vocatione contrà otioſos converſa eſt? & cur ad otioſos convertit ſuam reprehenſionem, & non potiùs ad avaros, ad voluptuoſos, alioſque aliis vitiis infectos? meritò cõtrà otioſos totus eſt Chriſtus, quia otium eſt janua omnium ſcelerum, & in anima inducit

ducit omnes alias iniquitates, occupatus enim ab uno dæmone tentatur, otiosus autem ab innumeris dæmonibus vastatur, & omnium tentationum & vitiorum sentina est otiositas. *Op. de Prof. Religios. lib. 1. c. 39. op. Regula Novit. c. 8.*

15. *Mundus est forum, in quo omnia sunt venalia in bonum, & in malum.*

Vidit alios stantes otiosos in foro. In quo Foro? si ad vineam Paterfamilias secesserat, ut operarios introduceret, & operibus assisteret, quomodo dicitur, quod in Foro eos vocat? optimè dicit (respondet Auctor Imperfecti) quia mundus est forum, ubi omnia venalia sunt; ad hunc forum convenit diabolus, ut animas hominum emat otiositate fraudibus, voluptatibus, detractionibus, aliisque operibus malis, suosque trahens pessima mercatura, ipsisque vilissima proponens; Convenit & Christus, ut conventionem faciat cum suis, & laborem, pœnitentiam, & alia opera bona suadens & proponens, præmia, & coronam æternam emant, sed tamen, proh dolor, ad forum diaboli est conventus multitudinis, ad forum Christi pauci conveniunt. *Thren. c. 1. Luc. c. 16. v. 10. & c. 21. v. 13. fer. 9. Rogat. fer. 4. Dom. 6. Pentec. fer. 8. Pentecost. fer. 3. Dom. infra 4. Pent.* Nota autem, quod in mundo præmia dantur non plus merenti, sed plus offerenti, in foro Dei dantur plus merenti, & secundum merita. *Op. Comp. Theol. lib. 7. c. 13.*

16. *Quosnam operarios exigit Christus in vineam suam.*

Voca operarios. Nota hoc verbum, voca operarios, hos enim solum vult Deus, & accepiat, & quinam sunt isti? qui meritorie operantur pro Christo; & isti ad duo capita reducuntur in Ecclesia: primum est eorum, qui excolunt vineam animæ suæ, qui non sinunt ipsam sterilescere, nec patiuntur urticis, seu spinis operiri, sed secundum vocationem propriam operantur, & ut Christiani Christum imitantur in exercitio sanctarum virtutum, ut de ipsis verificetur, quod Prov. 12. dicitur, qui operatur terram suam; scilicet propriæ conscientiæ evellendo ex ea spinas peccatorum per exterminium confessionis, satiabitur panibus septiformis gratiæ Dei habentis omne delectamentum, & omnis suavitatem saporis; qui autem sectatur otium stultissimus est: secundum est eorum, qui vocati sunt ad excolendam vineam, suntque Prælati, & Prædicatores, qui à Christo assumuntur in vineam suam, ut incessanter laborent, ut verbo, & exemplo curent, ut subditi fructum fidei, amoris, & justitiæ reddant temporibus suis; ô felices, veréque beati, qui sic à Christo vocati fideliter usque ad sero mortis non cessant operari. *Ser. 1. & 2. Dom. Septuag. Luc. c. 10. v. 2.*

17. *Non qui benè incipit, sed qui perseverat usque ad finem remuneratur, & coronatur.*

Cum serò factum esset, dicit Dominus procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem, &c. Nota, quod remuneratio solùm in sero facta fuit operatis à Domino, ut videas; quod non qui benè incipit, non qui in prima vel tertia, vel sexta, vel nona hora laborat, sed qui usque ad sero & ultimam horam perseverat, quia cæteræ virtutes corollam metentur, sed sola perseverantia coronatur, sine qua, neque qui pugnat, victoriam; neque palmam victor consequitur, solus ergo qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. *Luc. c. 1. v. 79. op. Spec. Discipl. lib. 2. c. 2. ser. 2. de S. Andr.*

18. *Mercedis qualitates paratæ à Christo operantibus in vineâ expenduntur.*

Voca operarios; & redde illis mercedem suam. Nota ly suam; ergo cui pro Christo laboranti, justè, & ex justitia debetur merces? nonne totum est opus divinæ gratiæ, cum non simus sufficientes aliquid boni cogitare ex nobis tanquam ex nobis? sed audi Apostolum 2. Cor. c. 9. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in nobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum; quasi dicat, quia incrementa justitiæ, & ejus inchoatio spectat ad divinam misericordiam; ideò etiam cooperatio justitiæ humanæ ex parte divinæ, gratiæ habet inchoari, & augeri, sed tamen ex parte liberi arbitrii requiritur industria coadjuvans, & cooperans, eo quod coadjutores Dei sumus; undè patet, quod principium operis boni est ex Deo, sed augmentum, & profectus, & perfectio est ex Deo concurrente, & libero arbitrio cooperante, hinc ex parte hujus cooperationis liberi arbitrii debetur ex justitia fundata in acceptatione divina merces operanti benè: ideò rectè dicit Christus; & redde illis mercedem suam, scilicet quam cooperando gratiæ meruerunt; undè meritum condigni; etsi non ponat obligationem rigorosam in Deo retribuente, ponit tamen sufficientem ordinationem ejus, qui remunerator, ad ipsam remunerationem, mediante laudabili operatione; gratia autem sufficientem ordinationem ponit in viatore ad obtinendam gratiam, tum ratione suæ dignitatis, ex qua totum hominem reddit Deo, & acceptum, & charum, tum etiam ratione divinæ pactionis, tum ratione arduæ operationis, quæ etsi non obligat Deum remuneratorem pensata ipsius utilitate, obligat tamen eum, qui retribuit quodammodo pensata servitutis fidelitate. *Ser. 1. Dom. Septuag. & lib. 1. d. 17. qu. 1.*

19. *Mercedis æternæ qualitates à Deo laborantibus exhibitæ iterum expenduntur.*

Et redde illis mercedem suam. Illis? quibusnam? non otiosis, sed operantibus: & quænam merces? Sed attende ad divinam liberalitatem quæ in his verbis relucet, merces ista est deliciosa ad fruendum propter affluentiam dulcedinis satians appetitum animæ: copiosa ad dirandum propter excellentiam magnitudinis, quia replet totam animam ratione suæ sufficientiæ, & excedit suam capacitatem ratione infinitatis, evacuans omnem timorem: speciosa ad intuendum propter refulgentiam pulchritudinis infinitæ; redditur autem ista merces à Deo liberaliter, & ab anima recipitur celeriter statim ac perficitur dies laboris, & operis, & possidetur perenniter; ô regnum, ô gloriam semper veracem, & veraciter sempiternam, cujus lux, veritas; cujus lux charitas; cujus modus, æternitas. *Ser. 1. & 3. Dom. Septuag.*

20. *Operandum eſt donec dies eſt.*

Cum ſero eſſet factum, dicit Dominus &c. voca operarios &c. Nota illud verbum cum eſſet ſero; ut videas, quòd poſt ſero, & veſperam non poteſt homo amplius operari; ſed tantùm donec dies eſt hujus vitæ, per hoc autem excitatur homo ad operandum in die hujus vitæ, tum propter temporis brevitatem, tum ob ejuſdem ad operandum idoneitatem, propter finis vitæ incertitudinem, & mortis ſubitationem, & operandi poſt mortem impoſſibilitatem; undè Job. 6.16.dicebat, Ecce breves anni tranſeunt, & ſemitam, per quam non revertar ambulo; ergo dum tempus habemus operemur bonum, quia ſtulti ſunt, qui nunc negligunt opera bona. *Joan.c.9.v.4.*

21. *Qualia opera fecerit in hac vita homo, talis erit & merces in alia, quia nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum.*

Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam. Nota, quòd non dicit mercedem, ſed mercedem ſuam, ut videas, quàm verum ſit, quòd quæ ſeminaverit homo, hæc & metet, ſi bonum, bonum, ſi malum, malum, & ſi urticam, vel zizaniam ſeminabit homo, triticum non metet; qualia igitur erunt opera, quæ feceris, talis erit & merces, quia nullum bonum irremuneratum: & nullum malum impunitum poteſt remanere apud Deum: quare ergo ſtultus, & miſer homo mala opera pro bonis, pauciſſima pro multis, in malo corde pro bono, brevi tempore pro longo operatur; cum tamen modò operari deberet unde in perpetuum quieſcendo viveret? Quid igitur operatur homo, & quid pro ſe & non pro aliis operatur. *Ser.2.Dom.ſexageſimæ.ſer.4.Dom.Paſſ.ſer.1. & 2.& 3.Dom ſeptuageſimæ.op. Comp. Theol.lib.7. c.23.ſer.2.de plur.Mart.in addit.*

22. *Deus non reſpicit ſolùm opus, ſed magis modum, & intentionem operantis: ubi de vita activa, & contemplativa.*

Acceperunt & qui noviſſima hora venerunt ſingulos denarios. Ideſt æquale præmium datum fuit à Chriſto iis, qui in nona, & undecima venerant ad laborandum in vinea, quale & iis datum fuit, qui à prima hora uſque ad ſero portaverunt pondus diei, & æſtus; ſed quali juſtitia hoc diſpoſitum eſt? nonnè Deus juſtè ſecundum opera præmiat ſine acceptione perſonarum? maximè quidem; ſed attende, & diſcant omnes homines, quòd verè primi vocati tota die laboraverunt, & portaverunt pondus diei & æſtus, non ſic cæteri ultimò vocati; ſed quia Deus non reſpicit tantùm ad opus externum, quantum ad cor, & intentionem, & modum operis, & operantis, hinc ſæpè qui minus videtur laboraſſe, majus præmium accipit, quia præ mentis ardore, & diligentia, & cordis intenſione, & intentione tantùm, vel plus meretur, quàm alius, qui tota die minori ardore, ac diligentia operatur, undè in illis, qui laborant tota die figurantur activi, in ultimis contemplativi, & quia contemplativa uno paſſu, & gradu tranſgreditur totum curſum activæ vitæ, ideò tantam remunerationem meretur, undè benè dicitur, quòd verbis non meremur, ſed adverbiis, ideſt non eò quòd aliquid facimus, ſed in eò quòd benè facimus. *Luc.c.21.v.1. ſeq.& c.14.v.13.op. de ſeptem itiner. ætern.itin.1.per totum.*

23. *Aſpectus ad præmium æternum facit ſuſtinere libenter omnes labores.*

Conventione autem facta ex denario diurno &c. nonnè ex denario diurno conveniſti mecum? Vide, quòd ſæpè proponit Chriſtus præmium denarii his laborantibus miſſis in vineam, ut videas, quòd meditatio æternæ mercedis ſubire facit libenter, & cum patientia quodcumque pondus, & labores: qui vult ergo præmium æternum retributionis, ad ipſum aſpiciat, & portabit patienter pondus diei & æſtus. ſcilicet tentationum hujus vitæ. *Ser.3.Dom.infra oct.Aſcenſ.ſer.1. in Vigil. Nativ.*

24. *Iniquiſſimus eſt qui contra Deum, ejuſque judicia obmurmurat, vel non iis conformatur.*

Et accipientes murmurabant &c. an oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Nota, quòd hæc dicuntur non quia in Cœlo adſit murmuratio, nec enim omnia verba parabolarum debent conſiderari, nec anxio conatu inveſtigari, ſed tantùm ſcopus ipſius conſiderandus, ſic Chryſoſtomus: Ponuntur autem iſta verba contra homines, qui iniquiſſimi contra Deum ſunt, ejus judicia, vel facta reprehendendo, vel diſcordes ejus voluntati determinatæ operantur; & de iſtis multi ſunt, qui nunc bonitatem Dei, nunc veritatem, nunc ſeveritatem reprehendunt. *Ser.1.Do.21.Pent.*

25. *Deus non eſt acceptator perſonarum tribuens dona quibus vult.*

Aut non licèt mihi quod volo facere? Per hoc patet, quòd Deus tribuens dona ſua quibus, & quando, & quomodo vult, ſolùm motus ex ſua liberrate, cùm non teneatur alteri cuicumque ea dare, non poteſt dici acceptator perſonarum, ſicut evenit in Prælatis & Principibus, qui tenentur ſecundum merita, & demerita, & ſecundum rationabiles rationes in diſtributione beneficiorum ſe gerere. *Op.ſpec.an.5.*

26. *Opera Chriſti omnia perfectiſſima etiamſi exteriùs aliquando ſapiebant imperfectionem.*

An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Meritò Chriſtus hæc profert contra obmurmurantes de æquali diſtributione denarii, & præmii laborantibus in vinea, ut diſcamus, quòd cum certum ſit opera Chriſti interiùs fuiſſe perfectiſſima, & cum aliqua exteriùs prima facie apparerent imperfectionem ſapere, ut eſt fuga, & abſconſio à perſecutoribus, item ſupradicta diſtributio denarii, attamen relata ad Chriſti charitatem, rationem, & cauſam, & ad perſonam, quæ & quare ipſa faciebat, erant & ipſa perfectiſſima, quia ipſe infinitè bonus eſt. *Op. Apol. Paup. Reſp.1. ca.1.*

27. *Invidus ex bono proximi tabeſcit, & totus inficitur*, undè contra invidum dixit Chriſtus, *An oculus*

oculus tuus nequam, quia ego bonus sum? Op. Dist. tit. 1. c. 4. Op. de modo confit. c. 17.

28. *Exponitur propositio, sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi, multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.*

Antequam ad moralem expoſitionem hujus textus veniamus, explicandus eſt ad litteram: Dat autem intelligere Chriſtus, quod cum in parabola vineæ, qui ultimò vocati ſunt, primò receperunt denarium, & mercedem (incipiens ait textus à noviſſimis uſque ad primos) per iſtos noviſſimos intelliguntur Ethnici, qui recipientes fidem, & ingreſſi ſunt in Eccleſiam, & quia Judæi, qui primò vocati ſunt, non ipſam fidem Chriſti receperunt; exceptis paucis in comparatione multitudinis Gentilium, ſic ex primis facti ſunt noviſſimi, & poſteà in fine mundi, per converſionem fient denuò primi. *Sic plures Sancti Patres.*

29. *In Eccleſia militante, qui volunt eſſe primi, fient à Chriſto noviſſimi.*

Nota; quòd hoc verbum plenum eſt conſolatione, & etiam confuſione; retundit enim Chriſtus ſuperbiam, & ambitionem eorum, qui volunt aliis præeſſe & ſimul exaltat humilitatem eorum, qui ultimum locum quærunt; nam ſicut Lucif. qui fuit primus dignitate, & appetiit etiam novum primatum, ejectus eſt ad infimum locum perdamnationem; & Michaël è contra, qui coram Deo ſe humiliavit factus eſt primus inter Angelos, idem & accidit primo homini, idem & omnibus ſuperbis, & è contrà humilibus. *Ser. 4. Dom. ſeptuageſima. ſer. 3. Dom. 4. Adv.*

30. *Multi vocati ſunt ad fidem catholicam, ſed pauci electi.*

Quia, licèt ex omni genere, & natione vocet multos in Eccleſia, pauci tamen electi, quia pauci cum fide copulant bona opera, unde iſte textus excitat nos ad contemplandam divinam liberalitatem, & ſimul ſui judicii ſeveritatem, ut cum metu, & tremore noſtram ſalutem operemur. *Luc. c. 14. v. 16. ſer. 2. in converſ. S. Pauli; Luc. c. 22. v. 3. Eccleſſ. c. 9.*

31. *Chriſti Jeſu dignatio, & benignitas in præmuniendo ſuam futuram Paſſionem diſcipulis expenditur.*

Et aſcendens Jeſus Jeroſolimam aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecretò, & ait illis, Ecce aſcendimus Jeroſolimam, & filius hominis tradetur, &c. Vide qualem dignationem, benignitatem, & amorem Jeſu in ſuos diſcipulos; nam aſcendens ad locum Paſſionis ſecretò, & familiariter eis prædixit ſuam Paſſionem, & Reſurrectionem, quia prævidit tunc diſcipulos perturbandos; ut cum eum morientem cernerent, etiam reſurrecturum non dubitarent, & hinc familiariter eos aſſumpſit ſeparatim à turbis, ut eos conſolaretur docendo, & conſolando doceret. *Luc. capit. 18. verſ. 31.*

32. *Cur in civitate Jeruſalem voluit pati, & crucifigi.*

Ecce aſcendimus Jeroſolimam, & filius hominis tradetur, &c. Quæritur cur civitatem Jeruſalem elegit Paſſioni, & non Bethleem, vel Nazareth? Sed attende ad myſterium: Jeruſalem erat ſedes regni, ſacerdotii, magiſterii, & judicii; & ideò ibi debebat pati ille; qui eſt Rex, ſacerdos, Magiſter, & Judex, ut ſic ex Jeruſalem exiret; & inciperet Chriſti regnum; exiret ſalus, & remedium, exiret etiam lex, & judicium, & ideo in Jeruſalem aſcendit Chriſtus, ut in cruce patiens regnum virtutis, ſacerdotium ſanctitatis, & legem judicii, & veritatis gentibus daret, & hoc excellentiſſimè fecit in myſtica Jeruſalem, ſcilicet in Eccleſia. *Luc. c. 18. v. 31.*

33. *Arcana Paſſionis Chriſti non omnibus, ſed ſolis diſcipulis Chriſti revelantur.*

Aſſumpſit diſcipulos ſuos ſecretò, & ait illis, ecce aſcendimus. Cur cum tanta cautela Chriſtus ſecretò revelavit ſolis diſcipulis ſuam Paſſionem futuram? cur non etiam aliis? ſed meritò hoc fecit Chriſtus Jeſus; quia myſteria ſuæ Paſſionis ſunt theſauri non omnibus indiſcriminatim conferendi, ſed tantùm diſcipulis, amicis, & charis; & hoc eſt, quod dicit ſuis, venite ad me, qui laboratis, & ego reficiam vos; Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit in ſecretum theſaurum myſteriorum meæ Paſſionis, paſcua inveniet. *Op. 25. memor. Op. de ſeptem itin. æter. d. 1. & ſeq.*

34. *Aſcenſus ad Crucem portat ad poſſeſſionem virtutum gratiæ, & gloriæ.*

Aſſumpſit diſcipulos ſuos ſecretò, & dixit eis, Ecce aſcendimus Jeroſolimam, & Filius hominis, &c. Nota, quòd dum agitur de Paſſione, & cruce, connectitur cum ipſa aſcenſus Chriſti, & diſcipulorum ſuorum, nec id vacat myſterio; nam ſicut Chriſtus ad crucem aſcendens traxit ad ſe omnia, & ſecum omnes virtutes, ſic & meditatio imitatióque Paſſionis ejus eſt aſcenſus ad exercitium omnium virtutum. *Op. tim. 1. p. c. 4. ſeq. per totum ſer. 1. ſer. 4. Penit.*

35. *Paſſio Chriſti conſummatio, & complementum perfectionum operum ejus.*

Et tradetur Filius hominis ad flagellandum, &c. S. Lucas ait, *& conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de eo.* Cur cum morte Chriſti copulatur conſummatio? nonnè ultra ipſam ſupererant alia myſteria peragenda? ſed transfer mentem ad ultimum verbum Chriſti in Cruce, conſummatum eſt, dans intelligere, quòd Paſſio, crucifixio, & mors, conſummatio, & perfectio omnium myſteriorum fuit; nempè revelatio totius propheriæ, omnes enim propheriæ reſpectum habuerunt ad Chriſtum ſecundùm triplicem perfectionem Regis, magiſterii, & Sacerdotii, conſummatio ſiem omnium præceptorum, exemplorum Sacramentorumque, per quæ apparet mira profunditas myſterii dominicæ Paſſionis. *Luc. c. 18. verſ. 31. Joan. tollat. 85.*

36. *Fidei myſteria, & præcipuè de Paſſione Chriſti ſine peculiari lumine divino non percipiuntur à nobis.*

Et Filius hominis tradetur, &c. Addit hîc S. Lucas quod diſcipuli *nihil horum intellexerunt.* quod verè mirum, cum toties Chriſtus clariſſimè prædixiſſet ſuam Paſſionem futuram, cur ergo non intellexerunt? ſed reſpondetur, quod Chriſtum amabant ut hominem, licet ſcirent eſſe Deum, allegoricè tamen ſumebant iſtas prædictiones, eo quod ſciebant Deum non poſſe mori, & per hoc patet cæcitas cordis humani, quæ myſteria Redemptionis, & fidei non intelligit, niſi Deus tamquam cæco lumen oſtendat ſuæ lucis, & donet, imprimat contuitum veritatis in mente. *Luc.c.*18. *v.*31.

37. *Cupiditas honorum terrenorum quale malum.*

Tunc acceſſit ad Jeſum mater filiorum Zebedæi adorans, &c. dic ut hi duo filii mei, &c. Eſt maxima quæſtio inter Patres ſuper petitionem hujus mulieris, & filiorum, an ſcilicet peterent ſedes honorabiles in terra, an in gloria? cui quæſtioni licèt aliqui voluerint excuſare hanc mulierem, & filios, dicentes ſpiritualia, & cœleſtia petiiſſe, communis tamen, & vera eſt, quòd exiſtimantes regnum Chriſti fore in terra temporale, ideò etiam primas ſedes poſtulaſſe; nec id mirum, cum adhuc carnales animos haberent, nec adhuc ſuper eos advenerat ſpiritus, quibus poſteà omnem cupiditatem terrenam abſumpſit; permiſit autem hoc Chriſtus, quia tali occaſione talem cupiditatem reprehendit, & ad altiora eos extulit, unde eis dixit, neſcitis quid petatis; per quod oſtenditur quàm indigna, & turpis ſit ambitio, & cupiditas honorum, & dignitatum terrenarum, & maximè in diſcipulis ſequentibus Chriſtum, perſoniſque Deo dicatis, quod & ipſe Chriſtus oſtendit exemplo, quando evaſit manus illorum, qui ipſum in Regem eligere volebant, fugit autem non proſe, ſed pro nobis, ut ſcilicet addiſceremus quantæ temeritatis ſit aſpirare ad honores; honor enim mundanus eſt captio, & occaſio majorum laqueorum, & ſubjectionis graviſſimis oneribus; vix enim fieri poteſt, quòd qui delectatur honore, in periculo, & præcipitio magno non ſit, vel quod pejus eſt, jam præcipitio colliſus ſit. Vide autem qualia pericula, & præcipitia: primò enim, quia animus, qui delectatur honore etiam ſollicitus eſt, quomodo ipſum conſervet, & augeat, & ob id ſemper à ſuperno amore plus disjungitur; ſecundò ad id aſſequendum ſollicitus eſt habere ſocios, amicos, complices, qui ipſum coadjuvent in qua ſollicitudine ſæpè contingit multa facere contra Deum, & conſcientiam; tertiò quia æmulatur habentes, & detrahit eis, ut magis honoratus remaneat, & ſic in odium, & invidiam labitur: quartò quia ſe putat honore dignum, ſicque cadit in elationem, & ſuperbiam; quintò quia non ſecundùm ſpiritum, ſed ſecundùm carnem ambulat: ſextò quia inſatiabilis redditur, & difficillimè ſanari poteſt, ideo meritò dictum eſt à Chriſto his cupidis, neſcitis quid petatis. *Luc.c.*19.*v.*11. *Pſ.*50. *ſer.*2. *de S. Jacobo in addit.*

38. *Studium, & ſollicitudo ambitioſorum iterum expenditur.*

Acceſſit ad Jeſum mater filiorum, &c. adorans, & petens aliquid ab eo. Vide quomodo iſta mulier, ut petat honorem, flectitur, & adorat: & meritò quidem, nam ſumma cum reverentia, atque adoratione ad Chriſtum accedere oportet; verum quidem hoc eſt, ſed attende ad artes, & technas diaboli, & ambitioſorum, imò attende ſtultitiam ipſorum; nam ut honores aſſequantur millies adorant, & priùs ſe in captivitatem tradiguni; Vide quomodo ambitioſus undique circuit, ſedulus exploratur, blanditur obſequenter, ſimulat, & diſſimulat, miſeraque ſibi ſuffragia mendicare non erubeſcit, manibus & pedibus repens, ſi quomodo tandem ſe ingerere queat in patrimonium Crucifixi; ô ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places. *Opuſc. Phar. lib.*1.*c.*24.

39. *Oratio petens nociva, & indiſcreta non exauditur à Deo.*

Acceſſit, &c. neſcitis quid petatis. Vide quomodo iſta mulier, & duo diſcipuli Chriſti ab ipſo non fuerunt auditi, vel exauditi, ſed potiùs repulſi, & rejecti: cur hoc? quia eorum oratio fuit deficiens, & potiùs vitioſa, illa enim oratio, quæ non ordinatur ad ſalutem animæ, vel mediatè, vel immediatè, Deo non eſt accepta. *Op. de Prof. Religioſ. lib.*2.*cap.*71. *Pſal.*65. & 43. & 118. *cap.*10. *verſ.*3.

40. *Uſura ſpiritualis Deo exoſa.*

Dic ut hi duo filii mei, &c. neſcitis quid petatis, poteſtis bibere calicem, &c. Quomodo verum eſt, quòd neſcirent quid peterent? nonne bona erat eorum petitio velle ſemper ſocios eſſe Chriſti ſive in hac, ſive in altera vita? Sed attende ad interrogationem Chriſti, poteſtis bibere calicem, &c. & copula hæc verba cum aliis ſupradictis de Petro volente permanere cum Chriſto in monte gloriæ, de quo dictum eſt, neſciebat quid diceret, nam diſcipulus ſimulatus, non verus Chriſti eſt qui, ſicut uſurarius vult eſſe illius ſocius, cui mutuat pecuniam in lucro, non in damno, ſic multi vellent ſequi Chriſtum in proſperis, & non in adverſis, vellent cum Chriſto regnare in Cœlo: ſicut filii Zebedæi, & non cum ipſo certare in ſtadio, unde meritò iſtis dicitur, neſcitis quid petatis. *Opuſc. Diet. tit.*2. *cap.*1.

41. *Sine calicis Chriſti hauſtu non pervenitur ad ſedes regni.*

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Mira res, ſedes regni petitur, & calix exhibetur, quis calix? calix, quem Chriſtus ipſe bibit, unde miranda eſt aliter ſentientium ſtultitia, quia ad gloriam nemo pervenit, niſi per pœnam, & ſi Deus Pater nec Filio ſuo, nec dilectis amicis, & conſobrinis, nec cæteris diſcipulis, nec aliis Sanctis dedit ſedem regni ſine calice ſupplicii, quomodo miſeri peccatores, ſine pœna ad gloriam, ſine calice ad ſedem regni volunt pervenire? horum autem præſumptiones reprehendens

Dominus

Digitized by Google

Dominus ait, Jer.40. Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, qui enim nolunt cum Chriſto bibere in hac vita calicem cum felle, & vino, ſcilicet amaritudinem cum conſolatione divinæ gratiæ, bibent in inferno fel ſerpentum ſine ſpe alicujus refrigerii æternaliter. *Serm.1.de nno S.Mart.in addit.*

42. *Caliris, quem exhibet Chriſtus, qualitates digniſſimæ expenduntur.*

Poteſtis bibere calicem: quem? *quem ego bibiturus ſum?* ait Chriſtus; ſi hoc, quis eſt, qui poſſit ad hoc pervenire? ſcilicet ad ſuſtinendam Paſſionem, quam Chriſtus toleravit? proh dolor, quiſquis eſt, qui valeat Chriſtum perfectiſſimè imitari? Sed attende ad pietatem Dei noſtri; vult quidem, ut bibamus calicem amarum, ſed ne tanta amaritudo nos deterreat, ecce quod temperat ipſam cum cœleſti ſacchato, & melle, addens, quem ego bibiturus ſum, quid eſt hoc? hic autem ad talem amaritudinem ſuperaddidit amoris, & ſuæ imitationis dulcedinem, quo ipſam temperaret, & dulcis ipſis bibentibus redderetur, ſicut enim vinum, quod de ſe eſt fortè acetoſum, & durum tranſeundo per ſpecies aromaticas, & gariophillos, fit dulciſſimum nectar, ſic tribulationes mundi dulceſcunt, ſi per memoriam Paſſionis Chriſti tranſeant, fiuntque vinum condîtum, & nectar ſuaviſſimum, quod Chriſtus ſuis dilectis propinat *Op.Diet.tit.2.c.1.& tit.7.c.7.& tit.10.c.3.ſer.4. de plur.Mart.*

43. *Qui in hac vita recuſant bibere calicem tribulationis cum Chriſto ad gloriam, bibent illum in inferno cum amaritudine æterna.*

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Vide, & audi, ô homo, quid tibi inceſſanter proponit Chriſtus pro ſalute tua; hoc enim eſt proprium Chriſti proponere, & exhibere in hac vita de ſuo calice bonis, & malis, bonis ut amicis, ut bibant cum amaro liquore tribulationis dulcedinem, quam cum ipſa miſcet; malis verò, ut Medicus infirmo ut ad vomitum confeſſionis perducat, ne in alia vita in inferno cogatur bibere æternaliter vinum furoris ejus. *Ser.1. de nno S. Mart. in addit.ſer.2. Dom.16. Penteс. ſer.1. in Penteс. Luc. c.22.v.2.*

44. *Amore, & conformitate voluntatis cum Chriſto bibatur calix Chriſti.*

Poteſtis bibere calicem; quem ego bibiturus ſum? dicunt ei poſſumus. Nota hic quantum cum Chriſti voluntate conformes fuerint iſti diſcipuli nam poſt petitionem ſedium regni; audientes Chriſtum ipſis proponentem calicem tribulationum, paſſionis, & crucis, ſtatim, ut ejus voluntatem audierunt; recuerunt, & illas amplius non petierunt; hæc autem conformitas voluntatum maximè probatur per amorem. & ideò ſtatim promptos ſe exhibuerunt, dicentes poſſumus, ideſt volumus, quod tu nobis offers; poſſumus tuo auxilio, & gratia, & te duce præeunte exemplo, & hæc ratio, quare paſſio expeimitur nomine calicis, quia ſolùm à volentibus bibitur. *Sermon.1. de S. Iacobo. Luc. cap. 22. verſ. 42. ſermon. 2. de S. Andrea.*

45. *Calice Paſſionis pervenitur ad calicem Euchariſtiæ, & per iſtos ad ſedes regni.*

Poteſtis bibere calicem; quem ego bibiturus ſum? Quis calix iſte eſt, quem Chriſtus bibit? calix eſt duplex; calix Paſſionis, & calix Euchariſticus; hos calices ſuis in hac vita, exhibet Chriſtus, ut per ipſorum ſumptionem perveniant ad ſedes regni, ſcilicet ad bibendum in Cœlo calicem beatitudinis æternæ; & tunc dilecti Chriſti ſedebunt ad dexteram, & ad ſiniſtram Chriſti, ſcilicet introducentur ad contemplandam divinitatem, & humanitatem ejus in ſæcula ſæculorum. *Ser.1. de nno Mart. in addit.ſer.3.Dom.4.Paſcha. Ioan. c.18. verſ.12.*

46. *Amor Dei tollit omnes difficultates, & aſpera facit levia*

Dicunt ei poſſumus. Quid eſt, quod dicitis, ô beati diſcipuli? Poſſumus? ergone tantùm vobis, & veſtræ poteſtati arrogatis? ô digna reſponſio, & propria diſcipulorum Chriſtum amantium, ubi enim eſt amor, ibi nulla difficultas viget; amor enim Dei ſic ligat voluntatem ſua dignitate, & jucundâ alliciențiâ, ut nihil pœnæ ſentiat, qui cervicem ſuam ſuppoſuerit ad jugum Chriſti ſuaviſſimum ſuſtinendum, humiliat alta, liquefacit dura, illuminat obſcura, conſolidat mollia, reſtringit fluida; dirigit deviantia, clarificat metalla, & ignit frigida, & potentes animas facit ad tolerandum omnia adverſa. *Op. myſt.Theol.c.2.p.2. Op.de ſeptem donis c.1.* Undè mirum non eſt, quod iſti diſcipuli tam promptè reſponderent, Poſſumus; quaſi dicat poteſtis animi affectus fræno cohibere? poſſumus; poteſtis opprobria pro Chriſto omnia tolerare? poſſumus. *Omnia poſſumus in eo, qui nos confortat. Phil. cap.4.*

47. *Vbi eſt acceptio perſonarum, ibi omnis confuſio.*

Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus. Addit S. Lucas c.22. quod *facta eſt contentio inter ipſos, quis eorum videretur eſſe major?* Vidè quid efficit in congregationibus ſacris vel minima umbra acceptionis perſonarum; cùm enim duo conſobrini Chriſti peterent primas ſedes à Chriſto, licèt ab ipſo repreſſi, hæc tamen audientes diſcipuli indignati ſunt contra eos, & hinc orta eſt quæſtio de majoritate inter ipſos, nec mirum hoc, licèt enim eſſent diſcipuli Chriſti, erant tamen homines, & paſſionibus ſubjecti; caveant ergo Prælati maximè Eccleſiaſtici, ne conſanguinitate, vel amicitia, vel pecunia, vel odio pervertant judicium Chriſti, qui eſt juſtitia. *Op. Phar. lib.3.c.38.*

48. *Quinam Principes felices, quinam infelices.*

Principes gentium dominantur eorum; & qui majores ſunt poteſtatem exercent in eos, non ſic inter vos; &c. Ecce quomodo dulciter ut Pater retun-

d t contentiones diſcipulorum,docens,quòd licèt in mundo majores dominentur minor.bus,in foro tamen Eccleſiæ minores, ſcilicet humiliores ſuperſunt aliis: myſticè autem do.et, quod felices ſunt illi Principes, qui dominantur ſubd tis, non tamquam homini, ſed tamquam vicedomini, ſcilicet loco Dei, & ad imitationem ipſius beneficos ſe oſtendunt in eorum cura magis ſpirituali,quàm temporali, & ta es ſunt omnes, qui ſibi ipſis priùs dominantur exercendo ſe in aſſequotione virtutum,ſic enim Deo chari ſunt,& eorum miniſterium Deo charum exhibetur. *1ſ.118. 6.2.v.11.& 6.3.v.16.*

49. *In Prælatis qualis humilitas, & ſervitus à Chriſto exigatur.*

Quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter ſervus: ſicut filius hominis, &c. Nota, quòd hæc eſt lex, quam Chriſtus tradidit Eccleſiæ ſuper Prælatos, & dubium maximum ingerit; cum in Eccleſia videatur oppoſitum, nempè Prælatos dominari præcipuéque corrigere ſubditos.& locum primum tenere,recipereque ſervitia à ſubditis? ſed attende ad myſterium verborum; nam in his non intendit Chriſtus, ut à Prælatis gradus deferatur,vel ordo perturbetur, vel juſtitia omittatur, ſed ut privatus amor excellentiæ, & exiſtimationis ſui rerundatur, ſuſpendatur, & annihiletur:ſic enim Prælati exhibebunt ſe veros Chriſti imitatores per humiliationem in exteriori converſatione,ut correct onem ſubditis, & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina, ita tamen,ut diſtrictio non ſit nimis rigida, aut pietas nimis remiſſa: Vult autem Chriſtus,ut Prælati tales ſint ſervi, ut ſcilicet ſerviant ſubditis in iis,quæ faciunt ad cultum Dei,& ſalutem animarum, excitando eos exemplari converſatione, & humilitate & ſervent eos per cuſtodiam exactam à perſecutione Iuporum. *Luc.c.9. v.48.c.14 v.10. 6.9.v.33 6.12.v.16.Pſal.118.c.4.v.1.* Et hæc fuit ratio, quare Sanctus Pater Franciſcus voluit, ut Prælati in ſuo Ordine appellarentur nomine Miniſtrorum. *Op.Expoſ.Regula c.2.*

50. *Chriſti ſchola eſt ſolùm humilitatis, & ſubjectionis.*

Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam pro multis. Ecce quomodo in his paucis explicat Dominus Ieſus apertiſſimè curſum ſuæ vitæ, quid docuerit verbis, & exemplis, nempè humilitatem, & ſubjectionem,ſubjecit enim ſeipſum etiam ſervis diaboli, undè omnes lectiones, quæ traduntur in ſchola Chriſtiana, omnes de hac materia unica ſunt, ut doceat ſuis diſcipulis, quid amplectendum, quid reſpuendum. *Ser.2. & 7.Dom.1. Adv. ſer.4.Dom.3. Adv ſer.1.Dom.1.& 3. poſt oct. Paſche.ſer.1. Dom.Trinit.Luc.c.6.v.40.c.9.v.55.cap.10. verſ.40.*

51. *Paſſio Chriſti quoad ſufficientiam extenditur ad omnes homines quantum ad efficaciam ſolùm ad aliquos.*

Filius hominis venit,ut miniſtraret, & daret animam ſuam in redemptionem pro multis. Quomodo pro multis, & non pro omnibus? nonne mortuus eſt pro omnibus hominibus? ô attendant Chriſtiani proprium periculum: Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, & ejus paſſio ſufficiens eſt pro toto mundo, imò pro infinitis mundis, ſed quoad efficaciam non pro omnibus, ſed pro multis, nempè in illis tantùm efficaciter operatur, quantum fides operatur per dilectionem, & operibus reſpondent fidei: hoc eſt contra Hæreticos modernos qui ſuam ſalutem collocant in ſol. fide,etiam ſine operibus. *Ser.1.Dom.1.poſt oct. Paſche.Vide lib 3.d.19.a.1.q.2.ad argum. & d. 20. q.3.ad uls.& d.21.q.3.& lib.4.d.4 p.1.a.1.q.3. ad 1. & q.2.ad 3.*

52. *Cæcitas moralis generis humani expenditur.*

Et ecce duo cæci ſedentes ſecus viam, audierunt, quia Ieſus tranſiret, & clamaverunt dicentes, Domine miſerere noſtri fili David. Nota, quòd in his cæcis figurabatur genus humanum, quod redactum erat ad miſerabilem animæ cæcitatem, & ideò clamabant ad Deum, ut tandem veniret ad illuminandum omnes ſedentes in tenebris: cæcitas autem culpæ in anima eſt quatuor ex cauſis; ſc licet ex carnis voluptate, ſuperbiæ vanitate, rerum terrenarum cupiditate,& mentis infidelitate. *Ser.3.Dom.Quinquag.Luc.c.18.v.35.*

53. *Cæcitas, & ſtatus miſerabilis luxurioſorum expenditur.*

Duo cæci ſedentes ſecus viam. Nota, quod hoc competit maximè luxurioſis; nam carnis delectatio,mentem,quam inficit, obſcurat, ne videre inde luminis claritatem valeat, ſed undè inferiùs delectatur, inde caliginem ad ſuperna patiatur; dicuntur autem ſedentes ſecus viam, ideſt foris, non intus cum Angelis,& Chriſto,quia luxurioſi extra conſortium Chriſti,& Angelorum, & Sanctorum ejicientur, & contra iſtos dicitur Apoc. c 22. foris canes, nam non benè morantur inter Angelos. *Ser.3.Dom.Quinquag.Luc.c.18.v.35.*

54. *Cæcitas ſuperbiæ expenditur.*

Duo cæci ſedentes ſecus viam. Ecce alia cæcitas cauſata à ſuperbia, quæ ob id animæ evenit exinflatione, quæ claudit oculos, ne videant ſuum peſſimum ſtatum,& quàm abominabiles ſint Deo Angelis,& hominibus. *Ser.3.ibid.*

55. *Chriſtus venit aperire oculos cæcorum, & quomodo.*

Tetigit oculos eorum,&c. Ecce quid facit Chriſtus Redemptor, nam totus eſt in tangendo oculos, ut eos emundet à cæcitate: hocque facit quatuor modis.ſcilicet incarnatione, prædicatione,gratiæ inſpiratione,& tribulatione. *Ser.4. Dom. Quinquag.*

56.Peccator

Digitized by Google

56. *Peccator ſtans ſecus extra viam, veniat in viam, ut illuminetur, clametque ad Dominum in oratione.*

Ecce duo cæci ſedentes ſecus viam clamabant, Domine, &c. turba autem increpabat, ut tacerent, &c. Vide ſtatum miſerabilem peccatoris ſedentis in peccato extra viam Cœli, ſed in via inferni, datur autem intelligi, quod qui vult illuminari à Chriſto intret in viam à Chriſto oſtenſam; & ſicut iſti cæci quantò magis à turbis increpabantur, tantò magis clamabant, ſic nos in oratione licèt adſint turbæ cogitationum, & phantaſmatum impedientes, magis tamen clamare debemus: *Ser. 4. Dom. 4. Adv. Luc. c. 5. v. 19. & c. 18. verſ. 38. ſequent.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd hoc caput continet ingreſſum Chriſti in Ieruſalem ſedentis ſuper pullum, & aſinam; ejectionem vendentium è templo; maledictionem, & arefactionem ficûs, item parabolam vineæ.*

CAP. XXI.

2. *Expenditur ad litteram ingreſſus Chriſti in Ieruſalem in die Palmarum.*

Et cum appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent, &c. Pervenimus Deo favente ad hebdomadam illam, quæ ultima fuit in Chriſti vita mortali: cum igitur zelaret Chriſtus remedium mundo conferre, die dominica paravit ſe ad eundum in Jeruſalem novo, & inconſuero modo, ſed ſicut fuerat propheratum, miſit igitur duos de diſcipulis ſuis, ut ſibi adducerent aſinam, & pullum ejus, alligatos in loco publico, ſic priùs aſcendit ſuper aſinam, & parum poſt ſuper pullum, ſuper quos diſcipuli veſtimenta ſua poſuerunt; & ſic equitabat Dominus mundi: Conſpice quòd cum Chriſtus digniſſimus eſſet omni honore, tamen tempore honoris talibus dextrariis, & phaleris uſus eſt, quo modo vituperavit honorabilem pompam mundi; cum autem turbæ ſciverunt hunc ingreſſum, obviam Domino ivetunt, & ut Regem cum laudibus, & canticis, cum veſtium ſuarum, & ramorum arborum ſtratione, ac lætitia magna ſuſceperunt eum: immiſcuit autem Jeſus Chriſtus cum iſta lætitia fletum ob excitatem civitatis Jeruſalem, & imminentem ejus ruinam: conſpice item quàm parum de mundano honore curandum ſit, cum in eadem civitate non fuerit inventus aliquis, qui eum etiam ad bibendum invitaret, unde tota die ipſe, & ſui jejunaverunt, & ſero cum eis Bethaniam rediit. *Op. medit. c. 71.*

3. *Pœnitentia appropinquare facit ad nos Chriſtum Ieſum.*

Et cum appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliveti; addit S. Lucas *& ad Bethaniam, miſit duos diſcipulos.* Nota, quòd volens ingredi in civitatem Jeruſalem cum triumphali honore, priùs inceſſit Chriſtus in Bethaniam, ad Bethphage, in montem oliveti; quod non caret myſterio; in Bethania, ubi fuit in pedibus unctus à Magdalena in convivio Phariſæi, venit hinc ad Bethphage, quæ eſt viculus, ubi Sacerdotum pecora paſcebantur, eratque in monte oliveti. Bethania interpretatur domus obedientiæ, Bethphage domus buccæ, ſeu oris, datque intelligere, quòd qui pœnitentiam ſuſcipit, peccatorum confeſſionem, ad ſe appropinquare facit Chriſtum. *Luc. c. 19. v. 29.*

4. *Chriſtus, ut Paſſionis, & Redemptionis myſterium impleret, voluit priùs intrare in Bethaniam; ubi de obedientia.*

Et cum appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent Bethphage, & Bethaniam, &c. Nota, quòd antequam Chriſtus ſe traderet in manus inimicorum, voluit intrare in Bethaniam, ſic S. Lucas; & poſteà Bethphage, & inde ad montem oliveti, &c. cur hoc? cur priùs in Bethaniam? Sed notandum, quòd Bethania interpretatur domus obedientiæ, per hocque dat intelligere, quod antequam arriperet opera Redemptionis, in domo obedientiæ voluit ſe recipere; ut hac virtute dirigeret omnia ſua opera, & tandem ad crucem aſcenderet, & de cruce ad Patris gloriam, ut de ipſo poſſet dici, Chriſtus factus eſt nobis obediens uſque ad mortem crucis, propter quod Deus exaltavit illum, in qua obedientia ita ſe perſeverantem reddidit, quod potiùs voluit perdere vitam, quàm obedientiam. *Opuſc. Diet. tit. 4. cap. 2. Luc. cap. 19. verſ. 30.* Diſcere hinc nos debemus, quòd ſi volumus ad nos attrahere Chriſtum, debemus intrare in Bethaniam; ſcilicet in domum obedientiæ, & Religionis, & ibi morati. *Luc. ibid. & cap. 24. v. 50. ſermon. 2. Dom. 2. Pentec.*

5. *A monte Oliveti, ſcilicet ſummâ miſericordia ad montem Calvariæ, & ad crucem Chriſtus aſcendit.*

Et cum veniſſent ad Bethphage ad montem Oliveti, &c. Vide iterùm, quòd Chriſtus priùs voluit aſcendere ad montem Oliveti, in quo monte eſt Bethania, & domus Magdalenæ, & Lazari, & Bethphage, ſcilicet alius viculus, quo facto oſtendit Chriſtus, quòd cum adveniſſet plenitudo temporis, in quo completurus erat Redemptionem, voluit aſcendere priùs in hunc montem; & poſteà traditus in manus Judæorum aſcendere ad Calvariæ locum, & ad crucem, ut ſe oſtenderet montem olivarum, montem chriſmatis, montem miſericordiæ, & ob id advenisſe Medicum, ut feſſis, dolentibus, & infirmis hominibus levamen afferret oleo ſui ſanguinis. *Luc. c. 19. v. 30. Ioan. c. 8. v. 1.*

6. *Chriſtus*

6 *Chriſtus etiam in ſumma humilitatis actibus ſe Dominum omnium rerum oſtendere ſemper voluit.*

Miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite, &c. & invenietis aſinam, &c. & dicite, quia Dominus his opus habet, &c. Nota, quod iſta aſina cum pullo ſervabatur in loco publico ad uſum, & miniſterium pauperum, qui eis utebantur ad propria ſervitia; His voluit uti Chriſtus in ſuo triumphali ingreſſu in Jeruſalem; ſed cur voluit uti his jumentis; & non potiùs recurſum fecit ad Magdalenam, & Lazarum, ut ſibi aliquod jumentum providerent? Nota quòd hoc fecit, ut ſe oſtenderet Dominum omnium rerum; & hinc præcepit diſcipulis, ut renuentibus dicerent, quia Dominus his opus habet: cur Dominum ſe appellat illorum jumentorum, ſi dominium erat omnibus commune? ſed tamen id non eſt mirum, quia licèt in actibus humiliatis totus ſemper eſſet, tamen etiam Dominum omnium rerum abſolutum ſe eſſe oſtendere volebat, ut quidquid habemus ab ipſo recognoſcamus. *Luc. cap. 19. verſ. 3.*

7. *Miſſio diſcipulorum facta à Chriſto ad converſionem mundi expenditur: ubi de charitate, & obligationibus Prædicatorum.*

Miſit duos diſcipulos in civitatem dicens eis, ite in Caſtellum quod contra vos eſt, & invenietis aſinam, &c ſolvite, & adducite mihi: Ecce quid connectit cum operibus Redemptionis Chriſtus Jeſus? ſcilicet miſſionem duorum diſcipulorum ad ſolvendum jumenta; quid eſt hoc? quid myſterii latet in hoc facto? hoc eſt: in miſſione duorum diſcipulorum figurabatur miſſio univerſitatis omnium ſuorum diſcipulorum, & Prædicatorum, qui ad hoc vocati ſunt à Chriſto, & miſſi tamquam coadjutores, & cooperatores fructui Redemptionis humanæ: duos autem miſit ad commendationem charitatis geminæ Dei, & proximi, ut ipſam in ſe haberent, & imprimerent in corda auditorum, & ſic per doctrinam, & exemplum vitæ converterent duos populos ad Chriſtum, ſcilicet Judaicum ſignificatum in aſinam, & Gentilem in pullo: Ite igitur, ait Chriſtus, ô diſcipuli mei, ſcilicet velociter, inſtanter, religioſe, & libenter in mundum, qui contra vos eſt, ideſt contrarius veſtris legibus, ſolvite peccatores à vinculo culpæ, & adducite mihi. *Luc. c. 19. v. 30 ſeq.*

8. *Chriſtianorum vita contraria vitæ mundanorum.*

Ite in caſtellum, quod contra vos eſt. Quodnam eſt hoc caſtellum? & caſtellum contrarium? & ſi eſt civitas Jeruſalem, quæ erat immenſæ magnitudinis, cur caſtellum vocat? hoc eſt, quia Jeruſalem erat civitas diminuta. & in tranſgreſſionibus mandatorum Dei veluti ſepulta, & ſignificabat mundum, in quo diminutæ ſunt veritates à filiis hominum, ſcilicet veritas vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ, & ob id in eo fit continua impugnatio contra Deum erroribus, fictionibus, voluptatibus, & hinc dixit Chriſtus, quod eſt contra vos, ſcilicet diſſimili converſatione; Ite, ait, veluti mei diſcipuli, & Doctores in mundum vobis contrarium, & indocta, ac barbara totius orbis latera quaſi contra poſiti caſtelli mœnia evangelizando penetrate; & invenietis mundum perfidiæ vinculis irretitum, liberum, & laſcivum, ſolvite miſeros peccatores, & adducite, per quod oſtenditur quod vita vera Chriſtiani contraria eſt vitæ mundanorum; undè qui vult eſſe ſequax Chriſti, imm cus neceſſariò fiet mundo, & amatoribus mundi. *Luc. c. 19. cit.*

9. *Verus Chriſtianus uni Deo ſervit, mundanus multis Tyrannis.*

Et ſi quis vos interrogaverit, quare ſolvitis, dicite, quia Dominus operis ejus deſiderat, & ſolventibus pullum dixerunt Domini ejus ad illos, quid ſolvitis pullum ejus Nota myſterium verborum, ô lector: Chriſtus volens uti miniſterio jumentorum, ſe appellat Dominum: ſolventibus autem illum diſcipulis, inſurgunt plures Domini, ſic apud Lucam: ſi Chriſtus eſt verus Dominus, quomodo in medium afferuntur plures alii Domini? dixerunt Domini ejus: & quot erant iſti Domini, ô perbellum, & pulcherrimum myſterium; Dum peccator ſolvitur à vinculo peccati, & ad Chriſtum adducitur, unum Dominum acquirit, & uni Domino inſervire tenetur, dum modo ſervit plures Dominos habet; & qui ſunt? Domini iſti erant omnes habitatores Caſtelli: ſuntque avaritia, ſuperbia, luxuria, ira, & cætera vitia: ſunt & immundi ſpiritus, quibus cogitur peccator ſervire: ô quanta differentia inter iſtos Dominos, nam Chriſtus unus eſt, & habitans in monte oliveti, totus plenus pietate, miſericordia, liberalitate, unde ſi Chriſtus, vel ejus miniſter manum mittit ad ſolutionem iſtorum miſerorum captivorum ſtatim contra inſurgunt, reſiſtunt, & obſtacula ponunt gratiæ Dei clamantes, quid ſolvitis? quid facitis? Clamat avaritia auribus avari, quid facis? nonnè hoc eſt in extremam pauperiem devenire? Clamat luxuria, quid facis? quomodo poteris reſiſtere tot tentationibus; & diù ſine aliqua voluptate vivere, & ſic de ſingulis; ô nimis verum. *Luc. cap. 19. verſ. 30 & 34. Vide dicta ſuprà ad caput 15. num. 54.*

10. *Chriſtus ſolvit, ut teneat, & liget: diabolus, & mundus ligat, ut diſſolvat.*

Solvite, & adducite mihi, quid ſolvitis. Nota hîc aliud dignißimum, & moraliſſimum myſterium: Chriſtus præcipit ſuis miniſtris, ut ſolvant jumenta ligata, ad quid hoc? quia Dominus his opus habet, ſcilicet quia Chriſtus eorum miniſterio vult pro libito uti, quia vult ſuper ipſos equitare, & equitando ducere quò magis ei libuerit; & ſi hoc, quomodo dicit ſolvite, & non potiùs ligate jumenta, & ſic ligata ducite mihi, ut ſic ipſis ligatis fune, & fræno utar? Vide ulterius quod diſcipulis manum extendentibus ad ſolutionem jumentorum ſtatim inſurgunt contradictores, quid ſolvitis, intendentes prohibere dictam ſolutionem: ô, ô, vide animæ quale ingenium, qualis mos, & pietas Domini Jeſu in ſuos: vide e contra qualis tyrannis mundi, & diaboli in hominem; nam ut dicebat *S. P. Chryſol.*,

Chryſol. Chriſtus ſolvit, ut teneat, vult ſuos ſolutos vinculis diaboli, & aliis dulcioribus, ſcilicet præceptorum ſuorum ligatos. quæ vincula ſunt aurea, mellea, & dulciſſima donantia veram libertatem filiorum Dei; è contra mundus, & diabolus vult ſuos expoſitos foris, liberos, ſcilicet in viis perditionis libere ambulantes, & ſic ſimul ligatos vinculis ferreis, & ſic alienos à vinculis gratiæ. *Luc. ibid. ſer. 3. Dom. 3. Adv. ſer. 2. & 3. Dom. 11. Pentec.*

11. *Homo jumentum vel Chriſti, vel diaboli.*

Ite in caſtellum, &c. & invenietis aſinam, & pullum cum ea ſolvite, & adducite mihi. Vide hîc quomodo iſta jumenta, dum erant expoſita libertati populi, erant ligata, dum ad Chriſtum adducuntur, ſolvuntur, quid myſterii latet hic? Ecce quale: Homo neceſſariò vel eſt in peccato mortali, vel in gratia Dei, & ideò neceſſariò vel eſt jumentum diaboli, vel Chriſti, dum ſuper ipſum inſidet diabolus (per peccatum enim mortale poteſtatem ſuper ipſum accipit) tunc ligatus eſt in anima, in collo, in pedibus, in manibus; imò in toto homine, ne poſſit in bonum meritorium exire, imò ſic poſſeſſus à diabolo, & ligatus ducitur ab ipſo de abyſſo in abyſſum, donec præcipitet in infernum: Chriſtus autem volens tali jumento uti jubet, ut ſolvatur, quia ſuper aſinum ſic ligatum nunquam ſedit; ſolvendus eſt ergo in confeſſione, ſolvendus eſt penitus, ut Chriſtum portet, adducendus eſt ad Chriſtum per manum Apoſtolicam in via mandatorum, veſtimenta ſunt ei imponenda exemplorum ſanctorum, & tunc Chriſtus ſuper eum ſedebit in dilectione Dei, & proximorum, ô ſeriò deſiderabilis, & placabilis. *ſer. 2. in die S. Luc. in addit ſer. 2. & 3. Dom. Palm. ſer. 3. Dom. 15. Pentec.* Nota autem, quod aſinus crucem habet in ſcapulis, ſic homo debet ſemper eſſe paratus crucem ferre, undè ſicut aſinus quantò plus percutitur & plura ſibi vituperia dicuntur, tantò melius portat; ô utinam & nos eſſemus aſini Chriſti, qui quantò plus tribulantur, tantò libentiùs portant crucem, & obedientiam. *Ser. 23. Hexam.*

12. *Prælatorum, & Prædicatorum debitum eſt abducere jumenta ſoluta Chriſto.*

Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, invenietis, &c. ſolvite, & adducite mihi. Cur Chriſtus miſit ad hoc miniſterium diſcipulos? iſtos fuiſſe dicunt aliqui Patres Petrum, & Philippum: cur non potiùs aliquem ex famulis Mariæ, & Marthæ? ſed hoc fuit ad indicandum myſterium, ſcilicet obligationem, quâ oneravit diſcipulos ſuos Chriſtus, & ipſorum ſucceſſores, ſcilicet Prælatos Eccleſiarum, & Prædicatores, quibus inceſſanter intonat auribus Chriſtus, Ite in caſtellum, quod contra vos eſt; Ite ad curam animarum in mundo, totum veſtrum ſtudium ſit in ſolvendo animas à diabolo ligatas, in adducendo eas Chriſto per confeſſionem peccatorum, & converſionem perfectam, & hoc eſt, quod intendit Chriſtus, ſcilicet ſalus animarum. *in locis cit.*

13. *Triumphus Chriſti in hoc ingreſſu in Jeruſalem, & ante crucifixionem expenditur; ubi de humilitate, & deſiderio patiendi.*

Et adduxerunt aſinam, & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & cum deſuper ſedere fecerunt: plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua, &c. Vide qualitatem triumphi Domini noſtri Jeſu Chriſti in hac die facti; cæteri enim Reges poſt ſuperatos hoſtes, noſter autem certamen unitum triumphat; cur hoc triumphat, quia ſe Deum, & Regem univerſorum voluit demonſtrare, quia voluntarius, & non invitus ad mortem, & quomodò, & quando voluit pervenit, quia ad crucis mortem triumphando voluit incedere, in quo triumpho quadrupliciter voluit honorari, nempe ſuper aſinam inſedendo, per veſtimentorum proſtrationem, per ramorum projectionem, & per clamorem, & acclamationem puerorum, & turbarum; voluit autem tali modo inuſitato Rex noſter Chriſtus, Rex humillimus demonſtrare exempla humilitatis, & inopiæ: ſic dicitur *Zach. 9.* Ecce Rex tuus venit tibi juſtus, & ſalvator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam, hinc ut deſtrueret ſuperbiam primi hominis, noluit venire faſtuoſus in curribus, & equis faleratis, ſed humilis, & manſuetus aſcendens in hac die Palmarum ſuper aſinam contemptibilitatis, ut hominem terrenum revocaret ab amore terrenorum, & ad amorem Dei provocaret, noluit venire pompoſus in divitiis, & lapidibus pretioſis, ſed pauper, & egenus; ut ſic per ſuam humilitatem deſtructa omnis ſuperbia, & per ſuam pauperitatem omnis malitia mundi cognoſcatur; ô Chriſtiane, qui es membrum hujus capitis, erubeſce, & fuge, & abominare ſuperbiam, & honores mundi, alioquin monſtruoſa res erit, ſi pes non vult ſubjici capiti, ſed ei præponi: ſurge igitur ô anima ſalvatoris ancilla, & tamquam una de filiabus Jeruſalem intuearis Regem Salomonem in honore, quem ſibi mater ſynagoga in Eccleſiæ naſcentis myſterium reverenter exhibuit, ut inſidentem aſelli tergo, Cœli terræque Dominum veluti cum ramis olivarum, atque palmarum pietatis operibus virtutumque triumphis jugiter comiteris. *Ser. 2. Dom. 1. Adv. ſer. 1. & ſeq. Dom. Palm. Luc. c. 19. op. lignum vitæ.*

14. *Hebdomada majoris, & ſancta myſteria enodantur.*

Et adduxerunt aſinam, & pullum, &c. & eum deſuper ſedere fecerunt, &c. Nota, quod iſte triumphus à Chriſto celebratus fuit dominicâ die hebdomadæ ultimæ ſuæ vitæ, quia in ſexta feria crucifixus eſt; Quærit S. Joan. Chryſoſtomus cur apellatur hæc hebdomada major, vel ſancta? & reſpondet, quia magna quædam, & ineffabilia bona contigerunt nobis in illa; in illa enim ſolutum bellum diuturnum, extincta mors, maledictio interempta, diaboli tyrannis diſſoluta, vaſa ejus direpta: Deus hominibus reconciliatus eſt, Cœlum penetrabile factum eſt; Angeli hominibus convivunt, Deus pacis pacifica fecit omnia, quæ in Cœlis, & quæ in terris, & ideò magnâ hebdomadam vocamus, quia tantam bonorum multitudinem nobis Dominus largitus eſt, & ideò omni celebratione

bratione dignam,magnaquè humilitate, ſanctitate,& pœnitentia tranſigendam:In hac maximè & jejunii curſus intendendus,& magis continuandæ ſunt preces faciendaquè diligens , & pura confeſſio peccatorum, & in bonis operibus ſedulitas eleemoſyna larga , æquitas , manſuetudo , aliæque virtutes exercendæ, pernoctationes, & vigiliæ præ ſolito , & præter ſolitum , pietatem colendo, modeſtiam exhibendo , humilitatem ſectando , induendo gravitatem , Chriſtoquè patienti compatiendo . quis igitur tam malitioſus, tam obſtinatus, què in his diebus non pœniteat: ſic Chryſoſtomus , Bernard. Epiph. aliique Patres:Et hinc eſt ait S.Bon.quòd Eccleſia peculiaribus myſteriis, ritibus, & cæremoniis , & maximè ſacrâ proceſſione exeundo proceſſionaliter extra Eccleſiam incipit celebrationem hujus ſacræ hebdomadæ , ut interea fideles omnes ad exuendum ſpeciali modo à peccatis , & ad colligendam animam intra ſe ad orationem , & contemplationem horum myſteriorum,& ad exhibitionem honoris , & magnificentiæ Chriſto Jeſu noſtro Redemptori excitentur. *Ser.1.Dom.Palm.*

15. *Triumphus ſpiritualis Chriſti nunc exiſtentis in Cœlo in ſalute animarum: Ubi de oratione quadraginta horarum,aliiſque ſacris functionibus hebdomadæ majoris.*

Cum appropinquaſſet Jeſus Jeroſolymis &c. miſit duos diſcipulos &c. ſedenſque ſuper aſinam &c. Eccleſia Catholica exiens proceſſionaliter hâc die Palmarum repreſentat triumphum , & gloriam imperialem Chriſti Jeſu, quo procedens ad Paſſionem , & ad crucem intravit in Jeruſalem; ſed myſticè magis repreſentatur triumphus Chriſti , ejuſque lætitia pro ſalute animarum , aliiſque piis operibus , in quibus fideles in tota hac hebdomada ſe fideliter exercent ; nam maximè honoratur Chriſtus, & magis in converſione, & ſolutione peccatoris à vinculis peccati , in proſtratione veſtimenti animæ , ſcilicet in expoſitione corporis mortificationibus , pœnitentiis, diſciplinis, aliiſquè pœnalitatibus pro Chriſto ; in ramorum viridium portatione, ſcilicet in operibus bonis ex charitate factis ; in clamore puerorum , & turbarum Hoſanna benedictus , qui venit in nomine Domini , ſcilicet in benedictionibus laudum , & oratione in ore. *Ser. 1.& 2. Dom. Palm.* His addimus, quòd cum à Patre Joſeph Mediolanenſi Capucino , anno 1516. circiter , viro doctrinâ ſpiritu Chriſti , exemplari vitâ, & prædicatione , toti Italiæ celeberrimo, inſtituta fuerit pia oratio quadraginta horarum in memoriam temporis , quo Chriſti corpus jacuit in ſepulchro , quod exercitium à tota Religione Capucinorum amplexatum eſt , & principium hujus hebdomadæ majoris à Prædicatoribus ejuſdem Religionis deputatum eſt dictæ orationi, in qua per totidem horas Sacra Euchariſtia publicè in Eccleſia exponitur , & Chriſtiana plebs pœnitentiæ Sacramento à culpis expiata,ac ſacro Domini corpore refecta , quo ad Dei dona capeſcenda aptior fiat ; qui uſus poſtea per totam Eccleſiam Catholicam diffuſus eſt . & per ſummos Pontifices gratiis , indulgentiis ; ac indulgentiis celebratus,& canonizatus eſt ; Pium equidem opus, quo piis , ac brevioribus ſermonibus per ſingulas horas diſtinctis concionatores proſequi ſolent , & in quo convenientes populi cum diverſis externis mortificationibus mirum eſt quàm copioſa gratia e Cœlo perfundatur , ita ut miræquotidiè inde peccatorum converſiones, & inſoliti ad pœnitentiam impetus erumpant, inveteratarumque ſimultatum odia , quæ alias nulla ratione , aut auctoritate cohiberi potuerunt hic ſolâ Dei virtute extinguantur , Quod ipſe quotidianus uſus iis præſertim concionatoribus, declarat , qui hujuſmodi ſermones nullo orationis fuco, aut rerum curioſitate comptos , ſed Dei tantum ſpiritu delibatos, ac ferventiſſimo animo conceptos ad pœnitentiam, & animarum lucrum componunt : & ſic cum hoc tam ſalubertimo, & ſanctiſſimo opere excitantur fideles ad celebrandum nobiliſſimum Chriſti triumphum hujus hebdomadæ majoris , quod tempus magis aptum eſt, quam in quocumquè alio vel quadrageſimæ vel anni tempore.

16. *Chriſtus non ſedet ſuper jumentum niſi coopertum veſtimentis Apoſtolorum.*

Et impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua , & eum deſuper ſedere fecerunt. Cur voluit Chriſtus , ut jumenta regerentur veſtimentis Apoſtolorum, cur non ſedit ſuper ea nuda ? ſed attende ad myſterium ; per aſinam intelligitur populus Judaicus, per pullum Gentilis , & per utrumque peccator aſinus, cui inſidet diabolus , ut ergo Chriſto inſerviat , debet cooperiri veſtimento Apoſtolorum, ſcilicet non ſolùm ſolvi à peccatis per manum Apoſtolicam , ſed & cooperiri veſtibus ſanctæ converſationis,bonorum operum & exemplorum ſanctorum , ſic enim Chriſtus ſuper eum ſedebit , & ad cæleſtem Jeruſalem adducetur. *Ser.2.Dom.Palm.Luc.c.19.v.36.*

17. *Chriſti triumphus ad noſtram ſalutem ordinatus.*

Ecce Rex tuus venit tibi. Nota illam particulam demonſtrativam, Ecce,& tibi : Ecce prodigium admirabile , & quodnam ? Chriſtus Rex venit de Cœlo in terram, & ad quid ? venit tibi; nempè tota ratio triumphi Chriſti eſt ad tuam ſalutem ; Venit enim ſaliens in montibus , & tranſiliens eos, & colles , ſcilicet omnes ordines Angelorum , ipſorum naturam poſtponens , & aſſumens carnem noſtram appropinquavit nobis per naturam ; Venit autem tibi ſcilicet ſanare hominem infirmum per gratiam , reconciliare nos cum Deo per pœnitentiam, & tandem remunerare per gloriam ; Venit igitur pauper in aſſumpta natura, ſalvator in gratia,juſtus in pœna, ſcilicet ad patiendum, & Rex in gloria ; Venit autem miſſus auctoritate Patris, in actibus humilitatis ſe ſubjiciens, & cum Spiritus Sancti charitate illuminare mentem, & inflammare affectum; ergo ipſum aſſociemus, ipſum benedicamus, dicentes benedictus qui venit in nomine Domini. *Ser.6.& 7.Dom.1.Adv.*

18. *Qualiter Chriſto obviam ire debeat homo ; ubi de perſeverantiâ.*

Turba autem, quæ præcedebant , & quæ ſequebantur cum ramis palmarum,clamabant dicentes Hoſanna &c. Ecce quid tibi faciendum eſt ô homo,nempè non ſolùm veſtimentum corporis ſubjiciendo flagellis,

flagellis, ſed & cum ramis operum viridantium, ex charitate ; & ſimul clamandum in oratione, & laudibus divinis. *Ser.2. Dom. Palm.* Nota autem, quod cum ramis palmarum proceſſerunt turbæ : Palma autem, eſt ſignum victoriæ, ſignificatque perſeverantiam, ut videas, quòd non ſufficit bona opera facere, ſed requiritur perſeverantia, qua fides noſtra conſummatur in mundo, mens noſtra ſecura redditur in extremo, vita noſtra approbatur in judicio, & gloria noſtra augmentatur in Cœlo, perſeveret ergo nunc homo in bono, qui inter Angelos palmam vult habere in Cœlo. *Ser.4. Dom. Palm.*

19. *Fides antiquorum, & omnium noſtrum una eſt in mediatore Chriſto.*

Turbæ autem, quæ præcedebant ; & quæ ſequebantur clamabant Hoſanna, &c. Quid myſterii lateat in turbis, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur? cur non omnes vel præcedebant, vel ſequebantur? per hoc ſignificatur, quòd qui præceſſerunt Adventum Chriſti, ſalutem ſolùm per fidem ipſius poterant obtinere, ſicut & quæ conſequutæ ſunt, quia una eſt omnium fides de Chriſti humanitate, & divinitate, licèt magis explicita in conſequentibus. *Lib.3. d.25. dub.1. Ioan.c.8.v.53. Luc. cap.9. v.31.*

20. *Mundi gloria quàm vana, fugax, & brevis.*

Turbæ autem, quæ præcedebant, & ſequebantur clamabant Hoſanna, &c. Nota, quòd in hac die celebrantur ab Eccleſia maxima, & plura myſteria; & primò proponitur triumphus. quo Chriſtus receptus, & adductus eſt in Jeruſalem à populis, & turbis ipſum honorantibus, & acclamantibus tamquam Regem, Meſſiam, & ſalvatorem, clamabant enim Hoſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſraël, addit S. Lucas. *Pax in Cœlo, & gloria in excelſis.* In cujus memoriam Sancta Eccleſia proceſſionem ſolemnem ordinat ; ſed ecce quod ſtatim tranſit ad lectionem Paſſionis ferè in principio Miſſæ, ut videamus, quàm fugax, vana, & brevis ſit gloria mundi, & quàm inconſtas ſit mens hominum, nam impia Synagoga quod honoris hodie contulit Chriſto, ſtatim in die Veneris in dedecus convertit; nam pro floribus impoſuit ejus capiti coronam de ſpinis, pro ramis olivarum adaptavit crucem propriis humeris, pro veſtimentis in terra proſtratis, propria veſtimenta ſibi exuta in quatuor partes diviſit, pro laudibus blaſphemiis exprobravit. Vide igitur qualis ſit mundus, quàm infida mens hominum, cum poſt tantam gloriam, quaſi in eodem tempore, in eadem civitate, & ab eadem plebe ſubſecuta ſit ignominia opprobrioſæ Paſſionis : ô Munde proditor. *Serm.1. Dom. Palm. Luc.c.19.v.38.*

21. *Quinam Chriſtiani Chriſtum in Euchariſtia recipientes imitatores Judæorum.*

Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur clamabant. Cur notantur turbæ præcedentes, & ſequentes Chriſtum? Ut diſcamus, quòd non ſufficit præcedere, ſcilicet cum ſancta præparatione accedere ad receptionem Chriſti in Euchariſtia, niſi etiam ſequantur bona opera; unde notandum, quòd circa Communionem committitur peccatum tribus modis; primò cum quis ſtatuto tempore Communionem dimittit; ſecundò cum quis ſuo tempore communicans malè accedit : tertiò cum quis poſt Communionem à peccatis ſe non cuſtodit, & iste triplex malum incurrit, primò quia Chriſtum, quem ſuſcepit, ignominioſè à ſe expellit, nam turpiùs ejicitur, quam non admittitur hoſpes; ſecundò, quia talis ſimilitudinem Judæ gerit, qui poſt Communionem, ipſum tradidit : tertiò quia ordinem honeſtatis pervertit, venturo enim reverentiam exhibet & præſenti nullam, undè ſimilis eſt illis, qui cum ramis olivarum, & clamore feſtivo obviaverunt Chriſto, & ipſum poſtmodum crucifixerunt, ô nimis verum! *Op. Comp. Theol. lib.6. c.26.*

22. *Benedictus Chriſtus à nobis benedicendus : ubi de hac voce Hoſanna.*

Hoſanna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini, Hoſanna in altiſſimis ; legit S. Lucas. Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini, pax in Cœlo, & gloria in excelſis. Nota primò, quòd Hoſanna, eſt vox lætantis, vel obſecrantis magnum affectum magis indicans, quàm aliquam rem, vel ſecundùm alios ſignificat gloriam, vel redemptionem, vel ſalutificationem, quâ voce benedixerunt Chriſtum iſtæ turbæ, dicentes. *benedictus, &c.* Benedicitur autem non quia ex benedictione noſtra aliquid ſuperaddatur ei ; ſed tamquam ſummè bonus laudatur, benedictio enim, quæ fit in Deo, confeſſio ſola eſt ; & laudatio eorum, quæ præſtita ſunt : benedictio verò, quæ fit à Deo, in nobis impletur, dum de ejus beneficio implemur : benedicendus eſt autem à nobis Chriſtus Jeſus, quia venit, ſcilicet ob adventum in carnem, qui memorandus eſt propter nimiam dignationem, & humilitatem; ſecundò ob adventum in mentem, eſtque acceptandus propter nimiam dilectionem ; & tertiò ad judicium, eſtque præſtolandus à nobis cum digna præparatione ; hinc benedicendus eſt Chriſtus, quia venit propter pacem, & reconciliationem inter hominem, & Deum, & ad beatificationem juſtorum per gloriam. & hinc patet, quòd iſta laus eſt digniſſima humilitati Chriſti debita, & ideò ex ipſa cum laude Seraphim (quæ eſt laus Trinitatis) conſtituitur laus immediatè antecedens canonem Miſſæ etiam paulò antè conſecrationem Sacramenti Altaris, qua dicitur Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, &c. *Luc.c.19.v.38.*

23. *Chriſti operâ, prædicatio, miracula, aliis in bonum, aliis in malum.*

Commota eſt univerſa civitas dicens quis eſt hic? populi autem dicebant hic eſt Jeſus Propheta à Nazareth. Vide mirabilia hodie : Introivit Jeruſalem Chriſtus aſello vectus mirabili cum plauſu turbæ, & acclamationibus, univerſa verò civitas commota eſt, quomodò commota? commota, ſcilicet alii commoti ſunt ad iram, invidiam, & indignationem, alii

ad admirationem, alii ad curioſitatem, alii ad laudem, & venerationem; ſic quidem in mundo evenit; nam Chriſti opera aliis in ſalutem, aliis in perditionem ſunt, non propter Chriſtum, quia omnia ſua ordinata erant ad ſalutem, & profectum hominum, ſed propter malitiam hominum, unde de ipſo verificatur prophetia Simeonis. *Hic poſitus eſt in ruinam, & reſurrectionem multorum. ſermon.1. Dom. infrà oct. Nativitat. Luc. cap. 23. verſ.5.*

24. *Idem, & dicitur de expoſitione nominis Jeſus:* nam populi videntes tantam commotionem, quærebant, *quis eſt hic*, & turbæ reſponderunt. *Hic eſt Jeſus Propheta à Nazareth.* Ecce quomodo ad prolationem hujus ſanctiſſimi nominis, nec milites Romani accurrerunt, ut ſedarent commotionem, nec Pontifices, & Phariſæi ullam oppoſitionem fecerunt; & non eſt mirum, quia nomen ſanctiſſimum Jeſus, ſanctum, & venerabile bonis, terribile malis, & Dæmonibus, nec ulla virtus adverſaria poteſt ipſi reſiſtere. *Sermon. in Circumcif. opuſc. medit. cap. ult. Opuſc. de Quinque ſolemn. Jeſu.*

25. *Judicialis poteſtas Chriſti in ejiciendo prophanatores templi expenditur: ubi datur inſtructio Judicibus.*

Et intravit Jeſus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & menſas numulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit. Nota, quòd Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſummus Pontifex univerſalis Eccleſiæ, poſtquam ſuprà oſtendit ex facto habere poteſtatem regalem, & pietatem pontificalem, hic tertiò ſe oſtendit habere æquitatem judicialem, in quo tria introducuntur, ſcilicet æquitas Judicis, veritas juris, & enormitas, impietaſque ſceleris, & in his tribus oſtendit quaſi ſyllogiſticè ſe rectè judicare; propoſitâ enim veritate Sacræ Scripturæ, aſſumptâ perverſitate nequitiæ Judaicæ rectè concluditur ſeveritas divinæ vindictæ; in quo datur exemplar Judicibus, qualiter procedere debeant ordinatè in judicando, & de ipſis poſſet dici, ſicut de Chriſto, arguet mundum de peccato, & de juſtitia, & de judicio, ſcilicet proponendo juſtitiam, aſſumendo peccatum, & concludendo judicium. *Luc. c.19.v.45.*

26. *Zelus Chriſti circa reverentiam debitam templo Dei expenditur.*

Et ejiciebat omnes vendentes, &c. Nota, quòd bis legitur Chriſtus ejeciſſe prophanatores templi, eoſque flagellaſſe; primâ vice ſtatim poſt miraculum de converſione aquæ in vinum, ſcilicet in principio ſuæ prædicationis, & nunc in fine prædicationis, ſcilicet ſtatim poſt ingreſſum in Jeruſalem, per quod oſtendit ſe ſummum Pontificem zelatorem venerationis debitæ templo Dei, & quòd tota, & præcipua cauſa ruinæ, & excidii terrarum, & locorum, ſicut & Synagogæ fuit, & eſt peccatum publicum ſacerdotum, & prophanatio templorum Dei. *Luc. ibid.*

27. *Flagella publica, & excidium Eccleſiæ, & Reipublicæ Chriſtianæ, ex peccatis Eccleſiaſticorum, & ex prophanatione Eccleſiarum.*

Et intravit in templum, & ejiciebat omnes vendentes, & ementes, &c. Nota, quòd hæc ejectio facta fuit à Chriſto miniſterio flagellorum, quod ſibi fecerat Chriſtus, tollens funes, quibus utebantur mercatores in venditione, & emptione animalium: in quo facto plura myſteria, & documenta inferuntur, & primò, quòd ſi Deus nos flagellat, id facit flagellis noſtris, ſcilicet, quia nos ipſi ex peccatis noſtris funem efformamus ad nos flagellandum. *Jean.c.1.v.17.* Secundò, quòd cum præcipui venditores in templo eſſent Sacerdotes, infertur, quòd maxima cauſa ruinæ locorum, Eccleſiæ, & Reipublicæ, ſunt peccata Sacerdotum publica, maximè avaritia, & ſimonia: tertiò, quòd flagella publica, ut plurimùm proveniunt ex prophanatione, & irreverentiâ ſacri templi Dei, quæ tam univerſaliter graſſatur in populo Chriſtiano, & ad hoc alludit ſententia divina *Ezech.c.8. non parcet oculus veſter* (ait Deus ſuis miniſtris vindicatoribus Angelis) *neque miſereatur, à ſanctuario meo incipite, & S.Petrus 1. c. 4. Tempus eſt, ut incipiat judicium à domo Dei*, quaſi dicat, ait Chryſoſtomus, Bern. cum aliis PP. à domo Dei prophanata erumpunt flagella, terræmotus, excidia, tempeſtates, peſtilentiæ, & omnia mala. *Luc. cit. & aliis locis infra cit.*

28. *Idem argumentum de prophanatione Eccleſiæ.*

Et ejiciebat vendentes, &c. Mirum quidem eſt hoc, quòd in hoc facto nullus inventus fuerit, qui ſe opponeret Chriſto, mirum certè eſt unum hominem tot homines terruiſſe, & in conſpectu Sacerdotum hoſtias pararas, & earum venditores è templo expuliſſe ſine ulla ullius contradictione! & ideò S. Hieronymus exiſtimat hoc factum ex circumſtantiis cæteris unquam ab ipſo patratis mirabilius prodigium, bis quidem hoc fecit, in primâ vice Judæis adhuc ignotus, & ſecundâ vice omnibus ex miraculis, & prædicatione notiſſimus; ſed hoc fecit, quia tunc igneum quiddam, ac fydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majeſtas lucebat in facie; meritò autem terribilem ſe oſtendit Chriſtus in templo, quia Eccleſia appellatur. *Gen. c. 28. & eſt terribilis locus*, ſcilicet terribilis propter terribilem Domini præſentiam, & propter terribilem terribilium Angelorum frequentiam; terribilis locus eſt, in quo eſt terribile nomen Dei, terribilis auris Dei, terribile cor Dei, nomen autem Dei eſt hic, ut devotiſſimè invocetur, & honoretur, oculi Dei ſunt, ut videant genuflexiones, lachrymas, deſideria, & omnia bona opera, quæ hic aguntur, væ ergo eis, qui oculis Dei in hoc loco non bona, ſed mala ingerunt in vanis orationibus, & vitioſis cordibus: Item aures Dei hic ſunt, ut audiant gemitus, orationes, tuſſiones, & omnia bona, quæ hic proferuntur; væ ergo eis, qui auribus Dei, detractiones hic ingerunt; & aliæ mala verba, cum etiam ſint cavenda otioſa, Item cor Dei hic eſt, ut ex corde diligat, quos hic digne a

dignos invenit, & adverſetur indignis, & ideò Chriſtus zelans honorem templi, vel prophanatores manibus propriis flagellavit; & hinc eſt etiam, quod cum diabolus vires veluti amittat, vel refractas habeat in loco iſto, tamen homo cum in templo peccat, tunc majores vires reaſſumit, & tamquam beſtia terribilis inſurgit in ipſum, impingit cornibus, dentibus lacerat, pedibus conculcat, impingit, tentando, lacerat ſuperando, conculcat ſuppeditando animam, & ideò terribilibus oculis in loco iſto ſancto circuit, colligendo mala, quæ hic fiunt, & vindictam divinam in malos exercendo *Ser. 1. & 2. de dedicat. templi in addit. ſer. 4. Dom. 9. Pentec.*

29. *Chriſtus in templum intrat, & habitat at bonis ſe mitem, malis vindicem ſe oſtendat.*

Et ejiciebat omnes vendentes, &c. addit S. Lucas, & erat docens in templo. Quomodo ſimul ejiciebat vendentes, & docebat? ſed attende, quòd Chriſtus utrumque fecit; in templo enim erat, ut bonis pararet auditum, eoſque doceret, malis flagella, ut ipſos feriret, percuteret, vulneraret, & vindicaret Dei offenſas; & per hoc exempla Prælatis daret fortitudinis, & qualiter Dei, & templi honorem zelare debeant ſine acceptione perſonarum. *Ser 2. Dom. 1. Quadrag. ſer. 4. Dom. 9. Pentec. ſer. 23. Herum.*

30. *Templum locus eſt Dei peculiaris ſimilis Cœlo, Paradiſoque.*

Et dixit eis, ſcriptum eſt (ſcilicet in Deut. c. 14.) domus mea domus orationis vocabitur. Nota, quod domum orationis appellat Chriſtus templum, ſed priùs eam dicit eſſe ſuam, domus mea; ad quid addit domus orationis? ſi enim erat domus Dei, ergo & domus orationis; ſed tamen in hac ſententia altiſſima myſteria promit: dicens, domus mea templum eſt. per quod indicat, & appropiat ſibi dominium ſpeciale in Eccleſia, differens ab aliis quibuſcumque locis communibus, & tali pacto comparat Eccleſiam Paradiſo, in quo dominium ſpeciale habet Deus Pater, exercerque in Hierarchia Angelorum actus hierarchicos, qui ſunt purgare, illuminare, & perficere; ſic & appropiatè Chriſtus ſibi ædificavit in terra alium Paradiſum ſimilem cœleſti, nempè Eccleſiam, ut in ea hierarchicos, & Angelicos actus exerceret, nempè purgando fœditatem affectus per pœnitenciales actus: ſecundò illuminando per prædicationem divini verbi, & tertiò perficiendo per refectionem Sacramentorum, & præcipuè adminiſtratione Sacramenti Euchariſtici, per quod terminatur, & deſtruitur fluxibilitas appetitus ſenſualis, & in ſtatu tranquillitatis cœleſtis collocatur homo, ecce quale dominium qualeſque actus exercet Chriſtus in hac domo ſua, ut in Paradiſo. *Ser. 4. Dom. 9. Pentec.*

31. *Idem oſtenditur de domo Dei.*

Scriptum eſt, domus mea domus orationis vocabitur. Meritò dixit Chriſtus, quòd templum eſt domus ſua, nam etiam *In 2. Par. c. 7. dixerat, Elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificii*, in quibus verbis repetit appropriationem dominii ſpecialis ſui per templum, & intentionem officii; nam quia domus Dei eſt, ideo debet eſſe ab omnibus prophanis ſeparata, & ritui dominico deputata, dicturque domus ſacrificii, quia ibi immolatur vera hoſtia & hinc patet, quod templum eſt domus Dei, in qua ſuam divinam doctrinam tradit per prædicationem inſtruendo populos in lege Dei; & præterea ipſam deputavit locum aptum pro poſtulanda impetratione gratiarum, & pro refectione animarum per receptionem Sacramentorum. *Ser. un. dedicat. ſer. 1. & 4. de dedicat.*

32. *Eccleſia ideò dicitur domus Dei, quia eſt proprius locus Clericorum, & Religioſorum.*

Domus mea domus orationis vocabitur. Nota, quod juſtitia, quam Chriſtus exercuit hic, fuit maximè contra Sacerdotes; qui talem locum ſanctum prophanaverunt, & ut intelligerent quâ ratione iſta fecerit appellavit templum domum ſuam, ſcilicet quia domus propria eſt ad perfectionem Clericorum, & Religioſorum; quia enim eſt locus immolationis in oblatione holocauſtorum, ideò Clerici in Eccleſia deputantur cultui divino, ut diſcant quales in ſeipſis debeant eſſe nempè in corpore; & anima perfectè puri, Deo dicati, & ab omnibus prophanationibus immunes, ut purè, & ſanctè ſe exerceant in ea adminiſtratione Sacramentorum populis commiſſis, & devotè, & ferventer ad modum Angelorum in frequentatione Pſalmorum, & divinarum laudum; ſicque ipſam Eccleſiam reddant ſimilem cœleſti Jeruſalem. *Ser. un. de dedicat. templi.*

33. *Eccleſia in terris fundata eſt à Chriſto ſimilis Eccleſiæ triumphanti.*

Domus mea, domus orationis, &c. Si Eccleſia in terris eſt domus Dei, ergo ſimilis alteri domui Dei, quæ eſt in Cœlis, & hoc ob triplicem rationem; primò quantum ad divinam attentionem, ſecundò quantùm ad Angelicam manſionem, & protectionem; & tertiò quantùm ad cœlicam aperitionem: & quantum ad divinam attentionem, ſicut Deus aures apertas tenet in Cœlo ad exaudiendum voces Beatorum, ſic Eccleſiam iſi terris elegit ad percipiendum orationes, quæ ibi funduntur ab iis, qui in ipſam intraverint: ſecundò quia ſicut in Cœlo, ſic in terra conveniunt Angeli ad protegendum nos, ad ſuſcipiendas noſtras orationes, ad deportandum nos, & offerendum eas in conſpectu Dei: tertiò in Eccleſia eſt ſcalæ erectio ad introducendum in Cœlum perſeverantes; undè in Eccleſia vidit Iacob ſcalam ſtantem, ſcilicet Sacramenta, per quæ fit aſcenſus ad Cœlum, de miſeria ad gloriam, de periculo ad ſecuritatem, de morte ad æternitatem, & ad hoc deputavit Angelos aſcendentes, ſcilicet portantes animas ad Cœlum exutas corpore, & deſcendentes, ideſt degentes in corpore promovendo de bono in melius; & hinc verus Iacob, ſcilicet Chriſtus intonat inceſſanter. *Verè non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta Cœli. ſer. un. de dedicatione.*

34. *Eccleſia ædificatio facta à Chriſto expenditur.*

Hæc eſt domus mea, domus Dei, &c. Si Chriſtus appellat Eccleſiam ſuam domum, ergo ab ipſo fuit ædificata; domus igitur eſt Chriſti, quia primò diſpoſuit lapides, ſcilicet elegit ſanctos ante mundi conſtitutionem; fundamentum poſuit in morte ſua, & effuſione ſanguinis, parietem erexit Judæis, & degentibus, quando duo parietes ad unum lapidem angularem convenerunt, & hoc fuit in die Pentecoſtes; tectum apponit ſingulis diebus, quando homines juſtificat; complendo numerum prædeſtinatorum & hæc eſt domus Domini firmiter ædificata, & benè fundata. *Pſal. 5. & 35.*

35. *Eccleſia ſolùm ad orationem ædificata.*

Domus mea, domus orationis. Nota, quòd Chriſtus volens explicare, quomodo templum ſit ejus domus, ſubdit, domus orationis eſt, quia idem eſt eſſe domum Dei, ſcilicet à Deo ſpecialiter habitatam, & domum orationis; & hinc templum in loco alto erat ædificatum, ut ſcirent homines, quòd qui in Eccleſiam intrat, ſolùm ad id debet convertere ſe, propter quod eſt factum, & ideo ſurſum erigere ſe. & cor ſuum elevare in Deum per orationem, & hinc in Præfatione Sacerdos clamat, ſurſum corda; ad hæc autem rectè exequendum, ſcilicet ad obtinendam intentionem ædificationis Eccleſiæ neceſſariæ ſunt tres conditiones; prima eſt, ut præcedat orationem humilitas animi: ſecunda, ut comitetur ſanctitas deſiderii in affectione: tertia debet ſubſequi ſedulitas ſtudii in continuatione; nam ſine humilitate, ſine puritate animi, & alienatione terrenorum, & ſine perſeverantia cum fructu non offeres orationem tuam in domo Dei. *Luc. cap. 18. v. 10. & c. 19. v. 7. & v. 46. ſerm. 4. Dom. 9. Penit. epiſc. medic. c. 42.*

36. *Eccleſia qualiter fiat ſpelunca latronum.*

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Cur ſpeluncam latronum? forſan illi ementes, & vendentes rem alienam invito Domino rapiebant? Sed attende quomodo Eccleſia fit ſpelunca latronum: hoc præcipuè dicitur de Sacerdotibus, qui invito Domino contrectant patrimonium crucifixi, hoc enim eſt furari, & latrocinari, maximè quando fit publicè, quod & proportionaliter dicitur de omnibus malis Chriſtianis, qui cultum Deo debitum furantur, & diabolo impendunt, quod maleficium maximè fit, quando in Eccleſia eſt contentio ſuperborum, quando foventur lubricitates, luxuriæ, homicidia, adulteria, & aliæ abominationes; quando in ea fit negotatio cupidorum, quando frequentatur Eccleſia, non ut cultus Deo debitus ſolvatur, ſed propter burſas implendas, & ad cupiditates, & comeſſationes, & luxurias explendas; & hinc rectè Chriſtus tunc cogitur convertere pietatem in furorem. & tantam perverſitatem divina ſeveritate vindicare. *Luc c. 19. v. 45. ſeq. ſer. 4. Dom. 9 Pentec. ſer. un. de dedicat. ſer. 1. & 4. de dedicat. op. medic. c. 42.*

37. *Mercatura, & latrocinium quàm proxima, & conjuncta.*

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum Quomodo latronum ſpelunca dicitur templum, cum prius tantùm proponantur mercatores ementes, & vendentes? optimè hoc dicitur, quia avaritia propria eſt mercatorum; & quia eſt maxima connexio inter mercaturam, & latrocinium, eſt enim difficillimum non intervenire peccatum contra juſtitiam in conſortio ementium, & vendentium. *Ser. 4. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

38. *Chriſtus recuſat in Eccleſia miniſtros vendentes boves, oves, & columbas, & nummularios.*

Nota, quod prophanatio iſtorum reducitur ad iſta quatuor capita, ad vendentes boves, oves, columbas, & nummularios, iſtos ſolos ejecit, & non alios fortan peiores; cur hoc? quia per iſtos quatuor negotiatores ſignificantur vitia ſummè Deo abominabilia in Eccleſia. Per vendentes boves ſignificantur illi, qui laborem prædicationis vel adminiſtrationis Sacramentorum vendunt pro temporalibus, Oves vendunt, qui animas ſibi commiſſas vel trahendo ad peccata, vel per negligentiam, & torporem diabolo vendunt; Columbas vendunt, qui Spiritum Sanctum, ſcilicet Sacramenta vendunt; nummularii ſunt, qui juſtitiam venalem habent in Eccleſia, vel etiam, qui locutionem columbinam oſtendunt, & mentem caninam habent, qui profeſſionem ovinam monſtrant, & ferocitatem lupinam habent, qui ad avaritiam, & ad extrahendam pecuniam, & lucrum temporale inhiant? iſti verò à Chriſto ejiciuntur ab Eccleſia, & in fine ejicientur è Regno Dei. *Ioan. cap. 2. verſ. 14. & 15. ſer. 1. in Cathed. in addit. ſerm. 1. de dedicat. Ioan. collat. 14.*

39. *Eccleſia cur domus orationis vocatur.*

Domus mea domus orationis vocabitur. Cur domus orationis, cum Apoſtolus præcipiat, ut oremus in omni loco? rectè locus orationis, & non cætera loca, quia ad hunc finem ſolùm ædificata; dicitur locus orationis, quia in ea ſecurioti, & ampliori modo obtinetur finis orationis; nempè obtinetur remiſſio peccatorum, liberatio tentationum, fœcunditas terræ contra ſterilitates, ſanitas pro infirmis, victoria de inimicis, & tandem omne bonum ſpirituale, & temporale, facilius enim iſta obtinentur per orationem factam in Eccleſia, quàm in aliis locis, cæteris paribus. *Serm. 4. in dedicat. Eccleſia.*

40. *Domus ſpiritualis Dei, eſt cor noſtrum, & locus orationis.*

Domus mea, domus orationis. Nota, quod myſticè iſta domus Dei eſt anima noſtra, quam vult Chriſtus ſibi dedicatam, & per gratiam ſanctificatam aſperſorio humilitatis, & compunctionis, ſignatione crucis, ſcilicet pœnitentiæ, inunctione lætitiæ, & gratiæ Spiritus Sancti, & illuminatione ſapientiæ cœleſtis; in hac exigit Chriſtus, ut fiat habitaculum, & locus orationis, ut intrà nos intremus, & ad Deum emittamus deſideria, vota,

Digitized by

vota,preces, & laudes Dei, alioquin per peccatum fit ſpelunca latronum, & habitatio dæmonum. *Ser.1. dedicat.& ſer.2p.dedicat. ſer.5. Dom. infrà oct. Epiph. ſer.2.de B. Virgine ſer. 4. Dom.3. Epiphan.*

41. *Maria Virgo domus Dei,& locus orationis.*

Domus mea, &c. Quæ nobilior domus Dei, quàm Beata Virgo Maria, verè figurata in templo Salomonis, de quâ canitur jure ſequens Rithmus: Implevit domum domini, | ſuperni Regis gloria, | ſuo ſacratam nomini, | Salomonis induſtria. | Dum te ſuperna gratia | Gabrielis affamini | Parentem Virgo Maria | Replet dicatam numini. | Notat hic Dei Filium | Salomon Rex pacificus, | Qui fecit thronum regium | Ut hic artifex cælicus. | Et nuntius Angelicus | Præparavit hoſpitium, | Noſtræ ſalutis piſticus. | Verum deferens gaudium. | Maria Mater gratiæ | Mater,& fons bonitatis, | Mater miſericordiæ, | fons,& fomes pietatis, | Triclinium Deitatis. | Mater ſolis juſtitiæ, | Perpetuæ claritatis | Confers lumen,& gloriæ. *Op. Laus B. Virg. fig.12.*

42. *Maria uterus domus Dei, locus orationis Chriſti.*

Domus mea, domus orationis. Notâ, quod myſticè appellans Chriſtus Mariam domum ſuam, eam dicit locum orationis, & meritò ob multiplicem rationem, ſcilicet quia ipſa ſua ferventiſſima oratione Verbum ad ſe traxit è ſinu Patris, quia ejus uterus fuit domus Dei ſanctificata, & præſervata ab omni fœditate, & in qua Chriſtus receptus ſe totum Patri obtulit, & pro nobis preces Patri fudit placabiles, ideò figurata fuit in arca Dei,in qua erat urna aurea, & manna, ſcilicet caro ſancta, anima Chriſti, & ejus divinitas, propter quam benedictionem nobis Deus donavit, & gratiam. *Op. ſpecul. B. Virgin. lect.7. & 14. Luc. cap.19. verſ. 7. ſermon. 2. de B. Virg.*

43. *Anima in peccato domus diaboli, & ſpelunca latronum.*

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam Latronum. Proh dolor! quomodo talis metamorphoſis? ſed attende, quod non ſolùm de Eccleſiâ prophanatâ hoc dicitur, ſed magis de anima, quæ rejecto ſuo vero ſponſo Chriſto per peccatum diabolo ingreſſum dedit; hæc non amplius domus Dei, non amplius à Chriſto habitata, ab Angelis protecta, ſed à dæmonibus, & facta ſpelunca latronum, ſcilicet peccatorum, & dæmonum, qui ipſam expoliant omnibus gratuitis, & cloacam Inferni faciunt: ô miſera anima. *Ser.4. Dom.3.poſt oct. Epiph. ſermon. 4. Dom. 12. Pentecoſt.*

44. *Chriſti mirabilia opera bonis in ſalutem, impiis in damnationem vertuntur: ubi de laudibus puerorum Chriſto acceptis.*

Videntes autem Principes ſacerdotum, & ſcribæ, mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes, &c. indignatiſunt, & dixerunt ei: audis, quid iſti dicunt? Jeſus autem dixit eis, utique: numquàm legiſtis, quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? Poſtulabant admiranda Chriſti opera fidem, & laudem maximam, ſicut fecerunt Pueri, & boni; ſed Principibus ſacerdotum, & ſcribis pepererunt indignationem ex invidia, & livore in Chriſtum; ut videas, quod opera Chriſti aliis ſunt in ſalutem, aliis in damnationem, unde iſti impii triſtari ſunt, undè debuiſſent lætari, & extæcati, undè debuiſſent magis illuminari: Jeſus ex hoc excitavit majus bonum. tum declarando, quàm ſibi charæ, & gratæ ſint laudes Puerorum, tum quia talis indignatio motiva ratio fuit in impiis accelerandi ejus paſſionem, quam ſummè deſiderabat. *Luc. cap. 19. verſ. 39. & cap. 18. verſ.16.*

45. *Paupertas Chriſti, & ingratitudo, infidelitaſque mundi in Chriſtum expenditur.*

Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique manſit. Nota, quod ex hoc loco patefit paupertas Chriſti, & ſimul ingratitudo hominum in ipſum Chriſtum: nam cum ingreſſus fuiſſet in civitatem cum tanto honore; cum ejeciſſet è templo omnes prophanatores, cum ſteriſſet in templo publicè prædicans populo, & faciens multa, & maxima miracula uſque quaſi ſerò, non eſt inventus aliquis, qui eum etiam ad bibendum invitaret; totâ igitur die ipſe, & ſui jejunaverunt, & ſerò Bethaniam cum eis rediit: conſpice ergo ipſum, quia valdè humiliter vadit per civitatem cum illis paucis, qui ſic honorificè venerat manè, ex quo diſcere debemus, quod parum eſt de mundano curandum honore, qui ſic terminatur in brevi. *Op. meditation. cap.71.*

46. *Qualis fueris cum Chriſto, talis erit tibi Chriſtus.*

Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam: S.Ioan.c.12. ait ſic. *Hæc locutus eſt Jeſus* (ſcilicet prædicans eis in templo) *& abiit & abſcondit ſe ab eis, ut ſermo Iſaiæ adimpleretur, Domine quis credidit auditui noſtro: excæcavit oculos eorum, &c.* Vide quàm verum ſit quod qualem ſe Chriſto exhibet homo, talem & ipſi ſe exhibet Chriſtus: abſcondit ſe Chriſtus non ab eis, qui videre, audire, & diligere cœperant, & qui ramis Palmarum, & laudibus obviam venerant; ſed ab illis, qui videbant, & invidebant; abſcondit ſe ab iſtis eorum indignitatem oſtendens, & ideo meritò ab eis ſe abſcondit, tamquam indignis ejus præſentiâ, & doctrinâ; per quod magis ex ipſorum malitia excæcati ſunt, & hinc in Bethaniam ſe contulit, ſcilicet in domum obedientiæ, ſe præbens, & exhibens ſuam præſentiam, & dona obedientibus. *Ioan. cap.12. v.36. ſeq.*

47. *Fames*

Digitized by Google

47. *Fames,& ſitis Chriſti eſt noſtræ ſalutis deſiderium.*

Manè autem revertens in civitatem eſuriit. Nota, quod hac die, ſcilicet *fer.* 2. Hebdomadæ, majoris à Bethania rediens in civitatem eſuriit; quod verè mirum eſt, non enim ſolemus manè ſtatim poſt ſomnum eſurire, & tamen notatur hoc in Chriſto? ſed tamen hoc non eſt novum, dum Chriſtus illam noctem incænatus tranſegit in oratione,& vigiliis; notatur autem ad myſterium inſinuandum, nempè à ſummo manè à principio ſuæ conceptionis per totum tempus vitæ fame maximâ, & ſiti afflictum vixiſſe; fames autem erat illa,de qua dicitur *Ioan.c.4. meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me, ut perficiam opus ejus:* fames erat ſalutis noſtræ, pro qua obtinenda cupiebat ingredi in mare Paſſionis,ut deſiderium ſuum ardentiſſimum expleret: eſurit ergo in nobis converſionem, operis perfectionem, & contemplationis dulcorem! *Ioan.c.4.v.33.& collat.13.* Eſuriit autem, & ſitivit non ſibi, ſed nobis,quibus reficimur,& potamur. *Luc.c.4.v.2.*

48. *Chriſtus quærit fructum à nobis omni tempore.*

Et videns ſici arborem unam ſecus viam, venit ad eam, & nihil invenit in ea,niſi folia tantùm, & ait illi, numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum: addit S. Marc. *quod non erat tempus ficorum.* Verè mirum eſt, quod Chriſtus quærat fructum ab arbore extrà tempus gignendi,& in qua ſciebat non adeſſe fructus? & ſi hoc,quâ juſtitiâ maledicitur, cum non ſit tempus ficorum? ô perbellum myſterium: nulla datur excuſatio in planta carente fructu, quando Dominus ab ipſa exigit, ficus iſta es tu ô homo, à quo Chriſtus omni tempore & maximè à te exigit fructus quando tibi appropinquat, quando te vocat, etiamſi tibi videatur extrà tempus, & tempus importunum, quod ſi te invenerit ſine fructibus pœnitentiæ, divinæ maledictioni ſubjicieris. *Luc.c.3.v.9 fer.3.Dom.13. poſt Pentec.* ô advertant hoc peccatores, qui differunt de die in diem pœnitentiam, qui aliquando vocati à Deo, vel à Prædicatoribus ad expurgationem animæ, per confeſſionem extrà tempus commune Paſchale, verbi gratia tempore orationis communis, vel occaſione communionis generalis, vel miſſionis tempore, vel indulgentiæ, vel alicujus calamitatis imminentis, ſi renuunt tunc Chriſto obedire, tunc in manifeſto periculo maledictionis Chriſti ſe collocant, & in periculo,quod forſan numquam amplius à Deo vocabuntur,ô nimis verum.

49. *Qui in tempore mortis invenitur ſine fructu æternæ maledictioni ſubjicitur.*

Et non invenit in ea fructus. O funeſta narratio! Ecce quomodo advenit Chriſtus quærens fructum à te in morte, quòd ſi te inveniat cum foliis tantùm, infallibiliter maledictioni æternæ ſubjicieris, abſque ullâ ſpe ampliùs unquam gignendi fructus pœnitentiæ dignos; fac ergo opera bona dum vivis, quia tempus mortis non eſt tempus fructuum. *Ser.2.Dom.7.poſt Pentec.*

50. *Homo non ſecus viam, ſed intra viam, & vineam fructus dignos pœnitentiæ gignit.*

Et videns ſici arborem unam ſecus viam, venit ad eam. Cur dicitur, quòd erat ſecus viam? aliæ arbores erant forſan plantatæ in via? minimè, erant intra vineam, vel agrum, ſola iſta ſecus viam, quid myſterii? dat nobis intelligentiam, quòd arbores ſecus viam plantatæ, vel ſunt infructuoſæ, vel fructus ad maturitatem non reducunt; ſecus autem viam ſunt illi, qui occupantur circa multa, qui negotiationibus & ſollicitudinibus expoſiti ſunt; difficillimum enim eſt hominem juxta mundum viventem juventutem immaculatam uſque ad ſenecturem tenere; & hinc tales arbores exciduntur tanquam inutiles; fuge ergo ô homo converſationem, & conſortium hominum, & mundi, maximè malorum, ſi vis, ut Chriſtus à te colligat fructus. *Luc. c.21. v.30.*

51. *Arbor ſubjecta maledictioni, quæ folia multa habet verborum,non fructus.*

Et videns arborem ſecus viam &c. & non invenit &c. Quid invenit in hac plantâ? invenit folia multa, ſed nullum fructum; ô quantæ arbores tales in Eccleſia ſubjectæ maledictioni divinæ? arbor autem habens folia tantùm eſt homo verbis abundans, ſed factis carens, qui benè loquitur, ſed malè operatur, qui multa promittit, & nihil ſolvit, qui abundat verbis ad ſui excuſationem: undè benè Beatus Ægidius repetebat illa verba dicta à Patrefamilias ſuæ vineæ cultoribus operamini, operamini, & non tot clamores, & verba promamini, ô quot ſimiles ſunt; Arbor autem benedicta eſt quæ ſimilis eſt Deo, cujus dicere eſt facere. *Luc.c.13.v.6.ſer.2.ſeq. Dom.7.Pentec.*

52. *Arbor ſubjecta maledictioni divinæ eſt vir ſcientiatus in litteris mundi, ignarus in via Dei.*

Et videns arborem &c. invenit in ea folia tantum. Ecce aliud myſterium pulcherrimum? Iſta arbor habens magnam copiam foliorum ſine fructibus eſt homo deditus dulcedini mundanæ, qui dicitur eſſe ſecus viam in invia carnis, & non in viâ ſpiritus, ad quam veniens Jeſus Chriſtus pedibus Evangelii, & nihil boni operis invenit in ea, niſi folia tantùm, ideſt vanas traditiones Philoſophorum ſine fructu juſtitiæ, & ait ad illam, numquam ex te fructus naſcatur boni operis in ſempiternum, quia propter tuam duritiam te damno æternæ ſterilitati, ſubtrahendo aquam cæleſtis gratiæ, & arefacta eſt continuo ficulnea &c. ô quot, ô quot miſeri inter Chriſtianos inveniuntur ſimiles huic arbori infructiferæ,homines ſcientiati in Philoſophia, in legibus Juſtiniani, in poëticâ arte, in hiſtoriis prophanis, omnia ſcientes, ſed ſeipſos ignorantes, & quæ ſunt neceſſaria in obſervatione legis divinæ, & ſalute æternâ acquirendâ. *Ser.1.Dom.7. poſt Pentec. Ioan.c.1.v.48.*

53. *Sollici*

§3. *Sollicitudo proviſionis circà ventrem, & corpus à Chriſto damnatur, & Apoſtolis.*

Manè revertens in civitatem eſuriit. Verè mirum eſt quod hic dicitur de Chriſto; nam cum die antecedenti jejunus cum diſcipulis remanſiſſet Chriſtus tota die, cum nemo invitaſſet eos, & ideò coacti ſunt exire de civitate, & ire in Bethaniam ad domum Magdalenæ, & Lazari, ut cibum ſumerent: manè ſequenti cum redirent in civitatem, diſceſſerunt abſque aliquâ proviſione panis, vel alterius cibi; undè dicitur, quòd Chriſtus eſuriit; cur tanta injuria in diſcipulis? ſed omnia facta ſunt ad inſtructionem Eccleſiæ, & ſuorum ſequacium; quorum proprium eſt contemnere ventrem; & ſtudioſam miniſtrationem, & proviſionem eorum, quæ corpus reſpiciunt, non curare; undè in ſervis Dei talis ſtudioſa proviſio eſt peſſimum ſignum, & ideò potiùs ſunt de numero eorum, qui aſſimilantur ficui habenti folia tantùm, ſcilicet apparentiam exteriorem ſervorum Dei, ſed verè carnales ſunt, & ſine fructu paupertatis, & pœnitentiæ & contemptus ſui, toti vivunt in proviſione corporalium. *Ioan.c.4.v.8. Luc.c.4.v.2.*

§4. *Fides miraculorum expenditur, ubi de fiduciâ in oratione habendâ.*

Et videntes diſcipuli (ſcilicet ficum arefactam) mirati ſunt, &c. Et Ieſus ait eis, Amen dico vobis, ſi habueritis fidem; & non hæſitaveritis, &c. & omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. In S. Marco dicitur: *habete fidem Dei. &c.* Notâ, quod hic Chriſtus inſtruit diſcipulos, & totam Eccleſiam de virtute fidei; & quomodò docet eſſe neceſſariam ad patrationem miraculorum, & ipſam appellavit fidem Dei, ſcilicet fidem theologicam, ſed magna cum fiducia copulatam, & ſine hæſitatione, hanc ſi habueritis (ait Chriſtus) miracula etiam patrabitis, non virtute veſtrâ, ſed virtute Dei ſuprâ naturam concurrente; huic enim, non charitati debentur miracula, & idem experiemini in oratione facta cum fiducia magna, & ſine hæſitatione; petitionem enim cum fide factam faciliùs, & citiùs, quàm per jejunia, aliaque opera impetrantur gratiæ à Deo. *Luc.c.17. v.5. ſeq. Ioan. c.10. v.38. lib.3.d.27.a.2.q.1.ad arg.op.de Prof.Religioſ. lib.2.c.65.ſer.1.Dom.24.Penteс.*

§5. *Chriſtus quid fecerit feriâ tertiâ poſt Dominicam Palmarum: ubi de invidiæ peſſimis effectibus.*

Et cum veniſſet in templum, acceſſerunt ad eum docentem Principes ſacerdotum, & ſeniores, dicentes in qua poteſtate facis. &c. Nota, quod cum tabeſcerent, & exardeſcerent odio, livore, & invidiâ Principes ſacerdotum, convenerunt ſimul ut inquirerent, in qua poteſtate faceret tot miracula, quos tamen confuſos remanere fecit, ut patet ex textu; hic autem ad mores nobis patefit, quomodò invidia eſt fera peſſima, quæ excæcavit iſtos Judæos, ne viderent poteſtatem, & divinitatem Meſſiæ potentiſſimam in tot miraculis, & ideò ſimul convenientes mortem machinabantur in Chriſtum. *Luc.cap.20. v.1. ſeq. ſer.2. Dom.18. Penteс.*

§6. *Malitia hominis ſibi ipſi mentitur, & ſeipſam decipit.*

Baptiſmus Ioannis de Cœlo erat, an ex hominibus. Hoc eſt, quod proponit coram omni populò Chriſtus Principibus, ut ipſos propriâ reſponſione confunderet, quia ad hoc non poterant reſpondere niſi tripliciter, vel ſimpliciter tacendo, & ſic erant confuſi; vel dicendo, quod erat de hominibus, & ſic ab hominibus eſſent lapidati tamquam blaſphemi; vel dicendo, quod de Deo, & ſic item confuſi cum ipſe prædicaſſet Chriſtum eſſe verum Meſſiam, unde omni modo confuſi reſponderunt doloſè, ſe neſcire undè eſſet; Chriſtus autem itidem eis dixit, neque ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio, ipſique tamquam indignis noluit hanc veritatem explicare, per quod edocemur, quod malitia ſibi ipſi mentitur, & ſeipſam jugulat, & quod malignus magis in ſeipſum inſurgit in ſui exitium, quàm in alios. *Luc.c.20. v.1. ſeq. & c.3.v.21.*

§7. *In quo ſenſu dicitur à Chriſto: Publicani, & Meretrices præcedent vos (ſcilicet Phariſæos, ſcribas, ſacerdotes, Principes ſacerdotum & ſeniores) in regnum Dei: Vide de ignavia Clericorum, & Religioſorum, &c.*

Quomodo, & quâ veritate dicitur à Chriſto, quod Publicani, & meretrices præcedent in regnum Dei iſtos Religioſos? quomodò hoc cum nihil inquinatum poſſit ibi introire? Sed attende ad ſenſum litteræ, & ad myſterium: Ad litteram multi Publicani converſi ſunt, item & meretrices, & inter hos S. Matthæus, & Magdalena ad Chriſti prædicationem, quod non fecerunt iſti obſtinati, invidi, & maligni: myſticè hic reprehenditur ignavia, incuria, frigiditas, negligentia, atque torpor multorum Clericorum, ſacerdotum, & Religioſorum, qui continuè pertractant ſacra & ſacramenta, & tamen frigidiſſimi vivunt in Dei ſervitio; E contrà multi ſæculares in rebus terrenis implicati ad Deum facilius convertuntur, & Deo ferventiùs ſerviunt; & ideò meritò dicitur à Chriſto, Publicani, &c. ô caveamus 6 Religioſi, ne nos feriat hæc ſententia, ne nos cum frequentia tanta Sacramentorum, cum lectione librorum ſacrorum, cum perſolutione divinorum officiorum, cum tam frequenti converſatione in Eccleſia, & choro, ſed ſegnitet, negligenter, frigidè, & ſine ſapore Dei ſuperemur à tot ferventibus ſæcularibus. *Luc.c.3.v.12. & c.5.v.29. & c.14.v.21. & c.18.v.10. & c.24.v.10. ſer.4. Dom. in Quadrag. ſer.2. in Epiph.*

§8. *Comparatio iterum fit inter ſæculares ferventes, & Religioſos negligentes.*

Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei; venit enim ad vos Ioannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei; Publicani autem, & meretrices crediderunt ei, vos autem videntes, nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei: Ecce quo fundamento Chriſtus propoſuit interrogationem Phariſæis de Joannis baptiſmate, nam ad prædicationem, & exemplum vitæ Joannis tota ferè Judæa commota eſt, & ad eum convenerunt maximi quicumque peccatores, ut remedium apud ipſum invenirent ſuorum peccatorum, ſolúmque Phariſæi, Scribæ, & Sacerdotes in duritiâ, & obſtinatione, & malitiâ ſuperbiâque propriâ perſtiſterunt: Ve-

nit iterum Chriſtus prædicans, & faciens miracula maxima, ob quæ converſiones maximorum peccatorum factæ ſunt iiſdem Phariſæis perſiſtentibus in ſua malitia; proponuntur autem iſta in Eccleſia contra Clericos, & Religioſos, qui Chriſtum in ſcripturis, & manibus contrectant in Sacramentis, & tamen minus credunt, & venerantur, quàm mulieres, & Laici, quòd ſæpè evenit in praxi, nam ad prædicationem miniſtrorum Chriſti videntur ſæpè commotiones notabiles, & converſiones maximorum peccatorum, perſiſtentibus in ſua duritia, incredulitate, & ignavia Clericis, & Religioſis. *Luc.* c. 11. v. 32. & c. 18. v. 10.

59. *Vineæ parabola quare à Chriſto propoſita Judæis.*

Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam &c. Vide quomodo Dominus noſter Jeſus Chriſtus zelans animarum ſalutem, ut omnes ad ſe attraheret, modo utebatur blandis ſermonibus, & humilibus, quandoque increpatoriis, & duris, quandoque ſignis, & virtutibus, quandoque exemplis, quandoque minis, & terroribus, & variabat modos, & remedia ſalutis prout expedire videbat pro loco, & tempore, ac perſonarum audientium varietate: In hoc autem loco, ut oſtenderet Phariſæos victos à Publicanis, & Ethnicis & ſeipſum miſſum à Patre proponit parabolam vineæ tam claram contra ingratitudinem ipſorum, quod coacti veritate contra ſe tulerunt ſententiam, malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis, undè ad majorem confuſionem ipſorum deſcribit ſynagogam, ut vineam à Deo Patre plantatam, cum tot circumſtantiis nobiliſſimis, & ipſorum ingratitudinem, & cauſam, quare ablata eſt ab ipſis, & ad Gentiles tranſportata Eccleſia. *Op. medit. vitæ c. 59. Luc. c. 20. v. 9.* ubi fuſè qualitates ſynagogæ expenduntur.

60. *Eccleſiæ plantatio ſub metaphora vineæ & Synagogæ expenditur.*

Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam &c. Nota, quòd ad litteram Chriſtus exprimit plantationem ſynagogæ factam à Deo ſub metaphora vineæ, hanc autem plantavit Deus Pater, quando in Patriarchis eos ad culturam ſuam elegit, & vocavit, ſepivit eam cuſtodiâ Angelorum, ſtabilivit eam lapidibus, ſcilicet Patriarcharum ſanctitate, & locavit eam colonis, ſcilicet Ducibus, & Proceribus ſynagogæ, à quibus exigebat penſionem, myſticè hæc eſt Eccleſia catholica à Chriſto fundata in ſeipſo, & ſanguine irrigata, quam colonis locavit, ſcilicet Epiſcopis, & Sacerdotibus, à quibus fructus continuè exigit. *Luc. c. 20. v. 9. ſer. 2. Dom ſeptuag.*

61. *Prælati, & ſacerdotes coloni Eccleſiæ, & eorum periculum.*

Et locavit eam agricolis. Nota, quòd non dicit donavit, ſed locavit, quid eſt locavit? locavit ut penſionem exigeret: Vinea autem hæc eſt Eccleſia, palmites, & vites ſunt fideles, coloni ſunt Epiſcopi, & ſacerdotes, quibus à Chriſto commiſſa eſt cura, & cultura vineæ, & ideò curam ſuſcipiunt, vel ad magnam gloriam, ſi diligenter, vel ad magnum periculum, ſi negligenter egerint; videant ergo coloni iſti ſuam obligationem, Deus enim non tantùm reſpicit, eoſque acceptat propter eorum juſtitiam, ſed magis pro populi ſanctitate; valdè ergo timeant, ne vinea Dei repleatur urticis, & ſpinis. *Luc. c. 20. v. 9.*

62. *Per Mariam Virginem Deus Pater dicitur homo Paterfamilias.*

Homo erat Paterfamilias &c. Nota, quòd hic ad litteram ſermo eſt de Deo Patre, & dicitur homo & Paterfamilias; cur homo? homo tantum verificatur de ſecunda perſona incarnata; homo dicitur non natura, ſed ſimilitudine, ait Chryſoſtomus; ſed quomodo ſimilitudine? & cujuſnam ſimilitudine? ſed attende ad ſublimiſſimum myſterium: Deus Pater ſibi familiam numeroſiſſimam adoptare volebat, ſed quia adoptio non admittitur, niſi ubi eſt Filius naturalis, hinc ſibi elegit Mariam; tamquam Filiam ſpecialiſſimam, & tot donis divitem, quæ ſibi Filium naturalem gigneret; & ex cujus expoſitione alios filios adoptivos tamen ſibi acquireret & hinc homo, & Paterfamilias appellari vult, quia prius dignitate Mariam in filiam ſingularem naſci voluit, & indè multiplicatio adoptivorum fieret in Eccleſia per Mariam, & Chriſtum; *ſic Alb. Magnus,* & conformiter ad ſenſum. *S. Bon. op. ſpec. c. 10. op. Pſali. Min.*

63. *Sepes, & muri Eccleſiæ, & locorum ſunt Angeli Cuſtodes, & ſancti.*

Et ſepem circumdedit ei. Quæ eſt ſepes iſta? ſepes ſunt Angeli Cuſtodes & Sancti Protectores locorum, quorum munus eſt Eccleſiam cuſtodire, & loca ſibi commiſſa. *In Thren. c. 2. Luc. c. 10 v. 9. Pſal. 26. & 79.*

64. *Torcular Eccleſiaſtica vineæ quale.*

Et fodit in ea torcular. Hoc notatur meritò, quia ad complementum vineæ requiritur torcular, quod eſt inſtrumentum, quo ex uva, & oliva exprimitur vinum, & oleum, & ſeparantur à vinariis, & ab amurca, ut pura in cellaria reponantur: myſticè autem in Eccleſia torcular primò eſt Paſſio Chriſti, ex qua vinum ſalutis humanæ expreſſum eſt; eſt & pœnitentia & tribulatio, per quam fit animæ ſeparatio ab amurca terreni amoris, & cupiditatis, & ſic purificatis animabus poſſunt reponi in cellario cælesti. *Pſal. 55. & 80. Thren. c. 1.*

65. *Chriſtum ubique, ſed præcipuè in Euchariſtia turris eſt, & munimentum Eccleſiæ.*

Et ædificavit turrim. Ad quid turris, ſeu ut alii legunt, munimentum in vinea? Turris locus eſt cuſtodientium militum, vinea locus colentium terram? ſed optimè hoc ſtat, & dicitur de hac vinea, quæ eſt Eccleſia, nam ut ſecura eſſet Deus Pater collocavit in ejus medio Turrim,

Digitized by Google

lum,ſcilicet Chriſtum Ieſum, qui eſt turris fortitudinis à facie inimici.ibique cum ipſa ſtat uſque ad conſummationem ſæculi ; & hoc præcipuè in Sacramento Euchariſtiæ,hæc enim eſt munimentum,ſecuritas,& refugium Eccleſiæ, & Chriſtianorum.*Pſal.47.& 79.& 107.ſap.c.4.ſer.3. Dom.3: Pentec.op.de Præpar.ad Miſſam.*

66. *Maria Virgo Turris, & munimentum Eccleſiæ.*

Et ædificavit Turrim. Si Chriſtus maximè in Euchariſtia Turris eſt, & tutiſſimum munimentum Eccleſiæ, hoc & meritò dicendum de Maria Virgine:unde *Ric. à S.Laur.* Super illa verba Angeli.*Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, ait,obumbrabit tibi,ideſt per carnem ſumptam in tuo utero umbraculum Eccleſiæ præparabit,ut & umbrata,& obumbrans meritò dici poſſis ; unde meritò dicitur Turris fortitudinis tuens Eccleſiam à facie crudelis vaſtatoris. & ut caſtrorum acies terribilis eſſet omnibus inimicis. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſal.60.& op.Eyſanic.*

67. *Patientia Dei in expectando peccatorem ad pœnitentiam expenditur.*

Et peregrè profectus eſt. S. Lucas legit, *Et ipſe peregrè fuit multis temporibus.* Si iſte Paterfamilias eſt Deus,quomodo dicitur peregrè profectus, qui loco moveri non poteſt ? qui ubique præſens eſt ? & quomodo dicitur abfuiſſe multis temporibus ? Sed attende ad myſterium : Deus vineam ſuam locavit colonis, & dicitur poſteà peregrè profectum fuiſſe,non loco,ſed moraliter, quia, ac ſi abſens eſſet, ipſos reliquit in manu conſilii ſui, ut benè, vel malè; tolerent vineam ſecundùm libertatem ſuam,dicitur autem abfuiſſe multis temporibus,quia proprium eſt expectare diu peccatorem ad pœnitentiam, ne præpropera videretur exactio, & ideò quo indulgentior liberalitas, eò inexcuſabilior pervicacia. *Luc. c.20.v.9.*

68. *Præſentiæ Dei defectus cauſa ruinæ vineæ.*

Et peregrè profectus eſt. Quomodo peregrè, qui ubique præſens eſt ? quia Deus præſentior eſt diligentibus, negligentibus abeſt, ait S. Ambroſ. quia agricola negligens Deum veluti abſentem ſibi præfigit, ideò vineam ſylveſcere patitur, è contrà diligens Deum ſemper præſentem cogitat : ideo operam vineæ impendit diligentiſſimè, undè cum Prælati præpediantur variis curarum diſtractionibus, nec facilè poſſint privatæ, vel communi orationi cum aliis incumbere, ſanum conſilium eſt,ne Deo alieni efficiantur, ut curent antè oculos ponere, & exercere ſe in jugi memoria Dei,ſtudeant in omni loco,& tempore ſemper Deo intendere, quaſi ſit coram eorum per mentis intuitum;& conſequenter cavere, quaſi ſit in eorum præſentia,ea,quibus poteſt diſplicere, cogitando,quòd Deus omnia noſtra videt, quæ facimus,& ſicut non obliviſcitur bonorum operum ad præmiandum ex diuturnitate temporis, ita nec malorum ad puniendum, niſi per pœnitentiam diluantur.*Op.de ſex Alis. Seraph. c.8.*

69. *Omni tempore exigit Deus fructus vineæ à colonis.*

Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas,&c. Nota,quòd, cum vinea hæc Eccleſiæ fuerit plantata à Deo in principio Mundi, ſemper in omni tempore exegit fructus à cultoribus per ſervos ſuos ; & loquendo de Synagoga primus ſervus miſſus à Deo ad colligendum fructum fuit Moyſes, qui per quadraginta annos fructum legis à cultoribus inquirebat,quem tamen contemptum, & inanem toties dimiſerunt perfidi,qui irritaverunt Moyſen in caſtris. Aaron Sanctum Domini:ſecundò miſit David,ut colonos vineæ Pſalmodiæ modulamine,& citharæ dulcedine ad exercitium boni operis invitaret,quem & contempſerunt, ejuſque regnum, & ducatum:tertiò miſit chorum Prophetarum,qui populum corripiebant,& mala, quæ vineæ imminebant,prædicebant,& iſtos perſecuti ſunt, occiderunt,& ejecerunt ; Tandem miſit Filium ſuum, ipſum perſecuti ſunt,& tandem crudeliſſimè occiderunt,& hinc ablatum eſt regnum,& datum eſt genti facienti fructus:*Luc.c.20.v.10 ſeq.*

70. *Vinea anima propria, & conſcientia unicuique commiſſa à Deo ad fructus percipiendos.*

Paterfamilias plantavit vineam, & locavit eam agricolis. Nota, quòd myſticè hæc vinea eſt propria conſcientia,& anima, quæ à Deo creata, & ditata omnibus bonis, irrigata ſanguine Chriſti, circumdata ſepe legis divinæ, & cuſtodia Angelorum,hanc unicuique locavit Deus, ut fructus tempore ſuo producat compunctionis,& devotionis,ſed proh dolor ! multi pro vino compunctionis,& devotionis amoriſque Dei, producunt urticas ardentium,& carnalium deſideriorum, & ſpinas pungentium amaritudinum,& odiorum; Penſet ergo unuſquiſque,quid agat,& conſideret, an in Dei vinea laboret.*Ser.2.Dom.ſeptuag.*

71. *Vinea Religionis colonis à Deo locata, ut ab ipſis exigat fructus.*

Paterfamilias plantavit vineam. Nota,quòd myſticè hæc vinea eſt Religio à Chriſto fundata,circumdata ſepe præceptorum, & conſiliorum, & votorum, & cuſtodia Angelorum, & Sanctorum Fundatorum,& munita turribus,ſcilicet Prælatis; coloni autem ſunt ipſi Religioſi in ipſam introducti ad hoc ; ut quilibet hanc vineam colat per exercitium virtutum, & producat vinum dilectionis Dei; & perfectionis, ſed multi ſunt, qui opera pro vitibus, carnales pro ſpiritualibus producunt.*Ser.2.Dom.ſeptuag.*

72. *Tempus producèndi fructus in vineâ quale.*

Cum autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. Quodnam eſt hoc tempus exactionis fructuum ? eſt enim ſolùm tempus mortis ? minimè eſt omne tempus vitæ hominis : eſt hujus temporis initium à pueritia, ubi primùm rationis ſplendor nobis incipit affulgere, à pueris enim bona opera poſtulat Deus ; & ſi à pueris hoc, qui in aurora quadam rationis vivunt

mille nubibus obſcurata ; quid ab adoleſcentibus? quid à viris? quid à ſenibus exiget, qui in ipſo rationis meridie vitam ducunt? Arbores quidem, & vineæ certo quodam tempore anni fructus pariunt, at homines omni tempore, omnique ætate fructus ſuos, & bona opera facere debent tanquam mercenarii Dei, & quia Chriſtus ſemper eſt paratus recipere fructus ſuos, attende ô homo ne te prætereat hora, & tempus operandi, cave, ne ſylveſcere ſinas vineam tuæ conſcientiæ, quia non ex tribulis ficus percipies; attende denarium, attende fideliſſimum operis tui remuneratorem, attende ſtrictiſſimum operum computatorem; ſede, & computa quid diebus ſingulis valeas acquirere, ne te feriat illa terribilis ſententia, malos malè perdet, &c. *Serm. 2. Dom. ſeptuag. ſer. 3. Dom. 20. Pentec. Luc. 18. ſerm. 2. fer. 3. Pentec.*

73. *Cæcitas, & falſa logica peccantium expenditur in cæcitate Iudæorum.*

Hic eſt hæres, venite, & occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus. Vide qualem cæcitatem iſtorum perverſorum; Venite occidamus filium hæredem Patris, & noſtra erit hæreditas; ſed quo jure? qua conſequentia? nonne mortuo filio ſupereſt Pater, qui eſt Dominus hæreditatis? ô cæcitas! peccati; peccantes enim ſine ratione, ſine diſcurſu operantur, & hæc eſt logica diaboli, quæ docet iſtos paralogiſmos; ſic enim, & iſti ſtulti loco hæreditatis prætenſæ, inciderunt in ultimas ſtrages, & in manus juſtitiæ Dei, hocque priùs experti ſunt Judæi, qui ut ſuam rempublicam conſervarent, ejecerunt Chriſtum extrà vineam, ipſum occiderunt, & ſic omnia perdiderunt. *Luc. capit. 20. cit. ſermon. 1. Hexam.*

74. *Impii contrà ſeipſos ferunt ſententiam, & quærentes latere ſeipſos detegunt.*

Quid ergo faciet agricolis illis: aiunt illi, malos male perdet, & vineam ſuam locabit, &c. Hæc eſt ſententia Phariſæorum contra ſeipſos lata, ex quo patet ipſos contrà ſe ſententiam tuliſſe, & dum volunt latere, ſuam perfidiam producunt: hoc enim eſt ingenium malignorum, qui crudeliores ſunt in ſeipſos. *Luc. c. 20. v. 16.*

75. *Chriſtus lapis angularis.*

Numquam legiſtis, Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Nota, quòd in his verbis oſtenditur, primò Chriſti humilitas, ſcilicet quia voluit reprobari, & conculcari propter nos: ſecundò ejus poteſtas, ſcilicet lapis propter permanentiam ſtabilitatis angularis, propter virtutem connexionis, quia univit Deum, & hominem in unum, dicitur factus in caput anguli propter ſummitatem perfectionis, quia in eo omnis ædificatio conſtructa, & fundata eſt Eccleſiæ; Imaginandus eſt ergo Chriſtus tamquam lapis eſſentialis in toto corpore Eccleſiæ, quod circumferentiæ circuli comparatur, ad quem quidem omnes lineæ deductæ angulum faciunt, & uniuntur in ipſo tamquam in puncto, in quo fit oſculum linearum crucis, in medio. ſcilicet ſui concurrentium in unum ad ſtabiliendum electos, & ex oppoſito conterens adverſarios, & reprobos, & maximè Iudæos. *Luc. c. 20. v. 17.*

76. *Qui ſuper Chriſtum non ædificat, ædificat ad ruinam.*

Lapidem, quem reprobaverunt, hic factus eſt in caput anguli. Si Chriſtus eſt lapis, & fundamentum totius ædificii Eccleſiæ, ergo qui Chriſtum reprobat, & à ſe rejicit, ædificium facit ſuper arenam, & ad ruinam. *Luc c. 20. v. 18.* Hoc patet in Iudæis, qui Chriſtum reprobaverunt, & ideò ſuper arenam ædificantes, eorum Synagoga ſolo æquata eſt, unde dicebat S. Auguſtinus; quæris apud Iudæos fidem Chriſti, non invenis, quæris Sacerdotem, non invenis, quæris ſacrificium, non invenis, quæris templum non invenis, quæris Propheram, non invenis, quare hoc? quia poſuit Deus flumina in deſertum, terram fructiferam in ſalinas. *Luc. ibid.*

77. *Privatio prædicationis, & notitiæ Verbi Dei ſignum reprobationis.*

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Quodnam regnum ablatum eſt Iudæis, de quo hic minatur Chriſtus? Regnum Dei eſt vera fides, regnum Dei eſt notitia de Deo, & Scripturarum Sacrarum, quod regnum ad reprobationem factam contra Chriſtum ablatum eſt à populo Iudaico, & redacta eſt vinea, ſcilicet Synagoga in deſertum; ex quo infertur, quòd privatio verbi Dei, ejuſque prædicationis ſignum eſt divinæ reprobationis. *Luc. c. 20. v. 10. & 18. & c. 9. v. 2. & c. 23. v. 18.*

78. *Otioſitas privat animam donis à Deo collatis.*

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti faciemi fructus ejus. Ecce quid facit otioſitas, quale malum talentum ſub terra tenere abſque negotiatione, nam iſtis otioſis Deus aufert totum, & operantibus totum confert; tene igitur, quod habes, ne alius accipiat coronam *Luc. c. 19. v. 25.* Et hinc ſubdit, qui autem ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem verò ceciderit conteret eum, ideſt qui ſuper lapidem cadit per offenſam, lapis cadit ſuper eum per vindictam. *Ser. 2. Cathedr. in addit.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd Chriſtus proſequitur ſermonem de futura Iudæorum captivitate, & de eorum æterna damnatione, ſed propoſitione Parabolarum.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXII.

2. *Desponſatio Verbi cum humanitate expenditur.*

Simile factum eſt regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Præclara eſt, & regia hæc parabola Regem antè oculos nobis proponit potentiſſimum, potentiſſimi filii Patrem, nuptias filii, nuptiale, ſplendidumque convivium, invitatos, ac vocatos. Regiſque ſervos vocantes: primoque loco nobis offert nuptias à Patre celebratas in filio ſuo, quando, ſcilicet in utero Beatæ Virginis incarnatio facta eſt, & unio divinæ naturæ cũ humana; ad quod opus concurrit Deus Rex, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, ad cujus opus præceſſit annuntiatio facta Beatæ Virgini per Gabrielem Archangelum, & conſenſus ab ipſa datus in illis verbis, *Ecce ancilla, &c.* dicitur, quòd Pater fecit nuptias filio ſuo, quia ſola perſona Filii incarnata eſt, & perſonaliter unita humanitati: Igitur hæc ſolemnitas eſt Dei Patris, qui fecit iſtas nuptias; eſt & Filii, qui tunc natus eſt in utero Matris; eſt & Spiritus Sancti, qui in hoc opere incœpit oſtendere benignitatem ſuam ſingularem humano generi: ſolemnitas item eſt Beatæ Virginis, quæ à Patre in filiam, à Filio in Matrem, & à Spiritu Sancto in ſponſam eſt recognita, & aſſumpta: ſolemnitas item totius Curiæ cœleſtis, quia tunc inchoata eſt ejus reparatio: ſolemnitas item eſt humanæ naturæ quia ejus ſalus incœpta, & redemptio, & totius mundi reconciliatio & ipſa ſublimata eſt, atque deificata. In hac die Verbum à ſummo Cœlo egrediens exultavit ut Gigas ad currendam viam, recluſus in horto uteri virginalis, & factus unus ex nobis, & frater noſter: hodie lux vera deſcendit ad tollendas noſtras tenebras, hodie panis vivus, qui dat vitam mundo decoctus eſt in virginalis uteri clibano: hodie Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, hodie clamores Sanctorum Patrum, & deſideria exaudita ſunt, & impleta: Vides ergo quam admirabile ſit iſtud opus, quàm ſolemne, quàm delectabile, quàm jucundum; quam omni devotione ſuſcipiendum in jubilatione, lætitia, & exultatione ducendum, & omni veneratione digniſſimum. *Op. medit. cap. 4. Joan. c. 6. v. 45. & collat. 11.*

3. *Nuptiarum ſolemnitas Chriſti cum Eccleſia expenditur.*

Simile, &c. qui fecit nuptias filio ſuo. Nota, quod hæc eſt deſponſatio Chriſti cum Eccleſia, & ideò proponitur dignitas harum nuptiarum digniſſima, & nobiliſſima, & hoc multipliciter; nempè propter ſponſi magnitudinem, propter ſponſæ pulchritudinem, propter filiorum multitudinem, & propter convivarum plenitudinem: Sponſus enim eſt Filius ſummi Regis, ob idque nobiliſſimus, ditiſſimus, ſpecioſiſſimus, & honoratiſſimus, ob idque diligendus ſuper omnes: Sponſa verò eſt Eccleſia, cujus pulchritudo non ſolùm ſplendore, ſed etiam membrorum decore conſtat, propter filiorum multitudinem, nam Chriſtus deſponſavit ſibi Eccleſiam propter prolem multiplicandam, & ſic per has nuptias data eſt requies cunctis Provinciis, ſc. Provinciæ Cœli, mundi, inferni, & Purgatorii. *Ser. 1. Dom. 19. Pent. Pſal. 44.*

4. *Deſponſatio Chriſti cum anima fideli expenditur.*

Simile eſt regnum, &c. qui fecit nuptias filio ſuo. Nota, quòd talis deſponſatio non una vice facta eſt, ſed quotidiè celebratur à Patre in unione Chriſti cum anima juſta, quæ deſponſatio celebratur in thalamo conſcientiæ, & meritò explicatur nomine nuptiarum ob indiviſam unionem, ob affectuoſam dilectionem, ob fœcundam generationem, ob communem omnium protectionem; undè Bern. ait, non eſt alia connexio inter ſponſum, & ſponſam præter amare, & amari, hic nexus vincit quod natura arctius junxit, ſcilicet vinculum parentum ad filios, hæc autem nomina ſponſus, & ſponſa, nomina dulcia ſunt, quibus una hæreditas, una domus, una menſa, una caro, omnia communia, & nihil proprium; mirifica ergo dignatio Filii Dei elucet, quod dignatus eſt aſſumere animàm peccatricem, vilem, ignominioſam, fœdam, deformem, ſanctificando eam, ut ſit ei ſponſa, magnifica item exaltatio animæ fidelis, quòd filio Dei deſponſetur. Ut autem ſit digna tali deſponſatione, debet eſſe pulchra, ſcilicet de forma juſtitiæ, erudita de judiciorum Dei notitia, tenta de præſentiæ Dei deſiderio, amore calens, devotione vigens, opinione redolens. *Joan. collat. 11.*

5. *Omnes invitantur, & vocantur à Chriſto ad nuptiarum convivium.*

Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire, iterùm miſit alios ſervos. Vide benignitatem, longanimitatem, & patientiam Dei noſtri, qui cum præparaverit multiplex convivium in Eccleſia, ad ipſum invitat omnes, omnes deſiderat, omnes incitat ut conveniant, vocantur autem in prædicatione, compelluntur in tribulatione, invitantur per Apoſtolos, & miniſtros Chriſti, per Angelos, per inſpirationes, per exempla ſancta, per infirmitates, & adverſa, ut impleatur domus Dei, & ideò nemo excuſationem poterit unquam adducere. *Ser. 2. & 3. Dom. 2. Penitec. Luc. c. 14. v. 9. & 16.*

6. *Chriſtus in hac vita prandium ſuis præparavit, in altera cœnam.*

Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata venite ad nuptias. Cur hoc convivium appellatur à Chriſto prandium, ubi alibi, ut *Luc. c. 14.* appellatur cœna, ſed ex differentia utriuſque etiam myſteria nobis pulcherrima panduntur: Prandium dicitur à paratum, ideſt convivium paratum, & dicebatur militum cibus antè pugnam, & datur manè, cœna verò in ſero, poſt prandium ſupereſt cœna; poſt cœnam verò nihil niſi requies: per prandium ergo intelligitur convivium bonorum ſpiritualium quod nobis in hac vita paravit Chriſtus gratiæ, Euchariſtiæ, Sacramentorum, & aliorum bonorum ſpiritualium, ut in militia hujus vitæ reficiamur, & pugnemus, & pugnando mereamur introduci tandem ad cœnam vitæ æternæ. *Ioan. collat. 89. Luc c. 14. v. 16.*

7. *In Euchariſtia Chriſtus exhibet convivium continens omnia bona.*

Ecce prandium meum paravi, tauri mei,& altilia occiſa ſunt, & omnia parata. Cur poſt mentionem taurorum, & altilium, ſubdit omnia ſunt parata? nonne ſufficiebat unico verbo comprehendere omnium plenitudinem bonorum dicendo omnia ſunt parata: ſed attende ad myſterium verborum;per tauros,& altilia ſignificantur ſacrificia vetera, quæ à Deo Iudæis pro eorum refectione parata erant,ſed tunc non erant omnia parata, ſed ſolùm quando occiſus eſt vitulus ſaginatus Chriſtus Ieſus, qui eſt cibus omnibus bonis refectus, in quo eſt Chriſti caro,corpus, ſanguis, anima,& divinitas, ſicque expoſitus in Altari dicitur convivium continens omnia bona: Venite igitur ait Deus Pater;ecce prandium meum paravi, & in ipſo omnia parata, quia omnibus bonis repletum,ut pro totius mundi ſalute,& refectione ſufficiat,in quo convivio Chriſtus ipſe eſt cibus, & conviva, & diſpenſator, quia ipſe delectatur nobiſcum,& nos cum ipſo. & hoc faciente ipſo. *Luc.c.15.v.13.Ioan.cap.11.9.Luc.c.14.v.16.*

8. *Chriſtus ſolus non vult eſſe in hoc convivio, ideò vocat omnes.*

Miſit ſervos ſuos dicere invitatis,&c. Vide,quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus ratione ſuæ curialitatis, & benevolentiæ noluit eſſe ſolus in hoc convivio, ideò vocat omnes de diverſis nationibus, vocat inquam indeſinenter, & inſtanter per ſervos ſuos,& Prædicatores; ſecundò alliciendo per beneficia, & promiſſa: tertiò comminando contra ingratos æterna ſupplicia. *Serm.1. Dom.2. poſt oct. Penteс.*

9. *Convivium quale à Chriſto paratum in hac,& altera vita.*

Parata ſunt omnia. Ecce quomodo allicere conatur Chriſtus omnes ad veniendum ad hoc convivium; parata ſunt omnia,ait Deus Pater, quæ omnia ô quàm benè, & quàm verum: ante Adventum Chriſti nondum erant parata omnia, ſed benè poſt Advehtum,& mortem Chriſti, ſcilicet ex meritis ipſius;Vide quæ omnia,non ſolùm delitioſos cibos in menſa mundi,ſed magis ſpirituales in menſa Eccleſiæ, ſuaviſſimam doctrinam Evangelicam,Sacramenta,& inter hæc corpus,& ſanguinem ſuum,peccatorum remiſſionem, gratiam,charitatem,reliquaſque virtutes, divinarum rerum contemplationem, & Spiritus Sancti dona, fercula dulciſſima replentia mentem dulcedine cœleſti: & ſi tanta bona in hoc exilio tibi paravit ô homo, quid eſt quod in patria, in novem menſis Angelorum paratum conſervat ſuis amicis:ô quàm dulce convivium tuum ô dulcis Jeſu, quàm dulces epulæ omni dulciores nectare, & ambroſia.*Ser.3.Dom.2.poſt Penteс.ep.de ſeptem donis Spiritus S.per totum ſparſim.*

10. *Stultitia Chriſtianorum, qui recuſant, quod melius eſt,& eligunt,quod peius eſt.*

Et nolebant venire,&c & neglexerunt,& abierunt alius in villam ſuam, alius ad negotiationem ſuam. Nota, quòdhæc eadem vocatio, & invitatio ad convivium paratum deſcribitur etiam à S. Luca c.14. ubi dicitur, quod invitati ſe excuſarunt, alii dicentes, Iuga boum emi quinque,& neceſſe habeo exire,& probare illa,alii,villam emi,&c.alii, uxorem duxi.& ideò non poſſum venire per quæ clariſſimè patefit inſertia, torpor, ingratitudo, & ſtultitia plurimorum Chriſtianorum,qui à Chriſto,& per ſe,& per ſuos miniſtros inceſſanter, & inſtanter invitantur ad convivium ſuum, ſcilicet ad pœnitentiam,ad confeſſionem,ad communionem ad prædicationem, ad orationem, & ad alia pia opera,quibus optimè ſaginatur anima,& reficitur dulcedine cœleſti:ipſi verò ſtultiores jumentis renuunt venire,ut temporalibus intendant; in quo fatuitas maxima oſtenditur, quia quòd peius eſt eligitur,& quod melius eſt recuſatur, eligitur enim villa,recuſatur regnum, eligitur dominium villanorum,& recuſatur regnum Cœlorum, eligitur uxor concubina,& recuſatur copula divina & ideò juſto Dei judicio nemo iſtorum, qui vocati ſunt cœnam iſtam guſtabunt eo quòd cœna iſta transfertur à ſuperbis,& potentibus,in debiles, & humiles, à divitibus in pauperes,à luxuriоſis,in cæcos,& claudos *Ser.1.Dom.2.Penteс.*

11. *Homicidium ſpirituale, & corporale quale malum.*

Rex autem cum audiſſet,iratus eſt,& miſſis exercitibus ſuis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit. Ad litteram loquitur de deſtructione civitatis Ieruſalem,& occiſionis Judæorum facta per Veſpaſianum,& Titum in pœnam mortis Chriſti;myſticè tamen hæc dicuntur de vocatis à Chriſto ad nuptias, qui recuſaverunt venire per fidem,& amorem,eoſque appellat homicidas,tùm quia multi ipſorum de facto ſunt tales in proximum,tum quia omnes peccatores ſunt tales in ſeipſos,& in Chriſtum; in ſeipſos, quia omnis peccans mortaliter ſeipſum occidit, in Chriſtum verò,qui peccat mortaliter,quantùm in ſe eſt, occidit Chriſtum, & tales perduntur ab exercitibus, & miniſtris juſtitiæ vindicativæ Chriſti in mundo,& tandem in inferno.*Ser.2 fer.3. Penteс. fer.7. in Penteс.ſer.2.Dom.19.Penteс.*

12. *In Eccleſiam introducuntur boni,& mali,qui inter ſe in fine ſeparabuntur.*

Et egreſſi ſervi congregaverunt omnes, quos invenerunt bonos, & malos, & impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium. Vide,quòd rejectis,& perditis Iudæis, qui noluerunt credere in Chriſtum, vocati ſunt Gentiles qui erant extrà viam, & incedebant per viam perditionis, & ſic impleta eſt Eccleſia: ſed nota,quòd boni nunquam ſoli ſunt,niſi in Cœlo, & mali nuſquam,niſi in inferno; hæc autem vita, quæ inter Cœlum,& infernum ſita eſt,ſicut & in medio ſubſiſtit, ita utrarumque partium cives recipit, hinc ad has nuptias conveniunt per fidem informem mali, & boni fide formata, & ideò à malis in his nuptiis diſcernuntur per humilitatem,& per charitatem, & per vitæ ſanctitatem, & in fine inter ſe ſeparabuntur. *Ser.1. Dom. 19. poſt Penteс.ſer.4.Dom.2.Penteс.*

13. *Sine veſte nuptiali nullus introducitur ad convivium Eccleſiæ, & gloriæ.*

Intravit autem Rex, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Ecce quid accidit iſti impio, qui auſus eſt ſe inter diſcumbentes collocare ſine veſte nuptiali, nam ejectus eſt è convivio, & in carcerem incluſus; quænam iſta veſtis niſi veſtis charitatis, & gratiæ divinæ, ſine qua impoſſibile eſt Deo placere ſignificatur etiam impietas accedentium ad menſam Euchariſtiæ ſine veſte charitatis, & præparatione condigna, & merito, nam ſine tali veſte nemo unquam intrabit in regnum cœlorum. *Luc. cap. 22. verſ. 8. & Ioan. collat. 89.*

14. *Veſtis charitatis qualitas expenditur.*

Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Cur veſtis nuptialis dicitur charitas? & cur non potius fides, quæ eſt medium introductionis ad nuptias? ſed fides quidem requiritur, non tamen ſufficit ſine dilectione, & charitate Dei & proximi, hæc enim ſola tegit, & deſtruit turpitudinem peccatorum, protegit à frigore tentationum, & ornat munere donorum: hujus veſtis nobilitas commendatur ab artificio, à materia, à colore, & à fragrantia; ab artificio, quia omnia ſtudia Chriſti ordinantur ad hoc, ut componat in nobis hanc veſtem; à materia, quia componitur ex gratia Spiritus ſancti, & viſceribus Ieſu Chriſti: à calore rubeo, & byſſino, ſcilicet ex ſanguinis, & puritatis Chriſti colore; item à fragrantia quia tam naribus Chriſti fragrans eſt, ut mereatur benedictionem cæleſtem; in hac veſte, in dextera relucet dilectio Dei, in ſiniſtra proximi. *Op. Diet. tit. 5. c. 2. ſer. 3. Dom. 19. Pentec. ſer. 3. Dom. 2. poſt oct. Epiph. ſer. 2. Dom. 2. poſt oct. Paſcha Pſ. 103.*

15. *Chriſtianus quis Chriſti amicus, & non amicus.*

Amice quomodò huc intraſti? Si iſte verè inimicum ſe patefacit, dum ſine veſte nuptiali ſe obtulit, & ideò à Chriſto excluſus à prandio ſuæ gratiæ, & gloriæ quare appellatur à Chriſto amicus? *Amice*: & ſi verè dicitur amicus cur ejicitur? ſed transfer mentem ad id, quod dixit etiam Iudæ, *Amice ad quid veniſti?* Amicum appellat Chriſtus, quia ipſe ex parte ſui amicus eſt; quia benignitatem, & beneficia in ipſum confert, licet homo ſe inimicum faciat; amicum item dicit, ut oſtendat ſe minimè ira percitum eſſe, & excandeſcentem, ſed tranquillo animo, & deſiderantem ejus ſalutem, dummodo ipſum pœniteat: *Luc. c. 22. v. 48.* Amicum vocat, ait S. Gregor. & reprobat, ſcilicet amice per fidem, quia Chriſtianus eſt, ſed verè inimice per operationem; per quod datur intelligi, quod vera fides exigit veridicam confeſſionem, ſcilicet ne aliud credat, aliud faciat, ut ſcilicet ſit viva, non mortua, vera non ficta, res enim mortua propriè non eſt res, niſi æquivocè, ſicut homo mortuus, non eſt homo, & leo pictus, non eſt leo, & ideo amicus dicitur quantum ad apparentiam, veluti chimæra, & res ficta, ſed verè inimicus, & ideò meritò à convivio ejectus. *Op. Diet. tit. 5. cap. 3.*

16. *Prælatis negligentibus indicitur hæc Chriſti interrogatio.*

Amice quomodo huc intraſti? Notà, quod iſta interrogatio à Chriſto fit non ſolùm Chriſtianis fictis, qui fidem ſine operibus profitentur, ſed maximè prælatis indicitur, quomodò huc intraſti? quomodo, & qua arte tu teipſum introdiſti? quomodò à tua cupiditate, & avaritia introductus es in Prælaturam? ex qua conſequitur alia interrogatio, & ſic introductus quomodò vixiſti? quâ diligentiâ cuſtodiſti gregem tibi commiſſum? ò duriſſimum judicium fiet illis, qui præſunt, quia malè intraverunt, quia malè vixerunt, & quia malè rexerunt. *Sap. c. 6.*

17. *Veſtis Chriſtianorum prædeſtinatorum, & Religioſorum qualis, & qualis veſtis extranea.*

Quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem. Quæ veſtis eſt iſta, quam in commenſalibus exigit Rex? nonne vocati ſunt ad hoc etiam pauperes? ſed attende vim myſterii horum verborum; Veſtis nuptialis, quam exigit Chriſtus in ſuis eſt vita ſancta, eſt obſervantia mandatorum Dei, eſt converſatio digna Chriſtiano; veſtis ſordida, & ſanguinolenta eſt vita in peccatis involuta, & ideò Chriſtus videns ſuos Chriſtianos in Eccleſia indutos veſte peregrinâ, & ſanguinolentâ, eos à convivio cæleſti excludit in æternum cruciandos; ex quibus etiam inculatur vanitas aliquorum Religioſorum, qui contrà ſuum ſtatum utuntur veſtibus mollibus, & potiùs propriis ſæcularium. *Ser. 2. Dom. 2. poſt oct. Paſcha ſer. 3. Dom. 19. Pentec. ſer. 2. Dom. 23. Pentecoſt. ſermon. 3. Dom. 20. Pentecoſt. op. Phar. lib. 2. cap. 32.*

18. *Alii ad correctionem Dei obmuteſcunt in bonum, alii in malum.*

At ille obmutuit. Cur obmutuit? forſan ob verecundiam, & pœnitentiam? ſed attende, quod alii ad correctionem divinam obmuteſcunt in bonum; alii in malum: In bonum obmuteſcunt, quos timore judicii divini pœnitet, & ad inſiſtendum bonis operibus excitantur videntes, quod difficile eſt ſanctificari in conſpectu Dei propter difficultatem meriti, & quia impoſſibile eſt excuſari propter rigiditatem in judicio, & quia neceſſe eſt pœnitentiam agere in hac vita ad evadendum æterna ſupplicia; obmuteſcunt in malum. qui ad cotrectionem Domini non reſipiſcunt, non emendantur, non pœnitet, ideò gravioribus vinculis ligati ſine excuſatione valida à Deo projiciuntur in æternam damnationem. *Luc. cap. 13. verſ. 30. ſap. cap. 4. ſermon. 3. Dom. 9. poſt Pentec.*

19. *Qui non ligat, & cruci cum Chriſto in hac vita affligit manus, & pedes, ligabitur in Inferno cum diabolo.*

Tunc dixit Rex miniſtris, ligatis manibus, & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores. Cur Rex præcipit, ut iſte perfidus ligetur in manibus & pedibus, & non potiùs in toto corpore? ô aſpice ad Chriſtum in cruce, & videbis ipſum

ligatum

ligatum, & affixum in manibus, & pedibus ſic & Thomæ oſtendit manus, & pedes vulneratos clavis, ut omnes nos invitet ad ligandum in hac vitâ manus, & pedes, ne exeant in actus malos, & ut patienter tolerent adverſa: & quia iſte impius clavis timoris, & amoris in hac vitâ affigi noluit, & ſuâ libertate uſus eſt ad patrandum peccata, ideò vinculis igneis ligatus eſt in Inferno. *Sermon. 2. in Tranſlat. S. P. Franc. in addit.*

20. *Peccator per peccatum mortale ligatur, ne in bonum exeat.*

Ligatis manibus, & pedibus mittite eum, &c. Ecce ſtatus miſerabilis carentis gratiâ Dei, nam iſte ligatus exiſtit in pedibus, & manibus, imò in toto corpore, & anima, nec in bonum meritorium vitæ æternæ poteſt exire: ô qualia vincula animæ affert peccatum mortale. *Sermon. 3. Dom. 11. Pentec.*

21. *Diabolo traditur in morte peccator inventus ſine veſte nuptiali portandus ad forum Inferni, ſicut gallus gallinaceus ligatus.*

Ligatis manibus, & pedibus mittite, &c. Vide, quod in morte inventus ſine veſte nuptiali charitatis diabolo traditur à juſtitia divina, ſed cum hoc, quod ligentur ei manus, & pedes, ut ſcilicet ſicut gallus gallinaceus portatur ad coquinam ligatis pedibus, ſic reprobi à diabolo ligati portantur ad coquinam Inferni in æternum igne coquendi. *Ser. 2. de Mart. in addit. Pſal. 118. & 138. & 139.*

22. *Locus proprius reproborum eſt infernus.*

Mittite eum in tenebras exteriores. Quid eſt in tenebras exteriores? ideſt in locum exteriorem, nempè quia non obſervans mandata primæ tabulæ quæ ordinant in Deum, non meretur habitare in Cœlo, ubi Deus eſt; & qui non obſervat mandata ſecundæ tabulæ ordinantia ad proximum, non eſt dignus habitare in mundo, vel in terra, ubi eſt proximus, ſic per conſequens relinquitur, ut exterius, ſcilicet in loco diaboli habitet, ſcilicet in Inferno. *Op. Diat. tiul. 3. cap. 2.*

23. *Pœnarum univerſitas inferni expenditur.*

Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Quid eſt, quod hic intendit ſalvator per hæc verba? ibi erit fletus, & ſtridor dentium? Nota, quod per hæc verba intelligit aſſignare in talibus effectibus univerſitatem pœnarum, quibus damnati ſubjiciuntur; nempè ignem, frigus, ſtridorem rigoris, tenebras, fumum, lachrymas, mœrores, aſpectus dæmonum, clamorem improperii, ariditatem, ſitim, fœtorem ſulphureum, vermem conſcientiæ, vincula, carcerem, timorem, dolorem, invidiam, rancorem, carentiam viſionis divinæ, ablationem omnis ſpei ſalutis. *Op. Diat. tit. 10. c. 1. op. Comp. Theol. lib. 7. cap. 12. & lib. 3. cap. 7.*

24. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.*

Hæc eſt concluſio hujus parabolæ, quæ verè admirationem ingerit, dum ex tot invitatis unus tantum condemnatus legitur, ex qua condemnatione infert Chriſtus multi ſunt vocati, pauci electi, & videtur, quòd potiùs debuit inferri, multi vocati, multiquè electi, & pauci rejecti, & reprobi: ſed attende ad myſterium verborum; dicitur enim quòd Rex vidit ibi hominem non veſtitum non dicit unum hominem, ſed hominem, & hoc, quia in hoc homine indifferenter ſumpto grandis cætus, & grande corpus malorum intelligitur, & quia patentiſſimè videtur, quod plures ſunt mali, quam boni, ideò ſic concludit Chriſtus, multi ſunt vocati pauci electi; verè terribilis ſententia, quâ vult excitare omnes homines ad operandam ſalutem ſuam cum metu & tremore. *Op. Diat. tit. 5. c. 2. Luc. 5. 6. v. 14. & 6. 8. v. 8. op. de ſex Alis Seraph. c. 5.*

25. *Malitia humana, maximèque invidia ſemper certat cum bonitate divina, & in ſeipſa decipitur & deficit.*

Tunc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, ut caperent Jeſum in ſermone, & mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes Magiſter &c. Vide hic malignitatem Phariſæorum, qui auditis parabolis, quibus ſupplicium imminens eis prædicit, viſis tot miraculis, quando debuiſſent conſultare de miraculis, de doctrina, de vita, innocentiaque Chriſti, an Meſſias ſit an iſta cum ſacra ſcriptura ſint conſona, ecce quid facit malignitas, & invidia; ſic enim Chriſtus Jeſus multis modis nitebatur operari Judæorum ſalutem, ita è contrario illi omnibus, quibus poterant, modis conabantur inhiantes ad ejus deſtructionem, & interitum: cogitaverunt igitur eum decipere, ſed defecerunt ſcrutantes ſcrutinio; miſerunt autem ex deliberato conſilio diſcipulos ſuos cum familiaribus Herodis Regis, ut quæreren, ſi liceat dare cenſum Cæſari, an non? ſic enim intendebant eum reddere exoſum vel Cæſari, vel turbæ Judæorum, quaſi non poſſet, niſi contra ſe reſpondere, at ipſe ſcrutator cordium cognoſcens eorum malignitatem, reſpondit quòd, quæ ad Deum pertinebant, Deo, & quæ ad Cæſarem, Cæſari redderentur, vocans eos hypocritas, qui verbis blandis, animo fallaci loquebantur, illi ergo fraudari ſuâ intentione, confuſi cum verecundia receſſerunt. *Op. meditat. cap. 60. Luc. c. 11. v. 51. ſeq.*

26. *Quale caput, & ſuperior, tales ſubditi.*

Et mittunt ei diſcipulos cum Herodianis. Ideſt Phariſæi Jeroſolymitani, & principales, quorum cura præcipua erat de doctrina legis divinæ, & rerum ſacrarum, miſerunt diſcipulos cum Herodianis, ideſt familiaribus Herodis Regis, & ipſi promptè obtemperaverunt: ut videas, quod ſi maligni erant ſuperiores, non minus tales erant diſcipuli Phariſæorum, & aulici Regis impiiſſimi, quia quale caput, tales ſunt ſubditi. *Luc. c. 13. v. 31. op. medit. tit.*

27. *Quinam*

27. *Quinam imitatores sunt istorum malignantium volentium capere Christum.*

Consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone: O consilium absque consilio; consilium scilicet factum in aula diaboli, ut caperent, ut deciperent Jesum; sed attendè, quod inter Christianos plurimi sunt similes istis impiis, sunt-que illi, qui calumniando, vel violentiam inferendo, vel scandalizando, vel detrahendo, vel malè consulendo capiunt, & decipiunt proximum, sed tamen justo Dei judicio sæpè insidiis suis capiuntur impii. *Sermon. 3. Dom. 4. Pentecost.*

28. *Consilia impiorum à Deo dissipantur.*

Consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone: O callida malignitas, ô quale consilium à diabolo propositum; non valent isti in factis capere Jesum, consilium ineunt, ut capiant in sermone, sed tamen facta calliditas, & malignitas, & consilia istorum iniquorum dissipata sunt à Christo, qui ut dicitur *Judic. 16.* de Sampsone, rumpit vincula, quasi fila telarum, quia non valet consilium contrà Dominum. *Luc. c. 13. v. 31. Ioan. c. 1. v. 19. Thren. c. 3.*

29. *Christus verus Magister.*

Magister scimus, quia verax es, & in veritate viam Dei doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim accipis personam hominum. Vide quomodò adulatoriis verbis Christum isti maligni aggrediuntur, ut blanditiis, fictaque laude demulceant, atque illaqueent, tamen etsi corde oderant Christum, tamen ore velint, nolint veritatem confitentur, undè etiam hoc ad majorem laudem Christi facit, in quibus verbis commendatur Christus à dignitate officii, propter quam humiliter est reverendus, quia enim cuilibet docenti tria sunt necessaria, scientia regulans, facundia exprimens, & vita utrumque confirmans; nam docere, & prædicare sine scientia est periculosum, sine facundia exprimente est infructuosum, & sine vita utrumque confirmante est ignominiosum, hæc excellentissimè fuerunt in Christo, nempe luculentia claritatis scientiæ, cum in Ipso sint omnes thesauri scientiæ Dei, & virtuositas facundiæ in exprimendo mysteria cælestia & eminentia sanctitatis vitæ, in merendo, & ædificando salubriter; & hinc rectè subjungitur, quia verax es, veracitatem enim habuit puræ intentionis in cordis cogitatione, rectæ locutionis in oris eruditione, & honestæ conversationis in operis ostensione, additur, *& viam Dei in veritate doces*, scilicet respectu credendorum, respectu promissorum, & respectu agendorum, in quibus via Dei, & salutis consistit; ergo magister verus est Christus Jesus. *Ser. 1. Dom. 22. Pentec. Ioan. collat. 60. & 72. Luc. c. 20. v. 20. seq.*

30. *Hypocritæ, & simulatores dolositatibus pervenire contendunt, quo non possunt viribus.*

Magister scimus, quia verax es, &c. Vide quomodò isti maligni Christum laudant laude verâ, sed fallaci corde, hæc enim est prudentia prima hypocritarum, ficta scilicet laudatio, sicut quâ tantum non potest viribus subjugare, mollibus manibus fricat cervicem ejus, ut blandiendo comprehendat, de quo *Prov. c. 16.* qui benedicit proximo voce grandi, ducit eum per viam non bonam. *Luc. c. 10. v. 21.*

31. *Homo numisma, & denarius est habens imaginem Trinitatis, in quo est superscriptio vel Dei, vel diaboli, & Mundi.*

Ostendite mihi numisma census; at illi obtulerunt ei denarium: cujus est imago, &c. Vide, quod cognitâ versutiâ istorum hypocritarum in interrogatione proposita, an liceat dari tributum Cæsari, an non, in qua utrovis dato, Christum ad inconveniens deducere contendebant; nam si negaret, volebant eum accusare Cæsari, si admitteret, sic pronunciasset contra legem, & populum Judæorum, ideò ut ipsos confutaret, petiit sibi ostendi monetam census, ut ex ipsa ostensione erueret judicii æquam sententiam: mysticè autem dat intelligere quòd unusquisque judicandus est secundum superscriptionem, quam suprascriptam habet imagini mentis suæ; homo enim est denarius de materia terrestri formatus, quia decimus est post novenarium Angelorum; Imago hujus denarii est Trinitatis personarum, super quam imaginem homo collocat superscriptionem morum, quæ est similitudo vel Dei, vel diaboli, & mundi, undè necessariò habet in se similitudinem vel Dei, vel diaboli. *Luc. cap. 20. vers. 24.*

32. *Christus clamat Prædicatoribus ostendite mihi numisma census.*

Ostendite mihi, ait, scilicet ad mei imitationem numisma census, scilicet quid ab auditoribus vestris faciendum, ostendite eis quid licitum, quid illicitum, quid virtus, quid vitium, contrà vitium damnationem imminentem, pro virtute gratiam, & præmium promissum. *Ser. 2. Dom. 22. Pentec.*

33. *Ostendite mihi numisma census clamat peccatoribus incessanter Christus*, scilicet ostendite mihi, & Vicario meo superscriptionem vestrorum operum, ostendite peccata vestra, ut deleatur per absolutionem, & contritionem talis superscriptio, & pingatur superscriptio gratiæ, & veritatis. *Ser. 2. Dom. 22. Pentec.*

34. *Christus imprimit in anima nostra suam superscriptionem.*

Ostendite mihi numisma census. Ad quid Christus voluit sibi ostendi numisma? sed attende, quòd hoc fecit, ad unumquemque nostrum dirigens hæc verba, & ut intelligeremus, quod anima nostra est superscriptio superaddita imagini Sanctissimæ Trinitatis, hæcque est vel diaboli, vel Christi, nam Ipse suo sanguine superscriptionem sui nominis impressit in imagine animæ, & in hujus veritatis signum jussit, ut omnes sui sequaces nomine Christianorum vocarentur, & ad hoc servivit triginta annis. *Ser. 3. de S. Antonio Patav. in addit. serm. 3. de plur. Mart. in addit. ser. 2. Dom. 22. Pentec.*

35. *In morte cujuſque Chriſtus examinabit ſuperſcriptionem animæ.*

Cujus imago hæc eſt, & ſuperſcriptio? Nota, quòd Chriſtus diligenter in morte examinat nummum animæ, an habeat imaginem ſuam, an diaboli; & ſecundum qualitatem ſuperſcriptionis etiam judicabit, ô quam timenda eſt hæc quæſtio, ô felix, qui in morte bonum nummum oſtendit, quia Dominus ei oſtendet bonum præmium, bonum regnum; Infelix è contra, qui animam habebit cum ſuperſcriptione peccati, & diaboli, quia Deus ei oſtendet tormentum per damnationem æternam, ergo moneta habens ſuperſcriptionem Chriſti, reponitur in theſauro Cœli, & habens imaginem diaboli projicietur in fornacem Inferni. *Ser.1.Dom.18.Pentec.ſer.2.& 3. Dom.22.Pentec.ſer.8.in Pentec. ſer.3.de S. Antonio Patav.in addit.*

36. *Animæ imago qualiter per peccatum deformetur.*

Cujus imago hæc, & ſuperſcriptio? Jam dictum eſt animam eſſe hunc nummum figuratum imagine Sanctiſſimæ Trinitatis, hæc eſt indelebilis quidem in anima, ſed tamen per peccatum mortale ita deformatur, ut meritò quæritur, cujus imago hæc &c. quaſi dicat ita deformata remanet, ut non cognoſcatur niſi difficillimè. *In ſap. prol.*

37. *Imago Dei impreſſa in anima qualiter ſuperſcribenda.*

Cujus imago hæc & ſuperſcriptio? Nota, quòd duo dicit, ſcilicet imaginem, & ſuperſcriptionem, nam exigit ab unoquoque noſtrum ſuper imaginem ſuperſcriptionem; Imago enim Cæſarea & regalis tribus perficitur, ſcilicet figurâ, colore & ornatu regali; figura pertinet ad imaginem naturalem, quæ conſiſtit in memoria, ratione & voluntate, nempè caput eſt ratio, venter eſt memoria, pes eſt voluntas, væ igitur illi, qui hoc caput inclinat ad ſenſualitatem, à qua excæcatur, væ & illi, in cujus ventre ſunt ſerpentes, & vermes vitiorum, væ & illi, cujus pes ſerpit per concupiſcibilia bona tetræ; color eſt ſuperſcriptio humilitatis, puritatis, & charitatis ad ſimilitudinem Chriſti; ornatus regalis eſt gratia Dei, quæ omnia exigit Chriſtus à nobis, *Ser.4. Dom.22.Pentec.*

38. *Chriſtus vult, ut Principibus, & Prælatis tributa juſta reddantur.*

Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Vide ad litteram, quòd Deus non vult, quòd Prælati, & Domini temporales in ſuo debito defraudentur, undè peccatum eſt & inhibitum non ſolvere pedagia, & gabellas, & decimas, & dativa alia, quæ per temporales Dominos debitè & æqualiter, & juſtè ordinantur. *Op. medit. c.* 60. Undè Publicanis quærentibus quid faciemus; dixit Joannes Paptiſta nihil amplius quam quod conſtitutum eſt vobis, conſtitutum, ſcilicet ut tributa exigatis, quæ debita ſunt, ad hoc autem requiritur debita auctoritas, debita cauſa, quæ eſt utilitas communis, & debita menſura. *Lucæ.3.v.13.& c.20.v.25.*

39. *Prius Cæſari reddendum eſt, poſteà Deo.*

Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Nota, quòd in hac ſolutione, & redditione primo loco ponitur ſolutio facienda Cæſari, poſtea Deo, cur hoc? cur Cæſar Deo præponitur? ſed attende ad myſterium; Vera juſtitia dat ſuum unicuique, & quia ut dicit Apoſtolus 1. *Cor.* 15. non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deindè quod ſpirituale: priùs ergo deponendum eſt pondus, quàm quis erigatur ſurſum; ergo ſi non vis obnoxius eſſe Cæſari, nol habere, quæ ſunt Mundi, & ſi habeas divitias obnoxius es Cæſari; ſi vis terreno Regi nihil debere, omnia tua relinque, Chriſtum ſequere; undè & benè prius quæ ſunt Cæſaris reddenda decrevit, quia non poteſt quis eſſe Domini, niſi prius renuntiet Mundo. *Luc.c.20.v.25.*

40. *A Deo mutuum habemus, quidquid habemus, & ideò ipſi reddenda omnia.*

Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari &c. Nota illud verbum, reddite quia actus eſt juſtitiæ reddere Domino, quod ſuum eſt; præcipit igitur, ut relinquamus omnia terrena mundo, ſed quæ ſunt Dei reddamus Deo; & quænam ſunt iſta? omnia bona, quæ à Deo recepimus corpus, animam & omnia temporalia, & ſpiritualia; Deo igitur reddenda; & ſi mundo renuntiemus temporalia, ipſi Deo reddimus; reddamus in mundo Deo dignam ſatisfactionem, reddamus Deo animam inſigniram ſuâ imagine, & ornatam Dei gratiâ, reddamus rationem omnium noſtrorum debitorum, dum ſumus in viâ, ut in æterna gloria accipere mereamur præmium gloriæ. *Luc c.20.v.25.ſer.3.Dom.22.Pent.ſer.1. de S.Matthia in addit.ſer.4.Dom.3.Adv.op.Diet.tit.2.c.5.*

41. *Quam ſtultum eſt negare reſurrectionem corporum.*

In illo die acceſſerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt reſurrectionem non eſſe. Nota ad litteram, quòd ſadducæi erant quidam, qui à Saduc ſacerdote originem trahebant, componebantque ſectam, quam ſectam juſtam, ſeu juſtitiæ appellabant; ſaduc enim interpretatur juſtitia, quia erant in judiciis, & punitionibus acerrimi; variaſquè hæreſes profitebantur, ſed potiſſima erat negatio reſurrectionis mortuorum, in quo maximè ſuam impietatem, & ſtultitiam oſtendebant; & mirum eſt quomodò inter Judæos tolerarentur, cum ſemper viguerit hæc veritas in fide, quod omnes reſurgere debemus; undè negans reſurrectionem non intelligit nobilitatem animæ, nec intellectum ſcripturæ ſpiritualis, nec poteſtatem Dei omnipotentis: ablatâ enim ſpe reſurrectionis, auferetur tota obſervantia pietatis. *l.c.20.v.27.& 33.*

42. *Prædicatorum, & Prælatorum munus eſt generare Chriſto filios ſpirituales in Eccleſia.*

Moyſes dixit: ſi quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Nota, quòd hoc præceptum datum eſt à Deo Judæis, *in Deut.c.*24. ad fovendam charitatem inter propinquos, & refrænandam cupiditatem,

piditatem, & ſervandam fidelitatem; ſed tamen id fuit datum in figura adventus Chriſti, qui deſponſavit ſibi Eccleſiam, cum fuerit mortuus ante fidelium multitudinem, qui ſunt filii ejus; ideò poſt ejus mortem ſuppoſiti ſunt Prælati, qui curam Eccleſiæ veluti ſponſæ gerunt, non ut generent filios carnales, ſed ſpirituales, & hos non nomine proprio, ſed Chriſti debent appellare, hocque eſt munus præcipuum Prælatorum, & Prædicatorum, & ideò qui hoc negligunt implere, debent puniri, & privari auctoritate regendi, atque prædicandi. *Luc.c.20.v.29.*

43. *Omnis reprobus moritur ſine filiis.*

Septem fratres erant, & primus accepit uxorem, & mortuus eſt ſine filiis, ſimiliter & alii, &c. Eccè quid faciunt Judæi, ſicut iſti Sàducæi, qui finxerant hanc fabulam, ut poſſent negare reſurrectionem; taliſque mos nunc inolevit in Judaiſmo, qui pluribus fabulis vacant, & verè dignis riſu, imò plactu (ut videre eſt apud Sixtum Senenſem.) Ponitur autem hic caſus, ſeu fabula, quæcumque illa ſit, ut nos elevet ad ſpiritualem ſenſum, nempè, quia per iſtos ſeptem mortuos ſine filiis, intelligitur univerſitas reproborum, qui cum in vita ſua ſterilles ſint, & ſteriliter vivant omittentes opera bona, ideò etiam in morte ut tales, & ſine filiis moriuntur, & ideò veluti reprobi ejiciuntur in tartara, qui ſeminat in carne, de carne, & metet corruptionem: *Luc.c.20.v.32.*

44. *Connubia ſunt propria carnis, non ſpiritus: caſtitas enim reddit ſimiles Angelis.*

In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo. Vide, quòd Chriſtus docet, quòd connubia ſunt propria carnis, non Spiritus, ſunt enim introducta propter filios. filii propter ſucceſſionem, ſucceſſio propter mortem, ergo ubi non eſt mors, ibi neque connubia ſunt; ergo in alia vita juſti erunt ſicut Angeli immortales, incorporales, ſcilicet non ſubjecti corruptioni, ſuprà tempus, & variationes temporalium; & per hoc exaltatur caſtitas, & virginitas, quæ in carne vivens, ſuprà carnem tamen vitam degit, & reddit hominem ſimilem Angelis Paradiſi; ideò tam dilecta à Chriſto, & hinc dicitur à Chriſto, quòd Deus, non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. *Luc.c.20.v.36.ſeq.ſer.4. Dom.2.poſt oct.Epiph.op.Diet.tit.4.c.1. in fine. op. ſolil.c.4 in fine.op.Eccleſ.Hierarch.p.3. c.2.ſerm.1. Dom.1. Adv.*

45. *Juſti non ſunt mortis obnoxii, ſed tantùm peccatores.*

De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis; quod dictum eſt à Deo dicente vobis: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. Quomodo Deus non eſt Deus mortuorum? nonne & mortui, & viventes ſunt à Deo creaturæ Dei imperio, & regimine ſubjecti? præterea quomodo dicendo, ſe Deum Abraham, Iſaac, & Jacob, ibi innuit reſurrectionem mortuorum? ſed attende ad ſenſum ſublimiſſimum horum verborum, quæ Deus protulit Moyſi, quando ei apparuit ſenſibiliter in rubo ardenti; tunc enim ei oſtendit ignem divinitatis uniendum cum rubo humanitatis, in qua Verbum paternum oſtendit ſuam ſenſibilem denominationem, in qua conjungit æterna cum temporalibus, ſpiritualia corporalibus, patriam exulibus, & cum dicit Ego ſum, denotat ſuum eſſe æternum, & immutabile, *Sic & Ioan.c.8.* Antequam Abraham fieret, ego ſum, & dicendo ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, denotat iſtos juſtos vivere cum Deo non in temporali mutabilitate, non in exilii hujus calamitate, ſed in æterna hæreditate, & per hoc allicere vult nos ad vitam ſpiritualem juſtorum, & ad manendum cum Deo non in mundo, ſed ſuprà mundum, & mundana, & creata, ut hic incipiamus vivere, & in alia vita perſeveremus ſemper vivere; Ergo Deus eſt Deus vivorum, non impiorum, qui in morte vivunt ſubjecti morti, & in æternum morituri. *Op.de ſeptem viner.æternit.viii.n.5.d.3.Ioan.c.8. v.52.Luc.c.20.v.35.ſeq.*

46. *Ubi vigent factiones, ibi facilis tranſitus ſecundùm affectiones, & odia, ad laudem, & vituperium; ad odium, & ad amorem.*

Et audientes turba mirabantur in doctrina ejus: Phariſæi autem audientes, quod ſilentium impoſuiſſet Sadducæis, convenerunt in unum. Addit S. Lucas, *quod etiam ſcribæ* (ſcilicet convenientes cum Phariſæis) *dixerunt Magiſter benè dixiſti.* Vide quid operatur in corde factioſorum cupiditas, & deſiderium ſuppeditandi aliam factionem: Erant autem Sadducæi ex una parte, & Phariſæi, & ſcribæ ex alia parte inter ſe factionarii, ſectarii, & inimici, & licet Phariſæi, & ſcribæ contra Chriſtum odium immortale in corde gererent, videntes tamen, & audientes, quod Chriſtus confuderat Sadducæos, convenerunt omnes in unum applaudentes Chriſto, ipſumque laudantes, quod & accidit Paulo, dum in concilio ductus, ut morti adjudicaretur, quando ſe declaravit Phariſæum contra Sadducæos, tunc ipſi applauſerunt, ipſum laudaverunt tamquam Angelum Dei, & liberum dimiſerunt. *Act.23. Luc.c.20.v.39.* Audiant, & attendant hæc Religioſi, & electores in electionibus, ne propter cupiditatem, & factiones fovendas, ille, qui prius erat exoſus tamquam inimicus, ſi ad ſuas partes tranſeat, licèt indignus ſtatim declaretur veluti Angelus Dei, &c.

47. *Præceptum charitatis quàm maximum.*

Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege? ait illi Jeſus: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, hoc eſt maximum, & primum mandatum, ſecundum autem ſimile eſt huic, diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Vide, quod Chriſtus oppoſuit nunc ſuam benignitatem, & amorem doloſitati iſtorum perfidorum, inſinuans eis apertè modum ordinandi totum hominem ſecundùm ſe totum ad Deum triplici virtute Theologica; nam primo regulat concupiſcibilem in ſummo diligibili imperando actum charitatis, dicens diligies, quæ virtus habet primitatem in virtutibus tùm in eſſendo, tùm in merendo, tùm in remuneratione; ſecundò elevat iraſcibilem in ſummo honorabili inſinuando objectum divinitatis, & hoc per ſpem, dicens Dominum Deum

tuum, per quod manifeſtatur Trinitas perſonarum conferentium nobis tria maxima beneficia, per quæ delectabiliter allicimur ad dilectionem, nempe creationis, collationis multiplicis gratiæ, & hæreditatis perpetuæ: tertiò illuſtrat rationalem in ſummo intelligibili explicando modum veritatis per fidem dicens, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, quia ad diligendum Deum neceſſario iſti tres actus debent concurrere, ſcilicet intelligentiæ per cor, voluntatis per animam, & memoriæ per mentem ſignificatæ; nam per intelligentiam excluditur erroris falſitas, ut fideliter diligatur per voluntatem, ne alliciatur voluptate carnis ad alia, ut ſincere diligatur, & per memoriam, ne frangatur operis diſcontinuatione, ut indeſinenter diligatur Deus ſine diminutione ad modum Beatorum. *Ser. 4. Dom. 7. Pentec. ſer. 8. de Apoſtol. Luc. cap. 10. v. 27.*

48. *Charitas perfecta in anima format myſticam Trinitatem ordinatam ad amorem ſanctiſſimæ Trinitatis increatæ.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua, & in tota mente tua. Cur ad totum cor, addit animam, & mentem, cum iſta videantur veluti ſuperflua? Sed attende ad myſterium: Charitas ordinatur ad dilectionem ſanctiſſimæ Trinitatis, & ad hoc exequendum intendit Chriſtus efformare in anima dilectionem habentem myſticam Trinitatem; nam ſicut in Trinitate eſt unitas eſſentiæ, & Trinitas perſonarum, quia ex Patre generatur Filius, & ex utroque procedit Spiritus Sanctus, ſic anima eſt una quoad eſſentiam, & trina quoad potentias, quia anima, eſt intellectus, eſt voluntas, eſt memoria; vult igitur, ut anima diligat Deum ex toto corde, anima, & mente, ſcilicet ex toto intellectu, ex tota voluntate, ex tota memoria, ut in quantum intelligitur diligatur, & in quantum diligitur ſemper in memoria habeatur, ratio eſt, quia non ſolus ſufficit intellectus, niſi ardeſcat voluntas amore ejus, imò nec hæc duo ſufficiunt, niſi memoria addatur, qua ſemper in mente intelligentis, & diligentis maneat Deus, ut ſicut nullum poteſt eſſe momentum, quo homo non fruatur Dei, & bonitate, & miſericordia, ità nullum ſit momentum, quo præſentem eum non habeàt in memoria, ergo dilige ô anima Deum tuum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ex toto corde, &c. *Op. Amatorium poſt initium. lib. 3. d. 27. dub. 3.*

49. *Charitatis præceptum ſumma omnium præceptorum, & maximum, ubi de ordine charitatis.*

Diliges Dominum, &c. & proximum tuum, &c. In his duobus, &c. Quomodo in his duobus præceptis poteſt dici, quod univerſa lex, & dicta, & mandata Prophetarum pendeant vel contineantur? Optimè dicit; quia præceptum charitatis unum eſt, & multiplex, quia enim ſolus Deus eſt ſummum bonum, ſummè beatum, & beatificativum, ideò ipſo eſt ſummè fruendum ob idque ei ſummè inhærendum per amorem, & in eo quieſcendum tamquam in fine, & conſequenter amor rectus, & ordinatus, qui dicitur charitas, fertur in illud bonum, quo fruitur, & in quo quieſcit (id enim eſt ratio diligendi) hinc eſt, quòd præcipuè diligens hoc ſummum bonum, tamquam beatificativum, diligit etiam ea, quæ per illud ſunt idonea beatificari; & hæc ſunt ultra Deum proximus, corpus noſtrum, anima noſtra. & quia Deus eſt ſuprà tamquam bonum ſupremum; Spiritus noſter intrà nos tamquam bonum intrinſecum, & proximus noſter juxta nos tamquam bonum cognatum, corpus verò noſtrum infra nos tamquam bonum ſubjectum; hinc oritur ordo in diligendo, ut primò diligatur Deus ſuper omnia, & propter ſeipſum; ſecundò Spiritus noſter ſub Deo ſuprà omne bonum caducum; tertiò proximus noſter juxtà nos ad conſimile bonum; quartò corpus noſtrum, & etiam proximi infrà nos ſicut bonum infimum: ſed cur datum eſt duplex præceptum, & non quadruplex? hoc eſt, quia amor eſt pondus mentis, & origo omnis affectionis mentalis, qui de facili reflectitur in ſe, & difficulter tendit in proximum, & difficiliùs in Deum, hinc eſt, quòd licèt quatuor diligenda ſint ex charitate, tamen duplex datur præceptum, unum, quod dirigit in Deum; aliud in proximum: & quia omnia præcepta vel ad Deum referuntur tamquam in finem (ſuntque primæ tabulæ) vel ad proximum tamquam in illud, quod eſt ad finem (ſuntque ſecundæ tabulæ) hinc eſt, quòd in his duobus mandatis clauditur collectio mandatorum, & comprehenſio omnium ſcripturarum, & ipſa charitas eſt radix, forma, & finis virtutum, quæ jungit omnes cum ultimo fine, & ligat omnia ad invicem ſimul, ac ordinat, ac per hoc ipſa eſt pondus inclinationis ordinatæ, & vinculum alligationis perfectæ: ordinem quidem ſervans reſpectu diligendorum diverſorum, quantùm ad effectum, & affectum; unitatem autem habens in habitu, quantum ad unum finem, & unum principale dilectum, quod eſt ratio diligendi reſpectu omnium aliorum dilectorum, quæ per amoris vinculum nata ſunt colligari in unum Chriſtum, ut in caput, & corpus, quæ unitas nunc inchoatur in vita, & conſummatur in gloria, ubi Deus omnia erit in omnibus, &c. *Op. Brevil. p. 5. c. 8. ſerm. 2. de SS. Doct. in addit. Vide lib. 1. d. 28. a. 1. q. 6.* Ex quibus patet, quòd charitas ad Deum, ad proximum, ad ſeipſum eſt unus habitus habens idem objectum, ſcilicet ſummum bonum fruibile, & ad quod omnes virtutes, & actus tendunt. *Lib. 3. d. 27. a. 1. q. 2.*

50. *Charitatis præceptum eſt omnium maximum.*

Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Cur maximum, & primum mandatum? Sed attende ad magnalia charitatis. Dicitur primum omnium, quia ordinat animam immediatè in Deum propter ſe; dicitur maximum, tum quia maximos facit Angelos, & homines, nam quantitas virtutis menſuratur tantùm ex charitate, tum quia eſt regina virtutum, fundamentum totius perfectionis, ornamentum virtutum, & animæ, ſine qua cæteræ amittunt omnem ſplendorem, tum quia continet capacitate omnia alia mandata, tùm quia eſt maximi meriti, tùm quia eſt ignis vincens, & domans omnia, tùm quia volat ipſa ſola in Cœ-

lum

lum volatu celerrimo, tùm quia, eſt finis omnium mandatorum. *Joan. collat. 68. Pſal. 118. cap. 6. v. 16. ſer. 1. de decem præcept. op. de ſex Alis, Seraph. c. 3. ſer. 2. de Doct. in addit. Luc. c. 12. v. 12. ſer. 4. Dom. 1. Quadrag. Vide lib. 3. d. 27. & 28. & ſeq.*

51. *Signa charitatis qualia.*

Diliges Dominum Deum tuum. Hoc dicitur quia ſine dilectione ſalvari non poſſumus, ſed quia dilectionis certitudinèm habere non poſſumus, hinc ex ſequentibus ſignis poteſt dignoſci; nempè ex ſollicitudine cogitationis, quomodo Deum inveniat, Deum teneat, & Deo placeat: ſecundò ex fortitudine affectionis, ſcilicet ex operibus, & laboribus, quæ pro Chriſto aſſumit: tertiò ex rectitudine intentionis, quæ exercetur in mali declinatione, in boni operatione, & in amoris Dei intentione: quartò ex promptitudine operationis, ſcilicet in ordine ad pœnitendum, ad benè vivendum, ad ſollicitè obediendum. *Ser. 1. & 2. & 3. Dom. 17. Pentec.*

52. *Charitas in Chriſtum compendium, & perfectio hujus præcepti eſt.*

Diliges Dominum Deum tuum, & proximum, &c. in his duobus mandatis univerſa lex, &c. Vult dicere, quòd tota Sacra Scriptura eſt de dilectione Dei, & proximi, & quia Chriſtus eſt Deus, & ſimul homo, per conſequens ordinat totum noſtrum amorem in Chriſtum, in quo eſt dilectio Dei ſuper omnia, eſt & dilectio proximi, cum ſit frater, & Dominus, Rex, & amicus, ſimul Verbum increatum, & incarnatum, formator noſter, & reformator, Alpha, & omega; ideò rectè dicit de ſeipſo, Ego ſum via, veritas, & vita, ergo qui amat perfectè Chriſtum, perfectè etiam legem implet. *Op. de Itiner. mentis c. 4. op. Amatorium poſt principium.*

53. *Deus diligendus, ex toto corde, animâ, & mente, & quid ſit hoc.*

Diliges Dominum ex toto corde, &c. Nota diligenter, quòd non dicit ex parte cordis, vel ejus medio, ſed ex toto; nec tantùm dicit ex toto corde, ſed ex tota anima, & ex tota mente, dans intelligere, quòd non debemus aliud velle, aliud intelligere, aliùd cogitare quàm Chriſtum; ſcilicet toto corde, & intellectu ſine errore, tota anima, & voluntate ſine contradictione, tota mente, & memoria ſine oblivione, & per hoc diſcere debemus, quòd Deus à nobis exigit totum cor, quaſi proprium hoſpitium; cor totum vult ad credendum, ut ſcilicet vita à corde non diſcordet, totum cor ad pœnitendum, totum cor ad vivendum benè, ut illi ſerviamus, totum cor ad obediendum, totum cor ad orandum, ut ſcilicet mens & lingua non diſcordent, totum cor ad diligendum, ut nil præter Deum, & in ordine ad Deum diligatur, totum cor ad reminiſcendum Deum, ejuſque beneficia, maximéque redemptionis, totum cor ad gratias agendum, & Deum laudandum in ſæculum ſæculi. *Ser. 2. Dom. 17. Pentec. ſerm. 2. de S. Maria Magdal. ſer. 1. de S. Clara in addit.*

54. *Præceptum charitatis in proximum expenditur.*

Et proximum tuum ſicut teipſum. Nota, quòd non dicit diliges proximum tuum ex toto corde, ſicut dixerat de dilectione Dei, ſed ſolùm dicit ſicut ſeipſum, nec etiam meminit dilectionem ſui, ſcilicet animæ, & corporis, quæ poſt Deum tenent primum locum antè proximi dilectionem, ut ſuprà dictum eſt, & hoc eſt cum myſterio notabili: primò quia diligere Deum ex toto corde debemus, quia ipſe ſolus eſt ſummum bonum; non verò proximus, quem diligere debemus tantum in ordine ad Deum, cujus fruitione eſt capax; & hinc non exprimit Chriſtus aliud diſtinctum præceptum homini de dilectione ſui, cum hæc ſit nobis innata, & cum talis dilectio propria debeat ordinari ad Dei fruitionem, hinc ſolùm dilectionem proximi præcipit, cum natura ad hoc non tantùm inclinet quantum in ſeipſum. *Lib. 3. d. 28. dub. 1. & ſeq.*

55. *Dilectio proximi quomodo contineat dilectionem Beatæ Virginis, & ſanctorum.*

Et proximum tuum ſicut te ipſum. Cum aliud præceptum de dilectione proximi non exprimat Chriſtus, quæritur an in ipſo contineatur præceptum de dilectione B. Virginis; & Sanctorum, cum ipſi ſint ſuprà nos, & ob id diligendi, & venerandi? Sed reſpondetur, quòd Beata Virgo, & Sancti poſſunt conſiderari ſecundùm puram naturam, & ſic ſub nomine proximi continetur eorum dilectio; ſi verò conſiderentur ſecundùm elevationem ſupernaturalem factam à Deo in ipſis, ſic ſunt diligendi, & venerandi ſuprà nos; idem & de Chriſto Jeſu. *Lib. 3. d. 28. dub. 3. ſeq.* Idem, & proportionaliter dicendum ex oppoſito de damnatis, & Dæmonibus, nam pro ut ſunt creaturæ Dei ſunt diligendæ, pro ut ſunt malæ, & inſeparabiles à malo, & non ordinabiles ad vitam æternam non ſunt diligendæ ex charitate actu elicito. *Lib. 3. d. 28 a. 1. q. 2.*

56. *Præceptum dilectionis proximi quale.*

Et proximum tuum ſicut teipſum. Vide quomodo ex dilectione Dei naſcitur dilectio proximi, quia propter Deum, & in Deo, & ſecundùm Deum eſt diligendus: propter Deum, quia ipſe mandavit; mandavit inquam, ut qui diligit Deum, ut diligat fratrem ſuum, *Joan. c. 4.* In Deo ideſt ex affectione, & forma, habituque, quo diligimus Deum ſummum bonum beatum, & beatificans: ſecundum Deum, ideſt ad finem, quo nos diligit Deus, ſcilicet ad profectum, & ſalutem animæ; & hoc eſt verè, & pure, & ordinate diligere: verè, & non fictè, ſicut illi qui lingua tantùm, & non opere, & veritate: purè, & non ex carnali affectione, & ſæculari ſocietate tantùm, ſimilis enim dilectio, licèt non ſemper ſit mala, non eſt tamen meritoria, niſi ex ſpirituali dilectione: ordinatè, ut non ſit ad vitia, & commoda carnis, ſed ad æternam ſalutem. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 26.*

57. *Multiplex dilectio proximi bona, mala, & indifferens expenditur.*

Et proximum ſicut teipſum. Nota hic, quòd dilectio proximi alia eſt carnalis, alia cupiditatis, alia naturalis, alia ſocialis, alia ſpiritualis; carnalis, quæ carnalibus nutritur, ut inter vitum, & fœminam in copula carnali: cupiditatis, quæ diligit pro muneribus: naturalis eſt, quæ inter cognatos eſt, & propinquos ſanguine, vel patria, & hæc etiam diligimus pulchros homines, & alia naturaliter delectabilia, & ſimiliora naturæ noſtræ, & hæc eſt indifferens ad bonum, & malum: ſocialis eſt, quæ verſatur inter contubernales, & familiares, & hæc etiam eſt indifferens ad bonum, & malum; ſpiritualis dilectio eſt quæ à Spiritu Sancto fluit, & hæc eſt, quæ nobis à Spiritu Sancto mandatur, & eſt meritoria, & duas priores dilectiones efficit meritorias, quando ab ea reguntur, ſcilicet naturalem, & ſocialem; cupidam autem non ordinat, ſed tolerat, & temperat, ne excedat, quia magis quærit utilitatem propriam quàm rei dilectæ: carnalem verò odit, & fugit, & exécratur, & exterminat, nec unquam eſt fida ſocietas inter has, & quantum una augetur, tantùm altera minuitur; licèt inter conjuges propter virtutis Sacramentum, ſi moderata fuerit excuſetur], ſed à ſpiritualibus præcipuè qui voverunt continentiam tantò magis præmenda eſt carnalis dilectio, & evellenda, quantò indecentior apparet macula in candida byſſo, quàm in rudi ſacco: ô caveant viri ſpirituales ab hac peſte, quia ſæpè ſub ſpecie ſpiritualitatis in maximas ruinas, & præcipitia multi cadunt. *Op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 16. *ſeq.*

58. *In quonam ſtet eſſentialitas hujus præcepti de dilectione proximi.*

Et proximum ſicut teipſum. Proponitur dubium ſuper illam particulam, ſicut, ergone homo debet tantùm amare proximum ſicut ſeipſum? nonnè ordo charitatis exigit, ut priùs ad ſeipſum, & ſalutem propriam habeatur reſpectus? adeſt ex oppoſito aliud dubium, quòd dicente Apoſtolo 1. *Cor.* 13. Charitas non quærit quæ ſua ſunt, ergo videtur, quòd plus amandus ſit proximus? ſed reſpondetur ad primum, quod ly, ſicut, non eſt nota perfectæ æqualitatis, ſed expreſſæ ſimilitudinis, quæ in hoc attenditur, quòd homo debet diligere proximum ad illud bonum, ad quod diligit ſeipſum, & poſt ſalutem propriam, nihil tantùm deſiderare debet, ſicut ſalutem proximi: ad ſecundum dubium reſpondetur, quòd charitas non quærit quæ ſua ſunt, ideſt quæ ſunt amoris proprii cum excluſione boni communis, ſed in iis, quæ non præjudicant utilitati proximi, & divinæ voluntati debet quærere primo loco quæ ſuæ ſunt ſalutis, & deindè, quæ ad aliorum ſalutem faciunt. *Lib.* 3. *d.* 29. *a.* 1. *q.* 3. Ex quibus infertur quod charitas proximi habet plures gradus: primus eſt nulli odiſſe, & malum cupere, nullius velle bonum impedire, & proximum tractare, ſicuti ſibi vellet, & quod nulli faciat, quod ſibi nollet fieri; hæc eſt lex, & Prophetæ, ait Chriſtus; hoc eſt amare proximum ſicut ſeipſum; hinc ſequitur alius gradus perfectior, eſtque congaudere alterius profectui, & bonum alterius diligere, quaſi proprium, & ſic compati ejus adverſitati. ſicut propriæ, & aliena lucra ſua deputare ex affectione pietatis: ſequitur poſteà alius gradus, ſcilicet ſentire bona aliena, vel mala ſicut propria, & hinc ſequitur ſubventio proximi, ubi eſt poſſibilitas; ad hos gradus conſequitur dilectio inimicorum pro Chriſto, & pro ipſis etiam animam ponere exemplo Chriſti. *Op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 28. *Vide ejuſdem.* p. 2. *c.* 10. & 11.

59. *Divinitatem ſuam expreſſit Chriſtus in illis verbis: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis. Pſal.* 109. & 50.

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd hoc totum caput eſt in arguendo ſcribas, & Phariſæos de ſuperbia, & hypocriſi, & de perſecutionibus, ab ipſis, & eorum Patribus excitatis contrà Prophetas, & juſtos, & hinc terminat in prædictione eorum damnationis.*

CAP. XXIII.

2. *Prædicatores quinam audiendi, quinam rejiciendi.*

Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite, opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Nota, quòd inter cathedram, & tribunal, & ſolium hoc diſcrimen eſt, quòd Tribunal eſt judicum, ſolium eſt Regum, cathedra eſt doctorum docentium, & prædicantium: & ideò mos erat ſicut Moyſes docuerat, quòd prædicantes docerent ſedentes in cathedra, & hoc faciebant ſcribæ, & Phariſæi; ut autem cognoſcerent populi, quid facere deberent ad prædicationem iſtorum, qui ſcandalosè vivebant, Chriſtus advertit; omnia ergo quæcumque dixerint ſervate, & facite, opera verò eorum nolite facere, quia Prædicatorum tria ſunt genera; alii, qui miſcent veris falſa, ut Hæretici, & iſti ſunt cohibendi; alii, qui prædicant vera, & ſanctè operantur, & iſti ſunt audiendi, & imitandi; alii qui vera, & ſancta prædicant, ſed intentione falſa, & malè operantes, & iſti ſunt tolerandi, & audiendi. *Luc. c.* 4. *verſ.* 20. & 42. & *cap.* 5. *verſ.* 17. *Ioan. cap.* 19. *v.* 13.

3. *Chriſtus etiam aliquando annuntiat veritatem per malos miniſtros.*

Omnia ergo quæcumque dixerint ſervate, & facite, opera autem eorum nolite facere. Vide quomodo Chriſtus in Eccleſia tolerat malos miniſtros, per quos annuntiat veritatem, & hinc monet ſubditos, ut ad verba, non ad opera attendant, ſic etiam nunc Balaam

Digitized by Google

Balaam prophetavit, per Caïpham, per Salomonem. *Eccles. proem.*

4. *Prædicator verus dirigit ſuam prædicationem non ſolùm ad aures, ſed & ad oculos, & ad cor.*

Omnia quæcumque dixerint ſervate, & facite, non verò opera eorum. Cur non opera, ſed tantùm verba attendenda præcipit Chriſtus? quia prædicatio iſtorum ſolùm ad aures auditorum pertingebat, non ad oculos, ſcilicet quia bene loquebantur, ſed malè faciebant; nota autem quod prædicatio alia penetrat ad aures, alia ad oculos, alia ad cor; ad aures tinnitus verborum, ad oculos bona, & ſancta, exemplariſquè vita, ad cor inſpiratio divina; hoc ultimum pertinet ad Spiritum ſanctum, primum, & ſecundum eſt verorum ſequacium, & diſcipulorum Chriſti, qui verbo, & exemplo prædicant: primum eſt Phariſæorum, & mercenariorum, qui benè loquuntur, & malè operantur, ſuntque iſti non Angeli aſcendentes ad gradus Eccleſiaſticos, & deſcendentes ad bona, & ſancta opera, ſed mercenarii, & ſubdoli, quos tamen Chriſtus vult audiri, ſed non imitari. *Pſal.* 125. *Luc. cap.* 11. *v.* 42. *Ioan. c.* 10. *v.* 12. *Eccles. proem. ſer.* 1. *de Rectoribus in addit.*

5. *Proprium Prælatorum eſt verbum, & exemplum ſimul connectere.*

Omnia quæcumque dixerint ſervate, & facite, ſecundum opera verò eorum nolite facere. Cur præcipit Chriſtus, ut prædicationem ſanctam legis divinæ audiant, cum per ſe ſit patens, debere nos Verbum Dei acceptare; & audire ex ore Prælatorum? ſed tamen hoc non eſt mirum, quia prædicatio Verbi ſine exemplari vita non habet vim trahendi peccatores ad pœnitentiam, debet enim Prælatus, & Prædicator utrumque connectere, quia docere ſolo verbo vanum eſt, etudire ſolo exemplo parum eſt, ſed utroque modo perfectum eſt, & proprium Chriſti, & ſequacium. *Sermon.* 1. *Dom.* 1. *poſt oct. Paſcha Luc. cap.* 10. *verſ.* 2.

6. *Prælati ſimul cum ſubditis portent onera ſua; ne de eis dicatur.* Alligant enim ſubditos oneribus importabilibus, digito autem ſuo nolunt ea movere, imò nec tangere; ſuntque illi, qui ſuadent ſubditos ad adimpletionem legis, ſed ipſi malè vivendo, & deſidiosè ipſam nolunt ſervare. *Op. Comp. Theol. lib.* 3. *c.* 70. *Luc. c.* 2. *v.* 28. & *c.* 10. *v.* 2. *ſer.* 1. *ſexag. ſerm.* 2. *de Eccleſiaſt. in addit. ſapient. cap.* 6.

7. *Humilitas, & ſuperbia ad invicem contendunt.*

Omnia verò opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus, dilatant enim, &c. Ecce typus ſuperbiæ iniquiſſimæ in his Phariſæis, & ideò ut ipſam evitemus, deſcribit Chriſtus vitia, & mores Phariſæorum, opponens ſuperbiam iſtorum cum humilitate ſuorum diſcipulorum; nam ſuperbia eligit quod eſt extrà, humilitas, quod eſt intrà, illa facit opera, ut videantur, iſta amplexatur teſtimonium bonum conſcientiæ; ſuperbia eligit corticem, paleas, flores, humilitas nucleum, granum, & fructum, & hinc ſuperbi à Chriſto reprobati, humiles amplexati. *Op. Diæt. tit.* 7. *c.* 1. *Luc. c.* 4. *v.* 40. & *c.* 9. *v.* 40.

8. *Religionis ad apparentiam, & exteriora incumbentis, interiora poſtponentis ſtatus infelix.*

Omnia verò opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus. Nota, quod hic Chriſtus Jeſus damnat abuſum illorum Religioſorum, & Religionum, quæ totum ſtudium collocant in cæremoniis exterioribus in exteriori habitu, & in aliis actibus, quæ videntur, & placent hominibus, ſpiritumquè devotionis, orationis, meditationis, puritatiſquè mentis poſtponunt, atque contemnunt, ſunt enim iſti ſimiles Phariſæis, qui in exteriori apparentiâ, & Religionis nomine tantùm gloriabantur, Scribæ autem in verbis Scripturæ ſibi laudem, & nomen magiſterii acquirebant: væ iſtis, ait Chriſtus, quia mercedem à Deo non accipient. *Op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 69. & *lib.* 1. *c.* 3. Audiant, & notent hæc Prælati ſuperioreſque Religionum, & Magiſtri Novitiorum, ut pro fundamento jaciant in ſubditis reformationem hominis interioris, ex qua poſteà gignitur reformatio exterioris. *Vide op. diſc. ſpec. lib.* 1.

9. *Qui cum Dei offenſa ad primas cathedras conatur aſcendere, juſto Dei judicio omnibus bonis privabitur.* Sic enim Phariſæi, & ſcribæ amantes primas cathedras, & ne ex eis deturbarentur in Chriſtum tentaverunt mortem, & ideò à Deo omnibus bonis fuerunt expoliati: ô quot ſuperbis hæc accidunt, qui cum Dei offenſa curant ſe ad alta elevare, & hinc juſtè à Deo omni honore privantur. *Ioan. c.* 12. *v.* 54. *ſer.* 1. *de cathedra in addit.*

10. *Omnes nos fratres ſumus, ideo ut fratres mutuò nos diligamus*; ſic dicit Chriſtus ſuis diſcipulis: *omnes vos fratres eſtis*: quia omnes ex uno Patre geniti ſumus, & omnes filii Dei, & ideò debemus invicem compati, ſicut ſi eſſemus fratres germani: *Op. Diæt. tit.* 7. *c.* 4. Nota, quod hic titulus fraternitatis qui à Chriſto ſuis Apoſtolis datus fuit, hinc poſteà à Fundatoribus Religionum piè uſurpatus eſt.

11. *Chriſtus ſolus, & unus magiſter.*

Unus eſt magiſter veſter, &c. Scilicet Chriſtus: magiſter enim dicitur, qui eſt major in ſtatione, & Chriſtus eſt ſuper omnes, quia in eo eſt veritas & plenitudo ſapientiæ, & quia ſolus eſt Rector noſter, ideò omnes regit, omnes erudit, & à quo omnis ſcientia, & doctrina venit, habens enim cathedram in Cœlo, docet omnes in terra. *Ioan. collat.* 60. *ſer.* 1. *Dom.* 22. *Pentec. Luc. c.* 7. *v.* 41. *c.* 9. *v.* 38. *c.* 11. *v.* 1 *c.* 19. *v.* 47.

12. Nota autem, quod cum Chriſtus hic nobis prohibeat, ne vocemur magiſtri, non vetat tamen officium, nomenque magiſterii in Eccleſia, nec etiam nomen, niſi eo modo, quo appellabantur Phariſæi, ſcilicet propter ſuperbiam, & ambitionem, honoriſque cupiditatem; & hinc admittuntur iſtæ appellationes in Eccleſia, quatenus aſſumantur cum humilitate propria Chriſti diſcipulorum, & ad Eccleſiæ utilitatem; undè ſubdit, qui major eſt veſtrum, erit miniſter veſter

Digitized by Google

ſter, & qui ſe exaltaverit, humiliabitur, & qui ſe humiliaverit exaltabitur; ex quibus patet, quòd magiſterium miniſtrorum Chriſti totum eſt in aliis ſerviendo. *Op. de tribus queſt ſer. 1. Dom. Palm. ſer. 2. de Eccleſiaſt. in addit.*

13. *Prælatorum ambitio, cupiditas, avaritia, negligentia, & hypocriſis condemnatur à Chriſto in perſona Phariſæorum, & ſcribarum in ſequentibus verbis: Va vobis ſcribæ & Phariſæi, &c. de quibus Vide Luc. c. 11. v. 41. & c. 20. v. 46. ſeq. Thren. c. 2. op. de ſeptem itin. ætern. itin. 1. d. 4. Apol. Paup. Reſp. 4. c. 1. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 12. Luc. c. 6. v. 3. Ioan. c. 18. v. 3. ſer. 1. de decollat. S. Ioan. in addit. Ioan. c. 19. v. 3. ſer. 3. Quinquag.*

14. *Hypocriſis exteriora ponderat, interiora contemnit.*

Va vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ &c. Nota, quòd hic maximè reprehendit Chriſtus hypocriſim, quæ exteriora ponderat, interiora negligit, cæteros reprehendit, ut in aliorum comparatione ipſa ſanctior videatur. *Ioan. collat. 45. Luc. c. 6. v. 42. ſer. 2. de Apoſt.*

15. *Prælati quales ſunt excolantes culicem, camelum autem glutientes.*

Nota, quòd parabolicè Chriſtus objurgat Phariſæos, quòd minimos culices in vinum cadentes excolarent, magnos camelos non excolarent, ſed potantes deglutirent, hoc eſt cum minima obſervarent, magna præcepta negligerent; hocque dicitur de illis Prælatis, qui minima, etiam non peccato cavent tanquam maximos defectus v. 9. pro una reverentia neglecta, vel ritu neglecto in choro, in menſa, ſed quæ graviora ſunt legis, ſcilicet detractiones, fornicationes, excurſiones, & alias obſervantias eſſentiales negligunt, qui culpas pauperum minimas examinant, graves autem divitum impunitas ſinunt, iſtique ſunt ſimiles iſtis Phariſæis. *Ioan. cap. 19. verſ. 30. ſerm. 3. in Quinquag. op. de ſex alis Seraph. 3.*

16. *Ex munditia vel immunditia cordis dependet qualitas totius hominis.*

Va vobis Scribæ & Phariſæi, qui mundatis quod de foris eſt calicis, & paropſidis: Intus &c. Vide quomodo hic dat intelligere Chriſtus patentiſſimè, quòd ex corde dependet omne bonum, & malum hominis, non ſolùm in eſſe naturæ, ſed magis in eſſe moris, alioquin, qui curat munditiam exteriorem ſine interiore ſimilis erit Phariſæis, quorum ſtudium totum erat in apparentia exteriori & intus habebant cor repletum omni immunditiâ & ſpurcitiâ veluti ſepulchra dealbata. *Ser. 4. de Apoſt. ſer. 2. Dom. Quinquag. ſer. 2. Dom. 1. poſt oct. Paſcha Luc. c. 3. v. 7. op. determin. qu. 16. op. ſpec. B. Virg. lect. 2.*

17. *Peccatoris corpus ſepulchrum eſt dealbatum; juſti templum Dei.*

Va vobis &c. quia eſtis ſimiles ſepulchris dealbatis &c. Nota vim hujus ſimilitudinis, quâ Chriſtus intendit exprimere ſtatum infæliciſſimum exiſtentis in peccato mortali, maximèque hypocritæ, ſicut ſepulchrum, dicitur quaſi ſemipulchrum, deſt à foris pulchrum, ſic peccator, maximèque hypocrita à foris apparet pulcher, ſe exercens in bonis operibus, ſed intus plenus eſt ſpurcitiâ, totus fœtor, ſtercus, horror, cinis, & mors; è contra corpus juſti templum eſt Dei, in cujus interiori habitat Deus, & ejus pulchritudo ſimilis eſt Angelicæ. *Luc. c. 11. v. 44. op. Determin. qu. 16. Luc. c. 3. v. 7.*

18. *Hypocriſis à Chriſto condemnata qualis.*

Va vobis Phariſæis hypocritis &c. Nota, quòd in his variis comminationibus factis à Chriſto contra Phariſæos, exprimit quatuor mala, quæ maximè Deo ſunt abominabilia, nempè negligentia in omiſſione boni, quia parva valdè oſtendebant curare, ſed maxima, & eſſentialia legis divinæ contemnebant: ſecundum arrogantia in commiſſione mali, quia ut ad primas cathedras pervenirent, omnia jura humana, & divina violabant: tertium eſt fraudulentia in occultatione mali, & quartum in oſtentatione boni, contra quæ Chriſtus cum mira energia fulminat, & comm natur, væ vobis, væ vobis Phariſæis, væ ſcilicet vobis imminet æterna damnatio. *Luc. c. 11. v. 42. ſeq.*

19. *Menſura patrum quomodo impletur à filiis.*

Et vos implete menſuram patrum veſtrorum. Quænam menſura eſt hæc patrum, quæ à filiis impletur? ſed attende ad arcanum terribile: Dat per hoc intelligere Chriſtus Jeſus, quòd apud Deum datur menſura determinata peccatorum, quâ impletâ Deus fulminat excidium, & damnationem æternam, & hæc menſura inchoata à patribus malis, ſæpe impletur à filiis peſſimis imitantibus malitiam patrum, hoc dicebat Chriſtus Phariſæis, nempè quia eorum patres fuerunt peſſimi perſecutores Prophetarum, & ipſi pejores imitatores perſecuti ſunt Chriſtum, ideò impleverunt menſuram à Deo determinatam, poſt quam excidium Reipublicæ Judaicæ, & ſynagogæ venit. *Thren. c. 1. ſer. 3. Dom. 1. poſt oct. Penteceſt.*

20. *Peccator vipera gignens intrà ſe ſerpentem, à quo eviſceratur.*

Serpentes genimina viperarum, quomodò fugietis à judicio gehennæ? Cur iſtos impios appellat ſerpentes genitos à vipera? ſed attende ad myſterium: Vipera gignit in ſuo utero ſerpentem, & ut exeat diſrumpit ventrem matris: ecce quid facit homo vipera, dum enim peccat mortaliter tunc in ſeipſo gignit ſerpentes, à quo poſtea eviſceratur: Vide ergo ô miſerabilis peccator, qui dum in ventre foves ſerpentem, divino judicio, & æternæ ruinæ te ſubjicis, quare non fugis hunc ſerpentem? imò à te ipſo ad pœnitentiam, & evades ſupplicium æternum. *Ser. 1. Dom. 3. Paſcha: ſer. 2. ſeptuag. Pſalm. 118. cap. 9. verſ. 9.*

21. *Sicut excidium ſynagogæ venit ex perſecutione ipſius contrà Chriſtum: ſic ſtrages publica, ut plurimum ex peccatis publicis perſonarum Eccleſiaſticarum, & ad hoc ad litteram ordinata ſunt illa verba: Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui*

Digitized by Google

qui effusus est super terram, &c. & loquitur ad Pharisæos, & Scribas, quorum malitia causa fuit persecutionum, quas Judæi in Prophetas missos à Deo, exercuerunt, & novissimè contra Christum; undè spiritualiter intelligitur ultio dominicæ indignationis, quæ propter peccata, maximè personarum Ecclesiasticarum, & Religiosarum, & præcipuè Prælatorum, irritatur, & excitatur, & indè promanant excidia publica super civitates & loca. *Luc. c. 11. v. 12. & c. 20. v. 12.*

22. *Munitiones locorum sunt Prædicatores; & væ iis, qui eos repellunt sic dicebat Christus Judæis: Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes,* scilicet quasi munitiones, & muros locorum, & ex illis occidetis &c. *Psal. 88.*

23. *Lapidatio spiritualis malorum contrà Christum, & proximum expenditur; ubi de ingratitudine, & scandalo.*

Jerusalem Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. Nota, quòd in hac Apostrophe sumitur continens pro contento, & conqueritur Christus cum Judæis persequentibus Prophetas à se missos; sed tamen hæc est querimonia, quam contra plurimos Christianos facit, qui non cessant lapidare Christum spiritualiter, & occidere, & quomodo hoc? lapidat homo Christum, qui beneficiis plurimis ab ipso receptis naturalibus, temporalibus, & spiritualibus utitur contra ipsum Christum, eaque quasi lapides in altum contra Deum mittit; lapidant item Christum, qui ipsum in proximo persequuntur injuriis, detractionibus, furtis, violentiis, & mendaciis; lapides item in Christum jaciunt, qui scandala proximis præbent, qui scandalizando, alios ad peccatum trahunt, contrà quos incessanter conqueritur Christus; *Jerusalem, quæ occidis, & lapidas Prophetas, &c. Ser. 4. Dom. Pass. ser. 2. de S. Stephano in addit.*

24. *Christi Jesu pietas in nos exponitur sub similitudine gallinæ.*

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat &c. Nota hanc similitudinem gallinæ, quâ exprimitur superabundantia pietatis Christi in nos, & hoc propter quinque proprietates gallinæ: nam gallina cum ovum posuit, cantat, & exultat, sic Christus, quando attrahit ad suum nidum Ecclesiæ peccatorem, gaudet, & lætatur cum Angelis: secundò quia avidius nutrit, & fovet pullos suos, quam alia avis, quodque cognoscitur in laxatione alarum super pullos, & in raucitate; sic Christus extendit alas suas super nos, ut defendat contra iram Dei, & ab impetu Dæmonis, & continuè clamat vocando ad se peccatorem, undè dicit; *rauca facta sunt fauces meæ:* tertiò quia gallina, cum sit animal domesticum, tamen non patitur tangi; sic Christus nobiscum est domesticè vsque ad consummationem sæculi, tamen non plenè tangitur: quartò gallina per medium scissa morsui serpentum supposita ipsum curat; sic Christus in cruce expositus, & extensus languores transtulit & morsum serpentis curavit: quintò quia inter alias aves gallina accommodatior, & suavior est usui hominis est; sic Christi caro verè est cibus dans vitam cælestem. *Psal. 56. & 58.* Nota etiam, quòd S. Lucas non exprimit nomen gallinæ, sed ponit nomen avis in communi, sic quemadmodum avis nidum suum sub alis, ut dei intelligere multiplicem pietatem Domini Jesu, qui etiam comparatur pellicano, de quo fertur, quòd triduò luget pullos suos mortuos, & postea rostro suo sibi sanguinem haurit, eosque vivificat; sic Christus flevit pluries super nos, & sanguine suo nos mortuos vivificavit. *Luc. c. 13. infine & c. 20. v. 12. & c. 6. v. 18. In Thren. c. 4.*

25. *Christum quantum ex se vult omnes salvos.*

Quoties volui congregare filios tuos &c. Notà illam particulam, volui, quæ denotat quòd Deus quantum est ex se voluntate antecedenti vera, & reali vult omnes salvos, & ut hæc sua voluntas executionem habeat, extendit alas suas exhibendo, & offerendo omnia necessaria auxilia omnibus, ità ut non sit, qui se abscondere possit à calore ejus, sed quia, licèt ipse velit, peccator non vult, ideò addit, & noluisti, hinc voluntate efficaci ipsos non vult salvos, ô quoties vult Deus salutem peccatoris, quoties ipsum vocat, quoties ipsum ferit suis inspirationibus, tegit alis suæ protectionis, sed quia impius liberè non vult, hinc & relinquitur ejus domus deserta. *Lib. 1. d. 46. a. 1. qu. 1. lib. 2. d. 28. a. 2. qu. 1. lib. 3. d. 25. a. 1. qu. 2. ad ultimam.*

26. *Christi proprium est in unum congregare; diaboli & impiorum disgregare.*

Quoties volui congregare &c. Nota ly, congregare, ut videas, quòd totum studium Christi est in unum sub alas suas congregare fideles, sed addendo, & noluisti, patet, quòd proprium est diaboli, & impiorum disgregare. *Ser. 1. & 2. in Epiph. Luc. c. 11. v. 24.*

27. *Christi absentia omnium malorum maximum.*

Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Ecce fructus vestræ obdurationis ô perfidi Judæi, quia noluistis sub alis protectionis Christi congregari, ecce quòd Christus à vobis recedet, & vestra domus, scilicet templum, & civitas relinquetur deserta, & desolata; ô quale malum, & omnium maximum privari præsentiâ, & protectione Christi; nam sine Christo est esse sine vita, sine esse, sine via, sine ullo bono, & cadere in omnes miserias. *Ser. 4. Dom. 3. post oct. Epiph. Psal. 101. Luc. c. 17. v. 35.*

28. *Felix, qui sub umbra alarum Christi vivit.*

Quoties volui congregare &c. sub alas &c. O felix, qui sub umbra alarum Christi vivit, & istæ sunt sua misericordia, & veritas, item & amor Dei, & proximi, quia sic immunis ab omni periculo vitam degit. *Psal. 16. & 56. serm. 3. Dom. 4. Epiph.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Notà, quod in iſto capite proſequitur narrationem deſolationis ſynagogæ, & ideo propoſuit ipſam futuram, & hinc prædicit antecedentia ad finale judicium, quod eſt complementum legis Evangelicæ: nempè bella, clades, peſtilentias, hæreſes ſuſcitandas, perſecutiones malorum contrà juſtos, aliaque innumera mala, quæ de ſe ſunt clara in textu.*

CAP. XXIV.

2. *Menſura falſa mundanorum circa hæc bona temporalia expenditur.*

ET egreſſus Jeſus de templo ibat, & acceſſerunt diſcipuli ejus ut oſtenderent ei ædificationes templi. Nota, quod diſcipuli non oſtenderunt Chriſto ædificationes templi tamquam quid ignotum, ſed quia ſibi videbantur, quod eſſent duraturæ uſque ad finem mundi, contrà id, quod ſuprà dixerat Chriſtus de deſolatione futura templi, credentes, quod ibi Deus colendus eſſet uſquè ad finem; hoc autem accidit, quia diſcipuli adhuc carnales erant, & menſurabant hæc temporalia ſecundùm menſuram mundanorum, quorum deceptionem Chriſtus abſtulit, repetens quod omnia deſolanda erant, & per hoc datur nobis admonitio, quod hoc diſcrimen eſt inter mundanos, & viros ſpirituales, quod illi confidunt in his tempotalibus, & tranſitoriis, totam curam, cor, & confidentiam in his affigentes: ſpirituales verò omnia iſta contemnunt tamquam tranſitoria, & ſolùm in cæleſtibus, cor, & animam affigunt. *Luc. c. 21. v. 5 ſeq.*

3. *Dei miſericordia quanta in Judæos expectando eos ad pœnitentiam poſt mortem, & ſuam reſurrectionem.*

Amen dico vobis non relinquetur lapis ſuper lapidem, &c. Hoc prædixit Chriſtus de excidio futuro templi, & civitatis Jeruſalem ob peccatum crucifixionis, quod tamen ſolùm quadrageſimo ſecundo anno poſt Paſſionem ſuam evenit; voluit enim Chriſtus, ut ejus miſericordia reluceret, expectare Judæos ad pœnitentiam, ſed amplius non diſtulit ob eorum perfidiam, ut videas, quod abutentes Dei longanimitate in majus præcipitium poſtèà ruunt. *Luc. cap. 21. verſ. 6.*

4. *Cogitatio futuri judicii ſuadetur.*

Dic nobis quando hæc erunt? Sic interrogaverunt diſcipuli Chriſtum quærentes de tempore excidii Ieruſalem, & ſimul judicii univerſalis; Chriſtus autem non eis revelavit tempus determinatum, ſed tantùm eis prædixit ſigna antecedentia, ut ſignificaret, quod inquiſitio de tempore præciſo eſt vana, & curioſa, & abiicienda; at inquiſitio in generali de judicio, & conditionibus eſt ſancta, & utilis, & ideo meditatio judicii debet frequentari à diſcipulis Chriſti. *Luc. ibid.*

5. *Diſcipuli Chriſti poſt Chriſtum vadunt; diſcipuli diaboli poſt diabolum.*

Videte ne quis vos ſeducat: multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos ſeducent: addit S. Lucas; *Nolite ire poſt eos.* Ecce quomodò Chriſtus præmonet diſcipulos multos hæreſiarchas ſuſcitaturos eſſe varias hæreſes, ut diſcipuli ſui ab eorum ſequela abſtineant; datque intelligere, quod diſcipuli diaboli poſt diabolum vadunt, poſt Simonem Simoniaci, poſt Mahometum luxuriosi, poſt Antichriſtum ſuperbi; poſt Chriſtum humiles, & devoti; quale eſt caput talia ſunt membra. *Luc. cap. 21. verſ. 8.*

6. *Sicut in mundo majori ſemper bella vigent: ſic in Mundo minori.*

Audituri enim eſtis prælia, & opiniones prælio rum; &c. Notà quod Chriſtus prædicit duplex genus prælio rum, quæ mundum turbant; nempè prælia externa inter populos, & Reges, hæc enim ſemper in mundo viguerunt, nec umquam uſquè ad finem mundi ceſſabunt; aliud eſt prælium interſtinum, quod quiſque experitur ex concupiſcentiis noſtris, ut appareat quod militia eſt vita noſtra ſuper terram, & ut excitet ſuos ad præliandum conſtanter contrà diabolum, mundum, & carnem. *Luc. c. 21. v. 9. & 10.*

7. *Tribulationes, & perſecutiones contrà juſtos ſunt teſtimonium dilectionis divinæ.*

Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, &c. addit S. Lucas *continget autem vobis in teſtimonium.* Quaſi dicat inſurgent in vos, ô diſcipuli mei, tribulationes, perſecutiones, exilia, perturbationes, mortes, tormenta, ſed hæc erunt teſtimonium dilectionis divinæ, igitur perſeverate uſque in finem, quia qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. *Luc. c. 21. v. 12. & 13. Eccleſ. c. 7. op. de dono ſortis. c. 4. op. de perfect. vitæ cap. 8.*

8. *Ubi abundat peccatum, ibi frigus viget.*

Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum: O quàm benè, quia peccatum eſt frigus infernale, & ideo ubi abundat peccatum, ibi abundat frigus tollens, & extinguens omnem calorem charitatis; & omne bonum ſpirituale, & hinc mirum non eſt, quod ubi eſt multiplicatio peccatorum, ibi etiam obduratio in peccato, quia ibi viget ignis concupiſcentiæ. *Op. Diæt. tit. 7. cap. 3. Eccleſ. cap. 7. Ioan. cap. 18. verſ. 18.*

9. *Ex*

9. *Ex multiplicatione malorum oritur frages bonorum.*

Quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Ecce quale præjudicium affert multitudo peccantium & ſcandaloſorum; hæc enim redundat in perniciem Reipublicæ Chriſtianæ, quia ex malo exemplo multorum, multi retrahuntur à bono, & inde oritur ſegnities, torpor, & maximum damnum in bonos, quod & advertant Prælati, maximè Religioſi, ne impunitos relinquant ſubditos, ne bonos inficiant. *Luc. c. 5. v. 7. op. de ſex Alis Seraph. cap. 4. opuſc. de terminis, queſt. 15.*

10. *Metamorphoſis peccati connectentis ſimul frigus, & ignem in anima.*

Quoniam, &c. refrigeſcet charitas multorum. Vide iterùm metamorphoſim peccati, & cum oriatur ex igne concupiſcentiæ, frigidam tamen reddit animam, quia ipſam privat igne charitatis divinæ; & hinc de exiſtente in peccato poteſt dici ab aquis nivium, ad calorem nimium, & è contra; nam ignis exardeſcens animam ipſam & frigidam reddit, & ratio eſt, quia cum frigus cauſetur ex receſſu à principio fontali caloris, vel ex interpoſitione molis inter principium caloris, & calefactibile, vel ex raritate, & irrentibilitate caloris, vel ex elongatione ab eo, in quod calor recipitur, & hinc indurat, deſiccat, & conſtringit: ſic peccatum elongat animam à fonte charitatis, mediumque eſt impediens tranſmiſſionem caloris divini, & hinc ſequitur induratio in malo, exſiccatio caloris cœleſtis, & receptio ignis infernalis, qui eſt concupiſcentiæ, quibus anima frigida vivit in amore Dei, & exardeſcit in infernali igne concupiſcentiæ. *Ioan. c. 18. v. 18. & collat. 80.*

11. *Perſeverantia coronans animam fructus patientiæ.*

Qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. S. Lucas hic legit. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Eundemque ſenſum habet utraque ſententia; nam ex patientia oritur perſeverantia, nec vera perſeverantia eſt ſine patientia, nec patientia niſi ſit perſeverans; hæc autem virtus facit poſſidere animas noſtras, ideſt perfectè vivere in omnibus mentis motibus, quaſi ex arce veritatis dominari, & uſque ad coronam ducere animam. *Op. de dono fortit. c. 3. op. de Profe. Religioſ. lib. 2. c. 34. ſeq. op. de perfect. vitæ, c. 8. Luc. c. 21. v. 19.*

12. *Abominatio deſolationis prædicta à Chriſto, & à Daniele expenditur.*

Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto; qui legit intelligat. Nota, quòd in his verbis ad duplex tempus alludit Chriſtus, ſcilicet ad deſolationem templi Jeroſolimitani, & ad aliam futuram tempore Antichriſti in fine mundi; quænam autem ſit hæc abominatio deſolationis poſita in loco ſancto, ſcilicet in templo eſt in quæſtione: alii enim volunt eſſe ſtatuam Imperatoris Romani collocatam in templo, ut intrantes ipſam pro Deo adorarent, alii fuiſſe prophanationem factam ab ipſis Judæis in ipſo templo tempore obſidionis Romanæ; qui multa ſcelera in ipſo perpetrarunt, & hoc fuit ſignum imminentis deſolationis: Ad finem etiam mundi ordinantur iſta verba, nam per abominationem deſolationis intelligitur Antichriſtus, qui in templo, quod tunc juſſu ſuo reædificabitur, veluti Deus ſedebit, & tunc Orbem terrarum deſolationibus replebit, & ſicut Chriſtus per duodecim Apoſtolos faciendo ſigna, & prodigia totum mundum illuminavit, & convertit; ſic Antichriſtus Chriſto adverſarius duodecim ſignis in duodecim mores gentium ponet, ut quaſi totum mundum pervertat, & illa ſigna in hominibus apparebunt antè ejus adventum, & in hoc finem mundi cognoſcemus: primum ſignum erit; quando ſenes erunt fatui, ideſt ſine prudentia, patientia, pudicitia, & in omnibus ferè deteriores juvenibus; ſecundum ſignum, quando Chriſtiani erunt ſine fide, ideſt viventes ſicut infideles Deum verbis confitentes, factis autem negantes: tertium, quando populus erit ſine pace, dilectione, & charitate: quartum, quando diviſes erunt ſine miſericordia crudeliſſimi in pauperes: quintum, quando pauperes erunt ſine humilitate: ſextum, juvenes ſine reverentia, & timore Dei: ſeptimum, mulieres ſine verecundia: octavum, quando matrimonium erit ſine continentia: nonum, quando Religioſi erunt ſine Religione vitæ: Clerici ſine honeſtate vitæ, & ſanctitate; Prælati ſine ſollicitudine regiminis, & pietatis: & Principes ſine miſericordia, & liberalitate; Ecce qualia ſigna adventus Antichriſti; faxit Deus, ut noſtris temporibus non vigeant univerſaliter hæc ſigna ſicuti in multis iniquis particulariter graſſantur. *Ser. 1. Dom. 24 Pentec.*

13. *De Antichriſto expendantur aliqua.*

Cum videritis abominationem deſolationis, &c. Ideſt Antichriſtum: Nota autem, quòd Antichriſtus antè judicium univerſale naſcetur in Babylone, ex tribu Dan, & in eum deſcendet Spiritus malignus exiſtentem adhuc in utero matris, & poſt veniet in Ieruſalem, & circumcidet ſe dicens ſe eſſe Chriſtum, & Judæi ipſum ſequentur: quatuor autem modis decipiet mundum: primus per prædicationem per ſuos miniſtros faciendam, qui magnam ſanctitatem fingent exteriùs, ſed in veritate erunt iniquiſſimi, & prædicabunt doctrinam contrariam fidei Chriſtianæ: ſecundus modus erit per fallacia miracula, quæ per artem magicam facient: tertius per munera; ditabit enim ſuos ſectatores: quartus modus erit per minas, & tormenta; tunc enim erit tanta tribulatio in Eccleſia, ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi, ejus verò imperium, quod erit maximum ferè in totum orbem terrarum, durabit tribus annis cum dimidio; & poſteà in monte Oliveti à Sancto Michaële occidetur; & tunc ipſius deceptiones, & errores detegentur, & Judæi ad Chriſtum convertentur, & tunc fiet unum ovile, & unus Paſtor;

de hoc impiiſſimo Tyranno *Vide op.Comp.Theol. lib. 7.c.8. & deinceps.ſcr.15.Hexam.op.Eccleſ.Hier. p.4.c.4.ſcr 3.Dom.15.Pent.ſerm.1. Dom.1. Adv. in Eccles.c.12 ubi multa, &c.*

14. *Qui vult effugere iram furoris Domini fugiat ad montes.*

Tunc qui in Judæa ſunt fugiant ad montes. Cur ad montes? nonne & iſti ſubjecti fuere furori exercitus Romanorum: ſed hic loquitur myſticè Chriſtus; dat enim intelligere primò ad litteram quòd qui non vult capi in obſidione ſtrictiſſima civitatis Jeruſalem eat & fugiat ad montes, ſed ſpiritualiter qui vult effugere iram furoris Dei, qui non vult capi à Dæmonibus inſidiantibus fugiat ad montes,ſcilicet ad orationem,& contemplationem,ad pœnitentiam, nec alius modus reſtat evadendi. *Luc.c.3.v.7. & cap 9. v.28. & c.21. v.21.*

15. *Licitum eſt juſtis aliquando fugere perſecutiones adverſariorum*, ſic enim dicitur hic, quod *qui in Judæa ſunt fugiant ad montes:* hoc enim licet non ſolùm imperfectis ad evadenda pericula, ſed & perfectis, quando ſic magis expediens eſt ad gloriam Dei, & ad ſalutem animarum, ſic fecit Chriſtus,ſic & Apoſtoli aliquando. *Luc. cap. 21. v.21.*

16. *Qui ad Religionem ſe conferunt, non deſcendant tollere aliquid, vel tunicam ſuam de domo ſua, ſed perſeverent in ſtadio perfectionis.*

Et qui in tecto, non deſcendat tollere aliquid de domo ſua; & qui in agro, non revertatur tollere tunicam ſuam. Ad litteram prænuntiabat Chriſtus ſtrages, in quas inciderunt poſteà illi, qui reperti fuere intrà mœnia Ieruſalem tempore obſidionis,& ideò monuit,ut qui erant reducti in loca tuta, vel remota, non amplius reverterentur in civitatem: ſed myſticè iſta verba diriguntur ad Religioſos; qui cum ingrediendo in Religionem ſe collocarint in tecto extrà carnalia extranea veluti in aura libera, & in agro per exercitium virtutum, cumque vivant in ſtatu tuto,& remoto à periculis ſæculi, caveant, ne revertantur ad ſæculum, vel apoſtatando, vel redeundo ad negotia,& ſollicitudines ſæculares,vel retrocedendo, vel deſiſtendo ab arrepto itinere perfectionis, ne ſubmerſi remaneant cum mundanis, & æternam ſalutem perdant. *Luc.c.9.v.18. & in fine.c.14. verſ. 29 ſeq. & cap. 17. verſ. 31. ſeq.*

17. *Peccatoris concipientis, & parturientis ſtatus miſerabilis.*

Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Cur hoc? quia uteri, vel manus ſarcina filiorum prægravatæ fugæ neceſſitatem impedient; quia hujuſmodi non poterit prodeſſe fuga ob vehementem oppreſſionem civitatis: myſticè autem per prægnantes intelliguntur animæ peccatrices, quæ concipiunt per peccati concupiſcentiam, & pariunt per operationem perverſam; quando enim concupiſcis ô peccator rem alienam, vel impudicitiam, anima tua quaſi concepiſſe videtur, quando verò ad actum iniquum venеris, tunc quaſi natum filium oſcularis, & nutris; & indè, væ exoritur; ſcilicet æterna damnatio. *Luc.c.21.verſ.23. ſerm. 1. Dom. 24. Penitc. opuſc. ſpec. B. Virgin. lect.2.*

18. *Velleitas peccatoris quàm exitialis.*

Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus. Nota etiam, quòd myſticè eſt ſermo de peccatoribus, qui velleitate aliqua bonum propoſitum concipiunt, ſed non perveniunt uſque ad partus effectus: væ igitur iſtis,quia in tempore perſecutionis, & tentationis tale propoſitum moritur propter negligentiam; unde communiter dicitur, quòd Infernus plenus eſt bona voluntate, ſcilicet tali velleitate. *Luc.c.1. v.23.*

19. *Oratio à periculis liberat, & maximè in tempore tribulationis.*

Orate autem ut non fiat fuga veſtra in hyeme, vel ſabbato. Scilicet in tempore, in quo lutoſa via vos impediat, vel in quo tempus vobis non dabitur fugiendi: Nota illud verbum, (orate;) hoc enim eſt unicum remedium, hoc eſt præmuniri, & prævenire neceſſitatem in tribulatione, quia oratio ſola liberat à periculis. *Op.de Prof.Religioſ. lib.2.c.66.*

20. *Caveat homo ſpiritualis ab hyeme, ne impediatur iter ad æternitatem.*

Orate autem ne fuga veſtra fiat hyeme. Cur in hyeme? ô quàm periculoſum eſt iter in hyeme; hyemis autem nomine veniunt omnia impedimenta, & offendicula itinerum æternitatis, ſuntque concupiſcentia carnis, & oculorum, & ſuperbia vitæ, cum omnibus familiis ſuis,quæ impediunt animam, ne arripiat, & proſequatur iter ad profectionem, & ad æternitatem: Vide igitur ô anima, ne in tali hyeme te inveniat mors; ſed fac, ut poſſis dicere verè, Iam hyems tranſiit, & receſſit, jam ſunt diminuta, & deſtructa talia impedimenta,tranſeamus ultra. *Op.de 7. itin.ætern.itin.1.d.6.*

21. *Tribulatio Eccleſiæ tempore Antichriſti, erit omnium maxima*, ut expreſsè docet Chriſtus Dominus in his; *Erit tunc tribulatio maxima qualis non fuit.&c. Vide op. Comp. Theol. lib.7.c.9.& 13. in Eccles. cap.21. ſerm. 15. Hexam. Luc. capit.17. verſ. 22.*

22. *Chriſtus ab oriente veniet ad judicium ſicut fulgur.*

Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret uſque in Occidentem, ita erit, & adventus filii hominis. Nota, quòd in his verbis dat intelligere Chriſtus, quòd ipſe ad judicium univerſale venturus eſt à parte Orientis; dicitur autem ſicut fulgur, quia omnia in ictu oculi deteget bona, & mala, & omnia clariſſima parebunt. *Luc.c.12. v.3. ſupr. c.16.in fine.ſer.1.de Circumciſ.*

23. *In*

Digitized by

23. *In Judicio universali omnes electi volabunt ad Christum tamquam ad centrum.*

Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Nota, quod loquitur hic Christus ad litteram de judicio universali, & dicit, quod ad corpus volabunt omnes aquilæ: Aquilæ autem sunt omnes justi, qui volant, & confugiunt ad centrum suum, & refectionem propriam, scilicèt ad Christum; congregantur autem Aquilæ ad cadaver ob vivacissimum olfactum, limpidissimum aspectum, velocissimum volatum, & avidissimum appetitum: sic sancti ad Christum Verbum Incarnatum congregabuntur per ardentissimum desiderium, limpidissimum contuitum, sapidissimum gustum, & per motum amotis excessivum; ô fælices Aquilæ. *Luc. cap. 17. ad finem.*

24. *Secundùm proportionem fervoris communionis Eucharisticæ ad Christum in Cœlo volabunt animæ.*

Ubicumque fuerit corpus. Quodnam corpus? Corpus scilicet, & sanguis Christi, ad hoc corpus volant ferventes fideles ipsum intra se sumendo, ejus refectione fruendo, & tales Aquilæ etiam ferventiùs, & avidiùs in die judicii congregabuntur ad Christum. *Serm. 2. de S. Ioan. Evangel. in addit. Psal. 24. sermon. 3. Dom. 24. Pentec.*

25. *Ubi conservatur Corpus Christi, ibi accurrunt Angeli cœlestes.*

Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ. Aquilæ, scilicet Angeli è Cœlo accurrent, ubi asservatur Corpus Christi in Eucharistia, & hinc Ecclesia militans in terris petit admitti voces suas cum Spiritibus, & Virtutibus Angelicis in Cœlis, quòd utique fit, si juxta admonitionem Sacerdotis corda sursum habemus ad Dominum, non ad terrenum desiderium, quia in Missa fine dubio ima summis conjunguntur, & hinc cum Angelis cantamus Sanctus, Sanctus, Sanctus, ipsum potentem exaltando, in Cœlo, in Inferno, & in terra; item Sanctus in se, & sanctus fideles suos in terra protegens, Sanctus Angelos in Cœlis, & omnes Sanctos inenarrabili gaudio replens. *Op. Expos. Missæ c. 3. sermon. 1. in dedicat. serm. 3. Dom. 24. Pentec.*

26. *Ubi est cadaver, ibi Aquilæ Inferni congregantur.*

Ubicumque fuerit corpus, &c. Nota, quòd mysticè etiam datur intelligi, quòd sicut Aquilæ congregantur ad cadaver fœtidum, sic & Dæmones velocissimæ Aquilæ congregantur circa peccatorem existentem in peccato mortali, & hoc maximè in morte, ut ipsum rapiant, & diripiant. *Ser. 3. Dom. 24. Pentec.*

27. *Aquila sit homo si vult dignè accedere ad Christum.*

Ubicumque fuerit corpus, illic, &c. Nota, quod Christus est corpus scilicet continens in se omnia membra, & ad se invitans omnes Aquilas; Aquila sit homo, ut sicut hæc in senectute rostro sibi nimis adunco sumere non valens cibum & ob id languescit, & decrescit, ad petram uncum rostri deponit, & sic cibum sumens revivisscit; sic peccator curvitates peccatorum, & maximè peccata labiorum, tamquam curvum rostrum deponat ad petram Christum, & simul ad petram pœnitentiæ, deinde ad Christum volet, ut cibum doctrinæ, & Eucharistiæ sumere valeat, & renovetur ut Aquilæ juventus ejus. *Serm. 3. Dom. 24. Pentec.*

28. *Solis, Lunæ, & stellarum vera, & mystica obscuratio antè diem Judicii expenditur.*

Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna, &c. S. Lucas, ait, *Erunt signa in sole, Luna, & stellis, &c.* Quæritur, qualia hæc signa, & an verè obscurabuntur stellæ? Respondetur, quod verè obscurabuntur, & relinquent hanc machinam mundi inferioris in tenebris involutam, & hoc ad terrorem malorum, & ad indicium patens imminentis judicii universalis: mysticè autem ad adventum Antichristi erunt signa in sole, &c. scilicet signa, & prodigia maxima, non vera miracula fient ab Antichristo ministerio Dæmonum, ita ut multi, qui apparent veluti soles doctrinâ, cadant in errores varios. & stellæ scilicet simplices. *Ser. 1. Dom. 1. Adv. ser. 11. Hexam. Luc c. 17. v. 34. & c. 21. v. 24. seq. op. Eccles. Hier. p. 4. c. 4.*

29. *Angelorum tremor qualis in die Judicii.*

Et virtutes Cœlorum commovebuntur. Quænam sunt virtutes Cœlorum? & qualis ista commotio? Virtutes Cœlorum sunt Angeli Beati, qui ex conturbatione omnium dicuntur commoveri; dicuntur autem pavere, & contremiscere non timore pœnæ, sed timore reverentiæ, & horrore divinæ vindictæ sicut dicitur *Iob 1. 41.* cum sublatus fuerit timebunt Angeli, & territi purgabuntur: commovebuntur autem, & quasi pavebunt ex illa terribili ultione; quid igitur faciet virgula deserti, ubi timore concutitur cedrus Libani Paradisi? Vide igitur, quòd sicut Rex processurus ad bellum contra aliquem expeditionem mandat in populo, dignitates omnes moventur, exercitus excitatur, tota civitas fervet; quantò magis Rege cœlesti, exurgente judicare vivos, & mortuos Angelicæ Virtutes commoventur? terribiles ministri terribilem Dominum præcedent? antè ipsum pro candelabris fulgura viva præcedent? pro tubis horrenda tonitrua? verè magna vox, cui omnia obediunt elementa, quæ peccata scindit, inferos aperit, vincula mortis disrumpit. *Luc. c. 21. v. 26.*

Digitized by Google

30. *In die Iudicii Crux cum Chriſto, & aliis ſignis Paſſionis apparebit.*

Et tunc parebit ſignum filii hominis in Cœlo. Nota, quòd per ſignum filii hominis, omnes Sancti Patres intelligunt crucem, cum inſtrumentis Paſſionis: ſed eſt quæſtio an hæc crux erit apparens, an vera, & an illa, in qua verè Chriſtus ſuſpenſus fuit: in qua quæſtione multi cenſent fore crucem ligneam, quam nunc in tot particulas diſciſſam divina potentia reintegrabit, & ſplendidiorem mille ſolibus reddet, & hanc eamdem exiſtimant collocandam eſſe in Cœlo propè Chriſtum, ut ſemper à Beatis ad majus gaudium videatur, & ob eamdem rationem Chriſtus vulnera in corpore conſervabit: Alii cenſent fore ex aere, & nube ſplendidiſſima, & tantæ magnitudinis, & ſplendoris, ut ab omnibus videri poſſit. Addunt plures Patres talem crucem appariturum in aere poſt mortem Antichriſti, & nunquam deſituram, donec veniat Chriſtus; & Chryſoſtomus docèt fore portandam à S. Michaele ſignifero, tamquam vexillum ſummi imperatoris. Angeli verò portabunt cætera inſtrumenta. *Sic D. Thomas. opuſc. 2. c. 244.* & ſecundum ordinem hierarchiarum, ex quocumque choro, unus Angelus portabit aliquod inſtrumentum Paſſionis. *Sic Viguer. c. 21.* Tunc igitur Chriſtus apparebit ſuper montem Oliveti, ubi aſcendit, & ipſum præcedent quaſi vexilla triumphi inſtrumenta Paſſionis, & mortis ſuæ, crux, clavi, lancea, cicatrices, & alia inſtrumenta; tunc non erit neceſſitas accuſationis, quia ipſa erunt loco accuſatorum, quæ viſio erit in maximam pœnam impiis, & in maximam conſolationem electis. *Ser. 4. Dom. 24. Pentec. ſerm. 1. in Aſcenſ. ep. Diat. ſit. 9. c. 1.*

31. *Idem argumentum: ubi de fletu damnatorum.*

Et tunc parebit ſignum filii hominis in Cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ. Ad quid Chriſtus apparere faciet in judicio crucem, & inſtrumenta Paſſionis? Reſpondetur, quod id erit primò, ut juſtior condemnatio damnatorum appareat, qui tantam miſericordiam neglexerunt, & eorum præcipuè, qui Chriſtum perſecuti ſunt: ſecundò ut ſignificetur Chriſtum comparaſſe poteſtatem judiciariam per crucem, & Paſſionem: tertiò ut per comparationem crucis, vulnerũ, &c. magis increpetur ingratitudo damnatorum: quartò ut oſtenderetur crux, ut fons, & origo totius gratiæ, & gloriæ hominum: Nota autem, quòd hoc totum fiet ex loco ubi Chriſtus aſcendit, & eodem modo, ſicut enim aſcendit in voce tubæ, & ſuſcipiente nube, & comitatu turbæ cœleſtis, & data benedictione. ſic utique veniet cum tuba judicandos excitante, cum nube judicium approbante, cum benedictione electos beatificante, & præſcitos reprobante cum maledictione: Addit Evangeliſta, *& tunc plangent omnes tribus terræ*, ſcilicet damnatorum, quando viderint Chriſtum, crucem, & vulnera, ſed ſerò, & fruſtrà, quia in hac vita crucifixum, & peccata noluerunt plangere. *Ser. 4. Dom. 24. Pentec. Luc. c. 23. v. 27. & c. 9. v. 26. aliiſque locis cit. & S. Thomas in addit. q. 90. a. 2. & in Matth.*

32. *Angelorum miniſterium in judicio expenditur.*

Et mittet Angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos à quatuor ventis, à ſummis Cœlorum, uſque ad terminos eorum. Nota, quòd hic S. Matthæus utitur anticipatione primò ponens adventum Chriſti, poſteà miſſionem Angelorum, quæ tamen præcedet adventum ipſius Chriſti datque intelligere, quod Chriſtus miniſterio Angelorum utetur in judicio, erunt enim congregatores, atteſtatores, & ſeparatores; nam cum tuba, & voce illa magna, ſurgite mortui & venite ad judicium, per univerſum mundum reſonante, congregabit electos, & reprobos: erunt & teſtes humanorum actuum, ſub quorum cuſtodia benè, vel malè egerunt, ô quis non timebit tantos teſtes: erunt & ſeparatores, ô funeſta ſeparatio! ſeparabunt enim parentes à filiis, fratres à fratribus, & ſororibus, maritos ab uxoribus, ô quid in illa die acturus eſt, qui à conſpectu judicis rapietur, & ab electorum ſocietate ſeparabitur. *Ser. 3. de S. Mich. in addit.*

33. *Homo metaphoricè dicitur arbor.*

Ab arbore fici diſcite parabolam, &c. Nota, quòd Chriſtus ſæpè comparat homines arboribus in ortu, in occaſu, & in fructu: nam homo plantatur ut arbor, & Deus ipſi virtutem augmenti præbet, & ſicut arbor ſi præſcinditur rurſus vireſcit, & rami pullulant, ſic homo cum moritur ſpem habet reſurgendi, & ſicut arbor fructuoſa colitur, infructuoſa exciditur, ſic fructuoſa colitur, ut fructus in Cœlum collocentur in æſtate æternæ claritatis; infructuoſa verò maledictioni æternæ, & igni traditur. *Luc. c. 21. v. 30.*

34. *Juſti à vere immediatè ad æſtatem gloriæ tranſeunt: impii ab hyeme ad hyemem.*

Cum jam ramus ejus tener, &c. ſcitis quia propè eſt æſtas, ita & vos cum videritis hæc fieri, ſciteto quia propè eſt regnum Dei. Nota, quòd meritò Chriſtus proponit parabolam ficus, quæ in vere emittit folia, & fructus, & tunc indicium eſt patens imminentis æſtatis; dat per hoc intelligere, quod juſti nunc emittentes fructus pœnitentiæ, tunc vivent veluti in verè, à quo immediatè tranſeunt ad æſtatem gloriæ, & hæc meritò æſtati comparatur, quia tunc mœroris noſtri nubila tranſeunt, & æterni dies vitæ ſub claritate ſolis ſuccedunt fulgentes: in hac æſtate ceſſabit pluvia lachrymarum, nubilum tribulationum, frigus cupiditatum: ô vera meridies deſideranda, plenitudo fervoris, & lucis ſolis ſtatio, umbrarum exterminatio, deſiccatio paludum, fœtorum depulſio; ô perenne ſolſtitium, quando jam non inclinabitur dies. ô lumen meridianum, ô vernalis temperies, ô æſtiva venuſtas, ô autumnalis ubertas ô quies, & feriatio hyemalis, ſed ſine hyeme: impii è contrà ab hyeme, ad hyemem tranſeunt, nec unquam tranſibit. *Luc. c. 21. v. 31. & Chryſoſtomus.*

Digitized by Google

35. *Signa præcedentia judicium terribilia malis, dulcia justis: sic & tribulationes antecedentes mortem.*

Cum vos videritis hæc omnia fieri, scitote quia propè est in januis: S. Lucas ait, *his autem fieri incipientibus respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Ecce quomodò signa præcedentia judicium, licèt futura sint terribilia reprobis; non sic erunt justis, nam potiùs erigent mentem ad Deum, & lætitiam cordi ingerent ob spem propinquæ beatitudinis: respicite ergo ô justi, ô discipuli tribulationes, infirmitates, tormenta, quæ vos torquent in hac vitâ, & morti appropinquare faciunt, & levate capita vestra, scilicet per fidem respicite futura, quæ non videntur; & per spem lætamini, quia propè est in januis redemptio vestra, ad quam spes vestra suspirat; vide ergo quomodo tribulationes erigunt animum justorum, deprimunt, & terrorem incutiunt impiis, & præscitis. *Luc. c. 21. vers. 28.*

36. *Dei lex indelebilis, & indelebiliter scripta, ut in æternum observetur.*

Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt: Idest potiùs transibit, & destruetur Cœlum, & terra, quàm verba legis meæ quæ ob id indelebiliter scripta sunt à digito Dei in Ecclesia, & in corde hominis, ut in æternum observentur. *Op. Diat. tit. 3. c. 1. ser. 4. de una Virg. in Eccleus. 5.*

37. *Christus fidelissimus in suis promissis.*

Cælum, & terra, &c. Quasi dicat potius cadet Cœlum, transibit totus mundus, quàm verba mea, & promissa non habeant suum effectum. *Op. spec. B. Virg. lect. 9. ser. 4. de una Virgine Luc. c. 6. v. 1. & c. 16. v. 17. & c. 21. v. 6.*

38. *Transitoria cum mundanis transeunt, cælestia cum justis in æternum manent.*

Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. Quomodò Cœlum, & terra transibunt? nonnè Cœli, & elementa manebunt in æternum? transibunt quoad exteriorem figuram (undè opinio est aliquorum, quod Cœli cum elementis formabunt unum globum continuum) dat autem mysticè intelligere, quod mundus iste transit, primò quoad celsitudinem, secundò quoad pulchritudinem, tertiò quoad dulcedinem, & per consequens qui adhæret his transitoriis triplicem facit transitum, scilicet à culpa in pœnam æternam: è contrà cælestia permanent in æternum, & ideò qui ad ipsa à transitoriis transit, triplicem transitum facit, scilicet à culpa ad pœnitentiam, à pœnitentia ad sapientiam, & à sapientia ad vitam æternam: ô felix transitus, ô Pascha desiderabile. *Luc. cap. 21. vers. 33.*

39. *Cur Christus voluit, ut hora mortis, & judicii esset nobis ignota.*

De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater, neque Filius, addit S. Marcus: Hic duplex quæstio oritur; prima, quâ veritate dicitur, quod neque Filius scit de die, & hora judicii, cum sc at omnia? secunda cur ignotam voluit diem, & horam hanc? ad primum respondetur, quod varii variè dicunt sed communior est, quod dicitur filius nescire scilicet se habere ad modum nescientis, quia nolebat ipsam revelare, sic abstulit occasionem discipulis ipsum interrogandi super hanc materiam: ad secundum respondetur, quod meritò, & maximâ providentiâ id disposuit, nempè ultimam horam semper ignotam nobis voluit, ut semper sit suspecta, & ad eam semper præparemur, nihil enim certius morte, & judicio, & nihil incertius tempore, & hora. *Luc. c. 12. v. 40. & c. 17. v. 21. sap. c. 5. in principio lib. 4. d. 48. a. 1. q. 4. ad 1.*

40. *Expenditur sensus verborum Christi comparantis tempus Noë, & diluvii cum adventu ipsius ad judicium universale: ubi de obstinatione, & perditione impiorum.*

Sicut autem in diebus Noë, ità erit & adventus Filii hominis. Nota, quod affert hic in medium Noë, tamquam sui figuram, & innuit, quod tempore suo contigit: cum enim caro concupiscet viam suam, & mundus totus in maligno positus esset; decrevit Deus è medio tollere omnes impios per diluvium, & salvare innocentes, ideò præcepit Noë, ut fabricaret arcam, ut simul divinum decretum punitionis imminentis orbi prædicaret, & notificaret, homines illius temporis semper pejores, & in malo obstinatiores se ostenderunt, sic justo Dei judicio exigente inopinato submersi sunt in diluvio, paucis salvatis in arca; Idem & accidit sodomitis, qui igne fuerunt puniti quando magis immersi erant in carnalitatibus, sic (ait Christus) erit tempore judicii universalis; nam post tot signa post occisionem Antichristi, quadraginta dies à Deo concedentur hominibus ad agendam pœnitentiam, sed tamen ministri Antichristi, & alii improbi erunt, & toti se in vitiis immergent, & sic inopinato super eos veniet judicium universale, & perdentur æternaliter; ex quibus apparet quale malum sit consuetudo mala, & inveterata in peccatis, quia reddit hominem velut obstinatum, & immedicabilem etiam adveniente quacumquè adversitate. *Luc. cap. 17. vers. 27. seq. sic S. Hieron. aliique Patres.*

41. *Pœna judicii extremi super carnales cadet.*

Sicut autem in diebus Noë, &c. Vide expressam similitudinem status mundi in tempore judicii: sicut enim in tempore Noë salvati sunt pauci in arcâ, & omnes alii submersi in aquis; sic mysticus Noë Christus Jesus fabricat arcam congregando fideles in Ecclesiam, quam con-

ſummatam ingredietur, cum hanc in judicii tempore præſentia ſua illuſtrat, ſed dum arca ædificatur, iniqui luxuriantur, & dum intratur, æterna damnatione plectuntur, ſicque dies judicii ſuper homines carnales, & animales veniet ſubitò, & ad ipſorum perditionem, qui ſunt extrà Eccleſiæ unitatem; his autem, qui ſunt in arca, etſi ſubitò venit, non nocet, quia eos invenit paratos. *Luc. c. 17. v. 27. ſeq.*

42. *Peccata carnalia quàm Deo exoſa, & quomodò cauſa ſint univerſalium malorum.*

Sicut in diebus Noë, &c. Cur Deus tantam ſtragem fecit tempore Noë quia (ait ſcriptura) omnis caro corruperat viam ſuam, quia ferè omnes toti dediti erant carnalitatibus, ideò inopinato abſorpti ſunt in aquis, & ſic etiam Sodomitæ incendio perierunt, & meritò nam peccata carnis advocant è Cœlo punctiones univerſales; & hinc punitio hujus vitii propriè dicitur eſſe Filii hominis, licet enim Pater omne judicium dederit Filio, hujus tamen peccati judicium ſpecialiter debetur ipſi, quia directè eſt contra Verbum Incarnatum; carnales enim naturam, quam Filius Dei fecit cæleſtem, angelicam, & divinam, faciunt viliorem naturâ brutali, non tenendo legem, quam bruta animalia ſervant, cum nec tempora, nec feſta, nec locum, nec modum ſervent, ſemper ad ſolam carnis delectationem intenti, ideò meritò igne, & ſulphure, & aliis plagis univerſalibus puniuntur. *Luc. c. 17. verſ. 29. & cap. 21. verſ. 35. ſer. 1. de una Virgine.*

43. *In omni ſtatu ſalvandorum alii boni, alii mali.*

Tunc duo erunt in agro, unus aſſumetur, & unus relinquetur: Duæ molentes in mola, una aſſumetur, & una relinquetur: Addit S. Lucas; *duo erunt in lecto uno, unus aſſumetur, & alter relinquetur.* Nota, quod in his tribus exemplis affert Chriſtus tres ſtatus ſalvandorum, ſcilicet morantium in lecto, ſuntque contemplativi; molentium in mola, ſuntque activi, & ſe exercentium in agro, ſuntque Prælati cuſtodientes agrum Eccleſiæ: dum autem dicit, quod iſtorum unus aſſumetur ad gloriam, alter relinquetur ad pœnam, dat intelligere, quod in omni ſtatu ſalvandorum aliqui erunt boni, & aliqui mali, ut ſic omnes formident, quia neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit, undè qui vult judicium Dei evadere, neceſſarius eſt ei non ſolùm contemptus mundi, verum etiam divinus amor. *Luc. cap. 17. v. 34. ſeq.*

44. *Invia Dei, & perfectionis qui neſcit benè molere, non aſſumitur ad ſtatum perfectionis.*

Erunt duæ molentes in mola, una aſſumetur, & una relinquetur. Quid eſt, quòd duæ mulieres idem opus facientes, inæqualem fructum reportant? ſed attende ad myſterium: iſtæ mulieres ſunt animæ incumbentes Dei ſervitio, molere autem eſt divina myſteria frangere meditando, quæ tamen diverſos fructus pariunt; nàm una aſſumitur ad ſtatum perfectionis, altera relinquitur remanens in imo vitiorum, cur hoc? quia (ait S. Ambroſ.) una benè emolit divina myſteria, & in oratione exhaurit fructus pœnitentiæ, & timoris, terit carnalia deſideria, & reportat amorem Dei: altera malè emolit, & hinc in terra remanet immerſa in luto vitiorum, & hinc prima aſſumitur aſcendens de virtute in virtutem, & altera relinquitur in fine tandem damnanda: *Ser. 3. Dom. 10. Pentec. Luc. c. 17. v. 35.* Hinc origo, quare in Religione aliqui aſcendunt de virtute in virtutem, alii deficiunt, ſcilicet ob defectum orationis, & meditationis ferventis. *Vide op. de 7. in. æterni. in. 2. per totum op. incendium amoris.*

45. *Chriſtus præparationes ſuadet nobis ad adventum ipſius, ad judicium; ubi de vigilantia habenda.*

Vigilate ergo quia neſcitis, quâ horâ Dominus veſter venturus ſit. Ecce quomodo Deus ſæpè nos admonet ſuper incertitudinem diei mortis, quia paratos nos invenire deſiderat, ad reddendam totius vitæ rationem in judicio, ait igitur vigilate: quid eſt vigilate? in quonam ſtat hæc vigilantia? ſed à S. Luca exprimitur, *attendite ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus ſæculi*, quaſi dicat, attendite per vigilantiam, ne forte graventur corda veſtra, ſcilicet per ſomnolentiam, in crapula, & ebrietate; & curis hujus vitæ: gravatur enim cor tum cibo nimio, & potu, cæteriſque hujuſmodi voluptatibus, tum curis hujus vitæ, quia iſta nos ineptos ad vigilandum reddunt circà ſtudium veritatis: *Vigilate itaque*, ait S. Lucas, *omni tempore orantes* ſcilicet hæc vigilantia copulanda eſt cum oratione, nam vigilare oportet contrà hoſtem extrinſecum, ſcilicet diabolum, contrà domeſticum, ſcilicet carnem; item vigilandum eſt excitando ſeipſum ad mortificationem corporis, & animam exercendo in ſtadio perfectionis, elevando eam per deſiderium ad cæleſtia, & cur tanta vigilantia? *quia neſcitis*, ait, *quâ horâ Dominus veſter venturus ſit*, ſcilicet ne ſuperveniat in vos repentina dies illa judicii propter inconſideratum eventum, & ut digni habeamini fugere iſta omnia mala, quæ malis eventura ſunt, & ſtare ante filium hominis, ad adipiſcenda bona æterna, & ejus præſentiam beatam. *Luc. c. 21. v. 34. ſeq.*

46. *Incertitudo temporis mortis excitare debet ad vigilantiam, & dignam præparationem.*

Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora, &c. Ecce ratio, quare vult Deus nos vigilantes, & incumbentes perpetuò dignæ præparationi ad mortem, quia nihil morte certius, nihil ejus hora incertius, tunc enim (ait Chriſtus) dividet eum, partemque ponet cum hypocritis, ſcilicet dividet in morte animam à corpore, & partem unam in iis, qui non vigilaverunt, ponet cum dæmonibus in inferno, & aliam cum vermibus in ſepulchro. *Ser 2. Dom. 4. Adv. Eccleſ. c. 9. ſer. 4. Dom. 1. Adventi ſerm. 4. de Angelis ſerm. 2. Dom. 4. Paſchæ.*

Digitized by

47. *Mors eſt fur occultè nobis detrahens vitam, & tempus.*

Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret Paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non fineret perfodi domum ſuam. Vide quomodò hoc exemplo dat nobis intelligere, quod ad domos noſtras perfodiendas ſtat continuè in inſidiis fur iniquus, quis autem eſt? fur duplex nempè mors perfodiens domum noſtram, ſed tamen occultè, furaturque id, quod cæteris bonis anteponit, ſcilicet vitam; perfodit domum noſtram, ſed tamen occultè, furaturque id, quod cæteris bonis anteponit, ſcilicet vitam; perfodit domum, id eſt corpus, æquatque ſolo, & deindè alius eſt iniquiſſimus fur, & latro peſſimus, ſcilicet diabolus, qui nobis die, ac nocte inſidiatur, ut foretur animam, eamque æternis ſupplicijs deportet. *Op. Comp. Tveol. lib. 3. c. 18. ferm. 2. fer. 3. Pentec. ſer. 4. Dom. 12. Pentec.*

48. *Prælatorum obligationes in Deum, & ſubditos expenduntur.*

Quis putas eſt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille ſervus, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem. Nota, quod poſtquam Chriſtus omnibus ſuadere conatus eſt dignam præparationem ad mortem, vertit ſermonem ad ſervum præpoſitum reliquis ſuis ſervis, ſc licet ad Prælatos, volens per hoc indicare ipſorum obligationes, & quod præcipua cauſa impræparationis, & negligentiæ ſubditorum venit ex Prælatorum infidelitate: dicit igitur quis ſervus fidelis, & prudens quem conſtituit Dominus? in quibus verbis multa digniſſima notantur, & primò dicit *quis eſt, &c.* in quo notatur puritas talium ſervorum; ſecundò dicit *ſervus fidelis & prudens*, in quibus dat intelligere, quod Prælatus debet eſſe ſervus habens fidelitatem, & prudentiam; ſubdit, *quem conſtituit Dominus*, ut ſignificetur quod à Deo, non à ſe, non à ſua vanitate, & cupiditate debet præponi familiæ Dei: ſed quid eſt hæc ſervitus, fidelitas, & prudentia à Chriſto requiſita in ſuis ſervis præpoſitis familiæ Dei? fidelis eſt, qui diligit, prudens qui intelligit, ſervus, qui voluntatem Domini deſiderat habere; audire, & ſatagit facere: fidelis, ſcilicet qui ſibi jura non vindicat, quæ Dominus retinuit in terra ſua, ſcilicet gloriam, & vindictam: nec tradita ſibi ad diſpenſandum ſua facit proditoriè, nec in tentationibus, & de prædationibus caſtrum Domini tradit in manus diaboli, ſed ſtrenuè, & fideliter operatur opus ſibi commiſſum uſquè ad perfectionem, & ut hæc omnia perfectè compleat utitur prudentiâ, quæ diſcernit inter bonum, & malum, & opus ſuum dirigit ad malum evitandum, & ad bonum amplexandum, & ad hoc exequendum reſpicit ad præſentia, ad præterita, ad futura, & ordinat media proportionata ad finem. Igitur ſervus fidelis, & prudens eſt, qui primò ſibi providet, quæ ſunt neceſſaria ad replendam animam ſpiritu charitatis, deindè aliis communicat, quæ à Deo recepit diſpenſanda, fideliter, & ardenter ex charitate, amore, & zelo, ut voluntatem Domini ſui perfectè adimpleat. *Pſal. 18. Luc. c. 12. v. 42. op. medit. c. 47. ſer 2. in die S. Thomæ: ſer. 2. de una Confeſ. & Ugo Card. hic.*

49. *Prælati qualem cibum familiæ Dei diſpenſare debeant.*

Quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore. Quis iſte cibus? cibum ſcilicet doctrinæ, cibum exemplaris converſationis, & cibum temporalis ſubſidii; hæc tria tenetur Prælatus præſtare familiæ Dei ſibi commiſſæ, & in hoc ſtat fidelitas, & prudentia, fidelitas ſcilicet in intentione, prudentia in electione, ut ſecundùm merita diſpenſet officia, ſecundùm neceſſitatem, & tempora diſpenſet cibum doctrinæ, & ſubſidii temporalis; nam iſte talis à Deo copioſiſſimè remunerabitur, & abundantius cæteris beatis, quia cum aliis pro bono proprio, & cum Prælatis bonis pro bono aliorum præmiabitur. *Luc. cap. 12. verſ. 42. ſer. 2. de Prælatis in addit.*

50. *Quàm exitioſum ſibi promittere longam vitam, & mortem à longe adſpicere.*

Si autem dixerit malus ſervus in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, &c. veniet Dominus in die, qua non ſperat, &c. Nota, quod Chriſtus poſtquam commendavit Prælatorum vigilantiam, hic vituperat inſolentiam negligentium & impiorum, & affert primò cauſam, quare multi deficiunt in ſuo munere, ſcilicet quia dicunt moram facit Dominus venire, quaſi dicat moratur Dominus, moratur mors, longa vita mihi ſupereſt, fruar illâ, & ſic ſecuritatem ſibi promittit, ex qua ſequitur contemptus, & negligentia in ſuo munere, & hinc multiplex iniquitas, & quia mortem longe abeſſe credit, & longam vitam ſibi promittit, quando minus ſperat, ſentit ſibi intimari, ſtulte hac nocte animam tuam repetent à te, ſic ex improviſo, & ſine præparatione debita mors ſibi vitam abrumpit; ecce quàm grave malum eſt præfigere ſibi longam vitam. *Luc. c. 12. v. 45 ſeq.*

51. *Prælatorum mala vita reprehenditur.*

Quod ſi dixerit ſervus ille in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & caperit percutere ſervos, & ancillas, &c. veniet Dominus in die, &c. O notent iſta omnes Chriſtiani, ſed maximè Prælati, quia de iſtis ad litteram loquitur, qui ſibi longam vitam pollicentes, infideles, imprudenteſque in ſuo munere, cum deberent cibum doctrinæ, & exempli, & corporalis ſubſidii ſuis ſubditis diſpenſare, percutiunt ipſos, & flagellant, ſcandalizando, & malum exemplum præbendo; patrimonium Chriſti cum ebrioſis vacando comeſſationibus, aliiſque vitiis, conſumunt, quæ vitia maximè ſunt indecentia in Prælatis Eccleſiæ: ſed juſto Dei judicio iſtis impiis mors advenit ex improviſo, judicatiſque in morte adventus ſervos nequam diſſecat, ſcilicet corpus & animam, & ipſos à ſervis fidelibus ſeparans, æternoquè orci carceri mancipat, ubi perpetuus fletus eſt, dentiumque ſtridor! Caveant igitur Præpoſiti animarum à torpore, à negligentia, à malis exemplis, à peccatis publicis,

bicis, quia ab ipſis requiret Dominus non tantùm animas proprias, ſed & animas ſubditorum commiſſas. *Luc. c. 12. v. 45. ad 49. ſer. 5. Dom. 2. Adv. ſer. 2. Dom. 1. Adv.*

62. *Mors ſemper expectanda.*

Venit Dominus ſervi illius in die, qua non ſperat, & hora qua ignorat. Ecce cauſa, quare ille malus ſervus à Deo punitus eſt, & damnatus, quia mortem à longe ſibi adeſſe credebat, ut diſcamus, quod mors ſemper adeſſe in januis credenda, & beati, qui ipſam ſemper expectant, & adventum Domini, ſivè in prima, ſive in ſecunda, ſivè in tertia, vel quarta vigilia veniat. *Ser. 4. Dom. 1. Adv. Luc. c. 21. v. 35. ſeq.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd proſequitur Chriſtus eamdem materiam præcedentis capituli, agens de præparatione facienda ad mortem, & judicium, & ad hoc proponit parabolam decem virginum, quarum pars ſalva facta eſt, quia ſe præparavit, & alia pars damnata ob impræparationem: aliam item parabolam de ſervis, qui acceperunt pecuniam Domini, ut in ea negotiarentur, & tandem concludit diſceptando cum bonis, & malis, illos præmiando, iſtos condemnando.*

CAP. XXV.

1. *Eccleſia militans eſt regnum Cœlorum, & cur exprimitur nomine decem virginum.*

Simile erit regnum Cœlorum decem virginibus &c. Nota illud verbum, erit non dicit eſt, ſed erit, ad quid igitur alludit? ſed reſpondetur, quod alluſio ſit ad regnum Cœlorum ab ipſo Chriſto ſuo ſanguine, & morte ædificandum; & hoc eſt Eccleſia militans, quia in ipſa regnat Chriſtus Rex Cœlorum, quia cæleſtem doctrinam, cæleſtem fidem, cæleſtia Sacramenta, cæleſtia mandata, cæleſteſque incolas habere debet, quæ omnia nomine regni Cœlorum ſignificantur ſæpè in Sacra Scriptura, & ideò ſenſus eſt, quòd Chriſtiani, quorum congregatio dicitur Eccleſia ſimiles ſunt decem virginibus partim prudentibus, partim fatuis, partim bonis, partim malis; dicuntur autem virgines ratione fidei intactæ, quam ſervant, & ideò hic loquitur tantùm de Catholicis, ſic S. Auguſtinus, imò addit, quòd in his decem virginibus ſignificantur non omnes Chriſtiani, ſed ij tantùm, qui cum Catholica fide, etiam habent aliqualem curam ſalutis, ſic *Ser. 22. & ſeq. de verbis Domini; & epiſt. 120. & Auct. imperfect.* aliique Patres: *S. Bon. op. in Pater Pſal. 30. & 107. & 124.*

3. *Eccleſia continet Virgines prudentes, & fatuas.*

Simile erit regnum Cœlorum decem virginibus quæ &c. quinque autem ex eis erant fatuæ &c. Vide quomodo in hoc regno Cœlorum, ſcilicet in Eccleſia militante ſunt boni, & mali, boni ſignificati in virginibus prudentibus, & mali in fatuis: In magnâ enim domo (*ait Apoſt. 2. Thim. c. 2.*) non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, & quædam in contumeliam; undè in una domo, in menſa, in via, in Eccleſia ſimul ſunt, & creſcunt luxuriosi, ſuperbi, caſti, humiles, juſti, & injuſti uſquè ad meſſem conſummationis, & adventum Judicis. *Ser. 1. Dom. 4. poſt eſt. Epiph. ſer. 1. de S. Matthia in addit. ſer. 1. Dom. 19. Pentec.*

4. *Virgines fatuæ, virgines quidem ſunt, ſed adulteræ.*

Quinque ex eis erant fatuæ & quinque prudentes. Cur fatuæ dicuntur iſtæ virgines? fatuæ quia de ipſa virtute ſibi damnum exhauriunt, quia enim tument, & inflantur de virginitate, & incorruptione corporis, hinc fiunt adulteræ & impregnantur à virginitate, quod valdè deteſtabile eſt; fatuæ igitur, quia ptopter pomum perdunt Paradiſum, ſcilicet ob vanam gloriam, & ſuperbiam, & vanitatem temporalem. *Op. Diæt. tit. 7. c. 1 ſer. 1. de 5. Matthia in addit.*

5. *Prudentes juſti præparant oleum in vaſis, & ignem fovent in lampadibus; ſtulti è contrario.*

Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumpſerunt oleum ſecum: Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Nota, quòd Chriſtus verba faciens de præparatione facienda à quolibet homine ad adventum ipſius ad judicium ſive generale, ſivè particulare, affert in medium hanc parabolam decem virginum, ut alludat ad morem Hebræorum, in quorum connubiis ſolebant Virgines occurrere ſponſo, & ſponſæ ad ingreſſum domus: Ponit autem quinque Virgines prudentes, & quinque fatuas, ut explicet qualitates bonas bonorum, & malas malorum, dicuntur autem iſtæ Virgines prudentes quinque, ob numerum quinque ſenſuum, in quibus cuſtoditur pudicitia, & caſtitas: quinque fatuæ, quia licèt corporis continentiam ſervent, non tamen cordis, & animæ, & quia in quinque ſenſibus incontinentes ſunt: Ut autem dignè anima occurrat ſponſo, ſcilicet Chriſto, neceſſe eſt, ut oleum ſcilicet miſericordiæ, cum igne charitatis conſervetur in vaſe, & lampade mentis, & cordis, & debet ardere etiam foris per exemplarem converſationem, & bonam famam: è contra fatuæ vanè ſe gloriantes de continentia corporis vivunt ſine oleo miſericordiæ & igne charitatis. & non lucent per exemplarem converſationem, quia diſſolutæ ſunt in quinque ſenſibus corporis, & ideò

ideò meritò vocari poſſunt Virgines quidem, ſed adulteræ: hoc attendant Virgines Deo dicatæ. *Op. Diat. tit. 5. c. 2. in fine, & tit. 7. cap. 4. Pſalm. 30. & 125. Ioan. c. 5. n. 5. ſer. Dom. in Albis.*

6. *Sine oleo devotionis, & orationis extinguitur omnis ignis amoris Dei, & decor Religionis.*

Sed quinque fatuæ, &c. Prudentes verò, &c. Vide expreſsè ſtatum fœlicem, vel infœlicem religioſi ſtatus; nam in fatuis virginibus ſignificatur ſtatus malus, in prudentibus, ſtatus bonus Religionum, & inde vide cauſam horum diverſorum ſtatuum, nempè abundantia, vel deficientia olei; quid eſt hoc oleum? oleum eſt frequentatio orationis, & præcipuè mentalis; quod accenditur fervore devotionis; ex quo oleo fulcitur omnis vera Religio, & omne virtutis exercitium impinguatur, & ſic ardet intus fervore, amore, & charitate Dei, & foris lucet ſanctorum exemplis: ſed è contra arida eſt omnis Religio, quæ oleo iſto non ſaginatur; inſtabilis eſt bonorum operum ſtructura, quæ devotæ orationis frequentia non compaginatur, ſicut paries lapidum ſine cæmento; in omni Religione: ubi devotionis, & orationis fervor repuerit, etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ, & lampades fatuarum virginum ſine oleo extinguuntur, ô audiant hæc Prælati Religionum; audiat, & attendat ad hæc quilibet Religioſus. *Op. de ſex Alis, Seraph. c. 31.*

7. *Virginum electarum vita qualis.*

Prudentes verò acceperunt, &c. Nota, quòd iſtud exemplum præcipuè dirigitur ad Virgines, maximéque Deo conſecratas, quarum vita exprimitur in oleo, in vaſe, in lampade, in vigilantia, in expectatione ſponſi; & præcipuè in numero quinario, cuſtodia, quam habent, vel habere debent de tanto theſauro; & ideò Virgo introducenda ad thalamum ſponſi debet eſſe munda in corde, quia talis munditia fundamentum eſt cæterarum virtutum; munda item in carne, virginitas enim eſt virtus animæ intus in corde reſidens, & foris in corpore redundans; munda inquam in omnibus ſenſibus exterioribus; munda item in opere, ſcilicet in viſu, auditu, tactu, inceſſu, habitu, & effectu, hæc enim ſunt veſtimenta, quæ ſponſo placent. *Sermon. 1. de una S. Virgin. opuſc. medit. cap. 4.* Nota etiam, quòd non ſine myſterio comparat Chriſtus virginitatem lampadi accenſæ, quia hoc intereſt inter faces, & lampades accenſas, quòd faces accenſæ nullis ventorum flatibus etiam per vicos, & plateas adſportatæ extingui poſſunt, at lampas, niſi parietibus clauſa contineatur facilè extinguitur, ſic & Virgo quavis nacta occaſione lucem amittit, & obſcura, & tenebricoſa domum redit; unde dicebat Ambroſ. Paradiſus es ô Virgo, Evam cave: Civitas debet eſſe Virgo, ait S. Bonavent. altè ædificata, ſcilicet per contemptum terrenorum, & amorem cœleſtium clauſa, & muro, valloque præcincta virginalis continentiæ; fortis, & firma per donum conſtantiæ, & fideli, ac prudenti conſilio gubernata: E contra Virgo fatua tota immerſa vitam degit in vanitatibus, & temporalibus rebus, expoſita omnibus, quia portæ ſenſuum non clauduntur, & omnia indiſpoſita habet, ita quòd oporter, ut nupturi tradatur priuſquam tempus pubertatis attingat, ne ptiùs ſtupretur, quàm marito tradatur. *Sermon. 1. de S. Agnete.*

8. *Maria Virgo ſingularis ſponſa Chriſti, & Spiritus Sancti ſuprà omnes homines, & extra numeraria ſuprà cæteras animas.*

Simile erit regnum Cœlorum decem virginibus, quæ exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ. Nota quod cùm ſponſo adnumeratur ſponſa: & quæritur quænam ſit hæc ſponſa, cui obviam incedunt omnes Virgines: ſed attende ad gloriam, & altitudinem perfectionis Beatæ Virginis Mariæ, hæc enim ſingularis eſt ſponſa Spiritus Sancti, & Ipſius Chriſti; verè ſponſa, ſimul & Mater ſui Creatoris, cum enim Chriſtus deſponſari vellet ſibi Eccleſiam, voluit, ut Beata Virgo Maria nomine Eccleſiæ præbetet conſenſum huic ſpirituali matrimonio in annuntiatione, *ut ait S. Thomas. 3. p. q. 30. a. 1.* & ideò Maria non venit nomine decem Virginum repreſentantium totam congregationem fidelium Sanctæ Eccleſiæ, ſed voluit ut eſſet ſingularis, & ſingulariter ſuprà omnes creaturas, & veluti extranumeraria cenſeretur, cùm in ea nihil commune; ac vulgare repetiatur, & ideò reliquæ juſtorum animæ ſunt hujus ſponſæ Principis velut pediſequæ, & famulæ. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3. 10. & in Hymn. Te Dei Matrem, &c.*

9. *Dormitatio, & torpor in Dei ſervitio quàm exitialis, & periculoſus.*

Moram autem faciente ſponſo dormitaverunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus eſt, &c. Nota illud dormitaverunt, & dormierunt; quale diſcrimen inter ipſa? Reſpondent communiter Sancti Doctores, quòd dormitatio ordinatur ad ſapientes, dormitio ad fatuas; omnes dormitaverunt, & dormierunt, ſcilicet omnes partim dormitaverunt ſcilicet prudentes, & partim dormierunt ſcilicet fatuæ; dormitaverunt illæ ob aliquam univerſalem negligentiam; dormierunt iſtæ ob gravia crimina in iis, quæ de præcepto ſervati debent. *ſic Abul.* Ecce cauſa cur fatuæ Virgines excluſæ fuerunt à nuptiis ſponſi, quia dum deberent vigilare, dormitaverunt, & dormierunt; per quod datur intelligi, quàm periculoſa ſit negligentia, & torpor in Dei ſervitio, ideò Dominus præcipit, ut vigilemus omni tempore orames: ſic enim oſtiaria domus dormiente, Iſboſeth (2. *Reg. c. 4.*) interficitur, quia dum diſcretionis ſollicitudo ceſſaverit, ad interficiendam animam malignis ſpiritibus iter pandit; & ideò vir ſpiritualis ſuper ſpeculam Domini ſtat jugiter per diem, & ſuper cuſtodiam ſuam ſtat totis noctibus. *Luc. c. 1. v. 39. & c. 12. v. 38. & 39. & cap. 6. v. 49. & c. 14. v. 1. & ſeq. Pſalm. 34.*

10. *Vigilantia in Dei ſervitio qualis exigatur.*

Media nocte clamor factus eſt ; ecce ſponſus venit &c. tunc ſurrexerunt , &c. Nota illud verbum media nocte, in quo denotatur vigilantia prudentum Virginum , qua paratæ expectabant adventum ſponſi ? dat autem intelligere per hoc, quòd ſervi Dei debent eſſe taliter amore Dei illecti, ut ad recipiendum ſponſum parati ſint ad negligendum lectum tranquillum, ad deferendum nocturnum ſomnum imperfectum , & ad perficiendum effectum , & anticipando vigilias nocturnas , in conſpectu Dei ſemper maneant , orando , meditando , & ſponſum Chriſtum expectando ; ſoli enim iſti ad nuptias ſponſi introducuntur. *Pſ.* 118. *c.* 4. *v.* 14.

11. *Media nocte omnes congregabuntur ad judicium ad vocem Chriſti , & Angelorum.*

Media nocte clamor factus eſt , ecce ſponſus venit . &c. tunc ſurrexerunt , &c. Nota , quòd dicit media nocte, indicans tempus reſurrectionis omnium , qui media nocte congregabuntur ad locum judicii : addit clamor factus eſt , quis clamor ? clamor iſte erit vox tubæ , quæ ab omnibus audietur , eam deferente divina virtute, ut omnes ſe præparent ad judicium , quæ vox dicitur in Sacra Scriptura juſſus , quia erit præceptum Chriſti , cujus dicere , eſt facere ; dicitur vox Archangeli , ideſt Principis , & Judicis univerſalis , quia erit vox autentica , dicitur ex tuba , ideſt terribilis omnibus , dicitur etiam media nocte, ideſt nullo ſciente , & tunc ſurrexerunt omnes Virgines , &c. *& Luc. c.* 21. Tunc videbunt Filium hominis , ô iſtud tunc quàm timendum malis , quàm deſiderandum bonis, tunc enim erit reſurrectio mortuorum , tunc judicis manifeſtatio erit , tunc ſententiæ prolatio ; prævenire ergo debemus hoc tempus cum prudentibus virginibus , accipiendo oleum in cordium noſtrorum vaſis. *Ser.* 4. *Dom.* 2. *Adv. lib.* 4. *d.* 43. *dub.* 1. *& ſer.* 2. *Dom.* 3. *Adv.*

12. *In meritis propriis , non alienis fidendum, maximè pro tempore mortis.*

Fatuæ autem ſapientibus dixerunt , date nobis de oleo veſtro , quia lampades , &c. Nota , fatuæ Virgines ſumpſerunt oleum in lampadibus , non in vaſis , prudentes verò in utriſque ; dato autem ſigno adventus ſponſi , omnes pararunt lampades, prudentes ex vaſis oleum fuderunt in lampadibus , fatuæ cum viderent ſuas extingui , petierunt à ſapientibus oleum, ſed fruſtrà , quia reſponderunt , non , ne fortè non ſufficiat , *&c.* ſed ite ad vendentes , &c. Hinc erudimur , quòd in tempore mortis non eſt fidendum alienis meritis , nec etiam Sanctorum , vel patris , vel matris meritis , ſed unuſquiſque ex ſuis operibus juſtificabitur , vel damnabitur , quia bonis operibus obviam Chriſto incedit homo , & ex operibus bonis procedit juſtificatio , & ſalus , ſicut ſterilitas bonorum operum affert maledictionem , & damnationem. *ſermon.* 2. *& 3. Dom. Palm. ſermon.* 1. *ſer.* 2. *Paſchæ. ſerm.* 1. *& 2. Dom.* 7. *Pentec. ſermon.* 1. *Dom.* 1. *poſt oct. Paſchæ.*

13. *Non in tempore mortis, ſed in curſu hujus vitæ petendum eſt oleum à Sanctis, & præcipuè à Beata Virgine.*

Date nobis de oleo veſtro, &c. Hoc eſt, quòd dixerunt fatuæ virgines ſapientibus , ſed in tempore adventus Chriſti ad judicium , & ideò petitio earum fuit fruſtratoria , quod ſi in tempore petiiſſent , forte obtinuiſſent : Erudimur autem, quòd recurſus ad interceſſionem Sanctorum debet fieri in tempore opportuno , & hoc præcipuè recurrendo ad Mariam , quæ eſt plena oleo pietatis ; dicamus ergo Mariæ date nobis de oleo veſtro , petamus oleum miſericordiæ ejus in mundo , ne fruſtra petamus in judicio. *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 7. *ſermon.* 2. *de S. Catharin. in addit.*

14. *Oleum miſericordiæ , quo magis in hac vita diffunditur proximo , eo abundantius multiplicat , in morte verò non redundat foris.*

Date nobis de oleo veſtro, &c. Nota, quòd ratio, quare non impetrarunt oleum à ſapientibus iſtæ fatuæ , fuit , quia petierunt illud extra tempus diſpenſationis , quia clauſa erat janua ; ſi autem petiiſſent in tempore opportuno , abundanter impetraſſent ; ſic enim facit oleum miſericordiæ, cum in tempore opportuno diſpenſatur proximo, tunc quantò plus communicatur , tantò plus multiplicatur , ut evenit illi mulieri , 4. Reg. *c.* 4. cui modicum olei , quod habuit, tantò plus crevit quantò per plura vaſa diviſit ; ô fœlices , qui libenter ſuum oleum aliis communicant, quia ſibi, & proximo provident. *Serm.* 2. *de S. Cathar. in addit.*

15. *In hac vita , non in morte mercatura ſpiritualis exercenda.*

Ite potius ad vendentes, & emite vobis : dum autem irent emere , venit ſponſus , &c. Numquid erunt aliqui vendentes oleum in judicio ? minimè : cur ergo fatuæ Virgines ad vendentes mittuntur , ut oleum bonorum operum emant ? Sanctus Auguſtinus reſpondet , Virgines prudentes irridere fatuas quòd fatuæ fuerint , mittereque eas irridendo ad vendentes , qui jam nullibi reperiri poſſunt , Indicaturque nobis his verbis (*ait Chryſoſtom. & Hieron.*) Oleum bonorum operum veluti emendum eſſe labore in hac vita, ut in judicio habeatur , ſic , ſic facit ſapiens anima ; conſiderat enim agnum cœleſtem , & emit eum , benè ſcit emere , benè vendere , emit enim cœleſte regnum , quo nihil vilius , cum emitur, nihil eſt charius cum poſſidetur , emitur autem oratione , bonis operibus , emitur per imitationem Sanctorum , & tali mercatura infinitus theſaurus acquiritur. *Sermon.* 5. *in Nativ. ſer. de S. Eliſabeth.*

16. *Idem probatur.*

Date nobis de oleo veſtro , &c. ite potius ad vendentes , &c. Nota , quòd tribus modis providetur huic

huic temporali vitæ, ſcilicet mendicando, laborando, & mutuum accipiendo; his tribus modis iſtæ fatuæ Virgines voluerunt ſibi providere, ſed non in tempore opportuno; nam in alia vita non eſt locus mendicandi, ſicut patet de divite Epulone, qui voluit mendicare guttam aquæ, & non potuit obtinere, ſic & iſtis fatuis; nec locus laborandi, quia tempore noctis, ſcilicet mortis non eſt locus merendi, nec locus mutuum accipiendi, vel emendi, ut evenit iſtis virginibus ſtultis: ergo qui non vult hic providere per bona opera, egeſtatem æternam patietur in illa vita æterna. *Diet. tit. 5. c. 3.*

17. *Conſolatio in receptione Virginum prudentium in Cœlo, & amaritudo in excluſione fatuarum expenditur.*

Et quæ parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. Vide hic, qua diligentia, & qualibus verbis Dominus nos excitare intendit, ut vivamus ſemper parati ad mortem, & judicium; nam in his verbis aperit theſaurum cœleſtem totius dulcedinis, & ſimul ingerit amaritudinem doloris; conſolationis in eo, quod introductæ fuerunt Virgines prudentes ad nuptias: amaritudinis in eo, quòd fatuæ, & impræparatæ fuerunt æternaliter excluſæ? ô ſi ſapere palato cordis poſſit, quid admirationis habet, Venit ſponſus? quid dulcedinis, Intraverunt cum eo ad nuptias? quid amaritudinis. Clauſa eſt janua? certè toto corde, mente, & viribus ad talem ingreſſum parati ſemper eſſemus. *Luc. c. 12. v. 44.*

18. *Ingreſſus Virginum in Cœlum expenditur.*

Et quæ parata erant intraverunt cum eo ad nuptias. Nota, quòd quatuor ſunt, in quibus honoratur virginitas maximè in Cœlo, honoratur itaque intrandi ſecuritate, Angelica ſocietate, Chriſti conformitate, & gaudii ſingularitate, hæcque exprimuntur in his verbis, intraverunt cum eo, &c. nam primo ſecuritas proponitur in ingreſſu, ubi, quod anima concupivit; jam tenet? item Angelica ſocietate, & tertio Chriſti conformitate, quia ſponſo per incorruptionem ſpecialiſſimè conformantur, & deindè exultatione perpetua, unde in his nuptiis aqua præſentis miſeriæ vertitur in æternam jucunditatem. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Epiph. ſermon. 1. de SS. Virg. in addit.*

19. *Virgines omnes unicam Chriſti conſciunt Virginem, & ſponſam.*

Et quæ parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. Vide quomodo hic reticetur memoria ſponſæ? Ubi ne ſponſa, in cujus obviam exiiſſe Virgines præmittitur? ſponſus ſolus venit, quid actum eſt de ſponſa? & tamen nuptiæ peraguntur, plaudentibuſque gaudiis intra cubiculum clauſa janua celebrantur? Reſpondent hic DD. ſub nomine ſponſi, venire etiam ſponſam comitem, ſed tamen non feciſſe mentionem expreſſam ſponſæ non vacat myſterio, & quale? quia paratæ Virgines ſponſam conſtituunt, ſi Chriſtus ſponſus eſt, qualem putas conjugem, niſi Virginem? & ſi intra clauſum cubiculum manet, nulla ſuſpicio eſt, cum Virginibus eſt, quibus jugiter lampas ardet, & in media nocte lux effulget, amat tenebras impudicitia, pudor lucem; ubi virginitas adeſt, quam aliam ſponſam Chriſto quæris? quæ ancillantes erant, puellarumque obſequio nuptias Domini officiosè expectabant, ſponſæ fiunt ea limpiditate, ut ex omnibus una componatur ſponſa, undè ſicut de prato colliguntur flores pulchriores, ſic Chriſtus de Mundo per Angelos ſuos colligit Virgines puras ad regale connubium. Hæc S. Auguſtinus, & ad mentem Seraph. Doctoris. *Luc. c. 14. v. 17. op. Diet. append. pro virgin.*

20. *Matrimonium, & nuptiæ ſpirituales inter Chriſtum, & Virgines expenduntur.*

Et quæ parata erant intraverunt cum eo ad nuptias. Nota ly ad nuptias, ergone ſponſus deſponſavit ſibi has omnes Virgines? maximè, quia ut dictum eſt omnes Virgines unicam ſponſam Chriſti componunt, & hoc præcipuè competit Virginibus Religioſis Chriſto conſecratis, quibus in ſignum talis deſponſationis datur ab Epiſcopo annulus poſt conſecrationem benedictus, undè iſtis propriè loquitur Apoſtolus dicens deſpondi vos uni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto: & illud Apocal. *cap. 20.* Venerunt nuptiæ Agni, & uxor Agni ſe præparavit, ô quales nuptiæ, quàm nobiliſſimæ, quàm jucundiſſimæ, quàm copioſiſſimæ. *Sermon. 4. Dom. Trinit. ſermon. 2. de S. Agnete. lib. 4. d. 20. p. 2. dub. 6.*

21. *Virginum præparatio ad nuptias expenditur.*

Et quæ parata erant, intraverunt cum eo ad nuptias. Vide quomodo illæ Virgines tantùm, quæ ſe præparaverunt, dignæ fuerunt, ut ad nuptias introducerentur: unde hic invitamur ad expendendum qualis fuerit iſta præparatio, quæ eſt neceſſaria ad iſtas nuptias; & cum ſupra dixerit Evangeliſta, quòd & oleum in lucernis, & in vaſis ignem habebant: indicantur per hæc, quænam exigantur ad dignam præparationem: ſuntque primò cordis munditia, & oratio fervens, & devota: ſecundò exteriot pœnitentia, carnem jejuniis, & vigiliis edomando: tertiò vera patientia, & malorum tolerantia, tormentis corporalibus non cedendo, quod & mirabiliter fecerunt tot Sanctæ Virgines Martyres. *Sermon. 2. de S. Agnete.*

22. *Corona à ſponſo Virginibus præparata expenditur.*

Et quæ parata erant intraverunt cum eo ad nuptias. Si iſtæ Virgines introductæ in thalamum ſummi Regis Regum unam ſponſam componunt, ergo ut ſponſæ ipſius fuerunt multiplici corona regia ditatæ, & coronatæ, ut de qualibet dici poſſit, In perpetuum coronata triumphat. Sap. c. 4. Et quia corona datur ad proportionem meritorum in via, hinc quia præditæ fuerunt ſplendore ſapientiæ, & prudentiæ,

tiæ pulchritudine munditiæ carnalis, quam ſervarunt, item pretioſo dono patientiæ, quo pugnaverunt; & propter virtutem pœnitentiæ, quam portaverunt, etiam quadruplici coronâ donatæ fuerunt, vel quadruplici conditione nobiliſſima prædictæ: nam earum corona fuit luminoſa, & radioſa propter radium ſapientiæ, qua refulſerunt, nam ipſarum vita tota ordinata fuit ad cognitionem, & amorem ſponſi cœleſtis, & propter ipſum contempſerunt mundum, virginitatem ſervaverunt intactam, & puram; fuit & ſpecioſa propter pulchritudinem virginalis pudicitiæ; vide qualem pulchritudinem, dum carnis immunditiam declinaverunt, dum fœtorem luxuriæ abhorruerunt, dum carnem ſuam à corruptione ſervaverunt, dum ſtuduerunt per omnia eſſe caſtas, pulchras, & mundas abſque macula: fuit & pretioſa ex lapidibus pretioſis formata propter fortitudinem patientiæ, quam in pugna ſervaverunt, & ſic in patientia ſua poſſident animas ſuas: fuit & glorioſa propter pœnitentiam, caſtitatem, & humilitatem, quas in via habuerunt: ô fœlices iſtæ animæ: ô quàm fœlices, qui in hac vita in his virtutibus ſe exercent, ut poſſint in æternum à ſponſo cœleſti introduci ad illas beatas nuptias, & in æternum coronari, & cum Angelis in ſæcula ſæculorum canere hymæneum, & plaudentibus gaudiis intra thalamum cœleſtem celebrare nuptias. *Sermon. 2. de Virginibus.*

23. *Diſcrimen inter prædeſtinationem Mariæ, & reliquorum electorum.*

Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. Si iſtæ Virgines intraverunt, ubi remanſit ſponſa? excluſa fuit forſan à nuptiis? ſi ſupra dicitur, quod exierunt obviam ſponſo, & ſponſæ, cur hic non fit mentio ſponſæ? ſed attendamus ad myſterium; jam dictum eſt hanc ſponſam ſignificare Mariam, quæ in numero cum cæteris Virginibus non collocatur, ut addiſcamus diſcrimen prædeſtinationis Mariæ, & aliorum electorum, nam cæteri prædeſtinati tales ſunt, quia ſe præparaverunt, ſcilicet facta eſt eorum prædeſtinatio ex prævisione meritorum, quod & magis patebit infrà ad 11. At Maria prælecta, & prædeſtinata fuit ad donum maternitatis, & conſequenter ad gratiam, & gloriam abſolutè ſine tali prævisione meritorum, ut aliqualem ſimilitudinem haberet cum prædeſtinatione Chriſti; hæc conformiter ad ſenſum S. Bon. *Lib. 1. d. 41. a. 1. qu. 2. & lib. 4. d. 42. qu. ult. ad ult. Vide Vegam n. 179 ſeq.*

24. *Cœli janua quibus aperiatur, & quibus claudatur: ubi de multiplici fatuitate reproborum.*

Noviſſimè verò veniunt & reliquæ Virgines dicentes Domine Domine aperi nobis, at ille reſpondens ait, amen dico vobis neſcio vos. Nota, quòd hic indicantur plura, & maxima myſteria valdè notabilia: & primò proponitur pulſatio facta à fatuis Virginibus, petitio, & ſupplicatio ipſarum cum lachrymis, & inſtante oratione; repulſio Chriſti dicentis ſe eas neſcire, ideſt non cognoſcere notitia approbationis, & in hoc facto multiplex fatuitas primò proponitur reproborum; ſecundò pœnitentia ſera, & infructuoſa ipſorum: tertiò excluſio æterna à Regno Cœlorum: prima ergo fatuitas fuit, quòd gratis illæ ſibi oleum dari voluerunt dicentes date nobis de oleo veſtro: nam verum quidem eſt, quòd Deus in nobis noſtram ſalutem ſua gratia inchoat, ſed requiritur, ut extendamus & noſtras manus ad manus Chriſti, ut labore, cura, pœnitentia, mortificatione nobis ſalutem comparemus, quia venale eſt regnum Cœlorum, & datur non dormientibus cum iſtis fatuis Virginibus, ſed tantùm ſedulò operantibus: ſecunda fatuitas fuit, quia emere voluerunt oleum alieniſſimo tempore, nimirum poſtquam dormierunt, ideſt mortuæ ſunt, ne differamus igitur pœnitentiam, dum tempus habemus, ne perdamus tempus opportunum ad pœnitentiam: tertia fatuitas fuit, quod abſque accenſis lampadibus ad ſponſi fores pulſarunt, ſibique aperiri poſtularunt, dicentes Domine, Domine aperi nobis, ſed fruſtra, non enim aperiuntur cœleſtium nuptiarum fores iis, qui oleo bonorum operum, & flamma charitatis carent; ideoque dictum eſt, & clauſa eſt janua; ô verbum amarum, clauſa eſt janua impiis, aperta juſtis; pulſent Reges, Imperatores, Principes, divites, Magnates ſi bonorum operum oleo caruerint, non aperietur porta; hæc porta enim eſt, in quam juſti ſolùm intrant, pulſandæ ſunt fores non alieno tempore, ſed in vita, lachrymis, contritione, confeſſione, & bonis operibus, & ſic aperientur. *Ser. 10. in Rogat. Pſa. 34. & 65. in Thren. c. 4. op. Comp. Theol. lib. 6. c. 21. ſer. 3. Dom. 10. Pentec. ſer. 1. Dom. 18 Pentec. ſer. 2. de S. Laurentio in addit. Vigilate ergo* (concludit Dominus) *quia neſcitis diem, neque horam.*

25. *Mors meritis imponit finem.*

Et clauſa eſt janua. O funeſta, & terribilis vox; clauditur enim in morte janua meritorum, dum vivimus velut in mercatu ſumus, emere, vendere, lucrari licet, cum tempus eſt judicii finis eſt omnis lucri, tunc clauditur janua, & ſi Cœlum obtines? non illic merendi, ſed mercedem accipiendi locus eſt: obtingit tartarum? hic neque merces, neque meritum eſt, ſed nec ullum ibi debitum diſſolvitur, venit nox, quando nemo poteſt operari, ait Chriſtus; age dum dies eſt, ne mors tibi inopinata adveniet. *Ioan. c. 9. v. 3. lib. 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 1. ad 1. lib. 3. d. 18. a. 2. q. 2. lib. 2. d. 27. a. 2. q. 3.*

26. *Velocior eſt ſæpè ſalus invocato nomine Mariæ, quàm nomine Ieſus.*

Domine, Domine aperi nobis, at ille reſpondit, amen dico vobis neſcio vos. O verè fatuæ Virgines, quia dum ſponſum præſtolantur ſomno ſe dederunt, & quia oleo deſtitutæ, quo lampadum ſuarum lucem nutrirent, oriabantur ignavæ ſocordiæ ductæ, & fatuæ inſuper, quia repulſam à ſponſo paſſæ, non ſponſæ, nempè Mariæ patrocinium implorarunt, ſed ad ſponſi nomen confugerunt, Domine, Domine aperi nobis, ſed quid inde? profectò meritò, quæ Judicem implorant, Iudicem experiuntur integerrimum; neſcio

neſcio vos, ait juſtiſſimè: ſatiùs illis fuiſſet ad ſponſam confugere, nomenque ipſius ingeminare Domina, Domina, Maria, Maria Mater Dei, ſi poſtulaſſent proculdubio ad primam nominis prolationem exauditæ, præſentiſſimum auxilium expertæ fuiſſent: Hæc ex Theologia Mariana *n.* 1379. ex Mendoza, & Novarino, & ad ſenſum SS. Patrum Bon. Anſelmi, & aliorum, ratio eſt, quia velocior eſt ſæpè ſalus invocato nomine Mariæ, quam invocato nomine Domini Jeſu, & id quidem non fit, quod major ſit potentia Mariæ, quia potens eſt ipſa per Filium, ſed quia Filius ejus Dominus, & Judex eſt diſcernens merita ſingulorum; dum autem invocato ejus nomine non ſtatim exaudit, id juſtè facit; invocato autem nomine Mariæ, & ſi merita invocantis non mereantur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur; totum ergo nomen Mariæ miſericordiam habet, pietatem redolet. *Op ſpec. B Virg. lect.* 9. 11. 14. & 15.

27. *Chriſtus exigit à ſuis ſervis negotiationem, & mercaturam: ubi de obligatione Prælatorum, & Prædicatorum, & de inæquali diſtributione talentorum.*

Sicut enim homo peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua; & uni dedit quinque talenta, alii duo, alii unum, unicuique ſecundum propriam virtutem, & profectus eſt ſtatim. Ecce alia parabola à Chriſto propoſita, ut ſicut per parabolam decem Virginum docuit nos parare ad judicium vigilando; ſic iſta eandem præparationem eſſe faciendam innuit, quoniam talentorum, quæ accepimus, reddenda eſt ratio Judici; dicitur autem Chriſtus peregre abiſſe, dum ex oculis hominum diſceſſit in Cœlum, ſederque ad dexteram Patris, quouſque redeat ad judicium: vocavit autem ſervos ſuos, ſcilicet omnes Chriſtianos, ſed præcipuè Prælatos, & Prædicatores, & omnibus propria talenta commiſit, ut negotiarentur, & multiplicarent negotiatione, & induſtria talenta commiſſa: Talenta igitur quinque ſunt bona naturæ, fortunæ, potentiæ humanæ, & Eccleſiaſticæ ſcientiæ, & gratiæ; nota autem quàm ſapienter iſta dona diſtribuit Dominus, nempè ſecundum propriam virtutem, ſcit enim cui dandum, & cui non dandum, cui plus, & cui minus dandum; ſi enim daret quinque illi, cui dat unum, & ſic negligeret quinque, ſicut unum, major eſſet illius damnatio; exigit ergo à nobis negotiationem per iſta talenta, & lucra ſpiritualia animæ noſtræ, ad hoc enim ab ipſo ſunt nobis data. *Ser.* 4. *Rogat. ſer.* 2. *Dom.* 8. *Pent.*

28. *Chriſtus peregre dicitur abiiſſe, quia veluti peregrinus abiit in Cœlum.*

Homo peregre proficiſcens, &c. Si hic eſt Chriſtus, quo peregre profectus eſt? peregre ideſt veluti peregrinus abiit in Cœlum, quia ut ait S. Greg. carnis locus proprius terra eſt, undè aſcendens in Cœlum, veluti peregrinum ſe oſtendit, & hinc eſt, quod Iſaiæ *c.* 63. veluti admirabundi cælites dicebant: Quis eſt iſte, qui venit de Edon tinctis veſtibus, iſte formoſus in ſtola ſua? quaſi dicat, quis habitus iſte peregrinus? hactenus nullum hominum recepit noſtra civitas, peregrina illi eſt omnis humanitas? Ecce quid fecit Chriſtus in hac ſua peregrinatione: tunc enim peregrini homines facti ſunt Cœli cives, adeò ut terra exilium, Cœlum hominum patria jam reputetur; ergo talis peregrinationis dies eſt propriè feſtum ſolemniſſimum Domini Jeſu, nempè Aſcenſionis in Cœlum, quia ut dicitur in alia ſimili parabola *Luc. c.* 19. *abiit in Cœlum accipere ſibi regnum*, & incœpit ſedere ad dexteram Patris & requiem cæpit à peregrinatione ſua: Eſt etiam feſtum omnium ſpirituum ſupernorum, quia novum gaudium à Domino ſuſcipiunt, quod ante ibi in humanitatis aſpectu non viderant, & quia primò reſtaurari incipiunt ruinæ ipſorum in tanta multitudine Beatorum, qui ad ſupernam patriam hodiè primò intraverunt: Eſt etiam feſtum Mariæ Virginis, quæ Filium ſuum regali diademate ſublimatum ſic vidit tamquam Dominum verum ſuper excelſa conſcendere: Eſt & feſtum noſtrum, quia humana natura hodie ſuper Cœlos eſt exaltata, & quia niſi Chriſtus aſcendiſſet, illud etiam ipſum donum Spiritus ſancti nequibamus recipere: ô digna, ô ſancta, ô felix, ô proficua peregrinatio Chriſti Jeſu. *Op. medit. c.* 97.

29. *Chriſtus peregre profectus eſt in Cœlum, ſed tamen ſeipſum nobis tradidit in terra, in qua & remanſit ſcilicet in Euchariſtia.*

Homo peregre proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Quæ bona? bona ſua, ait, ſed quæ iſta bona ſua? Ecce ego vobiſcum ſum (reſpondet Chriſtus) uſque ad conſummationem ſæculi: Abiit in Cœlum, ſed remanſit in terra, quia nobis tradidit omnia bona ſua, ſcilicet ſeipſum, conſtituendo ſuam habitationem in ſacra Euchariſtia, & ſic veniendo de Cœlo ad nos, indè non diſceſſit, & redeundo nos non deſeruit, quia nobiſcum remanſit ſecundùm majeſtatem, providentiam, inviſibilem gratiam, & corporalem præſentiam, ne deficiamus à gratia, à gloria ſua, ab operis efficacia, & adverſantium malorum victoria, quia ubi eſt Chriſtus, ibi omne bonum. *Ioan. c.* 8. *v.* 14. & 6. 12. *v.* 7. & *collat.* 52.

30. *Chriſtus peregre profectus eſt ſecundùm humanitatem, non ſecundùm divinitatem, ſed ſemper eſt præſens nobis, ut ipſi præſentes ſemper ſimus.*

Homo peregre proficiſcens, &c. Nota ly homo: Chriſtus ſecundùm humanitatem dicitur peregre profectus, quia abiit in Cœlum, non tamen ſecundùm divinitatem, quia ſervis ſuis adeſt, illos ſemper intuetur, peregrinatur tamen ab oculis eorum corporeis, ſic Origen. hic: ergo & nos invitamur ad ipſum ſemper præſentem, ne peregrinemur nos ab ipſo, hoc enim eſt diſcrimen inter juſtos, & impios, quod juſti nunquam peregrinantur à Deo, ſed ſemper conſiderant ipſum præſentem, impii ipſum abſentem, & ideo in omnia flagella præcipitant. *Ser.* 2. *Dom.* 2. *poſt oct. Paſcha. op. de Prof. Relig. lib.* 2. *c.* 16.

31. *Quid*

31. *Quidquid boni habemus,bonum eſt Dei, & à Deo, & tamquam bonum Dei cuſtodiendum.*

Tradidit illis bona ſua. Quænam bona? ſed attende ad id, quod dicitur Gen. c. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona; & quibuſnam hæc tradidit? homini ea tradidit cui ſubjecit omnia, nempè terrarum orbem, Cœlos, elementa,Angelos,ut nos cuſtodiant, dæmones, ut nobis coronas fabricent; dedit & mala ſua, pœnaſque, ſcilicet meritum, & fructus Paſſionis ſuæ: dicitur autem tradidit bona ſua,ut exaltet qualitatem beneficiorum ſuorum: primò ex parte Dei dantis, ſcilicet ex dignitate, liberalitate, & affectu ipſius: ſecundò ex utilitate, & pretioſitate bonorum: tertio ex utilitate ejus, cui dantur; primum autem efficit, quod etiam parva debeant æſtimari magna, & pretioſa: ſecundum efficit, ut quodcumque donum à Deo proveniens utiliſſimum eſt: tertium facit cognoſcere maximè liberalitatem Dei dantis: quid enim Deo cum luto? ſumus enim lutei, viles, vitioſi, peccatores, ingrati,inopes omnis boni, & mortis rei, & tamen Deus ſic eſt memor noſtri, & hinc ad nos dirigit inceſſanter illa verba Joan. c.6. Colligite fragmenta ne pereant, quaſi dicat cuſtodite diligenter iſta bona à Deo vobis donata, ne pereant,ne à vobis ſubtrahantur ob veſtram ingratitudinem. *Op.de Prof. Religioſ. lib.2. cap.5.*

32. *Ad Prælaturam vocatio ſit à Chriſto,qui tantùm ſervos vocat.*

Vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Nota,quod Chriſtus ipſe propria voce vocavit tantùm ſervos, cur non eos fecit ab aliis vocari? & cur etiam alios non ſervos non vocavit? ô notent qui ad Prælaturam inhiant, hi enim à ſolo Chriſto ſunt vocandi non ab aliis, ſcilicet non à ſua ambitione, non à parentibus, non à conſanguineis,non à cupiditate: nota autem, quod tantùm ſervos vocat, ſervus dicitur à ſerviendo, & à ſervando;Prælati autem debent eſſe ſervi à ſerviendo ipſi Chriſto per humilitatis reverentiam, & etiam ipſis ſubditis debent eſſe miniſtri, & ſervi,debent & ſervare, ſcilicet cuſtodire ſibi commiſſos ſubditos, & oves à lupotum voracitate. *Luc.c.19.v.13.*

33. *Nemo eſt in mundo qui talenta ad negotiandum à Chriſto non acceperit.*

Et uni dedit quinque talenta, alii duo,alii unum. Vide diſparitatem numeri talentorum,quæ Chriſtus variis diſtribuit, ut intelligamus, quod nullus homo eſt in mundo qui talentum aliquid non acceperit, ſed tamen aliis plus, aliis minus, omnes verò ad negotiandum cogunrur, ſcilicet ſpiritualiter, & omnes in morte reddent rationem de negotiatione bona, vel mala propriorum talentorum. *Luc.c.19.v.14.*

34. *Negotiatio multiplex in bonum, & in malum; ubi de merito operum.*

Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. Vide qua intentione Chriſtus diſtribuit bona ſua, & talenta, nempè ad negotiandum, undè dixit in alia parabola. *Luc.c. 19. negotiamini dum venio,* ſuadens nobis mercaturam; ſed notandum,quòd triplex eſt negotiatio; alia indifferens, alia peſſima, alia optima: prima eſt in qua temporalia commutantur in temporalia, dicitur hæc indifferens, quia poteſt exerceri benè, & malè, malè autem qui avaritia, dolo,fraude, uſuris, mendaciis, & aliis peccatis utuntur in negotiando, & ideò dicebat Chryſoſtomus, negotiatio terrena vix ſine peccato poteſt exerceri: benè autem, qui excutiunt omnes negotiationes, ne fiant cum fraude, vel alio peccato: negotiatio peſſima eſt plurimorum ſtultorum, qui cum diabolo negotiantur peccata vendendo, imò theſauros cæleſtes renuntiando diabolo, ſic enim ſtulti æterna tormenta in inferno emunt: negotiatio optima eſt, in qua virtutes venundantur, gaudiaque cæleſtia emuntur, & hanc negotiationem præcipuè exercent Prælati, & Prædicatores boni qui exhibent opera ſpiritualia, & verbum Dei, & pro lucro maximo, fidei confeſſionem, mostemque, probitatem ab auditoribus reportant; hanc item exercent omnes, qui ſua talenta à Deo recepta ſive bonorum naturalium, ſive ſupernaturalium exercent intentione Deo placendi, & maxima lucra reportant. *Luc.c. 19. v. 14. lib.1.d.40.& 41.per totum,* ubi de intentione bona reddente meritoria opera noſtra.

35. *Omnis homo villicus Dei eſt, & de omnibus bonis redditurus eſt rationem Deo.*

Poſt multum verò temporis venit Dominus, & poſuit rationem cum eis. Quid eſt poſt multum temporis? ſcilicet in judicio univerſali, & etiam in particulari poſt tempus unicuique à Deo creditum, & conceſſum, quod dicitur multum, & longum, quia eſt ſufficiens ad lucrum ſpirituale acquirendum, ad exercitium virtutum, ad gloriam promerendam, & ſic de quolibet juſto poterit dici *Sap.c.4.* conſummatus in brevi explevit tempora multa: Venit igitur Dominus petiturus rationem ſuper talenta commiſſa quæcumque illa ſint, quia omnia bona in corpore, vel in anima, vel in rebus, vel in tempore nobis commiſſa debemus non tamquam Domini, ſed villici Dei, ad voluntatem Dei diſpenſare, & ipſis uti tamquam mediis ad ſalutem acquirendam, & ideò de omnibus ratio à nobis exigetur à Deo, de exercitio, de diſpenſatione, de tempore, de bonis operibus factis bene, vel malè, de omnibus omiſſis, quæ ratio magis ſtricta redderur à Prælatis ſuper coram animarum ſibi commiſſarum, ô quàm graviſſima ratio erit hæc. *Ser.2. Dom. 8. Pentec.ſer.3. Dom.22. Pentec.ſer.2.de SS. Confeſſ.in addit.*

Digitized by Google

36. *Negotiatio lucrosa meritorum qualiter fiat.*

Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque lucratus sum. Nota illud verbum lucratus sum: ergo ne lucrum spirituale, & meritorium debetur nostræ industriæ; minimè præcisè loquendo; ad meritum autem de condigno, & ad lucrum spirituale faciendum hæc sunt necessaria; primò receptio talentorum, scilicet gratiæ divinæ, qua Deo debemus, qua gratia movetur liberum arbitrium; secundò eadem gratia advenies, & informans potentiam, & actum & hinc concursus liberi arbitrii cooperantis; adjutores enim Dei sumus in hoc, quatenus cooperamur actibus liberis gratiæ Dei, & per hoc fit negotiatio lucrosissima, quia ad ejus proportionem nobis comparamus lucrum meritorum, & hoc modo Deus dicitur debitor nobis. *Ser. 1. Dom. septuag. lib. 4. d. 17. p. 1. a. 2. qu. 1. ad arg. & lib. 2. d. 26 qu. 6. ad 1. & d. 29. qu. ult. & d. 18. a. 1. qu. 2. Psal. 118. v. 46.*

37. *Sancto Francisco Christus communicavit bona sua, scilicet quinque vulnera, quibus lucratus est alia quinque talenta.*

Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Nota, quòd hæc quinque talenta possunt significare Christi vulnera, quæ sunt quinque monetæ, vel potiùs margaritæ, quas in suo corpore conservat Dominus Jesus; hæcque talenta communicavit soli Beato Francisco, dum ipsa impressit in suo corpore: Undè Alexander VI. in Bulla de sactis stigmatibus S. Francisci ea appellat margaritas pretiosissimas, quibus Christus ditavit B. P. Franciscum: sed quomodo poterit dicere ecce alia quinque superlucratus sum? ecce quomodo superlucratus est sibi, & suis Fratribus, & toti Religioni suæ, imò toti Ecclesiæ, ut ex ipsius exemplo, veluti ex signo reducerentur in Christum per dilectionem, & imitationem. *Vide op. Istin. nem. præf. op. Apol. Paup. Resp. 1. c 3. op. leg. S. Franc. in Prol. Ioan. collat. 19. & 91.* Addit Bartholomæus Pisan. *in conformit. fr. 9. qu. 1. p.* quòd S. P. Francisco revelatum est à Christo, quòd in die judicii apparebunt electi Fratres Minores cum sacris stigmatibus, & quòd ipse antè judicium resurget, & cum suis Fratribus per prædicationem, simul cum Enoch, & Elia cum sacris stigmatibus se opponet Antichristo: Idemque asserit Cardin. de Vitriaco in hist. orient. de S. Dominico, & piè quidem; cum enim isti duo Sancti Patriarchæ missi fuerint à Christo, & à Beata Virgine, ut veluti columnæ validæ sustentarent Ecclesiam militantem, mirum non est, quòd etiam ad hoc idem munus destinandi sint tempore maximæ necessitatis Sanctæ Ecclesiæ.

38. *Cui Deus plura talenta dat, plus ab ipso exigit.*

Domine quinque talenta &c. ecce alia quinque &c. duo talenta, ecce alia duo. Vide quomodo lucrum respondet etiam numero talentorum, ut intelligas, quòd cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum, & cui plus datum est, etiam plus exigitur, audiant hæc divites, fortes, potentes, Prælati, Religiosi *Luc. c. 12. v. 48.*

39 *Euge quid significet.*

Euge serve bone &c. Quid significat hoc verbum? Respondetur, quòd aliquando est nomen irrisorium, ut *Psal. 34.* Euge; euge viderunt oculi nostri; aliquando adulatorium, ut *Psalm 69* avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge: aliquando est adhortatorium, & congratulatorium, ut hic, quasi dicat benè, egregie. *Luc. c. 19. v. 17.*

40. *Bonitas, & fidelitas à Christo in suis servis laudata qualis.*

Euge serve bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Nota, quòd Christus laudat hos servos dicens serve bone, & fidelis; bonè scilicet in obsequio, & servitio Dei, & vita spirituali exercenda diligenter; & fidelis in commisso servando, & dispensando: fidelis inquam circa pauca ei commissa, quæ negotiando, & dispensando sivè per curam animarum, sivè per prædicationem, sivè in bono regimine populorum, sivè in elargiendo eleemosynas pauperibus multiplicavit non quærendo quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ergo supra multa constituentur in possessione bonorum alterius vitæ tales servi boni, & fideles. *Luc. cap. 19. vers. 16 seq. cap. 16. vers. 10. cap. 12. v 43. seq.*

41. *Servi Dei cum parva substantia ditissimi fiunt.*

Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Ecce quid operatur negotiatio spiritualis diligenter facta: nam pauca quidem sunt ista bona spiritualia hujus vitæ, sed tamen negotiando cum Deo, & accumulando merita in grandem massam augentur, ideò super multa, scilicet maxima bona ipsi in alia vita conferun. *Luc. c. 19. & 16. ibid.*

42. *Fidelitas quàm Deo placeat, infidelitas quàm exosa.*

Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis. Vide quam verum sit id, quod *Luc. c. 16.* dicitur, qui fidelis est in modico, & in majori fidelis est; fidelis est in his temporalibus, in pecunia, in aliisque terrenis, ea dispensando Deo, & pauperibus, & talis fidelitas disponit ad fidelem dispensationem, & custodiam spiritualium, & æternorum, & ideò in majori fidelis est adhærens suo Creatori: E contra infidelitas in paucis exercetur? quando pro terrenis contemnuntur æterna, & cælestia, & ideò tales meritò privantur omnibus. *Luc. cap. 16. v. 10. seq.*

43. *Servis Dei fidelibus, qualia bona à Deo dentur.*

Suprà multa te conſtituam, intrà in gaudium Domini tui. Nota hunc ordinem : primò dicit, ſuprà multa te conſtituam, ſcilicet hic in vita mortali, & poſteà in alia intra in gaudium Domini tui : quid eſt hoc ? quæ iſta bona multa ? ecce qualia : in hac vita conſtituitur ſupra multa quia ei confertur primò expectatio, & exercitium, & acquiſitio virtutum, hocque eſt grande bonum : ſecundò datur præguſtatio Chriſti Jeſu tamquam viaticum, & in alia vita ingreſſus in gaudium Dei, & gaudere cum Chriſto æternaliter tamquam præmium. *Luc.c.9.v.33.*

44. *Qualia bona continent iſta verba, intræin gaudium Domini tui, ubi de felicitate gloriæ cæleſtis.*

Suprà multa te conſtituam intra in gaudium Domini tui. Nota, quòd non dicit, intret in te, habe, & poſſide, ſed intra in gaudium &c. Quid eſt hoc ? niſi hæc multa, quæ promittit Chriſtus ſuis ſervis fidelibus, & qui hoc bono fruetur, quid illi erit, & quid illi non erit certè quidquid volet erit, & quod nolet eſſe, non erit ; ibi quippè erunt bona corporis, & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit : ô quale gaudium, ubi infinitum bonum. *Op.Brevil.p.7 c.7.*

45. *A gaudio ſpirituali hujus vitæ ad gaudium gloriæ trahetur à Chriſto ſervus fidelis.*

Suprà multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Quaſi dicat ſupra multa te conſtituam bona ſpiritualia non ſolùm in hac vita, ſed in gaudium cæleſte intrabis, tranſiens à gaudio ad gaudium : Gaudium autem ſpirituale in hac vita ſpeciebus cæleſtibus conficitur, nempè nectare dominicæ Paſſionis, quod eſt dulciſſimum, & animæ devotæ inebriativum, & nectare charitatis Dei, & proximi, & hinc trahitur anima ab hoc gaudio ad gaudium æternæ fruitionis, quod eſt Angelicum, & jucundiſſimum. & ideò facit Beatos continuè cantare Sanctus, Sanctus, Sanctus ; & hinc ſuis ſervis dicitur à Deo, Bibite, & inebriamini amici mei. *Op.Diet. tit.8 c.1. Ser.2.in cathedra : Ioan.c.14.v.12.& collat.73.ſer.2. de S.Thoma.*

46. *Prælatis bonis, & fidelibus datur à Deo major gloria ſuper alios Beatos.*

Supra multa te conſtituam, &c. Nota, quòd hæc dicuntur ſervo bono, & fideli, & ideò magis propriè loquitur de Prælatis, & Prædicatoribus bonis, & fidelibus, qui ſuper omnia bona Dei conſtituuntur ob ſanctitatem vitæ, & fidelem diſpenſationem talentorum, non ut horum ſoli dominium teneant, ſed ut ejus abundantiùs cæteris ſanctis æterna poſſeſſione fruantur, tum pro ſua vita, tum pro ſui gregis cuſtodia, nam benè agente populo, unuſquiſque pro bono ſuo remuneratur, ſacerdos autem pro bonis omnium. *Luc.c.12.v.44.*

47. *Expenditur iterum gaudium gloriæ, ad quod invitatur anima.*

Super pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Nota gradualem ordinationem horum verborum : primò ponit pauca, ſecundò multa, tertiò gaudium Dei ; quænam iſta pauca, multaque ? Pauca ſunt bona ſpiritualia, & gaudium Dei eſt gloria æterna, quaſi dicat, ſi in hac terra ſic eſt hominibus dulcis vita, licet tot doloribus, tot calamitatibus plena, qualis eſt illa manſio cæleſtis, quàm dulcis habitatio in ea, ubi nulla mors eſt timenda, nulla penitus pœna eſt ſuſpicanda, ſed lætitia eſt ibi ſempiterna : item ſi ſic delectat hic vivere cum amicis temporalibus, ubi vix eſt amicitia, niſi falſa, quàm delectabilis erit vita, ubi eſt ſanctorum militia, & vera amicitia, nullo unquàm tempore finienda ? item ſi ſic delectant divitiæ perituræ, quid facient ſummæ illæ divitiæ in æternum manſuræ ? item ſi ſic nos delectat corporis ſanitas, quam deſtruit ſæpè infirmitas, qualis erit illa ſanitas, ubi in perpetuum infirmitas nulla erit ? item ſi ſic delectat pulchritudo hæc corporalis, quæ febre, & ſenectute turpatur, quid erit delectationis eſſe ibi pulchriores ſole, ubi pulchritudo in æternum non perderetur ? item ſi ſic delectat hic eſſe filium militis, comitis, vel baronis, quid delectationis erit eſſe filium ſummi Regis, ubi nec filiatio perdi poteſt ? ô quam pauca ſunt iſta, ſuper quæ ſi eris bonus, & fidelis, adijcientur tibi multa, quæ multa ? nempè ſuprà tot bona, & beneficia temporalia, quæ tibi in terra, in mari, in aëre, in Cœlo dedit bona ſpiritualia tot, & tanta addidit in peccatorum remiſſione, in Sacramentorum communione, præcipuè corporis, & ſanguinis ſui, in virtutum collatione, in Patris, & Filii, & Spiritus ſancti miſſione, cum tot Pagani, Hæretici, Iudæi, mali Chriſtiani, & forte frater tuus ſit in via inferni. & tu in via Cœli: bona quoque illa inenarrabilia, quæ tibi fecit Dominus in ſemetipſo, ſcilicet in ſua Incarnatione, & in Paſſione ; ô quàm multa, ad quæ conſequitur illa dulciſſima vox, Intra in gaudium Domini tui, quaſi dicat ; Iſta ſi ſunt pauca licet multa, tamen multò majora tibi adjiciam, ſcilicet gaudium ipſum Dei ; quid hoc gaudium ? quaſi dicat gaudium hoc continet omne bonum deſiderabile, ſi delectat te pulchritudo, ibi fulgebis ſicut ſol, ſi velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obſiſtere poſſit, eris ſimilis Angelis Dei, ſi longa, & ſalubris vita, ibi erit ſana æternitas, & æterna ſanitas, ibi ſatietas, ibi ebrietas jucundiſſima, ibi melodia, ibi Angelorum chori concinunt ſine fine Deum laudantes, ibi munda voluptas, ibi ſapientia, amicitia, concordia, poteſtas divina animæ communicata, ibi omne bonum, omne gaudium ſine fine. *Op. Brevil.p.7.c.7.ſer.2. Dom.6. Pentec. ſermon.1.ſer.2. Pentecoſt. Luc.cap.19.cit. ſermon.2. Cathedr.*

48. *Meritum majus, vel æquale poteſt haberi ab habente minora dona gratuita.*

Euge ſerve bone, & fidelis, &c. Nota, quod hæc eadem verba, & oblatio remunerationis, eadem exhibentur à Chriſto duobus, quibus talenta

talenta inæqualia fuerunt diſtributa, ſcilicet habenti duo talenta; hicque inſurgit dubium, an æqualis fuerint meriti? & ſi hoc quomodo tantùm meruit habens tantùm duo talenta, quantum habens quinque talenta cum ergo meriti principaliter veniat ex gratia? ſed reſpondetur quod iſta verba, Euge ſerve bone, &c. poſſunt indicare exhibitionem præmii inæqualem in duobus, ſed ſecundum proportionem meriti, & donorum poſſunt & indicare æquale præmium, nam licèt minora fuerint talenta in ſecundo, quàm in primo, tamen potuit impendere plus laboris, diligentiæ, intentionisque charitatis in negotiatione talentorum duorum, quam fecerit primus, & ideò mereri potuit æquale, imò plus, quàm alius, & hinc eſt quod multi juſti in ſtatu naturæ deſtitutæ, etiam cum minori, & minus efficaci gratia, quàm habuiſſent in ſtatu innocentiæ, plus meriti acquirunt incomparabiliter, quam feciſſent in illo ſtatu, eo quod difficultas operis facit ad majus meritum; ſic & S. Joan. Baptiſta exaltatus fuit in merito ſuper Angelos; poſſunt etiam concurrere in tali operante aliæ conditiones augentes meritum, ut induſtria voluntatis, multiplicatio actuum, & intentionum, finiumque, quæ doctrina eſt valdè excitativa ad laborandum toto conatu in via Dei. *Lib. 1. d. 29. q. ult. & lib. 2. d. 40. a. 1. qu. 1. & a. 2. per totum.*

49. *Timor vitioſus, & puſillanimitas in Dei ſervitio quale malum.*

Accedens autem qui unum talentum acceperat ait, Domine ſcio, quia homo durus es, metis ubi non ſeminaſti, &c. timens abii, & abſcondi talentum in terra, ecce habes quod tuum eſt, &c. & dixit ei ſervus male, & piger, &c. Vide quomodo iſte, qui non negotiavit talentum, à Deo punitur ſeverissimè: unde quæritur quare hoc? & quale peccatum commiſit? nonnè dixit, timens, ſcilicet timens Deum omiſit negotiari? timuit quidem Deum, ſed timore vitioſo, & temerario, timuit proficere, non deficere, timuit negligens ad profectum, ſed audax ad defectum; & hic timor dicitur à Theologis puſillanimitatis, qui animum puſillum reddit ad exequendum bona opera, quæ commenſurata ſunt tali perſonæ, & ex officio proprio ſunt debita, & hæc habet rationem mortalis peccati, quando in materia gravi deficit in re neceſſaria ad ſalutem, vel ad proprium officium, & ideò merito à Deo talis ſervus damnatus eſt. *Op. ſpec. Animæ c. 3. Pſal. 118. cap. 5. v. 15.*

50. *Ingratitudo à Deo graviter punita.*

Timens abii, & abſcondi talentum, &c. Ecce typus ingratitudinis Deo ſummè exoſæ; nota autem, quod ingratitudo ſumitur vel negativè, vel privativè, negativè quando quis non eſt gratus Deo, ut debet, & hæc circumſtantia omnium peccatorum; privativè eſt quando non eſt gratus, imò contrariè movetur per contemptum beneficii à Deo recepti, & hoc fit, cum gratia à Deo accepta otioſè negligitur; tenetur autem homo gratum ſe Deo exhibere, quod fit beneficia accepta diligenter recolendo, ſubtiliter intelligendo, fideliter confitendo, ſtudioſè ſervando, benefactorem diligendo ejus offenſam cavendo, & gratiam acceptam non otioſè negligendo, ſicut ille piger, qui abſcondit pecuniam Domini ſui, ſed ad id, ad quod datur, eam exercendo, & inde non inſoleſcendo, vel extollendo, & hæc eſt omiſſio peccaminoſa, quam Deus ſeverè punit. *Lib. 2. d. 5. a. 1. q. 1. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 6. ſermon. 2. Dom. 21. Pentec. ſerm. 2. de S. Thoma.*

51. *Avaritia quàm Deo exoſa.*

Timui enim, quia homo durus es, &c. Ecce typus hominis avari, raptoris, & lucri aviditſimi, qui lucrum ex omnibus rebus emungit, & durus eſt in eo exigendo; timui ait iſte avarus, ne ſi ad lucrandum pecuniam exponerem, non lucrum, ſed jacturam reportarem, & à re homine duro, & acerbo cruciarer; talentum ſervavi abſque jactura, integrum refero; ô ſerve male, & piger, ecce quod totum à te auferetur, & animæ acturam æternam incurriſti; ſic, ſic ut plurimum avaris accidit; Deus enim ipſis aufert, eoſque privat ſæpè bonis temporalibus, tam ab ipſis inordinate dilectis, & in infernum cruciandos tradit tormentis.

52. *Homo reddet rationem non ſolùm de bonis diſſipatis, ſed etiam de lucris negletis bonorum;* undè hic damnatus eſt qui cum talento ſib. tradito, nihil lucratus eſt. & hoc præcipuè verificatur de Prædicatoribus, qui talentum doctrinæ abſcondunt, ipſam non diſtribuendo auditoribus, quibus judicium Dei terribile imminet; unde quilibet redditurus eſt rationem non ſolùm de gratis à Deo receptis, ſed & de non receptis ob propriam negligentiam, & torporem. *Ser. 2 Dom. 8. Pentec. Luc. c. 19. v. 20. ſer. 2. de S. Thoma: ſer. 2. Dom. 21. Pent.*

53. *Gratitudo multiplicat bona ſpiritualia, ingratitudo privat.*

Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta quia omni habenti dabitur, & ei qui habet, & quod videtur habere etiam auferetur ab eo. Vide effectus diverſos ex gratitudine, & ingratitudine. Nam Chriſtus meritò multiplicat bona homini grato, aufert autem ingrato ea, quæ habet pro abuſione honoris, & poteſtatis, & divitiarum, & aliorum bonorum ſibi collatorum, quæ ad propriam gloriam, & commodum retorſit & non ad quod data ſunt ei; & de iſtis verificatur, quod dicitur Prov. c. 11. Alii dividunt propria, & ditiores fiunt, alii rapiunt non ſua & ſemper in egeſtate ſunt & ideo de gratis, & bonis meritò dicitur generaliter omni habenti dabitur, ſcilicet omni habenti deſiderium audiendi verbum, & faciendi voluntatem Dei dabitur ſenſus intelligendi, omni habenti voluntatem operandi, dabitur facultas perficiendi; omni habenti opera, dabitur intelligentia ſpiritus; omni habenti juſtitiam dabitur ſapientia; omni habenti gratiam dabitur gloria; omni habenti cumulum meritorum, dabitur cumulus præmiorum & quod auferetur ab ingrato dabitur grato, & benè utenti donis collatis. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 3. op. Diat. tit. 1. c. 7. Luc. c. 7. Luc. c. 19. v. 26. & c. 6. v. 38. ſer. 4. Rogat.*

54. *Ingrati locus proprius eſt infernus: ubi etiam de malo ingratitudinis.*

Serve male, & piger, &c. & inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & ſtridor dentium. Ecce qualis eſt locus proprius ingratorum, non Cœlum, non terra, quia Cœlum eſt locus Dei, contra quem ingratus fuit; non terra, quia ingratus fuit ob malum uſum talentorum, quæ ei data fuere in utilitatem proximi; ergo ſolus locus ejus eſt infernus, ideò à tenebris, in quibus vixit, ad tenebras tranſit graviores, tamquam inutilis, & merito, qua ingratitudo ventus eſt urens, fontem pietatis exſiccans, & rorem miſericordiæ fluentaque gratiæ. *Sap. c. 16. & c. 17. in fine. ſer. 1. de uno Doctore in addit. Diat. tit. 3. c. 2.*

55. *Duplex adventus Chriſti in mundum.*

Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo. Duplex adventus Chriſti in mundum prædicatur in Sacra Scriptura, primus in carnem humilis, & abjectus, ſecundus erit in fine mundi, ſed differenti modo, quod & expreſſit Chriſtus biduo ante Paſſionem ſuam, ut indicet quomodo per Paſſionem, & abjectionem aſcendit ad tantam majeſtatem, & quòd ipſi propter Paſſionem data eſt illi poteſtas judiciaria ſuper omnes creaturas rationales: Veniet autem ſimul cum tota curia cœleſti, nam Cœlum tunc omnino evacuabitur (ait Chryſoſtomus) appellat autem ſe Filium hominis, quoniam in natura humana omnibus conſpicuus omnes judicaturus eſt; id autem æquum eſt, ait S. Auguſtinus, ut omnes judicandi Judicem videant, & ut qui redemit, ipſe etiam judicet, & qui legem dedit, etiam rationem expoſcat, & qui judicatus eſt, judicium exerceat, judicabit autem ſuos, non alienos, ſuos, inquam jure creationis, & jure redemptionis, & ideò omnes homines. *Op. Comp. Tucol. lib. 7. c. 17. ſeq. Luc. c. 17. v. 13. ſeq. lib. 4. d. 48. a. 1. q. 1. & 2. ſerm. 4. Dom. Adv. Pſal. 118. v. 121.*

56. *Comitatus Chriſti in judicio qualis.*

Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo. Nota illud verbum, & omnes Angeli ejus cum eo: ergo non venient cum eo exteri beati? Venient quidem, ut infrà dicetur, ſed Angeli erunt in judicio veluti aſſiſtentes, & teſtes omnium geſtorum hominum, ſub quorum cuſtodia, benè, vel malè homines egerunt, ô qualis confuſio; timeant ergo omnes rei tantum Judicem, & tantos teſtes. *Ser. 3. de S. Michaele. Ser. 3. de S. Joan. Baptiſta in addit. ſer. 1. Dom. 16. Pent. ſer. 2. Dom. 18. Pentec.*

57. *Crux erit thronus ſupremi Judicis circumdata nube, admirando ſplendore fulgens.*

Tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ. Quæ hæc ſedes? Græcè: ſedebit ſuper thronum gloriæ ſuæ: ſed quis iſte thronus gloriæ ſuæ? ſed attende ad hunc thronum: hic thronus erit nubes miro ſplendore fulgens, & in medio erit Crux ſole fulgentior, cum omnibus inſtrumentis Paſſionis, & hoc in ſignum victoriæ excellentiæ, & majeſtatis, ad cujus ſplendorem omnia omnibus erunt manifeſta; ſedebit igitur in nube, & in cruce, ut juſtis conſolationem ingerat, & ab æſtu judicii protegat, & impiis ſit ad pœnam coſque urat, & torqueat. *Lib. 4. d. 48. a. 1. q. 3. ad 2. ep. ſim. p. 1. c. 12. Pſal. 67. ſer. 2. in Invent. S. Crucis in addit. ſer. 2. in Aſcenſ.*

58. *Congregatio omnium antè Judicem expenditur.*

Et congregabuntur antè eum omnes gentes. Nota, quòd cum Chriſtus conſtitutus ſit Judex omnium, in die judicii congregabit ante ſe omnes gentes, ſcilicet Angelos, & homines ſi juſcumque conditionis, etiam Infantes, ſed virili exiſtentes quantitate, ſcilicet in ætatem plenitudinis Chriſti, & hoc ad examen confeſſionis peccatorum benè, vel malè factæ in hac vita, hoc enim eſt negotium, propter quod venit in mundum, & propter quod faciet judicium, & de hac materia loquitur Ioel, *c. 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat.* Si omnes ergo, & uſurarii, & raptores, & fornicatores, & ſimiles, & hoc in valle Joſaphat, ſcilicet in terra erunt mali, qui vallem vitiorum, & terram amaverunt, ibique nudabit turpitudinem omnium malorum. *Sermon. 3. Dom. 4. poſt oct. Epiph. ſer. 2. Dom. 1. poſt oct. Paſcha. Diat. titul. 4. cap. 2.*

59. *A dextris in judicio collocabuntur, qui in hac vita dexteram amaverunt: à ſiniſtris, qui ſiniſtram tenuerunt.*

Et ſtatuet oves quidem à dextris, hædos autem à ſiniſtris. Cur à dextris, & à ſiniſtris? meritò à dextris juſti collocabuntur, quia in hac vita dexteram ſemper tenuerunt, ſcilicet qui pro ſpiritualibus bonis terrena reliquerunt, à ſiniſtris ſuperbi, qui in hac vita ſemper ſiniſtram tenuerunt. *Serm. 2. ſer. 3. Pentec. op. Eccl. S. Hier. p. 1. c. 3. in Eccleſ. c. 10. Luc. c. 3. v. 14. & c. 12. v. 46. Ioan. c. 19. v. 18. ſer. 2. Invent. S. Cruc. in addit. ſer. 1. de S. Aut. in addit. ſer. 2. S. Jacob. in addit. Diat. tit. 10. c. 6.*

60. *In cruce moriens Chriſtus habuit ad dexteram latronem prædeſtinatum, & à ſiniſtra reprobatum,* & in judicio generali ſedens in tribunali crucis habebit à dextera electos, & à ſiniſtra reprobos, ſic dicitur: *& ſtatuet oves à dextris, & hædos à ſiniſtris:* Oves vocat electos, quia audierunt ejus vocem, & ipſum ſecuti ſunt fideliter, & quia fœcundi fuerunt bonis operibus, hædos autem reprobos, quia ab ipſo defecerunt, & ſteriles vixerunt in obſervantia mandatorum Dei. *Ser. 2. Invent. S. Cruc. in addit. ſerm. 1. Dom. 1. poſt oct. Pentec.*

61. *Diſcutiuntur plura myſteria de Reſurrectione, & de judicio.*

Et congregabuntur ante eum omnes gentes. Quæritur hic primò an ſolùm animæ nudæ, an ſimul cum corpore? Reſpondetur, quòd omnes ad imperium vocis Chriſti reſurgent, & animæ reaſſument ſua corpora, quæ virtute infinita Dei reformabuntur ex eadem materia, qua in vita fuerunt compoſita, eadem natura, & eodem numero, ſed tamen reſurrectio tria corriget in natura

ſcilicet

ſcilicet defectum ſicut in pueris, & mutilatis, ſive in diminuta natura membrorum; corriget & ſuperfluum, cum hac tamen differentia, quòd mali reſurgent deformes, & paſſibiles, boni verò cum natura integra, eiſque vitia detrahentur: quæritur ſecundò de qualitatibus judicii? Reſpondetur; quòd hoc diſcrimen erit inter judicium particulare, & univerſale, quòd in particulari exiget ſententiam de omnibus bonis, & malis, ſed non omnem pœnam, vel præmium, quia in anima tantùm, non in corpore fit executio; univerſale verò erit, in quo unuſquiſque recipiet ſecundùm merita, vel demerita in anima, & in corpore; hoc judicium erit horribile, inevitabile, intolerabile, erubeſcibile, & hoc quia reprobi cum habeant corpora ponderoſa portabuntur à Dæmonibus, & quia eorum ſcelera erunt omnibus nota: Quæritur tertiò quinam erunt ludices judicantes? Reſpondetur, quòd Chriſtus erit Judex ordinarius, qui ſecundùm divinitatem, & humanitatem judicabit orbem terrarum; judicabunt autem cum Chriſto etiam Angeli, & Sancti judicio approbationis: Apoſtoli verò, & qui reliquerunt omnia propter Chriſtum, judicio aſſeſſoriæ dignitatis tamquàm ſenatores aſſeſſores judicis, qui confirmabunt judicium, & ſententiam: judicio verò comparationis etiam mali judicare dicuntur, quia per comparationem manifeſtabuntur ampliùs iniquitates malorum: Quæritur quartò quinam ſunt judicandi: Reſpondetur, quòd omnes tam boni, quàm mali, tam Angeli, quàm homines ſiſtent in judicio coram Chriſto Judice, & omnes judicabuntur judicio retributionis, judicio verò diſcuſſionis, & diſceptationis non judicabuntur infideles, quia tanquàm hoſtes ſine ulla diſceptatione meritorum punientur; item nec juſti, quia eorum merita de novo non diſcutientur an ſint bona, vel mala, ſed tantùm ut bonorum præeminentia omnibus manifeſtentur, & ut contrà malos juſta ſententia damnationis appareat: fideles verò mali hoc judicio diſceptationis judicabuntur, & eorum merita, vel demerita de novo diſcutientur. Et hinc ſequitur, quòd Chriſtus apparebit in judicio blandus, & dulcis juſtis, qui videbunt ejus humanitatem, & divinitatem; terribilis verò reprobis, qui tantùm videbunt ejus humanitatem, ſed in effigie terribili. *Op. Comp. Theolog. lib. 7. c. 17. & ſeq.*

61. *Sententiæ Chriſti bonis datæ partes, & qualitates expenduntur.*

Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt, Venite benedicti Patris mei, &c. Nota, quòd Chriſtus in judicio ſe appellat Regem, per quod demonſtrat ſuam juriſdictionem ordinariam, quam habet ut Deus, licet ut homo ſit delegata: ſententia autem, quàm feret in bonos ſeptem clauſulas dignißimas continet, prima eſt mirabilis, & dulcis vocatio, ibi venite &c. ſecunda eſt divina benedictio, ibi benedicti: tertia paterna dilectio, ibi Patris mei: quarta eſt remunerationis diſtributio, ibi percipite: quinta eſt regni aſſignatio, ibi regnum: ſexta eſt gloriæ præparatio, ibi vobis paratum: ſeptima eſt æterna prædeſtinatio, ibi ab origine mundi. *Op. Comp. Theol. lib. 7. c. 18. & 19.*

63. *Expenditur iterùm hæc ſententia Chriſti.*

Venite (dicet Chriſtus) ô vox dulciſſima, vox amantiſſima, vox deſideranda, vox omnibus laudibus prædicanda, vox immenſæ lætitiæ cauſativa: Venite inquit ab omni malo de cætero recedendo, venite omne bonum accipiendo, venite mortem, & omnia pericula fugiendo, & venite viram ſempiternam in manus accipiendo, *Benedicti Patris mei*, ideſt benedicti à Patre meo non benedictione temporali, non benedictione tantùm ſpirituali, ſed (quod eſt maximum) æternali: *Venite*, inquit, *& percipite regnum.* non vanum, ſed verum, non vacuum, ſed plenum, non confractum, ſed firmum, & ſolidum, non hoſtibus patens, ſed pacificum, & quietum, non momentaneum, ſed æternum, non in aliquo diminutum, ſed uſquequaque perfectum, ita ut nullum ei fieri poſſit additamentum, ô quale gaudium: ſi ſic gaudet homo, dum magnum thetaurum invenit, vel aliquam dignitatem aſcendit; ſic, ſic gaudet anima cum de Deo aliquid ſentit, pro quo & dulces lachrymas effundit, quid gaudii erit ibi, ubi Domine, inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & de torrente voluptatis tuæ potabis eos? nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum: ſic, ſic ô Fratres dum tempus habemus, veniamus ad pœnitentiam, veniamus ad malorum præſentium tolerantiam, ut fugiamus illa æterna mala, & apprehendamus cum Sanctis Apoſtolis illa præmia ſempiterna ipſo donante, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per infinita ſæcula, ſæculorum. Amen. *Ser. 2. de SS. Phil. & Jac.*

64. *Cur primò Chriſtus remunerationis ſententiam juſtis, quàm punitionis malis profert.*

Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt. Cur juſtitia primò incipiet à remuneratione bonorum, cum ordo legum exigere videatur ut prius puniantur rei, quàm remunerentur, vel abſolvantur innocentes? ſed hoc meritò faciet Chriſtus Rex & Dominus, tum ad majorem, & juſtam pœnam malorum, ut ſcilicet videant bona, quæ perdiderunt propriâ culpâ, tum ut fiant noviſſimi primi, & primi noviſſimi, reprobi autem in hac vita voluerunt eſſe primi, omnibus in omnibus præcedendo, ideò juſto Dei judicio fient noviſſimi, & carentes æternâ benedictione. *Serm. 3. Dom. 4. Adv.*

65. *Qualis fueris cum Deo in hac vita, talis erit tibi in judicio.*

Venite benedicti Patris mei. Cur ante remunerationem gloriæ promittit Chriſtus hanc paternam benedictionem? & quæ major benedictio, quàm acquiſitio gloriæ æternæ? ſed meritò ut par pari referat Chriſtus, quia enim juſti in hac vita toto corde benedixerunt Dominum, imò eorum vita, geſta fuerunt continua Dei benedictio, & ideò & ipſe erit in judicio in tam magnificam benedictionem, quia qui benedixerit Deum, benedictionibus

replebitur; ad benedicendum verò electos Chriſtus ſedens in ſede majeſtatis ſuæ tamquam ſummus Pontifex levabit manum ſuam; & ſuper eos effundet benedictionem Patris, Filii, & Spiritus Sancti, omniumque Angelorum, & Beatorum; ô fœlix, qui in hac vita incumbit, & conatur benedicere Deum ore, corde, & opere. *Sermon. 2. Dom. Palm. ſerm. 2. in Aſcenſ. ſerm. 4 Dom. Trinit. Luc. c. 12. v. 9. Pſal. 66.*

66. *Iuſti ex hac vita à regno ad regnum, & à benedictione ad benedictionem tranſeunt in alia vita.*

Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Quale regnum? nonne pro hac vita inceſſanter petebant regnum Dei? Adveniat regnum tuum? ſed vide fœlicitatem ſervorum Dei. In hac vita regnum Dei petebant; ipſo fruebantur, ſcilicet gratia Dei verè regnum divinum; hinc ab hoc regno tamquam benedicti filii Dei, & benedictione gratiæ ditati, invitantur ad aliud regnum, & ad benedictionem æternam poſſidendam in Cœlo, ſcilicet gloria æterna, ut videas, quòd juſti hic ſunt Reges, & magis in Cœlo ut tales coronantur à Chriſto. *Luc. c. 11. v. 20. op. in Pater. ſer. 4. Dom. Trinit.*

67. *Per Chriſtum, & Mariam Virginem hæc benedictio, & præparatio regni facta electis.*

Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt. Paratum à quo? ab origine mundi, ait; ſed qualis eſt hæc præparatio, & ſuper quæ merita fundatur iſta remuneratio? Sed attende, quòd dicitur paratum à conſtitutione mundi, ſcilicet antè omnem creaturam, nempè ab æterno: paratum item per creationem, & tertiò paratum à conſtitutione mundi, ſcilicet antè omnem creaturam, nempè ab æterno: paratum item per creationem, & tertiò paratum per Chriſtum; dixit enim *Ioan. cap. 14. ſi abiero, & præparavero vobis locum.* paratum ſcilicet quantum ad effectum, quia obſtaculum removit, quia placavit Patris offenſam, mundavit noſtram conſcientiam, & aperuit Cœli januam, quia meruit nobis omnem benedictionem, & hanc præcipuè prædeſtinationis, & glorificationis, in quo munere etiam concurrit Beata Virgo Maria tamquam cooperatrix noſtræ Redemptionis cum Chriſto, & poſt Chriſtum, Unde meritò dictum eſt ei Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: ſcilicet benedicta inter mulieres, quia quidquid maledictionis infuſum eſt per mulierem Evam, totum abſtulit benedictio tua, & quidquid benedictionis à Deo in nos derivat, totum nobis advenit per fructum ventris tui, & per te Beata Virgo Maria. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 11. & 14 & ſeq. per totum. Luc. c. 1. v. 42. ſerm. 3. in Aſcenſione.*

68. *Iuſti intrabunt in poſſeſſionem regni proprii. non alieni, quod eſt Chriſtus Ieſus.*

Percipite regnum, quod vobis paratum eſt. Si paratum juſtis, ergo & ipſi intrabunt in poſſeſſionem regni ſui, non alieni, & quale eſt hoc regnum proprium, & quod eſt alienum à juſtis? alienum eſt quidquid ſæculi eſt, quia bona hujus ſæculi nec afferre poſſumus, nec auferre; proprium juſtorum eſt ad quod ſunt creati, & prædordinati, & quod habitum non poteſt perdi, hoc autem regnum non eſt aliud, niſi Deus, & Dominus Jeſus Chriſtus, qui eſt vita noſtra, gloria, & præmium: ô ad Chriſti poſſeſſionem aſpiremus, & curramus. *Luc. c. 16. v. 22.*

69. *Miſericordiæ opera proximo exhibita quàm Deo chara, & neceſſaria.*

Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c. Quæritur hic cur tantùm opera miſericordiæ hic afferuntur pro ratione meritoria cœleſtis præmii, cum certum ſit multos juſtos præmiandos fore pro aliis ſublimioribus operibus, ut virginitate, charitate, martyrio, & aliis? Reſpondent Sancti Patres Auguſtinus, Bona. Euthim. aliique, quòd de ſola humanitate, ſive amore erga proximos diſſerit, & ab hac ſola juſtos honore dignos judicat, & peccatores ſupplicio, non quòd cætera, vel juſtorum bona opera, vel peccatorum delicta ſine examinatione, & diſcuſſione relinquenda ſint, ſed nunc de ſola hac virtute diſſerit, confirmare volens, quòd hanc maximè requirit, & hanc præ omnibus expetit, utpotè Chriſtianis maximè neceſſariam, præcipuè ad diluenda peccata, cujuſque enim Chriſtiani inſigne, quo dignoſci poteſt, eſt dilectio: Nota autem, quod ſex tantùm opera miſericordiæ enumerat relinquens ſeptimam de ſepultura mortuorum, quæ tamen in his involuitur: Nota etiam, quòd iſta opera miſericordiæ nominatim exprimit, ut appareat non eſſe ſemper opera ſupererogationis, & de conſilio, ſed plerumque, & ut plurimum de præcepto, quod & notavit Abulenſis cum aliis Doctoribus. *Vide S. Bon. ſerm. 2. Dom. 1. poſt oct. Pentec. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 2. op. de dono piet. c. 1. op. Diæt. tit. 7. c. 4. & tit 10. cap. 5. Luc c. 11. v. 4 ſer. 4. de S. Laurentio in addit. ſer. 2. de S. Thoma. Apol. Paup. Reſp. 4. c. 1. ſer. 3. ſer. 2. Paſcha ſer. 7. Rogat ſer. 3. Dom. 12. Pentec.*

70. *Chriſtus in pauperibus recipit opera miſericordiæ tamquam ſibi exhibita.*

Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare, &c. Vide quomodo hic parabolicè loquitur Chriſtus, poſtquam enim propoſuit opera miſericordiæ exhibita introducit juſtos interrogantes Chriſtum quaſi ignorantes quomodo dederint manducare Chriſto, quibus reſpondet concludendo, amen dico vobis quamdiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis; manifeſtè docens, quòd quidquid exhibetur vel boni, vel mali pauperibus, veluti in ſuam perſonam redundantia exiſtimat. & præmiat. vel punit; unde præcipuè miſericordibus dicet, Venite benedicti Patris mei poſſidete regnum, quaſi dicat, impetraſtis quidquid petiſtis, agnoſco promiſſionem meam, laudo miſericordiam veſtram, accipite præmium, quod pretio æſtimari non poteſt; quidquid ulli meorum feciſtis

mihi

mihi factum est, vestra me commiseratio, cibo, potuque sæpius refecit; vestris ego vestibus tegebar, ad vestras ego ædes peregrinus diverteram; vester in me amor, ipsos ad me carceres penetravit, vestrâ misericordiâ ego vixi, venite benedicti, fragmen panis fame dedistis? en mensam paratissimam, venite in æternum epulaturi; Peregrinos tecto non exclusistis. Angelorum cives esse jubeo; seminudorum algentibus membris lanam injecistis? adeste immortalitatis purpurâ velandi, Venite benedicti, ô quæ rerum commutatio pro minimis, & vilissimis rebus thesauros Cœli, delicias non finiendas reciperet! ô qualis stultitia hominum illic sua relinquere, unde exituri sunt, & illuc non præmittere, quo ituri sunt! illic ergò ô homo repone, ubi tuam habes patriam. *Hæc Chrysostomus. August. & sparsim S. Bonav stim. p. 1. c. 4. & p. 2. c. 7. Luc. c. 10. v. 36 & c. 14. v. 14. & c. 19. v. 5. ser. 5. Dom. infrà oct. Epiph. ser. 2. Dom. 4. Quadrag. ser. 3. Parasceu. ser. 5. Dom. 8. Pentec. & aliis supra cit.*

71. *Ut excitaret nos Christus ad opera misericordiæ, ipse in suo corpore subiit omnes necessitates.*

Esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi, nudus fui, hospes &c. quando te vidimus esurientem, & sitientem &c. Sic parabolicè introducit Christus electos interrogantes ipsum, quando has necessitates passus est; sed ne posset dari ignorantia in hoc, respondet S. Bonaventura, Aspicite ô justi, ô fideles ad Christum laborantem in tota vita sua mortali pro nobis, & præcipuè ad ipsum pendentem in cruce, & videbitis, quòd si beati sunt qui esuriunt, & sitiunt justitiam, cum ipse fuerit plenus omni gratiâ, & perfectione, ipse in beatissima sua Passione maximè nostram justitiam esurivit, & sitim spiritualem habuit ipse in cruce, simul etiam corporalem famem, & sitim, quia nocte præcedente multum laboraverat, & vigilaverat in oratione: & postmodum in capturæ anxietate, & demum diversis flagellis, & laboribus fatigatus circa horam sextam, quando appetitus solet incitari, & incendi, fuit in cruce affixus, & usquè ad nonam jejunavit ibidem, & dixit sitio: clamat igitur de cruce sitio, & esurio, sed cave, ne veluti Judæi, acetum ei propines, sed pasce ipsum teipso, & corde tuo, vel saltem in pauperibus: Peregrinus item fuit, undè imminente morte dixit, regnum meum non est de hoc mundo, & in cruce maximè peregrinus, & alienus reputatus est pro nobis, & amici recesserunt ab eo tanquam ab extraneo; hunc ergo peregrinum fratres charissimi, pro nobis factum recolligamus intra nos, vel in membris suis: Nudus item fuit in Passione & in cruce, & talem se nobis ostendit, ut ipsum induamus veste charitatis, & maximè in membris ejus? Fuit & infirmus doloribus, & angustiis plenus pro nobis, ipsum & visitemus, & compatiamur ipsius angustiis, & maximè in membris ejus: Captus est pro nobis, & captivus ad carcerem, & è carcere ad crucem deductus, in ea suspensus, & conclavatus; ergo ad membra sua captiva, & incarcerata eamus: Nota etiam, quod in Eucharistia se captivum amoris ostendit, ut ad ipsum captivum ascendamus; & ab ipso remissionem peccatorum obtineamus: Ecce quomodo in beatissima sua Passione habemus motivum allectivum & excitativum ad operâ misericordiæ exercenda. *Ser. 3 in Parasceve: op. stim. p. 1. c. 14. ser. 2. Dom. 4. Quadrag. ser. 3. Dom. 8. Pent.*

72. *Christus in sua Passione exercuit opera misericordiæ, ut nos ad eadem excitaret, & ideo in judicio universali misericordibus dicetur. Venite Benedicti.*

Esurivi, sitivi &c. Cur ista opera misericordiæ & tot alia virtutum facinora in medium ponit Christus in judicio? sed attende ad mysterium: Christus veniet ad judicium sedens in nube majestatis simul cum cruce, & mysteriis Passionis, ut tali comparatione notâ fiant opera bona justorum, quibus imitatores Christi se exhibuerunt, & mala opera impiorum, qui ex tali exemplaritate non profecerunt, sed ingrati vixerunt, & quia ipse mirabiliter exercuit in sua Passione, & cruce eadem opera misericordiæ; ideò ipsa à nobis amplexata, vel refutata in medium ponet; sed quomodo hæc opera exercuit? attende, & aspice ad Christum, ejusque charitatem, & videbis, quòd ipse latus suum aperuit, & sanguinem suum fudit ad sitientes potandos, carnem suam in ara crucis igne nimii amoris conremavit ad esurientes pascendos; & ideò in cœna præcedenti Sacramentum Altaris ordinavit ad refectionem nostram, quod quidem Sacramentum memoriale est Dominicæ Passionis: opus item hospitalitatis exercuit in ipsa cruce, nam recollegit quemdam peregrinum, scilicet Latronem, qui ab eo petiit veluti peregrinus recolligi in regno suo, quem non tantùm non tardavit hospitio recipere, non sub porticu, non in stabulo, sed in seipso, non cras, non post cras, sed hodiè, ait mecum eris in Paradiso: Denudavit etiam se, ad nostra vetenda opericnda: Nos item infirmos visitavit, & in cruce infirmitates nostras, & cunctarum infirmitatum nostrarum angustias, & dolores super se portavit: ipse etiam in illo triduo captivos Inferni adiit; omnium autem istarum pietatum in Domino nostro compulsiva, conservativa, & confortativa fuit illa pietas, quâ pro suis crucifixoribus exoravit, ut in ipsos posset easdem exercere, & nos ad sui imitationem attraheret: ô qualis confusio in ingratos, & impios crudeles in pauperes Christi! *Op. stim. p. 1. c. 14.*

73. *Opera misericordiæ proximo exhibita, & maxime infirmo referenda in personam Christi.*

Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Quomodò hoc verum esse potest? quomodo opera facta in bonum hominis peccatoris, dicuntur facta ipsi Christo? sed attende ad maximum, & dulcissimum mysterium: Considera Christum caput totius Ecclesiæ, & fidelium, & ideò omnes homines veluti membra Christi capitis: vult ergo Dominus Jesus, ut serviendo proximo non sistamus aciem visus in personam exteriorem proximi; sed ad intus penetremus, & aspiciamus ipsum;

ipſum, ut Chriſti membrum, & Chriſtum in ipſo repræſentatum, & ſic aſſiſtendo, & manum porrigendo proximo, cor ad Chriſtum dirigamus; ſic enim Chriſtum diligens, cum in lecto videt proximum infirmum, ſibi videtur, quod videat Chriſtum ſuum, & per hoc nihil ſibi difficile, nihil ſibi abominabile, nihil ignominioſum æſtimat facere pro infirmis, ac pro aliis deſolatis, ſed omnia dulcia, omnia ſuavia, omnia amabilia judicat, cum ſic in proximo Chriſto miniſtrat: quis igitur de cætero abhorrebit leproſum, declinabit infirmum, negliget deſolatum, cum in eis intuemur Chriſtum, imò plus poſſumus mereri, & Deo placere, quàm ſi ipſi corpori Chriſti miniſtraremus? plus inquam ſi fer venter. & diligenter Chriſto in proximo miniſtrando, purè propter Chriſtum tendamus in Chriſtum? ergo ſi vis ô anima invenire Chriſtum, vade ad infirmariam, ubi in infirmo Chriſtus jacet, angustiatur, dolore gravatur, & torquetur, curre illuc, & ſibi miniſtra, ſibique compatere infirmanti. *Op.ſtim.p.2.c.7. Luc.c.10. v.38. & c.14 v.13. & c.19.v.1. ſer.5.Dom.infrà oct.Epiphan. ep. de Profect. Religioſ. lib.2. c.28.* Ex quibus habetur fundamentum, quomodo tot ſancti ad ſublimiorem perfectionem aſcenderunt ducentes vitam in xenodochiis miniſtrantes infirmis, quia ad Chriſtum ſolum aciem fidei dirigebant.

74. *Humilitas Chriſti etiam nunc reſidentis in Cœlo qualis.*

Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Qui ſunt iſti fratres Chriſti? ſunt minimi? & qui minimi? iſti ſunt diſcipuli Chriſti, qui pro Chriſto omnia reliquerunt; ſunt pauperes omnibus bonis temporalibus carentes: Vide igitur, quòd Chriſtus incæpit curſum vitæ ſuæ totus in actibus humilitatis uſque ad mortem in cruce: Vide adhuc mirabilia; nam etiam poſt Reſurrectionem, & Aſcenſcionem ſuam in Cœlum, & advenicns in majeſtate judicaturus tamquam Rex ſupremus totum mundum, non oblitus eſt ſuæ humilitatis, dum pauperes, minimos, miſeros vocat ſuos fratres, ut hinc diſcamus, quòd hæc virtus fundamentum, medium, & culmen eſt totius perfectionis. *Op.medit. c.15.*

75. *Humiles, & pauperes ſunt diſcipuli Chriſto chari ſuper omnes.*

Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex minimis meis mihi &c. Qui fratres minimi? hi ſunt humiles, ſunt & pauperes voluntarii, qui omnibus pro Chriſto ſe expoliaverunt, & ut intelligamus, quòd iſti ſunt verè ſuper omnes ſibi dilecti, eos ſelectos ab aliis oſtender in judicio, & ſuos fratres appellat: Et hinc eſt, quòd Seraphicus Pater Franciſcus ſuos Fratres minores voluit appellari, ut de nullo dignitatis gradu contendentes, nec ſibi nomen honoris alicujus uſurpantes, omnibus ſe humilitatis amore, ſalvo Dei honore, ſubjicerent, ad nullam temporalem magnitudinem, ut pauperrimi, humillimi, & puriſſimi aſpirantes. *Op. Expoſ. Regula c. 1. Luc. c.9.v.48.ſer.1.de S.Marco.*

76. *Chriſtus poſuit Fratres Minores, & alios pauperes in mundo, eoſque ſuos fratres appellat ad utilitatem divitum.*

Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Cur Chriſtus pauperes ſuos fratres appellat? & cur reputat ſibi factum, quod ipſis fit? Nota, quòd omnia ſua opera Chriſtus ad noſtram majorem utilitatem ſpiritualem ordinat: voluit autem pauperes ponere in mundo, eoſque fratres appellare ad utilitatem divitum, ut hinc addiſcamus, quod cum quis pro Chriſto pauperem ſuſcipit, non ſuſcepto, ſed ſuſceptori bonum præſtatur; non enim Chriſtus quærit tantùm commodum pauperum, ſed etiam & magis alienum: Et hinc dicebat Sanctus Franciſcus ſuis filiis, Ite ad petendam eleemoſynam, quoniam hac noviſſimâ horâ Fratres Minores commodati ſunt mundo, ut electi in eis impleant, undè à Judice commendentur, illud audientes ſuaviſſimum verbum, quod uni ex his fratribus &c. *Op. Legend.c.7.ep. Apol.Paup.Reſp.4.c.3.*

77. *Chriſtus medicus noſter ſalarium à nobis exigit in ſubſidio pauperum.*

Quod uni ex fratribus meis &c. Cur in hanc ſententiam exit Chriſtus poſt oſtenſionem vulnerum, crucis & benedictionem juſtis datam? ſed nota pietatem Dei; Chriſtus venit in mundum medicus miſſus à Patre, ut infirmitates noſtras ſanaret, quod & fecit effuſione ſanguinis ſui, quodque oſtendet in judicio, ſubdit autem *quod uni &c.* ut oſtenderet, quòd ſalarium, quod ipſi deberetur ex operibus ſuis, voluit aſſignare ſuis hæredibus, ſcilicet pauperibus, ut intelligerent omnes, quòd gratitudo major Chriſto debita, exhibetur elargiendo opera miſericordiæ pauperibus. *Op.Diurnit.c.4.*

78. *Miſericordia eſt ſumma Chriſti lectio expoſita in ſua ſchola ſuis ſcholaribus.*

Quod uni ex fratribus meis &c. Eſurivi enim &c. Nota, quòd non eſt mirum, quòd Chriſtus in judicio ſolum differat de operibus miſericordiæ exhibitis, vel non exhibitis proximo indigenti; nam miſericordia eſt ſumma Chriſti lectio, quam in ſua ſchola tradidit ſuis ſequacibus, & ideo examen præcipuum in judicio erit ſuper hanc lectionem, qui enim proficiunt in hac lectione non ſentient æternum Chriſti flagellum, & è contra qui deficiunt, ſentient flagellum ſine pietate, quia judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam. *Op. Diurnit 7.c.4.*

79. *Honorans, vel contemnens Chriſti miniſtros, Chriſtum honorat, vel contemnit.*

Amen &c. quod uni ex fratribus meis &c. Verbum hoc eſt dulciſſimum, & terribiliſſimum; dulciſſimum honorantibus Chriſti fratres; & miniſtros: terribiliſſimum contemnentibus. *Luc. c.10.v.16.*

80. *Expenditur terminatio judicii, & promulgatio ſententiæ damnatorum.*

Tunc dicet Rex iis, qui à ſiniſtris ejus erunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus. Ecce concluſio judicii univerſalis: poſtquam enim aperti fuerint libri authentici, & ſolemnes; ſcilicet liber Dominicæ Paſſionis, liber conſcientiæ, & liber vitæ, & examinatis, diſcuſſiſque omnibus à cogitationibus, verbis, & operibus, promulgabitur ſententia diffinitiva contrà reprobos, in cujus promulgatione antè oculos exhibebitur cauſæ magnitudo, quæ erit non de pecunia, vel poſſeſſione terrena, ſed de damnatione, vel ſalvatione æterna, quæ examinabitur coram toto mundo; & hinc ſententia tremenda Judicis, quæ irrevocabiliter pronuntiabitur, nec poterit aliquid in contrarium quæcumque ſupplicatio ſanctorum, vel Matiæ; Diſcedite, dicet Chriſtus, à me maledicti: ô quæ vox, quæ lingua dolorem ſummum exprimet damnandorum, clamores flentium; & flumina lachrymarum, dum reprobi ſeparabuntur à Beatiſſima Trinitate, & ſummi boni dulciſſima viſione, & prædulciſſima deguſtatione, à turma Angelorum, & Sanctorum dulciſſima ſocietate, & à bonorum omnium ubertate, & tradentur diabolo hoſti crudeliſſimo, igni acerbiſſimo, & æterno, & brevitet omni malo; nullis unquàm ſæculis finiendo: ô dilecti fratres, dum tempus habemus, operemur bonum; faciamus pœnitentiam, ut fugiamus illa futura mala; & apprehendamus cum ſanctis Apoſtolis illa præmia ſempiterna. *Ser.2. de ſanctis Phil. & Jacobo: op.faſciculor.c.4.*

81. *Chriſti furor in reprobos expenditur in die judicii.*

Tunc dicet Rex his, qui à ſiniſtris ejus erunt; diſcedite à me maledicti. Ecce quod cum ſe oſtenderit Chriſtus blandum, & dulcem electis, totus nunc convertitur in furorem contrà reprobos, de quo *Iſa. cap. 30. Ecce nomen Dei venit de longinquo furor ejus gravis ad portandum, labia ejus repleta ſunt indignatione, & lingua ejus ignis devorans:* verè enim erit devorans per igneam ſententiam, *diſcedite à me, &c.* furor ejus ardens, furens autem dicitur Chriſtus per ſimilitudinem; quia ſicut homo furens magnos, & parvos indifferenter percutit, neque perſonas, neque preces, neque munera accipit ad parcendum; ità Chriſtus in judicio, neque Papæ neque Imperatoris, neque cujuſcumque alterius perſonam accipiet, item preces non admittet, quia nullis precibus poterit tunc peccator à mortis ſententia liberari; item munera non ſuſcipiet, quia nulla tunc poterit fieri pro peccato oblatio: ô dies furoris, væ & calamitatis. *Ser.4.Dom.3.Adv.*

82. *Chriſtus nunc patiens eſt, nunc ſilet, ſed in judicio loquetur verbum aſperum.*

Tunc dicet Rex his, qui à ſiniſtris ejus erunt: Nota illam particulam, Tunc, & confer eam cum alia, Nunc; quaſi dicat, Nunc in hac vitâ patiens fui, nunc ſilui, ſcilicet ad tuas fœdas cogitationes, & malas locutiones taceo, patiens ſum ad tuas impias operationes; ſed tunc ſcilicet in judicio ut parturiens loquar, ut dicitur *Iſ. cap.42. loquar, & exibo in verbum aſperum, & amarum.* Diſcedite à me maledicti in ignem æternum: ô quàm aſperum, quod comitabuntur ſeptem tonitrua, ſcilicet ſeptem deſcriptiones in ſententia Judicis, primum tonitruum erit *Diſcedite à me maledicti*, ſecundum eſt *Eſurivi enim &c.* tertium *ſitivi*, quartum *hoſpes eram*; quintum *nudus fui*, ſextum *infirmus fui*, ſeptimum, *in carcere*; ſed quid loquuntur iſta ſeptem tonitrua? inſinuant, & incutiunt terrorem; & horrorem, tam intolerabilia ſunt, quod præ magnitudine ſcribi non poſſunt, imò neque intellectu capi. *Ser.2.ſer.4.Paſchæ: ſer.4. Dom.4. Adv. ſer.3. Dom.15.Penitc.*

83. *Sententia Chriſti gladius ex utraque acutus contrà reprobos.*

Tunc dicet Rex, &c. Pende hæc verba, & confer cum illis *Deut. cap. 32. Si acuero ut fulgur gladium meum:* quis gladius, ut fulgur, niſi ſententia damnationis, quam igneam proferet Chriſtus tamquam gladium acutum, quo feriet & corpus, & animam omnium reproborum. *Ser.3.Dom.infra oct. Nativit. ſer.1. de Doctor. in addit.*

84. *Expenditur, venite benedicti, & diſcedite à me maledicti.*

Tunc dicet Rex iis, qui à ſiniſtris ejus erunt; diſcedite à me maledicti. Vide quomodò Chriſtus opponit verbo Venite benedicti, diſcedite à me maledicti: Duæ ſunt iſtæ voces: Venite; diſcedite: ô quid poteſt delectabilius, & jucundius audire, quam venite ad me, venite ad Cœlum; venite ad gloriam æternam; & quid lamentabilius, quid terribilius, quid horribilius, quam diſcedite à me, quàm in æternum ſeparari à vita, à Deo, à gloria: ô anima ſepara te modò à mundo, ut tunc poſſis manere cum Chriſto; fuge modò mundum, ut ſequaris Deum, declina modo peccatorum ſocietates, & conſortia, ut tunc valeas evitare dæmonum ſocietatem, & ſequi Beatorum agmina. *Op.ſolil.c.3. op. collatio de contemptu ſæculi.*

85. *Expenditur iterum hoc verbum diſcedite à me: & ſeparatio æterna à Chriſto.*

Diſcedite à me maledicti. O verbum aſperum, & amarum: quàm amarum, & aſperum eſt ſeparari à Chriſto; cogita ô anima quantum ſit malum à facie Chriſti ſeparari, ab illo gaudio divinæ contemplationis excludi; beatiſſima ſanctorum omnium ſocietate privari; mori vitæ æternæ, & vivere morti ſempiternæ; profundo fluctuantis Gehennæ immergi; edaciſſimis vermibus in æternum dilaniari: ô funeſta ſeparatio. *Op. ſolil.c.3.*

86. *Dei odium in peccatum, & peccatorem diſſertur.*

Diſcedite à me maledicti. Nota hoc verbum diſcedite à me: Cur ô dulciſſime Jeſu homines, qui ſunt opus manuum tuarum, qui à te tam ardenter dilecti fuerunt, modo à tua præſentia in æternum ejicis? ô peccator audi quid facit peccatum! totum eſt propter odium, quod Deus habet ad peccatum, hoc enim eſt tam Deo abominabile, ut propter peccatum ſemel ferè diſſipaverit totum mundum, omniaquè ſua opera per diluvium: alii autem Reges in præjudicium inimicorum depopulant terras eorum, Deus autem diſſipavit terram propriam, in quam peccatum intraverat; imò in tantùm Deus odit peccatum, quod etiam deſtruit quidquid peccatum tangit; alii autem homines propter vinum corruptum non projiciunt vaſa aurea, vel argentea in mare, ſed ſervant ea, & projiciunt vinum; Deus autem non ſolùm peccatum, ſed & vaſa peccati, ideſt animas rationales ad imaginem ſuam factas, & ſanguine ſuo redemptas in odium peccati à ſe removet, & ſeparat, & in oceanum infernale propter odium peccati projicit, quia ut dicitur, *Sap. c 14. odio eſt Deo impius, & impietas ejus: op. Diat. tis. 1. c. 1. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 2.*

87. *Peccatum ſeparat hominem à Deo.*

Diſcedite à me maledicti. Quomodo hoc dicitur, cum Deus ſit ubique? & quiſnam locus, in quo Deus non ſit? ſed meritò dicitur diſcedite à me per diverſitatem morum; darque intelligere diſtantiam inter Deum, & peccatorem, ſcilicet inter juſtitiam, & iniquitatem; quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? & quæ conventio Chriſti ad Belial? quoniam ergo reprobi erunt injuſti, & tenebroſi, & viri Belial, Chriſtus autem Judex eſt juſtus, eſt lux vera, & ſine fine bonus, ideò malos compellet deſcendere in locum à Cœlo remoriſſimum, in infamiſſimum, turpiſſimum, obſcuriſſimum, permoriſſimum locum, ſcilicet infernum per finale judicium, dicens diſcedite à me maledicti. *Luc. cap. 13. verſ. 27. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 7.*

88. *Chriſtus ſolùm auctor benedictionis non maledictionis, hæc enim eſt ab ipſo peccatore.*

Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Nota, quod non ſervat eundem ordinem Chriſtus in proferenda benedictione electis, & maledictione præſcitis: illis enim dicit benedicti Patri mei, ſcilicet à Patre meo iſtis non dicit maledicti Patris, ſed abſolutè dicit maledicti; ſi maledicti; à quo iſta maledictio? ſed optimâ ratione id dicitur, ait Origen. quia benedictionis miniſtrator eſt Pater, maledictionis autem unuſquiſque ſibi eſt auctor, qui maledictione digna eſt operatus: impiis dicet Dominus ite maledicti, ait Chryſoſtomus, non quidem à Patre; non enim ipſe, ſed opera propria maledixerunt eos; Benè ergo dicitur, diſcedite à me maledicti, quia per ſeptem vitia capitalia vobis maledictionem compoſuiſtis, efformaſtis, & promeruiſtis, & ideò ut indigni benedictione divinâ, diſcedite à me. *Op. ſpecul. Beatæ Virg. l. 8. c. 15. op. de decem præcept. ſermon. 1. op. de contemptu ſæculi.*

89. *Reprobi maledicti, quia de benedictione Mariæ non participant.*

Diſcedite à me maledicti. Cur maledicti? quia benedictionem Mariæ non poſſunt participare: Maria enim benedicta fuit inter omnes mulieres, & quidquid maledictionis infuſum eſt per Evam, totum abſtulit benedictio Mariæ: ergo omnis, qui benedictionem Dei participat, id eſt mediante benedictione Mariæ, ergo qui rejicit hanc benedictionem per peccatum, ideò in maledictionem incurrit. *Op. ſpec. Beatæ Virg. lect. 14. & 15.*

90. *Locus propius peccati, & peccatoris eſt infernus.*

Diſcedite à me maledicti. Et quo? diſcedite, & deſcendite in ignem æternum, ſcilicet in infernum, quaſi dicat ite ad locum veſtrum proprium; peccato enim convenit locus infimus, qui eſt infernus, ideò damnati veluti lapides molares in infernum deſcendent tamquam in proprium centrum, undè mirum non eſt, quod exiſtens in peccato mortali veluti oneratus pondere graviſſimo ſemper ad inferiora, ad deteriora inclinet, & veluti rota, & pila dæmonum rotunda de abyſſo in abyſſum deſcendat: ô grave pondus peccatum. *Ser. 2. Dom. 3. Quadrag. op. Comp. Theol. lib. 2. c. 23. & lib. 3. c. 7. Ioan. collat. 42. & 70. & lib. 4. d. 31. a. 2. qu. 2. ad 1.*

91. *Ignis inferni qualitates expenduntur.*

Diſcedite in ignem æternum. Quæritur an ignis inferni ſit verus ignis, & an adſit alia pœna? Reſpondetur ibi eſſe verum ignem materialem ex ordine divinæ juſtitiæ, valentem torquere ſpiritus; dicitur autem in ignem, quia nomine ignis veniunt omnes aliæ pœnæ afflictivæ. *Lib. 4. d. 44. p. 2. a. 2. qu. 1. & 2. Luc. cap. 15. verſ. 28. & cap. 16. verſ. 24. op. Comp. Theolog. libro 7. cap. 22.*

92. *Cur ignis, & pœna damnatorum erunt æternæ: ubi de qualitatibus ignis tartarei.*

In ignem æternum. Quæritur hic de qualitatibus ignis infernalis, & cur ſit æternus, & quomodò? Reſpondetur primò, quod ille ignis corporeus eſt, ut dictum eſt, agens in ſpiritum, ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ, & dolor ille maximus eſt tum propter potentiam divinæ manus ipſum ignem moventis, tum propter ſenſibilitatem patientis, tum propter immediationem conjunctionis, quia corpus, & anima ſecundùm ſe tota abſorbebuntur ab igne, & in igne: talis ignis lucem non habet, ſed eſt tenebroſus, & cum lumen ſit delectabile oculis carebit lu-

mine

mine claro, ſed tamen ut magis torqueat aliquid lucis ſuboſcuri habet, ut damnati videant, unde doleant: Hic ignis fomentis ligneis non indiget, ſicut nec ignis in propria ſphæra, ſed ſulphure æterno nutritur, & materia propria conſervans erunt peccata, & hinc eſt æternus; ſed cur æterna erit pœna damnatorum ob peccatum, quod de ſe eſt tranſitorium? Reſpondetur, quòd licet peccatum ſit tranſitorium; tamen pœna erit perpetua, & hoc tùm quia ipſe homo peccavit in ſuo æterno, contra Deum æternum ideò punietur in æterno Dei; tùm quia peccata ſunt æterna, eſt enim irremiſſibile omne peccatum tùm mortale, tùm veniale, nec ulla unquam erit mitigatio. *Lib. 4. d. 46. q. 1. & d. 44. p. 2. a. 3. q. 1. epiſc. Comp. Theol. lib. 7. c. 21. & ſeq.*

93. *Aliæ pœnæ inferni expenduntur.*

In ignem æternum. Si damnati in ignem projicientur, ergo ibi non erunt aliæ pœnæ? Reſpondetur, quòd ut dictum eſt nomine ignis, cum ſit maximè activus, veniunt omnes aliæ pœnæ afflictivæ: ideò in inferno erit fletus ſpiritualis, non corporalis, ſcilicet capitis, & oculorum commotio, & turbatio cum gemitibus æternis; ſtridor dentium, frigus, & calor nimius ſimul torquentia, vermis rodens perpetuò conſcientiam, fames, & ſitis, & fœtor intolerabilis, & tandem omnes pœnæ propriæ illius ſtatus torquentes corpus, & animam. *Lib. 4. d. 44. p. 2. & d. 50. p. 2. ep. Compen. Theol. lib. 7. c. 22.*

94. *Ignis infernalis paratus eſt à Deo Dæmonibus non hominibus, & quomodo.*

Qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus. Cur non dicitur etiam paratus hominibus perverſis? nonne prævideratDeus multos homines cruciandos in inferno? Sed reſpondetur, quòd primò paratus fuit Dæmonibus, qui primò ante hominem peccaverunt, ſed occaſionaliter tamen etiam paratus fuit impiis, quia Chriſtus regnum nobis (ait Chryſoſtomus) ignem autem non nobis, ſed diabolo, & Angelis ejus præparavit, in quem poſteà homines ſponte ſe injecerunt; hinc dicitur paratus ſolùm Dæmonibus, quia abſque remedio in ipſum ſunt præcipitati, quia non poterunt per pœnitentiam ipſum effugere; at hominibus paratus eſt Redemptor, parata pœnitentia qua ignem ſi velint, effugere poſſint, ſed impii, quia ſponte voluerunt ſequi diabolum, eique obtemperaverunt veluti Principi, ideò conſequenter ipſis paratus poteſt dici. *Vide lib. 2. d. 22. a. 3. q. 2. & d. 7. p. 1. a. 1. per totum, & d. 6. a. 2. q. 1. ad 3.*

95. *Operum miſericordiæ omiſſio maximè cauſa damnationis.*

Diſcedite à me, &c. eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitivi, &c. Cur cum infinita alia ſcelera in judicio apparebunt pro cauſa damnationis reproborum, ſolùm Iudex facit diſcuſſionem ſuper opera miſericordiæ non exhibita? ſed Reſpondetur *ex Prov. c. 14.* Qui calumniatur egeno exprobrat factori ſuo, honorat autem eum, qui miſeretur pauperis, in malitia ſua expelletur impius; ſicut enim qui miſeretur pauperis, honorat Deum in paupere, ſic qui claudit viſcera miſericordiæ pauperi, exprobrat, & facit vituperium factori ſuo in paupere, & ideò dignus eſt tamquam impius expelli in malitia ſuæ impietatis à conſortio Sanctorum, & etiam exprobrari vituperio duræ increpationis, ſecundùm quòd dicitur diſcedite à me maledicti in ignem æternum, eſurivi enim, & non dediſtis, &c. ideò non facientes miſericordiam cruciabuntur ſupplicio æternæ damnationis; ergo tota judicialis ſententia, & diſcuſſio erit ſecundùm exhibita, & non exhibita opera miſericordiæ. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Pentec.*

96. *Qualis via arripitur ab homine, talis erit terminus, ad quem incedet.*

Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. Ibunt (ait Chriſtus) quomodo ibunt? ibuntne propriis pedibus, an ferentur Beati per aera, & damnati per terram ad infernum; vel potiùs ibi præcipitabuntur? Reſpondetur quòd hoc modo loquendi ad litteram dat intelligere, quòd ex loco Iudicii Beati cum Chriſto aſcendent ad Cœlum, reprobi cum Dæmonibus abſorbebuntur per hiatum magnum factum à Deo in terra, & præcipitabuntur in tartara; utitur autem tali modo loquendi, ibunt, quia quale eſt iter arreptum ab homine in hac vita propriis pedibus, & propria voluntate, & qualis via calcata ab ipſo, talis erit terminus; qui enim per viam mandatorum incedit, quæ eſt via facilis, dulcis, & ſuavis, cum Chriſto etiam ad Cœlum terminabit ſuum iter; qui per viam laboriſam, & tortuoſam peccati iter arripit, & proſequitur, tandem ad Infernum terminabit. *Pſal. 118. v. 1. & v. 15. & 36. & 66. ſer. 2. de S. Antonio. ep. Comp. Theol. lib. 1. c. 30. ep. de ſeptem itin. æter. prol. & d. 7.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota quòd eleganter Chriſtus poſtquam præmiſit de Adventu ſuo in majeſtate ſubdit de Paſſione, quam ſuſtinuit ex ſumma humilitate, coniungens gloriam æternitatis merito Paſſionis, ut effectum cauſæ: Paſſionis enim effectus, vel cauſa finalis eſt gloria æternitatis.*

CAP. XXVI.

2. *Omnes ſermones Chriſti, & Sacræ Scripturæ terminant ad æternitatem gloriæ, vel pœnæ.*

ET factum eſt, cum conſummaſſet Ieſus ſermones hos omnes, dixit diſcipulis ſuis, ſcitis quia poſt biduum Paſcha fiet, &c. Quomodo dicitur, quòd Jeſus conſummaverat omnes ſermones, cum, & alii ſuperſint ab ipſo traditi? ſed hoc dicitur cum maxima advertentia myſterii, terminaverat autem omnes ſuos ſermones in æternitate præmii, & pœnæ, quæ ab ipſo parata ſunt juſtis, & impiis, & quia ad hæc duplex eſt itinerarium homini propoſitum, ſcilicet vel ad Cœlum, gloriamque æternam, vel ad infernum, pœnamque æternam, in cujus fine eſt Paſcha, ſcilicet tranſitus ab hac ad aliam vitam, & quia in his ſtat tota ſumma noſtræ ſalutis, vel damnationis, & ad hæc tendunt omnia monita Chriſti, & Sacræ Scripturæ, ideò dicitur tali pacto conſummaſſe ſuos ſermones, ſcilicet etiam allatos, & de novo afferendos in medium, hæc ad ſenſum Seraphici Doctoris. *Op. de ſeptem itin. æter. prol. & d. 1. ſeq. ad 7. Luc. c. 22. v. 1.*

3. *Celeberrimum Paſcha fuit immolatio Chriſti in cruce.*

Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Nota, quòd hæc dicta ſunt à Chriſto feriâ tertiâ Hebdomadæ majoris, ubi proponit diſcipulis Paſcha imminens, & connectit cum ipſo ſuam traditionem, & immolationem in cruce fiendam, tùm ut prædiceret Apoſtolis ſuam Paſſionem imminentem, ne ex ipſa turbarentur, tùm ut denotaret, quòd tunc Paſcha celebrandum erat (non illud ſolitum, quia de hoc certi erant diſcipuli) ſed novum, & quale numquam fuerat factum, ſcilicet per inſtitutionem ſacræ Euchariſtiæ, per traditionem ſuam in manus inimicorum, per crucifixionem, & ſuam mortem immolandus erat ipſe agnus in Redemptionem hominum; hoc enim eſt Paſcha celeberrimum Chriſti. *Luc. c. 22. verſ. 1.*

4. *Concilium à Spiritu Sancto rectum, & conciliabulum diaboli expenditur: ubi de jejunio feriæ quartæ.*

Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi in atrium Principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & conſilium fecerunt, ut Ieſum dolo tenerent, & occiderent. Ecce quale conſilium celebratum à Sacerdotibus Synagogæ ad quos maximè ſpectabat juſtitiam, & cultum Dei illibatum ſervare, & quia Deum non timebant, ſed tantum plebem, ideò ad hoc conſilium vocaverunt diabolum, quia ibi tantùm invidia, livor, malignitas, & odium conveniebant, & quia tota eorum conſultatio erat ad auferendum de medio, & occidendum Chriſtum; ſed quid facitis ô impii, vos veſtro conſilio illaqueatis, veſtræque Reipublicæ everſionem maximam infertis; comprehendet vos Deus in aſtutia veſtra, & conſilia veſtra diſſipabit, ô quàm verum, quia de temporalibus timebant, & non de æternis, & ſic factum eſt, quod Dei judicio utraque perdiderunt; perdiderunt Chriſtum, fidem, templum, & regimen, facultates, & vitam temporalem, ſic ſic accidit iis, qui excludunt Deum à ſuis conſiliis, qui conſulunt tantùm propriam voluntatem: è contra ubi Deus invocatur, ubi à Spiritu Sancto quæritur conſilium, ibi omnia mala declinantur, & omnia bona conſequuntur. *Joan. c. 11. Luc. c. 22. op. de dono conſilii c. 3. Pſalm. 118 c. 2. v. 7. & 8.* Nota autem quod tale conſilium, & determinatio de occidendo Chriſto facta fuit feriâ quartâ Hebdomadæ hujus, & ideò feriâ quartâ, & ſextâ à pluribus in Eccleſia jejunatur, quia in feria quarta decreta fuit mors Chriſti, in ſexta data eſt actu: ſic Sanctus Auguſtinus, Theophil. aliique Patres de conſecrat. *d. 2. capit. Jejunia.*

5. *Regimen Seniorum iniquorum expenditur.*

Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, &c. Quo in loco? congregati ſunt in Palatio Caiphæ ſummi Sacerdotis; ad quid? ut Ieſum dolo tenerent, & occiderent: Ecce typus impiorum conſultorum, & Seniorum ſedentium in cathedra peſtilentiæ: iſti enim & ſibi, & aliis, & reipublicæ excidium parant, dum in ſuis conſiliis ambitionem, ſuperbiam, honores, bonorum temporalium cupiditatem, & voluptates terrenas fovent. *Luc. c. 11. v. 43. ſerm. 1. in cathedra in addit.*

6. *Concilium celebratum in Cœlo ſuper mortem Chriſti.*

Tunc congregati ſunt Principes ſacerdotum, &c. Nota, quòd cum ſupra dictum ſit à Chriſto, quod Filius hominis tradetur, ut crucifigatur, nec exprimens à quo, dat intelligere, quòd traditus eſt quidem à Iuda in manus Principum ſacerdotum, ab iſtis in mortem; ſed etiam à Patre traditus eſt, & à ſeipſo, ut per mortem redimeret, & ſalvaret hominem; undè ſicut in Palatio Caiphæ coactum eſt conſilium impiorum contrà vitam Chriſti, in quo reſedit diabolus; ſic & in Cœlo coactum eſt conſilium coram Sanctiſſima Trinitate, in quo convenit juſtitia, veritas, miſericordia, humilitas, charitas, ibique inſtabat miſericordia Domino, ut miſereretur homini, veritas, & juſtitia, è contra invocabant vindictam contrà peccata hominum, & in hac controverſia ab utraque parte rationes fortes, & efficaces adducebantur, & tandem poſt longam diſcuſſionem, pax advenit, & ſententia lata eſt, ut Verbum aſſumeret carnem, & in carne remedium afferret mundo perdito. *Opuſc. medit. cap. 2. Luc. c. 22. verſ. 5. & 6.*

Digitized by Google

7. *Chriſtus in domo obedientiæ quieſcit, & delectatur.*

Cum autem eſſet Ieſus in Bethania in domo ſimonis leproſi. (addit S. Marcus) *& recumberet* (addit Sanctus Ioan. *cap.* 12. *fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat, Lazarus verò erat unus ex diſcumbentibus cum eo; acceſſit ad eum mulier, ideſt Maria* (ait S. Ioan.) *habens alabaſtrum, libram.* (ait S. Ioan.) *unguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius,* addit S. Ioan. *& unxit pedes ejus, &c. & domus impleta eſt ex odore unguenti.* Quæritur hic cur antè ſuam Paſſionem voluit recipi in Bethania, & ad cœnam ſolemnem, quæ intuitu honorandi Chriſtum facta eſt, & in ipſa permiſit ſe ungi in capite, & pedibus unguento tam pretioſo? Reſpondetur, Chriſtum voluiſſe adumbrare ſuam mortem, & ſepulturam imminentem: unctus enim fuit à Spiritu Sancto, ungendus paucis poſt diebus ſanguine proprio, qui ad inſtar unguenti, vulneribus noſtris peccatorum medicinam afferret, ungendus poſtea poſt mortem in ſepulturam à Ioſepho, & Nicodemo; voluit autem Chriſtus hæc myſteria celebrari in Bethania in domo Simonis: Bethania enim interpretatur domus obedientiæ Simon obediens, quia per hoc dat intelligere, quòd ſicut propter obedientiam venerat in mundum, ſic & per ipſam ad mortem duci volebat; unde docuit obedientiam in mundum veniens, in mundo manens, & de mundo tranſiens. & hic eſt cibus, de quo dicebat meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris; qui vult igitur introducere in domum ſuam Chriſtum ad cœnandum, & ad percipiendum ipſius gratiam, & dilectionem, & charitatem ejus poſſidere, faciat, ut ejus anima ſit domus obedientiæ, & humilitatis. *Op. Diat. tit. 4. c. 2 Ioan. c. 12. v. 2.*

8. *Pœnitentia, & devotio, & pietas unguentum pretioſiſſimum Deo placens, & gratum odorem redolens omnibus.*

Et mulier effudit unguentum ſuper caput ejus, libram unguenti, ait S. Ioannes, *& unxit pedes ejus.* Nota, quòd myſticè per libram unguenti ſignificatur rectitudo juſtitiæ, ex qua emanat devotio cordis, datque intelligere, quòd hoc unguentum eſt Deo pretioſum, & hominibus valdè odoriferum, & redolens. vult autem Chriſtus, ut ungantur pedes ejus, ſcilicet ſectando ejus veſtigia, etiam & caput, ut per pœnitentiam relinquantur omnia ſuperflua propter Chriſtum, hoc autem totum debet fieri à Maria, quæ interpretatur mare amarum, quæ debet eſſe tale per veram contritionem, & ideò perſona à Deo dilecta: opus enim bonum Deo non eſt acceptum, niſi perſona ſit à Deo dilecta, triplex ergo unguentum exhibendum eſt Chriſto, unguentum contritionis, devotionis, & pietatis primum eſt purgativum, & dolorem faciens, ſecundum eſt temperativum doloris, tertium eſt ſanativum morbum expellens. *Ioan. c. 12. v. 3. & 6. c. 11. v. 2. & collat. 55.*

9. *Maria Virgo vas plenum oleo, quod effudit ſuper caput Chriſti, & ſuper pedes, ideſt ſuper omnia membra Chriſti.*

Et effudit mulier ſuper caput ejus, & unxit pedes ejus. Quænam mulier eſt iſta? Reſpondet S. Ioannes, ſcilicet Maria ſoror Lazari: & hæc figura fuit beatæ Virginis Mariæ (ait S. Petrus Chriſol.) eſt enim illa mulier, de qua dixit Chriſtus mulier ecce Filius tuus; hæc eſt vas plenum unctione miſericordiæ, plenum oleo pietatis: ſignata in illa muliere (4. *Reg.* c. 4.) cui clauſo oſtio domus ſuæ omnia vaſa intus congregata facta ſunt miraculosè oleo plena: hæc fuit Maria, cujus affectus, & effectus, deſideria, & beneficia ſunt vaſa plena oleo miſericordiæ; ipſa eſt, quæ hoc unguentum effudit ſuper caput noſtrum, ſcilicet copioſiſſimo oleo miſericordiæ Mariæ, perfuſum eſt ſanctuarium; cum illud inæſtimabile opus miſericordiæ, quod prædeſtinavit Deus antè ſæcula in redemptionem noſtram primum fuit in ea à mundi Artifice fabricatum, & unde ad cætera membra uſque ad pedes diffuſum, quia de plenitudine ejus omnes accipiunt effectus miſericordiæ, captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam, Angelus lætitiam, Trinitas gloriam, Filii perſona carnis humanæ ſubſtantiam; ô verè dives, & nimis dives Maria, quæ tam odorifero Spiritus Sancti balſamo fuit plena ſibi, & nobis. *Opuſc. ſpec. Beata Virginis lect. 7.*

10. *Invidia, & avaritia propria Iudæ, & imitatorum ejus.*

Videntes autem diſcipuli indignati ſunt, dicentes, ut quid perditio hæc? poterat enim unguentum iſtud venundari multo; & dari pauperibus? S. Ioan. ſic legit, *dixit ergo unus ex diſcipulis ejus Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus, quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum eſt egenis, dixit autem hoc, quia fur erat, &c.* Si unus fuit obloquens, ſcilicet Iudas, ut ait S. Ioannes, quomodo multi, ſcilicet alii diſcipuli etiam indignati ſunt, ut dicit S. Matthæus? Sed reſpondetur ex S. Auguſtino, quod Iudas ex avaritia, & invidia motus indignatus eſt: cæteri verò ex charitate mera in pauperes, ſed Iudas motus eſt ex avaritia, & aviditate, quam habebat, ad furandam partem illius pecuniæ, quæ poterat extrahi ex venditione illius unguenti; ſimul etiam ex invidia, non patiens talem actum pietatis à Maria exerceri; taleſque ſunt invidi, & avari, ſcilicet imitatores Judæ, & Chriſti proditores. *Op. Diat. tit. 1 cap. 4. Ioan. cap. 12.*

11. *Societas etiam unius impii in Sanctorum congregatione quàm periculoſa.*

Videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicentes, ut quid perditio hæc? Sanctus Ioannes notat; *Dixit ergo unus ex eis Iudas Iſcariotes, &c.* Si unus tantùm Iudas indignatus obloquutus eſt, quomodo dicit Sanctus Matthæus, quòd diſcipuli plures indignati ſunt? & Sanctus

Digitized by Google

Marcus, *erant quidam indignè ferentes intra ſemetipſos?* quomodo conveniunt in una veritate Evangeliſtæ in diſſimili dicto? ſed reſpondent Sancti Patres, præcipuè Auguſtinus, quòd primus detractor fuit Judas motus ex invidia, & avaritia, quæ ſub ſpecie pietatis, alios condiſcipulos excitavit, & perſuaſit ad talem indignationem, ſed tamen ex diverſo affectu, nempè moti ad talem indignationem tum affectu pietatis, tum quia ſupponebant hoc factum fuiſſe contra Chriſti voluntatem, ſummè abhorrentis ſimiles delicias: Hinc vide quàm periculoſa ſit malorum ſocietas, & unius ovis fœtidæ etiam in congregatione Sanctorum, unde Prælati debent eſſe diligentes obſervatores, ut malos puniant, & incorrigibiles ejiciant de ſuo contubernio, ne una fœtida ovis totum gregem inficiat. *Sermon.* 3. *Dom.* 3. *poſt oct. Epiph. opuſc. de ſex Alis, Seraph. capit.* 3. *opuſc. Determinat. quæſt.* 14.

12. *Quàm periculoſa contrectatio pecuniæ alienæ.*

Hoc autem dicebat Judas, quia fur erat, & loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. Sic addit Sanctus Ioannes textui Sancti Matthæi. Quomodo diſcipulus Chriſti fur evaſerat, cum tot exempla, & verba ſalutis à Chriſto recipieret, & audiret? Vide ex hoc, quid facit affluentia rerum temporalium, & contrectatio pecuniæ maximè alienæ; traditi ſunt loculi, tradita eſt pecunia Judæ probo, & bono, ſed fur evaſit, atque improbus, loculos habebat, & ea, quæ mittebantur, portabat, ſcilicet ait Auguſtinus, portabat miniſterio, exportabat furto, ô quam rarum eſt fideliter in fide tractare pecuniam: Judas ſine fide, & fidelitate illam tractabat; vide etiam, quòd Deus ſuis electis marſupium non dat, ſed reprobis. *Ioan. c.* 12. *S. Auguſtinus hic.*

13. *Chriſti longanimitas in tolerando malos expenditur.*

Sinite illam, &c. quid moleſti eſtis, &c. Vide quomodo Chriſtus dulciter reprehendit diſcipulos, nec tamen confudit Judam, quia per manſuetudinem volebat eum convertere, hoc enim eſt proprium Chriſti. *Ioan. c.* 12. *v.* 8.

14. *Nemo glorietur de ſublimitate honoris ſine operibus virtuoſis.*

Dixit autem unus ex diſcipulis ſuis Judas, &c. ut quid perditio hæc, &c. Vide quomodo Judas elevatur in ſuperbiam contra Mariam; ſed ſubdens ſacer textus, quòd erat fur, dat intelligere, quòd nemo debet gloriari de ſublimitate honoris, vel perfectionis, niſi habeat vitam condecentem dignitati: Judas erat unus ex diſcipulis Chriſti, & tamen perditus, & damnatus, quia fur erat, &c. *Ioan. capit.* 12. *verſ.* 8.

15. *Chriſti ſepultura qualiter à nobis veneranda.*

Mittens enim hæc, unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit. Vult dicere Chriſtus, quod illa unctio fuit prænuntia ſepulturæ ejus, tunc enim ſolitum erat ungere corpora, per quod patet, quod ſepultura Chriſti debet à nobis honorari unguentis pretioſis, ſcilicet contritione, devotione, pietate, puritate, & his tradere ſepulturæ Chriſtum, ſcilicet in corde ipſum reponere. *Ioan. collat.* 55. & 86.

16. *Magdalena à Chriſto ubique defenſa & protecta.*

Quid illi moleſti eſtis, &c. Vide, quòd Dominus Jeſus ubique pro Maria reſpondit, ſive cum improperatur à Phariſæo *Luc. c.* 7. ſive cum reprehenditur à ſorore *Luc. c.* 10 ſive cum à diſcipulo increpatur ut hic, ut intelligas, quam ardenter à Chriſto diligebatur, & meritò, quia & ipſum illa ardentiſſimè diligebat, nam Chriſtus Jeſus ſpecialis protector eſt ſe amantium. *Luc. c.* 7. *v.* 40. & *c.* 10. *v.* 40.

17. *Deus non reſpicit quantùm, ſed ex quanto.*

Bonum opus operata eſt in me, &c. Addit Sanctus Marcus, *quod habuit, hæc fecit.* Quomodo anteponitur hæc unctio Magdalenæ miſericordiæ pauperum? nonne dixerat Chriſtus, miſericordiam volo, & non ſacrificium? Sed attende ad illa verba, quod habuit, hæc fecit; quaſi diceret non aſpicit ad illud opus externum, ad quantitatem molis, ſed virtutis, ad intentionem cordis, quo operata eſt, dedit enim quod habuit, dedit unguentum, dedit cor, dedit ſeipſam totam; dedit totum mundum, & ideò tanquam maximum, & digniſſimum opus prædicabitur in toto mundo. *Vide lib* 2. *d* 40. *a.* 1. *q*[illegible]. & 2. *ubi S. Doctor hanc doctrinam ſubtiliſſimè tradit. Vide etiam op. de* 7. *itin. ætern. itin.* 1. *d.* 1. & *ſeq.*

18. *Invitatur anima ad ungendum caput, & pedes Chriſti cum Magdalena.*

Bonum opus operata eſt in me. Quale opus? ungendo caput, & pedes. Nota quòd hic invitatur anima ad imitationem Magdalenæ, ut ſibi provideat unguentum pretioſum ſpirituale Chriſto, & Angelis redolens; & hoc eſt multiplex, aliud enim eſt mundans animam, quod conficitur myrrha pœnitentiæ, cinnamomo humilitatis, caſſia fidei, calamo divinæ laudis, & oleo lachrymarum; unguentum contritionis conficitur ſpeciebus viliſſimis, ideſt propriis peccatis, quæ creſcunt in horto noſtro, unguentum compaſſionis conficitur ex ſpeciebus amariſſimis, ideſt omnibus miſeriis proximorum, quæ creſcunt in horto vicino; unguentum devotionis conficitur ex ſpeciebus pretioſiſſimis, ideſt omnibus Chriſti beneficiis, ſcilicet ſanguinis, pœnarum, dolorum, mortis, aliorumque operum, quæ creſcunt in horto dominico. *Op. Diet. tit.* 7. *c.* 5. *Luc. c.* 23. *v.* 56.

Digitized by Google

19. *Sanctorum opera celebranda in Ecclesia, & imitanda.*

Amen dico vobis: ubicumque prædicatum fuerit Evangelium hoc, in toto mundo dicetur. & quod hæc fecit in memoriam ejus. Ecce quomodo Christus patenter docet gesta sanctorum celebranda, & prædicanda in Ecclesia, ex eo, quòd domus scilicet Ecclesia impleta est odore unguentorum, operum, exemplorum, & miraculorum sanctorum, & ideo sanctissimè institutum est, ut memoria sanctorum celebretur, & eorum invocatio frequentetur tanquam ordinata ad fiduciam præstandam, ad exercendam humilitatem, & declarandam eorum dignitatem, & membrorum Christi unitatem, & ad impetranda bona, quæ ex ipsorum merito, & intercessione toti mundo emanant. *Op. Brevil. p. 5. c. 10. ser. 1. de omn. sanctis. Op. myst. Theol. s. 3. p. 3.*

20. *Existens in peccato mortali sedes est diaboli.*

Tunc abiit unus de duodecim, scilicet Judas, &c. ad Principes sacerdotum: Joannes addit: *Intravit autem Satanas in Judam, & abiit, &c.* (Tunc:) Ad quid refertur hoc adverbium? Tunc, ad duo alludit, scilicet ad indignationem habitam à Juda, ob unctionem magdalenæ; & ad ingressum factum à diabolo in cor Judæ: Intravit autem, non per illapsum, quia hoc est proprium Dei solius, sed intravit tanquam possessor ordis Judæ: Intravit, non ut torqueret, sed ut teneret; intravit, quia jam foras ipsi aperuerat: Intravit, ut impelleret ad atrocissimum scelus. O sic sic facit djabolus in animam consentientem peccato. *Joan. s. 1. ser. 2. Dom. 3. quadrag.*

21. *Diabolus à minimis, ad maxima scelera ducit sibi consentientes.*

Tunc abiit, &c. intravit in eum Satanas, &c. Quomodò tam cito ad tantum scelus devenit Judas? Imò non tam cito. Nota, quod supra est dictum, quod est fur: quia furabatur? sed vide strages cupiditatis, & avaritiæ in anima D. Anton. *p. 1. tit. 5. c. 6.* Glossa 14. *quæst. 1. §. Arguitis nos*; dicunt, quod consueverat furari decimam partem eorum, quæ sibi dabantur servanda, & ideo unguentum illud volebat vendi, cujus pretium erat trecentorum denariorum, cujus decima pars erat triginta: qüia igitur non potuit furari decimam partem, quando quidem venditum non fuit, quasi voleus recompensare damnum triginta argenteis fecit proditionem Christi: sicque à minoribus peccatis, ad maxima ascendit: & quale malum! grande malum est concupiscentia avaritiæ. *Sermon. 1. Dom. quinquag. Psal. 108.* Attendant hæc fures, qui ut plurimum à furtis minoribus, ad maxima se præcipitant, & tandem in ultimum excidium: verum enim est, quod peccatum; quod per pœnitentiam non diluitur mox suo pondere ad aliud trahit. *Op. Comp. Theol. l. 3. cap. 7. op. de sex alis Seraphin. cap. 7.*

22. *Diabolus quo plura peccata committuntur, eo magis intrare dicitur in cor peccatoris.*

Tunc abiit Judas ad Principes, &c. Intravit autem Satanas in Judam & abiit. Ecce quomodo S. Lucas exponit illud adverbium, Tunc; scilicet tunc quando intravit diabolus in cor Judæ: sed quomodò hic solùm dicitur intrasse diabolus in Judam, quod & infrà in Cœnâ repetitur intrasse in Judam: nonne & prius intraverat, quando fur erat, & furabatur oblatam collectionem discipulorum? sed respondent Sancti Patres, tunc etiam intrasse in Judam, ut tentaret, & ad furta instigaret, & ad hoc satis fuit dicere, quod erat fur; nunc verò dicitur, quod intravit, ut ad atrocissimum scelus traditionis Christi impelleret, postea in cœna dicitur intrasse, scilicet non ad hoc ut alienum tentaret, sed ut proprium possideret, cum jam in ejus corde resideret, ut in proprio domicilio: & per hoc patet, quod quo magis multiplicantur peccata, eo firmiorem tentionem, & perversionem acquirit in corde peccatoris, & quotiescumque repetitur peccatum, tunc denuo novo modo, & novâ perversione dicitur intrare in cor peccatoris. *Luc. c. 22. v. 3. fer. 2. Dom. 3. quadrag.*

23. *Cor nostrum vel est sedes diaboli, vel Christi: unde cui aperiuntur fores, illi traditur possessio.*

Tunc abiit &c. intravit autem satanas in Judam &c. Cur? & quomodo intravit? Intravit, quia per cupiditatem aperuerat fores diabolo. Vide ergo ô homo, quod cor tuum possideatur ab eo, cui aperis fores, scilicet Christo, vel diabolo: pulsat incessanter Christus ad ostium cordis, ut ei aperiatur; pulsat tintinabulo prædicationis, & malleo timoris, & pulsu inspirationis, & infirmitatis, & tribulationis: pulsat ut ibi hospitium sibi acquirat, & hoc est ad credendum, ad pœnitendum, ad benè vivendum, ad obediendum, ad orandum, ad diligendum, ad reminiscendum, ad gratiarum actionem: pulsat Christus, ut & nos pulsemus desideriis, & suspiriis, & lachrymis, & orationibus, & castigationibus ad ostium divinæ misericordiæ, ut ad aperitionem ostii nostri, aperiatur ostium Christi: Pulsat & diabolus tentationibus, & suggestionibus, & delectationibus, ut ibi intret, & prædam omnis boni faciat: Væ igitur iis, qui clausum ostium Christo tenent, & apertum diabolo. *Ser. 9. rogat. ser. 2. Dom. 17. Pent. ser. 3. in oct. Paschæ. Joan. collat. 14.*

24. *Iniquitas plurium christianorum contrà Christum in scelere Judæ expressa.*

Tunc abiit Judas ad Principes sacerdotum, & ait illis, quid mihi vultis dare, & ego vobis tradam? at illi constituerunt ei triginta argenteos &c. Hic proponitur, & exponitur perversitas maxima Judæ, cujus malignitas patefit in tradendo Christum propter confidentiam securitatis, & amicitiæ: non enim fuit tractatus à Christo ut extraneus, & suspectus amicus, sed ut amicus secutus, cum ab ipso adnumeratus fuerit inter Apostolos suos, & in sua familia consocius,

&

& diſpenſatio temporalium ei fuerit commiſſa: item patefit talis malignitas ex ſublimitate Apoſtolatus, ad quam fuerat aſſumptus: item ex concupiſcentia cupiditatis, & avaritiæ, ex qua citatus, abiit ad Principes ſacerdotum, & ipſum tradidit propter lucrum triginta argenteorum; maxima quidem malignitas, ſi conſideremus pro quanto vendidit Dominum, nempe pro vili pretio triginta argenteorum, vendidit, non amicis, ſed inimicis, & extraneis quærentibus Animam ejus: vendidit & ad quid? non ad ſerviendum, ſed ad illudendum, flagellandum, conſpuendum, & crucifigendum: In quo facto exprimitur ſcelus plurium Chriſtianorum, qui imitatores Judæ Chriſtum vendunt pro vili pretio, ipſum contemnunt, ipſi renunciant, ut partes diaboli ſectentur ipſum, & iniquitatibus crucifigunt. *Ser. 1. & 2. Dom. quinquag.*

25. *Lex diaboli eſt reddere malum pro bono exemplo Iuda.*

Tunc abiit. O quale iter: *abiit*, ſcilicet à Chriſto ad Judæos perverſus Judas: Ad quid iſtud iter? Vide qualem maligniratem, abiit à curia Chriſti, in qua lex ſervatur hæc, ſcilicet reddere bonum pro bono, & pro malo: Iſte impius abiit ad curiam diaboli, in qua redditur malum pro bono; ſic enim pro tot beneficiis à Chriſto acceptis impius tantum malum reddidit, ipſum tradendo in manus inimicorum: Sic faciunt tot ingratiſſimi Chriſtiani, qui pro infinitis beneficiis divinis reddunt Chriſto tot mala, & peccata. *Pſal. 18. c. 10. v. 10. & ſer. 1. & 2. Dom. quinquag. Op. medit. c. 75.*

26. *Concordia malorum contra Chriſtum qualis, & quàm exitioſa.*

Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? addit S. Marcus, *& gaviſi ſunt Principes ſacerdotum hoc audientes: & conſtituerunt illi triginta argenteos, & quærebat opportunitatem &c.* Vide quale commertium factum eſt in hoc concilio, nam ſitis cupiditatis commovebat Judam, & ſitis crudelitatis commovebat Principes Sacerdotum, & ideo ſimul in unum commertium perverſum, & impium conſenſerunt: propter quod gaviſi ſunt de malitia, & pactum ſimul fecerunt, convenientes contra Chriſti vitam: & hæc eſt pax, & concordia maledicta impiorum, qui ſimul, & cum Dæmone conveniunt in iniquitate contra proximum, & Chriſtum: hæcque non eſt vera pax, & concordia, ſed ficta, & propria Dæmonum, & iniquorum. *Diæt. tit. 7. cap. 3. ſer. 5. Dom. 8. Pent.*

27. *Pretium ſanguinis proximi quàm exitioſum.*

At illi conſtituerunt illi triginta argenteos, & exinde quærebat opportunitatem, ut illum traderet ſine turbis. Ecce pretium ſanguinis conſtitutum à Principibus ſacerdotum, & receptum à Juda proditore, ex quo pretio ruina advenit & Synagogæ, & Judæ: quo exemplo diſcant homicidæ, maximè qui tale pretium ſanguinis exquirunt, & recipiunt: nam contra dantes, & recipientes tale maledictum pretium clamat ſanguis occiſi, invocans à Deo vindictam. *Luc. c. 22. v. 5. ſer. 3. Dom. 15. Pent. op. Diæt. tit. 3. c. 4.*

28. *Præparatio qualiter facienda ad communionem euchariſticam.*

Prima autem die Azimorum acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum; Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha: At Ieſus dixit: Ite in Civitatem. Veſpere autem facto diſcumbebat cum Diſcipulis ſuis. Nota, quòd hæc prima dies azimorum fuit quadrageſima luna menſis, in qua parabatur, & immolabatur Agnus, ſcilicet feria quinta, in cujus nocte Chriſtus inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ, & ſeipſum primò immolavit, & in quinta decima, ſcilicet feria ſexta immolatus eſt in Cruce: Miſit autem Petrum, & Joannem ad parandum Paſcha, unum tanquam magis dilectum: Petrus dicitur agnoſcens, Joannes in quo eſt gratia: ſignificabatque, quòd per fidem, & dilectionem atque charitatem ſit digna præparatio ad Euchariſtiam: nam per fidem eſt maſticatio, & per dilectionem, eſt incorporatio: requiritur autem ſcientia, & cognitio excellentiæ hujus Sacramenti, & virtus, & gratia in corde, quia quòd ſcientia dictat, & virtus exequitur. Inſinuatur ergo in hoc, quòd nullus debet accedere ad cibum paſchalem, niſi præparatus. *Luc. c. 22. v. 8.*

29. *Paupertas extrema Chriſti qualis.*

Ubi vis paremus Paſcha? Ite in Civitatem &c. Vide quomodo Chriſtus profitebatur paupertatem extremam; non enim habebat domicilium proprium: audiant hoc, quibus ædificandarum domorum cura eſt, & ambitioſarum porticuum cogitatur inſtructio, quos pretioſorum marmorum pompa, & diſtincta auro laquearia delectant: cognoſcant Chriſtum omnium Dominum, qui locum, ubi caput ſuum reclinaret non habuit, & idcirco eum Diſcipuli interrogant, ubi vis paremus? *Luc. c. 22. v. 11. op. Apol. paup. reſponſ. 3. c. 1. poſt princip.*

30. *Solùm in Civitate Eccleſiæ eſt Cœnaculum, & in hoc ſolo quærit Dominus celebrare Paſcha.*

Ite in Civitatem ad quendam &c. Addit S. Lucas, *& oſtendet vobis cœnaculum grande & ſtratum.* Nota, quòd ſolùm in Civitate Jeroſalem immolatur Paſcha: per Civitatem autem hanc myſticè intelligitur Eccleſia, quæ eſt Civitas firma, & jucunda, quia ſolum intra ipſam poteſt fieri immolatio Euchariſtiæ Chriſto accepta: Cœnaculum autem, quod exigit Chriſtus grande ſtratum eſt anima ſancta elevata per contemplationem, grandis per charitatem, ſtrata per virtutum varietatem: Ad hoc cœnaculum venit Chriſtus, quærens aſſenſum Domini domus, ut ibi celebret Paſcha ſolemne. O fælix talis anima! *Luc. c. 22. v. 12.*

31. *Chriſtus nullius eſt acceptator, ſed omnibus indifferenter ſe offert.*

Ite in Civitatem ad quendam. Quis iſte? Et cur non nominatur? Ad myſterium inſinuandum non nominatur, tum quia omnibus Chriſtum ſuæ mentis hoſpitio ſuſcipere quærentibus facultas datur, non enim eſt acceptator perſonarum; tum quia per iſtum non nominatum ſignificatur homo pauper, quia ad pauperes potius reſpicit, & apud ipſos hoſpitatur, quàm ad divites, & potentes. *Luc.c.22.v.12.*

32. *Ad recipiendum dignè Chriſtum præmittitur lagena & amphora aquæ.*

Ite ad quendam &c. Addunt S. Marcus, & S. Lucas, *lagenam vel amphoram aquæ portantem, ſequimini eum &c.* Cur in domo habentis amphoram aquâ? Nota, quòd ſignificatur homo abluſus aquâ Baptiſmi, & pœnitentiæ, & doctrinæ cæleſtis, per quæ ſolùm facit dignam Chriſto præparationem. *Luc.c.22.v.12.*

33. *Refectorium, & Cenaculum Chriſto charum quale.*

Apud te facio Paſcha &c. Legunt S. Marc. & S. Luc. *Ubi eſt refectio mea &c.* ubi eſt diverſorium? Quærit igitur Chriſtus inceſſanter à quolibet noſtrum: ubi eſt refectorium, diverſorium, locus in quo manducaret Paſcha? ubi eſt? eſt in civitate animæ, eſt in corde habentis amphoram aquæ ſcilicet plenam devotione, & compaſſione, plenam contritione, & compunctione: hoc eſt refectorium magnum, ideſt latum charitate, longum ſpe, altum fide, ſtratum humilitate; & hoc eſt quod exigit Chriſtus, hoc eſt ubi intrat libenter, ubi exhibet illum panem vivum, qui de Cœlo deſcendit in Uterum Virginis, ubi igne Spiritus Sancti coctus eſt; ibi miniſtrat & vinum dulciſſimum ſui ſanguinis, & ſimul gaudium cæleſte, quo anima inebriatur ab ubertate domus Dei: Ad hoc cœnaculum igitur, requirendo aſſenſum Domini domus ut ei aperiat fores cordis, & ideo inceſſanter dicit, apud te volo facere Paſcha &c. *Op. de dono ſap.c.4.& deinceps Luc.cit.*

34. *Diſcipuli Chriſti per vigilantiam, & obedientiam Chriſto parant Paſcha pro ſe, & pro aliis.*

Et fecerunt Diſcipuli ſicut conſtituerat illis Ieſus, & paraverunt Paſcha. Nota, quòd in verbis his inſinuatur Chriſti ſapientia, quia ſicut prædixit, ita evenit: inſinuatur etiam Diſcipulorum obedientia in præparando Paſcha in Cœnaculo, ad quam præparationem concurrunt etiam aliqui diſcipuli, inter quos fuit Sanctus Martialis: Dominus autem hujus Cœnaculi quis fuerit, eſt in quæſtione: nam aliqui dicunt, fuiſſe ſanctum Joannem, alii probabilius alium amicum Chriſti, ſed occultum. Hîc autem ſpiritualiter traditur, quale ſit munus Diſcipulorum Chriſti, nempe præparare Paſcha, non ſolùm in ſe ipſis, ſed & in aliis per documenta veritatis, clamando, & invitando peccatores ad nuptias Chriſti, ipſos dirigendo, & admonendo, ut faciant Paſcha, ſcilicet tranſitum ex viſibilibus ad inviſibilia, à temporalibus ad æterna, de morte ad vitam, & per contemptum mundi ad dilectionem Dei: hoc enim eſt, quod exigit Chriſtus. *Luc.c.22.v.13. Op.medit.c.73.*

35. *Chriſti diſcubitus in ultima cœna expenditur ad litteram, & myſticè.*

Veſpere autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis. Nota, quòd in iſtis paucis verbis innuuntur plura myſteria: & primò proponitur Chriſtus intrans cum Diſcipulis in cœnaculum, & collocans ſe ad menſam cum ipſis, quæ menſa erat in terra more antiquorum, & ideo in terra ſederunt ad cœnam: ſed prius ſtantes comederunt agnum cum lactucis agreſtibus, & tenentes baculos in manibus: Tunc autem Chriſtus verus Agnus accepit Agnum, & ſcidit eum in fruſta, diſcipuliſque porrexit alacriter: poſtea ſederunt ad menſam aliquid manducantes, hæc ad litteram *Op.medit.c.74.* Spiritualiter autem oſtenditur Chriſti mira familiaritas ad Diſcipulos, dum ſimul cum ipſis diſcumbebat: apparet etiam quam diligat Dominus mutuam charitatem, quam in ſuis peculiari modo exigit, & ad hunc finem inſtituit ſacramentum Euchariſtiæ, unde dicebat: Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar: & ideo manducatio iſta deſignat incorporationem, & unitatem membrorum in corporis unitatem, quod fit per amoris inflammationem, & hoc Chriſtus præcipuè deſiderat. *Luc.c.22.v.14.& ſeq.*

36. *Diſcubitus Chriſti iterum expenditur: Ubi de lavatione pedum.*

Veſpere autem facto (ſcilicet poſt ſolis occaſum) *diſcumbebat cum Diſcipulis ſuis.* Nota, quòd Evangeliſtæ inter ſe conveniunt ad conficiendum unicum Evangelium, & ideo quod omittitur ab uno, ab alio ſuppletur. S. Matth. Marcus & Lucas notant iſtum diſcubitum Chriſti cum Diſcipulis ſuis, & obid comeſtionem Agni paſchalis innuunt: ſed Sanctus Joannes pro complemento præparationis, Euchariſtiæ præmittit lavationem pedum Diſcipulorum factam à Chriſto, quæ poſtea fuſius examinabitur in expoſitione Evangelii ſancti Joannis: nunc verò ſolùm humilitas Chriſti meditanda proponitur in hoc facto, ejus charitas in Judam, obduratio ipſius in peccato, ut hinc fructum & imitationem Chriſti eruamus. *Op. medit.c.73.* Vide igitur quàm refulſit mira bonitatis dulcedo Chriſti, dum quando cum paupercculis illis Diſcipulis, & Juda proditore in eadem menſa, & ſcutella cœnavit: mirum clarnit humilitatis exemplum in lavatione pedum ipſorum: mira munificentiæ largitas patuit, dum illis ſacerdotibus primis, & per conſequens toti Eccleſiæ, & terrarum orbi Corpus ſuum Sacramentatum, & ſanguinem verum cibum, & potum dedit: ut quod futurum erat in proximo ſacrificium placens redemptionis noſtræ impretiabile pretium eſſet viaticum, & ſuſtentamentum: ô quàm mira ſunt hæc, & dulcia animæ ad hoc convivium vocatæ.

37. *Manifeſtatio proditionis Iudæ, dolor cordis Diſcipulorum charitas, & benignitas Chriſti expenduntur.*

Et edentibus illis, dixit: amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt, & contriſtati valde, cœperunt ſinguli dicere: numquid ego ſum Domine? Nota, quod SS. Matthæus, Marcus, & Joannes dicunt, hanc manifeſtationem proditionis fuiſſe factam ante inſtitutionem Euchariſtiæ, ſicuti verè facta eſt: ſanctus Lucas eam deſcribit poſt inſtitutionem Euchariſticam, quod tamen facit per recapitulationem, reſumendo poſt enarratam inſtitutionem id, quod antecedenter ſucceſſerat. Conſpice igitur quomodò vox Chriſti cum gemitu, & turbatione ſenſibili dicentis, unus veſtrum me traditurus eſt; in corde Diſcipulorum, ut gladius acutiſſimus intravit, & tunc comedere ceſſarunt, aſpicientes ſeipſos invicem, & dicentes: numquid ego ſum Domine? Aſpice nunc bene ipſos, & comparere tam Domino Jeſu, quàm ipſis, quia in magno dolore ſunt poſiti: ipſe autem proditor, ne videretur, hæc verba pertinere ad ipſum, comedere non ceſſavit: In hoc autem apparet mira Chriſti benignitas, quia ipſum proditorem peſſimum admiſit, & toleravit ad menſam, imò quod majus eſt, ad eundem catinum; docens nos diligere ex corde inimicos noſtros. O qualis charitas Domini Jeſu, &c. *Op. medit. c.73. Luc.c.22.v.21.*

38. *Detectio defectuum proximi quâ cautelâ vitanda.*

Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. Nota, quòd cum omnes Diſcipuli ceſſaſſent ob turbationem à comedendo, ſolus Iudas impudentiſſimè continuavit comeſtionem, & tunc extendebat ante manum ad Catinum expoſitum ante Chriſtum, nec tamen Diſcipuli id obſervaverunt, credentes, quod ſenſus verborum Chriſti eſſet unus eorum, qui ſecum diſcumbebant, & ſimul comedebant in eodem catino traditurus eſſet: nec tamen ipſum manifeſtavit, malens Dominus, quod omnes turbarentur, quàm quod ille omnibus detegeretur: dans nobis eruditionem, quod non eſt facilè publicandum occultum peccatum fratris, & quâ ſollicitudine curare debeamus famam bonam proximi. *Luc.cap.22.verſ 23.* Nota tamen quod Chriſtus timenti Petro per Ioannem indicavit, dicens: Ille eſt, cui intinctum panem porrexero, quia non reputatur publicum, quod ex charitate ad cautelam Prælato detegitur, propter periculum vitandum. *Luc.ibid.*

39. *Nuſquam ſecuritas totalis in hac vita mortali: Locus non facit ſanctum hominem ſed homo locum.*

Vnus veſtrum me traditurus eſt, &c. Vide, quod nuſquam eſt ſecuritas, dum ſumus in via, nec in Cœlo, nec in terra: In Cœlo namque Angelus cecidit ſub præſentia Deitatis: In Paradiſo Adam de loco voluptatis: In mundo Iudas de ſchola virtutis, & ſalvatoris: ergo timendum ſemper, & ſemper laborandum pro acquirenda ſalute: *Pſal.150.*

40. *Certamen inter humanitatem Chriſti, & ingratitudinem Iudæ, & peccatorum expenditur: Vbi de recipiente Euchariſtiam in peccato mortali.*

Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet: filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo: Væ autem homini illi, &c. Patet in hoc facto quanta ſit benignitas Domini Jeſu, & quanta ſit ingratitudo impiorum, & quomodò ſemper certant ad invicem Chriſtus benefaciendo, & impius malum pro bono reddendo: Vide quot modis, quot verbis, quot impulſibus efficaciſſimis ad cor Iudæ Chriſtus pulſavit, ut ad pœnitentiam ipſum revocaret, ipſum ad eandem menſam ſecum ſuſcepit, imò prope ſeipſum aſſidere facit ad eundem catinum admittit, cordis ſui arcanum detegit, lavat ejus pedes, ſeipſum in ſacramento tradit, ſemper ad cor ejus pulſans: ô quam bonus? quàm ſuavis! quam dulcis Jeſus! ſed totum fuit fruſtratorium: nam Iudas iniquiſſimus, nec tantâ humilitate, nec tantâ charitate, nec tantâ familiaritate voluit deſiſtere à tanta proditione. O quàm infelix peccator, cum in profundum vitiorum venit: hujuſmodi autem ſunt, qui ad ſacramentum accedunt in peccato mortali, & etiam qui poſt acceptum, ad peccatum redeunt, ſicut canis ad vomitum. *Luc.c.22.v.21.*

41. *Cupiditas, avaritia, & nimius amor pecuniæ in profundum miſeriarum inducunt.*

Væ homini illi per quem filius hominis tradetur, &c. Ecce effectus cupiditatis, avaritiæ, & excedentis amoris pecuniæ: nam iſta reddunt hominem ſurdum verbis divinis, durum, obſtinatum, & ferè inſanabilem, ut patet in Iuda, qui ob nimium amorem pecuniæ & ob avaritiam in corde radicatam perdidit vitam, perdidit animam, perdidit famam, perdidit omnia, & incurrit calamitatem æternam. O quam verum id, quod dixit Apoſtolus 1. *Tim.6. Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli: & in Eccl c.10. Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua. Luc.c.22.v.22.*

42. *Quidquid recipitur per modum recipientis recipitur volentis.*

Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Sed quomodò hoc univerſaliter dicitur? Ergo Væ eſt cuicumque tradenti Chriſtum? Nonne & traditus fuit à Patre Nonne & à Patre diffinita fuit ejus paſſio? Et filius quidem hominis vadit ſicut ſcriptum eſt de illo, ſicut diffinitum (legit S.Lucas?) ſed attende ad mirabile myſterium: Paſſio Chriſti fuit à Deo diffinita fuit etiam ipſi placita & affectata & tamen affectus proditoris fuit diſplicens, & perverſus, quia licet in effectu ſit concordia, in volumate tamen eſt ſumma diſcrepantia, quia hoc Deus volebat ex charitate, Chriſtus ex obedientia, Iudæi ex crudelitate, Iudas ex avaritia. Vide igitur, quod ex eadem actione & effectu diverſitas oritur, & præmii, & pœnæ: nam boni meritis ditantur; mali demeri-

tis

tis: illi ſalutem, iſti damnationem incurrunt. *Luc. c.22.v.22.& c.9.v.44.*

43. *Obedientia iter, & dux ſecurè ducens hominem à Deo ad Deum.*

Filius quidem vadit ſicut ſcriptum eſt de illo. Quomodo vadit? Vadit ſicut ſcriptum eſt de illo: quid ſcriptum eſt de illo? ſciens, quia à Deo exivit, & ad Deum vadit *Ioan.c.13.* Ecce quid facit obedientia, quæ eſt iter ſecurum, via plana, dux rectè ducens animam: ſicut enim Chriſtus, ſic & verus obediens, & vera obedientia ire facit à Deo ad Deum, & ſecundum Deum, & propter Deum, unde cum Deo ſemper negotiatur. *Luc.c.17.v.19.* O quàm hoc verum? obedientia enim tollens obedientiam à Deo, v. g. ab oratione, tunc ducit ad Deum, quia etiam ſine oratione invenit Deum, & ſecundum Deum operans, & propter Deum in poſſeſſionem Dei inducit.

44. *Contemplativorum negotiatio qualis.*

Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. Addit hic S. Ioannes, quòd Petrus cupiens noſcere quis eſſet proditor, non audens Chriſtum interrogare, innuit Ioanni tanquam magis dilecto, ut expoſceret, quis eſſet: quod & fecit, dum recumbebat caput ſuper pectus Ieſu, qui & ſecretò ipſi eum manifeſtavit; ſed tamen Ioannes nihil dixit, nec revelavit Petro, quia ut ait Auguſt. ſi ipſum ſciviſſet, dentibus proditorem diſcerpſiſſet: & hoc indicat nobis myſterium grande: nam per Petrum activi, per Joannem contemplativi ſignificantur: & hinc Ioannes nihil dixit de revelatione facta à Chriſto, quia contemplativus non ſe intromittit de actibus extrinſecis, & de ipſis etiam Dei offenſis vindictam non expetit, ſed gemit interius, & per orationes ſe ad Deum convertit, & fortius ei per contemplationem approximans, eique inhærens, omnia ſuæ diſpoſitioni committit (aliquando tamen, quando Dei ſervitium id exigit, ad exteriora debet exire:) & ſicut Ioannes nihil Petro dixit de revelatione, ſibi facta: ſic contemplativus ſecretum Domini non debet facile revelare, niſi ex magno ſervitio Dei, & utilitate proximi. *Op.medit.c.73.*

45. *Prudentia Prælatorum qualis in tolerando malos in Congregatione.*

Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet, &c. Verè mirum eſt hoc, quòd hic dicit Chriſtus: Væ (ait de proditore:) ſed cur ô bone Ieſu ipſum non ejicis à contubernio tuorum, à ſocietate tam ſanctâ, & Sanctorum? Ergone tales impii ſunt tolerandi in ſacris familiis? Sed attendant Prælati ad exemplum Chriſti, qui diu toleravit Iudam: non enim in maximum, & apertum ſcelus prorupit ſubitò, ſed paulatim, & diu latuit ejus cupiditas, & tunc Chriſtus ipſum toleravit, donec aliis non nocuit, donec poſteà in fine ſcelus aperuit omnibus: Diſcant ex hoc Prælati: maximè Religionum, quòd aliquando minus malum eſt tolerare aliquem, quàm ſcinderè unitatem Congregationis, & ideo multa diſcuſſione indiget Prælatus: quod ſi poſteà in publicum prodit, tunc non debet diſſimulare, nè de eo dicatur, væ illi, per quem filius tradetur, væ, in quam, illi Prælato, qui permittet vivere impunitum ſubditum publicum peccatorem, ſi permittet exponere ſuam familiam infectioni unius impii, & ipſum accedere ad ſacramenta, melius enim ei eſſet omninò non eſſe. *Ioan. cap.12. verſ. 6. opuſcul. de ſex Alis, Seraph: cap.7.*

46. *Reprobis melius eſſet non eſſe, quàm malè eſſe: melius, quòd Chriſtus non eſſet mortuus, &c.*

Bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Bonum, ideſt melius (quia Hebræi non habent comparativa) quæritur hic, an melius eſſet reprobis non eſſe quam malè eſſe? Et reſpondetur quòd ſic, ut apertè Chriſtus docet: quamvis enim privatio de ſe nihil ſit, tamen privatio mali ſubit rationem boni, quia conveniens eſt homini, & deſiderabilis, ergo privatio mali bonum eſt, non entitativum, vel abſolutum, ſed negativum: Advertant ergo impii, advertant tormenta æterna, quæ talia ſunt, ut ſit ſatius non eſſe, quàm ea perpeti. Sic Chriſoſt. Hieron. aliique Patres. Addimus: melius eſſet tali homini, quod numquam Chriſtus fuiſſet incarnatus, numquam natus, numquam paſſus, numquam à morte reſuſcitatus, licèt per hoc multos liberaverit, Infernum ſpoliaverit, Cœlos aperuerit, & ditaverit; quia omnia hæc talia non proficiunt ad ſalutem, ſed ad acerbiorem damnationem; quia gravius peccant, qui contemnunt regnantem in Cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris. O peccatum mortale, quàm horribile, & abominabile. *Op. Confeſſion.p.4.c.3. Vide l.4. d.50. p.1. a.1.q.2.* Ex quibus etiam infertur, quòd multò melius eſt non eſſe, quam eſſe, & vivere in peccato, quia non eſſe dicit privationem eſſe naturalis, ſed peccatum aufert omne bonum corporale, morale, & intellectuale, ſcilicet Deum. *Pſal.118.c.6.v.15.*

DE INSTITUTIONE Sanctiſſimæ Euchariſtiæ.

47. *In ultima cœna omnis figura Euchariſtiæ abrogata eſt, & veritas manifeſtata. Ubi expenduntur præludia ad Inſtitutionem Sacramenti.*

Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, &c. Quæritur an in hac cœna Chriſtus alium cibum dederit præter corpus ſuum? Sed reſpondetur, certiſſimum eſſe, Chriſtum cum ſuis Diſcipulis comediſſe Agnum legalem cum lactucis agreſtibus, & cum baculis in manibus: ſic enim hoc præludio adumbravit Sacramentum verum, & ſucceſſivè abrogata eſt umbra, & antiqua obſervantia, novo oblata eſt Sacramento hoſtia in hoſtiam tranſlata: ſanguinem ſanguis excludit, & legalis feſtivitas, dum mutatur impletur: hoc facto, ſurgit à cœna, ſurgunt & Diſcipuli: Aquam jubet ſibi afferri, ponit veſtimenta ſua, linteo ſe præcingit, & aquam mittit in peluim lapideam, ut lavaret ipſorum pedes: recuſat Petrus

& totus ſtupefactus rem ſuo judicio indecentem declinat, ſed audita Chriſti comminatione, ſapienter conſilium mutavit in melius. Conſpice diligenter ô anima cum admiratione, quæ hic geruntur: inclinat ſe Majeſtas ſumma, & humiliatus magiſter uſque ad Piſcatoris pedes ſtat inclinatus, & genibus flexis coram ipſis ſedentibus lavat propriis manibus, abſtergit, atque deoculatur omnium eorum pedes: Sed illud ſuperexaltat humilitatem, quod & ipſi proditori eadem obſequia ipſe præbet. Quo miniſterio completo, redit ad locum cœnæ, & iterum recumbens, eos ad ſuum exemplum imitandum confortat: hic autem contemplandæ nobis proponuntur quinque maximæ virtutes, quas Chriſtus in hoc facto mirabile exercuit, ſcilicet humilitas in lavando pedes, charitas in Sacramento corporis, & ſanguinis ſui, & in ſermone, qui eſt monitis charitatis plenus; patientia in ſuſtinendo proditorem, & alia opprobria ab inimicis poſtea illata; obedientia Patris; & oratio ob ipſo facta pro ſalute noſtra: Et hinc tandem finem dedit legalibus inſtitutis, & ſacrificiis, inſtituendo Sacramentum Euchariſtiæ. *Op. medii. c. 73. Luc. c. 22. v. 15. ſeq.*

48. *Omnia deſideria, & vota Chriſti ad inſtitutionem hujus ſacramenti tendebant, ut nos ſimul in unum ſecum uniret.*

Cœnantibus eis, accepit Jeſus panem. Nota, quòd antecedenter dixerat Chriſtus ex Luca, *Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* O attende ad Chriſti ardentiſſimam charitatem, & ſimul eximiam familiaritatem cum Diſcipulis ſuis, hoc paſcha deſideravi manducare vobiſcum, ſcilicet hunc Agnum paſchalem; eo quod magna myſteria in hac cœna vobis ſum traditurus, nempe ea, quæ ſunt novi teſtamenti, antequam patiar: ex quo patet ejus charitas, dum proximus paſſioni, videns omnes pœnas ſibi imminentes, & tamen ex hilaritate cordis ſe noluit continere, quem deſideriorum ſuorum æſtus exprimeret: ſic ignem igne, deſiderium deſiderio, & amorem amore excitabat: ad hoc enim ſacramentum inſtituendum omnia ſua deſideria, & vota tendebant propter excluſionem figuræ, & introductionem veritatis, ut omnes nos in unum, & in ipſum ſimul incorporaret. *Luc. c. 22. v. 15.*

49. *Cœna ſpiritualis à Chriſto exhibita in hoc myſterio expenditur.*

Cœnantibus eis, accepit Jeſus panem, &c. Nota, quòd tantùm in fine cœnæ inſtituit Chriſtus hoc Sacramentum, & ideo fecit ad ipſum præcedere cœnam quam & Lucas nomine regni Dei expreſſit. *Dico vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*, ideſt non ultra Moſaycum paſcha celebrabo, donec in Eccleſia regnum Dei, ſeu cœna Dei compleatur: Regnum autem Dei, & cœna lautiſſima animæ eſt juſtitia, pax, & gratia, & doctrina ſacra, quæ appoſitæ fuerunt à Chriſto cordi ſuorum Diſcipulorum. *Luc. c. 22. v. 18.*

50. *Materia Euchariſtiæ expenditur ad litteram, & myſticè: Ubi de pane Azimo.*

Accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, & & accipiens calicem, &c. Quæritur cur Chriſtus carnem ſuam volens dare in cibum, & ſanguinem in potum ſub ſpecie panis, & vini confecit hoc Sacramentum, & an in pane fermentato? Ad primum dubium reſpondetur, quòd res iſtius Sacramenti eſt duplex, ſcilicet corpus Chriſti verum, & myſticum: & quia ſigna debent perfectè exprimere ſignatam rem, ideo cum panis ſit ex multis granis, & vinum ex multis acinis, convenienter etiam exprimunt corpus Chriſti verum & miſticum, granum frumenti, & panem verum, & ſimul unionem corporis myſtici cum ipſo: Corpus autem Chriſti verum continetur in hoc Sacramento, ut cibus ad cibandam animam; ideo debet, non ſub ratione, & ſpecie carnis, vel alterius cibi, niſi panis, ſcilicet ſub ratione cibi convenientis, efficacis, ſanantis, omnibus communis & talis inter omnes cibos ſolus eſt panis de puriſſimis granis frumenti confectus: Idem dicendum eſt de vino: Ad ſecundum dubium reſpondetur, quòd Chriſtus confecit Sacramentum in pane Azimo; confecit enim ipſum in quarta decima luna in ſero, in quo tempore tantùm comedebantur Azima: & licèt aliqui dixerint, Chriſtum prævemiſſe diem quartam decimam in inſtitutione Sacramenti, ob idque confeciſſe in fermentato, & hoc dicunt, quia Chriſtus confixus eſt in quarta decima, ergo ſi in ſero antecedente inſtituit, oportet, quòd confecerit in tempore uſus panis fermentati: nam in quarta decima, incipiebat uſus Azimorum: Sed hoc eſt patenter falſum, ut notant S. Matthæus, Marcus, & Lucas, & ideo Chriſtus in ſero in principio quartæ decimæ inſtituit Sacramentum, poſtquè captus fuit, & conſequenter confixus ante ſero quintæ decimæ Lunæ. Et hinc orta eſt controverſia inter Græcos, & Latinos: nam antiqui Patres ex conſilio Spiritus Sancti, quando vigebat legalis obſervantia Judæorum ceſſaverunt conficere in azimo, ſed poſtea ceſſante in Eccleſia errore talis legalis obſervantiæ; Romana Eccleſia ad ritum priſtinum, ſcilicet ad confectionem Sacramenti in azimo rediit. Græci verò tanquam ſuperbi noluerunt ad ritum primitivæ Eccleſiæ, & inſtitutionis redire: primò enim dicebant, ſe ab antiquis accepiſſe: Secundò quòd hoc faciebant, ne viderentur judaizare: Tertiò, quia hoc eis non ſufficiebat excuſare, auſi ſunt dicere, quòd Chriſtus confecit in pane fermentato, & quia Evangeliſtæ dicunt contrarium, auſi ſunt addere, quod falſum dixerunt, & à Joanne correpti ſunt; ecce quomodo parvus error in principio, multus eſt in fine: tamen tam ipſi conficiunt, quàm nos: hoc enim non eſt de ſubſtantia Sacramenti, ſed de congruentia *L. 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 1. a. 2. q. 1. op. Brevil. p. 6. cap 9. & Comil. p. 3. ſect. 50. Luc. capit. 22. verſ. 19.*

51. *Acceptio panis, benedictio, fractio, & conſecratio expenditur ad litteram, & myſticè.*

Accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, & dedit eis, & ait accipite, &c. hoc eſt corpus meum. S. Luc. *Et accepto pane, gratias egit, fregit, & dedit eis, &c. dicens, hoc eſt corpus meum, &c.* In his verbis Dominus conſecravit, & formam conſecrandi inſtituit. Sed hic oritur quæſtio; An Chriſtus conſecraverit ſolò nutu interno, an etiam verbis expreſſis, & an benedictio ſit idem, quod conſecratio? Reſpondetur, quòd Chriſtus accipiens panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas, & elevatis oculis in Cœlum benedixit panem (ſcilicet manu, & ſigno externo, ait Alb. Mag. cum aliis, & verba dixit conſecrationis, hoc eſt corpus meum, & dicendo conſecravit, & conſecrando inſtituit Sacramentum, & prius dixit, poſtea fregit, deditque Diſcipulis ſuis: Unde littera præpoſtera eſt, & ſic debet conſtrui: Accepit panem, & gratias egit, dicens, hoc eſt corpus meum, & fregit, & dedit: Talis tamen ordo ad myſterium inſinuandum ſervatur ab Evangeliſtis: nam in acceptione panis ſignificatur aſſumptio carnis, de qua dicitur: caro mea verè eſt cibus, ideò deſignatur, quòd Verbum caro factum eſt: In gratiarum actione intelligitur defluxus gratiarum à capite in totum corpus Eccleſiæ: In fractione intelligitur afflictio paſſionis, qua fuit flagellis concisus, clavis perforatus, & lancea transfixus: In datione intelligitur liberalitas communicationis, quia hoc Sacramentum eſt ſummè gratuitum. *Luc. c. 22. v. 19.* Nota tamen quòd prius dicitur Chriſtus fregiſſe panem & tamen Sacerdos frangit hoſtiam poſt conſecrationem, quia hæc fractio Sacerdotis eſt ad ſignificandum ſcilicet communicationem omnium fidelium Eccleſiæ triumphantis, militantis, & purgantium: ante conſecrationem verò Chriſtus fregit ad diſtribuendum. *l. 4. d. 8. p. 1. queſt. ultim.*

52. *Euchariſtiæ forma expenditur, & exponitur.*

Hoc eſt corpus meum: Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, &c. Quæritur hic quid ſignificent hæc verba: Et an ſint forma Sacramenti? Reſpondetur quòd Evangeliſtæ non intenderunt tradere formam hujus Sacramenti, præcipuè conſecrationis Sanguinis, ſed tantum opera, & verba divina narraverunt, attendentes ad intellectum, non vocem, ſed forma tradita eſt ab ipſis Apoſtolis Eccleſiæ Romanæ, quam ab ipſo Chriſto acceperunt, & quæ in Canone miſſæ collocata eſt: forma autem conſecrationis corporis eſt hæc. *Hoc eſt corpus meum.* Super quam inſurgit hoc dubium: illud pronomen, hoc, vel refertur ad panem, vel ad Corpus Chriſti, & utroque modo locutio videtur falſa: quando enim pronunciatur, panis non eſt corpus Chriſti, nec ibi eſt corpus: tum etiam quia videtur ibi malè poni verbum, eſt, cum verè ibi non ſit tunc Corpus Chriſti? Sed reſpondetur, quòd hæc oratio, & propoſitio eſt ſingularis, nec alia ſimilis, cum aliæ ſint indicativæ veritatis, ſive exiſtentiæ tantum: hæc autem idipſum, quod ſignat, facit; unde eſt oratio operativa, & operativa non ſucceſſivè, ſed inſtantaneè, & operativa non alicujus rei novæ, vel non exiſtentis, ſed terminus ejus eſt Corpus Chriſti, quod eſt ens actu completum, & non mutatum; & ad hoc corpus tantùm terminatur, ut eſt alterius ſignum, ſcilicet corporis Chriſti myſtici, & hoc totum facit virtute Verbi increati adjuncta miniſtro circa materiam nihil agente. Ecce ſex conditiones notabiliſſimæ hujus ſingularis propoſitionis, & formæ Euchariſtiæ: & primò; quia enim eſt ſermo tranſitivus, & conjunctivus, ideo eſt operativus circa ſubſtantiam panis, ideo pronomen, hoc, demonſtrat panis ſubſtantiam ſub accidentibus, quæ oculis poſſunt conſpici, tangiturque illud, quod convertitur per ſubjectum, & illud, in quod per prædicatum. ſecundò, quia terminus operationis eſt actu ens non innovatum, ideo debet poni ibi verbum eſſendi, non fiendi, ut ſignificetur converſio ſine mutatione termini, ſcilicet in eo, quod eſt: Tertiò quia ſubito fit operatio, ideo ſimul eſt fieri, & factum eſſe, ideo dicitur (eſt) verbum inſtantaneum, & non futurum; ideo melius dicitur, eſt, quàm, erit. Quartò, quia verò operatio terminatur ad Corpus Chriſti verum, ut ſignum myſtici, in quo eſt diverſitas operationum: ideo dicitur corpus, non caro: corpus enim eſt commune ad etherogeneum, & homogeneum, caro autem eſt ſolùm homogenea. Quintò, quia verò hoc operatur virtute Verbi increati conjuncta, & ut conjuncta, ideo dicitur, meum, ſcilicet in perſona Chriſti. Sextò, quia verò miniſter nihil operatur circa materiam nec immutat niſi miniſterialiter, ideo ad ſua prædicta verba terminat forma, quæ prolata à miniſtro cum debita intentione, etiamſi non tangat, nec frangat, operatur, quod non evenit in baptiſmo. *Vid. l. 4. d. 8. p. 2. q. 1. & Luc. c. 22. v. 19. Vid. etiam l. 4. d. 11. p. 1. a. 1. q. 6. Contil. p. 3. ſect. 50.*

53. *Conſecrationis ſanguinis forma expenditur.*

Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens, bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Idem Sanctus Marcus, & S. Lucas. *Hic eſt calix novum teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Nota, quod hic inſurgit multiplex dubium: primò quod forma conſecrationis Evangeliſtarum non concordat cum forma Eccleſiæ: ſed jam ſupra reſponſum eſt num. antec. Secundò, quare ponitur in hac forma calix, qui eſt quid extraneum ad eſſentiam Sacramenti. Tertiò cur in hac forma tractatur Eccleſia verbo tranſumptivo calicis loco Sanguinis. Quartò cur ſanguis ponitur in obliquo, dicendo, calix ſanguinis mei, & non potius in recto, ſanguis, cum ſit principale in Sacramento. Quintò quænam ſint verba eſſentialia formæ? & an illa, novi & æterni teſtamenti, myſterium, &c. ſint eſſentialia? Reſpondetur, quòd in hoc Sacramento ſignificatur ſanguis Chriſti, ut effuſus in pretium, & ut adminiſtratus in potum: ſanguis autem neutrum expreſsè dicit de ſe, ſed per conjunctionem cum calice, quia ſanguis in calice, ut effuſus, & potandus proponitur. Calix enim in ſcriptura ſignificat aliquando paſſionem *paſſis bibe-*

re calicem, &c. Matth. 20. Aliquando potus refectionem per tranſumptionem. *Calix inebrians quam præclarus eſt. Pſal* 22. ideo propter hunc duplicem tropum melius dicitur calix ſanguinis, quàm ſanguis per ſe. Ad 2. & 3. reſpondetur, quod tranſumptio iſta ordinatur ad contentum, ſcilicet ad ſanguinem, unde dicitur calix ſanguinis, ſicut calix vini, cum dicitur: bibe calicem: & ſi quæras cur non dicatur idem de corpore; cibus corporis; reſpondetur, quod corpus Chriſti de ſe eſt cibus; ſed ſanguis non dicitur potus, niſi prout proponitur in calice. Ad 4. ponitur ſanguinis in obliquo, & calix in recto, quia ſignificant identitatem, nec conſtruuntur tranſitivè, ſed intranſitivè, ſicut cum dicitur, potus vini vel creatura ſalis; ſic calix ſanguinis, idem eſt ac ſanguis: & hæc eſt congrua, & tota, & perfecta forma conſecrationis: *hic eſt calix ſanguinis mei*. Ad 5. reſpondetur, quod verba conſequentia novi, & æterni teſtamenti, miſterium, &c. ſunt ad benè eſſe, non eſſentialia formæ; ſed per ipſa exprimitur triplex effectus ſanguinis in hoc ſacramento figurati, & in paſſione effuſi. Primus eſt teſtamenti innovatio; quia teſtamentũ vetus erat tantum figura novi, & ideo illo evacuato, nunc facta eſt innovatio teſtamenti, & innovati confirmatio: Calix enim Chriſti ſanguinem continens, novum teſtamentum eſt, ideſt pertinens ad novum teſtamentum, ipſum confirmans, & per eum hæreditas novi teſtamenti æternæ gloriæ comparatur jus nobis in ipſum tribuendo. Dicitur myſterium fidei, eſtque ſecundus effectus, ideſt quod erat ſigillatum, & ſecretum, in paſſione agni apertum: & quo revelato revelata eſt fides. Dicitur etiam myſterium fidei, quia in eo Chriſtus eſt occultiſſimus, ideoque fidem flagitat, fideque cognoſcitur. Tertius effectus eſt ſalus quorumdam Judæorum, ſcilicet Apoſtolorum: ideo dicitur: qui pro vobis, & pro multis, ſcilicet gentilibus. Dicitur etiam hoc ſacerdotibus, qui pro ſe debent offerre, & pro ſalute aliorum. *L.* 4. *d.* 8. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 2. & *d.* 11. *p.* 1. *q.* 6. *in Luc. c.* 22. *v.* 20.

54. *Unitas Sacramenti Euchariſtiæ expenditur.*

Accepit Jeſus panem, &c. & Calicem, &c. Quæritur hic an Euchariſtia ſit unicum Sacramentum; an duplex, cum contineat duas materias, & duas formas? Reſpondetur, quod unitas Sacramenti non eſt unitas ſimplicitatis, cum conſtet diverſis rebus ſed eſt integritatis, non tamen abſolutæ, ſed relativæ, quia non uniuntur in tertio, tamquam in forma, ſed tamquam in ſigno: ratioque talis integritatis venit primo à natura, quia nec panis per ſe eſt plene reficiens, nec vinum, ſed utrumque ſimul; & ideo ambo ordinantur ad unam refectionem plenam ſignandam: ſecundo ex inſtitutione divina completiva, quæ ordinavit utramque materiam, & formam ad unam plenam refectionem complendam. *L.* 4. *d.* 8. *p.* 2. *q.* ult.

55. *Quomodo Chriſtus contineatur ſub ſpeciebus, an paſſibili, an impaſſibili modo.*

Comedite, hoc eſt corpus meum. Hic inſurgit dubium: an Chriſtus tunc dederit corpus ſuum impaſſibile, an paſſibile? & nunc quomodo ibi exiſtat? Reſpondetur, quod dedit Diſcipulis ſuis corpus ſuum quale erat tunc, ſc. paſſibile, cum haberet paſſibilitatem in ſe abſolutè: ſed tamen in Sacramento erat impaſſibili modo; quia ibi non poterat ſentiri, nec pati, licet alibi in ſe eſſet paſſibile: & hinc eſt, quod ſi in triduo facta eſſet conſecratio, ibi eſſet corpus unitum divinitati, ſed ſine anima: & ſi conſervatum eſſet Sacramentum uſque ad reſurrectionem, ibi advenisſet etiam anima, & vivificatum redditum eſſet, nunc autem eſt in Euchariſtia impaſſibile, & glorioſum cum ſacris vulneribus. *L.* 4. *d.* 11. *p.* 1. *q.* ult.

56. *Quomodo Chriſtus ſub ſpeciebus, ſit an divisibiliter: & quid ſignificet fractio ſpecierum in miſſa.*

Hoc eſt corpus meum. Cum ſecundum multorum opinionem, Chriſtus poſt conſecrationem in fruſta diviſerit panem conſecratum; aliis tamen Doctoribus oppoſitum videtur; ſed admiſſâ primâ opinione, quæritur an redundet ad diviſionem ſpecierum diviſio in corpore etiam. Reſpondetur negativè: & ratio eſt, quia Chriſtus non eſt in Sacramento, ut in loco, ſed ut in ſigno, non tantum ſignativè, ſed veraciter continetur ibi; & cum ratio continentiæ non diſcedat à ratione Sacramenti, ſicut quælibet pars poteſt ſignificare, & ſignat, ſicut totum; ſic quælibet pars ſignat, & continet: & quia quantumcumque partes ſignificant, tamen quando ſunt unitæ in unum totum, ſic conſtituunt unum ſignum: ſi verò dividatur illud totum, tunc quælibet pars per ſe ſignificat, & continet totum Chriſtum; quia ibi eſt impaſſibiliter, & indiviſibiliter. Et hinc eſt, quod hoſtia in miſſa dividitur in tres partes, quæ ſunt ſignum ſignificans tres partes corporis myſtici Chriſti: ſcilicet regnantium in Cœlis, quieſcentium in ſepulchris, & militantium in terris, pro primis offertur in gratiarum actionem, pro ipſorum gloria. Pro ſecundis ad expiationem à pœna, & pro ultimis in expiationem à culpa, & pœna. *L.* 4. *d.* 12. *p.* 1. *dub.* 4. & *a.* 3. *per totum.*

57. *Continentia, & exiſtentia Chriſti in Sacramento expenditur.*

Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus. Nota, quòd in his verbis Chriſtus dat intelligere, quod in puncto ultimo expreſſionis verborum ipſius Chriſti panis materialis, & viſibilis, advenienti vivifico, & cœleſti pani, velut vero Creatori honorem deferens, locum ſuum, ſcilicet viſibilem ſpeciem accidentium pro miniſterio, & ſacramentali ſervitio relinquit, quo deſinente eſſe miro, & ineffabili modo in eodem inſtanti, iſta ſequentia ſub illis accidentibus veraciter exiſtunt. Primò illa puriſſima caro Chriſti, & ſacrum Corpus, quod fabricante Spiritu Sancto tractum fuit de utero glorioſæ Virginis Mariæ appenſum in cruce poſitum in ſepulchro glorificatum in Cœlo. Secundò, quia caro non vivit ſine ſanguine, ideò neceſſariò eſt ibi ſanguis ille pretioſus, qui fœliciter manavit pro mundi ſalute in Cruce. Tertiò cum non ſit verus homo ſine anima rationali, propterea eſt ibi anima glorioſa Chriſti excedens in gratia omnem virtutem, & gloriam, & poteſtatem; in qua repoſiti ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Quartò, quia Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo, ideo conſequenter eſt ibi

Deus

Deus glorioſus in Majeſtate ſua. Hæc omnia quatuor, ſimul, & ſingula tota ſimul ſub ſpeciebus panis, & vini perfectè continentur, non minus in calice, quam in hoſtia, & è contra: nec in uno ſuppletur defectus alterius, cum nullus ſit, ſed in ambobus continetur integrum propter myſterium; de quo grandis eſt ſermo in ſcriptura, cui aſſiſtunt Angeli, & Angelorum frequentia, & ſanctorum præſentia. Vide inſuper quare Chriſtus tam excellenter ſub his tantum duabus ſpeciebus continetur. Primò, quia panis, & vinum optimum ſunt nutrimentum totius hominis; nam panis nutrit carnem, & vinum tranſit in ſanguinem, qui eſt ſedes animæ. Secundò, quia eorum uſus eſt homini principalior, & communior, & mundior; & minus faſtidioſus habetur: & ideo puritas ſpiritualis refectionis opportunè per iſta ſignificatur. Tertiò, quia optime ſignificant paſſionem Chriſti, quæ quotidie per hoc ſacramentum memoratur; nam panis ſignificat illud corpus triturarum, molitum, piſtum in paſſione, decoctum, & aſſum igne divini amoris in camino, araquè crucis. Vinum verò ſignificat ſanguinem, qui de uva, ſcilicet de corpore Chriſti in torcular crucis à calcantibus Judæis expreſſus eſt. Quarò pulchrè ſignificat corpus Chriſti myſticum, ſcilicet Eccleſiam collectam ex multis fidelibus prædeſtinatis ad vitam, tamquam ex granis, & vinum ex multis granis, & racemis. Vide ergo qualia, & quanta myſteria tibi exhibentur illa verba Chriſti. *Hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis meus. Op. de præpar. ad miſſam c. 1. & 2. l. 4. d. 11. a. 1. qu. 2. ad arg.*

58. *Cur ſub ſpeciebus accidentalibus voluit Chriſtus velare corpus ſuum, & ſanguinem.*

Accipite, hoc eſt corpus meum. Nota hic quod Chriſtus dicens: hoc eſt corpus meum, excitavit fidem diſcipulorum exponens ſuum corpus velatum ſub ſpeciebus panis, & vini. Hic ergo diſquiritur, cur voluit Chriſtus velare corpus, & ſanguinem ſub accidentibus: cur non apertè, & viſibile ipſis præbuit? ſed attende ad mirabilem Chriſti ſapientiam: Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum in nutrimentum ſpirituale, & quia hoc attenditur in unoquoque fidelium per conſervationem devotionis ad Deum, dilectionis ad proximum, & delectationis intra ſemetipſum ideo inſtituit hoc ſacramentum in ſacrificium oblationis, ad exercitium devotionis ad Deum: in ſacramentum communionis ad fovendam dilectionem in proximum; & in viaticum ad delectationem communicandam animæ: ſed quia ſtatui viæ non competit Chriſtum apertè videre propter velamen ænigmatis, & propter meritum fidei: nec convenit Chriſti carnem dentibus attrectare propter horrorem eruditatis, & propter immortalitatem ipſius corporis: ideo neceſſe fuit corpus & ſanguinem Chriſti tradi velatum ſacratiſſimis ſymbolis, & ſimilitudinibus corporeis expreſſis: & quia nihil magis eſt idoneum ad refectionem quàm cibus panis, & potus vini, nihil etiam eſt magis idoneum ad ſignificationem unitatis corporis Chriſti veri, & myſtici quàm panis ex pluribus mundis granis confectus & vinum ex pluribus uvis; ideo ſub ſpeciebus his magis quam aliis debuit hoc ſacramentum exhiberi: Et hinc eſt, quod voluit manere in terra non ſub ſpeciebus aliarum rerum nobilium, ut auri lapidum pretioſorum, &c. quia voluit nobiſcum manere, non ſolùm ut adoraretur, & coleretur, ſicut fieret, ſi ſub ſpecie auri manſiſſet; ſed etiam ut magnâ cum utilitate noſtrâ à nobis ſumeretur; ideo ſub ſpeciebus panis, & vini, quæ eduntur, & potantur reliquit corpus ſuum, & ſanguinem: & ideo bene ſupra dictum eſt, quod id factum eſt ad ſolamen ſenſuum, & meritum fidei. Quid enim valeret fides tua, ſi Chriſtus in propria formâ viſibilis tibi appareret? tunc & coacte eum adorares? aut quomodò carnales oculi tantam gloriam ferre poſſent? quis verò, niſi inſipiens dicat, ut carnem crudam, & hominis cruorem in propria formâ ſuâ comedere, & bibere debeas? Recedat ergo omnis dubitatio; quia ſicut olim divinitas in utero virginali latuit, & filius Dei ſub humanæ carnis velamine viſibilis mundo apparuit, ita & glorificata humanitas divinitati conjuncta, ſub forma panis, & vini latet, ut nobis immortalibus competere poſſet. *Op. Brevil. p. 6. c. 9. de præp. ad miſſ. c. 3. l. 4. d. 11. p. 2. a. 1. per tot.*

59. *Chriſtus ſub ſpeciebus continetur, veluti in nebula oſtendens ſuam gloriam.*

Hoc eſt corpus meum, &c. Ideſt ſub his ſpeciebus: ergo illæ ſpecies continent corpus, carnem, ſanguinem, animam, & divinitatem Chriſti: ergo de ipſo verificatur id quod dictum eſt 3. *Reg. c. 8. Dominus dixit, ut habitaret in nebula:* & hoc præfiguratum fuit in lucida nube quæ apparuit in transfiguratione Chriſti; ſpecies enim ſunt nubes lucidæ quæ continent totam gloriam Domini, & ex quibus nobis pluit manna dulciſſimum. *In ſab. cap. 16. & ſermon. 1. dedicat. In Luc. cap. 9. verſ. 22.*

60. *Euchariſtia quare dicitur myſterium fidei: ſcilicet columna totius fidei, & Eccleſiæ.*

Accipite: Hoc eſt corpus meum, &c. hic eſt calix, &c. myſterium fidei. Cur dicitur myſterium fidei? nonne & alia ſacramenta ſunt myſteria fidei noſtræ? Cur hic titulus ſpecialiter datur Euchariſtiæ? O digna verè nuncupatio! nam ſic oſtenditur ſublimitas Euchariſtiæ eſſe tanta ut intellectus noſtri captum ſuperet, fidemque poſtulet maximam: myſterium eſt abſconditum tam oculis corporis, quàm animi ſi fidei face non illuminentur: cernunt quidem corporis oculi ſpecies, ſed intus latentem Chriſtum ſoli fidei vident oculi pluſquàm Lyncæi, animumquè confirmant: Unde Eccleſia S. cait: *quod non capis, quod non vides, animoſa firmat fides præter rerum ordinem.* Animoſa meritò fides dicitur, quia animoſum reddit hominem, ut ea quæ non videt in hoc ſacramento, ſine hæſitatione ulla credat: unde merito appellatur vinculum fidei, quo anima alligatur, & unitur Chriſto: columna nubis, & lucis cui Eccleſiæ tota domus innititur: & quod hoc ſit verum: tolle hoc ſacramentum de Eccleſiâ, & quid erit in Mundo niſi error, & infidelitas? & populus Chriſtianus erit quaſi grex porcorum diſperſus, & idololatriæ deditus; ſicut

ſicut expreſſe patet in cæteris infidelibus, & hæreticis, qui fidem hujus ſacramenti abjecerunt: ſed per hoc ſtat Eccleſia, roboratur fides, viret, & viget chriſtiana religio, & divinus cultus. Et hinc mirum non eſt, quod in Eccleſia tot ritus, tot ceremoniæ, tot obſervantiæ veluti tot teſtimonia veritatis hujus ſacramenti exerceantur, & ordinentur ad cultum ipſius. O verè myſterium fidei grande. *Op. de prepar. ad miſſam c. 2. & Auguſt. Chryſoſtomus, aliique Patres.*

61. *Comeſtio Euchariſtiæ, ejuſque effectus expendantur tum ſacramentaliter, tum ſpiritualiter.*

Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Quid eſt hoctergone comedimus corpus Chriſti integrum; ergone in ſubſtantiam recipientis convertitur ipſum corpus Chriſti? minimè. Attende ad mirabilia hujus ſacramenti. Duplex manducatio habetur hujus ſacramenti: alia ſpiritualis, alia ſacramentalis; in ſpirituali concurrit maſticatio, & incorporatio: maſticatio eſt recogitatio cibi, ſcilicet carnis Chriſti pro nobis expoſitæ in pretium ad redimendum, & in cibum ad reficiendum: Incorporatio fit, dum recogitans, charitatis amore ei quod cogitatur, anima unitur, & ſic incorporatur; & dum incorporatur reficitur, & magis aſſimilatur; quia enim talis cibus eſt dignior, & efficacior, ideo ipſum manducantem in Chriſtum immutat, unit, & incorporat: ex qua communione ſpirituali mirabiles effectus in animam redundant. *L. 4. d. 9. a. 1. qu. 1.* Manducatio verò ſacramentalis per hoc differt à manducatione alterius cibi, quod manducans cibum materialem ipſum convertit in ſe, quia ſuper ipſum habet virtutem converſivam: In ſacramentali verò cibus Euchariſticus dignior, perfectior, & efficacior eſt, ideo potius in Chriſtum immutamur, & incorporamur, & recipiens tranſit in amorem, & charitatem ſpiritus Chriſti: ſic B. Auguſt. dicebat Chriſtus: non ego mutabor in te, ſed tu mutaberis in me; ideſt ſecundum ſimilitudinem, ſcilicet bonitatem, & ſanctitatem, ſicut ignis ferrum. *Op. de prepar. ad miſſam cap. 7. Centiloq. p. 3. ſec. 50.*

62. *De præparatione neceſſaria ad receptionem ſacræ Euchariſtiæ.*

Accipite, & comedite. Cur dicit accipite nonne ad comedendum ſubintelligitur acceptio? Accipite, ait Chriſtus, volens indicare præparationem neceſſariam ad dignam receptionem ejus: de qua S. Paulus dixit: *probet ſe ipſum homo, &c. 1. Cor. 11.* probatio autem hæc, & præparatio eſſe debet quâ, quali propoſito, quantâ charitate, propter quid accedit ad tanti ſacramenti perceptionem homo. Fides autem primo loco eſt exercenda circa veritatem exiſtentiæ Chriſti Jeſu ſecundum humanitatem, & divinitatem ſub ſpeciebus ſacramentalibus; ita ut oculis fidei videatur ibi Chriſtus unus Deus ſecundùm ſuam majeſtatem, & verus homo ſecundùm eandem humanitatem, carnem, ſanguinem, & animam quam in utero Virginis aſſumpſit, & quam paſſioni ſubjecit, & quam reſurgere fecit glorioſam. Secundum locum tener diſcuſſio conſcientiæ, ut anima conſideret quâ munditiâ accedit mentis, & corporis ne ſit aliqua turpitudo, vel macula, qua reddatur indigna tanto bono. Tertio loco, probet ſe ipſum homo ex quanta charitate, & quali fervore accedit; & hæc pars exigit vitationem & mortalium, & ven alium peccatorum omnis negligentiæ, diſtractionis, & omiſſionis quæ omnia teporem inducunt, & flammam amoris extinguunt; & ideo, ut accendatur anima ad amorem, conſideret iſta duo. Primò illius ſummæ charitatis incendium, quo ſumma bonitas pro nobis miſeris tam pœnoſæ ſuſtinuit Crucis opprobrium ut ſeipſum hoſtiam placabilem, pro liberando homine à morte æternâ Patri offerret. Secundò illius nobiliſſimi corporis cibationem, dulciſſimamquè paſſionem, quam ipſe ex ſua pietate ordinavit, ut eſſet expiatio noſtrorum quotidianorum delictorum, & hinc videns anima quàm bonus, quàm ſuavis ſit ſpiritus ejus, dum ad eandem menſam Angelorum nos vocat, & admittit ſemper plus accendatur in ejus amore. Quarto loco, diſcutiat anima propter quid, aut propter quam cauſam accedit ad recipiendum hoc ſacramentum: Et in hoc dirigat aciem mentis ad duo: primò ad purum affectum, deſideriumque ſanctum: ſecundò ad intentionem, & propoſitum neceſſarium. Vide ergo primò, anima, ne propter avaritiam, aut tumorem, aut vanam gloriam, aut conſuetudinem, aut alicujus mundanæ complacentiæ, aut temporalis favoris cauſa accedas. ſicut multis miſeris accidit, ſed dirige vota tua ad Deum, ut te trahat conſcientiæ remorſus & delictorum, ut per hanc hoſtiam ab ipſis purgeris. Item tuæ infirmitatis intuitus, ut medicinam inde extrahas. Item preſſuræ tribulationum hujus vitæ ut citius libereris. Item deſiderium impetrandi aliquam gratiam ſpiritualem. Item gratiarum actio pro omnibus beneficiis tibi, & aliis à Deo collatis. Item charitas, & compaſſio, & deſiderium juvandi proximis tuis vivis, & mortuis. Item laus Dei, & ſanctorum Dei amor, & dilectio. Item ſitis augendæ gratiæ ex hoc fonte gratiarum, & accendendi te in ejus amore. Et hinc tandem dirige mentem tuam ad debitam intentionem circa ea, quæ agere debes, quæ ad tria capita reducuntur: primò ad cultum Dei per latriam, ut ejus nomen ſanctificetur ab omnibus. Secundò ad cultum ſanctorum, & Angelorum & tertiò ad utilitatem totius Eccleſiæ militantis, & omnium peccatorum. *Op. de prepar. ad miſſam per totum & de inſtruct. Sacerdotum.*

63. *Meditatio paſſionis Chriſti quàm proficua præparatio ad ſumendam Euchariſtiam.*

Accipite, & comedite hoc eſt corpus meum. Cur in communione Euchariſtica ad mentem, & oculos animæ exhibet primò corpus ſuum, & non potius animam, vel divinitatem Dicit corpus, non animam, ut menti exponat paſſionem ſuam in corpore toleratam: ſcilicet, ut addiſcat homo, quod meditatio, & intuitus paſſionis Chriſti eſt medium potiſſimum ad dignam præparationem ad hoc ſacramentum. *Unde in Luc. c. 22. addit: hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis:* ſcilicet in meæ paſſionis commemorationem. Prætendit igitur, ut volens recipere ſacram Euchariſtiam intra ſeipſum totum recolligat, & ad divinam majeſtatem elevet mentem ſuam; & intret quantum poteſt in Deum, & cogitet qualis fuit ejus dilectio,

qui

qui ſic voluit ſibi aſſumere vilem noſtram naturam, & in ea tam turpia voluit ſuſtinere: ruminet illam magnificentiam charitatis, & illo inæſtimabili ardore inflammetur; & ſic ignitus adaperiat viſcera pietatis pro ſe vilificato dilecto afflicto, & lærhaliter vulnerato, & transformet compatiendo intra ſe omnia iſta vulnera, ac ſi ipſemet eſſet vulneratus; & in iſta nobili meditatione cogitet, quod ſuam nobilem carnem Chriſtus in crucis ara immolatam pro nobis dignatus eſt dare in cibum, & ſanguinem ſuum effuſum pro redemptione humani generis de latere ſuo in potum: & hinc tranſeat ad conſiderationem magnificentiæ hujus ſacramenti nobis exhibiti, in quo tot flammæ charitatis, & amoris relucent; & cum iſta præcedenti meditatione ſic ignitus accedat ad Altare, & ab eodem Chriſto ſentiet: *Accipite, & comedite hoc eſt corpus meum. Op. de inſtruct. ſacerd. ſer. 4. in cœna Domini* Ad hoc que refertur, quod dicitur 3. *Reg.* 17. de muliere duo ligna colligente ad panem efficiendum, quæ ligna ſignificant dolores crucis Chriſti, quæ per meditationem colligenda ſunt ad ſe præparandum ad hanc menſam. *Ser. 4. in Pentec.*

64. *Qualis honor Mariæ Virgini redundet in inſtitutione Euchariſtiæ.*

Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus. Cur voluit Chriſtus, ut confectio Euchariſtiæ præcipuè terminaret ad corpus, & ad ſanguinem, & non potius ad animam, vel ad divinitatem, quæ ſunt potiora, & nobiliora? Pro ſolutione notandum, quod in confectione Euchariſtiæ aliqua adveniunt eſſentialia virtute verborum conſecrationis, & aliqua per concomitantiam: Nam virtute verborum conſecrationis panis advenit corpus Chriſti vivum, & per concomitantiam ſanguis, anima, & divinitas: in conſecratione vini vi verborum, advenit ſanguis, & per concomitantiam caro, anima, & divinitas, quæ doctrina eſt communiſſima, & certiſſima in Theologia: his ſtantibus, quæritur, an vi verborum totum corpus adveniat ſub ſpeciebus panis, an ſolùm pars? Reſpondetur, quod vi verborum advenit idem numero corpus, quod fabricante Spiritu ſancto, tractum fuit de utero glorioſæ Virginis Mariæ: quæ omnia poſtea in cruce fuerunt oblata pro redemptione mundi. *Sic op. de præparat. ad miſſam c. 1.* Et hinc ad laudem, & honorem Mariæ Virginis. Addit S. Bernardinus: quod ad magis honorandam Matrem voluit Chriſtus inſtituere ſacramentum; ita ut vi verborum panis ſubſtantia convertatur primariò in carnem, & corpus, & vinum in ſanguinem, quæ deſumpſit ex ejus viſceribus, & ſecundariò in aliam carnem, & ſanguinem profectu temporis ſuperaddita. Hinc rectè dicebat S. Pet. Dam. Cibum Eva tradidit, per quem nos æterni convivii fame mulctavit: Maria cibum dedit, qui nobis cæleſtis convivii aditum patefecit. Et S. Thom. à Villan. Venter Mariæ ſicut acervus tritici illius ſcilicet tritici cæleſtis, quo Angeli ſaginantur, populi reficiuntur, & ſpiritus ſatiantur: illius panis, qui de Cœlo deſcendit *Conc. 1. de Annunc.* Et S. Auguſt. loquens cum Maria lactante filium, dicit: lacta, ô Maria filium tuum, lacta panem noſtrum, & S. Bernardinus *tom. 1. ſer. 61. ad rem* ait: omnis inſtitutio ſacramentorum ad Euchariſtiam ordinatur. Quamvis enim per concomitantiam in Chriſti corpore ſit divina ſubſtantia, & anima: ſola tamen vi verborum ſubſtantia panis tranſubſtantiatur in ſolam ſubſtantiam carnis, non in divinitatem, non in animam. Et ut expreſſiùs magnificem illam digniſſimam, & beatiſſimam carnem de Virgine glorioſa deciſam, & eo, quod tantâ infinitate eam dignificavit altiſſimus. Ex quibus ſequitur, quod in hoc ſacramento quidquam non eminet ex vi verborum, quod à Maria non fuerit acceptum; & ob eandem cauſam quæ abſunt à verborum ſignificatione, ideo abſunt, eo quod à Mariâ non fuerint collata, nempe nec divinitas, nec perſona Patris, nec filii, nec Spiritus ſancti, nec anima Chriſti. Poterat quidem Chriſtus inſtituere ſacramentum, ut ex vi verborum divinitas, vel Verbum divinum, vel totæ tres perſonæ in Euchariſtiâ collocarentur, & non ſolùm ex connexione, & concomitantiâ: ſed noluit Dominus, quia non erant pignora per Mariam, & à Maria proficiſcentia: & ut ſciremus nolle Verbum divinum quidquam per ſacramentum Euchariſtiæ operari, niſi illo inſtructum inſtrumento; nempe eo corpore, & ſanguine, quæ à Maria recepiſſet. Et hinc Chriſtus dixit *Ioan. 6. caro mea verè eſt cibus:* Sed cur non dixit: anima mea verè eſt cibus? utiquè in obſequium Mariæ: Unde veriſſimè dicere poſſet *Card. Petrus Dam. ſer. 45.* manat aliquid ex uberibus Virginis, & in carnem vertitur ſalvatoris, illud inquam abſque ulla dubietate, non aliud nunc de ſacro altari percipimus, & ejus ſanguinem in ſacramentum noſtræ redemptionis hauſimus: *Idem. & Euſeb. Emiſſ. & Tertull. apud Vegam n. 1473. ſeq. ad 1480. Vid. Suarez in 3. d. 1. ſ. 1. & 2.*

65. *Manducatio, & communio hujus ſacramenti ſpiritualis, & ſacramentalis, graduſque præparationis iterum expenduntur.*

Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Exhibet igitur Chriſtus nobis hoc ſacramentum dicens: accipite, & comedite, &c. ſed notandum quod duo ſunt modi manducandi: ſcilicet ſacramentalis, & ſpiritualis, quorum diſtinctio oritur à triplici principio: primò à diſpoſitione ſumentium: quidam enim accedunt male diſpoſiti; & hi manducant tantùm ſacramentaliter: quidam bene, & hi etiam ſpiritualiter manducant, ſimul & ſacramentaliter, ideſt cum fructu: ſecundò à modo ſumendi; quidam enim ſumunt ore carnis, & hi ſacramentaliter, quidam ore cordis, & hi ſpiritualiter. Tertiò à duplici re ſacramenti: duæ quippe ſunt eſſentiæ hujus ſacramenti: ſcilicet corpus Chriſti verum, & gratia in corpore myſtico faciens unionem, quarum una ſine altera ſumi poteſt: Et ut hæc obtineantur primò oportet ipſum ſumentem cibum iſtum ab aliis diſcernere per fidem, ut ſupradictum eſt: ſecundò hoſpitium præparare per ſui probationem, ut itidem dictum eſt ſuprà: Tertiò in hoſpitium recipere cum honore, amore & devotione. & hinc ſequitur accenſio fervoris; eſt enim carbo ignitus, & major fortitudo in anima. *Op. Centil. p. 3. ſit. 50. l. 4. d. 12. p. 1. a. 1. qu. 1.*

66. *Cur Apoſtoli receperunt Euchariſtiam non jejuni: nos vero jejuni?*

Accipite, & comedite, &c. Nota, quod hic inſurgit dubium, cur Chriſtus communicavit Apoſtolos non jejunos, & in fine cœnæ. Eccleſia autem præcipit, ut ſolùm à jejunis ſumatur communio? Reſpondetur, quòd Chriſtus in fine cœnæ communicavit diſcipulos, quia ut vehementius commendaret hujus myſterii altitudinem, voluit hoc ultimum infigere cordibus, & memoriæ Diſcipulorum, à quibus ſtatim ad paſſionem digreſſurus erat: tum etiam ad ſignationem effectuum hujus ſacramenti; ſcilicet unionis, charitatis, & amoris, quem in fine oſtendit. Eccleſia autem edocta à Spiritu ſancto, ordinavit, ut in honorem tanti ſacramenti prius in os Chriſtiani dominicum corpus intraret, quàm alii cibi. *L. 4. d.8. p.2. in text. & dub.2.*

67. *Communio ſpiritualis, præcisè ſacramentali, qualiter facienda.*

Accipite, & comedite. Nota, quod manducatio Euchariſtiæ alia eſt ſacramentalis, ſimulque ſpiritualis, de qua ſupra alia eſt potè ſpiritualis ſine ſacramentali: & ad hanc etiam vocat nos Chriſtus, dicens: comedite, ſcilicet non ſolùm verè, & ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter: ſed quid eſt hæc communio ſpiritualis, & qualiter fit? Attende, quod in homine duplex eſt os, ſcilicet carnis, & os ſpiritus: ergo poteſt quis recipere ſacramentum non ſolùm ore carnis ſimul cum ſpirituali, ſed etiam ſolo ore ſpiritus voto, deſiderio, & amore: ad hanc communionem rectè, & fructuosè faciendam, requiritur ſpiritualis manducatio vel maſticatio, & incorporatio, ſicuti in ſacramentali realis maſticatio eſt recogitatio fidei, quæ fides debet eſſe operans per dilectionem, ſcilicet excitare debet animam ad ardens deſiderium ſumendi hunc ſacrum cibum ad cognitionem tanti myſterii, ad contritionem, & dolorem omnium peccatorum; & hinc debet ſequi incorporatio, quæ fit dum recogitans, charitatis amore ei quod cogitatur, ſcilicet Chriſto, jungitur, qui charitatis amor facit exire animam in ferventiſſimos actus erga dilectum, & ſic incorporatur ſpiritualiter, & dum incorporatur ſimul reficitur, & magis aſſimilatur per immutationem amoris in Chriſtum: & hæc eſt communio ſpiritualis, quæ non ſicut ſacramentalis, poteſt omnibus momentis frequentari, ex qua infinita bona reſultant in anima. *L.4.d.9.a.1. q.1. & 2.ep.Centil.p.1.ſec.50.* De hac loquitur *Apoc.3. Sto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, veniam, & cœnabo cum ipſo & ipſe mecum*; ſcilicet ſpirituali cœna refectionis. *Ser.3.Dom.infra oct.Aſſenſ.*

68. *Solùm diſcipulis ſcholas Chriſti frequentantibus exhibetur cibus Euchariſticus.*

Deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum. Quæſtio hic movetur, an in hac ultima cœna ſolùm communicavit Chriſtus ſuos diſcipulos? an etiam Mariam Matrem, alioſq; è ſuos dilectos? Cui quæſtioni multi ſacri Doctores docent apud Vegam in Theologia Mariana *num.1475. & 1487. & Novarinum n.459 tom.de Agno Eucha.* Chriſtum communicaſſe per Petrum Mariam Virginem aliaſque pias fœminas collectas in diverſo conclavi ejuſdem domus: & hæc eſt magis pia, & rationabilis opinio. Et hoc fecit Chriſtus, ut matrem magis oſtenderet; tum quia magis ob unam virginem inſtituit hoc ſacramentum ut in ejus viſcera iterum intraret; tum ut Maria novum robur acciperet ad tolerandas pœnas, & dolores imminentes: Et ſi hoc, cur ſolum dicitur: Chriſtum dediſſe corpus ſuum diſcipulis? ſed meritò hoc dicitur: quia jus edendi hunc cibum ſolum habent diſcipuli Chriſti, qui ſcholas ſuas frequentant. Schola autem Chriſti docet humilitatem fidelis obedientiæ, confœderationem charitatis, & benevolentiæ, puritatem, & caſtitatem omnimodam, aliaſque virtutes chriſtianas, & tandem perpetuationem finalis perſeverantiæ. Chriſtus autem veniens è Cœlis tamquam magiſter omnium aperuit ſuas ſcholas, & in ipſam primò introduxit Beatam Virginem matrem ſuam, & ſimul alias dilectas animas, cum ipſa eſſet magiſtra omnis perfectionis: & hinc ſolùm diſcipulis exhibet ſuum corpus, & ſanguinem. *Op.de profec.religioſ.l.2.c.52. Diet.ſal. tit.4. c.2.ſer.2.in oct. Paſch.ſer.1. Dom.11. Pent. in Luc. cap.14.v.52.*

69. *Caro Chriſti ſumenda non cruda, ſed cocta.*

Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum. Et ergone caro hominis cruda comedenda? verè durus eſt hic ſermo, ut dixerunt Diſcipuli Chriſto. Sed attende ad myſterium, Chriſtus ante inſtitutionem ſacramenti, voluit ipſius figuram præmittere in comeſtionem agni aſſi, & cocti; ut daret intelligi, quod caro Chriſti non eſt ſumenda cruda, ſed cocta: & quomodo coctam transferamus mentem *ad 3.Reg.c.19.* ubi ad Eliam dictum eſt: ecce ad caput tuum ſubcinericius panis & vas aquæ: ſurge, & comede; ut intelligamus, quod non debet ſumi panis Euchariſtiæ crudus, ſcil. incoctus ſed ſub cinere coctus; ideſt contritione, & devotione, & memoriâ, meditationeque dominicæ paſſionis; & igne Spiritus ſancti amoris, charitatiſque præparatus, ſicquè ad caput invenitur, & recipitur, dum excellenti reverentiâ, & devotione tractatur: ad pedes verò locatur, dum ab indignè communicantibus, quaſi pedibus conculcatur. *Ser.2.in die Ciner ſer.4. in Pentec.*

70. *Affectus varii quibus accedendum eſt ad ſumendam Chriſti corpus expendantur.*

Deditque diſcipulis ſuis: accipite, & comedite, &c. Nota quod Euchariſtia tantum exhibetur diſcipulis Chriſti ſcilicet exercitatis in ipſius ſchola, & addiſcentibus ipſius lectiones: Et quænam ſunt ſunt exercitia virtutum, & varii affectus, quibus homo accedit ad ſacrum Altare ad percipiendum corpus Chriſti. Aliquos enim trahit amor Dei, ut dilectum ad ſe invitent, eumque in ſeipſis delectabiliter amplexentur. Alios propriæ infirmitatis intuitus, ut eum quaſi medicum ad ſe vocent, per quem ab omni infirmitate curentur. Aliquos conſcientiâ delictorum ſuorum, ut per eum, quaſi per hoſtiam placationis ab omnibus peccatis expiati purgentur. Aliquos præſtitâ tribulationis alicujus

alicujus, ut per eum, qui omnia potest, ab omni adversitate citius liberentur, & tutiùs purgentur. Unde dicebat David: Parasti in conspectu meo mensam adversus omnes, qui tribulant nos. Aliquos desiderium alicujus gratiæ vel beneficii impetrandi per eum, cui Pater nil potest negare pro se intercedentem. Aliquos gratiarum actio pro beneficiis divinis, cum nil dignius habeamus reddere Deo pro omnibus, quæ nobis tribuit, quàm calicem salutaris, ideſt Jesum Christum accipere. Aliquos laus, & honor Dei, & sanctorum, cum non habemus majus, quo possimus Deum, vel sanctos pro sua dignitate venerari, quàm Christum immolare Deo Patri. Aliquos charitas, & compassio proximorum, cum pro salute vivorum, & pro requie defunctorum, nil efficaciùs interpellet, quàm sanguis Christi pro nobis effusi: hoc est summum auxilium nostrum cum oramus Deum, & illum intercessorem invocamus, qui nos Patri reconciliavit, & semper interpellat pro nobis. *Op. de prof. religios. l. 2. c. 78 ser. 5. Dom. 2. quad. & op. fasciculus c. 7.*

71. *Discipulis solùm non canibus exhibendacarne Christi: ubi de modo præparandi se, &c.*

Deditque discipulis suis, dicens accipite, &c. Nota, quòd tantùm exhibetur Corpus Christi Discipulis, non canibus; quia non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. *Matth. c. 15.* O quantum peccatum reputares, si corpus Christi cani dares? Et certè tu luxuriose, tu invide, tu avare sordidior es quolibet cane, & fœtidior. O quanto tolerabilius canis putridus fœtet hominibus, quàm anima peccatrix Deo: & ideò verè magna patientia, quod Dominus permittit se à canibus comedi: canes autem sunt, qui vivunt in peccato mortali, canes sunt, qui post Pascha ad ea, quæ per confessionem vomuerunt, redeunt. Discipulis igitur solis Christus paravit hunc cibum. Tria autem sunt, quæ exigit Christus à suis Discipulis ad dignè suscipiendum hoc Sacramentum; scilicet corporalem munditiam, puritatem conscientiæ, & actualem devotionem, corporalis munditia aliquando ex decenti, aliquando ex necessitate requiritur. Puritas conscientiæ à criminibus mortalibus, & etiam ut plurimum à venialibus requiritur: ideo semper præmittenda confessio à primis, & contritio ab omnibus etiam venialibus. Actualis devotio gignitur ex timore, & amore: timor incutit reverentiam amor desiderium, & affectum, & ad excitandum hos duos affectus timoris, & amoris, proponuntur ab Ecclesia duo exemplaria, scilicet Zaccheus, & Centurio: Centurio enim cum reverentia timebat, nec audebat accedere ad Christum; & Zachæus devotè ipsum suscepit in domo: quare in susceptione corporis dominici Ecclesia reverentiam Centurionis repræsentat in dicto: Domine non sum dignus, &c. devotionem Zachæi in facto, eo quod debet suscipi Centurionicâ reverentiâ, & Zachæicâ devotione. *Op. fasciculor. cap. 7. ser. 4. Dom. 16. Pentec. v. supra, n. 68.*

72. *Idem de præparatione faciendâ: Ubi de omissione præparationis necessariæ.*

Dedit discipulis, &c. Nota, quòd dicit Discipulis, nò extraneis, quos voluit Christus præparatos exterius & interiùs, & ideo primo lavit pedes eorum; scilicet non solùm exteriùs, sed interius affectus animæ, contra quam præparationem faciunt, qui audent accedere ad hanc mensam in peccato mortali cognito: isti enim non vitam, sed mortem suscipiant, & istos Christus evomit ut cadavera putrida, & tradit sicut Judam dæmonibus discerpendos. Contra hanc etiam faciunt, qui absque expurgatione venialium cum negligentia, & otiositate, cum inconsideratione, & voluntaria distractione accedunt ad hanc mensam: licèt enim ista non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, obnibulatum, indispositum, & ineptum ad tantum ministerium. Contra quos dicit Apostolus. Ideo inter vos multi imbecilles, scilicet per fidei inconstantiam; & infirmi, ideſt gravi peccato sauciati, & dormiunt multi, scilicet per torporem, & desidiam. Contra hanc etiam est immunditia corporis, maximè si est voluntaria, saltem in causa, vel ex occasione data, de qua consulendus est Confessarius. Caveat ergo Discipulus Christi ab omni immunditia animæ, & corporis, & membrorum, & paramentorum; ut summo honore, & reverentia tractetur ille, qui est Angelis, & Archangelis tremendus. *Op. de parat. ad missam c. 4. & 5.*

73. *Audens accedere ad mensam Eucharistiæ in peccato mortali, peior Iuda, & diabolo.*

Dedit Discipulis suis, &c. Hoc est corpus meum. Addit verò apud Lucam: *verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensâ.* Ecce discrimen inter sanctè, & impiè communicantes: nam qui puro corde suscipiunt hunc sacrum cibum, sunt discipuli dilecti Christi, quibus Christus se liberaliter exhibet, & omnia bona sua confert, & donat. Iudam verò à suorum consortio expellit. Hic autem disquirunt DD. an Iudas verè sumpserit corpus dominicum? aliqui negant; sed tamen communior est opposita sententia; nempe Iudam verè recepisse corpus, & sanguinem Christi in peccato mortali; nec Christus ipsum tunc repulit, cùm ejus peccatum esset occultum, ut formam sacerdotibus daret: & hinc introivit tunc in eum Satanas; scilicet in eum, in quem prius intraverat, ut deciperet, nunc denuo intrat, ut plenius possideat: per hocque datur intelligentia sceleris audentium recipere Christum in peccato mortali; isti enim sunt veluti Iudæ, de quibus dicit Christus: ecce manus tradentis me mecum est in mensâ: imò sunt peiores ipso Iuda, qui tradidit Christum mortalem; isti verò tradunt ipsum immortalem, & nunc in Cœlis regnantem: imo sunt peiores diabolo, qui assumpsit Christum; & portavit in Sanctam civitatem, in templum, & in montem: at isti perversi audent collocare Christum Iesum in Babilone, scilicet in loco à diabolo possesso, in luto, & in sentina, & cloaca diaboli. O verè mirum, quod Christus permittat se portari à tot pessimis hominibus, quasi à

tot dæmonibus ſub Sacramento in ſentinam diaboli. *Ser. 5.Dom. 1.quad.ſer.5.& 6.in cœna Domini.In Ioan.c.13.v.27.& ſeq.ad 30. & l.4.d.11.p.2. dub.3.*

DE MISSÆ SACRIFICIO, ET Sacerdotibus.

74. *Poteſtas conſecrandi tradita ſacerdotibus à Chriſto expenditur.*

Accipite, & comedite, &c addit S. Lucas. *Hoc facite in meam commemorationem.* Addit Eccleſia. *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis.* Nota,ly, hoc facite; contra hæreticos noſtri temporis negantes auctoritatem conficiendi eo modo, quo Chriſtus confecit, traditam fuiſſe Sacerdotibus; ſed tantùm auctoritatem commemorandi tale factum: nam, ly, hoc, refertur ad conſecrationem factam à Chriſto: & ideò tunc ſacerdotalem ordinem eis tradidit, & poteſtatem contulit eis, ut faciant, quod ipſe fecit. *In Luc. c.22.v.19.*

75. *Sacerdotum legis Evangelicæ præeminentia ſupra ſacerdotes veteris expenditur.*

Hæc quotieſcumque feceritis.in mei memoriam,&c. Vide præeminentiam Sacerdotii Evangelici ſuper ſacerdotium legis veteris: numquam iſtis fuit dictum: *hoc facite,&c.* Sacerdotes enim legis veteris non habebant poteſtatem clavium, ſcilicet conficiendi Sacramentum, & abſolvendi à peccatis, ſicut Sacerdos evangelicus; unde illi erant mediatores ad offerenda ſacrificia legalia, & figuralia,non ad abſolvendum: Unde præfiguratum fuit Sacerdotium Evangelicum in Melchiſedech, qui fuit Rex, & Sacerdos, & obtulit panem,& vinum; non in Aaron. Et hinc ſacerdotium in teſtamento veteri ſubjacebat regi,& regno: ſed in novo, regnum, & temporalis poteſtas ſubjacet ſacerdoti: quia Papa poteſt amovere reges, & Imperatores ex cauſa. Unde in Exodo de veteri dicitur 19. elegi vos in ſacerdotale regnum; ubi regnum eſt ſubſtantivum, & ſacerdotium adjectivum: & de novo dicitur 1.*Pet.*2. regale ſacerdotium; ubi ſacerdotium eſt ſubſtantivum, & regnum adjectivum; quia omnia judicat,& à nemine judicatur.*Op.Eccleſ Hier.p.2.c.1. l.4.d 24.p.1 a.2.q.3.& d.17. p.2. art.1. per tot. & d.24.p.2.per tot. Vide l.4.d.8. per totum,ubi agitur de clavib.Eccleſiæ, & Sacerd.*

76. *Sacerdotii, & ſacerdotis dignitas eminentiſſima expenditur tum in ſe, tum in comparatione ad Mariam Matrem Chriſti.*

Hoc facite in meam commemorationem, &c. Nota illud verbum: hoc facite: quid? facite, quod ego facio, ut ſacerdos in æternum,& ſicut ipſe conſtitutus eſt ſummus ſacerdos, caput, & Papa totius Eccleſiæ,& quia eſt caput inviſibile; ideo caput viſibile debuit collocari ad regimen Eccleſiæ,& hic eſt ſummus Pontifex, in quo reſidet ſumma poteſtas, & à quo tamquam à ſummo derivatur ordinaria poteſtas ad Epiſcopos, & ſacerdotes uſque ad infima Eccleſiæ membra, ſecundùm quod exigit præcellens dignitas in Eccleſiaſtica hierarchia. Et quia ad conficienda ſacramenta,ad abſolvendum à peccatis corpus myſticum Chriſti neceſſaria eſt communicatio poteſtatis hujus ſublimiſſimæ,hinc Chriſtus ſacerdotes inſtituit in Eccleſia per Sacramentum ordinis, quod conſummationem perfectam recipit in ſacerdotio cui ſubordinantur ſex ordines inferiores,ſcilicet Diaconatus,ſubdiaconatus,lectoratus, exorciſtatus,accolitatus,& oſtiariatus,quibus omnibus præit tamquam diſpoſitivum tonſura, ſeu coronatio quibus omnibus, præter tonſuram, imprimitur character,ſacerdotium igitur eſt gradus, & dignitas in Eccleſia omnium maxima; nam ſacerdos ut miniſter concurrit cum Chriſto ad opus majus, quàm ſit creatio mundi eo quod terminus conſecrationis factæ ore ſacerdotis eſt tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti verum, & collocatio ejuſdem Corporis Chriſti ſimul cum anima, & divinitate ſub ſpeciebus panis, & vini. Concurrit item miniſterialiter cum Chriſto ad juſtificationem peccatorum,per quam remittitur omne peccatum, & confertur gratia ſanctificans. Diſquirunt hic DD. an poteſtas ſacerdotis excedat virtutem B. Virginis, quam exercuit in conceptione filii Dei. Et reſpondetur, quod ſe habent tamquam excedens,& exceſſum: excedit enim poteſtas Beatæ Virginis in hoc,quòd ipſam reddidit in ſtatu excellentiori conſtituendo eam Matrem Dei,& dicendo virtute ſupernaturali per quam concurrit Phyſicè ad conceptionem filii Dei poteſtas autem ſacerdotis poſtea excedit per hoc, quod collocat Chriſtum impaſſibilem, & glorioſum ſub ſpeciebus ſine ulla diſpoſitione præcedente in materia, & magis communis eſt, quia ſe extendit ad totum Mundum, & ad omnes ſacerdotes: abſolutè tamen loquendo poteſtas B.Virginis excedit hanc ſacerdotum. *L 4.d.10.a.1.q.1.& l.4.d 24.p.1 per tot.op. Cenil. p.3.ſec.3.Brevilo.p.6.c.12.*

77. *Sacerdotis Evangelici munera, obligationeſque expenduntur.*

Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis Hæc:quæ hæc?Hæc ſcilicet, quod egomet facio, ideſt reſpectu corporis Chriſti, & myſtici; in quo continentur munera obligationeſque ſacerdotis Evangelici: nam cum à Chriſto ſublimatus fuerit ad ſtatum,quodnec regibus, nec ſæculi hujus poteſtatibus,nec Angelis legitur attributum,ut illud conficiat, quotidie in Altari,quod Dei filius divinitatis virtute perfecit in cœna paſchali,ubi fuit remunerans,& munus cibans & cibus,conviva, & convivium,offerens, & oblatum: voluit ut advertat ei fuiſſe collatum iſtud donum non ad turpem quæſtum extorquendum nec ad ſuperbiendum, ſed potius ad veræ libertatis ſtatum, ut Sanctus in ſe ſit, & ſemper fixus in Deum, etiam Sanctos faciat alios. Et ideo in S.Scriptura exprimitur munus ejus ſub ſeptemplici metaphora; ſcilicet Architecti,agricolæ,paſtoris, medici, fidejuſſoris, ſpeculatoris, & ducis: Nam Sacerdos debet eſſe ſapiens architectus fundans,& promovens populum in fidei veritate, debet eſſe agricola,irrigans plantationes Eccleſiæ

per

per documenta virtutum. Paſtor, paſcens cibo verbi Dei, & promovens per exhibitionem bonorum exemplorum. Fidejuſſor, ſcilicet mediator inter Deum, & homines, agens apud Deum cauſas ſæcularium. Medicus exputgans ſæculares à morbis vitiorum. Speculator, & cuſtos fideliſſimus domus Dei; ne in Domo Dei aliquid mali fiat, & Dux populi, & gregis Chriſtiani in via ſalutis. *Onuſc. Eccleſ. Hier. p. 2. c. 1. Apol. pasp p. 4. c. 3. ſerm. in exalt. S. Cruc. t. 4. d. 13. a. 1. q. 2. ad ult.*

78. *Chriſti Ieſu pietas, & largitas expenditur in conferendo, & conſervando poteſtatem in malis ſacerdotibus.*

Hoc facite in meam commemorationem. Nota, quòd hæc à Chriſto dicta ſunt omnibus Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus ſacerdotibus. Hic verò diſquiritur, an ſi inter ipſos fuerit malus, & iniquus, ut Judas (qui tamen ſecundùm communionem non fuit conſtitutus Sacerdos) licet ab aliquibus affirmetur; an in ipſo reſideat & conſervetur eâdem poteſtas. Cui dubio reſpondetur, quod tam mali, quàm boni communicant in clavium poteſtate: Hæc enim eſt gratia gratis data in utilitatem aliorum, quæ de ſe non repugnat iniquitati recipientis: unde malus ſacerdos habet poteſtatem conficiendi, & conſecrandi Corpus Chriſti; & etiam exercendi eam in corpus Chriſti myſticum. In diſtributione enim ſacramentorum Chriſtus præcipuè utilitatem communem Eccleſiæ, & fidelium conſiderat, & ideò malus, licèt non ſit dignus, eſt tamen utilis: & in hoc patefit pietas, & largitas Domini Ieſu, qui etiam pro utilitate noſtra, & ſalute hominum, permittit ſe ab inimico tractari, adſpiciens magis ad utilitatem noſtram, quàm ad ſuæ reverentiam majeſtatis. *L. 4. d. 19. a. 2. q. 2.*

79. *Sacerdos malus ſibi eſt Corvus, aliis Angelus.*

Hoc facite in meam commemorationem. Facitè hoc vos Sacerdotes. Sed quid ſi mali ſint, & imitatores Judæ? Hoc facite, ait Chriſtus: dedit enim poteſtatem æqualem omnibus tam malis, quàm bonis in utilitatem communem populi Chriſtiani. Sed numquid ſacerdos malus, cum ſit mediator apud Deum pro populo, & diſtributor Corporis Chriſti ad vitam ſpiritualem aliorum, ſibi acquiret vitam, & ſalutem? minimè, talis enim iniquus eſt ſimilis aquæ baptiſmatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cœleſte mittit, & ipſa in cloacam deſcendit. Similis item Corvo, qui deferebat panem, & carnes Eliæ. 3. *Reg.* c. 17. Sacerdos enim malus nigrior Corvo in ſe verè defert panes, & carnes; ſcilicet miniſtrat cibum ſalutis aliis, & ſibi mortem, & damnationem parat. O qualis confuſio iſtorum iniquorum. *Op. Phar. l. 1. c. 21. ſer. 5. in cœna Dom. l. 4. d. 19. ſupra eit. & d. 13. a. 1. q. 1.*

80. *Cur ſacerdos ſumit ſacramentum in utraque ſpecie, laicus verò in unicâ.*

Hoc facite in meam commemorationem. Si hoc faciendum eſt eo modo, quo fecit Chriſtus; ergo ſi conſummationem hujus Sacramenti in utraque ſpecie panis, & vini fecit, etiam in utraque debet ab omnibus ſumi? Cur ergò laici ſumunt tantum in ſpecie panis? Sed attende, quod iſta dicta fuerunt à Chriſto. Hoc facite, &c. ſolum ſacerdotibus. In hoc ſacramento autem ſunt duo, ſcilicet efficacia, & ſignificatio, quantum ad efficaciam, neutra ſpecies eſt de integritate, ſed quælibet eſt totum, quod habet efficaciam: tantum enim recipit laicus ſub una ſpecie, quantum ſacerdos ſub utraque, quia ambo recipiunt totum Chriſtum; ſcilicet corpus, ſanguinem, animam, & divinitatem, & participant de iiſdem effectibus ſpiritualibus ſacramenti: quoad ſignationem verò rei ſacramentalis utraque exigit panem, & vinum ſpiritualiter ad ſpiritualem manducationem, & expreſſionem perfectæ redemptionis, quæ fuit in corporis multiplici paſſione, & ſanguinis effuſione, in quo manifeſtatur immenſa Dei charitas: & in hoc anima perfectè reficitur, & delectatur: & ideo utrumque diſtinctè ſignificatur per corpus, & ſanguinem. Et hinc Eccleſia Latina ſemper in hoc ſtabilis fuit, ut laici ſolùm reciperent Chriſtum in ſpecie panis, non verò vini; & hoc ob periculum effuſionis, & propter periculum erroris, quia non crederent ſimplices in altera ſpecie totum Chriſtum contineri. *L. 4. d. 11. p. 2. q. 2. & d. 12. p. 2. in expoſ. textus.* Nota, quòd hæc quæſtio agitata fuit etiam tempore Lutheri? nam Boëmi, aliique finitimi populi prætendebant communionem laicorum in utraque ſpecie: ſed Eccleſia romana poſt diligentiſſimam diſcuſſionem firmâ ſteterit in antiquiſſimo uſu ex hoc, quod uſus contrarius venit ex errore ſupradicto, credebant enim ſacramentum in unica ſpecie non habere totam efficaciam ſicut in ambabus.

81. *Euchariſtia eſt ſacramentum, & ſacrificium, quo renovatur paſſio Chriſti.*

Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum, &c. Addit S. Lucas: *qui pro vobis datur.* S. Paulus 1. *Cor.* c. 11. *quod pro vobis tradetur.* Græcè legitur: *quod pro vobis frangitur, & traditur.* Sic & in liturgiâ D. Iacobi. Quomodo dixit Chriſtus in præſenti, quod pro vobis datur, vel frangitur, & non potius in futuro, tradetur, & frangetur; cum tunc non eſſet expoſitum paſſioni, ſed tantum poſt multas horas? Reſpondent aliqui Patres, quod Chriſtus uſus eſt tempore præſenti pro paulo poſt futuro, cum de futura, & propinqua paſſione ſint verba iſta intelligenda: quamprimùm tradetur pro vobis paſſioni, & morti, & frangetur verberibus, ſpinis, clavis, haſta, ideſt in carne, non in oſſibus. Et licèt hoc verum ſit, tamen non vacat myſterio, quod potius uſus fuerit Chriſtus verbo præſenti, & non futuro: quale igitur erit hoc myſterium? Sed attende: quia enim hoc ſacramentum Chriſtus inſtituit ad nutrimentum ſpirituale noſtrum, ad quod requiritur in unoquoque conſervatio devotionis ad Deum, dilectionis ad proximum, & delectationis intra ſemetipſum. Devotio exercetur per ſacrificii oblationem. Dilectio ad proximum per unius ſacramenti communionem. Et delectatio per viatici refectionem. Ideo Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit, ut ſacrificium, ut Sacramentum, & ut Viaticum. Sacrificium autem purum, placidum, & plenarium eſt; quia idem eſt, quod in cruce oblatum fuit, ſcilicet

corpus,& ſanguis Chriſti:ideoque ipſum inſtituit, dicens : hoc facite in meam commemorationem, ideſt meæ paſſionis ; ut eſſet renovatio oblationis factæ in cruce ab ipſo Chriſto , oblatio autem in cruce ſemel facta eſt ; quia ſufficiens erat pro redemptione totius mundi : ſed hæc in Euchariſtia quotidie renovatur, ut illa in cruce facta, haberet efficaciam in quolibet fideli , & ad redemptionem perfectam,& ad communionem,& exercitium dilectionis ad proximum, & ad refectionem, & delectationem ſpiritualem propriam : & hinc eſt, quod hæc oblatio fit in pane , & vino , quæ ſignificant oblationem factam in Cruce corporis, & ſanguinis Chriſti , & hæc eſt cauſa quare dixit Chriſtus : hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur : ſcilicet nunc offertur veluti in Cruce ſpeciebus , & prius offertur ex charitate , quam in cruce offeratur ex odio inimicorum. *Op. Brevil. p.6.c.9.d.4. d.11.p.2.a.1. qu.1 , in p. d.12. queſt. ult. ad 3.*

82. *Euchariſtia memoriale vivum paſſionis Chriſti : ubi de auditione miſſæ.*

Hoc facite in meam commemorationem,&c. ideſt in memoriam mei, & meæ paſſionis.Dat per hoc intelligere ſublime myſterium. Cum enim memoriale triplex habeatur in Eccleſia paſſionis Chriſti,ideſt in ſcripto,in verbo.& in Sacramento,in ſcripto habetur veluti mortuum , ſcilicet in Sacra Scriptura , vel in imaginibus , & terminat ad viſum , qui apprehendit magis de longinquo: in verbo , cum ex ore prædicatorum exprimitur, & terminat ad auditum, quod memoriale partim eſt vivum partim mortuum : vivum eſt in corde perfectorum, mortuum in corde tepidorum : Sed in ſacramento eſt memoriale , & vivum : memoriale, quia ipſum corpus Chriſti ſignificatur , & contenetur in ſpecie panis , & ſanguinis in ſpecie vini : & eſt vivum;quia Chriſtus ibi ſeipſum præber , offerens pro nobis corpus , quod pro nobis fuit occiſum,& ſanguinem, qui pro nobis fuit effuſus;& hoc eſt non ſolùm ad viſum, non ſolùm ad auditum , ſed ad guſtum qui non de longinquo,ſed de proximo apprehendit;ut jam non quaſi ſpeculatione , ſed quadam experientia paſſionis ejus memores ſimus. Ecce quale memoriale , & quomodo vivum , & quam efficax : ſi enim accendit affectum noſtrum paſſio deſcripta , & amplius ferventer prædicata ; multo magis inflammare , & afficere debet in hoc Sacramento expreſſa ; & hoc abſque dubio facit , ſi quis ſenſum habet , & illum convertit ad hoc Sacramentum, ſcilicet maximam efficaciam reportat. Ille ergo verè audit miſſam , non qui tantum verba dicit, vel audit ſine devotione , ſed ad hoc memoriale totam mentis intentionem convertit : ille etiam reficitur, qui manducat ſpiritualiter, ſcilicet cognoſcit,& afficitur circa ejus paſſionem , quæ fuit in illo corpore multiplici paſſione , & ſanguinis effuſione , & in quo manifeſtatur immenſa Dei charitas,quam anima meditatur,& per quam accenditur in ejus amore.Ecce quale memoriale,& qualis commemoratio in hoc ſacramento exigitur à Chriſto. *L.4.d.12.p.2.a.1.q.1. & d.11.p.1.a.2. qu.2.*

83. *Euchariſtia ſignum prænoſticum,demonſtrativum,& rememorativum.*

Hæc quotieſcunque feceritis in mei memoriam facietis. Scilicet tamquam in memoriali vivo,quale eſt Sacramentum Euchariſtiæ ; ut autem eluceat præeminentia ejus ſuper omnia alia Sacramenta , notandum , quia Sacramenta alia ſunt prænoſtica futurorum , alia demonſtrativa rei præſentis , alia rememorativa rei præteritæ. Sacramenta legis veteris erant prænoſtica futurorum, quaſi de longinquo : erant enim umbræ, & figuræ prænunciantes myſteria legis Evangelicæ: demonſtrativa ſunt ſacramenta legis Evangelicæ ; demonſtrant enim quod ſignificant, ſcilicet gratiam præſentem , quam conferunt : & ſunt rememorativa dominicæ paſſionis, quæ fons eſt, & origo gratiæ curativæ , ſive in nobis , ſive in his, qui præceſſerunt , tamquam pretium promiſſum , in his, qui ſequuntur tamquam pretium perſolutum : & hinc eſt , quod pretio perſoluto abundantior gratia conferatur per nova Sacramenta : hoc totum verificatur de omnibus Sacramentis. *Op. Brevil.p.6. cap.2.* His ſuppoſitis cum Euchariſtia ſit Sacramentum veluti fons omnium Sacramentorum , excedit etiam cæteras quia cum ſit in eo & ſignum , & veritas ſigni : continetur enim in ipſo Chriſtus paſſus , qui ſecum continet omnem plenitudinem gratiarum, & pretium totum noſtræ redemptionis, poteſt & meritò dici ſignum rememorativum paſſionis Chriſti præteritæ : ſignum demonſtrativum veritatis præſentis,ſcilicet ipſius Chriſti ibi exiſtentis cum tota plenitudine gratiarum , & pretio redemptionis noſtræ ſignum item prænoſticum futuræ gloriæ , quâ in Cœlo in æternum cibabit ſuos electos. *L.4 d.12.p.a.3.q.1.ad 4.& p.2. dub.1. & d.5.q.1.ad 1.ſtr.4.in cœna Domini.*

84. *Cur Euchariſtia iteratur,non baptiſmus.*

Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Per quæ concedit patenter Chriſtus , ut hoc ſacrificium Euchariſticum reiteretur , hinc diſquiritur cur in ipſo reiterario admittitur, non in baptiſmo ? Reſpondetur , quod baptiſmus ſignat paſſionem pro ut nos per illam morimur peccato originali , quod traximus ab Adam ; & quia omnia originalia peccata habent univocationem , & hinc paſſio Chriſti habet totam efficaciam ſemel contra peccatum originale,ideo ſicut ipſum originale non eſt iterabile,ſic nec baptiſmus : at quia in Euchariſtiâ ſignificatur Chriſtus , ut nos reficiens contra malitiæ pœnam per charitatem:hinc quia hæc eſt iterabilis,etiam ſacrificium , & Sacramentum Euchariſtiæ eſt iterabile. *L.4.d.2.a.1.q.3.& d.12.p.2.dub.2.*

85. *Chriſtus in Euchariſtia veluti in Cruce quotidiè immolatur,renovando noſtram redemptionem.*

Hæc quotieſcunque feceritis,&c.Hoc facite in meâ commemorationem.&c. Hoc ſcil.quòd ego facio,& vos facite in commemorationẽ meam ideſt meæ paſſionis:ſed qualem proportionem habet immolatio ſacrificii Euchariſtici cũ immolatione in cruce facta multam per omnem modum. Iã diximus, Euchariſtiam inſtituã fuiſſe à Chriſto ſub ratione ſacrificii,

sacrificii, & sacramenti; ad sacrificium autem in lege veteri tria erant essentialia, quæ erant figurativa hujus sacrificii: primum victima immolabatur, sive cædebatur, deinde Deo offerebatur; & ultimo cõbustione absumebatur. Sic in hoc sacrificio concurrit immolatio incruentà, oblatio, & consumptio: immolatio fit verbis consecrationis: nam ex vi verborum, separatio fit corporis à sanguine, & sanguinis à corpore, licèt per concomitantiam omnia simul adsint: sicque sicut immolatio fiebat cruentè, cum cultro sanguinis à corpore separabatur: sic cum fit consecratio corporis, & sanguinis, fit talis immolatio scilicet incruentum, & deinde Deo offertur à sacerdote, & tandem fit consumptio peractorum per communionem, & sumptionem. Hoc fecit Christus, hoc & faciunt sacerdotes in Altari celebrantes; & ad hanc immolationem ordinantur illa verba. *Luca c.15. adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur:* Vitulus saginatus est Christus pro nobis in Cruce oblatus, & omnibus bonis repletus, & suavissimus ad spiritualem cibum: adducitur autem à sacerdotibus in Altari, quando ipsum immolant pro salute peccatorum, ac nobis exponunt in cibum. Ergo in Eucharistia Christus immolatur velut in Cruce: & hinc est, quod indumenta sacerdotalia, signa crucis, elevatio corporis, & sanguinis in Missa; sumptio, & communio aliaque mysteria in missa ordinantur ad representandum Christum in cruce; & ut intelligamus missam esse continuam renovationem nostræ redemptionis. *In Luc. cap. 15. v. 23. & 12. v. 19 Opus. de expos. missæ c. 1. & seq. ad 6. Centil. p. 3. sic. 50.*

86. *Eucharistia sacrificium quali commemoratione offerendum.*

Hoc facite in meam commemorationem. Vide quomodo Christus instituit hoc sacramentum in cœna; & in Ecclesia celebrari vult, ut per hoc memores sui simus: unde ait: hoc facite in meam commemorationem. Sed qualis debet esse commemoratio? in commemorationem scilicet meæ passionis, meæ propitiationis, meæ dilectionis, & meæ unionis; quæ omnia continent, omnia mirabilia hujus Sacramenti, memoria suæ passionis præcipuè requiritur in sumptione, & oblatione hujus sacrificii. Quotiescumque enim manducabitis, &c. mortem Domini annunciabitis (ait Apostol. 1. *Cor.* 11.) & ideo sub specie panis, qui fit de grano triticeo tritutato molâ contrito, & in clibano cocto, proponitur Christus granum frumenti tritutatum in flagellatione, contritum in molâ crucis, & coctum in clibanum sepulchri, & inferni. Item in commemorationem suæ propitiationis; quia singulari modo fit propitiatio pro peccatis per hanc oblationem. Item in commemorationem suæ dilectionis; quia per hanc oblationem maximè manifestatur ejus immensa charitas: Et ideo dum inimici ei parabant instrumenta ad ipsum occidendum, ipse nobis paravit hunc excessum suæ charitatis. Item in commemorationem suæ unionis, quia per hunc divinum cibum trahit fomentes ad sui unionem maximam. *Serm. 4. in Cœnâ Dom.*

87. *Quid significet hoc nomen missa.*

Hoc facite in meam commemorationem. Scilicet idem, quod ego fac o; & sicut ego hic offero hoc sacrificium, idem & vos ô sacerdotes. Nota, quòd hoc sacrificium in Ecclesia appellatur nomine missæ: quare hoc? quidque significat hoc nomen? Respondetur, quod missa latinè idem ac Hebraicè Missach, interpretaturque oblatio spontanea: quia Christus sponte seipsum obtulit in sacrificio, & in cruce: & ideo prima missa celebrata est a Christo in ultima cœna, & completa in cruce. Dicitur autem missa à mitto: quia in ipsa à Patre è cœlis mittitur magni consilii Angelus, scilicet Christus ad consecrandum; quia iste est sacerdos invisibilis, qui consecrat, ubicumque conficiatur, & ibi renovat oblationem factam in cruce. Missa est autem à Patre è cœlis hæc hostia nobis primò per incarnationem: secundò per passionem in cruce: tertiò in sacramento per sanctificationem, qua nobiscum esse incœpit. Secundò dicitur missa, quia in ejus oblatione mittitur à nobis Patri ad cœlum hæc hostia assistentibus Angelis, ut apud Patrem pro nobis intercedat: & hoc fit hac oblatione. Tertiò dicitur missa, quia sacerdos mittit assistentes, & secum offerentes meritis omnibus, dicens: ite missa est; scilicet ite, festinate ingredi in illam cœlestem Civitatem. Nota autem hic, quod licèt quælibet missa totum corpus Christi mysticum repiciat, sicut patet per triplicem partitionem hostiæ: scilicet ordinatam ad beatos, ad militantes in terra, & ad purgantes in purgatorio: tamen quædam celebrantur in honorẽ sanctorum; ideò in talibus licẽtiatur populus per hæc verba: ite missa est; idest festinate ad eorum societatem: quædam specialiter ad salutem vivorum: & quia non sumus certi de salute nostra, ideò debemus continuè solliciti esse, ne per nostram ignaviam missæ efficacia evanescat, ideò dicitur in missa in fine omni tempore, benedicamus Domino: scilicet incumbamus in Deo benedicendo, serviendo, & obsequendo. In missis verò, quæ dicuntur pro defunctis, dicitur: requiescant in pace. *L. 4. d. 13. dub. 3; Op. expos. missæ c. 2.*

88. *Eucharistia sacramentum vivorum, & mortuorum, & quomodo.*

Hic autem potest disquiri cur sola Eucharistia prodest mortuis, non verò cætera sacramenta; & an eodem modo profit vivis, ac mortuis? Respondetur, quod aliter prodest vivis, aliter mortuis; vivis autem prodest sub ratione cibi, & etiam sacrificii; in quantum enim Sacramentum est, cibat, & dat gratiam, & perfectionem manducanti; quod non potest competere mortuis, qui sunt extra statum viæ, & meriti: & quia est sacrificium; sic Deum placat: ideo etiam vivis prodest; & etiam mortuis; quia per talem oblationem remittit pœnæ acerbitatem. Cur autem cætera Sacramenta mortuis non profint, id est quia ipsorum Sacramentorum dispensatio respicit actum in persona, vel circa personam, ut patet in baptismo, quo non potest baptizari nisi existens, & præsens: & sacrificium est actus pro persona; ideò non exigit personam præsentem, & existentem: sic Christus obtulit, & se offert pro iliis, qui

fuerunt,

fuerunt, & qui futuri ſunt: ſicque ſacrificium hoc prodeſt his, qui finierunt vitam. *L. 4. d. 45. dub. 3.* Notandum etiam, quòd miſſa oblata pro defunctis, ſive à bono, ſive à malo ſacerdote prodeſt quantum ad opus operatum, quia à Chriſto contento in Sacramento principaliter offertur nomine Chriſti, & ſanctæ Eccleſiæ, cætera verò ſuffragia non proſunt extra miſſam, ſi fiant ab exiſtente in peccato mortali. *L. 4. d. 45. artic. 2. quæſt. 2.*

89. *Miſſæ excellentia ex ſuis partibus eſſentialibus, & ex ceremoniis, aliiſque ſuperadditis expenditur.*

Hoc facite in meam commemorationem. Hoc, quidnam? hoc, ideſt ſacrificium: ſed quare non imitatur Eccleſia Chriſtum celebrantem? cur miſſæ ſuperaddita ſunt tot alia? Sed attende ad pulcherrima myſteria. Chriſtus primus fuit in oblatione miſſæ quam inchoavit in ultima cœna, & complevit in cruce ut dictum eſt ſupra. Secundus B. Petrus. Tertius S. Jacobus Hieroſolymitanus Epiſcopus; & inde cæteri Apoſtoli, qui miſſam cantaverunt, incipiendo à illis verbis. *Qui pridie quam pateretur, &c.* uſque ad Pater noſter incluſivè; & ſic ſumendo corpus, & ſanguinem Chriſti ipſam terminaverunt. Deinde ſummi Pontifices, Spiritu Sancto dictante, addiderunt ad eſſentialia ſacrificii orationes, ritus, & cæremonias, conſtituentes canonem, & verba conſecrationis veluti cor in medio miſſæ. Additio autem harum ſolemnitatum, & ceremoniarum facta eſt ad excitandam devotionem, ad dirigendam intentionem celebrantis, & aſſiſtentium, & ad majorem, & expreſſiorem ſignificationem myſteriorum, quæ continet miſſa. Unde adduntur orationes ad excitandam devotionem, & ad docendum quid debeant petere. Item ad intentionem dirigendam, & ad expreſſionem myſteriorum. Additæ ſunt ſignationes, cruces, ut Sacerdos actu cordis, & manuum convertatur ſuper Sacramentum, & mentem dirigat ad myſteria repræſentata talibus ſignis crucis: ſunt autem 25. & fiunt ſeptem vicibus: in prima vice fiunt ter ad ſignandam trinam traditionem Chriſti, ſcilicet à Deo, à Juda, & à Judæis. In ſecunda vice fiunt quinquies, ad ſignandum quinque perſonas, quæ in traditione Chriſti concurrerunt, ſcilicet perſonam traditi, tradentis Judæ, & Pontificum, ſcribarum, & Phariſæorum. In tertia fiunt bis ad ſignificandam converſionem panis, & vini. In quarta fiunt quinquies propter quinque vulnera Chriſti. In quinta bis ad ſignificandum vincula, quibus fuit vinctus, & flagella, quibus ſanguis effuſus eſt. In ſexta fiunt ter propter crucifixionem factam linguis Iudæorum, qui ter clamaverunt: Crucifige eum. In ſeptima quinque, ter de corpore ſuper calicem, & bis à latere ad ſignificandum tres cruciatus, ſcilicet paſſionis, propaſſionis, & compaſſionis, & propter aquam, & ſanguinem, quæ de latere exierunt. Hæ omnes ſunt 24. qui eſt numerus cubicus, ut deſignetur, quod quantumcumque multiplicetur ſacrificium, ſemper eſt unum. *L. 4. d. 12. p. 1. dub. 5. Et Op expoſ. miſſæ. c. 3. & 4.* ubi habentur variæ, & piiſſimæ expoſitiones omnium rituum miſſæ.

90. *Idem argumentum de excellentia miſſæ, & fine multiplici requiſito in ejus oblatione.*

Hoc facite in meam commemorationem. Ideſt idem, & eadem intentione mea. Ecce hic cum quali intentione, & propoſito miſſa celebrari debet; ſcilicet eo modo, quo Chriſtus inſtituit, ſuntque ſequentes fines. Primò intendi debet cultus Dei per latriam, ex quo poſtea plures alii conſequuntur Dei voluntati conformes, cultus autem Dei eſt honor, ſoli Deo impenſus ſummo Creatori ex debito ſervitutis, quo obligamur non ſolùm noſtra, ſed noſipſos impendere pro ſuo honore, & pro eo mori, ſi expedierit, ad recognitionem beneficiorum ſuorum, & ſuæ immenſæ bonitatis nobis oſtenſæ; & hoc contrito corde, & ſpiritu humiliato, & toto affectu, actu, & habitu, geſtibus, & ſignis proſternentes nos ante oculos ſuæ majeſtatis, & ſacrificiis, ac muneribus eum venerantes, referamus ad ipſum ſpem noſtram, & deſiderium noſtrum, tanquam in finem ultimum, & in eum, à quo omnia ſperamus, propter quæ omnia expectantes ab eo meritum & retributionem bonorum noſtrorum, & malorum, ſecundùm retributionem ſuæ juſtitiæ, ſuique beneplaciti. Ad hunc cultum, & ſpectat Deum timere in immenſum, honorare, & amare. Et ad hoc excitandum animum facit conſideratio ſuæ omnipotentiæ, & juſtitiæ; qui nos pleniſſimo jure damnare poteſt, & ſalvare, ex quo oritur timor, & ex timore dolor de peccatis, pudor ſuſpiria, lachrymæ, confeſſiones peccatoris, ſupplicationes, jejunia, diſciplinæ, peregrinationes, & hujuſmodi. Secundo conſideratio ſuæ ſapientiæ, & majeſtatis excitat animum ad Deum honorandum: & hinc redundant veneratio, & reverentia, genuflexiones, incurvationes, purificationes, conſecrationes, munditia ſacrorum vaſorum, paramentorum ornatus, & decor, feſtivitates, celebritates, & ſolemnitates luminarium, cantus, pſalmodiæ hymnorum, lectionum, & hujuſmodi. Tertiò conſideratio ſuæ bonitatis, & clementiæ excitat animum ad ipſius amorem, ex quo oriuntur gratiarum actiones, laudes, hymni, benedictiones, vota ſancta, & incenſationes, & hujuſmodi. Ex hoc cultu Dei reſultat etiam honor, & devotio, quæ ſanctis amicis Dei exhibentur, ut ſint apud Deum advocati pro nobis, omniſque reverentia, quæ eis impenditur propter Deum, cui ſunt conjuncti, exhibetur; quæ omnia in cultu ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & in oblatione ipſius excellentiſſimè practicantur: Unde poteſt verè dici, quòd cultus Euchariſtiæ eſt veluti ſumma, & compendium omnium actuum latriæ, quæ à nobis, & ab Eccleſia poſſunt Deo exhiberi, ex hoc conſequuntur alii fines ſecundarii, ordinati tamen in Deum: nempè deſiderium, & intentio, ut ex frequentatione divini cultus, nomen Dei ſanctificetur, ut à nobis per ſanctitatem vitæ glorificetur in mundo; ut creſcat in orbe cultus, & honor Dei; ut cognoſcat totus mundus ſacerdotes eſſe veros cultores unius veri Dei, & ſalvatoris Ieſu Chriſti. Item & intentio juvandi totam Eccleſiam Dei, ex quo redundat actualis oratio ad Deum pro Papa, & pro omnibus fidelibus, & infidelibus in communi, & in particulari. Ex hac conſequi debet proxima præparatio ad celebrandum tantum myſterium.

Opuſc.

Op. de præpar. ad miſſam c. 9. ſeq. Vide ep. de prof. religioſ. l. 2. c. 78.

91. *Miſſæ valor an ſit finitus, an infinitus.*

Hoc facite in meam commemorationem. Ideſt meæ paſſionis, & mortis. Et ſi hoc, oritur dubium, an miſſæ valor ſit infinitus, an finitus? videtur infinitus, quia cum oblatio ſacrificii ſit memoriale vivum oblationis factæ à Chriſto in cruce, & hæc eſt valoris infiniti, & omnibus profuit, ac ſi eſſet oblata pro quolibet per ſe, ergo à pari idem videtur dicendum de miſſa? Reſpondetur, quod licet idem ſit ſacrificium in Cruce, & in Euchariſtiâ, non tamen utrobique conformatur uniformiter: nam in cruce effuſum eſt pretium in omnimoda plenitudine, eſtque valoris infiniti quoad ſufficientiam; ſed in altari habet effectum quoad efficaciam & ideo licet Chriſtus oblatus ſit valoris infiniti in ſe, tamen oblatio eſt determinata; quia eſt tantum efficax pro iis, pro quibus determinatè offertur: & hinc eſt, quod oblatio in cruce non iteratur, ſicut hæc in Altari. *L. 4. d. 43. a. 2. qu. 4 ad ult.*

92. *Miſſæ valor, an ſit major in bono ſacerdote, quàm in malo.*

Hoc facite in meam, &c. Solet etiam inquiri, an miſſa boni ſacerdotis ſit major, &c. Cui reſpondetur, quod loquendo de miſſa, quoad valorem ex opere operato, & quoad eſſentialia eſt æqualis valoris in utroque, quoad circumadiacentia verò, ſicut ſunt petitiones, orationes, obſecrationes, devotio, devotus motus, & affectus plus valet miſſa boni ſacerdotis, quam mali; tum quia ipſa ex parte, & in multis dependent ex opere operantis, licèt etiam offerantur in nomine Eccleſiæ; tum quia excitant magis ad devotionem. *L. 4. d. 13. a. 1. q. 4. op. Comp. Theolog. l. 6. cap. 18.*

93. *Tempore ſacrificii quomodo dicuntur cæli aperiri, & Angeli rapere ipſum in Cælum.*

Hoc facite in meam commemorationem, &c. Hoc, ſcilicet conficite hoc ſacramentum, in quo eſt panis de Cœlo deſcendens, ait *S. Ioan. c. 6.* ſed quomodò dicitur panis de cœlo deſcendens? Nota, quod hoc dicitur ad explicandam excellentiam hujus ſacramenti; unde per figuram à SS. Patribus dicitur, quod in hora immolationis cœli aperiuntur, & deſcendentes Angeli ad Altare, rapiunt in Cœlum corpus Chriſti. Dicitur autem cœlum aperiri, quando vehemens influentia fit de ſuperius, & quia tunc nobis panis cæleſtis, & ſuperſubſtantialis tribuitur: hinc eſt quod tunc dicuntur aperiri, ſicut in Chriſti nativitate dicitur *Pſal. 18.* quod per totum mundum melliflui facti ſunt Cœli, quia datus eſt nobis ille qui dulcior eſt ſuper mel, & favum. Dicitur etiam corpus Chriſti rapi in Cœlum miniſterio Angelorum, non localiter, ſed myſticè; ſcilicet quia & illi Altaribus aſſiſtunt ſacris myſteriis; & ſicut in Cœlo, ſic ibi reverentur illud ſacramentum SS. ipſumque offerunt nobiſcum Deo Patri: Et per hoc dicitur, quod in miſſa ima ſummis, & terreſtria cum cæleſtibus, & Eccleſia militans cum triumphâte uniuntur ſimul: & hinc in præfatione dicitur: cum quibus, ſcilicet Angelis & noſtras voces, &c. *L. 4. d. 11. p. 1. dub. 3. & 4. & qu. 1. & expoſ. miſſæ c. 4.*

94. *Sacerdos ad exemplum Mariæ videtur, gignere Chriſtum in Bethleem, ipſumque in pannis involvere.*

Hoc facite in meam commemorationem: Scilicet hoc corpus meum conficite, & præſentem in ſacrâ Euchariſtiâ facite verbis meis. Nota autem, quod licet in rigore Sacerdos conficiens Euchariſtiam non poſſit dici pater, vel Mater Chriſti, tamen & aliquali proportione poteſt dici, quod ſicut Maria Virgo generavit, & parturiit Chriſtum in Bethleem, & pannis eum involuit, ſic ſacerdos miniſterialiter verbis conſecrationis Chriſtum producit in Euchariſtiâ, & collocat eum in Bethleem, ſcilicet in Eccleſia, quæ ex hoc fit domus panis; & pannis, ideſt ſpeciebus accidentalibus ipſum involuit; & poſtea in Altari, veluti in præſepio pabulum nobis exponitur. *Ser. 6. & 7. in Nat.*

95. *Explicantur myſteria veſtium ſacerdotalium.*

Hoc facite in meam commemorationem. Notâ, quod Chriſtus ſe Pontificem, & ſacerdotem declaravit in Eccleſiâ, & in his verbis præcepit, ut omnes ſacerdotes in omnibus, quæ in miſſa faciunt, ipſum repreſentent. Unde volens ſacerdos celebrare, primò capiti amictum ponit, quod dicitur humerale, ſcilicet deſcendens uſque ad humeros, & veſtis conſecrata eſt, ſignificatquè, quod Chriſtus, qui eſt caput Eccleſiæ divinitatem in humanitate abſcondit. Secundò Albam induit, ſignificatque Chriſti munditiam quam nobis, & Eccleſiæ in baptiſmi aquâ tribuit. Tertiò cingulo ſe cingit, ſignificatque Chriſti virginitatem & ſuæ SS. Matris quam nobis docuit habere. Quartò manipulum in læva manu ſumit, ſignificatquè Chriſti humiliatem, & ipſius pugnam pro juſtitiâ, veluti galea contra mundum, & diabolum. Quintò poſtea ſtolam collo ſuperponit ante cor, & uſque ad pedes in modum crucis; ſignificatquè obedientiam Chriſti, & voluntariam ſervitutem pro nobis uſque ad crucem, ut & nos eandem pro ipſo aſſumamus: Item & populum Judaicum, qui à dextera ad ſiniſtram tranſiit, & gentilem, qui tranſiit à ſiniſtra ad dexteram. Sextò Caſulam induit, & ſic ad altare procedit; ſignificatquè Caſula, quæ eſt parva Caſa, vel domus Cœlum & terram, quæ Chriſtus ſua majeſtate implet: item & charitatem, quâ diligere debemus in Deo anteriorem partem, ſcilicet amicos, & poſteriorem, ſcilicet inimicos. *Opuſ. expoſit. miſſæ cap. 2.*

96. *Explicantur myſteria miſſæ à principio uſque ad offertorium.*

Notandum eſt, quod in principio miſſæ, Sacerdos licet ſit veluti alter Chriſtus, ſcilicet nuncius, & legatus fidelium, tamen debet ſe ſcire peccatorem; ideo dicit *confiteor, &c.* ſe accuſans

Digitized by Google

ſans de peccatis ſuis invitans ad eandem confeſſionem omnes aſſiſtentes. Significat etiam illa confeſſio ante miſſam, quod Chriſtus pro peccatis noſtris mortuus eſt; & ideo in ultima cœna ſe paravit ad mortem. Secundò ſacerdos poſt confeſſionem accedit ad altare, illudque oſculatur, ſignificans per incarnationem, & paſſionem Chriſti ſalutem, & pacem Judæis, & gentibus ad fidem converſis fuiſſe nunciatam; in dextro autem cornu ſignificantur Judæi, in ſiniſtro gentiles: Inchoatur autem miſſa in dextro, quia Chriſtus ex Judæis natus eſt. Tertiò cantatur introitus bis, ſignificans clamores SS. Patrum deſiderantium adventum Chriſti Dei, & hominis. Quartò novies *Chyrie* cantantur; quia Chriſtus venit inſtaurare ordines novem Angelorum. Chytie eleyſon interpretatur Domine Deus pater miſerere nobis, &c. per quæ invocamus divinam miſericordiam Patris, & filii, & Spiritus ſancti, alias expoſitiones vide. *Op. Comp. Theol. l. 6. c. 18.* Quintò dicitur gloria in excelſis, quod eſt canticum Angelorum gratulantium de Chriſti nativitate, cum quibus & nos convertimus noſtrum gaudium. Sextò ſequitur oratio, ſeu collecta, per quam invitatur, & Sacerdos, & per *Dominus vobiſcum* populum ad ſe recolligendum in oratione. Septimò Epiſtola, ut denotetur, quod ſi exaudiri volumus, debemus ejus monita obſervare, ſignificata in epiſtola, & graduali; & charitatem exercere, ſignificatam in *Alleluia*, per quam ad gloriam mereamur pervenire. Octavò *Evangelium* ſequitur, quòd legitur, & auditur ſtando, ut ſignificetur, quod per Evangelium nobis bonum nuncium miſit Pater: nempe veritatem fidei, & doctrinam neceſſariam ad ſalutem, quam & attente & promptè debemus recipere: poſt quod ſequitur *credo*, quod eſt ſumma eorum, quæ debemus credere. *Op. exp. miſſæ c. 2.*

97. *Explicantur myſteria miſſæ ab offertorio uſque ad Canonem.*

Hæc pars tota dicitur *offertorium*; quia tunc invitatur Populus ad oblationem, ut ſe fidelem, & devotum Deo oſtendat. Primò tamen Sacerdos populum per *Dominus vobiſcum* ſalutat, & ad orandum invitat; qui ordo conveniens eſt poſt prædicationem Evangelii, ſequi in corde laus, in ore fructus, & in opere fides: ad ſiniſtram autem partem legitur *evangelium*, & defecuntur luminaria; quia gentes doctrinam fidei ſuſceperunt, non Judæi paucis demptis. Deinde poſt oblationem hoſtiæ vinum, & aqua ponitur in calice, & offertur, & in medio altaris cum patena ponuntur. Nota autem, quòd *Altare* quadrangulum ſignificat crucem Chriſti quadratam: *Calix* ſepulchrum: *patena* lapidem ſuperpoſitum: *corporale* ſindonem mundam, in qua involutum eſt corpus Domini: *rotunditas hoſtiæ* Trinitatem, & æternitatem Dei: *vinum* autem ſignificat deitatem; *aqua* Populum, ſignificatque unionem corporis myſtici cum Chriſto: & deinde ſacerdos invitat Populum ad orandum, quod & fecit Chriſtus in horto: ubi & ipſe oravit ſecreto ad patrem, quod ſignificatur per orationem ſecretam ſacerdotis. Sequitur poſtea *prefatio*, in qua Eccleſia militans in terris petit admitti ſuas voces cum Angelicis ſpiritibus in hoc tremendo miſſæ myſterio, per quod cœleſtia, & terreſtria unita ſunt ſimul. *Op. Expoſ. miſſæ c. 3.*

98. *De totius miſſæ canonis expoſitione.*

Canon compoſitus fuit à diverſis ſanctis, ſed juſſu Gregorii magni à quodam ſcholaſtico miniſtro Eccleſiæ Romanæ ordinatus fuit, cui plures Sancti Pontifices varias clauſulas addiderunt. Hic legendus eſt diſcretè, ſcilicet non nimis feſtinanter, nec nimis protrahendo; & ſub ſilentio, ſignificans humilitatem, & ſilentium, quo Chriſtus ſtetit coram Præſide, ſicut agnus coram tondente. *Canon* incipit per ſignum Tau, ideſt per Crucem cum qua ut plurimum exprimitur imago Crucifixi, ut intellectus talis litteræ, & aſpectus imaginis, memoriam dominicæ paſſionis inſpiret cordi ſacerdotis. Et hinc ſtatutum eſt ab Eccleſiâ ne ullus ſacerdos celebret in altari, niſi ibi imago crucifixi fuerit expoſita, ut ſacerdos eam intuens, & brachia in ea extenſa cernens, pro populi delictis exorando, brachia ſua ad eum extendere ad modum crucis nullatenus erubeſcat, ſequuntur poſtea varia ſigna crucis, de quibus ſupra, & varia verba valde myſtica, de quibus videatur *in cit. apuſc. S. Doct.* Et hinc fit tranſitus ad conſecrationem corporis, & ſanguinis. Nota autem, quòd *in Communicantes* fit memoria B. Virginis, Apoſtolorum, & Martirum; quia hoc ſacrificium tantum poteſt offerri in unitate Eccleſiæ, & communione Sanctorum, petimuſque, ut per merita ipſorum mereamur exaudiri. Non fit autem commemoratio Confeſſorum, ſed tantum martyrum; quia iſti teſtes peculiares fuerunt effuſione ſui ſanguinis Chriſti paſſionis: & quia *Canon* fuit compoſitus antequam feſta Confeſſorum celebrarentur in Eccleſia: Deinde factâ conſecratione, fit elevatio corporis, & ſanguinis Chriſti, de qua infra agetur. Sequuntur variæ clauſulæ, & ritus, quorum myſteria enodantur *in cit. opuſc.* & hinc fit diviſio hoſtiæ in tres partes; quia Eccleſia conſtat tribus partibus, ſcilicet iis, qui cum Chriſto regnant in Cœlo; iis qui in terra militant; & qui in Purgatorio degunt vel una pars eſt ipſum caput, quod eſt Chriſtus, alia pars Eccleſia triumphans, & tertia Eccleſia militans. Duæ primæ partes ſervantur extra Calicem, quia ſunt extra locum amplius pugnandi: tertia pars in calice ponitur, quia nos in hac vitâ ſumus in loco militiæ, & pugnæ. Vel ſignificant virgines, viduas, & conjugatos: primæ duæ extra calicem ſervantur, quia cœlibatum ſervant: tertia ſcilicet conjugatorum in calice ponitur; quia ipſi ſunt in tribulatione poſiti. Præmittitur autem communioni *oratio dominica*, invocatio miſericordiæ per triplex *Agnus Dei*, & annunciatio pacis, *Pax Domini &c.* & deinde ſequitur communio: quæ omnia continent maxima myſteria, ut patet ex *textu cit.* Et hinc ad finem miſſæ devenit ſacerdos, de quibus vide textum. *Op. expoſ. miſſæ. cap. 4. & Comp. Theol. lib. 6. cap. 18.*

99. *Elevatio corporis, & ſanguinis in miſſa expenditur.*

Nota autem, quod elevatur in miſſa poſt conſecrationem, corpus & Sanguis Chriſti ob graviſſimas, & myſticas rationes. Prima eſt ad gratiam

Digitized

tiam Dei Patris, quam peccatis noſtris perdimus, obtinendam: quaſi dicat Sacerdos: O Pater cæleſtis peccavimus, & te ad iracundiam provocavimus, ſed nunc reſpice in faciem Chriſti filii tui, quem tibi præſentamus, & te ad miſericordiam ab ira provocamus: ne ergo avertas faciem tuam à puero tuo &c. Secunda eſt ad impetrandum, & obtinendum omne bonum nobis in hâc, & futurâ vitâ neceſſarium, ſcilicet pacem cum hominibus & cum Deo, & charitatem: quaſi dicat ſacerdos circumſtantibus, ſi obtinere vultis, quod cupitis, pacem inter vos habete, & charitate mutuâ diligite; quia Chriſtus per mortem nos pacificavit cum Deo, & Angelis, & per charitatem nobis impetravit æterna gaudia. Tertia ad rememorandum jus noſtrum quod nunc habemus in ſpe, & poſtea habebimus in re, quod ſcriptum eſt in Chriſto, q.d. ô Angelici ſpiritus teſtes ſitis quod vita æterna eſt juris noſtri, & ad hoc confirmandum elevamus privilegium noſtrum, ideſt Chriſtum pro nobis paſſum. Quarta ratio eſt ad oſtendendam potentiam Dei q.d. Sacerdos: prius vidiſtis panem in altari, ſed modo videte verum corpus Chriſti: Si ergo Deus tam potenter potuit talem mutationem facere, potens eſt & nos mutare de culpâ ad gratiam, & poſtmodum ad gloriam. Quinta ratio eſt ad oſtendendam ſuam ſapientiam, quæ maximè elucet in abſcondendo ſuam divinitatem, & humanitatem ſub ſpeciebus Sacramentalibus ad noſtrum ſolamen, & utilitatem. Sexta eſt ad oſtendendam ejus largitatem, in exhibendo nobis panem Angelorum; q.d. Sacerdos: O fideles Chriſti gaudete, & aſpicite: hæc enim eſt cæleſtis præbenda Angelorum, quam nobis tranſmiſit largiſſimus rex Cœlorum, ut omni gratiâ, & benedictione repleamini: væquè illi, qui hanc ſumere non curat, & ſe ab eo alienat: væ illi qui videt corpus Chriſti oculis corporeis, ſed per peccata alienus, & longe eſt ab eo. Septima ad oſtendendam bonitatem Chriſti, dum ſe captivum amoris oſtendit in altari: unde ſicut cum dux captivus fit in bello, non dimittitur, niſi ſolvat magnam pecuniam; ſic nec nos hunc captivum dimittamus, niſi remiſſionem peccatorum, gratiam, & gloriam tribuat: q.d. Sacerdos: Ecce quem totus mundus capere non poteſt, captivus noſter eſt vinculis amoris in carcere ſpecierum, ergo eum non dimittamus, niſi quod petimus obtineamus. Octava, elevatur ad lætificandam Eccleſiam per vexillum exercitus: undè omnes, qui ſub vexillo illo militant, gaudium, & fortitudinem accipiant: q. d. Sacerdos: Ecce vexillum noſtrum, quod propter nos in cruce rubricatum, & depictum eſt, ecce Dominus Jeſus in medio noſtri eſt. Nona, elevatur ad imitandum & ſequendum: Unde ut peccatores ut ſequi velint & non deſperent de ſpe veniæ, Chriſtus Dei filius Patri latus præſentat, ut cicatrices vulnerum oſtendat: quaſi dicat Sacerdos peccatoribus: Ecce filius Dei, qui pro nobis extenſus, & elevatus eſt in patibulo crucis, ſequimini eum, ut ſaltem aliquid pro eo patiamini, qui tanta pro nobis paſſus eſt. *Op. expoſ. miſſæ c. 4.*

100. *Euchariſtia effectus compendiosè expendantur.*

Hoc facite in meam commemorationem, &c. Notâ, quod hoc ſacramentum Chriſtus inſtituit ad utilitatem maximam noſtram: nam effectus ex receptione hujus ſacramenti ſunt plurimi, & maximi, ſcil. remiſſio peccatorum, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Chriſti, & corporis ejus miſtici incorporatio, virtutum roboratio, contra diabolum armatio, fidei certitudo, ſpei elevatio, charitatis excitatio, devotionis augmentatio, & Angelorum convivatio: ergò omittens recipere vel celebrare ſine causâ privat ſe omnibus his bonis, inſuper privat ſanctiſſimam Trinitatem laude, & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores ventâ, juſtos ſubſidio, & gratiâ, in purgatorio exiſtentes refrigerio; Eccleſiam Chriſti ſpirituali beneficio, & ſeipſum medicinâ, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. Item non complet ſibi impoſitum tam magnæ dignitatis obſequium, nec exercet officium debitæ ſervitutis Dei. Item contemnit Chriſti præceptum de obſervantia hujus ſacramenti: dicit enim *Ioan. 6. niſi manducaveritis, &c.* Item abjicit à ſe viaticum ſuæ peregrinationis, exponens ſe periculo mortis. Ultimò evacuat quantum eſt in ſe divinum cultum, & latriam Deo debitam, ingratus de beneficiis. *Op. de præpar. ad miſſam c. 5. & Cemil. p. 3. ſic. 30.*

101. *Chriſtus cum Apoſtolis in cœna laudum divinarum ſe exercebat, & ad idipſum invitat.*

Et hymno dicto, exierunt in montem oliveti. Ecce quomodò Chriſtus veluti miſticus, cæleſtiſque Cygnus, funeris ſui cantorem ſe exhibuit; nam poſt communionem ſui corporis, ſimul cum diſcipulis gratias Patri egit cum cantu; docens nos, non ſolùm poſt cibum Euchariſticum debere gratias agere, ſed & inceſſanter in Dei laudibus exercere: laudatio enim Dei eſt digniſſimus affectus animæ, & naſcitur ex conſideratione divinæ bonitatis, & ex admiratione profunditatis ſapientiæ Dei, & ex ſtupore altitudinis divinæ potentiæ, & immenſitate majeſtatis, quæ de ipſo, vel per catholicam fidei doctrinam intelligimus, vel per illuminationem inſpirationis internæ, quam puro mentis intuitu contemplamur. *Op. de Prof. religioſ. l. 2. c. 64.*

102. *Præſumptio quam periculoſa.*

Omnes vos ſcandalum patiemini in nocte iſta, &c. ait autem Petrus; & ſi omnes ſcandaliz. ati, &c. Hæc verba protulit Chriſtus, ut eos animaret ad conſtantiam, & ne poſt lapſum deſperarent: Petrus autem animoſior cæteris, & ferventior proteſtatus eſt, ſe numquam receſſurum à Chriſto: ſed quia hic fuit actus præſumptionis, hinc ei Chriſtus prædixit, & permiſit negationem, ut diſcamus quale ſit figmentum noſtrum, quàm vanæ ſint cogitationes noſtræ, & diffidamus omnino de nobis ponentes totam ſpem in Dei auxilio. *in Luc. c. 22. v. 32. ſeq. in Ioan. c. 13. v. 38.*

103. *Mors potius eligenda, quam Deum offendere.*

Etiam ſi oportuerit me mori, non te negabo. Ecce quale propoſitum debet foveri in corde diſcipulorum, & ſequacium Chriſti, etiam ſi millies morti ſubjici deberent, potius ipſam mortem, & quod

quodcumquè ſupplicium eligere debent quàm Deum offendere, hoc propoſitum habebat tunc Petrus; ſed quia fuit immixtum cum aliquali nimia ſui confidentia ideo Chriſtus permiſit, ut caderet. *Ser. 1. in decol. S. Joan. in addit.*

104. *In montem olivarum juſti ſemper erant exemplo Chriſti, & in horto Getſemani.*

Et hymno dicto, exierunt in montem olivarum: & venit Jeſus cum illis in villam, quæ dicitur Getſemani. addit S. Joan. *ubi erat hortus.* Nota, quòd ad radices montis oliveti erat villa, & hortus, in quem ſolitus erat Chriſtus ſecedere, ut nocte ibi oraret, quod maxime in hac nocte fecit volens ab oratione inchoare ſuam actualem paſſionem. Sed cur in horto, & non in deſerto? & cur in montem olivarum? Reſpondent Doctores, ut medicina reſponderet infirmitati, & remedium inchoaret, ubi peccatum initium dederat: quia in horto, & Paradiſo terreſtri incœpit peccatum Adæ: & in hoc incœpit paſſio mediatoris, & redemptoris, venit autem ad montem oliveti, ut nobis indicaret, quod bona oratio fugere debet publicum, & ſolitudinem quærere; & ibi aſcendere debet, relictis creaturis, ad Deum; & talis locus eſt olivarum, ſcilicet unctionis, ut intelligamus, quod illa eſt bona oratio, quæ connectitur cum actibus pietatis, & operibus miſericordiæ, & quia Chriſtus ex hoc monte aſcenſurus erat ad Cœlum, hinc edocemur, quod numquam ad cœlum aſcendit oratio noſtra, nec nos in Cœlum introducemur, niſi ex monte oliveti, exercendo nos in dilectione, reconciliatione & pietate cum proximo. *In Luc. c. 22. v. 39. In Ioan. coll. 79.*

105. *Quinam juſti ſunt Chriſti familiares.*

Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari, &c. Cur ſolùm iſtos tres Diſcipulos, cæteris relictis, ſecum ducit in locum ſuæ amaritudinis, & paſſionis. Nota, quòd voluit ſocios iſtos tres Diſcipulos in præcipuis myſteriis ab ipſo patratis. Ut in ſuſcitatione puellæ. *Marc. 5. In Transfigurat. Matth. 17.* & in inſtante paſſione: volens indicare, quod familiares Chriſti ſunt Petrus, Jacobus, & Joannes; ſcilicet obſervantes tria vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis. Item illi qui incumbunt ſuſcitationi, & ſalutiproximorũ, æternorum contemplationi, & orationi, & ſe ſociant cum Chriſto in tolerantia adverſitatum, & paſſionum. *Ser. 1. de S. Io. Evan. In Luc. c. 5. v. 10. c. 9. v. 28.*

106. *Chriſti oratio in horto expenditur.*

Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe. Pluries antea legitur Chriſtum oraſſe pro nobis tamen ut advocatus noſter: nunc autem orat pro ſe: ad quod invitatur anima ad admirandam, & compatiendam ſuam profundiſſimam humilitatem. Cum enim ſit Deus Patri ſuo coæternus, & coæqualis, videtur oblitus ſe Deum eſſe, orans ut homo: ſtatque tamquam quilibet homunculus de Populo Patrem orans, conſidera etiam perfectiſſimam obedientiam: quid enim orat? certè orat Patrem, ut hora mortis, ab eo transferatur; ſed tamen non exauditur, quia Pater vult, ut moriatur; ei licet puro, & vero filio non parcens: & hoc totum pro noſtra ſalute. *Op. medit. c. 75.*

107. *Chriſti oratio iterum expenditur.*

Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et aſſumpto Petro, &c. Nota, quod Chriſtus legitur pluries oraſſe, & ſuper talem orationem oritur dubium, an decuerit Chriſtum orare? ratio eſt, quia nemo petit ab alio, quod per ſe poteſt habere. Chriſtus autem omnia poterat, tum quia oratio eſt actus perſonæ inferioris; Chriſtus autem eſt perſona Patri æqualis: tum quia oratio eſt aſcenſus intellectus in Deum; Chriſti autem intellectus erat ſemper ſurſum Deo unitus, & fruens ſemper Deo? Sed Reſpondetur, quod maximè decens fuit Chriſtum orare, maximè in diebus carnis ſuæ. Ratio hujus condecentiæ quadruplex poteſt aſſignari, propter meritum: ſcilicet pro nobis, ut fieremus idonei ad ſuſceptionem beneficiorum Dei: propter exemplum, ut nos invitaret ad ſui imitationem, & ad ſuperandum hoſtes ſcuto orationis: propter veritatis argumentum, ut oſtenderet ſe verum hominem, & verè à Deo miſſum: propter officium, quia Chriſtus habebat dignitatem ſacerdotis, & Pontificis, ad quem ſpectat ſacrificium, & orationem offerre Deo pro peccatis, & peccatoribus. Et licèt Chriſtus eſſet Deus, tamen ut homo Deo petebat exauditionem ad ſupplendam indigentiam non in ſe, ſed in nobis indignis. Et licèt oratio ſit perſonæ actus, tamen eſt actus ſecundùm naturam humanam, quæ eſt inferior Deo: & iterum, licet intellectus Chriſti ſemper Deo eſſet unitus, tamen dicitur Chriſtus in oratione aſcendiſſe in Deum, tum implorando miſericordiam pro nobis, & relevando miſeriam noſtram: tum quia Chriſtus orando ſe revocabat ab actibus vitæ activæ ad contemplationem. Ex quibus patet quàm decens fuerit Chriſtum orare, & petere pro nobis, & mereri nobis ſua oratione, quod ſciebat Deum velle dare, ſed mediante oratione ſua. *L. 3. d. 17. a. 1. q. 1.*

108. *Qualis triſtitia fuerit in Chriſto, & turbatio.*

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, & in Ioan. c. 12. nunc anima mea turbata eſt. Quomodo hoc dicitur de Chriſto? cum dicatur de juſto. *Prov. 12.* quod non contriſtabit juſtum quicquid ei acciderit? nec quis contriſtatur niſi de eo, quod contra voluntatem ſuam evenit? Sed reſpondetur, quod triſtitia eſt triplex: alia quæ eſt præter rationis imperium: alia contra rationis imperium: alia quæ eſt ſubjecta rationis imperio: Idem & de turbatione. Prima venit ex quadam neceſſitate, & ſubreptione, ſicut motus primi, & hæc communis eſt bonis, & malis. Secunda eſt, in qua ratio ſubjicitur ſenſualitati, nec tantùm turbatur, ſed & perturbatur, ſcilicet per deflexionem rationis ab æquitate. Tertia ſecundùm imperium rationis ſuadentis, & dictantis hominem tantum, & taliter ſuper aliquod debite triſtari: prima, & ſecunda non fuit in Chriſto, ſed tantùm tertia. Cum enim ardenter amaret noſtram ſalutem, triſtabatur ex conſequenti de ejus amiſſione, & cum haberet in ſe abundantiſſima viſcera pietatis, ideo compatiebatur afflictionibus, & infirmitatibus noſtris, & hinc triſtabatur de noſtris malis eventuris. Juſtus autem non contriſtatur de accidentibus præter rationis imperium, ſed bene ex ratione dictante, & oppoſitum

Digitized by Google

oppoſitum eſt potius ſignum duritiæ, & crudelitatis, quàm ſapientiæ, *L. 3 d. 15. a. 2. q. 2.*

109. *Et ſi quæras qualis fuerit hæc triſtitia; ſcilicet an cum mitigatione divinæ voluntatis, an ſine ulla mitigatione? & unde tanta triſtitia.*

Reſpondetur, quòd licèt in aliis patientibus mitigetur triſtitia interior, & etiam dolor exterior ex aliqua conſideratione rationis per quandam redundantiam à ſuperioribus viribus ad inferiores: v. g. ex conformitate voluntatis Dei, vel alio motivo. Tamen in Chriſto patiente non fuit; quia unicuique virium permiſit agere, quod eſt ſibi proprium: & quia à divinitate relicta eſt pars ſenſitiva in ſuis puris naturalibus, & impeditus fuit curſus voluptatis ſupernæ, ne in illam emanaret: & hinc dicitur derelictus à Patre, veluti ſi eſſet peccator, & à Patre contemptus: hinc ſumma, & maxima fuit hæc triſtitia; quia aſſumpſit in ſe omnes dolores, & pœnalitates noſtras, motiva autem hujus triſtitiæ fuerunt primò perſpicua omnium peccatorum cognitio, pro quibus voluit Chriſtus in horto exhibere cordis contriti ſacrificium Patri. Secundò, mors, & crudeles cruciatus, qui ante oculos ſuos verſabantur clarè, & perſpicuè. Tertiò Judaici populi ſcelus, & devaſtatio. Quartò Apoſtolorum ſcandalum, & Judæ damnatio. Quintò De paræ Virginis, & amicorum dolores. Sextò hominum ingratitudo erga tantum paſſionis beneficium: hinc voluit animam ſuam ſanctiſſimam ſine ulla conſolatione undique interius, & exterius angi propter noſtrorum anxietatis teſtes ſunt guttæ ſudoris ſanguinei. *Op. med. t. c. 75. & lignum vitæ. Comp. Theol. l. 5. c. 39. l. 3. d. 13. & 16. & 17. a. 2. q. 3. & ſparſim in Ioan. c. 12. v. 27.*

110. *Chriſti dolor, triſtitia, & afflictio expenditur ſecundùm portionem ſuperiorem, & inferiorem.*

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem. Nota ly uſque ad mortem, dans intelligere, quòd illa triſtitia, & dolor erat ſufficiens in ipſo inferre mortem. Hic quæritur an dolores Chriſti fuerint ſecundùm portionem ſolùm inferiorem, an etiam ad ſuperiorem pervenirent? Superior portio rationis eſt, quæ convertitur ad Deum, ſecundùm quã erat glorioſa ab inſtanti conceptionis. Inferior eſt, quæ convertitur ad corpus, & ſecundùm hanc erat paſſibilis anima Chriſti. Cum igitur ex parte ſuperiori nullam cauſam doloris haberet, videtur, quod eſſet tamum ſecundum inferiorem. Attamen oppoſitum eſt dicendum: Cum enim ob peccatum anima ſecundum ſe totam infecta fuerit, ideo decens fuit, ut Chriſtus ipſam curaret ſecundum utramque portionem: Et ratio eſt, quia gaudium fruitionis, & dolor portionis non ſunt affectiones contrariæ, quia non ſunt reſpectu ejuſdem nec omnino eodem modo inſunt eidem, quia gaudium ineſt animæ per ſe, ſcilicet ob conjunctionem gratuitam cum deitate; ſed dolor propter conjunctionem naturalem ipſius cum carne, ideo poſſunt ſimul eſſe. Secundò, quia Chriſtus erat viator, & comprehenſor, nec unum impediebat aliud, ideò poterat ſimul, & ſemel anima converti ad utrumque. Tertiò, quia gaudium erat veluti materiale doloris. Quarto, quia ex hoc ipſo Chriſtus gaudebat in Domino, quo ſentiebat ſe pati, & dolere pro Domino. Et hinc poteſt inferri aliqualiter quanta fuerit afflictio, triſtitia, & dolor Chriſti patientis: nam cor ipſius erat veluti mare, in quo redundabant fluxus, & refluxus dolorum, & pœnarum inter partem ſuperiorem, & inferiorem: & utraque ordinata erat ad torquendum Chriſtum in corpore, & in anima. Imo ſecundùm ſenſum multorum Theologorum tempore paſſionis Deus cohibuit influxum beatitudinis in partem ſuperiorem, ex quo cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe: unde dolor paſſionis, & carnis attingebat animam ſecundùm partem ſenſibilem: & hinc ad ſuperiorem perveniebat, ut torqueretur. Dolor inde compaſſionis inſurgebat primò in ratione; & inde redundabat in ſenſualitatem. Dolor in parte ſenſibili excitabatur, & augebatur ex ſeparatione ab omni gaudio ex irruptione dolorum, pœnarum, tormentorum, crucifixionis, & mortis. Dolor in parte ſuperiori excitabatur, & augebatur ex qualitate malignitatis peccati, ex inhonoratione Dei, ex ſeparatione noſtra à Deo, ex ingratitudine hominum, ex damnatione tot hominum, ex dolore matris virginis. O qualis charitas, & amor Dei noſtri Jeſu. O quàm verè dicebat. O vos omnes, qui tranſitis per viam, &c. *L. 3. d. 16. a. 3. q. 1. & 2. & 3. Pſal. 68. & 101. In Ioan. c. 11. v. 38.*

111. *Qualis conformitas voluntatum eſſet in Chriſto.*

Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo, &c. Hic ſupponendum eſt tamquam de fide in Chriſto eſſe voluntatem divinam, & humanam: eſt enim Deus, & homo verus: ſed quia voluntas Chriſti poteſt conſiderari ſecundùm naturam, ſic eſt voluntas divina, & humana, ut dictum eſt: poteſt & conſiderari ſecundùm potentiam, ſecundùm quam vult, vel ſecundum modum volendi: & hoc ſecundo modo ſecundum potentiam poteſt dividi voluntas humana in voluntatem ſequentem cognitionem ſenſitivam, & ſecundum ſequentem intellectivam, ſcilicet in voluntatem ſenſualitatis, & rationis. Tertio modo ſecundum modum volendi in quatuor membra dividi habet; ſcilicet in voluntatem divinitatis per juſtitiam dictantis ſententiam mortis; in voluntatem rationis dictantis obedientiam, in voluntatem pietatis dictantis compaſſionem, & ſuſpirantis in malo alieno: & in voluntatem carnis per paſſionem in malo proprio murmurantis. Sed quomodo fuerit conformitas harum voluntatum, cum videantur repugnantes? Reſpondetur quod conformitas voluntatis ad voluntatem in duobus conſiſtit, ideſt in volito objecto, & ratione volendi: In volito quando plures voluntates unum, & idem volunt: in ratione volendi, quando idem volunt eodem modo; vel altera earum vult illud eodem modo, quo ſuperior vult eam velle. Perfecta autem conformitas eſſentialiter ſtat in modo volendi etiam ſine conformitate in volito, dummodo inferior velit eodem modo, quo vult ſuperior. Et hinc patet conformitas in Chriſto harum voluntatum, licet non in volito convenirent, ſed unaquæque quod ſuum erat, volebat; quia id præcipiebat divina

voluntas : ideo Chriſtus ſecundùm divinam voluntatem, quod juſtum erat volebat, ſecundùm voluntatem rationis juſtitiæ conſenſit, & juſtitiam approbavit : ſecundùm voluntatem pietatis ſine odio, intimè condoluit miſeriæ, ſecundùm voluntatem carnis juſtitiam non accuſabat, ſed pœnam recuſabat : & ſic prima voluntas volebat juſtitiam ; ſecunda obedientiam : tertia miſericordiam : quarta naturam ; nec una alteri erat contraria, quia ſubjiciebantur divinæ voluntati : & iſti omnes actus erant in Chriſto, & ad torquendum Chriſtum conducebant. *L.3.d.17. a.1. per totum, ep. Breuil.p.4. t.8. & Comp. Theol. l.4.c.17.*

112. *De oratione Chriſti, an fuerit exaudita.*

Donec vadam illuc, & orem, &c. tranſeat à me, &c. non ſicut ego volo, ſed &c. Quæritur hic, an Chriſti oratio fuerit exaudita ; & ſi non ? Cur talem orationem fecit, quam præſciebat non exaudiendam ? Sed conformiter ad ſupra tradita reſpondetur, quod oratio, quæ procedebat à voluntate rationis, ſemper fuit exaudita, quia erat perfectè uniformis divinæ voluntati ; & quia petebat dignè, & ſanctè, & ideo merebat exaudiri. Oratio procedens à voluntate pietatis, & carnis, non ſemper fuit exaudita per omnia, quia in hac non conformabatur divinæ voluntati in volito: Sed cur fudit Chriſtus talem orationem non exaudiendam ? Reſpondetur, quod talis oratio imperabatur à divina voluntate potius ut nos erudiret, quàm ut Deum ad ſuam petitionem inclinaret : ſic enim manifeſtavit Chriſtus veritatem naturæ aſſumptæ, quæ naturaliter refutabat paſſionem : & in hoc erudivit noſtram fidem ; tum ad confirmandam noſtram imbecillitatem, ut non diffidamus, ſi paſſionum pericula exhorremus ; & in hoc erexit noſtram ſpem : tum ut oſtenderet noſtram voluntatem ſubjiciendam eſſe per omnia divinæ voluntati, quod oſtendit in conditione appoſita, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu : & in hoc ordinavit charitatem in nobis, quæ affectum noſtrum divinæ voluntati per omnia conatur ſubjicere : unde magis oravit in illa oratione pro nobis, quam pro ſe, & ideo in hac petitione ſervavit formam prudentis, & fidelis advocati, qui deſiderium ſenſualitatis proponit, ſervata tamen forma juris, quod dictat omnem appetitum ſubjiciendum eſſe Deo. *L. 3. d.17. a.2. q.2. & 3. & in Luc.c.22.v.42.*

113. *Chriſtus omnia ſua ad noſtram ſalutem ordinavit.*

Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte. Mirum eſt quomodo Chriſtus orat tam efficaci intenſione ad patrem, & tamen non exauditur ? cur hoc quale demeritum potuit reperiri in tali oratione ? nullum demeritum quidem, imo grande meritum ; nam totum fuit ad oſtendendam maximam dilectionem, & charitatem ſuam in nos. Pluries legitur Chriſtum oraſſe in vita ſua, ſed tantum pro nobis, ideo petiit voluntate abſoluta, & ſine conditione : volo, *Ioan. 17.* ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum : nunc autem orat pro ſe, ſed voluntate conditionata, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu : & hoc eſt argumentum magni amoris in nos, qui ad ſeipſum nihil appetens, omnia ad noſtrum bonum refert. *Ser 2. in Epiph. Pſal.108.*

114. *Chriſtus, ut peſſimis effectibus inobedientiæ Adæ mederetur, in horto Getſemani paſſionem ſuam ab obedientia inchoavit.*

Triſtis eſt anima uſque, &c. Pater ſi poſſibile eſt, &c. non ſicut ego volo, ſed &c. Vide quomodo Chriſtus in mundum veniens obedientiam docuit, & exercuit, in mundo permanens & à mundo tranſire volens & ideo hanc præcipue in hoc horto voluit exercere : non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, &c. & meritò : nam cum Paradiſus terreſtris hortus fuerit inobedientiæ, quam veluti arborem mortiferam ibi plantavit diabolus ; Chriſtus è contra in horto Getſemani, volens intrare in mare paſſionis, quam virtutem exercuerat per totum tempus vitæ ſuæ, nunc præcipuo animi ardore, & propoſito exhibet, & Patri ſuo ſuam obedientiam offert, ut perfectiùs curaret mala, quæ in mundo ex inobedientiæ peſſima radice diſſeminata, erant. *Op. Diæt. 4. ſap. 2. & de profic. religioſ. 2. cap. 39.*

115. *Calicem paſſionis quàm promptè Chriſtus acceptavit, & bibit.*

Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix, &c. verum tamen non ſicut, &c. Quis iſte calix, niſi calix paſſionis ſuæ. Sed cur calix appellatur, dum ex calice bibitur vinum confortans, & corroborans ? Benè appellatur calix ejus paſſio : in calice bibitur vinum in menſura, & Chriſtus bibit hunc calicem in menſura, ſcilicet ſecundùm regulam ſuæ voluntatis, quia paſſio ejus fuit voluntaria. Dicitur autem calix, quia lætitiam, & ſalutem per ipſam nobis propinavit, ait Theophil. calicem, ait Chriſtus, ut oſtenderet, quòd amor ipſi levem reddidit hanc paſſionem, faciens eam acceptare cum promptitudine. *In Luc. c.22. v.42. & c.12. v.51.*

116. *Chriſti major dolor fuit præviſio damnationis Iudæorum, & ingratorum, & ſcandalum ſuorum.*

Tranſeat à me calix iſte. Ergone recuſas nunc, ô bonè Ieſu, bibere hunc calicem, propter quem è cœlis in terram deſcendiſti ? Sed attende, quod hoc non dicebat timore mortis, ſed ob peccatum : & ſcelus Iudæorum, quo conſummanda erat iſta paſſio ; & hoc erat, quod torquebat ipſius cor, non mors, ſed peccatum, non pœna ſua, ſed damnatio malorum, non ignominia crucis, ſed ſcandalum ſuorum, unde dicebat : tranſfer calicem à me ideſt à meis. *In Luc.c.22.v.43.*

117. *Chriſtus orat Patrem, ut calix ſua paſſionis eodem modo per amorem tranſeat ad ſuos Diſcipulos.*

Tranſeat à me calix iſte. Quis calix iſte ? mors. Imo, quæ nondum acceſſerat ? cur quod tranſiret patereturr ? Iſte, inquit ; illic ergo calix erat, quem à ſe flagitat Chriſtus à ſe pertranſire. Vide

parum

parum antea, quid egiſſet: accepit calicem, ſtatimque protulit. Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: bibit ipſe, bibendumque convivis porrexit: ergo calix hic nondum decoctus, in ſinu fluebat: ſi forſan calix iſte eſt, quem pertranſiſſe depoſcit, exireque per ſubtiles corporis meatus, utpote quaſi geminato per eum ſanguine amor haberet, quid in ſingulari agone profunderet: ſcilicet hic per manus amoris, & poſtea per manus crudelitatis Judæorum in paſſione excutiendus, & non minueretur. Nunc autem flagitat, ut calix iſte, qui amoris erat, & ex amore ebiberat: ſic ad diſcipulos tranſeat, ut in eis pignus perſeveret amoris, nulluſque mortis metus irrepat; ſed in ipſis mortis imaginibus vita feliciori perennent: *Unde S. Hilar à S. Doct. cit. l.3.d.17.* Tranſeat calix à me: ideſt quomodò à me bibitur ſine ſpei diffidentiâ, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis, nunc prò membris, & petit, ut calix transferatur; ideſt ſcandalum paſſionis, & metus mortis, & ab ipſis bibatur ex amore, & ardore charitatis: & hinc eſt, quod hæc oratio Chriſti quoad formam externam erat pro ſe, quoad intenſionem erat pro ſuis, & pro nobis, ut in certamine paſſionum non pulſemur à morte, ſed ab amore, & pro ipſius amore omnes pœnas ſubeamus libenter. *In Luc. cap.22. v.41.l.3.d.17.dub.4.n.2.qu.1.*

118. *Conformitas cum voluntate divinâ ſuadetur exemplo Chriſti.*

Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Ecce quomodò Chriſtus licet voluntate pietatis, & carnis refugiebat paſſionem, tamen voluntate rationis in omnibus, & per omnia conformis erat voluntati Patris. Per hoc que edocemur, quod ea quæ vult Deus voluntate abſolutâ, nemo, & nos abſolute velle, licèt aliqua oppoſita poſſimus velle voluntate pietatis: v.g. mala, quæ infligit: ſic infirmus debet velle abſolute infirmitatem à Deo immiſſam; poteſt tamen etiam eum merito velle oppoſitum, ſcilicet ſanitatem voluntate pietatis, & carnis; & ob id ipſam curare medicinis. Talis autem conformitas affert animæ gaudium ſpirituale, pacem internam, & veluti participationem beatitudinis. *L. 1. d.48. n.2.qu.2.ep.Diat.tit.7.c.6.& tit.8.c.1.*

119. *Idem confirmatur exemplo Chriſti, & B. Virginis.*

Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu, &c. Quæritur, an cum Chriſtus vellet voluntate pietatis, & carnis evitare paſſionem, & voluntate rationis vellet eam abſolutè, an omnibus his modis mereretur; ſic & Beatiſſima Virgo in paſſione filii? Reſpondetur, quod perfecta conformitas eſſentialiter ſtat in ratione volendi; ſcilicet etiam ſi voluntas vellet oppoſita: nempe voluntas rationis velit paſſionem; & pietatis ipſam refugere, dummodo tamen voluntas inferior ſubjiciatur voluntati ſuperiori in ratione volendi: ſcilicet quia voluntas ſuperior vult, ut voluntas pietatis exerceat ſuos actus: tunc enim eſt perfecta conformitas, ideo meritoria in omnibus actibus. Hinc patet, quod Chriſtus in omnibus ſuis actibus merebatur pro nobis: & Beatiſſima Virgo cum aſſiſteret paſſioni filii, ſibi voluntate pietatis compatiebatur, & abhorrebat talem paſſionem, voluntate autem abſolutâ virili animo volebat paſſionem filii abſolutè: & ob id cum merito immenſo in omnibus his actibus. *L.1.d.48.qu.ult.*

120. *Orationis conditiones à Chriſto practicè nobis tradantur.*

Sedete hic, &c. & orem, &c. Evangeliſtæ per ſeptem conditiones, quas Chriſtus in oratione iſta adhibuit, nobis inſinuant modum orandi. Receſſit enim primò in montem olivarum, ſcilicet in locum ſecretum; ut nos doceret, quod oratio perfecta exigit receſſum à tumultu, & converſatione hominum. Secundò advertit Diſcipulos: orate, ne intretis in tentationem, docens nos debere eſſe ſollicitos in oratione, maximè tempore neceſſitatis. Tertiò poſitis genibus, &c. docens orationem comitandam eſſe cum devotione, ſcilicet humilitate, & reverentiâ. Quartò dicens: Pater ſi vis, transfer calicem iſtum à me verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat; docet diſcretionem eſſe adhibendam in oratione, ſubjiciendo nos ipſos Dei voluntati abſolutæ. Quintò Apparuit Angelus, confortans eum, docens vigorem adhibendum eſſe in oratione, nec ceſſandum ab oratione in pugnâ inter carnem, & ſanguinem, imo fortius orandum. Sextò factus eſt ſudor ejus, &c. docens anxietatem orationis exercendam, ſcilicet faciendam eſſe cum clamoribus cordis, cum ſuſpiriis, & anxiis deſideriis: Septimò, cum ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad Diſcipulos ſuos, invenit eos dormientes: docet circumſpectionem adhibendam in oratione; ſcilicet ſic exerceri in oratione, ut proprii muneris, & neceſſitatis aliorum non obliviſcatur. *In Luc.c.22.n.39.ſeq.*

121. *Conditiones orationis ſpecialius expenduntur & exemplo Chriſti.*

Primò poſitis genibus Jeſus oravit: ſupplici ſitu cum corpore: poſitio enim ſitus corporis varia debet eſſe ſecundùm varios affectus orantis. Secundò procidit in terram, ſcilicet proſtratione & reverentiâ coram divinâ majeſtate. Tertiò, in faciem ſuam, ideſt humilitate, & humiliatione. Quartò orabat ut ſi fieri poſſet, &c. nempe oblatione ſui, & reſignatione in Deum. Quintò Abba Pater; nempe affectu filiali ad Deum patrem. Sextò omnia tibi poſſibilia ſunt: nempe fiduciâ ingenti in Dei potentiam. Septimò, non quod ego volo, ſed quod tu; ſcilicet conformitate ad divinam voluntatem. Octavò, oravit tertiò, ideſt cum perſeverantiâ. *In Luc.c.22.v.39.ſeq. in Ioan. cap.17.v.3.*

122. *Apoſtolorum dormitio expenditur litteraliter, & moraliter.*

Et venit ad diſcipulos ſuos, & invenit eos dormientes, &c. Nota, quod ſomnolentia diſcipulorum non erat ex crapula, ſed ex mœſtitiâ; & ideo reprehenduntur à Chriſto, quia deſeruerant orationem, & ideo oppreſſi recanſerant à nimiâ mœſtitiâ, torpor enim, & mœſtitia per orationem fugatur. *in Luc.c.22.v.46.*

123. *Pralatus*

125. *Prælatus habeat circumſpectionem ſuorum,& proprii muneris*, & ideo ab oratione aliquando debet ceſſare,& ſurgere, ut ad executionem ſui muneris;& ad regimen ſuorum redeat: hæc enim eſt etiam oratio Deo chara. Sic enim facit bonus prælatus; ſit piiſſimus, & vigilantiſſimus, & ad ſubditos,& ad Deum: diſcedat ab oratione ad regimen ſubditorum, & poſtea ad orationem denuo redeat. *In Luc.c.22.v.46. Op. de ſex Alis Seraph.c.7.& 8.*

124. *Dormitatio, & ſomnolentia excutiatur à ſervis Dei in oratione.*

Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum, &c. Vide 1, quòd Chriſtus reprehendit diſcipulos dormientes.dum deberent orare ferventer:ut diſcant ſervi Dei cavendam eſſe ſomnolentiam, torporem, & dormitationem in oratione; hæc enim excitatur maximè à diabolo tempore orationis. *In Luc.ibid. Op.Centil.p.1.ſec.21.*

125. *Homines mundani pro mundo tota die laborant; & pro Chriſto brevi hora recuſant aſſumere vel levem laborem: ferventiſſimi in terrenis, frigidiſſimi in cæleſtibus.*

Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum? Iſta Chriſti reprehenſio maximam vim habet in illo verbo una hora, ſcilicet brevi.: hæcque dirigitur ad omnes, maximè ad mundanos. Vos non potuiſtis cum Chriſto vigilare una hora; & tamen cum ludo,cum furto,cum mundo,cum carne, cum dæmone vigilare poteſtis multis horis.| Vos tota mente laboratis, ſed fruſtra confiſi in veſtra potentia; dediti voluptatibus: & tamen cum Chriſto præcando, peccata expiando in confeſſione, concionem audiendo, lectioni ſacrorum librorum, aliiſque conſimilibus operibus vacando, non poteſtis, imo nec vultis una hora vigilare. Vos ô Diſcipuli; qui tota nocte laborabatis in mari, noctes inſomnes continuas duxiſtis,ſemper dediti operibus onerоſis pro lucro temporali; & nunc fatigati eſtis in vigiliâ cum Chriſto;unius brevis horæ: noctem hanc totam inſomnem ducunt cum Juda principes ſacerdotum contra Chriſtum; & vos non poteſtis vigilare cum ipſo una hora. O maxima fatuitas hominum, qui quod peius eſt eligunt, & quod bonum eſt reſpuunt. Hæc ad ſenſum. *S. Bon.in Luc.cap.5.v.5. & cap.14,v.18 & ſerm.3.Dom. inf.oct. Aſcenſ. & S.Hieron.*

126. *Quam ſtulti qui recuſant vigilare,& ſtare cum Chriſto.*

Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum? Tota vis hujus correctionis eſt in illo verbo(una hora) ut dictum eſt,& in alio vigilare mecum, quid eſt vigilare cum Chriſto? vigilat cum Chriſto, qui ad ejus ſocietatem adſpirat, qui propter Chriſtum vigilat,orat,& ignominiis afficitur, pugnat contra diabolum; & carnem. O feliciſſimus homo,qui ad ſocietatem Chriſti anhelat: qui attendens ad id, quod toties inculcat: cum ipſo ſum in tribulatione. *Pſal.90.* Ecce ego vobiſcum ſum, ſcilicet in natura in Euchariſtia,in gratia,in pugna,in paſſionibus,in vigiliis, in tribulationibus, in gloria, etiam omnia bona cum tali ſocietate poſſidet.Stultus è contra, qui talem ſocium derelinquit,qui cum diabolo fœdus init,& cum Mundo,& carne:quia in omnia mala præcipitat. *Ser.4. in Vigil.Nativ.Ser.3.Dom.3.poſt oct.P.ſch.In Ioan. coll.51.& 78.*

127. *Vigilandum ſimul & orandum.*

Vigilate,& orate,ne intretis in tentationem. Ideſt ne ſuperemini à tentatione. Nota autem vim horum duorum verborum, quibus Chriſtus ſimul jungit vigilantiam.& orationem; quia hæc duo ſunt neceſſaria omnibus volentibus ſequi Chriſtum,vigilare enim oportet contra hoſtem extrinſecum,ſcilicet diabolum, qui numquam dormit, ſed ſemper circuit, quem devoret 1. *Pet.* 5. Item contra domeſticum hoſtem,ideſt carnem,nam vigilia honeſtatis tabefacit carnes *Eccli.c.*31. Item ad perfectionem virtutis; ſcilicet vigilandum eſt in patientia,in tribulationibus, in anguſtiis, &c. Item per deſiderium contemplationis: & quia nec poſſumus vincere hoſtes, nec in bono proficere,nec conſolationes ſupernas habere,niſi per donum gratiæ divinæ, ideo ad ipſum obtinendum oportet orare, & pulſare ad Dei miſericordiæ fores.*In Luc.c.21.v.36.*

128. *Vigilandum cum Chriſto, ne ipſe nobis obdormiat.*

Vigilate,& orate ne intretis in tentationem. Invenit Chriſtus diſcipulos dormientes, & eos excitavit, necnon admonuit ut vigilarent, & orarent. Sed ad quid hæc vigilantia? ut ſcilicet ipſi vigilarent cum Chriſto; & ne Chriſtum dormientem redderent: tunc dicitur dormire, cum Chriſti amor,& memoria tepeſcit in nobis, vigilare igitur mecum,ait Chriſtus, & orate, ne tentatio vos ſuperet, vigilia autem hæc præcipuè conſiſtit in oratione, & contemplatione.quæ reddit Chriſtum vigilantem, & ſollicitum ſuper nos. *In Luc.c.8.v.15.& c.9.v.32.*

129. *Orationis neceſſitas, & utilitas multiplex expenditur; maximè in tempore tribulationis.*

Vigilate,& orate,ne intretis in tentationem. Nota hunc textum,vigilate, & orate:quæ duo nobis à Chriſto merito præcipiuntur; quia vigilantia oculos mentis aperit, oratio alas animæ præbet: ut tentationem fugiamus vigilandum, ut laqueos videamus & evadamus orandum; ut ſcilicet orationis alis in cœlum ſublevati, illos effugere poſſimus. Vult igitur, ut oratio ſemper ſit vel in ore per poſtulationem, vel in corde per deſiderium, vel in opere per præparationem: nam oratio impetrat relaxationem divinæ ſententiæ, remiſſionem culpæ perpetratæ, repulſionem ſpiritualis pugnæ hoſtium; ideo addit: ne intretis in tentationem: quia frequens oratio impugnationem hoſtium, & vitiorum extinguit, ſimulque per conſequens impetrat gratiam, tranquillitatem in tribulationibus, & tandem gloriam, hoc maximè obſervandum in tempore tentationum: & hinc Chriſtus antecedenter, & primò ſta verba oravit ad Patrem, ut diſcipulos. & alios invitaret ad orationis ſtudium ſuo exemplo; in cujus exercitio

Digitized by Google

exercitio maximè ſuperatur adverſarius. *In Luc. c.18.v.1.c.11.v.1 ſer.3.Dom.20.Pent. op.de perfect. vita c.5.l.3.d.17.a.2.q.1.corp.*

130. *Vigilia, oratio, mortificatio morum, quo caro infirma defenditur ab hoſtibus.*

Vigilate & orate, &c. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Hæc eſt ratio, quare vult Chriſtus nos vigilantes, & orantes, ne ſuperemur à tentationibus; quia Spiritus promptus eſt, & caro infirma: per quæ verba dat intelligere, quod in juſtis licet promptus ſit Spiritus, caro tamen infirma: vel ſicut aliqui docent: ſpiritus, ſcilicet diabolus ſemper promptus eſt & circuit, quem devoret, & cum caro ſit infirma, ideo indiget muniri, & circumvallari muro vigiliarum, orationum, & mortificationum & qui hæc non apprehendit, exponitur infeſtationi & crudelitati dæmonum. *Op. Diat. tit. 5. c. 6.*

131. *Trina Chriſti oratio, & trina viſitatio Diſcipulorum expenditur litteraliter, & myſticè.*

Et venit iterum, & invenit eos dormientes, &c. & relictis illis iterum abiit, & oravit tertio eundem ſermonem, &c. Cur ter viſitat ſuos diſcipulos & ter orat Chriſtus? cur continuam orationem non fudit? Sed totum factum eſt cum maximo myſterio. In trina viſitatione formam dedit prælatis, ut ſupra dictum eſt, quod quidem debent frequentare orationem; ſed tamen non debent relinquere per hoc gregem ſuum, ſed ipſum viſitare, excitare, & admonere. Ter autem oravit Chriſtus, ut doceat, quod oratio noſtra debet eſſe ad Deum trinum, & contra triplex genus tentationum; ſcilicet concupiſcentiam carnis, oculorum, & ſuperbiam vitæ. Item ſecundùm triplicem actum trium potentiarum iraſcibilis, concupiſcibilis, & rationalis. Item ſecundùm triplex exercitium trium virtutum theologicarum, ſcilicet fidei, ſpei, & charitatis: & ad triplex bonum aſſequendum, ideſt veniam, gratiam, & gloriam: vel bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam. *In Luc. c.22.v.46.*

132. *Chriſtus agoniam in horto ordinavit ad noſtram ſalutem.*

Oravit tertio eundem ſermonem. Addit S. Lucas, *& factus in agonia prolixius orabat.* O dulciſſime Jeſu, unde animæ tuæ tam vehemens anxietas, & anxia ſupplicatio? nonne voluntarium omnino ſacrificium Patri obtuliſti? Verum eſt; ſed hoc factum eſt, ut veram in ipſo videntes noſtræ mortalitatis naturam formemur ad fidem: & in tribulationum perpeſſione conſimili erigeremur ad ſpem, & majores erga ipſum ſtimulos amoris haberemus: & naturalem carnis infirmitatem hujuſmodi expreſſit evidentibus ſignis, ut doceremur, quod verè dolores noſtros protulit, & non abſque doloris ſenſu deguſtavit amaritudines paſſionum. *Opuſcul. lignum vitæ tract. Jeſu erans, &c.*

133. *Diſpoſitio ſitus corporis in oratione variari debet ſecundum diverſas opportunitates.*

Procidit in faciem ſuam, &c. Cur facie ad terram inclinata Chriſtus orat, & non potius facie ad cœlum elevata? Nota hic, quod inter induſtrias exercendas ab orantibus, diſpoſitio corporis etiam attendenda eſt: quæ varianda eſt ſecundum diverſitatem orationis, & affectuum, nempè aliquando facie ad terram inclinata, aliquando ſedendo, aliquando corpore ad cœlum erecto: in contemplatione erigi debet corpus ad Cœlum: in petenda venia peccatorum facie ad terram, ut hic Chriſtus, qui oneratus peccatis mundi, petebat à Patre veniam. *Op. myſtic. Theol. c.3.p.3.*

134. *Chriſtus cur excitat ſuos bis à ſomno; tertia vice dixit illis: dormite jam, &c. ubi de cura etiam corporali, quam habebat ad ſuos.*

Dormite jam & requieſcite. Nota, quòd Chriſtus ter invenit ſuos dormientes: prima vice eos redarguit: ſecunda vice diſſimulavit; & tertiâ eos dormire finit: Cur hoc? & maximè in tertia vice, in qua magis proxima erat tribulatio? Reſpondetur, quod dormitio, & requies corporalis quandoque ſit ex carnalitate, & laſcivia; & tunc reprehenditur: quandoque ex gravitate corporis, & pigritia tolerabili, & tunc diſſimulatur: quandoque ex neceſſitate, & indigentia, & hæc conceditur. Hoc attendant Prælati religionum. Hic autem patefit vigilantia boni paſtoris ſuper ſuos: nimius item amor, dum ipſe poſitus in tanta agonia, ſuorum procurat quietem: & abſque eo, quod ad ſuam neceſſitatem attenderet, totus eſt in quiete, & tranquillitate ſuorum. *Op. medit. c.75. ſerm.2. in Sab. Sancto.* Refert autem Clemens romanus, quod in itineribus, quando Chriſtus perveniebat ad aliquem locum cum ſuis totus fatigatus, ſinebat eos dormire, & ipſe vigilabat ſuper ſuos, aptans membra, & veſtes eorum ut quietius dormirent. O grandis amor veri patris. *Ser.5.de Apoſtol.*

135. *S. Michaëlis apparitio, & confortatio Chriſto facta expenditur ad litteram, & moraliter.*

Et relictis illis, iterum abiit, & oravit tertio. S. Lucas hic addit. *Apparuit illi Angelus de Cœlo confortans eum.* Ex quo patet, quod unus Evangeliſta ſupplet, quod ab alio non notatur. Iſte autem Angelus fuit S. Michaël præpoſitus Paradiſi. Qualis autem fuerit hæc confortatio, dubium eſt apud Theologos? communiùs eſt, quod cum Chriſtus reliquerit omnes ſuas potentias corpus, & animam, & affectus, & defectus aſſumptos in ſuo eſſe, & exercere proprios actus; ſibique propter nos denegaſſe omnem confortationem; à Patre miſſus eſt Archangelus Michaël ad ipſius partem inferiorem confortandam, & hoc ad exercitium majoris humilitatis, & ad oſtendendam veritatem aſſumptæ naturæ noſtræ: & ut nobis indicaret propriùm miniſterium Angelorum eſſe aſſiſtere hominibus, maximè poſitis in tribulationibus

& præcipuè tempore mortis: & hoc maximè verificatur in juſtis, & pro Chriſto patientibus, quibus à Deo mittuntur Angeli in auxilium. *Op. medit. c. 75. ſer. de S. Mich. ſer. de Ang. ſerm. 4. Dom. 4. quadr. ſer. 4. in Aſtenſ. & l. 4. d. 20. p. 1. q. 5.*

136. *Sudor ſanguineus Chriſti expenditur ad litteram, & myſticè moraliterque.*

Et factus eſt ſudor ejus, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Quæritur hic quis ſudor iſte? & an verè fuerit ſanguinis, an aliorum humorum? Reſpondetur: ly, ſicut, ſecundùm ſtilum S. Scripturæ non ſignificare ſimilitudinem, ſed veritatem; ut etiam dicitur. *Ioan. c. 1.* vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre, &c. & ideo dicitur: ſicut guttæ ſanguinis: Græce legitur: thromli; ideſt grumi, & globi ſanguinis: ideſt groſſiſſimæ guttæ ſanguinis, ſimul etiam cum aliis humoribus; & hoc fuit propter agoniam, animique ingentem angorem, quem ſponte pro peccatis noſtris ſuſcepit: Unde ſicut voluit Chriſtus; ut corpus externa paſſione torqueretur, ſic etiam voluit, ut animus paſſione interna acriori, & graviori, & intenſiori torqueretur. Cor enim ejus contremiſcebat, ejuſque oſſa pari modo, & cor ejus ſimile erat cereæ, quæ in ventrem ejus liquore diffluebat, ita quod totum corpus ſanguine madefactum erat, & ſimiliter terra in qua procumbebat: voluit autem hoc Chriſtus, ut patet (ait S Bernard.) quod non ſolis oculis, ſed omnibus membris fleret peccata noſtra, ut nos invitaret ad deflendum pro noſtris peccatis, & ad effuſionem ſanguinis pro ipſo: & ut oſtenderet, quod pro tota Eccleſia ſic deflebat, & pro illa ſanguinem effundere cupiebat; ut iſte ſanguis ad Patrem clamaret, & invocaret veniam, & remiſſionem peccatorum noſtrorum. *In Luc. c. 22. v. 44. op. medit. c. 75. & lignum vitæ, & communiter alii SS. Patres. l. 3. d. 16. a. 2. q. 3.*

137. *Chriſti auxilio, & ſocietate eundum eſt obviam tentationibus repellendis, & declinandis.*

Surgite, eamus: ecce appropinquat, qui me tradet. Poſt tertiam orationem, & ſudorem ſanguineum, excitavit diſcipulos à ſomno, eoſque monuit advenire horam incipiendi ſuam paſſionem, imminentemque eſſe ſuam capturam, dixit ergo eis ſurgite eamus: quæ verba inceſſanter ſuis diſcipulis intonat: cum enim militia ſit vita noſtra, & ſemper pugnandum ſit, ideo dicit: ſurgite eamus; ut pateat, quod ipſe eſt cum pugnantibus in tribulatione, & cum ejus adjutorio ſtandum, non jacendum, & eundum obviam ipſis tentationibus, & hoc vel repellendo, vel declinando, & per hoc dat intelligere, quod ſervi Dei ſe exercere debent in aliquibus tentationibus, eas ſuperando, ut inæ, vanæ gloriæ, invidiæ, & ſimilium, in aliis autem, ſcilicet carnalibus fugiendo, & occaſiones vitando; & ad omnes iſtas vincendas ſurgendum; ſcilicet orationi incumbendum & auxilium ſuper næ virtutis implorandum: & præcipuè totam fiduciam in Chriſto collocandam; quia licèt fortis ſit diabolus, cum quo certat homo, fortiſſimus tamen eſt Chriſtus, qui adjuvat, dicens: cum ipſo ſum in tribulatione. *Sermon. 6. de Aſſ. Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 5. & 6. & regul. Novit. cap. 10.*

138. *Dux mundanorum contra Chriſtum Iudas, cujus multi ſunt imitatores.*

Adhuc eo loquente; ecce Iudas, &c. & cum eo turba multa cum gladiis, & fuſtibus miſſi à principibus ſacerdotum. &c. addit S. Luc. *ipſe antecedebat, &c.* Ecce qualis Dux mundi, & mundanorum, ſcilicet Iudas; qui eos, qui miſſi fuerant ad capiendum Chriſtum, antecedebat; cujus tot Chriſtiani ſunt imitatores, qui in facie ungunt, à tergo pungunt, ore ſimulant amorem, corde tenent rancorem cum proximo. Iudas autem antecedebat habentes Laternas cum facibus, & armis, per quæ ſignificatur impugnatio facta ab imitatoribus Iudæ contra Chriſtum, & Eccleſiam: per Laternas, quæ dicuntur à latendo, ſignificantur hypocritæ, qui aſtutia, & ſimulatione decipiunt bonos: per faces ardentes furor malorum, & per arma ſignificatur potentia ſæcularis armata contra Eccleſiam. *Ser. 1. in Pent. ſer. 1. Dom. quinq. in Ioan. c. 18. v. 3. In Luc. c. 22. v. 47.*

139. *Chriſti promptitudo ad ſubeundam paſſionem expenditur.*

Surgite eamus: & ecce Iudas cum turba multa, &c. Vide quàm promptus ad paſſionem fuit Spiritus in Ieſu: dum venientibus una cum proditore, viris ſanguinum, & quærentibus animam ſuam cum facibus, laternis, & armis per noctem, ultro occurrit, & ſeipſum manifeſtavit & obtulit. O grandis ardor charitatis Chriſti Ieſu. *Op. lig. vitæ, & medit. c. 79.*

140. *Ingratus inter omnes iniquos unus, & ſingularis, & omnium iniquiſſimus.*

Ecce Iudas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa. Quomodo dicitur Unus, cum quo erat turba multa? Unus dicitur meritò, quia inter omnes homines bonos, & malos, & præcipuè inter iniquos, ingratus fuit Chriſto. Ingratitudo enim eſt iniquitas omnium maxima; quia iſta reddit malum pro bono, quod eſt proprium diaboli. *In Ioan. cap. 6. ad finem. opuſc. Compen. Theol. l. 3. cap. 17.*

141. *Qui prius erat unus ex duodecim Chriſti Diſcipulis, per avaritiam, & amorem pecuniæ, factus eſt unus ex comprehenſoribus Chriſti, & canis index prædæ.*

Ecce Iudas unus ex duodecim venit, & cum eo turba multa, &c. Vide iterum quomodo Iudas, qui prius fuerat unus ex Diſcipulis Chriſti, tractus amore pecuniæ, & per avaritiam factus eſt unus, & caput comprehenſorum Chriſti, & veluti canis index prædæ. Sic ſic avaritia facit; & ſequacem Chriſti commutat in proditorem. *In Ioan. c. 6. ad finem.*

Digitized by Google

142. *Chriſtus oſculo ſuos recipit ad ſalutem, diabolus cum Iuda ad damnationem.*

Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt tenete eum &c. Vide hic quali ſigno Judas tradit Chriſtum; ſcilicet oſculo: quo enim ſigno commodiori potuit tradi Chriſtus, qui charitatis ardore inflammatus pro hominibus mortem ſubibat quàm oſculo, quod eſt ſignum amoris? quo aptiori ſigno ſignari potuit, qui pro pace inter Deum, & homines faciendâ, ad crucem properabat, quàm oſculo, & ſigno pacis? hinc vide, quod cum Chriſtus in ſignum amoris reciperet ſuos oſculo, Judas ipſum Chriſtum eodem ſigno ipſum tradidit ad mortem. Sic ſic facit diabolus cum ſuis: nempe oſculo blanditur ut fallat, arridet ut noceat, allicit, ut occidat. Oſculum autem diaboli eſt falſa ſecuritas, in quam conatur collocare peccatores. *Op. medit. c. 75. & ſer. 2. Dom. 3. poſt oct. Paſcha.*

143. *Pax ſimulata tradit Chriſtum, & proximum: pax vera ſalutem affert.*

Quemcumque oſculatus fuero &c. Ecce diſcrimen inter pacem veram Chriſti, & ſimulatam Judæ, & diaboli; nam pax vera in corde, in ore, & in opere ſalutem affert: pax ſimulata in ore dulcis, in corde amara: ore fatetur Chriſtum, ſed corde odit: ore ſalutat proximum, ſed corde, & manibus tradit, & decipit. *Op. Diet. tit. 7. c. 6. In Luc. c. 4. v. 4. ep. ſpecul. B. Virg. lect. 4. Comp. Theol. l. 3. c. 16.*

144. *Diabolus ſub velamine virtutis omnes maximè ſpirituales tradit, & decipit.*

Quemcumque oſculatus fuero &c. O iniquiſſime traditor, ergo ſigno amoris, & charitatis tradis Chriſtum regem regum, & Dominum? ſic facit diabolus, qui cum non audeat bonos apertâ facie tentare, quos ſcit omne malum odire, aſſumit aliquod virtutis velamen nè agnoſcantur vitia eſſe quod ſunt: ſic ſuperbia, invidia, avaritia, & alia mala palliant ſe, ne agnoſcantur, & tali ſimulatione occidunt animam: O caveant à tali ſimulatione viri ſpirituales, qui converſatione ſub ſpecie pietatis cum ſæcularibus, cum fœminis, ſæpe in graviſſima peccata præcipitant. *Op. de prof. relig. l. 2. c. 5. In Luc. c. 22. v. 47.*

145. *Certamen odii, & amoris in Chriſto, & Iuda expenditur.*

Et confeſtim accedens Iudas ad Ieſum dixit: Ave Rabbi & oſculatus eſt eum: dixitque illi Ieſus: amice ad quid veniſti? S. Lucas *oſculo filium &c.* Ecce quomodo amor, & odium certamen ineunt in Chriſto, & Mundo per Iudam: Iudas enim ex perverſitate cordis ſignum proditorium dat per oſculum ſignum amoris: Et Chriſtus ſuſcipit oſculum à Iuda, licèt proditorium, ut ſemper maximam in eum oſtenderet benignitatem, oſculi ergo ſuſceptio ex parte Chriſti fuit benignitatis, & ex parte Iudæ fuit meræ doloſitatis. O quoties tecum, ô peccator tali pacto Chriſtus pugnat ſignis amoris, ut vincat tuam malignitatem. *In Luc. cap. 22. verſ. 48.* Nota autem quod Chriſtus non ſolùm à Iuda oſculum ſuſcepit; ſed & ipſe Iudæ oſculum dedit, ut nullus peccator deſperet de pace Dei, ex quo traditori oſculum non negavit. *Ser. 1. Dom. in Albis.*

146. *Mundus ſimilis Iudæ, ſub ſpecie amicitiæ occidit ſuos ſequaces.*

Iuda oſculo filium hominis tradis? Hoc dixit Chriſtus Iudæ: hoc & ſæpe ſæpius poteſt dici mundo & diabolo, qui ſuis ſequacibus blandiuntur, oſtentantes fælicitatem, amicitiam, & quietem, ſed occultè venenum inſtillant, & occidunt. *Op. ſelil. cap. 2. ſerm. 3. Dom. infrà oct. Nativit.*

147. *Chriſtus ex ſua parte amicum ſe profitetur peccatoris, licèt iſte verè ſit inimicus.*

Amice ad quid veniſti? Sed quomodo amicè, ô bone Iesu? ſi iſte iniquus, prius tuus diſcipulus, & ſocius, nunc ſocius diaboli, & tuorum hoſtium? nunc tuus proditor? O qualis eſt charitas Dei noſtri! transfer mentem ad illa verba *Luc. c. 15.* Pater peccavi in Cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, quia filiationem tuam perdidi. Si perdidiſti filiationem quâ fronte ipſum appellas Patrem? ô bene: perdiderat quidem peccator quod erat filii, ſed Deus non ſe expoliaverat ratione & amore patris, ſic & nunc amicus dicitur Iudas; quia Chriſtus non perdiderat ſuam charitatem ex parte ſua; quia ipſius cor continue pulſabat, ut ad pœnitentiam, & per pœnitentiam rediret ad divinam ejus amicitiam: & ut id promptè faceret notat S. Birgitta *l. 4. revelat. c. 69.* quod cum Iudas eſſet brevioris ſtaturæ, ad ejus oſculum excipiendum, inclinavit ſe dicens: *Amice &c.* cupiens ipſum oſculari, ſicut filium prodigum, & ut rediret ad pœnitentiam. tam grande oſtendit ei ſignum dilectionis: ſed tamen totum fruſtra fuit. *In Luc. c. 15. v. 17. & ſeq. c. 22. v. 48.*

148. *Amputatio auriculæ Malchi facta à Petro expenditur litteraliter, & moraliter.*

Tunc acceſſerunt, & manus injecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum: & ecce unus ex iis, qui erant cum Ieſu (ſcilicet Petrus ait S. Ioan.) extenſis gladium ſuum, & percutiens ſervum &c. Nota ad litteram, quod Matthæus, & Marcus per anticipationem prius deſcribunt capturam Chriſti & poſtea amputationem auris: ſed tamen Lucas & Ioan. ponunt amputationem ante capturam; talis enim eſt ſeries, & ordo hiſtoriæ. Videns igitur Petrus turbas paratas ad Chriſtum capiendum, nimio zelo ductus, & amore in Chriſtum concitatus, & potentiâ Chriſti fretus, quâ hoſtes alias è templo profligaverat, in Malchum irruit, ut propinquiorem, & cæteros præcedentem, autem illius dexteram amputavit in quo facto SS. DD. excuſant Petrum à peccato; quia ad ſimilitudinem Phinees accenſus eſt zelo in hoſtes Chriſti: ſed tamen opus à Chriſto non fuit laudatus; imo reprehendit Petrum, & ſtatim ipſe miraculosè reddidit aurem Malcho. In quo facto obſeditur, quod Iudæa tunc perdidit auré dexterâ

obedientiæ debitæ meſſiæ,& ei remanſit ſiniſtra: ſed tamen in fine ei reſtituetur, quia in Chriſtum credet. Oſtenditur etiam immenſa pietas, & bonitas Chriſti in medio perſecutorum, & perſecutionum non ceſſabat eis benefacere, & reddere bonum pro malo. *Op.medit.c.75. & lignum vitæ. In Luc.c.22.v.50.*

149. *Caveat Chriſtianus ne dexteram aurem amittat,& ſiniſtram retineat.*

Amputavit illi auriculam dexteram. Cur ad dexteram extendit gladium, & non ad ſiniſtram? Jam dictum eſt per hoc ſignificari, quod Judæi amiſerunt aurem dexteram, quâ prius audiebant prophetas, & verba Dei, & ſiniſtram retinuerunt, ut nobis indicet infelicitatem Chriſtianorum, qui aurem bonam amittunt, & retinent ſiniſtram. Auris bona, & dextera eſt quæ libenter audit verba Dei: non eſt ſurda, ut audiat; non eſt ſuperba, ut audita contemnat; non eſt obliviosa, ut audita non teneat: & ideo talibus conditionibus audit verba Dei, & illis obtemperat:auris ſiniſtra eſt mundana, quæ eſt aperta ad audienda verba vana, impudica, detractoria, & maledicta. Auris dextera à Spiritu ſancto aperitur, & dirigitur; ſiniſtra à diabolo. *Ser.1. de S.Greg.ſer.1.Dom.11. Pentec.ep. de 7. itin. æter. itin.6.d.6.ſer.3.Dom.infra oct.Nativit.*

150. *Prælati extendant in contumaces gladium, & feriant auriculas inobedientium.*

Et amputavit auriculam ejus dexteram. Cur autem ſolùm, & non aliud membrum? Inſtruitur omnis Prælatus in hoc facto, quod inobedientes ſignificati in aure, debent coërceri gladio correctionis, vel excommunicationis, vel alterius pœnæ; vel etiam Prædicatores verbi Dei. Notent autem Prælati quod eorum correctio debet ſolùm extendi ad aures, non ad alia membra; ſcilicet excommunicationis gladius extendatur ad inobedientes, & contumaces, non ob aliam cauſam privatam fulminetur. *Ser.1. Dom.11.Pent.ſer.1.de S. Andrea in addit. in Ioan cap.18.v.10.*

151. *Chriſti potentia, patientia, benignitas in hoc facto expenditur.*

Converte gladium tuum in vaginam, &c. addit S. Lucas: & cum tetigiſſet,&c. ſanavit eum. S. Joa. hnic facto præmittit, quod dicente Jeſu:*ego ſum, abierunt retrorſum, & cecidérunt in terram, &c.* Ex quibus multa mirabilia opera Chriſti elucent. Primò enim improbos ſatellites ſolo verbo virtutis ſuæ terræ alliſit, ut cognoſceret humana præſumptio nihil ſe poſſe adverſus ipſum, niſi quantum ipſe permitteret. Secundò nec tunc miſericordiam ſuam in ira continuit, nec pietatis ſuæ dulcedinem favus ille diſtillare ceſſavit;nam & mutilatam à diſcipulo aurem ſervi proterui, manus ſuæ contactu ſanavit, & defenſoris ſui zelum ab invadentium furore compeſcuit; conſpice patientiam, pietatem, benignitatem infinitam Domini Jeſu,& diſce, ô Chriſtiane qualiter te gerere debeas in perſecutionibus cum ipſis perſecutoribus. Nota tamen, quod iſti perverſi nihilo meliores effecti ſunt ex tot prodigiis, ob ipſorum excæcationem, & obdurationem: & quod majus eſt, nec ipſe Judas. Væ & iterum væ illis, qui in profundum vitiorum præcipitant contemptui à Deo. *Op. lignum vitæ.Op.medit.c.75.& in Luc.c.22.v.59.*

152. *Qualiter verificatur dictum Chriſti: omnes qui acceperint gladium: & qui gladio ferit, gladio perit: ubi de homicidio licito,& illicito.*

Omnes,qui acceperint gladium, gladio peribunt. Quomodò hæc præpoſitio vera eſt, cum tot homines gladio vitâ priventur impune,imo cum merito? nec etiam omnes, qui occidunt illicitè, gladio vitam finiunt? Reſpondetur primò, quod occiſio hominis poteſt eſſe à lege, aut ab homine; & hoc verè, vel interpretativè: quæ eſt à lege,eſt à Deo,mediante miniſtro legis,dummodo id fiat juſto ordine, & juſtâ cauſâ: & cum ſit hoc à Deo, qui eſt Dominus naturæ, & conſervator legis, fieri poteſt cum merito. Occiſio ab homine, ſi non eſt caſu, aut ex neceſſitate, ſed à mala voluntate,vel ſit verè, vel interpretativè; ſcilicet omiſſione impedimenti vel per odium,ſic prohibetur, ſe de hoc dixit Chriſtus: qui gladio ferit, gladio perit: ſcilicet gladio mortis ſpiritualis perit in anima de facto & etiam meretur gladio perire: vel etiam Deo permittente; quia ut plurimum tales pereunt morte violentâ, ſic enim exigit juſtitia Dei vindicativa: ut qualis homo eſt in hominem, talis ſit illi Deus. *Op.de decem præcep ſer.6.& in Luc.c.13. v.3.ſic & D.Auguſt. pluresque alii SS. Patres, & Gloſſa.*

153. *Obedientia ſuadetur exemplo Chriſti.*

Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? addit S. Joan.c.18. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Ecce quo tendunt Sacræ ſcripturæ teſtimonia de Chriſto, ſcilicet ad bibendum Calicem obedientiæ à Patre impoſitæ q. d. amarus eſt calix; at propinat illum obedientia Dei: bibamus illum uſque ad intima, uſque ad amaras fæces: dat illum manus Patris: Pater eſt filiorum amans, quæ potiones filiis neceſſariæ ſint, novit: Pater amans filium, dat calicem: filius amans Patrem, bibat calicem, dicens: calicem, quem dedit mihi pater, non bibam illum? fieri id nequit: incuriale eſt diſcipulis, ex quo filius Dei propinavit, de tali calice, regnum prætendere, niſi prius biberint. Diſcant ex hoc filii parentibus obedientiæ calicem libere,diſcant & religioſi, qui profitentur ſequi Chriſtum, cujus vita tota fuit obedientia. *In Ioan. c.18. v.10. In Luc.cap.17.verſ.36.ep.Diet.tit.4.c.1.l.4.d.29. a.1. qu.2. ad 2.*

154. *Judices iniqui in judicando peccata peccatis accumulant exemplo Judæorum.*

In illa horâ dixit Jeſus turbis (addit S. Lucas) *ad Principes ſacerdotum &c. tamquam ad latronem exiſtis &c. quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis.* addit S. Lucas: *Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Nota, quòd

quòd in his verbis voluit indicare omnia peccata, quæ à turbis commissa fuerunt, à superioribus tamquam à fonte provenisse: eorumquè stultitiam, simulque malignitatem ostendere: nam stultum est gladio quærere illum, qui se ultrò tradit: sed tamen apparet eorum malignitas dum talem agnum inermem quærunt capere cum armis, tamquam latronem ut magis bonâ famâ deperderetur: nec id est mirum; quia ipsa potestatibus tenebrarum, & dæmonibus regebantur. Et hoc est, quod faciunt iniqui judices, dum enim malè exercent suum munus, peccata peccatis accumulant, ut in tenebris tegant suam malignitatem. *In Luc.c.22.v.52.seq.* Notant etiam aliqui expositores aliam malignitatem istorum judicum: jam supradictum est, Petrum amputasse aurem ministro curiæ; & ob id, secundum mentem ipsorum, commisisse crimen gravissimum, arma sumendo, & feriendo ministros justitiæ à Principe missos; & tamen non legitur, quod processus hujus criminis orditus fuerit, uti videtur eos debuisse facere. Cur hoc? quia in tali informatione in lucem claram etiam positum esset miraculum à Christo patratum in remittendo auram jam obtruncatum, hinc ne in tali occasione patefieret Christi innocentia, charitas, & potentia miraculosa, ob quam forsan à turbis liberatus fuisset, & extractus è manibus ipsorum; malitiosè sub velo silentii pertransierunt dictam vulnerationem: per quod iterum malignitas istorum judicum patefit.

155. *Christus infundit sua dona in templo sacro cordis, non in cloaca diaboli.*

Quotidie apud vos sedebam, docens in templo. Nota, quòd dicit: docens in templo non in platea; dat per hoc mysticè intelligere, quod proprium est Christi docere suos; scilicet illuminationes, inspirationes, & mysteria immittere, & communicare in templo tantùm; idest in corde devoto, non in cloaca, & corde sordido, & peccatis infecto; sed in corde puro, in quo ad orationes, & oblationes votorum, & desiderio-rum bonorum fiunt. Templum ergo est anima tua, ô homo, illam exorna, in illa offer donaria, in illam suscipe Christum. *Ser.4.Dom.3.post oct. Paschæ.*

156. *Christi captura expenditur ad litteram: & desperatio Iudæ.*

Tamquam ad latronem existis, &c. comprehendere me, &c. Hoc totum factum est, &c. Addit S.Marcus: *& tenuerunt eum.* S.Joan. *Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligaverunt eum.* Vide quomodò Christus se patitur capi, ligari, percuti, & furibundè duci, ac si esset malefactor. Nota autem, quod primò dicit injecerunt in eum manus, scilicet furibundas: Secundò comprehenderunt, idest cum maximâ violentiâ ex parte comprehendentium. Tertiò, & ligaverunt eum, scilicet comprehensum, ligaverunt funibus, & catenis ferreis, ut ducerent cautè. Quis igitur sine gemitu audire potest qualiter illa hora homicidas manus in regem gloriæ injecerunt truculenti lictores, & innocentes manus mitissimi Jesu vinculis constringentes, ipsum agnum mansuetissimum, nihilo obloquentem, ad instar latronis contumeliosè traxerunt ad victimam? qualis unà doloris aculeus discipulorum corda penetravit? cum viderunt dilectissimum Dominum, & magistrum suum à suo discipulo proditum, ligatis post tergum manibus, quasi malefactorem duci ad mortem; cum & ille impiissimus Judas, pœnitentiâ ductus, tanta fuerit postmodum ex hoc amaritudine repletus, ut maluerit mori, quam vivere. Sed tamen væ illi, qui nec sic ad fontem misericordiæ per spem veniæ rediit, sed propriî sceleris immanitate perterritus desperavit. *Op. lignum vitæ tit. Iesu vinculu &c.& medit.c.75.& in Ioan. c.18.v.12.*

157. *Christus quia solus in mundo erat liber, voluit ligari; ut homines à diabolo vinctos solveret.*

Et tenuerunt eum, & ligaverunt &c. Benè dicit ligaverunt Jesum: quia ipse solus inter homines erat liber, ut posset ligari: omnes cæteri erant ligati vinculis peccatorum; & à diabolo, tamquam fures ad patibulum inferni ducebantur. Ideò Christus voluit ligari ut homines solveret à talibus vinculis. Unde benè dixit Judæis: si me quæritis, sinite hos abire: idest me ligate, ut solvantur à peccatis homines & liberi in Cœlum abeant. *Ser.3.Dom.21.Pentec.& in Ioan.c.18: vers.11.*

158. *Christus vinctus ductus ut dives prò divitiis extorquendus ut miles pro inimicitiis componendis: ut latro pro maleficiis puniendus.*

Et tenuerunt eum, & ligaverunt, &c. Cur voluit Christus capi, & ligari? Nota, quòd capiuntur alii pro pecuniis, alii pro inimicitiis alii pro maleficiis; sic Christus captus est sicut dives capitur ad pecunias ab eo extorquendas; & sicut quanto durius tenetur, tantò plus cogitur dare: sic Christus durè tenebatur vinculis, in cibis, in tormentis: & ideo dedit paradisum malefico; regnum mundo, & spiritum inferno, licèt non finaliter. Et sicut miles captus tenetur pro inimicitiis componendis; sic Christus strenuus miles, qui gigantem, scilicet diabolum invasit crucis baculo, captivus ductus, ut per ejus captivitatem reconciliatio fieret inter Deum & homines. Item captivus ductus ut latro; & ideo cum latronibus crucifixus est; quia diabolo insidiatus est, & vasa ejus diripuit. *Ser.4. Paras. & in Luc. c.23.v.32.*

159. *Christus laqueis amoris primo vinctus est: postea laqueis peccatorum nostrorum; & tandem laqueis durissimis Iudæorum.*

Et tenuerunt, & ligaverunt eum, &c. Quinam ligaverunt Christum? qui tantam potestatem, & fortitudinem habuit, ut ligare potuerit hominem Deum. Ecce quis: Hic fuit amor, ait S.Bernardus, qui suis vinculis ligavit Christum; & potuit ipsum impellere ad vincula deteriora, scilicet peccatorum nostrorum, à quibus durissimè

ligatus eſt,& ob quæ ſe ſubjecit vinculis duriſſimis Judæorum.*Ser.4.in Paraſce.*

160. *Fuga Diſcipulorum expenditur ad litteram, & miſticè.*

Tunc diſcipuli omnes,relicto eo, fugerunt. Ecce quod deprehenſo paſtore diſperſæ ſunt oves, captoquè Magiſtro,Diſcipuli fugerunt:fugerunt ad quædam latibula, quæ extant adhuc in deſcenſu vallis Joſaphat.Sed ubi ſunt,ô Diſcipuli illa promiſſa, dum uſque ad mortem propoſuiſtis ſequi Dominum ? ô quàm diſtant dictis facta, & factis promiſſa ! per quod patet quàm vana ſit præſumptio humana ſine protectione divina (ait Beda) ſolus Chriſtus comprehenſus ', ſolus crucifixus, torcular calcavit ſolus;quia ſolus Chriſti ſanguis peccatorum noſtrorum erat medicina. Voluit autem Chriſtus hanc fugam in Apoſtolis, ut diſceremus, quod licita eſt fuga perſecutorum, & perſecutionum aliquando, non tam ſecundum imperium perfectæ virtutis, ſed etiam ſecundum humanæ imperfectionis conditionem, & infirmitatis mortalis : non enim ſunt iſta contraria. *Op.Apolog.paup.reſp.2.c.1.*

161. *Captus, & ligatus Chriſtus ducitur ad tribunalia.*

At illi tenentes Jeſum duxerunt ad Caïpham,&c. S. Joan.c.18. dicit quod prius *duxerunt eum ad Annam qui erat ſocer Caïpha Pontificis.* Conſpice hic ô anima dulcem Jeſum, quomodò ducitur ab illis nequiſſimis de torrente ſurſum Jeruſalem feſtinanter, & anxiè, manibus poſt tergum ligatis, exchlamydatus tunicâ, ſupercinctus non curioſè, capite diſcoopertus, & curvus ex fatigatione, & vehementi acceleratione incedens, præſentatur autem principibus Sacerdotum Annæ, & Caïphæ, & aliis ſenioribus congregatis: at illi, quaſi leo captâ prædâ, exultant ; ipſum examinant, & expuunt in ejus ſacratiſſimam faciem, oculos velant,colaphizant, alapis cædunt, dicentes : prophetiza quis eſt, qui te percuſſit, & multis opprobriis eum vexant ; in quibus omnibus humilitatem, vetecundiam, & patientiam invictam oſtendebat. *Op.meditat.c.75.*

162. *Paſſio Chriſti fundamentum totius fidei catholicæ.*

Adjuro te per Deum vivum (ait princeps ſacerdotum) ut dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei. Dicit illi Jeſus : tu dixiſti (S.Marc.c. 14.) ego ſum. Verumtamen dico vobis à modo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei,& venientem in nubibus Cœli, &c. Quæritur hic quâ ratione princeps ſacerdotum motus eſt ad inquirendum an Chriſtus eſſet filius Dei ; cum ipſe neſciret, vel non crederet Deum haberi filium ? Et ad quid Chriſtus confitens ſe eſſe filium Dei propoſuit poſtea ſecundum adventum, quando veniet judicare vivos, & mortuos ? Sed Reſpondetur, quod Princeps ſacerdotum intendebat provocare quocumque modo Chriſtum tacentem,ut haberet locum ipſum condemnandi, datâ quacumque reſponſione : ſed tamen totum fuit diſpoſitum à Deo, ut Chriſtus fatendo ſe eſſe meſſiam miſſum à Patre,ad rodimendum in humilitate, & per paſſionem Mundum,& ſe mittendum in fine ad judicandum Mundum, innoteſceret quod hæc paſſio Chriſti fundamentum eſt totius noſtræ fidei. Cum enim ſe Deum appellaret in ſtatu humili, & contemptibili, etiam oſtendit, quod talis modus licèt contrarius judicio,& prudentiæ Mundanæ erat aptiſſimus ad ingerendam fidem ſuæ divinitatis, & humanitatis;quia in hac paſſione expreſſit infinitam bonitatem, patientiam,& ſapientiam. *Op.ſtim.p.1.c.6.*

163. *In ſola Beata Virgine remanſit fides Eccleſiæ.*

Diſcipulis ejus relicto eo fugerunt,&c.Tu dixiſti: ego ſum.&c. Nota, quod Diſcipuli fugientes, fidem de veritate divinitatis, & humanitatis perdiderunt. Attamen cum ante principem ſacerdotum, Chriſtus hanc veritatem fidei fateretur, dicens : ego ſum, oſtendit, quod adhuc remanebat fides ſui : ſed in quonam dum diſcipuli ipſum reliquerant ? remanſit in ſola Virgine Maria fides Eccleſiæ. *Op.ſtim.p.1.c.6.*

164. *Chriſtus poſitus eſt in ſignum ad ſagittam in paſſione.*

Dixerunt : reus eſt mortis tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt : alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte,quis eſt,qui te percuſſit,&c. Conſpice hic ô anima pietatem, charitatem, & amorem Domini Jeſu in homines : voluit enim non ſolùm mortem eligere acerbiſſimam, ſed etiam injurias, irriſiones,atque illuſiones pati, ut totius in eo patientiæ haberemus exempla. Nunc verificatum eſt, quod dicitur *Thren. cap. 3. poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam* : verè ſignum poſitus eſt Chriſtus in paſſione, ad quod tendebant ſagittæ opprobriorum, irriſionum, ſputorum, colaphorum, clamorum, & omnium amaritudinum, & pœnarum : Et hoc ut nos excitaret ad exponendum nos ipſos per charitatem in ſignum nobile contra ſagittas caſtigationum divinarum, irritationum, & injuriarum humanarum, tentationum diabolicarum adverſitatum; quia charitas tamquam ſignum immobile ſecura eſt inter opprobria, inter inſidias innocens, inter odia benefica, inter rixas placida, iniquitatem gemens, in veritate reſpirans. O quot Chriſtiani tali ſigno, & exemplo Chriſti contradicunt per impatientiam, odium, vindictam, &c. *Ser.2.Dom.inf.oct.Nat.*

165. *Expenduntur iterum tormenta, irriſiones, & opprobria Chriſto illata coram Principibus, & ſenioribus.*

Tunc expuerunt in faciem ejus, &c. Conſpice ô anima tuum dulcem Chriſtum, quomodò ſe habuit in verbis, in reſponſionibus, in factis, in pœnis tam interius, quàm exterius:quàm humilis ante judices, inclinato capite, demiſſis oculis : quàm leni, & dulci voce reſpondebat. Vide quomodò faciem ſpecioſam, in quam deſiderant Angeli proſpicere, quæ plena eſt gratiarum, & deſiderata cunctis gentibus, quæ ſalus eſt aſpicientium, impil

tized by Google

pii Iudæi velabant, conſpuebant, & percutiebant, & ipſe Dominus omnia patientiſſime ſuſtinebat pro nobis. Voluit enim conſpui, ut nos lavaret, voluit velari, ut velamen culpæ, & ignorantiæ à cordibus noſtris auferretur, voluit in capite percuti, ut caput noſtrum reſtitueret ſanitati, alapis voluit cædi, & verbis derideri, ut nos ei labiis, & manibus, ideſt verbis, & operibus applaudamus. Hæc autem voluit Chriſtus ſuſtinere voluntariè, ut nobis daret exempla ad opprobria contemnenda, quæ enim cura erit nobis de reliquo in contumeliis, poſtquam Chriſtus hæc paſſus eſt. Sed proh dolor, quia multi ſunt imitatores Iudæorum: & qui tunc cæſus eſt colaphis Iudæorum, nunc cæditur blaſphemiis chriſtianorum, & qui conſputus eſt ſalivis infidelium, nunc veſanis opprobriis fidelium exhonoratur: non enim minus peccant, qui blaſphemant Chriſtum regnantem in Cœlis, quàm Iudæi, qui crucifixerunt eum ambulantem in terris. *In Luc. c. 22. v. 63. ep. ſaſcicul. c. 7. & ſer. 1. in Pentec.*

166. *Petri negatio expenditur.*

Petrus vero ſedebat foris in atrio: ad ignem ſedebat: & circumſedentibus ſervis, & Miniſtris, quia frigus erat (aiunt S. Luc. & S. Ioan.) Vide hic quomodo Petrus Chriſtum ſequebatur à longe; quia cum amor uniat, & faciat appropinquare; è contrario tepor amoris, qui incipiebat ex timore eſſe in Petro, facit procul abſcedere: & ideo ad ignem ſe collocavit; & hinc in trinam negationem, ad interrogationem ancillæ, & aliorum, exiit. Ex quo diſcere debemus, quod ſicut per mulierem ortum eſt peccatum in Paradiſo, ſic & per mulierem incœpit Petrus negare Chriſtum; ut videamus quanta, & qualis ſit fragilitas humana, quæ ſine ſpeciali auxilio Dei non poteſt ſe ſervare à peccatis. *In Luc. cap. 22. verſic. 54. & ſequent.*

167. *Malorum ſocietas, & eloquia in negationem Chriſti Petrum induxerunt: ubi notabile documentum religioſis datur.*

Petrus erat in atrio ad ignem, circumſedentibus ſervis, & miniſtris. Vide iterum quomodo tam præcipitanter, & ſubitò Petrus exiit in negationem Chriſti; dum paulo ante ſe exhibebat pro Chriſto mori? quomodo, & unde tanta mutatio? Ecce unde: quia inter malos ſe immiſcuit, quia malorum non deſeruit ſocietatem; ut diſcamus, quàm noxia ſint pravorum eloquia, quæ coegerunt Petrum negare Dominum, vel hominem ſe eſſe, quem inter Diſcipulos confeſſus fuerat eſſe filium Dei. O quàm verum, quod corrumpunt mores bonos eloquia mala. *In Luc. c. 22. v. 56.* Audiant hoc religioſi, quid accidit diſcipulo Chriſti ſedenti ad prunas nocturno tempore; admonenturque ne poſt ignem ad verba, & pocula, vigilias ad ignem protrahant; nam vigilare ad ignem, ſitim provocat, & bibitare compellit, gravat corpus, exhaurit ſpiritum, tempus in verbis penè imperceptibili ſubductione conſumit, tempeſtivè ad orationem ſurgere, officii debitum devotè, ut expedit ſolvere non permittit, uſitatum eſt hoſti, homines ad prunas ſeducere. Ad prunas Dominum ſprevit rex Ioachim, etiam dum audiebat ſermones Dei, *Hieron. c. 38.* & Petrus interrogatus de Chriſto, ipſum negavit. O quoties eſt ſerotinis neceſſaria verbis correptio matutina. *Op ſpecu. diſcipl. p. 1. c. 5.*

168. *Ignis mundanus ſæpè ſpiritualem interiorem ſuffocat.*

Sedebat ad ignem cum miniſtris, &c. Ecce, quod intus in domo principis ſacerdotum maligna ſynodus gerebat: hoc ignis inter frigora noctis foris accenſus typicè demonſtrabat: hoc frigore ad horam torpent Petrus, quaſi ptunis miniſtrorum calefieri cupiebat, quia temporalis commodi ſolatium perfidorum ſocietate quærebat. O Petre ad ignem ſedes cum ſervis, & miniſtris in domo Caiphæ, qui ſedere ſolebas in domo Chriſti cum Apoſtolis. Ad hunc ignem Caiphæ ignem extinguis Chriſti: non te calefaciet, ſed comburet flamma; & conſortium impiorum incipis meritò frigeſcere, & ad ignem diaboli accedis, qui eſt ignis iniquitatis, ſuffocabit in te ignem totum amoris Dei. O ſic ſic evenit Petro. Sic, ſic facit ignis diaboli, ad negationem Chriſti inducens. *In Luc. c. 22. v. 55.*

169. *Qui non reſcindit principium peccati, à minimis ad maxima labitur.*

Acceſſit ad eum una ancilla, &c. at ille negavit coram omnibus. Vide proceſſum principii Petri: Primò negavit ad vocem ancillæ, dicens: neſcio quid dicis. Secundò negavit cum juramento. Tertiò cœpit deteſtari, & jurare, quod non noviſſet hominem. Undenam tam frequens negatio, & tam qualificata? Hoc fuit, quia in principio non ſibi cavit, quia perſeverare in peccato, incrementum dat; & qui minima ſpernit, in maxima cadit. Vide ergo quàm malum eſt non extirpare principium peccati, & perſeverare in peccato. *In Luc. c. 22. v. 56.*

170. *Myſterium de trina negatione Petri enodatur.*

Tunc tertio cœpit deteſtari, &c. Cur Chriſtus permiſit in Petro tam enorme peccatum: Reſpondetur, quod etiam mala, & peccata noſtra à Deo ordinata ſunt ad bonum. Permiſit autem Dominus Petrum ſe negare primò, ut confundatur Marcionitiſte enim negabat Chriſtum eſſe hominem: Petrus autem dixit non novi hominem, ſicque peccavit. Secundò, permiſit hoc peccatum, ut nemo de ſe præſumat, ut Chriſto in omnibus credat, ut alii ſibi caveant, & præcipuè à præſumptione; & ut Prælatus Eccleſiæ diſcat ex caſu ſuo, qualiter aliis miſereri debuiſſet: ut etiam fortior reſurgens, oſtendat illud eſſe verum; quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, etiam peccata. Ideo autem permiſſus eſt ter negare, ut oſtendatur, quòd tripliciter offendimus Deum, corde, ore, & opere, & à tribus perſonis impulſus eſt in myſterium triplicis tentationis; & triplici intervallo in deſignationem triplicis admonitionis: & ſuper hæc tria, ter quæſitum eſt ab eo: amas? & ter dictum eſt ei, paſce; & trina ſolemnitas Petri celebratur. *In Luc. c. 22. v. 60.*

171. *Ex verbis exterioribus, dignoſcitur qualis ſit intus homo.*

Verè ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit. Vide quomodo ex loquela exteriori Petrus agnitus eſt diſcipulus Chriſti ſcilicet ex loquela Galilea. O quàm verum eſt hoc; quod ex abundantia cordis os loquitur, & immunditia oris teſtis eſt immunditiæ cordis: & munditia oris teſtis eſt munditiæ cordis. Verbum enim eſt nota paſſionum cordis: Unde ſicut non poteſt trahere homo de granario, niſi granum, quod ibi eſt, nec vinum de dolio, niſi illud quod ibi continetur, ſic lingua loquitur de eo, quod in horreo eſt cordis. Numquid non per linguam cognoſcitur Theutonicus, vel Gallus, vel Hiſpanus: ergo verum eſt, quod loquela tua te manifeſtum facit. *Sermon. quarto, de Apoſtol.*

172. *Galli cantus exterior, & reſpectus Chriſti excitavit Petrum ad pœnitentiam, & quemlibet peccatorem.*

Et continuo gallus cantavit. Addit S. Lucas: *& Dominus reſpexit Petrum.* Ecce quomodo duplici modo Chriſtus vocavit Petrum, ſcilicet cantu galli exteriori, & aſpectu interiori ad cor; & hoc duplici modo pietas Chriſti relevat peccatores, ideſt exterius cõmovendo per cantum galli, hoc eſt per commonitionem prædicatorum, gallus enim jacentes arguit, ſomnolentos increpat; & ad hujus cantum ſupervenit divinæ miſericordiæ reſpectus, quo cor excitatur, & ſublevatur ad pœnitentiam. *In Luc. c. 22. v. 61. ſer. 3. Dom. 3. Pentec. In Ioan. c. 1. v. 42. & ſer. 5. Dom. 1. Adv.* Nota autem, quod eſt in quæſtione apud ſacros expoſitores an Chriſtus reſpexerit Petrum, non ſolùm ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter? certum in hoc eſt reſpexiſſe ſpiritualiter, probabile etiam reſpexiſſe corporaliter: nam ut notat *S. Bonav. op. meditat. cap. 75.* poſt irriſiones, & opprobria ſupradicta, illi majores receſſerunt, mittentes Chriſtum in quemdam carcerem ibi ſubtus ſolarium in atrio, vel prope atrium, cujus veſtigia adhuc permanent, ibi ligaverunt Chriſtum ad quandam columnam lapideam: & tunc transeundo, potuit reſpicere Petrum oculis corporeis, penetrans illo aſpectu ſagittis amoris ad cor. *Op. meditat. cit. & lignum vitæ.*

173. *Væ iis, qui ancillam habent oſtiariam: qui ancillæ claves domus ſuæ tradunt.*

Acceſſit ad eum una ancilla, dicens, &c. Quænam, & cujus hæc ancilla? ancilla erat Caiphæ; & hæc erat oſtiaria domus, *ait S. Ioan.* mos enim iſte erat apud Iudæos habere ancillam oſtiariam domus. O infelix, qui domus claves tali ancillæ tradit? hæc eſt caro, quæ ancilla debet eſſe rationis: ſed tamen multi ipſam ut dominam domus conſtituunt, & in ipſius poteſtate cõſignant claves totius domus. O quã miſer quis quis es, qui ancillam hanc perverſam conſtituis dominam animæ; nam ad vocem ipſius, Chriſtum negabis: ſed in hoc imitare Petrum, tu qui ad vocem impotentis, & iniquæ fœminæ Chriſtum pro te paſſum negaſti, vel voluntate, vel actu: rememorans paſſionem dulciſſimi magiſtri, foras egredere cum Petro, ut te ipſum amariſſimè defleas: ſi quando te reſpiciat, ut purgatus cum Petro à reatu ſceleris, repleatis cum ipſo ſpiritu ſanctitatis. *Op. lignum vitæ tit. Ieſus nobis incognitus.*

174. *Quiſque etiam divina gratia habituali indutus, & armatus, vivat cum timore, & tremore, & ad Dei auxilium inceſſanter confugiat.*

Tunc cœpit deteſtari, & jurare, quia non noviſſet hominem. S. Marcus: *cœpit anathematizare & jurare:* ideſt mala ſibi imprecabatur, & diris ſe devovebat: hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, &c. nimius timor hæc omnia exorquebat. O magnum dogma hic à Petro diſcimus, ait Chryſoſtomus cum aliis Sanctis Patribus. Petrus paulo ante, Chriſto atteſtante mundus, ſacramentis corpoſis, & ſanguinis Chriſti dignè communicans, & munitus, & præmunitus de futura tentatione, paratus potius mori, quam Chriſtum deſerere, vel negare, & tamen illum negavit. Quare hoc? O judicia Dei, quàm incomprehenſibilia? hoc autem fuit, quia magna differentia eſt inter habitum charitatis, gratiamque habitualem, & uſum illius: quia non ſumus ſufficientes ex nobis ad uſum charitatis, & gratiæ, quam habemus infuſam à Deo, ſed egemus ad uſum illius continuo Dei gratuito auxilio, & ob id dixerat Chriſtus vigilate, & orate, ne intretis in tentationem: oportuerat vigilare Petrum, & auxilium Dei implorare, ne in hanc intraret tentationem; ſed ille dormivit, neque auxilium imploravit, ideo & datum non eſt, imo in occaſione inter malorum, & iniquorum contubernium ſe collocavit, nimis de ſe præſumens; ideo ſic turpiter cæcidit. O diſcamus, quid eſt homo ſine auxilio Dei, ideo hoc factum permiſit Chriſtus ad oſtenſionem fragilitatis humanæ ex ſeipſa, & ad excluſionem humanæ præſumptionis, & ad perſuaſionem confidentiæ in Deo. *In Ioan. c. 18. v. 17. & v. 26. In Luc. c. 22. v. 56. ſeq.*

175. *Maximum frigus eſt peccatum.*

Petrus verò ſedebat in atrio: ad ignem, ait S. Ioan. *quia frigus erat, ſedebat cum miniſtris, &c.* O quam bene dicitur, quia frigus erat, magnum enim frigus eſt culpa. Frigus enim cauſatur ex receſſu à principio caloris fontano, vel ex interpoſitione molis inter ipſum principium caloris, & ipſum calefactibile: vel ex raritate, & irretibilitate caloris: vel ex elongatione ab eo, ad quod calor ſolaris recipitur, talis eſt culpa, quæ à Deo, qui eſt ignis conſumens, elongare facit, elongat & à ſanctis ejus, qui ejus amore inflammantur, item indurat, & conſumit, & torpeſcere facit: hinc eſt, quod infrigidati iſto frigore; ad ignem extrinſecum concupiſcentiæ ſe calefaciunt, qui eſt ignis obſcurus, & à diabolo inflammatur, & frigidis talibus exhibetur. *In Ioan. c. 18. v. 18. & collat. 80.*

176. *Petrus flens, & pœnitens proponitur exemplar pœnitentiæ toti Eccleſiæ.*

Et retordatus Petrus verbi Ieſu, &c. egreſſus foras, flevit amare. S. Marcus, *& cœpit flere.* Ecce qualis fructus permiſſæ negationis; ſcilicet exemplar pœnitentiæ, & compunctionis, quod Chriſtus voluit toti Eccleſiæ, & omnibus peccatoribus exhibere; ut in ipſo omnes haberemus remedium pœnitentiæ: in quo facto primò proponitur feſtinantia pœnitentiæ Petri; nam ſtatim ac gallus cantavit, & à Chriſto fuit reſpectus, ſtatim exiit ex loco ubi ceciderat, & ipſam non diſtulit, ſed protinus egit. Secundò principium talis pœnitentiæ, quod fuit maxima compunctio interna, quæ ipſius cor occupavit, & ad oculos emiſit lachrymas, in quarum virtute Dominum inclinavit ad remiſſionem culpæ. Tertiò, notat S. Marcus, quod cœpit flere: ſcilicet cœpit, ſed nunquam uſque ad ultimam periodum vitæ ceſſavit; per quæ edocemur pœnitentiam non eſſe differendam, & quàm efficaces ſint lachrymæ compunctionis ad obtinendam veniam peccatorum; & qualiter pœnitentia noſtra ſemper debet perdurare toto tempore vitæ. *In Luc. c. 22. v. 62. & c. 6. v. 21. & c. 19. v. 41. ſer. 1. Dom. infra oct. Epiph. & ſer. 5. cinet ſer. 1. Dom. 18. Pentec ſerm. 3. Dom. 2. poſt oct Paſcha & ſerm. 1. & ſeq. Dom. 9. Penteceſt. & op. lignum vitæ.*

177. *Fletus ſuadetur pro negatione Chriſti, in quam peccans incidit.*

Et egreſſus foràs flevit amare. Cur hoc? quia, negaverat Chriſtum trinâ negatione: ergo docemur, quod quilibet negans Chriſtum, debet exemplo Petri flere. Et quis eſt, qui Chriſtum negat? omnis eſt, qui peccat: quoties enim mortaliter peccaſti, toties opere Deum negaſti. Ergò ſi Petrus pro trina negatione tam amare flevit quantò plus ut pro tot negationibus, ſcilicet peccatis mortalibus commiſſis, flere debes flere inquam debes pro culpa, ut ignoſcatur, pro gratiâ, ut obtineatur, pro miſeria, ut evadatur, & pro gloria, ut obtineatur. *Sermon. 1. Dom. 1. Pentec.*

178. *Fletus multiplex expenditur ejuſque fructus.*

Flevit amare. Scilicet ad noſtrum exemplar proponitur fletus Petri; qui primò flevit ex compunctione, & dolore peccatorum: deinde fletum compaſſionis pro paſſione Chriſti: & hinc ſupervenit fletus devotionis: hujuſmodi autem fletus ſpiritum contritum lavat, & ipſum devotum levat in Cœlum: ſpiritum malignum necat; tertam cordis irrigat; ſitim ſedat concupiſcentiæ; & orandd efficaciter impetrat. *Op. Diat. tit. 7. cap. 3.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quod caput hoc continet reſiduum paſſionis Chriſti, ejus ſepulturam cum adjacentibus, ut de damnatione Judæ, & ſalvatione latronis.

CAP. XXVII.

3. *Chriſti Ieſu opprobria, & tormenta, & pœna mortis noctis feriæ Quintæ uſque ad mane expenduntur.*

Mane autem facto, conſilium inierunt, &c. Nota, quod Chriſtus poſt illuſiones, pœnas, & tormenta tolerata in domibus Annæ, & Caiphæ, ductus eſt in carcerem ſubterraneum, qui erat in atrio principis ſacerdotum: hic ſtetit, in quo loco, & tempore, ait S. Hieron. tam fœda, tam nefanda paſſus eſt ab ipſis militibus depuratis à Judæorum Principibus, quod ob turpitudinem voluit ut Evangeliſtæ ſub ſilentio ipſa omitterent; ſolúmque in die judicii revelabuntur. *Vide op. medit. c. 75.*

3. Chriſtus vinctis manibus voluit Pilato præſentari ab iniquis, ut nos à vinculis diaboli liberaret, & ſolveret: ſic dicitur hic, quod *Judæi vinctum adduxerunt Ieſum, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi.* Vidé hic ô homo quo amore te dilexit Deus, ut veſtigia ejus imiteris; pro te ligatus eſt, ut à vinculis peccatorum ſolueteris: Ecce quàm potens manus Chriſti, qui vinculis manuum ſuarum noſtra vincula ſolvit. *Serm. 3. Dom. 11. Pentec.*

4. *Pœnitentia falſa Judæ expenditur ad literam, & moraliter.*

Videns Judas, &c. pœnitentiâ ductus, retulit 30. argenteos, &c. dicens: peccavi tradens ſanguinem juſtum. Ecce Judas poſt tot impulſus, & excitationes ad pœnitentiam à Chriſto immiſſas: tandem pœnitentiam amplexus eſt; nam pœnitentiâ ductus, retulit 30. argenteos, dicens: peccavi tradens ſanguinem juſtum. Ecce Judas pœnitens, & tamen damnatur, quomodò? verè, primâ facie hoc valde mirum eſt: nam qualificata valde videtur talis Judæ pœnitentia: primò enim corde pœnituit: ſecundò retulit pretium ſanguinis male acceptum. Tertiò confeſſus eſt innocentiam Chriſti Ieſu Judæis: & tamen cum tanta pœnitentiâ non eſt ſalvatus, imo damnatus. O Iudicia Dei incomprehenſibilia. Sed attende ad qualitatem pœnitentiæ proditoris, quæ licèt videatur vera, ſancta, & fructuoſa, tamen verè non fuit talis; ſed falſa, & propria damnatorum: duplex enim pœnitentia datur, alia bona, alia mala: bona quam pœnitet pro offenſa Dei, cum animo Deo ſatisfaciendi, & cum fiduciâ obtinendi ab ipſo veniam: mala quam pœnitet de malo, non prout eſt offenſa Dei, ſed ut eſt læſiva naturæ, & eſt cum affectione ad malum: vel ſine fiducia, & ſpe obtinendi veniam; & hæc eſt deſperatorum: talis fuit in Judâ, & eadem eſt in damnatis, de quibus dicitur *ſap. cap. 5.* eum pœnitentiam agentes, & præ an-

guſtiâ ſpiritus gementes, &c. *L.4.d.14. p.2.dub.4. a.1.q.3. in ſup.c.5.*

5. *Deſperatio maximum omnium peccatorum.*

Et projectis argenteis, abiens laqueo ſe ſuſpendit. Scilicet ob deſperationem: & hoc eſt maximum inter omnia peccata: quando ſcilicet deſperatio venit non ex pura puſillanimitate, & infirmitate, ſed ex malitia; ideſt quando quis credit ſuum peccatum excedere, non divinam miſericordiam, ſed limites veniæ omnis poſſibilis; vel quando quis ſubvertit in ſe totaliter confidentiam in Deum ſicut evenit in Iuda. & Cain: Et hoc peccatum eſt in Spiritum ſanctum graviſſimum, quo læditur fides de divina miſericordiâ, tollitur ſpes, & charitas. *L.2.d.43. dub.3. a.3. qu. 2. op. Comp. Theolog. l.3. ca.25. & ſermon. 2. Dom. 19. Pentecoſt.*

6. *Avaritia quam periculoſa in Religioſis.*

Et projectis argenteis, laqueo ſe ſuſpendit. Ecce ad quale barattum avaritia duxit Iudam, qui poſtquam omnibus renuntiaſſet, ut Chriſtum ſequeretur; attamen avaritiâ deceptus, fur evaſit, & Chriſtum tradidit, & tandem laqueo ſe ſuſpendit. O audiant hoc religioſi, ne laqueo avaritiæ ſinant ſe captivari. Sunt autem multi iſtorum, qui poſtquam ſæculo abrenunciaverunt, & ab ejus laqueis erepti fuerunt rurſum involvuntur avaritiæ rebus, & inſatiabiliter ſitientes res alienas, qui prius proprias contempſerunt, tandem cum Iuda proditore, fures rerum monaſterii, & aliorum facti, laqueo avaritiæ ſuſpenduntur in inferno. *Op. de prob. religioſ. l.1c.34.*

7. *Eccleſiæ, & religio ager ſanguinis eſt in ſepulturam peregrinorum expoſitus.*

Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum; propter hoc vocatur ager Haceldama, hoc eſt ager ſanguinis. Vide ſcrupulum iſtorum hypocritarum, qui putaverunt non licere mittere in corbonam, & gazophilatium Templi iſtos argenteos, quia pretium ſanguinis erat; & poſtea putant ſibi licere ipſo die Paſchatis Chriſtum occidere. O ſtulti, ô impii culicem liquantes, & camelum glutientes, qui vos poſtea ſtrangulabit, hinc divino conſilio factum eſt, ut emeretur ex hoc pretio ſanguinis Chriſti ager in ſepulturam peregrinorum. Quis iſte ager, niſi Eccleſia, & etiam religio, ſanguine Chriſti emptus in ſepulturam peregrinantium in hac terrâ miſerâ? verè enim religio eſt ſepultura collocata in agro Eccleſiæ, in quo eſt theſaurus pretioſiſſimus gratiæ, orationis, religionis, & exercitii virtutum; & in quam naufragi recipiunt ſe de mundo, & Deo holocauſta offerunt. *Ser.7. regat ſer.2. Dom.2. Pentec. & ſer.1. dedicat.*

8. *Impii ſunt ſervi ſervorum Dei: Iuſti ſunt ſervi ſervorum diaboli: utrumque ſervitium eſt ad fabricandam coronas juſtis.*

Ieſus autem ſtetit ante præſidem. Nota hoc verbum ſtetit; per quod indicatur firmitas, ſecuritas, & veluti quoddam dominium nam perſecutores ſunt veluti ſervi juſtorum; quia ipſis ſerviunt, ſicut dixit Iſaac ad Eſau: tu ſervies fratri tuo; ſcilicet non obſequêdo, ſed perſequendo: ſic enim ut mercenarii juſtorum fabricant coronas, eoſque purgantes à ſcoriâ peccati, ad præmium cæleſte diſponunt, & conducunt: unde rectè poteſt dici, quod juſti ſubjecti ſervis diaboli, ipſis utuntur, ipſorumquè miniſterio ad ſui profectum, & ad divitias cæleſtes acquirendas. Ex hoc ſequitur, quod tribulatio, perſecutio, & mors non contra electos, ſed pro eis à Deo immittitur velut adjumentum contra amorem præſentis vitæ, & veluti nuncius gratiſſimus, de præſenti miſeriâ vocans ad fælicitatem æternam. Ideo juſti exemplo Chriſti, qui non ſolum ſervus ſervorum Dei, ut Papa, ſed & ſervorum diaboli, voluit agnoſci, ſtare debent ſecuri ante Tyrannos, & non cadere per timorem. *Pſal.134. ſer.2. de S. Ant. patav ſer.5. Dom.1. Adv. in Luc.c.23.*

9. *Iudices inſtruuntur in ſuo munere ad inquirendam veritatem.*

Interrogavit eum Præſes tu es rex Iudæorum dicit illi Ieſus: tu dicis. Nota, quod Judæi de tribus accuſabant Chriſtum. Primò, quòd gentem Judæorum ſubvertebat. Secundò, quod prohibebat tributa dare Cæſari. Tertiò, quod ſe regem Judæorum dicebat. Pilatus autem primis duobus criminibus rejectis quia ſciebat eſſe falſa, ſolùm de tertio interrogat, tamquam de graviori, & ad Præſidem Cæſaris attinenti: Cui reſpondit: Tu dicis, moderans hanc reſponſionem, nec affirmando, nec negando. Et cum addiderit apud Joannem, ſe veniſſe, ut teſtimonium perhiberet veritati, voluit indicare, quod crimen, propter quod ipſum Iudæi accuſabant, erat veritas. q.d. Ego ad veritatem docendam natus ſum, & veni, veritas odium Iudæorum peperit: & cum iterum interrogatus eſſet à Pilato: quid eſt veritas; abſque eo, quod expectaret reſponſionem, ad Iudæos pergit. In quo facto patet, Pilatum benè inchoaſſe judicii telam, inquirendo veritatem; ſed peſſimè terminaſſe; quia cum inſiſtere deberet in cognitione veritatis: ipſam deſeruit, & ad Judæos impios inimicos Chriſti, & falſarios receſſit. O attendant ad hoc Judices, ne ad imitationem Pilati reos abſolvant, & condemnent innocentes: quærant veritatem veraciter, & ſecundum eam judicent. *In Luc. cap.23. v.2. ſeq. in Ioan.c.18.*

10. *Silentium Chriſti coram Præſide, & Herode expenditur ad noſtram inſtructionem.*

Et non reſpondit ad ullum verbum, ita ut miraretur præſes vehementer. Nota, quòd hic proponitur ſilentium mirabile Chriſti, dum coram Pilato interrogaretur ſuper objecta crimina: ſicut & apud Lucam oblatus coram Herode, nihil reſpondit,

pondit, interrogatus multis ſermonibus. Quæritur hic cur Chriſtus tam mirabile ſilentium ſervaverit? Et reſpondetur, quod Pilato non reſpondit, quia non erat idoneus ad veritatem ſuſcipiendam; tum ne impediret ſuam paſſionem; tum quia nihil profeciſſet reſpondendo; nec Herodi tamquam indigno, & tantum ob curioſitatem interroganti reſpondit ullum verbum. Dans nobis exemplum humilitatis, & patientiæ in perſecutionibus contra nos illatis. *In Luc. c.23. v.5.& 9.*

11 *Expenditur iter Chriſti Ieſu ex uno tribunali ad aliud.*

Ieſus autem ſtetit ante Præſidem &c. Addit S. Lucas, & S. Ioan. quòd *Pilatus remiſit eum ad Herodem &c. Herodes autem remiſit eum veſtitum veſte albâ ad Pilatum &c.* Vide ex his qualiter Dominus Ieſus non ſolùm malefactor, ſed & ſtultus ab omnibus eſt reputatus: & ipſe omnia patientiſſimè tolerabat. Intuere hic dum ducitur, & reducitur, cum demiſſo vultu, & verecundè incedentem, & omnium clamores, convitia, & ſubſannationes audientem; & fortè lapidum percuſſiones, & immunditiarum aliarum fœtores ſuſcipientem: & etiam Matrem, & ſuos intuere diſcipulos cum incredibili mœrore à longe ſtantes, & inde ipſum ſequentes. Sicque triplicitèr illuſus fuit Chriſtus; ſcilicet à Iudæis ex malitiâ, ab Herode ex arrogantiâ, & à militibus ex ignorantiâ. *Op. medit. c.76. in Luc. c.22.* Notant autem hic expoſitores ad illa verba Lucæ: *& facti ſunt amici Herodes, & Pilatus; nam antea inimici erant ad invicem*, quod non ſine peculiari emphaſi hæ principum iſtorum amicitiæ, & inimicitiæ ab Evangeliſta deſcriptæ ſunt; nam qui inimici erant ad invicem, facti ſunt amici, cui non additur ad invicem. Cur hoc diſcrimen? hoc eſt quia amicitia colligata fuit Chriſti ſanguine, ſcilicet oppreſſione pauperis, & innocentis; ideo non poterat eſſe firma, & conſtans: ideo qui inimici erant ad invicem, non ad invicem facti ſunt amici; quia fundata erat amicitia in ruinâ innocentis, non in charitate.

12. *Propoſitio, & comparatio inter Chriſtum, & Barrabbam expenditur facta à Pilato, à Iudæis, & à divinâ juſtitiâ & miſericordiâ.*

Per diem ſolemnem conſueverat Præſes populo dimittere unum vinctum, quem voluiſſent: habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barrabbas &c. quem vultis vobis de duobus dimitti? &c. at illi dixerunt Barrabbam. Nota primò, quod hoc nomen Barrabbas poteſt ſcribi per duo, *r.* vel per unum; & per duo *b.* vel per unum. Barabas interpretatur filius magiſtri Barrabas filius Patris. *Bar.* enim dicitur filius, *rabas*, ideſt Magiſter: & *abbas*, pater: ſed convenientius legitur Barrabbas, quia ſignificat diabolum eligendum à Iudæis, repudiato Chriſto, ſignificat & maximum peccatorem (qualis erat iſte, ſcilicet ſeditioſus, homicida, latro inſignis) qui filius eſt Patris diaboli. Iſtum autem propoſuit Pilatus cum Chriſto Jeſu Populo: quem vultis vobis de duobus dimitti? optionem dans populo, ut alterum ad vitam, alterum ad mortem eligat. O horrendum honoris, & vitæ certamen, ſed in hoc caſu quid faciet, quem eliget Populus? ſed nihil eſt dubii prima facie: quis latronem, & homicidam eliget? quis fontem bonorum omnium damnabit? abſque dubio eligent Chriſtum Judæi: & forſitan elegiſſet populus, niſi perditi homines, hoc eſt Principes ſacerdotum, & ſeniores Barrabbam petere ſuaſiſſent. Vide hic in æquâ lance poſitum ex una parte Chriſtum, & ex altera Barrabbam: ſed quia video in lance Chriſti onus, & pondus amoris Chriſti in genus humanum: video in ea peccata noſtra, & ipſius Barrabbæ incomparabiliter aggravantia: hinc hæc vox una totius populi fuit: crucifigatur Chriſtus. O grandis, & ſumma impietas, vitam reddere deſtructori, & auferre vitam fonti totius vitæ. O impii, quia pro Jeſu latronem, pro ſalvatore interfectorem, pro datore vitæ ademptorem elegiſtis; meritò ſalutem perdidiſtis, & vitam. O quoties in tali comparatione inter Chriſtum, & diabolum, homo eligit Chriſtum, & eligit diabolum. Sed attende ad aliud myſterium. In judicio Dei propoſiti ſunt à juſtitiâ, & miſericordâ latro, & homicida ſuipſius; ſcilicet peccator, & Chriſtus Jeſus, Reus & homo innocentiſſimus: quem vultis vobis de duobus dimitti? Ecce, quod utraque clamabat crucifige eum; ſcilicet innocentem, & abſolve reum: crucifige Dominum, & abſolve ſervum; nam in hac crucifixione & miſericordia, & juſtitia ſplendeſcet. Sed quid mali fecit? nihil ille mali fecit, ſed omnia mundi mala culpæ abluenda in ſe recepit. O mirabilia arcana divinæ pietatis, & juſtitiæ! hoc totum factum eſt ex dignativa pietate, bonitateque Dei noſtri, ſic exigentibus peccatis noſtris. *In Luc. c.23. v.17. ſeq. In Ioan. c.18. op. medit. c.2.& 76.& lignum vitæ.*

13. Nota etiam hic, quod hoc factum applicant varii Patres ad mores pro electoribus, ne ob invidiam, vel alium finem perniciosum, relicto innocente, & benemerito, eligant Barrabbam, ſcilicet virum ſeditioſum, facinoroſum, crudelem, clamoſum, cupidum, ſibi ſimilem ſceleſtum, quia quales electores, talis electus. *In Ioan. c.18. Ugo Card. hic.*

14. *Invidia tinea eſt rodens, & tollens omnem miſericordiam à corde invidi.*

Sciebat enim Pilatus, quod per invidiam tradidiſſent eum. Nota, ly, propter invidiam; ut videas, quod invidia reddit invidum omnino immiſericordem; & feræ ſimilem: nam propter invidiam iſti impii auctorem vitæ petunt ad mortem, virum homicidam, ſeditioſumque latronem ſervant ad vitam; lupum agno, mortem vitæ, luci tenebras tam ſtultè præferentes, quam impiè. *Op. Diaſt. tit.1. c.4.& lignum vitæ in ſap. c.14. ſer.2. Dom. quinquag. ſer.2. Dom.11. Pentec.*

15. *Chriſti innocentia teſtimonio Iudicis Pilati, & uxoris Pilati declarata.*

Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad illum uxor ejus, dicens: nihil tibi, & juſto illi; multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum, &c. quid enim mali fecit, &c. Nota, quòd Pilatus voluit ſubterfugere condemnationem Chriſti, quia cognoſcebat, & fatebatur ejus innocentiam: hocque conatus eſt ſeptem modis; ſcilicet examinatione fori, allegatione innocentiæ, oblatione miſericordiæ, oſtentatione ſuæ voluntatis, declaratione, quod eſſet contra rationem, inflictione flagellationis, & tandem retorſione culpæ in judaicam plebem; ſed tamen inflexus eſt ad iniquiſſimam ſententiam ob inordinatum amorem complacentiæ populi, quæ retrahit à veritate. & ob timorem ne incurreret offenſam Cæſaris. O iniquiſſime judex, non judex, ſed proditor juſtitiæ, dum contra innocentem profers ſententiam: quæ injuſtitia magis aggravatur ex hoc, quod uxor ejus miſit ad illum, teſtificans ejus innocentiam propter ſpectra horrenda viſa per ſomnium in illa nocte: hæc autem ei immiſſa fuere, vel à dæmone, ut dicunt aliqui SS. Patres, ut per uxorem Pilati paſſio Chriſti non eveniret; quia præſentiebat ſe per mortem ejus nudandum, & amiſſurum ſpolia humani generis; vel ab Angelo bono, ut probabilius alii aſſerunt, ut magis nota fieret innocentia Chriſti, *Sic D. Auguſ. In Luc. c. 23. v. 23. ſeq. & S. Auguſt. ſer. 121.*

16. *Chriſti flagellatio expenditur.*

Dimiſit illis Barrabbam: Jeſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur. Hic diſquirunt interpretes, an Chriſtus flagellatus fuerit bis, an una tantum vice? ratio dubitandi eſt, quia primò permiſit Pilatus, ut Chriſtus flagellaretur, credens ſatisfacere furori Iudæorum, & mediante hac flagellatione, liberare eum. Secundò, quia lex erat Romanorum, ut nemo adjudicaretur morti niſi prius flagellis verberaretur; quamobrem Romanis magiſtratibus lictores præferebant faſces virgarum ſecuribus alligatos: faſcibus autem ſolutis, primò virgis cædebant damnatum, mox ſecuri feriebant. Cum autem Pilatus prima vice flagellari permiſit, id fecit, credens præſervaturum eſſe Chriſtum à morte: poſt verò, inſtante populo, cum condemnaſſet Chriſtum crucifixioni, debuit ipſum, ſecundum legem Romanorum flagellatum denuo deſtinare ad mortem, hanc opinionem ſequuntur Gerſon, Arias Montanus, & alii: ſed verisimilius alii cenſent una vice fuiſſe flagellatum, haneque ſuffeciſſe flagellationem pro obſervantia legis Romanorum. Flagellatus autem fuit Chriſtus ligatus ad columnam, ſicuti mos erat apud Romanos. An autem columna, ad quam fuit Chriſtus ligatus, fuerit alta uſque ad pavimentum, ſeu tabulatum ſuperius, an verò ſolùm uſque ad cingulum tantùm, eſt etiam in quæſtione; nam in Eccleſiâ S. Praxedis Romæ oſtenditur columna, ad quam in flagellatione ligatus fuit Chriſtus, cujus altitudo non excedit cingulum hominis, aliqui dicunt eſſe talem columnam tantùm partem, vel fragmentum illius, ad quam fuit ligatus. Alii dicunt, quod (*& Seraph. Doct. videtur aſſerere in op. medit.*) ad duas columnas fuiſſe ligatum: ad alteram in atrio in nocte antecedente paſſionem, ubi multa opprobria paſſus eſt à militibus: ad alteram in flagellatione, non excedentem cingulum ipſius: Sed quomodocumque ſit, verum eſt, Chriſtum alligatum fuiſſe ad columnam marmoream, & ibi flagellatum fuiſſe. *Op. medit. & lignum vitæ.*

17. *Chriſti horrenda flagellatio iterùm expenditur.*

Jeſum vero flagellatum tradidit Pilatus. Nota quod in his duobus verbis (Jeſum flagellatum tradidit) exponitur menti noſtræ cumulus, imò mare plenum divinorum myſteriorum, proponitur autem Chriſtus flagellatus, ut hinc inquiramus qualis fuerit hæc flagellatio; an ſcilicet fuerit flagellatus ſecundùm legem Hebræorum *Deut. 25.* quæ præcipiebat, ut verbera non excederent numerum quadragenarium, an verò ſecundùm legem Romanorum in qua non erat numerus præfixus: omneſque P.P. dicunt fuiſſe flagellatum more Romanorum, Chriſtus autem revelavit B. Birgittæ vulnera horribilia fuiſſe. *475.* & hoc permiſit Pilatus, addita etiam feritate Iudæorum, & miniſtrorum, ut Iudæos ad miſericordiam poſſet flectere ipſo intuitu miſerando. Flagellatus autem fuit à planta pedis uſque ad verticem. Unde Euſebius, & Chryſoſtomus ſuper illa verba. *Iſa. 53. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum*, dicunt apud S. Vinc. quod iſta diſciplina fuit triplex; dura, quia virgis ſpinoſis, & nodoſis: durior, quia flagellis nodoſis, ſcilicet aculeatis: duriſſima, quia catenis contextis ſtellulis, & aculeis ferreis; & is corpus ejus flagellatum eſt uſque ad coſtas; ita ut coſtæ ejus viderentur, & quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur. Conſpice hic anima, quomodo Dominus Jeſus ligatus eſt ad columnam: ſtat nudus coram omnibus: juvenis, elegans, & verecundus, ſpecioſus forma præ filiis hominum, ſuſcipit flagella ſpurciſſimorum dura, & dolorosa caro illa innocentiſſima, & teneriſſima, mundiſſima, & pulchertima: flos omnis carnis, & totius naturæ humanæ repletur livoribus, & fracturis: fluit undique regius ſanguis de omnibus partibus corporis: ſuperadditur, reiteratur, & ſpiſſatur livor ſuper livorem, & fractura ſuper fracturam quouſque tam tortoribus, quàm inſpectoribus fatigatis, ſolutus eſt, revelatum autem fuit S. Birgittæ, quod unus Eques Romanus concitato in ſe ſpiritu, quæſivit numquid interficietis eum ſic injudicatum & ſtatim acceſſit ad Chriſtum, & enſe, vel gladio ſecuit vincula ejus; & Chriſtus, cæcidit præ debilitate in terram, totam madefactam ſanguine. Columna autem, ad quam ligatus fuerat, tota cooperta ſanguine erat. Hæc ergo diligenter, ô anima conſidera per longam moram; & ſi hic non compateris, cor lapideum puta te habere, tunc impletum eſt, quod ait *Iſai. c. 53. vidimus eum, & non erat aſpectus, & reputavimus eum quaſi leproſum, & humiliatum à Deo.* O Domine Jeſu, quis fuit tam audax, & tam temerarius, quis te ſpoliavit? Et qui illi audaciores, qui te ligaverunt? & qui illi audaciſſimi, qui te tam duriſſimè, & diriſſimè flagellaverunt? ſed tu ſol juſtitiæ tuos radios ſubtraxiſti, & ideo factæ ſunt tenebræ & tenebrarum poteſtas: omnes ſunt te potentiores. Amor tuus, & iniquitas noſtra ſic te imbecillem fecerunt,

maledictæ

maledicta ſit tanta iniquitas pro qua ſic affligeris. Et nos perditi homines, totius confuſionis, & contritionis hujus cauſa exiſtentes quomodo non in fletum non erumpimus foras? Ecce innocentiſſimus agnus, ut nos à ſententia juſtæ damnationis eriperet, injuſto propter nos judicio elegit condemnari: Ecce quæ non rapuit, pro nobis ſoluit. O anima mea ingrata, nequam, & impia, nec devotionis ex ſolvis gratitudinem, nec compaſſionis rependis debitum. *Op. medit. c. 76. lignum vitæ tit. Jeſus mortis damnatus. In Luc. cap. 23. & in Ioan. c. 19.*

18. *Amoris inventum fuit flagellatio à Pilato ordinata contra Chriſtum.*

Jeſum vero flagellatum tradidit, &c. Quæritur ex quo Pilatus nitebatur liberare Chriſtum, ad quid eum flagellavit? & ad quid permiſit milites ei illuderę? Reſpondetur, quod ad litteram prætendebat tali miſerando ſpectaculo mollire iram Judæorum, ut ejus mortem amplius intentare deſiſterent. Sed tamen altior alia cauſa concurrit ad hanc flagellationem: nempe amor, qui ferventiſſimè reſidebat in corde Chriſti Jeſu; eumque reddidit ſitientem, & deſiderantem ſemper nova flagella, pœnaſque pro nobis pati: Unde audiens amor, quod in propoſitione facta à Pilato populo, quem vultis vobis dimitti, clamabant omnes, crucifigatur, ne complemento paſſionis Chriſti flagellatio deeſſet, unam ex ſuis ſagittis immiſit ad cor Pilati, ut miſeratione frangeretur & ejus liberationem tentaret; & ut hoc obtineret, juſſit flagellari duriſſimè: ergo hoc fuit inventum amoris, ait S. Auguſt cum Seraph. Doct. & B. Juſtiniano: qui amor, & charitas, ligare potuit Chriſtum, eumque nudum flagellatum reddere. O charitas quam magnum eſt vinculum tuum, quo Deus ligari ad columnam, & flagellari potuit. *Op. medit. cit. In Luc. c. 23. in Ioan. cap. 19. & D. Auguſt.*

19. *Expenditur iterum flagellatio vera, & myſtica Chriſti.*

Jeſum verò flagellatum tradidit. Fuit quidem Chriſtus ante crucifixionem flagellatus: Sed quomodo dicit in *Pſal. 72. & fui flagellatus tota die?* Forſan per totam diem duravit hæc flagellatio. Sed attende ad myſterium, tota die: ideſt toto tempore vitæ meæ. Sed qualiter id dicitur verè? Nota, quod hic pro flagellatione ſumitur omne genus paſſionum, quibus ſubjecit ſe Chriſtus, ab inſtanti autem ſuæ conceptionis incœpit ejus paſſio; ideo nullum fuit momentum, in quo Chriſtus non pateretur: Nominat autem flagellationem peculiari modo, quia talis pœna fuit inter cæteras acrior, & dyriſſima, per quam totum corpus conciſum, unum continuum videretur eſſe vulnus: quia Chriſtus noſtras voluptates, concupiſcentias, ſceleraque omnia, quæ plurima, & gravia erant, hac flagellatione luere, & expiare voluit, ſimulque nobis, & martyribus præcipuè paravit robur, & vires ad flagellationes quaſlibet fortiter tolerandas. Alia etiam ratio ſuperadditur, quare hic ſpecificat præcipuè flagellationem (& fui flagellatus tota die:) quia, cum dicatur *Exod. 5 de Pharaone*, quod flagellis cædebat continuè Iſraëlitas; ſic diabolus flagellis tribulationis multos ſibi ſervire cogit, dum propter inopiam alii furantur, vel perjus faciunt, alii propter anguſtias blaſphemant; alii propter injurias odiunt; & occidunt: unde quibus perverſis, tamquam flagellis ùtitur diabolus & lingua mala: ideò iſta flagellum diaboli dicitur. Contra hæc flagella Chriſtus flagellatus eſt, ut nos à flagellis dæmonum erueret: & ſicut diabolus flagellis ſuis inducit pronitatem; multiplicitatem, & diuturnitatem in peccatis: ideo Chriſtus ad ſatisfaciendum contra pronitatem, promptus fuit ad flagella, dicens *Pſalm. 37. ego in flagella paratus ſum:* contra multiplicitatem peccatorum: multiplicata ſunt ſuper me flagella; ſcilicet verberum, verborum, & operum. (Nota ad hanc rem, revelatum fuiſſe S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis quod Chriſtus à triginta paribus hominum, hoc eſt à ſexaginta miniſtris fuit flagellatus; cum alii aliis, novi ſuccederent; ſic in ejus vita p. 6. pag. 512.) item contra diuturnitatem diu flagellatus eſt verberibus, & verbis: fuit flagellatus, ait, tota die, flagellis enim linguæ flagellatus eſt ab hora captivitatis ſuæ, uſque ad horam mortis. Et quod peius eſt, nec adhuc eſt terminata ejus flagellatio; quia à malis Chriſtianis flagellis peioribus cæditur, quam à Judæis; nempe blaſphemiis, impudicis verbis, injuriofis carnalitatibus, & aliis ſceleribus. Non ergo chariſſimi evacuemus effectus in nobis divinæ flagellationis quam ſuſtinuit pro nobis: Non flagellemus rurſus Filium Dei per delectationem peccati: mitigandus eſt ejus dolor, non amplius innovandus. *Serm. 1. & 2. Dom. quinquag. & ſer. in Paraſcev. op. de perfec. vitæ, c. 6. In Luc. c. 23. in Ioan. cap. 19.*

20. *Sententiæ mortis Chriſti expenditur.*

Pilatus tradidit eis Jeſum flagellatum, ut crucifigeretur. Quomodo tradidit? tradidit ut Judex per ſententiam eum condemnando ad mortem crucis. Nota autem, quod non dicit: tradidit illum ut crucifigerent; ſed ut crucifigeretur; & tali modo loquitur, quia voluit indicare, quod morti tradebatur quidem judicio, & poteſtate præſidis; ſed etiam voluit Judæos crimine implicare, à quo alieni eſſe conabantur: non enim hoc faceret Pilatus, niſi, ut id quod eos cupere cernebat, impleret: ex quo patet Judæorum malitia, in accuſando ex invidia, patet etiam Judicis injuſtitia qui timore inductus, tradidit Chriſtum innocentem Judæis ad occidendum; patet & militum avaritia, qui pecuniarum gratia omnia audebant. *In Ioan. cap. 19.* Addimus hic ex Adrichomio *in deſcript. Jeruſalem pag. 163.* tenorem ſententiæ prolatæ à Pilato ſedente in tribunali, fuiſſe ſequentem: Jeſum Nazarenum ſubverſorem gentis, contemptorem Cæſaris, & falſum meſſiam, ut majorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt, ducite ad communis ſupplicii locum; & cum ludibrio regiæ majeſtatis, in

medio duorum latronum crucifigite : quæ ſententia iniquiſſima, injuſtiſſima,& falſiſſima fuit : cum in hoc judicio accuſaſſet invidia, teſtificaretur odium, crimen eſſet innocentia, corruptor timor, condemnaret ambitio, & plecteret injuſtitia.

21. *Coronatio ſpinea Chriſti expenditur.*

Tunc milites præſidis ſuſcipientes Jeſum in prætorium (in atrium prætorii, ait S. Marcus) congregaverunt ad eum univerſam cohortem, & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput ejus. Nota, quod S. Matthæus,& Marcus Chriſtum ſpinis coronatum videntur ſignificare poſtquam condemnatus eſt : ſed tamen hæc dicta ſunt per recopilationem ; nam ex Joanne patet, coronatum fuiſſe ante condemnationem, & ſtatim poſt flagellationem : nam ſtatim ex petulantiâ militum, Pilato non jubente, ſed ſolùm permittente, ut facilius moveret Judæos ad commiſerationem, ſicque ipſum à morte liberaret, indutus fuit clamide ſericâ rubeâ, ſimul & coccineâ, turpi tamen, & lacera, & ſpinis acutiſſimis, & duriſſimis coronatus. Cerne hic anima Jeſum in ſingulis actibus, & afflictionibus ſuis quia omnia facit, & ſuſtinet, quæ iſti impii volunt : Purpuram ſuſcipit, ſuper caput ſpineam coronam portat, arundinem manu tollit, & ipſis genuflectentibus, & ut regem ſalutantibus tacet, & patientiſſimè obmutescit. Cerne qualiter Chriſtus eſt nunc in amaritudine cordis ; & quomodo caput ipſius plenum ſpinis, arundine ſæpe percutitur Et vide quomodò depreſſo collo cum dolore tam magno acerbos ictus tunc ſuſcipit : perforabant namque caput illius ſactatiſſimum acerbiſſimæ illæ ſpinæ, ac totum madere faciebant ſanguine O miſeri quomodò tremendum adhuc apparebit vobis illud caput regale, quod vos nunc percutitis ? illudebant autem ei tamquam regnare volenti, & non valenti. Omnia autem ſuſtinet, quia eorum ſævitia nimia erat : ſed nec illis ſuffecerat, quod ad majorem illuſionem totam cohortem congregaverunt ; ſed & coram ipſo Pilato, & toto populo adducunt eum foras publicè ſic illuſum, & portantem ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum. *Op. meditation. cap.76. & lignum vitæ.*

22. *Chriſti dolores in hac coronatione iterum expenduntur.*

Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus. Nota ad litteram, quod cauſa hujus coronationis ſpineæ, fuit ut milites Chriſtum quaſi falſum regem Judæorum illuderent,& cruciarent. Qualis autem fuerit ejus multiplex dolor in hoc tormento, impoſſibile eſt exprimere; ſpinæ enim erant acutiſſimæ, & infixæ ejus capiti, & plures ex ipſis penetrabant uſque ad cerebrum, in quo eſt omnium nervorum, & muſculorum ſenſuum,& ſenſationum fons, & origo : ibi enim viget ſenſus tactus, ac intimè ſentit dolores, & puncturas, etiam leviſſimas, & minimas. Inſpice ergo ô anima quomodò ſuper dolorem flagellorum,additas, atque cumulatas dat nobis Dominus pœnas ſuas, & dolores, ut nos illi cumulata reddamus obſequia noſtra : ut ejus paſſionem copulemus noſtra compaſſione. *Op. medit.& lignum vitæ cit.& de perfec. vitæ c. 6. & faſciculi.& ſer.1.& 2.quinquag.*

23. *Chriſtus à peccatorum noſtrorum ſpinis durius confixus, quàm à ſpinis materialibus.*

Et plectentes coronam de ſpinis, &c. Cerne iterum, ô anima, Chriſtum totum in capite ; in facie, in capillis ſanguine coopertum, qui ſanguis ex puncturis exibat : ſed intrinſecus penetra ad animam ejus, & vide ipſam totam, & durius confixam ſpinis peccatorum noſtrorum, quæ ipſam diriſſimè penetrabant uſque ad viſcera, & dolorem immenſum ei ingerebant. In hac enim corona ſpinea ſuſcepit Dominus ſpinas peccatorum noſtrorum intextas in capite ſuo. *S.Bon. loc. cit.* Unde ad hoc facit id, quod *Cant. cap. 5.* dicit Chriſtus aperi mihi ſoror mea ; quia caput meum plenum eſt rore ; & cincinni mei guttis noctium : q. d. Aperite mihi cordium fores, excipite caput meum plenum ſanguine, rore ex ſpinis manante, vulneribus plenum, guttis noctium : ideſt peccatorum noſtrorum,& tenebrarum noſtrarum.

24. *Chriſtus non ſolùm in capite, ſed totus ſpinis coopertus, ut nobis in Mundo toto ſpinis cooperto, & pleno, viam planam ad Cælum pararet.*

Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus. S Marcus ſic legit : *& imponunt ei plectentes ſpineam coronam.* Ubi non exprimit,quod in capite fuerit coronatus : nec id vacat myſterio : nam non ſolùm Chriſtus totus coopertus fuit ſpinis in capite, ſed in toto corpore, & animâ. Spinæ autem ſunt punctiones pœnarum, & dolorum, quæ paſſus eſt per totum tempus vitæ ſuæ : Unde dicitur *Cantic.3. Egredimini,& videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua.* hæc Mater, quæ poſuit Chriſtum in corona ſeu potius in lecto ſpineo fuit Judaica ſinagoga, ſcilicet humanitas noſtra. Terra enim tota repleta erat ſpinis peccatorum,ſicut dicitur *Prov. cap. 14. & ad Hebr. cap.6.* Chriſtus autem venit, ut nobis per has ſpinas pararet viam planam, & facilem ad paradiſum ; ideo per ſpinas tranſivit, & totus ſpinis, & pœnarum, & vulnerum coopertus aperuit : ſicque tot pœnis voluit reddere terram animæ bonam,& optimam, ut recipiendo ſemen cæleſte,gigneret fructum optimum. *In Luc. c.8.n.7. In Ioan.c.19.v.2.*

25. *Chriſtus invitat ſuis ſpinis nos ad plectendum nos ipſos ſpinis pœnitentiæ.*

Et plectentes coronam,&c. Vide quomodò apparuit Chriſtus coopertus ſpinis; ut hinc addiſceremus, quod non decet ſub capite ſpinis coronato, membra eſſe delicata (ait S. Bernardus :) & ut excitaret nos ad pungendam & domam

demandam carnem jejuniis, ciliciis, disciplinis, *S. Bonav. cit. & ser. 1. & 2. in Paraſc.* Hinc S. Catharinæ ſenenſi obtulit Chriſtus duas coronas, unam ſpineam, alteram gemmeam, dans et optionem eligendi utram vellet; ſed hac lege, ut ſi unam eligeret in hac vitâ, alteram ejus vice reciperet in futuro; moxilla arripiens dè manu Chriſti ſpineam coronam, capiti ſuo infixit adeo valide ut per plures dies capitis dolores ſenſerit, ideoque jam pro ſpineâ gemmeam in Cœlis recepit. Et de S. Agapito Martyre legitur, quod cum eſſet quindecim tantùm annorum, & capiti ejus prunæ ardentes imponerentur, memor ſpineæ coronæ Chriſti, exultans ajebat: parum eſt in terra caput aduri, coronandum in Cœlo quàm decorè corona gloriæ ornabit caput afflictum pro Chriſto? Idem & cogita ô Chriſtiane quiſquis capitis dolores, angores, gravedines, moleſtias, tentationes, tribulationes pateris, cogita Chriſtum unam è ſpinis coronæ ſpineæ ſuæ tibi communicare.

26. *Corona ſpinea Chriſti invitat ſpeciali modo religioſos ad contemptum Mundi.*

Et plectentes coronam de ſpinis, &c. Nota, quòd hæc corona ſpinea capiti Chriſti impoſita, oſtendit quàm perfectè contemneret Mundum, ut de ipſo triumpharet: ad quem ſpeciali modo invitantur ſacerdotes, & religioſi: & hinc eſt, quod tonſura ſua in capite, veluti inſigne contemptus Mundi inſtar coronæ, quam geſtant in capite, repræſentat talem contemptum. *Vide l. 4. d. 24. p. 1. a. 1. per tot. ſcr. 1. Dom. palmar.*

27. *Chriſtus coronâ ſpineâ, & purpureâ veſte condemnat noſtram ſuperbiam, & jactantiam.*

Milites chlamydem coccineam, &c. & plectentes coronam, &c. Cur voluit Chriſtus purpureâ, vel coccineâ veſte indui; ſcilicet tincta duplici colore purpureo, & coccineo, ſimulquè ſpineâ corona in capite coronari? Nonne purpura, Imperatorum, & regum indumentum eſt? ſed quia hæc veſtis, qua Chriſtus indutus eſt, erat vilis & detrita, & coronæ ſpineæ proportionata; hinc, non ſolùm voluit flagellari ad ſatisfactionem pro delitiis, & laſciviis noſtris, ſed etiam corona ſpinea coronari ad ſatisfaciendum pro elatione humanæ ſuperbiæ, & in veſte purpurea ad ſatisfactionem pro pompoſa jactantia noſtra: Ideo tali demonſtratione percutit Chriſtus noſtram laſciviam, ſuperbiam, jactantiam, pompoſitatem, & vanitatem. Præterea voluit Chriſtus ſuſcipere in ſe chlamydem coccineam, ut oſtenderet in ſe ſuſcepiſſe ſanguinem, ſcilicet iniquitatem omnium noſtrum; ut hinc excitaremur ad promptè fundendum ſanguinem pro Chriſto quotieſcumque occaſio nobis oblata fuerit. *In Ioan. cap. 19. & ſer. Dom. quinquag. & ſer. in Paraſcev.* Et hinc Cardinalibus data eſt à Pontifice purpura, ut illos moneat pro Chriſto, & Eccleſiâ ſanguinem fundere, cum opus eſt.

28. *Chriſtus in manibus ſumens arundinem pro ſceptro regali, docuit vanitatem, & fugacitatem regnorum Mundi.*

Et arundinem in dextera ejus. Vide quomodò Chriſtus, ut nobis oſtenderet tali ludibrio quam fragile, quam vanum, quam fugax ſit regimen regum, regnorum, & dominium mundanum, voluit tali ludibrioſo ſceptro in conſpectu omnium apparere. *Sermon. in Paraſcev. in Ioan. c. 19. ſic & S. Athan. Typophil. &c.*

29. *Illuſiones à militibus Chriſto facta expendantur ad litteram, & myſticè.*

Et genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave rex Iudæorum: & expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Vide quomodò variis illuſionibus rex, & regum totius cœli, terræquè ſupremum irridebatur. Corona ſpineâ diademata multa Chriſto irridebantur, de quibus *Apoc. c. 19.* chlamyde purpureâ irridebatur veſtis gloriæ luminoſa Chriſti; arundineo ſceptro fragili irridebatur ſceptrum ejus fortiſſimum: Jocoſis adorationibus, Angelorum, hominumque irridebantur adorationes. Etenim cæci illi milites his illuſionibus indicare volebant Chriſtum regno carere, & coronis, regia purpura, ſceptro, regiiſque adorationibus. Quam igitur excuſationem habebimus (ait Chryſoſtomus *hom. 88. in Matth.*) ſi vituperati ad iram concitamur, qui tot, tantaque ſuſtinuiſſe Chriſtum non ignoramus. Sed attendamus ad maxima myſteria, quæ hic elucent. Voluit autem Dominus talibus illuſionibus deſtruere corpus peccati: in peccato enim eſt frontis invetecundia, excludens pudorem, delectationis complacentia excludens dolorem, & elationis ſuperbia excludens timorem, Chriſtus autem ut contraria contrariis curaret, deſtruxit invetecundiam in ſuſtinendo pudorem ſuis illuſionibus, delectationis complacentiam, ſuſtinendo dolorem in flagellatione, elationis ſuperbiam in ſuſtinendo vilificationem in conſpuitione. *Sic ap. aliiſque loc. cit.*

30. *Illuſiones contra Chriſtum repetitæ à Chriſtianis expendantur.*

Et genuflexo ante eum illudebant ei, dicentes: Ave rex Iudæorum. Vide quomodò abyſſus abyſſum invocat; flagellato Chriſto, ſtatim purpurâ induitur, arundo in dextera ejus ponitur, deriſoriè ante eum genuflectunt, corona ſpinea coronatur, & arundine coronam percutiunt, ut altius ſpinæ infigantur capiti. Sed proh dolor etiam à Chriſtianis Chriſtus nunc illuditur; ſuntque illuſores illi, qui voce, & actibus exterioribus Chriſtum honorant; corde vero ipſum contemnunt, ut ſunt illi, qui multa promittunt, ſed omnia diabolo tribuunt: qui exterius ſe humiliant, ſed interiùs pleni ſunt ſuperbia. O quot illuſores Chriſti. *In Luc. c. 14. v. 18. & ſer 1. & 2. Dom. quinquag. & ſerm. 2. in invent. S. Crucis in addit.*

31. *Chriſti tres illuſiones expenduntur.*

Et genuflexo ante eum illudebant. Nota, quod ter legitur Chriſtus illuſus: primò quando ocis-

his

lis velatus percutiebatur à Judæis dicentibus : *prophetiza quis eſt*, &c. ſecundò ab Herode, qui ipſum veſte alba indui fecit. Tertiò quando hic coronatus coronâ ſpineâ, & poſitus in tribunali deriſorio ſalutabatur : *Ave rex Judæorum.* Chriſtus autem aſſumpſit has tres illuſiones contra tres illuſiones diaboli, quibus decipit totum Mundum : illudit autem diabolus in cognoſcendis, in agendis, in appetendis : primò in cognoſcendis per velamen ignorantiæ : in agendis per hypocriſim : & in appetendis, faciendo appetere temporalia pro cæleſtibus. Chriſtus autem contra iſtas illuſiones aſſumpſit illuſiones ipſi factas, ut nobis cognitionem, directionemque, & deſiderium in ſui obſequio mereretur. *Sermon. 2. Dom. quinquag.*

32. *Oſtenditur Chriſtus à Pilato toti populo, dicendo : Ecce homo.*

Hic ſecundum ordinem hiſtoricum ſubnectenda ſunt quæ tacet Matthæus, & ſupplet Joan. ſcilicet Chriſtum ſic flagellatum, ſpinis coronatum, & chlamydatum à Pilato fuiſſe productum, oſtenſumque Judæis, dicendo : *Ecce homo*, ut populum, & principes ad miſericordiam flecteret ; Judæos verò in eum magis efferatos obſtinatè exclamaſſe : *crucifige crucifige ; quia filium Dei ſe fecit.* Pilatus vero hoc audiens dubitans ne Chriſtus eſſet filius Herculis, vel Jovis, vel alterius Dei iterum interrogavit Ieſum : *unde es tu ?* & Jeſu tacente, Pilatus ſubjunxit ſe habere poteſtatem necandi ipſum, cui Chriſtus tunc reſpondens ait : *non haberes in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet*, &c. ideſt permiſſum eſſet deſuper. Conſpice, hic ô anima, quomodò Chriſtus Ieſus ſtat facie ad terram demiſſa coram tanta multitudine vociferante, & clamante *crucifige eum* : & inſuper eum deridente, & inſultante, quaſi ſapientiores eo fuerint ; & quomodo appareat, quod ipſe ſe inſipienter habuerit contra principes, & Phariſæos, qui ad talem miſeriam ſuâ malignitate perduxerunt eum. Conſpice iterum hic ô anima dolores, & pœnas, atque opprobria Chriſti Ieſu. Conſpice, & audi, quod non ſolùm Iudæis ; ſed & toti Mundo dicitur (ait S. Bernardus) *Ecce homo* : conſpice caput noſtrum ſpinis circumdatum, non floribus, ut ipſum imitemur. Expergiſcere, ô Chriſtiane, excute ſocordiam : Ecce homo, ecce Deus, ecce Dei verbum omnipotens majeſtate plenum, ecce exemplar virtutum excellentiſſimarum ; inſpice, & imitare pro poſſe virili? Ecce homo excellentiſſimæ humilitatis : Ecce homo excellentiſſimæ patientiæ : Ecce homo excellentiſſimæ charitatis : excellentiſſimas has, & alias virtutes ſi animadvertas, rubori tibi erit peccata committere nec mediocres ſaltem virtutes comparere. *Op. medit. c. 76. & lignum vitæ & faſciculi c. 7. & de perfect. vitæ c. 6. in Luc. c. 23. v. 22. & S. Bernard.*

33. *Chriſtus iterum innocens oſtenditur, & manifeſtatur à Pilato.*

Videns Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus : vos videritis : Et reſpondens populus, dixit ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Notâ, quod in his verbis patet primò quod mors Chriſti magis principalius impuratur Iudæis, quàm Pilato. Secundò, quod innocentia Chriſti à Pilato publicata fuit toties, & maximè hac vice, quando lavit manus dicens : innocens ego, &c. ipſum appellans juſtum. Tertiò, quod licet Pilatus tot modis vellet Chriſtum liberare, tamen defecit in fine & declinavit contra dictamen juſtitiæ, miſericordiæ, voluntatis ſuæ, & rationis rectæ ad perverſam populi voluntatem diſtortam ſententiam dando ; ſcilicet liberando impium Barrabbam, & condemnando innocentem Ieſum & in hoc typum geſſit iniquorum judicum. *In Luc. c. 23. v. 25.* Hic autem addiſcere debemus, quod ſicut Judæi dicentes : *ſanguis ejus ſuper nos, &c.* imprecaverunt ſuper ſe, & ſuper filios ſuos ſanguinem Chriſti in damnationem ; quæ hæreditas (ait S. Hieron.) adhuc perſeverat ſuper Iudæos : ſic è contra Chriſtianis ejus ſanguis paravit viam ad Cœlum : unde ſæpe piè dicere debent, & clamare ad Cœlum, ſanguis ejus ſit ſuper filios noſtros.

34. *Proponitur Chriſtus damnatus ad mortem, & nudus prius oſtenſus poſtea indutus.*

Et poſtquam illuſerunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum veſtimentis ſuis, & duxerunt, ut crucifigerent. Chriſtus Ieſus poſtquam condemnatus eſt, reducitur intus in prætorium, ſpoliatur purpura, & ſtat nudus coram tanta multitudine, & datur ei reveſtiendi licentia. Attende hic diligenter, & conſidera ſtaturam ejus in ſingulis partibus ; & ut intimè compatiaris ei, & ſimul paſcaris, averte parumper oculos à divinitate, & eum purum hominem conſidera, & videbis juvenem pulcherrimum, elegantem, nobiliſſimum, & innocentiſſimum, & amantiſſimum, totum autem flagellatum, & ſanguine, livoribuſque reſperſum ; pannos ſuos undique projectos ſparſim, de terra colligere, & cum quadam verecundiâ, reverentia, & rubore ſe coram eis, quamvis irridentibus reveſtire, ac ſi eſſet omnium infimus, & derelictus à Deo, & omni auxilio deſtitutus : intuere eum diligenter, & pietate, & compaſſione movearis : & hinc redeas poſt ad divinitatem, & conſidera illam immenſam, æternam, incomprehenſibilem, ac imperatoriam majeſtatem incarnatam ſe flectentem humiliter, ad terram reclinantem, & pannos recolligentem, ſe cum rubore veſtientem, ac ſi eſſet homo viliſſimus, imo ſervus emptitius ſub iſtorum dominio conſtiturus. & ab eis pro aliquo exceſſu correctus, & caſtigatus. *Op. medit. c. 77.*

35. *Bajulans crucem Ieſus Chriſtus ducitur ad Calvarium.*

Induerunt eum veſtimentis ejus, & duxerunt eum, ut crucifigerent. S. Ioan ſic ait : *ſuſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt & bajulans ſibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, hebraicè autem Golgotha.* Vide hic quomodo poſtquam condemnatus Ieſus ad mortem à Pilato, Iudæi ne mortem ejus ulterius differrent, ducunt eum foras, & tunc venerabile lignum crucis longum, & groſſum, & graviſſimum ponunt ſuper humeros

meros ejus, quod agnus manſuetiſſimus patienter ſuſcipit, & portat. Crux autem Domini longitudinis quindecim pedum erat; & ſic ducitur, & acceleratur, & opprobriis ſaturatur: ductus inquam fuit cum ſociis ei deputatis, duobus utique latronibus? Ecce qualis eſt ſocietas Domini Jeſu. O dulcis amator animarum noſtrarum quantam verecundiam vobis faciunt iſti veſtri amici, latronibus vos aſſociant; ſed & deterius faciunt, qui crucem vobis portandam imponunt quod de latronibus ipſis non legitur: unde non ſolùm cum iniquis deputatus eſt, ſed iniquorum iniquior: indicibilis eſt Domine patientia veſtra. Cerne igitur, ô anima, quomodò vadit curvus ſubtus crucem, & vehementer anhelat: compatere ei quantùm potes in tot anguſtiis, & ludibriorum renovationibus poſito. *Op. medit. c.* 77.

36. *Expenditur iterum bajulatio crucis ad Calvarium: ubi de gloria triumphi Chriſti.*

Et bajulans ſibi crucem exivit, &c. O grande ſpectaculum, ait S. Auguſtinus ſi ſpectes impietatem, grande ludibrium videbis; ſi ſpectes pietatem grande myſterium: Impietas videt regem pro virga regni, lignum portare ſui ſupplicii: ſed pietas videt regem bajulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum; in eo ſpernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda ſanctorum. Vide igitur, quod ſicut victores, ita Chriſtus victoriæ ſignum humeris tulit: *factus eſt enim principatus ſuper humerum ejus, ait Iſai.* quia poteſtatem, & ſublimitatem ſuam in humeros extulit: Et dum Pontifices per crucem omninò diſperdendam eſſe gloriam Chriſti, cui invidebant, volebant, contrarium omnino evenit; quia per crucem imperium glorioſum comparavit: Dominus enim regnavit à ligno; ſcilicet à Cruce, & per crucem regnavit. *In Ioan. c.* 19 *v.* 17. *In Luc. c.* 23. *op. medit. cit.*

37. *Chriſtus portat crucem ad Calvariæ locum pro ſe, & pro latronibus, ſcilicet peccatoribus.*

Et bajulans ſibi crucem exivit, &c. Notandum, quod Evangeliſtæ ſolùm referunt, quod Chriſtus oneratus fuit cruce, nec fit mentio, qu d latrones ſuam propriam portaverint: Unde diſquirunt DD. an & ipſi portaverint crucem? communis opinio eſt affirmativa; hæc enim erat praxis inter Judæos, ut malefactores condemnati ad mortem portarent ſuam propriam crucem: ſed tamen dum hoc reticetur ab Evangeliſtis, non vacat maximo myſterio. Dat enim intelligere Spiritus ſanctus ſecundùm ſenſum allegoricum, quod per duos latrones ſignificantur duo populi, Judaicus, & Gentilis; quia utrique Deo per ſuperbiam in Adam voluerunt præripere dignitatem propriam: & ideo Chriſtus in medio iſtorum latronum portat crucem ſuam, ut utrumque populum liberaret à debito mortis, cum Pater poſuerit ſuper eum iniquitates omnium. Conſpice igitur, ô anima, Chriſtum curvum portantem crucem ad calvariæ locum: ſed tamen magis oneratum, & gravatum pondere ruorum peccatorũ, ipſum impellentiũ ad mortẽ. *In Luc. c.* 23. *v.* 32.

38. *Chriſtus ut bonus latro, vaſa diaboli abſtulit.*

Et bajulans ſibi crucem, &c ducebantur autem & alii duo nequam cum, &c. ſcilicet duos latrones. Vide quod non ſine myſterio voluit duci Chriſtus ad mortem inter duos latrones, veluti latro, quia per hoc datur intelligi, quod Chriſtus fuit bonus latro pro nobis: nam tali modo inſidiatus eſt diabolo, ut vaſa ejus auferret, & ut quaſi hamo ipſum caperet, propter quod Dominus comparat ſe furi. *Luc.* 12. *ſi ſciret pater familias qua hora fur veniret, &c. In Luc. c.* 23. *v.* 32.

39. *Chriſtus cum Cruce portavit ad Calvarium omnes virtutes.*

Et bajulans ſibi Crucem, &c. Nota illud verbum ſibi crucem, quid eſt ſibi bajulans, &c. ſibi crucem copulavit cum omnibus ſuis virtutibus: ſecum enim cum cruce portavit ad Calvarium humilitatem, obedientiam, patientiam, charitatem, paupertatem, auſteritatem; & omnes alias virtutes, quas ſecum duxit uſque ad aſcenſum in cruce. *In Luc, cap.* 14. *verſ.* 27. *op. Comp. Theolog. l.* 4. *cap.* 16.

40. *Maria Virgo in itinere ad Calvarium occurrit Chriſto portanti Crucem.*

Et bajulans ſibi crucem, exivit, &c. Dum Chriſtus duceretur ad Calvariæ locum portans crucem, Maria mæſtiſſima Mater, deſiderans iterum videre ſuum dilectiſſimum filium, antequam cruci affigeretur cum propter multitudinem gentium ei appropinquare non poſſet, nec eum videre, ivit per aliam viam breviorem cum Joanne, & ſociabus ſuis, ut alios præcedens ei approximare valeret. Cum autem extra portam civitatis in concurſu viarum eum habuit obvium, cernens eum oneratum ligno tam grandi, quod primo non viderat, ſemimortua facta eſt præ anguſtiâ, ſicque ei verbum nullum potuit dicere, nec Dominus ei. Addunt hic alii contemplativi, quod Maria faciens ſibi maximam vim, cucurrit ad Chriſtum amplexandum, tuncque præ dolore acerbo ambo ceciderunt ad terram ſub cruce; qualis autem fuerit dolor utriuſque in corde, nec lingua nec calamus poſſunt ſatis exprimere, nec mens cogitare; quia pœna, & paſſio utriuſque fuit vehementiſſima; non quidem ſcripta attramento, ſed ſanguine in cordibus ſuis: ſed tunc milites videntes retardari iter Chriſti, impulſu violento projecerunt ad latus viæ Matrem & Chriſtum tellictum in ſuis viribus naturalibus, non amplius valentem portare Crucem, exoneratum, magna cum feſtinatione, & violentiâ duxerunt ad Calvarium. *Op. medit. c.* 77.

41. *Crucis portatio facta à Simone Cyrenenſe expenditur.*

Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem, hunc angariaverunt, ut tolleret Crucem ejus. Nota, quod cum Chriſtus ita eſſet fatigatus & contractus, quod à modo portare non poſſet crucem, illi peſſimi differre nolentes mortem ſuam, timentes ne ſententiam ejus revocaret Pilatus; quia oſtendebat voluntatem

dimittendi eum, coegerunt quemdam Simonem Cyrenæum de Provincia, & civitate Cyrene in Lybia gentilem crucem Chriſti portare, & ſic Chriſtum exoneratum, ut latronem ligatum, pugnis, & calcibus, & violentis attractibus, tandem duxerunt ad calvariæ locum. In hoc autem facto latet hoc myſterium, nempe in hoc gentili Simone ſignificabatur obedientia populi gentilis, qui relicto cultu idolorum obedienter amplexaturus erat fidem Chriſti. *Op. medit. c.77. in Luc.c.23.v.26.*

42. *Crux portanda cum Chriſto.*

Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus. Licèt iſte Simon angariatus fuerit ad portandam crucem, tamen poſtea ad Chriſtum converſus eſt cum duobus filiis, interque diſcipulos Chriſti fuerunt adnumerati; & cum portaverit crucem poſt Chriſtum, dat intelligere Spiritus Sanctus hoc facto, quod ad ſalutem conſequendam non eſt ſatis, quod Chriſtus portaverit pro nobis crucem, ſed oportet, ut & nos poſt Chriſtum ipſam portemus, angariando corpus noſtrum vi ſpiritus ad ipſam portandam. Signum autem eſt ſpecialis dilectionis, cui dat Dominus adverſa pati, quaſi impertiri ei dignetur partem oneris ſui portandi, ſicut Simon ille Cyrenæus crucem dominicam portavit. Solent autem ſocii in viâ cum laſſantur, rogare eos, quibus plus, & quos diligunt ſpecialius, ut partem oneris ſui pro ſe ad horam ferre dignentur; ut hoc quaſi indicium ſit illis, quod majorem habeant de eorum dilectione fiduciam, quibus onera ſua portanda imponunt, quàm de illis, quibus formidant imponere, ne fortè nolint æquo animo portare: ſic Dominus, qui nobiſcum eſt omnibus diebus in viâ hac, qua ambulamus, laſſatus uſque ad mortem labore ſuæ paſſionis, quærit quis noſtrum velit ei compati, & onus tribulationum ſuarum, quod adhuc in corpore ſuo myſtico, quod eſt Eccleſia, ſuſtinet, ſecum portare; quia hanc paſſionem, quam ut caput in ſe pro nobis ſuſtinuit, & ſuſtinuit in carne, diviſit per omnia membra fidelium ſuorum; ut ſicut oportebat pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, ita & membra ejus, ſi capiti fideliter compatiantur, & conglorificabuntur. Cogita ergo, ô anima hæc, & audi Chriſtum aſcendentem ad Calvarium cum cruce oneratum, & dicentem: ecce quali medio ad Cœlum incedo: ſi quis vult venire mecum, tollat ipſe crucem ſuam, & ſequatur me. *Opuſ. de prof. religioſ. lib.2. capit.36.& in Luc. capit.23. verſ.26.*

43. *Væ portantibus crucem non pro amore Chriſti, ſed cum intentione mundana.*

Angariaverunt quemdam &c. Nota illud verbum, angariaverunt, &c. quia ex angaria, & vi coactus eſt portare hoc pondus: & ſignificat eum, qui portat crucem in angaria, ſcilicet qui laborat pro intentione mundana; iſte enim eſt martyr non Chriſti, ſed diaboli, vel mundi: & tales ſubeunt laborem, & crucem non ob timorem, vel dilectionem Dei. *In Luc. c. 23. v. 26.& ſer.1. in dedicat.*

44. *Væ portantibus crucem non Chriſti, ſed alienam; ideſt cum murmure, & violentiâ.*

Angariaverunt &c. Significat etiam accedioſos, qui crucem portant cum murmure, pœnâ, & violentiâ: iſti enim portant non crucem Chriſti, vel ſuam, ſcilicet voluntariè, ſed alienam nempe mundi, & carnis, & involuntariè. *In Luc. c.23. v.26. ſer.4. Dom.3. quadrag.& in Luc. c.14. verſ.27.*

45 *Fletus mulierum, & verba ad ipſas dicta à Chriſto expenduntur.*

Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum &c. Nota, quod iſta omittit S. Matthæus; ſed ad ordinem hiſtoricum hic ſubnectenda ſunt: Turba enim ſequebatur ex admiratione, ſed mulieres ex miſeratione: lamentatio autem fiebat à mulieribus, non à viris; non quia mulieres eſſent in amore Chriſti ferventiores ſeu ſtabiliores, ſed quia magis ſunt naturaliter pronæ ad lachrymas, & magis compaſſivæ naturæ: & quia hoc poterant facere magis ſecurè: & ideo cum ſit ſexus magis contemptibilior liberius coram principibus poterant ſine periculo plangere. Chriſtus verò ad eas converſus dixit: *Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros, quoniam ecce venient &c. & montibus cadite ſuper nos &c. quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet:* volens his verbis aſtantes inducere ad fletum ſuorum peccatorum, & miſeriarum imminentium, de quibus Chriſtus magis triſtabatur, quàm de propriis. *In Luc.c.23.v.27.ſeq.*

46. *Fletus, & planctus, & compaſſio ſuper mortem Chriſti, qualis debeat eſſe.*

Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete &c. Quid eſt hoc! ergo Chriſtus prohibet, vel reprehendit iſtas mulieres flentes ſuper ſuam mortem? ergo Chriſti mors non erat deflenda? ſed reſpondetur, quod Chriſtus non prohibet has mulieres à fletu; ſed docet ordinandum eſſe talem fletum in divinum finem: ipſæ enim plangebant carnali quadam affectione, & dilectione, & ſuper Chriſtum quaſi motereturpro ſe, non pro humana tranſgreſſione; unde corrigens talem fletum, nos docet, quod quando paſſionem Chriſti recolimus, debemus flere non pro ipſo, quia jam glorificatus eſt: ſed conſideratio flentis debet reduci ſuper ſcelus humani generis, pro cujus tranſgreſſione Chriſtus mortuus eſt: & hæc eſt ratio, quare Eccleſia invitat maximè in hebdomada ſancta ad flendam paſſionem Chriſti, non autem paſſionem ſanctorum Martyrum; cum in celebratione paſſionis Martyrum inviter ad gaudium, & lætitiam: & hoc eſt, quia Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ideo flere debet Chriſtianus ſuper ſe & ſuper humano genere, quia fuit cauſa crucifixionis Chriſti. Flere item debet omnis, quia tantam, & tam nobilem pietatem non recognoſcit

cognoſcit omnis multitudo hominum ; tum etiam quia qui in hac vita non plorat, in æterna plorabit. Sed in morte Sanctorum invitat Eccleſia ad gaudendum, quia mortui ſunt ad profectum virtutis, & palmam martyrii obtinendam. *In Luc.cap.23.v.28.* Addimus hic quod in hoc itinere fœmina pia Veronica (propriè tamen dici debet Beronica) dedit Chriſto linteum, ut faciem tergeret, & tunc ille edidit magnum miraculum, imprimendo in illo albo panniculo faciei ſuæ imaginem perfectiſſimè, quæ Romæ aſſervatur, & populo oſtenditur ; quæ cum ſit imago faciei non glorioſæ, ſed cruciatibus affectæ, dat nobis intelligere, quod in terra ; ejus paſſio plangenda eſt, & imitanda à nobis, & in Cœlum gloria. & honores deferendi ſunt.

47. *Chriſtus, & jaſtus lignum viride : homo peccans lignum aridum flammis tradendum.*

Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ? Quaſi dicat ſi ſuccenditur arbor viva, & fructuoſa, & ſpecioſa, quid ergo fiet de arida, & infructuoſa ? Chriſtus autem dicitur lignum viride, quia vivum, & lignum vitæ ; & quia fructuoſum, & virtuoſum : ſic & juſtus & innocens, homo verò in peccato mortali exiſtens, lignum eſt aridum, quia vita gratiæ caret fructu juſtitiæ, & virtute conſtantiæ. Si ergo lignum viride, & vitæ tot pœnas paſſus eſt, quid erit de arido ? *In Luc.c.23.v.31.*

48. *Chriſtus pervenit ad Montem Calvariæ : & quare appellatur hoc nomine : & cur Chriſtus in hoc monte voluit crucifigi.*

Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod eſt calvariæ locus. Tandem pervenit Chriſtus ad metam ſui itineris ; ſcilicet ad calvariæ montem : mons quidem fuit coagulatus, mons pinguis, in quo bene placitum eſt Deo mori in eo ut tartaræa deprædaretur regna, & ideo mons prædæ poteſt appellari, quoniam in eo opimam ſibi comparavit prædam Dominus ; & in quo Chriſtus deprædavit hoſtes noſtros, ſpoliavitque ſuperbos corde. Cur autem iſte mons appellaretur tali nomine eſt in quæſtione : Nam multi SS. Patres ſuſtinent, quod cum Adam fuerit ſepultus in Ebron, Noë oſſa ejus in arcam intulit, & filiis diſtribuit ? Sem verò dediſſe calvariam, quæ in monte hoc fuit ſepulta : & hinc Chriſtus ibi voluit mori ; ut ibi erigeretur, & exponeretur medicus, ubi jacebat ægrotus. Apud Hebræos tamen dicebatur ille mons calvariæ, quia ibi continebantur calvariæ damnatorum, qui ibi decollabantur. & ſuſpendebantur. Conſuetudo enim ab antiquo inolevit, ut malefici extra caſtra occiderentur : Et Chriſtus voluit extra Hieruſalem mori, ut ſignificaretur, quod his, qui erant extra Hieruſalem etiam profuit paſſio ejus. *In Luc.cap.23. v.33. in Ioan.c.19. v.17.*

49. *Exhibitio facta à Iudæis vini cum felle expenditur ad litteram, & myſticè.*

Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum : vinum myrrhatum, ait S. Marcus ; & cùm guſtaſſet, noluit bibere. Poſtquam Chriſtus pervenit in montem Calvariæ, potum defeſſo præbuerunt. Conſuetudo enim erat præbendi vinum optimum condemnatis, ut poſſent fortius, & facilius ferre pœnam : iſti autem impii miſcuerunt cum vino fel, & myrcham, ut amariſſimum redderetur : & cum guſtaſſet, noluit bibere ; & hoc ut ſenſibilius ſentiret tormenta : cum tale vinum aptum eſſet ad ſopiendos ſenſus : Ex quo diſcere debemus, quod fel tribulationum debemus cum Chriſto bibere, quod ſimul cum vino conſolationis, & ſpei miſcendum eſt : Cum enim Deus tribulat hominem bonum, tunc ei ut amico propinat de ſuo calice : cum tribulat impium, tunc ei ut medicus propinat fel, ut ad vomitum confeſſionis perducat. *Ser.1.de uno Mart ſer.1.de S.Matth. in addit. ſerm.1. Dom. quinquag. ſer.2. Dom.1 poſt oct. Epiph.*

50. *Chriſti Ieſu crucifixio ad litteram expenditur.*

Poſtquam autem crucifixerunt eum S. Luc. & crucifixerunt eum, ſic & S. Ioan. &c. Cum ergo Dominus Ieſus ductus eſſet ad calvariæ locum fœtidum ab impiis, conſpicere potes ô anima operarios malos undique nequiter operari : His autem toto mentis intuitu te præſentem exhibeas, & intuerè diligenter cuncta quæ ſunt contra Dominum tuum, & quæ dicuntur, & quæ fiunt ab ipſo, & per ipſum. Modus autem crucifixionis duplex excogitari poteſt : aut enim crucem primo erexerunt, & Chriſtus aſcendit ad crucem ; aut crucem poſuerunt in terram, & ibi eum clavis affixerunt : nec enim alius modus ſupereſt. Spoliatur ergo Chriſtus & nudus etiam tertia vice nunc exponitur coram tota multitudine : renovantur fracturæ per pannos carni applicatos : videnſque mater ſuum filium ſic nudum, triſtatur vehementer, & cum rubore accelerat, & approximat filio, amplexatur, & cingit eum capitis ſui velo : & hinc expanſus, protenſus, & tractus ; & in modum pellis hinc inde extenſus, clavorum aculeis perforatur, manibus ſactis, & pedibus crudi affixis. & crudeliſſimè ſauciatis : traxerunt enim violentiſſimè manus, & pedes, ut ad loca ſignata clavorum pervenirent. Ecce igitur crucifixus Dominus Ieſus ; & ſic in cruce extenſus, quod dinumerari ejus omnia oſſa poſſent. Fluunt undique ſacratiſſimi ſanguinis rivuli ex illis magnis ſciſſuris ; ſicque angustiatus eſt, quod ſe movere non poteſt, niſi in capite. Illi tres clavi ſuſtinent totius corporis pondus ; dolores acerbiſſimos tolerat, & ultra quam dici vel cogitari poſſit affligitur. Pendet inter duos latrones : undique pœnæ, undique opprobria, undique convitia ; nam ſic coangustato à convitiis non parcunt : alii blaſphemant dicentes : vah qui deſtruis templum Dei : alii : ſeipſum non poteſt ſalvum facere ; & alia convitia multa dicunt. *Op. medit.c.78. & lignum vitæ. & faſciculus, & in Luc.c.23. & in Ioan.c.19.*

51. *Chriſti dolores acerbiſſimi in cruce expenduntur.*

Et crucifixerunt eum, &c. Nota, quòd hoc unico verbo nobis proponuntur dolores Chriſti in cruce, & eorum qualitates: Cum enim in Chriſto fuerit una paſſio doloris (& eſt de fide) fuit enim in ipſo caro paſſibilis, & virtus ſentiendi, ſecundùm quam anima compatitur corpori læſo, quæ duo faciunt verum dolorem; ideò in eo erat vera doloris paſſio: acerbitas autem talium dolorum deſumi debet ex cauſa paſſionis, ex modo patiendi, & ex conditione patientis: cauſa autem, ob quam Chriſtus paſſus eſt, fuit non culpa propria, ſed aliena; ſcilicet & inimicorum, & multorum, quos prævidebat ingratos fore; ideo acerbitas pœnæ fuit maxima: ex modo vero patiendi repetitur acerbiſſimatum propter generalitatem, quia in omnibus membris patiebatur, tum propter continuitatem, quia ſuſpendium ejus continuabatur, & clavi adeo affligebant patientem pendentem, ſicut affligebant quando manus ejus, & pedes confodiebantur, in quibus maxima erat afflictio propter nervos, & muſculos ibidem concurrentes, in quibus præcipuè viget ſenſus. Acerbitas item expenditur ex qualitate & conditione patientis propter maximam complexionis æqualitatem, & propter ſenſus vivacitatem, in quibus nullus unquam potuit æquari, ſic nec etiam in doloris vivacitate, & intenſione. Et licèt in Chriſto fuerit maximum deſiderium patiendi pro nobis, ob quod modicos reputabat omnes illos cruciatus, tamen non auferebat acerbitatem, ſed tantum rationis ſubverſionem; imo tale deſiderium augebat incomparabiliter illos dolores, quia ipſum reddebat magis diſpoſitum ad majorem dolorem: & hinc eſt, quod clavus ferreus magis Chriſtum afflixit quàm ignis Laurentium. *L.3.d.16.a.1.q.1. & 2.op.Comp.Theol.l.4. c.19. & faſcicul.c.8. Brevil p.4.c.9.*

52. *Chriſti paſſionis generalitas expenditur,*

Et crucifixerunt eum, &c. Nota, quòd hæc crucifixio Chriſti cum ſuis circunſtantiis nobis meditandam exhibet generalitatem pœnarum, quas ſuſtinuit in corpore, in membris, & in omnibus ſenſibus: undè rectè dicebat *Thren.c.3.* replevit me amaritudinibus; nempe in tactu clavorum aſperitate, & amaritudine vulnerum; in auditu opprobriorum, blaſphemiarum, & imprecationum confuſione: in viſu lachrymarum effuſione, & inimicorum, inſultatione: in odoratu ſputorum fœditate, & fœtore loci interfectorum: in guſtu fellis, & aceti amaritudine: & in corde timore, & anxietate. *Op. Comp.Theol.l.4. c.19. In Thren.c.3.*

53. *Chriſti paſſio in Cruce quam ignominioſa.*

Et crucifixerunt eum, &c. Ex his, & aliis ſupradictis circumſtantiis crucifixionis Chriſti infertur clariſſimè, quod paſſio ejus fuit ignominioſiſſima, acerbiſſima, generaliſſima, & diuturniſſima. Vide, ô anima, primò quomodo fuit ignominioſiſſima: fuit enim crucifixus tamquam fur, & latro; tali enim genere mortis non puniebantur niſi peſſimi, & ſceleratiſſimi, & fures, & latrones: attende adhuc majorem Chriſti ignominiam; fuit enim in loco turpiſſimo, & viliſſimo crucifixus; ſcilicet in monte calvariæ, ubi multa oſſa, & cadavera mortuorum peſſimorum damnatorum jacebant: vide iterum majorem Chriſti ignominiam, quia inter latrones, & tamquam latro ſuſpenditur, & in medio tamquam princeps latronum: adhuc intuere ſponſi tui ignominiam, quia aëri deputatus eſt, & inter Cœlum, & terram ſuſpenſus, ac ſi non eſſet dignus mori, aut vivere in terra: O digna indignatio, & injutia: Domino totus orbis negatus eſt orbis, vilius in Mundo nihil æſtimatum eſt Domino Mundi: ſic ergo mors filii Dei fuit ignominioſiſſima propter genus mortis, quia in patibulo ſuſpenſus: propter ſocios, quia cum iniquis deputatus eſt: propter locum mortis, quia in fœtidiſſimo monte Calvariæ crucifixus. O bone Ieſu, ô benigne Salvator; quia non ſemel, ſed multoties confunderis, & ob id ſemper ignominioſior mundo efficeris. Ecce tu Domine Ieſu in horto ligaris; in domo Annæ alapa cæderis; in atrio Caiphæ conſpueris: in palatio Herodis illuderis; in prætorio Pilati flagellaris, & ſpinis coronaris; in via crucem bajulas, in golgotha crucifigeris. Heu me: ecce libertas captivorum, gloria Angelorum, vita hominum occiditur. O Iudæi miſeri benè impleviſtis, quòd jam decreviſtis: morte turpiſſima condemnemus eum *Sap.c.2.* O quam verum, quod exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, non ſolùm ut ſubeſſet ut ſervus, ſed etiam mali ſervi, ut vapularet, ut pœnam ſolveret, cum culpam non haberet, & non ſolùm ſervus factus eſt ſervorum Dei; ſed ſervus ſervorum diaboli, infimas cloacas diaboli expurgans: nec hoc ſufficit, ſed mortem omni morte confundibiliorem, & ignominioſiorem elegit. *Op.de perfec.vita cap.6.*

54. *Chriſti paſſionis acerbitas iterum expenditur ſecundum ſe.*

Et crucifixerunt eum, &c. Nota, quòd hoc unico verbo acerbitas paſſionis Chriſti nobis proponitur. Crux enim illa benedicta membra extenſa contrahi in dolore mortis non permiſit; quod tamen aliquod ſolamen ſolet eſſe, & ſolatium cordis anxiati; nec habuit illud caput venerandum ubi ad dimiſſionem animæ ſe inclinaret. Attende, ô anima, adhuc melius, quàm acerba mors Chriſti fuit. Quantò quis tenerior eſt, tantò patitur gravius: numquam autem fuit corpus ita tenerum ad ſuſtinendum paſſiones, ſicut corpus ſalvatoris. Corpus mulieris tenerius eſt, quàm viri: corpus autem Chriſti, & cato tota virginea fuit, & de Spiritu Sancto concepta, & de virgine nata: igitur paſsio Chriſti fuit omnium paſsionum acerbior, quia omnium virginum tenerior. Si enim ad ſolam mortis recordationem Chriſtus in horto in ſancta anima ſua præ teneritudine carnis, tantum afflictus eſt, ut ſudor corporis ejus fieret, ſicut ſudor ſanguinis decurrentis in terram, quantò ſuperadditus eſt ei dolor, quanta eum afflixit pœnà in deguſtatione acerbiſsimæ mortis, & paſsionis. Conſidera, ô anima, adhuc plenius quàm pœnalis fuerit mors ſponſi tui Ieſu Chriſti: quantò generalior, tantò pœna acerbior.

acerbior. Chriſtus autem paſſus eſt in omni parte corporis ſui ſic, quod nullum ita parvum membrum in eo eſſet, quin pœnam haberet, nullus ita modicus locus, quin repletus eſſet amaritudine: à planta enim pedis uſque adverticem non fuit in eo ſanitas: unde præ nimia doloris vehementia clamavit, dicens: ô vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte dolorem meum. Revera Domine Jeſu Chriſte numquam fuit dolor ſimilis dolori tuo; tanta enim fuit doloris tui effuſio, ut totum corpus tuum ſanguine aſpergeretur. O bone Jeſu, ô dulciſſime Domine non gutta, ſed unda ſanguinis ita largiter per quinque partes corporis tui emanavit; de manibus, & pedibus tuis in crucifixione: de capite in capitis coronatione: de toto corpore in flagellatione: de ipſo corde in lateris apertione. Mirum videtur, ſi quid ſanguinis remanſit in te: & cur cum unica gutta ſanguinis ſufficeret ad redemptionem, tantum ſanguinem effundere voluiſti? ſcio Domine, & verè ſcio, quod non propter aliud feciſti, niſi ut oſtenderes quanto affectu diligeres me. O quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut poſſim flere die, ac nocte mortem Domini mei Jeſu Chriſti, quam non pro ſuis, ſed pro meis peccatis ſuſtinuit. *Op. de perfec. vita c. 6.*

§5. *Paſſionis Chriſti acerbitas ex diuturnitate expenditur.*

Et crucifixerunt eum, &c. Hic proponitur acerbitas paſſionis Chriſti ex diuturnitate; nam à prima die nativitatis ejus, uſque ad ultimum punctum mortis ſemper fuit in paſſionibus, & doloribus: dicit enim. *Pſal. 27. Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea:* à puero legit hebræus. Adhuc aliter conſidera quàm moroſa fuit ejus paſſio? ut pœna ejus magis duraret, ut dolor non cito finiretur, ut mors protraheretur; & ſic diutiùs cruciaretur, & fortius vexaretur. Ex quibus omnibus colligere potes, ô anima, quàm probroſa, quàm dolorosa, quàm vilis, quàm moroſa fuit paſſio, & mors dulciſſimi ſponſi tui Jeſu Chriſti: hæc omnia ſuſtinuit, ut ad amorem ſuum te accenderet; ut pro omnibus his toto corde, tota anima, tota mente ipſum diligeres. Væ ergo illis, qui tantæ benignitatis beneficiis ſunt ingrati, in quorum animabus nullum mors Chriſti habet effectum. *Op. de perfec. vita c. 6.*

§6. *Chriſti paſſionem circumſtantiæ aggravantes expenduntur.*

Et crucifixerunt eum, &c. Nota; quòd in his verbis, & antecedentibus, & conſequentibus indicantur circumſtantiæ aggravantes paſſionem Domini Jeſu à nobis meditandæ. Conſidetandum eſt enim quæ perſona; quam pœnam; qua parte, qua culpa, quibus miniſtris, quibus ſociis, quibus ſolatiis, quibus inſtrumentis, quo loco, quo tempore, quo fructu, quo modo ſuſtinuit. Et primò quæ perſona patitur; ſcilicet Jeſus Chriſtus, quoad divinam naturam, excellentiſsimus, ex qua conditione redditur offenſa gravis in infinitum: quoad animam excellentiſsimam, verbo divino junxam: quoad corpus tenerrimum, quæ omnia aggravant pœnam: ſecundò quam pœnam patitur, ſcilicet dura verba, duriora verbera, & duriſsima ſupplitia, & horrenda crucis. Tertiò, in qua parte, ſcilicet ſecundum longitudinem, à planta pedis uſque ad verticem, ubique mœror, ubique dolor: ſecundùm latitudinem à dextra in ſiniſtram, in manibus, in brachus, in humeris diſtentiones, denudationes, confixiones, flagellationes: ſecundùm profunditatem, ſcilicet quàm profunde intraverint in interiores partes clavi, ſpinæ, & lancea: quartò qua culpa: gravè enim eſt pati ſine offenſione, gravius pro falſi criminis imputatione: & graviſsimè pro beneficii exhibitione. Quintò a quibus miniſtris, & auctoribus, ſcilicet ab illis, qui neque per læſionem, neque per indiſcretionem, neque per coactionem excuſari poſſunt: nempe ab iis, quos non læſerat, imo beneficiis infinitis affecerat; à ſenioribus item, & Doctoribus legis, non ab imperitis, vel pueris, & ab iis, qui nulla violentia ad hoc coacti ſunt, imò ipſi coegerunt Pilatum. Sextò, cum quibus ſociis; ſcilicet cum Latronibus conviciantibus, & coram Matre, & charis amicis. Septimò cum quibus ſolatiis, vel conſolantibus, nempe, quia non ſolùm nullum habuit conſolatorem, ſed multos exprobratores, & convitiatores, & ab omnibus charis deſertus fuit. Octavò cum quibus inſtrumentis, ſuntque vincula, purpura, ſputa, corona, ſpinæ, flagella, velum faciei, manus colaphizantes, arundo, clavi, Crux, acetum, lancea. Nonò, quo loco, imò quibus locis; nam in horto ligatus eſt: in domo Annæ à miniſtro alapa cæſus; in atrio Caiphæ conſputus; in Palatio Herodis illuſus, in prætorio Pilati flagellatus, & condemnatus; in via crux ab eo bajulata; in Golgotha crucifixus; ſcilicet in loco turpiſsimo, & infami, & fœtido ſuſpenſus, ut manifeſtius confunderetur. Decimò quo tempore nempe in die ſolemnitatis, ad quam ex omnibus regionibus homines convenerant; ut coram plurimis inhonoraretur: item per totam noctem, & diem uſque ad horam nonam, qua expiravit; item & in illo tempore, quo liberaverat eos à captivitate diaboli; & illo die anima expiravit, quo animam homini inſpiravit: item illo die latus ejus transfixum eſt, quo de latere viri matrem omnium tranſmiſit, per quæ ob majorem ingratitudinem pœna reddita eſt gravior. Undecimò, quo fructu; nempe cum paſſus fuerit, ut paſsio ſua eſſet pretium redemptionis, ſignum dilectionis, exemplum imitationis: hinc grave ei fuit, quod tantum pretium in multis eſt perditum; & quod ſignum tantæ dilectionis odio intenſiſsimo compenſaretur; & tandem quod fructus imitationis, ſtatim in diſcipulos evacuatus ſit, & ſucceſsivè in infinitos alios. Duodecimò quo modo; modus enim contra noſtram ſuperbiam fuit turpiſsimus, contra avaritiam humanam paupertimus, & contra humanam laſciviam acerrimus. Venite ergo fideles, & colligite hæc fragmenta paſsionis, veluti in duodecim cophinos, ſcilicet circumſtantias ne pereant; & ut vobis ſint in ſalutem. *Serm. 5. & 6. Paraſceve.*

57. *Charitas Chriſti qualis reſplendeat in paſſione, & cruce.*

Et crucifixerunt eum &c. Vide iterum quomodò Chriſtus animam ſuam poſuit, & corpus expoſuit paſſioni in cruce, ad oſtendendam charitatem ſuam nimiam, & infinitam: expoſuit enim vitam ſuam corporalẽ cruci, & morti in pretium humanæ redemptionis ad liberandum captivos, in argumentum præcipuæ dilectionis ad inflammandũ tepidos, & in exemplum virtuoſæ imitationis ad animandum timidos; & in his apparet charitas ardentiſſima in nos, dum ad noſtram ſalutem voluit aperire pedes, feneſtrare manus, & latus, ut nos reciperet intra viſcera charitatis ſuæ; & ab hoſte maligno tueretur, & defenderet, & nos excitaret ad ſui imitationem. *Ser.1. Dom.1. poſt oct. Paſchæ & ſer. 3. ſer.2. Paſchæ & ſer. 4. de nov. Confeſſ.*

58. *Chriſtus in ſeipſo in crucis ſtaterâ appendit theſauros ſuos in redemptionem hominis.*

Et crucifixerunt eum, &c. Vide quomodò divina ſapientia Chriſtus habens duplicem theſaurum; ideſt ſuper cæleſtem, & ſub cæleſtem; hoc eſt divinitatem, & humanitatem; quos compactos in unitate perſonæ, & in ſtatera crucis appenſos pro redemptione humani generis expendit; cum ex ſolâ dignatione mortem pro ſalute mundi ſuſceperit voluntariè; & ſic debito ſoluto primæ prævaricationis, quando cum ſceleratis deputatus eſt peccata multorum tulit; & ſatisfacto rigore divinæ juſtitiæ, voluntas Dei in manu ideſt in opere completa eſt. *Serm.1. Dom.1. poſt oct. Paſchæ.*

59. *Chriſtus in cruce arcus fœderis pacem, & ſalutem donans.*

Et crucifixerunt eum, &c. Exponitur igitur Chriſtus filius Dei in cruce, in qua extendit brachia tranſverſaliter, & capite inclinato ad terram; per quem ſitum nobis jarcum fœderis expoſuit, habentem cornua verſa ad terram; & ob id non tenſum ad eam feriendam: ideo in cruce ſe tali modo poſuit, ut eſſet ſignum pacis, & miſericordiæ in nos, & rigoris temperandi. Attende igitur, ô homo capitis inclinationem ad oſculum, extenſionem brachiorum ad amplexum, apertionem lateris ad affectum; ideo ſicut circulus ſignum eſt tabernæ, ſic crux, & crucifixus eſt ſignum gratiæ, & indulgentiæ conferendæ. *Ser.1. de exalt. S. Crucis & ſer. 14. Hexam.*

60. *Expenduntur iterum rationes crucifixionis Chriſti.*

Et crucifixerunt eum, &c. Quæritur cur in redimendo hominem, voluit Chriſtus pati paſſione generaliſſimâ, acerbiſſimâ, ignominioſiſſimâ, interemptoria, ſimulque vivificativa, cum poſſet id exequi alio mitiori modo? Et reſpondetur, quod convenientiſſimum fuit ipſum reparare genus humanum ordinatè; ut ſcilicet ſalva eſſet libertas arbitrii; ſalvus item honor Dei, & ſalvus ordo regiminis univerſi: ut igitur ſalva eſſet libertas arbitrii, reparavit hominem, dando exemplum efficaciſſimum invitans, & informans hominem ad culmen virtutum: nihil autem magis informat hominem ad virtutem, quàm exemplum tolerandi mortem propter juſtitiam, & obedientiam divinam, mortem, inquam non quamcumque, ſed pœnaliſſimam. Nihil ergo magis incitat ad ipſum amandum, & imitandum quam tanta benignitas, qua pro nobis altiſſimus Dei filius, abſque noſtris meritis, imo cum multis noſtris demeritis, poſuit animam ſuam, & eam ſubjecit tot pœnis graviſſimis, & abjectiſſimis. Rurſus, quia debuit reparare hominem ſalvo honore Dei, hinc per humilitatem & obedientiam reparavit honorem Patri ſublatum per inobedientiam, & ſuperbiam hominis; & cum eſſet innocens, nec ullo modo debitor, ſatisfecit ipſe innocentiſſimus Deo Patri, eique obtulit ſacrificium ſuavitatis ſummæ pro perfecta Dei placatione: & ſic ſervatus eſt ordo regiminis univerſi, contraria contrariis curando. Quia ergo homo voluit eſſe ſapiens, ut Deus, ideo peccavit in ligno veriti, volens delectari inclinando ſe ad libidinem, erectus in præſumptione; & tali modo totum genus infectum eſt, & perdidit immortalitatem, & incurrit debitam mortem: hinc Deus factus homo, voluit humiliari, & in ligno pati, & contra infectionem univerſalem pati paſſione generaliſſimâ: contra præſumptionem paſſione ignominioſiſſimâ contra mortem debitam, & invitam, mortem voluntariam. Et quia generalitas corruptionis infecerat in nobis corpus, & animam, & omnes partes, & potentias; hinc eſt, quod Chriſtus paſſus eſt in omni parte corporis, & in omni potẽtiâ animæ; & in ſuperiori portione rationis, quæ ſummè in Deo delectabatur, ut ratio, & propter unionem ſui ad ſuperius, & ſummè patiebatur, ut natura; & propter conjunctionem ad inferius; quia Chriſtus erat viator, & comprehenſor ſimul. Rurſus, quia libido vehementer infecerat in nobis animam, & carnem, & quantum ad carnalia, & quantum ad ſpiritualia peccata, hinc eſt, quod Chriſtus, & acerbiſſima paſſione paſſus eſt in carne, amariſſima compaſſus eſt in animâ: & quia in carne erat maxima æqualitas complexionis, & perfecta vivacitas ſenſuum; in animâ verò ſumma charitas ad Deum, & ſumma pietas ad proximum; hinc eſt, quod uterque dolor erat intenſiſſimus. Amplius, quia tumor ſuperbiæ aliquando conſurgit interius ex præſumptione, & aliquando exterius ex oſtentatione, & alienâ laude: ideo ad remediandum omnem ſuperbiam, Chriſtus paſſus eſt utrumque genus ignominiæ: & in ſe patiente, & in comitatu, ſociiſque, quos habuit in paſſione. Poſtremò, quia hæc omnia non attingebant divinitatem impaſſibilem, ſed ſolùm humanitatem; hinc eſt, quod in morte Chriſti ſic facta eſt diviſio animæ à carne, ut tamen ſalva eſſet unitas perſonæ; & unio tam carnis, quam animæ cum deitate: Et quia unio animæ ad corpus facit hominem vivum; hinc eſt, quod Chriſtus non fuit homo in illo triduo, licet anima, & corpus eſſent unita cum verbo: Unde quia mors in humana

natura

natura non potuit intrare, & induci in perſonam, quæ ſemper fuit viva; ideo mortua eſt mors in vita, & per Chriſti mortem abſorpta eſt mors in victoriâ, & devictus eſt princeps mortis; ac per hoc homo à morte, & causâ mortis per meritum mortis Chriſti tamquam per medium efficaciſſimum liberatus. Ex his patet quali induſtriâ, quali arte, quali, & modo digniſſimo Chriſtus nos ſua morte liberavit. *Op. Brevil. p.4.c.9.*

61. *Chriſtus in cruce Doctor, & Magiſter ſuos diſcipulos inſtruens.*

Et crucifixerunt eum, &c. Ecce quo tandem pervenit Chriſtus Doctor, & Magiſter verax; nempe in crucem. Hinc eſt, quod voluit ex cathedra crucis verbis, & exemplo totam Eccleſiam, & ſuos diſcipulos inſtruere, dans neceſſariam doctrinam ſalutis: docet enim ex iſta cathedra humilitatem fidelis obedientiæ reſpectu mundi contemnendi, clamans ex cruce: omnis ex vobis, qui non renunciaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus: Item confœderationem charitatis, & benevolentiæ reſpectu proximi diligendi, clamans ubique: mandatum novum do vobis, &c. Item perpetuationem finalis perſeverantiæ in voluntaria deſpectione terrenæ cupiditatis, in vera dejectione profundæ humilitatis, & in continua maceratione propriæ carnis; clamans ad omnes partes univerſi: qui non accipit crucem ſuam, & venit poſt me non eſt me dignus; & qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit. *Ser.1.Dom.4. quadrag.& ſer.2.in oct.Paſchæ.* Ecce igitur quales ſint maximæ vitæ politicæ Chriſti: nempe primò quod ſumma divitiarum ſita ſit in paupertate ſummæ Chriſti, quod ſumma gloria diſcipulorum ejus eſt ſubjici pœnis, & paſſionibus, & abjectionibus; quod ipſorum ſanctitas eſt participes fieri dolorum Chriſti; quod eſſentialitas vitæ Chriſtianæ eſt omnibus renunciare, & portare crucem poſt Chriſtum. *Ibidem.*

62. *Dei attributa maxime elucent in Chriſti paſſione.*

Et crucifixerunt eum, &c. Cur voluit Pater æternus, ut filius ſuus tam acerbæ morti ſubjiceretur? nonne hoc fuit medium vilificandi ſuam divinam majeſtatem? minimè; imo voluit per paſſionem filii ſui magnificare mirabiliter ſua divina attributa, maximéque ſuam ſummam potentiam, ſapientiam, & clementiam. Vide, ô anima, quàm hoc ſit verum. Voluit ille, qui eſt Deus omnium, & omnia conſervat, ſuſtinere patienter effugari, qui ubique erat: ligari, qui immenſus erat; flagellari, qui glorioſus exiſtebat: alapis percuti, qui mundum plaſmaverat: conſpui, ſplendor æternus, & ſpeculum ſine macula: blaſphemari patet immenſæ potentiæ: crucifigi Dominus libertatis immenſæ; & fons immenſæ bonitatis, aceto & felle potari; gaudium Angelorum affligi: vita viventium occidi: ſpinis coronari gloriæ corona: latus aperiri agnus immenſæ clementiæ: in lapide ſepeliri ſol juſtitiæ: hæc omnia à nequiſſimo homine pro eo patienter ſuſtinere; imo pro eis orare fuit poteſtatis immenſæ tolerantiæ, bonitatis, & clementiæ: apparuit etiam ſumma ſapientia in ejus paſſione, dum ut mederetur vulneribus peccati, contraria oppoſuit medicamenta, ſcilicet ſuam paſſionem, vulnera, & mortem. *Op. ſtim. p.1. cap.13.*

63. *Paſſio Chriſti curativa omnium malorum hominum, reſpondet peccatis primorum parentum.*

Et crucifixerunt eum: Scilicet tanquam medicum infirmitatum humanarum. Hinc eſt, quod Chriſtus ſapientiſſimus medicus miſſus in Mundum à Patre, voluit ſuâ ſapientiâ contraria opponere medicamenta malis hominum: hinc eſt, quod ſapientia ejus ſumma apparet in hac paſſione in gratiſſima correſpondentia in omnibus myſteriis redemptionis à culpa: Nam ſicut prima Mulier de virginea carne ſumpta, & facta ſeducta eſt; ſic Chriſtus de virgine natus crucifixus eſt: & ſicut illa accepit de ligno vetito, & dedit viro ſuo, de quo facta erat, ſic Chriſtus in ligno crucis eſt paſſus voluntariè, & hanc paſſionem ſuam Matri ſuæ de qua natus fuerat communicavit, cujus animam doloris gladius pertranſivit. Et ſicut Eva ſeducta eſt, volendo eſſe ſicut Deus, ſic paſſus eſt homo Deus. Et ſicut illa facta de latere viri, fuit principium noſtræ damnationis; quia virum conſentire ſibi fecit; ſic Chriſtus latus aperuit, unde virtus ſacramentorum emanavit. Et ſicut illa vidit lignum, quod erat pulchrum viſui, & ad veſcendum ſuave; ſic Chriſtus conſputus eſt in vultu, & amaritudine fellis guſtatus: & ſicut illius pedes cucurrerunt ad lapſum; & manus extenſæ ad fructum; ſic Chriſtus manibus, & pedibus eſt in cruce affixus. Illa ambitioſa, iſte humillimus, illa inobediens; iſte uſque ad mortem obediens: contra appetitum ſcientiæ, Dei ſapientia condemnatur: illi erant ambo nudi cum peccaverunt, Chriſtum verò nudum crucifixerunt: ibi homines poſt culpam à facie Dei ſe abſconderunt, hic Chriſtus Jeſus in publicum, & in conſpectu omnium nationum apparuit crucifixus, & poſt mortem in ſepulchrum abſconditus eſt à facie hominum: illi deſcenderunt, ejecti è Paradiſo, ad imum ad laborandum, Chriſtus deſcendit ad infernum ſpoliandum. Ex quibus apparet apertè, & manifeſtè, qualiter in hac beatiſſimâ paſſione ſumma Dei ſapientia, ſimulque dignatio, & clementia, & potentia claret, & tanta, & talis, quod nec ipſi Angeli perfectè ipſam capere poſſunt. O accedamus nos ad Chriſti latus, & intremus in ejus abditiſſima penetralia charitatis, & bonitatis: accedamus, & moriamur cum ipſo: accedamus quia ad amplexus ejus brachia ſunt extenſa. O bone Jeſu, quid feciſti? quid me tantum amaſti? ô penetrent chariſſimi etiam iſti dolores intima noſtra, & corda noſtra iſtis doloribus gladientur: accedamus ad latus ejus, & ſugamus ſanguinem ejus, optimum medicamentum malorum noſtrorum, quia hoc beneplacitum ejus eſt. *Op.ſtim.p.1.c.13.*

64. *Chriſtus*

64. *Chriſtus quale Paſcha celebravit in cruce.*

Et crucifixerunt eum &c. ideſt extenderunt eum in cruce. Cur ſic voluit extendi? quia Crux eſt ferculum, lectus, & thalamus ejus, ubi Paſcha; ideſt tranſitum ſuum ſolemnizavit: quod & anima Sancta, *Cant. c.* 1. cognovit quando dixit: indica mihi ubi paſcas, ubi cubes, in meridie: in meridie, ſcilicet in cruce, ubi cubavit, ubi paſcha celebravit; cujus cibus fuit fel, cujus potus fuit acetum: dicit enim Chriſtus: dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti meâ potaverunt me aceto. *Pſal.* 68. fel autem appellat eſcam (ait Euthim. Lyran. & S. Bonav.) quia aridi fellis fragmenta in vinum injecta ſunt, & emollita, ut vini loco potus eſſet, fragmenta fellis pro buccella; anis. O quam verum, quod dicit *Hierem.c.*2. quomodo converſa es in pravum vinea aliena. *Ser.*2. *Epiph. in Ioan.c.*13. *v.*1. *ſeq.ep. Comp.Theol.l.*4.*c.*21. *Euthim. Lyran. Gloſ. & S. Bernardus.*

65. *Chriſtus cur inter latrones voluit crucifigi.*

Et crucifixerunt eum, & cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à ſiniſtris. Cur voluit Chriſtus ſic in medio latronum duci ad ſupplicium, & crucifigi? Quia in peccatis noſtris captus eſt ut latro, cui impoſitum eſt peſſimum genus latrocinii, ſcilicet fractio, vel deſtructio Eccleſiæ: dixerunt enim: audivimus eum dicentem: ego diſſolvam templum hoc; & hinc ut peſſimus omnium latro condemnatur, & crucifigitur, & Barrabbas latro dimittitur pro Chriſto. *Ser.*4. *in Paraſceu.*

66. *Unuſquiſque invitatur ad ſe crucifigendum in medio latronum.*

Et crucifixerunt eum in medio latronum. Advertе, quod hæc Chriſti crucifixio notatur ab evangeliſtis, ut excitet nos ad ipſius imitationem, ut quiſque ſe crucifigat in medio latronum. Sed quomodo id poteſt fieri? ecce modus: Caro noſtra eſt latro, & eſt nobis magis proxima: mundus eſt latro ſiniſter: ſpiritus noſter ſignificatur in Chriſto: hic à nobis debet crucifigi; ut quiſque poſſit dicere cum Apoſtolo: Chriſto confixus ſum cruci: vivo autem, ſed non ego; vivit vero in me Chriſtus. Crux, in qua crucifigenda eſt caro, eſt rigor diſciplinæ, cujus quatuor ſunt brachia; ſcilicet vigilia, abſtinentia, aſperitas veſtium, & diſciplina verberum. Crux, in qua mundus eſt crucifigendus, eſt paupertas ſpiritus; cujus quatuor brachia ſunt contemptus gloriæ, pecuniæ, patriæ, & parentelæ. Crux, in qua crucifigendus eſt ſpiritus, eſt fervor devotionis; cujus quatuor brachia ſunt amor, ſpes, timor, & dolor: ſpes ſurſum; timor deorſum, amor à dextris, dolor à ſiniſtris: ſic autem ſpiritus crucifixus Domino, ſicut Chriſtus offertur in odorem ſuavitatis. *In Luc.c.*23.*v.*33.

67. *Chriſtus extendit manum dexteram ad gratiam, & gloriam bonorum, ſiniſtram ad pœnam malorum.*

Et crucifixerunt eum. Scilicet per extenſionem, & affixionem manuum ad dexteram, & ad ſiniſtram: ſed cur ſic voluit crucifigi? Nota, quòd ad dexteram ſtant electi; unde bonus latro ad dexteram ſtabat, & converſus eſt, & Paradiſum recepit; ad ſiniſtram reprobi: Chriſtus ergo extendit in cruce manum dexteram, ut bonis exhiberet veniam, gratiam, & gloriam: ſiniſtram ad peſſimum latronem, ut ipſum & omnes reprobos, & incredulos præcipitaret, & condemnaret ad gehennam. Stat igitur Chriſtus in cruce in medio latronum tamquam Judex æquiſſimus, ut converſis det gloriam, reprobis pœnam. Clveamus ergo ſiniſtram, & ad Chriſtum convertamur, ut inter prædeſtinatos cum bono latrone adnumeremur *Ser* 2. *Dom.paſc.ſer.in exalt.S.Crucis. ſermon.*2. *S.Iacob. in addit. in Ioan. cap.* 19. *verſ.*18.

68. *Crucifixus quilibet Chriſtianus cum Chriſto debet eſſe.*

Et crucifixerunt eum, &c. & cum eo duo latrones, &c. Inter hos concruc fixos cum Chriſto fuit bonus latro, qui figurabat omnes electos, qui cum Chriſto debent ſpiritualiter crucifigi efformando ſibi crucem habentem quatuor partes; ut poſſit quiſque cruce ſuâ dicere Chriſto confixus ſum cruci. *Galat.*2. Imum autem hujus crucis eſt profundum humilitatis, tamquam fundamentum totius vitæ ſpiritualis: & ad hoc alludit Chriſtus, *Matth.c.*16. qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me: abneget ſe, ait; ideſt omnem ſuperbiam abjiciat, & perfectam humilitatem induat, ſicque ſe præparet ad recipiendam gratiam Chriſti. Pars alta hujus crucis eſt paupertas; quæ à terra animam elevat, & ad Chriſtum appropinquat. Latitudo verò hujus crucis eſt charitas; quæ animam ſuam pro Chriſto morti tradere non dubitat. Longitudo hujus crucis eſt perſeverantia uſque ad mortem. In hac autem cruce brachium infimum eſt pœnitentia, veluti fundamentum totius ædificii poſitum in imo humilitatis: altum eſt miſericordia in proximum afflictum: dexterum eſt temperantia in proſperis: ſiniſtrum eſt patientia in adverſis. In hanc crucem igitur aſcendamus, & moriamur cum Chriſto. *Ser.*2. & 3. *de S. Andrea.*

69. *Diviſio veſtimentorum Chriſti expenditur: ubi de diſcordia, & diviſione charitatis.*

Poſtquam crucifixerunt eum, diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes, &c. Diſquirunt hic Doctores, primò quot fuerunt veſtimenta Chriſti: licet enim S. Joannes faciat mentionem ſolùm de tunica inconſutili, alii tamen Evangeliſtæ alias habuiſſe Chriſtum indicant: ſecundò, an ſortem milites ſuper omnia veſtimenta miſerint, an tantùm ſuper inconſutilem: Tertiò, quid ſignificet hæc diviſio veſtimentorum Chriſti? Ad primum reſpondetur, quod communiter dicunt (licet proprie hoc ſit incertum) fuiſſe tres veſtes

veſtes : prima tunica inconſutilis, quæ applicabatur corpori in modum ſubuculæ : ſecunda veſtis, qua tunica tegebatur : tertia erat pallium. Ad ſecundum dubium reſpondetur, quod communiter ſenſus SS. Patrum eſt, quod ſors facta ſit miſſa tantum ſuper tunicam inconſutilem : cæteras vero veſtes diviſas in quatuor partes : & hoc ad myſterium inſinuandum : Nam per veſtem Chriſti intelligitur Eccleſia, quæ diviſa eſt in quatuor partes, ſcilicet extenſa ad omnes partes mundi, per tunicam verò non diviſam intelligitur unitas, quæ in Eccleſiâ charitatis vinculo conſervatur : per ſortes verò collatio gratiæ, quæ datur non diſpoſitione humanâ ſed divinâ, & per hæc datur intelligi, quod diſcordantes in Eccleſia ſunt carnifices Chriſti, ſcindentes in partes veſtem Chriſti, ſcilicet Eccleſiam. *In Luc. c.23. v.34. in Pſal.103. In Ioann. 19.* Nota etiam, quod S. P. Franciſcus ad imitationem Chriſti concedit tantum duas veſtes, ſeu tunicas ſuis fratribus *in regul.c.2.* & hoc, ut perfectius paupertatem Chriſti imitarentur.

70. *Titulus Crucis Chriſti expenditur.*

Et impoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam : Hic eſt Ieſus rex Iudæorum. addit S. Lucas, *litteris græcis, & latinis, & hebraicis*, S. Joannes *hebraicè, græcè & latinè.* Hanc ſuperſcriptionem poſuit Pilatus, intendens inſcribere cauſam paſſionis Chriſti : ſcilicet quia affectavit regnum Judæorum : quem titulum noluit mutare Pilatus ; quamquam non placeret Judæis, quod Chriſtus appellatus eſſet abſolutè rex Judæorum quod factum eſt divino inſtinctu : quia voluit Deus, ut pateret omnibus nationibus, quod Chriſtus eſt rex regum. & Dominus dominantium : ſcilicet rex, & Imperator Judæorum ; ideſt omnium credentium, & confitentium. *In Luc.c.23.v.38.*

71. *Exponitur iterum titulus crucis Chriſti.*

Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Nota, quòd Pilatus divinâ virtute excitatus, in hoc titulo litteras impoſuit, claram emittentes vocem, & victoriam oſtendentes, & regnum præconiis annunciantes. Significantur autem tria in his verbis : ſcilicet majeſtativa poteſtas Filii Dei ibi : *Ieſus Nazarenus rex Iudæorum :* Item ejuſdem poteſtatis indelebilis, & indefectibilis durabilitas, ibi ſcripſit : quod ſcripſi, ſcripſi. Item univerſis publica manifeſtabilitas : ibi hebraicè, græcè & latinè : ait ergo : *Ieſus Nazarenus rex Iudæorum.* Exprimitur autem ejus poteſtas in tribus : in magnitudine poteſtatis, & bonitatis : ibi Jeſus ; ſecundò in puritate ſanctitatis, & decore venuſtatis : ibi Nazarenus. Tertiò in ſublimitate dignitatis : ibi rex Judæorum ; quia enim genus humanum erat languidum, imo mortuum ; ideo venit in mundum Jeſus, ideſt ſalvator, Item erat fœdum, & ſordidum ; ideo venit Nazarenus ; ſcilicet floridus. Item erat ſub principe mundi captivum ; ideo venit rex Judæorum ad liberandum. *In Ioan.collat.84.*

72. *Explicantur iterum verba tituli.*

Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Vide quàli, & quanta myſteria continent hæc verba : Jeſus dicitur, ideſt ſalvator, ſalvans. & afferens antidota gratiarum ad ſalvandum omnes, Salvator enim eſt liberalis, qui ſalvat gratanter ab hac exhibitione : ſalvator delectabilis, qui ſalvat ſine fictionis ſimulatione : ſalvator virtuoſus, qui ſalvat ſine virtutis defectione ; tali ſalvatore indigebat genus humanum languidum, & mortuum : Et iſte fuit Nazarenus, ideſt floridus : in flore autem ſunt tria : ſpes, & ſpecies, & odor : in ſpe fructus promiſſio, ſcilicet ſuccenitas veritatis : in ſpecie exhibetur fulgor, ideſt venuſtas decoris : & in odore demulcentia, ſcilicet fragrantia odoris : fuit enim floridus flore olivæ per ſuavitatem miſericordiæ : floridus roſæ per virtutem patientiæ : floridus lilii per candorem munditiæ : floridus vineæ per odorem famæ. Additur rex Judæorum ; ideſt omnium credentium, cujus regnum eſt indefectibile. Hebraicè autem fuit ſcriptum, ad indicandum, quod ipſe erat auctor omnis veritatis, & ſapientiæ, quæ vigebat apud Græcos. Et latinè ; quod erat auctor omnis virtutis, & potentiæ, quæ vigebat apud latinos : & hoc ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur. *In Ioan. collat.84.*

73. *Mirabilia de nomine Ieſu totò Mundo.*

Ieſus Nazarenus rex Iudæorum. Vide quomodo Chriſtus poſitus in cruce, & expanſo corpore ad omnes partes totius mundi, voluit ſuper caput expoſitum nomen Ieſus. Cur hoc ? ſed attende ad myſterium. In mitra capitis ſummi ſacerdotis Judæorum erat ſculptum ſactum nomen Dei : Tetragrammatum : Et iſte ſummus ſacerdos totius orbis voluit ſuper caput expreſſum, & inſculptum nomen Ieſus, ut daret intelligere (ait S. Vincentius Fer. cum S. Bernardino) quod in hoc nomine, veluti in vaſculo, vel in vale comprehendit omnes virtutes ſalutares omnium creaturarum Cæleſtium, ſtellarum, herbarum, mixtorum, lapidum, verborum, ſacramentorum ; ut ſicut ſe Chriſtus in cruce oſtendit ſalvatorem Mundi, ſic latere voluit in hoc nomine omnem ſalutem, omne remedium ad omnia mala corporalia, & ſpiritualia efficaciſſimum : Nam per hujus nominis virtutem, dæmones ejiciuntur, cæci illuminantur, infirmi curantur, claudi ſanantur, mortui ſuſcitantur, miracula cumulantur. Portemus igitur hoc nomen ſanctiſſimum in ore, non ſolùm in prædicatione, ut Paulus, ſed & in oratione, in laudatione, in collocutione, & in frequenti meditatione : eſt enim mel in ore, melos in aure, jubilus in corde ; invocemus, & dicamus frequenter : Ieſus Nazarenus rex Iudæorum, & ſalvator noſter, portemus ipſum in ore ; ne nos evomat de ore ſuo. *Op. medit. c.100. & de quinque feſtivit. in 3. ſolemnit. ſer.4. Dom.3. quadrag.*

74. *Logica diaboli, & logica Chriſti qualis: ubi de impropериis factis Chriſto.*

Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes: vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas; ſalva temetipſum ſi filius Dei es, deſcende de cruce, &c. ſi rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce & credemus ei: idipſum & latrones improperabant. Vide, ô anima, quomodo perverſi, ut adderent pœnas pœnis contra omnia naturalia jura, contra Chriſtum affixum in cruce, motibus corporis, & verbis contumelioſis ipſum irridebant, conviciabantur, & blaſphemabant: ſed inter hæc notanda ſunt verba principum: ſi rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, &c. quid dicis, ô Judæe perverſe. O verbum malitiæ, ô venefica lingua, ſermo nequam: hoc plane tuum eſt; magis autem ejus, qui mendax eſt ab initio: logica hæc eſt diaboli. Quid enim conſequentiæ eſt, ſi rex eſt, deſcendat de cruce? imo quia rex Iſraël eſt, titulum regis non deſerat, virgam imperii non deponat: quia ſi deſcenderit, neminem ſalvum faciet; cum nemo ſalvus eſſe poſſit, niſi perſeveraverit uſque in finem. Vide igitur quomodò diabolus ſemper ſuadet deſcenſum de cruce, de pœnis: ſed Chriſtus ſuos invitat ad aſcenſum, ad crucem, ad pœnas, ad martyria, ad perſecutiones tolerandas. *Ser.1. Hexam. op. ſtim. p.1.c.6. in Luc.c.23.v.35.*

DE VERBIS CHRISTI Ieſu in Cruce.

75. *Chriſtus in cruce ut citharâ dulciſſonos ſonos edidit.*

Circa horam nonam clamavit, &c. S. Lucas: *Ieſus autem dicebat: Pater dimitte illis: quia neſciunt, quid faciunt, &c.* Hic invitatur anima quælibet fidelis, ut proponat ſibi ante oculos Chriſtum redemptorem, ſimulque & latrones, qui cum eo ſunt crucifixi: & videbis, & audies, quod latrones, cum figebantur clavis, ſortem lamentabantur ſuam, exclamabant, & ejulabant: Chriſtus verò, tamquam mitiſſimus agnus, nullum impatientiæ ſignum dedit, nec ibi otioſus fuit ſed multa, eademque præclariſſima patientiæ documenta dedit. Oculos conſidera in cœlum ſuſpicientes, vultum alacrem, & erectum, omnique modeſtiâ plenum, os ſilens, nullum ejulatum, nullum verbum quo tolerantiam, vel tenuiſſimâ labe aſpergeret: non tamen otioſus fuit, nec omnino ſiluit, ſed velut Cignus Paradiſi: vel citharа benè ſonans, dulces ſonos edidit: unde in *Pſal.56.* appellatur pſalterium, & citharа; quia ſicut in hujuſmodi inſtrumentis chordæ ſuper lignum tenduntur, ſic membra, & nervi Chriſti ſuper lignum crucis extenſi ſunt. Audi quales ſonos, & quam dulces edidit in cruce de chorda cordis: duos pro malis, duos pro bonis, duos pro toto mundo, duos pro ſemetipſo: primus pro malis: Pater dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt: alter hodie mecum eris in Paradiſo: primus pro bonis: Mulier ecce filius tuus: alter: ecce mater tua. Primus pro toto mundo: ſitio: alter conſummatum eſt. Primus pro ſemetipſo: Deus meus, ut quid dereliquiſti me? alter: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, O immenſa charitas, audi, amor, patientia, & virtus Domini Jeſu, quæque ad ultimum totum fuit in faciendo, & docendo utilia. *Op. medit. 79. ſer. 2. in Paſſ.*

76. *Expenditur primum verbum Chriſti: Pater dimitte illis non enim ſciunt quid faciunt.*

Nota, quod ſolùm S. Lucas deſcribit hanc orationem; & hoc factum eſt; quia ſpecialiter ipſe Evangeliſta inter alios agit de ſacerdotio Chriſti: unde hic proponit Chriſtum ſummum ſacerdotem, & ſuam primam miſſam celebrantem in cruce, & munus ſacerdotis perfectè exercentem, orando pro populo, & ſpeciali, & primo loco pro ſuis perſecutoribus. Quod enim jam verbis docuerat, *Matth.c.5. orate pro perſequentibus, &c.* nunc docet exemplo: dans nobis documentum, quod actus excellentiſſimus amoris ſuper omnes eſt pro inimicis orare, fundereque preces pro illis, à quibus opprobriis, cruciatibus, & morte afficitur. In qua oratione notandum, quod utitur nomine Patris, quia tale opus filiorum Dei eſt: ait enim: orate pro perſequentibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri: igitur ut ſummus iſte Pontifex ad altare crucis pro iniquo populo orans, verbum magnæ patientiæ magniquè amoris indicium, & indicibilis charitatis præſtat: dans per hoc exemplum omnibus Pontificibus, & ſacerdotibus, & etiam omnibus Chriſtianis, qui ſunt regale ſacerdotium, & maximè perfectis, orare pro populo, & præcipuè pro perſequentibus, & tali pacto proferre ſervitutis ſuæ ſcutum, orationem, & deprecationem allegare; ut væ Dei reſiſtant. *Op. meditat. s.79. & lignum vitæ. In Luc. cap.23.v.34.* Hic autem diſquirunt Theologi, & SS. DD. qualis ſit ſenſus illorum verborum: *quia neſciunt quid faciunt?* nempe qualis fuerit ignorantia Judæorum in occiſione Chriſti? ſi enim ignoraverunt, quod fecerunt, ergo excuſationem habent in peccato ſuo? At reſponderur, quod Judæi non cognoverunt divinitatem Chriſti, nec ipſum eſſe meſſiam; ſed tamen non habuerunt excuſationem in ſuo peccato: nam majores, ut Principes Sacerdotum, & ſcribæ moti ſunt ad tantum facinus ex invidiâ, & malitiâ, quia bene cognoſcebant ejus ſanctitatem, & innocentiam: ſimplices verò, & populares moti ſunt ex ignorantiâ; audientes enim à majoribus, quod blaſphemaſſet, putabant ſe occidendo Chriſtum, obſequium præſtare Deo: iſta tamen ignorantia non excuſat, pro eo quod opera, quæ Chriſtus fecit, non ſolùm magnis, ſed etiam parvis notitiam præſtare poterant; & ideo fuerunt rei mortis Chriſti; licet quoad aliquid, & aliquo modo fuerit ignorantia, quæ tamen ex toto non excuſavit. *L.2.d.40. dub.3. in Ioan.c.18.v.30. in Luc.c.20.v.14.*

77. *Chriſti charitas in oratione pro inimicis invocatur.*

Pater dimitte illis, &c. Vide ô anima quale incendium amoris ardebat in Chriſti pectore; dum primum verbum fuit ſummi amoris in inimicos. Vide inquam qualis eſt hic, qui in omnibus preſſuris ſuis, nec ſemel os ſuum aperuit, ut aliquid querelæ, aut excuſationis, aut maledictionis adverſus

adverſus maledictos illos canes proferret; ſed noviſſimè verbum benedictionis ſuper inimicos, quale à ſæculo non eſt auditum effudit. Quid hoc viro manſuetius, quid benignius, ô anima vidiſti: igitur ad gloriam tantæ charitatis, & ad utilitatē noſtram, ad Ieſum recurremus his ſenſibus. Ieſu ſalutis hoſtia, ſalutis ſacrificium, | Ieſu ſalutis gratia, ſalutis beneficium, | Ieſu tuta fiducia, & tutum refugium, | tu pro humano genere, ut captivum redimeres | tu pro humano ſcelere, ut culpas noſtras tolleres, | tu pro divino munere, ut nos Deo conjungeres | non recuſaſti vincula, non flagella, non verbera | non latronum patibula, non livores, non vulnera | ſed dum te Crux ſuſciperet, & hoſtis in te fremeret | & malleus percuteret, & clavus carnem ſcinderet | dum ſenſum dolor angeret, & ſacer ſanguis flueret | dum paſſio te premeret, anguſtiaque creſceret | Patrem rogaſti præcibus, ut tamquam ignorantibus | tuis ignoſcat hoſtibus, ac te crucifigentibus | dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt, quid faciunt. | O mitis patientia, ô manſueta mititas | ô immenſa clementia, ô immenſa benignitas | qui ut ovis mitiſſima, non promis quærimoniam | qui ut mater chariſſima; jam excuſas injuriam | ut anima dulciſſimâ, tenes benevolentiam | ut voluntas piiſſima, præbes miſericordiam | Ad te vadit ſpes animæ, ad te clamant ſuſpiria | Ad te decurrunt lachrymæ, & pulſant deſideria | confidenter dicentia, ignoſce nobis Domine. *Opuſc. de ſeptem verbis Domini, verbum* 1. *& medit. cap.* 75.

78. *Secundum verbum: hodie mecum eris in Paradiſo expenditur: ubi de converſione latronis.*

Idipſum & latrones improperabant, &c. S. Lucas: *Unus autē de his, qui pendebant latronibus, blaſphemabant, &c. alter increpabat eum, &c. & dicebat ad Ieſum: Domine memento mei, &c. & ait illi Ieſus, hodie mecum eris in Paradiſo.* Hic videntur diſcordare Evangeliſtæ, nam S. Matthæus dicit, quod latrones blaſphemabant Chriſtum, & S. Lucas dicit, quod unus tantum; & alter converſus eſt ad Chriſtum. Sed tamen reſpondetur, vel quod Matthæus loquatur per ſynecdochen, attribuendo toti, quod eſt partis; vel quod ambo in principio blaſphemaverunt; ſed alter tantum perſeveravit in obduratione: qui licèt diceret: ſi tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum, & nos, non tamen petebat ſalvari, ſed irriſoriè loquebatur; & hoc eſt peſſimum, quod miſer, & pauper pauperem irrideat: cui Dominus non reſpondit, ut formam daret patientiæ. Alter autem, ſcilicet poſitus ad dexteram, perfectè converſus eſt ad Chriſtum, quia cooperatus eſt vocationi Chriſti. Ejus perfecta pœnitentia manifeſtatur in ſuis verbis: dicens enim alteri latroni; *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es?* deteſtatur culpam alienam, quod eſt opus veri pœnitentis: addens: *& nos quidem juſtè, &c.* deteſtatur propriam: addens *hic verò nihil mali geſſit*, confitetur innocentiam Chriſti: & ſubdens: *Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum*, profitetur, & confitetur excellentiam regalem potentiæ Chriſti, & petit relaxationem miſericordiæ; ſicque in hoc latrone apparet veritas fidei, & confeſſio veritatis, reprobando malum, approbando bonum, & aſſerendo verum: in quo eminet magna gratia; dum nullum membrum à ſupplicio liberum haberet præter cor, & linguam: & quod liberum habet, totum offert, credit corde, & confitetur ore: & ideo miram Chriſtus miſericordiam, tamquam piiſſimus Pontifex oſtendit, dum pœnitentiam quamtumcumque ferам, non refutavit; & amplius quam latro petebat, conceſſit, dicens. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo*; ſcilicet non in cœleſti, ſed in beata viſione: quia eadem die fuit ductus à Chriſto ſimul cum SS. Patribus limbi in Paradiſum terreſtrem, ut ibi uſque ad aſcenſionem moraretur, fruens Dei viſione. *In Luc. c.* 23. *v.* 39. *ad* 43. *op. medit cap.* 85. Ex quibus patet primò, quòd Deus promptus eſt acceptare veram pœnitentiam cujuſcumque peccatoris quocumque tempore, etiam in puncto mortis. Secundò, quod Deus oranti plus tribuit, quam oratur: Cum enim latro veniam peteret; veniam, & Paradiſum ſimul impetravit. Tertiò, quod tranſiens à ſtatu peccati ad gratiam, tranſire verè dicitur ad Paradiſum. *In Luc. ibid.* Et tandem maximum divinæ potentiæ miraculum elucet; dum non miracula faciens, ſed deriſus, & crucifixus, Deus Salvator agnoſcitur. *Sic Auguſt.*

79. *Chriſti charitàs, & miſericordia infinita in hoc ſecundo verbo iterum expenditur.*

Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiſo. Vide quomodo Chriſtus verbo totius dulcedinis, & veniæ: *Pater ignoſce illis, &c.* Addit verbum totius amoris, & gratiæ: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Reſpira nunc in ſpem veniæ, anima quantumcumque peccatrix; ſi tamen patientis pro te Domini Dei tui veſtigia ſequi non abhorres, qui in omnibus ſuis preſſuris, verba non maledictionis, ſed benedictionis ſuper inimicos ſuos effudit. Dic ergo cum multa fiducia, ut audire mereatis, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ieſu largitor veniæ. Ieſu ſolamen triſtium | Ieſu laus pœnitentiæ, Ieſu ſpes pœnitentium | dum penderes innoxius, horum in pœna ſocius | dum te unus argueret, & ſtultè reprehenderet | dum inſultans inſurgeret, & blaſphemando diceret: | ſi tu es Dei Filius, ſalva temetipſum, & nos | eſto tibi propitius, ſicut ſalvaſti alios. | Dum alter hunc corriperet, & hunc ſtultum oſtenderet. | dum ſe malum concederet, & te juſtum aſſereret | dum ad te ſe converteret, & ſupplex tibi diceret | memento mei Domine, dum ad tuum perveneris | Regnum plenum dulcedine, dum te regem oſtenderis | tu amas pœnitentiam, corda trahens per gratiam | non ſolùm hanc memoriam conceſſiſti, ſed gloriam, dicens. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* O prompta Dei charitas, prompta miſericordia | ô prompta liberalitas, prompta munificentia | ad te currit devotio, ad te redit memoria | coram te fit confeſſio, tibi patent præcordia | Ideo cum fiducia tibi præcamur Domine | qui es ſine malitia ſolus, & ſine crimine | in tua patientia memento noſtri Domine. *Op. medit. c.* 79. *& de ſeptem verbis, &c. ſecund. verb. & lignum vitæ.*

80. *Chriſti tertium verbum, ad Mariam, & Joannem: Mulier ecce filius tuus; ecce Mater tua, expenditur.*

Erant autem ibi mulieres à longe, &c. S.Joan. c. 19. *Stabant autem juxta crucem Jeſu, Mater ejus,* &c.S.Lucas. *Stabat populus expectans.* Videtur & hic diſcrepantia inter Evangeliſtas: Si enim erant noti Chriſti à longe, ut dicit Matthæus: quomodo dicit Joannes, quod ſtabant juxta crucem? At prius à longe ſtabant, ſed poſtea cruci adhæſerunt, nec terroribus, nec minis, nec timoribus ceſſerunt. Inter iſtos autem notos, proximior Cruci erat Maria, veluti innixa ſuper dilectum ſuum; & cum ipſa Joannes dilectus: Cum ergo Jeſus vidiſſet Matrem, dixit ei. *Mulier ecce filius tuus.* Deinde dicit diſcipulo, *ecce Mater tua.* In quo apparet Chriſti amor in Matrem: cum enim deberet eam privare ſua præſentia corporali, Filium ei alterum provider, qui illius curam agat diligentiſſimè: ſimiliter aſſignat Joanni dilecto Mariam loco Matris: hinc invitatur anima ad hunc affectum in Chriſtum. Jeſu lux, & rex gloriæ Fili Dei, & hominis) Jeſu flos pudicitiæ, fili Mariæ Virginis. | Dum hæc Virgo Sanctiſſima tota plena doloribus | Genitrix amantiſſima, tot confecta mœroribus | tu Mater chariſſima, tota percuſſa fletibus | Nutrix diligentiſſima, tota fracta ſingultibus | juxta crucem aſſiſteret, & te pendentem cerneret | dum tormenta conſpiceret, & præ luctu deficeret | Tu videns Matrem flebilem, preſſam amaritudine | Matrem tuam venerabilem, dignam beatitudine | videns quoque Diſcipulum, amatum, & amabilem | fidelem Dei famulum Joannem vitâ nobilem | alloquens ambos dulciter, piæ vocis oraculo | commendaſti benigniter Matrem Chriſti diſcipulo | dicens Matri: Mulier, ecce Filius tuus | deinde Diſcipulo, ecce Mater tua. | O qualis permutatio, ô quanta inæqualitas? | ô qualis deſolatio, ô quæ Matris acerbitas! | Dum cuſtos Matri traditur, pro Magiſtro diſcipulus, | dum per Matrem ſuſcipitur, pro Deo vir pauperculus | dum Matri cuſtos mittitur, pro rege ſimplex famulus | ſic tuæ Jeſu gratiæ me commendo humiliter, | tuæque providentiæ me committo perenniter, | ut exorante Virgine, pro nobis te ſuppliciter | à peccatorum turbine ſimus ſecuri jugiter. *Opuſc. medit. cap. 79. de ſept. verb. Dom. verb 3. In Joan. c. 19.* Nota, quod infrà redibit ſermo de his verbis, & de doloribus Mariæ Virginis.

81. *Quartum verbum Chriſti Eli, eli lama ſabacthani, &c. expenditur.*

Circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna, Eli, eli, &c. hoc eſt Deus meus, ut quid me dereliqui-ſti. Quæritur hic quomodo derelictus dicitur Chriſtus à Patre: Et ad hoc SS. Doctores multipliciter reſpondent: non dicitur derelictus, ſcilicet à divinitate, quæ fuerit ab humanitate ſeparata ſed dicitur derelictus, ideſt relictus in paſſione, & omni conſolatione in cruciatibus amariſſimis privatus: derelictus igitur dicitur, ne nos derelinqueremur, & à peccatis, & æterna morte liberaremur; & ut exemplum nobis patiendi daret. Hinc invitamur ad promendos hos ſenſus ad Chriſtum. Jeſu Patris ingeniti virtus, & ſapientia, | Jeſu cunctique conditi, tenor, & conſiſtentia, | tu virtute mirabili panes multiplicaveras | tu virtute conſimili ſtellam infans deduxeras | defunctos ſuſcitaveras, opera mira feceras, | morbos omnes ſanaveras, totum orbem formaveras, | tu virtute terribili dæmonia ejeceras | tu virtute conſimili hoſtes tuos proſtraveras | ſed affixus patibulo patri factus obediens | Juſſu patris, ut vinculo vinctus manens, & patiens, | qui vult, quod hanc anguſtiam, ut infirmus ſuſtineas | neque dictam potentiam, te liberans exerceas, | quapropter tuo ſenſui condolens naturaliter | clamorem confers planctui, dicens lamentabiliter | Eli eli lamazabatani, hoc eſt Deus meus | Deus meus, ut quid dereliquiſti me. | O lamentum mirabile, ſalutem agens hominum, | ô Innocens cor humile, pœnas deplorans criminum | Ad te fert me compaſſio, pro me te pati ſentio | Ante te me projicio, tecumque luctum facio | Nam iſte luctus utilis eſt mihi pro ſolatio | qui mihi præmialis ſit in æterno gaudio. *Op. medit. cap. 79. de ſep. verb. Dom. verb. 4. Pſalm. 59. ſerm. 1. Dom. 4. Penitec.*

82. *Quintum verbum, Sitio, expenditur literaliter, & myſticè. Sic S. Joan. & S. Matth. ubi de ſiti corporali, & ſpirituali Jeſu.*

Unus autem ex eis accurrens, acceptam ſpongiam implevit aceto. Addit S. Joan. *Hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus, & dabant ei bibere.* Quintum igitur verbum eſt ſitio, in quo verbo magna fuit compaſſio Matris, & ſociorum ejus, & Joannis & illis peſſimis magna fuit lætitia. Sitis autem, quæ Chriſtum torquebat erat duplex, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis, verè enim maxima ſiti torquebatur, quia ſanguinis effuſione erat totus exſiccatus intus, & etiam atefactus. Et cum illi maligni cogitare non poſſent in quo ei amplius nocere poſſent, tamen novam vexandi materiam invenerunt, unde dederunt ei bibere acetum mixtum cum felle: hoc autem fecerunt vel ut citius morereture, vel ut amplius torqueretur. Alia ſitis erat ſpiritualis, qua hominum ſalutem, animaſque ſitiebat. Sitis hæc de ardore dilectionis, dit *Juſtin.* De amoris fonte, de latitudine charitatis naſcitur; ſitiebat nos. & dare ſe nobis deſiderabat: Sitis hæc plus cruciabat cor Chriſti, quàm crux; & ad temperandam hanc ſitim, acetum ſumpſit amariſſimum; & in vinum optimum convertit; ſcilicet impios aceto ſimiles, ut latronem, & in vinum tranſmutat. *Opmedis. c. 79. & lignum vitæ. In Joan. c. 19.*

83. *Affectus animæ contemplativæ ad Chriſtum ſitientem, ejuſque ſitim.*

Ut conſummaretur ſcriptura dixit ſitio. Quæ Scriptura hæc ex *Pſal. 68. in ſiti potaverunt me aceto* Ad Chriſtum igitur ſitientem in cruce dicat anima. Jeſu dulcis memoria, ſitibunda dilectio, | Jeſu dulcis fiducia lætabunda refectio, | dum extenſus exiſteres ſuper aram patibuli, | dum immolatus ageres redemptionem Populi, | dum te nudum aſpiceret mundus inſtar ſpectaculi, | dum lamentum oſtenderet ſuper te vultus ſæculi, |

dum

Dum hoſtes de te luderent,& noti tui fugerent; | dum clavi membra tenderent, & nervi ſe contraherent. | dum vulnera tumeſcerent,& humores defluerent | dum carnes contremiſcerent,& virtutes areſcerent, | ſitim ſumpſiſti fervidam, ſitim amore languidam | ſitim virtutum cupidam, noſtræ ſalutis avidam. | benigne dicens: ſitio, hominum fidem cupio, | ſalutemque deſidero, pro qua pari me offero. | O ſitis ſalubertima exoptans amicitias. | ô ſitis cordis intima frangens concupiſcentias, | præſta ut ad te ſitiam, & iſta ſiti ut ardeam, | pravam ſitim effugiam, donec ad te fontem tranſeam, | potumque vitæ hauriam,quo felix ſemper maneam, | & Deum meum videam, ſanctam ingreſſus patriam. *Op. de ſeptem verbis Domini.verb.5.*

84. *Sextum verbum, ſcilicet conſummatum eſt, expenditur.*

Nota,quòd hoc verbum,*conſummatum eſt*,quantitativè parvum apparet. continentia modicum, exteriori ſuperficie planum, interiori intelligentia parvum:& tamen eſt quantitate virtutis magnum, amplitudine myſteriorum immenſum, altitudine profundum, apprehenſione intelligentiæ inveſtigabile, & ad plenum inveſtigatum: nec mirum, quia propoſitum eſt à verbo conſummato, & abbreviato: conſummare enim eſt ad finem perfectè totum ducere; & in perfecta, & vivifica immolatione Filii Dei fuit conſummatio geſtorum Patriarcharum,hoſtiarum legalium,prædictionum prophetalium, & myſteriorum ſcripturarum. In vera enim hac immolatione conſummatio fuit omnium figurarum,conſummatio item fuit in hac ſalvifica paſſione omnis paſſionis; eo quod hæc ſola paſſio fuit major omni paſſione: tum ratione diuturnitatis; quia à principio ſuæ conceptionis cœpta eſt: tum quia ſupplicium fuit crucis, quod diutius durabat, & cruciabat: tum ratione univerſalitatis, quia totus in cruce extenſus: tum ratione temperatæ complexionis, & æqualitatis ipſius, & ſanitatis, ac vigoris ipſius patientis: tum ratione multiplicis contumelioſitatis antecedentis ipſam paſſionem,& concomitantis:tum ratione perfectionis omnis ſatisfactionis,fuit in hac paſſione conſummatio, & perfectio: tum quia in hac paſſione fuit conſummatio diſpenſationum, & operum filii Dei in terra,in docendo, in miracula faciendo,& in opere redemptionis complendo:unde dixit, conſummatum eſt: ideſt. Pater, obedientiam, quam mihi dediſti,complevi:adhuc ſi aliud vis paratus ſum in flagella. Et hoc verbo nos invitat ad conſummandum curſum vitæ noſtræ, in voluntate ipſius agendo, quæ ei placent, & pro eo ſuſtinendo & vitam conſummando in ſervitio ejus. *Op.medit.c.79.In Ioan.collat.85.*

85. *Invitatur anima contemplativa ad contemplationem agoniæ Chriſti in cruce in hac conſummatione, & ad affectus ſuos expendendum ad ipſum.*

Conſummatum eſt: ſcilicet totum, quod de me ſcriptum eſt:ſi tibi placet Pater, revoca me modo tibi:Et tunc Pater ad eum: veni dilectiſſime fili mi:omnia bene feciſti, nolo quod amplius anxietis: veni quia in ſinu meo, & inter brachia mea te ſuſcipiam. Et ex tunc languere cœpit more morientium,modo claudendo oculos,modo aperiendo;& caput inclinare,modo in unam partem,modo in aliam,deficientibus omnibus viribus. O bone Ieſu,quam profundè in te recepiſti, & aſſumpſiſti noſtras hujus humanitatis miſerias! Ad Chriſtum igitur curramus agonizantem,& toto cordè ei dicamus.Ieſu noſtra redemptio,Ieſu Redemptor omnium, | Ieſu noſtra dilectio, Ieſu ſalus credentium, | dum per crucis myſterium diligenter perageres, | Redemptoris officium, ut hominem redimeres, | ſuſtinendo ſupplicium, ut inde nos eriperes, | conſummans ſacrificium tuæ carnis, & ſanguinis, | conſummans pacis prælium ſalutaris certaminis, | conſummans tranſitorium curſum hujus imaginis, | conſummans opificium redemptionis hominis, | dum mortis horam cerneres, dum hac vita deficeres, | dum finem jam contingeres, dum omnia perficeres, | ut in ſumma concluderes,dixiſti: conſummatum eſt; | nam Ieſus crucifixus eſt, & agnus immolatus eſt, | ſanguis ejus effuſus eſt, & pretium ſolutum eſt, | diabolus devictus eſt, & bellum conſummatum eſt. | Chirographum delerum eſt, & homo jam redemptus eſt. | O bonitas, bone Ieſu, qui es noſtra juſtitia | ô veritas vere Jeſu,qui es noſtra ſcientia, | ô charitas chare Ieſu,qui es noſtra redemptio, | ô ſanctitas ſancte Ieſu, noſtra ſanctificatio, | conſumma nobis gratiam, & conſumma juſtitiam, | conſumma conſcientiam, & conſumma lætitiam. *Op. medit.c.79.& de ſep.verbis Domini.*

86. *Iterum iſtud verbum conſummatum eſt, expenditur;& qualiter à nobis imitandum eſt per perſeverantiam.*

Conſummatum eſt. Vide quomodo Chriſtus,ſicut gubernator navis poſt longam enavigationem, cum primum videt littora proxima,voces ingeminat terra,terra: ſic ipſe bonus navarchus Eccleſiæ & crucis ſuæ navi mille bonæ ſpei antiquarum, novarumque rerum promontoria vidit, & dixit: conſummatum eſt: jam ſcripturæ opere confirmatæ:iam figuræ,& veritatis adumbrationes præteritæ,mea in agno manſuetudo, in tauro fortitudo,in vitulo obedientia,in ove ſimplicitas, in columba,& turture mores,adumbrabatur amor, *conſummatum eſt.* Iam me eſſe manſuetum, fortem, obedientem,ſimplicem, & ferventiſsimum amantem deprehenſum eſt. Conſummatum eſt Eccleſiæ ædificium.Conſummatum eſt, ô mater amantiſsima:portus jam viſitur jucundiſsimus;& extrema meta dolorum ad clauſulam uſque perorationis meæ,quam ſuſceperam hominis cauſam,ad finem uſque perduxi.Iam amariſsima potio hauſta, & exhauſta, quæ mortalibus allaruta erat ſalutem.Suntne plures amaricationes ebibendæ:conſummatum eſt; jam, ô Pater, obedientiam,quam mihi dediſti,perfectè complevi: jam obedientiæ meæ lineas contingit extremas: non plus ultra obedientiæ conſummatum eſt.Summa Sacramenti crucis arcani hæc eſt, hoc breve compendium, breviſque nota æternæ ſapientiæ Dei,unigenitusque filius pendens in cruce cum hoc titulo, conſummatum eſt,hoc ænigma,quod Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitia, nobis virtus, Deique ſapientia eſt, conſummatum eſt. Et hinc eſt, quod eum eſſet ipſe conſummator incœpti operis, de

cruce noluit deſcendere : Exemplo hoc nos inſtruens,ne deficiamus ab operibus bonis ; ne audiamus : hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare:neminem igitur dilectiſſimi audiamus , non ſanguinem,non ſpiritum quemlibet deſcenſum à cruce ſuadentem;ſcilicet à pœnitentia,vel ordine : perſiſtamus in cruce , moriamur in cruce , deponamur aliorum manibus , non noſtris exemplo Chriſti,qui in cruce dicit, conſummatum eſt,ſic & tu ſtes in cruce finaliter,& ſic in fine vitæ tuæ,quando expirare debes,potes dicere: conſummatum eſt;regulam,quam vovi,obſervavi, obedientiam, pœnitentiam, præcepta Dei, totum conſummavi,juxta illud 2.*Timoth.c.*4.bonum certamen certavi,curſum conſummavi , fidem ſervavi,in reliquo repoſita eſt mihi corona,&c. *Op.cit. In Ioan. coll.*85.*ſer.*3.*Dom.Albis.*

86. *Clamor Chriſti in actu expirationis ante ſeptimum verbum expenditur.*

*Ieſus autem iterum clamans voce magna expiravit.*S.Lucas.*& clamans voce magna ait : Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum ; & hæc dicens expiravit.* Nota,quod Chriſtus Ieſus ter in extremo ſpiritu voce magna clamavit:ſemel,cum dixit Deus meus,ut quid dereliquiſti me:& iterum cum dixit : conſummatum eſt:& tertio,cum ait : Pater in manus tuas , &c. Cur clamavit Chriſtus voce magna in fine vitæ:nonne ſufficiebat clamor cordis ? Sed attende ad myſterium. *S. Paulus Hebr.*5. notat, quod ſimul clamans, & lacrymans expiravit; cũ clamore valido,& lacrhymis,ut in lachrymis intelligatur vera Chriſti humanitas,& paſſio: in clamore verò divinitas:clamavit igitur, ut daret intelligere , quod cum cæteri morientes clamare non poſſint ob deficientiam ſanguinis ad cor , & vitium, ipſe tamen non habebat debilitatam naturam,& tunc valebat ſicut prius:vel clamavit per miraculum ; ut ſuam declararet potentiam ; & quemadmodum victor clamat , dum inſequitur hoſtes, prædam ereptrus, tartaro : ideo clamor ille pervenit uſque in infernum:vel etiam, ut clamores peccatorum noſtrorum deſtrueret: vel ut invitaret totum Mundum ad fidem amplexandam ſuæ divinitatis : clamavit item ſimul expirando cum lachrymis , ut ſe oſtenderet ſummum Pontificem, clamantem , & orantem in illa extrema hora pro nobis.*In Luc.c.*23.*v.*36. *Op.medit.c.*79.

87. *Expenduntur iterum ultima hæc verba Chriſti : & ad imitationem Chriſti invitatur anima.*

Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Nota, quòd cum hæc ſint ultima verba à Chriſto prolata in ultimo puncto ſuæ vitæ , ſunt etiam ſumma omnis doctrinæ, omniſque diſciplinæ quæ ad cultum eximium , & reverentiam Patris ſingulatem,& ad omnem ſpem collocandam in ipſo pertinebat;atque ut animæ noſtræ ſaluti cõſuleretur maximopere faciebat. Primum præſtitit Chriſtus commendans animam Patri , in ejuſque voluntatem ſeipſum totum fidens : ſimulque nomine juſtorum , poſſeſſionem ſumit manuum Patris, quæ ſunt tutiſſimæ ſedes , & munitiſſima loca animarum : nullis mortis infeſtatæ periodis : & hinc ediſcamus animæ noſtræ rationem habere, & ut in morte illam Deo noſtro commendare ſecurè, & cum fiducia poſſimus,nunc in curſu vitæ, committenda eſt in ejus manibus : & ideo frequenter hæc verba à nobis repetenda conſimili affectu ſequentibus comprehenſo. Ieſu via rectiſſima, Ieſu ſalutis oſtium, | Ieſu porta tutiſſima,Ieſu protector omnium ; | Ieſu ſalubris veritas,& lux mentem illuminans, | Ieſu vitæ fœlicitas , dulcor in corde jubilans , | dum in extremis ageres, ut animam deponeres, | dum hanc vitam deſereres , ut ad limbum deſcenderes, | volens viam oſtendere, per quam debemus pergere | volens cunctos inſtruere,qui facti ſunt de pulvere, | volens illum oſtendere qui poteſt nos defendere, | in quo debent confidere,qui mortem debent capere, | tuum ſacratum Spiritum tuo Patri ſanctiſſimo | commendaſti per gemitum ſermone devotiſſimo, | dicens : Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, | & inclinato capite,fixus in crucis ſtipite , | acriter cruentato te turpiter , & indebite | tu emiſiſti Spiritum,& orbis talem fremitum ; | quod quiſque per circuitum,ruum percepit obitum , | ut cuncta fletum facerent;& elementa tremerent.*Op.de ſep.verb. Dom.ſep.verb.*

EXPENDVNTVR ITERVM varia myſteria ſuper agoniam Chriſti pendentis in cruce.

88. *Chriſtus in cruce duplex echo reſonare fecit.*

*Ieſus autem pendens inter duos latrones , dicebat : Pater dimitte illis,&c.*Nota illud verbum,*dicebat:* Evangeliſta non ſcribit : & dixit,ſed,*dicebat.* Cur hoc ? Ecce quale myſterium. Chriſtus. cum jam corporis membra fracta, & vulnerata eſſent præter linguam,quam ſanguinis effuſione,& incredibili labore cruciatuum peraridam , & ex felleo poculo amariſſimam habebat , illa peccatoribus veniam petit , & alios acerbiſſimos dolores non curans , paternam iram placare contendit : tunc dicebat ; ſcilicet, ut Pontifex ſummus , & piiſſimus eo tenore , quo tormenta iterabantur , iterabat præces multoties : & ſicut cum inter duos montes vocem emittis , duplex reſonat echo, promptéque reſponder ; ſic Chriſtus inter Patrem. & Matrem graviter læſus, clamabat : Pater ignoſce illis,non enim ſciunt, quid faciunt : idem & ad Matrem : Mater ignoſce illis,quia neſciunt. quid faciunt : ut hinc ediſcamus omnes, quando ſibi mala inferuntur,ſtare ante crucem, & exemplo Chriſti omnes injurias pro Chriſto condonare.*Op.ſtim.div.amor.p.*1.

89. *Alii Martyres Chriſti , alii Diaboli.*

Et crucifixerunt eum,& latrones, unum à dextris, & alterum à ſiniſtris. Nota , quòd in monte calvariæ exponuntur toti mundo treſ cruces , & tres crucifixi : ſcilicet Chriſtus patiens pœnam ſine culpa , latro ad dexteram poſitus , patiens pœnam pro culpa ; & latro ſiniſter itidem patiens pœnam pro culpa ; ſed cum differenti

rent ævum; nam ad paſſionem Chriſti conſecuta eſt gloria ampliſſima: ad paſſionem boni latronis, conſecuta eſt primò venia, poſtea martyrium, & tandem gloria: ad paſſionem mali, conſecuta eſt pœna æterna. Et hinc edifcamus, quod alii patiuntur pro Chriſto, & cum Chriſto ad præmium, & ad gloriam; ideoque eorum pœna eſt glorioſa, quia ſunt martyres Chriſti, qui prius aſcendunt ad currum, & è curru ad gloriam. Alii patiuntur pro mundo, diabolo, & carne; & iſti ſunt martyres diaboli, qui poſt pœnas hujus vitæ, tandem ad æternas transferuntur. *Pſal.21. in Luc.c.23.v.32.ſer.1.fer.3.Penitet. & l.4.d.4.p.2.dub.2.*

90. *De tenebris, quæ tempore mortis Chriſti apparuerunt: item de horâ, quâ obiit.*

A ſextâ autem horâ uſque ad nonam, tenebræ factæ ſunt in univerſam terram, & obſcuratus eſt ſol &c. & clamans voce magna expiravit. Quæritur hic in qua horâ Chriſtus crucifixus fuerit, & obierit; nam videtur diſcrepantia inter Evangeliſtas: quia S. Matthæus, & S. Joan. dicunt, quod erat hora ſexta. S. Marcus, quod erat hora tertia. S.Luc. quod erat fere hora ſexta: ſed tamen nulla eſt contradictio: nam fuit crucifixus inter tertiam, & ſextam horam, ſed plus accedebat ad ſextam: unde Marcus dicit hora tertia ſcilicet completa, Matthæus hora ſexta, ideſt inchoata: Et S.Lucas medio tempore inter tertiam & ſextam; quia verè inter has duas crucifixus eſt, quod S. Joannes notat, hora erat quaſi ſexta: Unde horâ tertiâ Chriſtus accepit ſententiam Pilati; ſtatimque cum feſtinatione ductus ad Calvariæ locum; ibique ſextâ horâ, vel paulo ante crucifixus, & horâ nonâ expiravit: & hoc fuit, ut ſicut homo ſextâ die factus eſt, ſic Chriſtus ſextâ feriâ, & ſextâ ætate crucifixus eſt. Addunt alii ex S.Greg. Nazian.quod ſic reſpondet dies redemptionis diei captivitatis. Adam conditus eſt ſextâ feriâ, per octo dies in Paradiſo vixit: feriâ ſextâ ſequenti, admiſſo peccato, diaboli jugum ſubiit. Chriſtus vero crucifixus eſt ſextâ feriâ, & horâ diei ſextâ, diaboli jugo fracto, hominem captivum redemit: & ſic totum myſterium crucis reſpondet peccati perpetrationi: nempe lignum adverſus lignum, & manus adverſus manum. Quæritur ſecundò quales fuerunt iſtæ tenebræ, & an fuerint univerſales in toto mundo? Reſpondetur fuiſſe univerſales in totâ terrâ, cui luna præerat: fuiſſeque miraculoſam hanc Eclypſim, quæ advenit: tum per interpoſitionem lunæ inter terram, & ſolem, licet eſſet luna in quarta decima, & ideo in perfectâ diſtantiâ à ſole; & ob id fuit contra naturæ curſum, & miraculo: unde D. Dioniſius hanc obſcurationem videns contra naturalem curſum, dixit aut elementa mutantur, aut Deus naturæ patitur, & elementa ſibi compatiuntur; advenit etiam per terractionem radiorum factam à ſole. Addimus, quod non ſolùm ſtellæ; ſed & cæteræ creaturæ compaſſæ ſunt Chriſto morienti: nam velum templi ſciſſum eſt à ſummo uſque deorſum, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: per quæ ſignificabatur in obſcuratione ſtellarum obcæcatio Judæorum; per ſciſſionem veluti apertio ſcripturarum, quæ facta eſt gentibus, & eorum converſio: per fractionem petrarum: terra item tota mota eſt, & ſepulchra aperta: ut homines addiſcant, quod ſi creaturæ inſenſibiles compatiuntur ſuo modo Creatori; multo magis id ipſi debent facere. *In Luc.c.23. v.45. ſeq. aliique Patres.* Quæritur tertiò quænam ſanctorum corpora reſurrexerint? & an cum corpore, & anima in cœlum aſcenderint cum Chriſto? Reſpond. quod eſt varietas opinionum DD.circa hoc: nam aliqui dicunt multa corpora ſanctorum reſurrexiſſe ad vitam immortalem cum Chriſto: alii negant; ſed dicunt reſurrexiſſe tantùm, ut viventibus nunciarent mortem Chriſti redemptoris, ejuſque veram reſurrectionem, & poſtea iterum obiiſſe; & tandem cum Chriſto animas ſine corporibus in Cœlum aſcendiſſe: Et hæc etiam revelatio facta eſt S.Birgittæ, cui Maria Virgo dixit: neminem ſanctorum eſſe in Cœlo cum corpore glorioſo præter Chriſtum & ipſam Mariam Matrem. *Vide S. Aug. ep.99. Euthim. Theoph.S.Hieron.&c.*

91. *Chriſti expiratio, & obitus expenditur.*

Jeſus clamans voce magna expiravit. S. Luc. *& hæc dicens expiravit.* S.Joan. *& inclinato capite tradidit ſpiritum.* Nota, quòd in hac expiratione, & obitu Chriſti multa myſteria panduntur. Et primò, quod voluit mori ſimul clamando, & orando, ut oſtenderet ſe ſacerdotem magnum mediatorem inter Deum, & nos. Secundò clamavit voce magna, ut oſtenderet ſuæ potentiam divinitatis, ut dictum eſt ſupra. Tertiò inclinavit prius caput, poſtea obiit: non ſicut nos, qui ſolùm poſt mortem inclinamus caput. Chriſtus verò prius inclinat caput, ut oſtenderet ſe Dominum mortis, & vitæ: quaſi ad ſe nutu mortem formidantem advocaret. *Sic SS. Athan & Chryſoſt.* inclinavit item caput ſuper pectus verſus Patrem, quaſi ei gratias agens, quod ipſum ad ſe revocabat: & hinc tradidit ſpiritum. Alii Patres addunt alias myſticas expoſitiones huic inclinationi capitis *Inclinato capite.* q.d.inclino caput, quia propter obedientiam morior; ut & nos addiſcamus mori in cruce obedientiæ: emittendo ſpiritum propriæ voluntatis. *Inclinato capite*, ideſt ad crucifixores, & peccatores ut oſtendat eis paratam indulgentiam; ideo dixerat: *Pater ignoſce &c. Vel inclinato capite*, ut oſtendat; quod porrectas aures habet, & inclinatas ad audiendum preces humilium, ſecundum illud *Pſal.85. inclina Deus aurem tuam mihi, & exaudi me; quoniam inops, & pauper &c.* Item, *inclinato capite* ex parte Matris ſuæ q.d.per ipſam veniam petite, quia ipſa eſt oraculum miſericordiæ. Item, *inclinato capite*; quaſi ſupponens humerum ad portandum nos, & onera noſtra. *Item inclinato capite* (ait S. Bernardinus) reverentiam exhibendo nomini Jeſu inſculptum ſuper caput ſuum; ut nos doceat quali reverentiâ tractandum hoc nomen ſuper omne nomen: hæc omnia ſparſim *ex Seraph. Doct. in ſtim. & ſer. 4. Dom. 14. Penit. S. Bernard. Ugon. aliiſque SS. & P.* Nota etiam, quòd hanc inclinationem capitis repræſentat ſacerdos in miſſa, quando capite, & corpore inclinato dicit: ſupplices te rogamus: & tunc deberent fideles in hoc loco cum ſacerdote fideliſſimè ſe humiliare, & Deo animas ſuas per intima ſuſpitia commendare. *Op.expoſ.miſſa.c.4.*

92. *Chriſti obitus iterum expenditur.*

Jeſus clamans voce magna emiſit ſpiritum. S. Marc. *voce magna expiravit* S. Luc. *hæc dicens expiravit.* S. Joan. *& inclinato capite tradidit ſpiritum.* Vide ô anima, quomodò denique cum agnus innocens, qui & verus juſtitiæ ſol trium horarum ſpatio pependiſſet in cruce & eodem tempore ſol iſte viſibilis factori ſuo compatiens, lucis ſuæ radios occultaſſet, jam omnibus conſummatis, fons ipſe vitæ horâ nonâ ſiccatur, dum Deus, & homo Jeſus cum clamore valido, & lachrymis, ad miſerationis manifeſtandum affectum, & divinitatis declarandam potentiam ſpiritum in manus Patris commendans, expiravit, tradens in manus Patris ſpiritum voluntariè, ſicut voluntariè obiit. Tunc velum templi ſciſſum eſt, tunc terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt. Tunc ipſe Centurio Deum verum eſſe cognovit. Tunc qui ad ſpectaculum iſtud convenerant, revertebantur, percutientes pectora ſua. Tunc ſpecioſus formâ præ filiis hominum, deformis apparuit, factus holocauſtum ſuaviſſimi odoris in conſpectu paternæ gloriæ, ut averteret iram à nobis: erumpant igitur lugubres clamores, ejulatus, ſuſpiria: ita enim debita ſunt hæc omnia: omnes juſtam lachrymarum cauſam habent: Sacerdotes, quia obiit ſacerdos noſter: reges, quia mortuus eſt rex regum: plorent duces ſuper ducem noſtrum occumbentem. O mors, mors lacrymabilis, ſuper quam plorant omnia | ô mors mors lamentabilis, ſuper quam flent innoxia, | ô mors, mors admirabilis, qua ſuſcitantur mortui, | ô mors, mors amicabilis, qua exaltantur ſtrenui, | ô mors ſacra, mors nobilis, per quam delentur ſcelera, | ô mors pia, mors utilis, per quam donantur præmia, | præſta, ut hæc memoria nos teneat continuè | & ſtimulet præcordia, corque pungat aſſidue, | ut menti lumen influat, & in agendis inſtruat, | ut nos à culpis exuat, & vitæ donum tribuat. Amen. *Op. lignum vitæ meditation. cap. 79. & de ſept. verb. Domini.*

93. *Per paſſionem, & mortem Chriſti velamen figuratum: ideſt Sacra ſcriptura ablatum eſt in ſalutem gentibus: & in perditionem judæis.*

Et velum templi ſciſſum eſt, &c. & petræ ſciſſæ ſunt, &c. Nota, quod hoc velum ſciſſum in duas partes; ſcilicet illud, cujus objectu includebantur Sancta ſanctorum; per quod ſignificatum eſt, quod ad paſſionem, & mortem ſalvatoris, velamen figuratum, quod tegebat veritates legis evangelicæ, apertum eſt; & revelata ſunt omnia myſteria omnibus; licet magis in ſalutem gentilium, & in obcæcationem Judæorum: nam de gentibus dicitur; quod petræ ſciſſæ ſunt, ſcilicet eorum ducitia; ut videas, quod mors ſalvatoris aliis eſt in ſalutem aliis in perditionem, ex culpa tamen propria. *in Luc. c. 18. v. 34. c. 19. v. 40. in Joan. cap. 8. verſ. 20. Pſal. 16. & 56. & 81.*

94. *Creaturarum miraculoſa commotio indicium vehementiæ doloris Chriſti in ejus morte.*

Et velum templi ſciſſum eſt, &c. Statim poſt Chriſti clamorem, & expirationem, ſoliſquè obſcurationem, velum templi ſciſſum eſt, & petræ ſciſſæ, & terræmotus totam terram quaſſavit. Quid eſt hoc? quid ſignificabat tanta commotio creaturarum cæleſtium, & terreſtrium? ſed hoc factum totum eſt ad clamorem Chriſti morientis: ut exprimeretur aliqualiter qualitas doloris Chriſti in ſua morte ex parte amicabilis unionis animæ, & corporis: quia enim caro Chriſti corruptioni non erat obnoxia; ideo anima fortiori vinculo amicitiæ ei erat carni colligata: ubi autem major in conjunctione amor eſt, ibi major dolor intervenit in ſeparatione, & ratione hujus unionis, non fuit dolor ſimilis, ſicut dolor Chriſti: ad cujus expreſſionem clamans, & lachrymans mortuus eſt: qui horribilis clamor etiam ipſis inſenſibilibus videbatur incutere horrorem; quoniam non tantùm velum templi, ſed etiam petræ ſciſſæ ſunt, & ſol obſcuratus eſt: & hoc factum eſt à Deo, ut per iſtas commotiones excitarentur homines ad cognitionem & conſiderationem dolorum, & pœnarum Chriſti Jeſu: ſed hanc horribilem vocem non audiunt homines, qui duriores ſunt ipſis lapidibus. *Ser. 1. Dom. quinquag.*

95. *Contra oppreſſores innocentium armatur creatura.*

Sol obſcuratus eſt. &c. velum templi ſciſſum eſt & petræ ſciſſæ. &c. Vide quomodo ad mortem innocentis Chriſti omnes creaturæ, etiam inſenſatæ commoventur. Quid eſt hoc? quid ſignificat iſta commotio? Hoc eſt, quia omnis creatura inſanit, & inſonat contra violentiam, & violentos oppreſſores innocentum. Cœlum, terra, petræ, aqua, & cæteræ creaturæ. Audiant hæc Prælati, & alii innocentum oppreſſores, & timeant, & horreſcant; quia omnes creaturæ contra ipſorum crudelitatem clamant, & commoventur. *Ser. 4. Dom. 3. poſt oct. Epiphan.*

96. *Per crucifixi, & vulnerum oſtenſionem converſi ſunt, qui ipſo vivente, & prædicante ad oſtenſionem miraculorum duri permanſerunt.*

Videns autem Centurio quæ facta ſunt, & qui cum eo erant, dixerunt: verè filius Dei erat iſte: & omnis turba, &c. percutientes pectora ſua, revertebantur. Vide quomodò Centurio agnovit vitam in morte, latro regem, Centurio, & milites, & alii, qui aderant ad ſpectaculum iſtud, filium Dei agnoverunt, & pœnitentiâ ducti, revertuntur percutientes pectora ſua? quare hoc? quomodò inquam, & qua de cauſa iſti, qui tot prodigia, & miracula à Chriſto in vita ſua patrata viderant, & tamen non ſunt converſi; nunc verò ad aſpectum ſpectaculi hujus crucifixi morientis converſi ſunt, & agnoverunt ipſum Chriſtum filium Dei? ſed transfer mentem ad id, quod dixerat Chriſtus *Joan. c. 8. Cum exaltaveritis filium hominis*, ſcilicet in cruce, tunc cognoſcetis, quia ego

ed by Google

ego ſum : tunc, ſcilicet ex conſideratione crucifixi, cognoſcetis, quia ego ſum veſter redemptor, filiuſque Dei. O ſpectaculum potentiſſimum ad permovenda corda. O ſpectaculum Cœlo, terræque, Angelis, & hominibus ſtupendum: quæ ſubita commotio præcipuè facta eſt in Centurione, & gentilibus; quia Chriſti paſſio crucifixio, & mors fuit conſummatio, apertio, manifeſtatioque omnium myſteriorum Sacræ Scripturæ. *In Luc. cap. 23. verſ. 47. in Ioan. cap. 8. verſ. 28. & collat. 85. & l. 3. d. 22. a. 2. qu. 2.* Nota quod hoc factum eſt, quia Chriſtus, dum miracula patrabat in vita, erat velut liber obſignatus, & ſine notis, & punctis: in cruce autem actus, apparuit liber apertus, & notis, & litteris vulnerum ſignatus; ob idquè facile legi poterat & cognoſci. *hæc ad ſenſum Seraphic. Doctor. in ſtim.*

DE PRÆCELLENTIIS Paſſionis Chriſti.

97. *Quàm conveniens, & Deo acceptabilis fuerit Chriſti paſſio.*

Et inclinato capite, tradidit ſpiritum. Quia ordo naturæ, & dignitas hujus materiæ exigit, ut aliqua promantur extollentia Chriſti Jeſu paſſionem: hinc primò proponitur, an pati Chriſtum Deum, & hominem fuerit conveniens; cum prima facie videatur maximæ crudelitatis nota hominem juſtiſſimum, & innocentiſſimum tradere morti, & ſimul maximæ injuſtitiæ, ob idque cum peccato, & graviſſimâ offensâ Dei? Reſpond. tamen, quod talis modus Deo ſatisfaciendi fuit nobiliſſimus inter omnes, qui poſſunt eſſe, vel excogitari: fuit enim acceptiſſimus ad placandum Deum; quia tali modo Chriſtus tradidit ſeipſum morti ad honorem Dei: nihil autem poteſt excellentiùs Deo tribuere homo, quàm ſeipſum ad honorem ipſius, morti exponere. Inſuper fuit congruentiſſimus ad curandum morbum. Primus enim homo peccaverat per ſuperbiam, & gulam, & inobedientiam: & ſecundus homo Chriſtus, ut contraria contrariis curaret, Deo ſatisfecit, & remedia attulit per afflictionem, paſſionem, humiliationem, & obedientiam Patri præſtitam. Inſuper fuit efficaciſſimus ad attrahendum genus humanum: Cum enim ſolùm Deo adhærentibus liberè valeat Chriſti paſſio: Ideo Chriſtus, ut homines, ſalvo libertatis arbitrio, ad Deum attraheret, ſe primicerium in cruce, & tribulatione expoſuit, & tali pacto etiam ſuâ induſtriâ Chriſtus ſuperavit diabolum; ſicut diabolus ſuâ aſtutiâ deceperat primum hominem: venit enim redemptor, & victus eſt deceptor: tetendit muſcipulam crucem ſuam, & poſuit ei quaſi eſcam ſanguinem ſuum: & hinc licèt ex parte voluntatis hominum intervenerit malitia, crudelitas, & impietas; tamen cum hanc non præceperit, ſed tantùm permiſerit Deus; ex parte Dei intervenit voluntas Dei acceptantis obedientiam Chriſti. *L. 3. d. 20. qu. 3.*

98. *Paſſio Chriſti acerbiſſima mirabiliter extollit divinam ſapientiam, & bonitatem.*

Emiſit ſpiritum, &c. Quæritur hic, an alio modo potuerit Deus genus humanum liberare; & ſi potuit, ut docet nos fides, cur tali modo; ſcilicet per tot labores, pœnaſque filii ſui? & ſi ſufficiſſet minimus labor, & pœna, cur tot in Chriſto voluit inferri? Reſpondetur, quod aliis modis potuit verè Deus liberare genus humanum; attamen ad ſatisfaciendum de toto rigore juſtitiæ Deo, neceſſaria fuit paſſio, & mors Chriſti: & licet modicum ſupplicium in tam nobili perſona ſufficiſſet; tamen Dominus in hoc ſuperetrogavit, ut copioſam redemptionem nobis exhiberet, & ſuam charitatem tali oſtenſione nobis demonſtraret. *L. 3. d. 20. qu. 6.*

99. *Chriſtus paſſione ſuâ, & ſanguine delevit chirographum noſtræ damnationis: Ubi de ſufficientia, & efficacia paſſionis.*

Iſus autem clamans, &c. emiſit ſpiritum, &c. Nota, quòd cum ad hoc venerit in Mundum Chriſtus, & paſſionem, mortemque ſubierit, ut genus humanum redimeret, voluit ſanguine ſuo ſuper lignum crucis delere chirographum decreti, quod erat nobis contrarium, ut ait Apoſtolus *Col. 2.* Hoc autem chirographum erat memoriale, quo anima hominis tenebatur aſtricta per culpam, & debitum reatus ad pœnam: Chriſtus autem per paſſionem ſuam impetravit nobis remiſſionem culpæ, & quantum ad maculam; & quantum ad pœnam quoad ſufficientiam; & etiam quoad efficaciam; nam ut efficax ſit in nobis, non ſufficit ſola Chriſti ſatisfactio; ſed exigitur ſuperadditio aliorum operum ex parte noſtri, quæ tamen efficaciam habent ex paſſione Chriſti: ratio eſt, quia paſſio Chriſti eſt cauſa univerſalis redemptionis: cauſa autem univerſalis nihil efficit, niſi per aliam particularem ad effectum applicetur: ſic & paſſio Chriſti niſi per fidem vivam, & opera noſtra applicetur, non eſt efficax: Unde Chriſtus liberavit nos à poteſtate diaboli cooperantes ejus paſſioni: liberavit & à pœna oppreſſiva peccati, & diaboli; non tamen à pœna promotiva, in qua exercemur patientia, & pietas; & quæcumque alia virtus, ad quam exemplo ipſius excitamur. *L. 3. d. 19. a. 1. per totum ſer. in Paraſcev*

100. Nota etiam, quod Chriſtus ſua paſſione debellavit diabolum, auferens ei poteſtatem, qua prius per fraudulentiam, vel per violentiam ſuperabat homines: nam per ejus paſſionem apparuit lumen veritatis; & intrinſecus per inſpirationem, & exterius per humanam inſtructionem, adjutorium etiam virtutis per miſſionem Spiritus ſancti; per gratiæ infuſionem, & per angelicam protectionem: quæ omnia nobis meruit Chriſtus ſua paſſione, & morte. *L. 3. d. 19. a. 1. qu. 3.*

101. *Chriſti paſſio excitat animam ad ſui imitationem,ad compaſſionem, ad admirationem, ad exultationem, ad transformationem,& ad quietem perfectam.*

Et emiſit ſpiritum,&c. Nota, quod perpetuo in Eccleſiâ proponitur omnibus hominibus Chriſtus in cruce affixus, ut perpetuo ſit objectum totale omnium affectuum animæ, & præcipuè ad imitandum ipſum: nam regula vitæ Chriſtianæ eſt paſſio Chriſti imitanda; quia quanto amplius Chriſto conformamur, eo amplius in hoc conſolabimur: ſicque ad hoc debent dirigi vota noſtra,ut pro Chriſto velimus ab hominibus conculcari, dejici,vilipendi, illudi,perſequi, flagellari; & in divino obſequio exprobrari; abhorrentes delectabilia ſenſus, & amplectentes amara. Hæc eſt ſumma,& perfectiſſima vita chriſtiani. Secundò excitat animam ad compatiendum Chriſto in ſuis illuſionibus, pœnis, doloribus, & afflictionibus; ad quod exigitur perfecta dilectio, & amor in Chriſtum. Tertiò excitat ad admirationem, conſiderando quis ſit patiens; quæ paſſus eſt, & pro quibus, ſcilicet pro nequiſſimis mancipiis,& ſceleratiſſimis inimicis:& à quibus hæc paſſus eſt;ideſt à viliſſimis maximus, à ſtultis ſapientiſſimus.Quartò excitat ad exultationem;ſcilicet pro redemptione humanâ,reſtauratione angelicâ, & divinâ clementia in ipſa offenſa. Quintò excitat ad transformationem animæ in Chriſtum. Sextò ad quieſcendum ſolùm in Chriſto ſuo dilecto ſalvatore, & redemptore;& glorificatore. *Op.ſtim.p.1.c.4.*

102. *Chriſti paſſio excitat quatuor affectus, animæ,gaudium,dolorem,ſpem,& timorem.*

Nota etiam,quod in beatiſſima paſſione Chriſti datur nobiliſſima materia exercendi excellentiſſimè quatuor affectus animæ; in quibus ſe ſe offert primo loco gaudium verum, & reſecatio omnis gaudii vani: videns enim anima ſe ab omni poteſtate diaboli liberatam per Chriſti Jeſu paſſionem, abſolutam ab omni culpâ, & pœna, in Dei filiam adoptatam, & Chriſto in matrimonio copulatam,gratiaque divina ditatam & ſibi cœlum apertum, oblatum, & datum non poteſt non lætari ſummopere, & cum cæleſtibus vitam felicem ducere; omneque gaudium vanum mundi à ſe rejicere toto corde,& affectu. Excitatur item ad dolorem ferventiſſimum; dum dolores,& pœnas à Chriſto toleratas meditatur, & ſublevatur ad condolendum,& compatiendum Chriſto; ſimulque deteſtandum peccata noſtra, quæ fuerunt cauſa tantæ abjectionis,& paſſionis. Excitatur item ad ſpem,videns, quod Pater non pepercit proprio filio,ut nos ſalvaret: hinc ad ſperandum in ejus immenſa miſericordia erigitur,& in ſpe firmatur. Inſuper & timor proponitur in hac conſideratione,dum videns,quod Deus paſſus eſt propter peccata noſtra, qui peccatum non fecit,nec inventus eſt dolus in ore ejus; rectè infert: ſi hæc facta ſunt in viridi, quid in arido peccatore, ſolùm apto ad incendium: ut autem cum moderatione,& fructu anima excitet ſe ad iſtos actus,ipſos debet jungere,ſcilicet gaudium,& dolorem,ſpem,& timorem, ne deſperatione,vel præſumptione incurrat. *Op.ſtim.p.1.c.5*

103. *Chriſti Jeſu paſſio regula eſt in nobis omnium virtutum.*

Nota etiam, quod hæc glorioſiſsima Chriſti paſſio fundamentum eſt totius fidei noſtræ catholicæ, ſpei, & charitatis, & aliarum virtutum cardinalium:fides enim elucet totius ædificii ſpiritualis Eccleſiæ fundamentum ex hoc, quod Chriſtus per ignominias,abjectiones,paſſiones,& mortem convertit mundum, & homines induxit ad ipſum amplectendum ut verum Deum, & hominem: hinc fit,ut omnia,quæ in ſacra Scriptura traduntur, ordinantur ad dictandam in cordibus hominum fidem de Chriſto mediatore: & ideo rectè Chriſti paſſio fundamentum fidei teneri debet,& recognoſci: ſpei item,ut ſupra notatum eſt, & charitatis,dum in hac paſſione ſeipſum immolavit pro nobis: relucet item in hac paſſione exemplum,& ratio perfectiſſimæ prudentiæ,temperantiæ,fortitudinis,& juſtitiæ,quas omnes perfectiſſime exercuit Chriſtus. *Op.ſtim.p.1.c.6.*

104. *Chriſti glorioſiſſima paſſio eſt ſpeculum ſapientiæ cæleſtis,& altiſſimæ contemplationis.*

Nota inſuper, quòd in hac glorioſiſſimâ paſſione elucent dona Spiritus ſancti: nam primo loco occurrit ſapientia cæleſtis, ad quam, contemplativus aſcendit mirabiliter, meditando hanc Chriſti paſſionem: homo enim conſiderans potentiſſimum pro nobis conculcari, ſapientiſſimum ad modum ſtulti illudi, optimum amaritudine repleri, & tamquam peſſimum turpiſſimâ morte damnari, tunc mens ſurgit in quandam admirationem tantæ dignationis divinæ, & tantè erga nos benignitatis indignos:& hinc (Nota effectus meditationis paſſionis Chriſti Jeſu) hinc inquam incipit mentis deſiderium, & amoris ardor erga Dominum intendi, & quadam aviditate hanc excellentiſſimam paſſionem, & immenſam ſalvatoris clementiam ruminari, incipit & ſimul ejus guſtus animi quodammodo ineffabili amaritudine dulcorari, appetitus tefici, & totus homo interior à ſe alienari, & quietari, in Chriſto. O mira, & ſæculis res inaudita; nempè in ineffabili amaritudine dulcor indicibilis reperitur, & in hoc perficitur contemplatio ſpeculantis: quia ſummam, & inenarrabilem dulcoris ſuavitatem, quam ſentit in conſideratione illius ſummæ clementiæ, qua dignatus eſt pro nobis mori, conjungit cum amaritudine inæſtimabili, quam ſentit compatiendo doloribus Domini Jeſu paſſi: amaritudo enim compaſſionis animum recolligit, & unit: admiratio vero divinæ clementiæ in eadem paſſione animum fortificat jam unitum ipſumque elevat, & totum in Deum diffundit. O mira paſſio! ô ineffabilis potatio! ô confectio impretiabilis, commixtio ineffabilis; intimus dolor interior compaſſionis cum exultatione divinæ bonitatis: & quia ibi memorabilis amaritudo cum inenarrabili dulcedine reperitur, ideo inter utrumque contemplantis animus obſtupeſcit, & quaſi ebrius totus corruit in Deum. In compaſſione illius amaritudinis fit quaſi aurum in fornace anima puriſſima. In conſideratione illius ſummæ clementiæ fit anima ab illo ſole juſtitiæ ſplendidiſſima: fit quidem illâ amaritudi-

ne

ne homo innocentiſſimus: fit illâ benignitate deo ſtiſſimus: fit homo interior illâ amaritudine abſtractiſſimus: & fit illâ clementiæ immenſitate diviniſſimus. quid dicam: Extaticus fit aſpectus interior, & ab illa ineffabili clementia abſorbetur; & tunc requieſcit ſponſa cum ſponſo, & mira ſuavitate ſopitur. Unde ejus paſſio comparatur mari ob amaritudinem, & flumini ob dulcedinem charitatis. *Op. ſtim. p. 1. c. 7. & l. 1. ſent. in prol.* Nota hic lector, quod ex hac Seraphica doctrina appareat manifeſtè quam decipiantur aliqui ficti ſpirituales, qui excludere audent à perfecta contemplatione meditationem paſſionis Chriſti: Cum S. Doctor mirâ experientiâ oppoſitum doceat, & latam, & claram viam aperiat contemplationi ſublimiſſimæ mediante meditatione paſſionis Chriſti. *Vid. op. medit. c. 99. in fine.*

105. *In Chriſti paſſione elucet donum intellectus, conſilii, & fortitudinis Spiritus Sancti.*

Nota etiam, quòd in hac beatiſſimâ paſſione anima aſcendit ad donum intellectus ſpiritus ſancti: nam videns Filium Dei pro ſe talia ſuſtinere, hinc elevatur ad cognitionem nobilitatis animæ; & in hac ſchola diſcit, quod anima Deo ſentiens dedignatur in vilitatibus vitiorum inquinari; & quia ordinatur ad ruinam angelorum reparandâ, hinc excitatur ad angelicè vivendum: Et quia talis paſſio eſt effectus ſummæ dilectionis filii Dei, hinc ad amorem ipſius excitatur; nec aliud deſiderat, niſi cum ipſo crucifigi, ſecum æternaliter commorari, & numquâ à latere ipſius ſeparari: & hinc per donum conſilii ad exemplum Chriſti conſurgit ad ipſius imitationem in rejiciendo, & alienando à ſe temporalia, in amplexando triſta, pœnas, & vilitates pro Chriſto; & ſic etiam, per donum fortitudinis omnia ardua aggreditur, non timens, vel pavens ad quemcumque impetum inimicorum. *Op. ſtim. p. 1. c. 7.*

106. *In Chriſti paſſione donum ſcientiæ, pietatis, & timoris ſpiritus ſancti relucet.*

Nota etiam, quòd in hac beatiſſima paſſione elucet donum ſcientiæ; nam cum omnia, quæ in ſacra ſcriptura ſunt cõſcripta, ſint ordinata ad Chriſtum redemptorẽ, hinc omnia, quæ ibi enarrantur, poſſunt eſſe medium aſcendendi ad contemplationem paſſionis Domini Jeſu, v. g. ſi in principio creavit Deus Cœlum, & terram; ſic in Chriſto reparavit humanam, & angelicam naturã. & ſi creavit lucem, ipſe ſe expoſuit in Cruce lucem totum Mundum illuminantem: ſicque omnes alii textus ſacræ ſcripturæ ſunt ordinabiles ad Chriſti paſſionem. Elucet, & donum pietatis; nam anima videns filium Dei pro nobis tot pati, excitatur ad compatiendum, ſubveniendumque proximo pro Chriſto. Excitatur & ad donum timoris; videns enim, quod Chriſtus pro peccatis noſtris tot pœnas ſuſtinuit, excitatur ad Dei timorẽ, ad delectationẽ omnium peccatorum, ad ipſorũ in ſe punitionem. *Op. ſtim. ib.*

107. *In Chriſti paſſione elucent octo beatitudines, & duodecim fructus ſpiritus ſancti.*

Nota etiam, quòd cum Chriſtus in Cruce exercuerit omnes virtutes; hinc etiam in hac beatiſſima paſſione elucet paupertas ſumma, quia Chriſtus apparuit nudus in cruce, omnibus terrenis bonis ſpoliatus: item mitis apparuit, qui tamquam ovis, & agnus occiſus eſt: nec aperuit os ſuum: lugens, qui cum clamore valido, & lachrymis ſe ipſum obtulit Patri pro nobis iniquiſſimis: eſuriens, & ſitiens juſtitiam, & ſalutem noſtram; unde clamabat è cruce ſitio: miſericors, qui paravit vinum, & oleum; ſcilicet corpus ſuum, & ſanguinem ad curandum vulnera noſtra: Patiens, offerens ſe morti pro peccatis noſtris: mundus corde, enormiſſimas enim noſtras maculas lavavit pacificus, qui ſe obtulit in crucem ad pacificandum nos cum Deo: & tandem tot perſecutiones paſſus, reſpondebat perſequentibus emittens offerenſque benedictiones, orationem, preces, lachrymas, & ſanguinem Patri, fructus item Spiritus Sancti elucent in hac beatiſſima paſſione: charitas, gaudium pax, &c. ut de ſe patet. *Op. ſtim. p. 1. c. 8. ſeq.*

108. *In Cruce Chriſtus collocavit omnes actus, qui ab Angelis, & beatis exercentur.*

Nota etiã quomodo à paſſione Chriſti emanat omnis perfectio, & in ea relucet omnis pulchritudo Eccleſiaſticæ vel angelicæ Hierarchiæ, & beatorum; ideo veluti Paradiſum in crucem collocavit; nam in ea primò, & principaliter reſplendet ille Seraphicus ardor amoris; quia majorem charitatẽ nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis, imo inimicis ſuis, quæ charitas Chriſti tanta fuit, quod perfectè ipſam ſuâ intelligentia Seraphim capere non poſſunt, refulget Cherubim ſpeculatio, & intelligentia veritatis: nam in paſſione Chriſti invenitur plenitudo ſcientiæ, nec aliquid in Mundo invenitur, quòd tantùm veritatem factæ ſcripturæ elucidet, tantùm ad cœleſtia contemplanda elevet, tantùm ad Deum ſapiendum illuminet, ſicut paſſio Jeſu Chriſti. Hic etiam maximè ſplendet erga majeſtatem æternam thronica reverentia, & veneratio: dicuntur enim Throni illi cœleſtes ſpiritus; quia in ipſis dicitur Deus quieſcere tamquam in ſuo throno propter nimiã venerationem quam erga Deum habent; requieſcit enim ſuper humiles, & timentes corde: ſic requieſcit Deus in Chriſti paſſione, & in cruce; quia ibi fuit excellens humilitas, reverentia, & veneratio ſumma erga majeſtatem æternam: nullaque reverentia angelica huic poteſt comparari: & quia ſpiritus Dei, peccatis noſtris irritatus, in cruce quievit. Hic etiam relucet dominationum præcellentia, quia propter obedientiam Chriſti uſque ad mortem, exaltatus eſt ad dominium totius Mundi, hic oreſtatum reſiſtentia contra impetus, & poteſtates diaboli. Hic virtutum operatio penetrativa ad cordium intima. Hic principatuum regimen: quia factus eſt principatus ſuper humerum ejus. Hic Archangelorum reſolutio; quia per hanc paſſionem fit levatio ab omni culpâ & pœnâ. Hic Angelorum revelatio; quia per hanc paſſionem revelata ſunt myſteria quæ prius erant abſcondita. Ex quibus omnibus ſequitur, quod in hominibus per participationem horum graduum, fit reſtauratio omnis ruinæ angelicæ. *Op. ſtim. p. 1. c. 2.*

109. *In imitatione Chriſti crucifixi qualiter reluceat obſervantia mandatorum Dei.*

Nota inſuper,quod Chriſtus ſe in cruce oſtendit exemplar obſervantiæ mandatorum Dei, quam exigit à quolibet Chriſtiano; ut ſicut ipſe fuit Deo Patri obediens uſque ad mortem; ſic & nos obediamus uſque ad mortem divinis mandatis: Chriſtus autem obſervavit perfectiſſimè omnia mandata decalogi, ut nos excitaret ad ipſius imitationem: nam ut ſummè coleret Deum patrem, ſe obtulit ipſi in ara crucis Sacrificium medullatum, oblationem, & hoſtiam pacificam pro peccato. Secundò non aſſumpſit nomen Dei in vanum, nec falſum juravit,ſed in paſſione crucis beatiſſima,quæ patribus juraverat, adimplevit. Tertiò Sabbatho in ſepulchro quievit; & nos debemus celebrare Sabbatha noſtra non in rufis, vanitatibus,& diſcurſibus; ſed in quiete cum gratiarum actione. Quartò honoravit patrem, dum propter obedientiam mortem ſuſtinuit: item & matrem,cui ſemper obedivit,& in fine eam Ioanni commendavit. Quintò non ſolùm neminem occidit,ſed mortuos ſuſcitavit. Sextò contra mœchiam ſponſam Eccleſiam ſibi copulavit,eam caſtiſſimam, & putiſſimam reddens. Septimò non ſolùm non fecit furtum; ſed furtum factum à diabolo animarum recuperavit. Octavò pro veritate mortem ſuſtinuit. Nonò, & decimò non ſolùm aliena non concupivit, ſed etiam ſemetipſum nobis in cruce donavit,ad hanc igitur obſervantiam mandatorum Dei invitatur anima,ut in hac cruce cum Chriſto moriatur, & ſe collocet in manus Patris.*Op.ſim.p.1.c.10.*

110. *Chriſtus in paſſione exemplar religioſorum in capitulo.* Nota etiam, quòd Chriſtus ſe exemplar religioſis præſtitit:nam ductus in capitulo coram præſide ſterit inclinato capite, vultu placido, ſermone raro,voce ſubmiſſa, deflexis in terram aſpectibus, paratus ad opprobria, & ad verbera promptus.*Op.Comp.Theol.l.4.c.20.*

111. *Chriſti teſtamentum in cruce ante mortem quare.*

Et clamans voce magna expiravit. Ad quid iſte clamor? ad quid verba,quæ protulit in cruce? ſed attende, quod Chriſtus in cruce proximus morti fecit ſuum teſtamentum: auctor enim pietatis pendens in cruce, in ſingularibus negotiis pietatis officia dividebat: perſecutionem Apoſtolis, pacem diſcipulis, corpus Iudæis, Patri ſpiritum, virgini paranymphum, latroni paradiſum, chriſtianis pœnitentibus crucem commendavit. Nec de hoc contentus, aliud codicillum fecit, relinquens nobis carnem ſuam in cibum, & ſanguinem in potum,animam in pretium, aquam lateris in lavacrum; veſtem crucifixoribus, corpus Diſcipulis; matrem Ioanni.Diſce ex hoc.ô chriſtiane quanta,& qualis charitas Domini noſtri Ieſu Chriſti. Diſce ex hoc quantum debeas diligere Chriſtum. *Op.expoſ.miſſæ cap.4. Comp. Theol. l.4. c.20.*

112. *Chriſtus in altari crucis quale ſacrificium obtulit: & totum ſe obtulit,ut nos ipſi totos offeramus.*

Et clamans voce magna expiravit:ideſt moriendo complevit ſacrificium ſuum, in quo dedit animam ſuam in pretium redemptionis, in ſignum dilectionis, in monimentum recordationis, & in exemplum imitationis,vide quale ſacrificium, in quo ipſe fuit Sacerdos, per quem reconciliati ſumus; fuit templum, in quo facta eſt hæc reconciliatio; fuit Deus,cui reconciliati ſumus:& hinc eluceſcit gratia multiplex, ſublimiſſima excellentia hujus ſacrificii: primò ex parte motivi; quia ejus charitas vidit, quod nec per amicos, nec per pretium poteramus nos redimere: ipſe propter hoc ſe fecit fratrem noſtrum, naturam aſſumendo, & pretium dedit fundendo ſanguinem ſuum pro nobis.Secundò ex parte redimentis, qui cum liberare nos poſſet ex potentia, fecit potius ex miſericordia,ut ad amorem ſuum nos aſtringeret, & juſtitiæ ſuæ ſatisfaceret.Tertiò ex parte redempti,qui opprimebatur criminum ſervitute, & detinebatur in carcere, ſed contra primum, magnum fuit, quod filius ſervus fieret,& ſervus fieret liber: contra ſecundum,magnum fuit, quod Dominus ad carcerem limbi deſcenderet, ut ſervus exiens,ad cœlum aſcenderet. Quartò ex parte juſtitiæ,quia nulla juſtitia dictabat, ut innocens pro reo puniretur. Quintò ex parte excellentiæ divinæ,quia mirum erat, quod impretiabile poneretur ſub pretio vilis creaturæ.Sextò ex parte pretii dati; ſi enim redemiſſet nos ſolùm, adhuc ad gratias teneremur: nunc autem redemit nos animâ, & corpore,& vitâ; ut nihil horum ſibi ſubtraheremus: ergo nullum unquam ſacrificium tam ſuave Deo,& Angelis,& hominibus oblatum eſt, ſicut hoc Chriſti in cruce. *Op. Comp. Theol. l.4. c.20.ſer.3.Dom.1.poſt oct.Paſcha.*

113. *Chriſtus in paſſione ſe totum, & actus ſuos ad noſtram ſalutem ordinavit.*

Et clamans expiravit. Ideſt ſe totum nobis exhibuit: nempe capitis inclinationem ad oſculum in ſignum noſtræ reconciliationis: brachiorum extenſionem ad amplexum, in ſignum receptionis in gratiam de peccato redeuntis: lateris apertionem propter effuſionem pretii noſtræ redemptionis, & ablutionis; exivit enim ſanguis, & aqua:clavorum in manibus, & pedibus infixionem propter memoriam noſtræ recordationis; corporis denudationem in exemplum noſtræ confeſſionis: crucis portationem in exemplum noſtræ imitationis: coronæ ſpineæ impoſitionem in figuram noſtræ glorificationis. Unde per mortem de tenebris ad lucem,de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cœleſte regnum vocati ſumus.*Op.Comp.Theol.l.4.c.20.*

114. *Chriſtus in Cathedra Crucis quales lectiones nobis tradidit.*

Et clamans expiravit: emiſit ſpiritum: ſed quas voces in hoc clamore protulit? Attende, quòd meritò crux appellatur cathedra,in qua,& de qua erudivit ſuos diſcipulos iſte magnus Magiſter, & lectiones

lectiones plures tradidit. Prima lectio Christi est misericordia: per hanc enim probatur esse Deus, quia per hoc, quod Deus est cum Patre dat omnia: per hoc verò, quod homo est, accipit à Patre; & ideo per hanc probatur esse summum bonum, ipsum nobis communicans, & hanc eandem à nobis exigens; & super hanc in judicio examinabit peculiari modo suos scholares. Alia lectio est charitas, quàm infinitam demonstravit in tot pœnis pro nobis toleratis. Alia item est obedientia, quam à principio usque ad finem observavit. Alia item fuit humilitas, qua infra omnes homines se abjecit. Alia item est patientia summa, qua multa, & tam indigna pro nobis sustinuit à suis inimicis. *Vide ap. Stim. p. 1. per totam. Diat. tit. 7. c. 4. ser. 3 fer. 2 Paschæ. ser. 1. Dom. 1. post oct. Paschæ, & opusc. Comp. Theol. l. 4. c. 10.*

115. *Cur Christus in medio latronum voluit mori?*

Et clamans expiravit. Scilicet in medio latronum. Cur in medio, & non potius in alia parte? Hoc fecit, & voluit Christus, ut significaret, quod si medium tenebat in throno, medium teneret etiam in officio; & qui medium in via fuerat creationis, medium existeret in via recreationis; ut per verbum mundus reficeretur, per quod fuerat factus: medium autem mirabilis colligantiæ fuit in incarnatione, uniens simul divinitatem, & humanitatem, ut fieret pax nostra: medium item fuit regularis disciplinæ in conversatione, numquam recedens à medio virtutis in locutione: à medio honestatis in operatione, quia medium semper tenuit in omni genere virtutum perfectionis: unde in medio stat damnans angulos, & extrema ambitionis, latibula personarum acceptionis, & conventicula sordidæ delectationis, medium item vitalis influentiæ in passione; ubi operatus est salutem in medio terræ. Se enim Christus exhibuit in cruce in medio latronum, ut veluti cor influeret vitam in omnia alia membra. *Ser. 1. Dom. 3. Adv.*

DE CHRISTI VULNERIBUS.

116. *Vulneratio lateris Christi expenditur litteraliter, & mystice: Et dolor B. Virginis in hoc facto.*

Unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis, & aqua. Nota, quòd pro tenendo ordine historiæ, hic subnectendum est, quod S. Joan. narrat evenisse post obitum Christi; nam divina ordinatione est indultum, ut unus militum, dictus Longinus, lancea latus dexterum Christi aperiendo perfoderet, & grandi vulnere aperiret, lanceaque attigit costam, & transfixit eitam ipsum cor, & pervenit ad aliam partem, scilicet ad dorsum corporis; & continuo exivit sanguis, & aqua; qui liquores non erant simul permixti, sed sejuncti; quia exiit prius sanguis, postea aqua: in quo facto plura notabilia expendenda proponuntur: Primò qualis dolor cor B. Virginis tunc afflixerit; quia tunc semimortua decidit inter brachia Magdalenæ; quia licet lancea illa nullum dolorem Christi corpori jaculavit; Beatæ tamen Matris cor transfixit. Secundò quomodo Christus respondit novo miraculo, & excessui suæ pietatis crudelitati militis. nam cum esset captus uno oculo, tunc visum perfectè recuperavit, & conversus est ad Christum; martyrque pro fide, & Episcopus vitam finivit. Tertiò, quod tunc ex latere Christi efformata est Ecclesia, & Sacramenta significata in sanguine, & aqua, quæ ex ipso miraculosè exierunt, ex quibus Ecclesia efformatur: sic enim ex hoc latere pretium effusum est nostræ salutis, quod à fonte, scilicet à cordis arcano profusum vim daret Sacramentis Ecclesiæ ad vitam gratiæ conferendam, esseque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi salientis in vitam æternam. *Opusc. lignum vitæ, medit. c. 80. in Ioan. c. 19. v. 36. serm. 9. in Nativ.*

117. *Christi vulnera sunt quinque portæ cœlestes*

Post lateris apertionem in corpore Christi, quinque vulnera exponuntur toti mundo; per quæ datur intelligi, quod cum Christus sit mysticus Paradisus, ipsa sunt quinque portæ cœlestes, ex quibus exivit sanguis in pretium redemptionis, & aqua in ablutionem peccatorum, & ex ipsis emanant, tamquam ex fontibus, aquæ gratiarum, ideſt divinæ misericordiæ, gratiæ, sapientiæ, charitatis, & vitæ. *Ser. 4. in Paraſc. ſer. 4. in Paſcha, ſer. de exalt. S. Crucis. ſer. 4. Pent. ſer. 1. Dom. 3. Adv. ſer. 1. & 4. Dom. infra oct. Nat. ſer. 1. Dom. 2. poſt oct. Epiph. Pſal. 141.*

118. *Christi vulnera sunt vexilla crucis Christi, & transformantia animam in Christum.*

Nota, quòd Christus voluit servare hæc vulnera in suo corpore gloriosa, & radiantia veluti soles; ut in suo corpore exponeret perpetuo quinque vexilla, seu insignia, & characteres amoris, invitantia animas ad transformandum se in ipsa; unde de istis dicitur. *Psal 41. abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum, omnia excelsa tua, & fluctus tui transierunt super me.* Verè enim ista vulnera sunt abyssus amoris, & compassionis, invitantes animas ad compatiendum Christo: sic enim intrans in ipsa anima per meditationem, & compassionem, sentit in se transformationem vulnerum, plagatum, & dolorum Christi; ita ut cum Apostolo potest dicere: ego stigmata Domini Iesu porto, &c. *Ser. 3. Dom. 2. post oct. Paschæ.*

119. *Invitatur anima ad intrandum in vulnera Crucifixi, & veluti columba ad nidificandum in eis; & ad tuendum se ab insidiis diaboli.*

Christus in suo corpore reliquit hæc foramina in signum vehementissimi amoris sui in nos, ut invitaret animas veluti columbas ad intrandum, & nidificandum in eis, & sic ab hoste maligno tutæ essent; quia melius numquam potest vinci diabolus quam in memoria passionis Christi: propter hoc charissime cum insurgit diaboli fraudulentia, malitia tentationis, maximè carnis, absconde te in fossæ humo, ideſt in corpore Christi multiplici vulnere confosso, non per

corporis præſentiam, ſed per meditationem aſſiduam : & quod deeſt tibi, uſurpa de vulneribus Chriſti ; quia de vulneribus ejus corporis ad modum botri in torculari compreſſi, non deſunt fluenta gratiarum, quibus inflammatus, & confortatus, faciliter de diaboli fraudulentia, de Mundi moleſtia, de carnis illecebris triumphabis. *Ser.1. Dom.1.poſt oct. Paſcha. ep.lignum vitæ, medit.c.80. de perfec.vitæ.c.6.*

120. *Chriſti vulnera ſunt porta apotheca cæleſtis plena omnibus medicamentis neceſſariis ad ſanitatem animæ.*

Nota etiam, quòd Chriſtus voluit ſervare in corpore ſuo vulnera, ut eſſent portæ ipſius corporis, in quo conſervantur veluti in apotheca cæleſti omnia medicamenta ſalutaria ad ſanitatem animæ : ibi enim anima invenit medicamenta ſanativa, reſtaurativa, præſervativa, & conſervativa ; ibi reperiuntur & quæcumque electuaria delicata ab anima appetibilia; ibi unguenta ſuavitatis, & ſanitatis. Ecce igitur apertus eſt theſaurus divinæ ſapientiæ, & charitatis æternæ. Intra ergo, ô anima per vulnerum aperturam, & cum cognitione delicias paradiſi obtinebis. O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Chriſto neſciunt, vel non curant intrare. *Opuſc.ſtim. p.1. cap.1.*

121. *Chriſti paſſionis meditatio fundetur, & ordinatur.*

Clamans expiravit. Proponitur Chriſtus crucifixus, ejuſque paſſio, ad hoc, ut à chriſtianis ſemper in memoria feratur, & recogitetur : unde continuè dicitur animæ illud. *Exodi c.25 inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte eſt monſtratum.* Scilicet in monte calvariæ monſtratum eſt exemplar Chriſtus è cruce pendens, omnium virtutum exemplar, proponitur enim nobis hoc exemplar, tum ad imitandum, tum ad compatiendum, ad admirandum, & ad exultandum, & ad hoc, ut transformemur in ipſum. *Op.ſtim.p.1. cap.4.*

122. *Chriſti paſſionis meditatio quos fructus pariat in anima.*

Inſpice, & fac ſecundum exemplar, &c. Vide quod ubique proponitur hoc exemplar Chriſti crucifixi meditandum, & meritò, quia jugis meditatio paſſionis Chriſti roborat, & ſtabilit mentem contra vana, & caduca ; nam ex frequenti, & aſſidua hac meditatione adducitur anima in quandam familiaritatem, confidentiam, & amorem ipſius; ita quod omnia alia vilipendit, & contemnit. Item & fortificat contra tribulationes, & adverſa, ut patet in tot Martyribus, qui in vulneribus ſalvatoris omnia amara experiebantur dulciſſima. Inſuper inſtruit animam circa gerenda, ut nec hoſtes irruere, vel fallere poſſint ; & hoc quia perfectio virtutum ibidem reperitur. v. g. excelſæ paupertatis, eximiæ humilitatis, profundæ ſapientiæ, orationis, manſuetudinis, obedientiæ, patientiæ, cæterarumque virtutum exempla, & doctrina, tali exercitio Seraph. P.S. Franciſcus ad tantam copiam virtutum, & perfectionum exaltatus eſt. *Op.medit.in prol.Diæt. tit.7.c.7.*

123. *Paſſionis Chriſti meditatio, ignem devotionis fovet in altari cordis.*

Nota, quod *Levit.c.6.* Deus præcipit, ut ignis in altari Chriſti ſemper ardeat ; quod & à Dei ſervis eſt exequendum. Altare autem eſt cor noſtrum : in hoc altari ut ignis adſit, & ſemper ardeat fervor devotionis, debet anima ipſum nutrire per ligna crucis Chriſti, & memoriam paſſionis ejus : & ab hoc igne provenient aquæ, ut dicit. *Iſaiæ c. 12. Hauritis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris.* Quicumque ergo deſiderat aquas gratiarum, aquas lachrymarum, iſte hauriat de vulneribus Jeſu Chriſti. Accede igitur, ô anima, pedibus affectionum tuarum ad Jeſum vulneratum, ad Jeſum ſpinis coronatum, ad Jeſum patibulo crucis affixum, & cum B. Thoma Apoſtolo, non ſolùm intuere in manibus ejus fixuram clavorum, non ſolùm mitte manum tuam in latus ejus. ſed totaliter per oſtium lateris ejus ingredere uſque ad cor ipſius Jeſu ; ibique ardentiſſimo amore crucifixi in Chriſtum transformata, clavis divini amoris affixa, lancea præcordialis dilectionis transfixa, intimæ compaſſionis tranſverberata, nihil aliud quæras, nihil aliud deſideres, in nullo alio velis conſolari, quam ut cum Chriſto tu poſſis mori in Cruce, & tunc cum Apoſtolo exclamare. Chriſto confixus ſum cruci, vivo ego, jam non ego. vivit vero in me Chriſtus. *Op. de perf. vita, c.6.*

124. *Meditatione paſſionis Chriſti nectar dulciſſimum conficitur.*

Cum Chriſtus promittat in *Cant. c.8.* animæ poculum ex vino condito, & dulciſſimum, hoc obtineri tantum poteſt meditatione paſſionis Chriſti: nam ſumendo pro vino illud vinum myrrhatum, quo Chriſtus fuit poratus: pro gariophylis clavos, quibus Chriſtus fuit confoſſus; pro cynamomo lignum crucis, in quo fuit ſuſpenſus: pro ſaccharo dulciſſimam charitatem, & miſericordiam, ob quam fuit pro nobis male tractatus, paſſus, & mortuus, componitur hoc nectar animæ dulciſſimum, & inebriativum, quo tribulationes vitæ hujus dulces reddûtur. *Op.Diæt.tit.7.c.7. & tit.8.c.1.*

125. *Meditatione paſſionis Chriſti illuſtratur mens ad cognitionem ſeptem veritatum altiſſimarũ, quæ ante erant omnibus clauſæ.*

Inſpice, & fac ſecundum exemplar, &c. Nota, quod meditatione paſſionis, illa ſeptem ſignacula propoſita in *Apoc.c.5.* quæ erant ſignata, & ſigillata, aperiuntur, & mirabiliter illuſtrant mentem. primũ ſignaculum fuit Deus admirabilis, qui per crucem manifeſtatus eſt ſummè ſapiens, & ſumma ſapientia, in eo quod per crucem, & paſſionem diabolũ decepit: ſumma juſtitia; quia per paſſionem, & crucem obtulit Patri ſatisfactionem, & nobis præparavit redemptionis præmium: ſumma miſericordia, quia tradidit pro nobis filium. Secundum ſignaculum fuit ſpiritus intelligibilis, qui manifeſtatus eſt per paſſionẽ: quantæ ſit benignitatis, & quantũ ad Angelos, qui permiſerũt Chriſtũ crucifigi, & quoad homines, nam propter eos Chriſtus eſt crucifixus, quantæ

quantæ crudelitatis quoad Dæmones, qui Dominum Deum ſuum fecerunt crucifigi. Tertium ſignaculum eſt mundus ſenſibilis, qui in morte Chriſti probatur eſſe locus tenebrarum, in quo regnat cæcitas; quia lucem veram non cognovit; in quo regnat ſterilitas, quia Chriſtum infructuoſum reputavit; impietas, qua innocentem condemnavit. Quartum ſignaculum fuit Paraliſus, qui per paſſionem Chriſti apparuit eſſe locus gloriæ, lætitiæ & opulentiæ, in eo quod Chriſtus propter ejus reſtaurationem, factus eſt vilis, pauper & miſer. Quintum ſignaculum eſt quatenus per mortem Chriſti infernus manifeſtatus eſt eſſe plenus omni egeſtate, vilitate, & paupertate; quia ſi hæc paſſus eſt propter peccati deletionem Chriſtus; multò magis damnati hæc patientur propter juſtam operum retributionem. Sextum ſignaculum fuit virtus laudabilis, quæ per crucem Chriſti probatur eſſe pretioſa, ſpecioſa & fructuoſa: pretioſa quia Chriſtus potius voluit mortem pati, quam virtuti contrariari: ſpecioſa quia in contumeliis relucebat: fructuoſa, quia unus virtutis actus infernum ſpoliavit, cœlum aperuit, perditum reſtauravit. Septimum ſignaculum per crucem apertum eſt, & in eo quod apparuit reatus culpabilis, & quam deteſtabilis ſit, cum ad ſui remiſſionem indigeat tam magno pretio, tam grandi piaculo, tam difficili medicamento. Unde verum eſt, quod paſſio Chriſti non ſolùm reformat memoriam per devotam meditationem, inflammat deſiderium ad devotionem, ſed & illuſtrat intellectum, & ducit ad cognitionem veritatum reconditarum. *Op. Paſſio Chriſti ad modum faſciculorum.*

DE MARIÆ VIRGINIS doloribus.

126. *Maria Virgo Martyr, & pluſquam Martyr juxta crucem.*

Erant autem ibi mulieres multæ à longe &c. Nota, quòd S. Matth. dicit, quod noti & amici Chriſti poſt ipſius mortem erant à longe aſpicientes. *S. Ioan.* verò dicit quod, *ſtabat juxta crucem Mater Jeſu cum Mariâ Cleophe, Mariâ Magdalenâ & Joanne:* ergo videtur contrarietas inter Evangeliſtas? ſed tamen nulla eſt; nam licet alii ſtarent à longe: Maria tamen non fuit elongata nec ſitu, nec affectu: ſitu quia ſtabat juxta crucem: affectu quia tunc ejus anima tranſfixa fuit doloris gladio; & quem cum gaudio in nativitate peperit, in paſſione cum ingentibus doloribus patrocinavit; ideo & Martyr, & pluſquam Martyr verè dicenda eſt. *In Luc. c. 23. verſ. 49. in Ioan. cap. 19. verſ. 28.*

127. *Maria voluntatis concurſus ad Chriſti paſſionem expenditur.*

Stabat juxta crucem Jeſu Maria Mater. Nota verbum, *ſtabat*, quid eſt hoc? quomodo ſtabat, & non potius ſemimortua in terra jacebat præ dolore? ſed attende ad hæc duo: ſtabat, & ſtabat juxta crucem, ſcilicet in cruce, datuque intelligi concurſus duplicis voluntatis Mariæ, ad filii paſſionem ſtabat, ſcilicet veluti impaſſibilis, & imperterrita per invictam patientiam; ſed tamen juxta crucem, ideſt rota immerſa in doloribus filii: daturque hic intelligi, quod Maria voluntate abſolutâ, quod Deus volebat, & virili animoſo, & ratione conſtantiſſimâ volebat paſſionem, & mortem filii ſui; quia ſic placitum erat Deo, ideo ſtabat. Sed tamen voluntate conditionatâ, & pietatis volebat contrarium, quia filio ſuo pro pœnis paſſioni, & morti ſummo dolore compatiebatur: ſicque utroque modo merebatur, in hocque miro modo debet laudari, & amari, ex eo quod placuit ei, quod unigenitus filius pro ſalute humani generis afferebatur: & tantùm etiam compaſſa eſt, ut ſi fieri potuiſſet omnia tormenta, quæ filius pertulit, ipſa multò libentius ſuſtinuiſſet. Verè ergo fuit fortis, & pia, dulcis pariter, & ſevera; ſibi parca, & nobis liberaliſſima. *L. 1. d. 48. dub. 4. & a. 2. q. 2. ad ult. opuſc. ſpecul. B. V. c. 6.*

128. *Qualiter, & quo rigore Maria Virgo Martyr, & pluſquam Martyr aſſerenda.*

Stabat juxta crucem &c. Nota, quòd apud Theologos eſt diſputatio an Maria in toto rigore appellanda ſit Martyr? Aliqui apud Bedam c. 2. referunt Mariam Virginem violentâ morte, & martyrio coronatam fuiſſe: attamen communis SS. Patrum, & Eccleſiæ ſenſus denegat mortem hanc violentam Mariæ. Hoc ſtante, quomodo igitur verè dicitur fuiſſe Martyr, & laureolâ Martyrii coronata: ſicuti conſtanter aſſerunt communiter SS. PP. demptis *Abul. in c. 13. Matth. qu. 10. Soto, & paucis aliis?* Sed en fundamenta hujus ſententiæ: Primò quando tormenta, & ærumnæ ad inferendam mortem naturaliter ſufficiunt, licèt poſtea divina manus miraculo liberet à morte; hoc ſufficit ad verum, & reale martyrium: quia tales non defuerunt martyrio; ſed martyrium eis defuit: ſic S. Ioan. Evangeliſta celebratur martyr ab Eccleſiâ, & plures alii, licet mortis effectus per miraculum non fuerit ſecutus. Dum autem dolor B. Virginis fuerit omnibus doloribus major: quicquid enim crudelitatis inflictum eſt corporibus martyrum, leve fuit, imo nihil comparatione paſſionis Mariæ, quæ nimirum ſuâ immenſitate tranſfixit cuncta ejus penetralia, ejuſque cordis intima; nec potuiſſet ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteret, ſuſtinere, niſi ſpiritus ſui filii miraculosè ipſam confortaſſet: tantus enim fuit ejus dolor, ut ſi in omnes creaturas, quæ pati poſſunt divideretur, omnes ſubito interirent: & ratio eſt, quia mali alicujus apprehenſio, & cogitatio intenſa aliquando tantum dolorem ingenerat, ut mortem inducat: atque una Mariæ apprehenſio, & cogitatio tormentorum filii patientis perpendens, omnium ſimul apprehenſiones hominum longo intervallo ſuperabat; quia patientis dignitatem infinitam callebat; & quo ejus perfectionem, & excellentiam perfectius penetrabat, eo ardentiori amore in eum ferebatur: ergo dolor inde conceptus, cum apprehenſionis menſuram adæquaret, ſi in omnes creaturas rationales diſtribueretur, omnes ſubito interirent: Unde S. Bonav. dixit quod Maria majorem dolorem habuit, quam ſalvator, qui tot ſuſtinuit; nempè comparatione dolorum internotum Mariæ cum extremis Chriſti: tum

ob

ob dolorem, quem habuit, quando lancea latus Chriſti jam mortui.fuit vulneratum, quæ lancea mirabiliter dolorem intenſiſſimum in Matiæ corde ingeneravit : tum quia dolores Chriſti, & pœnæ omnes in corde Matiæ ſedem habuerunt. *Hæc S. Bonav.op.ſp cul. B. V.lec.4. aliiſque locis infra cit.ex S.Auſt.S.Bernardino aliiſque Patribus apud Vegam in Theol. Mariana,qui fusè hanc theſim doctiſſimè probat à n.1248. & deinceps.*

129. *Maria veluti quinta eſſentia doloris omnium creaturarum.*

Stabat juxta crucem Jeſu Maria Mater. Ex ipſo nomine Mariæ poteſt ex parte cognoſci qualitas dolorum ejus : Maria enim interpretatur mare amarum : quod profundius alii DD.exponunt ſic : Maria dicitur & ſtella maris,& ſtilla, vel diſtillatio maris, & meritò ; nam diſtillatio eſt quinta eſſentia, quæ per quinque fuſiones extrahitur per vas ſtillatorium : quod immenſum Mariæ dolorem ex morte filii concepti apprimè declarat : nam ut rectè notat S. Anſelm. *de excelſa Virg. cap.5.* quicquid crudelitatis inflictum eſt corporibus martyrum leve fuit, aut verius nihil comparatione dolorum Mariæ : & ex S. Bernardino *ſer.61.a.3.c.1.* ſi dolores Virginis in omnes creaturas diſtribuerentur, omnes ſubitò interirent : ergo rectè Maria in paſſione filii dicitur mare amarum, vel ſtilla maris,vel quinta eſſentia omnium dolorum ; ideo & Martyr, & pluſquam Martyr. *Op.ſpec. B.Virg.lec.3.& 4.offic.compaſſ.lec.1.*

130. *Maria ad pedes crucis crux Chriſti,& concrucifixa Chriſto.*

Stabat juxta crucem Jeſu Maria, &c. Quid eſt juxta crucem?ſcilicet prope,& eodem modo,nempe & crux, & crucifixa. Crux namque fuit filio, quia in ejus corde erat ipſe crucifixus : crucifixa, quia ejus cor ſimul cum Chriſto crucifixum erat in cruce. Stabat juxta crucem Jeſu mater ejus.O Domina ubi ſtabas ? numquid tantum juxta crucem, imo certè in cruce cum filio tibi crucifixa eras ſecum : ſed hoc diſtat : quia ipſe in corpore, tu in corde, nec non & ejus vulnera per corpus ejus diſperſa ſunt, in corde tuo unita : ibi Domina lanceatum eſt cor tuum,ibi ſpinis coronatum; ibi illuſum, ibi exprobratum, & contumeliis plenum,aceto, & felle potatum. O Domina cur vis immolari pro nobis ? numquid non ſufficiebat filii paſſio nobis, niſi crucifigeretur & Mater ? ô cor amoris cur converſum es in globum doloris ? aſpicio Domina cor tuum.& id non cor ſed myrrham, & abſynthium, & fel video. *Op. ſtim.p.1.cap.3.& p.2.c.15.& p.3.c.16.*

131. *B. Virgo Maria ſpeculum vivum Chriſti crucifixi, ejuſque dolorum,& pœnarum.*

Stabat juxta crucem,&c. Imò & in ipſa cruce erat cor Mariæ crucifixum ; & ut ſpeculum vivum in ſe recipiebat omnes dolores filii ; dolores inquam, & plagas, & opprobria filii in ſe retorquens, in ſuam propriam perſonam recipiebat, ſentiens hoc, quod & in Chriſto Jeſu ; in animo enim illi martyri commartyr aſtabat, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa, gladiato congladiata : nam ſuam ipſius animam pertranſivit gladius paſſionis Chriſti. Pallebat enim decor munditiæ, & naturali pulchritudine tabeſcebat;& ipſa tabeſcebat; quia talis in ipſa relucebat effigies, qualis ab objecto corpore, ſcilicet filii reſultabat : ſordebat ſputis facies glorioſa,ſordebat ipſa luctu mæſtitiæ : non enim alium habitum pretendebat amoris, niſi quales virtus amoris expreſſerat:ſed amplius dico:quæro Matrem Dei ad pedes crucis, & ipſam non invenio : audio Joannem diſcipulum mihi dicentem;quod Maria ſtat ad pedes crucis, & ipſam non video : ſed tantùm invenio ſputa, flagella,ſpinas,clavos, vulnera, & crucem, quia tota eſt in iſta converſa:& vas ſanctitatis factum eſt vas pœnalitatis. O mira res,tota es in vulneribus crucifixi, ô Maria totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis tui. Quomodò eſt hoc, quod continens ſit in contento ? ô homo vulnera cor tuum, ſi vis hanc intelligere quæſtionem : nam res hæc eſt amoris & doloris aperi cor tuum clavis, & lancea, & veritas ſubintrabit;non enim intrat ſol juſtitiæ in cor clauſum : ſed ô vulnerata Domina vulnera corda noſtra,& in cordibus noſtris tuam,& filii tui renova paſſionem : cor tuum vulneratum conjunge cordi noſtro, ut tecum tuis vulneribus pariter vulneremur. *Ser.1.Dom.infra oct. Epiph. ep.ſtim. p.1.cap.3.*

132. *Idem de paſſione Mariæ in filio.*

Stabat juxta crucem &c. Introducitur Maria ad pedes crucis ; dicens *Cant.1. filii matris meæ pugnaverunt contra me.& c.5. invenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem, percuſſerunt me, & vulneraverunt me :* Sed quomodo hæc acciderunt, quandonam Maria legitur percuſſa, & vulnerata? Ecce quando : Pontifices, ſcribæ, Phariſæi, cuſtodes, miniſtri ſinagogæ apprehenſo filio meo, invenerunt me in ipſo, & percutientes eum percutiebant me, & vulnerantes eum, vulnerabant me. O quam verùm, quod Maria in corde ſuo recipiebat pœnas, tormenta, & vulnera filii. *Op. ſtim.cit.*

DEPOSITIO, ET SEPULTURA Corporis Chriſti.

133. *Joſeph merito corpus Chriſti petiit, & accepit à Pilato ; quia præfigurabat Joſeph ſponſum Mariæ, tamquam habentem jus in corpus Chriſti.*

Cum autem ſero factum eſſet, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu : hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu.S. Marcus legit : & audacter petiit corpus Jeſu : & Pilatus juſſit reddi corpus. Poſt mortem Chriſti, poſtea de ſepultura actum eſt: ſtabant autem juxta crucem Maria, aliique ; & omnes anxii erant circa ſepulturam corporis Chriſti, neſcientes quid facere deberent, & non habentes vires, nec inſtrumenta ad deponendum è cruce corpus. Sed ecce Joſeph ab Arimathæa nobilis decurio, & Nicodemus venerunt, & curaverunt funus hoc ; qui & depoſuerunt

corpus

corpus Christi, & ipsum sepelierunt. Hic autem quæritur, cur voluit Deus, ut à Joſepho iſto curaretur hoc funus? qui & cum prius eſſet occultus diſcipulus Ieſu ob metum Iudæorum, nunc depoſito omni timore audacter petiit à Pilato corpus, & ei juſſit reddi Pilatus. Nota verbum, reddi; ergone habebat aliquod jus ſuper hoc corpus, ut deberet ei reddi, & reſtitui tamquam ſuum? ſed attende ad myſterium, & ad magnalia S. Joſeph ſponſi Mariæ, & patris putativi, nutritiique Chriſti: Ideo Ioſeph petit audacter hoc corpus tamquam ſuum, quia nomen, & perſonam gerebat alterius Joſeph qui fuerat nutritor Chriſti, & de labore manuum ſuarum nutrierat, & per conſequens aliquod jus ſuper illud corpus acquiſierat. Hinc dicitur à S. Matthæo: & ecce vir nomine Joſeph, demonſtrans eum tamquam dignum, & idoneum ad Chriſtum ſepeliendum propter quod deſcribit eum ex nomine: ut ſicut Ioſeph Ieſum nutrierat, ſic & alter Ioſeph eum ſepeliret; & tamquam granum frumenti in ſuo horto ſepeliret. *In Luc. c. 23. v. 50. ſic & S. Auguſt.* Ex quibus elice, quod cum S. Ioſeph ſponſus Mariæ haberet aliquod jus ſuper corpus Chriſti, etiam ad ipſum debes recurrere, ut tibi impetret dignam diſpoſitionem ad ipſum in pectore tuo recipiendum.

134. *Chriſti diſcipuli debent in neceſſitatis fidei articulo ſe manifeſtare.*

Sic legitur de iſto Ioſeph, qui cum eſſet diſcipulus Chriſti occultus propter metum Iudæorum: in tempore tamen, quo illuceſcere incipiebat Chriſti fides, ſe diſcipulum Chriſti manifeſtavit: unde audacter petiit à Pilato corpus Chriſti, non veritus ferocitatem gentilium, nec malignitatem principum, & ſacerdotum, in quo datur intelligi, quod diſcipuli veritatis, & omnes chriſtiani, & maximè prædicatores in articulo neceſſitatis debent manifeſtari: quia qui erubuerit Chriſtum ejuſque ſermones, *Luc. c. 9.* hunc filius hominis erubeſcet in judicio. *In Luc. cap. 23. verſ. 52.*

135. *Conſiliarii & decuriones tenentur ſe opponere conſtanter contra decreta iniqua.*

Ioſeph ab Arimathæa vir bonus, & juſtus, ait S. Lucas, nobilis decurio. Hinc non conſenſerat conſilio, & actibus aliorum Iudæorum, erat iſte Vir decurio; ſcilicet adminiſtrator, & conſiliarius publicus de curia reipublicæ Iudæorum; vir bonus interius, & juſtus exterius, qui expectabat & ipſe regnum Dei, ideſt adventum Meſſiæ: ideo non conſenſit in mortem Chriſti, nec abiit in conſilio impiorum. Sic debent eſſe decuriones, & adminiſtratores juſtitiæ, & conſtanter ſe opponere determinationibus iniquis aliorum. *In Luc. c. 23. v. 50. ſeq.*

136. *Prælatorum obligationes expenduntur in Ioſeph ab Arimathæa.*

Et ecce vir nomine Ioſeph ab Arimathæa, &c. Nota, quod moraliter per hunc Ioſeph intelligitur Prælatus, qui eripit Chriſtum de manu Pilati, ideſt de manu Tyrannorum: ſcilicet debet eſſe vir, non tantùm ſenſu, ſed ætate, virilitate, & conſtantiâ. Debet eſſe Ioſeph, quod interpretatur accreſcens; ſcilicet debet requirere profectum ſui, & aliorum: debet eſſe decurio, ideſt nobiliter tractans negotia curiæ Chriſti, ſicut bonus miles Chriſti. Debet eſſe nobilis, ſcilicet nobilitate morum: debet eſſe vir bonus quoad ſe, & juſtus quoad alios: debet & diſſentire à malo conſilio; quia digni ſunt morte non ſolùm qui & faciunt, ſed & qui conſentiunt: *Dom.* debet eſſe ab Arimathæa, quæ interpretatur vigilia donationis; ſcilicet vigilare ſuper gregem ſibi commiſſum. Debet expectare regnum Dei, ideſt præmium ſuorum laborum tempore à Deo determinato: ſicque bonus prælatus eſt, qui habet virilitatem, ſtudioſitatem, nobilitatem morum, juſtitiam, innocentiam, vigilantiam; & confidentiam in Deum: & talis idoneus eſt, ut Chriſtum ſuſcipiat in membris ſuis crucifixum, & collocet in locum quietis, & Eccleſiaſticæ unitatis. *In Luc. c. 23. v. 52.*

137. *Diſcipuli Chriſti omnes ſunt pauperes.*

Venit quidam homo dives, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu. Quomodò dicitur, quod erat diſcipulus Chriſti, & ſimul dives? cum ipſe elegerit ad ſuum diſcipulatum tantùm pauperes? appellatur dives, & ſimul occultus diſcipulus: ſed quando ſe diſcipulum perfectum profeſſus eſt publicè, tunc omnibus ſe expropriavit; & tunc fuit adjunctus cum aliis, fuitque poſtea miſſus in Britanniàm ad prædicandum Chriſti evangelium; ut videas, quod divitiæ, & poſſeſſiones non rectè ſtant cum diſcipulatu Chriſti. *In Ioan. c. 19. v. 38.*

138. *Depoſitio corporis Chriſti è cruce: aſſiſtentia, & dolor Mariæ Virginis expenditur.*

Et accepto corpore Ioſeph, involvit illud in Sindone munda. S. Marcus, & deponens corpus: ſic & S. Lucas. Vide hic quomodò pervenientes Joſeph, & Nicodemus ad crucem, genuflectentes coram crucifixo cum magno ploratu, ipſum adoraverunt & condolentes cum Mariâ Matre, & Joanne, ſurgentes paraverunt ſe ad deponendum corpus Jeſu. Hic autem anima conſideta modum hujus depoſitionis: ponuntur duæ ſcalæ à lateribus crucis oppoſitæ: Joſeph aſcendit per ſcalam lateris dextri, ſatagit extrahere clavum ipſius manus; ſic & Nicodemus alium extraxit: Nicodemus verò deſcendit ad clavum pedis, & Ioſeph ſuſtentabat corpus Domini (ô felix Ioſeph, qui meruit corpus Domini ſic amplexari) tunc pendentem manum dextetam Domina ſuſcipit reverenter, & ponit ad vultum ſuum, intuetur, & oſculatur cum lachrymis validis, & ſuſpiriis doloroſis, evulſo autem clavo pedum, pauliſper deſcendit Ioſeph, & omnes accipiunt corpus Domini, & ponunt in terram: Domina Virgo ſuſcipit caput cum ſcapulis in gremio ſuo; Magdalena verò pedes, apud quos olim tantam gratiam invenerat: Alii circumſtant: omnes faciunt planctum magnum ſuper eum, quaſi unigenitum amantiſſimum: flebat autem Mater lachrymis itremediabilibus, aſpiciebat vulnera manuum, & lateris, modo

unum, modo aliud : aſpiciebat vultum ejus, & caput, & videbat ſpinarum punctura, depilationem barbæ, faciem & ſputis, & ſanguine deturpatam, & caput tonſum : & de fletu, & aſpectu non poterat ſatiari. O qualis doloris gladius, imo quot glad i animam matris tunc pertranſierunt : ſed tandem tardante horâ, permiſit corpus Joſeph, & Nicodemo, ut ſe accingerent ad aptandum idem corpus. Et tunc videns Domina, quod amplius differri non poterat, poſuit vultum ſuum ſuper faciem dilectiſſimi filii ſui, dicens cum maximo fletu : fili mi in gremio meo te mortuum teneo; durum eſt valde divortium mortis tuæ, jucunda, & delectabilis fuit inter nos converſatio, & ſine offenſa, & quærela fuimus inter alios; quamvis tu, dilectiſſime fili mi, innocens ſis modo occiſus : ſed in tuis doloribus, & morte tua multum affligor vehementer; quia ſcio, quod numquam peccaſti, & ſine causâ tam amarè occiſus es morte turpiſſimâ : modo ergo fili mi diſiuncta eſt noſtra ſocietas; & me à te nunc oportet ſeparari. Sepeliam ergo te ego mater tua mæſtiſſima : ſed poſtea quo ibo ? ubi morabor fili mi ? q omodo ſine te vivere potero ? tecum ergo libentius ſepelirer, ut ubicumque eſſes. ego ſimiliter eſſem tecum : ſed ex quo non poſſum corpore, ſepeliar tamen mente : animam meam ſepeliam in tumulo cum corpore tuo; eam tibi dimitto, eam tibi commendo. O fili, fili mi quam amara eſt iſta ſeparatio. Et iterum ex abundantiâ lachrymarum, multò melius lavit faciem ejus & deoſculans os, & oculos ejus, in quodam ſudario caput ipſius involuit, & diligenter aptavit : tandem iterum benedixit eum. *Op. medit. c.*81 *ſeq.*

139. *Involuitur corpus Chriſti in ſindone munda : ſignificatio myſtica.*

Et involuit illud in ſindone munda. Nota, quòd talis erat mos Judæorum; ſed non ſine myſterio notant Evangeliſtæ fuiſſe illud corpus involutum in ſindone mundâ, & conditum aromatibus pretioſis : & hoc in ſignum innocentiæ, quæ fuit in Chriſto ſolo perfectiſſimè : ideo etiam ſolus eſt in ſepulchro novo. Et hinc decrevit Eccleſia, ut ſacrificium Altaris offeratur non in ſerico, neque in panno tincto, ſed de ſimplici tela linea, alba, & munda : ſicut enim ara gerit figuram crucis, & calix tumuli, patena lapidis ſuperpoſiti, ſic corporale gerit figuram ſindonis: unde verſus : Ara crucis, tumuli Calix, lapidiſque patena, ſindonis officium candida byſſus habet. *in Luc. c.*23. *v.*53. *op. ſpec. diſcipl. 2. c.*17.

140. *Corpus Chriſti in communione involuatur in ſindone munda : Unde alii ſepeliunt Chriſtum in ſepulchro novo : alii in cloaca diaboli.*

Accepto corpore Joſeph, involuit illud in ſindone munda. Ecce quod tibi faciendum eſt, ô chriſtiane, volenti ſepelire corpus Chriſti in pectore tuo in communione : debes enim eſſe Joſeph, ſcilicet accreſcens, & te exercens prius in actibus virtuoſis, & mundare cor & animam ab omni inquinamento; & tunc ibi ſumere poteris corpus Chriſti de altari, quaſi de cruce, & ibi ipſum ſepelire veluti in horto florido, non in cloaca diaboli. *Ser. 3. de SS. Petro, & Paulo in addit. & in Luc. & in Ioan. cit.*

141. *Sepultura Chriſti in horto expenditur litteraliter, & moraliter.*

Et poſuit illud in monumento ſuo novo, quod exciderat in petra. Addit S. Joannes : erat autem hortus, & in horto monumentum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Non ſine peculiari Dei diſpoſitione voluit ut corpus Chriſti ſepeliretur in monumento novo, exciſo in horto : tum ut ſepultura Chriſti, & reſurrectio diſſimilis à noſtra monſtraretur : tum quia ipſe erat lapis exciſus de monte Mariæ ſine manibus, ideſt opere humano. Monumentum autem erat domuncula exciſa in ſaxo poſita ab aquilone, ſed habens ingreſſum omnibus patentem à parte meridionali, talis autem diſpoſitio rectè congruebat Chriſti ſepulchro, cujus ortus, & occaſus, ſomnus, & reſurrectio, tamquam ſol juſtitiæ totum perluſtravit mundum. *In Luc. c.*23. *v.*53. *in Ioan. c.*19. *cit.*

142. *In horto Chriſtus exigit ſepulturam & aromata : ubi de morte Chriſti.*

Erat autem ibi hortus, & in horto monumentum, &c. Cur Chriſtus voluit ſepeliri in horto, & non potius in ſylva, & inter ſpineta ? ſed attende ad pulcherrima myſteria. Chriſtus vixit in hoc mundo ſemper inter ſpinas pœnarum, & tormentorum, mortuus exigit hortum : ut oſtenderet, quod anima ſuſcipiens ſacramentaliter, & ſpiritualiter Chriſtum, debet eſſe hortus ſcilicet bonis operibus fœcunda, plantationibus virtutum inſerta, regulari diſciplina clauſa. Inſuper exigit etiam aromata, quæ ſunt myrrha, ideſt carnis mortificatio : Aloes, ideſt interioris hominis purificatio : & ſic ſecure anima poterit recipere Chriſtum. *In Ioan. c.*19. *ad finem & collat.*86.

143. *Myſteria de ſepultura, & fine diei ſextæ, & principio ſeptimæ.*

Et dies erat paraſceve, & Sabbatum illuceſcebat; ſic notat S. Lucas. Nota, quòd non ſine myſterio Chriſtus voluit crucifigi in ſexta die, ſcilicet veneris, & in veſpere ſabbati in ſepulchro collocari; quia ſextus dies reſpondet vitæ Chriſti in laboribus ductæ, & ſeptima requiei : daturque intelligi tropologicè, quod homo debet per curſum vitæ Chriſti contribulari, & concrucifigi, ut in ſeptima requieſcat in aliâ vita; & hinc notanter dicitur, quod ſabbatum illuceſcebat ſcilicet cum nox inciperet : quia mors juſtorum in lucem terminatur. *In Luc. c.*23. *v.*54.

144. *Quomodo feſtum ſabbati tranſiit in Dominicam.*

Et ſabbatum illuceſcebat : ſcilicet erat principium noctis ſabbati, quando corpus Chriſti fuit in ſepulchro collocatum, ibique requievit tota die, & in fine noctis ſequentis reſurrexit Chriſtus, dicitur autem hæc dies magnus dies ſabbati, & paſchalis; quia in ipſo impleta eſt figura per veritatem; & tunc ceſſavit ſabbatum cum fuit impletum, & dies dominica ſucceſſit celebranda; quia habemus jam veritatem diei

ſeptimæ

ſeptimæ per Chriſti quietem, & expectamus reſurrectionem, & glorificationem octavæ, quæ jam in capite noſtro inchoata eſt, & conſummabitur in reſurrectione generali in nobis. *In Luc. c.23. verſ.54.*

145. *Invitatur anima ad requieſcendum cum Chriſto in Sabbato.*

Et ſabbatum illuceſcebat, &c. Nota, quòd hoc dicitur ad litteram de ſepultura Chriſti in fine feriæ ſextæ, & principio Sabbati, in qua die requievit in ſepulchro, ut invitaret ſuos Diſcipulos ad celebrandum cum ipſo diem Sabbati ſpiritualiter; ſcilicet ad quieſcendum à perpetratione peccati: hoc enim eſt maximum feſtum Deo charum. Item ad perfruendum quiete contemplationis: contemplativi enim ſemper ducunt viram ſuam in feſto. Item & ad intrandum in ſepulturam religionis, & obſervantiam Evangelicæ perfectionis. *In Luc.c.23.v.54.*

146. *Qualia unguenta portanda ad ſepulturam Chriſti.*

Et mulieres paraverunt aromata, &c. Nota, quod S. Lucas dicit, quod tres mulieres ſociæ Matris Chriſti, tranſacta die ſabbati paraverunt aromata pretioſiſſima, ut ungerent corpus Jeſu in ſepulchro conditum. Hoc autem notatur à Spiritu Sancto ad inſinuandum myſterium maximum: ſignificatur autem, quod animæ fideles debent ferre ad ſepulturam Chriſti tria unguenta, in mente, in linguâ, & manu: unguenta mentis ſunt contritio, compaſſio, & devotio: primum conficitur ex ſpeciebus viliſſimis, ſcilicèt propriis peccatis, quæ creſcunt in horto cordis noſtri. Secundum ex ſpeciebus amariſſimis, ideſt ex miſeriis proximorum, quæ creſcunt in horto vicino. Tertium ex ſpeciebus pretioſiſſimis, ideſt Chriſti beneficiis, quæ creſcunt in horto dominico. Unguenta linguæ ſunt oratio devota, confeſſio integra, & prædicatio vera: primum conficitur ex herbis bonæ intentionis, firmæ attentionis, & piæ affectionis. Secundum conficitur ex pudore commiſſi, ex dolore amiſſi, ex timore judicii. Tertium conficitur ex inſtructione fidei, ex morum informatione, & vitiorum increpatione. Unguenta manus ſunt opera miſericordiæ: his unguentis invitatur anima ad ſepulturam Chriſti, & ad intrandum in ipſum: ſic enim odorem ſuaviſſimum Chriſto, Angelis, & hominibus redolebit. *In Luc. cap. 23. ad finem.*

DE VIRTUTE SANGUINIS Chriſti.

147. *Chriſtus effudit ſanguinem ſuum ſex vicibus, & quare.*

Et exivit ſanguis, & aqua. Nota, quod legitur Chriſtus ſex vicibus fudiſſe ſanguinem ſuum: ſcilicet in circumciſione: in oratione in horto: in flagellatione: in coronatione: in crucifixione: & in lateris aperitione: per primam effuſionem docemur peccata abjicere; per ſecundam internam anguſtiam pro Chriſto, & ſalute noſtra tenere, & ſufferre: per tertiam carnem noſtram domare: per quartam animam noſtram virtutibus ornare: per quintam membra noſtra mandatis ligare: per ſextam vulneratum cor Dei amore habere. *Op. Comp. Theol. l.4. c.19. in Luc. c.22.v.44. ſer.1. Dom. paſſ.*

148. *Sanguis Chriſti terram, & aërem, & animam purgat à peccatis.* Nota inſuper, quod Chriſtus ſanguinem ſuum fudit, ipſoque & terram, & aërem, & animas à lepra peccati mundavit. Si enim ſanguis hircorum, & vitulorum inquinatos ſanctificabat, quanrò magis ſanguis Chriſti purgat nos à peccatis, & vitam dat mortuis. *Serm. 1. Dom. paſſ.*

149. *Chriſti ſanguis clamat miſericordiam pro electis: & vindictam contra reprobos clamabit.* Unde ſanguis Chriſti verè clamat melius, quam ſanguis Abel, ait Apoſt. nam ſanguis Abel clamabat vindictam contra fratricidam: ſanguis Chriſti clamat miſericordiam pro nobis perpetuò; qui tamen in judicio contra reprobos clamabit vindictam. *Serm. 1. Dom. paſſ. In Luc. c.22. v.44. ſerm.3. Dom.15. Pentec.*

150. *Una gutta ſanguinis Chriſti ſufficiens ad redemptionem totius Mundi, redditque efficacia noſtra opera ad ſalutem.*

Et exivit ſanguis, & aqua. Cur emiſit Chriſtus ſanguinem è corde poſt mortem? Quia totum ſanguinem è ſuo corpore voluit effundere ad ſalutem noſtram: cujus tamen una gutta ſuffeciſſet ad ſalutem totius Mundi, & reddere poſſet efficacia omnia noſtra opera ad ſalutem, & ad præmia æterna. *In Pſ.118.v.154. In Thr.c.3. & ſer.7. Dom.1. Adv.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *In hoc ultimo capite S. Matthæus tradit adventum mulierum ad ſepulchrum Chriſti: appariticnem Angeli, & Chriſti poſt reſurrectionem. Sed quia inter mortem Chriſti, & reſurrectionem ſuperſunt plura explicanda, ſpectantia ad ſeparationem animæ à corpore, ad utriuſque ſtatum, ad deſcenſum animæ ad inferos, liberationemque SS Patrum; hinc primò aliqua de hac materia adnotabuntur; & exinde de reſurrectione Chriſti agetur.*

Digitized by Google

CAP. XXVIII.

2. *Et ſic clamans emiſit Spiritum, ſolvuntur aliqua dubia ſuper ſeparationem animæ Chriſti à corpore poſt mortem.*

Miſit Spiritum. Ideſt animam ſeparavit à corpore. Circa hanc ſeparationem : quæritur primò. an anima Chriſti ſeparata fuerit à deitate: Et reſpondetur, quod nec anima, nec corpus Chriſti umquam ſeparata fuere à divinitate : quia quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit : nam ex parte animæ Deum decebat ; quia indiſſolubili matrimonio eam Deus ſibi conjunxerat: nec nobis expediebat : quia ſi fuiſſet facta ſeparatio, anima illa non habuiſſet potentiam ad redimendum nos, nec mediatoris officium ad reconciliandum : nec animæ illi congruebat, tum quia innocentiſſima erat ; & ideo nec poterat velle ſeparationem : tum quia beatiſſima erat ; ideo non poterat contra voluntatem ſuam ſeparari à divinitate. Ex parte verò corporis non conveniebat talis ſeparatio, tum ex parte liberalitatis Dei ; cujus dona ſunt ſine pœnitentia ; tum ex parte carnis innocentiſſimæ, cui non conveniebat ſubeſſe corruptioni : tum ex parte redemptionis noſtræ : per carnem enim facta eſt noſtra ſatisfactio. *L.* 3. *d.* 21. *artic.* 1. *quæſt.* 1. *&* 2.

3. *Quæritur ſecundo ; an unica unione, an pluribus verbum unitum fuerit humanitati Chriſti.* Reſpondetur, quod quando corpus Chriſti erat unitum animæ, & vivum, tunc unicâ unione erat ipſi Verbum unitum : ſeparatum verò ab animâ, tunc duplici unione ad corpus, & ad animam uniebatur. *L.* 3. *d.* 21. *a.* 1 *q.* 3.

4. *Quæritur tertiò an poſt ſeparationem animæ à carne, anima facta fuerit impaſſibilis, & an caro verè mortua fuerit.*

Reſpondetur, quod probabilius eſt animam Chriſti ſtatim poſt ſeparationem à carne, redditam fuiſſe impaſſibilem : exierat enim ſtatum amplius merendi, quod & dicendum de anima cujuſlibet Sancti, in qua non remanet reatus alicujus peccati. Quoad carnem verò, dicendum eſt verè mortuam fuiſſe ; quia caruit uſu, & complemento vitæ, quæ ab anima eſt : & licèt eſſet unita divinitati, tamen ab hac non vivificabatur, non propter defectum à parte vivificantis, ſed propter improportionem vivificabilis ; cum talis vivificatio fiat per veram, & phiſicam informationem animæ ad corpus. *L.* 3. *d.* 21. *a.* 2. *q.* 1. *&* 2.

5. *Quæritur quarto An in triduo mortis, Chriſtus fuerit homo.* Reſpondetur, quod propriè loquendo in illo triduo Chriſtus verè non poterat dici homo ſecundum actum; quia deficiebat unio animæ ad corpus, faciens hominem : & licèt adeſſet ibi unio divinitatis, tamen, quia hæc non facit hominem per informationem, ideo non erat homo, niſi aptitudinaliter. *L.* 3. *d.* 22. *a.* 1. *q.* 1.

6. *Quæritur quintò, an corpus Chriſti fuerit in ſepulchro per triduum.*

Reſpondetur, quod jacuit corpus Chriſti in ſepulchro per tres dies; non tamen integros, & completos, ſed per ultimam partem diei veneris, per totam diem ſabbati, & per primam partem diei dominicæ: unde intelligenda eſt requietio illa triduana per ſineedochem: unde aliqui incipiunt cõputare tempus ab hora ſexta, qua crucifixus eſt, & tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram & protendunt tempus uſque ad mediam noctem inter ſabbatum, & Dominicam ſicque faciunt 36. horas. Alii protendunt uſque ad diluculum Dominicæ dici ; ſicque faciunt 39. vel 40 horas : & ratio quare una dies integra inter duas noctes integras, vel inchoatas ſtetit in ſepulchro, quia lucem, ideſt gratiam ſuæ mortis, quæ tantùm in carne erat, tenebris noſtræ duplæ mortis, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis oppoſuit. *L.* 3. *d.* 22. *a.* 1. *q.* 3.

7. *Quæritur ſextò, an anima Chriſti deſcenderit ad inferos, & an liberaverit animas S S.* Reſpondetur Chriſtum deſcendiſſe ad illam partem inferiorem terræ, in qua detinebantur Sancti Patres, quæ appellatur limbus. In hoc autem deſcenſu magna fuit dignatio Domini Ieſu, qui cum poſſet eos per Angelum liberare, voluit ipſe ſuâ præſentiâ eos conſolare, & beatificare : & hoc etiam fuit ad confuſionem dæmonum: ut ſicut eos vicerat in terrâ in naturâ aſſumptâ ſic animæ ejus de eiſdem triumpharet apud inferos, ipſos invitos expoliando: & ſic liberavit omnes animas electorum, relinquendo damnatos in inferno. *L.* 3. *d.* 22. *a.* 1. *q.* 4. *&* 5. *&* 6. Nota autem, quod non ſtatim duxit iſtos ſanctos ad Cœlum : ſed cum moratus fuerit cum eis toto illo tempore, quo corpus jacuit in ſepulchro, duxit eos poſtea, & conduxit in Paradiſum deliciarum, ubi manent Enoch, & Elias; & hinc ibi eos relinquendo, anima evolavit ad corpus ut ipſum reſurgendo reaſſumeret. *Op. medit. c.* 85.

8. *De horâ, & tempore reſurrectionis Chriſti.*

Veſpere autem Sabbati, quæ lucеſcit in prima Sabbati, venit Maria, &c. Cum omnes Evangeliſtæ conveniant Chriſtum reſurrexiſſe in dominica die, tamen videntur diſſentire circa horam : nam Matthæus dicit, quod *Veſpere Sabbati, quæ lucеſcit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene, &c.* S. Marcus dicit, *Quod venit orto jam ſole,* & S. Joannes, *Quòd venit mane, cum tenebræ adhuc eſſent, &c.* Sed tamen verè non eſt differentia, licèt diverſis verbis; cum omnes exprimant, quod in principio diei dominicæ venerunt Mariæ ad ſepulchrum, & invenerunt corpus reſuſcitatum. S Matthæus dicit: veſpere autem Sabbati; ideſt nocte ſequente Sabbatum, quæ fuit initium primæ diei Sabbati, ſcilicet ſeptimanæ, & fuit dominica dies: nempe cum inceperit illuceſcere in fine noctis dictæ. S. Marcus dicit: orto jam ſole; ideſt incipiente illuceſcere hemiſpherium: & ideo ut dicit S Joannes, adhuc tenebræ erant. Sed dum incipiebant illuceſcere per acceſſum ſolis ad orientem; & tunc reſurrectio Chriſti, licèt paulo antecedenter facta eſſet, cœpit innoteſcere. *In Luc. c.* 24. *v.* 1. *&* 2. *in Pſal.* 23.

9. *Chriſti*

Digitized by Google

9. *Chriſti reſurrectio quot modis per Angelos innotuit.*

Angelus Domini deſcendit de Cœlo, &c. Nota, quòd per Angelos innotuit reſurrectio Chriſti quadrupliciter; ſcilicet per habitum, per verbum, per factum, per ſitum. Per habitum, quia apparuerunt in veſte fulgenti ad ſignificandam gloriam humanitatis, quâ in reſurrectione veſtitus eſt filius Dei. Item per verbum, dixerunt enim: ſurrexit, non eſt hic. Per factum, revolvendo lapidem ab oſtio monumenti, ut non ſolùm audiendo ſanctificarentur de fide reſurrectionis, ſed & videndo. Item & per ſitum, dum ſedebant in petra ſepulchri, ut ſignificarent ibi amplius non reſidere mortem, ſed vitam. *S. Bonavent. locis cit.*

10. *Per Chriſtum revolutus eſt lapis magnus culpæ originalis, & obdurationis.*

Viderunt revolutum lapidem. Nota, quòd jam Chriſtus reſurrexerat, & exierat è ſepulchro portâ clauſâ, ſicut ex utero B. Virginis exierat intacto: ſed tamen voluit hanc reſurrectionem innoteſcere per ablationem lapidis, ut ſignificaret, quod ipſe magni conſilii Angelus abſtulit lapidem culpæ originalis, qui involutum hominem in peccatis tenebat. Voluit etiam ſignificare & velamen ſcripturæ & obdurationem cordium ſuo ſanguine ablata, & fracta eſſe. *Serm. 6. in reſurrect. in Pſal. 17. in Luc. c 24. v. 1.*

11. *Reſurrectionis Chriſti ſolemnitas qualis.*

Surrexit ſicut dixit. Ecce, quòd poſt tempeſtatem paſſionis Chriſti, illuxit nobis dies ſolemnis, tota redolens lætitiâ, & gaudium: imo ſola iſta ſolemnitas inter alias hucuſque propoſitas de Chriſto continet complementum gaudii, exultationis, & gloriæ: nam in cæteris, ut in nativitate, circumciſione, paſſione, & morte concurrit pietas, & compaſſio; quia Chriſtus in his myſteriis totus ordinabatur ad patiendum pro nobis: at in hac reſurrectione advenit Paſchale gaudium jucunditatis immenſæ; ad quod invitatur anima propter introitum noſtræ lætitiæ; propter fructum noſtræ fiduciæ, & propter incrementum noſtræ gloriæ. *Sermon. 1. in Reſurrec.*

12. *Privilegia recenſentur reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Surrexit, ſicut dixit; venite, & videte locum. Angelus invitat mulieres ad eundum, & videndum locum, ubi fuerat jam poſitum corpus Chriſti in ſepulchro, jam reſuſcitatum. Sed Eccleſia catholica ad nos eadem verba dirigit, dicens: venite, & videte, non locum, ſed mirabilia privilegia hujus reſurrectionis, quæ præcipuè ad tria capita reducantur, quæ perſonam Chriſti reſpiciunt. Primò novitatis inſolitæ primitas. Secundò virtuoſitas propriæ poteſtatis. Tertiò exemplaritas noſtræ neceſſitatis, ſive reſurrectionis, & quoad primum hucuſque omnis homo ſubjectus fuerat tyrannidi mortis; nec ullus potuit depoſitâ morte lamentabilis vetuſtatis, novæ vitæ lætitiam inchoandò reſurgere à mortuis, & de morte triumphare: Chriſtus autem ſolus, ut primogenitus mortuorum, & habens clavem vitæ, & mortis, & poteſtatem reſerandi portas æternitatis, potuit de morte triumphum reportare: & ideo cum tali poteſtate potuit clamare ad Angelos tali pacto: *attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales*; nam per meum ſanguinem facta eſt reparatio concordiæ humilis, & utilis, & relaxatio vindictæ judicialis, & ideo amoto gladio flammeo de porta Paradiſi volo ut fiat reſeratio januæ cœleſtis, quia ego ſum Dominus virtutum; quia ego ſum, qui per meum ſanguinem, diabolo devicto, acquiſivi regnum Cœlorum. Quoad ſecundum Chriſtus ſolus habuit virtuoſitatem propriæ poteſtatis, nam ad reſurgendum non indiguit auxilio alterius; nec Angelorum: & quoad tertium tali reſurrectione exemplar dedit noſtræ reſurrectionis futuræ, tamquam caput omnium hominum: ergo dicamus Chriſto triumphanti. Tu ſpes noſtri certaminis, tu gloria noſtri generis, quia omnes adverſarios noſtros vicisti. *Ser. 1. in Reſurrec.*

13. *Quomodo dicitur, quod Chriſti reſurrectio eſt propter noſtram juſtificationem.*

Surrexit, venite, & videte, &c. Dubitatur ſuper id, quod Apoſtolus dicit *Rom. 4* quod Chriſtus traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, dubitatur inquam, quomodo juſtificatio noſtra poſſit attribui reſurrectioni Chriſti; cum certum ſit cauſam meritoriam fuiſſe ejus paſſionem? Sed reſpondetur, quod licet juſtificatio cauſaliter propriè ſit à Deo; tamen attribuitur paſſioni Chriſti, tamquam cauſæ meritoriæ: reſurrectioni autem tamquam cauſæ finali; quia reſurrectio habet rationem termini quietantis, ad quem ordinatur juſtificatio: Præterea ſicut Chriſti paſſio habet rationem cauſæ excitantis, & regulantis: excitat enim nos ad Dei dilectionem, & inſinuat imitationem Chriſti à nobis amplexandam; ita & Chriſti reſurrectio provocat nos ad juſtitiam, per quam adipiſci poſſimus gloriam, quam Chriſtus habuit in reſurrectione; & ſimul dirigit nos ad ambulandum in novitate vitæ, & exercitio virtutum. *L. 3. d. 19. a. 1. q. 1.*

14. *Chriſti reſurrectio exemplum, & exemplar eſt reſurrectionis omnium hominum; & cur ſolùm tertia die Chriſtus reſurrexit.*

Surrexit, venite, & videte, &c. quæritur hic cur ſtatim ac Chriſtus mortuus eſt, non reſurrexerit; ſed voluit expectare ad tertiam diem; & cur non expectavit ulterius. Reſpondetur, quod Chriſtus id fecit ſic, quia voluit, ut credetemus ipſum voluiſſe redimere per mortem, & ad vitam nos reducere poſſe per reſurrectionem; ideo voluit reſurgere ad vitam immortalem, interjecto tamen ſpatio temporis debito, ſcilicet trium dierum: ut

quo oſtenditur,quod verè mortuus eſt,nec magis accelerare debuit;nec ſi citius reſurgeret crederetur, quod non verè mortuus fuiſſet : ſed ſe mortuum finxiſſet : nec amplius differre,ne ſi ſemper jaceret in morte , crederetur impotens , & quod nullos poſſet ad vitam revocare; ideoque reſurrexit tertia die : & in hoc apparet mirabilis potentia , & providentia Domini noſtri Jeſu Chriſti ; qui ideo voluit reſurgere, ut daret exemplum;& exemplar eſſet reſurrectionis omnium hominum, quæ in Chriſto inchoata , tamquam membrorum in capite : cum hoc diſcrimine tamen , quod reſurrectio membrorum dicitur inchoata in Chriſti reſurrectione, quoad iteratam vivificationem , & indiſſolubilem unionem animæ, & corporis : reſurrectio verò bonorum , etiam quoad glorificationem ejuſmodi corporis : ideo verum eſt, quod dicit Apoſtolus. *Epheſ.* 2. Nempe, quod Deus convivificavit nos Chriſto , & reſuſcitavit. *L.3. d.22. a.1.q.6. & l.4.d.43. a.1.quæſt.6. Opuſc.Brevil.p.4.c.10.*

15. *Chriſti reſurrectio aliis eſt in bonum,& gloriam,aliis in ruinam,& ad majorem pœnam.*

Surrexit, venite. & videte.&c. Si Chriſti reſurrectio exemplar eſt reſurrectionis generalis omnium hominum ; ergo & mali reſurgent ſicut & Chriſtus, ergo erit ipſis etiam in gaudium , & lætitiam , cum hæc ſit tota redolens gloriam, & lætitiam ? & tamen ſcimus oppoſitum eſſe verum : nam reſurrectio malorum erit eis in majus dedecus , & tormentum. Reſpondetur huic dubio, quod reſurrectio poteſt ſumi inchoativè pro iterata vivificatione , & indiſſolubilis unionis reaſſumptione inter corpus , & animam : poteſt & ſumi completivè , ſcilicet cum additione gloriæ corporis , & animæ : In malis erit ſolùm primo modo : in bonis verò erit ſecundo modo. Ex quo patet quam verum ſit id , quod dictum eſt de Chriſto : *Poſitus eſt hic in ruinam , & reſurrectionem multorum* ; Nam reſurrectio Chriſti malis erit non ad lætitiam , non ad gaudium; non ad gloriam , ſed ad majorem pœnam , & tormentum : bonis verò ad complementum beatitudinis : unde rectè , & verè poteſt dici, quod prædicabat S. Bernard. ſcilicet , quod Chriſtus bonis reſurrexit , ideſt ad gloriam , non autem malis,& perverſis. *L. 4. d.43. art.1. quæſt. 6.* Sed attende ad aliud mirabile myſterium ; quod ſicut in *Num. capit.* 17. Virga Aaron floruit ; virgæ magorum converſæ ſunt in ſerpentes , & aliæ aridæ remanſerunt : ſic corpora Chriſti, & fidelium electorum florebunt per glorificationem ; at corpora iniquorum reſurgent quidem , ſed quaſi ſerpentes , & dracones fient ; quia pluſquam ſerpentes , & dracones abominabiles , & horribiles reſurgent. *Serm. 3. in reſurrect.*

16. *Chriſti reſurrectionis qualitates expenduntur.*

Surrexit,venite, & videte , &c. Quid ? videte qualiter reſurrectio Chriſti fuit ſumme qualificata, Chriſtus enim reſurrexit potenter , ſcilicet ex ſua propria virtute, morte victâ,proſtratâ, & occisâ , & liberatâ captivâ plebe ; reſeratâque januâ vitæ. Item reſurrexit veraciter , non phantaſticè , ſed ad veram vitam. Item feſtinanter poſt tres dies. Item vivus immortaliter , vertens fragilitatem carnis in æternitatis gloriam. Et hinc de Chriſto reſurgente dicitur. *Apocal. cap. 5. Ecce vicit Leo de tribu Iuda , radix David aperire librum , & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Iſta ſeptem ſignacula ſunt ſeptem media Chriſti reſurrectionem antecedentia , & concomitantia : primum eſt reſeratio ſepulchri : ſecundum remotio linteaminum : per quæ duo ſignificatur apertio libri , & revelatio myſteriorum Chriſti : tertium teſtimonium Angelorum ſedentium in dextera : quartum eſt reſurrectio ſanctorum, qui introierunt in ſanctam civitatem : quintum eſt terrificus pavor cuſtodum : ſextum eſt malitioſa corruptio Judæorum : ſeptimum continet in ſe denariam apparitionem,quas fecit Chriſtus poſt reſurrectionem. *In Ioan. collat. 87. ſer.1. Hexam. ſer. 2. infra oct. Nativ. & ſermon. 5. in reſurrect.*

17. *Chriſti reſurrectionis ſigna lætitiæ, & gaudia expenduntur.*

Surrexit , venite , & videte , &c. quid? videte quale ſignum fuit reſurrectio Chriſti , ſignum inquam plenum lætitiâ, & gloriâ , & multiplex: ſignum autem fuit gloriæ Chriſti , ſcilicet glorificationis ejus, & noſtræ per ipſum : ejus autem glorificatio facta eſt in reſurrectione ; ſed noſtra fiet in judicio tantùm : ſignum item miſericordiæ ejus in Mundo ; quia ex tempore reſurrectionis ejus , cœpit mundus in eum credere , & ſperare , ſignum item victoriæ in inferno ; quia perfectè debellavit infernum , auferens dæmonibus poteſtatem , per quam dominabantur in Mundo , ſignum item & juſtitiæ in judicio ; qui enim cum tantâ potentiâ reſurrexit poſt tot flagella , pœnas, & mortem, ſignum eſt, quod cum magna poteſtate veniet de cœlo puniturus reprobos. & præmiaturus electos. *Serm.3. & 4.in reſurrect.*

18. *Chriſtus poſt reſurrectionem Dominum Deum omnipotentem ſe oſtendit, ubi de causâ inſtitutionis Euchariſtiæ ante mortem, & reſurrectionem.*

Venite , & videte locum , ubi poſitus erat Dominus. Lucæ dicitur. *Et ingreſſæ non invenerunt corpus Domini Ieſu.* Nota , quod cum prius vocaſſet Evangeliſta Chriſtum Jeſum, nunc vocat eum Dominum Ieſum : cur hoc? nonne & prius erat Dominus noſter ? erat quidem , ſed tamen vivebat inter nos,ut ſocius, & frater;ſed poſt reſurrectionem, Dominus vocatur , quia exaltavit illum Deus ad dominium in Cœlo , & in terra. Et hinc eſt , quod ante , non poſt mortem , & reſurrectionem,& aſcenſionem voluit inſtituere Sacramentum Euchariſtiæ in ſignum amoriſi, & charitatis ſuæ ; ut ſe oſtenderet noſtrum ſocium , & fratrem. *In Luc,c.24.v.3. l.4.d.8. p.1. a. 2.q. 2. ad arg.*

19. *Chriſti reſurrectio invitat nos ad ſui imitationem.*

Surrexit ; venite , & videte , &c. Nota, quod reſurrectio Chriſti proponitur omnibus fidelibus , ut ſit exemplar , non ſolùm noſtræ reſurrectionis in judicio ; ſed & reſurrectionis ſpiritualis in hac vitâ. Exigit enim Deus , ut noſtra reſurrectio ſpiritualis ſit ſimilis ſuæ; ſcilicet virtuoſa , & efficax à peccato ad gratiam, accelerata,& feſtina,vera,non ficta , & irredibilis ad mortem peccati : qui ſic fecerit , verè reſurget cum Chriſto. *In Ioan. collat.89. & ſerm. 6. in reſurrect.*

20. *Chriſtus reſurrexit cum ſacris cicatricibus in corpore impreſſis.*

Surrexit , venite , & videte. Invitant Angeli omnes ad videndum Chriſtum reſuſcitatum: ſic, & de diſcipulis dicitur *Ioan. 20. gaviſi ſunt viſo Domino*; ſcilicet videndo ipſum glorioſum cum ſacris vulneribus in manibus,pedibus , & latere. Sed cur voluit conſervare iſta vulnera in corpore ? Attende ad myſterium : Hoc fecit Chriſtus , primò , ut fidem reſurrectionis aſtrueret; nempe , ut probaret identitatem ſui corporis patientis; & reſurgentis ex identitate eorundem accidentium. Secundò , ut Patrem pro nobis ſupplicans, quale genus mortis pertulerit, oſtendat ſemper : ſcilicet , ut oſtendendo vulnera Patri tamquam cauſam meritoriam omnis noſtri boni, ipſum placare poſſet , & per ipſa impetrare nobis bona omnia. Tertiò,ut inſinuet perpetuò ſua morte redemptis , quàm miſericorditer ſint adjuti, oſtendendo talia ſigna ſuæ mortis. Quartò, ut in judicio quàm juſtè damnentur impii denuntient. Quintò , ut ſint ſignum , & medium inflammativum noſtrorum cordium. Sextò, ut ſint ſignum , & vexillum ſuæ victoriæ , quam reportavit de hoſtibus. Septimò , ut ſint dilectionis præcipuum indicium , motivum dilectionis ſuæ in nos , & noſtri in ipſum. *In Luc.cap.24.verſ.40. ſerm.1. in oct. Paſcha op.ſtim.p.1. cap.1. meditat. cap.93.*

21. *Dies reſurrectionis dies Iubilæi.*

Surrexit,venite, & videte. Nota etiam , quod meritò dies reſurrectionis dies eſt ſummæ lætitiæ , quia illo anno , quo reſurrexit Chriſtus erat annus Iubilæi : & verè nobis fuit annus Iubilæus ; quia de ſervis facti ſumus liberi. *Pſal.*117. Et ideo non ſine myſterio appellatur hoc feſtum Paſcha , ideſt tranſitus,quia ſicut Chriſtus tranſivit de ſtatu mortalitatis ad immortalitatem ; ſic & fideles incitantur pro adipiſcendo hoc Iubilæo ad tranſeundum à diabolo ad Chriſtum , à vitiis ad virtutes,à paſſionibus carnis ad gratiam, & ſobrietatem mentis. *In Ioan. cap.13. verſ.1. ſeq.*

22. *Chriſti apparitiones facta primò Virgini Matri,deinde aliis mulieribus ; poſtea Petro,aliiſque Diſcipulis expenduntur.*

Ieſus occurrit illis , ſcilicet Mulieribus , dicens: Avete . Nota , quod poſt apparitionem Angelorum , & manifeſtationem ab ipſis factam de reſurrectione Chriſti ; ipſemet apparuit , & ſe manifeſtavit : Primò autem ſe manifeſtavit Matri Mariæ , licet hoc ab Evangeliſtis non narretur, ſed ſupponatur tamquam certum & acceptiſſimum in Eccleſiâ. Dum enim in nocte Sabbati ſtaret Maria plorans mortem filii ſui . & ſimul expectans reſurrectionem ejus jam prædictam,& prænunciatam ab ipſo ; ecce ſubitò Dominus Ieſus venit in veſtibus albiſſimis , vultu ſereno ſpecioſus , glorioſus , & gaudens , & dixit ei : ſalve ſancta parens ; at illa ſtatim ſe vertens ; es tu , inquit , filius meus Ieſus ? & genuflexit adorans ; cui filius : Mater mea dulciſſima , ego reſurrexi , & adhuc tecum ſum : Eis autem ſurgentibus , ipſa cum lachrymis præ gaudio amplexans eum , & vultum ſuum vultui applicans fortiter ſtringebat , requieſcens totaliter ſuper eum, & eum alacriter ſuſtentabat. Stant ergo, & colloquuntur ad invicem gaudentes , & Paſcha ducentes delectabiliter , & amanter : & narravit ei Ieſus liberationem factam SS. è limbo, & omnia, quæ fecit in illo triduo. *Op. medit.infra cit.* Hic autem refertur à pluribus contemplativis , quod Angeli cantu cæleſti intonaverunt , & cantaverunt illam Antiphonam , quæ hodie ab Eccleſiâ uſurpatur tempore Paſchali : *Regina Cœli lætare alleluia , quia quem meruiſti portare,&c.* Deinde apparuit Magdalenæ , poſtea aliis Mulieribus , deinde Petro , poſtea aliis diſcipulis : & hoc divina ordinatione factum eſt; ut nunciatio reſurrectionis per Mulieres veniret ad viros , ſicut à Muliere initium ſumpſit mors, & peccatum ; ita nunc per mulieres ad viros tediret annunciatio, & cognitio vitæ , & immortalitatis ; ut per hoc humilitatis detur exemplum ; & ut auferretur mulierum opprobrium,& maximè peccatricum : Magdalenam autem ſignanter aliis præmiſit , quia ipſa aliis ferventius dilexit. *In Luc.c.24.v.9.op.meditat.c.*86. 87 88. Nota autem , quod ſeptem apparitiones præcipuè leguntur factæ poſt reſurrectionem : prima fuit mulieribus cum terræmotu , per quam ſignificatur ſpiritus timoris Dei. Secunda Petro facta, ſignificat ſpiritum pietatis : magna enim pietas fuit primò inter viros appatere illi , qui ipſum negaverat. Tertia facta duobus euntibus in Emaüs, ſpiritum ſcientiæ.Quarta diſcipulis clauſis in cœnaculo , ſpiritum fortitudinis eis impreſſum per oſtenſionem vulnerum. Quinta diſcipulis piſcantibus , ſpiritum conſilii , cum dixit mittite in dexteram. Sexta facta diſcipulis in medio eorum aperiens eis ſenſum Sacræ ſcripturæ , ſpiritum intellectus. Septima in die aſcenſionis , ſpiritum ſapientiæ. *Pſal.*144.

23. *Apparitio Chriſti triplex ; in ſpecie hortulani , peregrini , & crucifixi expenditur.*

Et Ieſus occurrit illis dicens Avete. Nota,quod cum pluries apparuerit Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam , ſpecialiter tamen legitur apparuiſſe in ſpecie triplici : ſcilicet hortulani Magdalenæ : peregrini duobus euntibus in Emaüs, & crucifixi cum ſacris vulneribus diſcipulis clauſis in cœnaculo.Myſticè autem datur intelligi,quod Chriſtus apparet in ſpecie hortulani incipientibus , ut in horto cordis ſemina virtutum plantet:

ret : proficientibus in ſpecie peregrini eos inſtruendo per fidem : & perfectis in ſpecie clara crucifixi, eis aperiendo omnia abdita fidei noſtræ. *In Ioan.c.20.v.18.*

24. *Intrans in ſepulturam religionis ſit Angelus indutus veſtibus albis.*

Veſtimenta autem ejus alba ſicut nix. Hoc dicitur de Angelo, qui in ſepulchro apparuit Magdalenæ. Myſticè datur intelligi, quod cum ſepultura Chriſti ſignificet locum contemplationi aptum, ſicut eſt religio ; qui in talem locum intrat, debet ſe induere veſtibus albis ad modum Angelorum per obſervantiam caſtitatis. Dicitur autem hic candor, non ſicut lactis, ſed ſicut nivis ; quia caſtitatis candor eſt non carnis, ſed ſpiritus, & angelicus : & hinc glorioſior eſt candor virginalis in homine, quam in Angelo : in homine eſt duplex, ſcilicet carnis, & ſpiritus, in Angelo eſt ſimplex : in homine eſt per pugnam, in Angelo per naturam ; ideo in carne angelicam vitam adæquare, majoris eſt meriti, quam habere : meritò ergo Angeli virginibus ſunt familiares ; ex quo pariter in ſuo candore viſi ſunt. *Ser.1.de S.Catharina in addit.*

25. *Angeli primò exaltaverunt in Chriſti reſurrectione virtutem nominis Ieſu.*

Nolite timere ; ſcio enim, quod Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis. S.Marcus : *Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum, &c.* Sic dixit Angelus mulieribus, quæ Chriſtum Jeſum quærebant. Notandum autem, quod non ſine peculiari myſterio poſt reſurrectionem prima annunciatio facta ab Angelis, fuit de nomine Ieſu. Ieſus annunciatur ſalvator, & victor mortis, quia ſurrexit : victor diaboli, quia crucifixus eſt : victor Mundi, quia nazarenus, quod interpretatur ſeparans à Mundo ; ut videas, quod qui carnem, mundum, & diabolum vincere vult invocare debet hoc nomen Ieſus ; & per ipſum etiam conſequimur gloriam ; ideo ab Angelis in aſcenſione Chriſti nunciatum eſt : Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt. *In Luc.hic.*

26. *Qui ſolicitè quærit Chriſtum invenit.*

Et ecce Ieſus occurrit illis, ſcilicet Mulieribus. Cur primò ſe oſtendit mulieribus, & non diſcipulis? quia citius, ardentius, & ſolicitius ipſum quæſierunt, ut verificetur dictum Chriſti : *omnis, qui me quærit invenit, &c. Sermon.2. in Invent. S.Crucis & in Luc.c.24.v.10.*

27. *Poteſtas Chriſto à Patre data expenditur.*

Apparuit in monte Galilæa undecim : Scilicet in monte vicino civitati Ieruſalem, in quo Galilæi ſolebant habitare, quando veniebant ad feſtivitatem Paſchæ : vel in monte thabor, ut probabilius alii docent, apparuit undecim diſcipulis, & dixit eis : *data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, &c.* ut ſcirent diſcipuli, quod illa poteſtas, quæ ipſi in puncto conceptionis ſuæ data fuit à Patre, & quam per paſſionem promeruit ; tunc in executionem peculiari modo poſita fuit, ut patet ex ſequentibus *euntes ergo, &c. ep.medit.ſap.94. Pſal.23. & 17.ſer.2. Cathedr. in addit.*

28. *Poteſtas Chriſti iterum expenditur.*

Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Nota, ly, in Cœlo, & in terra : ut videas, quod nulla poteſtas creata poteſt ei comparari, & qualis eſt hæc poteſtas ; poteſtatem habet Chriſtus in mundo juſtificandi ; in judicio condemnandi ; in cœlo regnandi, & in inferno cruciandi. *Ser.2.Dom.18.Pentec.*

29. *Chriſti poteſtas Eccleſiæ, & Miniſtris data, ordinata ad ſalutem ſolùm hominum.*

Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra : euntes ergo docete, &c. Nota illam particulam, ergo, & vide, quod infertur ex poteſtate regia ſuper totum Mundum Chriſto data, forſan punitio inimicorum : poterat quidem hanc conſequentiam facere : euntes ergo, ò miniſtri mei, meâ poteſtate armati, eos qui me affixerunt Cruci, private vitâ, incendite civitatem, Judæam æquate ſolo : at non hanc fecit ; ſed beneficentiſſimam : voluit enim uti ſua poteſtate abſolutâ in beneficium, & ſalutem hominum ; hanc eandem principibus, & Prælatis communicavit, cum eadem conditione : unde poteſtas data ipſis nomine clavium, expreſſa eſt *Matth.16. & Ioan.* 20. *tibi dabo claves regni cœlorum :* claves autem datæ ſunt ad operiendum, & claudendum fores regni cœlorum : ſed tamen clauſio conceditur tantùm in ordine ad aperiendum, & ad ſalutem hominum per quod patet quanta, & qualis ſit charitas, & amor Domini Ieſu in nos, ordinantis totam ſuam poteſtatem, non ad damnationem, ſed ad ſalvationem noſtram. Hoc & addiſcant Principes, & Prælati. *Vid. op. Eccleſ. Hierar. p.2.c.2. & 3.*

30. *Prædicatio verbi Dei quam Deo chara, quam neceſſaria in Eccleſia.*

Euntes ergo docete omnes gentes. Nota ly, euntes ; per quod ordinat ſuis miniſtris, ut per totum mundum diſcurrant prædicando ; reliquitque hoc munus prædicationis in Eccleſia tamquam præcipuum, & cæteris eſſentialios, & magis neceſſarium ad ſalutem procurandam hominum. *In Eccl.c.12. Pſal. 64. Op. quare Fratres min. prædicent.*

31. *Prædicatio verbi Dei ſemper viguit in Mundo à principio.*

Et docete omnes gentes. Quid eſt omnes gentes? forſan tantùm ad gentiles ordinavit prædicationem ? minimè ; ſed ad ſalutem omnium hominum : unde *Marc. c. ult. dixit : prædicate omni creaturæ, &c.* Verbi enim Dei prædicatio ſemper viguit in mundo à principio. Primò in cœlo : ſecundò in paradiſo terreſtri. Tertiò in deſerto. Quartò in toto mundo. Primò Angelis : ſecundò primis hominibus. Tertiò Judæis. Quartò omnibus, primum verbum fuit in ratione, & totum intus : ſecundum in voce foris auribus, fuitque

præce

præceptum disciplinæ : tertium in charactere exemplo & circumcisione : quartum in carne. *Psal.* 64.

32. *Baptismi sacramenti institutio expenditur.*

Baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus sancti. Vide quomodò apertè tradit Christus obligationem omnibus hominibus recipiendi baptismum. Hoc sacramentum autem Christus primo insinuavit factis, quando voluit baptizari à Ioanne in aqua, ostendens cæteros credentes fore baptizandos in aqua : insinuavit item verbo, cum prædixit Nicodemo : *nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Ioan.* c. 3. instituit autem cum ipse per se, & per discipulos Ioannis baptizabat *Ioan.* 3. *& Luc.* c. 10. misit discipulos binos ad prædicandum, & baptizandum : confirmavit autem baptismum facto, & verbo : facto, cum de latere ejus exivit sanguis, & aqua in passionis consummatione, verbo, quando post resurrectionem ad baptizandum omnes, & singulos misit discipulos. *L.* 4 *d.* 3. *p.* 2. *a.* 1 *qu.* 1.

33 *Baptismi sacramentum est in aqua materia institutum.*

Baptizantes eos &c. Ideſt lavantes eos : lavatio autem propriè fit solùm aqua ; ideo ejus materia propria ; & essentialis est aqua naturalis : & ratio est ; quia cum baptismus ordinatus fuerit ad removendum obstaculum ad ingressum regni cælestis, quod est peccatum originale ; & cum per hoc homo incurrat immunditiam, ignorantiam, & concupiscentiam, per baptismum ab his tribus liberatur ; quod significatur per tres proprietates aquæ, scilicet puritate, perspicuitate, & frigiditate : nam baptismus aqua sua puritate nos mundat, sua perspicuitate illuminat, per charitatem, & sua frigiditate, & virtuositate ab æstu concupiscentiæ nos temperat : & cum sit maximè necessarius inter omnia sacramenta, ideo institutus est in liquore communi apud omnes ; & in quo abundant divites, & pauperes. *L.* 4 *d.* 3. *p.* 2. *dub.* 1. *qu.* 1. *ex Comp. Theolog. lib.* 6. *cap.* 9.

34. *Baptismi effectus expendantur.*

Baptizantes eos, &c. Nota, quòd in hoc verbo insinuantur effectus baptismi, qui sunt plures, mirabiles : nam primò cum sit janua omnium sacramentorum, ad alia præparat ; ideo est sacramentum introeuntium in gremium Ecclesiæ, à culpa mundat, maculam delens, & fomitem non quidem omnino tollens, sed remittens. Item pœnam relaxat ; mundat enim ab omni pœna debita peccato : unde pueri induuntur veste candidâ. Quartò rationalem illuminat ; unde ponitur sal in ore. Quintò concupiscibilem ad bonum inflammat ; unde datur candela puero. Sextò irascibilem fortificat contra diabolum. Septimò gratiam sanctificantem confert. Octavò fomitem mitigat. Nonò potestatem diaboli minuit, quod significat exsufflatio. Decimò januam cœli aperit. Et notandum, quod passio Christi aperuit januam cæli tanquam causa meritoria generalis : baptismus autem aperit tamquam causa efficiens singularis os ad laudandum, & aures ad audiendum aperit ; unde ponitur sal in ore, & saliva in aure, Templum Christo efficit ; unde dicitur baptizato : exi immunde spiritus, & da locum spiritui Sancto. Laudabilem coram Deo, & charum reddit, unde miscetur balsamum in chrismate. *Op. Comp. Theol. l.* 6. *c.* 9. Nota etiam, quod cathechismus, & exorcismus tanquam præparatorii præmittuntur in baptismo, ut in ipso gratia efficacius operetur. Cathechismus autem fit primò propter instructionem de articulis communibus ad fidei susceptionem ; tum propter responsionem ad fidei professionem ; tum propter responsionem ad fidei observationem. In adulto hæc expresse ab ipso immediate requiruntur ; in puero per patrinum. Exorcismus est ad expellendum diabolum, & auferendam potestatem ipsius super hominem, & ejus actus. *Op. Comp. ibid. c.* 10. *l.* 4 *sim. d.* 6. *p.* 2. *dub.* 7. *& a.* 3. *qu.* 2. *& d.* 7. *p.* 1. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 2.

35. *Baptismi forma expenditur.*

Baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus sancti. Ecce quod Christus tradidit expresse formam baptismi : unde rectè Ecclesia utitur hac formâ : *ego te baptizo in nomine Patris & filii & spiritus sancti* : & ratio est, quia baptismus est sacramentum fidei, non singularis personæ, sed totius Ecclesiæ : ideo expressio requiritur fidei totius Trinitatis : unde mutatio nominis in verba non principalia, ut si dicatur, vel diceretur : ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, &c. tollet efficaciam sacramenti. *L.* 4 *d.* 3 *p.* 1. *a.* 2. *per totum. Op. Comp. Theolog. l.* 6. *cap.* 9.

36. *Baptismi præceptum quandonam obligaverit.*

Baptizantes eos, &c. Quæritur hic quandonam cessaverit præceptum circumcisionis, & inceperit obligatio baptismi ? Respondetur, quod præcepta legalia non cessaverunt ante promulgationem Evangelii quantum ad observantiam, nec quantum ad efficaciam universaliter ; maximè in his, qui distabant : quando autem sufficienter promulgatum fuit Evangelium, tunc incæpit præceptum baptismi. *L.* 4 *d.* 3. *p.* 2. *dub.* 3. *& a.* 3. *qu.* 1. *& 2.*

37. *Maria Virgo, aliique Christi discipuli baptismum susceperunt.*

Baptizantes eos, &c. Quæritur hic an sanctificati in utero ; & an illi, quibus jam per circumcisionem deletum fuit originale peccatum, baptismum susceperint. Respondetur affirmativè : & ratio est, quia non solùm institutum est hoc sacramentum ad delectionem culpæ originalis, sed etiam ad hoc, ut adnumerentur inter fideles ipsi baptizati : unde licet non receperint baptismum in remedium, receperunt tamen in signaculum scilicet obedientiæ debitæ præcepto Christi, humilitatis, & unitatis. *L.* 4 *d.* 6. *p.* 2. *a.* 4. *qu.* 2. *Vid. Suar. tom.* 2. *in* 3. *p. d.* 18. *s.* 3.

38. *Trinitatis Sanctiſſimæ myſterium per Chriſtum Eccleſia expreſſum.*

In nomine Patris, & filii, & Spiritus ſancti. Vide quomodò Chriſtus nunc in plenitudine temporum expreſsè tradidit myſterium SS. Trinitatis, edoceteque quod continet tres perſonas realiter diſtinctas, & in unitate eſſentiæ convenientes: unde dicitur in nomine, non in nominibus; per quod dat intelligere, quod de Deo ſanctiſſime, piiſſime, & veriſſime ſentiendum eſt. *Op. Brevil. p. 1. a. 2. & ſer. 1. ſeq. in Dom. Trinit. Pſal. 120.*

39. *Adultis non ſatis eſt baptiſmus, & fides ſine obſervantia mandatorum Dei.*

Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Ecce quid exigit Chriſtus poſt baptiſmum: nempe executionem eorum, quæ promiſſa ſunt in baptiſmo. Cum enim homo abrenunciet diabolo; & pompis ejus, & per conſequens ſe obliget ad obſervandum ea, quæ jure naturæ debentur ab homine Chriſtiano; hinc Chriſtus præcipit Apoſtolis, ut baptizatos doceant ſervare ea, quæ ab ipſo ſunt mandata: nempe præcepta decalogi, & alia Eccleſiæ: & ad excitandum ad talem obſervantiam, addit; omnia quæ mandavi vobis, ut innuat & authoritatem mandantis, & utilitates talis obſervantiæ, & pericula, & mala, quæ in obſervantibus imminent: Unde in adultis vltra portam baptiſmi, alia proponitur, ſcilicet obſervantia mandatorum Dei ad ingrediendum in Cœlum. *L. 4. d. 6. p. 2. a. 2. q. 1. Op. de decem præcep. ſer. 1. & l. 3. d. 35. dub. 5.*

40. *Chriſti aſſiſtentia, & providentia in Eccleſiam expenditur, & in ſuos miniſtros.*

Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Vide, & audi promiſſa Domini Jeſu in ſuos, quos miſit, & mittit per univerſum orbem, tamquam agnos inter lupos. Vide pariter quomodo ut bonus paterfamilias promittit ſuam aſſiſtentiam, providentiam, & inviſibilem præſentiam ſuæ Eccleſiæ: non enim hæc verba ſolùm dirigebantur Apoſtolis, quia non uſque ad finem ſæculi victuri erant, ſed & toti Eccleſiæ, quæ duratura eſt uſque ad conſummationem ſæculi: Ecce ego vobiſcum ſum, ait, ſcilicet, & ſecundum eſſentiam, præſentiam, potentiamque, & per juſtificantem gratiam, & per peculiarem providentiam, & aſſiſtentiam; & per actualis adjutorii collationem, & per aſſumptæ humanitatis ſanctitatem: & in ſacramento Euchariſtiæ per actualem præſentiam corporalem; & hoc ne deficiatis ab omnimoda exiſtentiâ, à gratia, & juſtitia; & ab operis efficacia, & adverſantium malorum victoriâ, ô quam verum: ô quàm bonus Deus, & Pater noſter. *In Ioan. coll. 52. in Ioan. c. 12. v. 7. ex Op. Comp. Theol. l. 1 cap. 17.*

41. *Multipliciter Chriſtus nobiſcum eſt; ut & nos cum ipſo ſemper ſimus.*

Ecce ego vobiſcum ſum &c. Nota, quòd hic eſt finis Evangelii S. Matthæi; & optimè cohæret cum nomine Emanuel, quod ſibi ſpecialiter attribuit Chriſtus apud *Iſai. c. 7. & vocabitur Emanuel*; quia Chriſtus nobiſcum eſt viſibiliter per aſſumptam humanitatem, ſacramentaliter in ſacramento Euchariſtiæ, tamquam bonus Pater, frater, & ſocius, & ſpiritualiter per communicationem ſuorum donorum; ut & nos cum ipſo ſemper ſimus, & vivamus, & in ejus laudibus perſeveremus, & tandem in ejus ſocietatem in Cœlo perveniamus, qui eſt finis noſter ſine fine. O Deus nobis concedat, ut cum Chriſto ſemper ſimus poſt hanc vitam, & requiem, non ſolùm animæ, ſed & corporis ibi obtineamus, ubi vacabimus, & videbimus, & amabimus, & laudabimus, quod erit in fine ſine fine: nam quis alius finis noſter, niſi pervenire ad regnum, cujus nullus eſt finis? Ad quem nos perducat Jeſus Chriſtus filius Dei per interceſſionem dulciſſimæ Matris ſuæ, & beatiſſimi Matthæi Evangeliſtæ, & Apoſtoli, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in ſæcula ſæculorum Amen. *Ser. 4. in Vigil. Nat. ſer. 9. in Nativ. ſer. 5. in cœna ſer. de dedicat. Op. de ſex alis Seraph. c. 8.*

Explicit expoſitio Seraphica in Evang. S. Matthæi.

EXPO

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ IN EVANGELIUM SANCTI MARCI.

PROLOGUS.

MARCUS fuit è numero ſeptuaginta diſcipulorum, ut Sanctus Epiph. Doroth. aliique referunt. Romæ, quo Petrum ſecutus fuerat, Evangelium ſcripſit, quod lectum Petrus probavit : Communiter dicitur, quòd linguâ latinâ in gratiam Romanorum ſcripſit Evangelium, licèt non deſint, qui dicant ſcripſiſſe linguâ Græcâ : deſignatus autem fuit in Leone oſtenſo Ezechieli, quia principaliter tractat de Chriſti divinitate, ejuſque victoria per Reſurrectionem ; Ejus Evangelium eſt veluti compendium Evangelii Sancti Matthæi : Cætera, quæ ad Prolegomena ſpectant hujus Evangelii, videantur apud Sacros Expoſitores, & præcipuè in Gloſſa, de quibus etiam plura habentur apud Sanctum Bonaventuram. *In prol. in Luc. & In Ioan.*

CAPUT PRIMUM.

1. *Initium Evangelii Ieſu Chriſti.* Quæritur, cum Sanctus Marcus dicat, quòd Evangelium eſt Ieſu Chriſti, *Initium Evangelii Ieſu Chriſti*, communiter dicitur Evangelium Marci, ſicut cætera dicuntur Evangelium Sancti Matthæi, Lucæ, & Joannis ? ſed reſpondetur, quod utrumque eſt verum ; eſt enim Evangelium, hiſtoria vitæ, & operum Ieſu Chriſti ; ſed quia Evangeliſtæ fuerunt adminiſtratores, & ſcriptores plenarii, & quantum ad verba, & quantùm ad intellectum ; verba enim ex ſe dicunt non omninò eadem, quæ Chriſtus in prædicando dixerat, & ſimul in proferendo illa verba ſenſum prætenſum à Chriſto ſervant, quia illi primò illuminati fuerunt, & poſtmodum aliis exprimunt ; hinc meritò appellatur Evangelium Sancti Matthæi, S. Marci ; &c. quæ ratio non currit in Sacramentis, licèt aliqua illorum ab Apoſtolis ſecundario ex præcepto Chriſti inſtituta fuerint, quia ſigna ex ſe non habebant, ſed à Chriſto ſunt inſtituta. *Lib. 4. d. 2. a. 2. quæſt. 1. ad primum.*

2. *Evangelii prærogativæ expenduntur.*

Initium Evangelii Ieſu Chriſti Filii Dei. Nota, quòd in his paucis verbis innuuntur prærogativæ Evangelii : Evangelium enim interpretatur bonum nuntium, ſeu bona nuntiatio, quia nuntiat adventum Filii Dei ; de quo Pſalm. 18. Lex Domini immaculata convertens animas : dicitur autem Evangelium lex Domini, quia auctor ejus eſt Chriſtus Ieſus ; dicitur immaculata ob vitationem erroris, quæ in operibus Chriſti elucet ; dicitur convertens animas, quia juſtificatio eſt opus Dei ; & ſit in Evangelio, non in lege Moyſis ; dicitur teſtimonium fidele ob fidelitatem promiſſionis factæ in Sacra Scriptura ; dicitur ſapientiam præſtans parvulis, nam Evangelium dat gratiam, non lex ; unde Evangelium eſt apotheca omnium bonorum, quibus indiget homo. *Luc. Prol. Ioan. Prol. Pſal. 18. op. Expoſ. Miſſa c. 2. Luc. c. 4. v. 19.*

3. *Evangelium quale bonum nobis nunciat.*

Initium Evangelii Ieſu Chriſti Filii Dei. Nota, quòd cum Evangelium, ſit idem ac bona nunciatio, dat his verbis intelligere S. Marcus, quòd Evangelium Jeſu Chriſti nobis nuntiat infinita bona, à Chriſto nobis data per ſui Adventum, nempè ſupplicii deſtructionem, peccatorum ſolutionem, juſtitiam, & ſanctificationem, & Redemptionem, & adoptionem, & hæreditatem Cœlorum, & cognationem ad Filium Dei, quæ nobis nunciata ſunt ſedentibus in tenebris. *Ioan. Proem.*

4. *Evangelium eſt adimpletio veteris Teſtamenti.*

Initium Evangelii Ieſu Chriſti Filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta, &c. Cur in principio Evangelii Sanctus Marcus ponit teſtimonium Iſaiæ Prophetæ, cum ejus munus fuerit explicare opera Chriſti ? Sed attende ad myſterium ; Marcus antè converſionem ad fidem, erat inſtructus in lege, & Prophetis de Chriſto teſtimonium

nium perhibentibus, & ideò à Prophetis de Chriſto ſuum incipit Evangelium, ſub uno contextu duas prophetias conjungens, quarum prima ſcribitur Malach. c.3. ſecunda Iſaiæ c.40. ſolúmque nominat Iſaiam tamquam principaliorem; & per hoc intendit exprimere excellentiam Evangelicæ doctrinæ, quia eſt figurata in veteri teſtamento, ob idque melior, & nobilior, & magis apta ad docendum hominem ad vitam, & ſalutem. *In Ioan. Prooem.*

5. *Cur Sanctus Marcus inceperit ſuum Evangelium à prædicatione Sancti Ioannis Baptiſtæ.*

Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum, &c. Vox clamantis, &c. Vide, quod cum voluerit Sanctus Marcus indicare, quod lex vetus figura fuit Evangelii, meritò incipit à prædicatione Joannis Baptiſtæ ſuum Evangelium, quia Joannes primus incœpit oſtendere veritatem aduentus Adventus Filii Dei in carnem, & in mentem tamquam præſentis, ac per hoc evacuare figuram. *Luc.c.16.v.16.& c.3. v.24. Pſal.118.c.10.v.8.*

6. *Pœnitentia baptiſmus eſt lavans à peccatis animam, & præparans viam Domino.*

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam antè te, &c. & venit prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Nota, quod Sanctus Joannes miſſus fuit à Deo, ut prædicatione ſua invitaret homines ad pœnitentiam, quam appellat baptiſmum, quia pœnitentia eſt baptiſmus in quo lavatur anima ab omni ſorde peccati, & per quam præparatur locus dignus Chriſto, ad recipiendos effectus Adventus Filii Dei. *Luc.c.3. Pſal.118.c.1. verſ.9.*

7. *Pœnitentiæ mirabiles effectus.*

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: Nota, quòd non ſine maxima ratione Chriſtus voluit, ut Sanctus Joannes præcurreret ipſum prædicando pœnitentiam, quia per hanc ſolam deſtruitur culpa, recuperatur juſtitia, confutatur Dæmonum ſuperbia, reparatur Eccleſia, in qua ſola habetur remiſſio culpæ, & placatur ira divina, ideò meritò dicitur baptiſmus, & medium præparans animam Domino. *Luc.c.15. verſ.10.*

8. *Salus animæ, non corporis principaliter quærenda.*

Prædicans baptiſmum in remiſſionem peccatorum. Nota, quòd non dicit prædicans baptiſmum ad ſalutem corporis, ad medelam corporalem, ſed in remiſſionem peccatorum, ſcilicet ad ſalutem animæ, pro qua venit principaliter Chriſtus Jeſus in Mundum, ut & nos omnes noſtras actiones, intentiones, & mentem dirigeremus, & laboraremus totis viribus pro hac animæ ſalute adipiſcenda. *Luc.c.1.v.77.*

9. *Pœnitentia exterior cum interiore quam Deo placita.*

Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & Zona pelliceâ circa lumbos ſuos, & locuſtas, & mel ſylveſtre edebat. Ecce qualibus ſignis Sanctus Joannes contemptum mundi oſtendebat, & prædicabat, nempè pœnitentiam exteriorem in victu, & veſtitu prætendens, & tali modo excitans omnes ad pœnitentiam, non ſolùm interiorem, ſed & ad exteriorem; ut videas (ait S. Chryſoſtomus, S. Bernardus, Ambroſ.) quòd Deo ſummè eſt chara pœnitentia exterior, qua externus indicatur contemptus Mundi, ſimul cum interiore. *Pſalm. 108. Opuſcul. de Sandal. Pſal.59. Chryſoſt. S. Bernard. &c. op.medit. c.16. & ſeq.*

10. *Per Filium Pater conſolationes in nos immittit: & libenter in nobis quieſcit.*

Tu es Filius meus dilectus, in te complacui. Nota, quòd hæc vox aſſignatur differenter quoad ſonum verborum, ab Evangeliſtis: nam Sanctus Matthæus dicit. *Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* Sanctus Lucas: *In te complacuit mihi*: Sanctus Marcus: *In te complacui*, per quos diverſos modos aſſignantur varia myſteria; nam Sanctus Matthæus aſſignat complacentiam, quam habet Pater reſpectu Verbi, in quantum dicit, & exprimit ſe in ſe: Sanctus Lucas complacentiam exprimit Patris, in quantum Pater omnia verbo dicit, & producit: Sanctus Marcus in quantùm Pater verbo ſe dicit nobis, & complacet nobis, dans intelligere complacentiam, quam habet Deus in habitando in nobis, & in influendo ſuas gratias: In te complacui; ideſt per te in homine mihi complaceo, in homine ſedem quæro, & quieſco, gratiam meam, & dona in ipſo infundendo. *Pſal.17.& 118.c.4. v.8. Luc. c.3. v. 22. op. medit. cap.16.* Hinc edocemur, quòd Deus veniens ad nos, tunc quietem, & ſedem ſtabilem in nobis quærit.

11. *Ad ſolitudinem tripliciter Spiritus Sanctus ducit animam in converſione.*

Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſerto, &c. Nota, quòd dicit expulit; à quonam Spiritu expulſus? forſan à diabolico? minimè; ſed tamen hoc verbum videtur continere violentiam, ergo videtur expulſus Chriſtus contrà ſuam voluntatem in deſertum, quod nefas eſt dicere de Chriſto? Sed attendamus ad myſterium: Sanctus Marcus dicit. *Expulit eum.* Sanctus Matthæus dicit. *Ductus eſt Jeſus.* Sanctus Lucas, *& agebatur à Spiritu in deſertum.* Per quos tres modos datur intelligi triplex modus, quo Spiritus Sanctus inducit hominem ad deſertum pœnitentiæ: Primò timore pœnæ, cujus eſt expellere à malo ad bonum: Secundò ſplendore, & illuminatione interna veritatis, cujus eſt docere per ſemitas æquitatis: Tertiò amore bonitatis, cujus eſt agere: *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur ii ſunt Filii Dei*; nam per comminationes timore movetur irraſcibilis;

Digitized by Google

bilis;per admonitiones movetur rationalis; & per promiſſiones movetur concupiſcibilis, & ideò Chriſtus, qui induit noſtram humanitatem,etiam voluit,ut de ipſo prædicarentur iſti tres modi,quibus convertitur,quicumque convertitur ad Deum. *Luc.c.*4.Nota autem,quòd in his tribus modis nobis innoteſcunt tres modi, & ſtatus Deo ſervientium, ſcilicet incipientium per viam purgativam, proficientium,per illuminativam,& perfectorum per unitivam. *Vide Thren.c.*1.

12. *Ad deſertum cum Chriſto invitatur anima.*

*Expulit eum ſpiritus in deſertum.*Vide quomodo Chriſtus ſe exemplar noſtrum exhibuit in via ſpirituali: voluit enim intrare in deſertum,& nos edocere, quid nobis faciendum: quilibet enim volens Deo ſervire debet quatuor amplecti,ſcilicet ſolitudinem, jejunium, orationem, & afflictiones corporis,quia per iſta facillimè pervenitur ad puritatem cordis,quæ continet charitatem,humilitatem, patientiam, remiſſionem omnium vitiorum,& exercitium aliarum virtutum. *Op.medit. cap.*17.

13. *Alii intrant in deſertum Religionis ducti à Spiritu Sancto, Alii ducti à ſpiritu infernali.*

*Et expulit eum Spiritus in deſertum.*Nota etiam, quòd tali modo loquendi, licèt Chriſtus à Spiritu Sancto ductus fuerit in deſertum, non deſunt tamen, qui aſſeruñt ductum à Spiritu diabolico, ut tentaretur, ſic ipſo permittente;datur intelligi, quod alii intrant deſertum Religionis ducti à Spiritu Sancto,alii à Spiritu infernali:primi intrant, ut pœnitentiam agant, ut ad perfectionis metam perveniant;ſecundi ut melius corporaliter vivant, ut ad Prælaturas.& ad magiſteria aſcendant, vel propter vanam gloriam. *Luc.c.*4.*v.*42. *op. de ſex Alis Seraph.& Ugo hic.*

14. *Prædicationis munus ex inſtinctu Spiritus Sancti aſſumendum.*

*Venit Ieſus in Galilæam prædicans Evangelium regni Dei:*Sanctus Lucas; *Venit in virtute Spiritus in Galilæam, &c.* Ut videas, quod ſicut Chriſtus ductore Spiritu Sancto intraverat in deſertum; & exierat, ſic ipſo eodem ductore munus prædicationis aſſumpſit. dans per hoc intelligere Prædicatoribus, quòd ad hoc, ut fructificent in Eccleſia debent duci virtute Spiritus Sancti. *Luc. c.*4.*v.*14.

15. *Doctrina Chriſtiana eſt regnum Dei.*

Et venit prædicans Evangelium regni, dicens appropinquavit regnum Dei. Cur Evangelium appellatur regnum, & quomodo incipiens Chriſtus prædicare Evangelium, dicit, quòd auditoribus appropinquavit regnum Dei? Sed meritò hoc dicitur, quia doctrina Chriſti eſt regnum Cœlorum, & ipſam apprehendens dicitur verè intrare in regnum Cœlorum, eſt enim Verbum Dei diſpoſitio, ſeu potius janua ad introducendam in animam gratiam baptiſmalem, pœnitentialem, & finalem: ô felix qui audit Verbum Dei fideliter. *Luc.c.*17.*v.*21.*& c.*10. *v.*9.*& c.*9.*v.*2.

16. *Vocatio Petri expenditur myſticè.*

Et prætereins Ieſus vidit Simonem, & Andream mittentes retia in mare, &c. venite poſt me faciam vos piſcatores hominum, at illi protinus relictis retibus ſecuti ſunt eum. Ecce quàm efficax vocatio Chriſti, qui ut vidit iſtos piſcatores, vidit, ſcilicet intuitu miſericordiæ ſuæ, eos vocavit à piſcatione piſcium ad piſcationem hominum, & ipſi ſine mora ſecuti ſunt Redemptorem relictis retibus, & omnibus creatis; unde datur intelligi; quòd vocati ad ſequelam Chriſti non debent incumbere piſcationi auri rerum temporalium,ſed ſaluti animarum. *Luc.c.*5. *v.*11.

17. *Contrà retia diaboli oppoſuit Chriſtus retia ſua.*

Faciam vos fieri piſcatores hominum; & illi relictis retibus ſecuti ſunt eum. Cur relinquitis ô diſcipuli retia, iterum à vobis aliquando reſumenda? nonne ad piſcationem vos vocat Chriſtus? optime fecerunt ductore Spiritu Sancto; reliquerunt quidem materialia, ſed magis ſpiritualia ſcilicet retia diaboli,quæ ſunt tentationes, ſuggeſtiones, deceptiones; retia item mundi, ſcilicet vanitates temporalium, item & carnis, ſcilicet concupiſcentias; & aſſumpſerunt retia Chriſti ſcilicet paupertatem, contemptum ſæcularium rerum, & prædicationem, hæc retia oppoſuit Chriſtus in Eccleſia contra retia diaboli. *Pſal.*67. *ſer.*4,*Dom.*4.*Pentec.ſer.*4.*Dom.*11.*Pentec.Ioan.c.*21. *verſ.*6.

18. *Miracula à Chriſto patrata nobis fiduciam ingerere debent ad accedendum Chriſto cum fide, & devotione pro noſtris neceſſitatibus.* Hinc Sanctus Marcus in hoc capite deſcribit ſanitatem à Chriſto collatam leproſis, dæmoniacis, & aliis variis infirmitatibus laborantibus, ut hinc diſcamus ipſum ut medicum cœleſtem miſſum fuiſſe à Patre ad medendum, & curandum noſtras infirmitates ſpirituales, & corporales, & hinc excitemur & nos ad accedendum ad Chriſtum cum fide, & devotione, maxime in neceſſitatibus ſpiritualibus. *Opuſcul. faſcicular. capit.*7.

19. *Perditio diaboli lucrum eſt Chriſti,& è converſo.*

Quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene veniſti perdere nos? Sic dicebat diabolus Chriſto; ſed quomodo venerat perdere diabolum Chriſtus? optimè dicebat pater mendacii: venit Chriſtus auferre poteſtatem diaboli, venit rapere animas, quas diabolus perdebat, & hoc eſt, quod ipſe æſtimat perditionem, ſcilicet ſalutem animarum, ſicut è contra perditio animarum, lucrum eſt diaboli. *Sermon.*2. *Dom.*3. *Pentecoſt.*

20. *Exorciſta vitent ſermocinationes cum Diabolo.*

Obmutesce,& exi ab homine. Nota, quòd licèt diabolus fateretur veritatem nempe Chriſtum eſſe Filium Dei, & veniſſe auferre poteſtatem, quam priùs in genus humanum habebat, Chriſtus tamen præcipit diabolo, ut obmutescat, cur hoc? nonne ex confeſſione etiam inimicorum veritatis, magis ipſa veritas eluceſcit? ſed tamèn mira providentia ad noſtram inſtructionem hoc fecit, ut ſcilicet daret intelligere, quod non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, & ut addiſcamus fugere ſermocinationes, & collocutiones cum diabolo; quia cum ſit pater mendacii, dolosè ſemper loquitur, ſæpè, ut faciliùs decipiat, falſa cum veris miſcet, tum quia vana laus eſt vianda ſervis Dei; hinc addiſcant exorciſtæ modum, quo exercere debent ſuum munus exemplo Chriſti: *obmutesce*, ait Chriſtus, ſilentium imponendo, & exi ab homine, ſilentiumque imponant ei, & præceptis ſuæ poteſtatis ipſis à Chriſto collatæ cum viva fidè ipſum è corporibus expellant: *Luc cap.* 4. *v.* 35. Notent diligenter Exorciſtæ hoc monitum, & exemplum Chriſti; nam experientia patet, ut plurimum ex talibus collocutionibus reddi difficilem curationem, & provenire ſaltem in aſtantibus ſæpè peſſimos effectus redundantes in opprobrium hujus divinæ artis. *Vide infrà. n.*29.

21. *Diabolus conatur omnia mala facere homini, maximè, cum videt ſe perdere quod poſſidebat.* Undè hic dicitur, *& diſcerpens eum Spiritus immundus, & exclamans voce magna exiit ab eo*; in quo oſtenditur iracundia diaboli, quia invitus exiit, & cum murmure, & hoc facit cum videt ſe perdere, quod malè poſſidebat; ſed tamen ad præceptum Chriſti (& miniſtri in nomine Chriſti) ita ejus non poteſt lædere Domino prohibente; undè licèt habeat ſemper voluntatem lædendi, tamen lædere non poteſt, niſi cum permittitur à Domino juſto modo. *Luc. cap.*4. *verſ.*35.

22. *Chriſtus venit curare non ſolùm ſexum virilem, ſed & muliebrem*; Undè poſt curationem virorum venit in domum Petri, ubi ſocrus ejus erat infirma, ut ipſam curaret, quia Chriſtus non eſt acceptator perſonarum. *Luc. capit.* 4. *verſ.*38.

23. *Miſeriæ, & calamitates hominum ſunt veluti magnes attrahens Chriſtum ad ſublevandum.*

Et cum veniſſet in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem, & febricitantem, &c. Sic Sanctus Matthæus,& S Marcus: Vide quomodo ſtatim ac ingreſſus eſt Chriſtus in domum Petri,primum objectum, in quod ipſe fixit oculos ſuos, fuit ſocrus Simonis jacens, & febricitans: cur non primò ad ſanos ibi exiſtentes vertit oculos ſuos, eos ſalutans, & cum eis verba faciens, ſed ſtatim ac ingreditur, ad lectum mulieris febricitantis incedit? Sed nota myſterium: Chriſtus venerat ut medicus ad curandas infirmitates noſtras, hoc erat ipſius munus, & ideò ad infirmam ſe primo antè omnia applicat; ex quo addiſcere debemus, quod miſeriæ, & calamitates ſunt veluti magnes attrahens Dei miſericordiam, & quòd ad gratiam Chriſti impetrandam ſunt diſpoſitivæ: ideò mirum non eſt, quòd ſtatim ſe applicaverit ad infirmitatem hujus mulieris ſublevandam. *Luc.c.*4.*v.*38.

24. *Paupertas attrahit Chriſtum.*

Ipſam vidit ſocrum, &c.qua ſurrexit,& miniſtrabat ei. Cur Chriſtus non ſeceſſit ad domum alterius, ſed ad domum Petri, ubi jacebat febricitans ſocrus? hoc fecit paupertatis amator; domus illa erat paupetum,ideò ad ipſam ſeceſſit libenter, & ut paupertati locum daret, ſanaret ſocrum, quæ ſtatim paravit cibos groſſiores,& quæ citò parari poterant, ut videas, quòd Dominus humilitatem, & paupertatem ſummoperè amat, & in domum, in qua obſervatur, & exercetur libenter intrat; hoc audiant, & attendant Religioſi, qui paupertatem voverunt, patet autem, quod in domibus pauperibus libenter honoratur. *Op.medit.c.*24. Hinc eſt, quòd maximè infallibile eſt apud Sanctos Patres. tunc vigere obſervantiam regularem, & ſanctitatem florere in illis Religionibus, in quibus viget,& floret paupertas: & è contrà ſtatim ac Religioſus,& Religio elongat à ſe paupertatem, ſtatim in infinita vitia, & ſordes,& tranſgreſſiones incidit. *Sic ex Seraph.Doctore op.legenda S.Franciſci op.Expoſ.in Regul.*

25. *Chriſtus aliquando non rogatus gratias ſuas diſtribuit: ſed ut plurimùm vult rogari.*

Decumbebat autem ſocrus Simonis febricitans, & ſtatim dicunt ei de illa, &c. Quinam ſunt,qui cum Chriſto locuti ſunt de iſta febricitante? Sanctus Lucas dicit, quòd diſcipuli, & aſſiſtentes rogaverunt illum pro ea: Ex ſupradictis patet, quòd Chriſtus aliquando curat animas peccatrices intercedente ſola benignitate ſuæ clementiæ. Sed ut plurimum vult rogari; & ideò vel interveniente oratione Eccleſiæ, vel propeio gemitu indigentis gratias ſuas impertitur. *Luc. cap.*4. *v.*39.

26. *Curatio à Dæmone, & à febre myſticè exponitur.*

Et exclamans Dæmon exiit ab ea, &c. & accedens ad febricitantem, &c. & dimiſit eam febris. Nota, quòd non ſine myſterio maximo proponitur primò liberatio obſeſſi à Dæmone, poſtèa curatio ſocrus Simonis à febre; quia per curationem hominis à Dæmone ſignificatur curatio à peccatis ſpiritualibus, quam Chriſtus fecit in medio Synagogæ; & per curationem à febre, curatio animæ à peccatis carnalibus, quam fecit in domo coram paucis: datque per hoc intelligere, quòd prima curatio eſt difficilior, & quòd qui ſpiritualibus peccatis detinetur indiget humiliari in conſpectu hominum curatio autem à peccatis carnalibus fit ex divina gratia, & indiget cuſtodia diſciplinæ,ſcilicet mortificationis, & caſtigationis corporis. *Luc.c.*4.*v.*39.

27. *An*

27. *An Apoſtoli habuerint uxores.*

Socrus Simonis decumbebat febricitans. Hic movent quæſtionem Doctores an Apoſtoli habuerint uxores? Reſpondent, quod ſine dubio Petrus uxorem habuit, ut patet hic, quam ſtatim ac ſecutus eſt Chriſtum, reliquit: de cæteris verò alii affirmant, alii de aliquibus negant, & communiter negant de Sancto Ioanne, & Paulo: tamen omnes reliquerunt ſuas uxores ad ſequelam Chriſti, ut patet ex illis verbis Matth. 10. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. *Sic S. Hieron.*

28. *Chriſtus puniens peccatores ſtatim ac peccant magnam miſericordiam eis facit.*

Et dæmonia multa ejiciebat, & non ſinebat ea loqui. Cur non permittit eis loqui? Sanctus Lucas addit *Et increpans eos non ſinebat eos loqui, &c.* Nota, ly, *increpans eos*, ut videas, quod frequenter Dominus obicem ponit malignantibus, ne peccent; nam non ſinere peccatoribus ex ſententia, & pro libito ſuo agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficii eſſe indicium, ut verificetur illud *Pſal.* 105. *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt: Luc. cap. 4. verſ.* 40.

29. *Chriſti nominis manifeſtatio prohibetur fieri per miniſterium dæmonum.*

Et non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum. Sciebant? & quomodo ſciebant ipſum eſſe Chriſtum? ſciebant non certitudinaliter, ſed probabiliter ex miraculis, quæ ab ipſo fiebant, dæmonibus autem prohibuit, ne manifeſtarent ipſum, quia nolebat ſui nominis cognitionem per dæmones divulgari, tum quia indigni erant, tum quia etiam odioſi, tum etiam quia fraudulenti, & ideo talis divulgatio nec conveniebat Deo, nec congruebat dæmoni, nec proderat homini; improbus enim magiſter eſt diabolus, qui falſa veris ſæpe permiſcet, ut ſpecie veritatis teſtimonium veritatis obtexat. *Luc. c. 4. v. 41. V. ſuprà ad n.* 10.

30. *Prædicator falſa veris non permiſceat; prædicans verò vera, non recta intentione ſuſtinendus.*

Et non ſinebat ea loqui. Diſce, quod Prædicator veris falſa vel dubia, vel non authentica permiſcens, ſimilis eſt diabolo, nec ſuſtinendus eſt, ut faciunt Hæretici, prædicans autem vera etſi non recta intentione, ſuſtinendus eſt. *Luc. cap. 4. verſ.* 41.

31. *Ore Chriſtum confitens, corde factis negans, ſimilis eſt diabolo.*

Non ſinebat ea loqui. Cur hoc? quia confitebantur ore Chriſtum, ſed corde oderant; ut videas, quod qui ore confitetur Chriſtum pulchra, & vera loquitur, ſed operibus, & factis negat, ſimilis eſt diabolo. *Luc. c. 4. v. 41.*

32. *Vana gloria ſedulò cavenda à ſervis Dei.*

Et non ſinebat ea loqui, &c. Infra leproſo curato præcepit ei, *Vide nemini dixeris, &c.* Et addit, quod, *ille egreſſus cæpit prædicare, & diffamare ſermonem:* Quomodo Chriſtus præcepit iſti leproſo ſanato, quod miraculum nemini diceret, iſte autem ſtatim ipſum diffamavit? ergo contra Chriſti præceptum fecit? ſed attende ad myſterium, quod aliud eſt præceptum executionis, ut honora Patrem, contrà quod numquam eſt licitum operari, aliud præceptum probationis, ut Abrahæ de immolatione filii; aliud præceptum inſtructionis, ut hic, quia tali præcepto voluit inſtruere nos ſuo exemplo laudem vitare, nempe ut ſui ſequaces in magnis, quæ faciunt, latere velint quantum eſt ex ſe, ſed ut proſint aliis, prodantur non à ſeipſis, ſed ab aliis, & hoc inviti. *Luc. c. 5. v. 15.*

33. *Qualis fides exigatur ad miraculoſam curationem.*

Et venit ad eum leproſus deprecans eum, & genu flexo dixit ei, ſi vis poteſ me mundare, Jeſus autem, miſertus ejus extendit manum ſuam; &c. Nota, quod vera fide acceſſit ad Chriſtum iſte leproſus, & ideo ſtatim ſanitatem recepit, nam videndo adoravit, & verbo, & facto expreſſit quod in corde habebat; nempe credebat dignitatem, & potentiam, & potentiæ facilitatem, & ejus pietatem, & in hoc innixus petebat ſanitatem: *Luc. cap. 5. verſ.* 14. Ecce quæ requiruntur ad patrationem miraculorum, nempe fides vera de divina potentia, & clementia, & inhæſitatio innixa fidelitati promiſſionum Chriſti, & quod nunc actu poſſit, & velit conferre gratiam ad probationem præcepti.

34. *Dicere, & facere Dei ſunt unum, & idem.*

Et ait illi volo, mundare: Volo, ſcilicet voluntate divinitatis, *mundare*, & ſtatim diſceſſit ab illo lepra; per quæ ſignificavit quod nihil eſt medium inter dictum, & factum Dei; cujus tantæ eſt potentiæ, ut velle ſit ei poſſe facere, & poſſe, & velle ſit facere. *Luc. c. 5. v. 14. Pſal.* 15.

35. *Humanitas Chriſti inſtrumentum divinitatis ad patranda miracula.*

Extendit manum ſuam, & tangens eum, ait illi, volo, mundare, &c. Si poſſe, & velle Dei eſt facere; cur Chriſtus addidit extenſionem & tactum manus? hoc fecit Chriſtus, ut oſtenderet ſe Verbum carnem factum, & ſuam humanitatem inſtrumentum eſſe divinitatis ad patranda miracula: *Luc. cap. 5. verſ.* 14. Docent autem Theologi, quod humanitas à Chriſto aſſumpta, ut inſtrumentum divinitatis, habebat quamdam virturem inſitam, qua virtutes, & opera ſupernaturalia, & divina poterat facere; & ideo quidquid tangebat, ei aliquam virtutem divinam communicabat. *Vide Suar. 3. p.*

36. *Chriſtus*

Digitized by Google

36. *Chriſtus mundabat ſimul interius, & exterius.*

Extendit manum ſuam: Vide quomodo Chriſtus verbo, & tactu curavit leproſum, ut patefaceret, quod verbo curabat interius, tactu exterius; quod enim faciebat Chriſtus totum completum, & perfectum erat. *Luc.c.5.ibid.*

37. *Neophiti prohibentur prædicare.*

Vide nemini dixeris. Cur prohibet publicationem tanti miraculi, ex qua poterat redundare totum in gloriam Dei peculiarem? quia Neophitis in fide, vel in virtute novitiis prohibendum eſt officium prædicationis, ideò ipſum mittit ad Principem ſacerdotum, cui competit munus ſeligendi eos, quos noverit aptos. *Luc.c.3. v.23.op.Libel.Apolog.qu.1. op. inſtitut. Nov. p.1. cap.13.*

38. *Sacerdotis officium eſt diſcernere inter lepram, & lepram; ejuſque dignitas quàm venerabilis.*

Vade oſtende te Principi ſacerdotum, & offer pro emundatione, &c. Cur poſt ſanitatem Chriſtus mittit hunc leproſum ad ſacerdotem? hoc fecit ad inſtructionem noſtram, nempè ad docendum quod ſacerdotalis dignitas eſt omnibus veneranda, & quod ſacerdotum miniſterium eſt neceſſarium ad curationem peccatorum, quibus commiſſa eſt cura diſcernendi inter lepram, & lepram, ſcilicet inter peccata. *Luc.c.5.v.15.*

39. *Oblationes, & decimæ, ſacerdotibus offerendæ, eis debitæ.*

Et offer pro emundatione tua, &c. Nota, quod hic docet Chriſtus, dum iſti leproſo præcipit, etiam ſi miraculosè ſanato, ut offerat quod in lege præcipiebatur, docet inquam, quod oblationes, & decimæ debitæ Eccleſiæ, & ſacerdotibus, debent eis offerri. *Luc.c.5.v.16.*

40. *Oblatio à peccatore qualis facienda ſacerdoti.*

Offer quæ præcepit Moyſes, &c Vade igitur (ait Chryſoſtomus) ô peccator leproſe, oſtende ſacerdoti, & offer quæ præcepit Chriſtus in teſtimonium illis, ſcilicet offer animi dolorem, & contritionem; offer peccatorum confeſſionem, offer animi propoſitum firmum & ſtabile, quo mores in melius corrigere ſtatuas, obedientiam offer, & ſatisfactionem, his te ad percipiendam divinam peccatorum abſolutionem paratum eſſe teſtaberis. *Luc. ibid.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd cum ſuprà egerit Evangeliſta de iis, quæ congruunt ordini reſtaurationis humanæ, ſcilicet de increpatione, & compreſſione poteſtatis diabolicæ, & de curatione utriuſque ſexus: In hoc capite agitur de manifeſtatione poteſtatis, ſapientiæ, & bonitatis Chriſti, ut patebit &c.*

CAP. II.

2. *Auditio verbi Dei, diſpoſitio eſt ad recipiendam ſanitatem animæ.*

ET *convenerunt multi &c. & loquebatur eis verbum*: Addit Sanctus Lucas, *Et virtus Domini erat ad ſanandum eos*: Vide ex hoc quomodo ſibi optimè reſpondent, & ſimul cohærent Dei verbi prædicatio, auditorum, & concurrentium ipſius verbi Dei prompta auditio, & promptitudo Chriſti ad ſanandum ab omni morbo auditores; virtus Domini, ait, erat prompta ad ſanandum eos, ſcilicet quia ipſi prompti ad audiendum, per hocque patet quam efficax, & utilis ſit divini verbi auditio; Chriſtus enim, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ (ait Apoſtolus Hebr.1.) eadem utitur per ſuum verbum ad ſanandum, non ad perdendum; & hanc virtutem promptam reddit fides credentium, unde recta conſequentia ad auditionem verbi Dei notatur ſanatio ab omni morbo ſpirituali animæ. *Luc.c.5.v.17.*

3. *Principis proprium eſt incumbere utilitati non propriæ, ſed ſubditorum.*

Et auditum eſt, quòd Chriſtus in domo eſſet, & convenerunt multi, ita ut non caperent neque ad januam, & loquebatur eis verbum. Nota, quòd intravit Chriſtus in hanc domum, quam Sacri Expoſitores dicunt fuiſſe ſimonis leproſi, ut ibi ſumeret cibum, & tamen non ſtatim apponitur cibus, ſed prius eructat cæleſtem prædicationem, ac infirmos ſanat, quia tota virtus ejus erat ad ſanandum, & ad ſalutem ſuorum, hæc enim eſt cibus dulcis Chriſti, quia Prælatus, & Princeps prius intendit ad ſuorum utilitatem, quam de ſuo commodo agat. *Luc.ibid.ſer.1.& 2. Dom.1.poſt oct.Pentec.*

4. *Prælati munus eſt quatuor portitoribus deferre ad Chriſtum ſuos ſubditos.*

Et venerunt ad eum ferentes paralyticum &c. Nota, quod iſti quatuor portitores ſunt myſticè quatuor virtutes, quibus Prælatus debet bono exemplo ad Chriſtum portare ſuos ſubditos; ſuntque perfecta paupertas, obedientia, & humilitas cum æmulatione charitatis, & mortificatio carnis; his enim quatuor virtutibus, veluti portitoribus fortibus armatus Prælatus ſecurè ſua exemplari vita ad Chriſtum portabit ſuos ſubditos, quantumcumque infirmos. *Luc. cap.6. verſ.16.*

5. *Occaſio, & opportunitas ad ſalutem ſollicitè curandæ.*

Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur: S. Lucas ſic refert; *Et cum non*

ri

Digitized by Google

ri portantes paralyticum &c. Nota, quòd illa particula Ecce, denotat ſemper aliquid inſolitum: quodnam eſt hoc? denotat ſollicitudinem horum hominum, qui cum audiſſent, quòd Dominus curaret infirmos, ſtatim habita opportunitate curationis, accurrunt, ne occaſio ſalutem impetrandi paralytico è manibus elabatur; malum enim grande eſt perdere occaſionem, & opportunitatem ſalutis. *Luc. ibid. ſer. 6. Dom. 6. Adv Ioan.collat.56.*

6. *Quærenti Deum mundus ponit impedimenta.*

Et quærebant eum inferre, & ponere ante eum &c. & cum non poſſent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum, ubi erat. Nota illud verbum præ turba, ideſt propter turbam, ut legit Syriacus; ergo à turbis impediebatur oblatio paralytici ante Chriſtum; ut videas, quòd quærenti per fidem Chriſtum, impedimenta frequenter occurrunt, mundus enim quærenti Chriſtum ponit ſemper impedimenta, ſic & de Zacchæo legitur, quòd quærebat videre Jeſum, & non poterat præ turba *Marc. c.10.* cave igitur à turbis ſæcularibus, ſi vis invenire Chriſtum. *Luc. c.1. v.20.* Fuge ergo ô ſerve Dei à turba, & converſatione mundanorum. *Luc.c.19.v.2.*

7. *Fides, & charitas contra mundum removet omnia impedimenta.*

Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſuper tectum, & per tegulas ſubmiſerunt eum cum lectulo in medium ante Iſum: Sanctus Marcus legit, *Et nudaverunt tectum, ubi erat, & patefacientes ſubmiſerunt grabatum &c.* Vide quid operatur fides viva, ſcilicet cum charitate, quæ omnibus impedimentis mundanis ſe opponit, nec ab ipſis retrahitur, ſed potius accenditur, talibu'que adjutoribus indigebat iſte infirmus: ô qualis vis charitatis, quæ omnia audet, ut pro Chriſto, & proximo operetur. *Luc. c.5.v.20.ſeq.*

8. *Iuſti Chriſto cooperantes proximum indigentem Domino præſentant per orationem, ut ab ipſo videatur, & tangatur, & ſanetur.*

Et ſubmiſerunt grabatum &c. Vide quid facit fides, & charitas in pectore juſtorum, nam impellit eos ad portandum proximum in tribulatione poſitum in conſpectu Domini per orationem, ut dignetur ipſum reſpicere oculo ſuæ miſericordiæ, & tangere manu pietatis, & ſanare: *Luc.ibid.*

9. *Status miſerabilis jacentis in lecto carnalitatis expenditur in hoc paralytico*

Et venerunt ad eum ferentes paralyticum jacentem in lectulo, ait S.Matth. *in grabato,* legit Syriacus; *in vili lectulo,* legit Græcus: Vide miſeriam iſtius infirmi, qui omnino impotens erat, quia paralyſis omninò deſolavit membrorum virtutem; & ideo jacebat miſerrimè in grabato, vel vili lectulo: ſed quid myſterii lateat in hoc infirmo? dat hic nobis intelligere Spiritus Sanctus ſtatum miſerabilem jacentis in lecto carnalis voluptatis, qui deſtituitur, & diſſolvitur à virtute charitatis, & privatur operibus virtuoſis, & ſicut grabatum eſt gravitate ponderoſum; ad inferius inclinatum progredientis impeditivum, & ne aſcendatur ſuperius depreſſivum, ſic eſt voluptas carnalis aggravans animam, ipſam impediens ab aſcenſu in Deum. *Ioan. c. 5. v. 8. & collat.25.*

10. *Princeps exemplo Chriſti in medio ſtet omnibus communis, & expoſitus.*

Submiſerunt grabatum, in quo paralyticus jacebat, addit S.Lucas, In medium ante Iſum. Nota ly in medium ante Jeſum; cur in medium, & non ex aliqua parte extrema? hoc eſt quia ſalvator ſemper medium quærit, ſe omnibus communem exhibendo: non enim acceptator eſt perſonarum; ſic & Princeps ad imitationem Chriſti, debet eſſe ita ut nullum debeat eſſe impedimentum, nec paries, nec tectum, lignum, vel lapis, quod acceſſum ſubditi ad Principem, ac Regem prohibeat, aut intercludat. *Luc. c.5. ibid.*

11. *Chriſtus aliquando ſe occultat, ut ardentius quæratur.*

Et cum non poſſent inferre illum præ turba &c. Cur Chriſtus in domo incluſus ſtat, & non potius foras exiit, ut liberiùs poſſint infirmi ipſum adire? ſed tamen hæc eſt ars Chriſti Jeſu cum ſuis, quibus aliquando ſe occultat, ut ardentius quæratur. *ſic S.Bon. & S.Ambroſ.*

12. *Fides eſt prima radix, & origo omnium bonorum diſponens ad impetrationem gratiarum, & miraculorum.*

Cum autem vidiſſet Jeſus fidem illorum ait paralytico &c. Nota ly vidiſſet; Vidit enim Chriſtus oculo miſericordiæ fidem illorum, & quorumnam? fidem portantium infirmum; & fidem poſtea infirmi, & nota, quòd cum iſte actus fuerit magnæ fidei, & ſpei, & charitatis, Chriſtus tamen nominat tantùm fidem, quia fides eſt, quæ attrahit oculos divinæ miſericordiæ, & quæ impetrat remiſſionem peccatorum, gratias, & miracula à Deo; fides enim impetrat, & conſequitur, quod credit, & ſperat, & amat; & ratio eſt quia fides eſt prima elevatio hominis ſuprà ſe, & per hoc impetrat à Deo, ut etiam agat aliquid ſupra vim naturæ. idque verificatur, non ſolum de fide formata charitate, ſed etiam ſæpè de fide informi. *Luc.c.5 v.21. lib.3.d.27.a.2.qu.1. ad arg. & lib.4. d.1. p.1.a.1. qu.1. & d.43. a.1.qu.5 in argum. & d.14.a.2.qu.3.corp.ep.medii.c.23.*

13. *Fides in impetratione gratiarum aliena diſponit, ſed propria conſummat.*

Quorum fidem ut vidit Jeſus &c. Nota, quòd non dicit, cujus fidem ſcilicet infirmi, ſed quorum fidem, ſcilicet portantium, ut videas, quòd hæc impetratio inchoata fuit à fide aliena, ſed in propria paralytici conſummata, dum ad ipſum converſus Chriſtus, dixit fili remittuntur

tibi peccata tua. *Luc. ibid. & lib. 4. d. 1. p. 2. a. 1. qu. 1. & d. 45. a. 2. qu. 5. in argum. op. medit. c. 13.* Notant etiam hic Doctores excellentiam fidei iſtorum in hoc, quòd Chriſto offerunt iſti homines infirmum, vehementer dolentes de ipſius miſeria, firmiter credentes infirmum poſſe à Chriſto ſanari, abſque eo quod remittant fidem ad eventum futurum dicentes, ſi ſalutem dederit credemus, ſed abſolutè pro omni eventu divinitatem ejus recognoſcentes, cum tanta diligentia infirmum per tectum ſubmiſerunt; nam vera, perfectaque fides ad propria munera, ac præſentes obligationes attendit, & à futuro ſucceſſu, atque eventu minimè dependet, ſed totum reſignat Dei manibus; ſic Theodoretus, & S. Bon. qui addit, quòd Chriſtus in cruce rogavit Patrem pro inimicis, ut Pontifex pius, etiamſi ſciret non fore exaudiendum pro multis reprobis. *Luc. c. 23. v. 34.*

14. *Primus gradus ad filiationem Dei eſt ſui ipſius agnitio.*

Fili remittuntur tibi peccata tua. S. Matth. & Lucas; *Homo remittuntur tibi peccata &c.* Cur ſimul copulantur iſti duo termini, fili, & homo? ſed attende, quòd priùs dixit homo, poſtea fili: Homo dixit Chriſtus, ut ipſum invitaret ad conſiderationem propriæ miſeriæ, hæc enim eſt primus gradus, per quem homo evehitur ad apicem filiationis divinæ. *Luc. c. 5. ibid.*

15. *Homo ex ſe ſolùm miſeriam, & peccata continet; ex Dei gratia omne bonum.*

Homo remittuntur tibi peccata tua: Fili remittuntur &c. Nota copulationem iſtorum duorum terminorum hominis, & filii, qui licet importent extrema, & oppoſita, tamen à divina miſericordia ſimul copulantur: Homo quidem importat vilitates, miſerias, & peccata noſtra, homo putredo, & filius hominis vermis, *ait Iob. c. 25. homo repletur multis miſeriis c. 14.* Addit Chriſtus *Fili*; quod importat excellentiſſimam dignitatem ex gratia Dei, ut videas, quòd homo ex ſe totus miſeria eſt, ex Dei gratia eſt totus cæleſtis *Luc. ibid.*

16. *Pietas quanta Dei noſtri in appellando peccatorem filium.*

Fili remittuntur tibi peccata tua. Nota, quòd iſte infirmus erat gravatus multis peccatis, ut ex his verbis patet; & cum propter peccata amiſiſſet Dei filiationem, tamen antequam obtineret remiſſionem ipſorum, à Chriſto appellatur filius; Fili remittuntur tibi peccata tua; cur non priùs peccata dimittit, poſtea appellat filium? nam filiatio Dei cum peccato mortali non poteſt ſubſiſtere? ſed in hoc apparet immenſa Dei pietas in hominem; nam ut dicit Sanctus Petrus Criſol. licèt peccator amittat quod eſt filii, tamen in pectore Chriſti, ſemper remanet, quod eſt Patris, ſcilicet ejus infinita charitas in nos: dicitur filius, quia Pater gratificavit nos peccatores, & filios nos fecit in filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem, remiſſionemque peccatorum, undè peccator poteſt fidenter accedere ad Deum, & dicere Pater peccavi in Cœlum; Pater, ut filius, vel in Chriſto filio redemptus. *Luc. ibid.*

17. *Gradus expenditur, quibus iſte ad remiſſionem peccatorum, & ad divinam filiationem aſcendit.*

Fili dimittuntur tibi peccata tua &c. Nota, quòd licet remiſſio peccatorum iſtius infirmi inchoata fuerit in fide aliena, conſummata tamen fuit in fide propria: nam Chriſtus ei primò dicit apud Matthæum confide fili, cum ad conſummatam fidem excitans, & influente Chriſti præſentia, excitante divina gratia ad dolorem, & contritionem, meruit audire dimittuntur tibi peccata tua. Nota etiam, quòd apud Marcum dicitur dimittuntur tibi peccata tua, apud Matthæum, & Lucam remittuntur, ut explicetur perfecta remiſſio obtenta ab ipſo: nam peccata dicuntur dimitti ratione offenſæ divinæ, remitti quantum ad reatum pœnæ; & hinc ſanitas animæ, & corporis conſecuta eſt, quantum ad vulnerationem naturæ, & ſic perfecta remiſſio à Chriſto ipſi collata eſt. *Luc. c. 5. v. 21.*

18. *Infirmitati ſpirituali major cura adhibenda, quam corporali.*

Fili dimittuntur tibi peccata tua. Vide hic rem notabilem: offertur Chriſto iſte homo, ut ab ipſo ſanitatem corporis impetret, & tamen Chriſtus priùs dat remiſſionem peccatorum, cur hoc? cur non datur ei prius ſanitas corporis? ut corpore ſanato poſſit poſtea quietius quærere ſanitatem animæ? ſed attende quid nos intendit Chriſtus docere, nempè quòd infirmitati ſpirituali major cura adhibenda eſt, quàm corporali, ideò Chriſtus prius ſe applicavit ad ſalutem animæ, quàm corporis. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. cap. 7.* Diſcant ex hoc facto homines quid ſibi faciendum ſit, quando morbo corporali laborant, ut priùs ad Deum recurrant pro ſalute animæ.

19. *Ob peccata ſæpè veniunt infirmitates corporales.*

Nota etiam, quòd Chriſtus priùs curavit infirmum in anima auferendo peccata, propter quæ in corpore infirmitate à Deo percuſſus fuerat, ut ſic cauſis infirmitatis ablatis ſanitas reſtitueretur. *Op. medit. c. 13.* Ex qua doctrina infertur, quòd licet peccatum reſideat ſubjectivè in anima, tamen per conſenſum etiam corpus ſua malignitate pertingit; & pervenit ipſum inficiendo, tabefaciendo, & puniendo; vide igitur ô anima quam grave malum eſt peccatum, quod ſua vi, & exuperantia corpora quoque inficit. *Sic Chryſ. & S. Hieron.*

20. *Quid ſit blaſphemare Deum.*

Erant autem illic quidam de ſcribis cogitantes in cordibus ſuis: quid hic ſic loquitur? blaſphemat. Vide quomodo iſti perverſi, dum judicant temerariè de Chriſto, quòd dicendo, dimittuntur tibi peccata tua, blaſphemaret, ipſi perverſiſſimè contra ipſum blaſphemabant, eſt autem blaſphemare

Deo

Deo injuriam irrogare, quod tripliciter fit; vel cum attribuitur Deo, quod ſibi non convenit, vel cum removetur ab eo, quod ſibi convenit, vel cum attribuitur creaturæ, quod propriè Deo convenit; unde quando Chriſtus attribuebat ſibi divinitatem, cujus proprium eſt dimittere peccata, credebant ipſum blaſphemare, quo facto ipſi execrabiliùs contra Chriſtum blaſphemabant, dum poſt tot ſigna, & miracula ejus divinitatem declarantia, ipſum decipiunt, quaſi viliſſimum hominem, & hoc eſt proprium invidorum, malignorum, & ſuperborum, qui mel in venenum, & bonum in malum ſemper convertunt. *Luc. c. 5. v. 22.*

11. *Judicium temerarium Deo ſummè exoſum, & quàm periculoſum,*

Quo ſtatim cognito Jeſus ſpiritu ſuo, quia ſic cogitarent intra ſe, dicit illis, quid iſta cogitatis in cordibus veſtris? Nota illud adverbium ſtatim, quo ſtatim cognito; & vide, quod Chriſtus: non ſolùm voluit ſe oſtendere Deum in cognoſcendo interiores cogitationes ſcribarum, ſed etiam Judicem, & ut eos redargueret de judicio temerario, & iniquo, contra ipſos clamavit dicens, ut quid cogitatis iſta in cordibus veſtris, & ut patefaceret quàm pernicioſum, & periculoſum ſit temerarium judicium, ne radicem figeret in corde iſtorum, ſtatim, & in principio eos vehementer reprehendit, ut turbis oſtenderet; quòd cum omne malum ſit reſecandum in ſua origine, hoc tamen debet maximo ſtudio fieri in judicio temerario. *Luc. ibid. Vid. op. medit. c. 43. op. Phar. lib. 3. cap. 10. ſtim. p. 2. c. 1. & 4.*

12. *Chriſti logica, ſeu argumentatio probativa ſuæ divinitatis expenditur.*

Quid eſt facilius dicere dimittuntur tibi peccata, an dicere, ſurge tolle grabatum tuum, & ambula? ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico, tibi dico ſurge, &c. Difficultatem reddunt hæc verba Salvatoris, cum certum ſit difficilius per ſe eſſe remittere peccata, quàm paralyticum ſanare: viderunt ex hoc Chriſtus argumentari ex minori poteſtate ad majorem, nempè ex poteſtate ſanandi, inferre poteſtatem remittendi peccata; poſſet quis dicere poteſtas ſanandi, eſt quid naturale quoad rem, licet quoad modum ſit ſupernaturalis, ut eſt curatio corporis: poteſtas dimittendi peccata eſt totaliter ſupernaturalis, & ſpectans ad curationem animæ, ergo non valet hæc illatio? poſſum curare corpus, ergo & animam? attamen illatio Chriſti eſt conveniens, & convincens; nam argumentum Chriſti eſt tale: omnis, qui poteſt paralyticum ſolo verbo curare, ſolo verbo poteſt peccata dimittere, ergo probat majorem tali pacto: quid eſt facilius dicere dimittuntur tibi peccata tua, an dicere ſurge, & ambula? quaſi diceret, æqualis facilitatis, nempè tollere culpam, & tollere pœnam, licèt hoc ſit notius, nempe ablatio pœnæ, per quod illud, ſc. ablatio culpæ cognoſcatur, & hinc infert concluſionem ſimulque probationem minoris; dicens, ut autem ſciatis, quia Filius hominis, &c. & paralytico dicens, ſurge, & ambula, imperãdo actũ paralytico, qui ſolùm ſano poteſt competere; dat autem intelligere per hoc, quòd cum utrumque ſit miraculum, ſolùm divinitati cõpetere poteſt. *Luc. c. 5. v. 23.* Ex quibus inferri pro moribus poſſit, quod ideo nobis in Evangelio panduntur, & proponuntur opera à Chriſto facta per humanitatem; ut ex ipſis inducatur mens veluti per ſcalam Jacobæam, & elevetur ad contemplationem & fruitionem divinitatis. *Sic S. Doc. in op. Itiner. mentis.*

13. *Qualitas hujus miraculi expenditur.*

Et ſtatim ſurrexit ille, &c. Nota quòd hoc fuit miraculum perfectiſſimum à Chriſto patratum; conſiſtit enim in quatuor, quæ ſunt ſuprà virtutem creatam, ſcilicet in remiſſione peccatorum, in diſcretione, & cognitione cogitationum ſcribarum; in confutatione errorum, & conſolidatione membrorum paralytici. *Luc. c. 5 v. 21.* Nota etiam, quod miraculoſa ſanitas hæc tribus qualitatibus manifeſtatur, nempè cum paralyſis reddat hominem inhabilem ad ſtandum, inhabiliorem ad operandum, & inhabiliſſimum ad ambulandum, Chriſtus imperat ei rectitudinem ſtatus, fortitudinem actus, & promptitudinem motus, quibus obtentis effectus eſt perfectè ſanus, & hinc concludit, vade in domum tuam, ſcilicet, ut cum tuis congratuleris; cumque hoc Chriſtus ſpiritualiter animæ hujus infirmi fecerit, dat intelligere, quod cum juſtificatis quotidie fit tale miraculum virtute ſuæ divinæ gratiæ. *Luc. ibid. & infra cit.*

14. *Curatio lepræ peccati originalis facta à Chriſto expenditur in hoc miraculo.*

Surge tolle grabatum, &c. Nota, quòd in hoc facto mirabili tria ſpiritualiter ſunt attendenda, ſcilicet, quis morbus hic, qui curatur, quæ domus, in qua fit curatio, & quis modus curandi: morbus iſte paralyſis deſignat culpam originalem, ſicut lepra actualem; paralyſis enim aufert ſenſum, & motum, & peccatum originale aufert ſenſum cognitionis per ignorantiam, & motum rectum affectionis per concupiſcentiam, quæ totum ſubvertit in anima; & carne: domus, in qua fit curatio eſt Eccleſia catholica, in qua ſunt ſeptem columnæ, ſcilicet Sacramenta, quorum primum eſt baptiſmus: modus curandi eſt per alienum ſuffragium: convenit enim vittus alienæ fidei, & virtus dominici Sacramenti; undè portatores ſignificant ſuſceptores pueri baptizandi; & Chriſtus imperio ſanans deſignat Sacramenti officium, per quod fit remiſſio culpæ, unde ſequitur perfecta curatio, ob quam dicitur baptizato ſurge, ideſt ſurſum erige te ad videndum lumen; & veritates fidei contra ignorantiam; tolle lectum tuum contra infirmitatem carnalitatis, & carnem tuam jam ſanatam exerce per fræna continentiæ, & ambula contra malitiam; ſcilicet in bono profice vade in domum tuam contra concupiſcentiam, ſcilicet amplexare vitam Chriſtianam. *Luc. cap. 5. ibid. Joan. collat. 25.*

15. *Sanatus ſpiritualiter à Chriſto debet ambulare de virtute in virtutem in domum ſuam, non alienam.*

Surge tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam. Hoc præcipitur à Chriſto infirmo ſanato; ſed magis ordinantur hæc verba homini, qui ſpiritualiter ſanatus eſt, & purgatus à peccatis carnalitatis; ſurge, ait Chriſtus, à cœno carnalitatis; tolle

lectum tuum, ſcilicet carnem tuam per frœna continentiæ, & mortificationis mortifica, & vade in domum tuam, ſcilicet in te intra, intra in conſcientiam tuam, & amplexare bona interiora animæ, & non in domum alienam, ſcilicet ad mundanas concupiſcentias; vade, & ambula de virtute in virtutem: diſcant ex hoc Religioſi, imo & omnes Chriſtiani, quòd non ſufficit converſio facta ad Chriſtum ſine profectu ulteriori per exercitium Sanctorum operum, & virtutum. *In Lucam ibidem in Ioan. ibid.*

26. *Opera Chriſti mirabilia aliis in bonum, aliis ſunt in malum.*

Ita ut mirarentur omnes, & honorificarent Deum, dicentes, quia numquam ſic vidimus: Sanctus Lucas. *Et ſtupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, & repleti ſunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie.* V.de, quòd ſtupor ex tanto miraculo apprehendit omnes, ſed tamen cum diverſo effectu, quia quidquid recipitur per modum recipientis, recipitur; ſtupor apprehendit quidem innocentes ad credendum, malignantes ad confundendum, & hinc boni magnificabant Deum, quia apud omnes reddebatur venerabilis Chriſtus ex impoſſibilitate imitandi; & ipſius virtus formidabilis ex impoſſibilitate evadendi, conſiderantes immenſitatem potentiæ, quam nemo poteſt effugere, unde repleti timore, ipſam ideò prædicabant admirabilem, & infinitam. *Luc.c.5.v.15.*

27. *Chriſtus totus eſt in vocando peccatores; ubi de gratia vocationis.*

Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi ſedentem ad telonium, & ait illi ſequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum; Sanctus Lucas: *Et poſt hæc exiit, & vidit, & ait illi, ſequere me, &c.* Vide Chriſtum totum occupatum in ſalute hominum procuranda; nam primò exiit è domo, in qua paralyticum curaverat, & receſſit ad mare. & hoc fecit: ait Chryſoſtomus, ne ex aſpectu ipſius ſcribæ majori invidia arderent, ſed receſſit, ut affectum eorum mitigaret, ut & nos diſcamus, ne in adverſarios cominus inſurgamus, ſed ulceribus eorum mederi, cedentes, & ipſos evitantes, ad relaxandam eorum intentionem; & deinde vidit Matthæum publicanum, ipſum ad ſuam ſequelam vocavit; in quo facto notandum eſt, quod dicitur, Chriſtus exiit, ſecundò vidit, tertiò vocavit; exiit, ut requireret, per ſollicitudinem requirendi opus ſuum, ſcilicet peccatores; vidit, ut attraheret, ſcilicet, ut per reſpectum miſericordiæ attraheret ad ſe, & vocavit, ut ipſum converteret perfectè ad ſui ſequelam, ideò dixit illi ſequere me, ſcilicet per omnium temporalium abrenuntiationem; ſequere me, non lucra temporalia, nec deſideria carnalia, nec flagitia mundana, & hoc eſt, quod Chriſtus facit continuè cum illis, qui ſpeciali modo ad ſuam ſequelam aſſumuntur. *In Lucam capit. 5. verſ.27.*

28. *Chriſtus longè abeſt à divitiis & lucris temporalibus.*

Et cum præteriret, vidit Levi Alphai, &c. Nota quòd Dominus non moratur cum Matthæo, non diſputat, non colloquia inſerit, ut cum Samaritana, ſed tranſiens vocat, nec dixit; cum ſtaret ibi Ieſus, vel ſederet, vocavit ipſum, ſed pertranſiens: cur hoc? Reſpondet Sanctus Petrus Criſologus *ſer.28.* tranſivit inde Ieſus, ne Matthæus ibi taliter permaneret; addit S.Bon. quia vocavit illum à lucris temporalibus, ideò pertranſiens dicit, *ſequere me: Luc.ibid.* ex quo vide artem ſapientiſſimi magiſtri: ſciebat quam periculoſa ſit pecuniarum contrectatio, quòd ipſarum amor eſt veluti magnes attrahens, vel potiùs viſcus tenaciſſimus animam ligans, ideò tranſiens vocat, ut & ipſe tranſeat ſecum, & omnia relinquat; Diſcant ex Chriſto vocante, & Matthæo vocato Religioſi vocati, vel alios acceptantes ad gremium Religionis, pertranſire lucra temporalia, ſolúmque adſpicere ad bona ſpiritualia.

29. *Qui ad perfectionis ſtatum vocatur non detineatur ſedens.*

Et pertranſiens vocavit eum. Ecce quid prætendit Chriſtus tali modo vocationis à Matthæo, & à quibuſcumque vocatis ad ſtatum perfectionis, ſcilicet ut omnes conentur non ſedere, ſed ultrà tranſire, & ambulare de virtute in virtutem ad montem perfectionis, in quo itinere, qui ſedere vult, retrocedere cogitur; Exigit igitur Chriſtus à ſuis perfectum conſenſum & animo, & opere liberi arbitrii, ut fecit Matthæus, qui relictis omnibus ſecutus eſt eum, receſſum item à malo, & profectum in bono, & conſummationem in ſtatu perfecto, ut videas, quòd ſedere in itinere perfectionis eſt retrocedere, non progredi. *Luc.c.5.v.27.& ap.ſtim.p.3.c.4.*

30. *Chriſtus à nobis exigit cor noſtrum, & non noſtram rem.*

Vidit Levi Alphæi ſedentem ad telonium. Nota, quòd non dicit vidit telonium, vel pecuniarum ſacculos, ſed Levi Alphæi, cur hoc? quia vult Deus à nobis non noſtra, ſed nos, & corda noſtra. *Luc. c.5.v.27.*

31. *Chriſtus medicus venit curare ægros, non ſanos.*

Hoc audito (Scilicet murmuratione Phariſæorum ſuper converſatione Chriſti cum publicanis) *ait illis; Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui malè habent.* Vide quomodo Chriſtus ſe medicum meritò appellat, peccatores autem infirmos, quia peccatum eſt infirmitas maxima, undè à Patre è Cœlo miſſus eſt, ut medicus ad curandum infirmitates noſtræ humanitatis; & ad ipſas curandas ſanguinem ſuum effudit; Sacramenta, veluti medicamenta efficaciſſima contra omnes infirmitates animæ præparavit, aperta vulnera in corpore tenet, ut ex ipſis homo, veluti ex apotheca cœleſti medicamenta curativa præſervativa, confortativa, & corroborativa extrahere pro libito poſſit. *Luc. c.5.v.31.ap.ſtim.p.1.c.1.& lib.1.ſent.in Prol.& lib.4. d.17.p.1.dub.1.op.Brevil.p.6.c.3.* Nota autem, quòd dicit,

dicit, non egent sani medico, sed qui malè habent, quis inter homines sanus? nemo, ideò loquitur (ait S. Hieronymus) de Pharisæis, qui licèt periculosissimè ægrotarent, tamen præsumebant se sanos & sanctos; dat igitur intelligere, quòd medicina Christi non potest talibus infirmis superbis aliquod auxilium, & levamen præbere, solùm enim contritis corde medetur. *Luc. ibid. Luc. c. 1. v. 79. S. Hieronymus hic.*

32. *Peccatum gravis est infirmitas.*

Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent. Nota, quòd hic ostendit Christus manifestè, quòd peccatum est infirmitas animæ gravis; sicut enim corpus dicitur infirmum, quando debilitatur vel in executione propriæ operationis, vel impeditur propter aliquam inordinationem partium corporis, ita humores, & membra non subduntur vitali regitivæ corporis, sic infirmitas animæ dicitur, quando ipsa impeditur in propria operatione, eo quòd partes non subduntur regiminì rationis, & hinc oritur ex peccato quadruplex vulnus in anima; primum est concupiscentia, quæ cor subvertit, per quod inordinatè movetur contrà præcepta Dei; secundum est ignorantia, & obscuritas in intellectu, tertium est impotentia; & debilitas in anima, quæ præcipuè gignitur ex amore carnali, & libidinoso, quartum est malitia, quæ vulnerat voluntatem, quæ semper in malum de se tendit; Christus autem venit in mundum curare omnes istas infirmitates, & ad hoc ordinavit Sacramenta Ecclesiæ. *Op. de tribus ternar. c. 3. & lib. 1. Prol. & Brevil. p. 6. c. 3. op. Centil. p. 2. c. 1.*

33. *Christi vocatio efficax est in humilibus, non in superbis.*

Non enim veni vocare justos, sed peccatores. Quomodo hoc verum est? nonnè Christus ad se omnes indiscriminatim vocat? maximè: sed dat his verbis intelligere, quod efficacia suæ vocationis habet effectum solùm in peccatoribus, scilicet in iis, qui se peccatores æstimant, infirmos, indigentes, & humiliter se subijcientes curæ Christi, non in eis, qui se justos superbè æstimant. *Luc. c. 5. v. 32.*

34. *Invidia omnia bona in mala convertit.*

Et erant discipuli Ioannis, & Pharisæi jejunantes, & dicunt ei, quare discipuli Ioannis, & Pharisæorum jejunant frequenter, tui autem non jejunant? Nota autem, quòd Christus observantissimus fuit legis, sed ista jejunia introducta fuere ex traditione, & consilio seniorum, & assumpta voluntariè ab ipsis; ideò cum non observarentur, à discipulis Christi, ex hoc ansam susceperunt calumniandi Christum, & suos discipulos, tanquam homines voraces, & potatores, & in hoc modo calumniandi se simul junxerunt Pharisæi, & discipuli Joannis; & hoc vel quia utrique moti sunt ad hoc ex invidia, ut volunt plures Sancti Patres, quia facilè simul junguntur ad malum, qui eodem vitio laborant, ut notat S. Hieron. vel ut docent alii cum S. Bon. quia discipuli Ioannis moti sunt ad hanc interrogationem ex desiderio veritatis addiscendæ; Pharisæi autem ex invidia, & livore: nec mirum hoc, quia invidia est venenum inficiens omnia bona. *In Lucam capit. 5. vers. 33.*

35. *Novitii, & noviter conversi benignè tractandi, donec firmi reddantur in Dei servitio; ubi de Christo sponso.*

Et ait illis Iesus, numquid possunt filii nuptiarum, &c. Nota, quòd Christus blanda, ac suavi mansuetudine arrogantem calumniam refutat, miràque prudentiâ respondet, ita ut nec Joannis institutionem, nec aliorum jejunia reprobaret, sed tantùm declararet indulgentiam, qua in suos utebatur, non esse negligentiæ, sed temporì præsenti convenientem, ut ita sui ad meliora paulatim formarentur; & ad hoc declarandum assumit similitudinem ex sponsalibus; Christus enim est sponsus, qui humanam naturam, & Ecclesiam sibi in Incarnatione desponsaverat; filios sponsi vocat Apostolos; undè ordinatè in hoc procedit, dum suprà se medicum appellavit missum ad animas sanandas; nunc sponsum, quia per fidem vivam jam sanatas spondet: dat autem intelligere, quòd tunc, quando erat ipse præsens in vita mortali, benignè tractandi erant filii, tum propter vetustatem consuetudinis, tum propter fragilitatem carnis, tum propter dessuetudinem affectionis; post mortem verò suam arctandi erant facti fortes per Adventum Spiritus Sancti, ad jejunia, & tribulationes, & martyria, ut addiscant Prælati, quòd non sunt imponendæ novæ, & rigidæ observantiæ noviter conversis, & novitiis, quamdiu homo non est prioris exutus, & benè radicatus in Dei obsequio. *Luc. c. 5. v. 34. seq. Vide Cornel. à Lap. hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod iterum agitur in hoc capite de ostensione potentiæ, sapientiæ, & bonitatis Christi, per quæ ostenditur eius divinitas, quod maximè intendit Sanctus Marcus, unde in principio dixerat, Initium Evangelii Iesu Christi Filii Dei; & primò agit de sanatione manus aridæ; secundò de vocatione Apostolorum; tertiò de mansuetudine, & zelo eius, in quo elucet eius bonitas.*

CAP. III.

2. *Sanatio manus aridæ in Synagoga factæ à Chriſto expenditur ad litteram, & myſticè.*

ET introivit iterum in Synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam, & obſervabant eum ſi ſabbatis curaret, ut accuſarent illum. Nota, quòd cum Chriſtus ſemper intentus eſſet ad ſalutem hominum procurandam, ideò ſuam potentiam oſtendit in miraculoſa curatione habentis dexteram aridam, per quem ſignificatur ſtatus miſerabilis exiſtentis in peccato mortali, nam propter abſentiam humoris, & vigoris gratiæ divinæ, quæ gignitur à peccato mortali, fit homo aridus,& impotens ad operandum meritoriè, & ideò indiget tactu manus Chriſti, ſcilicet infuſione gratiæ. *Luc. c.6. v.6.* Audiant hoc exiſtentes in ariditate peccati, qui in tali miſerabili ſtatu tot operum bonorum merita perdunt, nec unquam liberari poterunt, niſi recurrendo ad tactum manuum miraculoſarum Chriſti Ieſu; accedant igitur ad Chriſtum corde contrito, & ſubjiciant ſe curæ ipſius.

3. *Ira Chriſti plena miſericordiæ.*

Et circumſpiciens eos cum ira, contriſtatus ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini, extende, &c. Quid eſt hoc,quod hic dicitur de Chriſto? ergone ad iracundiam provocatus eſt? ergone hoc vitio capitali laboravit?Sed attende,quòd eſt ira vitioſa,& virtuoſa; illa eſt, quæ eſt cum perverſione; & everſione voluntatis. & ipſius ſubjectione excitata à ſenſu; virtuoſa eſt, quæ à voluntate oritur ex zelo, & triſtitia illatæ injuriæ Deo,& ex appetitu inferendi malum, & vindictam debitam malis operibus, & talis fuit hæc ira Chriſti,quæ ob zelum contra iſtos calumniatores,& malignos, indignans ſuper incredulitatem, & malignam obſtinationem ipſorum (ait Gloſſa Interlin.) ut ipſos confunderet ſanitatem ſuo omnipotenti verbo contulit infirmo : Ex quo ſic argumentatur Sanctus Ambroſ. In ira præcipiens refundit corpori ſanitatem, & ſi hoc qualis dominicæ benignitatis erit ſanitas,ſi indignationis talis eſt medicina? & quomodo placatus proderit;qui ita iratus miſeretur, ideſt ſi Deus cum ira effundit ſua beneficia. quid erit cum ſua miſericordia? de ira Chriſti *Vide lib.3.d.16.q.ult.& d.15. a.2.q.3. corp.* O ita miſericors exclamat Sanctus Auguſtinus, utinam,& nobis ſic iraſcatur Dominus.

4. *Infirmitas avaritiæ quali medicina ſanetur;ubi de fructu eleemoſynæ.*

Extende manum tuam,& extendit,& reſtituta eſt. Ecce quali remedio curatus eſt infirmus habens manum aridam,& inutilem,quo facto ſignificatur qualitas infirmitatis avaritiæ,quæ aridam manum reddit; iſte enim erat cæmentarius (ait Sanctus Hieron.) ideò ardore calcis, ideſt cupiditatis rerum erat exſiccata manus beneficentiæ ſic avaritia non poteſt ſanari, niſi extendendo manum ad eleemoſynam largiendam, qua extenſione impetrat vigorem divinæ gratiæ : ex quo etiam aliud arcanum detegitur in hoc infirmo expoſito in Synagoga, quod fruſtra intrat homo in Eccleſiam Deum rogaturus, qui manus ad inopem rogantem non extendit beneficium laturus. *Luc. c.6. ibid. S. Anſelm. Raban. Beda, & communiter alii SS. Patres.*

5. *Invidia, totum hominem pervertit, & occupat, & replet malitia.*

Exeuntes autem Phariſæi (repleti inſipientia ait S. Lucas) *ſtatim cum Herodianis conſilium faciebant adverſus eum, quomodo eum perderent.* Ecce quid operatur invidia, & malignitas in corde hominis; nam totum hominem in malignitatem pervertit, ſcilicet excæcatione cordis, conſpiratione oris,& perſecutione operis;iſti enim perverſi Phariſæi conjuncti cum Herodianis (erant iſti miniſtri Herodis in judicando cum Jeroſolymitanis populo) undè meliores deberent fieri,inde deteriores effecti ſunt,tanta erat eorum ingratitudo, & invidia;unde repleti ſunt inſipientia,ſcilicet ut aliàs dixit Apoſtolus Rom.1.omni iniquitate,malitia,fornicatione, avaritia, nequitia, invidia, homicidio,contentione,dolo,malignitate,& tali malitia torquebantur intus,& extrinſecus, ô grande malum invidia.*Luc.c.6.v.11.*

6. *Oratio perfecta requirit ſeparationem à turba, elevationem in Deum, & aſſiduitatem.*

Aſcendens in montem vocavit quod ſe quos voluit ipſe.&c. S. Lucas ait, *Factum eſt autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.*Nota ly in illis diebus,ſcilicet in quibus docebat turbas,& totus occupatus erat ad ſalutem omnium,tuncque maligni dum cogitabant, ut ipſum perderent, ipſe de eorum ſalute agit aſcendens in montem orare,excundo de civitate,& conſortio turbarum.ut ejus oratio eſſet quieta, & elevata; & addens, quod erat pernoctans in oratione Dei, dat nobis intelligere conditiones bonæ orationis, ſcilicet quòd ſit remota à converſatione hominum, elevata à terrenis, & ſimul aſſidua, & per hos modos debet anima ſancta adorare, & orationi incumbere. *Luc.c.6. v.12.*

7. *Ante electionem Prælatorum præmittatur oratio fervens, & aſſidua.*

Aſcendit in montem (ſcilicet ad orandum, & pernoctandum in oratione) & vocavit quos voluit; ſed ad quid hæc oratio præmittitur à Domino ante electionem Apoſtolorum, ſi ſolum vocavit quos voluit,ſcilicet eos, qui in decreto Patris erant deſignati? hoc fecit ad inſtructionem noſtram,ut ſcilicet doceat nos, quod electioni Prælatorum præmittenda ſemper eſt oratio fervens, & aſſidua,hæc enim facit,& impetrat,ut electio fiat de die,non de nocte,ſic Chriſtus poſt pernoctationem in oratione,cum factus eſſet dies:vocavit diſcipulos ſuos;in die autem eligit, qui lucem hujus mundi videt, ſc. Chriſtum, & ad Chriſti gloriam ſolùm totum refert, ſic enim non offendit, nec erat,quia non de nocte operatur, ſcilicet aſpiciendo ad mundanos fines. *Luc.cap.6.verſ. 12. & ſeq.*

Ad

Ad probationem hujus veritatis facit, quod Deus ante formationem ſolis, Lunæ, ſtellarum, & Cœlorum, Deus præmiſit lucem, dicens fiat lux; *Gen. cap.* 1. ſcilicet corpus lucidum, ut Orbi præfulgeret, ut ſcilicet hæc materia priùs in rigoroſum examen vocaretur, antequam in tantum apicem rerum efformaretur; & hoc, ut diſcant Electores priùs lucem ſibi prouidere in oratione apud Deum, ut poſteà poſſint rectè eligere Prælatos ad regimen Eccleſiæ.

8. *Ad Prælaturam quinam eligendi.*

Et vocavit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum, & fecit, ut eſſent duodecim, & ut mitteret eos prædicare. Nota quod inter multos, qui ſe Chriſti diſciplinæ tradiderant, ſolùm duodecim elegit ad Apoſtolatum, & iſtos elegit quos voluit, ideſt non eos, qui ſe intromittunt, & offerunt, & procurant, ſed quos voluit, ſecundùm propoſitum ſuæ voluntatis. Ex hoc diſce quod ad Prælaturam inter bonos meliores debent eligi; & tales ſunt, qui à Deo vocantur, non à propria cupiditate, & voluntate, ſcilicet eos in quibus eſt perfecta humilitas, paupertas, charitas, & hoc ſignificatur in numero duodenario, in quo exprimitur abundantia meriti ipſorum. *Luc. c.* 6. *v.* 13. *& ibid. Cajet.*

9. *Apoſtolorum excellentiſſima dignitas expenditur ex numero, ex nomine, & ex officio.*

Et fecit, ut eſſent duodecim cum illo, & ut mitteret eos prædicare. Quæritur cur voluit Chriſtus, ut Apoſtoli eſſent duodecim? quid ſignificet hoc nomen Apoſtoli, & quale fuerit eorum munus? Reſpondetur, quod cum numerus duodenarius ſit numerus primus abundans apud Arithmeticos, per hunc numerum deſignavit Chriſtus abundantem perfectionem meriti ipſorum ſuprà cæteros Chriſti diſcipulos: duodenarius enim numerus naſcitur à ſenario, qui eſt primus perfectorum, duplicatus autem, duplicatam, & ſummam perfectionem ſignificat; per quatuor autem ter ducta duodenarius efficitur: ter myſterium Trinitatis, & tres virtutes Theologicas; quatuor ſunt virtutes Cardinales, & ad quatuor Orbis partes totum ordinatur, per quas fides Trinitatis ab iſtis erat prædicanda; unde dicit Evangeliſta, & fecit ut eſſent duodecim, & ut mitteret eos prædicare: deſignatus autem fuit hic numerus in duodecim filiis Iacob. *Gen. cap.* 46. In duodecim lapidibus: *Exod. c.* 18. In duodecim Principibus plebis Iſraël: *Num. c.* 7. In duodecim exploratoribus miſſis à Moyſe: *Num. c.* 13. In duodecim fontibus aquarum: *Exod. c.* 15. In duodecim lapidibus extractis de Iordane: *Ioſu. c.* 4. In duodecim bobus ſuſtentantibus Mare æneum: 3. *Reg. c.* 7. In duodecim horis diei: *Ioan. c.* 11. In duodecim fundamentis civitatis: *Apoc. c.* 21. quæ figuratio deſignabat Apoſtolorum multiplicem dignitatem; fuerunt enim Patriarchæ filiorum ſpiritualium procreatione; lapides pretioſi virtutum varietate: Principes multitudinis prælationis ſublimitate: Exploratores contemplationis ſubtilitate: Fontes aquarum ſapientiæ profunditate: lapides Iordanis fidei fundatione: Boves prædicationis exercitatione: Horæ diei exemplorum honeſtate: Fundamenta civitatis totius Eccleſiæ ſupputatione; hoſque Apoſtolos Chriſtus nominavit, quia eis dedit præcipuam auctoritatem prædicandi; nulla enim major dignitas, quam Chriſtum prædicare, veritatemque cunctis annuntiare, & hoc modo Eccleſiam fundare, & civitatem conſtruere ſuper lapidem angularem Chriſtum. *Luc. c.* 6. *v.* 13.

10. *Duodenarii numeri perfectio in perfectione Apoſtolorum iterum expenditur.*

Et fecit ut eſſent duodecim. Nota, quod iſte numerus duodenarius Apoſtolorum fuit ita à Chriſto præfixus, ut nec tota ludæ diabolica malitia illum minuere, vel extorbare potuerit, ideo ipſo corruente, alius in ejus loco ſuffectus eſt; & licet additi fuerint inter Apoſtolos Paulus, & Barnabas, tamen cum fuerint electi à Chriſto jam regnante in Cœlis, ideo etiam parem poteſtatem, & ſpiritum habuerunt, & ob id ad hunc numerum duodenarium myſticè ſpectant propter myſterium; & hoc multipliciter; nam ſex combinationes numeri ſenarii indicant ſex gradus profectus virtutum, quibus pervenitur uſque ad charitatem perfectam, vel uſque ad pacem, vel uſque ad ſapientiam, nam ad charitatem perfectam pervenitur virtutibus, de quibus *S. Petr. 2. c.* 1. *Vos autem miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem:* ad pacem autem pervenitur gradibus beatitudinum, quas Chriſtus enumeravit *Matth. c.* 5. *Beati pauperes, &c.* ad ſapientiam verò pervenitur per dona Spiritus ſancti, *Luc. c.* 6. *v.* 13.

11. *Perfectio qualis in Apoſtolis, Prælatis, & Epiſcopis exigatur.*

Et fecit ut eſſent duodecim, &c. & impoſuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum, &c. Nota, quod aliud myſterium morale deſignatur in numero, & nomine duodenario, nempè Apoſtolorum, perfectio Prælatorum, & ſpecialiter Epiſcoporum, qui cæteros debent præcellere in tribus ſcilicet in vita, in doctrina, & in exemplo, ſeu converſatione: quatuor autem prima nomina deſignant perfectionem vitæ: alia quatuor perfectionem doctrinæ, & alia quatuor perfectionem exempli: & quoad perfectionem vitæ: primum nomen eſt Simon Petrus, Simon interpretatur obediens, Petrus agnoſcens; & ſignificat prudentiam, quæ cognominari debet Petrus, ideſt agnoſcens ex Simone, quia ex humilitate obedientiæ debet procedere cognominatio prudentiæ: ſecundum nomen eſt Andreas, qui interpretatur virilis, in quo exprimitur juſtitiæ virtus: tertium eſt Iacobus, ideſt ſupplantator, vel luctator ſignificans virtutem fortitudinis, quæ fortiter aggreditur adverſa, & luctatur contrà vitia: quartum eſt Ioannes, qui interpretatur in quo eſt gratia, per quam intelligitur virtus temperantiæ, & continentiæ, quæ ex gratia Dei eſt; & ſic in his quatuor virtutibus conſiſtit vita Prælatis neceſſaria ad regimen, quia his utilius nihil eſt in hac vita hominibus: Alia quatuor nomina pertinentia ad doctrinam ſunt primum, Philippus, qui interpretatur os lampadis,

& ſignificat, quod doctrina Epiſcopalis debet eſſe lucida, quantum ad intellectum audientium, ut ſit aſpectus ipſorum docentium aſpectus lampadarum poſitarum ſuper candelabrum, non ſub modio: ſecundum, Bartholomæus, qui interpretatur filius ſuſpendentis aquas, in quo intelligitur doctrina devota quantum ad affectum, ut ex devotione ſuſpendat, & elevet lachrymas uſque ad oculum: tertium, eſt Matthæus, qui interpretatur donatus, per quod inſinuatur, quod doctrina debet eſſe ædificatoria ad operandum, ideſt ut devotioni, qua auditur Verbum Dei, addatur operatio: quartum eſt Thomas, qui interpretatur abyſſus, per quod intelligitur profunditas eruditionis credendorum, ut ſit conſilium, & exercitium illius in indagando, & explicando abdita Sacræ Scripturæ: Alia quatuor nomina pertinentia ad exemplum ſunt primum, Jacobus Alphæi; Iacobus ideſt ſupplantator. Alphæi ideſt fugiens, in quo exprimitur exemplum perfectæ paupertatis, & abrenunciationis omnium terrenorum: ſecundum eſt Simon, qui interpretatur obediens, & zelotes, ideſt æmulator, per quod ſignificatur perfecta humilitas, cum æmulatione ordinatæ charitatis: tertium, Iudas Iacobi; Iudas ideſt confitens; Iacobi, ut ſit in exemplum fraternitatis in agendo: quartum eſt Judas Iſcariotes, qui interpretatur memoria mortis, in quo intelligitur exemplum mortificationis carnis, ad quam debent incumbere, ne cum aliis prædicaverint ipſi reprobi efficiantur; additur autem, qui fuit proditor, & hoc cum notabili advertentia, quia multi decipiuntur, & traduntur occaſione mortificatæ carnis, quia inde gloriantur, ut hypocritæ, ore confitentes ſe noſſe Deum, opere negantes; caveant ergo Prælati, ne cum proditore Iuda adnumerentur: Et ecce exemplar perfectum in hoc duodenario ſtatus, & perfectionis Prælatorum, & Epiſcoporum. *Luc c.6.v.16.*

12. *Laus nominis præcipuè ex virtute deſumenda in Dei ſervitio.*

Et impoſuit Simoni nomen Petrus; &c. & Iacobo, & Ioanni Boanerges, quod eſt, filii tonitrui. Quæritur hic cur nomina mutavit aliquibus, ut Petro, & Ioanni, & Iacobo, qui ex Simonis nomine mutavit in Petrum, & aliis duobus, filios tonitrui vocavit? Reſpondetur, quod nomen Petri datum eſt Simoni à Chriſto, non in principio vocationis, ſed poſt & poſtea confirmatum, & ſolemnizatum, & ſimul cum dignitate adaptatum; ſed Ioanni, & Iacobo in principio impoſitum fuit nomen novum; & hoc diſcrimen fuit, quia in Petro incæpit clareſcere ejus virtus, & dignitas, quando etiam exaltatus eſt ad præeminentiam ſuper alios: Ioanni, & Iacobo vero à principio, quia à principio eorum virtus cœpit clareſcere; ex quo patet, quod laus nominis tantùm ex virtute debet deſumi, & non ex libito hominum. *Ioan. capite 1. verſ.42.*

13. *Cur Chriſtus elegit Iudam in Apoſtolum, quem ſciebat improbum futurum.*

Et Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor. Nota, quod omnes Evangeliſtæ, collocant in ultimo loco Iudam proditorem: & hoc mirum quidem videtur, quomodo Chriſtus, qui præſciebat optimè ipſum improbum futurum, ipſum elegerit inter Apoſtolos, & qui futuri erant Eccleſiæ fundamenta, columnæ, & Prælati? quod verò hoc prævideret, certum eſt, & de fide, unde dixit Apoſtolis; *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus eſt? Ioan. cap.6.* ſed attende ad mirabilem Dei ſapientiam, & providentiam; licet enim futurus eſſet peſſimus, cum tamen elegit Dominus, quia hoc congruebat ſuæ humilitati, & benignitati, ſtatui præſenti Eccleſiæ, & eruditioni noſtræ: congruebat humilitati Chriſti, quæ ex hoc eluceſcebat, quia non recuſarit conſortium ſui proditoris; & ſuæ benignitati quia non ſolùm bonis, ſed etiam malis benignum ſe oſtendebat; congruebat etiam ſtatui Eccleſiæ militantis, in qua mali permiſcentur bonis; expediebat etiam eruditioni noſtræ, nempe, ut non diffidamus ſi quos, qui videntur ſtare, videmus cadere, & ne propter aliquot malos bonorum conſortium deſpiciamus, ne ſcilicet propter aliquorum malorum caſum in congregatione ſcandalizemur, & deſpiciamus totam aliorum congregationem bonorum (quod & evenit apud ignaros ſæculares videntes aliquando aliquem Religioſum deficere) tum etiam ne præſumamus, ſi ad dignitates eligimur. *Luc. c.6.verſ.16.*

14. *Deus in eligendo non reſpicit ad futura merita, vel demerita, ſed ad præſentem idoneitatem.*

Et Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor. Iterum proponitur hoc dubium: cur elegit Chriſtus hunc, quem præſciebat futurum improbum, & damnandum? Ecce aliud digniſſimum myſterium tangens materiam prædeſtinationis: Deus enim in conferendo gratiam non reſpicit futura peccata, ſed idoneitatem præſentem ad gratiam, & hinc eſt, quòd confert in tempore præſcitis gratiam, & per hoc commendatur Dei largitas, & ſapientia, & arguitur hominis ingratitudo, & injuſtitia in hoc, quòd à tam benefico, & tam benigno ſe avertit ſine cauſa. *lib. 2. d. 29. a.2.qu.1.*

15. *Caveant maximo ſtudio electi ad Prælaturas Eccleſiæ à cupiditate, & amore auri.*

Et Iudam Iſcariotem, qui fuit proditor. Nota, quòd omnes Evangeliſtæ ultimo loco collocant Judam, & proditorem Chriſti ipſum manifeſtant; & hoc ad eruditionem Prælatorum Eccleſiæ, ut videant quale periculum eis imminet ob contrectationem divitiarum, reddituum pinguium, & pecuniarum: ſi enim Apoſtolus Chriſti prius ſanctus præcipitavit ob tale vitium in tam immane ſcelus, caveant & ipſi, ne cum

Iuda

Juda proditore adnumerentur ; ô quot Prælati prius ſancti. ob pecuniam , & divitias deficiunt à ſanctitatis ſtatu. *Luc.c.6.v.16. Ioan.cap.1. verſ.42.*

16. *Chriſtus reliquit in Eccleſia poteſtatem in ſuis miniſtris ſuper creaturam ſpiritualem , & corporalem* ; ſic dicitur hic : *Et dedit illis poteſtatem curandi infirmitates , & ejiciendi Dæmonia ; ſic & infrà cap.7. & Luc.c.9.*

17. *Chriſtus ipſe dæmoniacus , & cum Dæmonibus converſans , pactumque habens ab invidia , & invidis prædicatur.*

Exierunt ſui tenere Chriſtum , dicebant enim quoniam in furorem verſus eſt ; & ſcribæ dicebant, quoniam Beelzebub habet , & in Principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia. Vide quid facit invidia , quæ non quærit quid dicat , ſed ſolùm ut dicat, æmulatione enim non eſt aliqua malitia deterior: patet hoc in ſcribis , & Phariſæis, & aliis , qui ſe amicos fingebant Chriſto , ideo dicuntur ſui , ſcilicet affines , & domeſtici (non quidem diſcipuli , ſed alii) iſti omnes Chriſtum factum, dæmoniacum , pactum habentem cum dæmonibus , & in virtute dæmonum mirabilia operantem dicebant : ô grande malum invidia : *Luc. c.11.v.15.* Diſcant hoc exemplo ſequaces Chriſti , & ipſum per patientiam imitentur , quando injuriantur , & calumniantur ab iniquis.

18. *Diabolus victus , & à Chriſto expoliatus poteſtate in homines iterum armatur, & fit fortis ex hominis conſenſu in peccatis.*

Nemo poteſt vaſa fortis ingreſſus in domum diripere , niſi prius alliget fortem , & tunc domum ejus diripiet. Nota , quod in his verbis Chriſtus docet diabolum fuiſſe ab ipſo ſpoliatum omni poteſtate , quàm prius exercebat in genus humanum ; ſed poſtea addit : *in Luc.cap.11.* quod expulſo ab homine denuò armatus intrat in hanc domum ; ut denotet , quod diabolus ſcum nihil poſſit in nos, armatur contra nos ipſos noſtris armis , ſcilicet per conſenſum ejus tentationibus , & tunc fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus. *Luc.c.11.v.11.op.de prof. Relig. l.1. cap.2.*

19. *Qui in Religione ceciderunt valdè peſſimi.*

Huic textui ſancti Marci addit Sanctus Matthæus *cap.12. Expulſo dæmone, &c. tunc vadit , & aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe , &c. & fiunt noviſſima hominis pejora prioribus.* Quid eſt , quod ad ingreſſum novum diaboli fiunt noviſſima pejora , &c. hoc eſt , quia qui non agnoſcit beneficium ſuæ liberationis , majus nocumentum patitur in corpore , & anima , quam antea ; qui enim amplexatâ pœnitentiâ , Religioſoque ſtatu diabolum à ſe abjiciunt, ſi tamen ad vomitum redeunt , maximum parant aditum diabolo , ut ad ipſum cum aliis nequioribus ſpiritibus ingrediatur , ſic dicebat *S. Auguſtin. Epi. 137.* quomodo difficile experrus ſum meliores , quàm qui in Religione profecerunt , ita non ſum expertus pejores quàm qui in Monaſteriis defecerunt ; & hoc eſt, ut S. Bon. ſivè propter recidivationem ; difficilior enim eſt pœna poſteriorum vitiorum ; vel propter iniquitatis duplicationem. *Luc.c.11.v.26.*

20. *Vbi adeſt Maria , Dei furor ceſſat , & à nobis declinatur.*

Et veniunt Mater ejus, & fratres, & foris ſtantes miſerunt ad eum vocantes eum. Cur ad ipſum Maria , & fratres , ſcilicet conſanguinei Chriſti veniunt, dum concionabatur , & perturbare contendunt ipſum à prædicatione ? Aliqui hanc vocationem vitioſam fuiſſe contendunt , ſed malè id aſſerunt ; eſt enim de fide Beatam Virginem nullo peccato actuali maculatam fuiſſe ex *Conc.Trid ſeſſ.6.can.25.* ſed hoc tribuendum eſt non vitio , ſed charitati , nempe Mariam vocaſſe. Filium ob aliquam honeſtam cauſam omninò dicendum eſt ; unde potiùs aſſerendum eſt, quod dum Mater audiſſet , quod Chriſtus in ſua concione multa mala minabatur , ipſa confugeret ad deprecandum pro illo populo , ut iram Dei averteret , ac illi miſericordiam ſuam impenderet : Maria enim etiam non rogata ſubvenit ſollicitè indigentibus , ſicut & fecit in nuptiis ; ex quo patet quàm honorifica , quàm pia, quàm ſedula , quàm virtuoſa Advocata eſt Beata Mater apud Filium , cui à quolibet eſt dicendum, mulier ſancta es , ora pro nobis Deum. *Ioan.c.2.v.3. & ſeq.*

21. *Spiritualia carnalibus præferenda.*

Et reſpondens eis Ieſus ait , quæ eſt Mater mea & fratres mei ? Nota , quod cum Mater , ac fratres non poſſent adire ad locum , in quo Chriſtus concionabatur præ multitudine turbæ , miſerunt aliquem ad eum , qui illum vocaret, qui reſpondens dixit : *quæ eſt Mater mea , &c.* in quibus verbis videtur valde abhorrere vocationem Matris , ipſamque deſpicere , quod verè mirum eſt , cum alibi dicatur , quod erat ſubditus illis , & ipſe præceperat parentes honorare , ſcilicet & facto , & verbo ; quomodo ergo nunc tam dure reſpondit ? ſed tamen nec deſpexit Matrem ſuam , nec ſuam maternitatem renuntiavit , ſed totum fuit ad inſtructionem noſtram : Tunc enim comparavit maternitatem carnis cum operibus ſpiritualibus , & ideo tunc non agnovit viſcera humana , operaturus divina; docuit autem nos ſpiritualia carnalibus præferenda eſſe , & ut operi divino incumbamus , recedere debemus à carnali affectu. *Luc.cap. 11. v.11. Ioan. cap. 2. verſ.3.* Ex quibus diſcamus , ait S. Bernard. pro Chriſto deſerenda omnia, & pro ſalute noſtra contemnenda cætera.

22. *Qui à verbo Dei audiendo abſtinentes abſunt , perditionem timeant.*

Quæ eſt Mater mea, &c. Nota, quod hæc dicta ſunt à Chriſto de Matre, & fratribus foris ſtantibus , dum ipſe intus concionabatur , ut hinc addiſcamus , ait S. Hieronym. quod ſi Chriſtus ſibi Matrem abjurat , cum extrà Verbi Dei au-

Digitized by Google

dientiam eſt conſtituta, eo tempore, quo ipſe concionabatur, multò magis timere debent illi, qui à Verbo Dei audiendo abſtinentes abſunt, ne in æternum ab Incarnato Verbo ignorentur. *Pſalm.* 118. *cap.* 2. *verſ.* 5. *op. Eccleſ. Hierar. p.* 4. *cap.* 4.

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quod Chriſtus inſtruit turbas variis parabolis, & deindè ſedat tempeſtatem in mari, & per hæc plurima documenta moralia tradit Eccleſia; ut patebit.

CAP. IV.

2. Simplices à Chriſto eruduntur, ſuperbi potentes deſeruntur.

Congregata ſunt ad eum turba multa, &c. & locutus eſt eis multa in parabolis. Nota hìc, quod non electi, ac ſuperbi Principes, ſed humilis turba Chriſtum ſequitur, & hinc eſt quod turba multum æſtimabatur à Chriſto, magnique eam faciebat, & ideo relictis Principibus ſuperbis totus erat in erudiendo iſtos ſimplices: Chriſtus enim non alta, ſed humilia reſpicit, & in ſimplices ſua arcana recondit. *Luc. c.* 14. *v.* 11. *& c.* 16. *v.* 15.

3. Deus numquam amovet manum à negotio noſtræ ſalutis, & large omnibus ſua munera largitur.

Ecce exiit ſeminans ad ſeminandum, & dum ſeminat aliud cecidit circa viam, &c. Nota, quod certum eſt hic ſermonem eſſe de Chriſto, undè quæritur quomodò dicitur, quod exiit, qui ubique eſt? & cur ſatori ſe comparat? & quid eſt ſeminans exiit ad ſeminandum? ſed attende ad immenſam Dei pietatem in nos; Exiit Verbum divinum aliquid novum faciendo, ſcilicet ſumendo carnem noſtram, ideoque venit in carnem, ut ſeminaret Verbum Dei, quod exprimit nomine ſeminis, ut videas, quod ſicut numquam reliquit mundum, & privavit prædicatione ſui Divini Verbi, ſic ipſe numquam amovet manum ſuam à negotio noſtræ ſalutis, ideo dicitur ſeminans exiit ad ſeminandum, ſcilicet in principio mundi incæpit, & numquam deſtitit; & dum nomine ſeminis explicat verbum ſuum, dat intelligere, quod ipſe largè dat ſua munera, & omnibus ea offert, quod ſi non æqualiter in omnibus fructificant, hoc venit ex defectu recipientium. *Luc. c.* 8. *v.* 5. *& deinceps.*

4. Sapè ſpiritualis profectus, & meritum augetur, dum non ſentitur, & roboratur cum magis infirmari putatur, & maximè in Prælatis.

Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo jaciat ſemen in terram, & dormiat, & exurgat nocte, & die, & ſemen germinet & increſcat, dum neſcit ille. Nota, quod hac metaphora Chriſtus dat intelligere, quod ſic ſemen creſcit, dum Dominus agri dormit, & ipſo neſciente; ſic homo ſæpe dum credit ſe fruſtrà laborare in Dei obſequio, & maximè Prælatus, dum laborat in ſuo munere, quando credit ſe nihil in ſe, & in aliis proficere ipſo neſciente merita auget, & profectum roborat. *Op. de ſex Alis Seraphin. cap.* 4.

5. Dei ſervitium, & charitas habet ſuos gradus.

Ultro terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Ecce quod Chriſtus dat intelligere, quod ſuum ſervitium, & charitas habet ſuos gradus; unde mirum non eſt, quod homo non ſtatim eſt perfectus, ſed paulatim fit aſcendendo. *Op. de Profec. Religioſ. lib.* 2. *c.* 24. Nota hic, quod alias expoſitiones habebis in *Matth. c.* 13. ſuper iſtam parabolam, & ſequentem de grano ſinapis.

6. Chriſtus communes ſibi fecit ſuorum incommoditates.

Ait illis in illa die, cum ſero eſſet factum, tranſeamus contrà, & dimittentes turbam, aſſumunt eum ita ut erat in navi, & alia naves erant cum illo: Sanctus Lucas ait, *Et ipſe aſcendit in naviculam & diſcipuli cum eo, &c.* Vide quod prævidens Chriſtus imminentem tempeſtatem, aſcendit in navim ſimul cum diſcipulis, non enim jubet ſuos abire in periculum, & ipſe manere domi quieti indulgens, ſed ſimul cum eis pergit, imò ipſe prior aſcendit in navim crucis, & tribulationis, voluit autem ſecum diſcipulos, ut eſſent teſtes miraculi proximi, & oſtendere, quod non poſſunt ad portum ſalutis pervenire, niſi per mare tribulationis præſentis. *Luc. c.* 8. *v.* 22. *ſeq. & 25.*

7. Chriſtus clamat omnibus ſuis ſequacibus, tranſeamus contrà: ideſt, *exponit Chryſol. ſer.* 21. De terrenis ad cæleſtia, de præſentibus ad futura, & benè contrà, quia divina ſemper ſunt contraria humanis: Tranſeamus contrà, ait S. Bon. ideſt per tribulationes hujus vitæ ad vitam cæleſtem, & ſalutis, quæ huic ſæculo contrarium habet modum vivendi, ut poſſimus dicere, Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. *Luc. ibid.*

8. Cum Chriſti voluntate conformemus noſtram: non autem velimus illum adducere ad noſtrum commodum.

Et aſſumunt eum ita ut erat in navi. Id eſt Diſcipuli aſſumpſerunt Chriſtum in altum mare ad illud transferendum ut ipſe Chriſtus erat ſedens, & docens: myſticè dat intelligere, ait Chryſol. quod Chriſtus à nobis aſſumendus prout ipſe vult, & ſe exhibet, ſcilicet faciendo ejus voluntatem, & non è contra trahendo ipſum ad noſtram; vel ità ut nobis exhibetur, ſcilicet in cruce, & tribulationibus, &c. *Luc. ibid.*

9. Quali

Digitized by Google

9. *Quali gaudio, & simul timore Christus recipiendus in Eucharistia.*

Et facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in navim, &c. Quæritur hic qua vi, vel virtute excitata fuit hæc tempestas, & cur Christus disposuit hanc motionem? Aliqui respondent excitatam fuisse à diabolo, qui semper ad præsentiam Christi terretur, sic Sanctus Paschasius, qui addit cum aliis Doct. aliam mysticam rationem, nempe Mare exiliisse præ gaudio, tum etiam præ timore ob Creatoris sui præsentiam; sic ait Chrysostomus, sepulchrum accepto corpore Christi territum, quod Patris thesaurum accepisset: Sic Chrysost. in Psal. 2. Ex quibus infertur quid faciendum est à nobis in receptione Eucharistiæ, in qua verè præsens est Christus Jesus; si enim insensibilia timent ad præsentiam Dei, quantò magis rationalia.

10. *Sine Christi adjutorio periclitatur homo, nec locus dat securitatem, ideò semper timendum.*

Et facta est procella magna venti, &c. Quomodo, & cur præsente Christo excitantur venti contrà navem? quomodo tantùm audent? hoc permisit Christus, ut pateat, quod locus non dat securitatem, ait S. Bern. In Cœlo cecidit Angelus sub præsentia Deitatis; Adam in Paradiso; Judas in Mundo de schola salvatoris, & ideò nemo sibi de loco isto blandiatur, sed semper timeat, & ad Christum confugiat. *Op. medit. c. 16.*

11. *Deus permittit nos tribulari, ut ad ipsum confugiamus in oratione.*

Et facta est procella, &c. Cur permisit Christus hanc tempestatem contrà navem, in qua ipse dormiebat? ut Discipuli, ait Glossa, magis timeant & rogent, & rogantibus potentiam ostendat; & ut probaretur experimento, quod absque Christi adjutorio in mari Læthifero hujus Mundi omnes submerguntur. *Sic Glossa, aliique Patres. S. Bon. Luc. 6. 8. v. 24. seq. op. medit. c. 16.*

12. *Unius delicta perturbant merita multorum.*

Et facta est procella magna venti, &c. Cur Christus permittit, ut sua navis periclitetur, vel turbetur tam sæva tempestate? Navis in qua erat ipse fons sanctitatis cum suis dilectis Discipulis? Sed hoc factum est divina dispositione, ut disceremus, quod tale periculum subiit navis propter societatem proditoris; & quod unius delicto plurium merita quatiuntur, ut hinc edisc amus, quàm periculosa sit malorum societas, & quòd unus scandalosus in congregatione sacra potest innumeras ruinas efficere. *In Luc. cap. 8. v. 23 seq.*

13. *Peccatum valdè grave, & ponderosum.*

Et facta est procella magna, &c. Nota etiam, quòd hic edocemur, quàm grave, & ponderosum sit peccatum, nam peccatum unius ferè valuit submergere totam navem. *In Lucam ibidem.*

14. *Si fides dormit pericula naufragii adsunt.*

Et erat Jesus dormiens. Cur tunc in tantò periculo dormiebat? hoc fuit, quia Discipuli ipsi magis dormiebant in fide, unde eos reprehendit dicens ubi est fides vestra? ut ostenderet, quòd ubi dormit fides pericula abundant, & ideo eorum increpavit dubietatem, suadendo fidei firmitatem. *Luc. c. 8. ibid.*

15. *Vigilia Prælatorum custodit civitatem, & Ecclesiam: si dormiunt, omnia sunt in periculo.*

Et erat Jesus dormiens, &c. Ecce quomodo, dum Christus dormit, navis tota est in periculo manifesto; ut discant Prælati, quòd ex ipsorum vigilia, vel dormitione dependet vel salus, vel ruina Ecclesiæ, & locorum, & hinc Discipuli excitant Christum, ut per ejus vigiliam obtineant remedium, qui in ejus dormitione incurrerant periculum. *Luc. ibid.*

16. *Quando Christus obdormit, tunc tentatio, & pericula insurgunt contra nos.*

Et erat dormiens. Nota hic mysterium: quid est, quòd tempestas insurgit Christo obdormiente? dat hic intelligere, quòd Christus tunc obdormire dicitur, non sibi, sed nobis, scilicet quando Christi amor, & memoria torpescit in corde nostro; tunc enim insurgunt procellæ diaboli, scilicet tentationes, & pericula, nam venti passionum, & affectuum agitant navem, & intrant in animam, & tunc imminet periculum; cave igitur ô homo ab ista obdormitione, sed vigila in oratione, & amore Dei, ne Christus tibi obdormiat. *Luc. cap. 8. vers. 24. opuscul. medit. cap. 16.*

17. *Orationis utilitas in tempore tribulationis expenditur.*

Et accedentes suscitaverunt eum, &c. & exurgens comminatus est vento, &c. & facta est tranquillitas magna. Vide quomodo excitatus Christus imperat ventis, & mari, & fit tranquillitas magna; ex hoc discamus & nos Christum excitare in oratione, ad ipsum confugiendo in tempore tribulationum, nam hæc ipsum excitat ad nostrum auxilium, & ex oratione ferventi oritur tranquillitas per devotionem in anima. *Luc. 6. 8. v. 24.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Proſequitur Evangeliſta patrationem miraculorum, ex quibus pateſiebat eius divinitas, & honorificentia.*

CAP. V.

2. *Ingratitudo elongat Chriſtum à nobis, & ipſum ad alias gentes transire facit.*

Venerunt transfretum in regionem Geraſenorum. Vide, quod ſedata tempeſtate, tranſacto mari tranſierunt Diſcipuli cum Chriſto ad ulteriorem ripam Geraſenorum, qui erant Gentiles, ut ibi patraret miracula, & eos doceret viam ſalutis; per quod primò oſtenditur Dominus dives, & communis omnibus: ſecundò quod cum Judæi, maximéque Principes repulerint Verbum Dei, ob ingratitudinem ipſorum eos deſerit, & tranſit ad gentes: per quod oſtenditur, quòd inter omnia vitia ingratitudo à nobis diſjungit, & elongat Chriſtum, & ipſum ad alias gentes tranſire facit. *Luc. c.8. v.26.* Ecce quare tot Regiones, Provinciæ, & Regna, in quibus priùs fides vigebat, nunc ſub cœno infidelitatis degunt; patet enim ex hiſtoriis tum ſacris, tum prophanis, quòd cauſa tantæ calamitatis fuit, & eſt ingratitudo hominum, violatio ſacrorum, multipliciras ſcelerum.

3. *Dæmonum crudelitas in homines expenditur.*

Et exeunti ei de navi, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis. Vide hic qualem crudelitatem exercebat in hunc miſerum Dæmon; nam primò cogebat hunc miſerum ducere vitam in nuditate, quia cum Dæmon ſit turpis, & impudicus, delectatur nuditate, quæ eſt impudicitiæ oblectamentum, & hoc etiam, ut eum gravius lapidibus concideret: ſecundò ipſum non patiebatur habitare in domo propria, & in civitate, ubi aliquod levamen, & auxilium potuiſſet habere, ut ſic eſſet ſine adjutorio, & refrigerio ullo: tertiò rumpebat catenas, quia enim ipſe ligatus eſt, horret catenas, & vincula: quartò eum habitare faciebat in monumentis, lociſque horribilibus, & fœtidis, item & in montibus, & cavernis, ut ipſum lapidibus contereret, & vulneraret, & ſanguinem effunderet; Ex quibus patet, quam crudelis ſit diabolus in hominem, & conſequenter quàm ſtulti ſint qui in poteſtatem tam crudelis Tyranni voluntariè ſe exponunt. *Luc. c.8. v.27.* Notant etiam Sacri Expoſitores, quòd cum diabolus fuerit è Paradiſo ejectus, elegit ſibi habitationem in locis fœtidis; ut gravius torqueat homines, docens, quòd ſæpè ad imitationem diaboli homo, ut alteri homini noceat, ſibi nocumentum dat, laboribuſque, diſpendiis, & ſæpè morti ſe ſubjiciens, ut alterum inimicum ſimilibus miſeriis ſubjiciat: ô nimis verum, ô grandis cæcitas, & crudelitas hominum.

4. *Miſeria hominis in vitiis vitam degentis expenditur.*

Qui domicilium habebat in monumentis, &c. Cur non inter flores, & amœna prata, vel inter aromata, ſed inter arida, ac mortuorum oſſa diabolus ſibi elegit locum? Ecce miſera conditio eorum, qui vitiis deſerviunt, & diabolo tenentur, qui cum poſſint velut in Cœlo regnare, dum tamen vitiis indulgent, dilacerantes veſtimenta ſpiritualia animæ perſuaſionibus ſatanæ acquieſcunt, & quamvis adhuc vivi jam inter fœtores, ſqualores, ac anguſtias mortis degunt, & dum ſatanæ potiùs, quàm Deo ſerviunt, inter ærumnas, ac præſſuras perditionis comprimuntur, ô miſera conditio exiſtentis in peccato mortali, qui factus eſt cubile Dæmonum, & paſcua ſtrutionum, ut dicitur *Iſa.* 34. Digna quidem vitiorum conditio (addit Sanctus Paſchaſ.) ut qui Cœlo præſidere nolunt, paſcantur cadaveribus, ſaginentur putredine, delitientur fœtore, quibus tota voluptas eſt vitiis deſervire: ô iterum, & iterùm miſeranda, & deploranda cæcitas, & calamitas. *Luc. c.8. v.27. & deinceps: & c.15. v.16. ſeq.*

5. *Cur Chriſtus non in inferno deſtruit Dæmones, ſed inter nos habitare permittit.*

Et occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo: Nota, ly, *in ſpiritu immundo*, vel ut infra dicitur, *in ſpiritibus immundis*, quia plures Dæmones ipſum torquebant; cur non dicitur, quòd Spiritus immundi erant in homine, ſed è contra homo erat in ſpiritu immundo, vel in medio ſpirituum immundorum? ſoluitur hoc dubium alia quæſtione Theologorum; An Deus ſtatim poſt peccatum Dæmonum, eos deſtruxerit in profundo Inferni? cui reſpondent negativè; ſed eos, vel omnes, vel majorem partem permiſit habitare in hoc aëre inferiori, & caliginoſo, & inde circa nos volitant ut muſcæ; hocque fecit Deus ad noſtrum profectum; voluit enim etiam in hoc oſtendere ſuam divinam diſpoſitionem, ut de prævaricantibus Angelis obſequium electorum traheret, & elliceret, & hinc permittit, ut Dæmones nos tentent, & tribulent ad exercitium noſtrum, & ampliorem coronam. *Lib. 2. diſt.6. artic. 2. quæſt. 1.*

6. *Studium Dæmonis eſt impedire viam ad ſalutem, & ad Chriſtum.*

Et nemo poterat eum domare: Sanctus Matth. addit, *erant ſævi nimis, ita ut nemo poſſet per viam illam tranſire.* Per quam viam? per viam tendentem ad litus maris, ex qua poterat quis tranſire in Galilæam, ubi Chriſtus prædicabat; ergo Dæmones pro poſſe impediebant homi-

nes,

Digitized by Google

nes, ne per illam viam pertranſirent ad Chriſtum, qui eſt via ad Cœlum. Vide ergo, quòd tota cura Dæmonis eſt præcludere viam ad Chriſtum, & ne ad Deum poſſint homines redditum invenire; & hinc ad hanc impietatem Dæmonis excludendam, Chriſtus factus eſt nobis via (ait S. Petrus Criſol.) ut per ipſum ad ipſum acceſſum habeamus. *In Luc. cap.* 8. *verſ.* 27. *& deinceps.*

7. *Studium Dæmonis eſt ſolvere homines à catenis, ut ipſos catenis liget.*

Sæpè catenis vinctus dirupiſſet catenas: Mirum eſt hoc: quomodo diabolus hominem ſic vinctum catenis liberavit diſrumpendo compedes, & catenas, quibus à ſuis erat ligatus? quomodo ergo diabolus odiens hominem in ipſum exercet tantam pietatem? ô pietas impia, & crudelis; verum eſt, quod diabolus conatur ſolvere nos à vinculis præceptorum Dei, non ad libertatem, ſed ad majorem pœnam, nempè ut nos durius liget, & torqueat in inferno. *Ser.* 3. *Dom.* 19. *Pentec.* Væ manibus, væ pedibus, væ membris à bono vacantibus, & ſolutis; ſed væ magis in malo ſe occupantibus, & ligatis. *ibid.*

8. *Chriſti præſentia tormentum eſt graviſſimum diaboli.*

Quid mihi, & tibi Ieſu Fili Dei Altiſſimi? adjuro te per Deum, ne me torqueas. Sed in quo iſta tortura? ne me torqueas, ſcilicet cogas, ut ad tuam præſentiam veniam, & ſtem, & meritò hæc dicit, nam præſentia Chriſti maximum tormentum eſt diaboli; & ideo diabolus clamat, & dolet de ejus præſentia, quia nulla erat ipſius cum Chriſto communicatio. *Luc. cap.* 8. *v.* 28.

9. *Dæmonis maximum tormentum eſt ceſſatio, à vexatione hominis.*

Adjuro te per Deum, ne me torqueas. Quid eſt hoc, de quo clamat diabolus? quænam tortura eſt hæc? quia timebat quòd Chriſtus ipſum expelleret ab homine, quia aliquale ſolatium eſt ipſi obſidere, & torquere hominem, ideò maximum eſt illi tormentum ceſſare à vexatione, & læſione; & hinc eſt, quòd quantò diutiùs poſſederit, tantò difficilius dimittit, laboret ergo homo læſus à diabolo, ut citò jugum diſrumpat. *Luc. cap.* 8. *verſ.* 29.

10. *Qua pœna puniantur Dæmones antè diem judicii.*

Adjuro te ne me torqueas. Quid eſt id, de quo timent, & clamant Dæmones? quale tormentum eſt hoc, ne me torqueas? S. Matth. addit, quod dicebant. *Quid, &c. veniſti antè tempus torquere nos?* Quid eſt antè tempus, & quale hoc tempus? Ad litteram reſpondent Sancti Patres, quòd loquuntur de tempore, in quo recludendi ſunt à Chriſto in inferno, quod erit poſt univerſale judicium; & de hoc timebant, quòd iam tempus adveniſſet nimis citò ſecundùm ipſorum malum deſiderium. Hic autem diſquirunt, an cum patiantur nunc pœnam damni, etiam patiantur pœnam ſenſus? & præcipuè pœnam ignis infernalis, an verò reſervetur poſt diem judicii, S. Bonaventura utramque ſententiam negativam & affirmativam probabilem exiſtimat, ſed negativam probabiliorem, eo quòd difficile eſt cognoſcere, quomodo ſibi alligatus ſit iſte ignis corporeus. Attamen ſententia eſt multorum Theologorum, quòd ſecum ſemper portent pœnam ignis infernalis abſque alligatione ulla cum corporali igne; ex eo quod ſicut Deus elevat ignem ad agendum in ſpiritum, ita etiam elevat illum, ut non minus agat in Spiritum diſtantem, quàm in propinquum; nam conditio propinquitatis ſolùm requiritur ſecundùm naturalem vim, minimè verò ſpectata virtute divina, ut de Chriſti humanitate, ac Sacramentis optimè à multis benè explicatur. *Vide lib.* 2. *diſt.* 6. *artic.* 2. *quæſt. ſecunda Suar. de Angel. lib.* 8. *capit.* 16. *num.* 39.

11. *Diabolus recordatur, & timet de imminenti ſupplicio inferni, non verò homo.*

Adjuro te ne me torqueas; veniſti antè tempus torquere nos. Ex his verbis eruitur, quòd Dæmones norunt ex his, quæ patiuntur ſe tormentis obnoxios (*ait S. Baſil. Seleuc. or.* 23.) neque tantùm apud eos morum potuit improbitas, ut illatæ ob flagitia pœnæ oblivionem inducat; ex qua doctrina infertur, quali veſania, inſcitia, & negligentia laboret homo: Nam Dæmonum malitia omnem modum cum excedat, tamen cum tanta improbitate, etiam dum hac per aëra, & terras vagandi libertate fruuntur, imminens tamen pœna, ac recluſio in tartareo carcere eis in oblivionem non abit; ſed ante illorum mentes ſemper tam rigidum obverſatur ſupplicium, maximoque illius anguntur timore; & tamen (proh dolor) ſunt multi homines, qui dum aliquali paci, ac felicitati indulgent, ſtatim ſalutis oblivionem induunt, ac de imminenti ſupplicio minimè recordantur; ideò inferni pœnæ ſunt frequenter à nobis meditandæ, ne peiores in hoc ſimus Dæmonibus. *In Luc. cap.* 8. *verſ.* 31, *opuſc. faſciculi cap.* 3. *Diat. tit.* 10. *c.* 1.

12. *Exiſtens in peccato mortali à diabolo poſſidetur, & torquetur.*

Qui domicilium habebat in monumentis, &c. ſæpè compedibus, & catenis vinctus dirupiſſet catenas, &c. Vide typum miſerabilis ſtatus exiſtentis in peccato; nam talis miſer poſſidetur à diabolo, & miſerabilius à diabolo torquetur, quàm qui obſidetur corporaliter: *Luc. c.* 8. *verſ.* 30. Iſte enim habitat perpetuò in monumentis, quia Deo mortuus, & mortua opera facit, fœtet ſcandalis; ligatus vivit, ne in bonum meritorium exire poſſit, diſrumpit catenas, & vincula præceptorum Chriſti, ſub poteſtate, & Tyrannide diaboli vitam miſeram ducit: ô miſeranda calamitas.

13. *Unum peccatum ſtatim non deletum pœnitentiâ in aliud trahit.*

Et interrogabat eum, quod tibi nomen eſt? & dicit ei, legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. Nota, quòd priùs dixerat, hunc hominem obſeſſum eſſe à diabolo in ſingulari, nunc autem interrogatus reſpondet, quòd multi ſumus; ſi unus, quomodo multi? ſed attende, quòd Chriſtus interrogavit, non quia ignoraret, ſed ut ex reſponſione Dæmonis appareret comitatus multitudinis, & ita ſcirent præſentes, quod multi in uno homine Dæmones erant; reſpondit igitur, quòd multi ſumus, & licet mendacii pater, tamen verum dixit, ut diſceremus, quòd unum peccatum, quòd eſt opus diaboli, non eſt ſine alio, peccatum enim ſuo pondere ad aliud trahit, niſi cito pœnitentiâ deleatur. *Luc.c.8.ibid.ap.Comp.Theol.lib.3.c.7.*

14. *Homo in ſuppliciis eſt à Deo cuſtoditus.*

Et deprecabantur eum, &c. mitte nos in porcos, &c. Nota hîc perbellum myſterium. Tota una legio Dæmonum ſævissimè poſſidebat iſtum hominem; & tamen tota multitudo iſta hominem non ſuffocat, ac in fruſta cedit, & tamen ſtatim ac intrant in gregem porcorum, ſtatim impetu grex per præceps in ſtagnum irruit, & ſuffocatus eſt; cur hoc? cur datur Dæmoni licentia perdendi porcos, non verò hominem? ſed hoc factum eſt, ut diſcamus, quòd Dominus magis ſalutem unius hominis diligit, quàm millia brutorum animalium. *Sic S.Bon. Luc.c.8.v.32.* Vult dicere, quòd licèt homo flagelletur à Deo, obque peccata illius permittatur crudeliſſimis Tyrannis, ut in eum ſeviant, atque armentur, ſemper tamen homo ſub divina protectione manet cuſtoditus, & ſemper curam de nobis agit peculiarem.

15. *Diabolus maximè timet imaginem Chriſti relucentem in homine Chriſtiano.*

Si ejicis nos, permitte nobis abire in gregem porcorum. Cur in gregem porcorum, & non potius in alios homines? hoc eſt, quia maximus eſt timor Dæmonum reſpectu hominis maxime Chriſtiani; ſic reſpondet S.Bon. *Luc.c.8. v.33.* Sed cur timet tantum hominem Chriſtianum? hoc eſt, quia in homine effigies Chriſti relucet; & ſi Chriſtianus eſt, relucet in eo effigies crucis in ſui baptiſmate in corde impreſſa, & hinc ad ipſum accedere non audet, ſed ab eo fugit, & ad immunda, turpiaque animalia declinat. *Vid. lib.4. d.6. a.1. q.2.* Diſcant ex hoc Chriſtiani ſuam contra diabolum poteſtatem ex imagine Crucifixi, quam portant, & ex virtute Crucis, &c.

16. *Libenter diabolus intrat in porcos, ideſt luxurioſos.*

Mitte nos in porcos. Cur potius in porcos, & non in alia animalia? in boves, in oves, in equos? ô bene; In porcos, ideſt luxurioſos, qui per porcos ſignificantur, ut ſignificetur, quòd cum Dæmones poſſideant omnes peccatores; iſti tamen magis expoſiti ſunt, Dei judicio, Dæmonibus; nam ſicut porcus Cœlum numquam aſpicit, ait S.Auguſtinus, perpetuò terram fodit, luto, & fœtore delectatur, ventri eſt deditus, non ruminat, ſic homo libidinoſus Cœlum non curat, terrena quærit, lutum, voluptatum, & criminum fœtorem amat, ventri ſervit, nec ruminat æterna ſupplicia, ad quæ currit. *Luc. cap.8.verſ.32. & cap.15. v.16.*

17. *Sine permiſſione Chriſti diabolus non poteſt alicui creaturæ nocere.*

Et conceſſit eis, &c. Vide, quòd diabolus nulli creaturæ poteſt nocere, niſi priùs petitâ, & obtentâ licentiâ à Chriſto, ex hocque diſce quàm vilis, & alligata ſit Dæmonum poteſtas. *Luc. capit. 8. ibid.*

18. *Homo non eſt Dominus rerum temporalium, ſed villicus Dei.*

Et impetu abiit grex per præceps in ſtagnum, &c. Cur Chriſtus permiſit mortem porcorum cum tanto damno dominorum? hoc fecit Chriſtus, ut oſtenderet ſe Dominum omnium rerum, & quòd homo non eſt ipſarum Dominus, ſed villicus Dei. *Luc.c.8.v.33.* Diſce ex hoc ô homo, quòd ſi ignis, grando, glacies, tempeſtas, bellum, vel aliud ſupplicium tibi res temporales aufert, iſta faciunt verbum Dei, & omnia à Deo Domino omnium rerum eveniunt.

19. *Deus non derelinquit nos, niſi priùs à nobis deſeratur, & ſolùm repulſus à nobis abſcedit.*

Et rogare cœperunt eum, ut diſcederet de finibus eorum; cumque aſcenderet navim, &c. Verè hoc mirum eſt, quod iſti ad conſpectum tanti miraculi rogant Chriſtum, ut de finibus eorum recedat: cur hoc? & non potiùs cognoſcentes divinam potentiam, ipſum apud ſe manere curarunt, ut fecerant Samaritani. *Ioan c.4.* Hoc fuit, ait S.Lucas, quia magno timore tenebantur; Timore, ſcilicet reverentiæ ait S.Bon. Timore (dicunt alii Expoſitores) ne aliquam aliam jacturam incurrerent, ſicut amiſerant porcos, & ipſe ab eis diſceſſit; ut videas, quod Deus nos non derelinquit, niſi ipſum nos priùs derelinquamus; & quòd ſolùm expulſus à nobis abſcedit. *Luc.c.8.v.37.*

20. *Non omnes ſe offerentes ad Dei ſervitium ſunt à ſuperioribus Religionum acceptandi.*

Cumque aſcenderet navim, cœpit illum deprecari, qui à Dæmonio vexatus fuerat, ut eſſet cum illo, & non admiſit eum, ſed ait illi, vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, &c. & abiit, & cœpit prædicare in Decapoli, &c. Cur Chriſtus non admiſit iſtum converſum in numero ſuorum diſcipulorum? ergone acceptator eſt perſonarum? minime: ſed voluit verbis, & factis nos inſtruere, & præcipuè Religioſos Prælatos, ne omnes indiſcriminatim venientes in gremium ſuorum recipiant; nam quoſdam dimittit Dominus propter infirmitatem; quoſdam admittit propter fidelitatem, quoſdam attrahit propter idoneitatem, quoſdam repellit propter cupidita

Digitized by Google

cupiditatem, hunc autem non admisit Dominus ad discipulatum perfectionis, vel quia movebat eum timor humani periculi, vel amor beneficii, vel ut offenderet, quod propter spirituale beneficium non est accipiendum obsequium: *Luc. c.8.v.39.* Notent hoc Prælati Religionum, quibus multa notabilia documenta in hoc facto aperiuntur, tum pro cautela in recipiendo ad statum Religionis venientes; tum in recipiendo eos ob fines temporales, & lucrum mundanum. *Vid op. de sex Alis Seraph. c.5, op. expos. Reg. c.11. op. spec. disc. p.2. c.5.*

21. *Gratitudo beneficiorum Deo summè placita.*

Vade in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Dominus, &c. & abiit, &c. Ecce quid à nobis exigit Deus, pro receptis beneficiis, nempè gratiarum actionem, & ideo hoc exemplo discere debemus quali promptitudine gratos nos vult Deus. *Luc. ibid. ser. 1. S. Iacob. in addit.*

22. *Conversus ad Christum intret in domum suam scilicet conscientiæ: ubi de felicitate animæ Deo servientis.*

Sed vade in domum tuam ad tuos, &c. Scilicet vade in domum illam, undè diabolus te expulerat, ut ibi post tot labores, requiescas, & fruere libertate tua: Ecce quid à conversis à servitute diaboli exigit Deus; cum enim in servitute diaboli multa, & gravia, & laboriosa quisque patiatur, ut expertus est filius Prodigus, qui relicto Patre, abiit in regionem peccati, afflictus est famis inedia, & aliis multis passionibus, ecce scalerna mutatio: Vade in domum tuam (ait Christus) & illic avocare, illic lude, & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo superbo (Eccl. c.32.) intrà in tuam conscientiam benè ordinatam, & quiesce, & fruere libertate filiorum Dei, & meritò; nam in domo à Deo habitata auditur symphonia, & chorus per concordem lætitiam quantùm ad conformitatem exteriorem, & interiorem morum, animorum, & sermonum. *Luc. c.8. & cap.15. v.25. & cap.5. vers.24.*

23. *Resuscitatio puellæ filiæ Principis synagogæ expenditur litteraliter, & moraliter.*

Et venit quidam de Archisynagogis, nomine Iairus, & videns procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum multum, dicens quoniam filia mea in extremis est, veni, & impone manus super eam, ut salva sit, & vivat. Nota, quod in Expos. super Matthæum c.9. fusè hoc miraculum expensum fuit: hîc autem solùm proponitur modus, quo iste Princeps synagogæ impetravit à Christo suscitationem filiæ: hoc enim fuit, quia adiit Christum cum reverentia, rogavit confidentiâ, & desideravit ex indigentia, ut hinc ediscamus, quod sicut iste homo post humanam industriam & remedia adhibita, cum nulla adhuc esset spes vitæ, tunc ad Deum confugit, sciens Deum ipsum succurrere maximè in desperatis casibus, quando humana auxilia desunt, ideo motus hac extrema indigentia cum reverentiali confidentia Christum rogavit dicens, veni impone manum tuam, &c. & sic impetravit quod desiderabat. *Luc. c.8.v.41.*

24. *Curatio Hæmorroissæ à fluxu sanguinis expenditur.*

Et mulier quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim &c. Nota, quòd expositiones plures mysticæ traditæ sunt super hoc miraculum Christi in expositionibus super Matthæum c.9. ideò solùm hic devotio, fides & oratio istius mulieris expenditur, & modus, quo obtinuit gratiam: In hoc igitur facto ista notanda principaliter sunt; & primò sexus: *Ecce mulier*, scilicet naturâ fragilis, quæ dum Christus iret ad sanandam aliam mulierem, priùs ipsa obtinuit sanitatem, quia fides Archisynagogi erat imperfecta, hæc autem fervida, & præclara in fide, credens Christum esse Deum: secundò gravitas morbi ex triplici capite; primò ex natura morbi, secundò ex gravitate ejus, qua debilitata erat, & tertiò ex diuturnitate, & difficultate sanationis: tertiò mulieris sollicitudo; *cum enim audisset de Iesu, statim ad ipsum accessit:* quartò humilitas mulieris, *accessit retrò*, quia ita demisse de se judicabat, ut se putaret indignam, quòd in facie coram Domino appareret: quintò magna mulieris veneratio, ac reverentia in Christum, *tetigit enim fimbriam vestimenti ejus*, hoc est ultimam oram, ac partem, non audens extendere manus vel ad ipsam vestem Christi? sextò vera animi compunctio, *dicebat intrà se*, hoc est in corde suo, in anima suâ; septimò magna fides mulieris; si tetigero tantùm vestimentum ejus salva ero: Ex quibus discere debemus modum, quo ad Christum accedere debemus, & ab ipso gratias obtinere. *Luc c. 8.v.43. seq. op. de septem don. c.3. Psal.118.s.6.v.14.*

25. *Anima ad Deum conversa debet ambulare de virtute in virtutem.*

Et puella surrexit, & ambulabat &c. Vide quid faciendum ab his, qui à Christo de morte ad vitam gratiæ suscitantur, debent enim non solùm à sordibus exurgere, sed & in bonis continuò proficere operibus. Sic Chrysostom &c. S. Bon. *Luc. cit.* Addit hic Ugo Card. quòd sicut Christus jussit, ut darent isti puellæ jam resuscitatæ, & ambulanti, manducare; sic datur intelligi, quòd homo quando suscitatur à morte per confessionem, & dimittit peccatum, & post ambulat proficiendo in sanctis operibus, & exercitio virtutum in tempore Quadragesimæ, datur ei in Pascha cibus cælestis, & hoc in signum veræ resurrectionis, ait S. Bon. ut hinc videas, quod solùm cum fructu intento ab Ecclesia recipitur in Pascha sacra Eucharistia ab iis, qui se dignè præparaverunt in cursu temporis quadragesimalis.

ARGU

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd poſt miracula à Chriſto patrata in hoc capite intexitur ejus doctrina, undè agitur de dignitate prædicationis, & indignitate auditorum, eorumque ingratitudine, de miſſione diſcipulorum, de morte Joannis, de reditu diſcipulorum à prædicatione ad ipſum Chriſtum, & deinde ſuperadditur miraculum cibationis quinque millium hominum aliaque conſequentia.*

CAP. VI.

2. *Chriſti amor in nos ipſum reddit veluti inquilinum Cœli, & noſtrum patritium in terra.*

ET egreſſus inde abiit in patriam ſuam. In quam patriam nonnè dixit Joa.c.18.Regnum meum non eſt de hoc mundo; & infrà Regnum meum non eſt hinc? ſed attende ad metamorphoſes amoris ejus in nos: nam Chriſtus cum eſſet totus cæleſtis, ex Patre ab æterno natus, tamen tanto amore ad nos eſt affectus, ut veluti inquilinus eſſet in Cœlo, in mundum venire, carnem ſumere, & inter nos in terra habitare veluti in propria patria, deſideraverit: undè Joan. c. 1. dixit, quòd Chriſtus venit in propria, ſcilicet primò in terram Judæorum, & propriè in mundum, ut ſuam charitatem, & amorem nobis manifeſtaret. *Ioan.c.1.*

3. *Mundus ad ſolam apparentiam exteriorem, non ad ſoliditatem virtutis adſpicit.*

Et facto ſabbatho cœpit in ſynagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes, undè huic hæc omnia? nonne hic eſt faber, filius Mariæ &c. Ecce mira cæcitas iſtorum, ait Gloſſa, in factis, & dictis Chriſtum cognoſcere poſſunt, & ob ſolam generis notitiam contemnunt: ſed hoc mirum non eſt, nam mundus, & mundani ad ſolam apparentiam exteriorem adſpiciunt, relinquentes ſoliditatem virtutis; Amatores enim mundi adeo intenti, & diligentes ſunt circa hæc exteriora bona, & adeò in vanitate eorum ſunt perditi, ut Chriſtum, & veras virtutes deſpiciant. *Op.de contemptu ſæculi.*

4. *Chriſtus faber in bonum, & diabolus in malum.*

Nonnè hic eſt faber, filius Mariæ? Vide quomodo inimici veritatis, velint nolint veritatem fatentur; hæc de Chriſto dicebant iſti impii, ut ipſum vilipenderent, ſed tamen inviti maximam laudem de ipſo prædicabant; ſed quomodo verè dicitur faber? Faber ad litteram dicitur, ait Lyranus, quia tempore ſuæ juventutis occupatus fuit in arte Patris, & ideò ipſum appellant fabrum, quia iſti in Nazareth viderant modum, quo vivebat; ex quo addiſcere debemus ad quantam humilitatem ſe abjecerat Chriſtus vivens ſubditus fabro, & Matiæ pauperculæ. *Vid. op.medit.c.12. Luc.c.4.v.22.* Myſticè autem Chriſtus dicitur faber, quia ipſe fabricatus eſt ſuis manibus auroram, & ſolem, ſcilicet Eccleſiam militantem, & triumphantem ad noſtrum profectum, & gloriam. *Op. ſpec. B. Virg. lect.4.& S. Hieron.* E contra diabolus eſt faber malignus, qui in hac vita prunas concupiſcentiæ addere in ſuos facit, qui in inferno igne inferni infuſi, & perigniti tormentis variis malleantur ab ipſo. *Ser.3.Dom.2. poſt oct.Pentec.*

5. *Chriſtus ad menſuram fidei noſtræ miracula operatur.*

Et non poterat ibi virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit. Quomodo Chriſtus non poterat? ergone reſtricta fuit ipſius potentia? nonne dedit Pater omnia in ejus manus? non poterat, ſcilicet congruè ob ipſorum indignitatem, & præcipuè ob fidei ipſorum inopiam; nam ad impetrandam ſanitatem, & miracula duo requiruntur, ſcilicet fides recipientium, & potentia curantis, ſi alterum horum deeſt, nihil fit. *Sic. PP.in Gloſſa.* Cur autem exigitur fides, alias dictum eſt, nempè quia prima elevatio hominis ſuprà ſe eſt à fide; ideo ipſa præcisè, & non charitas impetrat à divina virtute, ut operetur aliquid ſuprà vim naturæ *Lib.3.d.27.a.2.q.1.ad quartum.*

6. *Maxima Dei miſericordia eſt aliquando non concedere gratiam, quæ petitur.*

Non poterat ibi virtutem ullam facere. Cur hoc? cur non poterat? non poterat, ideſt ſua divina miſericordia nolebat, ut ibi virtutem, & miracula faceret; magnam enim miſericordiam impertitur Deus, quando aliquando non concedit quod petitur, quia ſi plura faceret, contemptus inde in recipientibus oriretur, & ſic plus delinquerent, & ita plus punirentur. *Serm. 4. in rogat.*

7. *Chriſtus communem ſe omnibus exibebat.*

Et circuibat caſtella in circuitu docens. Cur dicitur circuibat, & non potiùs rectâ incedebat viâ? ſed optimè, nam motus rectus non importat continuationem, ſicut circularis, datque intelligere, quòd totus ſemper fuit Chriſtus intentus ab inſtanti conceptionis ad noſtram ſalutem, ideo ad hunc finem non in ſolis civitatibus, ſed & in caſtellis, & vicis & continuè prædicabat, quia Chriſtus acceptator non eſt perſonarum, ſed omnibus ſe communem faciebat, & communicabat. *Ser.1.Dom.3.Adv.Ioan.c.19.v.18.ſap.c.6.*

8. *Prædicatoris*

8. *Prædicatoris charitas qualis, & cur Chriſtus diſcipulos miſit binos ad prædicandum.*

Et vocavit duodecim, & cœpit eos mittere binos. Cur binos? cur non plures? & cur non ſolos? Binos miſit, ut ſe mutuò adjuvarent: & ut doceret quod Prædicator non idoneus eſt, qui non habet geminam charitatem in Deum, & proximum. *Lucc.* 10. *v.* 1.

9. *Prædicator, etſi debeat eſſe omnibus expropriatus terrenis rebus, poteſt tamen recipere neceſſaria ad victum.*

Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs, &c. Nota, quod, ut dicit Gloſſa, per peram intelliguntur onera temporalium, per panem delicias carnales, per æs in zona, occultatio ſapientiæ, per virgam ſuſtentatio neceſſariorum; datur intelligi per hoc, quod Prædicator debet eſſe expoliatus omnibus rebus temporalibus, non per hoc tamen prohibetur recipere virgam, ſcilicet neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ. *Luc. c.* 10. *v.* 7 *ſeq. op. Expoſ. Reg. c.* 3. *& lib.* 4. *d.* 25. *a.* 1. *q.* 4. *ad quartum: op. de Paup. Chriſti, q.* 1. *a.* 2. *op. de ſandal. Apoſtol.*

10. *Confidentia qualis exigatur à Chriſto in ſuis Prædicatoribus, & qualis diffidentia removenda.*

Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, &c. Videant, & audiant hic Prædicatores quid eſt quod Chriſtus ab ipſis exigit, nempè quod tanta debet eſſe in Prædicatoribus fiducia in Deum, ut præſentis vitæ ſumptus quamvis non ſibi provideant vel provideantur, tamen hoc ſibi non deeſſe certiſſimè ſciant, ne dum mens eorum occupatur ad temporalia, minus aliis provideant æterna; & ut mens Chriſti Jeſu plenè percipiatur, advertendum, quod duplex diffidentia eſt, quædam eſt ex mentis perverſitate, ſcilicet ex incredulitate cum deſperatione annexa, quando quis credit Deum noſtra non curare, vel ſe derelictum à Deo propter peccata ſua, hæque omnibus prohiberur, & è contra confidentia in Deum huic oppoſita omnibus Chriſtianis præcipitur; alia eſt proveniens ex puſillanimitate, quæ habet annexam remiſſionem amoris divini, & intenſionem timoris humani, & hæc ſtare poteſt cum charitate imperfecta & hæc eſt Prædicatorum imperfectorum, qui quidem exercent ſuum munus ob lucrum animarum, ſed cum permixtione liciti lucri temporalis, & ſollicitudinis imperfectæ, ſed tamen longè abeſt à perfectis viris, quibus vetatur à perfectionis magiſtro, & confidentia perfecta eis injungitur, quatenus algorem puſillanimitatis ſollicitantis pro cibo refugiant, & ardorem charitatis confidentis de Deo cum promptitudine ad perferendum incommoda paupertatis conſtanter aſſumant; & hæc fuit Apoſtolorum, & omnium virorum perfectorum. *Op. Apol. Paup. reſp.* 3. *c.* 4. *Luc. cap.* 9. *verſ.* 3.

11. *Paupertatis fructus in Prædicatoribus expenduntur.*

Præcepit eis, ne quid tollerent in via. Vide qualiter Chriſtus exigit in ſuis Prædicatoribus expropriationem omnium rerum temporalium, & profeſſionem paupertatis voluntariæ, quam ideò ipſe præcipit. & Chriſti perfecti ſequaces amplectuntur, ut liberiùs ſapientiæ vacent & efficacius culmen virtutis attingant, quatenus in camino paupertatis electi, ipſius penuria purgentur à crimine, ipſius erubeſcentiâ humiliantur in corde, ipſius parſimoniâ caſtificentur in corpore, & carne, ipſius devota gratitudine concilientur ad proximum, ipſius condeſcenſiva benignitate configurentur ad Chriſtum, ipſius ſublimi celſitudine ſurſum agantur in Deum: ô quot bona ex paupertate. *Op. Apol. Paup. reſp.* 4. *cap.* 3.

12. *Chriſtus & diſcipuli incedebant ſandaliis calceati.*

Præcepit eis ne quid in via, &c. ſed ſandaliis calceatos, &c. Nota ex hoc textu patenter oſtendi Chriſtum præcepiſſe ſuis diſcipulis, quando eos miſit ad prædicandum pœnitentiam, ut omnibus ſe expropriarent, & quod incederent abſque calceamentis in pedibus, ſed contenti eſſent ſandaliis, vel ſoleis, ita ut pes tectus non eſſet neque nudus ad terram, quia ſandalia ſunt calceamenta deſuper corium non habentia, & hinc Chriſtus cum prius cœperit facere, & docere, ipſe nudis pedibus prædicando inceſſit, & aliquando talibus ſandaliis uſus eſt ad inſtructionem noſtram, quem modum Seraphicus Pater Sanctus Franciſcus præcepit ſuis Fratribus. *Op. de ſanct. Apoſtol. Luc. cap.* 10. *verſ.* 4. *Ioan. c.* 1. *v.* 27.

13. *Chriſtus quare voluit ſuos Prædicatores pauperes: ubi de nobilitate paupertatis.*

Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, &c ſed calceatos ſandaliis, &c. Nota, quod Chriſtus non ſolùm voluit ſuos diſcipulos & ſequaces, & Prædicatores pauperes, ſed etiam voluit, ut tales apud omnes apparerent, ut ſic ad paupertatem magis exemplis, quàm verbis provocarent; & quia paupertas apud mundum odibile bonum eſt, & cum appareat turpis, & vilis apud mundanos, ideo junxit ei maximam dotem ſcil. dominium regni cœleſtis, ut per illam, & propter illam ſaltem in conjugium poſſit aſſumi. *Luc. c.* 10. *v* 4

14. *Qui Mariæ devotionem habet, totum, quod ſibi neceſſarium eſt habet in via hujus vitæ.*

Ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm. Nota quod hic inſtituit diſcipulos, eoſque conſtituit Prædicatores, ſed ipſis præcipit ut ſolùm virgam ſecum portent; niſi virgam tantum; Ita nec Ubi ergo, & unde cibi parandi? quis veſtimenta ſuppeditabit? ubi hoſpitio excipientur? quis neceſſaria ægrotantibus ſubminiſtrabit? an ne una virga ipſis victus, veſtitus, nummi, ſolatium, quies, hoſpitium, & medela erit? maximè:

Nam hæc virga eſt Maria Virgo, quæ potiſſimè datur Prædicatoribus; imò & omnibus ad portandum in via; ait Ric à S. Laurentio: Virga eſt Maria virtutis Dei florem, & fructum, omne bonum continens, & omnia nobis neceſſaria ſuppeditans; ergo qui hanc in via poſſidebit, nihil ei deeſſe poterit. *Op ſpec. B. Virginis lect.3. & 9.Luc.c.1.v.35.* Et hinc eſt, quòd Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti miſſi in varias partes mundi ad prædicandum Evangelium ſecum portaverunt hanc virgam myſticam, ſcilicet imaginem Beatæ Virginis Mariæ à Beato Luca depictam, ut notant graves antiqui Patres, ut auxilio Beatæ Virginis de hoſtibus fidei, & Tyrannis triumpharent, & ut ipſa eſſet ipſorum unica ſpes, & refugium in omnibus neceſſitatibus & periculis.

15. *Duas tunicas prohibuit Chriſtus ſuis ſequacibus: ubi de curioſitate, & ſuperfluitate veſtium; & duplicitate cordis.*

Præcepit eis ne induerent duas tunicas. Quid eſt hoc, quod præcipit Chriſtus? ergone induere duas tunicas prohibentur omnes Chriſti ſequaces, cum videatur oppoſitum in praxim? imò & de ipſo Chriſto legitur habuiſſe plures veſtes? ſed attende ad ſenſum germanum Chriſti: in hoc præcepto Chriſtus concedit neceſſitatem, & vetat curioſitatem, & ſuperfluitatem, curioſitatem in imitatione, & ſuperfluitatem in poſſeſſione: undè quidquid eſt neceſſarium ſimplex eſt veſtimentum, neceſſarium inquam alicui ſecundum qualitatem loci, vel temporis; duplex autem eſt, quod eſt ultra neceſſitatem, quod patet in Chriſto, qui ultra veſtem inconſutilem, habuit alia veſtimenta neceſſaria, quæ fuerunt à militibus diviſa: myſticè autem prohibet ſimulationis, & hypocriſis duplicitatem, ne aliam veſtem habeant in occulto, & aliam in aperto, & hinc eſt, quòd Sanctus Pater Franciſcus duas veſtes ſuis Fratribus interdixit, ſed unam tantùm conceſſit, ſcilicet neceſſariam, ſuperfluam prohibuit, ſicut & myſticè duplicitatem cordis quam ſuper omnia in ſuis abhorruit. *Luc. c. 9. verſ. 3. de hac duplicitate cordis. Vide lib. 2.d.38. qu.3.Luc.capit.16.verſ.13.ſap.c.1.v.4.*

16. *Excutere pulverem de pedibus Prædicatorum quid ſit: ubi de vana gloria rejicienda.*

Et quicumque non receperint vos, nec audierint exeuntes indè excutite pulverem de pedibus veſtris in teſtimonium illis. Vide quid faciendum eſt à Prædicatoribus Apoſtolicis, quotieſcumque rejecti fuerint, vel rejecta fuerit ipſorum ſana doctrina exeuntes, ait, ſcilicet declinando eorum nequitiam, excutite pulverem, ſcilicet vanam gloriam, vel cupiditatem mundanam de pedibus, ſcilicet affectibus veſtris, ne propter iſtam aliquid indignum faciatis. *Luc. c. 9. v. 5.& c.10. v.11.Pſal. 6.& 77.*

17. *Pœnitentia eſt per quam ejiciuntur Dæmones ab anima.*

Et exeuntes prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & Dæmonia multa ejiciebant. Nota hanc conſequentiam, & connexionem; prædicabant pœnitentiam, & ejiciebant Dæmonia, ut videas, quòd pœnitentia aufert regnum diaboli ab anima, in qua priùs regnabat per peccatum. *In Ioan.collat* 81.

18. *Chriſtus unctionem extremam infirmis conferendam commiſit diſcipulis:* ſicut hic dicitur. *Ungebant oleo multos agros & ſanabant*; ut videas, quòd hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad ſanationem primò ſpiritualem animæ à culpis venialibus, & à multis pœnalitatibus, & ad ipſam vigorandam contra vitia, & ex conſequenti etiam ad vigorandum corpus, quod ſæpè etiam ſanitatem accipit. *Vid.lib.4.d.25.per totam op. Brevil. p.6.c.4.& 11.op.Comp.Theol.lib.6.c.35.*

19. *In conviviis perverſorum diabolus triumphat, innocentia, & ſanctitas deprimitur.*

Et cum dies opportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cenam fecit Principibus, & Tribunis, & primis Galilææ. Vide quid factum eſt in hac cæna; nam luxuria, jactantia & diabolus triumphavit, & innocentia, & ſanctitas depreſſa fuit, nam interfuit ſaltus, & ſaltatrix puella, & ſimul exiit ſententia contra vitam Sancti Joannis Baptiſtæ; & hoc eſt, quod in conviviis potatorum, in comeſſationibus, & ebrietatibus infertur, & evenit. *Luc.c.14.v.12.*

20. *Impii diem natalis ſui celebrant: Juſti diem mortis ſuæ.*

Herodes fecit natalis ſui diem. Ecce quid faciunt impii; nam ipſi toti ſunt in celebratione natalis ſui, ſolùm ad vitam in feſtis, ludis, comeſſationibus, & luxuriis ducendam adſpiciunt: Juſti è contra habent fixum illud Spiritus Sancti, memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis, ideò continuè meditantur diem mortis, & ut benè ſe habeant in illo extremo tempore vitam degunt in juſtitia, fletu, & pœnitentia. *Luc.ibid.op. faſcicul. c.2.op. ſolil.c.3. op. Incendium c.1.op.de prof.Religioſ.lib.1.c.25.*

21. *Deus permittit in hac vita ſuos pœnis, & tribulationibus vexari, & impios proſperari; illos ad majorem gloriam, iſtos ad majus tormentum in alia.*

Herodes miſit, ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem &c. Nota, quòd cum Herodes, & adultera illa peſſima condixiſſent occidere Joannem, contigit, ut in die convivii ſaltanti miſeræ filiæ Herodiadis daretur caput Ioannis, & ſic fuit in carcere decollatus; & hoc verè mirum eſt, quomodo Deus permiſerit tam ſanctum virum, & purum ſic malè tractari ab impiis, & è contra quomodo permiſerit iſtos iniquos de ſanctitate triumphare contra ſanctitatem his modis iniquis? ſed Deus id permiſit, quia tali modo ſuos ſervos non intendit defendere, imo vult ipſos pœnis, & perſecutionibus

Digitized by Google

cutionibus in hoc mundo expoſitos pro defenſione juſtitiæ, ut glorioſius ipſos coronet in alia; ſicut è contra impios triumphare in hoc mundo, ut duriùs in alia eos puniat. *Op. medit. c. 19. & 30. Luc. c. 3. v. 1. & c. 9. v. 8.*

22. *Feſtum cæleſte celebravit Sanctus Ioannes in ſui decollatione, feſtum diabolicum Herodes in convivio.*

Herodes natalis ſui cœnam fecit, &c. Nota, quòd feſtum celebravit Herodes in die natalis ſui, feſtum item cœleſte celebravit Joannes; illud fuit feſtum Dæmonum, in quo ſicut in ſimilibus ad illicita, & nefanda pertrahunt convivantes; feſtum & celebravit Ioannes pro juſtitia patiendo, & ad æternam requiem perveniendo. *Ioan. collat. 36. op. medit. c. 30. ſer. 1. in feſto S. Ioan. Bapt. in addit.*

23. *Ubi ſaltationes & chorea, ibi diabolus triumphat.*

Cumque introiſſet filia ipſius Herodiadis, & ſaltaſſet, &c. Vide quot facinora in hoc convivio; ſaltat puella, Herodes juramentum impium addit, & decollare facit caput Ioanni; ut videas, quòd ubi ſaltatio, & choræa concurrit, ibi omnia ſcelera, & Dæmones triumphant. *Ioan. collat. 36. Eccleſ. c. 3. Phar. lib. 1 c. 8. ſer 4. Dom. 22. Pentec. lib. 3. d. 37. Anb. 2. & 3. Cemil. p. 1. f. 12. op. de decem præc. ſer. 3.*

24. *Iuramentum ſuper materiam iniquam grave peccatum.*

Et juravit illi, &c. & propter juſjurandum noluit eam contriſtare. Vide quomodo ſub ſpecie Religionis, & obſervantiæ juramenti opus impiiſſimum commiſit Herodes, ô quàm grave ſcelus. *Lib. 3. cit. aliis locis ſupra cit. op. Diet. t. 1. c. 8.*

25. *Ubi gula triumphat, ibi & ſcelera omnia.*

Herodes fecit cœnam, &c. Ex hoc diſcamus, quòd ubi gula triumphat, ibi & omnia ſcelera graſſantur. *Op. Comp. Tuscol. lib. 3. c. 20. Luc. c. 14. v. 12. op. Diet. tit. 1. c. 8.*

26. *Caro velut meretrix continuè inſidiatur rationi.*

Herodias autem inſidiabatur ei, ſcilicet capiti Ioannis. Vide quid facit hæc proterva meretrix, inſidiatur enim perpetuò capiti animæ, ſcilicet rationi, ut ipſam ſibi ſubjiciat, & ad peccata omnia inducat. *Ser. 4. Dom. 22. Pentec.*

27. *Sanctus Ioannes Baptiſta martyr fuit veritatis. & veritatis. Pſ. 130.*

28. *Prædicator poſt prædicationem ad contemplationem ſecedere debet exemplo Chriſti.*

Renuntiaverunt diſcipuli Chriſto omnia, quæ egerant, & docuerant, & ait illis, venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite paſſillum. Quid eſt hoc, quòd Chriſtus in deſertum ducit ſuos diſcipulos poſt laborem prædicationis, ut requieſcerent ibi? eſt ne deſertus locus aptus requiei, & non potiùs laboribus, & afflictionibus? Sed hoc fecit, & dixit ad inſinuandum myſterium digniſſimum. Dat enim intelligere Prædicatoribus, quod cum munus prædicationis executi fuerint, debent ſtatim relictis turbis, & mundanorum converſatione ad Chriſti conſortium redire, & ſecedere in deſertum contemplationis, tamquam ad locum quietum, & tranquillum, ut ibi erudiantur à Domino; & ſuo ſpiritu repleti poſſint denuò redire ad prædicandum; ſicque imitatores ſe reddent illius columbinæ ſimplicitatis, per quam columba exierat extra arcam, & cum non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus, ſtatim rediit ad eam. *Luc. c. 9. verſ. 10.*

29. *Prælatis maximè Religioſis incumbit onus providendi neceſſaria ſubditis, etiam quoad ſuſtentationem corporalem.*

Et exiens vidit turbam multam, & miſertus eſt ſuper eos &c. & docebat eos. &c. & acceptis quinque panibus, &c. Vide quomodo Chriſtus propoſito cibo ſpirituali verbi Dei pavit iſtas turbas priùs ſpiritualiter, poſteà multiplicatione panum miraculoſa etiam ipſas corporaliter refecit, ut exemplum daret Prælatis, maximè Religioſis, qualis ſit ipſorum obligatio providendi neceſſaria tum animæ, tum corpori. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 3. De variis myſteriis hujus miraculi vide quæ dicta ſunt in Matth. c. 14.*

30. *Chriſtus ab activa ad contemplativam, à labore ad orationem nos ſuo exemplo invitat.*

Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos aſcendere navim, &c. & ipſe abiit in montem orare. Vide quomodo Chriſtus ab activa ad contemplativam tranſibat: poſt prædicationem, & refectionem miraculoſam turbarum ducit ſuos diſcipulos in regionem Bethſaidæ, & ipſe aſcendit in montem orare, & ibi ſtetit uſque ad quartam vigiliam noctis, ut diſcamus, quòd præcipuum ſtudium Chriſti fuit & prædicatio, & oratio; aſcendit autem in montem, quia oratio elevat ad cœleſtia, & quia oratio à turbis remota; & nocturna eſt fructuoſior. *Op. medit. c. 36. Luc. c. 9.*

31. *Pro fundenda oratione ferventi & locus, & tempus valdè juvant.*

Et ipſe abiit in montem orare, &c. uſque ad quartam vigiliam noctis. Nota, quòd hinc exemplo Chriſti diſcere debemus, quod licet oratio in quocumque loco, & tempore facta ſit bona, tamen exigit ad majorem fructum ſpecialem locum, & tempus, ſcilicet montem, ideſt locum à converſatione hominum ſemotum, & tempus, quia tempore nocturno ſecuriùs aſcendit ſolo arbitro Deo, ſanctoque Angelo, qui illam ſuperno Altari ſuſcipit præſentandam. *Op. medit. ibid.*

32. *Oratio multorum ſimul charitate unitorum dicitur oratio unius.*

Et abiit ipſe in montem orare, &c. ſubdit, *& Ieſus ſolus, &c.* Quomodo dicitur Chriſtus ſolus abiiſſe in montem orare, cum S. Matth. c. 14. dicat, Erant cum eo diſcipuli? ſed nulla eſt diſcrepantia: Chriſtus ſemper ſe exercebat in exhibitione cultus, & reverenti

reverentiæ Deo Patri debitæ, & quia hæc reverentia debet carere omni oſtentatione, ideò dicitur, quòd Jeſus erat ſolus orans, carere etiam debet omni inquietatione, ideo dimiſſa turba aſcendit in montem orare ſolus; ſed quia hujus reverentiæ non erant diſcipuli perturbatores per inquietudinem, ſed approbatores per veram fidem, & imitatores Chriſti, ideo non excludit conſortium diſcipulorum, ſed tumultum turbarum, nam diſcipulos tamquam filios admittebat; turbas autem tamquam ſervos excludebat, unde licèt primò ſolus eſſet orans, tamen poſtèà admiſit diſcipulos ad orationem. ſicque verè dicitur ſolus, & ſimul cum diſcipulis, quia oratio multorum in unitate fidei; & charitate fundata eſt veluti unius, & ex unico corde. *Luc.c.9.v.18.*

33. *Navis anima quot modis periclitatur.*

Et cum ſerò eſſet, erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra, & videns eos, ſcilicet diſcipulos *laborantes in remigando, erat enim eis contrarius ventus, &c* Nota, quòd Chriſtus miſit ſuos diſcipulos in mari, in quo expoſiti fuerant in maximo periculo ob fluctus, & ventos contrarios: hoc autem permiſit Chriſtus, ut ſignificaretur, quòd navis animæ noſtræ Chriſto abſente ſemper eſt in periculo totalis ruinæ: navis autem periclitatur, vel quia infirma, vel quia tempeſtas imminet, vel quia nauta dormit, ita anima periclitatur propter infirmitatem fidei, vel quia tempeſtas imminet, quæ dupliciter conſurgit; ſcilicet quandoque per ventum, ideſt per ſuperbiam, quandoque per fluctum, ideſt perſecutionem temporalium, item quando dormit in vitiis, ideò Chriſtus advertit *Matt.c.25. Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam*; unde Chriſto abſente infinita pericula imminent. *Pſ.34.*

34. *Chriſtus licet differre videatur auxilium non tamen deſerit animam.*

Vidit ſuos laborantes in remigando, &c. & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans ſupra mare. Vide quomodo Dominus licet videatur aliquando abſens à nobis, & aliquando videatur dormire, ſinens nos turbari, & tribulari, tamen, & ſe occultare ſe videatur aliquando, & differre auxilium, non aufert tamen tempore opportuno ſubſidium, talis enim mora, vel dormitio Chriſti eſt tantùm dilatio, non privatio auxilii opportuni; occultat ſe, ut ardentiùs quæratur, & cum majori fructu poſſideatur. *Pſal.56.ſer.6. Dom. infrà oct.Epiph.*

35. *Chriſtus permittit ſuos eſſe in tribulatione, ut ad ipſum in oratione confugiant.*

Venit ad eos ambulans ſuprà mare, & volebat præterire eos, &c. Quomodo hic dicitur, quòd volebat præterire eos, & tamèn non præterijt, ſed ſtetit in auxilium diſcipulorum? ergone fictione uſus eſt? finxit virtuosè, ſcilicet non aliud in corde, aliud in opere, ſed ad modum volentis præterire ſe habuit, & hoc fecit oſtendens ſe velle ambulare in aliam partem, eoſque præterire ut eis daret occaſionem clamandi pro auxilio ad Chriſtum, & ad ſuum auxilium refugiendi; hoc enim facit ſæpè Chriſtus cum ſuis ipſos relinquens apparenter, ut ferventius ad Deum recurrant. *Luc.c.24.v.28.*

36. *In omni tempore, & ætate Chriſtus recipit ad pœnitentiam.*

Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, &c. Nota circa quartam vigiliam noctis; quia jam tres primæ partes noctis præterierant, & ſolùm circa quartam venit: cur tantum expectavit Chriſtus in porrigendo ſubſidium ſuis? Nota, quòd per vigilias noctis intelliguntur ſtatus præſentis vitæ, pueritiæ, juventutis, virilitatis, & ſenectutis, ut intelligamus, quòd Chriſtus expectat nos in quocumque ſtatu ad pœnitentiam, paratus nos recipere etiam in fine vitæ, dummodo verè pœnitentiam amplectamur. *Luc.c.12.v.38.*

37. *Chriſtus ſolus Salvator noſter, ut in ipſum ſolum totum amorem feramus.*

Et ipſe ſolus in terra. Quomodo dicitur Chriſtus ſolus in terra? quod videtur non poſſe verificari ullo modo, ſcilicet nec de Chriſto, ut Deus eſt, quia cum ipſo eſt Pater, & Spiritus Sanctus, nec ut homo, quia alii multi homines erant in terra? quomodo igitur dicitur Jeſus ſolus in terra? ſed attende, quòd hoc dicitur de Jeſu; quid eſt Jeſus, niſi ſalvator? ergo ipſe ſolus ſalvator, nec enim alius, vel Angelus, vel homo quantumcumque Sanctus poterat hominem redimere, & ſalvare, niſi Chriſtus Jeſus Deus, & homo; benè igitur dicitur ſolus; ſic & idem dicitur de ipſo in monte Thabor, quod inventus eſt ſolus, ſcilicet qui poteſt ſalvare mundum; nec enim aliud nomen ſub Cœlo datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri, ipſeque ſolus eſt, manet in æternum ſalvator, & ſacerdos nos reconcilians & interpellans pro nobis. *Luc.c.9. v.36.* Solus igitur omnis morbi ablator, omnis ſalutis allator, omnis impugnantis ſalutem exterminator, & omnis ſalutis allatæ conſervator. *Ioan.c.4.v.42.*

38. *Maria virgo antè omnes homines redempta, & præſervata à peccato.*

Et cum ſerò eſſet erat navis in medio mari, & ipſe ſolus in terra, & videns eos, ſcilicet diſcipulos. *laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis, &c.* Nota, quòd dicitur navis in medio mari, abſque eo quod noceatur periclitatio navis, ſed tantùm laborioſa remigatio diſcipulorum ob contrarietatem venti, ipſos diſcipulos torquentem, nec hoc vacat myſterio: Nam hæc navis eſt Beata Virgo Maria poſita in mundo, & dum omnes homines laborant in remigando in periculo manifeſto ſubmerſionis ob peccatum; remanet ſola navis ſine periculo, quia ipſa fuit præſervata ab omni periculo, Chriſtuſque magis venit in mundum pro ipſa redimenda, & præſervanda, quàm pro cæteris; & primò pro Mariæ præſervatione, ſecundariò verò pro liberatione, & redemptione à captivitate aliorum hominum: ſic multi Patres apud Vegam, & Novarinum: Navis igitur intacta eſt Beata Virgo Maria intacta ab omni vento, per quam homo liberatur à tentationibus. *Ser.2. de B. Virg.*

39. *Qualis fueris cum Chriſto, talis erit tibi Deus.*

Et volebat præterire eos. Si verè volebat præterire eos, ut verè evenit, quia ad ipſorum auxilium venerat, quomodo dicitur, quod volebat præterire eos; ſed jam dictum eſt, quòd ad modum volentis eos præterire ſe habuit; & cur hoc? quia qualem ſe exhibet homo Chriſto, talem ſe exhibet Chriſtus; ſicut enim in effigie peregrini apparuit Chriſtus diſcipulis euntibus in Emaus, quia ipſi erant peregrini, & debiles in fide, ſic & iſtis finxit ſe longiùs ire ob ipſorum diffidentiam, unde eos volens ad meliorem frugem redigere, clamavit, confidite ego ſum nolite timere. *Luc. c.24. v.18. op. medit. c.36.*

40. *Bonum tribulationum quale.*

Erat enim ventus contrarius eis. Cur permiſit Chriſtus, ut tribularentur, & fatigarentur diſcipuli ab ipſo tam dilecti? hoc fecit Chriſtus, & inceſſanter facit cum ſuis dilectis. patitur enim, & vult, ut electi affligantur in hoc mundo, in interiori & exteriori homine, quia flagellat omnem filium, quem recipit; expedit enim nobis tribulari, & affligi hic; nam inde erudimur, inde virtutes acquirimus, & acquiſitas conſervamus, & quod majus his eſt, inde futura, & æterna præmia expectamus, & ideò non debemus in eis frangi, & eſſe impatientes, ſed ipſas affectare, & diligere; ſed quia tam magna utilitas multis eſt incognita, idcircò talibus difficiles, & importabiles videntur. *Op. medit. c.36.*

41. *Confidentia in Deum ſuadetur.*

Et ſtatim locutus eſt cum eis, & ait, confidite, ego ſum, nolite timere. Ecce quid eſt quod inclamat Chriſtus omnibus ſuis ſequacibus, & maxime in tribulationibus poſitis, Confidite, quia ego ſum: quaſi dicat: Confidite, quia ego ſum Deus potens, ſapiens, & bonus, quia per potentiam divinam liberantur quicumque liberantur, per ſapientiam illuminantur ab omni errore, & per clementiam purgantur ab omni malo; ſubdit nolite timere, ut videas, quod confidentia in Deum pellit timorem, & auxilium impetrat. *Joan. coll. 74. Pſal. 118. c.1. v.8. ſerm. 3. Dom. 23. Pentec. op. Phar. lib. 4. cap. 44.*

42. *Sola confidentia in Deum ſecuritatem affert: confidentia in mundo, & nobis quàm vana.*

Confidite: In quo ſubjungit: *Ego ſum, nolite timere*; per quæ dat intelligere, quòd ſpes, & fiducia in mundo, & nobis metipſis eſt vana, & ſine fructu; ſolaque ſpes in Deum ſecura eſt, & inter fluctus maris hujus mundi in Cœlum erigit, & ſublevat; hæcque peregrinationi noſtræ neceſſaria eſt, & ſi hæc perditur ſtatim homo frangitur, & in omnia mala ſe præcipitat. *Op. Phar. lib. 4. c. 43.*

43. *Ubi intrat Chriſtus, ibi ceſſant fluctus vitiorum, & Dæmonum.*

Et aſcendit Jeſus ad illos in navim, & ceſſavit ventus. O quàm bene; ad ingreſſum Chriſti in navim ſtatim ceſſavit ventus, ut diſcamus, quod ubi adeſt Chriſtus, ibi adeſt omne bonum, ib ceſſant fluctus vitiorum, & impetus Dæmonum: ubi abeſt, ibi tumultus, & bella. *Op. medit. c. 6. Luc. c.8 v.40 & c.9. v.40 ſer 3. Dom. 3. poſt eſt. Paſchæ. ſer. 4. Dom. 3. poſt eſt Epiph.*

44. *Tribulatio facit cognoſcere Chriſtum.*

Cumque egreſſi eſſent de navi, continuò cognoverunt eum. Nota hic pulcherrimum myſterium: Chriſtus paulò ante fecerat miraculum mirabile multiplicationis panum, nec tamen notatur ab Evangeliſta, quòd diſcipuli cognoverint Chriſtum, imò è contra dicitur, non enim intellexerunt de panibus, ideſt non adverterunt qualitatem tanti miraculi: hic autem in tribulatione poſiti, & à Chriſto liberati cognoverunt Chriſtum: cur hoc? quia tribulatio erigit, & illuminat mentem ad cognoſcendum Deum; ne ergo mireris, ſi Dominus permittebat diſcipulos ſuos tam dilectos vexari procellis, utilitatem ipſorum exinde cognoſcens. *Opuſcul. medit. capit. 36.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd in hoc capite agitur de tranſlatione beneficiorum Chriſti à Phariſæis ſuperbis, & turbis, quibus miſſus fuerat ad Gentiles humiles, quia Deus ſuperbos deprimit, & humiles exaltat.*

CAP. VII.

1 HOc caput totum expoſitum eſt in Matth. c.15. ubi oſtenditur, quòd Chriſtus liberè prædicabat veritatem non curans aliquorum inſipientium, & ſuperborum ſcandalum paſſivum, ut diſcamus nos non debere recedere à veritate juſtitiæ propter alterius ſcandalum. *Opuſcul. medit. c.38.*

3. In hoc eodem capite agitur de murmuratione Phariſæorum, eo quod diſcipuli Chriſti non lavabant manus panem manducantes: volens nos docere, quod de munditia potiùs interiori, quàm de exteriori curare debemus. *Opuſcul. medit. cap. 18.*

4. Agitur de oratione, & fide Chananææ, & ſanatione ejus filiæ quæ myſteria ſatis in expoſ. ſuper Matth. ſunt explanata.

5. Item agitur de curatione ſurdi, & muti, cujus myſteria explanata ſunt in *Matth. c.9.* ſolúmque aliqua ſequentia ſuper illa egregia Chriſti opera infra adnotantur.

Digitized by Google

6. *Hypocrita apud Deum, & homines quis ſit, & quàm exoſus.*

Quare diſcipuli tui non ambulant juxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem; at ille reſpondens dixit eis, benè prophetavit Iſaias de vobis hypocritis, &c. Vide quam meritò incuſantur à Chriſto Phariſæi tamquam hypocritæ, quia cum eorum malitia inveterata vigeret in corde, ſolumque exteriores cæremonias curarent, ideò judicabant tamquam impios Chriſti diſcipulos, eo quòd tales cæremonias rejicerent. *Luc. c.11. v.39. op. medit c.38.*

7. *Malignus detractor toti congregationi, & pluribus etiam innocentibus lapſum unius, vel paucorum tribuit.*

Et cum vidiſſent Phariſæi quoſdam de diſcipulis manibus non lotis manducare panem, &c. dixerunt, quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum. Nota ly, quoſdam, & confer cum dicto Phariſæorum, quare diſcipuli tui, &c. Si tantum quidam pauci traditionem hanc ablutionis manuum non obſervabant, quomodo omnes ſimul inſimulantur quaſi tranſgreſſores non ſolùm hujus traditionis, ſed omnium? ſed hoc non eſt mirum, nam ingenium, & mos impiorum, & detractorum eſt, ut lapſum unius, vel paucorum tribuant univerſis; nam inter effectus detractionis hic eſt peſſimus, non ſolùm bonum peſſimo diminuendo, & malum imponendo, ſed ipſum malum augmentando, & malum non factum mendacitèr adinveniendo. *Op. ſpec. an. c.1. ſap. c.1. n.11.* Nota autem, quòd ſpecialiter hoc malum per detractorum, & malignorum linguas cadit in Religioſos, & Religiones, dum errorem, & lapſum unius, vel paucorum malitiâ phariſaicâ extendunt in omnes etiam bonos, & ſanctos.

8. *Avaritiâ mater furti, & rapinæ.*

Ab intus de corde hominum mala cogitationes procedunt avaritiæ, nequitiæ, dolus, &c. Nota, quòd Sanctus Matthæus non expreſſit avaritiam, ſicut Sanctus Marcus, ſed tantùm poſuit furta; quomodo ergo conveniunt ſimul? ſed optimè, nam ex avaritia veluti à matre prodeunt furta, rapinæ, & uſuræ. *Op. Cemil. p.1. ſect.22.*

9. *Orationis Chananæa conditiones quales*

Mulier ſtatim ut audivit de eo, cujus filia habebat ſpiritum immundum, &c. Nota, quòd hic proponuntur conditiones perfectæ orationis in hac muliere Chananæa, quæ ſunt fides, humilitas, pia importunitas, & perſeverantia, per quas infallibiliter impetratur quidquid petitur. *Op. medit. c.37. ſer.5. de uno Confeſſ. Vide quæ dicta ſunt de hac materia in Matth. c.15.*

10. *Hæretici ſunt ſine ſubſidio ſacræ ſcripturæ.*

Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus. Nota, quòd hic panis eſt Sacra Scriptura, qui filiis offertur, ſcilicet fidelibus catholicis, & aufertur canibus, ideſt hæreticis. *Pſal.21.*

11. *Quænam vera mater, & quænam noverca.*

Et cum abiiſſet in domum ſuam, invenit puellam, &c. & Dæmonium exiiſſe, &c. Ecce fructus orationis hujus mulieris, quæ oſtendit ſuam pietatem in procuranda ſalute, & liberatione filiæ à Dæmonio ipſam vexante: per quod dat intelligere quale diſcrimen eſt inter veram matrem, & fictam, falſamque, nam ficta, & falſa eſt illa, quæ ſimilis eſt illis de quibus dicitur *Thre. c.2.* Ergone comedent mulieres fructum ſuum, parvulos ad menſuram palmæ? mulieres dicit, non matres, quia mater non eſt, quæ eſt immemor pietatis, quæ ruina eſt ſuorum filiorum: mater vera eſt, quæ ſimilis eſt huic mulieri Chananææ; quæ tam ferventer, & perſeveranter ad Chriſtum confugit pro liberatione filiæ: è contra mater non eſt, quæ ad cœleſtem medicum non ſe confert, dum filia periclitatur. *Thren. c.2. op. medit. c.37.*

12. *Turbas relinquat qui in negotio ſalutis occupatur.*

Et iterùm exiens de finibus Tyri, &c. & adducunt ei ſurdum, & mutum, & deprecabantur eum, &c. & apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos ſuos in auriculas, &c. Vide duplicem ſeceſſum Chriſti, primò à finibus Tyri, ſecundò à tumultu turbarum volens ſanare mutum, & ſurdum; cur hoc? cur non facit hoc miraculum præſentibus turbis? hoc fecit Chriſtus ad noſtram inſtructionem, ut ſcilicet diſcamus, quod negotium ſalutis agentes fugiamus tumultus turbarum: turba enim prona ad malum à Jeſu potius revocat, quàm ad Jeſum perducit. *Luc. c.19. v.3.*

13. *Chriſtus digito ſuo aperit nobis aures, diabolus claudit; ubi de obedientia, & inobedientia.*

Et miſit digitos ſuos in auriculas ejus, &c. Ecce quid facit Chriſtus cum ſurdis, ut ipſorum aures aperiat, digitos in eas immittit; quid myſterii latet in hoc facto? datur per hoc intelligi, quòd cum digiti Dei ſint dona Spiritus Sancti, Chriſtus per infuſionem donorum Spiritus Sancti aperit aures ſuorum ſequacium ad obediendum ſuis præceptis, & hic eſt primus gradus ſanitatis, & converſionis peccatoris. E contra diabolus clauſas tenet per inobedientiam ſuorum ſequacium, ut ſic eos ſecuriùs poſſideat. Vide ergo, quòd ſicut obedientia eſt prima porta ſaluris, ſic inobedientia prima porta damnationis. *Ser.1. & 2. Dom.11. poſt Penec.*

14. *Chriſtus ſputo, & luto aperit non ſolùm linguam, ſed & oculos, & aures, & manus ſuorum*

Et expuens tetigit linguam ejus, &c. & ſtatim aperta ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, &c. Nota, quòd non ſine maximo myſterio Chriſtus uſus eſt ſputo, & luto ad patrandum hoc miraculum, nam per ſputum deſcendentem ex ore ſignificatur ſapientia, ſc. Filius Dei, per lutũ humanitas, per quam veluti per inſtrumentum aperit, & ſoluit non ſolùm linguam, ſed & aures, & manus nobis, ſcilicet ad audiendum Verbum Dei, ad loquen-

loquendum utilia, ad Deum laudandum, ad proximum ædificandum, & ad exercitium operum misericordiæ, & nota, quod prius aperit aures, posteà os, quia ad rectè, & sanctè loquendum debet prius homo esse auditor, scilicet audire, & apprehendere verbum Dei, ejusque præcepta observare, deinde uti lingua ad Deum laudandum. *Ser.*1.& 2.*Dom.*11.*post Pentec.*

15. *Peccati vinculum qualiter solvi possit.*

Solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè. Nota, quod ad rectam locutionem præcedere debet solutio vinculi linguæ spiritualis animæ; nam sicut lingua materialis ligatur, ne possit exire in actum debitum, morbi inflammatione, vocis infrigidatione, & nervi eversione, sic animæ psalmus superior impeditur, ne possit in Deum moveri vinculo superbiæ, invidiæ, & luxuriæ; solvitur autem per contritionem, & confessionem oris, per humilitatem, charitatem, & castitatem, & hinc sequitur locutio recta, & sancta. *Ser.*2.& 3.*Dom.*11.*Pent.*

16. *Deus semper bene & optime facit omnia.*

Benè omnia fecit. Sic clamabant omnes illi qui viderant tot miracula facta à Christo, benè fecit omnia, quia bonus est Dominus, dicit omnia, quia omnipotens, & ideo omnia facere potentiam, omnia trahere per gratiam, omnia prospicere per notitiam & omnia innovare potest per glotiam. *Ser.*4. *Dom.*12. *Pentec. Luc.*c.11 v.14.& c.1.v.64.

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Totum est in ostendendo sanationem factam à Christo trium sensuum, scilicet gustus, multiplicatione panum; visus, sanando cæcum, & odoratus, famâ, quæ exiit ex sanatione multorum infirmorum; quæ omnia ordinantur ad sanationem spiritualem hominis; ut infrà patebit.

CAP. VIII.

2. *Sollicitudo nimia absit à sequentibus Christum.*

IN diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent quod manducarent convocatis discipulis suis illis, misereor super turbam. Nota, quod istæ turbæ sequentes Christum per triduum in solitudine, & cum fame torquerentur, tamen non legitur, quod panem, & cibum peterent, sed totum sustinebant sine clamore, & querela concionibus Christi totaliter attendentes; & hoc verè mirum est, cur saltem non confugiunt ad Christum, ut ipsos aliquo miraculo cibo ficeret? attamen hoc totum factum est ad nostram instructionem; nam sequentibus Christum in solitudine non permittitur sollicitudo nimia terrenorum, cum anxietate, & minus cum illicita conquisitione, vel avara superfluorum provisione. *Op.determinat.*qu.7.

3. *Sollicitudo Prælatorum qualis esse debeat circa suos subditos.*

Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me. &c. Vide quomodo Christus se sollicitum valde ostendit non solùm in cura spirituali, sed & in temporali harum turbarum, per quod instruit Prælatos quid agere debeant cum suis subditis; debent enim spiritualia principaliter curare, sed tamen non omittere etiam curam temporalem & subsidia corporalia eis necessaria denegare. *Op.de sex Alis Seraph.c.*3.*op.Phar. lib* 4.*c.*37.

4. *Christi præsentia supplet omnem indigentiam.*

Nec haberent quod manducarent, &c. Vide, quod istæ turbæ fame torquentur corporali, tamen non auditur clamor, vel querela ex ore ipsorum; ut intelligamus, quod tanta aviditate, & fervore Christum sequebantur, ut ipsius præsentia suppleret omnem ipsorum indigentiam; sic sic est; ubi Christus adest, ibi omne bonum, nec ulla adest penuria; ubi abest, ibi omne malum, & omnis penuria grassatur. *Luc. cap.* 15. *vers.*14.

5. *Christi misericordia, curialitas, gratitudo, & discretio etiam in corporalibus expenditur.*

Convocatis discipulis ait: misereor super turbam, &c. Hic considerandum nobis proponitur multiplex mysterium, sed præcipuè quàm misericors, cum misericordia ipsum traxerit ad subveniendum istis turbis indigentibus; quàm etiam curialis, & gratus, ex causa, quam assignat, quia ecce, inquit, jam triduo sustinent me, vide curialitatem, & gratitudinem magnam, ac mirabilem; nam quasi pro beneficio sibi ab ipsis collato, sic loquitur, cum in veritate totum esset ordinatum ad ipsorum utilitatem, & non suam; sed sic est, ut alibi dicit, deliciæ suæ esse cum filiis hominum, cum sibi nihil boni accrescat, nobis autem proveniat salus; Illos autem, qui eum sequuntur, & præcepta, & monitiones ejus custodiunt, diligit Dominus, nec manum suam eis claudit, quin subveniat, cum expedit eis, pater etiam quam sit discretus, & circumspectus considerando eorum indigentiam, & impotentiam, qualiter deficere poterant: sic quotidie nobis spiritualiter contingit; non enim habemus quid manducemus, nisi

niſi ipſe det, & in via deficimus. ſi nos jejunos dimittit, & ſine ipſo non poſſumus nobis in aliquo negotio ſpirituali providere; ex quibus beneficiis debemus elicere motiva humilitatis, & gratitudinis cum Deo, qui nobis tam beneficus eſt: *Op. medit. c.* 34. Hic autem nobis inſinuatur confidentia, quam in Deo debemus ſemper habere, & maximè ipſi ſervientes: Et hinc Seraphicus Pater ſanctus Franciſcus prohibens ſollicitudinem rerum temporalium ſuis Fratribus, ipſos mittendo ad varias mundi partes dicebat, Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet. *Op. legenda S. Franciſc. c.* 6.

6. *Hominum indigentia ſpiritualis, & corporalis expenditur.*

Nec habent quod manducent. Ecce quomodo exprimitur non ſolùm indigentia iſtarum turbarum, ſed & omnium hominum, quæ ad tria capita reduci poteſt, ſcilicet ad indigentiam corporalem ex debilitate impotentiæ; item ad ſpiritualem, nempè ſalutaris eruditionis ex cæcitate ignorantiæ; & manducationis ſacramentalis ex tepiditate ignaviæ: & hinc Chriſtus hanc triplicem indigentiam ſublevat providendo neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ inſtruendo mentem Verbi prædicatione, & excitando, & adjuvando oblatione ſuæ gratiæ. *Sermon. 1. Dom. 6. Pentecoſt.*

7. *Indigentia humana eſt veluti magnes attrahens Deum ad ſubveniendum nobis.*

Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. No a ordinem horum verborum divinorum, quibus exprimitur, quod ejus viſcera plena ſunt miſericordia, & pietate, & ideo quotieſcumque videt noſtram indigentiam, hæc eſt veluti magnes ipſum attrahens ad ſubveniendum; ſicut enim indigentia harum turbarum ipſum attraxit ad ſubventionem cibi corporalis, ita & indigentia ſpiritualis ipſum attraxit ad, ſubventionem ſpiritualem, ſic & nobiſcum quotidie agit: nobis providendo quæ ad ſuſtentationem corporalem ſunt neceſſaria, & magis ad ſuſtentationem ſpiritualem per eruditionem prædicationis verbi divini, & per exhibitionem ſacramentalis refectionis in Euchariſtia nobis præparatæ, per quam vitam veram, & cæleſtem nobis confert continuè. *Sermon. 1. & 2. Dom. 6. Pentecoſt. Luc. cap. 14. verſ. 14.*

8. *Qui non ſuſtinent Chriſtum, ab ipſo non reficiuntur: ubi de tolerantia tribulationum, & perſeverantia.*

Quia ecce jam triduo ſuſtinent me, &c. Quid eſt ſuſtinent me? legit Sanctus Matthæus, triduo perſeverant mecum; ſed in quo conſiſtit hæc ſuſtinentia, & perſeverantia? ſuſtinent me, ſcilicet in me, & pro me, ſequendo, & audiendo ſuſtinent tot labores, famem, ſitim, & indigentiam, in ipſis perſeverantes; & hinc dixit Chriſtus miſereor ſuper turbam, &c. ut diſcamus, quod nulli condeſcendit divina miſericordia, niſi priùs ejus amore patiatur amaritudinem penuriæ & pœnitentiæ, & in ea habeat longanimitatem perſeverantiæ. *Ser. non. 1. Dom. 6. Pentecoſt.*

9. *Perſeverantia per triduum attrahit divinam miſericordiam: ubi de contritione, confeſſione, & ſatisfactione.*

Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me: Nota illud verbum triduo; triduo materialiter perſeveraverunt turbæ ſequentes Chriſtum; myſticè exigit à nobis Chriſtus triduum, per quod attrahitur ejus miſericordia; triduum hoc eſt dolor amaræ contritionis in corde; mœror apertæ confeſſionis in ore; & labor condignæ ſatisfactionis in opere: ſic ergo turbæ Dominum triduo ſuſtinent, dum multitudo fidelium peccata ſua per pœnitentiam declinans ad Dominum ſe convertit in cogitatione locutione, & opere; in prima die hujus myſtici tridui, anima cogitans ſe Deum offendiſſe, Chriſtumque peccatis ſuis rurſum crucifixiſſe, dolore, & amaritudine compungitur interius, & abjectione humilitatis ſe exteriùs deſpicit, & vilipendit, & lachrymis ad Deum pro venia confugit: in ſecunda die confitetur peccata ſua integrè, & perfectè: & in tertia ſatisfactionem condignam exhibet Chriſto & hinc miſericordiam ab ipſo impetrat. *Ser. 1. & 3. Dom. 6. Pentecoſt. Luc. c. 13. verſ. 33.*

10. *Chriſti miſericordia quanta in genus humanum in tertia die huius tridui, ſcil. in tempore gratiæ Evangelicæ.*

Quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent. O quam verum hoc, quod totum genus humanum per triduum laboraverat; nempè in tempore legis naturæ in tempore legis ſcriptæ, in quo tempore totum genus humanum ſubjectum fuit laboribus, ruinis, & infinitis malis; ſed ecce divina miſericordia in tertia die advenit ſuccurrens tot miſeriis, ſcilicet in tempore gratiæ, & legis Evangelicæ, in quo paſſus eſt, & ſepultus, & reſurrexit, & nobis theſauros gratiarum reficientium aperuit. *Luc. c. 13. v. 33.*

11. *Triduum Religioſi ſtatus quale aptum ad attrahendum divinas gratias.*

Quia ecce jam triduo ſuſtinent me, &c. Nota; iſtæ turbæ ſequentes Chriſtum in ſolitudine ſignificant Religioſos, qui ut Chriſtum audiant, & ipſi toto corde ſerviant in ſolitudinem Religionis ſe conferunt; & iſti per triduum debent ſuſtinere, & perſeverare in ſequendo Chriſtum; ſcilicet per votum caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis; per quod ab ipſis attrahitur divina miſericordia: In quo ſtatu exhibetur purgatio animæ, percipitur illuminatio, & acquiritur perfectio; in prima die eſt ejectio dæmonum, & peccatorum; in ſecunda ſanitatis perfectio, ſcilicet progreſſus virtutum, & in tertia omnis boni conſummatio; ô felices tales ſequentes Chriſtum. *Luc. c. 13. v. 33.*

12. *Christus totus est in subveniendo hominibus, ne deficiant in via.*

Et si dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via, quidam enim de longe venerunt. Vide quomodo Christus totus plenus pietate, & misericordia, se continuè applicat, ne deficiamus in via sive spirituali, sive corporali; cum enim ex nobis non habeamus, quid manducemus, quid benè operemur in via hujus vitæ, ipse est, qui nobis totum dat, scilicet panem ad sustentationem vitæ; cibum animæ per verbum suum, & sacramenta; sic in hac via per observantiam mandatorum, nemo ullam excusationem potest habere, quin ad Deum perveniat. *Op. medit. cap. 34. ser. 1. & 2. Dom. 6 Pent. ep. de prof. Religios. lib. 2. c. 21. ser. 4. Dom. 4. Adv.*

13. *Sollicitudo non provisio moderata sequentibus Christum prohibetur: ubi de provisione doctrinæ faciendâ à Prædicatoribus.*

Quot panes habetis? qui dixerunt septem. Cur Christus subsidio septem panum voluit miraculosè reficere tot homines? cur non potius omnes panes ex nihilo creavit? certum enim esset, quod majus & mirabilius miraculum patrasset creatione pura, quàm multiplicatione ex septem panibus per rationes vel seminales, vel causales, scilicet edocendo alios panes ex seminario illius materiæ? de qua materia videatur *S. Bon. lib. 2. d. 18. a. 1. qu. 2.* sed tamen voluit Christus se accommodare nostræ fragilitati, ut suos sequaces instrueret, quod licet sollicitudo nimis anxia ab ipso vetatur, non tamen provisio moderata; sicut enim in operatione nostræ salutis principaliter spem in Deum jactare debemus, ita & in corporali subsidio sollicitudinem ei committere debemus, & tamen ubi congruè possumus sine jactura spiritualis profectus nostri, & aliorum, nobis necessaria providete, ne aliter quasi Deum tentare videamur, ut miraculosè, sicut filiis Israël, nobis quotidie alimoniam subministret; Et hoc præcipuè dirigitur ad Fratres Minores sancti Francisci, quibus sollicitudo prohibetur, non verò aliqualis provisio secundùm locum, & tempus. *Op. Determin. qu. 7.* Datur etiam instructio Prædicatoribus, quod in docendo auditores non debent de suo cerebro nova afferre in medium, sed eorum ex fundamento Sacræ Scripturæ eruere, quæ provisio mystica figurata est in his panibus. *Luc. c. 9. v. 17.*

14. *In solitudine hujus mundi quales panes Christus suis præparat, & quales diabolus.*

Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Quis? Hic est Christus, qui in hac solitudine suis præparat panes multiplices; item & è contrà diabolus iniquis: solitudo enim alia est mundus, alia est Ecclesia, alia est conscientia, in quibus Christus præparat suis panes corporales, sacramenta, & merita; diabolus è contrà panes vitiorum, & voluptatum carnalium suis exhibet. *Ser. 2. Dom. 6. Pent.*

15. *Dei misericordia in turbam viventium in terris, quiescentium in sepulchris, gementium in pœnis, & fruentium in Cœlis expenditur.*

Misereor super turbam. Super quam turbam? ergo Christi pietas restricta est ad istas turbas Christum sequentes? sed attende, quod per istas turbas intelliguntur omnes homines, & ideo miseretur super turbam viventium in terris, misericordiam inquam exhibendo corporalem, & spiritualem suarum gratiarum, & maximè expectando peccatores ad pœnitentiam ipsos & resuscitando à morte peccati ad vitam: miseretur item super turbam gementium in pœnis Purgatorii, ad quorum resuscitationem spiritualem ordinavit in Ecclesia suffragia, & præcipuè oblationem corporis, & sanguinis sui in Altari: item & super turbam quiescentium in sepulchris, quos ordinavit ad resurgendum in die judicii à morte ad vitam: misericordia item ejus elucet super turbam fruentium in Cœlis, dum ad ruinam reparandam Angelorum ordinavit, & elegit homines exaltando eos in gloria, ideo verè dicitur Christus misericors, & miserator. *Ser. 3. Dom. 6. Pentec.*

16. *Virtutes Cardinales, & Theologicæ sunt septem panes Evangelici, quibus Christus reficit suos sequaces: item septem dona Spiritus sancti.*

Quot panes habetis? septem. Cur septem, & non octo, & non sex? septem meritò sunt panes Evangelici, quibus reficit Christus suos sequaces, sunt autem quatuor virtutes Cardinales, & tres virtutes Theologicæ: item & septem dona Spiritus sancti: ò felix, qui ad hanc mensam Evangelicam admittitur, ut his panibus cælestibus reficiatur. *Ser. 1. & 4. Dom. 6. Pent. & ser. 7. Hexam.*

17. *In mensa Christi refectio, & saturitas suavissima obtinetur: in mensa diaboli fames & sitis torquet peccatores.*

Manducaverunt, & saturati sunt. Ecce fructus sequelæ Christi; nam istas turbas Christus pavit, & saturavit pane corporali, & spirituali, ità ut omnes manducaverunt, & saturati sunt; saturitas autem hæc est non solùm bonorum temporalium, quibus homo per eleemosynam sibi multiplicat ea, & merita, sed & meritorum, & præmiorum æternorum: è contra qui ad mensam diaboli admittitur semper fame & siti torquetur. *Ser. 4. Dom. 6. Pentecost. & in Luc. cap. 15. vers. 14.*

18. *Christus suos saturat pane melleo Paradisi, diabolus siliquis porcorum.*

Manducaverunt, & saturati sunt. Nota ordinem verborum: primò isti sequentes Christum manducaverunt, postea manducando saturati sunt; hocque dicitur ad differentiam sequacium diaboli, qui semper fame torquentur, ut evenit filio Prodigo, qui cupiebat implere ventrem de siliquis porcorum, & nemo illi dabat, & si comedunt eas, non refectionem, sed tortum enim reportant, & hæc est saturitas

diaboli : è contra Chriſtus reficit ſuos pane melleo Paradiſi, ſcilicet corpore, ſanguine, & divinitate ſua, donis Spiritus Sancti, & cæleſtibus virtutibus, & hoc non ſolùm in alia vita, ſed & in hoc mundo. *Ser.4. Dom.6. Pentec. & in Lucam c.15.v.14.*

19 *Chriſtus ad refectionem, & utilitatem aliorum, non ſui miracula faciebat.*

Manducaverunt, & ſaturati ſunt. Nota, quòd non legitur, quòd Chriſtus in hoc convivio manducaverit, ſed tantùm hoc legitur de turbis; cur & ipſe non comedit? ſed attende ad Chriſti pietatem; hæc refectio turbarum fuit ex pane multiplicato divinitus & miraculosè, non enim pro ſe, & ſui utilitatem unquam fecit talia miracula, ſed tantùm in aliorum utilitatem; non enim venit pascere ſeipſum ſed nos. *Op. medit. cap.17.*

20. *Divitibus dat Deus bona temporalia, ut pauperibus ea diſtribuant.*

Et accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat diſcipulis ſuis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ. Cur non ipſe Chriſtus immediatè eos diſtribuit, ſed mediantibus diſcipulis? ut diſcamus, quòd Deus bona hæc temporalia divitibus concedit, ut ea pauperibus indigentibus diſtribuant; ſunt enim villici, & miniſtri Dei: undè ſuprà *c. 6. v.37.* dixit Chriſtus diſcipulis, *date illis manducare*, ſi licet vos, qui habetis bona pauperum date illis manducare. *Ser.1.& 2.Dom.10. Pentec. ſer.2.& 3. Dom.8. Pentec. Luc.c.16.v.1.ſeq. ſer.2.de S.Thoma. op.Phar.lib.1.c.43.*

21. *Prædicatori qualis obligatio eleemoſynam verbi Dei prabendi populis.*

Et dabat diſcipulis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ. Ecce qualis finis inſtitutionis Prædicatorum factæ à Chriſto in Eccleſia: dedit enim illis, & dat & munus, & doctrinam, ut talem panem verbi Dei populis diſtribuant; undè ſicut magnum peccatum eſt divitis, cum indigenti non dat eleemoſynam, ita majus peccatum eſt, cum ſciens, non communicat doctrinam, quia ſcriptum eſt *Prov. c.11.* qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis. *Luc.c.9.v.61.*

22. *Præmium à Deo oblatum laborantibus reſpondet merito.*

Et manducaverunt, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt, quod ſupererat ſeptem ſportas de fragmentis. Cur ſeptem ſportas, & non octo, vel ſex? ut videas, quod cum Chriſtus exhibeat ſuis ſequacibus in hac vita panem verbi, & Sacramentorum, quibus reficit animas noſtras, tamen pro alia vita ſuperſunt etiam ſeptem ſportæ, ſcilicet præmium reſervatur in alia vita reſpondens merito in hac vita acquiſito; de correſpondentia *V. lib.4.d.43 a.1.qu.3.ad 3.& lib.2.d.5.a.3.qu.2. in fund.& d.33.a.2.qu.3.*

23. *Obſtinati in malo ſimiles Dæmonibus, & ſignati charactere diaboli, quia ſemper mali.*

Et exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere cum eo (Græcus legit, *altercari, & diſputare cum Chriſto) quærentes ab illo ſignum, tentantes eum.* Nota illud verbum, exierunt Phariſæi, ideſt poſt tam prodigioſum miraculum exierunt Phariſæi; undè exierunt? exierunt forſan à ſeipſis converſi ad Chriſtum? minimè; exierunt quidem à loco, in quo erant, ſed non à ſeipſis, nec à ſua perfidia, quia Phariſæi, ubique Phariſæi; nec mirum, quia obſtinati erant in malo; obſtinatio enim eſt veluti character diaboli, qui non quidem aufert liberum arbitrium in hac vita, ſed tamen ſtante malitia hominis, ipſum facit ubique, & in omni tempore perpetuare in malitia ſua. *Lib.4.d.6.p.1.q.5.ad 2. Luc.c.11.in fine.*

24. *Signa alii quærunt de Cælo in bonum, alii in malum.*

Quærentes ab illo ſignum de Cælo. Cur de Cœlo? quærebant à Chriſto nova ſigna, quaſi illa quæ viderant, non ſint ſigna; quærebant ſigna de Cœlo, ut Religioſi, & homines cæleſtes, ſed male quærebant, quia erant homines ſimulatores profitentes quidem vitam cæleſtem exteriùs, ſed interiùs erant perfidi, & terreni, non ſpirituales, ſed animales, ideò eis denegantur ſigna cæleſtia, illi autem, qui relictis terrenis ad cæleſtia ſolùm aſpirant, ſigna de Cœlo in bonum quærunt, ſcilicet à Deo proteguntur, & diriguntur ad Cœlum. *Luc.c.11.v.29.*

25. *Obſtinati poſt rejectas Chriſti vocationes ab ipſo dimittuntur.*

Et dimittens eos, aſcendit iterum navim, & abiit tranſfretum. Cur relinquit Phariſæos Chriſtus? cur non eis prædicat, ut convertantur? merito Chriſtus eos relinquit, quia poſt tot prodigia, poſt tot vocationes, cum ipſa Chriſti auxilia veluti obſtinati rejecerint, dimittuntur à Chriſto, quia nolentes ſe, ſi peccaverint corrigi, nihil aliud eligunt, niſi à Chriſto derelinqui, & tandem damnari. *Op.Phar.lib.3.c.13.*

26. *Deus dat temporalia, ut per ipſa aſcendas homo ad ſpiritualia, & cæleſtia.*

Et adducunt ei cæcum &c. & apprehenſa manu cæci, eduxit eum extra vicum, & exſpuens in oculos ejus impoſitis manibus ſuis, interrogavit eum, ſi quid videret, & aſpiciens ait, video homines veluti arbores ambulantes: deinde iterum impoſuit manus ſuper oculos ejus, & cœpit videre, & reſtitutus eſt, ita ut clare videret omnia. Nota ordinem, quo curatus eſt à Chriſto cæcus iſte: primò enim imperfectè curatus eſt, deindè perfectè: daturque intelligi myſticè, quod homo à Deo bonis temporalibus ditatur, & deindè per ipſa ad perfectum ſtatum perducitur. *Pſal.35.*

27. *Peccatum excæcat animam, ne poſſit cæleſtia videre.*

Video homines velut arbores ambulantes. Nota, quòd hic ſtatus cæci figurat ſtatum hominis in peccato exiſtentis, cujus oculi animæ ſunt ab ipſo peccato impediti, ne videat cœleſtia; undè indiget novo auxilio divino ſuæ gratiæ ad perfectam ſanitatem recipiendam. *Op. Comp. Theol. lib. 3. c. 7.*

28. *Ordo converſionis peccatoris in hoc cæco illuminato expenditur.*

Iterum impoſuit manus ſuper oculos cæci, &c. Nota, quòd bis iſti cæco Chriſtus impoſuit manus: primò, & vidit obſcurè, ſecundò & omnia clarè, in quo duplex illuminatio ſignificatur, prima per fidem; ſecunda per ſpem, prima eſt gratiæ, ſecunda gloriæ in qua anima omnia clare videt; Igitur qui claritatem ſui Creatoris vident, nihil in creatura agitur, quod videre non poſſint; ſed notâ, quod hunc cæcum Dominus extra vicum duxit, & in oculos ejus expuit, & manus ei impoſuit, in quo ſignificatur, quòd is, quem Chriſtus extra mundanam ſocietatem, & vanitatem eduxerit, ſputo doctrinæ, & ſapientiæ linietur, cui manus virtutis, & gratiæ imponitur, ille ad illuminationem æternam pervenire poterit. *Serm. 1. Dom. 23. Pentec.*

29. *Prælati ſecundùm qualitatem defectuum corrigant ſubditos.*

Vade retro me Sathana, quoniam non ſapis quæ Dei ſunt, &c. Verè ſtuporem maximum ingerunt hæc verba tam dura dicta Petro à Chriſto, & cur hoc? Sed attende, quòd Chriſtus aliquandò benignè reprehendebat vitia, aliquando dure ſecundùm ipſorum qualitatem, ideò hic durum ſe oſtendit Petro, quia Chriſtum retrahere à redimendo hominem conabatur, datque Prælatis documentum qualiter ſe gerere debeant in correptione vitiorum ſcilicet aliquando rigide, aliquando cum benignitate. *Op. Expoſ. Regulæ c. 10. vid. op. de ſex Alis Seraph. c. 3. cum ſeq.*

30. *Chriſtus in Petro, & ſucceſſoribus fundavit Eccleſiam, & fidem catholicam.*

Quem me dicunt eſſe homines, &c. reſpondens Petrus ait ei, Tu es Chriſtus, &c. Nota, quòd Chriſtus interrogavit quid homines de ſe ſentirent, non quod id ignoraret, ſed hac occaſione, ut doceret diſcipulos ſuos veritatem fidei, & quia inſtinctu Spiritus Sancti Petrus pro omnibus reſpondit, ut ſignificaretur ejus Prælatio in totam Eccleſiam, & ſucceſſorum, ſtabilitas fidei, & Eccleſiæ. *Luc. c. 9. v. 22.*

31. *Ad cognitionem fidei, & Chriſti ſuperaddenda eſt imitatio, & operatio.*

Et convocata turba cum diſcipulis ſuis dixit eis; ſi quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum, & ſequatur me. Nota hunc dignißimum ordinem, quem ſervat Chriſtus; primò enim ponitur Chriſtus ſolus orans; ſecundò reprobatio errorum mundanorum circa ſuam perſonam; tertiò confeſſio veritatis fidei de ipſo mediatore, Tu es Chriſtus Filius Dei vivi: quartò cognitio myſterii Redemptionis, ibi & cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati, &c. in quibus conſiſtit perfecta fidei notitia, in qua Chriſti Eccleſia fundatur, per quam approbatur divinus honor, reprobatur humanus error, aſſeritur mediator, & agnoſcitur Redemptor; ſed quia fides ſine operibus mortua eſt, nec ſufficit ſola Chriſti notitia per fidem ſine imitatione, ideò Chriſtus ſubdit, ſi quis vult me ſequi, deneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, &c. ut videas, quòd ſolùm perfecti fideles ſunt, qui crucem Chriſti portant per bona opera. *Luc. c. 9. v. 22. & 23.*

32. *Ad portandam crucem quadruplici ratione motiva excitat Chriſtus.*

Si quis vult me ſequi, &c. Nota, quòd in his, & ſequentibus verbis Chriſtus intendit nos excitare ad portandam crucem ſuæ imitationis quadruplici ratione motiva; & prima ſumitur ex conſideratione exempli Chriſti, dicendo, ſi quis vult me ſequi, ideſt me imitari, ad quod non cogo, ſed invito: ſecunda ex conſideratione proprii periculi; dicendo, qui enim voluerit animam ſuam ſaluam facere, &c. ideſt qui voluerit ſalvari in præſenti vita, perdet vitam in futuro, ſcilicet pro vita momentanea perdet æternam: tertia ex conſideratione futuri judicii, dicendo, qui enim me confuſus fuerit, & verba mea, &c. vel ut dicitur Luc. c. 9. qui me erubuerit, &c. ſcilicet me confiteri contemnendo crucem Domini tamquam ignominioſam, & etiam doctrinam ejus ex mala erubeſcentia, & ipſe confundetur in judicio: quarta ex conſideratione regni cœleſtis parati ſuis imitatoribus, dicendo, ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei. *Luc. c. 9. v. 23. ſeq.*

33. *Chriſti ſequela perfecta eſt Religioſorum.*

Si quis vult me ſequi deneget, &c. Nota, quòd in his, & ſequentibus verbis Chriſtus invitat homines ad ſui perfectam ſequelam per tria vota Religioſa, nempè per votum obedientiæ, dicendo; deneget ſemetipſum: caſtitatis, dicendo, tollat crucem ſuam, ſcilicet per continuam auſteritatem; & paupertatis dicendo, & ſequatur me, ſcilicet per altiſſimam paupertatem, ob quam nihil volebat portari in via; ad quæ tamen neminem cogit, ſed totum relinquit in arbitrio ſuæ voluntatis, undè dicit, ſi quis vult me imitari perfecto modo, ad quod non cogo, ſed invito. *Luc. c. 9. v. 23.*

34. *Nemo excuſationem habet in ſua ſalute, vel damnatione.*

Si quis vult me ſequi. Nota vim horum verborum, ſi quis vult, non cogit, ſed relinquit in ſua libertate; ſed qui vult præſto habebit gratiam meam vocantem, & adjuvantem, quia gratia Dei nobis præſto eſt, ſi non deſit voluntas. ideò nemo ſe excuſare poteſt in ſua ſalute, & damnatione. *Luc. c. 9. v. 23.*

35. *Abnegatio qualis exigatur à Chriſto.*

Deneget ſemetipſum. Nota, quòd dicit ſemetipſum; quid eſt hoc? ſc.licet ſe,ſua,& ſuos,hoc eſt per omnimodam humilitatem, captivando ſenſum, affectum, & intellectum in Chriſti obſequium. *Luc.c.9.v.23.*

36. *Unica crux à quolibet Chriſtiano tollenda,& portanda.*

Tollat crucem ſuam. Cur unicam crucem?nonne nobis occurrunt multiplices cruces. & tribulationes innumeræ in hoc curſu mortali? quare non dicit tollat cruces ſuas? dicit crucem in ſingulari, & *in Luc.c.9.*additur,*quotidie*; quia portatio crucis à quolibet ſequente Chriſtum debet eſſe continua, & quotidie renovanda, ideò dicit tollat crucem per continuam auſteritatem, tolerantiam;& patientiam, & quia tota vita Chriſtiani eſt unica crucis portatio. *Luc.c.9. v.23. Et hinc B.Petrus Dam.dicit.*Quòd tota vita Chriſtiani debet eſſe veluti feria ſexta,in qua portare debemus cum Chriſto crucem, ut poſtea in gloria poſſimus celebrare verum,& æternum Paſcha.

37. *Alii tollunt crucem, alii tolluntur à cruce, alii crucifixi Chriſti, alii diaboli.*

*Tollat crucem ſuam.*Nota,quòd dicit tollat crucem,non dicit tollatur à cruce,quia qui ſequitur Chriſtum debet voluntariè tollere crucem, eamque libenter, & patienter portare, nam qui tolluntur,& cogunrur, vel angariantur à cruce, & tribulatione iſti ſunt crucifixi, & martyres non Chriſti, ſed diaboli, qui crucem quidem portant, ſed pro hac portatione non gloriam,ſed pœnam in hac, & alia vita reportant. *Luc.ibid. & cap.14. v.17.& c.23.v.37.Pſal.21.ſer.2.de S.Andrea.ſer.1. ſer.3.Pentec.*

38. *Qui in hac vita perdit animam,in alia eam ſalvat, è contra qui eam ſalvat,&c.*

*Qui enim voluerit animam ſuam ſalvam facere perdet eam &c.*Quid eſt hoc, quod intonat Chriſtus ſuis ſequacibus? ergone perdenda eſt anima, ut ſalva fiat? quomodo perdi poteſt, niſi per peccatum? Sed attende, quòd hic loquitur de anima ſenſuali, vel ſenſualitate, vultque dicere, qui perdiderit animam ſuam, ideſt vitam animalem, quia talis vita non eſt à tormentis ſalvanda, nec blandimentis effeminanda, nec emolumentis temporalibus dilatanda, ne ſalvetur ad perditionem, ne effeminetur ad macerationem, ne dilatetur ad æternam confuſionem: undè benè dicit qui hanc animam ſalvare, & fovere in hac vita voluerit, in altera & ipſam, & rationalem perdet; è contra qui ipſam perdet in hac vita eam mortificando, ipſam, & ſeipſum ſalvabit in altera vita. *Pſalm.118.c.7. v.13. Luc. cap.9. verſ.24.*

39. *Quàm ſtulti qui propter temporalia, damnum animæ ſpirituale incurrunt.*

Quid enim proderit homini. ſi lucretur mundum totum, & detrimentum animæ ſuæ faciat? aut quid dabit homo commutationis pro anima ſua? Ecce quod Chriſtus exagerat, & invehit contra tot ſtultos, qui ad terrena inhiantes, ut lucra, & temporalia acquirant, animam perdunt, ô quàm mala commutatio, quia qui perdit ſe.& animam, omnia perdit, ideò totum, quod aliundè acquirit, nihil prodeſt, ſed obeſt; & hinc dicebat S. Auguſt. Nemo habet injuſtum lucrum ſine juſto damno, lucrum, in arca, damnum in conſcientia, tulit veſtem. & perdidit fidem, acquirit pecuniam,& perdidit juſtitiam, & ſic per conſequens animam ſuam: & hoc verè mirum eſt, quòd ſtulti homines dent animam ſuam pro iſtis caducis, cum è contra facere deberent. *In Lucam c.9.v.25.*

40. *Animæ nobilitas excedit quamcumque aliam creaturam.*

Quid dabit homo commutationis pro anima ſua? Vide, quod Chriſtus proponit animam noſtram in propatulo quaſi venalem ad hoc ut, quanti valeat, æſtimetur; ait igitur, quid dabit homo commutationis pro anima ſua? ideſt quanti, putas valere animam tuam? quaſi dicat, nihil eſt in mundo, imò totus mundus eſt veluti nihil, & viliſſimum totum eſt in comparatione animæ rationalis? unde ſi in comparatione ipſius exponas ſapientiam Salomonis, pulchritudinem Abſalonis, fortitudinem Sampſonis, longævitatem Enoch, divitias, & poteſtatem Octaviani, imò totum Mundum, quid prodeſt tibi? & nihil facis; anima enim media eſt inter Deum, & omnes alias creaturas, & veluti poſita in orizonte æternitatis, & temporis, ob idque aliarum creaturarum nobiliſſima, ergo ſtultiſſimi ſunt.qui pro iſtis creaturis perdunt margaritam tam pretioſam. *Luc.c.9. v.27. lib.2. d.14. a.2.q.1.corp.ſer.1.Hexam.*

41. *Idem de nobilitate animæ.*

Quid dabit homo commutationis pro anima ſua? Vide iterùm quomodo Chriſtus conſiderandam nobis proponit nobilitatem animæ noſtræ ut ipſam æſtimem ſuprà omnia alia creata? quaſi dicat, conſidera ex una parte qualem te fecit Deus, nempè ſecundùm corpus egregiam creaturam, ſed magis ſecundùm animam, imagine Creatoris inſignem, rationis participem, beatitudinis æternæ capacem, & ideò ratione harum prærogativarum cæteris omnibus corporalibus creaturis ſuperiorem; & hinc elice, quàm ſtulti mercatores ſunt illi, qui animam nobiliſſimam poſtponunt bis caduciſſimis rebus, qui magis eligunt pretio animæ ſuæ à diabolo emere unam fœtidiſſimam conſolationem, & viliſſimam, quam ſummam, & excellentiſſimam conſolationem,& æternam gloriam à Deo gratis habere ô mira cæcitas omnium impiorum! quam ergo dabis commutationem ô homo pro anima tua, vel ſalvata,vel ſalvanda vel damnata; pro anima ſalvata, quid retribues Domino pro omnibus quæ

retribuit

Digitized by Google

retribuit tibi, pro anima ſalvanda, quia non ſunt condignæ omnes paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam; pro anima damnata quid? nihil, quia ſi pro ea daretur totus Mundus, non liberabitur in æternum. *Op. Amatorium: op. ſtim. p. 2. c. 15. & Ugo Card.*

42. *Stantes, & perſeverantes in Dei ſervitio morti non ſubjacent.*

Amen dico vobis, quia ſunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant regnum Dei venientem in virtute. Nota, quòd ad litteram prædicit Chriſtus oſtenſionem ſuæ gloriæ per transfigurationem faciendam tribus diſcipulis ſecum ductis in montem: myſticè dat intelligere, quòd ſtantes, & perſeverantes in Dei ſervitio per mentis, & animæ erectionem in Deum, etiam elevantur ad Deum per fidem videndum in hac vita, & in fine vitæ non guſtant mortem, ſed tranſeunt ab hac vita ad aliam æternam, ſolúmque impii ſunt, qui cruciatus mortis deguſtant. *Luc. 1. 9. v. 27.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod cum ſuprà prædixerit de Paſſione, & Reſurrectione ſua futura, nunc agit de judicio gloriæ ſuæ in ſe, & in expoſitione ſuis diſcipulis, oſtenditque ad ipſam non poſſe pervenire niſi per merita, ſcilicet per humilitatem, orationem, aliaque bona opera.*

CAP. IX.

2. *Cur Chriſtus poſt ſex dies, ſcilicet poſt promiſſionem ſuprà factam oſtenſionis ſuæ gloriæ transfigurationis myſterium patefecit: ubi oſtenditur, quod hæc vita infamenda eſt laboribus pœnitentiæ.*

ET poſt ſex dies aſſumit Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis. Cur poſt ſex dies? ſcilicet promiſſionis ſuprà factæ oſtenſionis ſuæ gloriæ? Nota quòd hoc dicitur, primò ad litteram, ut oſtenderet ſe non tardare executionem promiſſionis jam factæ, unde non intervenit niſi ſpatium unius ſeptimanæ: myſticè autem dat intelligere, quòd ſicut ſex diebus mundum fabricavit, & in ſeptima requievit, ſic ſex diebus hujus vitæ laborandum eſt, & poſt contemplationi vacandum, & gloriæ beatitudo expectanda. *Luc. c. 9. v. 17.*

3. *Ad montem, & ſolitudinem aſcendat, qui vult orationi, & contemplationi incumbere, hocque maximè ad Religioſos dirigitur.*

Aſſumit Jeſus Petrum, &c. & ducit illos in montem excelſum ſeorſum ſolos, & transfiguratus eſt coram ipſis. Nota, quòd ſolos iſtos tres diſcipulos Chriſtus duxit in montem Thabor, quem notanter appellat montem excelſum, & ipſos dicit duxiſſe ſeorſum ſolos; cur iſtos tres ſolos? & in partẽ ſolitariam, & remotam ſeceſſit Chriſtus ante transfigurationem? hoc fecit Chriſtus ad inſtructionem noſtram, ut ſcilicet diſcamus, quòd qui vult incumbere orationi, & contemplationi, debet valles, ſcilicet turbas, & converſationes hominum relinquere, & in montem, ſcilicet in ſolitudinem, & à crearis, & terrenis elevari in altum, quòd præcipuè dirigitur ad Religioſos ſignificatos in his tribus diſcipulis, ſcilicet dictantibus tria vota religioſa, & viram activam, mixtam, & contemplativam. *Luc. c. 9. v. 28. ſer. 1. & ſeq. Dom. 2. Quadrag.*

4. *Myſterium ternarii diſcipulorum iterum enodatur.*

Aſſumit Jeſus Petrum, & Jacobum, & Joannem, & ducit illos, in montem excelſum ſeorſum, &c. Quæritur cur ſolùm tres iſtos inter ſuos diſcipulos voluit ſocios, & teſtes ſuæ transfigurationis? Reſpondetur primò, quòd hos tres aſſumpſit tamquam magis dilectos, & familiares, ſicut & aſſumpſit in ſuſcitatione puellæ Luc. c. 7. quia ſpeciales gratiæ dantur tantùm dilectis, & familiaribus; ſecundò propter commendandum myſterium Trinitatis Sanctiſſimæ, & propter firmitatem teſtimonii, tertiò ad commendandam excellentiam iſtorum trium, de qua dictum eſt in Matth. c. 17. quartò ad oſtendendum qualiter anima aſcendere poſſit ad montem contemplationis, & viſionis divinæ ſcilicet per exercitium fidei ſpei, & charitatis; fides in Petro, qui interpretatur agnoſcens; ſpes in Jacobo, qui interpretatur luctator; In Joanne charitas, qui interpretatur gratia: quintò ad ſignificandum tres diſpoſitiones neceſſarias animæ contemplativæ, ſcilicet induſtriam in Petro, diſciplinam in Jacobo, & gratiam in Joanne: oportet enim intelligentiam illuminari, concupiſcentiam domari, & affectum inflammari, ut poſſimus ſurſum cum Deo ferri: ſextò ad ſignificandum tres modos aſcendendi in apicem contemplationis, ſcilicet vel per viam ſplendoris in Petro, vel per viam doloris, & gemitus in Jacobo, qui modus communis eſt orantibus, vel per viam amoris in Joanne, qui inter omnes eſt præcipuus. *Luc. c. 9. v. 28 ſer. 1. & ſeq Dom. 2. Quadrag.*

5. *Myſterium apparitionis Moyſis, & Eliæ enodatur.*

Et apparuit illis Elias cum Moyſe, & erant loquentes cum Jeſu. Cur voluit, ut cum tribus diſcipulis etiam Moyſes, & Elias convenirent in monte hoc? cur non potius alios ſanctos Patres antiquos? Hoc factum eſt primò, ut fieret hoc myſterium cum comitatu honorabili; erant autem iſti duo inter omnes Sanctos Patres honorabiliſſimi; Moyſes propter legiſlationem; Elias propter prophetiæ excellentiam, & miraculorum operationem, & utrique propter zelum ſalutis omnium, ut ſignificaretur, quòd ille magnus coram Do-

Digitized by Google

mino eſt,qui peccatorum ſalutem quærit, & ferventer pro illis precatur : ſecundò quia Moyſes erat mortuus, Elias vivus,unus de Cœlo,alter de inferno, ut haberet teſtimonium ex omni genere, & ut ſe oſtenderet Dominum vitæ, & mortis, & quòd ipſe eſt,qui facit glorioſos vivos,& mortuos ; tertiò ut oſtenderet, quòd lex, & prophetæ ordinabantur ad Jeſum Chriſtum, & quòd ipſe eſt, qui in ipſis locutus erat in prædicando non ſolùm gloriam ejus, ſed & Paſſionem, & ideò in hoc monte loquebantur cum Chriſto de exceſſu, ſcilicet de Paſſione futura Chriſti:quartò ut oſtendatur, quòd in oratione datur intelligentia ſcripturarum, & myſteriorum propoſitorum. *Luc.c.9.v.31.*

6. *Deſiderium, & error Petri in exhibitione trium tabernaculorum, & permanentia in monte expenditur.*

Et reſpondens Petrus, ait Jeſu ; Rabbi bonum eſt nos hic eſſe, & faciamus tria tabernacula, tibi unum,&c. non enim ſciebat quid diceret : Quomodo neſciebat quid diceret? nonnè maximum bonum eſt eſſe cum Jeſu, ipſoque perfrui ? præterea cur non proponit unum tabernaculum, in quo omnes ſimul uniti habitarent? Sed attende ad plura myſteria, quæ hic indicantur ; primò enim proponit tria tabernacula, ſed primum pro Chriſto, ſecundum pro Moyſe, tertium pro Elia, ſcilicet unicuique proprium, quia ſciebat in domo Dei eſſe plures, & diverſas manſiones ſecundùm proprium gradum, & merita ; ſecundò dicitur, quòd neſciebat quid diceret, quia ad hoc motus eſt præ nimietate deſiderii ; contemplativi enim ad altiora ſuper te elevant ; tertiò neſciebat, quia volebat manere in ſtatu, à quo tranſeundum eſt, ut moneret contemplativos debere eſſe promptos ad tranſeundum à quiete ad laborem activæ quando opus eſt : quartò quia ſequentibus Chriſtum impoſſibile eſt permanere abſque retroceſſione ; unde ſemper debent ulterius ambulare de virtute,in virtutem : quintò quia umbram credebat veritatem,unde dicebat,bonum eſt nos hic eſſe, ut moneantur contemplativi, ne in umbris, & figuris ſiſtant, ſed ad deguſtationem immediatam Dei tranſeant:ſextò quia volebat dividere unita,nempè quia unicum eſt tabernaculum ſanctorum in Deo. *Luc.c.9.v.33.*

7. *Puritas Chriſti imitanda à ſuis ſequacibus.*

Veſtimenta ejus alba ſicut nix. Cur apparuit Chriſtus cum veſtibus albis, & non potiùs rubeis ſignificantibus ejus ardorem charitatis:meritò tali modo ſe oſtendit in medio gloriæ, ut oſtenderet ejus puritatem,& innocentiam ab omni macula,& ut demonſtraret,quòd ſui ſequaces debent apparere cum tali indumento, ſcilicet cum operibus puris indicantibus innocentiam interiorem. *Ser.1.de una Virg.*

8. *Solus Jeſus explere poteſt deſiderium noſtrum, & à quo ſolo omnis ſanctitas, & bonum.*

Et venit vox de nube, dicens ; Hic eſt Filius meus charisſimus, &c. & neminem amplius viderunt, niſi Jeſum tantùm ſecum. Ecce quomodo Pater æternus emendat, & corrigit dictum Petri : nam quem cum Moyſe, & Elia confuderat Petrus, ab illis vox Patris diſcriminat, ut diſceret unicum Patris Filium puris hominibus non pariare, ſic S. Ambroſ. & tunc ſolus Jeſus ibi remanſit,diſparentibus Moyſe,& Elia,ut hinc diſceremus, quòd ſolus Jeſus unicus Filius Patris poteſt deſideria noſtra ſatiare, & ab ipſo ſolo omnem ſanctitatem diffluere. *Luc.cap.1. verſ.35. & S.Chryſoſtom.*

9. *Verba ſacræ ſcripturæ non omni loco, vel tempore,vel omnibus ſemper ſunt promenda, ſed tantùm opportuno tempore.*

Et deſcendentibus illis de monte, præcepit eis, ne cuiquam quæ vidiſſent, narrarent, niſi cum Filius hominis à mortuis reſurrexerit, & verbum continuerunt apud ſe, &c. Quæritur hic cur tale ſilentium Chriſtus impoſuit diſcipulis ? cur jetavit, ut tantum myſterium ſummopere exaltans ejus attributa reticeantur, & differatur ejus publicatio uſque ad Reſurrectionem : triplex ratio poteſt aſſignari;una fuit informationis contemplativorum, qui debent celare divina ſecreta uſque dum à Deo eis permittatur, vel divina gloria id exigat : ſecunda fuit informatio Prædicatorum; ut verbum veritatis non proponant, niſi videant capacitatem auditorum ad credendum, & ſuſcipiendum verbum,ſic Chriſtus jubet hoc taceri,donec Filius hominis reſurgat,ne incredibile pro rei magnitudine, & poſt tantam gloriam apud rudes ſequens crux ſcandalum faciat; ſic Prædicator audientium conſideret perſonas, ne irrideant, antequam audiant : tertia ratio fuit inſtructio univerſorum, ut nemo velit laudari,nec quis audeat laudare in hac vita,ſed tantùm poſt mortem,dum enim in hac vita ſumus, ſemper in periculo vivimus. *Luc.cap.9. v.36.& c.2.in fine.*

10. *Eccleſiæ imminet maior ruina ex perverſa doctrina malorum, quàm ex perſecutione Tyrannorum.*

Et veniens ad diſcipulos ſuos, vidit turbam magnam circa eos, & ſcribas conquirentes cum illis, ſcilicet, *diſceptantes, & diſputantes cum eis*, ut legi Hebræus : Vide quomodo ſcribæ non auſi cum Chriſto congredi, ſimplices, & idiotas diſcipulos aggrediuntur, & tamquam rudes altercationibus vexare non verentur, quo vel ſpeciem victoriæ apud imperitam plebem obtineant, & ſtrepitu, clamore, & tumultu conſequerentur, quod veritate non poſſent;ſtatim adfuit Chriſtus, ut diſcipulos à ſcribarum fraudibus eximeret. Nota autem,quod ſupra Chriſtus vidit ſuos expoſitos per totam noctem periculis maris, & non ſtatim accurrit ; eos liberaturus ? hic autem, ſtatim ut vidit eos aggreſſos à ſcribis, ſtatim adeſt, ut eos eximat ab iſtorum perſecutionibus & fraudibus ; cur hoc ? hoc fuit, quia Eccleſiæ imminet

imminet ſemper pejor ruina ex falſa doctrina Hæreticorum, vel malorum doctorum, quàm Tyrannorum, talis enim perſecutio eſt per verba, ſed tamen peſſima, quia talis perſecutio iniquorum doctorum eſt Eccleſiæ amarior; undè deteriores ſunt qui vel doctrinâ, vel vitâ mores aliorum corrumpunt, quàm qui ſubſtantias aliorum diripiunt. *Pſ.90. Luc. c.17. v.22. lib 3. d.30. a.1. qu.5. in argum. Thren. cap.4. ep. Phar. lib.3. cap.39.*

11. *Chriſtus omnibus communis perfectis, & imperfectis exemplar ſe præbuit Prælatorum.*

Et cum deſcendiſſet de monte, &c. & veniens ad diſcipulos vidit turbam magnam circa eos. S. Lucas ait: *& deſcendentibus illis de monte, occurrit illi turba multa, &c.* Vide quomodo Chriſtus aſcendit ad montem, ut ſe transfiguraret coram tribus Apoſtolis, poſteà deſcendit ad turbas, quia omnibus ſe communem reddebat: aſcendit contemplativis, & deſcendit infirmis, & imperfectis, aſcendit paucis, & deſcendit multis, quia pauci ſunt contemplativi, multi ſunt activi: In monte orat, docet, majeſtatem ſuam demonſtrat, Patris vocem Apoſtolis pandit, deſcendens autem à turba excipitur, miſeretur fletu pulſatur, infidelitatis peccata exprobrat, malos ſpiritus expellit, in quibus actus contemplativæ tangit, ſcilicet orationem, lectionē contuitionem divinorum, & revelationem ſecretorum, & actus poſtea vitæ activæ docet Prælatos, ſcilicet viſitatio, compaſſio, increpatio vitiorum & neceſſitatum relevatio. *Luc. cap.9. v.37.*

12. *Orationis perfectæ conditiones exprimuntur.*

Magiſter attuli ad te filium meum habentem ſpiritum mutum, qui ubicumque eum apprehenderit, &c. Nota, quod iſte Pater filii obſeſſi à dæmone ad Chriſtum confugit, & obtinuit gratiam petitam, ex hoc, quod oratione perfecta ipſam petiit; nam dicendo magiſter, excellentiam Chriſti confitetur, ſcilicet plura ſcire, & poſſe quàm diſcipuli, qui nec ſciverant, nec poterant curare filium ſuum; exhibet deinde reverentiam obſecrando Chriſtum, petitque clementiam, dicendo reſpice in filium meum, & allegat ſuam indigentiam, & filii, per hoeque docens, quod in oratione exerceri debet fides in divina poteſtate, reverentia, & humiliatio, petitio miſericordiæ, & allegatio indigentiæ. *Luc. cap.9. verſ.38.*

13. *Crudelitas dæmonis in obſeſſos corporaliter, & ſpiritualiter expenditur.*

Qui ubicumque apprehenderit eum allidit, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & arefcit, frequenter eum in ignem, & aquas miſit, ut eum perderet, &c. Vide quid facit diabolus, & quàm crudeliter dilaniat obſeſſos, ut patet in iſto miſero, quem affligebat afflictione repentina, & proprii arreptivorum; afflictiva, & diuturna, undè etiam difficilior erat curatio; & maximè quia aberat divinæ efficaciæ poteſtas ob incredulitatem humanam; hoc & facit diabolus in hominem poſſeſſum à peccato ſpirituali, qui apprehenditur per ſuperbiam: quæ in poſſeſſionem diaboli collocat hominem; clamat per jactantiam, allidit per invidiam, diſſipat per iracundiam, dilaniat per cordis mæſtitiam, mittit eum in ignem cupiditatis, & poſteà in aquam luxuriæ; & hinc difficulter diſcedit propter perfidiam, & diuturnitatem habitualem in peccato. *Luc. cap.9. v. 39. ſer.2. de S. Magd. in addit.*

14. *Increpationes Dei in ſalutem terminant.*

O generatio incredula quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? Addit S. Matth. *& increpavit illum Jeſus; & exiit ab eo dæmonium, & curatus eſt, &c.* Vide quomodo Chriſtus curationi hujus miſeri præcedere facit increpationem; quia hoc eſt ipſius proprium increpare per flagella, & per minas, non ad perditionem, ſed ad ſalutem; nam Chriſtus intendit per ipſas expellere infidelitatem, perverſitatem, & cordis duritiam, & per hoc ſalutem conferre; ipſe enim eſt qui vulnerat, & medetur, percutit, & manus ejus ſanant, ut dicitur, *Iob. cap. 5. Luc. cap.9. verſ.41. & 43.*

15. *Converſi ad Dominum à Dæmone gravius pulſantur, & quo propinquior eſt ſalus, eò magis Dæmon furit, & æſtuat.*

Et cum vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbavit eum, & eliſus in terram volutabat ſpumans. Cur Chriſtus permiſit ut iſte obſeſſus magis torqueretur ad ſui præſentiam, & non potius fecit, ut quietiùs tractaretur? ſed hoc fecit ad inſtructionem noſtram, ut addiſcamus; quòd diabolus maximè adverſatur, ne quis ab eo obſeſſus convertatur ad Chriſtum; & dum puer ad Dominum accedit, eliditur; quia converſi ad Chriſtum plerumquè à Dæmone gravius pulſantur, ut ad vitia revertantur, & quo propinquior eſt ſalus, quam à Chriſto quis expectat, eo magis Dæmon furit, æſtuat, viresque omnes exerit, ut reſiſtat. *Luc. c.9. v.42.*

16. *Fidei magnalia, & effectus mirabiles expenduntur.*

Si potes credere omnia poſſibilia ſunt credenti. Quomodo omnia? ergone fides poteſt omnia? maximè: dat hinc intelligere quàm mira ſit virtus fidei, & quantum ad ea, quæ aguntur ſecundum curſum naturæ; & ſecundum impetum culpæ, & ſecundum meritum juſtitiæ: omniâ enim hæc ſubſunt regimini divinæ providentiæ, & quodammodo imperio fidei perfectæ: Imperium enim habet ſuper corporalia elementa, ſuper Dæmones, eorumque tentationes, & facit nos participare fructum prædicationis, crucis, & Evangelicorum Sacramentorum; undè Patri roganti dixit Chriſtus adduc huc filium tuum, ſcilicet adduc filium tuum per fidem tuam; qui non poteſt venire per fidem ſuam. *Luc. c. 17. v.6. & c.9. v.42. & c.8. v.44.*

17. In

17. *In via quàm facile ſit multiloquium cum peccato.*

Quid in via tractabatis? at illi tacebant, ſi quidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet. Cur Chriſtus interrogat diſcipulos, quid in via tractaverint? cur non quærit, quid in domo? in habitaculo? ſed confer cum dicto alio ſalvatoris: *Luc. c.* 10. Neminem per viam ſalutaveritis; & hoc mirum eſt, quomodo Chriſtus ſuis prohibeat hoc curialitatis, & affabilitatis ſignum? attamen non intendit eis prohibere tale ſignum, ſed tantùm multiloquium, hoc enim vitium conſuevit eſſe in viatoribus, & frequenter occaſio eſt contentionis, & hoc accidit diſcipulis, qui in via diſputaverant, quis eorum eſſet major; unde meritò, ut eos reprehenderet de hoc multiloquio, dixit eis, quid in via tractabatis? ô quoties pluribus Religioſis poſt itet factum poteſt dici, quid in via tractabatis? vos qui in multiloquio, & contentione tempus conſumpſiſtis? *Luc. c.* 10. *v.* 4.

18. *Qui minor eſt in Eccleſia, ipſe major eſt apud Deum.*

Et reſidens vocavit duodecim, & ait illis, ſi quis vult primus eſſe; erit omnium noviſſimus, & omnium miniſter. Nota illud verbum, & reſidens: quia volens Chriſtus inſtruere, & docere ſuos diſcipulos circa primatum exercendum inter ipſos, voluit hoc facere tali ſitu; & modo notabili, non curſim, & in via, ut intelligeremus omnes hanc neceſſariam veritatem, & dogma notabiliſſimum, nempè, ille, qui omnium minimus eſt per reputationem, & æſtimationem, iſte apud Deum maximus eſt, & è contra, ut diſcant ſui ſequaces, quod contentio ipſorum debet eſſe non de primo loco, ſed de poſtremo, & humiliori. *Luc. c.* 9. *v.* 48.

19. *Fides præcisè ſumpta etiam ſine charitate miracula poteſt facere: ubi de virtute nominis Ieſu.*

Magiſter vidimus quemdam in nomine tuo dæmonia ejicientem, &c. & prohibuimus eum. Nota, quod iſte ejiciens dæmonia erat extraneus à diſcipulatu Chriſti, ſcilicet habebat fidem, ſed ſine gratia, & charitate ſanctificante, & tamen ſine hoc dono ejiciebat dæmones in nomine Jeſu: ex quo facto duo nobis inſinuantur; primum eſt, quod fides præcisè ſumpta, etiam ſine charitate poteſt patrare miracula: ſecundum eſt virtus nominis Jeſu efficaciſſima contra dæmones, etiam in ore, & mente peccatoris, unde rectè dicitur, quod in nomine Jeſu omne genu flectitur. *Luc. c.* 9. *v.* 48.

20. *Miniſtri Eccleſiæ etiam imperfecti tolerandi, dummodo ritè exerceant ſuum munus.*

Nolite prohibere eum, nemo enim eſt, qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit loqui citò malè de me, qui enim non eſt adverſum vos, pro vobis eſt. Vide qua providentia Chriſtus regit Eccleſiam ſuam; deſtinavit quidem Apoſtolos & ſanctos viros ad regendam Eccleſiam, & ad prædicandum Dei verbum, ſed quia non omnes alii ſunt ſancti, imò paucilſimi, ne detrimentum patiatur regimen ſuarum ovium, hic præcipit, ut in regimine Eccleſiæ, & miniſtratione Verbi Dei non ſolùm admittantur ſancti Chriſti perfecti imitatores, ſed etiam miniſtri imperfecti, dummodo non ſint lupi voraces, & hæretici, ſed ritè exerceant ſuum munus; nam in hoc miniſterio etiam coadjutores ſunt Chriſti. *Luc. c.* 9. *v.* 50. Nota autem ad litteram, quòd dicit talem imperfectum non poſſe loqui male de ſe, quia etiam ſi malus ſit, & poſtea deſerat Chriſtum fontem, non habet loquendi malè de Chriſto, in cujus virtute fecit miracula. *Sic Lyran.*

21. *Quàm liberalis Deus in præmiando quæcumque etiam minima opera noſtra bona.*

Quiſquis enim potum dederit vobis calicem aquæ (frigidæ addit S. Matth. *c.* 10.) *in nomine meo, quia Chriſti eſtis, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Nota, quòd hæc verba Chriſti veniunt in conſequentiam ſupra dictorum, ut ſcilicet pateat, quòd non ſolùm ex virtute nominis Chriſti fiunt miracula, ſed etiam omnia opera bona meritoria, & ut oſtendatur, quòd quilibet etiam pauper, etiam imperfectus poteſt opera bona meritoria in nomine Chriſti facere, quia poteſt dare potum aquæ frigidæ: hic autem oſtenditur ineffabilis liberalitas Dei noſtri parati remunerare, & abundanter præmiare quodcumque minimum opus in ſui nomine factum, nec poſſe dari aliquem, qui id non poſſit; dicit enim quiſquis dederit calicem aquæ frigidæ, non dicit vini, non aquæ calidæ, ſed frigidæ, quam omnes in hac vita poſſunt habere, non perdet iſte mercedem ſuam, & quam mercedem? merces iſta magna erit multò plus excedens parvitatem meriti noſtri; merces iſta Chriſtus eſt in futuro, magna per humanitatem, & magna nimis per divinitatem; ô quàm magna! quòd enim Deus paravit diligentibus ſe, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non comprehenditur, deſideria, & vota tranſgreditur, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt. *Ser. 3. Dom. ſeptuag.*

22. *Scandali peccatum quàm grave noxium, & Deo exoſum.*

Et quiſquis ſcandalizaverit unum ex his puſillis credentibus in me, bonum eſt ei magis, ſi circumdaretur mola aſinaria collo ejus, & in mare mitteretur. Nota, quòd proponit hanc pœnam, quia mors, & ſtatutum inter Hebræos erat, ut tali pœna plecterentur maxima, & graviora delicta; & per hoc dat intelligere, quòd in foro Dei peccatum ſcandali, quo quis alteri præbet occaſionem Deum offendendi, & præcipuè puſillis, & imperfectis, & à Deo ſeparandi, eſt inter omnia graviſſimum, noxium, & ipſi exoſum, & ob id meritò ſeveriſſimè ab ipſo punitur, undè pejores crucifixoribus Chriſti ſunt, qui animam non tantùm propriam, ſed & proximi, ſuggeſtione mala, exemplis perniciosis, ſcandali occaſione avertit à Chriſto, quas ipſe redemit. *Ser. 3. Dom. poſt oct. Paſchæ. ap. Phar. lib. 3. c. 39.*

23. *Vilt imam*

Digitized by Google

23. *Victimam ſalſam quærit diabolus, & recipit infernus, ubi de ejus pœnis.*

Bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur, omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur. Poſtquam Chriſtus ſuaſerat ſuis, ut recta intentione ferantur in unum Deum in ſuis actibus, tranſit ad eos, qui perverſa, & peſſima intentione operantur, docetque ipſos in gehennam mittendos, in qua vermis eorum numquam eſt moriturus, nec ignis unquam extinguendus, & rationem ſubjiciens dicit omnis enim igne ſalietur, & omnis victima igne ſalietur; Inſolens loquutio: igne res non ſaliuntur, ſed abſumuntur, ſaliuntur ſale, non igne, ut conſerventur; cur ergo hac phraſi, vel metaphora prima facie tam impropria utitur? ſed non caret ſuo pondere, ut notant expoſitores aliqui: Ignis quidem noſter ſolet abſumere ea, quæ corripit, non tamen ignis infernalis, ſed damnatis erit veluti ſal, ſcilicet ſic eos cruciabit, ut incorruptos eos ſervet, & veluti condiat, & ità aduret, ut aduſtioni perpetuæ apros relinquat, nec extinguetur ipſe, nec extinguet damnatos, aut abſumet; & hinc alius effectus; ſal ita condit carnes, ut vermes non generent, ſed ignis inferni ad modum ſalis ità ſe habebit, ut vermem potius nutriat, quàm impediat naſci: Datur igitur hic intelligi, quod in inferno omnia augendæ pœnæ deſervient, etiam ea, quæ alioquin mitigare illas, aut imminuere poſſe videbantur, quæ omnia ſunt conformia iis, quæ tradit Seraph. Doctor *lib.4. d. 44. p. 2. a. 2. & 3. per totum.*

24. *Verbum, & exemplum quàm neceſſaria in miniſtris Eccleſiæ.*

Bonum eſt ſal, quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis, habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos. Nota, quod per ſal hic intelligitur perfectus Chriſti diſcipulus, qui exemplo, & verbo debet condire corda aliorum, unde qui aliis prædicant ſine bono exemplo, proferunt cibum inſulſum, quem ſtomachus cordis non ſuſcipit, unde ſicut ſal cibos condit, vermes necat, carnes ſiccat, ſic prædicatio à vermibus vitiorum, & puttedine illæſam Creatori ſuo ſervat humanam naturam; ſed tunc ſal evaneſcit, quando Chriſti diſcipulus efficitur indevotus in contemplatione, & indiſcretus in converſatione, in actione, & prædicatione; ſit igitur Chriſti miniſter prudens, & ſapiens ut ſit verbo & exemplo condimentum Eccleſiæ. *Luc. c. 14. ad finem.*

25. *Malum exemplum Prælatorum, & Religioſorum quam Eccleſiæ pernitioſum.*

Quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis? Quid eſt ſal inſulſum? quomodo ſal eſt, & ſimul inſulſum? Nota, quod hac metaphora dat Chriſtus intelligere perniciem miniſtrorum Chriſti, qui ſal inſulſum habent, qui verbo quidem alios docent, ſed exemplo malo totum deſtruunt. ſic enim terram Eccleſiæ inutilem, & infructuoſam reddunt ad fructus producendos; undè lepidè ludit Chriſtus in ſale dicens, quod ſi inſulſum eſt ſal, ideſt ſal ſine ſale, in quo, ſcilicet alio ſale condientur cibi; ideſt ſi vos ô Apoſtoli & miniſtri mei, qui eſtis ſal terræ, vim hanc ſalis perdatis, ac fiatis inſulſi, & inſipientes, ut ob amorem terrenorum, vel à doctrina mea deſciſcatis, quis vos priſtinæ ſapientiæ reſtituet, habete ergo ſal in vobis, ſcilicet ſapientiæ, & vitæ Chriſtianæ, ſcilicet humiliratem, charitatem, mundi contemptum, ac præſertim pacem, ait enim Chriſtus, & pacem habete inter vos: hæc enim per diſcretionem, & ſapientiam inter homines conſervatur. *Luc. c. 14. ad finem ſerm. 2. fer. 3. Paſcha.*

26. *Qui in Dei ſervitio benè incipit, & poſteà retrocedit, quàm Deo exoſus, & aliis noxius.*

Quod ſi ſal inſulſum fuerit, &c. Nota, quod hic Chriſtus agit myſticè de iis, qui priùs fuerunt ſal, ſcilicet perfecti diſcipuli Chriſti, qui verbo, & exemplo poterant aliorum corda condire, poſteà amittentes vigorem ſalis, ſcilicet retrocedentes in Dei ſervitio evaneſcunt, iſti ad nihilum valent, ſed deridentur à Deo, & in ſcandalum aliorum vergunt, ſuntque apud Deum veluti Apoſtatæ. *Luc. c. 14. ibid.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Nota, quod cum ſupra poſuerit metaphoram ſalis, quia ſal tria facit, carnes conſervat à corruptione, hinc in hoc capite agit de duplici caſtitate conjugali, & virginali, reprobans libellum repudii, & decernens primævam matrimonii inſolubilis firmitatem: ſecundò ſal ſaporem ſuum condiendo communicat, hinc agit de temporalium miſericordi diſtributione, quando dixit adoleſcenti diviti, vade, & vende omnia, & da pauperibus: tertio ſal terram ſterilem facit, hinc agit de humilitate ſuæ Paſſionis: denique de reſtitutione viſus cæco; quia verò ſuper Matth. c. 19. ſatis dictum eſt de matrimonii legibus, hinc ad alia ſequentia tranſimus.

Digitized by Google

CAP. X.

2. *Alii ſequuntur Chriſtum in bonum, alii in malum.*

ET conveniunt ad eum iterum turba, & docebat illos; & accedentes Phariſæi interrogabant eum, &c. Ecce quod & turbæ, & Phariſæi ad Chriſtum conveniunt, ſed tamen cum diſpari intentione, nam turbæ ſequebantur Chriſtum, ut curarentur, & inſtruerentur, ideo dicitur, quod docebat illos; alii, ut Chriſtum circumvenirent & deciperent, per quod datur intelligi, quod multi quærunt Jeſum, ſed alii in bonum, alii in malum, in bonum, qui imitari ipſum proponunt; in malum, qui ob intentionem temporalem, & vanam Dei ſervitio ſe mancipant, de quibus poteſt dici illud ad Rom c.9. Iſraël ſectando legem juſtitiæ, in legem juſtitiæ non pervenit. *Ioan. c.6. v.26.*

3. *Chriſti proprium eſt ſemper benedicere & verbo, & manibus.*

Et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos. Quid eſt, quod intendunt (ut tangeret) hoc tactu? ſed in hoc apparet ex una parte fides turbarum, & ex alia efficacia tactus Chriſti: offerebant illi ſuos parvulos tamquam Epiſcopo, ut eos benediceret, non ſolùm voce, ſed magis tactu, & meritò quia Chriſtus totus ſemper intentus eſt ad benedicendum nos, undè ad hoc extendit manus in cruce, ut nos benediceret, & confirmaret in gratia nos veluti ſuos parvulos per humilitatem, infantes per innocentiam, & pueros per puritatem. *Sermon. 1. Dom. 18. Pentec.*

4. *In pœnitentes deſcendit benedictio Chriſti.*

Et offerebant illi parvulos, ut tangeret eos. Nota, quod in parvulos, ſcilicet in pœnitentes, qui peccata ſua ſæpè plorant cadit benedictio Chriſti. *Ser. 1. Dom. 18. Pent.*

5. *Religiones propter paupertatem rejicientes ſaculares offerentes ſe ad Dei obſequium ſuggillantur.*

Diſcipuli autem comminabantur offerentibus, quos cum videret Jeſus indignè tulit, & ait illis, ſinite parvulos venire ad me, &c. Quæritur hic an malè fecerint Apoſtoli impediendo contendentes acceſſum parvulorum ad Chriſtum? Reſpondetur, quod hoc faciebant, quia timebant, ne Chriſtus laſſaretur propter importunum, & confuſum acceſſum: ſed myſticè ſignificantur illi Religioſi, qui ob paupertatem, vel generis infirmitatem recuſant recipere ſe offerentes Religioni, etiamſi apti ſint, in qua rejectione aliquando poſſunt eſſe immunes à peccato, aliquando non: nam recipere aliquem nec cum pecunia, nec pro pecunia pro Deo, hoc Deo chariſſimum eſt; recipere autem cum pecunia, ſed non pro pecunia, & hoc ut poſſint ſuſtentari, hoc licitum eſt; recipere autem ob amorem ſolùm pecuniæ, & reddituum pinguium, ita ut ſi poſſent habere illam pecuniam, ſine perſona ipſa, hanc rejicerent, hoc ſimoniacum eſt, & à Chriſto reprehenſum: *Vide op. libell. Apologet qu. 18.* Attendant benè ad hoc monitum Religioſi, & Religionum Prælati, ne Deum offendant, conſcientiamque cum damno ſpirituali proximi gravent, ne à Deo juſte deſerantur, ne juſto permittente Dei judicio ſpiritus paupertatis in religione evaneſcat totaliter propter aviditatem ad pingues reddituus.

6. *Chriſtus libenter moratur cum parvulis.*

Sinite parvulos venire ad me, talium enim eſt regnum Dei &c. Ecce ratio quare Chriſtus Apoſtolos reprehendit impedientes acceſſum parvulorum: nam Chriſtus libenter moratur cum parvulis, nam pueri ſunt, qui puri ſunt à peccatis, à rapina, uſura, aliiſque ſceleribus, & iſti ſunt Chriſti pueri, & cum iſtis libenter morabatur in hoc mundo, & nunc in Cœlo. *Ser. 4. Dom. infrà oct. Nativit. ſer. 1. fer. 4. Pentec.*

7. *Solùm parvuli poſſunt intrare in angustam portam Paradiſi: ubi de pœnitentia, & humilitate.*

Amen dico vobis, quiſquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Nota, quàm gravia ſunt iſta verba ſalvatoris, dum ad ipſa præmittit juramentum, dans intelligere, quod ſolùm illi, qui ſunt veluti parvuli, poterunt intrare in Cœlum, cur hoc? nonne alibi dicitur Epheſ. c.4. *Non ſimus parvuli fluctuantes?* & quomodo quis fieri poteſt, veluti parvulus, immunis à peccato? ſed attende ad myſterium, ſcilicet ad illam particulam velut parvulus, nempe quia pœnitentia eſt quæ peccatorem reducit ad munditiam, & ſanctitatem parvulorum, tum & ratione humilitatis, quia arctum eſt oſtium ad viram, ideò in illud intrare non poteſt niſi parvulus, ſcilicet humilis, tum & ratione ſimplicitatis, & obedientiæ, per quas virtutes anima redditur ſimilis parvulis. *Ser. 9. in Nativit. Luc. c.18. v.16. ſer. 1. de S. Ant.*

8. *Primus gradus perfectionis eſt cognoſcere ſe peccatorem, & totam bonitatem, & virtutem in Deum referre.*

Quid me dicis bonum? nemo bonus, niſi unus Deus Hæc verba Chriſti difficultatem maximam ingerunt: quomodo reprehenditur à Chriſto iſte homo quia ipſum vocavit bonum? nonnè Deus ſummè bonus? nonne ut homo bonus, & ſanctus? ſed attende: Hoc non dixit Chriſtus arguendo eum tamquam mendacem, ſed quia vocando eum bonum intentionem figebat in humanitate; ſed quomodo hoc? nonne ut homo eſt bonus: ſed tamen intendebat ipſum, & nos docere, quod nec ipſe ut homo, nec ulla creatura habet talem bonitatem, in quam homo tendere debet, ſed ſolus Deus: primò enim quilibet homo, & creatura in comparatione Dei ejuſque bonitatis non poteſt dici bo-

Digitized by Google

ne ; nam juſtitia noſtra ad examen juſtitiæ divinæ deducta, injuſtitia eſt, & ſordet in diſtrictione Judicis, quod in oculis fulget operantis : ſecundò quia quilibet homo bonus, ſi talis eſt, eſt per participationem, quæ omnibus communicatur à Deo : tertiò dat hic intelligere, quòd primus gradus perfectionis eſt cognoſcere propriam miſeriam, & totum, quod eſt, & habet, à ſolo Deo eſſe, & totum, quod operatur, dirigere in bonitatem divinam, ſicut finem omnis boni : Chriſtus igitur reſponſurus quæſtioni ad ſalutem totius mundi tamquam magiſter morum, & moralis totius Philoſophiæ, incœpit à ſummo bono per eſſentiam, à quo, & ſecundùm quod, & ad quod ordinari debet omne bonum, alioquin deſinit eſſe bonum, & ſi quis bonus eſt, id eſt, quia ejus bonitas deſcendit in nos per Spiritum Sanctum. *Luc. c.* 18. *v.* 19. *& c.* 11. *verſ.* 13.

9. *In ſchola Chriſti prima lectio eſt quærere, quæ ſit via bona ad obſervantiam ipſius mandatorum.*

Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? præcepta noſti? O quàm bona, & utilis eſt hæc interrogatio : & hæc eſt prima lectio in ſchola Chriſti magiſtri Eccleſiæ addiſcenda, nempè quærere, quæ ſit via bona, per quam acquiritur, & pervenitur ad regnum Dei, & hæc eſt obſervantia mandatorum Dei, & hæc eſt præcipua inquiſitio à Chriſtiano facienda, aliæ autem ſunt extraneæ, & inutiles. *Luc. cap.* 18. *v.* 18. *& 19.*

10. *Renuntiatio perfecta perfectè ſequentium Chriſtum qualis.*

Unum tibi deeſt (ſcilicet ultra obſervantiam præceptorum Dei) *Vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo, & veni ſequere me.* Nota, quòd mira, admirabilis, & plena myſteriis cœleſtibus eſt hæc ſententia, in qua Chriſtus paucis deſcribit omnes conditiones practicandas à perfectis ipſius ſectatoribus, & aſpirantibus ad perfectionem ; unum tibi deeſt, ſcilicet ad perfectionem, ſcilicet ultrà obſervantiam præceptorum, obſervantia etiam conſiliorum, & hæc perfectio conſiſtit in tribus, ſcilicet in temporalium abrenuntiatione, & temporalium erogatione, & in Chriſti imitatione : abrenuntiatio temporalium diligens oſtenditur per illud verbum vade, non dicit mitte, vel fac per alium, item generalitas ejus per ly quæcumque habes, ut nihil retineas nec in toto, nec in parte, velut alter Ananias, & Saphira; item juſtitia abrenuntiationis per ly habes, ſcilicet quod eſt tuum, non de rapina : item perfectio abrenuntiationis per ly vende, ſcilicet non locando, non commodando, ut iterùm illa poſſis accipere, ſed abdicando omne dominium, & jus : Erogatio iterùm temporalium debet eſſe perfecta cum liberalitate, ideò dicit da, non vende, vel loca, vel commoda, requiritur etiam neceſſitas recipientis, ideò dicitur da pauperibus, non divitibus, quia non habent tibi retribuere & hoc etiam faciendum cum recta intentione, ſcilicet habendi theſaurum in Cœlo : Imitatio verò Chriſti duo exigit, primum eſt cum affectu, ideò dicitur veni ſcilicet paſſibus cordis, ſecundum eſt cum effectu actuali reſpondente affectui, ideo dicitur ſequere me, & ecce in quo conſiſtit abrenuntiatio hic propoſita. *Luc. c.* 18. *v.* 22.

11. *Conformitas perfecta ad voluntatem divinam compendium, & ſumma totius perfectionis, &c.*

Unum tibi deeſt. Quomodo dicitur *unum* tibi deeſt, ſi tria ab ipſo requirit, ut dictum eſt ſupra? benè dicit *unum*, ſunt quidem tria, ſed hæc tria unum, & in unum coaleſcunt ; & quodnam eſt hoc unum ; hoc eſt implere perfectè voluntatem divinam, & perfectè conformare ſuam voluntatem cum divina, quod exercitium portat ſecum executionem, & impletionem divinorum præceptorum, & divinorum conſiliorum, & hæc eſt voluntas Dei bona, & beneplacens. *Luc. c.* 18. *v.* 22.

12. *Paupertatis virtus compendium totius perfectionis.*

Unum tibi deeſt. Quomodo iterùm dicitur *unum*, & tamen tria proponit huic juveni exequenda? Nota, quòd hæc tria ordinantur in unum, ſcilicet in abrenuntiationem omnium rerum, & ob id ad obſervantiam altiſſimæ paupertatis, & quia hæc eſt fundamentum totius fabricæ ſpiritualis, & perfectionis perfectè ſequentium Chriſtum, hinc benè dicit unum tibi deeſt, quia hæc eſt prima parens virtutum, & hanc ſuper omnia Chriſtus exercuit, & dilexit. *Luc. c.* 6. *v.* 19. *& c.* 18. *ibid. op. medii c.* 15.

13. *Paupertate emitur regnum Cœlorum.*

Da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo. Nota, quòd ei, qui vitam æternam petierat, cœleſtis theſaurus promittitur, ut qui terrenarum rerum amore tenebatur, theſauri amore audito, mentem erigeret, terreniſque rebus neglectis, cœleſtibus adhæreret, & quomodo? Sectando paupertatem, hæc enim eſt cœleſte pretium, quo à pauperibus emitur regnum Cœlorum, quod jure emptionis convenit ipſis, quia ipſi propriè ſoluunt pretium, relinquendo pro Chriſto omnia terrena. *Op. Diat. tit.* 4. *c.* 3.

14. *Sequens Chriſtum crucem accipiat ſuam.*

Et veni ſequere me : Syrus legit, *accipe crucem tuam.* Arab. legit, *Veni ſequere me, & porta crucem.* Quæritur hic cur latinus Interpres hoc noti appoſuit? Sed attende ad myſterium, ut intelligamus, quòd qui Chriſtum vult ſequi ; debet accipere crucem, quod adeò conſequens eſt, ut exprimi neceſſe non ſit, nam ſequi Chriſtum eſt ſe perfectè illi configurare. *Luc. cap.* 18. *verſ.* 22.

15. *Cupiditas, & paupertas mutuo inter ſe ſemper pugnant.*

Qui contriſtatus in verbo, abiit mœrens, erat enim habens multas poſſeſſiones. Vide quomodo inter ſe pugnant cupiditas, & paupertas? Chriſtus proponit paupertatem huic diviti, ip-

ſe contriſtatus abiit potiùs vocibus cupiditatis obediens, nec hoc mirum, nam iſtæ ſemper pugnant adinvicem, cupiditas enim dicit diviti; valde ſine culpa es, quòd quædam habenda concupiſcis, quia non multiplicare appetis, ſed egere pertimeſcis, & quod malus alius malè retinet, ipſe melius expendis: mundi contemptus reſpondet; iſta nec apud ſæculares ſine periculo procurantur, quia quantò quis amplius habere cœperit, tantò amplius habere concupiſcit, fitque, ut modum in concupiſcendo non habeat, dum innumeris hujus ſæculi curis deſervire feſtinat. Si ergo ſæcularibus viris ita eſt periculoſa cupiditatis induſtria, quantò magis illis periculoſior, qui jam habitu, & converſatione ſæculares eſſe deſierunt, qui totum, quod vivunt Domino devoverunt. *Op. Phar. lib. 2. c. 15.*

16. *Divites alii divitias poſſident: alii poſſidentur à divitiis.*

Qui contriſtatus in verbo abiit mœrens, erat enim habens multas poſſeſſiones. Nota, quòd dicit, erat habens multas poſſeſſiones; non dicit diligens multas poſſeſſiones, aliud enim eſt habere poſſeſſiones, & divitias, aliud diligere inordinatè; primum poteſt quis dives habere etiam ſine præjudicio vitæ ſpiritualis, & perfectionis; & ſi, ait Beda, relinquuntur cum aliquo mœrore, id tamen non impedit, quin ſit nec meritorium, ſed qui habent, & diligunt inordinatè; iſti vivunt in maximo periculo ſuæ ſalutis, & de iſtis dicitur à Chriſto quàm difficilè qui pecunias habent in regnum Dei introibunt, ſcilicet qui confidunt in pecuniis, *Luc. c. 16. v. 19. & c. 18. v. 23. ſeq. opuſc. Apol. Paup. Reſp. 3. c. 1.*

17. *Quàm difficile eſt habere divitias, & in eis non confidere.*

Filioli quàm difficile eſt confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire. Nota, quòd ſupra dixit, quòd iſte dives erat habens multas poſſeſſiones; nunc addit quàm difficile eſt confidentes in pecuniis in regnum Dei introire: cur hic additur ad poſſeſſionem divitiarum confidentia in ipſis? hoc facit Chriſtus, ut videas, quod licèt malum non ſit habere divitias, ut multi ſancti habuerunt, tamen ſunt valde affines poſſeſſio, & cupiditas, confidentiaque in ipſis, & ideo illuminati à Deo ad præcavendum hoc periculum divitias rejecerunt, ſcientes faciliùs eſſe camelum per foramen acus tranſire, quàm talem divitem intrare in regnum Cœlorum, quia ad ipſum oneratus non poteſt ſine difficultate maxima pervenire. *Luc. c. 16. v. 19. & c. 18. v. 24. ſequent. Pſalm. 112. ſer. 1. de plur. Confeſſor. opuſc. Apol. Paup. Reſp. 3. cap. 1.*

18. *Pauci ſunt qui Chriſtum ſequuntur, & ſalvantur.*

Diſcipuli magis admirabantur dicentes, & quis poteſt ſalvus fieri? & intuens illos Jeſus ait, apud homines impoſſibile eſt, ſed non apud Deum. Nota, quòd diſcipuli audientes ſuprà dicta verba Chriſti prolata contra cupiditatem divitum, & ſcientes, & videntes, quòd totus fere mundus in tali malignitate eſt poſitus, hæc dixerunt, quis poteſt ſalvus fieri? quærentes remedium, & exhortentes periculum, & ex hoc inferentes, quòd pauciſſimi ſunt qui ſalvantur; Chriſtus autem ſtatim eis attulit remedium dicens, quòd licèt ſit viribus naturæ impoſſibile perfectè contemnere pro Chriſto temporalia, tamen adjutorio divinæ gratiæ hoc eſt poſſibile, ſcilicet ſe convertere ab amore terrenorum ad charitatem æternorum, & ad contemptum omnium divitiarum. *In Lucam cap. 18. verſic. 26. ſequent.*

19. *Retributio centupla relinquentium omnia pro Chriſto expenditur.*

Nemo eſt, qui reliquerit domum, &c. qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, &c. & in ſæculo futuro vitam æternam. Nota, quòd hæc eſt reſponſio à Chriſto facta interrogationi Petri ſuper abrenuntiationem omnium temporalium, in qua promittit Chriſtus retributionem centuplam, non ſolùm in alia, ſed & in hac vita, quomodo hoc verificatur, cum videamus tales pauperes vivere in extrema paupertate, & etiam vitam ſic finire? Sed attende ad id, quod notant Sancti Patres, nam hoc centuplum à Chriſto promiſſum non conſiſtit in adeptione rerum temporalium, ſed ſpiritualium, ſcilicet perfectionis, & acquiſitionis omnium virtutum, abundantiæ conſolationum cœleſtium, & retributio dicitur centupla, quia potior, utilior, dulcior, & fructuoſior centies, quàm ſi totus mundus acquireretur. *Op. Apol. Paup. Reſp. 3. c. 1. ſer. 1. de S. Marco. ſerm. 2. in Pentec. ſer. 4. ſexag. ſ.* Nota etiam, quòd dicit Chriſtus, quod iſta renuntians centies recipiet etiam in tempore hoc, domos, fratres, ſorores, matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, quia qui amore Chriſti ſua, & ſuos reliquit, licet in mediis verſetur perſecutionibus, & undequaque eis valletur, tamen non deerunt centum, ideſt plurimi, qui ei ſuccurrant, eumque foveant ut fratres, patres, & matres, quod experientiâ continuâ probatur verum, maximè in Religionibus mendicantibus, & paupertatem altiſſimam profitentibus, & obſervantibus. *Op. Apol. Paup. ibid. Luc. c. 18. v. 30.*

20. *Perſecutionum paſſio pignus eſt Chriſti pro præmio in hac vita oblatum ab ipſo.*

Centies recipiet etiam in tempore hoc, domos, fratres, &c. cum perſecutionibus. Quid eſt cum perſecutionibus? ergone hæc centupla retributio eſt expoſitio perſecutionibus hoſtium? & non potiùs maxima pœna? Sed tamen hoc verbum meritò Chriſtus ſuperaddit ex hoc, quod perſecutiones pro Chriſto toleratæ ſunt veluti pignus æternæ vitæ: ſunt enim dignæ ſuperno auxilio, interno ſolatio, & ſuperno præmio, unde gratia maxima eſt Chriſti exponere ſuos tribulationibus. *Ser. 3. de Plur. Martyr.*

21. *Fides, & oratio ducunt ad Chriſtum, ipſumque attrahunt ad nos.*

Cæcus ſedens ſecus viam mendicabat, cœpit clamare, & dicere, Jeſu Fili David, &c. Vide ex una

una parte pietatem Domini Jeſu, & ex alia parte fidem, & orationem hujus cæci, qui fortiter ad ipſum clamabat, & perſeverabat, etiamſi increparetur à turbis, & hinc Chriſtus ipſum interrogavit, quid vis, ut faciam tibi? ô dulciſſimum verbum. & cæcus ad eum reſpondit, Domine, ut videam; & pius Dominus voto ejus annuit, dicens reſpice; ex quo patet quanta, & qualis ſit virtus fidei, & orationis, per quam, licèt videamur Chriſtum trahere ad nos, tamen magis nos ad ipſum trahimur, quando mente ad ipſum excitamur, & ſuprà nos excedimus. *Op. medit. c.* 61. *Luc. c.* 18. *v.* 40.

22. *Turbæ, mundanaque retrahunt à Chriſto.*

Et comminabantur ei multi, ut taceret, at ille multò magis clamabat. Vide hunc cæcum ad Chriſtum clamantem pro ſanitate recipienda, cui tamen multi obſiſtebant minis, & clamoribus, ne ad Chriſtum clamaret, & accederet; ô quot in mundo his turbis ſimiles, qui volentem ad Chriſtum accedere, ipſi ſervire, ſe his variis modis opponunt, obſiſtunt, reſiſtunt, & comminantur, & quid aliud ſignificant iſtæ turbæ niſi tumultus carnalium deſi leriorum, qui diſſipant cogitationes hominis, & perturbant vocem orationis, ne Jeſus ad illuminandum venire poſſit cor hominis; undè iſta nihil aliud ſunt, niſi obſtaculum inter nos, & Chriſtum, ideoque opus eſt importuna pulſatione. *Luc. c.* 5. *v.* 19. *& c.* 18. *v.* 39. *ſequent.*

23. *Oratio importuna quàm Deo chara.*

. *Et clamavit dicens, Jeſu Fili David, &c. & comminabantur ei, ut taceret, at ille multò magis clamabat.* Vide importunitatem piam, & ſanctam hujus cæci, quà mediante à Chriſto impetravit quidquid petiit, ut diſcamus, quòd Chriſtus à nobis exigit repetitam, & veluti importunam orationem, in hac enim valdè delectatur, & facilius concedit petita. *Luc. c.* 18. *v.* 38. *ſeq. op. medit. c.* 61.

24. *Verecundia alia Deo chara, alia vitioſa.*

At ille multò magis clamabat. Vide, quòd iſte cæcus importunus videtur, nec verecundatur clamare præſentibus tot populis, & ipſo Jeſu, ex quo diſcamus, quòd eſt verecundia Deo chara, & vitioſa: bona eſt, quando homo verecundè, & humiliter ad Deum confugit, nec verecundatur Deo ſervire, pœnitentiam agere, peccatum deponere, Deo gratias agere, & hæc verecundia, quia eſt fundata in divina confidentia ingerit ſimul importunitatem, & audaciam ſanctam, & à Deo impetrat petita: è contra verecundia vitioſa, dum homo pudorem habet Deo ſerviendi, pœnitentiam agere exteriorem, aliaque bona opera facere, hæc verecundia inimica eſt ſalutis, & mater peccati. *Op. medit. c.* 61.

25. *Ad orationem, & ad fidei actus nos excitare Deus intendit, cum nos tribulat.*

Quid vis, ut faciam tibi, &c. Nota, quòd Chriſtus non quærit ex ignorantia, ſed ideo, ut rogetur, & mentem ad orationem excitet, ſic & nobiſcum facit, cum nobis tribulationes immittit, tunc nobis intonat, quid vis, ut faciam tibi? intendens tali medio, veluti voce efficaci nos excitare, ut ad orandum ex vera fide, & pro remedio ad ipſum confugiamus, & talis eſt natura fidei, quantò magis vexatur, tantò magis accenditur, propter quod ſervi Dei in perſecutionibus non minuuntur. *Luc. c.* 18. *v.* 40. *ſeq.*

26. *Cæcitas, & mendicitas noſtræ humanitatis quanta, & qualiter à Chriſto ſublata.*

Et veniunt Jericho, & Filius Timæi Bartimæus cæcus ſedebat juxta viam mendicans. Ecce ſtatus noſtræ miſeræ humanitatis in hoc cæco expreſſus, qui & cæcus, & mendicans, & ſecus viam erat, & juxta Jericho: ſic genus humanum per peccatum amiſerat lumen ſupernum, erat mendicus per defectum gratiæ, & juſtitiæ, & hoc ob cupiditatem rerum temporalium, quorum inſatiabilitas ſignificatur in Jericho, quod interpretatur luna, & ideò erat extra viam veritatis. & væ nobis, ſi Chriſtus non tranſibat de Cœlo in mundum infirmitatem carnis noſtræ ſuſcipiens, ut ad cognoſcenda, & amplexanda divina rediremus, undè ad reaſſumendam gratiam à primo homine perditam, nos reintegraret. *Luc. c.* 18. *verſ.* 35.

27. *Creaturæ omnes nobis inſinuant notitiam Creatoris, & Redemptoris.*

Qui cum audiſſet, quia Jeſus Nazarenus eſt, cœpit clamare, & dicere Jeſu Fili David, &c. Sanctus Lucas ait, *Dixerunt autem ei, quòd Jeſus Nazarenus tranſiret.* Quinam fuerunt, qui tranſitum Jeſus indicarunt cæco? iſtæ fuerunt turbæ, quæ Chriſtum comitabantur; myſticè ſunt creaturæ omnes, quæ interroganti, ſcilicet conſideranti decurſus creaturarum hominem manuducunt, veluti liber patens in notitiam Creatoris, & loquentes nobis per verbum, reſpondent nobis de Verbo incarnato, & teſtimonium perhibent nobis de ipſo. *Luc. c.* 18. *v.* 36. *ſeq.* De hac materia, quomodo creaturæ nobis oſtendunt generationem æternam & temporalem Chriſti. *V. ſer.* 11. *Hexam. & opuſc. Itiner. mentis.*

28. *Jeſu nominis virtus quomodo illuminat, & ſanat noſtras infirmitates.*

Cœpit clamare, & dicere; Jeſu Fili David miſerere mei. Vide quàm digna fuerit oratio hujus cæci, in hoc, quod clamavit, oſtendit ſe habere exceſſum deſiderii, in hoc, quòd dixit Jeſu, oſtendit ſe habere fiduciam ſpei in hoc nomine Jeſus, ideſt ſalvatoris; in hoc, quod dicit Fili David, oſtendit ſe habere intelligentiam fidei, qua credimus Chriſtum ex ſemine David natum; & per hoc inſtruimur qualiter ad virtutem hujus

Digitized by Google

nominis confugere debemus, ſcilicet fide, & ſpe, & fiducia firma armati, *In Lucam cap.* 18. *verſ.*38.

29. *Divinæ vocationis ordo in hoc cæco expenditur, & obedientia vocati.*

Et ſtans Jeſus præcepit illum vocari, & vocant cæcum dicentes ei, Animæquior eſto, ſurge, vocat te, qui projecto veſtimento ſuo exiliens venit ad eum. Ecce ordo divinæ vocationis; nam primò Chriſtus ſtans oſtendit pietatem ſuam, qua vocat, & expectat peccatores, nam ſine hac vocatione ex imperio Chriſti proveniente, nemo poteſt ire ad Chriſtum, & ideò vocat nos multipliciter non ſolùm per ſeipſum, ſed & per Apoſtolos, & ſuos miniſtros, imò per omnes creaturas, quæ clamant ad nos, & excitant ad Deum cognoſcendum, & amandum. unde iſti cæco dicebant, Animæquior eſto, ideſt perſevera pulſans, ne afficiaris tædio; ſubditur poſt vocationem ſurge, ſcilicet per pœnitentiam, quia vocat te, ad imperium Creatoris, & ſalvatoris, ideò ne contemnas ad eum venire: Cæcus autem vocationi reſpondens primò veſtimenta abiicit, ſcilicet perfectè converſus temporalia pro Chriſto reliquit, ſecundò in pedes exilit oſtendens ſuæ voluntatis fervorem, non enim lentè, & paulatim ſurrexit, ut multi faciunt differentes converſionem ſuam de die, in diem ſed illico, ac confeſtim in pedes conſiſtit; tertiò protinus ad Chriſtum curvit, ut oſtenderet profectum operis, ex amore, & confidentia miſericordiæ ſalvatoris; ad hoc enim provocat, cum nos invitat. *Luc.c.*18.*v.*38.*ſeq.ſer.*1. *Dom.*2.*poſt Pentec.ſer.*1.*Dom.*8. *Pentec. De hoc ordine vocationis Vide lib.*2.*d.*28.*a.*1. *q.*1. *ad argum. ſer.*5.*&* 6.*Pentec.*

30. *Chriſtus nos vocat, & quærit, ut ipſum nos quæramus, & rogemus.*

Et reſpondens Jeſus dixit illi, quid tibi vis faciam? S.Lucas legit *& cum appropinquaſſet, interrogavit illum, dicens quid tibi vis faciam?* Nota. quòd iſti duo Evangeliſtæ non videntur ſimul conſentire; nam S. Marcus dicit, quòd Chriſtus reſpondit dicens quid tibi vis faciam? & S.Lucas dicit, quòd priùs ipſum interrogavit? ſed tamen ambo conſentiunt in unum ſenſum: Chriſtus reſpondit clamori cæci ipſum interrogando, non quòd ignoraret, ſed ut ad orandum, & petendum cor ejus vehementiùs excitaretur; in quo apparet liberalitas dantis, quia offert ſe beneplacito poſtulantis. *Luc.c.*18.*ad finem.*

31. *Petitionum noſtrarum terminus, & finis ſit luminis acquiſitio.*

Cæcus autem reſpondit, Rabboni ut videam. Ecce, quòd non petit aurum, vel aliquod temporale bonum, ſed tantùm lumen; Imitemur & nos hunc cæcum, petamus à Chriſto lumen cœleſte, ut ipſum cognoſcamus, & amemus, Domine ut videam, ſcilicet te cognoſcam, hoc ſit terminus, & finis noſtrorum deſideriorum, & petitionum. *Luc.c.*18.*ad finem.*

32. *Fides impetrat quidquid digne petitur.*

Vade fides tua te ſalvum fecit. Ecce quid operatur vera fides viva; hæc enim impetrat quidquid petit; impetrat lumen cœleſte, & infuſionem gratiæ, & hinc ſubdit, & ſequebatur eum in via per gratitudinem, & ſubjectionem obedientiæ. *Luc.c.*28.*in fine.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd hucuſque actum eſt de doctrina Chriſtianæ Religionis, in ſequentibus verò, maximè in hoc capite cum agatur de ingreſſu Chriſti in Jeruſalem ſedentis ſuper pullum, & à turbis ſimplicibus cum triumpho ſuſcepti, myſticè traditur de ſuſceptibilibus ejuſdem doctrinæ Chriſtianæ, ſcilicet de populo Gentili, & de rejicientibus ipſam ſcilicet de populo Judaico.*

CAP. XI.

2. *Obedientia, & miſericordia duxit Chriſtum ad locum Paſſionis.*

ET cum appropinquaret Jeroſolymæ, & Beth-aniæ ad montem olivarum, mittit duos ex diſcipulis ſuis, &c. Nota, quòd Chriſtus ad civitatem Jeruſalem volens incedere, priùs ad montem oliveti, & Beth-aniam ſeceſſit; & cur fit mentio in hoc itinere ad civitatem regiam, de inceſſu ad montem olivarum, & ad Beth aniam? Sed id non caret myſterio: mons enim olivarum ſignificat unctionem miſericordiæ, & Beth-ania interpretatur domus obedientiæ, ut diſcamus, quòd obedientia, & miſericordia duxit, & attraxit Chriſtum ad locum Paſſionis, & ad crucem. *Luc.c.*19.*v.*29.

3. *Obedientia, & miſericordia opera attrahunt ad nos, & approximare faciunt Chriſtum.*

Et cum appropinquaret Jeroſolymæ, & Beth-aniæ ad montem olivarum. Nota etiam, quòd non ſine myſterio notatur hæc approximatio Jeroſolymæ per Beth-aniam, & montem olivarum, ut diſcamus, quòd obedientia, & opera miſericordiæ attrahunt, & approximare faciunt Chriſtum Jeroſolymæ, ſcilicet animæ fideli. *Luc.cap.*19.*ibid.*

4. *Religio*

Digitized by Google

4. *Religio domus eſt obedientiæ, in quam Chriſtus libenter intrat.*

Nota etiam, quod Bethania ſignificat ſtatũ Religioſum, qui eſt domus obedientiæ, in quam Chriſtus libenter intrat, & ſua dona partitur; ergo ubi obedientia abeſt, ibi & abeſt Chriſtus: *Luc.c.19.ibid.* Alia myſteria expenſa in hoc ingreſſu triumphali Chriſti in Jeruſalem habes. *in Matth.c.21.*

5. *Triplex gradus Deo ſervientium præfiguratus in hoc aſcenſu Chriſti ad montem olivarum.*

Et cum appropinquaret Icroſolymæ, & Bethaniæ S.Lucas *præmittit, ad Bethphage, & Bethaniam, ad montem olivarum:* Nota, quod hic tria commemorat Evangeliſta, nempe Bethphage, Bethaniam, & montem olivarum, illa autem duo loca erant in hoc monte oliveti: Bethphage interpretatur domus buccæ, ſignificatque domum confeſſionis, & pœnitentiæ: Beth-ania domus obedientiæ; mons olivarum eminentiam ſapientiæ, quâ anima inungitur donis cæleſtibus; & per hæc tria ſignificantur modus, & gradus, quibus anima appropinquat ad Jeſum; primus gradus eſt pœnitentiæ, ſecundus obedientiæ, tertius eſt contemplationis primus eſt incipientium, ſecundus proficientium, & tertius perfectorum. *Luc.c.19.v.29.*

6. *Chriſtus binos Apoſtolos mittit ad ſolvendum jumentum: taliſque miſſionis arcana enodantur.*

Mittit duos ex diſcipulis ſuis, & ait illis, ite in caſtellum, quòd contra vos eſt, & ſtatim introeuntes illuc invenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo hominum ſedit, ſolvite illum & adducite. Ecce quid fecit Chriſtus converſurus totum mundum: miſit duos diſcipulos, per quos univerſitas diſcipulorum, & miniſtrorum miſſorum ad convertendum mundum, & maximè populum Gentilem ſignificatum in pullo, deſignatur; duo autem mittuntur, tum ad commendandum nexum charitatis Dei, & proximi, quæ in diſcipulis Chriſti, & Prædicatoribus debet vigere; tum propter duplicem ordinem prædicantium ad Gentiles, & Judæos; tum propter ſcientiam veritatis, & munditiam operis in ipſis relucentem; ipſoſque miſit in caſtellum contrarium, ſcilicet in mundum totum immerſum in erroribus, & peccatis. *Luc.c.19.v.30.*

7. *Triplex munus Prædicatorum in hac miſſione innuitur.*

Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, ſolvite pullum, & adducite mihi. Nota hæc tria, ite, ſolvite, & adducite, quæ ſignificant triplex munus Prædicatorum, ſcilicet ire ad prædicandum, miſſos ſcilicet à Chriſto, & ſuperioribus; ſolvere peccatores, & convertere, eoſque converſos adducere ad Chriſtum; undè notandum, quòd ſecundùm Marcum, Lucam, & Joannem mittuntur ad ſolvendum pullum, cui nemo unquam inſederat; ſecundum Matthæum mittuntur ad ſolvendum quidem pullum, ſed & aſinam; hujus diſſonantiæ (apparentis tantùm) cauſa eſt, quia Matthæus ſcripſit ad Hebræos ideò addidit & aſinam ſignificantem ſynagogam, ut ſignificaretur quòd diſcipuli mittendi erant etiam ad Judæos, ut ad Chriſtum converterentur, & quòd etiam ipſis porta ſalutis pateret Chriſtum aperta fuit, dummodò convertantur; alii tres Evangeliſtæ ſcripſerunt ad Gentiles ſignificatos in pullo, ad quos præcipuè mittendi erant diſcipuli, qui erant indomiti, & in omnibus vitiis immerſi. *Luc.c.19.v.31.*

8. *Apoſtoli Chriſti ad Deum variis modis adducunt peccatores, ſicut & diaboli ſequaces ad ipſum ducunt ſuos ſequaces.*

Solvite, & adducite mihi. Hoc præcepit Chriſtus ſuis Apoſtolis, ut ſcilicet adducerent ad ipſum peccatores ſolutos, & converſos, quos Chriſtus multipliciter trahit ad ſe, ſcilicet vel internis inſpirationibus, vel cæleſtibus revelationibus, vel blanditiis ſpiritualibus, vel minis, vel caſtigationibus, & flagellis, quæ omnia nomine Apoſtolorum, ſcilicet nunciorum Chriſti veniunt; Apoſtoli autem diaboli adducant ad ipſum homines blanditiis, muneribus, malis conſiliis, & perſuaſionibus, minis, flagellis, malis exemplis, ut eos ad infernum præcipitent. *Ioan.c.6.v.47.ſer.1.& 2.ſer.4.Pentec.*

9. *Iuſtus moratur in via; impius extra viam, & in bivio.*

Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio, & ſolvunt eum. Nota hic pulcherrimum myſterium expreſſum in illis verbis ante januam, extra viam in bivio, & per hoc ſignificatur, quòd peccator ſequens diabolum vivit extra viam, ſcilicet extra Chriſtum, ab ipſo ſeparatus in bivio, ſcilicet ſine lege, ſed erroribus pluribus irretitus, ligatuſque à diabolo in collo, manibus & in toto homine vinculis peccatorum; undè patet ſtatus miſerabilis exiſtentis, & viventis in peccato: juſtus autem vivit in via, ſcilicet in Chriſto, ipſique unitus, & ideò ſecurè incedit per viam ſalutis. *Luc.c.19. v.33.ſer.1.& 3.Dom.11.Pentec.*

10. *Chriſti & obedientiæ virtus quanta contra diabolum, mundum & carnem.*

Et quidam de illic ſtantibus dicebant illis, quid facitis ſolventes pullum, qui dixerunt eis, ſicut præceperat illis Jeſus, & dimiſerunt eis. Vide, quòd ſtatim ac Apoſtoli manus extendunt ad ſolutionem pulli, ſe multi Domini opponunt eis; quid eſt hoc? Dat hic intelligere, quòd Apoſtolis volentibus ſolvere, & convertere animas à vinculis peccatorum, & ad Chriſtum adducere ſtatim accurrunt hoſtes reſiſtentes eis, ſcilicet Dæmones, vitia, malæ inclinationes, peccata, mali homines, & diaboli membra ponentes obſtacula gratiæ; attamen Chriſti miniſtri opponentes Chriſti imperium, & virtutem obedientiæ omnia ſuperant obſtacula, ex quo apparet virtus divini imperii, nam audito Chriſti Jeſu nomine obmuteſcunt; apparet etiam virtus obedientiæ quantæ ſit efficaciæ, quia ei, cui obedit,

dit, nullus valet contradicere Dominus. *Luc. c.19.v.35.*

11. *Chriſtus Ieſus ſuam humilitatem ſemper oſtendit in omnibus ſuis actibus.*

Et qui præibant, & qui ſequebantur clamabant dicentes: Hoſanna: Benedictus qui venit &c. Mirum verè eſt quod hic dicitur: Aliàs Chriſtus fugit volentes ipſum eligere in Regem, nunc verò ſponte has acclamationes populorum recipit? ſed attende ad humilitatis magiſtrum, nam voluit ex una parte cum tali triumpho intrare in Ieruſalem propter myſterium, ſcilicet ad ſignificandam vocationem gentium, & Iudæorum, & quòd ad moriendum in civitate Ieruſalem voluit ire veluti triumphans, tum & propter exemplum, nam uſus eſt animali viliſſimo, & deſpecto ad conterendum ſupercilium ſuperborum, & ut reluceret virtus humilitatis in omnibus ſuis actibus. *Luc.c.19.v.36.&c. ad 40.71.*

12. *Chriſtus velut pauperculus à mundo deſpectus expenditur.*

Et circumſpectis omnibus, cum jam veſpera eſſet hora, exiit in Beth-aniam cum duodecim. Quid eſt, quòd circumſpexit Chriſtus? & circumſpectis omnibus, cur circumſpexit? ſed attende ad mirabile myſterium: Chriſtus cum mirabili triumpho, & concurſu populorum applaudentium ingreſſus eſt in civitatem Ieruſalem & poſtquam in templo oraſſet, & prædicaſſet populis Verbum Dei, cum eſſet hora veſpera circumſpexit omnia, ſcilicet ad omnes partes, nempè ſi quis eum hoſpitio ſuſciperet, tantæ enim paupertatis erat, & ita nulli adulatus, ut in tanta urbe nullum hoſpitium inveniret; & conſtat, ſi voluiſſet hoſpitium conducere, inveniſſet ad conducendum, ergò circumſpiciebat tamquam pauperculus, & mendicus, ſed tamen ab omnibus deſpectus, & derelictus; ô munde traditor, & proditor: ô audite omnes, qui profeſſi eſtis pauperratem, quàm pauper Filius Dei extitit Rex Angelorum, dum vixit in mundo; ô beata paupertas à Chriſto toto corde & amore deſponſata. *Op.de Paup.Chriſti qu.1.a.2.op. de perfect. vita c.3.op.medit.c.71.in Thren.c.3.*

13. *Chriſtus libenter moratur in domo obedientium, qui tamen etiam inobedientes vocat ad ſe.*

Exiit in Beth-aniam cum duodecim, & alia die cum exirent à Beth-ania, eſuriit. Vide quod cum non inveniſſet in civitate Jeruſalem, qui eum hoſpitio reciperet, exiit, & abiit in Beth aniam ſcilicet ad domum Magdalenæ, ubi refectionem ſumpſit, poſtea alia die exiit è Beth ania, & eſuriit; cur ſi eſuriit, non rediit ad eamdem domum? ſed iſta omnia referta ſunt maximis miſteriis; Ibat frequenter Chriſtus, & morabatur in Beth-ania, ſcilicet in domo obedientiæ, quia obedientes ſunt Chriſto dilecti; ſed ut oſtenderetur, quod ejus deſideria non ſolùm ad ſalutem obedientium tendebant, ſed etiam inobedientium, notatur, quod exiit è Beth-ania, & eſuriit ſcilicet ſalutem fidelium, & infidelium vult enim omnes homines ſalvos fieri *Luc. c.19. & cap.4.verſ.1.Ioan.c.4 v.33. & collat.23 ſerm.5. & 6. de Apoſtol.*

14. *Veplantis, quæ in viridario Eccleſiæ folia tantum & flores, non fructus habent. & væ magis illis, quæ producunt peſſimos fructus.*

Cumque vidiſſet à longe ficum habentem folia, venit ſi quid fortè inveniret in ea, & cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia, non erat tempus ficorum, & reſpondens dixit ei. jam non amplius in æternum ex te fructum quiſquam manducet, &c. Et viderunt ficum aridam factam à radicibus. Nota quod Chriſtus dicitur veniſſe videre, an illa arbor fructus haberet, non quod ipſe id neſciret, ſed venit, ut deſignaret myſterium multiplex, & præcipuè reprobationis Judæorum; ſed cur ficui maledixit non habenti fructus, ſi alieno tempore fructum in ea quæſivi? Ecce quale myſterium; per hanc ficum intelligitur quilibet homo, præcipuéque fidelis, qui omni tempore tenetur producere fructus operum bonorum; undè dat per hoc intelligere, quod ſubjacet maledictioni illa planta, quæ folia tantùm verborum vel exterioris converſationis, & profeſſionis fidei habet abſque fructibus, & multò magis ſubjacebit maledictioni quæ peſſimos, & marcidos fructus gignit loco bonorum operum: Chriſtus enim à nobis quocumque tempore exigit bona opera, & ſanctitatem vitæ. *Ser. 3. Dom.13. poſt Pent.op.medit.c.77.*

15. *Infructuoſitas plantarum myſticarum Eccleſiæ iterum retunditur.*

Cumque vidiſſet à longè ficum habentem folia, &c. Cur uſus eſt Chriſtus hac metaphora ficus ad explicandam infructuoſitatem hominum? optimè per ficum talem infructuoſitas hominum explicatur; primo quia ficus habet folia multa, & magna, & ideo optimè arguitur negligentia illius, qui magna habet verba, & magnam apparentiam, qui benè loquitur, & malè operatur: ſecundò quia folia ſunt manui ſimilia, & per hoc reprehenditur maximè negligentia ejus, qui alios ad operandum invitat, cum ipſe nihil operetur: tertiò quia fructus ejus eſt ſuavis, & ideo maxima reprehenſione, & pœna dignus eſt qui ob negligentiam opera bona, quæ ſunt tam ſuavia, producere negligit, ô quam ſuavia, & dulcia, ſuavia autem ſunt virtutum opera inchoanti, ſuaviora proficienti, ſuaviſſima jam virtute conſummato, meritò igitur reprehenditur Chriſtianus, & maxime Religioſus, qui in Eccleſia plantatus folia tantùm, non fructus producit. *Luc.c.13.v.9.*

16. *Cur Chriſtus poſt triumphum, quo ingreſſus eſt in civitatem rectà templum adiit; ubi varia myſteria digniſſima enodantur.*

Et veniunt Ieroſolymam, & intravit in templum, &c. Sic habet S. Marcus hic; & S. Matthæus c.21. Nota primò, quod Jeſus non arcem Sion, aut Regiam petit, ne terrenum regnum age-

re videretur; voluit enim tunc oſtendere ſe eſſe Regem, ſed non de hoc mundo, ſed ad templum Dei ſe contulit, domum ſcilicet Patris ſui, ut oſtenderet ſuam regiam poteſtatem eo tendere, ut homines ad Deum, Deique cultum adduceret; finit in templo Chriſti triumphus, ac ſi Dei Patris cultus, qui in templo fit, eſſet illius conſummatio. Ad cultum ergo Dei Chriſtus nos invitat primò interiorem, ſecundò exteriorem quia ſoli Deo debetur tanquàm principio creationis, & fini beatificationis; & ad hoc in Eccleſia exercentur exteriores oblationes, ſacrificia, adorationes, & ſimilia quæ ſunt ſigna proteſtantia interiorem cultum, qui ſoli Deo debetur. *Op. de dono piet. c. 2.*

17. *Secundò Chriſtus ſtatim in templum introivit, antequam ad alia ſe divertieret*; ut nobis oſtenderet, quòd ſemper divina magis curanda ſunt, quàm temporalia: non declinat Chriſtus in hoſpitium; ſed in templum it, divini honoris major illi cura, quàm proprii commodi: undè rectè dixit Matth. c. 6. *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis. Ser. 2. & 3. & 4. Dom. 14. Pentec.*

18. *Tertiò venerat Chriſtus in Jeruſalem tamquam medicus animarum*; ad templum ſtatim it, ut morbi originem, ad modum periti medici, ſtatim tangeret; origo autem mali, quo tota penè Urbs obſidebatur erat templi, & rerum divinarum neglectus; medicina igitur huic morbo adhibenda, ut morbus omnis in aliis tolleretur, nempè ubi Dei cultus in templo Dei negligitur ægrè curari alii morbi poſſunt, cum ab hoc omnia ferè originem ducant: Attendant iſta ſacerdotes irreligioſi, qui templis & Eccleſiis reverentiam non exhibent, qui cultum Dei proſternunt, qui ſuis ſceleribus ipſum maculant, & hinc remedium incepit à ſacerdotibus, & miniſtris Eccleſiæ, quia ex ipſorum bona, vel mala vita dependet omnis ſalus, vel ruina totius populi. *Ser. 1. dedicat. Thren. c. 1. & 2.*

19. *Prophanatores Eccleſiæ graviter à Deo puniuntur: Vide quæ dicta ſunt in Matth. c. 21.*

20. *Eccleſia domus orationis, & cultus divini eſt, ideò nihil prophanum in ea exercendum: ibid.*

Nota, quòd dicit S. Marcus, *& non ſinebat, ut quiſquam transferret vas per templum*; nempè quia communiter, ut breviorem viam agerent, tranſibant ex foro pecuario ad ſuperiorem urbem, & ad regiam Salomonis per templum, ne atrium circuirent, & ut longiorem viam fugerent, tranſibant inquam anciliæ, & alii omnis varias res prophanis: Chriſtus verò eos inhibuit, & voce jubendo, & manu eos ſiſtendo, & redire cogendo, & ſi hoc fecit Chriſtus in illo templo, quid de templis noſtris feciſſet? Audiant, & attendant ad hæc præfecti templorum, & Eccleſiarum Prælati.

21. *Oratio cum fiducia perfecta in Deum omnia impetrat.*

Habete fidem Dei, &c. omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & eveniet vobis Nota, quod hic Chriſtus extollit mirabiliter virtutem fidei, per quam prodigia, & portenta, & miracula fiunt: ſed hæc fiducia ſpecialiter eſt habenda in oratione, quæ eſt ſignum, & inditium, & medium exauditionis; Nota tamen, quod quando pro voto non ſuccedit ſtatim quod petis, non debes diffidere, ſed perſeverare pulſando, donec amicus quaſi victus improbitate ſupplicantis tibi det, quod poſtulas. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. cap. 67. op. Regul. Novitior. cap. 2. Luc. cap. 7. verſ. 10. & cap. 11. verſ. 1. & 2. Pſal. 118. cap. 11. verſ. 9. ſer. 5. de uno Confeſſ.* Alia, quæ in iſto capite conſequuntur expoſita ſunt in cap. *Matthæi c. 11. & c. 21.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod confutando perfidiam Phariſæorum proponit parabolam vineæ, ut per eam exprimat cauſam juſtam reprobationis ſynagogæ: ſecundò reſpondet quærentibus an liceat dare tributum Cæſari; tertiò probat Reſurrectionem contrà Saducæos: quartò docet maximum præceptum eſſe de diligendo Deum: quintò monet, ut vitent faſtum, & avaritiam Scribarum, & tandem laudat viduam dantem duo minuta, &c. Nota autem, quod hæc parabola expoſita eſt in Matth. c. 21.*

CAP. XII.

2. *Deus permittit impios in Eccleſia divites ad ſuſtentationem juſtorum.*

Vineam paſtinavit homo, & circumdedit ſepem, &c. Quid eſt paſtinare? hoc eſt non ſolùm plantare vites, ſed & paxillare eas, ut paxillis ſuſtententur; ſed cur Deus in vinea ſua admittit vltra vites fructuoſas, etiam baculos infructuoſos, & aridos? Ecce perbellum myſterium: Hæc vinea eſt Eccleſia, in qua ſunt boni cum malis, ſcilicet juſti & impii, & cur in ſua vinea hos iniquos permittit? hoc ordinat ejus divina providentia ad profectum juſtorum; ſicut enim agricola aliquas infructuoſas arbores in vinea tolerat, quæ ſuſtinent vites; ſic ſummus agricola Deus in vinea ſua, ſcilicet in Eccleſia tolerat divites, qui cum eorum eleemoſynis ſuſtentant pauperes, & per hoc facit, ut reſecentur ſuperflua, ut aliquando etiam ipſi fructuoſi ſint. *Op. Diat. tit. 2. c. 7.*

3. *Ingrati ex multiplicatione beneficiorum ingratiores, & iniquiores fiunt.*

Hic eſt hæres; venite occidamus eum, &c. Vide quomodo iſti improbi majoribus affecti benefi-

cis pejores fiunt, ideo meritò à Chriſto privati ſunt, & puniti; ó quot Chriſtiani ſimiles Judæis, nam plurimi ſunt, qui gratiis & ſacramentis ditati aliiſque bonis Chriſtum deſerunt, Chriſtum impugnant, & fugienti diabolo occurrunt. *Ser 2 Dom 6. Pent.*

4. *Quæſtio de tributo dando Cæſari fusè expoſita eſt in Matth. c. 22.*

5 *Redde prius Cæſari quod ſunm eſt, antequam ſua reddas Deo.*

Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Si tam Cæſari, quàm Deo ſua reddenda; cur primo loco ponit Cæſarem, & non potius Deum? ſed ad litteram reſpondetur, quia quæſtio erat de Cæſaris tributo, ſed tamen talis ordo myſterio vidus non eſt: Cæſar mundum ſignificat, qui vult ergo Deo perfectè ſervire, priùs mundo renuntiet mundana omnia, ut cum ſolvendum eſt Deo, quod Dei, nulla Cæſaris, & mundi cura tangat, & impediat, & penitus à rebus alienis ſimus liberi; & in hoc ſenſu dixit Chriſtus *Luc. c. 14. Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus;* omnes enim ſequentes Chriſtum, ipſique volentes ſervire, debent omnia renuntiare mundo vel affectu, vel etiam effectu. *Sermon. 2. in oct. Paſcha.*

6. *Paupertas Chriſti quàm aliena à pecunia.*

Oſtendite mihi numiſma cenſus, at illi obtulerunt ei denarium. Vide quàm paupertatis amator Dominus ſit, numiſma ſibi oſtendi petit, nec ex proprio marſupio protulit: cur hoc? quia non habuit; ut diſcamus quantùm abhorrebat pecunias, & quantum eas contemnebat; ubi enim pecunia eſt, ibi eſt amor ipſius, & ubi amor pecuniæ, ibi & viget cupiditas, & hinc & perditio; hinc eſt, quod Sanctus Franciſcus tam intensè uſum pecuniarum ſuis interdixit, ſciens quàm perniciosa ſit earum contrectatio. *Ser. 1 de S. Marco: op. Expoſ. Reg. c. 4.*

7. *Nuptiæ mortem ſecum præferunt; Virginalis ſtatus à morte immunis.*

Cum à mortuis reſurrexerint neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli in Cœlis. Digna quidem ſententia eſt hæc Chriſti contrà Saducæos, qui negabant Reſurrectionem mortuorum; In qua dat intelligere, quod connubia inſtituta ſunt propter filios, filii propter ſucceſſionem, ſucceſſio propter mortem, ubi ergo mors non eſt, neque connubia, ergo ubi connubia ſunt, ibi mors viget; ergo nuptialia gaudia mortem præferunt ſecum; ſi hoc cogitarent homines, pompæ coërcerentur, & terminus luxui poneretur; & cum *in S. Luc. c. 20.* addatur, neque enim vltrà mori poterunt; dat Chriſtus intelligere, quod Virgines ſunt ſimiles Angelis cæleſtibus, ſcilicet veluti incorporales, immortales, ſuprà tempus, & variationem motuum temporalium. *Luc. c. 20. v. 34 ſeq.*

8. *Charitatis in Deum, & proximum fundamentum, ornamentum, & complementum omnium præceptorum.*

Diliges Dominum Deum, &c. Nota, quod Chriſtus Dominus hic declaravit præceptum dilectionis Dei, & proximi, mandatorum omnium, & omnium virtutum fundamentum, undè dicit hoc eſt primum mandatum; item & ornamentum, undè dicit mandatum novum do vobis, & omnium complementum, undè dicitur maximum mandatum. *Pſal. 118. c. 6. v. 16. & c. 8 v. 1. Luc. c. 10. v. 27. & 12.* De hac ampliſſima materia, vide quæ fusè dicta ſunt in Matth *cap. 22.*

9. *Orantes, & docentes in Eccleſia alii ſunt verè orantes, & docentes; alii aucupes laudum, & vanitatum.*

Cavete à ſcribis, qui volunt in ſtolis ambulare, & ſalutari in foro, qui devorant domos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis. Cur à ſcribis potiùs, quàm ab aliis jubet Chriſtus caveri? hoc eſt, quia Scribæ erant Doctores legis, & quia vani, cupidi, avari ſimulatores, ad terrena inhiantes, hinc quia facilius ſeducit mala vita Doctorum, jubet, ut caveantur, & evitentur: Addit, quod prolixam orationem fundebant in Eccleſia, & ſi erant tam frequentes in longa oratione, cur jubet, ut caveantur? quia iſtorum oratio erat hypocritarum, quorum oratio eſt aucupium rerum terrenarum, Chriſtus autem talem orationem non acceptat, quia non eſt vera oratio, vera oratio eſt quæ eſt in Dei honorem, & gloriam. *Luc. capit. 20. ad finem.*

10. *Gazophylacium quid: ubi de oblationibus factis in templo.*

Et ſedens Jeſus contrà gazophylacium, aſpiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, &c. Quæritur quodnam ſit hoc gazophylacium? Reſpondetur, quod dicitur à Gazis, ideſt divitiis, & philaca, quod eſt locus cuſtodiæ, & ideo erat arca, ſeu repoſitorium pecuniæ, habens foramen deſuper (uti ſunt capſulæ noſtræ Eccleſiarum) & alio nomine dicebatur Corbona, per quod mittebantur oblationes ingredientium, & egredientium, quæ inſerviebant pro neceſſitatibus templi, fiebant autem iſtæ oblationes triplici ex cauſa, ſcilicet ad reverentiam cultus divini, propter indulgentiam peccati, ſcilicet ad remiſſionem obtinendam peccatorum, & pro gratiarum actione pro collatis beneficiis. *Luc. c. 21. v. 1.*

11. *Deus non perpendit quantum in ſacrificio, ſed ex quanto affectu detur.*

Amen dico vobis quoniam vidua hæc pauper plus omnibus miſit qui miſerunt in Gazophylacium. Quomodo hoc verum? cum ſuprà dicat, quod multi divites jactabant multa? ipſa autem vidua ſolum duo minuta? Ecce perbellum myſterium: Nota, quod ſuprà dictum eſt, quod ſedens contrà gazophylacium aſpiciebat quomodo turba

Digitized by Google

turba jactaret æs in gazophylacium; Nota inquam quòd non dicit, quod aſpiciebat quid jactaretur, ſed quomodo; quid eſt hoc? hoc eſt, quòd Chriſtus aſpiciebat non illud materiale jactatum in corbonam, ſed affectum, quo offerebatur, nam vidua illa dedit, quod habuit, etiam ſibi ſuſtentationi neceſſarium, & ultra hoc aliud etiam dedit, nempè cor; ut videas, quòd offerentis animus animat, & informat oblationem; exuit exiguitatem munus exiguum, ſi grandi animo offeratur; ideò rectè dicitur, quòd plus omnibus miſit in gazophylacium, quia non ex ſacculo duobus minutis addidit, ſed ex corde, & affectu, quia multò plura dediſſet, ſi habuiſſet. *Luc. c.21. v.2. ſeq. op. Eccleſ. Hier. p.1. c.4. op. de paupert. Chriſti art.1. in princip.* Et hinc Seraphicus Pater Sanctus Franciſcus dicebat, quòd pauper poteſt eſſe magis largus, & liberalis in dando, quàm dives.

12. *Oblatio de re tibi neceſſaria ſuper omnes Deo chara.*

Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miſerunt, hæc verò de penuria ſua omnia, qua habuit miſit totum victum ſuum. Hæc eſt ratio dicti Chriſti, ſcilicèt quod vidua dicitur plus cæteris dediſſe: quia cæteri ex eo quod abundabant; ſcilicet ex ſuperfluis dabant; at iſta mulier totum, quod habuit, & quod ſuo victui erat neceſſarium, dedit; de cætero confidens in Deo, quòd ſibi non defuturus eſſet; & hic eſt altiſſimus ſtatus paupertatis Chriſtianæ. *Op. de Eccleſ. Hier. p.1. c.4. op. de paupert. Chriſti. q.1. a.1. in princ. Luc. c.3. v.11. & c.21. v.4.*

13. *Anima, ut ſit Deo chara, ſit vidua, & paupercula.*

Cumque veniſſet vidua una pauper miſit duo minuta. Ecce quid tibi faciendum eſt, ſi vis, ut oblationes tuæ Deo ſint acceptæ ſis vidua, & paupercula, vidua, ſcilicet ſequeſtrata à Mundo, quantùm ad affectum carnalitatis, omnem tuam delectationem ponens in Chriſto; & ſimul paupercula, quia quantùm ad effectum terrenitatis, ſequeſtrata eſt ab omnibus terrenis; hæc quidem duo æra minuta talis anima offert Chriſto, ſcilicet mortificationem carnis in quantum eſt vidua, & paupertatem Spiritus, in quantum eſt paupercula. *Luc. c.21. v.4.*

14. *Superbi ex abundanti Deo ſua munera offerunt, humiles ex neceſſariis.*

Cumque veniſſet vidua una pauper, &c. Nota; quòd allegoricè per divites offerentes ſua munera ſignificatur ſynagoga; per viduam Eccleſia à Chriſto fundata; nam Judæi ex abundanti offerunt Deo, ſcilicet propter præſumptionem; unde in perſona Phariſæi dicebat, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum: Eccleſia verò eſt hæc vidua, de gentibus congregata, quæ totum Deo offert, quod habet, ſcilicet à Deo totum recognoſcit; offert autem Deo duo minuta, ſcilicet fidem, & charitatem cum humilitate, undè ipſa eſt ſponſa Chriſti valdè accepta. *Luc. cap. 21. verſ. 4.*

15. *Vidua ſit anima, &c.* Nota etiam, quòd in hac vidua exprimitur caſtitas, humilitas, & paupertas animæ, quæ perducunt ad ſummum perfectionis apicem, & hæc diſcipulis Chriſti eſt propria. *Luc. c.21. v.4.*

16. *Duo minuta à nobis exigit Deus.*

Vidua una pauper miſit duo minuta, quòd eſt quadrans. Nota, quòd iſta duo minuta, quæ Chriſto fuerunt tam accepta, conſtituebant unum quadrantem, ſcilicet quartam partem aſſis, ideſt baioci, quorum decem conſtituebant denarium ſcilicet unum Julium Italicum, ſeu Regalem hiſpanicum, quadrans ergo erat unus quartinus cum medietate: iſta verò duo minuta exigit Chriſtus à nobis ſcilicet vel geminam charitatem Dei, & proximi, ſed cum humilitate exhibitam: vel mortificationem carnis, & paupertatem Spiritus; & talis oblatio à Deo acceptatur tamquam maxima, & chara. *In Lucam c.21. v.4.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quòd Chriſtus in hoc capite dat ſigna prævia excidio Urbis, & Orbis: Urbis Jeroſolymæ, ſcilicet abominationem deſolationis: Orbis prædicationem Evangelii per totum Orbem; ac ſolis, Lunæque obſcurationem, ac caſum ſtellarum; Et quia hic dies omnibus eſt ignotus, ideò docet omnes debere vigilare, & ad illum aſſiduè ſe præparare.

CAP. XIII.

1. *Homines mundani in ſola apparentia rerum figunt oculos; ſpirituales viri in cœleſtibus.*

Magiſter aſpice quales lapides, & quales ſtructura. Vide quomodo diſcipuli nondum exiſtentes ſpirituales magnificabant templum, quantum ad ſtructuram ædificii; ejuſque ornamenta; nec id mirum, quia mundani ſolùm ad apparentia exteriora aſpiciunt: Chriſtus verò, ut ipſorum deceptionem detegeret, dixit non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur, oſtendens omnia iſta temporalia momentanea, & caduca, nec in his cor figendum, ſed in cœleſtibus tantùm. *Luc. cap. 21. v.5.* Alia autem, quæ ad hanc rem faciunt. *Vide in Matth. c.24.*

3. *Nihil diu firmum poteſt ſtare, à quo Chriſtus abit.*

Et cum egrederetur de templo ait illi unus ex diſcipulis ſuis magiſter aſpice quales lapides, &c. & reſpondens Jeſus ait illi, Vides has omnes ædificationes? non relinquetur lapis ſuper lapidem, &c. Nota, quòd non ſine myſterio Chriſtus ad egreſſum templi prædicit ruinam ipſius; dat autem intelligere per hoc nihil diu firmum ſtare poſſe, à quo Chriſtus abit; ædificium omne ruit, ſi recedat Jeſus; ipſo enim abſente omnia mala occurrunt, ipſo præſente omnia ſtant. *Pſal.* 101. *Sap.c.* 4. *Luc.cap.* 8. *v.*40. & *c.*9. *v.*33. *ſermon.* 3. *Dom.*3. *poſt octav. Paſchæ. ſermon.* 4. *Dom.* 3. *poſt Epiph.*

4. *Sine cultu Dei ſtare regna non poſſunt.*

Et cum egrederetur de templo, &c. Vides has omnes ædificationes? non relinquetur lapis, &c. Cur ab egreſſu templi prædicit ruinam templi & civitatis: Ut videas, quòd egrediente Jeſu è templo, ideſt deficiente cultu Dei in templo, ſtare non poſſunt regna, nam prophanationes, & cultum Dei deſpicientes, & maximè Sacerdotes in cauſa ſunt ruinæ civitatum, & regnorum, unde infra addit, Cum videritis abominationem deſolationis ſtantem, ubi non debet, &c. ut diſcamus, quòd propter neglectum ſacrorum; & peccata Religioſorum veniunt ultiones divinæ. *Luc.cap.*21. *v.*22. *In Thren.c.*1. *& ſeq.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *In hoc capite agitur de unctione Magdalenæ; de proditione Judæ; de inſtitutione Euchariſtiæ: de oratione Chriſti in horto, aliaque conſequentia ipſius Paſſionis: Vide quæ dicta ſunt in Matth.c.*26. *ubi ferè totum hoc caput eſt expoſitum.*

CAP. XIV.

2. *Dies feſtos Dei impii commutant in feſta diaboli.*

ERat autem Paſcha, & Azyma poſt biduum, & quærebant ſummi ſacerdotes, & ſcribæ, quomodo Jeſum dolo tenerent, & occiderent. Nota, quòd non ſine myſterio Evangeliſta copulat ſimul feſtum Paſchæ & Azimorum, cum impietate ſacerdotum, & ſcribarum quærentium comprehendere dolo, & occidere Jeſum; cur hæc connexio? hoc eſt, ut diſcamus, quòd impii dies feſtos Dei, ejuſque cultui dicatos, convertunt in feſta diaboli cum hoc feſtum Paſchæ inſtitutum fuerit ad Deum colendum, ad gratiarum actionem pro exitu ex Ægypto ſummi Sacerdotes, & ſcribæ ipſum verterunt in feſtum diaboli quærendo in illo tempore occidere Chriſtum; unde dum juſti ſtudent celebrationi dignæ diei feſti ad Eccleſiam confluendo ad Deum laudandum, ad beneficia poſtulanda, ad agendum gratias Deo pro collatis beneficiis; impii è contra eum ipſæis feſta celebrant ad diaboli impulſum, ſcilicet occupati, & immerſi in luxuriis, comeſſationibus, ebrietatibus, aliiſque ſceleribus. *In Ioan. collat.*36. & 37.

3. *Populorum excidium eſt mala vita Sacerdotum.*

Et quærebant ſummi ſacerdotes, & ſcribæ quomodo Jeſum dolo tenerent, & occiderent. Nota ly ſummi Sacerdotes, & Scribæ; non dicit turbæ vel homicidæ, vel viarum graſſatores, ſed Sacerdotes, & ſcribæ quærebant occidere Jeſum, ideſt legis Doctores, & Religioſi, & ex conſequenti ipſorum ſubditi, & turbæ, ex quo apparet, quod ruina populorum, & civitatum ex mala vita Religioſorum, & Sacerdotum provenit principaliter, in quibus deberet potiſſimum vigere ſanctitas, & innocentia. *Luc.cap.*21. *v.*22. & *c.*22. *verſ.* 2.

4. *Impii conſilium cogunt in corde contra Chriſti vitam: Juſti, ut ipſum recipiant, & adorent.*

Quærebant ſummi Sacerdotes, & Scribæ ut Jeſum dolo tenerent, &c. Nota, quòd in his verbis comprehenditur conſilium jam factum ab ipſis ſummis ſacerdotibus, & conſiliariis Senatoribus Synagogæ, in quo decretum ſtabilitum fuit Chriſtum comprehendendi, & occidendi, unde hic patet diſcrimen conſilii impiorum, & juſtorum; nam impii conſilium cogunt in proprio corde, & ad ipſum advocant latrones, ſcilicet odium, invidiam, aliaque vitia, quæ tale cor reddunt ſpeluncam latronum; & cloacam diaboli contra Chriſtum? Juſti è contra cor ſuum efficiunt templum ſpirituale Chriſti ad ipſum venerandum, adorandum, & ſerviendum. *Vide ad hanc materiam plura ſerm.* 5. *Dom. infrà oct. Epiph. ſer.*4. *Dom.*4. *poſt oct. Paſchæ. ſerm.*3. *Dom. infrà oct. Aſcenſ ſer.*52. *Dom.*17. *Pentec. ſerm.*1. *Dom. infrà oct. Nativit.*

5. *Impiorum mos eſt ſub ſpecie pietatis contegere ſcelera majora.*

Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum eſt egenis. Et de Principibus Sacerdotum dicitur *Dicebant autem non in die feſto.* Nota, quòd Judas murmuravit de hoc bono opere Magdalenæ ſub ſpecie pietatis; quia proprium eſt malitioſorum unguentum devotionis convertere in cupiditatem, & ad murmurationem ſub ſpecie pietatis ſe vertere, quod vitium etiam occupavit Sacerdotes Synagogæ; nam decretum comprehendendi, & occidendi Chriſtum fuit factum cum hac conditione, ne fieret in die feſto tale ſcelus; cur hoc? cur non in die feſto? forſan ad majorem reverentiam diei feſti? hoc quidem prima facie apparet; imò S. Ioannes *c.* 11. *v.* 55. notat, quòd poſt decretum de morte Chriſti, proximum

Digitized by Google

mum erat Paſcha Iudæorum, & aſcenderant multi, ut ſanctificarent ſeipſos, ut videas, quòd iſti impii intendebant contegere ſuam invidiam, & ſcelera cum apparenti ſpecie pietatis; mirabilis quidem ſanctificatio, & purificatio fuit iſta cum contaminata voluntate, cum homicida mente, cum ſanguinolentis manibus, quia cruentum Paſcha ſanguine Domini volebant habere; & hinc in ſuo concilio dixerunt, non in die feſto, cur? ne tumultus fieret in populo; tumultum populi timent, ſed non tumultum Paſſionum, & vitiorum, quem ipſi in corde patiebantur. *In Luc. capit. 22. verſ. 1. Ioan. cap. 11. ad finem. ſermon. 2. Dom. 2. poſt octav. Pentec.*

6. *Cum iuſtis ſemper Chriſtus manet, etiamſi videatur abſens: cum impiis numquam, etiam præſens.*

Sinite eam, quid illi moleſti eſtis? bonum opus operata eſt in me, ſemper enim pauperes habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Nota, quòd in defenſione unctionis factæ à Magdalena, Chriſtus dicit, quòd non ſemper habebunt ipſum præſentem; & tamen alibi promiſit, Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi? quomodo ſubſiſtunt hæc duo dicta contraria? Reſpondetur, quòd cum Iuda, & contra Iudam murmurantem hæc dicebat Chriſtus, & quia in ipſo ſignificabatur corpus omnium malorum, dat intelligere, quod etiamſi videatur Chriſtus ipſis præſens, tamen ipſis verè eſt abſens, cum juſtis autem ſemper adeſt. *Ioan. c. 12. v. 7.*

7. *Deus ex providentia peculiari voluit inter divites eſſe pauperes ad ipſorum ſalutem.*

Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & cum voluerutis poteſtis illis benefacere. Ad quid hanc pronuntiat ſententiam Chriſtus Ieſus in defenſione Magdalenæ? Sed attende ad ſequentia, mulierem à calumnia vindicat, & mulieris opus commendat Chriſtus: ſed ne videretur ſe curam pauperum non agere, ait quòd ſemper pauperes habendi ſunt inter divites; ut doceat, quòd ex certa providentia ipſe voluit pauperes degere inter divites, eos relinquens pati penuriâ, cum potuiſſet eos divites facere, ut erga illos charitas divitum ſe exerceret; non enim vult, ut divitibus benefaciendi opportunitas deſit; qua in re conſultum eſt divitibus, in illorum quippè auxilium deſtinati ſunt pauperes; unde dicebat S. Baſilius, quòd Deus res inæqualiter diſtribuit aliis exiſtentibus divitibus, aliis pauperibus, ut dives bonæ diſpenſationis merita conſequatur, & pauper patientiæ braviis decoretur; Divitibus igitur offeruntur pauperes, ut ipſis ſubveniant, & propitiationem de peccatis inveniant. *Ser. 1. & 2. Dom. 10. Pentec. op. ſtim. p. 1. c. 14 op. Phar. lib. 1. c. 42. op. Bibl. Paup. c. 74.*

8. *Converſio Magdalenæ, & perditio Iudæ ad ſpem, ſimul & timorem nos excitant.*

Et Iudas Iſcariotes, &c. S. Matthæus dicit. *Tunc abiit unus de duodecim.* Nota tunc, ſcilicet quando mulier, eaque jam meretrix reſipiſcit, & ad Chriſtum advolat, tunc à Chriſto diſcipulus abit, Chriſti proditor futurus; & cur hoc permiſit Chriſtus? hoc fecit, ait Chryſoſtomus, ut videndo meretricem ad Chriſtum converſam de miſericordia non deſperes; ſed & Judam cogitando timore incutiaris, ut timor ſpei, & ſpes timori nectatur: Hoc (autem ait S. Bonaventura) diſpenſativè Chriſtus fecit ad timorem incutiendum, multi enim ſunt vocati, pauci electi, & ad juſtorum animum confortandum. *Luc. c. 22. v. 3.*

9. *Ne ſcandalizeris ſi in congregatione juſtorum aliquis cadit.*

Et Iudas unus de duodecim abiit ad ſummos ſacerdotes. Nota unus de duodecim, ut diſcas quòd ſi inter duodecim Apoſtolos unus cecidit, ne ſcandalizeris pro uno malo contra congregationem juſtorum. *Luc. c. 22. v. 3.*

10. *Peſſimus mercator provili pretio vendit Chriſtum quia à Chriſto abit.*

Unus ex duodecim abiit ad ſummos Sacerdotes, ut proderet eum illis: apud Matthæum dixit; *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam.* Vide quomodo iſte impius proditor Chriſtum veluti ad perticam exponit, ut ipſum venderet; & quo pretio? air, quid vultis mihi dare, & eum vobis tradam? ſcilicet ob quamcumque mercedem, & ob pretium quodcumque mihi deſignatum à vobis, ego eum vobis tradam: ô impiè mercator, ergone tam vilem exiſtimas Chriſtum, ut pro viliſſimo pretio poſſit juſtè tradi? ô avaritia quid facis? avaritia furorem hunc illi immiſit, ut magiſtrum ſuum proderet; propriam avarus ſalutem negligit, quid faciet de aliena? & ideò in hac locutione cum illis, qui ſitiebant ſanguinem Chriſti, pretium ſanguinis petiit, & ſitis cupiditatis commovebat Judam, & ſitis crudelitatis commovebat Principes Sacerdotum, & hinc ſimul in unum commercium perverſum, & impium conſenſerunt, unde gaviſi ſunt, & promiſerunt ei pecuniam ſe daturos, & ſic venditio Chriſti facta eſt: nec hoc mirum, nam avaritia neque Dominum timet, neque hominem reveretur, neque Patri parcit, neque Matrem agnoſcit, neque fratri obtemperat, neque amico fidem ſervat; ô quàm infelix mercator Judas, quàm infelices mercatores iſti Sacerdotes; quàm infelix mercator peccator, qui Chriſtum vendit, & animam propriam pro temporalibus, pro luxuriis, pro vitiis; quam grave quod mercatur, quàm vile quod appetitur, quàm glorioſum, quod amittitur, quàm infelix commercium fœda voluptate, vel vili lucro ardorem mercari ſempiternum. *Ser. 9. Rogat. ſer. 4. Dom. 6. Pentec.*

11. Mali aliquando intet bonos in congregationibus tolerandi ſunt, ne corpus Chriſti dividatur exemplo Chriſti, qui toleravit Judam furem inter ſuos Apoſtolos; cum enim ex ſeparatione iſtorum

major ſciſſura timetur, tunc ad evitandum majus malum tolerandi. *Ioan. c.12. v.3.* De Inſtitutione Euchariſtiæ. *Vid. in Matth. c.26. Item de oratione in horto, & captura, &c.*

12. *Chriſtus in ſe ſuſcepit infirmitates omnium.*

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, &c. ſurgite eamus. Cur Chriſtus voluit occupari hac triſtitia, & poſteà expoliari, unde viriliter occurrit Judæ, & miniſtris Judæorum? hoc fecit Chriſtus, quia voluit in ſe ſuſcipere infirmitates omnium, & etiam fortitudinem ferventium ſequacium ſuorum. *Op. Apol. Paup. Reſp. p.1. c.1. & de Paup. Chriſti. art.1.*

13. *Chriſtus ſuo exemplo ad patiendum voluntariè omnes pœnas etiam naturales excitat.*

Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, &c. Vide quàm horribilis fuerit in natura Chriſti ſenſibili imaginatio mortis, quia ob id dicebat. *Pater ſi fieri poteſt tranſeat à me calix iſte*; & quanta fuerit in ſpiritu Redemptoris pro diverſis cauſis anxietas, teſtes ſunt guttæ ſudoris ſanguinei ex toto corpore decurrentis in terram: Dominator Domine Ieſu, undè animæ tuæ tam vehemens anxietas, & anxia ſupplicatio? nonnè voluntarium omninò Patri ſacrificium obtuliſti? Verum, ut veram in te credentes noſtræ mortalitatis naturam, formemur ad fidem, & in tribulationum perpeſſione conſimili erigeremur ad ſpem, & majores erga te amoris ſtimulos haberemus, naturalem carnis infirmitatem hujuſmodi expreſſiſti evidentibus ſignis, quibus doceremur, quòd verè dolores noſtros pertuleris, & non abſque doloris ſenſu deguſtaveris amaritudines paſſionum. *Op. lignum vitæ, op. Diet. tit.6. c.1. ſer.7. de decem præcept. epiſt. ſim. p.1. c.6. Pſal.42. & 68. & 101. & 108. Luc. c.22. v.43. ſeq.*

14. *Vigilandum in oratione, ne Chriſtus inveniat nos dormientes.*

Et ait Petro, Simon dormis? non potuiſti una hora vigilare? vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. O quot ſunt, quibus Chriſtus poteſt dicere Simon dormis? anima dormis in oratione. quid tu ſopore ſupprimeris? eſt enim gravis iſta tentatio talis ſomnolentia in Dei ſervitio, & maximè in oratione negligentia, ideo quamlibet animam torpentem in Dei ſervitio reprehendit; & hinc ſubdit vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem, quia hoc eſt remedium unicum ejus, qui vitiorum tentationibus æſtuat: quoties quolibet vitio tangitur, toties ſe ad orationem ſubdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit; eſt autem tantæ virtutis devota oratio, ut ad omnia valeat, & in omni tempore poſſit homo per eam lucrari. *Op. de perfect. vitæ c.5. Pſal.118. c.9. v.15. Luc. c.22. v.45. & c.9. v.32.* Nota etiam quòd ſicut Chriſtus arguit ſomnolentiam diſcipulorum tamquam vigilantiſſimus Prælatus, ſic & Prælati debent ipſum imitari, ut ſint & ipſi vigilantiſſimi ad Deum, & ad ſubditos. *Luc. c.22. v.45.*

15. *Noſtra oratio ſit trina ad imitationem trinæ orationis Chriſti.*

Et iterùm abiens oravit eundem ſermonem. Nota, quòd ter legitur Chriſtus oraſſe in horto, volens per hoc oſtendere, quod noſtra oratio debet eſſe trina, ſcilicet ad Deum trinum, debet eſſe contra triplex genus tentationum, ſcilicet concupiſcentiam carnis, oculorum, & ſuperbiam vitæ, ſecundùm concurſum trium potentiarum imaginis animæ intellectus, voluntatis, & memoriæ; ſecundùm triplicem virtutem, ſcilicet fidei, ſpei, & charitatis; & propter triplex bonum aſſequendum, veniam, gratiam, & gloriam, ſecundùm bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam aſſequendam per orationem; triplex etiam fuit Chriſti viſitatio ad animas noſtras, confortando iraſcibilem, zelum immittendo rationabilem, lumen immittendo, & concupiſcibilem, deſiderium inflammando; ô quot bona ex oratione. *Luc. c.22. v.45.*

16. *Fuga Ioannis rejecta ſindone, & ejus fuga quid myſticè ſignificent.*

At ille rejecta ſindone, nudus profugit ab eis. Nota hic duo in Ioanne, ſcilicet rejectio ſindonis, & fuga, per quæ duo myſticè indicantur alterum perfectionis, alterum imperfectionis; licèt enim plus dilectionis in Chriſtum oſtenderit ex eo, quòd aliis fugientibus, ſequi Dominum non omiſit, tamen quia territus etiam ipſe aufugit, non adhuc ad perfectionem amoris perveniſſe tali fuga oſtendit. In eo poſteà, quòd rejecta ſindone aufugit, oſtendit maximam, & cæteris majorem perfectionem attigiſſe, quia abjecto pondere in nuditatis termino dilectionem ſuam in Chriſtum demonſtravit. *Op. Apol. Paup. Reſp.2. c.1. op. Expoſ. Reg. c.2.*

17. *Chriſtus venit, ut templum diaboli à nobis fabricatum deſtrueret.*

Solvite templum hoc manufactum, & poſt triduum aliud non manufactum, ædificabo. Nota; quòd hæc verba fuere prolata à Chriſto non de templo materiali, ſed de ſpirituali; hoc dixerat de templo corporis ſui, ſcilicet corporis ſui veri, ſed magis myſtici; nam templum Dei eſt anima virtutibus quàm maximè ornata, hoc templum per peccatum deſtruitur, & manu, ſcilicet operibus malis fit templum diaboli, ſed templum hoc à nobis manufactum per triduum pœnitentiæ, ſcilicet contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis reædificatur, reædificatur inquam non manibus noſtris, ſed adjutorio gratiæ Chriſti, & ad hoc venit in mundum. *Ser.2. Dom. infrà oct. Epiph. ſer.2. S. Petri ad vinc. inædit.*

ARGU

Digitized by Google

ARGUMENTUM CAPITIS

1. *In hoc capite Evangeliſta proſequitur ſeriem totius Paſſionis Chriſti: Nota autem, quod hoc caput ſuprà expoſitum eſt in Matth. ad cap. 27.*

CAP. XV.

2. *Vinculis charitatis ligatus Chriſtus ad vincula deteriora ductus eſt ſuſtinenda, ut nos ſibi traheret ad ſe.*

Vincientes Ieſum duxerunt, & tradiderunt Pilato: Nota quod cum audis Judæos ligaſſe Chriſtum vinculis materialibus, ne putes iſta fuiſſe præcipua, ſed prius vinculis charitatis à Patre ligatus fuerat, per quæ ſe ſubjecit vinculis duris, ut nos talibus amoris vinculis ad ſe attraheret. *Ser. 3. Dom. 3. Adv. Pſal. 149.*

3. *Silentium inter injurias, & contumelias indicat hominem divinum.*

Ieſus autem amplius nihil reſpondit, ità ut mirabatur Præſes. Cur mirabatur Pilatus? ob ſilentium inter accuſationes iniquas, & contumelias, nam Chriſtus admirabilis fuit, & naſcens, & loquens, & proficiens, & docens, ſed magis tacens: *Luc. c. 2. v. 18.* Ut videas qualis virtus ſit ſilentium.

4. *Caveat homo, & præcipuè Index àrancore & odio, ne à juſtitia deflectat.*

Vultis dimittam vobis Regem Iudæorum, ſciebat enim, quod per invidiam tradidiſſent eum: ſcilicet cognoſcebat, quod moti vitio invidiæ, & odii, & rancoris Ieſum tradituri erant; ſed quomodo id ſciebat? ſciebat, quod quando homo ſinit ſe poſſideri odio; & rancore, præceps cadit infallibiliter in injuſtitias, & quodlibet ſcelus. *Op. Comp. Theol. lib. 5. c. 37.*

5. *Chriſtus medicus in ſe ſuſcepit noſtras infirmitates, ut ipſas curaret.*

Et percutiebant caput ejus arundine, & conſpuebant eum: Conſidera totam vitam Chriſti, & ipſum invenies ſuſcepiſſe in ſe ut medium noſtras infirmitates, ut eas curaret: curavit enim nos per dietam in jejunio, per ſudorem in horto: per emplaſtrum, quando facies ejus fuit ſputis illita, per minutionem, quando fuit clavis, & lanceâ vulneratus, per potionem, quando fuit felle, & aceto potatus, per electuarium, quando corpus, & ſanguinem nobis dedit. *Op. Comp. Theol. lib. 4. c. 20.*

6. *Væ iis, qui portant crucem in angaria.*

Et angariaverunt Simonem quemdam, &c. Nota, quod Iudæi videntes Chriſtum viribus deſtitutum, nec valentem amplius portare crucem ad Calvariæ locum angariaverunt Simonem quemdam, & ipſum violenter coëgerunt, ut crucem portaret ad locum patibuli, per quem ſignificantur hypocritæ, & accidioſi, primi quidem portant crucem, ſed coacti deſiderio laudis humanæ; ſecundi portant quidem crucem, & tribulationes, ſed cum murmure, pœna, & violentia, & ſine merito, & iſti omnes ſunt martyres diaboli. *Luc. c. 23. v. 26.*

7. *Chriſto quinam ſunt, qui cum Iudæis porrigunt vinum myrrhatum.*

Dederunt ei bibere myrrhatum vinum. Vide impietatem iſtorum, nam cum ſolerent crucifixis dare vinum ad ipſos confortandos; Chriſto autem dederunt vinum myrrhatum amariſſimum, ut ipſum magis affligerent. Ecce quid faciunt multi Chriſtiani exhibentes quidem Chriſto lachrymarum compunctionem, ſed myrrha, & aloë, ſcilicet ſine propoſito cavendi, & abſtinendi ſe de cætero à peccatis, nam qui fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, ante Dei oculos ſordidas etiam lachrymas ipſas facit. *Serm. 4. in Epiphan.*

8. *Chriſtus crucem aſcendit, & in cruce uſque ad finem permanſit, ut nos doceret perſeverantiam uſque ad mortem in cruce pœnitentiæ.*

Et crucifixerunt eum &c. Chriſtum Rex Iſrael deſcendat nunc de cruce &c. Sic irriſoriè dicebant ſummi Pontifices; ſed tamen hæc vox erat diaboli omnibus Deo ſervientibus dicentis, deſcendat nunc de cruce, ſuadens, ut abjiciant homines crucem jam acceptam; ſed tamen ſicut Chriſtus uſque ad finem perſeveravit in cruce, ſic & omnis ejus diſcipulus debet facere; nam nemo valet aliquid incipere, ſcutum ad bellum arripere, lanceam fortiter agitare, fortiter hoſtem invadere, ſi non dè obtenta victoria contingat ſcutum abjicere; hocque ſolùm perſeverantiâ habetur. *Ser. 2. de S. Andrea. Luc. c. 23. verſ. 37.*

9. *Religioſo poſito in cruce Religionis offertur ſicut Chriſto fel cum amaritudine, arundine, ſpongiâ, & aceto.*

Currens autem unus, & implens ſpongiam &c Hoc factum eſt Chriſto in cruce; hocque myſticè offertur cuilibet Religioſo exiſtenti in cruce Religionis, ſcilicet fel, ideſt amaritudo ex carne; arundo, ſcilicet rigor diſciplinæ; acetum ſcilicet correctio Prælatorum; ſpongia ſcilicet cibi, & pannorum vilitas. *Pſal. 137.*

10. Chriſtus ſicut ſexta die hominem creavit ſic & ſexta die expirando recreavit; undè dicitur Jeſus emiſſa voce magna expiravit. *Ser. 1. in Sabb.*

ARGU

ARGUMENTUM CAPITIS

1. *Oſtenditur in hoc capite apparitio Chriſti Magdalenæ, cæteriſque piis feminis; duobus item diſcipulis euntibus in Emaus; undecim item Apoſtolis, quos miſit per totum Orbem ad evangelizandum, & ad patrandum miracula, & denique aſcenſio ipſius ad Cælum: Vide quæ dicta ſunt ad cap. 28. Matthæi.*

CAP. XVI.

2. *Reſurrectio peccatoris ſit ſimilis reſurrectioni Chriſti.*

Et cum tranſiſſet Sabbatum Maria Magdalene &c. emerunt aromata &c. ſurgens autem Ieſus manè &c. Ecce quòd poſt triſtia ſabbatha fælix irradiat dies dominica, in cujus principio ſurrexit Chriſtus, cujus Reſurrectionis circumſtantiæ indicant qualis debeat eſſe reſurrectio peccatoris; ſicut enim Reſurrectio Chriſti fuit matutinalis, integralis, ſocialis, & immortalis, ſic & in peccatore; matutinalis fuit, ſic tu non ſero, ſed manè reſurge à peccatis; integralis, ſic tu totus, non in parte tantùm reſurge; ſocialis, quia multa corpora Sanctorum ſurrexerunt, ſic & merita tua per peccatum mortificata tecum reſurgent in converſione, & etiam quia tecum debes trahere ſocios peccati ad vitam; immortalis, ſic & tu perſeveranter reſurge in converſione, ut de cætero non moriaris tranſgreſſione. *Ser. 6. in Paſcha.*

3. *Religioſi, & Dei ſervi manè cum Chriſto ſurgant ad orationem.*

Surgens autem Ieſus manè &c. Nota illud verbum manè, non dicit veſpere, ſed manè, ut diſcant ſervi Dei manè ſurgere ad orationem, ſurripere carni ſomni requiem matutinæ, cum illa hora reſurrexerit Chriſtus; tunc eſt tempus allidendis ad petram parvulis, mortificandæ carni, & recreando ſpiritui opportunum; tunc ſpirituales aviculæ dulcem Deo in cordis organo exhibent melodiam. *op. ſpec. diſcipl. p. 2. c. 1.*

4. *Ubi ſervatur corpus Chriſti, ibi frequentant chori Angelici.*

Et introeuntes viderunt juvenem ſedentem &c. Si Chriſtus reſurrexerat, & in ſepulchro amplius corpus non aderat, quid ibi gerunt Angeli? hoc eſt, ut diſcamus, quòd ibi Angeli excubias ſedulas faciebant, ubi venerabile corpus ſervatum fuerat; & ſi hoc quid facient, ubi verè adeſt: non ergo dubitare licet, ubi Dominici corporis, & ſanguinis myſteria geruntur, ſupernorum civium adeſſe concurſus; ut & nos excitemur ad reverentiam ſummam exhibendam tali loco, & ipſis angelicis ſpiritibus. *Ser. 1. de dedicat.*

5. *Chriſtus toto corde quærendus exemplo iſtarum mulierum, quia in ipſo ſolo habetur quies, & omne bonum.*

Nolite expaveſcere Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum ſurrexit &c. Vide hic cum quali ardore iſtæ mulieres quærunt Ieſum, nam etiam in nocte non quieverunt, nec ſunt contentæ viſione Angelorum, nec conſortio Apoſtolorum, imò erat eis tædium videre omnem creaturam, nec deſiſterunt quærere, donec invenirent Ieſum Nazarenum crucifixum, quia eo habito, habetur omne bonum: Chriſtus enim in quantum crucifixus confert beneficium veniæ in abſolutione culpæ; in quantum Nazarenus, ideſt floridus confert ſtillicidium gratiæ in promotione juſtitiæ, & in quantùm Ieſus confert complementum gloriæ in glorificatione corporis, & animæ; undè meritò Angelus dixit nolite expaveſcere excitando eas ad fiduciam. *Ser. 1. Dom. infra oct. Epiph. Luc. c. 2. v. 10.*

6. *Chriſti Reſurrectio glorioſiſſima, veriſſima, potentiſſima, & utiliſſima.*

Ieſum quæritis Nazarenum crucifixum? ſurrexit non eſt hic: & in Luc. c. 24. dixerunt diſcipuli ſurrexit verè. Nota, quod hic ſimul connectuntur crucifixio, & reſurrectio Chriſti, hæcque ad illam ſecuta eſt in præmium ſuæ Paſſionis: Reſurrectio autem fuit glorioſiſſima per quatuor dotes glorioſas illius ſacri corporis, fuit veriſſima, ſicut experti, & confeſſi ſunt Apoſtoli dicentes, ſurrexit verè, ſed undè hanc veritatem perceperunt? certè Chriſtum audiendo dicentem ego ſum nolite timere; item videndo, tangendo, & corde ſentiendo; ſurrexit & potentiſſimè inferos evadendo, & propria virtute reſurgendo; ſurrexit & utiliſſimè, quia fuit exemplar noſtræ reſurrectionis; ex qua reſurrectione invitamur & nos cum Apoſtolis ad audiendum Chriſtum reſurgentem verbis ejus obediendo, ad videndum eum per fidem cognoſcendo, ad tangendum operibus bonis, & ad ſentiendum corde diligendo. *Ser. 5. in Paſcha.*

7. *Lapis velaminis ſcripturæ ſacræ in Reſurrectione Chriſti ſublatus.*

Et reſpicientes viderunt revolutum lapidem. A quo? ab Angelis? cur ab Angelis, & non immediate ab ipſo Chriſto?, vel ab Apoſtolis? ab Angelis fuit ſublatus, ſed poſt Reſurrectionem Chriſti, ut intelligeremus, quòd ipſe exivit januis clauſis: myſticè quia iſte lapis eſt velamen Sacræ Scripturæ, quod ablatum eſt poſt Chriſti Reſurrectionem per miniſterium Angelorum, quorum eſt nos illuminare, & communicare ſecreta cæleſtia; item & per miniſterium Doctorum, qui debent eſſe viri Angelici, & conducere homines ad contuendam humanitatem, & divinitatem Chriſti. *Luc. c. 24. v. 3.*

8. *Cur*

Digitized by Google

8. *Cur primò mulieribus nuntiata eſt Chriſti Reſurrectio, & per has viris.*

Apparuit primò Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat ſeptem Dæmonia; illa vadens nuntiavit diſcipulis &c. Nota, quòd primò ab Angelis revelata fuit mulieribus reſurrectio Chriſti; deinde Chriſtus primò apparuit Magdalenæ, quæ primò ipſam revelavit diſcipulis: cur primò mulieribus poſtea viris? & cur primò apparuit Magdalenæ? ſed attende ad myſteria; voluit Chriſtus, ut per mulieres ad viros veniret nuntiatio Reſurrectionis in humilitatis exemplum, ſicut enim per mulierem venit primò peccatum, ſic & remedium: primò autem apparuit Magdalenæ, & hoc quadruplici ratione, quia ardentiùs diligebat, ſecundò ut oſtenderet, quod pro peccatoribus venerat, tertiò ad conterendam humanam ſuperbiam, quartò ad dandam fiduciam omnibus peccatoribus. *Luc.c.24.v.9.*

9. Prædicatio Evangelii ordinata eſt à Chriſto ad convertèndum mundum, & ad reducendos homines in ultimum finem, qui eſt æterna beatitudo; & ad hoc conſtituit Apoſtolos, & alios Prædicatores, eoſque miſit in mundum. *Luc. Prom.ap.ſpec.Diſcipl.p.1. c.28. Luc.c.4. v.43. & c.19.v.30.& c.20.v.1.ſap.c.11.*

10. *Converſio hominis involvit converſionem, & beatificationem quodammodo omnium creaturarum.*

Prædicate Evangelium omni creaturæ. Quomodo omni creaturæ? ergone etiam lapidibus, beſtiis, Cœlis, Angelis? minimè? ſed hoc eſt intelligendum de homine, qui nomine omnis creaturæ venit; habet enim eſſe cum lapidibus, vivere cum plantis, ſentire cum animantibus, & intelligere cum Angelis? ſed ad quid involvitur omnis creatura in hac prædicatione Evangelii? quid hoc prodeſt cæteris creaturis? ſed optimè; nam prædicatio ad hoc inſtituta eſt, ut hominem convertat ad Deum, & converſus, ut beatificetur in Cœlis: Beatitudo autem hominis involvit quodammodo beatitudinem, & complementum totius perfectionis cæterarum creaturarum, & ob id dicuntur ratione naturæ corporalis, & ſpiritualis beatificatæ in Cœlo. *In ſap. c.11. ſer.3. ſer.3. Pentec.lib.2.d.1.p.2.qu.2.& 3.ad 2.& d.15.a.2.q.1. & ſeq.& d.16.a.1.q 3. ad 5. & lib.3. d.35. dub.1. Breuil.p.2.c.4.& 10.& p.7.c.4.*

11. *Ad menſam Religioſorum lectio, vel ſermo de Deo habenda ſunt.*

Recumbentibus undecim diſcipulis apparuit illis Ieſus. Cur dum menſæ recumbebant Apoſtoli Chriſtus eis apparuit? cur non ante, vel poſt? ut diſcamus in menſa Domini memoriâ cibos eſſe condiendos, nec aliquod opus eſſe, quo Dei præſentia frui non poſſimus: Et hinc exemplo Chriſti mos apud Religioſos introductus, ut menſam benedictio ſemper præcedat, & corporali refectioni lectio ſpiritualis miſceatur, propter verbum Domini, eo quod non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Domini: *Luc.c.14.v.12.& c.24. v.29.* Nota etiam, quod recumbentibus Apoſtolis ad menſam Chriſtus reprehendit eos de incredulitate eorum. Ex quo etiam mos introductus in Religionibus, quod volentibus Fratribus recumbere ad menſam, à Prælatis fiant exprobrationes, & correctiones defectuum commiſſorum, & hinc in vitis Patrum habetur, quod tres res erant apud ipſos honorabiles, ad quas cum honore, & timore accedebant, ſcilicet ſacrum Altare, in quo communicabant; menſa Fratrum, in qua comedebant; locus, in quo pedes lavabant. *Ioan. collat.60.*

12. *Fides, & baptiſmus neceſſaria ad ſalutem; & qualis fides.*

Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Ecce quod Chriſtus hic aperit, quænam ſunt in lege Evangelica neceſſaria, ſcilicet fides de Sanctiſſima Trinitate, & baptiſmus: Nota tamen quod pro adultis hæc fides non debet eſſe nuda, ſed fides, quæ in praxim per charitatem ponit ea, quæ in baptiſmo promittuntur; nam fides ſine operibus mortua eſt, nec vitam æternam poteſt conferre. *In Eccleſ.c.7. Luc. c.8.v.12. & c.19.v.44.Ioan.c.3.v.8 ſer.3 in Dom.de Trinit.*

13. *Signa ſalvandorum expenduntur; ubi de miraculis.*

Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia, &c. Nota autem, quod hæc ſigna, & miracula ad litteram verificata fuere in primitiva Eccleſia, dum tunc fides erat parvula, & indigebat confirmatione per miracula & hoc etiam ſecundùm loca, & tempora, & neceſſitates Eccleſiæ à Chriſto practicatum eſt, ut patet ex hiſtoriis ſacris; ſed quia hîc talia ſigna ponuntur à Chriſto tamquam indicia certa ſalutis futuræ, cum hic de miraculis non poſſit exponi, cum hæc non ſint certum ſignum charitatis, & ſalutis, ſunt enim dona gratis data ſuis pro ſalute principaliter aliorum, hinc ſpiritualiter à ſanctis exponuntur; unde per Baptiſmum, & bona opera fundata in fide, & charitate dæmonia expelluntur, nempè peccata, uti expulſa ſunt à corde Magdalenæ: linguis novis loquentur juſti, impii linguis veteribus, linguæ novæ ſunt verba ædificatoria, ſancta, charitate redundantia, antiquæ ſunt verba mala, noxia, & pauca; ſerpentes ſunt motus concupiſcentiarum, & ſenſualitatis, quæ per mortificationem debent tolli, & occidi, & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit, ſcilicet mortifera verba, injurias, perſecutiones biberint libenter cum patientia pro Chriſto, addit: ſuper ægros manus imponent, ſcilicet extendent ad indigentes manus adjutrices charitatis, per quam extenſionem, & indigentes ſublevantur, & ipſi adjutores educantur ad ſalutis acquiſitionem. *Ser.1 in Pentec.ſer.1.Dom. 2. Quadrag. ſer.2. Dom.17.Pent.ſer.1.Dom.18.Pentec. Luc.c.4. v.39. & 40.& c.10.v.19.ſer.3.de S Franc.in addit.*

14. *Chriſtus impoſitione manuum ægros curabat; hanc virtutem etiam ſuis miniſtris communicavit.*

Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Nota quod hæc promiſſio à Chriſto facta intelligenda eſt non ſolum ſpiritualiter, ſed & ad litteram

Digitized by Google

teram, ut ſicut dicitur *Luc. c. 4 quod ipſe ſingulis manus imponens curabat eos*; ita hanc virtutem ad ſalutem, & ſpiritualem, & corporalem ſuis Apoſtolis, & aliis miniſtris communicavit in his verbis ſuper ægros manus, &c. *Luc. c. 4. v. 40.*

15. *Aſcenſio Chriſti expenditur.*

Et Dominus quidem Ieſus poſtquam locutus eſt, aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet à dextris Dei. Nota, quod quadraginta poſt Reſurrectionem Domini peractis diebus, non ſine magni deſignatione myſterii, in ipſo quadrageſimo die conveſcens una cum diſcipulis ſuis benignus magiſter in montem oliveti conſcendit, & inde videntibus illis, elevatis manibus ferebatur in Cœlum, nubeque interpoſita, quæ aſcendentem recepit, humanis ſeipſum aſpectibus occultavit, ſicque aſcendens in altum captivam duxit captivitatem; & Cœli aperta jam porta pandens iter ſequentibus exules introduxit in regnum, concives illos faciens Angelorum, & domeſticos Dei, quatenus ruinas inſtauraret Angelicas, & æterni Patris cumularet honorem, & ſe triumphatorem oſtenderet, & Dominum exercituum ſe eſſe probaret: Aſpice igitur ô anima quale gaudium in Cœlis, & quale feſtum celebratum fuit à civibus Cœli; qualis ipſorum occurſus, qualis concurſus; aſpice & quale feſtum fuit ipſius Chriſti Jeſu, dum ipſe completa obedientia Patri debita, aſcendit in Cœlum ad quieſcendum poſt tot labores, ad intercedendum pro amicis, pro quibus laboravit vitiliter; & hac de cauſa ſervavit vulnera in corpore, ut ipſa oſtenderet Patri tamquam motiva, & linguas pro nobis intercedentes; & ſic poſitus eſt ſedens ad dexteram Patris, ſcilicet ad æqualitatem majeſtatis cum Patre ſecundùm divinitatem, quam ab æterno ſemper habuit, & ſecundùm humanitatem ad poſſeſſionem potiorum bonorum Patris, quæ ei collata fuere. *De hac materia fusè: Op. medit. c. 98. & op. lignum vitæ: op. Comp. Theol. lib. 4. c. 24. ſeq. ſer. 5. Dom. 1. Quadrag. Pſal. 67. & 144. & Expoſ. Act. Apoſtol. ſuo loco tractabitur.*

16. *Chriſtus ſemper aſtitit, & aſſiſtit Eccleſiæ ſuæ miracula, & prodigia operando.*

Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Ecce quomodo Chriſtus ſecundum promiſſiones factas ſuis diſcipulis. Ecce ego vobiſcum ſum, &c. ſemper aſtitit, & ſemper aſſiſtit Eccleſiæ ſuæ, & ſuis miniſtris; undè ſicut voluit, ut ubique prædicaretur Evangelium, ſic & ſua aſſiſtentia, & virtute præditi ipſi Evangelizantes confirmarent prodigiis, & miraculis veritatem Evangelicam: Inter quæ miracula hoc mirabiliſſimum fuit, quod viri abjecti, & viliſſimi, divitiis nullis ſuffulti omninò, & ſæculi honoribus deſtituti, omnem humanam potentiam dejeceruut, omnem mundi ſapientiam devicerunt & omnem mundi multitudinem innumerabilem proſtraverunt: nam contrà eos commoti ſunt omnes Principes, & Tyranni, omnes inſurrexerunt Philoſophi, & totus mundus intonuit, & tamen ità conſtantes fuerunt, quòd ad fidem Domini innumeros converterunt Deo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis: quod etiam mirabiliter verificatum eſt in Seraphico Patre ſancto Franciſco, de quo notatur à Seraphico Doctore *op. Legenda c. 12.* Ipſe verò evangelizabat ardenter per diverſas regiones progrediens, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis: in virtute namque nominis ejus ejiciebat dæmonia, ſanabat infirmos, & quod majus eſt ſui ſermonis efficaciâ obſtinatorum mentes ad pœnitentiam molliebat, ſimulque ſanitatem corporibus reddebat, & cordibus: O utinam tali efficacia excitentur corda noſtra ad perfectam imitationem Seraphici Patris, & præcipuè Prædicatores ſui Seraphici Ordinis, tamquam veri Dei nuntii, & præconès Chriſti Evangelium portantes per totum mundum verbo, & ſanctitatis exemplo animas ad pœnitentiam inducant, & ad conſequutionem gloriæ, quam nobis Chriſtus præparavit, & ad quam nos expectat ſedens ad dexteram Patris.

Explicit expoſitio Seraphici Doctoris in Divum Marcum.

EXPO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EVANGELIUM SANCTI LUCÆ.

PROLOGUS.

PRIMO : Nota, quòd Sanctus Lucas fuit & pictor, & medicus, unusque ex discipulis Christi, qui multa de Christi vita, aliis testibus de visu referentibus didicit, & præcipuè ex ore Beatæ Virginis Mariæ, unde de Christi conceptione, & infantia super alios peculiari modo tractat : Ut autem se exhiberet medicum animarum scripsit historiam Evangelicam de Christi Sacerdotio, & immolatione specialiter, & ideò sub specie Vituli fuit prævisus ab Ezechiele Propheta; hancque historiam totam ordinavit peculiari arte ad hoc, ut esset medela animarum, nempè ut per cognitionem gestorum Christi perveniremus ad veritatis medicamentum.

Secundò : Nota, quòd Seraphicus Doctor Sanctus Bonaventura expositionem exactissimam, subtilissimam, & pulcherrimam tradidit in tomo secundo suorum operum super Evangelium Lucæ in qua mirabili arte complectitur omnia ferè, quæ ab aliis Sanctis Patribus tradita fuere : undè ne actum agamus, ad eamdem remittimus lectores, sicut & ad prolegomena ab ipso præmissa; solumque hic subjiciemus, primò præcipuas divisiones textus Evangelici in dicta expositione insertas à Seraphico Doctore, quæ mirabiliter juvant ad rectam intelligentiam textus : deindè alias expositiones variorum textuum ejusdem Evangelii, quas in variis suis scriptis tradidit, inseremus, recurrendo etiam pro clariori ipsorum expositione, & declaratione aliquando ad supradictam expositionem Evangelii, ut devotus Lector eas veluti pretiosissimas Margaritas suis locis aptè conferat cum textu Seraphico, & collocet ad gloriam Domini Iesu Christi, ad quam idem Seraphicus Doctor semper aspexit.

Tertiò : Nota, quòd totum Evangelium Sancti Lucæ quatuor partes principales continet : prima est de Incarnationis mysterio, de quo agitur usque ad tertium capitulum, inclusivè : secunda, est de eruditionis magisterio usque ad vigesimum secundum caput : tertia est de Passionis medicamento, seu remedio usque ad vigesimum quartum caput, quarta pars est de Resurrectionis trophæo usque ad finem Evangelii, & libri : Prima igitur pars explicat Incarnationis mysterium, ideò continet Christi nativitatem, quæ fuit triplex, scilicet in utero, quantùm ad conceptum, ex utero, quantùm ad partum, & extra uterum, quantùm ad Baptismum, quæ tria, per hæc tria capitula ordinatim describit. *Luc. Prol. & in cap. 1. serm. 14. Hexam.* Quartò. Nota, quòd Seraphicus Doctor multa tradidit de sanctitate, puritate, doctrinâ, & laboribus pro Ecclesia expensis Sancti Lucæ Evangelistæ, quæ possunt videri in Prol. cit. Evangelii, in sermon. de eodem Sancto concinnatis in tom. 3. impressionis Vaticanæ, & alio tomo impressionis Brixiensis.

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd hoc capitulum continet principaliter Chriſti conceptionem, & quia ipſam præceſſit conceptus ſterilis, & exordium Præcurſoris, & quia utrumque eſt divinum, & de utroque Deus laudandus eſt, ideò hoc caput dividitur in duas partes principales, in quarum prima exprimitur conceptus Præcurſoris cum omnibus ſuis circumſtantiis : in ſecunda conceptus Salvatoris, & deinde agitur de gratiarum actione Deo ob iſta facta.*

CAPUT PRIMUM.

2. *A tempore Ioannis Baptiſtæ ceſſavit lex vetus, & inchoata eſt Evangelica lex.*

FUit in diebus Herodis Regis Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen ejus Eliſabeth; erant autem juſti ambo anìè Deum, &c. Quæritur hic cur Evangeliſta incipiat ſuum Evangelium ab his Patribus antiquæ legis, cum totum debeat eſſe de mirabilibus Evangelicæ legis? Sed hoc factũ eſt, ut oſtenderet per deſcriptionem conceptus S. Joannis, & conſequenter conditionis parentum ipſius, finem legis veteris, & inchoationem legis Evangelicæ: unde Luc.c.16.dicitur, lex & Prophetæ uſque ad Joannem ex eo regnum Dei evangelizatur; & in hoc Chriſtus voluit oſtendere ſuam humilitatem, volens talem honorem ſuo Præcurſori tribuere. *Luc.c.16.v.16.* Et hinc eſt, quod in principio Sanctus Lucas nominat Herodem regnantem in Judæa, ex hoc quod ipſe fuit primus ex Allophylis, qui imperavit Judæis, ut oſtenderet advenìſſe tempus adventus Chriſti, & impleram prophetiam Iacob Patriarchæ *Gen.c.49. Non auferetur ſceptrum de Juda, &c. donec veniat qui mittendus eſt*, ſcilicet Meſſias. *Luc.c.1.v.5.*

3. *Sacerdotium in tempore legis poſtponebatur regali dominio, nunc præfertur,*

Fuit in diebus Herodis Regis ſacerdos quidam, &c. Cur in principio exponitur nomen impii Herodis regnantis: hoc facit, quia in tempore legis ſcriptæ regale dominium præferebatur Sacerdotio, unde hic ſecundo loco nominatur Sacerdos: in lege autem Evangelica Sacerdotium præfertur Regibus, & cuicumque dignitati. *Luc.c.1.v.5.*

4. *Sancti Ioannis Baptiſtæ conceptio miraculoſa, & mirabilis multipliciter probatur.*

Fuit in diebus Herodis Regis Sacerdos quidam, &c. Nota, quòd volens oſtendere Evangeliſta mirificum conceptum Ioannis Baptiſtæ proponit primò ſanctitatem Parentum, ſcilicet Zachariæ, & Eliſabeth, dicens, quòd ambo erãt de genere ſacerdotali, erant juſti coram Deo, & hominibus in omnibus ſuis actibus, & cum eſſent ambo ſteriles, miraculosè fuit conceptus, & priùs prænuntiatus per Angelum Gabrielem; & deindè adhuc in utero à Spiritu Sancto ſanctificatus, & deinde alia privilegia ipſius ab Angelo declarata fuere, *Luc.c.1.v.5. ſeq. fer.1. & ſeq. de S.Ioan.Baptiſta in impreſſione Vaticana, & in addit. Ser.6.in Pent.fer.4.Dom.20.Pent. Ioan.c.1.v.21. & 52.op.Apol. Pamp. Reſp.2. c.2.* in principio. *Op.Comp. Theol.lib.4.c.14.ſer.3.fer.3. Pent fer.4.Dom.2.Pent.Luc.c.7. v.28. & c.9. v.19. Cenil p.3.ſect.38.Eccleſ.Hier.p.3.c.2.Luc.c.3. v.5. & c.9.v.36.*

5. *Magnus ex multiplici capite oſtenditur Sanctus Ioannes Baptiſta.*

Erit magnus coram Domino: ſic dixit Gabriel Zachariæ de Sancto Ioanne. Verè magnus, magnus privilegio, magnus merito, magnus officio, magnus teſtimonio, magnus præmio: magnus privilegio, quia ſummo honore privilegiatus fuit à Patre per nuntiationem de ſua nativitate factam ab eodem Archangelo à Patre æterno miſſo, qui poſtea annuntiaturus erat miſſionem Filii: item à Filio, quia ipſum in utero viſitavit, & ſanctificavit, per Spiritum Sanctum: magnus merito, ſcilicet ob innocentiſſimam puritatem, ſummamque vitæ auſteritatem: magnus officio ſcilicet prophetandi, & ut præcurſor Chriſtum digito, & voce oſtendendi, & præparandi corda ad recipiendum ipſum Chriſtum: magnus teſtimonio, ſcilicet humano, angelico, & divino: & magnus tandem præmio, quia in Cœlo fruitur corona Virginum, Prædicatorum, & Martyrum. *Ser.3.in nativ.S.Ioan.Bapt.in addit.*

6. *Sanctus Ioannes magnus in ſe, & major comparatione aliorum ſanctorum, ſed non maximus.*

Erit magnus coram Domino. Nota, quòd Gabriel Archangelus prædicens de Joanne, quòd multi in nativitate ejus gaudebunt, cauſam ſubjungit cum ait, erit magnus coram Domino, ideſt non inter peccatores, qui ſunt magni in conſpectu hominũ, ſed coram Domino inter juſtos: magnus inquam in ſe vitâ, gratiâ, & doctrinâ; vitâ, quoad innocentiam, ſanctitatem, & auſteritatem vitæ: gratiâ, quia Spiritu Sancto repletus eſt: doctrinâ, per quam Præcurſor miſſus eſt ad præparandam viam ante faciem Chriſti, & ad convertendos peccatores ad pœnitentiam: Unde ex his præmiſſis poſtea Chriſtus Matth.c.11.dixit de Joanne. *Inter natos mulierum non ſurrexit major Ioanne Baptiſta*, ſcilicet non ſolùm magnus, ſed & major, quia alios Sanctos exceſſit dignitate, puritate, veritate, & gloriâ: dignitas patet admirabilis in nativitate, ex dignitate nuntiantis, ſcilicet Gabrielis, ex miraculo concipientis, quia ſterilis; ex ſanctificatione naſcentis, quia in utero repletus eſt Spiritu Sancto; & ex impoſitione nominis, Joannes enim interpretatur gratia, per quod edocemur moraliter, quòd hic ordo eſt conveniens, gratia præcedit gloriam, Joannes Ieſum, ideſt nullus ſalvatur à Ieſu, niſi præcedente gratia: major item puritate converſationis, nempè ob fidei magnitudinem, qua Chriſtũ clauſus in utero adoravit, & poſtea digito, & verbis oſtendit, & ideò meritò dicitur pluſquam Prophetа: major item ob pudicitiam virginalem, ob quam meritò

meritò vocatur Angelus,& propter quam martyrium paſſus eſt : item ob carnis mortificationem, quam exercuit in deſerti inhabitatione, in victus parcitate,& in veſtium aſperitate; & tandem ob perfectam humiliationem, quam exercuit coram Deo,& hominibus in ſummo gradu : major item veritate prædicationis,quæ ipſum commendabilè reddidit ex communi omnium eruditione, ex imbecillium, & infirmorum ſupportatione, ex dura obſtinatorum redarguitione, & ex conſtantia in paſſione, propter quod meruit à Domino in gloria altiſſimè ſuper alios præmiari : Nota autem, quòd non dicit inter natos maximus,ſed inter natos mulierum ad differentiam Chriſti Ieſu, quia filius Virginis dicitur : & ſimul filius hominis, & meritò ; nam hoc diſcrimen eſt inter nomina hominis, & mulieris; homo enim retinet nomen viriliratis, ideò Chriſtus dicitur filius hominis;mulier verò importat fragilitatem, ideóque Chriſti nativitas fuit in Spiritu, & virtute;Ioannis verò in corruptione.*Ser.2.3. & 4. in nativit.S.Ioan. in addit.Luc.c.1.v.21.ſequent.*

7. *Comparatio ſit inter Spiritum Ioannis,& Eliæ, & Seraphici Franciſci.*

Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ. Quid eſt hoc;quis Spiritus, & virtus Eliæ? Ecce qualis:in Eccleſiaſtico c.48. dicitur:Surrexit Elias Propheta quaſi ignis, & verbum ejus quaſi facula ardens:& de Ioanne c.5.dicitur.Hic erat lucerna ardens,& lucens;ardens in ſe,& ardens, & lucens aliis,& ideò propter nimiam conformitatẽ dicitur etiam Elias,quod verè per aliqualem conformitatem poteſt applicari Seraphico Patri Sancto Franciſco. Hic enim quaſi ſtella matutina in medio nebulæ,claris vitæ micans,& doctrinæ fulgoribus,ſedentes in tenebris, & umbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem,& tamquã arcus refulgens inter nebulas gloriæ ſignum in ſe Dominici fœderis repræſentans,pacem,& ſalutem evangelizavit hominibus,exiſtens & ipſe Angelus veræ pacis;ſecundùm imitatoriam quoque ſimilitudinem Præcurſoris deſtinatus à Deo,ut viã parans in deſerto altiſſimæ paupertatis tam exemplo,quàm verbo pœnitentiam prædicaret ardens, & lucens; primùm ſupernæ gratiæ præventus donis,de hinc virtutis invictæ adauctus meritis,prophetali quoque repletus ſpiritu,nec non & Angelico depuratus officio,incendioque Seraphico totus ignitus,& ut vir Hierarchicus curru igneo ſurſum vectus ſicut ex ipſius vitæ decurſu luculenter apparet,rationabiliter comprobatur veniſſe in ſpiritu,& virtute Eliæ; ideóque alterius amici ſponſi Ioannis Evangeliſtæ vaticinatione veridica (Apoc.7.) ſub ſimilitudine Angeli aſcendentis ab ortu ſolis, ſignumque Dei vivi habentis aſtruitur non immeritò deſignatus.*Luc.c.1.v.17.op. legenda Sanctæ Franc.in Prol.*

8. *Revelationes,& dona cæleſtia occultanda à ſervis Dei, donec aliud ab ipſo ordinatum ſit.*

Poſt hos autem dies concepit Elizabeth,& occultabat ſe menſibus quinque dicens,quia ſic fecit mihi Dominus, &c. Cur iſta mulier occultavit quinque menſibus tantam gratiam à Deo acceptam ? hoc factum eſt ab Eliſabeth,quia ſciebat, quòd revelationes,& dona magna Dei à ſuis ſervis ſunt occultanda,donec aliud à Deo diſponatur,ſicut hic factum eſt, nam in menſe ſexto publicata fuit ab Angelo ipſius conceptio ad Dei gloriam.*Luc.c.1. hic,& c.9.v.38.*

9. *Boni propoſiti conceptio in principio occultanda, ne deficiat in executione.*

Et occultabat ſe menſibus quinque. Nota, quòd etiam oſtenditur, quòd conceptio boni propoſiti debet occultari,nec per ſenſus patefieri,ſignificatos in quinque menſibus, donec executione propaletur. *Luc.c.1.v.24.*Hoc attendant qui vocationem Religionis concipiunt.

10. *Chriſti Incarnatio, & conceptio non diſjungenda ab eius Paſſione:Ubi de congruentia nuntii, loci, temporis, & aliarum circumſtantiarum conceptionis Chriſti.*

*In menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilæa,cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro,&c.*Nota ordinem : ſuprà egit Evangeliſta de conceptione Præcurſoris, quæ fuit per fœcundationem ſterilis,& poſt hanc in ſexto menſe facta eſt fœcundatio Beatæ Virginis,& Incarnatio Chriſti,de qua hic agit Evangeliſta aſſignans tempus,locum,nuncium, & Virginem conſentientem, aliaſque omnes circumſtantias congruentes perfecto hiſtoriographo:cur igitur in ſexto menſe, ſcilicet in menſe Martio, & non potiùs in alieto ? & cur voluit Deus ut huic myſterio præcederet nuntiatio per Gabrielem Archangelum?cur etiam in civitate Nazareth?& cur nuntiatio facta Virgini? & deſponſatæ?Sed attende ad ſequentia : In ſexto menſe totum hoc factum eſt,quia in ſexta die,qui numerus eſt primus perfectorum,creatus fuit homo, & ſtatim cecidit ab innocentiæ ſtatu ſecundùm communiorem opinionem (vel ſecundùm aliquos poſt alios ſex dies)ideò ut reparatio reſponderet conditioni hominis.& lapſui, in menſe Martio, ſexto menſe à conceptione Ioannis,conceptus eſt, & ſexta feriâ paſſus,& ſexta hora in cruce ſuſpenſus eſt, ut ſic ſignificaretur adveniſſe in plenitudine temporum, & perfectione,& hoc ut memoria paſſionis Chriſti numquam ſeparetur etiam ab ejus Incarnatione:voluit autem, ut per Archangelum Gabrielem nuntiaretur hoc myſterium Virgini Mariæ in civitate Nazareth;ut ſicut in Paradiſo homo lapſus eſt per ſuggeſtionem mali Angeli,ſic per miniſterium boni repararetur, & hoc in Nazareth, quæ interpretatur flos, quæ civitas erat in confinio Iudæorum, & Gentilium, quia flos omnis boni veniebat unire utrumque populum in unum;Venit autem ad Virginem carne,mente,& profeſſione, quia tali myſterio congruebat pudicitia, & puritas : & hæc Virgo erat deſponſata Ioſeph, ut ipſe eſſet & teſtis, & cuſtos talis Virginis, & pudicitiæ. *Luc.c.1.v.26 ſeq. op. Comp. Theol.lib.4. c.1.& deinceps.op.Brevil.p.4.c.3.Centil.p.3.ſect.18. & 27.*

11. *Omnes creaturæ etiam Angelicæ in comparatione Mariæ quaſi nihil æſtimantur.*

In mense ſexto miſſus eſt Angelus à Deo ad Virginem Mariam. Quis iſte Angelus? hic eſt Gabriel, & de ſupremo choro Angelorum, licet ex officio communiter appelletur Archangelus; & ſi hoc, cur communiſſimo, & infimo vocabulo dicitur Angelus, & non potiùs Archangelus, vel Seraphim? nonnè hoc etiam congruentius fuiſſet in hac legatione tam magnifica? Reſpondent optimè aliqui Expoſitores, quòd hoc factum eſt ad magnificentiam, & ad reverentiam Mariæ Virginis, in cujus conſpectu omnis celſitudo demittitur, omne lumen offuſcatur, omnis ardor videtur tæpor, omnis ſanctitas pœnè diſparet, cœleſtiumque Spirituum ſublimitas, licèt alioquin ſuprema, infima ſit, ſi Virgini conferatur: Gabriel igitur Angelus nudè dicitur, quia ad Virginem miſſus perhiberetur, quæ omnem ſplendorem obumbrat, & obfuſcat; Unde Sanctus Bon. ſuper illud Eſther. c.15 Super unam famulam ſuam delitiosè innitebatur, & altera ſequebatur eam: ad rem dicit, iſtæ duæ famulæ ſunt natura Angelica, & humana; nam ſuper Angelos innititur eis communicando ſuas gratias, & tamquam eorum Regina eis imperando, & altera famula ſcilicet natura humana eam ſequitur ut pediſſequa, *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3.*

12. *Mariæ primò poſt Gabrielem ſoli revelatum eſt myſterium Incarnationis.*

Miſſus eſt Angelus Gabriel. Cur unus tantùm Angelus legatus à Deo mittitur ad Mariam? cur non exercitus Angelorum, ut factum eſt in nuntiatione Nativitatis? ſed hoc factum eſt ob majorem reverentiam debitam Mariæ: unus perhibetur Angelus miſſus à Deo immediatè, non ſecundùm ordinem Hierarchicum ordinarium, ob quem Deus revelans aliquid, fit miſſio primò immediata ſupremis Angelis, & mediata inferioribus, & tandem hominibus, ſed hoc myſterium immediatè ſoli Gabrieli revelatum, & per ipſum Beatæ Virgini, ne cui, vel Beatorum ſpirituum, ſuum Deus, antequam Virgini, revelaſſe putetur conſilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele, prima igitur fuit Maria quæ Deo, & ſolo Gabriele revelante cognitionem habuit tanti myſterii. *Luc. c. 1. v. 26.*

13. *Angelus mittitur ad Mariam Virginem, quia virginitas eſt cognata Angelorum.*

Miſſus eſt à Deo Angelus Gabriel ad Virginem, &c. Cur Angelus, & non homo, vel Sanctus, vel Prophera mittitur? hoc factum eſt meritò; quia annuntiatio facienda Virgini, ideò dicitur miſſus ad Virginem, non dicitur immediatè ad Mariam, ſed ad Virginem; cur hoc? quia ſemper eſt Angelis cognata virginitas, nam in carne præter carnem vivere, non terrena vita, ſed cœleſtis eſt; meritò igitur Angelus ſine carne ad Angelum in carne mittitur, ſcilicet ad Virginem carne, Virginem mente, Virginem profeſſione. *Luc. c. 1. v. 27. ſer. 1. de Plur. Virg. in addit.*

14. *Omnia, quæ etiam apparent contraria, in Maria conferunt ad teſtificandam ipſius virginitatem.*

Miſſus eſt, &c. ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph: Ut quid virum habuiſſe præmittit Evangeliſta, qui virgineum conceptum ſuadere ſollicitat; eademque periodo innectit utrumque quaſi proclivis ſucceſſio ſit à viro ad Virginem, à Virgine nupta ad conceptum illibatum: Verè mirum hoc eſt: Evangeliſta, & Angelus, ut oſtendant conceptum Chriſti in utero Mariæ illibatum, deſcribunt adventum Spiritus Sancti fœcundantis uterum, introducunt ipſam dicentem, Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco, & ad hæc teſtimonia præmittitur deſponſatio ipſius cum viro; miſſus eſt, ait, ad Virginem deſponſatam viro; nonne hoc eſt deſtruere quòd dicitur de hac puriſſima puritate Mariæ? Sed tamen hic nodus ſolvendus eſt ex Matthæo, ubi c. 2. Angelus, ut turbationem omnem auferat à corde Joſeph, dixit: Noli timere accipere Mariam cõjugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, poſtea addit Evangeliſta. Hoc totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem, Ecce Virgo concipiet: quid eſt hoc totum, quod factum eſt? hoc totum, quod pronuntiatum eſt ab Angelo, nempe conjugium, conceptio & partus: noli timere accipere Mariam conjugem tuam, ecce conjugium; quod enim in ea natum eſt, ecce conceptum, pariet autem Filium, en partum, ut concepti proderet abſque illecebra, Spiritui Sancto adſcribit; ut partum abſque dolore declaretur, nomen Jeſus impone hunc dicit, *Vocabis nomen ejus Jeſum, &c.* dum ſic ſponſum inſtruxit, docuit Mariannæ caſtitatis excellentiam; ut videas, quòd vocabula ipſa vindices ſint Mariani honoris; ſic intellige cum viro Virginem, ſicut cum conceptu, & puerperio, ſic diſcurrit egregiè Ugo Victor: Hinc eſt, quod antè omnia copulat cum virginitate Mariæ conjugium cum viro, Virum enim nominat, non quatenùs maritus eſt, ſc non ad corruptelam, & concubitum carnis, ſed ad teſtimonium, cuſtodiamque ſacræ virginitatis, & caſtiſſimæ fœcunditatis Mariæ. Adde ulterius hanc expenſionem Sancti Petri Dam. & Anſelmi: Numquam Virginem abſque viro, & quæ virum non cognovit, jugiter cum viri ſocietate componi: Angelus in ſpecie viri cubile ingreditur, ut concipiat: Vir Joſeph etiam dum dimittere tentat, ab Angelo revocatur, ut conjugem recipiat, nec ſecceſſus violet contubernium; moritur Jeſus, & ſtatim vir illi ſuppetit pro Filio, ad crucis truncum, mortiſque victimam ligatus: qualis eſt iſta Virgo, quæ dum caſtior eſt, tot virorum cingitur comitatu ut noveris templum hoc pudicum nullis potuiſſe inhoneſtis facibus inflammari; ipſimet viri virginitati ſubſerviunt, qui teſtes, & cuſtodes exhibentur: teſtis è Cœlo Gabriel acciſcitur; teſtis è terra Joannes invigilat; Joſeph juſtus adeſt, & quomodo eſſet juſtus vir adulteræ? juſtus eſt, & teſtis, & cuſtos, ut in ore iſtorum teſtium ſtaret omne verbum. Verbum ſcilicet Virgineum ex Virgine Matre illibato pudore progenitum. *Luc. c. 1. v. 35. & ſuſe S. Anſelm. S. Fulgent. S. Petr. Dam. & Criſol.*

15. *Maria*

15. *Maria ab æterno præfinita à Deo in matrem filii ſui.*

Et nomen Virginis Maria. Nota quod ad annuntiationem hanc Incarnationis præmittitur nomen ſponſi, & ſponſæ, ſcilicet Joſeph, & Mariæ, ut ambo oſtendantur prædefinitos fuiſſe à Deo ad impletionem hujus myſterii de domo, & familia David, ſed tamen differenti modo; nempè in Maria impletam eſſe veritatem, in Joſeph munus teſtis, & cuſtodis, & nutritii, dicitur autem & nomen Virginis Maria, ideſt ſtella, ut intelligamus ipſam eſſe illam ſtellam prædictam in Num. ex Jacob, nec noviter inventam, aut fortuito, ſed à ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam, ſibi præparatam, ſibi ſervatam, à Patribus præſignatam, à Prophetis promiſſam. *Luc. c. 1. v. 27.*

16. *Maria invocanda in principio noſtrarum operationum, & in quacumque neceſſitate.*

Et nomen Virginis Maria: Cur hic nominatur, cum paulo poſt ſit ab Angelo nominanda? ſed attende ad myſterium; præmittitur huic ſublimi operi nomen Mariæ, ut diſcamus, quod in omnibus noſtris operationibus, & neceſſitatibus Mariæ invocatio eſt præmittenda, ad hanc ſemper recurrendum, ut ad ſtellam polarem, & ſecutam. *Luc. ibid.*

17. *Ingreſſus Gabrielis ad Mariam, tempus locus, modus & exercitia Mariæ tunc temporis expenduntur.*

Et ingreſſus Angelus ad eam, &c. Hic Sancti Patres aliqua dubia movent ſuper ingreſſum iſtum: & primò an Gabriel apparuerit in ſpecie viſibili, & humana, an verò apparitio fuerit purè intellectualis, & à ſenſibus remota? Reſpondetur communiorem ſanctorum Patrum ſententiam eſſe quod Angelus apparuit in ſpecie viſibili & humana, & pulcherrima, & cum ornatu propottionato ad tantam legationem, & Virginem Matrem Dei, & ratio eſt, quia cum inviſibilis Deus viſibilem carnem aſſumpturus eſſet, oportebat, ut inviſibilis ſpiritus ſub viſibilis corporis ſpecie Beatæ Virgini appareret: D. Thomas 3. *p. qu.* 30. *a.*, & eruitur ex illis verbis textus, ingreſſus Angelus ad eam, & diſceſſit ab illa, quæ motum corporeum, & viſibilem adſignificant: nota tamen, quod non apparuit pennatus, licet communiter pingatur cum alis, talis enim modus erat improprius, ſed talis modus pingendi toleratur, quia per alas ſignificatur eorum velocitas in ſuis actibus: ſic Viguerius cum aliis DD. hæc etiam ad ſenſum Seraphici Doctoris. *Op. medii c.* 3. *ſeq.*

18. *Quæritur ſecundò de loco hujus annuntiationis, & qua occaſione.* Ubi de Æde Lauretana: Lutherus impiiſſimus cum aliis Hæreticis apud Caniſium aſſerunt Mariam eo tempore, quo ab Angelo fuit ſalutata, inventam fuiſſe confabulantem apud aliquos, vel rei culinariæ, vel agrariæ incumbentem, quod figmentum apertè ſacrilegum convincitur ex textu Evangelico, ubi dicitur, *ingreſſus eſt Angelus ad eam*, ſcilicet ingreſſus eſt in domunculam pauperem, in qua ſola morabatur ſemota ab aſpectu virorum, ut ait Sanctus Ambroſ. & tunc temporis præcipuè in oratione erat defixa, contemplans (ut dicunt plures Sancti Patres) myſterium Incarnationis, neceſſitatem generis humani, ejuſque miſerias, deprecantique Deum, ut emitteret tandem Agnum de Cœlo, & ſalvatorem promiſſum: ſic ex Sancto Bon. cit. ex Ambroſ. Bern. Hieron. aliiſque apud Caniſium. Nota autem, quod domuncula iſta, in qua tantum myſterium celebratum eſt, eadem eſt, quæ primò in Illyricum, deindè in Italiam per manus Angelorum fuit deportata, & uſque modo permanet, & Lauretana Eccleſia appellatur, in ſummaque religione ab omnibus Chriſti fidelibus habetur: hac de re fuſe ca. amo agit Caniſius, & Bapt. Mantuanus. *Vide Novarin. Umbram Virgineam num. 955. ſeq.*

19. *Quæritur tertiò quo tempore, & quanto facta fuerit hæc annuntiatio?* Reſpondetur communiorem opinionem eſſe, quòd facta fuit hæc annuntiatio eo die, quo conditus eſt homo, ſcilicet ſexta feria diei ſcilicet 25. Martii, in media nocte, juxta illud *Sap. c.* 18. *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine à regalibus ſedibus venit*; quæ verba Eccleſia aptat ad Chriſti Nativitatem, ſed aptiùs accommodantur conceptioni, ut ſic conceptio, & nativitas in tempore convenirent, ut ſic pateret Chriſtum veram lucem cæleſtem veniſſe in media nocte peccatorum noſtrorum ad fugandas tenebras noſtras: Nota tamen, quòd licet media nocte ſecuta fuerit Incarnatio: Gabriel moratus eſt cum Maria, de hoc altiſſimo myſterio colloquendo cum ipſa per multas horas, & ſecundum aliquos ſanctos à veſpere in ſero antecedenti uſque ad auroram hujus diei, & hinc ortus eſt mos perantiquus ſalutandi Virginem ad pulſum campanæ, & hoc inſtante Sancto Bonaventura obtentum eſt à ſummo Pontifice, ut refertur in ejus vita.

20. *Quæritur quartò an Beata Virgo Maria non ſolùm corporeis oculis externam Angeli formam viderit, ſed etiam illius ſubſtantiam mentis oculis &c.* Aliqui id negant, ſed probabilius id affirmandum, cum enim in mente Beatæ Virginis indiderit ſpecies omnium creaturarum, etiam Angelicarum, conſequenter aſſerendum ipſam vidiſſe, & cognoviſſe ſubſtantiam Angeli, eumque agnoviſſe, ejuſque nomen revelaſſe Sancto Lucæ, ut ipſum in ſuo Evangelio adnotaret. *Sic Albertus Magnus aliique.*

21. *Quæritur quintò an Gabriel flexis genibus Mariæ annuntiaverit hoc myſterium?* Reſpondet Viguerius Cardin. improbabilem eſſe ſententiam eorum, qui dicunt flexis genibus Gabrielem ſuam nuntiationem expreſſiſſe Mariæ, ex eo, quod ipſa erat omnium hominum humillima, nec id permiſiſſet; ſed tamen dicendum eſt è contrario Angelum Gabrielem facie hilari, & jucunda flexis genibus, & inclinato vultu timoroſo, & reverenti nuntiationem feciſſe, & ipſam Beatam Virginem flexis pariter genibus, & cum maxima reverentia, & humilitate eam ſuſcepiſſe: talis enim modus erat magis expediens, & proprius, & nuntianti & ſuſcipienti, & ipſimet myſterio, & præcipuè ipſi Verbo adveniens-

il

ti in uterum Virginis; quod etiam ex traditione picturarum, quæ tali modo exhibentur, & admittuntur in Eccleſia probari poteſt; & hoc etiam infertur ad mentem Seraphici Doctoris. *Op.medit.c.2 & ab aliis DD.traditur.*

22. *Primum verbum ſalutationis Ave expenditur.*

Et ingreſſus Angelus ad eam dixit Ave gratia plena. Quæritur hic cur Angelus incipit ſuam legationem ab Ave? cur non alio modo V. G. Salve, gaude, pax tibi, Deo gratias? cur igitur ante omnia ipſam tali modo ſalutavit? Reſpondetur, quòd in hoc nomine multa, & maxima myſteria continentur: primò enim Angelus voluit procedere valdè ordinatè tamquam bonus Rethor: Rethoricæ autem partes principales ſunt exordium, narratio, & concluſio; in exordio præmittitur ſalutationis exordium, in qua ſalutatione captat Mariæ benevolentiam, exigit confidentiam, & exhibet reverentiam: oſtendit enim eam commendabilem à bonitatis plenitudine (gratia plena) ideoque amabilem; à dignitatis altitudine (Dominus tecum) & idcò venerabilem; & à laudis amplitudine (benedicta tu in mulieribus) ideoque prædicabilem. *Luc.c.1.v.28.*

23. Secundò reſpondetur, quòd à ſalutatione incepit Angelus ſuam legationem, ut inverſo ordine procederet, quo uſus eſt ſerpens cum Eva: Transfer mentem, & oculos ad *Gen.c.3.* & videbis ſerpentem Evam ſine ſalutatione aggredientem tali pacto: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis &c.* Vide inquam quàm ruſticale proloquium, quàm illiberalem inurbanitatem; ſic agit cum Regina naturæ, & prima parente omnium? cur non ſalutat, ſed orditur abruptè, Cur præcepit vobis Deus? Ecce cauſam; quælibet ſalutatio index, & deprecatio lætitiæ eſt, actus eſt curialitatis, & benignitatis, fomentum charitatis, expreſſio boni, quod deſideratur: Triſtitiæ toxico ſerpens aſpergere intendebat humanam naturam; ſic benevolum exordium omittens, interpoſita verſutia de negotio prævaricationis pertractat, intendens auferre Deum, & ruinam homini parare: hinc contraria ſemita graditur Angelus; & in nuntii veſtibulo Mariam ſalutat, omneque gaudium illi precatur per Ave; & ut ſalutationem plenam lætitia proferat ſtatim attexit gratiam, Deumque adeſſe in Virgine pronuntiat dicens Ave gratia plena Dominus tecum, & oſtendens, quòd Virgo reſtituit ſalutem, quam ſerpens abſtulit. *Luc.c.1.ibid. & c.10.v.5.ep.ſpec.B.Virg.lect.4.ſer.1. & 2. & 3. de B.Virg.*

24. Tertiò reſpondetur, quod tali termino ſalutationis oſtendit in ipſo veſtibulo nuntii ſacramentum Incarnationis in Maria peragendum adverſus primorum peccatum parentum, & in medelam ejuſdem, & ab ipſa quæſitum, & expetitum: Ave dixit Gabriel; quid eſt Ave? Ave dicitur ab aveo, aves, quod eſt deſiderare; ac ſi diceret: Ave ô Virgo, & deſidera, quia quicquid deſideras obtinebis, ſcilicet orationes tuas, petitiones, & vota proſequere, quæ ad impetrandam Incarnationem Verbi, & medelam generi humano in ſtatu damnationis expoſito ordinata ſunt: totum enim meritis tuis obtinebis: ſic plures ſacri Expoſitores. Et ad hujus veritatis confirmationem inter alias revelationes factas à Virgine ſanctæ Elizabeth hanc inſeruit: Petebam (ait Maria) ut faceret me videre tempus, in quo nata eſſet illa Beatiſſima Virgo, quæ debebat Filium Dei parere & ut conſervaret oculos meos, ut poſſem eam videre, linguam, ut poſſem eam laudare; manus, ut poſſem ei ſervire; pedes, ut poſſem ire ad ſervitium ſuum, genua, ut poſſem adorare Dei Filium in gremio ſuo, Ecce quo tendebant Mariæ vota, preces, & deſideria. *Op. medit. cap.2.*

25. *Hic conſequenter quæritur an Beata Virgo Maria ſuis meritis concurrerit ad opus Incarnationis Dominicæ.*

Dixit Angelus Mariæ Ave, ideſt deſidera, quia quidquid deſideras obtinebis, exponunt ſacri Doctores: Ergo & ejus oratio, meritaque impetrarunt Incarnationem: Pro ſolutione hujus quæſtionis diſquirunt Theologi, an Incarnatio potuerit cadere ſub ratione meriti? & reſpondent quoad ſubſtantiam non potuiſſe cadere, cum ſit opus puriſſimæ dignationis divinæ, & origo, fonſque omnium meritorum; ſuppoſito tamen decreto divino talis operis potuit cadere ſub ratione meriti quoad circumſtantias: v. g. quoad perſonam in qua incarnandum erat Verbum, quoad tempus, quoad acceleracionem, quoad executionem, & ſimilia, item & quantum ad efficaciam in ordine ad liberationem à reatu carentiæ viſionis Dei, & captivationis diaboli, non verò quantum ad ereptionem de ſtatu culpæ: & ſupradicta meruerunt ſancti Patres: & præcedens Eccleſia merito congrui, & quia merita Beatæ Virginis incomparabiliter excedebant merita totius Eccleſiæ, & aliorum ſanctorum; hinc potiſſimum executio decreti hujus adſcribenda eſt meritis Mariæ, & quoad acceleracionem, & quoad ſuam perſonam, & quoad efficaciam ſupradictam. *Lib.3.d.4.a.2.qu.1. & 2. ep.ſpec. B. Virg. lect.14 & 16. Vide Suarez. de Incarnatione diſp.10. Vegam in Theolog Mariana à n.1691. & deinceps & 1766. Ubi fusè, & doctiſſime probatur meritum de condigno in B.Virg.*

26. Quartò reſpondetur, quod per Ave incæpit hanc nuntiationem Angelus, ut ſignificaret Mariam correctionem eſſe Evæ, & Evam redintegratam in Maria, ut loquitur ſanctus zeno Marr. Unde ſancta Eccleſia laudes canens Mariæ, dicit ſumens illud Ave Gabrielis ore, funda nos in pace, mutans Evæ nomen, &c. quomodo mutatum eſt per Mariam Evæ nomen: mutatum poteſt dici nomen Evæ, in Ave, ſcilicet invertendo nomen Evæ, quia per Mariam reintegratum eſt, quod Eva perdidit, & corrupit: ſed quia Angelus ſalutavit Mariam idiomate Hebræo, in quo non eſt correſpondentia hæc vocum, ſed tantum in latino, ideo mutatio hæc altiùs eſt eruenda: mutatio enim eſt cum è ſitu priſtino, vel voces, vel ſyllabæ evelluntur; cum autem Eva priùs appellata fuerit Virgo, ſeu Virago ab Adam, poſteà Eva, ideſt mater omnium viventium Gen. c.3. & cum ad maternitatis adventum amiſerit virginitatem per corruptionem, & ob id non mater viventium, ſed morientium melius, & verius poterat appellari quia per eam maledictio effuſa eſt in omnes homines; hinc adveniente Maria Virgine

in

in qua & virginitas propria ſtatus innocentiæ, & fœcunditas ſimul couiunctur ſancto fœdere, ideo verè Maria veluti nova Eva, & mater vitæ, & virgo variegata permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viventium in mundo apparuit nomen matris habens cum virginitatis honore, unde ſi Eva fuit infidelis & Maria fidelis inventa eſt; Eva infideliſſima mediatrix proditionis, Maria fideliſſima mediatrix ſalutis fuit quæ ſalutis antidotum viris, & mulieribus contrà venenum Evæ propinavit; ſic ſanctus Bon. *Op ſpec. B. Virg. lect. 9. & cum eo S. Athanaſ. Niſſenus, & Auguſt. Chryſippus, &c.* meritò ergo Gabriel per Ave ſalutavit Mariam, ut tali ſalutatione ipſam oſtenderet ſummè ſuper omnes creaturas perfectam per amotionem omnis mali ab Eva in genus humanum derivantis, & per plenitudinem omnis boni, ac conſequenter per Mariam adversùs Evam reſtaurationem totius mundi adveniſſe, & benedictionem divinam loco maledictionis effuſam fuiſſe per totum mundum. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 1 ſeq. & 10. ſer. 2. & 3. de B. Virg.*

27. Quintò reſpondetur tali modo ſalutaſſe Mariam per Ave, ut ipſam declararet immunem ab omni malo, vitio, peccato, & pronitate mala, miſeriaque vitioſa: Ave enim dicitur ab A; & Væ ideſt ſine Væ, undè Ave eſt Evæ correctio contrà triplex Væ, & maledictionem Evæ: Nota autem, quòd triplex Væ in univerſo reperitur, Væ culpæ actualis, Væ miſeriæ originalis, & væ pœnæ gehennalis, ſecundum illud Apoc. *cap.* 8. Væ, Væ, Væ, habitantibus in terra; ter autem dicitur Væ, quia quodlibet iſtorum trium Væ, tripliciter multiplicatur; Væ enim culpæ actualis aliud eſt cordis, aliud oris, aliud operis: Væ miſeriæ originalis, aliud eſt naſcentium, aliud parientium, aliud morientium: Væ pœnæ gehennalis aliud eſt in magnitudine, aliud in multitudine, aliud in durationc: Maria Virgo ergo per Ave declaratur immuniſſima ab omni peccato actuali cordis, oris, & operis etiàm minimo, & veniali; ab omni peccato originali, & miſeria ductiva ad peccatum conſequente ad culpam originalem, inter quas & in illa maledictio Evæ, in dolore paries filios. Gen. c. 3. & reſolutio corporis in cineres, à quibus immunis fuit, item & ab omni pœna gehennali, nam contra magnitudinem pœnarum in Maria oppoſuit magnitudinem præmiorum, & contra multitudinem tormentorum multitudinem meritorum; & contra durationem pœnarum æternam lucem gloriæ in Cælo; undè ſola Maria ſua perfectione præponderat omnibus malis, omnium creaturarum, & plus glotiæ per eam Deo redundat; quam ex omnibus creaturis etiam ſanctiſſimis, & è contra licet omnes damnatæ eſſent, tamen ſola Maria gloriam Dei reſtauraret per Chriſtum; meritò ergo Gabriel incepit ſalutationem ſuam ab Ave, ut ipſam oſtenderet immunem ab omni Væ, ſcilicet corruptionis in conceptu, gravitatis poſt conceptum; & doloris in partu; fuit enim ſine corruptione fœcunda, ſine gravedine gravida, ſine dolore puerpera: *Luc. cap. 11. ad finem*: item à Væ mundi, carnis, & diaboli per pietatem, virginitatem, & humilitatem. *Op. ſpec. B. Virgin. lect. 1. & 2. ſer. 2. & 3. de B. Virg. Luc. cap. 1. verſ. 27. ſeq.*

28. Sextò reſpondetur, quod Gabriel incæpit per Ave ſuam legationem, ut & nos agnoſcentes, quod per illud Ave initiata eſt noſtra Redemptio ab æterno Væ, perſonemus & nos, & ſinguli, & univerſi ſalutando Mariam dicentes Ave, & iterum Ave, & millies Ave, & hoc eſt maximum beneficium nobis Chriſtianis, & non aliis nationibus conceſſum poſſe ſcilicet ſalutare Mariam per Ave. O mirum Ave, quod quadam cæleſti dulcedine inebriat cor devotum, certè dicere poteſt devote ſalutans liquefacta eſt anima mea, ut ſalutavi Dominam meam, quid ergo libentius audis ô Domina, quàm ſalutationem, qua recognoſceris Mater Dei? O mirabile, & ſuperadmirabile Ave. ad quod dæmones effugantur, peccatores liberantur, filii delectantur, Angelus gratulatur, Verbum incarnatur, Virgo gravidatur, certè Ave, cujus fructu creaturæ renovantur, homines redimuntur, Angeli reparantur, Ergo tibi Ave univerſa creatura ſine fine promat, ô dulciſſimum Ave, quo terreſtria lætantur, cæleſtia jucundantur, ô Ave, quod intellectum irradiat, affectum ſatiat, mentem ad cæleſtia levat, quo animus illuſtratur, pectus dulcoratur, caro maceratur: Igitur Ave: ô catenale Ave, quod conſtringis cum Virgine, & ſeparas à terrenis, cum miſericordioſiſſima miſerum, cum Domina ſervum, cum Matre Filium ſitmiſſimè ligas: ô amabile Ave, accedat, ut ſalutet qui vult catenari amore, & cum ſalutaverit ex corde, amplius, fortiuſque conſtringetur, & quantò conſtringetur fortiùs, libentiùs ſalutabit, ſicquè amor, & Ave mutuo ſe augebunt, donec cor ſalutantis deficiat præ dulcore, ô Virginis amor divinum reddis amantem, virgineum facit jam multa ſorde pollutum, ergo Ave Domina mea, mater mea, imo cor meum, anima mea Virgo Maria, & Maria mea Ave: ô nomen ſuaviſſimum, nomen jucundiſſimum, nomen dulciſſimum, nomen Ave Maria. *Op. ſtim. p. 3. cap. 16. op. ſpec. B. Virg. lect. 2.*

DE EXCELLENTIIS NOMINIS Mariæ.

Da mihi Virgo virtutem, ingenium, ſermonem ut fidelibus, & devotis tuis valeam nuntiare gloriam nominis tui, non quantum eſt, ſed ut tantillum, ego parvulus tuus laudibus tuis immenſis enuntiabo ad gloriam tuam; & devotionem meam, & ſolatium omnium legentium. *ſic ſanctus Bern. ſen. & S. Bon. in ſpec.* Sic & ego indigniſſimus.

29. *Ave gratia plena: Ave Maria gratia plena.* Notandum, quod hoc nomen Maria non à Gabriele, ſed ab Eccleſia, & fidelium devotione, & Spiritus ſancti inſpiratione poſt Ave additum eſt, & quia paulò antè hoc nomen ab Evangeliſta poſitum eſt, & nomen Virginis Maria, & paulò poſt à Gabriele in medio poſitum eſt, ne timeas Maria, hinc in hoc loco explicandæ excellentiæ hujus ſanctiſſimi nominis Mariæ, tamquam in medio poſiti, ab Eccleſia, & à Spiritu ſancto inter Evangeliſtam, & Gabrielem Arcangelum proponuntur. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 1.*

30. *Maria nomen multiplicem ſignificationem habet, & ideò aliquam ſimilitudinem cum Deo.*

Et nomen Virginis Maria: Ave Maria &c. Cur voluit Deus, ut hoc nomen Matri ſuæ imponeretur? cur non alio nomine eam inſignivit? Hoc eſt quia Dominus nominatiſſimus eſt cum Maria, ideò & Maria nominatiſſima cum Deo *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 8. Nota ly cum Maria, & cum Deo, vel ut dicit Seraphicus Doctor loquens cum Maria: Dominus nominatiſſimus tecum, ideò tu nominatiſſima ſecum, nota inquam illa reciproca tecum, & ſecum, quid ſibi vult hoc? hoc intendit Seraphicus Doctor: Deus ſibi nomen eſt, ſed tantùm nobis, nempe nomen imponitur propter multitudinem, ut diſſimilitudo ab aliis inferatur, & ſi Deus non eſſet Trinus, nomen non haberet, ſed ad diſtinctionem, & notionem perſonarum, trinum nomen habet, & ſi ſolùm eſſet unus, nomine non indigeret, quia ipſe ſolus eſſet, & diſtinctus à creaturis, à quibus conſortium non capit; quod veriſſimum cum ſit, tamen quando agitur de Maria, licèt ſit pura creatura, tamen non dicitur ſolus, ſed cum Maria, & Maria cum Deo, & per conſequens aliquo modo Maria ſola poteſt dici inter creaturas, quia ſuper omnes evecta eſt ad divinam maternitatem, ideò in ordine ad ipſas non eget nomine, niſi comparetur ad Deum, cum quo quaſi conſortium habet; & hinc ait Sanctus Bernardinus Sen. ſicut Deum nominamus non uno nomine, ſed multis, ut ejus incomprehenſibilitatem declaremus, ſic & Mariam, ut ad ejus ſublimitatem cognoſcendam veniamus: hinc proclive eſt intelligere quare Deus ſuam Matrem, Mariam voluit nominari; nempè quia ex radice Hebraica, Chaldaica, & Syriaca deſumptum multas interpretationes admittit, quæ diverſas perfectiones eminentiſſimas Mariæ exprimunt, quas in ſequentibus ſubjiciemus ad gloriam Mariæ ſemper Virginis; tum ex Seraphico Doctore, tum ex aliis SS. PP. & Doctoribus Sacris.

31. *Multiplex Mariæ interpretatio proponitur.*

Maria interpretatur ex multiplici radice Hebraica, Chaldaica, Syriaca, Græca, & Latina; nempè ſtella maris, vel ſtilla maris, vel pluvia maris, vel mare, vel myrrha, vel illuminatrix, vel magiſtra maris, vel myrrhon ideſt Princeps facierum, vel Deus ex genere meo, vel Domina maris, vel Domina cribri, vel Domina. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 1. & ſeq. ſer. 2. & 3. de B. Virg. & aliis locis infrà cit. & ex aliis SS. PP. infra adducendis.*

32. *Mariæ nomen de theſauro divinitatis excerptum, & ab ore Domini nominatum, & ab inſtanti ſuæ conceptionis ipſi impreſſum.*

Et nomen Virginis Maria: Ave Maria. Ne timeas, Maria: Si nomen Virginis eſt Maria, quandonam, & à quo fuit ei impoſitum? Cur non hoc exprimit Evangeliſta? imo hoc exprimit, Nota ordinem, quem ſervat Evangeliſta in nomine Joſeph, & in nomine Mariæ: Miſſus eſt Angelus &c. ad Virginem deſponſatam viro; quis iſte vir? Viro cui nomen erat Joſeph: quæ ita Virgo deſponſata? Et nomen Virginis Maria; Nota inquam, quod volens aſſignare nomen ſponſo, perſonam ipſius exprimit in caſu dativo, cui nomen erat Joſeph; & loquens de Maria utitur caſu genitivo, & nomen Virginis Maria: Cur hoc diſcrimen? cur non dicit de Maria, ſicut de Joſeph, cui nomen Maria, ſed dicit nomen Virginis Maria? ſed en myſterium ſublimiſſimum ex B. Alberto Magno in ſuo mariali: Dativus conſtruitur acquiſitivè, Genitivus poſſeſſivè; nomen Joſeph aſcribitur per Dativum, quia ſignificatione ſua ſonat augmentum, ſcilicet perfectionum, quod augmentum ei per ſponſalia cum Beata Virgine accidentaliter obvenit: Beata autèm Virgo ſanctificationem ſui nominis non quaſi de novo acquiſivit; ſed in hoc etiam nata fuit; ſemper enim fuit ſtella maris, & tamen præcedentes ſe, & ſequentes illuminavit, quia niſi per fidem Verbi incarnati de Virgine, numquam aliquis ſalvus fieret; undè ipſa in fide hominum, & Dei electione, & confirmatione Dominica, & Regina creaturarum omnium ſemper fuit; ergo hoc nomen Maria, Virgini non caſu ei obtigit, non gentilitio jure, non ſtylo hominis, ſed inditum à primordio gratiæ inſcribitur: Et hinc eſt, quòd (ut notat S. Petrus Damianus) ſtatim de theſauro divinitatis Mariæ nomen evoluitur, & per ipſam, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendum decernitur; ergo nomen Mariæ extractum de theſauro divinitatis, ſcilicet de Trinitatis theſauro, Trinitatis odorem ſpirat, ſcilicet in hoc nomine involuitur quod per Mariam factum eſt, ſcilicet opus Incarnationis, & cum ipſa Trinitate ſuper omnes creaturas ſublimior, & cum Deo unita appareret. *Sic S. Petrus Dam. & S. Bon. op. ſpec. B. Virg lect. 1. & 2. ſeq. Luc. c. 1. v. 27. & 28.* Et hoc idem infertur à Sactis DD. ex eo, quòd in ſacris litteris nulla mentio ſit de Mariæ progenitoribus, ut ſcilicet intelligamus totam perfectionem ejus derivatam non à Parentibus, ſed à Filio, quem genuit.

33. *Mariæ nomen totius Incarnationis compendium eſt.*

Et nomen Virginis Maria: Ave gratia plena! Ne timeas Maria. Cur cæleſtis nuntius nomen Virginis reticet, dicens Ave gratia plena Dominus tecum? nonnè etiam apud prophanos indecorum eſt ſalutare ſine nomine? exciditnè forſan cæleſtis legatus in deliquium vocis ad ſplendorem tantæ Virginis, vel è memoria lapſum eſt? minimè: Ars fuit, non error, ingenium, non caſus: procedit enim Angelus ut bonus, & perfectus Rethor (*ait S. Bon. in Lucam c. 1. v. 28.*) ſi enim in principio dixiſſet Ave Maria totum myſterium Incarnationis in ipſo limine nuntiaſſet; voluit enim toto niſu facile reddere Incarnationis prodigium, & ut aſſenſum Virginis in hoc opus flectat, maturetque Verbi Dei in Virgineum uterum deſcenſum, priùs gravidis ipſo myſterio verbis lenit Virginis aures: Nota ordinem verborum, gratiâ plenam eam declarat, Dominum eſſe ſecum dicit, & tamen Maria

turbata

turbata timet, quomodo ergo timorem, & turbationem expellet? exere nomen, quia ex nomine proprio timorem abjiciet: sic, sic Gabriel: Ne timeas Maria, sed gaudeas, quia nomen tuum scriptum est in Cœlo, scilicet in thesauro divinitatis; nam ex hoc nomine intelliges, quòd inveniſti gratiam apud Deum; gratiam inquam perfectionis in generatione tua, gratiam desponſationis, ut fieres sponſa Dei, & Mater Filii Dei, quia hoc nomen Mariæ involuit, & maternitatem, & virginitatem, & ideò omittit Angelus interponere nomen Mariæ, quia in aliud tempus nominandum, postquam gratiæ ejus fuerant explanatæ, sine quibus jam plenæ significationis nomen non intelligeretur, gratiæ scilicet maternitatis, virginitatis, & perfectionis; ut videas, quòd omne Angeli eloquium, scholium, & periphraſis nominis fuit. *Luc. c. 1. v. 30. B. Alb. magnus in mariali.*

34. *Quale discrimen inter nomen Mariæ Virginis, & cæteras Marias in Evangelio productas.*

Et nomen Virginis Maria. Si in Virgine Beatiſſima hoc nomen continet tot mirabilia myſteria, ergo & etiam applicatum aliis Mariis, de quibus fit mentio pluries in Sacra Scriptura? cur ergo de illis non prædicantur iſta magnalia? ſed tamen ab obſervatoribus diligentibus linguæ Hebraicæ, & Græcæ negatur conſequentia, reperitur enim maximum diſcrimen inter utraſque, nam in fonte Hebraico, & Græco, dum fit ſermo de Maria Virgine, dicitur Mariam biſſyllabum, & cum terminatione maſculina in caſu recto; dum fit ſermo de cæteris dicitur Maria, triſyllabum in terminatione fœminina in caſu recto; ſic habetur in textu Græco in Marco, Matthæo, Joanne, & Luca; ſic obſervavit cum multis aliis Arias Montanus in nom. interpretatione; & hinc infertur à ſacris Expoſitoribus, quòd nomen Mariæ in Virgine Beatiſſima eſt valde differens ab aliis fœminis, nam in ipſa nomen eſt maſculi roboris, & virilis ſtrenuitatis, non quia Pater ſimul & Mater ſit, ſed quia fœcunditatem ex virtute Altiſſimi Patris accepit, & abſque maſculo genuit, quem ſupernus Pater abſque fœmina generabat, ideò Mariæ nomen Matrem ſignificat, ſimulque Virginem, & Matrem quidem Filii Dei; ſic expendunt ad hanc rem ſublimiſſimè Tertull. S. Bernardus, Cipria-nus, aliique? Verum tamen, quòd hoc nomen Maria apud Latinos pronuntiatur nomine triſyllabo, & hoc ut vocabulum leniretur, nec ſic ſtrideret, idque lenitas ipſa latia, & Græca imo & mariana expoposcit: in quo etiam myſterium latet, ut infra dicimus.

35. *Maria mare plenum, & redundans omnibus gratiis: Ubi de pronuntiatione hujus nominis media producta.*

Et nomen Virginis Maria; Ave Maria: Dictum eſt ſuprà, quòd ex Hebræo, & Græco fonte nomen Mariæ eſt biſſyllabum, & corripitur, pronuntiaturque terminatione maſcula in caſu recto Maria; attamen in idiomate latino triſyllabum eſt, & media producitur cur hoc? certè non caret maximo myſterio iſte uſus Sanctæ Eccleſiæ; unde ad ipſum explicandum: Notandum, quòd Maria idem eſt ac mare, ſicque interpretatur, & cum deberet pronuntiari ut biſſyllabum Maria, Mariam, pronuntiatur, ut triſyllabum penultima producta, & hoc factum eſt in Eccleſia, ait Ricardus à S. Laur. ut in ejus pronuntiatione diutius immoremur, majorique dulcedine perfundamur; nam, ut notat S. Bon. hoc nomen miram dulcedinem continet, exhibet, & affert. *Opuſc. ſtim. n. 3. c. 16. op. Pſalt. B. Virg. Pſ. 20. opuſc. ſpec. B. Virg. lect. 3. & 4.* Hoc nomen igitur ſanctiſſimum nobis exhibet antè oculos mare ſcilicet gratiarum, in quod omnia flumina gratiarum intrant, nempè charitſmata omnium Sanctorum Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, ô quale, quàm vaſtum, quàm immenſum mare eſt Maria Virgo. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3. ſerm. 2. & 3. de B. Virg. opuſcul. ſtim. cit.*

36. *Maria nomen mare amarum in ipſa nobis oſtendit.*

Si hoc nomen interpretatur mare, quomodò de Maria verificatur, cum mare ſit plenum amaritudine, & ſalſedine? optimè hoc ſtat: mare eſt quidem in ſe dulciſſimum plenum gratiarum ſed in ordine ad Filium, & ad Dæmones poteſt dici mare amarum; nam in Paſſione Chriſti ejus cor veluti mare repletum eſt amaritudine, & dolore: mare item amarum in ordine ad Dæmones, nam ad invocationem hujus ſanctiſſimi nominis devorum, ſtatim fugiunt, & pereunt à facie ejus, ſicut fluit cera à facie ignis. *Op. ſpec. B. Virgin. lect. 3.*

37. *Maria nomen nobis exhibet ſtellam polarem ſecurè ducentem ad portum ſalutis.*

Et nomen Virginis Maria: Maria interpretatur ſtella maris; alii: magiſtra maris; & optimè convenit hoc Mariæ Virgini; ſicut nautæ ductu ſtellæ polaris enavigant mare, & ad portum, quem volunt ducuntur: ſic & Deus in hoc mari hujus vitæ procelloſæ nobis providit hanc ſtellam, ut navigantes in navi innocentiæ, vel pœnitentiæ dirigat ad litus, & cœleſtis patriæ portum; quare ſi quæras unde, & quibus auxiliis poſſunt naves inter tot pericula peruanſire ſecurè uſque ad litus patriæ? reſpondet S. Bonavent. quod per duo, ſcilicet per lignum, ideſt fidem crucis & per ſtellam, ideſt per virtutem lucis, quam peperit nobis Maria maris ſtella; igitur ne averras oculos tuos à fulgore hujus ſtellæ, ſi non vis obrui procellis: ſi inſurgant venti tentationum, ſi incurras in ſcopulos tribulationum reſpice ſtellam, voca Mariam; ſi iracundiâ, aut avaritiâ, aut carnis illecebrâ naviculam excuſſeris mentis, reſpice ad Mariam; ſi criminum immanitate turbatus conſcientiâ fœditate confuſus, judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde; Igitur chariſsime, ne in mari hujus mundi demergaris

Digitized by Google

ſtellam ſequaris, Mariam imiteris, ſecuriſſimum enim eſt ipſam ſequi; ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras: ipſa tenente non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia pervenis. & ſic in temetipſo experieris, quàm meritò dictum eſt, & nomen Virginis Maria, ideſt ſtella maris: ſtella quidem puriſſima prior, & potior ſole, & ſtellis, & omnibus aliis creaturis; ſtella radioſiſſima, quæ radium Filium Dei emiſit in mundum, ipſum totum illuminantem. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3. Luc. c. 1. v. 27 ſeq. ſer. 2. & 3. de B. Virg. op. ſtim. p. 3. c. 16. op. Laus Virg. fig. 10. & idem S. Bern.*

38. *Maria nomen nobis indicat ipſam illuminatam, & illuminatricem totius mundi.*

Et nomen Virginis Mariæ. Maria interpretatur illuminata, & illuminatrix, unde hoc nomen nobis pandit iter ad conſiderandam Mariam illuminatam à tota Trinitate, ut veluti ſol illuminaret totum mundum per exempla lucidiſſima ſuæ vitæ, per beneficia lucidiſſimæ miſericordiæ ſuæ, & per lucidiſſimam ſuam gloriam, undè rectè comparatur columnæ nubis, & ignis: Pſal. 77. Nubis columna dicitur, quia protegit nos ab æſtu indignationis divinæ, & diabolicæ tentationis; columna, & ignis illuminans mundum, & per omnia veluti ſol reſpiciens extendendo radios gloriæ ſuæ ad homines; & Angelos. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3.*

39. *Mariæ nomen ipſius dominium univerſale nobis oſtendit.*

Et nomen Virginis Mariæ. Nota: hoc nomen etiam interpretatur Domina; & meritò; nam Maria Domina conſtituta eſt à Filio totius mundi, nempè omnium Angelorum, hominum, & Dæmonum: Domina inquam eſt Angelorum Maria, ipſa enim Angelis imperat, & omnes ſuo imperio obtemperant, eoſque mittens ad noſtrum ſubſidium: Domina eſt & omnium hominum, undè omnes homines ad manus hujus magnæ Dominæ debent aſpicere, ut per ipſas è Cœlis diffluant divinæ gratiæ: Domina item & Dæmonum, eſt enim virga virtutis Dei contra inimicos infernales, ergo ſicut dicitur de nomine Jeſu, ſic & de nomine Mariæ dicendum, quòd in hoc nomine omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3.*

40. *Alia mirabilia de nomine Mariæ enodantur ex Seraphico Doctore, aliiſque Sanctis Patribus, & Theologis.*

Primò Nota, quòd ex Sancto Ambroſio, & aliis Sanctis Patribus Maria interpretatur etiam Deus ex genere meo, quod & viri docti apud Benzonium in Magnificat. *Lib. 2. c. 12.* deducunt rectè ex radice Hebraica ex Mharah Jah, quod eſt concipere Deum, & Deus de conceptu meo, vel genere meo; Et quia ſolus Filius Dei genus habet, quia ab æterno gignitur ex Patre, hinc naſcens de Maria declaratur per nomen Mariæ Matris habere duplex genus, & à Patre genitore, & à Maria genitrice, & per conſequens ille, qui ſemper Deus eſt, qua à Patre exoritur Deus eſt, dum à fœmina gignitur peculiariter illi datum; qui gignitur ex Maria, quod Deus ſit, nempe homo ſortitur ex ipſa quòd Deus ſit; hinc & nomen Patris, & Filii, & Patris divini ſub nomine Mariæ inſonuit; ſed quia qui generatus eſt ex Maria eſt Jeſus, hinc & iſta duo nomina videntur ſynonima, Maria, & Deus, & Jeſus, & hac forſan de cauſa in primitiva Eccleſia iſta duo non disjungebantur, dicebatur enim Maria Jeſus, & Jeſus Maria; ſic apud Sanctum Ignatium Martyrem, ut hinc videas Mariam Virginem in tale divinitatis contubernium evectam, quæ genus dedit Creatori, quæ genitrix Filio fuit, & tamen ſibi Virgo permanſit, & ex virginitatis fœcundæ ſublimitate Filium unigenitum à Deo ſortita eſt; *Sic expendit Nazianz. & Venantius.*

Secundò: Alii ex Hebræo componunt nomen Mariæ cum nomine Dei Tetragrammaton, ideſt quadriliterum; alii cum nomine Myrrhon, ideſt Princeps facierum, quæ nomina ab Hebræis aptabantur nomini Dei ineffabili, quod tamen voluit Deus communicare nomini Mariæ; eſt enim idem quòd Deus ex genere meo. & quadriliterum reſpiciens quatuor mundi partes, quas ipſa cum Filio redintegravit, & reſtauravit. *Vide Salaz. de conceptione c. 3. Picum Mirandul. Georgium Venetum. Harm. Cant. 1. c. 5.*

Tertiò quæritur utrum Sanctum Mariæ nomen aliquid ex opere operato operetur, & quid? Pro ſolutione ſupponitur, quòd aliqua Sacramentalia ſunt inſtituta ab Eccleſia, ut aqua Benedicta, panis benedictio, & ſimilia; alia à Chriſto immediatè, ut crux, ſignum crucis, oratio Dominica, confeſſio generalis, & ſimilia: de primis aliqui negant producere ex opere operato, ſed tantùm ex opere operantis; alii aſſerunt oppoſitum ut Sanctus Auguſt. & Sanctus Bon. De ſecundis, ſcilicet inſtitutis immediatè à Chriſto nulli dubium eſt producere effectus ex inſtitutione Chriſti, & ob id ex opere operato: hinc reſponderur primò hoc nomen ex natura ſua, vel ex ſyllabis, vel ex qualitate litterarum, nullum effectum ſupernaturalem producere, quia hoc nullibi conſtat ex Eccleſia: Secundò reſpondetur hoc nomen, ſicut & nomen Jeſus ex inſtitutione, & intentione Chriſti plures effectus ſpirituales producere ex opere operato, quod eſt conſonum rationi, & ſenſui Sanctorum Patrum; nam cum nomen ſit veluti imago ſacra Mariæ ſicut & Jeſu Chriſti, etiam eſt quid ſacrum; & ad bonum ſpirituale hominum inſtitutum, ſed talis inſtitutio eſt à Chriſto immediatè, quod probant plures Sancti Patres cum Seraphico Doctore. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 2. & 3. & 8. op. Pſalt.* ſparſim pluribus locis. Effectus autem iſti ſunt plures, ut fugare Dæmones præſertim mortis tempore, ut Eccleſiæ uſus docet, dulcedinem immittere, timorem expellere, ſecuritatem afferre in periculis de quibus Sanctus Bon. ſparſim in locis cit. *Vide S. Birgittam revel. lib. 1. c. 9. ubi Beata Virgo revelavit hos effectus ex ſuo nomine provenire, apud Vegam Theol. Mariana.*

41. *Ad*

41. *Ad ſalutandam Mariam concurrit Eccleſia militans, triumphans, & totus mundus.*

Ave Maria gratia plena benedicta tu in mulieribus, &c. Nota, quòd in hac ſalutatione concurrit Angelus, Eccleſia, & Eliſabeth: Angelus dixit Ave gratia plena, &c. Eccleſia addit Maria, Ave Maria; & Angelus cum Elizabeth addidit benedicta tu in mulieribus; cur hoc, ut intelligamus, quòd ad ſalutandam Mariam uniuntur ſimul Eccleſia triumphans, militans, Synagoga; & totus mundus, quod & ipſa in Cantico prædixit, Ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes, ſcilicet tam viri, quàm mulieres, tam cœleſtes, quàm terreſtres. *Luc. c. 1. v. 48. op. De Dei Matrem, &c. in Pſalt.*

42. *Nomen Maria coincidit cum gratia plena, quia totum reſonat, & redundat gratiam.*

Ave gratia plena Dominus tecum. Cur Angelus omittit ſalutare Virginem proprio nomine, nonne hoc inurbanitas eſt? ſed tamen id fecit edoctus à Sanctiſſima Trinitate; ſed loco nominis, quod & poſtea expreſſit, poſuit gratia plena; ubi in textu Græco unico nomine hæc duo verba exprimuntur, ut oſtenderet ſe eam novo nomine ſalutare, & quòd nomen Mariæ, & gratia plena ſunt veluti ſynonima, & quod Mariæ, nomen ſpirat totum gratiam: nomen enim eſt affectuoſum, & dulciſſimum, nomen id gratioſum, & nobiliſſimum, nomen id glorioſum, & digniſſimum optimè conveniens Beatæ Virgini Dominæ noſtræ: convenientiſſimè enim Virgo tam pia vocata eſt Maria; quia ſolùm ſpirat gratiam, ſanctitatem, & puritatem, oſtenditurque in hoc nomine, quòd ipſa & omni vitio caruit; & omni virtute claruit; oſtendit inquam, quòd Maria fuit contra ſuperbiam profundiſſima per humilitatem, contra invidiam affectuoſiſſima per charitatem, contra iram manſuetiſſima per lenitatem, contrà accediam indefeſſa per ſedulitatem, contra avaritiam tenuiſſima per paupertatem, contrà gulam temperatiſſima per ſobrietatem, contra luxuriam caſtiſſima per virginitatem; & totum hoc ex nomine exhalat Mariæ quia nomen eſt gratiæ ſanctitatis, puritatis, immunitatis ab omni vitio. *Opuſc. ſpec. B. Virgin. lect. 4.*

43. *Maria nomen nobis ingerit cognitionem plenitudinis gratiarum ipſius.*

Ave gratia plena. Ecce quali nomine ſalutat Angelus Mariam, ſcilicet per gratia plena, ut oſtenderet quid indicet nobis hoc ſanctiſſimum nomen, nempè plenitudinem gratiarum, & qualem plenitudinem? & qualem gratiam? nempè oſtendit Angelus his verbis gratiæ Mariæ veritatem, immenſitatem, multiplicitatem, & utilitatem: gratiæ veritatem oſtendit, dum dixit inveniſti gratiam apud Deum, & dum dixit plena gratia, ſcilicet gratia interior, non exterior, gratia apud Deum, non apud mundum, nam gratia apud mundum eſt fallax, & falſa, & vana; gratia apud Deum fuit gratia Mariæ, quid eſt apud Deum? ideſt gratia pura, vera, non adulterina, non aliqua mixtura vitiorum unquam viciata; quidquid enim in Maria geſtum eſt totum puritas, & ſimplicitas, totum gratia, & veritas, totum miſericordia, & juſtitia, quæ de Cœlo proſpexit: plena item gratia, ſcilicet immenſa, nam cum Maria ſit vas immenſum continens, quod nec Cœli, nec totus mundus capere poteſt, ſequitur, quòd ſi fuit plena gratia, etiam ejus gratia fuerit immenſa: unde de Maria Eccli. c. 1. dicitur Altitudinem Cœli, latitudinem terræ, abyſſi profunditatem quis dimenſus eſt? Cœlum eſt Maria, quia cœleſti puritate, cœleſti claritate, cœleſtibus aliis virtutibus abundavit, tùm etiam quia ſedes Dei altiſſima fuit. Terra quoque fuit, quæ fructum illum cœleſtem nobis protulit; Abyſſus item fuit Maria in bonitate, & in Miſericordia profundiſſima; & idcò abyſſus miſericordiæ Mariæ abyſſum miſericordiæ Filii invocat pro nobis. *Pſal. 41.* Quis ergo hujus Cœli altitudinem; quis hujus terræ latitudinem, quis hujus abyſſi profunditatem dimenſus eſt, niſi ille ſolus, qui ipſam non ſolùm in gratia, & in gloria; ſed etiam in miſericordia, tam altiſſimam, tam latiſſimam, tam profundiſſimam operatus eſt? plena item gratia, ſcilicet multiplici, ſcilicet omnibus donis, virtutibus, meritis, exemplis, & gratiis, in quibus ab inſtanti conceptionis per totam ſuam vitam crevit uſque ad ſummum capacitatis creaturæ: Plena item gratia utiliſſima, ſcilicet ſibi, & nobis; gratia enim ipſam fecit delicioſam in mente, per quam facta eſt Paradiſus deliciarum Dei vivi: ipſam & fecit miraculoſam in conceptu, in partu, & in prole; fecit & ipſam glorioſam ſuper omnes creaturas; utiliſſima item & nobis fuit hæc plenitudo gratiæ, colligendo malos, impinguando bonos, & liberando à morte peccatores: ô ergo Mater gratiæ fac nos filios gratiæ. *Op. ſpec. B. Virg. l. 5. ſeq.*

44. *Gratia plenitudo in Maria iterùm elucidatur.*

Ave gratia plena. Qua gratia? Nota, quòd hucuſque de gratiæ plenitudine in communi actum eſt; ſed quia plenitudo gratiæ poteſt conſiderari, vel reſpectu ipſius gratiæ, quatenus dicit ſummum ejuſdem, & reſpectu ipſius ſubjecti, quatenùs totam gratiam habet, quam exigit ſua conditio: primo modo fuit in Chriſto plenitudo, & ſummum totius gratiæ, tum rationè gratiæ, tum ratione ſubjecti, ſcilicet animæ, & corporis Verbo uniti hypoſtaticè, & in hoc nemo poteſt æquiparari: quatenùs verò ſubjectum eſt pura creatura, dicendum eſt probabiliùs in Mariam infuſam fuiſſe totam gratiam communicabilem puræ creaturæ, ita ut explera fuit in ipſa tota capacitas creaturæ, & reſpectivè ex conſequenti etiam in ipſam infuſam eſſe gratiam in ſummo, & in tota perfectione gratiæ ſecundùm ſe, per ordinem tamen ad receptibilitatem creaturæ, ob idque in inferiori gradu, & ordine à Chriſto Ieſu. *Lib. 1. d. 17. p. 2. q. 4. corp. & d. 44. dub. 3. & l. 3. d. 12. a. 2. q. 1. & d. 13. a. 1. q. 2. ſermon. 1. & 2. de B. Virg.* à quibus inferuntur ſequentes concluſiones.

45. *In Maria fuit plenitudo gratiæ donorum ſpiritus Sancti ſuper omnes creaturas.* Unde de ſeipſa,

Eccli. c.24. In me gratia omnis vitæ, & veritatis, ſcilicet reſpiciens intellectum, & voluntatem? gratia veritatis ordinavit Mariam in veritate ſupra ſe per donum ſapientiæ in ſapientiſſima fruendorum contemplatione; infrà ſe per donum conſilii in conſultiſſima fugiendorum proviſione? intra ſe per donum intellectus in certiſſima credendorum cognitione: extra ſe per donum ſcientiæ in rationabiliſſima agendorum diſcretione: Gratia vitæ ordinavit Mariam in bona vita reſpectu diaboli, proximi, & Dei: contra diabolum per donum fortitudinis: in proximum per donum pietatis, erga Deum in devotiſſima reverentia timoris; & hinc eſt, quòd in Iſaia c.11. dicitur. Egredietur de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ, intellectus, conſilii, &c. ex quo flore, ſcilicet Chriſto redundant quidem in hortum Eccleſiæ iſta dona, ſed primò, & principaliter in virgam Mariam; *Sic & Prov. c.8 Ædificavit ſibi domum*, ſcilicet Mariam, *cum ſeptem columnis*, ſcilicet donis Spiritus Sancti, ut hinc ediſcant fideles, quòd ſi volunt firmari iſtis columnis, debent ad domum Mariæ magnis deſideriis, & precibus convenire, cum in ipſa reſideant, & per ipſam ad totam Eccleſiam communicentur, ſic etiam per ipſam ad florem Chriſtum, & per Chriſtum ad poſſeſſionem donorum Spiritus Sancti pervenient. *Opuſcul. ſpecul. B. Virgin. lect.6.*

46. *Gratia, donumque maternitatis Mariæ collatum ſuper omnia dona ſublimiſſimum.*

Ave gratia plena. Si habuit totam gratiæ plenitudinem ſecundùm conditionem ſubjecti, ergo ipſi collatum fuit donum, & gratia maternitatis? quod privilegium unicum eſt, & ſingulariſſimum nulli creaturæ unquam conceſſum, quòd ipſa ſola illius Filii mater eſt, cujus ſolus Deus Pater eſt. *Op. ſpec. B. Virg. lect.6. Luc. c.1. v.30.* Sed quia ex hac maternitate redundant pœnè infinita privilegia in Mariam, hinc in hoc loco ſubjicienda ſunt plura ex S. Bonavent. aliiſque SS. PP. quæ ad elucidandum hoc maximum privilegium, faciunt.

47. *Quæritur igitur primò: quid ſit hæc gratia ſeu donum maternitatis Dei in Maria?* Reſpondetur, quòd maternitas de ſe, & formaliter ſumpta, eſt relatio phyſica reſultans inter perſonam generantem, & terminum genitum, ſic & paternitas: fundamentaliter, & radicaliter tamen eſt ipſa vis, & potentia generativa, quæ eſt forma abſoluta exiſtens in ſubſtantia generantis, & importans ipſam relationem in actu primo ex actione generativa reſultans in actu ſecundo cum relatione inde conſequente: talis autem potentia generativa naturaliter fuit in Beata Virgine in inſtanti ſuæ conceptionis, ſcilicet qua, ſicut & quælibet alia mulier poterat generare hominem; ſed quia terminus generationis in Maria, generandus eſt Deus, hinc hæc potentia excitata, & elevata fuit ſupra ſuum poſſe naturale, ut poſſet per ſe ſola miniſtrare materiam ſufficientem ad conceptum Dei hominis, & hoc in unico inſtanti temporis, per quod veriori modo fuit Maria Mater Chriſti, quam ſit aliqua mater filii ſui; undè in inſtanti ſuæ conceptionis Maria ratione hujus potentiæ naturalis, & ſupernaturalis fuit vera Mater Dei, licet poſtèà ſolùm in actu Incarnationis, in actu ſecundo reſultata fuerit relatio actualis maternitatis ad Filium. *Sic ex S. Bonavent. lib. 3. d. 4. artic. 3. q.1. & 2.*

48. *Quæritur ſecundò: quale diſcrimen inter gratiam, donumque maternitatis, & gratiam habitualem, & quænam ſit potior, prior, & perfectior.* Reſpondetur, quòd gratia maternitatis poteſt dici partim corporea, partim ſpiritualis; corporea quidem in radice, quia importat virtutem ſupernaturalem exiſtentem in carne Mariæ: ſpiritualis, quia eſt ſupernaturalis, & cauſata à Spiritu Sancto ſua virtute ſpirituali, qua & elevavit illam virtutem corpoream, & naturalem Beatæ Virginis ad eſſe ſupernaturale corporale, & ſpirituale ſimul, ſcilicet ad poſſe attingere, & terminare ad generandum hominem Deum, & hinc oritur diſcrimen inter gratiam maternitatis Mariæ, & gratiam habitualem; nam gratia habitualis eſt radix, & origo viſionis Dei, & viſio Dei quaſi effectus ipſius; at gratia maternitatis radix, & origo Dei hominis, ſcilicet Chriſti, qui effectus eſt immediatus proveniens à gratia maternitatis, cui ulterius debita eſt viſio Dei perfectiſſima; unde gratia habitualis ſolùm eſt principium productivum accidentium, ſcilicet viſionis, & amoris Dei aliorumque actuum ſupernaturalium; ſed gratia maternitatis etiam produxit ſubſtantiam nobiliſſimam, ſcilicet Filium Dei; & per hoc gratia in Beata Virgine naturam ſibi adjicivit, & matrem Dei fecit, ſicque maternitas in ipſa tranſcendens omnes limites naturæ ſupernaturalis ordinis ingreſſa eſt: Hoc voluit indicare Gabriel Archangelus dicens, Ne timeas, Maria, inveniſti gratiam apud Deum, & quam gratiam? ſubjungit; Ecce concipies in utero, & paries Filium, ſed quæ conſequentia eſt iſta; gratia ne potuit progignere Filium, an natura? Nota autem, quòd immediatè poſt vocem gratiæ adjicit, Ecce concipies, quaſi gratia foret principium productivum Filii in Virgine Deipara; & quia non hoc potuit gratia habitualis, ergo hoc principium productivum Filii non aliud eſt, quàm natura, & ſubſtantia Mariæ, qua Mater eſt, ſicut natura Patris æterni, prout Pater eſt, generat Filium, ergo gratia hæc eſt deſponſationis, & generationis ſeu maternitatis; undè Gabriel aſſerens Mariam inveniſſe gratiam, ſtatim eam gratiam ſpecificans ſubjunxit, *Ecce concipies in utero*; ô quàm magnum & inauditum omnibus ſæculis, quòd Virgo in utero concepit *Op. ſpec. B. Virg. & Pſalt. in Luc. c.1. v.30.*

49. *Quæritur tertiò; An hoc donum maternitatis ſit præſtantius gratia habituali, & an præciſa hac habituali habeat vim ſanctificandi corpus, & animam?* Circa ſanctificationem carnis nota, quod S. Bon. *Lib.3 d.3. p.1. art.1. q.1.* Movet hanc quæſtionem, An caro Beatæ Virginis ſanctificata fuerit antè animationem? In qua quæſtione Seraph. Doctor ſtat pro negativa, ſed ut patet ex textu ibi loquitur de ſanctificatione proveniente ex gratia habituali, quæ ſolùm ineſſe poteſt eſſe in ſubjecto ſpirituali, ſcilicet in anima; & hinc tota vis doctrinæ, quam ibi affert, eſt non potuiſſe talem ſanctificationem in carne advenire de potentia naturali, & curſu ordinario, ſed tamen admittit id Deum potuiſſe

Digitized by Google

potuiſſe curſu extraordinario, & de potentia ſua abſoluta, ſed quomodo id adeſſe potuiſſet? reſpondet ſi conceptio paſſiva Mariæ facta fuiſſet (licet de facto fuerit ex amplexu maritali Ioachim, & Annæ) ſine coïtu libidinoſo, & ſine contractione peccati originalis, quod tunc Maria, ait ipſe, contraxit in unione animæ, & corporis, quod aſſertum poſteà ſenior factus expreſſiſſimè retractat *in op. de contemplatione. & in ſerm. 1. 2. & 3. de B. Virg.* Et cum *in loco cit. qu. cit. ad 4.* admittat conceptionem Beatæ Virginis, & transfuſionem materiæ, & formationem carnis factam fuiſſe modo ſuprà naturam concurrente Spiritu ſancto, ſequitur etiam (ad aures Seraph. Doctoris) quod illa caro ſanctificata remanſerit, non quidem per gratiam habitualem, ſed per gratiam corporalem ſcilicet per hoc donum maternitatis, quod complementum poſteà habuit in animatione: Ex quibus ſequitur, quod ſi gratia maternitatis potuit ſanctificare carnẽ, multò magis animam, cum talis gratia incomparabiliter ſit ſuperior quacũq; gratia habituali; maternitas enim Dei eſt major quam Deus poſſit facere in creatura, & privilegium continens omnia privilegia puræ creaturæ communicabilia. *Sic S. Bonav. op. ſpec. B. Virg. lect. 3, ſeq. & 6. dub. 10. & 11. ſer. 2. & 3. de B. Virg.* Et in hoc conveniunt omnes ſancti Patres inferentes hanc cauſalem; Ideo Maria tot gratiis, muneribus, donis, privilegiis ſuper omnes creaturas ditata fuit, quia eſt Mater Dei, ergo maternitati Dei competunt, & ex ipſa pullulant omnia, tamquam proprietates ex ſuo ſubjecto? Et hinc etiam plures Theologi inferunt ex hac maternitate Dei, quia formalem oppoſitionem habet cum peccato, immunitatem non ſolùm actualem, ſed & poſſibilem ab omni macula, De qua materia fuſiſſimè, & doctiſſimè agit Savedra in ſuo opere de immaculata Conceptione Mariæ: Vide etiam Vegam in Theologia Mariana. *Pſalm. 16. per totum, præcipuèque certam. 5.*

50. *Pater æternus generat Filium ex natura concomitante amore: Maria eundem ex amore concomitante natura.*

Dominus tecum. Sic dixit Angelus indicans conjunctionem ſummam Mariæ, & Dei, ſic enim præpoſitio cum, indicat unionem naturæ, & voluntatis: ſed cur non dixit tu cum Domino, ſed Dominus cum te? certè qui ignobilior eſt ad nobiliorem ſolet accedere, eſſeque cum illo, ſeu colloquens, ſeu miniſtrans; ſed tamen hoc dicitur ad enodandum perbellum myſterium: Arius impius, ut divinitatem à Filio tolleret, dicebat ipſum Filium gigni à Patre non natura, ſed voluntate gignente, ſicut & aliæ creaturæ; impia, & falſa conſequentia; nam etiam voluntate ex matre gignitur, & tamen eſt Deus; hoc Angelus exprimit Mariæ dicens Dominus tecum; quis iſte Dominus, niſi Spiritus ſanctus, qui ſuperveniet in te; Spiritus ergo ſanctus (ait Bernardus) magnificavit facere tecum; magnificavit inquam facere in te duo opera ſua; unum erat, dum dignam te fecit, quæ Dei Filium concipere poſſes, & parere; alterum quando ex tua carne ſancta, ac digna carnem Filii Dei formavit; dicitur igitur Dominus, ideſt Spiritus ſanctus tecũ, ut diſcas, quod quaſi inverſo ordine ob Mariæ excellentiam facta eſt virginea conceptio in ſacro utero, ac in Patre ſuperno; nam in Patre generatur ex natura concomitante voluntate; in utero Mariæ generatur ex principe amore Spiritus ſancti concomitante natura; ſi enim per naturam, tamquam per principalem cauſam fœtum hunc gignere quiviſſet, non eſſet Filius Dei; ſed quia voluntas, & amoris vertex Spiritus ſanctus, ut princeps cauſa adſtitit, ut & conceptioni natura ſerviret, quando apud Patrem generantem natura princeps eſt, & inſectatur voluntas; Ecce igitur veluti completa utraquè generatio Chriſti, ex Patre per naturam concurrente voluntate, & ex Matre ex amore fœcundante naturam; *Sic ex Bernardo. Petr. Dam. Ambroſio, aliiſque SS. PP. & ad ſenſum S. Bon. ſpecul. B. Virg. lect. 8. ſeq.*

51. *Mariæ unio, & veluti identitas cum Deo expenditur.*

Dominus tecum. Cur non dicit Dominus in te? ſed Dominus tecum? ſed ſic loquutus eſt diſcretè, & ſingulariter, ut oſtendat, quàm venerabilis ſit Maria ſuper omnes creaturas ex dignitate; Dominus tecum; quid eſt Dominus tecum ô Gabriel? & ſi Dominus eſt cum Maria, dic nobis quantum, vel quomodo? Dominus tecum, ait Mariæ, ſed pluſquam mecum, Dominus tecum, ſed non ſicut mecum; in me licet ſit Dominus, memetipſum creavit Dominus, per te autem naſciturus eſt Deus: Dominus tecum in mente, in ventre, nihil tui vacat, omne conclave implevit; tecum in corpore, tecum in manu, tecum in animo, tecum in conſilio, tecum in utero, tecum in auxilio, tecum in ortu, tecum in exitu, tecum in fine, tecum ſine fine; tecum eſt Dominus Pater, qui genuit, quem concipis; tecum Dominus Filius, quem tua carne induis, & tecum Spiritus ſanctus, de quo concipis. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 1. & 8. ſeq. ſic & S. Th. Villan. S. Laur. Iuſtin. S. Aug.*

52. *Explicatur iterum hæc unio Dei cum Maria.*

Dominus tecum. Nota, quod de aliis ſanctis dicitur, quod ipſi ſunt cum Deo, ſic & de Enoch dicitur, ambulavit cum Deo, & Abrahæ ambulat cum Deo; Mariæ autem dicitur Dominus cum ea, Dominus tecum; cur hoc diſcrimen? ſed attende ad ſublimitatem excellentiæ Mariæ nam ut dictum eſt iſte terminus tecum vim habet diſcretionis, & ſingularitatis, hæc præpoſitio enim (tecum) dicit aſſociationem, aſſociatio dicit duo ſcilicet conformitatem voluntatum, & mutuum auxilium cum converſione mutua, & etiam identitatem naturæ: *Sic lib. 1. d. 19. p. 1. a. 1. q. 3. d. 37. dub. 1.* Hinc bene dixit Angelus Dominus tecum, ideſt pluſquam mecum, & non ſicut mecum, & ut exponit Auguſtinus: Nota autem, quod dicit Dominus, non Deus, quia ut Dominus oſtenditur Dominus univerſalis omnium creaturarum, ipſas gubernans, & Dominus ſpecialis creaturæ rationalis, ipſas regens rationabiliter, differentique modo ſe habens cum Maria, cum qua ſpecialiſſimo modo eſt Dominus; dicit igitur Angelus Dominus tecum, ſcilicet ille, qui eſt Dominus potentiſſimus, ſapientiſſimus, opulentiſſimus, & indeficientiſſimus cum univerſalitate creaturarũ,

& totius mundi, tecum eſt ſpecialiſſimo modo, qui enim potentiſſimus eſt tecum eſt potentiſſimè, & ratione talis unionis, & ſocietatis tu es cum Deo, & per ipſum, & cum ipſo potentiſſima, quia omnia potes in Cœlis, & in terrâ, & quia Dominus ſapientiſſimus eſt, ſapientiſſimè eſt tecum, ideò & tu ſapientiſſima ſecum, & per ipſum, quia omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei ſunt in te; & quia Dominus, qui tecum eſt, opulentiſſimus eſt, ideò & tecum opulentiſſimè eſt, & ideò tu opulentiſſima es cum Deo, nam multæ filiæ congregaverunt ſibi divitias. *Prov.c.*31. ſed tu omnes ſuper greſſa es in divitiis meritorum, virtutum, & præmiorum: O quam dives ſuper omnes Maria in Cœlo, quæ tam dives fuit in mundo; quàm dives in anima, quæ tam dives fuit in carne; ô quam dives in omnes, & ſuper omnes Maria, de cujus ſubſtantia modica pars aſſumpta totius mundi ſufficit ſolvere delicta; & quia Dominus, qui tecum eſt, indeficientiſſimus eſt. ideò indeficientiſſimè eſt tecum & tu indeficientiſſima es ſecum, eſt enim thronus Filii Dei in æternum, in quo, & de quo omnia beneficia in creaturas redundant, quia in Maria Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam inveniunt in æternum: Dominus ergo tecum ô Maria, gaude nunc Maria, gaude; Eia ergo Domina noſtra potentiſſima cum Deo eſto nobis impotentiſſimis potentiſſima auxiliatrix in potentiſſimis auxiliis; Eia ſapientiſſima cum Deo eſto nobis inſipientibus auxiliatrix, & conſiliatrix; Eia opulentiſſima cum Deo, eſto nobis indigentibus locupletatrix; Eia indeficientiſſima Maria cum Deo, eſto nobis deficientibus perpetuatrix in omni bono. *Op.ſpec. B.Virg.lect.*8.

53. *Iterum expenditur mirabilis ſublimitas Mariæ in hac unione cum Deo per iſta verba Dominus tecum.*

Dominus tecum. Quis iſte Dominus, qui eſt cum Maria? & quantus eſt, & quomodo eſt cum Maria? Dominus iſte, qui non ſolùm univerſaliter Dominus omnium creaturarum potentiſſimus, ſapientiſſimus, opulentiſſimus, indeficientiſſimus in omnibus creaturis, ſed magis talis eſt cum Maria, & in Maria, ut dictum eſt; ſed Dominus etiam ſpecialiter eſt creaturæ; rationalis, ſcilicet piiſſimus, juſtiſſimus, certiſſimus, & nominatiſſimus, & talis magis eſt cum Maria, & in Maria: Dominus tecum ô Maria ille, qui eſt piiſſimus liberalitate miſericordiæ ſuæ infinitæ, ſuavis quidem, & mitis, & multæ miſericordiæ in multis beneficiis temporalibus, ſpiritualibus, & æternalibus nobis collatis, & exhibitis; iſte autem Dominus miſericordioſiſſimus tecum eſt miſericordioſiſſimè, ideò & tu es miſericordioſiſſima ſecum, quia ſolium es divinæ miſericordiæ, & Mater pietatis, in qua omnes inveniunt ſolatia miſericordiæ: Dominus item, qui eſt juſtiſſimus in omnibus judiciis ſuis, in omnibus cauſis, in omnibus factis ſuis, numquam declinans à via juſtitiæ ſuæ; & iſte Dominus juſtiſſimus, juſtiſſimè eſt tecum, ideò & tu juſtiſſima es cum Deo, tu es enim virga Aaron recta, florida, & fructifera; recta imò rectiſſima per juſtitiam, & æquitatem, & ſanctitatem; florida per virginitatem, fructifera per fœcunditatem: Dominus item certiſſimus fidelitate, & fideliſſimus certitudine fideliſſimè implens quod promittit, & tû ex conſequenti fideliſſima ſecum, quia tu es tota columba, quæ inter Deum, & mundum diluvio ſpirituali ſubmerſum mediatrix fideliſſima extitiſti, quæ ſalutis antidotum viris, & mulieribus propinaſti: Dominus item iſte eſt nominatiſſimus, cujus fama, & laus ſe extendit ad omnem populum, ad omne tempus, & ad omnem locum, quia à ſolis ortu uſque ad occaſum laudabile eſt nomen ejus; & cum iſte Dominus nominatiſſimus famoſiſſimè ſit tecum, & in ô Maria es famoſiſſima, & nominatiſſima ſecum, & meritò, nam ejus nomen, & laus diffuſa eſt per totum mundum; famoſa exiſtens propter virtutes, & exempla ſua tam laudabilia; famoſior propter miſericordias, & beneficia ſua tam inenarrabilia, & multiplicia; & famoſiſſima propter gratias, & privilegia tam mirabilia; quid enim mirabiliùs quàm eſſe Matrem, & Virginem, & Matrem Dei? Eia ergo piiſſima Maria, nos impios ſalva per tuam miſericordiam, & pietatem: Eia juſtiſſima, nos injuſtos ſalva per tuam juſtiſſimam æquitatem: Eia fideliſſima Maria, nos perfidos ſalva per tuam certiſſimam fidelitatem: Eia famoſiſſima Maria, nos infames ſalva per tuam ſuaviſſimam famoſitatem. *Op.ſpec.B.Virg.lect.*9.

54. *Maria unio, conformitas, & ſocietas ſpecialiſſima cum Deo, & Dei cum Maria expenditur.*

Dominus tecum. Nota hæc duo verba: Dominus, & tecum; ſcilicet ille, qui eſt Dominus omnium creaturarum, ut tecum ſe aſſocier, quaſi videtur ſe expoliare dominio aliarum creaturarum, ut totum ſe tibi communicet: Dominus tecum, ſcilicet ille, qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus communis cæteris creaturis tecum eſt: tecum eſt ut Pater, & ut talis cum filia nobiliſſima: Filius ut cum Matre digniſſima: Spiritus Sanctus ut cum ſponſa venuſtiſſima; ut Deus cum ancilla devotiſſima: Dominus igitur tecum ô Maria: Pater eſt tecum, quæ ejus filia ſingularis exiſtis delicata, & omni gratiâ plenâ, chariſſima in deliciis ſuis, tracta ad gloriam decoris tui, & in ſignum dilectionis paternæ, cui & ſuam fœcunditatem communicavit ſingulariſſimo modo: Filius tecum, quæ es mater ejus digniſſima, quia ipsâ majorem Deus non poteſt facere, nec major inter Matres, nec major inter filios naſci potuit, verè Mater miſericordiæ, Mater ſolis juſtitiæ, Mater fontis ſapientiæ, Mater Regis gloriæ; ut Mater miſericordiæ nos ad dilectionem trahens; ut Mater juſtitiæ ad timorem; ut Mater ſapientiæ ad agnitionem; ut Mater Regis gloriæ ad ſpem; & ideò verè Mater Filii Dei, & Mater omnium fidelium univerſalis: Spiritus Sanctus tecum, quæ es ejus ſponſa venuſtiſſima, pulchra utique in juſtitia vitæ, & in judicio conſcientiæ, pulchra in miſericordia, in affectu, & in miſerationibus in effectu; pulchra eſt Maria in fide, qua credidit omnia credenda ſuprà ſe, & quæ credidit omnia perficienda in ſe, juſta illud.

Luc.

Luc. cap. 1. Beata quæ credidisti, &c. Pulchra item ſponſa hæc Spiritus ſancti non ſolùm in converſatione vitæ. ſed & in allocutione, nam mel, & lac ſub lingua ejus continebatur, quia lactea, & mellea erant verba ejus ad Deum, & ad proximum: Dominus tecum, quæ cum Mater ejus electa fueris ancillam humilem te appellaſti: Dominus igitur tecum ô Maria; cujus filia es. qua nulla nobiliſtor; cujus Mater es, quâ nulla mirabilior; cujus ſponſa es, qua nulla amabilior; cujus ancilla es, qua nulla humilior: Eia ergo Domina, quia Dominus tantus, ac talis, tantùm, ac taliter eſt tecum, fac ut etiam ipſe per gratiam ſit nobiſcum. *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 10.

55. *Maria Dei aula tota ab ipſo poſſeſſa ad utilitatem noſtram.*

Dominus tecum. Nota hoc verbum tecum, non dicit in te, ſcilicet intrà te, in anima, ſed tecum, ſcilicet corpore, & anima tamquam aula, & domus Dei ſanctiſſima, quam totam Spiritus ſanctus poſſedit, quia ipſa ſola digna inventa eſt, ut in ejus aula Rex Regum, & Dominus dominantium à regalibus ſedibus veniret, ſibique primam inter filios hominum manſionem eligeret: Verè ergo Dominus tecum nullam portionem ſivè corporis, ſive mentis, ſed totam univerſam amplexus perſonam; Dominus tecum, ſcilicet non ſolum ventrem, ſed etiam mentem Mariæ divina ſapientia cæpit, ut integram domum tantus Dominus obtineret: Dominus tecum; tecum in ventre, tecum in mente, nihil tui vacat, omne conclave implevit; & ſi Dominus tecum ô Maria obſecro te per gratiam, qua ſic Dominus eſſe tecum, & te voluit eſſe ſecum, fac propter ipſum ſecundùm eamdem ipſam gratiam miſericordiam tuam mecum; fac ut amor tui ſemper ſit mecum, & cura mei ſemper ſit tecum: fac ut timor neceſſitatis meæ quamdiu perſiſtit tecum, & reſpectus pietatis tuæ, quamdiu ego ſubſiſto ſit mecum; fac ut congratulatio beatitudinis tuæ ſemper ſit mecum, & compaſſio miſeriæ meæ ſemper ſit tecum. *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 10. & 11.

56. *Maria ex multiplici benedictione laudabilis, & venerabilis in Eccleſia triumphante, & militante.*

Benedicta tu in mulieribus. Nota, quòd hæc eadem benedictio hîc ab Angelo pronuntiata ad laudem Beatæ Virginis Mariæ, etiam prolata fuit ab Elizabeth, quando ad eam viſitandam proceſſit, Benedicta tu inter mulieres, & hoc totum fuit à Spiritu ſancto dictatum, ut ad benedicendam Mariam concurreret Eccleſia triumphans in Angelo, & militans in Eliſabeth, quia illam reparavit, iſtam à maledictione liberavit: *Sic Rich. à S. Laur.* Dixit igitur Angelus Benedicta tu in mulieribus; ſed cur in mulieribus, ideſt inter mulieres, & non potius inter Virgines? imo & non potius inter omnes homines? hoc dicitur ut intelligatur, quod quicquid maledictionis infuſum eſt per Evam, totum abſtulit benedictio Mariæ, ideò meritò dicitur benedicta: Verè benedicta propter plenitudinem gratiæ in ipſa venerandæ, quia ipſa fuit inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater ſalutis: benedicta verè propter gratiam cordis, per quam cor ejus fuit Paradiſus Dei; propter gratiam oris, & operis, & ventris: benedicta item propter multitudinem miſericordiæ per ipſam præſtandæ, ſcilicet propter benedictum fructum ventris ſui benedicta fuit à Deo benedictionem ejus operante; ab Angelo benedictionem ejus nuntiante; ab homine benedictionem ejus propheţante: benedicta item propter multitudinem miſericordiæ ſuæ; nam per eam homo recepit miſericordiam à Deo; per eam Deus homini placabilis fuit; per eam diabolus homini ſuperabilis eſt: benedicta item Maria propter gloriam ſuam ſublimiſſimam, copioſiſſimam, & ſtabiliſſimam perpetuitate. *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 14.

57. *Cur ab Angelo, poſteà ab Eliſabeth benedicta Virgo Maria: ubi de ejus gloria in Cœlo.*

Benedicta tu in mulieribus. Iterum quæritur cur ab Angelo priùs fuit benedicta Maria, poſteà ab Eliſabeth? hoc factum eſt, ut intelligeremus, quod à tota Eccleſia triumphante, & militante benedicta eſt, quod ſuprà notatum eſt; undè in figura Mariæ dicitur de Judith, quod omnes eam benedixerunt, dicit omnes univerſaliter, quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus benedixerunt eam; omnes Hierarchiæ Angelorum, omnes ſancti, & Beati item dicentes; Tu gloria Jeruſalem triumphantis, Tu lætitia Iſrael Deum contemplantium, Beatorum, & Angelorum, Tu honorificentia populi peregrinantis in hoc mundo; ſi ergo ô dulciſſima Virgo Maria, tu es verè benedicta in mulieribus, & ſuper mulieres, & ſuper viros, & ſuper omnes Angelos, te invocamus. te imploramus, te oramus dicentes; fac ô benedicta per gratiam, quam inveniſti, per prærogativam, quam meruiſti, per miſericordiam, quam peperiſti, ut qui te mediante fieri dignatus eſt particeps miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes nos faciat beatitudinis ſuæ. *Op. ſpeculat. B. Virgin. lect.* 14.

58. *Multiplex item benedictio in Maria expenditur, ubi de ipſius virtutibus.*

Benedicta tu in mulieribus. Ideſt ſuper omnes mulieres, quia quicquid maledictionis infuſum eſt per Evam, totum abſtulit benedictio Mariæ: & quales iſtæ maledictiones fuerunt per Evam in toto mundo diſperſæ? Ecce quales: Maledictio ſuperbiæ, invidiæ, iracundiæ, & omnium aliorum vitiorum; quibus infecta eſt tota hæc humanitas; Venit autem Maria benedicta, & omnes iſtas maledictiones deſtruxit, ideo dictum eſt ei meritò benedicta tu, ſcilicet benedicta propter humilitatem contra ſuperbiam, & qualis fuit ejus humilitas? humilitas fuit ſuperans humilitatem omnium ſanctorum, & Angelorum: Ipſa enim fuit illa vallis benedictionis, de quâ dicitur *Paralipom.* 2. c. 20. Vallis inquam profundiſſima, & vacuiſſima ſui æſtimatione, ideo receptiva fuit omnium gratiarum, & benedictionum,

& capax fuit recipiendi in ſe div nitatem, & humanitatem Chriſti: Benedicta item pro charitate contrà invidiam.ſcilicet per amorem in Deum & proximum, benedicta item pro manſuetudine contrà iracundiam, item pro ſtrenuitate, diligentiâ, oratione contrà accediam, & pro liberalitate contrà avaritiam, pro ſobrietate contrà gulam, & per caſtitatem contrà luxuriam: Eia ergo tu tàm multipliciter benedicta oramus, ut tua benedictione nos miſeros abſolutos ab omni malectione, dignos reddas divina benedictione per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. *Op. ſpec. B.Virg.lect.15.*

59. *Turbatio Mariæ in hac ſalutatione Angelica expenditur.*

Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Turbata eſtne Maria? cur turbata? ergo reprehendenda fuerat, ſicut Apoſtoli à Chriſto, quibus ipſe dixit, quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? ſed attende: Turbata fuit Maria turbatione non culpabili, ſed virtuoſa, non de viſione Angeli, quia eos videre ſæpè ſolita erat, ſed juxtà verba Evangelii turbata fuit in ſermone ejus, cogitans de novitate talis ſalutationis, non enim ſic eam conſueverat ſalutare; in qua ſalutatione cum videret ſe tribus commendari, non poterat humilis Domina non turbari, commendabatur enim, quod eſſet gratia plena, & quod Dominus erat ſecum, & quod erat benedicta ſuper omnes mulieres, at humilis non potuit ſui commendationem ſine rubore, & turbatione audire; turbata ergo fuit verecundiâ honeſtâ & virtuoſâ; cœpit etiam timere, an hoc eſſet verum, non quod non crederet Angelum vera loqui, ſed ex eo, quod proprium eſt in humilibus, quod non examinant ſuas virtutes, ſed defectus potius ruminant, ut ſic ſemper proficere poſſint reputantes magnam virtutem parvam, & parvum defectum magnum valdè: *Op. meditat.cap.4.* Turbata fuit Maria, ſed non perturbata: Turbatio hæc non ſubjecit rationem, ſed prævenit, nec inordinationem aliquam in Maria cauſavit, quod patet ex textu, ſcilicet ex cogitatione, ex interrogatione, & ex conſenſu, nam in deliberatione non fuit ſubita, ut Eva, in interrogatione non fuit dubia, ſicut Zacharias, & in conſenſu non fuit tarda, ſicut Sara: *Gen. cap.18. Luc.cap.1. v.19. op.Comp.Theol. lib.4. cap.3.* Addit hic B. Albertus Magnus in mariali, cum eodem Seraphic. Doctore; turbata eſt in ſermone Angeli, nota, quod non dicit de ſermone, quia ea, quæ ſermo dixit, ipſa ſciebat, & perierat in oratione, nam ut ſuprà dictum eſt, ipſa deſiderabat videre illam Virginem gratiâ plenam, benedictam inter mulieres, quæ paritura erat Chriſtum; ſed turbata eſt in ſermone, ſcilicet quia in ſermone ſermonem ad eam tam humilem, tam ſibi vilem convertit. *Op. meditation.capite 3.& 4.*

60. *Maria dum laudes ſuas humilis timet, noſtras timendas nos docet.*

Turbata eſt in ſermone ejus. Cur turbata? quia in tali ſermone commendabatur, quia audivit ſe laudari, nec Virgo humilis potuit ſine rubore, & turbatione ſuas laudes audire, ex quo edocemur nihil ità nos timere debere, quàm proprias laudes à nullo ſic abhorrere, quàm à noſtri commendatione, laus enim ſua juſtos cruciat, iniquos exaltat, ſed juſtos, dum cruciat, purgat; iniquos, dum lætificat, reprobos monſtrat; iſti enim ſua laude paſcuntur, quia Auctoris ſui gloriam non requirunt; undè verè dictum eſt, Inimicorum nullum genus eſt pejus laudantibus, & adulantibus; qui enim verè Deum timet, & amat, nec laudibus extollitur, nec vituperationibus movetur, ſed fixus, ſtabiliſque ſemper in Dei amore, & in ſui vili æſtimatione permanet. *Op.medit.cit.op.Phar.lib.4.c.47.op.de inſtit. Novit. p.2.c.10.& 14.& S.Leo: Beda, aliique PP.*

61. *Virginis exemplo ſilentium ſtudiosè ſervandum, maximè à Virginibus, & Deo dicatis; & cur Maria non reſalutavit Angelum.*

Turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat, &c. Quæritur hic an Maria Virgo ſalutata ab Angelo, eundem reſalutavit? & cum non legatur id feciſſe, cur hanc curialitatem omiſit urbaniſſima Virgo? Reſpondet hic B.Alb.Magnus, quod tunc Maria defixa erat in oratione, & Angelo venienti reverenter aſſurrexit honoris gratia ut nuntium, & à quo miſſus fuerat pro more, & pro merito honoraret; & ſic ſtantibus ambobus Angelus dixit Ave gratia, &c. & cum ſtaret Virgo corpore, animo tamen ſe magis demiſit, & dejecit, creſcit quippè inter laudes humilitas, non minuitur; ſed cur non reſpondit? ſed confer Evam à ſerpente interrogatam, cum Maria ab Angelo ſalutata; illa ſtatim audacter reſpondit tamquam verboſa, iſta tamquam prudens, & cauta, & pudoroſa nihil reſpondit ſilentium ſuum ſolitum cuſtodiens, ſilentii, & taciturnitatis ſummopere amica, & ideo bis prius audivit, quàm ſemel reſponderet; diſcas & tu, & maximè diſcant Virgines, & præcipuè Deo conſecratæ exemplo Mariæ tenere ſilentium, & taciturnitatem amare: abominabile enim eſt Virginem eſſe loquacem, magnaque confuſio ſexui fœmineo, & maximum dedecus ſacris Virginibus non habere oris cuſtodiam, non ſervare linguæ diſciplinam, cum cuncta mala per linguæ inquietudinem committantur; certè ille Religioſus fruſtrà gloriatur de poſſeſſione virtutis in corde, qui diſſipat diſciplinam ſilentii per inquietudinem multiloquii: ô Jeſu Chriſti ſponſa intuere virtutum ſpeculum Mariam, & diſce ab ea ſilentii diſciplinam; loquere rarò & pauca, & breviter cum timore, & pudore, imò in tua cauſa vix loquere: *Op.medit.c.4.op. de perfect. vitæ c.4.* Nota etiam: ſolet cerva, quæ alio nomine Dama dicitur, ex ſola folii commotione tremere, & pavere, ita Virgo, quæ communiter dicitur vulgari lingua nama ad cujuſque effatum præ verecundia pavore concuti oporteret: Paradiſus es ô Virgo, Evam cave.

62. *Quomodo, & ſub quæ intellectuali perfectione Beatæ Virgini fuit revelatum hoc myſterium ab Angelo.*

Cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Cogitabat: quid cogitabat? cogitabat de qualitate hujus ſalutationis? hic autem diſquiritur, an hoc myſterium prius notum eſſet Beatæ Virgini, & quali revelatione ab Angelo fuerit inſtructa, an ſcilicet imaginaria, & ſenſibili, an verè intellectuali, & Maria præcognoverit hoc myſterium? cui dubio reſpondetur ex S. Bonavent. infrà cit. Beatam Virginem perfectiſſimè cognoviſſe antè annuntiationem hoc myſterium Incarnationis, & hoc non mediis ſenſibus, & imaginatione, ſed intellectuali modo, unde dicit Seraph. Doctor. *Luc. c.1.v.29. cogitabat qualis eſſet hæc ſalutatio*, & hæc erat magna prudentia, continebat enim profunditatem ſapientiæ; undè cogitationes Virginis, & ſi turbabant propter pudorem, non tamen propter ſplendorem intelligentiæ, & hinc priùs Angelus ipſam declaravit plenam gratiâ, ſcilicet omnimoda, nempè gratiæ plenitudine, ſapientiæ, & intellectus, quàm à ſole æterno receperat, priuſquam ipſum conciperet; & hæc ſapientia adeò mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis ejus fœcundata fuit, & caro, ac Virgo ſingulari gratia eamdem ipſam ſapientiam carne tectam peperit, quam priùs mente pura conceperat. *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 8. Idem & docent S. Auguſt. S. Ephrem. Anſelm. Bernardinus Sen. Gregor. Nazianz. & ſi aliqui Patres negare videantur talem cognitionem in Maria, interpretandi ſunt de naturali, vel etiam ſupernaturali ordinaria, non de extraordinaria Mariæ, ut Matri Dei conſtitutæ etiam in primo inſtanti Conceptionis debita: Beata autem Virgo quæſivit ab Angelo modum, vel quia ſeipſam ob humilitatem non exiſtimabat dignam eſſe? vel ignorabat modum peculiarem, vel ut authenticè deſcriberetur, & id conſtaret in textu Evangelico, quod ipſa privatim cognoſcebat.

63. *Expenditur poſt ſalutationem Angelicam narrationis proceſſus.*

Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam apud Deum: ecce concipies, &c. Nota, quòd Angelus præmiſſa ſalutatione proſequitur narrationis proceſſum, denuntiando id, propter quod venerat, & hoc facit debito ordine: primò enim exprimit divinæ acceptionis beneplacitum confortando Virginem, ipſamque nominando dicens; Ne timeas Maria, ſed gaudeas, cur hoc? ecce ratio, inveniſti enim gratiam apud Deum: ſecundò exprimit ſalutiferæ fœcundationis beneficium dicens, Ecce concipies in utero, & paries Filium, &c. tertiò exprimit naſcituræ prolis faſtigium dicens. Hic erit magnus, &c. ſcilicet propter gratiam ſingularem unionis. Hic erit Filius Altiſſimi, &c. ſcilicet propter excellentiam regalem, & dabit illi Dominus Deus, &c. & tertiò propter æternalem potentiam ſubdens, & regnabit, &c. *Luc. c.1.v.30 ſeq.*

64. *Nomen Mariæ eſt confortativum cordis, & expreſſivum excellentiarum ipſius Beatæ Virginis.*

Ne timeas Maria, Inveniſti enim gratiam apud Deum. Nota, quòd in principio Angelus reticet nomen Mariæ, ne (ut dictum eſt ſupra) in veſtibulo exprimeret totam nuntiationem, ob quam miſſus fuerat in hoc nomine incluſam; nunc autem ipſam nominat dicens, Ne timeas Maria; cur hic nominatur? hoc factum eſt, ut turbationem è corde Mariæ excuteret, ut hoc nomine ipſi exprimeret in ſignificatione hujus ſanctiſſimi nominis munus, ad quod fuerat electa, nempè maternitatis divinæ; Ne timeas Maria, ait Gabriel, ſed gaudeas, quia hoc nomen tuum ſcriptum eſt in Cœlo (ſcilicet in theſauris divinitatis, quod os Domini nominavit) quia inveniſti gratiam apud Deum, & te ipſam novit ex nomine, teque elegit ad tam ſublimem prærogativam, ſcilicet ut miniſtra ſis Incarnationis Dominicæ. *Luc. c.1.v.30.* Addit hic B. Alb. Magnus: omittit Angelus in principio interponere nomen Mariæ, reſervans in aliud tempus nominandum, ſcilicet poſtquam gratiæ ejus fuerant explanatæ ſine quibus tam plenæ ſignificationis nomen non intelligeretur; Nota, quòd dicit gratiæ ejus in plurali, ſcilicet gratia accidentalis & donum maternitatis in nucleo ſub litterarum cortice incluſæ.

65. *Maria invenit gratiam apud Deum, in qua, & per quam Deus complacet ſibi, & nobis.*

Inveniſti gratiam apud Deum. Quid eſt hæc inventio gratiæ apud Deum? Sed confer hoc dictum cum alio Patris. *Luc. c.3. Hic eſt Filius meus dilectus in te complacui mihi*; vel ut Matth. *c.3. In te complacui mihi*; & hoc dicitur, quia ſolus Filius dilectus eſt Patris, per quem & alii odioſi diliguntur, & omne quod placet, per ipſum placet Patri propter perfectiſſimum nexum amoris inter Patrem, & Filium, quaſi Pater in Filio complacet ſibi; Ut autem hoc privilegium oſtenderetur ſuo modo Mariæ filiæ ſingulari Patris, & Matri Filii communicatum, dixit Angelus, Inveniſti gratiam apud Deum, exprimens divinæ acceptionis beneplacitum, & quòd præ cæteris omnibus ipſa grata fuit, & chara, & per ipſam poſt Chriſtum nos ſumus ipſi Deo grati. *Luc. cap.1. verſ.30. & cap.3. verſ.22.*

66. *Idem probatur.*

Inveniſti gratiam apud Deum. Nota, quòd invenire gratiam apud aliquem conſueto Hebraiſmo, & trita ſacrarum litterarum phraſi, eſt gratum alicui eſſe, & præ cæteris alicujus inire gratiam, quæ ſuper cæteros quaſi locetur, cæteris præferatur, & hoc ſuper omnes alias creaturas dictum eſt Beatæ Virgini, & meritò, quia invenit gratiam non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro toto humano genere; undè de ipſa in Eſther. *c.2.* dicitur. Adamavit eam Rex ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite ejus; ſicut enim Eſther duplicem gratiam

invenit apud Regem, una eſt, quòd ipſa diadema regni obtinuit, alia, quòd gentem ſuam morti addictam à morte eripuit; ſic & Beata Virgo Maria tantam gratiam apud Deum invenit ſuper omnes creaturas, ut per hanc non ſolùm ad coronam regni totius orbis pervenerit, ſed etiam generi humano morti addicto ſubvenerit: quid igitur dignè referam genitrici Dei & Domini mei, per cujus fœcunditatem captivus ſum redemptus, per cujus partum de morte æterna ſum liberatus, per cujus prolem perditus ſum reſtitutus, & de exilio miſeriæ ad patriam æternam beatitudinis ſum reductus, ô ergo Mater gratiæ, quam inveniſti apud Deum, fac nos filios gratiæ, fac ut per gratiam tuam colligamur ad veniam remiſſionis, impinguemur per gratiam devotionis, liberemur à morte damnationis. *Op. ſpec. B.V. lect. 5.*

67. *Maria quaſi Mater æterna Filii antè omnem creaturam electa à Deo.*

Inveniſti gratiam apud Deum. Quid eſt apud Deum? *in Ioan. c. 1.* dicitur, *Et Verbum erat apud Deum*, ergone ſimili modo agitur de Maria: ſed nota perbellum myſterium ad laudem Mariæ: Hæc præpoſitio apud, in divinis, denotat æternitatem, & diſtinctionem perſonalem inter Patrem, & Filium, & ſimul auctoritatem Patris generantis Filium, hoc non poteſt præcisè cadere in creatura in ordine ad Deum, ſed importat majoritatem in Deo, & minoritatem in creatura, quæ dicitur apud Deum; cum autem talis loquutio ſolùm aptetur Mariæ Virgini in ordine ad Deum, aliis enim dictum eſt inveniſſe gratiam vel coram Deo, vel antè, vel in conſpectu Domini, ſoli Mariæ dicitur, apud, quod in textu Græco ſonat juxtà, vel propè Deum, ideò indicatur hic aliquod privilegium ſpecialiſſimum Mariæ, & quale hoc? ecce: *Inveniſti gratiam apud Deum*, ſcilicet gratiam electionis antè, & ſuper omnes creaturas; gratiam perfectionis, gratiam deſponſationis, & maternitatis. *Luc. c. 1. v. 30. lib. 1. d. 37. dub. 2. Ioan. c. 1. verſ 2.* Hoc idem B. Alb. Magnus in mariali explicat dicens: Maria invenit gratiam propinquiorem, quàm alia creatura, non tamen æqualis ſitus potuit eſſe cum Deo, impoſſibile eſt enim in ſitu, vel in aliquo creaturam æquari Deo, oportet ergo, ſi dicitur aliquid creatum eſſe apud Deum, quod hoc ſit reſpectu aliarum creaturarum; vel ſicut dicitur Filius eſſe apud Patrem, & Verbum eſt apud Deum propter identitatem naturæ, ob idque æqualitatem, & diſtinctionem perſonarum; ſic etiam dici poteſt Maria eſſe apud Filium propter identitatem naturæ, cum quo unum eſt: Inveniſti igitur gratiam apud Deum, apud, dico propinquiſſima ſimilitudine, dignitate, familiaritate, & naturæ unitate: Cum ergo, ly, apud Deum importet in Deo Filio per naturam æqualitatem, unitatem eſſentiæ, & æternitatem cum Patre, quid in Maria importabit? eſſe per gratiam apud Deum, ſcilicet ſortiri per gratiam, ſitum, & identitatem naturæ cum Filio; importabit electionem, & prædeſtinationem primitatis inter creaturas; importabit propinquitatem ſuper creaturas in dignitate, & perfectione ratione maternitatis, & perfectionum gratiæ: ergo in decreto prædeſtinationis creatura Maria erit primiceria, & primogenita antè omnem creaturam, electa, & præelecta; ſic etiam diſcurrunt. *S. Hieron. S. Bern. S. Bernardinus ſen. aliique SS. PP.* Vide de hac materia Suar. *t. 1. in 3. p. d 5. ſ. 3. Lugo de Inc. d. 7. ſ. 1. & 2. Salaz. de Conceptione c. 9. §. 4. Molinam p. 1. q. 23. a. 4. & 5. d. 1. memb. 7.*

68. *Maria invenit gratiam apud Deum, & Filius gratiam apud Matrem, & quomodo.*

Inveniſti gratiam apud Deum. Nota, quòd ut dictum eſt hæc præpoſitio, apud, importat identitatem, & circumincеſſionem duorum, ergo ſi Maria invenit gratiam apud Deum, ſcilicet identitatem naturæ cum filio, è converſo Filius invenit gratiam maternitatis in Matre, ſicut enim Mariæ fuit inventio habere talem Filium, & eumdem cum Patre, ſic Chriſto fuit inventio habere talem Matrem, unde ſicut Maria poteſt dicere de ſapientia Dei ex ea carnem aſſumente, Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Sap. c. 7.* Sic & Chriſtus de Maria venerunt mihi omnia bona cum illa, quia natus ſum mundus de munda, immaculatus de immaculata, & de Virgine Virgo. *Sic Rich à S. Laur. ad ſenſum Seraph. Doctoris cit. opuſc. ſpecul. Beat. Virgin. lect. 9. & 10.*

69. *Maria non contenta gratiis accidentalibus quæſivit, & invenit gratiam ſubſtantialem: Ubi de merito Beatæ Virginis in ordine ad Incarnationem.*

Inveniſti gratiam apud Deum. Quid, & qualis eſt hæc gratia apud Deum? & ſi jam erat priùs plena gratiâ, qualis eſt hæc de novo inventa: Plena erat omni gratiâ accidentali, quia gratiâ omnium Sanctorum, & Angelorum ſuperabundanter plena erat, & ſuperplena, ſed tamen de his, & tot gratiis non contenta, aliam quæſivit, & invenit; quæſivit, & invenit per profundiſſimam, & nimiam humilitatem, & manſuetudinem, quod invenit? ſubdit Angelus, *Ecce concipies in utero, & paries Filium*, invenit gratiam ſubſtantialem, ſcilicet Filium Dei, qui apud Patrem ab æterno erat; ſicque facta eſt Mater Dei. Hic autem patatur locus illi quæſtioni inter Theologos celeberrimæ, quid Maria Virgo meruerit in ordine ad maternitatem, & Incarnationem Verbi; ſi enim quæſivit, & invenit, ergo videtur totum meruiſſe? Poteſt ſolui hæc quæſtio cum debita proportione per ea, quæ dicuntur de Chriſto in illa quæſtione, quam movet *S. Ron. lib. 3. d. 18. q. 1.* Utrum Chriſtus meruerit ab inſtanti conceptionis ſuæ, in qua Seraph. Doct. reſoluit, quòd cum ad perfectionem meriti duo requirantur, ſcilicet habitus gratuitus in anima & uſus talis habitus: quantùm ad habitum certum eſt, & de fide, quòd in primo inſtanti in ipſius anima fuerunt infuſi omnes habitus gratuiti in totali plenitudine, quoad uſum verò aliqui dicunt, quòd non meruit in primo inſtanti, ſed ſtatim poſt ipſum, quia operatio ſequitur eſſe ſubſtantiæ: Alii dicunt, quòd meruit in eodem primo inſtanti, in quo incœpit eſſe, tunc enim habuit, & habitum, & uſum

uſum perfectum habitus gratiarum, undè in eodem inſtanti primò habuit, & creari, & infundi, & gratiâ informari, & exire in actum meriti, quod conſiſtit in motu bonæ voluntatis; & hæc opinio probabilior eſt, & magis explicat dignitatem Chriſti? quâ doctrinâ fundamentali facile eſt facere tranſitum ad merita Beatæ Virginis, de qua communiter tenetur in Eccleſia, quòd in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit non ſolùm præſervata ab omni peccato, ſed & repleta omnibus habitibus gratuitis; & per conſequens, quòd fuit creata cum habitu, & ſimul cum uſu ejuſdem gratiæ, unde licèt non meruerit primam gratiam, quæ antecеſſit omnem uſum, fundatam in meritis puris Chriſti, tamen virtute talis perfectiſſimi uſus poteſt dici, quòd meruerit augmentum gratiæ de congruo, & de condigno donum maternitatis, non autem Incarnationem Verbi, & unionem hypoſtaticam, niſi forſan de congruo: & in hoc ſenſu poteſt dici, quòd quæſivit gratiam apud Deum, & invenit. Vide Vegam in Theologia mariana hanc materiam fusè diſputantem. *Palæſtra* 18. *per totam.*

70. *Gratia apud Deum quærenda, non Mundum, vel diabolum exemplo Virginis Mariæ.*

Inveniſti gratiam apud Deum. Nota, quòd dicit apud Deum, non apud Mundum, vel homines, vel diabolum, hæc enim eſt fallax, & vana; ſed quæſivit gratiam ſolùm apud Deum. & ipſam invenit apud Deum, & apud homines: dicit enim, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, ut hinc ediſcamus, quòd gratia illa ſola vera eſt, quæ apud Deum invenitur, qui veritas eſt; illa verò quæ eſt apud diabolum, iniqua eſt, eſtque malæ proprietatis à diabolo exhibitæ, ut homo liberiùs peccet; item illa, quæ eſt apud homines mundanos eſt vana, & fallax, & gratia item carnis falſa eſt: utporè pulchritudo, & voluptas &c. hujuſmodi; quæramus igitur gratiam cum Maria ſolùm apud Deum, ne ſit adulterina mixtura vitiata, ſed pura, & vera. *Op. ſpec. Beat. Virg. lect.* 5. Hinc colligit Caiet. quòd Virgo audiens ſe plenam gratiâ ab Angelo, cœpit cogitare qualis eſſet iſta ſalutatio, & gratia, Angelus autem ſubdens, quòd hæc eſt gratia apud Deum, tunc id audiens Maria excuſſit omnem timorem.

71. *Maria Virgo invenit gratiam apud Deum, quia illam quæſivit, & ſanctis operibus ſe diſpoſuit.*

Inveniſti gratiam apud Deum. Quid eſt invenire? cur non dicit reperiſti, ſed inveniſti? ſed nota ex DD. indagantibus ſignificationes verborum, ut apud Calepinum V. reperire, quòd hoc diſcrimen eſt inter invenire, & reperire; quòd repetire eſt caſus, & quid fortuitum, invenire eſt conſilii, ſtudii, & diligentis inquiſitionis? Hinc patet cur dixit Angelus inveniſti gratiam quam magno ſtudio, & ſollicitudine quæſiſti: unde B. Virgo apparuit aliquando Sanctæ Eliſabeth Ungariæ, & ei revelavit ſequentia: ſcias ô Filia, quòd relicta in templo à parentibus meis ſtatui in corde meo habere Deum in Patrem, & ſemper in corde meo cogitabam quid poſſem facere Deo gratum, ut dignaretur dare mihi gratiam ſuam, & inter præcepta Dei mei tria præcipuè mihi cordi erant, ſcilicet amor Dei, amor proximi, odium ad ea, quæ ipſe odit, & reputans me ream, & vilisſimam, & gratiâ Dei indignam, petebam inſtanter gratiam, & virtutes, nec ipſas habui, vel exercui ſine labore, magnâ oratione, & continuâ, ardenti deſiderio, profundâ devotione, multis lachrymis, abſtinentiâ, jejuniis, & multis afflictionibus; ſic, ſic facit Deus nobiſcum; poſtquam enim dedimus Deo, quæ per nos poſſumus, licet ſint pauca, ipſe venit in animam ſecum ferens iſtà altiſſima dona, quòd videtur anima in ſeipſa deficere. & perdit memoriam, & non recordatur ſe feciſſe, vel dixiſſe aliquid Deo gratum, & tunc videtur ſibi ipſi vilior, & deſpectior, quam hucuſque fuerit; ô verè aurea verba ſtylo aureo cordi imprimenda à ſervis Dei. *Op. medit. c.* 3. *op. ſpec. B. Virg. lect.* 4.

72. *Maria quæſivit gratiam, & invenit ut ipſam nobis, qui amiſeramus, reſtitueret.*

Inveniſti gratiam apud Deum. Cur dicit inveniſti? cur non dicit habes gratiam apud Deum? Sed nota hoc peribellum myſterium; Res habita, ut propria cuſtoditur, res inventa reſtituitur illis, qui amiſerant; dicit igitur, Inveniſti gratiam, quia non ſibi ſoli retentura erat gratiam, ſed omnibus, qui eam amiſerant, reſtitutura; Invenit ergo Maria gratiam, & hæc inventio fuit utiliſſima non ſolùm ſibi, ſed & nobis, & toti humano generi, ut colligeret malos, impinguaret bonos, & liberaret homines à morte æternâ: undè benè dicit ipſa *Eccli. c.* 24. In plenitudine Sanctorum detentio mea, quia gratiam recepit, ut ipſam omnibus communicaret. *Op. Spec. B. Virg. lect.* 5. & 7. *Luc. c.* 2. *v.* 17. & *Ugo Card. hic.* Nota etiam, quod cum priùs dixerat Angelus, *Dominus tecum*, nunc dicit *Inveniſti gratiam apud Deum*, Cur non dicit ut ſupra *apud Dominum*; ſed *apud Deum*? hoc eſt, quia cum ſupra egerit de gratia conſtituente animam ſervam Dei, dicit Dominus tecum, nunc loquens de maternitate dicit Deum, ut ipſam declararet Matrem Dei: ſic ad ſenſum. *Seraph Doctoris.*

73. *Mirabilis fœcundatio Mariæ exprimitur ab Angelo in illis verbis Ecce concipies, &c.*

Ecce concipies in utero, & paries Filium. Nota, quòd non ſine maximo myſterio utitur Angelus his verbis. *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Ecce hæc eſt nota demonſtrativa alicujus rei novæ mirabilis, & proximæ? quaſi dicat, Ecce, ſcilicet quamprimùm concipies, ut ſic impleatur verbum illud *Iſaiæ c.* 7. Tibi notum, Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, ſic oſtendens hoc eſſe magnum, & mirum, & novum, unde dicit concipies in utero, ſcilicet mirum, & novum; quòd Virgo concipiat intra, nihil recipiendo ab extrà: cæteræ matres concipiunt, ſed recipiendo ab extrà, tu concipies intra opere

Spiritus Sancti ; & ob id ſine libidine, & hinc paries Filium ; cæteræ matres primò parturiunt dolorem patiendo, poſteà pariunt ; tu paries ſine parturitione, & dolore. *In Luram, c. 1. verſ. 31.*

74. *Per Mariam medicina perfecta præparata contra infirmitates ab Eva inflictas generi humano.*

Inveniſti gratiam apud Deum, Ecce concipies in utero, & paries Filium. Nota iterùm quo perfecto ordine proceſſit Angelus in hac annuntiatione; primò Mariam gratiâ plenam vocat, *Ave gratiâ plena*, poſteà *Dominus tecum*, & tertiò *inveniſti gratiam apud Deum, ecce concipies* ; cur tali ordine procedit? cur non in principio Mariæ exponit conceptionem futuram Verbi ? ſed tamen id fuit cum maximo myſterio, ut ſcilicet contraria contrariis curarentur : Gratia priſtina per os Evæ, quæ piaculi pomum dedit in ventrem, exierat, deſolatamque reliquit humanitatem noſtram, carniſque injuriis eam dedit, & tota infecta eſt, quia membris omnibus ad peccandum uſa eſt, oculis, auribus, manibus, palato, & ut omnis caro à noxialis illecebræ inficeretur flagitio, miſit in ſtomachum, è cujus officina omnes corporis artus nutriuntur, ſic totus homo infectus, infirmus, & corruptioni, mortique ſubjectus : quomodo reparabitur homo à tanto, & tam univerſali malo ? per Mariam, & ex Maria conſona fiet reparatio; ſtatim ei Angelus, Ave gratia plena, qualis iſta plenitudo ? Dominus tecum, ecce concipies in utero, ſcilicet, ait *Ugo Victor.* primùm gratia ſuper eam deſcendat, poſteà gratia in ea, deindè gratia ex ea ; ſuper eam adumbrationem, in ea ad fœcundationem, ex ea ad ſalvationem, & remedium ; venit enim gratia, ut humanam naturam viſitaret, & intravit ad eam, unde exierat, ſicque gratia, & animum replet, & corpus, & portionem poſſidet, ſupervenit in Virginem ; intrat in uterum, ut per uterum non ſolùm ad Virginis, ſed ad totius corporis membra, quæ ſunt fideles unguento defluente decurrat, ſicque conſona facta reparatio. *Sic Ugo Victor. de Verbo inc. coll. 3.* Unde merito dicta eſt Maria plena gratiâ ; plena ſcilicet illuminatione ſapientiæ, plena inundatione gratiæ in affectu, & poſſeſſione bonæ vitæ in effectu, unctione miſericordiæ, fœcundatione prolis divinæ, & perfectione univerſalis Eccleſiæ. *Opuſcul. ſpecul. B. Virgin. lect. 7.*

75. *De ſinu Patris æterni ſumpſit Maria Verbum, & in ſuo utero clauſit, ut ipſum nobis ad ſalutem exponeret.*

Ecce concipies in utero, & paries Filium. Cur Angelus iſta pronuntiat? nonnè dixerat priùs Mariam plenam gratiâ, poſteà Dominus cum ea ? nonnè hoc ſufficiebat ? hæc dixit ad majorem explicationem eorum, quæ fecit Deus per Mariam, & Maria cum Deo : nota hunc ordinem : primò dicit *Dominus tecum*, quomodo tecum ? tecum, ſcilicet in anima, poſtea ſubdit *inveniſti gratiam apud Deum, ecce concipies*, &c. inversâ ſemitâ procedens ; priùs dicit Deum ad Mariam adveniſſe, *Dominus tecum*, poſteà Maria ſublevata in cœleſtia, miro faſtigio ſiſtitur apud Deum, ut Verbum veluti rapiat, è ſinu Patris, idèò dicit *inveniſti gratiam apud Deum*, ſcilicet propè Deum, propinquiſſimâ ſimilitudine, dignitate, familiaritate, & naturæ veritate, ſic invenit gratiam increatam poſt creatam, & in utero illam recluſit (in utero concipies) & ad omnem creaturam expoſuit, & paries. *Sic ex S. Bon. op. ſpec. B. Virg lect. 8. & 9. & Alb. M. in mariali.*

76. *Nomen ſanctiſſimum Jeſus impoſitum à Deo, & expreſſum Mariæ ab Angelo, cauſam, & certitudinem ipſi ingerit ſuarum gratiarum.*

Et vocabis nomen ejus Jeſum. Nota, quòd in textu Syriaco præponitur cauſalis, enim, loco alterius adverbii, autem : *Ecce enim concipies Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum* ; hoc autem dictum eſt ab Angelo, ut Mariam certificaret de iis, quæ ipſi priùs dixerat, & quòd iſte Filius ſalutem omnibus portaturus eſſet, & ut appareret cauſa, cur Maria tantam gratiam invenerit apud Deum, & ipſa intelligeret ex nomine promiſſi Filii, quantam, & qualem gratiam à Deo receperit, non enim aliud nomen datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. *In Luc. cap. 1. v. 31. opuſc. ſp. c. B. Virg lect. 5. §. 40. conſidera.* Nota. De hoc nomine Jeſus infra agetur *in cap. 2.* in expenſione Circumciſionis.

77. *Chriſti faſtigium, & celſitudo ab Angelo Mariæ explicata.*

Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus ſedem David, &c. Ecce, quòd poſt nomen Jeſus Angelus Mariæ exprimit naſcituræ prolis faſtigium, dicens *hic erit magnus* ; ſed quàm magnus ? hoc quidem non poteſt linguâ exprimi, ſed accipe pro nunc in quo, & propter quod erit magnus : primò propter gratiam ſingularem unionis cum perſona Verbi, quia erit Filius Altiſſimi, ſcilicet Deus ex Deo, & Unigenitus Patris, quod in ſolo Virginis Filio eſt, nec alteri conceſſum, ideoque ejus nomen Jeſus eſt, in quo omne genu flectatur ; ſecundò magnus ob regalem excellentiam, *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ſui*, ſcilicet regale ſolium in regno Eccleſiæ militantis, & triumphantis, cui omnes populi, & tribus, & linguæ ſervient : tertiò propter potentiam æternalem. *Et regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*, quia dominatio ejus erit in generatione, & generationem. *Luc. capit. 1. verſ. 32. ſequent. & cap. 19. verſ. 12. In ſapient. capit. 3.*

78. *Expon*

78. *Expenduntur Mariæ verba, quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco; & responsio Angeli.*

Nota, quòd postquam Angelus narrationem fecerat suæ annuntiationis, introducitur ab Evangelista Virgo interrogans, & respondens Angelo; in quo tria nobis explicantur: primum dubitatio conveniens Mariæ, quomodo fiet istud: secundò ratio movens, quoniam virum non cognosco: tertiò responsio Angeli satisfaciens, Spiritus Sanctus superveniet in te &c. *Luc. c.1. v.34.* Nota autem, quòd hæc interrogatio Mariæ non fuit dubitantis de divina potestate, aut de eorum veritate, quæ dicta fuerunt ab Angelo, nam ipsa verè credidit, ut dixit Elizabeth *Beata quæ credidisti*; sed potiùs admirantis, & quia triplex est modus concipiendi, unus carnalis, alius spiritualis, & tertius admirabilis, ac singularis, carnalem ipsa excludit, dicens quoniam virum non cognosco, idest me non cognoscituram proprono, & ita sum Virgo & mente, & carne, quæro de modo, scilicet quomodo virginitatem, & fœcunditatem possum simul habere. *Luc.cap.1.vers.34.op.spec. B.Virg.lect.4. & 7.*

79. *Generatio temporalis Christi ex Maria æmulatrix generationis æternæ ex Patre.*

Quoniam virum non cognosco. Hæc est ratio, ob quam Maria interrogat Angelum de modo; & nota, quòd dicit *virum non cognosco*; litteraliter alludit ad suum propositum virginitatis; sed tamen non sine mysterio profitetur se nullum virum cognoscere, idest nullam creaturam, sic interpretatur *S. Ioannes Chrysostomus*, dicens: imò si virum cognoscerem non esses digna tanti ministerii; ne igitur spectes ad terram, è Cœlis operatio venit, quia Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Dicit igitur virum non cognosco, quia tota intenta erat in Deum: Hic autem patet mirabilis sapientiæ artificium, quo utitur Gabriel in prodendo mysterium hoc, non totum simul effundens, sed paulatim circumscribendo, & hoc, ut intellectuali alimento saginata, toraque in Deum absorpta ex mente adventum facilè proficiat, & generet Verbum Dei; undè in *Matth. c.1.* dicitur *Christi generatio sic erat*; nota, quòd non dicit sic est, sed sic erat; *sic Ioan. c 1.* dicitur *In principio erat Verbum*, ut sic pateat, quòd generationis hujus maternæ imago, & symbolum jam præcesserat ab æterno in generatione Patris; in hac enim æternâ nascitur Verbum ex cognitione essentiæ, in illa temporali concipitur Verbum in utero præcedente cognitione divinitatis; *Sic cum S.Bon.plures Sancti PP. Chrysost. Ildephon. Bernardus, Bernardinus, Alb. magnus; Thomas à Villan. aliique plurimi Addit S. Bon.* ideò utitur hoc verbo Angelus concipies in utero, ut ostenderet, quòd sicut verbum mentis in nobis concipitur absque ulla læsione, ita B.Virgo nullam læsionem in concipiendo sensit, & sicut producitur verbum mentis præcedente cognitione, & illustratione mentis, sic & in Maria.

80. *Maria in concipiendo Christum correxit errorem primorum parentum.*

Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Quomodo ô Maria negas virum, cujus es costa, ob quem & virago diceris, quia à viro sumpta? Te alloquitur ut fœminam cælestis nuncius, ob virum fœmina est, cui debuit structuræ materiam? quomodo ergo virum non cognoscere pronuntias? Imò (ait Cirill. Hierosol.) quia fœmina ex viro fuit, Eva ex costa Adæ, se virum illum non cognovisse fatur, ut munus viri rependat, & gratitudinis causa, sicut vir fœminam dedit sine fœmina, fœmina det virum absque viro: Ecce hic novus Adam Christus nova Eva Maria, sed hæc nova genesis incipit invertis litteris, nam Christus ex Maria, Eva ex Adam; reddit vices remuneratorio censu Virgo Mater: Vir est à fœmina, & reparat, si fœmina ex viro destruxit, & si vir numquàm sine gratia præcesserat, quando fœmina ex suo latere in illo sopore evulsa est, etiam numquam sine gratia Maria, quando vir Christus oritur ex illa, sicque Maria reddidit mutuum officium viro, è cujus latere nata est fœmina, concipiens non ex viro, sed ex seipsa impollutè ex Spiritu Sancto, virtuteque Dei: sic igitur Eva fuit infidelis, & Maria fidelis inventa est, Eva infidelissima mediatrix perditionis, Maria verò fidelissima mediatrix salutis: Eva virum & omnes homines perdidit, Maria Adam, & omnes homines salvavit, eisque antidotum salutis propinavit. *Sic. S. Cirill. Ieros. cath.12. & ad aures Seraph.Doct.op.spec. B.Virg.lect.1.2.3.& 9.& seq. sparsim.*

81. *Votum virginitatis à Maria emissum expenditur.*

Quomodo fiet istud,quoniam virum non cognosco. Nota, quod dicit virum non cognosco,idest semper, & per totum tempus vitæ meæ propositum habui, & habeo servandi virginitatem meam: Ex quibus infertur, quod Maria emiserat votum virginitatis, licet in conjugium copulata fuerit justo Joseph? tale autem votum decuit in Maria ex instinctu, & consilio Spiritus sancti triplici ratione, prima est, ut esset decentissimum habitaculum Verbi Incarnati, quod est candor lucis æternæ, & speculum sine macula: secunda ut esset mulieribus totius virginitatis exemplum, in hocque Christus viris fuit exemplum puritatis, & Maria mulieribus, ipsasque excitavit ad hoc votum tam laudabile: tertia, quia debet esse in ea omnis nobilitatis, & sanctitatis privilegium; absit enim, quod aliqua alia Virgo Beatam Mariam excellat. imò Altissimus, qui fundavit eam, omnis dignitatis privilegio ipsam adornavit, ut sicut ipse eam præ cæteris adamavit, sic ipsa omnibus sanctior, & amabilior esset universis; unde circumscripta maternitate Dei, adhuc ipsa præ cæteris sanctis & super omnes Virgines debet amari, & laudari; Spiritus sanctus, qui aliis inspiravit votum virginitatis, hoc ab ea non retinuit celatum & ideo meritò laudatur, & vocatur Virgo Virginum: & hoc adeo verum est, ut non sine nota hæresis possit negari ejus perpetua virgini-

tas!

tas : Decuit autem, ut cum tali voto eſſet deſponſata ad perfectam ſignationem Eccleſiæ, quæ eſt ſponſa Virgo, & Mater, tum ad vitandam infamiam ; tùm ad occultandum diabolo myſterium Incarnationis : non enim appropinquare poterat Virgini : decens etiam fuit, ut Joſeph eſſet ſponſus ejus, tùm ratione generis, tùm ratione fidelitatis, tum ratione paupertatis ad exercitium humilitatis. *Lib.*4. *d.*30.*qu.*1.*&* *d.*28. *qu.*2. Circa votum virginitatis Mariæ occurrit hæc objectio, quia enim *in Deut.c.*7. in lege veteri ſteriles erant maledictioni obnoxiæ, & quia matrimonium tunc erat virginitate majus bonum, videtur quòd Maria Virgo tempore legis ſcriptæ non ſe obligaſſet tali voto, ſed reſpondet *Seraph. Doct.lib.*4. *d.*30.*cit.* quòd Maria Virgo non erat ſub lege, & quia erat plena Spiritu Sancto, & ſpectabat ad Evangelium, in quo Virginitas præponitur matrimonio, & copulæ carnali : *Sic. Seraph. Doct.* & communiter alii Sancti Patres ; Negare autem hoc votum in Virgine temerarium eſt. *lib.* 4. *d.* 28. *cit.* Hic autem poſſet diſputari an Beata Virgo Maria fuerit prima omnium, qui hoc votum emiſerunt ; ſed de hac materia videatur Vega in Theologia mariana à *n.* 1440. & deinceps doctè, & fusè diſſerens contra aliquos, qui primatum tribuunt Eliæ Prophetæ, quod aſſertum eſt contra ferè omnes Doctores, & Patres ; & dato etiam, quòd hoc eſſet verum, tamen B. Virgo Maria præponenda eſt omnibus Virginibus, cum ejus virginitas fuerit propria ſtatus innocentiæ, ut ſuprà *ex Seraph. Doct.* traditum eſt : Hic etiam poſſet diſquiri quo tempore emiſerit Virgo hoc votum ? multi dicunt emiſiſſe tunc temporis, quando introducta fuit à Parentibus in templum. Alii dicunt emiſiſſe in utero matris exiſtentem ; alii in inſtanti Conceptionis ; de qua materia tractat *Iacob. Epiſcop. Conſtantinopol.* qui citat alios Doctores apud Novarinum. *Umbr. Virg. n.*1521.

82. *Maria virginitas eſt ſigillum, quo Chriſtus obſignavit litteras noſtræ liberationis.*

Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco ? Hæc eſt interrogatio facta à Maria, cui Angelus. *Spiritus Sanctus ſuperveniet &c.* Ad quid ? ad ſignandam, & confirmandam tuam virginitatem, ut ipsà mediante Chriſtus obſignaret litteras redemptionis humanæ, ut pateat, quòd virginitas Mariæ ad Incarnationem Verbi medium fuit, & ad redimendum genus humanum. *Ser.*2.*Dom.Paſſ.*

83. *Angelus artificio mirabili à mente Virginis ablegat omne creatum, & objicit totam Sanctiſſimam Trinitatem, ut ſimilis reddatur aliqualiter conceptioni Verbi in mente Patris.*

Spiritus Sanctus ſuperveniet in te &c. Vide quomodo Angelus maximo artificio diſponere voluit mentem Mariæ ab ipſa ablegando omnem turbationem, & omne creatum, & imprimendo conſiderationem totius Trinitatis, in his verbis; *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te ; & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* ; nemine enim Altiſſimi indicat Patrem, nomine virtutis Patris Filium. *lib.*3.*d.* 3.*p.*1. *dub* 2. ut ſicut ſolus Pater gignendo cognoſcit, & cognoſcendo ſeipſum gignit Verbum ; ſic & Maria (ait S Bern. Sen.) dum Filium gignit ſolum Deum cognoſcat, & contempletur, nullum verò virum, nec aliquid creatum gignendo cognoſcat. *Sic etiam Sanctus Bernardus, & Titus Boſtrenſis, ex S. Bon. infrà citat.*

84. *Ad præparandum uterum Mariæ ad opus Incarnationis tota Trinitas in ipſam deſcendit.*

Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. En reſponſio Archangeli ad interrogationem Mariæ ; ſed quid eſt, quòd adventui Spiritus Sancti ſuperaddit, virtus Altiſſimi obumbrabit tibi ? Nota, quòd in his verbis Angelus introducit, ut dictum eſt, totam Trinitatem ad fabricam uteri virginalis, & ad ipſum diſponendum ad opus Incarnationis ; nam per Altiſſimum intelligitur potentia Patris, per virtutem Altiſſimi, Filius, per quem omnia facta ſunt, & ratione bonitatis Spiritum Sanctum nominat, ut oſtenderet totam Trinitatem concurriſſe ad fabricam complendam uteri virginalis ; dicit autem, quòd per talem adventum obumbratio Mariæ Virgini eventura eſt ; quid eſt hæc obumbratio, & qualis ? obumbratio viſum adjuvat, & calorem refrigerat ; Maria Virgo autem in adventu Filii Dei refrigerata eſt per totalem fomitis extinctionem ; fuit etiam ad Dei contuitum adjuta per carnis conjunctionem cum Verbo, ut quæ Deum non poterat ſentire in ſe propter ſuæ lucis immenſitatem, ſentiret, & cognoſceret in ſe per aſſumptam carnis humanitatem. *Lib.*3. *d.*3. *p.*1. *dub.*2. *Pſal.*1.*&* 66. *ſer.*1 *de Trinitate.*

85. *Uterus Mariæ officina, & aula divinarum proceſſionum & ab intra, & ad extra.*

Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Jam dictum eſt ex Seraph. Doctore hic exprimi Mariæ tres perſonas divinas, nempè Patrem in illo nomine Altiſſimi, Filium in alio virtus, & Spiritum Sanctum expreſsè ; ſed cur primus locus datur Spiritui Sancto, cum ſit ultima, & tertia perſona in Trinitate ? quia cum tres perſonæ ad fabricam Mariæ concurrerint, tamen quia hoc opus eſt amoris, ideò primus locus datur Spiritui Sancto : Addo aliud myſterium ex S. Bern. Senenſi ; reperio (ait Sanctus) in Rege noſtro Jeſu duas dignissimas dignitates, videlicet quòd ſit æternus Deus ab æterno, & æternum Deum producat, eo quod Spiritum Sanctum ſpiret ; & ipſe clauſus in Virginis utero in æternitate à Deo Patre Deus generabatur æternus, & in eadem æternitate idem ipſe puer in ventre Matris Deum ſpirabat, & producebat ; quaſi dicat, ſpirat quidem Filius Spiritum ſanctum ubicumque eſt, ſed tamen hoc ſpeciali modo ſit in utero Mariæ in ordine ad ipſam, ſcilicet ut ſit aula, & officina divinarum proceſsionum ab intra, & ſpecialiſsimo modo proceſsionum Spiritus ſancti ad extra

ob

ob ſcaturientes fontes qui in viſcera ſacra Mariæ influebant; & hoc eſt, quod dicit S. Bon. quod ſpecialiſſimo privilegio tres perſonæ divinæ ad fabricam Mariæ concurrebant: *Lib. 3. d. 3. ſupra cit.* & quod infrà dicitur, Dominus tecum, ſcilicet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; non enim tantùm eſt tecum Dominus Filius, quem carne tua induis, ſed & Spiritus ſanctus, de quo concipis, & Pater, qui genuit, quem tu concipis. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 1. S. Bern. ſerm. 61. de B. Virg.*

86. *Spiritus ſancti nomen primum inſonuit in auribus Virginis ob ſummam cum Virgine ſimilitudinem.*

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Si in his verbis innuitur tota Trinitas perſonarum, ut dictum eſt ex Seraph. Doct. cur primo loco expreſſo, & abſoluto vocabulo ponitur Spiritus ſanctus, & implicito nomine, & attributali innuuntur aliæ duæ perſonæ Pater, & Filius? ſi jam plena gratia, ſi jam Dominus eſt in Virgine, ſi jam gratia Spiritus ſancti eam ditat, ſi Altiſſimi virtus impinguat, ſi Artifex in utero amor eſt, ut quid perſona Spiritus ſancti verborum diſpendio recenſita? & maximè ei tribuendo primum locum? ſed attende ad myſterium: Jam tres perſonæ divinæ ad Mariæ fabricam advenerant, ſed tamen (ait S. Petr. Dam. ſer. de Annuntiatione) totam eam rapuit ſibi Spiritus ſanctus; quid eſt rapuit? ergone quaſi ſacrâ contentione Patri, & Filio præoccupavit Mariam quaſi pignus ſui? maximè, quia Spiritus ſanctus cum nec ſit genitus, nec genitor, ob idque ſolum ſpiritum, ſolum virginitatem ſignificat, ſummam ſimilitudinem in Maria imprimit. *Vide S. Bon. op. ſpec. B. Virg. lect. 10.*

87. *Maria Virgo Triclinium Trinitatis Sanctiſſimæ.*

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: Ad quid tres perſonæ Trinitatis hic adducuntur? nonnè ſufficiebat exprimere perſonam Spiritus ſancti ſupervenientis in Mariam? cum enim opera Trinitatis ad extrà ſint indiviſa, & communia, ad ſuperventionem Spiritus ſancti ſufficienter aliæ duæ ſubintelligebantur? ſed tamen talis expreſſio trium perſonarum fuit neceſſaria ad exprimendam excellentiam Mariæ: tres perſonæ hic exprimuntur, ut intelligamus, quod ſicut tres perſonæ mundum fabricaverant, ſic etiam intelligantur mundum reparaſſe opere indiviſibili, & hoc per fabricam uteri virginalis; huncque ſibi tres perſonæ fabricaverunt Mariam, ejuſque uterum tamquam proprium domicilium, & domum cæleſtem, ut eſſet triclinium ejuſdem ſanctiſſimæ Trinitatis. & ſimul ejuſdem Filii, ſcilicet & menſa, & lectus, & lumen, ſicut in triclinio aderant apud antiquos; uterus enim virginalis receptaculum fuit Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & Filius tres ſubſtantias reclinavit in eo corpus, animam, & divinitatem. *Lib. 3. d. 3. p. 1. dub. 2. & a. 2. qu. 1. op. ſpeculm. B. Virginis lect. 7. op. Litania B. Virgin. ſermon. 2. in Sab. ſancto Ioan. cap. 2. verſ. 10. Pſal. 131. op. Laus Virg. ſig. 12. op. Comp. Theol. lib. 4. cap. 20.*

88. *Ad redemptionem hominis in utero Virginis advenerunt tres perſonæ divinæ quaſi ad invicem certantes.*

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Nota, quod ut dictum eſt hîc innuuntur tres perſonæ divinæ adveniſſe in uterum Mariæ ad opus Incarnationis: ſed cur non exprimitur nomine Patris prima perſona, ſed dicitur Altiſſimus, & nomine Filii ſecunda, ſed nomine virtutis? dicitur Pater Altiſſimus in hoc opere Incarnationis, & Filius virtus Patris, ut intelligamus divinam dignationem, & amorem, quo factum fuit hoc opus, nempè demiſſionem Altiſſimi ad aſſumptionem noſtræ carnis, uſum virtutis infinitæ Filii, & concurſum Spiritus ſancti; quaſi demonſtrantes veluti certando deſiderium trium perſonarum reparandi hominem, ut ſic quælibet perſona acquireret nomen Redemptoris; nam quoad uſum poteſtatis titulus Redemptoris competit Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, licet quoad executionem ſolùm Filio conveniat. *Lib. 1. d. 1. cit. & d. 19. a. 2. qu. 2.* Vide igitur quomodò tota Trinitas Mariam adamet, & unaquæque perſona ſpeciali favore æmula contentione totam ſibi Mariam devinciat.

89. *In utero Mariæ celebratæ ſunt nuptiæ inter divinam, & humanam naturam concurſu trium perſonarum: item inter Mariam, & Deum.*

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Ad quid iſte concurſus trium perſonarum? certum eſt, quod in omni opere ad extrà concurſus ipſarum eſt indiviſibilis, tamquàm cauſæ efficientis; ſed hic ſpeciali modo factus notatur, dum dicitur *Spiritus ſanctus, &c. virtus, &c.* cur hoc? hoc eſt, ut deſcribatur concurſus trium perſonarum ſpecialiſſimo modo ad deſponſationem factam inter divinam, & humanam naturam in utero Beatæ Virginis in puncto Incarnationis, in qua Spiritus ſanctus concurrit, ut arrha iſtarum nuptiarum, Pater ſuâ potentiâ ipſam inclinando ſua virtute uſque ad unionem humanæ naturæ, & Filius fuit factus ſponſus uniens ſibi eamdem humanitatem; in qua deſponſatione Maria conſtituta fuit ſponſa Dei, totius Trinitatis triclinium, & ſpecialiſſimum Filii reclinatorium: *l. ib 3. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. Luc. cap. 19. ſerm. 1. in Cœna Domini:* Et hinc Epiphan. dicit: Invenitur Virgo eſſe cæleſtis ſponſa, & Mater, quæ donorum antenupt alium nomine, Spiritum ſanctum accepit, dos verò, gratia, Cœlum una cum Paradiſo; & hinc eſt, quod Spiritus ſanctus hic primò præmittitur, & poſteà adventus Patris, & Filii ad Mariam deſponſandam.

90. *Per Mariam Trinitatis myſterium manifeſtatum.*

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te,& virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: Cur hic tres perſonæ divinæ in hoc opere Incarnationis in utero Mariæ introducuntur? cur Angelus non dicit ſolùm, *Ecce concipies.& paries Filium?* ſed hoc factum eſt ad indicandum, quod Maria Virgo notio eſt Sanctiſſimæ Trinitatis, & per ipſam manifeſtatum eſt myſterium anteà à ſæculis hominibus abſconditum; undè benè *Chryſo.* [illegible]o. dixit, quantus ſit Deus ignorat ille, qui hujus Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur, nota, quod dicit quantus ſit Deus, ideſt quot ſint perſonæ; audiens enim Spiritum ſanctum in notitiam venit principii ſpirantis, audiens Altiſſimum & Patrem, indicat generantem, & genitum, audiens Filium, novit & generantem, & genitum; undè benè dixit Angelus, hic erit magnus id eſt non ſolum ſecundùm ſe eſt magnus, ſed etiam apud homines erit magnus, quia cognitus ab hominibus, & per te tota Trinitas gloriam accipiet. *Op. ſpec. B.Virg. c.8. & deinceps ſer.3.de B.Virgine.*

91. *Myſterium Incarnationis inexplicabile etiam ab Angelis.*

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, &c. Nota hæc eſt reſponſio Angeli data interrogationi Virginis, quomodò fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? quæ reſponſio tamen affert ſecum maximas difficultates; nec ut notat S Bern. eſt adæquata interrogationi Mariæ; nam Maria inquirit modum hujus tanti operis, & tu reſpondes, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te? non vides, quod non reſpondes ad interrogata? annè etiam Spiritus ſanctus prius inhabitabat in Maria? Attamen Gabriel remittens hunc modum ad Spiritum ſanctum, dat intelligere, quod hoc opus eſt ineffabile, inexplicabile; quaſi dicat, qui poteſt capere capiat; ſic & S. Cyrillus: nec mirum hoc; nam hoc myſterium eſt magnum, & imperſcrutabile, & admirabile. *Luc. cap.1.v.49.*

92. *Spiritus ſancti adventus in Mariam ordinatus ad ſalutem univerſitatis.*

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te. Cur addit illam particulam ſuper? nonnè ſufficiebat dicere veniet in te? Et ſi jam erat plena, quomodò ampliùs capere poterit? ſed id non caret maximo myſterio, ly, ſuper, repetitionem adventus Spiritus ſancti in Mariam denotat: dat igitur intelligere, quod & ab alto veniet Spiritus ſanctus, & ſuperveniens in Mariam denotat novam plenitudinem gratiarum; unde cum eſſet plena in mente, & anima, nunc & ſupetveniet in ventre, & cum eſſet plena ſibi, ſuperplena facta eſt ad ſalutem univerſitatis, quia in omnes ex tua plenitudine redundabit. *Ser.3.de B.Virg.Luc. c.1.v.35. op.Phar.lib.16.5.*

93. *Quomodò dicitur Maria per adventum Spiritus ſancti, & virtutem Altiſſimi obumbrata.*

Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Quomodò obumbrabit virtus Altiſſimi, & adventus Spiritus ſancti? obumbratio eſt privatio lucis; ergo Deus in Mariam adveniens ipſam privavit luce, & non potiùs magis illuſtravit? nonnè ipſam vidit Joan. amictam ſole? ſed jam ſuprà dictum eſt, quod obumbratio viſum adjuvat ne cæcutiatur nimio lumine, & æſtum refrigerat; datque intelligere maximum privilegium Mariæ conceſſum, nam in hac conceptione Filii Dei repleta eſt omni gratiâ, extinctus fuit in ea fomes omnis concupiſcentiæ, & ſublevata per virtutem divinam ad contuitum Filii Dei in utero exiſtentis, & carne induti. *Lib. 3. d. 3. p.1. dub.2.*

94. *Mirabilia expenduntur operata in Maria per adventum Spiritus ſancti, & virtutem Altiſſimi obumbrantem.*

Spiritus ſanctus ſuperveniet in te; & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideóque quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei: Si jam erat plena gratiâ Maria, ſi jam Dominus erat cum ea, quomodo hic dicitur Spiritus ſanctus ſuperveniet in ea, cum numquàm ab ipſa diſceſſiſſet? verum quidem, quod Maria ab inſtanti ſui eſſe plena fuit gratiâ; quod cum ipſa Dominus Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus manebat, inerat, & in habitabat, ſed tamen denuò per novos mirabiles effectus cum tempus divinæ Incarnationis jam adveniſſet, Spiritus ſanctus cum Patre, & Filio ſuperveniet in Maria: Ut autem intelligantur ſecundum noſtram parvitatem iſti effectus; Nota, quod quadruplex puritas conſiderari poteſt in Maria, per quam excellit ſuper omnes creaturas; prima eſt puritas, quam habuit in utero (ſcilicet in primo inſtanti) quæ non fuit naturæ, ut in Angelis, nec gratiæ gratis datæ, ut in Joanne, ſed gratiæ ſanctificantis cum plenitudine in ipſa infuſæ cum cæteris donis gratuitis (adde & donum maternitatis, de quo ſuprà) & hæc omnes alios excellit: ſecunda eſt puritas in vita, & actibus ſuis, quæ Mariam ſuper omnem legem naturæ corruptæ perfecit (& hæc ſuperat etiam Angelos, qui aliquando potuerunt peccare, non verò Maria:) tertia eſt puritas virginalis, quæ excellit Angelos, in quibus caſtitas eſt neceſſitas naturæ, & homines, quia hæc in Maria propria fuit ſtatus innocentiæ, imò ſuperior, cum ſit ex gratia, & virtute ſuperna: quarta eſt ex ſuperventione Spiritus ſancti, & virtute Altiſſimi, quæ diſpoſuit novis donis gratiarum & animam, & carnem ad formationem corporis Chriſti: *Op. Comp. Theol. lib.4. cap.4.* Undè cantat Eccleſia: Omnipotens Deus, qui glorioſæ Virginis Mariæ corpus, & animam, ut dignum Filii tui habitaculum efficl mererctur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti: *nota, ly, corpus & animam, &c.*

Digitized by Google

95. *In utero Mariæ Spiritus Sanctus veluti pictor imaginem vivam Deitatis ſculpſit; Ubi de imaginibus Mariæ.*

Spiritus Sanctus ſupervenìet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Quid eſt obumbrabit tibi, ſcilicet in te? ergone adventus Spiritus Sancti umbram cauſabit in Maria, maximè, ſed quid eſt umbra? umbra eſt privatio lucis non omnimoda (*ait S. Bon. lib. 1. d. 3. p. 1. a. 1. qu. 2. & lib. 2. d. 12. a. 1. q. 3. & Pſal. 118. v. 2.*) unde ad umbram tria concurrunt, lumen, corpus objectum, & umbræ receptaculum: & hinc nomen umbræ ad picturam tranſlatum eſt, & nomine umbræ pictura venit; hinc Mariæ dictum eſt, *Spiritus Sanctus ſupervenìet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, ideſt ex te lineamenta trahet, corpuſque confinget, & in eo imaginem divinitatis ſculpet: & hinc Theophil. in illis verbis; Ecce ancilla, &c. in perſona Mariæ dicit; Tabula ſum pictoria, pingat pictor quod voluerit, faciat Dominus, quòd ſibi eſt beneplacitum; ex quo deducit S. Athan. quòd Spiritus Sanctus veluti pictor imaginem divinitatis inſculpſit in corpore aſſumpto ex utero Mariæ; & quod Chriſti humanitas imago viva eſt repreſentans totam divinitatem Trinitatis Sanctiſſimæ: & hinc S. Bon. dicit hanc obumbrationem factam eſſe in Maria ad hoc, ut ipſa poſſet aſpicere divinitatem, ſcilicet in imagine corporea. *Lib. 3. d. 3. ſuprà cit.* Hinc proclive eſt tranſitum facere ad imagines Mariæ Virginis: nam cum Spiritus Sanctus advenerit in Mariam cum immenſitate gratiarum tantâ, ac tali, ut ex ipſa ſupereffluere deberent ad omnes creaturas, conſequens eſt, ut etiam ad umbras Mariæ pertingerent, unde dicitur obumbrabit tibi, ideſt ex te lineamenta ad modum picturæ ducet, & hoc tibi; ſcilicet in honorem tui redundabit; per quod etiam pie inferre licet, quod Spiritus Sanctus, qui perpetuò inſidet in Mariæ perſona, etiam ſuam virtutem extra extendat ad umbras, & picturas, imagineſque Mariæ. Hæc expenſio non eſt aliena à ſenſu S. Athan. S. Gregorii Niſſeni, B. Amadei, ſuper hunc locum Lucæ, &c.

96. *Cur Filius Dei indefinitè Sanctum in neutro dicitur ab Angelo.*

Ideòque quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Nota, quòd Archangelus proceſſum narrationis præmiſit, poſt quæ concluſionem inferet ſcilicet, quia Maria fœcundata ex virtute Spiritus Sancti, non prolem viri generabis, ſed prolem Dei, non peccatorem ſicut naſcuntur omnes filii hominum, ſed Sanctum, quia quod naſcitur ex carne caro eſt, quod naſcitur ex Spiritu, Spiritus eſt *Ioann. capit. 3.* Ergo quod naſcitur de Spiritu Sancto. Sanctum eſt: Nota autem, quòd dicitur, quòd naſcetur ex te Sanctum, non dicit Sancta caro, Sanctus homo, ſic enim parum dixiſſet, ſed indefinitè Sanctum poſuit, quia quidquid fuit, quod Virgo genuit, ſanctum proculdubio, ac ſingulariter ſanctum fuit, & ideò non Filius viri, ſed Filius Dei vocabitur ab omnibus. *Luc. 1. v. 35.*

97. *Licèt omnis ſanctitas in Maria ex prole adveniat, ad honorem tamen Matris vult decantari ab Angelo Sanctum ex ipſius Mariæ conceptione.*

Ideòque quod ex te naſcetur Sanctum. Nota ordinem ex te naſcetur, quid? Sanctum? quod Sanctum? Sanctum quidquid ex Maria naſcetur Sanctum, & ſingulariter? Sanctum, ſed quid eſt ſingulariter Sanctum? ideſt non communiter ſanctum, ſed illâ ſingularitate, quâ clamatur in cœleſtibus Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, *ſic reſpondet S. Petr. Criſol. ſer. 142, S. Bon. in Luc. cit. S. Bern. Hom. 4. ſuper miſſus.* Vide ergo quomodo Virgo licet ſanctitatem accipiat à Filio, attamen ob honoris materni reverentiam Marianæque puritatis faſtigium, ſanctum nativitati appingitur, quaſi utero adſcriberetur? ô quanta Virginis excellentia; ſic Alb. Magnus ſubdens; Sanctum dicitur, quod naſcitur ex Maria, ſcilicet ut Deus Sanctum eſſentialiter, ut homo autem Sanctum Sanctorum, & ut ſumptum de Virgine ter ſanctum; ideſt ſanctiſſimum. *Sic ex S. Bon.*

98. *Sicut Angeli, & Beati Triſagium ad Dei honorem decantant, ſic & ad honorem Mariæ.*

Ideoque quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Nota, quòd cum per ly, Sanctum alluſio fiat ad Triſagium, quod in honorem divinitatis exiſtentis in tribus perſonis Patre, & Filio, & Spiritu Sancto decantant perpetuò Cœlites in gloria; & cum de Chriſto decantetur, ex eo quod natus eſt de Maria Virgine, quod naſcetur ex te Sanctum, hinc etiam redundat talis laus in Matre; ſic & Angelus ter Sanctum in ſalutatione appellavit, primò dicens, Ave gratiâ plena, ſecundò Dominus tecum, tertiò Inveniſti gratiam &c. indicando, quòd ſicut Sanctitas in Deo ex natura ſua prædicatur, ſic & ex gratia de Maria. *Hinc S. Bon.* Spiritu Seraphico laudans Mariam ſic alloquitur. Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem profitemur, te æterni Patris ſponſam omnis terra veneratur: Tibi omnes Angeli, & Archangeli, tibi Throni, & Principatus fideliter deſerviunt: tibi omnes Poteſtates, & omnes virtutes Cœlorum, & univerſæ dominationes obediunt; Tibi omnes Chori, tibi Cherubim, & Seraphim exultantes aſſiſtunt, Tibi omnis Angelica creatura ineffabili voce proclamat, Sancta, Sancta, Sancta Maria Dei genitrix Mater, & Virgo: Pleni ſunt Cœli, & terra majeſtatis gloriæ fructus ventris tui, Te glorioſus Apoſtolorum Chorus, ſic Creatoris Matrem collaudat; Te Beatorum Martyrum cœtus candidatus Chriſti genitricem collaudat; te glorioſus Confeſſorum exercitus Trinitatis templum appellat, te ſanctarum Virginum chorea amabilis virginitatis, & humilitatis exemplum prædicat, te tota cœleſtis curia Reginam honorat; te decet laus, te decet Imperium, tibi virtus, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. *Op. Pſals. B. Virginis.*

99. *Per Mariam in Chriſto Dei filiatio manifeſtata.*

Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei, Nota ordinem verborum, quòd naſcetur ex Maria Sanctum eſt, & ultrà hoc vocatur Filius Dei, cur non dicit, & erit Filius Dei? ſed hoc ad extollendam Matrem dicitur, nam quicquid ex Maria prodiit Sanctum eſt, & ſingulariter Sanctum, ſcilicet ſanctiſſimum, & hoc Sanctum, & ſanctiſſimum jam ab æterno Filius Dei eſt, ſolúmque ſupereſt, ut vocetur, & manifeſtetur ex te, ex ſua nativitate fuit quidem antè ſæcula Filius Altiſſimi Verbum, ſed non vocabatur, neque cognoſcebatur, poſtquam autem incarnatum eſt, & apparuit in carne, tunc & vocatus eſt Filius Altiſſimi à Deo, à credentibus, & ab omnibus. *Luc.c.1.v.35.*

100. *Angelus, ut peritus Rethor approbationem, & confirmationem ſuæ annuntiationis, & narrationis Mariæ affert ex miraculoſa conceptione ſterilis Eliſabeth, dicens.*

Et ecce Eliſabeth cognata tua & ipſa concepit Filium in ſenectute ſua, & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis, quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Quaſi diceret; ſi Deus dedit conceptum ſeni ſterili, & ſuprà naturam, dare non poterit & juveni? & ideò firmum, & certum eſt, quòd & tu Virgo jam concipies ſuprà naturam, quia nihil impoſſibile eſt apud Deum, dicit autem non erit impoſſibile apud Deum omne verbum, non dicit omne opus, ſed omne verbum, quia apud Deum idem eſt facere, quòd loqui, & loqui quod velle, & cum aliquid promittit Deus, ſine dubitatione credendum eſt, quia cum omnia poſſit, & mentiri non poſſit, neceſſe eſt, ut fiant illa, quæ & quomodo promittit; ſicque oſtendit Angelus concluſionem ſuam neceſſariam, ut Virgo jam nec dubitare poſſit, nec valeat diſſentire. *Luc.cap.1. verſ.37.* Quæres quodnam diſcrimen inter miraculum operatum in Virgine, & operatum in Eliſabeth? Reſpondetur, quòd in Eliſabeth unicum miraculum factum eſt, ſcilicet ablatio ſteriliratis, per quam reddita eſt fœcunda, ex qua fœcundatione naturali, naturaliter conceptus eſt Joannes: B. Virgini verò collata eſt potentia ſupernaturalis generandi Deum, & in executione aliud miraculum factum eſt, ſcilicet ut ſimul permanerent fœcunditas, & virginitas. *Lib.3. diſt.4. artic.5. quæſt.2. ad.3.*

101. *Sancti Ioannis Baptiſtæ aliqua privilegia recenſentur.*

Et ecce Eliſabeth, &c. & hic menſis ſextus eſt illi, &c. quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Cur hæc interſerit Gabriel in annuntiatione Incarnationis facta Mariæ? cur pro confirmatione ſuæ narrationis ei exhibet conceptionem factam in conceptione matris, & conceptus? ſed attende ad myſteria; Hoc totum factum eſt, ut innueret privilegia facta Joanni Præcurſori Meſſiæ: primò enim præmittit fœcundationem ſterilis Eliſabeth tamquam figuram conceptionis Mariæ: ſecundò ſicut idem Gabriel in annuntiatione conceptionis Joannis Verbum Dei in carne venturum Zachariæ oſtendit, dicens multos converteret ad Deum &c. & ipſe præcedet ante illum, ſcilicet Meſſiam venturum, ſic & tempore, quo Verbum Dei erat concipiendum Angelus Joannem Virgini repræſentat; cur hoc? quia ut perfectus Philoſophus ſciebat fœtum ſæpè exoriri ſimilem rei, quam in generationis æſtu mater cogitat: ſic in utroque concepto alterutra repræſentatio alternatur, ut amuſſim excidatur ſimilitudo; ut Joannes ſimilis Chriſto concipiatur, & Chriſtus ſimilis Joanni, ut ſicut Verbum ex Maria naſcituum erat, ſic & Vox ei ſimilis eſſet: in hujus veritatis confirmationem, nota, quòd Angelus dicit, *quia non eſt impoſſibile omne verbum*, quomodo omne verbum ô Angele Dei, ſuntne poſſibilia plura verba Dei? nonne ſemel loquutus eſt Deus? Verbum unum eſt, quod à Virgine gignendum enuntias? benè dicit omne verbum, quaſi duplex verbum, alterum propriè Verbum, quia conceptus eſt Altiſſimi, alterum impropriè. & quaſi Verbum, quia vox illius Verbi eſt: rectiò quia cum Incarnationis ætas numeretur à Joanne apud Angelum, & hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis; imò Cœlum ipſum ſua ſæcula à diebus Joannis Baptiſtæ recenſet; à diebus Joannis Baptiſtæ regnum Cœlorum vim patitur, *ait Matth. c.11.* per hoc patet quàm verum ſit dictum ſalvatoris; Non ſurrexit major Joanne Baptiſta, & aliud Angeli, Erit enim magnus coram Domino. *Vide ſer.1.2.3.& 4. de S.Ioan.Bapt. in addit.*

102. *Concluſio annuntiationis Angelicæ in conſenſu Beatæ Virginis enarratur.*

Dixit autem Maria; Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Nota, quòd hic ultimò ponitur aſſecutio propoſiti in conſenſu Virginis, per quem mox concepit Filium Dei, hunc autem conſenſum deſcribit debitè, & ordinatè factum, quia ex humilitate prædiſponente, & charitate perficiente, & credulitate pronuntiante; ſicque introducitur pronuntiatio ex credulitate, cum dicitur; Dixit autem Maria, quia enim Angeli dictum credidit eſſe verum, ideò dat expreſsè reſponſum conſentaneum; corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. *Rom.c.10.* Dixit autem Maria verbo fidei, quia corde percepit verbum fidei, ventre concepit Filium Dei; deindè ſequitur præparatio ex humilitate, cum dicitur. *Ecce ancilla Domini*, & quia Virgo ſe humiliavit, ſe ad hanc gratiam præparavit; & tandem ſequitur conſenſus perfectus ex charitate, cum dictum eſt. *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Luc.c.1.v.38.*

103. *Explicantur verba Mariæ.*

Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Nota, quòd in his verbis exercuit Maria omnes virtutes in excellentiſsimo gradu, quæ debent eſſe in bona ancilla Dei, ſuntque promptitudo, humilitas, obedientia, & prudentia, prompta

prompta fuit Beata Virgo, dicens *Ecce*; item humilis dicens *ancilla*; item obediens dicens. *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, non meum; item prudens, quia cognovit ex verbis Angeli, quod melius erat; hoc autem verbum, *fiat*, fuit ſignum deſiderii, non dubitationis, nota item ſignum aſſertionis, & affectionis ſcilicet verbum fuit orationis, quia fuit deſideratorium ex charitate emanans, & humilitate, & aſſertorium ex credulitate, & fide, & ideò vox dulciſſima Angelis, & hominibus, & ipſi ſponſo; & hinc dixit *fiat mihi ſecundum verbum tuum*. Verbum, ſcilicet quòd erat in principio apud Deum fiat caro de carne mea: Verbum non prolatum, ut tranſeat, ſed conceptum, ut maneat, non tantùm audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, geſtabile humeris, *Luc. c. 1. v. 38. opuſc. Compen. Theol. lib. 4 c. 3.*

104. *Maria humilitas multipliciter expenditur ejuſque effectus.*

Ecce ancilla Domini, &c. Vide quomodo humilitate Maria ſe diſpoſuit ad tantum opus Incarnationis, & ipſa mediante complevit: Verè mirabilis humilitas, etenim tunc quando Maria plena gratia dicitur, ſuperventio Spiritus Sancti promittitur, Maria in Matrem aſſumitur Domini, Maria jam omnibus creaturis anteponitur, Maria jam Domina Cœli, & terræ efficitur, & pro his omnibus non extollitur, ſed in his omnibus mirâ humilitate deprimitur dicens *Ecce ancilla Domini fiat, &c.* Vide abyſſum in abyſſo, abyſſum humilitatis in abyſſo gratiarum, & excellentiarum Mariæ, & in hoc abyſſo pedem, & cor fixit, ſe reputans indigniſſimam omni bono, & quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam; ideo iſta Mariæ profundiſſima ſuper omnes humiles creaturas humilitas, veluti magnes traxit de Cœlo Spiritum Sanctum cum immenſitate gratiarum, ut animæ repleretur vacuitas, & Verbum ad aſſumptionem carnis in ſuo utero; undè ſi placuit ex virginitate, de humilitate tamen concepit, ut ipſa de ſe fatetur, reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ; vide ergo quomodo Maria perceptâ jam annuntiatione, flexis genibus in terram, & elevatis in Cœlum oculis, ac manibus ex intimo corde erumpentibus præ gaudio lachrymis devotiſſimè flagitando dixit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*; & tunc Deum pariter, & hominem concepit. *Op. medit c. 4. op. Comp. Theol. lib. 4. c. 5. op. lignum vitæ. op. Diæt. tit. 7. c. 1. Luc. c. 1. v. 38. & c. 10. in fine op. ſpec. B. Virg. lect. 4. 6. 7. & 10.*

105. *Mariæ obedientia expenditur.*

Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Vide hic cum humilitate profundiſſima Mariæ obedientiam ad Dei voluntatem faciendam in omnibus, & per omnia excellere: nam per obedientiam ſuſcepit Dei Filium Virgo, utero concepit, & peperit mundo, & quæ Dei Mater ſecundum carnem erat, ſe quoque talem promptâ probavit obedientiâ, dixit enim Chriſtus *Matth. v. 12.* Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & ſoror, & Mater eſt, ideò duplici titulo Dei ſui extitit Mater. *Luc. c. 1. v. 38. op. Comp. Theol. lib. 4. c. 5. & communiter alii SS. PP.*

106. *Quàm ſuavia, quàm dulcia Mariæ verba.*

Dixit autem Maria; Ecce ancilla Domini fiat mihi, &c. Nota, quòd lingua & edendi inſtrumentum eſt, & loquendi, & ciborum delicias ad ſtomachum tranſmittit, & verba ad auditorum aures dirigit, & jactat; linguâ loquimur, & comedimus, quia in Dei laudibus concinendis dulcedinem contemplationis deguſtamus, ſic ait *S. Anton. Patav. ſer. 1. in Pentec.* Unde ſicut cibos amaros linguæ non committimus, qui per ipſam ad ventrem tranſmittantur, ſic nec debemus impura, & amara verba linguæ committere; eliguntur cibi, eligantur & verba, quæ dulcia, & ſapida, & utilia afferant exemplo Mariæ; de qua *Cant. c. 4.* dicitur Favus diſtillans labia tua, ô ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua; ſic enim in ore Mariæ non fuit fel, & venenum diaboli, ſed mel, & lac Spiritus Sancti; nonne Maria mundiſſimum lac habuit ſub lingua, quando caſtiſſimum illud verbum protulit, *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco*? Nonnè Maria dulciſſimum mel ſub lingua habuit, quando illud melliſluum verbum dixit. *Ecce ancilla Domini fiat, &c.* ô quàm dulcia fuerunt Chriſto hæc verba, dum ipſum ad ipſorum prolationem attraxit è ſinu Patris, & in ſuo utero recondidit, *Opuſc. ſpecul. Beat. Virg. lect. 2. & 18.*

107. *Quo tempore facta fuerit Incarnatio Verbi in utero Mariæ.*

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Quæritur hic quandonam ſecuta fuerit Incarnatio, an antecedenter ad hæc verba, an in eodem tempore, quo fuerunt prolata? Aliqui dixerunt antecedenter factam fuiſſe Incarnationem vel in principio annuntiationis, vel cum dixit Angelus, Dominus tecum, ſed tamen communis, & verus conſenſus SS. Patrum eſt, factam fuiſſe in ultimo inſtanti prolationis verborum Mariæ *Ecce ancilla Domini, &c.* Sic enim importat illud verbum, *fiat mihi ſecundùm verbum tuum: ſic S. Bon. in Luc. aliiſque locis ſupracit.* & ſi aliqui Patres videntur dicere oppoſitum, exponendi ſunt ſe locutos fuiſſe per anticipationem, ut patet *in D. Bern. Hom. 3. in miſſus, in S. Auguſt. &c. Vide Suar. in 3. p. t. 1. d. 9. ſect. 4.*

108. *Qualis concurſus fuerit in Maria ad opus Incarnationis.*

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Quæritur qualis fuerit vis hujus verbi, *fiat* à Maria prolati? an ſcilicet concurrerit activè, an ſolùm paſſivè? & an attigerit ſolam unionem animæ & corporis Chriſti, an etiam unionem hypoſtaticam? Reſpondetur primo Mariam non ſolùm concurſum materialem præbuiſſe formationi corporis Chriſti, ſed etiam activum, quia Maria fuit verior Mater Chriſti, quàm cæteræ matres

ſuorum filiorum, & ſicut cæteræ matres activè concurrunt ad ſuam prolem, multò magis Maria, quæ habuit potentiam naturalem gignendi Filium, & ſupernaturalem quoad modum, qua ſupernaturali virtute elevata à Spiritu Sancto concurrit non ſolùm ſubminiſtrando materiam, non ſolùm activè ad generationem ipſam Filii, ſed & ad accelerationem, & complementum organizationis corporis in unico inſtanti, & primo, tali enim pacto melius ſervatur perfecta relatio maternitatis ad Filium. *Lib.* 3. *d.* 4. *art.* 3. *q.* 1. *& ſeq.*

109. Sed major difficultas eſt in ſecundo dubio, an ſcilicet Maria Virgo attigerit ſuo phyſico concurſu productionem unionis hypoſtaticæ, an ſolùm dicatur Mater Dei ob communicationem idiomatum exiſtentem in Chriſto? In qua quæſtione aliqui Theologi docent Mariam genuiſſe hunc hominem per concurſum paſſivum materiæ neceſſariæ ad productionem hominis, cujus perſonalitas fuit Verbi, ideò ratione communicationis idiomatum Maria dicitur Mater Dei, ſed iſti dicunt nimis parum, *ait S. Bon. lib.* 3. *d.* 4. *a.* 2. *quæſt.* 1. Alii dicunt totam præparationem materiæ factam fuiſſe à Spiritu Sancto per ſe, & miraculosè. ſed ultimam formam humanitatis inductam fuiſſe à potentia naturali Mariæ, quæ opinio etiam eſt falſa, quia nimis dicunt, *ait S. Bon.* cum tribuant potentiæ naturali ultimatam formationem Chriſti: vera igitur, & magis conferens ad excellentiam Virginis exaltandam opinio eſt, quòd Maria Virgo ad conceptionem, & generationem Chriſti Dei, & hominis concurriſſe ſuâ potentiâ naturali, ſed elevatâ per potentiam obedientialem paſſivam, & activam à virtute ſupernaturali Spiritus Sancti, tùm ad concipiendum ſine concurſu viri, tum ad præparationem materiæ & organizationem in unico temporis inſtanti, tum ad producendum hominem Deum, ſcilicet ad attingendam productionem unionis corporis, & animæ Chriſti tamquam cauſam principalem, & tamquam cauſam inſtrumentalem ad attingendam productionem unionis talis humanitatis cum perſona Verbi: nec enim id excedit vires naturæ creatæ elevatæ à Deo, nec ulla mutatio per hanc productionem inſtrumentalem unionis hipoſtaticæ infertur in Verbo, ſed ſolùm terminatio ejuſdem Verbi ad humanitatis complementum, & ex alia parte id redundat maximè in laudem Beatæ Virginis quæ per talem modum ſine ulla tergiverſatione, vel improprietate poteſt dici, & eſt vera, & propriſſima Dei Mater: Et hinc plures Sancti Patres illa verba, *Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Dicunt non ſolùm ſignificativa fuiſſe, ſed & effectiva (& veluti quodammodo conſecrativa) non ſolius præſentiæ Verbi, ut evenit in conſecratione Euchariſtiæ, ſed & productiva exiſtentiæ Chriſti Dei, & hominis per conceptionem & generationem veram ipſius contra Neſtorium, alioſque Hæreticos, quam virtutem productivam etiam plurimi Theologi recognoſcunt ſecundùm eamdem rationem inſtrumentariam in verbis conſecrationis Euchariſtiæ, quæ doctrina eſt conformis iis, quæ tradit Seraph. Doctor. *Lib.* 3. *d.* 4. *art.* 2. *per totum.* & SS. Patrum locutionibus, qui omnes conſpirant Mariam vetè generaſſe Deum hominem, ob idque vetè dici Matrem Dei: De qua materia fusè *Vega in Theolog. Mariana in Palæſtra* 24. *per totam*, & *Savedra in ſuo aureo libro de conceptione B. Virginis doctiſſimè agunt ad gloriam Matris Dei Mariæ Virginis.*

110. *Verbum, fiat, à Maria prolatum quam efficax, & miraculoſum.*

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum Nota, quòd dum Maria eligitur Mater Dei, ipſa ſe appellat ancillam Dei, & poſteà concurrit cum ſequentibus verbis ad divinam maternitatem dicens, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, ideſt Verbum, quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne meâ ſecúdùm verbum tuum; fiat inquam verbum non prolatum, ut tranſeat, ſed conceptum, ut maneat: fiat in me perſonaliter incarnatum, Verbum caro factum: cur non dicit Ecce Mater Domini, ſed ecce ancilla Domini? & ſi ancilla, quomodo poſteà addit, *fiat*, ſcilicet in me concipiatur Verbum incarnatum? ſed hoc dictatum eſt à Spiritu Sancto, ut ait S. Leo Papa, nam dum ſe ancillam appellat Filii, quem generat, etiam ipſum Deum recognoſcit, ut oſtenderet, quòd unico conceptu, unoque partu ſecundum humanitatem, atque unionem utriuſque naturæ eadem Virgo, & ancilla Domini erat, & facta eſt Mater, & ut talis dixit, *fiat*, ut ſcilicet ſicut per *fiat* à Deo repetitum creatus eſt mundus, ſic per unicum *fiat*, prolatum à Virgine omnes reficeremur, & ad vitam revocaremur; unde hoc, *fiat*, fuit aſſertorium, oratorium, operatorium, & efficaciſſimum. *Luc. c.* 1. *v.* 38. *S. Bern. Hom.* 4. *ſuper miſſus.* Et hinc infert S. Bernardinus *ſer.* 48. S. Anſel. *de excellen. Virg. c.* 11. & Sanctus Heſichius, quod majus attribuit Deus, *fiat*, Virginis, quàm ſuo: cur hoc? quia *fiat*, Dei fuit imperantis; *fiat*, Virginis fuit obedientis; addit Sanctus Bernardinus: Vide quantæ poteſtatis Virginis deſiderium fuerit apud Deum, quia quicquid per pluta fiat à Domino factum eſt ipſo dicente *Gen.* 1. *fiat*, nunc in Beatæ Virginis dicentis unico verbo, *fiat*, redditur reformatum; ô quale verbum: *fiat mihi* in corde per fidem, in ore per confeſsionem, & in ventre per Incarnationem.

111. *Chriſtus prodiit innocens, & Sanctus ex Virgine ex unione hypoſtatica, ſed ex Mariæ conceptione innotuit talis puritas.*

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Quid eſt ſecundùm verbum tuum? quodnam hoc verbum Angeli? verbum ſcilicet antecedenter prolatum, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te &c. Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei; ideſt quatenùs ex te, & ex tua ſubſtantia ut dependente à Spiritu Sancto per illam operante: ſuper quæ verba diſquirunt Theologi, an ex vi generationis Chriſti ex Virgine Chriſtus innocens, Sanctus, & immunis ab omni macula prodierit: de qua *Suar. de Incarn. d.* 33. *ſ.* 2. *concluſ.* 2. in qua reſolutio vera infertur, ſuppoſitâ unione hypoſtaticâ tamquam origine totius ſanctitatis Chriſti, & Mariæ, ſecundariò etiam ex vi generationis ex Virgine Chriſtum prodiiſſe immunem ab

omni

omni màculâ, & plenum ſanctitate, ſaltem quoad innoteſcentiam, & manifeſtationem: vel ut dicunt alii Theologi ſublimem ſanctitatem Mariæ fuiſſe medium morale à Deo præelectum ob merita prævisa Chriſti Domini, ut etiam ex hoc titulo ipſe Chriſtus Sanctus evaderet, & Sanctè conciperetur, eo ferè modo, quo recognoſcuntur merita in Beata Virgine in ordine ad accelerationem, & executionem Incarnationis, de qua materia ſuprà ex Seraph. Doct. actum eſt: Et hoc pacto poteſt intelligi illa propoſitio *ex 1. Cor. c. 13. Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de Cœlo cæleſtis*; quomodo dicitur Chriſtus ſecundum humanitatem de Cœlo compactus? ergo de cæleſti ſubſtantia? non defuerunt Hæretici, qui hoc impiè aſſeruerunt. *S. Bon.* hoc explicat: de Cœlo cæleſtis, ſcilicet de Maria Virgine natus, non enim caret B. Virgo naturâ, & proprietate cæleſti ſaltem moraliter, ad cujus uterum ſubintrandum per Incarnationem Verbi, eſt divinitas inclinata, quando inclinavit Cœlos, & deſcendit; ibi Verbum Dei ſe inclinavit, & carne indutum ad nos venit: Cœli itaque puritatem habere debuit Maria, de cujus mundiſſimis particulis illa puriſſima caro Verbi cæleſtis umbilis eſt aſſumpta. *S. Bon. op. de Eccleſ. Hier. p. 4. c. 7.* Ergo bene dictum eſt, quod naſcetur ex te Sanctum; ſcilicet ex ipſa conceptione, & non ſolùm ex vi unionis. *Sic & Toletus in Lucam ad not. 106. Vide lib. 3. d. 2. a. 2. qu. 1. ad arg.*

112. *Idem confirmatur de puritate Chriſti ex conceptione ex Virgine.*

Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Scilicet ut naſcatur ex me Sanctum: Hic diſquirunt Theologi an defectus Chriſti fuerint à naturâ, vel à voluntate? defectus inquam naturales reſpicientes totam naturam humanam, non verò perſonales, vel ordinati ad culpam &c. & reſpondent quòd Spiritus Sanctus adveniens in ipſam Virginem, & ipſam fœcundans, carnem ejus ab omni fœditate corruptionis purificavit (Nota hanc purificationem factam fuiſſe in inſtanti conceptionis Virginis, & denuò ante Incarnationem puriorem redditam per adventum Spiritus Sancti) & ex illâ carne Sapientia Patris, ſcilicet Filius Dei ædificavit ſibi corpus immaculatum, & illud ſibi univit cum anima rationali, quæ quidem immunitatem habuit à culpa & in ſe, & in carne conjunctâ, & ab omni fœditate priùs naturaliter, quàm uniretur animæ rationali; & quia etiam immunis debuiſſet eſſe à pœnalitate miſeriæ ſecundum ordinem divinæ juſtitiæ, tamen ex diſpenſatione ipſius aſſumentis, & ſimul concurrente acceptatione, & conſenſu illius animæ rationalis, quæ in primo inſtanti habuit perfectiſſimam cognitionem, & liberum arbitrium, placuit ſibi uniri tali corpori ſubjecto his pœnalitatibus propter ſalutem humani generis; hinc patet, quòd non ſolùm ex aliis titulis Chriſtus, ſed etiam ex vi conceptionis ex Virgine immunis fuit ab omni culpa, licèt ob nimiam ſuam charitatem, non ab omni miſeria. *Lib. 3. d. 15. a. 1 qu. 3.*

113. *Rationes, & congruentiæ Incarnationis expenduntur.*

Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum &c. & tunc Verbum caro factum eſt. Quæritur cur tali modo Incarnatio facta fuerit pro reparatione humani generis? Reſpondetur, quòd licèt aliis modis potuiſſet reparare genus humanum Deus, tamen nullus alius modus ita fuit congruus ipſi reparatori, cujus potentia maximè enituit in conjunctione maximè diſtantium ſcilicet Creatoris, & Creaturæ; item ſapientia in conjunctione primi, & ultimi, ſcilicet Verbi Dei, quod omnium eſt principium, & hominis, qui fuit ultimus in creatione; item ejus bonitas in conjunctione divinitatis cum homine tam infirmo, immundo, & indigno; congruentiſſimus item fuit ipſi homini reparabili; quia enim homo per peccatum corruit in infirmitatem, ignorantiam, & malitiam, per quæ ineptus factus eſt ad virtutem divinam imitandam, & ad veritatem cognoſcendam, & ad bonitatem diligendam; ideò Deus factus eſt homo, per quod ſe reddidit imitabilem, cognoſcibilem, & amabilem; fuit & iſte modus congruentiſſimus noſtræ reparationi, quia Dominus in forma ſervi procuravit ſalutem ſervi; Fuit & conveniens Deum incarnari, quia enim prævaricator nobis abſtulit Deum, & reparator nobis reddidit Deum; tum etiam propter abundantis pretii ſolutionem ad liberationem hominis captivi, quia ſola divina perſona præponderabat toti humano generi; tum & propter ſupereffluentem hominis glorificationem, ut non tantùm inveniret homo in Deo Paſcua interiùs, imò etiam in homine Paſcua exteriùs. *Lib. 3. d. 1. a. 2. qu. 1. op. Comp. Theol. lib. 4. cap. 6. Vide ibidem alias rationes.*

114. *Incarnationis opus quomodo dicitur factum in plenitudine temporum.*

Ecce ancilla Domini &c. Et infrà c. 2. dicitur; Et impleti ſunt dies, ut parceret. Nota, quòd iſte aſſenſus Virginis, & indè conſequens Incarnatio dicitur facta in plenitudine temporis *ex 1. Cor. c. 13.* Q. id eſt hæc plenitudo temporis? Reſpondetur, quòd tempus Incarnationis dicitur tempus plenitudinis multiplici de cauſa: prima quia Deus implevit quod præfinierat: ſecunda propter impletionem promiſſionis factæ per tot ſæcula: tertia quantum ad complementum figuratum, quia figuræ de Chriſto factæ in teſtamento veteri in Chriſto impletæ ſunt: quartà propter plenitudinem gratiæ, quæ fuit in Chriſto, quæ fuit principium omnium plenitudinum: quinta propter plenitudinem generationis, ſcilicet ex Virgine ſine viro, ſexta quia Incarnationis tempus eſt tempus ſextæ ætatis, & completionis mundi. *Lib. 3. d. 1. dub. 1.*

115. *Mirabilia Incarnationis ex parte Matris, prolis, & modi expenduntur.*

Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum &c. & tunc Verbum caro factum eſt &c. &

diſceſſit

diſceſſit ab illa Angelus: Nota, quod poſtquam Maria ſubjecit aſſenſum, vixque Virgo fœderi maternitatis ſe ſubdidit, cum pernix ille remeavit: nonnè inurbanitatis potuit inſimulari, qui ſic incomptè, & minus aulicè ſubticuit, tergaque dedit, nec rependit grates Virgini conſentienti, nec eam ſalutat? ſed tamen excuſat Gabrielem prodigii ſingularitas: ſtupet Angelus (ait Chryſol *Ser.*142.) Deum quem incomprehenſibilem cognoſcit, intrà virginalis uteri anguſtias, cui totà ſimul anguſta eſt creatura: ſtupet (*ait S.Bon.*) tot mirabilia patrata in hoc opere Incarnationis, tam ex parte Matris, quàm ex parte prolis, quam etiam ex parte modi: Mirà quidem fuerunt in Matre, quæ ſine corruptione fuit fœcunda, ſine gravedine gravida, & ſine dolore puerpera: ibi portavit ſtella ſolem, palmes vitem, rivus fontem, filia Patrem, creatura Creatorem, fuit inquam Mater Patris, filia nati: fuit quoque prole poſterior, contento minor, Mater, & Virgo fuit, cum Deo communem Filium habuit, maledictionem legis evaſit, ubi maledictæ fuerunt Virgines, & conjugatæ, Virgines quia non genuerunt, conjugatæ quia in dolore pepererunt, ſed utrumque Virgo Beata evaſit, quia Virgo genuit, & dolorem non ſenſit: mirabilia quoque fuerunt in prole, quia in inſtanti fuit ibi ſanguinis ſeparatio, conſolidatio, figuratio, animatio, deificatio; triplex autem unio fuit in Chriſto, ſcilicet deitatis ad animam & è converſo, deitatis ad carnem, & è converſo, animæ ad corpus, & è converſo, duæ primæ unionès ſempet manſerunt, tertia ſeparata fuit in morte: unio deitatis ad humanam naturam non eſt in unitate naturæ, ſed perſonæ divinæ, Verbi aſſumentis, prætereà & in prole fuit cognitio perfectiſſima ab inſtanti ſuæ conceptionis, & fruitio gloriæ perfectiſſima; fuit & mundus Filius ab omni peccato, & plenus omni gratiâ, & virtute, habuit quoque Patrem in Cœlis ſine Matre, & Matrem in terris ſine Patre: prætereà per Incarnationem ipſe Dominus factus eſt ſervus, æternus temporalis, immenſus parvulus, ſummus ſit imus, incomprehenſibilis localis, ſimplex compoſitus: fuit & mirabilis in modo, nam Verbum caro factum eſt, & homo de muliere ſine viro per virtutem ſummi operatoris; virtus enim innata, infuſa; & increata ſimul concurrerunt ad conceptionem Filii Dei; virtus innata Virginis ſubminiſtravit materiam; virtus infuſa carnem purificando ad unionem Verbi adaptavit; virtus increata ſubitò perfecit, quod natura non potuit, niſi ſucceſſivè. *Op. Comp.Theol.lib.4.c.*10.

116. *Feſtum Incarnationis quale.*

Ecce ancilla Domini, &c. Verbum caro factum eſt: Hic autem nobis proponitur quanta ſit iſta ſolemnitas: ſolemnitas quidem eſt Dei Patris, qui nuptias fecit Filio ſuo in deſponſatione humanæ naturæ, quam hodie Filius ſibi univit inſeparabiliter: hodie eſt & ſolemnitas nuptiarum Filii, & dies natalis ejus in utero, ſed poſteà erit ex utero: hodie eſt ſolemnitas Sancti ſpiritus propter hoc opus mirificum, & ſingulare ipſius Incarnationis, quod eidem attribuitur, & hodie incœpit oſtendere benignitatem ſingularem humano generi; hodie eſt ſolemnitas Mariæ Virginis, quæ à Patre in filiam, à Filio in Matrem, & à Spiritu ſancto in ſponſam eſt recognita, & aſſumpta: hodie eſt ſolemnitas totius cæleſtis Curiæ, quia inchoatur ejus reparatio: hodiè eſt multò magis ſolemnitas humanæ naturæ, quia ejus ſalus incœpit, & redemptio, & totius mundi reconciliatio, & ſublimata eſt, atque deificata: hodiè novam obedientiam ſuſcepit Filius à Patre de noſtra peragenda ſalute: hodiè à ſummo Cœlo egrediens exultavit ut gigas ad currendam viam, & ſe recluſit in horto uteri virginalis: hodie etiam factus eſt unus ex nobis, & frater noſter, & cœpit peregrinari nobiſcùm: hodie de Cœlo lux vera deſcendit ad tollendas, & fugandas noſtras tenebras: hodie panis vivus, qui dat vitam mundo decoquitur in virginalis uteri clibano: hodiè Verbum caro factum, ut habitaret in nobis: hodiè clamores Sanctorum Patrum exauditi fuerunt, & deſideria impleta: hodie eſt fundamentum, & principium omnium ſolemnitatum, & initium totius noſtri boni: Vides ergò admirabile opus, & ſolemniſſimum, totum delectabile, totum jucundum, totum deſiderabile, & cum omni devotione ſuſcipiendum, in jubilatione, lætitiâ, & exultatione ducendum, & omni veneratione digniſſimum: *Op. medit.c.*4.

117. *Conceptio ſpiritualis Chriſti Ieſu ad imitationem Mariæ ſuadetur.*

Ecce ancilla Domini, &c. Nota, quod ſicut Chriſtus Jeſus conceptus eſt in utero Mariæ, ſic & à devota mente eſt ſpiritualiter concipiendus, & ad hoc in commemoratione tanti myſterii invitatur quælibet anima fidelis, hoc autem ſic eſt faciendum: Anima devota, vel ſpe cæleſtis præmii, vel timore æterni ſupplicii; vel tædio in hac lachrymarum valle diutius commorandi, mota, ac ſtimulata novis inſpirationibus viſitatur, ſanctis affectionibus inflammatur, meditationibus cæleſtibus anxiatur, & tandem abjectis, & deſpectis veteribus defectibus, & priſtinis deſideriis, novo vivendi propoſito à Patre luminum ſpiritualiter ſpiritu gratiæ fœcundatur; hoc autem nihil aliud eſt, quàm quod ſuperveniente virtute Altiſſimi, & obumbratione cæleſtis refrigerii, carnales concupiſcentias mitigat, mentales oculos ad videndum confortat, & adjuvat, Pater cæleſtis divino quodam ſemine animam gravidam facit, & fœcundat; poſt hunc ſacratiſſimum conceptum pallet in facie per veram humilitatem in converſatione; faſtidium cibi, & potûs accipit in mente, plenario mundialium contemptu, & abjectione, deſideria variantur in affectione ex diverſorum bonorum propoſita intentione; aliquando etiam infirmari, & ægrotare incipit anima in propriæ voluntatis abjectione, jam enim incedit triſtis, & turbulenta propter veterum delictorum perpetrationem, pro temporis amiſſione, pro hominum adhuc in mundo mundialiter viventium ſocietate, & converſatione; jam paulatim grave, & tædioſum incipit eſſe omne, quod foris eſt, & foris cernitur, quod intus percipitur, & auditur; ô felix conceptus quem talis ſequitur mundi contemptus, & cæleſtium operationum apperitus: jam quamvis adhuc modico guſtato ſpiritu, deſipit caro cum

gemitu

gemitu, jam anima cum Maria in montana incipit ascendere, atquè post talem conceptum fastidiuntur terrena, desiderantur cælestia, & æterna. *Op.de quinque festiv.fol.1.*

118. *Angeli discessus à Maria expenditur.*

Et discessit ab illa Angelus. Nota, quod licet succinctè enarratur discessus Angeli à præsentia Mariæ, credendum tamen est, quod peracto mysterio Incarnationis, ipse cum Maria genua flecteret, ut Verbum incarnatum adoraret, & parum post cum ea surgens, se inclinans usque ad terram, & valefaciens disparuit, & ad patriam rediens hoc narravit, & fuit ibi novum gaudium, & novum festum & exultatio magna nimis: Maria verò tota inflammata, & in amore Dei magis solito succensa, sentiens se concepisse, genibus flexis gratias egit de tanto dono, humiliter, & devotè supplicans eidem; ut eam dignaretur instruere, ita ut in his, quæ circa Filium suum facienda occurrerent, faceret sine defectu. *Op.medit.c.4.* Nota autem discessum fuisse ab Angelo factum in aurora diei, aliquod enim tempus permansit cum Virgine, ut suprà dictum est. *ex S.Bon.Alb.magno,aliisque.*

119. *A Deo ad Deum servi, & ministri Dei in suis operibus incedant usque ad finem perseverantes.*

Et discessit Angelus ab illa. Si discessit, quo processit? discessit,& incessit ad eum,à quo missus fuerat; A Deo venerat, ut ipsi obtemperaret, & ad Deum rediit, ut hinc edisceamus quale sit munus servorum Dei, & effectus obedientiæ, perseverando in suo munere à Deo imposito usquè in finem à Deo præceptum, sic enim veri obedientes procedunt. *Luc.c.1.v.38.*

120. *Mariam custodiebant exercitus Angelorum.*

Et discessit ab illa Angelus. Cur discessit? cur non remansit ad custodiam Mariæ jam Verbo Dei factam? sed nota, discessit quantùm ad apparentiam, sed remanserunt multi quantùm ad custodiam: Angeli enim sancti custodiebant Mariam, tamquam locum divinæ habitationis electissimum; undè & si beneficium custodiæ sibi impenderent, cultus tamen reverentiæ exhibebant propter dignitatem Matris, undè ad ipsam ascendebant, & descendebant veluti per scalam Jacobæam, ipsi obtemperantes tamquam servi, & ministri. *Luc.cap.1. vers. 38. op.specul. B.Virg.*

121. *Qui Deum habet nullâ creaturâ indiget, imò omnis creatura ipsi deservit.*

Et discessit ab illa Angelus. Cur deserit Mariam Matrem Dei Angelus? discessit, quia in ea remansit Filius Dei? discessit quantum ad apparentiam, sed remanserunt multi ad ejus custodiam; ut videas quod qui Deum habet, nullâ creaturâ indiget, imò ipsi omnes creaturæ, & Angeli obsequuntur, ut patet exemplo Mariæ. *Luc. ibid.*

122. *An Maria destinatus fuerit à Deo aliquis Angelus Custos: & an habuerit à Sathana aliquem dæmonem destinatum in ejus perniciem.*

Et discessit ab illa Angelus. Cur discessit, & non potiùs permansit ad Mariæ custodiam? Hic autem disquirunt Theologi, an Mariæ deputatus fuerit à Deo aliquis Angelus custos, sicut & cuilibet homini in hac via statim ac è ventre matris nascitur? In quâ quæstione plures tenent affirmativam *ex Suar.lib.6.de Angelis c.17.* & ratio est,quia licèt Maria esset major quoad gratiam Angelis, quoad naturam,tamen erat minor: Alii tamen oppositum censent: *S.Bon.in Luc. loco cit.* docet, quod cohortes Angelorum custodiebant Mariam tamquàm locum divinæ habitationis electissimum; undè etsi beneficium custodiæ impenderent propter infirmitatem carnis; cultus tamen reverentiæ exhibebant propter dignitatem Matris, quod dictum posteà explicavit *op.spec.B.Virg.lect.3. & aliis locis infrà cit.* quod hæc custodia fuit non sicut super cæteros homines, deputantur enim ad ipsos defendendum à suggestionibus diaboli. ad promovendum eos in bono,ad deferendum orationes ad Deum, quæ custodia est veluti superiorum super inferiores; sed eam custodiebant ut famuli, & ministri obsequentes præceptis, & imperio ejusdem Mariæ Virginis tamquam eorum Reginæ, & Imperatricis totius universi,& Matri Dei, & hinc eam stipabant exercitus Angelorum, veluti lectulum nobilissimum veri Salomonis: Nota autem,quod dicit *S.Bon.*quod ei beneficium custodiæ impendebant propter infirmitatem carnis, vult dicere; quod & S. Bern.alique observarunt, quod horum famulorum munus inter alia erat, ut causas omnes extrinsecas liberas, ac necessarias, vel fortuitas, quæ Virginei corporis damna minitarentur, removerent, proculque amandarent. *Luc.loc.cit.op.spec.B.Virg.lect.3.op.Psalt.Psal.13.& Hymn. Te Dei Matrem: op.Litan. op. medit. c. 3:* Undè Angelus quotidiè loquebatur cum Maria; & ei veluti charissimæ sorori obsequebatur: An verò à Lucifero designatus fuerit Angelus tentator Mariæ,sicut facit in quemlibet alium hominem in scandalum, & præcipitium ipsius?aliqui affirmativam tenent apud Vegam, sed oppositum est verius,quia ut notat *S.Bon.lib.4.d.30. a.1. qu. 2.* Angeli procul repellebant dæmones nec poterant ad eam accedere.

123. *Exponitur transitus, & processus Mariæ ad visitationem Elisabeth.*

Exurgens autem Maria abiit in montana cum festinatione,&c. Nota, quod terminatâ parte illâ, in qua Evangelista egit de sterilis, & Virginis fœcundatione.hic sequitur secunda pars, in qua agit de gratiarum actione,& habet duas partes, in quarum prima fit gratiarum actio, & laudis decantatio propter conceptum salvatoris: in secunda propter conceptum, & partum Præcursoris: Ad hoc autem, ut laudis decantatio fiat ex integro, & perfecto affectu exigitur certificatio veritatis in intellectu, & exhibitio charitatis in affectu, alterum ut præcedens, alterum ut consequens: Prima igitur pars in tres dividitur: In prima præmittitur testimo-

nium prophetiæ, *unde hoc mihi*, &c. in ſecunda ſubditur canticum lætitiæ, *Magnificat anima mea &c.* in tertia obſequium beneficentiæ, *Manſit autem Maria cum illa:* in prima aſtruitur fides, in ſecunda erigitur ſpes, in tertia exhibetur charitas: In teſtimonii teſtificatione, quæ eſt prima pars tria concurrunt, ſcilicet Virginis ſalutantis occurſus; virgineæ ſalutationis effectus; & Elizabeth reſalutationis affectus: primum ibi, *Exurgens Maria* ſecundum ibi, *Et factum eſt ut audivit &c.* tertium ibi, *Et repleta eſt Spiritu ſancto. Luc.c.1.v.39.*

124. *Inceſſus Mariæ ad domum Zachariæ, exemplaque in hoc itinere nobis exhibita, & comitatus virtutum expendantur.*

Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Iuda, ideſt Ieruſalem. Nota, quòd hic introducitur Virginis occurſus ſalutaris, & feſtinus, & familiaris, quia enim intellexerat ab Angelo, quòd conſobrina ſua Elizabeth conceperat, eam propoſuit viſitare ad congratulandum eidem, & etiam ſerviendum: Juit ergo una cum Joſeph ſponſo ſuo à Nazareth ad domum ejus, quæ diſtabat à Jeruſalem per quatuordecim milliaria, vel circa: Non ergo retardatur aſperitate, vel longinquitate viæ, ſed cum feſtinatione ivit, quia nolebat diu in publico videri, nec erat ex conceptu aggravata: Conſpice ergo quomodo vadit ſola cum ſponſo ſuo Regina Cœli, & terræ, non equitans, ſed pedeſtra; non ducit frequentiam militum, vel baronum, non domicellarum comitivam: vadunt autem cum ea paupertas, humilitas, verecundia, & omnium virtutum honeſtas: eſt & Dominus ſecum magnam, & honorabilem comitivam habens Angelorum, ſed non ſæculi vanam, & pompoſam: Cum autem intravit domum ſalutavit Elizabeth dicens; *Salve ſoror mea Elizabeth*, illa verò exultans, & tota exhilarata, & accenſa Spiritu ſancto, ſurgit, & amplexatur eam teneriimè, & exclamans præ gaudio dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui; & undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me &c. & tunc repleta eſt Spiritu Sancto Elizabeth. op. medit.c.5. Luc.c.1.v.39.ſeq.*

125. *Maria ſine gravedine gravida portantem portabat fœtum.*

Abiit in montana cum feſtinatione. Cur cum feſtinatione? ut oſtenderet, quòd gravedo eam non moleſtabat, nec fœtus eam gravabat, quin potius ſublevabatur, & portabatur ab eo, quem in utero portabat; nec mirum, cum ipſa contineret intra ſe lumen Patris; nam ſicut intellectus potentia verbo mentis fœta nullum gravamen ſentit, ſic nec Deipara Virgo fœta Verbo nullo onere gravabatur. *Op.medit.c.5. S.Bern.ſer. de verbis Apocal.*

126. *Maria ſtatim ac Dei genitrix in peccatum originale ſtatim inſurgit, quod adverſus Dei Verbum fuit.*

Et diſceſſit ab illa Angelus: Exurgens autem Maria abiit in montana cum feſtinatione. Quo pergis concito gradu ô Maria? quo pernici curſu feſtinas? ad montana cum feſtinatione? quomodo puella per ſaltus, per abrupta montium peragrat? ſed ſigna myſterium, pondera ly (autem) quod cum ſuperioribus ligat; dat autem intelligere, quòd Maria ſtatim ac Verbo fœta exurgit, & abit in montana ad domum Elizabeth; cur tanta feſtinantia? Vix concipit Verbum Dei linquit domum, velox accingitur, & præpropera concitatione Judeæ montana aſcendit? ſeptam Gabriel invenerat ſolam in penetralibus, ſolam ſine teſte (ait Ambroſ.) ſuſcipit nuntium, ſubjicit aſſenſum, concipit Deum, & illico feſtina cucurrit; quaſi feſtinationis, & conceptus actus ſit idem: ô Mariæ charitas immenſa: ſtatim perrexit in Jeruſalem ſalutem apportando, venit in domum Zachariæ ad ſalutem afferendam Joanni in utero Matris mortuo ob peccatum originale exiſtenti: Ecce quomodo Maria facta eſt animarum venatrix, nec eſt qui poſſit effugere claritatis ſuæ fulgorem, & ſuæ radios pietatis. *Op.ſtim.p.3.c.16. Luc.c.1.v.40.ſeq.* Venit, ait S.Ambroſ. & Origen. ut Incarnatione peractâ propulſetur Tyrannis; venit portans in utero illum, qui venerat debellare contra peccatum, ut Virgini geſtanti uterum decantetur triumphus, & appareat ſtatim humanitas, & benignitas Salvatoris noſtri Dei, & Dæmone victo vexillum gratiæ intra ſterilis viſcera erigeretur: Vide ergo qualis bellatrix Maria; bellatrix quidem egregia, quæ primò eum, qui primus Evam ſupplantavit, expugnare viriliter aggreſſa eſt; ad hanc & nos recurramus, ejus ſuffragium imploremus, ut contra tantum hoſtem victoriam obtineamus. *Op.ſpec.B.Virg.lect.6.*

127. *Chriſtus feſtinus ad ſalutem noſtram in Maria, & cum Maria exiſtens.*

Exurgens autem Maria abiit in montana cum feſtinatione. Cur cum tanta feſtinatione ſtatim ac conceptum eſt Verbum Dei in utero Beatæ Virginis? ſed attende, quòd jam in Mariam intraverat, ut in medio ejus veluti in cruce ſalutem afferret; & ideò feſtinus in Matre Joanni auxiliaturus acceſſit, qui tamen non dicitur feſtinans ad Joannem in Jordane baptizantem; nec hoc mirum, quia ut notat *Seraph. Doct.* Deus judicium ſuum, & juſtitiam dedit Filio, Mariæ autem miſericordiam; & cum Maria ipſam exercere veluti cogitur, & inducitur. *Op.ſpec.B. Virg. lect.4.*

128. *Feſtinatio non interrupta requiritur in ſervis Dei ad montem perfectionis ſaliendum.*

Exurgens autem Maria abiit in montana cum feſtinatione. Cur cum tanta feſtinatione? quia jam erat Deo conſecrata: ſpiritualiter autem datur ex hoc nobis intelligi, quòd neceſſaria eſt ei feſtinatio,

festinatio, qui vult ad perfectionem attingere, hæc enim majus impedimentum potest quis invenire in stadio perfectionis, quàm sistere, & stare velle, hoc enim est frustra laborare, & retrocedere, non progredi. *Luc. c. 1. v. 39. op. stim. p. 3. c. 4. ser. 1. de S. Ioan. Evang.*

129. *Charitas ad proximum exhibeatur festina, & prompta.*

Abiit in montana cum festinatione. Vide quomodo charitas Mariam excitat, ut Elisabeth ministraret, & consolaretur, charitas enim vera ad proximum molimina nescit, nec tardat quando potest. *Op. specul. B. Virg. lect. 4. Luc. c. 1. vers. 39. & 40.* Nota etiam, quòd charitas fovetur salutatione proveniente ex corde, & ideò Sancti se salutant ad invicem, sic fecit Maria cum Elisabeth. *ibid.*

130. *Maria urbanitas qualis in terra; major nunc in Cœlo cum ipsam salutantibus.*

Et salutavit Elisabeth. Nota, quòd Maria intravit priùs domum Zachariæ, postea salutavit Elisabeth. Cur Maria Deiparens sibi inferiorem dignitate, tametsi propinquitate parem non ad se accersit Elisabetham, vel per internam inspirationem, vel alio modo, sed ad illam voluit potiùs ultro, & festinanter accedere, & per tam longam, & difficilem viam? sed tamen non est mirum; cum enim Christum gestaret in utero, qui se ipsum curialitatis, & sanctæ urbanitatis præbuit exemplar se nobis antè oculos proponere in exhibendis, & comiter præveniendis mutuis officiis, ac salutationibus piâ quadam conversatione. & hoc totum factum est ex charitate, quam in corde fovebat, in ore demonstrabat, & in opere exercebat: charitas enim cordis ipsam exurgere, & ascendere fecit in montana cum festinatione, charitas oris, quam salutationibus, & aliis charitativis locutionibus fovebat; charitas item operis, quæ ipsam manere fecit cum Elisabeth mensibus quasi tribus pro hujus ministerio, & consolatione. *Op. spec. B. Virg. lect. 4. Luc. c. 1. cit.*

131. *Idem probatur de urbanitate Mariæ ad nos: ubi de salutatione frequentanda Beatæ Virgini.*

Intravit domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Vide quomodo in celebratione horum mysteriorum fovetur charitas proximi salutationibus oris externis, & cordis internis: Angelus salutavit Mariam dicens Ave gratia plena: Maria salutavit Elisabeth, Elisabeth resalutavit Mariam; Christus in utero existens salutavit Joannem, & Joannes exultans in utero resalutavit Christum, & si Maria charitate excitata prima salutavit Elisabeth, & Joannem quid faciet cum suis fidelibus amatoribus ipsam devotè salutantibus? certè nos libenter Maria salutat beneficio, & consolatione, si nos frequenter eam salutamus servitio, & oratione; libenter nos salutat cum gratia, si nos libenter, & devotè eam salutamus cum Ave Maria; cum omni ergo reverentia, honore, & devotione est Virgo Beatissima salutanda, nam ipsa tales quærit, qui ad eam devotè & reverenter accedant, hos enim diligit, hos nutrit, hos in filios suos suscipit; ô beatus qui de tam nobili Matre lætatur, ipsam corde amplectitur, ipsam ore veneratur, & salutat, ipsam opere imitatur: ô fœlix qui Matri Dei secundùm posse suum nititur conformari, hic est certè, qui omni creaturâ contemptâ soli Deo singulari amore inhæret, & crucifixus cum Christo salutem animarum sitit; ô mirum verè quomodo non repletur exultatione cor talem Virginem salutantis: quomodo quæso non liquescit in hac salutatione mens nostra, ubi Deum nos tantum dilexisse videmus, ut ex virginali utero dignatus sit fieri frater noster? ô mira Domina, mirum videtur, quomodo non tantum delectamur in te salutando, ut, vel propter te, & fructum tuum cætera ignoremus! *Opusc. specul. B. Virg. lect. 4. opusc. stim. p. 3. cap. 16.*

132. *Invitatio ad salutandam Mariam.*

Et salutavit Elisabeth. Nota, quòd hoc ab Evangelista exponitur, ut & nos excitemur ad Mariam salutandam, quæ tam prona est ad salutandum nos, salutemque nobis impetrandam, & hoc est summum, & maximum beneficium nobis à Deo collatum, ut Mariam ipsius Matrem, ex qua nostram naturam assumpsit, & ex ea nascens lacte nutriri, & in ejus gremio foveri, & ejus imperio subjici voluit, cognoscere possemus, ipsamque salutare: non enim fecit taliter omni nationi, & hoc summum beneficium eis non manifestavit: ô mira, & ineffabilis diffusio bonitatis divinæ; & quantâ erga talem Virginem deberet cor nostrum devotione diffundi, per quam talem diffusionem divinam ad nos metuimus, per quam verè meruimus Deo esse fratres, & cohæredes in regno: mirâ deberet os nostrum dulcedine abundare, cum tam dulcem Dominam, & benignam salutamus, & ejus benedicimus fructum. ô quam mira est hujus Virginis fœcunditas, quæ dum salutatur devotè, ad cor salutantis suavissimum fructum emanat; quantò autem in ejus fructu ampliùs jucundatur, tantò ab ea amplius impetrat, & nisi dicat, sufficit, numquam cessabit. Accedamus igitur, licèt indigni, ad Mariam, ipsam salutemus, & salutando dicamus ei Ave; quid enim dulcius hoc Ave? o mirum Ave, quod quadam cœlesti dulcedine inebriat cor devotum, non enim libentiùs aliquid audit Maria; quàm salutationem, qua recognoscitur Mater Dei: Exultate igitur justi, & omnes fideles in Virgine Maria, & in rectitudine cordis collaudate eam; Accedite ad eam cum reverentia, & devotione, & delectetur cor vestrum in salutatione ejus; Impendite illi sacrificium laudis, & inebriamini ab uberibus dulcoris ejus; influet enim vobis radios suæ pietatis, & clarificabit vos fulgoribus misericordiæ suæ; suavissimus est fructus illius in ore, & corde sapientis dulcescit, curramus omnes, curramus dilectissimi, & ita nobilem, & dulcissimam Virginem salutemus, & frequenter dicamus ei Ave Maria, ut in suæ dulcedinis gremio quiescamus. *Op. stim p. 3. c. 16. opusc. Psalt. Psal. 32. & 34.*

133. *Proprium eſt mulierum honeſtarum domum cuſtodire, & in domo pacem fovere: impudicarum foris vagare.*

Intravit in domum Zacharia, & ſalutavit Eliſabeth. Nota, quòd Maria Virgo legitur abiiſſe in montana in civitatem Ieruſalem, & ſtatim intraſſe in domum Zachariæ, & ſalutaſſe Elizabeth: non legitur ipſam vagaſſe curioſitatis gratiâ per civitatem, ſed recta incediſſe, atque intraſſe domum, & poſt ingreſſum ſaluraſſe; in quo latet hoc inter alia myſterium, nempè dat nobis intelligere, quòd hoc diſcrimen eſt inter mulierem pudicam, maximéque Virginem, & impudicam, quòd illa ſtudet domum cuſtodire, ſalutemque & pacem fovere in domo, & familia; hocque maximè dirigitur ad illas, quæ nuptui traditæ intrant in domum viri, ut curent, ne converſatio ipſarum habeat amaritudinem: nec tædium convictus illarum, ſed lætitiam, & gaudium; intrent in domum, non ut litigent, ſed ut ſalutent, non ſolùm ſalutem optando, & pacem, & bonum optando, ſed etiam apportando: E contrà proprium eſt mulieris malæ vagæ, quietis impatientis, nec valentis in domo conſiſtere, ſed curiosè per domos curſitare volentis, non ſalutem, ſed lites, inquietudines familiæ afferre. *Luc. cap.1. verſ.40.*

134. *Ioannes Baptiſta ad ſalutationem Mariæ uſum rationis recepit.*

Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus. Nota, ly, *Ut audivit Eliſabeth*, &c, ly. *Exultavit infans*; ideſt fuit Mater Ioannis Verbo Virginis excitata, & proles lætificata; exultavit præ deſiderio videndi Chriſtum, exultavit ad præſentiam ſalvatoris, quaſi geſtiens ſalutare, & aſſurgere jam incipiens Domino ſuo, cujus erat Præcurſor. *Luc.c.1. v.41.* Ex quo inferunt Theologi; Ioannem in utero Matris rationis uſum aſſecutum fuiſſe, nec unquàm tali dono privatum. *Lib.4.d.6. p.2. dub.1. Vide Vaſq.t.2. in 3.p. d. 119. & Suar. lib.12. de Trinitate, & tom.de Euchar.d.2. ſ.2. Tolet.in Luc.c.1.annot.123.*

135. *Verbum Dei eſt ſalutatio è Cœlo veniens afferens animæ ſalutem.*

Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus. Vide, quòd Eliſabeth libenter audivit ſalutationem Mariæ, quia eam amabat, & hinc Mater verbo Mariæ excitata, & proles lætificata; ex quo duo monita ſalutaria eruuntur, alterum eſt, quod audire libenter verbum Dei eſt amantium, & ſignum, quòd tales ſunt ex Deo; alterum, quòd Dei verbum eſt ſalutatio è Cœlis veniens, excitans, & lætificans cor, & afferens animæ ſalutem. *Luc. c.1. verſ.41.*

136. *Mariæ concurſus ad ſanctificationem Ioannis in utero, & Spiritus Sancti infuſionem in Eliſabeth & in Ioanne expenditur, ubi de Ioannis privilegiis ex Maria receptis.*

Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth, & exclamavit voce magna, &c. Nota, ly, *ut audivit ſalutationem Mariæ.* Quid ſequutum eſt? exultavit infans, & Mater repleta eſt Spiritu Sancto? & ſi ipſa repleta eſt Spiritu Sancto, ergo & Ioannes in utero exiſtens: hac occaſione diſquirunt Theologi, & Sancti Patres, qualem concurſum præbuit Maria Virgo ſuâ ſalutatione, & verbis ad hæc prodigia opetata in Eliſabeth, & Ioanne: Et multi piè, & probabiliſſimè ſentiunt ſanctificationem Ioannis in utero, & repletionem Spiritus Sancti Eliſabeth proveniſſe quidem tamquam ex fonte ex Chriſto exiſtente in utero Mariæ, ſed inſtrumentaliter ex verbis Mariæ elevatis à Spiritu Dei ad hoc, ut attingere poſſent ſanctificationem Joannis, & infuſionem Spiritus Sancti in Matre, & Filio quod Chryſoſt. infert etiam in verbis Gabrielis, quibus annuntiavit generationem, & nativitatem Ioannis, Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ ex quo utero: ex utero Matris ſuæ, ſcilicet ex utero Mariæ, quia Ioannes Baptiſta (ait Chryſoſtomus apud Bernardinum de Buſto) Virginis Filius fuit per ſpiritualem baptiſmi regenerationem; ipſa enim eum baptizavit, non baptiſmo fluminis, ſed flaminis: cum enim Maria ſalutavit Eliſabeth, vox ſalutationis per aures ejus ingrediens ad puerum deſcendit; virtute cujus ſalutationis puer Spiritum Sanctum accepit, ſicut prædixerat Angelus Zachariæ. *Luc.c.1.* Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero. Hæc Doctor. cit. Vide igitur quàm efficacia fuerunt verba Mariæ, & quales mirabiles effectus produxerint in hoc myſterio celebrando: Vide inquam, *ait S. Bon.* quanta ſit virtus in verbis Mariæ, quia ad eorum pronuntiationem confertur Spiritus Sanctus; cum enim Virgo ſalutavit Eliſabeth, repletus eſt Spiritu Sancto in utero Ioannes, repleta eſt etiam & Mater, nec priùs repletur Mater, quàm Filius, ſed Filius repletus replet & Matrem, non quidem aliquid in anima Matris efficiendo, ſed per Spiritum Sanctum aliquid in ea fieri promerendo, eo quòd Spiritus Sancti gratia in ipſo affluenter refulgebat, & prior gratiam ſenſit, fuit ergo verbo Virginis Mariæ Mater excitata, & proles lætificata; ut Mater, & Filius repleti Spiritu Sancto. *Luc.cap.1. v.41. ſeq. op.medit.c.5.* Ecce igitur qualia prodigia per Chriſtum, & Mariam operata in Ioanne; repletur Spiritu Sancto, vitæ plenitudinem orditur, Baptiſtæ capeſcit munus, vocis non inane, ſed vividum venatur vocabulum, Præcurſoris auſpicatur officium, Ioannis nomen induit, cæteraque ſacrorum chariſmatum ornamenta deſumit: ſi ſic Virginis Matris utero debet, cur non ejus Filius cenſeatur, ut ventri, cujus eſt Verbum deputetur & vox? & ſi in una hora tantos profectus habuit (ait Origenes) noſtræ conjecturæ relinquitur, quid in tribus menſibus Ioannes profecit, aſſiſtente Maria Eliſabeth: & hoc eſt, quòd non ſine myſterio dicitur ſuprà, quòd concepit Eliſabeth,

beth,& occultabat ſe menſibus quinque dicens, quia ſic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines:Nota (ſubjungit Origenes) hanc rationem, quæ videtur inopportuna; cur te ô Eliſabeth occultas quinque menſibus, ſi Deus tibi abſtulit opprobrium ſteriliratis? ô perbellum myſterium:occultavit ſe quinque menſibus. quia expectabat ſextum menſem, in quo nobilior Mater ſuperventura erat,quæ fœtui claram lucem vitæ infunderet; Et non ſolùm in Ioannem, ſed & in Matrem redundavit iſte gratiarum influxus à Chriſto per vocem Virginis, nam ea repleta eſt Spiritu Sancto, & prophetiſſa reddita eſt; nam prophetavit de præſenti cognoſcens Mariam Matrem in utero Chriſtum geſtare, de præterito,dicens,*Beata quæ credidiſti*, agnoſcens per Spiritum Sanctum verba ab Angelo nuntiata Mariæ: prophetavit de futuro, dicens, *quoniam perficientur in te,quæ dicta ſunt tibi à Domino.Sic S.Bonav. lib.3.d.25. a.2.q.2. ad 3.* agit de hoc modo prophetandi, *aliiſque locis cit. Sic Origen. Theophil. S.Greg. Beda. aliique cum Seraph.Doct.* De hoc concurſu Mariæ ad ſanctificationem Ioannis.*Vide Vegam in Theologia Mariana n.1163.*

137. *Amans interiùs Deum non poteſt ipſum non demonſtrare exteriùs.*

Ut audivit ſalutationem, &c. exultavit in gaudio infans in utero meo. Exultavit ſcilicet ad præſentiam ſalvatoris, oſtendens ſe amicum, & amantem ſponſi ſui;ſic enim datur ſpiritualiter intelligi. quod propoſitum ſanctum non poteſt latere, quin ſe manifeſter,& amor interior prorumpat in opus, & hinc qualia ſunt opera exteriora, talia ſunt & interiora. *Luc.c.1.v.42.*

138. *Laudes Mariæ ductore Spiritu Sancto maximo affectu,& voce ubique divulgandæ.*

Et repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth, & exclamavit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres,&c. Nota ordinem: Eliſabeth ad ſalutationem Mariæ repletur Spiritu Sancto, & ſtatim exclamat voce magnâ; cur tanta,& tam præceps exclamatio? ô benè: exclamat à ſpiritu ſancto excitata,& in magnas voces prorumpit, & in laudes Mariæ Matris Dei exit, ut ſic affectus, & voces mutuò ſibi reſpondeant. quia voces ſunt ſigna paſſionum interiorum: Clamabat voce magnâ, quia illum continebat in utero, qui erat vox Verbi; clamabat in fortitudine vocis, quia laudare volebat Virginem, & prolem, & complere ſalutationem Angelicam,ſic ſic eſt: Laudator Mariæ non debet eſſe timidus, ut laudare erubeſcat, nec timidus, ut laudare non audeat: dat autem Eliſabeth nobis exemplum, quòd Maria Virgo à nobis debet laudari omni die, & horâ,& quia digna eſt laudari,& laudes Mariæ lætificant intellectum,proſperitatem mentis inferunt, liberant à poteſtate diaboli, & de gloria Paradiſi ſpem ingerunt.*Luc.c.1.v.42.& c.11.v.27.op. Pſalt. B.Virg Pſal.91.& 101.& 105.* Nota autem, quòd ſtatim ac Eliſabeth benedixit Mariam, repleta eſt ſimul ſpiritu ſancto,ut pateat,quòd Deus benedicit benedicentibus Mariam, quia ut dicitur *Gen. c.11.* Deus benedicit benedicentibus eam, & maledicit maledicentibus eam.*Luc.c.1.v.41.op Pſalt. B.Virg.Canic.trium puerorum ſer 6. in Pentec.*

139. *Qui charitatem Dei in corde continet,non poteſt ſe continere à laudibus Dei, & Mariæ.*

Et repleta eſt Spiritu Sancto Eliſabeth, & exclamavit voce magnâ Benedicta tu,&c. Cur tam magnâ voce exclamavit? hoc eſt,quia in utero continebat Joannem,ideſt gratiam,& charitatem ſpiritus ſancti, ideò non potuit ſe continere à laudibus Dei,& Mariæ: ſic,ſic eſt qui Deum amat,qui intus Dei amorem portat,non poteſt ſe continere à laudibus Dei,& Mariæ; unde prædicare laudes Beatæ Virginis magno affectu,ſignum eſt; quod in utero geſtat Spiritum Dei. *Sermon.2. Dom. Palm.*

140. *Maria ex fructu ventris ſui digna omni benedictione, laude & reverentia.*

Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Nota, quòd primam partem hujus propoſitionis expoſuit in medium etiam Gabriel;hanc eamdem repetit Eliſabeth, ſed ſuperaddit, & benedictus fructus ventris tui, hoc autem non addidit Angelus, quia nondum Verbum caro factum erat;nunc Elizabeth Spiritu prophetico videns Chriſtum contineri in ejus utero,addit & benedictus fructus ventris tui,tùm ut compleret benedictionem, & Angelicam ſalutationem,tum ut oſtenderet,quòd tota benedictio, reverentia,& honor debitus Mariæ ex fructu,quem ipſa protulit,enaſcitur,nempè quia Mater eſt Dei. *Op ſpec.B.V.lect.1.& 16.& ſeq.*

141. *Mariæ ventris fructus nobilitas expenditur.*

Et benedictus fructus ventris tui. Nota,quòd hæc benedictio Eliſabeth nihil aliud eſt,niſi laudatio; qua & Mariam, & prolem exaltat, oſtenditque ipſius fructus nobilitatem:Nobilis enim,& generoſus eſt iſte fructus, quia de utero regali fuit; generoſior, quia de utero virginali, & nobiliſſimus,quia de utero, & mente Patris genitus. De utero autem regali natus eſt iſte fructus, quia ſecundùm carnem deſcendit ex Regibus nobilibus; generoſior, quia de utero virginali ortus eſt, in quo ſimul virginitas, & fœcunditas copulatæ ſunt; undè rectè dicitur benedicta tu inter mulieres, ſcilicet media inter mulieres corruptas, non corrupta, & Virgines infœcundas, fœcunda: nobiliſſimus item ex utero paternali; unde ad Mariam diriguntur illa verba à Patre, *Oſe.c.14. Ex me fructus tuus inventus eſt*; ex me ſcilicet genitus ex utero mentis meæ, tuus inventus eſt; qui totus meus eſt, tuus item eſt, quia electa fuiſti ad hunc fructum producendum; tuus, quia ſcilicet corporaliter per aſſumptam humanitatem; tuus ſpiritualiter per gratiam,tuus ſacramentaliter per Euchariſtiam, quod & ad Eccleſiam, & ad animam fidelem poteſt dirigi;ô verè nimis admiranda,nimis veneranda nobilitas, quòd fructus ventris Mariæ eſt Filius uteri æterni Patris,& ſapientia cordis paterni': ô benedicta in mulieribus Ma-

tia,quia illius es Mater,cujus Deus eſt Pater,Filius paternæ charitatis erit corona tuæ caſtitatis,& ſapientia paterni cordis eſt fructus uteri virginalis. *Op.ſpec. B.Virg.lect.16.*

142. *Delitiæ fructus ventris Mariæ expenduntur.*

Et benedictus fructus ventris tui. Cur benedictus ? quia delitioſiſſimus. Delitioſus quidem eſt fructus ventris Mariæ in odore,delitioſior in ſpecie,delitioſiſſimus in ſapore ; primum percipitur fide,ſecundum ſpe, tertium charitate ; delitioſus eſt ob odorem iſte fructus Mariæ,odor autem eſt exemplorum, conſolationum, & promiſſionum Chriſti, qui valde delectabilis eſt animæ Chriſtum ſitienti, nam ſicut vinum trahit ſuo odore ſitientem, ſic odor Chriſti trahit poſt ipſum currentem, & dicentem. *Trahe me poſt te in odorem unguentorum tuorum currimus. Cant.* 1. Qui ergo non currit ad hunc odorem, ſignum eſt. quòd de odore hoc non ſuſcipit.ſed per terram ſerpit.Fructus item iſte eſt delitioſior ſpecie ob pulchritudinem,quia eſt fructus arboris pulcherrimæ, ſcilicet Mariæ Virginis; pulcherrima quidem arbor in foliis oris, in floribus cordis,& in fructu ventris,& mētis,qui fructus eſt candidus divinitate,& rubicundus humanitate; candidus in converſatione,rubicundus paſſione; ô quàm pulcher iſte fructus,pulchet in Cœlis,pulcher in terris, pulcher in Patre Verbum,pulchet in Matre caro,& Verbum:Fructus, item iſte eſt delitioſiſſimus ſapore, de quo illa ſancta anima dicit. *Cant.* 2. *ſub umbra illius,quem deſideraveram ſedi,& fructus ejus dulcis gutturi meo.op.ſpec.B.Virg.lect.16.*

143. *Fructus ventris Mariæ quam virtuoſus.*

Benedictus fructus ventris tui. Quare benedictus? quia benedictionem utiliſſimam attulit mundo; nam virtuoſus eſt ad perditorum ſalutem, quia fructus ſalutis eſt,quia pax noſtra eſt, & pacificavit Deum cum homine ? item utiliſſimus ad ſalvandorum multiplicationem ; nam omnes filii ventris Eccleſiæ ſunt hæreditas, & fructus ventris Mariæ : item virtuoſiſſimus eſt iſte fructus, quia habet virtutem non ſolùm conferendi vitam,ſed & ipſam conſervandi. *Op.ſpec. B.Virg. lect.16.*

144. *Fructus ventris Mariæ virtus refectiva expenditur.*

Benedictus fructus ventris tui. O verè benedictus iſte fructus ventris Mariæ, quia eſt tam copioſus.ut animam rationalem, quam totus mundus ſatiare non poteſt, reficere pleniſſimè valeat, omnibuſque ſufficere poſſit,nec unquam deficere, quia eſt fructus benedictus,infinitus, & æternus. *Op.ſpec.B.V.lect.16.*

145. *Fructus ventris Mariæ in ſe benedictus,ſed pro nobis expoſitus.*

Benedictus fructus ventris tui. Verè in ſe eſt benedictus ; ſed quibuſnam expoſitus ? expoſitus eſt humilibus, amantibus Deum, & proximum, patientibus,& mitibus, fideliter laborantibus, liberalibus in proximum, abſtinentibus, & continentibus ; ſed ab iſto fructu rejiciuntur ſuperbi, invidi,rixoſi,avari,accidioſi, guloſi, & luxurioſi. *Op.ſpec.B.Virg.lect.17.*

146. *Salutationis Angelicæ partes expenduntur.*

Benedicta tu inter mulieres ; & benedictus fructus ventris tui. Nota, quòd iſta eſt ultima pars ſalutationis, quam Angelus, & Eliſabeth protulit in honorem Mariæ Virginis, & quam Eccleſia frequentiſſimè uſurpat, & fidelibus ſuis recitandam proponit, in qua Eccleſia poſt *Ave* addidit nomen *Maria*, & verbis Angeli addidit verba Eliſabeth,& *benedictus fructus ventris tui*, cui poſteà præcatio addita eſt, *Sancta Maria Mater Dei, &c.* Iſta autem ſalutatio continet quinque dulciſſimas ſententias inſinuantes quinque dulciſſimas commendationes, & laudes Virginis Mariæ;inſinuatur autem quàm puriſſima, quam pleniſſima, quàm tutiſſima, quàm digniſſima, quàm utiliſſima fuerit Virgo Beata : Puriſſima prædicatur per *Ave*, ideſt carens omni væ omnis culpæ, & immunditiæ, ſicut decuit Matrem Dei : Pleniſſima gratiâ per ſecundam particulam *gratia plena*, quia decuit Matrem Dei eâ puritate nitere, & plenitudine gratiarum ornatam eſſe, quâ major ſub Deo nequit intelligi : Tutiſſima declaratur per tertiam particulam *Dominus tecum*. Per divinam præſentiam, quia Dominus Pater,Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus eſt ſic ſecum, ut ipſa ei ſpecialiter familiariſſima ſit, ſcilicet non tantùm Dominus Filius eſt cum Maria, quam carne ſuâ induit, ſed & Spiritus Sanctus, de quo concipit, & Pater Dominus, qui genuit, quem ipſa concipit, ideò filia Patris ſingularis, Mater Filii Dei, & ſponſa digniſſima Spiritus Sancti : Quartò quàm digniſſima oſtenditur per quartam particulam,*Benedicta tu in mulieribus*,Ideò digna omni veneratione, & reverentiâ, quia tam eſt benedicta,ut per ipſam ablata ſit maledictio per Evam in mundum introducta, & omnis benedictio introducta in omnes creaturas. Quintò oſtenditur quàm utiliſſima per quintam particulam additam ab Eliſabeth, *Et benedictus fructus ventris tui* ; Ad ſalvandum namque genus humanum per hoc utiliſſima fuit, quòd ipſa fructum ſalutis excellentiſſimum,& potentiſſimum genuit ; quia per fœcunditatem ſuam immundus peccator eſt juſtificatus, damnatus,ſalvatus, & exul reductus, æger ſanatus, mortuus reſuſcitatus : Sancta Eccleſia poſteà in principio hujus ſalutationis addit, Maria, Ave Maria, & hoc nomen repetit poſt verba Eliſabeth,Sancta Maria Mater Dei, ut hoc nomine virtuoſiſſimo, & potentiſſimo nos ipſos moniremus,excellentias in ipſo contentas memoriæ mandaremus,& excitaremur ad orationem toto corde fundendam ad ipſam, ut fructus talium myſteriorum, quæ Deus per ipſam operatus eſt, perciperemus,mediante auxilio,oratione,& gratiâ Mariæ, nunc, & in hora mortis noſtræ. *Op. ſpec. B.Virg.lect.*1.2.*& ſeq.*

147. *Eliſa*

147. *Elisabeth spiritu prophetico cognovit Mariam Verbo divino fœtam, ejusque immaculatam Conceptionem tali modo loquendi expressit.*

Et benedictus fructus ventris tui. Cur Christum ista mulier appellavit nomine tàm improprio fructus? hoc nomen virgulti est, fruticis, germinis, & cujusque, quod parturit terra? fructus non dicitur filius, nec arbor parens? sic discurrit *Ric. de S. Vict. lib. 6. de Trinitate c. 16.* & si hoc, cur nomine fructus Filius Mariæ dicitur? sed tamen ex *Isa. c. 11.* solvenda est hæc dubitatio: *Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet*, ubi nomine floris (& consequenter fructus) venit Christus exiens de Maria sub nomine Virgæ de radice Jesse prodeuntis; ut hinc ediscamus, quod quicquid ex arbore prodit, totum ex radice vivida recognosci debet; ergo ex qualitate fructus cognoscitur qualis sit arbor, ejusque radix; ex fructu scilicet benedicto uteri virginalis cognoscitur Maria usque ad radices, scilicet Conceptionem suam; ideo rectè dixit ista prophetissa, *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui:* alludens & ad sanctitatem, & puritatem fructus provenientem ex puritate, & munditia radicis, non quod Christus à Mariæ radice acceperit benedictionem, sed ut consona esset fructui radix, debuit præsistere benedicta, ut inter fructum, & radicem iret, rediretque in virga hac, & tramite securo impolluta virtus: & ex Christo cognosceretur Virgo: *Sic Ric. à S. Laur. & B. Amadeus; sic & S. Bonavent. in illa verba Isa. cap. 4. discurrit.* Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis; scilicet in magnificentia, propter regalem uterum Mariæ; in gloria propter virginalem uterum, & sublimis propter æternalem Patris æterni. *Op. specul. B. Virgin. lect. 16. & seq.*

148. *Inter salutationem, & vocem Mariæ, & exclamationem Elizabeth Echo factum est.*

Et exclamavit voce magna Elizabeth, & dixit, Benedicta tu, &c. Qualis hic clamor, quem frigida senecta, rugisque attrita, contusisque meatibus spirituum, annosa mulier emittit? Clamavit hæc mulier, quia salutationem Virginis audierat, quia ex voce Virginis penetrante ad concava ventris excitata fuit; clamavit, quia illum continebat in utero, qui factus est vox Verbi clamantis in deserto: *Luc. cap. 1. vers. 41. seq.* Ecce quomodo clamor fuit veluti sonantis Echo, grandis, quia originem traxit à salutantis Virginis voce, quæ senilis uteri abrupta, cavaque percutiens, quasi respondentem collem tesona solutione vocis obtinuit.

149. *Fructus ventris Mariæ Eucharistia sacramentum.*

Et benedictus fructus ventris tui. Cur nomine fructus appellat Christum? sed attende ad verba *Psal. 4. A fructu frumenti vini, & olei multiplicati sunt*, fructus ventris Mariæ est fructus terræ scilicet frumentum, & vinum, & oleum, scilicet sacramentum corporis, & sanguinis Christi, & gratiæ Spiritus sancti, in cujus virtute fideles in Ecclesia multiplicantur; iste fructus est ventris Mariæ, quia ex ipsa habemus talem fructum in Ecclesia: *Op. specul. B. Virg. lect. 16.* Undè meritò Maria habens hunc fructum appellatur signum magnum à S. Joanne scilicet sensibile rei insensibilis; nempè sacramentum magnum continens veluti in sacra Pixide accervum tritici, scilicet corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & ideò in utero concluſus Christus est, veluti in clibano, ut ibi igne Spiritus sancti panis compactus ex farina carnis, & sanguinis Mariæ coqueretur, & nobis in cibum, & potum præpararetur. *Psalm. 53. & 118. op. medit. c. 4.*

150. *Maria Mater admirabilis Dei, & ut talis ab omnibus laudanda.*

Unde hoc mihi ut veniat Mater Domini mei ad me? Vide, quod Elisabeth Spiritu sancto repleta in præconium admirativum prorumpit, & Mariam Matrem Dei agnoscit, & prædicat; hoc enim admirabile, & laudabile est, ut mulier sit Mater Dei, ideò omnes laudes Mariæ ad celebrandam hanc maternitatem dirigantur, & propter ipsam est diligenda, veneranda, & cum omni fiducia adeunda, tamquam summæ misericordiæ Mater. *Luc. c. 1. v. 43. op. specul. B. Virgin. lect. 10.*

151. *Ioannes vox Verbi fructus vocis Mariæ, ut testimonium ferret de Christi divinitate.*

Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis exultavit infans in utero meo. Quid dicis ô Elisabeth? vox non fit in auribus, sed in lingua, & ore aeris verberatione, & indè defertur ad aures aëris concitatione percussa? sed en mysterium: salutatio Virginis vox fuit in ore, & delata ad aures & indè ad ventrem Elisabeth Joannem attigit, & inde factus est vox Verbi, ut testimonium ferret de Christi divinitate etiam in utero existens; undè benè dixit Elisabeth ex salutatione tua ô Virgo exultavit infans in utero meo; & hoc est signum, quod diffusa est cum tua voce salutante gratia in labiis tuis, & ex ipsis pervenit ad Joannem, & ideo ex quo exultavit suprà naturam suum munus cœpit exercere, indicans, quòd Dominus naturæ sibi occurrerit; ex quo & ipse respondet infantulus ex utero testimonium dans certum adventus Verbi in carnem; & ideo si Verbum carne indutum fructus est ventris tui, & Joannes factus vox, fructus est vocis, & verbi tui. *Luc. c. 1. v. 41. ser. 1. Dom. infrà oct. Ascens. & Chrysost. Ambr. Origen. aliique Patres.*

152. *Vbi est Maria, & Christus, ibi omne gaudium; ubi ejus vox, & salutatio ibi omne bonum: Vbi de reliquis Mariæ imaginibus.*

Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in utero meo. Perpende rationem, qua agnovit Maria esse Matrem

Dei

Dei; undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? nempè quia fœtus in utero, maximèque tam annoſo gravedinem, moleſtiam, mœſtitiam, vexationem incutit, & meru dolorum diri partus excruciat; cum igitur potius exultantem inſolito tripudio infantem in utero ſenſit, arguté deduxit, hanc ex cujus ſalutationis voce tantum gaudium in ipſam redundavit, eſſe Matrem Dei, & in utero geſtare ſobolem divinam, ideò dicit exultavit in gaudio, ſcilicet propter præſentiam Matris, & Filii: ſic, ſic eſt ubi Maria, ibi invenitur Chriſtus; Maria enim eſt, per quam franguntur vincula, ſolvuntur debita, vincuntur vitia, ſolidantur confracta, reparantur perdita, renovantur vetera, roborantur infirma, magnificantur minima, exaltantur infima. incæpta promoventur, imperfecta conſummantur, cor purgatur, & fulget mens, animus inflammatur, liqueſcit pectus, dulcoratur aſpectus, & omnia bona inveniuntur, ideò poſt Deum ſola eſt ſpes noſtra. *Op. ſtim. p. 3. c. 16. op. Pſals.* Hymn. Te Dei Matrem. *Luc. c. 1. v. 42. & 44.* Addit ad rem noſtram Guar. Abb. *ſer. 1. de S. Ioan. Baptiſta.* Vox Mariæ dum auribus Elizabeth inſonat, ad cor Joannis penetrat, qui abſtruſus intra materna viſcera, ſpiritum ejus animat, gaudioquè ſalutari vegerat, & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeò etiam, ut de plenitudine Filii copiosè videatur in Matrem refundi; ô quàm efficax, quàm ſalubris, quam utilis Mariæ præſentia, Mariæ vox, Mariæ benedictio: Et hinc valdè proclive eſt inferre, quòd ubi non eſt præſentia, & devotio Mariæ, etiamſi locus, vel Civitas, vel Reſpublica benigno Cœlo fruatur, quæſtuoſa Matis negotiatione exuberet, uberrimis terrarum fructibus pro voto abundet, nihilominus veriſſimè pronuntiabis de illa Republica, vel cœtu non eſſe quidpiam boni in illa; ut dicebat in figura puer Eliæ 3. *Reg. c. 18.* non videns nubeculam in Mari aſcendentem, non eſt quidquam, ſed viſa illa nubecula, quæ figurabat Mariam, ut dicunt communiter cum S. Bon. Doctores eece ſonitus pluviæ magnæ nimis, ſcilicet omne bonum, omnis bona fortuna: Quæ doctrina poteſt rectè applicari ad ſacras imagines Mariæ, ejuſque reliquias maximè miraculoſas; etiam ex iis, quæ tradit S. Bon. *Op. de dono pietat. c. 2. & lib. 3. d. 9. a. 1. per totum op. Pſalt. Pſal. 60. op. Pſal. min. quinq. 3.* ubi recognoſcit Mariam figuratam in hac nube.

153. *Fides per Chriſti adventum qualiter profecerit, & fuerit augmentata.*

Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Vide quomodo donum prophetiæ infuſum eſt ad præſentiam Chriſti, & Mariæ in Elizabeth, nam vidit clarè præterita, occulta, & futura, eaque patefecit & per hoc patet, quòd ad adventum Chriſti fides profecit: Hic autem diſquirunt Theologi an fides creverit, majorque facta fuerit poſt Chriſti adventum; & reſpondet Seraph. Doct. *lib. 3. d. 25. a. 2. per totum*, quòd fides quantùm ad novorum articulorum additionem, nullo modo crevit; fides enim ſic ſumpta quoad objectum ſemper fuit eadem, & una, & immutabilis in Eccleſia; crevit autem quantum ad implicitorum explanationem; nam ante legem Deus Creator credebatur, & ab eo ſalus, & redemptio expectabatur, per quem autem, & quomodo eadem ſalus implenda, & perficienda foret, exceptis paucis, quibus revelatum fuit ex ſpeciali munere, à cæteris non cognoſcebatur fidelibus; ſub lege autem perſona Redemptoris credebatur mittenda, quæ autem eſſet hæc perſona, vel homo, vel Angelus, vel Deus nondum manifeſtabatur, niſi ab iis, qui Spiritu Sancto erant ſpecialiter edocti, ſub gratia autem manifeſtè jam ab omnibus prædicatur, & creditur, & modus redemptionis, & qualitas perſonæ Redemptoris; & ſecundum hanc majorem explanationem crevit fides, & quo ad luminis plenitudinem, propter veritatis exhibitionem, propter majorem gratiæ diffuſionem, atque pleniorem inſtructionem, & ideò nunc fides apertius prædicatur, & docetur, & probatur, & defenditur, & hæc gratia verè ineffabilis, & maxima nobis advenit per Chriſti adventum, & Spiritus Sancti ampliorem diffuſionem in Sacramentis novæ legis ex meritis ipſius Chriſti; ex quo patet, quòd Chriſtiani majori obligatione ſunt adſtricti, & majorem gratitudinem debent Chriſto. *Lib. 3. d. 25. cit.*

154. *Fides qualem beatitudinem afferat animæ.*

Beata quæ credidiſti. Cur beata ex eo, quòd credidit? quomodo fides beatitudinem poteſt animæ afferre? Nota dicitur fides beatitudinem afferre inhoc ſenſu, quia facit videre, quòd Deus in ſe eſt, facit videre Deum, licèt in ænigmate, quia & bonam facit etiam animam, inchoando enim meritum, diſponit ad præmium, diſponit & ad ſpem, & charitatem, & ad benè operandum. *Luc. c. 1. v. 45.*

155. *Fides Mariæ ſingularis beatitudinem qualem contulit.*

Beata quæ credidiſti. Quid credidit? credidit Deo, & fide meruit concipere primò Filium Dei in mente, poſtèà in ventre, & concipiendo beatitudinem omnibus contulit. *Luc. c. 1. v. 4.* De fide autem Beatæ Virginis; Primò dicendum, quòd ipſa cum ſenſibili cognitione de Chriſti conceptione ſine concurſu viri, habuit & claram cognitionem cum fide elevante ſuum intellectum ſublimi perfectione perſonæ Verbi: *Lib. 3. d. 24. a. 2. qu. 2. op. Phar. l. 1. c. 5.* ſecundò fides cum humilitate profundiſſima Mariam fecit ſuper omnes gratam, & charam Deo, ut in ea incarnaretur Verbum: *lib. 2. d. 12. a. 1. qu. 1.* & per hanc fidem ſe oppoſuit contrà dubietatem primæ mulieris, quando tentata fuit à ſerpente: Tertiò fides Beatæ Virginis fuit generalior, & circà plura objecta, quàm unquàm vel ſanctis, vel Apoſtolis, vel Angelis communicatum fuerit; fuit & conſtantior fide cæterorum omnium, & ideò in ſola Virgine fides permanſit in triduo mortis Chriſti, & conſequenter poteſt dici poſt Chriſtum caput omnium credentium; Chriſtus enim Dominus non habuit fidem propriè dictam, tùm etiam quia fide præſtita Angelo in inſtanti Incarnationis promeruit fidem omnibus credentibus: undè fides Beatæ Virginis fuit primæ veritati innixa,

chari

charitate formata, devotione fervida, bonis operibus probata, fortitudine roborata, obedientiâ decorata, & humilitate ſubjecta, ideò elevata ſuper fidem omnium credentium in Eccleſia, quare rectè dixit Eliſabeth, Beata quæ credidiſti, &c. *Luc.c.1.v.37.& v.45.ſer.1 de B. Virgin. ſer.17.Hexam. op.Comp.Theol.lib.5.c.19. op. ſpec. B.Virg lect.10 ſer.2.in Nativit.B.Virg.in addit. & lib.3.d.25.a.2.qu.1.& qu.2.ad arg.op.Eccleſ. Hier. cap.7.p.4.*

EXPOSITIO IN CANTICUM Magnificat.

156. Notandum, quod Maria ingrediens domum prima ſaluravit Eliſabeth, & hæc reſalutando Mariam ſalutantem, reſpondit, magnaliaque patefecit, ipſam beatam prædicando, Matrem Dei appellando, de fidei fortitudine commendando, beneficium ſibi impenſum ad ejus ſalutationem humiliter confitendo, quæ audiens Beata Virgo non amplius valens reticere dona Dei, quæ uſquè tunc pudore virginali celaverat, tàm congruo tempore patefecit, & inde Domino canticum cantavit, & hoc factum eſt impulſu Spiritus ſancti in tali tempore, nempè antè partum Eliſabeth, & Nativitatem Joannis, & Chriſti, prophetat Maria, & laudes Deo decantat ut ſicut peccatum in initio à muliere cœpit, ita in initio ſalutis bona à Virgine inchoarent: *Sic Beda, Ambroſ. Gloſſa: S.Bon.medit.c.5.& infra cit.* In hoc autem cantico tria notantur, primum eſt laudantis affectio, quæ notatur ibi Magnificat anima mea, &c. ſecundum eſt laudandi ratio, cum ſubdit, quia reſpexit, &c. tertium divinæ laudis ampliatio, quæ notatur ibi. Et miſericordia ejus à progenie, &c. non enim eſt perfecta laus, niſi adſit affectus, debita cauſa, & debitus modus, tres autem partes continet hoc canticum, in prima parte confitetur beneficia Dei ſibi ſpecialiter collata; in ſecunda commemorat Dei beneficia communiter toti humano generi collata, inter quæ adnumerat flagella, quibus corripit ſuperbos: in tertia tangit ſingulare, & inenarrabile donum Dei, quo dignatus eſt in Mundum venire. *Luc.c.1.v.46. Ugo Card. aliique Expoſit.*

157. *Maria Virgo magnificavit Dominum ſuper omnes creaturas multipliciter.*

Magnificat anima mea Dominum. Quid eſt, quod dicit Maria in principio ſuarum laudum? ergonè ipſa, quæ eſt pura creatura magnum poteſt reddere Deum, vel magnitudinem aliquam infinito addere? hoc certè impoſſibile eſt; quomodo ergo dicit, *Magnificat anima, &c.* ſed attende ad mirabilia opera Mariæ: Deus quidem in ſe infinitus eſt nec aliquid poteſt ei de novo ſupervenire per creaturam, ſed tamen quoad nos, quoad manifeſtationem poteſt ei ſuperaddi; magnificare autem eſt Deum laudare, ejus mirabilia pandere, alios ad ipſum laudandum attrahere, & invitare; tali modo omnes ſancti Deum magnificant, ſed tamen in hoc Maria omnes exceſſit, quia ſuper omnes creaturas Deum magnificavit, & magnum, infinitumque in ſuis operibus oſtendit, & omnes creaturas ad Deum magnificandum attraxit: magnificavit autem Deum ſe-

ipſam humiliando coram Deo; Deum omnibus creatis præponendo, ipſi carnem aſſumptam præbendo, concurrendo ad ipſius Incarnationem; corpus ejus myſticum augmentando, nam multiplicatio fidelium fructus eſt Mariæ ipſum laudando, gratias referendo, ejus inimicos expugnando; dicit autem magnificat anima mea, quia lingua non eſt ſufficiens addit Dominum, cui debetur omnis honor, & gloria. *Luc.c.1. v.32.& 46; op.ſpec.B.Virg.lect.6.& 7.Luc.c.5. v.25. ſap. c.18; ſer.4.Dom.5.Pent.*

158. *Quàm congruè Maria incæpit ſuas divinas laudes ab hoc verbo magnificat.*

Magnificat anima mea Dominum. Nota, quod convenientiſſimè ab hac magnificentia divina Maria ſuas laudes incæpit, hoc enim competebat ſuæ humilitati, quia enim omnium humillima fuit ideò ſuper omnes etiam Deum magnificavit; hoc competebat dignitati Dei in ejus utero incarnati, quia Chriſti ſumma humilitas non cognoſcitur, niſi dignitas præcognoſcatur; competebat etiam intentioni Mariæ, cantantis, quæ erat, ut Dominus perfectè laudetur, & etiam, quia laudabat eum de maximis beneficiis; competebat etiam ordinato progreſſui, qui eſt à timore inchoandus. *Luc.c.1.v.46.*

159. *Maria magnificavit Deum, quia per ipſam Trinitas perſonarum, & appropriata ipſarum nota eſſe caperunt Mundo.*

Magnificat anima mea Dominum. Perpende iterum qualis magnificentia reſultaverit Deo per Mariam; & ut id rectius intelligas adverte, quod ſupra Angelus prius dixit in annuntiatione; hic ſcilicet Filius tuus erit magnus, ſcilicet quando in te intrabit, & ex te exiet carnè indutus, tunc erit magnus; & benè dicit per te per Mariam magnus fiet, & erit, vide quomodo; nam per Mariam hic Filius Mariæ innotuit etiam æterni Patris Filius, & ideo innotuit prima, & ſecunda perſona Sanctiſſimæ Trinitatis; innotuit etiam tertia perſona ex hoc, quod Pater, & Filius nectuntur inter ſe amore infinito, ſicut ſubtexuit Angelus, Spiritus ſanctus ſuperveniet in te & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, in quibus verbis (ait S.Bon. *Lib.3.d.3.dub.2.* tres perſonæ divinæ mundo exponuntur; ideò Maria alludens ad hæc verba dixit in Cantico ſuo magnificat anima mea Dominum, ſcilicet innoteſcere faciens Trinitatem perſonarum, earumque appropriata, & perfectiones; magnificatur enim Deus non ſolùm in opere creationis, ſed quia in hoc ſolùm ut unus cognoſcitur, ideo pro opere recreationis magnificatur magis, quia cognoſcitur ut trinus, & manifeſtatur ejus potentia in unione duarum naturarum, & per ipſam in dejectione hoſtis antiqui, undè ſubdit, fecit potentiam in brachio ſuo, ideſt in Filio diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, ideſt Dæmones mente cordis ſui ſuperbientes in intellectu per præſumptionem, & in affectu per ambitionem; manifeſtatur item ejus infinita ſapientia in relevatione proſtrati hominis, ſecundùm quod ordo noſtræ ſalutis, & relevationis depoſcebat, quia ſua multiplici arte artem proditoris fefellit, indè medelam fe-

rendo hoſtis undè læſerat, & de ligno mortis lignum vitæ afferens: magnificatur item & benignitas Spiritus ſancti in ejus miſſione, quia conceptus eſt de Spiritu ſancto *Luc. cap.1. v. 32. & 46. ſer.4. Dom.15. Pent. idem & S. Auguſt. ſer.81. in Aſſumpt. Euſeb. Emiſſ. inc.1. Luc. S. Fulgent. & Petr. Dam. &c.*

160. *Maria Virgo numquam altiſſimum orationis, & contemplationis actum interrupit: Ubi de extaſi, & raptu.*

Magnificat anima mea Dominum. Cur in tempore præſenti dicit Maria magnificat, & non potiùs magnificet, vel imperando ſuis potentiis magnifica anima mea Dominum? Notat autem S. Hieron. apud *S. Bon. op. medit. c.3.* quod Maria in ſapientia legis erat eruditiſſima, & in carminibus Davidicis decantandis elegantiſſima, & frequentiſſima, & ſi hoc, cur non eodem ſtylo utitur, quo David, cum invitabat, & imperabat animæ ſuæ, ut benediceret Dominum; Benedic anima mea Dominum; lauda anima mea, &c. ſed utitur tempore præſenti, magnificat anima mea Dominum? Ecce diſcrimen inter Mariam, & cæteros juſtos; cæteri juſti frequenter quidem divinas laudes decantabant, ſed tamen quandoque ſive per vitæ tædium, ac torporem, ſive propter naturæ imbecillitatem, ſivè per peccata venialia à recto concentu, & continua harmonia recedebant: Virgo verò Deipara numquàm in re virtutis rectè operandi harmoniam interrupit, ſed ſemper de præſenti in divinis laudibus decantandis jugi meditatione incumbebat; Undè S. Hieron. apud S. Bon. *loco cit.* notat, quod Maria ſivè orans, ſivè externa opera agens, ſive dormiens, ſive vigilans, ſemper in oratione, & altiſſima contemplatione, & in ſcrutatione divinæ legis permanebat: *op. medit. c.3.* ergo merito dicit in præſenti magnificat anima mea Dominum, quia non indigebat exſtimulari ad divinas laudes, & ab aliis curis advocari: Hic autem diſquirunt ad rem Patres, & Theologi, an Beata Virgo ſubjecta fuerit exſtaſi, & raptibus? affirmativè reſpondent Alb. magnus Gerſon, aliique qui tamen ſano modo interpretandi ſunt, & explicandi: nam exſtaſis, & raptus plurium juſtorum ſæpe eis obveniebant ob potentiarum imbecillitatem, vel complexionis intemperiem, in quibus ut plurimum ſenſus, & potentiarum interiorum functiones inhibentur, dum mens in altiora petit, & quaſi in otio relictis à ſublimi intelligendi vi rapitur, & ad tam excellentem rerum ſupernarum contemplationem evehitur; aliquando tamen Deus ex ſpeciali privilegio tales contemplationes ſublimes concedit abſque eo, quod impediantur functiones potentiarum inferiorum ut pluribus ſanctis conceſſum eſt, & ſpecialiter ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Pariis; & hic modus eſt perfectiſſimus, & hunc conceſſum fuiſſe Mariæ Virgini in altiſſimo gradu dicendum eſt: de hac materia exſtaſum, & raptuum fusè tradit S. Bon. *Op. de Prof. Religioſ. lib.2. c.12. op. de grad. contempl. op. de ſeptem itin. æter. Vide Vegam in Theologia Mariana à n.783.*

161. *Maria Virgo jugi, & inceſſante viſione Dei clara in hac vita mortali fruebatur.*

Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Nota, quod primum verbum pronuntiat in præſenti dicens magnificat, & ſecundum in præterito, & exultavit: cur hoc? cur non ſervat in utroque eundem ordinem magnificavit, & exultavit, vel magnificat, & exultat? certum eſt hoc non vacare myſterio; ſed quid nobis hic oſtenditur? S. Bon. *in Lucam c.1. v.46. & ſeq.* notat, quod magnificatio eſt cordis, & oris, & timorem ad divinam majeſtatem parit; exultatio verò gaudium, & fruitionem divinæ bonitatis importat, & quia hæc eſt prior, ideò exultationem de præterito, & magnificatio conſequitur, ideò de præſenti ipſam ponit: & notandum, quod primò dicit magnificat anima, poſteà exultavit ſpiritus meus, quod diſcrimen inter animam & ſpiritum? hoc eſt, quòd anima ſumitur in comparatione ad corpus, & ideò per animam exprimit magnificationem Dei, ſcilicet per concurſum interioris, & exterioris hominis, cordis, & oris, maximè in Incarnatione: ſpiritus autem dicitur ſupremum animæ, quo intellectus immediatè videt Deum, & voluntas fruitur Deo; & hinc dicit Maria exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari, vel ſalutare meo; in Deo ſicut optabam, ſcilicet per mutuam exultationem ſpiritus Mariæ in Deo & Dei in Maria, quæ intus ad ipſius viſionem, & fruitionem intraverat, & ideo hoc canticum eſt, quod ſemper, & perpetuo in Cælis decantat Maria, dicens Magnificat, &c. *Op. Diat. tit.10. c.6. Luc. c.1. v.47.*

162. *Hic autem diſquirunt Theologi, & ſancti Patres, an B. Virgo Maria aliquando in vita mortali exultaverit in Deo per claram viſionem, & fruitionem Dei ad modum Beatorum?* In qua pulcherrima quæſtione major pars Theologorum, & PP. affirmativam admittunt, & maximè hoc ei concedunt in puncto Incarnationis dominicæ: Sic Ruper. Abb. Alb. Magnus; S. Bernardinus ſen. S. Thom. à Villan. aliique plurimi apud Salaz. &c. de Conceptione *c.32. & Vegam Theol. Mar. à n.1862.* Alii verò ulterius à puncto ſuæ immaculatæ Conceptionis admittentes hanc claram viſionem, quam tamen licet perfectiſſimam, dicunt fuiſſe gloriam non conſummatam, nec ultimatè completam ob quam rationem erat adhuc in ſtatu fidei, & meriti, quod ad gloriam Beatæ Virginis probabiliter poteſt dici: De qua materia Vega cit. *à n.1851.* & noviſſimè Thomas Frances Franciſcanus Hiſpanus in ſuo aureo opere de Conceptione B. Virginis, in quo fuſiſſimè, Theologicè, & ſolidiſſime hanc opinionem probabilem de jugi viſione clara Dei in Maria ab inſtanti Conceptionis probat: & ad hanc etiam ordinantur, ſecundùm aliquos Expoſitores, illa verba Mariæ infrà; Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes; Præcipuum autem fundamentum hujus aſſertionis eſt ille Canon SS. PP. quod quæcumque privilegia, quæ ſine fidei præjudicio, & injuria Creatoris, deferri poſſunt Mariæ ut Dei Matri, jure quidem optimo magnæ Matri non deneganda, ſed ei concedenda; Aliudque fundamentum eſt, quod id, quod Chriſto per naturam convenit, id ſuo modo per gratiam ſuæ Matri communicatum credendum eſt: Aliud fun-

damen tum

damentum etiam desumitur ex eo, quòd glorificatio consistit in perfecta tentione, & unione intellectus, & volùtatis cum Deo, quæ conjunctio, & tentio incomparabiliter fuit major, quàm in Apostolis, in Maria, quæ Deum in ventre tenuit; & si ipsi perfectior tentio, & unio conceditur, cur non etiam minus perfecta? de qua materia infra redibit sermo in illa verba, Ecce enim ex hoc beatam me dicent, &c. Et hinc S. Bon. *Lib. 3. d. 3. p. 1. q. ult. ad 4.* Hanc auream sententiam de Maria protulit, respondens huic objectioni circa impotentiam peccandi, quòd hæc impossibilitas est propria comprehensorum, sed Maria fuit viatrix; ergo, Respondet S. Doctor; Ad id de impossibilitate peccandi dicendum, quòd verum est, quantùm est de lege communi, sed nihil impedit, quin de gratia speciali possit alicui concedi in via, quòd aliis communiter conceditur in patria, & illi personæ præcipuè, quæ in terris degens Regina erat eorum, qui exultant in Cœlis, hæc Seraph. Doct. ad rem nostram; ergo rectè dicit Beata Virgo, Et exultavit Spiritus meus in Deo, &c. secundùm quod Beati exultant in Deo in Cœlo.

163. *Canticum Magnificat est Psalterium, vel cithara decem chordarum Beatæ Virginis, quo laudes Deo cantavit, invitans nos ad sui imitationem.*

Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. Nota, quod in principio Maria animam suam exercet ad magnificandum Deum, posteà dicit, quòd Spiritus ejus exultavit in Deo salutari suo; anima dicitur in ordine ad corpus; Spiritus in ordine ad Deum secùndùm supremam sui partem, & per hoc dat intelligere Virgo, quod in decantandis laudibus ad Dei gloriam, & magnificentiam concursum præstitit corporis, & animæ, cordis, oris, & operis, interiùs, & exteriùs. *Luc. c. 1. v. 48.* Et hinc cum istud Canticum decem versibus constet, rectè à Sacris Doctoribus appellatur Psalterium, vel cithara decem chordarum, quæ voce dulcissima psallebat, ut verificaretur id, quod dicitur Ps. 32. Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio; confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum psallite illi. in decachordo psalterio cantate ei cãticum novum; ubi quinque notantur necessaria ad rectè Deum laudandum; scilicet carnis maceratio significata in cithara, opera bona significata in psalterio, decalogi observantia in decem chordis; mentis hilaritas in cantico, & vitæ novitas in cantico novo, & hæc debent cantari Domino, sc. in Christo, in quo solo est novitas, quæ præcipuè elevat in meditatione, & ostensione suæ mirabilis conceptionis, prædicationis, operationis miraculorum, Passionis, & Resurrectionis, quæ omnia perfectè exercuit Beata Virgo. *Psal. 32.*

164. *Decantatio est persolutio laudis divinæ qualiter facienda exemplo B. Virginis.*

Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. Nota, quòd ut dictum est, Maria in decantationem laudum divinarum totam se applicavit, scilicet animam, corpus, operà, os, linguam, & Spiritum suum, ut hinc ediscamus qualiter Deum laudare debeamus & nos, scilicet ut dicebat S. Aug. *Psal. 148.* Cum Deum laudatis, Deum toti laudate: cantet vox, cantet vita, cantent facta, Deum toti laudate; nam Deus musica illa valdè delectatur, quam animi, & cordis voces efficiunt, adjunctà linguâ veluti citharâ; Puritas mentis, & cordis devotio sunt illa, in quibus delectatur Deus, ergo cum fueris in Ecclesia, vel alibi ad divinum officium celebrandum, non sis ibi cum vagatione cordis, & oculorum interponendo nociva. & cogitando diversa, quia magna abusio est habere os in choro, & cor in foro, nam de talibus dicitur per Propheram, ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant; ergo persolve laudes divinas cum profunda cordis humilitate, & reverentia, & timore, intentioque in divino officio debet magis esse in hoc, ut ex verbis sacræ scripturæ elicias spiritualem intellectum, & devotionis affectum, quàm ut curialitatis exprimas notas, & cantando vocem exaltes. *Luc. c. 1, cit. op. de Instit. Novit. p. 1. c. 23. op. Regula Novit. c. 1.* Nota autem quòd subdit Maria, Et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo, scilicet salvatore, quia psallentium corda ad celebranda mysteria Christi Iesu ordinanda sunt. *Psal. 32.*

165. *Humilitas Mariæ profundissima super omnes humiles expenditur.*

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam, &c. Nota ordinem Cantici Mariæ; postquàm descripta est laudantis affectio, & devotio, subditur laudandi ratio, quæ sumitur ex duplici causa; prima est beneficium gratiæ, quæ fecit ipsam amabilem Deo; secunda, fecit ipsam laudabilem hominibus, quia amabilis fuit Deo; dicit ergo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, sed quomodo id dicit Maria? ergone ipsa se cognoscebat humilem, & habentem humilitatis virtutem? hoc autem non est esse humile, sed tamen per hoc nomen humilitatem intelligit vilitatem sui, & in hoc stat humilitas, scilicet in cognitione suæ vilitatis, & in affectione talis vilitatis, ut ab omnibus despicabilis æstimetur; in hocque Maria Virgo transcendit omnes Sanctos, & quamcumque aliorum Sanctorum humilitatem; nam cum humilitas sit virtus, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit; & cum Maria esset virginitate decorata, tamen hac omissa dicit, quod Deus respexit humilitatem ancillæ suæ glorians se de humilitate plusquam de virginitate, imò ut placeret virginitas, humilitas proculdubio fecit. *Op. medit. c. 6.*

166. *Humilitas capacem reddidit Mariam, ut posset continere in se Deum incomprehensibilem.*

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Quid respexit? respexit ait humilitatem ancillæ suæ; nota non dicit Matris suæ, sed humilitatem ancillæ, scilicet aliquid vilius, & despectius ipso ancillatu, sed quid hoc vilius? nihil, nihilitas est quid vilius? undè ex Hebræo legit Vatablus, quia respexit nihilitatem ancillæ suæ, ergo ad nihilum se redegit; sed cur hoc? nonne poterat se ancillam Dei, & simul Virginem, & Matrem æstimare absque culpa? poterat quidem, sed tamen voluit, veluti quoddam cer-

tamen inire cum Deo, nam exoptabat Incarnationis executionem, ſed quia non videbat inter creata locum enti infinito proportionatum, cum omnia creata ſint finita. & finiti ad infinitum nulla datur proportio; quid fecit hæc prudentiſſima Virgo? adinvenit infinitum privativum, induens ſe hac infinitate privativa, ſuum agnoſcens nihilum per animi demiſsionem, ſicque certando adinvicem Deus, & Maria. Ille in ipſam exundans gratiarum cataractas, iſta ſemper magis, & magis ſe in nihilum deprimens, ſic uterque concidit, Maria ad centrum nihilitatis, Verbum in uterum virgineum delapſum ſolùm unico colli crine, nempè humilitatis virgineæ devictum, quod totum innuit in his verbis, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, Nota ly ex hoc, quod interpretatur Bernardus dicens; Etiamſi ex virginitate placuit, tamen ex humilitate concepit; dicit Maria ex hoc, ſcilicet ex humilitate mea, quaſi Mariæ depreſsio animi fuerit materia, ex qua Filius progenitus eſt, vices materiæ ſubrogans, adeoque quaſi humilitas ſit Mater Chriſtum generans, propter quam beata erat ab omni generatione prædicanda, Verbo enim concepit Filium cantat Eccleſia, ſcilicet verbo illo Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum; quare patet, quòd ut de Spiritu Sancto conciperet, reſpexit Dominus humilitatem ancillæ ſuæ potiùs, quàm virginitatem. *Opuſc. medit. c.16. Pſal.118. v.153. ſer. 1. de una S. Virg. op. de perfect. vitæ c.2. ſerm.2. in feſto om. Sanct. op. Diat. tit.7. cap.1. Luc. c.1. verſ.48.*

167. *Humilitas radix, & fundamentum totius fabricæ ſpiritualis, ut patet in Virgine Maria.*

Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Cur non reſpexit virginitatem, gratiam, aliaque dona, ſed humilitatem? Nota? quòd humilitas eſt in imo, & in abyſſo nihili, reſpexit Deus hoc imum, & profundum, & nihilum, ad quid? audi Iſaiam *cap.11. Egredietur virga de radice, & flos de radice ejus aſcendet.* Flos de radice, & non potiùs de ramis? Virga hæc, & flos eſt Chriſtus, qui reſpexit ad radicem Mariæ, ſcilicet ad ejus humilitatem, & nihilitatem, ut de humilitate aſcenderet; quia humilitas eſt radix, & fundamentum omnium virtutum, undè non dicit reſpexit virginitatem, puritatem, aliaque dona, ſed humilitatem, quia ab ipſa incipiunt, per ipſam proficiunt, in ipſa conſummantur, per ipſam conſervantur, omnibuſque virtutibus tribuit, ut virtutes ſint, & ſi qua earum defuerit, vel minùs perfecta fuerit, ipſa alterius defectu proficiens, diſpendium illius compenſat, o magna vis humilitatis; hanc diſcant Chriſtiani hanc amplectantur Virgines maximè Deo conſecratæ, ſi cupiunt ſponſo placere. *S. Bonav. locis ſupracit.*

168. *Maria, quia quæſivit gratiam ſolùm apud Deum media humilitate ipſam invenit, & apud Deum, & apud homines.*

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ex hoc, quid ex hoc? ex hoc, ſcilicet tempore, & ex hoc ſcilicet ex mea humilitate, nempè qua quæſivi gratiam ſolam Dei, quia quæſivi ſolùm Deo placere, ex hoc inveni gratiam, & apud Deum, & apud homines, quia beatam me prædicabunt omnes generationes. *Luc. c.1. v.30. & 48.*

169. *Cur beatam Mariam prædicant omnes generationes? & quales generationes.*

Sed transfer mentem ad ſuprà dicta de efficacitate verbi fiat à Virgine prolati, nempè cum per plura fiat mundi omnes generationes ab ore Dei prolata creatæ fuerint, per unicum fiat à Maria prolatum, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c.* totum reformatum eſt quod per peccatum deformatum fuerat, *Sic ex S. Bernardino*: Ergo meritò dicit Maria *Ex hoc*, ſcilicet ex hoc verbo, ex hoc tempore, ex hoc quòd humiliata ſum coram Deo ancilla viliſſima, *Beatam me dicent omnes generationes*, ſcilicet viri, & mulieres, reformati, redempti & renovati. *Luc. cap.1. v.48. op. B. Virg. lect.18.*

170. *Beatitudo qualis in Maria redundavit ex Incarnatione.*

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Si beatam Mariam dicent, ergo & verè beata erat; ſed quomodo beata? & ſi beatam prædicant omnes generationes, ergo majorem, & ſuprematn beatitudinem de ipſa, & ipſam prædicant, ergo & ipſa fruitur beatitudine omnium generationum; ſed qualis eſt iſta beatitudo major quacumque alia? Sed attende ad notabile myſterium: Beatitudo eſt fruitio, gaudiumque omnium bonorum aggregatione perfectum; concipiunt Beati ex divinitate fœcundati, pariunt verbum, dum vident, ſummique boni intuitum jucunda circuit lætitia; & hoc ex conjunctione, quæ fit in cœleſtibus ex divinitate, & intellectu beatorum, ſed in ea non fit unum ſubſiſtens, neque ad ſubſtantiam tendit, ſed ad actionem accidentalem; at conjunctio, quæ in utero virgineo contigit, & ſubſtantia Verbi, & humanitate tendit, & emergit in unum ſubſiſtens, nec mergitur utraque natura, ſed manet inconfuſa; item omnis naturæ generatio quædam conjunctio eſt, dum magis diſſita extrema illuſtriùs nectuntur; ſed quid ſunt iſtæ generationes in comparatione generationis Mariæ? adſpice ad omnes generationes, quæ in mundo fiunt, omnes ſunt valdè imperfectæ, & in tantùm aliquam nobilitatem dicunt, in quantùm conducunt ad dignoſcendam hanc generationem Verbi in utero Mariæ; Vide quomodo Maria, quæ miraculum miraculorum eſt, difficilioribus, & nobilioribus conjunctionibus præbuit originem; nam in hac generatione Virginitas, & Maternitas coiere, fides cum ratione, Chriſti corpus cum accidentibus panis, humana

mens

mens cum divina essentia, quæ prodigia, Verbi cum humanitate in utero virgineo nobilissima conjunctio prævit; omnes igitur generationes, seu conjunctiones beatam prædicent ab utero Matrem, inde fruentem ab utero, indè lætam, qua in ipsa generatione beatam; undè verè beatam prædicant Mariam omnes generationes non tantùm propter meritum, & virtutem caritatis, sed magis propter maternitatis donum, ut de ipsa verificetur id, Cant. *cap. 7. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt. Luc. cap. 1. vers.* 48. *sermon.* 11. *Hexam. & ad sensum Seraph. Doct. Dion. Carus. lib. 1. de præcon. Virginis. op. spec. B. Virg. lect.* 18.

171. *Laudes Mariæ Virginis in laudem Dei redundant, ideò ab omnibus generationibus semper laudata, & laudanda.*

Beatam me dicent omnes generationes. Quid est beatam dicere Mariam, nisi ejus laudes promere, & celebrare? sed quomodo dicit in futuro Beatam me dicent? nonnè & antecedentes generationes laudaverunt Mariam? nonnè & Angelus Gabriel laudaverat Mariam? sed nota ly omnes generationes, quo termino distributivo comprehendit omnes generationes, & præteritas, & præsentes, & futuras, quæ semper laudes celebrarunt, & celebrabunt ad exaltationem Mariæ; talis enim est stylus, quo exprimuntur laudes Dei, ut Psal. 134. In generatione, & generationem annuntiabunt laudem tuam; unde patet, quòd laus Dei Mariæ tribuitur, & quicquid in laudem Mariæ prædicatur, totum refertur in laudem peculiarem Dei, & hinc dicit B. Virgo, Beatam me dicent omnes generationes, quia à principio mundi Maria per figuras semper fuit laudata, & usque in sæcula sæculorum laudabitur ab Angelis, & hominibus: Beatam me dicent omnes generationes, scilicet non solùm primores sapientium scientiarum Principes, sed omnes populi, omnis natio, omnis status, omnis gradus, omnes viri, mulieres, & omnes creaturæ. *Opusc. Specul. Beat. Virgin. in Prol. opusc. Laus Beat. Virg. opuscul. Psalt. min. opuscul. Psalt. Beat. Virgin. pluries passim.*

172. *Dei potentia tota in exornando Mariam cœlestibus gratiis.*

Quia fecit mihi magna, qui potens est. Cur Beata Virgo in celebrando dona à Deo recepta ipsum appellat potentem, qui potens est, nonnè melius dixisset, fecit mihi magna, qui clemens est? sed tamen optima ratione in medium protulit divinam potentiam, quia in tot mirabilibus patratis à Deo in Virgine, tota ratio facti, est potentia facientis: nam in conferendis gratiis Mariæ Virgini replevit totam capacitatem creaturæ, unde meta, & terminus gratiarum est ex una parte capacitas animæ Virginis, & ex alia parte omnipotentia Dei, quasi exhausta fuerit inexhausta Dei omnipotentia, quæ cum possit omnia, tamen non potuit majorem Matrem, quàm Matrem Dei facere; & consequenter majores, & plures gratias conferre puræ creaturæ, & hoc non ex parte omnipotentiæ Dei, quæ est sine termino, sed ratione capacitatis creaturæ recipientis. *Luc. cap. 1. v. 49. serm. 1. & 2. de B. Virg. opusc. Brevil. p. 3. cap. 7. lib. 1. sent. d. 7. p. 1. q. 4 & d. 44. dub. 3. & lib. 3. d. 12. a. 2. quæst. 1. & d. 13. quæst. 1.*

173. *Certamen pium inter potentiam Dei, & Mariam expenditur.*

Fecit mihi magna, qui potens est. Quæ ista magna? Magna quidem, & mirabilia, & incomprehensibilia absque numero. *Luc. c. 1. v. 49.* Addit hic Sanctus Bernardinus senensis serm. 62. Fecit mihi magna, scilicet in me, & per me, quæ Deo erant de se impossibilia facta sunt possibilia, scilicet fecit Deus, quod ipse plus posset facere de Deo, quàm Deus de seipso; quædam enim erant contraria, & contradictoria inter Deum, & Virginem, quæ dum Deus accessit ad Virginem, concordata sunt; puta primò impossibile erat Deum non generare, impossibile erat Virginem generare; impossibile erat Deum generare nisi Deum, impossibile erat Virginem generare Deum; impossibile erat Deum cum alia persona generare, impossibile, erat Virginem sine alia persona generare, accessit Deus ad Virginem, & necesse fuit Virginem generare, & non aliam quàm Deum, & non de aliis quàm de Deo: Verbum per generationem divinam unius personæ Filius est, at postquàm ex Virgine conceptus est, duarum personarum alterius increatæ, alterius creatæ Filius nuncupatur per Mariæ fiat. Sic S. Bernardinus, & ad aures Seraph. Doct. *In spec. B. Virg.*

174. *Potentia Dei Patris maximè elucet in communicatione suæ fœcunditatis Mariæ.*

Fecit mihi magna, qui potens est. Cur qui potens, & non potiùs qui omnipotens? certè communiori phrasi erga ea, quæ ad extra fiunt, non potens, sed omnipotens solet dici? sed tamen Theologicè locuta est Maria; nam Theologico stylo potens dicitur Pater ex generationis potentia, sic Athan. cur ergo Maria loquens de mirabilibus in ipsa operatis nuncupat nomine potentis Patrem? sed attende ad hæc magna, & rei mysterium percipies, magna ista involuuntur in mysterio Incarnationis, in quo Pater communicavit Mariæ suam fœcunditatem; illam inquam fœcunditatem, quam non potest in actu exercito communicare Filio, vel Spiritui Sancto; magna verè sunt ista, & mirabilia, & imperscrutabilia, & insuperabilia, scilicet quod ipsa fuerit potens Dei generare Filium, & talia magna recipere, & talia magna non suæ virtuti attribuit, sed ei qui potens est, qui suam potentiam in humilitate Virginis voluit honorari; ideò beatam me dicent omnes generationes; etiam illa, quæ apud Patrem est. *Luc. c. 1. v. 48. & 49. & sparsim in op. spec. B. Virg. S. Bernardini sermon. 9.*

175. *Per Mariam nomen Ieſus ſanctificatum, & mundo propalatum.*

Et ſanctum nomen ejus. Ad quid Maria poſt expreſſionem potentiæ Patris operantis tot in ipſa mirabilia, ſuperaddit, & ſanctum nomen ejus? anne priùs fuerat ſanctum? an per ipſam redditum eſt ſanctum? maximè, non ſecundùm ſe, quia ab æterno ſanctum erat, ſed ex opere Incarnationis ſanctiſſimum redditum eſt, & omnibus ſæculis, totique mundo manifeſtatum eſt per Mariam in carne, juſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum in gloria: magnum quidem apparuit ratione divinitatis, & ſanctum ratione aſſumptæ humanitatis, nomen enim Jeſus decet ſanctitudo. unde quotidie dicimus, ſanctificetur nomen tuum; & indè venit, quòd Maria ſuperaddidit tot mirabilibus prodigiis in ipſa, & per ipſam factis, etiam ipſius nominis Ieſu Filii ſui ſanctificationem, quia ipſa ſancta, & pia fecit, ut ſanctificatio hujus nominis mundo oſtenderetur. *Luc. cap.1. verſ.49.*

176. *Nomen ſanctiſſimum Ieſus in Maria impreſſum, & ſanctificatum, & ipſius virtus Mariæ communicata.*

Et ſanctum nomen ejus. Nota, quòd hoc verbum ſuperadditum poteſt duobus modis ſumi, primò in ſenſu ſuprà allato, ideſt qui potens eſt, & cujus nomen ſanctum eſt, fecit ut in Maria, & per Mariam ſanctificaretur, & manifeſtaretur tale mundo, ſecundò ut ly ſanctum appellet antecedentem ſententiam, & ordinetur ad ly mihi; fecit mihi magna Pater potentiſſimus, ſed inter hæc magna, mihi, & in me fecit ſanctum nomen ejus, & quomodo fecit in Maria ſanctum nomen ſuum Deus? ſed tamen per hoc elucet mirabilis virtus ſanctiſſimi nominis Ieſus ex una parte, & mirabilia, quæ per hoc nomen operata ſunt in Maria, ex alia fecit mihi magna, qui potens eſt; fecit mihi, & in me ſanctum nomen ejus, ſcilicet in hoc nomine magnificata, & ſanctificata ſum in tabernaculum dignum Altiſſimi. *Luc. c.1.ibid.* Sed quomodo hoc poteſt eſſe? qualem proportionem, vel relationem, vel influentiam poteſt habere nomen Filii cum ſanctitate Matris? ſed transfer mentem ad ſuprà tradita ab Angelo; Ecce concipies, & paries Filium, in Syriaco textu additur cauſalis (enim) vocabis enim nomen ejus Jeſum, & confer cum his verbis Mariæ, fecit mihi magna, & quænam, & quomodo fecit in me ſanctum nomen ejus, nota ly ejus, non dicit ſanctum nomen ſuum, ſed ejus, ideſt Pater in me ſanctificavit nomen ejus, ſcilicet Filii alterius perſonæ, nempè ſanctificavit, impreſſit, communicavit in me nomen Ieſus; ſique (ait Sanctus Anſelmus) hoc nomine ſanctificato in Maria, effectum eſt, ut magna cum ipſa fecerit, qui potens eſt; hinc & Maria ſanctificata, & magnificata ex nomine Filii, ait S. Bon. cit. ut hinc videas, quòd ſi nomen Ieſus ſanctum eſt, & terribile, ſanctum, ſcilicet bonis, venerabile, & virtuoſum, & utiliſſimum omnibus ipſum invocantibus, & terribile malis, & Dæmonibus, hoc maximè fuit in Maria, quod nomen interpretatur Deus ex genere meo, ſcilicet Jeſus; cujus virtus, & efficacia maximè in Virgine Maria habuit ſuos effectus magnos, & mirabiles; ô grandis fœlicitas Mariæ, per hoc nomen magnificatæ, & ſanctificatæ. *Ita S. Bonavent. cit. S. Anſelm. Sanctus Bernardinus, & Bernardus.*

177. *Explicatur textus verborum Mariæ: Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum, fecit potentiam in brachio ſuo, &c. Uſque ad finem Cantici.*

Nota, quòd deſcripto affectu laudantis, & ratione laudandi Deum, ſubditur hic divinæ laudis ampliatio, quæ conſiſtit in commendatione divinæ miſericordiæ quantum ad opus Redemptionis jam in conceptione Virginis inchoatæ; opus autem Redemptionis declarativum eſt miſericordiæ, potentiæ, largitatis, & veritatis divinæ: primum ſcilicet miſericordiæ manifeſtatio habetur ex illis verbis, Et miſericordia ejus à progenie, &c. ſecundum manifeſtatio potentiæ in illis verbis, fecit potentiam, &c. diſperſit ſuperbos: tertium manifeſtatio largitatis in illis verbis, Eſurientes implevit bonis &c. quartum ſcilicet veritatis manifeſtatio in illis verbis, ſuſcepit Iſraël. &c. & ſic in his verbis oſtendit Maria, quòd Chriſti adventus bonis eſt utilis, malis in perditionem. *Luc.c.1.v.50.*

178. *Incarnationis opus eſt effectus divinæ miſericordiæ proficuus timentibus Deum.*

Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Cur primò diffuſionem divinæ miſericordiæ extendit ad omnes progenies, nationes, & homines, poſteà eam reſtringit ad ſolos timentes Deum, nonnè pro omnibus carnem ſumpſit? nonne ad omnes dives eſt in miſericordia? verum quidem eſt, ſed attende, quòd hic loquitur de miſericordia, quam Deus demonſtravit in opere Incarnationis, quod factum eſt pro ſalute omnium quoad ſufficientiam; & in hoc omnes homines participant de hac miſericordia magna Dei, non tamen quoad efficaciam, nam ſolùm timentes Deum ſalvi fiunt per merita Redemptoris, ad quod requiritur etiam noſtra cooperatio per bona, & ſancta opera. *Luc.c.1.v.50.lib.3.d.19.a.2. quæſt.1.*

179. *Chriſti Dei potentia manifeſtatur in ſua Incarnatione ex dejectione ſuperborum, & exaltatione bonorum humilium.*

Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui; depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles. Vide quomodo in Verbi Incarnatione ſecuta eſt manifeſtatio divinæ potentiæ, quia enim fecit potentiam in brachio, ſcilicet ſuâ potentiâ impreſſit vim generatricem in Virgine Maria, ut Dei brachium, ſcilicet Filius Dei conciperetur, in quo opere cordis ſui mentem ſcilicet definitionem conſilii ſui, nempè de facto Incarnationem in Virgine Maria tranſfudit, tunc ſuperbos diſperſit,

eos qui contra consilium Dei superbiunt mente cordis, in intellectu per præsumptionem, in affectu per ambitionem, sicut Lucifer ejusque sequaces, eosque contrivit, è contra humiles exaltavit, quia qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur; & in hoc laus est divinæ potentiæ ut videas, quòd per adventum Christi potentia Dæmonis confracta est, & contra superbos suam potentiam maximè manifestat, & in humiles eos exaltando, exaltatur. *Luc.c.1.v.51.op Myst.Theol.c.3.p.4 ser.1.de S.Ant. ser.1.& 4. de uno Confess. Luc.c.3.v.5.& c.4.v.9. & c.14. v.10.& c.18. v.16 ser.4. Dom.15. Pentec.* Nota etiam, quòd hoc potest intelligi de dejectione facta in principio mundi Dæmonum, & exaltatione bonorum Angelorum, tunc enim ipsis aperuit mentem cordis sui, scilicet decretum Incarnationis Verbi, ut omnes ipsum adorarent tamquam suum ipsorum caput, & suæ prædestinationis initium, quam adorationem recusantes superbi ejecti sunt de Paradiso, & amplectentes humiles exaltati sunt ad gloriam; quod cum Seraph.Doct. docent plures Theologi apud Suarez.

180. *Divina liberalitas copiosa est in pauperes, non in divites, & superbos.*

Esurientes implevit bonis; & divites dimisit inanes. Ecce & alius effectus Incarnationis Verbi, scilicet demonstratio divinæ largitatis in pauperes, & non in divites, & superbos; ut addiscamus, quàm Deo chara sit paupertas voluntaria, hæc enim attrahit à Christo veras divitias; & è contra avaritia privat animam omnibus bonis; discant & divites à Christo, qualiter se gerere debeant in proximum, scilicet esurientes subvenire, & non consumere sua bona in crapulis, epulis, atque conviviis ad imitationem superbi illius divitis, ut in *Luc. c.16.* ne ipsis dicatur Fili recepisti bona in vita tua. *Luc. cap.1. vers.53.& cap.16. vers.23. op.de perfect.vitæ cap.3.*

181. *Deus fidelissimus in suis promissis.*

Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros &c. Ecce conclusio hujus Cantici, in qua Beata Virgo primò præmittit promissionis impletionem, quam promissionem fecerat divina benignitas, & implevit divina veritas, per quod misericordia, & veritas obviaverunt sibi, justitia, & pax osculatæ sunt, & hoc fecit, quando suscepit Israël puerum suum, scilicet carnem ex populo Israël, & ex semine Abrahæ, cui facta fuerat promissio, sic exigente sua misericordia, cujus non potest oblivisci; ex quibus ostenditur quàm fidelis sit Deus in suis promissionibus: Nota autem, quòd dicit (suscepit Israël puerum suum) quòd est intelligendum sic, Israël suscepit Christum puerum suum, qui venit non ministrari, sed ministrare, ut servus; vel Deus suscepit Israël, scilicet populum Judaicum, in quo, & de quo carnem sumpsit, & mysticè suscepit per suam Incarnationem populum Christianum significatum in Israel videntem Deum; suscepit inquam ad sanandum, ut medicus, ad docendum, ut magister, ad regendum, ut Dominus, ad pascendum, ut pastor, & ad salvandum, ut Redemptor, & ditandum, ut Deus: Addit recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham, & semini ejus in sæcula; quod sic potest construi; sicut locutus; ideſt quam misericordiam promisit loquens ad Abraham, & semini ejus; (nota, quòd optimè loquitur Virgo, nam loquor petit accusativum cum præpositione ad, etiam admittit dativum) ubi tangitur status naturæ, & legis naturæ, & in quolibet statu factæ sunt promissiones veris credentibus de adventu Redemptoris, quæ misericordia per ipsam exhibita durabit in sæcula sæculorum; dicit etiam in sæcula, quia beneficium Redemptionis ad omnia sæcula se extendit. *Luc.c.1.v.54.seq.Ugo Card.aliique.*

182. *Cantici Magnificat excellentia expenditur.*

Sicut locutus est &c. & semini ejus in sæcula. Cur ponit in sæcula? Nota, quòd in hoc Cantico continetur omnis ars rethorica, & condigna tali oratrice; & est completissimum, sicut decet ad Deum laudandum, nam incipit à magnitudine summi principii, & prosequitur enarrans beneficia ab ipso provenientia per opus Incarnationis, tandem terminat in æternitate finis; laudat enim eum, qui est Alpha, & Omega, principium, & finis, & quidem valdè rectè, quia in hoc Cantico ostendit consummationem esse factam omnium beneficiorum promissorum; & ideò consummativum est omnium laudum, & Canticorum, & Scripturarum. *Luc.c.1.v.55 Vide Gerson. Benzonium tr.in Magnificat, qui fuso calamo excellentiam hujus Cantici prosequuntur.*

183. *Mariæ mora in domo Elizabeth, & Zachariæ expenditur: ubi de tempore, quo ibi mansit, & recessit.*

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam. Vide quàm ordinatè procedit Evangelista in hac narratione; nam post testimonium prophetiæ & canticum lætitiæ, subditur obsequium charitativum benevolentiæ, quod exhibuit Maria Virgo Elizabeth cognatæ suæ, in quo commendatur à sedulitate obsequii, ibi autem mansit Maria cum illa; secundo à longanimitate propositi, ibi quasi mensibus tribus: tertiò ab honestate contubernii, ibi & reversa est in domum suam, ut habitaret cum sponso custode virginitatis suæ: Hic autem disquirunt Sacti Doctores, an Maria permanserit usquè ad nativitatem Joannis? aliqui negant; sed communior, & verior affirmat; nam post conceptionem Verbi, aliquibus diebus transactis abiit ad domum Zachariæ, nempè post principium Aprilis, & mansit ibi usquè ad nativitatem, & circumcisionem Joannis, ut impleret opus, propter quod venerat: Nota, & oculis tuæ mentis conspice, quomodo completo cantico laudis, istæ duæ Matres simul consederunt, mutuoque sibi narraverunt omnia, quæ acciderant, & modum utriusque conceptionis lætantes, & laudantes Deum, & agentes dies lætitiæ, stetitque ibi Maria quasi tribus mensibus ministrans, & serviens ei in omnibus, quæ po-

terat humiliter, reverenter, & devotè, quaſi oblita ſe Matrem Dei eſſe, & totius mundi Reginam, ô qualis domus, qualis camera, qualis lectus, in quibus pariter commorantur, & requieſcunt tales Matres talibus filiis fœcundatæ Maria, & Elizabeth; Jeſus, & Joannes; ſunt & illi magnifici ſenes ſanctus Zacharias, & Joſeph. Adveniente ergo tempore ſuo peperit Eliſabeth filium, quem Domina levavit à terra, & diligenter aptavit, ut expediens erat; Parvulus autem ipſam quaſi intelligens aſpiciebat, & cum eum Matri porrigere vellet, caput ad eam vertebat, & in ea ſolùm delectabatur, & ipſa lætanter colludebat ei, amplexabatur, & oſculabatur jucundè; conſidera hic magnificentiam Joannis; nullus unquàm talem bajulam habuit: Manſit autem Maria ibi non tantùm obſequii cauſa præſtandi Eliſabeth, ſed etiam ad profectum Matris, & Filii; etſi in primo advẽtu prophetavit Spiritus ſancti inſpiratione, & Joannes, repletus eſt Spiritu S. & ſanctificatus. quid profeciſſe putandum eſt, in donis, & gratiis in toto tempore, quo ibi permanſit Jeſus cum Maria Matre? die autem octavo circumciſus eſt Joannes apertum eſt os Zachariæ, & canticum illud digniſſimum cantavit, & tandem valefaciens Eliſabeth, & Zachariæ, & benedicens Joanni rediit ad domum ſuæ habitationis in Nazareth. *Luc. c.1. v.56. op. medit. c.5. op. ſpec. B.Virg. lect.4.*

184. *Solitudo Mariæ contra curioſitatem mulierum expenditur: Item munus mulierum cuſtodiendi domum, non evagandi foras.*

Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus. Nota hoc verbum, manſit: ubi manſit? in domo cum Eliſabeth prægnante, manebat autem in domo, non egrediebatur, ſicut Dina Gen. c.34. quæ domo eſt egreſſa, ut videret mulieres regionis illius, ex quo egreſſu oppreſſa remanſit; manebat autem ſicut ſedula obſequutrix, non circumibat ſicut curioſa inveſtigatrix de viduis adoleſcentibus, quia ut dicebat Seneca; indicium mentis bene ordinatæ ſecum poſſe morari, & ſecum poſſe conſiſtere; diſcant ex hoc exemplo mulieres Virgines, viduæ & matres familias, quarum proprium eſt manere in domo, & non circuire domos curioſas, verboſas, & loquentes quæ non oportet, ut dicit Apoſtolus: Maria autem ibi permanſit uſque ad nativitatem Joannis propter quam maxime venerat, & propter obſequium præſtandum matri. *Luc.c.1.v.56.*

185. *Vbi invocatur Maria Virgo, ibi omnis benedictio venit.*

Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus. Ad quid? manſit, ut obſequium præſtaret Matri prægnanti, ſed magis ut benedictionem, & gratiam impertiret, & conferret Joanni, ex quo ſecutum eſt omne bonum in illa domo; ut videas quod Deus benedictionem ſuam abundanter confert, ubi invocatur, & moratur Maria Virgo; ô quales fructus ex devotione Mariæ, ô quam felix, qui in domum ſuam introducit devotionem Mariæ. *Luc.c.1.v.56. op.ſpec. B. Virgin. lect.1. ſer.1.& 2. de B.Virg.*

186. *Manſio trium menſium Mariæ quid nobis moraliter ſignificet.*

Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus. Scilicet & uſque ad Joannis nativitatem: Cur tribus menſibus? quia qui concipit bonum deſiderium Deo ſerviendi debet ad alta conſcendere uſque ad partum, & effectum per exercitium trium virtutum, ſcilicet fidei, ſpei, & charitatis, & ibi perſeveranter permanere. *Luc. cap.1 verſ.56.*

187. *Joannes ex contubernio Mariæ Virginis in ortu ſuo implevit tempora multa? ubi de celebratione ſui ortus in Eccleſia.*

Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Nota, quòd poſt gratiarum actionem de conceptu Salvatoris ſubditur gratiarum actio de nativitate Joannis; gratiarum autem actio decantata eſt in conceptu, & ortu Salvatoris, quia immunis fuit à peccato; de ortu verò Ioannis fit gratiarum actio, non de conceptu, quia conceptus eſt in peccato, ſed de ortu, quia natus eſt in gratia; dicitur autem, quòd impletum eſt tempus pariendi Ioannem; quid eſt hæc impletio, & plenitudo temporis Ioannis? hoc dicitur, quia venit plenitudo temporis adventus Chriſti, & ut ſignificaretur, quòd Ioannes in ortu ſuo implevit tempora multa, & ex contubernio Mariæ, & Ieſus plenitudo gratiarum deſcenderat in Ioannem; & hinc eſt, quòd de nativitate Ioannis celebratur in Eccleſia ſolemnitatis feſtum, non de quocumque alio, ob inquam plenitudinem gratiarum, quibus repletus eſt. *Luc. c. 1. v.57. ſeq.* Divus Ambroſius, Chryſoſtomus, alique Sancti Patres.

188. *Mundani ſapiunt ſolùm ea, quæ ſunt mundi: Juſti tantum cæleſtia.*

Et vocabant eum nomine Patris ſui Zachariam, ſcilicet vicini, & cognati; & Mater ait nequaquam, ſed vocabitur Joannes & Pater ſcripſit dicens, Joannes eſt nomen ejus. Vide quomodo certant ad invicem mundani, & juſti, illi carnaliter ſapiebant, ideò nomen carnis exigebant; Pater verò, & Mater tamquam juſti eligunt nomen à gratia proveniens; ut videas, quod mundani mundana ſapiunt, & cæleſtia negligunt: è contra juſti &c. *Luc.c.1.v.59.& ſeq.*

189. *Ex nomine cognoſcitur immenſitas meritorum Joannis Baptiſtæ.*

Joannes eſt nomen eius. Cur Joannes? Joannes interpretatur gratia, ut ex hoc nomine dignoſceretur magnitudo gratiæ, & meritorum; tum ex parte abundantis gratiæ, quam accepit adhuc ex utero Matris, & in ortu; tùm ex parte humilis conſcientiæ, per quam vilia ſemper de ſe ſentit, tum ex parte aſperæ pœnitentiæ, quam ſemper portavit; tum ex parte zeli juſtitiæ, pro qua mori non timuit; ergo Joannes vere fuit cum gratia per totum tempus vitæ ſuæ. *Ser. 2. de S. Joanne Bapt. Luc.c.1.v.60. Ioan.c.1.v.6.& collat.3.*

190. Os

190. *Os, & cor promptum habere, & apertum ad divinas laudes ſignum inhabitantis gratiæ.*

Apertum eſt autem illico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum: Vide quomodo ad ortum vocis Verbi ſtatim aperitur os juſti; ubi enim moratur gratia, & amor Dei, ibi aperitur os cordis, & corporis, & lingua ad Deum laudandum, ut factum eſt in Zacharia; ut videas, quod proprium eſt juſtorum os apertum habere ad confeſſionem laudis divinæ & peccatorum, iniquorum eſt ad turpiloquia. *Luc. cap. 1. v. 64. ſeq. ſer. 1. Dom. 11. Pent.*

191. *Canticum Benedictus Dominus Deus Iſraël compendiosè expenditur.*

Et Zacharias repletus Spiritu ſancto prophetavit dicens, Benedictus Dominus Deus Iſraël, &c. Nota, quod deſcribitur gratiarum actio quantum ad modum in hoc cantico cujus ſunt quatuor partes; in prima fit gratiarum actio pro beneficio Redemptionis in quantùm perficienda erat per Chriſtum; in ſecunda in quantùm erat promiſſa per Prophetas, ibi ſicut locutus eſt per os Prophetarum; in tertia in quantum erat promiſſa Patriarchis juramento, ibi jusjurandum, &c. in quarta in quantum erat inchoata in Præcurſore, ibi, & tu puer, &c. In prima parte tangitur myſterium Incarnationis, ibi Benedictus Dominus, &c. quia viſitavit, &c. tangitur pretium Redemptionis, ibi & fecit Redemptionem, &c. tangitur & trophæum Reſurrectionis, ibi & erexit cornu ſalutis, &c. *Luc. cap. 1. verſ. 68.*

192. *Chriſtus promptus ad ſe petenti communicandum.*

Jusjurandum; quod juravit, &c. daturum ſe nobis. Cur cum jusjurando hoc promiſit? ut excitaret nos ad petendum ab ipſo gratias, & ut oſtenderet promptitudinem conferendi, & donandi ſe ipſum mundo. *Sermon. 4. in Regat.*

193. *Chriſtus venit ad liberandum nos à ſervitute diaboli, ut ſine timore inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi. Ser. 1. in Paſcha.*

194. *Dei verum ſervitium exigit ſanctitatem, & juſtitiam & exercitium divina præſentia.*

In ſanctitate, & juſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris: Nota quid exigit à nobis Deus, nempè tria, munditiam à peccatis ſignificatam per ſanctitatem; progreſſum de virtute in virtutem ſignificatum in juſtitia; & hoc coram Deo, ſcilicet per exercitium ſuæ præſentiæ, & hinc addit omnibus diebus noſtris, ſcilicet cum perſeverantia, ſine qua non obtinetur corona. *Luc. cap. 1. verſ. 75. ſer. 3. Dom. 15. Penitec. Luc. 6. 16. verſ. 13.*

195. *Prædicator cum Ioanne Baptiſta debet parare vias Dei.*

Tu puer Propheta Altiſſimi, &c. præibis enim antè faciem Domini parare vias ejus. Nota, quod hoc fuit munus Ioannis Præcurſoris Chriſti; hoc eſt & Prædicatorum, qui mittuntur ad parandas vias Domino; dicit vias Domini, ſcilicet viam cognitionis in fide, & affectionis in charitate, debet enim docere intellectum ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, & movere affectum ad bona opera. *Luc. capite 1. verſ. 76.*

196. *Viſitatio multiplex Chriſti Ieſu in carne ad noſtram ſalutem expenditur.*

Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ, &c. per viſcera, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto. Nota, quod peculiari modo Zacharias in medium ponit viſitationem noſtram factam à Chriſto in ſuo adventu in carnem; quia hic fuit totus finis ſui adventus in mundum; venit autem ut legatus miſſus à Patre ad viſitandam Provinciam hujus mundi, ad corrigendum delinquentes; venit ut Magiſter ad viſitandum diſcipulos, eoſque docendum ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, & ad dandam ſcilicet ſcientiam ſalutis; venit ad excitandum negligentes, ut princeps populi; venit ad viſitandam vineam ſuam, & ad promovendum operantes; venit ſicut Paſtor ad conſervandum obedientes; venit ad viſitandam ut ſponſus ſponſam, ſcilicet ad fœcundandum contemplantes; venit ad viſitandum ut Rex exercitum ad adjuvandum pugnantes; venit ut medicus ad viſitandum, & curandum infirmos; venit ut Paterfamilias ad remunerandum operantes; & hoc per viſcera ſuæ infinitæ miſericordiæ. *Luc. c. 1. v. 79.*

197. *Aliqua ſancti Ioannis Baptiſtæ prærogativæ enumerantur.*

Puer autem creſcebat, ſcilicet ætate *& confortabatur ſpiritu, ſcilicet in virtutibus.* Nota; quod ex his ſupradictis ab Evangeliſtis inferuntur multæ ſancti Ioannis prærogativæ; & prima eſt; quod deſcendit ex parentibus ſacerdotali genere, & nobilitate, ſcilicet juſtitia, & ſanctitate præditis: ſecunda, ex ſterili utero, parentibuſque ætate provectis caſtiſſimè eſt genitus: tertia, ejus conceptio, aliaquè dona ipſi à Deo collata ab eodem Gabriele prænuntiata; qui & Incarnationem Verbi annunciavit: quarta in utero fuit ſanctificatus, & Spiritu ſancto repletus: quinta exultatio in utero ad adventum Mariæ, & Ieſus! ſexta uſus rationis in utero, & infantia ei fuit à Chriſto collatus: ſeptima primus inter homines poſt Virginem Mariam Chriſtum adoravit, & ab ipſa Virgine viſitatus eſt, & amplexarus: octava ſolius Ioannis poſt Chriſtum, & Mariam nativitas in Eccleſia ſolemnizatur; nona nomen ab Angelo ei fuit impoſitum: decima numquàm mortiferum peccatum

commiſit : undecima à pueritia hominum conſortia fugit, & in deſertum intravit, & totum ſe pœnitentiæ auſteritatibus ſubjecit : duodecima Propheta, & pluſquam Propheta à Chriſto declaratus fuit ; præterita enim prædixit; præſentia, ſcilicet Chriſtum præſentem nuntiavit, & futura novit : tertiadecima illibatam virginitatem ſemper ſervavit, & pro caſtitate martyrium ſubiit : quarta decima fuit & Doctor, & Magiſter, & Prædicator Chriſti, & pœnitentiæ & voce, & vita, & baptiſmo, ideò tres habuit aureolas, ſcilicet Martyris, Virginis, & Doctoris ; verè igitur dictus eſt magnus coram Domino, & inter homines major omnibus. *Sermon. 1. & 2. de S. Ioanne ſer. 1. & ſeq. de S. Ioan. in addit. Luc. c. 1. & Ioan. c. 1.*

198. *Educatio inventutis qualiter procuranda à parentibus.*

Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu. Nota hæc duo, creſcebat Joannes quoad ætatem, & in carne, & confortabatur ſpiritu, ſcilicet quantùm ad profectum virtutis in mente, & ſubdit, & erat in deſertis, ſcilicet quoad religioſitatem in converſatione ; Tria hæc deben à parentibus procurari in filiis, quia in ipſis tat perfecta educatio iuventutis. *Luc. cap. 1. ſt in fine.*

199. *Converſatio hominum, & loquacitas vitanda à ſervis Dei ; item & pœnitentia quàm æſtimanda, & tribulatio.*

Et erat in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ. Ecce quid fecit Joannes, ut ad perfectum virtutis pertingeret ; fugit converſationem mundanorum, ſeceſſit in deſertum, ne levi ſaltem maculare poſſet vitam flamine, & verbo otioſo, qui enim non refrænat linguam ſuam, nec poteſt religioſam ducere vitam. *Luc. cap. 1. in fine.* Nota etiam, quod ex pœnitentia aſſumpta à Ioanne in principio ſuæ pueritiæ diſcere debemus, quòd hæc eſt ſola via, per quam ad Dei gratiam, & gloriam pervenire poſſumus ; hanc Chriſtus, hanc omnes ſancti æſtimaverunt, & amplexi ſunt. *Ser. 17. Hexam.*

200. *Prædicator prius ſibi vivat, ut aliis prodeſſe poſſit.*

Et erat in deſertis uſque ad diem oſtenſionis ſuæ. ſcilicet ſibi ipſi priùs vixit ſe ſubjiciens pœnitentiis, auſteritatibus, & orationi antequàm prædicationis munus acciperet: diſcant ab hoc exemplo Prædicatores ; vivant prius ſibi ipſis occultè in exercitiis virtutis, ut poſſint poſteà ad aliorum ſalutem vivere ; Undè dicit S. Iac. *c. 3.* quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos ? oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ, quia ubi vita deſpicitur, etiam prædicatio contemnitur. *Luc. c. 1. ad finem.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Nota, quod terminata parte illa, in qua agitur de conceptu ſalvatoris in utero, ſequitur ſecunda pars, in qua agitur de ortu ſalvatoris ex utero, quod fit in hoc capite, & in duas partes principales dividitur : Prima continet nativitatis Chriſti veritatem ; ſecunda naſcentis humilitatem ; prima continet nativitatem, & manifeſtationem factam ab Angelis, & à Paſtoribus ; ut autem nativitas ſecreta debitè manifeſtetur, aſſignatur ab Evangeliſta tempus, locus, & Virginis partus : tempus eſt univerſalis imperii unicum regimen ; locus eſt Bethleem, in quo natus eſt Chriſtus Ieſus ex Virgine Maria. Luc. c. 2. v. 1.

CAP. II.

2. *Deſcriptio omnium hominum à Cæſare Auguſto ordinata deſignabat Chriſti attributa.*

Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ſcilicet Octaviano *ut deſcriberetur univerſus orbi*. Ita quod non ſine ordinatione divina factum eſt, ut appropinquante tempore ortus Chriſti deſcribi faceret Auguſtus omnes homines, quia per hoc oſtenditur in potentia, ſapientia, & juſtitia Principis terreni potentia Chriſti naſcituri in præcipiendo, & regendo omnia ; ſapientia in diſcernendo, & juſtitia in proſequendo, ut ſcilicet unuſquiſque ſuas facultates cognoſceret, & pax inter omnes conſervaretur : *Luc. cap. 2. v. 1. ſeq.* Notat etiam hic Ruper. Abb. quod voluit Deus magis invertere totum mundum hac deſcriptione, ut hac occaſione extrà patriam Maria pareret, ne aliqua ſuſpicio mali apud vicinos oriretur de Beata Virgine quod tam citò pareret, & ſic ipſius famæ proſpiceretur.

3. *Chriſtus voluit naſci in tempore, quo ſtatim natus ſub tributo poneretur, quia nos à captivitate venerat liberare.*

Et ibant omnes, ut profiterentur, ideſt deſcriberentur ſinguli *in ſuam civitatem ; aſcendit autem & Ioſeph. &c. ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Vide altiſſima Dei conſilia: nam Chriſtus tunc temporis voluit naſci quando Judæa tota fuerat tributaria Imperatori Romano, cujus imperio voluit obedire Maria Regina totius mundi, ſic enim ſtatim ac natus eſt Chriſtus, fuit poſitus ſub tributo, quia naſci ſic voluit, qui à tributo, & captivitate homines venerat liberare. *Luc. c. 2. & Beda.*

4. *Imperium*

4. *Imperium humanum famulatur divino, ideò potestatibus sæcularibus Deus voluit obtemperare.*

Ascendit & Ioseph, ut profiteretur cum Maria, &c. Nota, quod ex hoc patenter infertur humanum imperium famulari divino, & ideò Deus voluit, ut hæc universalis descriptio in propria civitate præciperetur ab Augusto Cæsare, ut Christus hac occasione nasceretur in Bethlehem; & cum Maria mundi Regina huic præcepto obtemperaverit, dat nobis intelligere, quòd etiam potestatibus sæcularibus est obtemperandum. *Luc. cap. 2. vers. 5.*

5. *Christus voluit nasci in tempore totius orbis in pace compositi, ut dignosceretur Rex, & author verè pacis.*

Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis. Scilicet in tempore, quo Orbis totus in pace erat compositus, & hoc voluit Christus, ut ostenderet se Regem, & authorem pacis venisse, & ut pacem toti mundo afferret. *Luc. ibid. op. medit. c. 7.*

6. *Maria Mater omnium Fidelium: Christus primogenitus Mariæ inter homines.*

Et factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret, & peperit Filium suum primogenitum. Ecce quòd in plenitudine temporum tandem advenit Christus ortus ex Maria Virgine Primogenitus, & cum audis primogenitum, non intelligas in ordine ad alios filios naturales, ut impie dixerunt Hæretici; nam Beata Virgo Maria solùm Christum genuit; sed dicitur Primogenitus per ordinem ad priùs, importans privationem prioris, scilicet quia novus fuit, scilicet conceptus sine pudore, & natus sine dolore, & quia sicut est primogenitus Patris, sic est & Matris, sicut & unigenitus utriusque; dicitur etiam primogenitus, & unigenitus Matris, quia ultrà hunc Filium naturalem Maria habet alios filios adoptivos, quia Mater in Filio facta est omnium fidelium. *Luc. c. 2. v. 6. seq. op. Laus B. Virg. opusc. Psalt. minus.*

7. *Christi paupertas multipliciter ostenditur in suo ortu.*

Et peperit Filium suum primogenitum. Vide quid sequitur ad ortum primogeniti, & unigeniti Patris, per quem fecit omnia, & Matris Reginæ totius mundi, Et pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio; nota verba, signa mysteria. Nota inquam Regem Cœlorum egentem operimenti, lecti, & hospitii: propter defectum operimenti dicit, & pannis eum involuit, pannis dicit non uno, sed multis, nempè velo Matris, & pallio Ioseph, ut pannosum pauperem: pannis inquam non mollibus, sed vilibus, & despectis, propriisque pauperum, & hoc ad contemptum vestium pretiosarum, & pompæ sæcularis: secundò reclinatur in præsepio, quia non habuit Christus ubi caput reclinaret, nisi in præsepio; subdit quia non erat ei locus in diversorio, in quo se collocaverant, quia domum habere non potuerunt ob pauperratem; idcò in diversorio arctissimo, scilicet in spelunca quadam pastoritia se receperunt, nec ibi alter locus, nisi præsepe aderat, & per hoc damnavit divitum opulentiam, & avaritiam, invitans nos ad contemptum omnium rerum mundanarum. *Ioan. cap. 19. v. 18. sermon. 3. Dom. 4. Advent. Brevil. proæm. Sap. cap. 7. opusc. de paup. Christi in proœm. opusc. speculi. discipl. p. 1. cap. 25. Luc. cap. 2. vers. 7. sequent.*

8. *Christus in domo panis nascitur. Panis expositus fidelibus suis.*

Et reclinavit eum in præsepio. Nota, quòd non sine mysterio voluit nasci in Bethlehem, quæ interpretatur domus panis, & reclinari in præsepio, ut se ostenderet panem de Cœlo missum, & expositum humilibus, & pauperibus, & suis imitatoribus; unde rectè hoc præsepe appellatur refectorium Angelorum, quia in ipso solùm angelicè viventes pasci, & refici possunt, & ad quam mensam invitantur boni, & justi. *Luc. cap. 2. cit. opusc. de quinque fest. sol. 2. serm. 6. in Nativit.*

9. *Describitur Christi nativitas cum suis circumstantiis.*

Et peperit Maria Filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinavit eum in præsepe. Vide hic quomodo Ioseph, & Maria à civitate Nazareth, quæ distabat ab Ierusalem quatuordecim vel quindecim milliaria, ad Bethlehem distantem pariter & alia puta quinque, vel sex milliaria, ducentes secum bovem, & asinum, pervenientes autem illuc non potuerunt invenire hospitium, ut ex tam longo itinere quiescere possent, coguntur divertere ad quamdam viam coopertam, vel criptam, ubi homines, & Pastores tempore pluviarum divertebant: Ibi Ioseph, qui erat magister lignarius aliqualiter se clausit, & præsepe etiam aliquale pro bove, & asino aptavit; cumque veniret hora partus, scilicet in media nocte dominicæ diei, surgens Virgo appodiavit se ad quamdam columnam, quæ erat ibi; Ioseph verò sedebat mœstus, eo quòd non habebat, quæ decebant, parare, surgens ergo, & accipiens de fœno præsepis projecit ad pedes Dominæ, & vertit se in aliam partem, tunc Filius Dei æterni dote subtilitatis indutus exiens de Matris utero sine aliqua molestia vel læsione, in momento, sicut erat in utero, sic fuit extra uterum super fœnum ad pedes Matris suæ, & Mater in continenti se inclinans, recolligens eum, & dulciter amplexans posuit in gremio suo, & ubere de Cœlo pleno, & Spiritu Sancto edocta, cœpit lavare, sive lavire ipsum per totum cum lacte suo, quo facto involuit eum in velo capitis sui, & posuit eum in præsepio, & tunc bos, & asinus flexis genibus posuerunt ora super præsepium flantes per nares, ac si ratione utentes cognoscerent, quòd puer sic pauperrimè contectus calefactione, tempore tanti frigoris, indigebat: Mater verò flexis genibus adoravit, & gratias agés Deo, dixit Gratias tibi ago Domine Sancte Pater, qui Filiũ tuum mihi dedisti, &

adoro te Deus æterne, & te Filium Dei vivi, & meum; Joſeph autem ſimiliter adoravit eum, & accipiens ſellam aſini, & extrahens de ea cuſſinellum poſuit juxtà præſepe, ut Domina ſuper eum ſederet, ipſa verò ſe poſuit ibi ad ſedendum, & ſellam poſuit ſubtus cubitum,& ſic ſtabat Domina mundi, tenens vultum ſuum ſuper præſepe, innixa oculis, & toto affectu ſuper dilectiſſimum Filium ſuum;hoc totum habetur(*ait S.Bon.op.medit.c.7.*)ex revelationibus factis à Beata Virgine: Addunt ad hæc alii Doctores, quòd Sanctus Joſeph cooperuit etiam puerum frigore tremente pallio ſuo, in quo veluti piſtor cœleſtis panem hunc Angelorum intendebat conſervare, ne frigore tabeſceret.*Vide Petrum Morales in Matthæum in hunc locum.*

10. *Ieſus parvulus reclinatus in præſepio Magiſter Eccleſiæ, quas lectiones edoceat: Ubi de paupertate, humilitate, afflictione corporis, & contemptu mundi, & divitiarum.*

Et reclinavit eum in præſepio. Ad quid voluit reclinari in præſepio in anguſtiſſimo diverſorio: ſed audi Patrem æternum dicentem cuilibet noſtrum, *Ecce dedi eum ducem,& præceptorem. Iſai. cap.*2. *& Ioan. c.* 13. *Exemplum dedi vobis ego Dominus,& magiſter.*Reclinatur in præſepio, ut veluti magiſter doceat Eccleſiam, & omnes homines myſteria cœleſtia; audi quales lectiones: prima lectio fuit ſuper pretioſitatem paupertatis, abundabat in terris hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium ejus, neſciebat inquam, quòd paupertas eſt illa pretioſiſſima Margarita, pro qua emenda, omnia ſunt vendenda, eſt & totius ſpiritualis ædificii fundamentum primum, nam cum ſarcina rerum temporalium Spiritus ad Deum non poteſt aſcendere: eſt via ſpiritualis ſalutis, tamquam humilitatis fomentum, & perfectionis radix, cujus fructus eſt multiplex, ſed occultus; hanc itaque Dei Filius concupiſcens deſcendit in uterum paupertimæ Virginis, ut eam ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faciat pretioſam: Alia lectio hujus magiſtri cœleſtis eſt de pretioſitate humilitatis, quam tam Ieſus, & ejus Mater non dedignantes ſtabulum, non beſtias, non fœnum, & cætera alia vilia perfectiſſimè ſervaverunt, & nobis commendaverunt: Alia lectio eſt de cordis, & corporis afflictione, & pœnalitate, & contemptu omnium rerum; naſciturus enim Dei Filius, cujus in arbitrio erat, quodcumque vellet eligere tempus, elegit quod moleſtius eſt, præſertim parvulo, & pauperis Matris Filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præſepe ad reclinandum; & quia ſciebat reprobare malum,& eligere bonum,hinc nos docuit eligere melius, & utilius, nempè paupertatem, humilitatem, contemptum mundi, afflictionem corporis, & reſpuere delicias, voluptates, divitias, & pompas mundi: Adorna igitur thalamum tuum ô anima humilitate, paupertate, ſi vis parvulo Ieſu te conformare, & ipſi placere; non enim conſolatur Chriſti infantia garrulos, non conſolantur Chriſti lachrymæ cachinnantes, non conſolantur panni ejus ambulantes in ſtolis, non conſolantur ſtabulum, & præſepe amantes primas cathedras in ſynagogis; egenus igitur natus damnat avaritiam, parvulus natus damnat ſuperbiam, de Virgine natus damnat luxuriam. *Opuſc. medit. c.*7. *Luc. cap.* 2. *v.*4. *& ſeq.*

11. *Altare ut myſticum præſepe, in quo veluti in refectorio Angelorum exponitur panis vitæ bovi, & aſino.*

Et reclinavit eum in præſepio. Cur coram bove & aſino exponitur Panis Angelorum? ſed attende ad myſterium; Chriſtus eſt panis Angelorum,eos in æterna gloria perpetuò paſcens in deliciis, iſte panis de Cœlo deſcendit in uterum Virginis, in quo veluti in clibano igne Spiritus Sancti compoſitus, & coctus eſt, & in hac nocte expoſitus fuit à Maria coram bove, & aſino, per bovem populus Gentilis, per aſinum Judaicus ad Deum converſus,coram ipſis veluti humilibus, & ſimplicibus in Altari, quod eſt præſepium Eccleſiæ, & refectorium Angelorum exponitur,ut omnes ad hunc partum conveniant, ut Paſtores, & Angeli ſimul omnes ſint commenſales.*Luc.c.*2. *cit.op.de quinque ſolemnit.pueri Ieſu. Pſal.*51.*ſer.*6.*in Nativit.*

12. *Nativitas ſpiritualis Ieſus in anima ſuadetur.*

*Impleti ſunt dies,ut pareret, & peperit Filium ſuum primogenitum,&c.*Nota,quòd celebratur hoc feſtum nativitatis Domini Ieſu in Eccleſia, non ſolùm ad renovandam memoriam hujus dulciſſimi myſterii, ſed magis ad excitandum quemlibet,ut in ſeipſo celebret novam nativitatem Ieſu ſpiritualem: Primò igitur anima volens ſpiritualiter celebrare hoc myſterium, & poſt conceptionem ſpiritualem ſanctorum deſideriorum Ieſum parturire, debet eſſe myſtica Maria; Maria interpretatur amarum mare, illuminatrix, & Domina; eſto ergo amarum mare per lachrymoſam contritionem, ut pro peccatis commiſſis amariſſimè doleas, ut de bonis omiſſis profundiſſimè ingemiſcas, & de diebus neglectis,& perditis inceſſanter te affligas, eſto ſecundò illuminatrix per honeſtam converſationem, per virtuoſam operationem, & ſtudioſam aliorum in bono informationem: eſto tertiò Domina ſenſuum, carnalium concupiſcentiarum, omnium operationum tuarum,& omnes actiones ſecundùm rectum rationis libramen facias, & in omnibus tuam ſalutem,& proximi ædificationem divinam laudem, & gloriam appetas, & requiras; hæc eſt illa felix mulier, quæ pro peccatis perpetratis dolet, & ingemiſcit, quæ virtutibus fulget, & clareſcit, quæ carnalibus delectationibus dominatur; ab iſta Maria Ieſus Chriſtus cum gaudio ſine dolore, abſque labore ſpiritualiter naſci non dedignatur; poſt hanc felicem nativitatem cognoſcit, & guſtat, quàm ſuavis eſt Dominus Ieſus; iſta igitur ſpiritualis nativitas celebratur, cum anima incipit agere, opere perficere, quod diu conceperat in mente; & tunc Chriſtus nutritur Sanctis meditationibus, quando balneatur devotis, & calidis lachrymarum fontibus, quando involvitur caſtis

deſiderio

deſideriorum velaminibus, portatur ſanctæ dilectionis in amplexibus, oſculatur crebris devotionis affectibus, & confovetur in interioribus mentis ſinibus; quando in præſepio conſcientiæ puræ, inferiùs per contemptum mundanorum clauſæ, ſuperiùs apertæ per deſiderium æternorum collocatur; hîc eſt locus requietionis pauperis Regis; hic ſedet Virgo pura cum puero Jeſu, ideſt oratio pura cum devotione, ſincera in affectione permanens; hic adorant animalia, ideſt ſenſualitates rationi ſubjacent; hic Reges ideſt virtutes intellectuales, cum deſideriis,& affectionibus novis moventur ad adorandum Jeſum, hic Angeli, ideſt omnes habitus virtuoſi per mentis hilaritatem jubilant, propter mentis tranquillitatem pacem annuntiant, propter cordis ſerenitatem Jeſum prædicant; hic ſancti Paſtores, ideſt ſanctæ meditationes parvulum natum Ieſum in præſepio inveniunt; ô felix, & beata nativitas; ô felix præſepe continens in ſe refectorium jumentorum, & Angelorum. *Op. quinque feſtiv. ſolemn.* 1.

13. *Signa nativitatis ſpiritualis in anima expenduntur.*

Et reclinavit eum in præſepio. Nota, quòd iſta benedicta nativitas comprobata fuit multis ſignis, & prodigiis; nam Romæ muri templi pacis funditùs corruerunt; Sodomitæ in toto orbe morte ſubitanea interierunt; Vineæ Engaddi illa nocte floruerunt, & fructum balſami protulerunt: fons aquæ in fontem olei mutatus eſt, & fluxit uſque in Tiberim, & manavit tota nocte illa: Stella magna apparuit, quæ formam pueri pulchri habuit, & in capite crux ſplendebat: Tres ſoles apparuerunt in Oriente, & paulatim in unum corpus ſolare ſunt redacti: In meridie circulus aureus apparuit circa ſolem, & in medio circuli Virgo pulcherrima puerum geſtans in gremio; hanc beatiſſimam nativitatem Angeli prædicaverunt; Paſtores nuntiarunt, & animalia cognoverunt, ecce quot ſigna, & prodigia; ſed omnia ſpiritualiter in te ô anima debent verificari: Vide igitur, & conſidera, ſi in te corruit templum vanitatis, & idolum avaritiæ, ſi in te eſt aliquod veſtigium carnalis delectationis; ſi in te floreat vinea balſami, ideſt multitudo ſanctarum affectionum; ſi de fonte cordis tui fluat oleum ſanctarum operationum; utrum in te ſplendeant tres ſoles virtutum Theologicarum; ſi ſtella divinæ cognitionis in tua mente fulgeat; ſi circulus aureus circa ſolem, ideſt ſancta affectio circa cognitionem de hoc myſterio habitam, appareat: ſi Virgo cum puero illic ſedeat; ideſt oratio pura cum devotione ſincera in affectione permaneat; ſi hæc omnia in te inveniuntur, ſcias te peperiſſe Chriſtum natum, ubi Angeli jubilant, Deum glorificant, & pacem prædicant, quia pax regnat in tali anima. *Op. de quinque feſtivit. ſolemn.* 2.

14. *Annuntiatio nativitatis Chriſti per Angelos Paſtoribus facta expenditur ad litteram.*

Et Paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes, &c. & dixit illis Angelus, &c. Deſcripta nativitate Chriſti, hic Evangeliſta ipſius denuntiationem narrat, ad quam tria concurrerunt: primum eſt diſpoſitio præparans, ſcilicet vigilantia Paſtorum: ſecundum, annuntiatio invitans ad exultandum, ibi & dixit illis Angelus: tertium, confirmatio certificans, & ſuadens Paſtores ad videndum parvulum Ieſum natum, ibi & hoc vobis ſignum, &c. *In Lucam c.* 2. *v.* 9.

15. *Vigilantia qualis requiritur in Paſtoribus animarum.*

Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Ecce quale debitum Paſtorum, & Rectorum animarum, nempè vigilare debent ſuper gregem ſuum; & hoc præcipuè in nocte propter hoſtilem incurſum repellendum luporum, & latronum infernalium; ne ipſis dicatur id, quod *Hierem. c.* 13. & *Zach. c.* 11. O Paſtor, & idolum derelinquens gregem, ubi eſt grex, qui datus eſt tibi; redditurus es enim rationem pro animabus tibi commiſſis. *Luc. c.* 2. *v.* 9

16. *Felices, qui gregem ſuarum paſſionum, & inclinationum regunt, infelices, qui à tali grege reguntur.*

Et cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Nota ly vigilias noctis, & ly ſuper gregem ſuum; quia de nocte maximè ſolliciti erant de ſuo grege, ut pro libito ſuo ipſum regerent; dat per hoc intelligere, quòd alii reguntur à grege, alii ipſum gregem regunt? qui enim deſideriis pecorinis deſideriorum, & Paſſionum in pratis hujus ſæculi omnem licentiam admittit, qui ea paſcit, & paſcere ſinit pro libito ſecundùm carnem, iſte rixas, bella, & omnia mala invenit; è contra qui ſuper gregem iſtum pecorinum vigilat, & cuſtodiam ſervat, qui rationi ipſum ſubjicit, iſte verus, & bonus Paſtor eſt, & viſitationem Angelorum, & pacem invenit. *Op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 17. *Luc. cap.* 2. *verſ.* 9.

17. *Vigilantibus conferuntur conſolationes ſpirituales, non dormientibus.*

Vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis, &c. & ecce Angelus ſtetit juxta illos, & claritas Dei, &c. Vide quibuſnam conceditur à Deo Angelica aſſiſtentia, & claritas cœleſtis, nempè Paſtoribus vigilantibus, & cuſtodientibus vigilias noctis ſuper gregem ſuum, ut diſcas, quòd vigilanti ſpiritualiter contra hoſtes, & cuſtodienti vigilias ſuper ſuas potentias Deus mittit Angelos, ut ipſis aſſiſtant, & communicent influentias cœleſtes: hoc diſcant activi, & contemplativi, nam talibus nox hujus vitæ in levem convertitur, & in corde ſuo naſcitur Chriſtus. *Luc. c.* 2. *v.* 8. & *ſeq.* & *c.* 13. *v.* 52. *op. Eccleſ. Hier. p.* 3. *c.* 3. & *p.* 4. *c.* 1. *op. de quinque feſtiv. ſolemn.* 2.

18. *Chriſtus venit principaliter propter pauperes, ſimplices, & vigiles.*

Et ecce Angelus Domini ſtetit juxtà illos, & claritas Dei circumfulſit illos. Cur potius Paſtoribus annuntiatur primò Chriſti nativitas, & communicatur cœleſtis claritas, quàm Sacerdotibus, & Principibus? hoc fuit, quia Chriſtus venit principaliter propter pauperes, ut ipſorum miſeriam relevaret; datque intelligere, quòd pauperibus, ſimplicibus, & vigilantibus conceditur ſuper alios videre ſublimia, eiſque confertur participatio fructuum Chriſti nativitatis. *In Luc. cap. 2. verſ. 9.*

19. *Differentia qualis inter inſpirationes cœleſtes, & diabolicas.*

Et timuerunt timore magno, & dixit Angelus; nolite timere; ecce enim evangelizo vobis gaudium, &c. Cur permittit Deus, ut iſti Paſtores, quibus mittit Angelum ad annuntiandum tam jucundum gaudium, terreantur timore tam magno? cur non potiùs in principio eos replet gaudio maximo? hoc factum eſt, ut pateat diſcrimen inter Angelum lucis, & tenebrarum, inter inſpirationes cœleſtes, & diabolicas; nam cœleſtes in principio terrent, ſed timor ſtatim, & terror expellitur, & gaudium inundat ſuper cor juſti; è contra diabolus in principio gaudium immittit, ſed terminat poſteà in terrorem, & excidium. *Luc. c. 2. v. 10. op. de Prof. Relig. lib. 1. c. 2.*

20. *Gaudium ſpirituale juſtorum, & gaudium iniquorum qualiter differant.*

Nolite timere; ecce evangelizo vobis gaudium magnum. Nota hæc verba Angeli: primò timorem excludit, quia Angeli, & inſpirationes cœleſtes omnem timorem noxium exulare faciunt; afferunt gaudium magnum, & quod eſt omni populo; & per hoc aſſignat diſcrimen inter gaudium ſpirituale, & mundanum, nam ſpirituale gaudium bonorum eſt magnum, ſcilicet non temporaneum, ſed divinum, & cœleſte; gaudium mundanorum, & hypocritarum eſt momentaneum ad inſtar puncti; gaudium item juſtorum eſt omni populo, ideſt amplum, & univerſale, nec reſtrictum, ſed omnibus proficuum, ſed gaudium mundanorum eſt particulare, & ſæpè in damnum aliorum. *Luc c. 2. v. 10.*

21. *Ex neceſſitate Chriſti quale gaudium redundet in Eccleſia.*

Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo quia natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dominus in civitate David. Ecce quid ex nativitate Chriſti, & quale gaudium redundat mundo, gaudium verè magnum, & univerſale; & meritò, nam nativitas Chriſti fuit gratioſa, glorioſa, copioſa, fructuoſa, utilis honeſta, & jucunda, gratioſa, ſcilicet gratis, non meritis noſtris exhibita; glorioſa, quia fuit Dei ſalvatoris noſtri; copioſa, quia fuit omni populo, ſcilicet omnibus hominibus; fructuoſa, & utilis, quia liberavit hominem à formidine timoris, ab immanitate languoris ſpiritualis, à detentione carceris, à ſubjugatione hoſtis diabolici; honeſta, quia Virgo eſt, quæ generavit, Deus eſt, qui generatur, Spiritus Sanctus, qui operatus eſt in generatione; & jucunda, quia gaudium attulit præteritis, præſentibus, & futuris. *Op. Comp. Theol. lib. 4. c. 11.*

22. *Gaudium iterum expenditur, & ratio gaudii nativitatis Chriſti expenditur.*

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, &c. Verè magnum gaudium; & quale, & cur? quia natus eſt vobis ſalvator; ideſt natus eſt Chriſtus, & cum Chriſto Redemptio captivo, lumen cæco, theſaurus mendico, vita mortuo: Venit enim Chriſtus, ut è captivitate diaboli liberaret hominem, nam ſub hamo humanitatis abſcondit divinitatem, & tali arte è manibus diaboli ipſum liberavit, Venit & ut lumen cæco præberet, genus enim humanum ſedebat in tenebris ignorantiæ, quia neque Deum cognoſcebat, neque aliam vitam, quàm præſentem, neque præmium bonorum, neque pœnam malorum, neque viam ad Cœlum, & ideo tamquam cæci omnes in foveam inferni cadebant: ô quanta, & qualis miſericordia Dei noſtri! venit enim nos illuminare, & claritatem Dei in nos immittere, cœcitatem nobis tollendo, ut ad Cœlum nos rectà duceret: Venit & theſaurus mendico, ſcilicet cum eſſet homo miſer, & miſerabilis, carens veris divitiis, ſcilicet virtutibus, & bonis operibus, ipſe Chriſtus factus eſt pauper cum eſſet dives, ut nos divites faceret; Venit & ut vita ad vivificandum hominem, qui in morte peccati jacebat. *Sermon. 4. & 5. de Nativ. ſerm. 2. Epiphan.*

23. *Nativitatis Chriſti fructus expenduntur.*

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator, &c. Ecce in quo conſiſtit hoc gaudium magnum, & univerſale, ſcilicet quia natus eſt vobis, ſcilicet ad veſtram utilitatem ſalvator; ſalvator inquam totius populi, quia venit ad clarificandam divinam Majeſtatem, ad irrigandam humanam ariditatem, cum enim eſſet mundus totus aridus, & carens omni humore gratiæ, ob idque ſolùm aptus igni infernali, ecce venit afferens imbrem multiplicis gratiæ ad irrigandam hanc miſerrimam ariditatem, venit ad expugnandam diabolicam poteſtatem, & ad reparandam Angelicam ſocietatem. *Ser. 1. 2. & 3. de Nativ.*

24. *Per Angelorum miniſterium afferuntur nobis viatoribus gaudia, & bona cœleſtia.*

Ecce evangelizo vobis gaudium magnum. Cur per miniſterium Angelicum voluit Chriſtus annuntiari ſuam Nativitatem, & tot bona ex ipſa redundantia? ſed hoc ordinatim ex ſua infinita

Infinita dispositione fecit: Angeli enim assumpti sunt à Deo in ministerium nostrum, nempè ut non solum nobis obsistant in malis ponentes impedimenta sæpè, ne in peccata labamur, non solùm ut resistant hostibus nostris, eosque repellant, & dissipent eorum tentamenta; sed etiam lapsos in peccatum illuminant, & excitant ad pœnitentiam, corroborant, & confortant, & promovent ad exercitia virtutum, salutaria documenta, & mysteria divina revelant; elevantes, & inflammantes voluntatem nostram. ipsamque lætificantes, & ingerunt spiritualia solatia, hinc sicut Angelus ad Pastores ait. annuntio vobis gaudium magnum, sic & nobiscum idem continuè faciunt. *Ser. de S. Michaële ser. 3. de Angelis opus. Eccles. Hier. p 3. capit. 3. & p. 4. cap. 1.*

15. *Quale gaudium ingerat homini assumptio naturæ humanæ factæ à Verbo.*

Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis salvator. Nota ly vobis; quid est, natus est vobis? cur non dicit nobis omnibus, scilicet Angelis, & hominibus? ergonè gaudium hoc tantum redundat in homines? gaudium quidem redundat in Angelos, sed magis in homines, estque magis proprium hominum. non enim Angelorum naturam, sed humanam assumpsit, & ideò mirabiliter elevata, & sublimata per hoc super Angelos; Undè Angeli, qui se ante Incarnationem adorari ab homine permiserunt, *Gen. c. 19.* postmodum naturam tantum sublimatam humiliari coram se refugerunt, sicut patet in Ioan. Apoc. *c. 22.* quia quos prius infirmos, abjectosque despexerunt, jam ut socios verentur, & reverentur; Ecce quale gaudium hoc homini ob naturam tam sublimatam à Christo, & in Christo; sed heu tanto se privant gaudio hunc, & in perpetuum, qui naturam tam dignam faciunt vilem, & abominabilem per peccatum, ô homo agnosce dignitatem tuam: *Ser. 3. de plur. Mart. in addit.*

16. *Tres nativitates Christi celebrantur ab Ecclesia*

Quia natus est vobis hodiè salvator, qui est Christus &c. Nota, quòd dicit natus est vobis; idest nobis hominibus exhibita est omnis nativitas Christi, hæcque est triplex; prima ex Patre ab æterno, secunda ex Matre in tempore, tertia in mente, undè in Christo est Deitas, caro, & Spiritus; has representat Ecclesia in tribus Missis; prima in media nocte repræsentat æternam; secunda in Aurora, scilicet partim occultam; partim manifestam; tertia scilicet gratuitam in die, estque manifesta, quia Christus nunc per affectum concipitur, per affectum nascitur, & per amorem perfectum mittitur. *Op. Comp. Tecol. lib. 4. c. 11.*

17. *Signa per quæ cognoscitur Filius Dei factus homo sunt paupertas, humilitas, & abjectio.*

Et hoc vobis signum, invenietis infantem positum in præsepio. Quodnam signum est hoc inductivum ad fidem de Christo à Patre misso in mundum? ergone infantia, paupertas, humilitas erunt media inductiva ad credendam veritatem Messiæ? qualis inductio est ista? & non potius ad despicientiam hujus pueri nati? ô mira res! ô quam verum est, quòd divina semper sunt contraria mundanis; hoc vobis signum ait Angelus, vobis Pastoribus, simplicibus, humilibus, abjectis, & quale signum hoc? invenietis pauperem, humilem, infantem, Verbum Incarnatum, signum inquam certum certificans nobis Salvatorem, signum contrarium signis potentum, divitum, & mundanorum, signum verum, quòd ipse venit liberare vos pauperes, & abjectos; ô qualis humilitas, qualis paupertas, quia cum magnus esset, & dives pro nobis effectus est parvus, pauper extra domum in diversorio voluit nasci, panniculis involui; lacte virgineo pasci, & inter bovem, & asinum in præsepio reclinari; à vilibus Pastoribus, & rusticis primò visitari; *Luc. c. 2. v. 12. op. Lign. vitæ.*

18. *Contra signa Christi opponit mundus alia signa mundana.*

Et hoc vobis signum, invenietis Infantem positum in præsepio. Cur paupertas, abjectio pueri Iesu positi in præsepio appellatur signum? signum est, quod in alicujus rei cognitionem inducit, quid hoc significat? ecce quid? significat hæc abjectio Christi, quòd venit in mundum salvare hominem per viam humilitatis, simplicitatis, & paupertatis; signum est item, in quod collimant ex adverso mundani signis diaboli, nempè superbiæ, avaritiæ, vanitatis, luxuriæ, turpiloquii, & aliorum vitiorum; ô quot contradictores habet Christus in mundo, contrà quos Christus fuit Infans contra turpiloquia; pannosus contra vanitatem vestium, involutus contra superbiam in manuum actibus, & incessum in pedibus; positus in præsepio contra superbiam in loco; ô dulce signum, & amabile expositum tantum humilibus, & pauperibus: *Ser. 2. Dom. infrà oct. Nativit. ser. 1. in dedicat. Luc. c. 2. v. 12. & c. 31. v. 16. in Ioan. col. 86. ser. 1. Dom. 4 Quadrag. ser. 2. in Pentec.*

19. *In nativitate Christus dedit signa suæ Passionis in cruce, quam à principio sui esse incepit.*

Et hoc vobis signum: invenietis Infantem positum in præsepio. Cur expositio in præsepio hujus Infantis datur pro signo, quòd ipse est salvator? positus in præsepio positus est in cruce: (nam quot paleæ tot cruces) dat enim nobis intelligere, quòd suam Passionem incæpit tunc in sua nativitate, nam nullum fuit momentum in quo non pateretur. *Ser. 1. dedicat. op. de perfectione vitæ c. 6.* Hinc est, ait Nissenus, quòd exiit ex utero Mariæ cum signo crucis impresso in humeris; ut verificaretur id, quod prædixit Isaias; Parvulus natus est nobis, cujus imperium super humerum

merum ejus, quale imperium & hoc imperium fuit amoris, nempè crucis ſignum, quia Paſſio crucis exorta eſt à nativitate, *ait S. Bernardus & S.Bon.in op de perfect.cit.*

30. *Signa, & modi inveniendi Chriſtum expenduntur multipliciter.*

Et hoc vobis ſignum, invenietis Infantem poſitum in præſepio. Quodnam ſignum eſt hoc? ſignum multiplex ab iſto Infante expoſitum, ſcilicet ſignum puritatis, ſignum humilitatis, & paupertatis; ut & ipſi, & nos diſceremus quomodo inveniri poteſt, ſcilicet humilitate, puritate, & paupertate, contemptuque mundi; invenitur enim tali modo quatuor modis; ſcilicet corporaliter factus homo, & talis inventus eſt à Joſeph, ab Elizabeth à Joanne, ut pateat, quòd omnibus communis eſt, ſcilicet viris, mulieribus, & pueris, & ab omnibus poteſt inveniri; inventus eſt & à Paſtoribus eo, quòd tria fecerunt, ſcilicet, erant vigilantes, abierunt feſtinantes, & in reditu glorificaverunt; oſtendens, quòd in Altari, veluti in præſepio expoſitus eſt in pabulum noſtrum, & ad hoc exigitur digna præparatio, devotio in percipiendo, & gratiarum actio in recedendo: Inventus eſt & à Magis, per quod ſignificatur inventio ſpiritualis Chriſti in domo conſcientiæ ſtellâ fidei, & gratiâ ducente, per oblationem auri, thuris, & myrrhæ, ſcilicet per dilectionem, devotionem, & contritionem: Inventus eſt & in medio Doctorum, ut oſtendatur, quòd per auditionem verbi Dei, & lectionem Sacræ Scripturæ, & ſacrorum librorum invenitur. *Ser. 6. & 7. in Nativit. Luc.c.2.v.46.ſer.4.Vigil.Nativ.*

31. *Tota curia cæleſtis deſcendit ad decantandum canticum Angelorum ſuper Jeſum natum, quod & decantaverunt in Cœlo, quando indè dejectus fuit Lucifer nolens ipſum adorare.*

Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum, & dicentium; Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nota, quòd dicit ſubito facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis; quomodo dicitur facta multitudo, ſi prius unus Angelus admittitur annuntians ortum Chriſti? ſed attende ad myſterium; ſtatim iſte Angelus, ſcilicet Gabriel aſcendit cum aliis ſociis in Cœlum ad annuntiandum ortum pueri Jeſus; & tunc tota ſuperna curia Angelorum exhilarata, facto feſto, & laudibus, & gratiarum actionibus Patri exhibitis, venerunt omnes quotquot ibi erant ſucceſſivè per ordines ſuos videre faciem Domini Dei ſui, & adorantes eum cum omni reverentia, & etiam Matrem ejus, laudem eidem, & cantica perſonabant; quis enim eorum auditis novis remaniſſet in Cœlo, quin viſitaſſet Dominum ſuum ſic humiliter conſtitutum in terra? ſic hoc canticum dulciter canebant, Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, & meritò, nam hoc idem canticum decantaverant in Cœlis, quando expoſitum fuit hoc Verbum incarnandum, omnibus Angelis, ut ipſum adorarent, quod recuſante Lucifero, & ſequacibus, factum tunc eſt prælium in Cœlo, & ipſo devicto, & è Cœlis ejecto cum ſociis, hoc idem Verbum laudaverunt, cantantes Gloria in excelſis Deo, & in terra pax &c. *Op. medit.c.7.ſer.1.in feſto omn.Sanct.in addit.*

32. *Canticum Angelorum explicatur.*

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hoc eſt canticum, quod Angeli cantaverunt in Chriſti nativitate, & ad venerationem parvuli nati; & meritò incipientes à glorificatione Dei, quæ maximè relucet in Incarnatione Verbi Dei, pro bonitate, ſapientia, potentia, & juſtitia Dei; Pro bonitate, qua non deſpexit proprii plaſmatis infirmitatem dando ſemetipſum pro peccatis noſtris: Pro ſapientia, qua invenit difficillimi nodi ſolutionem decentiſſimam: Pro potentia, qua Deus factus eſt homo reconcilians ima ſummis; Pro juſtitia qua ſimile ſimili re ſalvavit: ſubdit canticum; *& pax hominibus bonæ voluntatis*, pax poſt gloriam Dei, quia pacem habere non poteſt, qui gloriam Dei uſurpat; pax inquam, quæ ipſe Chriſtus eſt pacificans hominem cum Deo, & Angelis, & ideò meritò dicitur hoc canticum Angelorum, quia tali modo perpetuò laudant Deum. *Luc.c.2.v.14.Pſal.45.& 104.& 106.& 117.& 118. c.10.v.12.*

33. *Hoc canticum quare in Miſſa cantatur poſt novem Kirie.*

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Nota, quòd hoc eſt canticum Angelorum, quia ab Angelis inchoatum in Chriſti nativitate, & Sanctus Teleſphorus Papa cum auxilio Sancti Hilarii appoſuit eâ, quæ ſequuntur uſque ad finem; inchoatur autem à Sacerdote, qui eſt Angelus Eccleſiæ, in ſignum, quòd Chriſtus propter humani generis reſtaurationem incarnari dignatus eſt; cantatur autem poſt novem Kirie Eleiſon, in quibus provocamus divinam miſericordiam, ut noſtri miſereatur: Kirie Eleiſon interpretatur Domine Deus Pater miſerere; in textu Græco additur ymas, ideſt nobis: Chriſte Eleiſon, ideſt Domine Ieſu Chriſte Fili David miſerere: tertiò Kirie Eleiſon, ideſt Domine Spiritus Sancte miſerere, quaſi dicat Eccleſia Domine Sancte Pater, qui Filium tuum miſiſti, ut ex Virgine Maria naſceretur miſerere nobis: ſecundò Chriſte Fili Dei vivi, qui de Virgine Maria naſci dignatus es miſerere nobis: tertiò Kirie &c. Domine Spiritus Sancte, qui Mariam Virginem tuâ gratiâ impleſti, quando Chriſtum concepit, miſerere nobis; novies autem cantatur, quia oramus, ut novem choris Angelorum aſſociemur, & hinc additur *Gloria in excelſis &c.* ut oſtendamus nos eumdem Deum in terris colere, quem Angeli venerantur in Cœlis. *Op.Expoſ.Miſſæ c.2.*

34. *Pax vera, & falſa qualis.*

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quomodo hic dicitur, & annuntiatur pax hominibus ad adventum Chriſti in terris, cum ipſe dicat *Luc. c. 12.* ſe non veniſſe in terram pacem mittere, ſed tollere? *Putatis quia pacem venerim mittere in terram? non* dico vobis: quaſi dicat, non veni portare pacem

ſed

ſed ipſam tollere, veni portare bellum, & ſeparationem inter Patrem, & Filium, inter Fratres, &c. Cur ergo hic intimant Angeli pacem in ortu Chriſti? ſed tamen optimè fit iſta annuntiatio pacis: Chriſtus enim non venit pacem terrenam portare in terram, ſed bellum contra iſtam pacem terrenam, in quo ſtat vera pax; pax enim terrena eſt ficta pax deceptiva, & turbativa, de qua *Iſa. c. 38. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*, pax iſta eſt carnis, pax diaboli, quæ omnem turbationem, & ruinam affert; pax verò de Cœlo deſcendens eſt vera, bona, permanſiva, quia eſt propria Beatorum; item directiva animæ in Cœlum; conſolatoria item, quia omnem dulcedinem cæleſtem ſecum affert, & hoc eſt linguagium Angelorum. *Luc. c. 12. v. 51. & c. 2. v. 14. op. Dist. tit. 7. c. 6. & c. 19. v. 18. op. Comp. Theol. lib. 4. c. 11. Iſ. 45. op. Lignum vitæ.*

35. *Iuſti cum Angelis hanc partitionem gloriæ Deo, & pacem hominibus acceptant; impii ipſam reſpuunt: ubi de vana gloria.*

Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Ecce quale diſcrimen inter impios, & juſtos; impiis diſpiicet hæc partitio, quia Dei gloriam non quærunt, ſed propriam, & ideo pacem numquàm habent; ô ſtulti filii Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam; Iuſti è contra cum Angelis gloriam Dei in omnibus quærunt, & ideo & pacem in hac vitâ habent, & gloriam in altera. *Luc. cap. 2. verſ. 14. op. de ſex alis Cherubim.*

36. *Bona voluntas qualis, & quale bonum.*

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Cur non dicunt Angeli hominibus bonæ operationis? nonne dicitur communiter, quòd Infernus plenus eſt hominibus bonæ voluntatis; & ad quid bona voluntas ſine executione? ſed ex divino conſilio hoc proferunt Angeli; primò, quia cum illis Angeli ſocietatem habere feſtinant, quorum mentibus puritatem bonæ voluntatis ineſſe conſiderant; illos ſecum poſt abſolutionem carnis ad contemplationem veræ pacis ſubvehere lætantur, quos in carne commorantes omnia, quæ agunt, vel loquuntur de radice bonæ voluntatis proferre conſpiciunt tales namque, etſi infirmitas fortè aliquando, vel ignorantia à perficienda bona operatione, quam cupiunt, retardant, tamen antè ſummi Arbitri oculos, integritas, quam vel corde vel mente tenet bona voluntas, eos excuſat, *op. de ſex Alis Cherubim:* ſed quid eſt bona voluntas? quænam requirantur ad hoc, ut voluntas ſit bona, Deoque accepta reſpondet S. Bon. quod illa eſt bona voluntas, quæ eſt talis ex ordinatione ad bonum finem, ad quem requiritur primò, ut ipſa ſit bona in ſe, ideſt informata charitate: ſecundò quod finis ſit bonus ſecundùm ſe, & in ratione finiendi, ſcilicet quod melior ſit his, quæ ordinantur ad finem, verbi gratia, quod ſit majus bonum ipſe finis, quàm medium: tertiò requiritur item ex parte ordinationis, & directionis, ut id, quod ordinatur in finem ſit tale ex natura ſua, ſcilicet ordinabile, & capax bonitatis finis, ſic enim malum de ſe non eſt ordinabile in bonum finem, quia non eſt materia capax, ſed debet eſſe aliquod bonum, vel indifferens cum hoc diſcrimine tamen, quod ſi id, quod ordinatur ſit de ſe bonum, licet non ordinetur actu, non tamen privatur propria bonitate, dummodò non deturpetur aliquâ circumſtantiâ inordinatâ; ſi verò eſt materia indifferens, verbi gratia, laborare, itinerare, requiritur, ut actu, vel virtualiter ordinetur in bonum finem, tunc enim de indifferente fit bonum, & meritorium: quartò requiritur executio bonæ voluntatis, ſi adeſt habilitas ad ipſam, alioquin eſſet iſta voluntas deficiens, & ſterilis; quando verò non eſt habilitas ad executionem, tunc bona voluntas ſufficit, & apud Deum habetur pro facto; & de hoc verificatur dictum ſalvatoris de illa vidua mittente duo minuta, quod plus omnibus miſit in gazophylatium, & hæc bona voluntas ſummopere Deo placet; & in hoc exercitio magnus cumulus meritorum poteſt coacervari à ſervis Dei præfigendo in ſuis actibus plures fines ſublimes, & ratio eſt, quia tanta eſt vis voluntatis ſic operantis, ut transformet amantem in amatum, quia voluntas ordinata in Deum amor eſt, & quia lætatur à Deo, fit dilectio, & quia Deo fruitur, ideo ei adhæret, & transformatur in Deum, hinc rectè Angeli prædicabant, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Lib. 2. d. 38. a. 1. per totum: & d. 39. dub. 1. & d. 40. & 42. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. cap. 23.*

37. *Divulgatio facta à Paſtoribus nativitatis expenditur.*

Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in Cœlum Paſtores loquebantur, &c. Nota, quod poſt denuntiationem ab Angelis factam de nativitate Chriſti, deſcribitur denuntiatio à Paſtoribus facta cum diligentia paſtorali, & ideò redditur commendabilis ex ſollicitudine inquiſitionis, quam oſtenderunt per viciſſitudinem exhortationis mutuæ, *tranſeamus uſque, &c.* ac rectitudinem intentionis, ibi *& videamus hoc Verbum &c.* ac promptitudinem executionis, *ibi & venerunt feſtinantes*; & gratitudinem devotionis, *& reverſi ſunt glorificantes Deum, & laudantes: Luc. cap. 2. v. 15. ſeq.*

38. *Servi Dei ipſum diligentes ſe mutuò debent exhortari in Dei ſervitio.*

Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli, Paſtores loquebantur ad invicem, tranſeamus, &c. Ecce quid fecerunt iſti Paſtores ab Angelis invitati, qui ſe mutuò exhortabantur ad tranſeundum uſque Bethleem, &c. ſic, ſic facere debent ſervi Dei, ſeque mutuò exhortari debent & verbis, & exemplis ad magna opera patranda in Dei ſervitio, quia ferrum ferro acuitur, ait Deus *Prov. c. 27.* & homo exacuit faciem amici ſui. *Luc. cap. 2. v. 15. ſeq.*

39. *Proprium Paſtorum,& ſacerdotum tranſire in Bethleem , & videre panem vitæ.*

Tranſeamus uſque Bethleem , & videamus hoc Verbum, &c. Nota quod hæc ſunt verba Paſtorum,in quibus figurantur Paſtores animarum, & ſacerdotes , quorum munus eſt tranſire in Bethleem ad videndum Verbum Dei Incarnatum : Tranſeamus,ſcilicet vigilantes tranſeamus de terrenis ad cæleſtia ; tranſeamus de ſenſu carnis ad intellectum mentis, de ſervitute concupiſcentiæ ad libertatem filiorum Dei : tranſeamus de terra noſtra , & cognatione uſquè Bethleem , uſquè ad domum Panis , ut videamus quæ nobis præparavit Deus in hoc pane cæleſti , *Sic S. Athan. & S.Ioannes Chryſoſtomus cum D.Bon.in Luc. c.2. verſ.9.ſeq.* In quibus quale ſit munus ſacerdotum quale ipſorum deſiderium , quali intentione ad Eccleſiam debeant incedere oſtenditur , non enim poteſt quis videre , ideſt cognoſcere hæc myſteria, & ipſorum fructum percipere, niſi tranſeat cum Paſtoribus,& hac vnicâ intentione debent accedere ad confectionem tanti myſterii, *ait S.Bon.ibid.v.15.ſeq.*

40. *Verbi Incarnatio Nativitas,aliaque myſteria ab ipſo celebrata debent eſſe objectum mentis, & affectus omnium Chriſtianorum.*

Tranſeamus uſque Bethleem , & videamus hoc Verbum , quod factum eſt. quod fecit Dominus , & oſtendit nobis. O digniſſima verba horum fælicium Paſtorum , tranſeamus,inquiunt, ad videndum in Bethleem hoc Verbum , &c. ideſt rem dignam verbo, verbumque carnem factum , non ab hominibus , ſed à Deo, & tota Trinitate, & oſtendit nobis;Hæc proponuntur ab Evangeliſta omnibus fidelibus , ut toto conatu , & corde tranſeant à terrenis ad hæc cæleſtia meditanda, ut videant maxima , & inaudita miracula ; videamus primò æternitatem novam , ſcilicet Filium Dei æternum factum carnem temporaliter, videamus immenſitatem abbreviatam ſuper terram ; videamus & pulchritudinem obſcuratam, ſaccoque mortalitatis noſtræ cineream indutam ; videamus celſitudinem humiliatam , imperium factum ſubjectum infra nos ; fortitudinem infirmatam , juſtitiam factam ream ; ſapientiam factam ſimplicem , & opulentiam indigentem , mendicam , & pauperem. *Op.oct.collationum collat.1.ſer.5.de Apoſtol.ſer.1.de Epiph.*

41. *Chriſti inventio quanam requirat antecedenter exemplo Paſtorum.*

Et venerunt feſtinantes , & invenerunt Mariam, & Ioſeph & Infantem, &c. Ecce quomodò pervenerunt Paſtores ad viſionem, & fruitionem pueri Jeſu,ſcilicet per tria media ; primò loquendo ad invicem ; ſecundò tranſeundo à loco , in quo erant ; & tertiò feſtinatione itineris ; quid eſt hoc, quod nobis per hæc tria indicatur ? hoc eſt,quòd volentibus Chriſtum Verbum Patris invenire ſpiritualiter , hæc tria debent exerceri ; primò collocutio , & collatio in meditatione Scripturarum ; ſecundò tranſeundo per creaturas , & ex creaturis ad Deum , & tertiò feſtinatio, ſollicitudo , & animi promptitudo cum executione in Dei laudibus , & gratiarum actionibus,& ſic quiſque poterit invenire Chriſtum. *Luc.c.2.v.16.ſeq.*

42. *Sollicitudo , & feſtinatio quàm neceſſaria in Dei ſervitio , & maximè in Prælatis negligentia , & torpor quàm exitialis.*

Et venerunt feſtinantes. Cur feſtinantes ? ad quid tanta feſtinatio ? optimè hoc adnotatur ab Evangeliſta , & meritò rumpunt illi moras , deſerunt pecudes,& feſtino curſu accedunt ad ſpecum quia ſi non feſtinaſſent iter, forſan non perveniſſent ad poſſeſſionem Chriſti Jeſu . feſtinatio enim eſt neceſſaria in Dei ſervitio , quia neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia , & gratia,perfectio , & Cælum datur tantum feſtinantibus : è contrà torpor , & negligentia infinita mala affert , aufert enim Deum,gratiam, perfectionem , & aſſecutionem virtutum ; hæc autem negligentia maximè cavenda eſt à Prælatis, & Paſtoribus Eccleſiarum, quia maledictus eſt , qui facit opus Dei negligenter. *Luc. cap.2. ibid.& cap.6.v.49.& c.12.v.38.ſer.2.& 4. Dom.4. poſt oct. Epiph.op.Phar.lib.2.c.15. op. de Perfectione vitæ c.1.*

43. *Invenitur ſolùm Chriſtus cum Maria,& Ioſeph in præſepio.*

Et invenerunt Mariam , & Ioſeph , & Infantem poſitum in præſepio. Cur hæc adnotantur , ſcilicet , Mariæ , & Ioſeph inventio cum inventione Infantis in præſepio ? nonnè ſolùm quærebant Jeſum ? Hoc myſticè notatur , ut intelligamus , quibus mediis quæſierunt ; & invenerunt Chriſtum , ſcilicet per Mariam Ioſeph , & præſepe; in Maria Virgine intelligitur munditia cordis, reſpectu ſui , in Ioſeph , qui erat vir juſtus, juſtitia proximi , in præſepio humilitas , & reverentia reſpectu Dei,ſic per hæc perfectè quæritur Chriſtus , & ſecurè invenitur. *Luc.cap.2.v.17.*

44. *Ad Mariam , & Ioſeph recurrat , quì vult invenire Chriſtum , ejuſque gratiam.*

Invenerunt Mariam , & Ioſeph , & Infantem poſitum in præſepio. Cur ponitur inventio Mariæ, & Ioſeph ante inventionem Chriſti ? ut addiſcamus,quod qui vult Chriſtũ invenire,ejuſque gratiam obtinere , debet priùs recurrere ad Mariam, ejuſque interceſſionem (addit & Ioſeph ſponſum Mariæ Patremque putativum Chriſti) quia ipſa invenit gratiam nobis communicandam coram Deo , ideò accedamus cum fiducia ad hunc thronum gratiæ , ut miſericordiam conſequamur , & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. *Luc.cap.2.verſ.17.op.Pſalt. B. Virgin. Pſalm.116. & 117. op. ſpeculat. B. Virg. lect. 5. & 6.*

45. *Maria*

Digitized by Google

45. *Maria Virgo eſt quæ ipſam colentibus aperit portas ad inventionem gratiæ Chriſti, maximè in hora mortis.*

Et invenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio. Nota, quòd primo loco introducitur Mariæ inventio, & Ioſeph, ante quam Paſtores pervenirent ad adorationem pueri Ieſus poſiti in præſepio; quid myſterii latet in hoc? Nota quale myſterium, ut addiſcamus, quòd ipſa eſt cubicularia æterni Regis, quòd qui ad ipſam reſpirabunt, & coluerint, ipſa iis referat portas Cœli, maximè in morte, & introducit ad poſſeſſionem regni Cœlorum. *Opuſc. Pſalt. Beat. Virgin. Pſal.* 134.

46. *Ex pulchritudine Mariæ Paſtores cognoverunt Chriſtum.*

Invenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem, &c. & cognoverunt de Verbo, quod dictum fuerat, &c. Nota hunc gradum: primò invenerunt Mariam, poſtea cognoverunt Infantem Verbum Dei, cur tali ordine procedtur? ad quid ponitur primo loco inventio, & cognitio Mariæ, & poſteà infertur cognitio Chriſti Ieſu? ſed transfer mentem ad id, quod vidit *Ioan. Apoc.* 22. Ipſa verò civitas vitrum mundum ſimile auro mundo, ſcilicet Maria fuit vitrum mundum per charitatem, ſimile auro mundo per caſtitatem, & puritatem virginalem; cum autem Chriſtus prædicetur ſplendor gloriæ Patris *Hebr. c.* 1. Iſte autem tranſiens per vitrum mundum, & integrum, colorem etiam vitri inter pertranſeundum induit; hinc eſt, quòd iſte ſplendor æternus pulchertimam carnem, & pulcherrimum colorem de Virgine traxit ſuper omnes totius mundi colores, ideò & pulcherrimus, ex pulcherrima Matre natus eſt; undè mirum non eſt, quòd ad viſionem, & cognitionem Mariæ cognoverint Paſtores hunc Infantem pulcherrimum, ſimilem matri, & ſplendoribus cœleſtibus radiantem. *Ser. 1. de Nativ. ſermon. 2. Dom. 14. poſt Pentec.*

47. *Idem: Ex Maria cognoſcitur Verbum, & ex Verbo Maria.*

Invenerunt Mariam, & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio: & cognoverunt de Verbo, &c. Quid cognoverunt: cognoverunt illum Infantem eſſe Verbum Patris carne indutum, modo cognoverunt Mariam eſſe Matrem talis Infantis, & quis edocuit vos, ô ſimplices, hunc puerum eſſe Verbum Incarnatum, & hanc eſſe Matrem? quis vos evocat ad abdita tanti myſterii? cognoverunt puerum cum Maria Matre ejus, à puero cognoſcunt Matrem, à Matre cognoſcunt Verbum; à rubore Virgineo, à pulchritudine, & ſplendore Mariæ cognoſcunt in radiantibus radiis Filii & Matrem, & Filium, & ex carne Infantis introducuntur ad cognitionem divinitatis, etenim cum caro Domini videtur (ait S. Ambr.) videtur & Verbum, quod eſt Filius Dei; per virgam ad florem, per florem ad Spiritum in ipſo requieſcentem pervenerunt (ait S. Bon.) undè poterat verè dicere Angelis illud Samaritanorum Io. 14. Iam non propter veſtram loquelam credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt verè ſalvator Mundi. *Luc. c. 2. v. 17. op ſpec. B. Virg. lect. 6. & locis ſupracit.*

48. *Prælati, & Prædicatores à contemplatione tempore opportuno tranſeant ad actionem, & prædicationem.*

Et omnes, qui audierunt, mirati ſunt de his, quæ dicta erant à Paſtoribus ad ipſos. Ecce quomodo iſti Paſtores fuerunt primi Prædicatores publicantes Nativitatem Chriſti; ſtatim enim ac viderunt, & cognoverunt tot myſteria de Chriſto nato, ac ipſi tributum adorationis debitum tribuerunt, recedunt, & prædicantes hæc myſteria ad admirationem, & ſui ipſorum imitationem multos traxerunt, per quod datur intelligi, primò quod etiam Deus per viles Paſtores vult prædicari ſuum Verbum, nec ideò contemnendi ſunt, ſed cum reverentia recipiendi: ſecundò quòd Prælati, & Prædicatores, poſtquam in contemplatione, & oratione ſe per aliquale tempus exercuerint, debent ad activam redire, & ad ſalutem animarum; *Luc. c. 2. v.* 8.

49. *Chriſtus exiit ex utero Mariæ nunquam tamen cor ipſius relinquens.*

Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Conferebat? cum quo conferebat in corde ſuo Maria verba hæc? ſanè collatio non niſi inter duos eſt? quiſnè inhabitat Virginis cor, ſi jam natum ex utero Verbum eſt? Vix enim dedit puerum ſtabulo, & quaſi maneret intus in cordis cubili, confert adhuc, & colloquitur, ô prodigium grande: homo recedit ab utero, & Deus adhuc reſidet in corde, & habet cum quo conferat Virgo, Verbum Dei permanet adhuc in corde, quod eſt arca ſapientiæ divinæ; ergo licèt peperiſſet, adhuc tamen fœta divino Verbo in corde illud conſervat, cum quo confert, & colloquitur. *Luc. cap. 2. v. 19. Geometra, S. Ambroſius.*

50. *Maria ſemper intenta orationi, & contemplationi.* Unde hic dicitur, quòd conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo, ſcilicet per jugem meditationem, & contemplationem altiſſimam à qua numquam diſcedebat. *Luc. c. 10. in fine, op. ſpec. B. Virg. lect. 4.*

51. *Memoria beneficiorum Dei ſemper in mente habenda* Sic faciebat Maria Virgo, quæ conſervabat omnia verba hæc, ideſt tot inſignia myſteria in ipſa operata, eaque conferebat, ut ipſorum oblivio ipſam non occuparet. *Pſal. 118. c. 1. v. 13. ſap. cap. 8.*

52. *Loquacitas inimica orationis, & contemplationis: ſilentium hanc ſummoperè adiuvat.*

Maria autem conſervabat omnia verba hæc, & conferebat in corde ſuo. Quomodo conſervabat verba in corde, ſi verbum ex ore exit, & ſtatim evaneſcit? conſervabat iſta myſteria in ſilentio, ut inimica loquacitatis, ſciebat enim, quòd loquacitas, oratio, & contemplatio non poſſunt ſimul cohabitare; è contra ſilentium mater, & fomentum orationis, & contemplationis. *Op. de perfect. vita, c. 4.*

53. *Mariæ cor erat arca divinæ ſapientiæ.*

Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Vide quàm prudens, & diſcreta Maria Virgo: conſervabat in corde, & conferebat iſta myſteria, quia ejus cor erat arca plena divinâ ſapientiâ continens divinorum eloquiorum arcana. *Luc. c.2. v.* 19. Undè communiter ſenſus Theologorum, & Sanctorum Patrum eſt, quod Maria fuerit imbuta habitibus omnium ſcientiarum.

54. *Gratiarum actio de beneficiis collatis à Deo facta à Paſtoribus nos excitat ad ipſorum imitationem.*

Et reverſi ſunt Paſtores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, ſicut dictum eſt ad illos. Vide qualiter laudatur diligentia Paſtorum à gratitudine devotionis; ad hoc autem, ut devotio ſit Deo accepta, neceſſe eſt, ut ſimiliter concordent, & reſonent manus, mens, & lingua; manus operando, lingua laudando, & mens rectificando: laudabilis ergo erat Paſtorum devotio propter debitam operationem, unde reverſi ſunt ad munus ſuum, ſcilicet ad cuſtodiam gregis commiſſi, talis enim erat ipſorum obligatio: laudabilis fuit propter debitam gratiarum actionem undè reverſi ſunt glorificantes, & laudantes Deum: laudabilis item fuit devotio propter debitam recognitionem, undè dicitur, in omnibus, quæ audierant, & viderant, ſcilicet quæ receperant per auditum, & viſum. *Luc.c.2.v.20.*

55. *Nativitas Chriſti quale feſtum, & quàm excitet ad glorificandum, & laudandum Deum.*

Et reverſi ſunt glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, &c. Vide quale feſtum eſt hoc Nativitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti ex hac lætitia Paſtorum, & ex iis, quæ ſuprà tradita ſunt: Hodiè namque natus eſt Chriſtus, & ſic utique eſt dies natalis Regis æterni, & Filii Dei vivi: hodie Filius datus eſt nobis, & puer natus eſt nobis; hodie ſol juſtitiæ, qui erat in nubilo clarè refulſit; hodie Spiritus Sanctus Eccleſiæ electorum caput proceſſit de thalamo ſuo; hodie deſideratam faciem oſtendit formâ ſpecioſus præ filiis hominum; hodie factus eſt ille hymnus Angelicus, *Gloria in excelſis Deo*, hodie pax hominibus eſt annuntiata; hodie per totum mundum melliflui facti ſunt Cœli, & in terra canunt Angeli, hodie primùm apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris Dei noſtri; hodie adoratus eſt Deus in ſimilitudine carnis peccati; hodie illa duo miracula contigerunt, quæ ſuperant omnem intellectum, & ſola fides apprehendere poteſt, quòd Deus naſcitur, & Virgo parit; hodie aliorum miraculorum claruit multitudo; denique omnia, quæ dicta ſunt de Incarnatione, quaſi hic clariùs eluceſcunt, ibi inchoata, hic manifeſtata, meritò ergo eſt dies iſta jubilationis; & gaudii, & lætitiæ magnæ nimis. *Op. medit.c.7.*

56. *Diviſio reſidui hujus capitis explicantis humilitatem à Chriſto oſtenſam ſubjiciendo ſe ſub lege.*

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c. Nota, quòd Evangeliſta ſuprà deſcripſit veritatem Nativitatis Chriſti, per quam oſtenditur quod factus eſt de muliere; hic ſecundò deſcribitur humilitas Chriſti naſcentis, per quam declaratur, qualiter factus eſt ſub lege, & quia legis præcepta ſunt in triplici differentia, quædam enim ſunt ſacramentalia, quædam cæremonialia, & quædam moralia, ideò in prima parte oſtenditur Chriſtus factus ſub lege ſacramentali in Circumciſione, ibi *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur*, in ſecunda ſub lege cæremoniali in ſui oblatione in templo, ibi *& poſtquam impleti ſunt dies purgationis, &c.* in tertia ſub lege morali in Dei honoratione, ibi *Puer autem creſcebat, &c. Luc. cap. 2. verſ. 21. ſeq. opuſc. Princip. Sacræ Scripturæ.*

57. *In humiliatione, & inchoatione noſtræ ſalutis Chriſtus conſummationem, & perfectionem ſuæ vitæ collocavit.*

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur Puer, &c. Nota illud verbum, *conſummati ſunt dies, &c.* ut intelligas in quibuſnam Chriſtus collocaverit ſuam conſummationem, & perfectionem, & adimpletionem ſuorum vororum, nempè in ſe humiliando, & inchoando noſtram ſalutem, & peragendo negotium noſtræ Redemptionis, non enim contemptus fuit ſe abbreviatum Verbum oſtendere in carne, ſed magis abbreviatum ſe voluit oſtendere Infans octo dierum in Circumciſione, & effuſione tam feſtina ſanguinis ſui. *Luc.c.2.v.21.*

58. *Circumciſio Chriſti deſcribitur.*

Poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Nota, quòd octavo die duo magna ſunt facta; unum eſt manifeſtatio nominis Jeſus, de quo infrà: ſecundum eſt effuſio ſanguinis in Circumciſione, fuit enim caro ipſius cultello lapideo inciſa; ergo compatiendum eſt & Infanti, & Matri: Vide quomodo ploravit puer Ieſus hodie propter dolorem, quem ſenſit in carne ſua vera, & paſſibili, ſed eo plorante ploravit & Mater; quam plorantem Filius ſtans in gremio ejus aſpiciens, parvulam manum ſuam ad os, & vultum ejus poſuit, quaſi nutu rogans eam, ne ploraret, quam enim tenerrimè diligebat, à ploratu ceſſare volebat; ſimiliter & Mater, cujus viſcera totaliter commovebantur in dolore, & lachrymis Filii, & nutui, & verbis conſolabatur eum; Intelligebat enim tamquam prudentiſſima voluntatem ejus, quamvis nondùm loqueretur, & ipſa pueri, & ſuos oculos tergebat, & cultum vultui applicabat, lactabat eum, & omnibus quibus modis poterat, conſolabatur, & ſic faciebat quoties plorabat, quod fortè more puerorum ſæpè faciebat ad oſtendendam miſeriam naturæ humanæ, quam verè aſſumpſerat, & ad occultandum ſe, ne à diabolo cognoſceretur; cantat namque de ipſo Eccleſia, *Vagit infans inter arcta, &c.* Hodierno igi-

tur

tut tempore ceſſat Circumciſio corporalis,& pro ipſa ſucceſſit baptiſmus,qui eſt majoris efficaciæ, & minoris pœnæ,cum hoc tamen,quòd præcipitur Circumciſio ſpiritualis, & rejectio omnium ſuperfluorum.*Op.medic. c.8. op. lignum vitæ. op. de quinque feſtivit.ſolemn.3.*

59. *Solvuntur aliqua dubia circa Circumciſionem.*

Quæritur primò quid ſit Circumciſio, & cur, & quibus à Deo ordinata? Reſpondetur, quòd à principio mundi ſemper aſſignatum fuit remedium pro deletione culpæ originalis à Deo: In lege naturæ remedium erat profeſſio fidei in Deum, ut Creatorem, & Redemptorem, & glorificatorem, & hoc vel ſigno exteriori, vel verbo, vel actu interiori, ordinato tamen ad Deum cum reſpectu ad parvulum vel à Parentibus, vel ab aliis: Populo autem Iudaico ordinatum fuit remedium Circumciſionis,& hoc primò ordinatum à Deo Abrahæ, poſteà confirmatum ſub præcepto Ioſue, quæ in octava die ex præcepto divino fieri debebat,& ſi ob aliquod impedimentum non potuiſſet parvulo applicari, alia remedia ex diſpenſatione divina ſupplebant: de hac materia. *Vide lib.4.d.1.p.2. a.1. & 2. per totum.* Quæritur ſecundò Cur Chriſtus voluit circumcidi, cum nullum peccatum habuerit? & an nunc ſit licitum homini ſe circumcidere ſaltem ad imitationem Chriſti? Reſpondetur, quod Chriſtus omnibus ſuis operibus nos erudivit, ſed non omnia fecit ad imitationem, uti eſt Circumciſio, quam ipſe ſubiit: primò in fidei argumentum, quia de Iudæis erat ſecundùm carnem, & propter illum erat de tali genere naſciturus, ideò ne videretur eis diſſimilis voluit circumcidi: ſecundò propter humilitatis exemplum voluit ſe ſubjicere legi: tertiò ad implendam legem, quâ impletâ per veritatem,ceſſavit hoc præceptum. *Lib.4. d.3. p.2. a.1. per totum. Luc.c.2. v.21.* Aliud dubium infra proximè ſolvetur.

60. *Qualis Circumciſio à Chriſto nobis impoſita? ubi de Circumciſione ſpirituali.*

Quæritur hic; cum Chriſtus voluerit circumcidi; tur à nobis non vult imitari? & an ſi quis ſe circumcideret ad imitationem Chriſti,& ad ſubeundum pro Chriſto hunc dolorem peccaret? Reſpondetur: quòd, ut dictum eſt, Chriſtus ad legis præcepta,non tenebatur, ob idque nec ad Circumciſionem, voluit tamen ipſi ſe ſubjicere ob rationes ſuprà tactas, & præcipuè, ut talem legem impleret, & implendo aboleret,cum ipſi ſuccedere voluerit Sacramentum baptiſmi.Præceptum autem Circumciſionis uſque ad adventum Chriſti duravit, cum hoc tamen, quòd uſque ad promulgationem Evangelii ſolùm ceſſaret: & hinc inferunt Theologi, quòd nec Petrus, qui permittebat in principio promulgationis Evangelii venientes Gentiles circumcidi,peccavit, nec Paulus id prohibens;de quo*Vide lib.4.d.3.p.2.a.3.q.2.* An autem ſi aliquis nunc ſe circumcideret ad imitandum Chriſtum,peccaret.Cajet.excuſat à peccato, eo quòd iſte actus eſt indifferens, ſed communiter à Theologis rejicitur dicentibus, quòd iſte peccaret mortaliter: de qua materia etiam; *S.Bon.locis cit.* Sed ad quid Chriſtus voluit circumcidi? & cur Beata Virgo ſuppoſuit circumciſioni Filium? & quid eſt, quod ex hoc diſcere debemus ad ipſum imirandum? Reſpondetur, quòd aliqui Patres dicunt Mariam propriis manibus circumciduſſe Chriſtum, ſed communior eſt, quod per alium facta fuerit circumciſio, de quo *Barrad.tit.1.lib.9. c.1.* Hoc autem opus fuit de ſe ſanctum,& licitum,& juſſu Dei ordinatum: hoc-que voluit Chriſtus,primò ut legem, quam dedit aliis,ipſe compleret: ſecundò ut humilitatem talem oſtenderet: tertiò ut ſanguinem ſuum pro nobis non ſolùm in ætate virili, ſed etiam infantili funderet: quartò ut nos circumcidendos fore ſpiritualiter oſtenderet:quintò ut Hæreticos confunderet, qui dixerunt ipſum non eſſe verum hominem,ſed phantaſticum: ſextò ut Iudæis ſatisfaceret,ne ſcandalizarentur:ſeptimò ut legem veterem approbaret, quæ uſque ad ipſum obſervanda fuit: octavò ut oſtenderet ſe à principio ſubjectum non ſolùm circumciſioni corporali,ſed etiam ſpirituali per paupertatem,humilitatem,& Paſſionem, quæ duravit per totum tempus vitæ ſuæ;quare circumciſio Chriſti nos ad ejus imitationem per circumciſionem ſpiritualem invitat,ſcilicet circumcidendo omnia ſuperflua; & vitioſa in omnibus ſenſibus corporis,videndo,audiendo,guſtando,& aliis, & maximè corde, ſcilicet ab iniqua cogitatione, & voluntate,& à mala operatione.*Op.Comp.Theo. lib.4 c.12.ſer.2.& 3. de circumciſ.op.medic.c.8. Luc. c.2.v.21.* Nota autem,quòd in octava die impoſita fuit circumciſio;quia per ſeptem dies ſignificabatur decurſus mundi uſque ad ſeptimam, quæ non habet veſperam,& quòd per exercitium trium virtutum Theologicarum, & quatuor Cardinalium pervenitur ad octavam, ſcilicet ad circumciſionem ab omni culpa, & miſeria.*Luc.ibid.*

61. *Ex circumciſione Chriſti quid ablatum fuerit de circumciſione legali,& quid remanſit.*

Completi ſunt dies octo, ut circumcideretur puer Si Chriſtus voluit circumcidi, quæritur quid implevit,& abſtulit,& quid remanſit? Reſpondetur, quòd circumciſio legalis fuit figura, & ideò ſignabat baptiſmum Evangelio legis, item & ſuperfluitatem vitiorum ex anima faciendam, & totalem liberationem à miſeria, & à culpa, quæ tria ablata fuere à Chriſto, ſcilicet deletio à culpa originali per merita Chriſti applicata in baptiſmo,liberatio ab omni miſeria fuit etiam in Chriſto in circumciſione facta in octava die, ſed iſta remanet verificanda in nobis in reſurrectione noſtra,ſicut & abjectio omnium ſuperfluitatum vitioſarum.*Lib.4.d.3.a.2.q.1.*

62. *Chriſti charitas infinita expenditur in effuſione ſanguinis in Circumciſione.*

Impleti ſunt dies octo,ut circumcideretur puer. In qua octava die circumciſus eſt? Cur voluit Chriſtus ſe ſubjicere circumciſioni? ſi hoc fecit, ut hoc ſignum auferret, liberaretque homines ab hoc pœnali remedio, & loco circumciſionis baptiſmum inſtituit, cur cum baptiſmi præceptum non obligaret, niſi poſt promulgationem Evangelii,

tunc non expectavit id demonſtrare? vel etiam ſaltem quando voluit à Joanne baptizari? vel cum effudit ſanguinem in ſua Paſſione in fine vitæ: cur tam citò voluit ſe exponere ſanguinis effuſioni, & tam diræ circumciſioni, in qua plus paſſus eſt, quam omnes cæteri pueri, qui cum non haberent uſum rationis, tantùm more beſtiarum deflebant ad hunc dolorem, ſed Chriſtus uſum rationis habebat, & carnem delicatiſſimam ſuper omnes homines, ideò etiam ſævillimo dolore affectus? Sed aſpice ad charitatem, & amorem infinitum Chriſti Jeſu; audi quod poſtea *Luc. c. 12.* dixit: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur*; Ergo ad aliquem baptiſmum tendebant ſua vota, & qualis erat? hic erat ſanguinis effuſio, in quo totum corpus immergi debebat; & tanta erat ejus charitas, taleque deſiderium ſe immergendi in hoc baptiſmo ad noſtram ſalutem, & purificationem, ut ejus cor coarctaretur, & velati quodammodo violenter attraheretur ad talem baptiſmum, quòd ipſum induxit ſtatim ac natus ad ſe baptizandum in baptiſmo ſanguinis, ideò feſtinanter ad ipſius effuſionem cucurrit, ô immenſa charitas, ô grandis amor dulcis Jeſu in nos. *Luc. c. 12. v. 50. & c. 2. v. 21. opuſc. medit. c. 8.*

DE EXCELLENTIIS NOMINIS Jeſu ex S. Bon. aliis Patribus, & DD.

63. *Jeſus nomen à ſola Sanctiſſima Trinitate Chriſto impoſitum.*

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquàm in utero conciperetur. Nota, quòd cum in circumciſione imponeretur nomen juſſu Dei, dicitur hic, quòd Chriſtus vocatus eſt Jeſus: ſed à quo: hoc non exprimitur, ſed tantùm ſubditur ab Evangeliſta, quòd vocatum fuerat hoc nomen ab Angelo priuſquam conciperetur, ſed ſi ab Angelo vocatum fuerat, cur poſteà Mariæ, & Joſeph dictum eſt, vocabis nomen ejus Jeſum? quis igitur impoſuit hoc nomen? Angelus? an Maria? an Joſeph? ſed attende quòd dicit vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quid ſibi vult hoc? non dicit impoſitum, ſed vocatum, ideſt mundo expreſſum, & declaratum; & ſi hoc, quis fuit inventor, & primus impoſitor hujus nominis? Sed attende ad myſterium: Nominum impoſitio propriè ſpectat tantùm ad habentem perfectam cognitionem rei nominandæ, ne ut in nobis evenit, per fallaciam appellationis, deceptio oriatur; & hinc Adam à Deo imbutus fuit cognitione quiditativâ rerum, & ideò licentiam habuit imponendi ſua propria nomina rebus. *Gen. c. 2.* Quis igitur inter creaturas potuit habere perfectam cognitionem dignitatis, & perfectionis Chriſti? quis? nulla creatura ſive Angelica, ſive humana: & quia nominum impoſitio ſpectat ad habentem auctoritatem ſuper rem nominandam, ideò jus hoc eſt Patris: ſic communiter Doctores dicunt: Ergo ut nomen eſſet auſpicium rei, & ut eſſet omen futurorum eventuum (ut ait Caſſiodor.) à Deo, & à tota Trinitate fuit Verbo Incarnato impoſitum, & per Angelum, Mariam, & Joſeph declaratum, & mundo expoſitum, & de hoc prædixit *Iſaias c. 62. Hoc eſt nomen, quod os Domini nominavit. Luc. c. 2. v. 21. op. medit. c. 8 & aliis locis infra cit.* Et hinc eſt, quod dicit Apoſtolus, *Nemo dicere poteſt Dominus Jeſus niſi in Spiritu Sancto 1. Cor. c. 12.* ſuper quod exclamat Abbas Cellenſis: ô pondus nominis Jeſu, quis appendere, quis dinumerare? quis æſtimare valeat hoc nomen in pondere, numquam ſine pondere nominandus eſt Jeſus, pondere utique ſanctuarii, niſi enim quis illuminatus, inflammatus ſit à Spiritu Sancto non poterit dignè dicere Jeſus. Vide de nominis impoſitione. *S. Bon. lib. 2. d. 9. a. 1. q. 4. & d. 13. a. 2. q. 1. & d. 25. p. 2. dub. 3. & lib. 1. d. 22. a. 1. q. 2. & 3.*

64. *Jeſus nomen quomodo dicitur expreſſum antè conceptionem, & in circumciſione, & poſteà à Patre collatum per, & poſt paſſionem; Ubi de nomine Chriſti.*

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquàm in utero conciperetur. Si hoc eſt verum, quomodo poſteà dixit Apoſtolus *Phil. c. 2.* quod Pater dedit illi nomen ſuper omne nomen, quia factus eſt obediens uſque ad mortem? & quale eſt hoc nomen: Jeſus, an Chriſtus? quæritur ergo qualiter differant? Nota, quod hæc omnia dicuntur de nomine Jeſu, & antè conceptionem, & poſt conceptionem, & poſt Paſſionem, ad inſinuandum excellentiam hujus ſanctiſſimi nominis. Et primò notandum, quod differunt inter ſe hæc nomina Chriſtus, & Jeſus, & Filius Dei, Filius Dei nominat unam perſonam in una natura; Chriſtus vero, & Jeſus nominat unam perſonam in duabus naturis cum hac differentia, quod Chriſtus nominat perſonam in humana natura relatam, ad divinam, ideo interpretatur unctus: Jeſus vero nominat perſonam in divina natura relatam ad humanam, ideo interpretatur Salvator: hinc Chriſtus dicitur homo Deus, Jeſus dicitur Deus homo, unde Chriſtus ſignificat utramque naturam divinam, & humanam, interpretaturque unctus, in quo importatur ungens, unctus, & quo unctus ſcilicet Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & ideo eſt nomen appellativum Chriſti, quo exprimitur, quod Chriſtus eſt unctus ut Rex, ut Propheta, ideſt Doctor, & ut Sacerdos: Jeſus verò ſignificat humanam naturam formaliter, ſimulque judicat divinum ſuppoſitum, cum quo conjuncta eſt, ideo proprium nomen eſt Chriſti, ſignificans munus, ad quod venit, ſcilicet ſalutem nobis datam per ipſum: de hac materia latè. *S. Bon. In Ioan. c. 4. v. 15. & c. 1. v. 41. & lib. 3. d. 18. dub. 2. Luc. c. 4. v. 41.* Et ad aliud dubium reſpondetur, quod dicitur vocatum hoc nomen antè conceptionem, & in circumciſione, per quod expreſſa fuit certificatio de ipſius nomine, & ſignificatione, ſed poſtmodum poſt Paſſionem clarificatum fuit in ratione innoteſcendi, & imponendi; ratio vero clarificandi hoc nomen, ejuſque virtutem, & magnalia fuit Paſſio crucis, per quam meruit Chriſtus talem clarificationem, ut dicit Apoſtolus. *Lib. 3. d. 18. dub. 2. & 3.*

65. *Nomen*

Digitized by

65. *Nomen Ieſus eſt Imago viva repræſentans totum quod Chriſtus eſt.*

Et vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Cur ante conceptionem vocatur, & ſtatim poſt Nativitatem? quia cum per Nativitatem fuerit expoſitus Chriſtus mundo, voluit Deus, ut in hoc nomine exhiberetur hominibus Imago vera, & viva ejuſdem Chriſti in qua repræſentaretur totus Chriſtus, & totum, quod in ipſo eſt; undè de ipſo prædixit *Iſaias c.* 26. Nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ; verè memoriale continens, & exprimens humanitatem, & divinitatem; in humanitate miſericordiam, benignitatem, caſtitatem, & omnem ſanctitatem; in divinitate Dei omnipotentiam ſanantem, & roborantem noſtras infirmitates, undè ſignum eſt repræſentans omnia quæcumque fecit Deus undique propter ſalutem humanæ naturæ, & ideo primum locum tenet in libro prædeſtinatorum, & ob id meritò à Patre prænominatum, imò à tota Trinitate in principio libri vitæ æternaliter ſcriptum, à Cœlis allatum ab Angelo, à Prophetis prædictum, à Maria, & Joſeph primò pronuntiatum, & evulgatum. *Op. de quinque feſtiv. ſolemn.* 3. *op. medit.* 100. *Luc. c.* 2. *v.* 21. *S. Bernardin. ſen. S. Bernardus, aliique Patres.*

66. *Nomen Ieſus ſignum miraculoſum, & ſacramentale ſignificans, & efficiens.*

Vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Quid eſt vocatum? vox ſignum eſt exprimens conceptum interiorem, ergo expoſitum eſt veluti ſignum, & quale ſignum, ad quid poſitum? ſed attende ad id quod ſupradixerat Angelus Paſtoribus, Natus eſt vobis hodie ſalvator, ideſt Jeſus, qui eſt Chriſtus Dominus; & hoc vobis ſignum, ideſt hoc nomen Jeſus vobis eſt ſignum jamper tot ſæcula promiſſum, & nunc vobis expoſitum: ſignum quidem ſacramentale, ſcilicet ſignificans & efficiens; ſignificans omnia opera, virtutes, & mirabilia Chriſti; ſignum item efficax, & efficiens, quia virtuoſum, gratioſum, gaudioſum, delitioſum, & glorioſum: Virtuoſum, quia ſuperat hoſtes, congregat cives, reparat vires, revocat mentes: Gratioſum, quia in ipſo habemus fidei fundamentum, ſpei firmamentum, charitatis augmentum, juſtitiæ complementum: Gaudioſum, quia jubilus in corde, melos in aure, mel in ore, ſplendor in mente: Nomen utique delitioſum, quod paſcit cogitatum, lenit prolatum, ungit invocatum, reficit ſcriptum, inſtruit factum: Nomen revera glorioſum, quod dedit cæcis viſum, ſurdis auditum, ſermonem mutis, vitam mortuis, & greſſum claudis: ó nomen benedictum, quod oſtendis tantum virtutum effectum. *Op. de quinque feſtivit. ſolemn.* 3. *S. Bernardinus: S. Bernardus, &c.*

67. *Nomen Ieſus ſignum ſacramentale quales effectus in Maria Virgine effecerit.*

Vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Quomodo dicitur in circumciſione vocatum, & expreſſum, ſi antè conceptionem Verbi Angelus ipſum Mariæ expreſſit *vocabis nomen ejus Ieſum?* ſi ſtatim ac conceptum fuit in utero Mariæ, ab ipſa fuit expreſſum, exaltatum, & invocatum, dixit enim in Cantico, *& exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*, ideſt, ut legit Hebræus, in Deo Jeſu meo? ſed tamen hæc omnia ſummè exaltant magnificentiam nominis Jeſu, & oſtendunt ejus efficaciam primò emanaſſe in Mariam: Notandum autem, quod in textu ſyriaco Spiritus ſanctus legit (ut ſupra etiam notatum eſt) Vocabis enim nomen ejus Jeſum, ſcilicet invenies gratiam apud Deum: Dominus tecum, gratiâ es plena, vocabis enim nomen ejus Jeſum; quaſi dicat cum S. Patre Chryſologo *ſer.* 144. Meritò tibi ſalvâ ſunt omnia, quia Jeſum ſalvatorem generabis: hæc eſt ergo gratia, quam inveniſti apud Deum; ecce enim concipies, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum; intellige prudens Virgo ex nomine promiſſi Filii, quantam, & quam ſpecialem gratiam inveneris apud Deum: dicitur Jeſus, quia ſalvabit populum ſuum, & hoc & in gloriam tui reſilier, & in te ſalva erunt omnia; & hinc conſequenter dixit Maria, *fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus*, ſcilicet ut ſuprà dictum eſt, quia ſanctificavit in me nomen ejus Jeſus: *Sic ex S. Bon. op. ſpec. B. Virg. lect.* 5. *Luc. c.* 2. *v.* 12. *ex S. Bernardo, Bernard. & Anſelmo.*

68. *Nomen Ieſus ſuper omne nomen expoſitum ſuper Chriſti caput in cruce continens veluti theſaurus omnem virtutem crucis, & crucifixi.*

Vocatum eſt nomen ejus Ieſus. Cur in effuſione prima ſanguinis ex corpore Chriſti expoſitum eſt hoc nomen ſanctiſſimum? ſed attende ad mirabilia hujus nominis: Vix natus Chriſtus ei nomen imponitur, & vocatur Jeſus, ſed cum effuſione ſanguinis; ſtat in fine vitæ pendens in cruce, & effundens totum ſanguinem è corpore, & ecce ſuper caput ipſius inſculptum nomen Jeſus: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum*; ut ſemper mundo appareat hoc nomen ſanguinis effuſione, cur hoc erit in morte Chriſtus ipſum ſuper caput vult expoſitum? ſed transfer mentem ad virgam Moyſis, quæ figurabat ſanctam crucem, in cujus ſummitate ſecundùm traditionem Rabinorum inſcriptum erat nomen Dei Tetragrammaton, quod figurabat nomen Ieſus, in cujus virtute tot miracula facta ſunt per illam virgam; transfer & mentem ad mitram ſacerdotalem, in qua inſculptum erat litteris aureis idem nomen Tetragrammaton, *ut in ſap. c.* 18. quæ omnia facta ſunt in figuram crucis Chriſti in ipſa pendentis, & in cujus ſummitate inſculptum fuit hoc nomen Ieſus, quod factum eſt *ait Abbas Cellenſis tr. ult. de verbis Domini*; ut intelligamus, quod quicquid undique eſt, quantumque ſit, ſe cognoſcat inferius, ſe fateatur indignius, & ſi quid habet candidum, ſi quid conſpicuum, ad nomen Ieſus referat, undè accepit, illique excellentiæ devotus adſcribat: Et hinc *S. Vincentius Ferrerius ſer. de circumciſione.* Hoc nomen Ieſus eſt virtuoſum quod omnes virtutes, quas Deus poſuit in herbis, lapidibus, verbis, plantis, ſtellis, conſtellationibus, omnes ſunt, & continentur in hoc benedicto nomine Ieſus; quod totum eſt conforme iis, quæ tradit de iſto ſanctiſſimo nomine *S. Bon. op. de quinque feſtivit. ſolemn.* 3. *ſer.* 4. *de circumciſ. op. medit. c.* 100. *Luc. c.* 2. *v.* 21. O grande prodigium, grande elogium, grandis virtus hujus ſanctiſſimi nominis, quod veluti

veluti unctum ſanguine Chriſti, velut ſol expoſitum eſt mundo, ut effunderetur ipſius influentia in Angelos, in homines, in Cœlos, in terram, imo ut non ſit, qui ſe abſcondat à calore ejus.

69. *Nomen Jeſu quadrilitterum crucis, & crucifixi virtutem continet.*

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Nota ex Seraph. Doct. quòd nomen tria importat, nempe vocem, ſignificationem, & rationem innoteſcendi, ideò in hoc nomine non ſolùm vox, ſeu compoſitio ex litteris continetur, ſed & res ſignificata, & ratio innoteſcendi, ſcilicet effuſio ſanguinis Chriſti, ejuſque Paſſio in cruce tolerata à Chriſto; ideò nomen eſt quadrilitterum, formans veluti crucem, ut ejus virtus ad omnes partes terræ ſe extendat: & hinc de hoc nomine dicitur. *Iſa. c.26. Hoc eſt nomen, quod os Domini nominavit.* Nota, quòd dicit hoc nomen nominatum, quomodo nominatum, ſi eſt nomen? res eſt, quæ per nomen nominatur, non ipſum nomen? undè *ait S. Bon.* quòd nomen ſignificat ſubſtantiam, & rem cum qualitate, ſcilicet nomen exprimit rem qualis, & quid ſit; quomodo ergo nomen Jeſus dicitur nominatum, & nòn potius nominans? ô benè hæc eſt prærogativa ſolius nominis Jeſus, quod veluti res, & res ſublimiſſima ex ore Dei producta nominatur; non enim eſt nomen vacuum, ſicuti alia nomina terminans in merum ſonum, ſed eſt veluti res & rem ſignificatam, & virtutem continens; ideſt eſt vaſculum (*ait cum S. Bern. ſer 1. de circunciſ. S. Bon.*) continens pigmenta, & electuaria cæleſtia; hinc eſt, quòd hoc nomen eſt ſuper omne nomen, & dignum omni adoratione, & veneratione, & cui omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. *Luc. c.2. v.21. op. de quinque feſtiv. ſolemn.3. op. medit. c.100. & lib.1. d.21.a.1.qu.1.2.& 3.*

70. *Nominis Jeſus efficacia qualis contra mala ſpiritualia, & corporalia, & ad bona adipiſcenda.*

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Cur cum effuſione ſanguinis imponitur, & publicatur nomen Jeſus? quænam connexio inter vulnera ſanguine rubentia, & nomen ſalutem reſonans? optima fuit hæc conſonantia, cum ſanguine Chriſti exit & nomen Jeſus, ut intelligamus, quòd ſi ipſius ſanguis eſt medicamentum ſalutem corporibus, & animabus afferens, idem & eſt hoc nomen: undè rectè oleo effuſo *in Cantic. c.1.* comparatur, quia ſicut oleum ungit vulnera, eſtque medicamentum leniens dolores, idem & facit nomen Jeſus: hoc eſt vaſculum, quod nobis proponitur, in quo recondidit Chriſtus pigmentarias ſpecies humanitatis, eaſque ſuâ divinitate efficaces reddidit, ut tali velut electuario contra omnia mala, & contra omnem peſtem corporis, & animæ uti poſſemus: Habes igitur, ô anima hic medicamentum efficaciſſimum contra peccata, contra torporem, ignaviam, accediam & rancorem animæ. *Op. medit. c.100. ſer.1. Dom. Paſſ. ſer.9. in Pentec.* Addit S. Bernardinus quòd nomen Jeſus applicatum cuicumque infirmitati corporali mirabilis eſt virtutis, & ad hoc recurrere debent maximè pauperes deſtituti medicorum, & medicinarum auxilio, quia tale medicamentum expoſitum eſt à Chriſto, non ſolum pro medela ſpirituali animæ, ſed etiam corporis.

71. *Idem argumentum de nominis Jeſu efficacia.*

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Quid eſt Jeſus niſi ſalvator? ergo in hoc nomine innuitur utilitas maxima, & efficacia tanti nominis, quæ tamen ad hæc quatuor capitâ reducuntur, nempe ad veniam, remiſſionemque peccatorum in converſione; ad gratiam in converſatione; ad victoriam in tentatione, & ad gloriam in remuneratione obtinendam: primò enim maximè confert invocatio hujus nominis ad remiſſionem peccatorum obtinendam, eſt enim mirabile ad excitandam animam ad pœnitentiam: ſecundò ad gratiam obtinendam, quia per virtutem hujus nominis deſcendit Spiritus Sanctus in animam afferens lucem menti, impinguationem affectus, reparationem ſenſuum, roborationem virtutum, & bonos mores, caſtaſque affectiones fovet: tertiò victoriam in tentationibus; nam ſicut David quinque lapidibus collectis Goliath devicit, ſic & in hoc nomine (continente quinque litteras) diabolus fugatur, eſt enim ſanctum & terribile, ſanctum bonis, terribile Dæmonibus, & ideò hoc nomine armatus ejicere, & fugare à ſe Dæmones quiſque poteſt: quartò & gloria per hoc nomen obtinetur, cum enim ſit primum nomen in libro vitæ ſcriptum, igitur qui dignè ipſum coluerit in eodem libro adnotabitur, qui autem inhonoraverit ipſum, delebitur de libro vitæ; & hi quatuor effectus indicantur, ſecundum quod vocatum eſt hoc nomen Jeſus à Joſeph, in quo primus effectus deſignatur; à Maria, in qua ſecundus effectus ab Apoſtolis, qui dicebant *In nomine tuo Dæmonia ejecimus*, in quibus ſignificatur tertius effectus; & ab Angelo, in quo quartus effectus: Igitur ſicut mendici petunt fruſta panis invocato nomine Mariæ, vel Sancti Petri, vel aliorum Sanctorum; ſic & nos veluti mendici in nomine dulciſſimo Jeſu petere debemus gratiam, victoriam, gloriam &c. *Ser. 4. de circumcif. op. medit. c.100. op. de quinque feſtivit. ſolemn.3. Joan. ſollat.65. Luc, c.2. v.21.*

72. *Jeſus nomen portandum non ſolùm in ore, & corde, ſed & in manibus, & ad collum appenſum veluti in amuleto, vel anulo.*

Vocatum eſt nomen ejus Jeſus. Ecce hoc nomen expoſitum mundo, ut ſicut Filius Dei factus homo voluit ipſo decorari; ſic & nos debemus eodem nomine nos ipſos munire: *Pone me* (ait Jeſus *Cant.8.*) *ut ſignaculum in corde tuo, ut ſignaculum in brachio tuo*; ſcilicet quia hic habes, undè & corpori, & brachio, & cordi medearis: de hoc etiam dicitur *Apoc. 2. Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum*, ſcilicet dabo electis meis manna abſconditum in hoc nomine, quod eſt veluti calculus, in quo ſcriptum eſt nomen hoc Jeſus: *Ser.4. de Circumcif. op. medit. c.100.* quia portandum eſt hoc nomen in cor de

corde, in manibus, interiùs, & exteriùs: Hinc proclivè est trahere istas auctoritates ad id, quod in Ecclesia apud fideles est valdè usitatum, & quidem piissimè nempè appensam ad collum imaginem nominis Jesu, & Mariæ Virginis, portare, qui mos erat etiam temporibus Theodoreti, & S. Basilii, non solùm deferendi tales imagines Christi, & Martyrum advocatorum, tali enim calculo, vel amuleto salubertimo contra ictus diaboli, infirmitates, & adversitates occurrentes muniebantur; talisque piissimi usus utilitas, & efficacia ex continua experientia in Ecclesia notissima est: qui vult plura alia mirabilia de hoc Sanctissimo nomine Jesu adeat S. Bernardinum Sen. qui & prædicatione, & scriptis ductu luminis cælestis ea fusissimè mundo expressit, & propugnator piissimus, & acerrimus ipsius adorationis fuit. *De adoratione pueri facta à Magis, & de puerorum occisione facta ab Herode, Vide in Matth. c. 2.*

73. *Mysterium purificationis Mariæ expenditur; & textus ad litteram dividitur in sua membra.*

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem &c. Nota, quòd hic ostendit Evangelista, qualiter Christus factus sit sub lege cæremoniali, habet hæc pars tria membra: in primò præmittitur humiliatio Christi secundum legis præceptum, ibi *tulerunt illum, ut sisterent eum Domino &c.* in secundo Christi clarificatio per veritatis testimonium facta per sanctum senem Simeonem, ibi *& erat homo in Jerusalem &c.* in tertio consummatio prædictorum, ibi *& cum perfecerunt omnia &c.* primum membrum continet oblationem Christi, quantum ad tempus statutum, quantum ad locum designatum, quantum ad mandatum scriptum, & quantum ad pretium oblatum: secundum membrum continet testificationem veritatis factam per sexum virilem, & muliebrem, scilicet per Simeonem, & Annam Prophetissam: tertium membrum continet consummationem, & respectu præcepti legalis, & respectu vaticinii prophetalis. *Luc. c. 2. v. 22. seq.*

74. *Mora Mariæ, & Joseph ante purificationis diem expenditur, invitaturque anima ad visitationem pueri Jesu.*

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ: Vide quomodo expeditis Magis, & totis eorum oblationibus erogatis à Maria, & Joseph in pauperes, adhuc stat Maria cum puero Jesu, & nutritore suo sancto sene Joseph apud præsepe, in illo locello patienter usque ad quadragesimum diem; ac si esset quædam mulier alia de populo, & puer Jesus esset purus homo, & indigeret legis observatione; sed quia nolebant prærogativas singulares, legem observabant ut cæteri; stabat vigilans, & attenta super custodiâ dilecti Filii sui: Vide sollicitudinem, & vigilantiam Mariæ in gubernando Filium, ne in minimo esset defectus; vide cum quanta reverentia, & cautelâ, & quo timore ipsum contrectabat, quem sciebat esse Deum suum, & Dominum, ipsum flexis genibus accipiens, & imponens eum in præsepio, vide cum quanta etiam jucunditate, & confidentia, & auctoritate materna ipsum amplexabatur, osculabatur, stringebat dulciter, & delectabatur in eo, quem sciebat esse Filium suum; vide quàm sæpè curiosè intuebatur eum in vultu, & singulis partibus ejus sacratissimi corporis, quàm seriosè, ac prudenter tenellà membra fasciâ componebat: ô quam libenter eum lactabat, & quali dulcedine in hac lactatione fruebatur; sic & Sanctus Joseph puerum Jesum super genua sua tenens eidem frequenter arridebat: stante ergo Dominâ apud præsepe; sta & tu cum ea juxta præsepe, & delectare frequenter cum puero Jesu, quia virtus exit ab ipso; quælibet anima fidelis, & maximè Religiosa persona à die nativitatis Domini usque ad purificationem deberet saltem semel in die apud prædictum præsepe Dominum visitare, adorare puerum Iesum, & Matrem ejus affectuosè meditari de paupertate, humilitate, & benignitate ipsorum. *Op. medit. c. 10.* Verè autem poterat Maria dicere illud *Prov. c. 8. Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Audi quales lusus Mariæ ex Scribonio: Nunc dextra cingens Virgine | nunc lacte pascens candido | nunc casto ludens lumine | nunc sinu fovens calido | mille configens oscula | Plus osculis ter dulcibus | caput obnubens parvuli | plus basiis, quam vestibus | corpus fovens tenelluli | nunc natum inter ubera | hic fronti frontem implicans | hic labra genis bellulis | vultuque vultum duplicans | nunc bina præbens ubera | imbre cælesti rorida | hic natus labris imprimit | pudica Matris oscula | hic natus manu tenera | oreque suo masculo | ludebat inter ubera | pectus constringens osculo | hic Matrem genas manibus | & colli nuda basiis | præmit decoris nexibus | & osculis virgineis | hic natus manu blandula | blandas lætoque vertici | Matris inerrans teneræ | errare ludit unici | fælices inter basia | nati nexus purpurei | fælices inter ubera | Matris nexus virginei *Ex Vega n. 1302.*

75. *Maria, & Joseph tulerunt è Bethlehem in templum civitatis Jerusalem Jesum.*

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi &c. Nota, quòd per Moysen Deus legem fecerat; ut quæcumque mulier, quæ suscepto semine pariebat masculum, per septem dies separaretur à consortio aliorum tamquam menstruata, in octavo die puer circumcidebatur, & deindè post triginta tres in templo recipiebatur; ad offerendum Domino Filium, pro quo quando erat primogenitus, & pro seipsa offerebantur quinque sicli ad nati redemptionem; & pro purificatione, vel agnus, vel par turturum vel columbarum duo pulli; & licet Maria Virgo esset exempta ab ista lege, cum concepisset non suscepto semine, ut dicit lex. *Exod. c. 13. & Levit. c. 12.* tamen subjicere voluit seipsam, & Filium ad humilitatis exemplum: conspice & tu ô anima fidelis omnia quæ in hoc itinere dicuntur, & fiunt, & vade in Spiritu cum Maria, & Joseph, & puero, & conspice comitivam ipsorum, non frequentiam militum, baronum, non domicellarum, non equitum, non canum, & lecticarum, sed paupertatem, humilitatem, verecundiam, & omnium

virtutum honeſtatem comites Reginæ, Dominæ totius mundi, & cum ipſis præpara pro emundatione tua, tui ipſius oblationem. *Op. medit. c. 5. & 11. op. de quinque feſtivit. ſolemn. 5. Luc. c. 2. v. 22.*

76. *Maria Virgini quàm exoſum vitium ſingularitatis; procul à Religionis communitate abigendum.*

Poſtquàm impleti ſunt dies purgationis Mariæ ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum, ut ſiſterent, &c. Cur ô Beata Virgo, te ſubjicere vis huic legi, ad quàm non obligaris? Non obligabatur Maria, quia hoc præceptum ſolùm ligabat mulieres illas, quæ pariebant ſuſcepto ſemine; Vide quomodò antè conceptionem tanti æſtimavit Virginitatem, dicens Angelo quomodò fiet iſtud, &c. quomodo nunc ſe collocat in numero earum, quæ virginitatem amiſerunt? ad quid igitur Maria puriſſima Virgo, & purior poſt partum vult ſe tali legi ſubjicere? at ductore Spiritu ſancto hoc fecit, primò ut ſe conformaret Filio, qui ſe ſubjici voluit præcepto circumciſionis ad vitandam ſingularitatis notam, hoc vitium enim Deus valdè abhorret maximè inter Religioſam communitatem non enim ſic faciunt multi, qui in communi congregatione degentes, ſibi ſpeciales prærogativas exigunt fieri, & ab aliis tamquàm honorabiliores volunt in talibus diſcerni, ſed hoc non patitur humilitas vera: *Op. med. c. 10.* Voluit ſecundò huic legi ſe ſubjicere ob amorem humilitatis, quam tantum diligebat Filius, ob quam potiùs voluit adnumerari inter cæteras mulieres non virgines. *ibid. Luc. ibid.*

77. *Oblatio turturum, & columbarum facta à Maria in hac purificatione litteraliter, & myſticè expenditur.*

Et ut darent hoſtiam, ſecundùm quod dictum eſt in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum. Quæritur hic cur Evangeliſta afferens præceptum legis in hac oblatione, mentionem non facit de oblatione agni? lex enim præcipiebat, ut in oblatione primogeniti offerretur vel agnus, vel par turturum, vel columbarum: quæritur etiam cum Maria tantum obtulerit vel par columbarum, vel turturum, an oblatio fuerit turturum, an columbarum: & cur de utriſque facit mentionem? Reſpondetur, quod non facit mentionem de agno, quia hæc oblatio erat divitum, oblatio autem turturum, & columbarum, ſed præcipuè pullorum columbarum erat pauperum, creditur-que fuiſſe columbarum, cum Evangeliſta ultimo loco, & proximiori ad oblationem eas nominet; nec ſine myſterio fit hic mentio de utriſque, tùm ad deſignandum virtutes Mariæ, tum ad indicandum quid nobis faciendum in perfecta noſtri oblatione: primò enim deſignatur quàm virtus humilitatis à Maria, & Ieſu dilecta fuit: potuiſſent retinere partem auri à Magis oblati ad emendum agnum pro hac oblatione & pro aliis illuſtribus demonſtrationibus faciendis propriis divitum, ſed amor paupertatis id eis non permiſit, omnia enim illa pretioſa munera pauperibus diſtribuerunt, & ipſi cum pauperibus voluerunt admitti: ſecundò fit mentio de turturibus, & columbis, quia in turture, quæ eſt ſolitaria & in columba communis eſt gemitus ſed gemitus turturæ eſt amoris, & gemitus columbæ eſt doloris; ille eſt proprius contemplativorum, iſte activorum; daturque intelligi, quod Maria in excellentiſſimo gradu habuit donum vitæ contemplativæ, & vitæ activæ, & ideo ſignificatur in Maria, & Martha, & utriuſque exercitium legitur in Evangelio de Aſſumptione Virginis Mariæ, per hoc-que invitatur anima ad conſimilem oblationem, nempè prius ad purgationem ſui per vitam activam, & vitam pœnitentialem, poſteà ad contemplationem æternorum. *Op. medit. c. 11. Luc. c. 2. v. 24. & c. 10. v. 38. ſeq. op. Apol. paup. Reſp. 3. c. 1.*

78. *Numerus quadragenarius dierum antè oblationem Chriſti in templo quid nobis indicet.*

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ, &c. tulerunt illum, ut ſiſterent eum Domino. Cur iſte quadragenarius numerus dierum tranſactorum notatur antè oblationem Ieſus in templo? hoc eſt ad myſterium maximum inſinuandum: quadragenarius enim numerus fit ex decennario multiplicato per quaternarium, ſignificat obſervantiam decem mandatorum factam quatuor modis, ſcilicet corde, ore, opere, & conſuetudine per carnis macerationem, datque intelligere, quod qui vult in templo cordis ſecure Chriſtum recipere, & in devotione debet præmittere obſervantiam decem mandatorum perfectam, ſic enim ad contemplationem Dei vivi elevabitur. *Ser. 2. de Purificatione in addit. ſer. 4. Dom. 1. Quadrag.*

79. *Communitas in Religionibus diligenter ſervanda.*

Et ut darent hoſtiam ſecundum legem Moyſi par turturum, aut duos pullos columbarum. Cur par iſtorum voluerum, & non potius unum voluit Deus offerri in templo? Ecce pulchellum myſterium: ut diſcamus, quod in templo, ſcilicet in Religionibus, in quibus homo ſe totaliter Deo offert per tria vota Deus amat communitatem, abhorretque ſingularitatem: Avis enim ſingularis, vel eſt rapax, ut accipiter, vel amiſit ſocium, ſubjectuſque redditur animalibus rapacibus, ſic in Religione Religioſus ſingularis, vel eſt rapax, ſcilicet vel per detractionem, vel judicium temerarium, vel perdidit ſocium ſcilicet Chriſtum, ideo ſubjectus eſt ruinæ, hinc eſt, quod in templo Deus voluit par turturum, vel duos pullos columbarum, non ſolum turturem: communitas autem in Religione, quam expetit Chriſtus, eſt illa, in qua viget magis charitas, & obſervantia, & attrahit Spiritum ſanctum, qui ex *Act. 2.* ſolùm inter congregatos ſimul deſcendit. *Op. Diæt. ſit. 4. c. 1.*

80. *Ad perfectam ſui oblationem requiritur agni, turturis, & columbæ præſentatio.*

Et ut darent hoſtiam ſecundum legem Moyſi. Nota quod lex Moyſis præcipiebat oblationem agni, vel turturum, vel columbarum, hæc autem tria exiguntur in noſtri oblatione, in agno innocentia, ſed quia pauciſſimi ſunt innocentes, ideo oblatione agni omiſſa Evangeliſta tranſit ad turtures, & columbas, in turture pœnitentiam, in columba continentiam & caſtitatem, ſtæque dum virtutes ſunt neceſſariæ, ad perfectam oblationem ſui. *Ser. 1. de Purificat. in addit.*

81. *Simeo*

81. *Simeonis teſtificationis circa veritatem Meſſiæ circumſtantiæ expenduntur.*

Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus, & timoratus expectans conſolationem Iſrael, & ſpiritus Sanctus erat in eo, & reſponſum acceperat, &c. Ecce poſt deſcriptam Chriſti humilitatem ſecundùm legis præceptum, hic deſcribitur ejus clarificatio per veritatis teſtimonium ex ore primò Simeonis & ſecundario Annæ Prophetiſſæ: & circà teſtificationem Simeonis tria introducuntur; primò teſtificantis meritum ſolidans ad credendum, ibi *Simeon juſtus, &c.* Secundò teſtificantis præconium elevans ad admirandum, ibi *& benedixit Dominum, & ait Nunc, &c.* tertiò præconii temperamentum inclinans ad compatiendum, ibi *& benedixit illis Simeon*, & dixit ad Mariam, Ecce poſitus eſt hic, &c. & quantùm ad primum, ſcilicet ad meritum Simeonis, hoc explicatur in duobus, ſcilicet in habitu virtutis, ibi *& erat juſtus, &c.* & in Spiritu veritatis, ibi *reſponſum acceperat à Spiritu Sancto. &c. Luc. c. 2. v. 25.*

82. *Virtutis habitus, & uſus conſiſtit in bona fama, in bona vita, & gratia, ut in Simeone.*

Et ecce homo in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus, & timoratus expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus Sanctus erat in eo. Ecce typus, & forma perfecti habitus, & uſus virtutis conſiſtentis in bona fama; & ſancta vita, & in poſſeſſione gratiæ Spiritus Sancti: Bona fama eſt ab extrà, bona vita ab intra, & gratia à ſuprà: bona fama iſtius Sancti erat in civitate Ieruſalem, in qua erat nota ipſius virtus, undè ab Evangeliſta ponitur ejus nomen tamquam valdè cognitum ob inſignem ejus pietatem: ſancta vita exponitur per illa verba, *& homo iſte juſtus*, ſcilicet ob rectitudinem vitæ, & juſtitiæ quantum ad eligenda, juſtitia enim eſt rectitudo voluntatis, quæ facit hominem per rectam viam incedere, ſcilicet recta intentione, & ſimplicitate, & quantum ad fugienda, ideo dicitur, & *timoratus*, quia timor Dei expellit peccatum: gratia Dei poſteà in ipſo exiſtens exponitur per illa verba, *& Spiritus Sanctus, erat in eo*, ſcilicet per gratiam, & charitatem; in quibus verbis patet, quæ conditiones exiguntur ad hoc, ut homo ſit juſtus, & ut talis cognitus. *Lucam cap. 2. verſ. 25.*

83. *Item de homine juſto pio, & timorato.*

Cui nomen erat Simeon; Scilicet valdè notus! & cur? Nota, quod iſta bona fama non erat vana, & fundata in opinione hominum, ſed in juſtitia, pietate, & gratia Spiritus Sancti: nam juſti quærunt gratiam apud Deum, non apud homines, ſicque ipſam fundant in juſtitia, pietate, & timore Dei: ſic Simeon erat pius quoad proximum, quia expectabat conſolationem Iſrael, juſtus quoad proximum, & timoratus quoad Deum, & ideo Spiritus Sanctus erat in eo per gratiam, & charitatem, & ideo Sancta opinionis erat apud homines, per quod etiam ſignificatur, quod teſtimonium viri ſenis veritate præditi eſt magni faciendum. *Ser. 6. in Pentec. Luc. cap. 2. verſ. 25. & 36.*

84. *Homini juſto Deum enixè oranti reſpondet ipſe Deus conceſſione gratiarum.*

Et reſponſum acceperat à Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini. Quomodo dicitur, quod Spiritus Sanctus ei reſponderat, ſi non legitur, quod ipſe aliquid petierit? ſed optimè hoc dicitur, nam antecedenter ponitur ejus deſiderium, ut Incarnatio à Deo fieret, & ipſe (ait) erat expectans conſolationem Iſrael, & ideo ipſam petens, & pulſans oratione, ſanctitate, & ſanctis operibus ad fores miſericordiæ Dei; Deus autem, ut verificaretur dictum Prophetæ. *Iſaiæ c. 30.* Ad vocem clamoris tui, ſtatim ut audierit, reſpondebit tibi; ipſi revelavit Incarnationem futuram, & ſe viſurum ante ſuum obitum Chriſtum Domini: ſic, ſic facit Deus fideliſſimus in ſuis promiſſis cum ſuis ſervis, & amicis. *Luc. c. 2. v. 26.*

85. *Spiritus Sanctus cum gratia, & charitate intrat in animam, ipſam dirigens in omnibus actibus.*

Et Spiritus Sanctus erat in eo. Ecce quid portat ſecum Spiritus Sanctus, nam de hoc Sancto ſene dicitur, quod erat juſtus, & timoratus, & quod Spiritus Sanctus erat in eo; & optimè iſta connectuntur, nam juſtitia, & timor Dei præparant animam ad gratiam, & charitatem, cum gratia autem & charitate infunditur in anima Spiritus Sanctus, qui in ipſa velut in ſolio, & throno habitat, eamque dirigens in ſuis omnibus actibus ordinans hominem, tamquam verus magiſter, & ductor in ordine ad ſeipſum, ad proximum, & ad Deum. *Sermon. 3. in oct. Paſchæ. ſerm. 2. & ſeq. in Pentec.*

86. *Spiritus Sanctus ductor eſt juſtorum ad ingreſſum in templum ſpirituale, & materiale.*

Et venit in templum in ſpiritu. Quid eſt in Spiritu? ergone tantùm ſpiritualiter ingreſſus eſt in templum, & non etiam materialiter ad recipiendum in ulnas pàrvulum Jeſum? Nota verba, ſigna myſteria: Venit in Spiritu, ideſt ductore Spiritu Sancto, qui ſe ducem ſancti ſenis fecit, dum ipſe propoſuit ire in templum ſanctum Dei ad obſequendum, & venerandum Dominum, & ad decantandum ipſius laudes: ecce quod hic datur ſignum patens ad cognoſcendum, an homo ad templum Dei moveatur, & ducatur, nempè an à Spiritu Sancto Dei, an à Spiritu diaboli; qui enim in templum intrat purâ, & ſanctâ intentione Deum honorandi, & ejus laudes devotè decantandi, iſte à Spiritu Sancto ducitur, & poteſt de ipſo dici, & venit in Spiritu in templum, & iſti à Deo conceditur facultas hoſpitandi Jeſum in ulnis, & in corde: Qui verò è contra curioſitatis, vel vanitatis cauſa, vel alio fine impertinente, & indigno ad templum Dei vadit; iſte habet ductorem diabolum;

Idem & proportionaliter dicendum de ingreſſu ſpirituali in templum cordis *Luc.c.2.v.27.ſer.1.de dedicatione.Ioan.collat.14. op. de Profeſſ. Religioſ. lib.2.c.15.*

87. *Proceſſio facta in portatione pueri Ieſu in templum expenditur, occurſus Simeonis, eius devotio, & ſumptio Ieſus in ulnis ſuis.*

Et cum inducerent puerum Ieſum parentes ejus ſecundùm conſuetudinem legis pro eo, ipſe, ſcilicet Simeon accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, &c. Notanda hic pulcherrima, & digniſſima myſteria : Cum Simeon juſtus feſtinanter veniens ad templum vidiſſet Ieſum, ſtatim prophetico Spiritu cognovit eum, & accelerans genuflexit, & adoravit eum inter brachia Matris; Puer autem benedixit eum,& aſpiciens Matrem inclinavit,oſtendens ſe velle ire ad eum, quod Mater videns, quamvis admirans porrexit puerum Simeoni, ille autem gaudenter, & reverenter in ulnis ſuis eum recipiens ſurrexit benedicens Deum, & dixit. *Nunc dimittis ſervum tuum in pace, &c.* ſupervenit & Prophetiſſa Anna, & adorans ſimiliter de ipſo loquebatur; deindè puer Jeſus extendens brachia verſus Matrem, ad eam rediit;poſteà fecerunt proceſſionem verſus Altare, & locum oblationis : Vide ergo proceſſionem,quæ facta eſt in portatione,& oblatione pueri Ieſu,quæ hodie repræſentatur per univerſam Eccleſiam:Præcedunt alacriter illi duo ſenes venerabiles,ſcilicet Ioſeph, & Simeon tenentes ſe per manus,& cum exultatione magna jubilantes,& pſallentes, *Confitemini Domino, quoniam bonus.Pſ.117. Fidelis Dominus in omnibus viis ſuis. Pſal.144.* & alios Pſalmos. Sequitur Mater portans Regem Jeſum, & Anna ſociat eam, vadens à latere cum reverentia jubilans, & ipſa gaudio indicibili laudans Dominum; ab iſtis ergo fit proceſſio, paucis quidem, ſed valdè magna repræſentantibus, quia de omni genere hominum fuit inter eos, de maſculis, fœminis, ſenibus, & juvenibus, virginibus, & viduis; cum autem pervenerunt ad Altare, Mater cum reverentia genuflexit, & obtulit dilectiſſimum Filium ſuum Deo Patri ſuo dicens : Accipite Pater excellentiſſime Unigenitum veſtrum, quem ſecundùm mandatum legis veſtræ vobis offero, quia primogenitus Matris eſt; ſed rogo Pater, ut eum mihi reddatis,& ſurgens dimiſit eum, ſuper Altare. *Op. medit.c.11.*

88. *Solùm habens ambas ulnas poteſt recipere Chriſtum.*

Et accipiens Ieſum in ulnas ſuas. Nota,quòd iſte juſtus fuit dignus recipere Chriſtum, quia habebat ambas ulnas,ſcilicet charitatem Dei,& proximi;niſi enim quis ſit miſericors ad proximum, & recipiat ipſum pro Chriſto inter ulnas, non eſt dignus recipere eum, qui propter miſericordiam de Cœlo deſcendit; hinc juſtus debet eſſe homo ad Deum,& proximum.*Ser.23.Hexam.*

89. *Oblatio pueri Ieſu expenditur, redemptio ipſius ſecundum legem.*

Cum inducerent puerum Ieſum, &c. Vide qualis oblatio iſta: numquam enim à ſæculo talis facta eſt,nec fiet; reſpice benè ſingula : Stat puer Ieſus ſedens ſuper Altare, ſicut quilibet alius parvulus, & facie maturâ reſpexit Matrem, & alios, & humiliter, & patienter expectat,quid deinceps fieri debeat : Adducuntur ſacerdotes (nota ex hoc Simeonem non fuiſſe ſacerdotem ſecundùm communiorem Patrum ſententiam,quia hoc non præteriretur ſilentio ab Evangeliſta) & ſic redimitur puer Dominus omnium tamquam ſervus quinque ſiclis more aliorum, quibus à Ioſeph Sacerdoti ſolutis, Mater lætanter recepit Filium; accepit etiam de manu Ioſeph prædictas aves,ut eas offerat,& genuflectens,& tenens eas in manibus ſuis, elevatis oculis ad Cœlum eas obtulit dicens; Accipite clementiſſime Pater hanc oblationem, & munuſculum,& primum donum, quod parvulus veſter hodie de ſua paupertate præſentat; ſed & puer Ieſus manus ſuas ad aves porrigens, oculos ad Cœlum levavit, & nondum loquens geſtibus una cum Matre offerebat,& poſuerunt eas ſuper Altare : Vidiſti quales oblatores ſunt iſti, Mater, & Filius, hæcque oblatio per manus Angelorum fuit in ſuprema curia præſentata, & valdè acceptata, ita ut tota curia cœleſtis exultaverit; poſteà Virgo Sancta diſceſſit de Ieruſalem, ſed viſitavit Eliſabeth volens videre Ioannem priuſquàm diſcederet; Vade ô anima & tu ſimiliter cum ea, & conſidera paupertatem, humilitatem, devotionem Chriſti,& Mariæ eamque imitare. *Op.medit. cap.11.*

90. *Invitatur anima ad accipiendum ſpiritualiter Ieſum in templum cordis, & in ulnas ſuas.*

Cum inducerent puerum Ieſum in templum,& ipſe accepit eum in ulnas ſuas. Nota, quòd puer Ieſus primò inducitur in templum, poſteà accipitur à Simeone in ulnas,& hoc eſt,quod quilibet fidelis debet facere, primò ipſum recipiendo in corde, ſcilicet utero exemplo Mariæ, tamquam in templo purificato omni fœditate,poſteà in ulnas, ſcilicet inter brachia charitatis in Deum, & proximum per bonas,& ſanctas operationes, ut verificetur id, quod ipſe dicit. *Cant. c. 8. Pone me, ut ſignaculum ſuper cor tuum, ut ſignaculum ſuper brachium tuum. & ibi ipſum perpetuò tene, ut oblationem gratam Patri pro peccatis tuis facias.op.lignum Vitæ.ſer 4.Dom. infrà oct.Nativ.ſer.4.Dom.3. Quadrag ſer.3.de Purificat. in addit.*

91. *Proceſſionis hodierna, quæ fit in Eccleſia univerſali, rationes, & myſteria enodantur.*

Cum inducerent puerum Ieſum, &c. Nota, quòd hodiernus dies dicitur feſtum luminum, quia hodie cum luminibus ad honorem æterni luminis proceſſio fitiunde Eccleſia invitat fideles ad hanc proceſſionem verbis Prophetæ *Iſa. c. 2.* Venite ambulemus in lumine Dei noſtri; ne fruſtrà lumen materiale in manibus portemus, & ſicut lumen corporale in manibus tenemus, ita lumen

ſpirituale

ſpirituale teneamus, ſcilicet Chriſtum, qui eſt lumen illuminans omnem hominem, in bonis operibus: Proceſſio autem iſta cum luminibus accenſis ordinata eſt in Eccleſia propter ſequentes rationes: primò propter repræſentationem proceſſionis, quæ facta fuit in hac die, ut ſuprà dictum eſt, & ſancti Simeonis, qui inter ulnas, & in manibus puerum Ieſum, ipſumque dixit lumen ad revelationem gentium, & ideo mentes illuminatæ hodie incedunt cum luminibus: ſecundò inſtituta fuit à Gelaſio Papa ad abolitionem gentilis ſuperſtitionis, quâ Romani illo tempore in principio februarii luſtrati, & ambire urbem cum candelis, & proceſſionibus conſueverant, quæ in hac ſolemnitate deſtructa eſt: tertiò propter venerationem Beatæ Virginis, quæ cum ſit Regina omnium Virginum lampades ardentes habentium, ejus lampas lumen habuit, effuditque mundo; undè invitantur fideles ad occurrendum Mariæ Virgini cum lumine charitatis in manibus, & operibus, & hinc aſpiremus pervenire ad illam beatam illuminationem cœleſtis gloriæ. *Ser. 1. in Purificat. B. Virg. in addit.*

92. *Candelarum benedictionis, & accenſionis hujus diei expenduntur myſteria.*

Cum inducerent puerum Ieſum, &c. Cur celebratur hoc feſtum cum benedictione, & accenſione candelarum? & cur potius hâc die, quam aliâ? Sed hoc cum maximo myſterio multiplici factum eſt in hac die, nam iſtæ candelæ ſunt veluti liber, maximè laicorum, in quo repræſentatur Chriſtus portandus à nobis non ſolùm in corde per fidem, ſed in manibus per charitatem, & operationes bonas; in candela autem eſt lumen cum cera; ſic in Chriſto eſt cera carnis de Virgine aſſumptæ, & lumen ſcilicet divinitas in humanitate; cera ſumpta eſt cum melle, mel ſignificat divinam naturam, cera humanam; ideò lumen in cera eſt divinitas in humanitate, & cera in melle, eſt humanitas in divinitate: item candela non per lumen, ſed lumen per ceram tutè portatur, & tractatur, ſic & Chriſtus per carnem, nam divinitas eſt lux inacceſſibilis, quæ temperata, & unita in carne portatur; item quia candela in candelabro ponitur ad lucendum, ſic Chriſtus poſitus eſt in carne ad illuminandum totum mundum, & ſicut candela in ſe conſumitur, ut homines illuminentur, ſic & Chriſtus in Paſſione; & hinc portatur lumen, ut excitemur ad portandum Chriſtum in corde, bonis operibus. *Sermon. 1. in Purificatione in addit.*

93. *Inducere puerum Ieſum debet homo in templum exemplo Mariæ, & Ioſeph.*

Et cum inducerent puerum Ieſum parentes ejus, &c. quo inducebant? in templum ad hoc, ut ipſum offerrent Patri, qui poſtea acceptus fuit in ulnas Simeonis & ipſum benedixit; diſcamus & nos idem facere; inducamus Chriſtum in templum ſcilicet cordis; ſed ut dignè in hoc templum recipiamus, exornandum eſt veſtibus virtutum deinde exemplo Simeonis recipiendus eſt in ulnas per bona opera; & tertiò laudandus, & benedicendus eſt ore. *Sermon. 3. in Purificat. Beat. Virg. in addit.* Nota etiam, quod Chriſtus ſe omnibus ſtatibus communem fecit; vitis, & mulieribus, quoad ſexum; pueris, & ſenibus, quoad ætatem; divitibus, & pauperibus, quoad fortunam; juſtis, & peccatoribus, quoad ſtatum. *Sermon. 3. de Innoc. in addit.*

94. *Simeonis triplex conſolatio expenditur ad excitandum nos ad ſui imitationem.*

Et benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum in pace, &c. Nota, quod merito vir juſtus benedixit Deum, quia à Deo repletus eſt multis conſolationibus, & præcipuè à Spiritu Sancto, à quo reſponſum acceperat ſe non viſurum mortem, niſi priùs videret Chriſtum: per quod invitamur & nos ad Deum ſimiliter exorandum, ut nobis concedat, ne antè mortem videamus niſi Chriſtum, & ipſum recipiamus in corde, & poſt mortem ipſo perfruamur: item quia immenſe conſolatus eſt à Filio, quando ipſum recepit in ulnas ſuas, ad quod & nos invitamur ut inter ulnas amoris, & timoris ipſum recipere mereamur: & tertiò à Patre conſolatus eſt per finem pacificum, unde ad Patrem ait, Nunc dimittis ſervum tuum in pace: ô felix iſte juſtus, felix & qui in pace Patris æterni recipitur, infelix qui in bello. *Sermon. 2. in die Purificationis in addit.*

95. *Canticum Simeonis, Nunc dimittis ſervum tuum Domine explicatur.*

Et benedixit Deum, & dixit, Nunc dimittis ſervum tuum in pace, quia viderunt, &c. Nota quod hic ſubditur ab Evangeliſta veritatis manifeſtatæ præconium elevans ad admirationem, cujus præconii excellentia colligitur ex tribus, ſcilicet ex præambula benedictione, undè dicit *& benedixit Deum* ipſi gratias agens de tanto beneficio: ſecundò ex devota Chriſti laude, & magnificentia, quæ continetur in toto cantico, *Nunc dimittis, &c.* tertiò ex Patrum admiratione, ibi *& erant Pater ejus, & Mater mirantes, &c. Luc. c. 2. v. 29.*

96. *Idem argumentum de Cantici Simeonis excellentia.*

Nunc dimittis ſervum, &c. Nota, quod hoc Canticum eſt totius Evangelicæ hiſtoriæ, quædam breviſſima comprehenſio, & ſumma, ſeu compendium, & quantum ad Incarnationem in pace, prædicationem in luce, redemptionem in ſalute, reſurrectionem in gloria. Primò ergo dicit Sanctus ſenex. *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*, ut exprimat ſpiritualem conſolationem in præſentia Chriſti propter dignationem Majeſtatis, propter quam dicit, *Nunc dimittis, &c.* quia Dominus venerat ad ſervum ſuum. & propter impletionem veritatis promiſſæ, ideò ſubdit *ſecundum verbum tuum*, ſcilicet promiſſum in carne; & propter adeptionem tranquillitatis, undè ſubdit *in pace*, quia jam adveniente illo, qui dicit in me pacem habebitis *Ioan. c. 16.* juſtus dicebat ſe in pace mori; jam pro vera conſolatione poterat dicere cum Iacob. *Gen. c. 40.* Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, &

ſuperſtitem te relinquo;& illud *Pſal.*4. In pace in idipſum dormiam,& requieſcam. Deindè additur Chriſti magnificatio ſecundùm triplicem excellentiam,ſcilicet pietatis, ſapientiæ, & Majeſtatis: ex pietate. & clementia venit ſalus, ex ſapientia fulget lux, ex Majeſtate gloria, & laus; ſalus ſcilicet omnibus populis, unde dicit, *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum*; Lux ex ſapientia gentibus, ideò dicit, *Lumen ad revelationem gentium*; & gloria,& laus ex Majeſtate,unde dicit, *& gloriam plebis tuæ Iſrael.* Magnificatur ergo Dominus Ieſus ſub ratione ſalutis omnium, lucis gentium, & gloriæ Judæorum, primum clementiam, ſecundum ſapientiam, tertium potentiam manifeſtat, quia laudatur ut pax, ut ſalus,ut lux,ut gloria, pax, quia mediator; ſalus, quia ſaluator, & Redemptor;lux, quia Doctor, gloria, quia præmiator; ergo in hoc Cantico tangitur Incarnatio in pace, Redemptio in ſalute, prædicatio in luce, & Reſurrectio in gloria; ergo eſt compendium totius Evangelicæ hiſtoriæ; & quia continet laudis Chriſti plenitudinem, & ſenis mortis conſolationem, ideò hoc Canticum ſub ſero diei cantatur in completorio; undè iſta tria Cantica ſunt ordinata, Mariæ,Zachariæ, & Simeonis in Eccleſia decantanda; primum veſperi, ſecundum manè, tertium ſerò, quia ſequens incipit, ubi terminatur præcedens;In Cantico namque Mariæ celebratio fit miſericordiæ Dei factæ ancillæ ſuæ,ſcilicet Eccleſiæ per Incarnationem: In Cantico Zachariæ Reſurrectio Chriſti, per quam erectio, & exaltatio Chriſti facta eſt,erexit cornu, &c. & in Cantico Simeonis pax continetur, quam habituri ſumus in ſeptima ætate, ideò cantatur in ſeptima hora, & ultima; per quæ invitantur omnes ſtatus in Eccleſia ad laudandum Deum, in Maria Virgines, & contemplativi, & Religioſi;in Zacharia conjugati, Prælati, & Clerici; in Simeone viduæ,activi, & Laici. *Luc. c.*2. *v.*29.*& ſeq.& Ugo Card.*

97. *Ex Maria, & per Mariam Chriſtus mitis, miſericors, Redemptor, & Glorificator.*

Et benedixit Deum, & dixit, Nunc dimittis ſervum tuum. &c. Domine in pace, &c. Nota, quod hoc canticum Simeon repletus Spiritu Sancto decantavit, vel poſtquàm de ſinu Mariæ recepit Chriſtum puerum, vel poſtquàm eidem Matri reſtituit & hoc non ſine myſterio, quia cognoſcebat lumine cœleſti,quodDeus factus eſt caro,pax, Redemptor, mitis, clemens, & glorificator per Mariam,unde ſubditur,quod *Erant Pater, & Mater mirantes ſuper his;& benedixit illis.* ſcilicet benedictos prædicavit Mariam, quia ipſum accepit, & Joſeph, quia edúcavit: ergo cum Simeon benedixerit Deum propter gratiam receptam per Mariam,ideo verè,& merito à nobis, Maria Virgo benedicenda eſt, quia eſt via,per quam Deus nos viſitavit de ſedibus ſuis,quia ipſa inclinat cultum Dei ſuper nos,cogitque illum nobis miſereri, inflectens Deum ultionum ad pietatem. *Op. Pſalt. B.Virg.Pſal.*31.*&* 35.*&* 93.*op.Laus B.V.fig.*13.

98. *Qualis benedictio laudis Deo grata.*

Et benedixit Deum, & dixit, &c. benedixit illis, &c. Vide quomodo Sanctus ſenex poſt receptionem Spiritus Sancti in corde,& Chriſti in ulnas ſuas exiit in benedictiones, & laudes divinas, ut intelligamus quales benedictiones,& laudes ex ore noſtro ſint Deo gratæ,nempè ſi fuerit Spiritus Sanctus in corde,ſi Chriſtus in manibus,& operibus, undè vera benedictio, & laus divina requiritur concurſum cordis in gratia, & bonorum operum *Ser.*2.*Dom.Palm.*

99. *Fides cum operibus ducit ad viſionem Dei.*

*Nunc dimittis, &c. quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*Nota,quod dum iſte Sanctus ſenex accepit in ulnas ſuas, dixit, *quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, lumen ad revelationem gentium*; ut hinc addiſcamus, quod fides, quæ facit videre Deum, requirit, ut etiam portemus in manibus Chriſtum per bona opera, quia fides ſine operibus mortua eſt; fides cum operibus Deum oſtendit,& nobis ipſum viſibilem reddit.*Ser.*1.*Dom.*14.*Penteceſt.*

100. *Ex præſentia Chriſti omnis lætitia,& fruitio.*

Nunc dimittis ſervum tuum.&c. Quare ô ſancte ſenex tanta lætitia? cur nunc deſideras mori in pace? quia viderunt(ait)oculi mei ſalutare,ſcilicet Jeſum; hinc vide quomodo ex præſentia Chriſti oritur,veluti ex fonte omnis lætitia, omneque bonum; & ſi ex viſione per fidem tanta lætitia, quid erit ex clara viſione divinitatis; expectatio enim boni concupiſcentiam parit, præſentia verò lætitiam; ô quantum gaudium eſt videre hoc lumen dulce, & delectabile oculis; ô ſuaviſſima lux purgatæ mentis ſapientia, non enim ceſſas oſtendere nobis, quæ & quanta ſit virtus tua ſuper ômne creaturarum decus, ſed ad hoc gaudium non pertingunt manentes in tenebris viciorum. *Sermon. 5. de Nativit. ſermon.* 2. *in Epiph.*

101. *Benedictio Domini in parentes cadit propter filios ſanctè educatos.*

Et benedixit illis, Scilicet Parentibus Simeon: Cur ô ſancte ſenex benedictionem Filio debitam convertis ad Parentes? Chriſtus eſt Deus, ideò non creaturæ poſtponendus, nec cum creatura comparabilis:ô benè, & ſanctè:benedixit Simeon priùs Filium,& propter tantum, ac talem Filium etiam benedictionem extendit ad Parentes benedixit autem Mariæ ut Matri propter Filii conceptionem, & portationem in utero,& nativitatem, & Joſeph propter educationem, ut diſcant Parentes,quod benedicuntur Parentes in filio, & pro filio in filio generato,& pro filio benè educato ô quale bonum, quales benedictiones à Deo, ab hominibus immittuntur in Parentes pro bona educatione filiorum.*Luc.c.*2. *v.*34.

102. *Prædicator temperet verba rigoris cum melle dulcedinis.*

Et benedixit illis Simeon. Cur ante prophetiam de Christi Passione, & de damnatione multorum impiorum futura, præmittit hanc benedictionem Parentibus? Vide hic artem mirabilem perfecti oratoris, & Prædicatoris; primò enim præmittit benedictionem Parentibus, posteà enuntiaturus ruinam malorum, & salutem bonorum, ut benedictione hac temperet nuntium funestum, in quod irrumpere, & exire debet; benedictio enim præmittitur tum ad consolationem; tum ad confortationem, tum etiam ad commendationem, ne Passio prædicenda turbet, ne terreat, & ne credatur culpa proximorum parentum esse in causa. *Luc. c. 2. v. 34.* Discant hanc artem sacri Oratores, ut rigorem divinæ justitiæ temperent cum oleo divinæ pietatis, ut quidem terreant, sed terrendo peccatores simul advocent per pietatem, & misericordiam ad pœnitentiam.

103. *Christus sol bonos, & benè dispositos illuminans, & salvans: malos, maléque dispositos crucians.*

Et dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël. Quid dicis ô sancte senex? nonne paulò ante dixeras hunc puerum esse salutare Dei, Redemptorem, salvatorem omnium, lucemque venisse ad illuminationem gentium, & ad gloriam plebis Israël, quomodò ergo nunc dicis positum esse in ruinam multorum? ô benè: jam prædixerat hunc parvulum lumen, & solem advenisse in mundum, sed quia sol secundum varias dispositiones intuentium oportet alios contristari, alios verò delectari, sic & vidimus, quod quicquid projicitur in modulum, induit formam, & figuram moduli, & ratio est quia quicquid recipitur, recipitur per modum recipientis, & non recepti; ergo Christi solis radii, & influentiæ aliis in bonum, aliis in ruinam derivant, & hoc non ob defectum solis, sed propter defectum, & malitiam hominum; hinc mirum non est, quod ortus, Passio, & opera mirabilia Christi aliis sint in bonum, aliis in malum. *Ser. 1. Dom. infrà oct. Nativ. Luc. cap. 2. vers. 14.* Nota etiam, quod dicit in Israël, quia talis diversitas effectuum præcipuè visa est in populo Judaico. *ibid. ser. 1.*

104. *Christus virtus, lumen, & salus hominum bonorum, & ruina malorum.*

Ecce positus est hic, ideſt expositus à Patre ille, qui est virtus, lumen, & salus; nempè ut virtus Patris sublevet impotentes, & liberet à crudelitate diabolicæ potestatis; ut lumen, ut illuminet omnes sedentes in tenebris, & umbrâ mortis, & ut salus, lascivientes resurgant à fœditate carnis lasciviæ concupiscibilem deformantis, quos effectus tamen non experiuntur iniqui, qui contra Christum armantur superbiâ, cæcitate culpabili, & lascivâ. *ser. 1. Dom. infra oct. Nativ.* Et hinc benè dicitur Christus positus in ruinam, scilicet non credentium, in resurrectionem credentium; item in ruinam propter peccatum, & in resurrectionem per gratiam; item in ruinam per pœnam, in resurrectionem per gloriam; item in ruinam per ignorantiam, in resurrectionem per victoriam. *Ser. 2. ibid.*

105. *Intolerabilis malignitas ex medicina facere venenum, & ex bono proximi fieri pessimum.*

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum. Quomodò hoc dicitur, ergo eadem causa simul, & semel effectus contrarios producere potest? ecce quomodò, hoc est, non quod ruina ex Christo causetur, quia solum salutem confert, sed ex malignitate hominum, imo hinc patet quanta sit hominis perversitas ex hoc, quod antidotum solùm de se valens conferre sanitatem convertit in venenum mortiferum, nihil enim malignius, nihil stolidius sub Cœlo, quàm de bono alieno fieri malum, & perversum? *Ser. 1. Dom. infrà oct. Nativ.* Hoc attendant invidi, qui de bono proximi sibi inferunt malum mortis. *Op. Diat. tit. 1. c. 4.*

106. *Christus positus in signum exemplare, ut in ipsum tenderent omnes homines, & consequerentur effectus salutis: & ideo signum foederis inter Deum, & homines se exposuit.*

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, &c. Quid est signum? signum est, quod in alterius rei cognitionem inducit; signum est, in quod tendunt oculi ad aliquid cognoscendum, vel percipiendum? quale signum fuit Christus? sed attende ad mysteria mirabilia: nam per hoc verbum signum Simeon expressit omnes actiones Christi, & causam sui adventus in carnem, omnesque effectus ex ipso provenientes; nam Christus fuit signum exemplare in omni sua actione; & ideo multiplicitet signum se exhibuit omnibus hominibus: & præcipue signum se ostendit virtuosissimæ reconciliationis in Incarnatione, & ideo figuratus est in Arcu fœderis posito à Deo in nubibus post diluvium *Gen. c. 9.* Arcus autem figuratur ex radio solis in nube concava, & rorida, sic Christus constat ex radio solari divinitatis, & nube humanitatis, & ratione humilitatis dicitur concava, & ratione plenitudinis gratiæ dicitur rorida, posita est à Deo in nubibus, ideſt defectibus carnalibus tenebrosæ humanitatis impedientibus ab hominibus salutem, non ut obscuraret, sed ut contemperaret, cujus extrema contingunt Cœlum divinitatis, & terram humanitatis; & hoc est signum positum à Patre in mundo ad reconciliationem hominis cum Deo. *Ser. 1. Dom. infra oct. Nativit. ser. in Exalt. sanctæ Crucis.*

107. *Christus positus in signum, ut ad ejus visionem revocaret dispersos per prædicationem.*

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem, &c. & in signum. Et quale signum? Nota, quod sanctus senex videns puerum Jesum Deum, & indutum carne humanâ, agnovit autem Dei nostri; agnovit inquam, quod sicut aucupes emittentes falcones ad prædam exponunt quoddam signum,

&c

& in eo exponunt carnem, ut attracti ab ipſa redeant ad manum; ſic, ſic fecit Deus in Chriſto, in quo collocavit carnem non alienam, ſed humanam, ipſique Chriſto impoſuit munus prædicationis, ut ad viſionem carnis humanæ, & ad auditum vocis divinæ reclamaret & convocaret diſperſos undequaque à quatuor plagis terræ, ideſt à quatuor inordinatis affectionibus, ſcilicet à tumore vanitatis, & ſuperbiæ ad timorem humilitatis, & reverentiæ: à fervore carnalitatis, & immunditiæ ad nitorem caſtitatis, & ſanctimoniæ: ab ardore terrenitatis, & avaritiæ ad amorem paupertatis, & inopiæ: à furore impietatis, & invidiæ ad dulcorem charitatis benignæ: Et hoc eſt, quòd in figura oſtendit Moyſes. *Num.c.*21. exponendò ſerpentem æneum pro ſigno, ut ipſum percuſſi intuentes ſanarentur; ſic Dominus Ieſus Chriſtus poſitus fuit cum ſigno humanitatis ſine veneno peccati, ut omnes homines à ſerpente infernali percuſſi ad ipſum carne indutum, & cruci affixum adſpicerent, ad ipſum vocati ſe reducerent, & plenam curationem invenirent, ut ſi tentantur de honoribus inveniant mortem viliſſimam, ſi de deliciis mortem doloroſiſſimam, ſi de divitiis nuditatem paupertimam inveniant; ſed proh dolor! quia avis extranea vocata ſuo reclamatorio venit, ſed homo vocatus reclamatorio Chriſti tot vocibus, tot exemplis, tot ſignis, tot inſpirationibus, tot prædicationibus, tot modis, ſæpè non venit, ſed ad modum accipitris ſaturi, qui vocatus redire contemnit potiuſque ad vocem diaboli obediens, ad ipſum per vias perditionis currit; ô perverſitas inaudita! nonnè hoc eſt ſignum, quo ſunt leproſi mundati, paralitici erecti, Dæmones effugati, cæci ad lumen reducti, & ad vitam mortui revocati? ergo fratres, ſi deviamus, hoc tanto ſigno revocati redeamus. *Serm.*1. *Dom. infrà oct. Nativ. ſerm. in Exalt. S. Crucis.*

108. *Chriſtus ſignum eſt ambulantibus per devia.*

Ecce poſitus eſt hic in ſignum. Vide quale ſignum: ambulantes ſæpè deviant, & aberrant à via recta; ſic homo in itinere hujus vitæ deviavit à via recta mandatorum Dei & errabundus ibat per vias perditionis abſque eo, quòd haberet ducem ſecurum; ecce quòd Deus poſuit ſuum Filium carne indutum, ut eſſet ſignum directivum omnium hominum, ut ipſum aſpicientes ire poſſent rectà viâ in cœlum: undè de ſe ipſe dicit, Ego ſum via, veritas, & vita; quia enim totus mundus incedebat per viam ſuperbiæ, luxuriæ, invidiæ, vanæ lætitiæ, Chriſtus ſe poſuit; & expoſuit ut viam, oſtendens ſignum caſtitatis in conceptione, humiliatis in converſatione, charitatis in Paſſione, & immortalitatis in Reſurrectione; ergo fratres non laboremus in vanum, non nos decipiant iſta creata, quia nulla alia via eſt ad Cœlum, niſi per Dominum Jeſum Chriſtum. *Ser.*1. & 2. *Dom. infrà oct. Nativ. ſer. de Exalt. ſanctæ Crucis.*

109. *Chriſtus ſignum ſanctum eſt, cui major pars contradicet per ſigna diaboli.*

Ecce poſitus eſt hic in ſignum, cui contradicetur. O quam vera hæc prophetia Simeonis Sancti! videns enim Infantem Ieſum poſitum à Deo in ſignum humilitatis, paupertatis, caſtitatis, puritatis, & innocentiæ, & mundo expoſitum, & prævidens, quòd major pars hominum huic ſigno contradictura erat, dixit cum lachrymarum effuſione, & intimo dolore cordis, hoc eſt ſignum, cui contradicetur; & quo modo hoc? propter malignitatem, & perverſitatem hominum; nam inexplicabilis eſt malignitas contradicere tanto, ac tali Doctori, & Magiſtro: Vide quales contradictiones expertus eſt in vita, & nunc experitur continuè Chriſtus; primò à Iudæis fuit ipſi contradictum, ſcilicet ejus infallibili veritati per temerariam attributionem infirmitatis, & impotentiæ; videntes enim ipſum hominem, & ſubjectum paſſionibus, non credentes virtuti ſuæ divinitatis demonſtratæ per tot ſigna, & miracula, ipſi inceſſanter exprobrabant; item contradixerunt ejus infallibili veritati imponendo ei falſa, & blaſphema: item contradixerunt ejus ſummæ bonitati per ſeductiones, & calumnias ipſi impoſitas, & iniquas perſecutiones, uſque ad mortem opprobrioſiſſimã; ſed hic non terminant contradictiones Chriſti: Ecce quales à populo Chriſtiano, & qualibus ſubjacet: cum enim ipſe ſeipſum expoſuerit ſignum puritatis, continentiæ, & caſtitatis omnibus imitandum incipiens ab Infantia per circumciſionem; ecce quòd plurimi ipſi contradicunt; nam ſigno continentiæ contradicitur ſignis luxuriæ, undè *Ezech. c.*16. dicitur, ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ, ideſt luxuriæ, & abominabilem feciſti decorem tuum: dicit ad omne caput viæ, quia hoc eſt principium viæ plurimorum hominum, qui incipiunt in pueritia, & proſequuntur ædificando, ſcilicet multiplicando ſigna ſignis, ſcilicet verbis, tactu, factis, habitu, nutu, veſtimentis, & ornamentis laſcivis; ſigno humilitatis contradicunt ſignis ſuperbiæ in ornatu, in actu, in verbo, in loco; ſigno charitatis contradicunt ſignis odii, fraudulentiæ, iræ, rixarum, invidiæ, & malignitatis in proximum; & tandem major pars hominum ducit totam ſuam vitam in hoc miniſterio diabolico contradicendi Chriſto Jeſu in omnibus; ſic & multi Religioſi contradicunt Chriſto tranſgreſſione voti obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ô nimis verum. *Ser.*2. *Dom. infrà oct. Nativ. Luc. c.*2. *v.*34. & *c.*11. *v.*16. *op. Diarsit.*4. *c.*3.

110. *Gladius verbi Dei pertranſivit, & penetravit animam, & corpus Mariæ, contra verba diaboli, quibus infecit totum mundum.*

Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius: alii legunt pertranſivit. Quiſnam gladius animam Mariæ pertranſivit? cum certum ſit ipſam non peremptam fuiſſe gladio materiali, & morte violenta? ſed attende, quòd in his verbis multiplex myſterium nobis innoteſcit; nomine gladii in Sacra Scriptura venit verbum Dei, de hoc poteſt verè dici, quòd pertranſivit animam, imò totam

Mariam

Mariam, ſcilicet corpus & animam : quid enim non penetrat verbum Dei (*ait S. Ambroſ. in Pſ.* 118.) eſt enim ſol, & ſplendor æternus, uſquè ad diviſionem animæ, atque artuum, medullarumque penetrans magis, quam gladius anceps. de quo dicit juſtus ad Mariam, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius : *Ser.* 3. *Dom. infrà oct. Nativ.* Vide, & attende hoc prodigium patratum à Verbo Dei in Maria; nam Verbum Dei veluti gladius Mariam pertranſivit, totam penetravit, quia implevit mentem, incoluit uterum, voluntatem amore pupugit, ſenſus allexit, artus omnes, ac medullas repetitis ictibus, amicoque vulnere cruentavit; & quemadmodum ſolis ſplendor Cœlos fulgore radiat, maria colluſtrat, & mentes aureo ſplendore perfundit, Orbemque totum luminoſis auctibus circumveſtit, ſic Verbum divinum, qui candor eſt lucis æternæ, totum orbem Mariæ ſenſus, potentias, animum, corpus ſuo lumine colluſtravit, nihil in Virgine Maria ab hac luce vacuum, nihil ab hoc diſtricto gladio incruentum, nihil non ſaucium hoc ſacro mucrone; *ſic S. Bon. & S. Ambr.* ſed hoc ulterius vide, & admirare artem Domini Dei noſtri; voluit enim, ut ſecum Verbum penetraret Mariam, ut hac arte dæmonis aſtum deluderet, quo ille Adamum per Evam adoritur; diffuſo quippe veneno per verbum totum hominem pervaſit, ac verbi ſui gladio omnes corporis animique receſſus uſque ad intima viſcera penetravit, ergo Deus per aliam fœminam mirabili arte verſipellis eluſit. & ad hoc myſterium reſpiciens Maria reſpondit Angelo fiat mihi ſecundùm verbum tuum, ſcilicet non prolatum, ut tranſeat, ſed conceptum, ut maneat; fiat verbum mihi non tantùm audibile auribus, ſed & viſibile oculis, palpabile manibus, ut in me totam penetret, & ipſum inviſceratum in me ſit. *Luc. c. 1. v. 38. ſer. 3. Dom. infrà oct. Nativ.*

111. *Amoris divini gladius totam Mariam pertranſivit, ipſamque confecit veluti aroma Paradiſi.*

Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Nota, quod etiam nomine gladii venit myſticè amor & charitas in Deum; iſteque gladius, vel ſagitta ita animam Mariæ pertranſivit, ut totam amoris igne candentem reddiderit. *Pſal.* 119.

112. *Paſſio mutua Chriſti, & Mariæ expenditur.*

Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Quis gladius? gladius doloris, gladius Paſſionis; ſed quid eſt tuam ipſius animam: cur non ſimpliciter dicit tuam animam? Nota verbum, ſigna myſterium, tuam ipſius animam, ſcilicet tuam animam, quæ eſt in genere amoris anima Chriſti, tuam hanc animam Chriſti Paſſio pertranſibit, videlicet tormenta, cruciatus, ſpinæ, flagella, vulnera, mors, crucifixio, & omnis dolor Chriſti ad te pertranſibit, & dolores tui ad Chriſtum pertranſibunt, quia in ipſa tota eſt converſa, ergo mutua Paſſio pertranſivit animam Chriſti, & Mariæ. *Pſ.* 104. *op. ſtim. p.* 1. *c.* 1. & 14. Et meritò hoc voluit Chriſtus, ut ſicut Adam cum muliere totum mundum infecit, ita Chriſtus voluit Mariam Matrem ſociam in Paſſione, ut eſſet aliquo modo cum ipſo corredemptrix, ideo & martyr, & pluſquàm martyr appellanda eſt. *Op. ſtim. ut. Ioan. c.* 19. *v.* 25. *Luc. c.* 2. *v.* 35. *ſer.* 5 *in Paraſ. ev.*

113. *Martyrium amoris Mariæ expenditur.*

Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Nota, quod dicit in tempore futuro pertranſibit, & quomodo hoc erit? Nota, ly. tuam ipſius, cujus ipſius? ipſius non gladium, ſed ipſius & Chriſti, & Mariæ (*ait S. Bon.*) tuam animam, quæ eſt ipſius Chriſti, & tuam ipſius Chriſti animam, ſcilicet animam Chriſti, quæ eſt tua tuam ipſius animam mutuam inter te, & Chriſtum: Nota etiam, ly. *pertranſibit*, non dicit tranſibit, non configet? cur hoc? quia gladius occidens, & configens non omnem corporis portionem vulnerat nec uſquequaque ferit, ſat illi, ſi uni parti plagam incutiat, ad cujus vulnus totum corpus cadat, & amputato nexu ſpiritus haberur; non ſic iſte tuus gladius, qui te, & tuam animam & tranſibit, & pertranſibit te totam, nec ullam portionem ab hoc gladio immunem, & vacuam relinquet & quis iſte gladius ſic potens, ſic acutus, ſic univerſalis? hic eſt gladius amoris, amor enim pugnacior eſt, ſuaviterque crudelior, & ni totum ferias, non enecat, niſi totum penetret, & in amatum transvehat, ſuo munere non eſt functus, ideo Simeon dixit, tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ac ſi diceret; tu ô Maria amore morieris, quia amor penitus trucidat amantem, cum abſque ulla diviſione ejus animam in amatam amari traducit, ſi diſcurrit *S. Bern. ſer.* 1 *de Purificatione, & ad S. Bon. ſenſum op. ſtim. cit.* Ergo martyrium Mariæ fuit amoris ſimul & doloris, quod eruitur etiam ex verbis Simeonis: Hic ſcilicet Chriſtus poſitus eſt in ſignũ, ſcilicet in cruce moriturus ponetur ut ſignum, omnibuſque exponetur, & nota hanc copulam, &, & tuam ipſius animam pertranſibit, ſcilicet gladius doloris, qui Chriſtum tranfixurus eſt, & tuam animam pertranſiet per amorem, & intimum dolorem ſimul; ideo quia amor fuit immenſiſſimus, pariter etiam dolor, quia amavit Filium pluſquàm ſe, ideo pari modo & doluit; ſicque dolor, & amor fuit gladius, qui ipſam martyrem, & pluſquàm martyrem fecit. *Luc. a. a. cit. Pſ.* 104. *aliſque locis cit. &c.*

114. *Gladius multiplex pertranſiens animam in bonum, & in malum expenditur.*

Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Quis iſte gladius pertranſiens animam? gladius eſt quid materiale ſolùm valens ferire corpus, non animam, quis igitur talis gladius? ſed nota, quod loquitur de gladio ſpirituali, qui valet ſpiritualiter pertranſire animam, & hic eſt multiplex; alius enim eſt verbi Dei, quia ut ait Apoſtolus *Hebr.* 4. vivus eſt ſermo Chriſti, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ, & corporis: gladio iſto accingitur homo, dum per verbum Dei animus luxuriæ coarctatur, manu tenetur, dum per verbum Dei opere bono impletur, cor penetratur, dum per verbum Dei compungitur, & carnalis vita trucidatur, dividendo carnem, & ſpiritum, hoc gladio caput peccatoris obtruncatur, quando à diabolo, cujus erat membrum ſeparator, auris inobedientiæ amputatur, cum ad obſervantiam mandatorum reducitur, lingua

item,& manus obtruncantur, cum ad laudes Dei ad confeſſionem peccatorum, ad bona opera reducitur virtute verbi Dei devotè recepti:Gladius alius eſt diabolicæ tentationis, tranſiens animam in conſenſu peccati;tunc enim diabolo peccator vulneratur, & transfigitur, quando in conſenſum trahitur. *Ser.3.Dom.infrà oct.Nativ.Luc.2.v.35.*

115. *Chriſti adventus teſtificatus fuit ab omnibus creaturis; ubi de Prophetia Annæ viduæ.*

Et erat Anna prophetiſſa, &c. Nota hic, quod Chriſtus voluit, ut ipſius adventus ab omnibus creaturis teſtificaretur; nam voluit teſtimonium à natura cæleſti per ſtellam(*Matth.c.2.*)à ſuper cæleſti per Angelos;à ſub cæleſti, & hoc multipliciter,ſcilicet ſexu virili ſimplici per Paſtores, à ſexu virili ſapiente per Magos; à ſenili per Simeonem,à ſexo fœmineo per conjugatam, ſcilicet Eliſabeth,per viduam,ſcilicet Annam, de qua hic eſt ſermo ab infantili per Innocentes, & ſic omnis natura,omnis ſexus, omnis ætas Chriſto naſcenti teſtimonium perhibuit,quia ipſe debebat reparare omnia:hic autem proponitur teſtificatio facta per Annam, cujus auctoritas perhibetur, quia prophetiſſa,& de genere Iſraël,ſcilicet filia Phanuel de tribu Aſer;proponitur etiam ejus ſanctitas ob perfectionem vitæ activæ & contemplativæ;vita activa innuitur in regimine familiæ, & domus propriæ,vixerat enim cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua, & vita contemplativa,quia non diſcedebat de templo jejuniis, & obſecrationibus ſerviens nocte,ac die; proponitur tertiò teſtimonii celebritas, tum ratione temporis congruentis,ibi,& hæc ipſa hora ſuperveniens confitebatur Domino,& ideo fuit ex inſtinctu Spiritus ſancti præſens myſterio Purificationis;tùm ratione multitudinis conſentientis, quia loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Iſraël: Hic autem notandum primo quod feſtum Purificationis dicitur etiam feſtum obviantiũ,quia Simeon,& Anna obviaverunt Joſeph,& Mariæ ſine aliqua convocatione, & ideò in hac die fit proceſſio univerſaliter: ſecundò, quod teſtificatio Simeonis explicitè deſcribitur, & per modum prædicationis;Annæ verò implicitè, & per modum confeſſionis (confitebatur Domino)quia docere in Eccleſia non eſt mulierum, ſed virorum. *Luc.c.2.v.36.ad 38.*

116. *Viduarum exemplar ſanctiſſimum in Anna prophetiſſa exponitur, item & virginum, & conjugatorum.*

Et erat Anna prophetiſſa, &c. quæ vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Ecce qualiter proponitur exemplar perfectiſſimum virginibus,conjugatis, & viduis in hac ſancta muliere, nata in ſtatu virginali fuit puriſſima,quod exprimitur per illud verbum, *à virginitate ſua*, ſcilicet perfectiſſimè cuſtodita: in ſtatu conjugali proponitur ejus perfectio, quoad regimen domus per illa verba,*vixerat cum viro ſuo annis ſeptem*, ſcilicet cum tota perfectione convenienti: in ſtatu viduali poſtea magnificum exemplar perfectionis talis ſtatus exponitur, quia tota intenta fuit ſemper jejuniis, orationibus, frequentationi Eccleſiæ, & omnibus actibus devotionis,& tota ardens, & accenſa amore Dei: *Luc. cap.2.verſ.36.ad 38 ſer.2.de plur.Confeſſ in addit.* Nota, quod hoc loco pro complemento hujus hiſtoriæ collocandum eſſet iter Mariæ,& Joſeph in Ægyptum, quo portaverunt Jeſum propter perſecutionem Herodis, & reditus de Ægypto in Galilæam in Nazareth, ſed totum expenſum eſt in comment. ſuper Matthæum *cap.2.* hoc enim fuit omiſſum à ſancto Luca, ne idem factum repetereret,ſolùmque in his verbis totum innuit, *& ut perfecerunt omnia reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth: Luc. cap.2. verſ.39.*

117. *Chriſti ſubjectio ſub lege morali deſcribitur,ubi de morum ordinatione.*

Puer autem creſcebat,& confortabatur ſpiritu,&c. Nota, quod cum in ſuperioribus deſcripſerit Evangeliſta qualiter ſalvator factus eſt ſub lege ſacramentali per circumciſionem, ſub lege cæremoniali per oblationem in templo, nunc dicitur qualiter factus eſt ſub lege morali, quæ quoad mores dirigit hominem; hæc autem ordinatio attenditur circa tria: primum eſt vultus Majeſtatis divinæ,ſecundum ſtudium veritatis, tertium officium pietatis; per primum ſubjicitur homo ſuo Creatori;per ſecundum Doctori, per tertium genitori, & iſta tria deſcribuntur hic ab Evangeliſta; primum ibi *& ibant parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem*;ſecundum *ibi invenerunt illum in templo in medio Doctorum*;tertium ibi *& dixit Mater ejus Fili quid feciſti nobis, &c.Luc.cap.2 v.40.*

118. *Cultus divini perfectio in quibuſnam conſiſtit.*

Puer autem creſcebat,& confortabatur ſpiritu, & gratia Dei erat in illo;& ibam parentes,&c. Nota, quod in his verbis deſcribitur perfectio cultus divini exemplo Chriſti, ad hunc enim cultum duo requiruntur,ſcilicet excellentia virtutis propriæ ipſius colentis Deum, & reverentia Majeſtati Dei exhibenda; excellentia virtutis propriæ in Chriſto innuitur in profectu ætatis in corpore (Chriſtus enim creſcebat corpore ſicut cæteri homines) & ad proportionem augmenti corporis, etiam foris oſtendebat profectum virtutis mentalis,undè dicitur, *& confortabatur ſpiritu*, ſcilicet vigore reſpectu iraſcibilis;*plenus ſapientia*,ſcilicet ſplendore ſapientiæ reſpectu rationalis; *& gratia Dei erat in illo*,ideſt fervore gratiæ reſpectu concupiſcibilis: Reverentia Majeſtatis divinæ, quæ conſiſtit in cultu Religionis oſtenditur in Chriſto,quia ibat cum parentibus in Ieruſalem ſecundum præceptum legis, &c. *Luc.c.2.v.40.& ſeq.*

119. *Chriſtus ad modum pueri libenter cum Matre,cum pueris, cum floribus, cum brachiis moratur.*

Puer autem creſcebat,& confortabatur ſpiritu,&c. Nota,quod Chriſtus dicitur puer,ut nobis innuat quod ſicut pueri libenter eſſe ſolent cum Matre, cum pueris, cum floribus, & inter brachia,ſic & ipſe delectatur in Matris Eccleſiæ felicitate; unde ſemper Angelus jubet tolli puerum cum Matre,

Matre, ut discamus, quòd puer non invenitur nisi cum Maria, & in Ecclesia, & ideò qui Matrem vult dividere per scissuras, & rixas, vel hæreses nec potest Christum invenire; libenter etiam cum pueris moratur, scilicet qui sunt puri, & vivunt cum puritate, simplicitate, & innocentiâ; libenter etiam moratur cum floribus, flores sunt virtutes, humilitas; patientia, castitas, &c. & ideò voluit habitare in Nazareth, quæ interpretatur flos, sic & nos locum in corde floribus talibus ornatum debemus præparare, libenter etiam inter ulnas habitat, sicut receptus est à Simeone inter ulnas, scilicet inter opera charitatis. *Ser. 4. Dom. infrà oct. Nativ.*

120. *Puerilia, & juventus Deo danda suadetur.*

Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, &c. Vide quomodo Christus se exemplar omnibus hominibus in omni ætate exhibuit: quia secundùm proportionem augmenti corporis, etiam augmentum virtutis in cultu Dei ostendebat; docetque pueros, & juvenes, quòd summopere Deo placet bona, & virtuosa educatio, frequentatio cultus Dei, & Ecclesiarum. *Luc. c. 2. v. 40. & 44. & 52.*

121. *Parentes quàm solliciti debeant esse in educatione filiorum in ordine ad cultum Dei.*

Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ, &c. Ibant Maria, & Joseph in Jerusalem ad celebrandum festum Paschæ, sed secum ducebant puerum Jesum, ut per hoc instruerent parentes, quâ curâ debeant educare filios, maximè circa cultum Dei, & celebrationem festorum. *Luc. c. 2. vers. 41. & seq. & v. 44.*

122. *Festorum celebratio summopere curanda cum frequentatione Ecclesiæ.*

Ibant parentes ejus, &c. Ibant, sed etiam cum ipsis ibat Jesus, & ideò laborabant longis itineribus, ut Deum honorarent in festis suis; & Christus parvulus non parcebat labori, & difficultati, ut Patri suo cœlesti honorem debitum deferret; sed tamen major afflictio erat ei, & dolor cordis acerbior de inhonoratione Patris in peccatorum multiplicium commissione, quàm gaudium de honore patentis, & exterioris pompæ festi lætitia; nam sine sanctificatione interna cordis parum proficit sanctificatio externa festi. *Luc. c. 2. ibid. ep. medit. c. 14.*

123. *Pueri maximè ab anno duodecimo à parentibus assuefiendi ad cultum Dei.*

Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis in Jerusalem secundùm consuetudinem diei festi, &c. remansit puer Jesus in Jerusalem. Nota, quòd non sine mysterio maximo notatur, quòd Christus erat annorum duodecim, quando à parentibus ductus est in Jerusalem ad celebrationem Paschæ: quia enim omnis ejus actio nostra instructio est, ideò notatur tale tempus in hoc facto, ut addiscant parentes pueros mancipare divino cultui, & maximè ab anno duodecimo, quia tunc incipit tempus discretionis convertendi ad bonum, quod legitur de plurimis sanctis in praxim positum maximè de sancto Benedicto. *Luc. c. 2. v. 45.*

124. *Filii, & juvenes propter affectionem parentum non intermittant cultum Dei.*

Remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus. Cur ô dulcis Jesu remanes in Jerusalem insciis parentibus? cur tantam pœnam, & cordis afflictionem ipsis infers? sed ut dictum est, totum fecit ad instructionem nostram; & maximè juvenum, & adolescentium: Christus Jesus remansit in Jerusalem sine consortio, & solus, & cum omnes redirent, non tamen Jesus ut melius vacaret orationi, nec rediit cum aliis, & ut ostenderet, quòd arripiens Dei servitium, non debet retrò redire ad mundum: item sine consilio, ut doceret, quòd in divino obsequio arripiendo non est consilium à carnalibus parentibus requirendum, dicente Domino *Deut. c. 33.* Qui dixit Patri suo, & Matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt; & per hoc admonentur adolescentes, & omnes, ne propter parentum, & consanguineorum amorem intermittamus divinum cultum; undè Sanctus Hieron. admonet dicens, licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet spargó crine, & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, ostendat, licet in limine jaceat pater percalcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola, solùm pietatis genus esse in hac re crudelem. *Luc. c. 2. v. 43. seq.*

125. *Historia hæc incessus Mariæ Joseph, & Jesu in Jerusalem, remansio pueri ibidem, sollicitudo parentum in quærendo Christum, & inventio in medio Doctorum enarratur.*

Et cum factus esset annorum duodecim, &c. Vide hic ô anima, & attende benè, & omnibus, quæ dicuntur, & fiunt, te præsentem exhibeas; stabat autem Dominus Jesus observans legem, & inter alios conversans humiliter, quasi quilibet alius pauperculus, & ideò cum parentibus ibat ad Jerusalem à Nazareth distantem quatuordecim milliaribus, ad festum, ut ibi honoraret Patrem suum cœlestem in festis suis, consummatis autem diebus festis recedentibus parentibus, ipse in Jerusalem remansit: cum ergo Mater, & Joseph per diversas vias venissent in serò ad locum, ubi diæta explebatur, & ubi hospitati debebant, videns Domina Joseph sine puero, quem cum ipso rediisse credebat, quærit ab eo, ubi est puer? & iste ego nescio, non rediit mecum, tecum enim rediisse credebam: tunc illa dolore vehementi concussa; cum lachrymis dixit non rediit mecum; Video, quòd non benè Filium meum custodivi, & velociter cœpit ire per domos, & quàm decenter potuit illo serò circuibat, quærens de ipso, & vix præ dolore, & ardore desiderii se sentiebat: Joseph verò ipsam sequebatur cum fletu, quo non invento, qualem quietem habere poterant? tu ipse cogita, & maximè Mater, quæ ipsum arctiùs diligebat, & licèt à notis confortaretur, non tamen poterat consolari, sciebat enim quid erat perdere Jesum;

Digitized by Google

conſpice benè ipſam, & vehementer compatere, quia in anguſtia eſt anima ſua, nunquam ex quo nata fuit uſque tunc fuit tanta: non ergo turbemur, quando tribulationes habemus, cum etiam Matri non pepercit Dominus; ad ſuos enim eas permittit venire, & ſigna ſunt dilectionis ſuæ, nobis autem expedit eas habere: Tandem Domina in camera ſe recludens, ad orationem, & planctum ſe convertit dicens: O Pater æterne Deus clementiſſime, vobis placuit mihi dare Filium veſtrum, ſed ecce perdidi eum, & neſcio ubi ſit, reddite eum mihi; ô Pater tollite mihi amaritudinem iſtam, & oſtendite mihi Filium meum; Reſpicite Pater afflictionem cordis mei, & non ad negligentiam meam, ſed propter bonitatem veſtram reddite ipſum mihi, quia ſine ipſo vivere non poſſum: ô Fili dilectiſſime ubi es? quid eſt de te? apud quem nunc hoſpitaris? numquid ad Patrem tuum rediiſti in Cœlum? ſcio enim, quòd Deus es, & Dei Filius, ſed quomodo mihi non dixiſſes? ſed & numquid inſidiosè ab aliquo es quæſitus? ſcio enim, quod verè homo es ex me natus, & aliàs ab Herode quæſitum in Ægyptum te portavi, Pater tuus te ab omni malo cuſtodiat Fili mi; Indica mihi Fili mi, ubi ſis, & veniam ad te, vel tu redi ad me, ô Fili ne tardes venire ad me, &c. talibus, & ſimilibus dictis, & quærelis ſe Mater per noctem anguſtiabat ſuper dilecto Filio ſuo: Manè verò ſequenti die tempeſtivè domum exeuntes, quærebant eum etiam per circumſtantia loca, nam per plures vias patebat reditus, ſicque quærebant eum inter cognatos, & notos, quo etiam tunc non invento, Mater quaſi ſine ſpe anxiabatur, & non poterat conſolari: Tertia verò die redeuntes in Jeruſalem, invenerunt eum in templo ſedentem in medio Doctorum: Tunc ipſa videns eum exhilarata, quaſi reviviſcens genuflectit, & cum lachrymis Deo gratias agit. Puer autem Jeſus videns Matrem, venit ad eam, quem ipſa inter brachia ſuſcipiens, & ſtringens, & oſculans duleiter ponit vultum ad vultum, & tenens eum in gremio ſuo aliquantulum cum eo ſic requievit, neque enim tunc aliquid præ teneritudine dicere potuiſſet, poſteà reſpiciens eum, dicit, Fili, quid feciſti nobis ſic? ego & Pater tuus dolentes quærebamus te, & ille quare me quærebatis? in his enim, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe; dicit ergo ei Mater, Fili volo, ut redeamus ad domum noſtram, non vis redire nobiſcum? & ille, Ego faciam, quod placuerit vobis, & rediit cum illis Nazareth. *Op. medit. c.* 14.

126. *Diſcedens ab Ieruſalem Chriſtum perdit; revertens ad Ieruſalem Chriſtum reinvenit. Hoc ad Religioſos, ubi de converſatione ſæcularium, de oratione, & concordia.*

Conſummatiſque diebus, cum redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem. &c. Vide quomodo Maria, & Joſeph, quouſque ſteterunt in Ieruſalem Chriſtum ſocium habuerunt, quando à Ieruſalem diſceſſerunt ipſum perdiderunt, quia ipſe remanſit ibi, quid myſterii latet in hoc facto? ecce quale: Jeruſalem eſt locus pacis, locus orationis, ubi eſt templum Dei; dat autem intelligere, quod Chriſtus libenter habitat in loco pacis, & orationis, ibique ſecurè invenitur, qui ergo ab Jeruſalem diſcedit maximè Religioſus, qui ad converſationem, & comitatum ſæcularium ſe confert facile perdit Jeſum, & perfectionem, ſicut & qui ab unitate, & pace, & concordia recedit, qui verò vult invenire Chriſtum redeat ad Jeruſalem, ad ſolitudinem, ad ſeipſum, ad cor, ubi Chriſtus habitat. *Ser. 1. ſer. 2. Paſcha. Luc. c. 2. v. 43. ſeq. ſermon. 3. Dom. infrà oct. Epiph.*

127. *Chriſtus non invenitur à Religioſis inter cognatos, & notos, nec in gaudio mundano.*

Et requirebant eum inter cognatos, & notos, &c. exiſtimantes eum eſſe in comitatu, &c. & non invenerunt. Vide quomodo Maria, & Ioſeph quæſierunt Chriſtum in comitatu, & inter cognatos, & notos, & non invenerunt; in quo facto datur intelligentia nobis, & maximè Religioſis, quod Chriſtus, ſalus, ſanctitas, perfectio non invenitur inter cognatos, & notos, nec in gaudiis, & converſationibus mundanis, quia iſta elongare faciunt à Ieſu: quomodo te bone Jeſu (ait Bern.) inter cognatos meos inveniam, qui inter tuos minimè es inventus? quomodo inveneto in comitatu, in gaudio mundano, cum Mater tua dolens vix te invenerit? ô quam benè, quam vere; Audiant hæc Religioſi nimis affixi & perditi in affectione conſanguineorum, & ſæcularium. *Luc. c. 2. v. 44. ſer. 5. Dom. infra oct. Epiph. op. medit. cap. 14. Ioan. cap. 7. v. 34. opuſc. ſpecul. diſciplin. p. 1. cap. 23.*

128. *Solùm Criſtus amiſſus à peccatore poteris inveniri poſt triduum inquiſitionis.*

Et factum eſt poſt triduum invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum. Ecce quod ſolùm poſt triduum, poſt triduanam inquiſitionem invenerunt Chriſtum; cur poſt triduum ſolùm Chriſtus amiſſus invenitur? Nota, quòd hoc totum dirigitur ad eos, qui Chriſtum amiſerunt; ô grande malum perdere Chriſtum, & omnium maximum, perditur autem per peccatum, hoc enim elongat hominem à Deo, & ſi perditur Chriſtus, perditur omne bonum, quomodo ergo reinveniri poterit? poſt triduanam inquiſitionem: tres dies ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio, & ab hoc dirigitur id, quod dicitur *Marc. c. 14.* Soluite templum hoc manufactum, & poſt triduum aliud non manufactum ædificabo? Templum Dei eſt anima virtutibus, quàm maximè ornata, hoc templum per peccatum deſtruitur, & manu, ſcilicet operibus malis fit templum diaboli, ſed reædificatur per triduum pœnitentiæ, & operum juſtitiæ, & gratiæ Dei: primus dies eſt contritio, per quam expellitur culpa; ſecundus eſt confeſſio pura devota, & integra; tertius dies eſt ſatisfactio relinquendo malum, & pœnitentiam amplectendo, & ſic ſecurè invenitur Chriſtus. *Ser. 2. Dom. infrà oct. Epiph. ſer. 3. Dom. 6. Pœnit. Luc. c. 23. v. 33.*

129. *A Religiosis per quale triduum inveniatur Christus: ubi de tribus votis regularibus.*

Post triduum invenerunt, &c. Nota, quòd hæc triduana inquisitio, & Christi inventio proponitur omnibus generationibus quærentibus ipsum, hinc & competit Religiosis etiam, qui ad hoc Religionem elegerunt; ut Christum, ejusque gratiam, & sanctitatem invenirent Triduum ergo ipsorum est observantia trium votorum, paupertatis, castitatis, & obedientiæ: prima dies est paupertas significata in peregrinatione, de qua *Gen. c. 47.* dies peregrinationis meæ pauci, & mali, quia facit homines peregrinos in hoc mundo, non proscriptos, non invitos, sed voluntariè peregrinos, ut hanc peregrinationem arripiant voluntariè, & libenter perseveranter, & humiliter: secundus dies est castitatis perfectæ corporalis, & mentalis; tertius dies est obedientiæ, quæ sit grata sine murmuratione, pura ab intentione proprii commodi, & sollicita sine procrastinatione, exhibens omnia membra ipsius executioni; hocque triduo invenitur Christus in Jerusalem, scilicet in visione pacis. *Ser. 3. Dom. infra oct. Epiph. Luc. c. 13. v. 33.*

130. *A perfectis quale triduum exerceatur ad Christum inveniendum.*

Post triduum invenerunt eum, &c. Proponitur hoc triduum non solùm incipientibus, & proficientibus, sed etiam perfectis, per quod invenire possint Christum, hisque primus dies est sabbathi, scilicet quies interna conscientiæ, ab omni strepitu curarum externarum exempta, & imaginibus corporalibus, secundus dies est contemplationis, quæ exercetur per cogitationem, & meditationem sed ordinatam in unum Deum, & supra se: tertius dies est perfectæ dilectionis, & unionis cum Deo. *Ser. 4. Dom. infrà oct. Epiph. Luc. c. 13. v. 33.*

131. *Christus in hoc triduo mendicavit panem.*

Et factum est post triduum, &c. Quæritur hic quomodo vixit Christus in hoc triduo? quis ipsum cibavit, & de nocte collegit in domum? sed attende ad mirabilem humilitatem Filii Dei; nam in hoc triduo panem mendicavit, & in serò ad aliquod hospitale se reduxit, & cum verecundia petiit se hospitari, & hospitatus est Iesus pauper cum pauperibus. *Op. medit. c. 14. op. Expos. in Regulam S. Francisci. c. 6.* Nota autem, quòd ab aliquibus negatur hæc nostra conclusio, eo quòd mendicatio non erat in consuetudine apud Judæos; sed hæc ratio est nimis debilis, nam ex Sacra Scriptura habemus, quòd ipse se appellat mendicum, *Psal. 39.* Ego mendicus sum, & pauper, undè hæc contraria opinio rejicitur à Divo Thoma 2. 2. *q. 187. a. 5. à S. Bon. loc. cit. & in Apol. paup. ab Alex. de Ales, aliisque.* Qui duplicem mendicitatem Christo tribuunt: alia est, qua quis vivit ex oblatis eleemosynis, & non petitis, alia ex petitis, & oblatis, petitis inquam ostiatim; hanc secundam exercuit in hoc triduo, primâ in reliquo tempore suæ vitæ, præsertim tempore prædicationis; nec est verum apud Judæos non esse in usu mendicationem, quod habetur etiam ex ipsa scriptura, ut probant *cit. DD. apud Barad. t. 1. lib. 10. c. 15.* Sed videatur *S. Bon. op. de Paup. Christi post art. 2. in quæstione laterali.* Ubi fusè, & doctissimè probat hanc mendicitatem Christi.

132. *Deo servientes aliquando videntur à Deo derelicti, sed tamen id est ad ipsorum probationem.*

Post triduum invenerunt illum in templo sedentem, &c. Vide, quòd in hac magna tribulatione Mariæ, ostenditur id, quod aliquando facit cum servis suis, videntur enim aliquando à Deo derelicti, sed tamen cum id faciat Deus ad ipsorum exercitationem, & ad majorem profectum, non debent desperare, nec omittere Dei servitium quantùm in ipsis est, quia post tribulationes ipsos consolatur, ut factum est cum Maria Virgine. *Op. medit. c. 14. op. de Prof. Religios. lib. 1. c. 1. & lib. 2. c. 35. & 67.*

133. *Alii quærendo Deum perdunt Deum, vel ipsum inveniunt in malum; Alii quærendo Deum, ipsum inveniunt in bonum.*

Et requirebant eum inter cognatos, & notos, & non invenerunt, &c. post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum. Vide, quomodo Maria, & Ioseph primò quæsierunt Christum in prima, & secunda die inter cognatos, & notos, posteà post tertiam diem invenerunt ipsum in templo: Ecce figura omnium quærentium Deum, & discrimen inter ipsos; nam alii quærunt Christum, & quærendo ipsum perdunt, vel non inveniunt, vel si inveniunt, ipsum inveniunt in malum, & perniciem, alii quærunt, & inveniunt in bonum, undè hoc discrimen? hoc est quia in quærendo Deum requiritur temporis opportunitas, loci congruitas, quærentis humilitas, & quæsiti utilitas: temporis opportunitas est, ut quæratur, dum inveniri potest, scilicet dum tempus habemus non expectando ad mortem, vel post mortem, non enim sol invenitur in nocte, & ideò post triduum contritionis, confessionis, & satisfactionis in hac vita, quæ est tempus pœnitentiæ: quærendus item est non in foro, sed in templo, nam sponsa quæsivit dilectum per vicos, & plateas, nempè ubi vigent rixæ, lites, discordiæ, mercimonia, & non invenit; quærendus est in templo, scilicet in cordis medio, non in angulo; nam qui in una parte cordis Deum volunt recondere, & in alia diabolum, vel mundum non possunt Christum invenire, sed in toto corde vult habitare; item in templo, & loco orationis, & contemplationis, nec inter cognatos, & notos, scilicet ubi viget carnalitas: quærendus item cum puritate, sanctitate, & justitia non in carnalitate, quia non curant illi quærere, quem tamen desiderant invenire, cupientes consequi, sed non insequi, scilicet humilitate, & sanctâ vitâ: quærendus item ut inventus securè, & incessanter possideatur, quæsitus fuit à Maria, & Ioseph, & inventus venit cum ipsis Nazarèth, quia moratur libenter, ubi florent virtutes; sed qui quærit tantùm ad tempus, ut posteà derelinquatur, iste non benè quærit, ideò non invenit Christum in suam utilitatem, sed ad majorem damnationem. *Ser. 5. Dom. infrà oct. Nativ. Ioan. c. 7. v. 34.*

134. *Chriſtus quomodo à nobis quærendus.*

Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te. Vide quomodo Chriſti abſentia dolorem ingerit, & ideò cum tali dolore excitatur anima ad Chriſtum quærendum: dolendo ergo, & flendo quærere debemus Chriſtum, ſicut quærit famelicus panem, ſitibundus fontem, aquam ille, cujus domus ardet, & dilectum, qui amore languet, & vitam, qui condemnatus eſt ad ſuſpendium: Panis eſt Chriſtus, panis vitæ in via mandatorum multum confortans; ſicut ergo famelici in civitate per plateas, & vicos de domo ad domum quærunt panem, ſicut quærebant Maria, & Ioſeph ſuum panem vitæ, ſic & nos civitatem cœleſtem, nunc per plateam Apoſtolorum, nunc Martyrum, nunc Virginum, nunc Confeſſorum, nunc per domos ſingulorum Mariæ, Petri, Franciſci, nunc per vicos Angelorum meditando debemus, & mendicare, & orare, & ad ipſum Deum recurrere debemus dicendo *Panem noſtrum da nobis, &c.* Chriſtus item eſt fons aquæ vivæ, habemus domum ſubjectam igni infernali, quam habitu tentationis, & ſuggeſtionis diabolus comburere curat, curramus ergo ad iſtum fontem, ut ejus aquâ extinguere valeamus incendia vitiorum: Chriſtus item eſt dilectus, & refugium, & objectum totius amoris animæ, ideo toto corde quærendus propter oſculum reconciliationis, ideò caveat anima, ne habeat os porcinum, vel ſerpentinum per luxuriam, detractionem, & turpiloquia: Chriſtus item eſt vita noſtra, ergo qui in peccato vivit incarceratus, & condemnatus ad ſuſpendium inferni quærat vitam à Chriſto, quæramus dolentes, & pœnitentes, exp ctat enim, ut miſereatur noſtri. *Ser. 6. Dom. infrà oct. Epiph.*

135. *Chriſtus, ut ſe magiſtrum humilitatis exponeret, ſe ſcholarem inter homines conſtituit.*

Invenerunt illum in templo ſedentem in medio Doctorum, audientem, & interrogantem illos. Nota illud verbum audientem, & interrogantem Doctores; ſedebat quidem in medio Doctorum in ſchola, & Academia, in qua Doctores lectiones diſcipulis conferebant de lege Dei, & Chriſtus inter ſcholares. & auditores tamquam minimus, & ignarus ſe collocavit, cur hoc? Ecce maximam novitatem, & numquam à ſæculis auditam? Chriſtus ſapientiſſimus Doctor, & ſapientia Patris, in quo ſunt abſconditi omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, voluit ſe collocare inter diſcipulos audiendo, & interrogando, ut tali modo novo ſe magiſtrum humilitatis exhiberet, & nos doceret exemplo ſuo iſtam lectionem; & hinc in omni vita ſua, & in omnibus actibus ſuis, verbis, & prædicatione ſemper hanc doctrinam de humilitate mundo expoſuit, ut hinc oſtenderet, quod ſolùm inter ſuos diſcipulos meretur adnumerari, qui hanc doctrinam apprehenderit. *Ser. 1. Dom. 3. Adv. ap. medit. c. 14.*

136. *Prælati in faciendâ ſubditis correptione, & correpti in ſuſcipiendâ inſtruuntur.*

Et dixit Mater ejus ad illum, Fili quid feciſti nobis ſic? ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te; & ait ad illos, quid eſt, quòd me quærebatis? neſciebatis; quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Vide hic nova prodigia; vide inquam Matrem Filium corripientem, & Ieſum Filium correptionem ſuſcipientem, & humiliter, ſapienterque reſpondentem; unde in Maria corripiente elucet providentia, & ſapientia; nam dicens Fili, præmittit dulcedinem benignæ allocutionis in ore, deinde ſubdit verba correptionis, quid feciſti nobis ſic, fiducialiter loquens, & interrogans cauſam dimiſſionis, cum ſciret ſe à Filio debere honorari, ſed tu conturbaſti nos, nam Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te: Chriſtus autem correptus reſpondit humiliter, & ſapienter, dicens quid eſt, quod me quærebatis, ideſt quaſi abſentem, cum eſſem vobis præſens, neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe, ſcilicet quod pietas ad Deum præferenda eſt pietati parentum, ſicque correptus humiliter, & ſapienter ſe excuſavit: Audiant hæc, & attendant ad hæc exempla Prælati corripientes, & ſubditi correpti *Luc. c. 2. v. 48. ſer. 1. Dom. 1. Infra oct. Epiph.*

137. *Chriſti qualitates, quæ in hoc nomine à Maria prolato Fili quid feciſti nobis ſic, expenduntur: ubi de qualitatibus boni filii latificantibus parentes.*

Fili quid feciſti nobis ſic? Nota, quod Maria præmittit hoc dulciſſimum nomen Fili, quia per hoc expreſſit, quòd Ieſus erat ei bonus Filius, ex hoc, quod habebat pulchritudinem venuſtatis, & pudicitiæ in mente, & corpore, dulcedinem pietatis, & ſapientiæ in ore, & manſuetudinem tractabilitatis, & patientiæ in opere, hæc enim tria ſunt, quæ gaudium, & lætitiam afferunt parentibus, & præcipuè Matri, eorumque amorem attrahunt. *Ser. 1. Dom. infrà oct. Epiph.*

138. *Humilitas correptionem recipit, & laudes adulationeſque rejicit.*

Fili quid feciſti nobis ſic? &c. & ait ad illos, quid eſt, quòd me quærebatis, &c. Vide quomodo Chriſtus correptus humiliter ſe excuſavit, nec dure reſpondit Matri, ſicut cum Mater ipſum invitavit in nuptiis. *Ioan. c. 2.* ut faceret miraculum, tunc enim reſpondit durè dicens, quid mihi, & tibi mulier? cur hoc diſcrimen? ut daret nobis exemplum, & formam humilitatis, ut malimus corripi, quàm laudari; melius enim eſt à ſapiente corripi. *Eccl. c. 7.* quàm ſtultorum adulatione decipi. *In Luc. cap. 2. v. 48.*

139. *Pietas ad Deum præferenda eſt pietati parentum.* Hoc oſtendit Chriſtus quando dixit, *neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, &c.* Hoc diſcant filii familias, ne Deum offendant, vel deſerant ob amorem parentum. *Luc. c. 2. v. 49.*

Digitized by Google

140. *Propter obedientiam omittenda ſunt ſæpè opera alia pietatis etiam majora.*

Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth. Ecce quòd Chriſtus licet occupatus eſſet in operibus pietatis ad Deum, licet eſſet in templo, licet eſſet in ſchola, ubi tradebatur doctrina legis, ut ſe obedientem præberet parentibus, relinquit Jeruſalem, & templum, & deſcendit cum illis in domum Nazareth; ut videas, quòd propter obedientiam exequendam omittenda ſunt alia opera pietatis, etiam majoris perfectionis, obedientia enim eſt præferenda cuicumque alteri virtuti. *Op. medii c. 14. Luc. c. 2. v. 50.*

141. *Chriſtus de Cœlo deſcendit, ut habitaret inter flores.*

Et deſcendit cum illis, ſcilicet de Ieruſalem, & venit Nazareth. Cur è Jeruſalem, quæ eſt civitas ſancta deſcendit in Nazareth? hoc myſticè nobis oſtendit, quòd ipſe deſcendit de Cœlo, ut habitaret in Nazareth, quod interpretatur flos, ſcilicet ut habitaret inter flores, nempe in loco, ubi naſcuntur flores humilitatis, patientiæ, charitatis, aliarumque virtutum; ô quam libenter in tali anima habitat, undè & voluit poſt mortem ſepeliri in horto, ſcilicet inter tales flores, quos Chriſtus tam ardenter amat, & deſiderat. *Ser. 5. Dom. infrà oct. Epiph. Ioan. collat. 86. ſeq. Luc. c. 13. v. 16.*

142. *Elucidantur aliqua dubia Theologica ſuper prædicta verba ad laudem Beatæ Virginis:* Quia Beata Virgo Maria oſtendit ſe neſciſſe, cur Filius Parentes deſeruit, ut remaneret in Jeruſalem, interrogavit enim Filium, *Fili quid feciſti nobis, &c.* & ſuprà *exiſtimantes ipſum eſſe in comitatu.* Quæritur an in intellectu Beatæ Virginis aliquando fuerit aliquis error, vel ignorantia? cui quæſtioni aliqui reſpondent affirmativè, ſed tamen oppoſitum eſt veriſſimum: Nota autem, quod Ignorantia alia eſt poſitiva, & dicitur pravæ diſpoſitionis, portans ſecum errorem; alia privativa conſiſtens in carentia ſcientiæ, & hæc adhuc eſt duplex, alia, quæ eſt debita alicui juxtà ipſius conditionem; alia, quæ non eſt debita, eſtque tali ſtatui diſparata, & hæc impropriè dicitur ignorantia, ſed potius neſcientia, vel negatio ſcientiæ: Dicendum igitur in intellectu Matiæ errorem omnem, & ignorantiam pravæ diſpoſitionis nunquàm fuiſſe, nec etiam ignorantiam fuiſſe eorum, quæ ad veram Matrem Dei ſpectabant, ex eo, quod ipſa fuit plena omni ſapientiâ, atcaque divinæ ſapientiæ; & ad id de dictis verbis, *Fili quid feciſti nobis, &c. exiſtimantes illam eſſe in comitatu, &c. & neſciebatis, quod in iis, &c.* Reſpondet Ruper. Abb. in Magnificat, Mariam ut perſonam privatam omnia hæc ſciviſſe, ſed tamen tempus tacendi cuſtodiebat, ut hæc omnia authenticè deſcriberentur in Evangelio: Communiter tamen dicunt Theologi Mariam non omnia ſemper ſciviſſe, ſed pro temporum diverſitate ignoraſſe negativè, ſed etiam perfectivè, & ſcientiâ, & fide, & meritis in multis, quæ non erant neceſſaria ſtatui ſuo, & maximè in quibus myſteria Evangelici ſtatus elucidanda erant tali occaſione, quod etiam in Angelis accidit: *Vide Suar. t. 2. in 3. p. d. 19. Caniſium lib. 4. de Virgine Vegam Theol. mar. à n. 745.* & hoc totum ad autes Seraph. Doct. *op. ſpec. lib. 7. & 8. op. Phar. lib. 1. c. 5. ſer. 1. de B. Virgine: lib. 4. d. 10. a. 1. qu. 2. ad ult.* Quæritur ſecundò, an Mariæ voluntas in omnibus ſemper fuerit conformis, & ratio dubitandi eſt, quia de amiſſione Filii dolebat, & anxiabatur: ſed reſpondetur ſicut dictum eſt de Chriſto orante in horto *in Com. ſuper Matthæum*: voluntate naturali, & inefficaci voluiſſe aliquid, quod nolebat Deus abſolutè; numquam tamen abſolutè voluiſſe aliquid contrarium divinæ voluntati, & in hac concluſione currunt rationes *cit. loco* adductæ de Chriſti voluntate: Quæritur tertio? Cur Maria primum locum Ioſeph dederit in his verbis, *Pater tuus, & ego dolentes, &c.* Cum Ioſeph non fuerit verus Pater, ipſa verò Mater vera? Reſpondetur ad litteram hoc feciſſe urbanitatis causâ, modeſtiæ, & comitatis, ſic S. Auguſtinus aliique Patres: myſticè, ut doceret cæteras uxores, ipſas ſubjectas debere eſſe viro, nec ſibi debere arrogare locum ſuper virum. *Sic & S. Bon.*

143. *Chriſti humilitas expenditur in ſubjectione præſtita Parentibus.*

Et erat ſubditus illis. Vide quàm rectè concludit Evangeliſta hanc hiſtoriam; primò dicit, & deſcendit cum illis, & venit Nazareth: deſcendit quidem Filius Dei in terras, aſſumpſit carnem hominis, & cum hominibus converſatus eſt; deſcendit ſpecialiter cũ Maria, & Ioſeph, & in hoc deſcenſu quid fecit? & erat ſubditus illis, ait Evangeliſta: ô ſtupor! quis? quibus? Deus hominibus. Deus pauperculis, Deus Mariæ pauperculæ, & Ioſeph lignario fabro; & tu vilis homuncio præeſſe deſideras? & tu dominari vis? ergo te vis præponere tuo Creatori, & ſalvatori? *Luc. c. 2. v. 50. Ioan. collat. 5. op. Expoſ. Reg. c. 1.*

144. *Dignitas ſancti Ioſeph expenditur, quâ ad domum paternitatis, & ſuperioritatis Chriſti exaltatus eſt.*

Et erat ſubditus illis. Illis, quibuſnam? Parentibus, ſcilicet Mariæ, & Ioſeph, ſed quomodò hæc ſubjectio etiam Ioſeph, cum verè Pater Chriſti non eſſet, ſed ſola Maria Mater? ſed attende ad antecedentia Mariæ verba, *Pater tuus, & ego dolentes &c.* Pater tuus; quomodo Pater Jeſu? & quomodo ſimul connectit ſuam maternitatem, cum paternitate Ioſeph, cum maternitas ſit vera per veram generationem, paternitas ſit adoptiva tantùm? Reſpondent *S. Auguſt. Paſchaſius. Cajet. aliique*, quia talem ſingularitatem privilegii in Ioſeph exigebat ſingularitas nuptiarum, & ſi ideò Maria nupta Ioſeph fuit, ut ſub Ioſeph virgine gigneret, ſequitur quòd Ieſus jure nuptiarum fructus ſit, & dicatur Filius Ioſeph, & Ioſeph Pater ſit non ex concubitu, ſed ex radice ſcilicet ex Maria deſponſata ipſi Ioſeph; & hinc *Chryſoſtomus Hom. 4. in Matth.* ad illa verba, *Noli timere accipere Mariam &c. vocabis nomen ejus Ieſum*, ſic addit: Non enim quia ex Spiritu Sancto, idcirco te à miniſterio tantæ æſtimes deſponſationis extraneum, nam & ſi nihil habeas in hac generatione commune (Virgo quippè permanſit intacta) tamen quod proprium eſt Patris, quodque nihil infuſcat

Virginis

Virginis dignitatem, hoc tibi facilè concedo &c.

145. *Chriſtus ſubditum ſe conſtituit Mariæ; & Joſeph, quia ipſi prius ſe ipſi ſubditos per exactam obedientiam conſtituerant.*

Et erat ſubditus illis. Illis, quibuſnam? Parentibus, & quinam ſunt iſti Parentes? Maria & Ioſeph: ſed quomodo Ioſeph dicitur Parens ſimul cum Maria Matre Chriſti, ſi Virgo ex Spiritu Sancto concepit, & Ioſeph in hac generatione fuit excluſus? ſed attende ad myſterium: Parens dicitur dupliciter aliquis, vel à pario paris, vel à pareo pares: Maria fuit Parens Chriſti duplici titulo, & quia peperit, & quia paruit Chriſto in omnibus, cum ſe ejus ancillam humillimam ipſi ſubjecerit; ſic & Joſeph dicitur Parens, quia paruit, & obediens fuit in exequendo divinam voluntatem in omnibus, & per omnia, hinc mirum non eſt, quòd Chriſtus, ut par pari referret ſe utriuſque ſubditum conſtitueret; dicit enim *Matth.c.12. quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt. op. medit. c.14 & ſeq. & Ugo Card.*

146. *Chriſtus ſe totum obedientiæ devovit, ut ipſam eamdem in nos transfunderet.*

Et erat ſubditus illis. Cur tantam ſubjectionem Ieſus Filius Dei, Creator omnium voluit præſtare vilibus, & pauperibus? ſed hoc fecit, *ait S. Ambroſ.* ut hanc virtutem obedientiæ nobis commendaret, & in nos ipſos transfunderet; ut diſceremus nos eſſe vocatos per obedientiam, & ſervitutem in veram libertatem filiorum Dei, quòd obedire, & ſervire regnare eſt, quòd quantò magis nos metipſos ſubjicimus, tantò majori honore efficimur digniores; non ſolùm enim ipſa obedientia Reges conſtituet in futuro, ſed & nunc, ſi in ſua perfectione exiſtat, facit creaturis omnibus dominari, ad ſtatum innocentiæ priſtinum reducit, & nihil contrarium, niſi ad profectum animæ fuerit, moleſtare permittit, adverſa facit proſpera, & hominem adhuc in mortali corpore viventem facit Angelicè ſe habere; ô virtus mirabilis, quæ ſui hominem facit obliviſci, & in ſuum ſemper tendere Redemptorem, & in terris ambulantem facit in cœleſtibus habitare. *Op. ſtim. p.3.c.11.*

147. *Qui cultum Mariæ Virgini prætendit ipſi ſubditus ſit.*

Et erat ſubditus illis. Hoc fecit, *ait S. Ambroſ.* volens ex ſuo exemplo transfundere in nos obedientiæ virtutem; præterea oſtendit ex hac ſubjectione Matri, nos docere, quòd ſi volumus ipſam honorare, & colere, id exequamur per ſubjectionem, & obedientiam, & imitationem ſuarum virtutum. *Op. Pſalt. B. Virg. Pſ. 118. & 33.*

148. *Obedientia exacta Prælatis eſt maximum ſacrificium, quo poſſimus colere Deum.*

Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis. Cur Chriſtus deſcendit diſcedens à Ieruſalem & à templo? nonnè priùs dixerat, quòd oportet ipſum eſſe in iis, quæ Patris ſui erant, & quòd remanſio in Ieruſalem à Patre præcepta fuerat? quomodo ergo nunc mutat conſilium, ut voluntatem Matris faceret? ô attende ad magiſtrum obedientiæ, & humilitatis, venit enim, ut doceret nos hanc altiſſimam virtutem obedientiæ eſſe majus ſacrificium, quod poſſit ab anima Deo offerri. *Op. medit. capit. 14. & 15.*

149. *Idem argumentum de obedientia ſacrificio.*

Et erat ſubditus illis. Vide iterum, quòd Chriſtus ſe proteſtans veniſſe in mundum ad exequendum cultum perfectum Deo Patri, neſciebatis, quia in iis, quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe, concludit poſtea in ſubjectione Patri, & Matri, & erat ſubditus illis; ut intelligamus, quod melior eſt obedientia, quam victimæ, nam in ſacrificio offertur caro aliena in obedientia propria voluntas mactatur Deo; & hinc eſt, quòd comparatur navi, in qua quis ſemper procedit ſimul quieſcendo; ſic obediens ſemper proficit dormiendo, vigilando, comedendo, abſtinendo, ambulando, quieſcendo, quia ad inſtar nautæ non movetur motu proprio, ſed alieno, & quod plus eſt; ipſa & victimam, & alia opera bona vivificat; & hoc maximè in Religioſis, ſcilicet ſumma in merito, Deo vicina, & proxima Cœlo, volatque ad Cœlum, & ad Deum duabus alis, ſcilicet paupertate, & caſtitate, quæ duæ virtutes ſunt actus Religionis ratione obedientiæ. *Eccleſ.c.4. op. Dict. tit.4.c.2.*

150. *Obedientia eſt ſumma lectio, & præcipua ſchola Chriſti.*

Et erat ſubditus illis. Illis, quibuſnam? Parentibus, & quinam ſunt, ſcilicet Deo Patri, Mariæ, & Ioſeph propter Patrem: Nota autem illud verbum erat, quo alluditur ad totum tempus vitæ Chriſti à principio uſque ad finem; obedientiam enim ſemper præſtitit, & in mundum veniens, & in mundo manens, & de mundo tranſiens; undè potiùs voluit perdere vitam, quàm obedientiam, ait enim ipſe *Ioan.c.6. Deſcendi de Cœlo, non ut facerem voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me Patris. Op. Dict. tit.4.c.2.*

151. *Quid fecerit Chriſtus à duodecimo, uſque ad triceſimum: ubi de ejus humilitate, & obedientia:*

Et erat ſubditus illis. Valde notabile, & mirabile eſt, quòd Evangeliſtæ à duodecimo anno vitæ Chriſti in hiſtoria Evangelica, ſaltum faciant, & tranſeant ad baptiſmum, & prædicationem Ioannis, & Chriſti in triceſimo anno; nec aliquod ipſius opus, vel narrant, vel tangunt in tempore hoc intermedio factum cur hoc ſtetit ne hoc tanto tempore otioſus, ut nihil faceret dignum recitatione, & ſcripturâ? ſed attende benè, & videbis quòd nihil faciendo fecit magnifica, & digna ſtupore: Magiſter enim ſummus aliquando doctutus virtutes, & viam vitæ, cæpit à juventute ſua opera facere virtuoſa, ſed modo mirabili, & incognito, ac retroactis temporibus inaudito, ſe videlicèt reddendo in conſpectu hominum inutilem, & abjectum, & infipientem,

ſinſipientem, ut devotè, & ſine omni temeraria aſſertione cogitari poſſit: ſubtrahebat ergo ſe à conſortio, & converſatione hominum: ibat ad ſynagogam, ideſt Eccleſiam, ſtabat ibi multum in oratione, in loco viliori ſe ponens, redibat domum, ſtabat cum Matre, & aliquando ſuum nutritium adjuvabat; pertranſibat eundo, & redeundo inter homines, ac ſi non videret homines: mirabantur cuncti cernentes juvenem tam ſpecioſum nihil facere, quod appareret laude dignum; expectabant enim quod magnifica faceret. & opera probi viri; cum enim puer erat proficiebat ætate, & ſapientiâ coram Deo, & hominibus, ſed creſcens à duodecimo uſquè ad triceſimum, & ultra nulla opera faciebat prætendentia ſpeciem aliquam virilitatis, ſtupebant vehementer, & deridebant eum tamquàm inutilem, ſtupidum, & inſipientem, quod & ipſe *Pſal.*21. innuit dicens, *Ego ſum vermis, & non homo*, ſcilicet vilis, abjectus, conculcatus. & deriſus ab omnibus; & hinc erige te anima ad ſtuporem, & vide, quod Chriſtus voluit ad noſtram inſtructionem præmittere in operibus Redemptionis nobiliſſimum, & ſtabiliſſimum fundamentum humilitatis profundiſſimæ, ut hoc gladio jugularet ſuperbum adverſarium; & ſic in hoc exercitio voluit totam ſuam vitam inſumere. *Op. medit. c.*15.

152. *Exercitia vitæ Chriſti à duodecimo anno uſquè ad triceſimum iterum expenduntur; ubi de humilitate, obedientiâ, paupertate, & fabrilibus operibus Chriſti, Joſeph, & Mariæ.*

Et erat ſubditus illis. Nota, quod iſta duo verba continent mare magnum myſteriorum, & inviant animam ad ſe exhibendam præſentem vitæ Chriſti in hoc tempore: Vide illam benedictam familiam parvam, ſed valdè excelſam paupertatem, & humilem vitam ducentem; felix Joſeph ſenex quærebat, quod poterat de arte lignaminis; Domina verò acu, & colu pretio laborabat; faciebat & alia obſequia domus, quæ multa ſunt, parabat victum ſponſo, & Filio, & alia expedientia faciebat, non enim habebat ſervientem; compatere ergo ſibi, quam ſic ſuis manibus laborare oportet; compatere etiam Domino Jeſu, quia ipſe adjuvabat eam in ſervitiis domus, & Joſeph in arte ſua quia venit non miniſtrari, ſed miniſtrare. *Matth. c.* 20. Conſpice etiam qualiter ipſi tres ſimul comedunt ad unam menſam pauperes cibos, & ſobriam cænam, qualiter poſtea colloquuntur non inania, & otioſa verba, ſed plena ſapientiâ, & Spiritu ſancto, nec minus reficiuntur mente, quàm corpore; ſed qualiter poſt aliqualem recreationem ſe convertunt in cubiculis ſuis ad orationem, non enim erat eis domus ampla, ſed parva, ſed tantùm tria, unum pro quolibet ipſorum; & intuere Dominum Jeſum ſuper humum in ſero poſt orationem ſe componere per ſingulas noctes tam longiſſimi temporis, ſic humiliter, ſic viriliter, ut quicumque alius pauperculus de populo, ſic etiam perſeverantes quolibet ſero in hoc ſtatu ſic deberes conſpicere: ô Deus abſcondite, quare ſic affligebatis corpus veſtrum innocentiſſimum? unius quippè noctis peregrinatio ſufficere debebat ad totius mundi Redemptionem; ô amor, & charitas; amor ad hoc compellebat immenſus, vehementer zelabatis pro ove perditâ veſtris humeris ad cæleſtia paſcua reportanda: Vos Rex Regum, & Deus æterne, qui omnium penuriam ſublevatis, omnia ſubminiſtratis omnibus abundanter, vobis tantam paupertatem, vilitatem, & aſperitatem vigilando, dormiendo, abſtinendo, comedendo, & aliis veſtris omnibus actibus per tam longa temporis ſpatia reſervatis? Ubi ſunt ergo quærentes otia corporis, quærentes curioſa ornamenta, & varia? ô miſeri nos! non didicimus in ſchola hujus magiſtri; qui talia volumus: Ipſe nos docuit verbo, & exemplo humilitatem, paupertatem, afflictionem corporis, & laborem; ſequamur ergo ſummum magiſtrum, qui nec fallere, nec falli poteſt; & habentes juxtà doctrinam Apoſtoli *Thim. cap.*6. Victum, & veſtitum, his contenti ſimus, ad congruentem neceſſitatem, non ſuperabundantem, aliis etiam virtutum exercitiis, & ſpirituali ſtudio continuè indeſinenter, & vigilantiſſimè inſiſtentes. *Op. medit. c.*15.

153. Maria Virgo hæc omnia geſta conſervabat in corde, & aliis reſervabat, ut ipſa loco, & tempore congruè exprimeret, unde hic dicitur, *Et Mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo*; ut ab ipſa teſtimonium haberet apud homines, & in Eccleſia: *Luc. cap.*2. *verſ.*51. & *c.*10. *ad finem*: undè aliàs dictum eſt multa de infantia Jeſu revelaſſe *S. Luca.*

154. *Jeſus quomodò dicitur profeciſſe ſapientiâ, ætate, & gratiâ apud Deum, & homines.*

Nota, quod hic dicitur non quod in ſe augeretur vel ſapientia, vel gratia, vel aliud donum ſupernaturale, quia in inſtanti ſuæ conceptionis fuit repletus omnibus donis gratuitis, ſed dicitur, quod ſecundùm augmentum ætatis, & corporis, oſtendebat foris ad proportionem ſapientiam, & gratiam apud Deum, ſcilicet ad Deum honorandum, & apud homines; ſcilicet ad ipſos ædificandum, ſcilicet ad ipſa dona pandendum. *Luc. c.*2. *v.*19. & 51.

155. *Homo ſapiens ad tempus tacet, & pro loco, & tempore ſapientiam demonſtrat.*

Et Jeſus proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines: Hoc autem Chriſtus faciebat ad oſtendendum, quod ſapiens debet tacere uſque ad tempus, & poſtea ad utilitatem aliorum tempore opportuno manifeſtare myſteria divina. *Luc. c.*2. *v.*52.

156. *Qualiter homo poſſit proficere apud Deum, & homines.*

Et Jeſus proficiebat, &c. Vide quomodò Chriſtus ſuo exemplo oſtendit, quod ſi volumus proficere apud Deum, & homines, debemus primò intendere cultui divino, ſtudio veritatis, & obſequio pietatis; nam cultus divinæ Majeſtatis præoccupari debet ab infantia, cæteris debet præferri

pro reverentia divina; ſtudium veritatis debeteſſe cum debita ſocietate ſcilicet peritorum, & debito ordine, ſcilicet ut prius ſit diſcipulus, poſteà magiſter: obſequium pietatis attenditur in hoc, quod ſubjiciamur Patri ſpirituali, ſivè corripienti, ſivè præcipienti; & ſi hoc ſervamus, ſequitur illud, quod ultimo ponitur, quod proficimus apud Deum & homines: Hæc attendant benè Religioſi, maximèque Novitii: *Luc. c. 2. in fine* Hic ergo ad gloriam Dei, & Beatæ Virginis Mariæ explicit expenſio infantiæ ſalvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti.

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Nota, quod cum ſuprà egerit Evangeliſta de Nativitate Chriſti in utero, & ex utero, nunc agit de Nativitate ipſius extrà uterum in ſe, & in ſuis membris, ſcilicet ejus baptiſmo, & regeneratione ſacramentali, & ob id etiam loquitur de prædicatione Ioannis: hoc caput dividitur in tres partes; in prima agit de baptiſmo, & prædicatione Ioannis in generali: in ſecunda de prædicatione in ſpeciali reſpectu ſpecialium perſonarum ad ipſum concurrentium: in tertia in ſingulari reſpectu Chriſti: in prima parte commendatur prædicatio Ioannis à tribus, ſcilicet à temporis opportunitate, nempe cum Imperium Romanum erat ſub uno capite, Regnum Iudaicum partitum in plura dominia Principum, & ſacerdotium Iudaicum etiam divìſum ſub Anna ſcilicet & Caïpha, qui inſtituti erant, non per inſtitutionem, & unctionem divinam, ſed terrenam, ſcilicet à Romanis: & ideo ſignum hoc erat finis legis ſcriptæ, & initii Evangelicæ ſecundum prophetiam Danielis c. 2. Commendatur ſecundò ejus prædicatio ab auctoritate officii, quia factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, &c. & tertio à zeli ſollicitudine: Hæc omnia fusè exprimit ſanctus Bonaventura. Luc. cap. 3.

CAP. III.

2. *Signum ruinæ Reipublicæ quando dignitates Eccleſiaſticæ ſubſunt terrenis Principibus.*

Sub Principibus ſacerdotum Anna, & Caïpha. Quomodò hic notantur ſimul, & ſemel duo Principes ſacerdotum, cum tantùm unus deberet dominari? hoc notanter dicitur, ut pateat adveniſſe tempus excidii ſynagogæ: nam eo tempore, quo Ioannes cæpit prædicare adventum Chriſti, ſummum ſacerdotium emebatur à Romanis; undè ſacerdotes non inſtituebantur per unctionem, ſed per terrenam poteſtatem, & hinc Caïphas, & Anna exercebant hoc munus, & annuis ſucceſſionibus mutabatur officium, ſic diſponentibus Romanis: *Luc. cap. 3. verſ. 1. Ioan. cap. 18. verſ. 13.* Et hinc rectè infertur, quod quando dignitates Eccleſiaſticæ conferuntur per pecuniam, & potentiam ſæcularem, ſignum patens eſt excidii imminentis Reipublicæ.

3. *Prædicatio verbi Dei velati nova Incarnatio vel redemptio.*

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Nota, quod dicit factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, quomodò factum? cur non potius dictum, vel revelatum? hoc verbum, facio, habet pro termino ſubſtantiam, ideo exprimitur Incarnatio Verbi per ipſum, Et Verbum caro factum eſt? ſed hoc dicitur tùm ad exprimendam excellentiam Ioannis, qui fuit conſtitutus vox exprimens Verbum quod erat caro factum; tum ad exprimendum effectum verbi Dei inſpirati in anima recipientis, vel prædicantis, in qua per inſpirationem divinæ gratiæ notatur veluti factum ſubſtantialiter ad ſimilitudinem Incarnationis Dominicæ. *Luc. cap. 3. verſ. 2. & 4. Rupert. Abb. Hieron. S. Gregor. Magnus, aliique Patres*, hinc inferunt, quod prædicatio verbi Dei eſt veluti nova Redemptio, ſcilicet medium, quo Chriſtus efficacem reddit ſuam Redemptionem.

4. *Pœnitentia virtus eſt quoddam genus baptiſmi.*

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Quæritur qualis erat iſte baptiſmus Ioannis? Reſpondetur quod hic baptiſmus non conferebat gratiam ſicut baptiſmus Chriſti, ſed diſponebat ad gratiam eo, quia pœnitentiam prædicabat, & pœnitentia eſt veluti quoddam genus baptiſmi, vel etiam martyrii diſponens ad deletionem culpæ, & receptionem gratiæ, & hoc poteſt iterari. *Vide ap. Phar. lib. 4. cap. 49. lib. 4. d. 2. in dub. & d. 4. p. 2. op. Comp. Theolog. libro 6. cap. 9.*

5. *Prædicator mittitur ad deſertum ad prædicandum.*

Et vox clamantis in deſerto. Sic dicebat Ioannes prædicans tamquam vox verbi, ipſum experimentis in deſerto, ſcilicet in loco vitiorum, ſic prædicator debet eſſe vox Verbi, & clamare in deſerto vitiorum, ut ad pœnitentiam excitet peccatores. *Pſalm. 94. Luc. cap. 3. verſ. 4.*

6. *Pœnitentia*

Digitized by Google

6. *Pœnitentia qualiter præparet viam Domino.*

Parate viam Domini. Nota, quòd prædicans Joannes, & excitans ad pœnitentiam, ipſam proponit ut medium efficax ad occurrendum Domino per rectam præparationem; præparatio autem hæc exigit, ut per fidem captivetur intellectus ad credendum tradita à Chriſto; ſecundò ut executio per obedientiam ſuperaddatur iis, quæ præcipit Chriſtus, & ideò via per pœnitentiam eſt paranda per immunditiæ carnalis expulſionem, per caſtigationem, & mortificationem ſenſualitatis, & per exercitium ſanctarum virtutum. *Ser.1. Dom.4. Adv.*

7. *Via Domini præparatur per obſervantiam mandatorum; rectificatio ſemitarum per obſervantiam conſiliorum.*

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Nota, quod iſte magnus Prædicator omnibus ſecundùm ſuam propriam conditionem varia monita ſalutis dabat; ideò proponit primò præparationem viarum Dei, poſtea rectificationem ſemitarum, quæ ſunt viæ magis anguſtæ: primò autem prædicabat peccatoribus pœnitentiam, tamquam medium præparandi viam ſcilicet per obſervantiam mandatorum Dei, & rectà ducentem ad portum ſalutis, deindè Religioſis proponit rectificationem ſemitarum, ſcilicet conſiliorum Chriſti, ad quam ſe obſtrinxerunt; hæc rectificatio conſiſtit in dirigendo ad Deum toto corde omnes intentiones, affectiones, actiones, ut puræ ab omni ſcoria terrenitatis Domino præſentari poſſint. *Luc.c.3.v.4.& c.1.v.76. & c.7. v.24. ſer. 1. Dom.4. Adv.*

8. *Chriſti Adventus fuit ad humiliandum montes, & ad replendum valles.*

Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur; & erunt prava, &c. Quid eſt hoc, quod dicit de vallibus, & montibus? quomodo valles implendæ erant? ſed attende ad myſterium; nam ut Præcurſor Chriſti prædicabat adventum ipſius, & effectus talis adventus, qui ad hæc duo capita reducuntur, ſcilicet ad implendum valles, ideſt ad exaltandum humiles, eoſque replendum rore cœleſtis gratiæ, & ad humiliandum ſuperbos, & in hoc totum eſt miniſterium adventus Chriſti in carnem. *Luc. c.3. ibid. ſer.2.in Nativ.Pſal.107.*

9. *Via perditionis in principio facilis, ſed poſteà laborioſa, & ruinoſa: Via virtutis è contra.*

Rectas facite ſemitas ejus, & omnis vallis implebitur, &c. & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas. Vide effectus pœnitentiæ, qui omninò ſunt oppoſiti viæ peccantium; nam viæ peccati ſunt quidem, vel potiùs videntur faciles, & dulces in principio, quia ſunt conformes noſtræ inclinationi corruptæ naturæ, ſed poſteà ſunt tortuoſæ, laborioſæ, ignotæ, & periculoſæ; Via virtutis è contrà in principio eſt apparenter difficilis, ſed in progreſſu eſt lata, ampla dulcis, & facilis, ſicut explicat Sanctus Joannes in ſua prædicatione, & erunt prava in directa, ideſt tortuoſitas in rectitudinem commutabitur per regulam juſtitiæ, & aſpera in vias planas, & faciles, & dulces; quia ducunt ad videndum ſalutare Dei, undè dicitur *Prov. c.4.* Dixi te per ſemitas æquitatis, quas cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. *Luc. c.3.v.5. & c.13. v.24. Pſ. 118. verſ.1.*

10. *Schola virtutis, & Chriſti priùs docet quid agendum, poſteà quid ſciendum.*

Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. &c. & videbit omnis caro ſalutare Dei. Nota, quòd in hac ſchola, & lectionibus Joannis Baptiſtæ priùs proponit agenda, poſteà videnda, & ſcienda, nam ultimo loco dicit. Et videbit omnis caro ſalutare Dei; cur tali ordine procedit? nonnè priùs intellectus informandus, ne voluntas in agendo erret? hoc quidem verum eſt, ſed tamen in via virtutis inverſo ordine proceditur à ſcientiis mundanis, in his enim priùs theorica diſcitur, poſteà practica; in ſchola Crucifixi è converſo; priùs diſce quid facias, poſteà quid ſcias. *Pſ.118.v.1.*

11. *Chriſtus ſe omnibus communem exhibuit ab omnibus videndus, & fruendus.*

Et videbit omnis caro ſalutare Dei. Quomodò omnis caro, ſcilicet omnis homo videbit Chriſtum ſalvatorem? in judicio videbitur quidem humanitas Chriſti, non tamen divinitas: in primo autem adventu non fuit viſus ab omni carne, & homine, quomodo ergo dicitur, & videbit omnis caro? &c. Sed attende, quod à Sanctis Doctoribus exponitur iſte textus de primo, & de ſecundo adventu Salvatoris, ſcilicet in carnem, & ad judicium; de primo adventu dicit, videbit omnis caro, ideſt de omni carne, & gente, ut fiat diſtributio pro generibus ſingulorum, ut dicit Philoſophus, ſcilicet videbitur, & fruetur ab omnibus veris pœnitentibus, ex hoc, quia omnibus ſe communem fecit, omnibus ſe communicaturus, quod manifeſtè in Nativitate factum eſt; nam viſitatus fuit à pauperibus, & à divitibus: In judicio verò ab omnibus videbitur, vel in bonum, vel in malum. *Luc. c.3.v.5. ſer.2. in Tranſlatione S. Franciſci in addit. Pſ.118.v.161.*

12. *Peccator ſuo proprio gladio ſeipſum vulnerat, & occidit.*

Dicebat ergo ad turbas, &c. Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Cur Joannes venientes ad ipſum audiendum appellat genimina viperarum? cur ſtatim in principio concionis non quærit captare benevolentiam ab auditoribus ſecundùm regulas bonæ Rethoricæ? ſed potiùs eos exacerbat appellans ſerpentes, & genimina viperarum? attamen lingua hujus Sancti Præcurſoris à Spiritu Sancto erat regulata, nec ſine maximo myſterio, & arte eos appellat nomine viperæ, & geniminis viperarum, quod & facit, ut

auditoribus ingerat notitiam peſſimorum effectuum peccati, & miſeriarum, in quibus laborabant; nam ſicut vipera pariendo ſeipſam occidit, quia genimina viperæ naſcendo rumpunt viſcera matris,ſic & peccator patiens peccatum mortale ſeipſum ſuo proprio gladio, & actu perimit, & hic eſt primus effectus peccati mortalis, ſcilicet auferre vitam animæ,eamque mortuam relinquere,& poſt datam notitiam talis miſerabilis effectus peccati eos appellat genimina viperarum, volens eis ſuadere pœnitentiam, nempè ſicut vipera poſtquam momordit aliquem, ſtatim currit ad aquam,ſic eos poſt tantum malum, in quo vivebant, invitat ad bàptiſmum pœnitentiæ,ut per ipſam flentes præteritas culpas, vitam gratiæ recuperarent.*Sap.c.*11.*Luc.c.*3.*v.*7.

13. *Genimina viperarum ſunt hypocritæ, qui jactant ſe,vel de nobilitate Majorum ſine virtute;vel ſe profitentur filios ſanctorum Patrum, ſed eorum opera non imitantur.*

Genimina viperarum, &c. Nota etiam, quòd nomine viperarum ſignificantur hypocritæ, qui ſicut viperæ foris ſpecioſæ,& veluti pictæ, intus verò veneno repletæ; ſic iſti à foris appatent ſpecioſi, intus verò pleni ſunt ſpurcitia, & veneno; Judæi verò valdè gloriabantur de nobilitate Parentum, quòd eſſent deſcendentes ex Abraham, & aliis Sanctis Patribus, ſed tamen, quia eorum opera non imitabantur, ideò ab ipſis degenerabant,hinc eos appellat,genimina viperarum:hoc autem ſpecialiter dirigitur ad Eccleſiaſticos, & Religioſos de perfectionis altitudine, & ſanctitate ſuorum Patrum, & anteceſſorum gloriantes; ſed tamen ab ipſorum imitatione degenerant. iſtiſque dixit Chriſtus:ſi filii Abrahæ eſtis,& opera abrahæ facite.*Luc.c.*3.*v.*7.*&c.*11.*v.*18.*&c.*19.*v.*9.*Ioan.c.*8.*v.*30.

14. *A Deo irato ad Deum placandum fugiat homo per pœnitentiam.*

Quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Quid eſt hoc, quod intendit in his verbis Sanctus Præcurſor? quæ ira ventura: & cujus?Nota,quòd futura ira eſt animadverſio Dei irati,quam ipſe paratam conſervat in ſcrinio ſuæ juſtitiæ contra peccatores, nempè inflictio pœnarum, calamitatum, & tandem æterna damnatio; & quomodo poterit homo ſe eximere à tot malis, & fugere tantam Dei viventis iram:hoc non poteſt fieri,niſi ad Deum per pœnitentiam placatum confugiendo,à Deo ad Deum,à Deo irato,ad Deum placandum,& per pœnitentiam placatum.*Luc.c.*3.*v.*7.

15. *Pœnitentia ſit proportionata culpæ; & qui ſint fructus digni pœnitentiæ.*

Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Cur dicit fructus dignos?cur non ſimpliciter fructus pœnitentiæ, ſed addit dignos? ſed optimè: nam vera pœnitentia debet eſſe, ut condignam ſatisfactionem Deo reddamus ſecundùm qualitatem peccatorum, ut tanto majora ſibi quis inferat lamenta per pœnitentiam, quanto graviora ſibi intulit damna per culpam,non enim eſt par fructus boni operis ejus, qui parum, aut nihil peccavit, & ejus,qui graviter cecidit. *Luc. c.*3.*v.*8.*ſerm.* 2. *de S.Ioanne Baptiſta.* Ex quibus autem infertur,quòd fructus digni pœnitentiæ ſunt dolor, peccatorum deteſtatio,debita ſatisfactio, denique bona opera, & virtutum actiones poſt pœnitentiam. *Sic cum S.Bon.communiter alii SS.PP.* Hoc autem notent diligenter illi, qui ad confeſſionem peccatorum accedunt cum minima diſpoſitione, etiam ſufficiente ad validè recipiendam abſolutionem à reatu culparum, ſed in reliquo vivunt negligentes,otioſi,pigri ad opera virtutum, iſti enim non faciunt dignos fructus pœnitentiæ: pœnitentia enim vera,*ait S.Bon.* eſt perpetrata peccata plangere,& futura cavere,cavere autem à futuris non poteſt,niſi benè,& virtuosè vivendo, & hinc eſt, quod pauciſſimi ſunt, qui verè, & perfectè ad Deum convertuntur,licèt plurimi ſint,qui ad confeſſionem accedant.*Ser.*4.*Dom.*3.*poſt Pentec.op. de ſex Alis Cherub.*

16. *Pœnitentia facit appropinquare Chriſtum,& ipſum conglutinare cum peccatore.*

Et videbit omnis caro ſalutare Dei,&c. facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Vide quid concludit ex antecedentibus Sanctus Præcurſor, promittit enim nobis viſionem,& unionem Chriſti, & ſtatim ſubdit modum id aſſequendi dicens,facite ergo fructus dignos pœnitentiæ; oſtendens quod ſola eſt pœnitentia,quæ appropinquare facit; & conglutinare Chriſtum peccatori. *Serm.* 1. *in die Cinerum.*

17. *Chriſtus ſuâ virtute, & ſanguine ſcindit,& emollit lapideа corda peccatorum, ideo nemo deſperet de remiſſione.*

Potens eſt autem de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Quomodo lapides poſſunt commutari in homines?& quando hoc unquam fecit Chriſtus? fecit hoc,& continuè facit, nam ſua virtute, & præcipuè ſuo ſanguine ſcindit, & emollit lapidea corda peccatorum,eoſque convertit in filios ſuos. *Luc.c.*3.*v.*8.*&c.*19.*v.*40.

18. *Quò indulgentior eſt Dei vocantis liberalitas, eo pervicatior eſt pertinacia multorum, & ideò gravius punitur.*

Jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, &c. Vide, quid notificat Sanctus præcurſor lapidibus,& duris cordibus, nempè Dei ſententiam judiciariam per ſecurim ſignificatam,imminere contrà peccatores rebelles,& obſtinatos, & recuſantes obedire vocationi divinæ,ut intelligamus,quòd peccator poſt tantas inducias;& curas, & vocationes non faciens fructum pœnitentiæ, inexcuſabilis eſt; & nota,quòd ſecuri mactantur porci, ideo ad luxurioſos præcipuè,qui ſunt porci diaboli, dirigitur hæc formidabilis comminatio. *Ser.*2.*Dom.*7.*Pent.Luc.*3.*v.*9.

19. *primi inventores, & ſcandaloſi ſuper alios divinâ ultione puniuntur: Vbi etiam de Parentum iniquorum malo exemplo.*

Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Cur ad radicem, & non ad ramos? ad radicem dicit, quia malæ arboris, & ramorum radix ſunt Parentes, & primi inventores vitiorum, uti ſunt ſcandaloſi, contrà iſtos præcipuè diriguntur hæc verba, & ſuper eos ultio dominica præcipuè cadit; attendant ad hæc Parentes ſcandaloſi, qui malo exemplo ſunt in cauſa ruinæ filiorum. *Sermon. 2. Dom. 7. poſt Pentecoſt.*

20. *Deus exigit quocumque tempore fructum pœnitentiæ à nobis ſub pœna maledictionis æternæ.*

Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, &c. Nota illud verbum de præſenti, facit; ut intelligas; quod quocumque tempore exigit à nobis fructus pœnitentiæ ſub pœna maledictionis æternæ; & ideò ficum maledixit Chriſtus, quia non habebat fructum, etiamſi eſſet extra tempus. *Luc. c. 3. v. 9.*

21. *Eleemoſyna alia ſub conſilio, alia ſub præcepto; & principium eſt converſionis, & ſatisfactionis.*

Et interrogabant eum turbæ dicentes, quid ergò faciemus? Ecce fructus concionum Sancti Ioannis: ô felix deſertum! ô ſanctum conſilium, & propoſitum, quo quærunt à Joanne, quid faciemus? quibus reſpondit, qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet eſcas; faciat ſimiliter, ſcilicet faciat de bonis propriis ſuperfluis eleemoſynam: & cur primo loco proponit eleemoſynam, & non potiùs contritionem, & confeſſionem? ſed optimè, & optimo ordine id fecit, ut eis demonſtraret, quòd primus gradus diſpoſitivus ad obtinendam remiſſionem peccatorum eſt opus eleemoſynæ; & nota, quod dicit qui habet duas tunicas, ſcilicet qui habet ultra neceſſitatem ſuperflua, ſcilicet non neceſſaria naturæ, & perſonæ det ea indigenti; taliſque exhibitio cadit ſub præcepto, exiſtente proximo in neceſſitate, ſcilicet vel gravi, vel extrema. *Luc. c. 3. v. 20. ſeq. & capit. 11. v. 4.* Nota autem, quod in ſuadendo eleemoſynam, mentionem facit ſolùm de tunica, & eſca; nam per iſta duo intelliguntur omnia, de quibus debet fieri eleemoſyna, ratio autem eſt, *ait D. Hieron.* Scilicet quidquid corpori noſtro ſufficere, & humanæ imbecillitati ſuccurrere poterit, una tunica appellanda eſt; nos enim nudos natura profudit, & quidquid in præſentibus alimentis neceſſarium eſt, hoc unius diei victus appellatur. *In Lucam capit. tertio verſic. 11.*

22. *Eleemoſyna qualiter danda, & quales conditiones exigat.*

Qui habet duas tunicas, &c. Nota, quòd hic exprimitur qualiter, eleemoſyna danda ſit, & quales ejus conditiones: prima ut ſit de propria ſubſtantia, undè dicit (qui habet) ſecunda, quod ſit de re aliquantulum neceſſaria, non omnino ſuperflua; licet enim dare ſuperflua, ſit Deo charum, & in præcepto, ut dictum eſt ſuprà, tamen dare id, quod aliqualiter eſt neceſſarium, ut patet in illa vidua *Matth. c. 12.* hoc eſt ſuper omnia meritorium, undè dicit duas tunicas, quia tunica eſt magis neceſſaria, quam pallium, ſimiliter & eſca: tertia debet eſſe gratuita, & voluntaria, undè dicit det unam: quarta datur indigenti, non diviti, unde dicit, det non habenti. *Luc. c. 3. ibid ſer. 1. de S. Ioann.*

23. *Duplicitas animi, & ſimulatio exulanda à fidelium conſortio.*

Qui habet duas tunicas, &c. Nota myſticè, quod per duas tunicas intelligitur duplicitas, & hypocriſis animi; ideo vetat Spiritus Sanctus, ne ſui fideles aliam veſtem habeant in occulto, aliam extrinſecus, ſcilicet extrinſecus veſtem ovium, intrinſecus animum lupinum; unde Sanctus Pater Franciſcus cum infirmaretur poſuit pellem agni ſubtùs ad ſtomachum, & aliam exteriùs, ne inter ſimulatores adnumerari poſſet. *In Luc. c. 9. verſ. 3.*

24. *Publicani, & exactores vectigalium inſtruuntur, eorumque pericula.*

Venerunt & Publicani, ut baptizarentur, & dixerunt ad illum, Magiſter, quid faciemus? Nota, quod Publicani erant, qui publica vectigalia exigebant pro Principe; vel erant conductores vectigalium fiſci, & rerum publicarum; iſtique petierunt à Ioanne monita ſalutis, quibus ipſe dixit, quid facietis; nil ampliùs, quàm quod conſtitutum eſt vobis faciatis; in quibus verbis exprimit conditiones juſtæ exactionis, & vectigalium; ſunt autem debita auctoritas, debita cauſa, & debita menſura; debita menſura exprimitur in illo verbo (nihil ampliùs) debita auctoritas ibi (quod conſtitutum eſt, ideſt ſecundùm leges juſtas regulatas à lege divina) debita cauſa per ly (vobis) ideſt ad utilitatem communitatis; & quia hæc raro obſervantur, ideo tales exactores conſueverunt eſſe peccatores, & infames, non quia nullo modo benè poſſit exerceri tale officium, ſed quia difficile, & raruni eſt, ut non excedat conſtitutum. *In Luc. cap. 3. verſ. 13.*

25. *Milites inſtruuntur in ſuo officio eorumque periculo.*

Interrogabant autem eum & milites dicentes, quid faciemus & nos? Vide quàm magna virtus in verbis Joannis, quibus trahebat ad ſe homines cujuſcunque generis & ſtatus: & ideo etiam militibus dedit monita eorum ſtatui neceſſaria, dicens; Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris; in quibus

eis vetat illicita dicens,neminem concutiatis,ſcilicet per vim potentiæ,neque calumniam faciatis, ſcilicet ſub ſpecie juſtitiæ; quia rapina ſolet eſſe propria militum,concedit poſtea ea, quæ ſunt licita, dicens; & contenti eſtote ſtipendiis veſtris, ideſt pro defenſione reipublicæ ſtatutis à ſuperioribus veſtris, ſtipendia enim militibus ſunt conſtituta,ne dum quæſtus quæritur, prædo graſſetur. *Luc.c.3.v.14.*

26. *Militia qualis licita,& qualis illicita.*

Neminem concutiatis,&c. Nota,quod in his verbis militare officium approbat Sanctus Præcurſor;ſicuti de facto eſt licitum, dummodo habeat iſtas conditiones, nempè perſona conveniens, & cauſa: Perſona,ſcilicet indicentis bellum, ſcilicet quod habeat poteſtatem; perſona item agentis bellum,ſcilicet ſit laicus,& ſæcularis, non religioſus, vel clericus, item perſona patientis bellum, quæ talis ſit inſolentiæ, ut per bellum ſit compeſcenda; cauſa autem conveniens eſt, cum pro tutela patriæ eſt,vel pacis, vel fidei, in quo caſu concurrentibus his conditionibus licitum eſt militare,& bellum gerere, tunc enim gerentes, vel intimantes bellum, id faciunt, ut miniſtri legis, non ut perſonæ privatæ quæ lex tales inſolentes punire præcipit. *Luc.c.3.v.14.Vide lib.4. d.16. p.1. dub.15.op.ſpecul.an.c.1.*

27. *Prædicator exemplo Ioannis omnes ſecundum proprium cujuſque ſtatum dirigat in viam ſalutis, & omnibus condeſcendat intra limites juſtitiæ.*

Quid ergo faciemus? &c. Vide quàm Joannis prædicatio eſſet laudabilis; primò ex communi omnium eruditione; ſecundò ex imbecillium,& infirmorum ſupportatione;tertiò ex dura obſtinatorum,& hypocritarum redargutione;ſic enim inſtruxit omnes Prædicatores in ſuo miniſterio quomodo ſe habere, & gerère debent; omnibus enim in communi intimabat pœnitentiam agite, facite fructus dignos pœnitentiæ; nota,quod dicit fructus pœnitentiæ,non juſtitiæ; quaſi dicat, humanum dico propter fragilitatem carnis;ſi nondum in vobis eſt plenitudo omnium bonorum; ſi non poteſtis facere fructus dignos juſtitiæ,& ſanctitatis, facite ſaltem fructus dignos pœnitentiæ: in ſpeciali autem turbis, & divitibus imponebat opus eleemoſynæ, quod ipſis eſt cæteris faciliùs, dicens,qui habet duas tunicas, &c. militibus autem in Spiritu lenitatis dicebat, neminem concutiatis,&c. Publicanis autem exercitium ſui muneris cum rectitudine, non imponens eis gravia, ſed eos ſupportans,ſecundùm illud ad *Gal.6. Alter alterius onera,&c.* Phariſæis autem, & hypocritis ſimulatoribus,qui venerant ad recipiendum baptiſmum exteriùs,maculam ferentes interiùs, dicebat; *Genimina viperarum, &c.* Sic enim confortabat turbas ad eleemoſynas, publicanos ad juſtitiam, milites ad miſericordiam, obſtinatos verò dure arguebat.Tales enim debent eſſe veri Prædicatores,ſic enim veritas prædicationis ipſorum à nemine poterit declinari. *Ser.4.de S. Ioan. Bap. in addit.ſer.1.de S.Ioan.Bapt.in impreſſ.Vatic.*

28. *Conſilium ſapientum piorum à mundanis, & peccatoribus quærendum in iis, quæ ad regulandam conſcientiam concernunt, maximè in negotiis ſæcularibus.*

Quid faciemus. Nota, quod hoc dicebant turbæ,milites,& publicani, ut ab ipſo monita ſalutaria audirent in iis,quæ ad exercendum proprium munus ſpectant; ô quàm felices turbæ, mercatores, & milites,& mundani,ſi doctrinam hanc obſervarent; qui enim vult ſalvus eſſe, conſilium quærat à ſapiente ſuæ ſalutis, & non curioſitatis cauſa;tunc enim merebitur audire conſilium, & reſponſum ſalutiferum. *Ser.1. de S.Ioan. Luc.c.3. v.14.* Notent illi, qui parum curantes propriam ſalutem,licèt immerſi in negotiationibus,& actionibus implicatiſſimis, pro remedio ſuæ ſalutis adeunt Confeſſarios ignaros, & ad extricandos ſuos implicatiſſimos nodos parum habiles,ô magna, & intolerabilis vecordia in re tam neceſſaria! ite, ite ô infelices ad Ioannem, ad pium, & doctum Theologum, & dicite quid faciemus & nos;hæc ad ſenſum.*Seraph.Doct.ibid.*

29. *Sublimitas ſanctitatis ſervorum Dei cognoſcitur in demiſſione,& humilitate.*

Exiſtimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne,ne forte ipſe eſſet Chriſtus,reſpondit Ioannes,dicens omnibus; Ego quidem baptizo in aqua, veniet autem fortior me, &c. Vide, quod commendatâ prædicatione Joannis,hic ſubditur ejus perfectio ſanctitatis, quæ dignoſcitur ex hoc, quod cum crederetur ab omnibus Chriſtus,ipſe ſub Chriſto ſubmiſſus,& Chriſti ſanctitatem,& ſui indignitatem confeſſus eſt;quo enim quis ſublimior eſt in ſanctitate,eò vilior,& humilior eſt in ſui æſtimatione.*Luc.c.3.v.15. ſeq. Ioan. c.1.v.19.ſer.1.& 3.de S.Ioan.in addit.*

30. *Chriſtus aliquando calceatus pedibus inceſſit, ſed tempore prædicationis diſcalceatus, de quo vide in Marc.c.6.& in Matth.c.3.* quæ dicta ſunt ad hunc textum;*Non ſum dignus calceamenta ſolvere.*

31. *Quælibet ſanctitas quantumcumque ſublimis in comparatione Chriſti,nihil eſt.*

Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus. Nota, quod per hæc verba non ſignificatur ad litteram, quod Chriſtus tempore prædicationis calceatis pedibus inceſſerit; nam communiter à Sanctis Patribus dicitur,quod nudis pedibus incedebat, & ideo Apoſtolis conceſſit ſandalia,ſed hæc verba protulit Ioannes ad indicandam ſuam humilitatem, ſe indignum æſtimans Chriſto ſervire etiam in humillimo miniſterio, clarè perſpiciens, quod quæcumque etiam ſublimiſſima ſanctitas comparata ſanctitati Chriſti erat veluti nihil, imo deformitas, & impuritas *Luc.c.3.v.16.op. de ſandal. Apoſt. op. Apol. Panp Reſp.4.c.1.*

32. *Nemo ſe reputet dignum evangelizare Verbum Dei ; ideò cum maxima humilitate exercendum hoc miniſterium.*

Non ſum dignus corrigiam calceamentorum ejus ſolvere. Nota, quòd per calceamentum Chriſti intelligitur ejus humanitas, per corrigiam unio cum divinitate, & ideo oſtendit in his verbis ſublimitatem hujus miniſterii, ad quod ipſe Præcurſor ſe indignum æſtimabat ſolvere, & prædicare. *Luc.c.3.cit.Pſal.59.*

33. *Chriſtus conſtitutus à Patre Judex, ut inter paleam, & frumentum diſcernat, ut malos puniat, & bonos præmiet.*

Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Ecce quale officium præcipuum Chriſti, in cujus manu data eſt poteſtas à Patre in Cœlo, & in terra, nam ut Judex tenet in manu ventilabrum, ut triticum, & paleas diſcernat, & illud reponat in horreo Cœli, iſtas autem præcipitet in ignem æternum ; undè in morte cujuſlibet cognoſcitur quis triticum, & quis palea ; & quæ bona, & quæ mala. *Luc.c.3. v.18. ſeq.op. Eccleſ. Hier.p.4.c.6.*

34. *Tribulatio eſt ventilabrum Chriſti, quo purgatur anima ab omni ſcoria ; ubi de baptiſmo in ſpiritu, & igne.*

Cujus ventilabrum in manu ejus. Nota connexionem antecedentium verborum cum iſtis conſequentibus ; *Ipſe vos baptizabit* (ait Sanctus Joannes) *in Spiritu Sancto, & igne cujus ventilabrum in manu ejus &c.* Qualem connexionem habeat ſimul iſtæ ſententiæ ? & quomodo baptizat Chriſtus Spiritu Sancto, & igne ? & non potius aquâ ? ſed optimè dicit, ſcilicet Ego vos baptizo aquâ frigidâ nullam efficacitatem habente ; Chriſtus veniet, & vos purgabit Spiritus Sancti gratiâ, quæ eſt veluti ignis purgans animam à quacumque ſcoria ; purgabit item igne tribulationis purificantis à ſimptomatibus peccati ; vel in igne Purgatorii purgabitur anima à quacumque ſcoria ; ideò ipſe tenet ventilabrum tribulationis in manu ad faciendam hanè expurgationem ; qui verò in morte inventus fuerit triticum, in horreum cæleſte transferetur ; qui immundus repertus fuerit reatu maculæ peccati mortalis veluti palea projicietur in ignem inferni ; qui purgatus inventus fuerit à reatu culpæ non verò pœnæ projicietur in ignem Purgatorii, ut poſtea purgatus, & mundatus transferatur in Cœlum. *Luc.c.3.v.16.ſeq.*

35. *Judiciaria poteſtas cujuſque noſtrum data eſt à Chriſto.*

Cujus ventilabrum in manu ejus. Nota, quod ad litteram dicitur de Chriſto, ſed myſticè dicitur de Deo ſervientibus, quibus datum eſt ventilabrum in manu, ideſt poteſtas per Dei gratiam, ſcilicet poteſtas ad continuè perflandum & purgandum aream animæ, ut continuo exercitio palea imperfectionum advenientium ſeparetur à tritico gratiæ, & animæ, per quod & inutilia, & otioſa, & infructuoſa rejiciantur, vel tribulatione, & mortificatione quaſi igne purgentur, & conſummentur. *Op.ſtim.p.1.c.7. Op. Dict.tit.7.c.5.*

36. Prædicator à Chriſto miſſus liberè evangelizare debet contra vitia, maximè publica, neque reſpicere debet in faciem Principum, & divitum exemplo Joannis, qui publicum ſcandalum Herodis publicè arguebat ; & propter hoc miſſus eſt in carcerem, & tandem decollatus eſt. *Luc.c.3.v.20.* De hac materia actum eſt in *Matth. cap.14.*

37. *Chriſtus præmiſit ad ſuam prædicationem baptiſmum, ut ipſum aſſignaret pro fundamento totius noſtræ ſalutis, & ad humilitatis exemplum.*

Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato, & orante, apertum eſt Cœlum &c. Nota quomodo Chriſtus pervenerat ad triceſimum annum, volens operari ſalutem noſtram, & ideò cæpit priùs facere, poſtea docere ; cum enim hucuſquè in ſtatu incognito, & humili vitam degiſſet, voluit etiam ante prædicationem ſigna ſuæ maximæ humilitatis præbere exponendo ſe cum aliis peccatoribus baptiſmo Joannis, ut ſic impleret omnem juſtitiam, ſicque inchoavit à janua Sacramentorum, & fundamento virtutum, ut ſimul exemplum monſtraret perfectæ juſtitiæ, & vim regenerativam aquis conferret tactu mundiſſimæ ſuæ carnis ; hoc totum comitare debet fidelis anima, ut ſimul cum ipſo regenerata fiat, ejuſque myſteria ſcrutari valeat, ut ſecus Jordanem in voce Patris in carne Filii, & in columba videat Spiritum Sanctum. *Op.medit.c.16.op. Lignum vitæ Luc.c.3. v.21.ſeq.lib.2.d.10.a.3.qu.3. Joan.c.1.v.32.*

38. *Chriſtus ad omnes ſuas actiones principales præmiſit orationem ad Patrem, ut nos ad ſui imitationem traheret.*

Et Jeſu baptizato, & orante. Nota hoc verbum orante, ad quid hæc oratio ? hoc fecit Chriſtus, ut nobis daret formam orandi accedentibus ad baptiſmum, ut & nos inſtrueret ſemper ad omnes actiones præmittendam eſſe orationem ; ſicut Chriſtus fecit & hic, & in omnibus ſuis actibus principalibus uſque ad mortem. *Luc.c.3. verſ.21.*

39. *Per baptiſmum aperitur janua cæleſtis, & deſcendit Spiritus Sanctus ; & baptizatus ex filio diaboli fit filius Dei.*

Apertum eſt Cœlum, & deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in eum ; & vox de Cœlo facta eſt ; Tu es Filius meus &c. O grande myſterium nobis nunc innoteſcit ; ſcilicet, quòd quando homo baptizatur, tunc ei aperitur Cœlum, ſicut enim per Adæ generationem carnalem claditur Cœlum, ita per regenerationem baptiſmalem aperitur, & amovetur gladius

dius igneus concupiſcentiæ & refrigeratur humore gratiæ, tuncque deſcendit Spiritus Sanctus in ejus animam, & homo verè filius Dei ex filio diaboli fit, dilectus, & charus Patri cæleſti. *Luc. c. 3. v. 21.*

40. *Qui ſe ſubjecit obediendo Deo, ſedes ſit Spiritus Sancti.*

Apertum eſt Cœlum, & deſcendit Spiritus Sanctus &c. Nota, quòd hæc demonſtratio facta eſt ſuper Chriſtum, quando ſe ſubjecit baptiſmo Joannis, ut Patris juſſa impleret, ut nobis oſtenderet, quòd anima, quæ propter amorem Chriſti ſe ſubjicit perfectæ obedientiæ; ſedes & thronus ſit Spiritus Sancti. *Opuſ. Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 4.*

41. *Expenditur myſterium apparitionis Spiritus Sancti in ſpecie columbæ, nubis & ignis.*

Et deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum. Nota, quòd ter Spiritus Sanctus legitur patenter apparuiſſe, ſcilicet in ſpecie columbæ in Chriſti baptiſmo: in ſpecie nubis in transfiguratione: in ſpecie ignis, & flatus ſuper Apoſtolos: hinc quæritur de hac columba, an vera, & animata eſſet, & an ipſam aſſumpſerit Spiritus Sanctus, & quali unione, & quale diſcrimen inter alia ſigna ſupradicta: Reſpondetur, quòd nec columba illa, nec ignis, nec flatus, nec nubes fuerunt vera, & viva columba, nec verus ignis, nec flatus, nec nubes; Aliqui tamen dixerunt hanc fuiſſe veram columbam à Deo tunc creatam, & poſt ſignificationem annihilatam, ſed tamen talis creatio non fuit neceſſaria, & ideò rejicienda iſtorum opinio, & dicendum fuiſſe corpus aëreum tunc miraculosè figuratum, & poſteà relictum ſuæ propriæ priſtinæ naturæ poſt ſignificationem; nec Spiritus Sanctus talibus rebus ſe univit verè, & ſubſtantialiter, ſed tantùm ſicut ſignificatum, & ſignum; hæc autem ſignatio diſpoſitivè erat in his creaturis à proprietatibus ipſarum, in quibus Spiritus Sancti perſona nata erat declarari; & ideò cum non eſſent vera columba, vel verus ignis &c. ideò ſtatim deſierunt, deſitque talis ſimilitudo factâ ſignificatione intentâ à Spiritu Sancto; & cum oblata fuerint hæc ſigna ad ſignificandum, quòd ibi erat verè Spiritus Sanctus, ideò ibi non erat ulla falſitas, quia magis attendebatur ratio ſignificandi, quàm exiſtendi, ſe autem manifeſtavit Spiritus Sanctus magis in creatura irrationali, quàm rationali, ex hoc, quòd cum Deo ſit perfectè unibile tantùm id, quod eſt beatificabile (quod non poteſt competere creaturæ irrationali) ideò huic ſe univit magis, ne fortè crederetur unita Spiritui Sancto pluſquam ſignificatione, & per modum ſigni exprimentis myſteria prætenſa: omnis autem apparitio Spiritus Sancti fuit ad manifeſtandam plenitudinem redundantiæ, ſcilicet exteriùs inhabitationem ipſius interiorem, & quia hæc triplex poteſt eſſe, prima per Redemptionem, & hæc fuit in Chriſto, & perfecta per omnem modum, ideò in Chriſto apparuit in columba, quæ eſt animal perfectum, & integrum, deſignatum in lege pretium Redemptionis, ad ſignificandum ſpiritum manſuetudinis, & charitatis, quo Chriſtus venit in mundum, ſimulque ad indicandam innocentiam, quam per ſanguinem Chriſti baptiſmus confert baptizatis: Apparuit & in nube in transfiguratione ad indicandum, quòd Spiritus Sanctus facit juſtos aſcendere de virtute in virtutem, uſquequo eos elevet in Cœlum ad videndum Deum Deorum: Apparuit tertiò ſuper Apoſtolos in ſpecie flatus, & ignis, ut oſtenderet vitæ influentiam per ſenſum, & motum, & hoc mediantibus Sacramentis, & hæc plenitudo eſt in Sacerdotibus, & ideò datus eſt eis Spiritus Sanctus in ſpecie flatûs, ſcilicet auctoritas remittendi peccata, & vivificandi miniſterialiter animas mortuas peccato; datus eſt & in ſpecie ignis, & linguarum, tum ad ſignificandum, quòd ipſis data eſt plenitudo doctrinæ ad erudiendum fideles: tum ad conſumendam rubiginem, quam in ſemetipſis habebant, & ut eos accenderet igne ſui amoris perfecto, ita ut etiam alios poſſent accendere: ergo nunc rectè apparuit in columbæ ſpecie ſuper Chriſtum, non ut ipſi conferret plenitudinem omnium perfectionum, ſed ut ipſam jam in inſtanti conceptionis datam manifeſtaret, quod & expreſſit magis vox Patris de Cœlo facta. *Tu es Filius meus dilectus*; tu ſcilicet diſcretivè, quia nullus alius ſicut tu unigenitus meus dilectus, per quem, & alii odioſi diliguntur. in te complacuit mihi, ſcilicet omne, quod mihi placet, in te eſt, & ex te. *Lib. 1. d. 16. a. 1. per totum op. Comp. Theol. lib. 3. c. 9. Luc. c. 3. v. 22. Ioan. c. 1. v. 32. ſeq.*

42. *Baptizatorum qualitates, & privilegia expreſſa in baptiſmo Chriſti.*

Et deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de Cœlo facta eſt. Nota, quòd Chriſtus non indiguit baptiſmo, nec deſcenſu Spiritus Sancti &c. ſed ſe ſubjecit huic operationi, ut nobis manifeſtaret, quale ſit noſtrum Chriſtianum baptiſma, ſcilicet materiam in aqua Jordanis, formam in Trinitatis demonſtratione facta hic, & cæleſtes effectus, nempè aperitionem Cœlorum, peccatorum remiſſionem, Spiritus Sancti unctionem, & gratiam, filiorum Dei adoptionem, undè baptizato Chriſto aperti ſunt Cœli, quia virtus hujus Sacramenti è Cœlo venit per quam infunditur habitus fidei, per quam cæleſtia myſteria panduntur; deſcendit columba ſuper baptizatum, ſcilicet infunditur Spiritus Sanctus, ejuſque gratia ſanctificans, cum aliis habitibus infuſis, & hoc maximè oſtenſum eſt per ſpeciem columbæ ad indicandum primò ſpiritum manſuetudinis, quo Chriſtus venit mundum redimere, & recipere ad ſe peccatores: ſecundò ut indicaret in quas virtutes aſcendere debet Chriſtianus poſt baptiſmum; nempè debere eſſe ſimplicem, & à malitia alienum, mundum, manſuetum, pium, pacificum; & ſicut columba habet gemitum pro cantu, indicat nos debere gemere, & pœnitere de peccatis commiſſis. & ad patriam cæleſtem ſuſpirare meditando, orando, ut poſſit verè Chriſtus dicere animæ baptizatæ, *Oculi tui columbarum, Cant. c. 1.* ſcilicet mens tua relictis rebus terrenis ſolùm ad Deum adſpicit. *Luc. & Ioan. cit. Vide ſer. de S. Catharina.*

43. *De tempore, quo Chriſtus fuit baptizatus, & cepit ſe manifeſtare; trahiturque ad mores pro tempore prædicationis aſſumendæ à ſuis miniſtris.*

Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta. Diſquirunt hic ſacri Expoſitores ad quid referatur, ly, incipiens, ſcilicet an ad annos triginta, indicet, quod triginta anni eſſent paulo ante incæpti, an paulò poſt terminati, & ingreſſus eſſet in trigeſimum primum annum? certum enim eſt baptiſmum fuiſſe collatum in die Epiphaniæ, ſcilicet tredecim die poſt terminatum annum antecedentem, in hocque variant Doctores (*ait S. Bon.*) aliqui enim dicunt tunc Chriſtum fuiſſe viginti novem annorum, & tredecim dierum, alii fuiſſe triginta annorum, & tredecim dierum, communior tamen Patrum eſt, quod Chriſtus compleverit viginti novem annos, & tredecim dies, ſed illud participium incipiens refertur (*ait S. Bon.*) non ad annos, ſed ad manifeſtationem; tunc enim incæpit ſe manifeſtare, & hinc patet (*addit S. Bon. ex S. Ioan. Chryſoſtomo in Ioan. c. 1. v. 33.*) quod ſigna, & miracula, quæ ab aliquibus referuntur facta à Chriſto in pueritia, & in tempore intermedio uſque ad hoc tempus, eſſe mendacia, & fictiones aliquorum, quia ſi per ea prius manifeſtatus eſſet, & Ioannes id non ignoraſſet, cum oppoſitum hîc dicatur, *& ego neſciebam eum*, ait Ioannes Baptiſta, &c. ſed cur Chriſtus expectavit hoc tempus ut ſe manifeſtaret? hoc fecit ad noſtram inſtructionem, nempè miniſterium gubernationis Eccleſiarum, & maximè prædicationis verbi Dei non debere aſſumi antè ætatem adultam, quantumcumque quis habeat ſapientiam, hocque intelligendum de lege communi, niſi Deus aliter diſpenſet. *Luc. c. 3. v. 23. op. médit. c. 16.*

44. *Beata Virgo Maria baptiſmatis undis tincta fuit.*

Et Ieſu baptizato apertum eſt Cœlum, &c. Et ipſe erat incipiens quaſi annorum triginta. In hoc loco cum agatur de baptiſmo à Chriſto recepto, in quo hoc ſacramentum materialiter inſtituit, formaliter verò ſolùm poſt Reſurrectionem, proponitur quæſtio an Beata Virgo Maria baptiſmi ſacramento ſe ſubjecerit? in qua communis ſenſus Theologorum eſt affirmativus, & ratio eſt, quia licet numquàm infecta fuerit culpâ originali, attamen, quia hoc ſacramentum eſt in lege Evangelica de præcepto omnibus ordinatum, tamquàm janua omnium aliorum ſacramentorum; culpa enim originalis non eſt materia ipſius, ſed aqua, ut patet in adulto jam contrito; fuit etiam inſtitutum, ut baptizatum conſtituat membrum Eccleſiæ, illum notâ characteriſticâ inurens, & cum Maria capax eſſet hoc charactere, & aliis ſacramentis, hinc & ſe ſubjecit, & maximè, quia, ut notat ſæpè *Seraph. Doctor.* notam ſingularitatis maximè abhorrebat, ideoque ſe ſubjecit Purificationi, & Filium Circumciſioni; & hinc dicunt Doctores ipſam primam omnium baptiſma recepiſſe in lege Evangelica, cum enim Chriſtus ſit caput, & Maria collum, *ait S. Bon.* ideo prima omnium hauſit ex hoc capite gratiam, & effectus legis Evangelicæ, & ex ipſa derivavit totum in cætera membra: Addunt Theologi ab ipſo Chriſto baptizatam fuiſſe Mariam, ſicut & Petrus, à Petro verò reliquos Apoſtolos; de qua materia Vide *Suarez in 3. p. d. 18. ſeq. Vaſq. aliique Doctores apud Vegam à n. 453.*

45. *Chriſti genealogia à Divo Matthæo, & à ſancto Luca quare differenti modo fuit ab ipſis deſcripta; Matthæus deſcendendo, Lucas aſcendendo: Vide in textum Lucæ hic, v. 24.* ubi explicatur totum ad litteram, & myſticè.

46. *Nobilitas vera ex propinquitate ad Deum provenit.*

Qui fuit Levi, &c. qui fuit Adam, qui fuit Dei. Cur S. Lucas procedit in hac genealogia aſcendendo uſque ad Deum; Matthæus verò deſcendendo ab Abraham uſque ad Joſeph? hoc eſt quia Matthæus deſcribit generationem hominum, ex quibus Chriſtus poſteà deſcendit: Sanctus Lucas deſcribit generationem legalem, quæ eſt ex gratia, & ideo ipſam terminat in Deum, ut diſcamus, quod vera nobilitas deſumi debet ex propinquitate ad Deum, non ratione hominum, dans per hoc intelligere, quod Deus eſt finis, & quies omnium laborum, & operationum noſtrarum. *Luc. ibid.*

47. *Joſeph quomodo Pater Chriſti.*

Ut putabatur Filius Joſeph. Nota, quod hic dicitur à S. Luca, quod Joſeph ex opinione vulgi putabatur Pater Chriſti, ſed tamen ſuprà dixerat abſolutè, & appellatus eſt Pater: *Cum inducerent puerum Ieſum parentes ejus; Erant Pater, & Mater ejus mirantes: Pater tuus, & ego dolentes, &c.* quomodò ergo hoc? ergone Joſeph Pater eſt, & non Pater? Cur hic dicitur, ut putabatur Pater, poſteà abſolutè dicitur, Pater? putet vulgus quid hoc Evangeliſtæ? ſed hæc omnia dicuntur ad demonſtrandam excellentiam ſancti Joſeph ſuper alios ſanctos; *ſic S. Auguſtinus*: hic autem Evangeliſta notat opinionem vulgi, qui putabat Chriſtum genitum ex cœcubitu ad infamiam evitandam Mariæ; ſed in aliis locis Pater appellatur, quia ex alio titulo ei inerat paternitas, nempe quia eſt Vir Mariæ ſine commixtione carnis, ipſa copulatione conjugii, intelligitur Pater, ſcilicet quia matrimonium verum interceſſit, & Filius legitimus ex virginitate proceſſit, & Joſeph virginitatis cuſtos fuit per conjugium; & ob hoc etiam intelligitur; & dicitur Chriſti Pater multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus ſit, quàm ſi ei eſſet aliunde adoptatus, unde manifeſtum eſt illud, quod ait, ut putabatur Filius Joſeph, propter illos dixiſſe, qui cum ex Joſeph, ſicut alii homines naſcuntur, natum arbitrantur: Ex quibus verbis Auguſtini *tit. 4. lib. 2.* de conſenſu Evangeliſt. patet Joſeph tribui paternitatem multo ſublimiorem, quàm ſit adoptiva, & hoc fuit, quia talis ex conjugio cum Maria nominatur, ex qua Filius genitus eſt ex virginitate, unde poteſt dici, quod Pater eſt, quia talis nominatur à Chriſto, à Virgine, à Spiritu S. ab Evangeliſta, contra ſtylum aliarũ

rerum, quæ ideo nominantur, quia ſunt; Ioſeph verò eſt Pater, quia ſic nominatur; *Vide S. Auguſt. citat. & p. 2. novi Teſtamen. ſuper hoc Evangelium; S. Hieron. in Helucid. prope finem: Epiphan. in panar. Hæreſ. 78.* Hic verò proclivè valdè eſt conferre aliquali proportione nuncupationem Patris factam toties à Chriſto ipſum appellante ſemper Patrem, ſicut & Matiæ cum efficacitate verborum Chriſti transmutantium panem in corpus ſuum, ergo & eadem potuerunt conferre hoc donum relativum corporeum paternitatis ipſi Ioſeph.

48. *Quomodò ſanctus Ioſeph dicitur in Matthæo filius Iacob, & in Luca filius Heli.*

Et putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli. Si filius fuit Heli, quomodò in Matthæo dicitur genitus à Iacobo? Reſpondetur quod in genealogia Lucæ dicitur, quod Ioſeph fuit filius Heli, & Heli filius Matthat; in genealogia ſancti Matthæi dicitur, quod Ioſeph filius fuit Iacob, & Iacob filius Matthan; Matthat verò deſcendit à David per Natan; Matthan deſcendit à David per Salomonem, & utrique habuerunt ſucceſſivè unam, & eandem uxorem, ex qua Matthan genuit Iacob, & Matthat genuit Heli, & ita Heli & Iacob fuerunt duo fratres uterini; Heli autem acceptâ uxore mortuus eſt ſine liberis, & ideo ſecundùm legem Iacob frater ejus illam accepit, ut ſuſcitaret ſemen fratri ſuo, & ex illa genuit Ioſeph virum Mariæ; hinc Ioſeph ſecundùm carnem filius fuit Iacob, qui deſcendit per Salomonem, ſed ſecundum legem fuit filius Heli, qui deſcendit per Natan; Igitur ad ſcribendam perfectè Chriſti genealogiam oportuit eam ſcribi & ſecundùm legem, & ſecundùm naturam, hocque fecit Spiritus ſanctus per duos Evangeliſtas; in quo latent maxima myſteria, Matthæus namque proſequitur Chriſti regnum, & humanitatem, ſecundum quod ſucceſſit David, loquitur enim de deſcenſu ejus ad noſtræ carnis ſuſceptionem, & quia hæc ſuſceptio fuit primò promiſſa Abrahæ, & repromiſſa ipſi David, ideo incipit genealogiam ſalvatoris ab Abraham deſcendendo per David, & Salomonem, qui ſucceſſit ei in regno: Lucas autem proſequitur ſacerdotium Chriſti, per quod in adoptionem filiorum reconciliamur à ſtatu peccati, ideo proſequitur filiationem Chriſti adoptivam, ſive legalem aſcendendo uſque ad Deum; quare autem Matthæus interſerit quadraginta duas generationes, Lucas verò ſeptuaginta ſeptem gradus? *Vide S. Bonav. in Luc. c. 3. ad finem.*

49. *Ieſus Chriſtus principium, & finis omnium bonorum.*

Et ipſe Ieſus, &c. ut putabatur filius Ioſeph. Nota, quod in hoc aſcenſu Sanctus Lucas incipit à Ieſu Chriſto, & terminat ad Deum: Sanctus Matthæus terminat pariter ſuam genealogiam in Chriſto Ieſu; *Ioſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Chriſtus, &c.* ut hinc edifcamus, quod ſolus Ieſus Chriſtus eſt principium, & finis noſtræ ſalutis, & omnium bonorum. *Luc. cap. 3. ad finem.*

50. *Solùm per baptiſmum nobis regeneratio ſpiritualis, & aſcenſus in Deum advenit.*

Quæritur item cur Matthæus in principio ſui Evangelii ponit genealogiam Chriſti; Lucas verò poſt baptiſmum? Reſpondetur, quod Matthæus generationem carnalem tantùm deſcribit; Lucas verò regenerationem legalem, & adoptivam, & quia hæc ſolùm nobis advenire poteſt per baptiſmalem regenerationem, in qua gratia nobis infunditur, & per ipſam in Deum transferimur, ideo poſt baptiſmum Chriſti hanc deſcribit. *Luc. c. 3. ad finem.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod cum in ſuperioribus egerit Evangeliſta de Incarnationis, & Nativitatis myſterio, nunc incipit agere de doctrinæ magiſterio; in quo munere neceſſe eſt primò non mentiri, & ſecundò mentientem manifeſtare, quæ duo mirabiliter facit Chriſtus explicando primo veritatem, & confutando falſitatem in hoc, & ſequentibus capitulis: Explicatio veritatis fit quatuor modis; primò demonſtrando eam authenticè, ut patet in hoc capite, ex merito vitæ per victoriam tentationum diaboli, ex Scripturæ teſtimonio, & ex miraculo potentiæ quia triumphavit de diabolo, quia prædicavit in ſynagoga, & plura miracula patravit, quæ omnia continentur in hoc capite: ſecundò per vocationem Apoſtolorum, & tertiò eos inſtituendo Prædicatores, & patratores miraculorum, ut patebit in ſequentibus capitulis. Luc. c. 4. v. 1.*

CAP.

CAP. IV.

1. *Diabolus unde ſumpſit occaſionem tentandi Chriſtum.*

JEſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Jordane, & agebatur in Spiritu in deſerto diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo, & nihil manducavit in diebus illis, & conſummatis illis poſteà eſuriit. Ecce quomodo in his verbis motivum tentandi ſumptum à diabolo exprimitur, fuerunt que primò plenitudo gratiæ in Chriſto: ſecundò loci ſolitudo: tertiò ſuſpicio divinitatis propter mirabilem abſtinentiam: quartò inſpectio infirmitatis, & eſuriei: ex primo motus eſt diabolus ex invidia ad tentandum: ex ſecundo ejus malignitas patefacta eſt: ex tertio ejus curioſitas: ex quarto opportunitas exprimitur tentationis. *In Luc. c. 4. verſ. 1.*

3. *Suo exemplo invitat nos Chriſtus ad abſtinentiam, & mortificationem carnis in hac vita, ut in alia repleri bonis cæleſtibus poſſimus.*

Ieſus autem plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Iordane, & agebatur in Spiritu in deſerto, diebus quadraginta, & nihil manducavit in illis diebus: Agebatur, ideſt ducebatur à Spiritu Sancto in deſerto poſt baptiſmum. Ecce quomodo prima doctrina Chriſti, quam Chriſtus exemplo priùs, poſtea verbo prædicavit poſt baptiſmum, fuit pœnitentia, & ideò jejunavit antè ſuam mortem; & poſt Reſurrectionem manducaſſe cum diſcipulis legitur; ut ſuo exemplo excitaret nos ad paupertatem, & mortificationem carnis in hac vita, ut in alia refectionem ſpiritualem percipere poſſimus, oſtendens, quod bonus diſcipulus Chriſti libenter intrat cum Chriſto in deſerto pœnitentiæ ſpernendo mundum, mortificando carnem. *Luc. c. 4. v. 3. opuſc. Dist. titul. 2. cap. 1.*

4. *De trina diaboli tentatione, & quomodo ipſam Chriſtus devicit, Vide quæ dicta ſunt in Matth. cap. 4.*

5. *Solitudo, oratio, jejunium, & omnis afflictio corporis ad puritatem cordis neceſſaria.*

Agebatur in ſpiritu in deſerto, &c. Vide, & audi quales lectiones nobis tradidit Chriſtus ſuo exemplo in deſerto, ut ipſis apprehenſis ad puritatem cordis pervenire poſſimus, iſtæ autem continent ejus ſolitudinem in deſerto, orationem continuam, jejunium; & omnem afflictionem corporis, quæ pro nobis ſuſcepit Chriſtus docens nos, quòd iſta ſunt neceſſaria omni volenti Deo ſervire. *Luc. c. 4. v. 3. op. medit. c. 17. Vide quæ dicta ſunt in cap. 4. Matthæi.*

6. *Chriſti providentia in miſſione Prædicatorum qualis.*

Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Vide quomodo Chriſtus primam tentationem gulæ devicit authoritate Sacræ Scripturæ, in qua dat intelligere, quod ad refectionem animæ paravit cibum ſpiritualem verbi Dei, unde dicit in omni verbo, ſcilicet in verbo Dei omnibus præparato ad omne bonum percipiendum; & ad hoc præparavit, & miſit in omni tempore ſuos Doctores, & Prædicatores, ut talem cibum frangant, & offerant ſuis fidelibus. *Ser. 2. de S. Ambroſ.*

7. *Chriſtus ſuadet temporalia deſpicienda, & mala perferenda; diabolus temporalia concupiſcenda.*

Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit ei omnia regna mundi, &c. Vide hic quomodo diabolus ſemper contraria Chriſto ſuadet; Chriſtus enim ſuo exemplo docet nos debere perferre mala, temporalia deſpicere: diabolus verò ea concupiſcenda, quia contraria ſemper ſunt ſuaſiones diaboli divinis. *Ser. 2. de S. Matthia in addit.*

8. *Super quos diabolus poteſtatem habet.*

Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo, &c. Nota quàm mendax diabolus jactans ſe habere poteſtatem ſuper omnia regna; in qua jactantia latet tamen veritas occulta; nam verum eſt, quod qui ſe ſubjiciunt diabolo voluntariè, regnum diaboli fiunt, & ſuper ipſos poteſtatem habet, & præcipuè ſuper ſuperbos, luxurioſos, avaros; & ideo ad hæc vitia prætendebat trahere Chriſtum. *Serm. 2. in Cathedra S. Petri in addit.*

9. *Quotieſcunque homo obtemperat diabolo, tunc ipſum adorat, ſeque ſubjicit eius poteſtati.*

Tu ergo ſi procidens adoraveris me, erunt tua omnia. Vide fallaciam diaboli: nam in his verbis duo dicit: unum eſt ſi procidens adoraveris me, aliud, erunt tua omnia; primum continet adorationem diaboli, ſecundum promiſſionem ſuam. Nota autem, quod dicit procidens, ideſt te mihi ſubmittens; hoc autem dixit, ut ſciamus, quod homo ſuperior eſt diabolo, ſub ipſo tamen ſe collocat voluntariè, dum ipſi obtemperat; addit poſteà (& tua erunt omnia) & falſum dicit; nam qui adorando diabolum ejus voluntatem faciens congregat bona temporalia, ſuper ipſa accipit ipſe poteſtatem. *Sermon. 2. in Cathedra. In Luc. capit. 4. verſ. 7. Vide in Expoſ. Matthæi c. 4. alia myſteria explicata, &c.*

10. *Feſtum qualiter ſolemnizandum.*

Et venit Nazareth,ubi erat nutritus, & intravit die ſabbathi in Synagogam. Nota ly intravit,& ly die Sabbathi ; dies Sabbathi erat dies feſtus in honorem Dei celebrandus,Chriſtus verò intravit in ſynagogam, ubi erat congregatio populi ; & per hoc erudimur, primò, quod dies feſtus eſt tempus, in quo congregari debet populus in Eccleſia ad Deum laudandum ; ſecundò, quod non ſufficit exteriùs celebrare feſtum, ſed requiritur, ut homo interiùs congreget ſuas potentias, & ibi colat Deum, quia ſi ſabbathum tantùm exteriùs agatur, irriſio eſt Dæmonum. *In Luc. cap. 4. verſ.* 11.

11. *Prædicator antequam concionetur ſeligas eum judicio,maturitate, & ſtudio materias proportionatas.*

Et ſurrexit legere, & traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum, ubi ſcriptum erat. Spiritus Domini ſuper me. Nota hic promptitudinem, & vigilantiam in illo verbo (& ſurrexit legere) quæ neceſſaria eſt perſeveranti verba divina ; deinde dicit, quod traditus eſt illi liber, ubi notatur manſuetudo, qua ſuſcepit librum, quæ eſt neceſſaria cum humilitate concionatori ; poſteà & revolvit librum, in quo ſignificatur diligens diſcendi inquiſitio, quæ prævenire debet judicium certum, ſcilicet non ex abrupto procedendum eſt, ſed diligenter inquirendæ ſunt materiæ prædicabiles, & auditoribus proportionatæ, quia qui diligenter quærit, eas invenit. *Luc.c.4.v.16.ſeq.*

12. *Lectionis ordinem Chriſtus exercendo inſtituit :* Unde dicitur *ſurrexit legere*, ſcilicet tamquam miniſter, ut exerceret officium lectoratus. *Luc. hic ap. Concil.p.3.ſect.53. ap. Comp. Theolog. l.4.c.30.*

13. *Liber Sacræ Scripturæ Judæis clauſus erat; Chriſtianis, & ſacerdotibus apertus eſt à Chriſto.*

Traditus eſt illi liber Iſaiæ. (ideſt Sacræ Scripturæ) *& ut revolvit librum.* Vide,quod Chriſto traditus eſt liber Sacræ Scripturæ clauſus, & ipſe eum aperuit; ut intelligeremus, quòd abdita Sacræ Scripturæ per Chriſti adventum manifeſtata ſunt, quæ Judæis ſunt clauſa ; undè in principio Miſſæ traditur ſacerdoti liber clauſus, poſteà apertus offertur ad Evangelium, quia Sacerdotibus eſt apertus, non autem cæteris. *Pſal.* 56.

14. *Chriſti officia in hoc mundo expendantur.*

Spiritus Domini ſuper me, &c. Nota, quod in hac ſcriptura deſumpta ex Iſaia Propheta adnotantur officia, propter quæ exercenda miſſus eſt Chriſtus à Patre in mundum : Dicit autem *Spiritus Domini ſuper me.* Ideſt Spiritus Sanctus ſuper me (me demonſtrat perſonam in natura aſſumpta) ſuper quam deſcendit Spiritus Sanctus, & requievit,& unxit ; ideſt virtute Spiritus Sancti conceptus eſt homo, & unctus ut mediator; nempe ſuper eum deſcendit quantùm ad ſuperexcellentiam gratiæ ſingularis ; & unctus quantum ad prærogativam ſacerdotalis, & regalis dignitatis, quæ duo reſpiciunt humanam naturam in Chriſto : ſecundò ſubdit : *Evangelizare pauperibus miſit me*, per quod Prædicator declaratur; venit enim ad annunciandam pacem manſuetis. & pauperibus, & ideò ad pauperes inchoavit ſermonem, Beati pauperes, &c. & per pauperes paupertatem aliis prædicavit : tertiò ſubdit. *ſanare contritos corde*,per quod medicus, & reparator declaratur, miſſus ad curandum à malo culpæ actualis, & originalis,à cæcitate rationis,& enormitate voluntatis, contritos corde qui ſcilicet prius à culpa fracti erant in robore animæ,& poſteà contriti per pœnitentiam ſanantur ex paſſione Chriſti,ſicque cum totum genus humanum eſſet captivum per culpam,venit Chriſtus portare remiſſionem peccatorum iſtis captivis,& cum eſſet cæcum, venit ipſum liberare à cæcitate rationis per illuminationem veritatis;& cum eſſet confractum in voluntate infirma,venit confractos dimittere in remiſſionem,eoſque reparare, & ſanare : ſubdit quartò.*Prædicare annum Domini acceptum,& diem retributionis*,per quod declaratur remunerator per attributionem in judicio, in quo bonis fit univerſalis boni collatio, & jubileus annus conceditur ; malis autem punitio ſecundùm eorum demerita. *Luc.c.4.v.18.ſeq. & Prolog. in Luc.*

15. *Prædicatoris à Chriſto miſſi conditiones exprimuntur;item & auditoris.*

Spiritus Domini ſuper me,&c. Nota, quòd etiam in his verbis explicantur conditiones Prædicatoris miſſi à Spiritu Sancto ad evangelizandum verbum Dei, ſicut & auditorum ; Debet enim eſſe inunctus divinâ gratiâ, per quam eodem ſpiritu exponat Sacram Scripturam, quo condita eſt, & enuntiet ea, quæ per Chriſtum geſta ſunt in noſtram Redemptionem : ſecundò debet eſſe inſtitutus merâ obedientiâ, unde dicit,ad annuntiandum manſuetis miſit me ; unde ad hoc miniſterium nemo debet accedere, niſi à Deo per ſuperiorem legitimum mittatur ; tertiò debet eſſe inflammatus fraternâ charitate,& benevolentiâ,undè dicit,ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis, &c. ad quæ officia ipſum debet movere ſolùm charitas,& amor Spiritus Sancti:ſubdit etiam qualitates, quæ debent eſſe in auditore verbi Dei,ad hoc,ut in ipſo fructificet;debet enim eſſe mitis in affatu per accommodationem auditus,ſcilicet in manſuetudine, non in litigio ſuſcipere verbum Dei, eſſeque docilem, & patientem, undè dicit, ad annunciandum manſuetis,non diſcolis : debet & eſſe humilis in affectu per contritionem Spiritus,undè dicit, ut mederer contritis corde quia verbi Dei arcana abſconduntur ſuperbis, & revelantur humilibus : debet & eſſe fidelis in aſſenſu per captivationem intellectus, unde dicit,ut prædicarem captivis remiſſionem,quæ captivatio fit per fidem veram, ſine qua impoſſibile eſt documenta Scripturæ Evangelicæ intelligere. *Luc,in Proœmio.*

16. *Verbi*

by Google

16. *Verbi Dei prædicationis cauſa efficiens, & finalis exponitur.*

Spiritus Domini ſuper me, &c. Nota etiam, quòd in his verbis continetur cauſa efficiens, & finalis prædicationis verbi Dei. Efficiens eſt triplex, ſcilicet ſuprema, infima, & intermedia: ſuprema eſt Spiritus Sanctus, unde dicit Spiritus Domini, ex quo omnis veritas derivat; infima eſt Prædicator, unde dicit ſuper me; intermedia eſt unctio divinæ gratiæ unde dicitur, eo quod unxit me, &c. quia unctio divinæ gratiæ diſponit ad ſuſcipiendum documenta veritatis à Doctore ſummo; unde fons verbi prædicati eſt Spiritus Sanctus, à quo & ipſum verbum, & ejus gratia permanet. Cauſa finalis etiam demonſtratur, ſcilicet prima cauſa eſt manifeſtatio veritatis; media eſt curatio infirmitatis, poſtrema eſt reſeratio æternitatis; primum eſt gratiæ præparantis, ſecundum eſt gratiæ gratum facientis; tertium eſt gloriæ conſummantis. *Luc. in Proœm.*

17. *Prædicator tamquam poteſtatem habens cum maieſtate, & auctoritate prædicet, ſed non omnia omnibus.*

Et cum plicuiſſet librum reddidit miniſtro, & ſedit. Quid eſt, quod ſignificatur in hac plicatione libri, & ſeſſione: Sed attende ad myſterium: Chriſtus priùs ſtans legerat accipiendo librum cum humilitate, ſed poſteà reddidit librum, & ſedit cum auctoritate, ut doceat Prædicatores, quod prædicando debent exercere hoc munus, ut Doctores, & poteſtatem, auctoritatemque ſuper populum habentes: plicuit autem librum, ut doceret, quod non omnia omnibus ſunt prædicanda, ſed tantùm pro captu audientium verbum diſpenſandum: ſubdit poſteà, quod omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum ad exprimendam aviditatem in plebe audiendi verbum Dei, ſine qua prædicatio vel nullum fructum, vel parum refert. *Luc. c. 4. v. 20. ſeq.*

18. *Evangelii annuntiatio, cum ſit impletio omnium figurarum, & revelatio veritatis divinæ facta per Chriſtum, debet recipi, & audiri cum ſumma reverentia. Ubi de auditione Euangelii in Miſſa.*

Hodie impleta eſt hæc Scriptura in auribus veſtris, dicebat Chriſtus, *& omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipſius.* Ecce quod Chriſtus implevit non ſolùm omnem juſtitiam, ſed & omnem ſcripturam explicando, & exponendo Dei veritatem; & ideò omnes boni teſtificabantur ſanctitatem, & innocentiam ipſius, quæ exprimitur per Evangelium: Et hinc eſt, quòd Eccleſia in Miſſa legens Evangelium, primò ſalutat populum, eique ſalutem optat, ut corda audientium aperiantur ad audienda, & implenda verba Sancti Evangelii, dicens Dominus vobiſcum, &c. & populus reſpondet Gloria tibi Domine, ſcilicet qui nos ad tuam doctrinam vocare, & tuo ſanguine redimere dignatus es: ſignant autem ſe fideles ſigno ſanctæ Crucis in initio Evangelii, ſicut & legens Evangelium, ut ad intelligenda verba Sancti Evangelii ab inimicis cogitationibus mundentur (ad hoc enim mirabilis eſt virtus ſigni Crucis) & à Domino audire mereantur, & eodem Spiritu id, quod Diſcipuli à Domino audierunt, ſecundum illud Jo. c. 15. Iam mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Debent etiam verba Sancti Evangelii ſtando, & denudato capite ab omnibus ſine baculo, vel reclinatorio, cum reverentia, & tremore audiri, & cum præparatione exequendi, quæ edocentur in Evangelio, & quia Dominus nudam, & apertam veritatem in Evangelio prædicavit; unde malè faciunt; qui eo tempore genua flectunt, vel in oratione procumbunt: Dominus enim Jeſus Chriſtus dulciſſima verba, & mielliflua prædicavit, quæ etiam ab extraneis commendata ſunt; & hinc etiam poſt Evangelium ſolet fieri prædicatio, ut etiam mirabilia, & ſigna, quæ in Evangelio leguntur laicis communicentur. *Op. Expoſ. Miſſæ c. 2. Luc. c. 4. v. 21. ſeq. & c. 2. v. 18.*

19. *Detractores ex correctionibus fiunt peiores, & perſecutores*: ut patet de Nazarethanis, qui correpti à Chriſto, de ipſo murmuraverunt dicentes; *Nonnè hic eſt filius Ioſeph*, ſcilicet fabri, *unde ſapientia tanta?* & poſteà tentaverunt ipſum præcipitare. *Luc. c. 4. v. 22.*

20. *Contra Chriſtum triplici modo inimici ſui detraxerunt ex ira, quod eſt mos detractorum.*

Et repleti ſunt omnes ira, &c. & dicebant nonnè hic eſt filius Ioſeph, &c. Nota, quòd Nazarethani audientes Chriſti reprehenſiones, repleti ſunt ira, ex qua triplex contra ipſum detractio orta eſt: primò per modum apertæ contumeliæ ex contemptu ſuæ nativitatis, nonnè hic eſt filius Joſeph, ideſt vilis fabri? ſecundò per modum occultæ ironiæ, dicebant enim Medice cura te ipſum, ex deriſione, quia nullas, vel paucas virtutes fecit in patria ſua, (quod tamen fuit propter incredulitatem ipſorum) tertiò per modum invectionis expreſſæ, dicebant enim, quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua? undè ipſum veluti inimicum patriæ diffamant; & hoc eſt, quod ex ira in proximum procedit, nempè ſtatim detractio, & maligna diffamatio. *Luc. c. 4. v. 22. ſeq.*

21. Prædicatori, & Prælato, benè prædicanti, ſed malè operanti poteſt verè dici, quod dicitur de medico infirmante, qui ſeipſum non poteſt mederi, *Medice cura teipſum*; vel illud. *Luc. c. 6. Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo. Luc. c. 4. cit. & c. 6 v. 42. & c. 17. v. 3. op. de jex Alis Seraph. c. 8. op. libel. Apolog. q. 22.*

22. *Naturale eſt civibus cives invidere, & ad id, quod videtur reprehenſibile adſpicere, & omittere quod eſt laudabile*; & hinc ortum eſt proverbium, quòd *nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.* Undè ſanum conſilium eſt Prædicatoribus magis ad exteros declinare, quàm ad propriam patriam. *Luc. c. 4. cit. Ioan. c. 4. v. 47. & 54. & cap. 7. verſ. 4.*

23. *Viduarum tria genera, & quibuſnam Deus communicat ſua dona.*

Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi ad illam in ſarepta Sidoniæ. Cur tantùm iſti Deus ſuccurrit, & non aliis etiam? Sed nota, quòd tria ſunt genera viduarum: Aliæ enim ad imitationem illius viduæ Evangelicæ in jejuniis, orationibus, & obſecrationibus vivunt; & ut legitur de Judith, quod clauſa in ſuperioribus domus ſuæ morabatur cum ancillis ſuis, ſcilicet clauſa in ſui cordis domo Deo jugiter ſerviebat; convocauit ad id munus ſuas omnes potentias. Aliæ, quæ incumbunt domus curæ, & familiæ; aliæ, quæ in epulis, & deliciis curioſæ, voluptuoſæ, diſcunt circuire domos, loquentes, quæ non oportet; ſuper primas Deus pluviam gratiarum ſuarum effundit, & talis erat iſta, ad quam miſſus eſt Elias. *Luc.c.4.v.25.op.Phar. lib.1.c.39. Luc.c.2. v.36.* Hinc videant viduæ cauſam, quare ſæpè à Deo permittuntur veluti derelictæ ob defectum, ſcilicet proprium, & præcipuè ſpei, & fiduciæ in Deum: Vidua enim, quæ verè vidua eſt, Apoſt. ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus. *Luc.c.2. & 4. cit.*

24. *Homo privatur pluvia cæleſti, quando Cœlum claudit per peccatum.*

Quando clauſum eſt Cœlum. Et quando unquàm clauſum extitit Cœlum? dicitur clauſum, quia è Cœlo non effluebat pluvia, & terra ſine aquæ pluvia ſtetit tribus annis; ſed ſpiritualiter homo peccando claudit Cœlum, ob quod ei deficit pluvia cæleſtis gratiæ, & hinc oritur maxima fames, ſcilicet privatio bonorum ſpiritualium: unde ſi Deus pluviam nobis non immittit, de hoc defectu nos ſumus in cauſa. *Luc. c.4. v.25. ſeq.* Hoc etiam intelligi poteſt materialiter, nam propter peccata Deus claudit Cœlum pluviæ, & immittit penuriam, & famem univerſalem. *Ser.1 & 4.dedic.*

25. *Quot modis mors Chriſto fuit tentata, & nunc tentatur à malis Chriſtianis.*

Duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ut præcipitarent eum. Ecce ad qualem impietatem devenerunt Nazarethani, quorum vitia Chriſtus redarguerat; quia tentaverunt præcipitare eum è ſupercilio montis: Nota autem, quod quatuor modis mors procurata fuit Chriſto, ſcilicet gladio per Herodem; præcipitatione, ut hic; lapidatione, quando tulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum, & crucifixione, & hæc eſt quadruplex mors, quæ à malis Chriſtianis continuè tentatur in Chriſtum: Alii enim gladio linguæ per blaſphemias; alii lapidibus per ſcandala proximorum; alii præcipitatione per ſimulationem, & hypocriſim, elevant enim Chriſtum in altum per bonum opus fictum, ſed quia mala intentione id faciunt; ſic Chriſtum præcipitare quærunt, vel etiam deſperatione: alii crucifixione, ſcilicet qui fructum crucis in ſe perdunt. *Ser.4. Dom.Paſſ Luc.c.4.v.30.op.medit. c.32.* In hoc autem facto moraliter duo nobis notabilia occurrunt; primum eſt, quod homines ingratiſſimi ex beneficiis ab ipſis à Deo receptis, exemplo Nazarethanorum ejiciunt peccatis è domo conſcientiæ Chriſtum prius habitantem veluti in ſua patria; quæ ingratitudo reddit homines peiores diabolo, & eſt ſecundùm notabile, nam diabolus tantùm verbo, non factis tentavit Chriſti præcipitium, mitte te deorſum; homines verò factis, ſcilicet manibus, oculis, lingua, & toto conatu ejiciendo ipſum, tentant enim, quantum in ipſis eſt, Chriſti præcipitium, & mortem. *Luc. c.4.v.29.*

26. *Dierum feſtorum celebratio exercetur in divinis laudibus, & prædicationibus.*

Deſcendit in Capharnaum Jeſus, ibique docebat illos ſabbathis. Cur in ſabbathis, & non aliis diebus? in Sabbathis, quia ſabbathum erat dies feſtus, in quo conveniebat populus ad ipſius celebrationem in Synagoga, datque nobis Chriſtus intelligere, quod cum cæteri dies inſerviant negotiis temporalibus, in die feſto debent fideles convenire ad Eccleſiam, & ibi incumbere divinis laudibus, & prædicationibus audiendis. *Luc. c.4.v.31.ſeq.*

27. *Peccator peior diabolo: Vbi de impiorum irreverentia ad præſentiam Euchariſtiæ.*

Et in ſynagoga erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamavit voce magna, dicens, ſine, quid nobis, & tibi Jeſu Nazarene, veniſti perdere nos? Cur iſte diabolus exclamat nunc voce magna? hoc fecit ex dolore, & tremore ob præſentiam Chriſti, ob quem tremorem compulſus eſt veritatem confiteri; Ex quo patet, quod multi peccatores ſunt diabolo peiores, qui nec timent, nec tremunt Chriſti præſentiam, imo deteriores fiunt; ô quam verum hoc, & experientiâ continuâ patet, quod ad præſentiam Chriſti in Euchariſtia obdurati remanent in peccatis, & novis ſceleribus ſe obſtringunt. *Luc.c.4.v.34.*

28. *A Dæmone laudes, vel notitiam rerum ſumere impium eſt.*

Et increpavit illum Jeſus dicens obmuteſce, & exi ab eo. Cur Chriſtus imperat Dæmoni magnalia de ipſo narranti, & prædicanti, quod ipſe erat Sanctus Dei, ut obmuteſcat? ſed rationabiliter hoc fecit ad noſtram inſtructionem, ut ſcilicet addiſcamus primò, quod vanam gloriam, & laudes debemus fugere, & abhorrere: ſecundò, quod impiiſſimum eſt à diabolo quærere notitiam rerum, & maximè in rebus ſpiritualibus, cum ipſe ſit pater mendacii, & ſi aliquando dicit verum, id eſt ad magis, & facilius decipiendum. *Luc. c.4. hic*: Diſcant ex hoc Exorciſtæ ſcioli, qui multa quærunt ſcire à diabolo, etiam ſine mala intentione, nam Deus ſemper permittit eos decipi, & in turpiſſimos errores cadere, ſed exemplo Chriſti eos obmuteſcere faciant increpando, quia in hoc diabolus & dolore, & tremore intolerabili incutitur. *Lus.ibid.*

29. *Præceptum Exorciſta in nomine Chriſti poteſtate plenum, & efficax.*

Obmutesce, & exi ab eo, & infrà; In poteſtate, & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt. Notent hoc miniſtri Eccleſiaſtici, & Exorciſtæ, & diſcant à Chriſto modum ejiciendi Dæmones, ſcilicet in virtute fidei, & poteſtatis ipſis à Chriſto collatæ, & in nomine Chriſti Jeſu incæpent diabolum, & ſine tot tergiverſationibus, & diſcurſibus curioſis imperent, quia ſi vera fide erunt armati, infallibiliter Dæmones ejicient. *Luc. ibid. ſic & infrà ad v.* 41. dicitur, quòd non ſinebat Dæmones loqui, & fateri ipſum eſſe Filium Dei; & hoc quia indigni erant, & odioſi, & fraudulenti, & talis confeſſio nec Deo conveniebat, nec Dæmoni congruebat, nec proficua homini; & ſi hoc fecit Chriſtus, multò magis ejus miniſtri id debent. *Luc. c.* 4. *verſ.* 41.

30. *Diabolus ſemper voluntatem malam habet nocendi homini, ſed nihil omninò poteſt, niſi à Deo permiſſus: Ubi de uſu Exorciſticæ artis, admonitio datur & Epiſcopis, & exorciſtis.*

Et cum projeciſſet illum Dæmonium in medium, exiit ab eo. Ecce quid auſus eſt, & quid fecit diabolus: Vide quale ingenium, mos & malitia ſit in Dæmones: Projecit, vel ut dicit Marcus, diſcerpens eum: hoc autem facit, cum videt ſe perdere, quod malè poſſidet, & quo propior eſt liberatio hominis, eo majorem iram oſtendit, ſed tamen ira tanta non læſit Domino prohibente: Ut hinc ediſcamus, quòd diabolus ſemper iram magnam habet in hominem, & ſemper voluntatem nocendi, quia hanc habet à ſemetipſo ex propria malitia, malignitate, & obſtinatione, à qua numquam remittitur; ſed tamen poteſtatem nocendi non ſemper habet, niſi quantum, & quomodo, & quando permittitur à Deo juſto modo, & ex ſua divina providentia ſic permittente; ideò non eſt diabolus, qui nobis nocere poſſit, ſi erimus æmulatores boni, *ait S. Petr.* 1. *c.* 3. ideſt ſi non deficiamus in fide. *Luc. c.* 4. *v.* 35. Diſcant hic Prælati illi, qui in ſtatutis ſynodalibus vetant Exorciſtis, ne tempore æſtatis, & collectionis fructuum tertæ, exorciſticam artem ad liberandos obſeſſos exerceant: Cur quæſo tale præceptum? talis prohibitio? forſan ne Dæmones excitent tempeſtates aëris, & cauſent in agris, beſtiis, & domibus damna, & ruinas? nonnè hoc eſt in derisionem noſtræ fidei? nonnè hoc eſt derogare poteſtati Chriſti collatæ ab ipſo ſuæ Eccleſiæ, & miniſtris, quibus dedit poteſtatem calcandi, & ejiciendi Dæmones ſine tali reſtrictione temporum, ſed abſolutè, & pro omni tempore, quo occurrit neceſſitas miſerorum, qui opprimuntur à Dæmone? nonnè ſciunt ligatam fuiſſe omnem poteſtatem diaboli à Chriſto, qui ut dicit Auguſtinus, latrare quidem poteſt, ſed mordere non poteſt niſi accedentem; accedentem autem mordere, torquere, damnificare poteſt, qui deficit in fide, qui ſe in poſſeſſionem diaboli tradit voluntariè; & ideò ſi aliquando Dæmones excitant tempeſtates, aliaque mala, id faciunt (ait S. Bon.) permiſſi à Deo juſto ſuo judicio, ſcilicet in pœnam noſtrorum peccatorum, & maximè defectus fidei ſtabilis: Ergo Exorciſtæ utantur poteſtate (non ſua perſonali) ſed Chriſti in ſacramento Ordinis collata, quæ eſt infallibilis, & imperent in poteſtate, & virtute, ſicut faciebat Chriſtus, immundis ſpiritibus, ut exeant è corporibus hominum, & neminem, vel aliquam rem ad ipſum ſpectantem damnificare poſſint; ſic enim poteſtate præcipiente, & virtute Chriſti faciente, Dæmon obedire tenetur; non enim hoc imperium eſt humanum, vel Angelicum, ſed divinum; & ad cujus nutum columnæ Cœli contremiſcunt, & pavent; & in confirmationem hujus moniti meminerint poteſtatem à Chriſto collatam eſſe poteſtatem ſacramentalem Ordinis, quæ ſemper, & inſeperabiliter eſt aſſociata cum virtute Chriſti; ſic enim Chriſtus promiſit talem virtutis aſſiſtentiam ſuis Sacramentis uſque ad conſummationem ſæculi, & ipſam in invocatione ſui potentiſſimi nominis, veluti in vaſculo (ut ait S. Bernardus) incluſit, dicens In nomine meo Dæmonia ejicient &c. *ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt. Marc. ult.* ideò ſi effectus in tali uſu non obtinetur, prout intenditur, id certò ſciant evenire ex defectu noſtræ fidei infirmæ & hæſitantis, non ex parte poteſtatis, & virtutis Chriſti. *Sic ex S. Bon. in Luc. c.* 4. *v.* 35. *&* 39. *ap. Princip. Sacræ Script. & alibi in Expoſit. in Matth. & Marc. datis.*

31. *Verbum Chriſti curat animam à peccato, & conſequenter à Dæmone.*

Quia in poteſtate, & virtute imperat immundis Spiritibus, & exeunt. Ex quibus addiſcere debemus, quòd tanta eſt virtus verbi Dei, ut non ſolùm valeat ejicere à corpore Dæmones, ipſumque liberare, ſed & ab anima Dæmones ipſo diabolo crudeliores, ſcilicet peccata, & maximè ſpiritualia; eſt enim verbum Dei, verbum virtutis, & potentiæ, quod mirabilia in ſalutem animæ valet producere. *Luc. c.* 4. *v.* 39. *ap. Princip. Sacra ſcript.*

32. Miraculum liberationis à febre ſocrus Simonis his ſubjungitur; cujus expenſiones varies vide *in Matth. c.* 6. *& in Marc. c.* 1. *& hic in textu Luca c.* 4. *v.* 33. *& deinceps.* In quo facto primò notatur myſticè, quòd Chriſtus cum primò curaverit ſexum virilem, ut ſuprà dictum eſt, nunc ad curandum ſexum fœmineum intrat in domum Simonis diſcipuli, & deinde ſole occumbente varios à diverſis languoribus curavit, ut ſe oſtenderet omnibus communem, & veniſſe curare omnes. *Luc. c.* 4. *v.* 33. *& deinceps.* Secundò, quòd curavit in publico loco, ſcilicet in ſynagoga virum, in domo verò privatim mulierem, quia proprium eſt mulieris cuſtodire domum, non exire in publicum. *Luc. c.* 4. *v.* 38. Tertiò, quòd omnia vitia capitalia ſunt variæ febres aggravantes hominem diverſimodè, ob quæ curanda venit Chriſtus in mundum, ſacramentaque veluti medicamenta efficaciſſima præparavit, & exhibuit in Eccleſia. *Luc. ibid Ioan. c.* 4. *propè finem.*

33. *Homo exteriùs Deum laudans, interiùs ipſum offendens ſimilis diabolo.*

Exibant autem à multis Dæmonia, & dicentia, quia tu es Filius Dei &c. & non ſinebat ea loqui. Cur non ſinebat Dæmones ita loqui, cum verum dicerent, & poterat ex hac confeſſione cognoſci Filius Dei? ſed optimo conſilio factum eſt, quia talis confeſſio nec Deo conveniebat, nec diabolo congruebat, nec hominibus prodeſſe poterat; & maximè, quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris, quia licet ore confiterentur Chriſtum, corde tamen oderant eum; ſic & ſæpè multi ſimiles ſunt diabolo, qui exteriùs benè loquuntur, & laudant Deum, ſed cor repletum eſt iniquitatibus. *Luc.c.4.v.41.*

34. *Sæpè Deus ex miſericordia obicem ponit peccantibus, eoſque ſtatim ſeverè punit, ne fiant pejores.*

Et non ſinebat ea loqui. Cur hoc? quia tali confeſſione maligna actus malos multiplicabant: ſic ſic facit Deus ſæpè ponendo obicem malignantibus, undè non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed eos ſtatim punire indicium eſt maximi beneficii, & miſericordiæ Dei: ſic etiam malis obtruncat vitam, ne pejores fiant, & multiplicent ſibi theſauros vitæ ſuæ. *Luc. capit. 4. verſ.41.*

35. *Prædicator falſa veris immiſcens ſimilis eſt diabolo, & Hæreticis.*

Et non ſinebat ea loqui. Cur non ſinebat Dæmones loqui? non ſinebat prædicare, quòd ipſe eſſet Chriſtus Filius Dei, quia fraudulenter loquebantur, & cum neſcirent certitudinaliter ipſum eſſe Chriſtum, ſed tantum conjecturaliter, tamen abſolutè ipſum prædicabant Filium Dei: Hinc admonemur, quod Prædicator falſa, vel dubia veris immiſcens ſimilis eſt diabolo, & Hæreticis, quia prædicatio verbi Dei debet eſſe pura, & vera, & tota innixa fidei. *Luc. cap.4. verſ.41.*

36. *Oratio matutina frequentanda in loco ſolitudinis.*

Facta autem die ibat in deſertum locum: S.Marcus addit, *& diluculo valdè:* Græcus, *& manè noctis ſurgens*, ſcilicet ante ortum ſolis, cum tenebræ nondum diſcuſſæ eſſent: ſed cur in deſertum poſt tot miracula ſecedit Chriſtus? hoc fecit ad inſtructionem noſtram, ſcilicet ut vanam oſtentationem fugiamus in operibus magnis pro Chriſto patratis, ſed ad deſertum, ſcilicet ad locum ſolitudinis, paupertatis, humilitatis, & aſperitatis (qualis eſt Religioſus ſtatus) ſecedamus ad orandum; oratio autem matutina, quæ fit in ſolitudine, Deo ſummopere placet, & homini valde proficua. *Luc. c. 4. v.42. Pſal.118.v.55.& c.4.v.7.*

37. *Unum ex præcipuis mediis noſtræ Redemptionis fuit prædicationis munus à Chriſto aſſumptum.*

Et detinebant illum, ne diſcederet ab eis, quibus ille ait, quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum. Nota illam cauſalem, ideò miſſus ſum: quomodo hoc? nonnè miſſus eſt, ut Redemptionem hominum perageret? nonnè hoc factum eſt ſua morte? nonne adhoc miſſus eſt? quomodo ergo nunc dicit, ideò miſſus ſum, ſcilicet ad concionandum? ſed optimè, nam hic finis eſt ſub fine, ſcilicet Evangelizare verbum Dei eſt medium unum ex præcipuis, quibus negotium Redemptionis perficiendum erat, & quo medio effectus Redemptionis communicandi erant homini, ideò benè dicitur oportet me evangelizare aliis civitatibus, quia hæc eſt voluntas Patris, ideóque miſſus ſum, ſcilicet ad evangelizandum & annuntiandam veritatem in ſalutem hominum, ut videas qualem locum occupat prædicatio verbi Dei in Eccleſia, & quàm æſtimanda, veneranda, & curanda. *Luc. cap.4. verſ.43. & in Proœm.*

38. *Qualis debeat eſſe Prædicator, ut ſit Chriſti imitator.*

Et erat prædicans in ſynagogis Galilææ; ſcilicet omnibus indifferenter, & ideo Chriſtus circuibat omnes civitates, & caſtella docens in ſynagogis eorum, ex quibus elicitur quis ſit Prædicator bonus, & Chriſti imitator; nempe ille, qui indifferenter omnibus ſe communem exhibet tam oppidis, & villis, quàm civitatibus tam potentibus, quam pauperibus, & ſimplicibus, & ruſticis: ſit & immunis ab oſtentatione in actibus externis, ab ambitione in animo, ab adulatione in verbo, à perſonarum acceptione in facto, & exercitio, ſicut enim Chriſtus veritas eſt, & cavebat ſummopere hæc extrema, ſic & Prædicatores, qui prætendunt Chriſtum imitari, & hoc altiſſimum munus digne exercere in ſalutem animarum, & propriam. *Luc.c.4.in fine.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. *Notu, quod in hoc capite deſcribitur vocatio diſcipulorum; ſanctus Lucas etenim in antecedentibus poſuit confirmationem doctrinæ Chriſti factam verbo, exemplo, & miraculis; nunc tranſit ad vocationem diſcipulorum; qua ad hanc vocationem concurrerunt patent in textu Seraphico hic.*

CAP.

CAP. V.

2. QUid ſit ſtagnum Genezareth, & quomodo appellatur etiam mare Tiberiadis. *Vide in textu hic.*

3. *Superbi deſpiciunt Chriſti humilitatem, & vocationem, humiles imitantur; ubi de fructu auditionis verbi Dei.*

Factum eſt autem, cum turba, irruerent in Jeſum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Genezareth: Nota illud verbum turbæ irruebant in Jeſum, quo ſignificatur importunitas plebis, nec dicit, quod ibi eſſent Phariſæi, vel Principes ſacerdotum, ſed turbæ, ſcilicet populus imbellis, & ſimplex, per quod duo notabilia nobis indicantur; primum eſt, quod quem Phariſæi, & Principes contemnunt; humiles ſequuntur, ut audiant & percipiant dulcedinem verbi Dei ex ejus ore: ſecundum eſt importunitas plebis, quæ tamen Chriſto grata erat, ex hoc quod magni meriti eſt deſiderium audiendi verbum Dei, & tam Deo charum, ut etiam ipſam irreverentiam turbæ irruentis in eum excuſet; undè ad hoc ipſe invitat Iſa. 55. omnes ſitientes venite ad aquas, ſcilicet ſapientiæ ſalvatoris. *Luc. c. 14. v. 25. & c. 5. v. 1.*

4. *Qualiter quærere Chriſtum debeat homo.*

Factum eſt autem cum turba irruerent in eum, ut audirent, &c. Vide quid faciunt iſtæ turbæ: ſuprà enim in fine antecedentis capitis aſſeruntur requirentes Chriſtum, venientes, & detinentes, nunc additur, quod erant irruentes in eum, & poſtea comitantes, & tandem ſubſequentes, per quæ oſtenditur, quod boni auditores debent quærere ſapientiam, ſcilicet Chriſtum ſtudio meditationis, debent demùm inſtantiâ orationis, ut poſſint dicere cum ſponſa, *Cant. 3. Tenui eum, nec dimittam*, debent irruere impetu devotionis, ſic animalia apud Ezech. 1. Ubi erat impetus Spiritus illuc gradiebantur, debent comitati conformitate bonæ operationis, & etiam ſequi imitatione Paſſionis Chriſti; & iſti ſunt gradus, quibus quærendus eſt Chriſtus, & inveniendus, & quibus pervenitur ad ipſius poſſeſſionem in gloria. *Luc. c. 5. v. 3.*

5. *Chriſtus ſemper humiliora elegit, & humilia diligit.*

Vidit duas naves ſtantes ſecus ſtagnum, piſcatores autem deſcenderant, & lavabant retia, &c. Nota, quod iſtæ duæ naves erant una Zebedei, altera Simonis, & notanter dicit; quod inter tot alias vidit iſtas duas tamquam magis opportunas ad ferendum, & erant pauperum, quia ſemper humiliora Chriſtus elegit, & ad humiles, & pauperes appropinquat. *Luc. capite 5. verſ. 3.*

6. *Prælati aliquando debent rogare ſubditos, deponendo faſtum imperii.*

Rogavit eum à terra reducere puſillum. Notà hic humilitatem Domini, quia rogabat Petrum ſuum ſubditum, exemplum relinquens Prælatis, ut aliquando & ipſi rogent ſubditos ſuos: ſic enim quando Prælatus eſt humilis affabilitate, deponens ſpiritum elationis, ſubditi facilem accеſſum ad eum habent, & fiducialiter loquuntur, &c. libentiùs ei obediunt: generoſus enim eſt animus hominis, & faciliùs ducitur, quam trahatur, & ideo ſtudeat magis amari, quàm timeri, quia lubentius obeditur ei, qui diligitur, quam qui timetur, hoc tamen cum grano ſalis, ut dicitur, exequendum nempè cum docilibus, cum bonis ſubditis, non cum protervis, & obſtinatis indigentibus virga, & diſciplina? *Luc. cap. 5. verſ. 3. op. de ſex Alis ſeraphin. cap. 3. & 5. & 7.*

7. *Prædicator, & Prælatus ſe aliquando debet ſequeſtrare à turba, & alios in exemplaritate vitæ præcellere.*

Rogavit eum à terra reducere puſillum. Vide, quod cum turbæ importunè irruerent in Chriſtum, ipſe ſe ab ipſis voluit aliquantiſper ſeparare, & poſteà eas docere, quod & fecit ad inſtructionem Prælatorum, & Prædicatorum, qui aliquando debent ſe ſequeſtrare à converſatione hominum adorationem, & meditationem, & ad aliorum exemplum, ut & auditores præcellant in exercitiis ſpiritualibus, & in contemptu terrenorum. *Luc. c. 5. v. 3.*

8. *Prædicator, & Prælatus debet exemplo Chriſti ſtare, videre, aſcendere.*

Cum turba irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat, &c. & vidit duas naves; aſcendit in unam navim; & ſedens docebat turbas. Ecce quid facere debet Prædicator; ſtare cum Chriſto, ſcilicet per rectitudinem intentionis, ſtare, ſcilicet totum cor, & animum dirigendo, & omnem ſuam operationem in Deum, & in ſalute animarum, ſta ſuper pedes tuos (dixit Deus *Ezechieli c. 1.*) *& loquar ad te*: debet videre per certitudinem diſcretionis, agnoſcere, ſcilicet vultum peccatis ſui: videre diſcrimen vitæ ipſorum ſubditorum, videre indigentiam ſuam: debet & aſcendere in navim, ſcilicet per exercitium actionis, non parcendo labori; & tandem ſedere per otium contemplationis, & ſic laborando ad refrigerium vitæ æternæ pervenire. *Luc. c. 5. v. 3.*

9. *Eccleſia eſt navis piſcatorum, in quam Chriſtus cum ſuis Apoſtolis aſcendit continuè.*

Aſcendens autem Jeſus in unam navim. Cur Chriſtus volens prædicare Evangelium aſcendit in iſtam navim? Nota; iſta navis erat Petri, ideò ſignificabat Eccleſiam, quæ eſt navis piſcatorum; aſcendit ergo Chriſtus, ut piſcaret animas de mari hujus mundi, & ſecum ducit in hanc navim alios piſcatores, ſcilicet omnes

Prædicatores, & Doctores, & dixit unicuique duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam piſcium, ſcilicet hominum, ut de mari mundi, & de fluminibus concupiſcentiarum extrahant peccatores à cæno vitiorum, eoſque trahant ad Chriſtum. *Ser.2.Dom.3. poſt oct. Epiphan. Luc. c.5.v 4.& 5.*

10. *Eccleſia navis eſt bellatorum, ſic & Religio.*

Aſcendens Ieſus in unam navim, quæ erat Simonis Quomodò dicitur, quod Chriſtus aſcendit in unam navim? nonne plures legitur aſcendiſſe in alias naves? ſed attende quid ſubdit, in unam navim, quæ erat Simonis; Navis Simonis eſt Eccleſia, quæ eſt una, & multiplex; una, quia unicam fidem habet; multiplex, quia multas alias ſubordinatas habet, ſed ad quid? ad bellandum? venit enim Chriſtus gerere bellum contra diabolum, mundum, & carnem, ideo providit Eccleſiam multis bellicis navibus ad bellandum contrà hoſtes; bellicæ iſtæ naves ſunt ſtatus virginalis, vidualis, conjugalis, ſicut & Ordines Religionum, in quibus contrà diabolum, mundum, carnem, & vitia bellandum eſt, ſed quibus armis? Attende, quomodo: in citharis, & in tympanis, & bellis præcipuis expugnabit eos (ait Iſa.c.3.) ſed quomodo ſono citharæ, & tympanorum exercetur bellum Eccleſiæ? optimè; in ſono citharæ, ſcilicet oratione ſuavi; in percuſſione tympani, ſcilicet in carnis maceratione; in bellis præcipuis, ſcilicet in ſpirituali colluctatione milites Chriſti in hac navi Eccleſiæ bella ipſius exercent, & triumphant de hoſtibus. *Ser.2. Dom.3. poſt oct.Epiph.*

11. *Eccleſia navis mercatorum.*

Aſcendens Ieſus in unam navim, quæ erat Simonis, &c. Ad quid aſcendit Chriſtus in hanc navim, quæ non ſolùm erat ad uſum piſcationis, ſed etiam & mercaturæ, cum ipſa uterentur ad parandum ſibi victum per mercaturam piſcium, & ſæpè etiam aliarum mercium? optimè, & ex myſterio: nam Eccleſia eſt navis mercaturæ, per quam Chriſtus paravit panem cæleſtem ſuis fidelibus, & quilibet juſtus lucra per virtutum negotiationem parat ſibi grande lucrum; in hac navi Chriſtus exhibet frumentum doctrinæ Evangelicæ, balſamum bonæ famæ, mel gratiæ divinæ, oleum miſericordiæ, reſinam pœnitentiæ. *Sermon. 2. Dom. 3. poſt oct. Epiphan.*

12. Eccleſia navis eſt viatorum, in quam per curſum vitæ mortalis Chriſtus aſcendit, ut nos ad ipſam invitaret, & per ipſam transfretaremus non ſolùm ad portum patriæ cæleſtis poſt hanc vitam, ſed & in hac vita per exercitium virtutum. *Ser.2.Dom.3.poſt oct.Epiphan.*

13. *Navis eſt crux, ex qua nos docet Chriſtus.*

Aſcendens in unam navim, &c. & docebat Cur è navi Chriſtus concionatur? cur non in terra? vel in ſynagoga? ſed nota quod iſta navis eſt ſancta crux, in quam Chriſtus aſcendit, ſubjecitque ſe tempeſtatibus Paſſionis, & mortis; ab hac navi docet turbas, ideſt humiles, & ſimplices, ejuſque lectiones ſunt circa humilitatem, charitatem, aliaſque virtutes; docet etiam, quod qui vult ad portum ſalutis pervenire, debet cum Chriſto hanc navim aſcendere. *Serm.1. Dom. 4. poſt Penteceſt. Luc. cap.5. verſ.4.*

14. *Anima noſtra eſt navis ab unoquoque noſtrum regenda, & curanda, in quam Chriſtus libenter aſcendit.*

Aſcendens Ieſus in unam navim. Nota etiam, quod hæc navis eſt anima noſtra, in quam libenter Chriſtus aſcendit, ſed oportet, ut ſit Simonis, ſcilicet obedientis; nempè debet exonerari pondere peccatorum, ne ſubmerſionem patiatur; item aqua concupiſcentiarum ab ipſa effundenda, & removenda per confeſſionem peccatorum, quæ per rimas ſenſuum intrat; regenda eſt cum ſollicitudine propter diverſa pericula, quæ in mari hujus vitæ occurrunt, & deinde mercibus virtutum oneranda, & replenda, ſic in ipſam intrabit Chriſtus. *Sermon. 1. Dom. 4. Penteceſt.*

15. *Navis eſt pœnitentia, per quam à naufragio liberatur homo in mari tempeſtuoſo mundi.*

Aſcendens Ieſus in unam navim, quæ erat Simonis. Ecce quod Chriſtus libenter intrat in navim pœnitentiæ cum ſe ſubjecerit tot pœnis, laboribus, & morti, hæc eſt illa, quam Chriſtus poſt naufragium univerſale præparavit in Eccleſia, ut per ipſam perveniret homo libet à naufragio ad portum ſaluris; qui ergo extrà hanc navim vult enavigare, & pertranſire hoc mare periculoſum, certo naufragio ſe ſubmittit. *Ser.1. Dom 4.Pent.*

16. Navis eſt Eccleſia, in quam Chriſtus aſcendit, & nobis providit gubernaculum fidei, anchoram ſpei, & velum charitatis, ut ſic cum ipſo pervenire poſſimus ad portum ſalutis. *Sermon.1. Dom.4.Pent.*

17. *Obedientia, & patientia ſunt duæ naves, quas vidit Chriſtus, & priùs intravit in primam, poſtea in aliam, ut nos ad ambas invitaret.*

Vidit duas naves, & aſcendit in unam navim, quæ erat Simonis. Si duæ erant naves viſæ à Chriſto, quomodo factæ ſunt una navis, aſcendit in unam: duæ erant, ſed in unum redactæ, ſcilicet iſtæ ſunt obedientia, in quam Chriſtus veniens è Cœlo intravit, ut Patri obtemperaret, & ſimul enavigaret hanc vitam cum ſocietate alterius, quæ eſt patientia; in prima ſe exercuit in labore, in ſecunda ſuſtinuit in dolore; per has duas naves ſimul enavigantes perducitur homo cum Chriſto ſecurè ad patriam; in has aſcendant miniſtri Chriſti, jaciantque retia, ſcilicet diſcretionis, ſcilicet ſanctæ vitæ, & locutionis, ſcilicet prædicationis verbi Dei, ut per ipſas capiantur piſces, ſcilicet peccatores immerſi in aquis concupiſcentiarum; unde cuicumque Prædicatori dicitur duc in altum, ideſt in profundum maris, ubi jacent peccatores miſerabiles; & laxate ô Prædicatores

Digitized by Google

tores retia veſtra, ſcilicet exempli, & locutionis, in alium perfectionis Evangelicæ, & prædicate verbum Dei, ſic enim concludetis piſcium multitudinem copioſam. *In Luc. capit. 5. verſ. 5. ad 7.*

18. *peccatores laborant de nocte ſine fructu: Juſti de die cum maximo lucro.*

Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete, & concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Vide, quòd iſti piſcatores per totam noctem laborantes nihil prendiderunt, ſed de die ad imperium Chriſti: quodnam myſterium latet in hoc facto? verè maximum, & pulchertimum. Nota ergo, quod de nocte magis ſolent piſcatores capere piſces, quàm de die, & tamen nunc evenit oppoſitum; per quod datur intelligi, quòd omnes homines ſive juſti, ſive impii in hoc mari magno piſcantur anhelantes ad capturam bonorum, ſed cum hoc diſcrimine, quod impii, mundique ſequaces piſcantur de nocte, ſed ſine fructu, de nocte, ſcilicet viventes in peccato mortali, innitentes ſibi ipſis, & propriis viribus: hinc eſt, quod ſemper laborant, & ſemper eorum rete eſt vacuum, quia nihil capiunt, & pervenientes ad mortem ſolùm vacui veris bonis, & vacuitate repleti nutriuntur, & ſubmerguntur in inferno: ô mundani attendite ad hoc monitum verum, & confitemini veſtram ſtultitiam; vnde multi ex vobis poſtea in morte coacti dicunt, Præceptor per totam noctem laborantes nihil cæpimus, ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi, Iſa. 49. *& ego habui menſes varios, & noctes laboriosas enumeravi mihi.* Iob. c. 7. *quia ſine Deo*, qui eſt vera lux, *& in nocte obſcuriſſima laboravimus:* Juſti è contra ad imperium Chriſti laborant dulciter, & ſecurè in præceptorum Dei obſervantia, confidentes ſolùm in Dei auxilio, & ſic concludunt multitudinem copioſam meritorum. *Luc. c. 5. v 5. Ioan. c. 21. v. 4.*

19. *Fides, & confidentia in divinis promiſſis mirabilia operatur, quod maximè in prædicatione verbi Dei elucеſcit.*

Præceptor per totam noctem, &c. in verbo autem tuo laxabo rete. Uide quid operatur fides, & fiducia in Dei promiſſis, nam Petrus in verbo Chriſti confidens laxavit retia, & traxit multitudinem copioſam piſcium: hoc audiant omnes fideles, qualia mirabilia operatur fiducia, & perfecta confidentia in Dei promiſſis, qui enim operatur innitens verbo, & imperio Dei, in promiſſione Dei non hæſitans per diffidentiam, ſed confortatur fide inhæſitanti, & in hac operatur, totum, quod vult obtinet: hoc & maximè attendant Prædicatores, ne prædicent de nocte, ſcilicet ſine luce veritatis divinæ, & ſeipſis, & propriis viribus innitentes, ſi enim ad ſolum imperium Chriſti, ut ab ipſo miſſi, & fiduciam habentes in efficacia verbi Dei confidant, fructum plurimum colligent, & mirabilia operabuntur. *Luc. c. 5. v. 5.*

20. *Multi vocantur, & intrant per fidei rete in Eccleſiæ navim, ſed ad gloriam perveniunt pauci.*

Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam, rumpebatur autem rete eorum. Vide quale miraculum factum eſt à Chriſto ad fidem, & obedientiam Petri, & ſociorum, ſed quid ſibi vult, quod in hoc miraculo Chriſti rumpitur rete? cur & à Chriſto rete miraculosè non conſervatur à ruptura, & fractura? Sed quia miracula Chriſti ſemper nobis varia myſteria inſinuant; Nota, quod poſt Reſurrectionem, Ioan: c. 21. ſimile miraculum accidit, nec eſt ſciſſum rete, ut hic, ut intelligamus, quod per hanc captionem ſignificatur congregatio vocatorum per fidei rete in Eccleſia: poſt Reſurrectionem multitudo congregatorum electorum in gloria, & quia in gloria nullus ingreditur, qui poſſit poſtea egredi, hinc ibi non rumpitur rete, & ideo dicitur fuiſſe illa retis in dextera; hic verò non dicitur fuiſſe in dextera, quia iſta retis erumpitur, quia multi, & plurimi ad fidem vocantur, & congregantur in Eccleſia, ſed finaliter poſteà non perveniunt ad gloriam; verè enim multitudo credentium hîc per rete fidei concluditur, & implet ambas naviculas, ſcilicet Eccleſiam de gentibus, & de Judæis, vel naviculam unam per innocentiam, aliam per pœnitentiam; ſed quia multitudinis credentium non eſt cor unum, ut dicitur Act. c. 4: alius enim ſuperbum, alius avarum, alius luxurioſum cor habet, ideò multi Chriſtiani nomine ſunt, non tamen corde, hinc multi ad cœleſtis patriæ portum non perveniunt, imò quod eſt deplorabile mali ita multiplicantur in Eccleſia, ut penè naves mergantur, & ſubmergantur; quia multi ſunt peccantes, pauci pœnitentes; ô nimis verum, & lachrymis deflendum. *Ser. 2. Dom. 4: Pentec. Luc. c. 5. v. 6. & 7.*

21. *Religiones mendicantes, maximèque Fratres Minores vocati ſunt, ut veluti ſocii Plebanorum, & Epiſcoporum, & ſummi Pontificis ipſos adiuvent ad trahendum multitudinem fidelium ad ſalutem finalem.*

Et annuerunt ſociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adiuvarent eos, & venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur. Ecce hic grande myſterium, & prænuntiatio futurorum in Eccleſia Dei; nam ut dictum eſt multitudo piſcium eſt multitudo hominum concluſa per rete fidei; nam per mare intelligitur ſæculum; navicula Petri eſt Eccleſia fidelium populorum; rete eſt Evangelica doctrina; per juſſum Domini tot piſcium multitudo colligitur, quod rete rumpitur, quia tot ad fidem veniunt, quòd etiam hæreſibus, peccatis, & ſceleribus ſcindunt; & hoc maximè in his noviſſimis temporibus, de quibus dicebat Apoſtolus 1. *Thim. c. 3.* quòd inſtabunt tempora periculoſa ſcilicet ex multiplicatione peccatorum, & numeroſitate rudium populorum, & ſeductione Hæreticorum, & raritate bonorum, & difficultate regendi, & inſufficientia Prælatorum, & perplexitate caſuum emergentium, & aliorum periculorum Eccleſiæ imminentium ex variis eventibus; ſicut

Petrus cum ſuis trahere non valeret concluſos in rete,annuerunt ſociis in alia navi.ut venirent, & adjuvarent eos, ſic quia Prælati Eccleſiæ cum clero non ſint ſufficientes per ſe trahere tantam plebium multitudinem ad littus perpetuæ vitæ; ſedes Apoſtolica ad obviandum periculis præfatis providit remedium ſubventionis animabus peremptibus, annuendo, & admittendo ſocios Religioſos, ſcilicet Jacobo,& Joanni, ideſt Religioſos activos, & contemplativos, ut venirent compatiendo animarum periculis, & adjuvarent eos,tam illos,qui trahunt quã illos,qui trahuntur, illorum inſufficientiam.iſtorum indigentiam relevando;Ambas autem naviculas implent, cum præ multitudine populi nec Clerici,nec Religioſi plenè ſufficiunt omnibus ſatisfacere; Ad hoc onus igitur relevandum Plebanis ſummus Pontifex Ordines Religioſorum inſtituit, eiſque impoſuit,ut per prædicationem, & confeſſionem maximè ſint in adjutorium animarum, & ſuis naviculis, diſcurrant per mundum, & quos ex naufragio peccati periclitantes invenerint,rapiant exundis, & ad littus ſalutis reportent. *Op. Quare Fratres Minores prædicent.Luc.c.5.v.7.*

22. *Status Religioſorum perfectior, quàm ſolitariorum.*

Et annuerunt ſociis, qui erant in alia navi.ut venirent, & adjuvarent eos. Ecce quomodo hic expreſsè oſtenditur ſtatus perfectior Religioſorum, quàm ſolitariorum; nam in Religione adeſt communicatio charitatis, & Frater, qui adjuvatur à Fratre, quaſi civitas firma,ait Deus *Prov. cap.* 18. *& Eccl, c.* 4. melius eſt duos eſſe ſimul, quàm unum, habent enim emolumentum ſocietatis; nam in Religione mutuò ſe adjuvant Religioſi ad implendam navem animæ bonis, meritis, & ſanctis operibus, quod non poteſt eſſe in ſolitudine. *Vide quæ tradit S.Bon.in op. de Paup. Chriſti ad finem.Luc.c.5.cit.*

23. *Alii eiiciunt à ſe Chriſtum,ut longè ab eis abſcedat; Alii ut à ſeipſis non recedat, ſed ut moretur.*

Quod cum videret ſimon Petrus procidit ad genua Ieſu dicens,exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Quid dicis ô Petre? ergone à te quæris elongare Ieſum? reſpondet exi à me,quia homo peccator ſum,imo errans, quia enim peccator es, debes curare ob hoc, ut tecum moretur, quia venit quærere peccatores, eoſque ſalvos facere, ergo cum ſis infirmus,ejicis à te medicum? cur ergo dicis, exi à me Domine? & cum hæc diceret, Chriſtus tamen non abſceſſit, imo ſecum fortius conſtrinxit Petrum? ſed attende ad myſterium: Hoc dixit Petrus non ex contemptu, vel irreverentia, ſed ex fide, & reverentia, & quia ſe exiſtimabat ut peccator indignum,Deum ſecum habere fontem puritatis, ideò ſic ſe humiliando Chriſtum à ſe non expellebat,imo potiùs attrahebat: ut etiam fecit Centurio, qui dicebat, Domine non ſum dignus, &c. ſic facit humiliras.ſe elongat à Deo, ut magis ad ipſum accedat: Alii verò ſuperbi turpiter à ſe expellunt Deum per ſuperbiam, quam ſummè abhorret Deus,ut evenit in Phariſæo hypocrita. *Luc. c. 5. v.8.& ſer.de dedic.1.in fine.& c.7.v. 5.op. Faſcicul. c.7.Luc.c.8. v.37.*

24. *Timor filialis advocat Chriſtum; puſillanimitas elongat.*

Noli timere. Scilicet quia ego tecum ſum:Nota, quod hic timorem puſillanimitatis prohibet Chriſtus, non reverentiæ, & humilitatis; ille enim exulare facit Deum, iſte advocat. *Luc. c.5. v.10.Pſ.136.*

25. *Vocatio Apoſtolorum petri, Andreæ, & Iacobi, cum Ioanne deſcribitur.*

Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens? & ſubductis ad terram navibus,relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Quæſtio hic proponitur an aliàs vocaverit Chriſtus iſtos Apoſtolos? legitur enim alibi etiam vocatos? ſed attendendum eſt, quod triplex vocatio legitur de iſtis diſcipulis: prima notatur à Ioanne c. 1. facta apud Iordanem, & tunc in ſimplicem notitiam,tantùm ducti fuerunt de virtute & veritate Meſſiæ: ſecunda hic notatur à S. Luca,& à Matthæo c. 4. & hæc fuit vocatio ad ſuam familiaritatem, quia adhuc reverſi ſunt ad propria; & tunc cœperunt audire doctrinam ejus, & Chriſtus ex tunc cœpit eis ſe reddere ſpeciali modo affabilem, domeſticum, & obſequioſum, attrahens eos intus,& extra, ducendo etiam eos ad domum Matris, & familiariter vadens ad domos eorum. docebat,& inſtruebat eos, & curam de ipſis habebat præcipuam, ſicut mater de unico filio: Refert autem Clemens Rom. quod Petrus aliquando poſt Reſurrectionem Chriſti in copioſiſſimas lachrymas effundebatur dicens, recordor miſerationis Domini mei Jeſu Chriſti,qui quando in aliquo loco dormiebat cum eis,ſurgens de nocte,ſi aliquem eorum diſcooperetum,vel malè, & incommodè aptatum,videret ipſum cooperiebat,& aptabat membra, & corpus, ut quietè poſſet dormire, quia tenerrimè eos diligebat: ſciebat enim quid de ipſis erat facturus, quamvis eſſent homines rudis conditionis, & humilis nationis, tamen Principes mundi, & Duces in bello ſpirituali omnium fideliũ conſtituturus eos erat;& ideo eos tertio vocavit ultimatè ad diſcipulatum,& Apoſtolatum, ſicuti narrat Sanctus Matthæus cap. 4. cum eis dixit. *Venite poſt me, faciam vos, &c. & ipſi relictis omnibus ſecutæ ſunt eum.* Quodque à Luca hic tangitur,nempè relictio omnium facta ab ipſis poſt perfectam vocationem: Ex quibus vide à qualibus cœpit Eccleſia,noluit enim eligere ſapientes, & potentes hujus ſæculi, ne ipſorum excellentiæ adſcriberentur opera eorum, ſed ſibi hæc reſervavit, & in ſua bonitate, potentia, & ſapientia nos redemit: Conſidera etiam, quòd in magnis ſuorum operibus Dominus à minimis incipit, & paulatim proficiendo ad maxima inducit. *Opuſc. medit.cap.19.Luc. cap.5. v. 13. ſermon.3. Dom.4. Penteceſt.*

Digitized by Google

26. *Contra piſcaturam, & capturam diaboli oppoſuit Chriſtus Apoſtolos captores hominum.*

Ex hoc jam eris homines capiens. Quid eſt, eris homines capiens? qualis eſt iſta captura? capies ex hoc, ſcilicet tempore homines veluti piſces rete prædicationis; quodque expreſſit poſt Reſurrectionem, Joan. c. 21. mittite in dexteram navigii rete, & invenietis, nota, quod dicit in dexteram, ſcilicet à ſiniſtra ad dexteram, vos oppono contra capturam, & piſcationem diaboli, & ſuorum ſequacium, qui variis artibus, verbis, muneribus, conſiliis, & lenociniis à dextera ſaluris, ad ſiniſtram diaboli, & perditionis curant trahere homines; vos exemplo, ſanctitate, prædicatione capietis de manibus, & à rete diaboli homines, & ducetis ad dexteram ſalutis: Ecce quale miniſterium piſcatorum Chriſti. *Luc. c. 5. cit. ſermon. 3. Dom. 4. Pentecoſt. Ioan. cap. 21. verſ. 6.*

27. *Paupertas voluntaria fundamentum fabricæ Eccleſiæ & totius Chriſtianæ perfectionis.*

Et relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Vide quomodo Chriſti doctrina ab altitudine paupertatis ſumpſit exordium, & Evangelicæ perfectionis primarium fundamentum ſecuritate paupertatis firmiter collocatur, & ſtabilitur; hinc eſt, quòd Chriſti Apoſtoli Sancti Evangelii profeſſores, in quibus Dominus fundaturus erat Eccleſiam, oſtenduntur omnia reliquiſſe in verbis propoſitis, in quibus duo notantur cuilibet ad ſalutem neceſſaria: primum eſt deſectio impedimenti retrahentis, ibi relictis omnibus, ſic enim reliquerunt omnia terrena tamquam pondera prægravantia ad expeditius currendum poſt Chriſtum, tamquam vincula detinentia ad arguendum malum, ſic enim abjecto amore acquirendi, vel timore amittendi, nemini parcebant in prædicanda veritate; ſic etiam efficaciores redditi ſunt ad perſuadendum contemptum omnium rerum: ſecundum eſt appetitus æternorum, ibi & ſecuti ſunt eum; ſcilicet humiliter ſine ſuperbia, concorditer ſine invidia, & perſeveranter cum conſtantia ſecuti ſunt Chriſtum tamquam complementum, & finem omnis boni. *Ser. 4. Dom. 4. Pent. Luc. c. 5. v. 11 ſer. 1. de SS. Phil. & Iac.* De hac vocatione, & renuntiatione omnium rerum. *Vide expenſiones ſuper Matth. c. 4.*

28. *Procidere antè faciem proprium juſtorum, cadere retrorſum impiorum: Ubi de modo impetrandi petita à Deo.*

Et ecce vir plenus lepra procidens in faciem, rogavit eum dicens, Domine, ſi vis potes me mundare; & extendens manum tetigit eum dicens volo; mundare, &c. Vide quomodo iſte leproſus meruit recipere ſanitatem per contactum Chriſti: dicit autem procidens in faciem ſuam, quod eſt adorantium; juſti enim in faciem coram Deo procidunt, impii retrorſum cadunt ſe à Deo elongantes; & dicens Domine, cognovit dignitatem Chriſti; addens ſi vis, potes me mundare, confeſſus eſt ejus potentiæ facilitatem, ſicque ſe præparavit ad recipiendam gratiam petitam à Chriſto, ſcilicet humiliando, orando, rogando, & confitendo Chriſti potentiam. *Luc. c. 5. v. 12. & 13. & c. 4 v. 39.* Alias expenſiones ſuper hoc miraculum *Vide in Matth. c. 8. & ſuper textum Sancti Luc. c. 5.*

29. *Sacerdotale officium omnibus reverendum.*

Vade, oſtende te Sacerdoti, &c. Cur Chriſtus huic jam ſanato præcipit, ut ſe præſentet ſacerdoti? ad quid? hoc fecit, ut omnibus oſtendat, quàm reverendum ſit ſacerdotale officium; & ut etiam ſciamus, quòd etiamſi ipſe per contritionem remittat peccatum mortale, vult, ut coram Sacerdote revelemus peccata in confeſſione ad obſervantiam præcepti divini. *Serm. 4. Dom. 18. Pentec. Luc. hic.*

30. *Peccatum mortale lepra fœtidiſſima inficiens totum hominem.*

Et ecce vir plenus lepra. Quid eſt plenus lepra? quomodo plenus, & non potiùs infectus? plenus dicitur ad inſinuandum effectus peſſimos peccati mortalis: lepra enim eſt in carne, eſt & in pilis, & in veſtibus, & in habitaculis: lepra in carne ſignificat peccatum carnale, in pilis peccatum ſpirituale in cogitatione, pili enim ſignificant cogitationes; in veſtibus peccatum externum in converſatione, in domibus, ſcilicet in congregatione; dicitur ergo iſte plenus leprâ, quia his omnibus modis infectus erat; ideò autem voluit Dominus per lepram ſignificari peccatum mortale, quia lepra inficit in ſe, & in conſortio, ſic & peccatum mortale. *Luc. c. 5. v. 16.*

31. *Ad curationem peccati mortalis quænam requirantur.*

Vade, nemini dixeris, oſtende, &c. Nota quòd Chriſtus huic homini quatuor præcipit, ſcilicet ire, tacere, oſtendere, & offerre; ſic & pœnitenti dicitur, vade, ſcilicet deſerendo peccata; vade, ſcilicet & noli ampliùs peccare; tace, ſcilicet bona, & laudes tuas, ut fecit Phariſæus; oſtende te ſacerdoti, ideſt oſtende, & revela Confeſſario peccata tua, & offer, ſcilicet ſatisfactoria opera, quæ quatuor neceſſaria concurrunt ad Sacramentum pœnitentiæ. *Luc. c. 5. ibid.*

32. *Oratio perfecta ſit remota à converſatione hominum.*

Ipſe autem ſecedebat in deſertum, & orabat. Nota ad inſtructionem noſtram, quod Chriſtus, cum volebat orare, ſecedebat ut plurimum, in deſertum locum, ut diſceremus, quod oratio perfecta debet eſſe remota à converſatione hominum, ideo anima ſit ſola, & intret in cubiculum cordis, & ibi oret. *Luc. c. 5. verſ. 16. & c. 3. v. 21. c. 11. verſ. 43.*

33. *Chriſtus totus eſt, & ſemper paratus ad noſtram ſalutem.*

Et factum eſt in una dierum, & ipſe ſedebat docens. &c. & virtus Domini erat ad ſanandum eos. Vide, quod Chriſtus totus erat intentus ad ſanandum corporaliter, & ſpiritualiter omnes, qui ad ipſum confugiebant; ut videas, quod ſemper eſt paratus, & præſto ad noſtram ſalutem, dummodo ad ipſum recurramus fiducialiter. *Luc.c.5.v.17.*

34. *Juſtorum proprium eſt infirmos, & indigentes per orationem Chriſto offerre, ut ſanitatem recipiant.*

Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus. Nota, quod myſticè iſti portantes ad Chriſtum hunc paralyticum ſunt viri juſti, quorum munus eſt ad Chriſtum portare infirmos, & indigentes per orationis ſuffragium, ut cutentur, & in quorum virtute, & fide Deus ſæpè concedit ſalutem. *Luc. cap. 5. verſ. 19. Expenſiones ſuper hoc miraculum, vide in expoſitione Matthæi ad cap.9. & Marc.c. 2. & hic in textu ſuper Lucam.*

35. *Perfecta converſio exigit non ſolùm ſurgere à lecto, ſed & ipſum lectum tollere, & ambulare in domum ſuam.*

Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Nota hæc tria: primum ſurge: ſecundum tolle lectum tuum: tertium vade in domum tuam; hæc enim exigit Chriſtus ab omnibus, qui ab ipſo ſanantur per perfectam converſionem; primò ſurgendum à peccati lecto per contritionem; & pœnitentiam; ſecundò tollere lectum, ſcilicet omnem occaſionem labendi in peccatum: tertiò ambulare per opera virtuoſa de virtute in virtutem ad ſtatum perfectionis. *Luc. c.5. v. 27. Joan. collat.25.*

36. *Hic ſequitur apud Lucam vocatio Matthæi à telonio; cujus expenſiones vide in Matth. c.9. & hæc in textu.*

37. *Immenſa miſericordia Chriſti expenditur in vocando peccatorem etiam dum actu peccat.*

Vidit publicanum nomine levi ſedentem ad telònium, & ait illi ſequere me, &c. Vide quàm verum eſt id, quod infrà ſubdit Chriſtus, non veni vocare juſtos, ſed peccatores, ſed ut medicus venit quærere infirmos ad ipſos curandos; ex quo maximè patet immenſa Chriſti miſericordia in vocando peccatorem etiam dum actu exercet ſuam malitiam, ut vocavit Matthæum dicens illi ſequere me, ſcilicet per omnium temporalium abrenuntiationem: ſequere me tu, qui avara de mercedibus emolumenta quærebas, ſequere me propria derelinquendo, & omnia deſideria carnalia. *Luc. c.5.v.28.ſeq.& c.18.v.28.& c.7.v.39.Joa.c.17.v.11.*

38. Reliqua, quæ ſuperſunt de hoc capite, ſcilicet de convivio facto à Matthæo; de Chriſti contubernio cum publicanis; de murmuratione Phariſæorum, & confutatione ipſorum. *Vide hic ad textum expoſitum à Seraphico Doctore & in Matth.c.9.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod poſt vocationem Apoſtolorum ſupra traditam, nunc eos defendit à calumnia Phariſæorum, eo quod Apoſtoli neceſſitate compulſi vellebant ſpicas in die Sabbathi, Chriſtus eos verbis Sacræ Scripturæ, poſteà patratione miraculorum, quæ omnia expenſa habentur in Matth.cap.12.*

CAP. VI.

2. SAnatio habentis manum aridam in Sabbatho facta à Chriſto cum ſuis expenſionibus *Vide in Matth. c.12.*

3. *Orationi frequenter incumbendum, & maximè à Prælatis exemplo Chriſti, & præcipuè tempore electionum.*

Factum eſt autem in illis diebus exiit in montem orare. & erat pernoctans in oratione Dei; & cum dies factus eſſet vocavit diſcipulos ſuos & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit. Ecce quod Chriſtus volens eligere Apoſtolos ex turba diſcipulorum præmiſit orationem nocte antecedente, quod fecit non ad ſui indigentiam, ſed ad noſtram inſtructionem; priùs oravit, ſicut ſolebat frequenter ſegregare ſe à turbis, & reducere ſe in loca deſerta, quia oratio frequentanda à ſuis ſervis eſt, & ut melior, & Deo acceptior ſit, exigit ſegregationem à turbis, & converſationibus hominum: Et licèt ſemper, & in omnibus actibus noſtris ſit præmittenda, tamen hoc præcipuè faciendum in electionibus Prælatorum. oratio enim medium eſt potiſſimum, non ſolùm ad impetrandum alia, ſed magis ad ſanctam electionem faciendam; edocentur etiam Prælati, quod cum ſint præpediti variis curarum diſtractionibus, & ideò non poſſint facilè ſpeciali devotioni cum aliis intendere, ſaltem interdum quaſi furtim, & raptim ad orationis ſtudium ſe conferant, & hoc, ne omnino refrigeſcant, ne in diſſuetudinem orandi veniant, ne Deo alieni efficiantur, ne gratia divinæ propitiationis eis quaſi inſenſibiliter ſubtrahatur, ſic faciebat Moyſes, etiamſi in multis curis eſſet occupatus; ſic Chriſtus diebus prædicebat, & in noctibus in orationibus ſolus pernoctabat: Prælatis enim ſic facientibus Deus ſpecialiſſimâ gratiâ, & copioſiſſimâ aſſiſtit. *Luc.c.6.v.12.& c.3.v.12. & c.11. in princip. & c.22.v.43.Joan. c.17. v.4. op. de ſex Alis Seraph. cap.8.*

Digitized by Google

4. *Ad diſcipulatum Chriſti vocati, ut à Chriſto eligantur, quænam conditiones.*

Et cum dies factus eſſet vocavit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis. Nota, quòd non ſine maximo myſterio dicitur factum fuiſſe diem poſt orationem nocturnam, & qualem diem? ô fælix, & deſiderabilis dies! ſcilicet ex oratione lumen intellectui acquiritur, & tunc Chriſtus vocavit diſcipulos ſuos, ut eos eligeret in Apoſtolos, ſicque per orationem invenit quæ erant neceſſaria ad Chriſti diſcipulatum, & ad Apoſtolicum munus, ſuntque perfecta humilitas, perfecta paupertas, & perfecta charitas quæ dignum reddunt hominem, ut à Chriſto eligatur in diſcipulum, & Apoſtolum ſuum. *Luc. capit. 6. verſ. 14.*

5. *De vocatione, & electione Apoſtolorum, vide quæ dicta ſunt in Matth. c. 10.*

6. *Ad audiendum verbum Dei qua intentione accedendum.*

Et deſcendens cum illis, ſteit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum ejus, & multitudo copioſa plebis ab omni Judæa, & Samaria &c. Ecce quòd Chriſtus omnibus tam Judæis, quàm Gentilibus ſe communem reddebat; tria autem hic loca de Judæa enumerantur, ſcilicet Judæa, Samaria, & Jeruſalem, & tria ex gentilitate, ſcilicet maritima, & Tyri, & ſidonis, & omnes iſti concurrerunt ad Chriſtum, ut audirent eum, ſcilicet ſuam divinam prædicationem, & illuminarentur in via ſalutis, & ſanarentur à languoribus, ideſt ut ipſam ſalutem conſequerentur: Ecce qua intentione debet homo ad audiendum verbum Dei accedere, ſcilicet ad Chriſtum, ut magiſtrum, & ut medicum, nempè ut in intellectu addiſcant myſteria ſalutis æternæ, & in voluntate percipiant curationem morborum animæ, & in tales ſic audientes virtus verbi Dei exit, & eos ſanat. *Luc. c. 6. v. 18. ſeq. & c. 8. v. 2. op. faſcicular. c. 7.*

7. *Virtus de corpore Chriſti exibat; & ſanabat;* ſicut hic dicitur, an verò hæc virtus verè fuerit infuſa in Chriſti humanitate, an eſſet ex virtute divinitatis, diſputant de hoc Theologi; probabile autem eſt ineſſe in Chriſti corpore virtutem ſupernaturalem inſtrumentariam ad patranda miracula, & hinc dicitur illa virtus exiſſe, quatenus manifeſtabatur in opere, aliiſque communicabatur per effectus miraculoſos. *Luc. c. 6. v. 19. & c. 5. v. 1. & c. 19. in fine & c. 14. v. 4. & c. 8. v. 1. & 42. & 46. op. faſcicular. c. 7.*

8. Hic ſubjungit Evangeliſta ſermonem de beatitudinibus, qui licet fuerit differens ab alio ſermone à Sancto Matthæo deſcripto. *c. 5.* ibi tamen remittimus lectorem, ubi beatitudinum myſteria explanata ſunt, & quæ etiam in textu ad *Luc. c. 6. v. 20. explicantur.*

9. *Paupertas voluntaria fundamentum totius fabricæ ſpiritualis, & beatitudinem quamdam etiam in hac vita affert.*

Et elevatis oculis in diſcipulos ſuos dicebat. Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei. Vide, quòd tam in ſermone habito in monte apud Matth. *cap. 5.* quàm hic in campo, vel valle primo loco collocat inter beatitudines ſuorum ſequacium paupertatem voluntariam; quia hoc eſt fundamentum Eccleſiæ, diſcipulatus Chriſti, & totius perfectionis Evangelicæ; exonerat enim ab omni ſarcina currentem poſt Chriſtum, aufert & omne impedimentum retardativum ad perfectionem, & reddit hominem fælicem, & beatum aliqualiter etiam in hac vita, quia Reges facit pauperes regni cæleſtis. *Ser. 4. Dom. 4. Pentec. ſer. 1. de SS. hil. & Luc. Luc. c. 6. v. 19. & c. 7. v. 23. & c. 16. v. 13. Vide Apol. Paup. Reſp. 3. cap. 1.*

10. *Quale diſcrimen eſt inter beatitudines apud Matthæum, & iſtas apud Lucam à Chriſto enuntiatas.*

Reſponderur, quòd licet aliqui recentiores dicant eſſe eaſdem, & eodem loco utraſque à Chriſto enuntiatas, tamen ut patet ex contextu, certius eſt fuiſſe diverſas, & in diverſo ſenſu, & occaſione prædicatas; nam apud Matthæum ipſas omnibus hominibus Chriſtus propoſuit, ſed tamen in ſublimiori loco, nempè ſpiritualiter amplexandas à ſuis ſequacibus; hic verò addit etiam executionem ipſarum exteriùs practicandam, & ideò diverſum ſenſum habere dicendum eſt; undè in Matthæo dicit; *Beati pauperes ſpiritu*; hic: *Beati pauperes* tantum quia ibi enuntiat tam divitibus, quàm paupertibus paupertatem ſpiritus, ſcilicet abrenuntiationem quoad affectum inordinatum, tamquàm medium neceſſarium ad ſalutem; hic verò intimat ſuis ſequacibus paupertatem etiam externam, ſcilicet renuntiationem totalem & interius, & exterius omnium rerum, quod eſt proprium tantùm diſcipulorum Chriſti, & Religioſorum profitentium perfectam ſequelam Chriſti: In ſecunda beatitudine apud Matthæum dicit, *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*; hic verò dicit *Beati, qui nunc eſuritis*, quia apud Matthæum loquitur de eſurie ſpirituali juſtitiæ, ſcilicet bonorum operum, hic verò etiam de corporali, ſcilicet de abſtinentia corporali per jejunia, & corporis afflictationes: In tertia apud Matthæum dicit: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*, loquens de animi triſtitia aſſumpta pro Chriſto; hic verò dicit: *Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis*, includens fletum, ſolitudinem, & carnis mortificationem; & hinc proſequitur Chriſtus prædicens perſecutiones diſcipulis ſuis imminentes ex perfidia Judæorum. *Luc. cap. 6. hic & communiter ex ſententia Sanctorum Patrum.*

Digitized by Google

11. *Fructus iſtarum quatuor beatitudinum in hac, & alia vita promiſſi à Chriſto ſuis diſcipulis expenduntur.*

Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei; Beati, qui nunc eſuritis &c. Nota, quòd non ſine myſterio notabili quatuor tantùm beatitudines Chriſtus loquens ſuis diſcipulis hic ſimul congregatis cum turbis exprimit; in monte verò loquutus eſt tantum diſcipulis, ideò etiam altiori modo eis loquutus eſt; hic verò planiori modo ad faciliorem captum omnium, cum hic præcipiat etiam actus externos ſimul cum interiori copulandos, oſtendit autem hic, quòd quadruplex eſt genus operum, & meritorum, quibus anima in Deum totaliter erigitur à terrenis, ſimulque rectificatur liberum arbitrium: primum enim locum occupat contemptus bonorum temporalium per veram, & realem, & externam paupertatem, & renuntiationem ipſorum, & huic promittitur regnum opulentum, quod conſiſtit in participatione divinæ poteſtatis & hoc etiam in præſenti vita, undè dicit Chriſtus, *Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei*; nota ly (*eſt*) de præſenti, hoc eſt tum ob certitudinem promiſſionis, tum ob præſentem felicitatem, quia hic incipiunt eſſe reges, & fælices, quia expediti ſunt ab omni ſarcina, & impedimento ad poſſeſſionem regni cæleſtis: ſecundum locum obtinet eſuries, ſcilicet non ſolùm deſiderium ſpiritualium bonorum, ſed & afflictatio per famen, ſitim, inediam, atque jejunia corporis ad imitationem Chriſti, cui promittitur guſtus divinæ bonitatis, & convivium abundantiæ ſpiritualis in hac vita, & perfecte in alia vita: tertium locum obtinet fletus, ſcilicet non ſolùm fletus lachrymarum ex oculis prodeuntium, ſed & nomine fletus veniunt corporis afflictationes, infirmitates, calamitates, cæteraque alia mala externa, & interna tolerata pro Chriſto, ideò dicit, qui nunc, ſcilicet in hac vita fletis, & pro peccatis commiſſis veſtris, & pro alienis, & pro aliorum miſeriis, & pro evadendis peccatorum periculis, & tentationibus, & pro deſiderio æternorum; iſtis promittitur riſus, ſcilicet contemplatio æternæ veritatis, jucunditas mentis: quartum locum obtinet patientia in tribulationibus, & perſecutionibus, cui promittitur merces multa, ſcilicet beatitudo in Cœlo præparata durativa in æternum, quæ eſt complementum omnium noſtrorum deſideriorum; & in his quatuor claditur perfecta oratio voluntatis humanæ reſpectu duplicis boni, & reſpectu duplicis mali. *Luc. c.6.v.20. ſeq. & v.26. ſer.5. de uno Mart. ſer.5. de uno Confeſſ. ſer.1. de omn. ſanctis.*

12. *Abſtinentia corporalis pro Chriſto aſſumpta quàm meritoria.*

Beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini. Nota ly nunc, id eſt in hac vita, qui eſuriem, & ſitim pro Chriſto patimini, quia ſaturabimini in alia vita fructu illo ſuaviſſimo, quem nobis peperit Virgo Maria. *Op. ſpec. Beata Virg. lect. 17.*

13. *Merces à Chriſto præparata patienter tolerantibus in hac vita tribulationes, & perſecutiones expenditur.*

Beati eritis, cum vos oderint homines &c. ecce enim merces veſtra multa eſt in Cœlo. Nota, quòd in his verbis exponit Chriſtus omnes perſecutiones, quibus ſubjacere debebant ſui diſcipuli, eorum tolerantiam, & fructum; dicit igitur *Beati eritis cum vos oderint homines*, ſcilicet animales, beſtiales, & crudeles vos oderint quantum ad actum cordis: ſubdit & cum ſeparaverint vos, ſcilicet quantum ad actum operis ejiciendo extra ſynagogas, in vos conſpirantes, & vos malè tractantes; ſubdit, *& exprobraverint*, ſcilicet convitiando vobis, *& ejecerint nomen veſtrum*, ſcilicet detrahendo quantum ad actum oris, & hoc propter nomen meum, ſcilicet in odium nominis mei, & hæc eſt cauſa totius meriti, quia pœna non facit martyrem, ſed cauſas ſubjunxit Chriſtus: *gaudete in illa die, & exultate*; non ſolùm tolerare debetis omnia iſta mala cum patientia, ſed & gaudere, ſcilicet in corde in illa die, nempè non ſolùm poſt perſecutiones, ſed tunc quando inferuntur; & exultate, etiam in corpore, & in parte exterioti: cur hoc gaudium & exultatio? ſubdit: *Ecce enim merces veſtra multa eſt in Cœlo*: Nota hæc tria, *merces, & multa, & in Cœlo*, quæ tria reſpondent antecedentibus, gaudete, quia merces eſt vobis propoſita, & retributio; *exultate*, quia magna eſt, & multa eſt; & *in illa die*, ideſt perſecutiones erunt veluti unius diei, & momentaneæ, ſed merces erit in Cœlo multa, & magna, & perpetua: Nota etiam, quòd præmium proponitur ſub nomine mercedis, licèt ei poſſit competere etiam nomen coronæ, bravii, & hæreditatis; nam in opere bono, & in perſecutionibus invenitur pugna, & certamen, ideò ratione victoriæ dicitur corona; & quia in talibus perſecutionibus juſti inter ſe æmulantur, dicitur etiam bravium; & quia in dignitatem tam ſublimem elevantur per gratiam Chriſti, ideò ut filiis gratiæ proponitur hæreditas; & quia in his operibus bonis concurrit etiam difficultas, & defatigatio, quæ eſt potiſſimum medium merendi, & perveniendi ad præmium, ideò appellatur merces magna, & multa promiſſa benè operantibus, & præparata in Cœlo intertributionem laborum, & operum factorum: Nota etiam, quòd in his verbis oſtendit Martyres, & pro ipſo patientes futuros eſſe ſibi ſimiles in hoc, quòd ſicut ipſe dum in corpore torquebatur, ſuperior portio animæ Deo fruebatur, ſic & Sancti, dum in corpore ſubjecti erant paſſionibus, & tormentis, in animam tamen tunc deſcendebat è theſauris divinitatis gratia Spiritus Sancti, & dulcedo melliflua cæleſtis eos reficiens, confortans, & vires novas eis communicans, in qua abſorbebantur velut in mari dulciſſimo amaritudines pœnalitatum, & percipiebant ſenſibiliter quàm ſuavis ſit ſpiritus, & amor Chriſti; ergo meritò gaudere debent juſti in his paſſionibus, & perſecutionibus. *Luc. c.6. v.23. op. de Prof. Religioſ. lib.2.c.36.*

Digitized by Google

14. *Patientia, magnalia, & fructus expendantur.*

Beati eritis, cum vos oderint, &c. gaudete, &c. Vide quomodo omnes ſuos ſequaces invitat ad patientiam, quæ naſcitur ex charitate, & humilitate, & qua æquo animo, & ſine vitioſa perturbatione tolerantur mala, & per quam anima non ſolùm peccata purgat, & præcavet à futuris, ſed etiam gratiam in præſenti lucratur, & magnam gloriam in futura vita, & hoc eſt, quod facit ſanctos lætari, & gaudere in medio tribulationum. *Op. de Prof. Religioſ. cit.*

15. *Crucem Chriſtus propoſuit ſuis ſequatibus, & aliam ſuis hoſtibus.*

Beati pauperes: beati, qui eſuritis; beati, qui nunc fletis; beati eritis, cum vos oderint, &c. Nota, quod non ſine myſterio quatuor beatitudines tantùm propoſuit Chriſtus in hoc ſermone ſuis diſcipulis, per quatuor genera malorum, & pœnarum, & deindè concludit gaudere, & exultare, &c. hocque fecit, quia voluit proponere ſuis ſequacibus crucem quatuor latera continentem, per quam à contrario ad contrarium fit tranſitus, ſcilicet à paupertate ad regnum, ab abſtinentia ad ſatietatem, à luctu ad riſum, à perſecutione ad mercedem æternam: E contrà aliam crucem expoſuit ſuis inimicis, per quam fit tranſitus à contrario ad contrarium, ſcilicet à divitiis, & opulentia ad æternam penuriam, à ſaturitate, & crapula ad æternam eſuriem, à riſu ad fletum, à vana gloria ad æternam pœnam; væ vobis divitibus, &c. væ vobis, qui ſaturati eſtis, qui ridetis, &c. væ vobis cum benedixerint, &c. *Luc cap. 6. verſ. 25.* Ex quibus patet, quod unuſquiſque poſitus eſt neceſſariò vel in bonam, vel in malam crucem.

16. *Divites pauci ſalvantur.*

Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram: legit Ambroſius ex Græco, *qui hic habetis conſolationem veſtram:* Sed cur tanta æternorum ſuppliciorum comminatio divitibus, cum multi ſancti legantur in utroque Teſtamento in divitiis abundaſſe? ſed attende ad ſenſum verborum Chriſti, nam iſtam comminationem adverſativam poſuit, prout adverſatur primæ beatitudini paupertatis, & ideo ſubdit, qui hîc habetis conſolationem veſtram, ſcilicet qui confiditis in divitiis, qui inhiatis ad divitias congregandas, in quibus ſtat veſtra conſolatio, væ vobis, ait Chriſtus; & notandum, quod licet aliqui divites fuerint ſancti, fuerunt tamen pauciſſimi, & ideò de iſtis loquitur Scriptura in ſingulari, & cum conditione, *ut Eccl. cap. 31. Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula*, ſed pluraliter damnantur à Chriſto, *Væ vobis divitibus*, & ideo inter iſtos pauciſſimi ſalvantur. *Luc. c. 6. v. 24. op. Expoſ. Regula c. 6. Pſal. 55.*

17. *Chriſtus non eſt acceptator perſonarum, ſed ad ſe trahit & pauperes, & divites.*

Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram. Nota, quod hic loquitur de divitibus, qui totam ſuam ſpem, & amorem collocant in divitiis relicto Deo; attamen non per hoc ſtat, quin etiam divites ad ſe trahat; voluit enim adorari in præſepio à pauperibus, & à divitibus, ut intelligeremus, quod pauperes poſſunt per patientiam, & tolerantiam miſeriarum hujus vitæ ad Chriſtum incedere; & divites per erogationem eleemoſynarum, & liberalitatem in pauperes. *Op. ſpecul. B. Virgin lect. 4.*

18. Lex à Chriſto facta eſt, ut alterna fiat mutatio: qui in hac vita conſolatur in terrenis rebus, qui crapulæ, & ebrietati vacat, qui in gaudiis mundanis tripudiat, qui in vana gloria mundana ſe perdit; in altera torquebitur, famem caninam patietur, planget perpetuò, & ineet tortores dæmones æternum incendium patietur, ſic Chriſtus intimat omnibus in his verbis, *Væ vobis divitibus, &c. ſerm. 2. Dom. 24. Penteceſt. ſerm. 2. & 5. Dom. 2. Advent. Luc. hic Ioan. c. 16. v. 22. ſap. c. 6. Pſal. 41. & 53. Eccleſ. 6. 2. & 3. & 7.*

19. *De dilectione inimicorum hic præceptum Chriſtus refricat: de quo vide in Matth. cap. 5. ubi plura; ſicut de percuſſione maxillæ, ejuſque myſteriis; Vide etiam hic textum in Lucam.*

20. *De eleemoſyna præcepto vide in Matth. cap. 5. quod hic repetitur omni petenti, &c. Vide in textum S. Luc. cap. 6. verſ. 30. Pſalm. 36. op. de Paup. Chriſti a. 2. Comp. Theolog. lib. 5. c. 70. ſer. 2. Hexam. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1.*

21. *De uſura cavenda vide in Matth. cap. 5. Luc c. 6. v. 35. op. ſpec. An. c. 2.*

22. *Bonum reddere pro malo eſt imitationis Chriſti opus, proprium maximè Prælatorum.*

Diligite inimicos veſtros, &c. Et erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi. Cur præcipue promittit, & proponit filiationem diligentibus, & benefacientibus inimicis? ſubjungit; quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos, & malos; Ecce quid exigit Chriſtus ab iis, quos ditavit ſua fide; hæc enim dictat filios imitari debere Patrem, Pater autem ſcilicet Chriſtus bonus, & beneficus eſt non ſolùm ſuper dilectos filios, ſed etiam ſuper ingratos, & malos, & hoc præcipuè dirigitur ad Prælatos, qui in hoc debent ſuper alios excellere, ut perfectè repræſentent bonitatem excedentem ſummi Paſtoris in bonos, & malos. *Op. de ſex Alis Seraphin. cap. 5. Luc. cap. 6. hic & cap. 10. verſ. 37.*

Digitized by Google

23. *Exemplo ſuo Chriſtus nos excitat ad miſericordiæ opera.*

Eſtote ergo miſericordes,ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Ecce quod videns Dominus Jeſus miſericordiam , & charitatem refrigeſcere , malitiam , & carnalitatem invaleſcere ; voluit nos dirigere ſecundùm regulam divinam ad opera miſericordiæ , & charitatis dicens, Eſtote miſericordes , ſcilicet ſubveniendo alienæ miſeriæ , & hoc ſecundum regulam divinæ exemplaritatis , ſicut & Pater veſter miſericors : ô quàm miſericors ! nam licet à peccatoribus turpiter contemnatur , non ceſſat tamen ipſos inceſſanter vocare ad ſe , eiſque benefacere,& eos expectare ad pœnitentiam.*Ser.1.Dom.1. poſt oct.Pentec.*

24. *Miſericordiæ operum utilitas expenditur.*

Eſtote miſericordes, &c. eadem enim menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Ecce quomodo Chriſtus allicit nos ad opera miſericordiæ ex utilitate ipſorum , nempè primò quia miſericordia in proximum liberat à malo , reſolvendo vincula culpæ , qui enim vendiderat animam ſuam diabolo per iniquitatem , poteſt eam redimere per miſericordiam , & veritatem : ſecundò locupletat in merito augmentando dona gratiæ ; hæc enim eſt una virtus , quæ multiplicat per ſpiritualia , & temporalia, & etiam levat in ſublimem locum gloriæ ; ideò tertio beatificat in præmio perducendo ad gaudium vitæ. *Ser.1.Dom.1.poſt oct. Pentecoſt.Diat.tit.8. cap.3. op.medit.cap.53.ſer.4.op. de dec. præc. op. de grad. virt. cap.6. op.Eccleſ. Hier. p.3. cap.3. op.Comp. Theol.lib.3.cap.19. Ioan. cap.5.verſ.21. Luc.cap.6. hic.*

25. *Operum miſericordiæ iterum fructus expenduntur.*

Eſtote miſericordes,ſicut & Pater veſter,&c.date, & dabitur vobis. Quid dabitur ? Ecce quid:miſericordia in proximum eſt utiliſſima,quia per eam homo in mundo gratiam meretur , in extremo fiduciam ſalutis affert ; in judicio miſericordiam donat , quia pro miſericordibus allegat in judicio,& in Cœlo gloriam meretur, quia hæc conducit ad poſſeſſionem regni. *Ser.1.Dom.1.poſt oct. Pentec.*

26. *Damna , quæ affert immiſericordia in proximum.*

*Eſtote miſericordes,&c.date,& dabitur vobis.*Ergo ſi non dabis , non dabitur tibi ? imò & dabitur tibi maxima pœna; nam non facientes miſericordiam meritò privantur beneficio gratuitæ donationis ; item vituperabuntur in judicio opprobrio duræ increpationis , & tandem cruciabuntur ſupplicio æternæ damnationis,quia qualis tu fuiſti proximo,talis erit tibi Deus. *Ser. 1. & 3. Dom.1.poſt oct.Pentec.*

27. *Tota judicialis ſententia Chriſti , & judicialis diſcuſſio erit ſecundùm exhibita , & non exhibita opera miſericordiæ :* ſic dicit Chriſtus , *Eſtote miſericordes , &c. eadem menſura , qua menſi fueritis , remetietur vobis :* ergo merito judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam : *Ser.3.Dom.1. poſt oct. Pentecoſt. ſerm.4. Dom.21. Pentec.op.Comp.Theol.lib.7.c.23.ſer.3. Aſcenſ.Diat.tit.3. c.3. & 6. op. de Prof. Religioſ. lib.2.c.24.op.Myſt.Theol.c.3.p.2.*

28. De judicio temerario in hæc verba : *Nolite judicare , &c.Vide in Luc.hic; & in Matth. cap.7. Diat.tit.7.c.4 op.ſtim.p.3.c.17.op.de Prof. Religioſ. lib.1.cap.1.Luc.cap.12.verſ.4.& c.15.verſ.2. Ioan. c.2. verſ.10.ſerm. 3.Dom.2. Pentecoſt.ſap. cap.8. Pſal.118. cap.1.v.6. op. Regula Novit.cap.12. op. Comp.Theol.lib.3.cap.7.* De eo,qui dicit Domine, Domine , &c. item & de ædificante ſuper arenam ; item & de fructibus arboris bonæ,& malæ : *Vide expenſiones in Matth. 6.7. & c.12. Luc. c.6.hic in textu Seraph.Doct.*

29. *Ad perfectionem invitat Chriſtus ſequentes ſe ſuo exemplo.*

Non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum , perfectus autem omnis erit , ſi ſit ſicut Magiſter ejus. Nota, quod in hac ſententia Chriſtus non intelligit univerſaliter docere , quod diſcipulus non poſſit doctior ſuo magiſtro effici , ſi aliundè etiam doctrinam habeat , nempè ſtudio , intentione, & diligentiâ propriâ ; ſed loquitur de illa ſcientia , quam à magiſtro ſolo recipit , & ſine qua doctior eſſe non poteſt ; & hæc eſt doctrina de perfectione Chriſtiana , de qua hic loquitur , quæ à ſolo Chriſto provenit , & quam ipſe verbis , & exemplis docuit , & docet , ſcilicet de perfectione Evangelica , quæ eſt perfecta conformitas viatoris ad Chriſtum per illum virtutum habitum , quo ſupererogativè declinantur mala,efficiuntur bona , & adverſa perferuntur , & in his tribus tres partes Evangelicæ perfectionis conſiſtunt: cum enim ex converſione inordinata ad triplex bonum commutabile , ſcilicet exteriùs , interius & inferius omne peccatum trahat originem ſecundùm concupiſcentiam oculorum , ſuperbiam vitæ , & concupiſcentiam carnis , & hæc tria habeant vitari non ſolùm quantùm ad actum , & conſenſum,quod fit per virtutes illis oppoſitas , verum etiam quantùm ad occaſionem , & hoc quidem promotivum ſit in merito , & expediens ad ſalutem perfectionis !, Magiſter Chriſtus ad perfectè declinandum concupiſcentiam oculorum , conſulit , ut hæc omnia temporalia relinquantur per votum paupertatis ; contrà ſuperbiam vitæ per votum obedientiæ, contrà concupiſcentiam carnis per votum caſtitatis : Ex quorum obſervantia redundat ſupererogativa proſecutio bonorum, & hoc per exercitium charitatis ad proximum,ſivè amicum , ſivè inimicum, & per actionem mentis in Deum per amorem, & devotionem , & per perpeſſionem adverſorum,quæ omnia perfectus Magiſter perfectiſſimè docuit in præcedentibus & verbo , & exemplo, & ad hanc perfectionem invitat omnes ſuos diſcipulos dicens , perfectus autem erit , ſi ſit ſicut Magiſter. *Op.Apol.Paup.Reſp.1.c.3.ſer.1.Dom.12. poſt Pentec.*

30. *Poſt*

Digitized by Google

30. *Poſt Chriſtum Fratribus Minoribus proponitur in exemplum Sanctus Pater Franciſcus.*

Perfectus autem erit diſcipulus, ſi ſit ſicut Magiſter ejus. Nota, quod cum Sanctus Pater Franciſcus fuerit perfectiſſimus imitator crucifixi Ieſu, ideo ipſum poſuit in Eccleſia, ut ſuos filios invitaret ad ſui imitationem in obſervantia præceptorum, & conſiliorum Evangelii, fuit enim perfectiſſimus Magiſter in certamine quotidianæ tentationis, in operatione bonæ actionis, in itinere humanæ peregrinationis; & in cæteris virtutibus omnibus, ideo & Chriſtus in ipſo impreſſit ſua ſtigmata, ut per ipſa omnes excitaret ad ſui imitationem, & ad perfectionem virtutum. *Op. Apol. Paup. loco cit. ſerm. 3. de S. Ant. de Padua in addit.*

31. Ex qualitate converſationis exterioris cognoſcitur quid ſit interiùs in homine; nam ut ait Chriſtus hic, *Unaquæque arbor ex fructu ſuo cognoſcitur, ſer. de S. Luca ſer. 4. de Apoſtolis.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd cum Chriſtus in ſuperioribus, commendaverit variis modis doctrina ſua veritatem; hic ad maiorem ipſius commendationem manifeſtatur Doctoris ſubtilitas per tria præcipuè, ſcilicet per excellentiam poteſtatis oſtenſa per miracula, per evidentiam veritatis, quæ exiit inter populos, & per affluentiam pietatis oſtenſa in acceptione peccatricis. Luc. c. 7. in prine.*

CAP. VII.

1. *Cur Chriſtus tam ſæpe in civitate Capharnaum concionatus fuerit, & fecerit tot miracula?*

Cum autem impleſſet omnia verba ſua in auribus plebis, intravit Capharnaum. Quæritur hic cur tanta fecit, & dixit in hac civitate tam privilegiata? Reſpondetur, quod hæc civitas erat in confinio gentium, & per hoc oſtenditur Chriſtus lapis angularis uniens in unum populum Gentilem, & Judaicum, & ipſe omnibus communis. *Luc. c. 7. v. 1.*

3. *De myſteriis curationis ſervi Centurionis vide in Matth. cap. 8. & hic in Luc. c. 7.*

4. *Modus accedendi in oratione ad Deum & impetrandi petita in Centurione exhibetur.*

Centurio cum audiſſet de Ieſu, miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum, &c. Ecce hic expreſſæ conditiones perfectæ orationis, & modus impetrandi quicquid petitur; primò enim præmittitur Centurionis reverentia in ſupplicando; quia indignum ſe exiſtimans accedere ad Ieſum, miſit ſeniores; tamquam magis dignos ad Jeſum, ipſumque per eos interpellans Dominum; Chriſtus autem volens petitioni eorum condeſcendere, ideò ibat cum illis ad domum Centurionis, & cum eſſet propè domui ipſius; ſcilicet materiali, ſed magis domui mentis ejus; miſit ad eum Centurio, & confitendo ſuam indignitatem dixit Domine noli vexari, non enim ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus: ſic enim conſiderabat divinæ Majeſtatis altitudinem, ideo dicebat Domine non ſum dignus, &c. item & recognoſcebat propriæ infirmitatis vilitatem, ideo dicebat propter quod & me ipſum dignum non ſum arbitratus, ut venirem ad te; & poſteà profitendo divinæ virtutis facilitatem, addit, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur puer meus; quaſi dicat cum apud te non ſit impoſſibile omne verbum, quia non differt apud te facere, & dicere, cum ſis illud verbum, per quod facta ſunt omnia, & ille ſermo unicus, & efficax poteſtate plenus, qui ſanat omnia; *dic ergo verbo, & ſanabitur puer meus*; & hinc, quia Chriſtus humiles, & confidentes in ſe reſpicit, ecce ſtatim divinæ gratiæ appropinquatio, & operatio divinæ pietatis, ad domum ægroti per morbi curationem; ideo ſubinfertur invenerunt ſervum ſanum, quia priùs pervenit virtutis operatio, quàm ſervorum receſſio. *Ser. 4. Dom 16. Pentec. Luc. c. 7. v. 7. ſeq.* Ex quibus etiam datur modus curandi peccatorem à culpa; tria enim debent concurrere: primum eſt recognitio propriæ infirmitatis, & peccati: ſecundum eſt interventio Apoſtolicæ auctoritatis, ſcilicet Confeſſarii: tertium condeſcentio poteſtatis divinæ appropinquantis ad domum ægroti per gratiæ infuſionem. *Luc. c. 7. ibid.*

5. *Miraculum ſuſcitationis adoleſcentis filii Viduæ apud Naim litteraliter expenditur ſecundùm omnes ſuas circumſtantias.*

Et factum eſt deinceps ibat Ieſus in civitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli ejus, &c. cum autem appropinquaret porta civitatis, ecce defunctus efferebatur, &c. Vide, quod Chriſtus Ieſus in confirmationem ſuæ doctrinæ poſt miraculum de curatione morituri, aliud miraculum addit de ſuſcitatione mortui; in quo miraculo tria conſideranda proponuntur præcipua: primum eſt ratio movens reſpectu miraculi faciendi: ſecundum eſt cauſa efficiens miraculum: tertium eſt efficacia ſubſequens ad miraculum jam factum: Ratio movens Chriſtum ad hoc miraculum faciendum fuit duplex; prima eſt documentum ignorantium in intellectu, ut ſcilicet ſocios, & turbas erudiret in myſteriis fidei; & ſolatium mœrentium in affectu; ut ſcilicet conſolaretur Matrem mortui, & ipſum comitantes; cauſa efficiens eſt ipſe Chriſtus motus ex affectu pietatis in corde, & ſua virtute divina concurrens ad ſuſcitationem

mortui;efficacia ſubſequens oſtenſa eſt inſuſcitatione mortui,& in promotione fidei,quia accepit omnes timor, & magnificabant Dominum. *Luc. c.7.v.1.ap.medit.c.26.*

6. *Peccati miſeria expenduntur in hoc mortuo.*

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ, & turba civitatis cum illa, &c. Ecce quomodo in hoc mortuo exprimuntur miſeriæ, & calamitates peccati in hac, & altera vita; mors enim eſt ſtipendium peccati, ſicut & miſeriæ hujus vitæ: ordo enim divinæ juſtitiæ exigit, ut peccatum triplici pœnali ſtipendio puniatur,primum eſt per miſerias, & calamitates hujus vitæ,quam in continua morte propter peccatum ducere cogimur: ſecundum eſt ſeparatio animæ à corpore, mors enim eſt defectus ex peccato proveniens: tertium eſt cruciatus ſempiternus in inferno præparatus recuſantibus pœnitentiam: Ecce quomodo in lachrymis,& fletu hujus mulieris, & turbarum exprimuntur effectus peccati. *Ser.4. Dom.15. poſt Pentec.*

7. *Myſteria trium mortuorum ſuſcitatorum à Chriſto expenduntur,& præcipuè hujus adoleſcentis.*

Et ait adoleſcens tibi dico ſurge, & reſedit qui erat mortuus. Nota, quòd licet Chriſtus plurimos ſuſcitaverit, tamen tantum fit mentio de tribus, ſcilicet de puella ſuſcitata in domo Archiſynagogi; de adoleſcente in porta civitatis, & de Lazaro quatriduano, nec hoc vacat myſterio; nam per mortuum ſignificatur peccator exiſtens in peccato mortali mortuus, & carens vita gratiæ; & ideò triplex genus peccatorum in his tribus mortuis ſignificatur: in puella ſignificatur peccatum cogitationis per conſenſum; in adoleſcente peccatum cogitationis & operationis; in Lazaro peccatum conſuetudinis; ex qua emanant ſequelæ peccati; primum peccatum cogitationis facilè curatur, ideò puella ſtatim ſurrexit, & ambulabat: ſecundum ſcilicet operationis eſt difficilius, quia ſicut iſte reſedit in loculo, per quod ſignificatur, quòd remanet poſt ſuſcitationem pronitas ad peccatum: in tertio ſignificatur maxima difficultas in reſurgendo propter conſuetudinem, & malum habitum radicatum in anima, ideò adhuc ſuſcitatus ligatus erat, quia conſuetudinarius habet magnam pronitatem ad malum, & difficultatem ad bonum. *Sermon. 2. & 4. Dom. 15. poſt Pentecoſt. Luca cap. 7. verſ. 16. & cap. 8. verſ.52. Ioan. cap.11. verſ.1.& lib. 4. d.14. dub. 11.parte 2.Luc.c.8.v.55.& c.15. verſ.10. Ioan. collat.53.*

8. *Alia myſteria hujus miraculi enodantur in ordine ad ſtatum juſtitia, perfectionis,& pœnitentia.*

Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus, &c. Nota, quòd ſpiritualiter triplex ſtatus juſtitiæ, & perfectionis in hoc miraculo, & triplex ſtatus pœnitentiæ indicatur, ſtatus juſtitiæ in comitatu domini ejus, & adoleſcente reſuſcitato, & ſtatus pœnitentiæ in ipſo reſuſcitato, ſtatus juſtitiæ repræſentatur in Chriſto, & comitatu ſuo, ſcilicet ſtatus Prælatorum in Chriſto; ſtatus contemplativorum in diſcipulis comitantibus Chriſtum, & ſtatus activorum in turbis, quæ verſantur in fluctibus mundi, Chriſtus autem videns oculo divinæ pietatis mulierem viduam dolentem, & flentem de morte unigeniti filii ſui, ut omnes, ſed præcipuè Prælatos excitaret ſuo exemplo ad pietatem, dignatus eſt matrem dulciter alloqui, & conſolari reddendo ei filium vivum: ſtatus autem contemplativorum ſignificatur in diſcipulis comitantibus Chriſtum, qui ad montem viſionis cæleſtium myſteriorum jam elevati fuerant in monte Thabor, cui propè erat iſta civitas, poſt quam elevationem ſecuti ſunt Chriſtum, ut viderent ejus mirabilia opera; & deindè figurabatur ſtatus activorum in turba: ſtatus etiam pœnitentiæ triplex in hoc adoleſcente figuratur; nam primò reſedit, ſcilicet ſurrexit per contritionem, cœpit loqui per confeſſionem, & redditus eſt matri vivus per ſatisfactionem, quia tali medio non tantùm redditur debitum Deo Patri, ſed & matri Eccleſiæ. *Luc. cap. 7. verſ. 16. ſermon. 4. Dom. 15. Pentec. opuſcul. Compend. Theol. lib.6. cap.23.*

9. *Unuſquiſque noſtrum portatur ad ſepulturam à quatuor portitoribus.*

Ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Nota, quod à quatuor viris portabatur ad ſepulturam iſte mortuus: quid hoc ſignificat; nempè quod quilibet noſtrum ad mortem corporalem, quæ eſt ſtipendium peccati; portitores autem ſunt quatuor elementa, quibus noſtrum corpus eſt compactum, quia enim perpetuò pugnant inter ſe; terra contra aerem, aqua contra ignem, & è contra; hinc eſt, quòd corpus noſtrum ſubjectum eſt continuæ pugnæ horum elementorum, & per quam ſemper ulteriùs procedit ſubjectum perpetuæ morti. *Vide lib.2. d.19. a.3. queſt.1. corp. op. de tribus ternar. peccat. c.4. ſer.1.in Paſcha. lib.2. d.15.a.1. qu. 2. ad arg. lib. 2. d.19. dub. 5.* Et hinc rectè dicitur, quod efferebatur, quid eſt efferebatur,ideſt extra ferebatur; extra ſcilicet delectationes, vanitates,& voluptates mundi, poſt quas ſolùm peccata, & opera, vel bona,vel mala remanent. *Serm. 1. in Rogat.ſer.2. de mortuis.*

10. *Curatio funeris mortuorum opus pium, & ſanctum.*

Ecce defunctus efferebatur, &c. & turba civitatis cum illa. Vide quomodo libenter Chriſtus accedit ad hoc funus, ut ſicut turba concurrerat ad condolendum, & conſolandum matrem flentem, & ad aſſiſtendum huic funeri, ſic ipſe oſtenderet hoc opus eſſe valde pium, Deoque charum.*Luc.ibid.Ioan.c.19. ad finem. opuſc. Bibliæ Paup.c.132.*

11. *Abſente Chriſto mors prævalet; præſente recedit.*

Ecce defunctus efferebatur, &c. & acceſſit, & tetigit lectulum, hi autem, qui portabant ſteterunt, &c. Vide quomodo Chriſto abſente mors obtruncaverat vitam huic adoleſcenti, ſed ipſo accedente ſtatim mors abſcedere cogitur, & mortuus ad vitam revocatur; ubi enim Chriſtus abeſt, ibi mors, & omne malum, ubi adeſt, ibi vita, & omne bonum. *In Luc. cap. 7. hic Pſalm. 101. Sap. c. 4. Luc. c. 8. v. 40. ſeq. & cap. 9. verſ. 33.*

12. *Peccator quomodo, & à quibus effertur ad mortem, & ad infernum.*

Ecce defunctus efferebatur unicus, &c. Quo efferebatur? efferebatur à portitoribus ad ſepulturam: ô quot portitores habet diabolus portantes peccatorem ad infernum! iſti autem portitores ſunt Dæmones, ſunt & mali conſiliarii, & ſcandaloſi, & inſtigantes ad malum variis modis, qui efferunt peccatorem de mala voluntate ad malam actionem, de mala actione ad conſuetudinem, & de vitio in vitium uſque ad infernum. *Sermon. 1. Dom. 15. poſt Penteceſt.*

13. *Chriſti diſcipuli efferunt mortuos ad vitam exemplo Chriſti.*

Nota, quod Chriſtus ſuſcitavit hunc mortuum ad vitam, ut exemplum ſuis diſcipulis præberet, quid ſibi faciendum eſt: efferuntur enim mortui de culpa ad gratiam, de malo ſtatu ad bonum, de mundo ad Religionem per Rectores, per Doctores, per Prædicatores, per orationes bonorum; & ſicut in Levit. c. 4. præcipiebatur, ut vitulus extra caſtra efferretur, & comburereretur, ſic præcipit Chriſtus ſuis miniſtris, ut efferant peccatores extra caſtra mundi, & comburantur igne pœnitentiæ, & amoris Dei, & hoc eſt proprium munus Rectorum, & Prædicatorum. *Op. Apol. Paup. op. Quare Fratres Min. prædicent. Pſ. 118. c. 1. v. 11.*

14. *Anima in morte effertur ad ſepulchrum vel Inferni per Dæmones, vel Cœli per Angelos.*

Filius unicus efferebatur, &c. Efferebatur quidem corpus ad ſepulturam, ſed poſt mortem adſunt alii portitores portantes animam; quæ ſi moritur in peccato mortali effertur ad ſepulturam Inferni per Dæmones demiſſo ad terram capite, & ligatis pedibus ad modum galli gallinacei cum portatur ad forum, ut dicit *Iſa. c. 22.* Si in gratia moritur portatur ab Angelis in Cœlum, ad quod lætiſſimum funus accurrunt, & conveniunt, ut ſigna, & chorum lætitiæ faciant, & oſtendant. *Sermon. 1. Dom. 15. poſt Pentecoſt.*

15. *Mors quadruplex expenditur.*

Et ecce defunctus efferebatur, &c. Nota, quòd in iſto defuncto quadruplex mors exprimitur: mors corporalis, & ſecundù hanc alii moriuntur in diabolo, ſcilicet in peccato mortali, alii moriuntur in Domino, ſcilicet in gratia de quibus dicitur *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, iſta bona eſt mors propter requiem, melior propter novitatem, & optima propter ſecuritatem; illa mala eſt in exitu è mundo, peior in ſeparatione carnis, & peſſima in vermis, & ignis duplici contritione: tertia eſt mors ſpiritualis, de qua ſupra; quarta eſt mors æternalis. *Sermon. 2. Dom. 15. Pentec.*

16. *Principium vitæ in mortuo ſpirituali eſt à locutione.*

Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Ecce quale ſignum vitæ dedit, ſcilicet loqui cœpit, & hoc eſt, quod à quolibet mortuo volente reſurgere debet fieri; debet priùs in ſe reſidere per contritionem, & loqui in confeſſione peccatorum, & laudibus divinis. *Ser. 3. Dom. 15. Pentec.*

17. Deus à nobis laudandus ſemper exemplo turbarum, de quibus legitur, quod *accepit omnes timor, & magnificabant Deum.* Sic enim nos videntes tot mirabilia à Chriſto pro ſalute noſtra patrata debemus Deum inceſſanter laudare pro tot beneficiis nobis collatis. *Ser. 4. Dom. 15. Pentec.*

18. *Chriſti invitantis vox præcipuè dirigitur ad adoleſcentes.*

Adoleſcens tibi dico ſurge: & Marc. c. 6. Puella tibi dico ſurge. Notent hæc verba adoleſcentes, & puellæ, quibus inceſſanter, eos tangendo per varias inſpirationes, vel per flagella, vel per prædicationem verbi Dei, dicitur à Chriſto, & ab Angelis cuſtodibus, *Adoleſcens tibi dico ſurge*, ſcilicet recede à via mala, ſurge à morte peccati, ſurge ab illo infeliciſſimo cœno, in quo jaces in luxuria, & voluptatibus, & reduc te ad vitam, ad gratiam per pœnitentiam; cum enim Chriſtus Jeſus invitet omnes ad ſurgendum à peccato, peculiari tamen modo dirigit hæc verba adoleſcentibus per inſpirationes, quia eorum converſio, & profectus ſummopere Deo placet, & in his congaudet. *Ser. 4. Dom. 4. Adv.*

19. *Chriſti maxima miſericordia in reſuſcitando mortuos expenditur.*

Miſericordiâ motus ſuper illam, dixit noli flere, &c. Ecce quomodo miſericordia Chriſti infinita elucet in reſuſcitando mortuum corporaliter, ſed magis in reſuſcitando ſpiritualiter de morte peccati ad vitam gratiæ: ſed ineffabilis poſteà oſtendetur in reſuſcitando omnes mortuos in die judicii, tuncque miſericordiam Dei laudabunt reſurgentes de ſepulchris ad vitam gloriæ cœleſtis, ſicut ineffabilis triſtitia è contra erit in illis, qui reſurgent ad pœnam, ut in ſepulchro inferni æternaliter putreſcant. *Ser. 4. Dom. 6. Pent.*

20. *Miſſio diſcipulorum ad Chriſtum facta à Ioanne: reſponſio Chriſti, aliaque myſteria enodantur ibi Matth. c. 11. & hic in Luc. c. 7. v. 18. & deinceps.*

Digitized by Google

21. *Inter præcipua miracula Chriſti conſummátio omnium fuit prædicatio,& collocatio paupertatis pro fundamento totius fabricæ ſpiritualis.*

Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, pauperes evangeliʒantur. Nota, quod ad ſuadendam veritatem,quod ipſe eſſet Chriſtus diſcipulis Joannis, multa miracula coram eis fecit, ſed tamen pro complemento omnium, ſubdit, *pauperes evangeliʒantur*,ideſt per evangelicam prædicationem prædicantur, & exaltantur, cur hoc? cur inter tot miracula collocat in fine laudationem paupertatis? ſed optimè, & optimo ordine fecit ſanctiſſimus Magiſter Eccleſiæ, ut oſtenderet, quod paupertas Spiritus eſt fundamentum perfectionis evangelicæ, quia involuit abrenuntiationem omnium rerum, & humilitatem, & ideò non dixit virgines, vel obedientes, ſed pauperes evangelizantur, quia hoc eſt maximum miraculorum Chriſti. *In Lucam cap. 7. v.20.ſeq.*

22. *Introducitur peccatrix ad pedes Salvatoris, & litteraliter expenditur.*

Rogabat autem illum quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo, &c. Et ecce mulier peccatrix. Nota pulcherrimum ordinem Evangeliſtæ, qui in ſuperioribus ſublimitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti oſtendit quantùm ad excellentiam poteſtatis, & quantùm ad evidentiam veritatis, nunc oſtendit ipſam quantùm ad affluentiam pietatis; hæc autem manifeſtatur maximè magna in peccatricis ſuſceptione, major in approbatione, & maxima in abſolutione; ſuſcepit enim accedentem, commendavit diligentem, & abſolvit pœnitentem: ſuſceptio autem peccatricis accedentis ad Jeſum oſtenditur eſſe magnæ pietatis, & miſericordiæ, tùm propter ſolemnitatem convivii, in quo eam ſuſcepit, tùm propter familiaritatem obſequii ad quam eam admiſit, tum propter temeritatem alieni judicii, ob quod tamen eam non abjecit, imo & defendit: Approbatio autem peccatricis conſiſtit in expreſſione ſuæ diligentiæ, & dilectionis, quod fecit Chriſtus, primò in perquirendo generale judicium aſtantium, & præcipuè Phariſæi invitantis, ibi *Simon habeo tibi aliquid dicere, duo debitores erant, &c.* ſecundò aſſumendo ſpeciale propoſitum, ibi *& converſus ad mulierem dixit Simon, vides hanc mulierem, &c.* tertiò concludendo principale intentum, ibi *remittuntur ei peccata multa, &c.* Abſolutionis autem opus commendatur, primò ex divinæ largitatis plenario dono, ibi *remittuntur tibi peccata tua*: Secundò ex humanæ impietatis judicio perverſo, ibi *& cœperunt, &c. quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit*: Tertiò ex devotæ credulitatis merito perfecto, ibi *fides tua te ſalvam fecit. Luc.capit. 7. verſ. 36. ſequent. opuſc. meditat. cap.28.*

23. *Chriſtus omnia omnibus ſe faciebat, ut omnes ſuâ benignitate ad ſe, & ſui amorem attraheret.*

Rogabat Jeſum quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo, & ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit: Vide quomodo Chriſtus curialiſſimus erat cum omnibus,& ideo invitatus quàdam die à Simone leproſo ivit ad prandium cum eo (Nota, quòd iſte Simon leproſus dicitur, quia à Chriſto factus miraculosè à lepra curatus,) quod facere ſolebat, tùm ex ſua curialitate, tum ex benignitate, & zelo, quem habebat ad ſalvandas animas, pro quibus de Cœlo deſcenderat; unde comedendo cum hominibus, & converſando cum eis omnia omnibus ſe faciens ad amorem ſuum eos trahebat; tum etiam ex amore paupertatis, nam & ipſe pauperrimus erat, & de mundi ſubſtantia pro ſe,& pro ſuis nihil ſumpſerat, undè ut pauper acceptabat ſubſidia neceſſaria oblata; humiliter ergo, & cum gratiarum actione, ſpeculum humilitatis ſetus cum invitabatur recipiebat cibum, & hoſpitium pro loco, & tempore. *Op medit.c.28.*

24. *Lachrymæ, contritio, & pœnitentia ſunt cibus,& potus ſuaviſſimus Chriſti patato,in quibus magnum convivium,& feſtum celebrat.*

Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Vide, quod Chriſtus invitatus ad prandium, vadit, intrat domum Phariſæi,& ſe cum cæteris commenſalibus collocat ad menſam: Quæritur hîc an Chriſtus vere comederit in hoc convivio?& cum debeamus credere verè comediſſe,quod ſubintelligitur in illo verbo (diſcubuit) tamen non vacat myſterio, quod Evangeliſta nullam mentionem faciat de ſumptione ſpeciali cibi, & comeſtione; quid igitur per hoc nobis demonſtratur? Sed attende,quod ſtatim poſito Chriſto ad menſam,introducit Evangeliſta mulierem peccatricem ad pedes Chriſti flentem, dolentem, contritam, & pœnitentem;ut hinc diſcamus, (*ait S.Bon.*) quod ad aliud convivium intendebat Chriſtus;nam ſtatim tunc ipſe ceſſavit à comedendo, donec negotium compleretur converſionis peccatricis: & quam ſolemne fuit hoc feſtum,& convivium,cordi Chriſti.*Op medit.c.28.*Chriſtus intravit (*ait S. P.Criſol.*& diſcubuit non ſumpturus pocula melle ſaporata, floribus odorata, ſed pœnitentis lachrymas ex ipſis oculorum fontibus potaturus: Deus delinquentiũ gemitus eſurit, ſitit lachrymas peccatorum; ſic & pœnitens coram Chriſto pœnitentiæ menſam ponit, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lachrymis temperat in menſura, epulas Deo, & Angelis chariſſimas;& hoc eſt,quod cupit, quod deſiderat, quod petit invitans ad pœnitentiam animam peccatricem,mulier da mihi bibere, da mihi comedere, da mihi hunc panem,hoc vinum,talia fercula,pro quibus de Cœlo deſcendi.*Ioa.coll.23. Luc.c.7.v.37.& c.4.v.2.ſer.5.& 6.de Apoſtol. Ioan. c.4.v.33.op.Dict.tit.7. c.2.ſerm.2. Dom.1.poſt oct. Epiph.ſer.5.Dom.12.Pentec.*

25. *Felix,*

Digitized by Google

25. *Felix qui Chriſtum invitat, & attrahit in domum ſuam ad convivandum ſecum.*

Rogabat Ieſum quidam de Phariſæis, ut manducaret cum illo, & ingreſſus, &c. Nota illud verbum, *rogabat*, per quod oſtenditur inſtans, & repetita invitatio; rogabat, & quia rogatus Chriſtus concedit quidquid ab illo petitur, ſic ingreſſus eſt domum, &c. unde felix valdè, qui Chriſtum adducit in domum ſuam ad convivandum, quia certiſſimè talis invitatio non erit ſine maximo lucro, & Chriſtus ei communicabit ſua cæleſtia bona. *Luc. c. 7. v. 36.*

26. *Delitiæ Chriſti eſſe cum filiis hominum.*

Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit. Cur, ô Domine Jeſu, intras ad convivia Phariſæorum, & peccatorum? ſed hoc eſt propter nimiam ſuam charitatem; venit enim in mundum, ut cum hominibus converſaretur, ut humanas indigentias ſuſciperet inter homines, quia delitiæ ejus ſunt vivere, & morari cum filiis hominum. *Luc. ibid.*

27. *Chriſti fames, & ſitis eſt ad noſtram ſalutem, nec peccator quantumcumque magnus deſperare debet.*

Et ingreſſus domum Phariſæi, diſcubuit. Ad quid hoc? ut manducaret, & famem, ſitimque expelleret; ſed cur admittitur mulier peccatrix? ut intelligas, quod Chriſti eſuries, & ſitis eſt de noſtra ſalute, nam ejus cibus eſt facere voluntatem Patris, quæ eſt ſalvandi peccatores, ideo admittitur hæc magna peccatrix, quæ ſeptem dæmoniis, ſcilicet univerſitate vitiorum laborabat, & ut oſtenderet, quod nemo, quantumcumque peccator maximus deſperare debet de remiſſione peccati, ſi exemplo hujus peccatricis ad Chriſtum recurrat. *Luc. c. 7. v. 37. aliiſque locis ſupracit.*

28. *Ubi Chriſti amor viget, exulat omnis timor vitioſus, & reſpectus humanus.*

Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit: Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, &c. Quomodò tantùm audes ô fœmina infamis? nonne te pudet intrare in domum, in qua ſtat Chriſtus cum tot Religioſis? minimè; ſed confer hoc factum cum Samaritana, quæ poſt allocutionem cum Chriſto ſua delicta publicavit toti civitati; & hinc concludendum, quod cum accenſa eſt anima igne divino, ad nihil aſpicit eorum, quæ ſunt in terris aut ad gloriam, aut ad verecundiam, ut patet in Magdalena. *Ioan. cap. 4. verſ. 29. op. ſpec. Diſciplin. p. 1. cap. 12.* Hinc patet, quod ſignum eſt deficientiæ amoris Dei erubeſcere in operibus pœnitentiæ, & ſervitii Dei.

29. *Oratio opportuna & Deo chara in omni loco quando viget Dei amor, ubi verò viget ignavia, Deus etiam præſens perditur.*

Et ecce mulier peccatrix attulit alabaſtrum, &c. Nota, ly, ecce indicat enim prodigium grande, & quodnam? indicat nobis, quod pœnitentis oratio opportuna eſt, & Deo chara in omni loco, Deumque amans unquàm fraudatur opportunitate; Deum enim, quem ex animo quærit, ubique invocans, invenit; ignavus autem, & tepidus nec in ipſo oratorio valet orandi affectum invenire, imò & ipſum Deum præſentem perdit; plorat in convivio Magdalena, nec etiam præſentia eam impedit convivarum; in ipſo autem templo deſipit ipſe Phariſæus. *Op. ſpec. Diſcipl. ubi ſuprà.*

30. *Compunctio cordis introducit animam ad Chriſti præſentiam, & ad deguſtandas delitias cæleſtes.* Unde Magdalena intrans in domum Simonis compuncta corde, interiùs ad ſecreta Chriſti introducta fuit. *Op. de ſeptem itiner. æternit. d. 2.*

31. *In domum obedientiæ Chriſtus intrantes ad ſe admittit.*

Et ecce mulier peccatrix attulit, &c. Vide, quod non ſine myſterio voluit Chriſtus introducere hanc peccatricem in domum Simonis, eique effectus ſui amoris communicare, Simon enim interpretatur obediens; & Magdalena, ſicut & Phariſæus, ut notat ſanctus Matthæus *cap. 26.* habitabant in Bethania, quæ interpretatur domus obedientiæ, ut videas, quod obedientia ad Deum, & propter Deum ad homines introducit animam ad ſecreta Chriſti, & ad fruitionem cæleſtium donorum. *Op. Diat. tit. 4. cap. 2.*

32. *Magdalena qualiter converſa fuit ad Chriſtum: ubi de motivis converſionis peccatorum.*

Et ecce mulier peccatrix attulit alabaſtrum, &c. Quomodò tam citò converſa fuit iſta infamis peccatrix ad Chriſtum? hoc eſt, quia ſpiritus Chriſti ipſam arguit interiùs in conſcientia, cujus vermis lacerabat veluti ſerpens ipſius cor: exterius per Chriſti prædicationem; inferiùs per infamiam contractam ex tantis ſceleribus, & ſuperiùs per gratiam, & inſpirationem, quam ſtatim ut cognovit, & ſine mora amplexa eſt; per quæ patet ordo, & modus, quibus ſæpè Chriſtus trahit ad ſe maximos peccatores. *Ser. 1. Dom. 3. poſt oct. Paſchæ.*

33. *Luxuria vitium infame tradens hominem in poſſeſſionem diaboli.*

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix. Quænam eſt iſta mulier, & quo nomine appellatur? Hoc non exprimit ſanctus Lucas, ſed ſanctus Matthæus *cap. 26.* dicit fuiſſe Mariam illam, de qua Chriſtus ejecerat ſeptem dæmonia: ſanctus Lucas autem totum exprimit hoc nomine, *erat peccatrix in civitate*, ſcilicet immerſa in peccato luxuriæ, ideo infamis in civitate

civitate, & tota dedita omnibus vitiis, propter quæ poſſidebatur à ſeptem Dæmoniis; dicit ſeptem propter univerſitatem, quia luxuria ponit, & tradit animam, & corpus in poſſeſſionem pro libito omnibus Dæmonibus; Ut hinc videas quale malum ſit luxuria, quia hæc eſt illa via lata, & ſpatioſa, quæ ferè omnes homines ducit ad perditionem, ut dicitur Matth. c. 7. quia cum alia vitia habeant ſpecialem ſedem in ſpecialibus hominibus, hoc vitium per omnes ſtatus hominum vagatur, & in tyrannidem, & in poſſeſſionem, atque captivitatem diaboli conducit, ita ut de luxurioſo faciat Dæmon, & utatur pro ſuo libito, ipſumque trahat in omnia alia ſcelera. *Luc.c.7.hîc op.Diet.tit.3.c.5.ſer.1. Dom.3. Quadrag.*

34. *Pœnitentia non differenda; ſed obediendum citò inſpirationi divinæ.*

Et ecce mulier peccatrix, ut cognovit &c. Nota hîc fundamentum converſionis tam mirabilis hujus peccatricis; ut cognovit; ſcilicet ſtatim ac fuit à Chriſto inſpirata, & vocata ipſa ſine mora obtemperavit, quæſivit Chriſtum, & invenit; ſciebat enim, quòd veniam non invenit, qui modo tempus vitæ ſuæ perdit: Igitur ô peccator age pœnitentiam modò, dum à Deo vocaris, & invitaris, quia neſcis quamdiu locum, vel tempus pœnitentiæ habeas, an cras, an hodie veniat, qui de neglecta pœnitentia te judicet: Pœnitentiam age (*ait Apoc. c. 2.*) ſi quo minus, veniam tibi citò; verè citò, quia fortè hodiè, vel cras; nam qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. *Ser.3.Dom.3.Pentec.*

35. *Multitudo, vel magnitudo peccatorum non retrahat hominem à converſione ad Deum.*

Et ecce mulier in civitate peccatrix (addit S. Matth. *de qua ejecit ſeptem Dæmonia*) *ut cognovit &c. & ſtans retrò &c.* Nota, ly, in civitate peccatrix ſcilicet infamis, & infecta infinitis ferè turpiſſimis ſceleribus, tradita jam in poſſeſſione Dæmonum, & tamen non verecundatur ſe præſentare coram fonte puritatis Chriſto in conſpectu tot Religioſorum: Cur tantum audes ô rea fœmina? ô quam benè, quàm ſanctè audax iſta mulier fuit, quia cognovit Chriſtum veniſſe propter peccatores, eoſque ſalvos facere, nec aliud magis expectabat; cognovit ergo, quòd neque criminum immenſitas, neque vitæ enormitas, neque temporis, vel horæ importunitas, vel extremitas excludit veniam, ſi puta fuerit voluntatis permutatio; & hinc mirum non eſt, quòd Chriſtus peccata tanta ex toto corde pœnitentis, non ſolùm non vindicat opere, neque improperat ore, imo nec recordatur, & ſi recordatur, id eſt ad veniam, ad reconciliationem, ad gratiam. *Ser.3.Dom.3 Pentec.*

36. *Quatuor obſequia pedibus Chriſti præſtita à Maria Magdalena expenduntur litteraliter, & myſticè.*

Ut cognovit &c. attulit alabaſtrum, ſcilicet vas alabaſtri, plenum unguento odorifero. & ſtans retro &c. Nota, quòd hîc deſcribuntur quatuor obſequia præſtita ab iſta muliere pedibus Chriſti; eos enim lachrymis abundantiſſimis rigavit, capillis terſit, oſculata eſt, & odorifero unguento imbuit; hæc enim carni ſuæ libidinosè vivendo jam exhibuerat, ideò in ſignum pœnitentiæ verè ipſa exhibuit, & uti voluit ad abluendum, ad detergendum, ad deoſculandum, & ungendum ſacratiſſimam carnem Chriſti, ad quod admiſſa fuit propter affectum pœnitentiæ, & benevolentiæ: Affectum pœnitentiæ oſtendit ſtando retrò, & rigando lachrymis pedes, per quod oſtendit pudorem, timorem & dolorem; pudorem ſtans retrò, timorem ſtans ſecus pedes, dolorem lachrymis rigando; hæc enim tria requiruntur in vero pœnitente accedente cum unguento humilitatis ad Chriſtum: Affectum benevolentiæ oſtendit, ſcilicet charitatem procedentem de corde puro, dum capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes ejus, & unguento ungebat; Ad pedes autem, non ad caput ſe applicavit, quia humiliter de ſe ſentiebat, & ſe indigniſſimam etiam, ut ad ipſos admitteretur, quærens placere non mundo, ſed Chriſto. *Luc.c.7.v.37.ſeq.& c.8.v.44.ſer.3. Dom.7. Penteceſt. op. Diet. tit. 7. capit.4. ſerm.3. Dom.18. Pentec.*

37. *Magdalena ſicut ſe totam, & per omnes partes peccatis applicaverat, ſic & ſe totam, & per omnes partes Deo ſatisfaciendo obtulit.*

Et ſtans retrò ſecus pedes &c. Vide qualis fuerit hæc pœnitentia, & quam perfecta; nam quot in ſe habuit oblectamenta, tot de ſe invenit holocauſta; ſolent enim in his quatuor mulieres maximè delinquere, in nutibus oculorum, in capillorum ſuperfluo ornatu, in ſuavitatibus unguentorum, & in voluptatibus oſculorum; & hæc pœnitens oculos obtulit Chriſto lachrymando, capillos ad tergendum, unguentum ad liniendum pedes, & os oſculando ipſos; Vide igitur quomodo pedibus ad Chriſtum acceſſit, oculis flevit, crinibus terſit, ore oſculum dedit, manu unxit, & corde dilexit; ô quam benè, & perfectè dignos fructus pœnitentiæ hæc terra protulit. *Ser.3. Dom.7.Pent.Luc.cap.7. verſ.38.op. Diet.tit.*

38. *Situs corporis in orando opportune obſervandus.*

Stans retrò ſecus pedes Domini, lachrymis capit rigare pedes ejus &c. Si ſtabat retrò, quæritur in quo ſitu? an ſtans, an ſedens, an proſtrata ad terram? ſed notandum ex Sanctis Patribus, quòd tunc temporis taliş mos apud Judæos vigebat; ſumebant enim cibum recumbendo in lectis in altum poſitis, cubitis innixi, atque in orbem circum menſam poſiti; recumbebat ergo Chriſtus in lecto à terra ſublato, pedibus ſuprà lectum locatis, ſcilicet capite in menſam verſo, & vultu,

Digitized by Google

vultu, pedibus verò apparentibus, & extenſis verſus exteriorem partem ſuprà lectum, quos facile fuerit ungere, & oſculari, & hoc eſt, quod dicitur *Luc. c.* 22. oſtendet vobis cœnaculum magnum ſtratum, videlicet lectos habens ſtratos: undè licet in principio proſtrata ad terram fuerit genibus, & vultu verecundo, ut *ait S. Bon. op. medit. cap.* 28. ad ſupradictas tamen functiones faciendas ſtare ei fuit neceſſarium, quod & Evangeliſta notat, dicens ſtans retrò ſecus pedes Domini &c. ſed ad quid notatur hæc ſtatio, & ſitus corporis? hoc non vacat myſterio: legitur enim, quod Maria modò proſtrata ad terram in faciem, modò ſtans, modò ſedens ad pedes Domini ſtabat; de Moyſe, quòd erectus corpore manus extentas ad Cœlum, orabat. *Exod. c.* 17. de Salomone 1. *Par. c.* 6 quòd genibus flexis faciem ſuam verſam ad terram, & manus ad Cœlum dirigebat; ſic & de aliis variis vario modo, & ſitu in Sacra Scriptura orantibus legitur, & hoc factum eſt, ut intelligamus, quòd inter varias induſtrias, quibus orationis intentio, & attentio, & excitatio amoris ferventis in Deum, ultra exercitia interiorum potentiarum animæ, etiam ſitus corporis valdè juvat, qui debet variari ſecundum diverſas diſpoſitiones animæ, & præcipuè ſecundum diverſitatem modorum orandi; undè in meditando, vel flendo pro peccatis valdè proficit proſtratio ad terram, & exemplo Publicani, qui non audebat oculos ad Cœlum levare, tali modo orando valdè excitatur ad humilitatem, & compunctionem animæ; In unitiva oratione corpus tenere totaliter erectum, & faciem verſam ad Cœlum ſuperiùs multum laudatur à Sanctis, & ſimiliter ſecundum alia exercitia ſpiritualia meditando, & cogitando poteſt eſſe alia, & alia corporis diſpoſitio, ſecundum quod Deus interiùs dictabit; inter omnes tamen generaliter reputatur magis proficuum orare, vel ſtando totaliter corpore erecto, vel genibus flexis facie ad Deum versâ. *Op. myſtic. Theol. c.* 3. *p.* 3.

39. *Dies pœnitentiæ dies eſt feſtus, & celeberrimus Chriſto, & animæ pœnitenti.*

Et ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit; Et ecce mulier peccatrix &c. Ad quid in hac die, in qua convivium celeberrimum, & dies feſtus ob præſentiam Chriſti celebrabatur, immiſceretur adventus peccatricis infamis, & hoc etiam verbis tam notabilibus? *Et ecce mulier peccatrix.* Ecce adverbium eſt admirantis, & admirabilis prodigii, cur hoc? ô notabile myſterium; quia ad adventum mulieris peccatricis pœnitentis datum eſt complementum, & facta eſt conſummatio nobiliſſimi convivii, & celebratio maximi feſti; nam dies contritionis, & pœnitentiæ eſt Chriſto, & animæ pœnitenti dies celeberrimus, & ſanctus, & feſtivus, & benedictus, quia ibi celebratur ſanctificatio hominis peccatricis, quia tunc fluminis cæleſtis impetus lætificat civitatem Dei; tunc eſt quando fit expiatio, propitiatio ſimul cum afflictione cordis: In peccato enim tria ſunt mala, macula, offenſa, & reatus; per peccatum anima ſordidatur, Deus irritatur, debitum mortis meretur; In contritione contra maculam eſt expiatio, contra offenſam eſt propitiatio, contra reatum dolor, afflictio, & fletus, & hinc confeſſio verecunda, nuda, integra, & ſatisfactio; ſicque ſpiritus ad Chriſtum revertitur per ipſius gratiam; benè ergo poſt diſcubitum ad menſam ſubditur, Ecce mulier, quaſi dicat, Ecce totius orbis, omnium virorum, omniumque mulierum ſingulare exemplum: Ecce mulier admirabilis; ecce mulier pœnitentiâ inſignis; ecce mulier divino amore inclita, ecce mulier Chriſto amoris obſequia præſtans, quæ nemo alius præſtitit; ecce mulier fortis, de qua *Prov. c.* 31. quæ impudicitiæ jugum, quo præmebatur, cervicibus excuſſit, ſatanæ vincula fregit, Tartarum ſuperavit; ecce mulier de qua *Judith. c.* 13. quæ fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor, ideſt Dæmonis, quæ libidinis vitium jugulavit, quod Holophernis inſtar Tartarei, Nabuchodonoſor dux eſt, orbem, & ferè omnes homines oppugnat, vicit victorem, magnam in domo Satanæ confuſionem fecit; procul, & de ultimis finibus pretium ejus *Prov. c.* 31. hoc eſt pretium ejus magnum; rara res Magdalena, rara illius pœnitentia, rarus in Deum amor; ecce mulier, ô peccator, illius pœnitentiam ante oculos propone, ut commiſſa profuſis lachrymis deleas; cujus enim vel ſaxeum pectus (*ait Divus Gregor.*) illæ hujus peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitentiæ non emoliant. *Ser. 2. Dom. infrà oct. Epiph. op. medit. cit. Diet. ſuprà cit. ſer. de S. Magdal.*

40. *Pœnitentia peccatorem revocat à via perditionis ad viam ſalutis, & ad ſequenda veſtigia Chriſti.*

Stans retrò ſecus pedes Domini. Cur ad pedes, & retro pedes ſe convertit Magdalena, & non potius ad conſpectum Chriſti, & non currit ad pectus, vel ad manus? ſed nota, quòd cum in peccato ſit averſio à Deo per ſuperbiam, & converſio ad creaturas per concupiſcentiam; in qua converſione homo recedens à Deo per vias perditionis incedit tanquam ovis errabunda: in converſione perfecta averſio à peccato per pœnitentiam, & converſio ad Deum per benevolentiam, & opera ſatisfactoria, hinc ad oſtendendam perfectam converſionem, Magdalena retrò ſecùs pedes Domini ſe collocavit, oſtendens ſe velut ovem Chriſti velle ſequi ſuum Paſtorem, & incedere per vias rectas, & rectitudinem operationum. *Luc. cap.* 7. *verſ.* 38. & *c.* 8. *verſ.* 48.

41. *Lachrymæ fuerunt baptiſmus Magdalenæ, & tales ſunt omni peccatori.*

Stans retrò lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis ſui tergebat. Ad quid tergebat capillis pedes Chriſti: Reſpondet Sanctus Petrus Criſolog. ut ſancti roris gutta baptizaret eam, ſcilicet ut eſſet ei baptiſmus flaminis, ut in anima baptizaretur ab omni macula; & meritò id dicitur, nam Deus mundat animam non ſolùm lavacro baptiſmi primi, ſed etiam ſecundi, ille eſt baptiſmus fluminis, iſte flaminis, & ideò lachrymæ apud Deum pro baptiſmate reputantur; ſed attende, quòd lachrymæ ſunt in duplici differentia, aliæ interiores, aliæ exteriores, pri-

mæ ſunt eſſentiales pœnitentiæ, ſecundæ ſunt accidentariæ. *Ser. 1. Dom. 2. Quadrag. lib. 4. d. 14. p. 2. dub. 4. Tiren. c. 3.*

42. *Lachrymæ conſtituunt mare, in quo ſubmergitur diabolus.*

Lachrymis cœpit rigare pedes ejus, &c. Nota illud verbum, *rigare*, ſcilicet effluebant in maxima copia, veluti copioſiſſimus imber ex oculis; & hoc, ut in ipſis veluti in mari amaro ſubmergeret diabolum. *Ser. 3. in Cœna Domini.*

43. *Lachrymæ martyrem faciant animam.*

Lachrymis cœpit rigare pedes ejus, &c. Nota, quod cœpit quidem Magdalena rigare pedes Chriſti, ſed tamen non ceſſavit unquàm donec reportaret triumphum, ſcilicet remiſſionem, & abſolutionem plenariam omnium peccatorum; nec mirum, nam lachrymæ ſunt ſanguis cordis, & hinc eſt, quod ut ait S. Cyprianus, ſicut Martyres effundunt ſanguinem pro Chriſto, & pœnitentes effundunt ſanguinem cordis, quo acceptabile ſacrificium ſui anima facit, & remiſſionem omnium peccatorum reportant. *Ioan. c. 19. v. 34. & collat. 88.*

44. *Lachrymæ ſunt collyrium, & unguentum ſanativum animæ, ab omni vulnere, & morbo.*

Attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans retrò ſecus pedes Domini lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat. Si attuliſti unguentum, cur non attendis ad unctionem? cur etiam lachrymas effundis? cur cum alabaſtro cõnectitur effuſio lacrymarum? attulit alabaſtrum, & ſtans retrò ſecus pedes Domini lachrymis rigavit eos? ſed ecce myſterium mirabile: Unguentum materiale attulit, ut hoc obſequium exhiberet Chriſto, ſed tamen lachrymas effudit, ut aliud unguentum pro anima ſua ſananda conficeret? lachrymæ, enim ſunt unguentum ex herbis amariſſimis peccatorum, & ſuaviſſimis amoris Dei ſimul confertis, & ideò odoriferum, & efficax ad ſanandam animam à quocumque vulnere, & morbo ſpirituali. *Luc. cap. 7. verſ. 7. ſeq. Diet. titul. 7. cap. 3.*

45. *Lachrymæ, vim faciunt ſuavem Deo, & veluti ipſum cogunt ad concedendum quicquid deſideratur.*

Lachrymis cœpit rigare pedes ejus, &c. Cur non reprehenditur, & deturbatur ab hoc opere verbis, & minis? cur non ejicitur è domo in hoc tempore tam importuno? quia lachrymæ peccatricis coëgerunt quodammodo Chriſtum, & quaſi philtro affecerunt, ne poſſet negare quicquid prætendebat Magdalena, nec mirum, inducunt enim Deum ad concedendum quicquid deſideratur, & petitur, ut evenit fæliciter Magdalenæ. *Ser. 1. fer. 2. Paſchæ: Ioan. coll. 88. ſermon. 5. de uno Confeſſ. ſer. de S. Magdalena in addit.*

46. *Chriſtus tempore prædicationis diſcalceatus incedebat; ſic & Apoſtoli, & ſancti Franciſci ſequaces.*

Et ſtans retrò ſecus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat. Quomodò poterat Magdalena, ſtatim ac intraverat in locum convivii, currere ad pedes Chriſti, eoſque abluere? ergone invenit eos nudos? maximè, imò ex hoc manifeſtè apparet, quod Dominus Jeſus tempore prædicationis diſcalceatus ibat; hinc ad ipſos propter itinera ſquallidos cucurrit eoſque primò abluit lachrymis, poſteà unxit pretioſo unguento; undè ex hoc infertur, quod etiam ſui diſcipuli ſic incederent, & in hujus rei exemplum ſanctus Pater Franciſcus lumine ſuperno illuſtratus juſſit, ut ſui Evangelici filii diſcalceati incederent, vetans eis calceamenta pedum; & ſi quis ſenſu carnis inflatus aſſerat non eſſe conveniens Dominum ad litteram indixiſſe Apoſtolis nuditatem pedum, tamquàm vile aliquid, & Apoſtolicæ dignitati diſſonum, & à tramite diſcretionis alienum: addit quidam Doctor modernus ex proprio cerebro tamquam medium excitans ipſos videntes ad luxuriam (verò temerarium dictum:) intelligant (*ait S. Bon.*) iſti decepti, quod multiplex eſt ratio hujus præcepti, & informationis: prima eſt ad indicium paupertatis extremæ, ut patet *in Luc. cap. 22. v. 35.* & ex Chryſoſtomo *Hom. 22. in Matth.* ſecunda in incitamentum humilitatis pœnitentiæ, quod & practicavit David Rex 2. *Reg. c. 15.* & ipſa Eccleſia, & Principes Eccleſiaſtici nunc & practicant ad iram Dei placandam in proceſſionibus (quod & legitur factum à ſancto Carolo Archiepiſcopo Mediolanẽſi pluries, ſed maximè tempore peſtis) tertia ad teſtimonium obedientiæ, ut patet in Iſaia, licet de ſemine regio, cui talis modus juſſus eſt à Deo: *Iſa. c. 20.* quartà ad exercitium auſteræ vitæ: quinta in ſignum elongationis ab omni carnalitate, quæ debet à ſervientibus Deo expelli: ſexta ad perfectæ virtutis inſigne, ut de Religioſis ſui temporis fatetur S. Gregor. Naz. *or. 12.* In quibus, ait, ipſe quoquè habitus præfert virtutis inſignia, hirſutum caput, incultis, & horrentibus comis, pedes nudi, & Apoſtolis ſimiles, &c. ergo nuditas pedum, quæ de ſe afflictiva eſt, & deſpicabilis tamquàm inutilis, & erronea, & deteſtabilis habita tolli de medio non debet, ſed approbari, laudari, practicari à Crucifixi imitatoribus. *Op. Apol. Paup. Reſp. 4. c. 1. op. meditat. cap. 28. op. de Paup. Chriſti: op. de ſandal. op. Expoſ. Regulæ: cap. 2.*

47. *In Magdalena omnes conditiones perfecti pœnitentis expenduntur.*

Stans retrò ſecùs, &c. Nota, quod hæc peccatrix pœnitens proponitur in Eccleſia, ejuſque geſta glorioſa enarrantur, ad indicandas conditiones veri pœnitentis, dicitur enim primò, quod *retro ſtabat*; ſecundò *ſecus pedes*, tertiò *lachrymis rigabat*, quartò *capillis tergebat*, quintò *oſculabatur*, ſextò *ungebat* in primo actu ſtans retrò, erubeſcentia, quæ debet eſſe in pœnitente, exprimitur, ſic & Publicanus à longè ſtabat *Luc. c. 18.* In ſecundo timor reverentiæ, ſtabat ſecus pedes ejus,

ut

ut ſcilicet adoraret ſcabellum pedum ejus. *Pſ.*98. In tertio dolor pœnitentiæ, lachrymis rigabat: In quarto amor pudicitiæ, & ſuperfluitatum carnis deſpectus, ibi & capillis capitis ſui tergebat: In quinto ardor benevolentiæ, & obſequii, ibi oſculabatur pedes ejus: In ſexto dulcor devotionis internæ, & unguento ungebat: bonum enim eſt unguentum compunctionis, melius compaſſionis, ſed optimum eſt devotionis; primò pedes uncti; ſecundò corpus, tertiò caput, ideò Magdalena legitur ter veniſſe ad Dominum ungendum. *Luc.* c.7.v.39.

48. *Chriſti miſericordia, Magdalenæ humilitas, & pœnitentia, & Phariſæi temeritas expenditur.*

Videns autem Phariſæus, qui vocaverat eum, ait intra ſe dicens, hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique quæ & qualis eſt mulier quæ tangit eum, quia peccatrix eſt. Ecce hic temeritas judicii hujus perverſi Phariſæi; judicabat enim Chriſtum ignorantem, & malè facientem, dum ſe à peccatrice permittebat tangi; & tamen Chriſtus propter ejus malum judicium, non dimiſit facere miſericordiam, nec Magdalena omiſit ſuos actus humilitatis inter epulas convivantium, & verſutias judicantium, in quo ſimul commendatur Chriſti clementia, & peccatricis pœnitentia, in quo eſt valdè mirandum, imò quid magis mirandum proponitur, an Maria veniens, an Dominus ſuſcipiens, & trahens? ſed tamen magis mirandum eſt, quod Deus ſit ſuſcipiens, & trahens peccatricem, quia nimirum ille propter miſericordiam traxit intùs, qui per manſuetudinem ſuſcepit foris; & nos cum videmus talem peccatricem à Chriſto tractam, & ſuſceptam, & ſanatam, quid aliud, quam ſupernæ miſericordiæ pignus tenemus. *Luc.cap.*7. *v.*39. *ſer.* 5. *in die Cinер.*

49. *Peccatum debitum omnium maximum in hominem inducit, ſolúmque lachrymis exſolvi poteſt.*

Duo debitores erant cuidam fœneratori; unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta, &c. Nota, quod iſtam parabolam Chriſtus propoſuit, ut benigne; & humaniter Phariſæum malè judicantem corrigeret; & redderet rationem, quare tam miſericorditer peccatricem admiſiſſet; duo debitores erant cuidam fœneratori, ait Chriſtus; in qua parabola oſtendit, quod peccatum eſt maximum debitum, quod homo contrahit cum Deo, per quod ſe obligat ad ſatisfaciendum ipſi; & cum apponat debitum denarios quingentos, & quinquaginta, dat intelligere, quod qui accumulant peccata peccatis, ut fecerat Magdalena, etiam tenentur Deo reddere ad proportionem debiti; ipſa verò tot lachrymas exſoluit Chriſto, ob quas remiſſionem debiti reportavit. *Luc.* c.7. *v.*40. *ſequent. ſermon.* 3. *Dom.* 22. *Pentec.*

50. *Gratitudinis debitum majus ponderatur ex qualitate doni.*

Æſtimo cui plus donavit. Hæc eſt reſponſio data à Phariſæo interrogationi Chriſti; in qua Evangeliſta dat intelligere; quòd quo majora ſunt beneficia à nobis à Deo recepta, eo major fuit dilectio à nobis oſtenſa, & etiam major noſtra obligatio; In quo tamen eſt advertendum, quod ex eo, quod Deus majora peccata remittit alicui, non eſt inferendum, quòd majorem gratiam recipiat; ſed benè quod majorem obligationem contrahit Deum diligendi. *Luc. ibid. lib.* 4. *d.* 4. *p.* 1. *quæſt.* 3. *ſermon.* 4. *Dom.* 16. *Penteceſt.*

51. *Magdalenæ commendatio facta à Chriſto expenditur.*

Et converſus ad mulierem dixit Simoni; Videns hanc mulierem, &c. Vide quomodo Chriſtus defenſionem aſſumit Magdalenæ, eam multiplicitèr commendans: & primò convertit ſe ad ipſam, nempè adſpiciens ad ejus contritionem, & pœnitentiam, & ipſam oſtendendò Phariſæo obſervanti ejus facta exteriora, eaque reprobanti (vides hanc mulierem ait Chriſtus) ideſt conſidera etiam ejus fletum, ejus pœnitentiam, ejus affectum, & dilectionem, ſicut & ego perſpicuè ea vido: ſecundò ipſam comparat cum Phariſæo dicens (*aquam pedibus meis non dediſti*) quaſi dicat, Tu hanc ſanctam antiquorum Patrum conſuetudinem omiſiſti, ipſa verò lachrymas ad modum fontis, & rivuli in magna copiâ fudit, per quod pateſcit exteriùs mirabilis affectus mulieris, & gratia interior: (ſubdit Chriſtus, *oſculum mihi non dediſti*, ſcilicet in ſignum dilectionis; *ipſa verò non ceſſavit oſculari pedes meos:*) Ex quo patet feruens dilectio, & permanens ignita ejus charitas, quæ ſemper urit, ubi invenitur: (ſubdit *Oleo caput meum, &c.*) ut tunc moris erat, in ſignum exultationis, & lætitiæ; ipſa verò unguento, quod eſt quid pretioſius, unxit pedes meos, ergo magis digna dilectione: tertiò commendat eam à dilectione dicens (*propter quæ dico tibi remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*) per quod commendatio plena à Chriſto ei exhibetur, declarans eam purgatam à culpa propter dilectionis affectum, perfectam in merito propter dilectionis effectum, & præpoſitam Phariſæo propter dilectionis exceſſum. *Luc.*c.7.v.44. *ad* 47.

52. *Magdalenæ converſio qualem confidentiam ingerat peccatoribus.*

Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum. Cur proponitur vita iſtius peccatricis, & ejus converſio? cur tantum in Eccleſia celebrantur? & cur priùs ejus impuritates in medium proferuntur? hoc fecit Eccleſia proponendo peccata iſtius peccatricis, & ſæpè etiam aliorum maximorum peccatorum; ut talibus exemplis confidentiam ingerat omnibus peccatoribus ad Chriſtum adeundum fide, confidentiâ, & contritione, & ut addiſcant, quod ſicut iſti converſi ad Deum pervenerunt ad ſanctitatis apicem, ſic & quilibet quantumcumque peccator poteſt eodem modo obtinere; exigit enim Deus à nobis humiliationem, & trepidationem, ſed non nimiam, ſcilicet vult, ut humiliemur coram Deo, ſed cum confidentia in ejus infinita pietate: Vide Matthæum priùs Publicanum, poſteà Apoſtolum: Vide Saulum priùs

perſecutorem, & lapidatorem, poſteà electum in Apoſtolum: Vide Petrum priùs negantem, & mox veniam impetrantem; Vide, & cogita, quod Magdalena priùs tam famoſa, & immunda peccatrix, poſtea facta eſt tam ſingularis, & ſpecialis Chriſti amatrix, & multis Virginibus etiam propoſita; ergo ad divinæ miſericordiæ thronum accedite ô peccatores cum fiducia, & confidentia, ut ex peccatoribus evadatis Chriſti diſcipuli. *Op ſoliloqu. c.1. Ioan.c.5.v.9. op. Faſciculdr.c.7. lib.4.d.43.dub.4.*

53. *Ad menſuram amoris in Deum augetur odium in peccatum, & meritum.*

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; cui autem minus remittitur, minus diligit. Ecce quam lata eſt dilectio, & charitas in Deum; nam ſe extendit ad peccatum, ut ipſum deteſtetur, & hinc in Deum fertur, quia ad menſuram amoris Dei creſcit, & odium peccati, & meritum in actione, ut patet in Magdalena. *Serm.3. Dom.7. Pentec. ſer.4. Dom.16. Pentec. ſer.3. Dom.21. Pentec. opuſc. de ſex alis Seraph. c.8. op. Diat. tit.2. cap.1.*

54. *Charitas de alienis malis ditatur bonis cæleſtibus.*

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Vide quales artes, & induſtrias exercet charitas: nam Magdalena veniens in locum convivii, ex quo Phariſæus deterior efficitur, & malè judicat, murmuratque de peccatrice: ipſa edocta in ſchola charitatis, quod æmulus ei improperat ad convitium, hoc ſibi ipſa inflectit ad commodum; inde manſuetior ad correptionem, indè patientior ad laborem? inde ardentior ad amorem, indè ſagacior ad cautelam, inde humiliorpro conſcientia, inde acceptior pro verecundia, inde ad obediendum paratior, inde ad gratiarum actionem devotior, & ſollicitior; ſic de omnibus lucrum facit, & omnia ei cedunt in bonum: ô qualis efficacia charitatis, & amoris Dei; ô mirabilis potentia charitatis; undè Chriſtus concluſit, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace. *Op. medit. c.44.*

55. *Fides fundamentum eſt ædificii ſpiritualis virtutum, ſed charitas eſt complementum.*

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Si ob charitatem delentur ei peccata, quomodo poſtea ei dictum eſt fides tua te ſalvam fecit? ergo non dilectio, ſed fides fuit ratio deletionis peccatorum? Nota, quod ponit hic fidem pro fundamento fabricæ ſpiritualis, ſed ei præpoſuit charitatem, quia hæc fides Magdalenæ non fuit nuda, ſed informata charitate; hæc enim eſt forma, iſta eſt complementum omnium virtutum, ſine qua virtutes aliæ non ſunt virtutes. *Pſal.118. v.64.v.14. op. medit. c.28.*

56. *Peccator funem ſecum portat, & ſententiam, quâ ligatur, & puniatur.*

Quis ergo eum plus diligit? reſpondit Phariſæus, æſtimo quia is, cui plus donavit, &c. Vide quomodò Chriſtus veluti ſyllogizando arguit ad hominem in parabola duorum debitorum contra Phariſæum, ipſumque induxit ad ſententiandum contra ſeipſum de malo, & temerario judicio facto contra Magdalenam, & Chriſtum; hoc enim eſt, quod accidit peccatoribus, qui in ſuis conſiliis peſſimis magis ſeipſos involuunt, & contra ſeipſos tandem ſententiam ferunt, funem portantes ſecum, ut durius ligentur. *In Luc. c.7.v.43.*

57. *Alii ex veneno faciunt theriacam ſanantem, alii ex theriaca faciunt venenum.*

Dixit autem ad illam remittuntur tibi peccata tua; & cœperunt qui ſimul accumbebant dicere intra ſe, quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Vide hîc quomodo iſti Phariſæi, malè judicando de ſanitate Magdalenæ infirmabantur; iſta de veneno peccatorum unguentum compunctionis fecit, & theriacam, quâ vulnera ejus ſanata ſunt perfectè à Chriſto medico; ſed Phariſæi de iſta theriaca, & medicamento male judicando venenum ſibi effecerunt; ô quoties idem inter Chriſtianos evenit, qui de bono proximi ſibi inferunt mala, è contra charitas de malis proximi lucrum, & ſalutem exhaurit. *Luc.c.7. ad finem.*

58. *Fructus pœnitentiæ eſt pax, & tranquillitas animæ.*

Vade in pace. Ecce concluſio tanti miraculi: poſt planctum, poſt lachrymas; poſtquam Magdalena mare tempeſtuoſum mundi in peccatis enavigaverat, poſt tot procellas, poſt tantam pœnitentiam, ecce quid concluſit Chriſtus vade in pace: ô verbum delectabile, & ſuave, quàm libenter illud Magdalena audivit, & quàm lætanter, & jucundè receſſit? poſt bellum audit pacem, & cum pace receſſit, & cum pace poſteà vixit, & Chriſto, & Mariæ firmiter ſemper adhæſit; & hæc eſt concluſio deſiderabilis pœnitentiæ, & hoc eſt, quod ſacerdos poſt abſolutionem collatam peccatori pœnitenti, dicit, Vade in pace. *Op. medit. c.28. ſer.2. de S. Magdal. in addit.*

59. *Magdalenæ aliqua prærogativæ ſpecialiter expenduntur: quis, & qualis fuit Magdalena.*

Ecce mulier in civitate peccatrix. Hîc Sacti Doctores, & Expoſitores diſputant quis fuerit iſta publica peccatrix, an ſcilicet Maria Magdalena ſoror Marthæ, & Lazari, an aliqua alia: Reſpondetur non defuiſſe plures Doctores, & Patres aſſerentes tres diverſas Marias in Evangelio notari; hanc que peccatricem non fuiſſe ſororem Lazari, ſed aliam, à qua Chriſtus ejecerat ſeptem Dœmonia; Magdalenam verò fuiſſe Virginem puriſſimam: Et hanc ſententiam Mordicus ſuſtinet noviſſimè pluribus rationibus, & auctoritatibus: Pater Marcellinus de Piſe Capuccinus in Encyclopedia ſua. *Hom. de S. Maria Magdalena*; Sed tamen iſtæ rationes licèt oppugnent,

non

non tamen expugnant communem ſententiam Sanctorum Patrum, & Doctorum, & Eccleſiæ conſenſum unicam fuiſſe, & hanc peccatricem, non quod fuerit publica, & proſtituta meretrix, ſed dicunt ipſam nuptam fuiſſe viro nobili, & diviti, & viduam remanſiſſe, & tunc à Dæmoniis exagitatam, & ſe præcipitaſſe in impudicam vitam, vel cum viris nobilibus, vel in concubinatu publico cum viro nobili, & potenti, & poſteà fuiſſe converſam ad Chriſtum, tum ob liberationem à Dæmoniis factam à Chriſto, tum ſæpè audiendo Chriſtum prædicantem, cujus verba veluti ſagittæ ignitæ cor ejus penetrarunt ita, ut dolore, & amore vulnerata ad Chriſtum ſe converterit in hoc convivio, & poſtea ſemper amore Chriſti ardens perſeveraverit; & hæc opinio eſt etiam Seraph. Doctoris, quam ipſe exprimit pluries agens de Magdalena. *Vide Barradium t.2.lib.7. c.22.* fusè examinantem hanc quæſtionem.

60. *Magdalena aquâ lachrymarum calefacta igne cæleſti extinxit ignem infernalem, quem gerebat in ſuo corpore.*

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ergo vi dilectionis remiſſa ſunt ei peccata, nempè vi doloris, & contritionis, & remiſſionem à culpæ reatu obtinuit, & ignem charitatis in ſe recepit, & vi talis ignis etiam remiſſionem à reatu pœnæ obtinuit; ergo hoc igne extinxit ignem concupiſcentiæ qui priùs ardebat in ſuo corpore, ſed quomodo igne ignem extinxit? extinxit igne ignem; nempè accenſa igne amoris Dei lachrymas in maxima copia fudit, & tali aquâ ignem infernalem, qui priùs ardebat, & comburebat corpus, & animam Magdalena extinxit, docens nos hoc exemplo, quomodo extinguere poſſumus in nobis talem ignem, ſcilicet aquâ calefactâ igne amoris Dei. *Ser.1. de S. Magdalena in addit.*

61. *Magdalena tota igne cæleſti ignitâ ſemper poſt converſionem ad Chriſtum fontem inhiavit.*

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Si dilexit multum, quàm multum? quanta fuit hæc dilectio? & qualis? Non poteſt talis dilectio dignè verbis explicari, non poteſt inquam explicari quàm ardenti deſiderio, quàm flagranti incendio ſe Magdalena ad Chriſtum habuerit; nam primò ex magno deſiderio odioque peccati ad fontem miſericordiæ ſitibunda velut cervus ad fontem venit, fontes lachrymarum effudit, quibus Dominicos pedes lavit, ſuis capillis exterſit, & oſcula illis magni amoris impreſſit, propter quod audire promeruit, *Remittuntur ei peccata, &c.* Hinc eſt, quòd ignita tali igne amoris ſemper æſtuabat, ſemper Chriſtum videre, audire, & guſtare cupiebat, cœteraque propter ipſum omnia deſpiciebat; & in ſignum tantæ dilectionis nihil aliud præter Chriſtum in memoria portabat, nihil aliud cogitabat, & ideò ſemper ad ipſum inveniendum, & fruendum omnes vires, omnia ſua opera, omnem ſuum conatum adhibebat, & hinc eſt, quod regnum omne, & omnes divitias contempſit, omnes carnis delicias dereliquit, & quicquid ſcire potuit eſſe Chriſto contrarium; dicebatque frequenter, ſequar te quocumque jeris, *Matth.c.8.* quia nullum ſibi poterat invenire ſolatium, nullum niſi de Chriſto gaudium habere, de cujus amore ſic tota ebria erat, ut nec homines, nec alia curaret. *Ser.1. & 2. de Magdalen. in impreſſ. Vaticana. ſer 1. & ſeq in addit. Luc.c.7.à n.36. & c.8.n.2. alibique ſæpè in Expoſit. in Luc. & Ioan.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod cum in præcedentibus poſita fuerit inſtructio communis diſcipulorum in doctrina eorum, quæ requiruntur ad ſalutem omnium; In hac parte ſubditur inſtructio ſpecialis, & ſpiritualis in doctrina myſtica ſcripturarum; quæ doctrina; quia turbis proponitur in parabolis, & aperitur diſcipulis, & confirmatur miraculis, ideo tres partes habet; in quarum primâ continetur inſtructio parabolica in occultis myſteriis: in ſecundâ informatio Apoſtolica in apertis eloquiis: & in tertiâ confirmatio autentica in manifeſtis miraculis. Luc.cap.8.*

CAP. VIII.

2. *Chriſtus ſuo exemplo docuit prædicatores debere eſſe omnibus indifferenter communes*

ET *factum eſt deinceps, & ipſe iter faciebat per civitates, & caſtella prædicans, & evangelizans regnum Dei; & duodecim cum illo, &c.* Vide qualiter Chriſtus adimplevit miniſterium prædicationis, communem ſe exhibendo & civitatibus, & caſtellis, & villis prædicans majoribus, & minoribus, & ruſticis, & ducens ſecum duodecim Apoſtolos, ipſos, & Prædicatores docens, ne acceptatores perſonarum ſint, ſed pro ſalute omnium laborare debent, ſeque communes reddere omnibus. *Luc. cap. 8. verſ.1. & cap.10. verſ.38.*

3. *Chriſtus curaturus utrumque ſexum venit è Cælo, & ideò utrumque ad ſui ſequelam admittebat.*

Et duodecim cum illo, & mulieres aliquæ, quæ erant curatæ, &c. & turba plurima, &c. Nota, quod quidam ſequebantur Chriſtum ratione ſuſcepti miniſterii, ut Apoſtoli, quidam ratione accepti beneficii, ut mulieres curatæ, quidam ratione impendendi miniſterii, ut mulieres quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis, & quidam

ſatione audiendi verbum Dei, ut turbæ ; ſic enim utrumque ſexum ad ſe admiſit, quia utrumque venerat curare: Nota autem, quòd tunc temporis conſuetudo erat, ut mulieres quædam devotæ ſequerentur Chriſtum, & Apoſtolos miniſtrantes eis, quæ ad victum erant neceſſaria, qui mos poſteà ob varios abuſus ablatus eſt in Eccleſia ; ut jam dictum eſt in Marc. c. 16. *Luc. cap. 4. verſ.* 38. *c.* 7. *v.* 2. *&* 3. *opuſc. Apol. Paup. Reſp.* 3. *cap.* 1.

4. Nota, quòd hic ſubdit Evangeliſta parabolam ſeminantis, *Exiit qui ſeminat, &c.* quæ fuit expoſita fusè ad *cap.* 13. *Matth.* Undè ad dictum locum remitto lectorem; *& hic à S. Bon. in textu ſuper Lucam expoſita habetur.*

5. *Prædicatores ſunt ſeminatores verbi Dei; & meſſores colligentes in horreum Domini fideles.*

Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, &c. Nota, quòd hic fuit Chriſtus, qui in hunc mundum apparuit ſeminare verbum Dei ; ſunt & Prædicatores miſſi à Chriſto qui exeunt de quiete ad laborem, ad ſeminandum ſemen hoc Dei ; & corda ſuſcipientium verbum hoc ſunt terra, in quam jacitur ſemen; iidem Prædicatores ſunt & meſſores colligentes fideles, qui devotè reciperent hoc ſemen in horreum Eccleſiæ, quaſi ipſos rapientes de manu diaboli. *Ioan. cap.* 4. *verſ.* 38. *Luca c.* 8. *hic.*

6. *Prædicator ſeminat verba Dei ; Juſtus bona opera ; & uterque colligit fructum multum.*

Exiit qui ſeminat bonum ſemen in agro ſuo. Nota, quòd Prædicator ſeminat bonum ſemen verbi Dei in agro Dominico; ſed juſtus bona opera, & uterque colligit fructum multum, & Deo charum. *Ser. 2. Dom. ſexageſ.*

7. *Quale ſemen ſeminaveris, talem fructum recipies.*

Exiit qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum, &c. Nota, quòd Chriſtus præcipit nobis, ut ſeminemus bonum ſemen bonorum operum, ut colligamus fructum multiplicem; ſed tamen in hoc agro Eccleſiæ ſunt qui ſeminant ſpinas, & zizania, & ideo in fine colligunt ſpinas, & zizania, quia quæ ſeminaverit homo hæc & metet. *Ser. 1. 2. 3. & 4. Dom. ſexageſ.*

8. *Terra cordis quomodo præparanda, & colenda ad recipiendum cum fructu ſemen verbi Dei.*

Exiit qui ſeminat, &c. Nota, quòd hâc parabolâ Chriſtus dat intelligere, quod ſemen ſeminatum ab ipſo in Eccleſia, ſemen ſcilicet verbi Dei, ſcientiæ, pœnitentiæ, & diſciplinæ, ad hoc ut fructificet, requirit terram bonam ; & ad hoc exigitur, ut expurgetur à malis radicibus peccatorum per contritionem, & confeſſionem, ut aquis pluvialibus irrigetur, ſcilicet compunctionis, & lachrymarum aquis, & inflammatur incendiis divinorum deſideriorum, ſicque factâ hâc præparatione debet recipi ſemen cœleſte in corde bono, & optimo, & ibi retineri; ſcilicet debet audiri reverenter cum mentis quiete, ſcilicet à ſpinis, & à tumultu ſollicitudinum temporalium liberâ ; debet retineri firmiter, ſive credi cum unionis adhæſione ad Deum; & tandem intelligi cum operis executione; alioquin venit diabolus, & tollit totum de corde eorum ; ex quibus patet, quàm pauci ſint in Eccleſia, qui verè, & fructuosè audiant verbum Dei ; ideò mirum non eſt, quòd etiam pauci ſalventur. *Serm. 1. & ſequent. ſexageſ.*

9. *Viventes modo ſæpè cadendo; modo reſurgendo, ſunt hoſpites diaboli.*

Nam qui ſuprà petram, hi ſunt, qui cum audierint cum gaudio ſuſcipiunt, & ad tempus credunt, ſed in tempore tentationis recedunt. O audiant hanc terribilem ſententiam ſalvatoris Chriſtiani, & perpendant an ſint de numero iſtorum infelicium ; qui quidem recipiunt verbum, dum actu prædicatur ; & credunt, & commoventur, & reſurgunt ; ſed ſtatim adveniente tentatione recedunt; ſunt autem illi, qui vitam ſuam ducunt ſæpè cadendo, & ſæpe reſurgendo ; ſed ſtatim poſt reſurrectionem reincidunt in peccatum, iſti ſunt verè hoſpites diaboli, quia more hoſpitis aliquando recedit ; ſed tamen quoties pulſat, ei janua aperitur ; & intrat : unde Theologi iſtos reponunt in numero differentium pœnitentiam uſque ad mortem, quia numquam verè, & perfectè reſipiſcunt, & emendantur. *Pſalm. 18. & in ſerm. Dom. ſexageſ. Luc. cap. 6. in fine. & cap. 1. 8. hic. & c. 4. verſ.* 13. Et quia maxima pars Chriſtianorum ducit talem vitam remiſſam in obſervantia præceptorum Dei, hinc patet quàm pauci ſalvantur : De hoc vide Recopitum in ſuo opere de ſignis prædeſtinationis fusè hanc materiam ex Theologis, & Sanctis Patribus, & S. Scripturæ differentem.

10. *In Eccleſiæ agro varia ſemina, & varii ſeminatores.*

Exiit qui ſeminat, &c. Nota, quòd iſta terra, in qua ſemen ſeminatum eſt multipliciter, eſt Eccleſia, in qua Pater ſeminavit verbum ſuum. Filius veritatem, Spiritus Sanctus charitatem; Apoſtoli prudentiam, nam eis dictum eſt, *Eſtote prudentes Matth. c.* 10. Martyres fortitudinem, Confeſſores juſtitiam, & devotionem, Virgines temperantiam ; Ecce qualia, & quanta ſemina jacta ſunt in Eccleſia Dei, & hoc, ut unuſquiſque ad hos fructus colligendos exerceatur. *Pſ.* 118. *verſ.* 152.

11. *Chriſtus ſe collocavit in cruce veluti lucernam, ut toti mundo luceret: Ubi de Sancto Antonio.*

Nemo lucernam accendens operit eam vaſe, &c. Sed ſuprà candelabrum ponit, ut intrantes, &c. Nota, quod hoc dicitur de Doctoribus, & Prædicatoribus, qui cum ſint miniſtri Chriſti debet exponere lumen doctrinæ omnibus, eamque non cælatam tenere; & hoc exemplo Chriſti, qui cum veniret lux, ut omnibus ſuam lucem diffunderet, ſe ſuper candela

Digitized by

candelabrum crucis expoſuit, & hanc lucernam debent Doctores ſacri oſtendere mundo, ſcilicet prædicare mirabilia crucis, & myſteria Paſſionis Chriſti. *Ser. 1. in feſto Purificat. Beatæ Virg.* Nota etiam, quòd hoc poteſt dici de quolibet ſancto, & præcipuè de Sancto Antonio de Padua, qui cum ſe ex humilitate occultaſſet ad tempus, Chriſtus poſtea ipſum expoſuit ſuper candelabrum Eccleſiæ, ut verbo, vitâ, exemplis, & miraculis totam illuſtraret Eccleſiam. *Ser. 3. de S. Ant. Patav. in addit.*

12. *De adventu Matris, & Fratrum, dum prædicabat Chriſtus: Vide in Matth. cap. 12. & in Luc. hic.*

13. *De aſcenſu Chriſti in naviculam, ipſius obdormitione, & procellâ maris: Vide in Matth. c. 8. & in Luc. hic.*

14. *De liberatione obſeſſi à Dæmonibus, & ipſorum miſſione in porcos: Vide in Matth. c. 8. & in Luc. hic c. 8.*

15. *Qui rumpit vincula obedientiæ traditur in poſſeſſionem diaboli, & ab ipſo torquetur.*

Occurrit illi quidam, qui habebat Dæmonium &c. & ruptis vinculis agebatur in deſerta. Vide, quòd ſolùm ruptis vinculis iſte miſer poſſeſſus à diabolo agebatur in deſertum; ut intelligas, quòd qui vincula mandatorum Dei, & obedientiæ diſrumpunt, traduntur in poſſeſſionem diaboli, & ab ipſo in deſertum, ſcilicet in privationem omnium bonorum ducitur, & torquetur. *Ser. 3. Dom. 3. Adv.*

16. *Diaboli hoſpitium ſunt luxurioſi, & avari.*

Et rogabant eum, ut permitteret eis ingredi in porcos. Cur in porcos potiùs, quam in oves, in boves? quia porci ſunt luxurioſi, & quia maximè in luxuria delectantur; idcò luxurioſi jurè ſunt hoſpitium diaboli habentis poteſtatem in corpus, & animam ipſorum. *Luc. c. 15. v. 15. & c. 8. hic ſer. 2. Dom. 1. Quadrag.* Item & iſti, in quibus regnat ruditas avaritiæ. *ibid.*

17. *Diabolus nihil poteſt in creaturas, niſi permiſſus à Deo.*

Et rogaverunt illum, ut permitteret eis, ut in gregem porcorum abirent. Sed ad quid rogant? nonnè diabolus id de ſe poteſt? minimè; habet quidem voluntatem ſemper nocendi homini, & ſuis rebus, ſed non poteſtatem, niſi à Deo permittatur, quia poteſtas ejus eſt ligata per Chriſtum. *Luc. cap. 8. verſ. 32.* Vide quæ ſuprà *in cap. 4.* tradita ſunt circa hanc materiam.

18. *In via Chriſti libertas: in via diaboli captivitas invenitur.*

Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Cur Chriſtus non acceptat ad ſuum diſcipulatum iſtum miraculosè liberatum ab obſeſſione diaboli, dum ei ſe ultrò offert? ſed attende ad ſtatum miſerabilem, in quo prius vixerat, qui captivus Diaboli, & ab ipſo afflictus crudeliter fuerat, & inde ad ſtatum libertatis, in quo à Chriſto collocatus eſt ut videas diſcrimen inter ſervientes diabolo, & Chriſto; illi enim in perpetua captivitate vivunt; iſti vocati ad Dei ſervitium libertatem filiorum Dei acquirunt, unde in hujus rei ſignum dixit Chriſtus, redi in domum tuam, veluti liber, & expeditus ab omnibus impedimentis, & vinculis. *Luc. c. 14. verſ. 4.*

19. *Converſi ad Chriſtum intrent in domum conſcientiæ, & ibi habitent.*

Redi in domum tuam. Hoc dixit Chriſtus iſti homini, qui prius obſeſſus à diabolo habitabat in deſertis, & in ſepulchris, & hic eſt ſtatus infælix ſervientium diabolo, qui numquam requiem habent die, ac nocte, & ad Chriſtum converſi introire in domum conſcientiæ præcipiuntur, & ibi requiem capere, quia ſolùm in Dei obſequio requies vera, & pax invenitur. *Luc. c. 19. v. 7.*

20. *De miraculo ſanationis mulieris patientis fluxum ſanguinis, & ſuſcitatione filiæ Principis ſynagogæ. Vide expenſiones in Matth. c. 9. & hic in Luc cap. 8.*

21. *Multi profitentur ſe ſequaces Chriſti, ſed pauci verè tales ſunt.*

Et dixit Ieſus quis eſt, qui me tetigit? & dixit ei Petrus &c. Præceptor turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis quis me tetigit. Videtur hæc imprudens interrogatio Chriſti, dum quærit in tanta compreſſione turbarum, quis eum tetigit; ſed tamen continet maximum myſterium: Dat autem intelligere, quòd multi ſequi Chriſtum videntur, multi Chriſtiani numero, ſed tamen pauciſſimi ſunt, qui verè tangant virtutem Chriſti, qui ſectentur ejus veſtigia, qui toto corde ei ſerviant; undè poteſt verè præ raritate perfectè ipſi ſervientium dicere, quis me tetigit? ô nimis verum! videmus enim plurimos ad Eccleſiam convenientes. Sacramenta percipientes & frequenter, & tamen (proh dolor) pauciſſimi ſunt, qui perfectionem Chriſtianam aſſequantur. *In Thren. c. 1. Luc. hic.*

22. *Fides eſt, quæ impetrat miracula.*

Filia fides tua te ſalvam fecit. Quomodo fides? & non potius manus Dei omnipotens? manus quidem omnipotens fuit cauſa efficiens miraculi, ſed ex parte infirmæ ratio motiva fuit fides ſcilicet fides viva; undè priùs dicit filia, quia per fidem Theologicam filia adoptiva Dei facta erat, in cujus virtute illuminata erat in intellectu, & in affectu obſequioſa facta; & hinc ad fidem, ſcilicet ad fiduciam perfectam attracta; per quam meruit ſanitatem; ait ergo fides tua te ſalvam fecit, ſcilicet fides tua tam ſolida in credendo veritatem, tam devota in expectando, & tam magna in tanto, & tam arduo miraculo faciendo, & hæc tria ſunt, quæ impetrant miracula. *Ser. 3. Dom. 23. Pentec.*

Digitized by Google

23. *Curatio ſpiritualis animæ peccatricis qualis facilis, qualis difficilis.*

Filia mea modò defuncta eſt, ſed veni impone manum tuam, & vivet. Sic dicitur apud Matthæum, hîc autem apud Lucam dicitur, *& hæc moriebatur*; qui Evangeliſtæ tamen non ſunt contrarii; nam ſanctus Lucas loquitur pro tempore, quo diſceſſit Princeps è domo, reliquit enim eam in agonia poſitam: ſanctus Matthæus pro tempore, quo jam è vita diſceſſerat, & ſtatim Chriſtus ad domum mortuæ puellæ ivit, & tangendo eam dicens Puella ſurrexit, & ambulabat, & ſtatim manducavit; nec ſine myſterio iſtæ circumſtantiæ adnotantur, ſicut & in aliis duobus mortuis reſuſcitatis, ſicut in adoleſcente, de quo ſuprà dictum eſt, quod reſedit, & in Lazaro, quod ligatus manibus, & pedibus prodiit foras è ſepulchro: Dat enim Chriſtus intelligere qualis peccatoris curatio ſit facil s, qualis difficilior, & qualis difficillima: nam in iſta puella ſignificatur peccatum cogitationis, undè in domo adhuc erat mortua: in adoleſcente ſignificatur peccatum operationis; & in Lazaro peccator conſuetudinarius; prima curatio facilis eſt, & maximè quando ſtatim reſipiſcit peccator, undè dicebat Pater filia mea modo (nota, ly, modo, ſcilicet nunc, nunc mortua eſt, non anno præterito, ſed modò, ideò ad vocem Chriſti vocantis, ad tactum divinæ gratiæ ſtatim ſurgit, ambulat, & comedit: difficilior poſteà fuit curatio adoleſcentis, & ideò dicit, quod reſedit, quia remanet etiam mala inclinatio: ſed difficillima eſt peccatoris conſuetudinarii, qui reſurgit quidem, ſed manibus, & pedibus ligatis per inclinationem malam, & peſſimam conſuetudinem. *Ser.1.& 2. Dom.23. Pentec. Luc. hic & c.5.v.10.& c.24.v.41.* Vide quæ ſupra dicta ſunt ad *cap. 7. de reſuſcitatione adoleſcentis.*

24. *Tactus divinæ gratiæ, quàm efficax.*

Ipſe autem tenens manum ejus clamavit dicens, Puella ſurge, & ſurrexit, &c. Vide quomodò prius tenet Chriſtus manum puellæ, poſteà vocat ad vitam, & ipſa ſurgit; ut hinc videas, quod tactus Chriſti eſt neceſſarius ad omne opus bonum; tactus autem eſt gratiæ divinæ; prævenit enim nos ſuâ gratiâ intrando in domum noſtram, tenet manum per gratiam ſubſequentem, & efficaciter diſponit ad vitam, & ad ſanctam operationem. *Ser.2.Dom.23.Pent.*

25. *Converſi ad Dominum ſurgunt, ambulant, & manducant.*

Et puella ſurrexit, & ambulabat, & juſſit illi dare manducare. Ecce hæc tria in perfectè converſo: primum ſurgere, ſcilicet à peccato ad vocem clamoris Chriſti; ſecundum eſt ambulare, ſcilicet de virtute, in virtutem; & tertium manducare, ſcilicet amare Chriſtum, ipſum ſumere, & tenere firmiter: *ſer.1.Dom.23. Pentec.* Hinc etiam (addunt alii Doctores) patet, quinam ſunt, qui cum fructu merentur manducare corpus Chriſti in Euchariſtia.

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Nota quod jam inſtruxerat ſuos diſcipulos de doctrina ſua veritate, & verbis, & miraculis: nunc autem eos deſtinavit ad miniſterium prædicationis, & primò Apoſtolos, qui ſunt ſuperioris gradus; & poſteà diſcipulos, qui ſunt inferioris gradus, eiſque omnibus dat inſtructiones neceſſarias verbo, & exemplo, ad hoc, ut altiſſimum iſtud miniſterium rectè, & fructuosè exerceantur: Luc. cap. 9. in principio; de hac materia vide in Matth. c. 10. & in Luc. c. 9 hic.

CAP. IX.

2. *Prædicatorum unitas in ſeipſis habenda & in aliis curanda.*

Convocatis autem duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem, & poteſtatem, &c. Nota illud verbum, *convocatis*, ad quid eos convocavit, ſi jam erant cum ipſo? ſed notanter id dicitur, dum deſtinantur ad munus prædicationis; convocatis, ideſt ſimul in unum vocatis: ſic etiam quando erant ſimul aggregati miſit ſuper eos Spiritum ſanctum, & hoc ad commendandam eis unitatem, nempè ut unum cor, & anima ſimul eſſent in hoc miniſterio, ut ad ſalutem animarum tantùm zelarent; & ut curarent, & attraherent auditores ad concordiam, pacem, & unitatem; hoc enim eſt, quod præcipuè debent curare Prædicatores. *Luc.c.9.v.1.*

3. *Prædicatores, Prælati, & ſuperiores mittuntur medici ad curandas infirmitates ſubditorum.*

Dedit illis virtutem, & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent. Ideſt dedit eis virtutem ſuper ſpiritualia, ut dæmonia, & peccata ejicerent è cordibus auditorum, & poteſtatem ſuper infirmitates curandas: Nota hîc, quod duplex genus infirmitatis innuitur, ſcilicet corporalis, & ſpiritualis: ſuper utramque Chriſtus Eccleſiæ, & ſuis ſacerdotibus dedit poteſtatem nempè ejiciendi dæmones, & curandi infirmitates ſpirituales, & corporales; cum enim ſit Redemptor Chriſtus & medicus corporis, & animæ perfectiſſimus, reliquit ſuper animam, & corpus poteſtatem neceſſariam, ideò ſuper creaturam corporalem, & ſpiritualem dedit poteſtatem, & quia potiſſima cura debet eſſe ſuper animæ infirmitates, ideò ad hoc præcipuè conſtituit Prælatos in Eccleſia ſuper ſubditos, quorum præcipua cura debet eſſe eos dirigendi an

via

Digitized by Google

via ſalutis, liberandi à tentationibus, & periculis, corrigendi delinquentes, & ad perfectum ſalutis deducendi. *Luc. hic op. de ſex Alis Seraph. cap.1.*

4. *Munus prædicationis quàm grande, & ſublime.*

Miſit illos prædicare regnum Dei, & ſanare infirmos. Ecce ad quale miniſterium elegit Chriſtus Apoſtolos, ſcilicet ut prædicationis munus principaliter exercerent; ideò hic tria inſinuantur neceſſaria Prædicatori: primum eſt auctoritas mittentis, nullus enim debet prædicare, niſi à Deo, & ſuperioribus mittatur: ſecundum eſt zelus animarum in perſona, quæ mittitur: tertium eſt converſio, & ſanctificatio auditorum, per primum eſt nuntius Patris, per ſecundum filii, per tertium Spiritus ſancti: hinc addit *miſit eos prædicare regnum Dei*, ideſt non rem parvam ſed magnam, nempè regnum Dei, ſcilicet veritatis doctrinam, gratiam Spiritus ſancti, & gloriam cæleſtem; addit *& curare infirmos*, ſcilicet ad confirmationem veritatis Evangelii. *Luc. capite 9. verſ.2.*

5. *Prædicatori qualis converſatio requiritur.*

Et ait ad illos nihil tuleritis in via, neque peram, neque panem; &c. in quamcumque domum intraveritis, &c. Nota, quod ad poteſtatem prædicationis adjungit concomitantem honeſtatem neceſſariam Prædicatori, ſcilicet pauperiatem victus, tenuitatem veſtitus, & humilitatem convictus; dicit autem hîc neque virgam; & in Marco ipſam concedit, quæ non ſunt contraria; virgam hic prohibet, ideſt ſollicitudinem temporalium; in Marco concedit, ſcilicet quæ ſunt ſuſtentationi neceſſaria, & in ſumma prohibet Prædicatori cupiditatem, & avaritiam rerum temporalium, & præcipit vitæ exemplaritatem, quod fusè S. Bon. exponit hic *in Luc. c.9. v.3. & ſeq. in op. de Pasp. Chriſti a.2 in bp. de ſandal. in legen. S. Franc. cap.3. in ſerm.5. Hexam.* Vide quæ dicta ſunt in Matth. c.10. *& in Marc c.6.*

6. *Hic ſequitur divulgatio famæ Chriſti uſque ad Herodem Tetrarcham, de quo vide in Matth. c.14. & hic in Luc. c.9.*

7. *Deinde miraculum multiplicationis quinque panum, cujus expenſiones vide in Matth. c.14. & hic in Luc. c.9.*

8. *Sequitur hic interrogatio diſcipulorum facta à Chriſto, quem me dicunt homines; &c. de quo vide in Matth c.16. & hic in Luc. c.9.*

9. *De abnegatione ſui, & de cruce portanda poſt Chriſtum, Vide in Matth. c.10. & cap.16. & hic in Luc. cap.9.*

10. *Chriſtus exigit, ut homo in ipſum Chriſtum ſe transfiguret per conformitatem.*

Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum; & tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me: Quomodò præcipit Chriſtus, ut quotidie homo tollat crucem ſuam, ipſumque ſequatur, ſi enim prætendit imprimere imitationem ſui, cum ipſe ſolùm crucem portaverit ad Calvariæ locum, videtur abſonum, ut quotidiè à nobis fertur? ſed meritò additur, quotidiè, quia licet Chriſtus exteriorem crucem portaverit feriâ ſextâ ad Calvariæ montem, ſemper tamen ab initiatu ſuæ Conceptionis crucem internam, & mentalem Paſſionem portavit oneratus, & afflictus, & hinc benè dixit, quotidiè, ſic enim intendit nos in ſe transfigurare exempli exhibitione ex parte ſui, & ex parte noſtra conformitate. *Pſal.15.*

11. *Obedientia eſt fundamentum totius meriti reliquarum virtutum.*

Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Notandâ ſunt diligenter hæc verba Salvatoris, eorumque ordo: primò dicit ſi quis vult venire, per quod invitat ad ſtadium perfectionis, nec aliquem vult cogere, ſed totum remittit ad voluntatis arbitrium; qui autem vult amplecti ſequelam Crucifixi, primò abneget ſemetipſum, poſteà tollat crucem ſuam, & indè ſequatur Chriſtum: quæritur hic cur primò ponit abnegationem, poſteà crucis portationem? cur non primò dicit tollat crucem ſuam? ſed optimè, & optimo ordine procedit Chriſtus; nam per crucis acceptionem intelligit carnis macerationem, jejunia, tribulationes, & omnes alias aſperitates corporis: per ſequelam, ſcilicet ſequatur me intelligit curſum per ſtadium perfectionis, quæ omnia debent aſſumi à Chriſti ſequacibus volentibus erigere fabricam perfectionis, ſed tamen iſta omnia parum valent ſine fundamento profundo, & quodnam eſt? abneget ſemetipſum; hæc eſt obedientiâ, quæ neceſſaria eſt ad hoc, ut cætera omnia ſint validâ, bona, & meritoria, in cujus virtute anima perfectè ſe Chriſto conformat: meritò igitur Chriſtus antè omnia nos invitat ad obedientiæ ſubjectionem, quia per eam habetur mira victoria contrà hoſtes, & contrà omnia pericula, & tentationes, quia vir obediens loquetur victorias *Prov. c.21.* Et quod plus eſt Deus per obedientiam vinci poteſt. *Ser.4. Dom.4. Pent. op. Regula Novit. c.13. Luc. c.9. hic & cap.23. verſ.26.*

12. *In ſequela Chriſti omnia quantumcumque vilia maxima, & glorioſa ſunt.*

Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum; tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Vide quomodò propoſitis abjectionibus, & humiliationibus concludit, & ſequatur me; ut intelligamus, quod in ſequela, & imitatione Chriſti omnia quantumcumque de ſe vilia fiunt maxima, ſublimia, & glorioſa; quia gloria magna Chriſtianorum eſt ſequi Chriſtum ſalvatorem, ipſumque imitari per viam crucis, & mortificationis; & ideò rectè dicitur abneget ſemetipſum ſcilicet à ſeipſo deficiendo, & intrà ſeipſum humiliando, ut ſic ad eum, qui ſuprà eſt appropinquando perveniat. *Luc. cap. 9. hic & cap. 18. verſ.23.*

13. *Stultitia eorum, qui pro alienis lucris ſeipſos perdunt, expenditur.*

Quid proficit homo, ſi lucretur univerſum mundum, ſeipſum autem perdat, & detrimentum ſui faciat: Hæc ſententia Chriſti deberet inſculpi in mente omnium hominum, in qua intendit manifeſtare inſaniam eorum, qui pro lucro extraneo, pro delectatione momentanea perdunt ſeipſos, perdendo animam æternaliter; verè nulla major inſania iſtâ poteſt excogitari. *Ser.2. fer.3.Pent. Luc.c.9.hic.*

14. *Erubeſcentia in actibus pœnitentiæ quàm Deo exoſa.*

Qui me erubuerit, & ſermones meos coram hominibus, & Ego erubeſcam eum coram Patre meo. Proſequitur Chriſtus in ſuadendo quàm glorioſum ſit ipſum imitari in actibus etiam viliſſimis; hîcque intimat, quod qui in tali ſequela, ſcilicet in humiliatione, patientiâ, paupertate, religione, obedientiâ, deſpectione, contumeliis, & confuſione erubeſcentiam vitioſam patitur, & ob ipſam ab iſtis actibus humiliationis ſe retrahit; & ipſum Chriſtus erubeſcet in Judicio coram Patre ſuo, tamquam indigniſſimum, & ideò ab ipſo rejicietur, & à ſua ſocietate in æternum ſeparabitur: Et hinc patet quanta ſtultitia ſit mundanorum, qui erubeſcunt ire ad Eccleſiam, genua flectere, exteriores pœnitentias amplecti, humiliationibus ſe ſubjicere. Et tamen quotidiè audiunt ſanctam Eccleſiam dicentem; Venite adoremus, & procidamus antè Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quoniam ipſe eſt Dominus Deus noſter, qui fecit nos, & non ipſi nos. *Pſal.94.* Quaſi dicat, ſi ipſe eſt Dominus Deus, qui nos creavit, redemit, & gubernat, & nos populus ejus, &c. Ergo venite corpore, adoremus mente, & procidamus ante eum corpore, & mente, & ploremus coram eo ex peccatorum recordatione, ex bonorum omiſſione, & ex omnium virium interiorum corruptione, & ex omnium præceptorum tranſgreſſione; ô magnam verecundiam Chriſtianis populis, qui ſe ſinunt vinci in hoc à Paganis, qui pro cultu Idolorum non dedignabantur quæcumque vilia amplecti; contrà iſtos dicit Chriſtus, & Ego erubeſcam eos coram Patre meo; & hoc exigit recta juſtitia, quia hoc eſt negare Chriſtum, ejuſque fidem; & veritatem. *Ser.2.de SS.Phil.& Iacobo: op. de Prof. Religioſ. lib.1.c.24.Luc.c.9.hic: & c.12.v.9. & c.23. v.52. Pſ.118.c.1.v.16.Vide in Matth.c.10.*

15. *De myſterio transfigurationis Chriſti fusè agitur in Matth. cap.17. & hic in textu in Luc. cap.9.*

16. *Qui ſocius ſit Chriſti in laboribus, erit & in gloria.*

Et aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & duxit illos in montem.&c. Cur iſtos tres ſolos diſcipulos aſſumit, ut ſint præſentes transfigurationi? cur non etiam cæteris communicat hanc gloriam? hoc factum eſt, quia iſti tres fuerunt ſocii in labore piſcationis, à qua fuerunt vocati; fuerunt & ſocii in oratione in horto; ut diſcamus, quod qui ſocius ſit Chriſti in tribulationibus, etiam ſocius erit in conſolationibus. *Luc.c.5.v.10.*

17. *Oratio devota præparat ad participationem gloriæ cæleſtis.*

Aſſumpſit Petrum, &c. & aſcendit in montem orare. Quomodò aſcendit orare in montem, & non potiùs ad celebrándum myſterium transfigurationis? ut intelligamus pretium orationis devotæ; aſcendit in montem orare tamquam in locum ſemotum à converſatione hominum, ut ibi ſe præpararet ad transfigurationem, non quod hac præparatione indigeret, ſed ut oſtenderet quid nobis faciendum, ut oratio noſtra ſit Deo grata, & efficax, & quòd talis oratio diſponit animam ad transfigurationem, & participationem gloriæ Chriſti. *Ser.5.de uno Confeſſ. Luc.c.9. hic.*

18. *De liberatione dæmoniaci facta à Chriſto, quem diſcipuli rogati non potuerunt liberare: Vide in Matth.c.17.Luc.c.9.hic.*

19. *Iracundus ſimilis eſt dæmoniaco arreptitio.*

Altera die, &c. Ecce vir de turba exclamavit dicens, obſecro te reſpice in filium meum, quia unicus eſt mihi; & ecce ſpiritus elidit eum, &c. Vide peſſimos effectus obſeſſionis diabolicæ in homine, quos tamen gignit diabolus in iracundo; quia ſicut diabolus elidebat eum, ſic ira elidit iracundum per impatientiam moleſtando, & ſpumat per clamores contendendo, vel contemnendo, & ſtridet dentibus malitiam machinando, & areſcit odium, & rancorem concipiendo; hæc enim ſunt ſigna iræ, & opera iracundiæ. *Op. Dict. tit.1.c.5.Luc.c.15.v.13.*

20. *Homo magis ad Chriſtum accedens, eò magis à diabolo tentatur.*

Et cum accederet ad Ieſum eliſit illum, & diſſipavit. Nota, quod hanc violentiam huic miſero maximè infert, cum ad Chriſtum accedit; quia totus conatus diaboli eſt, ne quis ad Chriſtum convertatur; & qui magis ad Chriſtum accedit, etiam fortiùs tentatur, ne ulteriùs progrediatur; ideo fortiter ei reſiſtendum, quia nihil poteſt, niſi nos ei aſſentiamur. *Luc.c.9.v.42.*

21. *Prælati qualiter ſubditos liberare poſſint ab obſeſſione diaboli.*

Et increpavit Ieſus ſpiritum immundum, & ſanavit puerum, & reddidit illum patri. Ecce quale munus perfecti Prælati, ſcilicet liberandi ſubditos à diabolo per peccatum obſeſſos, & reddendi illos liberatos Patri cæleſti; idque facient increpando, & ſanando; increpando per juſtitiam, & ſanando per clementiam; debet enim eſſe rigor juſtitiæ reſpectu culpæ, & dulcor clementiæ reſpectu naturæ, ſcilicet ut fiat increpatio, & correptio cum dilectione hominum, & odio vitiorum. *Luc.c.9.v.42.*

22. *De quæſtione diſcipulorum, quis inter eos eſſet major Vide in Matth.c.18. & in Marcum c.9.& hic in Lucam c 9.*

23. *De oſtenſione pueri à nobis imitandi facta à Chriſto vide in Matth. cap. 28. & in Luc hic.*

24. *De*

24. *De increpatione facta à Christo suis discipulis prohibentibus quemdam Damonia ejicientem Vide in Matth.c.*18.*& in Luc.hic.*

25. *Efficacia nominis Christi Iesu elucet etiam apud extraneos, & inimicos: Ubi de fide pura sine operibus.*

Præceptor vidimus quemdam in nomine tuo Damonia ejicientem, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum,& ait illis,nolite prohibere,qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Si iste, qui ejiciebat Dæmones in nomine Christi, non sequebatur Christum, ergo extraneus, & infidelis: quomodo ergo ejicere poterat Dæmones in virtute Christi, quem vel non cognoscebat, vel oderat, vel non sequebatur? sed ex hoc duplex mysterium nobis elucescit: primum est quanta sit efficacia nominis Iesu etiam, projati ab extraneis, & infidelibus, sufficere enim poterat ad ejiciendos Dæmones; undè legitur apud S. Gregor. de quodam Judæo,quòd cum nocte quadam declinasset in templo,& videret Dæmones, ob timorem se munivit signaculo crucis,& ipsi territi dixerunt Væ, væ, væ vas vacuum, sed signatum, statimque omnis turba Dæmonum disparuit; & non est mirum, quia in nomine Jesu omne genu flectitur,&c.secundum est, quod etiam fides viva & actualis sine charitate mirabilia operatur, nam licèt talis fides dicatur mortua respectu defectivæ charitatis, non tamen est mortua de se, sed viva, quia actu exercita in ordine ad veritatem promissionis Christi,in qua firmiter innititur sine hæsitatione; unde legitur, quod peccatores aliquando in virtute fidei mirabilia operati sunt. *Ser.in Exalt.S.Crucis ser.*1 *in dedicat.Luc.c.*9.*v.*49. *& c.*4.*v.*41.

26. Deum diligens gaudet de omnibus, quæ in ejus gloriam redundant, licet per alios etiam extraneos provenirat talis profectus,ut patet ex responsione, & reprehensione factâ à Christo in suos discipulos, qui prohibebant quemdam non discipulum Christi, ne ejiceret Dæmones in nomine Christi; *nolite prohibere* ait Christus, *nam qui non est adversum vos*, ideſt qui vera prædicat etiam imperfecto modo, etiam mundano fine, *pro vobis est: Luc.hic: & c.*8.*vers.*38. Et hinc etiam infertur, ait S. Bon. quam rationabiliter tolerantur Prædicatores vera prædicantes, & cum utilitate, licet imperfecti ex amore pecuniæ prædicent.

27. *Spiritus Christi in hac vita spiritus benignitatis est,non rigoris, pro alia vita res aliter se habet.*

Domine,vis dicamus, ut ignis descendat de Cœlo, & consumat illos. Scilicet qui noluerunt recipere Christum. *Et conversus increpavit illos dicens, nescitis cujus spiritus estis.* Vide quomodo discipuli ob zelum vindicandi injuriam Christo factam ab illis, qui noluerunt recipere Christum, volebant, ut descenderet ignis de Cœlo, & istos perversos devoraret, sicuti factum est tempore Eliæ; sed Christus ipsos reprehendit dicens, *nescitis, cujus spiritus estis*,quasi diceret, Vos erratis ignorantes, quod tempus mei adventus est tempus pietatis,& benignitatis, non tempus Eliæ, quia hoc mihi reservatur pro altera vita; ideò ad patientiam, & patienter ferendas persecutiones invitat hoc meum tempus, & Evangelica doctrina. *Luc.c.*9. *hoc serm.*1.*de S.Nicol. & serm.* 1. *de S. Iacobo in addit.*

28. *Religiosi, qui magna promittunt, sed parum faciunt à Christo reprehenduntur.*

Dixit quidam ad illum, Magister sequar te quocumque ieris, & ait illi Iesus. Vulpes foveas habent; & volucres Cæli nidos,Filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput suum. Sed cur Christus recusavit istum volentem sequi ipsum quocumque iturus esset? verè hæc fuit promptissima, & maxima promissio,cur ergo ipsum non acceptat:hoc fuit, quia videbat cor istius, esseque de numero illorum, qui maxima promittunt, sed parva faciunt, sic hypocritæ:sic,sic est,& sic faciunt multi intrantes Religionem, in quâ egregium principium ad modum Asini, sed citò destitutum ostendunt,istique exosi,nec inter servos Dei computandi. *Luc.c.*9. *v.*57.

29. *Nec vulpes foveas habentes, nec volucres nidos apti sunt Christi discipulatui.*

Vulpes foveas habent, &c. Loquitur Christus sub hac metaphora de iis,qui profitentur quidem exteriùs Dei disciplinam, sed intiùs foveam cupiditatis retinent, & ad alta dignitatum adspirant, isti non sunt Christi veri discipuli; sed ipsi exosi. *Serm.*1. *Dom.* 4. *Quadragesimæ. In Lucam cap.*9. *vers* 58.

30. *Qui in hac vita nidum vult habere,in altera nido cœlesti privabitur.*

Et volucres Cæli nidos; Quasi dicat, qui vult me sequi nullum nidum in hac vita,nullam cupiditatem habeat, alioquin carebit hospitio in alia vita,*Ser.*1.*de S.Ioan.Evangelista:*

31. *Christus in terra non habuit hospitia propria,sed in Cœlo magna palatia habet ad ibi recipiendum suos sequaces. Ubi de paupertate Christi.*

Vulpes,&c.Filius autem hominis,&c. Vide quam sit verum dictum Salvatoris: nullum hospitium habuit proprium, sed semper velati peregrinus, & hospes alieno hospitio, & rebus usus est,quia voluit semper usque ad finem paupertatem summam exercere, ut significaret, quod alibi, scilicet in patria sua hospitium, ideſt palatium magnificum habebat scilicet in Cœlo, ut ibi reciperet suos sequaces in summa paupertate. *Opusc. Sim. p.*1. *cap.*14. *opusc.legenda S.Franc. c.*7. *opusc. de Paupertate Christi. q.*1,*opusc.Apol.Paup.resp.* 3. *cap.*1.*& c.*2. *Luc. c.* 1. *v.*8. *& cap.*22. *v.* 10. *Ioan; collat.*20. Vide hîc pluses mysticas expositiones super hunc textum. *In Lucam cap.*9. *vers.* 58.

32. *Religiosi sinant mortuos sepelire mortuos suos.* Sic dixit Christus volenti sequi ipsum, & petenti posse ire sepelire Patrem suum: sine (ait) mortuos, scilicet sæculares se ingerere in suis

mortuis actibus in terrenis cupiditatibus, & ſequere Chriſtum omnia relinquendo. *Op. Apol. Paup. Reſp.* 3 c.2. *Luc. hic.*

33. *Perſeverantia ſola eſt, quæ coronat opus: Ad Prælatos, ad Prædicatores; ad Religioſos, & pœnitentes eſt ſermo.*

Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Nota, quod hæc eſt concluſio, quàm infert Chriſtus ex præmiſſis, in quibus vocavit, & deſtinavit Apoſtolos, & diſcipulos ad laborandum in vinea Eccleſiæ per prædicationem, & vitæ exemplarem converſationem, & admiſit eos, qui puro corde ipſum ſunt ſequuti, eiſque intimavit cruces, labores, paſſiones, & mortificationes: in qua concluſione primò loquitur Prælatis, & Prædicatoribus, quorum munus eſt arare, & colere agrum Eccleſiæ, & paſcere ſubditos, quibus non ſufficit benè inchoare, ſed incumbit & proſequi perſeveranter uſque ad finem diei; & in figura hujus veritatis Eccleſia ordinat ſacerdoti in Miſſa, ut poſtquam miſit manus ad calicem, numquam ſe vertat ad populum, niſi poſt communionem; his autem dat intelligere, quòd eſt neceſſaria perſeverantia uſque ad finem in Dei obſequio: ſecundò loquitur Religioſis, qui manum mittunt ad aratrum perfectionis intrantes, & profitentes, & promittentes ſe velle tendere ad perfectionem, ne reſpiciant retrò ad mundum, & mundana, vel apoſtatando à Religione, vel remittentes ſe ab operibus perfectionis, ſi volunt pervenire ad coronam. Tertiò omnibus Chriſtianis ſtatum pœnitentiæ arripientibus, quod ſi non perſeveraverint uſque ad finem, non ſunt apti regno Cœlorum, quia minus malum fuiſſet non agnoviſſe viam veritatis, & retrorſum abire, quàm inceptum iter arripere, & poſteà in itinere redire retrorſum: ô quot, homines, Prælati, Religioſi, & Chriſtiani deficiunt in hoc propoſito, & ideò etiam pauci ad coronam perveniunt. *Pſalm. 39. Eccleſien. cap. 5. op. Expoſ. Regulæ c. 3. Luc. hic: & c. 14. verſ. 29. & c. 17. verſ. 7. & 21. Ioan. cap. 21. verſ. 3. & collat. 91. Diuiſit. 4. c. 1. ſerm. 1. de S. Thoma in addit.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd in præcedenti capite miſit Apoſtolos ad laborandum in Eccleſia ſignificantes Epiſcopos; in hoc conſequenter mittit diſcipulos deſignantes minores Sacerdotes, ipſiſque tradit auctoritatem, & ſimul docet modum exercendi rectè ſuum munus in prædicatione, & ſalute animarum: deſignavit autem ſeptuaginta duos diſcipulos, quia ſeptuaginta erant lingua in toto mundo, ut ſcilicet ad omnes homines extenderent ſuum opus, & doctrinam; & quia numerus ſeptuagenarius ſignificat ſeptem dona Spiritus Sancti neceſſaria ad obſervantiam decem præceptorum Decalogi additis duobus præceptis gemina charitatis: & quia ſeptuaginta duo continent horas trium dierum, quia fidem Trinitatis prædicare debent ſecundùm triduanum circuitum ſolis Chriſti, ſcilicet Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis: & ſecundo loco Legiſperito viam ad vitam æternam poſcenti dat legem dilectionis Dei, & proximi, & per parabolam Samaritani, docet quis ſit proximus: tertio ſortem Mariæ præfert ſorti Marthæ. Luc. c. 10. v. 11.*

CAP. X.

1. *Deſignationem qualem exigat Chriſtus in Sacerdotibus.*

Deſignavit Dominus, & alios ſeptuaginta duos, &c. Quid eſt deſignavit, id eſt denuo ſignavit, ſcilicet jam electi fuerant à Chriſto in diſcipulos: & cum priùs deſignaverit duodecim Apoſtolos, quibus ſuccedunt in Eccleſia Epiſcopi, nunc denuo diſcipulos deſignavit, ſcilicet oſtendit ſuos diſcipulos debere eſſe Sacerdotes, & ſignatos ſignaculo characteris ſacerdotalis, tonſuræ, & totius diſciplinæ, & converſationis ſanctiſſimæ; ex quibus ſequitur, quod ſacerdotes in Eccleſia ſuccedunt loco diſcipulorum ſeptuaginta duorum, & hæc tria exigit Chriſtus in ſacerdotibus. *Luc. c. 10. v. 1.*

3. *Prædicator, & Curatus animarum mittitur à Chriſto antè faciem ſuam, ſed cum numero binario.*

Et miſit illos binos antè faciem ſuam. Quomodo binos eos miſit, cum legatur multoties unum fuiſſe miſſum ad prædicandum gentibus? & quomodo antè faciem ſuam, & non potius poſt Chriſtum, ut ipſum ſequerentur, non antecederent? ſed tamen in his verbis plura myſteria involuuntur; miſit binos, ſcilicet cum numero binario, eis præcipiens, ut ſecum ferrent geminam charitatem, hæc enim complet perfectum Prædicatorem, & animarum Curatum, miſit eos ante faciem ſuam, ſcilicet ut præparatent prædicatione, verbo, & exemplo homines ad recipiendum Chriſtum, quia ubi verba prædicationis præcurrunt, ibi venit Chriſtus, & intrat in mentis habitaculum: Ecce ad quid eſt ordinata prædicatio, ejuſque multiplex effectus, ſcilicet ad præparandum hoſpitium Chriſto intra animam auditorum: *Pſal. 106. op. Eccleſ. Hier. p. 1. cap. 2. opuſc. de Paup. Chriſti. quæſt. 2. Luc. cap. 10. hic ſerm. 1. de S. Thom. in addit.* Nota autem, quod

quod ad litteram misit discipulos binos, tum ut alter alteri esset auxilio, solatio, stimulo, & excitamento; tùm ut majorem auctoritatem haberet prædicatio, quia in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, tum ut alter alterum haberet perpetuum vitæ testem, æquè ac tutorem: Hinc est, quòd Institutores Religionum semper præceperunt, ut Religiosi extrà Conventum incederent bini, & bini, experientiâ enim est testis, quod Religiosi soli incedentes in varia pericula, mala, & scandala sæpè præcipitati sunt, quod & observavit Thomas Cantiprat. *in lib. Apum. cap.* 11. undè sanctus Thomas dicere solebat, quod Monachus solus est dæmon solitarius.

4. *Explicatur sententia hæc: Messis multa, operarii pauci. Vbi quis sit bonus Curatus animarum, & de missione Regularium ad munus Prædicationis.*

Messis quidem multa. Quia messis multa seminata est in lege naturæ crevit in tempore legis scriptæ, & collecta est in lege gratiæ: multa quidem est ista messis, & operarii pauci, scilicet idonei, & fideles, & è contrà multi insufficientes: Idonei autem sunt qui destinati sunt legitimè ad curam animarum, qui habent scientiam competentem, & debitam diligentiam in curandis animabus adhibent; & quia messes plebium multiplicatæ sunt, adinventiones peccatorum excreviſſe videntur, & quia major pars Curatorum animarum sunt negligentes, & insufficientes, ideò Christus providit in Ecclesia coadjutores, scilicet Regulares, & præcipuè mendicantes, qui à summo Pontifice destinati sunt ad coadjuvandum Episcopos, & Plebanos in collectione messis. *Op. quare Fratres Minores prædicent: Luc. hic Ioan. cap.* 4. *v.* 35. Nota autem, quod comparat meritò Prædicatores messoribus, quia istorum munus est falcem prædicationis extendere, sed monet tenere messem, scilicet operationem, & vitam exemplarem associare verbis, & quia pauci sunt isti, ideò dicit Messis multa, operarii pauci. *Luc. ibid. in Matth. c.* 9. *ad finem.*

5. *Prædicatores sint agni inter lupos, & agnos, & tales à Christo missi sunt.*

Ite. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Ecce quid intonat Christus suis Apostolis, discipulis, Prælatis Ecclesiarum, & Præsidentibus; Ite, ait; & quo, & quomodo? Ite. scilicet expeditè, & sollicitè ad similitudinem animalium, quæ ibant, & revertebantur in similitudinem fulgutis: Ite, ideſt properate, & pro salute omnium periculis vos exponite, quia bonus Pastor animam suam dat pro ovibus, & ad imitationem Christi, qui circuibat per vicos, castella, & civitates, prædicantis Evangelium regni, ideò ite ad periculum, & laborem, ut reportetis triumphum, & ne sitis sicut mercenarii, qui videns lupum venientem, & dimittunt oves rapacitati ejus: Ite ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, ideſt sicut pios, humiles, & mansueros inter impios, superbos & malignos, ut illos mansuetudine vincatis, ut illos in agnos convertatis, & sic inter lupos, & agnos ite. inter lupos, ut bonos foveatis, & malos vestrâ patientiâ vincatis: ô attendant ad hæc Prædicatores, nam si lupi erunt vincentur si agni vincent, & triumphabunt. *Ioan. c.* 20. *v.* 21. *Luc. hic. Vide in Matth. c.* 10.

6. Apostolis, discipulis, & Prædicatoribus imposuit Christus professionem altissimæ paupertatis dicens, *Nolite portare sacculum, neque peram,* ut per paupertatem triumpharent de diabolo, de mundo, carne & de Principibus, & potentibus sæculi, ut hinc discant Prædicatores abjicere à se omnem cupiditatem, & avaritiam, alioquin sine fructu prædicabunt; nec per hoc tamen eis vetat sustentationem necessariam, ut hîc dicitur à Christo. *Op. de Paup. Christi qu.* 1. *Luc. c.* 10. *v.* 4. *seq. Vide in Matth. c.* 10. *op. Determin. qu.* 4. *op. de Paup. Christi a.* 2. *Luc. c.* 9. *v.* 3. *& c.* 8. *v.* 3.

7. *Christus, Apostoli, & discipuli discalceati, & solùm sandaliis in pedibus incedebant.*

Neque calceamenta. Ex quo patet, quòd Christus jussit Apostolis, & discipulis, ut incederent discalceati, solis sandaliis utentes, ut faciunt Fratres Minores. *Op. Apol. Paup. Resp.* 4. *capit.* 11 *Luc. capit.* 10. *hic & cap.* 15. *vers.* 22. *Ioan. cap.* 1. *v.* 27. Vide quæ dicta sunt *in Matth. cap.* 10. *& in Marc. cap.* 6.

8. *Explicantur illa verba Christi: Neminem per viam salutaveritis.*

Cur Christus præcipit ne discipuli salutent aliquem per viam, cum ipse esset benignissimus, & curialissimus? nonnè hoc est indicium affabilitatis, mediumque aptum ad captandam benevolentiam? sed attende ad mysterium: Non prohibet Christus ad litteram salutationem mutuam inter homines, & multò minus inter suos sequaces; sed vetat illas salutationes, quæ ut plurimum per viam solent occurrere, nempè salutationes prolixas, confabulationes, & multiloquia, quæ ex salutationis occasione sæpè solent occurrere, quia hoc vitium maximè solet esse in viatoribus, & sæpè occasio est contentionum, detractionum, & aliorum malorum, undè etiam discipuli cœperunt in via occasione multiloquii; mysticè autem dicit *neminem salutaveritis in via,* ideſt nemini salutem viæ, sed patriæ annuntiaveritis, illa enim est transitoria, ista perpetua, dum enim sumus in hac via, non est unquam severitas, vel dicit neminem salutaveritis in via, ideſt salutem non promittatis ob consortium viæ, & collocutiones cum sanctis, sed propter consortium vitæ, & pœnitentiæ. *Luc. c.* 10. *hic.*

9. *Professores sanctæ paupertatis qua moderatione comedere debeant apud sæculares, quæ eis apponantur.*

In eadem autem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud illos sunt. Nota, quòd primò præcipit, ut pax annuntietur (*primum dicitur*

pax huic domui) ut ſe oſtendant filios pacis, & pacem Chriſti portantes, deinde concedit, ut comedant de iis, quæ apponuntur illis, quod & Seraphicus Pater Franciſcus concedit ſuis Fratribus in Regula *c.3.& 5.* ſed quia eos vult profeſſores altiſſimæ paupertatis, & imitatores diſcipulorum Chriſti, moderat hanc licentiam dicens, Et ſecundum ſanctum Evangelium de omnibus cibis, qui apponuntur, liceat eis manducare: Notent profeſſores ſancti Evangelii illam particulam *ſecundum Sanctum Evangelium*; quid eſt, quod concedit Sanctum Evangelium? hoc eſt ſecundum Regulam Evangelicæ honeſtatis, ideſt caventes à ſuperfluitatibus, à voracitate, à comeſtione delicatiorum ciborum, ab uſu nimis, & excedentes lato, & ſcandaloſo; & ideò Evangelium ſubdit, *& curate infirmos, qui in illa domo ſunt*, infirmos non tantùm corporaliter, ſed magis ſpiritualiter, ſcilicet cum exemplaritate vitæ, & amoris abſtinentiæ oſtenſione, unde talis licentia eſt cum moderatione practicanda. *Expoſ. Regulæ c.3.& 5.op.Determinat. q.4.op. de Paupert. Chriſti a.2.*

10. ***Benedictio menſæ ſanctificat cibos.***

In quamcumque domum intraveritis, dicite pax huic domui, &c. in eadem autem domo manete edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt. Nota hunc ordinem: primò Chriſti diſcipuli annuntient pacem, & benedictionem Chriſti domui, in quam intrant, & hinc poſt hoc comedant quæ apponuntur, ut oſtendat, quòd annuntiata pace, & verbo, & benedictione Dei tota domus remanet benedicta, & conſecrata, ſic etiam cibi, & quicquid ſumitur cum gratiarum actione ſanctificatur per verbum Dei, & orationem. *Luc.c.10.v.7.*

11. ***Mercenariis temporalibus debetur merces ſua: Vbi de fraudantibus operarios mercede ſua.***

Dignus eſt operarius mercede ſua. Nota hanc propoſitionem univerſalem, & ideo intelligitur etiam de operariis manualibus, quibus debetur merces terrena ex juſtitia; hinc eſt, quod qui fraudant operarios mercede debitâ Deo exoſi ſunt, & comparantur in ſcripturis in Eccleſiaſtico *c.34.* homicidis, & ideò peccant graviter. *Ser.2.de S.Marco in addit.*

12. ***Eccleſiaſtici impinguati beneficiis mercedem recipiunt, ut ſint operariis diligentes.***

Dignus eſt operarius mercede ſuâ. Nota, quòd dicit operarius, non otioſus, ut ex hoc diſcant Eccleſiaſtici ditati beneficiis pinguibus, ipſos teneri, & debere eſſe ſecundùm mercedem operarii in vinea Domini, ideò penſate, cujus damnationis ſit, ſine labore hic percipere mercedem laboris; Væ ergo eis, qui mercedem ſine labore, officium ſine opere, nomen ſine re, honorem ſine onere ambiunt, & recipiunt. *Ser.2.de S.Marco in addit.*

13. ***Operariis malis qualis merces parata in inferno.***

Dignus eſt operarius mercede ſuâ. Nota, ly, operarius, non ſolùm bonus, ſed etiam malus; nam malis operatiis, qui exhibent mercedem alios trahendo ad peccandum, vel aliena trahendo, merces pœnæ æternæ parata eſt in Inferno; ſic fecit Judas, qui pro mercede pecuniæ tradidit Chriſtum; ſic Judæi, qui appenderunt, & tradiderunt Judæ mercedem pro proditione Chriſti. *Ser.2.de S.Marco in addit.*

14. ***In conventu Chriſti operariis duplex merces invia, & in patria parata: In conventu diaboli duplex item merces in hac, & alia vita.***

Dignus eſt operarius mercede ſua. Nota, quod hic Chriſtus ſuis diſcipulis promittit benè operantibus mercedem, ſed qualis eſt iſta merces? merces duplex in via, ſcilicet ſuſtentatio corporalis, & in patria refectio æterna; merces hæc eſt, de qua dictum eſt Abrahæ, *Noli timere, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*; Protector tuus ſcilicet defendendo te à conventu malignantium, ut dicitur *Pſal. Protexiſti me Deus à conventu malignantium*, ſcilicet hominum in mundo, & Dæmonum in Inferno; in quo conventu Abbas eſt diabolus, qui in ipſo recipit in hoc mundo malignantes, ut eos torqueat in Inferno. Qui verò pro Chriſto operantur, in conventu Angelorum recipiuntur, quia viventes ſunt in mundo in ſanctitate, ſuſtinentes patienter in adverſitate, & docentes in veritate, iſtiſque dicitur ero merces tua magna nimis: quare tua? quare magna? quare nimis? tua utique bona voluntate; magna, quia bono opere; nimis, quia bona conſuetudine laboraſti in vinea Eccleſiæ; ergo ſi labor terret, merces vincit. *Sermon.2. de S.Marco in addit.*

15. ***Sollicitudo in parandis cibis Prædicatoribus prohibita.***

Et manducate quæ apponuntur vobis. Ecce iterùm, quod Chriſtus permittit Prædicatoribus Apoſtolicis, ut recipiant ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſuſtentationem ad relevandam neceſſitatem, ut fortiùs laborent: ſed nota quod dicit, manducate quæ apponuntur vobis, non dicit, quæ vobis ipſis paratis, & hoc ad vitandam guloſitatem, & nimiam ſollicitudinem circa ciborum præparationem; hoc benè notent Prædicatores, quia non ideò evangelizare debent, ut manducent, ſed manducare, ut evangelizent, ſecundùm neceſſitatem naturæ, & ad ſuſtinendum laborem. *Luc.c.10.v.8.*

16. ***Miniſtri Chriſti curare debent infirmos.***

Et curate infirmos, qui in illa domo ſunt. Quid eſt hoc? ergonè debent eſſe medici? ſed attende ad mirabilia legis Evangelicæ: Alii datur gratia curationum (*ait Apoſtolus*) alii operatio virtutum, alii fides, &c. Chriſtus reliquit Eccleſiæ hanc virtutem curationis corporum ad confirmationem veritatis fidei, & ideò ejus miniſtri debent etiam neceſſitate urgente, & hoc in virtute nominis Jeſu, uti hac poteſtate, ſed magis poſteà ad curationem infirmitatum ſpiritualium à languore peccati. *Luc. hic:op.Expoſ.Regulæ c.3. Luc.c.9.v.49.*

17. *Prædicator prædicans verbum Dei affert regnum Dei in auditores.*

Et dicite illis appropinquavit in vos regnum Dei. Quodnam eſt hoc regnum Dei, quod dicitur appropinquari iis, ad quos mittuntur Prædicatores? Regnum Dei eſt id, in quo clauditur veritas doctrinæ, bonitas gratiæ, & ſublimitas gloriæ, quod totum percipitur per receptionem devotam, & dignam verbi Dei; illuminat enim intellectum, inflammat voluntatem in Dei amorem, & dirigit ad Cœlum. *Luc. c. 10. hic. op. de dono timoris c. 4.*

18. *De pœna, & reprobatione non recipientium Apoſtolos miſſos à Chriſto, & verbum Dei ab ipſis prædicatum, item de excuſſione pulveris pedum. Vide in Matth. c. 10. & in Luc. c. 10. hic.*

19. *Qui audit Dei verbum, & Prædicatorem à Chriſto miſſum, & quomodo audit, & eodem modo audit Chriſtum, & è contra qui ſpernit &c. Vide in Matth. c. 10. Luc. c. 7. v. 30. & c. 9. v. 2. & c. 10. hic ſup. c. 11. Ioan. c. 15. v. 19. ſeq.*

20. *Quomodo remiſſius erit in judicio terræ ſodomorum, & infidelium, quàm Chriſtianis non obedientibus verbo Dei, & prædicationi. Vide in Matth. c. 11. & in Luc. hic. c. 10.*

21. *Homo paulatim in altum aſcendit, ſed in momento in profundum præcipitatur.*

Amen dico vobis videbam Sathanam ſicut fulgur de Cœlo cadentem. Nota, quòd Chriſtus exiit in hanc ſententiam occaſione, qua diſcipuli narrabant ipſi prodigia facta, & ejectiones diaboli in nomine Jeſu, de quibus, licet recognoſcerent auctorem ipſum Chriſtum, tamen aliquâ glorioſâ vanâ elati ſunt, Chriſtus autem, ut ipſam mox abſtergeret, & eos humiliaret, attulit exemplum diaboli, qui voluit elevari in altum ex ſuperbia videns propriam pulchritudinem, & ideò ſicut fulgur de Cœlo cecidit; dátque intelligere, quòd ubi homo in altum paulatim aſcendit, cadens in momento præcipitat, nam in aſcendendo ad perfectionem varii ſunt gradus, ſed in cadendo non eſt gradus, vel remiſſio, ſed totum præcipitium fit in momento, ut omnis homo coram Deo ſe humiliet, nec extollatur de beneficiis Dei. *Serm. 4. in Aſcenſ. in Thren. c. 1. Luc. cap. 4. verſ. 9. Pſal. 118. v. 120. Luc. hic.*

22. *De virtute nominis Jeſu contra diabolum reluxente in his verbis Chriſti tractat Sanctus Bernardinus Senenſis, & affert hunc ſenſum; Ne miremini, quòd in virtute mei nominis ejiciamur Demones è corporibus, nam etiam in virtute ejuſdem ejecti fuerunt è Cœlo; quod & fuit expenſum in Matth.*

23. *Non de gratiis gratis datis, ſed de gratia interna lætandum, & quòd nomina noſtra ſcripta ſunt in libro vitæ.*

Ecce dedi vobis poteſtatem ſuper ſerpentes (ideſt quantum ad inſidias corporales) *& ſuper omnem virtutem inimici* (ideſt quantum ad inſidias ſpirituales) *& nihil vobis nocebit*, ſcilicet propter ſupernas protectiones: Nota hîc, quòd omnes iſtæ ſunt gratiæ exteriores, ſcilicet poſſe facere miracula; addit tamen, verumtamen in hoc nolite gaudere, quòd ſpiritus ſubjiciuntur vobis, ideſt nolite erigi in ſuperbiam; alioquin tales gratiæ erunt vobis in damnationem; Gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in Cœlis, ſcilicet in libro vitæ, nempè in Dei præſcientia, memoria & prædeſtinatione eſtis deſcripti, in quo libro non adnotantur niſi prædeſtinati; nam nomina præſcitorum ſcripta ſunt in terra, non in Cœlo: hoc eſt de quo gaudendum, & ideò gaudere non in miraculis, ſed in ſuppliciorum perpeſſione, propter quam nomina veſtra deſcribuntur in Cœlo. *Ser. 17. Hexam. ſer. 20. Hexam. ſer. 2. Dom. in Albis ſer. 4. Dom. 1. poſt oct. Paſcha ſer. 2. Dom. 4. Pentec. ſer. 3. de Pluribus Mart. in addit. Luc. hic c. 10.* Nota autem, quòd duplex eſt hæc Dei-ſcriptio, vel præſcientia, atque prædeſtinatio, & ob id duplex liber vitæ; prior eſt perfectus, & completus, quo abſolutè omnes electi ſunt prædeſtinati infallibiliter, & immutabiliter; poſterior eſt, in quo omnes juſti deſcribuntur non abſolutè, ſed conditionatè, & ſecundum præſentem juſtitiam, ſi nimirum in ea uſque ad mortem perſeveraverint, & hic non eſt certus, & infallibilis, nam ex illo multi à juſtitia excidunt, & malè moriuntur, & damnantur. *lib. 1. d. 43. a. 3. per totum op. Comp. Theol. lib. 1. c. 30. op. Brevil. p. 1. c. 8.* De hoc ſecundo libro hic loquitur, & ideò eis proponit caſum Luciferi, ne in ſuperbiam extollantur, & damnentur.

24. *Expoſitio verborum Chriſti; Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc &c. habetur apud Matth. c. 11. & Luc. hic. c. 10. in textu.*

25. *Expoſitio verborum Chriſti; Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis, habetur in Matth. c. 13. & hic in textu ſuper Luc. c. 10.*

26. *Ad videndum Chriſtum in gloria, quid in hac vita prius videndum explicatur.*

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Quid eſt, quod videbant diſcipuli? & quomodo ob talem viſionem dicuntur beati? non enim talis beatitudo poterat eſſe ex viſione humanitatis Chriſti, cum multi viderint, & audierint Chriſtum, & tamen damnati ſunt, ut Judas? nec etiam eſt propter fidem, qua multi videbant Chriſtum Deum, cum & de iſtis multi fuerint damnati? ſed attende ad myſterium: Dicit *beati qui vident &c.* loquitur de beatitudine viæ, quæ eſt medium perveniendi ad beatitudinis complementum: ſed quid eſt, quod reddit in hac vita ſic beatum hominem? hoc eſt videre omnia illa, quæ videbant diſcipuli; nempè videre attente quid dolendum, quid agendum, quid ſpernendum, quid recipiendum: nempè actu videre, & dolere de peccatis commiſſis per contritionem, & pœnitentiam; videre quid agendum, ſcilicet cautè ambulando, & proficiendo de virtute, in virtutem, faciendo judicium in ſeipſo, diligendo miſericordiam in proximum, & ſollicitè ambulando cum Deo; & ad omnia iſta aſpicienda requiritur etiam, ut viſio ulteriùs extendatur, nempè ad percipiendam vanitatem omnium rerum, creaturarum, ad conſiderationem tormentorum, quæ in inferno pa-

rata

rata ſunt male operantibus, & hinc anima erigere debet in bona, quæ in Cœlo ſunt præparata diligentibus Deum, & ſic totam ſuam fidem, ſpem, & fiduciam in Deo ſolùm collocare, & ibi immobiliter ſiſtere; ô beati vos (ait Chriſtus) qui videtis omnia iſta tamquam præparatoria ad viſionem claram Dei veſtri in Cœlis. *Ser.1. Dom.12.poſt Pentec.ſer.5.6.& 7. de Apoſtol. Luc.c.23.v.7.*

27. *Qualis beatitudo ex viſione Chriſti: Ubi de meditatione myſteriorum vitæ & virtutum Chriſti.*

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Quid videbant? videbant Chriſtum incarnatum, nempè oculo corporis, videbant humanitatem, & omnes virtutes in ipſius vita relucentes: oculo fidei videbant divinitatem tamquam præmium æternale; In quibus verbis excitat animam ad meditationem myſteriorum vitæ Chriſti, & præcipuè ipſius altiſſimam paupertatem, quam toto tempore vitæ arctiſſimam amplexus eſt; ipſius profundiſſimam humilitatem, ejus altiſſimam charitatem, & excellentiſſimam poteſtatem; ex primis tribus anima contemplans excitatur ad Chriſti imitationem, ex quarta ad ipſius reverèntiam, & veneratione ô beati, qui ſic vident Dominum Ieſum! *Ser. 5. de Apoſtolis ſer.2. de Angelis. Luc.c.2. v.20.& c.7.v.16. Ioan.cap.8. verſ.52.*

28. *De dilectione Dei, & proximi expoſita, & intimata legiſperito à Chriſto. Vide quæ dicta ſunt in Matth.c.12.& c.22.*

29. *Dilectio Dei ſuadetur multipliciter.*

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Nota, quòd omnia verba Sacræ Scripturæ, omnes voces Chriſti, omnes creaturæ nihil aliud auribus noſtris inſonant, niſi amorem Dei: Diligendus enim eſt Deus ut Pater creatione ab hominibus ſuis filiis; ut amicus redemptione quia dedit ſeipſum morti pro amicis, & inimicis; ut ſponſus propter amorem, quem fovet in ſponſam Eccleſiam, & animam; ut fons vitæ tribuens vitam gratiæ, & gloriæ. *Ser. 2. Dom. 12. Pentec.*

30. *Chriſtus exigit à nobis totum, non dimidiatum cor.*

Diliges Dominum Deum ex toto corde. Nota ly, ex toto corde, non dicit ex parte, vel ex medio, ſed ex toto corde & addit ex tota anima, & ex tota mente; dans intelligere per hoc, quòd non debeamus aliud velle, aliud cogitare, quam Chriſtum; nam diligere Deum ex toto corde eſt diligere ex toto intellectu ſine errore; ex tota anima eſt diligere ex tota voluntate ſine contradictione; ex tota mente eſt totâ memoriâ ipſum habere præſentem ſine oblivione. *Serm.2. de S.Magdal.*

31. *Qui diligit proximum propter Deum, diligit Deum ex toto corde, & totam legem implevit, ſic enim implet omnia præcepta Decalogi ordinantia hominem ad Deum, & proximum. Ser.9. de Apoſtol. op.Diat.11.c.2.*

32. *Primi hominis felicitas priſtina, & poſteà infelicitas expenditur.*

Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericò, & incidit in latrones, &c. Nota, quòd Chriſtus hac parabolâ deſcribit felicitatem, in qua creatus fuit primus homo, quam innuit in illo verbo Jeruſalem, hæc enim interpretatur viſio pacis; & ſicut Ieruſalem erat locus dignitatis, & honorificentiæ, quia erat regalis præſidentiæ; locus etiam delitioſitatis, & affluentiæ, quia ibi fluebat lac, & mel; locus item ſecuritatis perfectæ, quia cuſtodiebatur ab Angelis: ſic Adam in ſtatu innocentiæ habebat dignitatem originalis innocentiæ, habebat delitioſitatem divinæ gratiæ, & ſecuritatem divinæ protectionis; & præterea in ipſo erat perfecta pax, & harmonia inter ſpiritum, & carnem, ità quod medium ſtatum tenebat inter ſtatum gloriæ, & præſentis miſeriæ, ô qualis felicitas verè grandis? ſed proh dolor! Adam de iſta Jeruſalem voluit deſcendere in Jerico, quod interpretatur defectus, nam peccando cecidit in triplicem defectum, ſcilicet obſcuritatis, & ignorantiæ ad cognoſcendum verum; in defectum tepiditatis, & ignaviæ ad operandum bonum; & in defectum timiditatis, & inconſtantiæ ad fugiendum, & ſuperandum malum. Et in hoc deſcenſu incidit in latrones, ſcilicet dæmones, qui deſpoliaverunt eum gratuitis virtutibus, vulneraverunt eum in potentiis naturalibus, & debilitaverunt eum, veluti ſemivivum in potentiarum viribus; ecce in quales miſerias peccatum primi hominis reduxit naturam humanam. *Ser.4.Dom.12.Pent.ſer.2.Dom.16. Pent. Pſal.118. in prima expoſitione ad finem: Pſal.138.lib.4.ſentent.in Prol.& lib.1.in Prol.Luc. c.10.verſ.37.*

33. *Recidivus incidit in poſſeſſionem dæmonum, & ſubjicitur eorum crudelitati.*

Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in Iericò, &c. Quis iſte homo tranſiens ab Jeruſalem in Jericò, niſi homo priùs exiſtens in gratia, quæ animam ejus reddebat veluti myſticam Jeruſalem à Deo, & ab Angelis habitatam, & protectam, reincidens autem in peccatum mortale deſcenſum facit à tanta altitudine, & ſe præcipitat in foveam, & in deſertum, & traditur in poſſeſſionem dæmonum, qui ipſum gratiâ Dei deſpoliant, vulnerant, debilitantque potentias naturales, ita ut ſemivivus remaneat; ſcilicet licèt vivus, quoad naturam, mortuus tamen quoad gratiam, ſicque dæmones omnem curam adhibent in ipſum imprimendo viria capitalia, ut ipſum trahant ad jugulandum in inferno: Ecce quid facit peccatum mortale in anima. *Serm.4. Dom.12.Pentec.ſer.2.Dom.16. Pentec. ſer.1. ſer.4. Paſcha: Pſalm. 81. Luc. cap.10. hic & cap. 17. verſ.32.*

34. *Sacramentorum legalium inefficacia; Evangelicorum efficacia expenditur, quæ à Chriſto medico ſunt nobis parata.*

Accidit autem, ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem viâ, & viſo eo præterviit, ſimiliter & Levita: Samaritanus, &c. miſericordia motus, &c. Vide totam expoſitionem hujus parabolæ, *in Luc.*

Digitized by

Luc.c.10. v.31. ſeq. Ecce quomodo in hac parabola exprimit perbellè Chriſtus ſtatum humani generis ante ſuum Adventum, & mortem, & ſtatum, in quo poſitus eſt poſt ſuam mortem; nam cum eſſet ſauciatum totum genus humanum vulneribus peccati, multa medicamenta ſacramentalia fuerunt expoſita in lege naturæ, & ſcripta, ſed tamen inefficacia ad ſanandum tantum malum, & ſignificantur in tranſitu ſacerdotis, & Levitæ, qui viſo infirmo præterierunt; nam iſta Sacramenta legalia erant tantùm ſuperficialia, & morbus læthalis, nec pertingebant vulnera interna ex opere operato ita ut homo ſemivivus jaceret in tantis miſeriis; quibus ſic ſtantibus ecce tandem in plenitudine temporum apparuit Samaritanus, ſcilicet cuſtos, & medicus Chriſtus miſſus à Patre in mundum indutus togâ noſtræ humanitatis, qui ut dicitur *Eccli.c.38.* fecit pigmenta ſuavitatis, & confecit unctiones ſanitatis; cum enim mortalitatem noſtram univit vitæ, & ille, qui vita erat, mortuus eſt, facta eſt confectio, in qua, & per quam mortuus reviviſcitur, & ex morte ipſius Sacramenta habent vivificandi efficaciam; & ideò Chriſtus præparavit Sacramenta ſignificata in vino, & oleo, vel in ſanguine, & aquâ, quæ fluxerunt de ejus latere, quæ ipſe confecit perfecta ad placandum Deum, & efficacia ad ſanandum hominem ægrotum; dicuntur autem unctiones ſanitatis, quia ad ſanitatem efficaciter diſponunt, & ſimul tribuunt ſanitatem per unctionem gratiæ ſanctificantis, & ordinant ad ſanitatem perfectam in gloria. *Lib. 4. ſentent. in Proœm. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 7.*

35. *Explicatur iterum miſericordia medici Chriſti Jeſu, quam in nos exercuit.*

Samaritanus autem iter faciens &c. Nota, quòd hîc eſt Jeſus Chriſtus, qui iter faciens in hunc mundum, & factus homo, nudum hominem veſtivit ornamento gratiæ incarnationis, quia habitu inventus eſt ut homo, deindè appropians alligavit vulnera, eaque unxit medicamento ſalutari Sacramentorum inſtitutione, infundens in hæc vulnera per Sacramenta oleum, ſcilicet chariſma Spiritus Sancti, & vinum, ſcilicet calicem ſuæ Paſſionis, & poſuit hominem in jumentum corporis ſui, portando peccata noſtra, & infirmitates noſtras ſuper lignum, & duxit in ſtabulum Eccleſiæ, & alterâ die protulit duos denarios, ideſt poſt Reſurrectionem aperuit nobis ſenſum duorum teſtamentorum, ut intelligeretur Scriptura ad regendum, & adjuvandum populum: Ecce quid fecit Dominus Jeſus prò nobis. *Ser. 4 Dom. 12. Pentec. op. Apol. Paup. Reſp. 4. c. 3. op. ſtimul. p. 1. c. 8. Pſal. 118. v. 161.*

36. *Peccator deſcendens in Jericò, ipſam ſibi fabricat ad ruinam.*

Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericò, & incidit in latrones. Quæritur qualis civitas eſt iſta, in quam homo deſcendens ab Jeruſalem intendit intrare? & ſi Jerico interpretatur defectus, vel deſertum, quomodò appellatur civitas ſimulque deſertum? ſed attende ad ſtultitiam peccatoris: Duplex eſt civitas; Una cæleſtis, altera terreſtris; una laudabilis, altera vitupera-

bilis, & infamis; una ædificata à Chriſto, altera à ædificata à peccatoribus: una plena omnibus *d* elicis, altera plena omnibus miſeriis: prima dicitur Jeruſalem, eſtque locus gratiæ, & ſanctitatis; altera dicitur Jerico, ſcilicet deſertum & deficiens; hæc ab ipſo peccatore in deſcenſu ab Jeruſalem fabricatur turpiter, infatuatur ſubtiliter, & conſummatur miſerabiliter; ædificatur multiplicitèr diabolo in ſeipſo, nam aliùs ædificat omnium fœtidam, porcorum ſtabulum per luxuriam; alter palatium per ſuperbiam; alius de ſpolio, alter de furto; alius de uſura, alius de invidia, ita &c. Hæc civitas infatuatur, & deturpatur, quia in ipſa numquam quis pacem habet, ſed rixam, dolorem, afflictiones, & ideò conſummatur miſerabiliter, quia tales incidunt in latrones, ſcilicet Dæmones ipſum expoliantes, & vulnerantes, taliſque eſt mundus. *Ser. 2. de dedicat. ſer. 5. Dom. 1. Quadrag. ſer. 3 fer. 3. Paſchæ.*

37. *Prælatus ad imitationem Chriſti infundat vinum, & oleum ad curandum ſubditos à vulneribus peccatorum, vinum juſtitiæ, & oleum clementiæ, ne in neutro excedat. Luc.c.9.v.42. op. de ſex Alis Seraph.c.5.& 7.*

38. *Quis noſter proximus.*

Quis horum trium tibi videtur proximus fuiſſe. Nota, quòd Chriſtus hîc quatuor perſonas adducit, nempè vulneratum & tres pertranſeuntes; quærit hîc Chriſtus quis ex his tribus dicitur proximus? & reſpondet, quòd tantùm Samaritanus, qui ſubvenit indigenti, & per hoc dat intelligere, quòd proximitas non attenditur penes carnis cognationem, vel patriam, vel amicitiam, ſed penes naturam, & maximè ubi eſt indigentia, & ideò omnis homo, quicumque ille ſit, dum eſt in neceſſitate, debet ſubveniri, ut proximus noſter, & omnis homo diligi ex corde, quia omnes ſumus fratres, quia ex eodem Patre conditi, & deſcendentes, eodem ſanguine Chriſti redempti, & ad idem præmium ordinati. *Luc.c.10. hic.& c.9. verſ. 52.& c.10.v.13. Ioan.collat.13.*

39. *Hiſtoria de ingreſſu Chriſti in domum Marthæ, & Magdalenæ de ſollicitudine Marthæ in excipiendo Chriſtum, de ipſius querela &c. habetur expoſita tota in Lucam c.10.v.38.*

40. *Chriſtus quale caſtellum; qualem domum, & familiam eligit, & amat.*

Et factum eſt dum irent, intravit Ieſus in quoddam caſtellum (ideſt in Bethaniam *) & mulier quædam nomine Martha excepit illum in domum ſuam, & hujus ſoror nomine Maria,* addit Sanctus Ioannes *c.11. & amba ſorores Lazari.* Vide, quòd Chriſtus poſtquam ejectus fuerat à Samaritanis intrat in Bethaniam, & recipitur in domo Marthæ, Mariæ & Lazari; intravit, vel ut prædicaret Dei verbum, vel ut hoſpitio reciperetur tamquam pauper, & egenus: ſed cur potius intrat in Bethaniam, & in hanc domum? quia hoc caſtellum erat ei valdè acceptum, & diligebat iſtas duas ſorores, & fratrem ſpeciali ſingularitate; cur tanta dilectio? ad litteram quia ipſi ardentiſſimè diligebat Chriſtum; ſticè, quia Bethania interpretatur domus obedientiæ, in qua vita activa & contemplativa vigebat; per Marthã enim ſignificatur

vita activa, per Mariam contemplativa, per Lazarum exercitium utriuſque ſimul; ideò talem familiam, & etiam talem animam, in qua fuerint tales modi vivendi diligit ardenter Filius Dei. *Luc. hic Ioan.c.11.v.4.op. Dict. tit.4.c.2.*

41. *Ubi viget charitas Dei, & proximi, ibi libenter intrat Chriſtus.*

Intravit in quoddam caſtellum, & mulier &c. excepit illum &c. Nota, quòd non ſine myſterio fit mentio hîc de Martha, & Maria: & Marthâ excipiente Chriſtum in domum, & Mariâ ſedente ad pedes Domini, quia in Maria ſignificatur charitas in Deum; quæ Deo inhærere facit; in Martha charitas in proximum, cui miniſtrat; Intravit autem in hanc domum, in qua vigebat hæc duplex charitas, per quam, & locum, & ſedem, & hoſpitium Chriſtus invenit; & ideò ubi non eſt Maria, & Martha, ibi non intrat Chriſtus. *Ser.1.fer.2.Paſche.*

42. *Miniſtri Chriſti, & Eccleſiæ qualiter miniſtrando attrahere Chriſtum in domum ſuam poſſint.*

Martha excepit &c. & ſatagebat circa frequens miniſterium. Quæritur cur hîc non fit mentio de Lazaro? & alibi quando fit de ipſo mentio ponitur poſt iſtas duas mulieres? cur cum vir ſit caput mulieris non ponitur primo loco? ſed attende, quòd apud Deum non eſt acceptio perſonarum; nam de Martha legitur, quòd ſatagebat circa frequens miniſterium, & ſimiliter de Maria, quòd poſt otium contemplationis etiam miniſtrabat Chriſto, quod & fecit ungendo ipſius pedes, & caput, quod non legitur de Lazaro. undè in Lazaro tepidi in Dei ſervitio ſignificantur; in Maria, & Martha ferventes miniſtri Chriſto miniſtrantes in vita activa, & contemplativa; & per hoc edocentur miniſtri Chriſti, & Eccleſiæ qualiter in domum ſuam valeant introducere Chriſtum, ejuſque gratias recipere; nempè Chriſto miniſtrando per bona opera, & hoc ſollicitè, frequenter, & libenter, quia tales honorificat ipſe mirabiliter in hac, & alia vita. *Ser.2.Dom.2.poſt oct. Pentec.*

43. *Comparatio ſit inter vitam activam, & contemplativam.*

Martha ſatagebat &c. Maria ſedebat ad pedes Domini. Nota, quòd Marthâ tota erat in miniſtrando Chriſto, & Maria in audiendo Chriſtum; undè in iſta vita activa, in iſta contemplativa figuratur: quæritur igitur an melior ſit activa, an contemplativa? Reſpondetur, quòd poteſt fieri comparatio inter ſtatum, & ſtatum; item inter perſonam, & perſonam; ſi in ordine ad ſtatum conſiderantur contemplativa eſt melior, quia ſecurior, & diuturnior, undè dicitur hîc. *Maria optimam partem elegit; quæ non auferetur ab ea,* incipit enim in præſenti, & durat in futuro; ſi verò quoad perſonas ſe habent, ut excedentia, & exceſſa; nam ex una parte contemplativa habet dictas conditiones ſecuritatis, & diuturnitatis; ex alia activa fœcundior, & è contra contemplativa ſterilis, quia operatur tantùm ſibi ipſi; undè *Gen.* 29. in Lia fœcunda activa figuratur, & contemplativa in Rachel ſterili. *Pſal.* 118.v.81. *Luc.c.9.* v.60. *op. de ſeptem itiner. æternit.itin.3.d.3.*

44. *In eadem domo, & ab eadem anima debet utraque exerceri, priùs activa, poſtea contemplativa, & ab iſta aliquando denuò fieri tranſitus ad activam.*

Martha ſatagebat circa frequens miniſterium; Maria ſecus pedes Domini audiebat verbum illius. Nota rem mirabilem: priùs proponitur exercitium ſollicitum Marthæ, poſterius contemplatio Mariæ in eadem domo; & poſtea proponitur pluries Maria ſollicita in obſequendo Chriſto, ut in unctione capitis, & corporis, in ſollicitudine quærendi Chriſtum; quid per hoc nobis inſinuatur? ecce digniſſimum myſterium: In eadem domo, in eodem monaſterio, in eadem anima debet utraque vita ab eadem anima exerceri ſed tamen priùs vita activa per exercitium virtutum Cardinalium; & indè fieri tranſitum ad contemplativam per exercitium virtutum Theologicarum; & hinc ſecundum opportunitatem denuò tranſitum fieri ad vitam activam, quando ita expedit ad gloriam Dei magnificandam, & profectum, & ſalutem animarum. *Op. Medit.c.45. & deinceps. Luc.c.4. v.39.op. ſtim.p.2.c.7. op. ſpec. Diſcipl.lib.2.c.6.op.de Prof. Relig lib.1.c.4 & lib.2. c.66. & 69.op.de ſeptem itiner.ætern.itin.1.in principio, & d.5.op. Dict.tit.3.c.1. Ioan.c.18. v.10.op. de dono intell.c.7.*

45. *Utraque vita, ſed præcipuè contemplativa in unum neceſſarium tendit, & dirigit omnes actus.*

Porro unum eſt neceſſarium; Maria optimam partem elegit &c. Quid eſt hoc unum neceſſarium, quod à Chriſto proponitur Marthæ in ſuo miniſterio arripiendum, quod jam à Maria arreptum fuerat? Nota quale: utraque vita iter arripit ad æternitatem; ideò licet differentibus mediis utraque aggreditur hoc iter, unum æternum intendendo, unum æternum attendendo, unum æternum ingrediendo, in uno æterno permanendo propter unum æternum, quod eſt optimum, & unum neceſſarium, & finis quietans, & conſummans multitudinem omnium deſideriorum in unum, quod non auferetur ab eo in æternum, & hoc maximè obtinet perfectiori modo vita contemplativa. *Op. de ſeptem itiner. ætern. itin.1. in principio; quæ omnia per totum opuſculum fusè explicantur.*

46. *Sollicitudo alia bona, alia mala.*

Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima. Cur reprehenditur Martha in ſuo miniſterio? ergonè poteſt quis in miniſtrando Chriſto eſſe nimium ſollicitus? ſed attende, quòd triplex eſt ſollicitudo; alia eſt circa ſpiritualia, alia circa temporalia neceſſaria, ſed cum moderatione debita, alia circa temporalia ſuperflua; prima eſt laudabilis, ſecunda indifferens, & tolerabilis; tertia vituperabilis: Marthæ autem Chriſtus non tollit ſollicitudinem in miniſtrando ſibi, ſed reprehendit inordinationem, & hoc ad noſtram inſtructionem. *Op. Comp. Theol.lib.5.c.70. Ioan. c.6.v.27. Luc.c.7.v.16.*

47. *In conviviis, & menſa Religioſorum lectio ſpiritualis miſcenda.*

Martha ſatagebat, &c. Maria ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius. Nota, quòd non ſine myſterio Chriſtus poſt ingreſſum in domum ſumpturus refectionem cum diſcipulis, ante omnia ſe applicavit ad dictandum Mariæ verba vitæ æternæ, & conſequenter etiam aliis audientibus, hoc enim fecit ad inſtructionem noſtram; formam autem per hoc dedit Religioſis excipientibus hoſpites ad convivium, & etiam dum ipſi diſcumbunt ad menſam cibum ſumpturi, inſtruuntur, ut lectio ſancta inter comeſtionem miſceatur ut dum corpus alitur, etiam ſpiritus paſcatur, non enim in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Luc. cap.* 14. *verſ.* 12.

48. *Felix illa domus, & Conventus Religioſorum, in quibus Martha conqueritur de Maria.*

Domine non eſt tibi cura, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare. Ecce conqueſtio Marthæ de Maria, pro qua Chriſtus ſuſcepit defenſionem; ſed cur etiam non præcipit Mariæ, ut ſororem adjuvet? cur totum onus relinquit humeris Marthæ? ſed optimè fecit Chriſtus; ut oſtenderet quale diſcrimen eſt inter opera manualia, & otium orationis, & contemplationis; datque intelligere, quod felix eſt illa domus, illa Religio, ille Conventus, in quibus Martha conqueritur de Maria, quia contemplativa per ſe eſt eligenda, activa tantùm propter neceſſitatem, non propter ſuperfluitatem, ideò prima anteponenda eſt, & eligenda; hinc felix illa Religio, in qua ſuperfluitatibus rejectis ad optimam partem converſio fit, ſcilicet ad orationem, ad meditationem, ad contemplationem; ſed proh dolor! in multis fit è converſo: & nimis verum, quia ut plurimùm plurimi Religioſi ad ſimilitudinem Hebræorum, qui relicto cultu Creatoris, manufactis Idolis ſervierunt, relictâ verâ ſapientiâ adj vanitates, & ſcientiarum, ſtudiorumque curioſitates ſe convertunt, & ſic perſeverant uſque ad finem relinquentes ſtudium orationis, & contemplationis contra propriam profeſſionem; ſic poſt tot labores, & intenſas applicationes, poſt tempus longum vanè amiſſum inveniuntur in Dei ſervitio prorſus frigidi, diſtracti, & omninò alieni, & elongati à perfectione, quam profitentur, & quam promiſerunt. *Luc. c.* 10. *v.* 40. *op. Myſtic. Theol. in prol.*

APPLICATIO FIT AD MARIAM Virginem, & ad aſſumptionem, & gloriam ipſius.

49. *Expenditur ratio, quare hoc Evangelium legitur in feſto Aſſumptionis Beatæ Virginis Mariæ in Cœlum.*

Intravit Jeſus in quoddam caſtellum, & Martha excepit illum in domum ſuam, huic erat ſoror nomine Maria. Quæritur cur hoc Evangelium in Eccleſia legatur in hoc feſto Aſſumptionis Mariæ in Cœlum? cur tam extera Evangelica lectio, dum Virgo in ſuperos evehitur, templaque ſolemnibus incenduntur areolis, canitur ab Eccleſia? ſi aſcendit Virgo Angelico comitatu plaudente; ſi Cœlum novis coruſcat luminibus; ſi Cœlitum aulæ, quaſi ab altis ſedibus evulſa obviam confertiſſimis apparatibus exit, cur ad Marthæ Eccleſiæ transfugit officium, nec breve feſti perſonat verbum? ideò hoc Evangelium videtur nihil ad rem, & ad hoc feſtum facere? & hinc impii Hæretici auſi ſunt aſſueto morſu incuſare Eccleſiam inſeitiæ ob hujus Evangelii delectum, eo quòd hebetes Eccleſiæ Sacramenta, & abditos ſtante Spiritu Sancto ſenſus percipere non valent: Et tamen numquam ingenioſior pro Virginis gloriâ electio potuit fieri: Ecce myſterium: Intrat Maria, & Jeſus intravit, auditur illa in Cœlum, ille in domum hoſpitaturus mulieris, ſingularis terminorum inverſio, celebritatum commixtio; nempè ſuſceptio corporalis Jeſu in utero Mariæ, & ſuſceptio Mariæ à Jeſu in Cœlum; ſuſceptio item ſpiritualis Mariæ in mente, & ſuſceptio ejuſdem in gloria; Ut hinc diſcamus ſublimitatem gloriæ Mariæ (ait S. Bern.) ex hoc, quòd menſura gloriæ Mariæ debet deſumi ex ejus maternitate, per quam ſuſcepit Chriſtum in utero, eique miniſtravit humanitatem, aluit, nutrivit, educavit, & ſedulo miniſtravit; Et quia maternitas donum eſt ſuper omnia creata excellentiſſimum, hinc & gloria Mariæ ſublimior, quàm gloria omnium Sanctorum, Angelorum, & Seraphim: Agitur ergo in hoc Evangelio de myſtica Chriſti ſuſceptione facta à Virgine in ſuo utero, & conſequenter de ipſius maternitate tamquam regula ſecurâ propoſita nobis ad menſurandam ipſius ſublimiſſimam gloriam, ad quam hodie evecta eſt. *Luc. c.* 10. *v.* 41. *S. Bern ſer.* 1. *in Aſſumptione Mariæ.*

50. *Immenſitas gloriæ Mariæ iterùm expenditur ſuper omnes alios Sanctos.*

Intravit Jeſus in quoddam caſtellum, & Martha excepit illum in domum ſuam, &c. Cur ad ingreſſum Mariæ in Cœlum dicitur, quod Jeſus intravit in ejus domum? ſed transfer mentem ad id, quod dicit Chriſtus Beatis ad ipſorum ingreſſum in Cœlum *Intra in gaudium Domini tui. Matth. c.* 25: Cur dicitur Intra in gaudium, & non potiùs intret in te gaudium? hoc eſt, quia continens majus eſt contento, & quia gaudium, & beatitudo ex Deo eſt major ipſo Beato, ideò dicitur intra in gaudium, ſcilicet immenſum, & infinitum; ſic & Divus Thomas *in Matth.* Et ſi hoc cur dicitur inverſo ordine Intravit Jeſus in caſtellum, ſcilicet in Mariam? ergone Maria erit major ipſo Deo? minimè; ſed hoc dicitur ad exaggerationem gloriæ Mariæ, affertur enim pro menſura ipſius ingreſſus Filii Dei in uterum ejus, ut hinc diſcamus, quod gloria Sanctorum comparata ad gloriam immenſam Mariæ eſt veluti parva ſtilla in comparatione ad totum Oceanum. *Sic S. Bon. in Luc. hic & op. ſpec. B. Virg. c.* 6. *& cum eo Guerricus Abb. Dioniſ. Alexandrinus.*

51. *Maria beatitudo eſt veluti quædam nova Incarnatio ſecundum analogiam, vel extenſio Incarnationis Verbi Dei.*

Intravit Ieſus in quoddam caſtellum, & mulier nomine Martha excepit illum in domum ſuam. Nota hic duplicem ingreſſum Chriſti, priùs in caſtellum, poſteà in domum Marthæ, & Mariæ: Ad quid ponitur iſte ingreſſus in caſtellum, cum ſtatim ſubditur ingreſſus ipſius in domum Marthæ, & Mariæ ſituatam in hoc caſtello? ſed hic attende ad Eccleſiæ Sanctæ acumina: Duplex ſuſceptio Chriſti in Maria hic proponitur: priùs in caſtello, ſcilicet corporalis poſteà in domo, ſcilicet ſpiritualis in mente: Cum enim Verbum jam dudum receptaculum carneum matris intraſſet, ut totus intra virginalia viſcera teneretur, tunc etiam in ſpatioſa mentis aula Deus totus ſubintravit, eam ſemper majori capacitate nobilitando, donec ad completam beatitudinem perveniret, & ut veluti novâ quadam Incarnatione (analogicè loquendo) vel extenſione Incarnationis ſpiritualis intrans in Cœlum ſignificaretur, per tranſitum ab utero ad mentem aliqua umbra comprehenſionis glorioſæ in Maria, & impletio mentis deitatis; plenitudine. *Sic S. Bon. in Luc. cit. & Guerric. Abb. & S. Ildephonſus ait.* Hæc fœmina ſanctificationis vas eſt, æternitas virginitatis eſt, Mater Dei eſt: in præterito munda Deo; in præſenti plena homine, & Deo; in futuro generans hominem, & Deum: Nota ly, in futuro generans hominem Deum, ſcilicet veluti quadam analogia concipiens ſpiritualiter, & continens in ſe hunc Deum, quem corpore generavit hominem: Et hinc eſt, quòd cum nullum feſtum celebretur in honorem Mariæ abſque eo, quod ſemper adferatur in medium ejus maternitas Filii Dei, ita etiam dum moritur, dum in Cœlum intrat Beata, repetitur Incarnationis æconomia Intravit Jeſus, &c. & ſi non ſecundùm veritatem, ſaltem ſub umbra, vel emblemate, quia ipſam beatificando Chriſtus denuò intrat in ejus mentem, quaſi ſine ipſa non poſſet ſubſiſtere, tali Matre gaudens, qui Patre numine potitur. *Sic ad mentem S. Athanaſ.*

52. *Tranſitus ab utero Mariæ ad mentis beatitudinem iterùm expenditur.*

Intravit Ieſus in quoddam caſtellum, &c. Nota, quod hic tria ſpeciali modo memorantur, ſcilicet caſtellum, Martha, & Maria? cur hoc? quia per caſtellum hoſpitium innuitur, per Martham miniſterium, per Mariam contubernium, ut oſtendatur, quod in Maria perfectiſſimè fuit divinum hoſpitium, deſcendit enim verbum in ejus uterum; divinum miniſterium, quia ipſa Verbo miniſtravit carnem in utero, & ſedulo ei ſervivit; & divinum contuberuium, quia in ejus mentem ut Deus intravit ad ipſam beatificandam pleniſſimè. *Luc. c.* 10. *v.* 43.

53. *Reſurrectio corporis glorificati Mariæ expenditur.*

Martha fletit, & ait Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Nota, quod per Martham ſignificatur caro Mariæ, per Mariam anima; in morte ſeparata eſt caro ab anima, & in ſepulchro ſtetit collocata; ergone iſta caro conquerebatur cum Chriſto, quod anima reliquerit ipſam ſolam, & vitâ extinctam, qua Maria fruebatur, quæ optimam partem, ſcilicet gloriam immenſam elegerat? ergone anima relinquit in ſepulchro ſororem ſuam, ſcilicet carnem? minimè; nam Chriſtus denuo utramque univit, & aſſociavit conferens etiam corpori ſuam beatitudinem, ut non ſolùm Maria beata eſſet in anima, ſed & in corpore; & hinc eſt, quod in Aſſumptione Mariæ in Cœlum celebrat Eccleſia hac die glorificationem ſtatuit duarum ſororum, carnis, & animæ. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 6. & 11. ſequent. & S. Bernard. Gerſon. aliique Doctores.*

54. *Maria caſtellum Filii Dei nobiliſſimum.*

Intravit Ieſus in quoddam caſtellum. Nota; quod per hoc caſtellum ſignificatur Maria Virgo turribus virtutum munitum, & elevatum; cujus prima turris fuit fortitudo defenſionis, quia ædificata eſt cum propugnaculis. *Cant.* 4. quia nullo vitio potuit ſuperari: Secunda turris rectitudo diſcretionis boni à malo: tertia multitudo devotionis, in qua excellebat; unde iſtæ tres turres ædificatæ fuerunt à Spiritu Sancto ſuper tres potentias animæ per gratiam; prima ſuper iraſcibilem; ſecunda ſuper rationabilem; tertia ſuper concupiſcibilem, & ex his Maria Virgo fuit caſtrum idoneum ad ſuſcipiendum Filium Patris dilectum, qui erat virtus, & ſapientia Patris, quia Virgo fortiſſima, prudentiſſima, & devotiſſima. *In Lucam cap.* 10. *ad finem.*

55. *Miniſterium Mariæ Chriſto præſtitum in Martha figuratum.*

Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. Nempè miniſtrabat Chriſto fideliter, humiliter, & devotè; & quis unquam melius Chriſto miniſtravit, quam Maria Virgo, quæ cum eſſet Mater Dei fecit ſe ancillam, & miniſtram; & ideo dicebat Ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum, & illud Abigail 1. *Reg. c.* 25. Eccè famula tua ſit in ancillam; ut lavet pedes ſervorum Domini mei: Maria autem operis exhibitione; & fidei rigidiſſimâ veritate miniſtra Chriſti fuit; quia Chriſtum in utero geſſit, partuque perfuſum alnit, & fovit, atque in præſepio collocavit, & à facie Herodis fugiens in Ægyptum acceſſit, & omnem infantiam ejus pro Matris affectu eſt proſequuta. *Luc. c.* 10. *ad finem.*

56. *In*

Digitized by Google

56. *In hoc Evangelio concluſit Eccleſia omnes Virginis Mariæ prærogativas, & præcipuè in contemplativa, & activa vita.*

Hæc erat ſoror nomine Maria, &c. Vide, quod in Martha miniſterium vitæ activæ exprimitur, in Maria exercitium contemplativæ, quæ duo munera prædicantur ab Eccleſia de Maria, ut indè exprimeret omnes prærogativas excellentiſſimas ipſius,& hinc concludit, quòd Maria optimam partem elegit ſibi ; nam excellentiſſima fuit in miniſtrando Chriſto,ut dictum eſt, ſed & ſublimiſſima in contemplativa : nam ipſa audiebat verbum Dei juxta pedes ejus, ſcilicet in corde ea conſervabat, aliiſque reſervabat, eratque arca fœderis, in qua erat urna aurea habens manna per multam devotionem charitatis; & virga Aaron per multam rectitudinem virtutis ; & tabula teſtimonii per multam cognitionem contemplationis veritatis, quia profundiſſimam ſapientiæ divinæ ultra quàm credi valeat penetravit abyſſum, ut quantum ſine perſonali unione creaturæ conditio paritur illi luci inacceſſibili videretur immerſa. *Luc. cap. 10. ad finem.*

57. *Optimam partem elegit ſibi Maria ſuper omnes creaturas, in fœcunditate virginali.*

Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. Quæ eſt iſta pars optima ? & ſi pars quomodo optima, cum totum ſit majus bonum ? optima pars dicitur, quæ eſt totum communicabile creaturæ, in qua nec primam ſimilem viſa eſt,nec habere ſequentem ; in aliis creaturis diviſim inventa eſt fœcunditas conjugalis, & caſtitas virginalis,ſed in Maria fœcunditas eſt virginea, & virginitas fœcunda. *Luc. c.10.ad finem. op ſpec. B.Virg. c.11. & 12. & ibid. ſparſim pluries.*

58. *Meritum Mariæ ad maternitatem Dei expenditur.*

Optimam partem ſibi elegit. Quæ optima iſta pars ? optima dicitur pars, vel munus,in quo nulla fuit ſimilis, eſtque donum maternitatis : ſed quomodo dicitur elegit ſibi ? ergone in ſua fuit poteſtate, vel meruit poſſe eligere maternitatem Dei ?, electa quidem fuit à gratia ad hoc altiſſimum munus, ſed tamen ſimul etiam concurrit ſuorum meritorum plenitudo, quia ad hoc, ut fieret Mater Dei ipſa adjuta à plenitudine gratiarum meruit de congruo, dicunt plures Theologi, de condigno probabiliùs alii. *S. Bon. lib.3.d.4. quæſt.2.a.2. S.Hieron. S. Gregor. Magnus. aliique plurimi.* Nota autem,quòd S.Bon. licet videatur concedere Mariæ tantum meritum de congruo, tamen poſteà ei concedit meritum de condigno ; forſan impulſus à virginea gratiarum abundantia.

59. *Optimam partem in natura, in gratia, & in gloria elegit ſibi Maria.*

Optimam partem elegit ſibi Maria, &c. Quid eſt hoc optimum Mariæ,an in natura ? an in gratia ? an in gloria ? In natura optimam partem elegiſſe dicitur,quia cum ad complementum univerſi in unaquaque ſpecie individua varient in perfectione, & in ipſis debeat dari unum ſummum optimum,quod ſit cæterorum veluti menſura, & in quo cætera omnia conveniant, & in quo omnia bona ſint unita, quæ cæteris per partes diſtributa ſunt : Deus autem inter homines conſtituit Mariam ſuam Matrem, ut in ipſa convenirent omnia dona velut in ſummo,quæ cæteris per partes diſtributa ſunt ; Hinc quoad dona naturalia dicitur Maria optimam partem ſibi elegiſſe; & ob id condita fuit Maria in perfectione ſumma ſtatus innocentiæ, excepto quòd ex ſingulari Dei providentia diſpenſatum fuit, ut ſummam vitæ, & integritatem naturæ, & innocentiam cum naturæ lapſæ ærumnis, laboribus, ac morte ipſa conjungeret in meritorum cumulum : nodè meritò comparatur Paradiſo terreſtri, in quo poſitus eſt novus Adam : de quo vide *S. Bonav. ſer.2. de B.Virg. op. Laus B. Virg ſig. 3. op. ſpecul. B. Virg. lect. 12. & 14. ſerm. 2. Dom.3. Advent, ſerm.3. in Vig. Nat. Vegam in Theol. Mariana à n.809.* & deinceps fusè, ubi affert plures doctrinas Theologicas,auctoritates S. Script.& ſanctorum Patrum, & Doctorum : & quoad optimam partem corporis Mariæ vide eumdem *à n. 604.& deinceps*; & quoad animam vide eumdem Vegam *à n.738.& deinceps.* Nota etiam,quod licet conſiderata Maria ſecundùm naturam humanam præciſam poſſit dici inferior Angelis, tamen quia in hac natura involuitur corpus, & uterus Mariæ, in quo corporaliter Chriſtus induit humanitatem, poteſt dici propter hoc nobilior Angelis.

60. *Optimam partem quoad gratiam ſuper omnes creaturas rationales ſortita eſt Maria Virgo.*

Optimam partem elegit ſibi Maria. Si optima pars quoad perfectionem naturæ contigit in Maria, multo rationabilius dici debet id de gratia: in hoc enim fuit collocata à Deo in mundo, ut eſſet omnium Sanctorum, Beatorum, Juſtorum, & Angelorum omnium merrum,& menſura quoad gratiam, nam omnes gratias generales, & ſpeciales omnium creaturarum habuit in ſummo, & in tanta perfectione, & excellentia, ut explera foerit ejus capacitas, & eò magis, quia gratiam increatam in ſe totam continuit : quare meritò ſicut in homine Deus collegit perfectiones naturales omnium creaturarum, ſic in Maria, ut in Microcoſmo collegit Deus omnes gratias, & dona collata Sanctis, & Angelis, imò & poſſibilia communicari puræ creaturæ. *Ser.2. de B.Virg.op. ſpec. B Virg. lect.1. 3. 5. 6. 7. & per totum opuſculum ſparſim : lib. 1. d. 17. p.2. quæſt 4. & d.44. dub. 3. & lib.3. d 12.a.2.q.1 & d.13.a 1. quæſt.2.* Et hinc eſt, quòd loquendo de gratia Mariæ ſub nomine partis, optimam partem dicit, elegit ſibi Maria, quia in hoc clauditur

Digitized by Google

Virginis laus perfecta, & propria; ſicut enim in comparatione Dei nemo bonus, ſic in comparatione Matris Domini. nulla invenitur perfecta, quantumcumque virtutibus eximia comprobetur; & ideò inter mulieres, imò inter omnes creaturas rationales ipſa ſola eſt optima per omnimodam ſuperabundantiam, cujus ratione, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, & hinc etiam eſt, quòd tanta perfectio gratiarum Mariæ commenſuranda eſt ad menſuram omnipotentiæ Dei, dicit enim ipſa. quia fuit magna, qui potens eſt. *Luc. c. 10. ad finem: & in ſpecul. cit.*

61. *Optimam partem in gloria elegit ſibi Maria; Ubi de magnitudine gloriæ ipſius.*

Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum? Si hoc dicit Eccleſia de Maria Virgine, & ſi optimum quoad naturam, & gratiam elegit ſibi Maria, ergo & optimam partem etiam in gloria? Circa quam diſquirunt Theologi: primò an beatitudo Mariæ ſit perfectior beatitudine utriuſque naturæ Angelicæ, & humanæ? ſecundò an intra eamdem ſpeciem beatitudo Mariæ ſit intenſior beatitudine Angelorum, & hominum in unum coacervata? tertiò an Maria videat in objecto beatifico plures eminentias, perfectiones, objecta, ac perfectiori modo, quàm utraque natura humana, & Angelica beata? quibus reſpondetur ex fundamento præjacto ex verbis illis optimam partem, ſcilicet in gratia, & gloriâ elegit ſibi Maria. *ait S. Bonav.* primò, quod Viſio beatifica Mariæ ſpecie longè perfectior eſt aliis quibuſcumque viſionibus beatorum, quia cum excedat omnes in conſimili gratia, ſpecie diſtincta ob donum maternitatis, ex conſequenti etiam ei concedenda eſt viſio beata correſpondens gratiæ ei infuſæ: Secundò reſpondetur, quod beatitudo Mariæ perfectior eſt in intenſione, & clarior in Maria, quàm in omnibus aliis, tam hominibus, quàm Angelis, ſimul ſumptis; & ratio eſt, quia ipſa eſt mater naturalis Filii, alii ſunt filii adoptivi, ergo ipſi major hæreditas fuit collata; unde ſicut dicitur de Chriſto; quod ſedet ad dexteram Patris, ſcilicet in potioribus bonis paternis, ita & Maria ſedet Regina à dextris Filii, ideſt in potioribus bonis Filii ſui juxta ipſum in ſupremo ſolio, unde de ipſius gloria verè dicitur. *ex Eccleſ. cap. Altitudinem Cœli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Cœlum eſt Maria, terra eſt, abyſſus eſt; quis hujus Cœli altitudinem, quis hujus terræ latitudinem. quis hujus abyſſi profunditatem. quis unquam Mariæ gloriæ immenſitatem dimenſus, niſi ille ſolus, qui ipſam non ſolùm in gratia, & gloria, ſed etiam in miſericordia tam altam, tam latam, tam profundam operatus eſt. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 5. idem & Sanctus Bernardinus. S. P. Dam. aliique PP. apud Suarez in 3. tom. 2. d. 21. ſ. 3.* Ad tertium dubium reſpondetur ex verbis Evangelii, *Intravit Jeſus in quoddam caſtellum, &c.* ex quibus infertur, quòd in Mariam intrantem in Cœlum intravit Jeſus, ipſi conferens gloriam proportionatam, & debitam maternitati Dei, & quia ex communi conſenſu Theologorum Deus unicuique Beato oſtendit omnia objecta, quæ ad ipſius ſtatus perfectionem ſpectant, & cum non ſolùm ad Chriſtum, ut Redemptorem, & caput omnium prædeſtinatorum, ſed etiam ad Mariam Reginam omnium hominum, & Angelorum attineant omnes, cui tamquam Imperatrici ſubſerviunt, venerantur, & adorant tamquam veram Dei Matrem, ergo & ipſa omnes creaturas debet cognoſcere, illarumque actus; & ideò in Mariam intrantem in Cœlum intravit Chriſtus, ſcilicet in ejus mentis thalamum, communicans ipſi ſuas eaſdem prærogativas debitas ſuæ immenſæ gloriæ; & hinc dicitur optimam partem elegiſſe & in gratia, & in gloria, elevatamque fuiſſe ad ſupremum gradum beatitudinis communicabilis de lege ordinaria puræ creaturæ. *Sic S. Bon. in Luc. c. 10. ad finem. op. ſpec. B. Virg. lect. 6. op. Pſalt. Pſal. 82. Plures Sancti Patres ex Suarez t. 2. in 3. p. d. 20. ſect. 4. De quibus vide Vegam à n. 1867. & deinceps.*

62. *Maria Virginis thronus, & locus qualis in Empyreo.*

Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. Nota, quod in hoc textu concludit Eccleſia quicquid poteſt dici de gratia, & gloria Mariæ Virginis. *Sic S. Bon. in Luc. ad finem.* Ergo etiam alludit ad thronum, & locum, in quo in gloria fuit collocata; Quæritur igitur an Maria Virgo ſuper omnes choros hominum, & Angelorum ſpecialem chorum, & thronum ſibi vindicet; & an ſit idem cum Filio? Cui quæſito reſpondetur, quod cum Maria obtinuerit gloriam perfectiorem gloriâ omnium hominum, & Angelorum ſimul ſumptorum, per conſequens etiam locum proportionatum in Cœlo poſſidet ſuper omnes Beatos; & cum aſſideat Regina univerſi à dextris Filii, per conſequens etiam ſimul cum ipſo conſtituit ſpecialem chorum, ſedem, & thronum, Unde ſicut Maria ſuſcepit Chriſtum non ſolùm in corpore, ſed magis in mentis ſuperiori parte, in qua omnia myſteria Chriſti ſibi præ omnibus mortalibus nota ferventiſſimâ ſibi mente revolvebat, ita & Chriſtus ipſam recepit in ſupremo ſolio ſuper omnes Beatos, & Angelos. *Op. ſpec B. Virg. lect. 11. op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 12. ſer. 1. de Aſſumpt. Mariæ in addit.*

63. *Triumphus Mariæ ingredientis in Cœlum, & aſcendentis ad thronum ſupremum cum Chriſto expenditur.*

Optimam partem elegit ſibi Maria, &c. Si optimam partem, ut Mater Dei, & Regina univerſi elegit ſibi Maria, ergo omnes prærogativas habuit, ac tali debitas. Unde dicit Pſalmes Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate, ergo ut Mater Regis ſuperni, & Regina Cœli, & terræ optimam partem elegit, quia habuit regium comitatum in Aſſumptione, & ingreſſu in Cœlum, regium veſtimentum; regium thalamum, & regium diadema: Regius comitatus, & ingreſſus in Cœlum figuratus fuit in comitatu, & ingreſſu Reginæ Sabæ in Ieruſalem. 3. *Reg. c. 10.* de qua dicitur, quòd ingreſſa eſt Jeruſalem cum comitatu multo, & divitiis, & camelis portantibus aromata

aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas; ingreſſa eſt autem Maria cum comitatu Filii, & Angelorum ſibi occurrentium, & clamantium, & choros, & laudes canentium, & Deo dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus, & Mariæ Sancta, Sancta, Sancta; Ingreſſa eſt cum multis divitiis meritorum multorum, quibus ſuper omnes animas, præter animam Chriſti, abundavit; ejuſque cameli ſunt ſenſus portantes aromata exemplorum, & bonorum operum: aurum ſapientiæ, & contemplationis, & gemmas virtutum: Ingreſſa item eſt in veſtitu regio deaurato, amicta in corpore ſplendore ſolis, & circumdata varietate, ſcilicet variis dotibus gloriæ in anima; & variegata in liliali candore Virginum, in roſeo rubore Martyrum, in luminoſo ſplendore Angelorum: Ingreſſa eſt, & inthronizata ſuper omnes choros Angelorum in eodem ſolio cum Chriſto, ſicut cantat hodie Eccleſia, *Maria Virgo aſſumpta eſt ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum ſtellato ſedet ſolio*, in quo throno à Rege Regum diademate regni fuit coronata, & ornata coronâ ſtellarum: ô felix Maria, te verè amavit Dominus præ omnibus, & ornavit ſtolam gloriæ induens, & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo; mentem, & oculos patiter ad te attollimus, & coram te genu flectimus, & invicem inclinamus, ac plenas ſuſpiriis ad te preces in Cœlum tranſmittimus. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 13. ſer. 1. & 2. de Aſſumpt. Mariæ in addit.*

64. *Maria Virgo glorioſa quale objectum beatificum habitatoribus Cœli; & qualem gloriam ingerat cælitibus.*

Optimam partem elegit ſibi Maria. Nota, quod dicit optimam partem; quæ eſt hæc optima pars niſi gloria optima & ſuprema communicabilis de lege ordinaria creaturæ? ſed cur dicitur pars, & non potiùs totum, & totum habetur completum? ſed ad mirabilia privilegia Mariæ: dicitur pars, quia aſſumpſit ex parte munus beatificandi Angelos, & Beatos: Hinc diſquirunt Theologi: An factâ hypotheſi, quod viſio Dei clara eſſet impoſſibilis, tunc cælites per viſionem Beatæ Virginis ſufficienti præmio donarentur reſpondente ad æqualitatem ipſorum meritis: In cujus quæſtionis ſolutione duplici via incedendum: Alia eſt Theologorum illorum, qui aſſerunt Beatos præmiari vltrà condignum; Alia eſt aſſerentium præmiari ſecundùm condignam rationem meriti, nec amplius: Igitur data hypotheſi impoſſibilitatis viſionis claræ Dei in opinione prima; ſequitur, quòd cum beatitudo Mariæ ſit objectum omnium rerum creatarum nobiliſſimum, perfectiſſimum, ac maximè infrà Deum delectabile, ſed ſuper omnes Beatos, & Angelos magis Deo proximum, & proportionatum, quod viſio Mariæ, ejuſque beatitudinis perfectè, & ſecundùm condignitatem meritorum Beatos glorificaret, & beatificaret, maximè ſuppoſita acceptatione Dei: In ſecundâ opinione ſequeretur, quod data tali impoſſibilitate claræ viſionis Dei, in viſione beatitudinis Mariæ, & ſi non ad menſuram meritorum beatificarentur, tamen proximè accederent ad condignitatem præmii; & præcipuè ſi ad hoc à Deo ordinaretur tale præmium juſtis, qua ordinatione data, tunc poſſet aliqualiter dici talis viſio condigna: Ex quibus patet, quam rationabiliter gloria Mariæ dicitur optima pars, quia hæc redundat in Beatos, & Angelos, eorumque gloriam, & gaudium adauget. *Vndè S. Bon. op. ſpec. B. Virg. lect. 6. ſtylo Seraphico hæc promit.* Glorioſum gloriæ Mariæ privilegium eſt, quod quicquid poſt Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria eſt, hoc Mariæ, hoc in Maria, hoc per Mariam eſt: glorioſum omninò gloriæ Mariæ privilegium eſt, quod poſt Deum major gloria noſtra, major gaudium noſtrum de Maria eſt; unde Bernardus ait: ſumma gloria ô Maria poſt Deum te videre, tibi adhærere, in tuæ protectionis munimine demorari; *Hæc ſeraph. Doct.* Imò addimus ad illa verba *Apoc. 2.* Et qui vicerit, dabo illi ſtellam matutinam; Hæc ſtella matutina *ait S. Bon.*) eſt Maria Virgo, quæ datur ſanctis intrantibus in Cœlum, ut ſcilicet de plenitudine ſocietatis ejus participent, & id obtineant pro præmio ob devictum Sathanam, ob mortificationes petulantium motuum carnis, & ambitionis: Grande quidem præmium, & quidem tanta victoria dignum. *S. Bon. op. ſpec. B. Virg. lect. 6. & 14. & alibi ſæpè: & Hym. Te Dei Matrem: op. ſolit. c. 4.*

65. *Mariæ commiſeratio, & charitatis ſuæ exhibitio in nos quàm chara, & veluti pars gloriæ reputat nunc regnans in Cœlis.*

Optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. Nota certum eſſe hæc agi de gloria, ad quam evecta eſt Maria in ſua Aſſumptione in Cœlum; ſed cur appellatur nomine partis, quod totum eſt ob viſionem totius Dei? ergonè diminuta, & ſolùm partialis erit ipſius gloriæ? minimè; imò ejus viſio, & fruitio totum eſt, & optimum communicabile puræ creaturæ, ut ſuprà dictum eſt; ſed cur pars dicitur hæc electa, & amplexata? hoc dicitur, quia nomine partis intelligitur eleemoſynarum diſtributio: *In Eccleſ. cap.* 11. dicitur da partes ſeptem, nec non & octo, ideſt ſecundùm poſſibilitatem tuarum virium da eleemoſynam, ut ſive pauper, ſive dives fueris, des bonorum tuorum ſeptimam, & octavam, ideſt partem pauperum facias bonam; per ſenarium enim intelligitur quidquid neceſſarium ad ſupplendam neceſſitatem, eſt enim numerus primus perfectorum, per ſeptimum, & octavum quidquid ultrà eſt, & ſuperfluum, hoc que abundanter paupertibus diſtribuendum *Sic S. Bon. in Eccleſ. cap.* 11. Ergo hæc pars optima à Maria Virgine aſſumpta, & regnans in Cœlis electa tamquam compars gloriæ ſuæ immenſæ eſt commiſeratio in nos miſeros, & munificentia liberalis, quam exercet eleemoſynas effundendo in homines; unde intrans in Cœlum, & ſublimata ſuper omnes Beatos in eodem choro Filii ſui conſtituta fuit ab ipſo ſua magna eleemoſynaria, ut per manus ſuas omnes eleemoſynæ gratiarum diſtribuerentur in omnes creaturas, & ideò veluti quamdam compartem ſuæ beatitudinis æſtimat Maria diſpergere gratiam ſuam pauperibus ſuis, eſurientes, & egenos refovere, & per totum mundum divitias diſpenſare, & hinc gratiâ, & dulcedine Ma-

riæ pleni ſunt Cœli, & terra, & undiquè ejus eleemoſynæ nos attingunt, quia oculi ejus in pauperes reſpiciunt, & manus ejus ad eos ſunt extentæ. *Ser.1.& 2. de Aſſumpt. B.Virg. in addit. ep. Pſalt. B.Virg. Pſal.8.& 9.& 10.& 24.& 35.& 109.& 111.* Itaque tamquàm partem gloriæ ſuæ æſtimat Maria, ac beatitudinis complementum auxilium nobis exhibere, noſtris ærumnis opitulari, & calamitatibus occurrere.

66. *Idem argumentum de miſericordia Mariæ in nos.*

Optimam partem elegit ſibi Maria. Quam partem optimam? Nota, quod hic deſcribitur Maria Virgo ſedens ſecus pedes Filii, audiens verbum ejus: *& in Pſal.44.* ſtans, *Aſtitit Regina à dextris tuis.* ait David; ſi ſtat, quomodò ſedet? Nota, quòd ſedere regnantis eſt, ſtare adjuvantis eſt; ſic Stephanus vidit Jeſum ſtantem, ſcilicet promptum ad ipſum adjuvandum; ſedet igitur Maria in eodem throno Chriſti, licèt paulò inferiùs, ut regnans in Cœlo ſuper omnes creaturas; ſtat autem ut adjuvans eos, qui ſunt in mundo, & ideò hoc munus ſimul cum beatitudine aſſumpſit, gratias, dona, & divitias ſuas diſtribuendi; omnes egenos, & pauperes adjuvandi, omnibus ſinum ſuæ pietatis aperiendo. *Ser.1.& 2. de Aſſumpt.Maria,& aliis locis cit. ep. ſpec.B.Virg.lect.8.& 9.*

67. *In quo loco ſit Beata Virgo in Cœlo, & quomodo videre poſſit in has inferiores partes terræ, & quomodò videri.*

Optimam partem elegit ſibi Maria. Si optimam partem, ergo & optimum locum? conſequenter diſquiritur à Doctoribus, in qua parte Empyrei locata ſit Beata Virgo? Cui quæſito reſpondent Doctores (ſicut de Chriſto) locatam fuiſſe Beatam Virginem in eodem throno Chriſti, licet aliquantò inferiùs, nempè ſuprà convexam Cœli Empyrei ſuperficiem, faſtigii, ſolii-que formam, ptout decet ſummum Imperatorem, & Imperatricem, & cum ſub Filio collocata ſit Maria, facit Chriſto, deſeruitque corpus Mariæ ad inſtar Throni; undè meritò Spiritus ſanctus loquens de throno Filii Dei. *Pſalm.* 88. dicit, *Thronus ejus ſicut ſol*; ſcilicet Maria thronus eſt Chriſti, & animâ, & corpore: Thronus eſt Chriſti Maria Virgo Saphirinus per ſanctitatem converſationis; thronus nubens per pietatem miſerationis; thronus ſolaris per charitatem glorificationis: & ſi hoc, quæritur quomodò Chriſti corpus, & Mariæ poterunt videri, & ipſi videre reliqua corpora Beatorum in tantâ diſtantia, & ubi non eſt medium interjectum deferens ſpecies ad oculos? Reſpondetur, quod operatio corporum in Cœlo eſt ad modum ſpiritus, undè Beati habent vim connaturalem videndi ad quemcumque locum etiam ſummè diſtantem, ſine dependentia à medio, vel diſtantia; quod & innuit Seraph. Doct. *Lib.2.d.14 p.1. a.2. qu 1.ad ultimum: Vide Suar.3.2.in 3.p.d.47.ſect.6.* Ergo Maria ſublimata ſuper omnes Angelos, & homines in ſolio excelſo, & elevata in nos filios tamquàm Mater piiſſima oculos conjicit corporeos; præſertim dum illius auxilium depoſcimus, maximéque eos, qui ſingulariter ipſi Deiparæ ſunt addicti, & ſub ejus vexillo militant, ac patrocinio degunt, quique in ejus laudes decantandas, prædicandas, verbo, ac ſcripto evulgandas, dies ac noctes inſumunt, quod & proportionaliter dicendum in ordine ad auditum; & ſi quæratur quomodò objecta ſenſibilia, quæ in hoc orbe ſunt, pervenire poſſunt ſuis ſpeciebus ad oculos, & aures Chriſti, & Mariæ? Reſpondetur id tripliciter accidere poſſe; primò ſi eleventur objecta viſibilia, ut illuc ejaculentur uſquè ad oculos Chriſti, & Mariæ: ſecundò vel quia Chriſtus, & Maria ſupernaturaliter producant ſpeciem in oculis: tertiò vel immediatè eliciendo viſionem ſine ulla ſpecie; & iſti duo modi, & præcipuè ſecundus, ſunt magis rationi conformes, & placent *Seraphic. Doctor. ep. Pſalt. B.Virg.Pſal.10.& 11. & alibi, &c.* Et quod dictis de viſione, dicendum eſt de auditione noſtrarum precum. Ergo mirum non eſt ſi Beata Virgo tàm prompta ſit ad auxilium ferendum ſuis ipſam invocantibus; ſi ſtatim invocata adſit; ſi laudes in ſui honorem decantatas ſtatim audit; ſi ad vocem clamoris noſtri ſtatim reſpondet; quia ſuis oculis gyrat univerſum; omnia intuetur, omnia conſpicit; & aures intentas, & attentas ad nos perpetuò continet: Ergo & nos non ceſſemus ipſam invocare, ipſam laudare, ad ipſam ut Matrem confugere, ut ſuâ protectione digni efficiamur aliquando ipſam è proximo videre, & contemplari, & ſecùm in æternum in illo Oceano beatitudinis frui viſione, & fruitione Dei noſtri. Quod nobis concedat Dominus Jeſus per merita ſuæ dilectæ Matris.

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quod poſtquàm Chriſtus tradidit diſcipulis formam docendi, & formam vivendi hic tribuit formam orandi, per quam ſupra dicitur omnia impetrantur; undè Chriſtus exemplum præmittit in ſeipſo circà modum, locum, & tempus orandi, per quod excitat corda diſcipulorum, & omnium noſtrum ad ſui imitationem: Luc. cap. 11. in principio.

CAP.

CAP. XI.

2. *Locus exprimitur orationis, non tempus, quia omni tempore orandum.*

ET factum est dum esset in quodam loco orans, ut cessavit dixit unus ex discipulis ejus ad eum, Domine doce nos orare. Nota, quod hîc assignat locum, sed non tempus vel nocturnum, vel diurnum, & hoc rationabiliter; nam iste locus erat solitarius, & secretus tamquàm magis aptus ad orationem; sed non assignat tempus, ut ostendatur, quod omni tempore est orandum, & omne tempus aptum est orationi. *Luc. cap.* 11. *vers.* 1.

3. *A Deo petendum est lumen orationi rectè faciendæ necessarium; cum oratio sit actus pietatis, & cultus Dei.*

Domine doce nos orare. O quàm benè recurrunt discipuli ad Christum, ut ipsos doceat modum orandi; A Deo namque petendum est lumen necessarium ad rectè orandum, ne aliquid petatur contrà voluntatem ejus, & quia est sublimissimus actus pietatis, & cultus Dei; hinc est, quod intentio, & tota applicatio discipulorum Christi, ejusque sanctorum ordinari debet principaliter ad orationem, & hoc tum propter ejus dignitatem, & excellentiam, tùm propter efficaciam, quia per orationem impetrantur omnia bona. *Luc.* c. 11. *v.* 1. *Psal.* 118. *v.* 9. *v.* 7.

4. *Orationis dominicæ explicationem habebis in Matth. cap.* 6. *& hic in textu in Luc.* ubi etiam assignatur discrimen inter Matthæum proponentem septem petitiones, & Lucam tantùm quinque, quæ tamen omnes in utraque coincidunt: *Luc. cap.* 11. *vers.* 2. *& seq.* ubi etiam dicitur cur Matthæus vocat panem, quem à Deo petimus supersubstantialem, & Lucas quotidianum.

5. *Aviditas, & nimia sollicitudo in temporalibus cavenda, & gulositas in deliciis ciborum.*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Nota, quod duplex hodie ponitur in hac petitione, panem quotidianum, ideſt panem nobis hodiè necessarium, vel omni die, sed addit hodie, cur non dicit hodie, & omni tempore, & die? & cur solùm panem, & non alia obsonia, & cibos delicatos? Hoc ideò ponitur à Christo, primò ut à nobis tollat nimiam sollicitudinem congregandi pro tempore incerto temporalia bona, secundò ut gulæ desideria frænentur, & aspiremus ad necessaria tantùm, non ad superfluitates, corpus nostrum laxantes in deliciis. *Sermon.* 1. *de Mortuis in addit.*

6. *Memoria mortis, & timor, & incertitudo vivendi in memoria quotidiè habenda.*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Cur hodie, & non pro crastina die? dicit hodiè ut insinuetur incertitudo vivendi, quia hodie homo vivit, cras sæpe mortuus. *Ser.* 1. *de Mortuis ibid.*

7. *A Deo non à diabolo quærenda sunt bona.*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Cur petimus à Deo panem nostrum? & si est noster, ad quid petitur? optime, & cum maximo mysterio: Dicimus panem nostrum, scilicet qui justè acquiritur, & cum observantia mandatorum Dei, talem panem secure petere possumus & fiducialiter, quia ipsum nobis dabit; qui verò cum injustitia panem, & alia bona acquirit, à diabolo, non à Deo panem petit, hinc patet stultitia multorum, qui in hac oratione petunt à Deo panem ore, sed manibus peccatis à diabolo ipsum quærunt, væ istis, quia talis panis vertetur in fel amaritudinis. *Ser.* 1. *de Mortuis in addit.*

8. *Deus semper paratus ut providentissimus nobis necessaria dare, sed vult à nobis rogari.*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Si iste est panis quotidianus, & noster, ergo nobis debitus, cur ergo petendus à Deo, cum ipse, ut auctor naturæ teneatur providere creaturas omnibus necessariis? ut intelligamus, quod ipse semper præsto est ad nobis dandum quæ necessaria sunt corpori, & animæ, sed tamen vult à nobis rogari, quia per orationem homo obtinet quod decrevit Deus concedere, sed tamen mediâ oratione. *Ser.* 1. *de Mortuis: op. de Prof. Religios. lib.* 2. *cap.* 70. *Luc. cap.* 11. *hic vers.* 3.

9. *Confidentia in Dei providentia, & curæ à nobis habenda, diffidentia abigenda, & superbia.*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Cur tantum hodie? & quis iste panis? Panis scilicet non solùm materialis sed spiritualis gratiæ, quam à Deo petere debemus confidenter pro hodierno die confidentes, quod si dat hodie, & cras etiam dabit, dummodò diffidentiam abiegerimus, & timorem vanum, & ipso pane obtento, ne in altum extollamur, ne pro crastina die ipsum perdamus. *Op. de Prof. Religios. lib.* 2. *cap.* 70. *Luc. hic.*

10. *Confidentia in Dei providentia, & curæ à nobis habenda, diffidentia abigenda, & superbia.*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Panem supersubstantialem, ait Matth. c. 6. Nota, quod mysticè per hunc panem intelligitur panis Eucharistiæ; ut videas, quòd in Dei obsequio ani-

ma debet aſpirare ad perceptionem Euchariſtiæ, quia in eo plus viget vita animæ, quàm in materiali vita corporis. *Op. de dono ſap. cap. 5. Luc. hic.*

11. *Parabola de petente ab amico tres panes media nocte exponitur in textu ſuper Lucam hic v. 5. ſeq.* Ubi per tres panes intelligit panem temporalem ad ſuſtentationem corporis; panem gratiæ ad ſuſtentationem animæ; & panem gloriæ ad totalem refectionem. *Op. in Pater Noſter.*

12. *Negligentia & torpor abjiciendus in obſequio Dei, & proximi.*

Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, Amice commoda mihi tres panes, quia amicus meus venit ad me, &c. Nota, quod proponitur petitio trium panum in media nocte, & hoc pro uno amico; cur ponitur iſta particula, *media nocte*? & cur tres panes pro uno petit, ſi unus ſufficeret? ſed hæc eſt locutio myſtica, in qua excitare intendit nos ad abjiciendum torporem, & negligentiam in Dei ſervitio, & in exercitio charitatis in proximum: dicit autem tres panes pro tribus licet unus proponatur, nempè pro ratione petitur panis veritatis; pro voluntate panis charitatis; & carne, & corpore panis fortitudinis, & perſeverantiæ: dicit media nocte, quia excutienda eſt negligentia, & torpor quotieſcumque Dei ſervitium proponitur, vel aliqua neceſſitas proximi, & proprius profectus: *Pſalm. 118. cap 4. verſ. 14. & Pſalm. 126. Luc. hic.*

13. *Orationem piè importunam exigit Deus à nobis, & perſeverantem.*

Dico vobis, & ſi ille perſeveraverit, dabit quotquot habet neceſſarios. Nota, quod loquens Chriſtus de modo orandi, tota hæc parabola, quam ipſe hîc affert, ordinatur ad nobis inſinuandum, quod oratio ad hoc, ut exaudiatur, debet eſſe piè importuna, & perſeverans; nam Deus aliquando differt concedere, quod petitur, & veluti ſurdum ſe oſtendit petitionibus noſtris, quia vult, ut oratio frequentetur, & ſæpè pulſetur velut importunè, & perſeveranter, ut ſecuriùs obtinere poſſimus, & fructuoſiùs quod petimus, gaudet enim ipſe tali importunitate, & perſeverantiâ: *Ser. 5. de uno Confeſſ. Luc. c. 11. hic op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 67. & 71. op. Diet. tit. 8. c. 2. op. medit. c. 36. & 61. Luc. c. 24. verſ. 29.*

14. *Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis:* Nota, quod iſta eadem verba expoſita ſunt *in Matth. c. 7. & hic in Luc. c. 11. v. 10.*

15. *Dei promptitudo in nobis promittendo quicquid nobis eſt neceſſarium, & utile expenditur in hoc, quod ſuadet nos petere, volens à nobis rogari.*

Petite, & dabitur vobis. Vide quod hic præcipit, ut ad orationem confugiamus, dicens petite, orate, quia dabitur vobis; in quo appetet Dei liberalitas, & promptitudo in concedendo quod deſideramus, dummodo oremus: *petite*, ait, *& dabitur vobis*, quid? & quomodò dabitur vobis? dabitur gratia, & gloria, & omne aliud bonum vobis neceſſarium, & utile; quomodò dabitur ſine reſtrictione, ſcilicet indubitanter, cum promiſſa Dei ſint infallibilia; dabitur abundanter, ſcilicet pluſquàm petatis: dabitur item prudenter, ſcilicet unicuique ſecundùm propriam virtutem, uni quinque talenta, alii duo, alii unum dabit, ſcilicet bona naturæ, fortunæ, gratiæ, & gloriæ, ut intelligamus, quod Deus non ceſſabit dare, ſi nos non ceſſabimus petere; vult dare quidem, ſed vult rogari. *Ser. 4. in Rogat. Pſal. 118. c. 11. v. 12.*

16. *Oratione quæritur bonum, & invenitur, ubi de modis, & circumſtantiis talis inquiſitionis.*

Querite, & invenietis. Quomodò quærendum? hoc fit in oratione; in qua primò quærendum eſt regnum Dei, ſcilicet gratia, & ſalus animæ, & cætera adjicientur: Ad quærendum autem alliciunt nos temporis opportunitas, loci amænitas, quærendæ rei pretioſitas, & inveniendi ſecuritas: temporis opportunitas, ſcilicet dum tempus habemus, dum vivimus, non in morte, non poſt mortem, nam in hyeme nec flores, in nocte nec ſol, in tenebris nec facies in ſpeculo inveniri poſſunt; noli ergo tempus opportunum quærendi negligere, ne contingat te fruſtrà quærere? Item loci opportunitas; nam non eſt quærendus hortulanus Chriſtus, niſi in horto cordis virtutum plantis pleno: ſacerdos item, niſi in templo, & in cruce crucifixus: item rei quærendæ pretioſitas excitare debet ad quærendum, nempè gratia, & gloria, & ſalus, quæ eſt margarita pretioſiſſima, pro qua omnia ſunt danda: item inveniendi ſecuritas, cum ſemper Chriſtus dicat, quærite, & invenietis, ſi ergo quæratis meditando, orando, benè agendo, invenietis. *Ser. 6. & 7. Rogat.*

17. *Pulſandum eſt ad fores divinæ miſericordiæ, & quomodo.*

Pulſate, & aperietur vobis. Pulſate, quid? pulſate, ait, ad fores divinæ miſericordiæ, quia ſolus Deus habet claves quibus apetit eas; pulſate, ait, ſcilicet deſideriis, ſuſpiriis, clamoribus, lachrymis, orationibus, caſtigationibus ad oſtium divinæ miſericordiæ: pulſate diù & altè ô peccatores propter diſtantiam oſtiarii, quia Deus longè diſtat à peccatoribus, pulſate propter periculum pulſantis, quoniam hoſtis vos continuè perſequitur: pulſate quamdiu dies eſt miſericordiæ, & oſtium non eſt clauſum, alioquin pulſabitis poſt mortem, vel in judicio inutiliter. *Sermon. 9. in Regatio.*

18. *Deus*

Digitized by Google

18. *Deus ſemper promptus pulſanti ad ſuas fores aperire oſtium ſuæ pietatis.*

Pulſate, & aperietur vobis. O quanta conſolatio continetur in hoc promiſſo Chriſti? quanta inquam conſolatio, ſi carcer captivo, theſaurus mendico, palatium expulſo, ſepulchrum mortuo aperietur, ô quàm libenter tales pulſarent pro aperitione? Pulſate, ait, Chriſtus vos captivi in peccato ad fores divinæ pietatis contritione, & confeſſione peccatorum, & aperietur vobis: Pulſate ô infirmi ad medicum, & vobis aperietur ad ſanitatem recuperandam: Pulſate vos mendici ad fores theſaurorum Chriſti, ſcilicet gratiæ, & aperietur vobis: Pulſate vos, exiſtentes extra palatium Cœli in hoc exilio, & aperietur: Pulſate vos ô mortui, & ſepulti in peccato, & aperietur vobis ad vitam reacquirendam. *Ser.10.in Rogat.*

19. *Oratio ſuadetur animæ multis rationibus.*

Petite, & accipietis, quærite, &c. Nota, quòd ex tanta Chriſti promiſſione ingerit Deus in nobis magnam fiduciam orandi; & ideò inceſſanter Chriſtus nobis ſuadet exercitium orationis, ad quam frequentandam nos impellit noſtra neceſſitas, orationis dignitas, & divina largitas: & primò qualis eſt hæc neceſſitas? maxima quidem, tum propter ſeveriſſimam impugnationem hoſtium potentiſſimorum, à quibus in caſtro corporis obſeſſi ſumus: tum propter noſtram defectionem, & paupertatem, cum ſimus mendici, ſine pane, ſine hoſpitio, ſine aliquo bono, & ideo ad fores divinæ miſericordiæ, & Sanctorum pulſare, & petere debemus panem gratiæ, & hoſpitium gloriæ: tum propter Judicis ſupremi graviſſimam offenſionem, ob quam peccator condemnatus eſt ad ſuſpendium infernale, ideo clamare debemus in oratione, ut liberationem, & libertatem obtineamus: Ad orationem item ſuadet nos Chriſtus ob orationis dignitatem, & congruitatem, quia oratio eſt ſummus cultus, quem poſſit Deo exhibere anima, dummodo ſit facta congruè, ſcilicet ex parte petentis; ſcilicet dolendo de malis commiſſis, ex parte rei petitæ quæ ſcilicet ſit congrua ad ſalutem, & fiat debitâ devotione: Ad orationem item nos ſuadet Dei largitas, quæ verè eſt maxima, dicit enim *Matth. cap.21. omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Omnia dicit, ſcilicet ſpiritualia, temporalia, & æternalia; ſic ergò anima devota ad Chriſtum cum tota fiducia, cum contritione debita, & devotione recurrat, & impetrabit, quod petierit. *Sermon.3. in Rogat.*

20. *Parabola de petente panem, piſcem, & ovum exponitur in Matth. cap. 9. & hic in Luc. cap. 11. verſ. 11.*

21. *Confidentia in Dei providentia ſuadetur.*

Quis autem ex vobis patrem petit panem, &c. ſi ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis dabit Pater veſter cæleſtis, &c. Nota hanc digniſſimam illationem Chriſti Jeſu, in qua ex ſimilitudine providentiæ Patris ad filios etiam malos, infert providentiam Dei noſtri ſuper omnes homines; & ideò loquens ad Hebræos, qui erant peſſimi, & tamen eis bona neceſſaria dabat, excitare nos intendit ad fiduciam habendam in ipſo; quaſi dicat: Quid timeris vos ô Chriſtiani de divina providentia, cum malis, & inimicis tam liberaliter providet bona neceſſaria; & ſi ſic tractat inimicos, quid faciet vobiſcum, qui ejus fidem profitemini? reprehendit ergo Chriſtianorum diffidentiam, & avaritiam, & inordinatam ſollicitudinem in temporalibus. *Sermon. 2. Dom. 14. Pentecoſt.*

22. *Ex liberalitate Dei in procurandis nobis bona temporalia, infertur liberalitas ejus in collatione ſpiritualium bonorum.*

Si ergo vos cum ſitis mali, &c. quantò magis Pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum, &c. Quaſi dicat, ſi cum tanta liberalitate vobis dat Deus temporalia bona, quantò magis, ſi ipſum rogabitis, ſi fide, ſpe, & charitate ornati (quæ ſignificantur in piſce, ovo, & pane) dabit vobis Spiritum bonum petentibus ſe; Spiritus bonus eſt Spiritus Sanctus, qui infunditur in corde per dilectionem, in ore per confeſſionem laudis, & in opere per converſationem; & ad hæc obtinenda, exigit ut petantur in oratione. *Ser.11. in Penteс. Ioan. collat. 65. & 71. opuſc. de Prof. Religioſ. lib.2. cap.66.*

23. *Miraculum de liberatione muti obſeſſi à Dæmone habetur expenſum in Matth.c.9. & 12. & hic apud Lucam.*

24. *Diabolus ejectus eſt è Cœlo à Chriſto, & hoc virtute nominis Ieſu.*

Erat Ieſus ejiciens Dæmonium. Nota hunc modum loquendi per verbum imperfecti temporis, involuens tempus præteritum, & præſens; imò in divinis involuens æternitatem; unde dicitur in principio erat Verbum; & cum hic fiat mentio de ejectione facta in tempore, fit alluſio non ſolùm ad præſentem ejectionem factam à Chriſto ex iſto obſeſſo, ſed etiam ad aliam antecedentem, & qualis iſta? Hæc eſt ejectio facta è Cœlo per Verbum, de qua dicitur, hic erat Ieſus ejiciens diabolum, ſcilicet in principio temporis, nam per Ieſum ejectus eſt, ipſo ſuperbiente. *Ser.1. Dom. 3. Quadrag.* Addit Sanctus Bernardinus, quod iſta ejectio facta fuit virtute nominis Jeſu, cum enim recuſaſſet ſuperbus Lucifer adorare ut caput Verbum incarnandum, & Jeſum venturum in mundum, ut caput omnium prædeſtinatorum, factum eſt prælium magnum in Cœlo inter Angelos adoratores Jeſu, & ſuperbos id recuſantes, Angeli boni clamantes vivat Ieſus, ad ſonitum hujus nominis præcipitati ſunt in Infernum.

25. *Chriſti munus eſt ejicere diabolum, & homines ſuperbos è numero ſuorum electorum.*

Erat Ieſus ejiciens Dæmonium. Nota, quòd hoc verbum (*erat ejiciens*) importat actionem continuatam, & ideo dat intelligere, quod Chriſtus venit humillimus in mundum, ut ſuperbos cum diabolo ejiceret è Cœlo, ab Eccleſia, & à numero ſuorum electorum, quia ſummè ei odibilis eſt ſuperbia; & ſi ejicit ſuperbos, quid faciet de hominibus plenis omnium vitiorum! *Ser. 1. Dom. 3. Quadrageſimæ.*

26. *Chriſtus reddens mutum loquentem ejicit ab ipſo per contritionem, & confeſſionem Dæmones.*

Erat Ieſus ejiciens Dæmonium, &c. Nota, quod in hac ejectione mutus fit loquens, ut ſignificetur, quod per contritionem, & confeſſionem ejicitur diabolus de corde impii, & fit juſtus. *Ser. 1. Dom. 3. Quadrageſ.*

27. Invidi, & impii bonum convertunt in malum per judicium temerarium, ſicut faciebant Judæi de bono opere Chriſti, qui videntes ipſum mira facere, & ejicere dæmones de corporibus hominum, dicebant, quod *in Belzebub Principe Dæmoniorum ejiciebat Dæmonia: ſer. 1. Dom. 3. Adv. ſer. 1. Dom. infrà oct. Nat. Pſ. 119. & 130. Luc. c. 7. v. 33.*

28. *Ubi diviſio viget, ibi omne malum, & deſolatio.*

Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet, &c. Hoc eſt verum, & per ſe, & continuâ experientiâ notum: ubi rixæ, bella, & diviſiones vigent, ibi omnia mala, & deſolationes vigent; & hinc eſt, quod in Miſſa tanto fervore Sacerdos rogat Deum, ut Eccleſia catholica vivat in continua pace. *Op. Expoſ. Miſſæ c. 4 Luc. hic.*

29. Belzebub interpretatur vir muſcarum, quia non ſolùm Princeps Dæmonum, ſed dicitur vir muſcarum; ideſt Princeps, & Tyrannus animarum illarum, quæ ſunt velut muſcæ caninæ rabidæ, & crudeles in proximum: Dicitur etiam vir muſcarum, quia ejus proprium eſt implere mentem hominum malis cogitationibus, laſcivis, & immundis, per quas perditur devotio. *Op. Comp. Theol. lib. 1. c. 26. Pſal. 77. ſer. 11. in Pentec. ſer. 2. Dom. 1. poſt oct. Pentec.*

30. *Juſti quærunt ſigna in terra, ſuperbi, & impii in Cœlo.*

Et alii tentantes ſignum de Cœlo quærebant. Vide quomodo omnes Phariſæi contra Chriſtum bellum gerebant, ejuſque opera miraculoſa, nam alii tribuebant miracula facta arti diabolicæ; alii inſtigabant ad ſigna facienda in Cœlo, quaſi alia facta in terra non ſatis oſtenderent ipſius omnipotentiam, & divinitatem; nec id mirum, nam juſti ut humiles aſpiciunt ad ſigna Chriſti facta in terra, ſcilicet ad opera humilitatis, & patientiæ ab ipſo oſtenſa; ſuperbi volunt ſigna ſua in Cœlo, ſcilicet ſpem, & oculos convertunt ad honores, divitias, laudes, & pompam mundanam, & iſti ſunt, qui contradicunt ſignis Chriſti. *Luc. c. 11. v. 16. Pſ. 30.*

31. *Spiritus Sanctus digitus Dei annulo ſuo ſuos conſignat.*

Porrò ſi in digito Dei ejicio Dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei. Quid eſt in digito Dei? quis digitus eſt Dei? Digitus Dei eſt Spiritus Sanctus, quia in brachio ſignificatur Filius Patris, & in digito Spiritus Sanctus procedens à Patre, & Filio, qui ſunt unum in natura; appropriatè autem dicitur digitus, quia annulo ſuæ gratiæ conſignat ſuos, in quos introducit regnum Dei, ſcilicet ipſius gratiam. *Ser. 8. & 10. in Pentec. ſerm. 1. Dom. 3. Quadrageſimæ. op. de Inviſibilitate Dei. Comp. Theol. lib. 1. c. 9. Luc. c. 11. hic. Ioan. c. 8. v. 9.*

32. *Diaboli caſtrum eſt corpus peccatoris.*

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia, quæ poſſidet. Quis iſte fortis armatus, niſi diabolus, cujus caſtrum, vel atrium eſt corpus; & caro noſtra ſemper Spiritui rebellis? & ſi hoc, quomodo dicitur ipſum cuſtodire, & in pace regere omnia, quæ poſſidet in hoc caſtro? ergone diabolus noſtri corporis cuſtos? ergone portat pacem in corpore noſtro? ſed attende ad maledictam cuſtodiam, & pacem diaboli: dat hic intelligere Chriſtus Jeſus, quod qui non reſiſtit diabolo, ſed ei in omnibus obtemperat, etiam ſe voluntariè tradit in ipſius poſſeſſionem, & ideò talis pax eſt maledicta, & infernalis; tunc cuſtodit atrium ſuum diabolus, & omnem curam adhibet, & artem, ut ſub ſuo jugo perſeveret, imò ut perſeveret ipſum non tentat, ut quietè in peccato vivere poſſit, & ne aufugiat, erigit in hoc caſtro turres ſuperbiæ, foſſatum avaritiæ, rupes invidiæ, pro muro defenſionem culpæ, pro portis converſationem ſcandaloſam, & ſic pacem diabolicam ei permittit, ut jaceat in immunditia luxuriæ: ô quam infelix talis miſer poſſeſſus à diabolo. *Opuſcul. Diæt. tit. 2. cap. 6.*

33. *Diabolus armatur armis noſtris, & ex nobis fit fortis.*

Cum fortis armatus, &c. Scilicet diabolus fortis quidem de ſe, ſed non contra nos, cum Chriſtus poteſtate expoliaverit omnia ſua propria arma auferendo; & ſi hoc, quomodo dicitur armatus, & fortis? hoc dicitur, quando cuſtodit, ſcilicet poſſidet corpus noſtrum, & ideò ex nobis armatur, & ex nobis fit fortis; unde cum de ſe ſit tantùm armatus artibus, & aſtutiis nequiſſimis, nihil in nos valens, cum tentat hominem, tunc petit à nobis noſtra arma; petit carnem, ut nos ſordeſcere faciat in luxuria; petit oculos, ut ad vanitates non impellat; petit linguam, &c. *Opuſc. Diæt. cit. ſermon. 1. Dom. 10. Pentec. op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 8.*

34. *Diabo*

Digitized by Google

34. *Diabolus ſinit in pace vivere peccatorem in peccato, ut contra ipſum ſæviat in morte.*

Cum fortis armatus, &c. Vide hic quàm amara eſt pax peccatorum in peccato perſeverantium; nam iſta pax à diabolo cauſatur, ut poſteà ſævitiam ejus exerceat in morte. *Ser. 4. Dom. 3. Adv. ſer. 1. & 2. in Sabb. Sancto.*

35. *Chriſtus de diabolo triumphavit, ut nos ſuperiores, & fortiores contra ipſum redderet.*

Cum fortis armatus, &c. ſi autem fortior ſuperveniat, tunc univerſa arma ejus, &c. Nota, quòd iſte fortior diabolo eſt Chriſtus, qui venit ſuper diabolum, arma ejus, ſcilicet poteſtatem, quam in genus humanum exercebat auferens, & ſpolia ejus, ſcilicet animas, quas deceperat diripiens, quod & maximè fecit in deſcenſu ad inferos poſt Reſurrectionem; & per hoc nobis oſtendit, qualiter armati virtute gratiæ poſſumus ſuperiores eſſe, & triumphare de diabolo. *Serm. 2. & 4. Dom. 2. Adv. ſer. 3. Dom. 1. Quadrageſ. ſerm. 1. Dom. 10. Pentec. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 56 Luc. hic: Matth. c. 12.*

36. *Qui cum Chriſto non laborat in hac vita, ut colligat, ut ditetur, in alia miſer invenietur.*

Qui non colligit mecum diſpergit. Quid eſt colligere? an Chriſtus vult nos intentos, & ſollicitos in colligendo divitias in hac vita, cum alibi doceat nos ipſas contemnere, & diſpergere? maximè, ſed divitias ſpirituales, ſcilicet labores, vigilias, pœnitentias, cruces, in quibus Chriſtus conſumpſit ſuam vitam; qui ergo, ait, non colligit merita mecum in hac vita, in alia pauper, miſerabilis, & vacuus invenietur. *Sermon. 3. Dom. infrà oct. Aſcenſ.* Nota etiam, quod hic infertur, quod Chriſti proprium eſt colligere in unum; diaboli diſpergere. *Vide in Matth. cap. 12.*

37. *Diabolus per peccatum intrat in poſſeſſionem peccatoris, & per pœnitentiam ejicitur.*

Cum immundus ſpiritus exierit ab homine. Si exit ab homine, ergo priùs habitabat in homine, ſcilicet exiſtente in peccato mortali; tunc accipit poſſeſſionem, imò quot peccatis mortalibus infectus eſt, à tot Dæmoniis poſſeſſus; exit autem per pœnitentiam, quia per Chriſti gratiam ex muto fit loquens in confeſſione. *Luc. c. 11. hic: ſer. 1. & ſeq. Dom. 3. Quadrag.*

38. *Loca arida ſunt habitatio Chriſti, loca inaquoſa diaboli.*

Cum ſpiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non invenit. Cur in locis aridis non invenit requiem? optimè hoc dicitur; loca arida ſunt corpora, & mentes immunes à concupiſcentia, & luxuria, in his non habitat diabolus, nec invenit ſedem, ſed tantum in inaquoſis, ſcilicet in ſubjectis concupiſcentiis; & carnalitatibus. *Luc. c. 11. hic.*

39. *Solatium diaboli eſt obſeſſio hominis.*

Quærens requiem. Quam requiem? & qualem requiem poteſt invenire diabolus? hoc dicitur per comparationem, & ſecundùm æſtimationem ſuam, ſemper enim pœnâ, irâ, odio, & livore torquetur, ſed tamen cum pervenit ad obſidendum hominem, tunc exiſtimat inveniſſe quietem ſuam, & multò magis poſteà cum ipſum induxit in peccatum, & hæc eſt quies; & fruitio diabolica; quam & invidi exiſtimant ſe habere in malo proximi, licet ſemper rabie torqueantur. *Luc. c. 8. v. 29. & cap. 11. hic: opuſc. Diat. lib. 1. c. 4.*

40. *Diabolus intrat in hominem per peccatum, quod eſt peius ipſo diabolo.*

Aſſumit ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt noviſſima hominis illius peiora prioribus. Qui ſunt iſti ſeptem ſpiritus nequiores diabolo? iſti ſunt ſeptem vitia capitalia; quæ ſunt medium, per quod diabolus intrat in hominem, & ſunt peiora diaboli. *Serm. 1. & 2. in Sabb. ſancto: ſermon. 3. Dom. 3. Quadrageſ.*

41. *Explicatur laus mulieris extollentis vocem: Beatus venter, qui te portavit, &c. Luc. cap. 11. verſ. 27.*

42. *Mariæ laudes non ſine Spiritus Sancti inſtinctu promendæ, & ha magna vocis contentione, & affectu, quia in Dei laudem redundant.*

Extollens vocem quædam mulier de turba dixit Beatus venter, qui te portavit, &c. Nota, quod hæc mulier inſtincta Spiritus Sancti volens laudare Chriſtum, ſe convertit ad Matrem, ejuſque uterum, dicens *Beatus venter, &c.* & hoc extollendo vocem; ut intelligamus, quod laus Mariæ eſt laus Chriſti, & ideo magna vocis contentione, & affectu promenda. *Op. ſpec. B. Virg. in Prol. op. Phar. lib. 1. c. 5. ſer. 1. de B. Virg.*

43. *Beatitudo Mariæ in hac vita expenditur.*

Beatus venter, qui te portavit, &c. Cur beatum ventrem prædicat, & non potiùs Matrem, quæ in utero portaverat Chriſtum? & cur beatitudo attribuitur ventri, & non potiùs animæ, cum beatitudo ſubjectetur in ſpiritu, non in carne? Sed ex hoc eruitur maximum myſterium, & laus Beatæ Virginis; nam cum anima Mariæ continuâ viſione, & fruitione Dei gauderet, & frueretur, quia non erat comprehenſiva; comprehenſiva enim viſio non poteſt concedi creaturæ, quia hæc attingit Deum ſecundùm ſe totum, & totaliter prout eſt in ſeipſa, hanc autem ſolus Pater habet ex viſione ſui ipſius; & reliquam & Filio, & Spiritui Sancto communicat, & quia Maria ipſam non poterat habere, alteram comprehenſionem ei communicavit Spiritus Sanctus, ut in utero comprehen-

Digitized by Google

deret, quod non poterat anima, & ſic habuit beatitudinem ſimilem aliqualiter beatitudini Patris æterni: hinc *S. Bon.* appellat uterum Mariæ intellectualem Deum, incomprehenſibilem continentem, & Paradiſum Domini. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 5. 6. 7. 11. & 24. opuſc. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 7. ad illud, inclinavit Cœlos, &c. Luc. capit. 11. hic.*

44. *Ex beatitudine anima in Maria redundabat beatitudo in carne.*

Beatus venter, qui te portavit, &c. Quomodo beatus venter, ſi beatitudo propriè eſt animæ, cum ſit qualitas ſpiritualis? ſed tamen Spiritus Sanctus voluit tali modo indicare beatitudinem, quæ redundabat ex anima ad ventrem continentem Verbum Dei incarnatum; nam cum eſſet plenâ Deo, ejuſque gratiâ, etiam aliqualiter in ventrem redundabat ipſum aliquo modo beatificans; Undè benè dixit Angelus, *Ave gratia plena Dominus tecum*; tecum ſcilicet in mente, tecum in ventre. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 10. ſequent.*

45. *Venter Beatæ Virginis thronus beatitudinis.*

Beatus venter, qui te portavit. Cur venter beatus, & non potiùs beata Maria tota? beatus venter, quia factus eſt thronus Filii Dei, qui eſt fons beatitudinis; thronus enim verè fuit uterus Mariæ beatus, quia non ſolùm in mente, ſed in ventre reſedit veluti in throno glorioſo. *Opuſc. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4. ſermon. 2. in Aſſumpt. B. Virg. in addit.*

46. *Alii portant Chriſtum intus, alii ſerpentem.*

Beatus venter, qui te portavit. Quid portavit te ſcilicet Chriſtum, Filium Dei, ergo beati, & felices ſunt, qui portant Chriſtum in anima; maledicti è contra, qui portant ſerpentem, ſcilicet diabolum. *Ser. 4. Dom. 3. Quadrag. ſer. 4. Dom. 22. Pentec.*

47. *Beatus venter dicitur propter tria privilegia ex parte Matris, & tria alia ex parte prolis.*

Beatus venter, qui te portavit. Hoc eſt propter tria privilegia ex parte Matris: primò quia Maria fuit ſine corruptione fœcunda, ſine gravedine gravida, ſine dolore puerpera: Ex parte prolis alia tria privilegia: primò propter conjunctionem infinitè diſtantium, Deus enim factus eſt homo, Creator creatura, immenſus parvus, Verbum infans, æternus temporalis: ſecundò quia qui fecit ventrem, factus eſt in ventre: tertiò quia incomprehenſibilis, & omnia continens concluſus eſt in ventre, & ideò dignior eſt Empyreo. *Luc. c. 11. v. 27. op. Pſalt. B. Virg. Pſal. 13. op. ſpec. lib. 14.*

48. *Mariæ uterus beatus, & felix, quia in eo compoſitus, & coctus eſt panis vitæ, & fons gloriæ.*

Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti. Cur beatitudinem Matris Spiritus Sanctus deſumit ex ventre, & lacte uberum, & non potiùs ex ſanctitate, puritate, & aliis doribus ſpiritualibus? hoc eſt, quia recognovit hæc mulier à Spiritu Sancto edocta ventrem illum in Maria, de quo dicitur. *Cant. c. 7. Venter tuus acervus tritici*, ſcilicet veluti clibanum, in quo compactus eſt panis vitæ, & ex lacte Mariæ coagularus, & completus, coctuſque igne Spiritus Sancti; & ideò benè dicitur beata ubera, quæ ſuxiſti, quia divinum illud lac ſuxit Chriſtus, ut nobis vitam, gratiam & gloriam effunderet. *Luc. c. 11. hic: opuſc. ſpecul. c. 16. Pſalt. B. Virg. Pſal. 138. op. Laus. B. Virgin. fig. 13.*

49. *Laus potiſſima Chriſti eſt ex laude Matris.*

Beatus venter qui te portavit. Cur iſta mulier à Spiritu Sancto edocta volens laudare Chriſtum, tota ſe convertit ad laudandum Matrem? nonne ſatius fuiſſet ipſum immediatè laudare? Sed ne mireris, nam laus redundat potiſſima, & gloria Chriſto ex laudatione Matris, & ideò extollitur valdè præconium Chriſti Jeſu ex beatitudine, & mirabilibus Mariæ Virginis. *Op. ſpec. B. Virg. Luc. 6. 11. v. 17.*

50. *Benedictio cæleſtis redundat in parentes ex bona, & ſancta educatione filiorum.*

Beatus venter, qui te portavit. Cur ad beatificationem Matris ſe convertit iſta mulier, ex eo, quòd audivit, & vidit mirabilia operata à Chriſto? cur ex ipſis non ſumit occaſionem potiùs laudandi Chriſtum operatorem tot mirabilium? Sed merito hoc fecit edocta à Spirito Sancto, ut diſcant parentes, quod ex bona educatione filiorum in ipſos redundant benedictiones Dei, & hominum, quod continuâ experientiâ patet; &, hinc dixit iſta mulier; Beatus venter, qui portavit, & expoſuit tam bonum Filium. *Opuſc. Diet. tit. 3. cap. 3. Luc. citat.*

51. *Maternitatis Mariæ elogia à Chriſto prædicantur.*

At ille dixit, quinimo beati, qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Expende etiam, quod *Marc. c. 3.* dixit tunc quando, dum concionabatur, nuntiatum ei fuit, quod Mater ejus foris ſtabat volens loqui ei, *qua eſt Mater mea, ait &c. qui fecerit voluntatem Patris mei, hic frater, & ſoror, & Mater eſt.* In quibus videtur, quod Matrem minus molli, & debito affectu proſequutus fuerit, quòd anteposuerit meritum audientium verbum Dei

maternitati

maternitati Mariæ, ſed tamen talis non eſt ſenſus horum verborum (*ait S. Bon.*) quia non ipſa dixit adverſando, ſed ſuperaddendo; & quid eſt hoc, quod ad laudem Mariæ voluit ſuperaddere? ecce myſterium digniſſimum: vult dicere *Seraph. Doct.* quòd ſuperaddidit geminando pium honorem Matris, dum meritum ad maternitatem in Matre evulgavit, taliſque fuit ſenſus Chriſti; non ſolùm beata fuit Mater, quia me Verbum portavit in ventre, ſed beatior, quia me perfectiſſimè portavit in mente, quaſi diceret; non nudè beata eſt Mater propter portationem corporalem Filii in utero, ſed quia ad hanc maternitatem virtutum greſſibus acceſſit, meritorum dotibus attigit, Matriſque gaudio ſibi propoſito fide virginitatem elegit, ſterilitatis confuſione contemptâ. *Sic ad ſenſum S. Bon. Luc. c.11. hic ſer. 1. ſir. 2. Paſchæ*; & expreſsè ante S. Bon. dixit priùs *S. Juſtinus in explicat. quæſtion. qu.133.*

§2. *Non ſufficit ad conſequendam beatitudinem perfectam audire verbum Dei, ſed requiritur obedientia, & cooperatio.*

Beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Nota hoc ſupra additum ad auditionem Verbi Dei, *& cuſtodiunt illud*, ut intelligamus, quòd ad conſequendam perfectam beatitudinem debemus non ſolùm audire verbum Dei, ſed & cuſtodire, ſcilicet obedire, exequi, & cooperari. *In Eccles c.8. Luc.c.10.v. 24.& c.11. hic. Ioan.c.5. v.40.& collat.18.ſer.1.ſer.2.Pentec.*

§3. *Portare debemus Chriſtum corporaliter, & ſpiritualiter ad beatitudinem accipiendam.*

Beatus venter, qui te portavit &c. quinimo beati, qui audiunt verbum Dei &c. Nota, quòd alludit ad duplicem portationem Chriſti, ſcilicet ad corporalem, & ſpiritualem: Beatus, ait, venter, ſcilicet corpus, quod portat Chriſtum, nempè Chriſti crucem; & ipſum crucifixum per caſtigationem, & mortificationem: beata item eſt anima, quæ ſpiritualiter portat Chriſtum, verbum ejus in ore per confeſſionem, & laudationem, in corde per dilectionem, & in manibus cuſtodiendo ipſum per operationem; ſic enim ad coronam beatitudinis pervenire poterit. *Ser.4.Dom.1.Quadrag.*

54. *Senſus verborum Chriſti: Viri Ninivitæ ſurgent in judicio eorumque myſteria enodantur in Matth.cap.12.& in Luc. cap.11.hic ſerm.3. Dom.3. Penitec.*

55. *Senſus verborum Chriſti: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus: Vide in Matth.c.6. Et aliorum: Nemo lucernam ponit ſub modio &c. Vide ſuprà in Luc.c.8.& hìc c.11.v.33.*

§6. *Intentio recta lucidum, & meritorium reddit totum corpus actionum noſtrarum.*

Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit; ſed ſuper candelabrum &c. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus; ſi oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem nequam fuerit &c. Nota, quòd hac metaphorâ pulcherrimè exprimit Chriſtus qualitatem intentionis bonæ, & malæ, ſcilicet ſub nomine lucernæ: lucerna enim, ut lumen tribuat, in alto ponitur, ſic & intentio bona in altum, & in Deum ponenda; & dicitur oculus, & lucerna, oculus in quantum à Deo illuminatur, lucerna in quantum lucidum; & meritorium reddit totum corpus, & congeriem omnium noſtrarum actionum dummodò ſint vel de ſe bonæ, vel indifferentes, & capaces lucis; ſic enim nihil terrenum, & tenebroſum remanet in nobis, quo impediatur meritum: è contrà mala intentio omnia bona deſtruit. *Op. de ſeptem itiner.æternit.itin.1 d.1.& 6. Luc.c.11.hic c.6.v.41. & c.7.v.41.& c.12.v.36.*

57. *Impii, & hypocritæ mundant quod deforis eſt, & intus pleni ſunt omni ſpurcitia: Vide in Matth. c.23.Luc.c.11.v.25.& 39* Contra ſuperbos, qui diligunt primas cathedras. *Vide in Matth. cap.12.*

§8. *Pœnitentia peccatorum eſt maximè eleemoſynarum, quæ poſſit fieri in hac vita.*

Verumtamen quod ſupereſt date eleemoſynam. Nota, quòd Chriſtus poſt reprehenſionem factam contra ſimulatores, hypocritas, & perfidos Phariſæos, eis ſubjungit remedium expurgandi tot ſcelera, ſuadens eis eleemoſynam: Undè hìc quæritur quomodo eleemoſyna habeat tantam virtutem, ut poſſit veluti baptiſmus mundare animam, cum ſola pœnitentia, & contritio id valeat? ſed reſpondetur, quòd duplex eſt eleemoſyna, alia ſpiritualis, alia corporalis; & prima eſt duplex; alia enim eſt, quæ fit in ſeipſum; alia quæ in proximum: quæ fit in ſeipſum, & in propriam animam eſt pœnitentia, de qua *Eccl.3. Miſerere anima tua placens Deo*; & de hac ſpecialiter dicit Chriſtus, Verumtamen quod ſupereſt, hoc eſt, remedium, quod reſtat, eſt, ut per eleemoſynam hanc, ſcilicet per pœnitentiam purgetis nequitiam, & ecce omnia munda erunt: aliæ eleemoſynæ ſivè ſpirituales, ſivè corporales in proximum mundare dicuntur peccata non formaliter, ſed diſpoſitivè; diſponunt enim ad gratiam, per quam mundatur tota anima. *Luc. c.11.v.41. Ioan.c.15.v.4.& collat 59.*

§9. *Eleemoſynæ effectus; & modus expendantur.*

Quod ſupereſt date eleemoſynam; & ecce omnia munda ſunt vobis. Nota, quòd in his paucis verbis Chriſtus exprimit magna: & primò dicit, quòd eleemoſyna debet dari de eo, quod ſupereſt, ſcilicet de ſuperfluis: ſecundò, quia debet ſervari modus, nempè juſtus, gratus, & pius; juſtus ſit, ut detur de ſuperfluo, quod ſit ſuum, non alienum; eſt enim veluti aqua, quæ ſi eſt munda mundat, ſi immunda coinquinat, ſcilicet ne ſit de rapinâ, furto &c. debet item eſſe modus gratus, ſcilicet oſtendendo pauperi vultum lætum, & gratum; & ſit pius, ſcilicet ſine præſumptione, & ſuperbiâ, pro Chriſto, qui eſt, qui per pauperem petit ſuum: tertiò ſubdit effectus; & ecce omnia munda ſunt vobis, quia diſponit ad gratiam, mundat reatum pœnæ, liberat à morte, defendit à pœna, & ab hoſtibus; &

mundat reddit animam. *Luc. c. 11. hic op. Dist. tit. 2. c. 7. Pſal. 39. & 48. Eccles. c. 11. Comp. Theol. lib. 5. cap. 70. Luc. cap. 21. verſ. 4. ſermon. 4. in Epiph.*

60. *Prælati curam præcipuam intendentes in defectibus minimis, & gravia relinquentes incuſantur.*

Va vobis ſcribæ & Phariſæi, qui decimatis mentam, & rutam, &c. & præteritis omne judicium Dei, & charitatem, &c. Loquitur Chriſtus contrà Phariſæos, qui ut viderentur Zelatores obſervantiæ mandatorum Dei, ad minimas obſervantias toti erant intenti, omittentes eſſentialia legis divinæ; & figurantur per hoc illi Prælati, qui ad minimas cæremonias externas obſervandas toti ſunt intenti, omittentes poſteà, quæ ſunt eſſentialia obſervantiæ divinorum præceptorum, & votorum, iſti ſunt hypocritæ peſſimi, Deoque exoſi, quia hæc oportet facere, & illa non omittere. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 3. Luc. c. 11. hic.*

61. *De ambitioſis præcedentibus primas cathedras: Vide in Matth. c. 12. Alia, quæ ſpectant ad hoc capitulum vide explicata in Matth. c. 23. in Luc. hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Chriſtus poſtquam ſuprà reprehendit duplicitatem Phariſæorum; hic conſequenter inſtituit diſcipulos ad cavendam doloſitatem, ne imitatores ſint Phariſæorum.

CAP. XII.

2. *Cavendum à fermento Phariſæorum, de quo vide in Matth. c. 10. & in Luc. c. 12.*

3. *Timiditas malè humilitas cavenda à ſervis Dei; Vide in Matth. c. 10. & in Luc. hic.*

4. *Mala temporalia non metuenda, ſed ſpiritualia damna cavenda.*

Amen dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, &c. ſed potiùs timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem animam mittere in gehennam, &c. Nota emphaſim horum verborum, quibus omnem timorem vanum, qui advenit ob amiſſionem bonorum temporalium, & corporis, excludere intendit, & imprimere timorem perdendi ſpiritualia bona animæ, ob quam amiſſionem homo in gehennam à Chriſto præcipitatur: In amiſſione temporalium non eſt, cur ſervi Dei timere debeant, cum ſint omnia tranſitoria, & caduca, ſed tantùm in amiſſione ſpiritualium, quæ ſunt æterna; & per hoc cognoſcitur quis ſit verus, & quis falſus amicus Chriſti. *Ser. 1. de S. Barthol. Luc. hic: ſer. 1. de ſanctis Phil. & Iacobo: ſer. 2. de S. Matthia in addit. ſer. 1. Tranſlat. S. Franc. in addit. ſer. 2. Dom. 22. Pentec.*

5. *De divina providentia, & confidentia in ipſam habenda ſuper hæc verba: Nonnè quinquè paſſeres, &c. ſed & capilli capitis veſtri, &c. Vide in Matth. cap. 10. Luc. cap. 12. hic & cap. 21. verſ. 18. Pſalm. 138. ſer. 3. Dom. 3. Pentec. ſer. 2. Dom. 4. Pent. ſer. 2 Dom. 22. Pent.*

6. *Reſurrectio corporum erit perfecta, in qua Chriſtus reintegrabit non ſolùm quæ ſpectant ad eſſentialia hominis, ſed & ad integritatem, & ornatum corporis*, dicente hic Chriſto, *ſed & capilli capitis veſtri, &c. ep. Comp. Theolog. lib. 7. c. 16. ſerm. 2. Dom. 4. Penteceſt. Luc. cap. 12. hic.*

7. *Cura temporalium poſtponenda curæ ſpiritualium à Prælatis & Prædicatoribus, ſed aliis committenda.*

Magiſter dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem, & reſpondit Jeſus; *Homo quis me conſtituit diviſorem, &c.* Cur Chriſtus renuit hoc officium, in quo etiam exercere poterat ſuam poteſtatem, & inter hos fratres evitare rixas: Hoc fecit Chriſtus, qui tunc intentus erat prædicationi verbi Dei, & curæ ſpirituali ſuorum ſequacium, ut doceret Prælatos, & Prædicatores, ne omittant curam ſpiritualem propter temporalia, ſed iſtorum curam debent aliis committere. *Op. de ſex Alis Seraphin. cap. 7.*

8. *Chriſti proprium eſt non dividere unita, ſed unire diviſa.*

Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem? quis me conſtituit judicem, & diviſorem ſuper vos. Vide quomodò Chriſtus dedignatur eſſe judex litium, & arbiter facultatum, & diviſor; nam ipſe venit unire diviſa, non dividere unita: diaboli autem officium eſt dividendi, & ſcindendi fraternitatem: *Luc. hic*: Nota etiam, quod in ſenſu myſtico accommodatitio poſſumus in diverſo ſenſu dicere Chriſto: Magiſter dic fratri meo: cui fratri? tibi ipſi, qui & frater noſter, & divide, ſcilicet participa nobis de tua hæreditate, quia frater es noſter, & nos filii ejuſdem Patris. *Sermon. 3. de Mortuis in addit.*

9. *Rerum temporalium abundantia non vitam prolungat: ſed abbreviat.*

Videte, & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet. Nota quod Chriſtus ſuprà admonuit diſcipulos, ut omnem doloſitatem caverent; nunc ab avaritia, & cupiditate eos expoliare volens dicit, *Videte*; quid? videte, ſcilicet ut providi, & cavete, ut cauti: videte, & aſpicite ad æterna, pro quibus eſtis creati; & cavete ab omni avaritia; Nota, quod dicit

dicit ab omni avaritia, ſcilicet quæ quærit temporalia, inhiat ad pecuniæ, potentiæ, & honoris acquiſitionem; cur hoc? quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ſcilicet quia abundantia temporalium vitam non prolongat, ſed ut plurimum abbreviat; ô nimis hoc verum! nam vita potentum, & divitum, ut plurimum eſt brevis, & dimidiant dies ſuos. *Luc. cap. 12. verſ. 14. ſeq. Pſal. 118. cap. 3. verſ. 4. Eccleſ. 5. 7.*

10. *Avaritia habet appetitum interminatum, & ſollicitudinem inquietiſſimam ſecum ducit.*

Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intrà ſe, dicens, quid faciam? hoc faciam, deſtruam, &c. Vide expoſitionem hujus parabolæ in Luc. hic. Nota verba hujus miſeri avari; ex quo enim, quod ubertimos reditus ex agris ſuis retulit, ſtatim ſollicitudo, tamquam vermis in ejus corde orta eſt, quæ ipſum non ſinebat die, noctuque quieſcere, & tandem in hoc propoſitum exiit, ſcilicet deſtruendi horrea prima, ſcilicet juſtæ neceſſitatis, quæ ſibi ſuffecerant, & nova faciendi, ſcilicet concupiſcentiæ, & ſuperfluitatis, quæ numquàm replentur, & hoc eſt proprium avaritiæ, quæ ſemper cum plura habere incipit, ſemper ampliora habere diſponit, cui non ſufficiunt jam habita, niſi adjiciat adhuc plura, & ſic in infinitum; nec mirum, quia cor avari eſt veluti fovea ſine fundo, quæ quo plus recipit, plus deglutit, ut numquàm videatur completa. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 45.*

11. *Avarus pauper, miſerabilis, & ſervus.*

Quid faciam, quia non habeo. Quid dicis ô dives? quid faciam? nonnè hæc eſt vox hominis deſperati, & miſerabilis? addis, quia non habeo? non habes? quid eſt, quod non habes? nonnè domus tua, & ipſius promptuaria plena ſunt omnibus bonis temporalibus? ergo tu es pauper, & miſerabilis? reſpondes, quia non habeo quo congregé bona & meos redditus opulentos; ſed quâ veritate hoc potes dicere, cum tibi nec agri, nec domus, nec palatia deſint? ô nimis verum! & benè dicit quid faciam, quia hæc eſt vox, hic Pſalmus avarorum; Avarus enim miſerabilis eſt, quia non eſt Dominus, ſed veluti captivus, & ſervus ligatus, ſervus inquam divitiarum; benè dicit non habeo; ſcilicet id, quod habeo nihili æſtimo, ſed aſpicio ad ea, quæ non habeo, ad hæc inhiat cor meum, nec aliud cogitare valeo; quia avaritia reddit hominem pauperrimum, miſerabilem, & inſatiabilem: ô grande malum! miſerabilis tinea avaritia! *Op. Diat. tit. 1. cap. 6.*

12. *Ex divitiarum affluentia innumera mala prodeunt.*

Anima mea multa bona habes poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Vide quid ex tanta divitiarum copia exhauſit iſte miſer: primò ſecuritatem vanam longiſſimæ vitæ: ſecundò, *requieſce*, ſcilicet orta eſt negligentia in Dei ſervitio; *comede*, vitium gulæ; *epulare*, ſcilicet præcipitia luxuriæ. *Luc. cap. 12. hic & cap. 17. verſ. 28. ſermon. 1. in die Cinerum.*

13. *Amor divitiarum ſtultum reddit hominem.*

Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, &c. Cur ſtultus appellatur à Deo iſte dives? quomodò ſtultus, qui tantam providentiam in ſuis rebus oſtendit? optimè dicit ſtulte; nam amor nimius divitiarum, & avaritia reddit hominem ſtultum, quia non videt præſentia mala, in quibus jacet, nec futura, quæ ſibi imminent. *Op. Diat. tit. 1. c. 6. Luc. hic.*

14. *Avari, cum dixerint pax, pax, & ſecuritas, tunc eis repentinus ſupervenit interitus.*

Stulte hac nocte animam tuam repetent à te. Eccè quàm vera propoſitio Apoſtoli 1. *Theſſ. c. 5: Impii cum dixerint pax pax, & ſecuritas, tunc eis repentinus ſupervenit interitus*, ſic accidit huic miſero, dum ſecuritatem vanam ſibi promittebat, & longam vitam, dum credebat vivere impoſterum in bonis paratis deliciando, ecce repentina mors, & damnatio: ô quot huic ſtulto ſimiles, & miſerabiles. *Luc. cap. 12. hic Diat. tit. 1. c. 6.*

15. *Nulla ſecuritas, & certitudo temporis in hac vita.*

Stulte hac nocte, &c. Vt videas, dum ſe diù credebat vivere, ſtatim mors ei abſtulit omnes dies, & tempus ſibi in ſuo cerebro præfixum; ut diſcamus, quod nulla ſecuritas eſt in hac vita, nec certitudo ulla vitæ. *Luc. cap. 12. ibid. & cap. 17. verſ. 27. ſermon. 3. in die Cinerum.*

16. *Stultitia avarorum qualis in laborando ſine fructu pro aliis, & extraneis.*

Quid faciam, &c. deſtruam horrea mea, &c. & quæ paraſti cujus erunt? Ecce vana ſollicitudo avari ubi terminat? & quæ paraſti tot laboribus, anxietatibus, ſollicitudinibus ſine ulla requie, cujus erunt? quaſi dicat: Ecce qualis ſtultitia iſtorum, qui numquam laborare ceſſant; & hoc non pro ſe, ſed pro aliis, & ut plurimum pro extraneis, quibus juſto Dei judicio contigit perfrui fructu laborum iſtorum impiorum; ô ſtulte, ait Chriſtus, & quæ paraſti, non tibi eleemoſynas largiendo, & ea in Cœlo theſaurizando, ſed in damnationem tuam, cujus erunt. *Ser. 2. de Æternis: In Luc. c. 12. hic.*

17. *Avarus dives congregat temporalia in damnationem animæ ſuæ ; Dives miſericors in ſalutem ſuam.*

Sic eſt, qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives. Quid eſt in Deum dives ? Nota, quòd hîc innuit qualis congregatio bonorum temporalium ſit peccaminoſa, & qualis meritoria : qui enim bona ſua, ſeu redditus ſuos congregat ſolo ardore habendi, vel ut penuria procuretur, & res procuratæ poſtea cariùs vendantur, & iterum pretium reponatur, & hoc ſit in materia magna, & eſt cauſa, quòd generaliter penuria adveniat, iſte peccat mortaliter, & eſt in diabolum dives, ut patet de iſto divite, qui hac ſolâ causâ damnatus eſt : Qui verò congregat, ut diſpenſet loco, & tempore congruo, & maximè pauperibus, iſte eſt dives in Deum. *Op. ſpec. animæ cap. 2. ad finem. Luc. hîc. ſerm. 1. de plur. Confeſſ.*

18. *Dives in Deum quis propriè ſit, & quis in diabolum.*

Qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives: Nota, quòd hîc exprimit, quis ſit in Deum dives, & quis in diabolum : In diabolum eſt, qui divitem ſuprà dictum imitatur, qui totum cor habet immerſum in temporalibus, & Deum à ſe projicit : Dives in Deum eſt, qui contemnit omnia temporalia, & theſaurizat bona ſpiritualia, & virtutum theſaurum, ſcilicet dives in Deum, ideſt apud Deum, qui ſoli Deo placere ſtudet, qui in Deo omnem ſpem, & amorem defigit, qui in Deo totus conquieſcit, ut ab eo beetur, eoque in æternum perfruatur ; qui item per eleemoſynam, aliaque opera bona, multa merita, & præſidium apud Deum, quaſi reconditas divitias habet, & indè majores recondit omni virtute abundans. *Sic Gloſſ. S. Aug. Ambroſ. &c. ſer. 1. de plur. Confeſſ.*

19. *De providentia Dei & confidendo in ipſam : de duobus Dominis, quibus non poteſt homo ſervire : Vide in Matth. c. 6. & in Luc. hic c. 12. à n. 22.*

20. *Explicantur verba Chriſti : Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro &c.* Nota, quod Chriſtus iterum totus eſt in perſuadendo abjectionem ſollicitudinis in temporalibus per promiſſionem ſuperexcellentis præmii : Nolite, ait, timere puſillus grex ; cur dicit ſuos puſillum gregem, cum innumerabilis ſit multitudo ſalvandorum, ut dicit. *Ioan. Apoſt.* ſed attende ad multiplex myſterium : puſillus grex dicitur primò in comparatione malorum, quia multi ſunt vocati, pauci electi : ſecundò ratione modicitatis, & humilitatis, quam ſequaces Chriſti profitentur, & per quam evehuntur ad regnum : tertiò propter paupertatem voluntariam, ob quam omnia terrena abjecerunt, ut ſpiritualia adipiſcerentur ; in iſtis autem Deus complacet, & delectatur & iſtis paravit regnum Cœlorum, in quo eos conſtituit reges nobiliſſimos. *Luc. hic & capit. 8. verſ. 10. & capit. 16. verſ. 16. ſermon. 1. Dom. 14. Pentecoſt.*

21. *De renuntiatione faciendâ temporalium ; de eleemoſyna faciendâ, ejuſque fructibus vide in Matth. c. 6. & c. 19. Luc. hic op. de Paup. Chriſti q.ª. 2.*

22. *Ad ſanctam ſollicitudinem, & fructuoſam invitat Chriſtus ex conſideratione duplicis adventus ejus.*

Sint lumbi veſtri &c. Nota, quòd Chriſtus poſtquam revocavit ſuos ſequaces à ſollicitudine avaritiæ, ne quis crederet à nobis velle omnem ſollicitudinem amovere à corde, invitat nos ad ſollicitudinem ſanctam providentiæ virtuoſæ, & hoc ex conſideratione duplicis adventus ſui ; & primò ex adventu ad terribile judicium, dicens *ſint lumbi veſtri præcincti &c. nè cum venerit &c.* ſecundò ex adventu ſuo jam facto in carnem, qui fuit amabilis, dicens *ignem veni mittere &c.* excitare nos volens ad timorem, & amorem, & ad præparandum nos exercitio operum bonorum. *Luc. c. 12. v. 55.*

23. *Quid ſit lumbos præcingere, & lucernas tenere in manibus ; & quare hoc Evangelium legatur in feſtis Confeſſorum.*

Sint lumbi veſtri præcincti, & lucerna &c. Nota, quòd hoc Evangelium legitur ab Eccleſia in feſtis Sanctorum Confeſſorum, quia in ipſo continentur eorum præcipuæ laudes ; nam lumbos præcinctos habere eſt carnis luxuriam per continentiam præcingere, & coarctare ; lucernas autem in manibus tenere, eſt per bona opera noſtra proximis noſtris lucis exempla monſtrare, & hoc rectâ intentione, & purâ in Deum : ad hoc autem, ut totum fiat cum debita diligentia, & ſollicitudine, proponitur expectantium Dominum ſuum ſollicitudo ; *& vos ſimiles expectantibus Dominum ſuum &c.* Et hinc triplex commendatio Sanctorum Confeſſorum hîc innuitur : prima reſpicit declinationem mali in præcinctione lumborum, ſcilicet carnalis contactus cingulo caſtitatis ; lumborum carnalis affectus cingulo virtutis ; & lumborum carnalis cogitatus cingulo veritatis, ut ſit caſtitas in corpore, in voluntate, & in mente : ſecunda reſpicit operationem boni in portatione lucernarum, nempè lucernæ rectæ intentionis, veræ prædicationis, & honeſtæ, ſanctæque converſationis : tertia quantum ad expectationem optimi ad ſimilitudinem hominum expectantium Dominum ſuum, ſcilicet ſollicitum ambulando cum Domino, quia expectandus eſt Chriſtus à ſuis ſervis fidenter, gaudenter, & vigilanter cunctis diebus vitæ noſtræ ; & in his tribus Sancti Confeſſores mirabiliter eluxerunt in vita ſua, & hoc eſt, ad quod invitamur inceſſanter ; ſic enim verificabitur id, quod dicitur *Mich. cap. 6.* Quid eſt, quod Dominus requirit à te ô homo ; Utique facere judicium, ideſt reſpectu tui, & facere miſericordiam, ideſt reſpectu proximi, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo, ideſt reſpectu Dei ; per quæ comprehenditur tota vita ſancta juſtorum. *Luc. cap. 12. hic op. Diat. tit. 4. capit. 4. & tit. 2. capit. 4. Pſalm. 108. Luc. capit. 11. verſ. 34. & capit. 6. verſ. 16. ſerm. 3. in Epiph. ſerm. 2. de pluribus Confeſſ.*

Confeſſ. in fine : ſerm. 2. de una S. Virg. Nota autem, quod Chriſtus hic alludit ad ritum Orientalium, qui induebantur veſtibus longioribus, quas iter facturi, ut eſſent expediti ad iter, vel ad miniſterium præcingebant.

24. *Incertitudo diei mortis ſollicitum debet reddere in Dei obſequio.*

Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, &c. & ſi venerit in ſecunda vigilia, &c. Nota, quod in his verbis unum certiſſimum nobis inſinuat, aliud incertiſſimum : certiſſimum eſt, quod quilibet homo moriturus eſt, & quod Dominus veniet ad judicandum nos ſecundùm opera noſtra bona, vel mala, ad præmiandum, vel puniendum : incertiſſimum eſt tempus, quo veniet Deus judex ad id exequendum, ſcilicet an ſero, an nocte, an mane ; ideò intendit per hoc nos ſollicitos, & ſimul vigilantes reddere in Dei obſequio, ne cum venerit Dominus nos torpentes, & dormientes inveniat ; quocirca docet totam vitam Chriſtiani nihil aliud eſſe, quàm expectatio Chriſti, ut eum liberet ab hac vita miſera, eumque conducat ad ſuum in Cœlis regnum, & gloriam æternam ; unde vita noſtra debet eſſe veluti peregrinantium, & adſpirantium ad perveniendum ad patriam, & talis fuit ſemper vita ſanctorum. *Ser. 5. in die Cinerum. ſer. 2 Dom. 7 Pentec. op. de ſex Alis Seraph. c. 8. ſerm. 4. Dom. 1. Adventus.* Obiter autem hic ſubjiciendum exiſtimo id terribile, quod refert Sancta Birgitta *Lib. 4. Rev. c. 7.* Nempè in Purgatorio eſſe locum ſuperiorem, ubi nulla alia pœna eſt, niſi deſiderium perveniendi ad Deum, ejuſque viſionem ; atque ibi hoc deſiderio torqueri eos, qui in hac vita non habuerunt perfectum deſiderium perveniendi ad Dei præſentiam, ejuſque viſione fruendi ; *idem & Beda ; S. Gregor. Dyon. Carruſ., Bellarmin.* Eſt enim quædam indignitas, & quaſi vilipenſio tantæ viſionis, & gloriæ Dei, quod non ardenter à fidelibus, & ſanctis deſideretur, ac ſignum, quod ejus opes, & gaudia non ſatis conſiderentur, & penetrentur, ubi par eſt.

25. *Solùm vigilantes admittuntur ad menſam Euchariſtiæ, & regni Cœlorum.*

Beati illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Ecce quinam ſunt, qui certiſſimè admittuntur ad menſam cœleſtis patriæ, & etiam Sacræ Euchariſtiæ, nempè vigilantes, non errantes per devia hujus mundi, ut ſunt imprudentes, & improvidi, non dormientes in cœno vitiorum, ſed vigilantes, nempè qui præcingentes lumbos per caſtigationem corporis, & caſtitatis obſervantiam, & exercitium bonorum operum cum recta in Deum intentione, ſemper vigilant expectando Dominum ; iſti enim introducuntur continue, & digne in hac vita ad menſam Euchariſtiæ, & gratiæ, donorumque Spiritus Sancti, & hinc in gloria ad aliam regni Cœlorum cum Angelis admittuntur. *Pſal. 118. c. 9. v. 15. op. Comp. Theol. lib. 6. c. 16. Pſal. 80.*

26. *Ad vigiliam nos multipliciter invitat Dominus.*

Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. Vide quantum æſtimat Dominus vigilantes, nam iſtis ſolis datur corona ; ad hanc vigiliam autem invitat Dominus, tum proponendo periculi præviſionem, tum maximum præmium præparatum vigilantibus ; *Beati ſervi illi*, ait, *quos cum venerit, &c. In Luc. c. 9. verſ. 32. & cap. 19. verſ. 38.* Nota autem, quod hæc vigilantia, quam à nobis exquirit Deus conſiſtit in duobus, ſcilicet in declinando ſollicitè à malo, & in ſollicitè bonum faciendo : nam malum dimittere, & bonum facere ſunt duæ partes juſtitiæ, quibus pervenitur ad beatitudinem viæ, & patriæ. *Sermon. 7. de Apoſtol.*

27. *Vigilia, quam in ſuis ſervis exquirit Dominus eſt ad modum militum excubias facientium.*

Beati ſunt ſervi illi ; quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes ; & ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia venerit, & ita invenerit, &c. Nota, quod hic in medium ponit Chriſtus vigilias militum excubantium in cuſtodia Civitatum, & munitionum, qui in tres, vel quatuor partes, ſeu vigilias dividebant noctem ; & per hoc dat intelligere, quod ſui ſequaces ſunt milites, qui in prima vigilia pueritiæ in ſecunda, & tertia, quæ eſt juventutis, & adoleſcentiæ, & in ultima, quæ eſt ſenectutis debent vigilare, & omni cuſtodia, & ſollicitudine operari bonum, ne Dominus veniens eos dormientes inveniat ; ponit autem omnes iſtas vigilias ; ut intelligamus, quod Chriſtus in quocumque tempore promptus eſt acceptare noſtra obſequia, ſed maximè tamen illi placet prima vigilia, & ſecunda, quæ eſt pueritia, & adoleſcentia, *Luc. cap. 12. hic ſermon. 4. Dom. 1. Adv. ſermon. 2. de Confeſſ. in addit.* Notant autem hic Doctores, quod nullam mentionem facit Chriſtus de quarta vigilia, ob raritatem eorum, qui differentes pœnitentiam uſque ad ſenectutem, perfectè convertantur. *Sic & S. Bonavent.*

28. *De hac parabola vide quæ dicta ſunt in Matth. cap. 24.*

29. *Semper paratos vult Chriſtus ſuos ſervos ad adventum ipſius.*

Eſtote parati, quia qua hora non putatis Filius hominis veniet. Nota, quod hæc dicebat Chriſtus ſuis diſcipulis, ut ejus ſervi in continuo ſtudio placendi Chriſto ſe exerceant, & ſe gerant ac ſi in proximo ad tribunal ipſius ſint præſentandi ; qui enim ſic vixerit ſecurus erit in quacumque hora venerit Chriſtus ad ipſum judicandum. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 8.*

Digitized by Google

30. *Confuſio maior erit in Chriſtianis præſcitis in judicio, quàm in infidelibus.*

Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit ſe, &c. vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Ecce diſcrimen inter eos, qui fidem habuerunt, & non ſecundùm fidem operati ſunt, & alios, qui fide caruerunt; nam primis Deus flagella multa, & maxima immittet in hac, & alia vita, iſtis autem minora, & ideò major confuſio erit in judicio Chriſtianorum malorum, quàm infidelium. *Sermon. 4. Dom. 4. poſt oct. Paſcha. ſermon. 2 Dom. 21. Pentec. ſermon. 2. de nno Mart. Luc. cap. 10. verſ. 13. opuſc. Comp. Theol. lib 2. c. 25.*

31. *Chriſtus venit in terram novos Angelos fabricaturus ſcilicet Seraphim.*

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur. Si Chriſtus portavit ignem à Cœlo, quomodo dicit volo, ut accendatur? ſi ignis eſt, ergo accenſus: quomodo denuò vult, ut accendatur: & ad quid? Sed attende ad myſterium: Venit Chriſtus in terram, ut ibi plantaret Eccleſiam ad ſimilitudinem triumphantis; & quia in Cœlo potiſſimum locum obtinent Seraphim, ex quibus deſcendunt omnes illuminationes ad inferiores ordines Angelorum: Hinc Chriſtus venit in terram illo eodem igne cœleſti onuſtus, quo ardent Angeli in Cœlis, ut tali igne, & gratiæ divinæ virtute fabricaret novos Seraphim, ut ſic complerentur in Eccleſia militante omnes ordinationes divinæ. *Opuſcul. Eccleſ. Hier. p. 1. capit. 1. opuſcul. de ſeptem itiner. æternit. itiner. 4. d. 2. artic. 2. Luca capit. 24. verſic. 32. ſermon. 7. Dom. 1. Adv. Idem & notavit D. Bernard.*

32. *Charitas, & gratia Spiritus Sancti igni rectè comparatur.*

Ignem veni mittere, &c. Nota, quod nomine ignis venit charitas, & gratia Dei, habet enim proprietates ignis: ignis virtuoſior eſt omnibus elementis, & charitas efficacior omnibus virtutibus: ignis ardet, & lucet, & charitas ardet in homine per affectum, & lucet per exemplum: Ignis frigidum ferrum accendit, & etiam carbonem extinctum; ſic charitas expellit ab anima frigus peccati, & mortem culpæ: ignis in cinerem res reducit, & charitas redigit hominem in cinerem humilitatis: ignis ſemper tendit ſurſum, & charitas elevat animam in Deum: ignis ſemper eſt in motu, & charitas ſemper ſe exercet in aliquo actu bono: ignis aufert rubiginem à ferro, & charitas tollit rubiginem peccati, & ſcorias cupiditatum terrenarum, & ſic ſecum affert deſcenſum Spiritus Sancti in animam. *Opuſcul. Diet. tit. 5. cap. 2. & tit. 10 cap. 2. ſerm. 8. & 10. Pentec. in ſup. cap. 5. Ioan. collat. 29. Pſal. 25. ſermon. 2. de S. Martino in addit. & Diet. tit. 4. capit. 2.*

33. *Ignis divinus obedientem animam reddit, & amplecti facit ardenter crucem, & tribulationes.*

Ignem veni mittere in terram, &c. Ad quid portavit Chriſtus è Cœlo ignem cœleſtem? ſed nota: Chriſtus venit in hunc mundum, ut ſe ſubjiceret tentationibus, pœnis, flagellis, crucibus, & morti; hoc idem voluit in ſuis ſequacibus, ideo dixit, quod venit in terram, & portavit ignem, ut ipſo accenſo homines ardenter quærerent cruces, tribulationes, & mortem pro ipſo; & ad hoc miſit Spiritum Sanctum in ſuos diſcipulos. *Serm. 3. fer. 2 Pentec. ſerm. 2. de plur. Confeſſ. op. medit. capit. 39. Luc. cap. 3. v. 21. & capit. 12. hic.*

34. *Chriſti Ieſu ardentiſſimum deſiderium effundendi ſanguinem expenditur.*

Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur? Quiſnam baptiſmus tam à Chriſto concupitus? nonnè jam à Joanne baptizatus fuerat? ô metamorphoſim amoris, & charitatis Chriſti? venerat plenus igne è Cœlo, & ideo accenſus hoc igne ad Paſſionem, & ſanguinis effuſionem pro nobis inhiabat, & hoc cum tam ardenti deſiderio, ut ſibi baptiſmum, & refrigerium hoc reputaret; ideò Paſſionem ſuam baptiſmum appellat non ſibi, ſed nobis, quia ipſo ſanguine Chriſti nos à peccatis purificamur; totum enim erat ab ipſo ordinatum ad noſtram ſalutem; ideo dicit coarctor, ſcilicet angor, crucior ex deſiderio moriendi pro ſalute hominum, & per hoc ignem iſtum accendendi. *Luc. c. 3. v. 16. & c. 12. hic.*

35. *Chriſtus adverſarius noſtræ carnalitatis*

Cum autem vadis cum adverſario tuo ad Principem in via, &c Quis iſte adverſarius in via? hic eſt Chriſtus Ieſus, ejuſque ſermo divinus, qui ſemper eſt adverſarius noſtris carnalitatibus, darque intelligere, quod homo, dum eſt in via, debet conari liberari ab ipſo implendo promiſſa, & timendo comminationes; qui autem hoc facit, ſecurus erit ab adverſario in judicio. *Ser. 1. Dom. 16. Pentec. Luc. hic.*

ARGU

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod ſuprà Chriſtus redarguit negligentiam reſpectu gratiæ cognoſcendæ: hic redarguit negligentiam reſpectu pœnitentiæ faciendæ, quod facit ex exemplo auditò aliquorum Galilæorum caſorum à Pilato, & aliorum oppreſſorum ruinâ Turris Siloe; & deindè parabola ficûs infrugiferæ, ideòque ſuccidendæ: deindè ſanat mulierem inveteratam in curvitate; poſteà affert parabolas grani ſynapis, & fermenti, & ex his infert paucos ſalvari, & ipſum paſſurum in Ieruſalem: De grano ſynapis, & fermento actum eſt in Matth. c. 13. De paucitate ſalvandorum ibid. c. 7.*

CAP. XIII.

2. *Explicatur litteraliter id, quod aſſeritur hic ab Evangeliſta de occiſis à Pilato, & ſub ruina Turris Siloe.*

Aderant autem quidam ipſo in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem, &c. Nota ad litteram, quòd tunc temporis quidam ſurrexit de Galilæa faciens ſe Meſſiam in lege promiſſum, & multi de Galilæis ipſum ſequebantur, quibus aſſignaverat diem, quo aſcenſurus erat in Cœlum, videntibus illis de monte Garizim: Pilatus autem timens aliquam ſeditionem ſupervenit cum copia militum in actu ſacrificii, eoſque omnes occidit: ſimiliter & poſt hunc extitit Judas Galilæus, qui ſeduxerat multos, quos itidem Pilatus occidit omnes: in hoc etiam tempore Turris juxta Siloe ædificata cecidit, & ex improviſo oppreſſit decem, & octo Jeroſolymitas. *Luc. c. 13. v. 1. ſeq.*

3. *Prædicatores, & ſervi Dei exemplo Chriſti ſumant ex exterioribus accidentibus, & maximè cladibus, & publicis flagellis motivum inducendi homines ad pœnitentiam.*

Aderant quidam nunciantes ei de Galilæis, &c. & reſpondens Ieſus dixit illis: Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt, non dico vobis, ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Ecce quid infert Chriſtus Ieſus ex narratione hujus cladis publicæ, duo præcipuè infert: primò quod iſti occiſi non fuerunt peiores multis, qui impuniti remanſerant, docens ex hoc, quod non debemus judicare ab exterioribus flagellis majorem nequitiam in flagellatis, ſed totum remittere in obſequio judiciorum Dei; & ſecundò hinc infert, quòd ex his exemplis quiſque debet motivum ſumere agendi pœnitentiam, quod eſt, quod intendit Deus, ex cladibus publicis: undè cum audis, quod alius ſuſpenditur, alius ſubmergitur, alius leprâ inficitur, alius cæcitate percutitur, judicare non debes, quod ipſi plus te peccaverint; nam fortè tu centies plus peccaſti; Idem & quando audis aliquem juſtum pœnitentiam agentem, patientem pro Chriſto, ne putes ipſum plus te peccaſſe, ſed ex his exemplum ſume, quòd niſi pœnitentiam egeris, tu æternaliter parieris: & quia Pilatus diabolum, Chriſtum turris ſignificat, ex hoc intelligamus, quod qui pœnitentiam non agit, jugulabitur à diabolo ſpiritualiter, & opprimetur à Chriſto æternaliter. *Sermon. 3. Dom. 3. poſt Pentec. Ioan. cap. 5. verſ. 9. Luc. cap. 13. hic.* Diſcant hic Concionatores, & ſervi Dei; dum ipſis enarrantur clades publicæ, bella, &c. ſunt exſtimulandi auditores ad pœnitentiam: ſimiliter & dum eis contigit concionem habere occaſione alicujus publicè condemnati ad mortem ob ſua ſcelera, &c. hoc enim poteſt eſſe thema valdè aptum.

4. *Omnes ſimiliter peribitis, ſicut illi decem, & octo ſuprà quos cecidit turris in Siloe.* Nota, quòd *S. Bonavent. in textu ſuper Luc.* Ponit cauſas; quare homo perit ſpiritualiter, & effectus peſſimos provenientes ex neglectu pœnitentiæ; & cauſas quare Deus immittit flagella hominibus, ut videri poteſt in textu: *Luc. hic.*

5. *Nota, quod ad v. 6. & ſeq. Chriſtus proponit parabolam de ficu infructuoſa excidenda, in qua metaphora notatur negligentia hominum in non fructificando, rigor ſententiæ divinæ in comminando excidium, & neceſſitas pœnitentiæ in remediando, & evitando ſupplicium comminatum, quæ omnia fusè S. Bon. exponit in comment. ſuper textum: Luc. hic.*

6. *Homo habens multa verba bona, ſed nullos fructus, infructuoſa ficus.*

Arborem ficî habebat quidam plantatam in vineâ ſuâ, & venit quærens fructum in illa, & non invenit, &c. Nota, quòd per hanc parabolam Chriſtus reprehendit negligentes in agendo pœnitentiam; & optimè eorum perfidiam exprimit ſimilitudine ficus infructuoſæ: quia primò ficus habet folia multa, & magna, & ideo potiſſimè arguitur negligentia illius, qui magna habet verba, verbis bonis, & pulchris abundans, ſed nullos fructus pœnitentiæ gignens: ſecundò ficus habet folia manui ſimilia, & ſignificatur ille, qui alios ad operandum invitat, cum ipſe nihil operetur (quales ſunt plures Prædicatores, & Parochi,) tertiò fructus ficus ſunt ſuaves; ideo merito illius negligentia arguitur, qui ità virtutis ſtadio tam dulci deficit. *Luc. c. 13. hic ſer. 1. & 2. Dom. 7. Pentec.*

Digitized by Google

7. *Per tres annos expectat Chriſtus pœnitentiam à nobis.*

Ecce tres anni ſunt, ex quo venio quærens fructum, &c. Nota, quod non ſine myſterio dicit tres anni ſunt; quia licèt ſex ſint, hominis ætates, infantia, puericia, adoleſcentia, juventus, virilitas, ſeu ſenectus, & ſenium, tamen ſolùm tres veluti annos ſpecificat, in quibus quærit fructum ab homine, nam in prima ætate non quærit fructum, in ſecunda verò tantum aliquales, at in adoleſcentia, & juventute maximè quærit, & expectat fructus ab homine; & ſi quæras cur non facit mentionem de ſenectute: reſpondetur, quod licet ſit paratus recipere opera bona etiam in ſenectute, tamen quia paucisſimi ſunt qui differentes ad tale tempus pœnitentiam verè, & perfecto corde pœniteant, ideò veluti rem perditam, & deſperatam, ſenecturem omittit: Caveat ergo homo, ne adoleſcentiam, & juventutem perdat dans annos ſuos diabolo, quia ſæpè ſuper ipſos fulminatur hæc divina ſententia, ſuccide ergo illam, ut quid terram occupat; ô quot juvenes à morte præripiuntur ob ſuam ipſorum malam vitam. *In Luc. hic: ſermon. 1. & 2. Dom. 7. Pentecoſt.*

8. *A Religione ejiciantur, & ſuccidantur ficus infructuoſæ.*

Succide ergo illam, ut quid terram occupat? Nota hæc ultima verba, terram occupat, ſcilicet non ſolùm illam terram inutiliter, in qua eſt plantata, ſed etiam aliam terram ſuâ umbrâ inutili lædit; & per hoc dat intelligere qualis ſit in Religione illa ficus, quæ debet ſuccidi, & ejici à ſocietate aliorum, nempè ille Religioſus, qui publicè eſt ſcandaloſus graviter, nec recipit debitam correctionem, vel ſictè recipit, quia non emendatur, & alii ex eo fiunt deteriores, vel ſcandalizantur de ipſo, vel imitari eum incipiunt, ſi vident eum impunè peccare, volentes ſibi ſimiliter parci; quid reſtat niſi ut ovis morbida abjiciatur, & membrum putridum præcidatur, ne ſana inde inficiantur, & corrumpantur; ſuccidite ergo hanc ficum infructuoſam terram occupantem ô Prælati. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 7.*

9. *Quales fructus à ficu plantata in ſua vinea quærit Chriſtus.*

Ex quo venio quærens fructum. Quem fructum, & à quo? à ficu plantata in vinea mea ait Chriſtus, à diſcipulis, & ſervis meis', à quibus quærit fructus ſuaves pœnitentiæ, ſuavitates juſtitiæ, & exercitio virtutum, & ſuaviſſimos ſapientiæ, & contemplationis: fructus pœnitentiæ gignuntur reſecatione ſuperfluitatis, mortificatione carnis, & purificatione mentis, & hoc eſt incipientium: fructus juſtitiæ inchoantur, & ſeminantur concordiâ, miſericordiâ provehuntur, patientiâ conſervantur, & perſeverantiâ colligantur, & hoc eſt proficientium: fructus ſapientiæ eſt perfectorum verè ſpecioſiſſimus ad videndum, fragrantiſſimus ad odorandum, ſapidiſſimus ad deguſtandum, pretioſiſſimus ad poſſidendum, & ſempiternus ad perdurandum. *In Lucam capit. 13. hic.*

10. *Prædicatoris munus eſt providere, ne ficus infructuoſæ ſuccidantur, & anima ad ignem æternum projiciantur.*

At ille reſpondit, dimitte illam, & hoc anno uſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, &c. Nota, quòd hic exprimitur munus Prædicatoris, & Prælatorum, qui videntes in ſua vinea arbores infructuoſas, & in periculo damnationis æternæ debent fodere circa illas, & mittere ſtercora, ſcilicet increpando peccatores, eiſque manifeſtando ſtatum miſerrimum, in quo ſunt, circumſtantias ſuorum peccatorum, maximè carnalium, imminens periculum damnationis, ut ſic convertantur ad Deum; quòd ſi ad hæc non proficiunt, nihil aliud expectare poſſunt, niſi ſententiam divini judicii. *In Luc. hic: opuſc. ſpec. anima in Præfat. ſermon. 2. Dom. 4. Epiphan. Pſal. 112.*

11. *Dei patientia in expectando peccatores, & tolerando eos inter bonos.*

Domine dimitte illam & hoc anno, &c. Vide hic typum patientiæ Domini Jeſu in tolerando arbores infructuoſas in vinea ſua, & hoc ut diligentiâ, & opere Prælatorum fiant fructuoſæ & tandem in horreum Domini colligantur. *Ser. 2. Dom. 4 Epiph.*

12. *Annus probationis in Religionibus aſſignatur à Chriſto, ut induſtriâ Magiſtrorum arbores infructuoſæ fiant utiles, & fructuoſæ.*

Domine dimitte illam & hoc anno, & fodiam circa illam, & mittam ſtercora, &c. Nota, by; hoc anno: ergo unus annus tantùm aſsignatur? cur non duo anni? Attende, quod myſticè hoc ordinatur ad inſtituta ſancta Religionum, quibus unus annus integer probationis aſsignatur Novitiis intrantibus in Religionem, ut ipſi experiantur afflictiones Religionis, & obſervantias; & in hoc tempore Magiſtri deputati fodiant circa ipſos, & mittant ſtercora, ſcilicet exerceant eos, admoneant, doceant, & in imo humilitatis eos ſtabiliant, ut finito anno poſsint fructus dignos producere. *Opuſc. Expoſ. Regulæ cap. 2.* Et hinc infertur etiam in quali periculo ſe ſubjiciant Novitii non proficientes, nec ex tot auxiliis fructum reportantes, ſed retro revertentes, nam illi ſententiæ divinæ, *Succide ergo illam, ut quid terram occupat,* ſe certò ſubjicient.

Digitized by Google

13. *Ad ſenes in malo inveteratos dirigun-tur hæc verba Chriſti.*

Domine dimitte illam & hoc anno. Quo anno? hoc anno ideſt in tempore ſenectutis in malo inveteratæ; in quo relucet etiam divina longanimitas expectans eos etiam alio anno ad pœnitentiam: Audiant hoc ſenes illi iniqui, qui curſum vitæ ſuæ in peccatis duxerunt. *Luc. c.13. hic.*

14. *Miraculum liberationis mulieris incurvatæ; quæ omnia erogaverat in medicos. factum à Chriſto cum ſuis circumſtantiis exponitur à Seraphic. Doct. hic c.13. v.11.*

15. *Avaritia, cupiditas, & omne peccatum mortale reddit hominem ad terram incurvatum, & graviter infirmum.*

Et ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis decem & octo annis, &c. Nota illud verbum, ſpiritum infirmitatis, ſcilicet hæc infirmitas fuerat cauſata à diabolo, & hæc ſignificat ſpiritum avaritiæ, & cupiditatis terrenæ, quæ ad terram ſemper facit aſpicere, non ad Cœlum, taliſque eſt omnis anima exiſtens in peccato mortali, quæ dicitur infirma quoad poſſe, & in opere, inclinata quoad velle, nec ſurſum reſpicit quoad noſſe; & ideo diabolo ſubjecta, nec ſine manu Dei poteſt liberari. *Serm. 1. Dom. 23. Pentecoſt. ſermon. 3. Dom. 3. Quadrag. Pſalm. 118. verſ. 81.*

16. *Zelus indiſcretus ſine ſcientia eſt ſimulatorum.*

Reſpondit autem Archiſynagogus indignans, quia ſabbatho curaſſet Ieſus, dicebat turbæ, ſex dies ſunt, &c. Vide zelum indiſcretum, & ſine ſcientia hujus Archiſynagogi, qui ſub ſimulatione zeli obſervantiæ Sabbathi reprehendit curationem factam à Chriſto in illa muliere infirma; & hæc eſt propriè oſtentatio ſanctitatis, & verè ad ſimulationem ſanctitatis, & obſervantia ejus erat magis ad ſuperſtitionem, quàm propter devotionem; & hoc patet ex eo, quod reſpondit Chriſtus, quod non aſpiciebant ad obſervantiam Sabbathi, dum de re temporali agebatur: ſi quot ſimiles ſunt in Eccleſia, & quod pejus eſt, plures Prælati! *Luc. c.13. hic.*

17. *Infelicitas quanta Chriſtianorum, qui ſolliciti ſunt de re temporali, non de ſpirituali.*

Hypocrita, cujus veſtrum aſinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum, etiam in die Sabbathi? Vide quo argumento inelucta-bili Chriſtus confundit hypocriſim Archiſyna-gogi, & aliorum, & etiam multorum Chri-ſtianorum, qui, dum agitur de re temporali, de neceſſitate corporis non habetur reſpectus nec ad feſtos dies, nec ad expenſas, ſed dum agitur de extrahendo animam de puteo peccati de manu diaboli, nihil fit. *Ser. 4. Dom. 3. Adv. Luc. c.13. verſ. 16.*

18. *Chriſti manus ſolvit à vinculis peccati hominem jam à diabolo alligatum.*

Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Sathanas, non oportuit ſolvi à vinculo iſto? Vide quàm miſericors Dominus, qui totus erat in ſol-vendo alligatos peccatores à diabolo; verè enim per peccatum diabolus ligat hominem, in pedi-bus, in lingua, in collo, in manibus, ne ali-quid boni faciat; ſed adveniens Chriſti miſeri-cordia totum ſolvit, & liberum per ſuam gra-tiam dimittit. *Ser. 2. Dom. 11. Pentec. ſer. 3. Dom. 12. Pentec. ſerm 1. Dom. 17. Pentec. ſerm. 1. de S. Fran-ciſco in addit. Luc. cap. 23. verſ. 54. & cap. 13. hic.*

19. *De grani ſinapis myſteriis vide in Matth. c.13. & de fermento, quod acceptum mulier abſcon-dit, &c.*

20. *Plures ſunt qui damnantur, quàm qui ſalvi fiant.*

Ait illi quidam, ſi pauci ſunt, qui ſalvantur? Ipſe autem dixit ad illos; Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Nota, quòd iſta inter-rogatio, & quæſtio fuit Chriſto propoſita oc-caſione, qua dixerat Chriſtus, multi ſunt vo-cati pauci electi, & ideo etiam apud ſanctos Patres, & Theologos excitatur hæc quæſtio an ſint plures reprobi an prædeſtinati; in qua om-nes conveniunt, quod ſumendo totam maſſam hominum, plures ſunt ſine comparatione, qui damnantur; inter Chriſtianos verò; & catho-licos, alii ſentiunt plures eſſe, qui ſalvantur; quia ferè omnes tranſeunt ex hac vita muniti ſanctiſſimis Sacramentis, & eo magis compu-tando inter iſtos, etiam parvulos, qui decedunt ex hac vita intra ſeptennium: Alii verò (exclu-dentes tamen parvulos ab hoc numero) dicunt inter adultos plures eſſe, qui damnantur, quàm qui ſalvantur, & hic ſenſus eſt *S. Auguſt. S. Ioan. Chryſoſtomi, & plurimorum ſanctorum Patrum:* Chriſtus verò non reſpondit clarè, & ca-thegoricè huic interrogationi, ſed ſubdit; *Contendite intrare per anguſtam portam*; dans intelligere primò, quòd porta Cœli eſt anguſta, ſcilicet quòd per ipſam non intrant niſi parvuli; & hu-miles; de qua arctitudine, & paucitate intran-tium dictum eſt *in Matth. c.7.* deindè dicit Chri-ſtus *contendite*: quid eſt contendite? hoc eſt con-trà impetum fluminis totis viribus niti; ideſt con-traire propriis cupiditatibus, quia impoſſibile eſt intrare in regnum Cœlorum cum cupidita-tibus terrenis, & quia hoc eſt valdè difficile, & pauci, imò pauciſſimi ſunt, qui ſic contendunt vim ſibi facere, & deponere ſarcinam carna-lem, quia ferè omnes volunt ſibi ipſis, & pro-priis cupiditatibus ſatisfacere; intendentes poſſe ſervire ſimul Chriſto; & carni, quod eſt impoſſibile, ideo concluditur, quod pauci ſunt, qui ſalvi fiunt, quia regula irrefragabilis eſt, *ait S. Auguſt.* quod tales moriuntur homines, quales vixerunt: *Luc. cap. 13. hic: & S. Auguſt. Chryſoſtomus, aliique plures ſancti Patres:* Undè apud Bernardinum de Buſto, *ait S. Auguſt.* Arbi-tror ex quatuor mundi partibus tres fore dam-nandas, quia in ipſis regnat infidelitas (quod maximè verum eſt his noſtris temporibus) de

quarta

quarta parte autem quid dicam, niſi quod *S.Ioan.* nempè quòd mundus totus poſitus eſt in maligno ; quia plurimi involuti ſunt in carnalitatibus, furtis , homicidiis , odiis , aliiſque ſceleribus : ô nimis verum ! *Vide text. comment. in Luc. hic à n.23.ad* 30. Et ſi quæras cur Chriſtus non reſpondit cathegoricè , an plures , an verò pauci ſalventur ? Primò reſpondetur Chriſtum jam alias ſatisfeciſſe huic quæſtioni , dicendo *multi ſunt vocati, pauci electi* : ſecundò poſſè reſponderi ideò non ſatisfeciſſe dubio cathegoricè , eò quia aliquando in Eccleſia eſſe plures , qui ſalvantur, verbi gratia ut tempore peſtis , in quo major pars ſe diſponit ad pœnitentiam , & ad mortem; ſic & in tempore commotionum generalium, quæ aliquando prædicatione Sanctorum ſecutæ ſunt : Aliquando verò plures eſſe , qui damnantur , ideò Chriſtus porrexit remedium unicum ad acquirendam ſalutem , & ſecutum dicens, *Contendite intrare &c.*

21. *Pulſet homo ad oſtium miſericordiæ divinæ , dum tempus pœnitentiæ ei conceditur , ne fruſtra poſt hoc tempus pulſet.*

Cum autem intraverit Pater familias , & clauſerit oſtium &c. Domine aperi nobis , & reſpondens dicet vobis , neſcio vos &c. Nota , quòd in hac formidabili ſententia duo monita concludit : primum ut maximæ conſolationis , aliud verò terribile : primum eſt , quòd homo debet pulſare ad fores divinæ miſericordiæ , dum tempus ei à divina pietate conceditur in hac vita ; pulſatur autem deſideriis , ſuſpiriis , lachrymis, orationibus , caſtigationibus , & pœnitentiæ operibus , ideò ſuadet homini , ut pulſet diu , & altè tum propter diſtantiam oſtiarii , ſcilicet Chriſti , ab ipſo enim homo tantò plus diſtat, quantò plus peccat ; tum propter periculum pulſantis , quoniam hoſtes ad ipſum occidendum ſequuntur ; tum quia adhuc dum dies eſt , miſericordiæ oſtium apertum eſt, & in proximo claudendum eſt : Aliud formidabile arcanum eſt, quòd poſt mortem , vel in judicio inutiliter pulſabit homo ; tunc enim claudet oſtium Chriſtus, cum reprobis pœnitentiæ locum tollet , qui foris ſtantes pulſabunt , ideſt à juſtis ſegregati miſericordiam ; quam viventes contempſerunt, fruſtra implorabunt ; ſed Chriſtus reſpondebit, *Neſcio vos* , ideſt imaginem meam (nempè Redemptionis) non cognoſco in vobis , nec poteſtis ſtipendia meorum militum accipere , qui Tyranni vexilla portaſtis ; diſcedite igitur à me maledicti operarii in ignem æternum &c. *Ser. 9. Rogat. Luc. hic. Vide qua dicta ſunt ad caput 7. Matthæi.*

22. *Peccator peccando punitur in ipſo peccato.*

Diſcedite à me operarii iniquitatis. Quid eſt operarii iniquitatis ? hoc laborando peccate , & peccando laborate , quia peccatum eſt pœna ſui ipſius ; undè peccator peccans operatur laborans, nec iniquitas eſt tantùm iniquitas , ſed iniquitatis pœnalitas ; undè operando iniquitatem peccatores tolerant pœnalitatem , peccando vapulant , & vapulando peccant , & ſicut totalis eorum vita eſt pœnalitas , ſic & iniquitas, quæ eſt inæſtimabilis calamitas. *Pſalm.* 118. *cap.*1. *verſ.*3.

23. *Peccator dum peccat à Deo diſcedit, & à Deo ipſe longè repellitur.*

Diſcedite à me omnes operarii iniquitatis. Cur non dicit Chriſtus diſcedite à me maledicti in ignem æternum , ut alibi *in Matth.* dicit , contra reprobos , ſed eos appellat operarios iniquitatis ? ſed attende ad perbellum arcanum : dicit operarii iniquitatis ; ut det intelligere , quòd non ſolùm fulminabit hanc ſententiam poſt mortem contra reprobos , ſed & continuè etiam fulminat in hac vita , dum actu ſunt operarii iniquitatis , & peccantes ſunt : dum enim peccator peccat ipſe ſe elongat à Deo , quaſi actu dicat , diſcede à me ô Deus , & itidem Deus ipſi inſonat, diſcede à me operarie iniquitatis ; quia cum ſit ſumma diſtantia inter juſtitiam , & iniquitatem, inter lucem , & tenebras , & cum Chriſtus ſit juſtitia , lux, & ſanctitas , ideò à ſe ſtatim repellit injuſtitiam , & tenebras peccati , & ipſum peccantem ; & ex hoc ſequitur , quòd ſtatim inter ulnas , & poteſtatem diaboli traditur. *Luc. c.*15.*v.*26.

24. *Cur Chriſtus voluit in civitate Ieruſalem mori.*

Non capit Prophetam perire extra Ieruſalem. Nota , quòd ſemper Chriſtus loquens de ſua Paſſione prædixit hanc ſuſtinendam eſſe in Jeruſalem ; quæritur igitur cur in Ieruſalem ? Reſpondetur , quòd licet à Iudæis alibi etiam occiſi fuerint Propheræ, major tamen pars occiſa fuit in Ieruſalem , in qua voluit & ipſe pati , & mori , ex eò quòd ipſa erat locus ſedis regni , ſacerdotii , magiſterii , & judicii , & ibi debet pati ille , qui eſt Rex , Sacerdos , Magiſter , & Iudex omnium , ut ſic ex Ieruſalem exiret , & inciperet Chriſti regnum , exiret & ſalus , remediumque , lex , & judicium totius mundi ; ideò in Ieroſolymam aſcendit Chriſtus, ut ibi in cruce aſcendens , & patiens è cruce regnum virtutis , ſacerdotium ſanctitatis , & legem judicii , & veritatis gentibus daret. *Luc. c.* 18. *n.*31. *& c.*19. *v.*28. *& c.*9. *v.*51. *& c.*8. *v.*32. *& c.*13. *hic.*

25. *Nota , quòd hæc pars Evangelii , Ieruſalem, quæ occidis &c. quoties volui congregare &c. jam explicata eſt in Matth. cap.* 23. *& hic explicatur in exitu &c.*

ARGU

Digitized by Google

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Nota, quod postquàm Christus confutaverat calumniantes ejus miracula in consilio; hic apertè confutat eos in convivio, in quo sanat hydropicum in Sabbatho; parabolam dat invitatorum, ut ostendat ultimum locum captandum esse: affert & aliam parabolam invitatorum variè se excusantium: deindè docet suos sequaces debere odisse parentes; & crucem ferre; & tandem affert parabolam volentis ædificare, & bellum gerere, &c.

CAP. XIV.

1. *Christi benignitas, humilitas, charitas, & paupertas expenditur.*

ET factum est cum introjisset Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem: Nota, quod in hoc facto supereminet Christi benignitas maxima, ex eo quod non solùm cum hominibus voluit conversari, cum esset Deus, sed & cum suis persecutoribus, qui observabant eum in verbis, & miraculis, ut malignè ipsum accusarent, cum quibus & voluit conversari usque ad familiare contubernium: In hoc autem, quod intravit in domum alienam apparet ejus humilitas; in hoc, quod intravit in domum inimici Pharisæi apparet ejus mira charitas; & in hoc quod manducavit panem alienum apparet Christi paupertas; ecce qualis benignitas Altissimi pro nobis humiliati, justissimi cum iniquis conversantis, & cum esset ditissimus voluit inter nos pauper fieri, ut nobis ista exempla præberet, & ditaret nos egenos. *Luc. c. 14. v. 1.*

3. *De hydropico à Christo sanato vide in Luc. à num. 2.*

4. *Christus intrat in domum Principum, ut ipsorum vitia confundat.*

Cum intrasset in domum cujusdam Principis Pharisæorum. Cur in domum Principis intrat Christus ad convivium, & non potiùs alicujus pauperis? sed attende, quod venit Christus omnes salvare; intrat igitur indifferenter in domum pauperum, & divitum, ut ad salutem omnium documenta præberet; in hanc autem domum Principis intrat, quia venit confundere, & confutare vitia Principum, Judicum, & Prælatorum; scilicet nequitiam consiliorum, injustitiam, & officii negligentiam, ipsorum violentiam, malorum adhærentiam, & familiæ, curiæque indecentiam; venit item in hanc domum mundi, in qua regnabat, ut Princeps diabolus, ut ipsum expugnaret, & potestatem ei auferret, quam in genus humanum exercebat. *Serm. 1. Dom. 16. Pentecost.*

5. *Genus humanum hydropicum erat, ad quod sanandum Christus venit in mundum:*

Et ecce homo hydropicus erat ante illum, &c. Nota, ly, homo, & hydropicus: dicitur homo, scilicet totum genus humanum infirmum, & hydropicum erat antè illum ad implorandam ejus clementiam: Vide qualem infirmitatem generis humani; hydropisis causat tumorem corporis, per quod superbia intelligitur: secundò causat compressionem spiritualium vitium, per quod significatur invidia: tertiò fœtorem anhelitus, per quod significatur incundia, quæ facit prorumpere in verba contumeliosa: quartò pigritiem pedum, per quod intelligitur accidia: quintò sitim in appetitu, per quod exprimitur avaritia, quæ quantò plus bibit, eo ampliùs sitit: sextò inflationem genitalium, per quod intelligitur luxuria: septimò infectionem cutis, & partium exteriorum, per quod intelligitur gula; quæ tota est circa carnem curandam; ideò Christus venit sanare hunc hydropicum, assumens in se omnes infirmitates nostras. *Ser. 1. in Paras. Luc. c. 14. n. 6.*

6. *Curatio spiritualis facta à Christo in peccatore expenditur in sanatione hydropici.*

Ipse verò apprehensum sanavit eum, ac dimisit: Nota, quod in curatione infirmitatum corporalium Christus intendit docere ea, quæ facit spiritualiter in sanatione hominis à peccato; ideo per humilem apprehensionem signatur gratiæ infusio; per efficacem curationem, culpæ expiatio; & per liberalem dimissionem, pœnæ relaxatio: apprehendit igitur Christus hominem infirmum in incarnatione infundendo suam gratiam tripliciter, scilicet per amaritudinem pœnitentiæ in detestatione peccati; per rectitudinem justitiæ in adimpletione divini præcepti; & per fortitudinem patientiæ in tolleratione mali inflicti: culpæ autem expiatio fit à Christo per timorem humilitatis contrà tumorem superbiæ; & per recognitionem propriæ infirmitatis; & per decorem castitatis contrà abominationem luxuriæ; & per amorem paupertatis contrà ardorem avaritiæ: & tandem pœnæ relaxatio confertur per instantiam devotæ supplicationis, per vehementiam dilectionis divinæ; & indulgentiam alienæ offensionis. *Serm. 4. Dom. 16. post Pentec.*

Digitized by Google

7. *Chriſtus & dictis, & factis nos docet ultimum locum quærere in dignitatibus.*

Dicebat autem. intendens quomodò primos accubitus eligerent, &c. cum invitatus fueris ad nuptias non diſcumbas in primo loco, &c. Vide, & audi lectionem Chriſti, quam & dictis, & factis tradidit circa locum eligendum, & amandum in dignitatibus. *Non diſcumbas*, ait, *in primo loco*; ſic enim & ipſe priùs fecit; nam cum eſſet antè omnes, & antè Luciferum genitus, & ſuper omnes, quia Filius Dei, tamen ſubjecit ſe infrà omnes, etiam miniſtros diaboli, ut per hoc nobis exemplum daret, quod non ſolùm non debemus nos ipſi præferre aliis, ſed nec comparare cum inferioribus, & ſolùm in noviſſimo loco ſedere. *Op. medit. c. 16. ſer. 3. Dom. 4. Advent, ſer. 2. Dom. infrà oct. Nativit.*

8. *In Eccleſia ordo dignitatum ſervandus ſine tamen præjudicio conſilii Chriſti: Recumbe in noviſſimo loco.*

Quomodò dicit Chriſtus omnibus indifferenter *recumbe in noviſſimo loco?* nonne ordo dignitatum in Eccleſia ſervari debet inter majores, medios, & infimos? nonnè erit maxima confuſio, ſi Prælatus ſe collocet in infimo loco? ſed attende ad myſterium; Chriſtus non intendit tollere rectum ordinem Hierarchicum in Eccleſia, nec auferre loca dignioribus, & Prælatis, ſed deſiderium Prælaturæ intendit tollere à cordibus ſuorum; non gradus deferri debet, vel ordo perturbari, vel juſtitia omitti; ſed præcipit, ut privatus amor ſuſpendatur, ut ambitio honoris abjiciatur, & appetitus Prælaturæ. *Luc. cap. 20. v. 46. & cap. 22. verſ. 26. Pſal. 119. & 120. Eccleſ. cap. 10.*

9. *Inter ſequaces Chriſti contentio ſit de extremo, non de primo loco:* hoc enim intendit docere Chriſtus in hac parabola: *Luc. c. 9. v. 48.* Nam in nuptiis Eccleſiæ boni diſcernuntur non per gradus, ſed per humilitatem. *Ser. 1. Dom. 19. Pentec. ep. Diat. tit. 7. c. 1. op. ſpec. Diſcipl. p. 1. c. 5. ſerm. 2. de S. Barth. Luc. c. 14. hic.*

10. *Amici veri Chriſti quinam ſint.*

Ut cum venerit, qui te invitavit, dicat tibi, amice aſcende ſuperiùs. Cur iſtum, qui in ultimo loco Chriſtus appellat amicum, & non tot alios commenſales? Nota, quod qui nos invitavit ad nuptias Eccleſiæ, & ad eligendum ultimum locum, eſt Chriſtus, qui venit ad nos per inſpirationem, venit per mortem, & per examen ultimum vitæ, & tunc appellat hunc talem amicum; & cur amicum? Amicus verus eſt, qui probatur non ſolùm in proſperis, ſed magis in adverſis, in quibus cognoſcitur quis verè amicus: & ideo amicus Chriſti, qui ſequitur Chriſtum non divitem, ſed pauperem, non glorioſum, ſed pœnis afflictum, & cruci affixum; qui adverſa pro Chriſto libenter tolerat; qui verè contemnit pro Chriſto omnia terrena; qui ſolam voluntatem Chriſti facit; qui toto corde Chriſto adhæret, nihil aliud volens, optans, & amans præter Chriſtum; ô felix iſte, quia in morte à Chriſto vocabitur, & elevabitur ad altas ſedes regni cæleſtis, & collocabitur ad menſam illam æternam cum Principibus populi ſui. *Ser. 1. de S. Bartholomæo.*

11. *Amici Chriſti debent ad nutum Dei aſcendere ſemper ſuperius, ſed ſe humiliando inferiùs.*

Amice aſcende ſuperiùs. Ecce quid intonat Chriſtus recumbenti in noviſſimo loco; deſcende, ait Chriſtus, ut aſcendas, quia non poteſt quis ſecurè aſcendere ſuperiùs, niſi ſe profundando inferius per humilitatem; & qualis eſt iſte aſcenſus? ô quàm dignus, & deſiderabilis? aſcende ait Chriſtus ſuperiùs, ſcilicet ad virtutem per contemplationem, nempè intétione, cogitatione, voluntate, affectione, & omnibus interioribus animæ: aſcende item per ſanctam converſationem de virtute in virtutem, de ſtatu, & gradu in ſtatum, & gradum, quouſquè videas Deum Deorum in Sion: aſcende item ad dignitatem per vocationem divinam, non per tuam præſumptionem, & ambitionem, aſcende quando à Deo vocaris, ut tandem ad immortalitatem veluti Rex Cœli pervenire poſſis, ut de te verificetur, quia omnis, qui ſe humiliat exaltabitur. *Ser. 2. Dom. 16. Pentec. ep. Myſt. Theol. c. 2 p. 1. & c. 3 p. 4. Luc. hic.*

12. *Alii aſcendunt deſcendendo, alii deſcendunt aſcendendo.*

Amice aſcende ſuperiùs. Cur huic ſolùm præcipitur aſcenſus, & non etiam tot aliis invitatis? hoc eſt, quia par pari refertur; quia iſte felix deſcenderat ad ultimum locum, & meritò; nam in Chriſti regno ſervatur hæc regula ineluctabilis, quia omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur; undè ſicut dictum eſt Joanni *Apoc. cap. 4.* cum vidit oſtium Cœli apertum, aſcende huc, & oſtendam tibi, quæ oportet fieri citò; & ſicut Abraham aſcendit non cum aſino, ſed cum puero montem viſionis: ſic relicta in profundo humiliationis ſarcinâ carnalium intentione, cogitatione, voluntate, & affectione, & totâ animâ ad Chriſtum aſcendit ſervus Dei, ipſique oſtium Cœli aperitur; E contrà alii aſcendendo deſcendunt, ſcilicet aſpirantes ad dignitates, ad loca ſublimia, iſti deſcendunt de vitio in vitium, uſquè ad profundum inferni, cujus oſtium iſtis ſuperbis apertum eſt, quia omnis, qui ſe exaltat humiliabitur. *Ser. 2. & 3. Dom. 16. Pent. Luc. hic.*

13. *Alterna ſit mutatio de dextera hujus vitæ in ſiniſtram alterius vitæ; & è contrà.*

Quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Ecce quomodò alterna ſit mutatio ex hac vita in alia; nam in morte cancellabuntur manus à dextera in ſiniſtram, & à ſiniſtra in dexteram; qui enim in hac vita ambiunt dexteram, ſcilicet honores, exaltationes, & dignitates, in altera habebunt ſiniſtram humiliationum, & pœnalitatum; è contrà qui in hac vita ſiniſtram, ideſt infimum locum tenet in altera ad dexteram exaltabitur. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 3. ſer. 4. Dom. ſeptuag. ſer. 3. Dom. 16. Pent.*

Digitized by Google

14. *Humilitatis neceſſitas in homine expenditur.*

Recumbe in noviſſimo loco, &c. quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Quænam eſt cauſa, cur Chriſtus vult in nobis humilitatem, & hoc tam ſæpè inculcat? triplex cauſa aſſignatur talis neceſſitatis: primò propter conditionis vilitatem; ſecundò propter ſalvantis, ſcilicet Chriſti humilitatem: tertiò propter ſalvationis neceſſitatem: ad primum nos excitant noſtra ærumnoſa nativitas, pœnalitates, quibus ſubjicimur, terminantes ad mortem inevitabiliter; eſſe noſtrum momentaneum, mundi exilium, & vitæ noſtræ pericula: ad ſecundum excitat nos humilitas Chriſti, & omnium ſequacium ejus, quorum vita fuit perpetua crux, & humiliatio: ad tertium, quia cum Deus habeat manum miſerentem, & damnantem, debet homo vivere perpetuo in timore, & humiliari coram Deo in terra, ne humilietur poſteà in inferno: humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, quia humilitas liberat à malo, adjuvat in bono, & in Cœlo exaltatur, quia quanto magis quis ſe humiliat, tantò ampliùs exaltabitur. *Sermon. 2. Dom. 3. Quadrageſimæ ſerm. 1. Dom. Palm. ſer. 1. de S. Thoma. ſer. 2. de S. Joan. Bapt. ſer. 5. de plur. Mart. ſer. 2. de una Virgine: Diet. tit. 1. c. 3. & tit. 6. c. 1.*

15. *Humilitas qualis in nobis exigatur à Chriſto.*

Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur. Nota, quòd apud Sanctum Lucam Chriſtus hanc propoſitionem bis enunciat, nempè *hic. c. 14. & c. 18.* Loquens de humilitate Publicani, & hoc facit non ſine myſterio, & cauſa. nam duplex eſt humilitas, alia voluntatis, alia cognitionis; prima procedit ex charitate, & amore in Deum: ſecunda ex cognitione vilitatis, & indignitatis propriæ, hæcque non ſufficit ſine prima; Intendit igitur excitare hominem ad cognitionem ſui perfectam, & ad deſiderandum ex charitate contemptus, vilitates, &c. *Luc. c. 18. v. 14.* Vide quæ dicta ſunt *in Matth. c. 23.*

16. *Qualiter verificatur hæc ſententia Chriſti: omnis, qui ſe exaltat, &c.* Ratio dubitandi eſt, quia plures ſunt, qui ſuperbè ſe efferunt, & ad culmina dignitatum feruntur, & tamen non humiliantur, ſed potiùs honorantur; è contra plus ſe humiliantes inglorii permanent uſque ad mortem, quomodo dicitur, quod exaltantur? ſed attende, quod judicia Dei ſunt incomprehenſibilia; hæc autem ſententia intelligitur ſecundùm judicium divinum, non ſecundùm conſuetudinem hominum; nam apud Deum tales exaltati, ſunt abominabiles, eoſque in inferno tandem humiliat; è contra humiles in hac vita ſunt Deo chari; in altera verò præmiantur glorioſiùs, & ſublimius. *Op. Diet. tit. 1. c. 3. Luc. hic; aliiſque locis citatis.*

17. *Religioſi qualem retributionem tribuere debent invitantibus ad ſuum hoſpitium.*

Dicebat autem ei, qui ſe invitaverat, cum facis prandium, aut cœnam, &c. Nota, quod Chriſtus retrahere intendit à mundana curialitate ſuos ſequaces, non quod peccatum ſit invitare ob curialitatem amicos, & parentes ad prandium; imò hoc fieri poteſt etiam cum merito, nempè ad fovendam charitatem, & amicitiam; ſed ad opus perfectius ſuos ſequaces excitat, nempe ut ad prandium, aut cœnam invitent pauperes pro Chriſto, quia hoc erit illis maximè meritorium, & tale opus miſericordiæ præmiabitur in Cœlo abundanter; hoc autem dixit Chriſtus, ut Religioſos doceret, qualem retributionem debent tribuere ipſos invitantibus ad hoſpitium, nempè diſpenſare debent eis cibum ſpiritualem ſanctarum inſtructionum animæ ſalutarium. *Luc. hic: & c. 3. v. 11. & c. 9. v. 8. Joan. collat. 89. ſer. 3. de Circumciſione: Vide in Matth. c. 22.*

18. *Beatus, qui manducat panem cœleſtem in regno Dei, ſcilicet in hac, & alia vita.* Ita dixit quidam de aſtantibus in illo convivio, poſtquam Chriſtus eos cibo doctrinæ cœleſtis inſtruxerat: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei*, ſcilicet in Eccleſia militante, & triumphante; & quis iſte panis, niſi qui dicit; Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, non cibus corporis, ſed vivus, non figurativus, ſed verus, non mortuus, ſed vivus, non tranſiens, ſed permanens, non deficiens, ſed æternaliter reficiens, & dulciter ſatians; hicque eſt panis Euchariſtiæ in Eccleſiæ convivio à Chriſto paratus pro refectione ſpirituali ſuorum; & in Cœlo, quo Beati, & Angeli ſimul æternaliter paſcuntur. *Sermon. 7. de Apoſtol. opuſcul. de dono ſap. c. 5.*

19. *Multiplex panis ſpiritualis expoſitus à Chriſto in convivio Eccleſiæ, ut tranſeat homo de pane in panem.*

Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. Nota, quod in Eccleſia expoſitus eſt à Chriſto multiplex panis ſpiritualis, nempe ſpanis doloris & pœnitentiæ; panis laboris, & juſtitiæ; panis doctrinæ; panis Euchariſtiæ; panis conſolationis internæ, & panis contemplationis ſapientiæ; ut ſic homo de pane hoc multiplici tranſeat ad panem vitæ æternæ. *Luc. c. 14. hic.*

20. *Nota, quod hic ſequitur parabola de cœna parata à Patrefamilias, & de recuſantibus venire ad ipſam, &c. cujus myſteria habes in Matth. c. 22. & in Lucam in commentar. Seraph. Doct.*

21. *Sola cœna Chriſti magna.*

Fecit cœnam magnam Pater familias. Cur cœnam, & non prandium, & cur dicitur magna? Nota, quod *Matth. c. 22.* appellat *prandium*: *S. Lucas* appellat *cœnam*; & hoc diſcrimen notatur, ut pateat Chriſtum præparaſſe nobis quidquid deſiderari poteſt; nam prandium eſt convivium hujus vitæ, poſt quod remanet cœna, ſed poſt cœnam nullum aliud ſupereſt, unde duplex convivium nobis Chriſtus præparavit, ſcilicet gratiæ, & gloriæ; dicitur autem cœna magna, quia refectio, quæ præparata eſt animæ, eſt ſumma, & ſola ſufficiens reficere animam, quia ibi Deus cibus eſt. *Luc. c. 14. hic op. Comp. Theol. lib. 5. c. 10. & lib. 7. c. 7. ſerm. 1. & ſeq. Dom. 2. poſt oct. Penteceſt.*

22. *Superbia evaneſcere & extra ſe exire facit hominem.*

Villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam. Hic fuit primus; qui inter invitatos ſe excuſavit, dicens ſe emiſſe villam, per quod ſignificatur ſuperbus, qui ut dominium acquirat, emit honorem à diabolo, eique animam renunciat; & quia ſuperbia eſt ventus, ideò evaneſcere facit ſuperbum, & extra ſe exire, ideò dicit neceſſe habes exire (ô quàm benè) exire, ſcilicet extra me. *In Lucam capit.14.hic.*

23. *Homo ſolidior omni beſtiâ, qui in ſequela mundi ſe onerat ponderе importabili.*

Juga boum emi quinque, & neceſſe habeo exire, & probare illa. Nota, quod non dicit emiſſe boves, ſed juga boum, & velle illa probare; quomodo quinque juga vis probare, & portare? ô quàm benè; hoc eſt proprium ſtultorum, qui declinantes à viis Domini, quæ ſunt dulces, & faciles, & refectionem omnem continentes, ad vias diaboli, & inferni ſe conferunt, onerantes ſe ponderibus importabilibus, ſub quorum onere gemunt, plorant, & vitam perdunt. *Luc.c.14. hic: ſerm.1.Dom.2.Pentec.ſerm.2. Dom.19. Pentec.Luc. c.16.v.18.*

24. *Soli pauperes debiles, claudi, cæci intrant in regnum Cœlorum, non verò divites.*

Tunc iratus Pater familias dixit ſervo ſuo, exi cito, &c. & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. Nota diſcrimen inter vocationem illorum, qui ſuprà ſe excuſaverunt, qui antecedenter fuerunt invitati, & iſtorum pauperum, & miſerorum, qui non ſolùm non ſunt præinvitati, ſed abſque alia præparatione Pater familias juſſit, ut introducerentur ad convivium, *introduc huc*, cur hoc? cur & iſti invitantur? ſed hoc dictum eſt, ut nobis pulcherrima, & digniſſima myſteria innuerentur: ſuprà invitari fecit Deus ſuperbos divites, luxurioſos, avaros, & mundanis rebus deditos, ne excuſationem ullam haberent, ſed iſtis rejectis, jubet, ut introducantur ad cœnam pauperes, quia ſoli pauperes ſpiritu non confidentes de nimia opulentia; ſoli debiles non confidentes de ſua virtute; ſoli cæci non confidentes de ſua ſcientia; ſoli claudi non confidentes de ſua rectitudine, ideo ſoli iſti pauperes per contemptum divitiarum; debiles per contemptum propriæ confidentiæ, cæci per contemptum propriæ induſtriæ; & claudi per contemptum propriæ juſtitiæ introducuntur ad cœnam regni cœleſtis. *In Lucam capit. 14. hic opuſcul. Diæt. cit.4. cap.3.*

25. *Dei ardens deſiderium noſtræ ſalutis in vocatione multimoda hominum expenditur.*

Exi citò, &c. & compelle intrare, ut impleatur domus mea, &c. Vide ex hoc quàm ardens ſit deſiderium Dei noſtri ſalutis noſtræ; ſed quomodo dicitur compelle intrare? ergone violentiam noſtræ voluntati infert Deus? minimè; ſed hoc termino explicantur varii modi, quibus ad Cœlum trahit hominem, nempe voce, & invitatione per prædicationem, tractione per inſpirationem, & compulſu veluti ſcindendo, & lacerando veſtem, nempè tribulationibus, perſecutionibus, crucibus, lacerationibus, & morte: triplex enim eſt ſignum, quod invitans amicum, id ex corde libenti facit, & prompto, ſcilicet vocando, trahendo, & rumpendo veſtem, ſcilicet tribulationibus, & ſic dum Deus vocat, cruciatus ex alia parte impellet; felix quidem neceſſitas, quæ ad meliora compellit; ſic facit nobiſcum Deus, ut impleatur ejus domus cœleſtis habitatoribus; ait igitur Chriſtus *Exi in vicos, & ſepes*; in vicos, ubi ſunt diaboli incitamenta; in ſepes, ubi ſunt inutilia incitamenta vitiorum, & compelle intrare infirmitatibus, & calamitatibus præſentis vitæ; hoc enim eſt Dei proprium. *Serm.1.Dom.8. Pentec.opuſc.Diæt.tit.7.c.7. ſerm.4. Dom.2. Pentecoſt. ſermon. 1. in feſto omnium Sanctorum.*

26. *Deus præferendus amori Patris, & Matris, &c.*

Et converſus dixit ad illos, ſi quis venit ad me, & non odit Patrem, &c. adhuc autem & animam ſuam, &c. & qui non bajulat crucem ſuam, &c. Nota, quod primò hic prohibet, ut Patrem, & Matrem, & conſanguineos non amemus plus quam Deum, & licet præcipiat, ut obediamus, & obſequium præſtemus Patri, & Matri, quando tamen agitur de ſalute noſtra vult, ut Deum præponamus omnibus rebus creatis, & hoc præcipuè dirigitur ad illos, qui ſpeciali vocatione ad obſervantiam conſiliorum Evangelicorum, & ad Religionem vocantur; deinde jubet, ut quiſque portet crucem ſuam, & Chriſtum ſequatur. *Opuſcul. de decem Præc. ſermon. 5. opuſcul. Apol. Paup. Reſp.4. cap.1. de qua materia fusè agitur in Matth.cap.10. & hic in textu Seraph. ad cap. 14. Luca verſ. 26. ſequent.*

27. Nota, quòd Chriſtus comitantes informat ad perfectionem acquirendam duabus parabolis, altera exemplo ædificantium, altera prædicantium; & circa ædificationem tria introducuntur, ſcilicet conceptio propoſiti ædificandi, proviſio ſufficientis ſtipendii, & declinatio imminentis opprobrii; & quoad præliantium parabolam, introducitur propoſitio belli, præviſio periculi, & proviſio remedii. *In Lucam cap. 14. à num.28.*

28. *Turrè*

Digitized by Google

28. *Turris perfectionis deſtruendo edificatur, & deſcendendo in altum erigitur uſque ad Cœlum.*

Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus, &c. Nota, ô lector, mirabilem ordinem contextus verborum, & mentis Chriſti Jeſu; dum ſuprà exhortatus fuerit ad abrenuntiationem omnium rerum, ad deſtructionem, & depreſſionem noſtræ animalitatis, & ſenſualitatis, ad crucem poſt ipſum ferendam, nunc monita neceſſaria dat pro fabricandis turribus, & palatiis: qualis eſt hæc conſequentia? Sed tamen optima, & mirabilis; ſupra enim jecit fundamenta fabricæ, & ædificii perfectionis Apoſtolicæ; & hoc conſulendo abrenuntiationem omnium rerum, amplexum crucis, & humilitatis; nunc ad hanc erigendam turrim convertit ſermonem, ut ſequens Chriſtum provideat ſibi ſumptus neceſſarios; ne, npè divinæ gratiæ auxilium, firmum propoſitum, conatumque voluntatis, & perſeverantiam, ut tali proviſione poſſit ſemper ulteriùs progredi, & in altum uſque ad Cœlum conſcendere. *Luc.c.14.v.28. ſeq.*

29. *In Religionibus annus Novitiatus deſignatus ad præparationem turris fabricandæ.*

Quis ex vobis volens turrim ædificare, non ſedens priùs computat ſumptus, &c. Si hæc turris eſt fabrica perfectionis Religioſæ, ergo priuſquam manus homo extendat ad talem fabricam, debet conſiderare ſumptus neceſſarios, & ſi in bonis habeat id, quod eſt ad id neceſſarium: Hinc eſt, quòd in Religione antequàm quis admittatur, diligenter examinatur, & probatur, & deindè aſſignatur ei annus Novitiatus, & probationis, ut indè cogitet, & conſideret ſumptus neceſſarios conſtantis fervoris ad perficiendum, ut ultima primis reſpondeant, ne poſteaquam poſuerit fundamentum altæ perfectionis, & non poterit perficere, ſicut cœpetat ex voluntatis torpore, omnes incipiant illudere ei tam homines, quàm Dæmones dicentes, hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare, ſicut ſtructura imperfecta, & labefacta oſtendit ſtructoris defectum: Nota autem, quod dicit; *non prius ſedens computat ſumptus, &c.* ſedens, ideſt intra ſe ſecreta conſcientiæ conſiderans, computat prævidendo per ſollicitam conſiderationem ſumptus neceſſarios; iſti autem ſunt ſufficientes conatus mentis cooperantes gratiæ vitiliter, efficaciter, & perſeveranter; qui igitur vult Deo ſervire omnia iſta priùs prævideat. *Op. dè Prof. Religioſ. lib.2. cap.12. Luc. hic.*

30. *Perſeverantia in Dei ſervitio neceſſaria.*

Ne poſteaquàm poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, &c. Vide, quòd potiſſimum locum tenet in Dei ſervitio perſeverantia; qui enim benè incipit, & in curſu deficit, nec perſeverat, iſte veluti ſtultus ab omnibus irridetur. *Op. Diaz. tit.4. c.1. ſer.2. de S. Andr. Luc. hic.*

31. *Exiens à Religione, ad quam à Deo vocatus fuerat venit meritò in deriſum apud homines, & Dæmones.*

Ne poſteaquam, &c. omnes, qui vident, incipiant illudere ei, &c. Nota, ly, omnes; ut videas, quod qui intrat in aliquem ordinem Regularem, & poſtcà torpore ductus redeat ad ſæculum, antequam profiteatur, ſubjicitur deriſui omnium, & hoc maximè poſtcà, ſi poſt profeſſionem, vel à Religione apoſtataverit, vel ad alium ordinem ſine patentibus cauſis tranſierit, in deriſionem hominum, & etiam Dæmonum cadit: Idem & evenit, quando quis poſt aliquale tempus vixit totus fervori, orationi, & Dei ſervitio deditus, & poſtea in torporem, & relaxationes cadit, iſte in deriſum omnibus maximè Dæmonibus venit. *Op. de Prof Religioſ. lib.2.c.12. op. D. terminat. ſuper Regul. quæſt.13.*

32. *Iuſtorum eſt perpetuò bellum exercere contra diabolum, & cum Deo pacem procurare.*

Aut quis Rex iturus committere bellum adverſus alium Regem, non ſedens, &c. alioquin adhuc illo longè agente legationem mittens, rogat ea, quæ pacis ſunt, &c. Nota, quod in hac parabola intendit Chriſtus inſtruere nos de bello committendo, & de remedii proviſione, ne in bello deficiamus: cum, triplici Rege autem habemus committere bellum, ſcilicet cum Rege ſuperbiæ, cum Rege juſtitiæ, & cum Rege providentiæ; & ut ſecurè committatur bellum, quiſque debet eſſe Rex, ſcilicet regens ſe, & ſuas potentias, & paſſiones; & primò contra diabolum venientem contra nos cum viginti millibus militibus debemus nobis providere decem millium militum exercitum, ſcilicet cum obſervantia decem mandatorum Dei, in qua exercitium omnium virtutum Chriſtianarum exhibetur; & quia cuilibet virtuti opponitur duplex vitium ſecundùm extremitatem per ſuperabundantiam, & defectum diſcedentem à medio virtutis, ideo dicitur pugnare contra nos cum duplicato exercitu, iſti autem decem millè milites nobis ſufficiunt ad debellandum diabolum; Pugna autem cum Rege juſtitiæ, ſcilicet cum Deo non eſt committenda, ſcilicet non debemus confidere in noſtris bonis operibus, licet agnoſcamus nos obſervaſſe ejus mandata, quia ipſe exiget à nobis rationem in judicio & operum, & verborum, & cogitationum, quæ ſignificantur in viginti millibus; ideò ſanum conſilium eſt in tempore opportuno mittere ad eum legationem pro pace obtinenda, ſcilicet jejunia, lachrymas, orationes, & pœnitentiam, cum quibus ſolùm poteſt obtineri pax cum Deo. *Sermon. 3. fer.3. Paſcha. fer.1. Dom.23. Pentec. Luc. his ferm. 2. de Rectoribus in addit.*

33. *Renuntiatione omnium rerum victoria contra diabolum obtinetur, & gratia Chriſti.*

Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Vide quid infert Chriſtus ex ſuprà traditis parabolis; nempè quia contra nos pugnat diabolus mediantibus iſtis rebus terrenis, & temporalibus divitiis, ideſt ſuadet renuntiationem omnium, ut diſcamus, quod Chriſtianiſmus non eſt ludus puerorum, ſed opus arduum, & proprium ſtrenuorum militum Chriſti, ad quod exequendum ſpecialiſſima vis, & gratia eſt neceſſaria: De hac renuntiatione pro ſæcularibus, & Religioſis videndum eſt, quod traditum eſt *In Matth. c.5. Ubi de paupertate Spiritus. Vide S. Bon. in Luc. hic: op. de Prof. Religioſ. lib.1.c.35. ſer.2. Dom. in Albis: op. Comp. Theol. lib.5.c.70.*

34. *Nota, quod hic ad finem capitis ſubdit ſimilitudinem ſalis, ut patefaciat munus Apoſtolorum, Prælatorum, & Prædicatorum, quod explicatum eſt in Matth.c.5. Vide in Eccleſ.c.2. Luc. hic: & cap.17. verſ.32.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod Chriſtus poſt confutationem Phariſæorum calumniantium miracula, hic confutat eorum impietatem murmurantem contra clementiam in operibus pietatis, & quòd Chriſtus reciperet peccatores; oſtendit autem quàm hoc ſit laudabile, primò parabola ovis perditæ; ſecundò drachmæ perditæ à muliere; tertiò converſione Filii Prodigi, &c.*

CAP. XV.

2. *Parabola de ove perdita in Matth. c.18. & hic in Luc à Seraph. Doct. fusè, & ſublimiſſimè explicatur.*

3. *Pœnitentia, & deſiderium audiendi verbum Dei appropinquare faciunt peccatorem Deo.*

Erant autem appropinquantes ad Jeſum Publicani, & peccatores. Nota, quod in his verbis prima facie apparet contradictio quoad ſenſum myſticum: dicit enim Evangeliſtà, quod erant appropinquantes ad Jeſum, ſcilicet ad ſalutem Publicani, & peccatores, quod eſt idem ac dicere, quòd erant ſimul propinqua gratia, & peccatum, & tamen ſimul non poſſunt conſiſtere? quomodo ergo dicitur erant appropinquantes, &c. Sed attende ad ſequentia, *ut audirent illum*, quid eſt, ut audirent illum? ſcilicet ut perciperent auribus, & corde ejus ſublimiſſimam, & ſalubertimam doctrinam, & ſic pœnitentiâ, & deſiderio propriæ ſalutis ducti appropinquabant ad ſalutem, ut videas, quòd cum peccatum elongare faciat hominem à Deo, pœnitentia, auditio verbi Dei, & obedientia attrahit ad peccatorem ipſum Jeſum, ſalutem, & gratiam; & nota, quod peccatores appropinquabant ſe Chriſto & corpore, & ſpiritu, Phariſæi autem corpore tantùm, quia non ut audirent, & obedirent; & pœnitentiam agerent appropinquabant, ſed ut murmurarent de Chriſto, ideo iſti ſemper magis ſe elongabant à Chriſto, ut videas diſcrimen inter auditores verbi Dei bene, & male. *Luc. cap.15. hic: & c.5.v.1. & c.6.v.9. & c.11.v.13. & c.12.v.1. & c.19.v.40.*

4. *Quid murmuratio, & unde oriatur.*

Et murmurabant Phariſæi, & Scribæ, dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Ecce diſcrimen audientium benè, & malè verbum Dei, Publicani, & peccatores audiebant Chriſtum ad ſuam ſalutem, Phariſæi ad ſuam damnationem, quia ad hoc accedebant ad Chriſtum, ut ipſum obſervarent, ſi quid in eo carpere poſſent, quia eorum cor malignitate plenum erat, & ideo murmurabant de Chriſto, quia benigne ſe habebat cum peccatoribus; Murmuratio autem dicitur à mutio, mutis, quod eſt quaſi velle loqui, & non audere fateri; non audebant apertè arguere, quia apertè noverant id eſſe contra dictamen conſcientiæ, & tamen non poterant cordis malignitatem occultare, undè iſtorum murmuratio non erat ex fragilitate, & infirmitate, vel ex ignorantia, & errore, ſed ex pura, iniqua, & invida malignitate; cum enim ſe reputarent juſtos, & innocentes, ideò ex falſa juſtitia abhorrebant commercium peccatorum, & hinc de Chriſto murmurabant videntes, quod omnes ad ſe venientes recipiebat, quod peccatores & dictis, & factis acceptabat, & confortabat pœnitentiam facientes, ut pateret, quod ipſe venerat inter peccatores, ut eos ſalvos faceret. *In Lucam cap.15. bis.*

5. *Chriſti totum ſtudium eſt unam ovem reducere ad ſuum gregem.*

Et ſi perdiderit unam ex eis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat? Nota rem dignam maximâ conſideratione: qua ratione iſte Paſtor deſerit nonaginta novem oves in deſerto, ut unam perditam recuperet? nonnè hoc videtur minus rationi conſonum periculo certum pro incerto, & tot oves pro una invenienda? & tamen Chriſtus dicit, quòd Paſtor quilibet rationabiliter hoc faciet: ſed attende ad myſterium elucens in illa particula (*unam ovem*) nam in ſuis ovibus quæſit unam, ſcilicet unitatem, & concordiam, per quam

quam reducantur in hoc unum; ideò dicitur una licèt contineat multitudinem totam hominum quia ad hoc venit, ut omnes in unum congregaret, quia Christus amat unitatem, abhorret divisionem. *Psal.*101. *Vide ser.*1. *seq. Dom.*3. *Pent. ser.*4. *Dom. Palm. ser.*2. *fer.*4. *Paschæ ser.*2. *Dom.*2. *Paschæ.*

6. *Operarii Christi ad solam gloriam ipsius, & salutem animarum sivè per se, sivè per alios resultantem aspiciant.*

Congratulamini mihi; quia inveni ovem, quæ perierat. Ecce quid intonat Christus suis sequacibus; congratulamini mihi ô amici, & ministri mei, ait Christus, quòd ego habeam in Ecclesia ministros, & Pastores reducentes oves meas ad meum ovile, & si hoc ministerium non fiat per vos, sed alios etiam vobis inferiores; & meritò hoc intimatur, & præcipitur amicis omnibus Christi, quia hoc est patens signum amoris Dei residentis in corde, dum videns gregem Christi dispersum in devia, & immersum in peccatis, simulque expositum lupis infernalibus; & alios extraneos desudantes in reductione ovium perditarum Christi, lætatur cum amicis Christi, nec invidiâ, vel livore torquetur ex eo, quòd talis inventio non fiat mediante ipso; dummodò enim conversio animarum redundet in gloriam Dei sive per se, sive per alios, gaudet, & lætatur cum Angelis. *Op. Apol. Paup. Resp.*4. *c.*3. *Luc. hic.* Notabile quidem, & dignum maximâ consideratione est hoc documentum, præcipuè apud Religiosos, & Clericos, ne tinea invidiæ sub specie Zeli eorum bona opera dissipet.

7. *Christus non sine lucerna ad se attrahit animas perditas.*

Aut quæ mulier &c. & si perdiderit drachmam unam, nonnè accendit lucernam &c. Nota, quòd mysticè hæc lucerna significat Doctores, & Prædicatores Ecclesiæ, quos Christus illuminat, & per eorum ministerium drachmam animarum perditam quærit, & invenit ex quo sequitur gaudium magnum in Angelis. *Ser.* 3. *de S. Antonio Patav.*

8. *Per lucernam orationis invenitur drachma gratiæ divinæ.*

Et si perdiderit drachmam unam nonnè accendit lucernam &c. Nota, quòd per hanc lucernam intelligitur orationis instantia, per quam invenitur gratia Dei perdita. *Opus. Diæt. tit.* 2. *cap.*5.

9. *Pœnitentia nostra gaudium affert Angelis, & Beatis.*

Undè dicitur hic, *gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente &c. Vide in Luc. hic ser.*3. *& 4. Dom.*3. *post Pentec. ser.*3. *de S. Michaële. ser.*3. *de pluribus Martyr. in addit. op. Eccles. Hier. p.*1. *c.*1. *Comp. Theol. lib.*6. *c.*12. Pœnitentia autem tale gaudium portat ex eo præcipuè, quia pœnitentia destruit peccatum, quod tantum abhorrent; recuperare facit justitiam perditam; per eam confutatur Dæmonum superbia; efficax fit Angelorum custodia; reparatur Ecclesia; placatur ira divina; & reintegratur Ecclesia triumphans. *Luc. hic.*

10. *Parabola filii prodigi valdè superexaltat divinam pietatem Patris ad Filium. Luc.* 6. 15. *v.*9. *quæ fusè exponitur à Seraph. Dott. hic.*

11. *Dei potentia, & bonitas maximè elucet dum ex malis nostris eruit nostrum bonum, & salutem.*

Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior &c. Nota, quòd in hac parabola elucet pietas infinita Dei in peccatores ab ipso recedentes exemplo filii prodigi, de quo primò notatur ipsius insolentia, & temeritas in Patrem, ex quâ indè redundarunt in ipsum tot miseriæ, & calamitates, quibus ipse commotus, & excitatus est, Deo suâ gratiâ præveniente ad pœnitentiam; per quam se præparavit ad Patris misericordiam obtinendam, ex quo processu elucet divina providentia, quæ ex nostro malo solet eruere bonum, & salutem nostram. *Luc. c.*15. *v.*11.

12. *Quam mala electio peccatoris volentis se suo proprio nutu regere contra Dei voluntatem.*

Et dixit adolescentior ex illis; Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Nota, quòd in his duobus filiis significatur universitas hominum tam malorum, quàm bonorum, & præcipuè Iudæorum, & Gentilium, statusque, mos, & stultitia peccatorum exponitur in hoc adolescente, qui vanior est, & ad sensibilia bona magis intentus; iste autem petit sibi dari omnem suam substantiam, quæ ad ipsum pertinet, scilicet omnia bona naturalia, & fortunæ sibique, & suo judicio, & propriæ voluntati contra imperium Creatoris relinqui recedendo à divinæ voluntatis regimine; ô quàm mala est hæc petitio, per quam homo recedit à Deo, & convertitur ad creaturas; & ideò mirum non est, quòd inciderit in omnes miserias, ex eò quòd Pater divisit, & dedit ei substantiam suam, scilicet reliquit eum in manu consilii sui; sic exigente rectâ & ordinatâ universi gubernatione. *Luc. c.*15. *hic. Psal.*118. *capit.*1. *vers.*9 *op. de institutione Sacerdotum.*

13. *Pessima peregrinatio peccatoris recedentis à Deo Patre.*

Et post non multos dies congregatis omnibus (scilicet per liberi arbitrii dominium, quod homo habet respectu virium naturalium) peregrè profectus est in regionem longinquam. Nota, quòd iste stultus post recessum à Patre peregrè profectus est, scilicet peregrinus factus in terra aliena; ô quàm pessima peregrinatio peccatoris; nam peccando vadit in regionem longinquam à Deo, non quantum ad situm localem, cum Deus sit ubique, sed per voluntatis dissimilitudinem, elongatur enim per iniquitatem à summa bonitate, per tenebras à luce æterna, & per nihilum à summa æternitate; & dicò ei nihil aliud superest, nisi projici in miseri-

rimum locum inferni, qui eſt regio diaboli, ecce qualis ſtultitia hominis à Deo recedentis. *Luc.hic Pſal.*118.*c.*1.*v.*9. *Pſal.*119. *& Pſal.*77.

14. *Diſſipationes, & damna ex peccato expenduntur.*

Et ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam. O vide, & audi, ô homo quid facit peccatum mortale; vide in quas miſerias redigitur, qui in regionem peccati ſe confert, ibi iſte miſerabilis diſſipavit ſubſtantiam ſuam, quam ſubſtantiam? ecce quot mala continentur in his verbis; nam peccator voluptati, & libertati indulgendo prodigit Dei gratiam, charitatem, & virtutes, hebetat intellectum, ut nec Deum, nec virtutis bonum agnoſcat; aufert ſibi memoriam legis, & beneficiorum Dei, voluntatem depravat, ut vitium virtuti, voluptatem rationi, terram Cœlo diabolum Deo anteponat; ac pro habitibus virtutum induat habitus vitiorum, & propenſionem ad omne malum; hinc fit inops conſilii, rationis, mentis, omniſque boni; deniquè vires omnes animæ, & corporis, quæ ſervire deberent Creatori, cogit ſervire creaturæ, ſcilicet ventri, & veneri, quæ eſt fornicatio ſpiritualis, de quo dicitur *Pſal.*72. omnes, qui ſe elongant à te peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te: ô grandis miſeria peccatoris! Hæc ſparſim. *S.Bon.Luc.hic ſer.*3. *Dom.*13. *Pentec.Luc.c.*16.*v.*2. *op.inſtructio ſacerdot.*

15. *Peſſimi effectus luxuriæ expenduntur.*

Diſſipavit omnem ſubſtantiam vivendo luxuriosè. Græcè vivendo prodigaliter; Datque per hoc intelligere, quod iſte miſerabilis vixit intemperatè, libidinosè, laſcivè in conviviis, compotationibus, luſibus, cantoribus, largitionibus, & ſimilibus, quæ ſolent juvenes redigere ad extremam pauperiem; ſed præcipuè effectus luxuriæ peſſimos indicare vult ſacer Textus; nam ex hoc contextu patet, quod luxuria ducit hominem ad extremam paupertatem, dejicit in peſſimam ſervitutem, facit enim, quod turpior, & vilior pars hominis dominetur ei; projicit hominem in maximam vilitatem faciens hominem ſimilem porcis; privat omni ratione infatuans hominem ſicut animalia bruta; & tandem illaqueat hominem in corpore, & anima, ducens eum ſicut bovem ad victimam, omnia patent in hoc filio prodigo. *Op. Diat. tit.*1. *cap.*9.

16. *Væ peccatori à Deo derelicto intus, & foris.*

Et cum conſummaſſet omnia, facta eſt fames valida in regione illa. Ecce quid accidit huic miſero: cum omnia conſummaſſet ſe elongando à Deo, & reducendo in regionem peccati, cæpit egeſe, ſcilicet ob amiſſionem bonorum ſpiritualium, & temporalium, per quod datur intelligi, quod derelictus eſt intus, & foris: & nota, quod homo tripliciter à Deo dicitur derelinqui; aliquando foris, & non intus, ut Job; aliquando intus, & non foris, ut David, qui cum incidiſſet in peccatum adulterii, tamen fuit à Deo monitus, & vocatus per Natan Prophetam; aliquando intus, & foris, ut iſte filius prodigus luxuriosè vivens, & fame rabeſcens, & hic eſt infeliciſſimus ſtatus. *In Thren. cap.*1.

17. *Sine Deo omnis locus penuria eſt.*

Facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cæpit egere: Nota, quod dicit facta eſt fames in regione illa, ſcilicet in hac regione ſemper fames viguit, & ob id intrans in ipſam cæpit egere, & fame torqueri; nec hoc mirum, nam omnis locus, ubi Deus non eſt, penuria, & ibi omnes habitantes fame torquentur, carent enim cibo ſpirituali ſapientiæ cæleſtis, & continuis preſſuris torquentur. *Luc.hic.*

18. *Peccator Deum relinquens ſponte adhæret diabolo.*

Et adhæſit uni civium regionis illius. Quis civis iſte? illius maledictæ regionis eſt diabolus: dicitur autem unus ex illis civibus, ſcilicet inter peccatores habitantes in regione peccati diabolus unus, ſcilicet caput omnium huic peccator dicitur adhæſiſſe, ſcilicet ipſe ſe ſponte ex mera voluntate copulavit diabolo: dicitur etiam adhæſit, *ait S.Ambroſ.* quia ubi quis adhæret, ibi laqueum invenit, ut paſſer, ubi pabulum quærit, ibi laqueo hæret, & laqueum, ideò colligatur vinculis peccati cum diabolo. *Luc.c.*15. *hic.*

19. *Peccator intrans in regionem diaboli parentelam cum ipſo contrahit.*

Et adhæſit uni civium, &c. ſcilicet diabolo. Quid eſt adhæſit? adhærere eſt parentelam per matrimonium contrahere cum alio per mutuam adhæſionem, & conſenſum, ergo parentelam contraxit cum diabolo: quomodò hoc? Nota, quod diabolus habet ſeptem filias, ſcilicet vitia capitalia, quas tradit hominibus, aliquis autem accipit unam, alius habet plures, alius omnes, & eis tradit etiam dotem, ſcilicet de hæreditate ejus, quæ eſt ignis inferni, aſſignat in inferno, in hac vita non tradit hæreditatem hanc, ſed in alia, in hac enim tradit fructus dotis, nempè miſerias, calamitates, afflictiones, & eos ſpecialiter mittit paſcere porcos, tenens eos ſub jugo duriſſimo ſuæ poteſtatis, huic filio tradidit luxuriam, hinc non eſt mirum quod poſtea tam durè ab hoc cive crudeli tractatus fuerit. *Ser.*1.*Dom.*3. *Quadrag. Luc. his & c.*16.*v.*14.

20. *Luxurioſus paſcit porcos, ſcilicet dæmones: Ubi de impia captivitate peccatoris.*

Et miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos. Quænam eſt hæc villa diaboli? nonne tota regio peccati à diabolo poſſidetur? ſed attende ad myſterium: Peccatum eſt regio diaboli, ſed in hac regione habet villam peculiarem, in qua ſpecialiſſimo modo habitat, & hæc eſt concupiſcentia, & luxuria, in qua villa porci, ſcilicet dæmones habitant, dicuntur autem porci propter ruditatem, & crudelitatem propriam

priam, & carnalitatem, quam luxuriosis suggerunt, ibi autem pascuntur immunditiis carnalitatum; Ex quo patet, ait Chrysostomus, mira peccatoris, ejusque status metamorphosis, sed justa stultæ libertatis castigatio, & vindicta: qui enim non vult ut filius liberaliter haberi à Patre, cogitur esse servus, & mancipium civis exteri, & crudelis; & qui non vult regi à Deo, compellitur servire diabolo; qui non vult morari in Patris regali palatio, mittitur in villam rusticorum, qui non vult versari inter fratres, & Principes, adigitur servus, & socius esse porcorum; qui non vult vesci pane Angelorum, præ fame postulat siliquas porcorum; ô quam differentes Domini, & quàm differens dominium, & obsequium istorum Dominorum. *Luc. c.15.hic & c.16.v.13.*

21. *Vanitas delectationum carnalium, fames carnalium, deceptiones diaboli expenduntur.*

Et cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Vide ad quale genus mendicitatis pervenerat iste miser filius; nam post tot labores, expensam, & servitutem præstitam diabolo, pervenit ad tam miserabilem statum, quòd cupiens implere ventrem de siliquis porcorum, nemo illi dabat; meritò autem, *ait S. Petr. Crisol.* luxuriæ famis tortor apponitur, qui panem Christi rejecerat, ut ibi ultrix pœna sæviat, ubi reatus pœnalis exarserat; & nemo illi dabat; ô quam crudele ministerium! quia nequè convivit porcis, qui vivit porcis; miser, qui porcorum defecit, & esurit in saginam; miser, quisquallentis cibi cupit, nec impetrat, qualitatem; porcinam quidem vitam egit, & tamen ne porcino quidem victu saturatur. *Vide in Luc. hic serm. 2. Dom. 6. Pentecost.*

22. *Peccatum, & præcipuè luxuria extrà se veluti ad insaniam trahit hominem; pœnitentia ipsum in se, & ad cor reducit.*

In se autem reversus? Quid est in se? ergonè erat extrà se? verè quidem extrà se veluti insanus erat, sic à peccato maximè luxuriæ redactus; sed per pœnitentiam (*ut legit Syrus*) ad animam suam, scilicet ad cor, ad mentem rediens, & sapere incipiens rediit in se per agnitionem propriæ iniquitatis, quia dolor compunctionis facit circumspicere internam conscientiam, & bona amissa. *Luc. hic.*

23. *Felicitas Deo servientium, infelicitas Deum deserentium.*

Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Nota illud verbum, *mercenarii*, quod in bono sensu sumitur hîc; nam adsunt mercenarii vitiosi, & mali, qui æterna pro temporalibus deserunt; alii mercenarii boni, qui pro æterna metenda laborant, istique abundant panibus spiritualibus in domo Dei scilicet fide, spe, & charitate; primi carent pane cœlesti, & licet abundent panibus corporalibus, tamen vivunt in perpetua egestate gratiæ divinæ. *Luc. c.15. hic & c.11. v.8. & c.13. v.3. ser.2. Dom.6. Pomer. op. de septem itiner. æternit. itin.1. d.3.*

24. *Conversio peccatoris excitatur ad considerationem paternæ pietatis in Deo.*

Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei, Pater peccavi in Cœlum, & coram te. Ecce quomodo considerario paternæ & divinæ pietatis excitat peccatorem ad pœnitentiam; & ideò cognoscens se priùs jacere in sterquilinio peccati proponit surgere à tam fædo statu, & ire ad Patrem, quia licèt ipse perdidisset, quod erat filii, tamen sciebat, quòd in pectore Patris pietas paterna residebat: Propositum fuit fateri peccata sua, & cum humilitate implorare divinam clementiam; & hic fuit primus gradus conversionis peccatoris. *Luc. c.15. hic S. Petr. Crisol.* notat hîc, quòd iste ingratus, licèt offendisset gravissimè Patrem, & ideò videtur, quòd nullo modo, & jure deberet accedere ad Patris tam graviter, & enormiter offensi præsentiam; tamen quia apud Patrem dulcis conditio, libera servitus, absoluta custodia, dives paupertas, blanda ultio, timor lætus, hinc piè audet ire ad Patrem: Nota etiam, quòd hic textus potest applicari homini volenti intrare in Religionem, & de cœno mundi surgere ad statum perfectionis; *Ibo ad Patrem meum*, & ad Patrem Sanctum Franciscum, Dominicum, Benedictum &c. quia apud Patrem dulcis conditio &c. ut suprà *ex S. Petro Crisol.* Ideò ad rem subditur; *Et surgens venit ad Patrem suum*: surgens scilicet peccatum, & mundum deserendo, venit ad Patrem, scilicet in statum, in quo Christi imitatio exercetur. *Luc. hic.*

25. *Perfectionis iter in hac vita nullum terminum habet.*

Cum autem adhuc longè esset, vidit illum Pater suus &c. Quomodo hîc dicitur, quòd adhuc longè erat, si suprà dixerat, quòd venerat ad Patrem, *& surgens venit ad Patrem?* sed attendat Religiosus ad dignissimum mysterium; Venerat quidem iste conversus ad Deum, collocaverat se in statu perfectionis, sed tamen dicitur adhuc longè esse, quia tale iter nullum habet terminum, ideò oportet semper ascendere, & cutrere ad montem perfectionis, nec potest unquam dicere, satis est. *Op. stim. p.3. c.4.*

26. *Aspectus Dei quàm anima efficax: Ubi de auxilio gratiæ prævenientis, concomitantis, & subsequentis.*

Vidit illum Pater suus, & misericordiâ motus est super eum. Ecce quàm efficax est Dei aspectus ad trahendum ad se peccatorem; vidit enim illum per peccatum à se elongatum, idest lacerum, miserum, indigentem, fame tabescentem, & misericordiâ motus est, scilicet infundendo gratiam prævenientem, sicut respexit Petrum post negationem *Luc. c.22. & accurrens cecidit super collum ejus*, scilicet per gratiam concomitan-

tem , quæ adjuvat ad portandum jugum legis divinæ ; *& oſculatus eſt eum* per gratiam ſubſequentem , quæ conſiſtit in amore reconciliante; ſic, ſic tractas benigniſſime Deus nos peccatores. *Luc hîc.op. Comp. Theol.lib.1.c.34. Luc.c.13.v.16. ſer.1.Dom.2 poſt oct.Paſcha.*

27. *Chriſtus onerat ſuo jugo , ut elevet , & alleviet hominem à pondere graviſſimo peccati.*

Et cecidit ſuper collum ejus. Cur cecidit ſuper collum filii ? nonnè hoc eſt ipſum magis onerare ? optimè hoc dicitur,ſuper collum iſtius pœnitentis collocat jugum ſuæ legis per gratiam concomitantem, ut ipſum elevet , & alleviet , & adjuvet ad portandum onus Chriſti. *Luc. hic.*

28. *Peccati contemptus in Deum expenditur.*

Et dixit ei filius : Pater peccavi in Cœlum , & coram te , jam non ſum dignus vocari filius tuus. Nota, quòd in his verbis hujus pœnitentis exprimitur multiplex malitia offenſæ in Deum ; & primò dicit *peccavi in Cœlum* , ſcilicet in Deum Dominum Cœli , ut legit Hebræus ; ſcilicet per contemptum Majeſtatis omnibus præſidentis, tali enim modo dicitur homo peccator Cœli , ut fecit Lucifer ; addit *& coram te* , ſcilicet per contemptum veritatis omnia ſpeculantis , in hoc etiam ſenſu dixit David *Pſal.50. Tibi ſoli peccavi:* addit *jam non ſum dignus vocari filius tuus* , ſcilicet propter contemptum ſummæ bonitatis omnibus providentis ; quia igitur contempſi hanc ſummam bonitatem , cujus eſt dare Spiritum adoptionis filiorum ; cujus etiam eſt regenerare per aquam , & Spiritum Sanctum in regnum filiorum Dei , ideò jam non ſum dignus vocari filius tuus ; ecce malitia quanta peccati mortalis, & quales effectus ex eo redundant in ruinam peccantis. *Luc.hic Pſal.118.v.113.*

29. *Gratia ſanctificans ſemper ad altiora , & ſublimiora elevat animam.*

Jam non ſum dignus vocari filius tuus. Nota hîc , quòd iſte pœnitens ſuprà propoſuerat dicere Patri hæc eadem verba , & ipſum implorare, ut faceret ſecum ſicut uni ex mercenariis ſuis ; & tamen hîc interrumpit propoſitum , & hæc poſtrema verba , *fac me ſicut unum &c.* tacet ; cur hoc ? cur non perſeverat in ſuo primo propoſito ? ſed hoc non eſt mirum , quia licèt peccator ſemper recognoſcat ſuum peccatum , etiam ſi Pater ſibi occurrerit. ſtrinxerit per amplexum, & ſuſceperit ad oſculum , tamen anhelans ad charitatem perfectam ; ideò non ampliùs petit dilectionem mercenariam , ſicut ſuprà faciebat, cum non haberet adhuc gratiam infuſam , ſed nunc ad Patrem plenè converſus , tamquam verè pœnitens ſe commendat , & poſtulat gratiam divinam ; Dei enim gratia , & amor ſemper ad altiora elevant animam : Vide igitur quam fœlix ſit recognitio culpæ , quæ promeretur Patris amplexus , inter quos amoris fervore anima reſolvitur , & homo mutatur in virum alterum , & introducitur ad comedendum vitulum ſaginatum. *Op.ſim.p.3.c.17.Luc.c.15.hic.*

30. *Pœnitentia attrahit Deum ad oſculum peccatoris.*

Cecidit ſuper collum ejus , & oſculatus eſt eum. Quid eſt, quòd audio ? ergo Deus ſuum os puriſſimum , & puritatem ſummam ſpirans, applicat ad oſculandum os impuriſſimum , & fœtidiſſimum , & inter cloacas porcinas deturpatum? ô vide peccator mirabiles effectus pœnitentiæ, quæ citiſſimè tranſit ab extremo ad extremum ; & in iſto peccatore os, quod priùs erat porcinum nunc per pœnitentiam ſpirat odorem ſuaviſſimum , & talem , ut potuerit attrahere ad ſe os Dei , & ſimul divinam gratiam , & tactum divinæ miſericordiæ. *Serm. 1. de Innocent. in addit.*

31. *Veſtis puritatis à Deo imponitur pœnitenti per miniſterium Sacerdotum.*

Dixit autem Pater ad ſervos ſuos , citò proferte ſtolam primam , & induite illum. Cur ad ſervos hæc ordinantur à Patre , & non potiùs ipſe per ſe facit ? Nota , quòd hæc veſtis eſt innocentiæ, quâ anima induitur per Sacramenta baptiſmi , & pœnitentiæ , iſtaque præcepit Chriſtus , ut per ſuos miniſtros , & Sacerdotes conferrentur, ideò ad ipſos dixit , *citò proferte &c.* hæcque reſonatè continuè facit ad aures Sacerdotum ; *citò proferte &c. Luc.c.15.hic*

31. *Deus plus dat in oratione , quàm petitur.*

Citò proferte ſtolam primam &c. Nota , quòd iſte pœnitens propoſuit petere à Patre , *fac me ſicut unum de mercenariis tuis* , & hoc, quia cognoſcebat , & fatebatur ſe ingratiſſimè perdidiſſe filiationem tanti Patris , *non ſum dignus vocari filius tuus* ; ſat mihi , ut ſolùm inter mercenarios etiam infirmos locum ultimum habeam , ſic iſte pœnitens orans & tamen Deus piiſſimus Pater ipſum acceptat non ut mercenarium , non ut ſervum , non ut miniſtrum , ſed ut filium chariſſimum , & dilectiſſimum ; ut hinc videas , quòd proprium eſt Dei plus dare oranti , & ſupplicanti , quàm ipſe petat , & qualis ſit vis orationis humilis apud Deum. *Ser. 4. in Rogat.* Nota etiam, quòd hîc oſtendit Deus , quòd plus valet apud ipſum unica perfecta ſupplicatio humilis pœnitentis , quam innumerabiles aliorum juſtorum de ſe præſumentium. *Luc.c.18.v.14.*

33. *Chriſti miſericordia in recipiendo peccatores pœnitentes expenditur.*

Cito proferte ſtolam primam &c. Ecce quàm mirabilis eſt Dei pietas , & miſericordia in recipiendo peccatorem pœnitentem : Pater enim miſericordiarum propter horrorem præteritarum fœditatum non devitat peccatoris conſortium? & filii ſic perditi , & ingrati , imò clementer ſuſcipit eum ad oſculum pacis , & concordiæ.

m

In cujus ſignum jubet ei tradi annulum in manu ejus, ideſt conſiderationem ſuæ benevolentiæ, per quam exinde ejus opera erunt meritoria; & calceamenta in pedibus, ideſt gratiam in effectibus, & veſtiri ſtolâ primâ, ideſt reſtitui in puritatem priſtinam; unde & notabile eſt, quod cum videatur iſte priùs pœnituiſſe ex quadam veluti coacta neceſſitate, & tamen ejus pœnitentia eſt Deo accepta, & merito; nam quæcumque neceſſitas cogat peccatorem ad pœnitentiam, dummodo ſit vera, non peccati quantitas, nec vitæ enormitas, nec hominis extremitas excludit à veniâ; ſi perfecta fuerit voluntatis terminatio, ſed in ampliſſimos ſinus Mater charitatis filios prodigos ſuſcipit reverrentes *Sermon.*1. *Dom.*1. *poſt oct. Pentec. ſermon.* 2. *Dom.*20. *Pentecoſt. ſerm. de S. Petro ad vincula.*

34. *Cætera, quæ ſpectant ad complementum expoſitionis parabolæ; & de vitulo ſaginato: ſcilicet Chriſto, & de ſenioris filio, qui audiens chorum, ſymphoniam nolebat intrare in domum Patris, & alia habentur expoſita ſuper textum in comment. S. Bonavent. hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Notâ, quod Chriſtus in hoc capite hortatur ad ſtudium beneficentiæ, & bonorum operum per duas parabolas, ſcilicet Villici iniqui, & Divitis Epulonis: Notandum tamen, quod in parabola Villici iniqui aliquid proponitur in ea recogitandum; aliquid refutandum, aliquid ut formidandum, aliquid ut tolerandum, aliquid ut providendum, aliquid ut imitandum, & aliquid ut commendandum: recogitanda eſt namque origo poteſtatis humanæ, ibi homo erat dives: refutanda eſt abuſio poteſtatis commiſſæ, ibi & hic diffamatus eſt, &c. formidanda diſcuſſio æquitatis ſuperna, ibi & vocavit illum, &c. toleranda imperfectio impietatis humanæ, ibi ait villicus intra ſe, &c. providenda eſt inventio fidelis amicitiæ, ibi ſcio quid faciam, &c. imitanda eſt exhibitio liberalis clementiæ ibi convocatis ſingulis debitoribus; commendanda eſt diſcretio ſagacitatis provida; ibi laudavit Dominus, &c. Luc. c.* 16. *v.* 1.

CAP. XV.

1. *Villicus Dei eſt quilibet homo obſtrictus cum Deo ad reddendum rationem villicationis ſuæ.*

HOmo quidam erat dives, qui habebat villicum, & hic diffamatus eſt, &c. Quis iſte magnus dives? quis ejus villicus? Nota, quod iſte dives, & ſolus dives eſt Deus, qui habet omnia & abundat, hujus Domini quilibet homo eſt villicus, qui habet aliquid poſſe terrenum, ſive dignitatis, ſive divitiarum, ſive aliarum rerum ad diſpenſandum, quæ omnia ipſi à Deo data ſunt veluti villico, & œconomo ſuo, ob id tenetur reddere rationem Deo de omnibus ſibi commiſſis, & à Deo datis. *Luc. c.* 16. *verſ.* 1. *ſerm.* 1. & 2. *Dom.* 8. *Pentecoſt.*

3. *Qualis ordo ſervandus à Judicibus in expeditione cauſarum contra reos.*

Et hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius; & vocavit illum, & ait illi, quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: Vide quomodo Dominus Jeſus conſtitutus Judex vivorum & mortuorum in punitione iſtius villici deſcribit omnia officia juſti Judicis ſervanda in expeditione cauſarum, & judicando reos: Nota autem, quod dicit, hic diffamatus eſt apud illum, ſcilicet per clamorem, ideſt per accuſationem, vel denuntiationem, vel famam publicam legitimam pervenientem ad aures ſuas: ſubdit vocavit illum, ſcilicet citando illum ad curiam ſuam; deindè ſubdit quid hoc audio de te, hicque notatur inquiſitio, inſinuatio, & examen, & tandem ſubdit redde rationem villicationis tuæ, per quod poſtulatur ſatisfactio debita ſecundum proportionem delicti legitimè probati. *Luc. hic ſer.* 1. *Dom.* 8. *Pentecoſt.*

4. *Diſſipatio bonorum temporalium peccaminoſa qualiter fiat.*

Quaſi diſſipaſſet bona ipſius. Nota, quod hæc dicitur de omnibus, qui temporalia iſta malè congregant, vel non benè expendunt, nec ordinantur ad acquirenda bona cœleſtia, & de talibus diſſipantibus plenus eſt mundus, pauci enim ſunt, qui, divitiis à Deo conceſſis juxta Dei præſcriptum, utantur, multi autem ſunt, qui divitiis abutuntur in ejus, qui eis conceſſit, offenſam. *Luc. c.* 16. *verſ.* 1. & *ſerm. in Dom.* 8. *Pentecoſt.*

5. *Pauperum clamor eſt, qui apud Deum diffamat crudeles divites.*

Et hic diffamatus eſt, &c. Cur? quia diſſipavit ſubſtantiam Domini, ſcilicet immiſericordiam exercuit in pauperes, & ideò eorum clamor pervenit ad aures Dei, ipſumque excitat ad vindictam contra malos divites. *In Lucam & ſermon. ibid.*

6. *Chriſtus multipliciter vocat, & citat nos ad ſuam curiam.*

Vocavit illum, ideſt citavit illum ad ſuam curiam: ſic Chriſtus nos vocat ad ſuam

Digitized by Google

curiam cœleſtis patriæ & hoc tripliciter; ſcilicet verbo prædicationis ſanctæ rationalem informantis: ſecundò beneficio continuæ adminiſtrationis concupiſcibilem allicientis: tertiò flagellis correptionis pœnitentiæ iraſcibilem deterrentis; quos enim cognoſcit Dominus inſenſibiles & nolunt erudiri per documenta, nec allici per beneficia multiplicia, intendit deterrere per flagella, ut veluti coacti flagellis ad pœnitentiam ſe reducant. *Ser. 1. Dom. 8. Pentec.*

7. *Inobedientia, invidia, & laſcivia valdè excitant iram Dei ſuper nos.*

Quid hoc audio de te? Quid eſt, quod proteſtatur Deus ſe excitatum ad punitionem iſtius villici? multa fuerunt ſcelera iſtius, ſed præcipua fuerunt tria, ſcilicet Inobedientia, invidia, & laſcivia, in quæ ſe præcipitaverat, & iſta ſunt, quæ excitant maximè iram Dei in nos. *Serm. 1. Dom. 8. Penteceſt.*

8. *In morte cujuſlibet dicitur à Deo, redde rationem villicationis tuæ; & qualis ſit iſta villicatio à Deo tam diligenter expenſa.*

Redde rationem villicationis tuæ, &c. Scilicet de immundis cogitationibus cordis, de vanis, & duris ſermonibus, & de malis, & pravis operibus, undè in morte cujuſlibet dicit Chriſtus redde rationem de iſtis tribus, jam non poteris amplius villicare, & operari ad ſatisfaciendum; & ultra hoc examen commune omnibus ſtrictiùs exigetur ſecundum qualitates diverſas, & munera, & ſtatus hominum: unde Prælatis maximè dicetur, redde rationem villicationis tuæ, ſcilicet quomodo huc intraſti, quomodo vixiſti, & quomodo rexiſti, & cuſtodiſti populum tibi commiſſum; ſic & Judicibus, & aliis omnibus officialibus in quocumque ſtatu, & ideò iſtis duriſſimum judicium fiet à Chriſto, cum teneantur reddere rationem non ſolùm de vita, & actibus propriis perſonalibus, ſed & de omnibus operationibus tangentibus ſuum proprium munus; unde verè terribilis eſt hæc ſententia, & omnibus formidanda; redde rationem villicationis tuæ. *Ser. 1. & 2. Dom. 8. Pent. ſap. c. 6. Luc. c. 16. hic; & c. 19. v. 15. & c. 12. v. 48.*

9. *Infelicitas non valentis fodere; Ubi de humilitate.*

Ait autem villicus intra ſe: quid faciam? fodere non valeo. O infelix, ecce ad qualem ſtatum miſerabilem tua otioſitas te redegit; ais, fodere non valeo? cur hoc? hoc eſt, quia vitam otioſam ſemper duxiſti: hoc autem rectè dicitur de iis, qui vitam in vitiis ſemper duxerunt, & ſolùm ad ſuam ambitionem, honores, & dignitates, attendentes. ideo fodere, ſcilicet ſe exercere in actibus humilitatis numquam didicerunt, & per hoc ruinam ſibi paraverunt, & hinc judicio Dei terribili ſe ſubjicere coguntur. *In Lucam cap. 6. verſ. 48.*

10. *Quàm infelix, qui neſcit fodere in vulnera Chriſti: quàm felix, qui fodit in ea.*

Quid faciam? fodere non valeo: O quam infelix iſte villicus, qui cum non valeat fodere dicit, quid faciam, quaſi deſperatus, & redactus ad ſummam calamitatem; ſed ſi neſcis fodere, nonne vales te applicare ad aliquod aliud exercitium, ad parandam ſuſtentationem tuam, & ad ſatisfactionem Domino exhibendam? ô quam merito dicit, quid faciam, ex eo, quod fodere non valet; quia ſcilicet neſcit, & non valet fodere in humo humanitatis Chriſti, fodere inquam, & intrare in vulnera Chriſti, in quibus ſolis & ſuſtentatio neceſſaria ad vitam, & ad refectionem, & ſatisfactio pro peccatis Deo exhibenda invenitur; Væ igitur illis, quorum corda emolliri non valent, & ad bona opera non excitantur ad tale ſpectaculum amoris: E contra quàm felix, & beatus, qui in foſſa humo Chriſti humanitatis intrat, qui ad vulnera Chriſti ſe convertit, qui in ipſa frequenter per meditationem intrat, quia ibi omnia flumina divitiarum, & gratiarum invenit. *Opuſcul. de perfect. vitæ capit. 6. opuſcul. ſtim. p. 1. cap. 1.*

11. *Electio ſtatus, & Religionis qualis perfecta, qualis imperfecta.*

Quid faciam? fodere non valeo, mendicare erubeſco. Vide quam inconſideratum ſe iſte oſtendit; dicit enim *fodere, &c.* Sed cur non aliud exercitii genus cogitat, ut honeſtè vivat? Sed tamen hæc duo tantùm commemorat, ſcilicet fodendi, & mendicandi exercitium; nam in primo labor occurrit, & in ſecundo pudor; eſtque figura eorum, qui cogitant relinquere ſæculum, & intrare in Religionem, in cujus electione dicunt, quid faciam? quam Religionem eligam? non illam, in qua multum laborare oportet; nec aliam, in qua mendicitas exerceretur, ut eſt Religio Sancti Franciſci; & cum iſta homini imperfecto ſint valdè difficilia, aliam eligit, in qua poſſit indulgere corporis commoditatibus, & ſimul etiam Deo ſervire; & talis electio eſt imperfectorum, & tepidorum ſicut è contra volentes ſequi perfectè Chriſtum, eligunt Religionem laborioſam, & pauperem, ut laboribus, pœnitentiis, & mendicationi incumbentes, Chriſtum perfectè ſequi poſſint; & hinc eſt, quod S. Pater Franciſcus ſuam Religionem inſtituit, in qua Religioſi utrumque profitentur, & maximè mendicationem in obſequium altiſſimæ paupertatis, & perfectæ imitationis Chriſti; & ideò ſuos Religioſos monet in Regula, ne erubeſcant, & verecundentur in mendicando, cum Chriſtus ſimiliter ſe fecerit pauperem pro nobis in hoc mundo; ſicut accidit huic villico, qui dicebat mendicare erubeſco, tamquam imperfectus in via Dei, nec dicit contemno, ſed erubeſco mendicare, quia illud eſſet impietatis deteſtandæ, iſtud eſt infirmitatis tolerandæ. *Luc. c. 16 hic.*

12. *De remiſſione facta à villico omnibus debitoribus Domini ſui, de numero quinquagenario, & vigeſimo*

Digitized by Google

vigeſimo talis remiſſionis, vide in textum comment. Seraph. Doct.

13. *Mundani ſapè in ſapientia, & prudentia carnis ſuperant Religioſos in iis, quæ ad Dei obſequium ſpectant; Unde dicit Chriſtus, quod filii hujus ſæculi, &c. Vide in Luc. c. 16. hic: & c. 23. v. 7. op. Eccleſ. Hier. p. 2. c. 3. Pſal. 82.*

14. *Divitiæ rarò ſejunctæ à ſceleribus.*

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Quid eſt mammona iniquitatis? Mammona in lingua Syriaca idem eſt ac divitiæ, ſed cur appellantur mammona, ſeu receptaculum iniquitatis? forſan loquitur de congregationibus divitiarum ex injuſtitia? minimè; ſed loquitur de iis, quæ poſſidentur juſto titulo; ſed cur dicuntur divitiæ iniquitatis? poteſt enim quis licitè uti divitiis, & ſimul juſticiam ſervare? Reſpondetur, quod dicuntur receptacula iniquitatis, quia ut plurimum ſunt occaſio divitibus ſe immergendi in omnia ſcelera, & præcipue ingratitudinem contra Deum afferunt. *Luc. hic: op. Diat. tit. 1. cap. 6. aliiſque locis infracit.*

15. *Admonitio ad divites, & ad pauperes ex verbis Chriſti.*

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Nota, quod hic Chriſtus diſſerit quibuſnam præcipuè divitiæ ſunt elargiendæ à divitibus, nempè illis pauperibus, qui dominium habent regni Cœlorum, ſuntque pauperes ſpiritu, quibus Chriſtus conſtituit, ut diſtribuerent miſericordibus æterna tabernacula; fecit enim ipſos judices, ut vel reciperent in Cœlo, vel excluderent à gloria divites: Datur etiam tacitè admonitio ipſis pauperibus maximè Religioſis, ut dum divitias à divitibus recipiunt, iis non abutantur congregando avarè eas in hoc mundo ad luxum, ad deliciandum, & ad voluptatibus ſerviendum; ſed ut iis utantur neceſſariis ad Dei obſequium, & perfectionem acquirendam, & ſic poſſeſſionem regni cœleſtis adipiſcantur, ut poſſint divites recipere in æterna tabernacula. *Op. de Paup. Chriſti a. 2. op. Apol. Paup. Reſp. 3. cap. 2. & Reſp. 4. c. 3. ſerm. 1. de SS. Phil. & Jac. Luc. cap. 6. verſ. 38. ſerm. 2. de S. Thoma ſermon. 4. & 5. Dom. 8. Penitc.*

16 *Divites alii faciunt ſibi amicos in bonum, alii in malum, & damnationem.*

Facite vobis amicos de mammona, ideſt de divitiis. Nota, quod dicit amicos in plurali numero, quia per divitias plures amicos poteſt quis ſibi comparare in bonum, & ſalutem, vel in malum, & damnationem; In bonum elargiendo pro Chriſto eleemoſynas facit ſibi homo amicum Deum, Angelos, & pauperes; in malum facit ſibi amicum diabolum, ſed fraudulentum, & verè inimicum, qui divitias in peccatis conſumit. *Sermon. 4. & 5. Dom. 8. Pentec.*

17. *Qui fidelis in modico Deo eſt, & in majori fidelitatem ſervat, & præmium obtinebit.* Sic infert Chriſtus ex antecedentibus, dans per hoc intelligere, quod iſta temporalia, licet apud mundanos videantur magna, ſunt tamen pauca, & minima, & in his apparet fidelitas Chriſtianorum, nam ſi utantur his donis in hac vita ad Dei gloriam, & in alia vita inj multis fidelitatis præmium obtinebunt. *Luc. c. 16. hic: & cap. 19. v. 17.*

18. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire, &c. Vide quæ dicta ſunt in Matth. c. 6. Diat. tit. 8. c. 1. op. Inſtruct. Novit. p. 1. c. 16. Luc. hic: & c. 4. v. 8 & c. 20. v. 34.*

19. *Deridentes Prædicatores, & Doctores ſpiritualia documenta prædicantes ſimiles ſunt Phariſæis, qui audientes Chriſtum prædicantem Evangelium, & eorum vitia redarguentem, deridebant eum.* Unde mirum non eſt, ſi mundani deridcant aliquando Dei ſervos conantes reducere peccatores ad pœnitentiam. *Opuſcul. Apol. Paup. Reſp. 4. cap. 3. Luc. hic: & cap. 7. verſ. 30. Thren. cap. 3.*

20. *Dei viæ omnino contrariæ ſunt viis mundi.* Sic dicit Chriſtus, *quod altum eſt hominibus, abominabile eſt apud Deum*; Sunt enim omninò contrariæ viæ Dei, & mundi. *Vide hic in textu: & c. 1. v. 6. & c. 5. v. 30. & c. 15. v. 2. & c. 18. v. 10. op. Legenda: c. 6.*

21. *Quomodo violenti rapiunt regnum Dei: Vide in Matth. c. 11. & hic in Lucam, &c.*

22. *Infallibilitas promiſſorum Chriſti. in illis verbis facilius eſt Cœlum, & terram pertranſire, &c. expenditur in Matth. cap. 24. num. 37. & hic in Lucam.*

23. Chriſtus ad confirmationem ſuorum dictorum adducit exemplum hiſtoriæ damnationis divitis, & ſalvationis Lazari mendici, dicens *Homo quidam erat dives, &c.* quod habet quidem rationem parabolæ indicantis, quod dives apud inferos torquebatur, quia Lazarum non fecit ſibi amicum, à quo recipi poſſet in æterna tabernacula; & hoc eſt exemplum verum, & vera hiſtoria, quæ paulo ante prædicationem Chriſti ſecuta fuerat; ideo ponitur expreſsè nomen pauperis, ſcilicet Lazari, & ſubticetur ex myſterio nomen divitis; in quo exemplo tria præcipuè notat Chriſtus, ſcilicet immiſericordiæ cauſam, ſcilicet amorem ſui; culpam, ſcilicet crudelitatem in pauperem; & pœnam, ſcilicet dejectionem in inferno. *In Luc. cap. 16. verſ. 19.*

24. *Alii ſunt divites ſine divitiis, alii divites cum divitiis.*

Homo quidam erat dives, qui induebatur, &c. Nota, quod dicit dives abſolutè, ſcilicet non ſolùm ob divitiarum poſſeſſionem, ſed magis propter earum dilectionem, & cupiditatem, ob quam incraſſatus, & prægravatus eſt ejus ſpiritus, ideo ſepultus in inferno: Divites autem prudentes, divites ſunt, ſed expropriati affectu ad Cœlum valent conſcendere. *In Luc. c. 16. v. 19.*

25. *Veſtium, & indumentorum vitioſitas expenditur.*

Qui induebatur purpura, & byſſo. Scilicet veſtibus pulchris, & pretioſis ad vanam gloriam: Nota autem, quod poteſt peccari quadrupliciter in veſti-

ſtitu, primò propter pretioſitatem nimiam: ſecundò propter ſuperabundantiam : tertiò propter curioſitatem : quartò propter indecentiam, & hæc reſpicit maximè Clericos, & Religioſos. *Vide in Luc. hic: op. ſpec. Diſcipl. p. 1. c. 25.*

26. *Væ iis, qui priùs aſſumunt purpuram, poſtea byſſum.*

Qui induebatur purpura, & byſſo. Nota, quod priùs ponitur purpura, poſteà byſſus; purpura eſt habitus exterior coloris purpurei proprius Regum : byſſus & veſtis linea candida, & munda, quæ ſolet ſubtus immediatè ad carnem applicari: In ſacra ſcriptura purpura ſignificat vitam voluptatibus deditam; biſſus vitam pœnitentiis ſubjectam : Iſte autem dives propoſuit ſibi ducere vitam totam immerſam in voluptatibus, & poſteà in fine vitæ pœnitentiam agere, ſed tempus ei non fuit collatum, ideo damnatus eſt. *Vide in Prov. c. 31. ad illa verba, Byſſus, & purpura indumentum ejus.*

27. *Gula vitium multos præcipitat in omnia vitia, & in infernum.*

Et epulabatur quotidiè ſplendide. Nota quòd hoc verbo *epulabatur quotidie, &c.* Intendit Chriſtus exprimere alia multa vitia, maximè carnalitatis, in quæ iſte dives ſe præcipitavit; nam ex vitio gulæ innumera mala oriuntur. *Luc. hic. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 20.*

28. *Juſti apud Deum nominati, non apud homines; Impii è contra.*

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus. Cur nomine proprio exprimit pauperem, & reticet nomen divitis? Ecce quale myſterium in hoc puncto : datur per hoc intelligi, quod impii, licet in mundo ſint apud homines famoſi, & nominati, apud Deum tamen non ſunt cogniti, ſcilicet notitia approbationis, & eorum nomen de libro viventium excluſum : Juſti è contra, licet apud homines ſint incogniti, rejecti, ejecti, & odioſi, apud Deum tamen ſunt cogniti, & aureis litteris inſcriptum eorum nomen in libro vitæ. *Luc. hic ſer. 1. Dom. 4. Pentec.* Notat autem Sanctus Antoninus divitem] vocatum fuiſſe nomine Nineuſis, eratque conſanguineus Sancti Joannis Baptiſtæ.

29. *Divites tenentur ad eleemoſynam in extrema, vel gravi neceſſitate.*

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat, &c. Vide quomodo Chriſtus comparat inter ſe divitem, & pauperem, divitis inhumanitatem, & pauperis neceſſitatem; in qua comparatione aggravatur divitis crudelitas, ex hoc, quòd pauper erat unicus, mendicus, manifeſtus, quia jacebat ad januam divitis. languidus, ſcilicet ulceribus plenus. famelicus, & indigens, & de paucis contentus, & quia noluit indigenti tali ſubvenire, ideo damnatus. *Luc. c. 16. hic. ſer. 2. Dom. 4. Pentec. ſer. 1. de S. Jacobo.*

30. *Homo ſæpè crudelior beſtiis, imò & mitior beſtiis, quàm homini.*

Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus. Vide quomodò ubi deficit hominum humanitas, ſubvenit canum ſubſidium : & per hoc datur intelligi, quod homines ſæpè ſunt crudeliores beſtiis, imò multi ſunt mitiores canibus, & beſtiis, quàm pauperi : canes tui (*ait Criſol.*) aliquando pingues, ſed pauper nec micam de menſa tua aliquando recipit. *Op. Diat. tit. 1. c. 8. Luc. hic.*

31. *Prædicatorum lingua eſt medicinalis.*

Sed & canes veniebant, &c. Nota, quod meritò admittebantur canes ad lingendum ulcera Lazari, quia eorum lingua eſt medicinalis : & quia canes contrà diabolum, & vitia latrantes ſunt Prædicatores, & ideò eorum lingua eſt ſanativa, & medicinalis, & felix, qui ſe ſinit lingi à tali lingua. *Ser. 3. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

32. *E carcere, & ſinu pœnitentiæ ad palatium cæleſte juſti efferuntur; Impii è palatio mundi ad carcerem Inferni.*

Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt autem, & dives, & ſepultus eſt in inferno. Ecce, quod in morte cognoſcitur quis verè fuerit Deo fidelis, & quis infidelis, nam fit alterna mutatio; nam pauper à carcere hujus vitæ in quo tandiu laboravit, & pœnoſam vitam duxit ad Cœli palatium tranſlatus eſt : Dives è contra à ſuo palatio, & lecto regali ad carcerem Inferni à Dæmonibus juſtè delatus eſt. *Ser. 2. Dom. 2. poſt oct. Epiph. ſer. 4. Dom. 4. Quadrag. ſer. 5. Dom. 8. Pentec. ſer. 2. Dom. 15. Pentec.*

33. *Angeli accurrunt ad exequias juſtorum, & perducunt ipſorum animas à terra, vel è Purgatorio ad Cœlum : Dæmones ad exequias impiorum, &c.*

Factum eſt autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in Inferno. Vide quam verum id, quod dixit David, Nimis honorificati ſunt amici tui Deus; cum enim mendicus iſte fuerit Dei amicus, Sanctus, & bonus reductus ad extremum vitæ, Deus ad ipſius mortem, & funus miſit non unum, ſed plures Angelos, ut aſſiſterent ad ipſius exequias, & ſupplerent quod ei ab hominibus defecit, & deportarent animam in ſinum Abrahæ, ſcilicet ad requiem æternam, quod & faciunt etiam cum animabus Purgatorii : E contra Dæmones accurrunt ad mortem, & exequias impiorum, ut eos ad ſepulturam Inferni deferant. *Ser. 1. Dom. 15. Pentec. ſerm. 4. Dom. 8. Pentec. ſerm. 3. Dom. 24. Pentec. ſerm. 3. de S. Michaele in addit.*

34. *Angeli*

Digitized by Google

34. *Angeli collocant animas puerorum, ſcilicet humilium in ſinu Dei: damones ſuperborum animas in medio flammarum.*

Et portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Quid eſt in ſinum Abrahæ, & non potiùs in Cœlum? In ſinu Abrahæ ideſt in æterna requie, & fruitione Dei; & cur appellat gloriam, & viſionem Dei ſinum Abrahæ? in ſinu collocantur parvuli, & non animæ? optimè dicit in ſinum Abrahæ ideſt Dei Patris, quia ſinus eſt locus requiei parvulorum, ibique admittuntur à Matre ad ſugendum lac dulce ex uberibus; datque intelligere, quod tantùm parvuli, ideſt humiles, qualis fuit iſte felix mendicus, collocantur ab Angelis in ſinu Dei, ut ibi requieſcant à laboribus ſuis, & ſugant ubera gloriæ Dei, & quia iſte non eſt locus grandium, & ſuperborum; ideò è contrà collocantur in medio flammarum inter dracones ubi ſugent in æternum fel Draconum. *Ser.1.de S.Michaële: ſerm.2.de Rector. in addit. Luc.hic.*

35. *Juſti unâ vice in fine vitæ feliciter moriuntur: Impii antè ultimam mortem pluries moriuntur.*

Mortuus eſt autem & dives, &c. Nota diſcrimen, quo enarratur mors Lazari, & mors divitis: mors Lazari ſignificatur in tempore præſenti; mors divitis in præterito mortuus eſt; cur hoc diſcrimen? cur non dicitur de Lazaro, mortuus eſt Lazarus? vel de divite, factum eſt, ut moreretur dives? Ecce myſterium: dicitur de divite, mortuus eſt in tempore præterito, quia antè ultimaram mortem, jam in morte degebat vitam infelicem, & pluribus mortibus ſubjectam; mortuus eſt non unâ morte, ſed multiplici, ſcilicet morte culpæ, qua ſeparatur anima à Deo, & in tali morte, dum vivebat, etiam mortuus erat per multiplicationem peccatorum mortalium ſuperbiæ, laſciviæ, & immiſericordiæ. poſt hanc multiplicem mortem, mortuus eſt tandem corporaliter, & æternaliter ſepultus in Inferno: Lazarus verò ſanctus, & bonus immunis à morte culpæ, mortuus eſt corpore, ſed revixit anima in Cœlum. *Luc. capit. 16. hic.*

36. *Parochianorum Chriſti, & diaboli qualis ſepultura.*

Ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ; mortuus eſt & dives, & ſepultus eſt in Inferno. Ecce qualis ſors juſtorum; & qualis miſeria impiorum; nam ad mortem juſtorum accurrunt Angeli, & comitantur eos ad ſepulturam, ipſoſque efferunt tamquàm Parochianos Chriſti in ſepulturam, vel potiùs in palatium cæleſte in ſinum quietis æternæ: ad mortem impiorum accurrunt dæmones, ipſoſque tamquam ſuos Parochianos ſepeliunt in fovea profundiſſima Inferni. *Luc.c.16. hic & aliis locis ſuprà cit.n.33.*

37. *Impii in hac vita ſunt primi, in morte fiunt noviſſimi: Juſti è contrà, &c.*

Factum eſt, ut moreretur mendicus, &c. mortuus eſt & dives, &c. Nota quod in deſcriptione vitæ utriuſque primo loco ponitur à Chriſto, dives; *Erat quidam, &c.* & ſecundo loco mendicus; *& erat quidam mendicus*; dum enarratur mors utriuſque primo loco ponitur mendicus, ſecundo loco dives, cur hæc variatio? cur non ſervatur idem ordo? ſed optimè, & optimo ordine hoc factum eſt, ſcilicet ut verificetur dictum Chriſti; *Matth.c.20.* Erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi: Dives in hac vita primum locum, ut ſuperbus occupare voluit, Lazarus deſpectus ab omnibus noviſſimum, & viliſſimum locum habuit; ſed ecce fit alterna mutatio in morte, nam primus, & ſupremus locus datus eſt pauperi, quia elevatus eſt in Cœlum, & diviti infimus, & miſerabilis in profunda fovea Inferni; ut verificetur Chriſti ſententia, *qui ſe exaltat humiliabitur, &c. ſer.4.Dom.ſeptuag.ſer.2 de S.Jacobo: Luc.c.16.v.25.*

38. Qui in hac vita ſine familia, & ab omnibus deſpectus eſt pro Chriſto: in morte familiam Angelorum in miniſterium obtinet, ut patet in hoc mendico; imò qui tantùm miniſterio canum lingentium ulcera ejus contentus fuit pro amore Dei, in morte miniſterio Angelorum Deus ipſum ditavit. *Ser.1.de S.Michaële in addit.Luc: hic.*

39. *Damnati antè diem judicii videbunt aliqualiter gloriam in communi Beatorum ad majus ſupplicium.*

Elevans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus. Vidit iſte damnatus Abraham, & Lazarum? quomodò vidit in tam longa diſtantia? Nota, quod licet tanta ſit diſtantia inter damnatos, & Beatos, tamen damnati videbunt gloriam Beatorum ante judicium, ut hæc viſio ſit illis in majus tormentum, & ſupplicium, tum propter invidiam alienæ felicitatis, qua torquentur; tum propter carentiam propriæ beatitudinis; hoc inquam ante judicium, nam poſt judicium ad proprias pœnas ita deflecteretur eorum conſideratio, quod de ſanctorum gloria non cogitabunt. *Op.Comp. Theol.lib.7.cap.22. Luc. cap.16: verſ.23.*

40. *Qui ad clamorem pauperis in hac vitâ obturat aures, in alia clamabit, & non exaudietur.*

Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, &c. Nota illud verbum, *clamans*; clamabat præ multitudine, & magnitudine doloris, clamavit, ſed non fuit auditus, nec exauditus, quia in hac vita obturavit aures ſuas ad clamorem pauperis; ideò meritò ejus clamor non exauditus eſt à Deo. *Ser.3.Dom.ſeptuageſim: op. Diastit.5. cap. 3. Luc: hic.*

41. *Qui*

41. *Qui in hac vita mendicantes non ſubvenit, in alia ipſe mendicabit ſine fructu.*

Pater Abraham miſerere mei. & mitte Lazarum, ut &c. Quid dicis ô dives epulo? nonnè eſt vox miſeti mendicantis, & indigentis, & poſiti in extrema neceſſitate? vide, quod iſtæ voces indignæ ſunt tuo nobili, & decoroſo ſtatui? ô quàm juſta ſunt Dei judicia! ecce alterna mutatio: Iſtæ voces erant jam mendici Lazari, qui ad januam clamabat, imò ejus vulnera clamabant inceſſanter ad aures divitis, miſerere mei, mitte mihi ſaltem calicem aquæ frigidæ, vel micas cadentes de tua menſa, ſed quia mendico, & mendicanti noluit crudelis ſubvenire; ecce quod in alia vita Lazarus factus eſt dives, & dives mendicus, & inter miſerrimos mendicantes adnumeratus, ideo clamabat in Inferno, ſed fruſtrà, *miſerere mei, &c.* ut hinc diſcas ô homo, quod qualis fueris in hac vita cum paupere, & proximo indigente, talis erit tibi Deus in alia vita. *Op. Diat. tit. 5. cap. 3. ſerm. 3. Septuag. ſer. 1. Dom. 1. Pent. ſer. 3. Dom. 5. Pent.*

42. *In quo membro quis magis Deum offendit in hac vita, in alia magis torquebitur.*

Mitte Lazarum, &c. ut refrigeret linguam meam, quia crucior, &c. Vide, quod iſte dives abſorptus erat totus in flammis infernalibus, & ideò per totum cruciatus, tamen petit refrigerium tantùm linguæ; ut refrigeret linguam meam: cur ad refrigerandam ſolam linguam te convertis ſi jam te totum poſſidet Infernus, quare ſolius linguæ deſideras æſtibus ſubveniri? ſed hoc non eſt mirum, quia rectitudo divinæ juſtitiæ exigit, ut in quo membro magis offenditur Deus, in eo magis etiam crucietur: ideò magis lingua iſtius impii damnati ardet, quæ pauperi inſultavit, quæ pauperi miſericordiam denegavit; qui linguam verſabatur in detractionibus, in impudicitiis, in blaſphemiis, in voluptatibus ciborum delicatiorum; hæc præcedit ad judicium, quæ præceſſit ad peccatum; hæc primò deguſtat cruciatus, quæ pretioſos cibos, & odorifera pocula deguſtavit, ſecundùm illud *Sap. 11. Per quæ quis peccat, per hæc & punitur:* hæc lingua eſt, quæ inter convivia loquacitati, detractioni, impudicitiis ſtuduit, ideo apud inferos graviùs ardere perhibetur. *Ser. 3. de Rector. in addit. Luc. hic.*

43. *Damnati ad Inferos portent ſecum malos habitus, inclinationes, conſuetudines, imaginationes ad majorem cruciatum, quibus in hac vita ſtuduerunt, & in quibus vixerunt.*

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior, &c. Plura hic in his verbis hujus damnati notabiliſſima proponuntur obſervanda? alterum eſt, de quo digito hic loquatur *extremum digiti*; decem digitos habet Lazarus: de quo digito? aliud eſt illud verbum, *extremum*, ideſt extremam ſummitatem digiti: cur non dicit totum digitum, vel totam manum? præterea quænam eſt hæc lingua, in qua cruciatur, cum ſit membrum corporis, & ipſe in ſola anima crucietur in Inferno? corpus autem, & lingua jam à vermibus erant conſumpta? Hæc omnia dubia nobis tamen exponunt pulchra documenta moralia: Dicit igitur extremum digiti intranſitivè, ſcilicet extremum, & parvum digitum, & extremum in hoc minimo quærit, non totum digitum, quia ut notat Chryſoſtomus, non audet totum digitum petere, quia hanc conſuetudinem ex hac vita ad infernum portavit, quia extrema ſemper ad ſalutem quæſivit, ſcilicet dum agebatur de deliciis, voluptatibus, ſumptibus vanis, comeſſationibus, & aliis vanitatibus, totum ſe in iis immergebat, & ſine menſura totum inſumebat; dum agebatur de cultu Dei, de eleemoſyna facienda, de operibus pœnitentialibus extremum digiti vix extendebat, & tardò, frigidiſſimus in cæleſtibus, ferventiſſimus in terrenis; hinc eadem conſuetudine peſſimâ inveteratâ affectus in Infernum intrans, eamdem etiam ſervare voluit: Audiant hoc mundani ſimiles, quibus plenus eſt Mundus? Ad aliud de lingua reſpondetur, quod cum flamma eſſet vera, lingua tamen erat imaginaria, ut pateat primò, quod anima in Inferno affligitur vero igne, & etiam ſub imaginibus, quas traxit à corpore; undè in afflictione reprobotum ſimul concurrit pœna vera, & imaginaria, ſimul actio naturalis, & ſupernaturalis, ſimul afflictio intrinſeca, & extrinſeca, ſimul propria, & aliena, ut ſic impleatur illud *ſap. c. 5. Et pugnabit cum illo orbis terrarum contrà inſenſatos*; vera namque flamma adurebat, & lingua imaginaria, & phantaſtica in anima divitis illi aduſtioni fomentum præſtabat, quia ad infernum portavit inclinationes ſuas peſſimas, uſum malum linguæ: ô attendant ad hæc mortales, & intelligant, quod non ſolùm actus, ſed & habitus, & conſuetudines, & imaginationes peſſimæ hujus vitæ tormentum ipſis inferunt. *Luc hic ſer. 3. de Rector. in addit.*

44. *Lingua mala peſſimi effectus in hac, & altera vita expenduntur.*

Mitte, &c. ut refrigeret linguam meam, &c. Cur ſolùm fit mentio de lingua in tot tormentis, & non de aliis corporis partibus? ſed meritò quia iſte dives magis peccavit in lingua, & quia ipſa eſt in culpis quaſi fomes totius iniquitatis; impugnat enim divinam Majeſtatem per verba jactantiæ, & blaſphemiæ, divinam veritatem per mendacia, divinam bonitatem per verba blandientia trahentia ad peccatum alios, & per verba detrahentia; mutuam charitatem per verba litigantia, & provocantia; & morum honeſtatem per verba impudica, & infructuoſa; ideo meritò iſte dives dicebat, ut refrigeret linguam meam, &c. *Luc. c. 16. v. 24.*

45. *Lacryma*

45. *Lachrymarum aqua in hac, non in alia vita extinguit ignem Inferni.*

Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, &c. quia crucior in hac flamma. Ecce quomodò iſte ſtultus petit guttam aquæ ad refrigerandam linguam, & ad mitigandas flammas Inferni? nonnè hæc eſt apertiſſima ſtultitia? ſed tamen aliud nobis myſticè ſignificatur, nempè vis aquæ lachrymarum, quæ tanta, & talis eſt, ut effuſa in hac vita, non in altera ignem Inferni poſſit extinguere; ſed tamen iſte ſe ſtultum oſtendit, dum in Inferno petit hanc aquam, quæ ibi nihil prodeſt. *Ser.2. Dom.2. Quadrag.*

46. *In hac vita oculos in terram fixos habet; in alia ad ſuum majorem cruciatum elevabit eos ad Cœlum.*

Elevans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham, & Lazarum in ſinu ejus. Cur notatur iſta elevatio oculorum divitis? cur abſque tali elevatione non dicitur, cum eſſet in tormentis vidit Abraham, &c. & ſi vidit quomodò, & quâ potentiâ tàm longè vidit, cum inter ipſos magnum chaos firmatum eſſet? ô quàm benè notatur iſta elevatio divitis, qui in hac vita oculos ſuos ſemper depreſſos, & fixos in terram habuit, terrenis adhærens, Cœli, cæleſtiumque oblitus! ſic diſcurrit *S. Petr. Chryſol.* nunc autem ipſos elevat, & juſto Dei judicio à longè nunc videt Abraham, & mendicum glorioſum, quem in terra à propè noluit videre & hoc ad majorem ſui cruciatum; undè cum eſſet totus immerſus in tormentis, oppreſſus, & ligatus, ſolos oculos liberos habuit ad majus ſupplicium. *Op. Comp. Theol lib. 7. c. 22. ſer. 2. de S. Ioan. Evangeliſt. in addit. Luc. hic & S. Petr. Chryſol. S. Greg. & Chryſoſt.*

47. *Damnati toti abſorbentur in flammis.*

Cum eſſet in tormentis. Cur dicitur ipſe eſſe in tormentis, & non potiùs ipſa tormenta eſſe in ipſo? ſed optimè, ob tormentorum magnitudinem, & univerſalitatem, ita ut ea homo non capiat; ſed hominem obruant, & ſepeliant; undè *Pſalm. 20. dicitur, Ponet eos ut clibanum ignis*, ſcilicet damnatos: Nota, quod non dicit ponet eos in clibano, ſed ut clibanum, ſcilicet ſicut enim in clibano pleno igne, ubicumque ſciſſura eſt, ibi erumpit flamma, ſic damnati abſorbentur ità ab igne, ut pleni igne reddantur ut clibanus, in quibus flamma per os, per oculos, per nares erumpit: & nota, quod dicit cum eſſet in tormentis, nec explicat aliquod genus ſpeciale, ſed omnia tormenta in unum congerit, quia damnati ſubeunt omnes pœnas, tormenta, ſupplicia, quæ poſſunt torquere hominem: ô infelix ſtatus, miſeria, & calamitas deplorànda. *Ser. 1. Dom. 3. Pent. 6p. Diat. th. 10. c. 1. Luc. hic.*

48. *Qui in hac vita non clamat per pœnitentiam, in Inferno clamabit perpetuò ſed fruſtrà: Vbi de pœnitentia damnatorum.*

Et ipſe clamans dixit Pater Abraham miſerere mei. Vide, & audi ſupplicem, & humilem orationem, & ſupplicationem divitis: *Pater*, ecce confidentia, & fiducia debita orationi: *miſerere mei*; ecce dolor de malis commiſſis, & poſtulatio miſericordiæ, & tamen nihil impetravit; cur hoc? cur ad tantam humiliationem non flexit Deum ſuâ miſericordiâ? ô attendite peccatores ad hunc miſerum: clamavit in Inferno; ſed fruſtrà, pœnituit, ſed tardè, quia in hac vita numquàm voluit clamare per pœnitentiam, ideò in Inferno cogitur clamare, ſed fruſtratoriè: Clama ergo ô peccator, & aquam lachrymarum funde in hac vita, ut ignem non gehennæ, ſed culpæ extinguas: Vide quot potentes, nobiles, divites, glorioſos juvenes, & mulieres pulchras, & viros comedit ignis Inferni, & hoc per tot, & tot annos; nã tua res agitur, paries cum proximus ardet. *Ser. 1. Dom. 2. Quadrag. lib. 2. d. 7. p. 1 qu. 1. & lib. 4. d 50. p. 1. qu. 1. & p. 2. a. 1. qu. 2.*

49. Qui in hac vita non currit ad fontem vitæ ad extinguendum ignem peccati, in alia nec poterit obtinere unicam guttam aquæ ad refrigerium: ſic evenit ſtulto diviti, qui clamabat *Pater Abraham, mitte, &c.* ſed tamen gutta minima, quam petebat, ei negata fuit, quia in hac vita ad fontem miſericordiæ noluit accedere. *Ser. 6. Dom. infra oct. Epiph. ſer. 4. in Paſcha: ſermon. 3. de Aſcenſ.*

50 *Non divitiæ, ſed ipſarum cupiditas, & malus uſus damnationem inferunt, ſicut bonus uſus ſalutem.*

Vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus. Cur inter tot juſtos ſolùm objicitur Abraham? optimâ ratione id factum eſt, ut divitem diviti opponi videret, nempe divitem Abraham ſalvum contrà divitem damnatum, ut intelligeremus, quod divitiarum cupiditas, & malus ipſarum uſus damnationem infert: ſicut è contrà bonus earum uſus ſalutem, ideo nominat Abraham, qui divitias ſuas in pauperes erogavit, ad confuſionem damnati divitis. *Ser. 1. de plur. Confeſſ. Luc. hic & S. Auguſtin. & Chryſol.*

51. *Damnatis omnia cooperantur in pœnam; ſicut juſtis in bonum.*

Et dixit illi Abraham, fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, &c. Nota, quomodò rectè tibi reſpondent verba divitis, & Abrahæ: *Pater Abraham*; & Abraham reſpondet *fili*, quomodò Pater, ſcilicet Deus, & damnatus filius dicitur? ſed en cauſa: *Pater miſerere mei* dicit damnatus pœnitentiâ falſâ, non verâ coactus: *fili* reſpondit Abraham, ſcilicet non ex imitatione, ſed ex naturali generatione, ut ex tali nomine gravius torqueatur, dolens perdidiſſe quod ſibi gratia dederat. & hinc patet, quod damnatis omnia cooperantur in malum, & cruciatum; ſicut è contrà juſtis omnia in bonum. *Luc. hic.*

52. *In morte cujuſlibet ſit tranſitus à contrario in contrarium, à tribulatione ad conſolationem, & è contra.*

Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris: Ecce qualis lex; & quidem juſtiſſima facta à Deo; ut ſcilicet fiat alterna mutatio à tribulatione ad conſolationem, & à conſolationibus ad tribulationes *recepiſti* (ait Deus) *bona tua in hac vita*; nempè quia dives iſte habuit aliquid boni in hac vita mortali, & ex hoc bonum tranſitorium habuit: ô infelix remuneratio, quia hoc bonum fuit præambulum ad ſupplicium æternum! ô attendant ad hoc divites, & mundani: Et Lazarus ſimiliter mala, ſcilicet ad tempus, & ad purganda mala culpæ & ad acquirenda bona felicitatis æternæ; & hinc meritò ille conſolatur in æternum, dives cruciatur in perpetuum. *Luc. hic Eccleſ. cap. 8 ſap. c. 11. & c. 18. Thren. c. 1 ſer. 3. de una Confeſſ. ſer. 3. de S. Magdal. in addit.*

53. *Dives infelix, qui ad ſui utilitatem, & non ad ſublevandos pauperes recipit bona temporalia.*

Fili recepiſti bona in vita tua. Nota vim horum verborum, *recepiſti bona in vita tua*, ſcilicet ad cuam vitam feliciter ducendam, & non ad alienam inopiam ſublevandam; ergo quia per iſta bona temporalia ſolùm feciſti tibi amicos de mammona iniquitatis pro alia vita, & immiſericors fuiſti in pauperem Lazarum, ideo nunc in Inferno miſericordiam meritò non invenis, nec amicum Lazarum qui te in æterna tabernacula recipiat. *Luc. hic ſermon. 4. Paſcha ſermon. 3. in Aſcenſ. aliiſque locis citatis.*

54. *Mala, quibus ſubjacet in hac vita pauper ob crudelitatem divitum, ſunt ipſi pauperi in meritum, & divitibus in pœnam.*

Fili recepiſti bona in vita tua. Ideſt bona tua in vita temporali, Lazarus ſimiliter mala. Nota (*ait S. Auguſtin.*) quod dum loquitur de vita temporali divitis, dicit, quod recepit bona ſua; de Lazaro verò non dicitur, quod receperit mala ſua, ſed tantum dicit mala indifferenter, cur hoc diſcrimen? Nota hic perbellum myſterium: dicitur de divite, quod recepit bona ſua in vita, quia ſua, & non pauperum exiſtimabat eſſe, quia alia non credebat, nec ſperabat, ſed tantum ea impendebat ad vitam ſuam deliciosè ducendam: mala autem dicit de Lazaro, non ſua, quia patiens, & libenter pro Deo tolerans ea mala non putabat, ſed tantùm mala ex cenſura divitis erant, qui inopiam, & famem, & duram ægritudinem æſtimabat mala, quæ tamen mala converſa ſunt in pœnam, & damnum divitis crudelis, quia ipſum in profundum inferni duxerunt. *Sic S. Bon. cit. D. Thomas, & S. Auguſt.*

55. *Invidia, odio, & aliis vitiis maxime torquentur damnati.*

Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Nota, quod cum in prima petitione, dives non fuerit exauditus, petendo, ut ad Inferos veniret Lazarus ad refrigerandum ardorem ſuum, denuò ſupplicationem aliam exponit, ut ſcilicet Abraham mittat Lazarum in hunc mundum ad prædicandum ſuis fratribus, ne & ipſi damnentur ſecum: In qua petitione videtur primâ facie, quod motus fuerit ex maxima pietate, & charitate; quomodò hoc, cum in Inferno nullum exercitium adſit virtutum? ſed attende ad myſterium: Iſte dives in vita ſua fuit crudelis, invidus, maximus hypochrita, vindicativus, & cum iiſdem vitiis etiam deſcendit in Infernum; ideo invidens felicitati, & quieti Lazari petit, ut mittatur in terram, ejuſque quies interrumpatur, petit, ut mittatur ad fratres ſuos, ne etiam ipſi damnationem incurrant, non propter amorem fraternitatis, ſed propter amorem ſui; ſciebat enim, quod ex multiplicatione damnatorum, & pœnarum, creſcit etiam pœna unicuique damnato, & ideo ne augeretur ſibi hæc pœna, ideo quærit, ne fratres ſui damnentur: Nota igitur, quod licet in damnatis remittantur aliquæ affectiones, nempè, quæ habent annexam delectationem, ut ſunt libidinoſæ, & carnales, & affectio dominandi; aliæ tamen, in quibus eſt pœnalitas, vigorantur, ut eſt furor impatientiæ, invidiæ, odii. & ſimilium; ideo vehementer triſtantur, & tabeſcunt in gloria electorum Dei, ideò ad ſatiandam eorum impiiſſimam æmulationem, & odium vellent nullos eſſe Beatos imò omnes eſſe miſeros; & quia nec ipſi ad beatitudinem poſſunt pertingere, nec alios poſſunt à ſtatu beatitudinis amovere, ideo in ſemetipſis vehementer tabeſcunt, & confunduntur: Verum tamen eſt, quod in damnatis viget etiam aliquis amor privatus ad aliquos, quos nollent eſſe damnatos, aliis exiſtentibus beatis, ſed tamen ſi poſſent facere, quod nullus eſſet beatus, vellent omnes indifferenter eſſe miſerus, ô grandis miſeria miſerorum damnatorum! *Luc. hic libr. 4. d. 50. p. 1. a. 1. qu. 3.*

56. *Qui vult impetrare in oratione, ipſam fundat cum pietate, charitate, & in tempore opportuno.*

Rogo ergo te Pater, ut mittas eum, &c. Vide quàm ſupplicitèr orat in Inferno iſte dives, ſed fruſtrà. quia talis oratio erat carnalis reſpectu ſui, & impia, quia ob amorem carnalem ſuorum volebat Lazarum expoliare ſuâ quiete, & in locum periculorum mittere; erat & inutilis, quia in tempore extrà ſtatum impetrandi facta eſt. *Luc. hic: ſermon. 1. Dom. 21. Pentecoſt.*

57. *Impiorum*

Digitized by Google

57. *Impiorum locus proprius eſt Infernus.*

Ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Nota, ly, in hunc locum: locus exigit locatum proportionatum: Infernus igitur, quia eſt viliſſimus, ſordidiſſimus, afflictivus, eſt locus proprius peccatorum, eorumque meritis proportionatus. *Ser.1. Dom. 12. Pentecoſt. opuſc. Diæt. tit.10.cap.1.*

57. *Qui ad prædicationem verbi Dei obduratus permanet, nec ad miracula convertetur.*

Habent Moyſen, &c. neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent, &c. Nota; hoc argumentum Chriſti convincens, in quo dat intelligere, quod qui durus permanet ad prædicationem verbi Dei, neque convertetur ad reſuſcitationem mortuorum; qui enim non credit teſtimonio magis credibili, nec minus credibili, credet ut patet in Phariſæis, qui videntes tot miracula Chriſti, ipſi tamen non crediderunt. *Luc. hic: Ioan.c.5. n fine.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd in ſuperioribus Chriſtus confutavit impietatem Judæorum in ordine ad eleemoſynas corporales, nunc verò invitat ad pietatem ſecundum eleemoſynam ſpiritualem, quæ conſiſtit in evitatione ſcandali proximi, & in remiſſione iniuriarum; aliaque plura documenta ad hoc ſpectantia tradit. Luc. cap.17.*

CAP. XVII.

2. DE *ſcandalo vitando Vide in Matth. c.18. ubi hic textus explicatur: & in Luc. in commentar. hic.*

3. *Magnalia fidei, de qua hic agitur, vide tradita in Matth.c.13. & 17. & in Luc. hic: & c.13. verſ.19. Pſal.35.*

4. *Juſti ex quocumque opere pro Chriſto non efferuntur, ſed humiliantur ſemper profundiùs, dicentes ſervi inutiles ſumus.*

Quis autem veſtrum habens ſervum arantem, aut paſcentem (Scilicet oves vel boves, &c.) *& non dicit ei; Para quod cœnem, &c. nunquid gratiam habet ſervo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? non puto: ſic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus, &c.* Nota, quod Chriſtus hac parabolâ intendit retundere vanam gloriam Apoſtolorum, ut mira patrarent, in iis non glorientur, ſed Deo, cujus eſt propria, omnem operum gloriam aſcribant: Hæretici autem hoc textu abutuntur contra bonorum operum meritum; dicunt enim, quod facto quocumque opere, ſervi inutiles ſumus, nec aliquid meruimus, falſa eſt hæc propoſitio, non enim vocat ſervos ſuos inutiles imo utiles, ait enim *Matth. 25. Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, &c.* Nota ergo, quod non dicit Chriſtus, vos inutiles eſtis, ſed dicite vos, ſervi inutiles, &c. quaſi dicat, ſi vos dicitis vobis ſervi inutiles ſumus, ego vos utiles dicam, ideſt ego vos præmiabo. Servi ergo Dei dicere ex corde debent, ſervi inutiles ſumus poſt quæcumque opera bona, & magna primò quia Deo debemus corpus, animam, & quicquid habemus, debemus ei inquam, & ratione creationis, & ratione redemptionis, &c. tum quia in baptiſmo nos ipſos mancipavimus Chriſti obſequio, & ſtrictiùs Religioſi in profeſſione, obligando non ſolùm ad præcepta, ſed & ad conſilia: tùm quia ad ipſum omnes actiones dirigere debemus; tum quia in multis peccamus, ideò inutiles ad merendam gratiam, & gloriam; tum quia ex his nihil Deo conferimus; tum quia totum nihil eſt in comparatione ejus, quod à Deo recepimus, & debemus, tum quia in comparatione gloriæ, quam expectamus, non ſunt condignæ actiones, & paſſiones noſtræ: Vult ergo à nobis humilitatem in omnibus, & per omnia. *Luc. hic: op. Diæt. tit.4.c.2. & tit.10. c.5. op. medit. c.2. & 35. Pſal.77. & 147. ſer.2. de S. Nicol. ſer.3. Dom. infra oct. Epiph. ſer.2. de Confeſſ. in addit: Luc.c.10.v.17. & c.15.v.30. op in Pater.*

5. *Decem leproſorum curatio, expenditur hic ad literam, & myſticè in Lucam, &c.*

6. *Chriſtus ad Paſſionem conſtanter, & voluntariè ibat per paſsionem, & humiliationem, & mendicationem.*

Et factum eſt, dum iret in Ieruſalem, tranſibat per mediam Samariam, & Galilæam. Cur notatur in hoc itinere Chriſti ad Ieruſalem tranſitus per Galileam, & Samariam: cum hæc notatio videatur ſuperflua? Sed cum nullum verbum appoſitum ſit in Evangelio ſine maxima, & peculiari advertentia Spiritus Sancti: dicendum eſt in hoc latere myſterium; & ecce inter plura myſteria hoc notabile: Per Samariam, & Galilæam, ſc. Gentiliũ tranſibat tamquam peregrinus advenarum, & inimicorum Judæorum; Ibat ad Jeruſalem, ut ſe appropinquaret ad locum, & tempus Paſſionis, ſed tranſeundo per regiones hoſtium, in quibus multa incommoda ſubire neceſſe erat, nempe mendicando cibum, & ſe ſubjiciendo crudelitati ipſorum, ut pateat quod Chriſtus ad Paſſionem per Paſſionem tranſivit, ducendo ſuam vitam ſemper in pœnis, & paſſionibus. *Luc.c.9.v.51.*

7. *Ad Ieruſalem cæleſtem pervenit ſolum qui cum Chriſto tranſit per Samariam, & Galilæam.*

Dum iret in Ieruſalem tranſibat per Samariam, & Galilæam. Cur notatur iſte tranſitus per Samariã, & Galilæam, cum videatur ſuperfluere? Sed jam dictum eſt; & eſt certum, quod omnis Chriſti actio, eſt noſtra inſtructio, ut imitatores ipſius reddamur; ideo myſticè dat nobis intelligere, quod ſi volumus pervenire ad Ieruſalem cæleſtem

ſtem, debemus tranſire per Samariam, & Galileam Samaria interpretatur cuſtodia; Galilæa interpretatur tranſmigratio: Samaria ergo deſignat cuſtodiam, quæ à nobis debet haberi in vita activa, ſcilicet in obſervantia præceptorum Dei, & Galilæa vitam contemplativam, quæ eſt perfectorum; iſtæque ſunt duæ regiones, ſeu ſtatus, in quibus homo debet ſe exercere, ut poſſit ſecure pervenire ad civitatem cœleſtem Jeruſalem. *Luc. hic.*

8. *Pœnitens peccator quomodo ad Chriſtum recurrere debet, in decem leproſis demonſtratur.*

Ecce decem viri leproſi, &c. levaverunt voces dicentes, Jeſu præceptor miſerere noſtri. Nota, quòd in hoc recurſu facto à decem leproſis, & liberatione recepta à Jeſu, datur peccatori pœnitenti exemplar, qualiter poſſit ſecurè impetrare ſanationem à lepra peccati: primò enim ne reprehenſibiles invenirentur coram Majeſtate magni Regis Jeſu Chriſti, & refellerentur eorum petitiones, diſcretè, & prudenter ad Chriſtum porrexerunt ſuam ſupplicationem; nam oſtenderunt ſe religioſiſſimos quantum ad geſtum circumſpectionis; ſteterunt enim à longe humiliter, nec acceſſerunt tamquam ſuperbi præſumptuoſi, poſteà in invocationem auxilii divini exierunt, & tandem expreſſerunt ſuam miſeriam: & tali pacto peccator pœnitens debet ad Deum accedere pro liberatione à peccatis; ſtetérunt à longe leproſi, & peccator debet ſtare à longe, ſcilicet ut humilis non audens appropinquare, ſcilicet ſtat pœnitens, ſicut humilis non audens appropinquare, ut Deus ad ipſum appropinquet, non aſpicit, ut aſpiciatur, præmit conſcientiam, ſed ſpem elevat, percutit pectus de ſeipſo, pœnitentias exigit, ut Deus pareat, confitetur, ut Deus ignoſcat, & hoc eſt, quod eſt in utero pœnitente, ſcilicet pudor erubeſcentiæ, timor reverentiæ, dolor pœnitentiæ, amor pudicitiæ, & ardor amoris, & benevolentiæ, & hinc talis pœnitens ſtet viriliter contra diabolica tentamenta, & perſeveranter; poſt hunc primum greſſum in via pœnitentiæ exemplo leproſorum, exit in devotum præconium divinæ laudationis; nempè ex oſtenſione propriæ infirmitatis, & miſeriæ recipit remedium & ſalutem, & inde in gratiarum actionem prorumpit. *Ser. 4. Dom. 13. poſt Pentec.*

9. *Lepra ſpiritualis animæ qualis.*

Occurrerunt decem viri leproſi. (Scilicet dum ingrederetur in quoddam caſtellum, Nota, quod myſticè caſtellum eſt mundus, in cujus ingreſſu occurrerunt decem leproſi: cur decem leproſi: hoc dicitur propter tranſgreſſionem decem mandatorum Dei, quæ tranſgreſſio eſt lepra ſpiritualis animæ, quæ corde, affectu, & delectatione, conſenſu, & voluntate malâ contrahitur; item ore, perjuriis, detractionibus, mendaciis, & ſimilibus verbis malis; item opere malo; hæc lepra ſanatur ſolùm confugiendo ad Chriſtum, ſcilicet ad Confeſſarium ſacerdotem Chriſti Vicarium per contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem; & ut ad hoc perveniat homo, levare debet vocem orationis ad Deum. *Ser. 1. & ſeq. Dom. 13. Pentec. Luc. hic. ſer. 4. Cinerum ſer. 8. Rogat. ſerm. 2. Dom. 22. Pentecoſt.*

10. *Chriſtus curat leproſos per Sacerdotes; Ubi de confeſſione peccatorum, & electione Confeſſarii.*

Ite oſtendite vos Sacerdotibus; & factum eſt dum irent mundati ſunt. Notandum, quod Chriſtus noluit per ſeipſum mundare iſtos leproſos, ſed miſit eos ad Sacerdotes, & dum ibant mundati ſunt, hocque valde mirum eſt; primò cum poſſet ſeipſo mundare iſtos infirmos, cur eos mittit ad Sacerdotes? ſecundo cur in itinere antequam ad Sacerdotes pervenirent, eos mundavit? cur non ſtatim ipſo præſente? ſed quia omnis Chriſti actio eſt noſtra inſtructio; voluit oſtendere virtutem Confeſſionis peccatorum; miſit enim eos, & mittit omnes peccatores ad Sacerdotem, ut ipſe diſcernat inter lepram, & lepram, & miniſterialiter ipſam curet; in quo facto apparet efficacia Confeſſionis; ſtatim enim ac te incipis præparare ad Confeſſionem per contritionem à lepra ſanaberis, apparet & dignitas ſacerdotalis, & ſimiliter Dei mira pietas, quæ omnes ad ſe concurrentes curat: apparet etiam qualis debeat eſſe pietas in miniſtris Dei ad infirma membra Chriſti: ſed attende, quòd dum mittit leproſos ad ſacerdotes, per hoc etiam oſtendit eligendum eſſe ſacerdotem aptum ad talem curationem, quodque dicitur contra illos, qui ad ſimpliciores, & minus aptos accedunt confiteri peccata ſua, & in hoc intervenit, & apparet grandis error, imò ſtultitia magna, quærere medicum inſcium, & ignarum neſcientem diſcernere inter lepram, & lepram, & ideo juſto Dei judicio tales negligentes ſuam propriam ſalutem, ab eo negliguntur, qui miſericorditer monet, & petit, & vocat ad pœnitentiam, & ſic ambo in foveam cadent: Ite igitur ô peccatores ad Sacerdotes, & oſtendite vos, & veſtram conſcientiam & confitemini peccata veſtra, quia peccatum proditum cito curatur, occultatum verò ampliatur, & ſi non vis oſtendere pudenda tua ſacerdoti, oſtendentur univerſis in judicio. *Luc. hic. ſer. 4. cinerum. ſer. 8. Rogat. ſer. 2. Dom. 22. Pentec.*

11. *Ingratitudo quàm Deo exoſa, & maxime inter Chriſtianos communis: Gratitudo propria eſt prædeſtinatorum.*

Unus autem ex illis, &c. ingreſſus eſt, &c. & cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens, & hic erat Samaritanus, &c. reſpondens autem Jeſus dixit, nonne decem mundati ſunt & novem ubi ſunt? non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Ecce qualis mos communis ferè omnium Chriſtianorum; Decem erant iſti leproſi, quorum novem erant Iſraelitæ, & veram fidem profitentes; & decimus alienigena, & Samaritanus, & tamen ſolùm iſte ultimus gratias debitas Chriſto rependit, & ideò merito Chriſtus deteſtatur tantam ingratitudinem, ſicut & valdè gratanter acceptat gratitudinem ſamaritani, & hoc inquam eſt, quod communiter practicatur inter Chriſtianos, quorum major pars ingratiſſima eſt in Deum, de tot beneficiis, & multi ex eis ingratiores ſunt ipſis Ethnicis. *Luc. hic Sap. 14.*

12. *Quisquis in Ecclesiæ unitatem intrat, ex alienigena fit patritius Cœli.*

Unus autem ex eis, &c. & hic alienigena, &c. Nota, quod merito dicitur unus, & alienigena, qui Deo gratias agit; unus inquam, quia intra gremium Ecclesiæ propter unitatem fidei fit unus cum ipsa, & cum cæteris Christianis, & ex alienigena, scilicet à statu peccati, & è numero filiorum diaboli fit patritius Cœli, & confrater Christi. *Luc. hic.*

13. *Confessio peccatorum requirit fidem cum operibus, & processum in actibus virtuosis.*

Et ait illi, surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. Ecce quid tibi faciendum est ô peccator ante curationem lepræ, & post sanitatem receptam; fides tua te salvum fecit, scilicet confidentiam in Dei misericordia excitare, ad fidem connectere spem, spera, & post ait *surge* per pœnitentiam; *vade* per justitiam, & opera meritoria, & virtuosa, & per obedientiam, sicque à Deo ad Deum ibis. *Luc. hic.*

14. *Curiosa inquisitio futurorum à Christo reprehenditur.* Dum interrogatus à Pharisæis, quando futurum est regnum Dei, scilicet finale judicium, eis respondit, *non veniet regnum Dei cum observatione, &c.* Idest cum humana comprehensione, quia futurorum eventus, & maximè tempus extremi judicii solum reservatur in occultis thesauris scientiæ Dei. *Luc. hic.*

15. *Regnum Dei est possessio divinæ gratiæ & perfecta subjectio Deo.*

Ecce enim regnum Dei intra vos est. Idest Messias, quem expectatis, qui gratiam cœlestem omnibus exhibet: verè enim gratiæ divinæ possessio, & perfecta subjectio animæ regnum Dei est, & participatio cœlestis gloriæ. *Op. de dono tim. c.4. op. de dono pietatis c.3, de dono consil. c.5. de dono intell. c.3. op. de septem itin. æter. itin. 7. d.3. Luc. hic: & c.9. v.1. & cap.10. v.9. & c.11. v.21. & c.18. v.17. & c.22. v.18. Ioan. c.3. v.3. & collat.15. Ps.118. c.22. v.13.*

16. *De adventu Christi ad judicium hic agit Christus. Vide ista exposita in Matth. c.24. & hic in Lucam: & c.19. v.15. fer.4. Dom.2. Adv.*

17. Judicium universale proponitur à Christo meditandum, in quo, sicut in diluvio submersi sunt impii, salvi facti sunt, & salvati justi; sic tunc justi salvabuntur, & impii condemnabuntur. *Vide in Matth. c.24. Luc. hic: fer.1. fer.3. Pentec. Luc. cap.22. v.27. Ubi etiam exemplum uxoris Loth affert, &c.*

18. *Væ iis, qui post arreptum iter perfectionis retrò redeunt.*

Qui fuerit in agro, non redeat retro; memores estote uxoris Loth, &c. Nota, quòd ista verba diriguntur à Christo ad eos, qui benè incipiunt, sed non perseverant; qui iter ad perfectionem arripiunt; qui intrant in Religionem arripientes exercitium virtutum, & perfectionis, sed postea negotiis sæcularibus se immergunt, & retro redeunt; sicut fecit uxor Loth, quæ fugiens incendium Sodomæ, respiciens retro conversa est in statuam salis: Væ & iterum væ istis stultis, quia judicium Dei terribile cadet super eos. *Luc. c.9. ad finem. & hic.*

19. *Castitatis inobservantiæ origo expenditur.*

Memores estote Uxoris Loth. Ad quid affert hîc exemplum Uxoris Loth? Hujus mulieris nota est historia *Gen. c.19.* Nam fugiens incendium Sodomæ in principio ascensus montis, in quo salvari debuerat, respiciens retro ad flammas civitatis proximæ conversa est in statuam salis; dat autem Christus hoc exemplo intelligere causam originalem, cur tot Christiani incidunt tam faciliter post Confessionem, & propositum firmum denuò non labendi in peccata carnalia, quia enim statim ac exierat, cum propè esset civitati incendio subjectæ, voluit retrò aspicere, & sic à Deo punita est; dat per hoc intelligere, quod multi proponunt observare continentiam castitatis; & sic manere, & omnibus illicitis motibus consensum negare (idem & dic de cæteris peccatis) & tamen ex tali statu ferè omnes cadunt facillimè, & retro redeunt ad carnalitates ad primum habitum tentationis; cur hoc? unde tantum malum, & ruina hoc est, quia volunt manere in tali statu vicino terrenæ voluptati, inter occasiones, absque eo, quod ad ulteriores gradus velint procedere, & quia vapor tangit eos carnalis tentationis, quasi fœtor Sodomæ ardentis, ideo ad primum retro aspectum in pristinas carnalitates cadunt: Vis ergo ô homo castitatem perfectè servare? recede ab hoc primo gradu, & ulterius progredere, ascende ad montem per macerationem carnis, & per alia spiritualia exercitia affectum munda, & carnem spiritui subjugare cura, ne retro aspicias; sicque castitatem conservabis. *Op. de Prof. Religios. lib.2. c.55.*

20. *Qui vult animam salvam facere perdet eam, scilicet perdat temporalia, ut acquirat æterna. Ps.118. c.2. v.9. & c.7. v.31. Vide in Matth. c.10. & hic in Lucam.*

21. *In omni statu in hoc mundo mixti sunt mali cum bonis.*

Erunt duo in lecto, unus assumetur, & alter relinquetur: duæ molentes, &c. duo in agro. Nota ista tria; lectus, mola, & ager; significantur enim per hæc tria contemplativi, qui in lecto consolationum quiescunt; in mola activi, qui laborant in hac vita; & in agro Prælati, qui se exercent in vinea Domini; omnes isti forsan assumentur in gloria? minimè; quia enim mixti sunt mali cum bonis; alii enim benè orationi se applicant; alii bene laborant; alii fideliter se exercent in regimine, istique assumentur ad gloriam, mali autem relinquentur in potestate Dæmonum: Vide igitur qualis confusio erit in die judicii, tunc quando ad dexteram collocati erunt boni, ad sinistram cum Dæmonibus præsciti; qualis confusio erit istis, quando videbunt bonos assumptos ad gloriam, & ipsi relicti cum Dæmonibus in Infernum æternaliter detrudendi. *Op. Fasicul. c.4. op. de Eccles. Hier. p.1. cap.2: fer.3. Dom.18. Pentec. Vide in Matth. c.24. ad v.49. & hic in Lucam.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod in iſto capite per parabolam Viduæ extorquentis importunè à Iudice juſtitiam docet ſemper orandum: ſecundò per parabolam Publicani pœnitentis, ideóque juſtificati, Phariſæi verò reprobati, docet humiles exaltari, ſuperbos humiliari: tertiò benedixit infantibus: quartò ſuadet divitii renuntiationem omnium rerum: quinto prædicit ſuam inſtantem Paſſionem, & Reſurrectionem: ſextò illuminat cæcum: tertiam partem explicavimus in Matth. cap. 19. quartam partem ibidem: quintam, & ſextam in Matth. cap. 20 quia verò ſupra prædixit perſecutiones imminere diſcipulis, ideò hic porrigit remedium orationis.*

CAP. XVIII.

2. *Quomodo quis dicitur ſemper orare.*

Quoniam oportet ſemper orare, & non deficere. Nota, quod iſta Chriſti propoſitio difficultatem ingerit; cum enim præcipiat continuam, & perpetuam orationem ſuis ſequacibus, videtur hoc eſſe impoſſibile, cum nobis ſuperſint multa alia negotia neceſſario peragenda, & cum hoc ſit impoſſibile, cur Chriſtus impoſſibilia prædicat? Sed reſpondetur, quod iſta propoſitio triplicem ſenſum admittit: primò quia, ly, ſemper non diſtribuit omne tempus, ſed vult dicere, quod ſemper oportet orare, ideſt nullam debitam horam prætermittere, & hoc dicitur ad illos, qui ad horas canonicas tenentur: ſecundò ſemper benè agendo, quia non ceſſat orare, qui non ceſſat bene facere: tertiò ſemper orare eſt ſpiritum devotionis ſemper inviolabiliter obſervare, quæ habita inter quaſcumque occupationes ſolet gemitibus, & ſuſpiriis inenarrabilibus Chriſti clementiam implorare: & hoc eſt, quod præcipit. *Seraph. P. Franciſcus ſuis Fratribus in Regula cap. 10. in illis verbis.* Et attendant, quod ſuper omnia deſiderare debent Spiritum Domini, ſcilicet Sanctæ devotionis, & ſanctam ejus operationem, ſcilicet affectum, & amorem in Deum; orare ſemper ad Deum puro corde; & hoc rectè exercetur per continuam præſentiam Dei meditatam. *Op. Expoſ. Regulæ c. 10. Thren. c. 2. Luc. hic: ſer. 4. Dom. 9. Pentec.*

3. *Orationis utilitates expenduntur.*

Oportet ſemper orare, & non deficere. Ideſt debito tempore, & frequentiſſimè; & hoc præcipit Chriſtus ad noſtrum profectum: nam per orationem impetrat homo primò relaxationem divinæ ſententiæ: ſecundò ejectionem Dæmonis, ſcilicet culpæ: tertiò repulſionem ſpiritualis pugnæ: quartò reparationem virtutis naturæ, ſcilicet liberationem á malis temporalibus: quintò conſervationem pacis: ſexto tranquillitatem conſcientiæ: ſeptimò inflammationem divinæ gratiæ: octavò illuſtrationem ſuperne ſapientiæ: nonò aperitionem cœleſtis januæ: & decimò acquiſitionem mercedis æternæ: Undè oratio prævalet virtuti inferiori, & virtuti Cœli, imperat naturæ ſpirituali, attrahit Spiritum Sanctum, inclinat Filium Dei, mitigat Patrem, ac per hoc dominium habet reſpectu univerſorum. *Op. meditat. c. 16. & 92. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 69. op. Regula Novit. c. 2. Luc. hic: & c. 3. v. 21. & c. 10. in fine: & c. 11. v. 1. & c. 22. v. 44. in Decollat. S. Ioan. in addit.*

4. *Oratio ſemper præmittenda in hominum principalibus actionibus exemplo Chriſti.*

Oportet ſemper orare, & non deficere. Nota, quod addens (*& non deficere*) dat intelligere nos debere orare ſemper, ſcilicet in debito tempore, & quando occurrunt congravitates, & neceſſitates, & pericula, quibus plena eſt vita hominis in hac vita, ne relinquendo orationem, deficiamus & nos, & periclitemur: præcipuè autem exemplo ſuo Chriſtus hanc veritatem docuit, qui in ſuis præcipuis operationibus ſemper præmiſit orationem, non quòd ipſa indigeret, ſed ad inſtructionem noſtram: invenitur autem Chriſtum oraſſe in baptiſmi ſuſceptione *Luc. c. 3.* ut formam daret orandi accedentibus ad baptiſma: in deſerti ſolitudine *Luc. c. 5.* ut formam daret contemplantibus: in prædicatione. *Luc. c. 6.* ut formam daret Prædicatoribus: In Paſſione. *Matth. 26.* ut formam daret ſuſtinentibus, & tribulatis: in corporis ſui adminiſtratione, *Luc. c. 22.* ut formam daret Sacerdotibus, & communicantibus: in morte, & Spiritus commendatione. *Luc. c. 23.* ut formam daret morientibus; ergo ad omnes actiones noſtras præmittenda eſt oratio, ut per ipſam à Deo impetret homo aſſiſtentiam, gratiam, auxilium, & robur neceſſarium, ne ſuccumbat difficultatibus, ærumnis, & periculis pœne infinitis, quæ occurrunt. *In Lucam cap. 3. verſ. 21. & c. 18. hic.*

5. *Importunitas pia in oratione ſuadetur, quam Deus à nobis exigit.*

Iudex quidam erat, qui Deum non timebat, nec hominem reverebatur. Vidua autem, &c. Nota, quòd hæc parabola non eſt per metaphoram ſimilitudinis (quia Judex iſte nullo modo Deo aſſimilabatur, qui non eſt imitandus) ſed potius per diſſimilitudinem, & per contrarium intelligenda eſt, ut quaſi à minori ad majus manuducat ad cognoſcendam efficaciam orationis; unde hic non comparat perſonam perſonæ, ſed negotium negotio: Intendit igitur docere Chriſtus, quòd ſi Judex inſquus conceſſi

concessit quod petebat vidua propter importunitatem, quid faciet Dominus æquissimus cum suis cum pia importunitate orantibus, & petentibus; ipse enim nos ad petendum invitat, ideòque dare desiderat, & si nolet dare, quomodò ad petendum tam instanter invitaret? apud nos proverbium currit, quòd importunus vincit avarum. & si avarum, qui non libenter dat, quantò fortiùs Deum, qui ad petendum invitat: accedamus ergò ad Deum piâ importunitate, & ipsum oremus. *Ser. 5. de nno Confess. Luc. hic.*

6. *Oratio piam quamdam violentiam Deo videtur inferre: Ubi de obligatione Judicum.*

Quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me. Ecce quale est debitum Judicum; vindicare ad se recurrentes, scilicet secundum exigentiam juris, & legum; liberare oppressos, & opprimentes punire: addit *ne sugillet me in novissimo veniens*, idest ne clamoribus, & querelis, me in judicio, & sindicatu vincat, & veluti strangulet, & sugat sanguinem meum; quia durissimum judicium fiet illis; qui præsunt: cum autem hoc sibi applicet Christus, dat intelligere, quòd per instantiam orationis animum ipsum clamoribus, & precibus videtur vincere, & veluti sugillare, & de ipso triumphare obtinendo quod petit. *Luc. hic & aliis locis supracit.*

7. *Vindicta qualis pauperum oppressorum sumatur à Deo contra potentes oppressores.*

Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte? dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum, & patientiam habebit in illis? Nota, quòd hîc videtur Deus admittere vindictam de offensis proximi, & tamen hanc alibi prohibet, & comminatur contra vindicantes se, vel cupientes se vindicare de injuriis receptis à proximo? Attamen Deus non est sibi contrarius; nam vindicta alia est mala, alia est bona; alia est personæ, & contra salutem, & vitam proximi. & hæc est illicita; alia est in bonum, scilicet in salutem proximi; item alia est propter Zelum Dei, & hæc est electorum, & beatorum: Hic autem innuitur, quòd pauperes oppressi à divitibus, & potentibus, & si vindictam non appetant, nec petant, sed patienter sustinent omnia, attamen tales persecutiones, tribulationes, indigentiæ, & infortunitates incessanter die, ac nocte clamant ad Deum, & propter ipsas Deus sæpè movetur ad vindicandum eas, immittendo flagella, & mortem, & damnationem; undè patet, quòd maxima vindicta contra inimicos est eis parcere, nec se de iis vindicare; tunc enim totum relinquitur arbitrio divinæ justitiæ; ideò electi, & Deum amantes vindictam personæ horrentes, ad Deum clamant pro liberatione proximi contra vindictam damnationis æternæ. *Luc. hic op. de quatuor virtut. Cardin.*

8. *In fine mundi pauciſſimi erunt justi, & veri fideles: Ubi de fide credulitatis, & confidentiæ.*

Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? Nota hîc, quòd per illam particulam (putas) non significatur dubitatio Dei, quia scit omnia, sed increpatio infidelitatis: ait igitur, quòd veniens ad judicium inveniet pauciſſimos fideles, sed quomodò hoc? nonnè in illo tempore totus ferè mundus veniet ad fidem, & fiet unum ovile, & unus Pastor? sed attende, quòd alia est credulitatis fides, alia est fidelitatis, & confidentiæ, quæ est cum operibus bonis; multi erunt credentes primâ fide, sed pauci verè operantes; ô utinam hoc non verificaretur his nostris temporibus. *Luc. hic, & capit. 17. vers. 30.*

9. *Justus verè impius est, qui sibi justus est: impius verè justus, qui sibi impius est.*

Dixit autem & ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, & aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascendebant in templum, ut orarent &c. Nota, quòd hîc Christus sugillat Phariſæos, qui se justos reputabant, & Dei amicos, eosque impios, & superbos declarat, eo quòd in se, & in sui propria æstimatione, confidebant in seipsis, tamquam justi dant intelligere, quòd qui justus est sibi ipsi, & in sua æstimatione, apud Deum verè impiissimus, ipsique valdè exosus, ut patet in persona Phariſæi: è contra qui in suo corde se impium, & peccatorem æstimat, & ut talis dolens ad Deum recurrit, ut Publicanus, verè justus est, & Deò charus, quia humilitatem amplexatur, & superbiam. *Luc. hic.*

10. *Ecclesia ad solam orationem instituta.*

Duo homines ascendebant in templum, ut orarent. Nota, quòd non sine causa dicit istos duos homines ascendisse in templum, ut orarent, ut significaret, quòd Ecclesia à Christo ordinata est tantùm ad hoc, ut ibi oratio fiat; & quòd nemo in oratorio aliquid facere debet, nisi illud, ad quod factum est; undè Ecclesia nomen oratorii accepit propter hoc, quia domus orationis est. *Luc. hic.*

11. *Qui benè orant ascendunt descendendo; qui malè, descendunt ascendendo.*

Duo homines ascendebant in templum, ut orarent. Cur hîc dicitur, quòd ascendebant, ut orarent? cur non potiùs dicitur duo homines in templum intraverunt, ut orarent, sed ascenderunt? cur copulat ascensum cum oratione? Ad litteram hoc dicitur, quia templum erat positum in loco alto: mysticè copulat ascensum cum oratione, quia oratio facit sursum ascendere; qui enim vult orare debet sursum se erigere, & per orationem anima ascendit in Deum: sed tamen attende ad exitum differentem istorum; addit enim unus Phariſæus, alter Publicanus, scilicet

licet erant duo homines, ſcilicet differentes quoad mores: Phariſæus enim erat apparenter bonus, & legis obſervator, Publicanus patenter malus, ſed major differentia erat inter ipſos quoad veritatem, & ſucceſſum; nam Phariſæus aſcendit quidem, ut oraret, ſed per arrogantiam ſe reputans juſtum, & alios injuſtos, ideò aſcendendo tali pacto deſcendit in profundam foveam ſuperbiæ & per arrogantiam ſuam juſtitiam tabefaciebat: & Publicanus deſcendendo per humiliationem verè aſcendit ad Dei gratiam obtinendam, quia per pœnitentiam ſuam injuſtitiam expurgabat; Deus enim humilia à propè reſpicit, & alta à longè cognoſcit: Ecce qualis oratio mala, & qualis inutilis. *Luc. hic & c. 5. v.27 ſer.4.in Aſcenſ.ſer.2.Dom.1.Quadrag.*

12. *Oratio præſumptuoſa Deo quàm exoſa; ſitque à præſumptuoſo apud ſe non apud Deum.*

Phariſæus ſtans apud ſe orabat. Nota iſta verba: ſtabat iſte ſuperbus apud ſe, & orabat itidem apud ſe; quid eſt ſtare, & orare apud ſe? hoc eſt ad ſuam gloriam, & jactantiam, non ad Dei gloriam, ſibi placens non Deo, in ſe confidens, non in Deo, erectâ frontè, & phariſaico ſupercilio, poſitus in medio faſtuoſus, orabat altâ voce, ut ab omnibus ſua opera, quæ magni meriti æſtimabat, percipierentur, & ideò cum ei deficeret fundamentum primum omnium virtutum, ſcilicet humilitas, ideò nec oratio, nec ipſe acceptus fuit Deo. *Luc.hic ſer.2. Dom.1. Quadrag. ſerm. 6. in die Cinerum. ſerm.4. Dom.9. Pentec.*

13. *Quale peccatum commiſerit iſte Phariſæus: Ubi de peccato jactantia.*

Hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri homines injuſti &c. Quæritur hîc quale peccatum commiſerit iſte Phariſæus? videtur enim primâ facie oratio valdè perfecta, dum ipſe non ſibi imputat tot bona opera, ſed Deo, dicens gratias ago tibi Domine? quomodò ergo actio gratiarum imputatur ei in peccatum? Attamen ſi benè perpendatur non actio gratiarum imputatur in peccatum, ſed jactantia, ſed ſe præferendo aliis, ſed ſeipſum ſolùm juſtum æſtimando, alios verò omnes iniquos: undè duplex peccatum iſte homo commiſit, ſcilicet ſuperbiæ, & jactantiæ, ſed tamen hæc jactantia fuit admixta cum oſtentatione, ſingularitate, hypocriſi, judicio temerario, & convitio Publicani: Jactantia autem committitur, & quando quis ſe jactat de bono, quod habet, vel quod habere putat, vel à ſe, vel à ſuis propriis meritis, & quando ſe jactat de bono, quod non habet, vel quando deſpectis aliis apperit ſingulariter videri habere quod habet, & hâc peſte laborabat Phariſæus, hocque peccatum eſt contra Dei reverentiam, & quando eſt in materia gravi avertens ſe à Deo, & apud ſe, & ad ſui vanam gloriam convertitur, tunc eſt peccatum mortale; & ideò meritò iſte Phariſæus iniquus Deo factus exoſus, & abominabilis. *Op.ſpec.anima c.2.Luc.c.5.v.30.& c.18.hic.*

14. *Voluntas propria, & proprium conſilium inficit omnia bona.*

Gratias tibi ago Deus, quia non ſum ſicut cæteri homines &c. Hæc iſta orabat Phariſæus, & dicebat apud ſe: quid eſt apud ſe? ideſt intus in proprio corde, & voluntate ſibi appropriatâ, non Deo oblata; & hinc mirum non eſt, ſi tot bona opera ab ipſo enumerata Deo non fuerunt accepta: ô grande malum eſt propria voluntas, quæ facit bona mala, & quòd tua bona non ſint bona tibi; lepra quædam, tinea, & peſtis, quæ inficit, & rodit omne hominis bonum: hoc attendant, qui ſe faciunt aliis religioſiores, quâ non ſunt ſicut cæteri hominum, ecce arioli, & idololatræ facti ſunt. *Op.de bono conſilii c.3.*

15. *Juſti os apertum à Deo ad ipſius gloriam; impii à diabolo ad propriam vanam gloriam habent.*

Hæc apud ſe orabat. Nota apud ſe, non apud Deum: hoc enim eſt diſcretion inter juſtos, Deumque timentes, & impios ſeipſos inordinatè amantes: Juſti enim orant Deum, ſed apud Deum, ſcilicet ad Dei gloriam amplificandam, & exaltandam; & hinc eſt, quòd in principio Eccleſia petit à Deo, *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam*, ſcilicet ad ſolam gloriam tuam: impii è contra os apertum à diabolo ad jactantiam, vanam gloriam, & ad ſui laudem habent. *Pſal.140. Ioan. c. 15. v.14.& collat.22.*

16. *Judicium temerarium omnia bona deſtruit.*

Deus tibi gratias ago, quia non ſum ſicut cæteri hominum &c. velut etiam hic Publicanus. Quid eſt ſicut cæteri hominum injuſti &c. niſi quòd omnes alii homines præter me ſunt iniqui &c. Vide aliùd crimen, in quod lapſus eſt iſte vir peſſimus, ſcilicet in judicium temerarium, & peſſimum, cui & addidit convitium, & contumeliam in Publicanum: ô quale virus, & venenum eſt hoc malum, nam facit, ut homo in alienis delictis ſit ſeverus, & amariſſimus Iudex, ſuas autem trabes oculis infixas propriis non videt; qui aliena etiam animâ ſolicitè perſcrutatur. ſic iſte perverſus & convicia poſt judicium temerarium jactavit in Publicanum jam à Deo juſtificatum, & hinc reprobus redditus eſt coram Deo. *Luc. hic op. Phar. lib.3. capit. 10. Luc.cap.7 verſ.40.*

17. *Religioſus, qui in ſtadio perfectionis ſtare decernit, ſimilis eſt Phariſæo.*

Phariſæus ſtans: apud ſe orabat: Deus gratias ago &c. jejuno bis &c. Nota hîc & aliud crimen in hoc Phariſæo: poſitus in templo, ut oraret, dicitur, quòd *ſtabat*, & apud ſe orabat, & ecce ex bono factus eſt peſſimus, & Deo exoſus: *ſtabat*, ideſt ſtare decreverat (ait S.Auguſt) nec aliquid perfectionis ſibi addi curabat: ô ſtulte nonnè vides, quòd in via Dei impoſſibile eſt ſtare, nam non ulteriùs procedere, eſt retrocedere; & quia firmiter hoc diſpoſuerat, hinc & à Deo rejectus

rejectus eſt. Hoc audiant, & attendant Religioſi (addit S.Bon.) qui ad montem perfectionis aſcendere incipiunt ut ſemper ad ulteriora conentur proficere, nec unquàm quieſcere, quia in hoc ſtadio, & aſcenſu non quieſcere eſt quieſcere, & qui quieſcere vult, fatigatur, nec poſteà ſic poteſt bene aſcendere, imò ſæpe totaliter impeditur, ne ultrà progrediatur, quia volendo quieſcere vires ſpirituales amittit, nec eas reaſſumere valet. *Op.ſtim.p.3.c.4.*

18. *Pœnitentia vera, & efficax qualis.*

Et Publicanus à longe ſtans, nolebat oculos ad Cælum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Ecce quod poſt conditiones precum ſuperbi Phariſæi enarratas, Chriſtus tradit conditiones precum humilis Publicani pœnitentis, in quo oſtenditur quænam ſit vera, & efficax pœnitentia: Dicitur enim, quod Publicanus à longè ſtabat: Nota diſcrimen ſtationis Phariſæi, & Publicani; Phariſæus ſtabat apud ſe, & preces ſuas ad vanam gloriam quam in corde fovebat, ordinabat: Publicanus à longè ſtabat; cur à longè? A longè ſtat ſicut humilis non audet appropinquare, ut Deus ad ipſum appropinquet; non aſpicit, ut aſpiciatur, præmit conſcientiam, ſed ſpem elevat, percutit pectus de ſeipſo pœnitentias exigens, ut Deus parcat, confitetur, ut Deus ignoſcat, ignorat Deus, quod ille agnoſcit; conſiderabat enim ſtatum gratiæ, à quo vel reus erat, vel longe erat, vilitatem peccati, in quo jacuerat; ſublimitatem divinæ Majeſtatis, quam offenderat, acerbitatem pœnæ æternæ, quam meruerat, & ſic ad fores divinæ miſericordiæ pulſabat, ut remiſſionem obtineret, ſicque deſcendit hic juſtificatus à Phariſæo jam reprobato. *Serm.4. Dom.13. Pentecoſt. Ioan. capit.3. verſ.9. ſermon.4. Dom.9. Pentecoſt. Luc. hic.*

19. *Qui in hoc mundo ſtat in pœnitentia, & juſtitia, in judicio ſtabit in magna conſtantia.*

Publicanus à longè ſtans, &c. Stans? quomodo ſtare volebat, qui ultrà ambulare debebat? ô ſtatio ſancta, & deſiderabilis? ſtabat firmus in propoſito, ut ſecurius in via juſtitiæ ambularet; ſtabat uti debet verus & humilis pœnitens intrà ſe, & apud ſe in ſua vilitate, & abjectione; ſic enim debet homo ſtare firmus in ſervitio Dei retribuentis; & talis ſtatio exigit exercitium juſtitiæ, & virtutum, & per hoc ulteriùs ſtat quieſcens, & obtemperans monitis, & conſiliis Angeli cuſtodientis, fortiter, & viriliter diabolo reſiſtens, ut in Cœlo mereatur coronari à Deo præmio æterno. *Sermon.1. Dom. 10. Pentec.*

20. *Qui in oratione per humilitatem à longè Deo ſtat, maximè ipſi Deo vicinus eſt.*

Publicanus à longè ſtans, non audebat oculos ad Cælum levare, &c. Cur à longe ſtat iſte pœnitens? cur Deo non appropinquat, ſi vult audiri, & exaudiri, & Deo reconciliari? & Vide artem, & induſtriam hujus ſancti pœnitentis? ſciebat, quod modus Deo appropinquandi, & ad ſe Deum trahendi eſt elongatio ab ipſo per humiliationem; & ideò ſe agnoſcens reum tot peccatorum, & indignum aſcenſus ad Deum, à longe ſtabat, ut ipſe Deus ad ipſum appropinquaret: & nota, quod hic datur forma ſecura pœnitenti quomodò ſe debeat gerere in oratione cum Deo: cogitans enim quàm longe factus fuerit à Deo per peccatum, quam Chriſto diſſimilis, induens formam ſervi, Dominum, & Judicem humiliter, & timoratè pectus ſuum percutiendo ad miſericordiam provocare conabatur dicens. Deus propitius eſto mihi peccatori: ô quam valida, quàm efficax, quàm Deo placens eſt talis reverentia, & oratio. *Op. de Prof. Religioſ.lib.2.c.68. op.de Perfect. vitæ c.3. Luc.hic & c.1.v.10. & c.17.v.13 Ioan.c.9.v.31. & c.17.v.1.*

21. *Pectoris tunſio cur in Eccleſia ordinata? Ubi de ſacramentalibus, & peccatorum venialium remiſſione.*

Sed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori. Ad quid iſta pectoris percuſſio? quid operari poteſt talis actus exterior ad remiſſionem peccatorum? Reſpondetur; quod pectus ſuum percutiebat ſeipſum culpabilem reddens, & dolorem oſtendens; ſimulque introrſus cor æſtimans dignum ſupplicio, ut Deus parceret, & deleret peccata ſua: ſed quid operatur iſta pectoris percuſſio ad deletionem peccatorum? operatur multa bona; quia ſi agitur de peccatis mortalibus, dum cor dolet de peccato virtute contritionis quidem obtinetur remiſſio quoad culpæ reatum, & ſuperaddendo percuſſionem humilem pectoris obtinetur remiſſio aliqualis pœnæ: quoad venialia verò hoc eſt unum ex mediis, & remediis; quibus obtinetur venialium remiſſio, quæ ad iſta capita reducuntur ab Eccleſia: ſuntque Confeſſio (ſcilicet generalis, & communis, quæ fit in Confiteor Deo, &c.) pectoris tunſio, aquæ benedictæ aſperſio, cordis contritio, crucis ſignatio, oratio, ſacra communio, eleemoſynæ largitio, injuriarum remiſſio, extrema unctio, levis pœnitentia (ſcilicet omnis actus pœnalis) & compaſſio fraterna, & Epiſcopalis benedictio: Et ſi quæras quomodò iſta delere poſſint peccatum veniale? Reſpondetur, quod id faciunt non per propriam naturam (loquendo de dictis actibus, qui non ſunt ſacramenta, ſed pure ſacramentalia) ſed per eam naturam, quâ gratiam gratum facientem ad hunc actum adjuvant, & vigorant; ſi quæras quomodò adjuvant? dicendum, quod in talibus actibus ut plurimum eſt humiliatio, & devotio, quæ eſt actus gratiâ informatus, & meritorius repugnans ipſi peccato veniali, quod fervorem charitatis, & devotionem quantùm ex ſe diminuit: vel etiam ex ratione, quâ eſt in eis pœnalitas, quæ repugnat inordinatæ delectationi, & pro ut illa pœna juncta eſt ordinanti gratiæ: *Sic lib.4. d.11.p.1.a.1. qu.2. op.Cenil.p.1.c.5.* Ex quibus patet, quod *Seraph.Doct.* recognoſcit virtutem delendi peccata venialia in ſacramentalibus ex opere operato, & non ſolùm ex opere operantis.

22. *Orationis pœnitentis (Deus propitius eſto mihi peccatori) efficacia expenditur.*

Deus propitius eſto mihi peccatori. Hæc eſt oratio, in quam iſte pœnitens prorumpit, ut remiſſionem peccatorum obtineat : oratio quidem breviſſima, ſed efficaciſſima, & continens multa arcana altiſſima, ob quæ Deo acceptiſſima eſt: In hac enim oratione peccator coram Deo ſe humiliat, & mirabiliter Deum exaltat, humiliter petendo veniam : Dicit autem primò Deus ipſum invocando, *Deus propitius eſto*, &c. ſic enim magnificat Deum, quia hoc nomen eſt ſummæ poteſtatis, qua ſuam potentiam exaltat ; nomen ſummæ veritatis magnificans ejus ſummam juſtitiam ; nomen ſummæ charitatis magnificans ejus ſummam bonitatem ; nomen item ſummæ pietatis, & ideo addit *propitius eſto mihi peccatori*, ut per hoc manifeſtetur tua ſumma potentia, ſumma veritas, charitas, pietas, & miſericordia ; & per hoc petit à Deo propitiationem magnam, ſcilicet in remiſſionem culpæ, in collatione, & conſervatione gratiæ, & in collatione gloriæ, quæ omnia meretur peccator per pœnitentiam, & veram confeſſionem peccatorum. *Luc. hic & ſerm. 2. Dom.10.Pent.*

23. *Confeſſio vera, & perfecta qualis eſſe debeat.*

Publicanus à longè ſtans, &c. deſcenditque hic juſtificatus in domum ſuam, &c. Ecce quomodò facienda eſt perfecta confeſſio peccatorum, ut ſit efficax ad dilectionem : debet enim eſſe humilis, & verecunda ob ſcelera commiſſa contrà Deum, unde à longè ſtabat, nec audebat oculos ſuos levare ad Cœlum ob verecundiam, & humilitatem : debet ſecundò eſſe aperta, & non palliata, in qua peccator accuſat ſe exprimendo ſua peccata contrà ſe, ut Publicanus, non pro ſe, laudando, ut Phariſæus : tertiò debet eſſe vera, non ficta, ſcilicet cum propoſito emendandi, & non ſolùm oris, ſed cordis; undè percutiebat pectus ſuum dicens, *Deus propitius, &c.* quartò debet eſſe integra, non dimidia : quintò flebilis, & lachrymoſa : ſextò obediens, & prompta, ſicut patet in confeſſione Publicani. *Op. Diat.tit.2.c.3.Luc.hic.*

24. *Pœnitens per confeſſionem veram humiliorꝰ deſcendit juſtificatus verè : præſumptuoſus deſcendit magis gravatus peccatis.*

Dico vobis deſcendit hic juſtificatus ab illo. Nota verba, & ſigna myſteria : Deſcendit hic juſtificatus ; quomodò dicitur deſcendit, & non potiùs aſcendit ? aſcenderat enim à peccato ad gratiam, & ad amicitiam Dei ? ſed benè dicit deſcendit, ideſt magis humilis ; ſi enim in humilitate jacebat antè juſtificationem, poſt humilior deſcendit in profundum humilitatis poſt receptionem gratiæ ſanctificantis ? deſcendit inquam juſtificatus ab illo, ſcilicet Phariſæo (Nota, ly, ab, in textu Hebræo habere vim comparationis) ſcilicet differenti modo ac Phariſæus ; nam iſte deſcendit juſtificatus tantùm ſecundùm apparentiam, & ſuam opinionem, ſed publicanus ſecundùm veritatem, ut videas, quod Deus plus penſat humilem ſupplicationem peccatoris pœnitentis, quam innumerabiles actiones alicujus juſti de ſe præſumentis, in quo miro modo reprimitur ſuperbia humana, ut non de ſuis meritis præſumat : deſcendit autem hic juſtificatus in domum ſuam, ſcilicet in domum conſcientiæ cum juſtificatione obtentâ, ſcilicet cum gratia ſanctificante, & donis à Spiritu ſancto infuſis, factus Dei amicus, & charus. *Ser.3. Dom.10. Pentec. Luc.hic.*

25. *Humilitas ſemper eſt cum exaltatione & exaltatio cum humiliatione.*

Quia omnis, qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Ecce ſententia generalis de humilibus, & ſuperbis, ſecundùm quam decurrit totum regimen univerſi, in qua Chriſtus oſtendit, quod iſta duo ſe ex oppoſito inſeparabiliter comitantur humiliatio, & exaltatio; nam Deus humiles ſemper exaltat, & ſuperbos humiliat ; ratio autem inter alias poteſt eſſe, quia omne, quod movetur, movetur à contrario, undè qui ab Oriente recedit, neceſſariò verſus Occidentem accedit, & qui à terra ſe elongat, Cœlo neceſſariò appropinquat, quia terra à Cœlo ſummè diſtat ; ſed vir humilis in imo ſedet, dum ſe viliſſimum credit, ergo ſi movetur neceſſario ſurſum tendit, & ob id verificatur, *qui ſe humiliat exaltabitur, & qui ſe exaltat humiliabitur* ; ſuperbus enim cum ſe in ſummo ponit, cum in eodem ſtatu eſſe non poſſit neceſſariò ad ima, & infima tranſit ; omnis enim caſus eſt ab alto in imum, & ideo cum humilis in imo ſe ponit, quod cadere non poſſit, certus exiſtit : Nota autem, quod hæc eadem ſententia Chriſti contrà invitatos ad nuptias ſuprà *Luc.cap.14.* fuit poſita, & nunc iteratur hîc, & non ſine cauſa, quia duplex eſt humilitas; una eſt veritatis, quâ quis parva de ſe ſentit; alia charitatis, quâ quis voluntate ſe humiliat; hîc proponit humilitatem veritatis in Publicano, quæ eſt intellectus ; ſuprà poſuit humilitatem charitatis, quæ eſt voluntatis, & affectus, ut excludatur à nobis ſuperbia præſumptionis, & ambitionis. *Ser. 2. de Apoſtol. ſer. 5. de plur. mart. ſer.2.de una Virgine : Luc.hic & c.4.v.9.c.6. v.48.c.9.v.48.c.10.v.18.c.14.v.32.c.13.v.30.c.3.v.18.*

26. *Meritum & præmium ex humilitate proveniens expenditur.*

Qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe, &c. Notandum, quod in his ultimis verbis (*qui ſe humiliat exaltabitur*) continetur ſumma totius ſalutis humanæ, quæ conſiſtit in humilitate meriti, & ſublimitate præmii : non enim poteſt quis pervenire ad exaltationem regni cæleſtis, abſque eo, quod præveniat humilitas, ſcilicet meritum, quod fundatur in humilitate, quæ complectitur totam vitam noſtram, ſcilicet in opere, in corde, & in ore: humilitas in opere ordinatur ad reverentiam altiſſimæ Majeſtatis: in corde ordinatur ad offenſam hujus divinæ Majeſtatis per dolorem, & contritionem : in ore per confeſſionem peccatorum, quibus offenſa eſt iſta ſumma Majeſtas ; ex qua humilitate conſequitur exaltatio præmii. *Ser.4.Dom.10.Pent.*

27. *De*

27. *De oblatione puerorum Chriſto vide in Matth. c.18.& hic in commentar.in Lucam.*

28. *De Principe quærente à Chriſto modum acquirendi vitam æternam, & de renuntiatione propoſita à Chriſto,& à Petro,& diſcipulis facta. &c. Vide in Matth.c.19.& in commentar. in Lucam hic. & c.3. v.23.& c.5.v.27.& c.21.v.4.op.Apol. Paup. Reſp.3. cap.3.*

29. *De prædicatione facta à Chriſto de ſua Paſſione.Vide in Matth.c.20.& in Luc.hic.& c.9.v.21. & v.23.v.37.& c.23.v.33.& c.24.v.26.Ioa.coll.85.op. Comp.Theol.lib.4.c.23.op.ſtim.p.1.c.6.De cæco illuminato vide in Matth.c.20.& hic in Luc.c.8 v.5.& c.19.v.3.& v.12.ſer.4.Dom.4.Adv.ſer.3.& 4.Dom. Quinquag.ſer.3.Dom.2.Quadrag.ſer.2.& 4.Dom.2. Pent.ſer.1.de plur.Mart.ſer.4.de una Virgine.*

30. *Cæcitas ſpiritualis animæ quale malum: & quomodo curari poſſit.*

Cæcus quidam ſedebat juxta viam, & clamabat Jeſu Fili,&c. Nota, quòd in hoc cæco traditur miſeria, in quam multi incidunt ob cæcitatem ſpiritualem animæ; hæc autem advenit primò ob luxuriam, quæ dum infertius carnem delectat, inde caliginem ad partes ſuperiores animæ immittit, unde luxurioſi ſunt cæci, & claritate luminis ſpiritualis carent: ſecundò advenit ob ſuperbiæ vanitatem, ob tumorem, quem incurrunt, ideo ſuperbi veluti cæci præcipitant de abyſſo in abyſſum tamquam beſtiæ: tertiò ob rerum cupiditatem, nam avaritia cæcitatem affert maximè Principibus, & Judicibus, qui camelum glutiunt diſſimulando majora, & ponderando minora: quartò advenit ob mentis infidelitatem; Iſta autem multiplex cæcitas Chriſto approximante tollitur tribulationis purgatione; Chriſti Incarnatione, veritatis prædicatione, & gratiæ inſpiratione, & infuſione. *Ser.3 & 4.Dom. Quinquag. Luc.c.21, v.29.ſer.1. de Purificat. B Virg. in addit.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota,quod cum ſupra Chriſtus confutaverit cupiditatem per approbationem paupertatis, hic confutat tenacitatem per approbationem liberalitatis,per quam temporalia diſpenſantur, & homo diſponitur ad multiplicationem bonorum ſpiritualium, & hinc affert exemplum Zachæi, cui ipſe Chriſtus attulit ſalutem: affert parabolam viri nobilis ſuos mnas diſtribuentis ſervis,& ab eis expoſcentis lucrum:& tandem deſcribit ingreſſum Chriſti in Jeruſalem in die Palmarum,cujus deſolationem flendo prædixit.

CAP. XIX.

2. *Ingreſſus Chriſti in domum Zachæi expenditur: Vbi de orationis internæ efficacia; de Chriſti deſiderio circa ſalutem peccatorum.*

ET ingreſſus Jeſus perambulabat Jericho, & ecce vir nomine Zacheus,&c. Vide quomodo Chriſtus perambulabat in civitate Jericho, quæ erat plena peccatoribus,totus inhians ad ſalutem animarum:Zachæus Princeps Publicanorum, & maximus peccator deſiderans videre Jeſum, quem jam famâ miraculorum noverat, nec valens propter multitudinem turbarum,quia ſtaturâ puſillus erat,aſcendit in arborem ſycomorum, ut ſic poſſet eum videre: Jeſus autem cognoſcens, & acceptans fidem,& deſiderium ejus, ipſum vocavit ad ſe,& ingreſſus domum Zachæi cum reverentia,& gaudio magno ſuſceptus eſt: Vide hic curialitatem Domini Jeſu,plus ipſe dedit Zachæo, quàm ipſe deſideraſſet; dedit ei ipſum, quod ille auſus petere non fuiſſet,ex quo patet virtus orationis, nam deſiderium magna vox eſt, & magna oratio: conſpice ergo Jeſum ſedentem,comedentem cum illis peccatoribus, & familiariter, & domeſticè converſantem,ut eos ad ſe attraheret,quia ſemper ad ſalutem peccatorum omnes ſuas actiones ordinabat.*Op.medit.c.61.ſeq.Luc.hic.*

3. *Chriſtus non poteſt videri, & poſſideri niſi extra turbam.*

Zacheus deſiderabat videre Jeſum, & non poterat pra turba, quia ſtaturâ puſillus erat. Cur non poterat præ turba? cur cum eſſet Princeps Publicanorum, & Exactorum vectigalium Imperatoris, & dives, ob idque magnæ æſtimationis, & famæ apud omnes, non ſe intromittit in turbam,ſibique viam aperire facit? ſed hoc fuit ad myſterium inſinuandum; non poterat præ turba videre Jeſum, ſcilicet deſiderabat ipſum videre, ejus familiaritatem obtinere, ſed à turba impediebatur, à turba, ſcilicet à converſatione mundanorum, & peccatorum, à turba negotiorum, & divitiarum, & hæc impediebant Zachæi approximationem; turba enim hæc ſemper prona eſt ad malum, à Jeſu potiùs revocat, quàm ad Jeſum perducat: fuge, fuge ergo ô homo mundum, & ea, quæ ſunt in mundo; fuge ô ſerve Dei turbam tumultuantem ſæculi,ſi vis videre Jeſum,ſi vis ad ipſum appropinquare, ſi vis ejus illuminationem conſequi,ſi vis aſcendere ad perfectionem,hoc maximè ad Religioſos,& Eccleſiaſticos dirigitur. *Ser.2. Dom. 23. Pent.c.Luc.hic.*

4. *Qui vult videre Jeſum aſcendat in arborem crucis per meditationem, & imitationem.*

Aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum. Ecce quid facit Zachæus,ut videat Jeſum, relinquit turbam, & aſcendit in arborem ſycomorum, ſcilicet in ficum ſatuam; cur in ficum ſatuam

aſcendit? ecce perbellum myſterium; hæc arbor dictat nobis ſtultitiam crucis, nam ut talis à Judæis æſtimata eſt; aſcendit in crucem, ut ibi videret Jeſum; datque intelligere Spiritus Sanctus, quod anima volens videre Jeſum, frui Jeſu Chriſto, debet aſcendere in crucem per meditationem, & imitationem, & omnia terrena fatua conculcare; ſic enim ſecurè obtinebit ſalutem. *Serm. 2. in Exalt. Sanctæ Crucis in addit.*

5. *Homo niſi prius aſpiciatur à Chriſto, non poteſt ipſum Chriſtum aſpicere.*

Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus, vidit illum. Cur notatur hæc aſpectio Chriſti, & non potiùs aſpectus Zachæi, qui ad hunc finem aſcenderat in arborem, ut videret Ieſum? ſed optimè hoc dicitur; aſpexit priùs Jeſus Zachæum, quàm aſpiceretur; aſpexit illum quia ſtaturâ puſillus erat, quia humilia reſpicit; aſpexit, ut ſic alliceretur ad recipiendum Chriſtum in domo. *Luc. hic.* Vide ex hoc quòd niſi Chriſtus te priùs aſpiciat oculo ſuæ gratiæ prævenientis, numquam poteris Chriſtum videre, & ſalutem obtinere, aſpicit te Chriſtus, ut tu ipſum cum fructu aſpicias, & ipſi des locum in domo tuæ conſcientiæ. *Luc. hic.*

6. *Chriſtus ut mendicus mendicavit à Zachæo hoſpitium, & cibum.*

Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Nota illud verbum, *oportet*, quaſi diceret; ego ſum mendicus, neceſſitatem habeo recipere à te hoſpitium, & cibum: ex quo patet primò magnæ dignationis ſignum, & actum in Chriſto, quia hoſpitium petere non erubuit, & ſimul maximæ humilitatis, quia in domo maximi peccatoris; ex quo patet, quod Chriſtus mendicus venit in mundum, & ut mendicus voluit vitam ducere pauperem, & mendicare ſæpè etiam à non offerentibus neceſſaria. *Op. de paup. Chriſti, q. 1. a. 2. ap. Expoſ. Regulæ c. 6. Luc. hic.*

7. *Chriſtus ſolum in domo divitum hoſpitatur: Ubi de ingreſſu Chriſti in uterum Mariæ.*

Zachæe feſtinans deſcende, quia in domo tua oportet me manere. Cur oportuit Chriſto manere in domo Zachæi? & cur non potiùs in domo alicujus pauperis? ſed attende ad myſterium: Nota, quod paulo ante dixerat, quod ipſe dives erat, & quia dives, oportebat Chriſto manere in domo divitis, & cur potius divitis? quia proprium eſt Chriſti intrare, manere, hoſpitari, habitare in domo divitis, ſed cave, ne erres, in domo inquam divitis ſpiritualiter; quia iſte Zachæus jam cœperat ditari ſpiritualiter ex deſiderio ardenti videndi Chriſtum, ejuſque amicitiam captare, ſic facit Chriſtus; divitis domum quærit; dives hoſpitium eſt mens virtutibus opulenta, veræ enim divitiæ ſunt timor Domini, caſtitas, juſtitia, humilitas, miſericordia, patientia; & ſicut in hanc domum intravit cum diſcipulis; ſic ſi habebis has divitias, recipies Chriſtum, & multos per ipſas habebis amicos, Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, Angelos, & Sanctos: tale hoſpitium paravit Maria Virgo, & deò Chriſtus in ejus domum ventris, & cordis intravit, & manſit *Sermon. 1. fer. ſecunda Paſchæ.*

8. *Feſtinantia in Dei ſervitio neceſſaria.*

Zachæe feſtinans deſcende, & feſtinans deſcendit. Nota illud verbum *feſtinans*, quia Chriſtus cum vocat ad ſui ſervitium, requirit etiam feſtinantem obedientiam; alioquin periculum ſubit homo amittendi ſalutem. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 4. & Luc. hic.*

9. Ad officium hoſpitalitatis excitat nos Chriſtus exemplo Zachæi, qui feſtinans deſcendit, & excepit illum cum gaudio, ideſt non ſolùm feſtinanter, ſed & lætanter. *Luc. hic.*

10. *In quam domum intrat, & manet Chriſtus: Ubi de Eccleſia, & utero Mariæ.*

Deſcende, quia in domo tua, &c. & excepit illum in domum ſuam: Nota, quod hæc domus Zachæi multiplicem domum ſpiritualiter nobis inſinuat, in quam Chriſtus intrat, & manet: prima eſt domus materialis Eccleſiæ in qua manet in Sacramento Euchariſtiæ cum comitatu exercituum Angelorum, & hinc eſt, quod hoc Evangelium legitur in ſolemnitate dedicationis Eccleſiæ: ſecunda eſt Eccleſia militans, cui ſemper aſſiſtit in membris ſuis: tertia eſt uterus virginalis Mariæ, in qua manſit novem menſes: quarta eſt domus conſcientiæ puræ, in qua manet per Spiritum ſanctitatis: quinta domus ſcripturæ Sacræ, in qua manet per lumen veritatis; ſexta domus pauperum; ſeptima eſt cœleſtis Jeruſalem. *Luc. c. 19. hic.*

11. *Ad perfectam converſionem requiritur liberalitas in ordine ad reſtitutionem rei alienæ, & diſtributionem eleemoſynæ pauperibus: Ubi de eleemoſynæ conditionibus.*

Stans autem Zacchæus dixit ad Dominum: ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi reddo quadruplum. Ecce quid conſequitur ad Zachæi ſtudioſitatem, & hoſpitalitatem, nempè perfecta converſio, quam oſtendit in liberalitate in ordine ad eleemoſynarum largitionem, & reſtitutionem bonorum alienorum, hæc autem Zachæi liberalitas eluceat perfecta in hoc, quod dat abundè, ſcilicet dimidium bonorum; dat licitè, quia dat bona ſua; dat acceleratè, ſcilicet ſtatim ac ingreſſus eſt in ejus domum Chriſtus, nempè ſtatim in principio ſuæ converſionis; dat diſcretè, ſcilicet pauperibus, non divitibus, non canibus, non ludis, non voluptatibus: dat ordinatè, ſcilicet pauperibus propria, reſtituendo aliena, & reſarciendo damna illata; & ſi aliquem defraudavi reddo quadruplum; hæc enim ſunt neceſſaria, nec alterum horum eſt ſatis ad perfectam liberalitatem, quæ ideo Chriſto valde fuit accepta. *Luc. hic. & c. 6. v. 37. ſerm. 4. Dom. Paſſ. ſer. 1. de S. Martino in addit.*

12. *Christum non recipit, qui pauperem in domo non recipit per eleemosynam.*

Ecce dimidium bonorum meorum, &c. Ecce quomodo statim ad receptionem Christi in domo, Zachæus pauperes, & creditores simul recipit, eleemosynas eis largiendo, & restituendo quod malè usurpaverat; ut intelligant divites, quod in domum eorum numquam intrabit Christus, nec mansionem faciet, nisi priùs introducant pauperes, & restituant res alienas propriis Dominis. *Ser. 1. de S. Martino in addit.*

13. *Divites sine emissione sanguinis superflui non possunt salvari.*

Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, &c. Vide quomodo Zachæus cum esset dives, & vellet curari ab infirmitate spirituali animæ, quia abundabat in eo sanguis superfluus, emisit à se omnem sanguinem superfluum, quia sicut sunt quædam infirmitates, quæ non possunt sine fleubotomia curari, sic quædam sunt peccata, à quibus non potest quis curari sine restitutione, aut justificari quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, restituere ergo debent divites sanguinem rerum temporalium, & pauperibus, & propriis Dominis, ut fecit Zachæus. *Op. Diar. tit. 2. cap. 4.*

14. *Salus totius familiæ à salute, & bonitate capitis, & Patris familias dependet.*

Et ait Iesus ad eum, quia hodie salus huic domui facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ. Quænam est ista conclusio, quam infert Christus? solùm in antecedentibus enarratur conversio Zachæi Domini domus, & tamen dicit Christus, quod tota domus, & familia saluti reddita est? cur non potius dicit salus huic hero, huic Domino, sicut ex antecedentibus videtur debere inferri? Sed attende ad mysterium: subdit Christus, quod Zachæus factus est filius Abrahæ, idest conformis tanto capiti, quoad fidem, & virtutes; ut videas qualem vim habeat exemplum Patrisfamilias, Principis, prælati, & Patris, quia data ipsius conversione, & mutatione in bonum, statim dicitur tota familia sanata. *Luc. hic; op. Phar. l. 2. c. 11.*

15. *Ecclesiarum dedicatio salus est populorum.*

Hodie salus huic domui facta est. Nota, quòd ut supra dictum est hoc Evangelium legitur in dedicatione Ecclesiæ, & templorum sacrorum; & meritò, quia talis dedicatio est ordinata ad salutem Ecclesiæ, & populorum; quia per talem dedicationem ordinatur Ecclesia ad exercitium munerum Ecclesiasticorum; scilicet ad asservationem Eucharistiæ, ad prædicationem verbi Dei, orationem, contritionem, confessionem, absolutionem, aliaque ad salutem nostram instituta. *Luc. cap. 19. v. 7. & 9. ser. 1. de dedicat. Ecclesiæ.*

16. *Ubi intrat Christus, ibi regnat salus, ibi dies perpetuus illuxescit.*

Quia hodie salus huic domui facta est. Cur hodie salus facta? quia ibi intravit Christus; ubi enim Christus intrat, ibi perpetua dies, ibi salus, nec mors, nec tenebræ regnant. *Luc. hic.*

17. *Homo tenetur ad negotiationem exercendam spiritualem per dona à Deo collata.*

Homo nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti; vocatis autem decem servis suis dedit eis decem mnas, & ait illis, negotiamini dum venio, &c. Nota, quod in ista parabola ad litteram Christus intendit ostendere beneficia ab ipso collata genti Judeæ, hujus ingratitudinem, & reprobationem de ipsa secutam: mysticè dat intelligere, quòd Christus verè Rex nobilis sua dona naturalia, fortunæ, & gratiæ hominibus elargitur, qui in numero denario significantur propter observantiam decem mandatorum, ad quam obligantur, & hoc ut negotiatione spirituali, & exercitio bonorum operum ditiores fierent; cum igitur ad judicium venerit Christus exigiturus rationem de omnibus commissis, & omissis, tunc benè operantes pro apposito lucro remunerabit, servos verò torpentes à negotio damnabit. *Ser. 3. Dom. 13. Pentec. ap. medit. c. 16. Luc. hic: & c. 20. v. 3.* De hac negotiatione Vide in *Matth. c. 25.*

18. *Ingressus in Ierusalem in die Palmarum cum suis mysteriis explicatur in Matth. c. 21. & hic in expos. Seraph.*

19. *Christus verbo, & exemplo ad fletum nos provocat.*

Et ut appropinquavit Iesus Ierusalem, videns civitatem flevit super illam, dicens quia si cognovisses & tu &c. Vide, quod Christus Iesus & exemplo suo, & verbo nos ad fletum provocat: legitur autem Christus ter flevisse pro nobis, super Lazarum suscitatum, super civitatem, & in cruce, addunt DD. & quartam scilicet in infantia, de quo cantat Ecclesia, *vagit infans inter arcta conditus præsepia, &c.* qui quatuor fletus fuerunt quatuor flumina gratiarum, quæ de Paradiso exeunt; & tali pacto etiam nos excitat ad fletum, ut cum Christo plangamus pro culpis; ut ignoscantur, pro gratia, ut obtineatur, pro miseriis hujus vitæ, ut evadamus, & pro patria, ut ad ipsam perveniamus. *Serm. 1. Dom. 9. Pentecost. Luc. hic.*

20. *Peccatoris moribundi miseria in agonia.*

Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, &c. Notâ, quòd in his verbis prædicit desolationem Ierusalem futuram per exercitum Romanorum; sed mysticè loquitur ad civitatem mysticam animæ existentis in peccato mortali, & redactam ad tempus mortis; in quibus verbis agit de accidentibus antecedentibus mortem, in morte, & post mor-

tem: nam antecedenter circundatur in infirmitate, coangustatur in infirmitatis aggravatione, ad terram proſternitur in morte, & prorſus evertitur in incineratione: In morte autem circumdatur à multitudine accuſantium iniquitatum; ad terram proſternitur in latione ſententiæ, & tandem evertitur in acerbitate pœnarum: In morte item inimici, ſcilicet Dæmones circumdabunt te, exitum tuum obſervando; coangustabunt te animam, & corpus torquendo, & illam rapiendo de corpore, proſternent te ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, ubi animam projicient, vel circumdabunt te inimici tui valo diverſarum tentationum, coangustabunt te ſubtus, & ſupra, intus, & exterius, omnia peccata operis, oris, & cogitationis objiciendo, & proſternent te corporaliter in ſepulchro, ſpiritualiter in Inferno, & univerſaliter in judicio. *Sermon. 3. Dom. 9. Penteceſt. ſermon. 3. ſer. 3. Paſcha. Luc. hic.*

21. *De ejectione prophanantium ſacrum templum facta à Chriſto vide in Matth. c. 21. Luc. hic. Ioan. c. 11. v. 40. & collat. 14 ſer. 4. Dom. 9. Pentec. Ubi de domo orationis, &c.*

ARGUMENTUM CAPITIS XX.

1. *Nota, quod in hoc capite Chriſtus confutat incredulitatem Iudæorum per verba, & documenta proponens teſtimonium Ioannis de ſe teſtificantis; item parabolam vineæ, propoſitionem quæſtionis an liceat tributum dare Cæſari, & reſponſionem; confutationem Saducæorum negantium Reſurrectionem; & deinde probat ſe Meſſiam eſſe verum Deum: quæ omnia explicata ſunt in Matth. c. 21. & 22. & hic à Seraph. Doct. in Luc. c. 20.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd in hoc capite oſtendit viduam dantem duo minuta, plus cæteris dediſſe: deinde aſſignat ſigna excidii tam Ieroſolimæ, quam Orbis: quæ explicata fuere in Matth. c. 24. & hic à Seraph. Doct. in Luc. & in Marc. c. 12.*

CAP. XXI.

2. *Verbis non meremur, ſed adverbiis; & Deus reſpicit non quantum, ſed ex quanto.*

Vidit Ieſus eos, qui mittebant munera in gazophylacium divites; Vidit & quamdam Viduam pauperculam mittentem æra minuta duo, &c. Nota, quod Chriſtus comparans munera copioſa, quæ offerebantur à divitibus cum duobus minutis viduæ pauperculæ, dixit, quòd iſta plus omnibus obtulit: ſed quomodo hoc verum poteſt eſſe? ſed quia reſpiciebat ad corda offerentium, & quia plus penſat, & æſtimat cor, & voluntatem, & devotionem interiorem, quàm ad exteriorem, in quo ſuper omnes eminebat hæc devota mulier. ideò dixit, quod iſta plus omnibus miſit, quia totum, quod poterat. ſibique neceſſarium erat, & etiam voluntate, quod non poterat, obtulit; ideò dixit Chriſtus ipſam plus omnibus aliis obtuliſſe; & hinc proverbium, quod plus adverbiis, quàm verbis meremur, ſcilicet plus in modo oblationis, quàm in ipſa oblatione. *Opuſc. Comp. Theol. lib. 5. c. 35. ſerm. 2. de una Mart. in addit. ſerm. 2. Dom. 5. Penteceſt. Luc. hic: & cap. 10. verſ. 25. opuſcul. ſpecul. Beat. Virgin. Præfat.*

3. *Regnum Cælorum tantum valet, quantum habes.*

Vidit & quamdam Viduam pauperculam mittentem æra minuta duo. Nota, quòd dicitur de Chriſto, quòd vidit & divites, & Viduam offerentes munera in templo, ſed tamen diverſo modo eos vidit; nam videns Viduam pauperculam ipſam laudavit, & ſibi ſummè acceptabilem fuiſſe ipſius minutam oblationem, tamquam omnium maximam, oſtendit, quia per ipſam lucrata eſt regnum Cœlorum, ex hoc, quod cum paupertate copulavit liberalitatem, ſcilicet paupertatem, quia non habebat niſi duos obolos; liberalitatem, quia cum poſſet alterum offerre, obtulit utrumque & cum utroque obtulit etiam cor; ut intelligeremus, quod regnum Cœlorum tantum valet, quantum habemus, dummodo cor, & voluntatem offeramus; Valuit namque ad emendum regnum Cœlorum Zachæo dimidium bonorum ſuorum, cum promptitudine dandi totum, quod habebat: Valuit Andreæ, & Petro dimiſſis retibus, & navi; Valuit & huic Viduæ duobus minutis; valuit & alteri calicem aquæ frigidæ regnum ipſum Cœlorum: & quanta pietas, & bonitas Dei noſtri. *Luc. hic: Vide quæ dicta ſunt ad cap. 12. Marci.*

4. *De ſignis antecedentibus deſolationem Ieruſalem, & Orbis ad judicium vide in Matth. capit. 24.*

5. *Signum imminentis ruinæ eſt perſequi, & injuſtè & violenter trahere proximum ad judicia, & pœnas.*

Tunc injicient vobis manus trahentes ad Reges, & Præſides, &c. Nota, quod Chriſtus inter ſigna præcedentia adventum Antichriſti, & deſolationis Orbis, inſerit etiam perſecutiones injuſtas, quas impii in Eccleſiam commovebunt injuſtè; quod & etiam ſpecialiter aptari poteſt cuilibet in particulari; nempe quod ſignum imminentis cladis, & ruinæ eſt quando potentes trahunt

trahunt ad judicia, ad tribunalia, ad pœnas, ad contractus oneroſos, & noxios proximum ab ipſis oppreſſum; hoc enim eſt maximum peccatum, Deoquè ſummè exoſum. *Ser.2.fer.4. Pentec.*

6. *De aſſiſtentia ſapientiæ cæleſtis à Chriſto promiſſa ſuis ductis ante Reges, & Præſides vide quæ dicta ſunt in Matth.c.10. & hìc in Luc.c.21. ſer.de S. Agnete, & Cæcilia op. Legenda S. Franc. c.8. ſap.c.10. Luc.c.8. v.11.& c.12. v.13. & 40.& c.14. v.16.Ioan.c.3.v.11.& collat.76.*

7. *Confidentia in Dei providentia ſuadetur ex cura exactiſſima, quam habet de ſuis.*

Eritis odio omnibus hominibus, ſed capillus de capite veſtro non peribit &c. Vide qualiter per argumentum à minori, ad majus, ſcilicet à numeratione, & conſervatione, quam Deus habet, & cura uſque ad minimum capillum ſuorum ſequacium, infert qualis erit cura de corpore, & anima; & hinc infert, quòd non oportet nos ſollicitari per timorem de nobis metipſis, ſed omnem confidentiam collocare in ejus ſollicita providentia, & ad ipſum recurrere in quacumque tribulatione, perſecutione & anguſtia; quia non poteſt deficere. *Luc.c.12.v.6.& hic.*

8. *Patientia reddit hominem liberum, & Dominum ſui; impatientia captivum.*

In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Quid eſt poſſidebitis animas veſtras? nonnè in poteſtate cujuſque eſt anima ſua? cur igitur tribuitur talis poſſeſſio patientiæ? ſed optimè hoc dicitur; nam illius rei dicitur poſſeſſor, cujus habet plenum dominium, ſola autem patientia reddit hominem plenè Dominum ſui, quod patere poteſt ex effectibus oppoſitis iræ, & impatientiæ; hæc enim excæcat rationem, ne poſſit videre quid juſtum, quid injuſtum ſit; reddit hominem pronum ad quodcumque peccatum, ut continuâ experientiâ probatur; reddit & hominem rabidum, & ſtultum auferens rationem, & quodammodo humanitatem, & quod pejus eſt aufert homini ſeipſum, undè vulgo dicitur de homine irato, quòd non eſt in ſeipſo; & ultrà aufert miſericordiam, & compaſſionem: hinc rectè Chriſtus dicit, in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras, quia patientia eſt poſſeſſio animæ, eo quia patiens dominatur animo, ipſumque in pace moderatur, flectit, & regit quocumque ei libet, & ob id meritò patientiâ dicitur radix, & cuſtos virtutum, in qua homo animam, & corpus poſſidet; hanc autem maximè exercemus; cum à proximo ſuſtinemus perſecutiones, damna, contumelias, ab adverſario tentamenta, à Domino flagella, & ſic ſine ferro Martyres eſſe poſſumus, ſi patientiam in animo ſervamus. *Op.de dono fortitud.c.3.op. Distinct.1.c.5.op.de Prof. Religios.lib.2.c.16. ſer.18.Hexam. Eccleſ.c.10.ſer.1.Dom.2.Adv.ſer.3.de Apoſtol.ſer.2. de una Virgine Luc. hic ſer.1.de SS. Sim. & Juda in addit.*

9. *De ſignis in ſole, & Luna, & ſtellis: Vide in Luc.hic & in Matth.c.25. Et ſuper illud, Videbunt Filium hominis &c. Vide in Matth.ibid. & in Luc.hic ſer.4.Dom.24.Pentec.ſer.4.Dom.2.Adv. ſer.2.Dom.13. Pentec. Ioan.collat.50.ſer.1. Dom.1. Advent.*

10. *Fructus bonorum operum ſolùm in æſtate producuntur.*

His autem fieri incipientibus &c. Videte ficulneam &c. cum producunt ex ſe fructum, ſcitote quoniam propè eſt æſtas &c. Ex hac parabola dat Chriſtus intelligere, quòd productio fructuum, ſcilicet bonorum operum, ſolùm fit quando propè eſt æſtas, nempè cum appropinquat anima calori ſuperno gratiæ, & charitatis, & per conſequens illæ arbores, quæ gelicidio iniquitatis ſubjiciuntur, privantur fructibus. *Luc. c. 6. verſ.43.*

11. *Ab imo humilitatis ſpes elevat capita in Deum.*

His autem fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra &c. Nota, quòd Chriſtus poſtquam ad imum timoris, & humiliationis nos inclinare fecit proponendo ſigna terribilia judicii, præcipit, ut levemus capita noſtra, ſcilicet per ſpem retributionis, hæc enim elevat animam de terrenis ad cæleſtia. *Ser. 2. Dom.13.Pentec. Luc.hic.*

12. *Crapulæ peſſimi effectus.*

Attendite vobis, ne graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa. Nota, quòd non ſine maxima ratione ad præparationem faciendam pro judicio mortis, & finali monet, nè graventur corda crapulâ, & ebrietate; quomodò dicit corda & non potiùs corpora, quæ verè gravantur ex nimio cibo, & potu, ſed tamen optimè dicit: nam hìc loquitur de crapula, & ebrietate, quæ eſt peccaminoſa mortaliter, cum accidit ex voluntate antecedente, & advertentiâ, vel actuali vel virtuali, & ideò ratione reatus culpæ gravat cor, & animam, & uſum rationis tollit, & in periculo manifeſto æternæ damnationis collocat hominem; undè ex contrario patet, quàm ſit neceſſaria temperantia in cibo, & potu, quia per hanc evitantur multa, & maxima peccata. *Ser.4. Dom.2.poſt oct. Epiph.op. Regula Novit.c.6. Ioan. c.2.v.10.Luc.hic.*

13. *Impiis dies judicii, & mortis improviſa ſupervenit, non juſtis.*

Attendite &c. & ſuperveniat in vos repentina dies illa, tamquam laqueus, qui ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Nota ô peccator, & ſigna myſteria? Nota inquam quibus ſupervenit ſubita, & improviſa mors, & judicium; nempè iis ſolis, qui vivunt carnaliter occupati in crapulis, & curis hujus ſæculi, quibus laqueus ſententiæ divinæ ex improviſo ita advenit, ut eis non remaneat vel tempus, vel opportunitas ſe convertendi ad Deum; ô quot ſunt tales miſeri! quia qualis vita, talis finis; non ſic juſtis, qui vivunt ſe præparantes ad mortem, nam & ſi iſtis ſubito, & ex improvi-

visò venit, non nocet, quia invenit eos paratos. *Luc.c.17.v.27.& hic c.21.*

14. *Vigilandum, & orandum à nobis maximè in tempore tentationis.*

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia, quæ futura ſunt. Ecce concluſio, quam piiſſimus Dominus infert ex prædictione tot tribulationum, & periculorum, quæ ſuperventura ſunt toti orbi; nempè remedium apponit ad omnia iſta evitanda; ſuntquè vigilia, & oratio; Vigilate, ait, omni tempore ideſt diligenter, frequenter, & perſeveranter orantes, quia oratio eſt ſecurum remedium, & neceſſarium evitandi pericula, & peccata, & vincendi tentationes; ſic ſecuri, & fortes eritis in fuga; ex qua doctrina rectè infertur documentum neceſſarium, nempè debere, & teneri hominem, cum vel prævidet tentationem, vel à tentatione aggreditur, fugere ad remedium orationis, ut auxilium à Deo obtineat; undè qui in tentatione non vigilat, & orat ſocius eſt furis, quia cum ſentiat hoſtes, non clamat ad Dominum, ut caſtrum, & milites ejus ſuccurrat, & qui vigilat, & orat aſſiduè, ſecurus ſtabit ante Iudicem. *Luc.hic.& c.12.v.38.& c.22.v.40.*

15. *Chriſtus inſtruxit ſuo exemplo Prædicatores, & miniſtros quid agere debeant in die, & in nocte.*

Erat autem docens diebus in templo, noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur oliveti. Vide quomodò dictis Chriſti reſpondent facta; ſuprà exhortatur, ut vigilemus, & oremus, nunc idem faciebat factis, quia de die vigilabat prædicans, docens, ſeque exercens in vita activa; nocte verò ſecedebat ad montem ad orandum; hoc diſcant Prædicatores, & miniſtri Chriſti, qui ad converſionem animarum procurandam ſunt vocati, & præcipuè Fratres Minores, quia eorum miniſterium eſt in diebus prædicare, confeſſiones audire, converſioni animarum, viſitationi infirmorum incumbere; ſed poſtea in nocte debent ſedulo operam dare orationi, meditationi ſacrorum myſteriorum, & contemplationi; Et ad hoc inſtituit S. Franciſcus Ordinem liberum à ſollicitudinibus temporalium, ut liberiùs poſſet vacare ſimul ad ſalutem animarum, & ad profectum proprium, ut ſic eſſet perfectus imitator Chriſti. *Op. Determinat. qu.1.Ioan.collat.40.Luc.hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Nota, quod hucuſque egit Evangeliſta de Prædicatione, & doctrina: nunc conſequitur alia pars, quæ eſt de Chriſti Paſſione; & in hoc capite agit de proditione Iudæ de ultima cœna, & inſtitutione Euchariſtiæ; de oratione, & ſudore ſanguineo Chriſti de negatione Petri, de illuſionibus, aliiſque pœnis Chriſti uſque ad condemnationem: Nota etiam, quòd hæc hiſtoria fusè tractata fuit in Matth. c.26. Ubi etiam ſupplevimus ea, quæ à S. Luca hic afferuntur; ſic & de contentione Apoſtolorum, Quis eorum eſſet major, actum eſt in Matth. c.20. Ideò infrà ſubjiciemus aliquas expenſiones principaliores ſuper aliquos textus Evangelii S. Lucæ à S. Bon ſparſim traditas.

CAP. XXII.

2. *Quid ſit conſecrare, & ſumere Euchariſtiam in Chriſti commemorationem.*

Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis. Nota, quòd dicit Chriſtus in mei memoriam, quid eſt in Chriſti memoriam? hoc eſt in commemorationem eorum omnium, quæ fecit Chriſtus, ſcilicet ſuæ Paſſionis, propitiationis, dilectionis, & unionis cum homine; Undè hoc Sacramentum eſt renovatio Paſſionis, & Redemptionis Chriſti, & ideò in memoriam Chriſti hoc Sacramentum omnium excellentiſſimum, ægrotis eſt medicina, peregrinantium diæta, debilium virtus, ſanorum delectatio, invitans hominem ad Chriſti imitationem, ut ſit manſuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, ſagacior ad cautelam, ad obediendum promptior, ad gratiarum actionem devotior. *Op. faſcicul. c.7.ſer.2. Cinerum ſer.4.Cœna.*

3. *In curia Chriſti majores occupant inferiorem locum: In curia mundi è contrario.*

Qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator &c. exemplum enim dedi vobis &c. Vide quomodò Chriſtus volens intrare in mare Paſſionis, & poſtquam diſcipulos ſuos ſuo corpore, & ſanguine refecit, occaſione quæſtionis diſcipulorum, quis eorum eſſet major, & caput aliorum, voluit & maximam regulam tradere ipſis, & Eccleſiæ ſemper practicandam; & hoc oppoſito modo, quo in curia mundi, nam in hac majores præcedunt minoribus, ſed in curia Chriſti proceditur oppoſito modo, quia majores ſunt, qui aliis miniſtrant, & poſteriorem locum occupant, & hoc in iis, quæ ſpectant ad ſalutem animarum; & hinc in proceſſionibus mos eſt Eccleſiæ ultimum locum dare miniſtris Eccleſiæ, ut ſemper in mente, & in corde habeant id, quòd verbo, & exemplo tradidit Chriſtus, quòd minor eſt major, & quòd humilitas eſt illa, quam à nobis exigit Chriſtus. *Op. de ſex Alis Seraph. c.6. op. Expoſ. Regulæ c.10. op.ſpec. Diſcipl.p.1.c.6. Luc.c.6.v.40. & c.7.v.28.& c.9.v.16.*

4. *Chriſtus in medio diſcipulorum ſe collocavit, ut veluti ad exemplar diſcipuli menſurarent, & ordinarent omnes ſuas actiones.*

Ego autem in medio veſtrum ſum. Cur ponit ſe Chriſtus in medio diſcipulorum, quando eos voluit reficere ſuo corpore, & ſanguine, & non potiùs in ultimo loco, cum ipſe dicat exemplum dedi vobis; & inter vos qui eſt major fiat ſicut minor? ſed tamen meritò ſe in medio collocavit, ut ad ipſum veluti ad centrum tenderent eorum lineas ſcilicet omnes actiones per imitationem, undè addit, *in medio ſum ſicut qui miniſtrat*; ut oſtenderet nobis in omnibus virtutibus, & bonis moribus in ſeipſo clariſſimum ſpeculum, & totius ſanctitatis perfectiſſimum exemplar; cum enim ad hoc fuerit è Cœlo miſſus, ut aperiret nobis viam virtutum, & legem diſciplinæ ſuo exemplo daret, & erudiret nos per ſemetipſum; & ſicut ad imaginem ejus naturaliter creati ſumus, ita ad morum ejus ſimilitudinem, per imitationem virtutis pro noſtra poſſibilitate reformemur: ait igitur Ego autem in medio veſtrum ſum; quaſi dicat: Vide & deſcribe tibi in corde tuo mores, & actus tui magiſtri, quàm humiliter ſe habuit inter homines, quam benignus inter diſcipulos, quàm modeſtus in edendo, & bibendo; quàm miſericors ſuper pauperes, quibus ſe ſimilem fecerat per omnia, & qui ſpecialiter de ejus familia videbantur; quomodò nullum ſprevit, vel horruit etiamſi eſſet leproſus, quomodò divitibus non adulabatur, quàm liber fuit à curis mundi, nec anxius pro corporis neceſſitatibus, quàm verecundus in viſu, quàm patiens ad contumelias, & quàm mitis in reſponſis? non enim ſtuduit ſe vindicare verbo mordaci, & amaro, ſed blando, & humili reſponſo alterius malitiam ſanare; quàm compoſitus in omnibus geſtis ſuis, quàm ſollicitus de animarum ſalute, quarum amore voluit incarnari, & mori dignatus eſt; quomodò mulierum familiaria colloquia vitavit cauſâ exempli; quomodò condeſcendit infirmorum imperfectioni, non ſprevit peccatores, & pœnitentes clementer ſuſcepit; quàm placidus in omnibus dictis ſuis, quàm ſtudioſus ad orationem, quàm promptus in miniſtrando; quomodò omnem jactantiam, & ſingularitatis oſtentationem declinavit, item gloriam, & poteſtatem hujus mundi fugit: ô quàm benè dicit, Ego autem ſum in medio veſtrum, ut omnia geſta mea vobis impendam ut quæ ego feci, & vos faciatis. *Op. de Inſtit. Novit. p. 1. c. 32.*

5. *Quales debeant eſſe Prælati ad ſubditos exemplo Chriſti.*

Ego autem in medio veſtrum ſum (ideſt veſter Prælatus) ſicut qui miniſtrat. Vide quomodò duo oppoſita ſimul copulat, ſcilicet rationem Prælati, & ſervi; & tamen amot iſta duo oppoſita ſimul copulavit, ut formam daret Prælato Eccleſiaſtico qualiter ſe gerere debet cum ſubditis, nempè debet eſſe exemplo Chriſti inter ſubditos quaſi unus ex illis communis in victu, in veſtitu, in labore, & in aliis exterioribus, ſicut parvulus in medio eorum; ut ex hoc, quòd præeſt eis non putet ſe ſanctiorem, vel aliis ſapientiorem, vel digniorem, ſed vilrorem, & obligatiorem in reddenda ratione pro ſe, & pro illis; ſit quaſi miniſtrans in medio eorum, infirma eorum portando, & curando, & exemplo præcundo. *Op. de profect. Religioſ. lib. 2. c. 31.*

6. *Chriſtus tenens medium in throno; medium etiam tenuit in officio.*

Ego autem in medio veſtrum ſum. Cur in medio ſe collocavit Chriſtus, & non in capite, vel alia parte? optimè in medio dicitur, ut qui medium tenebat in throno, congruum etiam erat, ut medium teneret in officio, & qui medium in via fuerat creationis, medium exiſteret in via recreationis, ut per verbum mundus reficeretur, per quod fuerat factus: meritò igitur in medio dicitur eſſe, quia medium fuit colligentiæ humanitatis, & divinitatis in Incarnatione, per quod reconciliatio facta eſt hominis ad Deum, & Dei ad hominem; medium item regulatis diſciplinæ in converſatione, numquam recedens à medio virtutis in opere, & ſermone, & hoc, ut nobis eſſet regula directiva noſtrarum opetationum, & ideò qui neſcit meriri ſeipſum cum hoc medio, ſalutem non potetit obtinere: medium item in Paſſione vitalis influentiæ, & ideò in medio terræ, & duorum latronum crucifixus eſt; ut ad omnes partes terræ influeret ſpiritus vitales gratiæ; & ut ſe oſtenderet Pontificem clementiſſimum ad purgandum delinquentes à malo culpæ; Doctorem ſapientiſſimum ad illuminandum verbo doctrinæ ſuæ: & Regem potentiſſimum ad liberandum impotentes à malo pœnæ, & inducendum ad bonum gloriæ. *Ser. 1. Dom. 3. Advent. ſermon. 1. Hexam Luc. capit 5. verſ. 19. & capit. 10. verſ. 39. Ioan. collat. 3. & 58.*

7. *Privilegia patientium cum Chriſto, & pro Chriſto.*

Vos autem permanſiſtis mecum in tentationibus meis; & ego diſpono vobis regnum &c. Ecce quomodò Chriſtus allicit ſuos ſequaces ad humilitatem promittens eis præmium, ut qui participes ſunt tribulationum cum Chriſto, ſint & in honore; & ideò ſicut Pater diſpoſuit Filio, quòd perveniret ad exaltationem per humiliationem, ſic & Filius diſponit eodem modo nobis, & quantum ad viam, & quantum ad patriam: Hoc autem præmium, quod promittit, conſiſtit in triplici dignitate gloriæ ſupernæ; facit enim ſuos imitatores Reges omnipotentes cæleſtes, undè dicit diſpono vobis regnum (ideſt ut legit Græcus, teſtamento relinquo vobis regnum) facit eos convivas cæleſtis menſæ, ubi humanitas eſt cibus, & Deitas potus, ut edatis, & bibatis &c. facit etiam eos Judices cæleſtis curiæ ſedebitis ſuper ſedes duodecim judicantes &c. ideſt divinum judicium approbantes ſicut æterni conſiſtorii aſſeſſores, judicantes duodecim tribus

Iſraël, ideſt univerſam multitudinem fidelium. *Op. Diæt. tit. 10. c. 6. op. de dono ſap. c. 9. Luc. hic & cap. 6. v. 17. & c. 14. v. 16. & c. 15. v. 31. ſer. 5. Dom. 2. Quadrag. op. de Perfect. vitæ c. 8. ſer. de SS. Sim. & Iudæ: ſer. 3. de plur. Martyr.*

8. *Omnia relinquens à divina providentia ſit omnium Dominus.*

Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, &c. Ecce quali arte Chriſtus per profeſſionem altiſſimæ paupertatis ad dominium omnium rerum inducit ſuos diſcipulos, ſimulque cum abrenuntiatione omnium rerum temporalium ad totalem confidentiam in ſuam divinam providentiam elevat: Jam in ſuperioribus præceperat renuntiationem omnium rerum, eiſque indixerat ſummam paupertatem, cautelam ab omni ſollicitudine, & proviſione rerum, & inter omnia etiam alienationem à contrectatione pecuniæ auri, & argenti; & ut incederent diſcalceati, & nudis pedibus, antequam in mare Paſſionis ſe immergeret, & ad crucis ſupplicium duceretur, voluit eos, & omnes in Eccleſia Apoſtolorum imitatores confirmare in hoc ſtabili propoſito dicens; quando miſi vos ſine ſacculo, & perâ, ſcilicet auro, & argento, & proviſione rerum etiam neceſſariarum', & ſine calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? nihil reſponderunt, nihil nobis defuit: quaſi diceret; & ſi divinam providentiam tam magnificè experti eſtis, idem & impoſterum & vobis, & meis imitatoribus eveniet; ergo timete Dominum, quoniam nihil deeſt timentibus eum, quia nihil habentes, omnia poſſidebitis: Et hoc eſt, quod Seraph. P. S. Franciſcus ordinavit in ſua Regula: hoc eſt, quod Profeſſores altiſſimæ paupertatis per cõtinua miracula divinæ providentiæ experiuntur; quia Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem, & promiſſa Chriſti non tranſibunt: *Op. Expoſ. Regulæ cap. 4. op. de ſandal. op. Apol. Paup. Reſp. 3. cap. 1. pluries: op. de Perfect. vitæ c. 3. Luc. hic.* Nota, quod ſuprà dictum eſt; hanc promiſſionem Chriſti parefieri continuis miraculis divinæ providentiæ & hoc verum eſt; & ego minimus profeſſor Seraphicæ Regulæ, quæ ex divina miſericordia in mea Capuccinorum Religione obſervatur ad litteram, pluries, & ſæpiſſimè talia patentiſſima miracula vidi, & expertus ſum ad gloriam Dei Omnipotis. Et hoc eſt, quod ſubdit Chriſtus, & qui non habet gladium vendat tunicam ſuam, & emat, ſcilicet aſſumat gladium veritatis, & à ſe reſcindat omnem carnalitatem, & temporalem ſollicitudinem, & videbit quàm ſit vera promiſſio divina.

9. *Reliquahuius capitis de oratione, & ſudore ſanguineo, de negatione, & converſione Petri; de captura Chriſti, & alia vide explicata in Matth. c. 26. & hic in Lucam in comment. ſancti Bonav.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod in hoc capite Evangeliſta proſequitur Chriſti Paſſionem uſque ad ſepulturam, quæ omnia expoſita fuerunt, ut ſuprà dictum eſt, in Matth. c. 27. & in comment. S. Bonav. in Luc. hic.*

CAP. XXIII.

2. *Amicitia, & pax maledicta malorum expenditur.*

ET facti ſunt amici Herodes, & Pilatus, nam antè inimici erant ad invicem. Si iſti duo Principes reconciliati ſunt inter ſe, ergo ex hac pace derivanda erat felicitas in toto Regno, quæ eſt fructus pacis, nam concordiâ res parvæ creſcunt; & tamen totum oppoſitum ſucceſſit, nam infinita mala poſt illud tempus Judæam afflixerunt, cur hoc? ſed attende ad qualitatem hujus pacis, & amicitiæ, quæ colligata fuit in ſanguine, & morte Chriſti, nam dum Pilatus Chriſtum ad Herodem miſit, & Herodes illum remiſit illuſum, ad occidendum Chriſtum unita eſt malitia, quæ ante diviſa erat: Et hæc eſt pax maledicta, qua impii inter ſe colliganiur contrà Chriſtum, & ejus præcepta, & contrà proximum; ex qua ruinæ, ſtrages, & infinita mala derivant: ô quot ſunt hodiè tales in mundo! contrà quorum amicitiam bellare debent Clerici orando, Laici reſiſtendo, Principes perſequendo, ne fortè ex parva ſcintilla ignis, & valida flamma ſurgat, quæ totam civitatem incendat. *Ser. 10. de Apoſtol. op. Diæt. tit. 7. c. 6.*

3. *Compaſſio ſui præcedat compaſſionem Chriſti; & planctus preprius planctum Chriſti.*

Filiæ Jeruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete. Cur Chriſtus præcipit iſtis mulieribus, ut non ſuper ipſum, ſed ſuper ſeipſas fleant? nonnè hoc eſt optimum opus flere mortem Chriſti, compati Chriſto in ſuis doloribus? optimum quidem eſt opus, ſed debet eſſe ordinatum, ut priùs homo deteſtetur, & plangat propria peccata, deindè vertat mentem ad Chriſtum patientem propter ipſa. *Ser. 2. Dom. 1. & 9. Pentec. op. Diæt. tit. 1. c. 2.*

4. *Chriſtus tenet manus extenſas in cruce ad dandam veniam peccatoribus, eoſque amplexandos.*

Et crucifixerunt eum, &c. & ait Pater ignoſce illis, &c. Vide Chriſtus non priùs aperte oravit pro perſecutoribus, quàm affixas, & extenſas haberet manus in cruce; & hoc, ut ſignificaret, quod erat promptus ad dandam veniam peccatoribus, ad eos amplexandum, & collocandum in ſinu ſuo, & eos munerando ſuis beneficiis. *Ser. 2. Dom. Paſſ.*

5. *Chriſtus*

Digitized by Google

5. *Chriſtus ex cruce invitat nos maximè ad condonationem injuriarum.*

Pater ignoſce illis, &c. Nota, quod Chriſtus in cruce exponitur in Eccleſia, ut ex ejus aſpectu conſiderantes tot pœnas, & dolores, ſed maximè exemplum inauditum ipſius orantis pro perſecutoribus, ad ſui imitationem excitaret: Audi igitur, & vide quod è cruce clamat, quid Pater, ait, quid ſubdit? forſan vindica ſanguinem meum innocentem? minimè, ſed Pater ignoſce illis: ô cor amariſſimum, quod ad tam ſuaviſſimam vocem non dulceſcat, & amaritudinem odii non deponat! qui igitur ad beatitudinem cum Chriſto vult pervenire, debet, ſicut ille ambulavit, ambulare, & diſcere ejus doctrinam, ut ſit mitis, & manſuetus in affectione, ſermone, & converſatione, quia beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. *Ser. 2. de omn. Sanctis. ſer. 1. Dom. 4. Pentec. ep. de Grad. virtut. c. 6. ep. ſtm. p. 1. c. 8. Luc. c. 22. v. 47. & cap. 17. v. 4. ſermon. 3. Dom. 4. poſt oct. Paſcha.*

6. *Omnes, & juſtos, & injuſtos, & juvenes, & ſenes, & in quacumque hora expectat Chriſtus è Cruce.*

Hodie mecum eris in Paradiſo. Cur voluit Chriſtus terminare ſuam Paſſionem cum converſione Latronis? cur non antè Paſſionem? cur in fine vitæ? Ut videamus, quòd Chriſtus venit peccatores ſalvare, quod non eſt acceptator perſonarum, quod tenet manus extenſas in cruce promptus ad recipiendum ad ſe omnes, & juſtos, & injuſtos, ſenes, & juvenes, & in quacumque hora, & tempore; unde de ipſo verificatur id, quod *Oſee. c. 6.* dicitur: *Veniet quaſi imber temporaneus, qui ſtillicidium præparans, & ſerotinus terræ*; per temporaneum gratia prævehiens, per ſerotinum gratia ſubſequens ſignificatur: item & temporaneus illis, qui citò ut Joannes, ut quaſi ſerotinus illis, qui tardè convertuntur ſicut Latro in cruce. *Ser. 4. Dom. 2. Pentec. ſer. 1. in Nativit. ſer. 3. Dom. infrà oct. Aſcenſ. ſer. 3. Dom. 3. Pentec. ſerm. 2. Dom. 14. Pentec.*

7. *Chriſtus trahit de cruce homines ad crucem, ut de cruce ipſum ſequantur ad gloriam.*

Hodie mecum eris in Paradiſo. Vide mirabiles effectus crucis, & crucifixi: nam cum jam dixiſſet omnia traham ad me ipſum, voluit velut magnes poſitus in cruce trahere hunc Latronem ut oſtenderet, quod expoſitus eſt in cruce, ut de cruce attraheret omnes homines, ut de cruce ipſum ſequantur ad gloriam: Et nota, quòd traxit hunc latronem pendentem à parte dextera, in qua apertus eſt latus ejus, & ex quo exivit ſanguis, & aqua, quia virtute ſanguinis omnes trahit. *Ser. 4. Dom. 11. Pentec. ſer. 1. ſer. 3. Pentec. ſerm. 4. Dom. in Albis.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd in iſto capite narratur apparitio Chriſti facta piis feminis; item & de duobus diſcipulis euntibus in Emmaus, poſteà Apoſtolis, & deinde Aſcenſio in Cœlum: De apparitione facta piis feminis, & Apoſtolis actum in Matth. c. 28. ſupereſt expenſio ſuper apparitionem factam diſcipulis euntibus in Emmaus.*

CAP. XXIV.

2. *Locorum ſacrorum, & maximè ubi celebrantur divina myſteria, reverentia qualis habenda.*

ET ingreſſæ mulieres in monumentum non invenerunt corpus Chriſti: & ecce duo viri (ſcilicet Angeli in ſpecie virorum) ſteterunt ſecus illas in veſte fulgenti. Vide quomodo, licèt in ſepulchro non adeſſet amplius corpus Chriſti, tamen ibi Angeli aſſiſtebant, cur hoc? ad quid venerunt Angeli, ſi ibi amplius non adetat corpus Chriſti? hoc eſt, ut reverentiam illi loco, in quo fuerat repoſitum illud ſacratiſſimum corpus, exhiberent; ut diſcamus à minori, quod in oratoriis, in quibus geruntur myſteria ſacra, & maximè ubi aſſervatur corpus Chriſti, adveniunt conventus, & exercitus Angelorum, ut & nos ſummo honore talia loca proſequamur. *Ser. 1. de dedicat.*

3. *Ubi viget concordia, & fit ſermo de Deo, ibi ſtatim adeſt Chriſtus.*

Et ecce duo ex illis ibant ipſâ die in caſtellum, &c. Emmaus, &c. Nota ad litteram, quod iſti duo erant diſcipuli Chriſti, ſcilicet Cleophas, & alter vel S. Lucas, vel aliquis alius ſecundum diverſas ſententias Doctorum; duos autem fuiſſe notantur, per quos intelligitur, quod concordes erant charitate; & ſtatim ac cœperunt loqui de Paſſione, & morte Chriſti, adfuit illis appropinquans Jeſus, per quod myſticè datur intelligi, quod ubi charitas, & concordia viget, & ubi fit ſermo de Deo, ibi adeſt Chriſtus, ſecundùm illud Matthæi. c. 18. *ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, ibi in medio eorum ſum*; & ratio eſt, quia ex abundantia cordis os loquitur, & os libenter loquitur, quod cor cogitat, & amat; de Chriſto loquebantur, quia ipſum in mente habebant, & voluntate amabant; & hinc talibus verbis adeſt Spiritus Domini, ramquam origo omnium bonarum verborum. *Op. medit. c. 92. Luc. hic.*

4. *Prædicator humilis in procuranda ſalute animarum, non reſpicit ad numerum auditorum, ſed ad ſolam ſalutem etiam paucorum, vel etiam infirmorum.*

Et ipſi Ieſus erat appropinquans eis, &c. Vide, quod Dominus Jeſus ex humilitate ſua ſe ſocium præbet iſtis duobus diſcipulis, qui erant ſolùm duo, & inferioris ordinis, ut eos inſtruat, & ſpiritualiter ſanet; ut diſcant Prædicatores, ne ſint acceptatores perſonarum, & ſint prompti ad inſtruendum auditores tam infirmos, & paucos, quam nobiles, & multos. *Opuſcul. medit. c. 91.*

5. *Religioſi itinerantes inſtruuntur.*

Et ipſi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant, ſcilicet de Chriſti Paſſione. Vide, quod iſti diſcipuli, cum valde triſtes eſſent propter mortem Magiſtri, non ad confabulationes vanas, & ineptias ſe convertunt ad ſedandam triſtitiam cordis, ſed quod in corde gerebant, per os promunt, loquentes de Magiſtri perſecutionibus, & morte; & ideò ipſis præſens ſtatim adfuit Chriſtus Jeſus: Nota etiam, quod dicit loquebantur ad invicem, ſcilicet modeſtè, ſubmiſsè, & reverenter, & cum concordia: & per hoc diſcere debent Religioſi diſciplinam verborum ſervandam in itinere, tam in materia, quam in ſono; verbi gratia, ſi occurrerint homines debent eos humiliter ſalutare, & ſicut Cleophas tamquam ſenior enarravit iſta ipſi Chriſto, ſic ſeniorum erit coitinerantibus, & his, cum quibus contigerit loqui aliquid ad ædificationem, vel conſolationem proponere. & etiam admonitiones pias, & Sanctum Evangelium exponere; ſi verò non adfuerint homines, de Deo verba Fratrum convenit eſſe, ipſe namque itinerantibus, & loquentibus diſcipulis de ipſo itinerationis factus eſt comes; tunc exempla Patrum, vel alia quæ vis bona, quæ vel accendant affectum, vel ſaltem inſtruant intellectum, ſunt ad laboris alleviationem narranda; turpiſſimum eſt neſcire tempus, niſi frivolis, & fabuloſis narrationibus detinere; Væ tacentibus de te Domine, quoniam loquaces muti ſunt: ſolent Fratres Litanias, Pſalmos, & ſimilia aut ſimul, aut ſingulariter frequentare, maximè antè tertiam, aut Sanctis meditationibus occupari; denique quoties mutuæ collationis verba interveniunt, ſonum omninò decet eſſe demiſſum, & cavere à clamoſa locutione; & recordentur proverbii triti; nemus aures, & campus, ſeu planities, oculos, & aures habere dicuntur. *Opuſc. ſpec. Diſcipl. p. 1. c. 28. Luc. hic.*

6. *Chriſtus ut peregrinus apparuit in itinere, ut nos peregrinos eſſe oſtenderet in hoc mundo.*

Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, &c. Vide, quod Chriſtus in ſpecie peregrini diſcipulis apparuit; cur hoc? quia voluit docere, quod ſicut ipſe ut peregrinus voluit vivere in hoc mundo non habens ubi reclinaret caput, ſic & nos veluti peregrini in via hujus mundi eſſe debemus; quod & docuit verbo, & exemplo S. P. Franciſcus, tunc quando in die Paſchæ non poſſet commodè mendicare, ad menſam Fratrum mendicavit ab eis cibum, & poſtea eos informavit eloquiis, quod tranſeuntes per mundi deſertum tamquam peregrini vitam degerent. *Opuſc. Legenda S. Franc. c. 7. Luc. hic.*

7. *Qualis fueris cum Chriſto, talis erit tibi Deus.*

Tu ſolus peregrinus, &c. Nota primò, quod Chriſtus in effigie peregrini apparuit his diſcipulis: ſecundò oſtendit ſe neſcire ea, de quibus loquebantur, nempè quæ facta ſunt ſuper ſe, cur hoc? cur non manifeſtè ſe oſtendit eis? Sed reſpondetur, quod peregrinus apparuit eis, quia qualis fueris cum Chriſto, talis erit & tibi; erat enim peregrinus in oculis diſcipulorum, quia non perfectè credebant, undè dicebant ob talem hæſitationem, nos autem ſperabamus, &c. quaſi cadentes à ſua expectatione, & veluti dejecti in maximam triſtitiam: oſtendit autem eis ſe neſcire, dicens, quæ? quia ipſi fabulabantur ad invicem, & ideò quærit Chriſtus, non quia dubitet, &c. *Luc. hic: op. medit. c. 91.* Diſcant ex hoc Chriſtiani audientes verbum Dei veluti tamquam vagi, & ut vulgo dicitur per cæremoniam, & curioſitatis paſcendæ cauſa, quod numquam tali pacto intrabit in cor fructus ipſius.

8. *Triſtitia mala, & hæſitatio devotorum ex ſubtractione devotionis expenditur.*

Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſrael. Nota, quod hoc dicebant veluti dejecti in maxima triſtitia, & quaſi cadentes à ſua ſpe; in quo oſtenditur qualis ſit tentatio aliquorum ſpiritualium, qui cum modò conſolationibus à Deo in exercitiis ſpiritualibus ditentur, modò in aridiatem ex ſubtractione devotionis cadant, in hanc tentationem incidunt, an illa devotio fuerit à Deo? unde dicunt, Nos autem ſperabamus experiri majora, &c. & ſic in triſtitiam malam incidunt, & veluti victi à tentatione altiora obſequia meditationis, & orationis deſerunt, & ad carnalia deſcendunt; undè dici poteſt eis. *O ſtulti, & tardi corde ad credendum, &c.* Caveant ergo ab hac tentatione, & omnino ſtabiles ſint in Dei obſequio ſubjecti divinæ voluntati. *Opuſcul. de Prof. Religioſ. lib. 2. cap. 72. Luc. hic.*

9. *Per tribulationes, & Paſſiones, ſolùm poteſt perveniri ad gloriam.*

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Norent hanc propoſitionem omnes Chriſtiani, in qua exprimitur, quod cum ſit ipſe caput noſtrum, oportuit, ut in gloriam intraret, pati, & mori, multo magis id competit membris, cum nullum aliud medium ſit perveniendi ad Cœlum. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 1. & lib. 2. c. 36. ſer. 1. Hexam. Luc. c. 13. v. 22. & c. 22. v. 30. Ioan. c. 1. v. 14. & c. 3. v. 15. & collat. 50. & 79. & 87. ſer. 2. in Invent. S. Crucis ſer. 3. de S. Magdal. in addit.*

10. *Qualis*

Digitized by Google

10. *Qualis fictio licita, qualis illicita.*

Et ipse se finxit longiùs ire. Finxit ergone Christus fictè incedit cum suis discipulis? Sed attende, quod alia est fictio vitiosa, quæ est ad decipiendum, & ostendendum aliquid diversum à veritate, & hæc est species mendacii: alia est virtuosa, quæ est ad ostendendum per aliud simile aliquam veritatem latentem: finxit Christus se longiùs ire, ideſt se præparabat ad longiùs procedendum, quod etiam feciſſet, si non affectuosè eum hospitio suscepissent; hoc igitur fecit, ut eis occasionem præberet, ut affectuosiùs invitarent, & magis mererentur; & sic ad excitandam devotionem, & non propter simulationem. *Luc. hic: lib. 3. d. 38. a. 1. q. 2. ad arg. op. medit. c. 35.*

11. *Peregrini pauperes non solùm sunt rogandi, sed etiam cogendi ad recipiendam hospitalitatem.*

Et coëgerunt illum. Vide motem discipulorum amantium Christum, quem ut peregrinum recipere rent non solùm rogaverunt, sed & coegerunt; sic enim suadetur hospitalitas tamquam opus misericordiæ summè Deo chara, ob quam sæpè non solùm recipiuntur Angeli, ut contigit Abrahæ, sed & ipsemet Christus. *Sap. c. 19. Luc. hic.*

12. *Quomodo invitandus, & cogendus Christus, ut in hospitium nostrum veniat. Ubi de oratione, & contritione.*

Et coegerunt illum dicentes, mane nobiscum Domine quoniam advesperascit. Nota, quod dicit coegerunt dicentes, &c. scilicet invitaverunt eum, & coegerunt; ecce quid nobis faciendum. si volumus introducere Jesum in hospitium cordis, invitare illum, & cogere; invitatur oratione, & cogitur lachrymis; oratio Dominum lenit, lachryma cogit, hæc corrigit, illa porrigit, & hoc præcipuè faciendum, dum advesperascit, scilicet dies mortis appropinquat. *Ser. 1. fer. 2. Paschæ. ferm. 2. S. Luca in addit.*

13. *Qualiter alliciatur Christus ad manendum nobiscum.*

Mane nobiscum Domine; &c. Vide quomodo isti duo discipuli allexerunt Christum ad secum hospitandum; nempè per charitatis amicitiam, nempè amore Dei, & proximi; per orationis instantiam, per mentis opulentiam scilicet virtutum possessionem, & per pacis confidentiam, quia in pace libenter habitat Jesus. *Ser. 1. fer. 2. Paschæ.*

14. Hanc orationem proponit Evangelista crebrò repetendam à nobis; *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit.* Quid est advesperascit, nisi vespera fit proxima; verè enim vespera apud quemlibet nostrum sit, quia currimus velocissimè ad mortem, & finis vitæ nostræ appropinquat, ideò clamare debemus sæpè mane nobiscum Domine Jesu, ne nos deseras, & præcipuè quolibet mane conversi toto corde ad Deum hoc repetendum. *Ser. 1 fer. 2. Paschæ.*

15. *Benedictio maximè apud Religiosos in mensa præcedat comestionem.*

Dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, &c. Vide qualis esset mos Christi; semper enim benedictionē præcedere faciebat ante manducationem, & hoc. quia creavit Deus cibos ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & ad ipsos sanctificandum per verbum Dei, & orationem, & hinc talis mos apud Clericos, & Religiosos viget institutus, & ordinatus ab Ecclesia. & hinc S. Greg. narrat in dialogo de muliere, quæ comedit lactucam cum aviditate omissâ benedictione, & tunc diabolus in ipsam intravit, & obsedit. *Luc. hic.* Nota, quòd in Religiosis, & Clericis non sine aliqua culpa, saltem venali, omitti potest talis benedictio, & gratiarum actio, ut docent Doctores.

16. *Christus in hac cœna consecravit in unica specie, & communicavit istos discipulos.*

Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Nota, quod hic Sacti Doctores disquirunt, an Christus verè consecraverit corpus suum in hac cœna? cui quæstioni, licet aliqui negent, tamen communiter SS PP. affirmativè respondent: & hoc inferunt primò ex eodem stylo, quo utuntur alii Evangelistæ in narratione institutionis, & consecrationis Eucharistiæ in ultima cœna: secundò quia ex effectu hujus communionis agnoverunt perfectè Christum; & licet dicatur solùm benedixit, tamen tali stylo sumitur etiam consecratio eucharistica, & à SS. Doctoribus appellantur verba consecrationis, verba benedictionis; & hoc ait *S. Bon. lib. 4. d. 10. p. 2. dub. 3. Luc. hic v. 31.* Tum ratione benedictionis præcedentis, tum quia ad eorum prolationem Dominus benedixit, quia convertit in corpus, quod super omnia benedixit, ditando perfectis donis gratiarum animam, & sanctificatione & puritate carnem illam sanctissimam: Et hinc inferunt S. Aug. Chrysost. aliique usum Ecclesiæ inchoatum communionis in unica specie, quia consecravit solum panem, non vinum.

17. *Veritas, & abdita cœlestia melius operando, quam audiendo, & legendo intelliguntur.*

Benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum. Nota istam connexionem inter receptionem Christi factam à discipulis in domum, & fractionem panis, & communionem, & cognitionem, quam tunc obtinuerunt; nam prius dum ipse Christus eis explanabat, & prædicabat sacram scripturam non ipsum cognoverunt, sed solum nunc: cur hoc? hoc est, ut intelligamus, quod non audiendo purè, sed operando illuminatur intellectus, & mysteria cœlestia panduntur. *Ser. 6. in Nativit. Luc. hic: ser. 5. Paschæ. op. medit. c. 93.*

18. *Euchariſtiæ receptionis proprius effectus eſt illuminatio ſuperna mentis.*

Et aperti ſunt oculi eorum, & cognoverunt eum: ſcilicet in actu receptionis panis conſecrati, ut intelligamus, quod Chriſtum non poteſt cognoſcere, qui non ſit particeps ejus corporis intra unitatem Eccleſiæ, & qui ad ipſum devotè accedit illuminatus in intellectu, & inflammatur in affectu; & hinc eſt, quod tunc evanuit Chriſtus ab oculis eorum, ut ipſis ſubtraheretur præſentiam corporalem, & externam, & excitaret ad deſiderium ſpiritualis præſentiæ, quæ eſt ex inflammatione deſiderii, & recordatione Chriſti. *Luc.hic.*

19. *Verbum ſolùm Dei ita auditur exterius, ut ſimul inflammet interius: non ſcientia mundana.*

Et dixerunt ad invicem: nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Ecce mirabilis effectus proprius verbi Dei, nam ita penetrat aures exteriùs, ut etiam pertingat ad cor; & quia igneam habet naturam, hinc & inflammat ad amorem, & ipſum ad Dei dilectionem attrahit. *Luc. c.24. hic.* Hoc non videtur in lectione Ariſtotelis, Plutar. & ſcientiarum mundanarum, quæ potius implent animam tumore, & ventoſa curioſitate. *Op. ſpec. B.Virg.lect.11.ep.de ſeptem itin.æternit.itin.2.d.3.*

20. *Scientiæ, quæ ad Deum, ejuſque amorem & devotionem non conducunt, quam vanæ: Vbi de ſcriptoribus, & Interpretibus Sacræ Scripturæ; & de doctrina Seraphici Doctoris.*

Nonne cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via. Ecce quomodo Chriſtus in praxim reduxit ſuam ſcholam, & lectiones, quas tradidit his diſcipulis, & Eccleſiæ, quia illuminant ſimul intellectum, & inflammant voluntatem ad amorem Dei; & per hoc patet diſcrimen inter ſcientias mundanas, quæ veluti veſpæ fabricant quidem ſibi domunculas, ſed ſine favo mellis, ob idque tantùm ad laborem, tumorem, & vanitatem ordinant hominem, qui poſt infinitos labores ſe vacuum invenit devotione, & amore Dei. E contra ſcientiæ, quæ ad Dei amorem ordinantur earumque auctores ſunt veluti apes fructuoſæ, quæ & ſibi, & aliis mellificant cognitionis, & amoris Dei mel, quia ex Chriſto, ejuſque ſchola prodeunt doctrinæ, & documenta ſalutaria. *Ser.1.Hexam.op.Princip.Sacræ Scripturæ.* Hinc & Scriptoribus, & Interpretibus doctrinarum, & maximè Sacræ Scripturæ traditur documentum neceſſarium, ſcilicet eorum conatus debet eſſe non ſolùm in interpretando, & docendo auditorum, lectorumque intellectum, ſed & corda inflammando. nec tantùm ſint Cherubini, ſed & Seraphini, qualis fuit ſuper omnes alios ſcholaſticos Doctores Sanctus Bonaventura, qui perinde appellatur Doctor Seraphicus, qui ut dicebat Sixtus IV. & V. fuit lucerna lucens, & ardens.

21. *Meditatio Paſſionis Chriſti, & myſteriorum noſtræ fidei ignem accendit in corde.*

Nonne cor noſtrum ardens erat in via. Et unde tantus ardor? dum loquebatur Chriſtus, ſcilicet dum enarrabat eis, & eorum menti infundebat meditationem myſteriorum fidei, & præcipuè ſuæ Paſſionis, per quod datur intelligi, quale ſit medium accendendi cor igne amoris Dei; hoc eſt meditatio præcipuè Dominicæ Paſſionis. *Serm.4. Dom.4. Adv.ſerm.1.Dom.1.poſt oct. Paſchæ. ſer.1 de S Laur. in addit. Pſalm.104.ſerm.1. & 2.ſer.2 Paſchæ.*

22. *Quale ſit cor Dei amore ardens.*

Nonne cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via. Nota, quod dicitur cor iſtorum felicium diſcipulorum ardens: quomodo cor poteſt ardere, & quale cor? cor illud, quod prius eſt mundum veluti ſpeculum ab omni ſcoria peccati, opulentum ut arca, & theſaurus plenus auro virtutum, & fructiferum ut ager, ſcilicet emittens fructus bonorum operum; & tale cor facilè accenditur igne amoris Dei meditatione myſteriorum fidei, & fit veluti caminus, vel fornax igne cœleſti plena. *Sermon. 2. ſer. 2. Paſchæ.*

23. *Ardens Dei amore ſuum bonum aliis quærit communicare, nec parcit laboribus.*

Et ſurgentes eâdem horâ regreſſi ſunt in Jeruſalem, &c. & ipſi narrabant, &c. Ecce quid operatur in anima ignis divini amoris; nam iſto igne accenſi diſcipuli non parcentes tempori, loco, labori, nocti ſtatim ſurgunt, & redeunt in Jeruſalem, ut narrent cæteris conſociis ea, quæ ſibi acciderunt; nec mirum, quia ubi ignis eſt, ibi non regnat torpor, nec difficultas ulla valet ad impediendum ſuos mirabiles effectus, & toto conatu alii ſuum bonum communicare procurat. *Luc.hic op.medit.c.91.& ſeq.*

24. *Chriſtus ſtetit in medio diſcipulorum ſuorum in die Reſurrectionis, quia in medio Eccleſiæ & fidelis animæ vult habitare.*

Dum autem hæc loquuntur, ſtetit Jeſus in medio diſcipulorum ſuorum. Ecce qualem locum amat Chriſtus, ſcilicet medium, ut ſupra in *cap.12.n.4.* dictum eſt: Per hoc autem voluit oſtendere, quod Chriſtus ſtat in medio Eccleſiæ, & fidelis animæ, ſcilicet ad confortandum per gratiam, ad illuminandum per ſapientiam ad vindicandum per juſtitiam, & ad beatificandum per gloriam. *Ser.1.ſer.3.Paſchæ.*

25. *Chriſtus pacem in mundo portavit homini.*

Et dixit eis pax vobis, ego ſum, nolite timere. O dignum, & dulce verbum? Pax vobis: Cum enim per peccatum haberet homo inimicitias cum Deo, cum Angelis, cùm irrationabilibus; ecce quod Chriſtus in medio Eccleſiæ ſe collocavit mediator

Digitized by Google

mediator reconcilians ima ſummis, & hominem cum Deo Patre, & Filio, & Spiritu ſancto: Pax vobis ait, ſcilicet annũtio, & vobis affero pacem trium perſonarum; ut ſcilicet nihil mali ſentiatis, in voluntate nihil mali cupiatis, per quæ pax violatur. & ſic hanc triplicem habeatis: Pax vobis item ſcilicet poteſtatum Angelicarum: Pax item vobis omnium hominum, ut ipſam ſervetis cum omnibus, & ſimul cum omnibus creaturis, quæ contra ad ultionem peccatorum pugnabunt; ſicque pax ſit vobis in mundo, in extremo, in judicio, & in Cœlo: ut hinc diſcamus, quod qui ab hac pace à Chriſto annuntiata Eccleſiæ alienus erit; inimicus etiam Dei, Angelorum, hominum, & omnium creaturarum fiet. *Ser. 2. & 3. fer. 3. Paſchæ: Luc. hic.*

26. *Chriſtus in pace concluſit omnia bona.*

Pax vobis. Cur uſus eſt hac ſalutatione? quia in pace concluſit omnia ſua bona, qui enim pacem habet, ſecuritatem interius habet, quia pax cuſtodit omnia bona animæ exterius unitatem cum proximo; & ſuperius hæreditatem, quia beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, & ſi filii, ergo & hæredes; & ſic in Cœlo pax purgata in eis ſe amantibus, & ſe videntibus Deo plenos, tunc erit omnia in omnibus. *Ser. 1. Dom. in Albis.*

27. *Cur Chriſtus voluit retinere, & oſtendere vulnera ſua diſcipulis?*

Quid turbati eſtis, &c. videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum. Nota, quod ad litteram intendit Chriſtus oſtendere identitatem ſuam etiam poſt Reſurrectionem, & ideo manus, & pedes, & latus, & vulnera videnda, & palpanda obtulit eis: Attamen cum hæc continuè pronuntientur in Eccleſia à Chriſto ſuis fidelibus, dat intelligere, quod iſta vulnera ſunt oſtia, per quæ anima invitatur ad ingrediendum ſecretum tabernaculum cordis Chriſti, ut ſic omnis turbatio, & conturbatio expellatur, & vita ſecura ducatur. *Ser. 2. Dom. in Albis: ſer. 8 Nativ. ſer. 1. in Tranſlatione S. P. Franciſci in addit.* De vulneribus ſalvatoris vide quæ dicta ſunt *in Matth. ad c. 28.*

28. Cætera quæ ad veritatem Reſurrectionis & dicta, & facta ſunt à Chriſto habentur expoſita *in Luc. hic à Seraph. Doctore, & ſuprà in Matth. c. 28.* poſt quæ aſcendit in Cœlum videntibus diſcipulis, & Maria; de qua Aſcenſione agetur ſuo loco in actus Apoſtolorum.

Et hic explicit Evangelium ſancti Lucæ, ſcilicet in Aſcenſione Domini, & expoſitio Seraph. Doct. ex ſuis ſcriptis collecta, ad gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui ſemper ſit gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

EXPO

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ, IN EVANGELIUM S. JOANNIS.

PROLOGUS.

NOTA primò, quòd S. Bon. expoſitionem tradidit in tertio tomo ſuorum operum in hoc Evangelium compendioſam, in qua veluti auream catenam ex SS. PP. & præcipuè SS. Auguſtino, & Joanne Chryſoſtomo intexuit mirabili arte, doctrinâ, & ingenio; cui præpoſuit proœmium, in quo laudes, aliaque prolegomena poſuit neceſſaria ad perfectiorem notitiam hujus Evangelii, ad quæ remitto Lectorem: Secundò nota, quod ſicut in ſuprà tradita expoſitione ſuper Lucam factum eſt: hîc ſubjiciemus ea, quæ ſparſim inſerta habentur in cæteris ſcriptis Seraph. Doct. & rarò ad expoſitionem hîc traditam recurſum faciemus, ne actum agamus: Et quia oneri huic valdè impares ſunt noſtræ vires, hinc in Dei ope, in ſancti Ioannis Evangeliſtæ, & Seraphici Doctoris interceſſione jacimus noſtram imbecillitatem, ut tanto auxilio ditati ad finem opus incæptum ad animarum ſalutem deducamus.

ARGUMENTUM CAPITIS

1. *Nota, quod in hoc capite ſanctus Ioannes primò deſcribit Verbi æterni generationem ex Deo Patre: ſecundò ejus Incarnationem: tertiò teſtimonium, quod dedit Ioannes Baptiſta de Ieſu; & deindè vocationem Petri, Andreæ, Philippi, & Nathanaelis, &c.*

CAPUT PRIMUM.

2. *Trinitas perſonarum, & unitas eſſentiæ divinæ traditur.*

IN principio erat Verbum, &c. Nota, quod in his verbis exprimuntur quatuor de Deo: primum Verbi Incarnati æternitas, ibi *in principio*, quia ſcilicet in Patre erat Verbum, ideſt coæternus: ſecundum ipſius Verbi diſtinctio perſonalis à Patre, ibi *& Verbum erat apud Deum*, ſcilicet in propria hypoſtaſi: tertium eſt ejuſdem cum Patre eſſentia eadem, & eſſentiæ unitas, ibi, *& Deus erat Verbum*: quartum eſt ipſius Verbi coæternitas, & omnipotentiæ coæqualitas; ibi *hoc erat in principio apud Deum*: *Ioan. hic*: ubi alia multa explicantur: & in *Ioan. c. 8. v. 25. & collat. 1. Pſal. 84. & 109. & 118. cap. 3. v. 1.*

3. *Per Verbum omnia facta præter peccatum quod eſt nihil.*

Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Nota, quod ſanctus Evangeliſta, determinato de Verbo in ſe, & in ſua Majeſtate, hîc determinat de ipſo, ut eſt principium effectivum omnium, & perfectivum, ideſt ad omnia producenda per potentiam, ad omnia præcognoſcenda per præſentiam, ibi *in ipſo vita erat*; & principium illuſtrativum, & gratificativum per miſericordiam, ibi *& vita erat lux hominum*: & hinc illa præpoſitio (*Per*) habet rationem non inſtrumenti, ſed cauſæ exemplaris, ſapientiæ, & artis Patris, ſicut & Spiritus ſancti appropriatè rationem cauſæ finalis, addit tamen, quod *ſine ipſo factum eſt nihil*, ideſt ad omnia entia concurrit generanda, ſed non ad formale peccati. *Ioan. hic op. Comp. Theol. lib. 1. c. 20. Ioan. c. 3. v. 17. & ſeqq. 1.*

4. *Peccatum*

Digitized by Google

4. *Peccatum non eſt à Deo, eſtque nihil, & in nihilum redigens hominem.*

Sine ipſo factum eſt nihil. Quid eſt hoc nihil? ergo poteſt fieri nihil? maximè: Hoc nihil eſt peccatum, eſt enim ejus formalitas privatio, vel defectus, ad quem non concurrit Deus, quia peccatum fit deficiendo, & avertendo ſe à Deo: dicitur autem nihil non ſolùm peccatum, ſed ipſe peccator, qui deficiendo à Deo, perdit benè eſſe, quod habet, & ſic reducitur in nihilum, & per conſequens infrà omnem miſeriam cujuſcumque viliſſimæ creaturæ. *Pſalm.* 104. & 118. *Ioan. hic.*

5. *Quomodò creaturæ in Deo dicuntur vita, & lux, & à Deo eſſe, & in Deum reduci.*

Quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Quæritur quomodò res dicuntur in Deo vita? & ſi in Deo ſint vita, vel vivæ, & in ſeipſis multæ non ſunt vita, vel vivæ, ergo in ſeipſis differunt à ſeipſis prout ſunt in Deo? Reſpondetur, quod creaturæ meritò dicuntur in Deo vita, etiamſi in ſeipſis in proprio genere non habeant vitam, vel lucem; & ut id intelligatur, ſciendum, quod Ideæ rerum, & exemplar, & rationes ſic ſunt in Deo, ut Idea importet cauſam efficientem conformem effectui, exemplar cauſam formalem, & ratio cauſam finalem; Deus enim omnium rerum eſt principium, à quo ſunt; forma, & exemplar, ad cujus imitationem ſunt; & finis, ad quem ſunt: Hæc tria ſic à ſe differunt, quod exemplar unum eſt, cum connotet cauſalitatem; cauſata verò in cauſa ſunt unum, ſed rationes, & Ideæ ſunt plures, quia iſta dicuntur reſpectu rerum, ideò plures Ideæ, quæ connotant cognitionem; cognoſcibilia enim diſtinguuntur in cognoſcente, ſicut & rationes in Deo ſunt plures, quia ſingula creata ſunt proprijs rationibus; quia verbi gratia, equus non poteſt dici creatus eâ ratione, qua homo, & ſic de aliis; undè res in quantum ſunt omnes imitantur divinam eſſentiam, & ob id in Deo ſunt unum, una res, una eſſentia, una vita, unum bonum; prout verò hæc divina eſſentia eſt ſumma veritas, & prima, & diverſimodè imitabilis, ſic dicuntur plures Ideæ in Deo ob diverſos reſpectus, quos res habent ad ipſam eſſentiam eam imitantes diverſimodè; hoc patet exemplo linearum quæ in centro unum ſunt, ſed remotæ à centro differunt inter ſe; ſic creaturæ in Deo ſunt una veritas, una lux, una eſſentia, una vita, ſed prodeuntes ab ipſa eſſentia per creationem, habent diverſa eſſe, ſecundùm proprios gradus, & diſtant à Deo, & per hoc patet dictum S. Joannis, *quod factum eſt, in ipſo vita erat, & lux. Op. Comp. Theol. lib. 1. c. 25. Ioan. hic.*

6. *Cur dicitur Verbum vita, & lux hominum, & non etiam aliarum creaturarum? Ubi de hominis obligationibus in ordine ad Deum.*

Et vita erat lux hominum. Si divina eſſentia dicitur vita creaturarum in quantùm participant ab eſſentia divina rationem boni; & lux in quantùm participant rationem veri, ſeu veritatis expreſſæ per illam ſummam veritatem; cùr ratio lucis reſtringitur ab Evangeliſta ad ſolum hominem, dicendo Et vita erat lux hominum? Reſpondetur, quod licèt propriè loquendo omnis creatura prout in Deo relucet, ut veritas participata de illa ſumma, & prima veritate poſſit dici lux; tamen quia non omnis creatura æquè capax illius ſummæ veritatis, ad idque ſolùm ſit creata creatura rationalis, & cum ad hominem, ſalutemque ipſius ordinetur hæc hiſtoria Evangelica, ideò de ſolo homine dicitur, *& vita erat lux hominum*, ſcilicet hoc Verbum principium eſt illuſtrativum, & gratificativum per miſericordiam, & gratiam non quorumcumque animalium, ſed hominum. Et hinc elucet ſumma, & divina pietas, quæ videtur totam ſuam potentiam, & cognoſcibilitatem, quam communiter habet ad omnes creaturas, ordinaſſe ad ſalutem hominis, ut ipſum repleat ſuâ gratiâ fœcundet miſericordiâ, & attrahat ad redeundum ecce le, & ſpiritu ad illum, cui primò conjunctus fuit, antequam eſſet, & ſic ad locum, unde exivit, revertatur. *Op. Comp. Theol. lib. 11 c. 25. Ioan. hic & c. 5. v. 26.*

7. *Deus lux eſt aliis in ſalutem, aliis in damnationem.*

Et vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Ecce quod Deus, cum ſit lux infinita illuminans omnes creaturas, ſeipſum ad tenebras præcipuè extendit, ut ipſas de mundo auferat, & in lucem convertantur; & ſi quæras quomodo lux lucet in tenebris, cum mutuo ſe expellant? Reſpondetur, quod per tenebras intelliguntur peccata, & peccatores, datque intelligere, quod ſeipſum Deus ut lux extendit, & ordinat ad illuminandum peccatores, eiſque ſe præſentem per lucem ſuarum gratiarum facit, ut lucem recipientes expellant à ſe peccati tenebras, ſed quia multi volunt obſtinatè in ipſis perpetuò jacere claudentes oculos intellectuales ad hanc lucem, ideo dicitur, quod tenebræ eam non comprehenderunt. *Ioan. hic & c. 12. v. 36.*

8. *Lux divinæ gratiæ quales effectus in anima producat.*

Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Nota, quod Verbum divinum exponit Evangeliſta ſub proprietate lucis, quæ eſt creatura nobiliſſima, & idcò tali nomine indicat ejus Majeſtatem inacceſſibilem, ejus puritatem alienam à mixtione tenebrarum, & ejus communicabilitatem, & ſecundùm hanc tertiam rationem ait lux in tenebris lucet, quia radio illuminativæ illuſtrationis in intellectu, & radio clarificativæ dilectionis in affectu, & radio diſcretivæ æquitatis in effectu extenditur per ſuam gratiam ad animam recipientem tales influentias, quæ filia lucis ſit: ſubdit autem, *& tenebræ eam non comprehenderunt*, quia talem lucem abjiciunt, & rejiciunt peccatores. *Ioan. collat. 2. Luc. cap. 2. verſ. 9.*

9. *A Chriſto vera luce deſcendit differenti modo lux ſuæ ſapientiæ, & gratiæ in homines.*

Lux in tenebris lucet, &c. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Nota, quod hic loquitur de Verbo Incarnato, ipſumque appellat lucem; ubi in Græco textu legitur, erat lux vera veniens in hunc mundum illuminans omnem hominem; & in vulgato legitur venientem in hunc mundum: ubi oſtenditur finis ob quem Verbum Incarnatum eſt, ſcilicet ut veniens in hunc mundum illuminaret omnem hominem venientem eodem modo in hunc mundum; quia enim eſt lux vera Chriſtus, ideò immittit ſuos radios in omnem hominem ita, quod alii illuminantur, ſed alios non illuminant, ut ſunt ſimplices fideles; alii illuminantur, alioſquè illuminant, ut Doctores; & Prædicatores: alii verò nec illuminantur, nec illuminant, quia in tenebris peccati jacent. *Ioan. collat. 4. op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 6. Pſal. 118. ſer. 1. de S. Ambroſio.*

10. *Chriſtus lux vera ſolùm homines, non beſtias illuminat.*

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Nota, ly omnem hominem venientem in hunc mundum: ergo Chriſtus illuminat omnes homines? ſed hoc videtur falſum, cum multi voluntariè in tenebris ſuis jacere velint; ſed attende, quod hæc lux ſe extendit ſolùm ad homines capaces talis lucis, non ad pecora, & beſtias; & quinam ſunt homines capaces talis lucis? ſunt illi, qui veniunt in hunc mundum ad modum lucis, quæ ſuperiorem ſe continet ad iſta terrena, & corporalia, abſque eo, quod detur pebatur à fæcibus terrenis; illi autem homines, qui ſe immergunt in cæno voluptatum, & curarum terrenarum, potius ſunt dicendi irrationales, & veluti jumenta & beſtiæ, ideò ad hos non pervenit iſta lux cæleſtis, ſed tantùm ad homines, ſcilicet viventes ſecundùm dictamen imaginis divinæ quam portat in anima, & rationis, & legis divinæ, nempè ad eos venientes in hunc mundum qui habitant in eos veluti elevati per amorem in cæleſtibus, & utuntur hoc mundo, ac ſi non utantur. *Ioan. collat. 3. & 4.*

11. *Ioannes Baptiſta fuit homo, & à Deo miſſus; in quo notantur ipſius prærogativæ.*

Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in teſtimonium, &c. Nota, quod appellando Joannem hominem, & miſſum à Deo epilogat Evangeliſta omnes tanti Præcurſoris prærogativas; dicitur homo: quid homo? homo creatus ad imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, & ſimilis in hoc Angelis Dei; & ideò Joannes fuit homo vivens vitâ intellectuali, & ſpirituali, ſcilicet elevatus ſuper omnes concupiſcentias dominans eis plenariè, & vivens ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ſimilis factus Deo, & iſte homo fuit miſſus à Deo per legitimam auctoritatem ad divina nuncianda: miſſus inquam ſicut legatus ante ſummum Pontificem; miſſus ut vox ante Verbum, ut lucerna antè ſolem, ut Angelus ante Deum ad prædicandum baptizandum, & teſtificandum, & demonſtrandum Filium Dei; & quia iſta non eſt poſſibile adimplere ſine divina gratia; ideo additur, *cui nomen erat Ioannes* ideſt in quo eſt gratia ſanctificans in utero, gratia conſervans, & operans in vita; gratia prophetiæ in ipſo etiam in utero; gratia prædicationis, ideò apta, ut perhiberet teſtimonium, ſcilicet annuendo veritatem veraciter, intrepidè arguendo, evidenter, & publicè prædicando, ſignanter Dei Filium demonſtrando, ut ſic & Prædicatores inſtruerentur in ipſorum miniſterio. *Ioan. collat. 3. Sermon. 4. de Sanct. Ioan. Baptiſt. in addition. Ioan. capù. 1. hic.*

12. *Prædicator & ſi fruſtretur effectu converſionis auditorum, non per hoc tamen fruſtratur merito.*

Fuit homo miſſus à Deo, &c. ut omnes crederent per illum: Nota, ly, *ut omnes crederent*, cum autem non omnes crediderint, ergo fruſtratus fuit fine officii ſibi commiſſi? Reſpondetur, quod licet fruſtratus fuerit fine operis, non tamen fine operantis, quia Prædicator quando facit, quod eſt in ſe, etſi effectum non obtineat, tamen non fruſtratur merito convenienti. *Ioan. c. 1. hic.*

13. *Ingratitudo hominum in Deum ſuum Creatorem qualis.*

In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. Nota, quod in hac voce (*mundus*) videtur ludere Evangeliſta, ter enim hic nominatur, & in diverſo ſenſu; nam triplex mundus, ſcilicet Archetypus, & in verbo idæatus, de quo dicitur in mundo erat, ſcilicet per præſentiam divinitatis: ſecundò mundus, ſcilicet Microcoſmus factus à Deo per verbum: tertiò mundus Microcoſmus, ſcilicet homo, qui eſt mundus parvus capax rationis, intellectus, & voluntatis, qui tamen ingratiſſimus, & his terrenis affixus rejecit Dei cognitionem, & obſequium, in quo exprimitur miſera ingratitudo hominum contra ſuum Deum Creatorem. *Op. Comp. Theol. lib. 2. c. 2. Ioan. collat. 72. Pſal. 17.*

14. *Amor Chriſti in hominem traxit eum de Cœlo in terram tamquam propriam patriam.*

In propria venit, & ſui eum non receperunt: Quid eſt in propria venit? nonne ante dixerat, quod in mundo erat; ſcilicet per præſentiam, cum impleat Cœlum, & terram? quomodò ergo novum adventum narrat Dei in mundum, & cur mundum appellat propria, ſcilicet propriam patriam? ſed nota, quod, ly, propria poteſt eſſe ablativus, & accuſativus: ablativus venit in propriâ, ſcilicet naturâ Deus ut homo fieret: acculativus, ſcilicet

cet in propriam terram, & patriam, quam ad litteram ſic appellat Judæam, quam prælegerat, ut propriam patriam, & ſeipſum per Prophetas promiſerat, myſticè hanc terram, & mundum intelligit, in quem veluti in propriam patriam venit amore ardentiſſimo in hominem attractus. *Ioan. hic Luc. capit. 24. verſic. 17. Pſal. 17.*

15. *Fides virtus ſublimiſſima conſtituens homines filios Dei.*

Quotquot autem receperunt eum (ſcilicet fide) *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, &c.* Nota verba, & ſigna myſteria: ſupra dixerat, quod Chriſtum ſui non receperunt, imo occiderunt; ſed tamen alii receperunt eum, ſcilicet qui fidem Chriſti amplexati ſunt; & quale præmium eis præparavit? Ecce; *dedit eis poteſtatem:* Nota, quod non dicit dedit eis poſſibilitatem, vel potentiam, ſed poteſtatem; nam poſſibilitas dicit ipſam ſuſceptibilitatem materialem, & hæc eſt in omnibus hominibus indifferenter, eſtque potentia remota paſſiva naturalis, potentia addit aliquam diſpoſitionem ſupernaturalem cum poſſibilitate ad oppoſita, eſtque habentium ſcientiam legis, & Scripturæ, qualem habebant Judæi; poteſtas verò dicitur quaſi potentia ſtans, & firma cum actu credendi, iis igitur, qui actu credunt, fidemque toto corde amplexati ſunt, dedit poteſtatem, ideſt actu eos facit filios Dei non natos ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſcilicet ex complexu materiali, & commixtione ſanguinum, ſed ex Deo immediatè: Vide igitur quanta, & qualis virtus eſt fidei; donum quidem ineffabile, virtus amabilis, ſine qua cæteræ virtutes evaneſcunt: Hæc eſt illa virtus, ſcilicet fides de crucifixo, quæ diſcordes fœderat, antiqua bella Dei, & hominis pacificando reconciliat, & de inimico non tantùm facit amicum, ſed verum, atque dilectum filium adoptivum. *Ser. 1. Dom. 2. poſt oct. Epiph. ſer. 3. Dom. 23. Pentec op. Comp. Theol lib. 1. c. 14. Luc. in proœm. & c. 3. v. 9. Ioan. c. 3. v. 6. & collat. 15.*

16. *Filiatio carnalis diabolica, & divina expenduntur.*

Quotquot autem receperunt eum dedit, &c. qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo, &c. Nota, quod hic antè oculos noſtros exponit S. Joannes triplicem nativitatem, & per conſequens earum differentiam: nempè nativitatem, & filiationem carnalem, quæ fit ex ſanguinibus, ſcilicet ex commixtione carnali, & hæc eſt miſera, & calamitoſa, quia eſt cum pœna, & cum peccato originali: alia eſt ex voluntate viri, ſcilicet malâ voluntate, eſtque diabolica, quæ eſt vilis, & vitioſa, & maledicta, & cum maledictione annexa, quâ naſcuntur peccatores ex diabolo; tertia eſt ſpiritualis, & divina, quâ homo naſcitur ex Deo per fidem, & gratiam ſanctificantem, ſicque naſci eſt ſublimitate dignißimum, quia quiſquis creatus ſit filius Creatoris; eſt ſinceritate putiſſimum, quia non eſt ex ſanguinibus, ſed ex Deo: item eſt virtute potentiſſimum, quia ſic natus vincit mundum; item eſt utilitate fructuoſiſſimum, quia ſic natus hæres ſit Dei, & cohæres Chriſti: ô quàm felix iſta nativitas, quàm deſiderabilis, & ſuper omnia æſtimanda! *Ioan. collat. 15.*

17. *Status, & munus filiorum Dei, eſt in continuo effici filios Dei.*

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Nota hæc verba, quæ videntur ſibi contraria: dicit enim, quod qui receperunt Chriſtum per fidem, amorem, & charitatem, etiam obtinent ſimul poteſtatem filios Dei fieri; quomodo filios Dei fieri poſſunt ſi jam per receptionem Chriſti facti ſunt filii Dei, & inter filios Dei adnumerati? in hoc enim ſtat adoptatio filiationis Dei, quomodo ergo denuo poſſunt fieri filii Dei? ſed ecce arcanum mirabile: qui recipiunt Chriſtum per fidem, & amorem fiunt quidem filii Dei, ſed de hoc non debent eſſe contenti, debent enim ad ulteriora procedere per profectum virtutum, per opera conformia fidei, & charitatis. *Serm. 2. de S. Ioan. Bapt. in addit.* Ut videas, quod filii Dei debent ſemper procedere de virtute in virtutem ad ſublimiores gradus filiationis Dei; hocque ſpecialiter dirigitur ad Religioſos. *Sic & S. Auguſtinus.*

18. *In Incarnatione Verbi fundata fuit noſtra filiatio divina.*

Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Nota quâ conſequentiâ, & ordine procedit Evangeliſta: nam propoſitâ filiatione divinâ, ad quam omnes homines vocantur; & cum hæc ſit dignatio mirabilis Dei, ne exhorreremus tantam gratiam, & ut cauſam tanti honoris agnoſceremus ſubdit, *Et Verbum caro factum eſt*, quaſi dicat; quid miraris, quia homines ex Deo naſcuntur? attende ipſum Deum natum ex hominibus. *Ioan. hic.*

19. *Cur dicit ut Verbum caro factum, & non potius anima, cum ſit nobilior? & quid eſt Verbum caro factum.*

Et Verbum caro factum eſt. Quid eſt factum caro? an mutatum, vel tranſubſtantiatum in carnem? Reſponderetur hîc non ſignificari vel mutationem, vel tranſmutationem ſubſtantiæ unius in alteram, ſed aſſumptionem carnis factam à Verbo: factus eſt enim Deus homo, non ſic ut perderet quod erat Deus: ſed ſi aſſumpſit Verbum totam naturam humanam, cur tantum ſpecificatur aſſumptio carnis? Reſpondetur hoc dici per Synecdochen, ſumitur enim hic caro pro toto homine; & hoc factum eſt, quia ipſa natura aſſumpta nobis eſt notior ex parte ſubſtantiæ tam corporalis, quam ſpiritualis, & hæc etiam eſt ratio, quare magis dicitur Incarnatio, quàm animatio, quia denominatio fit à notiori parte, & ab ea parte, in qua magis implica-

tur ratio totius, ſicut & in hoc nomine carnis. *Lib. 3. d. 2. a. 1. quæſt. 2. Ioan. hic. op. Comp. Theolog. lib. 4. cap. 7. Luc. cap. 11. verſ. 27.* Addunt hic alii Sancti Patres, quod ideo ſpecificatur magis caro, quam anima, ut magis nobilitaretur Maria Virgo, quæ non animam, ſed carnem contulit ad opus Redemptionis. *Sic Petrus Dam. S. Bernardinus aliique.*

20. *Per aſſumptionem carnis factum eſt medicamentum toti humanitati ſauciatæ per peccatum.*

Et Verbum caro factum eſt, &c. Nota ultra ſupra traditam rationem litteralem, ob quam magis dicitur Verbum caro factum, quàm anima, vel homo; proponuntur etiam aliæ rationes myſticæ, & inter has hæc eſt notabilis; nempè quia per carnem homo ſauciatus, & vulneratus, & excæcatus eſt, ideò cæleſtis medicus aſſumpſit præcipuè carnem; ut collyrium faceret, unde oculi noſtri tergerentur; quia terrâ ſauciatus erat homo, & terra miſſa eſt, ut ſanaretur, & ſi caro ipſum excæcaverat, caro etiam ipſum ſanaret; Verbum caro factum eſt, ut inde medicus vitia carnis hoc collyrio extingueret. *Ioan. c. 1. hic.*

21. *Chriſtus, ut à principio ſuam humilitatem manifeſtaret, Verbum caro factum dicitur.*

Et Verbum caro factum eſt. Dicitur caro factum, non anima; ut oſtenderet Chriſtus in principio ſuam exceſſivam humilitatem, per quam deſcendit ad carnem infirmam, impotentem, mortalem, miſerabilem, fœtidam, & viliſſimam. *Ioan. hic.* Nota etiam, quod hoc dicitur, quia ſicut verbo omnia facta ſunt, ſic etiam eodem verbo recreata ſunt. *Ioan. hic opuſc. Brevil. p. 4. cap. 1.*

22. *Chriſtus omnia omnibus factus, ut ad ſe hominem attraheret.*

Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Nota, quod cum Verbum factum ſit homo, & aſſumpſerit in humanitate carnem, corpus, & animam; & cum anima ſit nobilior corpore, & carne; tamen, exprimendo talem dignationem, & aſſumptionem ſolùm in medium ponit carnem, non humanitatem, non animam, non corpus, ſed carnem; cur hoc? cur denominatio non fit à nobiliori per verbum animationis, vel humanationis, ſed carnis? Sed in hoc ars mirabilis amoris divini in nos elucet: cum enim homo per culpam ex ſpirituali factus fuerit totus carnalis, animalis, & ſenſualis, non noſcens, non amans, non ſequens niſi carnem, & carnalia, hinc Verbum caro factum eſt, ut ab homine, qui caro erat, & carnalia appetebat, poſſet cognoſci, & amari, & imitari; ſicque remediaretur à peccato *Op. Brevil. p. 4. c. 1.*

23. *Idem argumentum de arte amoris Dei nos attrahentis.*

Verbum caro factum eſt. Caro dicitur Verbum factum, non anima, quia caro carni amicabilis eſt, paſſibilis, eſibilis, & ſenſibilis: factus eſt ergo Filius Dei noſtra caro, ut homo ipſum diligeret; tum ratione pulchritudinis; tum propter nobilitatem; tum propter proximitatem, quia ipſe caput; noſque ejus membra, tum quia communia ſibi fecit omnia noſtra, ſcilicet defectus, & omnes paſſibilitates; tum quia eſibilem nobis præparavit ſuam carnem, ut ſic redderetur nobis amicabilis per dilectionem, paſſibilis ad Redemptionem, eſibilis ad refectionem, & ſenſibilis ad imitationem. *Ser. 8. & 9. de Nativ.*

24. *Cur Verbum dicitur factum caro, & non tota Trinitas: Vbi de unione naturarum.*

Et Verbum caro factum. Cur Verbum ſolùm dicitur caro factum, & non tota Trinitas? ratio dubitandi eſt, quia Incarnatio eſt opus Dei ad extra Dei, & ob id commune toti Trinitati; ergo videtur debere dici Trinitas, vel Deus caro factus eſt? Sed attende ad hanc doctrinam catholicam: Incarnationis opus neceſſario fuit à primo principio productivo, à quo facta eſt aſſumptio carnis à divinitate, & cum carne, & hæc unio non potuit eſſe in unitate naturæ, ſed perſonæ divinæ aſſumentis, ideo prout dicit actionem, & effectionem, eſt à tota Trinitate; prout verò dicit unionem naturæ humanæ ad perſonam, ad quam velut in hypoſtaſi terminat, eſt à ſola ſecunda perſona Trinitatis; & hoc fuit magis congruum, & conveniens, quia cum Incarnatio ordinata ſit ad reconciliationem, & cum Filius ſit medius inter Patrem, & Spiritum Sanctum, hinc Verbum divinum aſſumpſit humanam naturam, ut ipſam reduceret ad divinam cognitionem conformitatem, & filiationem; & hoc magis convenit Verbo, quo Pater ſe declarat, quod eſt unibile carni, ſicut verbum voci, & cum ſit imago Patris, & Filius ejuſdem Patris, ideò magis congruè reduxit hominem ad conformitatem, & filiationem ipſum Verbum; & quia per hanc unionem idem factus eſt homo Deus, ideò etiam in eâdem perſonâ facta eſt communicatio idiomatum Dei, & hominis, ſcilicet Deus, homo, immenſus, parvus, paſſibilis, impaſſibilis, & ſimilia, &c. *Opuſc. Brevil. p. 4. c. 1. Luc. capit. 11. verſ. 27.*

25. *Myſteria totius fidei noſtræ expenduntur in his verbis.*

Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus quaſi Unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis. Nota, quod in his paucis verbis continentur veluti in compendio omnia myſteria noſtræ fidei: nam per. ly. Verbum inſinuatur majeſtativa ſublimitas Dei, quia eſt Verbum Patris, ideo indicantur proceſſiones divinæ, ſcilicet proceſſio Filii à Patre, & Spiritus Sancti à Patre, & Filio; quia enim Pater generat Verbum, & ſe exprimit, & quia mutuus amor inter Patrem generantem, & Filium genitum intercedit, hinc ſpiratur Spiritus Sanctus: hoc igitur Verbum genitum à Pa-

tre

tre ſibi conſubſtantiale, æternum, omnipotens caro factum, quia humanam naturam fragilem, & miſeram aſſumpſit, ſibique hypoſtaticè univit, & inter nos habitavit, ad manifeſtationem humilitatis, & dilectionis, & amoris in hominem, & ſic converſando inter homines, vidimus gloriam ejus quaſi ſcilicet ſicut Unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis, quod maximè elucet in Paſſione, & in inſtitutione Sacramentorum. *Ioan. collat. 5. op. Brevil. p. 6. cap. 4. & Centil. p. 3. ſect. 32. & 35. lib. 3. d. 13. a. 1. q. 3. corp. Vide quæ affert Seraph. Doct. in textu commentar ſuper hunc locum.*

26. *Chriſti plenitudo gratiarum quantum ad voluntatem expenditur.*

Plenum gratia, & veritatis. Nota, quod in duobus verbis innuuntur chariſmata gratiarum Chriſti: nam per, ly, gratiæ, tanguntur gratiæ ſpectantes ad voluntatem, per, ly, veritatis, quæ reſpiciunt intellectum: dicitur igitur hoc Verbum Incarnatum plenum gratiæ, quia in ipſo fuit plenitudo gratiæ quantum ad gratiam ſingularis perſonæ. & quantum ad gratiam capitis, & quantùm ad gratiam unionis; quia enim reparatio eſt operatio primi principii, à quo manat ſecundum liberalitatem, & ad ipſum reducit ſecundùm conformitatem, hocque debet fieri per gratiam, & Deiformitatem, quia gratia & manat à Deo liberaliter, & reddit hominem Deiformem; & quia reparativum principium per gratiam reparat, & omnis res pleniùs, & perfectiùs eſt in ſuo fonte, & origine, quàm alibi; hinc neceſſe fuit, ut, in noſtro reparativo principio, ſcilicet Chriſto Jeſu eſſet omnis gratiæ plenitudo; & quia reparativum principium non tantùm tenet rationem principii, verum etiam medii, & extremi quidem in ſatisfaciendo medii in reconciliando; & principii in ſuperinfundendo; ideò in Chriſto fuit plenitudo gratiæ ſingularis perſonæ, ut eſſet immunis ab omni peccato per gratiam ſanctificantem, & confirmantem, ut eſſet extremum ad ſatisfaciendum idoneum; item plenitudo gratiæ unionis, ut eſſet medium conveniens ad reconciliandum, ſcilicet fuit in eo utraque natura divina, & humana; item & plenitudo gratiæ capitis, ut eſſet principium idoneum ad infundendum ad membra omnes gratias neceſſarias ad recipiendam hanc reparationem; & hoc per fidem, ut per ipſam omnes copulari poſſent cum capite. *Opuſc. Brevil. p. 4. cap. 5.*

27. *Plenitudo veritatis; & ſapientiæ Chriſti expenditur.*

Plenum gratia, & veritatis. Ideſt non ſolùm Chriſtus habuit plenitudinem gratiæ, quæ ſpectat ad voluntatem, ſed & veritatis, quæ ſpectat ad intellectum; nam cum eſſet principium reparativum Deus, & homo; ut Deus habuit cognitionem infinitam, & comprehenſivam actualem omnium entium cognoſcibilium; ut homo, & Redemptor habuit ſapientiam, ut comprehenſor, & beatus cognoſcendo omnia actualia, & finita cognitione actuali, & comprehenſiva, infinita verò cognitione habituali, & exceſſiva; ut Redemptor habuit ſapientiam perfectiſſimam omnium illorum, quæ ſpectant ad reparationem noſtram, ut homo perfectiſſimus ſecundùm naturam integram cujuſmodi fuit in Adam, cognovit perfectiſſimo modo, & perfectiori, quam in Adam, omnia, quæ ſpectant ad Univerſi complementum; ut viator verò habuit talem ſapientiam, & tam perfectam, qualem numquam habuit alius homo in ordine ad res in proprio genere, ſcilicet via ſenſus, memoriæ, & experientiæ; hæc enim in nobis facit rem incognitam cognoſcere; at in Chriſto rem cognitam uno modo cognoſci fecit ſecundùm alium, & alium modum, & modò hæc, modò illa, ſecundùm quod opportunum erat ad reparationem humani generis faciendam. *Op. Brevil. p. 4. c. 6.*

28. *Plenitudo meritorum Chriſti expenditur.*

Plenum gratia, & veritatis. Nota, quòd cum in Chriſto fuerit plenitudo gratiæ, & ſapientiæ, quæ in nobis ſunt origo rectè, & ſanctè vivendi, hinc etiam in ipſo fuit plenitudo, & perfectio omnis meriti, ſecundum omnem modum, quia enim in ipſo fuit gratia unionis, gratia item ſingularis perſonæ, & gratia capitis; hinc & multiplex perfectio conſideratur in Chriſto: & primò quantùm ad eum, qui merebatur, quia Deus, & homo: ſecundo quantùm ad tempus, in quo merebatur, quia ab inſtanti conceptionis uſque ad mortem ſuam: tertiò quantùm ad id, per quod merebatur, ſcilicet per perfectiſſimum habitum charitatis, ac perfectiſſimum exercitium virtutum in orando, in agendo, & in patiendo: quartò quantùm ad eum, cui merebatur, quia non tantùm ſibi, ſed etiam nobis: quintò quantùm ad illud, quod merebatur, quia non tantùm gloriam, ſed etiam gratiam, & veniam, & non ſolùm gloriam animæ, ſed etiam ſtolam carnis, & aperitionem januæ cœleſtis: ſextò quantum ad id, quod merebatur ſibi, quia licèt non mereretur ſibi glorificationem animæ, merebatur tamen glorificationem corporis, & acceleration em reſurrectionis, & clarificationem ſui nominis, & dignitatem judiciariæ poteſtatis: ſeptimò quantùm ad modum, quo merebatur, cum enim tripliciter quis dicatur mereri, vel de indebito faciendo debitum, vel de debito uno modo faciendo debitum alio modo, vel de debito faciendo magis debitum: his tribus modis meruit nobis omnia bona, ſibi autem de debito uno modo fecit debitum alio modo, faciente hoc plenitudine gratiæ Spiritus Sancti, per quam Chriſtus erat ſimul beatus, & in ſtatu merendi, ita ut ſuper ejus merita omnia merita noſtra habeant fundari. *Opuſcul. Brevil. p. 4. cap. 7.*

29. *Hic ſubjicitur compendioſa paraphraſis Evangelii, quod legitur in fine Miſſæ in gratiam ſacerdotum ex Seraphic. Doct. In Ioan. cap. 1. & collat. 1. & ſeq.*

1. *In principio erat Verbum.* Hic notatur generatio Verbi ex Patre ab æterno: Principium enim duo dicit, primò ante quod nihil; ſecundò & ex quo principio alius, ſcilicet Verbum: ly (in) dicit identitatem Verbi in natura cum Patre, & diſtinctionem perſonalem à Patre, unde dicitur in principio, ideſt in Patre: vel in principio ideſt omnium creaturarum; vel in principio temporum, vel in æternitate importando privationem initii, & finis.

2. *Et verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Nota, quod non dicit eſt, vel fuit, ſed erat, eſt enim verbum præteriti imperfecti indicans aliquid præſens, & aliquid præteritum: Verbum divinum autem de præſenti eſſentiam eamdem habet cum Patre, de præterito habet immutabilitatem: utitur autem hac præpoſitione (*apud*) non dicit ad Patrem, ſed apud Deum: ly enim (*apud*) in creatis importat quidem duo, ſed tamen majoritatem, & minoritatem, ſed in divinis importat originem ab alio & diſtinctionem non cauſalem ſed perſonalem: ideſt filius à Patre: præpoſitio verò (ad) dicit motum, qui non eſt in divinis; & ne Filius exiſtimetur minor Patre, addit & Deus erat Verbum, ſcilicet ſecunda perſona coæqualis, & coæterna Patris. Nota etiam, quod utitur hoc nomine Verbum, non dicit Filius, ſed Verbum, quia Filius eſt imago Patris, ejuſque verbum, quia perfectiſſimè loquitur; repræſentatque ſubſtantiam, & virtutem Patris, non ſolùm reſpectu creaturarum, ſed etiam, & magis reſpectu Spiritus Sancti, cujus cum Patre Filius eſt unum principium, alioquin ipſius non eſſet perfectum Verbum Patris, & imago, ſi non plenè exprimeret Patrem.

3. *Hoc erat in principio apud Deum.* Scilicet hoc Verbum, quod erat in principio Patreque per coæternitatem, & apud Deum per diſtinctionem perſonalem, & quod erat Deus per ſubſtantiæ identitatem, ut unum principium cum Patre Spiritus Sancti per ſpirationem, hoc erat apud Deum, quaſi repetens ſupradicta ad majorem expreſſionem: nam per ly (*hoc*) notatur perſona Filii geniti: per ly (*in principio*) notatur perſona Patris, ejuſque æternitas ex quo omnia: per ly (*in*) notatur eſſentia Patris, & Filii, & convenientia in æternitate, & in natura principii, ut ſcilicet omnis proceſſus fluens à Patre, fluat Filio, præter illum, quo ipſe Filius à Patre fluit, ſcilicet generatio paſſiva: per ly (*apud Deum*) notatur æqualitas, coæternitas, coomnipotentia perſonarum in eadem natura.

4. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Nota, quod determinato de Verbo æterno in ſe, & in ſua Majeſtate, hic determinat de ipſo primò ut eſt principium effectivum omnium rerum, & perfectionum, quæ omnia per ipſum facta ſunt: ſecundò principium præcognoſcitivum, (infrà) *quod factum eſt in ipſo vita erat*: tertiò principium illuminativum, & gratificativum per miſericordiam, (infrà) & vita erat lux hominum: dicit igitur hic: *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſcilicet omnia creata ſive corporalia, ſive ſpiritualia; dicit omnia non tamen Spiritum Sanctum, cum non dicatur factus, vel creatus, ſed tantùm ſpiratus: dicitur per eum, non quidem inſtrumentaliter, ſed tamquam unum principium ſimul cum Patre, & Spiritu Sancto, quia opera ad extra ſunt indivila; appropriativè tamen dicitur de Filio, quia ipſum Verbum eſt cauſa exemplaris, in qua relucent omnia in ſapientia Patris; *Et ſine ipſo factum eſt nihil*; quia eſt principium ſufficiens, & indeficiens, nec aliquid habere poteſt eſſe, niſi per ipſum, non autem peccatum, quia non eſt aliquid, ſed nihil.

5. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Scilicet non ſolùm eſt Verbum principium operativum rerum, ſed & præcognoſcitivum, quia omnia & facta, & poſſibilia ſunt idæata in Verbo, & prout talia ſunt in ipſo ſunt vita, ſcilicet idem cum eſſentia divina etiam ſi in proprio genere non ſint viva, tamen in eo ſunt vita, & viva, & ab eo accipiunt id, quod ſunt in ſe.

6. *Et vita erat lux hominum*; ſcilicet non ſolùm principium præcognoſcitivum, ſed & illuſtrativum; eſt enim lux, qua intelligimus.

7. *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; nempè cum hæc lux indeficiens in ſe ſit præſens omnibus, & in tenebris deberet lucere, ſcilicet in peccatorum tenebris, tamen multi non comprehenderunt hanc lucem in tenebris manentes.

8. *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes &c. non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Nota, quòd hucuſque determinatum eſt de Verbo divino in ſe, & ſecundum divinitatem, & prout eſt principium effectivum creaturarum: in ſequentibus verò determinatur de eo, ut carnis initium, & hominum reparativum, & quia fuit Verbum abſconditum; ideò fuit manifeſtatum per vocem, ſcilicet per Beatum Ioannem, qui fuit vox Verbi, & ideò miſſus à Deo, ut eſſet teſtis adventus Chriſti; & licet non eſſet lux, ſcilicet prima lux eſſentialiter, ſicut Chriſtus, erat tamen illuminatus luce divina per participationem, ſecundùm quam teſtificavit, & demonſtravit ipſum Chriſtum Incarnatum.

9. *Erat lux vera*, ſcilicet ipſum Verbum, ad quod redit, erat lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, ideſt omnem hominem viventem ſecundùm rationem, & legem divinam, & volentem recipere tale lumen.

10. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit*; nempè hoc Verbum cum eſſet ubique dicitur in mundo fuiſſe per manifeſtationem carnis, & in carne quem mundum ipſe fecerat, & tamen multi mundanè viventes ipſum non cognoverunt.

11. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Nota hæc eſt quaſi repetitio dictorum ad exageratione malitiæ, & excæcationis mundi, *In propria venit* ſc. in mundum, quem fecerat; vel in carnem, vel in gente Iudæorum, ex quibus naſci voluit.

12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, &c.*

nati sunt. Nota, quòd hic docet Christum venisse in carnem ad exhibendam lucem gratiæ, & suam filiationem non carnalem, sed spiritualem ipsam volentibus acceptare, non verò ipsam rejicientibus.

13. *Et Verbum caro factum est*; quasi dicat, ne mireris, quòd Christus promptus sit recipere ad suam filiationem omnes peccatores ad se venientes per veram fidem, cum & ipse assumendo carnem nostram voluerit fieri filius hominis: dicitur autem Verbum caro factum, quia licet assumpserit totum hominem, scilicet carnem, & animam, tamen dicitur factum caro, tum ut confunderet Hæreticos negantes assumptionem veræ carnis, tum ut se exhiberet medicum ad infirmitates curandas carnis nostræ missum, tum ad ostendendum magis suam dignationem, & humilitatem, & ut talis habitavit inter homines.

14. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre:* ideſt sic indutus carne visus est Deus inter homines, quia aliter non poterat videri; vidimus inquam gloriam quasi Unigeniti, ideſt qualem decebat habere Unigenitum Filium Dei.

15. *Plenum gratia, & veritatis:* nempè plenus fuit Christus omni gratia, ut nos sanctificaret, & veritate, ut nos illuminaret, ut omnes de plenitudine ejus acciperent.

16. *Ex quibus patet*, hoc Evangelium esse veluti summam, & compendium omnium mysteriorum fidei nostræ; & ob id meritò in fine missæ legi in Ecclesia, ut sic fideles muniti, & fortificati actibus fidei, recedant, & ad propria redeant: Undè in hoc Evangelio continetur maxima, & divina virtus contra Dæmones, infirmitates, tempestates, & alia mala, ut alibi dicitur.

17. *Christi maxima laus est ostensio unionis ipsius majestatis cum humilitate.*

Joannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: *qui post me venturus est ante me factus est, quia prior me erat.* Nota, quod Sanctus Joannes Evangelista postquam Majestatem divinitatis, & humilitatem, & dignationem Incarnationis Christi ostendit, affert testimonium Joannis Baptistæ Præcursoris, qui paucis verbis idem confirmat dicens, qui post me venturus &c. In quibus verbis ostenditur Christi humilitas, & ejus dignitas summa, & immensa, ut pareſiat, quòd Christo potissima laus derivat in unione tantæ humilitatis cum infinita Majestate; & ideò Sanctus Joannes dicit, qui post me venturus est, scilicet nascendo, & prædicando, ante me factus est, quia prior me erat, scilicet mihi præpositus dignitate, quia prior me erat, scilicet Deus; undè exaltatur ejus humilitas, quia veniendo per carnem prior factus est posterior, dives factus egenus, Dominus servus, hæres alienus factus est. *Ser. 3. Dom. 4. Adv. Luc. c. 4. v. 1.*

18. *Christus caput totius corporis Ecclesiæ influens in omnes omnia bona.*

De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia; quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Ecce, quòd cum supra ostensus fuerit Christus plenus gratiæ, & veritatis, hic subjungitur effectus talis plenitudinis; quia enim in Christo gratia fuit capitis, scilicet debita, quæ dicitur gratia superabundantiæ, ideò sicut caput continet in se sensuum plenitudines, est cæteris membris conforme, cæterisque præsidens, ipsisque beneficium præstat influentiæ, quæ ipsi capiti connectuntur; sic Christus habens in se gratiam superabundantem, & ut sit nobis consimilis in natura præ cæteris sanctus, & justus, cæteris, qui ad ipsum accedunt, præstat beneficium gratiæ, & spiritus, scilicet ut Deus per modum efficientis, ut homo per modum merentis, per quæ fit motus, & sensus in spiritualibus; & hinc subditur, gratiam pro gratia, scilicet gratia simpliciter, quæ non est ex meritis, in inceptione boni datur ex meritis Christi; sed postea cum per illam operamur, & in bonum proficimus, tunc gratia datur pro priori gratia; & ob id lex per Moysen data, ideſt salutis prænuntiatio, & prafiguratio, & promissio; sed postea per solum Christum facta est adimpletio, ut verificetur hoc dictum; Et de plenitudine ejus omnes accepimus; Et hinc est, quòd Ecclesia omnes orationes terminat, Per Dominum Jesum, Christum, quia in ipso omnia nobis bona cælitus venientia derivant à capite Christo in ejus membra: ad hoc autem ut talia bona sint de facto in salutem, & gloriæ acquisitionem non sufficit, ut indè nobis proveniant, sed per fidem, & charitatem nos uniamur cum hoc capite. *Ser. 4. Dom. 13. Pentec. ex Brevil. p. 4. c. 5. Ioan. hic ex Comp. Theol. lib. 4 c. 14.*

19. *Post Christum de plenitudine gratiæ Mariæ Virginis omnes accipiunt.*

De plenitudine ejus omnes accepimus, scilicet Christi, quia erat plenus gratiæ, & veritatis: hoc ad litteram, & principaliter dictum est de Christo; attamen impetratoriè, & meritoriè potest hoc aptari Mariæ Virgini; cum enim ipse sit caput; Maria ejus collum immediatè Christo capiti unitum, undè post Christum de plenitudine Mariæ omnes accipiunt, æger curationem, captivus redemptionem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam: ergo ad hanc accedamus, hanc in nostrum auxilium invocemus, quæ tanti apud Dominum est meriti, ut non possit repulsam pati, cum sit digna in omnibus exaudiri. *Serm. 3. de B. Virg. ex spec. B. Virg. lect. 6.*

20. *Expenditur interrogatio Judæorum facta Joanni, & trahitur ad mores.*

Miserunt ab Jerosolymis Sacerdotes, scilicet honorabiliores Sacerdotum, & *interrogabant tu quis es?* scilicet in persona putantes ipsum esse Christum promissum: Istaque interrogatio proponitur ad quemlibet nostrum, dicamusque, Tu quis es? sicuti faciebat sæpè S. P. Franciscus; quis tu Domine, quis ego: sic quisque se crebro interroget, tu quis es? obeundo singula prædicamenta: primò substantiæ: tu quoad substantiam quis es? & si nomen Creatoris est, Ego sum

ſum, qui ſum? ergo ego ſum creatura, ſcilicet ſum qui non ſum, quia ex me nihil ſum, ſed ex meo nihilo eductus ſum à Deo, factuſque homo, quare corpus, & anima, quæ habeo non mea ſunt, ſed Dei, qui ea mihi commodavit, ut iis utar ad ejus voluntatem, amorem, & cultum; ſic Joannes reſpondit, *non ſum ego Chriſtus*: ſecundò quantitatis; quis ideſt quantus es tu? quoad continuam quantitatem quatuor tantùm cubitorum, vel etiam minus, quoad diſcretam unus miſer homunculus, ergo ſub Deo me deprimere debeo: tertiò qualitatis, quis qualis? infirmus, æruminoſus &c. quartò relationis, quis, cujus filius? Adæ peccatoris viliſſimi homunculi &c. quintò actionis, quis es tu? quid agis? quodnam tuum exercitium? quid agitur in hac vita pro æternitate: ſextò paſſionis, quid pateris? ſeptimò ubi, ſcilicet in terra, immerſus in terrenis, medius inter Cœlum, & Infernum: octavò quando, ſcilicet natus? quando morieris, hodie vivus, cras mortuus: nonò, & decimò ſitus, & habitus: quem ſitum? nunc ſto, jaceo, ſedeo, numquam in eodem ſtatu: quoad habitum? quem habitum, Sacerdotis, Religioſi &c. quæ opera conformia ſtatui meo? *Hæc ſparſim tradit S.Bon.maximè in op. ſolil.c.1.op. de Perfect.ad ſor.c.1.& 2.aliiſq.*

21. *De reſponſione data à Ioanne, de voce clamantis in deſerto, de præparatione viæ Domini vide quæ dicta ſunt in Matth. c. 3. & in Luc. c.3. Ioan.collat.7.ſer.4. Dom.4. Adv.* ſolùmque addimus ex Seraph. Doct. quòd meritò ſe appellat vocem Chriſti, non habentem vocem, ſed vocem, ego vox clamantis, ideſt Chriſti in deſerto hujus mundi, ut intelligat Prædicator, quòd quicquid eſt totus debet eſſe vox Chriſti prædicantis, quia non ſolùm os, ſed & vita, & mores, & manus, & geſtus; & totus ſit ſicut vox, quid homogeneum ad vocandum populos ad pœnitentiam. *Sic etiam Ugo; & S.Vinc Fer.*

22. *Medius, & in medio ſtat Chriſtus ad noſtrum auxilium, felix qui hoc cognoſcit; infelix, qui hoc non conſiderat.*

Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Nota, quòd in his paucis verbis Præcurſor Chriſti, omnia munera Chriſti, quæ ad redemptionem hominis aſſumpſit, in medium profert; nobiſque denunciat quid faciendum, & quid vitandum: medius veſtrum ſtetit, dicit de Chriſto, quia mediatoris officium aſſumptum à Chriſto nobis proponit; medium inquam mirabilis colligantiæ in Incarnatione, qua univit in unum naturam humanam, & divinam; medium item in converſatione, dum habitavit inter homines, quia medium ſemper mirabiliter tenuit in exercitio virtutum, & in exemplari ſua vita; medium item in Paſſione, & in Eccleſia, ut ex omni parte ad omnes indifferenter influeret ſpiritus vitales ad animas, unde rectè comparatur cordi exiſtenti in medio planetarum, & capiti communi omnibus membris inferioribus: hic mediator ſtetit, & ſtat ut Pontifex clementiſſimus ad purgandum delinquentes; ut Doctor ſapientiſſimus ad inſtruendum ignorantes; & ut Rex potentiſſimus ad præmiandum bonos, & puniendum malos; & ideò felix, qui hoc medium, & mediatorem cognoſcit, & adorat, & imitatur; infelix, qui ipſum negligit, vel ignorat. *Ser.1. Dom.3.Adv.ſer.1. Hexam Luc.c.24.v.36. Ioan.hic & c.2.v.19.*

23. *Chriſtus agnus Dei quare vocatus.*

Altera die vidit Ioannes Ieſum venientem ad ſe & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Nota illam particulam (*ecce*) quia digito demonſtravit Chriſtum præſentem, & vocavit agnum Dei; non dicit agnum ovium, ſed agnum Dei, ſcilicet miſſum à Deo ad immolandum; & quia Deo eſt oblatus, & quia ſimul Deus, ideò agnus Dei, ideſt agnus Dei Filius; undè in textu Græco legitur, *Ecce ille agnus Dei*, & ſinonimum eſt hoc nomen cum nomine Ieſus pius, & ſalus, alluditque ad illum agnum, quem toties prædixerant Prophetæ: dicitur autem agnus per ſimilitudinem, non per proprietatem: dicitur autem agnus in Græco ab ignoſcendo, & miſerendo; apud Latinos ab agnoſcendo, quia in agno eſt intima affectio, & vocis maternæ agnitio, & ad ejus balatum feſtinatio; item eſt innocua ſimplicitas, & obediens ſubjicibilitas non ſolùm paſtori, ſed etiam excorianti; eſt & converſationis pacifica tranquillitas, & ad ſuſtinendum patiens longanimitas; excorianti, vel vellenti reſiſtentiæ, vel defenſionis immunitas, quia nec capite, nec cornibus, nec pedibus, nec dentibus mordet, vel recalcitrat, vel corpore impellit; item ad immolandum pro peccatis ſecundum legem idoneitas congrua, quia offerebatur mane, & veſpere, & quotidiè: item multiplex utilitas, quia miniſtrat lanam, lac, & eſum; quæ omnia mirabiliter eluxerunt in Chriſto; undè meritò dicitur, Agnus Dei, Filius Dei, purus, innocens, mitis, immolatus pro nobis, & ideò etiam Ioannes hoc nomine prædixit Paſſionem futuram Chriſti ad tollendum peccata noſtra. *Ioan.hic & collat.8. & 83. ſer.6. Dom.1. Advent.*

24. *Agnus proponitur Chriſtus ante communionem, & ter ſic appellatur in Miſſa; & cur.*

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Nota, quòd iſte titulus à Sancto Ioanne Chriſto datus ab Eccleſia uſurpatur, & proponitur fidelibus, & in miſſa, & ante communionem ob multiplex myſterium; & primò ad excitandam contritionem peccatorum, quia ſicut agnus deteſtatur, & fugit lupum, ſic iſte Agnus Dei innocens, & purus deteſtatur peccatum, & peccatores lupos, ſolùmque agnos agnoſcit, & inter agnos commorari vult: ſecundò ter in Miſſa ante communionem pronuntiatur (quod ordinatum fuit à Sergio Papa) quia iſte Agnus Dei agnovit Patrem per obedientiam, Matrem per reverentiam, & occiſus eſt propter innocentiam, ſcilicet innocenter, ſic dicit Eccleſia; Agnus Dei, qui agnoviſti Patrem propter obedientiam, & Matrem per reverentiam miſerere nobis; & qui propter innocentiam, & peccata noſtra immolatus es, dona nobis pacem; ter autem cantatur, ut liberemur à malis præteritis, præſentibus, & futuris, & ſtatim annunciatur, & datur oſculum pacis, quod Sanctus Innocentius Papa inſtituit, ut omnis amaritudo cordis à nobis

d by Google

bis ſeparetur, quia ſi ab invicem diſcordamus, in Chriſti corpore non manemus; ſicque iſta pax ad triplicem cantum Agnus Dei ordinatur, ut teneamus pacem temporis cum proximis, pacem pectoris cum nobis metipſis, ſcilicet omnes homines in Chriſto ſinceriter diligendo, ut pacem æternitatis conſequamur in Cœlis adjuvante Domino noſtro Jeſu, qui eſt verus agnus Dei. *Op. Expoſ. Miſſæ c. 4. ſer. 6. Dom. 1. Adv.*

25. *Chriſtus Agnus Dei, & Mariæ Virginis Matris à Ioanne declaratus.*

Ecce Agnus Dei &c. Nota, quòd Chriſtus rectè appellatus eſt Agnus Dei: Agnus dicitur ab agnoſcendo matrem, quia præ cæteris matrem agnoſcit, & ſi erraverit etiam in magno numero agnoſcit, & ad ejus vocem feſtinat ad ipſam; tum etiam, quia in agno eſt materni coloris receptibilitas; ſi enim fuerint venæ ſub lingua matris albæ, facit album, ſi nigræ facit nigrum, ſi rubeæ rubrum: hæc proprietas maximè elucet in Chriſto, qui factus eſt ſimilis Matri in puritate, in pulchritudine, in obedientia &c. & cum eſſet in cruce ad Matrem direxit vocem, commendans eam propter reverentiam, quam ad ipſam habebat, Joanni dilecto diſcipulo; undè ſicut dicitur de Chriſto, Ecce Agnus Dei, ſic & poteſt dici, Ecce Agnus Mariæ. *Ioan. collat. 8. op. Expoſ. Miſſæ c. 4. ad finem op. ſſec. B. Virg. lect. 18.*

26. *Chriſtus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Quid eſt tollit? tollere propriè eſt transferrè de loco ad locum: cur non dicit qui delet? ſed optimè dicitur tollit, quia tulit in ſe pœpam peccatorum noſtrorum, hæc peccata tollit, ſcilicet delendo, & remittendo, quia culpam delet, & pœnam in ſe tollendo aufert à nobis, ſeipſum immolando; dicit autem tollit de præſenti, quia omnes ejus actiones ad auferenda, & delenda peccata ordinatæ ſunt. *Ioan. hic. & coll. 8.*

27. *De Baptiſmo Chriſti, & Spiritus Sancti apparitione in ſpecie columbæ; & vocatione Apoſtolorum, Vide in Matth. & Luc. c. 3.*

28. *Eligendi ad Prælaturas quales eſſe debeant.*

Ecce verè Iſraëlita, in quo dolus non eſt. Nota, quòd hæc dixit Chriſtus de Nathanaële, qui erat Doctor legis, quem Chriſtus inter ſuos diſcipulos elegit, non autem inter Apoſtolos, quia voluit ipſos idiotas, ut quicquid mirabile facerent, ipſi Chriſto adſcriberetur: elegit eum ergo ſolùm inter diſcipulos; & Prædicatores, ut per illa verba exprimerentur conditiones eligendorum ad Prælaturas, & ad prædicationis munus: dicit ergo eſſe verè Iſraëlitam, ideſt videntem Deum ut indicetur, quòd in eligendis debet eſſe viſio Dei, ſcilicet ſapientia cæleſtis; addit in quo dolus non eſt: ideſt ſimplicitas vitæ; & exemplaritas morum correſpondens profeſſioni. *Ioan. collat. 9. & c. 1. hic.*

29. *Angeli inceſſanter Chriſto miniſtrabant, & obſequebantur.*

Amen dico vobis videbitis Cœlum apertum, & Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis. Nota, quòd ad litteram hæc verificata ſunt; nam exercitus Angelorum inceſſanter obſequebantur Chriſto, & ſæpè ipſi miniſtravérunt. *Ioan. c. 1. hic.*

30. Viris ſpiritualibus aperitur myſticè Cœlum, & aſcendunt, & deſcendunt continuè ſuper Filium hominis, ſcilicet per meditationem myſteriorum fidei, & per continuam præſentiam Chriſti. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1.*

31. *Religioſi ſtatus ſublimitas expenditur.*

Videbitis Cœlum apertum, & Angelos aſcendentes, & deſcendentes ſuper Filium hominis. Nota, quòd myſticè per Cœlum figuratur Religio, & ſtatus Religioſus, qui veluti Cœlum eſt nobilis, ſublimis, elevatus à terra; hujus Cœli habitatores ſunt Religioſi, qui vita cælica prædita vita, & doctrina nuntiant documenta cæleſtia, & voluntatem Chriſti; horum munus eſt aſcendere ad contemplationem divinitatis, & attributorum Dei, & deſcendere ad imitationem vitæ Jeſu Chriſti, nec umquam removent aſpectum à viſione Domini Jeſu Chriſti; aſcendunt etiam ab actione ad contemplationem, & ab iſta ad actionem in utilitatem proximi. *Ioan. collat. 10. & c. 1. hic op. Eccleſ. Hier. ſupracit.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Nota, quod in hoc capite proponitur Ieſus vocatus ad nuptias, ubi aquam in vinum convertit; deindè ejecit vendentes è templo; & poſteà Iudæis petentibus ſignum à Cælo, quo oſtenderet ſe à Deo miſſum, hoc aſſignat; ſolvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: Nota autem, quod plurium Patrum ſententia eſt, & eruitur ex hiſtoria Evangelica has nuptias non fuiſſe celebratas die ſexta Ianuarii. ſed poſt duos menſes, ſcilicet die quinta Martii, in ſexta autem Ianuarii tantùm adorationem Magorum, & baptiſmum Chriſti fuiſſe factam. Eccleſia tamen voluit connectere ſimul iſta tria miracula in eodem die Epiphaniæ, quibus Chriſtus ſe primò mundo patefecit: quod verò Eccleſia canit, Hodie vinum ex aqua factum eſt, idem eſt ac ſi diceret; hodiè ejus rei memoria apud fideles recolitur, & in Eccleſia quotannis celebratur, quod etiam in uſu eſt in aliis celebritatibus: Ita Baron. S. Auguſt. S. Maximus, & alii: videatur Cornelius à lapide, qui diſtinctè enumerat dies iſtos ex textu Evangelico; quam dubitationem innuit S. Bon. licet poſtea ſuſtineat factum fuiſſe hoc miraculum hac die, ſcilicet revoluto anno poſt Baptiſmum. Op. medit. c. 9.

CAP. II.

2. *Quales fuerint iſtæ nuptiæ.*

ET die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jeſu ibi; vocatus eſt autem Jeſus, & diſcipuli ejus ad nuptias. Quæritur hic quales fuerint iſtæ nuptiæ, quis ſponſus, cur vocatus Chriſtus cum ſua Matre? Reſpondetur, quod plures ſancti Patres cum *Seraph. Doct. op. meditat. cap.* 10. aſſerunt ſponſum fuiſſe ſanctum Joannem Evangeliſtam, & ob id vocatum fuiſſe Mariam antecedenter à ſua conſorore Matre Joannis Maria Salome, quæ habitabat in Cana diſtante à Nazareth per quatuor milliaria, & ideo vocavit Mariam non tamquàm extraneam, ſed veluti majorem, & primogenitam inter ſorores, ut eſſet velut adminiſtratrix, & Domina nuptiarum, quod colligitur ex eo, quod dicitur, quod quando vocatus eſt Jeſus cum diſcipulis, jam ejus Mater erat ibi; tùm ex eo, quod licet eſſet una ex diſcumbentibus, tamen per ejus manus res tranſibant, & ideo vidit ibi deficere vinum; tum ex eo, quod præcepit miniſtris, ut irent ad Filium, & facerent quod ipſe mandaret, ſicque videtur, quod nuptiæ gubernabantur per eam, & ideo ſollicita fuit, ne ibi defectus contingeret: Et ſi ſponſus fuit Joannes, tamen ex conſilio Chriſti reliquit ſponſam, & ſecutus eſt ipſum: Alii dicunt fuiſſe Simonem Cananæum, qui poſteà videns hoc miraculum relinquens ſponſam ſecutus eſt Chriſtum: Interfuit autem Chriſtus his nuptiis, ut ipſas honoraret, ſed vocando ſponſum ad ſuam ſequelam voluit docere nuptiis præferendum eſſe cælibatum. *Op. medit. cit. Joan. hic.*

3. *Matrimonii ſacramenti qualitates expenduntur.*

Nuptiæ factæ ſunt, &c. vocatus eſt autem Jeſus, &c. Nota, quod Chriſtus voluit aſſiſtere his nuptiis ut matrimonium tamquam opus dignum, & honorabile oſtenderet, contrà Hæreticos futuros, qui nuptias tamquàm indignas viro Chriſtiano auſi ſunt rejicere, matrimonium verò eſt conjunctio legitima maris, & fœminæ individuam vitæ conſuetudinem retinens: hæc autem conjunctio fuit non ſolùm poſt peccatum, ſed antè peccatum; ſed priùs fuit inſtitutum hoc ſacramentum in officium, nunc autem in remedium contrà libidinis morbum; ratio autem inſtitutionis fuit hæc: Quia Verbum divinum in ſua ſapientia fecit hominem potentem ſtare, cadere, & ſurgere, hinc etiam genus humanum eo modo propagandum ordinavit, quod ex ipſo modo propagandi haberet, quod manduceret ad remedium morbi, qui introducitur in propagatis per propagationem ex libidine; & quia in homine ante peccatum inerat innocentia ex conjunctione animæ ad Deum per amorem unitivum modo certiſſimo, ſingulari, & individuo; hinc poſt peccatum remedium venire debebat ex conjunctione divinæ naturæ, & humanæ, in unitatem hypoſtaſis, & perſonæ in Chriſto; ideo Deus ab initio inſtituit, ut propagatio fieret per conjunctionem maris, & fœminæ individuam, & ſingularem, quæ ante peccatum ſignificaret conjunctionem Dei, & animæ: poſt peccatum verò conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ, & humanæ naturæ & ſic utrobiq; eſt ſacramentum, licet alio, & alio modo quantùm ad ſignificationem, & uſum; cum enim eſſet Sacramentum in ſtatu innocentiæ antequàm ſuperveniret morbus; libido, quæ ſupervenit per peccatum, potiùs habet per matrimonium excuſari, quàm vitiari valeat, quia non morbus medicamentum corrumpit, ſed medicamentum habet curare morbum; quia verò ad hanc conjunctionem ſequitur voluntatis conſenſus utriuſque, ideò ad hoc ſacramentum ſequitur aliquod ſignum exterùs exprimens talem mutuam voluntatem: conſenſus verò de futuro, dicitur tantùm promiſſio; de præſenti autem ſit tantùm ratus, & confirmatus, & ſi addatur copula, dicitur conſummatus; & hinc tria bona ſunt in Matrimonio, ſcilicet Sacramentum propter vinculum inſolubile; fides propter debiti ſolutionem, & proles ſicut effectus conſequens ad utrumque. *Op. Brevil. p. 6. c. 13. op. Comp. Theol. lib. 6. cap.* 38. Nota autem hic obiter, quod cum in contractione matrimonii concurrat mutua traditio maris, & fœminæ poteſtatis corporis, hoc poteſt intelligi duplici modo; vel quod detur poteſtas corporis ſolùm in contractione matrimonii, vel quod detur etiam in conſummatione: primo modo ità datur uni, ut non poſſit illo vivente dari alii, ita etiam datur illi, ut jus habeat petendi, & neceſſe ſit reddere petenti, niſi adſit obſtaculum, v. g. ingreſſus, & profeſſio ſolemnis in Religione, vel votum mutuo conſenſu factum caſtitatis; ſed in contractione quoad conſummationem, nullum votum poteſt adverſari: Hinc eſt, quod Beata Virgo Maria, & Joſeph ita contraxerunt hac conditione, ut non poteſt præjudicari voto virginitatis per eos facto, hinc & verum matrimonium interceſſit. *Lib. 4. d. 28. q. ult.*

4. *Matrimonii honorabilitas, & honeſtas expenditur.*

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, &c. vocatus eſt autem Jeſus, &c. Vide quomodo Chriſtus honoravit has nuptias, ut pateret quàm honorabile ſit hoc Sacramentum: honoravit enim eas inſtitutione, aſſociatione, operatione, & ſignificatione: inſtitutione: inſtitutæ enim fuerunt nuptiæ non à vili perſona, non ab homine, non ab Angelo, ſed à Deo; non in vili loco, non in ſtabulo, non in angulis, ſicut aliquando fiunt clandeſtinæ matrimonia, ſed in Paradiſo inſtitutæ ſunt; in ſtatu non culpæ, ſed innocentiæ, non poſt lapſum, ſed antè lapſum; ſed heù modò poſt lapſus multos & fornicationes multas multi contrahunt ſecundò aſſociatione, quia Jeſus, & Mater, & diſcipuli in nuptiis erant non hiſtriones, non chorizantes, ſicut modo: tertiò operatione, quia in nuptiis aquam in vinum convertit; ſed heù modò magicæ artes, & aliæ malitiæ diabolicæ exercentur in nuptiis, ob quas totum convertitur in fel diaboli: quartò ſignificatione, quia ſignificat unionem, quæ intercedit inter Chriſtum, & Eccleſiam; & hinc eſt, quod cum tàm in ſtatu innocentiæ, & poſt ſub lege naturæ, & ſcri-

ptæ.

ptæ quàm in ſtatu legis Evangelicæ matrimonium fuerit Sacramentum, hoc tamen intereſt, quod antè Chriſti inſtitutionem erat merum Sacramentum, ſcilicet ſignum unionis animæ cum Deo, per quod homines ad talem unionem invitabantur; in lege tamen Evangelica eſt unum ex ſeptem Sacramentis, conferens gratiam ſanctificantem, ſicut cætera; ex quo patet quàm honorabile, honeſtum, ſanctum utile; & delectabile ſit, & quam ſanctitatem exigit in nubentibus. *Serm. 1. Dom. 1. poſt oct. Epiph. lib. 4. d. 26. a. 2. q. 2.*

5. *Matrimonii infidelium, & fidelium quale diſcrimen.*

Vocatus eſt autem ibi Jeſus, &c. Si vocatus eſt ibi Jeſus, ergo ſalus, & gratia concurrunt ad contractionem matrimonii? ergo idem erit forſan etiam inter infideles? ſed attende ad diſcrimen quod eſt inter matrimonium infidelium, & fidelium: nam inter fideles eſt verum Sacramentum à Chriſto inſtitutum conferens gratiam ſanctificantem quando non adeſt obex peccati mortalis; & ultrà hoc etiam eſt in remedium concupiſcentiæ, quod eſt triplex, & hinc naſcitur triplex bonum; concupiſcentia enim inclinat primò ad multas mulieres, &c. quia luxurioſus non eſt una perſona contentus: ſecundò inclinat ad delectationem carnis, non ad utilitatem, quia luxurioſus non quærit, niſi ſatisfacere appetitui carnali: tertiò concupiſcentia poſt impletionem faſtidium generat, unde luxurioſus poſtquam cognovit unam, illam reſpuit, & vadit ad aliam; at matrimonium Sacramentum ex Chriſti inſtitutione dat contra primum malum gratiam, ut ſoli uxori velit conjungi, & hinc pronitas ad multas excluditur per copulam ſingularem: contra ſecundum malum, dat gratiam, ut conjux cognoſcatur ſolùm propter prolem, vel in remedium: contra tertium dat gratiam, ut ſemper conjux velit eſſe cum eodem per copulam inſeparabilem: ex primo oritur bonum fidei; ex ſecundo bonum prolis; ex tertio bonum Sacramenti, & hoc eſt vocare Jeſum ad nuptias: At non ſic in Sacramento infidelium, non enim confert gratiam ſanctificantem, nec iſtos effectus conſequentes; ſolúmque facit, primò ut denuò per coitum non peccent mortaliter, cum utantur remedio ſtatuto à lege naturæ; & ſecundò, quod filii, quj naſcuntur, ſint legitimi. *Lib. 4. d. 26. a. 2. q. 2. & d. 39. a. 1. q. 3.*

6. *Alii vocant ad ſuas nuptias Chriſtum, alii diabolum*

Vocatus eſt autem Jeſus, & diſcipuli ejus. O felices illæ nuptiæ, ad quas intervenit Chriſtus, & Maria cum diſcipulis? felices inquam illæ nuptiæ, in quibus viget fides, ſacramentum, gratia Dei, finis, ob quem inſtitutum fuit à Chriſto matrimonium, quia in ipſis aqua tribulationum convertitur in vinum conſolationum: infelices è contra ſunt illæ nuptiæ, ad quas invitatur, & vocatur diabolus, quando ſcilicet matrimonium contrahitur in peccato mortali, quando hiſtriones, & chorizantes interveniunt, quia vinum convertitur in aquam fletus, & doloris. *Ser. 1. Dom. 2. poſt. oct. Epiph.*

7. *Nuptiæ ſolemnes ſunt, ad quas Chriſtus vocatur ut ſponſus.*

Nuptiæ factæ ſunt, &c. vocatus eſt autem Jeſus, &c. Quis ſponſus in his nuptiis? nemo hic præciſè nominatur, niſi Jeſus, & Maria; ergo Jeſus hic indicatur ſponſus, & Maria ſponſa, ſed tamen myſticè, & ſpiritualiter, quia ſignificantur hîc nuptiæ inter Chriſtum, & Eccleſiam, & animam fidelem: Chriſtus enim veniens è Cœlo ſibi deſponſavit ſponſam peccatricem, vilem, ignominioſam, fœdam, deformem, ſcilicet Eccleſiam, & animas peccatrices, & ſanguine ſuo ipſam purificavit, & ſanctificavit, & condignam ſublimitatem elevavit, fecitque, ut inter ſponſum, & ſponſam eſſet una hæreditas, una domus, una menſa; una caro, omnia communia, & nihil proprium: Et nota, quod iſtæ nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ: Cana interpretatur Zelus; Galilæa tranſmigratio: ſignificaturque, quod ſponſa Chriſti debet tranſmigrare à vitiis, & concupiſcentiis, & debet ardere Zelo amoris divini, ob idque pulchra de forma juſtitiæ, erudita de judiciorum Dei notitia; tenta, & firma deſiderio præſentiæ Dei. *Ioan. collat. 11. & hîc c. 2.*

8. *Maria Virgo ſpecialis ſponſa Verbi divini, & Spiritus Sancti.*

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jeſu ibi, vocatus eſt autem Jeſus. Si nuptiæ factæ ſunt in Cana, ubi ſponſus, & quis? ubi ſponſa, & quænam? & ſi non exprimitur nomen ſponſi, & ſponſæ, ad quid nuptiæ afferuntur in medium? & cum ſolùm fiat mentio ſpecialis de Jeſu, & Maria, ergo iſti erunt ſponſi? & ſi Maria Mater Jeſu appellatur, quomodo dicitur ſponſa? ſed hæc omnia nobis innuunt maxima myſteria ad laudem Mariæ; nam hæc fuit ſponſa (myſticè loquendo) & cum adducitur Chriſtus in medium, hic fuit ſimul Filius, & ſponſus, & cum iſtæ nuptiæ reſonent ſolùm amorem, hîc tacitè introducitur etiam Spiritus Sanctus, ultra incomparabilem gratiam, qua replevit Mariam, etiam ipſam obumbravit, ac texit, ac viri vices ſubſtituens, & puriſſimo ipſius ſanguine, & ſubſtantia Chriſto carnem, & ſubſtantiam ſubminiſtravit, ergo Spiritus Sanctus dicitur ſponſus non ſolùm communi vocabulo, quo dicitur ſponſus animarum ſanctarum, ſed ſpeciali ratione, & non ſolùm animæ Beatæ Virginis, ſed aliquo etiam modo carnis ipſius, quia illam obumbravit, ideſt viri vices ſubrogans eam divina virtute fœcundavit, & gravidavit: Chriſtus item Sponſus Mariæ dicitur, quia in Incarnatione deſponſavit ſibi Eccleſiam in Maria, ad quam deſponſationem concurrit mutuus conſenſus Verbi, & Mariæ, unio carnis utriuſque, & mutua traditio, & acceptatio: Audiat ergo omnis ætas, quod numquam audivit: Virgo partu ſuo nupſit, virginitatem dum pareret duplicavit, Virgo quem genuit adoravit: Sic S. Anſelmus, S. Auguſt. & communiter Sancti Patres ad ſenſum S. Bon *Op. Laus B. Virg. fig. 15. op. Pſalt. min. op. Litania B. Virg. lib. 3. d. 3. p. 1. a. 2. q. 2. op. ſpec. B. Virg. lect. 10.*

9. *Vinum multiplex in nuptiis hujus mundi deficiens, & ruinoſum expenditur.*

Et deficiente vino. Ergo defecit vinum in his nuptiis? ſed attende, cum nuptiæ in bonum, & in malum poſſint ſumi: in nuptiis Chriſti, licet videatur deficere, non tamen unquam deficit, ut infra notabitur; ſed in nuptiis mundi, carnis, & diaboli deficit vinum Chriſti, & abundat vinum felleum, & venenoſum: hoc vinum poteſt ſumi, vel ſecundum naturam, & materialiter, & etiam ſpiritualiter; nam in conviviis vinolenter abundat vinum materiale, eos ad ebrietatem, & luxuriam, & ad omnia facinora inducens; aufert enim rationem, inducit cæcitatem, provocat ad luxuriam. Vinum verò delectationum carnalium abundat apud carnales, in quo ſe immergunt, & tandem abſorpti à tali venenoſo vino præcipitantur ad Infernum. *Ser. 2. Dom. 1. poſt oct. Epiph.*

10. *Vinum Chriſti quam dulce in hac, & alia vita, & quàm deſiderabile.*

Et deficiente vino, &c. Defecit quidem vinum materiale in his nuptiis, ad quas convenit Jeſus; ſed non ſpirituale; ubi enim eſt Chriſtus, ibi omne bonum; & ideò ad nuptias ſpirituales Eccleſiæ Chriſtus propinat vinum gratiæ Spiritus Sancti, vinum conſolationum ſpiritualium, vinum lachrymarum, & contritionis, vinum item ſui ſanguinis, quod vinum lætificat cor hominis, inebriat Spiritum, & carnalium voluptatum inducit oblivionem; & quia tale vinum eſt nuptiale, ideò non datur non habentibus veſtem nuptialem novæ, & ſanctæ converſationis, qui adhuc ſacco veteri malæ vitæ induuntur, de quibus verè poteſt dici, vinum non habent; & hoc vinum in hac vita à Chriſto exhibitum ad aliud vinum in gloria bibendum diſponit; in qua muſica in vino Beatis abundè propinatur. *Ser. 2. Dom. 1. poſt oct. Epiph.*

11. *Maria Virgo etiam non rogata quam ſollicita in noſtris neceſſitatibus, quid ſi rogata?*

Et deficiente vino, dixit Mater; vinum non habent. Vide ex hoc quàm pia, & ſollicita erat Maria in ſubveniendo neceſſitatibus ſponſi; nec mirum, cum enim ſciret ſe præpoſitam fuiſſe, ut eſſet auxilium, & refugium omnium, ideò ſedula, & ſollicita accurrit ad ſuum munus exequendum etiam non rogata; & ſi hoc, quid, ſi rogata fuerit? Eia ergo advocata noſtra Maria; ecce adhuc neceſſe eſt nobis, ut Filio tuo ſuggeras pro nobis, quoniam vinum non habent multi ex nobis; vinum utique gratiæ Spiritus Sancti, vinum compunctionis; vinum devotionis, vinum ſpiritualis conſolationis. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 6. Joan. hic.* Notat etiam Seraph. Doct. quod non ſine maxima laude hic appellavit Chriſtus Mariam mulierem; quid mihi, & tibi mulier? mulierem dicit pro ſexu, ideſt ſicut Chriſtus dicitur vir, ideſt primus, & caput omnium hominum, ita Maria prima mulierum. *Sic & Gerſon. & Alv. Magnus.*

12. *Operaturus divina ignoret carnalia.*

Quid mihi, & tibi mulier? nondum venit hora mea. Verè mirum eſt, quomodo tam prima facie durè Mater à Filio ſic tractetur? & tantò magis, quantò poſteà fecit miraculum, & vino providit nuptias; ſed tamen ejus opera, & verba tota erant plena myſteriis cœleſtibus: dat enim intelligere, quod cum hoc miraculum faciendum eſſet opus divinitatis, non humanitatis, ad ipſum patrandum non movebatur ex amore materno, quia operaturus divina, non agnoſcit viſcera humana; & hoc ad nos dirigitur, ut dum ad res divinas manum imponimus, quæ ſunt mundi rejiciamus à nobis. *Joan. c. 2. v. 3.*

13. *Ad laudem maximam Mariæ ordinatur hoc reſponſum Chriſti.*

Quid mihi, & tibi mulier. Nota, quod Chriſtus amantiſſimus, & obedientiſſimus Matris, non ſolùm nullam aſperitatem expreſſit in his verbis, ſed ſummam laudem ipſi exhibuit: quid mihi, & tibi; ſcilicet mihi eſt divinitas, & humanitas, tibi eſt virginitas, & fœcunditas; mihi divinitas, & humanitas, quia Deus ſum, & homo; tibi fœcunditas, & virginitas, quia Mater, & Virgo es; mihi divinitas ex Patre, & humanitas ex Matre Virgine; & tibi fœcunditas ſine ſemine, & virginitas ſine labe: addit nondum venit hora mea, ſcilicet illa hora Paſſionis meæ in cruce, ibi te cognoſcam, cum pendere incœperit in cruce infirmitas cujus Mater es. *Joan. c. 2. v. 5. & 6. op. Diat. tit. 10 cap. 6.*

14. *Nota hic ex Sancto Irenæo aliud dignißimum myſterium.*

Nondum venit hora mea. Quæ hora? & ſi hora non erat faciendi miraculum, cur ſtatim ipſum patravit; ſed tamen ad aliud alluditur; nempè ad illam horam, de qua S. Joan. c. 19. Sciens Jeſus, quia venerat hora ejus, &c. ſcilicet inſtituendi Euchariſtiam, & moriendi in cruce; ideo Maria fervore quodam ducta bibendi vinum Euchariſticum, dicebat vinum non habent; cum adſint in his nuptiis varia fercula optima, eis deficit illud ſuaviſſimum, quo cibabis, & potabis tuos fideles dilectos; cui Chriſtus reſpondit nondùm venit hora mea, &c. ſcilicet ut ait S. Bon. hora Paſſionis.

15. *Chriſti adventus implevit hydrias aquâ uſque ad ſummum: Ubi de notitia myſteriorum, & cultus Dei.*

Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex, &c. capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas. Nota: ad litteram iſtæ hydriæ erant vaſa, quæ tempore convivii ſervabantur plena aquâ, ut poſſent ſe crebro purificare, & lavare, uti ſolebant Judæi; dicuntur autem capaces duabus, vel tribus metretis, ſcilicet menſuris peculiaribus, & ad hoc miraculum manifeſtationis Chriſti dicuntur impletæ, quia mentes Judæorum prius erant vacuæ, ſed ad adventum Chriſti fuerunt impletæ in credentibus, quia myſteria fidei per Chriſtum revelata ſunt, ſcilicet fides divinitatis, & humanitatis Chriſti, ſignificata in duabus metretis, & fides Trinitatis in tribus, & conſequenter etiam modus perfectè colendi Deum, quo anima purificatur, & hoc per

ſex

ſex hydrias, ſcilicet ſilentio, pſalmodia, vigilia, jejunio, opere manuum, maximè miſericordiæ, & carnis munditiâ. *Ioan. c. 2. hic: & in Luc. c. 4. v. 21. Ioan. c. 4. v. 28.*

16. *Maria Virgo legebat in corde Chriſti myſteria ſacra, & præſciebat futura.*

Quodcumque dixerit vobis facite, & facite. Quomodo hoc Maria attentavit, ex quo dixerat Chriſtus, quod nondum venerat hora faciendi miracula? nonnè hoc potius erat diſſentire à voluntate Chriſti? attamen hoc redundat maximè in laudem Beatæ Virginis; nam ipſa, ut dicebat S. Ignatius Martyr, erat arcanorum Filii gnara, noveratque Filii ſui cogitationes, & in ipſius corde, velut in libro aperto legebat quod futurum erat: Sic S. Bon. in Joan. hic. S. Chryſoſt. Auguſt. Euſeb. Gallic. Ex quibus patet, quod non ſolùm non reprehenderat Matrem in ſupradictis verbis, quid mihi, & tibi mulier; ſed potius voluit ipſi teſtari, quod ſicut ſpectabat ad ſuam divinitatem facere hoc miraculum, ſic etiam ipſam præſciam voluit hujus futuri miraculi, & modi illud operandi, quod oſtendit in illis verbis, quodcumque dixerit vobis facite, facite; ita etiam S. Gaudentius.

17. *Chriſtus ſuis commenſalibus convertit aquam in vinum dulciſſimum.*

Ut autem guſtavit Architriclinus aquam vinum factam, &c. Hic eſt terminus hujus miraculi, ſcilicet converſio aquæ in vinum; hoeque ſpiritualiter facit Chriſtus ſuis commenſalibus, & ſequacibus; convertit enim aquam in vinum dum contritionem in dilectionem, lachrymas timoris, in lachrymas amoris mutat: ſerviviſti aliquando ex timore Dei, nunc amore: ſerviviſti in mœrore, ſervis nunc in jucunditate; ecce aquam in vinum dulciſſimum converſam, quia charitas ad modum vini mentem inebriat amantium, ad omnem laborem hilareſcere facit; dolet anima inebriata, & non ſentit, laborat, & non laſceſcit, deridetur, & non advertit; ô vinum quàm efficax, &c. *Serm. Dom. 1. poſt oct. Epiph. Ioan. collat. 13.*

18. *Mundani primum bonum vinum bibunt in hac vita, in alia quod deterius eſt: Chriſti ſequaces è contra.*

Omnis homo primum bonum vinum ponit, tunc id, quod deterius eſt. Quomodo omnis homo? omnis homo ſecundum uſum mundanorum, nam iſti primum bonum vinum bibunt in hac vita, ſcilicet ſe tradentes voluptatibus, carnalitatibus, & concupiſcentiis poſtea fel amariſſimum bibunt in Inferno. E contra Chriſti ſequaces vinum amatum primum bibunt in hac vita, ſcilicet amaritudines, dolores, pœnas, pœnitentiam, ut vinum bonum, & dulce in æternum in Cœlo bibant. *Ioan. collat. 11.*

19. *De ebrietate bona, & mala Vide hic in commentar. & in dicta collatione.*

20. *Evangelium, & doctrina Chriſtiana bonum vinum quod ſervavit Chriſtus ad ſuum adventum, & prædicationem.*

Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc. Ecce quid dictum eſt ſponſo, ſed quia ſponſus eſt Chriſtus: ideò benè dicitur, quod ſervavit bonum vinum uſque adhuc; hoc vinum eſt doctrina Chriſtiana, & Evangelica; ſicut enim vinum eſt liquor potus, ſapidus, clarus, ſalubris, virtuoſus, manans de vite; ſic Chriſtus eſt vitis, à qua emanavit Evangelium, & doctrina Chriſtiana per tres propagines, ſcilicet divinæ naturæ, ſpiritualis, & corporalis, ut dicitur in figura, *Gen. c.* 40. hæcque doctrina Evangelica eſt vinum ſapidum, nihilque ipſa ſapidius ſpirituali habenti ſanum palatium; bonum quidem vinum ob vitis generoſitatem, ob ſolis, in quo eſt, cœlicam irroralionem, ob temperatam maturitatem; ob temporaneam collectionem, ob omnis impuritatis ſeparationem, ob vaſis, in quo reponitur, ſinceritatem; ob odoriferam virtutem, & integritatem, & ob ſufficientem defæcationem; ô quàm bonum vinum hoc, quod poſuit Chriſtus in ſua cœna, ad quod invitat, *Sap. c. 9.* Bibite vinum, quod miſcui vobis, ſcilicet cum omnibus odoriferis ſpeciebus ſapientiæ, hoc vinum expoſuit Chriſtus in Eccleſia, & ſervavit uſque adhuc, ideſt uſque ad finem mundi. *Ioan. collat. 13.*

21. *Mundi amatores caupones ſunt miſcentes cum bono vino aquam, & totum inficientes.*

Omnis homo primum bonum vinum ponit, tunc id, quod deterius eſt. Quodnam eſt hoc bonum vinum, & id, quod deterius eſt? Sed tamen ad mores dirigantur hæc verba per id, de quo conqueritur Deus. *Iſa. cap. 1. Vinum tuum mixtum eſt aqua.* Per vinum bonum intelligitur amor purus Dei, & ſpiritualis, quod bibitur à multis in principio vitæ ſpiritualis, ſed poſtea fiunt veluti caupones pravi, qui ad viliora ſe convertunt, eaque oſtendunt ſub ſpecie melioris, & hoc maximè inebriatis, & rudibus, qui neſciunt diſcernere pretioſum à vili; ſic ſæpè mutatur amor, qui primò bonus, & ſpiritualis videbatur, cum diſcretionis, & ſobrietatis meta excreſcit in carnalem, quia aſtutus diabolus primò occultat tentationis laqueum, donec amor increſcat, & tenax fiat (ſicut viſcus, quo capiuntur aviculæ) inter ſpirituales, ut cum ſibi mutuo conglutinati fuerint irreprehenſibili amore dilectus, & dilecta, improvidos ſimul in inguine transfodiat carnalis concupiſcentiæ mucrone, cum ab invicem jam nequeunt ſeparari: ô quot ſub ſpecie amoris puri in horrenda peccata in fine ceciderunt. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 17.* Nota etiam, quod hoc verificatur de pluribus ſpiritualibus, qui in principio fervidi ſunt, ſed poſtea laſſati in viæ perfectionis, ſe ſubjiciunt nimiæ ſervituti corporis ſub ſpecie diſcretionis.

22. *Ad præparationem vini perfecti amoris Dei implenda ſunt ſex hydriæ.*

c *Et impleverunt hydrias uſque ad ſummum.* Scilicet ſex, quarum aqua converſa eſt in optimum ſinum à Chriſto: Cur voluit Chriſtus ad proviuonem hujus vini antecedenter ſex hydrias aquâ pſque ad ſummum impletas? cur alio modo non qrovidit? ſed hoc fecit ad indicandum nobis id, uod eſt antecedenter neceſſarium, ut perveniamus ad deguſtandum vinum dilectionis, & amoris Dei, & perfectionis ſpiritualis; ſex hydriæ ad purificationem animæ myſticè ſunt ſequentes: prima eſt contritio compunctiva, quæ purgat, de qua hydria dicitur. *Gen.* 24. *Rebecca diſcendit ad fontem, & implevit hydriam aqua.* Scilicet lachrymarum: ſecunda eſt confeſſio mundans, de qua ibidem, Rebecca effudit hydriam in carnalibus, quod eſt evomere peccata de conſcientia: tertia eſt pia eleemoſynarum largitio, de qua dicitur ibidem, Rebecca depoſuit hydriam, & dedit ei potum. quarta eſt conſtans injuriarum remiſſio, & perpeſſio, hac enim purgatur peccatum, de qua dicitur. *Judic.c.7. Cumque confregiſſent hydrias, tenuerunt lampades*, ſcilicet non reputando injurias, ſed eas contemnendo: quinta eſt exercitium pœnitentialis laboris purgans à peccato, ſic Rebecca egrediebatur habens hydriam in ſcapula, ideſt in ſuſtinendo ſtrenuum laborem: ſexta eſt obſervatio divinæ legis. & prædicationis, quæ purgat, de qua dicitur ibidem; Da mihi aquam de hydria tua, & ſequitur; bibe Domine, qui enim impletus eſt doctrina divina, debet eam aliis propinare, iſtæ hydriæ de ſe continent ſolùm aquas inſipidas, ſi Dominus non convertit in vinum amoris, & devotionis. *Ioan. hic* c.2.

23. *Cur Chriſtus voluit hoc miraculo incipere curſum ſuæ prædicationis.*

Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus. Cur voluit Chriſtus, ut hoc miraculum initiativum eſſet ſignorum ſuorum? & quomodo dicitur initium; cum in ejus nativitate plura ſigna fuerint viſa? Ad litteram reſpondetur, quod poſt baptiſmum hoc fuit initium ſignorum, & veluti præparatio prædicationis Evangelii, ut magis ſtabiliret diſcipulos vocatos ad ſui ſequelam in fide: ſed myſticè voluit figuram præmittere ad Evangelii prædicationem, & ad opera Redemptionis futura inſtitutionis Sacramenti Euchariſtiæ, quæ ad complementum nuptiarum Chriſti cum Eccleſia exigebatur. *Ioan. hic. & coll.* 12. *& 13. ſer.* 2. *Dom.* 1. *poſt oct. Epiph.* Addunt hîc alii Doctores, quod per hoc voluit oſtendere, quod in arduis operibus, maximè ubi agitur de magnificanda gloria Dei, debet homo præmittere ſumptionem communionis Euchariſticæ, tamquam fundamentum omnium bonorum & per quod homo confirmatur in fide, & Dei obſequio, ut eventi feliciter diſcipulis, qui in Chriſtum perfectè crediderunt. Hoc etiam ad mentem Seraph. Doct. *loc. cit.*

24. *Continuum miraculum ſimiliter expenditur.*

Hoc fecit initium ſignorum Ieſus. Nota hoc verbum, initium, quod eſt correlativum ad alia ſequentia; per quod etiam innuitur, quod hoc miraculum fuit initium, & velut principale aliorum miraculorum, quæ inceſſanter facit Chriſtus ad noſtram utilitatem, quæ tamen à nobis ingratis non conſiderantur: nonnè maximum miraculum continuum eſt in vitibus, quæ producunt vinum ex aqua imbibita? certè hoc non eſt inferius miraculum, & tamen aſſiduitate vilult apud nos ingratos. *Ioan. capit.* 2. *num.* 7 *&* 10.

25. *Ante omnia negotia homo ad templum, & ad orationem ſe conferat.*

Poſt hæc deſcendit Capharnaum, &c. & propè erat Paſcha Iudæorum, & aſcendit Ieſus in templum. Vide, quod prædicaturus, & facturus miracula Chriſtus priùs intravit in templum ad orationem, dans nobis formam Religionis ut diſcamus antè omnia alia negotia hoc præcipuum præponendum ſemper, ſcilicet ingreſſus in templum, & oratio, quia non benè incipit homo, niſi priùs è Cœlo proveniat auxilium. *Op. ſpec. diſcipl. p.*1. *cap.*29.

26. *Chriſti maximus zelus eſt expurgatio templi ab omnibus prophanationibus.*

Et intravit in templum, & invenit vendentes, &c & cum feciſſet flagellum, &c. Nota, quod bis legitur Chriſtus ejeciſſe prophanatores templi, in principio, & in fine ſuæ prædicationis, in principio hîc, & in fine apud Lucam c. 20. & Matth. c.21. ut pateat, quod præcipua cura Chriſti eſt reverentia debita templo, & elongatio omnis prophanationis ſacrorum locorum, eo quod ruinæ populi, & Reipublicæ maximè venit propter hoc peccatum, tum etiam ex culpa ſacerdotum, nec aliud peccatum tam mutare facit pietatem, & manſuetudinem agni Jeſu in iram, & furorem, quantum hoc. *Luc.c.*20. *v.*45. *&* 13. *De hac materia Vide in Matth. & Luc. citatis.*

27. *Prædicatores, & Rectores populorum in principio ſint mitiores: poſtquam verò in æſtimationem apud populos devenerint, ſint ſecundum qualitatem delictorum acriores, & rigidiores.* Diſcant hoc à Chriſto, qui in principio prædicationis iſtos prophanatores ejecit è templo, ſed mitiori modo, & remiſsè, dicendo, *nolite facere domum, &c.* Sed in fine poſt miracula, ſigna, & documenta, poſtquam apud omnes in æſtimatione magni Prophetæ devenit, acriùs, & manuali flagello eos correxit. *Ioan. c.* 2. *hic.* Diſcant hoc exemplum Chriſti Rectores, Prædicatores, & Curati populorum, ne velint ſine alis perfectis volare in altum, ne velint ante tempus opportunum, & antequam apud populos æſtimationem per opera proportionata obtineant, reformare mundum, ut vulgo dicitur, quia experientiâ patet, quod non ſolùm obtinent, quod eorum Zelus ſine ſcientia intendit, ſed potiùs populos commovent ad iram, ad malum, & ipſi

remanent

remanent remiſſi, & inhabiles ad exercendum proprium munus. *Sic ex S.Bon.in ap. de ſex Alis Seraph.*

28. *Templum ſpirituale manu propria à peccatore dirnitur!, & ſolùm manu Dei poſteà poteſt readificari.*

Solvite templum hoc manufactum,& poſt triduum readificabo illud. Nota, quod ad litteram Chriſtus tranſit à templo materiali ad templum ſui corporis, quod ſolutum manu Judæorum readificatùm per Reſurrectionem: myſticè loquitur de templo ſpirituali animæ peccatoris, quod diſſolvitur manu peccatoris, ſcilicet per peccatum de templo Dei fit templum diaboli, in quo diabolus moratur, adoratur, obtemperatur; talè autem templum non poteſt eadem manu peccatoris propriis viribus reædificari in templum Dei; ſed requiritur manus divinæ gratiæ, ſinè qua nihil boni poteſt fieri, & ſic requiritur triduum, ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio. *Ser.2.Dom.infrà oct.Epiph.ſer.4. in Paraſceve: ſer.1.& 4.in Paſcha: ſer.4. in Albis:ſermon.1: Dom.Trinit.Joan.c.3.v.11.& c.2. hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Nota, quod in hoc capite primò Chriſtus Nicodemum docet regenerationem ex aqua, & Spiritu ſancto eſſe viam ad Regnum Cœlorum: ſecundò prædicit exaltationem ſui in cruce, inſtar ſerpentis à Moyſe in deſerto erecti, ut ſalvet mundum: tertiò Joannes Baptiſta retundit ſuos diſcipulos de Chriſti baptiſmo obmurmurantes,oſtendens qualis eſſet Chriſtus.

CAP. III.

1. *Chriſtus quærendus de nocte; Vbi de materia orationis.*

Erat homo ex Phariſæis Nicodemus nomine, hic venit ad Jeſum nocte, & dixit ei Rabbi, &c. Nota ad litteram, quod iſte Nicodemus erat vir principalis in ſenatu Judæorum diſcipulus Chriſti, ſed occultus propter metum Judæorum; & quia non auſus eſt ſe manifeſtare, ideò alibi dicitur Joan. *c.7.* quod nemo ex Principibus credidit in Chriſtum, ſcilicet manifeſtè: hic ergo nocte venit ad Chriſtum, ut ab ipſo diſcat viam ſalutis, & ideò ad litteram ſignificat eos, qui ignorantes neceſſaria ſalutis, erubeſcunt palam diſcere; ſignificat etiam Cathecumenos, qui crucem Chriſti portant in fronte, ſed ejus myſteria adhuc ignorant; ſed eum Nicodemus non fuerit rejectus à Chriſto, ſed inſtructus perfectè, ſignum eſt,quod talis modus, & tali modo inquirendo ipſi charus fuit, & ideò ſignificat id, quod à ſequacibus Chriſti debet fieri, ut myſteria cæleſtia percipere valeant; nempè ad Chriſtum eundum de nocte, ſcilicet in nocturno ſilentio, & in ſecreto ſilentio noctis per orationem pulſandum ad fores divinæ miſericordiæ; & præcipuè quando nox tribulationis ad id compellit amicum Dei; talis enim oratio Chriſto ſummè chara eſt. *Luc. cap. 11. verſ. 8. Joan. cap. 3. hic.*

3. *Nativitas hominis multiplex bona,& mala.*

Niſi quis natus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei. Ecce quàm magnificam lectionem tradidit Chriſtus Nicodemo, & omnibus hominibus; Alludit enim ad duas nativitates, imò ad plures nativitates in bonum, & in malum; nam homo in hunc mundum veniens naſcitur primò nativitate carnali, & calamitoſa, ſcilicet cum pœna, & culpa originali; item nativitate vili, & vitioſa, quando ſcilicet tranſit per peccatum ad culpam à gratia. & hoc eſt naſci ex diabolo, ſcilicet per imitationem; Niſi igitur (ait Chriſtus) homo fuerit natus denuò, & acceſſerit ad aliam nativitatem nobiliorem non poterit ſalvus eſſe, ſcilicet niſi regeneratus fuerit ex aqua tamquam matre, & Spiritu ſancto tamquam Patre per Sacramentum baptiſmi, & per pœnitentiam ex Spiritu ſancto, & igne non poterit videre regnum Dei, nempè non poteſt pervenire ad nativitatem cæleſtem, & elevari ad videndum Deum. *Joan. hic. cap. 3. & collat. 15: & 70.op.Comp.Theol.lib.6.cap.9 Pſal.77.Luc.c.12: verſ.63. & cap.22. verſ. 11.ſerm.2. Dom.3. Quadrag.*

4. *Chriſtianiſmi nobilitas expenditur.*

Niſi quis natus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.&c. quod natum eſt ex Spiritu,ſpiritus eſt, & quod natum eſt ex carne caro eſt. Nota etiam quod in his verbis Chriſtus tradit diſcrimen inter Chriſtianos, & alios homines extrà gremium Eccleſiæ degentes; nam iſti nati ſunt quidem in hoc mundo, ſed quia eorum nativitas eſt ſolùm carnalis, calamitoſa, vilis, & vitioſa, ideò carent vera nobilitate, nec gloriari poſſunt niſi nobilitate terrena, & infami, at qui intrant intrà gremium Eccleſiæ per novam nativitatem è Cœlo venientem, iſtorum nobilitas eſt maxima, quia cum prima ſit ex carne, iſta eſt ex ſpiritu, illa de morte, iſta de Trinitate, illa de maſculo, & fœmina, iſta de Deo, & Eccleſia; ſicque taliter naſci virtute eſt potentiſſimum, ſic enim vincitur mundus,& elevatur homo ſuprà, & extrà mundum; eſt & utilitate virtuoſiſſimum, tum quia hoc facit vincere mundum, ſcilicet avaritiam, luxuriam,ſuperbiam, invidiam, infidelitatem; tùm quia hoc eſt hæreditare regnum Cœlorum; & hinc patet neceſſitas hujus nativitatis, quia ſine hac homo manet caro, vermis, vilis,ſordidus;patet & ejus fructuoſitas quæ conſiſtit in videndo regnum Dei; nam per talem nativitatem elevatur homo ad videndum, ſcilicet cognoſcendum Chriſtum, & myſteria noſtræ fidei, & Sacræ ſcripturæ, & tandem elevatur ad

Digitized by Google

æternam beatitudinem ; magna ergo, & inſeparabilis nobilitas eſt ſic naſci, magnaque ſapientia eſt in ipſâ nativitate perſeverare, & magna felicitas eſt ejus fructum, ſcilicet regnum Cœlorum videre, & obtinere. *Ioan. collat.* 15. *ſer.* 2. *Dom.*3. *Quadrag. ſer.*2. *Dom.* 14. *Pentec. ſerm.*3. *Dem.*23. *Pent.*

5. *Cognitio noſtra quàm infirma, debilis, dubia, & vana ſine lumine peculiari cæleſti.*

Spiritus ubi vult ſpirat, & neſcis undè veniat, aut quo vadat. Nota, quod in his paucis verbis continentur graviſſima myſteria : primò enim dat intelligere, quod Spiritus ſanctus ſpirat ſua dona, ubi vult, & quod omne bonum noſtrum de ſurſum eſt. noſque ex nobis miſerrimi : ſecundò quod ſine lumine cæleſti in notitia rerum, & maximè ſpiritualium errabundi vivimus, & ut plurimum decipimur, nam ſæpè quod exiſtimamus magnam gratiam, ad noſtram ruinam eſt, & è contrà quod æſtimamus iram, & pœnam magna gratia Dei eſt ; ſæpè etiam ex noſtris bonis operibus magnum aliquid putamus, & tamen neſcimus an odio, an amore digni ſimus; id etiam in progreſſa virtutis neſcimus ad quam perfectionem ducamur : tertiò quod qui ſe offerunt totaliter in Dei manibus ad talem cognitionem, illis ne ſcientibus, elevantur, quod omnem ſcientiam etiam doctiſſimorum ſuperabit. *Ioan.collat.* 70. *op.ſolil. c.*2. *op. Comp. Theol.lib.*1.*c.*9.*Pſal.*77.*ſer.*4. *Dom.*15. *Pent. Ioan. c.*3.*hic.*

6. *Nemo audeat aſpirare ad ea perſcipienda, quæ ſuperant ſuam capacitatem.* Hoc innuit Chriſtus Ieſus in illis verbis, *ſi terrena dixi vobis, & non creditis,* ſcilicet ſenſibilia facilia, *quomodo ſi dixero vobis cæleſtia,* ſcilicet alta, & ſublimia percipietis : Diſcant hic illi ſpirituales, qui ſuprà ſuum captum volunt in altum contemplationis, ad quam non ſunt vocati ſpecialiter à Deo, aſcendere, Deus enim à nobis exigit humilitatem, & hic error decipit multos ſe æſtimantes vocatos ad ſublimia, & tamen hoc provenit non ex amore Dei, ſed proprio, & propria ſuperbia, & hinc eſt, quod poſt multos labores incaſſos tandem deficiunt redeuntes ad vitam infirmiſſimam ſpiritualem : *Op. Eccleſ. Hierar.p* 4.*c.*4.

7. *Nemo aſcendere in Cœlum poteſt, niſi ſit unum cum Chriſto,* hoc docet Chriſtus in illis verbis: *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis,* ideſt niſi cum Chriſto unum ſint & cum Chriſto uniti, ſic enim nec alio modo aſcendent in Cœlum. *Ioan.hic c.*3.

8. *Chriſti deſcenſus è Cœlo, & aſcenſus in Cœlum expenditur.*

Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo Filius hominis, qui eſt in Cœlo. Nota, quod in iſtis verbis, licet videantur valdè involuta, & continuè oppoſita, explicatur tamen excellentia Chriſti Redemptoris, continetur autem hic Chriſti mirifica humilitas in ſua Incarnatione, ibi, *de cœlo deſcendit,* item magnifica ſua ſublimitas in Aſcenſione, ibi: *aſcendit in Cœlum,* item manſiva majeſtas in æternitate, ibi : *qui eſt in Cœlo:* dat autem intelligere, quod Chriſtus ſecundùm quod Deus eſt, non aſcendit, nec deſcendit cum ſit ubique, ideo dicitur, *qui eſt in Cœlo*, ſcilicet eſt in Cœlo æternaliter, invariabiliter, & indefectibiliter ; ſed ut homo dicitur deſcendere per Incarnationem, deſcendit enim obedienter, ut voluntatem Patris faceret, beneficienter, quia cum omnibus bonis, & potenter ; & quia ſic deſcendit, ideò etiam aſcendit in altum ſublimiter ſuper omnes choros ; victoriosè hoſtibus devictis, & glorioſè uſque ad thronum paternum. *Ioan.collat.*16.& *c.*3.*hic.*

9. *Crux Chriſti ſignum ſignans, & donans ſalutem, & vitam.*

Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Vide quomodo Chriſtus paulatim inſtruit Nicodemum circa myſteria Incarnationis, & Redemptionis ; ſuprà enim præmiſerat maximum beneficium, quod ſit per baptiſmum ſcilicet remiſſionem peccatorum ; hic ſubjungit aliud non minus, quod ſit per crucem ; hæc enim duo ineffabilem oſtendunt amorem ; utitur autem hic Chriſtus figura ſerpentis Moyſis, ut oſtendat cognata eſſe vetera novis, vetus Teſtamentum novo, & quòd non invitus ad Paſſionem, & ad crucem veniebat, & per crucem non nocumentum, ſed hominibus ſalutem, & remedium afferre volebat ; & ideò dicit, ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem &c. dans intelligere, quòd ſi Judæi illic effugiebant mortem temporaneam, hic æternam, qui credunt, ſerpens mordebat illic, & ſerpens ſanabat ; ita hic mors perdidit & mors ſalvavit, ac per hoc declaravit crucem veluti maximum Sacramentum ſalutis ; ſicut enim in cruce poſitus exteriùs ſanabat à morte veluti purum ſignum, & figura crucis Chriſti, ſic crux Chriſti non ſolùm eſt ſignum ſignificans mortem Chriſti & ipſum Chriſtum, ſed & efficiens ſalutem. *Ser.*1. *in Invent. & in Exalt. crucis. Ioan.c.*3.*hic ſer.*4.*in Paraſceve.*

10. *In cruce jam exaltatus eſt Chriſtus tamquam in trophæo, & vexillo nunc quotidiè exaltatur in Altari.*

Sicut Moyſes &c. ita exaltari oportet Filium hominis. Nota, quòd dicit exaltari, cur non ſuſpendi ? ſed optimè ; nam exaltatus eſt Chriſtus in cruce oſtendens vexillum ſuæ victoriæ contra peccatum, & Diabolum ; quod & quotidiè fit in Altari, dum Miſſa celebratur. *Ser.*3. *Dom.*4. *poſt Paſcha op. Expoſ. Miſſæ cap.* 4. *Ioan. capit.* 3. *hic.*

11. *Exaltatio Chriſti in cruce effectus dilectionis Patris in hominem.*

Ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit &c. ſic enim dilexit Deus mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret. Ecce undè orta eſt Paſſio, & exaltatio Chriſti in cruce ſcilicet propter dilectionem infinitam Patris in hominem ; Deus enim Pater duos filios habebat, ſcilicet Chriſtum, & hominem, ſed alter filius, ſcilicet homo pro ſcelere ſuo ducebatur ad patibulum

Infern;

Inferni ; undè Deus Pater amans ineffabiliter hominem , Christum pro homine tradidit in patibulo crucis : suspendendus erat homo , debitum solutum est pro eo , sicque liberatus de suspendio ; & in hujus signum altè levatus in cruce , altè levatur in Missâ , ubi quasi patibulum repræsentant brachia sacerdotis ipsum levantia, ut omnis , qui credit in ipsum non pereat , sed habeat vitam æternam ; & tu peccator ibi stans cum odio , usura , & aliis vitiis , quæ non relinquis , iterum furaris animam tuam , & fidem, & amorem , quibus tenetis Deo , & ideò in patibulo gehennæ suspenderis in Inferno : ô amemus talem Patrem , & talem Filium , ut nos Pater diligat. *Ser.3.Dom.4.post oct.Paschæ.*

12. *Dilectio Patris in nos ex traditione sui Filii expenditur.*

Sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum unigenitum daret. O qualis dilectio Patris in nos, quàm immensa , quàm stabilis , quàm ineffabilis in traditione sui Filii ! ut Filium suum unigenitum daret : ad quid hæc datio ? daret : vidè quid importat hoc verbum , daret:dedit enim nobis non digitum , non pedem , non corpus solùm , sed totum Filium suum unigenitum in carnem , ut nos redimeret : dedit & ipsum sacramentaliter , ut esset nobis cibus , & manna suavissimum : dedit spiritualiter in justificatione, datur enim peccatori verè pœnitenti , ut mentem illuminet , & affectum inflammet : dedit & æternaliter tamquam fructum ligni vitæ immortalitatem præbentis. *Ser.2.fer.2.Pentec.*

13. *Dilectio Patris in traditione Filii nobis in memoriam exhibet innumera beneficia.*

Sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum unigenitum daret. Nota illam particulam sic dilexit; quasi dicat : Attende ô homo ad infinita beneficia, quæ tibi contulit Deus , quæ pro complemento continent traditionem sui Filii ; & per hoc considera ejus dilectionem immensam , stabilem , communem , & generalem : nam immensitas declaratur ex multiplicitate beneficiorum corporalium , & naturalium , ex tot bonis in mundo præparatis pro utilitate hominis ; item pro tot beneficiis spiritualibus gratiarum , & donorum , quæ nobis incessanter confert ; & contulit : considera stabilitatem hujus dilectionis, quia dilexit te ante omne tempus, per omne tempus , & ad omne tempus præsentis vitæ ; dilexit enim te antequam esset in perpetua charitate, à nativitatis tempore usque ad mortem ; cum nullum sit momentum , in quo aliquod beneficium tibi non conferat , & post omne tempus: scilicet in æternitate te diliget in Cœlo : considera dilectionem Dei in suos amicos communem , communiorem in amicos , & inimicos ; & cum inimici essemus , misit Filium suum , ut pacem stabiliret inter nos , & ipsum ; considera etiam ejus dilectionem communissimam in omnes creaturas , & hanc dilectionem coronavit per traditionem Filii sui. *Ser.1.fer.2. Pentec. Joan. cap.17.*

14. *Christi primus adventus ad benignitatem exercendam ; secundus ad severitatem justitiæ.*

Non enim misit Filium , ut judicet mundum: sed ut salvetur mundus per ipsum. Quomodo hoc dicitur cum omne judicium dederit Pater in manus Filii , ut alibi infrà dicitur ? sed attende quòd hic loquitur de primo adventu Christi , in quo Christus exercuit benignitatem ; venit enim in mundum , ut salvetur homo per ipsum : secundus adventus verò erit ad severitatem justitiæ. *Joan.c.3.hic & c.5.v.23.& 29.*

15. *Quando peccatum mortale committitur , tunc factum est judicium , & incipit damnatio peccatoris, & pœna.*

Qui non credit , jam judicatus est. Quomodò hoc verum ? jam nondum est judicii tempus , & tamen dicitur , jam judicatus est, cùm id faciendum sit in secundo adventu Christi ? sed optimè dicit ; nam peccator in ipso instanti ; quo peccavit , statim secundum præsentem justitiam judicatus est ; & ad Infernum condemnatus , & tunc incipit sua damnatio ; imò & pœna ; quia ipsum peccatum pœna , & supplicium est , & à pœna inseparabile. *Joan. c.3. hic. & c.5. v.23.& 29.Luc.c.19.v.45.*

16. *Peccans mortaliter odit Christum :* dicit enim hic , *qui malè agit , odit lucem* , idest Christum, qui est vera lux illuminans animas. *Ser.1. Dom.5. Pentec.ser 1.de S. Ambros.*

17. *In confessione culpas peccata odit lucem Christum ; ejusque veritatem. Sermon. 1. Dom. 3. Paschæ.*

18. *Peccans submergitur in tenebris* ; qui ad gratiam resurgit intrat in lucem : sic dicitur hic à Christo. *Luc.c.9. v.41.& c. 13. v. 34.& c.20.v.1. & cap.22. vers.6.& 33. Joan.cap.1. vers.4.& cap.8. vers.13.& 41. & 47.& cap.13. vers.30.& cap.15. vers.23.*

19. *Christi desponsatio in Incarnatione, & in cruce consummatio expenditur , & felicitas amicorum Christi.*

Qui habet sponsam sponsus est ; amicus autem sponsi , qui stat , & audit , gaudio gaudet &c. Nota, quod hæc verba sunt Joannis Baptistæ ; qui loquens de Christo , ipsum vocat sponsum habentem sponsam, & seipsum amicum sponsi gaudentem gaudio magno ; hic titulus rectè convenit Christo , qui in Incarnatione nuptias fecit, & desponsatus est cum Ecclesia sponsa , quas in cruce consummavit ; & ideò convivium fecit Eucharistiæ ante consummationem; & dona amicis largitus est, ut omnes de hoc gaudio participarent ; dedit enim corpus tortori ; Spiritum Patri, Matrem Joanni, Paradisum Latroni, & postea dona Spiritus sancti. *Ser.1.Dom.1.post oct.Epiph.*

20. *Confessio hominis est humilitas , miseratio Dei altitudo est ejus.*

Illum oportet crescere , me autem minui. Sic dicebat Joannes loquens de Christo; sed quomodo minuitur homo , & crescit Christus ? Joannes minutus est in capite , Christus crevit in

cruce : unde nota, quod non ſine myſterio poſt Chriſti nativitatem incipiunt creſcere dies ; poſt nativitatem Ioannis incipiunt decreſcere ; datque intelligere, quod confeſſio hominis eſt humilitas, & in hoc debent ſe exercere amici Chriſti : altitudo verò Chriſti eſt miſeratio ejus in homines, quam exercuit in ſuo adventu in mundum ; ſcilicet dum homo decreſcit per humilitatem, Chriſtus creſcit per pietatem, & miſericordiam. *Ser.1.decollat.S.Ioan.in addit.Ioan. c.3.hic.*

21. *Ex loquutione cognoſcitur qualis ſit homo.*

Qui de terra eſt, de terra loquitur, qui de Cœlo venit ſuper omnes eſt. Ad litteram tradit Ioannes diſcrimen inter Chriſtum, & cæteros homines; nam homo cum totus ſit terrenus ſine Deo non poteſt benè loqui ; myſticè dat intelligere, quod ex verbis cognoſcitur qualis ſit homo, an de terra an de Cœlo ? ſi enim loquitur de terrena, & immunda, partem non habet cum Deo ; ſi cœleſtia, & ſancta loquitur, hic eſt verus filius Dei, quia filii Dei de Deo loquuntur ; & filii diaboli loquuntur de mundo. *Ser.2. de Evangeliſtis Ioan.hic.*

22. *In Euchariſtia Chriſtus è Cœlo deſcendit cum exercitibus Angelorum.*

Qui de Cœlo venit, ſuper omnes eſt. Loquitur hîc de Chriſto, qui de Cœlorum regno venit in hunc mundum ; & cum habitet in Cœlo etiam quando in Euchariſtiam venit, de Cœlo venit, & ſuper omnes Angelos eſt, ideſt caput omnium hominum, & Angelorum, & idcò veniens de Cœlo in Euchariſtiam, venit cum eo cæleſtis familia, cui ipſi aſſiſtunt exercitus Angelorum, cum ipſo Rege. *Sermon. 5. in Cœna Dom.*

23. *Deus ſecundum diſpoſitionem ſuæ providentiæ diſtribuit ſua dona inæqualiter hominibus.*

Non ad menſuram dat Deus ſpiritum. Nota, quod in his paucis verbis innuitur Dei altiſſima providentia in gubernatione mundi, & præcipuè Eccleſiæ ſuæ : cum enim Chriſtus habeat plenitudinem omnium gratiarum, ejuſque munus ſit eas communicare fidelibus, non tamen ad eamdem menſuram tribuit ; ſicut enim aliud accipit manus de corpore, aliud auris, & ſic de cæteris, ſic & de capite Chriſto deſcendit inæqualiter diffuſio gratiarum, alius enim recipit ſic, alius ſic, dum unus imitatur Chriſtum in hoc dono, alius in alio, donec omnes in patria occurramus in virum perfectum, & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ubi quiſque lætabitur in cæleſti manſione ſecundùm meritum ſuum, & ſtudium, quo hîc vitam Ieſu Chriſti fuerit imitatus. *Op. de Prof.Religioſ.lib.1.c.3.Ioan.c.3.hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quod enarrata manifeſtatione Filii Dei ipſis Iudæis : hic agitur de manifeſtatione ejuſdem alienigenis Samaritanis ; & deindè narratur ſanatio filii Reguli.

CAP. IV.

2. *Baptiſmi Sacramentum à diſcipulis Chriſti adminiſtratum fuit ante mortem ipſius.*

QUamquam *Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus.* Ergo diſcipuli Chriſti baptizabant, quæritur an hoc fuerit verum baptiſma, & Sacramentum ? negant aliqui Patres, ſed communis affirmat ; ſed cum hoc diſcrimine, quod in illo baptiſmo dabatur gratia ſanctificans, ſed tamen reſeratio januæ cæleſtis differebatur uſque ad ſolutionem pretii : cur Chriſtus non baptizavit ipſe in propria perſona ? Reſpondetur, quia aliis gravioribus occupatus erat, ſcilicet in prædicatione Evangelii, & in curatione ab infirmitatibus corporis, & animarum, tum etiam quia nondum advenerat tempus complectionis omnium effectuum baptiſmi ; nondum enim ſuperabundans gratia data erat ſignis viſibilibus per Spiritum ſanctum, ideò ſolùm poſt adventum Spiritus ſancti baptiſmus habuit plenam efficaciam, quantùm ad reſerationem januæ cæleſtis. *Ioan.c.4.hic.*

3. *A Iudæa debet fieri tranſitus ad Samariam, & Galilæam : Ubi de perfectionis tendentia.*

Reliquit Iudæam Chriſtus, & abiit in Galilæam ; oportebat autem eum tranſire per Samariam. Nota quod in hoc itinere Chriſtus plura myſteria inſinuat : Iudæa enim ſignificat converſionem per confeſſionem peccatorum, qua peracta ſupereſt, ut converſus tranſeat ad Galilæam per Samariam ; Samaria interpretatur cuſtodia mea ; Galilæa tranſmigratio ; anima igitur invitatur ad pœnitentiam, & indè ad cuſtodiam ſanctimoniæ per perſeverantiam ; hinc abſque eo quod permaneat, tranſmigrat ad exercitium bonorum operum proficiendo de virtute in virtutem, ut creſcat uſquè ad perfectum ſtatum. *Ioan. cap. 4. hic.*

4. *Fatigatio Chriſti expenditur ad litteram.*

Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem. Nota illud verbum, fatigatus, quomodo, & cur fatigatus ? hoc verbum autem indicat vehementiam laboris ; notatur enim laboris gravitas, laboris diuturnitas, quia nec levis, nec brevis labor fatigat : implicatur etiam adjutorii carentia, quia nec ſubjugalibus, nec vecturis utebatur, implicatur etiam jejunii prolixitas,

&c

& æstus fervor, & ariditas, quia erat hora sexta; mira ergo dignatio Filii Dei dignantis sic laborare: *Ioan. vallat. 2. & 6. 4. hic.*

5. *Fatigatio Christi ex itinere longo expenditur.*

Jesus ergo fatigatus ex itinere. Ex itinere? cur solùm ex itinere? & non etiam ex arenosa via, ex nudis pedibus, ex solis ardore, ex siti, & fame? meritò ex itinere, scilicet non ex illo solo itinere facto ex Judæa ad Samariam distantem solùm decem, & septem milliaria, sed ex itinere assumpto ab instanti suæ conceptionis per totum tempus vitæ suæ, quia semper in laboribus per totam vitam laboravit; & quia iste labor fuit assumptus ex amore, & desiderio nostræ salutis, ideo fatigatus erat ex itinere quidem, sed magis ex amore. *Ioan. collat. 20. opuscul. medit. cap. 31.*

6. *Christus in fatigando pro nobis quietem inveniebat.*

Fatigatus ex itinere sedebat sic. Quid sibi vult illa particula sic? sedebat sic? sic scilicet fatigatus quiescebat: sed quomodo simul subsistunt labor, fatigatio, & quies? hoc dicitur, quia quærebat animas, & quærendo animas totus in labore erat, & in anxietatibus vivebat, ejusque quies erat in laborando pro nobis; ut discamus & nos, quod in via Dei, & stadio perfectionis qui vult quiescere cessat à perfectione; qui incessanter laborat, & cursum accelerat, & à currendo, & fatigando non cessat, hic veram quietem invenit in Christo; sic ergo laboremus, & tam anxiè in fatigatione perseveremus, ut in nobis metipsis deficiamus, sic enim in Christo, qui est fons sapientiæ, quiescemus, & ipsum clarè videbimus, & fruemur in gloria, & quiete æterna. *Ioan. collat. 20. ep. stim. p. 3. c. 4. fer. 4. Dom. 4. Adv.*

7. *Christi sequaces exemplo Christi requiescant aliquando, ut fortius posteà laborent: Vbi de remissione, & recreatione Religiosorum.*

Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Si ob laborem incœpit iter vitæ suæ, cur sedet nunc, & requiescit? hoc fecit Christus ad informationem discipulorum tendentium ad perfectionem; sicut enim Christus totum ordinabat ad salutem nostram, ideò fatigabatur in hoc negotio. & si requiescebat, hoc totum ad novum laborem assumendum dirigebatur: Discant ex hoc Christi sequaces, maximéque Religiosi semper laborare, & procedere ad ulteriora de virtute, in virtutem, & si quiescunt indulgendo aliquando labori, & corpus aliquandò per aliquale tempus recreando, hoc agunt, ut novo labori se præparent: Hæc ad mentem Seraph. Doct. *in Ioan. collat. 20. ep. medit. c. 20. sic & observat Thom. de Kemp.*

8. *Felix necessitas, & paupertas, quæ etiam coacta ex dispositione divina, & ex sancta industria ducit ad Christum.*

Venit haurire aquam mulier, &c. Cur venit in sexta hora, scilicet meridie? quia ipsa erat pauper, & quia non poterat ob pauperiem alios mittere: venit autem in illa hora, in qua divites vel comestioni, vel somno indulgebant; & sic in tali hora, cum talibus circumstantiis invenit Christum, gratiam, & salutem, ô felix necessitas, felix paupertas; felix incommoditas, quæ etiamsi in principio est coacta, tamen causa, & occasio, & medium sæpè est inveniendi Christum. & si posteà assumitur, & acceptatur voluntariè est ad meritum vitæ æternæ. *Op. de Prof. Religios. lib. 1. c. 24.* Notent hoc maximè assistentes infirmis, & moribundis, quia illa infirmitas, & mors, licet necessaria, potest esse meritoria, sic & omnia alia incommoda.

9. *Christus pro nostra salute assumpsit in se nostras penalitates*; quod patenter ostendit hic petens extinguere sitim: *da mihi bibere*; ideò famem, sitim, calorem, &c. & dicuntur propassiones; passio enim turbat oculum mentis, propassio nequaquam. *Op. Comp. Theol. lib. 4. c. 18.*

10. *Christus petit ut pauper, & indigens eleemosynam à vili muliere, ut ipsam ditet: Vbi de bonis eleemosynæ.*

Mulier da mihi bibere. Vide humilitatem, & dignationem Christi Jesu, qui cum esset ditissimus, nec nostro ullo subsidio indigens, voluit se tali necessitati exponere, ut à vilissima muliere aquam ad extinguendam suam sitim reciperet, ut hoc medio ipsam saturaret, & ditaret; sic, sic idem nobiscum disposuit per pauperes à nobis petendo eleemosynam, ut nos ditaret. *Op. de Paup. Christi qu. 1. a. 2.*

11. *Sitis Christi spiritualis est in ordine ad lachrymas, & contritionem.*

Mulier da mihi bibere. Nota, quod licèt Christus laboraret siti corporali, tamen principaliter hæc petitio aquæ ordinata est ad aliam aquam, quam anima Christi sitiebat, nempè ad aquam lachrymarum, contritionis, & pœnitentiæ flebilis, ut patet in decursu discursus Christi; hæc enim est aqua, quam valdè sitit, & petit à nobis, nec ullus fons tantùm ipsum delectat, quantùm ista mirabilis aqua: undè cum inspiratio dirigitur ad cor peccatoris, ut se convertat, hæc est vox Christi dicentis, mulier; anima da mihi bibere. *Op. Dictat. 2. c. 3.*

12. *Prædicator se accommodet capacitati audientium exemplo Christi*; qui primo petit aquam materialiter ab hac muliere, posteà ipsa cum interrogasset Christum quomodo cum Judæus esset, petere audet ab extraneâ Samaritana, cum hoc esset ipsis vetitum? subdit Christus posteà paulatim eam introducendo per aquam materialem ad cognitionem mysteriorum spiritualium, *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit da mihi bibere, &c.* Sic & facere debent Prædicatores se accommodando tuditati auditorum, ut ipsos attrahant ad Deum. *Ioan. hic.*

13. *Aqua Chriſti eſt aqua fontis perennis, aqua mundi eſt fons putei, & lacuna.*

Domine neque in quo haurias habes, & puteus altus eſt, unde ergo habes aquam vivam? Nota diſcrimen modi loquendi Sacræ Scripturæ, & mulieris circa puteum: ſuprà dicitur, erat ibi fons Jacob; hic à muliere dicitur puteus altus eſt, & profundus; ſi puteus, quomodo fons? fons eſt, ex quo aqua limpida, & perennis exit, & facilis eſt ad hauriendũ; puteus profundus, & profundè excavatus, in quo aqua mortua ut plurimùm ſtat, & difficulter extrahitur, quid myſterii latet in hoc? Ecce notabile arcanum: Aqua hujus mulieris eſt aqua mundi, & concupiſcentiæ, aqua lacunæ, aqua mortua, quæ cum maxima difficultate extrahitur, nec ſatiat, ſed potiùs irritat ſitim, & quo plus pota, eo plus irritat: Aqua Chriſti eſt aqua fontis deſcendens è Cœlo, & ſalire faciens in Cœlum, hæc reficit, refrigerat, conſolatur, & ſatiat, & facillimè obtinetur: Et hoc eſt, quod dicit infrà Chriſtus, qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterùm; qui biberit ex aqua, quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam: ô mortales relinquite, fugite ab aquis putei mundi, ſunt enim fœtentes, difficiles, amaræ, & aſperæ: ad aquas Chriſti curramus, ut reficiamur, & ſitim noſtram extinguamus. *Ioa. hic: & collat. 21 ep. Diat. tit. 5 c. 2. Pſ. 31.*

14. *Aqua fontis à Chriſto expoſiti hominem in hac vita quomodo faciat ſalire in vitam æternam: Ubi de donis Spiritus Sancti.*

Qui biberit ex aqua, quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ecce mirabiles effectus aquæ Chriſti; nam iſta aqua procedens de fonte Paradiſi intrans in animam, ibi conſtituit alium fontem, ex quo emanant aquæ ſalientes in vitam æternam, & reddentes beatos ipſas recipientes: qualis eſt iſte fons, qui à fonte oritur? fons iſte eſt gratia Spiritus Sancti, quam portat in animam, ipſamque ſanat, ornat, & conſummat in tantum, ut quilibet credens fiat fons, de cujus corde fluunt aquæ vivæ, nempè ſeptem flumina per ſeptem dona Spiritus Sancti; nam per donum timoris expellit ſuperbiam, & Deum humiliter introducit; per donum pietatis invidiam turpiter conculcat, & proximum dulciter ad ſe invitat; per donum ſcientiæ iram totaliter ſedat, & totum hominem intrà ſe prudenter pacificat, & quietat; per donum fortitudinis accidiam velociter opprimit, & vigorem mentis vehementer ad operandum impellit: per donum conſilii avaritiam potenter extinguit & theſauros cœleſtes ſapienter conquirit; per donum intellectus gulam violenter reprimit, & cœleſtibus deliciis mentem ſpiritualiter reficit, per donum ſapientiæ luxuriam viriliter deſpicit, & totum hominem caſtitati, & libertati reſtituit: ecce qualis aſcenſus eſt iſte in vitam æternam. *Op. de ſeptem donis c. 3. & 4. op. Comp. Theol. lib. 1 c. 9.*

15. *Aqua hæc cœleſtis quomodo bibatur? Ubi de oratione, & meditatione.*

Qui biberit ex hac aqua ſitiet in eo fons aquæ, &c. Quomodo bibi poteſt hæc aqua? quo recurrendum eſt, ad hoc, ut poſſit bibi? nota, quod dicitur de anima illa ſancta. *prov. 31. os ſuum aperuit ſapientiæ.* Sufficit igitur aperire os. & hoc in oratione, & meditatione myſteriorum Dei, ſic enim per meditationem bibitur hæc aqua ex fonte æterno; & ſtatim ſurſum trahit per deſiderium æternorum, & animam reformat, & perficit. *Op. de ſeptem itin. æternit. itin. 2. d. 7.*

16. *Aqua multiplex ex fonte Chriſto in nobis derivat.*

Qui biberit ex aqua, quam ego dedero ei, &c. Nota, quod ſuam aquam contra ponit Chriſtus aquæ mundi; & ſicut aqua mundi alia eſt carnalis concupiſcentiæ, aqua doctrinæ erroneæ, aqua delectationis mundanæ, & aqua voluptatis terrenæ; ſic aqua Chriſti alia eſt divinæ gratiæ purificantis, & refrigerantis, aqua ſapientiæ cœleſtis clarificantis, aqua ſupernæ conſolationis reficientis, & aqua æternæ gloriæ ſatiantis, & mundantis. *Ioan. collat. 21 ſer. 4. Dom. 2. poſt oct. Paſche. ſer. 10. in Rogat.*

17. *Sitis aquarum mundi, & ſitis aquarum Chriſti expenduntur.*

Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet iterum. Quomodo hoc dicitur, cum in Eccleſ. c. 24. dicatur, qui bibunt me adhuc ſitient? ſed reſpondetur, quod alia eſt ſitis ex rei carentia, ex potantis intemperantia, ex potus inſufficientia, & ex virtutis illius ad præſervandum deficientia, & hæc eſt ſitis aquatum mundi, quia dum non habetur deſideratur, dum habetur vileſcit, & faſtidium parit; undè cum aqua terrenæ delectationis ſit deficiens, & vana non poteſt ſatiare, vel reficere; aqua verò Chriſti, quæ eſt gratia, ſatiat quidem, ſed ſitim generat delectabilem, ut amplius habeatur, ut continuetur. *Ioan. c. 4. hic: & collat. 21. & 6. 6. verſ. 35.*

18. *Cor eſt locus, in quo fundenda eſt oratio, & recipienda gratia Spiritus Sancti.*

Vade voca virum tuum; non habeo virum; bene dixiſti, quia quinque viros habuiſti, & nunc quem habes non eſt tuus vir. Dat ad litteram intelligere, quod iſta mulier erat adultera; ſed myſticè aſſignat modum, quo recipienda eſt hæc gratia Spiritus Sancti; Voca virum tuum, ſcilicet intellectum, mentem, & cor tuum, relinque quinque viros, ſcilicet ſenſus exteriores, & omnia exteriora, & interiora plena vanitate mundi, & avoca ad te cor tuum, & ibi orationem tuam funde, purifica illud, ut in eo recipere poſſis hanc aquam. *Op. de ſeptem itin. æternit. d. 3. Ioan. hic: op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 3.*

19. *Quid*

Digitized by Google

19. *Quid ſit adorare Deum in ſpiritu, & veritate.*

Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum in ſpiritu, & veritate. Quid eſt adorare Deum in ſpiritu, & veritate? Nota, quòd cum in homine ſit corpus, anima, & Spiritus: corpus non poteſt locari niſi in loco corporali; anima dicitur, quia animat, & vivificat corpus, & ut talis non poteſt ſe extendere extra corpus; & cum in anima ſit pars ſuperior, quæ dicitur portio ſuperior, vel mens, vel Spiritus, quo aſſimilatur Deo, qui eſt purus Spiritus, in quo Spiritu viget cognitio, & affectio, & devotio, hinc eſt, quod cum accedamus ad Deum per Spiritum; ille adorat Deum in Spiritu, & veritate, qui devotione, amore, affectione, & cognitione in oratione Deo appropinquat, & Deo aſſimilat ſe, & ideò neceſſe eſt ad hanc adorationem, quam exigit à nobis Deus, diviſio, & ſeparatio ab omnibus creatis, & quod totum ferat ſe homo in Deum. *Op. de ſeptem itin. æternit. d. 3.*

20. *Oratio mentalis perfectiſſima oratio eſt.*

Spiritus eſt Deus; nam & Pater tales quærit, qui adorent eum in ſpiritu, & veritate. Nota, quod hic proponit Chriſtus orationis mentalis excellentiam; & hæc eſt cum tacito ore ſola mens ſua deſideria pandit Deo, & affectum cordis Deo effundit; & cum intus per amorem amplectitur vel cum reverentia adorat, tantò ſe latius in Deum diffunditur, quantò plura valet affectus comprehendere, quàm lingua exprimere, & de hac loquitur hic Chriſtus, quia hæc oratio videtur magis propria animæ noſtræ, cum Deus magis cor attendat, quàm verba oris: verba autem aliquando apponimus, ut cum mens pigra eſt ad ſe elevandam in Deum, per verba orationis ſuſtentata elevetur, ut memoria Deo inhæreat, intellectus ſurſum tendat; affectus per devotionem inflammatus guſtet, quàm ſuavis ſit Dominus ex intenſione Sacræ orationis afflatus. *Opuſc. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 65. ap. Eccleſ. Hier. p. 2. cap. 3. Ioan. collat. 22.*

21. *Cultus exterior, & interior in oratione debent ſibi invicem reſpondere.*

Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. Quid eſt in ſpiritu, & veritate? ſi anima ſuo Spiritu adorat Deum, ergo & in veritate? cur additur, & in veritate? nota, quod dicit in veritate ſuperaddita ſpiritui; qui enim in ſpiritu adorat Deum, præſtat illi cultum interiorem cordis, & mentis: ſed ad complementum ipſius requiritur etiam cultus exterior ſcilicet corporis, & cordis; ſoli enim Deo ſervitur, cum totus homo in Deum per intentionem ordinatur, undè in ſpiritu adorat, ſcilicet cordis ſimplicitate, & in veritate, ideſt operis veritate levando corda cum manibus ad Deum, *Op. de ſeptem itin. æternit. itin. 2. d. 4. Ioan. collat. 22.*

22. *Quid ſit adorare Deum, & quis verus adorator.*

Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate. Quid eſt adorare? adorare, eſt orare ad alium; adorare Deum in ſpiritu, & veritate, eſt precari, & orare Deum cum veritate, ſcilicet oſtendendo idem, quod eſt adorator, & is, cui fit adoratio; ergo verus adorator eſt, qui ſuæ impotentiæ, & defectuum eſt cognitor, & ſciens, quod ante Deum eſt reus, & peccator, & quod Filius Dei eſt ſolus Salvator, & omnium bonorum dator; & ob id adorator eſt adverſus orator nempè ſemetipſum, quia pulvis eſt, quia nihil virtutis habet, qui bona, quæ agit eſſe de miſericordia conditoris videt, & agnoſcit, ſimulque Deum magnificat, gratias referendo, & miſericordiam poſtulando. *Ioan. collat. 22.*

23. *Adoratio Dei in ſpiritu, & veritate iterum explicatur: Ubi de adoratione externa, & templis Deo dicatis.*

Spiritus eſt Deus, ideſt incorporeus. Pater tales quærit, qui adorent eum in ſpiritu, & veritate. Dat hic intelligere, quod cum incorporeus ſit Deus, nec dependens à loco, vel corpore, etiam adorandus eſt Spiritu, & in corde; & ſi hoc, ergo videtur, quod non oporteat ædificare templa, vel Eccleſias, cum videatur ſufficere adoratio in corde: item videtur, quod cum ſit incorporeus Deus, nihil corporeum requiritur ad Deum adorandum, ob idque rejici debere cultum exteriorem, & uſum ſacratum imaginum, & quodcumque aliud, quo poſſit credi Deus corporeus? Sed attende ad hanc doctrinam catholicam contra Hæreticos abominantes omnes cultus exteriores, imò & Eccleſias: quædam enim ſunt eſſentiales conditiones adorationis, ſicut vera contritio cordis, ordinata petitio; & recta intentio: quædam de benè eſſe, ſive conferentia, ſicut Pſalmodia exterior, & cæremoniæ ritusque exteriores, quos practicat Eccleſia, & hæc à Chriſto non excluduntur ab adoratione perfecta, ſed tantùm intendit auferre errorem Judæorum, & Samaritanorum, qui in unico loco credebant poſſe adorari Deum, & hoc purè conſiſtere in actibus exterioribus, ut in purificatione corporis, in ſacrificatione ovium, & animalium, nec ulteriùs ſe extendebat ipſorum adoratio, & ideò docet Chriſtus, quod adoratio debet eſſe non ſolùm in Spiritu, ſed & in veritate: In Spiritu, ſcilicet interius, & in veritate, ſcilicet interius, & exterius; nempè adorans debet Deum adorare in puritate, & ſanctitate ſine fœditate peccati: item cum recta fidei confeſſione, & debita honorificatione; item ſolemni celebritate pro loco, & tempore, & ad hoc Sacrata ſunt quædam loca Sacra, & determinata ſunt certa tempora, quibus populus fidelis in unum congregetur, ut unitas commendetur, & gratias reddat, & vota ſolvat: ad hoc etiam utitur Eccleſia imaginibus ſacris in excitationem fidelium ad memoriam beneficiorum Dei, & ut omnis honor, qui eis deferetur, referatur ad Deum, non ad ipſas, niſi ſicut ad ſigna: ad hoc item ordinatur cultus exterior, ut cultus Deo oblatus ſit in Spiritu, & veritate, ſcilicet exhibeatur corde per fidem, ſpem, & charitatem: ſere per adorationem, laudationem, benedi-

ctionem,pſalmodiam, & gratiarum actionem ; &. opere per oblationem,thuriſicationem,& geniculationem *Ioan.c.4.hic : & collat.21.op. Centil. p.3 ſ.44.op.de dono pietatis.c.2.*

24. *Adventus Meſſiæ quales doctrinas nobis attulit.*

Dicit ei mulier , ſcio quia Meſſias venit ; & cum venerit annũciabit nobis omnia. Vide quomodo hæc mulier bene vocavit virum ſuum.ſcilicet intellectum, & mentem . & cum audiret tam ſublimia ex ore Chriſti reducit ſuam intelligentiam ad ipſius adventum , ſciens, quod ex ejus adventu omnia myſteria neceſſario ſcienda propalanda erant; ſed Chriſtus reſpondit, Ego ſum , qui loquor tecum,dans ei ſcire , quod jam advenerat tempus addiſcendi ea,quæ ipſe docebat:quid ergo annunciavit? quid pauperibus,quid mitibus?quid lugentibus,quid juſtitiam eſurientibus . quid miſericordibus,quid mundis corde,quid perſecutionem patientibus?quid divitibus? quid oppoſitum ſuæ doctrinæ facientibus?Chriſtus ergo annuntiavit omnia,quæ ad divinam reconciliationem, noſtri melioriationem . & æternam ſalvationem pertinent; pacem contra Dei offenſam,bonum contra animæ maculam,ſalutem contra æternam pœnam ; ergo nulla nobis datur excuſatio. *Ser.2.Dom.2. Adv.*

25. *Dei ſervus patienter expectet viſitationem Dei,quando ipſi placuerit.*

Dicit ei, ego ſum, qui loquor tecum. Nota quod Chriſtus non ſtatim ſe revelavit mulieri,ſed paulatim,& quando tempus ei opportunum fuit;hinc diſcant ſervi Dei,quod ſicut,quando ſol fulget in virtute ſua in meridie,reverberantur oculi à ſolaribus radiis,& etiam obfuſcantur, ideò neceſſe eſt ad hoc , quod fontem ſolis directè aſpiciat uti quodam ordine ; primò ſcilicet paulatim ad eum aſpicere,poſtea etiam per aſſuefactionem;ſic mens poſtquam jam omnia terrena dimiſit, & à gaudiis terrenis penitus ſe ſequeſtravit ; & cum adhuc ſit involuta multiplici obtenebrante caligine , quæ adhuc non permittit ferri Spiritum expeditis motibus in objectum , ideò tibi neceſſaria eſt induſtria,quia nemo repentè fit ſummus ; & ob id ſive habeat devotionem ſive non pulſet ad oſtium bonitatis divinæ, affluentiſſimam miſericordiam obſecrando,ut ſeipſam manifeſtet,nec deſiſtat,ſed inceſſanter pulſet per quietam amoris vocem,donec dilectum ſuum ſuavius audiat cum Samaritana;ecce ego ipſe ſum.*Op.myſtic.Theol.c.3.p.3.*

26. *Chriſti exemplaritas exterior expenditur.*

Et continuò venerunt diſcipuli , & mirabantur, quod cum muliere loquebatur. Cur admirabantur? forſan aliquod malum ſuſpicabantur? minimè:admirabantur,non malum cogitantes, ſed videntes, quod contra ſuum morem ſolitum loquebatur cum muliere ; admirabantur ejus manſuetudinem, qua loquebatur cum iſta muliere ; ex hoc patet, quàm exemplaris fuerit ejus vita ſeipſum præbendo exemplum,& exemplar omnis virtutis. *Op. de Inſtit.Nov.p.1.c.32.*

27. *Prædicator poſt prædicationem redeat ſtatim ad Chriſtum , ſcilicet ad orationem, & contemplationem.*

*Et continuo venerunt diſcipuli.&c.*Nota ly continuò ; abierant enim in civitatem, ut cibos emerent,& abſque vagatione per civitatem facta proviſione redierunt ad Chriſtum ; diſcant ex hoc Prædicatores, & diſcipuli Chriſti , quod miſſi ad prædicationem, ad illud ſolùm attendant ad quod mittuntur,& ſtatim peracta negotioſa actione redeant ad Chriſtum in contemplatione.*Ioa.c.4.hic.*

28. *Superiorum diſpoſitiones à ſubditis non temerariè judicandæ nec diſcutiendæ.*

Nemo tamen dixit ei,quid loqueris. Vide ex hoc qualem reverentiam exhibebant Magiſtro diſcipuli, ita enim ipſum formidabant , & venerabantur,& per hoc exemplum datur ſubditis,ne temerè judicent,& inveſtigent facta, vel dicta ſuperiorum. *Ioan.c.4.hic.*

29. *Curioſitas , & cupiditas abigetur à ſequentibus Chriſtum.*

Reliquit ergo hydriam mulier , & abiit in civitatem,&c. Ecce quod mulier converſa ad Chriſtum relinquit hydriam. Quid hoc? reliquit curioſitatem.& omnem cupiditatem terrenorum,& abiit in civitatem ad annunciandum bonum , quod invenerat ; diſcant ſequentes Chriſtum , & maximè Prædicatores , ſi volunt cum fructu evangelizare verbum Dei.*Ioan.c.4.hic. Eccleſ.c.12.*

30. *Qui vult percipere veritatem, & Chriſtum exeat ex hoc mundo.*

Exierunt ergo de civitate , & veniebant ad eum. Vide facilitatem Samaritanorum ad credendum ſermonibus mulieris , & ideo exierunt ; quia qui vult videre,audire,& recipere Chriſtum, ejuſque verba debet exire è civitate mundi, ſcilicet terrena deſpicere,quia non ſimul poſſunt morari amor Chriſti,& mundi.*Ioan.hic. Luc.c.8.v.33.*

31. *Cibus Chriſti ſuavis ſalus eſt hominum.*

Rabbi manduca ; ille autem dixit eis ; ego cibum habeo manducare , quem vos neſcitis,&c. meus cibus , &c. Vide quam ſollicitus eſt Chriſtus in hominum ſalute , hunc enim cibum ſuum vocat , oſtendens quantum deſiderium habebat noſtræ ſalutis; ſicut enim nobis concupiſcibile eſt comedere , ſic illi ſalvare,unde fatigatus non manducabat cibum materialem , licet invitatus à diſcipulis , demonſtrans primò , quòd priùs ad ſpiritualia , quàm ad corporalia debet intendere , qui Chriſtum ſequitur : ſecundò quantum deſiderium habebat ſalutis humanæ. *Ioan.collat.23. & c.4.hic : op.medit.c.31.*

Digitized by Google

32. *Quales cibos à nobis expectet Chriſtus.*

Alium cibum habeo manducare, quem vos neſcitis: meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris. Sed quid eſt voluntas Patris, niſi ſalus noſtra? ergo cibus Chriſti eſt ſalus hominum: triplex autem cibus dulcis eſt palato Chriſti; primus eſt converſio hominis ad fidem, per quod commutat credentes in ſuum corpus: ſecundus eſt operis boni perfectio in nobis, non enim ſatis eſt palato Chriſti converſio ad fidem, niſi etiam ſuperaddatur operatio bona, & operationis bonæ perfectio: tertius eſt divinæ contemplationis dulcedo, & delectabilitas; volens ergo invitare Filium Dei ad hoſpitium cordis, præparet ei iſtum triplicem cibum, ſicut tria fercula ei grata, hæcque à nobis expetat & deſideret. *Joan.collat.23.ſer.3.Dom.8.Pentec.op Comp.Theol. lib.5.c.5.op.Eccleſ.Hier.p.1.c.1.Pſal.49.*

33. *Ad ſuam menſam continuè Chriſtus invitat dicens.*

Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris; hoc eſt, quod ipſe comedit per totam ſuam vitam, quia totus fuit in obedientia Patris exequenda, hoc & nobis proponit ad ſuam menſam, ut ſumpto hoc pane ad potum orando accedamus: quia orando bibitur vinum lætificans cor hominis, & hinc ſequitur quies contemplationis. *Op.medit.c.47.*

34. *Obedientia ex pura dilectione Dei ſit cibus ſervorum Chriſti.*

Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris. Hoc dicebat Chriſtus, hoc & debet dicere Dei ſervus, & hoc conſiſtit in obedientia Deo præſtanda, & pro Deo ſuis ſuperioribus, ſcilicet obedientia ex dilectione, & amore Dei ad quæcumque & facilia, & difficilia etiam ad mortem. *Op.de Prof.Religioſ.lib.2.c.41.*

35. *Alii congregant fructum in vitam, alii in mortem.*

Qui metit mercedem accipit & congregat fructum in vitam æternam. Nota, quòd hoc dictum eſt à Chriſto de ſuis ſequacibus; iſti enim ſeminant, & metunt, & colligunt fructus bonorum operum in vitam æternam: ſequaces autem mundi, & diaboli ſeminant peccata, & metunt malos fructus in æternam damnationem. *Serm.3. Dom.7.Pentec.Joan.hic.*

36. *Hiſtoria de converſione Samaritanæ ad litteram expenditur, & ad mores trahitur.* Nota eſt hæc hiſtoria Evangelica de converſione Samaritanæ, quæ vocabatur Lucia; in qua elucet mirabiliter Chriſti humilitas, dum ſolus remanſit, diſcipulis in civitatem euntibus, tum ob fatigationem, quam ſubierat, quia ejus vita tota laborioſa fuit, tum quia cum illa ſola mulierecula tractabat, de tam magnis myſteriis, elucet & ejus magna paupertas, tum quia nullam portionem cibi ſecum attulerat; tum quia ſæpè in terra ad fontem, vel rivum comedebat; elucet & cura ſpiritualis animarum, quam præpoſuit cibo corporali. *Op.medit.c.31.*

37. *Acceptio perſonarum quàm Chriſto exoſa in Prælatis, & Curatis animarum.*

Et erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum, &c. Nota eſt hæc hiſtoria; nam Chriſtus invitatus ab hoc Regulo Principe adi viſitandum, & ſanandum filium mortali febre laborantem noluit ire; ſed tamen apud Matth.c.8. invitatus à Centurione pro viſitando ſervo ipſius ivit ad domum Centurionis; cur tractat differenti modo ſervum, & filium Principis? quis non credidiſſet ſtatim Chriſtum advolaturum ad domum Principis, non verò ad ſervum Centurionis? ſed tamen non ita fecit, nam Magiſter humilitatis refugit pompam Reguli, & quia fides Centurionis erat maxima, ideo alio modo ſe habuit cum iſto, ut addiſcant Curati, & Prælati ne ſint acceptatores perſonarum, nec ad oculos ſervire; nec ſecundùm exigentiam exterioris pompæ, ſed ſecundùm intentionem, vel bonitatem, vel neceſſitatem ejus, qui ſervitio indiget, & non ex complacentia, ſed ex charitate ſerviant. *Op. medit.cap.22.Joan.c.4.huc.*

38. *Septuplex infirmitas gravat hominem ad mortem in Capharnaum.*

Cujus filius infirmabatur Capharnaum, &c. Hora ſeptima reliquit eum febris. Quis iſte filius infirmatus Capharnaum? Capharnaum interpretatur villa conſolationis, eſtque mundus, in quo per proſperitates, & voluptates carnales infirmatur homo, & ſicut ſeptima hora ſanitatem recepit, ſic ſeptem ſunt infirmitates, quæ gravant hominem, & à quibus deſiderat, vel indiget ſanari, prima eſt ſuperbia, ſecunda invidia, tertia ira, quarta avaritia: quinta accidia, ſexta gula, ſeptima luxuria: omnes iſtæ infirmitates reducunt hominem ad mortem. *Ser.1.Dom.20.Pentec. Joan.c.4 ad finem.*

39. *Omnis homo ſtatim ac vivere incipit, incipit & mori.*

Incipiebat enim mori. Quomodo dicitur, quod incipiebat mori, ſi mors in unico inſtanti determinat vitam? ô quàm benè in iſto parvulo filio exprimitur vita mortalis hominis cujuſcumque, ſtatim enim ac incipit vivere, incipit & mori: mors enim eſt deperditio eſſe antecedentis, ſtatim autem incipit perdere antecedens, ideò ſemper homo vivens eſt in morte, & ſubjectus continuæ morti, & ideò benè dicitur hæc vita mortalis; undè optimè dicebat Iob de utero tranſlatus ſum ad tumulum, vel ut legit Niſſenus, de tumulo ventris matris ad tumulum mortis, quia homo ſemper volvitur ſuper totam temporis in morte jacens ad finalem mortem. *Lib.2. d.19. dub.3. op. ſolil.c.3.ſer.4.Dom.15.Pentec.*

40. *Modus ſervandus in oratione pro conſecutione gratiæ in hoc Principe expenditur.*

Domine deſcende priuſquàm moriatur filius meus. Nota, quod in his verbis continetur methodus optima in oratione ſervanda: primò enim præmittitur affectuoſa invocatio excellentis magnificentiæ Dei in hoc nomine, Domine, recognoſcendo in Deo inſeparabilis potentiæ ejus virtuoſitatem

ſitatem in prævalendo omnibus hominibus tam malis, quam bonis,item profunditatem ſapientiæ inſcrutabilem in cognoſcendo, item pietatem indicibilis miſericordiæ in parcendo: ſecundò additur diſcreta inſinuatio indigentiæ dicendo priuſquàm moriatur filius meus, indigentia autem eſt propter debilitatem potentiæ ſuccumbentis morti, propter cæcitatem ignorantiæ deviantis, & propter pœnalitatem miſeriæ opprimentis,& ſubjicientis hominem continuæ morti: tertiò ſubjungitur devota petitio auxilii, & auxiliantis miſericordiæ, cum ſubinfertur deſcende, ſcilicet deſcende ut veritas potentiſſima ad roborandum, ut lux fulgentiſſima ad illuminandum, & ut ſalus affluentiſſima ad glorificandum; ecce qualis oratio iſta, qualis ordo, qualis modus. *Ser.1.Dom.23.Pent.*

41. *Apud Deum omnis hora vitæ noſtræ eſt in computatione.*

Heri hora ſeptima reliquit eum febris. Nota, quod non ſine myſterio notatur hic hora ſeptima, in qua liberatus eſt iſte infirmus à febre, ut intelligamus, quod apud Deum omnis hora vitæ noſtræ eſt in computatione, & apud Deum deſignata eſt nobis hora converſionis peccatorum, hora obſervantiæ mandatorum, hora paſſionis adverſorum, & hora devotionis deſideriorum, quæ omnia à nobis in qualibet hora expectantur à Deo: ô utinam febris æſtuantium vitiorum relinqueret te miſerum peccatorem ſaltem decimâ, vel undecimâ horâ, ut per ipſam non incurreres mortem æternam: hora eſt jam nos de ſomno ſurgere, ſcilicet de ſomno corporis, & negligentiæ; ô peccator ſede, computa, quomodo te vocat quacumque horâ Deus; computa, quid diebus ſingulis, imò & qualibet horâ valeas acquirere, certus quidem apud Deum nullum bonum irremuneratum eſſe,nec ullum malum impunitum.*Ser.3.Dom.20. Pentec.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Notæ, quod poſt tranſitum Chriſti à Iudæa in Galilæam per Samariam, in qua ſe manifeſtavit Samaritanis, & poſt miraculum factum in Galilæa; hic narratur ſuus aſcenſus in Ieruſalem, & operatio miraculi apud piſcinam, ejuſque doctrina; quæ omnia habes expoſita à Seraphico Doctore in commentar: & collat.

CAP. V.

1. *Pœnitentia piſcina in Eccleſia expoſita ad ablutionem animæ ante oblationem, orationem,& ſacrificium.*

Erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam: eſt autem Ieroſolymis Probatica piſcina,&c.in his jacebat,&c. Nota, quod iſta piſcina erat propè templum, in qua congregabantur aquæ ibi decurrentes per aquæ ductus, in quibus victimæ offerendæ in templo lavabantur; in illa autem aqua ad deſcenſum Angeli,& commotionem aquæ unus ſanabatur,qui priùs deſcendebat in aquam: Myſticè autem hæc piſcina eſt pœnitentia, qua lavamur à ſordibus peccatorum, poſt quam ablutionem dignè coram Deo ſe exhibet homo, quæ aqua gratiæ & lachrymarum per aquæductum timoris, vel amoris deſcendit: Angelus autem eſt Prædicator, & Doctor, qui movet aquam, dum movet ad pœnitentiam, & tunc intrans in illam ſanatur. *Ser.1.Dom.4.Pent.*

3. *Mundus eſt hoſpitale plenum infirmis.*

Quinque porticus habens; in his jacebat multitudo maxima languentium, cæcorum, aridorum, & claudorum expectantium aquæ motum. Quæritur quinam iſti porticus, in quibus jacebat tanta multitudo languentium? ergonè in porticis jacebant? ſed ad litteram iſti porticus erant cameræ, vel diverſæ partes noſocomii magni civitatis Jeruſalem, in quibus recipiebantur pauperes infirmi, undè Bethſaida Græcè interpretatur domus miſericordiæ; & hoc eſt figurâ ſtatus mundi, in quo velut in magno hoſpitali jacet maxima multitudo languentium per quinque porticus, ideſt per quinque ſenſus, omneſque ſunt dediti ad carnalia, & temporalia; languentes enim ibi ſunt, ſcilicet in mala conſuetudine; cæci item, qui lumen veritatis non habent in cognitione, claudi item, qui greſſum æquitatis non habent in operatione; aridi item, qui humorem pietatis non habent in affectione, ô miſer mundus, ô quàm miſeri ſectantes viam ipſius, qui expectant motum aquæ, ſcilicet qui jacentes in corpore volunt, quod gratia cogat eos. *Ser.2.Dom.4.poſt Pentec.ſermon. 2. in Paraſceve.*

4. *Lignum ſanctæ Crucis vim ſanativam ad omnes infirmitates habet.*

Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate. Quæritur hic qualis erat iſta virtus, per quam ſanabantur infirmitates, an ſcilicet naturalis, an ſupernaturalis? & cur iſtud miraculum à Deo fiebat potiùs in hac aqua? Reſpondent communiter Doctores hanc virtutem non eſſe innatam, ſed ab Angelo movente ſuperadditam: Addit S. Bon. ex Magiſtro hiſtoriæ, & traditione antiqua, quod in profundo piſcinæ fuit projectum à Salomone lignum, quod germinaverat ex ramo ligni vitæ deſumpto à Seth filio Adæ; & quia hoc lignum foras erupit ex terræmotu quodam, quo terra concuſſa fuit paulò ante Paſſionem Chriſti: & cum crucifixores Chriſti hoc lignum vidiſſent, ipſum acceperunt, & de ipſo crucem fabricarunt, &

in

in ipsò cruci affixerunt Christum; ut hinc pateret, quòd Sanctæ crucis lignum habet virtutem sanativam à quocumque morbo & spirituali & corporali. *Ser.1.in Invent.S.Crucis.*

5. *Status miserabilis jacentium in grabato carnalitatis.*

Erat ibi homo triginta, & octo annos habens in infirmitate sua; hunc cum vidisset Jesus jacentem &c. Cum ex eo, quod postea dixit Jesus huic infirmo, *Vade, & noli peccare, ne deteriùs &c,* pateat, quòd iste homo magis torquebatur infirmitate spirituali peccati, quam corporis; quod & notat S. Bon. hic: quæritur quale peccatum principaliter esset, quod ipsi intulit infirmitatem tam longam? Sacer textus id non exprimit, sed tamen cum dicat ipsum fuisse jacentem, significatur, quòd ejus peccatum esset luxuriæ, quæ in grabato, scilicet in voluptate eum detinebat, ideò dicitur jacens in grabato; quia hoc peccatum est gravitate ponderosum, ad inferiùs inclinatum, progredientis impeditivum, & ne ascendatur superius depressivum; & ideò anima gravata erat, quia corpore jacebat in voluptate carnis; & quod horribilius est per malam consuetudinem tanti temporis redditum erat hoc malum quasi incurabile; ideoque non est mirum, quòd responderet Christo hominem non habeo &c. sed fælix postea, quia Christus Deus, & homo miraculosè ipsum liberavit à malis corporis, sed magis animæ. *Ioan.collat.25.*

6. Nota etiam aliud mysterium notabile morale: aliqui Doctores disquirunt, cur in tam longo tempore tot annorum numquam potuit habere sortem ante alios ingrediendi in balneum? & respondent, quia jacebat toto anni tempore in lecto carnalitatis, & ideò solùm in tempore adventus Angeli experiebatur vires, & quia usum non habebat ad tale facinus, ideò præveniebatur à diligentia aliorum, qui sæpè experiebantur vires, ut possent sollicitè intrare in aquam. ex quo elicitur infælicitas, & periculum eorum, qui semel in anno ad confessionis balneum accedunt, reliquum autem vitæ expendunt in carnalitates, voluptates carnis, & peccata.

7. *Iacens in peccato, si vult sanitatem animæ, tollat grabatum suum.*

Surge tolle grabatum tuum, & ambula. Quid est surgere, & tollere grabatum suum? ecce quid faciendum à volente perfectè converti ad Deum; surgere primò à lecto concupiscentiæ per confessionem; & tollere grabatum suum, scilicet peccandi occasionem, malam societatem, & consuetudinem; & per fræna continentiæ carnem corripere, & correptam à terrenis desideriis segregare. sic sanatus portat ubi jacuerat, quia divino adjutorio ereptus à vitiis ejusdem carnem contumelia in posimodum tulerat, in quibus desiderijs ptiùs requiescebat. *Ioan. collat.25.Luc.c.5.v.24.& c.17.v.10.*

8. *Ad perfectam sanitatem non sufficit surgere, & tollere grabatum, sed debet homo ambulare.*

Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Quid est ambula? sed hoc est in bono profice, noli à via declinare, noli retrò aspicere, noli ibi remanere, ad ulteriùs in bonis operibus ambula, & perseverа in ambulando; & hoc est quod exigit Christus à conversis, & præcipuè à Religiosis. *Ioan.collat.25.& c.12.v.38.*

9. *Charitas in proximum exercenda à conversis ad Christum.*

Tolle grabatum tuum, & ambula. Quid est tolle grabatum, & grabato oneratum ambulare? præcipit Christus huic homini, ut tollat grabatum, & ambulet; scilicet ut ambulet ad arripienda opera Christiana, & inter hæc exercitium charitatis in proximum: undè S. August. dicit tolle grabatum tuum, idest proximum tuum, fer illum, exerce charitatem in ipsum, & sic ambulabis de virtute, in virtutem. *Sic ex S. Bon.cit.*

10. *Christus onerat, ut alleviet, & expeditum faciat in itinere perfectionis.*

Tolle grabatum tuum, & ambula. Vide metamorphosim: Christus vult, ut iste sanus factus ambulet expedite in itinere perfectionis, & præcipit illi, ut se oneret grabato, quod est machina ponderosa nimis, nonnè potius hoc est tollere illi usum ambulandi? ô sic evenit in via Domini: Christus suos onerat, ut currant expeditè, sed onus suum est leve, & suave, & inservit hoc jugum legis divinæ, sicut pennæ volucribus, sicut vela navi, sicut rota in curru nempè ad expeditius, & velocius volándum ad alia, & ad cælestia; ô beatum Christi onus & jugum! *Lib.4.d.1.qu.1.ad alt. opuſc. myſt. Theol.in orat. Dom.ſer.1.de SS.Sim.& Iudæ*

11. *Invidus & detractor in proximo relinquit transeundo bonum, & malum solùm quærit, & advertit.*

Quis est ille homo, qui dixit tibi; tolle grabatum tuum, & ambula. Vide quid infert malignitas Pharisæorum ex hoc tam insigni miraculo; nam invidi oderant Christum, & relicta consideratione tanti miraculi, solùm se applicant ad inquisitionem jussionis factæ à Christo Paralitico, scilicet quòd cum esset dies sabbathi, in quo non licebat portare onera, hinc disquirunt à Paralitico, quis sit ille homo, non dicunt, qui te sanum fecit, sed qui tibi præcepit tollere grabatum: ô magna malignitas, & maledicta pestis invidia, & detractio! *Ioan. capit.5. his.*

12. *Juſti, & Religioſi aliquando declinent ab invidis, & perſecutoribus ad majus bonum ipſorum malorum.*

Jeſus autem declinavit à turba conſtituta in loco. Cur Chriſtus non aſtitit huic homini ſanato, ut ipſum ulterius inſtruat in lege Dei? declinavit ſapientiſſimè primò, ut eo abſente teſtimonium fieret inſuſpicabile; ſecundò ut furorem eorum non plus accenderet; ſolus enim viſus ejus, qui habetur in odio, & invidia, non parvam ſcintillam immittit in videntibus. *Joan.hic.*

13. *Sola clementia Dei ſanat; ſolùm peccatum torquet.*

Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi contingat. Ex his verbis patet hanc infirmitatem adveniſſe propter peccata; ſed attende ad ordinem congruum verborum Chriſti, non dicit ego te ſanum feci, jam noli peccare, ne ulterius magis te torqueam; ſed dicit ſanus factus es, noli peccare, ne deteriùs tibi contingat; & hoc dixit Chriſtus, ut diſcamus, quod clementia Dei oppoſita eſt peccato, ex clementia divina nobis adveniunt bona, ex peccato mala. *Joan.c.5. hic.*

14. *Sanitas ſpiritualis quale bonum.*

Ecce ſanus factus es. Sic dixit Chriſtus huic infirmo jam ſanato; ſanus factus; quaſi diceret, ſanus factus es gratanter ſine merito, & pretio; beneficè, quia de magno, & prolixo morbo; ſuaviter, quia ſine afflictione medicamentorum; perfectibiliter, quia non ſolùm eſt ægritudo ablata, ſed virtus reſtituta, ô attendant ad hæc verba juſtificati à peccato tam gratanter, tam beneficè, tam ſuaviter, tam perfectibiliter, ne ingrati ſint tanto beneficio. *Joan.collat.26.*

15. *Recidivatio in peccatum quale malum, quàm periculoſum.*

Jam, ideſt amplius noli peccare. Cur hoc? quia propter recidivationem difficilior eſt pœna poſterior vitiorum, tùm propter peccati duplicationem, quia hoc eſt theſaurizare iram Dei, hoc eſt iterum crucifigere Chriſtum, melius enim erat non agnoviſſe viam veritatis (ait D. Petrus) quàm poſt agnitam veritatem retrorſum abire. *Luc. cap.11. verſ.26. Joan. collat.26.* Undè ſubdit ne deteriùs tibi contingat iteranti peccata, tùm ob naturalium vulnerationem intimiorem, & ne putreſcant cicatrices tuæ à facie inſipientiæ tuæ; tùm quia magis redditur tua iniquitas inexcuſabilis apud Deum, & homines; tum quia dæmones majorem poſſeſſionem in te recipient, fientque noviſſima tua pejora prioribus. *Joan.collat.26.*

16. *Ex peccato mala ſpiritualia, corporalia, & temporalia velut ex theſauro iræ Dei pullulant.*

Ne deterius tibi contingat. Ecce quod manifeſtè Chriſtus docet, quod mala ſpiritualia animæ, mala corporalia, & temporalia in homine iſto pullularunt; nec id eſt mirum, quia peccatum eſt theſaurus iræ Dei, ex quo omnia iſta mala pullulant, & hinc Canon præcipit medicis, ut poſt binam viſitationem intimet infirmis confeſſionem ſacramentalem, ut ſcilicet cauſis infirmitatis ablatis ſanitas reſtituatur. *Op. Confeſſion. cap.3.p.58.*

17. *Prælati corrigant peccata, ne deterius peccantibus contingat.* Sic præcipit Chriſtus, qui primò curavit infirmum, poſteà ut ſapiens, & virtuoſus medicus præmonivit ipſum jam ſanum, ne iteraretur idem morbus; ſic Prælati peccata inulta non relinquant, ſed caſtigatione curent ægrotos ſpiritualiter, ne deterius eis contingat. *Joan. collat. 26. op. de ſex alis Seraphin. cap.3.*

18. *Anima noſtra immortalis, & mortalis: Ubi de morte peccati.*

Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat, ſic & Filius vivificat quos vult. Nota hic, quod Chriſtus loquitur de ſuſcitatione ſpirituali peccatorum, licet enim non legatur Chriſtus ſuſcitaſſe hucuſque aliquem mortuum, tamen ex ſanatione paralitici infert ſuſcitationem peccatorum ex morte peccati quia juſtificando paraliticum, ipſum ſuſcitaverat à morte horribili, datque intelligere, quod cum anima noſtra ſit naturaliter immortalis, ſubjacet tamen morti horribili peccati mortalis, quæ aufert non quidem vitam naturalem, ſed ſupernaturalem, & divinam ab anima ſcilicet Deum, ejuſque gratiam, ad quam ſuſcitationem concurrit tota Trinitas, & hinc anima in peccato mortali eſt veluti cadaver putridum ſine vita, ſine luce, ſine motu in bonum meritorium; ô infelix ſtatus deplorandus! *Joan. collat.27.& 51. & cap.11. v.2. & 27. & 32.*

19. *Pater quomodo dicitur dediſſe Filio omne judicium.*

Pater dedit omne judicium Filio. Hoc eſt dedit in hac vita judicium ſatisfactionis offerendum in cruce, & poſt hanc vitam judicium condemnationis. *ſer.4.in Paſcha: Joan.cap.5. v.18.* Nota autem, quod Chriſtus, ut Deus, & homo judicium facit; ſecundum divinitatem per naturam erit Judex; ſecundùm humanitatem, ut per poteſtatem ſibi commiſſam, & quia Deus, ideò ejus ſententia erit non ut Judicis delegati, ſed principalis, ideò erit inappellabilis. *Lib.4.d.48.a.1.qu.1.*

20. *Audiens devotè verbum Dei vitam recipit.*

Amen dico vobis, quia venit hora, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent. Nota, quod Chriſtus hic non loquitur de ſecundo adventu, ſed de primo, & dicit, quod tempus advenit jam ſuæ prædicationis, in quo qui mortui ſunt in peccato audient vocem Filii Dei, ſed tamen qui audierint vivent, ſcilicet non omnes, qui audierint, dicuntur audire, ſed tantùm, qui audierint recipiendo inſpirationes, vocationes, & auxilia, quæ per verbum Dei prædicatum ipſis exhibebuntur, vivent vitâ gratiæ. *Op. de Eccleſ.Hier.p.4.c.4. Joan.hic.*

21. *Qualis*

Digitized by Google

21. *Qualis vita, talis finis.*

Et procedent, qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ qui verò mala in reſurrectionem judicii. Ecce quam verum, quod qualis vita hominis, talis & finis, & qualia ſunt opera, tale erit judicium cujuſque, opera enim noſtra nos judicabunt; ſi bona, in bonum, ſi mala in malum; & nota, quod dicit Chriſtus, qui bona egerunt procedent, ideſt ibunt in vitam æternam, & qui mala ibunt in infernum; ibunt ſcilicet ſecundùm qualitatem itineris inchoati in hac vita; vel ad Cœlum, vel ad infernum, talis erit terminus itineris ſine fine; ô tremenda verba in corde ſemper ruminanda, quæ nos docent, quod qui bonum facit, ſibi facit, &c. *Joan. coll.* 28. & c. 8. v. 50. *ſer.* 6. *Paſchæ.*

22. *Prædicator debet lucere, & ardere.*

Ille erat lucerna ardens, & lucens. Hic loquitur Chriſtus de Joanne, qui prædicando verbum Dei teſtimonium dedit de ipſo, & notat ad inſtructionem Prædicatorum, quod debent eſſe ardentes in ſe, ſcilicet charitate, & amore in Deum; & quoad alios lucentes, quia ſolùm lucere vanum eſt, ardere parum, ſed lucere, & ardere perfectum. *Joan. collat.* 3. & 29. *ſermon.* 1. *de dedicatione.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod ſupra confutata malignitate Judæorum per miraculum, & doctrinam, in quâ manifeſtavit ſuam divinitatem: in hoc capite exponitur tranſitus Chriſti trans mare Galilææ; miraculum multiplicationis panum; aliaque myſteria enodantur, per quæ manifeſtatur conſervator vitæ in collatione cibi corporalis, & ſpiritualis, ſicut ſuprà ſe oſtendit auctorem vitæ: Joan. c. 6. Nota etiam, quod hæc pars tangens miraculum de multiplicatione quinque panum, & duorum piſcium expoſita fuit in Matth. c. 14. & in Luc. c. 9. licet aliqui Doctores ſuſtineant hoc miraculum eſſe diverſum ab illo, ſed tamen communior oppoſitum docet: Vide etiam in textum commentar. ſuper Joan. hoc loco.*

CAP. VI.

1. *Chriſti ſequaces cum Chriſto tranſeant mare, & aſcendant ad montem.*

Post hæc abiit Jeſus trans mare Galilææ, &c. Subiit ergo in montem Jeſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis: erat autem proximum Paſchæ, &c. Cur Chriſtus ante operationem miraculi multiplicationis panum tranſit mare, & aſcendit in montem ibi vicinum, ibique ſedebat cum diſcipulis ſuis in tempore proximo feſto Paſchæ? Hoc ad inſinuandum myſterium, & ad inſtructionem noſtram: Mare eſt mundus, Chriſtus ipſum tranſit calcans omnia mundana, ut ducat ſuos ſequaces extra hoc mare ad montem orationis, & contemplationis, ubi ipſos docet; & illuminat circa myſteria fidei, & de modo, quo fit tranſitus ad feſtum Paradiſi, quia non ſimul poſſunt morari mundana, & cœleſtia; hoc diſcant diſcipuli Chriſti. *Joan. c. 6. hic.*

3. Chriſti virtus eſt veluti magnes attrahens ad ſe homines cujuſcumque conditionis; unde dicitur, & ſequebatur eum multitudo maxima. *In Luc. c. 6. v. 19. & c. 9. v. 11.*

4. *Chriſti, & Apoſtolorum paupertas, & alienatio ſollicitudinis circa ciborum proviſionem expenditur.*

Cum ſublevaſſet ergo oculos Jeſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum; dixit, unde emamus panes, &c. Ecce qualis & quanta paupertas Chriſti, & Apoſtolorum, & quam alieni eſſent ab omni ſollicitudine ciborum etiam neceſſariorum, cum inter Apoſtolos non fuerit inventa vel mica panis, ſed tantùm erat puer unus in medio turbarum, qui habebat quinque panes hordeaceos, & duos piſces, quia in fame, & ſiti, in frigore, & nuditate vitam ducebant. *Luc. c. 6. v. 1. Joan. hic.*

5. *Paupertas Apoſtolica iterum expenditur.*

Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, &c. Attendamus hic, quæ comedebant mirabiles viri illi, & magni, & quantitatem eorum, quæ inferebant, & vilitatem menſæ eorum videamus; non enim niſi quinque panes, & illi erant hordeacei, & unus puer eos portabat: nota autem, quod in comitiva Chriſti in deſerto inuenti ſunt panes hordeacei; & ſimul duo piſces parvi pretii; in civitate autem uſus eſt Chriſtus pane triticeo, in quo & inſtituit Sacramentum; ſimiliter & in deſerto jejunabat quadraginta dierum ſpatio; quia inter homines exiſtens, adeo ſe hominibus, & cibis, & potibus conformabat, ut vorator, & potator vini ab omnibus diceretur, quid in hoc aliud prædicat tacitè, niſi damnationem hypocriſis coram hominibus, ſcilicet auſterè, & poſteà in abſcondito vivere delicatè; docuit etiam, quod licet aliquando profeſſoribus ſummæ paupertatis liceat animum relaxare aliquantiſper, ſumendo cum aliis communes cibos, tamen in domo propria debent abſtinere à cibis delicatis, & magni pretii: hoc præcipuè ordinat Sanctus Franciſcus in ſua Regula. *Op. Expoſ. Regulæ, c. 2.*

6. *Chriſti ſequela quid exigat.*

Sequebatur eum multitudo maxima; quia videbant ſigna, quæ faciebat, &c. Nota, quòd in hac multitudine, quæ ſequebatur Chriſtum per deſerta abſque proviſione, ſignificatur id, quod

quod eſt faciendum ab ſequentibus Chriſtum, ſcilicet inchoare viam juſtitiæ, & proſequi uſque ad perfectum, ille enim eſt perfectus inchoator juſtitiæ, & ſanctitatis, qui Chriſtum ſequitur; primò in voluntaria deſpectione terrenæ cupiditatis, & hoc per amplexum altiſſimæ paupertatis, ſicuti fecerunt Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti; ſecundo in vera dejectione profundæ humilitatis, per quam ſemper ineſſit Chriſtus, tertiò in continua maceratione propriæ carnis; ideò debet tollere ſuam crucem mortificationis, & ſequi Chriſtum, *Ser. 1. Dom. 4. Quadrag.*

7. *Chriſtus venit ſanare omnes infirmitates ſpirituales hominum.*

Quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Nota; Chriſtus multos ſanavit ab infirmitate corporali, ſed tamen nullum unquam ſanavit corporaliter, niſi priùs ſpiritualiter curaſſet, hinc docet, quod principaliter venerat ſanare infirmitates ſpirituales hominum, quæ ad quatuor capita reducuntur, ſcilicet ex inæqualitate, & inordinatione quatuor humorum, ideſt ſicut in corpore omnis infirmitas provenit ex tali inordinatione, ſic & ſpiritualis ex inordinatione quatuor affectionum, ſcilicet ſpei, timoris, gaudii; & amoris; nam ex inordinatione timoris, & ſpei, ſcilicet ex diffidentia cauſatur infirmitas inconſtantiæ, & deſperationis; ex inordinatione gaudii afflictionis alienæ cauſatur infirmitas invidiæ, & rancoris, ex inordinatione amoris proſperitatis mundanæ cauſatur infirmitas avaritiæ, & cupiditatis; verè maximæ ſunt, & periculoſæ, & mortales iſtæ infirmitates, pro quibus venit medicus à Cœlo miſſus à Patre. *Ser. 1. Dom. 4. Quadrag.*

8. *Qualia medicamenta exhibuit Chriſtus ad curationem infirmitatum hominum.*

Quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Nota, ly, ſigna; ergo per ſigna curavit noſtras infirmitates? Sed cur non per applicationem medicinæ, ſed per ſigna? ſed attende ad mirabilem artem hujus ſapientiſſimi medici, qui curare voluit noſtras infirmitates, non eo modo, quo medici corporales curant ſuos ægrotos, eos ſubjiciendo medicamentis, & aliis pœnalitatibus, ſed eo modo, quo exigebat ejus infinita pietas, miſericordia, & bonitas; voluit enim priùs in ſeipſo recipere noſtras infirmitates, & in ſeipſo eas curare ut per talia ſigna noſtras curaret; nam contra infirmitatem diffidentiæ, & deſperationis ſuprà expenſæ voluit ſe ſubjicere pœnalitatibus ut per ipſas tribueret gratuitam condonationem omnimodæ iniquitatis, & ſic elevaret nos infirmos ad ſpei altitudinem; contra infirmitatem rancoris, & invidiæ aſſumpſit in ſe charitatem, & benevolentiam exhibendo nobis ſuum corpus, & ſanguinem, ut per ipſam exterminaret in nobis omnem invidiam, & iram: contra avaritiam, & cupiditatem aſſumpſit voluntariam paupertatem, & deſpectionem omnium terrenorum, ut ſanaret tali ſigno noſtræ infirmitatis cupiditatem, & avaritiam. *Ser. 1. Dom. 4. Quadrag.*

9. *Chriſtus puer nobis afferens quinque panes hordeaceos, ad noſtram refectionem.*

Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces. Quis iſte puer unus? hic eſt Chriſtus Jeſus; verè puer puriſſimus ab omni fœditate; hic attulit nobis quinque panes, ſcilicet naturæ, doctrinæ, pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & gratiæ: Panem naturæ, & omnia bona temporalia nobis exhibet in hac vita, ut ab ipſo iſta bona, non à diabolo recipiamus, ſcilicet non per injuſtam acquiſitionem, ſed cum obſervantia mandatorum, & ut ex hoc pane colligamus tres cophinos fragmentorum, alium pro pauperibus hujus vitæ, alium pro animabus Purgatorii, & alium pro habitatoribus Cœli, qui in nobis eſuriunt eleemoſynam, & alia bona opera: Panis doctrinæ exhibetur à Chriſto, ſed hordeaceus, ſcilicet vult, quòd non otioſè, ſed cum labore, & diligentia comedamus, & colligamus tres cophinos, ſcilicet credendorum, fugiendorum, & agendorum documentas Panis pœnitentiæ item exhibetur à Chriſto, ut animam cibemus per totum tempus vitæ mortalis hoc pane, & colligamus tres cophinos, ſcilicet contritionis, confeſſionis, & ſatisfactionis: Panis Euchariſtiæ item exhibetur nobis à Chriſto, ut ipſum ſumamus frequenter, ſed tamen eſt hordeaceus, ſcilicet cum dolore de memoria Paſſionis Chriſti, & dolore de peccatis noſtris; tres cophini fragmentorum hujus panis ſunt vel tres partes hoſtiæ in Miſſa, vel oblatio ipſius in honorem ſanctorum, qui ſunt in Cœlo, in ſalutem vivorum, & in levamen animarum Purgatorii: Panis item gratiæ exhibetur à Chriſto, quem veluti hordeaceum debemus recipere cum timoris ſollicitudine, ne ipſum amittamus ob negligentiam noſtram, Addunt etiam duo piſces, primus eſt piſcis aquæ amaræ, ſcilicet lætitia de propria conſcientia, quia de dolore gaudet veluti in aqua amara, & divina miſericordia, qui eſt piſcis de aqua dulci. *Serm. 1. Dom. 4. Quadrag.*

10. *Pœnitentiæ quinque partes expenduntur.*

Eſt puer unus hic, qui habet quinque panes, &c. Nota, quòd in his quinque panibus figurantur quinque partes pœnitentiæ, ſuntque contritio, confeſſio, oratio, jejunium, & eleemoſyna; hunc autem panem exhibet Chriſtus, ut ſemper per totam vitam ipſo cibemur. *Ser. 3. Dom. 4. Quadrag.*

11. *Quales panes viris ſpiritualibus exhibeat Chriſtus.*

Qui habet quinque panes, &c. Nota etiam, quod Chriſtus exhibet ſuis ſequacibus quinque panes, quibus reficitur in hac vita anima: primus panis eſt pœnitentia, de qua dicebat ille pœnitens; fuerunt mihi lachrymæ panes die, ac nocte; Pſ. 43. ſecundus eſt ſalutaris doctrina, nam verbum Dei mirabiliter reficit animam in hac vita: tertius eſt juſtitia delectans, ſcilicet exercitium virtutum; quartus eſt charitas confortans; & quintus panis eſt cœlica conſolatio. *Ioan. Cellar. 30.*

Digitized by Google

12. *Prædicator ſit iſte puer exhibens quinque panes hordeaceos, & duos piſces.*

Nota, quod in hoc puero offerente Chriſto, & turbis quinque panes, eſt Prædicator verbi Dei, qui tenetur eſſe puer in ſe, miniſter, & Doctor aliis: Puer in ſe mundus à concupiſcentia, & ab aliis paſſionibus; item ſubjectus obedientiæ ſuperiorum, & ſimplex vera innocentia; & iſte debet exhibere verbum Dei, quod meritò dicitur panis; Pan Græcè idem eſt ac omne; quia cum omni cibo ponitur, & appetitur ab omnibus animalibus; & vincit alios cibos utilitate, ideò meritò per panem ſignificatur verbum Dei, tum ratione fundamentalis principalitatis inter omnia alimenta, tum ratione efficacis virtutis ad alendum, & ratione ſuæ utilitatis: Verbum Dei igitur eſt panis extractus ex quinque libris veteris Teſtamenti, & ex duobus libris Prophetarum, & Pſalmorum ſignificatis in duobus piſcibus; vel etiam quia ſacra doctrina dividitur in hos quinque panes; crede, fuge, age, time, & appete: crede in Deum, fuge vitium, age bonum, time ſupplicium, & appete præmium. *Ser. 3. & 4. Dom. 4. Quadrag. Joan. collat. 30.* Nota etiam, quod per quinque panes in Prædicatore ſignificantur vilitas veſtium, maturitas ſenſuum, temperantia gulæ, cuſtodia linguæ, & labor manuum; piſces verò ſunt pœnitentia & fides: ſic ille Prædicator habet panes, qui illa, quæ prædicat, facit, & adimplet. *Joan. collat. 30.* Reliqua, quæ tangunt hoc miraculum, & conſequentia habes explicata ad Matth. c. 14. & in textu comment.

13. *Gulæ voracitas quàm valens ſit in ſubvertendo omnia in mundo.*

Illi ergo homines cum vidiſſent ſignum dixerunt; hic eſt verè Propheta (in Græco: *ille Propheta*) *qui venturus eſt in mundum: Jeſus ergo cum cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut raperent eum, & facerent Regem, fugit, &c.* Vide hic quomodo gaſtrimargiæ, ventris, & gulæ voracitas quàm mirabilia operatur in his cæcis: viderant enim tot alia miracula, audierant aliàs ejus efficaciſſima verba, & tamen numquam Jeſum recognoverunt Meſſiam; nunc autem, quia replevit eis ventrem, ſine Sabbathi tranſgreſſionis cura, abſque eo quod vident ex elevatione Chriſti in Regem, legum ſubverſionem, & fatentur Meſſiam & volunt eum inthronizare Regem, ſed ipſe fugit. *Joan. hic.*

14. *Chriſtus nos docuit fugere dignitates, & pompas mundanas.*

Cum cognoviſſet, quia venturi eſſent, ut facerent eum Regem fugit in montem. Ecce quid docet nos Chriſtus ſuo exemplo; poterat quidem ſe inviſibilem reddere abſque eo quod fugeret, ſed tamen voluit fugam captare, cum agitur de promotione ad regnum, & ad præſidentiam mundanam, ut & nos doceret, quàm periculoſa ſit & cupiditas honoris mundani, & exaltatio ad dignitates mundi, & quod ſui ſequaces toto conatu verè fugere debent abiſtis honoribus, & potiùs incumbere humilitatis exercitiis. *Op. medit. c. 35. op. Diat. tit. 7. cap. 1.*

15. *Alii quærunt, & ſequuntur Chriſtum propter Chriſtum, alii propter lucrum temporale.*

Hic eſt verè Propheta, &c. Vide quid facit cupiditas mundana, & quid facit fugere Chriſtum; ex hoc que patet, quod alii quærunt, & ſequuntur Chriſtum propter Chriſtum, ſcilicet ut ei toto corde, & humili ſerviant; alii non propter Chriſtum, ſed propter bona temporalia, & ut repleant ventrem, & iſti non inveniunt Chriſtum, ſed ipſe fugit ab ipſis; ô quot hujuſcemodi ſequaces habet Chriſtus. *Op. medit. c. 34. & 35. Joan. hic: opuſc. de Præparatione ad Miſſam cap. 8.* Nota: de tempeſtate orta in mari, de diſcipulis exiſtentibus in navi, & de auxilio, & ſedata tempeſtate à Chriſto. *Vide in Matth. cap. 14. & in Marc. c. 6.*

16. *Labor pro cibo acquirendo qualis aſſumendus, qualis rejiciendus, & vitandus.*

Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis: Si hoc præcipit Chriſtus, ergo videtur non licere operari pro cibo corporali? undè etiam reprehenditur Martha de ſollicitudine. *& Matth. cap. 7. nihil ſolliciti ſitis quid manducetis;* & tamen dicitur. *Gen. In ſudore vultus tui veſceris pane?* & Apoſtoli ipſi ſæpe laborabant pro cibo? quomodo igitur nunc vetat hoc Chriſtus? ſed attende ad pulcherrimam doctrinam, nam non eſt idem non eſſe ſollicitos, & non operari, nec eſt idem ſollicitudo, & operatio; ideò in his verbis dat ordinem vitæ hominum, prohibens ſtudium ſuſcipiendi, & præponendi eſcam ventris cibo, & eſſe ſpirituali, & affligi rebus temporalibus; unde ſi quis pigritans ventri, & laſciviæ curam faciat, hic cibum operatur, qui perit; qui autem Chriſtum nutrierit, & potaverit, & induerit, iſte non operatur cibum qui perit; & hinc loquendo de labore inordinato; iſte eſt vel deordinando intentionem laborando pro cibo finaliter; non enim comedimus, ut comedamus, ſed ut vivamus, & vivendo Deo ſerviamus, Vel poteſt eſſe inordinatio aggravando ſollicitudinem, & cor nimis affligendo, vel ratione temporis, ſcilicet in tempore indebito, ut in die feſto: Infelix ergo eſt, qui totam, & nimiam curam ponit in paſcendo corpus, ſine cura paſcendi animam, unde ait operamini non cibum, qui perit; hoc enim eſt affici ſæcularibus rebus. & non operari propter permanentia, ſed propter pereuntia, & quamvis quandoque in uſu operis ſit temporalitas, tamen in intentione debet eſſe æternitas, & hoc charitate impellente, & Deo inſpirante. *Joan. c. 6. hic: & collat. 31. op. de dono conſilii c. 9.*

17. *Cibus alius corporalis, alius ſpiritualis; alius bonus, alius malus.*

Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Vult ergo Chriſtus, quod homo non præponat ſpirituali cibum corporalem, qui perit ob ſuam defectibilitatem, & corruptibilitatem, & fugiat cibum ſpiritualem carnalem, ſcilicet luxuriæ, detractionis, invidiæ, &c. iſte enim tranſit, & perit in momento, & facit petere animam æter-

naliter, ſed vult, ut ad cibum ſpiritualem Dei intendamus cor, & corpus, ſcilicet verbum Dei, pœnitentiam, obſervantiam divinorum mandatorum, orationem, Euchariſtiam: o felices laborantes pro hoc cibo. *Ioan. collat.* 31.

18. *Chriſtus ſignatus ſigillo virginitatis Mariæ autenticam reddidit ſententiam liberationis noſtræ.*

Hunc enim Pater ſignavit Deus. Loquitur Chriſtus de ſeipſo, & dicitur, quod Pater ipſum ſignavit; quomodo ſignavit, & quo ſigno? ſignavit cum ſigillo autentico virginitatis Mariæ, carnemque ſenſibilem induit, quo ſigillo ſignatus autenticè publicavit ſententiam liberationis noſtræ. *Ser. 2. Dom. Paſſionis.*

19. *Euchariſticus panis figuratus in manna.*

Patres noſtri manducaverunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt; Panem de Cœlo dedit eis manducare; Dixit ergo eis Jeſus, &c. *Non Moyſes dedit vobis panem de Cœlo verum, &c. Panis enim Dei eſt, qui de Cœlo deſcendit, & dat vitam mundo.* Nota, quòd cum turbæ objicerent Chriſto, quòd Moyſes dederat eis panem, ſcilicet manna de Cœlo, Chriſtus, ut eos, & nos erudiret, comparat illum panem cum pane vero, dicens, illum non fuiſſe verum, ſed tantum figurativum Euchariſtiæ; quia ille panis fuit de Cœlo materiali, & aereo, nec poterat dare vitam veram animæ; non ſic iſte panis Euchariſtiæ, qui figuratus eſt in illo manna; ſicut enim manna mirabilem habuit ſaporem ſecundùm deſiderium uniuſcujuſque, ſic corpus Chriſti; & ſicut manna ad ſolem liquefiebat, ab igne verò indurabatur; ſic corpus Chriſti ad ſolem gratiæ liqueſcit tibi ad ſalutem, ad ignem verò concupiſcentiæ induratur tibi ad damnationem. *Ser. 1. fer. 2. Pentec.*

20. *Chriſtus appellat ſe panem verum, quia eſt nobis omnia.*

Panis enim verus, eſt, qui de Cœlo deſcendit, & dat vitam mundo. Nota, quod hic Chriſtus præcisè non tractat de Euchariſtia, ſed de ſeipſo, & ſe appellat panem de Cœlo deſcendentem: cur panis dicitur, & non ſibi tribuit potiùs aliam appellationem? ſed optimè hoc facit: Panis enim Græcè idem eſt ac latinè omnia; undè docet per hoc ipſum eſſe nobis totum: ſi enim eſurit homo, eſt panis, ſi ſitit eſt aqua, & vinum; ſi in tenebris ſumus, nobis eſt lux, ſi nudus veſtis eſt nobis; omnia enim poſſunt dici de Deo, & nihil dignè dicitur de Deo; dicitur autem merito panis ratione principalitatis fundamentalis inter alimenta, & ratione deſiderabilis appetibilitatis, quia omnes appetunt panem, & ratione virtuoſitatis ad ſuſtentandum; & ratione præcipuæ utilitatis: hic panis dicitur deſcendiſſe de Cœlo non à loco egrediendo, nec per ſpatium progrediendo, nec ad locum, ubi non erat, accedendo, nec quod erat amittendo, ſed quod non erat, ſcilicet humanitatem aſſumendo, & verus homo exiſtendo; hic panis dat vitam gratiæ merendo, vivificando mortuos, vitam lætitiæ immortalis jucunditatis, & tandem vitam æternam. *Ioan. collat.* 32.

21. *Spirituales pro ſpiritualibus ad Deum recurrunt; carnales pro temporalibus.*

Dixerunt ergo ad eum; Domine da nobis panem hunc. dixit autem eis Jeſus, Ego ſum panis vivus. Vide cum quanta promptitudine ſtatim iſtæ turbæ jam ſaturatæ intelligentes ea, quæ dixerat Chriſtus, de pane materiali ſtatim ſine hæſitatione ipſum rogant, Domine da nobis ſemper panem hunc, quia carnales ad temporalia ſunt toti intenti, & ideò rem ſenſibilem petebant, & ventrem laſcivire opinabantur; ſed Jeſus eos corrigere volens ſubdit; Ego ſum panis vivus; quaſi dicat, non deſcendi de Cœlo, ut paſcerem homines cibo materiali, & corruptibili, ſed ut ipſis exhiberem panem ſpiritualem divinitatis meæ, ut eos excitarem, & facti ſpirituales ad me recurrerent pro pane iſto ſpirituali: ſic, ſic faciunt viri ſpirituales, qui inceſſanter in oratione dicunt Chriſto: Domine da nobis ſemper panem hunc. *Serm. 4. in Rogat. Ioan. hic.*

22. *Chriſti munus eſt cibare Angelos, & Beatos, & homines eodem cibo, ſed diverſo modo.*

Ego ſum panis vivus. Panis, qui, ut ſupra dixerat, de Cœlo deſcendit, ſed quomodo panis erat priùs in Cœlo, & è Cœlo venit in mundum; attamen in hoc mirabile arcanum patefit; Chriſtus eſt Verbum increatum, & Verbum incarnatum, ideo ut Deus cibat in Cœlo Angelos, & Beatos per viſionem claram, & fruitionem, in terra homines ut Deus, & homo Sacramento corporis ſui, & tali cibo confortat nos in hac peregrinatione. *Serm. 6. Dom. inf. à oct. Epiphan. ſer. 2. Dom. 3. Epiph. op. de Prapar. ad Miſſam c. 7. Luc c. 14. v. 16. & c. 2. v. 7. Ioan. c. 6. hic: & collat. 32. ſequent.*

23. *Chriſtus omnes ad ipſum venientes recipit indifferenter, nec ullum rejicit, niſi volentem.*

Omne, quod dat mihi Pater ad me veniet. & eum, qui ad me venit, non ejiciam foras. Ecce, quòd Deus omnes vocat, ut ad Chriſtum veniant, & Pater offert ſuam gratiam volenti, ut ipſum recipiendo recipiantur in ſinu Chriſti, à quo neminem excludit, vel rejicit niſi volentem, vel recuſantem, undè nec mors, nec vita, nec Angeli, nec Dæmones, nec ulla potentia poterit ei auferre vitam, & ſalutem. *Op. de ſeptem itiner. ætern. d. 6 ſer. 4. Dom. 2 Epiph. Luc. c. 4. v. 40. & c. 8. v. 42. & c. 17. v. 14.* Nota, quod etiam tacitè Chriſtus invitat ſuos amantes: ad intrandum in domum vulnerum ſuorum promittens ſe non ejecturum foras intrantes. *Op. ſtim. p. 3. c. 13.*

24. Chriſtus

24. *Christus venit voluntatem Patris facere, ut nos ad sui imitationem attraheret.*

Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, &c. Vide quod Christus se protestatur venisse in mundum solùm, ut voluntatem Patris impleret, scilicet votum se impenderet ad salutem hominum; hoc autem exprimit, ut discamus, quod si ipse voluntatem Patris implevit pro nobis, sic & nos ejus voluntatem toto corde, & conato implere debemus; dans per hoc intelligere, quod munus omnium creaturarum rationabilium est facere voluntatem Dei, & in hoc sita est tota perfectio nostra. *Ser.3.Dom.8.Pentec.ep. de grad. virt. c.2. & 13. ep. Regula Novit. cap.13. serm.1. Dom.2. Quadr. Luc.c.2.v.48. Ioan. collat.16. & 47. & 91. ep. in Pater.*

25. *Salus nostra à Deo est, & quomodo in nobis sine nobis, & quomodo non sine nobis.*

Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Si hoc est verum, ergò salus nostra totaliter dependet à Deo, & fit in nobis, sine nobis? ergo violenter videtur trahi peccator ad Deum? sed attende, quod venire ad Deum importat primò inchoationem, & secundò progressum, & complementum, inchoatio necessario est à Deo vocante per gratiam prævenientem, & datur nobis sine nobis consentientibus, & amplexantibus vocationes divinas, & cooperantibus non coactè, sed liberè, ita ut stet semper in nostra libertate amplecti, vel rejicere tractus divinæ voluntatis; sicque currus nostræ salutis trahitur à duobus, scilicet à Deo, & nobis simul; principaliter à Deo, minus principaliter à nobis. *Lib.2. d.25.a.1.qu.5. & lib.4 d.17.a.1.qu.2. & d.43. a.1. qu.2. Luc.c.19.v.2. Ioan.c.12.v.35. ser.1. Dom.14. Pentecost. op. de septem itiner. æternit. itiner. 3. d.5.*

26. *Deus sine gratia trahit ad se hominem non cogendo, sed immutando, & inducendo.*

Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum. Ex quo infertur, quod nemo salvatur, & fit prædestinatus, nisi tractus à Deo, trahere autem videtur cogere, ergo coactè, non voluntariè? attamen Deus avertat nos ab hac blasphemia; nam quicumque prædestinatus, est talis, quia voluntariè consensit gratiæ vocanti; trahit autem nos Deus non cogendo voluntatem, sed inducendo, & simul immutando affectiones animæ per immissionem gratiarum, scilicet per excitationem, per elevationem, per propositionem objecti supernaturalis, quæ omnia ita voluntariè acceptat voluntas, sicut illud, quod ex seipso vult, & si aliquid vult, volens vult, non invitus, & ità in volendo ad nihil impellitur; & quia Deus de se semper paratus ad trahendum hominem, ob idque ipsi exhibet fonem necessariam gratiæ; qualis excusatio unquàm poterit assignari, & exhiberi, si homo non fuerit tractus ad Christum, & ad salutem? *Ser.1. fer.4. Pentec. lib.2.d.26.a.1.qu.6. & lib.3. d.40. a.2. qu.1. Vide quæ tradit Seraph. Doct. in Ioan.5.6. v.44.*

27. *Tractus multiplex Dei expenditur.*

Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Nota, quod cum homines sint collocati in diversis statibus, sequitur, quod etiàm multiplex tractio Dei detur: trahit enim verbi exhortatione: allicitur præmii promissione jubetur præcepti obligatione, & trahitur beneficii exhibitione; quoad primum non cessat Deus verbis, & inspirationibus vocare omnes homines ad se: quoad secundum non cessat præmium proponere laborantibus; quoad tertium etiam proponit sua præcepta observanda tùm divina, tum naturalia; quoad quartum innumera sunt beneficia tum naturalia, tùm moralia, tum supernaturalia, quibus veluti funiculis ad se conatur Deus trahere omnes homines, sed ingratissimi potiùs volunt sequi tractus diaboli, carnis, & mundi, quàm Christi Jesu. *Ser.1.& 2 fer.4 Pent.*

28. *Ad omnes extendit Deus fidem suam, per quam omnes homines sunt docibiles Dei, & de Deo, & à Deo.*

Est scriptum in Prophetis: & erunt omnes docibiles Dei. Quænam responsio est hæc Christi, ut redderet intelligibilem propositionem factam Judæis de seipso sub figura panis? nam reprimens eorum murmurationem, dixit nolite murmurari, &c. nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum; & erunt omnes docibiles Dei; quæ videtur consequentia impropria, attamen est sublimissima; vult dicere, quod Pater trahit homines ad se multiplici fune; sed inter hos primum locum tenet ille, quo trahitur ad suam scholam, per quam addiscuntur ejus abdita mysteria; & hæc est fides, quæ reddit sublimem animam, quia transcendit omnem rationem. & investigationem rationis, simulque stabilem; dum stabilit in veritate; item & spectabilem; dum replet eam multiformi lumine, & sic reddit doctam de Deo, ejusque arcanis animam, dummodo unctionem istam non impediant vanæ cogitationes, prava desideria, & sæculares præoccupationes. *Ser.4. Dom.3. Pent. fer.3. Hexam.*

29. *Quinam sunt isti docibiles Dei?* de quibus dicit.

Et erunt omnes docibiles Dei; cum pateat, quod multi fuerunt, & sunt increduli? sed loquitur, quod licet omnes sint capaces mysteriorum fidei, tamen non omnes ea recipiunt, sed tantùm discipuli, qui actu fiunt docibiles, scilicet, qui sunt attenti ad audiendum, dociles ad intelligendum, benevoli ad retinendum, & isti verè dicuntur docibiles. *Ioan.c.6.v.45.*

30. *Eucharistia eminens dignitas expenditur.*

Ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Nota, quod cum suprà seipsum appellaverit panem, nunc iterum ad ipsum revertitur proponendo panem Eucharisticum, ejusque eminenteri

tem dignitatem ; quia enim ipſe Chriſtus ſeipſum ſub ſpecie panis voluit nobis exhiberi, hinc ex eo patet, qualis eminentia eſt in hoc cibo continente divinam, & humanam naturam; per quod verè dicitur Sacramentum pietatis, ſignum veritatis, vinculum charitatis, oſtenſivum amoris teneriſſimi Chriſti in nos, & nos in ſui amorem mirabiliter inducens. *Ioan.collat.*34.

31. *Manducatio qualiter facienda ſacræ Euchariſtiæ.*

Si quis manducaverit ex hoc pane, &c. Et qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam : Nota, quod propoſito cibo corporis, & ſanguinis ſui, tranſit ad modum, quo ſumendus eſt, dicens qui manducaverit, &c. quid eſt manducare ? in manducatione concurrit avida ſumptio, jucunda maſticatio, ad intimum cibi intus miſſio, & ejuſdem retentio, & incorporatio ; ſic in ſumptione hujus cibi cæleſtis debet eſſe fervida appetitio, diſcreta dijudicatio, per amorem intima ſuſceptio, & cibantis in ipſum cibum tranſmutatio ; non enim tu me in te mutabis, ait Chriſtus, ſed tu mutaberis in me, & totum hoc fiet ſi recta fide ordinata charitate, affectuoſa devotione recipies talem cibum. *Ioan. collat.*34.

32. *Euchariſticus panis coctus, non crudus ſumendus.*

Qui manducat meam carnem, &c. habet vitam æternam. Nota, quod tam Phariſæi, quàm diſcipuli admirati de hoc Chriſti dicto, dicebant: durus eſt hic ſermo, quaſi dicerent : quomodo carnes Chriſti poterimus comedere ? ſed tamen ſi ad figuram datam in lege *Exod.c.*12.*Edent carnes nocte illa aſſas igni,* non obſtupuiſſent, quia Chriſtus eis proponit ſui, ut Agni carnem manducandam, non crudam, ſed coctam, & aſſam, & quomodo hoc ? Nota, quod quidam comedunt carnes Chriſti crudas per præparationis negligentiam, crudo corpore ſine debita contritione, & devotione accedunt ad Altare ; quidam coctas aquâ, dum per mundanam ſapientiam carnali ſpiritu, & ratione diſcutere volunt hoc ſacramentum, ut faciebant Phariſæi ; qui verò aſſas igni per Spiritus ſancti præſentiam, dum divina virtute accenduntur, & ignito amore, & iſti reportant fructum, dicente Domino, non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, ſed aſſum tantùm igni : ô amor Dei, ô quantùm obſeſſos amaret, qui ſeipſum in hoſtili obſidio aliquibus manducandum daret, ne fame deficerent; hoc facit noſter amicus Chriſtus in hac vita, qua à dæmonibus obſidemur. *Ser.*8.*in Nat.*

33. *Communio,& manducatio Chriſti Beatorum,& viatorum qualiter differat ; Vbi de communione ſpirituali, & Sacramentali.*

Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, &c. Nota, quod Chriſtus ſe panem appellat de Cœlo deſcendentem ; ad quid panis in Cœlo conſervatur, & quomodo è Cœlo portatum eſt ? deindè dicit, ſi quis manducaverit,&c. Ly,ſi quis:neminem excludit,ergo etiam Beati, & Angeli debent hunc panem manducare, ut habeant vitam ? nonnè communio Euchariſtica tantùm eſt ordinata pro hac vita mortali ? ſed attende : Chriſtus Deus eſt & homo, & ſecundùm utramque naturam ſe appellat panem; & ſecundùm divinam naturam; panis eſt Angelorum, & Beatorum, qui ipſum manducant ſpiritualiter, ſcilicet ore cordis, dentibus diſcretionis, & interni intellectus conſideratione maſticant, & ad intimum cordis intromittunt, & retinent ; quod etiam applicatur communioni ſpirituali, quam frequentant viri ſpirituales in hac vita ; Ut Deus verò, & homo ſeipſum dat ſacramentaliter nobis degentibus in hac vita,ut nobis ſinsul conferat vitam ſpiritualem. *Ioan.collat.*33.*ſeq.lib.*4.*d* 11. *p.*2. *a.*1. *qu.*2. *&* d.9. *a.*1. *qu* 2. *&* d. 12. *p.* 2. *qu.* 1. *ad* 2.

34. *Convenientiæ inſtitutionis Sacramenti Euchariſtiæ expendumtur.*

Si quis manducaverit, &c. qui manducat meam carnem,&c. In quibus verbis patentiſſimè dat intelligere, quod in pane Euchariſtico eſt vera caro, & ſanguis Chriſti ; hinc quæritur de convenientiis inſtitutionis hujus Sacramenti ; & reſpondetur, quod cum Verbum Incarnatum ſit in reparatione noſtra ſufficientiſſimum in virtute, & ſapientiſſimum in ſenſu, & omnibus diſpoſitionibus ſuis in ordine ad talem reparationem, ideò ſic nobis contulit Sacramenta ſecundùm quod exigit ſapientia, & efficientia ſua; ut verò eſt ſufficientiſſimum, ideò largiendo medicamenta morborum, & chariſmata gratiarum, inſtituit non ſolùm Sacramentum, quod nos in eſſe gratiæ generaret, ut baptiſmus, & genitos augmentaret, & roboraret, ut confirmatio, verum etiam quod genitos, & augmentatos enutriret ut Sacramentum Euchariſtiæ, & ideò hæc tria Sacramenta omnibus dantur accedentibus ad fidem, & hoc convenientiſſimò, ut ſicut Angelos viventes ſpiritus in Cœlo cibat Verbo increato, ſic mortales homines in terra cibat Verbo incarnato in Sacramento ſuſcepto; & quia nutrimentum noſtrum, quantum ad eſſe gratuitum attenditur in unoquoque fidelium per conſervationem devotionis ad Deum, dilectionis ad proximum, & delectationis intrà ſeipſum ; devotio ad Deum exercetur per ſacrificii oblationem, dilectio ad proximum per unius Sacramenti communionem, & delectatio intrà ſeipſum per Viatici refectionem, hinc hoc Sacramentum dedit in ſacrificium oblationis, in Sacramentum communionis, & Viaticum refectionis, quæ tria fuerunt convenientiſſima tempori gratiæ revelatæ, ſtatui viæ, & capacitati noſtræ, nempè tempori gratiæ revelatæ requiritur non qualiſcumque oblatio, ſed pura placida, & plenaria, quæ ſola eſt illa, quæ in cruce oblata fuit, ſcilicet corpus, & ſanguis Chriſti, ideò in hoc Sacramento non tantùm figurativè, ſed veraciter eſt corpus, & ſanguis Chriſti, tamquam oblatio huic tempori debita, cui etiam conſonat, quod Sacramentum hoc non tantùm communionem, & dile-

unio

ctionem ſignificaret, ſed & efficeret, ideò per unionem capitis diffundentis amorem, in nos manat, ſumendo verum corpus, & ſanguinem Chriſti, ſicque mirabiliter reficit membra: Statui viæ conveniens fuit; nam in hoc ſtatu non convenit videre Chriſtum apertè propter velamen ænigmatis, & meritum fidei, & propter immortalitatem ipſius corporis, ideò conveniens fuit tradere ipſum corpus velatum ſimbolis idoneis ad refectionem, ideò ſub ſpecie panis datum eſt; idoneis item ad ſignificationem veritatis corporis Chriſti veri, & myſtici; & quia corpus Chriſti eſt beatum, & glorioſum, ideò totus ſub utraque ſpecie eſt verus Chriſtus: Capacitati item noſtræ conveniebat, quæ ad ipſum ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu; non in ventre, ſed in mente; & mens Chriſtum non attingit, niſi per cognitionem, & amorem, per fidem, & charitatem, ita ut fides illuminet ad recognitionem, & charitas inflammet ad devotionem; ideò ad dignè ſuſcipiendum Chriſtum requiritur fides, & devotio; per fidem maſticet hunc cibum, & per devotionem amotis ſuſcipiat, per quod non in ſe transformat Chriſtum, ſed potiùs trajicitur in myſticum ejus corpus; & hinc eſt, quòd qui tepidè, indevotè, & inconſideratè accedit, judicium ſibi manducat, quia tanto Sacramento contumeliam facit. *Op. Brevil. p. 6. c. 9. op. de Præparat. ad Miſſam per totum op. Comp. Theol. lib. 6. c. 15. ſeq.*

35. *Ad ſumptionem dignam Euchariſtiæ requiritur manducatio Sacramentalis, & ſpiritualis ſimul.*

Qui manducat meam carnem &c. Nota hoc verbum, manducat: manducare eſt non ſolùm cibum ſumere in ore, ſed & trajicere intus, & ipſum ſibi incorporare; ergo non manducat ad vitam corpus Chriſti, qui etiam non manducat ſpiritualiter; ſed quid eſt manducare ſpiritualiter? hoc eſt attingere ad rem hujus Sacramenti; res autem eſt duplex, una contenta, & ſignata, & eſt Chriſtus integer; alia eſt res ſignata, & non contenta, & hæc eſt corpus Chriſti myſticum; ille ergo manducat ſpiritualiter, qui Chriſto conjungitur per fidem, & charitatem; fides pertinet ad cognitionem, charitas ad refectionem, ideò etiam unitur corpori myſtico, ideſt Eccleſiæ: hinc eſt, quòd Chriſtus dicit, qui manducat meam carnem, habet vitam ob idque dicitur manducatio hæc vivificatio, quia univit manducantem cum Chriſto, cum Eccleſia, & unos ſecum efficit omnes, quibus ſe manducandum præbet. *Op. de ſeptem itiner. æternitatis. 6. d. 5. ſer. 1. Dom. 6. Pentec.*

36. *Euchariſticæ communionis effectus expendantur.*

Qui manducat meam carnem &c. habet vitam &c. & qui non manducat &c. non habet vitam &c. Quid eſt hæc vita, quæ ex communione ſacramentali acquiritur? certè non eſt vita corporalis, ſed ſpiritualis & qualis eſt? Vita hæc eſt elevatio animæ ad ſtatum cæleſtem, & divinum; nempè ſicut corpus habet vitam ab anima, & quinque ſenſus, quibus animæ conjungitur, mediante vita; ſic anima habet ſuos quinque ſenſus quibus Deo conjungitur, mediante charitate, quæ eſt vita animæ; hoc autem mirabiliter habetur mediante ſuſceptione Euchariſtiæ, quia animam elevat & per gratiam, & per æternorum inſpectionem, ſimulque excitat animum ad æternorum experiendam collocutionem, quia illuminat, & notificat æterna; excitat ad æternorum odorem ſentiendum; ad æternorum tentionem, æternorum auditionem, ad deguſtationem æternorum; & poſtremo ad attingendum Deum per cognitionem, & amorem. *Op. de ſeptem itiner. æternitatis. 6. d. 5. & 6.*

37. *Effectus ſumptionis Euchariſtiæ iterum expenduntur.*

Qui manducat hunc panem habet vitam. Nota, quòd vita naturalis eſt omne bonum naturæ, à quo omnia alia bona dependent, & per quam ipſa ſunt bona viventi, ſic & vita, quam affert corpus, & ſanguis Chriſti; primò enim vitam gratiæ dat, & hoc non ſolùm augmentando gratiam, ſed & aliquando conferendo primam gratiam; undè ſicut per lignum vitæ purgamur; illuminamur, & proficimur, reficimur, & vivificamur: ſecundò incorporat ſumentem in corpus Chriſti myſticum: tertiò augmentat devotionem, mitigat fomitem concupiſcentiæ: virtutes roborat; peccata remittit, contra diabolum armat: quartò ægris eſt medicina, peregrinantibus via, debilium confortatio, valentium delectatio, infirmorum ſanitas, ſanitatis conſervatio. *Op. Comp. Theol. lib. 6. c. 15. op. Diæt. tit. 10. c. 3. op. de Prof. Religiaſ. lib. 2. cap. 77. ſerm. 3. Dom. 1. poſt oct. Epiph.*

38. *Effectus mirabiles Sacramenti expenduntur ex effectibus oppoſitis in non credentibus huic Sacramento, vel malè ſuſcipientibus, vel ab ipſo ſe elongantibus.*

Niſi manducaveritis carnem meam &c. vitam non habebitis in vobis &c. litigabant ergo Judæi &c. multi ex diſcipulis dicebant; durus eſt hic ſermo &c. & ex hoc multi ex diſcipulis ejus abſerunt retrò &c. Vide quid facit tepiditas fidei; quid alienatio à fide hujus Sanctiſſimi Sacramenti; & hoc contingit volentibus rationibus humanis quærere quomodo tot mirabilia fiunt in hoc Sacramento; ideò fidelis debet ſeipſum ſubjicere Deo, & captivare mentem ſub jugo fidei; quæ tantis teſtimoniis roborata videtur, cum à Chriſto tam expreſsè traditum ſit; ab Apoſtolis prædicatum, à Sanctis Patribus Orthodoxis; tot centenariis annorum præfiguratum, tantiſque cæremoniis tot miraculis, & obſervantiis; quaſi teſtimoniis palpabilibus confirmatum: Tolle hoc Sacramentum de Eccleſia, & quid erit in mundo, niſi error, & infidelitas? & populus Chriſtianus erit quaſi grex porcorum diſperſus, & idololatriæ deditus, ut patet in cæteris infidelibus, ſed per hoc Sacramentum ſtat Eccleſia, roboratur fides, viret, vel viget Chriſtiana Religio, & divinus cultus; dicente Chriſto; Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi; quod & dicendum

eſt de iis, qui rarò, vel numquam communicant, alienati fide, vel amore ab hoc Sacramento, de quibus dicitur omnem eſcam (ideſt Euchariſtiam, quæ eſt omnis eſca, & manna) abominata eſt anima eorum, & appropinquaverunt uſque ad portas mortis. *Pſal.* 106. *&c. va igitur talibus &c. op. de Præparat. ad Miſſam c.1. op.medit.c.*61. *&* 66.

39. *Manducatio ſacramentalis ſine ſpirituali nihil prodeſt.*

Spiritus eſt qui vivificat; caro non prodeſt quidquam. Si caro non prodeſt quidquam, ergo caro Chriſti ſumpta non prodeſt? ergo contradicit iis, quæ ſupra dixit Chriſtus, qui manducat meam carnem habet vitam? ſed tamen Chriſtus ſibi non contradicit, nec hæc poſtrema verba deſtruunt vim ſuperiorum, quia dicens caro non prodeſt quidquam loquitur de carnaliter intelligente, uti faciebant diſcipuli, & Phariſæi; carnaliter autem intelligit, non qui intelligit carnem eſſe præſentem, ſed qui intelligit Chriſtum manducari, ſecundum quòd comeditur caro cujuſlibet animalis per fruſta, iſtis carnaliter intelligentibus non prodeſt; ſed tamen multum ſumenti veraciter eam, ideſt non ſolùm ſacramentaliter, ſed etiam ſpiritualiter, valet autem multum ad vitam animæ, imò etiam & corporis, cum per ſumptionem carnis Chriſti non ſolùm vivificetur anima, ſed etiam ſubleveturcorpus; cum ad utrumque dicat relationem, quod edocent communiter Theologi. *Lib.* 4. *d.*10. *a.*1. *qu.*1. *ad* 5.

40. *Sumptio corporis Chriſti aſſurgere facit animam ad Dei cognitionem, & amorem.*

Spiritus eſt, qui vivificat; caro non prodeſt quidquam. Si caro non prodeſt quidquam, ad quid aſſumenda? aſſumenda eſt, quia ordinata eſt à Chriſto non ſolùm ad ſacramentalem receptionem, ſed etiam ſpiritualem, & ad effectus ſpirituales; nempè ut per hoc ſacramentum homo ſe elevet ad cognitionem Chriſti, & amorem, alioquin communio parum valeret; ideò enim in carne Chriſtus voluit videri, ut carnales, qui non poterunt niſi carnem amare, ad ipſius carnem amandam aſſurgerent, & poſtea gradatim ad Dei amorem, ſic & corpus ſuum exhibuit manducandum, ut per ipſum aſſurgerent in Deum. *Op.medit.c.*99.

41. *Receptio devota Verbi Dei eſt communio, & receptio Chriſti ſpiritualis, & veluti Euchariſtica unio cum Chriſto.*

Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Nota, quòd in his, & antecedentibus verbis, Caro non prodeſt quidquam; Calviniſtæ fundant ſuam hæreſim negantem Chriſtum eſſe verè præſentem in ſacra Euchariſtia; quæ verba tamen peſſimè intelligunt contra mentem Chriſti, qui intendebat hic docere quantam vim habent ſua divina verba in ils, qui ea dignè recipiunt; Undè Rupert. Abb. ſubliminſſimum ſenſum Chriſti explicans dicit, quòd iſta verba continent augmentum oratorium in hoc ſenſu: Vos ſcandalizati eſtis ex eo, quod vobis dixi, quòd caro mea, & ſanguis meus erit in cibum, & potum in virtute verborum meorum; Hoc eſt corpus meum; hic eſt ſanguis meus: ſed ampliùs addo: Verba, quæ locutus ſum vobis prædicando, ſpiritus, & vita ſunt, & vivificant, ſcilicet quia prolata ſuper homines, & recepta hoc inviſibiliter, & ſpiritualiter operantur, quod membra mea fiant, & de multis fiat Eccleſia, quæ alio reſpectu corpus meum, & plenitudo mea verè ſit, & dicatur: Verba enim mea ſpiritus, & vita ſunt iis, qui ea recipiunt, eoſque elevant in unionem cum Chriſto. *Luc.*c.4. *v.*22. *c.*6.*v.*1.*&* *c.*20.*v.*33. *Ioan.c.*3.*v.*13. *op: Eccleſ.Hier. p.*4.*c.*4 *ſer.de S.Luca ſer.*4.*de una Virg.*

42. *Verbi divini effectus in animo mirabiles.*

Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei. Vide quomodo Dominus poſtquam mira de manducatione corporis ſui prædicavit, & propter pondus verbi, multi retrò abjerunt, ipſe converſus ad Apoſtolos ait: Numquid & vos vultis abire? cui Petrus; Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; per quæ dat intelligere, quòd videns Petrus ubique inopiam, & in ipſo ſolo, cui loquebatur præſentialiter perfectam quietem inveniens dicit, Domine ad quem ibimus; Dominum dicit, quia ipſum colit, omni poſtpoſita creatura, & ad quem ſolum convertebat amorem, à quo tamquam à fonte primordialiter emanavit; & ſic dicit ad quem ibimus, ſcilicet à te non eſt recedendum, quia verba vitæ æternæ habes; verba inquam divina non ſolum exteriùs, ſed magis interiùs tuas diſtillationes multiloquas immittendo; quibus multò efficaciùs, quàm per argumenta, vel per creaturas, vel quæcumque alia verba, vitæ æternæ incognita gaudia tuis amatoribus manifeſtas; nempè illuminando intellectum, & docendo quid faciendum, quid fugiendum, quid reſpuendum, quid amandum, quid odiendum ſit, inflammando affectum & firmando in bonis operibus, & ad gloriam inducendo, ut ſic iſta ſentientes, cætera omnia, ut ſtercora reputent, ut te lucrifaciant; ô quam verum hoc de verbo Dei! *Op. Myſtic. Theol. cap.*3. *p.*2. *ſerm.*2.*de Evangeliſt.op. Diæt. tit.*10. *cap.*6. *op medit.cap.*18. *Luc.c.*4.*v.*22.*c.*7.*v.*36. *c.*9.*v.*11. *cap.*14. *v.*15 *Ioan.collat.*35.

43. *Relinquere Chriſtum eſt ab ipſo apoſtatare.*

Domine ad quem ibimus? Hoc dixit Petrus tacitè redarguens ſuos alios condiſcipulos, qui receſſerunt à Chriſto; nos (ait ille) ad quem ibimus cum in te uno inveniamus omnia bona; ideò poſt nullum alium eundum eſt, quia hoc eſt apoſtatare, retrocedere, ad vomitum redire, & regnum amittere; hinc qui quærunt honorem, excellentiam, vel divitiarum affluentiam, vel voluptatum laſciviam, vel rerum ſcientiam poſtpoſito Chriſto, iſti à Chriſto retrocedunt, & in vanitates ſe præcipitant. *Ioan.collat.*35.

44. *Electis*

Digitized by Google

44. *Electio divina ad gratiam non eſt ſemper finalis, & ideo ſemper timendum.*

Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis diabolus unus eſt? Si electio fuit immediatè à Chriſto, quomodo inter hos electos erat diabolus: hoc eſt, quia electio Chriſti fuit ad gratiam, non ſimpliciter ad gloriam; quia hæc electio eſt ſecundùm præſentem juſtitiam; ob idque, quia perſeverantia dependet non ſolùm à Deo; ſed etiam ab ipſa voluntate electi; ideò non eſt ſemper ad finis executionem. *Serm. 2. in Converſ. S. Pauli: lib. 1. d. 4. art. 1. qu. 2. Ioan. cap. 12. v. 6. & cap. 13: verſ. 18. Luc. c. 6. v. 14. ſerm. 2. de S. Matthia in addit.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod in hoc capite narratur aſcenſus Chriſti in Ieruſalem, & publicatio ſuæ doctrinæ, & diſſentio inter turbas circa perſonam Chriſti.*

CAP. VII.

1. *Caveant Prælati, & in dignitate poſiti maximè Eccleſiaſtica à conſanguineis, & domeſticis.*

POſt hæc Ieſus ambulabat in Galilæam, &c. dixerunt autem ad eum fratres ejus (ideſt conſanguinei ſecundùm morem Judæorum) *tranſi hinc, & vade in Iudæam, ut & diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis, &c. Si hæc facis manifeſta te ipſum mundo.* Cur conſanguinei Chriſti ſuadent ipſum, ut vadat in Judæam, & opera miraculoſa publicè faciat? Sed attende ad myſterium notabile; erant iſti titubantes in fide circa veritatem miraculorum Chriſti, & quia humanam gloriam requirebant, ideo ſubdiunt, neque enim fratres ejus credebant in eum, ideò ut alia miracula faceret, ſuadebant ad expetiendum ſi eſſent vera miracula; tum etiam quia humanam gloriam quærebant, ſicque loquebatur cato carni, ſed caro ſine Deo, carni cum Deo, & ideò dicitur, quod non credebant in eum, quia hoc non eſt proprium diſcipulorum Chriſti; ex quibus patet, quæ & qualia appetunt fratres, & cognati ſuis cognatis, qui ſunt in dignitate, optant in eis excellentiam temporalem, ſæcularem apparentiam, & humanam gloriam, non propter verum amorem eorum, nec propter divinum honorem, nec propter animarum ſalutem, ſed propter propriam excellentiam, & gloriam; ideo ab eis eſt cavendum, nec aſſentiendum eorum conſiliis in prædictis acquirendis; ſic etiam dicebat Seneca, ſurdum te amicis tuis præſta; bona animo malo tibi precantur, & ſi felix eſſe vis, Deos ora, ne quid tibi ex his, quæ optantur, eveniat, non ſunt bona, quæ in te volunt congruere. *Ioan. cap. 2. verſ. 5. & capit. 7. hic.*

3. *Feſta mundanorum, & Chriſti ſequacium quam differentia.*

Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendam: & poſtea aſcendit quaſi in occulto. Vide quomodo Chriſtus invitatus ad celebrandum feſtum (quod erat ſcenopegia, & tabernaculorum in memoriam beneficii à Deo facti populo Judaico, dum eos pavit in deſerto per quadraginta annos) recuſat ire, ſuoſque fratres dimittit, ut ipſi aſcendant ad feſtum celebrandum in civitate Jeruſalem; & poſtea quaſi in occulto ivit & ipſe? cur hoc? ergone aliud in corde, aliud in ore? minimè: iſti Fratres invitantes Chriſtum ſuadebant Jeſu, ut & ipſe iret, & faceret aliquod miraculum ad gloriam mundanam captandam; & ideò ad hoc feſtum ibant, ut ſe in mundanis occuparent; *vos aſcendite* (ait Chriſtus) *ad diem feſtum hunc*: Nota; 1y, hunc; quaſi diceret; hoc veſtrum feſtum non eſt proprium Chriſti ſalvatoris, nec ejus ſequacium, qui celebrant feſta occupati in divinis officiis, in cultu Dei, in prædicatione, & aliis operibus Sanctis: hoc enim eſt diſcrimen inter feſta Chriſti, & mundanorum; ô utinam nunc non eſſent ſimilia plurima feſta Chriſtianorum. *Ioan. 6. 6. v. 4. & c. 7. hic.*

4. *Feſta alia ſatanica, alia humana, alia angelica, & divina.*

Iam autem die feſto mediante (ideſt in medio ſolemnitatis integræ ſeptem dierum, nempè in quarta die) *aſcendit Ieſus in templum, & docebat.* Ecce cauſa cur Chriſtus recuſavit ire cum invitantibus ad feſtum; *vos aſcendite*, ait, *ad diem feſtum hunc*, ſcilicet veſtrum, *ego non aſcendam*; ipſi enim aſcenderunt, ſed ad forum, ad nundinas, ad theatra; Chriſtus aſcendit in templum, & docebat, per quod datur intelligi, quod feſta, quæ celebrantur ab hominibus, alia ſunt ſatanica, alia humana, & alia Angelica, & divina; prima ſunt, in quibus vacatur operibus peccatorum, nempè luxuriis, ſcortationibus, ludis, & hæc ſunt nundinæ Dæmonum, in quibus mercatura diaboli exercetur: alia ſunt feſta humana, in quibus indulgetur conveſſationibus ſuperfluis, vanis ludis, otiis, & negotiationibus, quæ licet etiam in ſe non ſint peccata mortalia, ſunt tamen periculoſa, & ad illa diſponunt, hæcque deridentur à Dæmonibus: Alia ſunt feſta Angelica, & divina, in quibus indulgetur divino cultui, & laudibus Dei, quieſcendo ab operibus ſervilibus, & peccatis, & tales feſtivitates præparant animam ad feſtivitatem celebrandam in Cœlo cum Angelis, & Beatis in æternum; videant igitur hic homines, qualia ſunt ipſorum feſta, & qualia Deo accepta, & qualia inaccepta. *Ioan. collat. 36. & c. 7. hic.*

5. *Prælati, Parochi, & Prædicatores quid facere debent in diebus feſtis exemplo Chriſti.*

Iam die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum, & docebat. Ecce quid fecit Chriſtus aſcendens in medio feſtivitatis in templum; & docebat; aſcendit, ut cultum Deo præſtaret, & præcipuè ut doceret; & prædicaret; diſcant ex hoc exemplo Prælati, Doctores, Prædicatores, & Parochi, quale ſit ipſorum officium maximè in diebus feſtis; nempè incumbere in Eccleſia divino cultui, convocare populos utriuſque ſexus cum ipſorum diſtinctione, & iis prædicare, tradere doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, & explanare myſteria, & omnes inſtruere in iis, quæ ſpectant ad ſalutem animarum. *Ioan. cap. 7. hic, & collat.* 36. Hinc præceptum factum eſt in Concilio Tridentino Parochis explanandi doctrinam Chriſtianam, docendi populos, & prædicandi verbum Dei; & executionem hujus graviſſimi & neceſſariiſſimi præcepti obligantis ſub mortali, remittunt diligentiæ & ſtudio Epiſcoporum, ideò negligentibus in hac materia imminet æterna damnatio, quia contra ipſos verificatur lamentatio Jeremiæ. *Thren. c. 4. Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

6. *Fidei myſteria altiſſima credendo percipiuntur, & operando: Ubi de doctrina Chriſti.*

Et mirabantur Iudæi dicentes, quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit? & reſpondit, mea doctrina non eſt mea, ſed ejus, qui miſit me Patris, ſi quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet, &c. Ecce qualiter Chriſtus ſe Filium Patris manifeſtat, dum dicit, quod ſua doctrina non eſt ſua, ideſt à ſe non habet, ſed à Patre; & quia hæc doctrina eſt altiſſima, & occulta, ſubdit modum, qui percipi poſſit, ſcilicet credendo, & operando; & voluntatem Dei faciendo; nempè captivando intellectum in obſequium fidei, ſic enim percipiuntur, quæ ſunt neceſſaria, quia fides extollit mentem ſuprà omnia creata in Dei veritatem, & excitat affectum ad exequendam voluntatem Dei. *Ioan. c. 7. hic.*

7. *Lex circumciſionis qualis ablata à Chriſto, & qualis Chriſtianis ordinata.*

Circumciſionem accipit homo in Sabbatho, ut non ſolvatur lex. Nota, quòd per hoc dictum voluit Chriſtus confundere Judæos, qui reprehendebant Chriſtum eo, quòd in Sabbatho totum hominem ſanaverat, ſcilicet in anima, & in corpore dicens, ſi vos circumciditis hominem in Sabbatho ad ſanandam animam ab originali; cur mihi indignamini, quia ſanum hominem feci in corpore, & anima in Sabbatho? & per hoc tacitè voluit inſinuare, quia Deus volebat ab hominibus circumciſionem ſpiritualem, unde licet ceſſare fecerit circumciſionem corporalem non tamen ſpiritualem, quæ totum hominem ſanum reddit; hæc autem ab omnibus Chriſtianis debet ſervari; Circumciſio autem cordis hæc eſt triplex; prima eſt ablatio contumaciæ, & cervicoſitatis in iraſcibili; ſecunda malignæ cogitationis in rationali, tertia inordinatæ appetentiæ in concupiſcibili, ſcilicet ſuperbia, luxuria, & avaritia, & per hoc applicatur circumciſio omnium membrorum ab omni actu malo coram Deo, & hominibus, & hoc in Sabbatho, ſcilicet vitando peccata, & per exercitium bonorum operum, vacando Dei cultui, & aſpirando ad æternam quietem. *Ioan. collat.* 37.

8. *Qualis inſania iraſci contrà arguentem, & ſanantem, non contra vulnerantem.*

Dæmonium habes, quis te quærit interficere? Vide quomodo hæc turba turbata eſt, & conturbata à veritate; unde redarguti à Chriſto in verbum furoris irruperunt, & hoc eſt ſignum maximæ inſaniæ, & infirmitatis incurabilis iraſci contra medicum, non contrà morbum, & vulnerantem, & peccatum; attendant ad hoc correpti à Prælatis, & cognoſcent quali infirmitate laborant, an ſcilicet incurabili an curabili. *Serm. 1. Dom. infrà octav. Nativ. Ioan. c. 7. hic.*

9. *Chriſtus totum hominem, non partem ſolùm ſanat, ideò pœnitentia, & confeſſio ſit integra.*

Mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in Sabbatho. Cur dicit totum hominem? & qualem hominem? nempè paraliticum ſanatum in corpore, & per vivam fidem juſtificatum in anima; dicit igitur totum hominem, quia Dei proprium eſt ſanare non partem hominis, ſed totum, & per hoc docet, quod ad ſanandum peccatorem infirmum in anima, medicina debet eſſe ordinata ad ſanendum totum, ideſt confeſſio debet eſſe integra non dimidiata: quid enim prodeſſet homini oſtendendi medico ſolùm febrem ipſum torquentem, & cœlaret aliquam poſtem, vel lepram occultam, quæ eſſet cauſa talis febris? vel qui vellet curari in brachio, & non etiam in alia parte læſa? ſit igitur confeſſio integra, in qua omnia vulnera medico manifeſta fiant; ſic Chriſtus totus reſurrexit, nec reliquit in ſepulchro manus, vel pedes, &c. *Ser. 3. Dom. 2. poſt oct. Epiph. ſerm. 6. in Paſcha: ep. Diat. tit. 2. cap. 3.*

10. *Caveat Iudex à judicando inaudita parte, & non diſcuſſa cauſa.*

Nolite ſecundùm faciem judicare, ſed juſtum judicium, &c. Audiant hoc Judices, ſed quid eſt ſecundùm faciem judicare? hoc eſt per perſonarum acceptionem, quia Judices debent eſſe diligentes in judicando, ne ad proferendam ſententiam iniquam præcipites ſint, ne temerariè indiſcuſſa judicent, ne quælibet audita mala eos moveant, nè paſſim dicta ſine probatione credant. *Ioan. cap. 5. v. 31. & 6. 7. hic.*

11. *Nem*

zed by Google

11. *Nemo voluntate ſua ſe intromittat in Prælaturam, vel Prædicatione, ſed ſecundùm diſpoſitionem tantùm ſuperiorum.*

Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit; & infra clamabat ergo Ieſus, &c. à me ipſo non veni, ſed eſt verus, qui me miſit. Nota, quòd dicens Chriſtus, quod prædicans Evangelium, & dicens ſe hoc facere, quia à Patre miſſus fuerat, autenticam ſuam doctrinam reddebat, ut inſtrueret Eccleſiaſticos, & Religioſos, quod ſi ex propria voluntate ſe offerunt, & intromittunt in Prælationibus, & Prædicatione; ſignum patens eſt, ſe non duci à Dei voluntate, ſed à propria, & ſæpè à diabolo; qui autem à propriis ſuperioribus mittitur & in tali ſtatu collocatur, tunc ſignum eſt, quod à Deo mittitur. *Op. libell. Apologet. 4.*

12. *Quæritur Chriſtus multipliciter in bonum, vel in malum.*

Quæretis me, & non invenietis. Cur non invenietis? nonne omnis, qui ipſum quærit, invenit? Nota; quod alii quærunt malè, alii benè Chriſtum; quærentes enim Chriſtum in multitudine carnalis cognationis, non invenient, nec in voluptatibus, nec in divitiis, nec in tumultu mundanæ converſationis, & negotiationis, nec in foro, nec extrà tempus opportunum, ſcilicet in alia vita; ſed ubi invenitur? invenitur in diverſorio paupertatis, invenitur in cruce, ubi paſſus eſt; invenitur in medio diſcipulorum, ubi eſt unitas, & concordia; quære ergo Chriſtum tali modo, & ipſum invenies. *Ser. 2. Epiph. Ioan. c. 7. hic.*

13. *Prædicator in fine concionum exhibeat viaticum ſalutis auditoribus,* ſcilicet proponat ea, quæ ab ipſis facienda ſunt; unde Chriſtus in noviſſimo die feſtivitatis clamabat, & fortiter prædicabat, ne diſcederent ab illa feſtivitate ſine aliquali fructu. *Ioan. c. 7. hic.*

14. *Chriſtus ſtat in medio Eccleſiæ, & animæ, ut lignum vitæ, vel ut ſol.*

Stabat. Quid eſt ſtabat? ſtabat, ſcilicet in medio templi, ut ab omnibus audiri poſſet, hicque eſt locus Chriſti; ſtat enim in medio Eccleſiæ, & animæ, ut lignum vitæ in medio Paradiſi exhibens omnibus cibum vitæ; & ut ſol immittens radios ſuæ ſapientiæ clarificantis. *Ser. 1. Dom. 3. Adv. ſer. 1. fer. 3. Paſchæ.*

15. *Chriſtianorum vita qualis eſſe debeat.*

Si quis ſitit veniat ad me, & bibat. Nota hæc tria, quæ exigit Chriſtus in quolibet fideli: primum eſt ſi quis ſitit, ideſt ſi in vobis ſit fervida appetitio, & ſitis ſalutis: ſecundum eſt mentis elevatæ ad Deum progreſſus, undè dicit, veniat: tertium eſt bibat; nempè divinarum influentiarum avida ſuſceptio, & ad intimâ intromiſſio; & hæc tria ſunt ſigna, & conditiones ſequentium Chriſtum. *Ioan. collat. 38.*

16. *Sitis animæ fidelis qualis.*

Si quis ſitit, veniat ad me. Ergo ſolùm vocat ſitientes? ſitis autem eſt appetitus frigidi, & humidi, ideò involuit rei potabilis appetibilitatem, & appetitus fervorem; hæc ſitis ſpiritualis eſt maximum deſiderium, quod ad quatuor ordinatur: primò ad audiendum documenta recta fidei purificantis; & refrigerantis; ſecundò eſt ſitis divinæ ſapientiæ clarificantis; & illuminantis: tertiò eſt ſitis juſti, ſcilicet juſtitiæ, & gratiæ: quartò ſitis æternæ gloriæ: ſi quis igitur ſitit veniat ad Chriſtum, non pedibus, ſed affectibus animæ; veniat feſtinanter, & perſeveranter, & bibat. *Ioan. collat. 38.*

17. *Flumina Spiritus Sancti in ventrem credentium in Deum intrant.*

Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Nota, quod dicit, qui credit in me; non dicit, qui credit mihi, vel me, ſed in me, ſcilicet in me credit, & credendo amat, taliſque repletur in ventre mentis donis Spiritus Sancti, quæ ſunt ſeptem flumina ex ipſo promanantia, & beatam animam reddentia. *Ioan. collat. 39. ſerm. 4. & 10. Pentec. op. de ſeptem donis cap. 3. opuſc. Comp. Theol. lib. 2. 9.*

18. *Flumina gratiarum omnium Spiritus Sancti in Mariam intraverant, ipſamque fontem vitæ conſtituerant.*

Qui credit in me flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Vide quid facit fides viva in anima; ſed hæc mirabilia ſuper omnes operata fuerunt à Spiritu Sancto in Maria, quia flumina omnium gratiarum Angelorum, & Sanctorum intraverunt in Mariam, & ab ea veluti à fonte derivatunt, & derivant in omnes Beatos, & in totam Eccleſiam triumphantem, & militantem. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 3.*

19. *Chriſtus ſe exemplar Prædicatoribus expoſuit.*

Numquam ſic loquutus eſt homo, ſicut hic loquitur homo. Vide, quod etiam ab inimicis laudatur, etiam ipſis invitis, ut verus, & perfectus Concionator; non enim loquebatur, ſicut cæteri homines, verba curioſa, quæ excedunt rationalem, nec verba ſuperflua, & onerosa; quæ ſuffocant concupiſcibilem, nec verba contentioſa; quæ conturbant iraſcibilem, nec verba perniciosa, quæ prævertunt totum hominem; ſed verba humilia ad deſtructionem ſuperbiæ, verba utilia ad augmentum gloriæ; ſic enim loquebatur, ut moderaret ſuperbos humilitatis profunditate; magnos paſceret veritate, & parvulos nutriret affabilitate foris admonens, intus docens; audientes in melius commutans; ô attendant ad hoc exemplum Prædicatores. *Ser. 1. Dom. 2. Pentec.*

20. *Auditores boni verbi Dei non revertuntur in domum ſuam; mali revertuntur.*

Et reverſi ſunt unuſquiſque in domum ſuam. Quinam? Iſti Judæi maligni, qui venerant apprehendere Chriſtum, ſed tamen ad prædicationem Chriſti, licet tam maligno corde aſſiſterent, quo peracto negotio, dicitur, quod reverſi ſunt in domum ſuam, ſcilicet cum eadem malignitate, & eodem propoſito occidendi Chriſtum; ô infelices auditores, qui ſic audiunt verbum Dei, quod denuo revertuntur cum eodem propoſito manendi in peccato: Boni autem è contrario non revertentes ad domum priſtinam, ſed in ſeipſos mutati intrant, & ſic ingreſſi procedunt ulteriùs ad novam vitam, & ubi impetus Spiritus eos fert. *Ioan. c.7. in fine.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. *Hoc caput continet continuationem perſecutionum Iudæorum, & dictis, & factis; & doctrinas varias ab ipſo enuntiatas.*

CAP. VIII.

2. *Ieſus myſticè mons Oliveti.*

IEſus autem pertexit in montem Oliveti; & diluculo iterum venit in templum. Vide quomodo Chriſtus die, ac nocte occupatus erat in ſalute hominum, nam de die prædicabat, & miracula faciebat, de nocte in montem ad orationem aſcendebat: Tempore autem præcedente Paſſionem ſolitus erat pergere in ſero ad montem Oliveti ad domum ſororum Lazari, cur autem magis elegit hunc montem? ratio eſt, quia per hunc montem, qui erat totus plenus olivis, ideò vocabatur mons olei, ut doceret ipſum eſſe talem montem ſcilicet fructuoſum, montem unguenti, & chryſmatis, & auctorem miſericordiæ, & ſicut oleum ſuperfertur cæteris liquoribus, ſic miſericordia, & pietas in Chriſto ſuper omnia alia opera elucebat, ut ægris, & feſſis levamen afferret. *Ioan. c.8. hic: & collat.40.*

3. *Chriſti actiones omnes ordinata ad ſalutem Eccleſiæ & hominum.*

Ieſus perrexit in montem Oliveti, & diluculo iterum venit in templum, & ſedens docebat eos. Vide; quomodo Chriſtus non amittit nec omittit vel minimam particulam temporis, quin ipſam impendat ad procurandam ſalutem hominum, ideò perrexit in montem oliveti, qui figurabat Eccleſiam, & ipſam in templum convertit, in quam intrat libenter ad docendum, & exercendum opera ſalutis noſtræ. *Ioan. hic: c.8.*

4. *Chriſtus in montem oliveti, ſcilicet in Mariam montem miſericordiæ, & pietatis perrexit, ut in ipſa miſericordia induretur, & repleretur.*

Ieſus perrexit in montem Oliveti. Cur in hunc montem, & non potiùs in montem Thabor? quia in iſto monte erat domus Marthæ, & Mariæ: ſignificatur ergo, quod Verbum divinum in Incarnatione perrexit in montem Mariæ, quæ eſt oliva ſpecioſa in campis, vel potiùs mons olivarum pietatis, & miſericordiæ, in hanc intravit Verbum divinum, ut fieret Mater miſericordiæ, ut miſericordiam nobis pareret, ut totus unctus, & plenus miſericordiâ inde exiret. *Opuſc. ſpec. B. Virg. lect.17. ep. ſim. p.3. c.19.* Nota autem quod dicitur à Sanctis Patribus Chriſtus intraſſe in Mariam, ut miſericordiam inde exhauriret, ſed quomodo hoc? nonnè erat ipſe pura miſericordia eſſentialiter? erat certè ipſamet miſericordia, ſed tamen ſolùm quoad effectus, quia miſericordiæ affectus longè eſt à Deo, quia miſerum reddit cor miſerentis miſero, ipſe autem, ut hominem redimeret, ut opera redemptionis expleret, indigebat miſericordiæ affectus, quam in hoc monte oliveti ex Virgine Maria ſumendo carnem aſſumpſit. Nota etiam, quod Maria dicitur mons pietatis, ut ſicut in montibus pietatis erectis in Eccleſia ex pietate fidelium ad ipſos omnes indigentes recurrere poſſunt pro ſubſidio, depoſitum aliquod ibi collocando, ſic & ad Mariam montem pietatis vult Chriſtus, ut omnes confugiant in neceſſitate collocantes in ipſa ſpem, & omnia ſua. *Sic ex S. Bonav. ſparſim in ſpecul. B. Virg.*

5. *Maria Virgo mons oliveti, ſimulque templum ſacratum Dei.*

Et diluculo venit in templum. Si tam diligebat Jeſus montem oliveti, cur tam citò, ſcilicet diluculo ipſum relinquit, & vadit ad templum? Nota, quod per montem oliveti figurabatur Beata Virgo Maria, ut domus miſericordiæ, ut dictum eſt ſed ſtatim nobis proponitur ut ædificata in templum, ut verificetur illud Sanctæ Eccleſiæ. *Domus pudici pectoris, templum repentè fit Dei.* Ad ingreſſum enim Verbi Dei in ejus uterum ſtatim converſa eſt in templum ſacratum, impollutum, & triclinium ſanctiſſimæ Trinitatis, ut ſcilicet veluti domus Chriſto inſerviret in ſuis neceſſitatibus, & ut templum in ipſa, & per ipſam coleretur Deus, & per ipſam attraherentur homines ad Deum honorandum, ipſique ſerviendum. *Opuſc. Pſalt. B. Virgin. in hymno Te Dei Matrem. opuſc. Pſalt. min. pluries, aliiſque loc. ex ſpecul. B. Virg.*

6. *Chriſtus exemplar omnium ſtatuum vitæ ſpiritualis in Eccleſia.*

Perrexit Ieſus in montem oliveti, & diluculo venit in templum, & ſedens docebat. Nota in his verbis tria in Chriſto; primò perrexit in montem: ſecundò diluculo venit in templum: tertiò & ſedens

ſedens docebat : quid igitur hæc nobis indicant ? indicant maxima, & pulchertima myſteria : cum enim in Eccleſia ſit triplex genus vivendi, ſcilicet contemplationis, actionis, & vitæ utroque compoſitæ, & mixtæ ; Chriſtus ſeipſum exemplar omnium ſtatuum ſe præfuit à nobis imitandum : perrexit igitur in montem oliveti, per quem ſignificatur ſublimitas contemplationis : mons enim generatur vel ex terræmotu elevante terram in altum, vel ex ductu aquæ elevantis terram ex una parte, vel ex aggregatione luti unctuoſi diuturna deſiccatione, ſic anima elevatur in montem contemplationis ducta vel ex timore, vel ex ductu aquæ cæleſtis, vel ex auſteritate vitæ concupiſcentialis, & talis mons dicitur oliveti, ſcilicet fructuoſus, mons unguenti, mons unctionis, quia ibi abundat affluentia gratiarum, jucunditas conſcientiæ, & ſuavitas conſolationis divinæ : ſed quia amor Dei non tenet animam otioſam, hinc ipſam retrahit ad utilitatem proximi in vita activa, nec ſic tenet eam ità actuoſam, ut contemplationem Dei relinquat ; ideò Prædicator inſtruitur, ut priùs ad orationem ſe conferat, & indè ad Prædicationem, poſteà redeat ad orationem exemplo Chriſti. *Ioan. collat.* 40.

7. Hiſtoria de præſentatione adulteræ facta à Phariſæis coram Chriſto ; confuſione ipſorum, & abſolutione ipſius mulieris enarratur cum ſuis myſteriis in commentar. *In cap.* 8. *& op. meditat. cap.* 68.

8. *Confeſſarius, & Judex non horreat peccata proximi.*

Qui ſine peccato eſt veſtrum primus in illam lapidem mittat. Vide, quòd Chriſtus totus ſpirans miſericordiam, & pietatem, non horruit, licet puriſſimus, peccatum adulteræ ; datque per hoc exemplum Judicibus, & Confeſſariis, ne peccata quantumcumque prava, gravia, vel enormia, horreant, quia nullum eſt peccatum ab homine commiſſum, quod non poſſit ab alio quocumque committi. *Op. Confeſſion. cap.* 1. *p.* 4.

9. *Confeſſarius in miſericordia ſuperabundet cum peccatoribus, & eis injungat abſtinentiam à peccatis in futurum.*

Vade, & noli amplius peccare. Ecce quomodo Chriſtus dedit exemplum Confeſſariis, quomodo ſe habere debeant cum peccatoribus, nempè miſericordiam, & pietatem in ipſos exercendo, & deindè imponendo abſtinentiam à peccatis in futurum : Vade dixit Chriſtus peccata relinquendo, noli amplius reverti ad peccatum ; & hæc pœnitentia imponenda eſt à Confeſſario pœnitentibus, ità ut ſit perpetua quoad propoſitum, alioquin eis abſolutio nihil juvabit. *Op. Confeſſ. cap.* 4. *p.* 3. *op. Diæt. sit.* 1. *cap.* 4. *Luc.* 6. 5. *v.* 16. *ſer.* 1. *de S. Nicol.*

10. *Ad pœnitentiam veram duo ſunt neceſſaria.*

Vade, & noli amplius peccare. Nota, quod hic duo innuuntur neceſſaria pœnitenti confitenti peccata ſua ; ſcilicet propoſitum perpetuum dimittendi peccata, nec umquàm denuò ea committendi, & ideò dixit noli amplius peccare, & bonorum operum exercitium, ſic dixit vade ab hoc peſſimo ſtatu ad alium, ſcilicet à committendo peccata ad exercitium bonorum operum, & profectum veritatis Chriſtianæ. *Ioan. c.* 8. *hic op. Confeſſ. aliiſque locis cit.*

11. *Chriſtus lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris.*

Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Nota, quod in his verbis omnia ſua munera Redemptoris exprimit, & ea, quæ à nobis ſunt facienda exprimuntur, quia enim venit in mundum, ut via ad deducendum exules, & devios, & ut veritas ad illuminandum cæcos, & ut vita ad vivificandum mortuos, ideo ut d. ſignaret poteſtativam virtuoſitatem ſuam ad hæc complenda, dixit ſe eſſe lucem, ſcilicet illuminantem in intellectu, & reficientem indefectibiliter in affectu, & confortantem, & firmantem virtualiter in operatione, ideo via eſt, & veritas, & vita, hoc autem dixit, ut excitaret nos ad ipſum ſequendum, ideo ſubdit, qui ſequitur me, &c. ideſt qui me imitatur ab eiſdem recedens, à quibus Chriſtus receſſit, in eiſdem viis incedit cum Chriſto, & ad idem accedit, ad quod Chriſtus, & ſic ſequens non ambulat in tenebris erroris excæcantis intellectum, nec malæ affectionis deordinantis affectum, nec in tenebris pravæ operationis pervertentis totaliter animam à ſtatu gratiæ, ſed habebit lumen vitæ, cujus viſione plenè illuminatur vis aſpectiva, cujus fruitione ſatiatur vis affectiva, cujus apprehenſione, ſeu tentione ſublimabitur vis poteſtativa : ô vide anima quid eſt Chriſtus, quid nobiſcum facit, & quinam fructus obtinentur in ejus ſequela : Nota, quod cum Chriſtus ſit lux, & lumen noſtrum, ad hoc ut nos illuminet, debet à nobis in manibus portari, ſcilicet in bonis operibus ipſum ſequi. *Ioan. collat* 41. *op. ſpec. B. Virg. lect* 11. *ſer.* 2. *Dom.* 1. *Adv. ſerm.* 1. *de Purific. B. Virgin. in addit.*

12. *Sicut Chriſtus lux mundi eſt per eſſentiam ſine admixtione tenebrarum, ſic Maria ſecundariò per participationem lux eſt mundi ſine ulla admixtione tenebrarum peccati.*

Ego ſum lux mundi, dicit Chriſtus : lux illuminans mundum, ſed antè, & ſuper omnes illuminans Mariam ; ergo ſuo modo, ſcilicet per participationem idem poteſt dicere Maria, verè lux, quia numquàm in ea ulla fuit mixtio tenebrarum, lux inquam puriſſima ſpecioſior ſole, & purior ſtellis ſuperans dignitate, gratiâ, & meritis omnes creaturas corporales, & ſpirituales, cujus radius, Cœlum, terram, infernum, & totum mundum penetravit, cujus ſplendor in ſupernis præfulget, & totum mundum illuminat ; & ideo ſubdit, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, quia ipſam ſequens non deviat homo, ipſam rogans, & cogitans non errat, ipſa tenente nemo corruit, ipſa protegente non metuit, ipſa duce non fatigatur, ipſa propitia pervenit ; ergo

ergo ſequamur hanc lucem, hanc ſtellam, hunc ſolem, ne demergamur in mari hujus mundi, ne obruamur in tenebris peccati. *Op. ſpec. B. Virgin. lect. 3. & 11.*

13. *Chriſti magnificentia, & divinitas mundo elucet, eo quia natus eſt de Virgine.*

Si ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde veni, & quo vado. Nota conſequentiam horum verborum Chriſti, vult enim authenticare ſuam magnificentiam, & divinitatem, & ut ipſam probet dicit, ſcio undè veni, qua conſequentia id dicitur, ſi ſcis unde veniſti, quid hoc? ad quid inſeruit, ut te probes Deum Filium Dei? ſed tamen mirabilis, & convenientiſſima conſequentia, quia enim venit ex Patre, & Matre Virgine, ut Deus genitus ex Patre, ut homo genitus ex Matre Virgine, in qua elucebat fœcunditas Patris participata Mariæ. hinc rectè infertur ipſum eſſe Deum. *Ser. 2. Dom. 3. Adv.*

14. *Impii ſunt de hoc mundo: Juſti non ſunt de hoc mundo.*

Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum, vos de hoc mundo eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Quomodo hoc verè dictum eſt à Chriſto? ſi Chriſtus erat homo, quomodo non erat de hoc mundo? ſed tamen excellentiſſimam doctrinam, & ſcitu neceſſariam hic exponit ſapientiſſimus magiſter, dat autem intelligere quale diſcrimen inter juſtos Chriſti ſequaces, & impios, impii enim ſunt de hoc mundo, imò de hac terra, quia ſicut ſerpentes terram manducant, terrenis paſcuntur, & delectantur, ad terrena inhiant, nec ſurſum cor habent, ideò de mundo ſunt, & terra origine, affectione, & operatione: Juſti è contrà de ſupernis ſpirituali origine, quia ſunt elati de mundo, & ideo anima ab exterioribus ad interiora tranſiens, & ab interioribus ad ſuperiora per cognitionem, & amorem, ſic ſuperfertur omnibus creatis, & in alium mundum, vel potius in Cœlum intrat ità, ut poſſit dicere noſtra converſatio in Cœlis eſt. *Op. ſolil. c. 2. Ioan. cap. 8. hic Luc. c. 4. v. 9.*

15. *Chriſtus principium omnium bonorum nobis interius, & exterius loquens, & vocans.*

Tu quis es? reſpondit eis Jeſus: Principium, qui & loquor vobis. Verè principium cum Patre omnium bonorum noſtrorum, qui ut verbum ſemper loquitur interiùs, & exterius, nos ad ſe vocans. *Luc. c. 7. v. 15. & c. 8. v. 15. & c. 9. v. 35. Ioan. c. 8. hic.*

16. *Per crucem Chriſtus exaltatus, & cognitus eſt à mundo.*

Cum exaltaveritis filium hominis, ſcilicet in cruce, *tunc cognoſcetis, quia ego ſum*, ſcilicet filius Dei: Ecce quomodo clarè prædixit Chriſtus ſuam exaltationem per crucem faciendam, nam per ipſam oſtenſa fuit humilitas Chriſti profundiſſima, congruitas redemptionis Chriſti per mortem in cruce, & exaltationem ſecutam, quia per crucis prædicationem dilatata eſt fides Chriſti. *Ioan. c. 8. hic ſer. 2. in Invent. S. crucis, & ſer. 1. in exalt. in addit.*

17. *Perſeverantia facit cognoſcere quis ſit, vel non ſit diſcipulus Chriſti.*

Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Ecce quod hic Dominus Jeſus dat ſigna certa, per quæ cognoſci poteſt quis diſcipulus verus, & quis fictus; ille verus diſcipulus eſt (ait) qui manet in ejus doctrina, & ſermone, nec unquam per aliquam tentationem ſeparatur ab ejus dilectione, nec unquam quibuslibet damnis, opprobriis, & ſuppliciis illatis ceſſat ab ejus nominis confeſſione quia tunc meretur illuminari à prima veritate, & veritas ipſum liberabit ab omni adverſitate, & ex hoc merebitur præmiari. *Ser. 2. in Albis.*

18. *Peccatum quale malum in ordine ad Deum.*

Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati; ſervus enim non manet in domo in æternum. Nota, quod contrà Judæos, qui ſe jactabant filios veros Abrahæ, ob idque liberos, non ſervos, & mancipia, quales exiſtimabant eſſe Gentiles, ſtabilit hanc propoſitionem vere terribilem, quæ pulſat & Judæos, & Chriſtianos malos, dicens qui facit peccatum, &c. in quibus verbis primo loco proponit qualitatem peccati ſecundum ſe; qui facit peccatum: quid eſt facere peccatum? hoc eſt averſio à Deo, & converſio ad creaturam, & ob id involuit omnia mala, omnes miſerias excogitabiles; quia facere peccatum eſt divinæ Majeſtati, & voluntati repugnare, eſt prævaricatio legis divinæ, & inobedientia mandatorum, eſt derelinquere Deum, apoſtatare à Deo, Deum contemnere, & præponere viliſſimam creaturam, & ſuam phantaſiam bono incommutabili: Vide igitur quale malum in ſe eſt peccatum. *Ioan. collat 42.*

19. *Servitus miſeranda peccatoris expenditur.*

Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Ergo ex libero homo peccando fit ſervus: ſed qualis eſt iſta ſervitus? hæc eſt ignominioſiſſima, & viliſſima, quia inducit hominem ſub jugo diaboli, & ideò multitudine numeroſa, & ſervitute oneroſa, quia fit peccans ſervus tot vitiorum, quibus ſubjicitur; ſervus item dæmonum, qui numquam dant requiem, eſt & peremnitate continua, quia inceſſanter diabolus peccatorem pulſat, & præcipitat de vitio in vitium, ô miſeranda ſervitus! & cum ſervitus ſit fructus peccati, hinc eſt, quod ſervitus, & ſubjectio hominis alteri homini immundo, introducta eſt in pœnam peccati, ex peccatis. *Ioan. collat 42. lib. 4. d. 44. a. 3. qu. 1. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 4. op. Expoſ. Miſſæ c. 4. Luc. c. 4. v. 8. & c. 7. v. 10. & c. 11. v. 24. & c. 15. v. 11.*

10. *Pecca*

20. *Peccatum mortale eſt excommunicatio ſeperans ab Eccleſia peccatorem, & ipſum tradens diabolo.*

Servus non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Quid eſt non manet ſervus in domo in æternum? eſt, quia ſervus veluti extraneus ejicitur à numero domeſticorum domus; quod & Chriſtus applicat ſervituti peccati, dans per hoc intelligere, quod peccatum mortale, cum ſeparet hominem à Deo, cum ſubjiciat ipſum diabolo, etiam eſt veluti excommunicatio, ſeu ſeparatio ab Eccleſia militante, & triumphante, & traditur Sathanæ, & tandem projicitur in infernum igne comburendus æternaliter: qui verò filius eſt, ſcilicet qui gratiam Dei accipit, qui per gratiam adoptionem acquirit; qui filius Dei eſt, hic manet, & manebit in domo in æternum. *Joan. collat. 42. Luc. c. 15. v. 11.*

21. *Libertas filiorum per Chriſtum expenditur.*

Filius manet in domo in æternum; ſi filius vos liberabit liberi eritis. Ecce reſponſio expedita, & clara Chriſti dicto Phariſæorum, qui ſe jactabant liberos eo, quod eſſent de populo deſcendentium ab Abraham; quaſi dicat: Vos liberi eritis, non quia filii Abrahæ ſed quia filii Dei, nec filii Dei eſſe poteſtis, niſi filius Dei vos liberabit, qui ſolus liber eſt, & immunis à captivitate; Et qualis eſt hæc libertas, quam exhibet Filius Dei: libertas hæc eſt primò carere peccato captivante animam; qui operatur non timore proprio ſervorum, ſed filiorum Dei, immunem eſſe à concupiſcentia ſuffocante animam; & totaliter ſub regula charitatis, & gratiæ vivere; & tales ſunt filii Dei, qui manent, & manebunt in domo Dei in æternum. *Joan. collat. 43. Luc. cap. 15. v. 31. Joan. c. 8. hic.*

22. *In Eccleſia omnes ſunt fratres; ſed tamen alii ex uno Patre, & ex diverſa matre; alii ex una matre, ſed ex diverſis patribus; & alii ex uno patre, & una matre.*

Scio quia filii Abrahæ eſtis, ſed quæritis me interficere, &c. ſi filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite, &c. vos facitis opera patris veſtri, &c. vos ex patre diabolo eſtis, &c. Nota, quod in his verbis Chriſtus videtur ſibi contradicere, quia primò fatetur iſtos Phariſæos eſſe filios Abrahæ, poſteà declarat eos filios diaboli; quomodo ergo ſunt, & non ſunt? ſed attende ad pulcherrimum myſterium: Dat intelligere Chriſtus, quod omnes homines ſunt fratres, & maximè in Eccleſia, quia omnes procedunt à Patre Deo; ſed tamen alii ſunt ex eodem Patre, ſed non ex eadem Matre; alii ex una Matre, ſed non ex eodem Patre; alii ex eodem Patre, & eadem Matre: Illi ſunt, qui ex uno Patre, & diverſis matribus, qui ſunt quidem nati omnes ex Deo, ſed tamen ſunt collocati in diverſis ſtatibus, v. g. Religionis, vitæ ſæcularis, gentilitatis, & Judæorum, fidelium, & infidelium, qui omnes à Deo creati, ſed diverſam matrem recognoſcunt, alii ex una matre, ſcilicet Eccleſia catholica, ut ſunt Chriſtiani, ſed non omnes eodem Patre, quia alii Deo ſerviunt, & regenerati per gratiam, alii diabolo per peccatum geniti, alii ex eodem Patre, & Matre, qui & creati à Deo, & regenerati vivunt fideliter ſub Chriſto. *Ser. 1. de Apoſtol. in addit.*

23. *Quanta vanitas gloriari de virtute majorum, & Patrum, ſed in vita degenerare ab ipſorum virtute, & imitatione.*

Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite. Nota, quod hoc thema dirigitur à Chriſto ad omnes Chriſtianos, & conſequenter ad Religioſos, qui gloriantur ſe eſſe poſitos in numero Chriſtianorum, vel gloriantur de ſanctitate, & virtute majorum, vel de profeſſionis religioſæ altitudine, & tamen eorum opera non imitantur, nam iſti non filii talium Patrum, ſed degeneres, & illegitimi ſunt, & verè filii diaboli. *Ser. 1. de Apoſtol. cit. Joan. c. 8. hic: Ubi fusè applicat hoc thema Fundatori Religionis, & Religioſis.*

24. *Verbum Dei eſt hamus capiens ipſum capientes.*

Quæritis me interficere, quia ſermo meus non capit in vobis: Quid eſt non capit? ergo verbum Dei eſt hamus capiens, ſed tamen iſtos iniquos non capiebat; quia in ipſos non poteſt intrare; quia malignitate, & ſceleribus erant repleti; felix, qui capit verbum Dei, ut ab ipſo capiatur. *Joan. c. 8. hic.*

25. *Filii mali ex patribus malis geniti filii ſunt diaboli, & nepotes Luciferi, eiſque debetur participatio hæreditatis diaboli.*

Vos ex Patre diabolo eſtis. Cur quia (ait Chriſtus) in veritate non ſteterit; & veritas non eſt in eo, & vos deſideria patris veſtri vultis facere: quomodo ex Patre diabolo dicuntur natinati dicuntur non generatione, ſed imitatione, ſed attende ad aliud myſterium; iſti geniti erant verè ex patribus malis, eorumque vitia imitabantur; ergo ex filiis diaboli nati ſunt, & quia Pater omnium dæmonum fuit Lucifer, ſequentes enim ejus ſuperbiam, ipſumque imitantes ex filiis Dei facti ſunt filii Luciferi; hinc & imitantes dæmones filii ſiunt diaboli, & nepotes Luciferi, & ſi tales ergo jus habent in hæreditate diaboli in Inferno: *Ser. 6. Dom. 1. Adv. ſer. 5. Dom. 2. Adv. ſer. 2. in Vigil. Nat. ſer. 1. Dom. 14 Pentec. ſer 2 de S. Magdal. ſer. 1: de Apoſt. in addit. op. de dono conſilii c. 3. op. de ſeptem itinir. æternit. itin. d. 5. Joan. collat. 15.*

26. *Diaboli prima lectio eſt mendacium, & homicidium, quam ſemper tradit ſuis ſequacibus.*

Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſteterit; quia veritas in eo non eſt. cum loquitur mendacium; ex propriis loquitur. Ecce lectiones, quas facit diabolus ſuis filiis, cùm enim in veritate non ſteterit, ſcilicet rejecerit auxilia gratiæ, gratis datæ; & ob id non receperit ob ſuam culpam gratiam gratum facientem, Pater mendacii factus eſt, & ſimul homicida: homicidium enim fit vel conſilio, vel fraude, vel perſuaſione, mediante mendacio ſtragem toti humano generi patravit, mendacium autem committitur vel linguâ,

quando aliud cor,aliud lingua loquitur, vel falſa meditatione, vel prævaricata, & mala actione, vel perverſa converſatione,ut hypocriſi;quæ omnia docet iſte Pater, & magiſter iniquus ſuis filiis. *Ioan.c.8.hic.*

27. *Chriſti veritas ipſum immunem ab omni peccato manifeſtat.*

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi, quis ex vobis arguet me de peccato: Ecce quomodo ex veritate,quam profitetur Chriſtus, infert immunitatem ab omni peccato:veritas autem,quam profitetur Chriſtus, eſt triplex: veritas, ſcilicet puræ intentionis in corde,rectæ locutionis in ore, & ſanctæ converſationis in moribus; & hinc ille Prædicator,qui hac triplici veritate concinnatur, efficaciſſimus etiam in perſuadendo. *Ser.1. Dom. 22.Pentec.ſer.1.Dom.3.poſt oct.Paſchæ fer.de S.Luc.*

28. *Qui ex Deo eſt verba Dei audit; Ubi de filiatione divina, & ſtatu Chriſtianorum.*

Quid eſt eſſe ex Deo? ideſt naſci ex Deo, eſſe filium Dei, eſſe Chriſtianum, in quo eſt ſumma nobilitas, & ingenuitas,& maxima honorificentia ſuper omnia alia; hic autem libenter audit verba Patris, ſicut naturale eſt cuilibet animali audire libenter, & obedienter vocem paternam, vel maternam; & ideò hoc ponitur pro manifeſto ſigno prædeſtinationis. *Ioan. collat.44. op. de dono conſil c.3.Luc.c.6.v.27.Ioan.c.5.v.25.*

29. *Multi Chriſtiani numero,pauci merito.*

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi: Nota quod hæc ad litteram dirigebantur ad Phariſæos, ſed myſtice diriguntur ad omnes Chriſtianos; quia licet ſint multi credentes numero,pauci tamen merito, quia pauci verè, & fideliter credunt Chriſto; licet enim ejus teſtimonia credibilia facta ſint nimis, quia confirmata juramento Patris; ſigillo maternæ virginitatis, promiſſo æternæ felicitatis, teſtimonio propheticæ auctoritatis, tamen homines plurimi neque ipſius terrentur comminationibus, neque attrahuntur promiſſionibus, neque præceptis obtemperant, neque conſiliis acquieſcunt, ideo fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, omnibuſque iſtis Chriſtus loquitur, ſi veritatem dico,&c. *Ser.2 Dom.Paſſ.*

30. *Prædeſtinationis ſigna qualia.*

Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Vide, quod hic loquens de morte æterna dicit, quod qui ſermonem ejus ſervaverit, ipſam non guſtabit: Nota,quod primò proponit ſermonem, & verba ſua, per quæ immittit ſuos radios ad animam, illuminando, inflammando, & roborando eam per fidem, charitatem,& ſpem;ad quam irradiationem ſequi debet fructificatio, unde dicit, ſervaverit obſervando divina præcepta cum puritate conſcientiæ contemnendo mundum; cum latitudine benevolentiæ Deum diligendo; & cum firmitate patientiæ perſeverando in bonis: ſubdit mortem non guſtabit in æternum, quia evadet pœnam æternam per præſervationem à morte peccati: Ecce igitur quis prædeſtinatus, quis reprobatus. *Ser.3.Dom.Paſſ.ſer.6.in Paſcha.*

31. *Chriſtus exemplar eſt omnium prædeſtinatorum, tam qui præceſſerunt, quam qui ſequuti ſunt.*

Abraham exultavit, ut videret diem meum, vidit,& gaviſus eſt. Quomodo id dicitur verè,cum Abraham per tot ſæcula antecedentia jam objiſſet? ſed ex hoc patet,quod Chriſtus fuit exemplar prædeſtinationis omnium electorum tàm antecedentium, quàm ſequentium adventum Chriſti in carne: Chriſtus enim præceſſit ſanctos antiquos, eiſque ſe oſtendit in velaminibus, & figuris, ſuamque vitam, virtuteſque oſtendit, ut per fidem,ſpem,& charitatem Redemptoris ſalvi fierent; undè Abraham habens charitatem exultavit credens ſperando, ut videret intelligendo, & vidit, & gaviſus eſt; videt diem, ideſt totam vitam temporalem Domini, qui neſcit occaſum. *Lib.3.d.11.a.1.qu.2.Ioan.c.8.hic.*

32. *Solus Deus immutabilis,cætera omnia mutabilitati ſubjecta.*

Quinquaginta annos nondum habes,& Abraham vidiſti? amen dico vobis,antequam Abraham fieret, ego ſum. Nota, quod licet Chriſtus non excederet ætatem triginta duorum annorum, tamen dicunt quinquaginta annos, tum quia pro laboris vehementia longè videbatur ſenior, quàm erat, juxtà illud *Thren.c.3 Vetuſtam fecit pellem meam, & carnem meam.* tum quia ob maturitatem greſſus,& morum,& ſermonum, & ob elegantiam perſonæ æſtimabant eum eſſe magnæ ætatis; ſed Chriſtus dicendo antequam Abraham fieret, & deſignando præteritum tempus Abrahæ, ſibi verò præſens, cum præteritum, & futurum conveniat ſolùm creaturis, præſens verò, & nunc æternitatis ſoli Deo,dat intelligere, quod ſolus Deus immutabilis eſt, & omnia creata ſubjecta mutabilitati,& cum ad Incarnationem ſuam voluerit præcedere tot ſanctos,voluit etiam oſtendere ſuam humilitatem,qui exiſtens prior voluit fieri poſterior, contrà morem ſuperborum, qui alios ſibi præeſſe nolunt. *Ser.4.Dom.1.Adv.op.de ſeptem itiner.ætern.in.5.d.3.Ioan.c.8.hic.*

33. *Scandaleſi lapidant, & ejiciunt Chriſtum.*

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum, Ieſus autem abſcondit ſe, & exivit de templo. Vide ad qualem perverſitatem devenerunt iſti obſtinati, & duri,qui veluti lapides ad lapides accurrunt, ut Chriſtum lapident: Nota autem quod talis perſecutio inſurgit contrà Chriſtum ex iis, qui lapides ſcandalorum jaciunt in membra Chriſti, dum verbis, vel factis alios ad iram, vel ad avaritiam,vel ad judicium provocant: ô quot perſecutores tales habet nunc Chriſtus in Eccleſia, & Chriſtum ejiciunt de cordibus fidelium. *Ser.4. Dom.Paſſion.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Hoc caput eſt confirmativum doctrinæ ſuprà tradita à Chriſto, quia enarrat miraculum illuminationis cæci à nativitate; quæ occaſione Chriſtus tradidit varia documenta moralia.*

CAP. IX.

2. *Propter peccata veniunt adverſa.*

Vidit Jeſus cæcum à nativitate, & interrogavérunt eum diſcipuli ejus. Rabbi, quis peccavit hic, aut parentes, &c. Qua conſequentiâ movent diſcipuli hanc interrogationem, & inferunt hanc concluſionem tamquam neceſſariam, ſcilicet quod iſte cæcus fuerit ob ſua peccata, vel parentum? nonnè etiam ſine peccatis veniunt adverſitates? patet etiam fallacia conſequentiæ ex eo, quod reſpondit Chriſtus, neque peccavit, neque parentes ejus; ergo inconveniens fuit hæc interrogatio, & conſequentia? ſed reſpondetur fuiſſe optimam, & veram conſequentiam, tum quia ut plurimùm propter peccata veniunt adverſa, ſcilicet vel ob peccata actualia, vel ob peccatum originale, propter quod naſcitur homo ſubjectus tribulationibus, & calamitatibus, quod etiam verificatum eſt de iſto cæco, licet non propter peccata actualia propria fuerit natus cæcus. *Joan. c. 8. hic. lib. 4. d. 15. p. 1. dub. 3.*

3. *Filii juſtiſſimè, & piiſſimè aliquando à Deo puniuntur propter peccata Patrum.*

Quis peccavit hic, aut parentes ejus? Vide quòd etiam diſcipuli cognoverunt filios aliquando puniri ob peccata parentum, ſed qua juſtitia hoc fit, cum dicat Deus. *Ezech. c. 18. Filius non portabit iniquitatem patris?* Sed reſpondetur, quod peccata Patris in prolem poſſunt tranſire, non quoad reatum culpæ, non quoad pœnam æternam, quia ſolùm peccans ſic punitur, quoad pœnam verò temporalem ſæpè Patres puniuntur in filiis, ſic exigente ſeveritate divinæ vindictæ & hoc facit Deus, tum quia pœna de ſe non eſt malum, tum quia ordinatur à Deo vel ad ſalutem flagellati, vel ad gloriam flagellantis. *Lib. 2. d. 33 a. 1. q. 1. & lib. 4. d. 15. p. 1. dub. 2. & Joan. hoc loco.*

4. *Sollicitudo in bonis operibus in hac vita ſuadetur.*

Me oportet operari, donec dies eſt, venit nox, quando nemo poteſt operari. Hæc dicebat Chriſtus loquens de operibus Redemptionis ante ſuam mortem faciendis, ſed iſta maximè ordinat ad nos, ut unuſquiſque dicat, me oportet operari, donec dies eſt, ſcilicet hujus vitæ, antequam véniat nox mortis, vult igitur in nobis ſollicitudinem ingerere bonorum operum dicens, donec dies eſt, indicans temporis brevitatem, & ejuſdem ad operandum idoneitatem. & propter finis vitæ incertitudinem, & mortis ſubitationem, & operandi poſt mortem impoſſibilitatem, ideò dum tempus habemus operemur bonum. *Opuſc. Diet. tit. 5. c. 3 Eccleſ. c. 7. & 9. ſerm. de S. Petro ad vinc. ſer. de animabus. Joan. hic.*

5. *Tempus hujus vitæ eſt operandi; alterius vitæ eſt fruendi, vel patiendi.*

Me oportet operari, donec dies eſt; venit nox, quando nemo poteſt operari. O quàm terribilia ſunt iſta verba, in quibus docet, quod hæc vitâ eſt ſolùm conceſſa homini ad benè operandum, & ſeminandum opera meritoria; nam alia vitâ eſt tempus colligendi quod ſeminatum eſt, ſcilicet vel Fruendi in Cœlo, vel patiendi in Inferno, ubi nullo modo poteſt ſibi providere homo, ſicut in hac vita, in qua quis providet ſibi vel mendicando, vel laborando, vel mutuum accipiendo; ſed in alia vita non eſt locus mendicandi, nec operandi, nec mutuum accipiendi. *Opuſc. Diet. titul. 5. cap. 3. ſerm. de anim. ſerm. de S. Petro ad vincul.*

6. *Peccatum mortale eſt nox obſcuriſſimè.*

Venit nox, quando nemo poteſt operari. Notâ, quod myſticè hæc nox eſt peccatum mortale; hoc veluti nox infrigidat animam ad dilectionem, quia aufert charitatem, obſcurat rationem, & ineptam reddit ad opera meritoria: Cavè ergo ô homo ab iſta nocte; & per diem ambula ad lucem gratiæ divinæ. *Opuſcul. Diet. in Proam.*

7. *Fides de Chriſti divinitate, & humanitate aufert cæcitatem, & illuminat nos ad videndum Deum.*

Expuit in terram, & lutum fecit ex ſputo, & linivit oculos ejus, & dixit ei; vade, & lava in Natatoria Siloe, &c. Cur tali modo inuſitato voluit Chriſtus dare viſum huic cæco? cur non potiùs verbi ſui poteſtate? ſed hoc ad myſterium inſinuandum. nam per lutum ſignificatur ejus humanitas, per ſalivam ſapientia Patris ſcilicet, divinitas, per quod dat intelligere, quod fides Chriſti aufert à nobis cæcitatem, & viſum ad cœleſtia confert. *Joan. capit. 9. hic, & collat. 45. & ſequent. Pſal. 39 ſerm. 1. Dom. in Pentec.*

8. *Humiliatio, & cognitio ſui principium eſt converſionis, diſponitque ad videndum Deum.*

Lutum fecit ex ſputo & lenivit oculos ejus. Ad quid primum linit oculos luto, antequam viſum ei conferat? ſed attende ad myſterium: homo

homo naſcitur in peccato abſorptus in cæcitate ignorantiæ ; venit Chriſtus tollere hanc cæcitatem,& primò linit oculos noſtros luto,ut cognoſcamus priùs noſtram originem , & cognoſcendo tantam vilitatem humiliemus noſtras animas, ut hinc poſteà nos exaltet ad viſionem per fidem,& contemplationem rerum divinarum. *Op. de Prof. Religioſ.lib.2.c.29.*

9. *Lixivium ſpirituale à Chriſto confectum ad noſtram emundationem*

Lutum fecit ex ſputo. Vide commixtionem luti & aquæ,vel ſalivæ ; ſic enim proponit Dominus lixivium ſpirituale ad mundandam, & ſanandam animam ; lixivium autem fit ex aqua , & cinere, ſcilicet ex lachrymis , & contritione . & ex cinere humiliationis ; ſicque homo faciliter abluitur ab omni ſorde.*Op.Diat.tit.2.c.4.& tit.7.c.5. ſer.2. in die cin.*

10. *Cæcitas ſpiritualis animæ qualiter adveniat.*

Vade,& lava ad natatoria Siloe,&c. Nota,quòd in his verbis loquitur Chriſtus cæco corporaliter ,ſed ſpiritualiter homini habenti cæcitatem ſpiritualiter ; ſed undè oritur ? ſicut cæcitas corporalis oritur vel ex disjunctione oculorum à ſua origine , continuatur enim ad partes interiores per tres venas ; vel ex componentium oculos deordinatione,quæ ſunt tunicæ oculares , & humores , vel ex virtutis defectu , ut in tenibus , vel ex læſione oculi, & velatione ; ſic & cæcitas ſpiritualis in anima oritur ex ſeparatione animæ à Deo ; à perverſa deordinatione affectionum internarum , à naturalium vitium læſione , & ab infectiva velatione,& virtutis defectione ſupernaturalis. quæ omnia generat peccatum mortale in homine;Vade igitur dicit Chriſtus, relinque peccata,& vade ad natatoria pœnitentiæ.& ibi lavate.*Ioan.collat.45.*

11. *Contritio,& pœnitentia eſt fons baptiſmalis lavans omnia peccata.*

Vade ad natatoria Siloe , & lava. Quid lavare debebat ? lava oculos; ſed cur id non exprimit Chriſtus,dicens lava oculos,ſed tantùm lavat hoc ad myſterium inſinuandum ; jam enim ipſum excitaverat per lutum,& ſputum,& linitionem oculorum ad fidem de Redemptore,ipſum mittit poſtea ad fontem Siloe, qui ſignificat pœnitentiam, & contritionem peccatorum . in quo fonte dixit vade,& lava non ſolùm exteriùs, ſed & interiùs, non ſolùm oculos.ſed te totum plenariè , intimè, & exteriùs, & veraciter,& ſic mundaberis ab omni cæcitate animæ. & ab omnibus peccatis : Vade & lava,ait Criſol.ut ſancti coris gutta baptizaret oculos ; vide in Baptiſmo , quod ſolum una pars baptizatur corporis.& totus homo ſit mundus,ſic Chriſtus voluit indicare , quod gutta ſancti coris, ſcilicet contritionis, & pœnitentiæ baptizat oculos,& per oculos totam animam : ſic in Petro, in Magdalena lachrymæ vicem fecere baptiſmatis. *Ioan.collat.45.& ſeq.*

12. *In fonte ſanguinis Chriſti ſanitas ab omni infirmitate percipitur.*

Vade ad natatoria Siloe,&c. & abii, & lavi , & ecce video. O felix cæcus ? Sed qualis virtus inerat in illo fonte ? nulla virtus per ſe , ut in figura , quia tota virtus erat in figurato fonte ; Siloe interpretatur miſſus, hic eſt Chriſtus miſſus à Patre,ut ſe exhiberet fontem miſericordiæ omnibus hominibus,& ideò ſanguinem fudit,ut omnes homines in hunc fontem intrarent , & ab omni malo curarentur. *Ioan.collat.46.*

13. *Cultus Dei ſuadetur.*

Si quis Dei cultor eſt , & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Ecce quomodo hic cæcus illuminatus à Deo obſiſtit , & reſtitit conſtantiſſimè contra malignitatem Phariſæorum , qui conabantur obſcurare hoc miraculum , & honorem Chriſto debitum tollere ; contra quos pronuntiat hanc dignam ſententiam,ſi quis Dei cultor eſt , & ejus voluntatem facit , hunc exaudit : Colitur autem Deus credendo,operando,amando,& interiùs , exteriuſque ſerviendo,ſicque voluntatem Dei facit,ſe jugiter ſanctificando,concupiſcentias mortificando, propriam voluntatem divinæ ſemper conformando.& opera juſtitiæ exercendo,ſicque exaudit hunc talem Deus. *Ioan.collat.47 ſer.3.Dom.8.Pent.*

14. *Quales peccatores Deus non exaudit;Vbi de effectibus peccati, & de virtute admirabilis orationis coram Deo.*

Scimus autem , quia peccatores Deus non audit. Nota,quod in his verbis cæcus conficit argumentum ad hominem contra Phariſæos, qui dixerant Chriſtum eſſe peccatorem : ſcimus (ait) quod Deus peccatores non exaudit ; hunc autem exaudivit Deus,ergo ſuprà peccatores eſt:ſed quomodo verificatur Deum non exaudire peccatores,cum in Sacra Scriptura habeatur plures peccatores exauditos fuiſſe:ſed diſtinguendum eſt : Vel peccatores ſunt in peccato exiſtentes , & manentes actu,& affectu, & volentes in ipſo perſiſtere ; vel ſunt peccatores peccata recognoſcentes,& ſe peccatores æſtimantes;ait enim Matth. c.9. Non veni vocare juſtos,ſed peccatores;iſtoſque exaudit,ſicut exaudivit Publicanum : primos autem non exaudit,& hoc meritò, ratione elongationis eorum ab eo,& interpoſitionis ſuorum peccatorum inter ſe, & Deum:*Iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos , & Deum;Eſa.c.59.* Tum ob ipſorum abominationem, & diſplicentiam Deo;nam oratio non eſt placabilis,quando perſona diſciplet,quia *reſpexit ad Abel primo,poſteà ad munera ; non verò ad Cain , & ad munera non reſpexit.Gen c.4.& Iſa.1.Cum multiplicaveritis orationes non exaudiam,manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt*;tum propter ſuæ majeſtatis , & ſuæ legis à talibus contemptum , nam *qui autem ſuam avertit , ne legem audiat , oratio ejus erit execrabilis.Prov.28.*& meritò,nonnè hæc eſt temeritas maxima illius , qui ſurdus ad Dei voces vivit, & prætendit audiri , & exaudiri à Deo ſuam orationem?& ideò qui vult exaudiri à Deo, ſit cultor Dei,& faciat ejus voluntatem.*Op.de Prof.Religioſ. lib.2.c.7.1.ſap.c.18.Ioan.c.9.hic.ſer.2.de SS. Doctor. in addit.*

15. *Confeſ*

Digitized by Google

15. *Conformitas noſtræ voluntatis ad divinam quàm Deo chara, & nobis utilis.*

Si quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Nota, quod ad cultum Dei addit facere ejus voluntatem, quia conformitas voluntatis noſtræ ad divinam eſt principium, medium, & complementum perfecti cultus divini, & qui ſic ſe conformat, exauditur à Deo: ſed quomodo, & in quo exauditur? exauditur à Deo per hoc, quòd cor unum fit cum Deo. & ideo peccata ejus delet, ipſum non deſerit in tempore malo, ſcilicet tentationum; exauditur, quia fit frater, ſoror, & mater Chriſti, ipſum concipiens per fidem, & amorem à Spiritu Sancto, & geſtat in utero mentis ſpiritualiter; exauditur, quia deducitur à Spiritu Sancto in omnibus viis ſuis; exauditur tandem, quia elevatur in fine ad gloriam: ſed nota quid ad hoc requiritur, primò voluntatem Dei cognoſcere, ſecundò cognitam facere, tertiò pro facienda Dei voluntate mala ſuſtinere. *Sermon. 3. Dom. 8. Penteceſt.*

16. *Oculi animæ non aperiuntur ſine ſpute, & luto Chriſti.*

A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati, niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam. Ecce quo argumento probat iſte cæcus Chriſtum eſſe à Deo, quod verificatur maximè, & continuè in nobis; nam aperiri non poſſunt oculi animæ noſtræ ad videndum, & percipiendum myſteria cœleſtia ſine ſputo, & luto, ſcilicet ſine concurſu Chriſti Jeſu, & noſtri humiliatione. *Serm. 1. Dom. 11. Penteceſt.*

17. *Qui à mundanis, & à mundo propter Chriſtum ejicitur, ſtatim à Chriſto recipitur.*

Et ejecerunt eum foras: audivit Jeſus, &c. & dixit ei, tu credis in Filium Dei? Vide, quod corruptio unius, eſt generatio alterius: ex ejectione cæci facta à Phariſæis extra ſynagogam, & ipſorum ſocietatem, ſtatim ſecuta eſt acceptatio Chriſti; quia ejecto cæco ſtatim inventus eſt à dominatore templi, ejectus eſt à conſiſtorio peſtilentioſo, & poſitus eſt in ſalutari fonte, dehonoratus eſt ab hoſtibus Chriſti, honoratus eſt ab Angelorum dominatore; talia ſunt virtutis bravia; ita & nos, ſi conviviam paſſi fuerimus propter Deum, honorabimur. *Ioan. c. 9. hic.*

18. *Gratitudo beneficiorum quàm Deo accepta: ingratitudo quam exoſa.*

Credo Domine, & procidens adoravit eum. Ecce complementum hujus magni miraculi; in quo nobis primò dat intelligere, quam magna fuerit gratitudo hujus cæci, quia tam viriliter, & conſtanter defendit partem Domini Jeſu ante ipſos Principes, & Majores Judæorum, & nec in uno verbo pepercit eis, cum tamen adhuc non vidiſſet Dominum Ieſum, eligens potiùs ejici extra Synagogam: ſecundò ex hoc confunditur noſtra ingratitudo, dum videmus infinita miracula, & majora beneficia ſuſcipimus, & tamen non ſolùm non profitemur veritatem, & pro ea nihil ſuſtinere volumus, ſed potiùs ingratiſſimi vivimus contra Deum: tertiò proponitur perfecta adoratio Jeſu facta à cæco, qui procidens adoravit Ieſum & interiùs, & exteriùs, ut intelligamus, & diſcamus & nos gratias agere Deo pro tot beneficiis, eique ſervire toto corde, quia ingratitudo eſt inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, bonorum perditio, ventus urens, & ſiccans fontem pietatis, rorem miſericordiæ, & fluenta gratiæ. *Op. medit. capit. 63. Ioan. c. 9. hic.*

19. *Chriſtus quomodo dicitur veniſſe in judicium, ut qui vident, cæci fiant, & qui non vident videant*, & id, quod dicit ad Phariſæos quomodo ſit verum; *Si cæci eſſetis non haberetis peccatum? nunc verò dicitis; quia videmus; peccatum veſtrum manet.* Hæc verba videntur prima facie continere contradictoria, & apparent difficilia: quomodo enim venit Chriſtus in judicium ad obcæcandum videntes, & illuminandum cæcos? & quomodo dicitur, ſi Phariſæi eſſent cæci, non haberent peccatum, ſed quia non ſunt cæci, manent in peccato? Attamen continent hæc verba notabilia myſteria, & altiſſima; pro quorum intelligentia ſupponit Chriſtus id, quod eſt certiſſimum, nempè quod in homine eſt duplex oculus, ſcilicet concupiſcentiæ, & orationis, nec ambo unquam ſunt ſimul clauſi, vel aperti; ſi unus clauditur, alter aperitur: In judicium ergo venit Chriſtus, ſcilicet ad diſcernendum credentes à non credentibus, ſicut lux à tenebris, & quia videntes, ideſt qui putant ſe videre, medicum non quærunt, venit ipſos obcæcare, eiſque claudere oculum concupiſcentiæ ut oculo rationis utantur, & non videntes, ideſt qui ſe indigentes humiliter æſtimant, venit eos reddere videntes, & cognoſcentes Dei myſteria, & hinc Phariſæi, qui ſe videntes æſtimabant ex ſuperbia, non receſſerunt à peccato, & in ſua obſtinatione perſiſterunt: ô Deus nobis claudat oculos concupiſcentiæ, & aperiat oculos rationis. *Pſal. 105. Ioan. c. 9. hic: & c. 15. verſ. 2.*

Digitized by Google

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Præmiſſâ multiplicî doctrin Salvatoris manifeſtatâ verbis, & miraculis; nunc oſtendit qualitates Præſidentium, & Paſtorum, & quis ſit erroneus, quis verus; qui verus Paſtor, & quis fur: Hoc autem dixit occaſione, qua Phariſæi ſe jactabant videre, & ſic alios docere, & gubernare, oſtendens eos fures, & latrones, quia non intrabant per oſtium.*

CAP. X.

2. *Paſtor verus quis ſit, & quis fur, & latro; & quid ſit intrare per oſtium, & quid aliunde.*

AMen dico vobis, *qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde; ille fur eſt, & latro; qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ovium; huic oſtiarius aperit, &c.* Notabilia ſunt hæc verba ſalvatoris, in quibus oſtendit quis ſit paſtor verus, & quis falſus, & fur, & latro, ſcilicet qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſcilicet ad regendum oves Chriſti, ille fur, &c. nempè qui non intrant per Chriſtum ſe humiliando, ut ſano capite poſſint tranſire, ſed aſcendunt aliunde, ſcilicet præter Chriſtum, non rectè ſentiendo de ipſo, ut ſunt Hæretici, vel non quærendo gloriam ipſius, ſed quæ ſua ſunt, ideſt per violentiam potentiæ, vel fallaciam ſæcularis aſtutiæ, magis quærendo commoda temporalia, quam honorem Dei, & ſalutem animarum, non per Chriſtum intrant, & iſti ſunt fures, quia quod alienum eſt, ſcilicet oves ſuas, dicunt eſſe ſuum; latrones; quia quod furati ſunt, occidunt, & ideò ut fures, & latrones furtim, & non palam intrant: Et hinc in his verbis figuratur malignitas paſtoris ficti in tribus; primò in illegitimè intrando, quia non per Chriſtum: ſecundò in alienum uſurpando, quia fur eſt: tertiò & in mactando ſcilicet vel pernitioſo dogmate, & documento, vel pernitioſo exemplo, vel perverſo imperio, vel doctrinam debitam ſubtrahendo: Officium verò boni paſtoris cognoſcitur, primò in intrando legitimè per Chriſtum, ſcilicet juſtè, & recta intentione ad Chriſti honorem, & ſalutem animarum: ſecundò in doctrinam Chriſti annuntiando: tertiò in animas ſibi commiſſas diſtinctè cognoſcendo: quartò per vias juſtitiæ commiſſas animas deducendo: quintò alios ſancto exemplo præcedendo; & talibus Chriſtus, qui eſt oſtium, & oſtiarius, aperit, & oves ipſum ſequuntur. *Ioan. cap.10.hîc: & aliis locis infracit. op. Apol. Paup. Reſp.4.c.3.*

3. *Oves quænam Chriſtum ſequuntur, & quomodo, & quænam diabolum.*

Et oves illum ſequuntur, & vocem ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. Nota, quod cum Chriſtus ſe Paſtorem verum profiteatur, dat etiam intelligere, quales ſint oves ipſum ſequentes, & ideo innuit hîc qualis ſit ſequela ovium in ordine ad Chriſtum; dicit igitur, & oves illum ſequuntur, quia antè eas vadit; & quomodo ſequuntur Paſtorem? illæ ſunt, quæ ſequuntur in ſancta converſatione toto corde, non dimidio, quia hoc eſt ſequi diabolum, volentes Chriſto ſimul. & diabolo ſervire, quod eſt impoſſibile; ſequuntur autem Chriſtum per crucem, & de cruce quia nulla alia via eſt ſequendi Chriſtum; oves autem, quæ ſic Chriſtum ſequuntur educuntur tandem ex hac vita, & in æternam gloriam introducuntur. *Ser.1.ſer.3.Pent. Luc.c.19.v.28.*

4. *A Chriſto per Chriſtum ad Chriſtum introeundum in Paradiſum.*

Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & paſcua inveniet: huic oſtiarius aperit, Scilicet qui per oſtium intrat, &c. Si Chriſtus eſt oſtium, quis oſtiarius? & ad qualem domum per hoc oſtium ingreſſus habetur? Nota iſta mirabilia: Chriſtus eſt oſtium, & eſt oſtiarius introducens, & domus eſt ipſe in ſe intrantem recipiens; ratio eſt, quia eſt Deus homo, factuſque eſt noſter ductor, & via, ut ab ipſo Chriſto per Chriſtum ad Chriſtum introeamus; unde Chriſtus cum ſit oſtium per ipſum intratur in Chriſtum, ſcilicet in unitatem corporis ſui, ideſt Eccleſiæ, & fit ingreſſus in abdita, & arcana Scripturarum, & tandem ad cœleſtem gloriam. *Ioan.colla.48.Luc.c.12.v.37.*

5. *Chriſtus eſt oſtium, per quod intratur in theſauros ſanctiſſimæ Trinitatis.*

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & paſcua inveniet. Si introierit; quo? introierit in locum ſalutis, & paſcuæ; introierit inquam primò per fidem in cognitionem myſteriorum Sanctiſſimæ Trinitatis, ibique ſalutem, & paſcua inveniet, & poſſidebit. *Op. de dono intell. cap.5. Luc. c.8.v.16.*

6. *Chriſtus ut Deus, & homo oſtium noſtrum.*

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit. Scilicet introierit totus & corpore, & anima; ſed quomodo? Nota mirabile myſterium: homo compoſitus corpore, & anima non poterat introire in paſcua ſpiritualia, niſi anima, & ſpiritu; quid fecit Chriſtus? carnem aſſumpſit factus homo, ſeque oſtium exhibuit, ut Deus, & homo animæ, & corpori, ſe offerens ſenſui noſtro corporale objectum, nempè oſtendendo ſuam humanitem, vulnera, ſpecies ſenſibiles Euchariſtiæ, & alia Sacramenta: oſtium item intellectui per fidem reſerarum, oſtium voluntati per charitatem apertum, ut homo poſſit intrare, & egredi; intrare, ad contemplationem divinitatis, egredi ad imitatio

lemitationem meæ humanitatis, & utrobique paſcua inveniet æternæ jucunditatis, & ſalutis, & per paſcua humanitatis perveniet ad paſcua diviniratis. *Op. de ſeptem itiner. æternit. d. 1. & itin. 6. d. 5. op. Itinr. mentis capit. 4. & op. Amatorium.*

7. *Sine demiſſione capitis non poteſt intrari per hoc oſtium.*

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit &c. Nota, quòd per Chriſtum ſolum poteſt intrari in paſcua cæleſtia, ideòque neceſſe eſt, ut intrans ſe conformet, & ſubjiciatur tali oſtio, & quia oſtium eſt anguſtum, ego ſum mitis, & humilis corde, ait Chriſtus; ideò ad intrandum neceſſe eſt demittere caput, & ſe humiliari, ut ſano capite poſſit intrare; alioquin volens intrare alto capite, fractum remanebit. *Op. Diat. it. 3. c. 1. Joan. collat. 48.*

8. *Chriſtus eſt oſtium, per quod juſti intrant, & egrediuntur, abſque eo, quòd talem manſionem derelinquant.*

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſalvabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet. Quid eſt ingredi, & egredi? ergonè intrans in Chriſtum, & ad Chriſtum ex ipſo debet egredi? & ſi egrediatur, quomodo ſalvabitur, & paſcua inveniet? ſed optimè dicitur, & in hoc apparent mirabilia opera Chriſti: Intrans in Chriſtum per Chriſtum debet ingredi ad meditanda quæ Dei ſunt, quæ ſunt credenda, quæ amanda, quæ appetenda, & quæ vitanda: debet & egredi ad mandata Dei adimplenda; & talis ſalvabitur: & paſcua inveniet, ſcilicet interna gaudia conſcientiæ, documenta, & myſteria delectabilia ſuperna, & æternorum gaudiorum bona. *Joan. collat. 48.* Nota, quòd hoc erit perpetuum exercitium Beatorum, ingreſſus ſcilicet ad intuitum divinitatis, egreſſus ad aſpectum humanitatis. *Op. Diat. it. 10. c. 6.*

9. *Chriſti vulnera ſunt portæ, per quas intrare poteſt anima intra Paradiſum.*

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit &c. Quomodo per Chriſtum? quibus penetralibus? ecce quòd Chriſtus dicens ego ſum oſtium; ego ſcilicet Chriſtus Deus, & homo; ſum oſtium ego ſenſibile, & expoſitum, in cruce crucifixus; per me ſi quis introierit, ideſt per mea vulnera, quæ ſunt portæ omnibus expoſitæ, ut quicumque, ſi voluerit, poſſit per ea intrare ad penetralia Domini Jeſu Chriſti, ibique Paradiſum invenire, deliciari, & perfrui. *Op. ſpim. p. 1. c. 1. ep. de ſeptem itiner. æternit. d. 1. & itin. 6. d. 5.*

10. *Chriſti lateris vulnus oſtium vitæ.*

Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit. Audi ô anima hæc dulciſſima verba Domini Jeſu; per me, ait, ſi quis introierit; ſed qua parte? per te ô bone Jesu; per me ex medio mei, ex parte cordis, per oſtium vulneris lateris; qui per hoc oſtium intraverit, paſcua, & ſalutem inveniet; inveniet omne medicamentum ſalutiferum neceſſarium ad ſanitatem obtinendam, conſervandam, & confortandam; ecce igitur aperta eſt janua Paradiſi, & per lanceam militis gladius verſatilis eſt amatus; ecce apertus theſaurus divinæ ſapientiæ, & charitatis æternæ; intra, intra ergo ô anima per hanc aperturam & cum cognitione deliciis obtinebis. *Op. ſti m cit.*

11. *Intrans per feneſtras vulnerum manuum, & pedum Chriſti, ut prius fur furatur divitias cæleſtes.*

Ego ſum oſtium &c. Nota, quòd ſuprà dixerat, qui non intrat per oſtium, ille fur eſt, & latro, ergo intrans per feneſtras, & non per oſtium ille fur eſt, & latro: Nota hic perbellum myſterium anagogicum; oſtium hoc eſt Chriſtus; oſtium hoc item eſt vulnus lateris, feneſtræ corporis Chriſti ſunt vulnera manuum, & pedum, ergo qui intrat per iſtas feneſtras erit pius latro; & quomodo hoc? ecce quod accidit Seraph. Doct ſic dicenti: O amantiſſima vulnera Domini noſtri Jeſu Chriſti; cum quadam vice in ea ſubintrarem oculis apertis; ipſi oculi ſanguine ſunt repleti, ſicque nihil aliud videns cæpi ingredi, manu palpans, donec pervenirem ad intima viſcera charitatis ſuæ quibus poſt undique circumplexus reverti nequivi; ideòque ibi inhabitans, quibus cibis veſcitur veſcebar, ſuoque potu inebriabar tanta abundans dulcedine, ut non valeam enarrare; ſed tunc timor me invaſit, timens, ut me extra pariat, & ejiciat; quid igitur faciam in tali eventu; & en conſilium bonum mihi ſubvenit; ſciens enim, quòd ſemper feneſtræ ſuorum vulnerum ſunt apertæ, tunc per ea iterum intrabo, & hoc certè toties replicabo, quouſque ero ſibi inſeparabiliter conglobatus. *Op. ſtim. cit.*

12. *Diabolus, & peccatum fur, & latro, qui furatur, mactat, & perdit; Chriſtus totus ad elargiendum vitam; & omnia bona.*

Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat, ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Ecce quomodo Chriſtus ſeipſum contraponit diabolo; nam diabolus per peccatum fur iniquiſſimus, qui furatur noſtra merita, mactat in culpa, & perdit in gehenna, vel per peccatum mortale in nos affert omnia mala, furatur bona ſpiritualia, mactat corporalia, & perdit temporalia; ideò veluti graſſator viarum in inſidiis inceſſanter ſtat ad perdendum hominem: Chriſtus è contra venit, ut vitam gratiæ nobis in hac vita conferat, & vitam gloriæ abundantius in alia vita. *Ser. 2. fer. 3. Pentec. ſer. 2. Dom. 1. Adv.*

13. *Chriſtus bonus Paſtor ovium ſuarum demonſtratur.*

Ego ſum paſtor bonus; bonus paſtor dat animam ſuam pro ovibus ſuis. Si hoc eſt verum, quis ergo bonus paſtor poteſt appellari in hoc mundo? quis unquam dedit animam pro ovibus? ſed attende ad digniſſimam ſimilitudinem, nam ſicut videmus paſtorem ovium temporalium totum occupatum die, ac nocte patiendo quaſcumque

Digitized by Google

que præſſuras pro ovibus ſuis, ſic & multò altiùs, & perfectiùs Chriſtus fecit nobiſcum; cum enim eſſet conſtitutus paſtor triumphantis, & militantis Eccleſiæ, amiſſa ove humana collocans Angelicum gregem in deſerto divinæ oblectabilitatis, induit veſtimentum humanæ carnis, & tandiu perditam ovem viſibiliter quæſivit, quouſque inter hiatum Dæmonum invenit; ut eam à morſibus eorum liberaret, proprium corpus morti expoſuit, ut ſic inventam, & liberatam ad ovile cæleſtis patriæ reduceret, & una cum grege Angelico in quiete collocaret. *Serm. 1. Dom. 1. poſt oct. Pentec. ep. lignum vitæ.*

14. *Chriſti Paſtoris munera ad ſalutem ovium expenduntur.*

Ego ſum paſtor bonus. Nota, quòd melius non poterat explicari immenſus amor Chriſti in hominem, quàm nomine Paſtoris boni, tum ob diligentem executionem officii paſtoralis; tum ob latitudinem benevolentiæ in expoſitione corporis propri; tum ob diſcretionem prudentiæ in ſubventione ſui gregis; nam ob diligentem executionem ſui officii paſtoralis, paſtor ſua animalia erudit, & domeſticat exteriori verbo, paſcit corporali ſubſidio, cuſtodit virili præſidio; ſic Chriſtus erudit humanum genus documento prædicationis, & verbi Dei, paſcit Sacramentali refectione, & defendit virili protectione; per primum illuminat intellectum; per ſecundum dulcorat affectum; & per tertium roborat effectivam potentiam: commendatur ſecundò à latitudine benevolentiæ in expoſitione proprii corporis, primò in pretium humanæ redemptionis ad liberandos captivos; ſecundò ad inflammandum tepidos; tertiò ad animandum timidos: commendatur tertiò à diſcretione prudentiæ in liberatione proprii gregis ſui non alieni, nempè ovium, quæ Chriſti ſunt imitatores in ſimplicitate per rectam intentionem; in tractabilitate patientiæ per tolerantiam tribulationum, & in fœcunditate in multiplicatione fœtuum, ſcilicet bonorum operum. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ. Ioan c. 10. hic & collat. 49.*

15. *In Chriſto iterum munera boni Paſtoris expenduntur.*

Nota, quod Paſtor dicitur à paſcendo; undè bonus paſtor paſcit oves ſuas diligenter; ſecundò eas defendit à luporum rabie; tertiò eas cognoſcit; quartò eas unitas, & congregatas in ſuo ovili conſervat; ſic Chriſtus paſcit ſuas oves per doctrinam, per gratiam, per Euchariſtiam: ſecundò defendit eas contrà lupos, ſcilicet dæmones, ne capiantur, & ne lacerentur: tertiò eas cognoſcit, & diſcernit eas ab aliis ovibus transformatis in lupos; cognoſcit inquam cognoſcentes ſe, & ſibi per omnia obedientes, approbando eas in numero electorum ſuorum: quartò eas unit ſimul; totum enim ſtudium Chriſti eſt in congregando oves in unum per fidem, & charitatem, ut fiat unum ovile, & unus paſtor, & ut eas in fine reducat ad ſocietatem Angelorum. *Serm. 2. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ: Ioan. collat. 49.*

16. *Quatuor genera Paſtorum hic à Chriſto enumerantur, vel potiùs Prælatorum bonorum, & malorum.*

Ego ſum Paſtor. &c. Nota, quod in hoc textu in medium ponitur Paſtor, mercenarius, fur, & lupus: primus ponit animam ſuam pro ovibus: ſecundus eum videt lupum fugit: tertius intentus ad furandum: quartus ad occidendum: primus imitandus; ſecundus tolerandus: tertius cavendus: quartus baculo arcendus. *Pſal. 79.*

17. *Chriſtus animam ſuam, ideſt vitam morti expoſuit pro ſalute animarum contrà iniquos procurantes ſcandalis perditionem ipſarum.*

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis; ego ſum Paſtor bonus & animam meam pono pro ovibus meis: Sed quiſnam eſt paſtor, vel unquàm inventus eſt paſtor, qui propriam vitam expoſuerit morti pro ſalute irrationalium? quomodo igitur dicit Chriſtus, quod bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis? ſed attende: ad litteram per, ly. animam ſuam intelligit vitam corporalem, & ipſam expoſitam laboribus, fatigationibus perpetuis pro ſalute ovium; at utitur tali modo loquendi Chriſtus, ut ſe Paſtorem ſuper omnes paſtores oves diligentem oſtendat, qui non ſolùm expoſuit ſe laboribus, ærumnis, ſed & ipſi morti pro ſalute hominum; & ideò bene dicit, & ego pono animam meam pro ovibus meis, ſcilicet in pretium Redemptionis, ut ſe opponeret iniquis laborantibus, & omnes ſuas vires exponentibus ad perdictionem ipſarum, & ut nos de captivitate diaboli liberaret; dedit & animam ſuam in ſignum dilectionis, quia cum inimici eſſemus, tamen ſeipſum expoſuit in victimam Patri pro noſtra reconciliatione, ſolùm expectans à nobis imitationem tanti exempli, & jugem recordationem tanti beneficii. *Ser. 1. & 3. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ.*

18. *Duplicem crucem, & duplicem Paſſionem ſubiit Chriſtus pro ovibus ſuis.*

Et animam meam pono pro ovibus meis. Cur dicit animam, & non potiùs corpus, quod morti fuit ſubjectum? vel cur non dicit meipſum pono, & expono morti? ſed hoc dixit Chriſtus volens oſtendere, quòd non ſolùm corpus, ſed & animam expoſuit Paſſioni duplici, & cruci pro nobis; aliam interiorem; exterior fuit illa, qua in corpore exteriùs paſſus eſt, & crucifixus in ligno, & mortuus: Interior fuit miſericordiæ, & compaſſionis; prima lignea, ſecunda aurea; prima gravis, & pœnoſa; ſecunda graviſſima, & pœnoſiſſima: primam ſubiit in fine vitæ, ſecundam per totum tempus vitæ: undè, notanter dicit animam meam pono de præſenti pro ovibus meis, ſcilicet mihi continua eſt crux, & pœna ab inſtanti conceptionis uſque ad finem, per quam tantus dolor me ſemper afflixit, ut numquam alius ipſi ſimilis fuerit. *Op. Diſt. tit. 7. cap. 4.*

19. *Merces*

19. *Mercenarius paſtor quis ſit: Ubi paſtores animarum inſtruuntur in ſuo officio.*

Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, &c. Nota, quod hic aſſignat diſcrimen inter verum, & fictum Paſtorem; fictus enim eſt mercenarius, ſcilicet qui quærit, non quæ ſunt Ieſu Chriſti, & ſalutem animarum, ſed quæ ſua ſunt, & proprium commodum, & utilitatem temporalem, Deumque non propter Deum quærens, ſed propter lucrum temporale, iſte dicitur mercenarius, & non paſtor quia locum paſtoris tenet, ſed lucra animarum non quærit, & ideo non eſt paſtor ab affectu, & ſecundùm rei veritatem, & ejus non ſunt oves ſecundùm veram dilectionem; & talis videns lupum venientem, ſcilicet injuſtum oppreſſorem, vel raptorem, vel ſcandaloſum, vel diabolum, qui dilaniat mentes, alium ad luxuriam pertrahendo, alium ad avaritiam, & ſic de aliis vitiis, fugit, quia dum pericula timet, reſiſtere injuſtitiæ non præſumit, fugit non mutando locum, ſed ſubtrahendo ſolatium; fugit tacendo, non reprehendendo, timens inimicitiarum humanarum moleſtias; & ſic in cauſa eſt, quod diabolus rapit, & diſpergit oves: ô quam verum, væ talibus Paſtoribus: ô Paſtores animarum attendite ad hæc verba Chriſti. *Luc.c.11.v.23. & c.8.v.34. & c.9.v.50. Ioan.c.10.hic.*

20. *Chriſti proprium eſt congregare oves, diaboli diſpergere.*

Et lupus rapit, & diſpergit oves. Vide quale officium diaboli, nempe diſpergere oves Chriſti per diviſionem; & diſcordiam, eaſque ſeparare à Chriſto, & inter ſe, ut faciliùs eas diſſipare valeat: cum Chriſtus ex oppoſito totum ſuum ſtudium collocet, ut fiat unum ovile, & unus Paſtor. *Luc.c.11.v.23.*

21. *Signum diſtinctivum inter oves Chriſti, & porcos diaboli.*

Et ego cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Sed quid eſt, quod cognoſcit Chriſtus? nonnè & cognoſcit omnes oves, & omnia? minimè tali pacto, ſcilicet notitiâ approbationis: ſed per quid eas cognoſcit? quale eſt ipſarum ſignum? nota illud correlativum, & cognoſcunt me meæ; ſcilicet agnoſcunt meæ oves me ipſarum Paſtorem, agnoſcunt obtemperando, & humiliter ſe ſubjiciendo meis præceptis, & diſponendo ſe per exercitium virtutum ad gratiam, & tali pacto eas cognoſco, non ſic oves, vel potius porcos diaboli, ſeu hædos reprobos. *Op. Diat. tit.5.c.1. Ioan.hic. ſer.4.Dom.1.poſt oct.Paſchæ.*

22. *Chriſtus totus eſt ad congregandum omnes in ovile Eccleſiæ, ut ex hædis fiant oves.*

Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Paſtor. Nota, quod iſtæ oves fuerunt gentes credituræ in Chriſtum, quæ non fuerant priùs de ovili Eccleſiæ, & ideò natus voluit collocari inter bovem & aſinum, ut demonſtraret ſe veniſſe ad vocandum duos populos Gentilem, & Judaicum; & ut omnes adduceret per ſe, per Apoſtolos, & miniſtros, per fidem, & charitatem in unum ovile, & in unam Eccleſiam: Addit autem ſuprà, quod oves ſuas vocat nominatim; nempè adductas ad pœnitentiam deducit ad profectum virtutum proficientes, & perducit ad ſtatum perfectum, ad Religionem; educit decedentes de exilio, & inducit in gloriam. *Ser.4.Dom.1.poſt oct.Paſchæ. Luc.c.13.v.29. c.19.v.19. & c.3.v.7.* Cætera, quæ ſpectant ad hoc capitulum habes expoſita in Comment. *in Ioannem c.10.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. Nota, quod in hoc capitulo enarratur regreſſus Chriſti à Iordane ad Ieruſalem; reſuſcitatio Lazari cum ſuis circumſtantiis; & machinatio Iudæorum contra Chriſtum: Totam autem expoſitionem & litteralem, & myſticam habes in textu comment. S.Bon. in hunc locum; ideò ſolùm aliqua moralia infrà exhibentur.

CAP. XI.

1. *Qui à Chriſto amatur infirmitatibus ſubjicitur ſuper alios.*

Erat quidam languens Lazarus, &c. Domine quem amas, infirmatur. Hiſtoria eſt nota: quæritur hic, cur cum amore Chriſti copulatur infirmitas? cur non potius dicendum, quem amas, conſolatur? ſed reſpondetur, quod iſtæ ſunt viæ Domini Ieſu; hoc eſt, quod facit Dominus cum ſuis amicis, ſcilicet immittendo in eos tribulationes, & infirmitates; & ideo hic docemur, ne triſtemur, ſi aliqua infirmitas torquet amicos Dei; ſigna enim amoris Dei in nos ſunt tribulationes. *Ioan.c.11.hic Pſal.21.*

3. *Qualem familiam ſibi eligit Chriſtus, ut cum ea habitet.*

Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ, & Marthæ ſororum ejus. Ecce qualem familiam elegit ſibi Chriſtus, cum qua ſæpè moratur; nempè Lazarum, Mariam, & Martham: myſticè autem in Martha activi, in Maria contemplativi, in Lazaro compoſiti ex utroque, ſcilicet ex vita activa ſimul, & contemplativa, ſignificantur; & iſtos eligit Chriſtus ad ſuum obſequium; & omnes iſti habitant in Bethania, quæ interpretatur domus obedientiæ, hæc enim eſt domus, in qua habitat libenter Chriſtus, & per quam obedientiam anima firmatur in Dei ſervitio. *Ioan. cap. 11. hic. Op. Diat. tit.4. cap.1.*

4. *Ad lucem exemplorum Chriſti ambulandum. ut ſine offenſione peragatur iter ad Cœlum.*

Nonnè duodecim ſunt horæ diei? ſi quis ambulaverit in die, non offendit. &c. Ad litteram diſcipuli Chriſto dixerunt, quod Iudæi ipſum volebant occidere, undè ei ſuadere intendebant, ne in Iudæam ambularet; Chriſtus eis reſpondit, quod duodecim ſunt horæ diei, ſcilicet quod voluntas hominis eſt ambulatoria, & mutabilis: ſed myſticè eis oſtendit ipſum eſſe diem, & ipſos eſſe veluti duodecim horas; & ideò eorum munus erat ipſum ſequi, non præcedere, nec anteponere ſuum ipſorum conſilium; quaſi diceret nolite mihi dare conſilium, quos à me conſilium oportet accipere; horæ diem ſequuntur, non è converſo: oſtendit igitur, ſubdens, qui ambulat in hac die, non offendit, quod ſequens conſilium Chriſti, & faciens ejus voluntatem, per ipſius imitationem, non poteſt offendere, quia iſte de die, non de nocte ambulat; hoc eſt ambulat humilis in converſatione, ſtabilis in fide, in verbis modeſtus, in factis juſtus in operibus miſericors, in moribus diſciplinatus, in injuriis patiens, pacificus cum omnibus, crucifixo fortiter aſſiſtens, & charitati ejus inſeparabiliter adhærens, & Chriſto nil præponens: ô felix, qui ſic ambulat in tali die? *Op. de dono conſil. cap. 4. Ioan. c. 11. hic.*

5. *Chriſtus per Incarnationem, & electionem Apoſtolorum* diem perfectam duodecim horarum Eccleſiæ exhibuit ut unuſquiſque operaretur, & ſua opera perficeret ad lucem hujus diei imitando Chriſtum, & ejus ſanctos, & noctem peccati, & peccatorum fugeret; undè benè dicit Chriſtus; Nonnè duodecim ſunt horæ diei? *Op. Expoſ. Reg. c. 3. Luc. c. 6. v. 13.*

6. *Somnus peccati quàm pernitioſus, & Chriſtus qualiter excitet nos dormientes.*

Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut à ſomno exſitem eum. Nota, quod Chriſtus loquebatur de ſomno peccati, in quo peccator dormit; appellat autem peccatum ſomnum, quia ſicut in ſomno eſt ligatio ſenſuum, & operum vigiliæ privatio, & hominis immobilitatio, & corporis infrigidatio, & per conſequens diſſolutio, & debilitatio, maximè ſi ſomnus eſt immoderatus, tunc enim eſt ſomniorum vanorum multiplicatio, & inanis lætificatio: & ſine cauſa contriſtatio; item malorum circumſtantium, & imminentium ignorantia, periculorum imminentium improviſio, præteritorum immemoratio: ſic in ſomno peccati: nam in peccato eſt ligatio ſenſuum, ne dirigantur in proprias operationes, quia peccata ſunt vincula, & funes, quibus etiam aggravatur, & immobilitatur anima ad opera meritoria; peccatum etiam diſſolvit vires animæ, & eas debilitat ad bonum; aufert & vim meditationibus & ſanctis cogitationibus, lætitiam vanam affert, & triſtitiam irrationabilem, & ignorantiam periculorum imminentium: ô utinam & nobis dormientibus in tali ſomno dicat Chriſtus; *Vado, ut à ſomno exſitem eum*: excitat autem Dominus infuſione ſuæ gratiæ, clamore doctrinæ, illuſtratione ſuæ ſapientiæ, & impulſu ſuæ caſtigationis, & tribulationis. *Ioan. cellar. 51.*

7. *Chriſtus deputatus à Patre, ut à ſomno excitet quarta die peccatores mortuos.*

Et invenit eum jam quatuor dies in monumento habentem. Cur expectat quatuor dies habentem? Chriſtus Ieſus miſſus eſt à Patre, ut in quarta die excitet mortuos; invenit enim totum genus humanum mortuum, in prima die, ſcilicet in tempore ante legem; in ſecunda ſub lege, in tertia in tempore gratiæ, & deindè in quarta die ſuprà legem, ſcilicet in tempore Reſurrectionis generalis ſuſcitabit omnes homines. *Serm. 1. Dom. 3. Pent.*

8. *A quatuor mortibus ſuſcitaturus genus humanum venit.*

Et invenit eum, &c. O miſerum genus humanum inventum à Chriſto jam quatuor dies in monumento mortuum, ſcilicet in tranſgreſſione, & contractione peccati originalis, in tranſgreſſione legis naturalis, in tranſgreſſione legis ſcriptæ, & legis Evangelicæ, & ideo venit Ieſus ad ſuſcitandum hominem ab his mortibus. *Ioan. c. 11. hic.*

9. *Per Martham, & Mariam excitatur ad ſuſcitandum mortuos Ieſus.*

Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus, ſed & nunc ſcio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Nota, quod hoc idem dixit Maria, & ideò ad ſupplicationem, & propter amorem Marthæ, & Mariæ ſuſcitavit Chriſtus Lazarum: myſticè dat intelligere, quod ad reſuſcitationem perfectam concurrit Ieſus, ſed per Martham, & Mariam, ſcilicet opus exterius, & interius, per activam, & contemplativam, per confeſſionem, & contritionem, & compunctionem peccatorum. *Pſal. 11.*

10. *Præſentia Chriſti elongat mortem à nobis.*

Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. O quàm benè dixerunt iſtæ duæ ſorores Chriſto, ſi ibi fuiſſet, mors non potuiſſet vitam auferre fratri: ſciebant enim, quod cum ſit Dominus in omnibus creaturis per eſſentiam, per præſentiam, & potentiam, quia in ipſo vivimus, movemur, & ſumus, ultrà hoc requiritur alia præſentia ſcilicet per gratiam, dum enim adeſt per gratiam ſanctificantem, per actualis adjutorii evidentiam, per aſſumptæ humanitatis veritatem, & per præſentiam ſacramentalem, tunc mors nihil poteſt in nos: ô Deus nobis concedat ſemper nobiſcum eſſe tali modo. *Ioan. cellar. 42.*

11. *Chriſtus;*

11. *Chriſtus eſt Reſurrectio, & vita effectivè, & cauſaliter.*

Ego ſum Reſurrectio, & vita. Hoc dixit Chriſtus Marthæ, talis enim Chriſtus Jeſus eſt virtute divinitatis, & meritò humanitatis; eſt enim Reſurrectio ſua corporalis, quia propria virtute reſurrexit, & non miniſterio alterius; Reſurrectio eſt ſpiritualis omnium fidelium, & in judicio erit omnium hominum. *Ser. 6. in Paſcha. Joan. c. 11. hic: & collat. 50.*

12. *Anima amans Deum ab ipſo vocata, cætera omnia deſpicit.*

Et cum hæc dixiſſet Martha, abiit, & vocavit Mariam ſilentio dicens, magiſter adeſt, & vocat te, illa ut audivit ſurgit cito, & venit ad eum. Vide, quod Maria; dum tota abſorpta erat in fletu, & inter lachrymas propter mortem fratris, ſtatim ut ſentiit ſe vocatam à Chriſto, omnia relinquit, & oblita fratris, & ſine mora feſtina cucurrit ad Chriſtum, magis impulſa, & excitata ab amoris alis, quàm pedibus, ex gaudio, ex ſalvatoris adventu, & ex deſiderio videndi eum, & colloquendi; & ex ſpe ſolatii; quia Deum amans ab ipſo vocatus ſtatim relinquit omnia, & feſtinus currit ad Chriſtum fontem vitæ. *Ser. 5. de S. Magdal. Joan. c. 11. hic.*

13. *Mulieres maximè commendantur ex ſilentio, & taciturnitate, & maximè à Deo vocata in Religionem.*

Vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio. Nota, quòd non ſine myſterio dicitur Martha vocaſſe Mariam ſilentio, & hoc ad maximam laudem Marthæ, & majorem Mariæ, quæ cum ſilentio, ſine planctu, ſine collocutione, vel reſponſione ſubitò cucurrit ad Chriſtum: hæc enim eſt maxima laus mulierum, quæ cum ſint naturaliter loquaces, maximè etiam laudantur ex taciturnitate, & ſilentio, & præcipuè Religioſæ Deo dicatæ; eſt enim maxima confuſio ſexui fœmineo, & maximum dedecus Virginibus Deo dicatis non habere oris cuſtodiam; non ſervare linguæ diſciplinam, cum cuncta mala per linguæ inquietudinem committantur, & ex oppoſito cum ad virtutum perfectionem ſit maximè neceſſarium ſilentium. *Op. de Perfect. vitæ c. 4. Joan. c. 11. hic.*

14. *Oratio perfecta Magdalenæ inſinuatur in hoc, quod dicitur hic; Maria cum veniſſet, ubi erat Jeſus, cecidit ad pedes ejus, & dixit ei, Domine ſi fuiſſes hic, non eſſet mortuus frater meus.* nam & geſtu, & affectu confeſſa eſt Chriſti Majeſtatem, & ſuam humiliationem, ad Chriſtum ſe convertit orando. *Joan. c. 11. hic: Luc. c. 10. v. 39.*

15. *Juſtorum manſuetudo perfecta exigit, ut ſe turbent, infremant, & iraſcantur ubi, & quando debent.*

Jeſus ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos cum ea ploramtes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum. Quid eſt hoc? ergo Chriſtus ſubjectus turbationi, & fremitui? maximè: Chriſtus enim ſubjectus fuit paſſionibus naturæ humanæ, quæ non deordinationem involunt: infremuit, & turbavit ſeipſum, ſed ſine inordinatione rationis; ut oſtenderet, quòd juſti licèt ſint manſueti, tamen debent iraſci, & turbari, ſed non conturbari, iraſci inquam, ubi, & quando debent. *Ser. 6. Hexam. Joan. c. 11. hic.*

16. *Scandaloſi in ſepulchrum mortis ſuis ſcandalis projiciunt amicos Chriſti.*

Ubi poſuiſtis eum? Quomodo Chriſtus interrogat iſtas mulieres, ubi poſuiſtis Lazarum amicum meum? nonnè & ipſe id præſciebat? tum quia non ipſæ poſuerant cadaver in ſepulchrum, ſed miniſtri ad id opus deſtinati? ſed meritò dixit id his mulieribus (ait S. Petrus Criſol.) mulieres interrogat, mulieribus dicit, ubi poſuiſtis eum? hoc eſt quem ego ad amicitiam meam admiſeram, vos in ſepulchro mortis recondiſtis? ô quàm benè id dicitur ſcandaloſis, & maximè mulieribus? ubi poſuiſtis eum, ſcilicet, quem priùs admiſerat Chriſtus ad ſuam gratiam, vos reduxiſtis in regione mortis, inducendo ad peccatum? ô dulcis Jeſu, veni, & vide; vide quot mortuos ſepultos ob malum exemplum: ô quàm grave peccatum eſt ſcandalum, quam noxium, quàm vitandum. *Vide op. Phar. lib. 3. c. 39. op. de modo confit. c. 4. & 6. ſer. 3. Dom. 1. poſt oct. Epiph. ſer. 2. de Apoſt.*

17. *Ad turbationem, ad fremitum, ad fletum ſuo exemplo nos Chriſtus invitat.*

Et lachrymatus eſt Jeſus. Notantur hic tria in Chriſto verè mirabilia: turbavit ſe primò, ſecundò infremuit, tertiò flevit: Ergone his miſeriis Chriſtus ſubjectus? ſed quia ſuis actibus ſemper intendit nos inſtruere; ideò ad ſui imitationem nos provocat, primò ad turbationem, quæ reſidet in corde; ad fremitum, qui eſt cum aliquo ſono exteriori; & ad fletum, qui eſt demonſtratio exterior, & hoc fecit Chriſtus, ut ſe hominem demonſtraret, & nos homines ad idem invitaret, ſcilicet ad contritionem interiorem, quia homo ſe turbat computans quæ bona Dei accepit, & quæ mala reddidit, & cogitans quæ judicia expectat, undè contritio eſt turbatio, & veluti terræ commotio, ſeu terræmotus: Infremitus Chriſti invitat nos ad confeſſionem cum ſpiritu devotionis? lachrymatio ad ſatisfactionem pro peccatis. *Joan. c. 11. hic.*

18. *De trino fletu Chriſti myſteria expenduntur.*

Et lachrymatus eſt Jeſus. Nota, quòd ter legitur Chriſtus fleviſſe, licet ſæpè aliàs fleverit pro nobis, tamen de his tribus vicibus tantùm facta eſt mentio, nempè in morte Lazari, in deſolatione prævisa Jeruſalem, & in cruce: cur hoc? qualia myſteria in his tribus fletibus: Reſpondetur, quòd in morte Lazari deflevit, offendens qualitatem mortis peccati mortalis, & qualiter ſit à nobis deflenda: ſuper Jeruſalem, quòd flenda eſt noſtra cæcitas, & inconſideratio de judiciis futuris, & malis imminentibus peccatorum: & in cruce, quòd deflenda eſt malignitas, & inobedientia

noſtra : oſtendit etiam Chriſtus, quod proprium eſt juſtorum deflere pro ſe,& pro miſeriis,& peccatis proximi : item quam ſanctæ, quam nobiles, quàm Deo charæ ſint lachrymæ provenientes ex dolore peccatorum propriorum, & alienorum cum fuerint à Chriſto ſuis lachrymis conſecratæ : Evigila ergo ô anima ad viſcera compaſſionum, quibus ploravit Chriſtus Jeſus ſuper Jeruſalem, ſuper Lazarum, & in cruce, imo in illis ſuper te, & egrediatur fluvius de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum;imò egrediatur fluvius lachrymarum de loco ſpurcitiarum omnium, quibus repletum eſt cor tuum, ut ſic emundato corde recipere poſſis Chriſtum Ieſum. *Op. de Prapar. ad Miſſam. op. Faſcicul. c. 8. Pſ. 115. Luc c. 16. v. 28. ſer. 2. Cœna : ſer. 1. Dom. 9. Pentec. Ioan c. 11. hic.*

19. *Peccatoris ſtatus miſerabilis expreſſus in fremitu Chriſti, in monumento, in ſpelunca, & lapide ſuperpoſito.*

Et fremens iterùm venit ad monumentum, erat autem ibi ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus. Ad quid iterùm Chriſtus fremit, cum nihil de novo ei acciderit? item ad quid notatur monumentum, ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus? ô attende ad myſteria, & intra in cor Chriſti, qui aſpiciebat ad hominem exiſtentem in peccato mortali habituatum per longum tempus, figuratum in Lazaro ſepulto, & in ſepulchro, & in ſpelunca, & lapide ſuperpoſito. Peccatum enim mortale conſideratum in ordine ad Deum offenſum, facit ipſum fremere, & indignari contra peccantem; nec enim aliud odio habet præter peccatum, & hoc eſt, quod excitat, & accendit contra nos iram Dei; & per hoc Chriſtus invitat nos ad fremendum, & indignandum contra nos ipſos ob offenſam Dei, ut Chriſtus ceſſet à fremitu : ſpelunca autem eſt tenebroſitate obſcura, feritate ſordida, algore frigida, beſtiis, & inſidiantibus inhabitata, ô miſera anima perſeverans in peccato, ecce tua effigies? quia ſpelunca facta es ob doloſam malignitatem, & libidinoſam voluptatem, vel impiam rapacitatem tota involuta in tenebris, ſordida, frigida, abſque calore Spiritus Sancti, & à Dæmonibus inhabitata; & quod eſt deplorabile, lapis ſuperpoſitus eſt tali ſpeluncæ, ſcilicet conſuetud., & permanentia in peccato, & ideò ſepulchrum facta fœtidiſſimum, & horribile. *Ioan. hic.*

20. *Peccator cadaver fœtens.*

Domine jam fœtet, quatriduanus eſt enim. Quid ſcis ô Martha, quod frater tuus fœtet? percepiſti ne hunc fœtorem? ſed hoc verè dicebat; erat enim quatriduanus, & per conſequens jam diſpoſitus ad corruptionem; & hoc maximè verificatur myſticè in peccatore quatriduano, & ſepulto in peſſima conſuetudine peccati; fœtet inquam Deo, Angelis ſibi, & proximo; Deo fœtet, quia talis odor, veluti clamor pervenit ad nares Dei, ipſum excitando ad vindictam, & deſolationem peccatoris, fœtet & Angelis Dei, quia eſt ipſis abominabilis; fœtet proximo ob ſcandala, & malaexempla; fœtet ſibi, quia ſibi ipſi inimicus eſt, ita ut ſæpè peccator ſibi intrà ſe erubeſcat. *Pſalm. 18. & 37. & 62. ſer. 3. Epiph. ſer. 5. Pentec. ſer. 4. Dom. 2. Pentec. ſer. 3. Dom. 19. Pentec. Ioan. c. 11. hic. & collat. 54.*

21. *Mortuo ſepulto ſapè fœtet vivis etiam memoria defuncti.*

Domine jam fœtet. Quid eſt, quod dicis ô Martha? ergo tam citò tibi fœtet frater tuus? ille frater, quem tantum amabas in vita? & pro cujus morte tot lachrymas fudiſti? fœtet enim tam citò tuus frater, cujus bona hæreditaſti? ô quàm benè exprimitur mos multorum execrandus! qui ſtatim ac ſepelitur amicus, conſanguineus, frater, conjux, filius, pater, etiam cum mortuo ſepeliunt ejus amorem, & memoriam, & inducunt oblivionem, & eos in pœnis purgantes relinquunt; verè grandis miſeria! ſi cadit bos, vel aſinus in foveam ſtatim omnes accurrunt ad ipſum ſublevandum, cadunt tot animæ Chriſti ſanguine redemptæ, ex quibus tot beneficia retulimus, & non eſt qui accurrat ad ipſarum liberationem. *Hæc S. Auguſtin. ad ment. etiam Seraph. Deſt. ſer. de Anim.*

22. *Ad converſionem, & reſurrectionem peccatoris priùs auferatur lapis obdurationis.*

Tollite lapidem. Cur tolli lapidem præcipit Chriſtus? cur uno verbo non aufert lapidem, & reſuſcitat mortuum? hoc fecit tum ad majorem evidentiam miraculi, tùm ut doceret, quod peccator numquam reſuſcitabitur à mortis ſepulchro, & peccato, niſi priùs tollatur lapis, ſcilicet obduratio, & perſeverantia in peccato, ut ſaltem peccator velit, & deſideret reſurgere. *Ser. 4. Dom. 5. Pentec.*

23. *Cur Chriſtus ante reſuſcitationem Lazari gratias agit pro exauditione ſuæ orationis.*

Iſu autem elevatis oculis, dixit, Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me, &c. Cur Chriſtus gratias agit Patri pro gratia, & pro reſuſcitatione, quæ adhuc non erat facta? ſed attende, quod plura ſunt genera orationum, quibus Deus oratur, prima dicitur obſecratio, ſecunda oratio, tertia poſtulatio, quarta gratiarum actio : obſecratio eſt quando quis non audens loqui ad Deum, ad alium recurrit, ut ad Beatam Virginem, ad Sanctos Protectores, ad Chriſtum : oratio eſt quaſi oris ratio, quando quis audet jam loqui Deo petens quod ſibi eſt neceſſarium; poſtulatio, quando quis confidens in Deo audet petere præmium ſuorum operum, ut gloriam : gratiarum actio eſt quando Deus exaudit antequam rogetur, & ad hanc pauci perveniunt : Chriſtus autem ſciens ſe exauditum, gratiarum actione Patrem petiit, & oravit pro reſuſcitatione Lazari. *Pſal. 141.* Nota autem, quod prius elevavit oculos, ut doceret nos ante orationem, & in oratione elevare oculos mentis ad Deum in altitudines divinarum miſericordiarum, & ſemper id facere, quando aggreſſuri ſumus arduа, & difficilia. *Ioan. c. 11. hic.*

24. *Chriſtus*

Digitized by Google

24. *Christus in resuscitatione Lazari ostendit se hominem, & Deum.*

Clamavit voce magna, Lazare veni foras. Notà ordinem hujus miraculi: primò enim oravit ad Patrem, ut se ostenderet hominem propter imperfectiores, ut crederent unam esse voluntatem ipsius, & Patris, postea voce magna clamans Lazare veni foras, ostendit se verum Deum, & sua potestate interiori, & exteriori posse resuscitare mortuum; ipsique, licet ligato institis, seu fasciis, posse dare potestatem exeundi è sepulchro. *Ser.4. Dom.15.Pentec. Luc.c.8.v.54. Ioan.c.11.hic.*

25. *Lazarus resuscitatur iterum moriturus significat pœnitentiam recidivantium,*

Et statim prodiit ligatus institis. Cur non reliquit resuscitatus in sepulchro institas, & fascias, sicut Christus postea reliquit linteamina in sepulchro? hoc factum est ad insinuandum, quod iterùm Lazarus moriturus erat, non Christus, ideò illa instrumenta mortuorum secum attulit: mysticè significatur resuscitatio recidivantium, quia licet resurgant, paulò post redeunt ad sepulchrum peccati, & maximè qui non relinquunt occasiones, & inclinationes ad malam vitam. *Op. Comp. Theol. lib.4 c.23.*

26. *Quàm difficilis conversio peccatorum, qui sunt inveterati in peccato.*

Et clamavit voce magna, Lazare veni foras. Vide, quod si ad resuscitationem Lazari solùm quatriduani, concurrit vox magna, & fletus; & fremitus, & turbatio Christi; quid erit de existente in habitu peccati, non per quatuor dies, sed viginti, triginta, & quinquaginta annos, & quam difficilis erit ejus curatio. *Ser.1.Dom.23. Pentec.* De hac materia vide quæ dicta sunt. Luc.c.7. & de multiplici vinculo, quo ligantur peccatores. *Ioan.hic.*

27. *Invidia quale malum, & quomodo contra Christum unit suos sequaces.*

Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi consilium, & dicebant, quid facimus, &c. Nota hanc illationem, & conclusionem; nam ex tali miraculo evidentissimo occasionem sumpserunt Pontifices, & Pharisæi consilium cogendi: contra Christum, ut ipsum morti traderent; dum enim videntes tot miracula facta, ipsum debuerunt adorare, & recognoscere Messiam à Deo missum, in tantam insaniam prorumpunt, ut mortem ipsi intentare audeant: sed hic est mos, hæc est insania invidorum, qui contra Christum semper insaniunt, & machinantur mala. *Serm. 2. Dom.11. Pentec; Ioan.hic.*

28. *Qui fabricat impendio, & damno aliorum sibi fabricat ruinam.*

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem? Vide insaniam istorum malignorum, quia tem poralia perdere timuerunt, & viam æternam non cogitaverunt, nec offensam Dei, & sic utrumque amiserunt; nàm & Romani, & locum, & gentem destruxerunt: ô quàm verum id, quod alibi dicitur Eccli.c.21. Væ, qui ædificat in sanguinibus, qui enim ædificat in ruina proximi, sibi ædificat, & parat ruinam, & excidium, ut evenit istis insanis. *Ioan.hic: op. Dist. tit.10.c.6. Luc.c.20.v.14.* Prophetia facta de morte Christi, & de necessitate, & utilitate mortis ejus. *Vide in Comment. S. Bon. c.11. & collat.54.*

29. *Mali Sacerdotes, Parochi, & Prædicatores sunt veluti Caiphas, benè loquentes, sed malè operantes,*

Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius dixit eis, Vos nescitis quicquam; expedit, ut unus moriatur homo, &c. Vide hic Asinam Balaam loquentem; cum enim esset malus, imo pessimus iste Pontifex, & infectus mala intentione, ardens odio, & livore contrà Christum, tamen benè locutus est, quia Spiritus Sanctus usus est non ipsius mala intentione; sed tantùm locutione: sic faciunt sæpè mali Sacerdotes, Prælati, & Prædicatores, quibus utitur Deus ad suorum arcanorum expressionem; ex quo tamen non præmium, sed acerbiorem pœnam in inferno contrahant. *Ioan.hic.*

30. *Mors Christi quam expediens pro salute hominum.*

Expedit, ut unus moriatur homo pro populo. Nota verba prophetiæ hujus Pontificis; dicit, ut unus homo; scilicet ipso nesciente declarat Christum unum hominem, ideſt singularem, & superiorem omnibus hominibus; & mors istius unius hominis expediebat, & erat necessaria ad generis humani Redemptionem, sanctificationem, & glorificationem. *Ioan. coll.54.*

31. *Per mortem Christi congregata est Ecclesia in unum.*

Iesus moriturus erat, ut filios Dei congregaret in unum. Scilicet quia per mortem desponsavit sibi Ecclesiam, & in unum congregavit, ut per se & suos ministros generaret filios, & in unum ovile eos reduceret. *Luc.c.11.v.23. & c.20.v.28.*

32. *Occultatio Christi post determinationem factam à Judæis de ipso occidendo, usque ad diem Palmarum, qualiter significetur in Missa.*

Iesus ergo jam non in palàm ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, &c. Voluit Christus se occultare post consilium Judæorum, quia nondum advenerat hora suæ interfectionis, quæ occultatio figuratur in Missa, quando post præparatum calicem post offertorium Sacerdos se humiliat in oratione secreta, & vertens se ad populum, ut pro se oret fidelem petit. *Op. Expos. Missa, c.3.*

33. *Impii in majoribus ſolemnitatibus peiores ſiunt quærentes Ieſum, ut ipſum perdant.*

Proximum erat Paſcha Iudæorum, & aſcenderunt multi ante Paſcha, ut ſanctificarent ſeipſos. Vide, quam pulchra præparatio Iudæorum aſcendentium ad celebrandum feſtum Paſchæ ad ſanctificandos ſeipſos; ſed in quo ſita eſt iſtà ſanctificatio? Nota ſequentia; quærebant ergo Jeſum, &c. ſcilicet ad ipſum apprehendendum, & occidendum: Ecce quid faciunt multi in majoribus ſolemnitatibus, qui aſcendunt ad celebrationem feſtorum, ut quærant Jeſum; non ut ipſum habeant, ſed ut perdant, quærunt malè, non benè, ſcilicet malè viventes, & feſta in Dei offenſa impendentes. *Ioan. c. 11. hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quod in hoc capite enarratur progreſſus Chriſti in civitatem Ieruſalem; ſed primò proceſſit in Bethaniam, ubi fecerunt ei cœnam in domo Simonis Lazarus, Maria, & Martha, vel ut volunt alii cœna facta fuit à Simone leproſo, qui jam fuerat à Chriſto ſanatus; & cum Chriſto adfuerunt Lazarus, & ſorores, & enarrantur ea, quæ ibi facta ſunt, & prædictio ſuæ Paſſionis, & deinde ingreſſus in Ieruſalem cum comitatu turbarum, &c.*

CAP. XII.

DE cœna facta in domo Simonis, cum aſſiſtentia Lazari, Mariæ, & Marthæ; de unctione Magdalenæ, de murmuratione Judæ, & defenſione Chriſti jam actum eſt *In Matth. cap. 26. in Marc. c. 14.* De ingreſſu Chriſti in Jeruſalem in die Palmarum. *In Matth c. 21. in Luc. cap. 19. in Marc. c. 11.* Unde ſolùm ſuperſunt declaranda aliqua arcana doctrinalia, quæ docuit Chriſtus.

2. *Sanctorum interceſſio quàm valida apud Deum: Ubi de obligatione familiarium principum.*

Erant autem quidam Gentiles, & acceſſerunt ad Philippum, & rogaverunt eum dicentes, Domine volumus Ieſum videre, &c. Cur iſti Gentiles immediatè non ſe obtulerunt Chriſto? cur recurrunt ad diſcipulos? hoc eſt quia non audebant per ſe ob reverentiam ſe immediatè præſentare coram Chriſto, ſed ad familiares Chriſti recurrunt, ut facilius impetrent; ex quo addiſcendum quàm neceſſaria apud Deum ſit interceſſio ſanctorum, & ſimul quam utilis, quod enim nos ob noſtra demerita non valemus, poſſumus impetrare per merita Sanctorum; unde frequenter & nos dicere debemus Sanctis Protectoribus, Domine volumus Jeſum videre, ut ſicut Apoſtoli introduxerunt Gentiles coram Chriſto, ſic & nos introducant ad gratiam, & gloriam Jeſu Chriſti: Diſcant hic etiam familiares Principum, & commorantes in ſocietate magnatum promptitudinem exponendi petitiones pauperum, eoſque introducendi ad Dominorum præſentiam in ſuis ipſorum neceſſitatibus, eoſque adjuvandi ſuis officiis. *Sermon. 3. de SS. Philip. & Iac. in Addit. Ioan. capit. 12. hic: & libr. 3. dub. 9.*

3. *Chriſtus granum frumenti in utero Mariæ ſeminatum, & veluti ibi ſepultum, ex quo mirabiles fructus protulit.*

Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolùm manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Nota, quòd Chriſtus ſe comparat grano frumenti, quod ſi non mittatur in terra, ipſum ſolùm manet ibi abſque fructificatione, ſi autem mortuum fuerit, &c. & verè Chriſtus eſt hoc granum frumenti, quod in utero Virginis Mariæ ſeminatum ſepultumque eſt, ex quo multiplicem fructum attulit Eccleſiæ; Undè in Cantic. c. 7. dicitur, Venter tuus ſicut acervus tritici, & quia hoc frumentum ordinatum fuit ad panem Euchariſticum conficiendum, & in cibum exhibendum fidelibus, ideò hoc totum recognoſci à nobis debet præparatum miniſterio Matiæ. *Luc. cap. 11. verſ. 27. ſermon. 4. in Vigil. Nativit.*

4. *Chriſtus granum frumenti in mundo expoſitum ad producendum multiplicem fructum.*

Niſi granum frumenti cadens in terram, &c. Rectè ſe comparat Chriſtus frumento: frumentum enim meſſum ligatur, triturator, molitur, coquitur, & comeditur; ſic Chriſtus ligatus eſt, flagellis trituratus, in mola crucis attritus eſt, in clibano inferni miſſus, & hinc in panem confectus, & igne Spiritus Sancti coctus, & ad comedendum expoſitus; & hinc ſicut reſurrexit magis vividus; ita quotidie renovatur, & veluti nova reſurrectio replicatur in Altari; ut fructum multum affetat in fidelitate populorum. *Ser. 4. cœnæ: op. Expoſ. Miſſæ c. 4. op. Comp. Theol. lib. 4. c. 23. ſer. 4. in Vigil. Nativ. Ioa. c. 12. hic: ſer 4. Dom. 4. Quadrag. ſer. 2. de S. Laur. in Addit.*

5. *Chriſtus quomodo ſuadet, ut perdamus animam; & de felicitate Chriſto miniſtrantium: Vide in Matth. c. 10. in Luc. c. 9. & in Ioan. hic.*

6. *Ipſa*

Digitized by Google

6. *Ipsa virtus, & esse cum Christo præmium cujuscunque laboris, & pœna pro ipso tolerata.*

Qui mihi ministrat me sequatur, scilicet mè imitetur usque ad mortem sustinendam pro Christo. *& ubi sum ego, illic & minister meus erit: si quis mihi ministraverit; honorificabit eum Pater meus, qui in Cœlis est.* Nota hic quanta proponit Christus in hac sententia; & primò suadet nos ad ipsius imitationem; qui dixerat se esse granum frumenti ligandum, triturandum, & conterendum in cruce, ut excitaret nos ad sui imitationem, sicut fuerunt mirabiliter Martyres; sed quale præmium pro tot laboribus promittit? ecce quale, Et ubi sum ego. illic & minister meus erit; sed quid est, quale præmium hoc? nonnè homo est in Dei præsentia, cum ipse sit ubique? ô attende homo: dat per hoc intelligere se à nobis exigere nostrum amorem absque respectu ad præmium aliud; sed tantùm ob sui amorem, & ad præstandam sibi debitam obedientiam; hoc enim est summum præmium virtutis esse cum illo, ex quo sequitur, quòd honorificabit eum Pater cælestis, scilicet ei adveniet honor ipsius virtutis, undè ipsa virtus est sibi præmium, sed quia additur societas Christi, hinc & præmium glorioſissimum succedit. *Op. Apol. Pamp. Resp. 3. c. 1. op. Myst. Theol. cap 3. p. 3. Luc. c. 8. v. 38. c. 22. v. 30. Joan. hic, & collat. 57. & 58. & 78 ser. 2. Epiph. ser. 2. Dom. 2. Pentec. ser. 1. de Rector. in addit. Dist. 18. c. 2.*

7. *Diabolo justè ablata est potestas, quam exercebat injustè in genus humanum, & hoc per injustum judicium super Christum factum.*

Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Nunc (ait Christus) ideſt quàm primum per mortem meam amputabitur caput mundi, scilicet diabolo auferetur principatus, & potestas super mundum per Passionem meam. Nota autem, quòd dicit; nunc judicium est mundi; quodnam judicium, & cor mundi judicium est, quòd fiet mundo injustè condemnando innocentem, & absolvendo reum! sed tamen in ordine ad effectus justum erit, scilicet ut unus moriatur pro populo, & non tota gens pereat; & ideò ad destruendam superbiam primi hominis humiliatus est Filius Dei, ut sic princeps mundi amittat possessionem injustam; quam habebat super omnes, & ejiciatur ex tali possessione. *Psal. 48. op. stim. p. 3. c. 17. Luc. c. 4. v. 34. c. 11. v. 20. c. 13. v. 9. ser. 1. & 2. Dom. 3. Quadrag. ser. 2. decoll. S. Joan. Bapt. in addit.*

8. *Christus in cruce exaltatus ad se mirabili arte omnia traxit quantum est in se; sed quoad efficaciam non omnes traxit & trahit.*

Et ego si exaltatus fuero omnia trahem ad meipsum. Quomodo verè hoc dictum est à Christo; cum tot, & tot perversi non fuerint tracti ad Christum? respondetur, quòd Christus ad se traxit omnes, quantum est in se. quia ideò ascendit in crucem, & corpus suum extendit ad omnes partes terræ, ut mirabili arte omnes attraheret; per hoc enim triumphavit de diabolo & ubi credebat vincere, ipse victus est, & ejectus, & sic ascendendo in crucem extendit ad omnes homines sua beneficia, & auxilia, & quantùm ad ætates, & quantùm ad gradus, & quantùm ad perfectiones, & alias differentias; vel opera, eosque trahit vel beneficiis; vel flagellis; sed tamen quia requiritur manuum nostrarum extensio ad istos funes, & beneficia, quia multi renuunt rejiciunt, & conculcant ista auxilia, hinc non omnes efficaciter trahuntur, sed tantum prædestinati. *Ser. 1. Hexam. stim. p. 1. c. 12: ser. 1. & 2. ser. 4. Pentec. ser. 4. Dom. 11. Pentec. Joan. c 12. hic. Reliqua hujus capitis vide expositâ in textu &c.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. Notâ, quòd in isto capite Evangelista narrat antecedentia ad institutionem Eucharistiæ lavando pedes discipulorum, excitando eos ad humilitatem, & charitatem, deinde institutionem sacramenti, Apostolorum communionem: & indè enarratur possessio diabolicâ Judæ proditoris, & egressus à societate aliorum; quæ omnia fusè exposita, & expensa sunt in Matth. c. 26. & in Luc. c. 22. Ideò breviter solùm aliqua puncta hic subjicienda.

CAP. XIII.

1. *Christi dilectio in nos à principio sine principio usquè ad finem sine fine expenditur.*

Antè diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Nota verba, signa mysteria: Primò præponit festum Paschæ, & in Pascha notam fuit transitus ad Patrem, posteà introducit suam dilectionem præteritam, & præsentem; in quibus apparet dignissima colligantia; nam transiturus ad Patrem per Passionem, propè erat tempus ostendendi mundo consummationem suæ dilectionis ad excitandum suos ad spem in ipsum; simulque ad relinquendum omnia ista transitoria; & ad nostrum finem aspirandum: dicit autem cum dilexisset suos. quia propter nimiam suam charitatem, qua ab æterno dilexit nos; factus est homo; ut in finem actu nos diligeret; ideſt ut se nobis exponeret finem proficientem, non interficientem, quousque ad ipsum transeamus, & eamus, non ubi pereamus. sed nos transeamus ad nostrum caput, ut finem ultimum; ut ipso perfruamur sine fine: & quàm verum hoc, in finem dilexit nos, scilicet ô quanta di-

lectio, quam nobis exhibuit Chriſtus in mundo, & quam incellanter exhibet in Cœlo: quanta dilectio inquam, quam exhibet mundando nos per veniam ſuo ſanguine à tot ſordibus, & ſpurcitiis? reconciliando nos Patri per oblationem non Angeli, non Archangeli, ſed ſui ipſius; illuminando per ſapientiam, & conſolando per gratiam, & ſic in finem dilexit, & diligit ſuos ſine fine in mundo, & in Cœlo. *Ser. 1. cœna. ſer. 3. Dom. 3. Paſchæ: Pſal. 118. c. 6. v. 16. ſer. 3. de S. Ioan. Evang.*

3. *Immiſſiones malæ in cor noſtrum quomodo fiant à diabolo; Ubi de immiſſionibus divinis.*

Cum diabolus miſiſſet in cor Iudæ, ut traderet Ieſum &c. Hic quæritur quomodo diabolus poſſit immittere in cor hominis malas cogitationes, & prava opera? Reſpondetur, quòd ſolus Deus poteſt bonas cogitationes, & affectiones tamquam cauſa principalis de ſe gignere, & imprimere in noſtro corde, etiam nobis non cooperantibus: diabolus autem nequaquam, ſed tantùm poteſt ab extrà ad intra abſque impreſſione ulla immittere ſuggeſtiones, & excitare inclinationes naturales concupiſcentiales ad pravas cogitationes, & affectiones, & hoc maximè facit, quando invenit noſtram mentem otiolam, & vagantem, & non occuparam in bonis cogitationibus; & tunc ſicut in Juda priùs immiſerat pravam cogitationem proditionis, ſic excitando, & incendendo ipſam augmentavit, & quia liberè conſenſit diabolo, hinc ad tantùm ſcelus devenit; Et hinc ſaluberrimum, & neceſſarium conſilium eſt ſemper habere mentem occuparam in aliqua bona cogitatione, & reſiſtere incendio diaboli, ne ignis concupiſcentiæ augeatur. *Lib. 2. d. 8. p. 2. a. 1. qu. 4. & 5. op. de ſept. itiner. ætern. itiner. 2. d. 3. & itiner. 4. d. 3. Ioan. hic.*

4. *Præparatio perfecta ad communionem exemplo Chriſti qualiter facienda.*

Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua. & cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe, deindè miſit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Patet in hoc facto profunda humilitas Chriſti, ſedula ſtudioſitas in obſequendo, & expedita præparabilitas ad miniſtrandum, & laborioſitas in lavando; hæc autem omnia fecit, ut eos invitaret ad dignam præparationem ad communionem; nam primò debet communicaturus homo ſurgere à cœna, ſcilicet carnalis delectationis; debet deponere veſtimenta, ſcilicet converſationem priſtinam; debet præcingere ſe linteo, ſcilicet diſciplinâ vitæ pœnitentialis; debet effundere aquam in pelvim, ſcilicet profluvium lachrymarum in recognoſcendo ſuam fragilitatem, & peccata commiſſa contra Deum; debet lavare pedes diſcipulorum, ſcilicet affectus cordis, qui debent eſſe ſub diſciplina Dei, & hinc accedere ad communionem. *Ioan. c. 13. hic.*

5. *Petri affectus, & admiratio à nobis coram Chriſto imitanda proponitur.*

Et dicit ei Petrus; Domine tu mihi lavas pedes? non lavabis mihi pedes in æternum &c. dixit Ieſus, quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autem poſtea. Quomodo dicit Chriſtus, quòd Petrus neſciebat quid faceret, nonnè viderat quid facturus eſſet Chriſtus, ſcilicet velle lavare ipſius pedes? Sed en myſterium; ſciebat illud materiale opus ſed non myſteria latentia in ipſo; & tamen talé opus fuit tantæ humilitatis, dignationis, & charitatis, ut in admirationem erexerit totum collegium Apoſtolicum, & ſimul etiam in abyſſum confuſionis: Domine dicebat, tu mihi lavas pedes; quid eſt Tu, quid eſt mihi? Tu Dominus mihi ſervo? Tu Dominus mihi nullo? Tu ſapientiſſimus mihi inſcio? Tu Dominus nobiliſſimus, mihi piſcatori viliſſimo? ô diſcamus & nos coram Chriſto humiliari, & recognoſcerè noſtram indignitatem, & Chriſti profundam humilitatem, qui toties ad nos lavandum ſe offert. *Ser. 1. de S. Nicol. ſer. 3. de Apoſt.*

6. *Chriſtus totus intentus ad lavandum hominem à ſordibus.*

Si non lavero te non habebis partem mecum. Nota in his verbis neceſſitatem ſpiritualis lotionis, & fructuoſitatem indè conſequentem: nempè habet partem cum Chriſto, qui ſe ſubjicit lotioni Chriſti, qui ſicut induxit Petrum ad ſubjiciendum ſe lotioni, ſic inceſſanter totus eſt ſemper in exhibitione talis lotionis ſpiritualis: lavat enim Chriſtus hominem per verbum veritatis, per eleemoſynas, per exercitium charitatis, & maximè per contritionem: item lavat hominem gratia pœnitentiali à commiſſa culpa, & ſuper infuſione cæleſtis ſpiritus à cupiditate mundali: item aqua baptiſmali vino ſacramentali, & ſanguine ſuo; iſta multiplici lotione debent lavari pedes, ideſt interni affectus, & caput, ideſt à peccatis mentis; item & manus, ideſt opera. *Ioan. collat. 59. ſer. 2. in cœna Dom. ſer. 3. Dom. infrà oct. Aſcenſ. ſer. 1. Inven. S. crucis in addit. ſer. 2. circ. op. de modo confit. c. 9.*

7. *Qualis lotio pedum neceſſaria ad receptionem Euchariſtiæ.*

Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet: Cur ſolùm pedum lotio exigitur ad præparationem Euchariſtiæ? ſed nota, quòd hac lotione non ſolùm lavantur omnes ſordes affectuum per veram contritionem, & confeſſionem, ſed & aqua fervidæ devotionis, quæ exercenda eſt exercitio fidei tanti Sacramenti. *Op. de modo confit. c. 9.*

8. Apoſtoli baptizati fuerè ante inſtitutionem Euchariſtiæ; quod innuit Chriſtus in his verbis. qui lotus eſt, ideſt baptizatus, non indiget, niſi ut pedes lavet, ſcilicet defectus leves affectuum; nam per iſtam lotionem intelligitur Sacramentum baptiſmi: Dicunt autem Sanct. Patres, & Doctores apud Vegam in Theologia Mariana, quòd Chriſtus immediatè per ſe baptizavit Mariam Virginem, & Petrum; Petrus poſtea

poſteà baptizavit alios Apoſtolos. *Op. Comp. Theol. lib.1. capit.9. & lib.4. dub.3. p.1. & d.1. queſt.1.*

9. *Servi Dei frequenter ſe lavent à peccatis venialibus, & maximè tempore receptionis Euchariſtiæ.*

Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet. Quomodo hoc dictum eſt? ſi quis lotus eſt totus, quomodo indiget, ut pedes lavet? ſed hæc dicta ſunt à Chriſto ſuis diſcipulis, qui jam erant baptizati, & mundati ab omni peccato mortali, hæcque eſt lotio capitis; ſed tamen quia pedes ſpiritus humani, quandoque tangunt terram mediante ſenſualitate, & etiam ne pulvis terrenus eis adhæreat, ideò indigent viri ſpirituales frequenti lotione, & mundatione, cum ſit impoſſibile hominibus non peccare venialiter aliquando, & non habere aliquam inordinationem in ſua parte ſenſuali propter continuam converſationem in terris, ex qua contrahitur aliqua macula impuritatis in affectu, & ruga obſcuritatis in intellectu; hinc ſuadet Chriſtus, ut noſtros affectus lavemus frequenter contritione, confeſſione, & devotione, ne iſtæ ſordes nobis impediant ingreſſum intrà ſecretum Domini Jeſu: ô attendant ad Chriſti monitum viri ſpirituales anhelantes ad perfectam unionem cum Chriſto: nam iſta frequens lotio neceſſaria eſt ad devotionem acquirendam; ad accipiendam cum fructu abundanti Euchariſtiam, ad reportandam victoriam de inimicis, ad removendam diſpoſitionem per peccata venialia ad mortalia, & quod potiſſimum eſt, ad removendum omne impedimentum, & retardationem in curſu perfectionis. & ſic homo, quotieſcumque veniat mors, ingreſſum ſine retardatione obtinebit in Cœlum, nam nihil inquinatum in ipſum intrabit. *Op. de ſeptem itiner. ætern. d.4 ſer.3 in cœna Domini ſer.1. de Apoſtol.*

10. *Deus ex ſua alta providentia permittit in collegiis Sanctorum vivere malos.*

Jam mundi eſtis, ſed non omnes; ſciebat enim quiſnam eſſet, qui traderet eum. Cur ô bone Jesu non ejicis perverſum Judam à ſocietate Sanctorum? cur permittis ut tot ſacrilegia committat? ô quàm incomprehenſibilia ſunt judicia Dei! attamen etiam voluit inſtruere Eccleſiam, quòd ſi aliquando in collegio Sanctorum permittit vivere malos occultos; id facit tum ut ſint bonis causa majoris meriti; ſic enim habent occaſionem compatiendi malis, ſic & eorum zelus exerceatur in ipſo, & ut boni ſe humilient coram Deo pertimeſcentes, ne in eoſdem errores labi permittantur; tum ut aliquando mali reſipiſcant à via ſua prava; & ſi id non faciant, debent poſteà ejici à bonorum ſocietate. *Op. de ſex Alis Sera. b.3.*

11. *Chriſtus ſeipſum, & ſua opera in exemplar nobis propoſuit imitandum.*

Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Vide qua ratione magiſtrum ſeipſum appellat; vos vocatis me magiſter, & Domine, & benè dicitis: nam ſicut magiſter litteras cum multa pulchritudine pueris oſtendit, & ſcribit, ut ſaltem aliqualiter ipſas imitentur, ſic ſeipſum, & opera ſua humilitatis, charitatis, & aliarum virtutum; veluti exemplar nobis ſuis pueris & diſcipulis exhibuit, ut nos doceat, & excitet ad ſui imitationem: Vide ô anima quale exemplar, dum Chriſtus exhibet majeſtatem lavantis, operis abjectam; & contemptibilem humiliratem, geſtus, & ſtudii ipſius lavantis diligentiam, & ſeduliratem; dum non ſuperiorum, nec priorum, ſed inferiorum, & viliſſimorum piſcatorum pedes lavat; & non ſolùm diſcipulorum, ſed etiam proditoris, & ante ipſum ſe inclinavit genibus flexis; ô ſtupendum prodigium exclamat Chryſoſtomus, vide Deum ad pedes Judæ, & diaboli in ipſo morantis proſtratum, & ſimul pulſantem ad cor, ut ſe ſineret lavari non ſolùm exteriùs; ſed & interiùs! ô mirabile exemplar; quòd magis poſteà exhibuit in cruce in corpore ſuo punctis, & litteris plagarum ſignato, & ſcripto, ut nos & invitaret ad imitationem, ad amorem; ad devotionem, ad mutuam charitatem, & unionem fraternam. *Ioan. c.13. hic Luc. c.14. v.10. & cap.21. verſ.19. ſerm.1. Dom.22. Pentecoſt. Ioan. collat.60. ſeq.*

12. *Exemplar Prælatorum, & Religioſorum quale debeat eſſe ad exemplum Chriſti.*

Exemplum dedi vobis, ut & vos eadem faciatis. Sic dicebat Chriſtus; exemplum dedi vobis ſurſum videntibus me Deum, exemplum deorſum mirantibus me hominem; exemplum ſanis ad permanendum, exemplum infirmis ad convaleſcendum, exemplum morituris ad non timendum, exemplum mortuis ad reſurgendum, exemplum omnibus fraternæ dilectionis, obſequioſæ adminiſtrationis, & miræ humiliationis; exemplum laborioſæ operationis; quia in laboribus à juventute ſemper fuit, exemplum patientiæ in ſufferendis contumeliis, exemplum ſuſtinendæ mortis crucis; ut non ſolùm audiatis, vel videatis, ſed eadem faciatis, vitam veſtram vitæ ſuæ conformando, vias ejus tenendo, & veſtigia ipſius ſequendo: ô felices, & beati Prælati, qui idem vere poſſunt dicere, qui in omnibus virtutum exemplis præcedunt ſubditos; Notent tamen Prælati Religioſi, quòd præcipuè in tribus debent præcedere ſubditos, ſcilicet in communis obſervantiæ conformitate, in manſuetudinis humilitate, & in maturitatis honeſtate; communem vitam cum omnibus obſervent in victu, in veſtitu, & labore omnia omnibus facti, infirmis, ſanis &c. ſint humiles moribus, affabilitate, uſu rerum tempotalium; in maturitate vitando levitatem verborum, & morum, affectum nimium privatum. *Ioan. collat. 62. op. de ſex Alis Seraph. cap.6.*

13. *Humilitatem iterum ſuadet omnibus.*

Non eſt ſervus major Domino ſuo, &c. Ecce quod iterum ſuo exemplo Chriſtus provocat omnes ad humilitatem, & argumentum convincens affert, dicens non eſt ſervus major Domino; quaſi dicat: Tanta fuit ejus humilitas, & dejectio, ut à nullo crederetur Deus eſſe; & ſi hoc, ſi ancilla es Chriſti ô anima, vilis, & contemptibilis eſſe debes, & humilis: ô quam abominabilis eſt ille Religioſus coram Domino, qui veſtem humilem ſumpſit, & cor ſuperbum habet! ô quam inutilis eſt ille Chriſtianus, qui Dominum ſuum humilem videt, & ipſe exaltat cor ſuum, & ambulat in magnis! *Op. de perfect. vitæ c.2. Luc.c.22.v.27.*

14. *Qualis ſcientia doceatur in ſchola Chriſti.*

Si hæc ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea. Ecce quales lectiones traduntur in ſchola Chriſti; nempè ſcientia legis divinæ, ſed ad ſcientiam copulanda eſt operatio, non enim ſolùm ſcientes, ſed ſcientes, & operantes beatificantur, & hinc eſt, quod inter dona Spiritus ſancti poſt ſcientiam additur donum fortitudinis, quia perfectum non facit cognitio veritatis, niſi ſubſequatur habitus virtutis in operatione, undè de primo, ſcientia dicitur, quod ſemper ſunt ſcientes, & numquam ad veritatis lumen pervenientes. *Op. de dono fortitud. c.1. ſer.4. Dom.4 poſt oct. Paſchæ. Luc.c.1.v.45. & cap.10.verſ.28. & cap.11. verſ.28. De manifeſtatione proditionis Judæ factæ à Chriſto, & aliis, quæ in ultima cœna contigerunt: Vide in Matth.cap.26. & in Luc. cap.22. & hic in Ioan.*

15. *Pulſat Chriſtus ad cor noſtrum, ut intret: pulſat & diabolus, ut intret ſimul cum peccato mortali.*

Et poſt buccellam introivit in eum Sathanas. Ecce quomodo hucuſque Chriſtus pulſavit ad cor Judæ, ut ſibi januam aperiret per contritionem, & pœnitentiam: pulſavit & diabolus, ut conſenſum præberet cogitationi peſſimæ proditionis: ſed contigit Chriſto foras remanere, & intravit diabolus in ejus cor poſt buccellam, ſcilicet cum ibi antecedenter eſſet, poſt buccellam tamen ſcilicet poſt receptionem Euchariſtiæ plenius poſſideret: undè ſi per quodlibet peccatum mortale datur cordis, & animæ poſſeſſio diabolo, magis tamen ex indigna ſumptione Euchariſtiæ. *Ser.1. Dom.3. Quadrag.ſer.2. Dom.25. Pentec.Ioan.hic.*

16. *Judæ perditio expenditur: Vbi de Chriſtianis ipſum imitantibus.*

Cum ergo accepiſſet ille buccellam continuò exivit, &c. Nota, quod hic deſcribitur obduratio Judæ, ſacrilegium commiſſum in receptione Euchariſtiæ in peccato mortali, diſceſſus à collegio Apoſtolico, & inceſſus ad tradendum Chriſtum: in quo facto apparet malignitas execranda iſtius iniqui, quæ maximè aggravatur, tum ex confidentia, tum ex ſecuritate, tum ex amicitia Chriſti, tum ex excellentia dignitatis Apoſtolicæ, tum ex concupiſcentia cupiditatis avaritiæ: Judas enim non fuit tractatus ut extraneus, ſed ut amicus, & amicus ſecurus, cum fuerit admiſſus à Chriſto ad ſuam menſam cum cæteris Apoſtolis, & commiſſa ei fuerit diſpenſatio temporalium totius familiæ: item cum fuerit admiſſus ad doctrinam fidei, ad gratiam, & ad Apoſtolatum: item cum Chriſtum ſuum Magiſtrum tot miraculorum patratorem tradiderit pro viliſſimo pretio ſuis inimicis ad mortem: ſed nota, quod multi damnant Judam proditorem, & tamen non advertunt ipſos eſſe proditores veritatis, quæ eſt Filius Dei, & quod fecerunt Judas, & Judæi hoc faciunt multi Chriſtiani malè viventes. *Sermon. 1. Dom. Quadrageſimæ: Ioan. cap. 13. hic op. meditat. cap. 73. Pſal.150.*

17. *Charitatis præceptum vetus, & novum eſt.*

Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, &c. Quomodo dicitur hoc mandatum novum, cum in veteri lege præciperetur, diliges Dominum, &c. & proximum, &c. ſed attende de hoc mandatum eſt vetus quoad ſubſtantiam, ſed quoad modum eſt novum, quia firmatum eſt de novo à Chriſto, & præceptum de novo cum majore perfectione exequendum: novum, quia exuit veterem hominem, ipſumque innovat. *Ser.1. Dom.in Albis: Ioan.cap.13. hic & collat. 68. op. meditat. cap.28. Luc. cap.3. ad finem.*

18. *Charitas proximi ſignum eſt diſtinctivum inter filios Dei, & diaboli.*

In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis. Nota ly in hoc, in quo? forſan in patrando miracula? in dono linguarum? in interpretatione ſermonum? in ejiciendo dæmones? minimè; ſed in hoc, ſi dilectionem habueritis inter vos: ecce quale eſt ſignum diſtinctivum inter filios Dei, & diaboli; ſi dilectionem habuerint inter ſe ſignum certum, quod de numero diſcipulorum Chriſti ſunt, quia hæc virtus reddit hominem imitatorem, & ſimilem Chriſto: E contrà dicit diabolus; in hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei, & filii eſtis, ſi dilectionem inter vos non habueritis. *Op. Comp. Theol.lib.3.c.15. & lib.5.cap.31. Luc.c.6.verſ.13. & cap.22. verſ.14. ſer.1.de S. Iacobo: ſer.9. de Apoſtol.ſer.1. Hexam. Ioan. hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Nota, quòd in hoc, & duobus ſequentibus capitulis Chriſtus in ultima cœna perfectè inſtruxit diſcipulos in omnibus concernentibus ſuam perfectam ſequelam; In hoc autem capitulo exhortatur, ut ſint conſtantes in fide: in ſecundo ſequenti, ut ſint ferventes in charitate; & in tertio, ut ſint conſtantes in ſpe: In hoc autem capite primò exhortatur ad conſtantiam fidei; ſecundò ad operum perfectionem, quæ exigit fides viva; & tertiò exhortatur, ne turbentur propter ſuam Paſſionem.*

CAP. XIV.

2. *In Cœlo ſunt variæ manſiones ſecundùm diverſitatem meritorum: Vbi de felicitate Beatorum.*

Non turbetur cor veſtrum, neque formidet. Scilicet diffidendo, vel timendo mortem, quia ego ſum Deus, in quo debetis confidere. *Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Nempè licet denarius vitæ æternæ ſit æqualis omnibus, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam in vivendo non eſt diverſa in æternitate menſura, ſunt tamen diverſæ manſiones ſecundùm diverſitatem meritorum, alia enim eſt gloria ſolis, alia Lunæ, alia ſtellarum; ſed quia Deus eſt charitas, per charitatem fit, ut quod habent ſinguli, commune ſit omnibus; ſic enim quiſque habet etiam ipſe, quia amat in altero, quod iſte habet. *Op. de dono ſap. c.10. ſer.3. Dom 2. Pentec. ſer.4. Dom.19. Pentec. ſer.1. de omnib. Sanctis: ſer.1. de dedicat. Ioan.c.14. hic: & collat.63. Luc.c.10.v.41.*

3. *In Eccleſia, & vita ſpirituali diverſæ manſiones: Vbi de vulneribus Salvatoris.*

In domo Patris mei multæ manſiones ſunt. Nota, quod ad litteram hæc dicuntur de gloria Beatorum; ſed myſticè etiam verificantur in Eccleſia in vita ſpirituali; nam alii introducuntur in domum ſanctæ compunctionis cum Magdalena; alii in palatium continuæ meditationis cum David, qui dicebat Pſalm. 18. meditatio mea in conſpectu tuo ſemper; alii in menſam dulcis refectionis cum Petro; alii in cubiculum ſolitariæ contemplationis cum Ioanne; alii in amplexum amoroſæ unionis cum ſponſa, & ſic de aliis; quia in domo Dei in vita ſpirituali ſunt diverſæ manſiones. *Op. de ſeptem itiner. ætern. d.2. Pſalm.119. ſerm.17. Hexam.* Quod etiam poteſt applicari ad manſiones vulnerum ſalvatoris, in quibus diverſimodè introducuntur animæ ſpirituales ad delicias divinas. *Sic ad ſenſum S. Bonav. opuſcul. ſtim. p.11.*

4. *Qualis præparatio facta à Chriſto in Cœlo.*

Vado vobis parare locum. Sed quomodo hoc? nonnè Regnum cœleſte paratum erat à conſtitutione mundi? ut dicitur Matth. c.25. At attende ad hanc præparationem: Chriſtus ivit à cœnaculo ad crucem, & à cruce ad Cœlum, aperiens portas cœleſtes, & removens omnia impedimenta aliis Beatis, & electis. *Serm.3. de Aſcenſ. op. Comp. Theol. lib.4 c.14.*

5. *Chriſtus via, veritas, & vita, ſinè quo nemo poteſt pervenire ad Cœlum.*

Ego ſum via, veritas, & vita. Vide quomodò Chriſtus Deus, & homo viſibilis ſecundùm humanitatem, & divinitatem ſe profitetur viam, veritatem, & vitam; quia enim per peccatum obnubilatus eſt homo, inſ mendacia, & falſitates, & tandem in mortem inciderat, ecce Chriſtus apparuit, ut eſſet via, veritas, & vita; quaſi diceret, Ego ſum via, per me venite, nec indigebitis manuductore, quia via ſum ſine errore quærentibus, Ego ſum veritas, & ita nullum mendacium in iis, quæ vobis dixi, & dico; ideò ſum veritas ſinè falſitate invenientibus: Ego ſum vita ſine morte permanentibus, & ita ſi moriamini, non peribitis: Via in exemplo, veritas in promiſſo, & vita in præmio; vide ô homo quo vis ire? ego via dicit Chriſtus, quo vis ire? ego veritas, ubi vis permanere? ego ſum vita, & ideò benè ſubdit, Nemo venit ad Patrem, niſi per me. *Op. de ſeptem itiner. ætern. itin.5. d.7. op. de dono intellect. cap.5: op. de reduct. artium. opuſc. Brevil. p.6. cap.4. op. ſpec. B. Virg. lect.14. op. Princ. Pſal.76. Ioan.c.14. hic: & collat.27 ſer.4. Dom.3. poſt oct. Epiph. ſer.4. Dom.12. Pentec. ſer.1. Dom.21. Pentec. ſer.1. de Inveni. S. Crucis.*

6. *Sine Chriſto omnia periclitantur, cum Chriſto omnia rectè dirigantur.*

Ego ſum via, veritas, & vita; nemo, venit ad Patrem, niſi per me. O quàm verum eſt hoc! nam Chriſtus cum ſit via in exemplis, & meritis, veritas in præceptis, & vita in præmiis; via deducens, veritas docens, & vita reficiens; ideò ſine Chriſto omnia periclitantur, cum enim ſit via, ipſo abſente viator periclitatur, cum ſit veritas, ſine ipſo dubitatur in fide; cum ſit vita, ipſo abſente anima moritur;

Digitized by Google

legimus enim, quòd Chriſto abſente navis agitatur, ipſo abſente Thomas dubitat, & ipſo abſente Lazarus moritur; ô Chriſtum noſtram viam, veritatem, & vitam ſemper ſequamur! ſemper ad ipſum aſpiciamus, & numquam ab ipſo recedamus. *Ser.4.Dom.3. poſt oct. Epiph. ſer.1. de Invent. S.Crucis.* Nota: De viſione Patris, & ſufficientia ipſius beatificante animam. *Vide in Comment. ad illa verba; Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis, &c.*

7. *Ex obſervantia mandatorum Dei, & ex operibus cognoſcitur qualitas amoris in Deum: Ubi de obſervantia mandatorum Dei effectibus.*

Si diligitis me, mandata mea ſervate. Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me; qui autem diligit me; diligetur à Patre meo, & ego manifeſtabo ei meipſum. Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum. Vide quomodo ſemper Chriſtus collocat totum amorem ſuum in obſervantia mandatorum Dei, quia probatio dilectionis exhibitio eſt operis, & cujus operis? nempè reſpicientis obſervantiam mandatorum ejus: & ideò in ſex comprobatur iſta dilectio; primò ex deteſtatione peccatorum, quantum enim homo diligit Deum, tantùm deteſtatur peccatum: ſecundò ex repulſione inimicorum, quantum enim fortiter Deum diligimus, tanto contrà tentationes diaboli fortiores ſumus, & ipſis reſiſtimus: tertiò ex operatione mandatorum, nam tota obſervantia mandatorum eſt in dilectione Dei, & proximi, qui contra hoc facit ſignum eſt deficientiæ charitatis, & amoris; & hinc patet, quòd ubi non eſt obſervantia mandatorum Dei, ibi non eſt amor, & à contra ubi eſt amor, ibi ſancta operatio, ex qua obſervantia ſequuntur innumera bona, quia qui ſervat Dei mandata, diligitur à Patre, à Filio, & à Spiritu Sancto ſpeciali amore. *Serm.3. Dom. Paſſ. ſer.1. & 2.& 3. Dom.17. Pentec. ſer.1. de S. Iac. ſerm.8. de Apoſtolis.*

8. *Amoris in Deum fructus expenduntur: Ubi de Adventu in animam totius Sanctiſſimæ Trinitatis.*

Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c. Nota, quòd in his verbis quatuor exprimuntur, quæ debent eſſe in fidelibus; quorum primum eſt divinæ dilectionis perfectibilitas in affectu, ibi ſi quis diligit me: ſecundum eſt divinorum mandatorum adimpletio in effectu, ibi ſermonem meum ſervabit: tertium eſt grata acceptabilitas talis obſervantiæ reſpectu Dei, ibi Pater meus diliget eum: quartum eſt retributionis magnitudo, & immenſitas, ibi. Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus: Ex quibus patet, quod primus locus omnis felicitatis eſt amoris in Deum, qui eſt diligendus ex toto corde, &c. & hinc ſequitur obſervantia mandatorum Dei, quia ſermo divinus (ibi ſermonem meum ſervabit) ſervandus in memoria ſine oblivione, in ore ruminandus, & opere, & effectu implendus, ſicque concurrat lingua, mens, & vita: tertiò ſequitur dilectio Dei in ſic diligentem ipſum, & in hoc eſt magnifica honorabilitas, totalis ſecuritas, & mirifica fructuoſitas tam in præſenti quàm in futuro: & quartò conſequitur adventus Dei, ad eum veniemus, & quinam venient? Ego, ſcilicet & Pater, & Spiritus Sanctus non ſolum in præſenti juſtificando, & gratificando, ſed & in futuro glorificando, & manſionem, non manſione tranſitoria, ſed æterna, apud eum faciemus: ô quale promiſſum dulciſſimum eſt hoc, ad eum veniemus, & manſionem, &c. ſemper à nobis ruminandum in corde; nam ad nos venit Pater viſitando memoriam, & excitando ad operandum: Verbum Patris illuminando intelligentiam ad contemplandum: Spiritus Sanctus inflammando affectum ad dulciter amandum; & manſionem apud nos facient: Sed attende ô anima monitum neceſſarium: In quorumdam corda venit Deus, & manſionem non facit, quia ſic Deum recipiunt, ut tamen tempore tentationis recedant ab eo: In quorumdam corda verò venit, & manſionem facit, quia ſic eos amor divinus penetrat, ut & tempore tentationis non recedant ab amore; ô dulcis Jeſu veni ad nos, & manſionem perpetuam etiam fac in nobis. *Op. de dono conſil. c.4. Ioan.collat.64.*

9. *Adventus Dei in animam Deum diligentem expenditur.*

Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Nota, quod hic duo dubia graviſſima inſurgunt: primum eſt, quia cum videatur Deus priùs diligi, quàm ſuum venire in animam, ſi quis diligit me, ait Chriſtus; Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, &c. ſed ad hominem venit, quando dat gratiam, & ſic videtur, quod ſine gratia antecedenter poſſit Deum diligere? quod eſt falſum: ſecundum dubium: qualis eſt iſte adventus in animam cum Deus ſit in omnibus rebus per eſſentiam, per præſentiam, & per potentiam, ergo priùs erat Deus in anima etiam exiſtente in peccato? quodnam ergo eſt hoc privilegium, quod hic cum tanto apparatu Chriſtus promittit ſuis dilectoribus, & amicis? Ad primum dubium reſpondetur, quod hic non loquitur de adventu Dei in animam in prima gratia, quam jam ſupponit per illud verbum, ſi quis diligit me, quod non poteſt fieri ſine gratia juſtificante; ſed loquitur de adventu per ampliorem gratiam, & collationem novorum donorum: Ad ſecundum dubium reſpondetur, quod diſquirunt Theologi an verè poſſit dici, quod Deus ſit in diabolo, in damnatis, in peccatore, niſi per abſtractionem; ſcilicet ſecundùm naturam, non ut diabolus eſt, ut damnatus, non ut peccator ſumitur, & ideo eſt in iſtis, non cum ipſis: hinc in anima exiſtente in gratiâ, dicitur Deus venire, & cum ipſa eſſe, nempe ſubvenendo, illuminando, implendo, ſicut ſponſus in thalamo; Rex in regno; turris in caſtro; magiſter in ſchola; lux in tenebris; theſaurus in agro; carbunculus in auro; & mel in favo; ut Deus in Paradiſo, quia talis anima ſit Paradiſus Domini, & quid his majus poteſt excogitari, ô qualis felicitas animæ Deum diligentis? Tu ergo ô anima, quæ veram requiem, quæ poſt hanc vitam promittitur, quæris, etiam hanc inter amariſſimas vitæ hujus moleſtias ſuavem, jucundamque guſta-

bis

bis, ſi ejus qui eam promiſit præcepta ſervando, dilexeris ; ô felix anima, quæ quotidie cor ſuum mundat, ut inhabitantem Deum ſuſcipiat, cujus hoſpes nullo bono indiget, quia auctorem omnium bonorum in ſe habet, ô quàm beata anima, apud quam ſibi Deus requiem invenit! quæ dicere poteſt, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. *Op. de ſeptem itin. ætern. d. 2. & itin. 4. d. 4. a. 2. ſer. 3. Dom. Paſſ. ſer. 2. Dom. 4. Adv. op. de dono conſil. c. 4. op. Comp. Theol. lib. 1. c. 17. & lib. 5. c. 25. Pſal. 9. & 118. v. 121. op. Solil. c. 1.*

10. *Spiritus Sancti miſſio à Chriſto promiſſa quale bonum.*

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, &c. O quàm bonus Deus, quàm miſericors, quàm liberalis eſt Dominus Jeſus in ſuos! nam in his verbis promittit Spiritum Sanctum ſuis diſcipulis : in his verbis autem tria inſinuantur : primum eſt doni divini excellens pretioſitas, ibi Spiritus Sanctus Paracletus: ſecundum eſt modi donationis ordinabilitas, ibi Quem mittet Pater in nomine meo : tertium eſt ejuſdem doni fructuoſa utilitas ; ibi Docebit vos omnia, &c. Spiritus Sancti igitur collatio continet omnia bona ; quia enim eſt Spiritus, ideò continet bonitatem impretiabilem; quia eſt Sanctus, ideò ex hoc bono dono derivat omnis mali, & peccati exterminatio; & quia eſt Paracletus, ideſt advocatus, & conſolator continet omnis boni plenitudinem ; non enim eſt conſolatio vera, niſi in Deo, nec plena, quia in ipſo omne bonum. *Ioan. collat. 65.*

11. *Spiritus Sancti miſſionis effectus expenduntur.*

Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater, &c. ille vos docebit, &c. Nota illud verbum, quem mittet Pater in nomine meo, ut videas magnitudinem hujus miſſionis ; quia magnus eſt qui mittitur, magnus à quo mittitur, magnus, cujus nomine mittitur ; mittitur ergo Spiritus Sanctus à Patre, & Filio ad oſtendendam Majeſtatem, quia per ſeptem dona ſua, veluti per ſeptem oculos facit nos cognoſcere omnem veritatem : mittitur ſecundò ad arguendum iniquitatem, ſicut mittitur ſagitta contra hoſtem ad feriendum : mittitur tertiò ad accendendam voluntatem, portavit enim ignem è Cœlo, ut cor durum emolliret, & in Dei amore accenderet: mittitur quartò ad dandam ſecuritatem, ſcilicet circa myſteriorum fidei credulitatem, & ſpem vitæ æternæ poſt labores, & opera bona obtinendæ, *Ser. 7. & 8. in Pentec.*

12. *In nominis Jeſu virtute mittitur, & communicatur Spiritus Sanctus.*

Quem mittet Pater in nomine meo. Quid eſt in nomine meo ? ergone Pater mittit Spiritum Sanctum in nomine Filii, ſcilicet tamquam à Filio habens auctoritatem ? Sed hoc minimè eſt dicendum, cum Pater mittat Spiritum Sanctum prout à ſe habet auctoritatem, & filius item prout à Patre : quid eſt igitur in nomine meo? ſed in hoc exprimitur hujus donationis ordinabilitas, & per ipſum Filium omnium bonorum nobis communicatio, & illorum ſalubritas. quia in virtute nominis Filii, ſcilicet Jeſu, & Salvatoris non datur niſi quod eſt remedium, vel adjutorium ſalutis : undè in nomine Jeſu fit gratuita collatio Spiritus, & impetratio : eſt & omnium univerſalis ſalvatio, non enim eſt aliud nomen ſub Cœlo, in quo oporteat nos ſalvos fieri, niſi nomen Jeſus : item fit & omnium poteſtatum adverſantium triumphalis devictio, ideò in nomine Jeſu omne genu flectitur. &c. Iſtud ergo nomen in omnibus invocandum, & ſicut mendici petunt eleemoſynam in nomine Mariæ Virginis, S. Petri, &c. ſic & nos ut mendici petamus eleemoſynam gratiarum in nomine Jeſu Chriſti. *Ioan. collat. 65. ſer. 4. de Circumciſ.*

13. *Pax eſt teſtamentum Chriſti, quam nobis in præſenti, & in futuro reliquit.*

Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Nota illud verbum, relinquo : hoc enim eſt legatum, quod ante ſuam mortem fecit Chriſtus pro nobis ; hoc eſt teſtamentum Filii Dei, ut pateat, quod qui teſtamentum noluerit obſervare, nec poterit concordiam habere cum Chriſto, nec ad hæreditatem pervenire: Nota autem, quod hic bis pacem nominat, quia duplicem pacem nobis reliquit, ſcilicet pacem pro hac vita mortali, & pacem pro futura ; per quæ dat intelligere, quod per pacem in hac vita hoſtes vincuntur. & omne bonum etiam in hac vita percipere poſſumus : iſta autem pax eſt animæ cum ſuo Superiore, ſcilicet Deo; eſt hominis in ſuo interiori ſubjugando, & ſubjiciendo ſenſualitatem rationi; pax item hominis cum ſuo exteriori, ſcilicet cum proximo, ut invicem diligamus, & numquam diſſentiamus inter nos ; ô quale bonum eſt iſta pax; tantum enim eſt bonum pacis, ut etiam in rebus terrenis nihil gratiùs ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil melius inveniri: tantum eſt bonum pacis, ut verè pax ſit ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicis cordis amoris vinculum, conſortium charitatis; hanc pacem, qui accipit, teneat, qui perdidit repetat, & exquirat, quoniam qui in ea non fuerit inventus abdicabitur à Patre, exhæreditabitur à Filio. & à Spiritu Sancto efficietur alienus; & ideò repetit Chriſtus pro alia vita ; Pacem meam do vobis, quando ſcilicet ſine hoſte regnabimus, & tunc omnium erit una voluntas. *Ioan. collat. 66. & c. 14. hic: op. Diet. tit. 7. c. 6. op. Expoſ. Miſſæ c. 4. ſer. 1. ſer. 1. Paſchæ : Pſal. 147.*

14. *Chriſtus venit pauper, & pauper vivere, & mori voluit.*

Venit enim princeps hujus mundi, & in me non habet quicquam. Quid eſt, in me non habet quidquam ad quid hoc dicit Chriſtus, cum certum ſit in Chriſto nihil mali ineſſe ? ſed tamen dicendo quicquam, videtur etiam loqui de aliis rebus, ſicut vere loquebatur, In me (ait) non habet quidquam ideſt in me nihil poteſt invenire, quod poſſit auferre; dat autem intelligere, quod ipſe venit pauper in hoc mundo ſine divitiis, & dignitatibus mundanis, pauper voluit vivere, & mori, ne haberet quid perderet, & ne diabolus inveniret quid auferret. *Op. Expoſ. Reg. c. 4. op. de Paup. Chriſti in princip. op. Apol. Paup. Reſp. 3. c. 1.*

15. *Caveat homo ne habeat aliquid diaboli in ſe.*

Et in me non habet quicquam. Quid eſt hoc quidquam? hoc eſt aliquid diaboli, in me, ait Chriſtus, nihil eſt, quod ſit diaboli, ſed quid eſt, quod habet diabolus? habet peccatum, habet & artes ad decipiendum, habet & paſſiones, & inclinationes ad malum; ſi ergo in homine eſt peccatum, vel inclinatio ad malum, vel adſint paſſiones, tunc in ſe, & in ſuo dorſo portat merces diaboli, & quamdiu paſſiones concupiſcentiales dominantur in homine, diabolus ſemper habet de ſuo in homine. quæ paſſiones principaliter ſunt libido principandi, libido delectandi, & libido poſſidendi: cave igitur ab iſta captivitate diaboli, & in te caſtiga radices paſſionum, & amputa, & enerva contrarias poteſtates. *Ser.* 22. *Hexam.*

16. *Diabolus poſſidet mundanè viventes.*

Venit diabolus, & in mè non habet quicquam. Nota ly, in me, ideſt ſuper me intus, & foris; ut videas, quod qui adhæret diabolo, & ipſi ſubjicitur tamquam Principi, & hoc mundanè vivendo, etiam ab ipſo poſſidetur: væ ergo homini exiſtenti in peccato; quia eſt maxima ſtultitia peccantium, qui voluntariè ſe ſubjiciunt tali Principi, qui eſt in dominando tyrannicus, & crudelitate impius, & in exigendo ſervitium laborioſum inexorabilis, & inceſſabilis, & iniquus, & in reddendo ſtipendium durus. *Luc.c.*15.*v.*15. *lib.*2. *d.*2. *p.*1. *a.*2. *q.*1. *Joan.c.*14. *hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS.

1. *Poſtquam Chriſtus ſuprà exhortatus fuit diſcipulos ad conſtantiam fidei, in hoc capite proſequitur ad exhortandum eos ad dilectionem veritatis, quæ conſiſtit in unione cum Deo, in dilectione proximi propter Deum, & in perpeſſione perſecutionum, & odii mundi.*

CAP. XV.

2. *Chriſtus vitis qualiter dicatur.*

Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Nota, quod Chriſtus hic parabolicè loquitur ſe comparans viti per ſimilitudinem; vitis autem habet velocis radicationis virtuoſitatem, & mutuæ connexionis natam habilitatem, & ad creſcendum, & ad multiplicandum ramos inclytam virtutem, & fructus, ſive fertilitatis fructuoſitatem; ſic Chriſtus Deus, & homo talis eſt vitis plenariè, & radicaliter, & efficienter reſpectu ſuorum membrorum; vitis eſt habens tres propagines, ſcilicet tres naturas, divinam, animam, & corpus, ut homo colligere poſſit divinas dulcedines, & cœleſtes, & in calice pœnitentiæ inebriari, & evelli ab his terrenis rebus. *Joan. collat.*67.

3. *Pater æternus agricola ſimul cum Filio, & Spiritu Sancto alios agricolas in Eccleſia conſtituit ad colendam vineam Eccleſiæ.*

Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Si Pater eſt agricola, ergo & Filius, & Spiritus Sanctus, cum opera omnia ad extra ſint ipſis perſonis indiviſa, & communia; ideò ut agricola colit Eccleſiam ſuam veluti vineam, expurgando eam à peccatorum ſpinis, & exercendo in virtutibus; Pater igitur æternus ſeminavit frumentum, & panem, & plantavit Chriſtum; Filius veritatem Spiritus Sanctus charitatem, & hinc alios agricolas ſuos miniſtros deſtinavit ad culturam vineæ, ut plantæ fidelium fructum ferrent abundantem. *Pſal.*118.*v.*152. *op. ſpec. B. Virg. lect.*18. *Joan. collat.*47. & 61.

4. *Verbum Dei vim purgativam animæ habet.*

Jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Ad quid ſubdit hæc verba, quæ non videntur conſequentia ad antecedentem parabolam de vite, & agricola? Item cur dicit jam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis, & non potiùs propter aquam qua loti eſtis in baptiſmo? Reſponderur, quòd cum adferat in medium Deum agricolam totum occupatum in expurgando homines à peccatis, ſubdit ipſos eſſe jam mundatos; addit propter ſermonem, non propter aquam, ut ſignificet vim efficaciſſimam verbi Dei tum conſecratorii, tum doctrinalis; nam per verbum ſuper materiam prolatum, Sacramentum habet efficaciam ſanctificandi animam; accedit enim verbum ad elementum, & fit Sacramentum: Verbum item divinum, quod prædicatur habet & vim diſponendi animam ad converſionem, & hinc ad ſanctificationem; ideò dixit Chriſtus, jam vos mundi eſtis, &c. *Joa.c.*15. *hic: Luc.c.*3.*v.*16. *op. Diæt. tit.*7.*c.*5. *op. Expoſ. Miſſæ c.*2. *op. de modo confit. c.*9.

5. *Peccatum mortale ſeparat à Deo; Veniale impedit copiam fructuum.*

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Quis palmes non ferens fructum in Chriſto? & quis faciens fructum purgandus? Nota, quòd per iſtam metaphoram explicat Chriſtus fructus peccati mortalis, & venialis: Peccatum enim mortale ſeparat totaliter à Chriſto, & iſtud ſolum fructus mortis producit, non vitæ: peccatum veniale non tollit fructificationem meritoriam, ſed tamen aliqualiter impedit à copioſitate fructuum, unde Deus totus eſt in expurgando animam exiſtentem cum habitu charitatis ab inordinato amore terrenorum, & à peccatis venialibus, & hoc comminando, corrigendo, puniendo, tribulationes immittendo, & inſpira

Digitized by Google

inſpirationes, ut ſic colat perfectè talem animam, & plures fructus afferat in abundantia. *Op. Diat. tit. 5. c. 2. op. ſpec. B. Virgin. lect. 18. op. de ſeptem itin. ætern. itin. 2. d. 3. op. Comp. Theol. lib. 3. cap. 7.*

6. *Nihil poſſumus facere ſine gratia; nihil ita durum, quod non poſſumus cum gratia.*

Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, &c. Magna hic commendatio gratiæ proponitur; Docet autem hic Chriſtus: quod ſicut palmes nihil poteſt diviſus à vite, à cujus humore vegetatur; ſic nullus poteſt aliquid boni, quod ſit meritorium, ſine Chriſto; eſt enim homo impotens in agendo digna; inſipiens in noſcendo mirabilia, & alta; miſer in patiendo diverſa pericula; indigens in habendo neceſſaria; & cum ſis talis ô homo intra temetipſum, require Deum, & dic ei; ubi eſt potens adjutor? ubi eſt ſapiens Doctor? ubi eſt miſericors liberator? ubi eſt liberalis Paſtor? & ab eo diſces prudentiam contra inſipientiam, ut poſſis opera digna virtutis oſtendere; percipies intellectum ut poſſis imitabilia in ſapientia intelligere, & ſimul longitudinem vitæ, & victus, ut poſſis pati pericula, & miſeriam evadere: lumen oculorum, & pacem, ut poſſis cæleſtia contemplari, & acquirere: aliàs ſine Chriſti adjutorio nihil poteris. *Ser. 2. in Epiph. op. Comp. Theol. lib. 1. cap. 17. ſer. 2. Hexam. lib. 2. d. 28. a. 2. qu. 3. Luc. c. 8. v. 42.* Et ad hujus veritatis confirmationem Chriſtus ſe vitam vocat, nos palmites, quia palmites ita ſunt in vite, ut viti nihil conferant, ſed indè accipiant, undè vivant, ita vitis eſt in palmitibus, ut vitale alimentum ſubminiſtret eis; & ſicut palmites ex vite procedunt, & indiviſibiliter ei adhærent, & ex ea hauriunt humorem vitalem, & inde fructificant; ſic eſt de credentibus in Chriſto, quod ex eo vivunt, & ei adhærent, & ex eo humorem gratiæ hauriunt, & inde fructificant. *In Ioannem collat. 67.*

7. *Chriſti amor in quos ferâtur.*

Sicut dilexit me Pater; & ego dilexi vos, manete in dilectione mea; ſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione. O digniſſima verba Chriſti quæ continent totam ſummam obligationis, ſimul & felicitatis humanæ: dicit igitur, quod ſicut Pater ipſum dilexit, ità & ipſe diligit nos, non ſecundùm æqualitatem, quia Chriſtus eſt Unigenitus Filius, nos adoptivi; ſed vult dicere, quod dilectio Patris in Filium deſcendit in nos per ipſum mediatorem; quia eſt origo omnium bonorum; & noſtræ dilectionis in Deum, diligimus enim, quia diligimur à Deo; ſed quomodo diligimus, & quomodo ipſe nos diligit: ſubdit manete in dilectione mea, ſcilicet in gratia obſervando præcepta mea, quia verbum Dei eſt in faciendo, non in audiendo; & faciendo oſtendimus dilectionem Dei permanere in nobis: eſtne igitur aliquis hic, qui velit diligi à Chriſto, audiat quod ait, ſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, quia probatio amoris eſt exhibitio operis; & exhibitio operis eſt attractio amoris, & conſervatio dilectionis divinæ. *Ser. 1. in cœna: ſer. 3. Dom. Paſſ. op. de dono conſil. c. 4. op. de ſeptem itiner. ætern. d. 3. & itin. 4. d. 4. Ioan. c. 15. hic.*

8. *Apex ſummus charitatis eſt imitatio Chriſti in dilectione proximi.*

Majorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ecce quàm Chriſto chara eſt charitas proximi, dum ipſe animam ſuam poſuit pro amicis, & inimicis, ut eos ſalvaret; ideò ad ſui imitationem invitat, ut non ſolùm proximo non noceamus; non ſolùm ipſi proſimus, ſed & pro ſalute ſua animam exponamus, ſcilicet vitam, ſicut fecerunt Apoſtoli, & Martyres, & veri amici Chriſti, & hoc non ſolùm ſpe martyrii, ſed & pro affectu fraternæ charitatis, & de iſtis dicitur, quod poſuerunt animam pro amicis, ideſt etiam pro inimicis; ſed quoad affectum ipſorum amicis; & hæc eſt ſumma totius perfectionis dilectionis Dei, & proximi. *Lib. 1. d. 17. p. 1. dub. 7. ſer. 6. Paraſc. ſer. 3. Dom. 1. Paſchæ: ſer. 2. Dom. 2. Pentecoſt. ſer. 3. & 4. Dom. 17. Pent. ſer. 2. de S. Andrea: ſer. de Exalt. S. crucis: op. Apol. Paup. Reſp. 2. c. 1. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. cap. 28. op. Regula Novit. cap. 2. op. de ſex Alis Cherub. op. de Diat. in Append. pro Apoſtol. op. de ſeptem itiner. æternit. itin. 4. d. 3. & d. 4. a. 3. op. ſtim. p. 1. cap. 12. Ioan. cap. 15. hic.*

9. *Amicitia communis juſtorum per gratiam, & amicitia perfecta familiaritatis Apoſtolorum, & ſanctorum perfectorum expenditur.*

Iam non dicam vos ſervos, ſed amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Cur nunc ſolùm appellat Chriſtus Apoſtolos Amicos, & non prius? nonnè jam erant in gratia, & gratia eſt, quæ amicitiam cum Deo contrahit? & ideo quæritur hic, quale privilegium ſit iſtud? Reſpondetur, quod alia eſt amicitia communis, quæ obtinetur per gratiam ſanctificantem, & hæc eſt communis omnium juſtorum, & ſervorum Dei: alia eſt amicitia peculiaris, quæ eſt ex familiaritate, & per quam omnia inter amicos mutuo communia fiunt; & hæc eſt, de qua hic loquitur Chriſtus; quia fuit antecedenter probata per afflictionem veræ pœnitentiæ, & hoc maximè poſt adventum Spiritus ſancti, & ideo Chriſtus maximè loquitur de tali tempore futuro, in quo omnia neceſſaria ad ſalutem, & ad gubernationem Eccleſiæ eis fecit nota per Spiritum ſanctum; fuit & probata hæc amicitia per obedientiam, & donum patientiæ, & ideo exaltati ad perfectum ſtatum ad Chriſti familiaritatem, & amicitiam. *Ser. 1. de SS. Philipp. & Iac. ſer. 1. de S. Bartholom. ſer. 10. de Apoſtol. op. Diat. tit. 10. c. 6. op. de ſeptem itin. ætern. itin. 4. d. 4. a. 2. & itin. 5. d. 7. lib. 2. d. 28. a. 2. qu. 1: ad uls. Luc. c. 8. v. 51. & c. 14. v. 10. Ioan. hic.*

10. *Miſſio Prædicatorum qualis ſit à Chriſto, qualis à diabolo : Vbi etiam de vocatis ad Prælaturam.*

Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Ecce conditiones miſſionis Prædicatorum, & Prælatorum ad culturam vineæ expreſſæ hic à Chriſto: Ego, ait, elegi vos : ideò primò requiritur auctoritas mittentis, & ut miſſio ſit à Deo, non à diabolo, non ſine auctoritate, vel ex propria voluntate : ſubdit ut eatis, & fructum, &c. ſcilicet zelus curandi, & ſalvandi animas, & operatio continua proportionata ad ſalutem animarum, ita quod præſit Prælatus, vel Prædicator, ut proſit, & ad Cœlum reducat oves Chriſti; qui autem carent iſto zelo, qui non laborant inceſſanter, iſti dicuntur miſſi à Chriſto, ſed à diabolo, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti. *Luc.c 9.v.2.ſer.2.de converſ.S.Pauli: er.2de S.Matthia in Addit.*

11. *Chriſti ſervi non ſunt de hoc mundo terreſtri, ſed cæleſti.*

Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret, quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. O attendant ad hæc verba, qui profitentur Deo toto corde ſervire : nam expreſsè Chriſtus docet ipſos non eſſe de hoc mundo ; ſed de quo mundo? de hoc mundo terreſtri, à quo eos, quando ad ſuum obſequium elegit, ſeparavit, ſed ſunt de mundo cæleſti, trahunt enim ſuam originem de Cœlo, ſcilicet à gratia Dei, & non in hoc mundo, ſed in Cœlo ſemper converſantur, & manent, quia anima eorum eſt plus ubi amat, quàm ubi animat; & ideò cum ſit eorum converſatio oppoſita converſationi mundanorum, mirum non eſt, ſi odit eos mundus, ſi perſequitur uſque ad mortem; & hinc Chriſtus præmonens, & excitans ſuos ſequaces ad tolerantiam perſecutionum, proponit ſeipſum pro exemplari, dicens; Non eſt ſervus major Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. *Ioan. collat.70.& 73.& 76.Luc.c.14.v.1.& c.19. v.30. & c.21.v.17.ſer.3.omn.ſanct.in addit.ſer.1. Dom.3. Pent.Ioan.c.15.hic.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. *Nota, quod in hoc capite Chriſtus hortatur ſuos ad ſpei firmitatem, & conſtantiam, & ad hoc, ut ipſos excitet, promittit eis adventum Spiritus ſancti, ejuſque virtutum communicationem.*

CAP. XVI.

2. *Ex Spiritus Sancti adventu, & aſſiſtentia firmiter creduntur omnia, quæ de Chriſto, & à Chriſto dicta ſunt.*

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, &c. ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibetis, quia ab initio mecum eſtis. Nota hic, quod hæc verba in codicibus antiquis apponuntur in principio hujus capitis, in vulgata correcta apponuntur in fine antecedentis capitis : In quibus promittit Spiritum ſanctum, & docet, quod teſtimonio ſuo nos firmiter credimus omnia quæ dicta ſunt de Chriſto ; undè quod tot articuli firmiter credantur hoc eſt ex adventu, & aſſiſtentia Spiritus ſancti, quam habet ad Eccleſiam ; eſt enim veluti ſigillum authenticum ſignans litteras Sacræ ſcripturæ, quæ nos edocent myſteria cæleſtis vitæ, & in conſcientia noſtra eas imprimit. *Ser.8. Pent.*

3. *Adventus Spiritus ſancti exigit cor mundum, & expurgatum ab omni affectione cujuſcunque rei creatæ.*

Expedit vobis, ut ego vadam, ſi enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, ſi autem abiero mittam eum ad vos. Cur expedit ô dulcis Jeſu, ut prives tanta conſolatione tuæ præſentiæ tuos amicos ? & cur niſi abieris in Cœlum non deſcendet Spiritus ſanctus in Apoſtolos ? attendite ô ſervi Dei ; non ante Aſcenſionem ſuam Chriſtus miſit eis Paraclitum, & hoc non propter impotentiam ſuam, ſed quia ipſi corporali præſentia Chriſti contenti erant; & quia delicata eſt divina conſolatio, non datur omninò admittentibus alienam ; ideò dicebat niſi ego abiero, &c. ideſt niſi dederitis quod amatis, non habebitis, quod deſideratis, date, & dabitur vobis; ſi non abiero in cellarium Cœli, non habebitis vinum; ſi ſol non abierit in altum, non ſentietis calorem Spiritus ſancti. *Ser.3.in Aſcenſ.Ioan.c.16.hic.*

4. *Aſcenſus Chriſti in Cœlum, & deſcenſus Spiritus ſancti in terram, ſimul Cœlum, & terram copulavit per ſacrum commercium.*

Expedit vobis, ut ego vadam. Cur expedit ? quaſi hæc convenientia, vel neceſſitas ? hæc fuit: Venerat Chriſtus unire ſimul Cœlum, & terram; Cœlum deſiderabat præſentiam Chriſti, terra indigebat, & ſitiebat vinum Spiritus ſancti, ejuſque adventum; & ideo veluti pio, & dulci certamine pugnabant ſimul Cœlum, & terra, ſed per aſcenſum Chriſti in Cœlum, & per deſcenſum Spiritus ſancti in terram gratum quoddam commercium inter Cœlum, & terram extitit celebratum, ut illis daretur caro Chriſti, iſtis conſolatio Spiritus ſancti, eſſetque in terra Spiritus, caro in Cœlis, ac deinceps omnia eſſent communia in æternum. *Ser.3.in Aſcenſ.*

5. *Spiritus*

Digitized by Google

5. *Spiritus ſanctus inceſſanter arguit peccatores de peccato, de juſtitia, & de judicio.*

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio &c. Nota, quòd ad litteram loquitur Chriſtus de peccato, & malitia Judæorum, qui cum vidiſſent tot miracula, audiſſent doctrinam tam cæleſtem, & divinam, perſtiterunt in ſua incredulitate, & conſequenter in ſuis peſſimis peccatis, nec moti ſunt à converſione, & exemplari juſtitia, & vita eorum, qui perfectè ſecuti ſunt; nec commoti fuere à comminationibus eis factis de judicio Dei eis imminente: myſticè tamen explicat munera Spiritus Sancti Eccleſiæ aſſiſtentis, qui inceſſanter arguit, & pulſat ad cor peccatoris, arguens peccatum in corde, ore, & opere in corde arguit interius per conſcientiam, ut ſic videat ſuam propriam deformitatem, & ſtragem in ipſo factam per peccatum; exteriùs per Sacram Scripturam, & per prædicationem verbi Dei; inferiùs per infamiam, aliaque damna contracta per peccatum; & ſuperiùs per gratiam, & inſpirationem divinam; arguit igitur homines de peccato quod commiſerunt ore, & opere; arguit & de juſtitia, quam negligunt; & de judicio, quod non metuunt; & nota, quòd dicitur arguet de juſtitia, quia vado ad Patrem, & jam non videbitis me, ſcilicet nullum profectum, & remedium reportaverunt de juſtitia, ideſt de operibus virtuoſis, & exemplaribus à me factis, cum per Paſſionem, & tantas pœnas ad gloriam me oportuerit tranſire, & ampliùs me viſibilem eis reddam; de judicio verò, quia ipſum non timuerunt, etiamſi ſciant, quòd princeps mundi jam judicatus fuerit, ſcilicet quòd juſtitia Dei nec Angelo peccanti pepercit, & ideò ejus poteſtas per Paſſionem exterminata eſt; & hæc omnia contra peccatores prædicat Spiritus Sanctus, arguendo eos. *Serm. 1. Dom 3. poſt Paſcha Ioan. c. 16. Luc & collat. 71. ſer. 7. in Pentec. ſer. 3. Dom. 18. Pentec.*

6. *Princeps Chriſtus; Princeps diabolus; ille bonorum, iſte malorum; quale diſcrimen inter ipſos; & de conditionibus Principis.*

Princeps mundi jam judicatus eſt. Quis iſte Princeps mundi jam judicatus? & à quo? Princeps iſte eſt diabolus, ſub cujus principatu ſunt omnes iniqui: jam judicatus eſt, & condemnatus ab alio Principe ſuperiori, ſcilicet à Chriſto; & ſi Chriſtus, & diabolus Princeps ſunt, quæritur quale diſcrimen inter ipſos intercedit? maximum quidem; nam cum Princeps debeat eſſe fidelis, pacificus, clemens, juſtus; in Chriſto ſunt omnes iſtæ conditiones in ſupremo gradu: è contra Princeps diabolus fraudulentiſſimus eſt in promiſſione, inquieriſſimus in tentatione, crudeliſſimus in perditione, & injuſtiſſimus in retributione: Chriſtus fideliſſimus in promiſſione, qui cogitationes fraudis neſcit, qui ſemper ſine exceptione ſtat promiſſis: è contra diabolus fraudulentiſſimus promittens dignitates, voluptates, divitias, longam vitam, finalem pœnitentiam multos decipit: Chriſtus item pacificus, qui ad pacem ſemper inhat, invitat, promittit, & donat, & in tentationibus ſublevat: diabolus verò poſſidens hominem ipſum ſemper inquietum reddit, & de vitio in vitium præcipitat, donec in infernum cadere faciat: Chriſtus eſt Princeps clementiſſimus, qui ſuos ſervos ut fratres acceptat & tractat: diabolus è contra crudeliſſimus eſt, nec ullo ſervitio poteſt placari & hoc maximè in exitu exhac vita: Chriſtus item juſtiſſimus, qui ſibi ſervientes juſtè remunerat, & abundanter: diabolus à contra, qui per varia peccata ſuos exaltatin altum, ut eos præcipiter crudelius in infernum. *Ser. 2. Dom. 3. poſt oct. Paſche.*

7. *Chriſtus ſuos ſervos non eodem modo tractat ſed prout unicuique opus eſt; & datur inſtructio Prædicatoribus.*

Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cur non poterant tunc portare, vel capere myſteria fidei poſteà revelanda? hoc eſt quia tunc adhuc non erant idonei, ſed poſteà dilatata capacitate in ipſis à Spiritu ſancto, eis fuerunt infuſa; per quod primò ſignificatur, quòd Chriſtus non eodem modo tractat ſuos ſervos, ſed differenti modo, ſecundum quod unicuique opus eſt: alios enim acriter arguit; aliis terribiliter comminatur; alios prudenter docet, alios utiliter ſuadendo, aliis veraciter promittendo; aliis aperit fontem ſuarum conſolationum, aliis claudit; & totum ſemper ordinatum ad noſtram ſalutem: ſecundò datur inſtructio Prædicatoribus, ne ſuis auditoribus proponant res niſi ſecundum ipſorum capacitatem. *Op. de ſeptem itiner. ætern. itin. 2. d. 3. Ioan. hic.*

8. *Promiſſio Spiritus Sancti facta à Chriſto diſcipulis expenditur.*

Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Vide hic quomodo Dominus Jeſus videns diſcipulos ſuos deſolari de ſua abſentia corporali, in remedium deſolationis promittit eis regale xenium, & imperiale donum, ſcilicet Spiritum Sanctum, quo habito non eſt locus deſolationis, & mœſtitiæ, imò conſolationis, & lætitiæ; & hinc in his verbis deſcribit Chriſtus benignitatem Spiritus Sancti dicendo, cum venerit, ſcilicet non dedignabitur tantus Doctor, & conſolator venire è Cœlis ad vos, ut mediçus ſapientiſſimus, & magiſter, & ut Rex ditiſſimus ad vivificandum, ad docendum, & dirandum vos; item ut nobiliſſimus Spiritus veritatis, & liberaliſſimus per redundantiam copioſitatis doctrinæ, quam omnibus communicabit. *Ser. 3. Dom. 3. poſt oct. Paſcha.*

9. *Spiritus ſanctus magiſter Eccleſiæ docet omnem veritatem, & qualis illa ſit.*

Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem. Vide hic mirabilia prodigia miſericordiæ Domini Jeſu Chriſti, qui aſcendit in Cœlum, ut mitteret Spiritum ſanctum in Eccleſiam, ut eſſet ipſius, & noſter magiſter omnis veritatis: quænam eſt iſta omnis veritas? triplex eſt, ſcilicet veritas cognitionis; veritas omnis operationis; & veritas omnis dilectionis: veritas cognitionis eſt fides Jeſu Chriſti, quia aperuit, & inceſſanter aperit omnia velamina Scripturæ Sacræ, manifeſtans nobis, quod nobis erat obvelatum; & iſtam veritatem attulit Eccleſiæ, & ſuis miniſtris, ut per ipſos alii illuminarentur: veritas operationis eſt, quæ continet omnia, quæ debemus fugere, & ſectari, & operari ad ſalutem: veritas dilectionis eſt charitas immenſa in Deum, & proximum; ô beati qui ad hanc ſcholam proficiunt. *Ser. 3. & 4. Dom. 4. poſt oct. Paſchæ. op. de dono conſil. c. 4. op. de 7. itin. ætern. itin. 5. d. 4 op. de Prof. Relig. lib. 1. c. 4. ſer. 8. & 12. Pentec. ſer. 4. Dom. Quinquag. Luc. c. 21. v. 15. Ioan. hic & collat. 72.*

10. *Viſio quæ habetur de Deo à nobis quàm modica, & quàm multiplex.*

Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem. Nota ad litteram, quòd prædicit Chriſtus in his verbis ſuum abſceſſum, & ſuum regreſſum poſt Reſurrectionem; modicum, ait, ſcilicet tempus reſtat, & non videbitis me, quia poſt paululum crucifixus eſt, & mortuus; & iterum modicum paulo poſt videbitis jam reſurgentem uſque ad Aſcenſionem: myſticè autem hæc ordinantur ad fideles, & ad eorum viſionem de Deo in hac vita, quam appellat modicum: videtur Deus in mundo à credentibus modicè, & imperfectè per imaginem ſcilicet creaturarum poſt tergum, ſcilicet per humanitatem Chriſti, & à longè per diſtantiam diſſimilitudinis, quia videtur per ænigma fidei. *Serm. 1. Dom. 2. poſt oct. Paſchæ.*

11. *Modicitas hujus vitæ expenditur poſtquam videtur Deus Judex in morte; & videbitur in æternum in alia à Beatis.*

Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. O quàm modicum eſt iſtud modicum quod nobis ſingulis proponit Chriſtus myſticè in his verbis; modicum eſt tempus hujus vitæ, in qua vivimus tam miſerabiliter; vide quàm modicum; modicum eſt, quia de hoc tempore non habemus de præſenti, niſi nunc inſtantaneum incerti de futuro, modicum eſt durativè, quia ad finem properat, & ad finem quàm citò perveniet: modicum eſt obcurſus celeritatem; modicum eſt id, quod torquet, quia modicæ ſunt tribulationes hujus temporis ad futuram gloriam ſemper duraturam: modicum eſt id tempus, in quo juſti plorant ſua peccata, ob incolatum hujus miſeriæ, poſt quod videbitis me ait Chriſtus; videbitis me in extremo decedentes ex hac vita; videbitis me Judicem vel vos præmiantem, vel vos condemnantem ſecundum opera veſtra, ut me videatis in Cœlo in æternum. *Ser. 1. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ. Ioan. c. 16. hic.*

12. *Juſtorum vita mortalis eſt in triſtitia, & planctu: reproborum in gaudio, & lætitia; ſed poſt fit alterna mutatio.*

Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Ecce quomodo Chriſtus aperit ſtatum religioſitatis Apoſtolicæ per oppoſitum mundanæ lubricitatis, quia utrorumque vita, ſtatus, mores, & accidentia ſunt ex diametro oppoſita: mundus gaudet, ait Chriſtus; & quali gaudio? ô gaudium maledictum! gaudet mundus immerſus in luxuria, & laſcivia carnalitatum: gaudet in copia inſatiabilis pecuniæ, & divitiarum: gaudet in excellentia honoris, & jactantiæ: per primum depravatur natura propria, & convertitur in jumentinam, & porcinam, & beſtialem: per ſecundum averſitur à Deo, & divinitatem, & finem ultimum collocat in pecunia, & obligatur ad pœnam æternam: per tertium elevatur homo in Cœlum, ut profundius ruat in interitum; ecce quale gaudium maledictum, fictum, & vanum: Vos verò, ait Apoſtolis, contriſtabimini, plorabitis, & flebitis vos, ſcilicet toti dediti lachrymoſæ contritionis in propriæ tranſgreſſionis recordatione, in dolorioſæ compaſſionis Dominicæ Paſſionis meditatione, & in afflictione deſolationis ob privationem præſentiæ meæ corporalis; ſed ecce fiet alterna mutatio; nam triſtitia veſtra vertetur in gaudium interiæ dilectionis propter evaſionem æternæ mortis, quam obtinebitis per contritionem, & vitam pœnitentialem; in gaudium item mutuæ congratulationis propter cohæreditationem cæleſtis patriæ quam recipietis, propter compaſſionem meæ Paſſionis; & gaudium lætitiæ; & conſolationis propter viſionem reſurgentis ſapientiæ, quam habebitis in mea Reſurrectione. *Serm. 3. Dom. 2. poſt oct. Paſchæ ſerm. 1. Dom. 14. Pentec.*

13. *Gaudium malorum, & triſtitia bonorum breviſſima, & ficta in hac vita; in alia ad æternitatem mutabitur.*

Mundus gaudebit &c. Et quo gaudio? gaudio vano, labili, caduco, & breviſſimo ad inſtar puncti; & ideò ſi mundus gaudet, hoc non eſt verum gaudium, ſed fictum; Triſtitia bonorum non eſt vera, ſed ficta, & apparens tantùm, & breviſſima; non ſic in alia vita, in qua mali perpetuo triſtabuntur, & boni gaudebunt; undè reprobis gaudium eſt plenum triſtitia, quæ vertitur in triſtitiam; juſtis triſtitia eſt plena gaudio, vertiturque in lætitiam plenam, & perfectam. *Ser. 3. & 4. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ. Ioan. hic & collat. 73.*

14. Dem

14. *Deus vult concedere gratias, & dona, ſed vult à nobis rogari: Vbi de orationis efficacia, & modo, & qualiter loco Chriſti ſuffecta in Eccleſia.*

Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis; uſque modo non petiſtis quicquam, petite, ut gaudium veſtrum ſit plenum. Nota, quod Dominus Ieſus liberaliſſimus, & cupidiſſimus concedendi ſuis diſcipulis gaudium; & omnia bona, eos tamen ſuadet, ut ad orationem confugiant, & ab ipſo iſta petant; ut hinc addiſcamus primò, quod Deus promptus eſt dare, ſed vult à nobis rogari; non enim ideo oramus, ut divinam diſpoſitionem immutemus, ſed ut id impetremus, quod diſpoſuit concedere per orationem noſtram; ideo ad perfectam orationem nos excitat, ut ſcilicet petamus ſinceriter cum rectitudine conſcientiæ in declinando mala, cum diſcretione prudentiæ in eligendo bona, & cum certitudine confidentiæ in expectando futura, & hæc tria continentur in illo verbo petite; & hinc ſequitur liberalis diffuſionis ſuperna affluentia, & efficacia; ſubdens & accipietis, & gaudium veſtrum erit plenum: ſecundum, quod hic innuitur, eſt, quod volens Chriſtus privare diſcipulos ſua corporali præſentia, eis reliquit orationem tamquam ſuam Vicariam, ut loco Chriſti exhiberetur omnibus fidelibus, & ad ipſam ſemper confugerent in quacumque tribulatione, & neceſſitate; Vide igitur quanta ſit orationis efficacitas, nobilitas, & pretium. *Ser. 1. Dom. 4. poſt oct. Paſchæ: Ioan. cap. 16. hic ſerm. 4. Rogation. op. de modo conſit. cap. 5. Luc. cap. 18. verſ. 41. ſer. 2. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

15. *Chriſti omnes motus, & opera ordinata ad ſalutem noſtram, & ad attrahendum homines ad ſe.*

Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Nota, quod in his paucis verbis comprehendit Chriſtus totum opus Incarnationis, & Redemptionis ad ſalutem hominum aſſumptum: Exivi à Patre ſcilicet factus homo in utero Virginis, & veni in mundum, ut ad modum firmamenti curriculum perfectum perficeret, venit, & habitavit in mundo, prædicavit, miracula operatus eſt, paſſus eſt, & mortuus: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem; ſed cur ô bone Ieſu relinquis nos hic Orphanos? cur vadis ad Patrem? Vado ad Patrem miſſurus Spiritum ſanctum, vado ad Patrem, ut Cœlorum portas vobis aperiam; vado ad Patrem, ut munus advocati, pro vobis peccatoribus exerceam, vado ad Patrem, ut ibi vos invitem, & expectem vos me, & mea opera ſequentes, & imitantes, vado quidem, & venio, nec vos derelinquam orphanos; vado corporaliter, ſed veniam in Spiritu ſancto, & cum Spiritu ſancto iterum ad vos: vado, ſed ſemper præſentiâ meæ divinitatis vos non deſeram; ô magna dignatio, grandis amor Chriſti Ieſu in nos! *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 6. ſer. 2. Dom. 3. Advent. ſerm. 2. Dom. 4. Advent. ſer. 21. Hexam. Luc. cap. 5. v. 18. & cap. 17. verſ. 19. Ioan. hic.*

16. *Proprium hominis eſt peccare, quia de ſe nihil aliud poteſt niſi deficere, abſque auxilio Dei.*

Ecce venit hora, ut diſpergamini unuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis. O infelix, & terribilis ſententia! Venit hora, ait Chriſtus, ut diſpergamini unuſquiſque in propria; quid eſt diſpergi in propria? quæ propria ſunt diſcipulorum Chriſti? nonne omnia reliquerunt? ô attende homo quid eſt proprium tuum? hoc eſt relinquere Chriſtum, & peccare, & diſpergi in varia peccata, in infidelitatis timorem; ſic accidit diſcipulis, qui relicto Chriſto omnes fugerunt; ſic facit homo relinquendo Deum, ecce quo tendit magnificentia virium hominum, quo ejus fortitudo, quo altitudo, quo præſumptio; ad nihil aliud valet niſi ad deficiendum à Deo; hoc ſolum poteſt, nec aliquid boni poteſt ſine auxilio peculiari Dei, undè non eſt, in quo ſuperbire potes, nec admirari, vel ſcandalizari de peccato proximi; quia hoc eſt proprium hujus miſeræ humanitatis. *Ioan. hic op. de Prof Religioſ. lib. 1. c. 2.*

17. *Confidentia in Chriſtum ſuadetur.*

Confidite; ego vici mundum. Ecce quid facit noſter ſummus Imperator, quia poſt prænuntiatam ſuam mortem, tribulationes, in quas ſui ſequaces incidere debebant, ut eos animaret ad tolerantiam, aſſignat pro remedio, & medio efficaciſſimo ad victoriam reportandam, confidentiam in Deum; confidite ait in me, quia ego pro vobis pugnavi, & vici mundum, vobis parum pugnæ, & laboris ſupereſt; & nota, quod dicit confidite, ſcilicet in me, non in vobis ipſis, nec in humana virtute, & poteſtate, nec in divitiis, non in carne, quia iſta confidentia eſt vana, debilis, fragilis, deceptoria, & veluti tela aranearum, ſed in me, ratione meæ invincibilis poteſtatis, infallibilis veritatis, ac fidelitatis, quia ego vici mundum. *Ioan. collat. 74. & 50. & c. 16. hic op. Apol. Paup. Reſp. 3. c. 1. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 56. Luc. c. 12. v. 51.*

ARGUMENTUM CAPITIS

1. *In hoc capite poſt confortationem factam ſuorum diſcipulorum, nunc proſequitur eamdem confortationem ſubſidio orationis pro ipſis factæ Patri.*

Christo absente omnia mala derivant; Christo præsente omnia bona, ad Christi præsentiam innumeræ gratiæ collatæ fuerunt Apostolis, quibus privatus est Thomas. *Ser. 4. Dom. 3. post oct. Epiph.*

4. *Christus incessanter dicit suis fidelibus: Infer digitum tuum huc, vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Hæc inquàm dicit Christus omnibus nobis, ut semper ejus Passionem, mortem, vulnera ante oculos habeamus; ut ad vulnera ipsius extendamus manus, scilicet opera imitationis; ut in latus intremus per meditationem, ut ibi ejus dulcedinem percipiamus. *Op. de Perfect. vitæ c. 6. ser. 1. & 2. de S. Thoma in Addit. Joan. hic.*

5. *Justi trahunt pisces ad dexteram, impii ad sinistram.*

Mittite in dexteram navigii rete, &c. Ecce quòd præcipit Christus suis piscatoribus, ut trahant ad dexteram; quid est ad dexteram electorum, & hoc est munus piscatorum Christi, qui trahunt homines ad Christum verbo, exemplo, & oratione: E contra scandalosi trahunt, ut piscatores diaboli homines à dextera ad sinistram, ut animas perdant. *Luc. c. 5. v. 4. ser. 2. ser. 4. Penitec. ser. 4. Dom. 11. Penitec. Joan. c. 21. hic.*

6. *Gravissima obligatio Prælatorum Ecclesiasticorum pascendi oves, & agnos expenditur.*

Pasce oves meas; pasce agnos meos; pasce agnos meos. Vide quàm sollicitè Christus commendavit suas oves, & agnos sanguine suo jam redemptos Petro; & in Petro omnibus Prælatis Ecclesiasticis; pasce, ait, verbo, exemplo, & oratione: væ igitur iis, qui pascunt seipsos, non oves Christi; & notandum, quod bis dixit pasce agnos meos, una vice oves meas, quia agni sunt simplices, pauperes, & idiotæ, qui duplici pastu indigent, scilicet corporali, & spirituali; & ut etiam agnoscant Prælati, quòd major ipsorum cura debet esse circa juventutem, à qua dependet bonum, vel ruina Reipublicæ Christianæ. *Joan. hic: & collat. 90. ser. 3. Dom. 17. Penitec.*

7. *Pastor triplicem pastum tribuere debet ovibus ex puro amore Dei.*

Diligis me plus his, &c. Pasce oves meas. Nota, quòd non sine mysterio Christus ter interrogavit Petrum, an diligeret eum? & ter etiam ei commendavit suas oves; quia cura pastoralis non est committenda nisi Deum diligenti, scilicet cordis affectione, operis exhibitione, & corporis expositione; & quia hoc tertium grave est, hinc contristari dicitur Petrus in tertia interrogatione; cum ergo non amore Dei, sed temporalium suscipit Pastor curam animarum mercenarius est, non Pastor, & ideò lupis infernalibus oves sæpè relinquit: ter autem dixit ei pasce oves, agnos meos; quia pascere debet triplicitèr exemplo conversationis, verbo prædicationis, & fervore orationis: Vide etiam quàm studiosè post Passionem suam oves suas Dominus commendavit Pastori, nec mirum, jam enim pretioso sanguine, & amara morte eas emerat. *Ser. 1. de S. Petro in addit. ser. 2. de Rectorib. in addit. Psal. 132.*

8. *Sanctus Pater Franciscus aliqualiter figuratus in Petro Apostolo.*

Cum autem senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. Nota, quòd hæc dicta fuere à Christo Petro, prænuntiando ei passionem suam in cruce, & genus etiam mortis, & vincula, quæ passurus erat, & ipsam mortem: spiritualiter tamen hæc possunt intelligi de Beato Francisco, qui spiritualiter præcinctus fuit in utroque homine, & habuit manus extensas etiam secundum formam habitus sacræ Religionis; & sic Sanctus Franciscus commendatur in quatuor: Primò in vitæ virtuosæ modesta maturitate, ibi cum senueris: secundò in appetituum carnalium mentalium disciplinabili cohibitione, ibi alius te cinget: tertiò in operum, & orationum plena perfectione, ibi extendes manus tuas: quartò in humilis obedientiæ promptitudine, ibi ducet, quo tu non vis; igitur Sanctus Pater Franciscus habuit per totum tempus justæ senectutis vitam immaculatam per mitigationem concupiscentiarum, per discretionem prudentiæ in operibus per exercitium continuum virtutum; ipsum Sanctum Confessorem Christus cinxit cingulo regularis disciplinæ cohibentis, & restringentis omnes sensuales appetitus, & mentales affectus: extendit & manus suas in cruce pœnitentiæ, quod signat formâ habitus suæ Religionis Seraphicæ; simulque eas extendit ad Deum in oratione, quæ fuit ejus potissimum exercitium in vita; & sic ductus est quo nolebat, scilicet quo nolebat carо, ductus est per adimplectionem perfectissimam obedientiæ paupertatis, & castitatis, in qua ad imitationem Christi vixit, & voluit mori; ergo fuit verus imitator Petri, imò & crucifixi.

9. *Multa, & magna de Jesu Christi vita ab Evangelistis vel omissa sunt, vel solùm ab ipsis innuuntur, ut per ea, quæ scripta sunt, elevetur anima contemplativa ad altiora.*

Sunt autem, & alia multa, quæ fecit Jesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros; ideſt qui possunt scribi. Nota, quòd in his verbis est conclusio Evangelii Sancti Joannis, in qua datur intelligi, quòd si omnia gesta Jesu Christi notarentur in libris nec libri possent capi in toto mundo, non quoad situm localem, sed quoad capacitatem legentium propter multitudinem mysteriorum altissimorum excedentium capacitatem omnium creaturarum; dans per hoc intelligere, quod ad Christum tota scriptura sacra ordinatur, tùm in veteri testamento, tùm in novo & quòd totus conatus noster, tota meditatio nostra ordinanda est ad meditationem mysteriorum vitæ

Chriſti, in qua eſt participatio vitæ æternæ; & ipſe Chriſtus à nobis exiſtimandus ut via, & oſtium, ſcala, & vehiculum, tamquam propitiatorium ſuper arcam Dei collocatum, & Sacramentum à ſæculis abſconditum; ad quod propitiatorium qui aſpicit plena converſione vultus aſpiciendo ad eum in cruce ſuſpenſum per fidem, ſpem, & charitatem, devotionem, admirationem, exultationem, appretiationem, laudem, & jubilationem ad ipſum perveniet, qui eſt Alpha, & Omega, principium, & finis omnium noſtrarum operationum, & affectionum, In quo fine ſicut Evangeliſta collocat fundamentum omnium credendorum, & totius Religionis, quæ eſt de divinitate, & humanitate Chriſti. (*Ex Luc. cap. 20. v. 44. opuſcul. itiner. ment. capit. 7.*) Sic & nos finem imponimus huic expoſitioni Evangelicæ ad quem nos perducat ipſe Jeſus Chriſtus per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis Mariæ: Sancti Joannis Evangeliſtæ; & Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ; qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in ſæcula, ſæculorum. Amen.

Explicit expoſitio Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ in Joannem.

EXPOSI

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN ACTUS APOSTOLORUM,

PROLOGUS.

PRIMO. Nota, quod Lucas haud dubium Actus Apostolorum Græcè scripsit, & Romæ etiam, secundùm opinionem multorum individuus comes Pauli, latinè rescripsit: qui liber fuit ab ipso superadditus ad suum Evangelium: uti patenter dicit in principio. *Primum quidem sermonem feci de &c.* Scilicet scribendo Evangelium, in quo fatetur se non notasse omnia, sed de omnibus summatim in genere locutum, quæ necessaria erant ad manifestandam dispensationem juxta carnem, & ejus divinitatis maiestatem. In hoc autem libro narravit multa gesta Apostolorum, præcipueque Petri, & fusè Pauli acta, tempore, quo Romæ per biennium commoratus cum ipso Paulo, nec ultra processit. Narratio historica est, & simplex, sed simul animi languoribus quippe medicus, salutarem affert medicinam. In hoc capite autem proponit ascensionem Christi, promissionem adventus Spiritus Sancti, & præparationem discipulorum ad tantum mysterium per dies decem: & tandem electionem Matthiæ.

CAPUT PRIMUM.

1. *Christi Iesu vitæ, & Evangelii compendium in his verbis: cœpit facere, & docere, expenditur, & proponitur Doctoribus, & Prædicatoribus exemplar imitandum.*

PRIMUM *quidem sermonem feci de omnibus, quæ cœpit Iesus facere, &c.* Nota hunc ordinem à Christo servatum in suâ vitâ: primò cœpit facere, posteà docere: primò facta, & exempla Sanctissima præposuit suæ prædicationi, & postea verbis docuit: per hocque formam tradidit doctoribus, Prælatis, & prædicatoribus, ut primum in se ipsis sint boni, sancti exemplares postea docentes: sic enim eorum prædicatio efficacissima erit. *Psal.* 118. *v.* 2. *Or. medit. c.* 15. *de sex alis Seraph. cap.* 1. *opusc. de sandaliis & comp. Theol. l.* 5 *c.* 7. *Luc. c.* 3. *v.* 21 *c.* 5. *v.* 7. *ser.* 1. *de S. Gregor. & ser.* 3. *de Apost.*

3. *Quadragesimæ observantia, & jejunium quàm utile, & fructuosum.*

Apparens eis per dies quadraginta, & loquens de regno Dei. Quæritur hic cur Christus voluit permanere cum discipulis post resurrectionem 40. dies, & non potius per 30. vel quinquaginta? & in tot diebus ostendere gloriosam suam resurrectionem? Respond. hoc factum esse ad instructionem nostram, & mysterium insinuandum: nempe quia cum in veteri testamento sanctificata fuerit quadragesima cum jejunio à Moyse, & Eliâ ipse etiam voluit jejunare in deserto 40. dies & parvulus offerti in Templo post 40. dies à sua nativitate cum oblatione turturis, & columbæ; & post resurrectionem commorari cum discipulis quadraginta dies; ut discamus, quod quadragesimalis jejunii observantia purgat culpam, impetrat gratiam, & præparat ad gloriam, & ad ascendendum cum Christo in Paradisum. *Serm.* 4. *Dom.* 1. *Quadrag.*

4. *Christi resurrectio credita, erigit miraculiter animam ad spem æternæ gloriæ.*

Quibus & præbuit seipsum vivum post resurrectionem per dies 40. apparens eis, & loquens de regno Dei: & convescens præcepit eis ne discederent, sed

ſed,&c. Ex hoc apparet,quam ſollicitus eſſet Chriſtus ad fundandam Eccleſiam , & inſtruendum ſuos diſcipulos , eoſque erigendum pet ſpem ad reſurrectionem futuram , & poſſeſſionem gloriæ: Nam poſt reſurrectionem dedit plura argumenta ſuæ veræ reſurrectionis, & hoc per viſum, per tactum , per auditum,per olfactum,& guſtum ; ideo ultimò comedit cum eis : nam reſurrectio Chriſti credita , mirabiliter elevat animam ad fidem , ad ſpem,& charitatem in Deum. *Op.Brevil.p.4.c.10. Comp.Theol.l.4.c.23.*

5. *Chriſtus promittit , & optat nobis conferre ſua dona :.ſed prius in nobis exigit diſpoſitionem ex parte noſtra.*

Et præcepit eis ne diſcederent , ſed expectarent promiſſionem Patris,&c . baptizabimini Spiritu Sancto. Promiſerat Chriſtus Ieſus diſcipulis ſuis communicationem, & miſſionem Spiritus Sancti pluries , & hoc poſt ſuam aſcenſionem , & tamen nunc eis præcipit ne diſcedant ab illo cænaculo, ſed ibi expectent tempus ab ipſo præfixum , quod fuit ſpacium decem dierum ; cur hoc ? quare non ſtatim ac pervenit in cœlum,non miſit Spiritum Sanctum ? At totum factum eſt à Chriſto providentiſſimè.Nota illud verbum (*ſed expectarent.*) Quid eſt expectarent ; niſi ardenter deſiderare,& ad facilius conſequendam gratiam adſpirare,& ſe præparare jejuniis, orationibus, actibus, & exercitiis omnium virtutum. Promittit enim Chriſtus ſuas gratias , & dona ; & ardenter deſiderat ea conferre ; ſed præexigit debitam diſpoſitionem ad ea dignè recipiendum : ſic fecit cum Apoſtolis : & ipſi ſimul cum diſcipulis jejunando, orando , & gemendo ſe diſpoſuerunt ad tantam gratiam recipiendam. *Op. Brevil. p.4 c.10.* Hinc eſt, quod Seraphicus P. S. Franciſcus ante Penteceſten jejunabat quadrageſimam 40.dierum, quem ferventiores Filii imitantur : & hinc etiam ſancta conſuetudo introduxit apud religioſos obſervantiores,; ut fit in noſtra Capuccinorum religione in omnibus Conventibus expendere hos decem dies ante Pentecoſtes in majoribus ſupra communes , & ſolitas,auſteritatibus, orationibus aſſiduis,& aliis piis operibus,& ſolitudinibus , ut exemplo Apoſtolorum devotiùs ſe præparent ad ſuſceptionem donorum Spiritus Sancti.

6. *In collatione Sacramenti baptiſmi communicatur Spiritus Sanctus cum ſuis donis.*

Quia Ioannes quidem baptizavit aquâ:vos autem baptizabimini Spiritu Sancto Nota quod hic aſſignat differentiam inter baptiſmum Ioannis , & noſtrum à Chriſto inſtitutum : nam ille ex opere operato non conferebat gratiam , ſed tantum diſponebat:In noſtro autem facto quidem cum aquâ, & formâ Sacramenti , deſcendit Spiritus Sanctus in animam,eam baptizans ab omni culpa,& ſcoria ſen pœna; confertur gratia ſanctificans cum omnibus virtutibus infuſis,per quod fit habitaculum dignum SS.Trinitatis. *Ioan.c.1. v.33. & collat.59.Luc.c.3. v 16.*

7. *Curioſitas de futuris eventibus circa prædeſtinationem , & alia : nimia Item credulitas ad prædictiones ſub titulo Prophetiæ non autenticas damnantur à Chriſto.*

Interrogabant eum : Domine ſi in tempore hoc reſtituis regnum Iſrael.ſcilicet complebis. & perficies vel temporaliter,vel etiam ſpiritualiter.Dixit autem eis. Non eſt veſtrum noſſe tempora , vel momenta , quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Scilicet , quæ reſervat recondita apud ſe. Vide hic,quod Chriſtus reprimit curioſitatem comprehendendi futuros eventus,etiam ordinatos ad ſalutem , & prædicationem : Et hinc confundit multos ſpirituales, qui inhiant ad revelationes habendas : vel etiam multos, qui credentes ſe illuminatos à luce ſuperna,audent prædicere multa futura:non advertentes hæc omnia eſſe figmenta ſuæ ipſorum phantaſiæ corruptæ à nimia æſtimatione ſui : & ideo talis nimia credulitas multos in peſſimos errores præcipitavit ; & etiam in apoſtaſiam , vult enim Deus in nobis ſpiritum humilitatis ; & ut eum eodem ſpiritu per conformitatem ad ſuam voluntatem expectemus,quod ex ſua divina pietate magis libuerit ,quod & ordinavit Apoſtolis. *Op. de prof.relig.l.2.c.76.in ſap.c.8.in Pſal.118. c.6. v.11. Luc.c.17.ſer.12.in Peniec.*

8. *Unctio Spiritus Sancti ſolum à Cælo, & à ſapientibus recipitur;non à fatuis.*

Sed accipietis virtutem Spiritus Sancti ſuperveni-entis in vos:& eritis mihi teſtes,&c. Nota , quod dicit Chriſtus ; Apoſtolos ſuos recepturos eſſe virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti:non dicit venientem , ſed ſupervenientem ; ideſt à cœlo : quia ſolum à cœlo, & à Deo debet expectari. Subdit: & eritis mihi teſtes : ad quid? & per quid ; teſtes per ſapientiam cœleſtem à Spiritu Sancto advenientem ; & ut ſapientes eritis mihi teſtes,ſcilicet credendorum in Chriſto ; agendorum in bono pro Chriſto : ſuſtinendorum in malo,& recipiendorum in præmio : teſtes,inquam,in exemplari vita,& doctrina : ut videas,quod ſolum ſapientes capaces ſunt unctione Spiritus Sancti, non fatui , & ſtulti, qui pomum Evæ de manu diaboli, quam regnum Dei magis æſtimant. *Luc. cap.1.v.1.& 35.ſerm.de S. Cæcilia ſer.1.de S. Matthia, in addit.& ſerm.1.de SS. Philip. & Iacobo in addit.*

9. *Chriſti aſcenſio in Cælum , ejuſque ſolemnitas ad litteram expenditur.*

Et cum hæc dixiſſet videntibus illis elevatus eſt:& nubes ſuſcepit eum in Cœlo. His paucis verbis exprimit Evangeliſta aſcenſionem Chriſti in Cœlum : ut anſam nobis daret meditandi circumſtantias tantæ ſolemnitatis , quæ ſola fuit propria Chriſti : nam cæteras celebravit pro nobis. hanc autem ſibi,quia ſuis meritis erat debita. Conſpice ergo quomodo accipiens de Paradiſo terreſtri omnes ſanctos Patres,& alias animas ; & benedicens Eliæ, & Enoch ibi remanentibus , eos duxit ad montem Oliveti;ſuiſque diſcipulis,& Matri,& Magdalenæ,aliiſque ſuis dilectis denuo apparens amplexa

Digitized by Google

amplexatus Matrem, & conſolatus alios, coſque benedicens, elevatus eſt, ſecum ducens illam nobilem multitudinem beatorum iter pandens ante eos,& candidus,rubicundus,ſplendens, & glorioſus præcedebat eos, viam eis oſtendens : & ipſi cantantes, & jubilantes lætiſſimi ſequebantur eum. Cum autem ei obviam veniſſet Michael Archangelus cum tota multitudine cœleſtium ſpirituum, deduxerunt eum in Cœlum cum canticis, & hymnis ineffabilibus. Dominus autem Ieſus aperiens januas Paradiſi uſque tunc homini clauſas, triũphabiliter intravit,& gaudenter Patri,ait: Pater gratias ago tibi, qui mihi dediſti victoriam de omnibus adverſariis noſtris, ecce amicos noſtros, qui captivi tenebantur, eos tibi præſento. Sed fratribus, & Diſcipulis meis, quos reliqui in Mundo, promiſi mittere Spiritum Sanctum:rogo te Pater mi, ut impleas promiſſionem, & eos recomendo tibi. Ecce qualis ſolemnitas eſt iſta,quæ ſolemnior duravit in Cœlo per decem dies uſque ad Pentecoſten, fuitque conſummatio omnium aliarum ſolemnitatum. *Op. medit. c. 98. & lignum vitæ. Vide qua dicta ſunt in cap. 16. Mar. in fine.*

10. *Chriſti aſcenſionis variæ circumſtantiæ iterum expenduntur.*

Et videntibus illis elevatus eſt. Nota, quod dum dicitur elevatus eſt, non eſt intelligendum, quod fuerit elevatus ab aliena virtute, ſed à ſeipſo ex propriâ virtute : ideo enim dicitur aſcenſio Chriſti ; ſcilicet facta à Chriſto:Mariæ vero elevatio dicitur aſſumptio, ideſt facta virtute Chriſti : aliorum vero beatorum dicitur evolatio;quia per miniſterium Angelorum evolant ad Cœlum. Circa aſcenſionem;vero Chriſti octo circumſtantiæ notántur : Primâ eſt, quod elevatus videntibus omnibus diſcipulis ; ut in eis excitaretur deſiderium aſcendendi ad Chriſtum in Cœlum : ſecunda quod nubes lucidâ ſuſcepit eum ab oculis eorum,per quod denotatur,quod intravit in Cœlum veluti in curru triumphali cum majeſtate proportionata : hinc etiam quod in hoc mortali corpore Jeſum in alto videre non poſſumus.Tertia eſt, quod elevatis manibus ferebatur in Cœlum: elevavit autem manus, tum ut ſuos patri offerret: tum ut inimicos alte retracta, & elevata manu fortiter percuteret. Quarta,quod benedixit eis,ut eos contra hoſtes muniret, & bonis cœleſtibus augeret. Quinta, aſcendit in jubilatione : quia ſancti, qui per tot annos voce lachrymabili clamaverunt in portis inferni, modo vocibus jubilationis ipſum comitabantur:ſexta, aſcendit in voce tubæ;quia injunxerat Apoſtolis,ut ſonus prædicationis ipſorum portaretur per totum orbem.Septima, aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, ideſt captivos Patres liberavit, & duxit ad Cœlum. Octava,dedit dona hominibus; quia omnia bona deſurſum veniunt nobis à Chriſto. *Op.Comp.Theol.l.4.c.24.& medit.& ligno vitæ cit.*

11. *De Aſcenſione Chriſti alia myſteria expenduntur.*

Et videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum in Cœlo. Nota,quod aſcenſio Chriſti publicè facta eſt ob multas cauſas.Prima ad quieſcendum poſt tot labores toleratos per triginta tres annos. Secunda ad intercedendum prò nobis tanquam mediator factus noſter; per quem ſecurum habemus acceſſum ad Deum,dum facta pace inter homines, & Deum ſe exhibuit coram Patre, cum factis vulneribus in corpore, ut tot linguas haberet loquentes pro nobis. Tertia ad conquærendum de inimicis, pro quibus vires ſuas inutiliter expendit. Quarta, ut locum nobis præpararet exhibendo merita ſua coram Patre. & aperiendo januas Cœli.Quinta, ut fiduciam in ipſum ſperandi nobis tribueret, obtinendi hæreditatem nobis præparatam, & expectandi adventum Spiritus Sancti. Sexta,ut deſiderium noſtrum poſt ſe traherer. Septima. ut viam nobis ad Cœlum oſtenderet, & ideo eduxit Diſcipulos extra civitatem ad Bethaniam, ut cognoſcerent ſe hic non habere permanentem civitatem. *Op.Comp.Theol.l.4.c.24.*

12. *Obedientia medium fuit, per quod Chriſtus aſcendit in Cœlum, & etiam quilibet juſtus.*

Eduxit autem eos foras in Bethaniam, &c. & ferebatur in Cœlum, &c. Luc.24. Cur in Bethaniam eos educit ? & cur à Bethaniâ, & monte oliveti voluit aſcendere? Nota myſterium:Bethania interpretatur domus obedientiæ : hunc locum elegit in ultimo momento,temporis, quo nobiſcum moratus eſt,& ex ipſo aſcendit in Cœlum. ut prima ultimis & ultima primis convenirent : ſcilicet ſicut ex obedientiâ Patri debita deſcendit è Cœlo : & ex obedientiâ omnia fecit, & paſſus eſt, ſic voluit per obedientiam tranſire ad Patrem:ut nos doceret;& præcipuè religioſos,principium,medium,& finem, & modum aſcendendi ad Cœlum. *Opuſc. Comp.Theol.ibid.*

13. *Ex monte oliveti aſcendit Chriſtus in Cœlum;ut nos ex iſto monte aſcendamus ad ipſum.*

Eduxit eos in Bethaniam ad montem oliveti. Cur ad montem olivarum duxit ſuos diſcipulos, & ex ipſo voluit aſcendere in Cœlum ? Nota, quod mons oliveti eſt mons pietatis, & devotionis: voluit autem aſcendere de hoc monte,ut nos doceret,quod devotio contemplationis,unctio Spiritus Sancti,& pietas in proximum aperit nobis januam Cœli.*Op.Comp.Theol.l.4.c.cit.Diæt.tit.7.c.4.*

14. *Per fidei nubem aſcendat homo cum Chriſto in Cœlum.*

Et nubes ſuſcepit eum in Cœlo. Cur in nube voluit Chriſtus aſcendere in Cœlum, ſeque per illam occultare oculis diſcipulorum ? Hoc fecit, ut ſignificaret ſe aſcendentem in Cœlum, nobis relinquere hanc nubem lucidam, per quam & nos poſſemus aſcendere de virtute in virtutem. Nubes hæc,eſt fides lucida, & ſimul obſcura:demonſtrat enim nobis Deum,ſed cum ænigmate:hæc ſit fundamentum totius vitæ ſpiritualis : hæc medium, via, dux, & regula, per quam ad exercitium virtutum procedere debemus, & in ipſa, veluti in curru aſcendere ad montem perfectionis. *Ser.1. Hexam.*

15. *Chriſtus conſeſſus ad dexteram Patris expenditur.*

Aſſumptus eſt in Cœlum, & ſedet ad dexteram Patris. Marc. c.16. Quid eſt ſedere ad dexteram Patris? eſtne corpus Chriſti deputatus ad locum peculiarem, & ad ſedendum? Sed attende ad myſteria: Aſcenſio Chriſti fuit tam ad locum, quam ad dignitatem: quantum ad locum aſcendit ſuper omnes Cœlos, ideſt ad digniſſimum locum Cœli Empyrei, ſive ad altiſſimam ejus partem, quæ tali corpori debebatur: non tamen eſt dicendum, quod corpus ſuum ſit obligatum ad locum illum, ſed quia locus ille ſibi eſt ſecundùm congruentiam deputatus. In quantum ad dignitatem ſedet ad dexteram Patris, non tamen quoad ſitum, qui Patri non convenit, ſed quo ad excellentiam: ſcilicet ſecundum divinitatem competit ei æqualitas majeſtatis. Secundùm humanitatem convenit ei dextera Patris, ſcilicet perfectio præmii, & collatio potiorum bonorum omnium, quæ conferri poſſunt: Quæ bona habuit quidem ab inſtanti conceptionis ſed in aſcenſione manifeſta, & in loci congruentia completa, merito igitur poſitus eſt ad dexteram ſedens; quia diu laboravit, & quia diu fuit in ſiniſtra adverſitatum: ut hinc ſciamus, quod ſecundum qualitatem operum, & laborum pro Chriſto toleratorum, præmia conſequamur in Cœlo. *Op. Comp. Theol. l 4. c.24.*

16. *Ieſus nomen & gaudium & gloriam animæ affert.*

Et ecce duo viri, id eſt duo Angeli, dicebant: Viri Galilei, &c. Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum. Ad quid iſti Angeli referunt Apoſtoli intuentibus in Cœlum, quod hic erat Ieſus, quem ipſi viderant aſcendentem in Cœlum, & venturus erat ad judicium? Cur hic fit mentio de hoc nomine? Sed optime, & optima ratione. Aſcendit Chriſtus in Cœlum, & reliquit ſuos diſcipulos in terra velut orphanos; & ideo mœſtos ob abſceſſũ ſui Magiſtri: Angeli autem eis intonant hoc nomen Ieſus, ut eos inſtruant, quod in hoc nomine conſequentur gaudium in tribulationibus, & gloriam poſt tribulationes: quod hoc eſt veluti pignus, quod ipſis reliquerat poſt aſcenſum in Cœlum; & ex ipſo, veluti in vaſculo, vel potius in theſauro omnia bona exhaurire poterant: & ſicut jam dixerat Chriſtus: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis, &c. ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. ſic experturi erant mirabilem virtutem hujus nominis. *Op. medit c.100. & ſer.4. de circunc.* Docebant igitur Angeli: hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis, ideſt vobis videntibus aſſumptus eſt, & receptus eſt in Cœlum; vos quidem privavit ſua præſentia: ſed non turbetur cor veſtrum; quia non reliquit vos Orphanos: reliquit enim hic in terra ſuum ſanctiſſimum nomen Ieſus, tamquam alterũ ſeipſum; & in ipſo reclusit ſuam virtutẽ, ut ad ipsũ cõfugere poſſitis in omni tribulatione, & neceſſitate, quia in virtute hujus nominis dæmonia ejicietis.

17. *Sicut Chriſtus aſcendit in Cœlum, ita è Cœlo deſcendet ad judicium.*

Ita veniet quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in Cœlum. Ecce figura expreſſa adventus Chriſti ad judicium: ſicut enim Ieſus aſcendit in Cœlum in voce tubæ, ut dicitur Pſal.46. & ſuſcipiente nube, & comitatu turbæ, & data benedictione: ſic ad judicium veniet in voce tubæ excitantis omnes mortuos, quæ vox erit in gaudium electis, & in terrorem impiis: veniet itidem in nube cum poteſtate magna; & majeſtate ad refrigerandũ bonos, & ad puniendum malos; veniet & cum exercitu Angelorum, & beatorum, & ſuam benedictionem conferet electis, maledictionem reprobis: *Ser.1.2. & 3. de Aſcenſ. & ſer.4. Dom.2. Adv.*

18. *Virilitas, & virtus propria Angelorum eſt caſtitas.*

Ecce duo viri aſtiterunt juxta illos in veſtibus albis. Iſti fuerunt duo Angeli; & ſi hoc, cur appellantur nomine virorum: cur non Angeli: & cur in veſtibus albis? In hoc nobis indicatur, ſicut & Apoſtolis, quod medium aſcendendi in cœlum cum Chriſto eſt virtus caſtitatis, & victoria concupiſcentiarum: dicuntur autem viri, quia talis victoria exigit virilitatem, & conſtantiam angelicam. *Ser.1. de uno Confeſſ.*

19. *Oratio, cum perſeverantia impetrat ſpiritum ſanctum & omnia poſtulata.*

Hi omnes erant perſeverantes in oratione. Viſa aſcenſione Chriſti in cœlum, & certificati de imminente ſpiritus ſancti adventu, omnes diſcipuli cum Maria intraverunt in cenaculum; ibique ad orationem perſeverantem confugerunt, & perſeverantes expectaverunt ſpiritum ſanctum promiſſum; & hoc notatur, ut addiſcamus, quod in oratione requiritur perſeverantia, & longanimitas, per quam obtinetur tandem, quod petitur. *Opuſc. Diat. t.8 c.2 ſer.2. de S. Martino in addit. Luc. c.1. v.10. op. Brevil. p.4. c.10.*

20. *Maria Virgo fundamentum poſt Chriſtum, & exemplar omnium virtutum in Eccleſiâ.*

Hi omnes erant perſeverantes in oratione cum Mulieribus, & Mariâ Matre Ieſu, & fratribus. Nota, quod primo loco enumerat Apoſtolos cum diſcipulis, & mulieribus; deinde ſpecialiter nominat Mariam Virginem, & Matrem Ieſu, & poſtea fratres, ſcilicet omnes alios credentes. Cur ſpecialiter vocat Mariam, cum poſſet intelligi adfuiſſe, & adnumeratam cum mulieribus in communi? Sed hoc factum eſt, ut diſcamus; quod Maria Virgo erat veluti cor vel fundamentum naſcentis Eccleſiæ, omniumque exemplar, & excitamentum ad perſeverandum in oratione, & exercitiis virtutum: ut ejus orationi principaliter adſcriberetur adventus ſpiritus ſancti ſuper Eccleſiam. *Sic Gloſſa, & S. Bonav. ſpec. B V. lect 4.* Notat etiam S. Bernardus aliud myſterium ad gloriam Mariæ: Cum enim Maria ponatur ultimo loco, diſcere debemus profundiſſimam ejuſdem Beatiſſimæ Virginis humilitatem, quæ ſe ſe ultimam exhibebat, ut noviſſima omnium poneretur infra viduas, & pœnitentes, & infra eam, de qua Ieſus ejecerat ſeptem dæmonia: ineffabili ſe ſemanſuetudine inclinabat: merito igitur ob tantam humilitatem facta eſt omnium Domina.

21. *Congregationum Sacrarum finis, & exercitia in Ecclesia, expendantur.*

Exurgens Petrus in medio fratrum dixit viri fratres, &c. oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati eligere unum ex his, &c. Nota ad litteram quod post Christi ascensionem, intra dies illos decem, in quibus fuerunt discipuli congregati in cœnaculo, expectantes adventum Spiritus Sancti, Petrus proposuit electionem unius faciendam ex omnibus illis, qui in locum Judæ proditoris substitueretur, sicuti factum est: & cum id sequutum fuerit, dum erant congregati simul in unum omnes Christi discipuli; misticè dat nobis intelligere finem, & exercitia sacrarum congregationum, quæ in Ecclesia, dictante Spiritu Sancto, ex fidelibus christianis fiunt, nempè ad exercitium virtutum, ad orationem communem, ad studium veritatis, & ad cognoscendum divina præcepta, sacramenta, & præmia æterna: item ad prædicationem & etiam ad electiones faciendas, & ad Deum laudandum, & in consonantia pacis, & unitatis christianæ. *Luc. c. 1. v. 17.* Attendant hæc sacræ Confraternitates, quæ in Ecclesiâ ordinatæ sunt, ut sciant quale sit ipsarum munus, & quam cavere debeant à rixis, à contentionibus & æmulationibus vitiosis, & quam solliciti in antiquarum consuetudinum observantias conservando.

22. *Ad dignam electionem quænam requirantur.*

Et statuerunt duos, &c. & orantes, dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti, ostende quem elegeris ex his duobus, &c. Electio hæc ad apostolatum restricta fuit, omnibus consentientibus, ad duos discipulos, scilicet ad Joseph, & ad Matthiam. postea recursum fecerunt ad orationem; in qua tria necessaria ad electionem expresserunt. Tu Domine nosti, quem elegeris, ostende: idest cognitio eligendi; ipsa cogniti electio, & postea publicatio electi: noscere Dei est magni timoris: eligere magni amoris; ostendere magni honoris. Hinc est, quod cum solus Deus noscat merita, & demerita eligendorum, in electionibus ab hominibus faciendis debet inesse magnus timor, & ob id ad Deum toto corde, & simplicitate in oratione recursus fieri, ne deviatio fiat à Dei voluntate, & electione. *Ser. 2. de S. Matthia in addit.*

23. *Electio Dei triplex expenditur.*

Tu Domine, qui corda omnium nosti, ostende quem elegeris. Nota, quod triplex est electio Dei: scilicet prædestinationis ad gloriam: vocationis ad justitiam temporalem, & assumptionis ad Prælaturam. Prima est recondita in thesauris divinæ præscientiæ, de qua cum in hac vita sine speciali revelatione non possit haberi certa scientia in nobis debet incutere timorem maximum, ut cum metu, & tremore nostram salutem operemur. Signum autem talis prædestinationis est sancta, & immaculata vita, radicata in charitate, per quam amore magis, quam timore, Dei servitium exercetur. Secunda est multorum electio in hac vita. sed tamen finaliter est paucorum, quia multi sunt vocati, pauci electi; ideo semper timendum, cum nesciat homo finem suum. Tertia aliquando est in bonum, aliquando in malum. *Ser. 2. de S. Matthia in addit.*

24. *Electio ad Prælaturas alia à Deo, alia à diabolo.*

Ostende quem elegeris. Ergo rogabant Deum, ut ostenderet manifeste quem elegisset. Quomodo fit ista ostensio: quænam sunt ista signa? Ista ostensa sunt à Deo (Num. c. 17.) in electione Aaron in sacerdotem; quando Virga ipsius inter cæteras sola germinavit in flores, & fructus: virga hæc est auctoritas pastoralis, quæ flores doctrinæ, & fructus bonæ vitæ, idest flores virtutum, & fructus bonorum operum in se, & in suis subditis producere debet. Et hinc Exod. c. 18. dixit Deus ad Moysen: provide tibi de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam (nota hic septem conditiones eligendorum) dicit provide tibi de omni per quod excluditur consanguinitas, secundo (plebe) per quod excluditur nobilitas; cæteris paribus vel majoribus meritis præcedentibus. Tertio (viros) per quod excluditur fragilitas, & animi debilitas. Quarto (potentes) per quod excluditur pusillanimitas. Quinto (timentes Deum) per quod excluditur superba potestas. Sexto (in quibus sit veritas) per quod excluditur falsitas, & hypocrisis. Septimo (& qui oderint avaritiam. per quod removetur cupiditas. Quando igitur ista signa concurrunt, tunc electio est à Deo. electio autem diabolica est per signa vitiosa, scilicet per simoniam, per conspirationem, & per alia vitia; & tales electores dicunt non Deo, sed diabolo, ostende quem elegeris; & sic tales electores eligunt Prælatum, qui eos ducat ad infernum. *Ser. 1. & 2. de S. Matthia in impressa vaticana. & ser. 1. de S. Matthia in addit. & ser. 4. Dom. 19. Pentec.*

25. *Ordo divinæ electionis est, ut id, quod unus perdit, alter accipiat.*

Et Episcopatum ejus accipiat alter. Vide quomodo Matthias accepit. quod Judas perdidit: talis est enim ordo in divina vocatione, & electione, ut id, quod unus perdit alter accipiat: id quod perdit unus per gulam per luxuriam, &c alter accipiat per sobrietatem, castitatem, &c. *Serm. 1. de S. Matthia in addit.*

26. *Electio Dei multiplex ad homines expenditur.*

Ostende quem elegeris. Ad litteram agitur hic de electione ad Apostolatum: sed tamen electio Dei est multiplex, & ad omnes homines secundum varios gradus extenditur: nam Deus omnes homines vocat, & eligit primo ad præceptorum observantiam, & hoc sub pœna mortis æternæ: & hæc medium est necessarium ad salutem obtinendam: secundo alios eligit peculiari modo ad observantiam consiliorum, & hæc est religiosorum. Tertio ad tolerantiam martyriorum, & hæc est sanctorum martyrum. Quarto ad regimen subditorum. Quinto ad excellentiam præmiorum in Cœlo, in qua est omnis boni complementum; quia in ea sola possidetur, & perfecte

diligitur ſummum bonum, & longe ſit in perpetuum omne malum. *Ser. 1. de S. Matthia.*

27. *Quinam eligantur à Chriſto, & quinam à Mundo.*

Oſtende quem ex his duobus elegeris, &c. Petebant iſti electores à Chriſto, ut oſtenderet quem ipſe elegerit: ut diſcamus, quod alia eſt electio à Deo, alia à Mundo: Chriſtus autem in electione Apoſtolorum oſtendit in quos ſua electio cadit: ſcilicet non in nobiles, & potentes, ſicut facit mundus, ſed in infirmos, & ignobiles: non in philoſophos, & mundi ſapientes, ſed in ſtultos, & ſimplices: non in divites; ſed in contemptibiles pauperes: nam in primis, ideſt infirmis, & ignobilibus oſtendit Chriſtus ſuam potentiam, per quam omnem Mundi potentiam dejecit: in ſtultis apud Mundum, & ſimplicibus oſtendit ſuam ſapientiam, per quam omnem ſapientiam mundanam convicit, & eam ſtultam & cæcam oſtendit: in pauperibus contemptibilibus omnes mundi divitias, & ſæculi gloriam contemptibilem reddidit, ut videamus quænam à Chriſto æſtimantur, & quænam rejiciantur. *Ser. 2. de S. Matthia.*

28. *Expenditur electio per ſortes facta ab Apoſtolis.*

Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam. Hic textus excitat quæſtionem ſatis difficilem, an liceat uti ſortibus in electionibus: & cum prohibita ſuerit ab Eccleſiâ, videtur quod peccaverint Apoſtoli in hoc? Ad quod reſpondetur, quod uti ſortibus eſt determinare aliquod dubium ex vario eventu alicujus rei ſenſibilis: poteſt autem fieri hæc determinatio per ſortes in aliqua re dependente ab ipſa fortuna, ut fit in ſorte diviſoria: v. g. in feſtucis inæqualibus propoſitis, vel in taxillorum projectione: hoc eſt licitum; conſentientibus partibus, dummodo non concurrat cupiditas, vel aliqua tacita violentia, & quando non poteſt fieri diviſio concorditer: in ſorte autem conſultiva, non dependente à fortunâ, ſed ab aliâ cauſâ, poteſt hoc evenire dupliciter: uno modo à cauſâ corporali, ut à diſpoſitione ſtellarum, & ſi ad hunc eventum ſtellarum effectus non ſe extendat: & hoc eſt ſuperſtitioſum, & illicitum, & cum occulto pacto dæmonum. Alio modo, quia expectatur eventus à cauſa ſpirituali, & hoc vel à dæmone, & hoc eſt illicitum, & impium: vel à Deo, vel Angelis ſanctis, dummodo fiat cum debitâ reverentiâ. Unde dicitur Prov. c. 16. ſortes mittuntur in ſinum, & temperantur à Domino; In hoc tamen poteſt intervenire peccatum quadrupliciter: primo ſi abſque illa neceſſitate ad ſortes recurratur; hoc enim eſt tentare Deum: ſecundo, ſi etiam in neceſſitate fiat ſine debitâ reverentiâ; ſcilicet non collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum factis, & abſque inſpiratione divina, ut fecerunt hic Apoſtoli. Tertio, ſi divina oracula ad terrena negotia convertantur, & ad vitæ hujus vanitatem. Quarto, ſi in electionibus eccleſiaſticis utantur electores ſortibus, cum ſit hodie prohibitum ab Eccleſiâ: tempore autem Apoſtolorum non erat prohibitum, ſolum tamen eſt licita in tempore alicujus neceſſitatis: v. g. ſi electorum vota ad duos æqualiter convertantur, nec eſt aliud remedium concordandi partes: tunc licita eſt electio inter iſtos duos per ſortes: ſic communiter docent Doctores, & conſentit. *S. Bon. op. Centil. p. 1. ſect. 2. ſpec. an. c. 1. Vide Liranum in hunc locum.*

29. *Sors prædeſtinatorum, ſors reproborum qualiter differant, & qualiter conveniant. Vbi de vocatione.*

Et cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim Apoſtolis. Nota, quod hic invitamur ad comparandam ſortem Matthiæ, & Judæ: electio enim Judæ facta fuit immediatè à Chriſto, electio Matthiæ facta eſt per ſortes; & tamen ille damnatus eſt, iſte ſanctus. Cur ergo tam differens eventus? ſed reſpondetur quod eſt electio alia ſecundum veritatem: alia ſecundum reputationem: & alia eſt ſecundum æternitatem; & alia ſecundum vocationem in tempore. Undecim Apoſtoli fuerunt electi ſecundum veritatem, & æternitatem: Judas ſecundum reputationem, & ſecundum præſentem juſtitiam: fuit enim vocatus ad gratiam, & ad Apoſtolatum ſecundum juſtitiam præſentem. Sed cur elegit eum Chriſtus, quem ſciebat non perſeveraturum, & cur tandem damnatus? Reſpond. quod in hoc oſtendere voluit, quod quantum in ſe eſt, omnibus gratiam dare paratus eſt, & quod nemo perit, niſi qui ſalutem ſuam negligit, & ſe ad gratiam non diſponit, vel Dei gratia non bene utitur, ſi accepit: quare nullus ſe excuſare poterit, cum fuerit judicatus; quia ſi gratiam à Deo non accipis, vel ſi accipis, perdis, non eſt culpa dantis, & quantum in ſe eſt continue influentis, ſed culpa eſt voluntatis accipientis, vel non ſe præparantis, & quantum in ſe eſt non facientis; vel à gratia jam accepta voluntarie deficientis, & non perſeverantis: ſic enim Dominus proprium proditorem, qui eum tradidit pretio tam vili in mortem, & ad ſe venientem ſuſcepit, peccata illi condonavit; ſua gratia eum decoravit, & ſuum Apoſtolum, & quaſi Procuratorem omnium eum fecit: Et quid faceret cum aliis ſceleratis ſi ad eum ſe converterent? igitur nullam excuſationem habere poteſt homo, quia defectus impurandus eſt ſibi. *Ser. 2. de S. Matthia Luc. c. 23. v. 34.* Ex dictis patet quomodo prædeſtinatio antecedens, & inchoata reproborum, & electorum conveniunt ad invicem; nam iſta importat vocationem Dei ad gratiam, exhibitionem omnium donorum ſufficientium: conveniunt etiam per hoc, quod gratia, & electio ſecundum præſentem juſtitiam eſt communis utriſque, ſed poſtea differunt in executione ex parte ipſorum, & conſequenter ex parte Dei: nam prædeſtinati cooperantur gratiæ, obediunt vocationi, perſeverant in obſervatione præceptorum Dei; & hinc finaliter ſors beata eis contingit. E contra reprobi voluntarie recedunt à Deo, contemnendo ejus præcepta; hinc finaliter damnantur. Sic ex tradita doctrina Seraph. Doctoris.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT II.

Nota, quod in hoc capite deſcribit S. Lucas adimpletionem promiſſionis facta à Chriſto: nempe miſſionis Spiritus Sancti ſuper diſcipulos: & ideo in prima parte agitur de ipſa miſſione: in ſecunda de effectu ipſius ſpiritus: & in tertia de conſequentibus ad ipſam miſſionem.

30. *Quid ſit Pentecoſten, & quale feſtum.*

Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant Diſcipuli, &c. Nota, quod Pentecoſtes idem eſt ac quinquaginta: pente enim eſt quinque, & coſtes eſt decem: & hoc feſtum in teſtamento veteri celebrabatur in quinquageſima die poſt paſcha: Paſcha enim celebrabant in memoriam exitus populi de Ægypto, & Pentecoſten in memoriam legis datæ à Deo in monte ſina: In Paſcha-te offerebant agnum, & ſpicas torrebant igni, eaſque confricabant manibus in grana. In Pentecoſte panes offerebant fermentatos. In novo teſtamento celebramus Paſcha in memoriam reſurrectionis Chriſti, in qua homo reſurgere habet per juſtificationem à peccati morte ad gratiam; & ideo in illa die inſtitutum fuit Sacramentum pœnitentiæ, quod figuratum fuit in eo, quod torrebant ſpicas igni. Poſt quinquaginta vero dies, ideſt in quinquageſima die celebramus Pentecoſten, in qua venit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos, non ſolum inviſibiliter, ſed & viſibiliter in linguis igneis: & hoc eſt ſolemniſſimum feſtum, quia eſt natale Eccleſiæ. Sicut enim tres ſolemnitates celebrabant Romani, ſcilicet natale Imperatoris, quando natus eſt: natale imperii, quando primo coronabatur: & natale civitatis, ideſt qua die muris munita eſt: ſic in Eccleſia celebratur natale Imperatoris, ſcilicet nativitas Chriſti de Virgine: natale imperii, ſcilicet dies reſurrectionis, quo coronatus eſt gloria à Patre: & natale Eccleſiæ, ſcilicet Pentecoſtes dies miſſionis Spiritus Sancti, quo fuit roborata, & muris Apoſtolorum munita: Et hinc oblatione panum in veteri teſtamento figuratur progreſſus Eccleſiæ: in lege evangelica, & fidelium in provectu perfectionis, & virtutum: Ideo merito ſolemniter hoc feſtum in Eccleſia celebratur, tamquam ipſius proprium. *Pſal.* 8. & 100. & *l.*1. *d.*13. *p.*2. *queſt.*3.

31. *Spiritus Sancti adventus in die Pentecoſtes opportunitas quoad tempus, aliaſque circumſtantias.*

Cum complerentur dies Pentecoſtes, &c. Cur voluit Chriſtus expectare tempus quinquaginta dierum poſt reſurrectionem ſuam; & decem dierum poſt aſcenſionem? Nonne ſatius fuiſſet tota hæc myſteria complere in unica vice, & die. Cur numerus quinquagenarius dicitur complementum (cum complerentur) dierum, & temporis miſſionis Spiritus Sancti: ſed quia omnia Chriſtus diſpoſuit in numero, pondere, & menſura, ſicut debitam horam ſervavit in patiendo, ſic in reſurgendo; ſic in aſcendendo in Cœlum; ſic etiam & in mittendo Spiritum Sanctum. Nam cum in quadraginta diebus interjectis inter reſurrectionem, & aſcenſionem per varia argumenta erexerit diſcipulos ad fidem immortalitatis futuræ: & per aſcenſionem ad ſpem futuræ gloriæ: poſtremo, ut inflammaret ad charitatem, miſit ignem Spiritus Sancti in die Pentecoſtes: & quia nullus repletur hoc igne, niſi qui petit, quærit, & pulſat cum inſtanti, & importuno deſiderio ſpei: ideo non ſtatim poſt aſcenſionem miſit, ſed decem dierum ſpatio interjecto, in quo diſcipuli jejunantes, orantes, & gementes diſpoſuerunt ſe ad Spiritus Sancti ſuſceptionem: & tunc miſit ipſum; & propter fundationem trium virtutum prædictarum, & propter multa myſteria, quæ in his temporibus implicantur. Et quoniam Spiritus Sanctus, qui eſt charitas, & per charitatem habetur, eſt omnium origo chariſmatum; ideo ad ejus deſcenſionem hodiernam effuſa eſt plenitudo charismatum, ad corpus Chriſti myſticum conſummandum: & quia diverſa membra debent eſſe in corpore perfecto, & diverſorum membrorum diverſa officia, & exercitia, & diverſorum officiorum, diverſa charismata: hinc eſt, quod uni datur per ſpiritum Sanctum ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii fides, alii gratia ſanitatum, &c. dividens ſingulis prout vult ſecundum ſuam liberaliſſimam providentiam, & providentiſſimam largitatem. *Op. Brevil. p.*4. *c.*10.

32. *Concordia, & concors oratio attrahit Spiritum Sanctum.*

Spiritus in diſcipulos deſcendit; quia omnes erant pariter in eodem loco, non ſitu tantum, ſed charitate; quia eis erat cor unum, & anima una; & omnes ſimul orantes: Unde dicitur. *Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco; & factus eſt repente de cœlo ſonus, &c.* Unde charitas, & concordia, & ſimul concors oratio fuit diſpoſitio in diſcipulis ad receptionem Spiritus Sancti; & pariter fuit effectus ipſius adventus, ut infra dicetur ad finem capitis n.23. *In Luc. c.*9. *v.*1. *op. Diet. tit.*4. *c.*1. *Eccleſ. Hierar. p.*4 *c.*4. *ſpecul. diſcipl. p.*1. *c.*22. *Ioan. coll.*77.

33. *Spiritus Sancti adventus ad litteram narratur.*

Cum complerentur dies Pentecoſtes: nempe quinquageſimo die, *congregatis in unum diſcipulis cum mulieribus, & Maria Matre Jeſu, factus eſt repente de Cœlo ſonus, tamquam advenientis ſpiritus vehementis.* Qui in ſuper centum viginti hominum turbam deſcendit, & apparuit in linguis igneis: nempe ut ori verbum, intellectui lucem, & affectui miniſtraret ardorem: repletique ſunt omnes Spiritu Sancto, & cœperunt loqui variis linguis: qui omnem eis veritatem edocuit, & ad omnem dilectionem accendit, & in omni eos virtute firmavit; nam ipſius adjuti gratia, illuſtrati doctrina, & confortati potentia, cum pauci eſſent,

& ſimplices, partim verbis ignitis, partim perfectis exemplis, partim mirandis prodigiis per totum mundum ſanctam Eccleſiam plantaverunt; quæ & ejuſdem Spiritus Sancti virtute purgata, illuminata, & perfecta amabilis facta eſt ſponſo ſuo, ejuſque Paranimphis ut ſpecioſa nimis, miraque varietate circundata: Sathanæ vero, & Angelis ejus terribilis ut caſtrorum acies ordinata. *Op. lignum vitæ, & medit. c. 98.*

34. *Spiritus Sancti proprietates, & effectus in adventu ſuo expenduntur.*

Factus eſt repente de Cœlo ſonus tamquam advenientis ſpiritus vehementis, &c. ſeditque ſupra ſingulos eorum: In his verbis oſtenditur Spiritus Sanctus repentinus, ſonorus, validus, repletivus, linguoſus, igneus, & quietus & per hoc effectus Spiritus Sancti in anima inveniuntur, eſt autem repentinus in converſione: quia neſcit tardâ molimina Spiritus Sancti gratiâ: & per hoc admonemur, nè tardemus converti ad Dominum, ut ſuſcipiamus repentinum Spiritum ad converſionem: ne accipiamus repentinum interitum ad damnationem. Nota hic, quod communitèr dicitur virtus lenta, vitium præceps, & repentinum; hoc intellige de virtute quantum ad deliberationem: debet enim eſſe lenta, & conſiderata; ſed quantum ad operationem, repentina E contra vitium præceps quantum ad deliberationem; ſed poſtea conſcientiâ remordente, operatur lente. Secundo Spiritus Sanctus dicitur ſonorus, ſcilicet in laude, & oratione, & prædicatione. Sed notâ hic, quod ſonus prædicationis ſit de Cœlo in terram ad aures hominum. Sonus orationis ſit de terra ad Cœlum ad aures Dei: uterque ſit adveniente ſpiritu vehementi. Sonus in turba ſit adveniente ſpiritu de ore. Sonus in organis ſit adveniente Spiritu de folle. Sonus autem tubæ eſt ſonus prædicationis proveniens de ore. Sonus autem organorum. Sonus eſt orationis de follibus timoris, doloris, & amoris. Tertio validus eſt Spiritus Sanctus & vehemens in temporalium renunciatione; dicitur autem vehemens, quia mentem extra ſe in Cœlum vehit. Quartò eſt repletivus in bona opinione: replet enim domum Dei odore bonæ famæ ob ſancta exempla. Quinto eſt linguoſus prædicatione, unde Apoſtolos doctrinâ replevit, ut eorum ſonus exiret per totum Mundum. Sexto eſt igneus in dilectione, charitate. Septimo eſt quietus: unde dicitur; ſeditque ſupra ſingulos eorum; ideſt ſedentes in contemplationis quiete, reddit ſuos. *Serm. 5. & 6. Penteceſt.*

35. *Spiritus Sanctus datus eſt Apoſtolis ante paſſionem, poſt reſurrectionem, & poſt aſcenſionem.*

Factus eſt repente de Cœlo ſonus, &c. & repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Quomodo dicitur nunc datus Spiritus Sanctus Apoſtolis, ſi alias legitur datus à Chriſto? Nam *Convocatis diſcipulis, dedit eis ſpiritum Sanctum ex Matth. c. 10. & Luc c. 9. v. 1.* & poſt reſurrectionem inſufflavit, & dixit. *Accipite Spiritum Sanctum. Ioan. 20* & in hac die. Sed attende ad myſteria. Primis duabus vicibus datus eſt inviſibiliter, in prima vice ad miraculorum operationem; ſecunda vice ad peccatorum remiſſionem: dedit enim eis poteſtatem ſolvendi, & abſolvendi à peccatis: & in hac die in ſigno viſibili, ſcilicet in linguis igneis ad veritatis inſtructionem. *Ser. 6. in Pentec. Pſal. 47. & ſerm. 4. Dom. 2. Pentec.*

36. *Spiritus Sanctus cur apparuit in linguis igneis.*

Et apparuerunt illis lingua diſpertita tamquam ignis. Cur tamquam ignis, & in figura linguarum? & non in ſpecie columbæ, vel in nube? Et quid, & qualis ſit hæc manifeſtatio? cuique attribuitur potius Spiritu Sancto, quam Patri, vel filio, cum opera Dei ad extra ſint communia? Reſpondetur, quod alias in expoſit. ſuper Matth. & Lucam expliçata ſunt myſteria repreſentata in columbâ, & nube: nunc autem in igne apparuit ſuper Apoſtolos, ut manifeſtarentur effectus appropriati Spiritui Sancto in eos cauſati: nempe quia deſcendit primo, ut rubiginem, quam in ſeipſis habebant, conſumeret, & ſimul eos inflammaret, ut ſurſum tendant per deſiderium; & ut illum nati, proximos docerent, & accenderent ad amorem Dei. *Luc. c. 3. v. 22.*

37. *Solvuntur aliqua dubia ſuper deſcenſum Spiritus ſancti.*

Quæritur primò ad quid iſta viſio facta fuerit viſibiliter, & an perſonaliter, an verò tantum eſſentialiter verificetur de ſpiritu ſancto. Reſpondetur, quod duplex eſt miſſio ſpiritus ſancti: una viſibilis, alia inviſibilis: viſibilis facta eſt per manifeſtationem ſigni ſenſibilis, ut per columbam, per ventum, per ignem: inviſibilis eſt ad inhabitationem ipſius in animâ, quæ inhabitatio licet ſit totius Trinitatis perſonis communis, tamen appropriatur perſonis, quæ mittuntur; ideſt filio, & ſpiritui ſancto, cum miſſio dicat emanationem à perſona, & inhabitationem in animâ. Et ſi hæc attenditur per illuminationem ad cognitionem Dei, appropriatur Filio, ſi ad inflammandum affectum, appropriatur ſpiritui ſancto *Op. Comp. Theol. l. 1. c. 9.* Et ad majorem hujus veritatis intelligentiam: nota, quod ſicut dicitur filius mitti à Patre, quando inſinuatur quod procedit ab ipſo per æternam generationem: ſic ſpiritus ſanctus dicitur mitti à Patre, & Filio, cum inſinuatur per ſignum ſenſibile; quod procedit ab ambobus per communem ſpirationem: & dicitur deſcendere de Cœlis, cum effectus tam ſpiritualis, quam ſenſibilis inchoatione, qui licet in ſe ſit immutabilis, tamen de abſente dicitur fieri nobis præſens, quando incipit in nobis habitare per donum gratuitum, quod non videmus, licet per ſignum ſenſibile illud cognoſcamus, ut in propoſito de linguis igneis accidit. *Op. Centil. p. 3. ſec. 3.*

38. *Quæritur ſecundò, quales effectus in Apoſtolos cauſaverit ſpiritus ſanctus?* Reſpondetur Primò quod in igne apparuit, ut calefaceret frigidos; & in linguis, ut doceret ignaros; & in ſono, ut terreret rebelles. Et hinc conſecuti ſunt Apoſtoli primo eloquentiam in linguis igneis, ſimulque virtutem, & fervorem ſe exercendi in laudibus divinis: Secundò audaciam in tormentis. Tertiò efficaciam in miraculis. Quartò protectionem à viris,

vitiis, quia poſt Pentecoſten nonnquam peccaverunt mortaliter. *Op. Comp. Theol. l. 1. c. 9. Luc. cap. 1. verſ. 68.*

39. *Quæritur tertiò qualis inhabitatio ſit iſta Spiritus ſancti in ejus deſcenſu in animam? Et ſi eſt communis tribus perſonis, cur dicitur ſpiritus ſanctus deſcendere ad habitandum in ea?* Reſpondetur, quod inhabitatio quidem eſt communis tribus perſonis divinis; ſed quia hæc inhabitatio habetur ab anima per infuſionem charitatis, & gratiæ ſanctificantis; & quia ſpiritus ſanctus eſt amor eſſentialiter, & perſonaliter, ſcilicet nexus Patris, & Filii, & per conſequens eſt charitas exemplariter; ideo dicitur amor, quo diligimus Deum: amor, inquam, non formaliter, ſed exemplariter, & efficienter: quia formaliter diligimus Deum per charitatem inhærentem in anima, hinc etiam dicitur de novo inhabitare in anima, quando confertur gratia, non quidem incipiendo eſſe in ea, ut in novo loco, ſed novo modo per productionem novi effectus, & novi reſpectus, ex quo creatura ſe habet aliter ad ſpiritum ſanctum, quam prius, quia in ipſa eſt ut in cognoſcente, & amante ipſum, quod non fuit prius. *Opuſc. Comp. Theolog. loc. cit.*

40. *Quæritur quartò, an in infuſione donorum cæleſtium ſemper interveniat hæc inhabitatio ſpiritus ſancti in animâ?* Reſpondetur negativè: nam quædam ſunt dona, quæ ſemper ſunt cum ſpiritu ſancto, ut charitas, & gratia: quædam ſunt, quæ numquam ſunt cum ſpiritu ſancto, ut timor ſervilis: quædam ſunt, quæ aliquando ſunt cum ſpiritu ſancto, aliquando ſine, ut fides; propheria, & hujuſmodi gratiæ gratis datæ: Unde prima dona ſunt à ſpiritu ſancto, & cum ſpiritu ſancto; cætera nequaquam, ſed tantum dicuntur eſſe caſualiter, ſic communia ſunt toti Trinitati, vel ſubauctoritativè, ſic communia filio, & ſpiritui ſancto, vel exemplariter, ſic dicuntur eſſe ſolum à ſpiritu ſancto, cum ipſe procedat à Patre, & Filio per modum primi doni: ita omnis donatio gratuita poſt illam eſt, & ab illa accipit rationem donationis. *L. 1. d. 18. a. 1. q. 1.*

41. *Repletio Spiritus Sancti facta in Apoſtolis expenditur, & trahitur ad mores:*

Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, & cœperunt loqui, &c. Quæritur hîc, quæ plenitudo fuerit hæc Apoſtolorum? & an in omnibus æqualis fuerit? Reſpondetur non fuiſſe æqualem in omnibus: nam certum eſt in Beata Virgine ſuperaſſe omnes alios. Triplex autem plenitudo aſſignari poteſt, alia ſufficientiæ, alia excellentiæ, alia ſuperabundantiæ: hæc autem fuit in Chriſto, tamquam in capite, ex quo redundaret in omnia membra: ſecunda excellentiæ fuit in Beata Virgine, ut Dei Matre, nam quod cæteris ſanctis per partes datum, totum infuſum eſt in ea: prima autem ſufficientiæ data fuit à ſpiritu ſancto Apoſtolis in majori abundantiâ, quam in cæteris ſanctis: eſſentialiter tamen hæc eſt neceſſaria omni homini ad acquirendam ſalutem. Plenitudo autem hæc in anima replet omnem vacuitatem, reddens eam ſtabilem in tentationibus, Deo in omnibus conformem, Dei amore accenſam, & vacuam ab omni affectione mundana. *Ser. 3. de B. Virg. & l. 3. d. 1. dub. 1.*

42. *Qui non intrat in cœnaculum cum Apoſtolis januis clauſis, nec poterit recipere ſpiritum ſanctum.*

Et repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto. Cur facta eſt hæc repletio in Apoſtolis clauſis in cœnaculo, & non alibi. Nota hæc duo: primum eſt manſio diſcipulorum in cœnaculo: ſecundum clauſio januarum; ut diſcas, quod ſi non intraveris in cœnaculum tuæ conſcientiæ per devotionem, & orationem, & ſi non clauſeris oſtia ſenſuum ad omnia terrena, & mundana, non poteris recipere ſpiritum ſanctum. *Ser. 3. fer. 3. Pentec. & ſer. 3. Dom. in Albis.*

43. *Spiritus ſanctus adveniens in animam, replet eam omnibus divitiis.*

Et replevit totam domum, ubi erant ſedentes: & repleti ſunt omnes, &c. Ad adventum ſpiritus Sancti nihil aliud reſonat, niſi repletio: repletio ſcilicet domus totius, repletio omnium exiſtentium in domo. Quid eſt hoc, quo repleta eſt domus, quo repleti diſcipuli? repletum eſt ad adventum ſpiritus ſancti omne, quod vacuum erat: ſcilicet repleta eſt illa domus, & omnis anima omnibus divitiis ſpiritualibus, & omnes facti ſunt principes, & reges totius orbis. O quid facit gratia ſpiritus ſancti cum infunditur in anima, & cum ea omnes habitus gratiarum donantur: tunc enim auferetur omnis indigentia; tunc opulentia omnis abundat: ita ut poteſt verè dici: gloria, & divitiæ in domo ejus. *Ser. 3. Dom. 3. poſt oct. Paſcha. ap. de 7. donis. c. 1. 3. & 4.*

44. *Spiritus ſanctus in animam venit cum flatu antecedente, & cum igne conſequente.*

Factus eſt ſonus, &c. & apparuerunt illis linguæ, &c. ſicut ignis. Nota hunc ordinem. Primo venit cum flatu, & vento, quo replevit totam domum, poſtea apparuerunt linguæ igneæ: ut intelligamus, quod ſpiritus ſanctus in animam deſcendens, primò facit præcedere flatum divinæ inſpirationis, qua amplexatâ ab animâ ſtatim conſequi facit incendium charitatis, robotans, perficiens, & ſanctificans animam. *Op. Diaz. tit. 5. c. 7.*

45. *Spiritus ſanctus ſuo igne inflammat linguam de Deo loquentem: diabolus igne inferni linguam malam.*

Et apparuerunt illis lingua tamquam ignis. Cur in forma linguæ igneæ voluit ſuper Apoſtolos apparere? Hoc factum eſt, quia diſcipuli ejus erant totaliter occupati, & immerſi in laudibus divinis, & colloquiis ſanctis, & oratione; nam ad tales linguas inflammandas deſcendit ſpiritus ſanctus: ſicut è contra diabolus igne infernali inflammat linguas detractorum, impudicorum, & malorum ad colloquendum omnia mala: unde ex qualitate ſermonis, & loquelæ cognoſcitur facilitèr quis intus habitat: an ſpiritus ſanctus, an diabolus. *Ser. 2. de S. Laur. & ſer. 1. in Pentec.*

45. *Prædic*

Digitized by Google

46. *Prædicator habeat linguas diſpertitas tanquam ignis.*

Et apparuerunt illis diſpertita lingua tamquam ignis. Cur linguæ diſpertitæ, & non potius unitæ in unum? & cur tamquam ignis: Nota, quod tunc Diſcipuli fuerunt creati prædicatores orbis, ut ignem dilectionis Dei portarent per totum mundum exemplo Chriſti, & homines accenderent, & inflammarent: ideo datæ ſunt eis linguæ diſpertitæ ut intelligerent, quod non uno modo ad omnes habendus eſt ſermo: nunc enim de pœnâ, nunc de gloria, nunc de vitiis, nunc de virtutibus: aliterque infirmis, aliter perfectis loquendum eſt: *Ser. 5. in Pentecoſt.*

47. *Spiritus Sanctus eſt qui loquitur bona in bonis: diabolus mala in malis.*

Et apparuerunt illis diſpertita lingua, &c. Cur etiam in forma linguarum apparuit Spiritus Sanctus in Diſcipulis: Hoc eſt, quia per adventum Spiritus Sancti, ipſe eſt, qui in bonis bona, & ædificatoria verba loquitur: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis, *Matth. c. 10.* Il contra in malis diabolus eſt, qui loquitur impodica, & mala verba. *Ser. 11. in Pentec.*

48. *Ignis Spiritus, & devotionis alios illuminat, & inflammat: alios obcæcat, & obdurat.*

Stupebant autem omnes, & mirabantur, ad invicem dicentes: quidnam vult hoc eſſe? alii autem irridentes dicebant: quia muſto pleni ſunt. Ecce quàm verum dictum philoſophi: quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur: Nam Apoſtoli à Spiritu Sancto illuminati, & ſeptem donis ditati ita lucebant, & ardebant, ut penè totum Mundum illuminaverint & inflammaverint ignis, & doctrinis: & in hac occaſione tantâ varietate linguarum, ad ſtuporem omnes converterunt; ita tamen, quod propter nimiam refulgentiam aliqui obcæcati ſunt non valentes ſuſtinere tantum fulgorem, quare clamabant: iſti ebrii ſunt, & muſto pleni: & per hoc ſignificatur, quod homines perverſi ſpiritualia exercitia, actus pœnitentiales, prædicationem reputant fatuitates; quæ tamen à bonis toto Spiritus conatu amplexantur tamquam ſingularia Dei beneficia. *Op. de ſeptem donis c. 1.*

49. *Ad menſam Eccleſiæ ſuos paſcit Chriſtus pane, quos ſpiritus ſanctus ſuo vino inebriat.*

Muſto pleni ſunt. Hoc dicebant irridentes; ſed tamen in diverſo ſenſu verum dicebant: verè enim muſto Spiritus Sancti ſuis donis pleni facti ſunt: & hoc eſt, quod practicatur in menſa Chriſti, qui ſuis paravit panem euchariſticum, & Spiritus Sanctus propinat vinum ſuorum donorum, eoque inebriat convivantes. *Op. de dono ſap. c. 11. & ſer. 3. ſer. 2. Pentec.*

50. *Ebrietas ſpiritualis, quam affert vinum Spiritus Sancti expenditur.*

Muſto pleni ſunt. O quàm verè hoc dictum eſt; nam verè ebrii erant, non quidem ebrietate vini corporalis, ſed ſpiritualis, quam vinum Spiritus Sancti affert animæ: Eſtque hæc ebrietas magna amoris, & gaudii devotio, ex quâ, quaſi ex vini fortitudine, fervor Spiritus exhilareſcit. ita quod intra ſe cohibere non valet, foraſque erumpi neceſſe eſt, ſicut accidit Apoſtolis per receptionem donorum Spiritus Sancti, de quo muſto dicitur Job c. 32. Venter meus quaſi muſtum abſque ſpiraculo: plenus muſto abſque ſpiraculo lagunculas novas dirumpit: novas dicit, non veteres, vel quia veteribus cordibus non infunditur talis devotio, ſed novis in novitate vitæ ambulantibus: novas etiam dicit propter fortitudinem impetus Spiritus: vel etiam quia talis fervor Spiritus novis, & nondum exercitatis mentibus nuper infuſus, minus ſe valet cohibere, quin erumpat per inuſitatos geſtus, vel voces, vel ſingultus. Quod etiam exercitatis diu evenire ſolet: cum enim Deus noſter ignis conſumens ſit; & Deus charitas ſit, quid mirum, ſi fervor divinæ charitatis cordi infuſus, totum hominem commoveat. O beata, & felix ebrietas, ô muſtum, & vinum dulce Spiritus Sancti, utinam & tali ebrietate me inſanire faciat. *Opuſcul. de prof. religioſ. l. 1. cap. 72.*

51. *Spiritus Sancti vinum qualia vaſa exigat.*

Muſto pleni ſunt. Ergo vaſa plena muſto Spiritus Sancti erant diſcipuli iſti: Ex hoc colligitur qualia vaſa eſſent nempe pretioſâ caſtitate, & ſolida charitate, neque enim vas vilè per luxuriam, neque vas confractum per diſcordiam talè vinum poteſt conſervare: in vaſibus, ergo pretioſis infunditur vinum compunctionis, compaſſionis, & devotionis. *Ser. 1. de S. Steph. in addit. ſer. 4. Dom. 19. Pent. ſer. 2. Dom. 1. poſt oct. Epiph. & ſer. 3. de S. Joan. Evang. in addit.*

52. *Vinum Spiritus Sancti ſolum recipitur ore aperto, ſcilicet in oratione.*

Muſto pleni ſunt. Hoc muſto pleni ſunt, quia aperuerunt ora ſua in oratione; & ideo etiam capaces, & apti reddi ſunt: oratio enim eſt, quæ aperit os animæ & vinum è cœlis attrahit. *Ser. 2. Dom. 1. poſt oct. Epiph.*

53. *In primitivâ Eccleſiâ Apoſtoli ex inſtitutione divina baptizabant in nomine Chriſti.*

Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque in nomine Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum. Nota, quod S. Petrus converſis ad ipſius prædicationem dixit, ut baptizentur in nomine Chriſti; quomodo in nomine Chriſti? cum Chriſtus jam inſtituiſſet baptiſmi ſacramentum cum expreſſione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sed reſpondetur, quod hoc verum eſt; ſed tamen in primitivâ Eccleſiâ poterat fieri ex diſpenſatione divina in nomine Chriſti tantum in quo clauditur implicite tota Trinitas. Chriſtus enim unctus dicitur, & ideo

ideo ungentem,& unctum,& orationem involuit: hoc autem fuit permissum : quia cum Christi nomen esset ignotum,& contumelioſum,utpote crucifixi : ut nomen publicaretur , & in reverentia haberetur,tunc temporis eo usi sunt, cessante autem tali causâ,cessavit & talis forma,nec amplius est valida. *L.4.d.3.p.1.a.1.q.3.*

§ 4. In primitivâ Ecclesiâ omnes fideles corpus Christi quotidie sumebant,præcipueque B. Virgo Maria ; quod & inferunt plures Theologi,& DD. ex hoc textu. *Hi omnes erant perseverantes , &c. in communicatione fractionis panis*:quod & multo magis de Maria Virgine dicendum est.*Vide Suarez 3. p.d.18.sec.3.*

55. *Concordia,& unitas præparat animam ad receptionem spiritus sancti : & per spiritum sanctum fovetur , & conservatur.*

*Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum , & communicatione fractionis panis, & orationibus. Omnes qui credebant , erant pariter , & habebant omnia communia.*Confer ista cum supradictis in principio capitis : cum complerentur dies Pentecostes , erant pariter omnes discipuli in eodem loco ; & ex hoc apparebit patenter qualis fuerit magnes , qui traxit è cœlo spiritum sanctum in discipulos, & qualis effectus ex tali adventu consecutus Fuerit : nempe unitas,& concordia : quia enim cor unum, & animam unam habebant;scilicet in unum per charitatem , & amorem confecta : ideo etiam supet ipsos descendit spiritus sanctus qui est charitas, & amor;& ad hoc venit, ut omnes homines in unum congregaret,qui erant per devia dispersi. *Op. Diat.tit.4. c.1. Eccl. Hier. p.4 a.4. spec. discipl. p.1.c.22.Luc.c. 9. v.1. Ioan. collat.77.*

56. *In Capitulis religiosorum quomodo attrahatur spiritus sanctus.*

Omnes qui credebant , erant pariter. Quid erant pariter ? supra dixerat:erant omnes pariter in eodem loco : quomodo hoc potest esse ? omnesne continebantur simul in eodem loco : eratne in iis penetratio tot corporum in eodem loco ? sed tale miraculum non erat necessarium; & ideo intelligi debet moraliter quoad convenientiam , & consensum cordis in unum Dei , & proximi amorem. Hic autem dicitur : erant omnes pariter, nec additur in eodem loco : quid sibi vult , erant omnes pariter. O benè pariter simul convivebant ; omnia eis erant communia : omnes proprium, locum sibi debitum pacifice occupabant: & hoc fuit figura Capitulorum , qui fiunt in religionibus ad electiones faciendas , & ad alia disponenda concernentia bonum regimen religionis. Cum enim in ipsis regnat charitas, unio, concordia , & longe sint partialitates,rixæ,vanæ prætensiones :tunc signum est,quod ibi regnat,& inhabitat spiritus sanctus.& quod ipsorum dispositionibus infallibiliter assistet. *Op. expos. regula c.8.Diat.& aliis loc.cit.*

57. *Vita communis religionum fundata ab Apostolis inspiratione spiritus sancti.*

Et omnes qui credebant , erant pariter ; & habebant omnia communia : possessiones , & substantias vendebant . & dividebant illa omnibus prout cuique opus erat. O audiant hæc religiones , & religiosi, & videant quid præcipue operatus fuerit adventus spiritus sancti in Ecclesiâ adhuc parvulâ , & veluti enascens, & in primis credentibus discipulis Christi , & Apostolorum ; nempe vitam communem , in qua omnia erant communia:communis mensa , communis domus , communis vestis: communis conversatio , communis possessio bonorum : in qua secundum indigentiam eu usquè libere,& cum charitate subventio fiebat. Et hinc mirum non est si inter eos habitaret spiritus sanctus;si in oratione , & laudibus divinis tamquam omnibus terrenis expropriati , tota ipsorum vita impendebatur. *Op.Diat,& aliis loc.cit. & ser.2. de Apostol.ser.2.de plurib. Confess.& op.de profec. religios.l.1. c.35.* Ex quibus patet quale discrimen sit inter religiones vitam communem servantes , & alias, quæ ab hoc sancto instituto recesserunt : & ideo væ væ, & iterum væ iis , maximéque Prælatis , qui in causa sunt ob ipsorum avaritiam , & partialitates , quod vita communis in religione detrimentum patiatur.

58. *Oratio communis in Ecclesiâ quam Deo placita,& quam fructuosa.*

Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo , &c. collaudantes Deum.&c.Dominus autem augebat qui salvi fierent quotidie in idipsum. Hic est finis hujus capituli enarrantis adventum spiritus sancti , ejusque effectus , ubi explicatur ; quod non solum vitam communem pariter servabant, sed & unanimiter conveniebant ad orandum , & collaudandum Deum in Templo , ex quo augebatur numerus prædestinatorum : & ipsi repleti exultatione , & gaudio , vitam ducebant : per quod patet quam utilis. Deoque chara sit oratio communis in Ecclesia. *Op.de profec. religios.l.2.c.66.& aliis locis cit.*

CAPUT III.

Nota quod in hoc capitulo enarratur sanatio claudi facta à Petro invocatione nominis Iesu : & hac occasione ejus predicatio facta Iudæis de virtute adventus Christi in Mundum.

Digitized by Google

59. *Frequentia, & oratio devota in Eccleſiis ſuadetur.*

PEtrus, & Ioannes aſcendebant ad templum ad horam orationis nonam. Non ſine myſterio notatur iſte aſcenſus Petri, & Ioannis ad templum ad conveniendum ad orationem communem, quæ hora orationis nona fiebat: ut hinc ediſcamus exemplo tali, quod proprium eſt ſervorum Dei, & Deum amantium frequentare Eccleſias, & ad orationem communem convenire: unde in Pſal. 94. omnes invitantur: venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, &c. Si enim ipſe eſt Deus, qui fecit nos, qui redemit nos, qui gubernat nos, & nos populus ejus, ergo venite corpore, adoremus mente, procidamus ante eum corpore, & mente, & ploremus coram eo ex peccatorum recordatione, ex bonorum omiſſione, & præceptorum ejus tranſgreſſione, & ex omnium vitiorum interiorum corruptione. O magnam verecundiam Populis Chriſtianis, qui verecundantur ad Eccleſias pergere, & ad Dominum adorare, cum infideles, & hæretici ſint aſſidui, & ſtudioſiſſimi in conveniendo ſtatis horis ad ſua Templa. *Ser. 2. de SS. Phil. & Iacob. Luc. c. 2. v. 41.*

60. *Ad portam divinæ miſericordiæ homo ſe colloret, & petat ab introeuntibus eleemoſynam exemplo claudi.*

Et erat quidam claudus ab utero Matris ſuæ, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa, ut peteret eleemoſynam ab introeuntibus in Templum: & cum videret Petrum, &c. rogabat, ut eleemoſynam, &c. Non ſine myſterio notantur omnes circumſtantiæ hujus claudi mendici expoſiti ad portam ſpecioſam templi, ut peteret eleemoſynam, quæ conſuetudo etiam ſervatur ubique. Myſticè autem iſte mendicus repræſentat quemlibet peccatorum exiſtentem in peccato, claudum quidem, & non valentem aſcendere ad Cœlum, & ſimul mendicum gratiâ Dei, poſitum extra templum, & ante portam ſpecioſam: hæcque ſignificat vel miſericordiam Dei, vel portam Paradiſi. Et ſicut iſte mendicus ab omnibus petebat introeuntibus eleemoſynam, & ut ab ipſis eam obtineret, oſtendebat ſuam deformitatem: ſic & peccator invitatur ad ſe exponendum ad portam miſericordiæ divinæ, & cœleſtis templi, & ad petendam eleemoſynam gratiæ, & ſalutis: & ut facilius eam obtineat, oſtendere debet deformitatem animæ ſuæ in oratione, & in peccatorum confeſſione: & hoc præcipue faciat coram confeſſario, ut ſanitatem mereatur recipere. *Ser. 3. in regat.*

61. *Maria Virgo porta ſpecioſa cœli, per quam intrat quicumque intrat, & ad quam pro eleemoſynâ quilibet confugere debet.*

Claudus, &c. ponebant quotidie ad portam, quæ dicitur ſpecioſa. O felix claudus, cui datum eſt invenire ſalutem, quia ſtabat ante portam ſpecioſam Templi: quod, ſi ad aliam ſe collocaſſet; non obtinuiſſet. Myſticè nobis figuratur Maria Virgo, quæ ab Eccleſia dicitur: felix cœli porta: & ſpecioſa facta eſt, & ſuavis in deliciis ſancta Dei genitrix: Hæc quidem eſt porta ſpecioſa, & miſericordiæ janua: hæc poſita eſt à Chriſto in Eccleſiâ, ut ſit porta hæc ſpecioſa; & ut ad ipſam nos miſeri noſipſos collocemus ad petendam eleemoſynam gratiæ, ſalutis, & omnium bonorum; quia per ipſam ſolam intrat ad templum divinæ miſericordiæ, & cœleſtis gloriæ, quicumque ibi intrat. O reſpiciamus ad ipſius manus, intendamus cor, & oculos ad ipſam, & expectemus auxilium in noſtris neceſſitatibus; quia ipſa ſuccurret certiſſime ad ſe confugientibus. *Luc. c. 1. v. 38. op. Pſalt. Pſal. 46. Litaniæ ſtim. p. 3. c. 16. Pſalt. min. quinq. 1.*

62. *Sæpe Deus noſtræ orationi denegat, quod petimus ut utilius aliud det.*

Reſpice in nos: argentum, & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do? In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Vide quomodo id, quod ſperabat iſte pauper, & petebat, ſcilicet argentum, & aurum ipſi denegatur, & quod non petebat, nec & ſperabat, id ſibi conceditur, quod eſt utilius, ſcilicet ſanitas corporis. Sic S. Ambroſ. & hoc eſt, quod nobiſcum ſæpè facit Deus: ſæpe nobis denegat, quod petimus, ut utilius alia utiliora, & majora det; eo quod oratio ſemper exauditur. *Ser. 4. in rogat. op. de profec. religioſ. l. 2. c. 67. 71.*

63. *Expropriatio omnium bonorum; alienatio ab auro, & argento ab Apoſtolis; practicata.*

Argentum, & aurum non eſt mihi, &c. Hoc eſt, quod firmiter dicebat S. Petrus; eo quod Chriſtus ipſis impoſuerat expropriationem omnium bonorum; alienationem ab omni contrectatione pecuniæ, quam & Seraph. P. S. Franciſcus accuratiſſimè in regula ſuis præcepit ad perfectiorem imitationem vitæ Apoſtolicæ. *Op. expoſ. regul. cap. 4. de ſandal. Apolog. paup. reſp. 3. c. 1. plenius ex cap. 4.*

64. *Jeſus nomen medicina infirmitatum corporalium, & ſpiritualium noſtrarum.*

In nomine Jeſu ſurge, & ambula. Nota, quod Petrus antequam proferret dicta verba, dixit: quod autem habeo, hoc tibi do, quid eſt, quod habebat? habebat poteſtatem invocandi nomen Jeſus à Chriſto: qui dixerat: in nomine meo dæmonia ejicient, &c. ſuper ægros manus imponent, &c. & ecce ad applicationem hujus medicinæ ſalvus factus eſt claudus, & in corpore, & in animâ. Medicina quidem efficaciſſima eſt invocatio hujus ſanctiſſimi nominis pro medendis languoribus omnibus corporis, & animæ, & ideo invitamur ad confugiendum ad hoc ſanctiſſimum nomen verè gratioſum, gaudioſum, & efficaciſſimum. *Op. medit. c. 10. de quinque feſtivit. & ſer. 4. in circumciſ.*

65. *Gratiarum actio Deo pro magnis beneficiis qualiter facienda.*

Et intravit cum eis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans Deum. Ecce quam gratus fuit Deo iſte felix claudus: Per hoc dat nobis intelligere modum actionis gratiarum ſervandum in magnis beneficiis: ambulans, & exiliens, & laudans Deum: ſcilicet non ſolum laudabat Deum, & ejus miraculum enarrabat, & alios ad laudandum Deum provocabat, ſed etiam ambulabat; ideſt opera bona, & ſancta, & progreſſum in virtute arripiens. *Luc.c.5.v.25.*

66. *Quomodo dicitur Judæos occidiſſe Chriſtum ex ignorantiâ, & tamen graviſſime peccaſſe.*

Et nunc fratres ſcio quia per ignorantiam hoc feciſtis, ſicut & Principes veſtri, &c. pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra. Nota, quod in concione facta à Petro Judæis poſt miraculum ſanationis claudi, in qua oſtendit ipſos inique occidiſſe ſanctum ſanctorum Chriſtum; ſubdit poſtea ipſos id feciſſe ex ignorantia: & deinde ſuadet, ut pœnitentiam agant de ſuo peccato: Si ignoranter occiderunt Chriſtum, ergo non peccaverunt? & ſi hoc, cur pœnitentiam eis ſuadet? Reſponderur, quod ignorantia iſtorum fuit vel erronea, vel affectata: nam poterant, & debebant cognoſcere ex factis oraculis propheratum, ex miraculis, & operibus, & vita Chriſtum eſſe verum Meſſiam; ſed tamen nec voluerunt id inquirere, ſed excæcati ex invidia, & malitia propria, & voluntaria, ipſum non cognoverunt Deum: Unde licèt aliqua interfuerit ignorantia, maxime in minotibus de plebe, tamen non excuſati fuere à graviſſimo peccato, & ob id merito eis proponitur pœnitentia. *Luc.c.20.v.14. Ioan.c.18.v.30.*

67. *Chriſti maxima benedictio in nos, dum proponit, & invitat ad pœnitentiam.*

Vobis primum Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis ut convertat ſe unuſquiſque à nequitiâ ſuâ. Hæc eſt concluſio concionis D. Petri, in qua excitat peccatores ad pœnitentiam agendam de peccatis; & docet, quod Chriſtus poſt ſuam reſurrectionem, & aſcenſionem in Cœlum ſtat in continuo exercitio benedicendi nos, per hoc, quod omnes invitat, & expectat ad pœnitentiam; eſt enim hæc benedictio maxima Chriſti, & gratia ſpecialiſſima, quod non ſtatim damnatur peccator poſt peccatum commiſſum, ſed expectatur, & invitatur ad pœnitentiam, ne poſtea ſubjici cogatur æternæ maledictioni in judicio. *Ser.2.Dom.18.Penteceſt.*

CAPUT IV.

Nota, quod in hoc capitulo poſt carcerationem Petri factam à Principibus Synagogæ; poſt comminationes ipſi factas, ut deſiſteret à prædicatione, proſequitur ipſe conſtantiſſime ſuam prædicationem, & annunciationem veritatis Meſſiæ: ob quam quinque millia viri converſi ſunt ad fidem Chriſti: Et deinde narratur concordia, quæ vigebat inter fideles Eccleſiæ, expropriatio omnium bonorum, quæ ab ipſis fiebat.

68. *Chriſti orationis efficacia in cruce fuſa pro perſecutoribus, poſt reſurrectionem, & miſſionem Spiritus Sancti apparuit.*

Multi enim eorum, qui audierant verbum, crediderunt: & factus eſt numerus virorum quinque millia. Ecce quomodo incæpit patefieri efficacia orationis Chriſti fuſæ in cruce pro ſuis perſecutoribus: nam licet tunc non fuerit facta converſio crucifixorum, & perſecutorum Chriſti; tamen tempore magis opportuno ſecuta eſt: ut hinc ediſcamus, quod ſæpe licet non ſtatim exaudiat Deus orationem, tempore tamen, & loco magis opportuno non caret exauditi. *Luc.c.23.v.34. Ioan.c.4.v.36.ſer.4.rogat.*

69. *Maxima Chriſti potentia manifeſtata in converſione mundi per homines idiotas, & ſimplices.*

Videntes Petri conſtantiam (Scilicet ſacerdotes, & Principes Synagogæ) *comperto, quod eſſent homines ſine litteris, & idiotæ, admirabantur, &c. nihil poterant contradicere.* Ecce quomodo patefacta eſt Chriſti potentia per hoc, quod per idiotas, & homines ſine litterarum notitia confudit ſapientiam Doctorum; & plures ex eis convertit ad fidem ſuam, omnino contrariam maximis, & modis vivendi mundi: & maxime per hoc, quod nec poterant contradicere iſtis ſimplicibus hominibus prædicantibus. *Luc.c.5.v.27.*

70. *In ſolo nomine Ieſu eſt nobis ſalus: & ideo hoc nomen eſt ſuper omne nomen.*

Notum ſit omnibus, & omni plebi Iſrael, quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus, &c. & non eſt in aliquo alio ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Vide quomodo Petrus numquam ceſſabat exaltare nomen Domini Ieſu Chriſti, ejuſque mirabiles eventus prædictos, docens, quod in iſto ſolo nomine ſalus à nobis poteſt obtineri; ut omnes ad ipſius invocationem confugerent, ad veniam peccatorum obtinendam, & ad adipiſcendum remedium contra omnia mala. *Op.medit.c.8. Comp. Theol.l.4. c.12.ſpecu.B.Virg.lec.16.Luc.c.1.v.31.c.2.verſ.11. & 31.& c.9.v.36.& c.19.v.10.Ioan.c.10.v.38. & collat.65. & ſer.4.Circumciſ.*

71. *Oratio maxime communis ſublevat mentem à terrenis ad cœleſtia.*

Et cum oraſſent, motus eſt locus, in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, &c. Ecce aliud mirabile prodigium: nam cum illi converſi ad Chriſtum; orationem communem fudiſſent ad Dominum, ſtatim terræmotus ſub pedibus eorum auditus eſt, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto. Hocque factum eſt à Chriſto; ut eis pateret, quod eorum oratio eſt exaudita, & quòd per talem orationem meruiſſent elevationem mentis ab his terrenis, & adventum Spiritus Sancti. Myſtice autem edocemur, quod oratio maxime communis, nos removet ab his terrenis, & elevat ad cœleſtia, & ad poſſeſſionem Spiritus Sancti. *Luc. c. 3. v. 17.*

72. *Spiritus ſanctus inhabitans in juſto, in ipſo conſtituit congregationem multarum virtutum juſtorum.*

Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Nota, quod non ſolum verificatur de multis hominibus in unum collectis; ſed & de uno juſto in ſeipſo: nam inhabitans ſpiritus ſanctus in eo tantam ſuavitatem exhibet animæ, ut etiam redundet in corpus, in membra, in actus, in motus, in actiones; ita ut vultus, & totius corporis compoſitione vitæ, & morum, & actuum, decore etiam mutuæ ſervitutis, & etiam devotis exhibitionibus, & piis ſuſceptionibus, ſive cujuſdam gratiæ, beneplacito ſibi invicem conveniant, & convivunt, ut ſit vere eis cor unum, & anima una, quaſi jam futuram corporum, & gloriam hic initiantes ex puritate conſcientiæ, & mutuæ converſationis gratia, eam habituri in futura, & perpetua vita. Et hinc non eſt mirum, ſi aliquando videtur tanta harmonia, & compoſitio exterior, & interior in aliquibus juſtis, ut videantur ad omnia accidentia impertubabiles. *Op. de dono conſil. c. 7.*

73. *Concordia multos in unum alligat: diſcordia unum in multos diſcindit.*

Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Quomodo cor unum, & anima una? eſtne hoc poſſibile? ergone anima poterit vivificare plura corpora inter ſe ſejuncta? Sed hoc non dicitur quoad eſſe phyſicum, ſed morale, & ſpirituale; & hic eſt effectus proprius & inhabitantis ſpiritus ſancti in congregatione multorum, & charitatis, multos in unum coadunantes: ubi enim eſt unanimitas, conſonantia, & unio, ibi non eſt pars; quia omnes partes in unum regit, facitque quod & multi ſint unum, & unus ſit multiplex: ſi enim unanimes fuerint duo, vel decem, non adhuc unus eſt, qui eſt unus, ſed decies multiplicatus unuſquiſque eorum ſit, & invenies in decem unum, & in uno decem: ſicque unuſquiſque eorum decem, ſi ſint unum, habent viginti oculos, manus, & pedes, non enim ſuis oculis videt, ſed aliorum: & ſi inimicum habuerint, qui uni inimicantur, & decem. Ex quo ſequitur, quod amoris ſuperabundantia inexpugnabilem facit unum, & multiplicem, & quod natura non poteſt, amor poteſt. O quanta & qualis eſt charitatis vis. E contra diſcordia in partes dividit & unum & multos, & omnia mala affert. *Joan. collat. 77.*

74. *Ex concordia multorum oritur in auribus Dei dulcis chorus, & Simphonia.*

Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. Vide iterum mirabiles effectus concordiæ; nam cum tot millia credentium eſſent unita corde, & animo, ad aures Dei reddebant perfectam ſymphoniam, & chorum: nempe ex hominibus diverſis; & virtutum exercitiis communibus ex Dei laudibus, in quibus ſe exercebant, amor omnes, & quoad cor, & quoad animam, & quoad voces in unum cogebat, & inde communis lætitia, & exultatio *Luc. c. 15. v. 25.*

75. *Religioſæ vitæ fundamentum eſt abdicatio omnium rerum. Ubi de renunciatione in particulari & in communi.*

Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia. Ecce fundamentum jactum à primis credentibus vitæ religioſæ per abdicationem omnium rerum. In qua tamen notandum, quod duplex eſt religioſa abdicatio rerum: alia eſt, quæ hic innuitur, per quam nemo in particulari aliquid veluti proprium poſſidet, ſed tantum in communi; ſic enim iſtis credentibus omnia erant communia: Alia eſt, quæ abdicat omnia, & in particulari, & in communi; & hæc fuit Apoſtolorum, & magis perfectorum. Prima abdicatio eſt forma monaſticæ, ſeu cœnobiticæ vitæ, in qua, qui ita vivunt, ut ſint eis omnia communia, ita feliciter vivunt, ut ſtatum innocentiæ, & ſtatum futuri ſæculi imitentur, ubi ſunt omnia communia. Communitas autem iſtorum credentium non refertur ad Apoſtolos, ſed ad turbam. Secundæ autem abdicationis, & paupertatis exemplar, & forma in vita præſenti eſt Apoſtolorum, quam perfectionis Magiſter Chriſtus eiſdem inſtituit, quando miſit ipſos ad prædicandum: *Nolite*, inquit, *poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, neque duas tunicas, nec calceamenta, neque virgam. Matth. c. 10.* In his igitur verbis Dominus Apoſtolis, & prædicatoribus veritatis extremæ, ac penurioſæ paupertatis formam ſervandam impoſuit quantum ad carentiam, & poſſeſſionum, & pecuniarum, & aliorum mobilium, quibus ſuſtentari, vel communiri ſolet communis hominum vitæ: ut tamquam viri pauperes in ſumma conſtituti penuria carent omnibus his terrenis. Et hanc paupertatem renovavit, & ordinavit Seraph. S. Franciſcus in ſuâ regulâ, quæ eſt ſuprema paupertas, ultra quam non datur ſtrictior, & ſublimior: eſt enim eadem Chriſti, & Apoſtolorum. *Opuſc. anol. paup. reſp. 3. c. 1. ubi fuſe de hac materia, &c. opuſc. de prof. relig. l. 1. c. 35. Vide expoſ. in regulam S. Fran. c. 2. & 4. & 6.* Nota, quod plures DD. apud Vegam n. 143. ſeq. B. Virginem exercuiſſe omnia perfectiſſimæ monialis munera obiiſſe, & poſt Chriſti aſcenſionem præfectam fuiſſe congregationi Sanctarum virginum plurimarum; quia ipſa optimam partem vitæ contemplativæ, & religioſæ elegerat. *Vide Vegam cit.*

76. *Credentium alii habent & corpus, & cor unita; alii divisa.*

Multitudinis credentium erat cor unum, & anima, &c. Ecce grande prodigium: Et qualis felicitas tunc erat in Ecclesiâ, dum credentes erant uniti corde, & animo, & corpore in unum. Sed nunc vere dissimilis est multitudo credentium, qui sicut vulpes Sampsonis caudas habent conjunctas, sed capita divisa: alius enim superbum, alius avarum, alius luxuriosum cor habet: & tales sunt christiani nomine, non corde. *Sermon. 2. Dom. 4. Pentecost. sermon. 1. de S. Bartbol.*

77. *Charitas proximi quanam exigat.*

Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, &c. dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Ecce forma perfectæ charitatis proximi, quæ duo exigit. Primum est benevolentia voluntatis: secundum est beneficium charitatis, ut omnibus pro posse subveniat: non enim sufficit ut inter homines sit unum cor, & anima una, ut scilicet se mutuo ament in Christo corde, & anima; sed requiritur, ut iste amor foras exeat, & subveniat proximum prout cuique opus est. Sic legitur, quod inter primos credentes erat cor unum, & omnia erant inter se communia, nec aliquis erat inter eos indigens. *Ser. 2. de S. Marco ser. 1. de S. Barthol.*

CAPUT V.

In hoc capite enarratur pœna non observantium vitam communem in religionibus in persona Ananiæ & Saphiræ quæ fraudaverunt Petrum Apostolum, sibi retinentes partem de pretio agri venditi. Postea de virtute, & operibus Apostolorum, & de invidiâ sacerdotum contra Apostolos: & tandem consilium Gamalielis.

78. *Transgressio paupertatis religiosæ quam Deo exosa: ubi de proprietate.*

Vir quidam nomine Ananias cum Saphira uxore sua vendidit agrum, & fraudavit de pretio agri, conscia uxore sua, & afferens partem quandam, &c. Cur tentavit Satanas cor tuum, &c. cecidit, & expiravit Ananias. Verè mirum est, quod hic legitur factum in Anania, qui solum partem pretii exhibuit ad pedes Apostolorum, alia parte sibi retenta; & ideo sententiâ mortis punitus est, sicut & ipsius uxor. Quale, & quantum fuit hoc peccatum? nonne erat in sua libertate offerre vel totum, vel partem. Sed tamen si bene expenditur hoc, invenitur justè factum: nam cum tali oblatione concurrit transgressio voti paupertatis, quæ emissa fuerat ab his duobus hominibus: & ideo ob transgressionem voti, ob proprietatem partis pretii, à Deo severissime puniti fuere. Et hoc voluit Deus ostendere, ut pateat, quàm ipsi exosum sit vitium proprietatis, & avaritiæ in religiosis & quàm severè puniatur. *L. 4. d. 24 p. 1. a. 1. q. 3. Op. Apol. paup. resp. 3. c. 3. expos. reg. c. 4. & 6. specul. discipl. p. 1. c. 4. Luc. c. 18. v. 22. c. 9. v. 2. c. 13. q. 5. cap. 16. v. 13. Ioan. c. 13. v. 30. ser. 1. Dom. 15. Pentec. & ser. 1. de mortuis in addit.*

79. *Christus ad magnificandum suos servos, dedit eis potestatem faciendi majora, & sublimiora miracula, quàm legatur ipsum fecisse: ut patet hic in sanatione infirmorum ad umbram Petri: ut pateat quàm bonus, & liberalis sit in sibi servientes. Ioan. c. 14. v. 13. ser. 1. in Cathed. & ser. 2. in Cathed. in addit.*

80. *Christi servus non est, quem malitia impiorum non exercet.*

Exurgens Princeps sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, quæ erat hæresis saducæorum, repleti sunt zelo, & injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Nota, quod ex hac persecutione, & aliis consequentibus, quibus scatet totus iste liber Actuum, patet verificata prædictio Christi *Luc. c. 21.* Sed ante hæc omnia injicient vobis manus, & persequentur, trahentes in synagogas, & custodias, ut verificetur, quod dixit Paulus 2. Thim. & omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur: quia semper hoc factum est à malis contra pios, & bonos; nam Abel esse renuit, quem Cain malitia non exercet. *Luc. c. 21. v. 12.*

81. *Dei obedientia præferenda est cuicumque præcepto hominum.*

Sic fecerunt Petrus, & Apostoli, quibus cum princeps sacerdotum, & concilium Judæorum præcepissent ne prædicarent Jesum Christum, comminando eis carceres, vincula, flagella, &c. Petrus constantissimè respondit, se magis teneri obedire Deo, quàm hominibus, & hoc est, ad quod respiciunt servi Dei, & Deum amantes, in quorum obedientia Deus operatur semper mirabilia, & confundit protervos. *Op. de sex alis Sraph. c. 7. Comp. Theol. l. 5. c. 36. Luc. c. 2. v. 49. c. 19. v. 34.*

82. *Patientia gradus expenduntur in Persona Apostolorum.*

Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Ecce ad qualem gradum pervenerunt Apostoli in profectu patientiæ; cujus tres gradus assignantur. Primus est sustinere mala, & injurias patienter. Secundus libenter: tertius gaudenter. Primus gradus est omnium salvandorum. Secundus est justorum, & magnorum in virtutis profectu. Tertius est perfectissimorum propriusque Apostolorum, ad hoc autem attingendum requiritur non solũ rectitudo in intentione respectu causæ justæ, quæ sit talis, vel de se, ut si quis patiatur propter justitiam, & innocenter; vel etiam ex propria industria fiet justa, ut in bono latrone; vel in morte naturali, vel alia passione consimili,

Digitized by Google

quæ licèt ſit neceſſaria, tamen adjuvante divina gratiâ, poteſt converti in voluntariam, & meritoriam: non ſolum etiam requiritur promptitudo, ut ſcilicet aſſumatur libenter pro Chriſto, ſed etiam cum gaudio, & ſimul cum perſeverantia uſque ad finem: & de tali patientiâ dicitur: in patientiâ veſtra poſſidebitis animas veſtras: & hæc eſt juſtorum, in quibus habitat ſpiritus ſanctus: ut patet in Apoſtolis, qui ſpiritu ſancto pleni, ibant à conſpectu concilii gaudentes. *Ser.3.de Apoſtol.ſer.2.de plurim.marty.ſer.3. de uno Confeſſ.* Nota etiam, quod Chriſtus prohibet, ut gaudium oſtendatur à ſuis in patratione miraculorum: in hoc nolite gaudere, quod ſpiritus ſubjiciantur vobis, ſed benè in paſſionibus, in tribulationibus: beati eſtis, cum maledixerint, &c. gaudete, & exultate, &c. ſic ibant Apoſtoli gaudentes. *Luc.* 6.10.v.20.

83. *Juſtorum alii patienter moriuntur, alii patienter vivunt imo impatienter.*

Ibant gaudentes à conſpectu concilii: quoniam digni habiti ſunt, &c. Nota gaudentes, ſcilicet in tribulationibus, in perſecutionibus, in mortibus: propter quod diſcernuntur juſti perfecti ab imperfectis: imperfecti enim quaſi violenter attrahunt voluntatem ad amplexandam perſecutionem, & mortem patienter, unde moriuntur patienter. Perfecti autem, in quibus charitas, & amor Dei ardens viget, vivunt, veluti in impatientia, nauſeantes iſta terrena, & anhelantes ad unionem cum Chriſto, cum quo eſſe deſiderant: & ideo cupiunt diſſolvi: unde bene dicitur, quod cum patientiâ veluti impatientes vivunt, ſed cum gaudio, & delectatione moriuntur. *Op.Apol. paup.reſp.*2 c.1.

84. *Ebrietas ſpiritus ſancti inſanire facit Dei ſervos, & inſenſibiles ad ictus tribulationum.*

Ibant gaudentes à conſpectu concilii, &c. Cur gaudentes? quid ſibi vult iſti gaudentes in tot perſecutionibus, & anguſtiis? Sed attende, quod ſupra dictum eſt, ipſos eſſe muſto plenos, & ebrios ebrietate ſpiritus ſancti: Unde ebrium veluti inſanum, qui ſeipſum denudat ſine pudore, plagas ſuſtinet ſine dolore, ſic & Apoſtoli ebrii ebrietate ſpiritus. O ſancta ebrietas! hæc eſt effectus perfectæ charitatis, quæ mortem delectabilem affert corpori, & animæ; ſcilicet ſapor ſat ab amore hujus vitæ, & terrenarum delectationum quaſi totaliter avertit; & occidendo quaſi inſenſibilem reddit; & pœnas omnes temporales, & mortem contemnere facit; non ſentiens damna, & hilareſcens ad injurias, omnem pœnam ad gloriam præſumit: & hoc eſt quod traxit tot ſanctos martyres ad ſuſtinendam mortem tam alacriter: non enim pro Domino potuiſſent in corpore tanta, & talia pati; niſi prius à terrenis deſideriis in mente mortui fuiſſent: niſi prius per ebrietatem ſpiritus ſancti in hanc ſanctam amentiam deveniſſent. *Op. de ſep.itin.æterni. itin.*4 *d.*4.*a.*3. & *d.*5.*a.*2. *Incend. amor. cap.*2. *collat. de contemp. ſæcul. de quinq. feſti. fol.* 4. *Luc.cap.*6. *verſ.*23.

85. *Apoſtoli, & ſancti Martyres fuerunt nominis Ieſu.*

Ibant Apoſtoli gaudentes, &c. quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Nota, quod non dicit, pro Chriſto, pro Ieſu, ſed pro nomine Ieſu contumeliam pati: & licet ad ipſum Chriſtum omnia iſta tenderent; tamen non ſine myſterio ponitur hic pro principali cauſa paſſionum ipſum nomen Ieſus. Et hoc eſt, quod Principes eis prohibuerunt, ut iſtud nomen non prædicarent, vel nominarent, tamquam eis abominabile, & exoſum. Et hinc eſt, quod hoc nomen tantam lætitiam in Apoſtolorum corde immiſerat, quod eos ad ebrietatem ſanctam reduxerat: quod libenter pro hoc nomine prædicando, defendendo, exaltando, vitam dederunt lætanter, facti Martyres hujus ſanctiſſimi Nominis. *Op.Comp.Theol.l.*4.*c.*12. *de quinq. feſtivit. ſolemn.*3.

86. *Apoſtolicus uſus docendi chriſtianam doctrinam expenditur.*

Omni autem die non ceſſabant in templo, & circa domos docentes, & evangelizantes Chriſtum Ieſum. Ecce qualis fortitudo fidei Apoſtolorum; quia nec verbo prohiberi, nec flagellis cæſi poſſunt à prædicatione prohiberi. Nota autem, quod Apoſtoli fervore fidei omni die, & in templo, & circa domos docebant ea, quæ ſunt neceſſaria ſaluti: nempe prima elementa fidei, & ſymbolum Apoſtolorum, & ea omnia, quæ ibi continentur explicabant omnibus. *Ser.*3. *de Doct. in addit.* Et quia non ſolum in templo, ſed & circa domos, ſcilicet in plateis, in porticis, in locis frequentatis hæc explicabant: hinc invaluit piiſſimus uſus, & neceſſarius docendi doctrinam chriſtianam in ſcholis chriſtianis tam publicis, quam privatis.

CAPUT VI.

Nota, quod in hoc capite proponitur murmur Græcorum contra hebræos ob deſpectum ſuarum viduarum; quibus non utebantur ſicuti faciebant de Iudais in miniſterio communis congregationis: vel non æqualiter tractabantur: & ideo Apoſtoli proviſionem huic malo fecerunt electione ſeptem diaconorum, qui ſuperintenderent communi diſtributioni rerum temporalium. Deinde proponitur ſanctitas S.Stephani levitæ, ejuſque perſecutio.

87. *Contem-*

Digitized by Google

87. *Contentiones aliquando etiam inter justos oriuntur sic permittente Deo; quæ à Prælatis debent removeri.*

IN diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Vide quomodo etiam inter justos permittit Deus contentiones, quas tamen sicut Christus inter Apostolos sedavit, sic Prælati debent pro viribus in principio sedare, & causas contentionum eradicare. Contentio autem aliquando etiam inter bonos sine culpa intercessit, eo quod veritas æqualiter non est omnibus nota, & quilibet existimat se ex rationabili causâ posse velle aliquid, quod ex contraria ratione ab altero negatur. Permittit etiam hoc Deus, ut occasionem unusquisque se coram Deo humiliandi habeat ob suas proprias imperfectiones. *Luc. c. 22. v. 22. op. determinat. q 20.*

88. *Ubi multitudo, ibi confusio: Ideo Prælati religionum caveant à subita, & nimia receptione novitiorum, & diligenter fiat de ipsorum conditionibus discussio.* Hoc patet in textu; ubi dicitur, quod *crescente numero discipulorum* (Nota, quod dicit numero, non merito) *orta est contentio, &c.* & ideo hæc admonitio ad Prælatos religionum dirigitur, ne nimia facilitate, & sine debito delectu repleant ordinem fratribus inutilibus. *Op. libell. Apologet. q. 16 sap. Prolog.*

89. *Ex acceptione personarum in congregatione quot mala.*

Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos. Cur in congregatione tam sancta ortum est hoc murmur, & contentio? Eo quod (ait) despicerentur in ministerio viduæ eorum: scilicet vel nimio labore in ministeriis communitatis onerabantur, vel ipsis non utebantur in ministeriis honorabilibus, sicut viduis Judæorum. Ex quo patet quam pernitiosa sit congregationibus sacris acceptio personarum. Ex hac enim præjudicium justitiæ, & bono regimini, & contentiones, rixæ, judicia temeraria, aliaque maxima mala oriuntur. Hoc maximè advertant Prælati, & superiores. *Op. Phare l. 3. c. 38. & op. de sex alis, Seraph.*

90. *Prælatorum cura potissima sit circa spiritualia, committendo aliis curam temporalium.*

Non est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis, &c. Nota, quod Petrus princeps collegii Apostolici videns necessitatem providendi ministros, qui in tanta multitudine curam haberent rerum temporalium: coacto capitulo duodecim Apostolorum, proposuit hanc necessitatem, eo quod non esset æquum, ut ipsi Episcopi sanctæ Ecclesiæ in hæc ministeria temporalia occuparentur, cum eorum munus proprium esset incumbere orationibus, prædicationibus, exercitiis spiritualibus, & curæ, & directioni spirituali animarum. Et in hoc docuit Spiritus sanctus totam Ecclesiam, & præcipuè Episcopos, & religionum Prælatos, ut exemplo etiam ipsius Christi providerent ministros temporalibus incumbentes; & ipsi soli curæ animarum intenderent; præcipuéque ut statuta Episcopalia, & regularia, & disciplina serventur: ut pax, & dilectio inter subditos conservetur; & studio peculiari curarent cognoscere conscientias singulorum, & perplexitates quaslibet expedire, peccatorum pericula præcavere, curare ut subditi proficiant, corrigere corrigenda, elucidare dubia, informare singulos in proprio munere, quæ omnia non valebunt expedire, si ad curam temporalium se convertant. Et notent, quod si alios non haberent, quibus curam exteriorum committant, potius debent ab alio fraudem pati; quam ipsi in talibus occupentur, exemplo Christi, qui sciens Judam esse furem, tamen permisit eum exteriora curare. Ex quo patet quam decepti à diabolo sint illi, qui in cura temporalium toti sunt applicati, remittentes aliis curam spiritualium. Maximus error, & in multis communis, & usitatus, & Deo valde exosus. *Op. de sex alis Seraph. c. 7. Apolog. panp. resp. 3. cap. 2. Luc. c. 9. v. 66.*

91. Nota etiam, quod ex hoc textu eruitur quàm fructuosius sit in religionibus incumbere studio, & scriptioni factæ scripturæ, & prædicationi, quam operibus manualibus. *Op. de panp. Christi q. 1. q. 2. Apolo. panp. resp. 4. c. 3. Luc. c. 8. v. 3.*

92. *Discipulorum Christi in hoc tempore duplex genus.*

Crescente autem numero Discipulorum, &c. Nota, quod isti discipuli Christi non erant ejusdem ordinis: nam alii erant perfectiores, & votis regularibus obstricti; quales fuerunt, qui receperunt Spiritum sanctum, & quidam alii: sed postea crescente numero christianorum, licet omnes dicantur discipuli Christi, non tamen omnes voto obstringebantur, sed tantum ad discipulatum communem omnibus christianis, qui obligantur ad renunciandum omnibus quatum ad terrenorum contemptum, non quantum ad rem: istique ita renunciabant omnibus, ut iis licitè utebantur, quæ tanquam propria possidebant, tamen mente tendentes ad æterna: primi vero, ut perfecti, & renunciant, & relinquunt omnia, nihil possidentes, ut sint conformes paupertati magistri Christi Jesu. *Luc. c. 15. v. 33.*

93. *Eligendi ad officia publica sint homines boni testimonii.*

Considerate ergo (ait Petrus) *viros ex vobis boni testimonii septem plenos spiritu sancto, &c. quos constituatis super hoc opus.* Ecce quale testimonium, scilicet bonæ famæ, & opinionis, qui ad officia assumuntur. Si ergo Prælatum, vel judicem, si consulem, si uxorem, si maritum, si Dominum tuum, & ancillam, si socium assumis, si boni testimonii sint, attendas: quidam enim valde turpe habent testimonium, sicut sunt mendaces, latrones, raptores, &c. *Ser. 2. Dom. infr. oct. Ascens.*

94. *Eligendorum qualis sapientia exigatur*

Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii, plenos Spiritu Sancto, & sapientia. Nota, quod eligendi ad munera publica debent non solum habere bonum testimonium, scilicet bonam famam ex operibus bonis captatam, sed & sapientiam,

tiam,cum charitate ſpiritus ſancti. Quid eſt plenos ſapientia?Sed attende ad myſterium. Sapientia eſt domus, in qua excisæ ſunt ſeptem columnæ,ex Prov.c 8.ſuper quas ſtabiliatur. Prima columna eſt pudicitia in carne ; nam in malevolam animam non introibit ſapientia : & ideo Salomon perdidit hanc ſapientiam propter luxuriam. Secunda eſt ſimplex innocentia in mente, ob quam quis reverenter ſe ſubjicit ſuperiori, æquanimiter ſe habet ad pacem,diſcrete regit inferiorem. Tertia eſt modeſtia in ſermone. Quarta eſt ſuadibilitas in affectu, conſiſtitque in promptitudine ad obedientiam. Quinta liberalitas in effectu per exercitium operum miſericordiæ. Sexta eſt maturitas in judicio, ut per zelum æquiſſimæ rectitudinis, & notitiæ claritatem rectè judicet. Septima eſt ſancta ſimplicitas in intentione. *Serm.2. Hexam.*

95. *Idem argumentum in electione S. Stephani.*

Et elegerunt Stephanum virum plenum fide,& ſpiritu ſancto,& Prochorum,&c. In hac electione ſeptem diaconorum,collocant in primo loco Stephanum tamquam cæteris digniorem; & ideo notantur ejus qualitates condignas : nempe virum, & plenum fide,& plenum Spiritu Sancto.Stephanus erat vir,non mulier : vir non homo : ſed vir, hoc eſt habens virilitatem à virtute, quia numquam ſuperatus eſt adverſis : vir per rectam ordinationem ad Deum : ad ſeipſum,& ad proximum:per rectam ordinationem ad Deum : per humilem reverentiam ad divinam majeſtatem, per devotam obedientiam ad ſummam poteſtatem ; per veram amicitiam ad ſummam bonitatem ; & per puram confidentiam ad ſummam veritatem : & ideo dicitur plenus fide, & ſpiritu ſancto. Ordinationem ad ſeipſum virilem habebat per veram innocentiam, quam ſervavit, per veram continentiam ad frænandam gulam : per virginalem pudicitiam contra omnem actum carnalem : & per ſpiritualem lætitiam,qua in conſpectu Dei ſemper ambulabat jubilans. Ordinationem ad proximum habuit per veram animi compaſſionem, per rectam inſtructionem, per malorum tolerantiam, & per devotam ad Deum orationem. Ecce quales eſſe debeant,qui ad miniſteria Eccleſiaſtica eliguntur: imo in qualibet electione iſta debent electores attendere *Ser 4.Dom. 19.Pent.ſer.1. de uno Confeſſ. ſer.1.de S.Stephan.in addit.*

96. *Plenitudo gratiæ S. Stephani expenditur.*

Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat ſigna magna in Populo. Quæritur hic qualis plenitudo gratiæ fuerit hæc in Stephano; cum de Maria Virgine, & aliis ſanctis etiam id legatur & quale privilegium fuit iſtud ? Sed attende, quod cum in primo loco aliorum diaconorum electorum collocetur; dat etiam intelligere S.Lucas : quod licet plenitudo gratiæ Stephani, non fuerit ſicut illa B.Virginis, quæ dicitur plenitudo excellentiæ, ſcilicet debita maternitati Dei, fuit tamen excedens plenitudinem ſufficientiæ, quæ eſt communis aliorum ſanctorum, ſed in majori copia, & perfectione,quod patet in effectibus inde provenientibus ; ut apparet ex textu, ex multis privilegiis ſpecialiſſimis à Deo ipſi conceſſis: Unde plenus fuit gratiâ in cognitione, in affectione, in locutione, in operatione ; in opinione; in paſſione, & in beatificatione, plenus, inquam gratiâ in cognitione ; quia veluti aquila vidit ſolem in rota.ſcilicet Ieſum in gloria plenus oculis circumſpectionis ; ut dicitur de animalibus. Apoc.c.4.ante ad ea,quæ ſunt ſupra : retro ad ea, quæ ſunt infra ſe;in circuitu ad ea, quæ circa : intus ad ea,quæ ſunt intra.Plenus in affectione,ſcilicet plenus fide, & ſpiritu ſancto tamquam vas auri ſolidum, & ornatum omni lapide pretioſo omnium virtutum. Plenus in locutione, ſemper intentus divinis laudibus,& orationi,quod oſtendit maxime in oratione pro ſuis perſecutoribus facta. Plenus item in operatione, quia faciebat ſigna, & prodigia magna.Plenus in opinione bonæ famæ. Plenus in paſſione per patientiam invictam, & tandem in glorificatione ſuperfluente. *Ser.1.de S.Steph.in addit.1.3.d.13.a.1.q.3.op.Comp. Theol.l.4.c.14. Pſal.91.*

97. *Chriſti ſapientia deſtruit ſapientiam mundanam.*

Et non potuerunt reſiſtere ſapientiæ,& ſpiritui, qui loquebatur. Ecce quomodo verificatum eſt in Stephano id, quod Chriſtus promiſerat ſuis diſcipulis. Luc. c. 12. Cum autem inducent vos in ſynagogas. & ad magiſtratus,& ad poteſtates : nolite ſolliciti eſſe qualiter,aut quid reſpondeatis. Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſâ horâ, quid oporteat vos dicere. In quibus verbis tria genera enumerat, coram quibus formidat homo loqui: ſcilicet coram multis, cum dicit in ſynagogis:coram peritis, unde addit ad magiſtratus : & coram magnis, cum ſubdit & poteſtates. Primi non ſunt timendi, quia plures nobiſcum ſunt.Secundi non, quia prudentior nobiſcum : ſimiliter nec tertii, quia major eſt, qui in nobis eſt. Sic Stephanus plenus fide,& ſpiritu ſancto,& cui Angeli aſſiſtebant,& ipſe Chriſtus, triumphavit de ſuis hoſtibus: *Luc.c.12.v.11.& c.14.v.4.*

98. *Gratia Dei de ſe inviſibilis, in Stephano reddita eſt viſibilis.*

Et intuentes eum, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli. Quid eſt tamquam faciem Angeli? eſtne viſibilis nobis facies Angeli? & quis hominum ſcit qualis ſit facies Angeli?Et quid eſt,quod reddidit faciem Stephani, tamquam Angeli ? ſed hæc ſunt mirabilia, quæ in magnis Dei ſanctis operantur, gratiâ Dei,quæ licet de ſe ſit inviſibilis,tamen immittit aliquando ad corpus & ad extra radios illuſtrantes faciem veluti Angelorum, gratia autem Dei Stephanum accendebat, illuminabat,& veluti Angelum reddebat.*Op.Eccleſ.Hier. p.1.c.1.*

CAP.

Digitized by Google

CAPUT VII.

In hoc capite S. Lucas agit de prædicatione ferventi facta à S. Stephano Iudæis, in qua ostendit se non blasphemasse contra Moysen, & Deum; in qua mirabiliter elucet promissio Christi facta suis discipulis Luc. capit. 21. cum steteritis ante reges, &c. dabo vobis os, & sapientiam, &c. & deinde arguit eorum duritiam. Et tandem narrat commotionem, & persecutionem Iudæorum contra Stephanum.

99. *S. Stephani visio Christi stantis in Cœlo expenditur.*

Ecce video cœlos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Vide, quod Stephanus in medio persecutionis, & dum lapidabatur à Iudæis, videt cælos apertos, & Iesum stantem, &c. dum enim patiebatur Stephanus pro Christo, & ipse se ostendit positum ad dexteram Patris stantem; scilicet in habitu adjuvantis, & pro ipso pugnantis: & in signum, quod ipsum introducturus erat in eandem gloriam. *Ser. 1. Dom. 3. Adv. ser. 18. Hexam. In Psal. 1. & 29. ser. 6. de Apostol. ser. 4. de una Virg. Ioan. c. 1. v. 51. & c. 20. v. 14.*

100. *Tribulatio pro Christo tolerata collyrium est oculorum ad videndam gloriam Dei.* Sic factum est in Stephano, qui dum pœnas pro Christo sustinebat, elevatus est ad videndum cœlum apertum, & Dei gloriam. *Ser. 4. Dom. quinquag. ser. 1. Dom. 2. post oct. Paschæ. Ioan. c. 20. v. 14.*

101. *Portantibus crucem Christi in morte aperitur janua Cœlorum: rejicientibus, claditur, & aperitur janua inferni.* Hoc demonstravit Deus in S. Stephano, qui in cruce, & tribulatione moriens, vidit cœlos apertos. *Ser. 10. rogat. ser. 1. Dom. 2. post oct. Paschæ.*

102. *Moriens inter lapides, dignus est videre cœlum apertum.* Sic Stephanus in medio lapidum vidit Cœlos apertos, & Iesum paratum ad remunerandum. Lapis durus est pœnitentia pro Christo assumpta. Felix igitur, qui in morte invenitur inter lapides. Sicut enim Stephanus inter duros lapides, lapis vivus consecratus est Christo; & ad fabricam cœlestis Jerusalem assumptus: sic & qui inter lapides pœnitentiæ, & patientiæ pro Christo patitur, ad cœlum veluti lapis sanguine Christi consecratus, elevabitur.

103. *Spes firma gloriæ cœlestis omnem timorem in tribulationibus aufert.* Sic in Stephano intendente cor, & mentem ad gloriam, quam incessanter adspiciebat, spes abstulit & omnem timorem, & pœnam in suis tribulationibus. *Ser. 1. Dom. 18. Pent. op. Comp. Theol. l. 5. c. 22.*

104. *Invocatio nominis Iesu à morientibus frequentanda.* Sic docuit Stephanus in ultima periodo suæ vitæ, dum lapidaretur à Iudæis: dicebat enim, *Domine Iesu suscipe spiritum meum.* Per quod edocemur, quod per invocationem nominis Iesu obtinet homo veniam peccatorum, victoriam contra hostes, gratiam, & gloriam: & maximam vim morientibus confert: & hinc etiam Ecclesia sancta moribundis, & exhalationi animæ vicinis proponit invocationem Sanctissimi hujus nominis: Et summi Pontifices offerunt pro tali invocatione indulgentiam plenariã peccatorum. *Ser. 4. in Circum.*

105. *Opera nostra copulanda cum meritis Christi, ut meritum & vim ab ipsis acquirant.* Unde Stephanus objectus lapidibus, & patiens invocabat merita Christi, dicens. Domine Iesu suscipe spiritum meum: nam sine vivificatione meritorum Christi, omnia nostra bona perdunt omnem vim, & valorem. *Psal. 118. n. 153.*

106. *Iusti reddunt bonum pro malo: impii reddunt malum pro malo, & pro bono.*

Domine ne statuas illis hoc peccatum. Quid est ne statuas? quodnam est hoc statutum? Hæc dicebat Stephanus in puncto mortis: sciebat enim statutum factum esse à Deo puniendi omnia peccata; orabat Deum, ne hoc statutum contra peccatores servaret; sed ipsis peccata condonaret: & sic veluti justus, & imitator Christi, ipsius legem observabat, quia bonum pro malo redderet. Sicut è contra lex diaboli, & iniquorum est reddere malum pro malo, & pro bono. Et ideo iste sanctus ad apicem imitationis Christi pervenerat, qui pro persecutoribus in fine vitæ & ipse oravit. *Ps. 118. v. 24. & c. 3. v. 6. op. Comp. Theol. l. 3. c. 17. de gradib. virt. c. 6. Luc. c. 6. v. 28. c. 17. v. 4. c. 23. v. 34. & ser. 1. de S. Steph. in addit.*

CAPUT VIII.

Nota, quod in hoc capite agit de persecutione magna mota à Iudæis, & præcipue à Saulo contra Eccl. siam, & de dispersione discipulorum, facta invarias partes: & de operibus ipsorum in prædicatione, & conversione gentium.

107. *Proprium est manus potentis Christi de nostris malis, & peccatis eruere bona.* Hocque patenter demonstratur ex persecutione maxima mota à Iudæis, & præcipue à Saulo contra Ecclesiam ob quam dispersi sunt discipuli Christi in varias regiones; qua occasione prædicaverunt Evangelium gentibus, & plurimos ad Christum converterunt: de ordinatione mali ad bonum facta est à Deo. *V. l. 1. d. 35. artic. 2. quæst 3. ad ult.*

108. *Alii sequuntur Christum, non propter Christum; alii propter Christum.*

Cum verò credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, baptizabantur viri, & mulieres. Tunc Simon, & ipse credidit, &c. Hic est Simon magus, qui

baptiſmum recepit cum aliis, ſed ficto animo, & non propter amorem Chriſti; ſed ut miracula poſſet facere, & ſic divitias lucrari: ſic pariter & multi ſequuntur Chriſtum non propter Chriſtum, ſed propter bona temporalia. *Luc.c.9. v.37.*

109. *In Sacramento confirmationis per impoſitionem manuum datur ſpiritus ſanctus, & copioſa gratia ad confirmationem fidei.* Unde ſuper baptizatos ab Apoſtolis fiebat impoſitio manuum, & ipſi accipiebant ſpiritum ſanctum. *Luc.18.v.15.*

110. *Pecunia, & avaritia in multis, præcipueque in clericis cauſa eſt perditionis, & ruinæ propriæ, & Eccleſiæ.*

Simon obtulit pecuniam, &c. Petrus autem ait: pecunia tua tecum ſit in perditionem. Nota, quod iſti impio ſimoni, qui putavit poſſe per pecuniam recipere gratiam ſpiritus ſancti, dixit Petrus: pecunia tua tecum ſit, in perditionem: non dixit pecunia tua ſit in perditionem, ſed tecum ſit; ut videas, quod multis pecunia, ejuſque nimius amor, & maxime in clericis, qui ob pecuniam, & bona temporalia ad ſacra accedunt, cauſa eſt totalis perditionis propriæ, & Eccleſiæ: nam ex hoc impiiſſimo propoſito Simonis orta eſt ſæviſſima perſecutio in Eccleſia, & plurima mala irrepſerunt in populos. O avertat Deus à Miniſtris Eccleſiæ tantum malum: Ideo perdenda eſt ne perdat poſſeſſorem. Et hinc orta eſt denominatio Simoniæ. *Luc.c.13.v.15.c.19.v.45.c.22. v.22. op. Apol. paup. reſp.3.c.2.*

111. *Cupiditas eſt fel amariſſimum devaſtans mel divinæ gratiæ.*

In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Hoc dixit Simoni mago Petrus; qui merito cupiditatem appellat fel amaritudinis, quia inficit talis inordinatus amor palatum animæ, & omnia bona devaſtat, ſicut continuâ experientiâ eſt manifeſtum. *Ser.2.de omn. ſanct.*

112. *Oratio impetrat remiſſionem peccatorum.*

Et roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. S. Petrus excitare volens ſimonem ad pœnitentiam ipſi oſtendit gravitatem culpæ; poſtea ſuadet pœnitentiam, & cum pœnitentia proponit ei orationem, quia oratio diſponit, & impetrat pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. *Ser.1.Dom.12.Pentec.ſer.3.de Magd.*

113. *Religioſi colloquantur in itinere de rebus ſpiritualibus, ad inſtructionem ſæcularium.*

Dixit ſpiritus Philippo: accede, & adjunge te ad currum iſtum. Ecce quod ſpiritus ſanctus juſſit Philippo, ut ſe ſocium Eunucho reginæ Candacis faceret, & cum eo colloqueretur de veritate Evangelii: ſicque tali modo ipſum convertit ad Chriſtum. Per quod edocentur religioſi, ut coitinerantibus ſe jungant, & colloquantur de rebus ſpiritualibus ad ædificationem, proponentes exempla Sanctorum, aliaque verba ſancta. *Op.ſpecul.diſcipl. p.1.c.18.*

114. *Quid ſit credere in Jeſum toto corde.*

Si credis, ex toto corde, licet. Scilicet baptizari? quid eſt toto corde credere? Hoc eſt plene credere omnes articulos fidei, & vitam cum fide concordare: qui enim vitam diſcordare facit à fide, iſte non credit toto corde, & potius ſemi chriſtianus poteſt appellari. *Ser.2.Dom.17.Pentec.*

CAPUT IX.

In hoc capite enarratur perſecutio Sauli contra fidem Chriſti: ejuſque miraculoſa, & ſubita converſio.

115. *Zelus indiſcretus ſub ſpecie boni quot mala inducit.*

Saulus autem adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem ſacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum, &c. Vide effectus zeli indiſcreti in Saulo; qui ſub ſpecie religionis, & obſequii divini, commovit perſecutionem peſſimam contra Eccleſiam, & fidem Chriſti; unde inexcuſabilis apud Deum erat: quia ex tali inconſiderato zelo cæcitatem in intellectu contraxit; & hinc ad cædes, & ad mortem multos diſcipulos Chriſti traxit. Ab hoc caveant maxime Prælati qui ſæpe excitati ab adulatoribus, & detractoribus, zelo indiſcreto commoventur ad extremas, & injuſtas actiones, etiam zelo juſtitiæ, perſequentes bonos lædentes innoxios, & damnificantes juſtos, uti fecit Saulus. *Ser.4.Dom.21.Pent. Ioan.c.16.v.2.*

116. *Perſequens ſervos Chriſti, ipſum Chriſtum perſequitur.*

Saule, Saule quid me perſequeris? Quomodo dicit Chriſtus, quid me perſequeris? Saulus enim perſequebatur diſcipulos Chriſti, non ipſum Chriſtum, ſed optimè dicit. Unde in Luc. c. 22. dixit vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Nota quod dicit meis, non veſtris. Omnes enim tribulationes, quas fideles Chriſti ſuſtinent, Chriſti ſunt, Chriſto inferuntur, quia Chriſti membra ſunt. Unde qui viduas, vel pupillos, vel pauperes hic opprimunt, Chriſtum perſequuntur. Sic & Paulo non dicitur, quid fideles meos, ſed quid me perſequeris *Ser.3. Dom. infra oct. Aſcenſ. Luc.c.19.v.14. Pſal.15.& 68.op.medit.c.15.*

117. *Pauli perſecutio in Chriſtum fuit lapidatio Chriſti.*

Saule cur me perſequeris, &c. Nota, quod Saulus incepit hanc perſecutionem ex lapidatione Stephani, quia omnes lapidantes ipſe, excitabat:

&

& de hac merito Christus dixit: quid me persequeris, ideſt quid me lapidas? nam ſcandala, quibus homo trahit alium ad peccatum, ſunt lapides, quibus Chriſtus lapidatur. *Serm.4.Dom. paſſio.*

118. *Perſecutio hæc Sauli in Chriſtum gravior fuit, quam crucifixorum Chriſti.*

Saule quid me perſequeris? Numquam auditus eſt Chriſtus conqueri de perſecutionibus illatis in ipſum tempore paſſionis: & nunc dum ſedet ad dexteram Patris glorioſus, conqueritur de perſecutione Sauli in ſuos Diſcipulos: cur hoc? & quale malum in Chriſtum redundare poterat, jam redditum impaſſibilem, & immortalem: attamen merito conqueritur de Saulo: quia Saulus conabatur avertere animas à fide Chriſti, eaſque ipſi Chriſto jam emptas furari; & in manus diaboli, & in infernum præcipitare: & hæc ſævior, & crudelior eſt perſecutio, & Chriſto abominabilior, quàm illa crucifixorum ſui corporis. O quot tales ſunt perſecutores in Eccleſiâ. *Ser.3. Dom. 1. poſt oct. Epiph. ſerm.3. Dom.1. poſt oct. Pentecoſt.*

119. Recalcitrans contra voluntatem Dei, contra ſtimulum recalcitrat: & hoc durum eſt, & damnoſum, contra ſtimulum calcitrare, ideſt contra Dei voluntatem, diſpoſitionem, & potentiam: hoc enim eſt quærere ſibi ruinam, & vulnera, & mortem. Unde hic ortum eſt proverbium accommodatum temporibus. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Pſal.118.v.81.*

120. *Diſpoſitio ad perfectam obedientiam in Paulo expenditur.*

Domine quid me vis facere. Notanda ipſa dignißima verba, in quibus Paulus fundamentum totius perfectionis ſuæ jecit: Domine quid me vis facere, quæ ut rectè intelligantur, conferenda cum aliis Chriſti cæco prolatis: quid tibi vis faciam? Luc. 18. Et per hoc apparet diſcrimen perfectæ, & imperfectæ obedientiæ (ait S. Bernardus) nam imperfectus obediens expectat, ut ſuperior ei dicat: quid vis, ut tibi præcipiam? ſcilicet præceptum accommodatum tuæ voluntati. Perfectus obediens, expoliatus totaliter ſua voluntate, totum totaliter ſe exhibet diſpoſitioni Prælati, dicens: quid me vis facere? q.d. ad omnia paratus ſum ad vitam, & ad mortem. O verbum breve: verbum efficax: verbum plenum ſanctitate. O dicant hoc ſemper ſubditi: quid me vis facere, obedientiam exhibendo ſine recalcitratione voluntatis; ſed cum totali promptitudine, & indifferentia. *Op. Diat. tit.4.c.2.*

121. *Chriſtus mirabili arte confundit ſapientiam mundanam, eamque meram ignorantiam oſtendens.*

Surge, & ingredere civitatem, & tibi dicetur quid te oporteat facere. Vide hanc machinam, quæ ad ſolum aſpectum terrebat aſpicientes, quomodo ad ſolum ictum lucis ſuperæ, ad terram proſtrata jacet? Ecce Saulus, qui furorem, minas, mortes meditabatur die, ac nocte, qui diſperdere fecit in varias partes diſcipulos Domini, qui in omnes terrorem, & metum incutiebat; qui ſe ſolum ſapientem exiſtimabat proſtratus, humiliatus, ſe totum ſub Dei diſpoſitione committit: Et cum eſſet prius obtenebratus ignorantiâ ex zelo indiſcreto nimioque legis Dei, præcipitur ingredi civitatem, per quam congregatio fidelium intelligitur: qui ſub eodem jure jurando ſunt collecti, ut ab eis inſtruatur, quid eum oporteat facere, & hoc juſtè dignum, & juſtum fuit, ut qui ſe ſapientem æſtimabat ſuper omnes, & ducem aliorum ſe faciebat, ad manum ſicut cæcus traheretur, & ſub Ananiæ magiſterio (quem prius ut inimicum, & deceptum & damnatum abhorrebat) in diſcipulum traderetur. Et hoc eſt, quod facit Chriſtus ſæpe cum ſapientibus mundi, quando eos trahit ad religioſum ſtatum: ingredere, ait, in civitatem, in hanc congregationem, & tibi dicetur, & oſtenderetur in praxi per obſervantiam conſiliorum evangelicorum, quod ſapientia mundana eſt vera ſtultitia, quod hucuſque per invia, & vias perditionis deviaſti; & aliam ſapientiam veram apprehendes. O quam verum, & hæc eſt ars mirabilis Chriſti qua confundit ſapientes mundi. *Ser.4. Dom.18. Pentec op. de dono Conſilii.c.2. ſer.1. in Converſione S. Pauli.* Nota etiam hic, quomodo divinæ virtuti omnis virtus famulatur, ut ex his, quæ ſibi videntur contraria, divinus honor eliciatur, quamvis à malis hoc non intendatur. *Ser.2. Dom.23. poſt Pentec.*

122. *Quàm difficilis ſit converſio eorum, qui zelo ſine ſcientiæ, & indiſcreto repleti ſunt.*

** Saule Saule quid me perſequeris? ſurge, ingredere civitatem, &c.* Cur Chriſtus modo tam inſolito, & efficaci ſe voluit opponere actibus, & zelo Pauli; cur non tentavit ipſum convertere per prædicationem Petri vel aliorum diſcipulorum; ſed tali ſpecialiſſimo, & quaſi violento modo, & maxime ipſum attrahendo ad viſionem myſteriorum Dei; vel claram, ut volunt plures Theologi; vel ſaltem ad ſublimiſſimum gradum proximum viſioni claræ Dei, ut vult Seraph. Doctor? Poſſet quis reſpondere, quod tali modo uſus eſt Chriſtus, quia ſic ei placuit, & voluit. Attamen adhuc occurrunt rationes dignißimæ talis facti, volebat enim Chriſtus providere Eccleſiam tanto doctore; & ipſo uti ad convertendam maxime gentilitatem, imo totum mundum: ſed quia laborabat mortali, & quaſi incurabili infirmitate; ideo etiam ejus converſio, & ſanitatis acquiſitio exigebat remedium inſolitum, Saulus ex ignorantiâ, & zelo indiſcreto deceptus erat, & rectum credebat quicquid faciebat. & quia cum vitium virtus creditur, difficillime emendatur: hinc & maxima fuit neceſſaria vis, & quaſi violentia in convertendo Saulum: & hac arte mirabili, & inſolita indigebat. Et hinc evenit, quod hi qui ſanctitatem appetunt, vel profitentur, in errorem lapſi, rarò ut corriguntur, rectum æſtimantes quicquid faciunt, & ſicut extolluntur virtute, ſic vitio perſeverantiam jungunt. O Deus caveat à nobis tam periculoſum morbum. *Ser.4. Dom. 18. Pent.* Hinc & Theologi appellant hanc converſionem ſingularis Excellentiæ & ſupra curſum ordinarium aliorum prædeſtinatorum & hoc quia ad utilitatem Eccleſiæ univerſalis facta eſt à Chriſto de qua vide *l.1.d.41. a.1. q.2.* Unde facta eſt hæc prædeſtinatio ſine præparatione, & prævisione meritorum,

123. *Converſus juſtus ad Dominum, habens apertos oculos, nihil videre debet. Ubi de obedientiâ perfectâ.*

At ipſe apertis oculis, nihil videbat. Quomodo nihil videbat, ſi habebat oculos, & ipſos apertos? nonne oculus eſt potentia naturalis naturaliter, & neceſſario ſe ferens in objectum? O quàm benè, quàm miſtice hæc dicuntur de iſto converſo ad Chriſtum: qui cum ſe totum obedientiæ Chriſti dedicaſſet, apertos quidem oculos, & totos ad divinam voluntatem, & ad divina aſpiciendum defixos, nihil videbat, ſcilicet nihil terreni, nihil propriæ voluntati ſpectans. Quia homo ad Chriſtum converſus, & luce ejus illuminatus, elevat ſe ſuper ſe, & ſuper omnia creata, ſolum Deum, ejuſque divinam voluntatem adſpiciens. O felix iſte, qui ſic expeditus ſurgit; nam verè, & ſecurè per viam perfectionis Chriſtum ſequitur. *Luc. c.5.v.29.*

124. *Viſio corporalis, & ſpiritualis in Paulo comparantur, & expenduntur.*

Et ipſe nihil videbat. Et vidit virum Ananiam introeuntem, &c. Videntur hæc contradicere. Si habebat oculos integros, & perfectos, quomodo dicitur, quod nihil videbat? Et ſi vidit Ananiam introeuntem, quomodo dicitur, quod nihil videbat per tres dies? Ecce quàm verum, quod Paulus cæcus erat; & videbat: videbat, & non videbat: videbat intellectualiter, & non videbat corporaliter: & ecce quomodo? dum viſum amiſit exterius, ipſum accepit interius: & quamdiu habuit viſum exterius ad Mundum, totus cæcus erat ad Chriſtum: viſus enim corporalis eſt impeditio ſpiritualis: quia anima ad exteriora diffuſa, ad interiora eſt quaſi nulla: idque patet in cæcis, qui ſunt mirabilis intellectus, & admirabilis ingenii, & valde tenacis memoriæ: quia anima ab externis abſtracta, ad interiora tota collecta facile capit omnia: Unde ſi quis ſe vult cognoſcere, vel ad Deum aſcendere, ab omnibus corporis ſenſibus retrahat ſe, & redeat ad ſe, ſtet in ſe, & elevet ſe ſupra ſe mentis acie, ut evenit in viris contemplativis, ergo doctus Apoſtolus, & illuminatus ad videndum Deum viſum perdidit ad videndum Mundum: & in illo triduo videbat, & non videbat: videbat ſcilicet ſpiritualiter, ſed cæcus erat corporaliter, videbat Chriſtum: ſed cæcus erat ad Mundum: unde & ſtatim vidit, & ſtatim cognovit, ſtatimque clamavit: Domine quid me vis facere? quaſi diceret: præcipe, & paratus ſum obedire. *Ser.1.in Converſ.S.Pauli.*

125. *Servi Dei oculos habeant clauſos ad Mundum: apertos ad Chriſtum: & quomodo.*

Apertiſque oculis, nihil videbat. Nihil, ſcilicet mundanum tergenum, ſed tamen dicens: Domine quid me vis facere, videbat Chriſtum: & hoc fuit ejus exercitium per totam ſuam vitam: nihil enim aliud ſe ſcire profitebatur, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Sic & Petrus, Jacobus, & Joannes *Matth.17. levantes oculos, neminem viderunt, niſi ſolum Jeſum.* quia hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Ergo ſervi Dei in hoc toti ſunt, ut ſolum videant Jeſum Chriſtum. Sed quomodo? videant Jeſum pœnis afflictum, ligatum, flagellis cæſum, ſanguine cruentatum, in cruce elevatum, clavis duris affixum, & lancea perforatum. ut omnis in nobis deſtruatur carnalitas: Ut videant ſecundo teſum temporalibus bonis omnibus nudum, pauperem, mendicum; ut omnis in nobis deſtruatur cupiditas: ut videant tertio ſervum abjectum, contemptum, humiliatum; ut omnis noſtra pompoſitas confundatur; omnis humana dignitas, & ſuperba ſublimitas. *Ser.1. in Conv.D. Pauli ſer.2.Dom.13. Pentec.*

126. *Chriſti ſervi ad manus trahere debent cæcos mundi ad Chriſtum, ſervi diaboli ad infernum trahunt homines.*

Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damaſcum. Vide quid faciunt Chriſti Diſcipuli: videntes Paulum obcæcatum, ipſum traxerunt ad manus in civitatem. Cur non in curru, ſed ad manus? optimè hoc; hoc enim eſt officium ſervorum Dei: ſcilicet trahere homines ad manus ad Chriſtum: ſcilicet non ſolum verbis, ſed & exemplis, & adjutoriis: & totum in hoc ſtudium collocant. E contra ſervi diaboli ad diabolum, & infernum trahere curant homines & verbis, & malis exemplis, & ſcandalis: & tales ſunt ſimiles diabolo, & diaboli adjutores, & conſiliarii. *Serm.2. ſer.4. Pentec.*

127. *Pauli Apoſtoli electio divina expenditur.*

Vade, quoniam vas electionis eſt mihi, ut portet nomen meum, &c. Sic dixit Jeſus Chriſtus Ananiæ de Saulo: Vas electionis eſt mihi. Nota ly mihi: vas electionis eſt mihi; ideſt electus ad gratiam in præſenti, & ad gloriam in futuro. Nam duplex eſt electio, alia æterna, alia temporalis: per primam ſemper præparamur ad gratiam, & gloriam: per ſecundam vocamur ad gratiam, ſed non ſemper ad gloriã. Prima electio idemmet ac prædeſtinatio, per quam in libro vitæ conſcribimur, cujus libri ſcriptura, nulla interveniente oblivione deletur: ſecunda electio eſt idem, quod temporalis vocatio, quæ & ſi ad tempus fiat ad gratiam, non tamen ſemper ad gloriam, quia non omnes, qui ſunt temporaliter vocati ſunt æternaliter electi. Paulus autem fuit vas electum à Deo, & finaliter prædeſtinatum, quia in tempore conſentit vocationi, & gratiæ vocanti per contemptum rerum temporalium, & per bona opera. ſer.2. in Conv. D.Pauli. Nota etiam, quod dicitur à Chriſto vas electionis eſt mihi; ideſt à me electum abſque ordine ad aliqua ſua futura merita; ſed à mea pura miſericordia electus ad bonum univerſale meæ Eccleſiæ. *Sic S.Bonav.*

128. *S.Paulus fuit vas electum: & nobiliſſimum.*

Vas electionis eſt mihi. Scilicet dignum Deo: quia vas fuit altum, à terra elevatum, Cœloquè proximum per contemptum Mundi: vas quidem admirabile, opus excelſi; ideſt excellentiſſimum; quia vixit contemnendo mundum, ſpernendo victum, non curando veſtitum; ſed omnia arbitrando

trando ut stercora. *Ser. 2. in Converf. S. Paul. in impreff. vatic. & in addit.*

129. *S. Paulus fuit vas, armariumque divinæ sapientiæ.*

Vas electionis est mihi. Per donum scilicet sapientiæ est vas luminosum, & clarum: unde de ipso dicitur. *Eccli. c. 43.* vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens: quia per eum castra militiæ christianæ illuminantur: quis umquam sic docuit? sic Christum prædicavit? & quis sic mundum illuminavit, ut Paulus? sic enim Christum ardenter amavit, quod totum mundum Christo acquirere laboravit: Unde in firmamento Ecclesiæ, ut magnum illuminare clarè, & omnes gentes docuit. *Ser. 2. in Converf. S. Pauli. Pfal. 36.*

130. S. Paulus fuit vas purum, & mundum per donum continentiæ: ante conversionem autem erat vas argenteum per donum sapientiæ, sed rubiginosum propter persecutionem, quam inferebat Ecclesiæ; sed Christus ipsum vocando purificavit, & redditum est vas purum in conversione purius in conversatione, & purissimum in mortis tolerantia. *Ser. 2. ibid.*

131. S. Paulus fuit vas solidum per donum patientiæ: toties enim tribulationibus, & pressuris percussus restitit, & semper integrum remansit *Ser. 2. ibid.*

132. *S. Paulus fuit vas electionis.* Scilicet multiplex ad multiplex officium. Primò fuit ipse per se electus à Deo: electus pro aliorum conversione. Vas electum, plenum aquâ compunctionis: & cum esset fractum prius in partes, fuit reintegratum per contritionem, & repletus aquis pœnitentiæ, & compunctionis. Vas item plenum oleo, scilicet compassionis in omnes pro quibus tantùm laboravit. Vas item plenum vino charitatis divinæ, quo potatus à Christo, poravit totam Ecclesiam. Vas item melle dulcissimo plenum per contemplationem æternorum. Vas item plenum fuit sale, scilicet discretionis, dum omnibus statibus prædicando se accommodavit. Vas item plenum lumine, totum Mundum illuminando. Vas item plenum aceto propter adversitates, & passiones, quas patientissimè semper toleravit pro Christo, ejusque gloriâ. Vas item plenum Manná propter gloriam, ad quam elevatus est finaliter à Christo. *Ser. 1. & 2. in Conver. D. Pauli in addit. d. 4. d. 16. p. 1. a. 1. q 1.*

133. *Vocatio S. Pauli, ejusque conversio invitat ad pœnitentiam quemcumque Peccatorem.*

Vas electionis est mihi, &c. Vide quomodo Christus ex persecutore, & actu persequente Ecclesiam, vocavit ad se Paulum, & statim in Apostolum commutatus: per. quod voluit Christus docere. quod quicumque peccator quantumcumque maximos si inspirationibus divinis, & vocationi obtemperaverit, à Christo recipietur. *Ser. 5. in die Cin. ser. 4. Dom. 2. Pentec. ap. solil. c. 1. In Luc. cap. 8. v. 16. & c. 9. v. 7.*

134. *Paulus fuit designatus Apostolus nominis Jesu.*

Vas electionis est mihi. Quid est vas electionis mihi? cur non dicitur vas electionis Deo, sed mihi? mihi scilicet Jesu. Ego sum Jesus: ut hoc nomen portet coram gentibus; idest per totum mundum, ergo fuit electus à Christo speciali privilegio Apostolus nominis Jesu. Et ideo hoc nomen Jesus portavit in prædicatione, in oratione, & laudatione, in collocutione, & in frequenti ruminatione. Et hinc est, quod tam frequenter hoc nomen nominabat, & prædicabat, ut omnes fideles traheret ad sui imitationem, & imprimeret in cordibus nostris venerationem debitam huic sanctissimo nomini. *Serm. 4. Dom. 3. quadrag.* Nota etiam, quod ex hac magna conversione, & modo verificatur, quod alibi dicitur: ego occidam, & ego vivere faciam. *Deut. 32. & Job. c. 5.* percutit, & manus ejus sanabunt: Nam fulmine suo cœlesti Christus percutit, & occidit salubriter Paulum, & ipsum sanando vivificavit ad gratiam, & ad Apostolatum. *Pfal. 119.*

135. *S. Paulus ex persecutore factus persecutus. Ubi de vindictâ piâ S. Stephani in Saulum persecutorem.*

Ego ostendam illi quanta oporteat pro nomine meo pati. Ecce quomodo Christus fecit Paulum ex persecutore persecutum, contemptum, & rejectum, punitum, & innumeris subjectum passionibus. *Pfal 118. c. 6. v. 4.* Et hinc patet vindicta piissima S. Stephani in Saulum: dum enim Saulus adjuvabat lapidantes ipsum Stephanum, ipseque pro persecutoribus orabat: ecce quod pro fructu suæ orationis obtinuit conversionem Saulii, ut de persecutore subjiceretur iisdem pro Christo persecutionibus, quas ipse movit in Stephanum, & in alios Christi discipulos: sicque par pari retulit. *Sic D. Bonav.*

136. *Verbum Dei, & gratia spiritus sancti dat lumen cæcis.*

Saule frater Dominus Jesus misit me, ut videas, & implearis spiritu sancto. Sic dixit Ananias Saulo obcæcato: sicque per impositionem manuum, per invocationem nominis Jesu cæcitas ablata est, & visum recepit. Sic enim facit verbum Dei, oratio, & gratia spiritus sancti. *Serm. 4. Dom. quinquag.*

137. Sanctis aliquando licet fugere persecutiones, quando id magis judicatur expediens ad salutem aliorum. Unde cum Judæi custoditent portas Damasci, ut interficerent Paulum, accipientes eum discipuli de nocte, per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta. Licet etiam imperfectis abscondere se ad cavenda pericula. Sic enim Christus condescendens fragilitati nostræ abscondebat se à Judæis. *In Luc. c. 21. v. 21.*

Digitized by Google

CAPUT X.

In hoc capite S Lucas narrat converſionem, & opera bona converſionis Cornelii Centurionis; viſionem Petro oſtenſam de linteo diverſis beſtiis pleno: Prædicationem Petri, & alia multa opera ab ipſo Petro facta.

138. *Fides quoad eſſentiam ſemper fuit, & eſt eadem: licet mutationem acceperit circa variationem temporum.* Hoc patet in Cornelio Centurione de quo dicitur, quod erat religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua. Unde iſte habebat quidem fidem eſſentialiter de Deo, & ſalvatore, ſed implicitam tantum; unde ad ipſum miſſus fuit S Petrus Apoſtolus ut ipſam ei explicaret. *L.3.d.24.a.1.q.3.ad ult.*

139. Miſericordia in pauperes invenit gratiam in conſpectu Dei: quod patet in hoc Centurione: cujus eleemoſynæ, & orationes delatæ ſunt ab Angelo ad tribunal Dei: in quarum virtute invenit gratiam, & perfectam converſionem. *Sermon.1. Dom.1. poſt oct. Pent. & ſer. de S. Michaële.*

140. *Proprium Prælatorum, & Prædicatorum occidere peccatores, eoſque manducare.*

Et cum eſuriret, voluit guſtare. Parantibus autem illis, vidit cœlum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum; in quo erant quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli: & facta eſt vox ad eum: ſurge Petre, occide, & manduca. Quid voluit Chriſtus hac viſione ſignificare? ergone officium Petri erat occidendi animalia terreſtria, & volatilia cœli, & iſta manducare? Sed per hanc viſionem aperit myſterium notabile ipſi Petro, & omnibus ſucceſſoribus, & Prælatis, & Prædicatoribus: nam per quadrupedia intelliguntur homines hærentes terrenis: iſti ſunt omnes avari. Per ſerpentia homines luxurioſos, per volucres cœli ſuperbos. Ad hos omnes capiendos debent tendere retia, & laqueos verbi, & prædicationis: omnemque induſtriam adhibere, ut ipſos occidant: ſcilicet in eis vitia gladio, & ſagitta verbi Dei, & poſtea ipſos manducare hoc eſt incorporent ſibi, & Eccleſiæ, conſtituendo eos membra ejus: & hoc fuit munus Chriſti; eſtque munus omnium Prælatorum, & curatorum animarum: nempe totum ſtudium, vires, ſcientiam, prudentiam impendere, ut peccatores de animalibus, ſerpentibuſque, convertantur in membra Chriſti. *In Ioan. collat. 13. in Pſal 119.*

141. *Pœnitentiæ vis transformativa expenditur. Ubi iterum de linteo viſo à S. Petro.*

Vidit Petrus vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de Cœlo; in quo erant omnia quadrupedia, &c. occide, & manduca: ait Petrus: abſit Domine; quia numquam manducavi omne commune, & immundum. Et vox iterum, &c. quod Deus purificavit tu ne commune dixeris. In hac viſione multa pulcherrima myſteria enodantur, & maxime experimentia virtutem pœnitentiæ mirabilem, ſignificatam in linteo, quod de lino multo labore paratur. Sic enim pœnitentia digna eſt, quæ multis afflictionibus, & laboribus texitur & conficitur. Per quatuor initia ſignificantur quatuor Evangelia dictantia, & prædicantia pœnitentiam. Per animalia ſignificantur peccatores terræ: qui ſi intrant in hoc linteum, agentes pœnitentiam, transformantur in homines cœleſtes, & tandem in Cœlum recipiuntur. O grandis virtus pœnitentiæ; quæ languentes ſanat, leproſos curat, mortuos ſuſcitat, ſanitatem auget, & conſervat. O gratia pœnitentiæ, quæ ſerpentem mundat ſicut anguillam, lupum ſicut ovem. *Ser.2.Dom.2.poſt oct. Epiphan.*

142. *Pœnitentia transfert in Cœlum beſtias, ſerpentes, & volucres.*

Et receptum eſt vas in Cœlum. Quomodo hoc? ergone Cœlum locus, & receptaculum eſt beſtiarum, ſerpentium, & volucrum; & non potius animarum, & Angelorum? O virtus maxima pœnitentiæ, quæ beſtias transformat in Angelos. Hoc linteum eſt pœnitentia: quod ter oſtenſum eſt Petro; quia conſtat tribus partibus; ſcilicet contritione, confeſſione, & ſatisfactione: qui autem in hoc linteum intrant ſtatim merentur occidi; ideſt in eis occiduntur peccata, quæ jam ipſos in beſtias, & ſerpentes converterant, trajiciuntur in corpus Eccleſiæ, & in cor Chriſti; dum purificati pœnitentiâ, ipſum corpus Chriſti verum recipiunt: & deinde in morte in cœlum inter Angelos recipiuntur. *Ser.5. Dom.3. Pentec. & ſer. de S. Petro ſeorſim in addit.*

143. *Deus non eſt acceptator perſonarum; ſed ſecundum opera eorum eos tractat.*

In veritate comperi, quod non eſt acceptor perſonarum Deus; ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. Nota: hæc propoſitio eſt à Petro pronunciata occaſione ſumptâ à converſione Cornelii Centurionis, & gentilis. Dat enim intelligere per animalia in linteo poſita & recepta in Cœlum. quod Deus non eſt acceptator perſonarum, ſed omnes indiſcriminatim ad ſe recipit, qui ipſum timent, & juſtitiam operantur; omneſque tractat ſecundùm eorum merita, & demerita, tam in præmiando, quam in puniendo. Et hinc Seraph. Doct. infert, prædeſtinationem à Deo fieri ex prævisis meritis: ideo dicitur hîc, judex vivorum, & mortuorum; ſcilicet non ſolùm corporaliter, ſed & ſpiritualiter: ideſt bonorum, & malorum, ſecundùm ipſorum merita vel demerita. *In Pſal.47. & 118 c.6. v.4. & ſer.2.de SS.Petro, & Paulo in addit. In Luc. cap 4. v.40. l.4.d.42.q.1.*

144. *Chriſtus in ſeipſo, & ex ſeipſo nobis præparavit medicinam ſuavem, & vitalem in Sacramentis.*

Ieſum unxit Deus ſpiritu ſancto, & virtute: qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. De Chriſto dicit S. Petrus quod ipſum Deus unxit ſpiritu ſancto, & virtute: qualis unctio eſt hæc? quale unguentum eſt ſpiritus ſanctus, & qualis hæc virtus? Sed tamen in his verbis omnes prærogativas Chriſti innuit; nam ſpiritus ſancti virtute, & operatione fuit conceptus, & virtute ejuſdem unctus, ſcilicet ad ſuperexcellentiam gratiæ ſingularis elevatus, & divinæ naturæ unitus, & ſimul ad regiam, & ſacerdotalem dignitatem per aſſumptam naturam exaltatus: ſicque hac virtute divinâ unctus fecit in ſeipſo medicamentum vitale: dum enim mortalitatem noſtram univit vitæ: & ille qui vita erat mortuus eſt; facta eſt confectio in Chriſto in qua, & per quam mortuus reviviſcitur: & ex morte ipſius ſacramenta habent vivificandi efficaciam; & per hæc ſacramenta, velut medicamenta cœleſtia, pertranſiit Chriſtus, & continuè pertranſit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, & infirmos in anima. Et ſubdit Petrus: & nos teſtes ſumus omnium, quæ fecit: quaſi diceret. O quanta dixit, ut homo doceretur: O quanta fecit, ut doctrinæ crederetur: O quanta ſuſtinuit, ut homo liberaretur: O quanta quæ fecit dæmoniacos liberando, cæcos illuminando, leproſos mundando, mortuos ſuſcitando, panes multiplicando, ventis imperando: vide ex his quam facilis fuit totius mundi creatio, & quam difficilis fuerit hominis recreatio. *L. 4 ſent. in prolog. In Luc. c. 4. v. 18. & 40. c. 5. v. 31. c. 6. v. 1. c. 9. v. 11. ſer. 2. de SS. Petro & Paul. in addit.*

145. *Nominis Ieſu virtus ad ſanandum infirmos, & oppreſſos à diabolo, expenditur.*

Deus unxit Ieſum ſpiritu ſancto, & virtute, qui pertranſiit benefaciendo, & ſanando. Quomodo dicitur Chriſtus unctus ſpiritu ſancto, & virtute, ſi ipſe erat Deus & homo? ſed attende ad id, quod terminat hæc virtus. Loquitur de Ieſu, & dicitur, quod iſte Ieſus unctus eſt ſpiritu ſancto, & virtute: ſcilicet hoc nomen Ieſus, qui eſt ſalvator: unctum eſt hoc nomen Spiritu Sancto aſſiſtente, & virtute divinâ, ut per ipſum ſanaret omnes infirmos, & liberaret omnes oppreſſos à diabolo. Et hinc ſubdit. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus, omnes qui credunt in eum: ſcilicet hanc virtutem peraptam, & efficacem reddit fides viva credentium. Ergo in hoc nomine Ieſu continetur virtus ſpiritus ſancti, & Domini Ieſu ad veniam peccatorum obtinendam, ad victoriam contra diabolum, ad gratiam promerendam, & gloriam accipiendam, & ad ſanitatem infirmitatum. *Ser. 4. de Circumciſ. ſer. 1. Dom. infra oct. Aſcen. In Luc. c. 5. v. 17. op. medit. c. 100.*

146. Prælati ſe benignos exhibeant ovibus ſigno, verbo, & facto exemplo Chriſti, qui totus ſemper fuit in benefaciendo omnibus; ſic & Prædicator. *In Luc. c. 9. v. 11.*

CAPUT XI.

In hoc capite S. Petrus narrat Apoſtolis viſionem lintei, & animalium, eos docens prædicandum eſſe non ſolùm Iudæis, ſed & gentilibus: & deinde referuntur acta Apoſtolorum in prædicatione, poſtea collectam factam in ſubſidium chriſtianorum exiſtentium in Iudæa.

147. PRoprium Judæorum ſemper fuit abhorrere, & odiſſe alias nationes: quod & manifeſtum fit hic; dum Apoſtoli, ſcilicet minores Diſcipuli, & Iudæi converſi ad Chriſtum arguerunt Petrum, quod ad gentiles prædicationem extenderit: dicendo ei. *Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? In Luc. cap. 19. v. 7.*

148. *Pœnitentia æquales homines reddit apud Deum.*

Quæ Deus mundavit tu ne commune dixeris. Sic dixit Chriſtus Petro, loquens de animalibus viſis in linteo: dans per hoc intelligere, quod pœnitentia mundans animam, reddit apud Deum omnes homines etiam de ſe differentes, omnes, inquam, æquales, & charos Deo, qui non reſpicit perſonam hominum. *Ser. 2. Dom. 2. poſt oct. Epiph.*

149. *Verba ex ore hominum procedentia vel ſunt ſpiritu ſancto dictante, vel ſpiritu diabolico.*

Cum autem cœpiſſem loqui, cecidit ſpiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio. Nota hunc modum loquendi, & connexionem verborum, cum cœpit Petrus loqui, cecidit ſpiritus ſanctus; ad locutionem Petri ſtatim cecidit ſpiritus ſanctus. Per hoc enim datur nobis intelligi, quod ad prolationem verborum Dei, ad collocutionem de rebus divinis concurrit ſtatim ſpiritus ſanctus, loquens per os ipſius loquentis. Sicut è contra ad prolationem verbi mali concurrit ſpiritus diabolicus, illud proferentis. *Serm. 1. de SS. Petro, & Paulo in addit.*

150. Chriſtus de ſe ſemper prompros dare gratiam ſuam omnibus, dummodo ſe diſponant auxilio ſuo: ſic dixit S. Petrus. *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſcilicet gentibus, ſicut & nobis, &c. ſer. 2. Dom. 1. Adv. ſer. 3. Dom. 3. Pentec.*

151. *Chriſtiani nomen, & obligationes expenduntur.*

Docuerunt turbam multam: ita ut cognominarentur primum Antiochiæ diſcipuli chriſtiani. Cur mutatum eſt nomen diſcipulorum Chriſti in chriſtianos? nonne nobilius eſt hoc nomen diſcipuli, quàm chriſtiani? minimè: idem enim eſt utrumque; ſed tamen congruentius mutatum eſt hoc nomen,

nomen;ut à Chriſto capite, & nomen,& profeſſionem reciperent converſi ad Chriſtum: quia omnia recte à ſuo capite deſumunt appellationem. Nomen autem hoc indicat nobilitatem maximam deſcendentem a capite in hominem: nam chriſtianus dicitur,qui particeps eſt ipſius fidei,& qui nomen; & opera profitetur ejuſdem Chriſti, unde hoc nomen deſumitur in baptiſmo, & indicat, quid agere debet: unde exigit primò fundamentum fidei:ut ſcilicet credat perfectè in Chriſtum,& quia perfecta fides exigit opera. ideo requiritur ſpes, & charitas in Deum ſperando, & Deum amando; & hinc Deum perfectè colendo, ſe & ſuam voluntatem conformando Dei voluntati. *In Ioan.cell.4ª. In Luc.c.17.v.19.ſer.1. Hexam. ſer.2.Dom.in Adv.*

152. *Chriſtiani conſtituunt omnes unicam confraternitatem diſcipulorum Chriſti.*

Chriſtiani appellati ſunt diſcipuli. Poſt adventum ſpiritus ſancti in diſcipulos vovebant omnes paupertatem: ſed proceſſu temporis diſcipuli Chriſti ad hoc non obligantur in Eccleſiâ nec jure divino, nec humano; ut notat *S.Doct.l.4.d.24. p.1.a.1.q.3.* Et ideo duplex genus diſcipulorum Chriſti in Eccleſiâ reperitur: nempe illorum, qui ſe obligant ad conſilia evangelica per tria vota religioſa: aliorum, qui non ita ſe obligant, ſed tantùm ad præcepta Chriſti,& Eccleſiæ. Omnes igitur chriſtianos Chriſtus ſub vexillo S.Crucis in unum congregavit à quatuor plagis terræ contra hoſtes malignos,mundum,carnem, & diabolum,& contra congregationem diaboli:Et ideo tamquam confratres Chriſti ad eandem hæreditatem ſunt deſtinati. Nota autem,quòd ſigna habent iſti Chriſti confratres, per quæ diſcernuntur à confratribus, & filiis diaboli, eorumque ſignis: Unde dicitur *Epheſ.c.4. nolite contriſtare ſpiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis.* Spiritus enim ſanctus eos nobiliter ſignat. Primò ſigno veritatis credendorum; ut quæcumque onera laborum, vel gravamina adverſorum per fidem, & fidei articulos tolerare poſſint.Secundò ſigno honeſtatis, & religioſitatis morum; ut per bona opera diſcernamur à filiis diaboli: de hoc ſigno dixit Chriſtus *Marc. ult. ſigna autem eos.qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo dæmonia ejicient*, ideſt peccata ejicient; *linguis loquentur novis.* Scilicet verbis ædificatoriis,& ſanctis: nam linguæ veteres:ſcilicet verba turpia, detractoria, impudica, prava,ſunt propria diaboli. *Serpentes tollent*, ſcilicet concupiſcentias ſenſualitatis. *Et ſi mortiferum quid biberint*, ideſt ſcandalum., vel injuriam non eis nocebit. Tertiò ſigno paupertatis, ſeu renunciationis, & inordinatæ affectionis terrenorum. Quartò ſigno charitatis Dei,& proximi, cui copulatur etiam ſignum humilitatis. Signa autem confratrum diaboli ſunt infidelitas,carnalitas, cupiditas, & doloſitas. Attendant igitur chriſtiani ad hæc ſigna Chriſti,& diaboli, & clare cognoſcent ſi in numero chriſtianorum connumerandi ſint. *Ser.3.Dom.4.Epiph.ſer.4.Dom.5.Pentec.ſer.1. & 2.& 3.in Pentec.& ſer.4. Dom.Trinit.*

153. *Chriſtiani nominis munus quale. Ubi de ſacramento confirmationis.*

Chriſtiani appellati. Quinam? Diſcipuli Chriſti. Quid igitur ſibi vult hoc nomen? nihil aliud niſi profiteri fidem, & ſequelam Chriſti, hoc autem exprimitur in collatione poſt baptiſmum ſacramenti confirmationis. Unde ſicut hoc ſacramentum confertur ſigno vocali, & expreſſione SS Trinitatis,& ſimul ſigno crucis; hinc indicatur, quod primum munus chriſtiani eſt credere perfectè myſteria fidei, ſcilicet SS. Trinitatis, & Incarnationis. Secundo ſicut ungitur homo oleo nitido, & balſamo odorifero benedicto, & conſecrato; ſic indicatur, quod fides, & confeſſio fidei exigit lumen intelligentiæ ſupernæ, & nitorem conſcientiæ coram Deo; & odorem bonæ famæ, & honeſtatis morum coram proximo; ut correſpondeant ad invicem cor, lingua, & manus: ſicque talis credulitas, & confeſſio accepta ſit coram Deo,& hominibus. Tertio,ſicut talis conſignatio fit in fronte,& manu poteſtativa in facie; ſic datur intelligi,quod confeſſio fidei debet eſſe intrepida; ita ut homo non erubeſcat fidem confiteri,& profiteri in quacumque occaſione, & perſecutione; nec formidet pro confeſſione nominis Chriſti, quantamcumque ignominiam ſuſtinere, tanquam verus pugil unctus ad prælium; & tamquam ſtrenuus miles ferens in fronte, & in manibus regis ſui ſignum,& crucis ejus triumphale vexillum. *Op.Brevil.p.6.c.8.*

CAPVT X.

In hoc capite enarratur perſecutio mota ab Herode contra Apoſtolos,mors inflicta Iacobo Apoſtolo, carceratio Petri, & ejus liberatio miraculoſa facta per Angelum. Et deinde mors miſerabilis Herodis.

154. *S.Iacobi mors glorioſa expenditur.*

Miſit Herodes manus, ut affligeret quoſdam de Eccleſiâ:occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Ecce, quod primus inter Apoſtolos Jacobus frater Ioannis,& conſobrinus Chriſti,Epiſcopus Hieroſolimitanus pro Chriſto glorioſam ſuſtinuit mortem: gladio autem occiſus eſt, & hoc,& omnia tormenta ei levia fuere, per fidem vivam,per ſpem, per charitatem, per patientiam, per zelum,per ſcientiam ſublimiſſimam, quæ in Jacobo vigebant: alleviata enim, vel levia fuerunt tormenta per fidem reſurrectionis, per ſpem glorificationis, per charitatem redemptionis,per patientiam ſupportationis, per zelum ædificationis,per ſcientiam præmonitionis, quibus à Chriſto fuit inſtructus,& confortatus. *Ser.1.de S.Iacobo in addit.ſer.1.de eodem in impreſſione vaticana.*

155. *Pralat.*

155. *Prælati boni manum mittunt, & extendunt ad subditorum levamen: mali ad subditorum oppressionem.*

Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiâ. Quid est mittere manus? hoc est suam potestatem adhibere, ipsaque uti ad ruinam subditorum; eosque oppressionibus, scandalis, & violentiis ad infernum impellere: talisque fuit impius Herodes Agrippa filius Aristobuli filii Herodis, qui ideo severissimè punitus. Prælati verò boni mittunt manus, suâque potestate utuntur in subsidium, & levamen subditorum, pro eis orantes, eis subvenientes in necessitatibus, oppressores ponientes; & ad Deum totis viribus ordinantes. *Ser. 4. Dom. 1. post oct. Pentec.*

156. *Diaboli totus conatus est caput è mundo tollere, ut totam congregationem disperdat.*

Videns autem, quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet Petrum; quem misit in carcerē, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum. Vide hic artem diaboli, qui per suos ministros sæviens in Ecclesiam, ictus suos omnes tetendit in caput, scilicet Petrum, ut ipso è medio ablato, totus grex disperderetur: sciebat enim, quod in omni congregatione benè ordinata requiritur caput, & dux, qui alios regat, & ducat exemplo, & verbis in viam salutis. *Ser. 1. de S. Nicolao.*

157. *Oratio communis in tempore necessitatis publicæ, quàm necessaria, & Deo chara.*

Et Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Ecce quomodo à tempore Apostolorum usus invaluit in Ecclesia instituere orationem publicam in tempore necessitatum publicarum; qualis erat in hoc casu, dum Petrus Princeps, & Prælatus totius Ecclesiæ in carcere detinebatur: Et ideò Ecclesia erat in imminente periculo remanendi viduata sine Pastore *Vide op. Diurn. it. 2. c. 5. Ser. 1. S. Petri ad vinc. in addit. Psal. 54.*

158. *Amor Dei inebriat animam; & oblivionem omnium pœnarum inducit, redditque fortiorem morte.*

Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus. Erat dormiens Petrus, ergone dormiebat, qui summo mane perducendus erat ad mortem crudelissimam? & quomodo potest hoc esse vel intelligi. At hoc non est mirum. Petrus erat ebrius amore divino: Petrus amabat Christum, & pro ipso mori desiderabat: quia amor fortis est, imo fortior morte: hinc quietè Petrus sine turbatione ulla quiescebat. O amor Dei quantas vires addis animæ, ama, ô anima Deum, & Mundi vires, & hostium tentamenta non senties. *Ser. 5. de una Mart. Op. de profec. religios. l. 2. c. 72. Ingend. Comp. myst. Theol. ad 3. petit. orat. dom.*

159. *Obedientia vincula non sinunt sentire vincula Mundi.*

Erat Petrus dormiens vinctus catenis duabus. Cur duabus catenis? quia duo sunt vincula obedientiæ, scilicet ad præcepta Dei, & ad consilia evangelica: qui se ligat istis vinculis, non sentit vincula mundi: imo ea rumpit, nec potest impediri, quin currat ad Deum. *Ser. 3. Dom. 3. Advent.*

160. *Angeli assistunt laborantibus pro Christo.*

Et ecce Angelus astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitavit eum, &c. Nota, quod caret hic nominatur habitaculum, dum Angelus adest in auxilium Petro: verè habitaculum sanctorum, & Angelorum ubi habitat laborans pro Christo, & quia ibi accurrunt Angeli adjuvantes eos, qui pro Christo patiuntur, eosque illuminantes, & ducentes per viam securam ad salutem. O quis non laborabit libenter pro Christo *Ser. 4. de Apostolis.*

161. *Angeli Dei nos excitant à somno peccati, & excitando illuminant.*

Et Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: surge velociter. Nota, quod hoc fuit speciale privilegium factum à Deo Petro, & Ecclesiæ per Angelum. Sed tamen per hoc indicatur assistentia Angelorum nobis à Deo ordinata, eorumque munus, nam cum homo cadit in peccato, servus fit peccati, nec de se potest detestare peccatum, nec sibi displicere peccatum: Et quia Deus in ira sua continet suas misericordias, mittit Angelos, ut nos excitent jacentes in peccato, & stimulent, ut resurgamus à peccatis, unde percutientes cor dicunt: surge miser, & considera ubi jaces, quomodo corrupisti tuam naturam, fœdasti pulchritudinem tuam, qua eras ad imaginem pulchritudinis æternæ factus: nam repulisti spiritū sanctum; factus es dæmonum prostibulum; privasti te æternis præmiis, obligasti te æternis supplicijs: surge igitur, & redi ad pœnitentiam. O qualia beneficia nobis per Angelos obveniunt. O quoties latus nostrum animæ percutiunt. O quale lumen refulget sæpe in mente nostra ex accessu Angelorum. O quoties cadunt catenæ de manibus per absolutionem, & bona opera. *Ser. de S. Mich. & op. Comp. Tuso. l. 2. c. 18.*

162. *Inspirationes bonæ, & tribulationes sunt Angeli mystici nos ad bonum excitantes.*

Et ecce Angelus astitit, &c. percussoque latere Petri excitavit eum, &c. Cur excitando Petrum Angelus, percutit latus ejus? cur nō mitius eum excitat? At per hoc discernitur tribulatio à Christo collata in hac vita, à tribulatione æterna: hæc enim percutit nō latus solùm, sed totum hominem, talisque percussio est propria Angelorum: nam tribulationes, & inspirationes divinæ sunt nuntii, & Angeli Dei nos excitantes à somno peccati ad pœnitentiam, & dicuntur etiam lateris percussiones; quia nos inducunt ad supportandum pro Christo vulnerato in latere, & corpore pro nobis, omnes hujus vitæ percussiones. *Ser. 5. Dom. 1. Adv. fer. 1. Dom. infra oct. nativ. ser. 4. Dom. 18. Pentec. op. de septem donis c. 6. de 7. stiner. ætern. tit. 2 d. 3.*

163. *Peccator ligatus vinculis peccati in carcere poteſtatis diabolicæ, figuratus in Petro ligato.*

Et Petrus erat dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, &c. Nota, quod in Petro ligato in carcere ab Herode, ſignificatur peccator poſitus ſub poteſtate diaboli, ligatus peccato mortali, & in periculo æternæ damnationis: Et licet quodlibet peccatum mortale ſit vinculum diaboli, quo homo ligatus eſt, ne in opus bonum meritorium poſſit exire, & ſurgere ſine excitatione divinæ gratiæ; tamen quatuor ſunt principalia peccata, quibus homines maximè terræ inhærere ſolent ligati, & vincti à diabolo, & valde difficilia, ut homo ab ipſis poſſit totaliter ſolvi. Primum eſt peccatum accidiæ, & negligentiæ. Secundum cupiditas, & avaritia. Tertium laſcivia, & luxuria. Quartum guloſitas, & voluptuoſitas. Primum reddit hominem dormitantem, & ſomnolentum, ne in bonam operationem poſſit exire; aufert enim uſum bonæ cogitationis; ſenſum diſcretionis, motum bonæ operationis, & facultatem bonæ refectionis, & ſomnii: phantaſmata vana, & phantaſias inducit. O quale vitium, quàm periculoſum eſt hoc: quam ſtultus qui dormit in hac vita, ubi vigilandum eſt, jacet ubi ambulandum, & quieſcit ubi laborandum eſt. O quantum dolebunt, quàm amare poſt mortem plorabunt tales ſtulti. Secundum peccatum facit hominem inhærere in terrâ, ex tota que vivere; ſemperque innixus terræ, non ſinit ipſum elevare ſe ad cœleſtia. Tertium inficit corpus, & animam, facitque, ut luxuriоſi more ſcabrorum ſemper in ſtercoribus ſint, & ſtercora continuè revoluant: & adeo infecti ſunt, quod ſtercorum fœtorem non ſentiunt. Quartum totum hominem convertit ad gulam, & corpus paſcendum, & impinguandum, ne in altum poſſit evolare: iſtis omnibus dicit & Angelus cuſtos ſingillatim: ſurge velociter: ſurge ab occaſione peccati: ſurge qui dormis: ſurge per pœnitentiam, & catenæ de manibus tuis cadent. *Ser. de S. Petro ad vinc. ſer. 1. Dom. infra oct. nat. ſer. 4. Dom. 18. Pentec. In Luc. c. 15. v. 20. c. 17. v. 9.*

164. *Senſus germanus illorum verborum: calcea te caligas tuas expenitur.*

Surge, & calcea te caligas tuas, & circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Hæc verba videntur indicare; quod Petrus uteretur calceamentis pedum, nec diſcalceatus incederet; quod aliqui tamen dixerunt; ſed hoc eſt contra ſenſum germanum litteræ, & SS. Patrum antiquorum: nam in textu græco habetur: calcea te ſandalia tua, vel caligulas: Unde Gloſſa, Beda, & SS. Patres dicunt, quod Petrus propter rigorem carceris, ligamenta ad horam laxabat, ut tunica circum pedes demiſſa, frigus noctis, ventrumque temperaret: exemplum præbens infirmis, ut cum moleſtia corporalis, vel injuria incurritur humana, liceat aliquid laxare de rigore propoſiti: caligæ autem erant ſandalia, quæ veluti caligulæ ſuper pedem colliguntur, & ligantur; deſuper corium non habentia: & ſic incedebat Chriſtus, tempore prædicationis & ſic juſſit Apoſtolos incedere; & ſic incedebat Petrus, ut caput collegii Apoſtolici: & hoc in ſignum paupertatis altiſſimæ, in exemplum humilitatis, pœnitentiæ, in teſtimonium obedientiæ, in exercitium vitæ auſteræ; in ſignum elongationis ab omni carnalitate, & tandem ad perfectæ virtutis inſigne. Et tali modo incedebat Seraphicus P. S. Franciſcus; quem modum & ſuis in regula ordinavit: & quo etiam utuntur congregationes reformatæ ejuſdem ordinis: hoc tamen diſcrimine, quod obſervantium ordo, loco ſolearum ex corio à parte inferiori, utitur ſoleis ex ligno. *Op. de Sandal. Apoſtol. Apolog. pauper. ſect. 4. c. 1.*

165. *Tranſitus peccatoris per tres portas ad carcerem inferni: & tranſitus pœnitentis per tres alias portas ad vitam æternam expenduntur.*

Et tranſeuntes primam, & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ultro aperta eſt eis. Nota hîc mirabilem metamorphoſim in carceratione, & liberatione Petri. Quando enim fuit ductus ad carcerem tranſiit per tres portas; primam ferream, & alias duas, intra quas fuit conſtrictus in carcere: quando fuit foras eductus, eas omnes invenit apertas, & ſimul libertatem obtinuit è carcere, & vinculis: in quo latet dignifſimum myſterium; oſtenditurque, quod peccator, quando in via inferni ſe collocat, tranſit primò portam ferream, ſcilicet in culpam, & à culpa ad culpam. O quam ferreus, & durus, & abominabilis eſt iſte tranſitus. Secundò aliam portam, ſcilicet à culpa in pœnam, quia in via peccati ſolùm pœnas, tribulationes; & afflictiones invenit. Tertiò ad ultimam portam, ſcilicet ad carcerem inferni, à culpa, & pœna temporali ad pœnam æternam, ab aquis nivium ad calorem nimium. In liberatione verò Petri ſignificatur tranſitus, qui à pœnitente fit à porta culpæ ad pœnitentiam, quæ viderunt ferrea; ſed tamen medium eſt obtinendi libertatem. Secunda à pœnitentiâ ad ſapientiam, ideſt ad exercitium virtutum, in quo dulcedo mannæ cœleſtis deguſtatur. Tertio à ſapientia ad vitam æternam, ubi celebratur verũ Paſcha. *In Luc. c. 21. v. 33.*

166. *Per tres portas fit tranſitus in obſequio Dei.*

Et tranſeuntes primam, & ſecundam cuſtodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem. In tranſitu per has tres portas ad Civitatem latet aliud maximum myſterium, voluit enim docere Petrum, quod cum oſtenſa fuerit. *Ezechielis c. 11, & Joann. Apoc. 12.* civitas cœleſtis habens ab oriente portas tres: ab Aquilone portas tres: à meridie portas tres, ab occidente portas tres, voluit oſtendere Petro Deus, & Angelus, quod à parte orientali exercenda eſt virtus prudentiæ, ab Aquilone virtus fortitudinis, à meridie virtus temperantiæ, ab occidente virtus juſtitiæ: & in cujuſlibet exercitio per tres portas tranſeundum eſt: ſuntque cognitio, cultus, adoratio, & amor trium perſonarum, per quæ fit tranſitus ad civitatem cœleſtem. Nota etiam quod per quatuor virtutes cardinales tranſit anima per primas duas portas, ſcilicet per obſervantiam mandatorum Dei, & per tribulationes ad tertiam ad cœleſtia; nam per exercitium ipſarum ordinatur homo in agendis, & patiendis. *Ser. 3. Dom. Trinit. l. 3. d. 13. dub. 5.*

167. *Per*

167. *Per Angelum magni conſilii, ſcilicet Chriſtum, & auxilio SS. Angelorum tranſit juſtus per tres portas uſque ad Cœlum.*

Nunc ſcio verè, quia miſit Angelum ſuum Dominus, & eripuit me, &c. Audi, quod Petrus, cum prius ſe exiſtimaret dormientem, vel ſemiexpergefactum, quando ſe vidit omninò liberum, cognovit quod per Angelicum miniſterium tranſierat tres portas, totaliter à carcere liberatus. Et hoc eſt figura liberationis peccatoris pœnitentis, quæ fit per Angelum, ſcilicet Chriſtum, & per auxilium Angelorum à carcere hujus vitæ in morte: nam à primâ portâ, & cuſtodiâ liberantur quam habent dæmones contra viventes: à ſecundâ cuſtodiâ, quam habent contra morientes. Quibus tranſitis, remanet porta ferrea, ideſt aditus Cœli: dicitur-que ferrea propter firmitatem, & per quam non intrant inimici; hæc ultro per merita Chriſti eis àpetitur, & introducuntur in Civitatem Ieruſalem. *Ser. 4. Dom. 4. Quadrag.*

168. *Amor ſuperfervidus Dei extrà ſe animam elevat, & oblivionem ſui inducit.*

Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, &c. Ergone ô Petre ſolùm poſt exitum è carcere & tranſitum extra tres portas, & diſceſſum Angeli, tibi eſt manifeſtum te non deceptum in tuâ notitia? & hanc non eſſe cognitionem phantaſticam? ergone antecedenter ſemper dormiſti? ô ſancta dormitio: dormiebat quidem in carcere, ſed dormitione extatica, propria Deum ferventer diligentium, & pro Chriſto ſtrenuè patientium. Vide quid operatur in anima amor ſuperfervidus Dei; rapit enim, ſicut rapuerat Petrum extra ſe, imo ſupra ſe; quia talis amor facit, ut homo ſemetipſum contemnendo relinquit, & in comparatione dilecti ſe deſpicit, & miro modo fit, ut per dilectionis ignem in illum ſuſtollatur, qui eſt ſupra ſe, & per vim amotis expellatur, & exeat etiam extra ſe, nec ſe cogitet, dum Deum ſolùm amat: & hoc modo Petrus longe ſuper hominem fuit; quia longe à ſemetipſo, & ſupra ſemetipſum receſſit: alioquin non diciſſet: *nunc ſcio verè, &c.* Quia non eſſet à quo ad ſe reverteretur. *Op. de ſeptem itin. æternit. d. 3.*

169. *Angeli aſſiſtunt humilibus, & orantibus: reſiſtunt autem ſuperbis, ipſoſque puniunt ad manifeſtationem divinæ juſtitiæ.*

Statuto autem die Herodes, veſtitus veſte regia, ſedit pro tribunali, & concionabatur ad eos: populus autem acclamabat Dei voces, & non hominis, confeſtim autem percuſſit eum Angelus, &c. Vide quomodo diverſimodè ſe habuit Angelus cum Petro, & cum Herode; Petrum enim liberavit à vinculis, & carcere: Herodem autem, qui libenter veluti Deus honorabatur ab acclamationibus Populi, percuſſit, & poſt conſumptus à vermibus, mortuus eſt, & damnatus; ut pateat quod Angeli ſicut humilibus aſſiſtunt, ſic ſuperbis reſiſtunt; eoſque puniunt. *Ser. 4 Dom. 1. poſt oct. Paſcha. ſer. 4. de Angelis. ſer. 1. de S. Michaële. ſer. 3. de reſur. in addit. in Luc. c. 13. v. 5.*

CAPUT XIII.

In hoc capite enarratur miſſio Pauli, & Barnabæ ad prædicationis munus ex præcepto ſpiritus ſancti, & ipſorum prædicatio tranſlata à Judæis ad gentiles.

170. *Diaboli totus conatus eſt contra prædicationem apoſtolicam, & converſionem peccatorum.*

Ergius Paulus proconſul aſcerſitis Barnaba, & Saulo, deſiderabat audire verbum Dei: reſiſtebat autem illis Elymas magus, quærens avertere Proconſulem à fide. Vide, quod tota pugna diaboli, & ejus miniſtrorum eſt contra prædicationem apoſtolicam verbi Dei, ſicut faciebat iſte magus veluti miniſter diaboli: & dum iſti Apoſtoli quærebant convertere ad Chriſtum Proconſulem; ſic iſte conabatur ipſum avertere à Deo, & ab audiendo divinum verbum. *In Luc. c. 19. v. 34.* Ut videas, quod impedientes, & avertentes fideles à prædicatione, tunc vere miniſterium diaboli exercent.

171. *Prælatorum zelus ſit ex ſpiritus ſancti dictamine, & ſecundum opportunitatem in obſtinatos ſit vehemens, & rigidus.*

Reſiſtebat elymas magus, ſeu Bariesu, quod eſt idem, quærens avertere Proconſulem à fide. Saulus autem, qui & Paulus, repletus ſpiritu ſancto, intuens in eum, dixit: O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ non deſinis ſubvertere vias domini rectas; & nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, &c. Vide hic zelum Pauli, qui licet videatur nimis excedens à ſolitâ benignitate Chriſti, & Apoſtolorum, quam ſolebant oſtendere in peccatores, tamen fuit proportionatus caſui, & neceſſitati præſenti; quia ex ſpiritu ſancto ortus: ſicque oſtendit Prælatis, quid ſibi faciendum eſt cum duris, & obſtinatis, & maximè cum ſcandaloſis: & perniciosis toti congregationi: eliminandi enim ſunt à conſortio aliorum: & confidentes in virtute Dei poteſtate ſuâ propriâ uti debent; ad ipſos puniendos admonitionibus, correctionibus, confuſionibus, & caſtigationibus. Sed tamen cum grano ſalis exemplo Pauli, qui huic mago cæcitatem non perpetuam, ſed ad tempus ei immiſit: unde etiam ungendi fomentis exhortationum, conſolationum, orationum, & promiſſionum, ſi forte convaleſcant de infirmitate, & fortes fiant. Prælatus enim vicarius Dei ſi non corrigit delinquentes, ſi permittit ſub ſe vitia creſcere, & conſuetudines malas oriri, & jam exortas roborari, & dilatari; ſi videt regulares obſervantias dilabi, & tranſgreſſiones multiplicari, & pro poſſe non

obviet tam præsentibus malis, quam imminentibus, tenetur rationem reddere primò pro suâ negligentiâ, quandò non fecit id quod officio tenebatur. Secundò, quia peccata subditorum imputantur ei. Tertiò pro abusione honoris, & potestatis sibi collatæ, quam ad propriam gloriam, & commodum retorsit, & non ad quod data est ei. Et hinc etiam deducimus, quod Prælati debent habere spiritum severitatis, & pietatis; ut Moyses, qui cum esset mitissimus, confregit tabulas. E contra Heli, qui fuit remissus; ipse mortuus est, & filii ejus. Plus enim nocet Prælatus misericors, & abjiciens rigorem disciplinæ, quàm rigidus sine misericordiâ. *Ser.1.fer.3.Pentec. In Luc. c.19. v.34. op.de sex alis Seraph.c.3.& ser.22. Hexam.*

172. *Cæcitas spiritualis unde oriatur.*

Et ecce eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. & confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ, &c. Cur Paulus ob zelum Dei cæcitate voluit istum impium percutere, & non aliâ pœnâ? Hoc est, ut demonstraretur qualis cæcitas esset in ipso interius, & quale malum sit cæcitas spiritualis; Hæc enim oritur vel ex luxuria, vel ex superbia, vel ex rerum cupiditate, vel ex infidelitate: & in isto impio orta est ex cupiditate, superbiâ, & maximè ex infidelitate: est enim maximum malum, & pœna, quæ à Deo permittitur in duris, & obstinatis. *Ser.3.Dom.quinquag.*

173. *Incarnatio Christi tota ordinata ad veniam, salutem, & gratiam.*

Surgens Paulus in Synagoga ait: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum audite, &c. Deus ex semine David eduxit Israel salvatorem Jesum, prædicante Joanne ante faciem adventus ejus baptismum pœnitentiæ. Nota, quod Paulus volens ostendere incarnationem verbi factam, ejusque effectus ordinatos ad salutem, & veniam reconciliationemque hominum introducit in sua concione tres sanctissimas personas, David Christi progenitorem, Joannem præcursorem, & Jesum salvatorem: in quo ostenditur adventus iste convenientissimus ad veniam: unde ex semine David nasci dignatur, qui de enormibus criminibus, adulterii, & homicidii veniam consecutus est: qui & Pastor, & rex fuit; quia de ipso natus, pauperibus, & divitibus communis fuit; unde in nativitate sua pastores, & reges traxit ad se. Item plenissimus ad gratiam in Joanne significatur tempusque gratiæ advenisse ostendit. Item salubertimus ad gloriam in Jesu significatur, qui interpretatur salvator: ergo Christi incarnatio tota fuit ordinata ad salutem, ad gratiam, & veniam omnibus hominibus *Ser.4.Dom.1. Adven.*

174. *Teneat homo gratiam sibi à Deo immissam, ne alius accipiat coronam.*

Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ dicebantur à Paulo blasphemantes. Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt: vobis oportebat primum loqui regnum Dei, &c. audientes autem gentes, gavisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt, &c. Ecce calamitas Populi Judaici. Cum enim primò ad ipsum directa fuerit salus à Christo allata in Mundum, & prædicatio Apostolorum; cum rejecta ob ipsorum duritiam fuerit, jussu Dei, Apostoli direxerunt suam prædicationem ad gentiles, quam toto corde amplexati sunt; per hocque edocemur quale periculum sit abuti Dei auxiliis, eaque rejicere, vel ejus gloriâ retinere; nam qui nescit conservare quod à Deo ipsi donatur, ad alium transfertur corona. *Psal.108. In Luc.c.4.v.17.c.8.v.16.c.19. v.7. In Ioan.c.11.v.50.c.5.v.38.*

175. *Ritus Ecclesiasticus de epistola, & Evangelio in missa expenditur.*

Ecce convertimur ad gentes, &c. Nota, quod hæc translatio prædicationis Evangelii à Judæis ad gentes, in missâ ab Ecclesia significatur per hoc, quod epistola legitur ad dexteram partem Altaris, in qua significatur prædicatio facta primo Judæis, & deinde Evangelium transfertur ad sinistram; quia gentes doctrinam Christi, & Apostolorum devotius, & libentius, & facilius perceperunt, quàm Judæi. Judæi enim, exceptis paucis, doctrinam Christi rejecerunt; & Apostolos persequentes, de Judæa ejecerunt. Unde si tantum unum lumen aliquando contingat in missa haberi antè Evangelium, ad sinistram partem Altaris ponendum est; quia cæreus fidem significat, qua in Christum credimus nos, qui ex gentibus venimus. *Op.de expos.missæ,c.3.*

176. *Prædestinatio ad vitam æternam; qualiter concurrat ad salutem.*

Et crediderunt omnes quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Hic textus tangit maximam difficultatem in materiâ prædestinationis; nam ex hoc videtur, quod præordinatio, & prædestinatio auferat libertatem, & sit tota causa credulitatis, & consecutionis gloriæ. Et ex alia parte certum est, & de fide, quod homo est positus in totâ, & plenâ suâ libertate acceptandi, & respuendi divina auxilia. Attamen rectè intellectus hic textus, nullam difficultatem ingerit: nam in præordinatione facta à Deo, involuitur etiam oblatio mediorum, quorum aliqua dependent à libero arbitrio, præordinat autem Deus ad vitam æternam, quos prævidit suâ infinitâ cognitione amplexuros esse Dei verbum, & divina auxilia: & hinc crediderunt liberè omnes illi, qui præordinati sunt à Deo, & prævisi se liberè consensuros *Vide l.1.d.41.a.1.q.1. & 2.op.Comp.Theol.l.1.c.30. In Luc.c.10.v.6.*

177. *Prædicator excutiat pulverem de pedibus suis, & discedat à rebellibus, ne inquinetur.*

Ejecerunt Paulum, & Barnabam de finibus suis. at illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium. Quid est hæc excussio pulveris de pedibus suis? Hoc est declinando nequitiam habitatorum, ne involuantur in peccatis eorum. Sic fecerunt Paulus, & Barnabas cum istis impiis; discedentes ab eis, nihil permittentes suis affectibus adhærere de eorum perversitate; vel etiam ne aliqua vana gloria eos attingeret: Sic faciant prædicatores, & caveant ne & ipsi inquinentur ex malitia auditorum, eosque quos rebelles, & duros inveniant relinquentes. *In Luc.c.9.v.5.& 6.*

CAP.

CAPUT XIV.

In hoc capite agitur de multiplicatione fidelium in Iconio, & ſchiſmate infidelium contra fideles: & fuga Apoſtolorum. Et quomodo infideles voluerunt ſacrificare Apoſtolis tamquam Diis; quos poſtea ejecerunt lapidantes ex illa regione.

178. *Mundus quam ſtultus, doloſus, inſtabilis, & vanus.*

Et vocabant Paulum Mercurium, Barnabam verò Jovem, &c. poſt panca, &c. Lapidantesque Paulum, traxerunt extra civitatem. Quis non mirabitur videns has metamorphoſes? Populus civitatis Lyſtris nunc vult adorare Paulum, ut Deum, iridem Barnabam, ex eo quod viderunt miraculum potentiſſimum claudi ſanati: & cum talem honorem recuſaſſent Apoſtoli, paulo poſt lapidaverunt eos, & traxerunt extra civitatem, putantes Paulum mortuum. Quis inquam non mirabitur, conſiderando tales mutationes, & eventus varios? Sed qui rectè cognoſcit qualitates mundi, & mundanorum, non inveniet in quo mirari debeat. Mundus eſt enim vaniſſimus, inſtabiliſſimus, fallaciſſimus, & doloſiſſimus: Et quando tibi videtur florere, ſtatim invenies ipſum deficere; quod expertus eſt Chriſtus, dum poſt glorioſas acclamationes turbarum, veluti debitas regi, & ſacerdoti magno; poſt quatuor dies ipſum ad crucem ignominioſam ducunt. O munde proditor, qui cuncta bona promittis, & omnia mala profers; promittis vitam, & mortem affers; promittis ſtare, & ſtatim decipiendo deficis. *In Eccle. proem. op. de contemp. ſeculi. in Luc. c. 19. v. 40 ſer. 1. de S. Andrea.*

179. *Per mare amarum tribulationum ducit Chriſtus ſuos ad portum Cæli.*

Confirmantes animas diſcipulorum, exortantesque, ut permanerent in fide; quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in gloriam Dei. Sic faciebant, & dicebant Paulus, & Barnabas diſcipulis converſis ad fidem Chriſti; ut fortiter ſtabilirent hanc maximam in corde ipſorum, & omnium fidelium: nempe, quod ſequela Chriſti eſt via ad crucem; quod vita juſtorum eſt omnino contraria vitæ mundanorum, quod Chriſtus per mare amarum tribulationum perducit ſuos ad portum cœli: quod nulla alia via eſt eundi ad Cœlum, niſi hæc, ſcilicet obſervantia mandatorum Dei, & perpeſſio tribulationum: quod hic eſt ordo, quem perpetuo Chriſtus obſervat, ſcilicet à tribulatione ad conſolationes, à paſſione ad gloriam. *L. 3. d. 3 dub. 5 ſer. 2. Dom. 3. quad. ſer. 5. Dom. 8. Pent. ſer. 3. Dom. 23. Pent. In Luc. c. 8. v. 22. cap. 5. v. 3. c. 13. v. 22. c. 16. v. 25 c. 24. v. 26. In Ioan. c. 7. v. 7. op. Comp. Theol. l. 1. c. 33. ſer. 1. in tranſlat. S. Fran. in addit.*

180. *Diviſio Eccleſiarum in Epiſcopatus, & Parochias ab Apoſtolis facta.*

Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias preſbyteros, commendaverunt eos Domino. Nota ex hoc, quod Apoſtoli juſſu Chriſti diſtinxerunt Eccleſias per Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Parochias, & alias canonicas diſtinctiones; ut quia per unum, vel per paucos non poterat ſingulis fidelium in omnibus ſaluti neceſſariis congruè ſatisfieri, plures in hujus ſoll citudinis partes per determinatos ſibi limites pro utilitate animarum vocarentur, reſidente autem ſemper plenitudine poteſtatis apud Papam. *Op. quare fratres min. pradicent.*

CAPUT XV.

In hoc capite agitur de diſcenſione orta inter Judæos converſos & gentiles ſuper circumciſionem ſuſcipiendam, vel omittendam à gentilibus, qui convertebantur ad fidem Chriſti. Poſtea enarratur determinatio facta in concilio Apoſtolorum congregato in Jeruſalem ſuper hoc: ſcilicet, quod non cogi deberent gentiles ad ipſam: & deinde agitur de diſcenſione orta inter Paulum, & Barnabam pro Marco, & ſeparatione eorum ſecuta inſtinctu ſpiritus ſancti.

181. *Conciliorum congregatio inſtituta eſt per Apoſtolos.*

Convenerunt que Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc: Cum autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos: viri fratres, &c. Nota, quod hoc fuit tertium concilium ab Apoſtolis coactum: nam primum fuit ob electionem Matthiæ. Secundum ob electionem ſeptem diaconorum: & hoc tertium ob determinationem ſuper dubium de circumciſione. Quartum ad tolerandum legalia ad tempus, de quo infra. Ad hoc autem ut concilium ſit legitimum, debet auctoritate Papæ cogi, & tunc concurrit infallibiliter ſpiritus ſanctus ad decreta, quæ ibi ſtabiliuntur; unde in publicatione decreti de non cogendo gentiles converſos ad fidem Chriſti ad circumciſionem, dixerunt *Viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis nihil ultra imponere vobis, quàm hæc neceſſaria, &c. l. 1. d. 11. dub. 1. ſer. 9. Hexam.*

182. *Apud Deum nulla eſt acceptio perſonarum.*

Deus nihil diſcrevit inter nos & illos (ſcilicet inter Judæos, & gentiles) fide purificans corda eorum. Vide quomodo S. Petrus volens diximere quæſtionem ortam de circumciſione, notat quod Deus nullum diſcrimen poſuit inter eos, utriſque faciens

communem fidem purificantem corda, fidem, inquam, charitate formatam, quæ operatur per dilectionem, quia apud Deum non eſt diſcretio Judæi,& Græci,ſed in omnibus beneplacitum eſt illi : & ideo cum divites ſibi ſubjicit, pauperes non repellit cum fortes humiliat, ad ſe venire debiles non recuſat : Cum nobiles colligit, ſimul ignobiles apprehendit; cum ſapientes ſuſcipit, imperitorum ſtultitiam non contemnit. *Ser.3.Dom.13. Pentec.*

183. *Fides qualiter dicatur purificare corda.*

Fide purificans corda eorum. Hæc ſententia videtur continere falſitatem : nam cum fides de ſe neceſſario non ſit cum charitate; quia etiam exiſtentes in peccato mortali habent fidem, quomodo ergo dicitur, quod purificat corda? Sed attende ad mirabilia fidei. Fides dicitur purificare corda multipliciter : & primo de ſe cum ſit habitus ſupernaturalis purificat mentem ab omni errore circa fidem, captivantem intellectum in obſequium Chriſti ad aſſentiendum primæ veritati propter ſe,& ſuper omnia : vigorat etiam ad credendum vera non apparentia,ut vetet erronea,& phantaſtica : Et hinc eſt, quod multi etiam charitate carentes, libentèr audiunt verba ſpectantia ad doctrinam fidei, & conſtanter, & viriliter abhorrent hæreticam pravitatem, & licèt dicatur mortua in his, eſt tamen viva quoad hos effectus,licèt careat vitâ gratuitâ. Et quia fides diſponit ad charitatem,& ad alias virtutes, ideo dicitur fundamentum, & antiga omnium virtutum; & hoc maximè, quando eſt formata charitate, quia tunc operatur mirabilia in anima. *L.3 d.23.a.1.q1.& dub.3.& a.2.q.2.ad 4. & d.31. a.3. q.1.ad 2.*

184. *Idem argumentum de fide.*

Fide purificans corda eorum. Nota, quod hîc loquitur Apoſtolus & de fide informi, & magis etiam de fide formata : nam fides de ſe eſt lux à fonte æternæ veritatis procedens, illuminans animam quantum ad potentiam cognitivam, per quam credit firmiter certò & clarè quidquid Deus eſt in ſe, & ejus ſummam veritatem, & omne dubium vertit in certitudinem. Secundò purgat animam quantum ad potentiam æmativam; & ideo excludit culpam (loquendo de fide formata) & omnem ſcoriam peccati. Tertiò fortificat animam ad opera excedentia omnem potentiam naturalem. *Serm.1. de plur.mart.ſer.3.Dom.23.Pentec. opuſc. Dict.tit.10.c.5. In Luc. prolm. l.3.d.27. dub.1.*

185. *An onus Moſayca legis fuerit gravius onere legis evangelicæ.*

Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum,quod neque Patres noſtri, nec nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Jeſu credimus ſalvari. Quodnam eſt hoc onus, quod non potuerunt portare antiqui? & ſi eſt lex ſcripta, diſquiritur quomodo dicatur, gravior evangelica; cum iſta cohibeat manum, & animum; moſaïca verò manum tantum; tum etiam quia evangelica ſuperaddita eſt ad moſaïcam, quam venit Chriſtus non ſolvere, ſed adimplere? Sed Reſpondetur quod lex ſcripta, & evangelica poſſunt conſiderari primò ratione præceptorum obligantium : ſicque lex erat gravior propter multitudinem ipſorum; ſed ex alia parte quantum ad perfectionem; & arduitatem gravius,& difficilius eſt Evangelium; quia hoc exigit perfectionem ſupra jus commune. Secundò ſi comparentur ratione affectionum movencium; ſic Evangelium leviùs eſt quia eſt lex amoris, & gratiæ : lex ſcripta lex eſt timoris, & punitionis. Tertiò ſi comparentur ratione ſacramentorum adjuvantium; ſic lex moſaïca multo gravior eſt, quia in ipſis erat multum ponderis, & parum de efficacia virtutis. E contrà in evangelicis ſacramentis eſt parva difficultas, & multa utilitas, & efficacia, & ob id illa dicitur onus gravitatis, iſta jugum levitatis, in qua datur copioſa gratia ad perfectius, & facilius ſervandum præcepta evangelica, & ad refrenandum manum, & animum, quam non faciebat timor ad refrenandum manum : Et hinc dixit Petrus, quod antiqui non potuerunt portare hoc jugum legis ſcriptæ; ideſt vix, & cum maxima difficultate; & quia nec poterant omnia obſervare præ intolerabili gravitate : & quia non per illa onera, vel ſacramenta, vel præcepta juſtificati fuere, ſed per gratiam Domini Jeſu Chriſti, in cujus fide juſtificationem omnes acceperunt. & accipiunt. *L.3. d.40. quæſt. ult.l.4.d.1.q.5.& l.2.d.28.a.1. quæſt.3. In Pſalm.5. & 34.& 97.*

186. A temporibus Apoſtolorum eſt conſuetudo in Eccleſia in diebus feſtis congregare Populos; eiſque proponere divinum verbum, eoſque exercere in actibus pietatis. Sic dicitur hîc, quod Paulus docebat Sabbatis, quæ conſuetudo erat etiam in tempore legis ſcriptæ. *In Luc. cap.4. v.31. & 6.13.v.10.*

187. *Prælatorum obligatio circa viſitationem Diœceſum,& Populorum expenditur.*

Dixit Paulus ad Barnabam revertentes viſitemus fratres per univerſas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini,quomodo ſe habeant. Vide zelum Pauli,& ſollicitudinem circa ſalutem,& perſeverantiam converſorum ad fidem,dum non parcens labori decrevit iterum eos viſitare. Diſcant ex hoc Prælati quæ ſit munus, & obligatio circa viſitationem ſuarum Diœceſum,Conventuum, & ſubditorum. Viſitatio enim ordinata eſt ad corrigendum delinquentes, tum ad docendum ignorantes, tum ad promovendum operantes,tum ad adjuvandum prægnantes, tum ad conſolandum patientes, & etiam ad remunerandum perſevetantes. *In Luc.c.1.v.79.*

188 *Diſſenſio aliquando cum merito, & Deo inſpirante accidit inter juſtos, & ſervos Dei.*

Facta eſt autem diſcenſio inter Paulum,& Barnabam,&c. Quid eſt quod hic dicitur? diſſenſio ergo inter duos Apoſtolos? maximè? & cur hoc? quia in itinere Barnabas volebat ſecum ducere Marcum : Paulus reſiſtebat, eo quod ob difficul-

tates

tates prius ab eis discesserat de Pamphilia, timens ne itidem ob timorem idem faceret, & sic damnum causaretur in fratres ob malum exemplum: sicque hac occasione separati sunt inter se Paulus, & Barnabas. Ille secum duxit Sillam, iste Marcum. Sed ex eventu patuit totum fuisse à spiritu sancto dispositum. quia ex tali separatione, & aggregatione sociorum facta est maxima fructificatio in Ecclesia. Ex quibus evidens fit, quod aliquando inter justos, & religiosos perfectos oriuntur dissensiones sine peccato: & ratio est quia non omnes æqualiter agnoscunt eandem veritatem in omnibus, sed æqualiter tamen omnes eandem rectam intentionem pro gloria Dei, & utilitate Congregationis. *Op. determin. q.* 20.

CAPVT XVI.

In hoc capite conversio Timothei facta per Paulum enarratur. Postea prædicatio facta in pluribus locis: conversio multorum, & incarceratio Pauli, ejusque liberatio.

189. AD evitandum scandalum, vel aliquod grave malum, aliquando faciendum aliquod opus, vel omittendum, quod alias non fieret, vel omitteretur: dummodo non concurrat in hoc præjudicium veritatis doctrinæ, vel morum. Sic S. Paulus circuncidit Timotheum, licèt factum esset decretum ab Apostolis, ne quis cogeretur ad circumcisionem: quia tamen etiam in illo tempore tolerabatur in Ecclesia; ideo ne scandalizarentur Judæi, vel persequerentur acriter, vel alienarent à fide Timotheum, ipsum circuncidit. *Sic Glos. op. Centil. p.* 1 *sec.* 31.

190. *Laudes diaboli, vel eius ministrorum, sicut ipsorum colloquia vitanda.*

Dolens autem Paulus, & conversus spiritui dixit, præcipio tibi in nomine Iesu Christi exire ab ea. Nota, quod cum Puella quædam obsessa esset à diabolo, subsecuta Paulum, clamabat dicens: isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annunciant nobis viam salutis: & hoc faciebat multis diebus. Unde de hoc dolens Paulus, ipsam liberavit à Dæmone; quod & fecit exemplo Christi, qui noluit à Dæmone confessionem sui nominis: ut nos edoceret tum vanam gloriam vitandam esse, tum ut fugiamus laudes diaboli, & cum ipso colloquia, cum sit Pater mendacii: & omnes suas artes dirigat ad nostram perniciem. *In Lucam capit.* 4. *v.* 35.

191. *Surgendi media nocte ad laudandum Deum usus apud religiosos descendit ab Apostolis: & quam pius, & utilis, & opportunus.*

Media nocte Paulus, & Silas (scilicet dum essent vincti in carcere post flagellationem) adorantes laudabant Dominum. Nota, quod Paulus & Silas, postquam crudeliter flagellati fuere à Philippensibus, & vincti manibus, & pedibus positi in carcere, media nocte surrexerunt ad decantandas laudes Dei; ita ut etiam à custodibus audiebantur; qua oratione facta, tota habitatio magno terræmotu commota est, & apertæ sunt portæ carceris; & post hoc conversus est ad fidem custos carceris cum tota sua domo: & mane sequenti liberi exire à civitate permissi sunt. Ex quibus infertur, quod usus religiosorum observantium surgendi media nocte ad horas canonicas decantandas ab Apostolis venit, & introductus est in Ecclesia: & meritò, nam in nocte non operatur homo, dormit, & subjacet fraudibus dæmonis: ideo tale tempus maximè est aptum ad omnia mala vitanda ad lectionem, meditationem, & revelationes divinas. Sic & David dicebat. *Memor fui nocte nominis tui Domine: media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Bene dicit, media nocte, quo tempore solet sponsus venire ad pulsandum ad fores nostras, & ideo qui ad nocturnas vigilias Dominum laudaturi consurgunt, in conspectu Dei se judicant, & judicando purificant, & exercitio fidei, spei, & charitatis ad Dei adventum se præparant. *In Psal.* 118. *c.* 4. *v.* 7. & 14.

CAPVT XVII.

In hoc capite enarrantur profectio, & prædicatio, & persecutiones Pauli in varias Provincias, & deinde ad Civitatem Athenarum, prædicatioque ibi, & conversiones factæ.

192. PErsecutiones in Ecclesia semper paratas volentibus sequi Christum; patet manifestè in Persona Pauli, & suorum Discipulorum: qui in omnibus civitatibus, & hic præcipuè in Thessalonica, semper invenit insidias paratas ab hostibus Christi: ut hinc pateat, quod servus Christi verus non est, qui tribulationibus, & persecutionibus non subjicitur. *In Luc. cap.* 21. *vers.* 12.

193. Non sufficit audire verbum Dei cum aviditate, & gaudio, si non foveatur, & executio operis superaddatur. Unde de Thessalonicensibus hic legitur, quod multi nobiles susceperunt verbum Dei cum aviditate, quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent: & licet multi crediderint; tamen etiam multi non prosecuti sunt suam conversionem, & defecerunt à suo proposito. *In Luc. c.* 8. *v.* 13.

194. Curio

194. *Curioſitas peſtis inficiens animam:& qualiter mortificanda.*

Duxerunt Paulum ad Areopagum, &c.poſſumus ſcire quæ eſt hæc nova,quæ à te dicitur doctrina, &c. Cum Athenas profectus eſſet Paulus;& prædicans novam doctrinam evangelicam; & cum Athenienſes curioſiſſimi eſſent, & cupidi audire nova. ipſum duxerunt in Areogagum; qui eos reprehendit de ſua ipſorum curioſa ſuperſtitione, quæ ipſos induxit in varias ſectas,& errores: ut hinc pateat qualis peſtis ſit vana curioſitas, & qualiter mortificanda, & reſtringenda ad audiendum, & percipiendum ſolùm neceſſaria ad ſalutem; & qui ultra hoc facit; incidit in varios errores, & pericula. *In Eccles.c.1.& 12.*

195. *Quam decipiantur qui totum cultum Dei collocant in exteriori,& in ornamentis externis templorum, relinquentes interiorem animæ.*

Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic Cœli,& terræ cum ſit Dominus,non in manufactis templis habitat,nec manibus humanis colitur indigens aliquo,cum ipſe det omnibus vitam,& inſpirationem, & omnia. Nota, quod Paulus intendit auferre ignotantiam Athenienſium, qui exiſtimabant ſuos Deos contineri in ;templis, nec ultra extendere ſuam præſentiam; & poſſe conſtitui tales Deos operibus hominum. Tacitè autem hic reprehenditur ignorantia,& fallacia multorum, qui totam cultus Dei partem collocant in ceremonijs exterioribus,& in ornamentis Eccleſiarum, relinquentes, quod eſt potiſſimum; ſcilicet cultum interiorem, & exercitium internum virtutum. Talis error eſt maximus: nam cultus Dei exigit neceſſariò tria: ſcilicet æternæ veritatis veridica profeſſio, ſupernæ majeſtatis humilis veneratio; & internæ ſanctitatis virilis cuſtoditio. Et hinc eſt, quod radix talis cultus ſtat in interiori,quo ſe homo offert Deo tamquam principio ſuæ creationis, & fini ſuæ beatificationis; ex quo conſequi debet cultus exterior, conſiſtens in oblationibus, ſacrificiis, adorationibus,cæremoniis,ritibus & ſimilibus,quæ interiorem cultum oſtendunt Deo ſoli debitum.Hinc & deficiente interiori, mutila fit ad Deum adoratio. *Ser.22.Hexa. ep. de dono piet. c.2.& 3.In Luc.c.11.v.5.*

196. *Sine lumine fidei omnis cognitio eſt pura ignorantia.*

Inveni aram,in qua ſcriptum eſt:ignoto Deo,quod ergo ignorantes colitis,hoc ego annuncio vobis,&c.Et tempora quidem ignorantiæ deſpiciens Deus,nunc annunciat hominibus, &c. Vide quomodo conſtantiſſimè Paulus ignorantes declarat omnes Doctores Areopagi Athenienſium, illamque Academiam ſcientiatorum veluti congregationem hominum involutorum in tenebris ignotantiæ.Cur hoc? & quomodo id poterat verè dici de Philoſophis verſatiſſimis in omni genere ſcientiarum humanarum? Sed optimè & verè;nam cum ſcirent omnia,nihil ſine fide ſciebant; eiſque deficiebat verum lumen, ſed involuti erant in tenebris ignorantiæ obſcuriſſimis:ratio eſt; quia cum res habeant eſſe in materia,vel natura, habeant etiam eſſe in anima per notitiam acquiſitam: habeant etiam eſſe in ea per gratiam,habeant eſſe in ea per gloriam, & habeant etiam eſſe in arte æterna: Philoſophia quidem agit de rebus ut ſunt in natura, ſeu in anima ſecundum notitiam naturaliter acquiſitam,in qua miſceantur, ratione noſtræ imperfectionis multi, & peſſimi errores: hinc ſine fide tota hominis cognitio ſubjecta eſt erroribus. Ideo Theologia tamquam ſcié.ia ſuper fidem fundata,& per ſpiritum ſanctum revelata ſubſternens ſibi Philoſophicam cognitionem, eamque totaliter cortigens, & dirigens aſſumendo de naturis rerum quantum ſibi opus eſt ad fabricandum ſpeculum, per quod fiat repræſentatio divinarum, quaſi ſcalam ſibi erigens; quæ in ſuo infimo tangit terram,& in ſuo cacumine tangit Cœlum:ſic agit de eis, quæ ſpectant ad gratiam, ad gloriam ad ſapientiam æternam. Et quia hoc totum habetur per illum unum hierarcham Jeſum Chriſtum; qui eſt Deus, & homo: & ratione naturæ aſſumptæ,& divinæ, eſt hierarcha in hierarchia Eccleſiaſtica, & angelica, & media perſona increatæ Sanctiſſimæ Trinitatis, ita ut per ipſum à ſummo capite Deo deſcendit univerſis gratia non tantùm in barbam,ſed etiam in oram veſtimenti;ſcilicèt non ſolùm in Jeruſalem ſupernam, ſed & in Eccleſiam militantem. hinc rectè dicebat S. Paulus: & tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus; ſcilicet hanc fidem Chriſti Jeſu, quæ ignorantiam omnem tollit,quæ illuminat intellectum, quæ in omnem veritatem inducit.*Op.Brevil. in prooem. Diſtit.5.c.3.*

197. *Ignorantia in chriſtianis quam damnabilis in iis,quæ ſpectant ad ſalutem.*

Inveni aram,in qua ſcriptum eſt,ignoto Deo: quod ergo ignorantes colitis,hoc annuncio vobis. Et tempora quidem hujus ignorantiæ deſpiciens Deus. Hoc dicebat meritò Paulus Athenienſibus involutis in erroribus gentilitatis, & idololatriæ. Sed tamen verè poteſt hoc prædicari multis chriſtianis; de quibus poteſt dici, quod ignoto Deo offerunt ſuam vitam: quia maxima pars chriſtianorum involuta vivit in tenebris ignorantiæ in iis, quæ ſpectant ad ſalutem;& vitam æternam.Multi quidem multa ſciunt,ſed ſeipſos neſciunt;alios inſpiciunt,libros,quinterna,Doctores rerum mundanarum inſpiciunt,voluunt; quærunt,interrogant, & ſeipſos deſerunt.Deum quærunt per iſta exteriora deſerentes interiora ſua,in quibus habitat Deus.O grande malum ſcire omnia alia, & ſeipſum ignorare. Noveris licèt multa myſteria, multas ſcientias;noveris lata terræ,alta Cœli,profunda maris, ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento,ruinam,non ſtructuram.*Op.Phær. l.3.ſap.7. & 29.myſtic. Theol. in præfat.*

198. *Deus eſt cauſa univerſalis, prima, & immediata omnium rerum.*

In ipſo enim vivimus,movemur,& ſumus. In hac propoſitione voluit Paulus inſtruere Philoſophos iſtos primò circa veritatem unius principii univerſalis naturalis, ex quo una cauſa increata omnium rerum cognoſci poteſt, ut per talem notitiam eos induceret ad alias veritates ad fidem pertinen

lized by Google

tinentes. Nam in his verbis comprehendit totam philosophiam. Dicit enim : *in ipso movemur.* Sic innuit physicam , quæ est de ente mobili : *vivimus.* Innuit libros de anima ; *& sumus.* innuit metaphysicam ; quæ est de ente prout est ens : & sic dat intelligere in his verbis Deum esse primam causam omnium rerum, à quo sunt, esse causam omnia continentem, per quam salvantur in esse, & finem omnium, in quem tendunt : Et cum sit causa prima, & universalissima, & actualissima; ideo etiam in totum effectum; & in totam rei substantiam, etiam sine adminiculo alterius causæ. nec aliqua causa creata potest aliquid, vel modicum sine ipsa : ideo causa est immediata in omni actione, & re. *L.* 1. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 1. *& 2.*

199. *Deus vita, via & veritas nostra.*

In quo vivimus, movemur, & sumus. Confer ista Pauli verba cum illis Christi. *Ego sum via, veritas, & vita Ioan, c.* 14. continent enim eundem sensum. Christus enim est nobis vita, per quam à morte liberamur, via per quam movemur, veritas, per quam sumus, est enim via, per quam sine deviatione ad Cœlum sine manuductore, & errore itur. Veritas, per quam sine falsitate : & vita sine morte. *In Ioan. c.* 14. *v.* 6. *c.* 10. *v.* 10. *& c.* 5. *v.* 26. *& collat.* 1. *&* 16.

200. *Sicut omnis actio in genere naturæ est à Deo, sic multo magis in genere moris.*

In ipso vivimus, movemur, & sumus. Nota, quod hæc verba possunt intelligi tum in ordine naturæ, tum & moris. dat igitur intelligere, quod totum nostrum esse, & agere est à Deo; ut à causa immediata cum sit causa primordialissima; ob idque influentiæ maximæ in causas secundas, & adeo, quod nihil etiam modicum, dummodo sit ens, procedere potest à causa creata, nisi cooperante causa prima : & hoc est ; quia causa creata de se defectiva est, nec est purè activa ; ideo indiget adjuvari ab ea potentia quæ est actus purus independens; & sibi soli sufficiens, à qua quodcumque est essentialiter dependet. Et si hoc in genere naturæ, multò magis in genere moris. Unde licet homo possit de se (difficiliter tamen) exire in aliquod bonum moris, ordinabile in finem ultimum; non tamen ordinatum; nec potest exire in opus quodcumque illud sit bonum, quod sit ordinatum in finem, disponens aliquo modo ad bonum perfectum, & meritorium sine auxilio divinæ gratiæ. *L.* 2. *d.* 28. *q. uls. & d.* 37. *a.* 1. *q.* 1. *sequent.*

201. *Homo quomodo dicitur esse de genere Dei.*

Ipsius enim & genus sumus : genus ergo cum simus Dei. Quomodo hoc dicitur de homine? quæ enim sunt ejusdem generis sunt ejusdem naturæ, & substantiæ : ergone erit homo ejusdem naturæ cum Deo ? Sed tamen hæc propositio sane intelligenda est ; scilicet non de homine quantum ad corpus, sed quantum ad animam, non quod participet univocè eandem naturam Dei, nec quod sit creata de Dei substantiâ, sed per quandam analogiam ; scilicet secundum convenientiam aliquam in spiritualitate, & nobilitate. Cum enim sit ad imaginem Dei creata, participat etiam nobilissimas Dei perfectiones quoad intellectum, voluntatem, & memoriam. *L.* 2. *d.* 17. *a.* 1. *q.* 1.

202. *Homo est, vel consanguineus cum Christo, vel consanguineus diaboli.*

Genus ergo cum simus Dei, &c. Ad quid in medium portat Paulus hoc genus Dei, cum verè, & Philosophicè loquendo non sit homo ejusdem naturæ cum Deo ? Sed tamen altissimè loquebatur, quia intendebat introducere Athenienses ad cognitionem Christi redemptoris, ideo volebat edocere, quod sicut quoad animam poterat homo dici ex genere Dei, sic statim ac Deus factus est homo, homo factus est etiam consanguineus Christi, & de genere suo, & Christus de genere nostro, factus est ergo Deus ex genere nostro, ut redimeret quod fuit de genere suo, scilicet animam ab ipso creatam : & ideo si hoc corpus nostri generis dignatus est assumere, ergo quantò vilius hoc, tanto clementia plenius. E contra potest dici de peccatore, quod cum per peccatum filius diaboli sit, etiam & de genere diaboli factus. *Ser.* 1. *in vigil. Nativ.*

CAPUT. XVIII.

In hoc capite agitur de adventu Pauli Corinthum ; & quid ibi ei acciderit : & postea de transitu ejus in Syriam : & tandem de adventu Apollo in ephesum, ejusque prædicatione.

203. *Caveant Episcopi ne gravent superfluis expensis Parochias in earum visitatione.*

Erant autem scenofactoriæ artis, & Paulus operabatur apud eos. Vide, quod Paulus manibus operabatur cum hospitibus suis in eadem arte scenofactoria, ne gravarentur. In hocque dedit exemplum Episcopis, qui sunt successores Apostolorum, ne gravent in expensis Abbatias, & Parochias, quâdo visitãt suas Diœcèses. *Glossa Moralis.*

204. Verbum Dei tabernaculum Ecclesiæ, protegens ab ardore cupiditatis, & à pluviis carnalitatis, & à ventis superbiæ, & vanitatis. Quod significatur in tabernaculis quæ faciebat Paulus, laborando manibus in tempore suæ prædicationis. *Sic eadem Glossa moralis.*

205. *Principes sæculares non se intromittant in judicando spiritualia, & Ecclesiastica.* Sic fecit Gallius Proconsul in civitate Corinthi, qui videns quæstiones excitatas in materia religionis inter Judæos, & Paulum, dixit. *Judex ego horum esse nolo.* Dans per hoc exemplum judicibus, ut non se intromittant de impertinentibus ad ipsos. *Sic Gloss. moralis. op. Eccles. Hier. p.* 2. *c.* 4. *&* 6.

206. *Fides velut granum sinapis mirabilia operatur in anima.*

Quidam Apollo nomine venit Ephesum. Hic Act.

doctus circa myſteria fidei, & fervens ſpiritu; ideo ferventer prædicabat, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Ieſu. Nota, quod de iſto Diſcipulo Pauli, cum etiam eſſet neophitus, & novitius in fide chriſtiana, tamen fervebat interius, & exterius cum facundia, & ſine timore prædicabat Ieſum. Ex quo patet quid operatur fides in corde hominis: nam & illuminat intellectum, & inflammat affectum, & inducit hominem ad omnia opera etiam difficillima: ſic enim Apollo interpretatur mirabilis, quia virtute fidei talis verè erat. *In Luc. c. 17. v. 6.*

CAPUT XIX.

In hoc capite enarratur profectio Pauli in Epheſum, & id quod ibi fecit: & deinde propoſitum ejus eundi Hieroſolymam, & poſtea Romam.

207. *Miracula quæ fiunt per tactum reliquiarum, & veſtium ſanctorum quid nobis prædicant.*

Virtutes non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli (non quaſlibet, ideſt non modicas, ſive quantumlibet magnas) itaut etiam ſuper languidos deferentur à corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores; & ſpiritus nequam egrediebatur. Vide unde in Eccleſia derivavit piiſſimus uſus conſervandi apud fideles, & in Eccleſia reliquias ſanctorum: & non ſolùm particulas corporum, ſed & fragmenta veſtium, ſemicinctoriorum, & aliarum rerum, quæ tetigerant ipſa corpora, vel quæ inſervierant ipſis ſanctis, qui uſus primo deſcendit à Chriſto, qui ex ſolo tactu fimbriæ veſtis ſanavit mulierem à fluxu ſanguinis: & poſtea à SS. Petro, Paulo, & Apoſtolis in praxi poſitus: & hinc frequens factus in Eccleſiâ. Et cum per iſtas reliquias Deus operetur multa miracula, & prodigia; hinc primò edocemur qualî veneratione ſint à nobis tractandæ tales reliquiæ. Secundò quanta, & qualis ſit virtus Chriſti operantis per ſuos ſanctos tot mirabilia. Tertiò & hinc eruere debemus, quod ſi tam ſalubre eſt per fidem tangere fimbriam, veſtem, &c. quàm ſalubre erit tenere, & ſpiritualiter poſſidere ipſum Chriſtum, & ſanctos ipſos imitari, eorumque ſanctam vitam. *In Luc. cap. 8. v. 44. Vide etiam Gloſ. in hunc loc.*

208. *Sanctarum reliquiarum veneratio nos debet incitare ad imitationem ipſorum.*

Itaut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, &c. Non ſine maximo myſterio fit mentio hîc de ſudariis, & ſemicinctiis, quæ tetigerant corpus Pauli; cum etiam credendum ſit per alia inſtrumenta, vel Præcepta ejuſdem fuiſſe patrata multa miracula: nam per ſudarium, quo laborantium ſudor extergitur ſignificatur exemplum patientiæ ipſorum ſanctorum, & per ſemicinctia exemplum manſuetudinis in tribulationibus, & preſſuris, quibus Deo ſervierunt, & ideo per iſta inſtrumenta, ſicut & per alias reliquias ſanctorum invitamur fideles ad ipſorum imitationem, ut cum ipſis coronentur in Cœlis poſt hanc vitam. *Ser. 3. Dom. 3 quadrag.*

209. *Valde periculoſum eſt ſe ingerere in officio, vel exercitio exorciſtatus ſine fide.*

Erant autem quidam Iudæi, qui tentaverunt invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Ieſu, dicentes: Adjuro vos per Ieſum, quem Paulus prædicat. Et hi erant ſeptem filii ſcevæ Principis ſacerdotum. Vide ad qualem audaciam devenerant iſti Iudæi, qui ſine fide, nec credentes in Ieſum, tamen tentabant in virtute nominis Ieſu, apud ipſos abominabilis, liberare obſeſſos à diabolo. Sed quid eis accidit? reſpondens ſpiritus nequam, dixit eis: Ieſu novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? & inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium peſſimum, & dominatus amborum, ſcilicet filiorum ſcevæ exorcizantium, invaluit contra eos; ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. Ut videas, quod licèt dæmones timeant nomen Domini Ieſu, etiam ab hoſtibus Chriſti invocatum: tamen valde periculoſum eſt ſe ingerere in tali miniſterio, & in cæteris, quæ ſunt propria miniſtrorum Chriſti, ejuſque diſcipulorum ſine fide, & cæteris conditionibus ad id munus requiſitis. *In Luc. c. 9. v. 50.*

210. *Dæmonis crudelitas in homines expenditur.*

Invaluit contra eos, ita ut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa. Ex hoc, quod fecit diabolus contra iſtos filios ſcevæ, licet malos, & ipſius diaboli amicos, & confœderatos, patet qualis crudelitas diaboli in homines, abſque eo, quod nemini pareat, ſed ſemper inexorabilis inimicus cujuſcumque hominis quærit, & tentat, & inhiat ad ſtragem ad damnum, & ruinam hominum. Et cum hoc ſit veriſſimum, & experientiâ, & ex fide ſancta certiſſimum, tamen tot, & tot ſtulti ſunt, qui ſe, & ſua tam facilitet diabolo devovent. *In Luc. c. 8. v. 26.*

CAPUT XX.

Hoc caput continet reditum Pauli ab Epheſo per Athenas in Macedoniam, ubi ſuſcitavit juvenem qui cadens de feneſtra obierat, & deinde profectus Miletum; ibi congregatis majoribus natu ab Epheſo, eis prædicavit, ſe ipſis valedicens, omnibus flentibus, & dolentibus.

211. *Non*

211. *Non sufficit bonum inchoare absque perseverantiâ usque} ad finem.* Sic faciebat Paulus; ideo congregatis majoribus natu Ephesi, scilicet Presbyteris,& ministris Ecclesiæ,dicebat. *Vos scitis à prima die* qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino cum omni humilitate, & lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt, &c. *In Luc.c.1.v.75.*

212. *Prædicatio verbi Dei qualiter facienda exemplo Pauli.*

Vos scitis quoniam non subterfugi quominus annunciarem vobis omne consilium Dei Docet in his, & sequentibus verbis hic sanctus prædicator quod publicatio doctrinæ christianæ perfecta debet esse, scilicet sine intermissione, tempore, & loco congruo: sine exclusione alicujus; non in secreto sed in publico loco; idest in templo: item sine alicujus doctrinæ utilis celatione. *In Luc. cap.9. vers.47.*

213. *Prælatus,& Prædicator non cesset laborare pro salute animarum ob persecutiones, quas sibi videt imminere.*

*Et nunc ecce ego alligatus spiritu, vado in Jerusalem;qua in ea ventura mihi sunt,ignorans.nisi quod spiritus sanctus mihi per omnes civitates protestatur dicens: quoniam vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent, &c. sed nihil horum vereor, &c. dummodo consummem cursum meum.*Ecce typus,& exemplar perfecti Prælati; & Prædicatoris zelantis salutem suarum ovium. Paulus veluti spiritu Dei alligatus, & impulsus, ignorabat ex se; sed ex revelatione aliis à Deo facta sciebat, quod in illa civitate, in qua persecutus, fuerat Ecclesiam, & Christum;pro Ecclesia,& Christo imminebant sibi gravissimæ persecutiones; quibus non obstantibus,ut suum cursum,& munus dignè exerceret, & ut oves Christi à ferocitate luporum defenderet, infideles converteret, & conversos stabiliret in fide, voluit ire in Jerusalem; hoc enim exigit obligatio pastoralis, nec desistere relinquit, quando agitur de salute ovium.*In Luc.c.19.v.28.* Hocque exemplum potest applicari ad parochos tempore pestis.& mortalitatis, ut videant se non posse eximere ab exercitio sui muneris pro ovibus salvandis.

214. *Anima perdenda, ut lucretur.*

Nec facio animam meam pretiosiorem quam me; dummodo consummem cursum meum. Quid est animam pretiosiorem non facio quàm me? nonne anima pretiosior omnibus, quæ sunt in nobis? Sed attende ad duplicem animam nostram; scilicet ad animam animalem; quæ respicit, & vivificat corpus;& animam spiritualem,quæ est mens, & ratio superior, quæ respicit Deum; primam animam, scilicet vitam corporalem, non æstimat sed spernit,ut ipsam perdendo acquirat aliam,scilicet Deum.& vitam æternam:qui enim perdiderit animam suam propter me (ait Christus) inveniet eam. O felix perditio, ad quam inhiabat Paulus, ut suum munus adimpleret, & ut Christum lucrifaceret,Ergo ô homo,si deseras propriam voluntatem, si corporis voluptatibus perfecte renuncies,si carnem crucifigas, si membra mortifices, imitatorem Pauli te esse probabis. *In Ioan.cap.12. v.25.In Luc.x.9.v.14.*

215. *Prælati prius sibi postea gregi attendant.*

*Attendite vobis, & universo gregi in quo vos posuit spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei,&c.*Nota, quod loquens Prælatis,& prædicatoribus,dicit prius:attendite vobis, postea gregi: nam hic est ordo laborantium in vinea Domini, & regentium populos prius invigilare circa propriam correctionem,quam circa peccata proximi, ne fortè dicatur intendenti correctioni alienæ, & negligenti suam: qui alium doces, te ipsum non doces.*Rom.c.2.* Stà igitur super te, & postea super gregem tuum.*In Luc.c.17.v.3.*

216. *Pastor reddet rationem Deo pro anima sua,& subditorum:subditus pro anima sua tantum.*

Attendite vobis,& universo gregi, in quo vos posuit Episcopos. Notent hanc terribilem sententiam Prælati: attendite vobis, & universo gregi: nam hoc discrimen in judicio erit inter Prælatos, & subditos; quòd à subditis exigetur ratio tantum pro anima propria:à prælatis & pro propria, & etiam subditorum: Unde dicit: attendite vobis, & universo gregi. Nota,ly,universo gregi; quod complectitur totum gregem sine acceptione alicujus: scilicet exiget rationem regiminis vestri, & curæ vestræ habitæ tam circa ovem sanam, quàm infirmam,tam circa pauperes, debiles, miseros,vilissimos quam nobiles,divites, pulchros, & conspicuos.O quam durum judicium,& durissimum judicium fiet his,qui præsunt. *In Luc.c.12. v.48.*

217. Prædicatio facienda libenter,& incessanter, maximè ubi adest necessitas pro salute animarum exemplo Pauli, qui dicebat. *Quoniam per triennium non cessavi die, ac nocte monens unumquemque vestrum,&c.In Eccles.c.11.*

218. *In quo sensu dicitur à Paulo: quod Beatius est magis dare, quam accipere.* Nota autem, quod hanc sententiam protulit tamquam dictam à salvatore, quæ tamen in Evangelio non invenitur; quia non omnia dicta Christi sunt in ipso adnotata. Dicitur autem quod beatius est magis dare, quàm accipere, quando acceptio eleemosynæ venit ex necessitate naturæ: non autem quando venit ex supererogatione justitiæ: quando scilicet homo pro Christo relinquit omnia, & se in paupertatis statum collocat: tunc enim beatius est accipere,quam esse in statu, quo possit aliis dare. *Op. de paup. Christi q. 1. art.2. ad 5.*

Digitized by Google

CAPUT XXI.

In hoc capitulo enarratur profectio Pauli de Tyro ad Cæſaream, ubi Agabus Prophetà prædixit ei perſecutiones Iudæorum ſibi in Ieruſalem imminentes: & deinde quid ſibi acciderit in Ieruſalem.

219. *In domo ſapientiæ commorantur quatuor ejus filiæ ſcilicet virtutes Cardinales.*

ET *intrantes domum Philippi (hic erat unus ex ſeptem diaconibus) manſimus apud eum: hic erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* Cur fit mentio de ingreſſu in domum Philippi Diaconi, & ejus quatuor filiarum prophetantium? Hoc dicitur, quia domus Philippi erat domus ſanctitatis: Philippus enim interpretatur os lampadis, ſignificans, quod in hac domo vigebat ſapientia cœleſtis cum quatuor filiabus; ſuntque quatuor virtutes cardinales: dicuntur autem iſtæ virtutes conſuetudinales, Politicæ, & cardinales; quia per iſtas ordinatur homo ad ſe, ad proximum, & ad Deum. *In Luc. c. 2. v. 38.*

220. *Charitas, & amor Dei animam accendit in deſiderio pro Chriſto patiendi*: ſicut dicebat Paulus iis qui ipſum ſuadebant plangentes, ne iret in Jeruſalem, ubi audierant ſibi paratas pœnas, flagella, carceres, & mortem. *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.* O charitas Dei quid, & qualia operaris in pectore diligentis Chriſtum? Cor enim Pauli totum ignitum fuit, & ideo libenter ſe injiciebat inter tribulationes, & perſecutiones pro amore Chriſti. *In Luc. c. 6. v. 22. c. 9. v. 24. ſerm. 1. de S. Nicolao & ſer. de S. Thom. in addit.*

CAPUT XXII.

In hoc capite Paulus jam captivus in Ieruſalem, cum vellent ipſum flagellare, declaravit ſe Civem romanum propter quod ſolutus eſt, & poſtea examinata fuit ipſius cauſa.

221. STudium Sacræ ſcripturæ venuſtatem imprimit in concionibus, & ſcriptionibus ſacris; ut evenit Paulo; qui ut ſe proteſtatur hîc in ſermone facto Populo Iudæorum, eruditus valdè erat ſub Gamaliele magiſtro; & ideo hanc eruditionem poſt converſionem ad fidem Chriſti convertit ad amplificandum ſenſus miſticos ſacræ ſcripturæ, ut patet in omnibus ſuis epiſtolis. *Ser. 19. Hexam.*

CAPUT XXIII.

In hoc capite enarratur quomodo Paulus proteſtatur coram concilio ſe converſatum fuiſſe rectè coram Deo: & deinde quomodo ſi paravit ſaduczos, & Phariſæos inter ſe. Et tandem quomodo ductus eſt Ceſaream per milites ad Felicem præſidem pro expeditione ſuæ cauſæ.

222. PAries dealbatus eſt Prælatus hypocrita ſub ſpecie juſtitiæ, injuſtitiam, & mala opera faciens. Sic Paulus appellavit ſummum Pontificem Judæorum, ex eo quod præceperat Paulum percuti in ore ob verba, quæ protulerat de ſeipſo, ejuſque converſione. *Paries dealbate,* ait, *percutiet te Deus*, Paries dealbatus verè eſt hypocrita, aliud exterius demonſtrans, aliud interius exiſtens. *In Pſal. 26.*

223. *Non ſemper exterius percutienti maxillam, altera eſt præbenda: ſed tantum pro loco & tempore, ſemper tamen paratus debet eſſe quiſque Deo ſerviens ad patientiam.*

Percutiet te Deus paries dealbate. Eſt hoc mirum, quod reſpondit Paulus Pontifici, qui juſſerat ipſum percuti in ore. Cur non obſervavit præceptum Domini? *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam præbe illi, & alteram?* Sic etiam & de Chriſto legitur reſpondiſſe ſibi percutienti. *Si malè locutus ſum, &c.* ergone aliud præcepit Chriſtus, aliud fecit? ergone Paulus qui ſe proteſtabatur paratum ad vincula, & ad mortem, ſic acerbè reſpondit Pontifici injurianti? Sed reſpondetur, quod in hoc, & conſimilibus præceptis ordinatur homo magis ad præparationem cordis interiorem, quàm ad opus, quod in aperto fit, ut teneatur in ſecreto animi patientia cum benevolentia. In manifeſto autem fiat, quod eis videatur prodeſſe poſſe quibus benè velle debemus: Unde Dominus Ieſus non præbuit alteram maxillam percutienti, ſed potius prohibuit ne qui fecerat augeret injuriam, & tamen paratus erat non ſolùm in faciem percuti, verum etiam pro illis crucifixus occidi. *Sic & Paulus. In Ioan. c. 18. v. 23.*

224. *Ubi affectiones dominantur, ibi falsitas regnat: ablatis affectionibus, veritas manifesta fit.*

Sciens Paulus, quia una pars esset saduceorum, & altera Pharisæorum, exclamavit in Concilio: Viri fratres Ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum: de spe, & resurrectione mortuorum ego judicor. Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos, & saduceos, & soluta est multitudo, &c. & surgentes quidam Pharisæorum pugnabant, dicentes: nihil mali invenimus in homine isto. Quid si spiritus locutus est ei, aut Angelus? Notabilissimum est hoc factum, & plenum multis, gravibusque documentis. Primò enim Paulus vera, & mirabili arte se declarans Pharisæum, hanc malorum colligationem perniciosam veritati dissoluit. Secundò tali arte Pharisæorum error ablatus est. Cum enim primo ipsum Paulum Pharisæi ad mortem quærerent, & intentarent; cum audissent ipsum esse Pharisæum, sententiam mutarunt, dicentes; ipsum nihil mali fecisse, & spiritum Domini ei locutum fuisse, vel Angelum cœlestem. Ex quibus patet, quod ubi affectiones nimiæ dominantur, ibi regnat falsitas: ubi tolluntur, ibi veritas elucet. *Sic Glossa ad sensum etiam Seraph. D. In Luc. c.20.v.39.* Addimus quod etiam sæpe evenit idem apud congregatos pro electionibus, aliisque dispositionibus publicis: nam cum aliquis se declarat affectum ad aliquam partem, tum quem prius exosum habebant, veluti Angelum pacis recipiunt: & è contra qui anno elapso erat in ma æstimatione veluti tuus inimicus, nunc factus tuus consors, apud te tenetur ut amicus, &c.

225. *Peccator in peccando contra se excommunicationem fulminat.*

Devotione devovimus nos, nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Sic dixerunt Principi sacerdotum Saducæi. Sed quid est devotione devovimus? in græco legitur anathematizaverunt se, quod verbum, ait Beda, quantæ sit auctoritatis, norunt qui anathemate sacerdotali à consortio Christi, & Ecclesiæ alienantur. Ergo sub pœna excommunicationis unanimiter mutuo proposuerunt Paulum occidere: quod est simile juramento Herodis. Sicque sub specie juramenti, & sanctitatis, nempe ne inciderent in excommunicationem volebant occidere justum. Sed tamen jam in foro Dei anathematizati sunt. Hic enim est fructus peccati mortalis, ob quod in foro Christi, & occulto statim incurrit homo in excommunicationem, scilicet in separationem à Christo, & ab Ecclesiæ suffragiis. *Hæc ex Beda, & Glossa & ad sensum S. Bonavent. Psalm. 8. l.3.d.19.art.3. quæst.2.& l.4. d.15. p.1. art.1. q.3. quæst.3.ad arg.*

CAP. XXIV.

In hoc capite enarratur accusatio Pauli facta à Principe sacerdotum, & sociis: carceratio ejusdem Pauli per biennium: aliaque super tales accusationes, & carcerationem: qua historia per se est clara nec supervenit aliqua expositio ex Seraphico Doctore.

CAP. XXV.

Fit prosecutio in hoc capite accusationis, & carcerationis Pauli: ipsius appellatio ad Cæsarem: & confessio præsidis de innocentia Pauli. In quo capite nihil est expendendum, cum historia sit de se nota: solumque memoriæ judicum refricatur illa lex Romanorum. Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores: locumque defendendi accipit ad abluenda crimina, quæ ei objiciuntur. In Luc. c.23 v.13 & in Ioan. c.18. v.30.

CAP. XXVI.

In hoc capite Paulus Agrippæ regi enarrat suam vitam, persecutionem intentatam in Christianos; suam conversionem ad Christum, & deinde persecutiones passas propter fidem Christi, & in hoc capite nihil habemus de Seraph. Doct.

CAP. XXVII.

Hoc capitulum continet profectionem Pauli, ejusque navigationem Romam versus sub Centurionis, & militum custodia: variaque pericula quibus in hoc itinere subjecti fuere.

226. *Submersio in mari huius vitæ imminet ei qui onera peccati portat in navi animæ.*

Validâ tempestate nobis jactatis, sequenti die jactum fecerunt, & tertia die suis manibus armamenta navis projecerunt. Hoc fecerunt nautæ exonerantes navem, in qua ducebant Paulum victum Romam; ne occasione maximæ tempestatis omnes perirent. Mystice nobis insinuatur, quod enavigantes in mari procelloso & tempestatibus continuis hujus mundi, si nolumus submergi, jactare debemus omnia onera temporalia: scilicet res alienas restituendo, & eleemosynas erogando. Ergo si vis salvus ad portum salutis pervenire, abjice à te divitiarum vincula voluntaria: abjice anxietates, & tædia quæ te pluribus annis inquietant. *Ser. 4 Dom. passion. & ser. 1: Dom. 4. Pent.*

227. *Sine navi obedientiæ & patientiæ non poteſt homo duci in portum ſalutis.*

Niſi in navi manſerint (ſcilicet nautæ) vos ſalui fieri non poteſtis. Sic dixit Paulus Centurioni, occaſione qua nautæ tentabant fugere ad litus, per Scapham, & deſerere navem. Quod & myſticè refertur ad navem vel obedientiæ, vel patientiæ in tribulationibus; de qua hîc adnotatur, quod homo navigans hanc vitam, debet intrare in navem ſecuram à quocunque periculo; quæ navis eſt obedientia, & patientia. *In Luc. c.5. v.7.* Vel etiam intelligitur de navi Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus: & ideo qui enavigant extra ipſam, damnantur. *In Luc.c.17.v.27.*

228. Jejunium, & continuatio jejunii virtutem habet liberandi homines ab omni periculo. Hinc eſt, quod Paulus in tempeſtatis medio exiſtentibus ſuaſit jejunium. *Ser.6.Ciner.*

CAP. XXVIII.

In hoc ultimo Capitulo S.Lucas notat, quod Paulus, & ſocii pervenerunt ad melitam Inſulam, ubi humaniter excepti fuere, narrat varia mira ibi facta à Paulo: & deinde adventum Pauli Romam, ubi viſitatus fuit à fratribus, & confutationem Iudæorum factam à Paulo ſua pradicatione: ubi per duos annos permanſit: ſed tamen cum libertate agendi, quicquid vellet, id permittente Nerone, & poſtea per alios decem permiſſus fuit per occidentem evangelium pradicare: tandem reverſus Romam, dedit vitam pro fide Chriſti. Et hic explicit poſtilla S.Bonav. in Actus Apoſtolorum ad gloriam Domini Ieſu Chriſti. In cujus virtute confidimus, quod ipſius vita, & SS. Apoſtolorum maximeque S. Pauli, cujus perſecutiones, & afflictiones enarratæ in hoc libro ſunt innumera imitatores facti ad regnum illud calorum pervenire merebimur; quod tanto ſpiritu, & fervore, & facundia pradicabat Apoſtolus: tamquam finem ultimum ſuorum egregiorum operum. Amen.

EXPOSI

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ

IN EPISTOLAM DIVI PAULI AD ROMANOS.

EX DIVO HIERONYMO

PRÆFATIO.

NOTA, quod Epistolæ, quæ post Evangelicam historiam superadduntur in Biblia scriptæ à Sanctis Apostolis, sunt quatuordecim, decem ad Ecclesias, quatuor ad personas; sunt que veluti superadditiones, vel postillæ, vel potiùs commentaria, & explicationes Evangelii: In primo loco autem ponitur Epistola ad Romanos, quam Paulus scripsit partim dum erat Athenis, & perfecta, dum erat Corinthi: Romanis autem scripsit pro altercatione, quæ erat inter Judæos, & Gentiles conversos: nam Judæi se profitebantur descendentes ab Abraham, & ideò meliores; & primum locum mereri; & Gentiles tamquam Idololatras in posteriori loco, & veluti servos tractandos: Gentiles è contrà objiciebant Judæis suam obstinationem, persecutionem motam in Christum, & alia multa scelera, in quæ prolapsus erat ille populus; ipsos autem statim Evangelium percepisse, & hoc ex bono ingenio & optima natura; itaque ex utraque parte superbia vigebat, & nullâ humilitas. Ex quibus patet, quàm misera sit hæc nostræ humanitatis conditio, & quàm prona ad malum, ut patet etiam in primis credentibus nascentis Ecclesiæ S. Paulus verò se quasi medium interponit, utrosque confutando, totusque est in hoc, scilicet in invitando eos ad humilitatem, & ut totum attribuant gratiæ Dei, sine qua homo nihil boni potest. *Vide Prol. D. Hieron. & aliorum apud Glossam; & quæ tradit Cornel. à Lap. in proam. ad epistolam hanc.* Ubi fusè vitam, & mores, & sapientiam, & genus, aliaque de Paulo tradit; ubi etiam adnotat varios Canones, & regulas pro facilori intelligentia sensuum Apostoli, mirabiles quidem, & dignissimas.

CAPUT PRIMUM.

1. Nota quòd Apostolus in hoc primo capite ostendit omnes Judæos, & Paganos peccasse recedendo à Deo, & convertendo se turpissimè ad creaturas, ad idola, & alia scelera enormissima, & ideò omnes antè Christum peccatis, & iræ Dei fuisse obnoxios, ut inde concludat omnes egusse Evangelio, fide & gratia Redemptoris Christi Jesu.

1. Paulus cur ex Saulo vocatus.

PAULUS *servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei. &c.* Nota, quod Paulus se commendat à nomine, ibi *Paulus*; à conditione, ibi *servus Jesu Christi*; à dignitate, ibi *vocatus Apostolus*; ab officio, ibi *segregatus*: Quæritur autem cur, cum appellaretur prius Saul, nunc se appellat Paulum? Resp. quòd ut *ait S. Hieron.* reliquit nomen Saulis, quando conversus est ad suam prædicationem Paulus Sergius Proconsul; hæcque mutatio nominis fuit ad ostendendam suam profundissimam humilitatem; vocabatur enim prius à Saule

Saule ſuperbiſſimo Rege,ex cujus tribu deſcenderat;& quia Paulus interpretatur modicus, & deſpectus, ut ſe minimum Apoſtolorum oſtenderet, voluit appellari Paulus.*Ser.1.in Converſione:Vide quæ hic tradit doctiſſimè Cornelius,&c.*

3. *Chriſtus ab Apoſtolo declaratus filius Dei,& Mariæ Virginis.*

De filio ſuo,qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem. Cur dicitur factus ex ſemine David,& non natus? & ſi factus, ergo poterit dici creatura? & ſi factus, ergo Virgo Maria non fuit vera Mater Chriſti,ſed à Cœlo in Virginem allatus, & factus? ut voluit Valentinus hæreticus; quod eſt impium dicere. Reſp. quòd cum Verbum eſſet Filius Dei, etiam dicitur factus homo; melius enim dicitur factus,quàm natus, quia factus ſignificat humanam naturam Chriſti, illamque in Virgine, & ex Virgine formatam, idque non ex copula viri,ſed virtute Spiritus Sancti factam, & productam accepiſſe, ut eſſet ſecundùm humanitatem ſine Patre; ſecundùm divinitatem ſine Matre; & hinc inſinuat, quòd Beata Virgo Maria non ſolùm materialiter concurrit ad productionem Chriſti ex virtute Spiritus Sancti, ſed etiam effectivè per virtutem propriam, ſed tamen à Deo elevatam ad vim ſuprà naturam, & quia hæc virtus fuit elevata ad formationem corporis in inſtanti, ideò dicitur factus,non dicitur natus, ut clariùs exprimatur concurſus mirabilis ſpiritus ſancti, & Mariæ ſimul; nec ob id poteſt dici abſolutè creatura, niſi cum reſtrictione prout eſt homo, cum hoc nomen denominet perſonam, non naturam. Ex quibus elicitur nobilitas excellentiſſima Chriſti ſecundum carnem,& Mariæ ipſum generantis; apparet enim nobilitas naſcentis in virginitate parientis, & nobilitas parientis in divinitate naſcentis; & cum ſit ſecundùm carnem, hinc etiam infertur conſanguinitas noſtra cum Chriſto. *Ser. 8. Nativ. ap. ſpecul. B. Virg. lect.16. Luc.c.18.v.38. cap.20.v.44.lib.3. d.4.a.3.q.1.ad 1.d.11.a.2. q.1.*

4. *Chriſtus quomodo dicitur prædeſtinatus Filius Dei; ut dicit hic Apoſtolus.* Reſp. quod ſi ſumatur Chriſtus ut homo, verè fuit prædeſtinatus à Deo ad eſſe Filium Dei, ſcilicet homo antequam eſſet prævisus, eſſet Filius, & ut homo eſſet Filius Dei: unde prædeſtinatio Chriſti quodammodo eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis, cum hoc diſcrimine tamen, quod homo prædeſtinatus eſt de maſſa perditionis, Chriſtus verò ex pura gratia ratione humanæ naturæ aſſumptæ à Verbo, quatenus ſequitur divinam diſpoſitionem,& ordinatur ſimul ad gratiam, & gloriam. *Lib.3.d.7. a.2.q.3.& d.10.a.1.q.1.& d.11. a.1. q.1. Luc. c.1. v.35.Ioan.c.17.v.4.* Idem & dicendum de Reſurrectione (addit enim ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti) quia Reſurrectio Chriſti eſt exemplar noſtræ futuræ.& veluti inchoatio reſurrectionis omnium mortuorum, veluti membrorum in capite. *Lib.4.d.13.a.1.q.6.*

5. Salutatio proximi ſit optativa gratiæ, & ſalutis exemplo Apoſtoli, qui in ſuis epiſtolis ſalutabat eos, ad quos ſcribebat, hac ſalutatione optativa gratiæ. ſaluris, lætitiæ,& benedictionis. *Gratia vobis, & pax à Domino Ieſu Chriſto. opuſc. Comp.Theo.lib.4.c.2.* Et hinc Seraph.P.S.Franciſcus hortatur ſuos fratres,ut in ſalutando utantur conſimili modo optativo ſalutis, Deus det vobis pacem, ſcilicet gratiam ſuam, & hoc eſt, ait Chryſ. quia juſtorum ſalutationes ſunt tacitæ preces, & benedictiones potentes, efficaces, & impetrantes à Deo bona.

6. *Modi jurandi varii expenduntur.*

Teſtis eſt mihi Deus; cui ſervio in ſpiritu meo. Quæritur hîc quale juramentum ſit hoc aſſumptum ab Apoſtolo. & qua neceſſitate? Reſp.quod in forma juramenti introducitur ſemper ipſa veritas in teſtimonium; & hoc poteſt eſſe multipliciter; primò in quantum tenet rationem principii, & ſic juratur per Deum prout importat habitudinem principii, aut ſin quantum tenet rationem præcipientis, & cognoſcentis tali pacto: Teſtis eſt mihi Deus, ſive ſcit Deus, quod idem eſt; aut in quantum tenet habitudinem principii retribuentis reſpectu bonorum,ut vivit Deus, qui vitam aliis tribuit; aut in quantum tenet rationem retribuentis reſpectu majorum, tali pacto; Hoc faciat mihi Deus, & hoc addat. In veteri teſtamento uſus erat iſte; Vivit Deus,&c.& hoc mihi faciat, quia conſiderabatur divina veritas, ut vindicans, & ulciſcens. In novo teſtamento in primitiva Eccleſia, quia veritas nondùm erat manifeſta, ſed indigebat maxima evidentia, uſus communis erat iſte: Teſtis eſt mihi Deus; nunc verò primus modus clarus eſt in uſu, &c. *Lib.3. d.39.dub.3.a.2.q.2.* Ad aliud dubium reſpondetur, quòd tunc erat neceſſitas jurandi, quia ſcribebat pigris hominibus, & tepidis in fide,& quia oratio Pauli frequens erat in ſecretiis locis, ideò ut captaret ab eis fidem, & credulitatem in dicendis adducit in teſtem ipſum Deum. *Sic S.Auguſt.*

7. *Solius Epiſcopi eſt conferre Sacramentum Confirmationis ex poteſtate ordinaria,eiuſque munus, & obligatio ſicut & aliorum Prælatorum qualis confortandi debiles in via Dei.*

Deſidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis,ad confirmandos vos. &c. Quid eſt ad confirmandos vos: qualis erat iſta confirmatio, quam deſiderabat Apoſtolus in iſtis fidelibus? Nota, quòd in his verbis primò infertur, quòd cum Paulus eſſet Epiſcopus,& ob id ſuum munus eſſet, quale eſt proprium Epiſcoporum, conferre Sacramentum confirmationis, & per ipſum etiam plenitudinem gratiæ ſpiritus ſancti, deſiderabat adire Romam ad conferendum ipſis hoc tantum bonum: ſecundo quia cum ſciret ſe deſtinatum eſſe ad prædicandum Evangelium omnibus gentibus, & per prædicationem, exemplaritatem, & miracula ad confirmandum, & accendendum tepidos in Dei amore, & impellendum eos ad ulteriora in via perfectionis; & cum intellexiſſet valdè defeciſſe in hoc Chriſtianos degentes Romæ deſiderabat eis fieri præſentem, ut hanc partem exequeretur efficaciter ſecundùm ſpiritum ipſi à Chriſto collatum; Ex quo diſcant Prælati qualis ſit ipſorum obligatio præcipua; nempè excitare, promovere, impellere in via perfectionis ſubditos, maximèque tepidos,

Lib. 4. d. 7. a. 1. q. 3. Luc. c. 22. v. 32. op. de ſex Alis Seraph.

8. *Finis Prælatorum, & Prædicatorum in ipſorum exercitio qualis præfigendus.*

Deſidero videre vos. Cur hoc? ut aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis ad confirmandos vos. ideſt ſimul conſolari in vobis per eam, quæ invicem eſt fidem veſtram, meam, & veſtram, ut aliquem fructum habeam & in vobis; Ecce quales fines ſibi præfixerat Apoſtolus in itinere, quod propoſuerat ſæpè facere. Romam; volebat enim habere fructum in illis fidelibus pro illis, & de illis, in illis, ut converterentur ad Deum; pro illis, ut pro labore ſuo vita æterna fruerentur, hoc enim reputabat ſibi magnum præmium ſuorum laborum; & de illis, ideſt ut ad exemplum eorum alii converterentur; Ecce quid faciendum à Prælatis, & Prædicatoribus quid ſibi præfigere debent pro fine in ſuo munere. *Pſal. 9.*

9. *Prædicator, & Prælatus ſit indifferens, & omnibus communis.*

Græcis, ac Barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum. Nota illud verbum, debitor ſum; quodnam debitum hoc, & quando contractum; Nota etiam quod ſe debitorem facit & Græcis, & Barbaris, & ſapientibus, & inſipientibus, ſcilicet ſimplicibus, ignaris, ruſticis, pauperibus, ignobilibus; ô audiant Prædicatores, Prælati, Curati, Confeſſarii Apoſtolum, & diſcant, quando ad hoc miniſterium fuerunt aſſumpti ex ſingulari privilegio, ſe conſtitutos fuiſſe debitores communes omnium, & teneri ſuccurrere in neceſſitatibus maximè ſpiritualibus omnibus indifferenter, ſicut Chriſtus ſemper ſe communem exhibuit omnibus; & in hoc exercetur gradus ſupremis liberalitatis, & pietatis. *Luc. c. 4. ad finem. op. de grad. virt. c. 15.*

10. *Reprobationis ſignum patens eſt erubeſcere Evangelium Chriſti, & ea, quæ in ipſo ordinantur.*

Non enim erubeſco Evangelium: Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti. Nota hæc verba Apoſtoli, & ea confer cum aliis Domini Ieſu, *Luc. c. 9.* Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum, dat per hoc intelligere, quòd qui erubuerit; ideſt contemſerit crucem Chriſti tamquam ignominioſam, & ejus doctrinam, monita, documenta, præcepta, pœnitentias vel interiores, vel exteriores in Evangelio, & ſacra ſcriptura propoſitas, confundetur tamquam reprobus in facie omnium hominum in die judicii: & hinc patet, quod erubeſcere opera propria Chriſtianæ profeſſionis, eſt ſignum patens reprobationis. quia hoc eſt manifeſtè ſe opponere virtuti Evangelii, quæ ſola ſalutem affert animæ. *Luc. c. 9. v. 26.* Audiant hæc illi ſuperbi, qui aliquando invitati ad opera pœnitentialia externa renuunt, & erubeſcunt ipſa attipere.

11. *Evangelica doctrina medicamentum eſt efficax, & præſervans, & reparans ab omni malo.*

Evangelium; virtus eſt in ſalutem omni credenti. Nota illud verbum, virtus eſt: qualis virtus? ideſt doctrina Evangelica non conſiſtit in mero ſono verborum, ſed ſub cortice literæ continet virtutem medicinalem ad ſanandam animam ab omni infirmitate ſpirituali, & ad præſervandam eam ab omni malo: virtus divina Evangelium eſt in ſalutem omni credenti, & continens in ſe Deum, & omne bonum. *Op. lignum vitæ in præf. Ioan. proœm. & c. 21. in fine.*

12. *Idem argumentum de Evangelica doctrina: & de Evangelio in ordine ad ſalutem animæ, & corporis.*

Evangelium; virtus eſt in ſalutem omni credenti, juſtitia enim Dei in ea revelatur ex fide in fidem. Nota, quòd rationem Apoſtolus adducit, quare Evangelium eſt virtus in ſalutem omni credenti, quia juſtitia Dei, ideſt juſtificatio revelatur in eo ex fide in fidem; ſed quid eſt hæc revelatio juſtitiæ Dei, & tranſitus ex fide in fidem? Reſp. quòd iſta ſunt argumenta probantia, quòd Evangelium eſt virtus, ſcilicet Apotheca omnium theſaurorum Chriſti, & Eccleſiæ in qua fidelis anima invenit quod deſiderat, & quicquid eſt ſibi neceſſarium; ex eo, quòd juſtitia revelatur, ideſt exhibetur per Evangelium juſtificatio, & fit tranſitus ex fide in fidem, ſcilicet ex fide informi, ad fidem formatam per charitatem, & per hoc elevatur ad fidentiſſimam, & certiſſimam ſpem vitæ æternæ. *Ioan. proœm. lib. 3. d. 23. dub. 1. a. 1. q. 3. d. 36. a. 1. quæſt. 6. op. Cenſil. p. 3. ſer. 37.* Addimus hîc ex S. Auguſt. hanc ſententiam Apoſtoli extendi poſſe etiam ad ſalutem corporis; eſt enim generaliter vera; quia Evangelium eſt virtus, & cauſa inſtrumentalis, & vitæ ſpiritualis, & corporalis, idque non ſolùm voce, ſed etiam ſcripto, atque hinc orta eſt conſuetudo fidelium geſtandi Evangelium S. Joannis contra venena, veneficia, morbos, aliaque incommoda, quia verba divina non ſunt minoris efficaciæ, quàm reliquiæ ſanctorum, *Vide S. Auguſt. tract. 7. In Ioan, D. Thom. 22. q. 96. art. 4.*

13. *Exiſtens in peccato mortali ſemichriſtianus tantùm, non perfectè Chriſtianus dici poteſt.*

Revelatur enim juſtitia Dei in eo ex fide in fidem. Nota hæc verba, & pende alia ſupra poſita. *In quibus eſtis & vos vocati Ieſu Chriſti, omnibus qui ſunt Romæ dilectis Dei, vocatis ſanctis.* In his enim verbis docet Apoſtolus, quod Chriſtiani ſunt ſancti, quia ſunt vocati Ieſu Chriſti, ſcilicet de ſocietate, & fraternitate Chriſti; ſed quomodo ſancti, cum tot ſint inter Chriſtianos impii, & in peccato mortali viventes? ô attendant ad hæc Chriſtiani, qui profitentur Evangelium Chriſti, in hoc eſt virtus, per quam juſtitia Dei, ideſt juſtificatio per gratiã ſanctificantẽ obtinetur, & per quam homo tranſit à fide informi ad fidem

formatam charitate, per quam opera fiunt meritoria vitæ æternæ, unde Chriſtiani vocantur ſancti, ſcilicet vocati ſunt ad ſanctimoniam. cui debent ſtudere, ex quibus infertur quid ſit eſſe Chriſtianum, cujus munus, & obligatio eſt, non ſolùm credere per habitum fidei in Deum, ſed credendo, & amando ire in Deum per charitatem, & hinc Chriſtianus credens, ſed malè faciens ſemichriſtianus poteſt dici. *Ita ex loc. citat. & ex Gloſ. op. ſtim. p. 3. cap. 11. ſermon. 2. Dom. infra oct. Aſcenſ. ſermon. 2. Dom. 4. Pentec. Luc. c. 12. verſ. 54.*

14. *Quomodo dicitur, quòd juſtus ex fide vivit: Vbi de fidei magnalibus, & fide viva.*

Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt, juſtus ex fide vivit. Quæritur quomodo juſtus ex fide vivit, & non potiùs ex charitate, quæ vitam animæ & operibus tribuit? ſed attende, quod duplex eſt fides, ſcilicet vel informis, vel formata charitate, prima eſt habitus infuſus à Deo in anima, à voluntate acceptatus, quo captivatur anima in obſequium Chriſti, credendo omnia, quæ revelata ſunt à Deo, & ideò innititur ſummæ veritati propter ſe, & ſuper omnia; ſed quia fides ordinatur ad ultimum finem cognoſcendum, & amandum, ideò hæc non ſufficit ad perfectam vitam ſine charitate, quæ facit illam fidem ex informi, poſteà formatam, & vivam, ita ut reſpectu ſubjecti vivificetur quod erat mortuum, reſpectu Dei reddatur acceptum, & reſpectu operis reddatur meritorium; & quia vita ſpiritualis vera conſiſtit in unione cum Deo per gratiam, & in actu meritorio, hinc dicitur juſtus ex fide vivere; & talis fides illuminat mirabiliter animam, quæ priùs tenebroſa erat, purgat ipſam ab omni ſcoria peccati contraria gratiæ, eamque fortificat ad operandum propter Deum, & vitam æternam. *Ser. 1. de plur. Martir. lib. 3. d. 23. per tot. & d. 27. a. 1. q. 1. ſer. 10. & 16. Hexam. Pſal. 21. 141. Luc. c. 1. v. 76. lib. 2. d. 27. a. 1. q. 2. ad 4.*

15. *Impietas eorum, qui gratiam Dei, & fidem in injuſtitia detinent involutam expenditur.*

Revelatur enim ira Dei de Cœlo ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtavit. Nota, quod Apoſtolus ad litteram oſtendit neminem excuſationem habere in privatione cognitionis Dei, nam in quolibet homine eſt lumen veritatis, ſaltem naturale, quo poteſt cognoſcere unum Deum; & ipſum eſſe colendum, & ideo qui hoc lumen veritatis ſepultum in injuſtitia detinent, apud Deum non excuſantur; myſticè autem dirigitur hæc ſententia ad omnes fideles, qui gemmam pretioſiſſimam fidei, & veritatis catholicæ habent, ſed eam ſepultam in ſtercore peccatorum detinent: loquitur & de iis, qui varia talenta à Deo acceperunt, quibus poſſent Deo ſervire, & proximorum utilitati incumbere, & tamen illa detinent ſepulta vel propter malam vitam, vel timorem, vel adulationem, vel avaritiam; vel negligentiam; iſtis revelatur ira Dei quam in damnationem propriam theſaurizant. *Luc. c. 19. v. 20. ſer. 2. Hexam. ſap. c. 16.*

16. *Omnes ſcientiæ mundanæ à Deo inſtitutæ ut ancillarentur fidei.*

Juſtitia Dei revelatur in eo ex fide in fidem, &c. quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis; Deus enim illis manifeſtavit. Quid eſt hoc, quod Deus manifeſtavit Gentilibus? manifeſtavit ſcientias mundanas, & per ipſas veritatem multiplicem creatam; ſed quia iſtæ non ſufficiunt ad deducendum hominem in beatitudinem, ideò Deus revelavit fidem, ut illæ ſcientiæ fidei famularentur, ut eſſent in adjutorium fidei; ſed infelix homo prævertit hunc ordinem, unde relicto Deo in vitiis implexus quæſtionibus inutilibus, & vanis, ſe immiſcuit. *Ser. 5. Hexam.*

17. *Liber ſacræ ſcripturæ nobis à Deo exhibitus ad cognoſcendum inviſibilia.*

Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas. Vide qualis ſit miſericordia Dei noſtri in nos, dum induti hac veſte obſcuriſſima mortalitatis, & degentes in tenebris, hujus vitæ, cum non adſit in nobis virtus conſpiciendi niſi corporalia, non autem ſpiritualia, & inviſibilia Dei, nobis providit librum ſacræ ſcripturæ, & in eo ſcripſit omnia ſua myſteria, ut in ipſa legentes poſſemus intelligere ſupernaturalia, cœleſtia, & divina; hunc librum primò dedit diſcipulis ſuis poſt Reſurrectionem, ut in libris legalibus, & Prophetiis poſſent legere, & intelligere myſteria gratiæ, quæ operatus eſt Chriſtus, & per ea, quæ facta ſunt, & dicta in veteri teſtamento intelligerent ea completa in novo: hunc librum conſignavit Eccleſiæ ſuæ Chriſtus ut per ipſum edocti, & inſtructi fideles poſſent intelligere myſteria cœleſtia, Deum, Trinitatem ſanctiſſimam, Chriſti Incarnationem, ſacramentorum diſpenſationem, gratiam, peccatum, gloriam, & pœnam æternam. *Op. Diar. tit. 6 c 3.*

18. *In libro hujus mundi corporalis continentur inviſibilia mirabilia Dei.*

Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, &c. Ecce quod Deus omnibus providit remedia neceſſaria ad Deum cognoſcendum; nam ultra librum ſacræ ſcripturæ, qui ſolùm prodeſſe poteſt credentibus omnibus hominibus, etiam infidelibus expoſuit librum qui facilè ab omnibus poſſet legi, & iſte eſt mundus corporalis omnes creaturas corporales continens, ut quiſque poſſet aſſurgere veluti per ſcalam ad cognitionem primæ cauſæ; iſtæ

iſtæ enim creaturæ prædicant nobis inceſſanter; ipſe fecit nos, & non ipſi nos; & legere in magnitudine creaturarum omnipotentiam Dei, in pulchritudine, & ordine ſapientiam, in utilitate, & fructu bonitatem Dei ſummam. A magnitudine enim ſpeciei creaturæ, (*ait ſap. c.* 13.) cognoſcibiliter poteſt Creator videri; & ideò qui hunc intellectum non habent, ſicuti plurimi Philoſophi cæci, quia intellectus eorum neſcit aſcendere in Deum, ſunt ſimiles pueris, qui cum legunt litteras pulchras, & deauratas attentè reſpiciunt, ſed quid litteræ ſignificent non percipiunt. *Opuſc. Diet. tit. 6. cap. 3. op. Brevil. p. 7. cap. 7. op. de dono ſcientia. cap. 4. op. itiner. ment. c. 2. ſequent. de ſeptem itiner. ætern. itin. 3. d. 4. art. 3. & 4. itin. 5. d. 3. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. Luc. c. 1. verſ. 35. c. 18. verſ. 38.*

19. *Chriſtus liber viſibilis expoſitus, ut in eo inviſibilia legi poſſint.*

Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, &c. Quænam ſunt iſta, quæ facta ſunt? omnia creata; & quomodo poterimus apprehendere tot litteras, tot verba cùm innumerabiles ſint creaturæ? ſed ecce remedium? In Chriſto Deus compendiavit omnes creaturas, cum Verbum caro factum eſt, & Chriſtum mundo expoſuit veluti librum apertum, & ſignatum characteribus vulnerum, & ſanguinis, ut in ipſo legentes poſſent pertingere ad cognitionem divinitatis latentem; & percipere quæ ſit longitudo, latitudo, profunditas, immenſitas perfectionum mirabilium Dei: grandis verè iſte liber ſcriptus intus, & foris, ab Angelis, & ab hominibus legendus. *Opuſc. Brevil. p. 2. cap. 11. ſer. 7. Hexam. Eccleſ. cap. 8. Sap. cap. 13.*

20. *In Cœlo Deus eſt ſpeculum creaturarum: In mundo creaturæ ſunt ſpeculum, & liber Dei.*

Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas. Cur voluit Deus; ut creaturæ eſſent veluti ſpeculum ipſius? quomodo creatura finita poteſt repræſentare ens infinitum? Nota, quòd creaturæ dicuntur ſpeculum Dei, ſcilicet repræſentantes vel per veſtigia, vel per imagines ipſum Deum, unde hæc repræſentatio eſt veluti limitata, cum repreſentent ſolùm aliquales perfectiones Dei: Deus verò è contra in Cœlo eſt ſpeculum infinitum repræſentans omnes creaturas, ut ſic homo aſcendens per iſtas creaturas ad Dei cognitionem, & amorem, omnes inveniret relucentes in illo infinito ſpeculo, & ſic per ſpeculum iſtud finitum aſpiraret, & aſcenderet, ad illud infinitum contemplandum. *Op. Comp. Theol. p. 1. c. 1. Pſal. 70. & 118. c. 2. verſ. 2.*

21. *Per creaturas veluti per librum tum naturalem, tum artificialem voluit Deus repræſentare omnia ſua opera.*

Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, &c. Nota 1°, quæ facta ſunt; quia ſic omnia facta à Deo tam naturalia, quàm artificialia voluit, ut nobis eſſent veluti ſcala, vel potiùs liber, in quo legere poſſemus omnia Dei mirabilia, ideò voluit, ut creatura duplex nobis exhiberetur, ſcilicet naturalis, & artificialis veluti ſignum artificiale, & naturale: ſignum naturale dicitur in creaturis, quas per ſe condidit, ut ſupra dictum eſt, quæ naturaliter repræſentant vel in veſtigio, vel in imagine Creatorem: ſignum artificiale, & poſitivum eſt quod condidit vel per Chriſtum, vel per Eccleſiam, quod altiori modo repræſentat Dei ſacra myſteria; ſic inſtituta ſunt à Chriſto Sacramenta, ut per ea homo ſe humiliando, & in ipſis ſe occupando aſſurgeret ad cognitionem gratiæ, inviſibilis, & effectuum quos per ea Deus confert ipſa recipientibus, ſic fabricas Eccleſiarum ordinavit, & veſtes, & ornatus miniſtrorum, ut in altitudine Eccleſiarum intelligamus ſublimitatem, in magnitudine immenſitatem, vel infinitatem, in quadratura ſoliditatem, in longitudine æternitatem, ſimiliter in veſtibus ſacris; in veſte candida munditiam, & puritatem, in veſte rubea Dei clementiam, & charitatem, in veſte aurea Dei ſapientiam, & claritatem; & hæc cognitio habetur per donum intellectus ſpiritus ſancti, per quod penetramus ea, quæ ſunt ſupra nos, ſcilicet divina, & inviſibilia. *Opuſcul. Diet. titul. 6. c. 3. op. Comp. Theol. lib. 6. cap. 3. Pſalm. 67. & 70.*

22. *Infelicitas Chriſtianorum, qui Deum cognoſcentes evaneſcunt in ſua ſcientia vana.*

Quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutaverunt gloriam Dei in ſimilitudinem creaturæ, &c. Nota, quod ad litteram Apoſtolus arguit Philoſophos gentiles, qui cum habuerint ſcientiam convenientem à Deo, qua poſſent Creatorem agnoſcere, adorare, & amare, evanuerunt in ſua ſcientia, & adorationem ſuam verterunt ad ſimulacra hominum, & beſtiarum; Nam Ægyptii Eſculapium colebant ſub effigie ſerpentis; Mercurium ſub ſpecie canis; Iovem ſub ſpecie arietis: Apim ſub ſpecie Bovis: Hoc monitum tamen pulſat plurimos Chriſtianos, qui cum imbuti, & ditati fuerint lumine fidei, quo cognoſcunt Deum unum, & trinum, & Redemptorem, & ad hoc vocari fuerint, ut toto corde ipſi ſerviant, tamen evaneſcunt in cogitationibus ſuis, non Deum, ut Deum glorificantes, & honorantes ſervientes carni, mundo, & diabolo; væ væ talibus ſtultis, quia magis à Deo punientur, quàm Pagani, Saraceni, & infideles. *Ser. 1. de uno Mart. ſap. c. 11.*

23. *Idololatria multorum Chriſtianorum incuſatur.*

Qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, ſed evanuerunt in cogitationibus, &c. Pondera hæc verba, & confer cum lamentatione Hieremiæ, Viæ Sion lugent, eo quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem. *Thren. cap. 1.* Viæ iſtæ ſunt creaturæ, ſunt & deſideria amantium animatum, quibus ad Deum, & ad

ſupernam civitatem ſuper omnem rationem, & intellectum, etiam in terrenis corporibus habitantes animæ ſublevantur, quæ viæ lugere dicuntur eo quod non ſit, qui ad tantam ſolemnitatem aſpiciat, eo quòd abjectâ verâ ſapientiâ tam clerus, quàm populus mundanis ſcientiis, vel inutilibus curioſitatibus ſe immergit, quod etiam malum ſerpit apud multos Religioſos, & viros famoſos.qui, veluti quondam populus Iſraeliticus; relicto cultu Creatoris ſui manufactis Idolis ſervierunt, ſic relictâ verâ ſapientiâ, qua Deus ſolus perfectè interiùs colitur, & à ſolis amantibus adoratur, diverſis ſcientiis, & fabricationibus multiplicium argumentorum inventitiis, quaſi quibuſdam Idolis miſerabiliter mentem impleverunt: in quibus ſic abſorbentur diabolo inſtigante, & ſic mens ipſorum in iſtis totaliter poſſidetur, ut vera ſapientia in eis locum non inveniat: ô infelices, & quàm infelices iſti miſeri evaneſcentes in cogitationibus ſuis? non enim animam ad hoc creaverat Deus, ut contrà ſuam generoſitatem multitudine quaternorum ovinarum pellium replerentur, ſed ad hoc, ut eſſet ſedes ſapientiæ, & in ipſa Rex pacificus Deus altiſſimus reſideret; & hæc eſt idololatria multorum Chriſtianorum, quam deplorat Apoſtolus. *Opuſcul. myſt. Theolog. in prologo, & cap.3. p.3. opuſc. Comp. Theol. lib.7. c.20. Luc.c.1.v.20.c.12.v.43.c.14. verſ.34. & c.23. verſ.47.*

24. *Sapiens fiat ſtultus, ut ſit ſapiens.*

Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Vide quomodo homo ſtultus fit, quomodo ſtulti iſti ſapientes facti ſunt? ergone uſum rationis perdiderunt? maximè; quia enim credentes ſe videre in tenebris magis ſe involuebant erroribus fidentes ſibi ipſis, & propriæ ſcientiæ tumidi facti in oculis rationis ſtulti facti ſunt, & in varios errores, & ſtultitias ſe præcipitaverunt; ſic, ſic facit nimia ſui confidentia, ſic ſuperbia, quæ ipſos ſapientes elevans extra ordinem debitum facit Luciferianos; undè mirum non eſt quòd in tantos errores indigniſſimos, & etiam contra rationis lumen ſe præcipitaverint Philoſophi antiqui, & quotidie tot ſapientes mundi, qui deſerunt veram lucem humilitatis, ſapientiæ cœleſtis, & fidei. *Sermon 4. Hexam. ſermon.1. de S.Marco.ſermon.1. de S. Antonio Patav. Luc. c.6. v.11.*

25. *Quo major eſt cognitio de Deo, & ingratitudo in eam, eo periculoſior caſus.*

Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in immunditiam, &c. Ecce quàm verum, quod quo major eſt altitudo ſcientiæ, & donorum Dei.& ingratitudo contrà ipſa, eo periculoſior caſus eſt, & ruina: ſic, ſic tractat Deus ſuperbos, qui non recognoſcentes gratiam Dei, & à Deo ipſa dona, & ipſis non utentes ad cultum ipſius,ſed potiùs abutentes, & in ſui ipſorum gloriam, & ambitionem convertentes, à Deo deſeruntur, excæcantur, & ſe in infinita, & turpiſſima ſcelera præcipitant, ſic permittente juſtitia Dei, quæ ſignificantur per illud verbum tradidit,ideſt permiſit. *Lib.2.d.37.a.2.q.1.Luc.*10 *v.12.c.19.v.44.c.20.v.8.*

26. *Maximum, & horribile flagellum Dei quando tradit hominem ſibi, vel permittendo in eo peccata in pœnam præcedentium peccatorum.*

Tradidit illos in paſſiones ignominiæ; &c. poſt panca: tradidit illos in reprobum ſenſum. Quid eſt tradidit illos in paſſiones ignominiæ? & ſi iſtæ paſſiones ſunt peccata, quomodo dicitur Deus eos tradidiſſe, & injeciſſe in peccata? ergone ipſe auctor peccati? ſed attende ad pulcherrimam doctrinam notabilem, in qua edocemur; quòd verè peccatum ſæpè eſt pœna peccati, & licèt Deus non ſit cauſa, vel auctor peccati, eſt tamen cauſa ordinis talis peccati, prout pœna eſt præcedentis peccati; ſæpè enim Deus ingratos, iniquos, ſuperbos, Deum contemnentes permittit cadere in nova peccata, & in ea eos veluti ſubjectos injicit, & quod horribile eſt, permiſſio eſt ſæpè in peccata ignominioſa, & infamia, maximèque luxuriæ, & libidinis, quia iſta ſunt viliora honorem etiam infidentia. *Op. Dict. tit 10.c.6.op.Brevil.p.3.c.10. Centil.p.2 ſer.1.lib.2.d.7.p.2.q.1. Pſal.10. & 139. Luc. cap.17 verſ.19.*

27. *Quàm infame apud Deum & homines peccatum contra naturam.*

Tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Quid eſt paſſio ignominiæ? & ſi hoc eſt peccatum contra naturam, cur proprio nomine non exprimit illud, ſicut exprimuntur cætera peccata luxuriæ? ſed ex rationabiliſſima cauſa id facit ſpiritus ſanctus, ſed id exprimit per paſſionem ignominiæ; quia peccatum hoc eſt paſſio, vel pœna gravſſima, effectuſque iræ Dei permiſſivæ & licitur ignominiæ, quia eſt infamiſſimum apud Deum, & homines; & ſic ut infame, & ignominioſum veluti extra naturam reliquit Deus ſine ſpeciali nomine, eo quod indignum ſit nomine quod ipſam naturam deſtruit & humanam naturam maculat, & infamat, & ipſum aerem, & loca, & habitatores inficiens. *Op.de Prof.Religioſ.lib.1.c.*38.Nota etiam,quòd ex hoc patet infidelitatis, hæreſis, & ſuperbiæ pœna eſt monſtruoſa libido, unde difficile eſt invenire hæreticum, vel ſuperbum, qui diligat caſtitatem, *ut ait S.Hieronymus.*

28. *Ob ingratitudinem beneficiorum Dei, & maximè ſpiritualium permittit Deus hominem cadere in reprobum ſenſum.*

Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, &c. Ecce quid eſt, quòd Deus permittit hominem cadere in reprobum ſenſum, hoc eſt ingratitudo, & ſuperbia contra Deum, & ejus beneficia maximè ſpiritualia; reprobus autem ſenſus eſt reprobum judicium, & perverſum, quando quis judicat optima, quæ ſunt peſſima, & hoc fit per malum habitum acquiſitum; ô grande flagellum Dei eſt hoc condignum, & debitum

debitum nimiæ ingratitudini hominum. *Eccles. c.12. sap.c.9. lib.2. d.2. p.2. q.1. opusc. Brevil. p. 3. cap.10.*

29. Parentibus inobedientes Deo exosi, & inimici, sicut hîc notat Apostolus, dicens quòd Parentibus inobedientes Deus tradit in passiones ignominiæ. *Op spec. An. cap.1.*

30. Detractores, ipsosque audientes, nec corrigentes cum deberent Deo odibiles, & ignominiosi *Op. spec. an. c.1. op. Regula Novit. c.9.*

CAPUT II.

Nota, quòd cum ostenderet Apostolus Paganos, & Iudæos peccasse; nunc arguit eorum superbiam, quia Iudæi de lege confidentes Gentiles reputabant canes; illi è converso Iudæos spurcissimos peccatores.

31. *Iudices iniqui gravissimè reprehenduntur, & judiciis severissimis à Deo puniuntur: Ubi etiam de judicio temerario.*

PROpter quod inexcusabilis es ô homo omnis qui judicas; in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas, eadem enim agis, quæ judicas. Nota, quod ad litteram reprehendit & Iudæos judicantes temeratiè Gentiles, & Gentiles judicantes itidem Judæos, eo quòd utrique in sceleribus erant involuti, in quibus uterque alterum judicabat; sed tamen hæc reprehensio dirigitur ad Judices publicos, & etiam ad personas privatas; Judicibus enim dat intelligere, quod si ipsi judicando, & condemnando reos, fuerint involuti in iisdem celeribus, Deus eos castigabit severissimè; unde judicium durissimum intimat his, qui præsunt. *Sap. c. 6.* Si fuerint iniqui; & hoc non solùm ratione peccati, quod est gravius peccato subditorum, ratione scandali, quia alios corrumpunt, sed magis ratione officii, quia cum sint indigni, & iniqui, indignè ipsum exercent, quia eadem agunt, propter quæ alios puniunt; & cum ipsi impunitatem sibi promittant non habentes hominem superiorem illos punientem, Deus erit ipse Iudex severissimus in eos. Incusat etiam hic Apostolus personas privatas judicantes sine pietate, & temerariè proximum; in quo enim alios judicant seipsos condemnant. *Sap. c. 6. & 16. Luc. c. 6. v. 37. lib. 4. d. 35. a. 1. q. 1. ad 3.*

31. *Dei benignitas qualis in expectando peccatorem ad pœnitentiam.*

Ignorans, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Nota illud verbum adducit, scilicet te expectans ad pœnitentiam extendit ad te funicula beneficiorum, gratiarum, inspirationum, ut ad se te attrahat, & adducat, ut tandem resipiscens, & relinquens peccata ad conversionem, & ad pœnitentiam te inducat, & per hoc addiscere debemus, quòd quæcumque necessitas cogat peccatorem ad pœnitentiam, neque criminis immensitas, neque vitæ enormitas, neque horæ extremitas excludit veniam, si pura fuerit voluntatis permutatio; de criminis immensitate patet in Petro negante; de vitæ enormitate patet in Magdalena, de horæ extremitate patet in Latrone, magna benignitas, quòd peccata ex toto corde pœnitentis non solùm non vindicat opere, neque improperat ore, imo nec recordatur corde ad odium: ô attende peccator ad hanc divinam benignitatem. *Sermon. 1. Dom. 3. post Pentec. sermon. 4. Dom. 1. post oct. Paschæ Luc. cap. 20. vers. 9. Eccles. cap. 8. sap. cap. 11. ad finem.*

32. *Thesaurus misericordiæ Dei à malignitate peccatoris convertitur in thesaurum iræ.*

An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, &c. Vide hic mirabilem metamorphosim in impœnitente, & surdo ad vocationes Dei, qui cum peccatori aperiat incessanter thesaurum suæ pietatis, & misericordiæ, ipse in suo corde totum hoc malignitate sua in eodem corde residente convertit in amaritudinem iræ, & furoris Dei, & ad majorem suam confusionem, pœnam & damnationem; & hinc est, quòd quantò peccator amplius ad pœnitentiam expectatur, tantò, nisi convertatur; gravius punietur: En hujus veritatis exemplum patens in Judæis, quos Christus post Passionem suam tot miraculis, prodigiis, prædicatione Apostolorum, tot etiam flagellis vocavit, & invitavit ad pœnitentiam quadraginta duobus annis, sed quia converti renuit obstinatus populus; Titum Romanum Principem super eos induxit, qui eis obsessis undecies centum millia fame, & gladio mori fecit, & omnes alios vendidit, ita ut triginta ex eis pro denario uno dederit, quia ipsum Dominum vendiderunt pro triginta denariis; unde vocationes, excitationes, inspirationes peccatoribus deberent esse ad terrorem incutiendum, *Serm. de S. Petro ad vinc. Luc. c. 10. v. 14. c. 13. v. 7. Ioan. collat. 26. lib. 4. d. 9. artic. 2. quæst. 1. ad ultimum.*

33. *Qui ad flagella divina non convertitur magis radicatur in duritia, & obstinatione sua, & veluti insanabilis redditur.*

Sic Apostolus prædicat dicens; *Secundum duritiam tuam & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & indignationis Dei.* Nota, quòd dicit thesaurizas tibi iram in die iræ Dei, scilicet pro tempore tuæ sententiæ damnationis, quasi dicat. quòd qui non convertitur ad pœnitentiam dum à Deo vocatur non solùm per gratiæ dona, sed per

Digitized by Google

flagella, ſed cor in duritia ſua conſervat, iſte thelaurizat ſibi iram pro tempore judicii, & veluti inſanabilis fit. *Sapient. cap.* 11. *Ioan. collat.* 16.

34. *Peccator ſuâ duritiâ videtur exhaurire totam miſericordiam Dei, & totam in iram convertere.*

Secundùm duritiam tuam. Scilicet ad proportionem tuæ duritiæ, & impœnitentiæ rejiciendo Dei benignitatem, qua vocabat te ad pœnitentiam, thelaurizas, & convertis tantam benignitatem in iram, & furorem contra te. *Luc.c.*18.*v.*7. *Sap.c.*11.

35. *Datur menſura à Deo præfinita in peccatorum commiſſione, quâ completa Deus irremiſſibiliter punit peccatorem.*

Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas. Ex hoc patet, quòd poſtquam peccator duritiâ ſuâ omnes vocationes, & gratiam Dei contempſit, jam judicio imminente ampliùs non vult expectare, ſed ſtatim vindicat ſuas offenſas. *Luc.c.*18. *v.*7.

36. *Obdurationis cauſa propria eſt peccator; & quid ſit.*

Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram, &c. Ergo ad menſuram obdurationis ſuæ peccator accumulat ſibi iram Dei, & ſi hoc, quæritur quid ſit hæc duritia cordis? an ſit culpa, an pœna? & an ſit à Deo, an à peccatore? & quòd ſit à Deo videtur ex hoc, quod infrà dicitur c. 9. Deus cujus vult miſeretur, & quem vult indurat; ergò cum ſit à Deo videtur non poſſe imputari in culpam? Reſpond. quod obduratio animæ. & ſpirituum ſumitur per tranſumptionem à duritia corporum, in corporibus ineſt per naturam corporum, & ex ipſa ſequitur triplex proprietas; nam durum eſt quod eſt inhabile ad ſuſcipiendum, ſtabile ad permanendum, & forte ad reſiſtendum; in ſpiritibus autem licèt non ſit talis natura duritiei, tamen hæc triplex proprietas ineſt ab extrinſeco, nempè primò inhabilitas ad impreſſionem gratiæ; ſecundò ſtabilitas in peccato ob affectionem inordinatam & peſſimam ad malum: tertiò impugnatio, & reſiſtentia Deo, ejus mandatis, & gratiæ; ſecundùm, & tertium genus obdurationis eſt immediatè à peccatore, ejuſque mala voluntate repugnante voluntariè præceptis Dei, & volente perſiſtere in peccato; & hinc oritur prima proprietas, ſcilicet inhabilitas ad recipiendam gratiam, pœnitentiam, & converſionem, & hæc licet ſit effectus peccati, tamen etiam eſt paſſio, ſcilicet pœna peccatorum præcedentium, & ut pœna dicitur eſſe à Deo, quia ſic dicitur pœna non quidem inflicta, ſicuti eſt fames, ſitis, &c. nec contracta, ut eſt concupiſcentia, quæ inclinat tantùm ad malum, & neutra repugnat de ſe gratiæ Dei, ſed dicitur pœna acta, ſcilicet ex mala actione, & peccato actuali conſequens. hæcque ut obduratio, eſt culpa, & ex culpa, & peccato impugnante gratiam ſpiritus ſancti, & ut talis non eſt à Deo, niſi permiſſivè, cum ſit defectio voluntaria, & voluntariè ex malâ voluntate proveniens, quæ tamen à Dei juſtitia meritò ordinatur ad pœnam malitiæ peccatoris; ideò non poteſt dici, quòd poſitivè ſit propriè à Deo efficiente, cum ſemper ſit paratus de ſe præſens eſſe, ſed à peccatore nolente voluntariè auxilia divina; & reſciente, & contemnente Deum; & in hoc ſenſu dicitur Deus, quem vult indurat, ſcilicet vult permiſſivè, & ſuppoſita malitia peccatoris reſiſtentis, tunc enim vult ipſum privare ſua gratia. *Lib.*1. *d.*40. *art.*4 *q.*1. *&* 2.

37. *Bonum, gratia, ſalus hominis à Deo; pœna, peccatum, & damnatio eſt ab ipſo peccatore.*

Deus reddet unicuique ſecundùm opera ejus: iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt: iis autem, qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati; credunt autem iniquitati, ira & indignatio; tribulatio, & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum; gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum. Notabilia ſunt iſta verba Apoſtoli, quibus prædicat toti mundo, quod qualia ſunt opera noſtra, bona, vel mala, talis erit redditio Dei vel præmii, vel pœnæ; iis enim qui bona fecerunt patienter, ſcilicet cum perſeverantia, tribuit Deus gloriam æternam, malis pœnam æternam; ſed tamen obſervandum eſt diſcrimen inter remunerationem bonorum, & pœnam malorum, quod hic deſcribitur; nam loquendo de remuneratione bonorum, dicit quòd Deus reddet bonis gloriam, & honorem, & pacem; de malis verò non dicit, quod Deus reddet, ſed relinquens verbum indicans cauſam reddentem pœnam, dicit ſic obtruncatè; iis verò, qui ſunt ex contentione, ſcilicet qui gratiæ Dei reſiſtunt, nec Deo obedire volunt, ira & indignatio. Quid, vel quis hanc iram, & indignationem, & tribulationem, & anguſtiam reddet? à quonam principio, vel cauſa hæc proveniet. Videtur hic Apoſtolus non ſervaſſe ordinem congruum, ſed diſſonanter procedere contra regulas artis? & tamen omnia iſta verba dictata fuere à ſpiritu ſancto: Ad litteram Apoſtolus utitur figurâ Enallagen, ordinando pro verbo activo paſſivum reddetur, ſed tamen non ſine myſterio fit hæc variatio, quod ex fonte Theologiæ eruendum eſt; undè notandum quòd hoc diſcrimen eſt inter prædeſtinationem, & reprobationem, quòd licèt in hoc conveniant, quòd in ordine ad Deum præcisè nullam habent cauſam propriam, cum in Deo non poſſit dari cauſa creata operans, ſed tamen quoad connotatum, ſcilicet quoad medium, ideſt quoad gratificationem, & glorificationem, vel quoad obdurationem, & damnationem habent utraque meritum in homine; ſed in prædeſtinatione meritum congrui; in reprobatione meritum de condigno; in prædeſtinatione enim origo omnis boni eſt originaliter à gratia Dei antecedente, concomitante, & conſequente voluntatem peccatoris: in reprobatione origo tota eſt à mala voluntate peccatoris; & hinc oritur, quod dum eſt ſermo de miſerendo dicitur hoc eſſe proprium Dei, quia ad hoc non requiritur niſi Dei benignitas; non dicitur autem proprium Dei ulciſci, & reprobare

Digitized by Google

bare. & damnare, quia ad hoc præsupponitur nostra iniquitas, & malitia. *Lib. 1. d. 41. a. 1. q. 1. & d. 47. dub. 1. op. Comp. Theol. lib. 1. c. 33.* En ratio modi loquendi Apostoli, cum agitur de præmiatione bonorum, & damnatione malorum, nam in bonis ipse est, qui reddet gloriam bonis operibus, quia fundata fuerunt in ejus gratia, & benignitate; malis verò non dicit reddet, sed iis ira, & indignatio, scilicet ait Oecumenius *in cat. Græc.* Quia ipsimet fuerunt auctores totales thesaurizantes ex propria mala voluntate iram, & indignationem in corde impœnitente, reddetur, scilicet fructus suæ pessimæ thesaurizationis ab ipsismet malè operantibus sibi ex propria malitia; ut discamus nos ipsos esse in causa omnium malorum nostrorum, & omnia originari ex corde nostro repleto malitia, &c. *Sic & ad sensum Seraph. Doct. in Luc. c. 18. v. 7.*

38. *Idem argumentum: Et quomodo opera nostra vel nos finaliter glorificant, vel damnant, quia Deus non est acceptator personarum.*

Tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum; gloria, & honor, & pax omni operanti bonum; non enim est acceptio personarum apud Deum. Nota iterum discrimen inter operantem malum, & bonum; ait enim Apostolus, quod in anima operantis malum manet, & habitat tribulatio, & angustia, ei autem, qui operatur bonum, gloria, & honor, & pax, scilicet ab extra exhibetur, cur non etiam de bonis dicitur gloria, & honor, & pax est in anima operantis bonum, sicut dixerat de malo? hoc est, quia gloria, & honor, & pax provenit tota à Dei benignitate. & gratia ab extra redundante in animam hominis; sed in peccatore non sic, quia enim totum malum provenit ex malitia propria, & ex peccato, ob cujus multiplicationem thesaurizat in proprio corde iram Dei, tribulationem, & angustiam, & omne malum; ideò tribulatio, & angustia veluti participatio pœnarum Inferni inchoat in hac vita, & ex hac transit ad pœnam æternam; & ideo subdit Apostolus, quòd non est acceptio personarum apud Deum, hoc est, quia personas non accipit, quia nullum malum impunitum, vel bonum irremuneratum relinquit, & quia in æternum punit vel præmiat. *S. Bonav. summæ. Psal. 118. v. 144. ser. de S. Martino. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 7.* Cave hîc errorem Origenis, qui ex hoc textu dicebat Gentiles, & Iudæos etiam sine fide in Christum benè operantes posse vitare damnationem, & consequi aliquod præmium, licèt non vitam æternam, quæ solis credentibus datur; hic enim error est hæresis, quia sine fide nemo acceptus est Deo.

39. *Nulla potest dari justa excusatio in damnatione peccatorum, etiam infidelium.*

Non est acceptio personarum apud Deum, quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt; & quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. Ista verba Apostoli difficultates maximas ingerunt menti humanæ: quomodo enim dicitur Deus non acceptator personarum, cum tot sint homines, qui nullam notitiam habent legis divinæ, & Evangelii? quomodo qui sine naturali cognitione peccantes, sine lege etiam peribunt, & damnabuntur? cur nobis tot auxilia dantur, & tot aliis denegantur? sed resp. quod hic loquitur Apostolus de lege scripta Evangelicâ, scilicet qui sine ipsius notitia peccant sine ipsa etiam damnantur, sed tamen nullam excusationem habent, quia quilibet homo habet in mente impressam aliam legem, scilicet naturæ, à qua nullus eximitur, sed omnes tenentur ipsam observare. & ex cujus observantia, qua mediante Dei auxilio, quod interiùs, & exteriùs omni homini hujus mundi exhibet quantum est de se, potest perficere. Deus ipsi omnia alia necessaria ad salutem providebit. *Luc. c. 19. v. 21. Ioan. c. 11. v. 48. c. 15. v. 14.* Et hoc est, quod subdit Apostolus, nempè dum isti ignorantes legem scriptam, vel Evangelicam, secundùm dictamen legis naturæ benè operantur, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum. *Psalm. 118. c. 8. v. 1. & c. 11. v. 8 lib. 2 d. 39. per totam. Luc. cap. 12. v. 57.*

40. Salus nostra non consistit in amplexando, & noscendo fidem, sed in obedientia, contra quæ à lege præcipiuntur, non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis. *Luc. c. 6. v. 47. c. 8. v. 21. c. 10. v. 28. c. 13. v. 27. c. 18. v. 20. c. 24. v. 31. Ioan. c. 13. v. 17.*

41. *Conscientia qualis lex, & testimonium.*

Testimonium illis reddente conscientia ipsorum. Quæritur quale testimonium sit hoc conscientiæ, cum sit pars interior animæ; Resp. quòd est quædam lex strictissima, quæ ordinat intellectum, & voluntatem ad bonum; dicitur enim conscientia, idest con, & scientia; prout est scientia est habitus naturalis, non solùm cognitivus, sed & motivus inclinans animam ad prosecutionem boni, & fugam mali; & cum non sit solum scientia, additur illa propositio con, scilicet quia conjungitur synderesi importans dictam inclinationem, & semper ex hac parte est recta prout conjungitur synderesi, & stat in superiori parte rationis, & innititur, vel oritur ex naturali judicatorio rationis; prout verò conjungitur parti inferiori, cum versetur circa particularia potest contingere error, & falsitas, & hinc est, quòd conscientia nimis larga, & nimis stricta reprehenditur, illa enim generat præsumptionem, ista desperationem; prima dicit sæpè malum bonum, ista bonum malum, prima sæpè salvat damnandum, ista damnat salvandum; & cum conscientia dicter semper malum vitandum, & bonum amplexandum; hinc testis vocatur contra malas operationes. *Lib. 2. d. 39. per totam. opuscul. Compen. Theolog. lib. 2. cap. 51.*

42. *Conscientia munera expenduntur.*

Testimonium illis reddente conscientia ipsorum. Cur appellatur testimonium; testimonium recte dicitur, quia est veluti liber, in quo legimus, imò etiam interiùs judicat, testatur, arguit, regit, & dirigit. & quia semper est conjuncta synderesi, quæ dicitur scintilla conscientiæ

ideo

ideò dicitur remordere cor, non quidem ut habitus movens affectum, ſed ſicut dictans bonum faciendum, & malum fugiendum; & quia ſynderesis ſupervenit movens ad id, ideò remorsum cauſat, vel lætitiam, mediante ipſa ſynderesi. *Lib.2. d. 39. art. 1. quæſt. 1. & artic.2. quæſt.1.*

43. *De remorſu conſcientiæ expenſio, & an extingui poſſit.*

Teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum. Si actus teſtificandi tantùm attribuitur conſcientiæ, cui communiter dicitur, quòd ipſa redundet animam in malis? ſed reſp. quòd proprium conſcientiæ ſecundùm ſe eſt ſolùm teſtificari hoc eſſe bonum, illud malum; undè eſt veluti præco affectui, & voluntati publicans legem Dei, & diſponens ipſam ad bonum; & quia inſeparabiliter cum ipſa comitatur ſynderesis ſtimulans continuè ad id amplexandum, hinc in oppoſitum faciente naſcitur remorſus recalcitrantis; & hinc eſt, quòd ſynderesis non poteſt unquam omninò extingui, licèt ad tempus aliquando actus ejus poſſit impediri, & vel propter tenebram excæcationis, ut in Hæreticis, qui aliquod malum credunt bonum; vel propter laſciviam delectationis abſorbentis ſynderesim in illo actu, vel propter duritiam obſtinationis, & hoc eſt in damnatis, & Dæmonibus, quorum ſynderesis ad bonum numquam ſtimulat, cum adeò ſint in malo confirmati, ut numquam poſſint ad bonum inclinari, in ordine tamen ad alium uſum, nempè pungendi, & remurmurandi contra malum, ſemper vigebit in damnatis, non in ordine ad culpam, prout eſt Dei offenſa, & in relatione ad pœnam eis provenientem ex malis actibus, iſteque vermis ſemper eos rodebit: Dat igitur Apoſtolus hic intelligere, quòd in baſilica cordis humani Deus tribunal conſtituit, legeſque in ejus tabulis incidit digito ſuo: rationem creavit Judicem, conſcientiam actorem, teſtes cogitationes, quæ vel accuſant, vel defendunt ipſum hominem reum. *Lib.2.d.39.a.1.& 2.lib 4.d.50.p.2.a.2.q.2.op. Diæt. tit.3.c.1.*

44. *In die judicii liber conſcientiæ aperietur, in quo omnia opera bona, & mala legentur ab omnibus, & erit teſtis, & actor contra damnatos.*

Teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus. Ecce quomodo omnia patebunt noſtra opera in die judicii; omnia enim omnibus aperta erunt, quia libri conſcientiarum aperientur, in quibus inſculpta erunt omnia opera, actus, & cogitationes; quotieſcumque enim aliquod peccatum committitur, tunc ſtatim in libro conſcientiæ imprimitur ſtylo ferreo, veluti in ungue adamantino, ſcilicet in corde obſtinato, quæ litteræ, niſi pœnitentiâ deleantur ſemper vivæ conſervantur omnibus in judicio manifeſtandæ, & ideò iſtæ litteræ erunt teſtes contra peccatorem in die judicii clamantes. *Or. Centil.p.2.ſer.5. ſap.c.17.ſer.2. Dom. infra oct. Aſcenſ.ſer.3.Dom.2.Adv.ſer.1.Dom.5 Pent. Ioan.c.5. in fine.*

45. *Solvuntur aliqua dubia ſuper apertionem librorum in die judicii.*

Teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum & inter ſe cogitationibus accuſantibus, &c. Circa iſtam materiam publicationis omnium bonorum, & malorum in die judicii, quam proponit Apoſtolus; ad perfectiorem explicationem ſenſus Apoſtolici; quæritur primò qualis erit teſtificatio conſcientiarum in judicio, & in quonam libro invenientur ſcripta opera? Reſp. quod in judicio tres libri autentici, ſolemnes, & incorrupti aperientur: Primus eſt liber Paſſionis Chriſti; in quo continentur acta varia, & omnia inſtrumenta Paſſionis, Crux, clavi, lancea, corona ſpinea, cicatrices, & vulnera, quæ erunt autentica ſigna geſtorum Chriſti pro homine; nam Chriſtus veniet ad judicium cum ſactis ſtigmatibus lucidiſſimis cum Cruce, & inſtrumentis Paſſionis, vel veris, ut volunt plurimi SS. Patres cum Seraph. Doct. vel apparentibus, ut volunt alii. Secundus liber erit conſcientiarum continens tria capitula, ſcilicet cogitationes, verba, locutiones, & operationes, bonas, vel malas, quæ omnibus erunt apertæ. Tertius liber eſt vitæ, qui eſt Chriſtus in cujus virtute manifeſtabuntur ſecreta conſcientiarum unius ad alterum. *Opuſc. Diæt.tit.9.c.1.* Quæritur ſecundò an in libro vitæ omnia ſcribantur? Reſp. quòd cum iſte liber ſit ipſa notitia Dei omnium prædeſtinatorum, in qua omnes ſunt ſcripti, ſcilicet qui finaliter ſunt perſeveraturi, non verò qui non erunt perſeveraturi; nam primorum gratia ſcripta eſt ſecundùm veritatem; illorum verò, qui in præſenti recipiunt gratiam, ſed in ea non durant, ſcribi dicitur ſecundùm reputationem, ſcilicet quia ſecundùm juſtitiam præſentem judicantur quidem gloriâ digni, ſed quia caſuri ſunt à tali gratia, ideò judicantur indigni; & quia cum apertione libri vitæ eſt apertio etiam libri conſcientiarum, ideò ibi cognoſcent prædeſtinati ſe eſſe ſcriptos in tali libro; mali ex eo quòd non poterunt apertè legere in illo libro vitæ cognoſcent ſe præſcitos. *Lib.4 d.43.a.2.q.1.& 2.* Quæritur tertiò an in libris conſcientiarum legantur omnia merita, Reſp. quòd ut dicit Apoſtolus hic, ibi erunt omnia bona, & mala, & quia liber eſt & ad contentorum notitiam ferendam, & ad recordationem oblitorum; ideò liber conſcientiarum aperietur in quo reducentur ad memoriam omnia, & hoc ad oſtenſionem divinæ juſtitiæ in retribuendo pœnam, vel præmium malis & bonis, & ſimul ad oſtenſionem miſericordiæ de præterito, rememorabuntur mala bonorum, à quibus ſunt miſericorditer liberati, & bona malorum, quæ in eis miſericorditer operatus eſt Deus; tuncque cogitationes accuſabunt animam, vel defendent, quia in bonis cauſabunt lætitiam, & gloriam, quia cognitio ſuorum malorum præteritorum erit ordinata ad Dei gloriam, ejuſque miſericordiæ oſtenſionem; in malis verò erit ad inæſtimabilem confuſionem, & pœnam. *Lib.4.d.43 a.3.per totum.* Quartò quæritur, quod cum Apoſtolus de judicio univerſali iſta prædicet,

prædicet, cur dicit desumpta ex suo Evangelio? In die cum judicabit Deus occulta hominum secundùm Evangelium meum per Iesum Christum: quale est hoc Evangelium Apostoli, cum solùm quatuor Evangelistæ admittantur ab Ecclesia? sed resp. quod meritò appellat suam doctrinam Evangelium, quia derivata est ex Evangelio, in nullo ab eo discordans. *In Ioan. prooem.*

46. *Lex Dei qualia præcepta contineat, & qualis confusio ipsam noscentium, & non operantium.*

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem ejus, & probas utiliora instructus per legem, confidis teipsum esse ducem cæcorum, &c. Nota, quòd Apostolus arguit contra Iudæos, qui notitiam legis habentes prætendebant se posse ducere in viam salutis Gentiles, sed tamen cum tanta notitia pejora scelera committebant, quàm Gentiles; undè infert, quòd hæc notitia redundat in majorem confusionem; quæ doctrina maximè aptatur nobis Christianis qui notitiam legis divinæ habemus, per quam habemus cognitionem fugiendorum, scilicet peccatorum, & eorum quæ debemus eligere, scilicet utiliora, nempè gratiam Dei, opera bona, & tolerantiam passionum pro Christo, tamen totum ex diametro oppositum cum hac cognitione operamur; & quod mirabilius est sæpè multi se profitentur fieri duces cæcorum peccatorum, & magistri aliorum sine exemplaritate vitæ; ô qualis confusio major erit nostra in die judicii super confusionem infidelium. *Psal. 118. c. 5. v. 6. & c. 11. v. 14. Luc. c. 6. v. 39 & c. 11. v. 45.*

47. *Alios docens priùs se doceat, & prædicet sibi.*

Qui ergo alium doces, teipsum non doces? Ecce quid intonat Apostolus Prædicatoribus, Prælatis, Curatis animarum, & instructoribus proximi, si vis alios docere, prius teipsum doce; priùs debes circa tuam correctionem invigilare, quàm circa peccata proximi: Attende tibi (ait Apostolus *in 1. Thim. c. 4.*) & doctrinæ. priùs tibi, postea doctrinæ, & prædicationi aliorum, hicque est ordo necessarius, alioquin & factum, & meritum perdes. *Luc. c. 17. v. 3.*

48. *Sine clave boni exempli Prælati, & Prædicatores non poterunt aperire ostium Cæcorum subditis.*

Qui ergo alium doces teipsum non doces? qui prædicas non furandum furaris, &c. Prosequitur Apostolus incusare Iudæos ad litteram, sed mysticè omnes Prælatos, & prædicatores, quorum officium est se profiteri duces cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt eruditiores insipientium, magistros infantium, habentes formam scientiæ, & veritatem in lege; ô miseri adspicite ad verum magistrum Christum, de quo dicit *Isa. c. 22.* Dabo clavem domus David super humerum ejus; quid est clavis super humerum ejus, nisi bona operatio & vitæ exemplaritas cum doctrina? vos igitur prædicatis non furandum, & vos dic, ac nocte ad furtum animarum, eas auferendo, & furando à Christo, incumbitis; vos immersi in omnibus sceleribus aliis audetis prædicare? ecce quòd nec vos introitis, nec alios ingredi ad portam salutis sinitis, quia hæc clavis vitæ exemplaris vobis deest: ô qualis confusio istorum cæcorum. *Luc. cap. 11. v. 52. ap. Eccl. Hier. p. 2. c. 1. ser. 2. Hexam.*

49. *Quam grave peccatum est Prælatorum Religiosorum & Christianorum suo malo exemplo causam blasphemandi nomen Dei gentibus dare.*

Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes. Prosequitur Apostolus reprehendere Iudæos, qui cum legem Dei cognoscerant, & prædicarent, tamen cum in vitiis, contra quæ invehebant, essent involuti, peccando publicè, in causa erant, quòd nomen Dei à Gentilibus blasphemaretur; hoc & dirigitur ad Prælatos Ecclesiasticos, ad Prædicatores, ad omnes Christianos professionem fidei Christianæ sectantes; tamen pessimè vivunt, & publicè in vitiis involuti, & ideò eorum mala vita causa est, quòd nomen Dei blasphemetur ab Hebræis, à subditis, & à sæcularibus, & ideò consuluntur, ut in actionibus suis maximè publicis semper considerent, an talis actio sit licita, item an sit decens, scilicet an speciem aliquam mali prætendat, & maximè an sit indecens, & scandalosa, & caveant à scandalo aliorum. Væ iis qui scandalum proximo præbent. *Op. de Prof. Religios. lib. 2. c. 9. op. de sex Alis Seraph. c. 3.*

50. *Circumcisio Iudæis proderat, sed cum observantia legis, nunc autem ad nihilum prodest: Ubi de circumcisione spirituali, ob quam Christus appellatur Rex Iudæorum.*

Circumcisio quidem prodest, si legem observes. Nota, quòd in his verbis Apostolus non intendit sustinere Iudæis, vel Gentilibus circumcisionem; sed arguit eos ad hominem; nam Judæi conversi ad fidem Christi sustinebant Gentiles circumcidendos esse antequam baptismum reciperent, non tamen ad alia præcepta legalia teneri; arguit igitur Apostolus contra eos tali pacto; Circumcisio prodest, si tamen totam legem observes, ergo vel ad omnia legalia tenentur observanda, vel ad nullum. ergo nec ad circumcisionem, si ad alia non ligantur præcepta; sic igitur cessavit ad publicationem Evangelii præceptum circumcisionis cum cæteris legalibus. *Lib. 4. d. 3. p. 2. a. 3. q. 1.* Subdit verò Apostolus, quòd loco circumcisionis carnalis successit ex præcepto Christi circumcisio cordis à nobis facienda omnium vitiorum, si volumus Deo placere, & salutem consequi; & talium se circumdentium spiritualiter Christus voluit dici, & appellari Rex Iudæorum. *Ioan. collat. 34. & c. 19 ad finem.*

CAPUT III.

In hoc capite Apoſtolus primò docet, quod Judæis profuit circumciſio, & ideò erant in ſtatu perfectiori Gentilibus etiam bonis: ſecundò quòd jam ad Adventum Chriſti, & prædicationem Evangelii ceſſaverant omnia legalia.

51. *Maximum beneficium Dei eſt ſacræ ſcripturæ traditio fidelibus.*

Quid ergo amplius Judæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis? multum per omnem modum: primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei. Nota, quòd Apoſtolus docet diſcrimen ſtatus Judæorum, & Gentilium antè publicationem Evangelii, & præcipuum collocat in hoc, quòd ipſis credita fuerint à Deo eloquia ſua, ſcilicet ſacræ ſcripturæ myſteria, quibus caruit Gentilitas: Hoc autem beneficium maximè elucet poſt Evangelium in ſtatu Chriſtianorum; nobis enim credita ſunt, & communicata abdita ſacræ ſcripturæ, ut à nobis credantur, & amplexentur, & obſerventur; Eſt enim hoc unum ex præcipuis beneficiis populo Chriſtiano collatis à Domino Jeſu Chriſto. Nota autem, quòd dicit credita eloquia Dei non dicit tradita, ſed credita veluti à Deo in depoſitum exhibita, ut à nobis cuſtodiantur, & obſerventur, ſic & Prædicator offerens verbum Dei auditoribus, ipſis depoſitum facit verbi Dei, ut integrum ſervetur. *Pſal.* 118. *c.* 6. *v.* 2. *c.* 10. *v.* 4. *& c.* 11. *v.* 9.

52. *In homine ſolùm eſt habilitas ad peccandum, & ideò continua indigentia, & neceſſitas gratiæ Dei.*

Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei. Scilicet miſericordiâ ejus, quæ eſt maxima ipſius gloria, dum ſuam manum dignatur extendere ad peccatores ipſum inceſſanter offendentes; ideò ſemper in humilitate vivendum coram Deo. & recognoſcenda eſt à nobis noſtra miſeria, & vilitas. *Opuſc. Diæt. in proœm. & tit.* 10. *c.* 6. *in fine. ſer.* 4. *de Plur. Matt. Luc. c.* 5. *v.* 32. *c.* 15. *v.* 29. *Ioan. c.* 3. *v.* 17. *cap.* 4. *v.* 36. *c.* 19. *v.* 18. *Pſ.* 188. *Eccleſ. c.* 9.

53. *Dei immenſa miſericordia expenditur in juſtificatione peccatoris.*

Omnes peccaverunt & egent gloria Dei, juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Ecce quot mirabiles effectus divinæ miſericordiæ elucent in juſtificatione peccatoris; cum enim peccatum ſit Dei offenſivum, & quodammodo damnificativum, dum homo ſe transfert de ſervitio Dei ad ſervitutem diaboli, & etiam imaginis deformativum, ideò ad hoc, ut homo reſurgat à culpa, neceſſaria eſt gratia, non ſolùm ſecundùm quòd gratia eſt gratuita voluntas Dei inclinata ad remittendum peccata noſtra, nec etiam ſolùm ſecundùm quod dicitur liberalis Paſſio Chriſti, ſed etiam ſecundùm quod dicitur habitus animi; Undè notanda ſunt hæc tria concurrentia ex parte Dei ad hanc juſtificationem; primò gratuita voluntas Dei, quæ concurrit ad hoc, ut fiat remiſſio offenſæ; voluntariè enim nobis condonat offenſam: ſecundò liberalis Paſſio Chriſti concurrit ad hoc, ut fiat morbi curatio: & tertiò gratia habitualis, ut fiat in anima imaginis reformatio. *Lib.* 2. *d.* 28. *a.* 1. *q.* 1. *& li.* 4. *d.* 17. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 1. *op. de reſurrectione à peccato.*

54. Virtute Paſſionis Chriſti, & ſanguinis applicati per fidem & dilectionem remedium obtinetur pro malis noſtris curandis: dicit enim hìc Apoſtolus, *propitiationem propoſuit Deus per fidem in ſanguine ipſius.* Nota connexionem fidei, & ſanguinis Chriſti, ſcilicet ſanguis Chriſti efficax eſt ad juſtificationem obtinendam, & ad morbum noſtrum curandum, ſi tamen per fidem, & dilectionem applicetur ſibi ab anima. *Lib.* 3. *d.* 19. *a.* 1. *q.* 1. *ad penult. ſer.* 2. *Dom.* 10 *Pentec.*

CAPUT IV.

In hoc capitulo proſequitur Apoſtolus ſuas probationes ad convincendum Judæos, quòd lex non juſtificat credentes, ſed fides in Chriſtum Jeſum.

55. *Bona intentio, ubi non poteſt eſſe operatio correſpondens, ſufficit ad præmium æternum. ſed ubi poteſt eſſe operatio, hæc debet conſequi ad intentionem, & hoc ex gratia Dei.*

Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum; credidit enim Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam; ei autem, qui operatur merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum; ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundùm propoſitum gratiæ Dei. Proſequitur Apoſtolus in demonſtrando, quòd opera legalia non juſtificabant, ſed fides mediatoris cum operibus, & affert exemplum de Abraham juſtificato in virtute fidei; ſubdit poſtèà documentum generale pro omnibus, quod in virtute fidei, & gratiæ Dei opera noſtra mereantur præmium in Cœlo ad proportionem gratiæ, & concurſus voluntatis ipſa operantis; & hoc eſt, quando cum bona voluntate, & intentione aſſociantur, & copulantur opera, quando adeſt opportunitas, & poſſibilitas; ubi verò non adeſt opportunitas, tunc ſufficit bona intentio fidei, & gratia informata, & de iſtis dicitur.

Luc.

Digitized by Google

*Luc.c.*2. In terra pax hominibus bonæ voluntatis. *Lib.*2.*d.*40.*a.*2.*q.*3.*ad* 1.

56. *Præmium vitæ æternæ datur ut debitum, & ut gratia.*

Ei autem, qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundum debitum, &c. Nota illud verbum, ſecundum debitum? dat per hoc intelligere; quod licet meritum fundatum ſit principaliter in gratia Dei tamen ob concurſum voluntatis cooperantis divinæ gratiæ, ei debetur ut quid debitum, undè & eſt quid gratuitum, ratione gratiæ Dei, & eſt quid debitum ratione meriti. *Ser.*1. *Dom.ſeptuag. Luc. cap.*7. *verſ.*47. *Sapien. cap.*15.

57. *Quale diſcrimen inter bonam intentionem puram, & inter ipſam cum additione operis externi.*

Ei autem qui operatur, &c. Nota, quod hic Apoſtolus comparat bonam intentionem copulatam cum opere exteriori, & bonam intentionem ſine operis executione, & dicit, quòd bonæ intentioni ſine executione operis, quando non adeſt opportunitas, Deus reſpondet ex gratia etiam meritum, & præmium ſubſtantiale, quod & reſpondet etiám exequenti talem intentionem bonam. ſed támen quoad præmium accidentale executio exterior multum valet, & hoc vel ratione adeptionis aureolæ loquendo de operibus ſpecialis excellentiæ, ut ſunt virginitas, martyrium & doctoratus, ſeu prædicatio; aut ratione diminutionis pœnæ ut evenit in operibus difficilibus, & pœnalibus. *Lib.*2.*d.*40.*a.*2.*q.*3.

58. *Solius Dei eſt mortuis dare vitam, ſcilicet corporaliter, & ſpiritualiter.*

Qui & mortuos vivificat, & vocat ea, quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt. Nota, quòd hoc verificatur de omnibus mortuis corporaliter, quia Deus eos ſuſcitabit in judicio, ſed magis de mortuis ſpiritualiter in peccato verificatur; nam ad ſuſcitandum tales mortuos requiritur potentia infinita. qua ea, quæ non ſunt, ſcilicet non habent eſſe, vel vivere, vocat tamquam ea, quæ ſunt, ſcilicet eis dando vitam ſpiritualem. *Ioan. collat.*17. & 53 *ſer.*4. *de S. Laur. in addit.*

59. *Spes in Deum mirabilia operatur.*

Abraham non eſt infirmatus fide, &c. & contra ſpem in ſpem tradidit, &c. Notat hoc Apoſtolus de Abraham, qui in ſenio conſtitutus eſt, ipſe, & uxor ſua credidit promiſſioni à Deo ſibi factæ de ſucceſſione futura prolis, quia iſte magnus vir ſciebat Deum fideliſſimum in ſuis promiſſionibus; & per hoc nobis exemplum datur Deo credendi, in ipſum ſperandi etiam contra ſpem, ſcilicet humanam, & in caſibus, qui creduntur impoſſibiles, & deſperatur ad obtinendum, quod optatur; ſic etiam & nos confidere debemus in Deo etiam dum nos flagellat, & ita ſtudiosè ei ſervire, & placere in omnibus, ac ſi ſentiremus, & crederemus eum nobis eſſe placatum. *Op. de Prof. Religioſ. lib.*2.*c.*2. *Luc.c.*1.*v.*18.

60. *In tentatione in Deum ſperandum ſine hæſitatione.*

In repromiſſione Dei non hæſitavit (ſcilicet Abraham) diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere. Ecce novum prodigium fidei, & ſpei Abrahæ in Deum; qui cum ab ipſo tentatus eſſet, ut immolaret filium ſuum, dum promiſſionem acceperat, Meſſiam ex ipſo naſcituram, & poſteritatem ejus multiplicaturam ſicut ſtellas Cœli: Dum igitur tentavit illum Deus, ut immolaret hunc eundem filium unicum, ſtatim promptè ſe accinxit ad obtemperandum, nec in fide, vel ſpe hæſitavit de ejus promiſſione, ſicut pollicitus ei fuerat, & hoc eſt, quod aliquando facit cum ſervis ſuis Deus, eos probando ad majus ipſorum meritum, & ad excitandum nos, ne unquam hæſitemus in fide, & ſpe in Deum, in quacumque tribulatione, & adverſitate. *Opuſc. de Prof. Religioſ. lib.*1.*c.*2. *Luc.c.*2.*v.*14.*c.*5. *v.*5. & *c.*8 *v.*50.

61. *Chriſti Paſſio, & Reſurrectio qualiter conferant ad juſtificationem hominum.*

Dominus Jeſus traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Quæritur hic quomodo Paſſioni Chriſti, & Reſurrectioni attribui poſſit remiſſio noſtrorum peccatorum, & juſtificatio noſtra? tum quia juſtificatio, & remiſſio peccatorum ſit ſolum à Deo, tum quia Paſſio Chriſti fuerit corporalis, tum quia utraque jam eſt præterita, nec exiſtens, & ob id nihil cauſare valens; tùm quia Reſurrectio Chriſti fuerit extra ſtatum meriti. Attamen reſp. quòd utraque aliqualem cauſalitatem habet ad noſtram juſtificationem; nam Paſſio Chriſti habet rationem meriti, per quod meruit noſtram juſtificationem; Reſurrectio verò habet rationem termini quieſcentis, & finalis, ad quem ordinatur juſtificatio; & utraque nos excitat ad Dei dilectionem, & ad refurgendum à peccato. *Lib.*3.*d.*19 *a.*1. *q.*1. *lib.*4.*d.*2.*dub.*2. *Luc.c.*24 *v.*25.

61. *Chriſti paſſio, licèt præterita, qualiter de præſenti influant ad noſtram juſtificationem.*

Traditus eſt propter delicta noſtra, &c. Si jam præterita eſt Chriſti Paſſio, qualiter poteſt dici, quod per modum cauſæ influat in noſtram juſtificationem, & remiſſionem delictorum? ſed attende ad artem mirabilem Domini noſtri Jeſu Chriſti: Certum enim eſt, quòd jam præteriit ejus Paſſio, nec amplius exiſtit, ſicut & ejus Reſurrectio, tamé voluit ſervare in ſuo corpore vulnera gloriosa, pulchra, viva, & rubicunda, cur hoc? Ecce inter alias rationes hæc admirabilis, ut ſcilicet Paſſio ejus ſemper vivida, ſemper exiſtens in ſuo corpore vigeret uti præſens ad omnes effectus ſupernaturales pro ſalute hominum, ut per hæc vulnera, tamquá per cauſam inſtrumentalem effluerent ad Beatos, ad Angelos, ad homines, ad totam Eccleſiá triumphantem, & militantem effectus miraculoſi, quos ipſe in carne mortali per Paſſionẽ meruerat, ſic enim plenitudo gloriæ omnium ſanctorum non ſolùm refulget in hac beatiſſima Paſſione, ſed etiam ab ipſa meritoriè emanat, & ut magis

appropriatè loquamur per apertionem lateris mittit ſanctis viſionem apertam ; per pedum , & manuum vulnera intentionem firmam, & omnem lætitiam,& delectationem.*Op.ſtim.p.1.c.12.*

CAPUT V.

Proſequitur Apoſtolus in hoc capite materiam de juſtificatione per fidem in Chriſtum, & hinc eruit veluti concluſionem,quod tota fiducia noſtra, & omnia bona ex Chriſto debeamus recognoſcere .

63. *Fidei formatæ effectus mirabiles expenduntur.*

JUſtificati ergo per fidem , pacem habeamus ad Deum per Dominum Jeſum Chriſtum, per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam , in qua ſtamus. & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Nota , quòd iſta ſententia eſt veluti concluſio præcedentium, in quibus Apoſtolus docuerat hominem non juſtificati per opera legalia , ſed per fidem in Dominum Jeſum Chriſtum ; ideò nunc docet, quod juſtificatio hæc à Deo,ut à principali efficiente habetur[1], ſed per fidem , & gratiam nobis ſuis meritis acquiſitam à Chriſto Jeſu , in qua juſtificatione concurrit & fides,& gratia ſanctificans pacem nobis conferens cum Deo , & reconciliationem,& in cujus virtute gloriari poſſumus per ſpem finaliter obtinendi gloriam ; & per hoc aſſignat duplicem efficaciam nobis proveniſſe per Chriſtum ; altera eſt juſtificatio , & reconciliatio cum Deo per tranſitum à culpa ad gratiam, & hæc habetur in præſenti , in qua ſtamus permanentes:altera eſt pro futura vita, quam ſperamus fidentes in pietate , & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti , & hinc ſequitur, quòd totum noſtrum bene eſſe & de præſenti , & pro futuro eſt à Domino Jeſu,cui ſemper debetur gloria , & honor.*Sap.c.15 ſer.2. Hexam. Luc.c.18. v. 42. & c.19.v.38.*

64. *Gloria vera juſtorum in hac vita ordinata ad æternam qualis ſit.*

Sed gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei;non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus. Ecce quid conſequitur ad juſtificationem peccatoris per gratiam Domini Jeſu Chriſti , nempè gloriatio etiam nobis manentibus in hac vita , & qualis iſta gloriatio? hæc eſt primò in ſpe gloriæ filiorum Dei , ſcilicet ſuppoſita juſtificatione, & puritate conſcientiæ , gloriatur juſtus in cognitione Dei per fidem,& in ſpe obtinendi gloriam filiis paratam, & ideò hæc gloria , & gaudium permanens in anima facit , quòd anima gloriatur in perfectione pœnitentiæ , in tolerantia tribulationum propter Chriſtum , & ſic degens inter ſpinas & mala hujus vitæ participationem illius gloriæ æternæ, qua perfruuntur Beati, obtinet ; unde verè dicere poſſunt , gloriamur in tribulatione.*Ioan.c.5.v.44.ſap.c.3.*

65. *Spei in Deum multiplex effectus,& munus in anima expenditur.*

Gloriamur in ſpe filiorum Dei , ſed & gloriamur in tribulationibus;ſcientes,quod tribulatio patientiam operatur , patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit,&c. Nota hic,quòd ſupra poſt fidem ſecundo loco collocavit ſpem , & gloriationem , quam affert in anima , nunc verò dicit, quòd per patientiam , & probationem acquirimus ſpem (probatio verò ſpem) ſi ſpes antecedit ad noſtras operationes nos excitans ad bene operandum , quomodo poſteà dicit , quòd ſpes conſequitur ad patientiam , & bona operaſed attende ad multiplex munus , & effectus ſpei : ſpes enim aliquando importat habitum virtutis Theologicæ, & hæc eſt , de qua ſupra locutus eſt,quia ad fidem conſequitur ſpes Theologica , quæ facit ſperare cœleſtia bona per fidem cognita , & hæc antecedit quaſi cum fide veluti auriga , omnia noſtra merita,& actus;aliquando verò importat actum virtutis, & hæc ſpes oritur ex meritorum intuitu , nempe facit , quod quis ſperat beatitudinem Deo ſerviendo : aliquando importat ſtatum , in quo involuuntur merita præcedentia, & concomitantia , ſcilicet perſeverantia in exercitio virtutum ; & ideo ſpes ſic conſiderata excitatur, & ampliatur per patientiam in tribulationibus,& perſeverantiam in ſufferendo pœnas,dolores,& paſſiones pro Chriſto, ita ut imprimat in corde patientiam veluti quamdam certitudinem obtinendæ gloriæ in altera vita , quæ eſt objectum ſperatum.Vide igitur quid operatur hæc divina virtus ſpei in anima. Vide quàm lucroſa eſt talis negotiatio in ſervitio Dei;unde rectè dicere poſſunt,gloriamur in ſpe filiorum Dei.*Lib.3.d.26. a.2.q.2.op.Centil.p.3.ſect.29.Pſal.118.c.4.v.2. Ioan. c.5.v.44.ſer.1.de S. Catharina in addit.*

66. *Spes in Deum non confundit ; ſpes in mundum , & homines confuſionem parit.*

Probatio operatur ſpem, ſpes autem non confundit. Quid eſt non confundit? de qua confuſione hîc loquitur?ſed attende;quòd per hoc aſſignat diſcrimen inter ſpem in Deum, & ſpem in homines, & mundum ; ſperans in mundum , & homines ſæpè confunditur, & erubeſcentiam patitur, quia ut plurimum fruſtratoria eſt, & in majori neceſſitate , & ſpe derelinquitur ſine effectu : non ſic ſpes in Deum; ſtatim enim ac Chriſtus vocat hominem ad ſui ſervitium, eique imperat fugam viciorum,& exercitium virtutum , etiam ei infundit ſpem firmam obtinendi gloriam ; quæ ſpes eſt cum certitudine firmiſſima præmii pro laboribus, pœnis , & operibus bonis propter Chriſtum aſſumptis,& hæc non confundit ; quia pignus ei tribuit,ſcilicet charitatem ſpiritus ſancti. *Pſ. 118. c.2.v.1.,& aliis locis infracit.*

67. *Chari-*

Digitized by Google

67. *Charitas Dei in anima quales effectus miraculoſos producat.*

Spes autem non confundit. Cur hoc; *quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.* Ecce fundamentum radicale cur viventes in tribulationibus lætari debent tanquam certi de obtinenda beatitudine cœleſti, quia in eorum cordibus adeſt arrha, & pignus gloriæ, ſcilicet charitas Dei; Nota, quòd dicit *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*; cur non potiùs dicit infuſa, quam diffuſa? infuſa potiùs videtur, quia ſolùm à ſpiritu ſancto poteſt haberi? ſed optimè dicitur diffuſa, tum quia tali modo præſupponitur in beatiſſima Trinitate charitas infinita, ſcilicet Spiritus ſanctus emanans per modum dilectionis à Patre, & Filio, & hinc diffuſa ad animam, ipſam reddit ſimilem illi ſummæ Trinitati, & hinc in juſto ſupponitur infuſa ſimul cum ſpiritu ſancto in juſtificatione, & jam recepta in anima; diffunditur poſteà, quia ex intimis procedens dilatat affectum ad dilectionem multorum, & movet omnes animæ vires ad bonas operationes; undè anima ſe diffundit ad diligendum omne bonum, & ſolum bonum, & taliter in ſummè deſiderabile fertur, ut pro nihilo proſpera, pro nihilo omnia adverſa habeat, & omnia alia æſtimet quaſi feſtucam poſitam in una fornace, & hinc anima repleta à divina ſapientia, effecta Chriſti membrum, ſoror, & cohæres, & à ſpiritu ſancto inhabitata fit Dei filia, ſponſa, & amica, templum ſpiritus ſancti fundatum per fidem, elevatum per ſpem, & Deo dicatum per mentis, & corporis ſanctitatem: ô qualia operatur in nobis hæc charitas, & gratia ſpiritus ſancti. *Op. Itiner. mentis. c. 4. lib. 1. d. 14. dub. 6. ſer. 23. Hexaem. op. de ſeptem itiner. ætern. itin. 4. d. 3. op. Comp. Theol. lib. 5. c. 24. Pſal. 118. c. 2. v. 15. ſerm. de S. Eliſabeth. lib. 1. d. 10. a. 1. q. 1. & 2. & d. 14. a. 2. q. 1. & d. 15. dub. 5.*

68. *In aliquorum cordibus charitas Dei diffuſa eſt: in aliis confuſa carnalitas.*

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, &c. Nota, ly, diffuſa: quia charitas vera ſpiritus ſancti intus in anima recepta non poteſt contineri intrà ripas, ſed extra cogitur exire, & diffundi ad omnes potentias animæ, ad omnes ſenſus corporis; in corde enim fervet, & ebullit, & incendit animam amore Dei, diffunditur ad os ad confeſſionem fidei, & peccatorum, & ad ipſum laudandum inceſſanter: extenditur etiam ad opera, & converſationem externam, & obſervantiam mandatorum Dei; ſed proh dolor! in aliquibus enim non eſt diffuſa charitas Dei, ſed potiùs confuſa carnalitas, nam ſpiritus malignus ibi exiſtens diffunditur foras ad os per verba maligna, detractoria, impudica, carnalia, & ſimilia, & ad opera ſcandaloſa, perverſa; & diabolica, quæ oſtendunt ſpiritum diabolicum ibi habitare, & manere. *Ser. 9. & 11. in Pentec.*

69. *Totum negotium reparationis factæ per Chriſtum expenditur.*

Commendat Deus charitatem ſuam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius. Proſequitur Apoſtolus ſubjectum propoſitum juſtificationis peccatorum factæ per Chriſtum, reducendo eam ad ſuam radicem, & oſtendendo totum myſterium reparationis factæ per Chriſtum, ſcilicet cauſam efficientem, & moventem modum, & effectus; dicit autem commendat Deus charitatem ſuam in nobis, ideſt commendabilem oſtendit nobis juſtificatis per charitatem deſignans auctorem reparationis, ſcilicet Deum motum non aliunde, niſi ex ſua immenſa miſericordia: ſecundò adducit lapſum hominis reparabilis, dicens cum adhuc peccatores eſſemus: tertiò perſonam reparatoris, ſcilicet Chriſtum pro nobis mortuum: quartò effectus reparationis, ſcilicet ſalus reparati hominis multò magis juſtificati nunc per ſanguinem ipſius, ſcilicet per paſſionem ejus tanquam per cauſam meritoriam, & per gratiam tanquam per medium; ſicque convivificavit nos in Chriſto ſociando mortalitatem noſtram in ejus perſona cum vita divinitatis, & ideò nos cum Chriſto copulavit, dum ipſe vixit, qui vita erat inter mortales, & per Chriſtum vivificavit nos, dum nos per mortem ipſius à morte eripuit, & ſecundùm Chriſtum, dum ad ejus exemplum nos per viam vitæ direxit, ut per eamdem viam ambularemus. *L. 3. in Prol.*

70. *Chriſtus juſtus pro iniuſtis, & impiis omnibus mortuus eſt quoad ſufficientiam, pro bonis verò tantùm quoad efficaciam.*

Chriſtus juſtus pro impiis mortuus, nam pro bono forſitan quis audeat mori? Si Chriſtus mortuus eſt pro impiis, ergo pro omnibus hominibus, qui ceciderant mortuus eſt? cur ergo non omnes ſalvantur? ſed reſp. quod mortuus eſt pro omnibus quoad ſufficientiam, ejus enim Paſſio ſufficientiſſima fuit pro infinitis, ſed tamen quoad efficaciam mortuus tantùm dicitur pro bonis ſcilicet pro malis, qui admittentes gratiam Chriſti, fiunt boni. *Lib. 3. d. 22. a. 1. q. 3.*

71. *Charitatis Chriſti immenſitas in moriendo pro inimicis expenditur.*

Commendat autem Deus charitatem, &c. Vide quomodo admirando Apoſtolus prædicat immenſitatem charitatis Dei in nos, dum non ſervum, non inimicum, ſed Filium proprium expoſuit morti ignominioſiſſimæ crucis, non oblivione, non commodi proprii intuitu, ſed pro ſalute non amicorum, ſed inimicorum, & impiorum, qui erant digni morte æterna: ô quàm verum, quod majorem charitatem nemo, niſi Deus poterat oſtendere. *Ioan. collat. 17. 50. 54. & 87. & c. 3. v. 16. Luc. c. 15. v. 27.*

72. *Juſtificatio exhibita à Chriſto in ſanguine ſuo exigit à nobis ſanguinem, ſine quo eius ſanguis erit nobis in damnationem.*

Quoniam cum peccatores eſſemus ſecundùm tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira ipſum. Nota, quod Apoſtolus arguit à minori

ad majus intendens nos excitare ad ſpem,& fiduciam in Redemptorem Chriſtum, ſimulque ad cooperandum tantæ ipſius charitati; ſi enim nos Deo reconciliavit per mortem cum inimici eſſemus, auferendo inimicitiam peccati,& offerendo ſatisfactionem debitam;multò magis juſtificationem obtinebimus in ſanguine ipſius, qui ſervatur vivus, & immortalis pro nobis in Eccleſia; ſed attendendum eſt, quòd dicendo nos juſtificandos eſſe in ſanguine ipſius,non dicit in morte,non dicit in vita, ſed in ſanguine, quia ſanguis ſanguinem à nobis exigit, ut juſtificationem habeamus; in ſanguine ipſius enim fundatur homo,& firmatur qui patitur cum Chriſto, & ſanguinatur cum ſanguine Chriſti, ſcilicet qui peccata plangit, qui ſanguinem lachrymarum copulat cum, ſanguine ipſius, & iſte merebitur ſalvari ab ipſius ira in judicio, quia ſanguis Chriſti clamabit tunc pro homine miſericordiam, pacem,& veniam; ſicut è contra qui in ſanguine Chriſti non ſtetit, qui contrà hunc ſanguinem clamavit peccando, & perſiſtendo in peccatis, contra ſe hunc ſanguinem habebit clamantem iram, vindictam,& damnationem; ergo ſanguis Chriſti ſalvabit electos, & confundet damnatos. *Pſal.*10.& 118. *cap.*8.*v.*5. *ſer.*1.*Dom.Paſſ.*

73. *Charitas immenſa Chriſti morientis pro inimicis iterum expenditur.*

Quoniam cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem ipſius. Nota illud verbum, cum inimici eſſemus; ut pateat quàm immenſa fuerit, & excedens omnem exiſtimationem, & ordinem charitas Chriſti; cum enim objectum amoris ſit bonum, quid in nobis invenit Chriſtus quod amaret? nihil niſi fœdum, & malum, & iniquitatem,& malitiam? ô quis non obſtupeſcit immenſitatem amoris Chriſti in nos? qui pro ſuis inimicis voluit mori: nonne inimici Dei ſunt, qui domum Domini cum familia,ideſt cum virtutibus igne vitiorum ſcienter incendunt, qui Filium Dei ſcilicet ſpiritum,& animam occidunt ideò pro iſtis iniquis Chriſtus ſanguine ſuo dignatus eſt delere chirographum damnationis:ô magna dignatio, eximia charitas, & amor Chriſti! *Ser.*4.*Paraſc.ſer.*3.*Dom.*1.*Paſcha.ſer.*1.& 2.*ſer.*1. *Pentec.Luc.*c.6.*v.*27.& c.24.*v.*26.*Pſal.*71.

74. *Peccatum humani generis cur reparabile fuit,& non peccatum Angelorum.*

Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Quæritur hìc cur cum æquè peccaverit Angelus,& homo, attamen peccatum hominis fuit reparabile, non autem peccatum Angeli; cur non & peccatum Angeli? ſed tamen reſp. quòd juſtè irremiſſibiliter damnatus eſt Angelus, non homo, quia Angeli voluntas invertibilis eſt,& quia non cecidit alio ſuggerente,ut Adam cecidit diabolo ſuggerente,& cæteri poſteri ſine concurſu voluntatis propriæ peccaverunt, ideò congruum fuit, ut per mediatorem repararetur, ideſt per Chriſtum Jeſum. *Lib.*3.*in Prol.lib.*2.*d.*21.*a.*3.*q.*2.

75. *Peccatum Adæ non pertranſiit in Chriſtum,& in Mariam Virginem.*

Per unum hominem peccatum intravit in mundum,& ita in omnes homines. Quis iſte unus homo? Hic eſt Adam; nam ſi Adam non peccaſſet Eva peccante genus humanum non infectum remaniſſet. *Lib.*2 *d.*22. *dub.*1. Ergo peccatum Adæ in omnes homines pertranſiit.& in omnes homines,ergo & in Chriſtum, & in Mariam? ſed hoc eſt falſum, ergo propoſitio Apoſtoli non eſt vera? Reſp.propoſitionem Apoſtoli eſſe veriſſimam, quia loquitur de deſcendentibus ab Adam per carnalem originem, & ſecundùm legem communem concupiſcentiæ; iſtique omnes contrahunt neceſſario peccatum originale, quod eſt commune omnibus hominibus, ſed quia Chriſtus non deſcendit ab Adam per originem carnalem, vel ſeminalem,remanſit enim in Adam ſemen, in quo benedictæ ſunt omnes gentes, ideſt Chriſtus, in quo nulla fuit corruptio, imò membrum ſanctiſſimum fuit; ideò cætera membra à fœce peccati ſua cauterizatione curavit; & hinc Chriſtus peccatum originale non contraxit; & ſi aliquis alius miraculosè ex carne humana formaretur, peccatum originale non haberet, quia ab Adam ſecundùm legem communem; ſcilicet concupiſcentiæ non deſcenderet: Et hinc ab Eccleſia excipitur etiam Beata Virgo Maria ab hac contractione peccati originalis, quia ejus conceptio fuit per legitimum matrimonium quidem, ex matre ſterili,ſed elevata ſupra curſum communem aliorum hominum per adjutorium miraculoſum ſpiritus ſancti: Nota autem, quòd dum Apoſtolus loquitur de peccato dicit, quòd intravit in mundum, & ita in omnes homines; & deindè quòd mors per peccatum intravit; unde peccatum intravit in mundum, non in eos; qui extra mundum ſunt; mundus enim ſecundùm conſuetum uſum ſcripturæ ſignificat vacuos Dei gratia, ergo non intravit peccatum in Chriſtum, nec in Mariam; intravit poſtea mors, quæ non currit pari paſſu cum peccato; qui enim peccatum admittit,etiam mortem incurrit,ſed non è converſo, ut patet in Chriſto. *Lib.*2 *d.*21.*a.*3.*q.*2.*ad tribus ternar. c.*2. *Vide Brevil.lib.*4 *c.*8.*Comp.Theol.lib* 4.*c.*18. *V. lib.*3. *d.*15.*a.*1.*q* 2.& 3. Notâ autem,quòd in lib. 3. d.3. Seraph. Doct. ſuſtinet Mariam conceptam fuiſſe cum peccato originali, ſed poſteà ſe retractavit in fine,ut patet *in ſer.de B. Virg.* de immunitate Mariæ à peccato, & à debito formali contrahendi peccatum originale. *Vide Vegam n.*555 *ſeq.*

76. *Chriſti charitas qualis in exhibendo remedium per baptiſmum contra peccatum originale expenditur.*

Sed non ſicut delictum, ita & donum; ſi enim unius delicto multi mortui ſunt; multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit. Ecce quod ſi unius hominis peccatum infecit omnes homines; Jeſus Chriſtus voluit ſuperabundanter remediare tot damnis; non enim ad remedium ſolùm ſtragis factæ per peccatum adſpexit, ſed ſuperabundantiora dona homini contulit; contra originale peccatum enim inſtituit baptiſmum, quo non ſolùm

solùm morbus toleretur contractus per peccatum originale, sed etiam annexa illi morbo tolerentur, scilicet omnis pœna debita peccato, & sic oppoſuit rigori divinæ juſtitiæ dulcedinem divinæ miſericordiæ, ut homo à poteſtate tenebrarum transferretur in adoptionem filiorum Dei. *Lib.* 4. *d.* 4. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 1. & *d.* 32. *art.* 1. *quæſt.* 2. *ad* 2.

77. *Idem argumentum.*

Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ, accipientes in vita regnabunt. Ecce quid Chriſtus in adventu ſuo oppoſuit ad mortem peccati Adæ; nempè abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ, ſcilicet gratiam ſanctificantem in remiſſionem peccatorum, donationem charismatum, & donorum, per quæ anima illuminatur contra ignorantiam, & cæcitatem, & juſtitiam, ſcilicet ſoliditatem conſtantiæ roborantis animam; ut per bona opera poſſit ambulare de virtute in virtutem uſque ad conſecutionem vitæ æternæ, ergo ex hac parte poteſt dici, ô felix culpa, quæ talem, ac tantùm habuit Redemptorem. *Ser.* 1. *Dom.* 4. *Pentec.* & *ſupra cit. loc.*

78. *Inobedientia primi hominis totum mundum infecit, obedientia Chriſti ipſum reparavit.*

Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obeditionem, juſti conſtituentur multi. Nota, quòd hic textus excitat quæſtionem, quodnam fuit peccatum primi hominis, an ſcilicet ſuperbia, an aliud: Cui reſpondetur, quod fuit unum peccatum, ſed qualificatum variis circumſtantiis; inchoatum enim fuit in ſuperbia, proſecutum eſt in avaritia, & completum, & conſummatum in inobedientia, & hinc ad peccatum inobedientiæ reducitur totum excidium mundi, & ideo Chriſtus reparationem inchoavit per obedientiam, & ipſam per eamdem virtutem complevit, *Lib.* 2. *d.* 22. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 1. & *d.* 33. *dub.* 1. Et hinc eſt, quod Chriſtus voluit, ut homines ſuis Prælatis ſubeſſent, & obedirent, ut per humilitatis meritum gratiam Dei recuperarent, quam Adam inobedientia ſua amiſerat. *Op. de Prof. Religioſ. lib.* 2. *c.* 39.

79. *Homo poteſt reſurgere à peccato cum æquali, imò cum majori gratia, quam amiſerat.*

Ubi autem abundavit delictum, ſuperabundavit gratia. Nota ad litteram, quod Apoſtolus intendit oſtendere, quod gratia per Chriſti adventum allata incomparabiliter excedit ſtrages, & damna illata mundo per peccatum Adæ; ſed tamen etiam hic textus adaptatur iis, qui reſurgunt per pœnitentiam, & gratiam à peccato, poteſt enim dari, quòd reſurgant ad æqualem, imò & ad majorem gratiam, quàm eſſet prima deperdita; & hoc ſuppoſita condigna præparatione in ſuſcipiente; & propter hanc conditionem multi reſurgunt etiam in minori charitate, ob ſcilicet defectum proprium. *Lib.* 3. *d.* 31. *a.* 1. *q.* 2. *ſiq.* & *lib.* 4. *d.* 14. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 1. *ſeq. Luc. c.* 24. *v.* 10. *ſer.* 4. *Dom.* 5. *poſt Pentec. ſer.* 1. *Dom.* 6. *Pentec.*

CAPUT VI.

In hoc capite Apoſtolus oſtendit, quòd lex ſpiritus neceſſaria eſt ad ſalutem, quam & Chriſtus docuit in mundo.

80. *Qui vult vivere in Chriſto, priùs moriatur peccato, ut ſepeliatur cum Chriſto.*

QVi mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Nota, quòd Apoſtolus proſequitur oſtendendo, quòd lex vetus non juſtificat, ſed lex ſpiritualis Chriſti Evangelica; nam per baptiſmum homo moritur peccato, & conſepelitur ad reſurgendum ad vitam, & ad ambulandum in novitate vitæ veluti reſuſcitatus cum Chriſto, & hæc eſt reſurrectio, quam intendit Chriſtus in nobis per Sacramenta. *Joan. collat.* 57. *ſerm.* 2. *opuſc. de decem præc.*

81. *Sepultura, & Reſurrectio Chriſti ſit noſtrum exemplar.*

Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, ut quomodo ſurrexit, &c. Ecce quid nobis exhibet ſepultura, & Reſurrectio Chriſti, nempè nos admonet, ut cum Chriſto moriamur peccato, & per baptiſmum, & pœnitentiam ſepeliamur, & deſtruamus veterem vitam, & reſurgamus in novitate vitæ; ad quod requiritur imitatio ſepulturæ Chriſti, ſcilicet ligatio cum linteis per munditiam, & obſervantiam mandatorum; & converſatio vitæ honeſtæ: & hinc ſequi debet reſurrectio noſtra ad imitationem Chriſti, ut ſit virtuoſa devicto mortis Principe, acceleta vera, non ficta, & irredibilis ad mortem. *Joan. collat.* 86. & 87. *lib.* 3. *d.* 19. *q.* 1.

81. *Chriſti Reſurrectio nos invitat ad ſimilem reſurrectionem.*

Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita, & nos in novitate vitæ ambulemus. Vide quomodo proponit primo loco Reſurrectionem Chriſti tamquam rationem motivam ad exiran-

dum

dum nos ipſos ad ipſius imitationem, ut ſcilicet in novitate vitæ ambulemus, & ad hoc nobis faciendum eſt quod pueri ſcindentes veſtes, ut citiùs novas habeant; ſic exèmplo Chriſti ſcindamus veſtem humanitatis per pœnitentiam, ut ad gloriam reſurrectionis comparandam perveniamus; invitamur etiam ad hanc imitationem in conſideratione Dei Patris, qui intuitu Reſurrectionis filii movetur ad dandam eamdem gloriam ſuis fratribus fidelibus, & per hoc excitamur ad imitationem Chriſti, qui in paraſceve mortem ſuſtinuit, in Sabbato quievit, & in tertia die reſurrexit, ſic in nobis præcedat mortificatio membrorum, ut hinc ſequatur quies contemplationis. *Op. Comp. Theol. lib.4. c.23. ep. Diat. Appendix pro Dom.6. poſt Pentec.*

83. *Vetus homo in nobis quomodo crucifigendus.*

Vetus homo noſter crucifixus eſt ſimul, ut deſtruatur corpus peccati. Quid eſt vetus homo, qui crucifixus dicitur ad deſtructionem corporis peccati? Nota, quòd iſte vetus homo eſt fomes peccati, ſeu concupiſcentia inclinans, & trahens nos ad peccatum, & quia fundatur in corpore peccati, quod eſt amor proprius, & inordinatus; hinc dicitur crucifixus per mortem Chriſti ſcilicet diminutus, ne niſi volentes ducat ad præcipitium. *Lib.2.d.32.a.2.q.2.*

84. *Cum Chriſto reſurgens, maximè per confeſſionem, & communionem in Paſchate, non amplius moritur, ſed perſeverat in novitate vitæ.* Unde hic dicitur Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, & audiant qui ad communionem in Paſcha accedunt, caveant iterum reincidere in mortem peccati, ut reſurrectio Chriſti in eis vigeat. *Op. Expoſ. Miſſæ c.4.ſer.6.in Paſcha. ep. de Prof. Relig. lib.2. c.76. Luc.c.9.v.26. Joan. col.84. ep. Diat. Appendix pro Dom.6. Pent.*

85. *Infeliciſſima ſervitus peccati abjicienda à fidelibus Chriſti.*

Mors illi ultra non dominabitur, &c. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Ecce qualiter Chriſtus noſtrum exemplar in ſua Reſurrectione ſe exhibuit; unde dicitur mors illi ultra non dominabitur, ut excitet nos ad vitandam miſerandam ſervitutem peccati, & diaboli, unde ſuadet Apoſtolus non regnet ergo peccatum (quod eſt mors horribiliſſima) in veſtro mortali corpore, nota, quod dicit in corpore, ideſt ne concupiſcentias carnales ſequamur, ex quibus ſequitur captivitas ſub jugo diaboli. *Lib. 2. d.44. a.3. q.1. Luc.c.11.v.18.*

86. *Diabolus de ſe inermis; armatur autem armis ſibi à ſtultis peccatoribus exhibitis.*

Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo, &c. & membra veſtra arma juſtitiæ Deo. Nota verba ô lector, & ſigna myſteria: ſuadet nos Apoſtolus, ne exhibeamus membra noſtra arma peccato; quid eſt membra exhibere ut arma peccato, qualia arma ſunt noſtra membra? ſed optime dicit arma peccato, ideſt diabolo; dat per hoc intelligere, quòd diabolus de ſe inermis eſt, nec de ſe aliquid poteſt in nos, nec dedit noſter benignus conditor hoſti noſtro poſſe nos vi ad peccatum impellere, quia nimis fortis eſſet contra nos fragilis, & vix poſſemus ſine peccato ſubſiſtere, ſed nulla alia arma habet, niſi clamores, latratus, & ſuggeſtiones, per quas poteſt nobis mala ſuadere, latrare poteſt, mordere non poteſt; & cum nulla arma habeat ad nos impugnandum, cum ſuadet nobis peccatum, tunc petit à nobis arma noſtra, ut ipſis nos occidat, vel ut ipſa arma, ei præſtemus hebetet, & rèmundat, ut nobis minus apta, & utilia fiant, & ideò cum immittit cogitationes malas ſuadet, ut ei præſtemus cor noſtrum, & alia membra, ut nos poſſit confodere: Non igitur exhibeamus membra noſtra arma diabolo, ſed ipſa exhibeamus arma juſtitiæ Deo, ſcilicet ut corda, ſenſus, membra tamquam inſtrumenta virtutum ei exhibeamus, quibus bona noſtra faciamus militantes Deo, & juſtitiæ. *Opuſc. de prof. Religioſ. lib.1. cap.2. Luc. c.2. v.22.*

87. *Vera ſervitus eſt vivere in peccatis: Vera libertas eſt vivere in gratia.*

Liberati à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ. Ecce qualis tranſitus fit à peccato ad gratiam: nam ejiciens à corde peccatum ſe liberat à vera ſervitute peccati, quæ eſt turpis, & ignominioſa, & libertate fruens fit ſervus juſtitiæ, quæ eſt vera libertas, quæ acquiritur Deo, & ejus præceptis obtemperando. *Op. Eccleſ. Hier. p.1.c.4. ep. in Puer ad finem. Joan. collat.42.*

88. *Alii membra iniquitatis ſervituti & diabolo impendunt; alii juſtitiæ & Deo.*

Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Quid eſt exhibere membra ſervire iniquitati, & juſtitiæ? hoc eſt, quia membra ſinuntur extendi ultra legem à Deo præſcriptam; cum enim data ſint nobis à Deo membra ut inſtrumenta virtutum, ut ſit oculus pudicus, auris caſta, odor modeſtus, guſtus ſobrius, tactus ſanctus, & ſic de aliis, quibus ſervitur, & foveturjuſtitia, & gratia Dei; ſi igitur extendantur ultra hos limites, tunc ſerviunt iniquitati ad iniquitatem, & fiunt arma peccati, & diaboli, quibus utitur ad nos occidendos. *Op. de ſex alis Cherub. op. de Prof. Relig. lib.1. c.2. Luc. c.1. v.73. c.3. v.8. & c.4. v.8.*

89. *Fructus maledictus ex opere peccati, fructus benedictus ex gratia, & opere bono.*

Quem fructum tunc habuiſtis in iis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt. Quis iſte fructus pariens erubeſcentiam? ecce qualis fructus; finis illorum mors: dat igitur intelligere, quòd ex malis operibus tamquam ex radice maledicta, nullus fructus reportatur, niſi maledictus, ſcilicet

Digitized by Google

ſcilicet mortis, ruinæ, & exterminii, & ideò reportant erubeſcentiam, & fœtorem etiam ipſi operanti; ſicut ex operibus juſtitiæ omne bonum: igitur noteat peccator illud verbum, in quibus nunc erubeſcitis, quia ex malo opere oritur confuſio, maledictio, & erubeſcentia, non ſolùm apud alios, ſed & ipſi peccanti ex conſideratione malitiæ, & deformitatis peccati, ejuſque fructuum. *Luc. cap. 6. v. 43. & c. 8. v. 14. op. Dierum. 5. c. 5. Pſal. 37.*

90. *Vita digna, & ſancta, ſequacium Chriſti qualis.*

Liberati à peccato, ſervi autem facti Deo habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Ecce quomodo Apoſtolus opponit vitæ iniquorum vitam bonorum & fructibus iniquitatis fructus vitæ Chriſtianæ, & ſic veram, & Chriſtianam vitam nobis amplexandam proponit, quæ in tribus conſiſtit, primò in fructu boni operis, qui conſiſtit in operibus juſtitiæ, & obſervantiæ mandatorum Dei; ex tali enim negotiatione reportatur divina amicitia, Dei gratia, lætitia cordis, protectio Angelorum: ſecundò in fine operum bonorum, ſcilicet in conſummatione perſeverantiæ, quia non qui incœperit, ſed qui perſeveraverit, ſalvus erit: tertiò in expectatione futuræ gloriæ; hæc enim excitat, animat, & impellit ad bona opera, & ad perſeverantiam. *Op. Diet. Appendix pro Dom. 6. poſt Pentec.*

91. *Stipendia peccati mors: gratia Dei vita æterna, ideſt arbor vitæ, & arbor mortis qualis.*

Vide, quòd Apoſtolus poſtquam docuerat peccatum inducere hominem in ſervitutem diaboli, progreditur ulteriùs dicens, quòd peccatum mortale eſt arbor, in qua ſuſpenditur peccator, & quòd ob labores quos peccator in via iniquitatis aſſumit; tandem ſtipendiatur morte, tamquam fructu, prodeunte ex tali arbore, & per hoc dat intelligere, quàm ſtultus ſit homo, qui in horto animæ plantat arborem mortis, ex qua ſcit ſuſpendendum eſſe, & pro fructu reportaturum mortem; & quam mortem? mortem nempè pœnalitatum præſentis vitæ, mortem corporis, & mortem animæ æternam; ergo origo omnium malorum eſt peccatum; ergo ſtipendium, quod diabolus ſuis præparat, & exhibet, ſunt calamitates, miſeriæ, amiſſio gratiæ Dei, & vitæ ſpiritualis, & pœna æterna in inferno: ò quàm ſtultus homo, qui ad hæc non cogitat. *Ser. 4. Dom. 15. Pentec. ſer. 2. Hexam. Ioan. cap. 14. in fine ſermon. 5. de una Virgine.*

92. *Arbor vita gratia Dei, ejus fructus vita æterna.*

Stipendia peccati mors, gratia Dei vita æterna. Quomodo dicitur gratia Dei vita æterna, & non potiùs ducens ad vitam æternam? ſed meritò ſic appellatur, quia dat intelligere, quòd ſicut in Paradiſo terreſtri plantaverat Deus lignum vitæ tribuens vitam, & immortalitatem, & lignum mortis, ſcilicet ex quo, & ex cujus manducatione mors oriturа erat; ſic in horto Eccleſiæ eſt lignum, & arbor mortis, quæ ab iniquis plantatur, nutritur, & foveturut ex ipſa cibentur, ex cujus manducatione mors ſequitur tamquam ſtipendium, & fructus, ut ſupra dictum eſt: ſic eſt etiam arbor vitæ, quæ eſt gratia Dei, ex qua vita æterna, ſcilicet participatio gloriæ redundat; iſte autem fructus, & ſtipendium eſt triplex, ſcilicet gratia curans, quæ datur in ſeptem ſacramentis, undè eſt arbor, & fructus, & medicina ſimul; gratia item corroborans, quæ cuſtoditur in juſtis per exercitia juſtitiæ, & gratia conſummans, quæ perficitur in ſeptem dotibus, & ſeptem beatitudinibus, ſcilicet conſummatur in hac vita per ſeptem beatitudines, & in gloria per tres dotes animæ, & quatuor corporis. *Ser. 2. Hexam. ſer. 5. de una Virgine.*

93. *Merita noſtra principaliter fundantur in divina gratia: minus principaliter in operibus noſtris.*

Gratia Dei vita æterna. Si gratia Dei eſt vita æterna, ergo per ſolam gratiam habetur vita æterna, & non per merita noſtra? ſed hoc non eſt dicendum; dicitur autem vita æterna fructus gratiæ, non quòd excludantur merita noſtra, ſed quia omnia merita noſtra procedunt ex munere gratiæ, hæc enim ſimul concurrit cum anima ad opera bona, & in cujus virtute fiunt meritoria. *Lib. 3. d. 37. art. 1. q. 1. & lib. 2. d. 27. a. 2. q. 3. & d. 28. art. 1. q. 3. ad 2. opuſc. de tribus ternar. cap. 2.*

CAPUT VII.

In hoc capite oſtendit Apoſtolus abrogatam fuiſſe legem Moſaycam, quia duravit uſquè ad Chriſtum, & affert exemplum de uxore ata, quæ vivente viro ligata eſt, ſed mortuo viro ſoluta remanet; mortuus enim fuerat Moyſes legiſlator, & Chriſtus, & lex Evangelica ſucceſſerat.

94. *Matrimonium indiſſolubile viventibus conjugibus: Ubi de peccato adulterii.*

IGitur vivente viro vocabitur mulier adultera, ſi fuerit cum alio viro. Nota, quòd Apoſtolus indiſſolubilitatem matrimonii hic innuit, & docet, quod ſi mulier fuerit cum alio viro, adultera eſt. Idem & dicendum de viro &c. affert autem hîc notanter exemplum adulterorum ad explicandam enormitatem deficientis à lege, & legiſlatore, per quod oſtenditur gravitas peccati adulterii; eſt enim peccatum graviſſimum Deo ſummè exoſum reipublicæ damnoſiſſimum, ideò etiam punitur à Deo ſeveriſſimè. *Luc. cap. 16 v. 18. lib 4. d. 37. dub. 7. & 8. ſer. 4. de Apoſtol. Pſalm. 118. capit. 2. v. 14.*

95. Lex ſcripta continet, & diſtinctiùs expli-

cat mandata,quæ de jure naturæ obligant;in quo ſenſu dicit Paulus *concupiſcentiam neſciebam, niſi per legem.* Ideſt peccata concupiſcentiæ explicatiùs per legem ſcriptam cognoſcuntur, etiamſi à lege naturali prohiberentur,unde præcepta decalogi ſu data ſunt in præceptis legis naturæ.*Lib.*3. *d.*37 *a.*1.*q.*3.*&* 4.1.*q.*1.*&* *lib.*2.*d.*32. *art.*2. *q.*1. *&* *d.*40.*q.*1 *ſer.*14.*Hexam.* Et hinc in perſona carnalium ſubdit Apoſtolus, quod peccatum operatum eſt in ipſis ratione legis prohibentis ; putabant enim ſe poſſe validè excuſare, ſi priùs contra iſta præcepta operabantur, quod falſum eſt. *Lib.* 3. *d.*37.*cit.alii loc.*s. *&c.*

96 *Lex omnis emanans, & deſcendens à lege æterna Dei ſancta,pia,& vera eſt.*

Itaque lex ſancta, & mandatum ſanctum, & juſtum,& bonum. Nota, quod Apoſtolus loquens de lege in communi, dicit eſſe ſanctam,piam,juſtam, & bonam.& dat intelligere,quòd lex naturæ ſcripta, & gratiæ mutuò ſe circumplectuntur in his attributis;lex naturæ Patri appropriatur,lex ſcripta Verbo,& lex gratiæ Spiritui Sancto;lex naturæ eſt lex pietatis,quia pietas videtur ineſſe omni naturæ creatæ,ut patet in plantis, quatum radix immittit humorem ramis ; in fonte immittente aquam ad rivulos ; in brutis pater immittit cibum proli : lex ſcripta eſt lex veritatis,quia eſt in quadam veræ promiſſionis pronunciatione lex gratiæ eſt lex ſanctitatis, & per iſtas tres leges Deus gubernat totum mundum, & ab iſtis promanant omnes leges morales.*Ser.*21.*Hexam.Luc.c.*5. *v.*14. *ſer.*1.*de decem præc.*

97. *Peccatum veniale committitur etiam ſine actuali voluntate.*

Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odi malum hoc facio. Quomodo poteſt dici, quòd ipſo volente facit malum, cum malum ſtet in voluntate ? ſed hoc dicitur non de peccato mortali, ſed veniali, quòd etiam ſine actuali voluntate committitur, ſufficit enim voluntas in cauſa, ex qua,& ex promitate, & infirmitate noſtra innata committuntur multa peccata venialia etiam involuntaria formaliter ; undè ly facio ſignificat actionem imperfectam hominis citra rationis aſſenſum.*Lib.*1.*d* 42.*a* 2.*q.*1.*&* *lib.*3.*d.*3.*p.*1.*a.*2.*q.*2. *ſap.c* 9. *Pſal.*35. Et hinc ſubdit Apoſtolus : *Velle mihi adjacet, perficere autem bonum non invenio.* Dans intelligere,quòd natura noſtra tam eſt debilitata propter inordinationem in nobis cauſatam per peccatum, ut ſubjaciatur etiam ipſa nolente malis inclinationibus,propter quas cadet ſæpè in peccata venialia,& ideò indiget continua aſſiſtentia divinæ gratiæ. ſine qua impoſſibile eſt vitare peccata.*Lib.*2.*d.*28.*a.*2.*q.*1.*Pſ.*118.*c.*3.*v.*3.*op.de ſeptem itin.ætern.itin.*4.*d.*1.*a.*3.*op.Determ.* 9 16. *op.de Prof.Relig.lib.*2.*c.*2.*Luc.c.*5.*v.*27.

98 *Lex carnis qualis in homine,ejuſque origo,& effectus expendantur.*

Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Ecce unde orta eſt pugna inter carnem,& ſpiritum, ſcilicet ex peccato originali, nempe orta eſt lex carnis ſemper reſiſtens legi Dei,& rationis ; cum enim in ſtatu innocentiæ corpus eſſet veluti equus infrænatus, qui ducitur ſecundùm voluntatem ſeſſoris,ſed poſtquam frænum deponitur inordinatè movetur, ſic & Deus infrenatum corpus dedit Adæ, ſed poſt peccatum Deus frænum ſubtraxit, & ſic effrænatè effertur contra imperium rationis, ex quo multi defectus inſunt in homine,ut debilitas in operando,alteratio guſtus in appetendo,viſus in reſpiciendo,ſic & in cæteris membris, & ſenſibus ; ô quot mala ex peccato originali.*Op.de tribus ternar.c.*3.*op. de dono ſap.c.*8.*lib.*2.*d.*30.*a.*2. *q.*1.*&* *lib.*3.*d.*28. *a.*1. *q.*4.

99. *Vita hæc mortalis odienda.*

Infelix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Ecce in qualem exclamationem exit Apoſtolus contra hanc vitam miſeram dicens,infelix ego homo ! cur infelix ô Paule ? ſubdit quis me liberabit de corpore mortis hujus? Nota ly de corpore mortis hujus;dans intelligere,quòd miſeriæ hujus vitæ mortalis ſunt innumeræ,dum corpus portamus ſubjectum tot pœnalitatibus,& præcipuè ob debilitatem potentiæ ſuccumbentis,nec valentis tribulationibus reſiſtere ; ob cæcitatem ignorantiæ deviantis à via recta,& inducentis per viam mortis,& inferni ; & ob pœnalitatem miſeriæ opprimentis,& detinentis non carceratos, & peregrinos,& remotos à patria,& veris bonis, & cæleſtibus; tum ob infinitas occaſiones triſtandi, & peccandi,quæ nobis in hac vita degentibus occurrunt;unde ſapiens propter hoc feliciores mortuos,quàm vivos æſtimavit;tum quia hic nihil habemus boni ex nobis.tum quia in motu, & tranſitu ſumus ; tum quia infinitis pœnis ſubjacemus. *Op.medit.c.*98. *ſer.*2. *Dom.*26. *Penitc. Eccleſ.c.*4. *Pſ.*69.*&* 141.

100. *Diſcrimen quale inter corpus mortale & beatum.*

Infelix egò homo ! quis me liberabit de corpore, mortis hujus ? O quàm benè dicit de corpore mortis hujus.ideſt à corpore moribundo, & peccandi affectibus, ac conſequenter morti obnoxio, quia comparatum ad corpus beatum totum eſt in morte,in certamine,in periculis,in peccatis ; & è contra in beatitudine eſt vita ſine morte,juventus ſine ſenectute, gaudium ſine triſtitia, pax ſine diſcordia,voluntas ſine injuria, lux ſine tenebris, & regnum expers commutationis : ô quale gaudium, cum homo ſe expoliare poterit corpore mortali, miſero,doloribus, & certaminibus ſubjecto,& ſuperveſtiri novo,& glorioſo.*Op.ſolil.c.*4.

101. *Mortificatio corporis, & carnis ſemper aſſumenda ad vitanda continua pericula hujus vitæ.*

Infelix ego homo ; quis me liberabit, &c. Nota, quòd hæc dicebat Apoſtolus vas electionis, quia ſemper cum timore,& tremore vivebat,videns infinita pericula labendi in peccata,quæ occurrunt in hac vita, & ideò corpus continuè ſubjiciebat caſtigationibus,pœnis,flagellis,& mortificationibus ad ſui imitationem nos excitando, ne theſaurum, quem portamus in vaſis iſtis fictilibus,perdamus. & ut victoriam obtineamus in hac perpetua pugna, quæ eſt inter ſpiritum, & carnem. *Op. Apol, pamp.Reſp.*1.*a.*2.

101.*Miſeria*

Digitized by Google

101. *Miseria hujus vitæ incentivum sunt sanctis se elevandi ad cœlestia.*

Infelix ego homo, quis me liberabit, &c. Vide quomodo miseriæ hujus vitæ, licèt de se deprimant spiritum, & aggravent animam, tamen adjuvante gratia Dei occasio, & incentivum sunt viris justis revocandi ipsos ad seipsos, & clamandi, infelix ego homo, &c. & se elevandi ad superiora, & cœlestia meditanda, & contemplanda, unde licet carnalibus sint occasio mali, bonis tamen sunt occasio boni, & profectus spiritualis. *Op. de Prof. Religios. lib. 2. c. 72. serm. 5. de una S. Virgine. Psal. 32. 62. 78. sap. c. 9.*

103. *Homo fugiat à seipso, tamquàm à savissimo hoste.*

Quis me liberabit à corpore mortis hujus? Vide quomodo Apostolus liberari desiderabat à seipso, & ideò seipsum fugiebat, & oderat; docet per hoc nos, ut elevemus mentem nostram ad cognoscendum nos ipsos, & cognitâ nostrâ miseriâ ad odiendam istam vitam miserabilem; quis enim non fugit libenter ab homine lepra infecto? quis libenter non declinat domum tercoroſam, & fœtentem? sed quid est caro nostra, nisi putrida quædam lactina, & omnium fœtorum sentina? ergo fugienda sunt carnis vitia, quibus anima moritur, virtus utriusque hominis infirmatur, homo debilitatur, & regnum cœleste perditur. *Serm. 1. de S. Thoma.*

104. *Sola divina gratia nos in hac tam multiplici miseria consolari potest, & adjuvare.* Unde quærens Apostolus, *quis me liberabit, &c.* respondet *Gratia Dei per Dominum nostrum Iesum Christum. lib. 2. d. 28. a. 1. q. 2. ap. de resurrectione à peccato.*

CAPUT VIII.

In hoc capite Apostolus infert, quod per gratiam Domini Iesu Christi solùm possumus liberari à captivitate carnis, & peccatorum.

105. *Lex spiritus, & lex carnis qualiter differant.*

Nihil ergo damnationis nunc est iis, qui sunt in Christo Iesu; qui non secundùm carnem ambulant, lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu, liberavit me à lege peccati, & mortis. Ecce fructus Adventus Christi in carnem; nam legalibus ablatis portavit in mundum legem spiritus vitæ; sed quid est hæc lex spiritus vitæ? lex est vitæ, & disciplinæ, quæ utique nos facit moraliter vivere tam interiori, quàm exteriori homine, & habet hæc lex tria capita; primum continet vitam interiorem, in qua residet gratia, & sanctitas, & hominem interiorem liberat à mortis lege, & carnis: secundum caput continet hominis exterioris vitam, quia lex spiritus exuberat in exteriorem, scilicet per sanctam, & exemplarem conversationem cum proximo: tertium caput continet remunerationem utriusque legis, tamquam hæreditatem à Christo nobis relictam. *Psal. 118. c. 10. v. 9 serm. 21. Hexam.*

106. *Christus de peccato theriacam fecit ad destruendum venenum peccati.*

Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum. Vide quomodo Christus missus à Patre ad carnem nostram assumendam in similitudinem nostram, ut veloti sapientissimus medicus de peccato faceret theriacam, & medicinâ, ut nos liberaret à veneno peccati, ipsumque destruendo, & dissipandò salutem justificationis secundùm legem spiritus nobis afferret; sed quomodo dicitur, quòd de peccato damnavit peccatum? ergone mediante peccato destruxit peccatum? cum Christus fuerit sine peccato? Resp. quòd dum dicitur de peccato, non sumitur ibi propriè peccatum, vel pœna debita peccato, sed pro pœnalitatibus nobis advenientibus ex peccati culpa, istisque Christus se subjiciendo pœnis, & pœnalitatibus nostris dicitur de peccato damnasse peccatum, ideſt medicinam nobis præparasse sanantem ab omni morbo, & vulnere, & veneno peccati; sicque arte artem diaboli delusit; undè verè potest dici (ut ait Glossa) quòd in cruce fuerunt duo crucifixi, scilicet Christus, & fomes peccati. *Lib. 3. d. 3. p. 1. a. 2. q. 1. ap. lignum vitæ. Luc. c. 10. v. 37.*

107. *Mortificatio carnis suadetur.*

Qui enim secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt sapiunt. Nota, quòd iterùm hic refricat Apostolus pugnam, quæ est inter spiritum, & carnem; nec enim possunt simul stare caro, & spiritus, nec Spiritus sanctus locum habet in anima dedita carnalitatibus, nam quantò quis se foris per desideria carnis dilatat, tantò ad receptionem spiritus sancti sinum cordis angustat, & sæpè claudit fores, quia spiritus sanctus odit sordes peccati, nec habitare potest in corpore subdito peccatis, sed tantùm in mentibus puris. *Op. de septem donis. c. 5. Luc. c. 16. v. 13.*

108. *Sapientia, & prudentia carnis vera est stultitia; sapientia, & prudentia spiritus vera sapientia.*

Nam prudentia carnis mors est, prudentia spiritus vita, & pax. Ecce discrimen inter prudentiam, & sapientiam mundi, & Christi; nam prudentia carnis mors est; quomodo mors? mors est ideſt causa mortis, & omnium malorum, quia terrena est, animalis, & diabolica, imò vera stultitia, quia eligit cuprum pro auro, & bona temporalia amplectitur pro spiritualibus; è contra prudentia spiritus vera sapientia est, quia & verum cognoscit, & bonum eligit, respuitque malum. *Op. de dono sap. c. 1. opusc. Eccles. Hier. p. 1. cap. 5.*

Digitized by Google

109. *Qui in ſe continet ſpiritum ſanctum non caro,ſed ſpiritus totus ſit.*

Vos autem in carne non eſtis. ſed in ſpiritu,ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis. Quomodo non erant in carne iſti fideles, ad quos Apoſtolus ſcribebat? nonnè compoſiti ex corpore, & anima? ſed attendendum eſt, quòd hic non loquitur de ſtatu materiali hominis,ſed ſpirituali: dat autem intelligere,quòd homo carnalis, veluti totus carneus.& ad carnalia tantùm applicatus non eſt,nec vivit in ſpiritu; è contra qui vivit ſecundùm ſpiritum, hic habet in ſe cohabitantem ſpiritum ſanctum.& totus ſpiritus fit. ſcilicet quoad gratiam.quoad puritatem animæ, quoad bonitatem operum,quia ejus opera ſpiritualia fiunt,& meritoria gloriæ æternæ. *Ioan.c.6.v.66.*

110. *Spiritualis homo portat in ſe corpus quidem mortuum,ſed ſpiritum vivum: Ubi de morte continua,in qua homo vivit.*

Si autem Chriſtus in vobis eſt,corpus quidem mortuum eſt propter peccatum; ſpiritus verò vivit propter juſtificationem. Maximam difficultatem ingerunt iſta verba Apoſtoli, quoniam videtur docere, quòd viri ſpirituales,in quibus Chriſtus habitat, portant corpus mortuum; quomodo mortuum, ſi unitum animæ vitam continuam recipit? ergonè cadaver in ſe portare poteſt homo habens animam,& corpus unita:ſed tamen alium ſenſum referunt iſta verba ſublimia Apoſtoli. Nota,quòd ly mortuum poteſt eſſe nomen, vel participium; ut participium ſenſus eſt, mortem infuiſſe, quia eſt participium præteriti temporis, ſicque dicitur quis mortuus, in quo mors priùs fuit, & in hoc ſenſu non loquitur Apoſtolus: prout nomen denominat hominem, in quo non ſolùm mors priùs fuit, ſed etiam de præſenti ineſt, ut dicitur quis albus ab albedine, quæ de præſenti ineſt, & quia mors eſt tendentia ad non eſſe,& homo continuè tendit ad non eſſe præcedens ipſum perdendo, & ſe expoliando. ideò dicitur eſſe in morte, & in hoc ſenſu loquitur, & dat intelligere, quod cum mors inſit in omnibus hominibus propter peccatum,tamen cum tali morte in ſpiritualibus, & juſtis ſtat vera vita vivificans,nec id impedit, quod non vivant ſecundùm ſpiritum in omnibus actibus ſuis. *Lib.2.d.19.dub.3.& aliis locis ſupràcit.*

111. *Secundùm proportionem conformitatis membrorum ad caput Chriſtum in hac vita habita, taliserit præmiatio in alia vita.*

Quòd ſi ſpiritus ejus, qui ſuſcitavit Ieſum à mortuis,habitat in vobis; qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum à mortuis, vivificabit, & mortalia corpora veſtra,&c. Nota, quòd in his verbis Apoſtolus dat documenta ſublimia nos excitantia ad vivendum ſecundùm legem Chriſti; & primò quia ad proportionem conformitatis, quam ad ipſum caput, ut membra ejus habebimus, etiam & præmium in alia vita expectare debemus: ſecundò, quòd dum vivimus in hac vita, & ſpiritum Dei,legemque ſpiritus conſervantes, & obſervantes poterimus quidem legem peccati premere, non penitus,ſubjicere,non abjicere,ſubigere, & in ſervitutem redigere. non protinus abigere; ſed tantùm in alia vita prorsùs extirpabitur, quando vivificabit morta ia corpora, ut per omnia ſimiles ſint Chriſto, & quoad corpus, & quoad animam ſequaces ſui. *Pſal.118.s.10.v.10.ep. de Prof. Religioſ. lib.2.c.36.*

112. *Chriſtus venit,ut nos liberaret ab omni debito carnis, ut non ſecundùm legem carnis viveremus, ſed ſecundùm legem ſpiritus.* Unde dicit Apoſtolus. *Ergo non debitores ſumus carni,ut ſecundùm carnem vivamus.* Quia exhibens nobis legem ſpiritus nos exemit ab hoc debito, ne viventes ſecundùm carnem, ipſam nutriendo, paſcendo,& fovendo, moriamur morte peccati;nam qui ſecundùm hanc legem vivit,evenit ei ſicut febricitanti, qui, ut ſatisfaciat appetitui ſitis, bibit immoderatè, ſicque ſibi accelerat mortem, ideò ſic carnaliter vivens mortem invenit primò culpæ poſteà inferni. E contra qui ſpiritus lege opera carnis mortificaverit, vivet ſecundum ſpiritum, & totus ſpiritualis fiet in anima, in corpore, impotentiis, & membris. *Op.Diat.Appendix.Dom.8 Pent.ep.de 7. itin. ætern.itin.2.d.3.Luc.c.8.v.32.c.9.v.24.ſer.5.de plur. Martyr.*

113. *Dei Filii à Spiritu Sancto aguntur, & ducuntur per viam rectam ad Cœlum.*

Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur ii ſunt filii Dei. Agere enim eſt benignitatis divinæ, quia ſic ducit Spiritus Sanctus ſuos. Nota, quòd dicit aguntur, non ducuntur. quia animalia aguntur, homines ducuntur, Spiritus Sanctus autem non tantùm oſtendit quid agere debeamus, ſed & ad hoc ſtimulat ſuos,ideò dicuntur agi à Spiritu Sancto,& non ſolùm duci. *Luc. c.2,v.26.c.4.v.1.& 2.* Igitur (*ait Auguſt.*) & agis,& ageris,& tunc benè agis, ſi à bono ageris; Spiritus enim Dei, qui te agit, adjutor eſt agentibus,ageris enim à Deo, ut cum illo benè agas.

114. *Timor ſervilis eſt veſtis de ſacco,cum qua non intratur in regnum Cœlorum.*

Non enim accepiſtis iterùm ſpiritum ſervitutis in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum. Ecce quomodo lex Evangelica abjicit à ſervis Dei timorem ſervitutis, & ſervilem, qui conſiſtit in abſtinendo à peccato non propter peccatum, ſed propter pœnam, & ideò ſtat cum affectione ad peccatum ipſum, & ideò talis timor eſt ſicut veſtis de ſacco,cum qua nemo ingreditur in regnum Cœlorum,quod eſt palatium filiorum,non ſervorum. *Op.Diat.tit.6.c.1.*

115. *Lex vetus erat lex puerorum, ſervorum,& timoris: Lex Evangelica eſt lex virorum,filiorum, & amoris.*

Non accepiſtis ſpiritum virtutis iterùm in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Nota ly iterum in timore: quid eſt iterùm: iterùm ſcilicet non eſt hæc lex, quæ nobis data eſt lex ſimilis legi veteri,quæ erat non filiorum,ſed ſervorum, & veluti puerorum,& timoris, ſed eſt lex filiorum, virorum, & amoris, ſub qua vivunt ſolùm filii, non ſervi. & hanc filiationem

Digitized by Google

filiationem appellat ſpiritum adoptionis, quia licet per Chriſtum, ejuſque Paſſionem inchoata fuerit filiatio, per ſpiritum ſanctum tamen conſummata eſt, quia duo ad hoc requiruntur, ſcilicet Redemptio, quæ facta eſt per filii miſſionem, & gratificatio per miſſionem ſpiritus ſancti; dicuntur autem adoptati filii, ſicut Chriſtus eſt Filius Patris; quia reddit hominem ſimilem imagini Filii Dei, & hoc per remotionem à malo per gratiam baptiſmalem, quæ eſt medela contra malum, & per ordinem ad bonum, & hoc vel ex parte intellectus per fidem, & ex parte affectus per charitatem, & ideò tota ſecuritate tales filii clamare poſſunt coram Deo Abba Pater, ſicut Chriſtus in horto. *Lib. 3. d. 10. a. 2. q. 2. Luc. c. 6. v. 35. c. 12. v. 1. c. 15. v. 21. Joan. c. 1. v. 16. c. 15. v. 13. l. 2. d. 44. art. 3. quæſt. 1.*

116. *Spiritus quale teſtimonium det nobis de filiatione Dei acquiſita.*

Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei. Quænam eſt hæc teſtificatio, quæ datur ſpiritui noſtro à ſpiritu Sancto ſuper filiationem adoptivam Dei? & quomodo poteſt cognoſci, cum nemo ſciat an odio, an amore dignus ſit? ſed attende ad hoc myſterium; hoc teſtimonium reddit ſpiritus ſanctus devotis ſpiritibus, cum eos facit exultare in Deo præcordialiter, & Deo adhærere, ita ut fiducialiter, & familiariter ad Deum recurrant in oratione fide, ſpe, & charitate. *Pſ. 118. c. 2. v. 15.* Sed attende, quòd iſtud teſtimonium eſt gaudium in Deo ex intuitu beneficiorum Dei, & futuræ gloriæ, & bonitatis divinæ proveniens ex confidentia bona in Deum, & bonæ conſcientiæ teſtimonio, reddens hominem benevolum, & devotum ad omnia agenda, & ſufferenda pro Deo, & omnia, quæ Dei ſunt diligenda, & promovenda. *Op. de Prof. Relig. lib. 1. c. 72. & 73.* Et hæc eſt notitia, quæ in hac vita haberi poteſt de poſſeſſione divinæ gratiæ, quæ non eſt notitia certitudinis fidei, ut volunt Hæretici, quod damnat *Conc. Trid.* nec certitudinis infallibilis, ut volunt. *Cathar. & Caiet.* ſed conjecturalis, quæ tamen creſcit cum ſanctitate, & aliquando talis, ut excludat metum, & formidinem.

117. Chriſtus dignatus eſt fieri noſter frater, & nos conſtituere hæredes Dei, & cohæredes ſuos. Undè hic dicit Apoſtolus, *quod ſi filii, ergo hæredes Dei, & cohæredes Chriſti.* ideò fratet noſter, quia eſt ejuſdem naturæ nobiſcum, & quia diligit nos ut frater fratrem, & quia eamdem honeſtatem, & gratiam ſuam nobis participavit. *Pſ. 48. & 112. op. de Perfect. vitæ c. 8. Comp. Theol. lib. 4. c. 6. Ioan. collat. 15. & 44. ſer. 2. Dom. 3. Quadrageſimæ ſer. 4. Dom. 5. Pent. ſer. 2. de Apoſtolis. in addit.*

118. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus vitæ reſpectu gloriæ cæleſtis, & quomodo id dicitur.*

Nota, quòd cum dicat Apoſtolus non eſſe condignas paſſiones noſtras ad gloriam beatam, videtur, quòd non detur meritum de condigno, quod tamen ab omnibus Theologis admittitur? ſed reſp. quòd ſi paſſiones noſtræ, & opera comparentur ad voluntatem noſtram ſic non ſunt condigna; prout autem fiunt hæc bona opera adjumento gratiæ ſanctificantis, tunc ſunt condigna; prout etiam comparantur ad liberalitatem divinam quæ nulli poteſt obligari, ſed quicquid facit, ex merâ liberalitate facit, ſic non ſunt condigna; ſi autem ad largitatem Dei promittentis vitam æternam benè operantibus & quodammodo voluit ſe obligare voluntariè, ſic ſunt meritoria vitæ æternæ. *Lib. 2. d. 27. a. 2. q. 3.*

119. *Non ſunt condignæ paſſiones noſtræ ad futuram gloriam.*

Quomodo non ſunt condignæ, ſi intuitu ipſarum paravit, & promiſit in Cœlo præmium? Reſp. non eſſe condignas (ſuppoſita doctrina ſuprà tradita) quia condignitas ex utraque parte æqualem ponit dignitatem; & cum ſint debitæ ex parte noſtri. naſcimur enim in peccatis, in peccatis vivimus. ergo & pœnis, & afflictionibus digni ſumus: unde poſſumus dicere verè meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum Chriſtum (*Gen. c. 42.*) Et quis eſt, qui non peccet? ergo non ulciſcamur nos pro his, quæ patimur (dicebat ſancta Judith c. 8.) ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa minora eſſe ſupplicia, quibus quaſi verberibus Domini corripimur ad emendationem, non ad perditionem veniſſe credamus: & quis eſt homo, niſi ſit ſtultus, qui filium malè agentem non corrigat? & ſi peccatores omnes ſumus, ergo & juſtè pati debemus, & ſi ſervi ſumus, & tenemur laborare pro Domino, ergo & præmium expectandi condignum nullum jus habemus, ergo non bonitatis eſt noſtræ ſed divinæ, ſi pœnas remunerat, quas juſtè ſcit nobis eſſe inflictas, ergo eſt ex Dei bonitate, qui dat nobis patienter, & charitativè portare iſtas paſſiones, ut poſſit in nobis ſua dona remunerare: ò bonitas ſumma! ò pietas inaudita, quæ nobis dat, quod ipſa remunerat. *Serm. 4. de plur. Martyr.*

120. *Idem argumentum.*

Non ſunt condignæ paſſiones noſtræ ad futuram gloriam. Quare? quia ſunt merè gratuitæ ex parte Dei, ipſe enim eſt, qui nobis dat totum id, quod nobis eſt neceſſarium ad hoc, ut noſtræ paſſiones ſint meritoriæ. ut eas patiamur patienter, ut per ipſas proficiamus; nam per illas nos probat, & purgat, & perficit. *Ser. 4. de plur. Martyr.*

121. *Idem argumentum.*

Non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam etiam ex alio capite; nempè quia permodicæ ex parte ſui, eo quòd ſunt tranſitoriæ affligentes modico tempore: vide quàm ſint modicæ, aut enim ſunt leves, aut graviſſimæ; ſi leves portari poſſunt, ſuntque breves, ſi ſunt graviſſimæ, ut in Martyribus, ſic citò animam ejicient, ſicque durant modico tempore, ideoque partiales tantùm, ergo ſunt incommenſurabiles æternæ gloriæ, quæ eſt æterna, & immenſa: & hanc veritatem cognoſcens S. Anaſtaſius, qui videns perſecutores velle eum veſtibus ſuffocare, & conſiderans pœnam tam levem; & tá velociter tranſeuntem, dicebat ad carnifices: Ego pro Chriſti amore à vobis membratim concidi optaveram; verumtamen, ſi hujuſmodi, quem vos minamini, obitus me commanet, gratias ago Deo meo inexhauſtas, quod me ſuorum Martyrum

participem gloriæ dignatus eſt facere tam parvo ſupplicio.& S.Ignatius deſiderabat non ſolùm beſtius ad devorandum tradi, ſed carnem pectinibus ferreis diſcerpi,coſtas nudari,& radi,& omnia oſſa comminui , tantùm ut Chriſtum his ſuppliciis poſſit adipiſci,ergo non ſunt condignæ iſtæ paſſiones ad gloriam,imò indignæ.*ait Aug.ſerm.4. de plur.Martyribus.ſer.1. de uno Martyre.*

122. *Ad Cœlum,& cœleſtem gloriam aſpiciens omnia mala hujus vitæ modica,& veluti nihil æſtimat.*

Non ſunt condigna paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam.&c. Nota, quòd dicit hujus temporis, ideſt paſſiones omnes hujus vitæ mortalis; ſed quomodo non ſunt condignæ?ideſt parvæ , & modicæ ? ſed attende , quòd Apoſtolus in ſtatera una lance collocat pœnas hujus vitæ , & in altera gloriam cœleſtem,& dicit eſſe non condignas nec comparabiles,nec commenſurabiles, & meritò:nã ſicut dicebat ſponſa.*Cant. 1. Faſciculus myrrha dilectus meus mihi.*Benè faſciculus , non faſcis , non pondus magnum,ſed faſciculus leviſſimus dilectus meus. ideſt quod pro dilecto meo patior,in comparatione ad cumulum gloriæ, quæ mihi promiſſa eſt ob onus tam leve,tam parvum,tam ſuave,ideò non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad illam gloriam:ó verè felix,cujus meditatio in conſpectu Domini eſt ſemper , qui in corde ſuo delectationes dex eræ Domini uſque in finem ſedula cogitatione revolvit:unde ſubdit. *Nam expectatio creatura revelationem filiorum Dei expectat.* Nota hîc proponi duplicem expectationem , quia ſervi Dei,qui nomine creaturæ Dei veniunt,quia totum à Deo habent,& recognoſcunt,ſemper hab. nt cor in tantum ad illam gloriam.*Op.med.c.36.& 52.op. Diet.Appendix ad Dom.4 Pent.& in.10.cap.6.Luc. c.17.v.10.c 18.v.30.ſer.1.de SS.Phil.& Iac.in addit. ſer.1.de S.Caſſa.in addit.ſer.2.de Rector.in addit.*

123. *Omnes creaturæ inferiores expectant propriam beatificationem in beatificatione hominis.*

Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat;vanitati enim ſubjecta eſt omnis creatura, non volens,&c. Id eſt,quod expectant creaturæ? revelationem filiorum Dei, ſcilicet conſecutionem gloriæ;ſed quid ad creaturas inſenſibiles, & irrationales pertinet beatificatio filiorum Dei?hoc eſt, quia vanitati ſubjectæ ſunt non volentes : ſed hic occurrit maxima difficultas; quid eſt,quod propter beatificationem hominis expectant creaturæ? forſan , & ipſæ expectant participationem hujus gloriæ?forſan ſtabilitatem perpetuam contra vanitatem,& inſtabilitatem?maximè : ô attende homo ad tuam dignitatem : homo ideò creatus eſt ultimus omnium creaturarum, quia ipſe eſt complementum,& finis omnium creaturarum,& ideo nomine omnis creaturæ venit, quia continet eſſe lapidum, vegetare cum plantis,vivere cum animantibus, intelligere cum Angelis ; ideo continens in ſe complementum omnium creaturarum;ipſo beatificato ŏmnes creaturæ meliorantur ; & hinc mirum non eſt.quod expectatio omnis omnium creaturarum ſit in beatificatione hominis, ut in eo,& cum eo melioretur;& ideo merito dicitur, quod homine peccante,& ſe damnante,non ſolùm Deus offenditur,ſed & omnis creatura damnum patitur, & hinc etiam homine peccante omnis creatura, & totus mundus deterioratus eſt. *Lib.1. d.15. a.2. q.2.ep.Brevil.p.2.c.4.& 1.v.7.c.4. lib.1. d.16. a.1. q.3.ad 5.& lib.1.d.35.dub.1.*

124. *Vanitati ſubjecta eſt omnis creatura.* Quomodo hoc dicitur ab Apoſtolo cum anima ſit immortalis,cum Cœli ſint incorruptibiles?ſed Reſp. quod ad litteram loquitur de deterioratione creaturarum facta propter peccatum primi hominis; quia inde redundavit vanitas mutabilitatis,mortalitatis,& iniquitatis;ſed tamen propriè dicitur de omni creatura etiam ſpirituali,& immortali,quia ex eo , quod eſt de nihilo etiam de ſui natura in nihilum tenderet,niſi à Deo perpetuo conſervaretur. *Lib.1.d.8.p.1.a.1.q.2.In Eccleſ.proœm.*

125. *Solus Deus poteſt ſatiare animam noſtram, non ulla creatura.*

Vanitati ſubjecta eſt omnis creatura. Et ſi omnis creatura ſubjecta eſt, hoc eſt , quia in ſe nullam habet ſufficientiam,ſed ſolùm mutabilitatem , & vanitatem ; & cum ſolus Deus ſit de ſe ſufficiens. habeatque eſſe verum, & bonum indeficiens,ſolus poteſt ſatiare animam.*Op Principium. &c. In Eccleſ. proœm.*

126. *Omnis creatura ingemiſcit , & parturit uſque adhuc.* Ideſt in præſenti tempore propter pondus peccati hominum. Nota,quòd dicit omnem creaturam vanitati ſubjectam eſſe , ut dictum eſt , & hoc maximè verificatur in homine ſubjecto vanitati peccati,dicitur autem non volens,ideſt peccans cum recalcitratione conſcientiæ.& ſynderesis ; & hinc ſequitur gemitus omnis creaturæ expectantis liberari à corruptione per glorificationem filiorum Dei ; quia ob peccatum , quod eſt pondus intolerabile , omnis creatura deteriorata eſt, ut ſuprà dictum eſt . & ſic ablato peccato ab anima liberatur à tali ſervitute.*Op.in Pater. epiſc. Diet.tit.10 c.4.Luc.c.21. v.18.* Ad elucidationem myſticam hujus textus facit mirabiliter viſio oſtenſa Beatæ Mariæ de Ognes : dum enim contemplabatur iſta verba ſtupens,quod omnes creaturæ dicerentur Ingemiſcere. Vidit primò peccati malignitatem tantam, ut per ipſum in peccatore omnes creaturæ,ſimul cum Deo offenderentur,& mundus deterioraretur : vidit item peccata hominum tam gravia,& ponderoſa,ut, cum non valerent ſuſtinere tantum pondus , omnes ingemiſcerent,& parturirent:Vidit igitur terram offenſam, & gravatam per peccata hominum concuti terræmotibus , ſterilemque fieri ; vidit inundationes aquarum per agros omnia ſubmergere : vidit in aëre grandines.pluvias, tonitrua exire:vidit ignes dilatari per varias partes,& accendere bella,rixas ſterilitates,aliaque mala,inficere mundum, ſicque cognovit quales ſint gemitus creaturarum,& partus,in quos exeunt propter pondus maximum , & intolerabile peccatorum , quæ continuè committuntur ab hominibus, ô nimis verum ? unde mirum non eſt , quod Deo offenſo omnes creaturæ dicantur offenſæ,& veluti hoſtes peccatoris contra ipſum armari,& pugnare. *Hæc ad mentem Seraph. Doct.ſit.*

127. *Anima, dum ferventer orat, habitatur à ſpiritu ſancto ipſam elevante ad actus devotionis.*

Quid oremus, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Duas partes habet hæc ſententia; prima eſt quod neſcimus, quid oremus, & hoc notum eſt habenti lumen fidei, ſed ſecunda pars continet difficultatem; quomodo dicitur ſpiritus Dei poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus? eſt ne ipſe ſubjectus gemitibus? Sed attende ad ſenſum altiſſimum verborum: Dũ enim aliquid nobis ordinat, vel promovet, tunc dicitur Deus ipſe operari: loquitur ergo de anima ſpiritu Dei repleta, quæ ad orationem excitatur, ſimulque ad devotionem ab eodem ſpiritu Dei, elevatur enim dum eſt accenſa amore Dei in affectus, in lachrymas, in ſuſpiria, in gemitus, in ſancta deſideria amoris, & in alios internos, & ineffabiles motus cordis, in jubilos, exceſſus, & raptus in Deum, quibus adhærens Deo unus ſpiritus fit cum eo per puræ intelligentiæ lucem, & cognitionis Dei, & amoris ejus ardorem, & glutinoſam fruendi inhæſionem; ſicque dicitur, quod ſpiritus Dei, ſcilicet ſpiritus orantis ſpiritui ſancto unitus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 8. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 66. ſer. 20. Hexam.*

128. *Oratio eſt ſpiritus ſancti operatio: Ubi de conditione orationis ferventis.*

Quid oremus, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ecce quomodo patet, quod oratio eſt ſpiritus ſancti operatio, quã operationem Dei præcipit ſanctus Pater Franciſcus in Regula, ut ſui Fratres ſuper omnia curent habere, ſed attendant, ait Seraphicus Pater, quod ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Dei, ideſt ſpiritum ſanctæ devotionis, & pium, & humilem affectum in Deum, qui generatur ex compunctione (ſubdit) & ſanctam ejus operationem, ideſt ſanctam, & ferventem orationem, & implorationem divinæ miſericordiæ, ut ſit cum affluentia deſiderii, quod habemus à ſpiritu ſancto cum fiducia ſpei, quam habemus à Chriſto, quia mortuus eſt pro nobis; & cum diligentia implorandi ſubſidii, quod quærimus à ſanctis omnibus, quo tria reddunt noſtram orationem operationem Dei. *Op. Incendium c. 2. op. Expoſ. Regula c. 10. Luc. c. 22. v. 15.*

129. *Oratio Deo chara, & perfecta fit in ſpiritu animæ.*

Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus Nota, quòd nomine ſpiritus non ſolùm venit ſpiritus ſanctus increatus, ſed etiam creatus, ſcilicet ſupremum animæ rationalis, nam ut anima dicit ordinem ad corpus, ut ſpiritus ad Deum, & per hoc dat intelligere, quòd quando oratio funditur in hac ſuprema parte animæ, per adſpirationes, deſideria, & actus ferventes, tunc maximam; & efficacem vim habet ad Deum. *Luc. c. 1. v. 17. op. de ſex Alis cit.*

130. *Explicatur hæc propoſitio: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Nota quod hic Apoſtolus addit beneficium ſublimiſſimum ſpiritus ſancti reſidentis in animas nempè non ſolũ poſtulat pro nobis erclando nos ad poſtulandum divinam gratiam: ſed etiam facit quod in prædeſtinatis omnia cooperentur in bonũ & meritum. Ut autem iſt intelligatur ſuppon. quod charitas eſt habitus ſanctificans animam, & quidquid eſt aliarum virtutum in ea, ſimulque eam elevans ad actus, & opera meritoria, undè eſt forma, & vita omnium virtutum noſtrarum, & radix omnium bonarum operationum: hinc ſequitur quod diligentibus Deum, ſc. habentibus charitatem omnia cooperantur in bonum, ſcilicet omnia bona ſecundùm ſe, & omnia etiam indifferentia, quæ ab ipſa reguntur fiunt meritoria vitæ æternæ. *Op. Brevil. p. 5. c. 4. & l. 3. d. 27. per totum, & l. 2. d. 40. per totum, & op. ſpec. B. Virg. lect. 18.*

131. *Diligentibus Deum, quomodo etiam peccata cooperantur in bonum.*

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Etiam peccata ait Gloſſa Auguſtini: quæritur igitur hic an peccata poſſint cooperari ad bonum prædeſtinatis. Reſp. quod peccata ſecundùm ſe, & in peccante præcisè loquẽdo, non poſſunt cooperari ad bonum, ſed tantùm occaſionaliter, & ex conſequenti. v. g. quantum ad quamdam humiliationem, & diligentiorem boni conſervationem, & cautionẽ mali vitationem, quæ adjuvant hominem ad hoc ut perſeveret uſque ad finem: quod & factum eſt in Petro, nam ejus lapſus & cautionem, & humiliorẽ ipsũ reddidit. *L. 3. d. 31. a. 1. q. 3. Luc. c. 22. v. 60.*

132. *Juſtis, & prædeſtinatis omnia etiam peccata proximi cooperantur in bonum: Invido, & impio omnia etiam bona propria, & aliena in malum.*

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nota quod dicit omnia, ideſt non ſolùm propria opera proſpera, & adverſa, ſed etiam omnia bona & mala proximi, nam non ſolùm ex peccatis proximi juſtus eruit cautelam, humiliationem, deſiderium eripiendi ipſum & ſimul procurationem liberationis à peccati ſtatu, ſed etiam, ex ruinis temporalibus propriis, & alienis, ſterilitas enim agrorum ipſi implet cellarium: hoſtes, & tẽtationes fabricant ſibi coronam, febres parant medicinam, mors aperit ſibi carcerem ad evadendam miſeriam ignis qui domos aliis incendit ſibi confert pabulum & conſtituit in cœlo palatium, & ſic verificatur illud Apoſtoli Diligentibus Deũ, &c. *Op. Diet. tit. 7. c. 7. & tit. 5. c. 4. op. de prof reli. l. 2. c. 6.* Sed nota è contra invido omnia cooperantur in malum: quia de bonis aliorum affligitur, de meliore deterioratur, deficit: de pinguedine marceſcit, de ſanctitate infirmatur: de vita moritur, & ipſe ſe amittere putat, quod alii lucrãtur: ô infelix ſtatus, & miſerabilis, quo homo ſe opponit directè impulſibus Spiritus Sancti. *Op. Diet. tit. 1. c. 4.*

133. *In religione deformata qualiter religioſo omnia poſſunt cooperari ad bonum.* Nota etiam quod hæc ſententia Apoſtoli dirigitur ad omnes religioſos, & præcipuè ad receptos in religione deformata: cum enim ſit difficillimum reformare talem religionem, & cum quis ſe inveniet profeſſum in ea, nec inveniẽs id quod credebat, & quærebat, debet ſancta induſtria convertere ad proprium profectum aliorum detrimenta, & retorquere ad propriũ bonum omnes ejus alieni defectus; ſic enim eis major gloria erit, ex eo quod reproborum ſocietati admixti

admixti eorum non imitantur exempla, qui ſunt ipſis tentationis, & exercendæ virtutis materia, & victoriæ cauſa. *Op. Determin. q.19.*

134. *Obedientibus Deo omnia obediunt ad ſalutem.*

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ. Quinam ſunt iſti diligentes, niſi obedientes Deo, & ſuperioribus pro Chriſto; iſtis enim veluti regibus, in quibus Chriſtus regnat per gratiam omnia ſerviũt in bonum. ſc. tam bona, quam mala, tam proſpera, quam adverſa, imò & ipſi ſuperiores ſerviunt, & obtemperant obedientibus. *Op. Diæt. ſ.5. c.1.*

135. *Prædeſtinatio Dei cadit ſolùm ſuper conformes imaginis filii ſui: undè Prædeſtinatio Chriſti exemplar eſt noſtræ.*

Nã quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus: quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos juſtificavit, hos & magnificavit. Nota quod in hac ſententia continetur tota ſeries, & materia prædeſtinationis, in qua primo loco ponitur præſcientia, deinde prædeſtinatio, & hinc vocatio, &c. quia Deus præſcit, & prævidet, quinam ſint futuri conformes imaginis filii ſui ipſamque imitaturi auxilio gratiæ ſuæ, quam omnibus offert, & iſtos prædeſtinat: unde prædeſtinatio omnium eſt ad æqualem imitationem prædeſtinationis Chriſti, licet in aliquibus conditionibus differat & hinc prædeſtinatos vocat retrahendo à malo juſtificat donando gratiam, & deindè magnificat conferendo gloriam: & hinc patet prædeſtinationem non inferre neceſſitatem, niſi conſequentiæ: cum enim præviderat bona, & mala, prædeſtinat quos prævidet futuros bonos, ut dictum eſt, & reprobat malos. *Op. Comp. Theol lib.1. c.30. op. de reſur. à peccatis. lib.3. d.16. a.2. q.3. & d.11. a.1. q.1. In Io. coll.70.*

136. *Confidentia in Deo ſemper ad noſtrum auxilium parato ſuadetur.*

Si Deus pro nobis, quis contra nos. Ecce quomodo Apoſtolus omnem puſillanimitatẽ à nobis expellere intendit: Deus nos prædeſtinavit, quid ergo timemus? ſi Deus ſtat pro nobis ideſt promptus ad adjuvandum nos in prælio contra hoſtes, ergo in Ipſo pleniſſimè confidere debemus: quis enim eſt, niſi ſtultus, qui in bello timet ſi regem ſecum inſuperabilem habeat? fortis eſt diabolus, cum quo luctas, ſed fortiſſimus eſt Chriſtus, qui adjuvat: ô habeamus ſæpè hæc verba dulciſſima in ore, & mẽte: ſi Deus pro nobis, quis contra nos: quæ maximam confidentiam cordi ingerunt. *Ser.6. de Apoſt.*

137. *Confidentia iterum in Deum ſuadetur ex traditione nobis facta à Deo filii ſui, & cum ipſo omnia bona.*

Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia donavit? Ecce argumentum efficaciſſimũ ingerens confidentiam in Deum à nobis habendam: cum nobis miſerit, & donaverit ſuum filium, ipſumque totum in uſum, & beneficium noſtrum dederit, & ſi hoc tantum, & infinitum donum, cur non etiã omnia alia bona neceſſaria ad noſtram prædeſtinationem, & ſalutem nobis donavit? multo enim majus fuit quod Deus pro nobis mortem ſubiret, quàm peccata noſtra condonaret: multò etiam majus fuit dando nobis filium peccata condonare quam ſi ſimpliciter peccata condonaret, & per hoc magis nos excitare ad confidendum in Deo, & ad laudandum, & amandum ipſum. Væ igitur illis qui tanti beneficii ſunt ingrati, in quorum animabus nullum mors Chriſti effectum parit. *L.3. d.20. a.1. q.2. & op. de prof. relig. l.2. c.33. & op. ſtim. p.1. c.5. & op. de perf. vite. c.6. & ſer.1. f.2. Pent. & ſer.3. Dom. inſt. oct. Aſcen. & ſer. de exalt. Luc. c.9. v.31. & 44. & c.15. in fine. & c.22. v.6. Ioan. coll.17.*

138. *Chriſti Oratio pro nobis qualis ad Patrem: ubi de oratione à nobis fundenda pro proximo.*

Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei qui etiam interpellat pro nobis. Nota quod Apoſtolus iterum ſuadet confidentiam in Deum ex eo quod Chriſtus non ſolùm pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, ſed etiam ſedens ad dexteram Patris ipſum interpellat pro nobis: & quomodo hoc facit? Interpellat ſcil. oſtendendo Patri vulnera ad ipſum placandum, tum excitando nos ad interpellandum apud Patrem: ut ſic etiam nos excitet ad orandum pro proximo, & maximè pro animabus Purgatorii exemplo ſuæ benignitatis in nos *Pſal.1. op. de prof. relig. l.2. c.7. & ſer.3. Dom.1. poſt oct. Epiph.*

139. *Charitas immenſa Chriſti exigit charitatem indiſſolubilem in nobis.*

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an fames, &c. Nota ly à charitate Chriſti: proponit ante oculos noſtros charitatem divinam in nos, ſicut ſupra expoſuerat, ſc. oſtenſam in prædeſtinationis ratione, quia diligit nos ſemper. in filii traditione, & in animarum remuneratione, ut & invitet nos ad indiſſolubile vinculum charitatis in Deũ ita non frangatur unquam nec tribulatione, nec anguſtia, nec fame, &c. nec pro illa re vel proſpera, vel adverſa, ſed ſemper in ipſum tendat, in ipſo requieſcat, cum ipſo adhæreat. *Ser.3. Hexam.*

140. *Summum fidei, & ſummus apex perfectionis eſt in ſentiendo de Deo altiſſimè, & piiſſimè, & nihil aliud curare, & amare de hoc Mundo.*

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Quaſi dicat nihil; & hoc eſt quia de Deo altiſſimè ſentiebat quid ſit Deus veriſſimè quod ipſe eſt veritas omnia gubernans, & regens: & piiſſimè quod totum noſtrum eſſe, & bene eſſe eſt à Deo, ex qua intelligentia comparatur robur virtutis in fide ſtabiliſſimum zelus veritatis indignans contra omne malum, & inebriatio amoris, ob quam nihil æſtimat niſi Deum; & hoc eſt ſummum fidei, & apex totius perfectionis, ita ut homo poſſit dicere: quis me ſeparabit, &c. Hocque eſt experimentum perfectæ dilectionis, potius mori, quam Deo offenſo vivere. *Ser.9. Hexam. Pſal.118. v.25. op. de ſex alis Seraph. c.2. & 7. Diæt. tit.5. c.2. op. ſolil. c.2. op. de 7. itin. d.6. & itin.3. d.5. a.1. & itin.4. d.5. a.2. op. Incend. c.3. & in Ioan. c.18. v.17. & coll. 31. & ſer.1. Dom.17. Pent. ſer. de SS. Petro, & Paulo ſerm. 3. de Apoſt. & ſer.2. de plur. Conf. & Pſal.26. & Pſal.149. In Eccl. c.9. & ſer.1. de S. Laur. in addit.*

CAP.

Digitized by Google

CAPUT. IX.

In hoc capite Apoſtolus oſtendit prædeſtinationem nunquam fruſtrari, eſſeque electionem gratuitam, & quod bonum eſt à Deo, non autem malum: nec aliquem poſſe conqueri de prædeſtinatione, vel reprobatione, cum non ſit acceptio perſonarum apud Deum.

141. *Salus propria non poſtponenda ſaluti proximi: & quomodo Apoſtolus cupiebat anathema eſſe pro fratribus ſuis.*

Veritatem dico in Chriſto Ieſu, non mentior, &c. quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo; optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, &c. Nota, quòd tria hic ponit Apoſtolus; primò juramentum de veritate, quam exprimit; ſecundò triſtitiam, & dolorem cor ſuum affligentem pro perditione Judæorum: tertiò deſiderium eſſendi anathema, & ſeparatum à Chriſto pro ſalute Judæorum? ſuper quæ movetur dubium; primò cur affert hic juramentum, quod non videtur neceſſarium; ſecundò ad quid tanta triſtitia, ſi ſciebat perditionem Judæorum decretam fuiſſe à Dei voluntate? tertiò quomodo, & qua conſcientia poterat poſtponere propriam ſalutem ſaluti Judæorum? cum certum ſit apud omnes Theologos, quòd ordo charitatis eſſentialiter exigat propriam ſalutem præferendam eſſe ſaluti etiam totius mundi; ratio naturalis eſt, quia unumquodque plus apperit perfectionem propriam in ſeipſo, quàm in ſuo ſimili, & quodlibet pondus plus trahit corpus, in quo eſt, ad ſitum ſibi debitum, quàm trahat aliud corpus ſibi annexum; hinc eſt, quod charitas per priùs deſiderat Deum nobis unici, & in nobis habitare, & nos in ipſum tendere, & in ipſo quieſcere, quàm apperat in alio ſimili; tùm etiam quia charitas diligit proximum, ſicut ſeipſum, ergo per priùs in ſeipſo debet appetere id, quod ſibi ſimile appetere debet; nempè debet diligere proximum ad illud bonum, ad quod diligit ſeipſum; & hoc non eſt quærere vitiosè quod ſuum eſt, ſcilicet excludendo bonum commune, ſed potiùs eſt quærere quod ſuum eſt .. & aliis commune, & ſecundùm divinam voluntatem; ſic his ſtantibus; quomodo Apoſtolus optabat anathema eſſe à Chriſto pro fratribus ſuis? ſed reſp. ad primum, quod cum juramento exprimit ſuum deſiderium, quia Judæi non facilè ipſi credebant, ideo utile, & neceſſarium, & cum judicio juravit; ad ſecundum reſp. ſuam triſtitiam, & dolorem non fuiſſe cum inordinatione rationis, ſed cum ſubjectione ad divinam voluntatem: ad tertium reſp. Apoſtolum abſolutè non optaſſe ſe ſeparari à Deo per peccatum, ſed vel ſe promptum eſſe ad quamcumque tribulationem, pœnam, & etiam mortem, vel etiam diutiùs carere viſione Dei, dummodo ſui fratres ſalvi fierent; tùm etiam quia dicit optabam, non opto, ideſt optabam, vel optarem, ideſt ſi eſſet optabile anathema eſſe à Chriſto; ſic etiam legitur de Moyſe. Exod. c. 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo, &c. non quod vellent deleri de facto, ſed quod affectum, quem habebant ad proximorum ſalutem evidentiùs exprimere non valerent; quaſi non reputantes ſibi eſſe plenum gaudium introduci ad epulas cœleſtes, illi, quos diligebant, & pro quibus mori optabant, bonis fame peritari; & hic intellectus eſt effectus inebriationis ſpiritualis animæ, qua homo ſuimet immemor Deo deditus eſt, & ei per amorem inhærens, ſuper omnia gloriam ipſius, & honorem promoveri, & ejus notitiam dilatari ad omnes deſiderans tam pro ipſius, quàm pro aliorum ſalute rogat Deum, ut ſanctificationis ſuæ notitiam omnibus manifeſtet, infideles ad lumen cognitionis ſuæ vocando per fidem, & fideles ad gratiam per amorem convertendo, & rebelles per oſtenſionem ſuæ potentiæ utiliter confundendo, & quaſi non poſſit, vel nolit ſine aliis cœleſti gaudio frui, anhelat, & ſatagit plures ſecum orando, & laborando trahere: & hoc eſt quod petimus in oratione dominica, ſanctificetur nomen tuum. *Lib. 1. d. 39. dub. 3. & d. 29. a. 1. q. 3. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 61.*

142. *Regeneratio ſpiritualis eſt quæ nos filios Dei, & fratres Chriſti facit; Ubi de altitudine ſtatus Chriſtianiſmi.*

Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, quorum patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula Amen, &c. ſubdit, *Non omnes, qui ex Iſraël, ii ſunt Iſraëlita, &c.* Nota, quod ad litteram deſcribit priùs ſublimem ſtatum Iſraëlitarum, quibus à Deo commiſſa fuerant omnia ſancta Dei, lex, promiſſio incarnationis Domini, notitia legis, & fidei; unde ex hac parte nobiliores, & excellentiores erant ſuper omnes nationes, ſed quia Deus non reſpicit ad hæc externa, nec ad generationem carnalem, ſed ad ſpiritualem, & ad ſanctitatem operum, docet, quod non omnes Iſraelitæ ſunt veri Iſraëlitæ, ſed tantùm qui profeſſioni connectunt ſancta opera; quæ doctrina propriè dirigitur ad Chriſtianiſmum: nam Chriſtiani ſunt nobiliores, & fœliciores omnibus nationibus ex eo, quod adorant Chriſtum verum Deum, & hominem, habent integram, & incorruptam fidem, perfruuntur gratia Sacramentorum, ditati ſunt gratiis, & donis innumerabilibus, ſed tamen non omnes Chriſtiani ſunt veri filii Dei, & fratres Chriſti, ſed tantùm ii, qui profeſſioni fidei conpectunt opera bona, ſancta, & proportionata, & de iſtis verè dicitur, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & promiſſio, &c. *Luc. c. 1. v. 17. c. 2. v. 36. c. 3. v. 8. c. 11. v. 28. c. 17. v. 18. c. 19. v. 9. & 14. c. 20. v. 43. Ioan. c. 1. v. 13. Brevil. p. 4. c. 5.*

143. *Prædeſtinatio, & reprobatio in Deo nullam habent cauſam, vel rationem motivam, ex parte tamen prædeſtinati, vel reprobati concurrit aliqua ratio.*

Antequam aliquid boni egiſſent, aut mali (ſcilicet Jacob. & Eſau) *ut ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei; quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt. Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Nota quòd hæc ſcriptura maximas difficultates involvit, an ſcilicet prædeſtinatio, & reprobatio ſint ex prævisis meritis, & demeritis? ſi enim non eſt ex prævisione meritorum videtur non eſſe in poteſtate noſtra ſalus, etiam ſuppoſita Dei gratia? ſed reſp. quod licèt in Deo ſint idem prædeſtinatio, electio, & propoſitum, differunt tamen vi terminorum, & ſecundùm rationem intelligendi; nam propoſitum ſimpliciter voluntatem faciendi aliquid dicit; ille enim dicitur proponere, qui firmiter vult aliquid facere: Electio verò, & prædeſtinatio addunt aliquid ſuprà voluntatem, ejuſque propoſitum, nempè prædeſtinatio addit ordinem, & directionem in finem, & electio diſcretionem, & ſeparationem à ſuo oppoſito; undè propoſitum dicit firmam voluntatis conceptionem, electio diſcretionem, & prædeſtinatio cum firmo voluntatis propoſito dicit præordinationem, & hæc eſt ultima in hoc ordine, quia prius intelligitur aliquid ſeparari à malo, quam dirigi in finem. Hinc ſequitur, quod in prædeſtinatione, & reprobatione tria intelliguntur: primum eſt propoſitum æternum, vel æternum odium, & hoc nullam cauſam vel meritum in Deo habet: ſecundùm eſt gratificatio, vel obduratio; gratificatio habet meritum de congruo, reprobatio habet ſimpliciter demeritum; undè cum habeat propoſitum, & voluntatem ſalvandi omnes abſolutè, extendit manum ſuam ad executionem exhibendo, quantum eſt ex ſe, gratiam neceſſariam; & quia prævidet multos non benè uſuros iſtis gratiis, eos ſua gratia privare decernit, & ſic in obdurationè permanentes reprobat; alios benè uſuros gratia exhibita, prædeſtinat ad gloriam; ſicque prædeſtinatio, & reprobatio in Deo nullam habent cauſam, ſed ex parte noſtri adeſt ratio motiva: & ad illud. *Jacob dilexi, Eſau odio habui, antequam aliquid boni, vel mali egiſſent*, reſponderur quod hoc intelligitur ratione præſcientiæ divinæ, quæ antecedit opera futura in tempore, licet ea involuat. *Lib. 1. d. 40. a. 3. & d. 41. a. 1. per totum. Joan. coll. at. 78.*

144. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis ſalus æterna.*

Ubi de exceſſibus divinæ miſericordiæ in nos, & maximè in Chriſtianos. Quomodo hoc intelligitur? videtur enim, quòd tota ſalus noſtra dependeat purè ex Dei voluntate, non ex cooperatione noſtra? ſed tamen utrumque eſt verum, & quòd ſalus noſtra dependet ex pura miſericordia Dei, & etiam ex noſtra cooperatione; nam dicitur ſalus non eſt: currentis, vel volentis, ſed Dei miſerentis; quia cum Deus ſit æquè juſtus, ac miſericors, tamen ejus proprium dicitur eſſe miſereri potiùs, quàm juſtum eſſe, quia ad complendum opus miſericordiæ nihil requiritur, niſi ejus voluntas; ad complendum opus juſtitiæ requiritur ex hac parte hominis demeritum; & quia nihil poſſumus niſi adjuvante Dei miſericordia, & exhibente ex ſua liberalitate gratiam, ideò dicitur, quod ex hac parte eſt ſolius Dei miſerentis; ſed quia vult, ut & nos voluntatiè admittamus ejus gratiam, & ipſi cooperemur, quia adjutores Dei ſumus 1. *Cor. c.* 3. ideò dependet etiam à nobis. Et hinc concluſio infertur, quod radix, origo, medium, & complementum ſalutis eſt Dei miſerentis nobis exhibentis omnia neceſſaria, ut ipſi cooperemur: Ecce qualis, & quanta Dei miſeratio in nos, patienter enim expectat peccatores, benignè revocat, ulciſci diſſimulat, de multis periculis liberat, gratiam liberaliter donat, datam multiplicat, multiplicatam conſervat, & conſervatam in Cœlo præmiat; item ex miſericordia Deus peccatorem ad ſe redeuntem hilariter ſuſcipit, ad pœnitendum cor emollit, offenſam citò remittit injuriæ, poſt remiſſionem non meminit. Item ex miſericordia Deus dat adverſa, ut peccatorem purget, & à peccatis removeat, dat proſpera, ut ad amorem provocet, dat Sacramenta, ut meritum cumulet, dat præcepta, ut præmio ditet, errantes ad ſe reducit, euntes ad ſe conducit, cadentes erigit, ſtantes tenere non deſinit, pervenientes in gloriam introducit; Et hæc infinita Dei miſericordia maximè elucet in nos credentes Chriſtianos: Vide quàm id ſit verum; nonnè ſummæ clementiæ eſt, quòd nos fecerit ſibi credentes, & ſua ſanctiſſima fide imbutos, & ditatos, ad ſe ſua intima virtute trahendo? nonnè verum eſt, quod non fuit currentis, neque volentis, ſed Dei miſerentis? quid enim fecimus, quod nos in eum pluſquam tot, & tot reliqui miſerrimi crederemus? ergo fideliter, & cum omni timore, & honore ſerviamus ei, perfecto corde, & animo volenti, ſe nos totaliter ei ſubjicientes, & obedientes. *Op. ſtim. p. 1. c. 13. ep. Comp. Turol. lib. 1. c. 34. Luc. c. 8. v. 48. c. 10. v. 21.*

145. *De obdurationè cordis, quomodo dicitur eſſe à Deo, & à peccatore. Vide ſuprà ad cap. 2.*

146. *Myſteria, & judicia de prædeſtinatione non ſunt curiosè nimis inveſtiganda.*

O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? numquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet figulus poteſtatem luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Terribilia ſunt quidem iſta verba Apoſtoli contra curioſos inveſtigatores judiciorum Dei; prætendit nos exercitare ad ſubmittendum noſtrum judicium in obſequium fidei, & diſpoſitionem Dei, eique fideliter obediendum: Nota tamen, quod licet prima facie videatur velle indicare, quod Deus pro libito ſuo ad modum figuli alios prædeſtinat ad gloriam, alios deſtinat ad pœnam æternam, tamen non eſt ſiſtendum in puris verbis, ſed attendendum ad antecedentia, & conſequentia, nam ſubdit, quod Deus expectat iſta vaſa iræ ad pœnitentiam, ſed quia liberè ipſam reſpuunt, hinc ad oſtendendam ſuam juſtitiam eos reprobat æternaliter, & licet Apoſtolus videatur aſſignare pro ratione talium diſpoſitionum ſolùm Dei beneplacitum, tamen non eſt concludendum non adeſſe alias rationes ex parte noſtri, quia non omnia ſunt

ſcripta,

Digitized by Google

ſcripta, ſed nobis utilia, ut diſcamus vivere cum timore, & humilitate, nec nobis merita attribuere, *Lib. 1. d. 41. a. 1. q. 2. ad 2. & 3. & d. 40. a. 2. q. 2. Luc. c. 6. v. 9.*

147. Vocationem gentium, & cæcitatem Judæorum hic exprimit Apoſtolus dicens, *Vocabo non plebem meam, plebem meam*, & adducit alia loca ſcripturæ; ſed addit, quod ſi numerus filiorum Iſrael erit tanquam arena maris, tamen reliquiæ ſalvæ fient, quia in fine mundi convertentur Judæi ad fidem Chriſti, & fiet unum ovile, & unus Paſtor. *Luc. cap. 20. v. 16. cap. 13. in fine. c. 19. verſ. 21. ſerm. 15. Hexam. Ioan. cap. 9. verſ. 39.*

CAPUT X.

In hoc capite & ſequenti tractat Apoſtolus de effectibus prædeſtinationis, & reprobationis & præcipuè hic intendit reprobationem Judæorum proveniſſe ex eorum pura malitia.

148. *Zelus indiſcretus affligitur proprio conſilio, & divinum deſerit.*

Fratres voluntas quidem cordis mei, & obſecratio ad Deum pro illis in ſalutem. Scilicet mea oratio ad Deum præcipuè ordinatur ad Deum obſecrandum pro ſalute Judæorum; & cur? quia æmulationem Dei quidem habent, ſed non ſecundùm ſcientiam, ignorantes enim juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti; finis enim legis eſt Chriſtus ad juſtitiam omni credenti: Nota ad litteram, quod Apoſtolus loquitur contra Judæos, qui zelabant ſuper legalia, æſtimantes eorum obſervantiam juſtificare peccatores, abſque eo, quod Chriſtus, ejuſque Paſſio ad id concurreret neceſſaria; & ideò dicit, quod iſti æmulatores juſtitiam Dei deſtruunt, & propriam ſtatuunt, quæ eſt ſine ſcientia, quia innititur tota proprio cerebro; moraliter autem reprehendit eos qui propriis conſiliis innixi rejiciunt conſilium bonorum, & voluntatem propriam ſequuntur, quaſi dicant cum Caipha, vos neſcitis quicquam, & talis error eſt valdè periculoſus, & pernicioſus, quia iſti ſunt in congregatione unitatis diviſores, inimici pacis, charitatis experres, vanitate tumentes, ſibi placentes, & magni in oculis ſuis, ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, & quæ maior ſuperbia, quàm ut unus homo totius congregationis judicio judicium ſuum præferat, tamquam ſi ipſe ſolus haberet Spiritum Dei? ecce quomodo facti ſunt arioli, & idololatræ, ſed quid de illis, qui totum zelum, & rigorem ſine miſericordia contra defectuoſos oſtendunt: iſtis dicit Chriſtus neſcitis cujus ſpiritus eſtis? hoc enim eſt perdere, non lucrari animas proximorum, Vide igitur quàm pernicioſus zelus indiſcretus. *Op. de dono conſilii c. 3. Luc. c. 9. v. 54. c. 13. v. 14. c. 6. v. 2. c. 7. v. 30. c. 15. v. 28. c. 18. v. 10. c. 21. v. 4. Ioan. c. 4. v. 17. c. 7. v. 22. cap. 16. verſ. 2.*

149. *Zelus ſine ſcientia Religioſorum diſtrahentium Fratres ab obſervantia rigidiori expenditur; ubi etiam de tali peſte inter ſæculares agitur.*

Æmulationem quidem ad Deum habent, ſed non ſecundùm ſcientiam, &c. finis enim legis Chriſtus. Ecce alius Zelus indiſcretus & non ſecundùm ſcientiam aliquorum in Religionibus, qui ſub ſpecie obſequii Dei, ejus obſequium deſtruunt ſuis pravis conſiliis: ſæpè enim inveniuntur aliqui, qui videntur, & fortè ſunt boni Religioſi, ſed tamen nimis timidi, non attendentes nondum abbreviatam manum Domini, ut ſalvare nequeat, nec conſiderantes nondùm diminutam pietatem Altiſſimi, quin juvare valeat, habentes Zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, dum ex compaſſione corporalis afflictionis, vel fortè ex timore naturalis defectionis, vel debilitatis, dum alios vident viriliter agere, quod ipſi jam dudum bonum, & ſanctum judicabant, & tamen non audebant inchoare, retrahunt homines ab operibus perfectionis; diſſuadent ea quæ ſtatum excedunt vitæ communis, deſtruunt ſancta conſilia divinæ inſpirationis, quorum conſilia ratione vitæ quantò magis ſunt autentica, tantò magis inveniuntur periculoſa: Alii dicunt, quod iſta extraordinaria ſunt omittenda, ne vana gloria inſurgat, & æſtimentur Sancti, &c. & attendant ad hæc ſuperiores nimis timidi Religioſorum; attendant ad hæc Confeſſarii Religioſarum, quia multi illorum ſæpè ſub ſpecie zeli, vel debilitatis complexionis, vel timoris incurrendi in infirmitatem, ſed non ſecundùm ſcientiam deviant ſuos ſubditos ab auſteritatibus, ab oratione extraordinaria. & ob id ſunt in cauſa, ut ſæpè Religioſi non aſcendant cum fervore ad montem perfectionis, ſed potiùs retrotrahant: Et hæc peſtis etiam viget inter ſæculares, ſæpè ſub ſpecie zeli, & moderationis deviant volentes ferventiori, & ſpecialiori modo ad perfectionem Chriſtianam tendere, vel intrare in Religionem rigidam, & auſteram; iſti ſunt velut Judæi, qui ſectatores Chriſti perſequebantur ſub ſpecie obſervantiæ legis Moſaicæ. *Op. de quinque feſtivit. ſolemn. 1.* Nota etiam, quod hoc monitum dirigitur ad Prælatos, ut zelum Dei habeant, ſed cum ſcientia diſcretionis pro loco, & tempore, &c. *Op. de ſex Alis Seraph. a. 7.*

150. *Chriſtus finis legis totius, in quo quieſcendum mediante charitate.*

Nam finis legis Chriſtus. Nota hic, quòd Chriſtus proponitur objectum omnium noſtrarum operationum, ad quem debemus tendere, in ipſo quieſcere, ſed hoc non poteſt fieri, niſi mediante charitate, quæ eſt finis, quo obtinetur quies, & conſummatio, & perfectio totalis. *Lib. 2. d. 38. a. 1. q. 2. ad 1.*

151. *Verbum fidei eſt ratio diſpoſitiva ad receptionem Sacramentorum.*

Prope eſt verbum in ore tuo,& in corde tuo,hoc eſt verbum fidei,quod prædicamus. Nota,quod Apoſtolus intendit in antecedentibus, & conſequentibus verbis inducere Judæos ad fidem adventus, & mortis, & deſcenſus ad inferos, & aſcenſus in Cœlum Chriſti;& docens, quòd hoc eſt verbum fidei,quod prædicant Apoſtoli, & miniſtri Evangelii, quod reſidere debet in corde,& exteriùs relucere, ut talis fides juſtificet animam, quodque patet tùm in adminiſtratione Sacramenti, tum & aliorum, quia niſi præcedat fides,& verbum fidei, ipſa non juſtificant: myſticè verò dat intelligere nobis, quòd diſpoſitio fervens ad receptionem Sacramentorum, & maximè Euchariſtiæ ſit per verbum fidei, ideſt per conſiderationem ferventem excellentiæ Sacramenti,effectuum,& munditiæ, quibus ad ipſa eſt accedendum; talis enim conſideratio mundare facit animam, ipſam inflammare ad devotionem,& cum fructu percipere Sacramentum. *Op.de modo confit. & puritate conſcientiæ.c.9.Ioann.c.15.v.30.*

152. *Quilibet Chriſtianus tenetur vivere paratus ad martyrium.*

Corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Ecce,quod non ſufficit fides in corde,niſi etiam ad os redunder, ita ut ore exprimatur, quod corde creditur; & ſi non ad os exit; ſignum eſt,quòd in corde mortua eſt;undè infertur, quod quilibet Chriſtianus debet eſſe paratus ſecundùm neceſſitatem ad ſubeundum martyrium pro fidei catholicæ confeſſione:& hinc eſt, quòd S.P. Franciſcus jubet Prælatis ſuæ Religionis, ut volentibus admitti intra ipſam exponatur ſacrum Evangelium, & omnia obſervanda.& ſi ea firmiter crediderint,& parati ſint ipſa confiteri; ſcilicet uſque ad martyrium ſuſtinendum,ſi opus fuerit, admittantur. *Op.Expoſ.regul. c.1; ſer.1. Dom. infrà oct.Nativ.ſer.de S.Luca:lib.4.d.3.p.1.q.1. & d.7.a.3.q.2.op.Diæt.tit.2.c.3.& tit.5.c.3. ſer.8. Hoſam.Luc.c.1.v.37.c.7.v.10.c.9.v.20.c.10.v.21.Ioan. collat.1. & 33.*

153. *Divitiæ divinæ bonitatis, & miſericordiæ ad omnes offerantur à Deo ſine acceptione perſonarum.*

Non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium dives in omnes, qui invocant illum. Vide quomodo Apoſtolus prædicat Deum omnibus cujuſcumque ſtatus communem ſine acceptione perſonarum, cum enim ſit ditiſſimus, liberaliſſimus ad omnes extendit ſuas divitias,& pauperes. & divites, & nobiles & ignobiles, & ſapientes, & imperitos, & ideò ſecundùm diſpoſitionem cujuſcumque exhibet ſua bona: Et hinc inferri poteſt quales divitias effuderit in Mariam, cùm qua eſt Dominus ditiſſimus,facta ditiſſima;& cum hæc veriſſima,ſunt,quis eſt;qui ſinet ſe occupari à puſillanimitate,nec audebit ad tam benignum.& liberalem Dominum accedere, & petere, cumipſe ſit magis promptus ad dandum, quàm nos ad petendum:*Ser.3.Dom.23.Pent.op ſi.ac.B.V. lect.8.op.Solid.c.2.Luc.c.4.v.40.c.15.v.2.c.16.v.1.*

154. *Orationis efficacia qualis ad impetranda neceſſaria.*

Omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Quid eſt invocare nomen Domini? hoc eſt orare fiducialiter confidendo in ejus bonitate; ergo qui confugerit ad orationem, ſecutus erit recipere donationem quorumlibet utilium,& neceſſariorum, & repreſſionem omnium contrariorum ſaluti;vult enim Deus non tantùm orari pro eo, quod & antè dare diſpoſuit,ſed vult,ut plus orando mereamur per fidem, qua credimus, quòd non videmus; per ſpem,qua obtinere confidimus petita:& per charitatem, qua exauditorem plus amemus: per humilitatem, qua in ſupplicatione perſeveremus;& per deſiderium, quo bona adipiſci cupimus.*Op.de Prof Religioſ. lib.2.c.66. Luc.c.8. verſ.48.*

155. *In nomine Jeſu eſt ſalus.*

Omnis,qui invocaverit nomen Domini,ſalvus erit. Quodnam eſt hoc nomen,in quo invenitur ſalus? hoc eſt nomen Jeſu,qui eſt Salvator,& miſericordia ſalvans; ergo qui invocaverit corde, ore, & opere hoc nomen, ſalutem obtinebit. *Luc. cap.19. v. 10.*

156. *Prædicatores à Prælatis mittantur ad exercendum ſuum munus,* nec ſe ingerant propria voluntate in hoc miniſterio; dicit enim Apoſtolus, *quomodo prædicabunt,niſi mittantur,* ſcilicet quomodò audebunt prædicare;quomodo cum fructu,& cum aſſiſtentia divina,niſi mittantur. *Op. libell. Apolog. q.4.Luc.c.9.n.2.*

157. *Fidei habitus quomodo, cum ſit infuſus, dicitur haberi per auditum.*

Fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Si hoc, quod dicit Apoſtolus eſt verum, ergo videtur,quod fidei habitus non ſit per infuſionem, ſed per acquiſitionem, ergo immediatè non videtur eſſe à Deo,ſed ex noſtra induſtria;ſed arende, quod fides poteſt conſiderari vel ſecundùm ſuum eſſe formale,vel ſecundùm ſuum materiale:primum eſt habitus infuſus à Deo in baptiſmo, quo anima prompta redditur ad credendum omnia à Deo revelata,& innititur primæ, & ſummæ veritati propter ſe ſcilicet quatenus à Deo revelata eſt per ſcripturam:materiale eſt illa cognitio,qua cognoſcitur quid eſt, quod per verum dicitur, & hoc materiale communiter non habetur niſi per acquiſitionem,ſcilicet vel per auditum,ut communiter fit in explicatione myſteriorum Dei facta per Doctores, & miniſtros Evangelii, vel per viſum,ut eſt Theologorum legentium Sacram Scripturam.& ſacros expoſitores:& hoc materiale eſt completivum quodammodo quoad nos formalis,non ſecundùm ſe. quia ſecundum ſe eſt à Deo, & ab aſſenſu voluntario divinæ revelationi facto.*Lib.3.d.23.a.1.q.2.ad 1.op.Comp.Theol.lib.1. c.16.Ioan.c.17.v.14.*

CAP

CAPUT XI.

In hoc capite Apostolus prosequitur id, quod inchoaverat in antecedenti; nempè ostendendo, quod Judæi propria culpa excæcati fuerunt, nunc consequenter ostendit, quod occasione excæcationis ipsorum gentes illuminatæ sunt ad fidei perceptionem, absque eo tamen, quod ipsis clausa sit janua fidei percipiendæ.

158. *Prima gratia est mera gratia sine meritis.*

Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin non est gratia. Nota, quòd hic assignat rationem primæ gratiæ, quam dicit non fundari in operibus, vel meritis nostris, alioquin gratia hæc non esset gratia, nec gratis daretur, sed veluti præmium, vel solutio, & hoc est contra Pelagium, qui impiè asserebat dari primam gratiam virtute alicujus meriti nostri, sicque asserebat gratiæ suam dignitatem, & excellentiam, dum eam meritis liberi arbitrii supponebat; item & suam efficaciam, dum potestatem merendi alii, quàm gratiæ attribuebat: data autem prima gratia sanctificante potest postea virtute talis gratiæ quis mereri de condigno novam gratiam; unde existens in peccato mortali homo de condigno non potest mereri gratiam sanctificantem, sed tantùm de congruo virtute gratiæ prævenientis. *Lib. 2. d. 28. dub. 4.*

159. *Ex corde bono, vel malo prodeant veluti ex radice rami, & fructus boni, vel mali.*

Si radix sancta, & rami. Ecce perbellum documentum: nam hac metaphora ostendit qualis sit origo omnis boni, & mali nempè radix est cor, & voluntas mala cupiditate affecta; si enim cor est infectum peccato mortali, non potest non emittere influxus proportionatos corruptionis in truncum, scilicet in voluntatis consensum, & hinc per hunc truncum in ramos, scilicet in affectiones diversas ex voluntate procedentes, procedit virtus & in folia, & in fructus, scilicet in verba, & opera; & licet aliqui fructus prodeant, qui de se sunt boni, ut sunt bona opera, tamen quia radix est infecta, & mortua, nec etiam talia opera sunt viva, & meritoria vitæ æternæ: è contra si radix sancta, si cor informatum est gratia Dei, etiam & truncus, scilicet consensus voluntatis, & opera emanantia ex tali radice sunt bona, & meritoria: ergo tota cura hominis debet esse, ut ista radix, cor, & anima sit sancta, & gratia Dei ditata. *Op. spec. an. præfat. & c 3. serm. 3. de una Virg. lib. 2. d. 32. a. 1 q. 2.*

160. *Præsumptio de propriis meritis quàm Deo exosa.*

Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time; si enim naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide hic quomodo reprimitur superbia humana, ut non de propriis meritis præsumat; ideò enim reprobavit malos ramos, scilicet populum Judaicum, quem vocat naturalem ramum, tum quia ex SS. Patribus ortum ducebat, tum quia Christus ex ipso carnem duxit, reprobavit inquam istum populum superbum, qui ex justificationibus legis extollebat merita sua, & sic superbiendo recessit à Deo: populum autem gentilem, qui à longè, positus peccata confessus est, & lamentando appropinquavit Deo, exaltavit. Nota autem, quod dicit noli altum sapere, ideſt ne altiora te quæras, quæ sunt suprà fidem, & spectant ad curiositatem pascendam; non autem prohibet quærere ea, & investigare ea, quæ non sunt suprà nos, ideſt ea, quæ dictat nobis fides, ad melius cognoscendum, & amandum Deum. *Eccles. c. 7. Luc. c. 10. v. 18. c. 13. v. 19. c. 14. v. 24. c. 18. v. 14.*

161. *Dei odium in peccatum expenditur.*

Si enim naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Quinam sunt isti naturales rami Dei? habetne Deus filios naturales, quod est impossibile, cum unum solum Filium naturalem habere possit, in quo infinita ejus emanatio secundùm naturam completur? sed attende ad mysterium: Ad litteram per naturales ramos intelligit populum Judaicum ob rationes suprà adductas: mysticè etiam potest intelligi natura Angelica creata ad imaginem Dei ut purè spiritualis: item & primus homo creatus ad imaginem, & similitudinem suam; per quæ repræsentabat veluti naturaliter naturam Dei unius, & trini. & tamen propter peccatum Angelorum, & primi hominis, eos rejecit à se, & quos charissimos reputavit, abjecit: & si Deus tam spectandum monstrum divinæ severitatis nobis infirmis ostendit in Angelo nobilissimo, & in primo homine, quorum utrumque propriis manibus plasmavit, & decoravit; & si non pepercit populo suo, ex quo carnem sumpsit, & qui descendit à tam sanctis Patribus, hinc discere debemus quantum Deus odit peccatum, & maximè superbiam, quod pro uno motu cordis nobilissima omnium creatura æternaliter, & sine spe veniæ est damnata, & pro uno esu pomi, & ipse Adam, & tota ejus posteritas usque ad finem mundi est mortalitati, & multiplici pœnalitati subjecta; & pro superbia, & ingratitudine suum charissimum populum rejecit, & reprobavit; ex quibus efficacissimum relinquimur argumentum, quod horrendum est incidere in manus Dei viventis; & si illis priùs charissimis, & nobilissimis non pepercit, quid erit de vilissimo cinere, & abjectissimo in altum se extollenti, cum jacere debeat in cinere, & cilicio, imò in ipso sterquilinio. *Lib. 2. d. 6. a. 1. q. 2. ad ult. & locis supracit.*

162. *Dei miſericordia, & juſtitia nobis proponitur conſideranda in omnibus operibus ipſius.*

Videte ergo bonitatem, & ſeveritatem Dei; in eos quidem, qui ceciderunt, ſeveritatem, in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris. Nota, quòd & reprobationem malorum, & prædeſtinationem bonorum Deus in Sacra ſcriptura prædicat, ut intelligamus, quòd in omnibus operibus ſuis relucet miſericordia, & veritas, & ſeveritas Dei, & hoc maximè in retributione bonorum, & in inflictione pœnarum, & ſuppliciorum, ut ex miſericordiæ operibus ipſum amemus, ex inflictione pœnatum, & damnatione malorum ipſum timeamus. *Lib.4.d.46.a.2.per totum.*

163. *Novitiorum Religioſorum, & Eccleſiaſticorum Clericorum obligationes expenduntur ſub metaphora inſertionis oleaſtri.*

Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam olivam, quantò magis ij, qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ olivæ. Nota, quòd ad litteram Apoſtolus intendit hac metaphora inſertionis excitare per argumentum à minori ad majus Judæos ad credendum in Chriſtum ex hoc, quòd extranei, ſcilicet Gentiles veluti oleaſtri inſerti ſunt in ſtipite Chriſto, licet eſſent Idololatræ; & ſi hoc prodigium factum eſt in iſtis extraneis, quantò magis eluceſcet in Judæis; qui myſteria fidei cognoſcebant, & erant veluti naturales rami in ordine ad Chriſtum; myſticè verò aſſignat varias inſertiones, quæ fiunt in Eccleſia, & maximè in Religionibus, dum è ſtatu ſæculari, & immundo inſeruntur in bonam olivam vocati ad Religionem; & ſi hoc beneficium à Deo confertur maximis peccatoribus ad ſtatum Religioſum ſe transferentibus, quantò magis bonis benè viventibus in ſæculo? Nota autem, quòd ad hoc, ut bona inſertio fiat, & oleaſter transmutetur in bonam olivam, debet Novitius ab illa voluntate, qua ad Religionem venit, & à primo novitiatus fervore non repeſcere, ne ſi cum oleaſter eſſet, etiam ad priſtinum ſtatum redeat, uti faciunt illi, qui cum primò ſint ferventes, & devoti ad omnia, poſtea tepidi effecti, & deſides tradunt ſe levitatibus, & vitia, quæ expugnare cæperant, permittunt ſibi dominari, ſervientes Deo pro ſuo libito, non pro ejus beneplacito voluntatis, de quibus dicitur. *Ezech.c.16.* Soror tua Sodoma revertetur ad antiquitatem ſuam; ideò primam devotionem conſervare debent, ſcilicet humilitatem, patientiam, verecundiam, ſolitudinem, ſollicitudinem placendi Deo etiam in minimis; ne dicatur, quod Apoſtolus ad Hebr.c.5.cum deberetis eſſe magiſtri virtutum propter tempus, quo diù in Religione fuiſtis, rurſum indigetis, ut vos doceamini: Hoc & ſuo modo dirigitur ad Clericos Eccleſiaſticos, qui ſunt Novitii Eccleſiæ. *Op. de Prof. Religioſ. lib.1.c.1.Ugo Card.hic.*

164. *Dei beneficium quale nobis factum quòd ex excæcatione Judæorum nos Gentiles illuminaverit.*

Nolo vos fratres ignorare myſterium hoc, ut non ſitis vobis ipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte contingit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, &c. Dat Apoſtolus in his verbis intelligere grande beneficium factum nobis Chriſtianis, ex eo quòd amicis, ideſt Iſraëli etui permiſit oculos, ut inimici ideſt Gentiles illuminarentur, cæcitas enim ex parte contingit in Iſraël, non in toto, tum quia multi converſi ſunt ad fidem Chriſti, tum quia in fine omnes convertentur; hæc autem cæcitas non ex Deo operante, ſed ex eorum malitia, & inſtigante diabolo eis contingit. *Ser.3.Dom.Quinquag.ſer.3.Dom.1.poſt oct. Paſcha ſer.2.Dom.4.Pent.ſer.15.Hexaem. Luc. c.7.v.10. c.8.v.10.c.13.v.30.c.19.v.40.c.20.v.16. Ioan.c.12. v.40.c.20.v.10.*

165 *Sacramentum baptiſmi ſine pœnitentia quomodo deleat omnem pœnam ſimul cum culpa.*

Sine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei. Quomodò id dicitur? nonné exigit Deus à nobis pœnitentiam, ut deleantur peccata noſtra? ſed reſp. ibi loqui de baptiſmo, quod eſt primum, & maximum donum Dei, & per hoc Sacramentum abſolvitur homo ab omni culpa, & ab omni pœna ſatisfactoria; dicitur etiam, quòd dona Dei ſunt ſine pœnitentia, ideſt quando Deus delevit culpam, & pœnam, non ampliùs aliquid pro priſtinis peccatis exigit à peccatore, nec ipſa peccata poſſunt redire quoad reatum culpæ. *Lib.4.d.4.p.1.a1.qu.2.& d.22.a.1.qu.2.*

166. *Dei judicia incomprehenſibilia, & inveſtigabiles ejus viæ nos invitant ad ſubmittendum noſtra judicia obſequio humili ipſorum, & ad intrandum per contemplationem in ipſa.*

O altitudo ſapientiæ, & ſcientia Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Ecce quomodo hic Apoſtolus maximum myſterium nobis revelat; nempè cum judicia Dei ſint incomprehenſibilia, & inveſtigabiles viæ ejus, quia longitudo in Deo ſit æternitas, quæ eſt tam longa, ut non habeat terminum temporis, vel loci; latitudo charitas, quæ nullis terminis anguſtiatur, quæ extenditur uſque ad inimicos; ſublimitas in eo, quia eſt ſuper omnia: profundum, quia intra omnia eſt; hinc & docet modum, quo poſſimus intrare in hæc judicia incomprehenſibilia, ſcilicet introducendo affectum intra ipſa, & relinquendo foris aſpectum, & ſic ſubmittendo ipſum affectum cum humilitate in obſequium fidei, & omnibus divinis diſpoſitionibus cum perfecta conformitate ad ſuam voluntatem, abſque eo quòd intellectus recalcitret; & tali pacto ex iis, quæ non intelligit homo, fructum plurimum reportabit, & profectum ſpiritualem in amore, & timore Dei. *Pſal.118. c.4.v.14. Pſal.150.ſer.8. Hexam.op. de ſeptem itiner.ætern.itin.2.d.4.op.ſim.p.3.c.5.Luc. c.16.v.15.lib.1.d.41.a.1.qu.2.*

167. *Propter peccata populorum Deus ſæpè privat Sanctos multis revelationibus.*

Concluſit omnia Deus in incredulitate &c. & poſt ſubdit: *O altitudo ſapientiæ &c. quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* Nota, quòd ad litteram dat intelligere, quòd cum mundus abſorptus eſſet ſub peccato, venit Chriſtus in mundum, ut omnium miſereretur; & deindè nota: Judæos amiſiſſe donum revelationum, & prophetiarum &c. myſticè autem oſtenditur, quòd nunc, licet ſint multi amici Dei in Eccleſia, tamen ipſis abſcondit revelationes, & ſenſus ſuos, & hoc propter peccata populorum, cum enim iſta ſint dona gratis data ad beneficium aliorum, cum in populo Chriſtiano abundent ſine menſura ſcelera, ideò etiam privantur tantis donis. *Ser. 1. de S. Baribol.*

168. *Trinitas, & unitas divina relucet in creaturis.*

Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula Ecce quid poteſt à nobis de Dei incomprehenſibilitate cognoſci; poſtquam enim dixit Apoſtolus incomprehenſibilia eſſe omnia judicia Dei, ſubdit, quod omnia ſunt ex ipſo, per ipſum, & in ipſo, innuens hic Trinitatem perſonarum, & unitatem eſſentiæ divinæ ex ipſo ſunt omnia, per ipſum, & in ipſo indicans unitatem Dei; ſunt enim omnia ex principio primo non aliundè moto: ly (ex) indicat auctoritatem, & eſſe à nullo, & ſic connotat Patrem: per ipſum tamquam per principium ſufficientiſſimum, quod omnia agit per ſeipſum, ly (per) indicat operationem, ſeu medium, & eſſe ab alio, & ſic connotat Filium, qui eſt principium de principio, & in ipſo tamquam in principio infinito, quod non poteſt facere aliquid extra ſe; ly (in) notat conſervationem, & eſſe ab alio, & connotat Spiritum ſanctum; undè in Deo ſecundùm ſe iſta tria ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſignificant idem principium primum, ſufficientiſſimum, & infinitiſſimum; ſed ſecundum diverſitatem modi exprimendi connotant tres perſonas diſtinctas; ex quibus ſequitur, quòd cum ſit primum principium, æternum, ſimpliciſſimum, actualiſſimum, perfectiſſimum, & ſummè unum, omnipotens, omniſciens, & omnimodè bonum, etiam omnia operatur propter ſeipſum. & ideò neceſſe eſt, quòd ſit finis ultimus, initium, & conſummatio. alpha, & omega, ideò terminat in his verbis; ipſi gloria in ſæcula. *Lib. 1. d. 36. dub. 4. op. Comp. Theol. lib. 1. c. 10. op. Itinr. mentis c. 5. ſer. 16. Hexam. Pſal. 138. Luc. c. 3. in fine. Ioan. c. 1. v. 3. c. 3. v. 19. c. 9. v. 39. c. 14. v. 6.*

CAPUT. XII.

In hoc capite Apoſtolus, poſtquam oſtendit in ſuperioribus errores Iudæorum, & Gentilium, nunc incipit eos invitare ad concordiam, & pacem conſequentem veram fidem; & ut iſta exequantur, monet eos in hoc capite ad amotionem impedimentorum pacis, quæ ſunt amor carnis, mundi, & propriæ excellentiæ.

169. *Prælati aliquando pro loco, & tempore præcipiant ſubditis obſecrando.*

Obſecro vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra &c. Vide Paulum Prælatum conſtitutum à Chriſto ſuper fideles obſecrantem ſubditos, ut opera pœnitentialia faciant, cum tamen poſſet præcipere in virga poteſtatis; & per hoc inſtructio datur Prælatis, maximè Religioſis, ut non ſemper in virga auſteritatis præcipiant ſuis ſubditis, ſed potiùs obſecrando, & rogando, & veluti nutrices condeſcendendo teneritudini, & imperfectioni ſubditorum: talis enim modus ſæpè ſtimulat eos ad ſe humiliandum, & ferventius obediendum. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 4. 5. & ſeq.*

170. *Pœnitentiæ corporales fiant in charitate, & gratia.*

Obſecro vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. Nota ly hoſtiam viventem, & ſanctam: quomodo corpus appellatur hoſtia ſancta ſi ſanctitas reſidet in anima? ſed attende, quòd dat per hoc intelligere, quòd ad hoc, ut pœnitentia corporalis ſit Deo grata, debet informari ſanctitate, ſcilicet fieri in charitate, & gratia, alioquin apud Deum non erit meritoria, quod enim Deo, & Dei cultui dicatum eſt, & ab omni immunditia ſeparatum, ſanctum eſt; ſic & corpus Deo ſerviens. *Op. Diæt. it. 2. c. 6. op. medit. cap. 44.*

171. *Exigit Deus à nobis pœnitentiam interiorem, & exteriorem, tamquam perfectum ſacrificium.*

Obſecro vos, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem. Cur ſuadet Apoſtolus exhibitionem corporis Deo, & non potiùs ſpiritus, cum Pater quærat adoratores in ſpiritu & veritate? ſed tamen monitum Apoſtoli non eſt contrarium dicto Chriſti, dicens enim hoſtiam ſanctam, viventem &c. docere vult, quòd gratum ſacrificium, quod in ſpiritu offerunt Deo juſti, eſt corporis, & animæ; ſic enim reddunt Deo, quæ ſunt Dei, corpus, & animam; animam per ſanctitatem internam, & intimam contritionem, & devotionem, corpus per afflictiones corporales: tali enim pacto offerunt ſacrificium, & hoſtiam Deo placentem. *Op. Diæt. it. 2. c. 6. Pſal. 49. medit. c. 44. Luc. c. 5. v. 6. c. 20. v. 25. & c. 21. v. 16. Ioan. c. 4. v. 15. ſer. 4. de Trinit. ſer. 1. de converſ. S. Pauli ſer. 2. de S. Michaële in addit.*

171. *Afflictiones corporis ſint rationabiles.*

Rationabile obſequium veſtrum. Quid eſt rationabile obſequium? quomodo in exercitatione corporis iſta rationabilitas exercenda? Hoc dixit Apoſtolus loquens de afflictionibus corporis, & dum loquitur de exercitiis internis dicit; quòd ſerviebat Deo in ſpiritu die, ac nocte ut diſcant Deo ſervientes, quòd in exercitiis internis nulla debet dari remiſſio ad exterminandam iram, invidiam, acediam, ſuperbiam, gulam, luxuriam, per exercitia humilitatis, charitatis, manſuetudinis, devotionis, caſtitatis &c. ſed tamen in afflictionibus corporis permittitur aliquando aliqua remiſſio, vel etiam intermiſſio, & rationabile ſit tale obſequium pro loco, tempore, & complexione, ne corpus deficiat ſub onere laboris; & inhoc Prælati debent eſſe valdè circumſpecti exemplo S. Bernardi, qui in hac parte diligentiſſimus obſervator fuit. *Op. de Sex Alis Seraph. c.7. op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c.3. & lib.2.c.1.& 12.& 46. op. Dier. tit 4. c.1.op. Comp. Theol. lib.5. capit.6.op. medit. capit.44.l.4. d.1.p.2. qu.3.*

173. *Corporalis afflictionis utilitates expenduntur.*

Obſecro vos, ut exhibeatis corpora veſtra &c. Hoc ſuadebat Apoſtolus lumine cæleſti illuſtratus, quia ſciebat terram fertilem, ſi diu inculta remanet, ſylveſcere, & ſi nimis cogitur fructificare, macreſcere, ſed ſi medium tenetur, fertilem perſeverare; ſic corporis ager eſt colendus, ut nec de nimio otio, vel delictis laſciviat, nec inedia, vel labore deficiat, corporalis autem exercitatio in duobus conſiſtit, in ſubtractione delectabilium ſecundum carnem, & in aſſuefactione aſperitatum, & laborum, à qua lege exempti ſunt infirmi: Valet autem afflictio corporis ad peccatorum purgationem, ad vitiorum repreſſionem, ad augmentum virtutis, ad ſpiritualis conſolationis expreſſionem, ſicut in torculari vinum exprimitur, ad proximi ædificationem, & meritum gloriæ. *Op. de Prof. Religioſ. lib.2.c.1.Ioan.collat.47.*

174. *Alii conformantur huic ſæculo, alii Chriſto.*

Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Nota ly conformari huic ſæculo; quid eſt conformari ſæculo? Nota: non ait, nolite uti ſæculo, hoc enim impoſſibile eſt, dum ſumus in hoc mundo, ſed dicit nolite conformari, ideſt figuram mundi aſſumere, ne ſitis tales, qualis eſt mundus, vani, ſuperbi &c. nolite inquam ſenſus corporis exercere in Dei offenſam, quia qui ſic conformantur, etiam in anima langueſcunt ſenſus ſpirituales, & deformantur, & ſolùm ad temporalia, & carnalia inhiant: E contra qui reformantur in novitate ſenſus ſpiritualis per exercitium virtutum, ſic etiam augent virtutes, & percipiunt guſtum interiorum exercitiorum. *Op. de ſeptem itiner. ætern. itin.6.d.6.* Nota autem, quòd in iis, qui conformantur huic ſæculo, ſcilicet peccatis, quæ ſunt in hoc ſæculo, diabolus ſculpit figuram draconis, ſcilicet invidiam; in aliis figuram canis, ideſt iram; in aliis talpæ, ideſt avaritiam; in aliis aſini, ideſt acediæ, in aliis lupi, ideſt gulam; in aliis figuram urſi, ideſt luxuriam. *Op. Diæt. tit.10.c.5.*

175. *Reformatio proponitur Novitiis Religioſis.*

Nolite conformari huic ſæculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Nota, quòd hæc verba diriguntur Novitiis Religioſis, qui fuerunt in ſæculo deformati, & erant tenebroſi, ut modo in Religione poſiti per novitatem vitæ reformentur in afflictione corporis, in exercitiis virtutum, ut cognoſcant voluntatem Dei bonam quantum ad remiſſionem culpæ deformantis, beneplacentem, quantum ad infuſionem gratiæ reformantis, & perfectam quantum ad fruitionem gloriæ. *Op. Regula Novit. in proœm ſic & prædicabat S. P. Franciſcus ſuis Fratribus. op. legenda S. Franciſc.14.* Vel ut cognoſcant voluntatem Dei bonam implendo præcepta; beneplacentem vitando prohibita, & perfectam implendo conſilia; ſicque gradatim currunt ad montem perfectionis. *Luc.c.18.v.22.ſer.1. Dom.2. Quadrag.*

176. *Reformatio noſtra ſit per executionem voluntatis divinæ.*

Sed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Vide in quo terminat reformatio hominis propoſita ab Apoſtolo; ablata enim conformitate mundi proponit conformitatem noſtræ voluntatis cum divina, quam diſtinguit in tria capita, in bonam, beneplacentem, & perfectam: voluntas Dei bona, eſt relinquere peccata, & recipere gratiam Dei ſanctificantem, quæ eſt bonum unicum noſtrum: beneplacens ſuperaddit ad primum gradum exercitium virtutum, tendentiam ad perfectionem; exercitium inquam humilitatis, charitatis, orationis, contemplationis, quia in hoc requieſcit Deus: perfecta verò eſt perſeverantia in utroque, per quam ad ſummum perfectionis, & ad perfectam reformationem tendit anima, & per quam renovantur omnes ſenſus ejus. *Ser.1.Dom.2. Quadrag. op. de ſeptem itin.ætern.itin.6.d.6.*

177. *Non plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem; quæ propoſitio in omni cognitione currit.*

Nota, quòd ad excludendam nimiam curioſitatem, ſcrupuloſitatem, vanitatem, & ſuperbiam dat Apoſtolus hoc documentum; nam ſicut cibus ſine ſale inſipidus eſt, ſic omnis prudentia, & ſapientia, & cognitio ſine ſale diſcretionis, & moderationis; quod verificatur tum in notitia eorum, quæ nobis dictat fides, ſuper quam non debemus extolli æquirendo per rationem humanam myſteria ejuſdem fidei, hoc enim eſt ſe præcipitare in abyſſum tenebrarum, & perditionis, quia unicuique diviſit Deus menſuram fidei, & cognitionis; tum etiam in ſtudio ſcientiarum humanarum, in quo requiritur diſcretio.

eretio, & moderatio; tùm & in judiciis humanis, in quibus nimia judicum perscrutatio eos inducit in varios errores, & præcipitia. *Ser. 4. & 14. Hexam. Bielen. c. 1. & 2. op. Diet in append. ad Dom. 2. Epiph. op. Brevil. in prom. Luc. 8. 6. v. 14. c. 17. v. 19. c. 16. v. 15. ser. 1. Dom. 2. Adv.*

178. *Charitas proximi efficacissimè suadetur ex hoc, quod dicit Apostolus.*

Unum corpus sumus in Christo Iesu, singuli autem alter alterius membra. Ecce magnum motivum charitatis fraternæ propositum ab Apostolo; sed ut percipiatur, notandum, quod in corpore sunt quatuor: primò unitas corporis, secundò diversitas membrorum, tertiò diversitas officiorum ipsorum, quartò aptitudo cujusque membri ad proprium officium, sic prorsùs per omnia se res habet in Ecclesia, & in ejus singulis membris, scilicet fidelibus, & tali modo servat charitatem, nempè ex eo, quod simul cum capite nostro, quod est Christus, omnes homines, veluti diversa membra communia constituunt unum corpus mysticum, & ideo singuli alter alterius membra, scilicet non quod unus homo sit pars alterius, sed sicut unum membrum indiget alio, & sicut si unum cæditur, aliud laborat pro ipsius sanitate; nec quærit se vindicare; & sicut unum membrum congaudet de alterius bono, & si patitur unum, cætera compatiuntur; sic & nos ad invicem facere debemus velut membra communia totius corporis, & participantia eamdem vitam, & bonum, & malum, ut sit cor unum, & anima una omnibus: & cum hoc sit verum, patet miseranda calamitas multorum, qui divisi in varias sectas, & affectiones rixantur ad invicem, se mutuo persequuntur, & hoc est manifestum signum, quòd membra ista sunt mortua Deo. *Serm. 2. de Apostol. Ioan. collat. 77.*

179. *Dilectio ficta, & vera qualis.*

Dilectio sine simulatione. Ecce qualis debet esse dilectio, & amor in proximum; nempè sine simulatione, & dolositate, scilicet quod verbo exteriori respondeat cor, nam ficta, quæ tantùm in verbis exterioribus residet, non in corde, est pax Judæ, & maledicta, qui sub specie amoris osculatus est Christum, sed tali signo ipsum prodidit. sic multi faciunt, in facie ungunt, à tergo pungunt, ore simulant amorem, corde fovent rancorem, & talem pacem maximè abhorret Spiritus Sanctus. *Ser. 5. in Penec.*

180. *Perfecta justitia in duobus consistit, scilicet odiendo, & adhærendo bono.* Si enim vult homo justitiam acquirere, & conservare; debet abhorrere malum, & peccatum; & bonum, & gratiam Dei diligere; & in hoc cognoscitur, quis sanus, quis infirmus apud Deum, nam sanus, & benè dispositus abhorret amaritudinem, scilicet mali, & peccati, & appetit dulcedinem divinæ gratiæ, & amoris Dei. *Serm. de S. Martino. op. Diet. in append. ad Dom. 1. Epiph.*

181. *Charitas fraterna exigit, ut homines se invicem honorent interius, & exterius.*

Charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes. Nota, quod primò collocat pro fundamento operum nostrorum in ordine ad proximum charitatem fraternitatis, & dilectionem internam, deindè transit ad honorem contribuendum exterius proximo; & per hoc ostendit, quod non ordinat hoc documentum solum ad extrinsecas reverentias, quibus unus alteri assurgit, vel facit eum præcedere, & in superiori loco sedere: hæc quidem reverentia est valdè utilis, & necessaria, quia est charitatis fraternæ fomentum, conservat ordinem rectum in Religionibus, & Republica Christiana, estque conscientiæ bonæ, illæstrisque animi testimonium, & argumentum; sed tamen requiritur etiam interior prætentio honoris, & in hoc maximè consistit, ut quisque reputet alium se meliorem, & digniorem; undè subdit Apostolus, in humilitate; sibi invicem superiores arbitrantes; item ne sit pronus ad interpretandum facta ejus dicta in deteriorem partem, ut item offensus ab eo facilè ei ignoscat; item ut studiosè caveat, ne in aliquo eum despiciat, vel offendat; item ut absenti non detrahat, nec libenter derogationem ejus audiat; item ut indigenti auxilium, & promptum obsequium libenter impendat; item ut eum purè diligat, & apud Deum fideliter in quibus potest promoveat; qui ergo hæc negligens, tantùm illas extrinsecas reverentias fratri exhibet, quas plerique magis ad hoc sibi mutuò exhibent, nè ut incuriales notentur, vel adulatoriè, ut sibi ista vicissim exhibeantur, verbum Apostoli debiliter de honoris prætentione implet. *Op. libell. apolog. 4. 20. op. spec. discipl. p. 1. c. 6. ser. 3. de duc. prac. ser. 9. in Pentec.*

182. *Sollicitudo in Dei servitio quales virtutes comites habeat.*

Sollicitudine non pigri. Ecce quòd suadet Apostolus servos Dei ad sollicitudinem habendam in Dei servitio, quæ oritur ex dilectione in Deo, & ideò ad fugiendam pigritiam, & accediam, quæ est pestis vitæ spiritualis; sed ad hanc habendam requiritur, ut comites habeat hæc sollicitudo sequentes virtutes, scilicet spiritus fervorem in Dei servitio. spem in Deum afferentem gaudium, & magnanimitatem, & patientiam in tribulationibus, orationis instantiam, exercitium charitatis in proximum; reddere bonum pro malo, &c. *Luc. c. 6. v. 27. seq. c. 7. v. 4 ser. 1 S. Cathar. in addit. ser. 3. S. Ioa. Bapt. in addit.*

183. *Pugna inter charitatem proximi, & invidiam qualis.*

Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus, idipsum invicem sentientes. Ecce completio præcepti charitatis; scilicet nullum odisse, nulli malum cupere, nullius velle bonum impedire, in necessitate proximo subvenire, & ideò profectus charitatis est sic alterius profectui congaudere, & bonum alterius diligere quasi proprium, & sic ejus adversitati compati, sicut

propriæ,vel aliena lucra ſua reputare ex affectione pietatis ; aliena bona ; vel mala ſicut propria ſentire,& hoc eſt,quod præcipit Apoſtolus : contrà hanc virtutem pugnat invidia,cujus proprium eſt triſtari in bonis,& proſperis,& exultare in adverſis proximi ; & hæc reddit hominem ſimilem diabolo.*Op. Diat.tit.1.c.4.op.de Prof.Religioſ.lib.2. c.28.op.de grad.virt.c.11.Pſal.118. c.8.verſ.3. Luc. c.21.v.28.*

184. *Pax cum omnibus conſervatur à ſervis Dei, & bellum cum vitiis* ; ſic docet Apoſtolus, *ſi fieri poteſt,quantum ex vobis eſt, pacem cum omnibus habentes*, ſcilicet ex corde diligentes omnes, ſolumque vitium odientes. *Ser.2.ſer.3. Paſchæ, op. Diat. tit.7 c.6.ſer.3.de S.Ioan.Bapt.in addit.*

185. *Iuſtus quibus armis vindicare debet offenſas à proximo illatas tum contra ſe, tùm contra Deum.*

Non vos metipſos defendentes,ſed date locum iræ, ſcriptum eſt enim, mihi vindictam, & ego retribuam dicit Dominus. Nota, quod Apoſtolus cognoſcens decens eſſe, bonum militem eſſe armatum;hinc armat nos ſcuto, & armis patientiæ, ut ſic talibus armis remittamus injurias omnes à proximo receptas, & contra noſtra vitia inſurgamus ; nam quando agitur de inſurgendo contra proximum nos perſequentem, ipſe ſibi, ut judici ſupremo arrogat judicium, & vindictam : quando agitur de offenſis noſtris in Deum, vult, ut quilibet ſibi judicium faciat, & vindictam ſumat, ut Deo offenſo ſatisfaciat. *Lib 3. d.20.a.1.q.2.& d.30 a.1.q.5. & lib.4. d.14. p.2. dub.6.op.Diat.append.pro Dom.2. Epiph. Pſal.118. c.10.v.13.op. Comp.Theol. lib.3.c.17. Vide Cornel. à Lap. in hunc locum pulcherrima afferentem ad hanc rem.*

186. Qui vindictam in proximum injuriantem aſſumit, quod Dei eſt proprium ſibi uſurpat, & ideò ipſe vindictam contrà ſeipſum inveniet ; ait, *Mihi vindictam, & ego retribuam. Pſalm. 118. c.10. v.13. op. Compend. Theol. lib.3. cap.17.*

CAPUT. XIII.

Cum in ſuperiori capite ſuaſerit pacem cum omnibus habendam, nunc ſuadet ipſam cum ſuperioribus, debitam reverentiam & obedientiam eis exhibendo.

186. *Deus ab omnibus hominibus exigit obedientiam præſtandam ſuis Prælatis:explicatur autem cur talem ſubjectionem ordinavit in mundo unus hominis ad alterum.*

OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi à Deo. Quæritur hic cur Deus inter homines, cum ſint omnes æquales quoad conditionem humanitatis,ordinavit, ut alter, alteri ſubjiceretur ? tum etiam quia ſæpè videtur malos dominari bonis, alios injuſtè promoveri ad Prælaturas ? quomodo ergo dicitur talis poteſtas à Deo,& ab ipſo ordinata? Reſp: quod ordo regiminis univerſi à Deo præſtitutus eſt regere inferiora mediantibus ſuperioribus, ſic tamen quod ſuperiora, & Deo viciniora non loco, ſed ſimilitudine pleniùs accipiunt ab ipſo, quod inferioribus influunt ; ſic Angeli ſuperiores inferioribus præſunt, & cœleſtia terrenis, & irrationabilibus rationabilia ; & tali pacto ſuperiora, media, & infima ordinavit ; & hinc oritur ratio radicalis, quare ſuperiores regentes inferiores in mundo collocavit,& hoc maximè, poſt peccatum primi hominis : nam in ſtatu innocentiæ fuiſſet quidem aliqua præſidentia hominis ad hominem v.g.viri ad uxorem, Patris ad filium, eſtque etiam aliqualiter in Angelis ; ſed tamen poteſtas dominandi poſt peccatum eſt differens, quia eſt vindicativa, & punitiva in pœnam peccati, ſcilicet ut mali compeſcantur, & boni defendantur ; & hinc Deus vult, & præcipit, ut ſubditi obediant ſuperioribus ; & licet aliquando concurrat aliqua inordinatio, tamen hæc eſt per accidens, poteſtas enim ipſis collata eſt à Deo ſic ordinante. *Vide quæ tradita ſuprà S. Bon. lib.2.d.44. a.2.& 3.op.de Prof.Religioſ.lib.2. c.39. Eccleſ. c.8. op.Eccleſ.Hier.p.2.c.3.op.expoſ. regula.c.9. op.ſpec. an.c.2.*

187. *Principum poteſtas exercenda contra malos ſecundùm ordinationem Dei.*

Princeps non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram,ei qui malum agit. Nota,quod dicit Principem portare gladium,quis iſte gladius? gladius eſt poteſtas occidendi malos, & liberandi rempublicam à conſortio, & comercio malorum ſecundùm intentionem Dei, nempè ſecundùm rectitudinem legis divinæ, & humanæ. quæ poteſtas tamen non ineſt in homine privato;qui non eſt miniſter legis. *Ser.6.in op. de dec. præc.*

188. *Principibus tributa, & vectigalia juſta debentur ex ordinatione divina.*

Idcò enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes ; reddite ergo omnibus debita, cui tributum,tributum, cui vectigal,vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem. Nota,quòd in hoc textu manifeſtè patet tributa, & vectigalia juſta, & ſecundùm rectam conſuetudinem inſtituta deberi de jure Principibus à ſubditis, & Principes ob id tenentur conſervare rempublicam expurgatam à malefactoribus, & tutos reddere ſubditos : Clericorum verò exemptio à vectigalibus orta eſt, tum quia Principes non ſunt Domini Clericorum,tum ex privilegiis conceſſis à multis ſuperatoribus, tum de jure divino ſecundùm aliquos Doctores ; de quibus agunt PP. *Vide S. Bon. lib. 2. d. 44. art.3. quæſt.1. Luc.2.verſ.4. cap.3 v.12. c.20. v.25. op. medit.cap.60.Pſ 87.& 118.v.65 op Eccleſ. Hier.p.3. c.1.* Ad clariorem autem intelligentiam hujus decreti

Digitized by Google

decreti à Paulo promulgati notandum, quòd initio Eccleſiæ rumor erat per Evangelium poſitias humanas, regna, & reſpublicas ſæculares everti, uti nunc fit ab Hæreticis prætendentibus libertatem Evangelii: & hic rumor ortus eſt ex ſecta Judæ. & Galilæorum, de qua *Act. c. 5. in fine*, qui pro libertate ſua tuenda omne dominium Cæſaris, & vectigal abnuebant, & ideò Romanis ſe rebellarunt: & quia Chriſtus, & Apoſtoli origine erant Galilæi, hinc etiam talis calumnia in Chriſtianos derivavit; Ideò Chriſtus, & Apoſtoli contrarium docuerunt verbis, & exemplis, ne Chriſtiana Religio in odium traheretur, & ne Chriſtiani abuterentur libertate fidei ad omnem malitiam: hinc & Apoſtolus docet hic ſolvenda eſſe vectigalia Principibus ſæcularibus; & affert ad hoc ſuadendum ſequentes rationes: 1. quia hæc eſt ordinatio Dei. 2. quia ſunt miniſtri Dei, ideò honorandi, 3. quia gladium portant ad plectendum inobedientes. 4. quia eis parendum propter conſcientiam, & ne incurratur in damnationem. 5. quia ſolutione tributorum exercetur hæc ſubjectio. 6. quia Chriſtiana Religio exigit, ut omnes diligantur ſecundùm ſuos gradus, & pax ſervetur cum omnibus, & obedientia præſtetur ſuperioribus, ſicque pareat Evangelium regna non ſubvertere, ſed firmare, & ſtabilire, & cuique ſuum munus injungere. ſubditis obedientiam, ſuperioribus regimen; & hinc etiam infertur leges civiles obligare ſub mortali in re gravi.

189. *Charitas omnes obligat, & ad omnes ſe extendit*; ſic docet Apoſtolus; *nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis*; ſcilicet pares, ut pares amando, & ſuperiores reverendo, & eis obediendo. *Op. medit. c. 18. op. de paup. Chriſti q. 1. a. 2. ſer. 1. Dom. 21. Pent.*

190. *Charitas, & dilectio quomodo dicitur pleniſtudo legis, & omnium præceptorum.* Reſp. quod mandata Dei ſunt materialiter plura, ſed tamen in charitate, quæ eſt forma omnium virtutum, dicuntur unum; ratio eſt, quia charitas informat, & ſanctificat animam, ipſamque ordinat ſimul ad Deum, & proximum, quæ duæ rationes plenè inveniuntur in Chriſto, qui eſt ſimul Deus, & homo; unde amans plenè Chriſtum, amat Deum, & proximum; & hinc habet primitates virtuoſitatis in eſſendo reſpectu aliorum præceptorum, quia dat vigorem, & meriti fundamentum ipſis, & ideò ſine ipſa omnia opera arefcunt, nec aliquid valent in ordine ad præmium beatitudinis: hinc benè dicebat Auguſt. Habe charitatem, & fac quod vis, & hinc eſt, quod in cæteris præceptis aliquando cadit diſpenſatio ex cauſa, ſed in hoc præcepto nulla diſpenſatio, vel excuſatio poteſt intervenire. ô igitur virtus deifica, in qua cætera præcepta radicabiliter fundantur; per quam cæteræ virtutes ad meritum informantur, & ſecundùm quam cuncta opera acceptantur. *Serm. 4. Dom. 17. Pentec. lib. 2. d. 28. a. 1. q. 2. & 3. & lib. 3. d. 33. a. 1. q. 1. & d. 37. a. 2. q. 1. & d. 40. a. 1. q. 3. op. de reſurrectione. op. medit. c. 47. op. Itiner. mentis c. 4. op. de ſeptem itin. ætern. itin. 7. d. 7. op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5. op. de ſex Alis Cherub. Ioan. collat. 68. & ſeq. ſer. 9. de Apoſtol.*

191. *Peccatores in ſomno, & nocte peccati dormientes excitantur inceſſanter à Deo.*

Hora eſt jam nos de ſomno ſurgere; nunc propior eſt noſtra ſalus quam cum credidimus, nox præceſſit, dies autem appropinquavit. Vide quomodo peccator jacens in peccato dormiens vivit, imò plus videntur mortui plures homines, quam dormientes, qui nullo ſtrepitu ad bonum poſſunt excitari; & hoc evenit, quia ſopiti dormiunt vino terrenæ delectationis, non advertêtes ad divinam comminationem; & ideò Chriſtus inceſſanter eos ſuſcitare quærit & per ſeipſum, & per ſuos miniſtros, nempè per gratiam, per doctrinam, per pœnam, & ideo Apoſtolus ſubdit, nox præceſſit, dies appropinquavit, qualis dies? dies ſcilicet gratiæ per Chriſtum oblatæ, dies iræ, & dies gloriæ: ſurge igitur peccator à ſomno tam periculoſo, ne mors te occupet æterna. *Ser. 5. Dom. 1. Adu. ſer. 5. Dom. 2. Adv. ſer. 3. Dom. 20. Pent. ſer. de S. Petro ad vincula. Ioan. collat. 51.*

192. *Contra vitia arma noſtra ſunt lucis, ſcilicet virtutum.*

Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Ecce in quo conſiſtit hæc ſurrectio à ſomno, ſcilicet ſurgere à peccatis, abjicere opera peccati, quæ ſunt tenebroſa, & tenebroſam faciunt animam, & contra has tenebras opponamus lucem ſolis, ſcilicet virtutes & virtutum opera, ut ipſis armati pugnare poſſimus contra Principes tenebrarum, quia vita Chriſtianorum eſt continua militia; ſed notandum, quod cum dixerit prope eſſe noſtram ſalutem, ſcilicet ſalvatorem mundi; propè inquam, ut adveniat, & in nos ingrediatur, poſteà oſtendit quid faciendum eſt ad dandum ingreſſum huic Principi, ſcilicet expiando priùs ſordes peccati, quæ nos deformes reddunt, & Deo exoſos, & deindè virtutum veſtes præparando, & maximè veſtem auream charitatis. *Op. Diet. append. Dom. 1. Adv. ſer. 1. Dom. 10. Pentec. ſerm. 8. Hexam. Luc c. 8. v. 48. Ioan. collat. 41.*

193. *Honeſtum ſolum eſt quod divino beneplacito conforme eſt: Inhoneſtum, & infame quod recedit ab ipſo.*

Sicut in die honeſtè ambulemus, non in cubilibus, &c. Nota, quod Paulus vitam honeſtam, & honore præditam ſuadet ſervis Dei, & docet in quo conſiſtit, ſcilicet in vitando comeſſationes, impudicitias, ebrietates. ſed in induendo Dominum Jeſum Chriſtum, ſe licet virtutes, quas ipſe præcipit: ergo ſolum honeſtum eſt, & honore præditum, quod Dei beneplacito eſt conforme; è contra inhoneſtum, & infame quod ab ipſo declinat. *Op. Expoſ. Regulæ Præfat. Luc. c. 21. v. 34 op. Comp. Theol. lib. 3. c. 27. Ubi agitur de ebrietate, quæ eſt peccaminoſa mortaliter.*

194. *Chriſti veſtis eſt rubea, qua omnes ſui ſervi veſtiuntur; Ubi de charitate.*

Sed induimini Dominum Ieſum Chriſtum. Quomodo poſſumus indui Jeſu Chriſto? eſtne ipſe veſtis, qua poſſit cooperiri homo? Nota, quod

hic alludit ad morem Veterum, qui olim imagines veſtibus inſerebant, quibus dum induerentur homines illos induere quodammodo videbantur; ergo imaginem Chriſti induere nos vult Paulus: indui autem Dominum Jeſum Chriſtum eſt ſua propria veſte indui, & qualis eſt hæc veſtis? veſtis hæc eſt rubea, ſcilicet charitas, veſtis quidem nobiliſſima. & pretioſiſſima tùm ratione artificii, quo facta eſt, quia totum ſtudium Chriſti eſt in texenda, & præparanda nobis hac veſte: tum ratione materiæ, non enim eſt de vellieribus animalium, vel de lana, vel de corticibus herbarum, vel de viſceribus vermium, ſed eſt de materia cœleſti, quæ eſt gratia Spiritus Sancti, ejus color eſt purpureus ſed ſuper byſſinum expoſitus, ſcilicet in munditia cordis: eſt & fragrantiſſima per ſanctam converſationem: ô beati, qui hanc veſtem induunt, nam certiſſimè admittentur intra regnum Cœlorum! ô infelices è contra, qui hanc veſtem auream rejiciunt. *Op. Diæt. tit. 5. c. 2.* Nota, quod S. Bon. in Pſalt. trahit hoc conſilium ad veſtes Beatæ Virginis, ſcilicet ad virtutes à nobis aſſumendas dicens: Mariam induite, quotquot diligitis eam; hæc lucent in moribus, ſplendeat in actionibus.

195. *Carnis cura quàm perniciosa animæ.*

Et carnis curam ne feceritis in deſideriis. Nota quod hæc eſt concluſio hujus capitis, in qua compendium apponit eorum, quæ ſuprà tradidit Apoſtolus: carnis curam, &c. quid eſt carnis cura, niſi ſollicitudo inordinata carnis, & corporis, & eſt mollities in veſtibus, in calcitris, in linis, in ſedilibus, in lectis; ſollicita item cautio adverſitatis, ut frigoris, caloris, famis, & hujuſmodi; quæ licet non habeant in ſe rationem mortalis, tamen circa iſta tanta poteſt eſſe ſollicitudo, ut iſta præponantur amori divino, vel omittatur obſervantia præceptorum Dei, vel aliquid agatur contra Deum: carnalis item affectio in ordine ad ſe, vel ad alios inordinata, vel quoad effectus, ita ut concurrat inobſervantia mandatorum, unde non ſine cauſa addit in deſideriis, ſcilicet in affectione inordinata; ſed præcipuè hic exceſſus eſt in vitio gulæ. per quod homo fit ſimilis pecudi, quod ſolùm ventri ſervire novit; ſed in hoc peior eſt homo, qui in edendo, vel bibendo modum non ſervat, ut pecus; & ideò vita iſtorum infeliciſſima eſt; ſicut è contra ſobrietas, & abſtinentia reddit hominem fœlicem. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. cap. 48. opuſc. ſpec. anima, cap. 2. Luc. c. 9. v. 51.*

CAPUT XIV.

In hoc capite ſuadet fidelibus pacem ſervandam, & charitatem ad pares.

196. *Prælati, & animarum curati ſint medici amantes infirmos.*

Infirmum in fide aſſumite. Ad quid aſſumere ſuadet infirmum? hoc enim ſpectat ad medicum: ſed optimè dicit S. Apoſtolus ſcribens ad Prædicatores Evangelii, ad confeſſarios, curatos animarum, & Prælatos Eccleſiaſticos: vult enim ut ipſi ſint medici periti, & amantes, & infirmos in fide amplexentur, ſcilicet peccatores, homines fragiles, eorumque infirmitates pro poſſe cum charitate, & patientia curent. *Luc. 5. v. 31.*

197. *Ciborum delicia vitanda à Deo ſervientibus.*

Alius credit ſe manducare omnia; qui infirmus eſt, olus manducet. Nota: ad litteram tollit ſcrupulum Judæis, & Gentilibus, quorum aliqui ſine differentia manducabant de omnibus cibis, alii ſe abſtinebant à delicatis cibis, & iſtis infirmis adhuc in fide; & libertate Evangelica putantibus abſtinendum eſſe à cibis, in lege veteri vetitis, ordinat, ut olera manducent, quæ non ſunt vetita ſed myſticè docet, quod iſtis infirmis debent dari manducare olera, ſcilicet cibi groſſiores, & viliores, ut ſic per ſobrietatem eos ab infirmitate ſpirituali ſanatet. *Pſal. 36.*

198. *Judicium temerarium eliminandum à corde noſtro.*

Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Nota, quod in hoc capite totus eſt Apoſtolus in eliminando à corde ſervorum Dei judicium temerarium; & ideò affert rationes convincentes, ut oſtendat quàm pravum, quàm indignum, quàm pernicioſum, quàm Deo exoſum ſit: Judicium autem temerarium eſt peccatum contra juſtitiam, & charitatem; & committitur tripliciter, ſcilicet primò definitione, cum quis de futuris malè judicat, v. g. deſperando ſalutem finalem de aliquo, qui nunc eſt patenter malus, & verè eſt maxima temeritas cum neſciamus quis futurus ſit, & quid de eo Deus decreverit; undè ſubdit Apoſtolus; nam alius judicat inter diem, & diem, alius judicat omnem diem, ideſt homo judicat inter diem, & diem, ſcilicet præſentia quæ videt & proximum quem hodie judicat malum cras invenit correctum: Deus autem judicat omnem diem, ſcilicet non ſolùm quod eſt de præſenti; vel etiam præſciens quod eſt futurum, undè cavendum eſt ab omni judicio temerario: ſecundò arguitione, cum quis judicat de his, quæ ad eum non pertinent, de qua hic loquitur præcipuè Apoſtolus: tertiò aſſertione, cum quis judicat de occultis, dum neſcit homo, qua intentione id fiat; primum judicium eſt pernicioſum, ſecundum præſumptuoſum, tertium ſuperſtitioſum; & tale judicium temerarium eſt ex natura ſua peccatum mortale, niſi excuſet levitas materiæ; ſed tamen ſemper aliqualiter offenditur Deus, & proximus, cum ſibi judicandi munus reſervaverit, & ideò mirum non eſt, quod ſæpè in pœnam talis peccati Deus permittit judicantes in ſimiles, vel etiam graviores exceſſus cadere, ut diſcant propriis plagis, & infirmitate compati alienis: Nota tamen, quod cum omnibus prohibeatur judicium temerarium, imo & ſuſpicio mala, quæ eſt ſine actionabili cauſa, tamen Prælatis conceditur non

non quidem absolutè judicare, sed benè suspicari malum per conjecturas circumstantes, ut possint providere, & providere, ne mala irrumpant in congregatione. *Op. de Prof. Religios. lib. 1. c. 1. ap. Cemil. p. 1. sect. 10. ap. stim. p. 3. s. 8.*

199. *Remedia contra judicium temerarium assignantur.*

Tu quis es, qui alienum servum judicas, &c. Non ergo amplius invicem judicemus, &c. Nota, quod cum in homine sit maxima proclivitas ad malè judicandum proximum, mirum non est, quod tam seriò, & frequenter Apostolus hic, & in plurimis aliis locis suarũ epistolarum, & Christus in Evangelio, & tota series Sacræ Scripturæ inculcet vitationem hujus peccati; sed quale remedium potest adhiberi, ut reprimatur talis proclivitas, & tantum malum: sed attende, quod cum ista proclivitas magis accendatur à diabolo in viris spiritualibus, & contemplativis, debent cogitare, quod qualiter Deus ob suum honorem faciens creaturam, diversis diversa voluit munera elargiri, ut non uno modo, sed multiformiter honoretur, atque sui thesauri manifestari sic queant. & commendandi suam magnificentiam materiam multipliciter habeamus; nam ut bonus Paterfamilias ordinat domum suam, pensat filiorum sapientiam, potentiam, & bonitatem, & secundùm quod viderit, diversa committit officia, & tribuit dignitates, & ipsos ordinat per varios status, gradus, pericula, lapsus, & exercitia ad majorem sui gloriam; sicque judicando omnia, scilicet divinam sapientiam, & bonitatem in omni creatura discernendo, verum omnium creatorem honorificabis. *Vide quæ fusè tradit ad stuporem de hac materia S. Doct. ap. stim. p. 3. s. 8. Luc. c. 5. v. 33. c. 18. v. 9. op. libell. Apolog. q. 20.*

200. *Qui non manducat manducantem non spernat, & è contra, quia regnum Dei non est esca.*

Vide quomodo Apostolus maxima sollicitudine quærit à servis Dei eliminare judicium temerarium, & superbiam, & imprimere humilitatem, & charitatem, & maximè circa opera externa, ut in manducatione; cum enim ad sobrietatem gulæ suos exhorteatur, tamen ipsos advertit, ne manducantes temerariè judicent, sed in humilitate vivant existimantes se indignos tali bono, & è contrà manducantibus vetat, né judicent temerariè alios jejunantes, & abstinentes; & hoc quia regnum, & gratia Dei non consistit in cibo vel sumpto, vel rejecto, sed in charitate, in humilitate, & subjectione Dei; undè subdit Apostolus; unusquisque in suo sensu abundet, hoc est quisque in iis, quæ indifferentia sunt, sequatur suum sensum, sive ut omnibus cibis, si fide perfectus sit, vescatur; sive ab iisdem, si infirmus sit in fide, abstineat ob reverentiam legis, cum in illo tempore ante perfectam promulgationem Evangelii tolerarentur etiam legalia. *Op. Regula Novit. c. 6. fer. 6. Cinerum. Luc. c. 5. v. 33. c. 18. v. 9.*

201. *Aliud remedium contra judicium temerarium.*

Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus, &c omnes stabimus ante tribunal Christi, &c. & unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Ecce aliud motivum efficacissimum vitandi judicium temerarium proximi, tum quia omnes homines sunt de foro Dei, & ideo ad ipsum, non ad nos spectat de ipsis judicare, tum quia quisque reddet rationem Deo in judicio pro se, & propriis actionibus, non de operibus proximi, ideo ad nos ipsos adspiciamus, intra nos intremus, nos ipsos judicemus, & non proximum. *Lib. 2. d. 33. a. 1. q. 1. ser. 2. de SS. Petro. & Paulo in addit. op. Libell. Apolog. q. 20. ser. 1. Dom. 8. Pentec.*

202. *Examen vitæ nostræ in judicio quam districtum futurum.*

Omnes stabimus ante tribunal Christi; scriptum est enim: Vivo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo: itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. O quam terribilia sunt ista verba Apostoli in quibus proponit omnipotentiam, & sapientiam Christi constituti Judicis vivorum, & mortuorum, scilicet justorum, & iniquorum, ut unusquisque nostrum sciat nos non esse constitutos judices aliorum, sed alienæ esse potestatis, & subjectos potestati judiciariæ Christi, & ideò omnes astabimus coram ipso tamquam subditi rationem reddituri de omnibus nostris bonis, & malis, & unusquisque reddet rationem de se, & pro se de cogitationibus omnibus, de verbis, & operibus: Et quis non timebit stare ante tribunal istius Judicis, qui scrutatur cogitationes, ponderat affectiones, examinat intentiones, & quærit de omnibus rationem, eo quod ipsum nulla latet cogitatio, ideò si nolumus timere stare ante tribunal tanti Judicis, habeamus cor nostrum mundum, & purum, ut sit absque tumore superbiæ, absque livore invidiæ, absque ardore avaritiæ, absque torpore acediæ, & absque omni voluntate peccandi sive corde, sive verbis, sive operibus. *Ser. 1. Dom. 8. Pentec.*

203. *Cibus & hamus quo diabolus trahit ad se peccatores, est malum exemplum.*

Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Ad litteram præcipit, quod si in comestione alicujus cibi redundat scandalum in proximo, debet omitti, sicut quælibet alia res, dummodo non spectet ad viram, doctrinam, & justitiam, tunc enim non sunt omittendæ, quia in tali casu scandalum erit passivum, non activum, & in hoc loco loquitur ad Judæos, qui cum fide Christi volebant observare legalia, maximè in ciborum differentia, & in hoc scandalum Gentilibus ingerebant, utitur autem hoc modo loquendi, ut mysticè intelligamus scandalum proximi esse cibum præcipuum, quo diabolus per iniquos attrahit à Christi servitio ad sui obsequium animas, qui enim quocumque modo alius alium exemplo, verbo, blanditiis, terroribus, negligentiis ad peccandum inducit, animam suam, & proximi perdit. *mon. 2. fer. 3. Pentec. opusc. Cemil. p. 1. sect. 31.*

opuſc. medit. c. 33. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. cap. 48. Luc. c. 17. v. 1.

204. *Animæ regnum quale in juſtis.*

Non eſt enim regnum Dei eſca, vel potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, qui enim in hoc ſervit Chriſto placet Deo, & probatus eſt hominibus. Ad litteram Apoſtolus docet gratiam Dei, & ſalutem non conſiſtere per ſe in cibo, & potu, ſed in juſtitia, & charitate; dico per ſe, quia ex obedientia poſſunt iſta eſſe neceſſaria, ut patet in Adam; & in jejuniis Eccleſiæ; quæ ob præceptum ſunt neceſſaria; & hinc inſtruimur, quod regnum Dei intra nos non conſiſtit in his corporalibus, & in voluptatibus, quibus efficimur beſtiales, ſed in ſpiritualibus bonis nos perficientibus, nempè in juſtitia, in pace, & gaudio: juſtitia excludit omnem injuſtitiam, quæ expellitur timore Domini, & introducit omnem virtutem, & animam præparat ad convivium ſpirituale; ex juſtitia oritur pax, ſicut ex juſtitia Regum oritur pax populorum, quæ pax facit hominem nolentem ulli nocere, nec reddere mala pro malis, ſed ſuſtinere nocentem, & reddere bona pro malis; ſicque compeſcuntur omnia bella, rixæ; & inimicitiæ, & in ſeipſo, & quoad alios; ex pace autem oritur gaudium in Spiritu Sancto, quod non de creatura, ſed de Creatore habetur; & hinc oritur in civitate animæ regnum, & regni regimen, in qua triplex populus regitur, ſcilicet ſapientum ad conſuiendum, militum ad pugnandum, artificum ad miniſtrandum, ſuperiorum, mediorum, & inferiorum ad ſimilitudinem Hierarchiæ Angelicæ: ſuperiores ſunt intellectuales ſenſus, qui veluti conſiliarii animæ tractant quæ ad Deum pertinent, & ſuadent Dei timorem, ejuſque mandatorum obſervantiam: medii ſunt rationales veluti milites, qui hoſtes concupiſcentiarum impugnant per arma juſtitiæ, & virtutum exercitia: infimi ſunt ſenſus animales veluti ruſtici, & artifices mechanici, qui corporalibus rudimentis intenti, & corpori neceſſaria miniſtrant, & per hoc excluduntur ab hoc regno extranei, ſcilicet cogitatus vani, & noxii, & inutiles, & turbæ inordinatarum affectionum, & ſollicitudinum, quos omnes oportet ejicere; ut regis noſtri legibus, & dilecti noſtri amplexibus quantò liberiùs, tantò jucundiùs liceat inhærere. Et ecce quomodo tota familia animæ pacificata redditur, & quælibet pars ad ſuum officium, & opus ordinata & directa, & Regi ſuo plenè ſubjecta. *Op. de dono tim. c. 4. op. de ſeptem itiner. ætern. itin. 7. d. 3. op. de dono conſilii c. 5. Luc. c. 10. v. 21. c. 11. v. 20. c. 12. v. 51. c. 13. verſ. 20. cap. 17. verſ. 2. ſerm. 10. Pentec. ſerm. 2. Dom. 3. Quadrag.*

205. *Facere contra conſcientiam eſt facere contra fidem.*

Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Quomodo hoc enuntiatur? ergonè omnia opera infidelium peccata ſunt? ſed reſp. quòd non omnia opera infidelium peccata ſunt, ſed dicuntur peccata per concomitantiam; ſcil. quia ſunt ſine fide: ideò quidquid faciunt, ſemper eſt cũ peccato, quia ſine fide: ſed tamen propriè hic fides ſumitur non tantùm pro veritate generali, & ſpeculativa, ſed & pro particulari, & practica, ſcilicet pro dictamine conſcientiæ, ideſt pro credulitate de agendis, vel non agendis, & docet; quod non eſt fide tali, ſcilicet ſecundùm conſcientiam, ſed contra conſcientiam peccatum, quia non licet operari contra conſcientiam: poteſt etiam exponi ſic, quod ſine fide impoſſibile eſt Deo placere. *Lib. 4. d. 39. art. 1. quæſt. 3. & lib. 3. d. 23. dub. 2. op. Gentil. p. 1. ſect. 11. & p. 3. ſect. 37. op. medit. c. 58.*

CAPUT. XV.

In hoc capite Apoſtolus ſuadet fideles ad gratiarum actionem & ad conformitatem in omnibus cum Dei voluntate; & deinde ſubnectit ſalutationem quarumdam perſonarum.

206. *Prælatus ſe accommodet variis diſpoſitionibus ſubditorum.*

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Ecce documentum ſummè neceſſarium Prælatis ab Apoſtolo exhibitum in regimine ſubditorum; quia enim non omnia omnes poſſunt, ideò debent ſe accommodare in regimine variis diſpoſitionibus; & capacitati ipſorum, & infirmis corpore, & ſpiritu etiam ſecundum indulgentiam aliquam cum ipſis ambulare; & inſtar bajulorum ipſis opitulari, & non ſibi ipſis placere, ideſt non quæ ſibi ſunt grata, & utilia ſectari cum proximi ſcandalo, vel incommodo; ſic enim faciliùs ad Chriſtum trahuntur, & ad executionem propriæ obligationis. *Luc. c. 3. v. 13. c. 5. v. 31. c. 6. v. 17. & 50. c. 18 v 11. c. 22. v. 33. op. Determinat. q. 16. op. de ſex Alis Seraph. c. 4.*

207. *Sacræ Scripturæ verba ſunt litteræ de patria noſtra cæleſti nobis miſſæ ad noſtram conſolationem.*

Quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Nota verba, ſigna myſteria: Paulus in his verbis intendit tradere quale beneficium nobis Deus contulerit in hac miſeriarum valle, exhibendo ſacram ſcripturam, in qua quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: quid eſt ad noſtram doctrinam? ſcilicet ut apprehendamus quæ non videmus, quia ſunt nobis cœlitus emiſſa, & veluti litteræ de patria noſtra cæleſti in quibus recitantur ea, quæ ibi nobis ſunt à Deo parata bona, & ut erigamur ad patienter ſuſtinenda iſta adverſa, & ad ſpem tandem perveniendi ad poſſeſſionem illorum bonorum, & ſic per patientiam, & ſpem conſolationem cœleſtem inter

amaritudi

amatitudines hujus vitæ participemus. *Serm. 3. Dom. 2. Adv. ser. de SS. Angelis ser. 3. de SS. Doct. in addit.* Et hinc est, quod magis meritorium, & excellens est credere in Deum, ipsique servire, ex eo quòd edocemur per Sacram Scripturam, quam per quamcumque consolationem divinam nobis cœlitus immissam, vel per aliquod miraculum. *Op. de Prof. Religios. lib. 2. c. 1.*

208. *Affabilitatem in signo, verbo, & opere vult Deus inter suos.*

Suscipite invicem, sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Ecce quomodo suadet fideles ad imitationem Christi, qui cum maxima affabilitate tractabat cum omnibus, & maximè cum discipulis in signo, in verbo, & in opere, & hanc eamdem affabilitatem præcipit exerceri inter fideles; eamdem & præcipit S. P. Franciscus in Regula Fratribus suis in cap. 6. Ubicumque sunt, & se invenerint Fratres ostendant se domesticos invicem inter se, & securè manifestet unus alteri suam necessitatem; volens per hoc ostendere, quod talis affabilitas, & familiaritas non sit vitiosa, sed virtuosa, charitativa, & utilis. *Luc. c. 9. v. 11. op. Expos. Reg. c. 6.*

209. *Deus quomodo dicatur Deus patientia, & solatii.*

Deus autem patientiæ, & solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum. Cur Paulus exhortans ad charitatem, ipsam precatur à Deo, quem vocat Deum patientiæ, & solatii; cur non alio attributo? sed tamen pulchrum mysterium elucet in his verbis: nam cum suprà docuerit ob id datam nobis fuisse Sacram Scripturam; ut ex ea addiscamus patientiam habere inter hæc amara mundi, & simul spem in Deo obtinendi post transitos labores toleratos patienter æternam beatitudinem, nunc proponit Deum patientiæ, & solatii, scilicet Deum auctorem patientiæ fortificantem animam in tentationum prælio, nos item probantem per eam, ut purgemur à vitiorum contagio, & per eamdem patientiam nos fœcundantem meritis exercitio virtutum: addit & solatii, ut nos excitet ad degustandam unctionem internam animi, quia Deus consolatur afflictos solatio intimo, jucundo, & perfecto: unde ad spem semper nos roborat ad fiduciam habendam in Christo Jesu, & ad ipsius imitationem, addens idipsum sapere in alterutrum, ideſt sine schismate vivere, & uno, & communi consensu voluntatis, & sensuum. *Serm. 1. Dom. 2. Adv.*

210. *Repletio spiritualis donorum Spiritus Sancti ex firma spe in Deum qualis.*

Deus autem spei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo, ut abundetis in spe, & virtute Spiritus Sancti. Nota hic iterum alium multiplicem effectum provehientem ex spe firma in Deum, qui est dator, & simul objectum nostræ spei; & subdens Deus spei det vobis, scilicet id, quod promanat à tali spe, replens vos omni gaudio, & pace in credendo, ut abundetis in spe, & virtute Spiritus Sancti, nempè non solùm repleat vos sua gratia purgando ab omni fœce peccati, illuminando mentem, sed & perficiendo vos in Dei servitio, in spe, & unanimi concordia in credendo, & omni virtute. *Ser. 3. fer. 3. Penitec. op. spec. B. V. lect. 18.*

211. *Prædicator sacrificium Deo gratum, & consecrationem auditorum prædicando conficit.*

Gratia data est mihi à Deo, ut sim minister Christi Iesu, ideſt minister sacrorum, & sacerdos, sanctificam Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta, & sanctificata in Spiritu Sancto. Nota, quod in his verbis Apostolus exprimit sublimitatem prædicationis verbi Dei; dans per hoc intelligere, quod proprium est Prædicatoris esse sacerdotem, & sacrificare prædicando Evangelium, per quod veluti per verba consecrationis sanctificat, & consecrat auditores, eosque veluti victimam sacram offert Deo, postquàm eos cibavit verbi Dei pane cœlesti, ut intelligant omnes, qui alios ad Deum convertunt, se exercere munus sacerdotum, ipsamque concionem esse mysticam consecrationem, & victimas præstantissimas esse ipsas animas, & earum conversionem esse sacrificium Deo charissimum; ut hinc addiscant Concionatores qua puritate, religione, & studio tractare debeant suas conciones, suaque munia circa proximorum salutem obire, nimirum perinde ac si sacrificarent. *Sic S. Bon. ex Chrysost. Theophil. aliisque Patribus.* Nota autem, quòd ex hoc loco Hæretici contendunt non aliud in Ecclesia esse sacrificium, quàm prædicationem Evangelii, sed errant, quia nemo non videt hæc omnia esse metaphorica, qua consimili infra vocat Apostolus eleemosynam liturgiam; *& suprà c. 12.* corpora nostra vocat hostiam viventem: sola igitur Eucharistia propriè est sacrificium, & non metaphoricè.

212. *In sacris oratoribus, & Prælatis præcedat vita exemplaris ad doctrina prædicationem.*

Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit Christus in obedientiam gentium verbo, & factis. Ecce quid, & quomòdo Doctor gentium, imò & Apostoli, & Sancti prædicabant, scilicet priùs factis, postea verbis: hoc enim est proprium munus oratoris boni, & Prælati, qui priùs incipit facere, & postea docere exemplo Christi, quia dicendi perdit auctoritatem, & docendi, qui dicit, & non facit, sed quando ista duo simul copulantur, tunc viva, & vivida, & efficax vox est, & imitatione digna, arbor enim cognoscitur foliis, floribus, & fructibus, sic homo exemplis, verbis, & operibus. *Ser. 1. de S. Gregor. ser. 3. de Apostol. serm. 2. de Doctor.*

213. *Mundus, & populi debitores sunt necessariorum prædicatoribus eis prædicantibus verbum Dei: Uti de obligatione eleemosyna pauperibus debita.*

Probaverunt Macedonia, & Achaia collationem aliquam facere (scilicet eleemosynarum) *in pauperes sanctorum, qui sunt in Ierusalem; placuit enim eis, & debitores sunt eorum; nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis.* Notanda diligenter ista verba Apostoli, quæ sunt plena mysteriis dignissimis: & primò

primò dicit, quod Gentiles, converſi erant debitores pauperibus habitantibus in Jeruſalem; cur debitores? quia ipſi miſerant ſuos Prædicatores ad prædicandum eis Evangelium, ergo propter hoc eis erant debitores, ſed quali debito? debitores erant ſubſidii temporalis, cum per eos habuerint ſubſidia ſpiritualia verbi Dei; ergo rectè infertur, quòd Religionibus mittentibus Prædicatores ad loca, & civitates, ut ſpiritualem cibum eis conferant, ſunt ipſa loca, & populi debitores; ergo Prædicatores accipientes corporalia neceſſaria pro ſua ſuſtentatione nulli faciunt injuriam: ſecundum documentum ex his verbis Apoſtoli eſt; quod cum Provincia Macedoniæ, & Achaiæ collectam fecerit pecuniarum pro ſuſtentatione pauperum Jeruſalem, quæ laborabat magnâ penuriâ, intelligitur, quod bona Eccleſiæ, Chriſti, & omnes ſuperfluitates divitum ſunt una reſpublica pauperum, quibus debentur ſubſidia neceſſaria ex talibus ſuperfluitatibus. *Op. expoſ. Reg. c. 6.*

214. *Quam laudabilis ſit uſus, & fructuoſus refugere ad ſuffragium orationum juſtorum, & maximè in congregatione unanimiter orantium.*

Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, & per charitatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum, ut liberer ab infidelibus, qui ſunt in Judæa. Ideſt ne auferant mihi collectam, antequàm eam diſtribuam pauperibus; in quibus verbis patet quam pium opus ſit quærere ſuffragium orationum aliorum; & maximè viventium in congregatione juſtorum; patet etiam quam valida ſit oratio communis multorum ſimul unitorum, cum tantam in ea confidentiam haberet; quod & notat Gloſſa. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 71.*

215. *Miniſteria publica in Eccleſia etiam manualia maximè in congregationibus quoliter facienda.*

Obſecro vos, ut adjuvetis me in orationibus veſtris, ut liberer ab infidelibus, qui ſunt in Judæa, & obſequii mei oblatio accepta fiat in Jeruſalem ſanctis. Quid eſt, quod intendebat Apoſtolus impetrare à Deo per communem fidelium orationem? intendebat impetrare primò ne in manus infidelium caderet oblatio eleemoſynarum, quas collegerat in Macedonia, & Achaia, ne vi ab eo auferentur: ſecundò ut ejus miniſterium acceptum eſſet ſanctis fratribus; ſed cur hoc ultimum expetit? nonnè hoc videtur ſapere aliquid gloriolæ vanæ? ſed tamen hoc non eſt dicendum, nec cogitandum de Sancto Apoſtolo, cum tantum intenderet operari tale miniſterium cum debitis circumſtantiis, ut ſcilicet eſſet acceptum Sanctis, ita ut læti Deo gratias agerent. Datur que inſtructio miniſtris Eccleſiæ, & maximè in Religionibus cum deputati ſunt ad miniſteria manualia, ſecundùm conſuetudinem Religionum, ut curent ſuſcipere ea cum devotione, eaque exequi cum maxima diligentia, manſuetè, velociter, acceptabiliter, integrè, ac circumſpectè: manſuetè hoc eſt ſine murmure, & diſplicentiæ ſigno. *Fili* (ait *ſapiens Eccli. c. 3.*) *in manſuetudine opera tua perfice*, velociter, ideſt ſollicitè (in operibus tuis eſto velox addit ſapiens c. 31.) velocitas enim, ac maturitas non removent gravitatem, ſed vitium tarditatis excludunt: acceptabiliter; ut deſiderabat Paulus, ut quibus miniſtratur, prout honeſtè fieri poterit, ſatisfiat; ſic enim magnus profectus eſt ei, cujus miniſterio multi læti facti Deum laudant: Integritas item in opere bono requiritur, ut non diminutè, non ad occaſionem pœnæ, & confuſionis, vel quaſi ad oculum, ſed perfectè, ut res exigit, fiat: circumſpectè prout officiorum requirit varietas, ſcilicet tempore, & loco debito: ſic enim tota domus ordinata incedet. *Op. ſpec. Diſcipl. p. 1. c. 22.*

CAPUT XVI.

In hoc ultimo capite Apoſtolus ſalutat aliquos ſpecialiter, deindè eos exhortatur ad cavendas diſcenſiones inter ſe, & ſocietatem malorum, & tandem cum gratiarum actione terminat Epiſtolam.

216. *Juſti debent amari, & adjuvari, & foveri ſpeciali modo maximè à Prælatis.*

COmmendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, ut eam ſuſcipiatis in Domino dignè ſanctis (ideſt ſicut dignum ſanctos ſuſcipere) *& aſſiſtatis ei in quocumque negotio veſtri indiguerit.* Vide quàm ſollicitus eſſet Apoſtolus ſuper curam eorum, qui fideliter Deo ſerviebant: Undè meritò commendat Prælatis, & cæteris fidelibus hanc ſanctam mulierem, quæ laborabat ferventer in miniſterio Eccleſiæ: Nota per miniſterium Eccleſiæ hic non intelligi (ait Gloſſa) prædicationem, quia non licet mulieri prædicare; ſed tamen non prohibetur aliqua pia exhortatio, & privata ut nunc practicatur in ſchola doctrinæ Chriſtianæ; commendat igitur hanc mulierem, ut ipſi aſſiſtant in omni ſuo negotio; per quod edocemur, quod negotia bonorum debent Prælati, & auctoritatem habentes apud Principes cum majori diligentia procurare; undè dicitur Eccleſ. c. 7. Bonum eſt te ſuſtentare juſtum, ſcilicet ne ei damnum inferas, ſed ipſum debes ſuſtentare in cauſis, & negotiis ſuis, & porrigere ei ſubſidia temporalia neceſſaria, quia hoc bonum eſt, & Deo valdè charum. *Eccleſ. c. 7. Gloſſa; & Ugo Card.*

217. *Salutanda eſt frequenter Maria Virgo, quæ multum laboravit in nobis.*

Nota ad literam, quod hæc mulier erat pulcriſſima, & ferventiſſima in Dei ſervitio, & multum laboravit operibus, eleemoſynis, & exhortationibus

bus pro conversione Romanorum, & ipsa fuit, quæ ad Apostolum retulit discordiam, & alias imperfectiones conversorum ad fidem ob solum Zelum salutis eorum; sed quia hæc figurabat Mariam Virginem, hinc ad ipsam convertunt multi Doctores hoc monitum Apostolicum: salutate Mariam Virginem, quæ multum laboravit pro nobis: ô quantum laboravit, nam & labores, & pœnitentias, & exercitia virtutum pro salute mundi assumpsit, & Christum in se recepit, nutrivit, portavit, pavit, & ad Deum pro nobis semper oravit facta corredemptrix cum Filio & maximè ad pedes crucis. De hac materia vide quæ dicta sunt ex Seraph. Doct. *In Luc. ad cap. 1. super salutationem Angelicam.*

218. *Salutatio in osculo sancto qualis: Vbi de osculo pacis in Missa.*

Salutate invicem in osculo sancto. Nota, quòd mos in primitiva Ecclesia erat, ut in functionibus publicis viri inter se invicem salutabant cum osculo, & item mulieres inter se, & hoc maximè faciebant, quando ad illos perveniebat aliqua epistola Pauli Apostoli: hic mos antiquatus, & omissus est, & in Ecclesia practicatur in sacrificio Missæ, in qua ante communionem Sacerdos post fractionem hostiæ in tres partes, immittens unam particulam in calicem alta voce dicit Pax Domini sit semper vobiscum; in quo actu datur intelligi primò, quod Sacerdos repræsentans personam Christi, à quo est omnis pax, precatur pacem populo; & per hoc datur intelligi, quod illud sacrificium est in reconciliationem cum Deo omnibus, qui pacem habent cum proximo, discordibus autem nequaquam: secundò quòd per tres partes hostiæ significatur triplex pax, scilicet temporalis, pectoris, seu animæ, & æternitatis annunciatur; & ideò ad hanc triplicem pacem significandam triplex signum crucis fit à Sacerdote cum corpore Christi inter calicem dicens, Pax Domini sit semper vobiscum: & hinc etiam triplex osculum datur Altari à Sacerdote, scilicet in principio Missæ, in medio, & in fine: Altare autem significat Christum, qui cum nasceretur in principio attulit secum pacem in toto orbe: secundò osculum datur in medio Missæ, quãdo dicitur, supplices te rogamus, &c. cum enim Christus mortem pertulit pro nobis, nos Deo, & Angelis pacificavit, & pacem pectoris, & animæ donavit, & ad hanc confirmandam pectus, & latus aperiri voluit, & ad pacem sui cordis nos intromittit: Tertium osculum Altaris fit in fine Missæ, quia Christus consummatio omnibus, quæ de eo scripta erant, in Cœlum ascendit, & ibi in Cœlo nos reconciliavit Patri: Et quia salutatio perfecta non solùm est salutis optatio, sed & communicatio, ideò talem salutationem cum osculo sancto nobis dat continuè Christus per ministerium Sacerdotis. *Op. Expos. Missæ c. 4. Luc. c. 1. v. 40. Ugo Card. hic.*

219. *Societas malorum, maximè seminantium doctrinam falsam quàm perniciosa.*

Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Vide, quòd in conclusione Epistolæ monet Apostolus fideles, ut à societate malorum, & maximè scandalosorum, qui consiliis, doctrinis, & malis exemplis quærunt retrahere à Dei servitio fideles; Isti enim peiores persecutores sunt, quàm Christi crucifixores, & fugiendi tamquam à Deo separati, & excommunicati; quia fuga ab istis est summè necessaria in sacris congregationibus Ecclesiæ, sunt enim pestis, & infectio bonorum. *Ps. 118. c. 7. v. 7. ser 2. Dom. 1. post oct. Epiph. ser. 3. Dom. 1. post oct. Pascha.*

220. *Voluptuosi serviunt Deo ventri.*

Hujusmodi non serviunt Christo, sed ventri suo. O quot sunt inter Christianos, qui relicto Dei servitio suo ventri, tamquam Deo suo, vel Idolo serviunt, & isti maximè vitandi a Dei servis tamquam pestes. *Ser. 2. de Confess. in addit. Luc. c. 4. v. 8.*

221. *Gratia Spiritus Sancti, & charitas est sigillum totius Sacræ Scripturæ & vitæ Christi.*

Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, cui gloria, &c. Nota, quòd hæc est conclusio epistolæ Apostoli ad Romanos, quam hac precatione gratiæ Domini Jesu Christi ad gloriam ipsius totum referendo, talitèr sigillavit: & meritò; nam gratia Spiritus Sancti, & charitas est sigillum omnium operum nostrorum; & in quo terminat omnis Sacra Scriptura, & per quam discernuntur veri credentes, & fideles à non credentibus, & hoc, quia per hanc omnis gloria redundat, & refertur in Deum, & Dominum Jesum Christum, qui propter hoc venit in mundum, passus est, & mortuus; & deindè misit Spiritum Sanctum, ut sua charitatè animas sigillaret, & in ovium suarum numerum adnotaret; Quod & nobis concedat Deus benedictus, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen. *Ser. 1. Dom. 17. Pentec. ser. 8. Pentec.*

Explicit expositio Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ in Epistolam ad Romanos Divi Pauli Apostoli.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ, IN EPISTOLAM PRIMAM PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS.

PROLOGUS EX D. HIERONYMO.

NOTA primò, Corinthii ſunt Achaici: quæ regio dicebatur etiam Peloponneſus: nunc verò Morrea, qui audierunt ab Apoſtolo verbum veritatis, & ſubverſi ſunt multifariè à falſis Apoſtolis. Errabant enim in baptiſmo, & doctrinâ ejus: in matrimonio, & cauſis ejus: in Euchariſtia, & cibo ſpirituali; errabant in unitate ſenſus per ſchiſmata; item in reſurrectione mortuorum; quæ omnia patebunt in expoſitione epiſtolæ. Hos revocat Apoſtolus ad veram fidem, & evangelicam ſapientiam, ſcribens eis ab Epheſo per Timothæum diſcipulum ſuum. Vide Cornelium à lapide in præfatione.

CAPUT PRIMUM.

1. *In hoc capite Apoſtolus removere intendit errores Corinthiorum in baptiſmo, ut ipſum à Chriſto recognoſcant; ne inter ſe ſchiſmata foveant.*

2. *Omnes Chriſtiani Sancti, & quomodo dicuntur: ubi de Eccleſia viſibili.*

PAULUS Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, & Soſthenes frater (hic erat Diſcipulus Pauli ab ipſo ad fidem converſus Corinthi) Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu vocatis ſanctis, cum omnibus, qui invocant nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, in omni loco ipſorum, & noſtro: gratia, &c. In hoc principio Epiſtolæ, & in ſalutatione, quam facit Apoſtolus Corinthiis multa adnotantur digna, & ſublimia: Et primo, quod fideles ibi exiſtentes vocat ſanctificatos, & ſanctos: Unde quæritur quomodo eos ſanctos denominat; cum infra eos notet maculatos pluribus erroribus, & peccatis? Sed tamen reſpond. quod cum in textu Græco legatur vocatis, vel vocatitiis ſanctitatis: vel vocatione ſancti; dat intelligere, quod omnes chriſtiani ideo dicuntur ſancti, ſcilicet vocati ad ſanctimoniam: & per hoc exprimit obligationem hujus ſtatus: quia eis non ſufficit, quod fuerint ſanctificati in baptiſmo per Chriſti merita, ſed requiritur, ut per exercitium virtutum ad ſanctitatem operum adſpirent. Secundò, cum ſcribat Eccleſiæ, quæ eſt Corinthi, & cæteris omnibus fidelibus exiſtentibus in omni loco, dat intelligere Eccleſiam Chriſti eſſe viſibilem, & unam eſſe in toto mundo. *Joan. cap. 19. Pſalm. 37. ſerm. 1. Dom. 1. quadrag. ſer. 2. Dom. in albis, ſer. 4. Dom. 18. Pentecoſt.*

3. *Gratiarum actio Deo debita, quàm ipſi chara, & nobis proficua.*

Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratiâ Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu, quod in omnibus divites facti eſtis, &c. Nota, quod non ſine maximo myſterio Apoſtolus incipit ſuam Epiſtolam, & prædicationem à gratiarum actione facta pro beneficiis ſpiritualibus, & temporalibus à Deo collatis fidelibus. Per hoc enim intendit nos docere; quod gratiarum actio pro beneficiis divinis eſt oratio præcipua, quæ à nobis poſſit fieri, Deoque debita, & ſummè chara: Hæc autem laus, & oratio conſiſtit in recolendo beneficia divina, ſimulque meditando ipſa, & intelligendo, confitendo; ſtudioſe ſervando benefactorem diligendo, ejus offenſam cavendo; gratiam acceptam non otioſè negligendo: Deum laudando, & bona, quæ recepimus, vel facimus gratiæ Dei attribuendo, ejuſque bonitatem commendando, ſic perfectiſſimè faciebat Apoſtolus pro ſe, & pro ſuis auditoribus. *Pſal. 118. v. 164. op. de proſ. relig. l. 2. c. 62.*

4. *Divitiæ*

Digitized by Google

4. *Divitiæ paupertatis voluntariæ expenduntur.*

Gratias ago Deo meo, quod in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientiâ, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis; ita ut nihil vobis deſit in ullâ gratiâ. Nota illud (*in omnibus divites facti eſtis ; ita ut nihil vobis deſit.*) Quomodo divites appellantur iſti diſcipuli Pauli ? ſi divites facti ſunt ſpiritualiter, cur dicit in omnibus, cum profiterentur paupertatem apoſtolicam ? Sed optimè dicit ; ut magnalia de paupertate apoſtolicâ exprimeret : in omnibus, ait ; ſcilicet nihil habentes, & omnia poſſidentes, in omnibus : ideſt quantum ad temporalia ne umquam eis deſint neceſſaria eo quia pauperes Chriſti habent ipſum Deum proviſorem in omnibus, & præcipuè in ſpiritualibus & ideo talis paupertas affert ſecum gratiam, amorém, benevolentiam Chriſti, poſſeſſionémque regni cœleſtis; ita ut, non ſolum de temporalibus, ſed etiam de ſpiritualibus bonis eis nihil umquam poteſt deeſſe, dum habent Deum omnium Dominum. O felices pauperes Chriſti verè in omnibus divites. *In Luc. c. 12. v. 21. & c. 22. v. 35.*

5. *Divitiæ Sanctorum quales, & quàm magnificæ.*

In omnibus divites facti eſtis in illo. Nota, quod Apoſtolus in his verbis exprimere intendit magnificentiam divitiarum Sanctorum ſequacium Chriſti : ex eo quod temporales contempſerunt, quæ magnificentia exprimitur, primo ex parte potentiæ donantis, dum dicit : quod facti ſunt divites in illo, ſcilicet in Chriſto, à quo facti ſunt famoſi in Eccleſiâ ; ſecundo ex parte qualitatis divitiarum : quia ſcilicet non temporales, ſed ſpirituales ; tertiò ex parte copioſitatis divitiarum, dum dicitur : divites facti eſtis in omnibus : ideſt in omni gratiâ, & glorià : & per hoc innuitur ſtatus, vita, & fœlicitas Sanctorum. *Sermon. 1. de plur. Confeſſor.*

6. *Divitiarum temporalium vanitas expenditur.*

In omnibus divites facti eſtis in Chriſto. Nota ly in omnibus. Ergone ſequaces Chriſti ditantur omnibus divitiis à Chriſto : ergo etiam & temporalibus ? nonne earum abrenunciationem præcepit ? O bene, & quam bene dicit in omnibus ; ſcilicet in veris divitiis, non vero in temporalibus, iſtæ enim non ſunt veræ ; ſed vanæ, falſæ, inefficaces, noxiæ, infirmæ, & inutiles ; & ideò à ſequacibus Chriſti contemptæ, & relictæ. *Ser. 1. de plur. Confeſſ.*

7. *Cognitio de Deo, & rebus divinis quàm grande bonum.*

In omnibus divites facti eſtis in illo. (ſcilicet in Chriſto & per Chriſtum) *in omni verbo, & in omni ſcientiâ.* Ecce quales divitias prædicat Apoſtolus de ſuis fidelibus diſcipulis : ait enim, quod in omnibus divites facti erant. Et unde iſtæ divitiæ emanarunt ? ex quonam theſauro erutæ ? ex hoc theſauro inexauſto ; ideſt in omni verbo, & in omni ſcientia : hoc eſt in omni intelligentiâ ſpirituali Chriſti vobis emanata, ex prædicatione, & doctrina evangelica. Cognitio enim de Deo, etiam minima, habita per fidem nobilior eſt, & pretioſior quàm poſſeſſio perfectiſſima omnium aliarum ſcientiarum, nam iſtæ potius confundunt intellectum, quam illuſtrent : illa vero illuminat, & ſtabilit affectum in Dei amore. *L. 3. d. 23. a. 1. q. 4. ad ult. & d. 24. dub. 4. & l. 2. d. 4. art. 3. quæſt. 2.*

8. *Gratia à Chriſto nobis offertur, & exhibetur, ut ipſum conſervemus pro tempore mortis.*

Qui & confirmabit vos in die adventus Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ideſt, ut legit græcus. *Pro die adventus ejus ad judicandum nos.* Ecce ad quid exhibet nobis Jeſus ſuam gratiam ; nempe, ut nos excitet ad ipſam recipiendam, & conſervandam pro tempore mortis : & hinc talis dies à nobis ſæpe memoriâ recolendus ; ut gratiam Chriſti conſervantes, præparationem dignam faciamus ad adventum Chriſti ad judicium. *Sermon. 4. Dom. 1. Advent.*

9. *Deus exigit à nobis perſeverantiam in ſanctitate.*

Qui confirmabit vos uſque in finem ſine crimine. Vide quid exigit à nobis Chriſtus, poſtquam nos divites fecit ſuis donis : nempe perſeverantiam in bono, & in vita ſine peccatis, quia abſque perſeverantiâ patrn nobis juvare poſſunt ejus dona. *Op. Diat. in Append. ad Dom. 18. Pentec.*

10. *Deus fidelis nobiſcum in dando nobis promiſſa : ſi nos eum non deſeramus.*

Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti. Nota illud verbum *fidelis Deus.* Ideſt conſtans, & verax. Sed quis de hoc dubitat ? Cur hoc, nobis credentibus in Deum, inſinuat ? Hoc facit Apoſtolus, ut intelligamus, quod ſemper Deus nobis præſto eſt ad dandum auxilium ſuum, & gratiam ſuam : quod omnes indiſcriminatim vocat ſine acceptione perſonarum : quod nos non deſerit, niſi priùs à nobis deſeratur, quaſi dicat : Deus fidelis eſt, ô Chriſtiani, quia non ſine causâ ſuum à nobis ſubtrahit auxilium, quod dare cœpit ; & deinceps ſe daturum promittit, ut maneatis, & confirmamini in fide, & ſocietate Jeſu ; nec vos deſeret, niſi prius à vobis deſeratur ut ait Concil. Trid. Et cum habeamus Deum tam fidelem, ergo in ipſo, veluti in theſauro inexauſto, totam noſtram fiduciam collocare debemus, & perpetuo illi ſervire. *L. 2. d. 29. a. 1. q. 2. ad 5. & q. 5. ad 1. l. 1. d. 39. dub. 6. & d. 46. q. 1. l. 3. d. 29. q. 1. ad 1. In Luc. cap. 19. v. 23. ſer. 1. fer. 2. Pent. ſer. 1. fer. 4 Pentec.*

11. *Chriſti Jeſu dignatio nos vocantis ad ſui ſocietatem, noſtrumque ſocium ſe nobis facientis expenditur.*

Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti. Quid eſt vocari in ſocietatem Chriſti ? cur non potius dicit in ſervitutem filii ejus : cum omnes fideles ſint ſervi Chriſti ? O

attende ad mirabilem,& exceſſivam dignationem Domini Jeſu Chriſti ; qui non ſolùm redemptor, & ſalvator hominum factus eſt, ſed & noſter ſocius. Cum enim admittit animam in communionem fidei, & ejus gratiæ, & gloriæ, quæ habetur in Eccleſiâ, & in Chriſtianiſmo, tunc etiam admittit eam in ſocietatem ejuſdem filiationis, hæreditatis, ſacramentorum, & omnium bonorum Chriſti : quaſi dicat (aiunt Ambroſ. Anſelm. & Chriſoſtomus) vocati eſtis,ut ſitis filii,mei ſocii,membra,fratres, & cohæredes. Sed tamen hic notandum, quod cum hæc dicta ſint in ordine ad omnes fideles Chriſti, attamen alii aliis magis intimi ſunt de hac ſocietate : ſcilicet : qui magis Chriſti vitam, & gratiam participant : & tales erant Apoſtoli : & tales ſunt perfectam vitam evangelicam ſectantes. Iſtis enim Deus quaſi viator quiſpiam itinerantibus ſe aſſocians, jucundis confabulationibus ſuis à labore viæ totum hominem relevat, & commutat : & ipſi viciſſim cum gratiarum actione, in fervore deſideriorum ſocialiter ſe Deo exhibent,& familiariter ſe alloquentem alloquuntur. O felix ſocietas ! ô qualis hæc gratia ſervorum, & ſociorum Chriſti. *Op.de ſept. itiner.itin.2.d.3.& 4.* Nota hic, quod iſte titulus ſocietatis Jeſu à ſummis Pontificibus aſſignatus eſt religioſiſſimæ ſocietati à S. Ignatio inſtitutæ; quia tota ordinata eſt ad eadem opera pro ſalute animarum, in quibus Chriſtus laboravit : & hoc ſpeciali modo ad maximum Eccleſiæ ſplendorem, ad profectum ubertimum animarum, & ad hoſtium fidei catholicæ confuſionem.

12. *Nomen chriſtiani prædicat omnibus unitatem, & concordiam cordis, oris, & operis.*

Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti ; ut idipſum dicetis omnes, & non in vobis ſchiſmata : ſitis autem perfecti in eadem ſenſu, & in eadem ſententiâ. Ecce quid conſequi debet in adſcriptis in Chriſti ſocietate, & chriſtianorum nomine inſignitis : nempe concordia, pax, unio, unitas nominis, vocis, & cordis : hoc enim eſt, quod prædicat hoc nomen chriſtianus, & ſocius Chriſti : hoc ablegat ſchiſmata, & diſcordias : hoc caput unum recognoſcit, ſcilicet Chriſtum, caput inviſibile, & Petrum, ſucceſſoreſque, ut caput viſibile,& perficit,& componit, & coagmentat omnes, ut partes inter ſe, & cum toto congruentes. Sic enim redundat in Eccleſiâ perfecta ſymphonia, & chorus : & hinc maxima exultatio,& lætitia tum exterior, tum interior. Et hinc infertur rectè nomine chriſtianorum indignos eſſe, qui charitatem Chriſti diſcindunt per ſchiſmata. *Luc.c.9.v.10.c.15.v.25.*

13. *Diſcordes ſunt extra Eccleſiam, & à Chriſto diſciſſi*

Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti. ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata : ſitis autem perfecti,&c. Nota vim, & energiam verborum Pauli, quibus à fidelibus diſcordiam eliminare contendit, & commendare unitatem,& concordiam. Obſecro,ait, per nomen Domini Jeſu Chriſti ; ideſt in cujus unam, eandemque ſocietatem, familiam, domum & Eccleſiam vocari ſumus omnes quicumque fideles, & chriſtiani ſumus,ut idipſum dicatis omnes, quaſi fratres germani verbis,& voce conſentiatis,dicatiſque omnes ſimul : ego ſum Chriſti;& non tantum voce, ſed & mente conſentiatis : alioquin ficta, & ſimulata foret veſtra verbalis confeſſio oris : alioquin non inter chriſtianorum numerum adnumerabimini. Per hocque patet, quod diſcordes ſunt extra Eccleſiam falſoque titulum chriſtianorum uſurpant. *Serm.1.Hexam. & ſerm. 9. de Apoſt.*

14. *Baptiſmus unicus eſt in Eccleſiâ, quia ſolius eſt Chriſti : unde & iterum commendatur unitas.*

Significatum eſt mihi, quod unuſquiſque veſtrum dicit,ego ſum Pauli,ego ſum Apollo,ego vero Cephæ, ego autem Chriſti : diviſus eſt Chriſtus ? numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis ? Paulus in his verbis dat intelligere,quod licet plures ſint baptiſtæ, & baptizantes,tamen baptiſmus eſt unus,quia unius eſt Chriſti, in cujus nomine inſtitutus eſt;ſcilicet in invocatione,profeſſione, virtute, merito, & baptiſmo Chriſti omnes baptizantur, & in nomen Chriſti tranſcribuntur. *L.4.d.5. dub.5. & Luc. c.20. v.29.* Ex quo fundamento irrefragabili inferuntur iſta corollaria. Primò, quod ex hoc ſemper efficacius commendatur unitas, & concordia neceſſaria inter chriſtianos,& reprobatur diſcordia. Secundò, quod hinc deſumpſerunt Græci ſuam formam baptiſmi, tali pacto (baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris,& Filii,& Spiritus Sancti)non autem,ego te baptizo,ne quis dicat, ego ſum Pauli, ego Apollo,eſtque verum baptiſma. *L.4. d.3.p.1. a.1.q.2.& a.2.q.2.* Tertiò infertur quàm inepte hæretici novantes reprehendunt catholicos, maximeque religioſos profitentes ſe alumnos diverſarum religionum, vel in ſcholis ſe eſſe ſequaces Scoti,D.Thomæ, D. Bonav. aliorumque principum ſcientiarum, nam licet diverſa principia profiteantur in ſcholaſticis, vel diverſos ritus,ceremonias,regulas; tamen unitim conveniunt omnes in eadem fide Chriſti,charitate, & humilitate:& quod potiſſimum eſt ſub uno capite, ſcilicet ſummo Pontifice verſantur : Ideo omnes religiones unicam legionem ad ſplendorem, & defenſionem Eccleſiæ conſtituunt. Et hinc proclive eſt inferre, quod ſupra ex Seraph. Doct. dictum eſt de omnibus chriſtianis : nempè, ſi quis inter eos eſt, qui alteri ordini detractet, invideat,impediat, cujus vana eſt religio : hic non religioſus, imo non chriſtianus, ſed prophanus eſt ; nec ſpiritu Dei, ſed Dæmonis agitur. Dicat igitur quiſque religioſus cum Bernard. in Apolog. Unum ordinem opere teneo,cæteros charitate. *Sic ad mentem Seraph.Doct.in Apolog. pauper.per totam præcipue reſp.1.c.3.*

14. *Mirabilis ſapientia Chriſti elucet in converſione Mundi per piſcatores, & idiotas,ubi de officiis Paſtorum animarum.*

Miſit me Chriſtus non baptizare, ſed evangelizare.non in ſapientiâ verbi, ut non evacuetur crux Chriſti. In prima parte hujus ſententiæ Paulus exprimit in propria perſona munera Prælatorum,

&

& Pastorum animarum. In secunda quali ornatu verborum mundum convertit ad fidem, ait igitur, non misit me baptizare; scilicet principaliter, sed evangelizare, per quod indicatur, ut dicunt Expositores, munus principale Episcoporum esse prædicare; ut etiam patet ex Concil. Trid. administrationem vero Sacramentorum spectare ad Parochos inferiores. Addit, quod sua prædicatio non erat in sapientiâ verbi; idest in eloquentia, & sermonis ornatu forensi, & sæculari: per talem enim modum evacuatur crux Christi; inanis redditur, dum putatur hominem assecutum esse salutem, & fidem vi humanæ eloquentiæ, non vi passionis Christi, & in hoc mirabilis elucet sapientia crucis, & Christi, dum ad jacienda fidei fundamenta, non eligit Christus versutias Aristotelis, vel Tullii lepores verborum lascivientis eloquentiæ, & fastu rethorico conditam eloquentiam, sed simplices, & idiotas, & piscatores, & hujusmodi viros. *In Psal.* 143.

15. *Sapientia Mundi varia, & ficta est, sed vera stultitia: Sapientia Christi, & crucis ficta stultitia, sed vera sapientia est.*

Verbum crucis pereuntibus stultitia est: iis vero, qui salvi fiunt, Idest nobis, Dei virtus est. *Scriptum est enim perdam sapientiam sapientium, &c. nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Prosequitur Apostolus in ostendendo vanitatem sapientiæ mundanæ, & soliditatem, firmitatem, utilitatemque sapientiæ crucis & christianæ, nam sapientia mundana tota est circa vana, vacua, inutilia, & mutabilia. Sapientia Christi est de salute vera, & acquisitione virtutum & beatitudinis æternæ: ad hanc enim non potest pervenirl, nisi lumine fidei. Vide quam sint contraria dogmata sapientiæ mundanæ, & christianæ. Illa docet, quod ex nihilo nihil fit, ob id ponit Mundum ab æterno. Ista docet, Deum omnipotentem creasse in tempore ex nihilo Mundum. Illa docet Deum loco, corpore, & tempore claudi non posse. Ista in incarnatione Verbi oppositum docet. Illa Deum non posse pati, ista Deum passum esse, & mortuum in Cruce. Illa negat accidentia non posse stare sine substantiâ, & sub, ecto: corpus non posse esse in puncto: duo corpora non posse esse simul in uno loco, nec unum in pluribus locis: ista oppositum docet in Eucharistiâ Illa magni pendit temporalia. Ista ea contemni:. Unde ad sapientiam mundi perdendam humiliatus est Christus, & crucifixus inter Latrones. *Ser. 2 Hexam. In Eccles. prooem. serm. 2 de S. Gregor. In Luc. c. 9. n. 58. b. 12. v. 28. c. 13. v. 4 Psalm. 35. & 143. ep. solil. cap. 2. medit. c. 33.*

16. *In virtute S. Crucis stat omnis nostra salus.*

Verbum crucis pereuntibus stultitia est. iis vero, qui salvi fiunt Dei virtus est. Ecce mirabilia, & mirabiles effectus S. Crucis in bonum justis, in malum impiis: Nam virtus nostræ salutis in cruce posita est: virtute enim crucis infernus spoliatur, cœlum referatur, Mundus reconciliatur: Unde Psalmes dicit: dextera Domini fecit virtutem; quia in cruce extensus fecit virtutem in inferno, exaltavit hominem in cœlo, fecit, & facit quotidie virtutem in Mundo, tam in malis, quam in Bonis: In bonis ad bonum, extendens suam dexteram, ut latro in dexira pendens, hanc virtutem expertus est. In malis ad malum, quia ad sinistram pendens, damnatus est. Unde pereuntibus verbum crucis stultitia est, salvandis virtus. O mirabilis virtus crucis. Tu sancta crux peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentatio, remedium infirmorum; laborantium auxilium, lassorum, refrigerium, sanorum incolumitas, quietorum serenitas, & christianorum felicitas: & ideo verbum crucis prædestinatis est in salutem, in lætitiam, & pacem. *Ser. 2. in Invent. S. Crucis in addit.*

17. *Christus crucem prædestinatis ostendit, ut in ipsam pœnitentiâ ascendant, & per ipsam ad Cœlum.*

Verbum crucis iis, qui salvi fiunt, virtus Dei est. Quid est virtus Dei in verbo crucis? ergo tota salutis ratio, & virtus est in sermone de cruce? est quidem in hoc sensu, quatenus per crucem Deus præbet potentiam, robur, & fortitudinem conferè credentibus; eosque suo verbo invitat ad amplexandam crucem S. pœnitentiæ, vel religionis, & per ipsam ascendere ad cœlum. Nota igitur ô anima quale verbum crucis: si Jesum invenire, & videre desideras, in arborem crucis ascende: ascende credendo, diligendo, de virtute in virtutem proficiendo, ut Jesum videas, & possideas. *Ser. 2. in exalt. S. Crucis in addit.*

18. *Per stultitiam crucis S. Theologia, & sapientia cœlestis Mundo tradita est.*

Quia in Dei sapientiâ non cognovit Mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Mirabilis quidem sapientia Christi Jesu, qui cum vidisset Mundum stultum non cognovisse in hac sapienti fabrica Deum practicè, ut auctorem salutis, & ducem ad bonum, & beatam vitam; nec etiam speculativè: quia mundani Deum finxerunt impotentem ad creandum, eumque putaverunt necessario agere, carere providentiâ, aliasque falsitates ei impinxerunt. Hinc Deus per rem, quæ mundo videtur stulta; scilicet per crucem, ejusque prædicationem mundo se salutem veram revelavit, & ostendit, ut stultis se accommodaret & cum eis quasi stulteseceret ut præceptor cum pueris repueraseit, & balbutit: sicque Christus, quia non intelligebatur ut Deus, hominibus se revelavit ut homo, & passibilis: & hæc est ingens sapientia, quam non intelligentes mundani, stultitiam putaverunt; sicut observant D. Ansel. Thom. S. Leo. Chrisol. aliique Patres. *L. 4. d. 24. p. 1. a. 1. q. 1. & l. 3. d. 21. q. ult. ad ult. op princip. S. Script.*

19. *Crucis sapientia omnibus omnia est.*

Quoniam, & Judæi signa quærunt, Græci sapientiam; nos autem prædicamus Christum crucifixum Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, &c. Sequitur Apostolus magnalia enarrare de cruce, & Christo crucifixo: postquam enim ostendit, quod Christus sapientiam cœlestem

voluit oſtendere per ſtultitiam crucis: nunc demonſtrat, neminem cujuſcumque conditionis poſſe excuſationem habere quod non amplexatus fuerit talem ſtultitiam: ex hoc quod pro omnibus dantur apta documenta. Si enim Iudæi ſigna quærunt, ecce in cruce ſigna, & portenta maxima, numquam à ſæculis audita. Quodnam enim majus prodigium, quam Deum immortalem fieri mortalem, impaſſibilem paſſibilem, Dominum omnium, omnium paupertimum: ſed tamen contra hæc ſigna impii pugnant ipſiſque contradicunt: nam ſigna quærunt in Cœlo, in alto, ſcilicet honoris, dignitatum, & pompæ rum: ſed Chriſtus per crucem dedit ſigna in terra, ideſt humilitatis, paupertatis, abjectioniſque. Et ſi ſapientes ſapientiam quærunt: ecce in cruce, & in paſſione omnis ſapientia elucens: Nam Chriſtus è cruce rethoricam docuit, logicam, Philoſophiam, Theologiam, mathematicam, & cæteras omnes ſcientias ad chriſtianorum ſalutem ordinatas. Sapientia enim crucis Dei benevolentiam captat; docet ex bonis operibus inferre concluſionem, & finem vitæ ſanctum: docet & ad Chriſtum crucifixum omnia, omnes actus, ut in finem ultimum, & primam omnium bonorum cauſam reducere: docet Deum unum & trinum ſuper omnia colendum, & amandum: docet & omnia noſtra metiri menſurâ crucis, & crucifixi. Elucent & omnia Dei attributa, ſapientia, potentia, bonitas, pietas, liberalitas, juſtitia, & omnes aliæ virtutes chriſtianæ Ex ipſa promanat omnis virtus contra hoſtes. Et hinc mirum non eſt, quod ex prædicatione crucis, & crucifixi tanta virtus eluxerit in mundo: cum per ipſam Apoſtoli pauci, piſcatores; pauperes illiterati, obſcuri, toti mundo exoſi, totum orbem cruci ſubjecerint, Cum hoſtes infenſiſſimos, dæmones, peccatum, mortem, infernum reges, principes, Philoſophos, oratores, Græcos, barbaros, leges, judicia, religiones antiquiſſimas, & temporis vetuſtatem, pervicerint. Cum non armis, non ſapientia, non eloquentia, ſed ſimplici prædicatione, & tam brevi tempore per totum orbem Chriſti fidem ſparſerint: Cum & liberrimè, & fortiſſimè Tyrannorum minas, verbera, mortes, & tormenta, naturæ viribus intoleranda per Chriſti gratiam ſuperarint: Cum & doctrinam non de Deo glorioſo, ſed crucifixo, eoque ſalvatore credendo, & adorando; legemque Chriſti, naturæ, & carni non gratam, ſed repugnantem perſuaſerint. O quàm magna, & portentoſa virtus crucis, & crucifixi. *Op. ſtim. p. 1. per tot. & præcipue c. 13. Laudaiſmus de Cruce. medit. c. 46. In Luc. c. 1. v. 18. c. 2. v. 12. c 9. v. 16. c. 18. v. 34. c. 19. v. 19. ſer. 1. ſeq. de S. Andrea. ſer. 1. & ſeq. Invent. S. Crucis. ſer. de exalt. S. Crucis. l. 1. d. 34. dub. 7. & d. 32. a. 2. queſt. 2. in fin. ſermon. 1. Hexam.*

20. *Sapientia divina contraria eſt humanæ. Ideo hæc eſt ſtulta, & ſine ratione.*

Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus. & quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus. Repetit iterum Apoſtolus, id quod ſupra dixerat, nec unquam ſufficienter memoriæ hominum refricatum, nempe Chriſti potentiam, & ſapientiam magis elucere in ſtultitia mundana, ſcilicet in iis, quæ à mundo æſtimantur ſtulta: quia per iſta, ideſt per humanitatem, mortalitatem, paſſionem, crucem vicit homines, ſatanam, & totum orbem, venit ergo Chriſtus in Mundo, deſcendendo de monte potentiæ, carnis infirmitate circumdatus: de monte ſcientiæ ad ſtultitiam crucis amplexandam: & tali pacto ſuam commendare ſapientiam, potentiam, bonitatem, & amorem; & docere nos modum, quo ad alta Cœli aſcendere poſſumus. *Op. medit. c. 55. & ſolil. c. 2. In Luc. c. 8. v. 55. ſer. 2. de S. Gregor. ſer. 2. de S. Matth.*

21. *Eccleſiæ fundatio facta à Chriſto ſuper nihilum expenditur.*

Videte vocationem veſtram. Ideſt rationem, & modum vocationis veſtræ ad gremium Eccleſiæ. *Quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma, & contemptibilia elegit; & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt deſtrueret.* Ideſt elegit ea quæ non ſunt, ſcilicet apparent veluti nihil & pro nihilo habentur. Per hæc Apoſtolus dat intelligere, quod ſicut in ædificatione templi Jeroſolomitani non ſunt audita malleus, & ſecuris, & omne ferramentum, ut dicitur. *In 3. reg. c. 6.* & hoc, quia per ſanguinem vermiculi, lapides facillimè ſcindebantur, ſecundum traditionem hebræorum: Sic in ædificatione Eccleſiæ nec malleus mundanæ ſapientiæ, nec ſecuris terrenæ doctrinæ, nec ferrum humanæ violentiæ audita ſunt; ſed tantum virtute ſanguinis Chriſti totum ad complementum redactum eſt; per quod patet, quam verum eſt dictum toties reperitum, quod ſapientia mundana contraria eſt ſapientiæ Chriſti: & in hoc elucet crucifixi potentia, ſapientia, & bonitas. *In Luc. c. 1. v. 53. c. 12. v. 32. c. 14. v. 21. op. ſtim. div. amo. p. 1. c. 13. ſermon. 2. de S. Petr. ad vincul. in addit.*

22. *Chriſtus quomodo dicitur factus nobis ſapientia à Deo, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.*

Ex ipſo enim vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia, &c. Hic Apoſtolus conſiderat Chriſtum ut Deum, & hominem, & ob id perfectum redemptorem: cum enim in ſe ſit ſapientia, juſtitia in abſtracto, ſcilicet infinita; ideo factus eſt auctor, & cauſa veræ, & chriſtianæ ſapientiæ, redemptionis, & juſtitiæ; & hoc multipliciter: primo ſatisfactoriè, & meritoriè: pro debito enim humano, juſtiſſimo ſanguinis ſui pretio ſatisfecit, & meruit nobis juſtitiam, ſapientiam, & ſanctitatem: ideo dicitur nobis juſtitia, quia ejus ſatisfactio noſtra eſt, ac ſi nos Deo ſatisfeciſſemus: ſic enim dicunt Theologi. In juſtificatione per Sacramenta prius Chriſti ſatisfactio nobis applicatur; & poſterius natura propter eam remittuntur peccata, & gratia infunditur. Secundò factus eſt nobis ſapientia, &c. exemplariter: proponitur enim ut exemplar, ad quod debemus nos conformari obediendo. Tertiò efficienter; quia juſtitiam per ſacramenta producit: & ſapientiam veram nos docet, ſcilicet quomodo bene vivere, & ad cœlum tendere debeamus. Quartò finaliter, quia ipſe eſt finis noſtræ juſtitiæ, &

ſanctitatis

ſanctitatis : ex quibus infertur, quod tantum efficaciter juſtitia, ſapientia, ſanctificatio, & redemptio applicatur bene operantibus, & ſe Chriſto conformantibus. *In Luc. c. 6. v. 22. c. 7. v. 35. c. 8. v. 46. c. 11. v. 30. In Ioan. c. 1. v. 39. ſerm. 3. de dedicat.*

CAPUT II.

Nota, quod cum ſupra Apoſtolus dixiſſet Chriſtum in Evangelio noluiſſe uti ſapientiâ mundanâ, ſed eam rejeciſſe; nunc profitetur eodem modo ſe velle prædicare, ob idque nihil aliud ſcire, & prædicare, quam Chriſtum crucifixum.

23. *Prædicator ſe accommodet capacitati auditorum.*

ET ego cum veniſſem ad vos fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientia, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. Vide quomodo ſecundum exemplar Chriſti, Apoſtolus rejecta ſapientiâ mundanâ, ſapientiam ſolum Chriſti prædicat: ſed quia prædicator ſe debet accommodare capacitati auditorum, ſubdit infra n. 26. ſe etiam ſapientiam loqui inter perfectos, ſed tamen ſecundum regulas Evangelii. *Luc. c. 6. v. 26. ſerm. 2. Dom. ſeptuag.*

24. *Qui Chriſtum neſcit, nihil ſcit: qui Chriſtum ſcit, & poſſidet in corde, immunis eſt ab omni malo.*

Non enim judicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum: & ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos. Ecce qualis vita, & mores, & exercitia Apoſtoli Pauli; qui cum calleret optimè ſcientias humanas, tamen ſolum Chriſtum crucifixum ejuſque myſteria ruminabat, meditabatur, prædicabat. & ad Chriſti dolores, nuditatem, & ignominiam ſe perfectè conformare ſtudebat, alioſque ad eadem opera excitabat: daturque nobis intelligi Quid nobis faciendum, ſi volumus eſſe veri ipſius Chriſti diſcipuli, ſi volumus omnia tentamenta diaboli effugare, & vincere. O dulciſſime Jeſu amor meus, ſponſus meus concede mihi, ut nihil mihi ſapiat, nihil delectet, nihil alliciat niſi tu Domine Jeſu, & fiat cor meum unum tecum, nihil me judicans ſcire, vel amare, niſi te Dominum meum crucifixum. *Op. de inſtruct. ſacerd. & reg. Novit. c. 7.*

25. *Sicut ſancti Apoſtoli, ſic & prædicatores debent prædicare in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.*

Sermo meus non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis. Notandum hic, quod cum civitas Corinthiorum tunc temporis abundaret philoſophis, & oratoribus excellentibus, Apoſtolus ſe excuſat cur non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſcilicet exquiſitis ſecundum regulas humanæ rethoricæ eis prædicabat: nempè, quia hoc alienum erat ab Apoſtolorum, & Chriſti ſequacium prædicatione: ſed totum robur ſuæ prædicationis conſiſtebat in oſtenſione Spiritus, & virtutis. At quid eſt prædicare in oſtenſione ſpiritus, & virtutis? hoc eſt oſtendere magnum zelum, & ſpiritum eructantem arcana divina; & prædicationi addere prodigia, & miracula, vel loco miraculorum ſancta opera, & exempla. quod & faciendum eſt à prædicatoribus, ſi volunt evadere viri apoſtolici; eorumque ſermo non ſit comptus, fucatus, & affectatus, ſed ſimplex, ignitus, clarus: ſic enim eorum verba erunt quaſi ignitæ ſagittæ corda penetrantia: & ſic converſio peccatorum erit, non fructus ſapientiæ mundanæ; ſed virtutis Dei. *Luc. c. 1. ad finem, & c. 12. v. 11. & ſer. 1. de S. Marc. D. Anſelm. aliique Patres.* Et per hoc verificatur id, quod dicebat Chriſtus loquens cum Patre æterno. *Dedi eis ſermonem tuum Ioan. c. 17.* dicit tuum, non mundanum; quia ſermo prædicatorum bonorum eſt ipſius Dei quia eſt divinus, eſt & virtuoſus; quia efficax eſt ad ſanandum à morbo peccati: ad purificandum à ſordibus vitiorum; ad conſolandum triſtes; ad confirmandum in bono, ad illuminandum cæcos; ad inflammandum tepidos: ad defendendum ab hoſtibus, & à ſupplicio æterno, & introducendum in regnum æternum: ecce qualia miracula. *Ioan. collat. 76.*

26. *Duplex modus orandi, alius meditativus, alius unitivus expenditur.*

Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non hujus ſæculi, neque principum hujus ſæculi, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quam nemo principum hujus ſæculi cognovit. Quæritur hic quænam ſit hæc ſapientia in myſterio, ideſt abſcondita, & arcana, quam Paulus loquebatur, & docebat inter perfectos, & provectos. Reſpo. S. Bonav. cum D. Dyoniſ. Areop. quod ordinariè doctrinam chriſtianam docebat ſimplicibus, & rudibus, eoſque inſtruebat circa myſteria divina: ſed tamen cum perfectis, & in ſpiritu provectis diverſo modo ſe habebat: eis enim tradebat ſapientiam in myſterio. Et qualis eſt hæc? Nota, quod duplex modus orandi ad Deum datur: alius per meditationem, mediante uſu imaginativæ, & intellectivæ potentiæ, tranſeundo ad affectivam: alius eſt perfectæ contemplationis; in qua abſque opere, & uſu intellectus per viam amoris, anima amore Dei inflammata ſe transfert ad vnionem immediatam cum Deo dilecto: ſic enim per pondus amoris diſpoſita in Deum ſine omni cognitione, vel deliberatione conſurgit veluti in ſuum centrum ſe extendens, & motibus iſtis ſe elevat in continuo deſiderio, cujus complementum, & intuitus quietem in æterna beatitudine obtinebit. Et hæc ſapientia eſt in myſterio; ideſt abdita, & abſcondita ſapientibus hujus mundi, & etiam theologis, qui ſuis diſcurſibus intellectivis

menſurant

menſurant ſuam perfectionem; ſed in hoc valde decipiuntur. *Vid. quæ fusè tradit S. Doct. in op. de myſt. Theol. quæſtione in fin. tract. & ſer. 2. Hexam. & op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 3. expoſit. regulæ c. 4.*

27. *Sacerdos perfectus ad hanc miſticam Theologiam invitatur.*

Sed loquimur ſapientiam inter perfectos. Quid eſt inter perfectos? ſcilicet inter ſacerdotes, qui ad hanc ſpeciali modo invitantur ab Eccleſia: dum enim in induendo ſe veſtibus ſacerdotalibus ab alto, ideſt à capite incipiunt, ipſis à Chriſto dicitur: ſedete hic in civitate, donec induamini virtute ex alto *Luc. c. 24.* ut ſcilicet curent ſe induere à parte ſummi apicis animæ, qui eſt affectus, ut prius attingatur igne Spiritus ſancti, quam aliqua cogitatio veniat. *Op. myſtic. Theol. in fine qu.nu.*

28. *Gloria immenſitas terminus eſt ſapientiæ chriſtianæ: ubi de ipſius gloriæ excellentiâ.*

Sed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quam prædeſtinavit Deus in gloriam noſtram &c. de qua ſcriptum eſt, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum, nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum.* In his verbis duo docet Apoſtolus unum eſt qualis excellentia ſit ſapientia myſtica, ad quam per unionem amoroſam ſublevatur anima in hac vitâ, de qua ſupra dictum eſt, eſt enim quædam delibatio, & participatio illius gloriæ, quam præparavit Deus diligentibus ſe, & quam Spiritus ſanctus revelavit Apoſtolis. Aliud eſt excellentia convivii gloriæ cæleſtis, de qua dicit, quod nec oculus vidit &c. ideſt merces ſanctorum: eſt tam magna; gaudia in illo regno ſunt tam excellentia, quod non poſſunt menſurari: tam multa, quod non poſſunt numerari: tam copioſa, quod non poſſunt finiri: tam pretioſa, quod non poſſunt æſtimari: Unde nec omnes Arithmetici Mundi poſſent ea numerare: nec omnes Geometrici ea menſurare: nec omnes rethorici ea verbis, vel ſermonibus explicare; cum nec plene poſſint excogitari quæ præparavit Deus diligentibus ſe pro corpore, & anima beatorum. Et ſi hoc; cur ô homuncio per multa vagaris quærendo bona animæ, & corporis tui? ama unum bonum, in quo ſunt omnia bona, & ſufficit: deſidera ſimplex bonum, quod eſt omne bonum, & ſatis eſt. Quid enim amas caro mea, quid deſideras anima mea? ibi eſt quicquid amas, quicquid deſideras. *Op. de dono ſap. c. 11. Brevil. p. 7. c. 7. ſolil. c. 4. Comp. Theol. l. 7. c. ult. ſer. 2. Dom. 4. Paſchæ. ſer. 2. de SS. Phil. & Jacob. ſer. 8. de Apoſtol.*

29. *Ad menſuram amoris in Deum in hac vitâ, erit gloria in altera.*

Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis &c. quæ præparavit Deus diligentibus &c. Nota illud verbum diligentibus ſe: ut intelligas, quod ad menſuram, qua diliges Deum in hac vitâ, dabitur tibi gloria in aliâ. Ergo hic multum ama, ut multum gaudeas, creſcat in te amor Dei, ut ibi plenè poſſideas gaudium Dei meditetur inde mens tua, loquatur inde lingua tua: amet illud cor tuum. Sermocinetur os tuum: eſuriat illud anima tua & ſitiat illud caro tua: deſideret tota ſubſtantia tua, donec intres in gaudium Dei tui, donec venias ad amplexus dilecti tui, donec introducat te in thalamum ſponſi tui. *Op. de perf. vitæ. ſtim. p. 3. cap. ult. l. 3. d. 31. qu. ult.*

30. *Per fidem aliqualiter poteſt videri gloria Paradiſi.*

Nec oculus vidit, nec auris audivit &c. nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum. Si oculus non vidit &c. quomodo poſtea dicit Apoſtolus hanc gloriam ſibi revelaſſe, & oſtendiſſe? ſed attende, quod duplex eſt viſio gloriæ; alia propria hujus vitæ, alia alterius vitæ: hæc eſt clara per apertam oſtenſionem ſine velamine: ſed prima eſt per fidei lumen, in cujus virtute cognoſcimus quaſi ſpeculando, & à remotis, & ſemiplene certitudinaliter tamen; & ideo eſt quædam delibatio, & participatio illius immenſæ gloriæ, quæ à Deo datur diligentibus ipſum, & præcipuè aſcendentibus ad ſapientiam myſticam experimentalem & amoroſam. *L. 2. d. 38. dub. 1. Op. Theol. miſt. qu.nu. ad finem. ſtiner. ment. c. 7. ſer. 2. Hexam. Pſal. 118. c. 3. v. 2.*

31. *Non ſolum per fidem, ſed & per inſpirationem, & ſupernam fidei ſuperiorem illuminationem internam Deus confert in hac vitâ participationem gloriæ cæleſtis.*

Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum (Quid revelavit? nempe ea, quæ nec oculus vidit &c. ſpiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Vide qualem pietatem exercet Deus in ſuos dilectos ſervos. Cum enim in hac mortali vita non poſſit ab homine percipi clare gloria cæleſtis: tamen dignatur Deus aliquam participationem ipſius gloriæ conferre ipſum diligentibus per illuminationem internam, & inſpirationem. Quæ revelatio tamen cum ſit media inter fidem, & apertam viſionem, non omnibus datur, ſed ſolum intelligentibus, & interiora ingredientibus, ubi omne velum removetur ab eis: quod fit, non mediantibus rebus viſibilibus, ſed immediatè per communicationem menti humanæ factæ in contemplatione æternorum. *Op. de 7. itin. ætern. itin. 5. d. 4. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. Luc. cap. 21. verſ. 13. ep. ſtiner. ment. c. 4. in. fin. l. 1. ſent. in proœm.*

32. *Solus Deus ſcrutari poteſt abdita cordis noſtri, non diabolus.*

Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis (ideſt in abdito cordis) *niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi ſpiritus Dei.* Vult dicere Apoſtolus, quod abdita pura, quæ ſunt in corde, & fundo, vel apice cordis, & ſpiritus; nimirum cogitationes, volitiones, & intentiones nemo poteſt penetrare, niſi ipſe, qui eas producit, vel ſpiritus Dei, qui eas revelat: Et per hoc ſolvitur illa quæſtio theologica: an dæmones ſcrutari poſſint ſecreta conſcientiæ noſtræ: cui reſpond. negativè, niſi

per

per ſigna, vel conjecturas, vel motionem, & compoſitionem ſpecierum, à qua cognitione tamen ſæpe arcentur divina virtute: Unde ſolùm dæmonum cognitio in his abditis cordis eſt conjecturalis, non certa. *L.2.d.8. p.2.a.1.qu.6. l.3.d.14.dub.2.*

33. *Prædicator in modo prædicandi inſtruitur.*

Loquimur non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualiter ſpiritualia comparantes. Audiant Prædicatores quomodo Apoſtolus inſtructus in Cœlo prædicabat verbum Dei, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſcilicet in verbis Ciceronianis, Demoſthenicis, Ariſtotelicis, non in rethoricis, & terrenis rationibus, conceptibus, & eloquentiis, ſed in doctrinâ ſpiritus in iis verbis quæ, & qualia docet Spiritus ſanctus, nempe ſermone ſimplici, gravi, efficaci, & divino, tamquam à Spiritu Sancto proficiſcente, qui omnem orationis fucum, ambages, ſubtilitateſque curioſas reſpuit, & hoc eſt, quod Seraph. P.S. Franciſcus ſuis fratribus præcipit, dicens eis: annuncient vitia & virtutes pœnam, & gloriam in brevitate ſermonis, ideſt ſine fuco, ambagibus, & aliis curioſitatibus mundanis. *Op. expoſit. regul.c.9.* Norent iſta illi Prædicatores vere perditi, & decepti, qui ſuas conciones majori ex parte inſumunt in curioſitatibus, ſubtiliratibus à paucis perceptis in cachinnis excitantibus ad riſum relinquentes ſacræ ſcripturæ textus, coacervantes, replenteſque conciones hiſtoriis prophanis, & inutilibus deſcriptionibus: Iſti enim non Eccleſiam Dei lætificant, ſed Dæmones, maximam ruinam animarum afferunt. O qualis, & quàm maxima confuſio iſtorum miſerorum in morte.

34. *Animalis homo non poteſt percipere ea, quæ ſunt ſpiritus Dei & quis ſit animalis homo.*

Hoc dicit Apoſtolus: Unde quæritur quis ſit iſte homo animalis, non valens percipere ea quæ ſunt ſpiritus Dei, cum omnis homo ſit animal rationale? Sed reſpond. quod hic vocat hominem animalem, qui cum naturaliter in corpore creſcat, nutriatur, egeat cibo, ut animalia irrationalia, etiam quoad animam, ſequitur inclinationes animales, ideſt concupiſcentias, & deſideria, ſcientiamque ſpiritualem rejicit, ſolumque mundanam, & ſenſibus obviam ſectatur; totumque ſtudium ſolum in terrenarum cognitione inſumit, avertendo ſe à ſpiritualibus. Qui igitur ſic vivit, capax non eſt notitiæ rerum ſpiritualium, & effectuum ſpiritualium, quos imprimit in animâ juſtâ Spiritus ſanctus: Et ratio eſt, tum ratione peccati, quod opponitur charitati Spiritus ſancti: tum ratione mundanæ dilectionis quæ aufert inviſibiles, & internos oculos; ob idque non poteſt videre ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Quo enim ſæculares mentes magis ſe foris per deſideria dilatant, tanto ad receptionem Spiritus ſancti ſinum cordis anguſtant, & ſæpe claudunt. Et hæc eſt mera ſtultitia (ait Apoſtolus) vere enim maxime ſtulti ſunt, qui poſtpoſitis quæ ad ſalutem ſpectant, ad terrena, & tranſitoria veluti totum ſuum ſtudium convertunt. *Op.de 7.donis c.5.& de dono concil.c.4.Eccles. c.5 op.ſpecul.diſcipl.p.2.c.5.de profect. relig.Prolog. 2.c.14.v.16.*

35. *Quis ſit homo ſpiritualis; & quomodo judicat omnia; & ipſe à nemine judicatur: ubi de judicio temerario vitando.*

Spiritualis homo judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur. Quæritur primo quis ſit ſpiritualis homo; cum omnis conſtet corpore, & animâ, ſolumquè Angeli, & animæ rationales ſint ſpiritus; & per eſſentiam ipſe Deus? Nota, quod Apoſtolus opponit animali homini ſpiritualem: unde ſicut dictum eſt, animalis homo is dicitur, qui animaliratem, & ea, quæ propria ſunt irrationalium ſectatur, ſic appellat ſpiritualem hominem, qui vivit ſecundum ſpiritum Dei; & omnia ad ſpiritum, & in Deum, & propriam ſalutem reducit. Sed quomodo dicitur iſte judicare omnia: ergone omnis homo ſpiritualis judex omnium conſtitutus eſt? Sed attendè ad ſublimiſſimum ſenſum Apoſtoli: ſpiritualis homo dicitur judicare omnia in bonum, & ad gloriam Dei: idque facit, non de ſe præſumendo, alioſque vitioſos judicando; quod vitium eſt peſtis peſſima, & mors graviſſima, & occulta in multis fictis ſpiritualibus; quia ad Dei gloriam omnia referenda, facit diabolice fraudari, & converti: ſed divinam ſapientiam, & bonitatem in omni creatura diſcernit, verum omnium conditorem honorificando: dum cogitat Deum bonum patrem familias domum ſuam ordinantem, cogitantem filiorum ſapientiam, potentiam, & bonitatem, & ſecundum quod videt, diverſa committit officia, dignitates, perfectiones, gradus, & ſtatus, tum in gubernatione Eccleſiæ, tum in vita ſpirituali: Et ideo Deum laudat homo ſpiritualis in omnibus actibus, quos videt in proximo: Et ſi aliquando peccatorem aliquem certitudinaliter, vel probabiliter noverit, cavet ne propter hoc ipſum condemnet, nec ipſum etiam commendat, ſed vitium odio habet, & compatitur perſonæ, pro ipſo orat, ipſumque ſi poteſt corrigit, & Deo gratias agit, quod ſe præſervaverit à tali lapſu. Ecce quomodo ſpiritualis homo judex ſit ſuper omnia in bonum, & virtute contendit omne judicium temerarium. *Op.ſtim.p.3.c.8.de profect.religioſ.l.1.c.1.*

36. *Spiritualis & religioſus quæ circumſpectione in ſuis actionibus vivere debet.*

Spiritualis homo omnia judicat; & ipſe à nemine judicatur. Nota etiam, quod hæc dicuntur ab Apoſtolo de homine ſpirituali, & maximè religioſo in ordine ad actus ſuos externos, & converſationem cum hominibus, quæ omnia ſpiritualiter examinat. Vir enim vere ſpiritualis judicio ſuo ſancto prævenit omnes ſuos actûs; & maximâ cautelâ, prudentiâque incedit circa perſonas, loca, negotia, & res, circa perſonas non nimis ſe familiariter eis committendo; attenditque ſibi in omnibus quæ dicunt, aut faciunt; opus ſuum trina conſideratione præveniens: Primo an quod poſſit liceat: ſecundo an deceat: tertio an expediat. *Op ſpecul.diſcipl.p.1.c.30.*

37. *Immunitas Eccleſiaſticorum à ſæculari poteſtate ab Apoſtolo indicatur.*

Spiritualis homo judicat omnia; & ipſe à nemine judicatur. Hic Apoſtolus ponit ſpiritualem homi-

nē per contrapoſitionem ad temporalem,ſc. poteſta ē:innuitque Eccleſiaſticā poteſtatem, quæ tota eſt ſpiritualis,& ad ſpiritualia tantū ordinata,non ſubjacere temporalibus poteſtatibus, ſed ipſam eminere ſuper Reges, & Principes ſæculares, quæ poteſtas præcipuè reſidet in ſummo Pontifice,quæ à nemine,niſi à ſolo Deo judicari poteſt:unde ad ipſum ſolum ſpectat ferre judicium ſuper res ſpirituales,& ab ipſo dependenter ad alios Prælatos Eccleſiæ.*Op.de Eccleſ.Hier.p.2.c.2.*

CAPUT. III.

Nota in hoc capite Apoſtolum inſiſtere ſchiſmati Corinthiorum,componendo per ſubjectionem, & unionem in Chriſto,& Deo:Unde primo docet Paulum, & Apollo tantum eſſe miniſtros Chriſti: ſecundo Chriſtum eſſe fundamentum.Tertio nos eſſe Templum Dei, ne illud per ſchiſmata ſcindamus,vel deſtruamus.

38. *Prælatorum dilectio in ſubditos ſit ad ſimilitudinem Patris,& Matris,*

ET ego fratres non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus ſed quaſi carnalibus, tamquam parvulis in Chriſto. lac vobis potum dedi,non eſcam, &c. Vide quali affectu Apoſtolus tractat fideles, nempē Patris ad filium,& matris ad prolem, nutricis ad infantem: dum fideles per ipſum converſos,modo ſe dicit in Chriſto genuiſſe, modo ut filios parturiſſe;modo ſicut parvulos inChriſto lactare: & per hoc inſtruit Prælatos, Parochos,& Sacerdotes, ut ipſorum affectus ad ſubditos ſit ſimilis affectui Patris,Matris;& nutricis: ut quemadmodum filium pauperculum ſuſtentari, invalidam prolem foveri,& gementem infantem lactari,nequaquam eſt Patri, vel Matri, vel nutrici moleſtum, ſed deſiderabile, charum, & placitum, ſic & omnibus Prælatis,&c.Sanctis, & piis magnum debet eſſe ſolatium ipſorum labor, cura,ſollicitudo.& quoties ſalus procuratur plebium ſubjectarum.*Op.Apolog.Paup.reſp.4.c.3.*

39. *Imperfectis lac debetur, non panis: nec ſpiritualia rigidiora eis imponenda.*

Tamquam parvulis, in Chriſto, lac vobis potum dedi,non eſcam;nondum enim poteratis;ſed nec nunc quidem poteſtis:adhuc enim carnales eſtis. Ecce qualiter Apoſtolus tacitè ſe excuſat cur Corinthiis non prædicabat ſublimia, de quibus in præcedenti capite: ſed faciliora ſignificata per lac,ſicuti ſublimia ſpecificantur per eſcam panem, & vinum, per hocque admonet prædicatores quomodo ſe accomodare debent ruditati auditorum; ſimulque & Prælatos,maxime directores vitæ ſpiritualis quod ſpirituales obſervantiæ, & rigidiores ſunt ſpiritualibus,non carnalibus, nec inſipientibus, teneriſque in vita ſpirituali, & imperfectis imponendæ: quia cum ſint parvuli,non ſunt apti ad comedendum panem ſolidum,nec vaſa apta ad continendum vinum,& in hoc elucere debet prudentia magiſtrorum vitæ ſpiritualis. *Luc.c.5.v.38. Pſal.54 & 124.*

40. *Homo carnalia ſectans,zelum, & contentiones fovens dicitur carnalis,non rationalis, vel ſpiritualis.*

Cum enim ſit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis. Ecce quid facit in homine ſectari carnalitatem ſcilicet non tantum naturale ſenſus,& rationis, ſed ſenſualitatis, & concupiſcentiæ dictamen, & impulſum: & hoc non ſolum in carnalitatibus, ſed & maxime in contentionibus,quæ ſunt vitia mentis: hoc enim eſt fieri hominem totum carnalem quales erant Corinthii, qui contentioſe ſe ſe habebant, dicentes ego ſum Pauli ego Apollo; non conſiderantes,quod eſſent æquales miniſtri Chriſti;quibus competebat miniſterium quale,& quantum cuique Dominus dedit.*Luc.c.6.v.22. & c.12. v.24.In Ioan.collat.12.*

41. *Chriſti miniſtri ſolum plantant, & rigant vineam Domini;ſed Dominus eſt, qui incrementum dat.*

Ego plantavi,Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit: neque enim qui, &c. Ecce quale eſt miniſterium Prælatorum Eccleſiaſticorum, Sacerdotum, & Prædicatorum. Cum enim ſint deputati à Chriſto ad colendam ſuam vineam: Epiſcoporum munus eſt plantare prædicando,& aqua verbi Dei rigare; & in hoc omnes ſunt pares; reliquum autem ad Chriſtum ſpectat, ſcilicet incrementum dare, & ad perfectionem deducere: Unde prædicatores nil habent, in quo gloriari poſſint circa converſionem peccatorum, & profectum bonorum: quia id eſt munus ſolius divinæ gratiæ. *Luc.c.13.v.7.c.20.v.9.Pſal.125.*

42. *Miniſtri curantes ſalutem animarum eodem zelo omnes ſimul ſunt unum ſimpliciter.*

Qui autem plantat, & qui rigat unum ſunt. S duo erant S. Paulus plantans, & Apollo rigans, quomodo dicuntur unum,? optimè dicuntur unum conformitate,ſcilicet in naturâ humanâ,in voluntate item:quia uterque ſalutem fidelium cupiebat, & actione; quia uterque ad eam procurandam ſe exercebat: ille plantando, iſte rigando, & utraque actio erat conformis,id & prædicatione verbi Dei. Hinc patet qualis unitas ſit inter miniſtrantes Chriſto in ſalutem animarum, & quænam ad talem unitatem concurrant; & quænam tollunt talem unitatem. *L.1,d.31.a.1. q.2.* Hinc infertur, quod Dei miniſtris idem honor exhibendus, ſive ſint debiles,ſive fortes,ſive doctiſſimi,ſive minus docti ſint,ſive eloquentiſſimi,ſive minus eloquentes:quia omnes in Chriſto unum ſunt,& in Chriſto conformitatem habent in Dei obſequio. *Sic cum Seraph.Doct. cit.SS.Patres in hunc locum.*

43. *Concionatores, & operarii in vinea Domini non ſecundum profectum auditorum; ſed ſecundum laborem aſſumptum in ſuo miniſterio premiantur à Deo.*

Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem: Nota, quod non dicit ſecundum profectum auditorum,& ſubditorum; ſed ſecundum laborem: Dei enim eſt incrementùm dare: plus enim laborat doctor in indocili,quàm in docili diſcipulo: & ideo apud juſtum æſtimatorem laboris plus mereretur: hoc autem debet ipſum animare ad laboris tolerantiam; quia non minus meretur in illis,qui deficiunt,quàm in his, qui proficiunt, imo plus ſæpè merebitur. In terra enim ſterili, & ſaxoſa agricola plus laborat, & ſi fructus pauciores, ſed pretio majores: & quæ difficilius elaborantur,ſæpe citius venduntur. *Op. de ſex alis Seraph.c.5.in fin.*

44. *Apud Deum non eſt juſtitia commutativa nobiſcum, ſed diſtributiva, per quam premium ſecundùm proportionem ad merita; ideo dicit Apoſtolus: unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Ecce quomodo per ſe prædicat meritum bonorum operum contra hæreticos id negantes. Deus enim ſecundùm proportionem operis laboris,& meriti diſtribuit ſua dona. *Op.Comp. Theol.l.5.c.11.ſer.1.de pur.Mar.in addit.& ſer.2. de S.Marco in addit.*

45. *In quo ſenſu dicat Apoſtolus,quod Dei adjutores ſumus? ubi de juſtificatione,& merito.* Quomodo Dei adjutores? ergo Deus indiget noſtro adjutorio? & in quo ſumus tales? optimè,& optima ratione hæc pronunciat Apoſtolus:licet enim Deus noſtri auxilii, & cooperationis non indigeat in noſtra juſtificatione: & ideò aliquando voluit ipſam tribuere ſine ulla cooperatione juſtificati;ut in ſanctificatis in utero, & converſione S. Pauli; tamen ordinarie loquendo, ſuppoſita fide infuſa ſine ullo noſtro merito,exigit in juſtificatione, & prima gratiæ infuſione aliquam diſpoſitionem in ipſo juſtificando, qua mereatur de congruo ipſam juſtificationem: quia qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te.Et hoc poſtea proprie verificatur in merito de condigno,in quo præſupponitur infuſa prius gratia & charitas in animâ, quæ per ipſam elevatur: tunc ſimul cooperatur, & Deus in anima, & cum anima in eadem anima cum Deo.*L.2.d.17.a.1.q.1. & d. 41. art.1.q.2. in Pſal.43. & 78. & 104. & Pſal.118. v. 48.* Notâ etiam, quod anima elevata per charitatem, operatur actus, & operationes ſimiles operibus Dei; ſcilicet Dei formes:& ſic etiam in hoc ſenſu dicitur, quod Dei adjutores, ideſt imitatores ſumus. *Op.de 7.itin.æter.in n.7. d.4.*

46. *Anima ager,in quo Deus Agricola operatur per alios agricolas.*

Dei agricultores eſtis. Scilicet vos ô Corinthii eſtis ager Chriſti Jeſu,qui eſt agricola primarius, cujus famuli ſunt Paulus, & Apollo: ſemen eſt gratia,fructus ſunt bona opera. Ecce quot myſteria primo docet, quod dum Deum colimus adorando, Deus colit terram cordis noſtri, ſpinas vitiorum extirpando, & bona ſemina immittendo:& ad hanc agriculturam deſtinavit plurimos famulos,& miniſtros operantes exterius;dum Spiritus Sanctus operatur interius, O charitas qualis Domini Jeſu in nos.*Luc.c.17.verſ.* 35. *Ioan. collat.67.*

47. *Chriſtus fundamentum totius fabricæ fidei, & Eccleſiæ. Architecti ipſius ſunt Apoſtoli & Prædicatores.*

Dei ædificatio eſtis, ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis;ut ſapiens Architectus fundamentum poſui: alius autem ſuperædificat,fundamentum autem, &c. Chriſtus Jeſus. Ecce quomodo aliâ metaphorâ idem oſtendit Apoſtolus,quod ſupra: nempe metaphora ædificii Eccleſiæ, & fidei, ad quam Apoſtolus poſuit fundamentum, ſcilicet fidem divinitatis, & humanitatis Chriſti, ſuper quod poſtea Apollo ſuperædificabat. Per hoc autem dat intelligere quod totum ædificium fidei noſtræ ſtat, & fundatur in Chriſto, in quo elucent omnia myſteria divinitatis, & redemptionis: & in hoc eſt fundamentum, progreſſus, & conſumatio: Unde qui ſine Chriſto ædificat, nihil facit. *Luc.c.10. v.44.c.14.v.28.c.9.v.20.Pſal.107.& 113.*

48. *Fides eſt fundamentum totius ædificii ſpiritualis.*

Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, &c. niſi Chriſtus Jeſus. Ideſt fides de Chriſto: Unde patet, quod fundamentum totius ædificii ſpiritualis eſt ipſa fides.*Op.Diet.tit.8.c.20.*

49. *Ædificium ſpirituale erigitur, ponendo fundamentum in culmine.*

Dei ædificatio eſtis,fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id,quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Quomodo poteſt dici, quod Chriſtus ſit fundamentum fabricæ ſpiritualis, cum ſit in Cœlo? nonne in imo collocandum eſt?Sed attende, quod diverſo modo hæc fabrica erigitur à fabrica materiali,quæ exigit fundamentum in imo; at in ſpirituali incipit ab alto, ſcilicet à Chriſto Jeſu in quo totum fundatur.Et hinc ſequitur pœnitentia, per quam removetur prohibens ſcilicet peccati immunditia, ſuper quam erat conſtructa machina diabolica; deinde in Chriſto locatur, intellectus per fidem affectus per charitatem unientem cum fundamento; & deinde additur humilitas roborans contra ventum proſperitatis, & patientia contra ventum adverſitatis: ſicque fundatur,& erigitur anima ſupra firmam petram. *L.4. d.22.a.3.q.1.*

50. *Prædicatores alii ædificant auro, argento,& lapidibus pretioſis, alii lignis, fœno, & ſtipula.*

Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos,ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcujuſque opus manifeſtum eſt. Ad litteram Paulus loquitur de Prædicatoribus, quorum labor totus eſt in ædificando ſpiritualiter ſuper fundamentum Chriſti: nempe ſuper fidem ipſius,datque intelligere,quod prædicatores,alii erigunt in altum ædificium auro, argento,& lapidibus pretioſis:alii lignis, fœno,& ſtipula.Sed quomodo intelligendum eſt hoc diſcrimen? quid eſt ædificare auro,&c.vel fœno,& ſtipula?Ecce quid?

Illi prædicatores ædificant aurum,argentum, lapides pretioſos(aiunt cum S. Bonav. Ambroſ. Anſelm. Thom.Theophil.aliique) qui opera ſancta, exempla bonæ vitæ ſana doctrina, proficua , & ſancta , & apoſtolica ſuperædificant ſuper fundamentum fidei. Illi vero, quorum concio eſt doctrina incerta , frivola,pompoſa , phalerata , curioſa, & inutilis, ſuperædificant lignis, fœno , & ſtipulâ : & ideo ſubdit Apoſtolus, quod uniuſcujuſque opus manifeſtum erit, & mercedem proportionatam accipiet ; ſcilicet vel in gloriâ , vel in igne inferni , vel Purgatorii. O attendant ad iſta graviſſima verba Apoſtoli Prædicatores. O quot poſt hanc vitam in igne inferni ; vel purgatorii projicientur ; ibique debitam mercedem obtinebunt. *Luc.c.14.v.28. & 29.ſermon.2. Dom. ſexageſ.*

51. *Ædificium ſpirituale fundetur in Chriſto , & erigatur ſanctis operibus. Ubi de deficientibus in itinere perfectionis , & de mercede à Chriſto præparata utriſque.*

Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc , aurum,&c. ligna. &c. Ecce quod à fidelibus duplex ædificium conſtruitur, aliud in bonum , erigendo ipſum uſque ad cœlum, aliud in malum. Illi enim erigunt ſuper fundamentum Chriſti,& fidei auro, argento,lapidibus pretioſis , qui ſanctis operibus, piis deſideriis in itinere perfectionis incedunt viriliter ſufficientes conatus mentis,quibus coopèrantur vocationi. & gratiæ Dei adhibendo, utiliter, efficaciter, & perſeveranter. Illi vero ædificant lignis, fœno , & ſtipulâ , qui recidivant , qui imperfecte, ſegniter,tepide optantur:& hoc non eſt ædificare,ſed potius deſtruere,vel ædificare ad deſtructionem , & ruinam ; quia in igne eorum ædificium probabitur. *Luc.c.14. v.28. & 29.* Nota autem , quod Apoſtolus addit , uniuſcujuſque opus manifeſtum erit; alludens ad diem judicii non ſolum particularis , ſed & univerſalis : tunc enim omnia opera manifeſtabuntur , & apparebunt qualia fuerunt,& quomodo facta in hac vitâ : & tunc mercedem quiſque accipiet : ſi bona fuerint pura,& integra tua opera, Deus erit tibi, ſcilicet tuæ bonæ voluntati merces magna:ſi mala,ea ignis probabit.*Ser.2. de S.Marco in addit.ep. Comp.Theol.l.7.c.23.*

52. *Fabrica vitæ ſpiritualis iterum expenditur in metaphora auri, argenti,& lapidum pretioſorum.*

Si quis ſuperædificat aurum , argentum , lapides pretioſos, &c. Nota. quod licet ad aurum , argentum , & lapides pretioſos addat Apoſtolus ligna, fœnum,& ſtipulam,debet tamen prima pars intelligi cum præciſione de viris ſpiritualibus , ædificantibus bene turrim perfectionis : aſſignatque diſcrimen talium ædificantium : nam alii ædificant auro , alii argento , alii lapidibus pretioſis. Auro ædificant veri contemplativi , ordinantes mentem puram in Deum quantum ad partem ſuperiorem, quæ ſuper omnia creata ſublevantur, & Deo uniuntur,illi vero ædificant argento,& lapidibus pretioſis , ſcilicet ordinando in vitâ activâ dilectionem proximi , quæ ſignificatur argento honoro : & ultra bonam voluntatem , in ſe ordinant operationem in ſubſidium proximi : ſicque ſuper argentum collocant lapides pretioſos ſanctarum operationum per opera miſericordiæ. *L.4. d.21.p.1.dub.3.*

53. *Peccati venialis natura, differentia,& effectus expenduntur.*

Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc , aurum , &c. ligna,fœnum , &c. Nota, quod una ſcriptura multis modis poteſt exponi , ita tamen, quod unus eſt principalis & litteralis ſenſus, plures autem poſſunt eſſe per adaptationem. Iſta ergo ſcriptura à D.Hieron.per adaptationem explicatur de peccatis mortalibus , & comentis falſis dogmatibuſque hæreticis , quæ impii ſuper veritatem fidei effingunt : tamen ad litteram Apoſtolus loquitur de peccatis venialibus in quantum ſunt cremabilia , cremabile autem , quod præſtat pabulum, & conſumitur ab igne in triplici differentia eſt : quoddam enim eſt,quod durat diutius: quoddam citiſſimè conſumitur ; & quoddam medio modo. Primo modo dicitur lignum , eſtque peccatum veniale gravius. Secundo modo dicitur ſtipula,quod fit ex ſurreptione, eſtque levius.Tertio modo dicitur fœnum,quod tenet medium inter utrumque extremum. Sed quomodo dicuntur venialia ſuperædificari ſuper fundamentum fidei; cum potius pertineant ad deſtructionem , & cremabilia ſint ? Reſpond. primò , quod per lignum poteſt intelligi opus bonum, cui tamen eſt annexum aliquod veniale peccatum ; & tale opus ex una parte habet , quod ſit de ædificio ; & alia, quod ſit cremabile : & hoc intervenit ſæpiſſime ; idem & dicendum de ſtipula , & fœno. Secundò reſpond. quod dicuntur ſuperædificari,non ut ſint de ædificio , ſed quia fundamentum ædificii non ſubvertunt, ſed ſimul ſtant cum illo , ſcilicet cum gratia Dei : & in hoc ſenſu dicuntur ſuperædificari , licèt de ſe ſint cremabilia : & hoc maximè verificatur de peccatis venialibus , quæ in habitum,& in uſum convertuntur.*L.4.d.21.p.1.dub.1.2. & 3.ep.de tribus erna.c.1.& 5.Comp.Theol.l.7.c.3.* Ad clariorem autem intelligentiam , addimus, quod dicit S.Bern.ſer.de ligno , fœno, &c. Chriſtus eſt fundamentum : lignum fragile eſt.fœnum molle , & ſtipula levis.Lignum ſunt, qui fortiter incœperunt,ſed fracti non perſeverant , nec proſequuntur viam perfectionis, fœnum ſunt, qui fugienda mollitie tepefacti,nec ſummitate digiti(ut dicitur) labores arduos attingere volunt , ſtipulæ ſunt, qui levitatis motibus exſufflati , nunquam in eodem ſtatu permanent. Iſti licèt fundamentum non relinquant , tamen ſalvi erunt per ignem.

54. *Purgatorium, & ejus ignis hic à Paulo proponitur , & quinam in ipſum intrabunt.*

Uniuſcujuſque opus quale ſit,ignis probabit. ſi cujus opus manſerit quod ſuperædificavit,mercedem accipiet.Si cujus opus arſerit,detrimentum patietur:ipſe autem ſalvus erit ; ſic tamen quaſi per ignem. In his verbis involuuntur multæ quæſtiones verè difficiles ; & primò,an quicumque etiam ſanctus purgatus.& purus in tranſitu ex hac vita. per ignem tranſire debeat ; ratio dubitandi eſt dictum

Apoſtoli

Apoſtoli : unuſcujuſque opus qnale ſit, ignis probabit. Secundò an verè ſit Purgatorium, in quo cremantur peccata venialia, & reatus nondum purgatus, ipſorum, & etiam mortalium jam quoad culpam expiatorum. Tertiò an ignis verè ſit in purgatorio materialis, cum dicat Apoſtolus: & ſic ſalvus erit, ſic autem quaſi per ignem: ubi ly quaſi videtur importare ſimilitudinem, non veritatem. Ad primam quæſtionem reſpondetur, quod licet aliqui DD. affirmaverint, omnes, quicumque illi ſint, etiam ſanctiſſimos debere in evolando ad Cœlum, prius tranſire per ignem: & hoc affirmant Orig. Lactant, aliique pauci: tamen licet, hæc opinio non fuerit damnata tamquam hæreſis, ut advertit Bellarm. communiter tamen eſt à Theologis rejecta; quia caret Fundamento. Sententia enim D. Pauli intelligi debet, quod ignis probabit opera tantum eorum, quæ involuunt aliquid cremabile, ut docet ſupra Seraph. Doct. quod non concurrit in operibus Sanctorum. Ad ſecundam reſpond. hic ad litteram Apoſtolum admittere Purgatorium: ſic determinatum eſt in Concil. Florent. & eſt ſenſus communis Eccleſiæ, & de fide: non vero determinatum eſt de loco, & de igne materiali: Sed tamen communis ſenſus eſt eſſe ſitum in terra, in loco prope infernum. Ad tertiam de igne materiali, nec hoc eſt de fide, & de hoc aliqualiter dubitavit Auguſt. ut advertit S. Bon. infra cit. Attamen communis ſenſus S.S. PP. Latinorum omnium eſt ibi adeſſe ignem materialem, qui elevatus virtute divina, comburit, & torquet animas purgandas à ſcoriâ peccati: imo etiam à culpa venialium non delera. & hoc virtute gratiæ ſanctificantis, & ignis, & pœnæ exterioris, quæ loco concurſus voluntatis mærentis ſuccedit: uti etiam in parvulis baptizatis deletur, & culpâ & pœna ſine concurſu voluntatis, ſed ſolum per gratiam, & baptiſma. Ad fundamentum notatum; ſcilicet ad ly, *quaſi per ignem*, iſta particula importat veritatem. ut *In Ioan. c. 4. dicitur: gloriam quaſi unigeniti* & paſſim uſurpatur in ſcriptura: tum etiam quia poteſt ſignificare ſimilitudinem illius, qui ex incenſa domo, elabitur, & tranſit ambuſtus per ignem. *L. 1. d 21. p. 1. a. 2. per tot. & d 20. p. 1. a. 1. q. 1. op. Comp. Theol. l. 3. c. 7. & l. 7. c. 2. & 3.*

§5. *Anima juſta templum eſt Chriſto conſecratum.*

Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis. Et infra addit: templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. O quam felix nuncium eſt hoc, quod animæ juſtæ affert Apoſtolus. Vos ô juſti, ait, eſtis templum Dei ſanctum, in quo ipſe Deus habitat. O quam felix qui talis eſt. Nota autem, quod dicitur juſtus Templum ſanctum Dei; quia ſanctificatum, & dedicatum, & conſecratum ad modum, quo conſecrantur templa materialia; quatuor autem ad hoc requiruntur: aſperſio, ſignatio, inunctio, illuminatio; aſpergitur aqua, ſignatur cruce in parietibus, inungitur oleo, illuminatur lumine candelârum: ſic ſanctificatur, & conſecratur ſpiritualiter anima in templum Chriſti: debet aſpergi aqua compunctionis, & aſperſorio humilitatis ſignificatæ in hyſopo: & hac aquâ ante omnia abſtergitur ab omni ſorde, & putificata ſeddîtur. Secundò ſignatur cruce mortificationis, & pœnitentiæ & memoriâ, meditationeque paſſionis Chriſti. Sed adverte, quod cruces, quibus parietes ſignantur, debent inungi oleo: & ſimili oleo inunguntur noſtræ pœnitentiæ pro Chriſto aſſumptæ, quia cum ipſis Epiſcopus infundit cordi lætitiam ſpiritualem, ex quo ſequitur illuminatio piæ & honeſtæ converſationis. Non enim ſufficit viro ſancto, quod in ſe ardeat, ſed debet foris lucere per virtuoſam converſationem. *Ser. 1. dedic. fer. 3. fer. 2. Paſcha. Ioan. cellat. 77. ap. ſpecul. diſcipl. p. 1. c. 12.*

§6. *Cor juſti templum eſt Dei, locuſque orationis Deo dicatum.*

Neſcitis, quia templum eſtis, &c. Juſtus quidem templum eſt Dei; ſed præcipue ipſius cor: quia cum templum Dei ſit locus orationis; ideo & cor templum, & locus orationis eſt, in quo debet homo offerre ſua vota Deo. *Ser. 1. dedic.*

§7. *Va & iterum va violanti templum Dei materiale, & ſpirituale.*

Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Dominus. Ecce quomodo ex qualitate pœnæ à Deo comminatæ, cognoſcitur qualitas ſceleris violantis Dei templum, non ſolum materiale, ſed magis ſpirituale; & de hoc loquitur ad litteram Apoſtolus. Sed quomodo violatur? violatur materiale, ipſum prophanando malis operibus, & contemptu ſacrorum, violatur templum ſpirituale animæ quando aſpergitur non aquâ compunctionis, ſed carnalium voluptatum: quando ſignatur non ſigno crucis, & pœnitentiæ, ſed ſignis ſuperbiæ, laſciviæ, avaritiæ, per quæ unctio Spiritus Sancti abigitur; & tunc cor per peccatum gratiâ privatur, & polluitur ſorde vitiorum, ſicque effugatur Spiritus Sanctus; & illud in diaboli poſſeſſionem traditur. O infelix anima in quales miſerias ſic te præcipitas? *Ser. 1. dedic. ſer. 3 fer. 2. Paſchæ.*

§8. *Ad ſtultitiam, quæ eſt vera ſapientia apud Chriſtum ſuadet nos Apoſtolus.*

Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat ut ſit ſapiens: ſapientia enim hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum. Vide quomodo iterum Apoſtolus invitat ſequaces Chriſti ad amplexandam ſapientiam Chriſti, quæ apud Mundum ſtultitia videtur; nempè ad humilitatem, abjectionem, depoſitionem ſui proprii judicii, ad contemptum vanitatum mundi: nam hæc eſt vera ſapientia: ſicut è contra vera, & ſtultiſſima ſtultitia eſt prudentia carnis, & Mundi. *Sermon. 2. Hexam. Luc. cap. 19. verſ. 4 ſermon. 2. S. Marci. Pſal. 15.* Et in religionibus ſignum patens in novitiis, quod ipſorum vocatio non eſt bona, quando in principio non fiunt taliter ſtulti. ſed retinent ſuum proprium conſilium, & prudentiam carnis. *Op. ſpecul. diſcipl. p. 2 c. 3.*

59. *Deus comprehendit ſapientes mundi in aſtutiâ ſuâ: eorum ſapientia, vana oſtenditur.*

Scriptum eſt: comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. Sic ex Job c.5: & iterum Pſal.93. *Dominus novit cogitationes ſapientum, quoniam vanæ ſunt.* Prima auctoritas eſt non Job ſed Eliphaz dicta contra Job, & licet iſta verba non habeant auctoritatem S. Scripturæ, ſed tantum viri ſapientis; hanc tamen ut veriſſimam affert Apoſtolus. Sed quomodo dicitur Deus comprehendere ſapientes in aſtutiâ eorum: Hoc fit, quando per id, quo aſtutè volebant evertere conſilium Dei, Deus illud ipſum adimplet, ut patet ex pluribus locis S. Scripturæ: ut in Joſeph tradito à fratribus: In Aman, in Scribis, & Phariſæis: in perſecutione mota contra David à Saul, & Achitophele: oſtendens Deus per hoc, quod cogitationes ſapientum Mundi vanæ ſunt. Addit S. Hiero. ad Pſal.93. vultis ſcire, quoniam cogitationes hominum vanæ ſunt? Pater & Mater nutriunt filium, promittunt ſibi de illo felicitatem; mittunt ad ſtudia, erudiunt: venit uſque ad adoleſcentiam, diſponunt, ut etiam militet, vel ad alium gradum aſcendat; & cum omnia cogitaverint per annos triginta, una febricula venit, & tollit omnes cogitationes eorum. O curas hominum! O quantum eſt in rebus inane: una cogitatio felix eſt, cogitare de Domino. *Pſal.13. Luc.c.21.v.14. Ioan. c.12. in fin. Eccleſ. proem. & c.1. ep. de dono ſap. c.1.*

60. *Deo ſe totaliter convertens, & ſubjiciens, Dominus omnium ab ipſo Deo conſtituitur.*

Nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim veſtra ſunt ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive Mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura. omnia veſtra ſunt. Nota hic, quod Hus, Vicleph, aliique hæretici ex hoc textu delitant, dicentes: juſtos eſſe proprie Dominos omnium rerum: ſed talis ſenſus non eſt admittendus in iſtis verbis, nec etiam, quod omnia bona ſint communia, ut erant in ſtatu innocentiæ: non enim loquitur de proprietate, & poſſeſſione, ſed de fine, & uſu: quia ſcilicet Deo ſe totaliter ſubjicienti, & convertenti, Deus ſubjicit omnia; ideſt ut ipſi inſerviant in miniſterium, & auxilium ſalutis; ſcilicet ad uſum vel realem, vel mentalem; qui eſt in omnibus creaturis agnoſcere, & laudare creatorem, & ut ex ipſis merita colligat. Ad hoc enim omnia à Deo fiunt. Vide quàm vera ſit iſta propoſitio. Quædam enim ſunt ſuperiora, quædam paria, quædam inferiora: ſuperiora ſunt viri juſti ad fruendum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Pſal. 78. æqualia ſunt.* Angeli & beati; ſuntque ipſius juſti ad coadjuvandum: inferiora ſunt & juſti ad utendum, & dominandum, jure communitatis charitatis; quia omnia ſubjecit ſub pedibus ejus. *L. 2. ſent. in prolog. Op. Apol. paup. reſp. 4. c. 1. Luc. c. 12. v. 31. cap. 15. v. 32. c. 18. v. 30.*

61. *Omnium creaturarum, & præcipuè hominum finis Chriſtus Jeſus ut Deus, & homo.*

Omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Ecce, ad quid terminat iſta poſſeſſio, & dominium rerum; ſcilicet ad Chriſtum, ut hominem & Deum: nobis enim ſubjecit omnia; & nos conſtituit membra myſtica Chriſti, qui Dominus, & caput eſt omnium creaturarum, ut Deus eſt: & ut homo Dei eſt ut Domini. Vult ergo dicere Apoſtolus, quod omnes fideles, maximeque electi ſunt, finis propter quem Deus creavit omnia, & horum omnium finis, eſt Chriſtus, ut homo, ut omnia ſervirent ei, & ad ſuam gloriam ordinarentur: Chriſtus autem eſt Dei, ideſt propter Deum, & Dei gloriam, ergo non in Paulo, non in Apollo, non in Petro, ſed in ſolo Deo, ad quem omnia alia reducuntur, eſt gloriandum: ergo à Deo ſolo per Chriſtum omnia bona habemus. *Luc. c. 3. in fin.*

CAPUT IV.

In hoc capite Apoſtolus pergit in ſchiſmate, faſtu, & gloriatione Corinthiorum, ac præſertim Doctorum aliquorum arrogantium, qui Paulum deſpiciebant evellendo. Unde primò oſtendit ſe non curare, nec curanda eſſe hominum judicia, ſed ſolius Dei. Secundò eorum inflationem redarguit. Tertiò proponit exemplum ſuum, & aliorum Apoſtolorum, quorum gloriatio, & vita erat in omni humilitate, & afflictione, ſeque tractabant tamquam purgamenta mundi, & tandem dicit, ſe venturum Corinthum ad corrigendum illos pſeudo doctores, &c.

62. *In curia Chriſti nobiliores inferioribus miniſtrant.*

Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Nota ad litteram quod Apoſtolus cum vetuerit ne in hominibus Paulo, & Apollo Corinthii gloriarentur, infert quod hinc nec eos contemnere debent, cum omnes ſint miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei; ideſt doctrinæ myſticæ, & arcanæ, & Sacramentorum Chriſti, quæ ipſe credidit Paulo, & Apoſtolis, tamquam ſuis œconomis. Et cum fuerint conſtituti miniſtri, & œconomi Chriſti, ut inferioribus miniſtrarent, patet, quod rectus ordo in curia Chriſti eſt ut nobiliores miniſtrent, & ſerviant inferioribus, ut qui major eſt, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. *Luc. c. 9. v. 16. c. 13. v. 52.*

63. *Miniſtr.*

Digitized by Google

63. *Miniſtri Eccleſiaſtici ſunt mere œconomi Chriſti, non Domini, idcoque cavent à ſimonia.*

Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum, &c. Notent iſta verba Apoſtoli miniſtri Eccleſiaſtici, Epiſcopi, Curati, Sacerdoteſque: Cum enim ſint à Chriſto conſtituti villici, non Domini œconomi, & Miniſtri, ut diſpenſent in nomine Chriſti myſteria; ſcilicet doctrinam chriſtianam, & ſacramenta Eccleſiaſtica; hinc ſequitur, quod ſi propter temporalia diſpenſabunt ſpiritualia per ſtudioſam voluntatem vendendi, & conferendi ſpiritualia; cum iſta non poſſint cadere ſub pretio temporali, manifeſtam injuſtitiam contra Deum committunt, ſimoniæque labe ſe inficiunt: gratis enim accepiſtis, ait Chriſtus, Matth. c.10. gratis date. *Op. ſpecul. anima c.2. Luc.c.16.v.1.*

64. *Diſpenſator, & miniſter fidelis Chriſti quis ſit.*

Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ad litteram conatur Apoſtolus abſtrahere Corinthios à diſputando quis fidelis diſpenſator: An ſcilicet Paulus, an Apollo, an alii? denotans ſe non curare ipſorum judicia, ſubdens: mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die; ideſt ab humano judicio. Omnibus tamen miniſtris Eccleſiæ myſtice dirigit hæc verba: hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur, quaſi dicat: O quàm pauci tales ſunt. Sed in quo conſiſtit hæc fidelis diſpenſatio? ecce conditiones fidelis diſpenſationis. Primo debet miniſtrare honorabiliter, & idonecè, exhibendo ſe talem, & faciendo ſe talem, qualis debet eſſe. Secundo humiliter, & obedienter, ſcilicet adimplendo Dei voluntatem, & ſe ſub Deo humiliando. Tertio intelligenter, & prudenter, diſcernendo quæ ſunt placita Deo, & quæ non: quæ agenda, & quæ declinanda. Quarto alacriter, & ferventer. Et cum iſta ſint neceſſaria ad fidelem diſpenſatorem; hinc patet quam pauci ſunt tales. *Ioan. collat. 58. Luc. c.12.v.42.c.19.v.17.*

65. *Laudes humanas caveat affectare, vel æſtimare, etiam deſpectus humanos miniſter, & ſervus Dei.*

Mihi autem pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Nota ly, pro humano die, intelligit enim potentes, & ſapientes mundi; ſicut in Jerem.c.17. dicitur, *diem hominis non deſideravi*; Scilicet laudem, gloriam, potentiam hominum. Sicque vult dicere nihil timeo quod vos me judicetis; aut potentiſſimi, & clariſſimi hujus Mundi, cum ſolum Deum teſtem habeam mearum actionum. Ecce hic perbellum, & ſummè neceſſarium documentum miniſtris laborantibus in vinea Domini, quaſi dicat: ſtude, ô ſerve Dei, ô miniſter publice Chriſti humano judicio non moveri, nec delectari favoribus; nec deſpectu contriſtari; quia judicium cæcum eſt frequentius, & ignorat veritatem, & fallitur ſæpiſſime: nec ſi laudaris ab homine, es ideo laudabilior; nec ſi deſpiceris, es ideo vilior: ſtultus eſt, qui ſtulta placere ſtudet: unde cum aliquid agere te contingit æſtimabile, ut prædicare, vel ſimile, non anxieris, quod ad placitum hominum hoc facias, ſed invocato auxilio Dei, prout melius expedire ſecundum Deum intelligis, ſtude facere; & ſi bene ſucceſſerit, Dei adjutorio refer gratias, & noli extolli; quia non propter te, ſed propter aliorum orationes, & merita gratiam tibi datam debes æſtimare. Si autem minus bene ſucceſſerit, noli turbari, nec pudore confundi, ſed gratias Deo refer, qui ſic te ab elevatione defendit: ſive autem bene, ſive minus bene ſucceſſerit, ſtatim habe te interius, & exterius, ac ſi non feceris, laudet qui vult, vel deſpiciat, quid ad te? tu tace, excuſationes cave, quando debes aliqua hujuſmodi facere. Omnes ſumus expoſiti alterutrum, ut alter alteri placeat, vel deſpiciat; & ideo nihil in hoc melius eſt, quam quod ſoli Deo ſtudeas: homo placere, & proximum non ſcandalizare, vel ſcienter offendere, & committere Deo, ſi hominibus placeat, vel deſpiciat humiliter, & patienter, ut poſſit dicere cum Apoſtolo: mihi pro minimo eſt; ideſt parvi æſtimo, ut à vobis judicer, &c. & ideo quibus places, adſcribe eorum benevolentiæ, non tua probitati: quibus autem diſplices, attribue tuo merito. O inſigne documentum & monitum iſtud eſt, & diligenter memoriæ habendum. *Op. de inſtit. Novit. p.2.c.10. Diat. tit.7.c.1.*

66. *Nemo certitudinaliter ſine revelatione divina poteſt ſcire ſe eſſe in charitate, & cur hoc.*

Sed neque me ipſum judico, (ideſt non poſſum certo judicare mea opera intentionem, & conſcientiam) *Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Quaſi dicat, non judico me, licet nullius infidelitatis in munere apoſtolico mihi conſcius ſim, non ideo tamen revera juſtus ſum, non coram hominibus, quorum judicium non curo, ſed coram Deo; ipſe enim forte, in me peccata videt, quæ ego non video. Ex quibus patet, quod nemo certitudinaliter poteſt ſcire, an ſit in charitate (quicquid in contrarium crocitent peſſimi hæretici) ratio autem eſt multiplex: tum quia ad ſanctificationem requiritur acceptatio Dei, quæ nobis eſt occulta; tum ratione ſimilitudinis charitatis infuſæ ad acquiſitam per aſſuefactionem: tum ratione lippitudinis noſtri oculi, non valentis diſtinguere inter lumen gratiæ gratis datæ & gratum facientis: tum ratione diſpoſitionis divinorum judiciorum: Deus enim claudit oculos ſervorum ſuorum, ne videant ſua dona, & gratias: è contra ſuperbia aperit oculos ad videndum ea, & elevandum in ambitionem: unde quilibet debet timere, & trepidare. Addimus tamen, quod licet per ſigna certa non poſſit id cognoſci, poteſt tamen probabiliter per probabilia, ut eſt mortificatio carnis, & concupiſcentiarum, & ſimilium, quæ afferunt ſancti. *L.1.d.17.p.1.q.3. l.3. d.3. p.1. dub.5. & l.4.d.16.p.2.a.2.q.2. op. Diat. tit.7.c.1. Pſal.2. & 37.*

67. *Juſti*

67. *Juſti à Deo illuſtrati, ad Dei judicium referunt bonum, & malum, non judicium hominum.*

Qui autem judicat me Dominus eſt. Ecce quod Apoſtolus humillimus, deſpiciens judicia vana hominum, ad Deum omnia refert, ſciens ipſum ſolum remuneraturum bona opera, & ab ipſo expectandum præmium non ab hominibus, & in judicio publicandum eſſe, & bonum, & malum. *Op. Diat. tit. 7. c. 1. Pſal. 118. c. 4. v. 7. Luc. c. 13. v. 15.*

68. *Judicium temerarium tam circa ſe quam circa alios eliminet à corde omnis homo. Vbi de aperitione conſcientiarum libri, & manifeſtatione boni, & mali in judicio univerſali facienda.*

Qui autem judicat me, Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus judicare, quo ad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo. Vide quali efficacia Apoſtolus docet, judicia temeraria à corde eliminanda tam in ordine ad noſipſos, quam ad alios. Vult dicere, cum ſoli Deo pateant occulta cordis & bonum, & malum, vitare debemus omne judicium temerarium, ex hoc, quod ſoli Deo nota eſt juſtitia, & injuſtitia noſtra, ſed refrenandum eſt tale judicium cum patientiâ, expectando tempus, in quo aperientur libri conſcientiarum, & manifeſtabuntur omnia abſcondita cordium, & tunc omnia omnibus parebunt; & laus erit unicuique. qui bona geſſit à Deo qui non poteſt errare. Unde ſicut ad adventum ſupremi principis ceſſat auctoritas inferioris Judicis; ſic & in nobis infimis debet ceſſare omne judicium circa occulta noſtra, & proximi; cum ad ſupremum principem id ſpectet, qui judicat inceſſanter omnes nos. Unde judicans temerariè, verè uſurpat Dei ſummi jus, & auctoritatem, ipſumque graviſſime lædit. *l. 4. d. 13. a. 3. qu. 1. op. Diat. tit. 9. c. uni. & append. Diat. ad Dom. 4. Adv. op. regul. Novit. c. 12. ſim. p. 3. c. 8. ſp. cu. an c. 1. Luc. c. 8. v. 17. c. 12. v. 2. c. 16. v. 14. c. 21. v. 8 ſer. 2. Dom. 4. Adv ſerm. 1. Dom. ſer. 1. Dom. 11. Pent. ſer. 1 S. Andr. ſer. 3. dedicat. in addit.*

69. *Transfiguratio Pauli ad ſalutem aliorum facta, expreſſio transfigurationis Chriſti ad ſalutem omnium ſtatuum Eccleſiæ.*

Hæc autem transfiguravi in me & Apollo propter vos, ut in vobis diſcatis, ne unus adverſus alterum infletur pro alio. Nota, quod ſuperiora documenta tradidit Corinthiis Apoſtolus, afferens in medium ſeipſum, & Apollo tamquam magiſtros, ut ex ipſorum humilitate, & bonitate diſcant quomodo ſe gerere debeant cum proximo. Utitur autem hoc nomine transfigurationis, alludens ad transfigurationem Chriſti, qui voluit transfigurari ſe in Petro, Jacobo, & Joanne, ut viam pararet Prælatis, contemplativis, & activis aſcendendi per ſcalam virtutum ad montem gloriæ. *Ser. 4. Dom. 2. quadrag.*

70. *Vana gloria maxima ſtultitia eſt.*

Quid habes, quod non accepiſti, &c. Vide quomodo hic Apoſtolus reprehendit gloriantes ſe de donis à Deo acceptis, & præcipue hic agit de ſapientiâ illorum magiſtrorum, qui ſe extollebant, & gloriabantur vane. Quid habes, ait Apoſtolus, quod non accepiſti; ſcilicet miſericorditer, ſine tuis meritis, à Deo? & ſi hoc, quid gloriaris in ſapientiâ, quæ non eſt tua? quia ab alio accepta. Et hæc ſtultitia maxima eſt, ſicut rationi contrarium gloriari de dono alterius contra dantem: Ergo à Deo omne bonum recognoſcendum, & in ipſum humiliter referenda omnia noſtra. *Serm. 1. de una Mart. ſer. 4. de uno Confeſſ. Luc. c. 7. v. 42. c. 10. v. 11. Ioan. c. 7. v. 19. & collat. 6.*

71. *Ingratorum ad Dei dona quatuor ſpecies expenduntur.*

Quid habes, quod non accepiſti, &c. Jam ſaturati eſtis; jam divites facti eſtis; ſine nobis regnatis. & utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus. Poſtquam Apoſtolus vanam gloriam à corde Corinthiorum, & præcipue magiſtrorum ipſorum vane ſe gloriantium eliminare contendit, addit hic quatuor ſpecies vanæ gloriæ. Prima eſt cum quis bonum, quod habet, id non à Deo, ſed à ſeipſo habere putat, quod tangit in his verbis: quid gloriaris, quaſi non acceperis? tangens in his etiam ſecundam, quæ eſt cum quis bonum, quod habet ſuis meritis aſcribit. Tertia eſt, cum quis jactat ſe habere, quod non habet; hanc tangit, cum ait: jam ſaturati eſtis, jam divites facti eſtis, ſcilicet jam oppleti eſtis ſapientiâ, gratiâ, & donis Spiritus Sancti, quod ironicè dicit contra ipſos. Quarta eſt, cum quis alios deſpicit, vultque habere ſingularis: hanc tangit, dicens, ſine nobis regnatis: ideſt ſine noſtro auxilio triumphare vos putatis, unde verſus. A ſe pro meritis, falſo plus omnibus inflat. Addit S. Bon. qui ſuperbit de donis, quæ à Deo ſolo ſunt, ſimilis eſt corniculæ, quæ gloriabatur de pennis aliarum avium: ſed dum quælibet avis ſuas ſubtraxit ab ea, remanſit nuda penitus & omnis ejus gloria in ignominiam eſt converſa: ſic & in die judicii, cum divinis gratiis ſuperbus, nudabitur, miſer non habebit, unde valeat gloriari, quia ſolis peccatis, quæ propriè ſunt ſua, tunc invenietur onuſtus, audiant, hæc ſcientiati divites, &c. *Ser. 1. de S. Marco. Op. Cenit. 1. ſect. 17 & D. Thom. etiam.*

72. *Chriſtus Apoſtolos, ejuſque Miniſtros non regno, & triumphis, ſed morti, & perſecutionibus deſtinavit.*

Puto, quod Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit (ideſt conſtituit ut legit Syrus) tamquam morti deſtinatos. Hic Apoſtolus deſignat diſcrimen inter quærentes gloriam propriam, & gloriam Chriſti, inter Apoſtolos veros & falſos. Chriſtus enim ſuos Apoſtolos, & miniſtros elegit, & conſtituit, deſtinavitque non ad regnandum, & triumphandum temporaliter in hoc mundo, ſed ad perſecutiones, ad mortem & martyrium, ut ſic eſſent in exemplum aliorum. *Ser. 1. & 2. in Converſ. S. Pauli.* Obſervant autem hic aliqui facti expoſitores illud verbum, deſtinatos: cur dicit deſtinatos: ergone ad

mortem

mortem, & non ad gloriam ſuos deſtinat Chriſtus? Sed dicit deſtinatos ex deſtina: hoc enim nomen eſt funis jam impoſiti ad collum illius, qui ducitur ad patibulum, & proxime ſuſpendendus eſt: utitur ergo hoc nomine, ut diſcamus, quod ſervi Dei debent vivere cum trepidatione mortem continuè expectantes, ac ſi modò & proximè ſubjecti eſſent patibulo: Unde ſic pie, juſtè, & caſtè debet vivere homo, ac ſi ſciret proprie, & pro certo ſe eodem die, vel ſtatim moriturum: quare deſipiuntur illi, qui dicunt; ſi ſcirem me moriturum infra breve tempus, ſta bene me præparatem, & tam ſanctè viverem: Imo Deum amans dicere debet: ſi ſcirem me debere vivere mille millia annorum, vellem vivere bene, ac ſi hodie deberem mori. *Op. ſtim. p.2.c.16.*

73. *Quale ſpectaculum ſint Mundo, Angelis, & hominibus à Dei ſervis: ubi de exemplaritate religioſorum.*

Spectaculum facti ſumus Mundo, & Angelis, & hominibus. Quale hoc ſpectaculum? Theatrum legit S. Hieron. ideſt facti ſumus ut damnati, qui in theatro morituri, traditi beſtiis ſpectantur à Populo. Angelis, & hominibus facti ſumus ſpectaculum, bonis quidem compaſſionis, admirationis, ac venerationis: malis autem odii, & gaudii: gaudii ob contumelias, & paſſiones nobis illatas: & ex alia parte iiſdem malis ſpectaculum terroris, odii & confuſionis. Hocque maximè dicitur de ſervis Dei, & religioſis, ut diſcat qua diligentia debeant vitare mala exempla; & bona exempla vitæ ſanctæ mundo præbere, ut Angelos lætificent, & homines ædificent; & dæmones, malòſque confundant. *Diæt. tit. 4. capit. 1. ſpecul. diſcipl. p. 1. c. 32. Luc. c. 14. v. 29. ſer. 2. in Converſ. D. Pauli & ſer. 2. de Apoſt.*

74. *Servi Dei ſtulti, infirmi, ignobiles, eſurientes &c. ſervi mundi è contra prudentes, fortes, nobiles &c. & quomodo.*

Nos ſtulti propter Chriſtum; vos autem prudentes in Chriſto: Nos infirmi, vos fortes; vos nobiles, nos ignobiles &c. Ecce quomodo via, & ſequela Chriſti contraria eſt viæ, vitæ, & ſequelæ Mundi: nam ſervi Dei ſtulti reputantur propter crucifixum, actus, mores, & abjectiones imitantes: mundi verò ſequaces videntur prudentes in Chriſto: ideſt dum concionantur, & ſcientias divinas docent, ſed per eloquentiam, & auctoritates mundanas, & vanas: quia ſemper contraria ſunt divina humanis. Et advertit S. Bonav. quod clerici, & religioſi tonſurantur in capite; ſicut ſæpe fit ſtultis, ut diſcant, quod ipſorum ſapientia debet eſſe ſectari Chriſtum per viam abjectionis. *l. 4. d. 24. p. 1. qu. 1. ſer. 1. de S. Marco aliiſque locis infra cit.*

75. *Vita apoſtolica conſiſtit in ſumma paupertate, indigentiâ omnium rerum, & in tolerantiâ paſſionum.*

Sic enim dicebat Paulus: *uſque in hanc horam:* (ô felix hora) ideſt continuè & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, (ideſt certam ſedem non habemus, in incertis errantes, & vagantes. *Vid. expoſ. in regul. c. 4. & 10. Apol. paup. reſp. 3. c. 1. & c. 2. ſer. 3. Dom. 20. Pentec. ſer. 1. & 2. converſ. S. Pauli Luc. c. 6. v. 20 ſer. 2. de S. Marco in addit.*

76. *Proprium eſt ſequacium perfectorum Chriſti reddere bona pro malis: æſtimareque tamquam pretioſiſſimas merces conſemptus, & abjectiones mundi.*

Maledicimur, & benedicimus, perſecutiones patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus, tamquam purgamenta hujus mundi facti ſumus omnium peripſema &c. Ecce qualem legem impoſuit Chriſtus ſuis ſequacibus, nempe reddere bona pro malis, & quo graviora ſunt mala, eo potiora bona: unde falſò gloriantur ſe ſequaces Chriſti, qui hanc legem inviolabilem non ſervant, ſicuti perfectiſſimè ſervavit Paulus & Apoſtoli etiam ſi tamquam purgamenta, & fæces, & excrementa, & peripſema mundi ab omnibus conculcarentur; peripſema enim eſt purgatura porci, ſeu limatura ferri, illa ad porcos, iſta ad terram conculcanda projicitur: ſic nos cunctis viliſſimè apparemus: rejicimur, & conculcamur. *Ser. 2. Dom. 1. Paſchæ ſer. 1. & 2. Converſ. S. Pauli & ſer. 2. de Apoſtol.*

77. *Chriſtus ſuam ſponſam Eccleſiam committit Prælatis Eccleſiaſticis, ut ſibi filios generent in ipſa.*

Non ut confundam vos hæc ſcribo (ſcilicet ut hæc vobis exprobrem) *nam in Chriſto Ieſu per evangelium vos genui.* Verè Paulus exercuit rectè officium, ad quod devinctus fuerat à Chriſto; qui deſponſatâ ſibi Eccleſiâ, ipſam commiſit Prælatis Eccleſiaſticis, ut pro Chriſto filios ſibi generent, eoſque lacte doctrinæ chriſtianæ paſcant. Audiant hæc Prælati ſteriles, qui ob negligentiam, & cupiditatem, malaque exempla non Chriſto, ſed diabolo filios generant. *Luc. c. 8. v. 51. & c. 20. v. 28. Ioan. collat. 15. ſer. 3. de Doct. in addit. op. apol. paup. reſp. 4. c. 3.*

78. *De exemplo bono, & malo Prælatorum ſit expenſio.*

Rogo vos ergo imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Nota ly ſicut & ego Chriſti, per quod exprimitur qualitas boni, & mali exempli Prælatorum: nam bene viventes, & docentes trahunt ſuos ſubditos exempli imitatione, qualem recipiunt à Chriſto. Male viventes dicent imitatores mei eſtote; in quibus imitatores non ſumus Chriſti, ſed diaboli, qui eſt mendacii. *Op. Apolog. paup. reſp. 1. c. 1.*

79. *Non in eloquentiâ vanâ, ſed in energiâ ſpiritus eſt prædicatio verbi Dei facienda.*

Veniam autem ad vos, & cognoſcam non ſermonem eorum, qui inflati ſunt, ſed virtutem. non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. Iterum hic Apoſtolus repetit modum, quo prædicandum eſt Evangelium; ſcilicet non in ſermone; ideſt robur non eſt faciendum in facundiâ, & eloquentiâ vanâ, ſed in energiâ ſpiritus, in

qua & à qua dependet omnis efficacia, quæ virtus conſiſtit in concurſu Spiritus ſancti, in vitâ apoſtolica, & perfectione chriſtiana, in Exemplaritate vitæ. *Ioan.collat.* 81. *& S. Ioan Chriſoſtomus. Anſelm. & alii.*

80. *Prælatis Zelus cum pietate, & benignitate ſit commixtus.*

Quid vultis? in virgâ veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis. Ecce qualiter Paulus inſtruit Prælatos quomodo ſe gerere debeant cum ſubditis; quia charitate in Deum, & proximum ardere debent: hinc & charitas in Deum eos accendere debet ad zelum juſtitiæ; & fraterna dilectio ad pietatem informare; nam & ſi vitiis debetur virga feriens, infirmitati tamen neceſſarius eſt baculus ſuſtentans: dicente Propheta: virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Sic & ſamaritanus ille evangelicus vulneribus illius ſemivivi relicti, infudit vinum zeli ferventis, & oleum pietatis mitigantis. *Op. de ſex alis Seraph. c. 4.*

CAPUT V.

In hoc capite Apoſtolus à ſchiſmate ad ſcandalum inceſtus tranſit: reprehenditque Corinthios, quod in inceſtu publicè viventem tolerant; ideo jubet ipſum excommunicari: eis poſtea ſuadet ad abjiciendum à ſe omne peccati fermentum; ut purius Paſcha celebrent: & tandem imperat ne commiſceantur chriſtianis palam criminoſis: nam quoad infideles, & paganos attinet, aſſerit eos non ſubeſſe ſuo, & Eccleſiæ judicio.

81. *Excommunicandi poteſtas à Chriſto tradita Prælatis Eccleſiaſticis expenditur & qualiter ipſa uti debeant: ubi de poteſtate clavis, & gladii.*

Omnino auditur inter vos fornicatio &c. ego quidem abſens corpore præſens autẽ ſpiritu jam judicavi. ut præſens, eum qui ſic operatus eſt in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Ieſu tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit &c. Nota, quod talem fornicationem cum uxore Patris ſui, ſcilicet noverca publicum peccatorem excommunicavit Apoſtolus; per quod datur intelligi, quòd in Eccleſiâ adeſt poteſtas à Chriſto tradita Prælatis excommunicandi ſubditos in aliquibus gravioribus caſibus. Quid ſit autem hæc poteſtas, explicatur à Theologis tali pacto. Poteſtas tradita eſt Petro, & ſucceſſoribus ordinis, & juriſdictionis. Prima exercetur in foro pœnitentiali; ſecunda in judiciali: & quia prima aperit aditum Cœli, dicitur clavis. Secunda per cenſuram coërcet ſubditos; ideo dicitur gladius. Prima eſt poteſtas arbitrandi inter hominem & Deum, ſecunda inter hominem, & hominem: Prima collata eſt Petro, ut ſacerdoti, ideo deſcendit in omnes ſacerdotes quoad poteſtatem in actu primo, quoad exercitium vero in actu, ipſam non omnes habent. Secunda data eſt Petro ut Prælato; ideo deſcendit in omnes Prælatos habentes juriſdictionem: Hæc autem poteſtas, ſcilicet ordinis, & juriſdictionis data eſt ſimul Petro in ſua plenitudine; & poſtea in Joan. c. 20. poteſtas clavium confirmata. Et in Matth. 18. poteſtas excommunicandi: ibi ſi Eccleſiam non audierit &c. quodcumque alligaveritis. Ad hoc autem ut ritè, & rectè detur, cavenda ſunt hæc tria: primò quod non feratur animo injuſto, ſcilicet non zelo vindictæ, ſed juſtitiæ. Secundò quando non eſt cauſa ſufficiens. Tertiò non ſine debito ordine juris. *L. 4. d. 18. p. 2. dub. 2. a. 1. qu. 3.* De effectibus excommunicationis, aliiſque conditionibus, *vide D. Bon. l. 4. d. 18. p. 2. per totam, alioſq. Theologos.*

82. *Fornicatio, & adulterium eſt contra legem ſcriptam, & evangelicam, & contra jus naturale, ut expreſſè hic dicitur: & talis fornicatio, nec inter gentes &c. d. 4. d. 33. qu. 1.*

83. *Qualiter excommunicati dicuntur tradi in poteſtatem ſatanæ.*

Iam judicavi &c. tradere hujuſmodi Satanæ &c. Videtur enim, quod Apoſtolus in excommunicando, & tradendo iſtum fornicarium Satanæ, uſus fuerit miniſterio dæmonum quod eſt de ſe illicitum, ut notant Theologi: ſed reſpond. quod iſta traditio variè exponitur à Patribus; ſed communiter tamen eſt. quod dicuntur tradi in poteſtatem ſatanæ, quatenus ejiciuntur extra ſocietatem Chriſti & Eccleſiæ, ejuſque bonis, ſcilicet orationibus, ſuffragiis, ſacrificiis, ſacramentis privantur, & conſequenter cum priventur Dei peculiari protectione & cura paſtorali, tirannidi, & incurſibus diaboli, cujus regnum eſt extra Eccleſiam exponuntur; ita ut in eos magis, quam ante graventur, & in omne malum impellat. In tempore autem primitivæ Eccleſiæ, quia dæmones Apoſtolis ſubjiciebantur, & manifeſtanda erat fides per miracula, non tantum exponebantur, imo & corporaliter vexabantur ad mandatum apoſtolicum: idque decuit in principio Eccleſiæ ad terrorem; & propter excellentiam Apoſtolorum: nunc autem quamvis non ita vexentur, tamen corpore, & ſpiritu vexandi exponuntur. *L. 4. d. 18. p. 2. a. 1. qu. ad 5. & l. 2. d. 7. p. 2. qu. ult. ad 9.*

84. *Super omnia vitia peccatum carnis tradit hominem in poteſtatem diaboli.*

Iam judicavi tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis. Cur ſpecialiter de fornicario dicit Apoſtolus ſe velle illum tradere ſatanæ, & non idem de aliquo alio criminoſo; cum & infecti aliis criminibus ibi addiſcẽt? ſed optimè, & juſſu divino hoc dixit de fornicario; quia inter omnia vitia, vitium carnis ſubjicit hominem ſecundum animam, & carnem poteſtati ſatanæ; ſicut legitur de porcis in Luca c. 8. & non de aliis animalibus, quia luxurioſi ſunt porci verè à diabolo obſeſſi. *Luc. c. 8. v. 32.*

85. *Excom-*

Digitized by Google

85. *Excommunicatio ſectio, vel morbus eſt, & medicina ſimul.*

Iam judicavi tradere hujuſmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ecce qualis ſit finis, ob quem in Eccleſiâ fulminatur excommunicatio: nempe ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini, ſcilicet mortis: quia excommunicatio eſt veluti ſectio, quæ de prima ſua ratione plaga eſt, & dolorem facit, tamen in comparatione ad vulnus apoſtematis eſt medicina: ſic excommunicatio, & ſeparatio à communione fidelium dicit malum, & damnum, & pœnam in comparatione tamen ad rebellem, medicina eſt, ut ejus rebellio, & contumacia frangatur: unde ſicut qui ſyllogizat per impoſſibile deducit ad impoſſibile, non ut ibi ſiſtat, ſed ut redeat ad veritatem: ſic Eccleſia ſeparat, & excommunicat, ut redeuntem cum humilitate, & confuſum de contumaciâ arctius ſtringat, & interius claudat, ſicque humilietur, & recipi oret, veniamque roget Eccleſiam, & Deum, utque fideles ſecreto pro eo orent, & curent, ut rurſus ſibi uniatur; non enim privatur omni auxilio orationum, ſed tantum publicarum. *L. 4. d. 18. p. 2. a. 1. q. 1. ad 4. l. 2. d. 21. a. 2. q. 1. ad arg. Pſal. 8.*

86. *Scandalum, & perverſa doctrina quam pernicioſa in Congregatione, & Eccleſiâ.*

Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit! expurgate vetus fermentum, &c. Hic ad litteram Apoſtolus appellat merito ſcandaloſum fermentum; prima quidem facie modicum materialiter, ſed tamen grande virtualiter; quia ſicut fermentum modicum corrumpit imperceptibiliter, & univerſaliter totam maſſam farinæ; ſic unius ſcandaloſi labes in Congregatione, & in Eccleſiâ omnes etiam bonos pervadit, & corrumpit: Et hoc quia propter unum ira Dei in omnes ipſum tolerantes ſævire poteſt: tum quia unius exemplum, ſi multum remaneat, alii ſequuntur, & ſcandalum unum, alios inficit: & hoc evenit tum ratione malæ vitæ publicæ, tum ratione perverſæ doctrinæ, quando cum vera, & ſancta immiſcetur: tum ratione impunitæ culpæ: & hoc maxime in religionibus verificatur, ideo uti incorrigibiles ab ipſis eliminandi ſunt. *Luc. c. 4. v. 41. c. 12. v. 1. c. 13. v. 21. l. 3. d. 3. p. 1. dub. 4. op. de ſex alis Seraph. c. 3. & 7.*

87. *Ut locus in animâ detur Chriſto, ejuſque ſanctitati expurgandum, & ablegandum eſt vetus fermentum* (dicente Apoſtolo) *expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio.* Ideſt nova maſſa, vel paſta expurgata, & pura: quia niſi prius fermentum iniquitatis ablegaveris, & catenas peccati confregeris, anima tua in tenebris aggregata ad cœleſtia, nec ad novitatem poterit pervenire, elevarique. *Op. 25 minor.*

88. *Chriſtus Paſcha noſtrum proponitur maximeque in Paſchatis ſolemnitate, & in ſuſceptione Euchariſtiæ.*

Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Nota, quod antecedenter dixerat: ſicut eſtis azimi; quaſi dicat: Chriſtus noſtrum paſcha, & agnus immolatus eſt, ſcilicet ipſe convivium, & conviva, & miniſtrator; ut ſicut in azimo ſe immolavit, & ſicut in Paſcha Judæis omnia erant azima; ſic jure exigo à vobis, ut ſitis azimi, & puri, ut digne ad ſumendum Paſcha noſtrum Chriſtum Jeſum accedatis; & ut chriſtianis unus, continuuſque ſit dies feſtus Paſchæ. *Luc. cap. 15. verſ. 24. c. 22. verſ. 7. l. 4. d. 21. p. 2. a. 2. qu. 1. ſerm. 2. S. Luca in addit.*

89. *Societas malorum, maxime obſtinatorum, quam ſedulo vitanda, præcipueque ab infirmis ſpiritu.*

Scripſi vobis ne comminiſceani fornicariis, nec avaris, nec rapacibus, nec maledicis. Vide quomodo Apoſtolus efficaciſſimè jubet his fidelibus, ut ſedulo vitent iniquos, itaut nec cibum cum eis ſumant, & maximè quando mali ſunt obſtinati, & publici, & hoc maxime præcipitur infirmis: cum ſit facillimum infici ab eorum mala converſatione, hoc tamen non dicitur de perfectis, qui ad exemplum Chriſti poſſunt intendere eorum converſationi. *Luc. c. 7. v. 29. ſer. 10. Pentec.*

90. *Qui extra Chriſtum ſunt foris ſunt: qui in Chriſto, intus ſunt. Ubi de poteſtate Eccleſiæ ſuper infideles.*

Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare? nam eos, qui foris ſunt Deus judicabit. Nota, quod ad litteram Paulus vetat ſuis ſubditis ne ſocietatem, & commercium habeant cum ſcandaloſis; ſeque explicat, quod loquitur de chriſtianis; nam de Paganis ad ipſum non pertinet judicare: tum etiam quia cum Mundus eſſet tunc plenus Paganis, erat fere impoſſibile vivere in hoc mundo, cum eiſque commercium non habere: Ex quo eruitur, quod periculoſior ab ipſo exiſtimatur converſatio chriſtiani cum ſcandaloſo chriſtiano, quàm cum gentile: myſticè autem dicens ſe de iis, qui foris ſunt nolle judicare, docet quod qui in Chriſto per fidem, & amorem non vivit, tamquam extraneus, & gentilis judicandus. Qui vero in Chriſto vivit, is intra Eccleſiam, ovileque Chriſti degit. *Luc. c. 19. v. 33.*

91. *Auferte malum ex vobis ipſis.* Sic concludit caput refricans, & præcipiens ejici à ſocietate fidelium virum ſcandaloſum, obſtinatum, & incorrigibiles, ne totum gregem morbida pecus inficiat. *Op. de ſex alis Seraph. ſer. 7. Vide ſupra n. 7.*

Digitized by Google

CAPUT. VI.

Tranſit in hoc capite Apoſtolus ad litigia eaque eliminare contendit à Corinthiis: & deinde docet iniquos regnum Dei non poſſe intrare: & tandem inſectatur fornicationem multis argumentis.

92. *Apoſtoli aſſeſſores Chriſti erunt in judicio, & judicabunt etiam Angelos.*

Audet aliquis veſtrum habens negotium (ideſt litem) *adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos*; ideſt apud ethnicos, & non apud chriſtianos. Prohibet igitur ne chriſtiani recurrant ad tribunalia gentilium; ſed remittant omne judicium chriſtianis idoneis. Subdit: neſcitis, quia Angelos judicabimus? Vide hic quanta ſit ſublimitas poteſtatis Apoſtolorum qui cum ſupremo ludice Chriſto, ut aſſeſſores judicabunt Angelos bonos judicio approbationis, laudis, & glorificationis: malos judicio condemnationis,& reprobationis; quod ſcilicet ipſi cum homines eſſent in corpore fragili, Dei cultum, omnemque puritatem amplexi ſunt; quod illi cum ſint incorporei facere noluerunt.Et ſi Angelos judicabunt,multo magis cæteros.*L.4.d.47.a.1. per totum.*

93. *Litium conteſtatio qualis licita, qualis illicita in Eccleſia Dei, & religionibus.*

Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini. Noquod in his verbis Apoſtoli ſuſcipatur quæſtio,an liceat inter chriſtianos,& maxime inter religioſos lites excitare: Cui reſpond. de mente Apoſtoli, quod repetere litigando ſua, contingit tripliciter; ſcilicet ex cupiditate, ex zelo juſtitiæ, & ex timore caſus. Primum eſt malorum, non juſtorum charitatem habentium. Secundum licet ex zelo juſtitiæ habentibus rem in communi; & hoc ob bonum communitatis (loquitur de religioſis,) perfectis autem, qui omnibus renuntiarunt, non licet, ut ſunt fratres minores: primis autem licet, dummodo hoc fiat zelo juſtitiæ, conſulendo ſaluti rapientis, & refrænationi cupiditatis alienæ, & paci univerſalis Eccleſiæ, & etiam neceſſitati communi. Tertiò licet timore caſus, ſcilicet ne propter paupertatem, & indigentiam cedat in culpam. Dum autem dicit Apoſtolus, quare non magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini, non intelligit, quod non liceat chriſtianis ſua repetere apud judicem legitimum:ſed ut oſtendat, quod magis debemus diligere proximum,& ejus ſalutem quam rem corporalem.*Luc.c.6.v.30.*

94. *Idem argumentum de religionibus.*

Quare non magis injuriam accipitis.&c. Hic oritur quæſtio,cur cum in religionibus fiat profeſſio altiſſimæ perfectionis, ſæpe fiat recurſus ad Prælatos, & etiam ad Papam contra injuriantes, vel gravantes ipſas? Reſpond. quod eſt diſtinguendum: nam injurias, & moleſtias,ex quibus aliud malum non ſequitur, niſi quod illâ horâ ſentiri poteſt; ut ſunt verba probroſa,vel damna rerum, vel verbera, & ſimilia,poſſunt viri religioſi æqualiter ſuſtinere, quia nil aliud nocumenti aſſerunt.Sed ubi poſſunt graviora damna ſubſequi,videlicet animarum, gravia nocumenta, ibi non eſt expediens talia tolerare. Nam cum ſimus in Eccleſiâ Dei ad multarum animarum ſalutem à ſede apoſtolica deſtinati per officium docendi, extrahendi homines à peccato; ſi quis infamaret nos v.g.ut hæreticos,criminoſos, ſeductores, non habentes facultates debitas prædicandi: vel taxando, & infamando doctrinam prædicationis, & ſimilium, tunc non ſolum nos læderet, reddendo ſuſpectos,abominabiles; ſed etiam ſubtraherent beneficia illa,ſine quibus ſuſtentari non poſſumus, & etiam nocerent omnibus, qui ex his inciperent nos perſequi,aliaque innumera mala ſequerentur; & ideo ne impedimentum fiat in lucro animarum,& in exercitiis propriis cujuſcumque ordinis Eccleſiæ univerſalis perfectionis,ſit recurſus in his caſibus ad ſedis apoſtolicæ munimen: quia bonum majus eſt, quam tacere, & patienter ferre tales injuſtitias; ut eſt neceſſitas propria, publica,familiæ pietas,juſtitiæ obligatio. Sic etiam legimus Paulum appellare ad Cæſarem; licet enim eſſet paratus ſubire mortem pro Chriſto; tamen tunc, quia talis tolerantia reſultaſſet in damnum Eccleſiæ, & animarum, Cæſarem appellavit.Undemeritò religionibus dati ſunt à ſede apoſtolicâ conſervatores,qui privilegiorum ſuorum jura defendant,& à calumniantibus tueantur.*Op.libel.apolog.q.12.*

95. *In Cœlum nihil coinquinatum intrare poteſt. Vbi de fornicatione, aliiſque peccatis.*

An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt? neque fornicarii, &c. Vide quod Apoſtolus nobis inſinuat in regnum Dei nihil inquinatum poſſe introire;ubi etiam docet ſimplicem fornicationem, ebrietatem,mollitiem,adulterium, maledictionem proximi,furtum,avaritiam eſſe peccata mortalia contra jus naturale, & legem, evangeliumque; & in æternum à viſione Dei animas ablegare.*Pſal.88.& 118.c.7.v.14. Ioan. collat.6. ſer.3.Dom.ſexag.ſer.3.de.dedic.& l.4.d.33.q.1.*

96. *Non omnia, quæ licent ſemper expediunt,maxime profitentibus vitam apoſtolicam.*

Omnia mihi licent,ſed non omnia expediunt. Iſte textus ab aliquibus exponitur ſic:omnia mihi licent per liberum arbitrium: ſcilicet in mea poteſtate

ſtate eſt fornicari, rapere, inebriari, aliaque ſupradicta facere, ſed non expediunt ad ſalutem animæ, ſic Ecumen. & Theod. Sed iſte ſenſus extortus eſt, & alienus à mente Apoſtoli. Vult enim dicere ad litteram, quod illa, quæ nulla lege prohibentur, licent: v. g. quod poſſum comedere de iis, quæ viro apoſtolico apponantur ad menſam divitum, quod poſſum recipere ſumptus, & victum debitum prædicatori, & prædicationi: tamen non ſemper expediunt profitenti vitam exemplarem, & apoſtolicam. Et hoc eſt documentum valde notabile laborantibus in vinea Domini, & maxime profitentibus viram apoſtolicam, quales ſunt fratres minores; qui ad ædificationem proximi, ad ſeverius, & liberius evangelizandum, ad copioſius fructificandum in vineâ Domini, ad conſulendum aptius exiſtimationi religionis ad gloriam Dei, deberent ſe abſtinere ſæpe à pluribus actibus ſupererogationis, quibus alias poſſent corpori indulgere: ſic enim magis ædificabunt ipſos recipientes, qui licet illa vice videantur contriſtari, quod non permittitur eis ſuæ devotioni ſatisfacere multa, & lautiora miniſtrando, tamen apud ſe de tali temperantiâ ædificantur; & alio tempore recipient eos hilarius, quo minus ſunt eis oneroſi: & ubi nunc paucos receptores habent, tunc plurimos haberent, eo quod pauperes Chriſti poſſent commodius paſcere. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 49. expoſit. regulæ, c. 6.*

97. *Mortificatio gulæ ſuadetur.*

Eſca ventri, & venter eſcis; Deus autem hunc, & hos deſtruet. Corpus autem non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori. Nota pulcherrima myſteria, quæ in hoc textu relucent, in quo tranſit Apoſtolus ad gulam, quæ eſt mater fornicationis, ut ſcilicet non ventris deſideriis ſerviamus, & cibos ventri ad delicias paremus: nam eſca res eſt caduca, & vilis, & facta eſt, ut in ventrem projiciatur, & venter viliſſima pars hominis tantum eſt ad hoc, ut eſcas coquat, & corrumpat, & ideo vas eſt ſordidum, & utraque corruptibilia ſunt & ideo vir ſpiritualis adſpicere diligenter debet quomodo ſe habeant ad invicem eſca, & venter; ſcilicet venter ad crapulam habet deſiderium. & hæc ad illum, & utraque ad fornicationes, & carnalitates excitat, quæ Deus in morte deſtruet: ſed conſideret, quod corpus datum eſt, ut Domino corpore caſto ſerviamus, & Chriſtus datus eſt, ut caput corpori noſtro, & ei puritatem ſervemus. *Ioan. collat. 31.*

98. *Impietas fornicarii expenditur.*

Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? abſit: qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur: erunt enim, inquit, duo in carne una. Vide quid infert Apoſtolus ex antecedenti ſententiâ, in quo docuit, quod corpora noſtra ſunt membra Chriſti, ut diſcamus qualis ſit impietas fornicarii tollentis iſta membra & ſubtrahentis à Chriſto, & ea unientis cum infami meretrice: tunc enim ex duobus fit unus homo, non ſpiritualis, ſed carnalis per copulam carnalem: ſicque ſe à Chriſto ſeparando, totus in carnem ſordidam tranſit. *Luc. c. 14. v. 20. d. 1. d. 31. p. 2. a. 2. q. 2. & l. 4. d. 41. q. 1.*

99. *Matrimonium ſpirituale inter Deum, & animam puram expenditur.*

Qui autem adhæret Domino unus ſpiritus eſt cum eo. Ecce quomodo Apoſtolus tranſit à copula carnali, & ſordida ad ſpiritualem, & divinam, dicens, quod qui adhæret Deo, ſcilicet per cognitionem & amorem, unus Spiritus fit cum eo: unus, inquam, non eſſentialiter, ut voluerunt aliqui hæretici, dicti fanatici, & illuminati, ſed accidentaliter; ideſt per gratiam, & charitatem, & voluntatis conformitatem, quæ hominem faciunt quaſi divinum, & Deum, ut cum Deo quaſi unus, idemque ſit ſpiritus: & ſic anima ſit ſponſa Chriſti, transferturque in divinæ imaginis excellentiam; per quod haurit omnem puritatem, veritatem, incorruptionem, pacem, & tranquillitatem. *l. 1. d. 17. q. 1. & d. 31. p. 2. a. 2. q. 1. & d. 48. q. 1. l. 3. d. 13. dub. 1. & d. 24. dub. 4. op. de dono intell. c. 6. de dono ſap. c. 11. de ſex alis Seraph. c. 8. de prof. religioſ. l. 2. c. 1. Myſtic. Theol. c. 3. p. 1. ſer. 22. Hexam. Luc. c. 10. v. 42. & ſer. de vestior. in addit.*

100. *Sola luxuria vincitur fugâ: cætera vitia reſiſtendo, & occurrendo eis.*

Fugite fornicationem. Nota, quod non dicit, fornicationi reſiſtite, ſed fugite: quia vitium luxuriæ ſecurius vincitur fugiendo, quam reſiſtendo: & hoc non tantum in opere, vel in voluntate, ſed etiam in cogitatione, fugite ab ipſa, tamquam à lupo, ſeu à baſiliſco. *Ser. 4. Dom. 3. Pent. l. 4. d. 16. p. 1. dub. 8. ſermon. 2. de Purificat. B. V. in addit.*

101. *Sola luxuria corpus, & animam propriam inficit. Cætera vitia ſolam animam.*

Omne peccatum extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Ecce quanta malitia, & quale maleficium eſt peccatum luxuriæ: nam cum cætera vitia, quæ ordinarie committuntur, ſolam animam inficiant: luxuria ſola & animam, & corpus luxuriantis inficit: ſicque fœdando animam, & deordinando quantum ad corpus, jam ad imaginem beſtiæ reducit hominem. *Serm. 4. Dom. 3. Pent.* Addit S. Doct. aliam expoſitionem; qui fornicatur in corpus, ſcilicet conjugis, quod eſt unum cum eo, peccat. *Pſal. 24.*

102. *Luxurioſus omnium peccatorum miſerrimus.*

Omne peccatum, quodcumque fecerit homo extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Quid eſt in corpus ſuum peccat, & non potius in animam? peccatum enim inficit animam, non corpus? Attamen optime dicit, in corpus ſuum; ſcilicet non ſolum in animam, ſed & in corpus: ideſt non ſolum privat hominem bono honeſto, ſanctitate, gratiâ, & charitate, ſed & bono delectabili, & utili auferens res temporales, ſanitatem, & fortitudinem corporis. Vnde luxurioſus inter omnes peccatores pervenit ad mortem, & judicium Dei pauperrimus: nam ipſe vendidit, deſtruxit, & perdidit quicquid habebat; ideſt Deum, & ſanctos, animam, famam, gloriam,

Digitized by Google

gratiam, ſubſtantiam, ſanitatem, &c. *Op. Diæt. tit. 1. cap. 9.*

103. *Fornicatio eſt veluti ſacrilegium, quo violatur templum Spiritus Sancti.*

An neſcitis, quoniam membra veſtra templum ſunt ſpiritus, ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri. Ecce aliud efficaciſſimum motivum ad vitandum peccata luxuriæ: nempe quia homo non ſolum eſt membrum Chriſti, ſed & templum Spiritus Sancti; in quo per gratiam habitat: ſi ergo prophanatur iſtud templum jam Spiritui Sancto dicatum, per peccatum luxuriæ, ſequitur, quod tale templum fit fanum veneris, & diaboli; & hinc veluti novum ſacrilegium in foro Dei committitur. O grande malum eſt luxuria. *Opuſc. Breviloq. p. 4. c. 5. Pſal. 78. ſermon. 1. dedicat.*

104. *Iterum expenditur pernities luxuriæ.*

Qui fornicatur in corpus ſuum, peccat. Quid eſt peccare in corpus, & non potius in animam? hoc eſt; quia luxuria inducit animam in ſervitutem corporis, pervertendo regnum animæ per inordinationem vitium ipſius animæ; per quam homo efficitur totus caro: ita ut mens captivatur, & totus homo abſorbetur, & ſubmergitur in illa libidinoſa voluptate: ob quam non poteſt aliquid cogitare. Et hæc eſt ratio, quare in his actibus homo naturaliter erubeſcit, quia per talem actum fit veluti beſtia irrationalis. *L. 4. d. 31. a. 2. q. 1.*

105. *Luxurioſus fatuus mercator, vendens quod non eſt ſuum.*

Empti enim eſtis pretio magno. Cur ſuperaddit Apoſtolus hanc emptionem Chriſti factam de nobis ſuo ſanguine? Nota, quod eum totus ſit in inculcando mala luxuriæ, in diſſuadendo à peccato fornicationis, & carnis, hoc merito memoriæ nobis inſinuat; ſcilicet nos non eſſe Dominos noſtri; quia cum eſſemus perditi, & diaboli captivi, Chriſtus nos ſuo ſanguine redimens, emit animam, & corpus noſtrum. Et cum hoc ſit certiſſimum de fide: hinc patet quam ſit fatuus mercator luxurioſus, qui quod ſuum non eſt vendit viliſſimo pretio diabolo, ideſt corpus, & animam. *Op. Diæt. tit. 1. c. 9.*

106. *Chriſtianorum nobile ſchema dici ſervos emptitios.*

Empti eſtis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Vide qua ratione ſublimitatem nobilitatis chriſtianiſmi Apoſtolus extollit ex ea ratione, qua nos ſumus: ſervi emptitii Chriſti; nam ex qualitate pretii, quo empti ſumus, menſuranda eſt iſta nobilitas: & quia pretio ſanguinis ejus infinito facta eſt iſta emptio, hinc & homo videtur valere ipſum Deum, ut dicebat Bernardus. *Ser. 3. Circumcif. & ſer. 6. Dom. 1. Adv.*

107. *Chriſtus totum, quod habebat expendendo, ut nos emeret, ſe pauperrimum effecit.*

Empti eſtis pretio magno. Ad quid Apoſtolus ponit in medium hoc pretium magnum? quis eſt, qui noſcat Chriſtum redemptorem, & id neſciat ſed tamen maximâ, & altiſſima ratione hoc in memoriam reducitur: primo recordaremur quanta fuerit in nos pietas, & charitas Dei noſtri effundentis totum ſuum ſanguinem ad nos redimendum: ſecundo ut noſtram dignitatem agnoſceremus, dum tanti apud Deum valeat homo. Tertio ut ſciremus, quod pro nobis emendis, ſe ipſum pauperrimum effecit; dum totum, quod erat, & habebat, dedit, q. d. Apoſtolus: empti eſtis magno pretio; magni vos æſtimate: magni facite corpora, & animas veſtras, ne corpora veſtra vilipendatis: imo maximi ducite; & ad charitatem Dei aſpicite: gratique eſtote tanto benefactori, & emptori, & redemptori. *Ser. 3. cana ſer. 6. Dom. 1. Adv.*

108. *Chriſtus factus eſt pretium noſtrum, ut per ipſum omnium debitorum ſolutionem Deo faciamus.*

Empti eſtis pretio magno. Hoc verum eſt. Sed quæritur, cuinam ſolutum eſt, hoc pretium? & in cujus poteſtate datum eſt? ſolutum eſt Deo pro ſolutione debitorum noſtrorum: ſed tamen in poteſtatem noſtram perpetuo reliquit tale pretium, ut ipſo continua noſtra debita ſolvere poſſimus ipſi Deo. Unde non ſolum quando mortuus eſt in cruce, facta eſt iſta ſolutio; ſed quotidie fit, & poteſt à nobis fieri, cum ſe in noſtra poteſtate repoſuerit in ærario Eccleſiæ. O quanta, & qualis charitas, & dignatio Domini Jeſu. *Joan. collat. 54. & 56. op. Diæt. tit. 10. c. 3.*

109. *Immenſitas gloriæ cæleſtis qualis, ex tali pretio pateſit.*

Empti eſtis pretio magno. Quaſi dicat: ſi empti eſtis tam magno pretio: hoc fuit ad hoc, ut in Cœlum intrare poſſetis, & inter filios adnumerari in illa cœleſti curiâ; & ſi hoc, ergo valor cœleſtis gloriæ impretiabilis eſt, & ſine ulla comparatione; cum enim tam care ipſam pro nobis emerit Chriſtus: cum etiam tam care conſtiterit ſuis ſequacibus: ergo res maxima, & impretiabilis valoris. *Op. Diæt. tit. 10. c. 2.*

110. *Quia corpora noſtra ſunt Chriſti, ideo in eis portare continue debemus Chriſtum, ejuſque crucem.*

Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Quomodo homo portare poteſt in corpore Deum? Sed hæc portatio eſt ipſius Chriſti Dei, & hominis: quia enim noſtrum Corpus Chriſti eſt, ab ipſo redemptum; ideo ad ejus uſum inſervire debet. Portemus igitur Chriſtum, ejuſque crucem in corpore, ſcilicet pœnitentiam, carnis mortificationem, & ſenſuum refrenationem. Portemus Chriſtum tempeſtive, non negligendo temporis breviratem: item voluntariè, non coactè: item ſtrenuè, & libenter: ſicque tali imitatione glorificabitur Deus in corpore noſtro, & Chriſti fieri dicimur. *Ser. 4. Dom. 3. quadrag.*

CAP.

CAPUT VII.

111. *In hoc capite respondet Apostolus quibusdam quæstionibus propositis à Corinthiis circa matrimonium, virginitatem, cælibatum christianorum, quæ infra enodabuntur.*

112. *Tactus cavendus, continentia, & mortificatio, & maxime mulierum suadetur.*

Bonum est homini Mulierem non tangere. Nota, quod dicit tangere: non dicit fornicationem vitare, sed non tangere mulierem bonum est; quia tactus solus periculosissimus est: non enim quis potest tangere ignem, absque eo, quod aduratur. *Op. Phar. l. 2. c. 37.* Nota autem, quod in tactibus multiplex peccatum insinuatur, secundum quod loca circa quæ tactus contingit habent majorem inhonestatem, & magis possunt ad luxuriam provocare, unde pro certo tenendum, quod libidinosi tactus, & oscula, absque etiam consensu in opus carnale, habent rationem peccati mortalis, secundùm quod in eis oritur delectatio carnalis voluntariè, & deliberativè. Tactus autem in propriam personam libidinosus deliberatus, habet rationem peccati mortalis; sic etiam in alienam personam, & hinc Apostolus dicit: *bonum est homini mulierem non tangere*, & consequenter malum est tangere. Advertè, quod loquendo de tactu ponit in medium mulierem, ut discamus, quam sollicitè vitandum sit consortium mulierum, aspectus, & tactus in quacumque parte; quia nihil est in mulieris corpore, quod non solùm tactu, sed & intuitu non sagittet cor hominis, ergo fugiendum à facie mulieris velut à facie serpentis. *Ser. 2. de Inven. S. Crucis. op. de prof. religios. l. 2. c. 5. regul. Novit. c. 11.*

113. *Matrimonii fines expenduntur.*

Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat: & unaquæque suum virum habeat. Apostolus permittit Uxorem sumere viro, vel mulieri virum in matrimonium; non omnibus, ut voluerunt perversè hæretici, maximè moderni Iste textus enim intelligendus est secundùm subjectam materiam; scilicet, unusquisque liber non adstrictus voto, vel alio legitimo impedimento, sed solutus, & habilis, isteque uxorem habeat: (nota hìc non præcipere, sed consulere, & permittere, ut expressè ex sequentibus patet) & hoc ad vitandam fornicationem, & scortationem; & hic est secundus finis institutionis matrimonii; nam primus est causa prolis generandæ; secundus causa fornicationis vitandæ. Primus est actus theosobiæ vitandæ quæ est pietatis: secundus est cautelæ. Unde qui uxorem ducit excludendo istos fines, & solùm ad delectationem carnalem captandam; tunc est peccatum mortale; quia tunc amatur delectatio, vel plusquam Deus, vel æque ut Deus; si verò amatur citra Deum, tunc est culpa venialis, scilicet non excludendo quidem positivè fines matrimonii; sed tamen totus absorbetur in satisfaciendo suæ libidini, absque advertentia ad rationem hujus Sacramenti. *Vide D. Bon. Centil. p. 1. sic. 22.*

114. *Conjux alteri ex justitia debet reddere debitum; sic enim præcipit Apostolus: Uxori vir debitum reddat; & Uxor Viro.* Et hinc subdit. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir.* Nota autem illam negativam, non, quæ semel posita bis hic intelligitur, ut sæpe est in Sacrâ Scripturâ; unde sensus est: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: & è converso, sed nec Vir, sed Mulier; quia consenserunt mutuò in traditionem corporis in mutuam possessionem. *Op. Centil. p. 1. sec. 22. Psal. 16.*

115. *Matrimonii usus qualiter dicitur permissus, & secundum indulgentiam, & an concurrere possit peccatum in ipso, carnalis voluptatis causâ.*

Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium; scilicet ut Uxori Vir reddat debitum, & è contra; & ne fraudentur ad invicem, &c. Nota, quod dum dicit permittere coitum matrimonialem secundum indulgentiam, videtur indicare ad hoc concurrere peccatum saltem veniale, dum scilicet miscentur carnalis voluptatis causâ, non prolis. Sed respond. quod dum præfigit sibi conjux aliquem ex finibus matrimonii, idest saltem in remedium concupiscentiæ, nullum peccatum adest: dum solâ voluptatis causâ fit, absque eo, quod positivè excludat fines matrimonii, tunc est peccatum veniale, ut supra dictum est. Dum autem Apostolus permittit istos actus secundùm indulgentiam, vult dicere, quod permittit minus bonum non malum; est enim minus bonum misceri in remedium concupiscentiæ quam contineri ex mutuo consensu. *L. 1. d. 47. a. 1. q. 2. l. 4. d. 31. a. 2. per totum.*

116. *Matrimonium non est de præcepto, eique præponitur Virginitas.*

Hoc autem dico secundùm Indulgentiam, non secundùm imperium; Volo autem omnes esse sicut meipsum. Ex his patet, Apostolum præponere cælibatum Matrimonio, nec cadere nunc sub præcepto, sicut cadebat in statu innocentiæ & in principio Mundi; nunc autem non cadit sub præcepto, ratio autem hujus discriminis est, quia in statu innocentiæ nulla erat pronitas carnis: at post peccatum, maxima est pronitas concupiscentiæ; ideo maxima virtus in abstinentia ipsius exercetur. In principio autem mundi erat præceptum in officium, scilicet causa prolis multiplicandæ. *L. 2. d. 20. dub. 3. & l. 4. d. 26. a. 1. q. 3. & d. 33. a. 2. per totum. Op. Centil. p. 4. sect. 1.*

117. Paulus Apostolus fuit Vas purissimum per continentiam, & castitatem virginalem; & hoc tacitè innuit, dum dicit hic: Volo, idest vellem optaremque omnes homines esse sicut meipsum. *Op. stim. p. 7. c. 9. serm. 2. Converf. S. Paul. serm. 1. de S. Paul. in addit. ser. de S. Martino.*

118. Deus

118. *Deus varia dona variis ſecundùm ſuum beneplacitum diſtribuit.*

Volo enim omnes eſſe, ſicut me ipſum; ſed unuſquiſque proprium donum habet à Deo: alius quidem ſic, alius ſic. Ecce qualiter Apoſtolus poſtquàm ſeipſum exemplar virginitatis, & caſtitatis propoſuit, ad reprimendam omnem vanam gloriam in ſeipſo, & in cæteris omnibus ſubdit, quod Deus ſua dona varia variis, & vario modo ſecundùm ſuam ordinatiſſimam providentiam diſtribuit: alius quidem ſic, alius verò ſic à Deo ditatur; Unde nemo eſt, qui ſe gloriari poſſit de donis receptis. Cum per varias vias velit ducere ſuos fideles. *Op. ſtim. p.3.c.9. Apolog. paup. reſp.1.c. 3.* Nota verò hîc: quod duplicia ſunt dona Dei. Primò quædam tota ſunt ex Deo, ut dona naturæ, vel dona gratiæ infuſa, ut fides, ſpes, charitas: Secundò ſunt alia dona quidem à Deo, ſed requirunt noſtram cooperationem, ut gratiæ prævenientes, inſpirationes bonæ; opera bona, actus virtutum; ad quæ Deus primò dat gratiam prævenientem, poſtea cooperantem ipſas acceptanti libere, & de talibus donis hîc loquitur Apoſtolus, & cum ſuppoſitione primæ gratiæ prævenientis, & vocationis divinæ: De his donis agit. *S. Bonavent. l.2. d.28. ſparſim.*

119. *Continentia caſtitatis quale bonum: vitiumque ei oppoſitum quale malum.*

Dico non nuptis, & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permanſerint ſicut & ego. Ecce denuo aliud teſtimonium de virginitate Pauli, quam proponit virginibus, dicens eſſe bonum ipſis: Et quale bonum: bonum eſt abſolutè, ſcilicet maximum? quia in tali continente ſunt duo, ideſt ſublimitas animi continentis in aſpernatione deſiderii laſciviæ & diuturnitas meriti in conſummatione prælii conſurgentis: Nam inter cætera chriſtianorum certamina, duriora ſunt prælia caſtitatis, ubi quotidiana eſt pugna, rara victoria. Huic opponitur fœditas petulantiæ, quæ fœdat naturam, exterminat gratiam, depravat, & deordinat conſcientiam, & opera corrupta generat. *Ser. de S. Mart. In Luc. c.18. v.19.*

120. *Matrimonii contrahendi cauſa expendantur; ubi de incontinentia.*

Quod ſi non ſe continent, nubant, melius eſt nubere, quam uri. Poſtquam virginitatem, & continentiam ſuaſerat Apoſtolus, tranſit ad eos, quibus gratia non eſt vivendi in cœlibatu, ſed continuis tentationibus, & lapſibus torquentur, quibus uritur corpus, & anima, ſuadens eos nubere: nam matrimonium inſtitutum eſt, & ducitur uxor triplici de cauſa; ſcilicet cauſa prolis, cauſa incontinentiæ, & cauſa adjutorii. Hoc autem dirigitur ad liberos, non ad obſtrictos voto, uti ſunt ſacerdotes, & religioſi. *In Pſ.44.*

121. *Comparatio ſit inter matrimonium, ut remedium, & ſacramentum, & votum caſtitatis: ubi & de efficacia talis remedii.*

Melius eſt nubere, quam uri. Si melius eſt nubere, quam uri, ergo omnes debent nubere? quis eſt enim, qui non uratur, ideſt tentetur, & concupiſcentiæ ictibus non ſubjaceat? tum quia ſacramentum matrimonii ultra hoc, quod eſt remedium concupiſcentiæ, confert gratiam, quod non præſtat votum? ſed reſpondetur; quod matrimonium ut ſacramentum confert quidem gratiam, & eſt remedium contra concupiſcentiæ tentationes, & lapſus; dummodo tamen contrahatur cum debito, & ſancto fine, & modis à Deo inſtitutis: & ob id in gratia Dei: habet enim hanc virtutem ſublevandi animam, & corpus à corruptione concupiſcentiæ inordinatâ, & datur gratia ad copulam ſingularem, auferendo inclinationem vitioſam ad alias; ad copulam item utilem, ſcilicet propter bonum prolis, & ad vitandam offenſam Dei, & ad copulam inſeparabilem, ut conjux velit ſemper eſſe cum altero conjuge: ex prima gratia oritur bonum fidei; & ex ſecunda bonum prolis, & ex tertia bonum Sacramenti. Hæc autem cum ſint bona, tamen præponitur Votum continentiæ; quia per ipſum diſponitur anima à carnalitate ad Deum, & ad ipſius perfectam unionem. *L.4. d.26. a.2. q.2. & d.33. a.2. per totum.*

122. *Divortium ex juſta cauſa permittitur in Eccleſia, abſque tamen læſione indiſſolubilitatis Matrimonii.*

Iis autem, qui matrimonio juncti ſunt præcipio, non ego ſed Dominus uxorem à Viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat, &c. Ecce quomodo hîc explicat Apoſtolus indiſſolubilitatem Matrimonii; ſed ſimul etiam permittit divortium ex juſta cauſa in illis verbis: *quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, &c.* permittitur ergo in Eccleſia licitè divortium, quod eſt ſeparatio, non quantum ad vinculum ſacramentale, ſed quantum ad debitum, & cohabitationem. *L. 4. d.35. a.1. q.1. & ſeq. per totum.* Vbi aſſignantur cauſæ juſtæ divortii.

123. *Superiorum vox præcipiens, eſt vox, & præceptum Dei.*

Præcipio non ego, ſed Dominus. Quomodo primò dicit præcipio ego, & poſtea ſubdit, non ego, ſed Dominus? quomodo ego, & non ego præcipio. Sed optimè dicit; quia præcepta ſuperioris ſunt quidem voces ipſius, ſed tamen in nomine Dei pronunciatæ: Ideo præcepta ſuperiorum amplexanda ſunt tamquam præcepta Dei; quia ipſorum voces ſunt voces Dei. *Opuſc. Eccleſ. Hier. p.3. cap.1.*

124. *De matrimonio inter fidelem, & infidelem, & inter infideles expendantur aliqua.*

Si quis frater uxorem habeat infidelem, & hæc conſenſerit habitare cum illo, non dimittat illam. Hæc eſt altera quæſtio à Corinthiis Apoſtolo propoſita circa matrimonia infidelium cum fideli: Cui ipſe reſpondet, quod infidelitas tunc temporis non erat impedimentum dirimens matrimonium; ſicut modo eſt dirimens; loquendo de purè infideli non baptizato, non vero de baptizato, licet hæretico.

Di

De matrimonio verò inter conjuges infideles, dicendum quod tale matrimonium eſt in officium, non verò Sacramentum, & in remedium; ſicque excuſat à peccato, & facit, quod filii ſint legitimi. Alia verò ad hanc materiam ſpectantia vide *l.4. d.39. per totum*: & alios Theolog. maximè modernos, præcipuè Sanchez de matrim. *d.72. &c.*

125. *Infidelis in religione, ſcilicet diſſolutus, & incorrigibilis ejiciatur.*

Quod ſi infidelis diſcedit diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, in pace autem vocavit nos Deus. Hæc quæ ad litteram dicit Apoſtolus de ſeparatione fidelis cum infideli jam prius conjunctis in matrimonio; ideſt ſi altero conjuge veniente ad fidem, infidelis permaneat in ſua infidelitate, & ſeparat ſe ab uxore fideli, diſcedat, ait Apoſtolus, Hunc textum inquam trahit Seraph. Doctor ad ſenſum myſticum, & applicat ad religioſum, qui intrans religionem, & cum ea deſponſetur, ſi vivat diſſolutus, incorrigibiliſque, & relinquat religionem, non cogatur reverti imo ejiciatur, ne inficiat alios. *Op. ſpec. diſcip. p.2. c.5. de ſex Alis ſeraph. c.7.*

126. *Vocatio Dei quam æſtimanda, & conſervanda maximè in religione.*

Unuſquiſque in ea vocatione, qua vocatus eſt permaneat. Si hoc ergo non licebit à ſtatu ſeculari ad religionem tranſire? ſed tamen reſpond. quod mens Apoſtoli ad litteram eſt, quod qui convertuntur ad Chriſtum, maneant in ea vocatione, in qua vocati fuerant. Si ſervi prius, erant remaneant ſervi, cum ſervitus impediat chriſtianam perfectionem: non verò loquitur de tranſitu à ſtatu imperfecto ad perfectum, & perfectiorem, quando ad ipſum quis vocatus eſſet; applicari etiam poteſt ad religioſos vocatos ad ſtatum laïcalem, ne velint tranſire ad clericalem, & è contra. *Op. de trib. quæſt. & l.2. d.44. a.3. qu.1. Pſal.118. c.4. v.1.*

127. *Virginitas in Eccleſia Dei cur ſolùm ſub conſilio poſita; ubi de ejus laudibus.*

De virginibus autem præceptum Domini non habeo; conſilium autem do tamquam miſericordiam &c. Nota, quod hîc reſpondet Paulus alteri quæſtioni à Corinthiis propoſitæ, an ſcilicet Virgines in chriſtianiſmo debeant manere virgines; cui inquam reſpondet, lege Chriſti nulli præcipi virginitatem, ſed eandem omnibus conſuli, tamquam majus bonum, & maximè conducens ad ſanctitatem; & quia conſulitur ab Apoſtolo; ideo eſt in noſtra poteſtate: quod verò ſit matrimonio majus bonum, probatur ex hoc, quod in virginitate tria conſiderantur: Primum eſt abſtinentia ab omni immunditiâ carnis illicitâ: ſecundum ab omni etiam licita: Tertium integritas mentis, & carnis; ratione primi dicit habitum virtutis, ideſt abſtinentiæ, & ratione hujus poteſt convenire, imo & ſuperari à conjugata; quia poteſt majori ex virtute continere, ratione ſecundi, dicit ſtatum virtutis; & ſecundum hunc, licet in tempore legis poſtponeretur conjugio, ex hoc quod tunc temporis quærebatur fœcunditas, & multiplicatio colentium Deum, qui pauci erant in Mundo: nunc in ſtatu legis evangelicæ, in qua non requiritur fœcunditas ventris, ſed ſanctitas, & incorruptio, & puritas mentis, Virginitas præfertur conjugio ratione tertii, dicit decorem, ob id que virginitas eſt habitus continentiæ perfectus, & decorus, cui debetur fructus centeſimus. *L.4. d.33. a.2. per totum. Pſal.1.*

128. *Comparatio iterum ſit inter virginitatem, & vitam conjugalem.*

Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem; quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Si nupſerit Virgo non peccavit, tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi &c. Nota, quod in his verbis comparat ſtatum virginitatis cum conjugali, & de primo dicit, quod bonum eſt ipſa virginitas, de ſecundo, quod non peccant qui nubunt, ſed tamen tribulationem carnis habebunt hujuſmodi; ex quo patet, quod præferenda eſt virginitas conjugio quoad habitum, ſtatum, & decorem, ut num. antecedenti dictum eſt. Sed quid ſibi vult illud verbum *propter inſtantem neceſſitatem*; & aliud *tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi?* Reſpond. ex SS. PP. quod inſtans neceſſitas eſt neceſſitas hujus temporis, & anguſtia præſentis vitæ ejuſque brevitas, noſque arctans, & velociſſimè impellens ad mortem: Unde virginitas nil habet, quod diſtrahat ad præparandum ſe morti, & ad Deo ſerviendum; ſicut ſtatus conjugatorum, qui tribulationem habent hujuſmodi: nota, ly, hujuſmodi, ideſt mutuo mulieres, & viri aperiunt ſibi per conjugii copulam officinam dolorum; nempe moleſtias, afflictiones, onera uteri, partus dolores, educationem filiorum, curas, timores, zelotipiam, rixas, familiæ apparatus, opum affinitatem, ſtatuum curandorum & augendorum ſollicitudinem, mariti dominationem, choleram, ebrietatem, prodigalitates, paupertatem, orbitates, & ex his perpetuas animi diſtractiones, & circa hæc occupationes. *Sic SS. Ambroſ. & Chryſoſt. cum Seraph. D. aliiſq. SS. PP.*

129. *Alia inconmoda ex vita conjugali expenduntur.*

Tribulationem tamen carnis habebunt hujuſmodi Cur dicit tribulationem carnis, & non potius delectationem carnis, cum ad hoc pars major hominum ducat uxorem, & virum? ſed optimè dicit tribulationem carnis, opponens hanc voluptati, quæ eſt in actu conjugali: tribulationem inquam carnis; ideſt primò tentationem carnis, quia conjugati gravius, & atrocius torquentur tentationibus carnalibus, quam virgines: & quis hoc crederet, ait Chriſoſ. niſi hoc fæterentur experti: nam ut innuit *Seraph. Doct. l.4. d.33. a.2. qu.1.* & fuſius narrat Chryſoſtom. virgines quidem in carne tentantur, ſed non tam fortiter, ut corrupti, & uxorati. Secundò tribulationem carnis habent uti in omnibus, quæ circa carnem & carnalia verſantur, & quæ carnem affligunt, quæ elidunt voluptates carnis, quas intendebant: & hæc ſunt: primò ipſa voluptas carnalis, quæ eſt vilis, brutalis faciens hominem Epilepticum, compenſaturque ma-

tiâ comedentibus liberè ſcandalizabantur, & in periculo manifeſto vivebant relabendi in priſtinam idololatriam; ideo Apoſtolus reprehendens iſtos doctores, ut inflatos ſuâ ſcientiâ, docet in tali caſu eis non licere talia comedere, ne talis comeſtio cederet in detrimentum proximi. In tali enim caſu non licet ad vitandum ſcandalum puſillorum, & tali occaſione docet ſcientiam ſine charitate proximi inflare, & eſſe ad perditionem; cum charitate verò ædificare. Ratio autem quare Apoſtolus vetat comeſtionem idolothytorum eſt quia omne quod poteſt fieri, vel non fieri, ſalvâ veritate vitæ, doctrinæ, & juſtitiæ omittendum eſt ad vitandum ſcandalum puſillorum. *L.5.d.15.a.2.qu.1. Pſal.118.v.57.op. Comid.p.1.ſic.11.& 31. Comp. Theol.l.2.c.66. Luc. c.17.v.1.*

134. *Idem argumentum de ſcientia.*

Si quis exiſtimat ſe ſcire aliquid, nondum cognovit quem ad modum oporteat eum ſcire. Scilicet qui putans ſe aliquid ſcire, & inde inflatur, hic necdum ſcit quis ſit finis, uſus, & modus ſcientiæ; & hæc eſt vera ſtultitia, & non Chriſti ſapientia, quæ præcipit ut per ſcientiam non ſuperbiat homo, proſit quibus poteſt, nemini obſit, neminem ſcandalizet, & ſic à Deo cognoſcatur & ametur: Nam qui diligit Deum (ſubit Apoſtolus) & propter Deum proximum hic cognitus, ſcilicet approbatus, & dilectus ab eo; & in hujus ſcientiâ complacitus eſt Deo. *Ser.1. de S. Marco l.3.d.15 ſupracit. Op.de prof. religioſ. l.2.c.73.*

135. *Idolum quomodo dicitur nihil eſſe: Ubi de ſacris imaginibus.*

De eſcis, quæ idolis immolantur, ſcimus quia nihil eſt idolum: & quod nullus eſt Deus niſi unus. Quæritur hîc quomodo idolum dicitur nihil eſſe cum verè aliquid ſit; ob idque à Deo? Reſpond. quod idolum ut ſic nominat aliquid artificiatum continens in ſe aliquid numinis vel divinitatis: & ſecundum hoc dupliciter intelligitur ibi compoſitio, ſcilicet formæ artis ad materiam, & divinitatis ad artificium: prima quidem eſt aliquid reale, & à Deo; ſecunda eſt tantum ſecundum æſtimationem Idololatræ: ſcilicet æſtimatio divinitatis, cum ſit pura deordinatio nihil eſt, nec eſt à Deo, ſed eſt ex defectu cognitionis, & fidei. Nota autem quod hæretici confundunt idolum cum imagine; ob idque vetant omnes imagines, earumque adorationem; ſed decipiuntur; nam idolum eſt ſimilitudo rei falſæ, imago verò rei veræ. *L.2.d.37.a.1.qu.3.& l.3.d.37. in dubiis l.1.d.33.dub.8. Inſ.p.c.14. in Luc.c.11.v.2.c.19. v.31. In Ioan.c.1.v.3.l.1.d.4.a.1.qu.3.*

CAPUT IX.

In hoc capite pergit Apoſtolus oſtendere ſcandala eſſe vitanda: deinde alimenta deberi prædicatori; licet ipſe ad proximi ædificationem reſpuerit talem ſuſtentationem: tandem dicit, ſe omnia omnibus factum eſſe, exhortans eos ad proficiendum de bono in melius.

136. *Prædicatores poſſunt licitè ſumere ſumptus neceſſarios ad victum in ſuo miniſterio:*

perfectiores tamen etiam ipſos rejiciunt ad proximi ædificationem exemplo Pauli; de quibus hîc agit, à n.1. & ſeq. *In Luc. c.8.v.3. & 32. & 39. c.12.v.24. c.13.v.16. c.10. v.7. & 8. & c.19. v.13. In Ioan.c.21. v.3. l.2. d.38. a.1. qu.3. l.4. d.24. a.2. qu.4. & d.25. qu.4. op. expoſ. regul. capit.5. determin. qu.2. ſpecul. diſcipl. p.1. cap.20. de paup. Chriſti qu.1. a.2.*

137. Providentia generalis eſt omnium rerum; ſed ſpecialis de homine, dicente Apoſtolo: *numquid de bobus cura eſt Deo?* ſcilicet licet ſit providentia generalis, non tamen ſpecialis ut de homine. *In Luc.c.12.v.6.*

138. *Prælati Eccleſiarum qualiter obſtricti ad prædicandum.*

Væ mihi ſi non evangelizavero: Sic enim volens hoc ago; mercedem habeo: ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt. In his verbis Apoſtolus oſtendit graviſſimam obligationem ſub pœna peccati mortalis, & damnationis æternæ, quam habent Prælati Eccleſiarum prædicandi Evangelium, ſicuti habuerunt & Apoſtoli; & poſtea grandem mercedem paratam iis qui libenter ad Dei gloriam exercebunt hoc miniſterium; & cibum Dei exhibebunt ſuis ovibus: ſicuti è contra qui non libenter, & ſine tali intentione prædicabunt, non peccabunt quidem, ſed tamen ſerviliter agent. Iis verò qui in hoc deficient, imminet æterna damnatio. *Serm. 2. de pluri. Mart. in addit. & cum S. Dect. Chryſoſtom. Theophil. Anſelm. aliique.*

139. *Prædicatores, & Prælati maximè Eccleſiaſtici ad exemplum Apoſtoli, imo Chriſti omnia omnibus fiant, ut omnes lucrifaciant: & hoc ſervando humilitatem inter omnes.*

Nam cum liber eſſem ex omnibus, omnium me feci ſervum, ut plures lucrifacerem &c. omnia omnibus factus ſum. Vide quâ induſtriâ Apoſtolus, & qualibus artibus utebatur, ut animas Chriſto lucrifaceret. Cum enim eſſet liber, & Prælatus Eccleſiarum; tamen ſe veluti ſervum omnium & noviſſimum inter omnes exponebat: & cum infirmis benevolum, & infirmum, & cum doctis doctorem, & cum ſimplicibus ſimplicem: ſicque omnium qualitatibus ſe aptando; & hoc non quidem mentiendo, vel peccando, ſed compatiendo, prout lex Chriſti patitur, ſic enim omnes trahebat ad Chriſtum. O diſcant hoc exemplo Prælati, ut ſubditos Chriſto lucrifaciant. Hæc eſt enim charitatis ſervitus, quæ

facit humiles, & ſervos incumbentes utilitati fratrum, & ſubditorum. Hæc ſunt jumenta Chriſti, quibus debetur herba, & merces, quia ſerviunt: de quibus ſupra dicitur, non alligabis os bovi trituranti. *Op. de paup. Chriſti q. 1. a. 2. Specul. diſcipl. p. 1. c. 4. In Luc. c. 2. v. 50. c. 3. v. 3. c. 9. v. 48. c. 4. v. 10. l. 4. d. 3. p. 2. a. 3. q. 2.*

140. *Prælati religionum vitam communem ſervent cum ſubditis; omnibus omnia ſe faciendo.*

Nam cum liber eſſem ex omnibus, me ſervum feci, &c. omnia omnibus factus. Diſcant hæc Prælati religioſi, ſi volunt obſervantiam regularem in ſubditis; vitam communem cum ipſis obſervent in victu, veſtitu, & labore, clàritatem Dei, & proximi cuſtodientes: ſani ſint cum ſanis, & infirmi infirmis. *Op. de ſex alis Seraph. c. 6.*

141. *Omnes virtutes Chriſtianæ currunt ad bravium, ſed ſola perſeverantia ipſum obtinet.*

Omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium, ſic currite ut comprehendatis. Nota, quod hac metaphorà, & exemplo de agoniſtis Apoſtolus docet, quod omnes virtutes currunt ad bravium, quia ad terminum præmii tendunt, currunt Mundi contemptus, paupertas, vigiliæ, eleemoſynæ, obedientia, abſtinentia, patientia, ſed ſola perſeverantia coronatur, non enim incipere, ſed proficere pro virtute habetur: obedientiam itaque commendat patientia: patientiam glorificat perſeverantia: obedientiam exercet patientia, patientiam coronat perſeverantia: Unde patet agricola igne Spiritus Sancti excuſſis ſpinis, in cordibus noſtris jecit ſemen verbi Dei; & terra mentis noſtræ dedit fructum centeſimum, vel ſexageſimum, vel trigeſimum, ibi autem obedientia ſemen recepit; patientia fructificat; perſeverantia metit. *In Pſal. 67. & 84. & v. 81. & 138. & 150. op. Dict. tit. 8. c. 2. & in append. ad Dom. ſeptuag.*

142. *Omnes chriſtiani currunt ad bravium gloriæ, ſed unus tantum comprehendit.*

Omnes quidem currunt, &c. ſed unus, &c. Quomodo unus tantum? nonne multi ſalvi fiunt? Ad litteram loquitur de benè, & rectè currentibus, unus ſcilicet ille qui bene cucurrerit, accipit bravium. Myſticè dicitur unus, qui unitatem in Eccleſiâ ſervat, qui cum Chriſto unitur, qui intra Eccleſiam benè vivit; quia diſcordes non perveniunt ad bravium. *Pſal. 118. v. 81. In Luc. cap. 17. verſ. 16.*

143. *Militum more vivere debet chriſtianus.*

Omnes quidem currunt. Et quo currunt? currunt ad bravium, & præmium. Sumus enim milites Chriſti: tum quia non habemus hic manentem civitatem; tum quia ſumus in continuo labore; tum quia ſemper in luctâ vivimus, tum quia & ſtipendia expectamus. Curramus ergo dilectiſſimi per viam mandatorum, & conſiliorum Chriſti, ut ad metam, & bravium tandem perveniamus. *Pſal. 118. v. 81. In Luc. c. 4. v. 2.*

144. *Qui in via hac non currit, in patria præmium non obtinebit.*

Omnes quidem currunt, ſed unus, &c. Nota ly currunt; ut videas quod in via hujus vitæ oportet currere: quia qui in via non currit, in patriâ præmium non obtinebit. Curritur autem implendo mandata Dei, exercitioque virtutum, currendum autem eſt fideliter cum audacia in bello contra hoſtes: cum fortitudine in ſuſtinendo adverſa: cum feſtinatione, & velocitate in deſideriis, & actibus bonis: ſicque facilè eſt pervenire ad optatum bravium, & præmium. *In Ioan. c. 1. v. 5. ſer. 4. Dom. 4. Adv. ſer. 2. ſer. 4. Penitec. ſer. 3. Dom. Palm. ſer. 2. de S. Luca in addit.*

145. Religio eſt paleſtra, in qua currendum eſt exercitio virtutum, & vitando omnia impedimenta ad hunc curſum, & agonem. *Op. de ſex alis ſer. 7. c. 7.*

146. *Iuſti ut Chriſti Equi calcaribus mortificationum ſe impellunt ad curſum.*

Ego igitur ſic curro, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. Currebat Paulus, ſed quo? & ad quid iſte currebat; currebat poſt Chriſtum, imo cum Chriſto currebat, ut Equus Chriſti calcaribus mortificationis, & caſtigationis, & verberationis in corpus, ſtimulans ſeipſum ad curſum, & ad pugnam contra hoſtes: hoc idem & perfectiſſimè fit à juſtis omnibus. *Ser. 7. Penitec.*

147. *Mortificatio carnis omnibus chriſtianis, ſed præcipuè Deo ſervientibus quam neceſſaria.*

Ego ſic curro non quaſi in incertum, ſic pugno, non quaſi aerem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. Nota illud verbum, non quaſi in incertum, & illud, pugno non quaſi aërem verberans, ut videas quod cum Apoſtolus vellet ſuadere Corinthiis abſtinentiam non ſolùm ab idolothitis ob ſcandalum, ſed & à deliciis vini, & ventris, ad ulteriora eos vocat exemplo ſui; ſcilicet ad currendum non in incertum, ſed in certum bravium, & præmium æternum per exercitium virtutum, & ſimul ad pugnandum, & debellandum hoſtes: ideſt Mundum, diabolum, & carnem; & hoc non aërem verberando, ſed hoſtem principalem, quod eſt corpus, & carnem ſubigendo, quibus ſubactis, facilè alii duo Dæmon, & Mundus ſubjugantur; nec enim dæmon, & Mundus nos, niſi per corpus noſtrum, ſcilicet per oculos, aures, linguam, alioſque ſenſus aggredi, tentare, ferire, lauciare, & occidere poſſunt. Et hoc fit per caſtigationem corporis (caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo ait) ideſt per jejunia, cilicia, humiliationes, plagas, verbera, aliaſque carnis macerationes, & afflictiones: & per hoc omnibus chriſtianis, & præcipuè Deo ſervire volentibus oſtendit, quod neceſſaria eſt corporis, & carnis mortificatio per totum tempus vitæ: quia Apoſtolus in hoc colluctationum ſummam, velut in baſe quadam firmiſſima ſtatuit, & proventum pugnæ; & ideo addit, *ne ipſe reprobus efficiar*; ideſt ne vincar ab hoſtibus, & reprobatus efficiar. *Op. de prof. religioſ. l. 1. c. 39. & l. 2. c. 49. In Thren. c. 1. In Luc. c. 4. v. 39. c. 6. v. 10. In Ioan. collat. 91.*

tollat. 91. In ſap. c. 1. op. apolog. paup. reſp. 2. c. 3. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 4. Diæt. tit. 4. c. 1. & tit. 6. cap. 1. de 4. virtut. Card. de grad. virt. c. 10. meditat. c. 44. Eccleſ. c. 10 ſer. 1. de uno S. Doct.

148. *Pœnitentia reſtituit ex parte ordinationem carnis ad ſpiritum ſtatus innocentiæ propriam.*

Et in ſervitutem redigo. Quid eſt in ſervitutem redigo? cur non potius in libertatem, nam mortificatio aufert ſervitutem malam, & confert libertatem ſpiritus. Sed optimè dicit in ſervitutem redigo, ideſt ad proprium munus redigo illam, quem ſervum conſtituerat Deus in homine; ſed per peccatum rebellaverat ſe à tali ſervitute, redigo, ait Apoſtolus, in ſervitutem ſervum, ſcilicet ſenſualitatem, carnalitatem, carnem, corpus, quæ per inordinationem ſe rebellaverant à ratione; ea quæ ſpiritui per mortificationem ſervire cogo, & in libertatem proprium ſtatus innocentiæ ſpiritum reduco. O grandis virtus pœnitentiæ, quæ recuperat magna ex parte bona per peccatum à primo homine perdita. *In ſap. c. 1. l. 4. d. 15. p. 2. a. 2. q. 2.*

CAPUT. X.

In hoc capite Apoſtolus occaſione agonis, in quo abſtinentes, riteque certantes præmiantur, inerteſque, & luxui dediti reprobantur, digreditur ad veterum hebræorum mores, concupiſcentias, punitionemque; ut horum exemplo oſtendat, quam cavenda ſint vitia, & deinde redit ad Idolothyta, Corinthioſque docet quid ab ipſis faciendum.

149. *Opera bona neceſſaria ad hoc, ut paſſio Chriſti, & ſacramenta habeant efficaciam.*

NOlo enim vos ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt. Ecce quam verum eſt, quod poſt baptiſmum chriſtianis eſt certandum, ne reprobi fiant. Hoc patet exemplo Judæorum, qui poſt typicum baptiſmum, & eſcam cœleſtem, ideſt manna, & terram promiſſionis, & bravium inertes per peccata amiſerunt, & ex ſexcentis millibus, ſolus Joſue, & Caleb terram promiſſionis ingreſſi ſunt, quaſi dicat: Cavete ô Corinthii, cavete ô chriſtiani, ne pariter ob inertiam, & viram difformem fidei, & baptiſmo Cœlo excludamini. Nota autem, quod Judæi mare rubrum ſicco pede tranſierunt: omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube, & mari, ſcilicet tranſeundo per mare, & ducti protectione nubis, & liberati à ſervitute Ægyptiaca, demerſione Ægyptiorum in mari; figuram præſtiterunt noſtri baptiſmatis, per quod tranſimus à captivitate diaboli in libertatem filiorum Dei. Sic & manna fuit figura ſacramenti Euchariſtiæ. Unde hinc edocemur, quod licèt Judæi omnes hæc beneficia receperunt, tamen non omnes ad idem bravium pervenerunt; quia duo tantum, Joſue, ſcilicet, & Caleb, ita, *ait Chryſoſtomus*, omnes eadem ſacramenta communia habemus, ſed non omnes ad gloriam perveniunt; imo pauciſſimi; quia multi ſunt vocati ad fidem, & ad ſacramenta Eccleſiæ, ſed pauci electi. *Ser. 1. Hexam. l. 3. d. 24. a. 1. q. 3. & d. 4. p. 2. q. 3. & d. 8. q. 1. ſer. 2. Dom. 18. Pent. In Ioan. c. 6. v. 50. De pacis ſalvand. vid. in Luc. c. 8. v. 8. & c. 13. v. 24 ſeq.*

150. *Maria Mare myſticum, in quo omnes dicuntur baptizati.*

Omnes in mare baptizati ſunt. Cur baptiſmi virtus exprimitur per mare? Nota, quod mare fuit Maria, in qua generatus eſt Chriſtus gratiæ largitor, & regenerationis per aquam inſtitutor quæ omnia in nomine Mariæ, quæ eſt Mare immenſum gratiarum panduntur. *Sic S. Petr. Chriſoſt. ſerm. 146. & ad mentem Seraph. Doct. opuſc. ſpec. l. 3.*

151. *Quomodo dicitur, quod Hebræi omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt?*

Omnes eandem eſcam, &c. Nota, quòd hîc Calvinus vult, quod ſicut Iudæi manna materiale manducaverunt, & dicuntur manducaſſe eandem eſcam ſpiritalem, ideſt ut figurantem Euchariſtiam; ſic & chriſtiani non comedunt Euchariſtiam niſi figurativè. At hoc dogma eſt hæreticum, dicuntur enim illam eſcam manducaſſe quatenus figura fuit mannæ Euchariſtiæ, & dicitur ſpiritalis pro iis qui per fidem, & charitatem eam ſumpſerunt, modo tamen figurativo: at nos veram eſcam figuratam, ideſt Euchariſtiam, & in ea verum corpus Chriſti, & ſanguinem recipimus. *L. 4. d. 24. p. 1. a. 2. q. 3. & d. 10. q. 1.* Nota iterum quàm apta fuerit hæc figura ad ſignificandam Euchariſtiam; primò, quia idem eſt color mannæ & euchariſticarum ſpecierum. Secundò ſapor dulcis utriuſque. Tertiò non niſi relictis ollis Ægiptiis, & voluptatibus carnis invenitur, aut ſapit utrumque. Quartò infidelibus, & impiis in venenum judicii vertitur utrumque. Quintò Manna non datur niſi poſt tranſitum maris: Euchariſtia ſolùm poſt baptiſmum & pœnitentiam item datur. Sextò poſt manna Hebræi pugnaverunt, & vicerunt Amalec; & Chriſtiani pugnare debent contra diabolum. Septimò Manna panis erat abſque ſemine, arationе, alioque humano opere; Corpus Chriſti ex ſola virgine, & Spiritus Sancti operatione. Octavò manna omnem ſaporis ſuavitatem dabat bonis, & piis; ſic & Euchariſtia. Nonò omnes Hebræi, æqualem menſuram ſumebant; Chriſtiani æqualiter eundem Chriſtum ſcilicet corpus, animam, & divinitatem. *S. Bon. ſit*

152. *Chriſtus Petra myſtica, ex qua oleum, ignis, melque exit.*

Bibebant de ſpirituali (ideſt typica) *conſequente eos petra: Petra autem erat Chriſtus.* Quomodo dicitur, quod iſta Petra, ex qua emanarunt aquæ Iudæis erat Chriſtus? ſi nondum in Mundum venerat? Dicitur hæc petra Chriſtus, ideſt figuratùs in hac petrâ, ex qua exiit aqua Spiritus Sancti, per quam homo baptizatus ſanctificatur, potatur, & reficitur: & ſicut ex petra aliquando oleum exiit, ſic ex Chriſto oleum devotionis in animam intrat. Item ignis, ſcilicet Spiritus Sancti miſſio in Eccleſiam. Item mel dulcedinis gloriæ. *Ser. 4. in Pentec. & ſer. 4. Dom. 6. Pentec. in Ioan. in prolem. Pſal. 50. op. Diat. tit. 5. c. 5.*

153. *Ad ſcholam Hebræorum nos invitat Apoſtolus, ut ex eorum plagis diſcamus Dei diſciplinam.*

Hæc autem in figura facta ſunt noſtri. Quænam hæc? & quid figurabant nobis? Hæc ſcilicet beneficia à Deo Iudæis collata; ingratitudo peſſima eorum; item concupiſcentiæ, fornicationes, luxuriæ; idololatriæ: Hæc inquam in figura noſtri facta ſunt. Ad hanc ſcholam invitamur, ut ex plagis, & flagellis contra ipſos immiſſis à Deo ob ipſorum ſcelera, diſcamus Dei diſciplinam: diſcamus vitare flagella divina: diſcamus quàm ſeverè Deus punit ingratos, & ſcelera. *Op. Diat. append. ad Dom. 9. Pentec. ſer. 4. Dom. 12. Pentec. ſer. 2 Dom. 19. Pentec.*

154. *Qui ſtat videat ne cadat ob vertibilitatem voluntatis, ob periculum incidendi in peccata, & ob amiſſibilitatem charitatis.*

Qui ſtat, &c. Quæritur hîc quo fundamento dicat Apoſtolus: qui ſtat, vel ſtare exiſtimat videat ne cadat? Reſpondetur, quod licet aliqui dixerint charitatis habitum eſſe inamiſſibilem, hic tamen eſt error, & contrà ſacram ſcripturam, & hoc eſt certum, tum continuâ experientiâ, tum ex vertibilitate arbitrii, quod modo vult, modo non vult: Unde cum poſſimus perdere charitatem, timendum continuè eſt, & humiliter coram Deo ſtandum. & ſollicitè Dei gratia imploranda eſt ut nobis donet perſeverantiam. *L. 3. d. 31. a. 1. q. 1. & d. 34. p. 2. a. 2. q. 2. Pſalm. 30. 119. & 138 ſer. 1. Dom. 11. Pentec. ſer. 1. de S. Ambroſ. ſer. 6. de Apoſtol.*

155. *Tentatio quænam humana, quænam diabolica.*

Tentatio vos non apprehendat niſi humana. Quæritur hic quænam ſit tentatio humana? & quomodo ſit in poteſtate noſtra apprehendere eam, vel diabolicam? Sed reſpondetur, quod tentatio alia eſt humana alia diabolica: humana eſt, quæ exitum periculoſum non habet, & hoc vel quia ibi ſolùm eſt peccatum veniale, vel ibi nulla eſt culpa: diabolica eſt, quæ conſenſu in peccatum mortale terminatur: quaſi dicat Apoſtolus: ſi ô fideles tentemini, & ſollicitemini ad ſchiſmata, ad litigia, ad luxum, & venerem, ad idola, vel alia mala opera, nolite tales tentationes fovere, & apprehendere: ſitaut ſenſim increſcant, fiantque tandem inſuperabiles; quam humanas, & leves tentationes omninò excludere, ut eas numquam ſentiatis. eſt impoſſibile. Dæmoniacum enim eſt maligna tentatione vinci, & peccare ex malitiâ, angelicum eam non ſentire, humanum ſentire, & vincere. *L. 2. d. 21. dub. 3. Gloſ. S. Greg. Anſelm. aliique Patres. Op. Centil. p. 1. ſec. 2.*

156. *Tentatio diabolica quotuplex, & qualiter vincatur.*

Tentatio vos non apprehendat, niſi humana; ideſt non autem diabolica. Sed quænam, & quotuplex eſt hæc tentatio diabolica? Hæc eſt triplex, qua de primo homine triumphavit, & qua tentavit Chriſtum: ſcilicet in deſerto de carnalitate, in templo de ſuperbiæ vanitate, & in monte de cupiditate: & hac triplici tentatione impugnat quotidie fideles, ideſt carnalitate, concupiſcentiâ carnis: ſuperbiâ, ambitioneque in dignitatibus, & avaritiâ in terrenis: ne autem vincamur his tentationibus, debemus inſtrui armaturâ virtutum, ſcilicet pœnitentiâ, humilitate, oratione; quia fidelis eſt Deus non patiens nos tentari ſupra noſtrum poſſe. *Ser. 3. Dom. 1. quadrag. opuſc. Diat. tit. 2. c. 5.*

157. *Tentatio multiplex expenditur.*

Tentatio vos non apprehendat, niſi humana. Quid eſt hæc tentatio humana? Sed attende perbellum myſterium. Tentationis ortigo eſt triplex: nam quædam eſt intus, & de noſtro: quædam tota foris, & de alieno; quædam ex utroque. Quandoque enim tentatio ſurgit ignorante diabolo, & tota eſt de noſtro; nempe vel per recordationem præteritorum malorum; vel per rationem, vel per ſenſualitatem. Secunda de foris tota eſt, ſcilicet vel per proſpera, vel per adverſa, vel à diabolo ſuggerêtur. Tertia eſt mixta ex utroque; quando ſcilicet callidus ille tentator, cum intus aliquam ſcintillam concupiſcentiæ, vel alterius motivi de noſtro deprehendit, plurimas paleas cum magna feſtinatione colligit: & ſi prævalet de ſcintillâ, ideſt de tentatione humana, tunc flammam excitit, & domum pectoris noſtri, de noſtro ſimul & ſuo exurit. Tentatio ergo vos ô fideles, ait Apoſtolus, non apprehendat, niſi humana, ideſt niſi de veſtro, & cavete ne diabolus ſuperaddat veſtræ ſcintillæ alias paleas, & excutiat inde ignem, ne vos comburat: ſed ad Deum recurrite oratione, pœnitentiâ, refrenatione, & compreſſione tentationis in principio; quia fidelis eſt Deus, qui non permittit nos tentari ſupra poſſe noſtrum. *In Pſal. 106.*

158. *Dei fidelitas in noſtrum auxilium expenditur, ut noſtram fidelitatem obtineat in nobis.*

Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis reſiſtere. O quam fidelis Deus! Deus dicitur ab Apoſtolo fidelis, ut nos excitet ad fidelitatem ſervandam, debitam tàm fideli Domino: Et quis umquam ſic fidelis fuit, ut Deus, qui pro ſervo, & pro malo, & ingrato ſervo ſe dedit in mortem. Multos enim ſervos legimus ſe

dediſſe

dediſſe in mortem pro Dominis; ſed nullos Dominos invenimus ſe tradidiſſe in mortem pro ſervis ingratiſſimis, & peſſimis, niſi Dominum Ieſum Chriſtum. O quam fidelis in omnibus viis ſuis. Nota in omnibus viis ſuis, ſcilicet in redimendo, in defendendo, in cuſtodiendo, quia cum nos ſervos redemerit, nunc nos cuſtodit, & defendit, non patiens nos tentari ſupra noſtrum poſſe, & nos defendens in omni tentatione, & periculis. Ergo dignum eſt, ut fideles ſervi ſimus, cum tam fidelem Dominum habeamus; rejiciamuſque diabolum, Mundum, & carnem, & ipſi ſoli ſerviamus. *Ser. 2. de S. Thoma.* Nota, & aliud arcanum. Ex hoc ſequitur, quod in poteſtate cujuſque chriſtiani eſt habere auxilium ſufficiés ad vincendas omnes tentationes & peccata. Deus enim eſt fidelis; & ideo ſicut promittit, ſic & præſtabit, ut non patiatur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; hoc eſt non niſi humana tentatione; & ſi ejus gratiam & opem ut par eſt imploretis, eique cooperimini, Deus enim impoſſibilia non jubet; ſed jubendo movet, & dat facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvare, ut poſſis. *S. Auguſt. & ex eo S. Bonav. & Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 11.*

159. *Diabolus licèt homine fortior deſit, non tamen in tentatione fortior eſt, niſi ei fortitudinem augeamus.*

Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari, &c. Quomodo dicitur, quod homo non tentatur ſupra ſuum poſſe, ſi tentatio eſt à diabolo, & diabolus incomparabiliter fortior eſt homine? Sed optimè id dicitur: licèt enim diabolus ſit deſſe homine fortior, non tamen in tentando; tum quia non poteſt vincere niſi volentem; tum quia Deus fidelis eſt, & nobis ſuâ cuſtodiâ aſſiſtit; tum quia Chriſtus ipſum exarmavit in ſua paſſione; ideo nihil poteſt in nos niſi ei præbeamus arma noſtra conſentiendo ſuis ſuggeſtionibus, & latratibus; & ex hoc patet mira Dei pietas, & miſericordia, & providentia in nos viliſſimos homines. *L. 2. d. 3. a. 1. q. 2. & l. 3. d. 19. a. 1. q. 3. op. de prof. relig. l. 1. c. 2.*

160. *Tentationis utilitates expenduntur.*

Fidelis Deus, &c. ſed faciet in tentatione proventum. Quem proventum? ſcilicet accumulabit nobis meritum, & præmium. Et hinc patet quam utile ſit tentari: nam per tentationes purgatur homo à peccatis, ut dignus fiat gloriæ cœleſtis ceteri introitu, ne poſt mortem indigeat gravius torqueri: item purgatur, ut majoris gratiæ fiat capax, ſicuti vitium obſcurum tergitur, ut luminis ſit amplius capax: exercitatur item, ut agilior, & promptior ad opera virtuoſa fiat: eruditur etiam homo tentationibus, diſcendo in praxi utilitates tentationis, & profectus ex eis provenientes. & quomodo ad Deum confugere debet. *L. 2. d. 23. a. 1. q. 3. op. de prof. religioſ. l. 2. c. 1.*

161. *Tentationis tempore oratione ad Deum confugiendum.*

Sed faciet in tentatione proventum. Quid eſt faciet in tentatione proventum? hoc eſt dabit bonum exitum, vel eam auferet, vel dabit vobis victoriam; ſi tamen ad ipſum confugiatis; Ideo inter profectus, utilitateſque tentationis iſte eſt potiſſimus, ſcilicet, quia facit confugere ad Deum in oratione: nam hæc eſt refugium noſtrum in tribulatione; & licet Deus velit nos adjuvare, tamen vult rogari. *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 2. regul. Novit. c. 10. de purit. conſci. c. 5. in Luc. c. 11. verſ. 4.*

162. *Corporis, & ſanguinis Chriſti ſumptione incorporat Chriſto. Et cur dicitur calix benedictionis: & cur benedicitur hoſtia, & vinum à Sacerdote.*

Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? quoniam unus panis unum corpus multi ſumus, &c. Nota, ad litteram, quod Apoſtolus contra comedentes oblata idolis opponit comeſtionem, & ſumptionem corporis, & ſanguinis Chriſti, volens per hoc oſtendere, quod ſicut nos ſumendo Euchariſtiam, unum efficimur cum Chriſto; ſic ſumentes idolothyta, unum fiunt cum Diabolo. Ad noſtram inſtructionem tamen obſervandum eſt, quod primo loco ponit ſumptionem calicis, ſeu ſanguinis Chriſti, & ipſum appellat calicem benedictionis; ideſt ponit continentem pro contento: dicitur autem benedictionis, cui benedicimus, quia à Sacerdote benedicitur, ſicut Chriſtus antequam conſecraret, ipſum benedixit, benedictio autem hæc eſt invocatio divinæ benedictionis, & omnipotentiæ ſuper panem, & vinum, ut præſto ſit ad convertendum panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti. Dicitur etiam calix benedictionis, quia nos benedicit, & gratiâ cumulat. Ponitur autem primò vinum, quia cum vino eſt mixta aqua, per quam ſignificatur unio noſtri cum Chriſti corpore & ſanguine, quia recipiendo corpus, & ſanguinẽ Chriſti, unum corpus, efficimur cũ ipſo: Et hinc eſt, quod dicitur. Notandum etiam quod de pane loquendo, dicit; *Panis, quem frangimus:* frangitur enim hoſtia in tres partes propter tres partes fidelium, nempè viatorum, purgantium, & beatorum. Offertur enim pro ſalute viatorum, pro purgatione pœnarum exiſtentium in Purgatorio, & ad gratiarum actionem pro beatitudine ſanctorum. *Ser. 2. Dom 4 quad. in Luc. c. 13. v. 21. c. 22. v. 11. c. 24. v. 31.*

163. *Communio corporis Chriſti in peccato mortali quale ſacrilegium. Ubi de digna participatione ipſius.*

Nolo autem vos fieri ſocios dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum: Hæc audiant, qui audent corpus, & ſanguinem Chriſti in peccato mortali ſimul ſumere, qui tale ſacrilegium patrantes, prætendunt menſæ Chriſti, & menſæ dæmoniorum fieri participes; hoc enim eſt impoſſibile, ſimulque ſcelus maximum, Attendant item hæc illi, qui poſtquam menſæ Chriſti accubuerunt, recipientes corpus Chriſti, ſtatim ſe diffundunt in prophanas actiones, cogitationes, & locutiones; quia hæc etiam contra ipſos fulminantur ab Apoſtolo,

ſus in ſua profeſſione obtulit ſeipſum, & omnes ſuos actus concernentes ad obſervantiã regulæ & conſtitutionum; ex qua oblatione ſequitur, quod omnes actus ſuæ vitæ ad id concernentes, dũmodo poſitiva cõtraria intentione non deturpentur, ſunt meritorii vitæ æternæ. Et hinc eſt quod in primitiva Eccleſiã mos erat apud fideles, ut ſe ſignarent ſigno crucis ad omnes operationes per quod ordinabant illam actionem in Deum: qui mos adhuc viget apud religioſos probos, & obſervantes religiones: ut in noſtra Capuccinorũ ſemper in præcipuis actionibus manualibus præponunt ſignum crucis, & recitationem flexis genibus ſalutationis angelicæ: ſic & ad hoc præmittitur benedictio menſæ, cui antequam religioſus aptet mapulam ad comedendum, ſubſequitur recitatio ſalutationis angelicæ, & ſignum à ſuperiore datum, ideſt licentia comedendi, ut omnia fiant ad diſciplinam, & cum merito obedientiæ. *L. 2. d. 41. cit. op. ſpecul. diſcipl. regul. novit.*

169. *Chriſtianus, ſed præcipuè religioſus coram omnibus vivat cum ædificatione proximi.*

Sine offenſione eſtote Iudæis, & gentibus, & Eccleſiæ Dei: ſicut & ego per omnia placeo omnibus, non quærens, quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant. O quale documentum, & quam dignum, & quàm memoriæ imprimendum ab omnibus chriſtianis, ſed præcipuè Prælatis, ſacerdotibus, clericis, & religioſis, ſine offenſione, ait eſtote: ſcilicet iuxta tam Iudæi, quàm Turcæ, quam gentiles, quam ſceleſti homines vos, & veſtra aſpicientes non offenſi remaneant, vel ſcandalizati, ſed omnibus curantes placere: ideſt per bona opera veſtra curantes eos ædificare, omnes trahatis quantum eſt in vobis ad Chriſtum. *Op. de ſex alis Seraph. c. 2.*

CAPVT XI.

In hoc capite tranſit Apoſtolus ad alteram quæſtionem à Corinthiis propoſitam circa velamen mulierum in Eccleſia; & docet eſſe velandas, & adducit varias rationes: & deinde agit de cœna Euchariſtiæ, carpitque abuſum in ea, quod in cœna communi divites excluderent pauperes, & quiſque indulgeret cum ſuis genio, & ebrietati: & hinc agit de inſtitutione Euchariſtiæ facta à Chriſto, de pœnâ indignè ipſam ſumentium.

169. *Prælatorum obligatio quanta ducendi ſubditos ad Chriſtum per exemplarem vitam.*

Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Nota quàm connexa ſint iſta cum fine capitis antecedentis, quæ ſonant ferè idem: proponitque ſe ut Prælatus exemplar ſuorum ſubditorum, ex eo quod ipſe imitator eſt Chriſti: ſciebat enim, quod Prælatus debet eſſe cæteris norma vivendi, ut quæ docet verbo, oſtendat actionum figuris: ſic enim facilius percipitur ab ipſis doctrina Chriſti: & quia Prælatus vicarius eſt Chriſti, & vicem Chriſti debet gerere. ſcilicet in beneplaciti ejus promotione, in poteſtatis ejus auctoritate, & in ſimilitudinis ejus repreſentatione; ſcilicet, ut ea quæ vult Chriſtus promoveat in ſubditis. & ejus auctoritate illa poſſit, quæ eis expediunt & eum ſe imitabilem illis moribus, & vitâ demonſtret. O quam neceſſarium eſt hoc monitum; quia boni magis in bonos diſcipulos facere conſueverunt, & multi fierent meliores in religionibus, & in Eccleſia, ſi melioris vitæ eis exempla à ſuis Prælatis, & doctoribus proponerentur, negligentia verò hujuſmodi ab illis, qui culpabiles ſunt, diſtrictè in judicio requiretur. *Op. de ſex alis Seraph. cap. 6.*

170. *Prælatorum qualis prudentia adhibenda in correctione ſubditorum.*

Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores eſtis, ſicut tradidi vobis præcepta mea. Nota prudentiam Apoſtoli, qui volens graviter corrigere aliquorum mores pravos, hanc correctionem ſuam præmollit his verbis: ſciens enim correctionem eſſe ſacram medicinam efficacem valde contra morbos peccatorum, hanc veluti ſaccharo eis præparat, ut facilius eam capiant. *Opuſc. Eccleſ. Hier. p. 3. cap. 1. de ſex alis Seraph. cap. 3. in ſap. c. 1. l. 4. d. 19. dub. 4. & d. 17. q. 1.*

171. Traditiones multæ ſunt in Eccleſia, quæ ab Apoſtolis ad nos deſcenderunt, ſunt multæ veritates non ſcriptæ: ſic docet hic Apoſtolus. *Sicut tradidi vobis præcepta mea.* Scilicet ore tenus, non in ſcripto. *L. 3. d. 9. a. 1. q. 2. ad ult.* & hoc eſt contra hæreticos novantes, qui rejiciunt traditiones ſanctas Eccleſiæ Catholicæ.

172. *Vir qualiter dicatur caput mulieris.*

Omnis viri caput Chriſtus eſt, caput autem mulieris, vir: caput verò Chriſti, Deus. Hic Apoſtolus proponit Chriſtum ut caput omnium hominum; & hoc ratione conformitatis ad membra: ratione perfectionis gratiarum, quas in membra influit; ſed poſtea notat, quod vir caput eſt mulieris, dicit autem caput non Dominus, quia ipſe eſt perfectior: quia influit in gubernando familiam, quam debet regere, & conſervare ut caput: & quia creata eſt à Deo non ut famula, ſed ut ſocia in adjutorium viri; ideo docet amari, & tractari ut talis, & hinc eſt quod ipſam Deus non creavit de pedibus, vel de capite, ſed de latere. *L. 2. d. 44. a. 2. q. 3.*

Digitized by Google

173. *Chriſtus ut Deus, & homo finis eſt, & caput, & principium omnium bonorum.*

Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput eſt Chriſtus: caput autem mulieris eſt vir: caput verò Chriſti Deus. Vide hîc ſcalam expoſitam ab Apoſtolo, in qua ordo influentiarum cæleſtium à Cœlo provenientium aſſignatur: in quo ordine collocat pro fine, capite & principio omnium bonorum Chriſtum; qui ut homo à Deo plenitudinem gratiarum, quæ debentur in capite, recepit ex quo in omnes homines derivant omnes ſpiritus vitæ & gratiæ: ut Deus verò, principium eſt, & finis, & quies omnium bonorum. *In Luc. c 3. in fin. ſer. 1. Hexam. ſer. 1. in nativ. ſer. 1. in Epiph.*

174. *Chriſtus caput bonorum: diabolus malorum.*

Omnis viri caput eſt Chriſtus. Cur tantùm dicitur Chriſtus caput virorum, & non etiam mulierum: & non omnium? dicit viri caput, ſcilicet omnium virilitèr operantium; ideſt juſtorum, non effœminatorum, & malorum, quorum caput eſt diabolus: ut videas, quam decipiantur illi, qui prætendunt habere ſimul caput Chriſtum, & diabolum; ſcilicet Chriſto, & diabolo ſimul ſervire, quod eſt impoſſibile. *Ser. 1. in nativ. ſer. 1. dè S. Anton. Pat. in addit. l. 2. d. 16. a. 2. qu. 2. ad arg.*

175. *Mulier cur velato capite incedere in publicum debet.*

Mulier orans &c. non velato capite, deturpat caput ſuum. Hæc eſt reſponſio data ab Apoſtolo Corinthiis ſuper velationem mulierum: dicit enim, quod debent incedere velato capite: rationes autem hujus præcepti plures ſunt, prima eſt ſupra allata, quia caput eſt mulieris vir; ſcilicet cum ſit ſubjecta viro, nec aliis placere debet, niſi viro ſuo; ideo velanda dum extra domum exit. Secunda ratio eſt, quia ſicut turpe eſt viro velari, quia debet ſuum caput apertum, liberumque exponere; ſic enim exigit honeſtas, & libertas; ſic e contrario turpe eſt mulieri non velari, ita honeſtas, & pudor muliebris requirit, ut velet caput ſuum aliæque rationes infra afferentur. *Ser. 1. dedicat. op. Phar. l. 1. c 40. ſic & commun. SS. Patres.*

176. *An Mulier ſit imago Dei ſicut vir.*

Vir non debet velare caput ſuum quoniam imago, & gloria Dei eſt. Textus iſte maximam difficultatem ingerit. Cum enim afferat rationem, quare vir non debet velare caput ſuum, eo quod imago, & gloria Dei; & cum mulier debeat velare caput, ſequitur quod non ſit imago Dei? & tamen ſcimus, quod Deus creavit maſculum, & fœminam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam: ſed reſpond. quod imago poteſt ſumi vel ſecundum putam eſſentiam, quatenus dicit Sanctiſſimæ Trinitatis expreſſionem unitatis in animâ unâ, & Trinitatis per potentias: & quatenus capax eſt ordinari in Deum per cognitionem, & amorem: & hoc pacto Vir, & Mulier, & Angeli ſunt pares in ratione imaginis. Poteſt iterum conſiderari imago ſecundùm alias conditiones, quæ faciunt ad bene eſſe, quatenus ſcilicet qui eſt ad imaginem Sanctiſſimæ Trinitatis præponitur aliis creatutis, & quatenus cæteræ creaturæ ordinantur ad ipſum ut finem. propter quem factæ ſunt & ob id quatenus dicit ordinem ad corpus, quia vir caput eſt mulieris, & principium Mulieris; & ideo ſecundùm hanc conſiderationem vir magis proprie dicitur imago Dei, quam mulier: & hinc efformatur argumentum Apoſtoli, Vir eſt ad imaginem Dei, & gloria ipſius Dei, ideſt perfectè exprimens divinam gloriam; & principium ſuper omnes creaturas. Mulier verò eſt gloria viri, & viro ſubjecta, ergo gloria Dei revelanda in vito; & gloria hominis occultanda in Muliere; ergo mulier velanda, & non vir. *Vid. S. Bon. l. 2 d. 16. per totam præcip. a. 2. qu. 2.* ubi myſticè exponit textum S. Pauli ſcilicet quatenus vir dicit portionem ſuperiorem animæ revelandam Deo. mulier inferiorem, quæ tegenda eſt: & hinc eſt ratio cur mulier non eſt capax ordinis, quia non repreſentat Chriſtum mediatorem. *L. 4. d. 25. a. 2. qu. 1.*

177. *Mulieres intrantes in Eccleſiam, vel exeuntes in publicum aperto capite tam infames ſunt ac ſi eſſent decalvatæ.*

Omnis mulier orans &c. non velato capite, deturpat caput ſuum; unum enim eſt ac ſi decalvetur: nam ſi non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe eſt mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput ſuum. Vide in quas angustias collocat Apoſtolus mulieres vanas: nam ſimilitudinem ponit inter detectionem capitis, & decalvationem: ſcilicet ſicut turpe eſt mulieri tonderi, & decalvari; ſic & apparere in publicum non velato capite; ſic enim ſe dedecorat, & probro afficit caput ſuum. Hinc videant mulieres quam infames declarentur ab Apoſtolo, quæ in publicum prodire audent, & maximè in Eccleſiam aperto, & diſcooperto capite &c. Hæc ad litteram, nec indigent expoſitione.

178. *Quid de tonſura virginum Deo in Monaſteriis militantium.*

Si verò turpe eſt mulieri tonderi, & decalvari, velet caput ſuum. Ex hoc textu hæretici, maximè noſtri temporis perperam, & turpiter damnant religioſarum virginum tonſuram. Ad quod reſpond. negando conſequentiam: nam iſte mos ab antiquiſſimis temporibus, & in primitivâ Eccleſiâ introductus fuit; ſcilicet ut tonderentur capilli ſacratis virginibus, & hoc ordinatum eſt, ut oſtendant ſe omnem ornatum ſæculi contemnere: ſecundò ſe non eſſe ſub poteſtate viri, ſed ſponſum habere Chriſtum; & ideo in velandis virginibus, datur annulus in ſignum hujus deſponſationis ſpiritualis. Apoſtolus autem loquitur de mulieribus ſæcularibus, quæ ſpectantur publicè in templo. & in plateis, non de recluſis religioſis. De hac materia S. Hieron. Baron. aliique Doct. & *S. Bon. l. 4. d 24. p. 1. a. 1. per totum & d. 20. p. 2. dub. 6. ſer. 4. Dom. Trin.*

179. *Viri*

d by Google

179. *Viri orent discooperto capite, & maximè clerici.*

Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Nota ly, prophetans; ideſt ſacris hymnis, pſalmiſque Deum laudans. Ecce unde orta eſt ſancta conſuetudo in Eccleſia, qua viri debent in templo orationes, & ſacrificia offerre capite diſcooperto, & hoc maximè competit clericis in ſacris actionibus publicis; de qua re extant varii Canones, & Concil. *V. S. Bon. ap.ſpecu.diſcipl.p.1.c.14.*

180. *Cur Mulier velato capite intrare jubetur in Eccleſiam propter Angelos. Sic dicit hîc Apoſtolus.*

Ideo debet Mulier habere poteſtatem ſupra caput propter Angelos: ideſt velare caput propter Angelos; cur propter Angelos? poſſuntne Angeli excitari ad libidinem? hoc eſt impoſſibile? Hæc eſt tertia ratio, quare Apoſtolus præcipit velationem mulierum in Eccleſiâ: ſcilicet propter Angelos: propter Sacerdotes, & ſacros miniſtros, reſpondent myſticè SS. Ambroſ. Anſ.l.& Thom.alique; & ideo Clemen. Rom. præcepit ut mulieres non ſolùm velarent caput in Eccleſiâ ſed & faciem, quod & nunc honeſtiores faciunt. Sed ad litteram reſpondetur propter Angelos; ideſt ob reverentiam Angelorum, qui in Eccleſiâ aſſiſtunt maximè cum divinis mancipamur officiis, & obſequiis: & ideo mulieres habent teſtes honeſti pudoris, vel impudentiæ; & ob id obedientiæ, & inobedientiæ ſuæ. *Ser.* 1. & 5.*dedicat.*

181. *Contentiones ab Eccleſiâ ablegandæ.*

Si quis autem videtur contentioſus eſſe: nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Hoc autem præcipio, non laudans, quod non in melius, ſed in deterius convenitis. Ad litteram reſpondet Apoſtolus iis, qui contentiosè ſuſtinere volebant mulieres non eſſe velandas, dicentes, id eſſe contra conſuetudinem Eccleſiæ, & contra præceptum apoſtolicum. Sed tamen poteſt applicari iſte textus univerſaliter, quo datur intelligi chriſtianis præcipere ne in Eccleſiâ Dei ſint contentiones, maximè de primatu, & dignitatibus: unde diſcordes ſunt ab Eccleſiâ ſeparati, & viventes extra Eccleſiam: ubi enim non eſt pax, ibi nec ordo nec Deus. *In Luc.c.22.v.24.ſer.1.Hexam.*

182. *Abuſus circa Agape introductus, & reprehenſus à Paulo expenditur.*

Convenientibus vobis in Eccleſiam audio ſciſſuras eſſe inter vos &c.unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit &c. Pro intelligentiâ ſenſus Apoſtoli notandum ex Gloſſa, & SS. Patribus, quod tempore Apoſtolorum introductus fuit mos præparandi cœnam ante ſumptionem Euchariſtiæ, in qua introducebantur & divites, & pauperes; & dicebatur Agape, ideſt charitas, vel charitatis officium, ut ibi charitas, & reconciliatio, & pax exerceretur; ſed poſtea in abuſum verſa eſt, quia ſolùm divites admittebantur, & pauperes excludebantur: unde dicit, alius quidem eſurit, alius ebrius eſt; & ibi ad comeſſationes, & ebrietates concurrebant: ideo iſtum abuſum reprehendit Apoſtolus: & cum ad reverentiam ſacramenti decretum fuiſſet, ut ſumatur Euchariſtia à ſolùm jejunis, iſta cœna fiebat poſt ſumptionem Euchariſtiæ: unde propter abuſus introductos, etiam ablata fuit iſta conſuetudo. *Vid.Gloſſam & S.Bon.l.4.d.12.a.2.qu.1.*

183. *Schiſmata, & diſcordiæ in Eccleſiâ abhorrenda velut hæreſis.*

Convenientibus vobis in Eccleſiâ, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo, nam oportet & hæreſes eſſe: ideſt ſpectata humana inconſtantia, & ſuperbia &c. Sed quænam ratio eſt hæc? credo quod inter vos ſint diviſiones, & diſcordiæ, quia oportet hæreſes eſſe? ergone contentiones ſunt hæreſes? minimè hoc aſſerendum; nam hæreſes ſunt contra fidem; contentiones ſunt contra bonos mores, & charitatem, quomodo ergo iſta ſimul connectit Apoſtolus? ſed optimè loquitur Apoſtolus: nam iſta duo vitia ſunt valde inter ſe conjuncta; hæreſis quidem eſt error pertinax contra fidem: contentiones ſunt hæreſes contra charitatem, & bonos mores: ut videas, quod in primitivâ Eccleſiâ tam abominabile erat nomen ſchiſmatis, & diſcordiæ, quàm hæreſis. *L.4. d.13. dub.4.op.ſpecul. anima cap.* 1. O caveat Deus, & liberet Eccleſiam ab hac hæreſi contra charitatem, non minus perniciosam verâ hæreſi contra fidem.

184. *Chriſti actiones in inſtitutione Euchariſtiæ expenduntur.*

Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem; & gratias agens, fregit, & dixit accipite & manducate hoc eſt corpus meum; quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. In his verbis quinque actiones inſinuat Apoſtolus à Chriſto factas in inſtitutione hujus ſacramenti: Primò Chriſtus accepit panem: ſecundò gratias egit Patri: tertiò panem benedixit: quartò panem fregit: quintò porrexit, & inter porrigendum dixit: accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: quæ verba ſunt & porrigentis, & conſecrantis, quæ & alia ſpectancia ad hanc materiam de euchariſtiâ expendimus fusè in Matth.c.26. ad quæ remitto lectorem.

185. *Euchariſtia memoriale eſt omnium mirabilium Chriſti, & præcipuè mortis, & paſſionis ejus.*

Hoc facite in meam commemorationem: quotieſcumque enim manducabitis &c. mortem Domini annuntiabitis donec &c. Ecce ad quid inſtituit Chriſtus hoc ſacramentum; ſcilicet in ſui memoriam, hoc eſt, ut dixit David *Pſal.*110. *in memoriam ſuorum mirabilium:* nempè ipſum collocavit in Eccleſia, ut eſſet memoriale verum, & vivum, in quo reluceret, & nobis pateſceret ejus immenſa charitas in nos, in quo renovaretur ejus paſſio incruenta, & quotidie ſicut in cruce immolatus eſt pro peccatis noſtris, ſic & pro iiſdem, in quæ quotidie incidimus offerretur hæc oblatio in alta-

ri. *Op. de præparat. ad miſſam c. 6. in Luc. c. 22. v. 19. ſer. 4. comm. ſer. 7. dedicat. in addit. vide quæ dicta ſunt in expoſit. Pſal.* 110. *& in Matth. c.* 26.

186. *Ad receptionem efficacem Euchariſtiæ qualis præparatio exigatur.*

Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. In his paucis verbis includit Apoſtolus quicquid eſt neceſſarium ad hoc ut Euchariſtia ſumpta habeat totam ſuam efficaciam, & fructum, & gignat effectus neceſſarios nobis; probet ſeipſum, qui vult ipſam recipere. Probet, ideſt examiner, & conſideret primò, quod recipere tantum Sacramentum, ſicut alius cibus communis recipitur, non eſt congruum nec fructuoſum, nec conveniens: conſideret, quod in tanto Sacramento præſens eſt divina majeſtas, & ſumma exprimitur charitas, ideo debet recipi cum honore & devotione: & conſequenter cum honore, & devotione non recipitur tam nobilis hoſpes in immundo hoſpitio; unde neceſſe eſt, quod homo hoſpitium Deo præparet per ſui dijudicationem: ſed quia homo non præparat hoſpitium hoſpiti, niſi ipſum cognoſcat; ideo neceſſe eſt, ut cibum iſtum ab aliis diſcernat, & hoc per fidem: Secundò per ſui ipſius probationem, auferendo contritione, & pœnitentiâ non ſolùm peccata mortalia, ſed & venialia, eorumque radices ſerio propoſito piâ ad Deum oratione evellendo, & lavando pedes affectuum, & hinc cum honore, & reverentiâ in hoſpitium paratum recipere: ſed quia multi recipiunt hoc ſacramentum ſine tali præparatione, ideo multi imbecilles, & infirmi, & dormiunt multi. *L. 4. d. 12. p. 2. a. 1. qu. 1. Pſal.* 138.

187. *Idem argumentum de præparatione ad Euchariſtiam.*

Probet autem ſeipſum homo; & ſic de pane illo edat. Vide iterum quid prærequiritur ad dignam comeſtionem hujus cibi cæleſtis: probet ſeipſum homo. Quid eſt probet ſe? probet ſeipſum, ſcilicet examinet ſe circa fidem hujus myſterii, non an habeat fidem de ipſo, quia hoc præſupponitur, ſed examinet ſe circa quæ ſibi fides dictat hujus Sacramenti: meditando quid eſt, quod exhibetur in hoc ſacramento; nempè verum corpus, & ſanguis Domini Jeſu Chriſti, ejuſque anima, & divinitas velata ſub illis ſpeciebus; & hinc tranſi ad aliud examen, ideſt cum quali propoſito, & devotione accedis; ideo diſcute, & revolue diligenter tuæ conſcientiæ domum; & vide ne forte intus ſit aliqua turpitudo in mente, vel macula extra in carne, qua offendi poſſint oculi illius, qui eſt Sanctus ſanctorum; & hinc expurga tuam conſcientiam per confeſſionem, ne in damnationem tuam, & in mortem recipias hunc angelicum cibum. Hinc tertiò tranſi ad tertium gradum probationis examinando ex quanta charitate, & quali fervore accedis; ideſt non ſolùm enim mortalia peccata vitanda ſunt, ſed etiam venialia per negligentiam, & otium multiplicata, & etiam per inconſiderationem, ac per diſtractionem diſſolutæ vitæ, & malæ conſuetudinis; quæ licet non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem, obnubilatum, indiſpoſitum, & ineptum ad talem dignam ſumptionem, niſi dicti pulveres, & ſtipulæ venialium per afflatum ſpiritus, & flammam charitatis ventilentur, & conſumantur ex ardeſcente igne cordis, & ex conſideratione propriæ vilitatis. Ideo cave, ô homo, ô Sacerdos Dei ne nimis tepidus, & inordinatus accedas, & inconſideratus; quia indignè accedis, & judicium tibi manducas, ſi non accedis reverenter, circumſpectè, & conſideratè: & ut iſta caveas accende te ad amorem conſiderando illius ſummæ charitatis incendium, quo ſumma bonitas pro te vermiculo fœtido tam pœnoſæ ſuſtinuit crucis opprobrium, diſcutiendo cauſam illius beatiſſimæ mortis, quæ fuit neceſſitas noſtræ redemptionis; pro qua mortuus eſt in cruce, & in Euchariſtiâ renovari voluit iſtam eandem redemptionem noſtram: & hinc ad ſalutem, & vitam noſtram renovandam, hoc ſacramentum inſtituit: Ex hac probatione tranſeundum eſt ad aliam, examinando finem, ob quem accedis ad hoc ſacramentum, ut te ad ipſum trahat conſcientia, & remorſus delictorum, ſperans ab eis per talem hoſtiam purgari: item tuæ infirmitatis intuitus, & conſideratio, ut eum quaſi medicinam ad te voces. Item preſſura alicujus tribulationis, ut in ipſa protegaris. Item deſiderium gratiæ: item gratiarum prædictor beneficiis. Item charitas, & compaſſio proximorum. Item laus Dei, & ſanctorum. Item Dei amor, & dilectio. Sitis, & deſiderium augendæ gratiæ & tandem ardor, & ſuſpirium quo cupias ſanctificari, & accendi. *Op. de præpar. ad miſſam c. 1. & ſeq. per tot. in Luc. c. 14. v. 16. & c. 22. v. 8. in Ioan collat. 34. op. faſcicul. c. 7. de purit. conſci. c. 9. Comp. Theol. l. 6. c. 16.*

188. *Alia præparatio perfectior pro viris ſpiritualibus, & religioſis.*

Probet autem ſeipſum homo. Nempè præpara te, ne ſumendo illud ſacramentum indignè, judicium tibi manduces. Hæc autem præparatio tibi proponitur, ô ſerve Dei: ſtude te ante per triduum ad fervorem ſpiritus ordinare, ut ſi in die dominico proponis communicare, ſis in feria ſexta præcedenti ab omni cogitatione immunda abſtractus: In hac die ſemper mentales oculos ad Jeſum crucifixum habeas, ſpinis coronatum, aceto, & felle potatum, ſputis, & contumeliis ſaturatum à peccatoribus, blaſphematum, acerbiſſimâ morte conſumptum, lanceâ perforatum, & jam ſepultum: hæc ſint tuæ cogitationes, tuæ meditationes, ad hæc oculos tuos fixos tene. In ſabbato proponas aliorum conſortia declinare, & quietem mentis in ſolitudine eligere, & in ſilentio, lectione, meditatione te exercere. Poſt completorium vade ad Eccleſiam, & ibi revoca mentem tuam, & quicquid contra Creatorem tuum feciſti; recogita cum dolore, & amaritudine cordis; Et in illa eadem die præcedenti jejuna: Et poſt matutinum vigila in oratione: quia qui mane vigilaverit ad me inveniet me, ait Salvator *Prov. 8.* & poſt brevem confeſſionem accede ad ſumendum hunc cibum Angelorum cum exercitio præcedente fidei, ſpei, & charitatis. Poſt communionem ſepara te à conſortio

sortio aliorum, & in te ipsam intra, ut cum sponso tuo, ô anima, tractare possis tua negotia salutis. *Op. regula Novit. c. 4. fascicul. c. 7. de purit. consci. c. 9.*

189. *Admonitio ad sacerdotes omittentes celebrare ex negligentia.*

Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Ista verba præcipuè diriguntur ad sacerdotes, qui in utraque specie sumunt hoc sanctissimum sacramentum; eosque admonet, ut se probent, & examinent, & se præparent: qua præparatione peractà, consulit ut celebrent, & sumant hoc divinum Sacramentum. Et cur vult, ut semper sumant, & non omittant celebrare? Hoc est, quia cum sacerdos est absque mortali peccato, & in proposito bono, non habens legitimum impedimentum, & non ex reverentiâ, sed ex negligentiâ omittit celebrare, quantum in ipso est, privat S. S. Trinitatem laude, & gloriâ; Angelos lætitiâ, peccatores veniâ; justos subsidio, & gratiâ, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio; & seipsum medicinâ, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. Item privat se omnibus bonis provenientibus ex sacra communione, quæ sunt peccatorum remissio, fomitis mitigatio, mentis illuminatio, interior refectio, Christi, & corporis ejus mystica incorporatio, virtutum roboratio: contra diabolum armatio, fidei certitudo, spei elevatio, charitatis excitatio, devotionis augmentatio, & Angelorum convivatio. Item non complet sibi injunctum magnæ dignitatis obsequium, nec officium exercet debitæ servitutis Dei: & tamen scriptum est. *Maledictus qui facit opus fraudulenter, legunt 70. negligenter Hier. c. 48.* Item contemnit Christi præceptum de observantia hujus Sacramenti; comminatur enim Christus. *Ioan. c. 6. nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Item abjicit viaticum suæ peregrinationis, exponens se periculo mortis; quia nisi recipiat alimentum corporis Christi, & vitæ vegetationem efficitur sicut membrum aridum, ad quod non transmittitur corporalis cibi nutrimentum. Ultimò quantum in se est, evacuat divinum cultum, & latriam creatori debitam, ingratus de beneficiis, dicente Domino, *Num. 9. si quis mundus est*, scilicet à peccato mortali, *& in itinere non fuerit.* Idest aliter impeditus, *& non fecerit phasc, anima illa de populo suo exterminabitur, quia sacrificium non obtulit Domino Deo, tempore suo.* Ergo, ô Sacerdotes Domini quantum patitur humana fragilitas toto conatu per exercitium boni operis, lachrymarum, contritionem, & devotionis flammam expellite à vobis omnem teporem, & negligentiam, ne inveniamini respuere tantarum charismatum dona. *Op. de præpar. ad miss. c. 5.*

190. *Sacrilegium gravissimum indigne recipientis eucharistiam expenditur.*

Itaque quicumque manducaverit, &c. indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans, &c. Notanda hîc duo insinuata ab Apostolo contra indignè, & in peccato mortali sumens corpus & sanguinem Christi. Primum, reus est talis indignus corporis, & sanguinis Domini. Secundum est, judicium sibi manducat, & bibit. Quid est reus, &c. & quid est judicium sibi manducare? Ecce quàm terribilis est hæc sententia, reus est, &c. scilicet tam grave sacrilegium est, sicut qui Christum occiderunt; & ideo pœnas mortis dabit: & hinc sequitur secundum, judicium sibi manducat, idest damnationem æternam in se incorporare; & hinc in potestatem Satanæ traditur, sicut alter Judas. O quàm terribilis est hæc sententia contra impios audentes accedere ad recipiendam SS. Eucharistiam in peccato mortali. *Op. Confess. c. 4. p. 3. de præpar. ad missam c. 4. & 5. ser. 3. in vigil. Nat. ser. 3. de Circun. ser. 2. Dom. 4. quad. op. fascicul. c. 7. Comp. Theol. l. 6. c. 16.*

191. *Indignæ sumptionis Eucharistiæ effectus expenduntur.*

Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quid est hoc, quod ad indignam sumptionem Eucharistiæ sequitur? multi infirmi, & multi dormientes, ait Apostolus: sed quales sunt istæ infirmitates? Resp. infirmi multi, idest primò, & principaliter, spiritualiter in anima, & dormitio, scilicet mors spiritualis: unde ista sententia percutit primò accedentes in peccato mortali: quia ex sumptione vitæ provenit eis mors animæ, simulque infirmitas spiritualis; scilicet pronitas ad scandala, peccataque, & proclivitas ex omni facili occasione ad lapsus; ita ut de abissu in abissum prodeunt. Percutit & illos, qui licèt non sint maculati peccato mortali, tamen accedunt indevotè, irreverenter, & incircumspectè; & ideò non solum non reportant effectus efficaces hujus sacramenti; imo in infirmitatem, teporem, inclinationes malas præcipitant. Nota etiam, quod justo permittente judicio ex mala communione resultant in personas, & loca infirmitates corporales, pestilentiæ, clades, mortalitates, & aliæ mala corporalia; obsessio etiam dæmonum, de quibus agunt. *SS. Chrysost. Cipria. Anton. aliique Patres. l. 4. d. 11. p. 2. dub. 3. Op. de præpara. ad missam c. 5. Confession. c. 4. p. 3. de sex alis Seraph. c. 4. in Luc. c. 12. v. 53.*

192. *Qui seipsum in hac vitâ judicat, & punit, in altera non judicabitur, nec punietur.*

Quod si nos metipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, &c. Ecce qualis lex facta à Deo contra nostra peccata: si in nosipsos in hac vitâ judicium subimus, & punitionem, ac pœnitentiam assumimus in altera vitâ non judicabimur, nec punietur peccator. Elige ergo ô homo; qui peccasti, quid vis; vel punitionem in hac vitâ, vel in alterâ damnationem æternam, vel punitionem in igne purgatorii. *Op. de sex alis Seraph. c. 7. ser. 5. de plur. Mariy. in Luc. c. 12. v. 57. ser. 2. de S. Andr. in addit. op. de sept. itin. æter. itin. 2. d. 4.*

CAPUT. XII.

In hoc capite,& tribus ſequentibus tranſit Apoſtolus ad diſputandum de gratiis tum gratis datis, tum gratis facientibus.In hoc autem docet gratias gratis datas variè à Spiritu Sancto diſtribui ad commune bonum Eccleſiæ.

193. *Rerum ſpiritualium cognitio quam neceſſaria chriſtianis : ignorantia quam damnoſa.*

De ſpiritualibus autem, nolo vos ignorare fratres. Cur, ò Apoſtole, non vis ut Corinthii ignorent ſpiritualia ? & quænam ſunt hæc ſpiritualia ? Sed attende, quod cum videret Apoſtolus Corinthios totos eſſe in evoluendis libris oratorum, & Philoſophorum Mundi,nihil, vel parum curantes notitiam eorum, quæ ſunt neceſſaria ſaluti, & quæ ad profectum vitæ chriſtianæ, & profeſſionem ſunt ; hinc præmittit in principio hujus capitis, antequam ipſis explicet qualitatem donorum Spiritus Sancti, ſe nolle ipſos vivere in tantâ ignorantiâ,& meritò : nam ignorantia vitæ ſpiritualis,& donorum ſpiritualium Dei caulat in animâ debilitatem, cæcitatemque, ob quam ipſa anima remanet vacua veritatibus ſupernis : & (quod ſuper omnia eſt deplorabile,) amore Dei. E contra,notitia rerum ſpiritualium,quæ habetur per donum ſcientiæ, & intellectus Spiritus ſancti, aufert velamen, & penetrare facit veritates divinorum Sacramentorum, quibus anima reficitur,& ſublimatur per cognitionem, & amorem in Deum.*Op.de dono ſcient.c.1. & de dono intell. c.3. l.3.d.33.a.1.q.4. ad ult. & l.2. d.22. art.2. quæſt.2. corpor.*

194. *Quomodo verum ſit,quod nemo in ſpiritu Dei loquens dicit Anathema Ieſu : & quod nemo poteſt dicere : Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto.*

Prima pars hujus ſententiæ clara eſt. Certum enim eſt,quod nemo ſpiritu ſancto rectus,& regulatus, contra Dominum Ieſum poteſt loqui : & è contra qui à Spiritu Sancto alienus eſt, in Chriſtum contumelioſe inſurgit : ſicut modo faciunt Hebræi, qui multis contumeliis afficiunt hoc Sanctiſſimum nomen Ieſu. Sed ſecunda pars difficultatem maximam ingerit : nam certum eſt apud Theologos, quod infidelis ſolo concurſu Dei generali poteſt proferre nomen Ieſu & de eo habere cognitionem aliquo modo bonam. *Sic & S.Bon.l.2,d.28.q.ult.* Quomodo ergo hîc dicit, quod nemo poteſt dicere : Dominus Ieſus,niſi in Spiritu Sancto ? ſed reſpondetur, quod ſenſus Apoſtoli, & catholicus eſt, quod nemo poteſt abſque gratiâ Chriſti, & Spiritus Sancti per veram fidem, & pium affectum ſeriò, & ex corde invocare Dominum Ieſum,illumque confiteri eſſe Dominum, & redemptorem noſtrum : vel etiam dicere in corde ſuo, & cogitare aliquid de eo, quod in ſuo gradu, & ordine ad remiſſionem peccatorum, gratiam, & finem ſupernaturalem conferat, & diſponat merito vel congrui, vel digni, vel condigni ; idque dicit Apoſtolus contra Corinthios chriſtianos, qui in donis ſuis ſuperbiebant,ut intelligerent hæc omnia dona eſſe à Spiritu Sancto.*l.1.d.28.cit.*

195. *Chriſtianorum impiorum ſtatus,qui de Deo benè loquuntur, factis autem negant expenditur,*

Nemo poteſt dicere:Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto. Hic tacitè inſimulat Apoſtolus chriſtianos, qui benè loquuntur de Deo, factis autem negant. Benè autem loqui de Chriſto Ieſu eſt à Spiritu Sancto, at hoc fit per veram fidem, & pium affectum,& ex corde, & per invocationem Domini Ieſu, confitendo ipſum redemptorem;ſicque ſe diſponendo ad gratiam, & remiſſionem peccatorum : qui autem ore invocant nomen Domini Ieſu, & corde, & factis negant, ſunt ſimiles dæmonibus, qui dicebant Ieſu. *Quia tu es filius Dei. in Luc.c.4.v.41. & c.10. v.11. & c. 12. v.8.* Hinc patet qualis ſit abuſus illorum chriſtianorum, qui ex conſuetudine pronunciant nomen Ieſus in omnibus actibus ſuis,ſive bonis,ſive malis, ſive indifferentibus, abſque ulla devotione, & reverentiâ, & concurſu mentis interioris, &c.

196. *Multiformitas gratiarum, & miniſteriorum à Spiritu Sancto provenientium exaltat mirabiliter divinam providentiam in Eccleſiam.*

Diviſiones verò gratiarum ſunt : idem autem Spiritus.Diviſiones miniſtrationum ſunt,idem autem Dominus, & diviſiones operationum ſunt, idem verò Deus,qui operatur omnia in omnibus. Vide quomodo Apoſtolus deſcendit ad explicandam Dei providentiam in Eccleſiam, & Dei munificentiam & honorem in gubernatione ipſius : ſicut enim multum decorat honorem regium multiformis varietas, & diſtributio miniſteriorum : ſic in Deo multiformis diſtributio obſequii divini ad bonum regimen Eccleſiæ,& diſpenſationis Dei dominatio ſingularis, exaltat mirabiliter ejus divinam providentiam : Unde licet diverſi diſtincti & multiplices rivuli à fonte egrediantur, tamen unus eſt fons, qui ſine defectu ſe multiplicat : ſic & ab uno fonte æterno,ab uno Paradiſo, ab uno Spiritu Sancto ſine ſui defectibilitate egrediuntur diverſi rivuli gratiarum gratis datarum,diſtinguit totum in gratias, in miniſteria, & in operationes, dicens diviſiones gratiarum ſunt ; ſcilicèt gratiarum gratis datarum;& diviſiones miniſtrationum, ſuntque officia miniſtrandi Eccleſiæ: ut Epiſcopatus,Diaconatus præfectura, cura pauperum, & diviſiones operationum : ſuntque miracula, ut expulſio dæmonum, ſanatio infirmorum, reſuſcitatio mortuorum : Hæcque omnia

operatur

operatur Deus omnia in omnibus. Operatur enim Deus primò omnia naturalia per concursum universalem, concurrentibus tamen effective causis secundis : sic enim Deus operatur omnia bona naturæ & fortunæ : & quod hic sit dives, ille pauper Dei judicio, & voluntate tribuendum est. Secundò operatur omnia supernaturalia, tum gratum facientia, tum gratis data ; quæ diversimodè dantur ad manifestationem Spiritus Sancti, in quo omnia dona nobis dantur. *Serm.3. Dom.3. post oct. Paschæ. ser.4. Pentec. ser.3. de B. Virg. ap. Centil. p.3. sec.35. Diet. in appendi. l.1. d.18. a.1. q.1. & l.2. d.16. dub.1. & q.1. In Luc. c.11. v.13.*

197. *Enumerantur gratiæ gratis datæ à Spiritu Sancto.*

Alii quidem datur sermo sapientiæ, &c. Nota, quod primo loco ponit donum sapientiæ, estque qua explicantur altissima mysteria nostræ fidei. Secundo loco donum scientiæ, qua res fidei per exempla, comparationes, rationes humanas, & physicas, philosophicasque explicantur, prout ad agenda, moresque pertinent. Tertio fidei donum; estque hæc non virtus prima theologica, quæ omnibus christianis est communis, sed fides miraculorum, quæ fidem theologicam includit, additque constantem fiduciam in Deum ad quidvis impetrandum, & ad miracula operandum; vel secundùm alios est intelligentia magna mysteriorum fidei, ad ea contemplandum, & explicandum. Quarto gratiam sanitatum. Quinto operationem virtutum, scilicet majorum miraculorum; hæque tria ferè in idem recidunt. Sexto interpretationem sermonum, idest mysteriorum obscuriorum Sacræ Scripturæ estque doctorum Ecclesiæ, omniaque ista dona dividit Spiritus Sanctus prout vult, ut sic Ecclesia appareat unum corpus in Christo, habens diversa membra ad varia officia destinata. *L.2.28.a.1.q.1. & d.26. q.1. & l.3. d.13.q.2. & d.35.q.1. & d.36.q.2. & d.13.a.2. q.2. ap. Centil.p.3 sec 45. de 7. don.c.1. & seq per tot.trac. medit.c.57. de pænp. Christi q.1. Comp. Theol.l.1.c.20. Brevil.præm. In Luc.c.16.v.9.c.11.v.20.c.17. v.5. in Ioan.c.13.v.35. Collat.77.*

198. *Compassio fraterna signum inhabitantis Spiritus Sancti. Vbi de corpore Ecclesiæ, & unione fidelium in unum.*

Sicut enim corpus (scilicet naturale, & animale) unum est, & membra multa habet : omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus, &c. & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Apostolus in hoc capite totus est, ut ostendat omnes fideles constituere cum Christo, & Ecclesiâ unum corpus mysticum habens diversa membra unita, & exercitia diversa, & munera ; Et hinc infert, quod sicut unum membrum quando patitur, cætera membra ei compatiuntur ipsumque adjuvant : sic & multò magis debet esse major unio membrorum spiritualium, quam corporalium, hinc & secundò infertur, quod compati fratri, & proximo in necessitate, est signum certum, quod ibi inhabitat Spiritus Sanctus, ejusque charitas, & amor, & è contra, si proximo patienti, te non invenieris compati, argumentum infallibile est, quod non es membrum corporis Christi, quia impossibile est, si homo alterum verè amat, quod ei dolenti non pleno corde condoleat, & se cum afflicto non afligat. Ergo fratres mei probatis habere vos hanc charitatem, corde compatiendo, & opere toto posse subveniendo. *Ser.1. de plur. Confess. ser.2. de Apost. Psal.24. in Ioan. coll.77.*

199. *Ecclesia Dei quomodo est una, & multiplex in membris, & officiis ordinata.*

Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ : primum Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, &c. numquid omnes Apostoli ? numquid omnes Doctores, &c. Ecce qualis est ordo pulcherrimus in Ecclesia à Christo constitutus. Vos, ait Apostolus, estis corpus Christi, scilicet mysticum, & membra de membro, idest commembra, & confratres ejusdem societatis, & Ecclesiæ. Hinc cum magna multitudo sit in Ecclesiâ, ad evitandam confusionem, & ad demonstrandam pulchritudinem ipsius ; in ipsâ collocavit unitatem primo loco : secundò diversitatem ministrorum, & officiorum in membris singulis. Tertiò aptitudinem, & dotem cujusque membri ad suum officium. Quartò communionem functionum : quinto pacem, & concordiam inter membra : & hinc posuit Apostolos, Doctores, &c. *Psal.24. l.4. d.24. p.1. q.1. a.2. op. de paup. Christi. q.1. a.2.*

200. *Deus gratiam curationum infirmitatum diversimodè suis fidelibus contulit. Vbi de intercessione SS. & diversitate gratiarum ipsis collatarum.*

Numquid omnes gratiam habent curationum. Ut videas, quod licet Deus collocaverit Sanctos in Ecclesiâ militante, & triumphante, ut ad ipsorum intercessionem recurrentes, facilius à Deo possemus impetrare gratias nobis necessarias : & hoc tum, ut id, quod nostris meritis non possumus impetrare, per ipsorum merita obtineremus : tum ut humilitas in nobis conservaretur : tum ut in sanctis ipsis intercedentibus dignitas eluceret, tũ ut in omnibus Christi membris charitas, & unitas ostẽdatur, qua quæ inferiora sunt, ad superiora fiducialiter recurrant, & superiora inferioribus liberaliter condescendant. *Op. Brevil. l.5. c.10.* Et hæc cum ita sint, tamen (ait S. Aug. *Epist.137.*) nec in omnibus memoriis sanctorum Deus miracula fieri voluit, qui dividit unicuique prout vult. Unde non est mirum, Deum hoc loco, hoc templo, ad hanc, aut illam Deiparæ Virginis statuam miracula operari; non autem alio loco, templo, imagine. Rursum huic sancto hanc gratiam, alteri aliam gratiam concedere. v.g. S. Sebastianum, & Rochum invocantes peste : Apoloniam dolore dentium : Barbaram subitanea morte, nec sine confessione moriantur, S. Blasium malo gutturis. S. Antonium patavinum res perditas inveniant quia has gratias dividit Deus prout vult. Id etiam patet in probatica piscina ; in imagine serpentis ænei ; in virga Aaron, &c.

201. *Insti*

201. *Iuſti aſpirant ad charitatem, & Dei amorem, cæteris donis poſtpoſitis.*

Æmulamini charismata meliora. Ecce conſilium valde neceſſarium Apoſtoli, qui poſtquam enumeravit varias gratias gratis datas à Chriſto diſtributas Eccleſiæ, ne fideles in his collocarent ſuum ultimum finem, & perfectionem, ſubjungit: *æmulamini, ô fideles meliora & utiliora charismata. q. d. exercete quidem fideliter gratias gratis datas vobis à Spiritu Sancto; ſed tamen ad id, quod ejs utilius contendite pervenire,* ſcilicet ad providendum habitum charitatis, & gratiæ: nam illa dona gratis data, poſſunt ſine charitate haberi, & ob id ſine infuſione Spiritus Sancti: non ſic gratiâ ſanctificans, & charitas; quia ſine hac, nihil valent omnia alia. *L. 3. d. 34. p. 1. a. 1. quæſt. 3. ad 1.*

202. *Idem argumentum de charitate.*

Et adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro. Hoc eſt viam charitatis, & amoris Dei, quæ ſuper omnes alias tenenda, & amplexanda, de qua in cap. ſeq. *L. 3. d. 34. p. 1. a. 1. q. 3. d. 4. d. 24. p. 1. a. 2. q. 1. In ſap. cap. 1. op. Compend. Theol. l. 3. c. 25. In Luc. c. 1. v. 76.*

CAPUT XIII.

In hoc capite docet Apoſtolus charitatem excellere omnia alia dona; & hinc proſequitur enarrando mirabilia charitatis.

203. *In ſchola Chriſti prius addiſcenda charitas in Deum, quam ſcientia, & elocutio.*

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut Cymbalum tinniens. Si habuero prophetiam, & noverim omnia myſteria, & omnem ſcientiam, &c. Quæritur hic; quid intelligat Apoſtolus per linguas hominum & Angelorum; & an Angeli habeant linguam? & ſi habent ſuam linguam, ſcilicet ſuos conceptus, quos ad alios dirigunt, quomodo homo poteſt linguâ Angelorum loqui? & ſi hoc non eſt poſſibile homini viatori: cum per ſenſibilem vocem, vel per aliquod ſignum ſenſibile ſolùm poteſt exprimere aliis ſuos conceptus, cur dicit Apoſtolus: *Si linguis hominum, & Angelorum loquar.* Aliqui DD. reſpondent Apoſtolum loqui de linguâ hebraeâ, quâ Deus, Angeli, & Adam in Paradiſo locuti ſunt; alii alio modo exponunt hunc textum: ſed tamen communior, & certior eſt Apoſtolum hîc loqui per proſopopeiam, & hyperbolem, & tali modo velle explicare elegantiſſimam linguam, acutiſſimam, & exquiſitiſſimam ſcientiam: & per hoc dat intelligere, quod cum eſſet inſtructus in ſchola cœleſti, quid in hac magis æſtimatur, & quali ordine procedendum ſit à diſcipulis Chriſti, dixit: ſi linguis hominum, &c. charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut Cymbalum tinniens: & ſi habuero omnem ſcientiam ſine charitate, nihil ſum q. d. qui ad hoc tantum laborat, ut ſciat quid, & quomodo loquatur, interius remanet vacuus ab interna devotione, eſt velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens: Unde magnus Doctor, & ſapientiſſimus habens maximum hortum; & ſciat myſteria, & naturas rerum ſine charitate, ſuperatur ab una vetula quæ habet modicum hortum, & quia ſine tot ſubtilitatibus habet ſolam charitatem, iſta maximum fructum recipit; iſta Deo eſt chara; iſta eſt verè dives, & veram ſapientiam Chriſti habet. *Ser. 18. Hexam. ob. medit. c. 16. & c. 28. & 47. legenda S. Franc. cap. 9. Pſal. 80. & ſer. 5. Pentec.*

204. *Sine charitate nulla alia virtus eſt aliquid coram Deo, ſed nihil eſt. Vbi de fide, de pœnitentia, & martyrio.*

Si habuero omnem fidem; ita ut montes transferam, ſine charitate nihil ſum: & diſtribuero in cibos pauperum, &c. ſi tradidero corpus meum, &c. Nota quod primo loco ponit fidem, ſcilicet miraculorum; ut pareat, quod fides eſt, quæ miracula impetrat, non præcisè charitas. *l. 3. d. 14. dub. 4.* Et hinc enumerat omnes virtutes, etiam martyrium, ideſt materiale, ſive etiam formale, ſed ſine charitate, & in peccato mortali: iſta omnia nihil ſunt ſine charitate: quia charitas ſola eſt forma virtutum, quæ ducit ad perfectionem; quam qui habet, dives, & felix eſt: qui non habet pauper, & mendicus, & nihil eſt coram Deo. *Op. de perfec. vitæ c. 7. medit. c. 16. & 28. Diæt. tit. 2. c. 6. l. 4. d. 15 p. 1. q. 3. & p. 2 dub. 7. In Ioan. coll. 52 & 69 & 77. Pſalm. 118. cap. 3. v. 3. ſerm. 4. Dom. 17 Pentecoſt.*

205. *Charitatis encomia, mirabilia, & effectus expenduntur.*

Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c. Vide quomodo charitas eſt veluti topazius, qui eſt lapis pretioſus recipiens in ſe qualitatem omnium aliarum gemmarum; & cum ſit participatio divinitatis, quæ infunditur in anima, ſicut Deus eſt unum ſimplex, & perfectiſſimum bonum, in quo eſt omne bonum perfectè, & cui nullum bonum deeſt; ita charitas eſt una virtus in ſe omnem habens virtutem; ſed propter diverſos effectus ejus, ex diverſis intrinſecis occaſionibus, & rationibus, vel cauſis illatis, quibus ſe vel contra malum opponit, vel ad bonum extendit, diverſa officia, vel munera ſortitur. Igitur cum ſe extendit ad diligendum Deum, dilectio Dei dicitur, cum ad proximum, dicitur dilectio proximi: cum ejus miſeriis compatitur, miſericordia appellatur: cum ejus bono congaudet, congratulatio vocatur: cum æquanimiter adverſa tolerat, patientia dicitur: cum beneficia odientibus ſe, benignitas nuncupatur: cum non extollitur in proſperis, humilitas reputatur: cum obtemperat ſuperioribus, dicitur

citur obedientia : cum execratur turpia, castitas est, cum reſecat ſuperflua corporalis neceſſitatis, ſobrietas est : cum divitias abjicit, paupertas est : cum ad pauperes effundit, largitas, & eleemoſyna dicitur : Cum tædio expectationis non frangitur, longanimitas est : cum inter bonum, melius, & optimum diſcernit, prudentia est : Cum Ius ſuum cuique tribuit, juſtitia est : cum delectationibus non emollitur, temperantia est : Cum duris non terretur, fortitudo est : cum credit credenda, fides est : cum ſperat ſperanda, ſpes est. Unde verè Apoſtolus hic dicit, quod charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, &c. O qualis virtus est charitas, mater virtutum, & nutrix omnium bonorum, & armatura contra omnia vitia : unde dicitur charitas patiens est, q. d. charitas regina est coronata, & circundata varietate omnium aliarum virtutum, habens armaturam regiam, ſcilicet patientiam quæ ipſam defendit ab omni impetu inimicorum. *Op. de profec. religioſi l. 2. c. 24. de profec. vitæ c. 7. Dist. 81. 7. c 1. tit. 10. c. 5. Comp. Theol. l. 3. c. 23. & l. 5. c. 24. ſeq. medit. c. 58. de 7. itin. ætern. d. 6. & itin. 4. d. 3. & 4. ſpecu. diſcipl. p. 2. cap. 6. Apendix ad Dom. quinq. In Luc. c 6. v. 30. c. 11. v. 12. c. 19 v 17. c. 21. v. 4. & c. 11. v. 9. in Ioan. c. 4. v. 38. ſer. 2. de pluri. confeſſ. Pſal. 118. c. 5. v. 13.*

206. *Quomodo in Patria ſcientia deſtruetur, & linguæ ceſſabunt, & prophetiæ evacuabuntur.*

Charitas numquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur. Quæritur hîc quomodo iſta ceſſabunt, & primo de prophetiâ, & reſpond. quod prophetiæ ceſſabunt tum ob obſcuritatem, tum quia ſtudioribus dantur hîc ad eruditionem, quæ ceſſabunt ob evidentiam. Quæritur. 2. de linguis, an in Cœlo, & in patria erit oratio vocalis, & in quâ linguâ? Reſpondetur affirmativè; ſed tamen unâ linguâ, non pluribus linguis loquentur beati, undè dicit linguæ ceſſabunt, ſcilicet multiplicitas linguarum; ſed lingua erit hebræa, qua Deus, Angeli, & Adam uſi ſunt in ſtatu innocentiæ; ſic communior, & verior opinio Doctorum. Quæritur 3. an ſcientiæ evacuabuntur? Reſpondetur, quod circa ſcientiam est conſiderare habitum, uſum, & modum utendi. Scientiæ ergo quoad habitum non ceſſabunt, quia perfectioni gloriæ talis perfectio non repugnat: non enim repugnat Deum videre, & ſcire propoſitiones, & concluſiones, & principia geometriæ, altetiuſque ſcientiæ: uſus talium habituum non tollitur omninò, quia ſi eſſet habitus abſque uſu, & acto, eſſet incompletus, mutatur tamen; quia talis uſus est ſine annexa imperfectione ſcilicet quoad modum inquiſitivum, diſcurſivum, & collativum cum ſucceſſiva ratiocinatione: in patriâ enim modus cognoſcendi est per ſimplicem aſpectum ob deiformem intellectum per gloriæ complementum. Unde beati ſimul iſta in verbo cognoſcere poſſunt, & ſimul in proprio genere, ſicut dicitur de animâ Chriſti. *L. 1. in prol. dub. 8. l. 3. d. 31. a. 2. q. 3.*

207. *Quartò quæritur de fide, & ſpe, an evacuabuntur, item de virtutibus cardinalibus.*

Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: cum autem venerit quod perfectum eſt evacuabitur quod ex parte eſt, &c. videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Ad primam quæſtionem de fide, & ſpe reſpondetur primò, quod in patria per claram viſionem Dei fidei habitus, ejuſque uſus evacuatur: & ratio est; quia fides est habitus virtutis inclinans ad credendum id, quod ab intellectu naturali lumine non capitur? qui habitus imperatur à voluntate ad amplexandum ea, de quibus de ſe est incertus: & quia in patria lumen gloriæ, & claritas viſionis præcedit motum affectionis, nec ab ipſa inclinatur intellectus propter ipſius luminis claritatem, à qua intellectus nullo modo poteſt diſſentire: hinc est, quod habitus fidei ſimpliciter in gloria tollitur. Reſpondetur ſecundò quoad ſpem; quod cum ſpei habitus habiliet ad confidendum & innitendum Deo cum quadam protenſione, erectione, ſeu inhiatione, & expectatione: & quoniam ſtatui gloriæ repugnat expectatio ſubſtantialis præmii, & protenſio, & illa erectio, & inhiatio, cum ibi affectus omninò quietetur: hinc est, quod iſte habitus in gloria omninò evacuatur, cum ib habeatur, quod in via expectabatur *L. 3. d. 31. a. 2. q. 1. &* 2 Addimus, quod poteſt dici fidem, & ſpem manere in gloria, non ſecundum ſe, ſed ſecundùm præmium, quod in via meruerunt: non quidem ſicut charitas, quæ etiam ipſa remanet ſecundùm præmium; ſed etiam ipſa remanet cum præmio; cum nullam habeat oppoſitionem ad ipſum: fides autem, & ſpes cum oppoſitionem habeant ad claram Dei viſionem, & tentionem; ideo ipſis ceſſantibus remanet præmium. Quoad virtutes cardinales Reſpondet quod ſicut in via iſtæ virtutes ſunt media diſponentia animam ad ſeipſum, & ad proximum, in ordine tamen ad Deum; & quia in patria actus ſtatuum virtutum erunt in ſumma perfectione, quibus diſponitur anima per perfectam fruitionem Dei: hinc iſti habitus non evacuantur, ſed remanent, imò excellentiori modo exercebunt ſuos actus: unde omnes actus noſtri glorioſi erunt fortes, & juſti, & prudentes, & caſti; ita quod juſtitia excludit omnem obliquitatem, prudentia omnem errorem, fortitudo omnem moleſtiam, temperantia omnem libidinum repugnantiam. O concedat nobis Dominus Ieſus hæc omnia experiri in beatâ patria. *L. 3. d. 33. 3. 6. l. 2. d. 4. q. ult. ad* 1.

208. *Oratio in via corrigit imperfectionem viſionis Dei per fidem, & hoc per actus amoris.*

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, &c. Ecce qualis est viſio Dei nobis in hac vita conceſſa: videmus quidem Deum, ſed à longe, obſcurè, & confuſè & per ſpeculum; ſcilicet quaſi per vitium, ſpeculumque oculare: Et ſi hoc, quomodo anima in Deum immediatè poterit tranſire, & ſibi adhærere? Sed ecce remedium, ſimulque magnalia

magnalia fidei. Fides eſt habitus Deo devotus, ſed ab eo remotus; devotus affectu, remotus intellectu: quia videt per ſpeculum, non oculo ad oculum. Hinc eſt, quod cum fides non poſſit mittere intellectum ad divinum aſpectum, mittit ſuum affectum, petens à Deo mirificum liberationis ab iſtâ miſeriâ, & remotione effectum: ſicque oratio corrigit in viâ hanc imperfectionem, dum ad ſimilitudinem beatorum fert animam immediatè in Deum, ipſoque fruitur, ejuſque miſericordiam participat. *Pſal. 118. c. 11. v. 9.* Vide ergo mirabiles effectus amoris ferventis in Deum, in anima orante: cum enim charitate ſit accenſus, imo ſit ipſa charitas, & ignis in Deum tendens, ſuo motu omnes alias animæ affectiones informat, ſecumque trahit in Deum, ibique quieſcit, ita ut amplius non ſit timor, vel dolor, vel ſpes, vel pudor, ſed tantum ſummo gaudio fervens amor, & illi ſummo bono tenaciter inhærens, quod ſolum ſufficit animæ deſiderium adimplere, & ipſum amorem ejus in ſe potenter transformare. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 72.*

209. *Quale diſcrimen viſionis Dei in viâ, & in Patriâ.*

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Si videmus nunc, & in via per ſpeculum, ergo eum clarè videbimus, & non in ænigmate: ſpeculum enim non rei imaginem, ut vulgus putat, ſed ipſam rem oculis exhibet: Reſpondetur, quod ſpeculum quidem rem ipſam oculis exhibet, id tamen facit per radium non directum, ſed reflexum in ſpeculo; ideoque non propriè, clarè, & diſtinctè, ſed quaſi procul, obſcurè, & confuſè rem repræſentat, talis autem eſt cognitio de Deo, & divinis, quam habemus in hac vitâ; quia in Cœlo directè, propè, & clarè videbimus Deum in ſe facie ad faciem. Nunc enim videmus Deum per creaturas: tunc videbimus Deum in creaturis: nunc videmus Deum non in ſe, ſed per imaginem repreſentatam in creaturis, quatenus in ipſis relucet aliqua ſimilitudo Dei. Cognoſcere autem in creaturis eſt cognoſcere ipſius præſentiam, & influentiam in creaturâ: cognoſcere autem per creaturas eſt elevari à cognitione creaturarum ad cognitionem Dei, quaſi per ſcalam mediam. Et hinc duo notabilia inferuntur. Primum eſt, quod juſti ex cognitione creaturarum per cognitionem, & amorem feruntur in Deum. Secundum eſt, quod per exercitium divinæ præſentiæ elevatæ per fidem, aliqualem participationem beatitudinis comprehenſorum poſſunt participare, ſcilicet non ſolùm cognoſcendo Deum per creaturas, ſed & ipſum in creaturis per ipſius præſentiam, & influentiam mediatam. *Serm. 1. Dom. 2. poſt oct. Paſcha. opuſc. itiner. ment. cap. 3 ſequent. uſque ad finem. l. 1. d. 1. p. 1. a. 1. quæſt. 3. opuſc. Comp. Theol. l. 1. c. 1. & l. 3. d. 31. art. 2. q. 1. ad 5.*

210. *Speculum nos inducens ad cognitionem Dei, & omnium virtutum eſt Chriſti humanitas. Ubi de ſacramentis.*

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Quale eſt hoc ſpeculum nobis expoſitum ad videndum? & quid eſt quod videmus per ſpeculum? Reſpondetur ad litteram eſſe ipſas creaturas, per quas tanquam per ſcalam poſſumus aſcendere ad Dei cognitionem, & amorem, ut dictum eſt: ſed tamen ex conſequenti proprie poteſt appellari ſpeculum ipſe Chriſtus, ejuſque humanitas, & ipſius myſteria; quæ ejus divinitatem velant, & repræſentant. Hoc autem ſpeculum nobis Deus exhibet, ut in ipſo, & per ipſum contemplemur omnia Dei attributa, quæ relucent maximè in ejus humiliatione, & paſſione; & adſpicientes ad ejus virtutes tamquam ex exemplari vivo, retrahamus imitationem in noſtris operationibus: & ad faciliorem horum mirabilium notitiam, nobis exhibuit ſacramenta ab ipſo inſtituta, tamquam memorialia ipſius vitæ & operum, ex quibus anima facilius poſſet aſcendere ad contemplationem divinitatis. *in ſap. c. 7. op. ſtim. p. 1. per totam medit. c. 11. ſer. 1. Hexam. ſer. 1. Dom. 3. Epiph. ſer. 1. Dom. 4. Epiph. ſerm. 2. Dom 4. quadrag.*

211. *An charitas in patriâ evacuetur.*

Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas. Quæritur, an ſicut evacuatur in patriâ fides, & ſpes, etiam charitas evacuetur. Ratio autem dubitandi eſt; quia in patriâ evacuatur, quod ex parte eſt, charitas autem viæ eſt imperfecta: tum quia charitas generatur ex ſpe, & ſpes ex fide, ergo ceſſantibus cauſis, debet ipſa ceſſare: tum quia eſt medium uniendi animam cum Deo, ſed in patriâ immediatè unitur Deo, ergo ceſſare debet? Reſpondetur ſenſum Apoſtoli eſſe docere, quod in viâ manent fides, ſpes, & charitas; ſed in alterâ vitâ primæ duæ evacuantur, & remanet tantum charitas, locoque primarum duarum ſuccedit præmium viſionis, & fruitionis. Et ſi quæratur ratio, cur primæ duæ virtutes theologicæ evacuantur, non autem charitas: Reſpondetur quod triplex ratio poteſt aſſignari: prima penes qualitatem ipſarum virtutum: ſecunda penes dignitatem potentiarum animæ. Tertia penes largitatem divinorum munerum. Prima ratio reſpicit naturam fidei, & ſpei, quæ ſunt diſpoſitio ad gloriam, ita quod per adventum ejus habent repugnantiam, quia reſpiciunt objectum abſens; & viſio, & tentio eſt reſpectu præſentis: at charitas, & dilectio eſt reſpectu objecti & abſentis, & præſentis; & ideo cum nullam repugnantiam habeat ad gloriam, imo maximam conformitatem, ideo per gloriam perficitur. Secunda ratio reſpicit dignitatem potentiarum animæ, quæ ita ſe habent, quod ubi non poteſt pervenire intellectus, ideoque per fidem, & ſpem reſpicit objectum abſens, affectus per charitatem reſpicit præſens per unionem ad ipſum; ideo cum ſit conformis unioni gloriæ, ſic non tollitur, ſed perficitur, & conſumatur; & eo maximè, quia ex largitate divinæ bonitatis, quæ offert tertiam rationem; per charitatem

charitatem incœpit anima in hac vitâ, & in medio tribulationum degustare, & delibare partem illius æternæ dulcedinis; ad quam per ipsam se præparavit. Et hinc solvuntur omnes difficultates; nam in gloriâ tolletur quod ex parte est, scilicet quod est ex parte, & oppositum, non verò quod est conforme, ut est charitas viæ, quæ perficitur nec fides, & spes disponunt ad actum charitatis, nisi pro statu viæ; sed in gloriâ visio clara disponit ad diligendum perfectè. *L. 3. d. 31. art. 3. quæst. 1.*

CAPUT XIV.

In hoc capite agit de prophetiâ, eamque præfert dono linguarum, & tradit modum, quo ministri Ecclesiæ uti debent donis gratuitis sibi datis.

212. *Oratio sive vocalis, sive mentalis exigit ut fundetur in templo cordis, & spiritus.*

Orabo spiritu, orabo & mente. Psallam spiritu, psallam & mente. Ecce quid faciebat Apostolus dum orationi incumbebat: intrabat in templum cordis, & spiritus, qui est supremus locus animæ & ibi orabat, psallebat, laudes Deo canebat: per hocque docet nos, quod si volumus, quod oratio nostra sive mentalis, sive vocalis penetret ad Dei aures cum fructu, debet fundi in templo, & sacrario cordis intimo. Et per hoc patet, quod oratio mentalis est anima, vita, & forma orationis vocalis, sine qua parum nobis juvabit. *In Luc. c. 1. v. 47. in Ioan. cap. 4. v. 23. & collat. 22. Psal. 25.*

213. *Prædicator tantum quinque verba exemplo Apostoli prædicet Populo.*

Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguâ loquor, idest linguâ communi à vobis intellecta, sed in Ecclesiâ volo, idest malo, quinque verba sensu meo, idest intelligentia, qua intelligar, loqui, ut & alios instruam, quam decem millia verborum in linguâ, idest peregrina, quam audientes non intelligunt. Nota ad litteram, quod Apostolus seipsum, & omnes concionatores admoner, quod in concionando uti debent verbis intelligibilibus, & potius paucis, quæ sint faciliora captu, quam in linguâ peregrina non ab omnibus intellecta fusis orationibus, curiositatibus, &c. Sed cur dicit quinque verba, & non potius sex, vel quatuor: dicit quinque, quia ad quinque capita reduciur tota materia concionum prædicatorum apostolicorum: nempe ad verbum comminationis, promissionis, delectationis, imitationis, & orationis, sive exhortationis: primum est contra duros, & obstinatos: secundum est contra pigros; tertium ad desolatos: quartum ad errantes, & inscios, & quintum ad bonos. Dicit etiam quinque verba, scilicet factam scripturam contentam in libris quinque Moysis continentibus testamentum vetus, explicatum per testamentum novum: in quibus exprimitur quid credendum, duodecim scilicet articuli symboli: quid faciendum, scilicet decem præcepta decalogi: quid fugiendum, idest septem peccata mortalia, vel capitalia: quid appetendum, scilicet gaudia Paradisi: & quid timendum, idest supplicia inferni, vel quinque verba sunt quinque panes mystici, quibus Christus refecit *in Ioan. c. 6.* turbas; quibus tota scriptura sacra comprehenditur; scilicet: crede, fuge, age, time appete: crede in Deum: fuge vitium; age bonum: time supplicium: appete præmium. Et hæc quinque verba sunt quinque lapides David, quibus prostratur Mundus, caro, & diabolus. *In Luc. c. 9. v. 17. Psal. 143. ser. 3. Dom. 4. quadrag.* Addimus, quod cum per istos quinque panes, lapides, & verba figurantur quinque vulnera Christi Iesu. *ser. 9. de Nativit.* Hinc S. Paulus totus erat in prædicando passionem, & vulnera salvatoris. Vnde dicebat. *Iudæi signa quærunt: Græci sapientiam: nos autem prædicamus Iesum Christum, & hunc crucifixum. 1. Cor. c. 1. v. 20.* Ergo in passione cruce & vulneribus crucifixi habetur omnis sapientia cœlestis.

214. *Inter christianos alii sunt parvuli, & pueri in malum, alii in bonum.*

Nolite pueri effici sensibus; sed malitia parvuli estote. Quid est parvuli sensibus? hoc est in judicio, & ratione; itaut pueriliter malè vivatis ostentatione vestrarum linguarum: sed malitiâ parvuli estote; idest estote simplices; ita ut malitia vobis sit incognita quasi infantibus. Ex quibus patet, quod Christiani, alii sunt pueri in malum, & Christo exosi, scilicet habentes stoliditatem in ratione in iis, quæ spectant ad salutem, licet alias sint docti in rebus mundanis; habentes concupiscentiam in affectione, sequentes sensualitatem in omnibus: habentes & instabilitatem in operatione. Pueri verò Christo dilecti; sunt habentes puritatem cordis & corporis; simplicitatem sine malitiâ, docilitatem in cognitione; amicabilitatem in operatione; humilitatem in conversatione, veracitatem in sermone, & facilitatem in indulgendo: mox enim verberati, de collo depositi, & repulsi mox ad amplexus redeunt vocati. *Ser. 1. de S. Anton. de Pad. Psal. 118. c. 9. v. 2. In sap. c. 11. in Luc. c. 18. v. 16.*

215. *Ritus, & ordo Sacrorum in christianorum conventibus primitivæ Ecclesiæ ex SS. Patribus hic subjicitur; & qualis nunc in Ecclesiâ successerit, & servetur. Vbi de cantu, & musicæ usu, & abusu.*

Quid ergo est fratres? cum convenitis (idest in Ecclesia) unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Nota ex hoc loco, quod in primitivâ Ecclesiâ hic erat ritus, & ordo Sacrorum in sacris christianorum conventibus à Paulo, & Apostolis

inſtituerus, ut patet ex Juſtino apol. 2. & Tertull. primò canebant pſalmos, ſcilicet clerici, & etiam populus: Secundò legebantur prophetiæ, & ſacra ſcriptura: Tertiò Epiſcopus prædicabat: Quartò fiebat cæna, & ſacrum, quod tunc conſtabat tantum oblatione, conſecratione, canone, communione, & Pater noſter, & oratione aliquâ, cui Populus reſpondebat Amen; quòd & notat *S. Bonav. in expoſit. ad miſſam.* Quintò omnes communicabant: Sextò quidam pſalmos, & hymnos in laudem Dei variis linguis, quaſi afflati ſpiritu dictabant, & canebant, alii propheabant: Septimò, alii præſertim prophetiæ, & veri ſpirituales interpretabantur ſacram ſcripturam, vel exhortabantur, & alii audiebant, vel interrogabant; etiam fœminæ: & quando aliquid boni, vel pulchri dicebatur, tunc ſimul omnes inclamabant Amen, amen: qui abuſus ab Apoſtolo reprehenditur hîc. Octavo claudebat omnia agape, ſive convivium omnibus commune in ſymbolum charitatis: poſt quod rurſus ſuccedebant hymni, & orationes: qui fervor tamen non diu duravit in Eccleſiâ, ſed evanuit: unde Eccleſia retinuit ex eis aliqua veſtigia, nempe ſequentia. Primò canticis, & pſalmodiæ ſucceſſerunt matutinum, laudes, & horæ canonicæ: Secundò prophetiis ſucceſſerunt lectiones tum in horis canonicis cum ſua expoſitione, & homiliis tum in miſſa lectio epiſtolæ, & Evangelii: Tertiò ſucceſſit concio poſt evangelium: Quartò æque ut olim etiam nunc fit ſacrum, in quo poſt collectas, clericus loco populi reſpondet Amen: cæteraque evanuerunt; niſi quod hymni, & horæ minores poſt ſacrum canentur, & quod monachi in ſuis conventibus de rebus ſpiritualibus colloqui ſoleant; ſicut etiam inſtructio rudimentorum chriſtianæ doctrinæ, quæ tempore determinato à Parochis in Eccleſiâ fit parvulis. Nota etiam, quod in Eccleſia introductus eſt uſus organorum, & muſicæ in ſacris ad excitandam devotionem populi; ut ſic non ſolùm corde, ſed & voce, & inſtrumentis Deus à nobis laudetur; & majori cum decore, & ſolemnitate ſacra offerantur, circa quæ S. Concil. Trident. jubet, ut evitetur in muſica omnis levitas, & ſobriè, piè, modeſtè, & graviter exerceatur; quod utinam muſici id exequantur; cum jam apud multos converſum eſt in cantus prophanos, potius excitantes ad cutioſitatem, & luxum, quam ad devotionem.

216. *Deus à ſuo contubernio ejicit, & removet diſcordes: dicit enim Apoſtolus, quod Deus non eſt diſſenſionis; ideſt non ſibi placere poſſunt diſcordes. Ser. 1. Hexam.*

217. *Mulierum loquacitas, & garrulitas incuſatur maximè in Eccleſiâ.*

Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent, turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſiâ. Ad litteram Paulus prohibet mulieribus ne in Eccleſiâ prædicent publicè; id enim exigit honeſtatis, pudoriſque lex, earumque infirmitas, & loquacitas naturalis: tum quia ſunt ſubditæ viris; ideo ipſis præſentibus non licèt loqui; ſed ſi quid volunt diſcere, domi interrogent viros ſuos. Myſticè autem extenditur ad omnem locutionem in Eccleſiâ, volens ut mulieres ſilentium ſervent ob reverentiam debitam Eccleſiæ, Chriſtoque Jeſu ibi præſente. Sed cur tantum ad mulieres dirigitur hoc præceptum? cur non etiam ad viros? Ad omnes ſe extendit præceptum de reverentiâ quomodocumque debita omnibus Eccleſiis; ſed tamen ſilentium tantum exprimit mulieribus; & hoc quia ſunt ſummè proclives ad garrulitatem, & loquacitatem. *Ser. 1. dedicat.* Nota tamen, quod per hæc verba Apoſtoli non prohibetur mulieribus piis inſtructio facienda privatim circa myſteria fidei chriſtianæ puellis; ſicut mos eſt piiſſimus apud fideles: ſed prohibetur concio publica, item & cantus publicus ſimul cum Eccleſiaſticis in publico conventu: non verò cantus officii divini monialibus Deo ſacratis.

218. *Ignorantia ſimplex qualis maretur veniam: craſſa, & ſupina condemnarit in iis quæ ad ſalutem ſpectant.*

Si quis autem ignorat, ignorabitur, ſcilicet à Deo. Sic ait Apoſtolus. Sed quomodo hæc propoſitio pronunciatur tam univerſalis? nonne datur ignorantia invincibilis excuſans à peccato? datur quidem; ſed de hac non loquitur Apoſtolus; loquitur de vitioſa. Sciendum autem eſt, quod ignorantia alia eſt invincibilis, quæ non poteſt removeri; ut in pueris, furioſis &c & hæc excuſat à toto: alia eſt vincibilis; & hæc poteſt removeri, vel cum magna difficultate, vel cum facilitate: prima, ut in hebetibus excuſat à tanto, non à toto in neceſſariis ad ſalutem: ſecunda verò non excuſat: & hæc vel eſt craſſa, vel affectata: craſſa, ſive ſupina eſt quando ex pigritiâ quis negligit ſcire, quæ determinata ſunt ipſum teneri ſcire: & hæc excuſat à tanto, ſed non à toto: affectata verò quæ negligit voluntariè ſcire, quæ tenetur, ſuntque ei determinata ſcire; nec vult ſcire, ne ea exequatur vel ne conſcientia torqueatur: & hæc non excuſat nec à tanto, nec à toto, imo potius accuſat: & talis ignorans ignorabitur, ſcilicet à Deo reprobabitur. *L. 2. d. 22. a. 2. per totum & d. 39. a. 1. quæſt. 3. in ſup. cap. 5. & 10. & 13. & 15. in Luc. c. 12. verſ. 48.*

219. *Honeſta converſatio in chriſtianis à Chriſto præcipitur.*

Omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant. Ecce quid exigit Apoſtolus à fidelibus; ſcilicet quod omnia honeſtè fiant, & non ſolùm honeſtè, ſed & cum ordine. At quid eſt hæc honeſtas requiſita in actibus: honeſtè facere actiones, eſt ambulare honeſtè in exteriori converſatione & ſecundum omnimodam modeſtiam, juſtitiam, & pietatem; ut modeſtia ſit nota omnibus hominibus. q.d. Apoſtolus: exerce te ad modeſtiam parſimoniæ in victu, veſtitu, ſomno, vigilia, otio, & labore, ut in nullo excedas: ad modeſtiam diſciplinæ per moderamen ſilentii, & loquelæ, per moderamen mœroris, & gaudii, & manſuetudinis, & rigoris ſecundum opportunitatem, & rectæ rationis dictamen: ad modeſtiam honeſtatis per gloriationem, ordinationem, compoſitionem,

ſcilicet

ſcilicet actuum, motuum, geſtuum veſtimentorum, membrorum, & ſenſuum, prout expoſcit moralis honeſtas: deinde exerce te ad juſtitiam per exercitium virtutum, & ad pietatem per debitum cultum divinum. *Op. de regimin. animæ, regula novit. c. 9.* ubi inſtruit perfectè religioſum in hac honeſta converſatione.

220. *Qualis ordo exigitur à Chriſto in ſuis fidelibus.*

Omnia honestè, & ſecundum ordinem fiant. Ideſt non ſolum fiant ſecundum honeſtatem; ſed & cum ordinatione: at qualis eſt iſta ordinatio, quam in fidelibus præcipit Apoſtolus? attende. Ad hoc nos Deus ad ordinatam Eccleſiam, & eccleſiaſticos, & religioſos ad ordinem vocavit, ut ſecundum ordinem vivamus; ordo autem iſte eſt quadruplex: ſupra nos, infra nos, intra nos, & extra nos: ſupra nos eſt ordo ordinatæ contemplationis, per quam anima ordinatè aſcendit, & intrat ad Deum, tranſeundo, ſcilicet tria oſtia, ideſt ſenſuum exteriorum, imaginationis, & rationis: natus eſt enim homo, ut ab exterioribus ad interiora, & ab inferioribus ad ſuperiora aſcendat, & relinquendo omnia creata ad Deum per contemplationem aſcendat; infra nos eſt ordo ordinatæ colluctationis contra carnem, diabolum, & Mundum: ad hanc autem iſte ordo ſervandus eſt: ſcilicet primò, exercendo ſe in ardenti meditatione cœleſtium myſteriorum; & maximè paſſionis dominicæ: in carnis mortificatione, eam percutiendo virga afflictionis corporalis, & obſervantiâ mandatorum Dei, & oratione acuta. Intra nos eſt ordo ordinatæ dilectionis: diligendo, ſcilicet Deum prudenter, dulciter, & fortiter: nempe omnia prudenter relinquendo pro Chriſto: dulciter, omnia onera libenter aſſumendo: & fortiter, perſeverando. Extra nos eſt ordo ordinatæ converſationis in quolibet miniſterio Eccleſiæ: nempe in miniſterio judiciali prælationis, ſacramentali, & morali: in miniſterio prælationis, ut ordinatè fiat, requiritur ſagacitas, vigilantiaque in circumſpectione: ſtrenuitas in operatione, veritas in inſtructione: auctoritas in correctione; & ſobrietas in victu, & veſtitu. In miniſterio ſacramentali, ut omnia ordinatè fiant ſecundum ordinationes Eccleſiæ: in miniſterio morali, ut omnia fiant ordinata ad certam commenſurationem, & honeſtatem interiorem, exteriorem, & per mutuam charitatem. *Ser. 2. de rector. in addit.*

221. *Ordo in omnibus functionibus Eccleſiaſticis, & in religionibus quam neceſſarius.*

Omnia honestè, & ſecundum ordinem fiant. Vide quali diligentiâ Paulus exoptabat ordinem, ejuſque obſervantiam in Eccleſiâ, etiam in rebus indifferentibus: dicit enim, omnia fiant, ſcilicet non ſolùm ſacra, ſed & corporalia, & indifferentia; & & hoc quia ordo in ſe venuſtus, & decorus, tum confuſionem, & perturbationem excludit tum quia alios, etiam infideles ædificat. Hincque ſanctè, & laudabiliter in Eccleſia deputantur ordinatim loca, & officia varia diverſis ſecundum graduum, ordinum, & officiorum diverſitatem: ſic in celebrandis divinis officiis, & ſacro faciendo varia munera, officia, & actus diſpoſita ſunt ordinatim facienda. Idem peculiari ſtatuto in omnibus actibus, & officiis peculiari diligentia in religionibus obſervatur; & in hoc inſiſtere peculiari diligentia debent Prælati; quia ſic & devotio communis, & charitas melius fovetur, & confuſio evitatur; & ſimul oſtenditur, quod Eccleſia eſt caſtrorum acies benè ordinata. *Op. ſpecul. diſcipl. p. 1. c. 6. de ſex alis Seraph. c. 8. regul. novit. cit. ſer. 2. de rector. cit. in Luc. c. 1. v. 8. l. 4. d. 20. a. 2. q. 1.* Et hinc etiam in ſtatu laicali Deus voluit, ut ordo ſervaretur ſtatuum. *L. 4. d. 24. p. 1. art. 2. queſt. 1. & 2.*

CAPUT XV.

In hoc capite Apoſtolus totus eſt in probando reſurrectionem mortuorum contra pſeudoprophetas, ipſam negantes: & hoc præcipuè ex reſurrectione Chriſti, quam probat ex multiplici apparitione ſa ctâ diſcipulis. Op. medit. c. 89.

222. *Inter veros diſcipulos Chriſti, pia contentio eſt non de primo, ſed de poſtremo, & viliori loco.*

Reſurrexit Chriſtus tertia die: & quia viſus eſt Cephæ, &c. deinde Apoſtolis omnibus; & noviſſimè omnium tamquam abortivo viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus; quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei. Nota illud verbum, mihi abortivo, ideſt contempto, & abjectitio, & imperfecto, & extra tempus, ſcilicet Chriſto jam in cœlo recepto: & veluti vi divina coacto, & renato. Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, &c. ut videas humilitatem profundiſſimam Pauli: & qualiter regulam ſuis diſcipulis à Chriſto ordinatam obſervavit perfectiſſimè: qui major eſt, fiat minor, & præceſſor. Unde patet, quod concertatio pia inter veros Chriſti diſcipulos eſt, non de ſupremo, & nobiliori loco, ſed de poſtremo, & viliori. *In Luc. cap. 7. verſ. 7. & cap. 9. v. 48. & cap. 10. v. 17. ſerm. 1. de converſ. S. Pauli, & ſermon. 1. de S. Marco.*

223. *Humilis ſervus ſeipſum nihil æſtimat: & totum quod eſt à gratiâ Dei recognoſcit.*

Ego enim ſum minimus Apoſtolorum, gratia autem Dei ſum id, quod ſum; & gratia ejus in me vacua non fuit, &c. ſed abundantius illis omnibus laboravi. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Ecce mirabiles effectus veræ humilitatis juſtorum: hæc

enim facit cognoſcere, quod nos ſumus verè nihil; & ſi aliquid ſumus; & ſi aliquod bonum operamur, totum adſcribendum eſt gratiæ Dei, ſicut excellentiſſimè faciebat Paulus. *Op. medit. c.16.de pugna ſpirit. c.9.* Notandum tamen hîc, quod cum Paulus principium totius ſui meriti adſcribat gratiæ Dei, hoc enim eſt proprium humilitatis veræ, ſubdit tamen, quod ipſe abundantius ceteris laboravit; & quod in ipſo gratia Dei non fuit vacua; dat intelligere, quod ad gratiam Dei addenda eſt cooperatio, & operum bonorum multiplicatio. *L.3. d.26. art. 2. queſt. 2. ad ultim.*

224. *Ad faciendum opus bonum, qualis gratia requiratur.*

Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius illis omnibus laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum. Nota autem quod in his verbis Apoſtoli exprimitur multiplex gratia neceſſaria ad benè operandum. Nam primò dicit, gratia Dei ſum id quod ſum, per quod exprimit adjutorium gratiæ gratis impenſum à Deo, ſine quo nihil poſſumus facere, imo nec in eſſe durare. Secundo dicit, gratia ejus in me vacua non fuit; ſcilicet gratia præveniens, quæ revocat à malo, & excitat ad bonum, & ſine qua nullus ſufficienter facit quod in ſe eſt, ut ſe præparet ad ſalutem. Tertiò ſubdit, non ego, ſed gratia Dei mecum; per quod explicat munus gratiæ ſanctificantis, per quam homo poteſt mœreri, & in bono proficere, & ad gloriam pervenire. Ex quibus patet, quod omnia bona adſcribenda ſunt gratiæ Dei, non noſtris meritis, *Op. Comp. Theol.l.5. cap.3. Unde in Luc. c. 19.* Ille ſervus dixit patrifamilias: ecce mna tua acquiſivit, non dixit, acquiſivi ego; ſed mna tua, ideſt gratia tua acquiſivit: *In Luc. c. 19. v.16*

225. *Ad juſtificationem, & meritum operum qualiter Deus gratiâ concurrat cum noſtra cooperatione.*

Gratia Dei ſum id quod ſum: non ego ſed gratiâ Dei mecum. Nota iterum modum quo tripliciter loquitur Apoſtolus de gratiâ: primò enim ponit gratiam Dei ſolam: Secundò, ipſam gratiam non vacuam, ſed plenam: Tertiò gratiam cooperantem; per quod dat intelligere, quod ad juſtificationem hæc neceſſario concurrunt: primò gratia Dei, quæ datur nobis ſine nobis; eſtque fides, & gratia præveniens: Secundò munus liberi arbitrii, quod partim eſt à Deo partim à nobis, ſcilicet obtemperantibus gratiæ prævenienti: hinc ſequitur gratiæ ſanctificantis infuſio, quæ eſt à Deo: & quia iſta excitat ad bona opera, & ſimul cooperatur nobis operantibus; hinc ſequitur & juſtificatio, peccati expulſio, & opus bonum meritorium. *Pſalm. 118. verſicul. 48 & ibid. verſ. 18. Pſalm. 24. & 78. & 104. ſerm.2. Hexam.*

226. *Gratia Dei ſine noſtra cooperatione vacua remanet; & ad Deum ut vacua redit: cum cooperatione plena remanet in animâ, & ad Deum plena redit.*

Gratia Dei ſum id quod ſum, ſed gratia ejus in me vacua non fuit, &c. non ego, ſcilicet ſolus, ſed gratia Dei mecum. Notanda eſt diverſitas modorum loquendi Apoſtoli: primò enim dicit, gratia Dei ſum id quod ſum, ideſt vocatus ad apoſtolatum: poſtea dicit, gratia ejus in me vacua non fuit: & inde gratia Dei mecum, cur non dicit, ut ſupra dixerat, ſed gratia ejus in me, &c. ſed dicit mecum. Hoc ad exprimenda mirabilia, quæ operatur in nobis gratia Dei, & quid ſit neceſſarium, ad hoc, ut obtineamus effectus talis gratiæ: dat enim intelligere quod ad inchoandum bonum, indiget homo gratiâ gratis præveniente: ad faciendum bonum opus meritorium, indiget gratiâ infuſâ animam ſanctificante, ideo dicit, gratia in me vacua non fuit; in me ait, ſcilicet infuſâ in animâ; & hæc vacua non fuit. Cur non vacua: hoc eſt, quia laboravi, ait Paulus, non ego ſolus, ſed gratia Dei mecum: ideſt quia ſecundum impulſum gratiæ laboravi, opera bona feci; ſed concurrente gratiâ Dei mecum ad idem opus patrandum. Unde in opere ſalutis quatuor iſta concurrunt: primum invitare, eſtque ſolius Dei inſpirantis: ſecundum eſt acquieſcere, & amplecti inſpirationem divinam, eſtque libertatis arbitrii. Tertium eſt adjuvare, & cooperari, eſtque muneris divini: quartum eſt permanere, eſtque ſollicitudinis noſtræ, & pariter divini adjutorii. Caveamus igitur, ne cum bonum propoſitum inviſibiliter intra nos, aut nobiſcum excitari ſentimus, aut voluntati animæ attribuamus, quæ infirma eſt aut Dei neceſſitati, quæ nulla eſt, ſed ſoli gratiæ divinæ: hæc enim liberum arbitrium excitat cum ſeminat cogitatum, & ſanat cum immutat affectum, roborat, ut perducat ad actum, ſervat, ne ſentiat defectum: ſic autem cum libero arbitrio operatur, ut tantum illum in primo præveniat, in cæteris comitetur, & ad hoc prævenit, ut ſibi deinceps cooperetur: ita tamen, quod à ſola gratiâ cœptum pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non ſigillatim, ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operentur; non partim gratia, partim liberum arbitrium: ſed totum ſingula operè individuo peragunt: totum quidem hoc & totum illa, ſed ut totum in hoc ſit totum ex illa. Igitur cooperans gratiæ Dei, reddit quodammodo gratiam non vacuam, ſed plenam, & plenam ad Deum remittit: non cooperans, vacuam gratiam Dei reddit; & ad Deum ſine ſuo profectu vacuam redire facit. *L. 1. d.18. a.2. q.1. ad 1. & q.3 ad finem. & d.40. q.ult. op.de 7. itin. æter. itin.2.d.3.ſer.2.Hexam.*

227. *Chriſti reſurrectio quam virtuoſa ad noſtram ſalutem, & glorificationem.*

Si reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit: & ſi hoc, ergo vana eſt fides veſtra: adhuc enim eſtis in peccatis veſtris, ergo & qui dormierunt in Chriſto, &c. ergo miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Notandum hic, quod Apoſtolus ſcribit contra aliquos hæreticos, quorum caput

fuit

fuit Cerinthus, qui poſt Simonem magum fuit primus hæreſiarcha; & eo tempore negabat reſurrectionem: contra quam hæreſim ſcribens, aperit myſteria pulcherrima circa Chriſti, & noſtræ reſurrectionem. Dicit igitur: *ſi reſurrectio mortuorum non eſt, ergo neque Chriſtus reſurrexit, cum Chriſtus fuerit unus ex mortuis*: tum etiam, quia primaria intentio mortis, & reſurrectionis Chriſti fuit plena abolitio mortis, & vitæ reductio; tum quia Chriſti reſurrectio fuit exemplar noſtræ reſurrectionis moralis in hac vitâ à peccatis ad gratiam, & inalia ad gloriam, ſubdit: *ſi Chriſtus non reſurrexit, ergo vana eſt fides noſtra*: nempe, ergo fides in Chriſtum reſuſcitatum, quæ juſtificationis eſt radix, erit falſa, quod eſſe non poteſt: ſic enim Chriſtus non reſurgendo, de morte non triumphavit, & conſequenter nec de peccato, quod fuit cauſa mortis, ergo & qui dormierunt, & mortui ſunt in Chriſto, ſcilicet in gratia perierunt, ergo & nos miſerabiliores ſumus omnibus hominibus: Cur hoc? quia dum affligimur in hac vitâ, ſi iſta bona temporalia contemnimus, ut obtineamus æterna in aliâ, dum non ſequatur præmium, & reſurrectio ad gloriam, miſerabiliores ſumus illis, qui voluptatibus carnis indulgent; ſicque & ſtultiſſimi ſumus: quæ omnia cum ſint falſa, vana & ſine fundamento, ergo ſtat firma propoſitio catholica, quod Chriſti reſurrectio eſt exemplar noſtræ reſurrectionis, & juſtificationis, & glorificationis. Hæc omnia tradit ſparſim *S. Bon. l. 1 d. 19. a. 1. qu. 1. & 2. & qu. 4. ad 1. ſer. 1. & 6. in Paſcha. In Luc. c. 6. v. 35.*

228. *Chriſtus primitiæ, & principium vitæ: Adam principium mortis.*

Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniam per unum hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Hæc eſt ſexta ratio, quam Apoſtolus adducit ad probandam reſurrectionem Chriſti, & noſtram: Chriſtus, ait, primitiæ dormientium; ſcilicet Chriſtus primus inter homines reſurrexit ad æternam gloriam: primus inquam ordine dignitatis, & meriti; tum in ordinatione divina; tum cauſalitate; tum & tempore: quia fuit primus fructus, vel panis è terra tamquam granum frumenti natus, & in gloria oblatus: Unde & Chriſtus fons, & principium vitæ; & cauſa reſurrectionis omnium hominum: ut ſicut Adam fuit principium mortis, & ruinæ omnium; & omnes moriuntur, mortique ſubjecti ſunt merito primæ prævaricationis: ſic & in Chriſto merito ſuæ paſſionis omnes vivificabuntur: ob idque Chriſtus fuit cauſa meritoria reſurrectionis omnium hominum: tamen aliis cedit in bonum; ideſt juſtis; aliis in damnationem æternam. & in juſtam vindictam. *Ser. 5. in Cana ſer. 6. Paſcha Pſal. 118. c. 2. v. 9. ſer. 3. Dom. paſſionis.*

229. *Poſt judicium univerſale evacuabitur omnis ſapientia mundana, omnis poteſtas, & omne imperium; & omnia in Chriſto conſummabuntur, ut in principio, & fine omnium creaturarum.*

Unuſquiſque in ſuo ordine primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti, qui in adventu ejus crediderunt. deinde finis: cum tradiderit regnum Deo, & Patri: cum evacuaverit omnem principatum & poteſtatem, & virtutem: noviſſima autem inimica deſtruetur mors. Hic Apoſtolus ſubjungit ad reſurrectionem Chriſti, & omnium hominum ea, quæ conſequentur in mundo, nempe reſurrectionem juſtorum, & reproborum in ſuo ordine; ſcilicet illorum ad gloriam, iſtorum ad pœnam; & tunc evacuabitur omnis principatus, & poteſtas, & virtus: evacuabitur enim omnis mundana ſapientia: omnis alia prælatio, ordoque potentiæ, & prælationis. quo nunc colligatur Eccleſia. Item evacuabitur omnis prælatio, & miniſtratio Angelorum, quam nunc habent in ordine ad Eccleſiam, & homines, evacuabitur omnis poteſtas etiam dæmonum, quam nunc exercent nos impugnando: & tunc erit finis ſæculi, temporis, generationum, corruptionum, & totius univerſi: Et in Chriſto Deo, & homine omnia ſuam conſummationem obtinebunt qui eſt principium, & finis, Alpha, & Omega, & in quo erit quies, & pax perfecta, & perpetua, quia Chriſtus regnabit in Sanctos, eoſque reges conſtituet: & ſuper malos item extendetur ſuum regnum, eos conculando. *In Eccleſ. cap. 12. in Luc. c. 3. in fin. cap. 11. verſ. 2. c. 19. v. 17. & c. 20. v. 43.*

230. *Deus in gloriâ erit omnia in omnibus Beatis.*

Deinde finis: cum tradiderit regnum (ſcilicet Eccleſiam Electorum) *Deo, & Patri, cum evacuaverit omnem principatum &c. ut ſit Deus omnia in omnibus.* Ecce quid conſequetur ad evacuationem omnium imperfectionum hujus vitæ; & ad conſummationem, & reductionem omnium juſtorum in Deum, tamquam in finem ultimum: tunc Deus erit omnia in omnibus: Ideſt cum nunc in hac vitâ non ſit omnia in omnibus, ſed veluti pars in ſingulis. v. g. in Salomone ſapientia, in Davide bonitas. in Job patientia, in Petro fides &c. Cum autem rerum omnium finis advenerit, tunc erit omnia, in omnibus, ut ſinguli ſanctorum omnes habeant, ut ſit Chriſtus totus in cunctis. Tunc implebuntur in omnem plenitudinem Dei (*Epheſ. c. 3.*) quando Deus erit voluntati multitudo pacis, rationi plenitudo lucis, memoriæ continuatio æternitatis: tunc inquam erit omnia in omnibus. Item à ratione omnis error, à voluntate omnis dolor, à memoria omnis timor receſſerit; & ſucceſſerit illa, quam ſperamus, mira ſerenitas, divina jucunditas, æterna ſecuritas: Et cum ſit finis noſtrorum deſideriorum, ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. O quam felix vita, pro qua obtinenda, dignum eſt in hac vitâ pati omne, quod triſte eſt. *Op. ſolil. in prolog. de dono ſapientia c. 9. Brevil. p. 5. c. 8.*

231. *Contemplativis Deus etiam in hac vitâ eſt omnia in omnibus.*

Ut ſit Deus omnia in omnibus. Licet iſta propoſitio propriè tantum, & plenè verificabitur in Cœlo, ubi eſt plena viſio, & fruitio Dei ſine admixtione mali, tamen etiam aliqualis participatio tantæ fruitionis advenit ipſem perfectè diligentibus, quibus Deus eſt omnia in omnibus.

Cum

Cum enim Chriſtus ſit finis, & oſtium, per quod anima intrat in Deum credendo, ſperando, & amando veluti in Paradiſum: hinc ſequitur, quod credens, ſperans, & amans Chriſtum, qui eſt verbum Patris incarnatum, increatum, & inſpiratum, ideſt via, veritas, & vita reformatur in imagine, reficitur, & conformis fit ſupernæ Hieruſalem: dum enim per fidem credit in Chriſtum, tamquam in Verbum increatum, quod eſt verbum, & ſplendor Patris, recuperat ſpiritualem auditum, & viſum, ad conſiderandum ipſius lucis ſplendores: dum autem ſpe ſuſpirat ad ſuſcipiendum verbum inſpiratum per deſiderium, & affectum recuperat ſpiritualem olfactum. Dum charitate complectitur verbum incarnatum, ut ſuſcipiens ab ipſo delectationem, & ut tranſiens in illud per extaticum amorem, recuperat guſtum, tactum; & de ea verificatur quod Chriſtus orans Patrem, dicebat: ut ſint unum ſicut & nos unum ſumus, & ego in eis, & tu in me, ut ſint conſumati in unum. *Ioan c.*17. qua unitate conſumatâ per cumulum charitatis eſt Deus omnia in omnibus, omniaque per amorem communia communione ordinata. & ordinatione connexa, & connexione indiſſolubiliter alligata. *Op.itin. ment.c.*4. *Brevil.p.*5.*c.*8. Nota autem, quod ex hoc textu & aliis ſimilibus, aliqui fanatici homines exiſtimarunt, quod in reſurrectione omnes homines, omneſque res creatæ ſint ad ſuum eſſe ideale, & divinum redituræ, quod ab æterno habuerunt in Deo, adeoque convertendæ ſint in ipſum Deum; itaut tunc omne eſſe creatum evaneſcere debeat, & abſorberi ab ipſo eſſe increato, & divinitate. Contra quem errorem ſcripſit *S.Auguſt. l.*1,*de Trinit. c.*8. & noviſſimè Gerſon &c. eſt enim error contra fidem. Si enim in reſurrectione Deus erit omnia in omnibus, ergo omnia, ideſt omnes res creatæ erunt, & permanebunt &c.

232. *Paſtoris Deum amantis eſt exponere vitam corporalem laboribus, & morti pro ſalute ovium.*

Quotidie morior per veſtram gloriam, quam habeo in Chriſto Ieſu: ſi (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Proſequitur Apoſtolus argumenta probantia reſurrectionem futuram mortuorum; hîcque adducit labores aſſumptos pro Corinthiis, ut ſalvi fierent. Si enim mortui non reſurgunt, ergo tot labores, & tormenta tolerata erunt incaſſa, & fruſtratoria? quod eſt falſum, & iniquum credere; cum fides nos doceat oppoſitum. Hinc hac occaſione inſtruit Paſtores animarum quomodo tenentur ſubire labores, flagella, mortem, & omnia mala corporalia, ut ſuas oves à rabie, & morſu luporum liberent, & ad ovile Chriſti eas reducant. *In Ioan. collat.*4. *in Pſal.*106.

233. *Charitatis gradus perfectiſſimus eſt ſic Deum diligere, ut homo ſit paratus pro ſalute aliorum mori.*

Quotidie morior per veſtram gloriam, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Nota verba Seraphica Apoſtoli; & ſigna myſteria; nota inquam charitatem ferventiſſimam Pauli in Deum propter quam ardenter deſiderabat ita ſalutem omnium, quod promptiſſimus vivebat omnia tormenta ſubire, & mortem ipſam pro ſalute omnium, & ut eos ad Chriſtum reduceret: Et eſt perfectiſſimus gradus cultus Dei, & amoris in Deum. *Op.Incendium c.*2.

234. *Homo continuè vivit moriendo.*

Quotidie morior. Quomodo hoc dicere poterat Apoſtolus? ſi enim mors, & vita opponuntur privativè, & Paulus hæc ſcribens vivebat, quomodo poterat dicere verè quotidie morior? Sed notandum, quod mors poteſt dicere actualem ſeparationem à vita, ſive terminum corruptionis, & tali pacto mors, & vita non poſſunt ſimul ſtare. Poteſt & dicere continuam tendentiam ad non eſſe; ſicque mors, & vita non opponuntur, niſi ratione ultimati termini hujus tendentiæ; ideo poſſunt ſimul ſtare: & quia homo continuè tendit ad non eſſe, amittendo præteritum, & tendendo ad ulterius, ſcilicet ad ultimatã mortem, ideo poteſt dicere cum Apoſtolo: quotidie morior. *l.*2.*d.*19 *dub.*3. Ergo homo debet ſemper vivere pavidus cum in corpore portet ſemper mortẽ, & currat inceſſanter ad ultimatũ terminũ.

235. *Bona voluntas apud Deum ſæpe reputatur pro facto.*

Quotidie morior per veſtram gloriam, quam habeo in Chriſto Ieſu. Quomodo dicit quotidie morior? poteſt ne quis ſæpe mori? ſed optimè hoc dicebat Apoſtolus, qui propter nimiam, & excellentiſſimam ſuam charitatem deſiderabat mori pro fide, & honore Chriſti Jeſu, & pro ſalute omnium: & quia ſciebat, quod Chriſtus reputat pro facto bonam voluntatem, quando opus exterius non poteſt ſuperari; ideo etiam pro merito martyrii id à Chriſto admittebatur: & hinc verè dicebat, quotidie morior: & hoc eſt, quod dicebat David: *Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis:* quomodo nimis? quia plus vult, quàm poſſit. *Op.de prof.religioſ.l.*2.*c.*13.

236. *Quam pernicioſa ſint colloquia mala; & malorum conſortia.*

Nolite ſeduci: Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Nota, quod Apoſtolus ſumme zelans ſalutem Corinthyorum, qui ad ſuam, & Apollo prædicationem converſi fuerunt ad fidem; ut videas, quod converſatio, quam habuerunt cum ſuperbis, vanis, & athæis, qui dicebant: comedamus, & bibamus, cras enim moriemur, qui negabant reſurrectionem mortuorum, & immortalitatem animæ, fuit eis pernicioſiſſima, eos monet, ut fugiant ab iſtis ſeductoribus, eo quod corrumpunt bonos mores colloquia mala: dans per hoc intelligere, quod facilius eſt conſervare gratiam Dei in medio perſecutionum, quam inter malos malè colloquentes: nam & Petrus inter malos redactus eſt ad negandum Chriſtum; eo quod mali homines inſtar ſepulchri patentis ſuorum carnalitate ſermonum, tamquam exhalationibus fœtidis fidelium mentes ſobrias, & pudicas inficiunt, moreſquè corrumpunt: hocquè patet experientiâ ex oppoſito; quia ſancta verba audita, vel prædicata miro modo incendunt corda: verbum enim Domini

ignis

ignis est, & in cor agit, immutat purgat & innovat. E contra mirum est quanta mala faciunt verba iniqua, impudica, lasciva, ad malum incitantia, quæ uno momento multitudinis audientium aures tangunt, corda inficiunt, & animas illorum interficiunt. O quanti nunc crepantur in inferno, ibi præcipitati, eo quod attente audierunt colloquia mala. *In sap. c.4. in Threno c.2. in fin. op. apolog. paup. resp. 2. c.2. regul. novit. c.9. In Luc. c.22. v.58. ser. 2. de S. Laurent. ser. de S. Luc. ser.2. de Evangel.*

237. *Resurrectio corporalis futura in die judicii, & spiritualis, quæ continuè fit in animâ expenditur.*

Sed dicit aliquis: quomodo resurgunt mortui? quali autem corpore venient? Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur. Ecce quod hîc Apostolus tangit radicem ulceris, & causam erroris negantium corporum resurrectionem; quia videbant ea in terra putrefieri, quasi impossibile esset putrida corpora reformari, & resuscitari: hanc causam succidit hîc Paulus exemplo grani quod seminatur: Illud enim prius putrefit, & moritur in terra, inde quasi renascens germinat, & ex grano uno, non unum, sed multa producit: & si hoc potest sola natura cum concursu generali Dei; nonne & multo magis poterit divina omnipotentia in corporibus jam mortuis, & putrefactis? Hoc ad litteram, mysticè tamen nobis dat intelligere, quod homo nisi spiritualiter moriatur mundo, & vitiis, non poterit resurgere ad vitam spiritualem gratiæ, & virtutum in hac vitâ, & præmiorum in aliâ. *In Ioan. collat. 57 l.4 d.43. qu.5. Psal.118. v.160. in Luc c.8. v.12. c.20. v.27.*

238. *Quisque homo contentus sit donis naturalibus sibi à Deo collatis.*

Deus autem dat illi corpus sicut vult; & unicuique seminum proprium corpus, non omnis caro eadem caro. Ad litteram Apostolus intendit probare, quod Deus dabit in resurrectione proprium corpus cuique homini, sicut competit suæ naturæ, non corpus pecoris, jumenti, sed hominis, & idem quod dedit in hac vitâ mysticè ostendit, quod Deus aptavit nobis corpus, & dona naturalia prout voluit, & disposuit sua divina providentia, secundum quod cuique competebat, & satis erat ad ipsi serviendum, & promerendum æternam gloriam: unde quisque debet contentus esse de eo, quod Deus disposuit. *Luc. c.12. v.25.*

239. *In resurrectione omnes beati æqualiter resurgent quoad corporis integritatem, sed inæqualiter quoad claritatem, & gloriam.*

Alia claritas solis: alia luna, alia stellarum; sic & resurrectio mortuorum. Notat hîc Apostolus rem verè mirabilem: quod licèt omnes beati resurgent in corpore glorioso, tamen quoad claritatem, & splendorem resurgent inæquales secundum qualitatem diversorum meritorum: Cum tamen omnes apparebunt veluti stellæ in perpetuas æternitates. Ex quo considera quanta erit claritas illius diei, & status, ubi tot millia sanctorum solaribus lucebunt corporibus: ergo in hac vitâ laborare non desistamus, ut tunc stella lucidissimæ appareamus. *Ser.5. Dom.2. Pentec. & ser.1. Dom.3. Pentec. ser.2. S. Clara in addit.*

240. *Splendor corporum glorificatorum iterum expenditur.*

Alia claritas solis &c. Hic agit de corporum resurrectione, & consequenter ostendere vult quali splendore apparebunt prædita: nempe veluti tot soles lucidissimi. Et si id dicitur de corpore, quid erit de animâ? cui Deus erit lumen splendidissimum. *Ser.2. S. Clara in addit.*

241. *Solvuntur aliqua dubia circa beatitudinem corporum, & animarum.*

Quæritur primò, quomodo dicitur, quòd *alia erit claritas solis, alia luna &c.* cum omnes beati æqualiter habebunt unam mercedem, scilicet Deum? Respondetur, quòd beatitudo si sumitur objectivè, sic omnium est una merces, sariana appetitum animæ: si sumitur formaliter, scilicet pro ipso lumine gloriæ, vel ipsa influentia Dei in animam, quæ est ipsa Dei formitas, & satietas, dicitur una tantum unitate conformitatis, & connexionis, sed non quantitate gaudii, & remunerationis: Unus enim alio clarius videt Deum, & magis gaudet de illo; & strictius tenet intensivè. Et licet Deus participetur ab omnibus beatis ut unum summum bonum; tamen non est in summo hæc participatio, sed magis, & minus, secundùm merita. *L.4. d.49. p.1. qu.6. op. de dono sap. c.9. in Ioan. collat. 64. opusc. Comp. Theol. l.7. c.28 apolog. paup. resp. c.3.* Quæritur Secundò an dotes corporis æqualiter sint in omnibus? Respond. negativè; sed ut dictum est de gloriâ animæ, secundum proportionem meritorum. Nota autem, quod istæ dotes dicuntur recipere magis & minus, non per contrarii permixtionem, ut in albo, & nigro, sed per accessum ad complementum: illa enim recipiunt magis, & minus primo modo, quæ dicunt extrema positiva: ista secundo modo, quorum opposita sunt privationes, ut bonum, & lucidum. Notandum etiam ulterius circa istas dotes, quod cum dicant positionem simul, & privationem; ut impassibile dicit virtutem ad non patiendum, & simul privationem passionis. sic & subtile, & agile, & clarum: quantum ad privationem non recipiunt magis, & minus; quia totaliter, & universaliter privatæ sunt oppositæ: sed quantum ad virtutem, & positionem dicunt magis, & minus. *L.4. d.49. p.2. a.1. qu.2.*

242. *In hac vita mortali unus perfectior altero, sicut & in Patriâ.*

Alia claritas solis, alia luna &c. Cum hîc loquatur Apostolus de variis mansionibus beatorum respondentibus diversis gradibus meritorum sequitur, quod in vitâ etiam datur diversitas perfectionis, tum personalis, qua unus excedit alium in sanctitate: tum in statibus variis Ecclesiæ, & etiam religionibus: in qua diversitate apparet mirificè magnificentia Ecclesiæ & militantis, & triumphantis. *Op. Apolog. paup. resp. 1 c.3. ser.10. Hexam. & Psal.113.*

243. *Dotes corporis glorioſi ab Apoſtolo propoſitæ expenduntur.*

Seminatur in corruptione, reſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute, ſeminatur animale, ſurget ſpirituale. In his verbis Apoſtolus exprimit miſerias corporis noſtri, dum in hac vitâ mortali degit; & deinde Felicitates, ad quas poſt reſurrectionem aſſurget ex gloriâ animæ. Quia enim corpus noſtrum conſtat quatuor elementis, ideo ab ipſis aſſumit ſuas imperfectiones: ab aquâ, quæ eſt elementum humidum, & paſſibile, habet paſſibilitatem, & corruptionem. ob idque dicit Apoſtolus, ſeminatur corpus in corruptione, ſcilicet ſubjectum corruptioni, quod patet, dum corpus ſepelitur, & quaſi ſemen in terram abjicitur, ut corrumpatur in vermes, & cineres. A terra habet obſcuritatem, & craſſitiem ideo dicit, ſeminatur in ignobilitate; ideſt dum ſepelitur eſt ignobile, craſſum, ſpiſſum, & opacum. Ab aëre habet infirmitatem: aër enim facillimè immutatur, & cedit cuilibet impellenti; ideo dicit, ſeminatur in infirmitate, ideſt infirmum, tardum. Ab igne habet animalitatem, quia calor conſumit continuè, & ideo indiget continuâ alimoniâ ciborum; ideo dicitur, ſeminatur corpus animale, ſcilicet egens cibo, & potu; ideo craſſum, durum, cedere neſcium, & impenetrabile: ſed tamen in reſurrectione ſurget impaſſibile, clarum, & fulgidum, potens, celer, & agile, & ſubtile carens craſſitie, & duritie repletiva: ſicque aberit à corporibus noſtris omnis corruptio per impaſſibilitatem, omnis deformitas per claritatem, omnis tarditas per agilitatem, & omnis infirmitas per ſubtilitatem. *L.4. d.49.p.2.a.2 q.2.op.Brevil.p.7.c.7.ſer.4.Dom ſexag.*

244. *Triticum ſpirituale in horreo Cœli in fine collocabitur: zizania in ignominia æterna.*

Seminatur in corruptione, in infirmitate, &c. ſurget in incorruptione, &c. Nota, quòd dat per hoc intelligere, quod qui in hac vitâ triticum ſe conſervabit ſeque ſubjiciet corruptioni, &c. ideſt mortificationibus, tandem ſurget glorioſum, & in horreo cœleſti reponetur. E contra qui zizania peccati ſeminabit, in perpetuâ ignominiâ erit in inferno; ſcilicet deforme, grave; craſſum, infirmum, & cui incorruptibilitas ad perpetuam paſſionem conferet. *Ser.4.Dom.4.poſt oct. Epiph.*

245. *Prius homo deponat quod animale eſt, ut aſcendat ad ſtatum ſpiritualem.*

Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Nota, quod primo loco ponit quod in nobis animale eſt, deinde ſpirituale, ut intelligamus, quod aſcenſus in vitâ ſpirituali debet inchoari ab animalitate nempe ab exercitio vitæ activæ, mortificando corpus, & deponendo pondus animalitatis: & hinc aſcendere ad contemplativam, & ad exercitia propria ſpiritus in ordine ad Deum. Sic etiam in exercitiis charitatis in proximum, ut hinc fiat tranſitus ad Deum. *L.4.d.47.a.2.q.4.op.inſtit.novit. p.1.c.3.in Luc.c.20.v.2. ſer.4.in vigil. Nativit.*

246. *Juſti, & perfecti religioſi in hac vitâ amalantur corpora glorioſa in quatuor dotibus glorioſis.*

Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, &c. Licet ad litteram loquatur Apoſtolus de quatuor dotibus glorioſi corporis; tamen myſticè eaſdem ſecundum debitam proportionem proponit verius juſtis, & perfectis religioſis obtinendas etiam in hac vitâ. Nam per obſervantiam pauperatis, ſubtilitatem acquirunt, abſcindendo à ſe omnem proprietatem, ut poſſint intrare per angustam portam vitæ æternæ. Per votum caſtitatis claritatem obtinent, habentes veſtimenta alba ſicut nix. Per votum obedientiæ agilitatem ſequentes agnum quocumque jerit? Per exercitia virtutum, & juſtitiæ impaſſibilitatem: quia juſtitia reddit homines veluti impaſſibiles. Et hinc ab animalitate, & operibus corporalibus aſcendunt ad ſtatum ſpiritualitatis *Op.de inſtit.novit.p.1.c.3. l.3. d.27.cit.in Luc.c.20.v.25.in Ioan.collat.70. Pſ.118. c.2.v.1. & Ugo Card.hic.*

247. *Viri ſpirituales Chriſtum ſequentes, ſunt de Cœlo: carnales de terra.*

Primus homo de terra, terrenus: ſecundus homo de Cœlo.cœleſtis, qualis terrenus, tales terreni, qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Ad litteram Apoſtolus ponit diſcrimen inter Adam, & Chriſtum: quia Adam fuit totus terrenus ob peccatum: Chriſtus totus cœleſtis per gratiam. Myſticè dat intelligere, quod terreni homines ſunt toti terreni, & de terra, & in terra immerſi; ſpirituales verò ſunt cœleſtes, quia Chriſti viam imitantur. *In Ioan.c.3. v.6. & c.8.v.24. & collat.61. & 70.*

248. *Alii portant imaginem diaboli: alii Chriſti: & qualis ſit utraque.*

Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis: ſcilicet terreni hominis, & Chriſti cœleſtis. Quæ eſt imago hæc, de qua loquitur Apoſtolus? nonne omnis homo habet imaginem Sanctiſſimæ Trinitatis? Sed attende ad pulchrum myſterium. Imago terreni hominis eſt imago, quam induit Adam peccando, ſcilicet imaginem diaboli: peccatum enim mortale characterizat eſt diaboli. Imago cœleſtis, ideſt Chriſti, eſt imago repræſentans ipſum Chriſtum: nempe quæ eſt colorata colore puritatis in converſatione rubicunda charitate, & nigra per humilitatem, & pœnitentiam. Fœlix qui hanc imaginem per imitationem Chriſti portabit, quia agnoſcetur à Chriſto, & ad ſui ſocietatem extolletur. q d. ſicut vetus homo effuſus eſt per totum hominem, & totum mundum; ita modo totum obtineat Chriſtus in nobis: vetus enim homo imaginem diabolicam in manu per flagitium in ore per arrogantiam, in corde per deſideria carnis. Ergo nos veterem relinquentes, imaginem Chriſti portemus in manu per innocentiam: in ore per confeſſionem laudis, & peccatorum, & in corde per dilectionem Chriſti. *Serm.4 Dom.22. Pentec ſer.4.Dom.infr.oct.Nativit. in Sap cap.16.*

249. *Cœlum*

249. *Carnaliter viventes ſpiritualia non poſſunt capere; nec ad vitam ſpiritualem pervenire.*

Hoc autem dico, fratres, quia caro, & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. Quomodo caro, & ſanguis in cœlum non poſſunt pervenire, cum corpora juſtorum in cœlum intrabunt? Sed attende ad myſterium: Ad litteram Orig. & Euthymius ſic explicant, quod in Cœlo beati non habebunt corpus carneum, ſed aëreum: hicque eſt apertus error, repugnans ſacræ ſcripturæ niſi velint iſta affirmare de corpore aëreo, ſcilicet per quandam ſimilitudinem levitatis, ut aër: germanus ſenſus, & litteralis eſt, quod caro & ſanguis regnum Dei non poſſunt poſſidere, ideſt quantum ad corruptionem, & imperfectiones proprias hujus mortalitatis: & ob id vitam carnalem, & animalem, quæ conſiſtit in uſu ciborum, & generatione, non fore in Cœlo. Myſticè inſinuatur, quod illi, qui ad regnum Dei tendunt, non ſecundum carnem, & ſanguinem, & carnalitatem, ſed ſecundum ſpiritum Chriſti debent vivere, ut ſic portent imaginem non Adam terreni, & carnalis, ſed Chriſti cœleſtis, & ſpiritualis, ut ſic mereantur regnare cum Chriſto, & agere in Cœlo vitam beatam, & cœleſtem. *L. 4. d. 43. a 1. quæſt. 1. ad 1. opuſcul. ſpecul. anima c. 3. in Luc. c 20. verſ. 35. in Ioan. c. 6. v. 67. & collat. 15. & ſermon. 2. Dom. 3. quadrag.*

250. *Reſurrectio, & mors erit univerſalis omnium hominum & illa erit ſimultanea, ſed differens ſorte.*

Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, in momento in ictu oculi, in noviſſima tuba. Nota, quod cum Græca lectio ſic ſe habeat: non omnes dormiemus, ſed omnes immutabimur: aliqui Patres, ut Theod. Origen. Chryſoſt. & Theophilactus putant ex hoc textu græco non omnes homines morituros; nam illi, qui in fine Mundi eſſent vivi immutabuntur, ideſt glorificabuntur: & hæc immutatio erit ipſis mors, quia morietur in eis corruptio, mutata in incorruptionem: ſed licet non ſit error, vel temeraria ſententia, ut dixerunt Soto, & Catharinus, eſt tamen minus probabilis. Probabilior autem verior, & certior eſt, quod omnes homines neceſſario morituri ſunt: eſt enim hic effectus peccati univerſalis; ſicut & univerſalis erit reſurrectio omnium. Cum enim corpus uniatur animæ immortali, & mortuæ per culpam originalem, ideo neceſſitatem contrahit ad moriendum; & poſſibilitatem ad ſemper vivendum, quæ ſecundùm ordinem divinæ providentiæ ad actum ſemper debet prodire, exigente hoc inſuper merito, vel demerito, & etiam divino judicio: quæ reſurrectio erit omnium ſimultanea: & hoc quia ſic exigit communis unio in peccato, & unitas corporis myſtici, & manifeſtatio divini judicii. *L. 4. d. 43. a. 1. q. 2. & 3. ep. Comp. Theol. l. 1. c. 127. in Luc. c. 20. v. 36. c. 21. v. 27. in Ioan. c. 5. verſ. 29.*

251. *Reſurrectio erit ejuſdem corporis propris, ut omnes configurentur Chriſto capiti.*

Oportet autem corruptibile induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: & tunc fiet ſermo, &c. abſorpta eſt mors in victoria. Nota illud pronomen, hoc, per quod dat intelligere Apoſtolus, quod reſurgent omnia corpora eadem in individuo ſecundùm numerum, alioquin non eſſet reſurrectio: reſurget igitur idem corpus, etiam ſi fuiſſet in ſubſtantiam alterius hominis, vel animalis, eo quod in illa prima materia adſunt formæ partiales corporis in ſeminatio, & in eſſe imperfecto, quæ à Deo poſſunt educi ad actum ex illa materia. Omnes autem homines induent incorruptionem, & immortalitatem; quia corpora exurentur, contrariis pugnantibus ad invicem: beati autem configurabuntur ad claritatem corporis Chriſti, qui eſt caput noſtrum, alioquin inconveniens eſſet, ſi caput eſſet pulchrum, & immortale, membra verò corruptibilia, & deformia: & tunc mors abſorbebitur victoriâ reſurrectionis Chriſti. *L. 4 d. 43. art. 1. q. 4. & 5. ſer. 3. Dom. paſſ. ſer. 1. de decollat. S. Ioan. Bapt. in addit.*

252. *Per mortem Chriſti abſorpta eſt mors, & per reſurrectionem ſpoliatus diabolus poteſtate in nos.*

Abſorpta eſt mors in victoriâ, ubi eſt mors victoria tua. Dat hic Apoſtolus rationem radicalem incorruptionis futuræ in reſurrectione, ſcilicet quia mors in Chriſto abſorpta eſt, & devicta, & ſpoliatus diabolus omni poteſtate in nos. *Op. Brevil. p. 4. c. 9. In Luc. c. 11. v. 22.*

253. *Per mortem Chriſti mors confecta eſt, & dulcorata.*

Abſorpta eſt mors in victoriâ. Quid eſt abſorpta eſt? & ſi abſorpta, & devorata, ut legunt 70. quomodo tantam vim habet in homines? ſed optimè dicit abſorpta eſt in vitâ, ideſt confecta, & dulcorata eſt: dum enim mortalitatem noſtram univit vitæ, & ille, qui vita erat, mortuus eſt, facta eſt confectio, in qua, & per quam mortuus reviviſcitur; & ut dulcior redderetur hominibus, ex morte ſua ſacramentis dedit efficaciam, ut mortem in vitam; & in dulcedinem convertere poſſent: & hinc ſancti, & juſti victoriam de morte ex Chriſti morte reportantes, ipſam tamquam eſcam dulciſſimam quærunt, & aſſumunt. Hinc eſt, quod mors juſtorum dicitur pretioſa in conſpectu Domini. *L. 4 ſent. in Prolo. ep ſolil c. 3. in Luc. c. 23. n. 34. in Ioan. coll. 57.*

254. *Mors vincitur, & debellatur amore.*

Abſorpta eſt mors in victoria. Et qualis eſt hæc victoria? Victoria eſt quam anima amore reportat: poſt Chriſti mortem enim non ſolùm fortis eſt ut mors dilectio. (*Cant. 8.*) ſed fortior morte; quia amore Chriſti ablatus eſt ejus ſtimulus, & amaritudo. *Ser. 5. de uno Mart.*

255. *Mors acceleratur per peccata.*

Ubi eſt mors ſtimulus tuus? ſtimulus autem peccati mors. Quomodo dicitur mors ſtimulus peccati? ſed attende ad effectus peſſimos peccati: id enim eſt ſtimulus ſtimulans, & acceleratus mortem, quis naturam morti tradit, & abbreviat vitam. Unde *Ambroſ.legit*, ſagitta mortis peccatum; per quod corpus, & anima jugulantur. *Ser.4.Dom.15.Pentec.& in Gloſ.*

256. *Hominis malitia legem Dei in venenum ſibi convertit per peccatum.*

Virtus verò peccati, lex. Quomodo dicitur lex Dei virtus, & vigor peccati? ergone lex Dei virtutem peccato addit? Hoc eſt non per ſe, quia lex Dei de ſe eſt optima; ſed hoc facit humana malitia, ex lege Dei occaſione acceptâ, eo quod humana malitia nititur in vetitum. *L.3.d.37.qu.1. ad 2.& d.49.a.1.q.2.*

257. *Chriſti victoria adepta de peccato, morte, & diabolo exigit à nobis opera bona ad ipſius complementum.*

Virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui nobis dedit victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Si Chriſtus ſuâ victoriâ triumphando de morte, de peccato, & diabolo, nobis dedit victoriam, ergo non eſt cur pugnemus? ad quid ergo invitatur homo ad pugnam? ſed reſpondetur, quod Chriſtus quidem ſufficienter vicit hoſtes noſtros, nobiſque exhibuit hanc victoriam: & ad quid? Nota, quod ſubdit Apoſtolus: *itaque fratres mei ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper; ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* Ecce quid requiritur ad complementum victoriæ obtentæ per Chriſtum; ut nobis profit: ſcilicet bona opera, mortificatio paſſionum, & carnis, concupiſcentiæque: ſic enim Chriſtus vicit, non tam per ſe, ſed etiam per ſuos electos, quibus dedit virtutem vincendi: vicit ipſe, ut ſui ſequaces confiderent ſe victuros in ipſo cooperantes, & multiplicantes opera bona; ſic enim labor eorum non erit inanis, nec mercedis expers apud Dominum. *In Ioan. collat.74.& 43.*

CAPUT XVI.

In hoc ultimo capite Apoſtolus jubet fieri collectam pro pauperibus Ieroſolymitanis: deinde commendat Corinthios aliquos ſuos diſcipulos: & tandem intentat anathema in eos qui non diligunt Chriſtum.

258. *Mendicatio, & proviſio moderata religioſis pauperibus, ſancta, & virtuoſa eſt.*

De collectis autem, quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam ſabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat &c. Nota ad litteram, quod cum in Concilio Jeroſolymitano demandata fuerit Apoſtolo cura ſalutis gentium, ſimulque ordinatum ei fuit, ut collectas faceret pro pauperibus Jeroſolymitanis, quos Judæi omnibus bonis ſpoliaverant: Ideo hîc præcipit, ut in una Sabbati; ideſt in prima die poſt Sabbatum, ſcilicet in dominica die, in qua maximè conveniebant fideles ad Eccleſiam fieret collecta eleemoſynarum pro dictis pauperibus. Myſticè autem per hoc datur intelligi, quod mendicatio, quæ fit à pauperibus Chriſti, & religioſis, eſt licita, ſancta, & meritoria: & quod ſollicitudo nimia, licèt vetetur ipſis, non tamen proviſio aliqua moderata, quæ tamen mendicationem non deſtruat; & hoc ne aliter quaſi Deum tentare videantur, ut miraculoſè, ſicut olim filiis Iſraël, eis quotidie alimoniam ſubminiſtret; & hoc maximè conceditur fratribus minoribus, qui altiſſimam paupertatem promiſerunt. *Op.determin. qu.7.de paup.Chriſti a.2.*

259. *Qui Chriſtum non amat, anathemate feritur.*

Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, anathema ſit maranatha. In ſacra ſcriptura anathema eſt res, quæ cum execratione ſeparatur, abjicitur, & deſtinatur ad extremum exitium; quod in hominibus eſt damnatio. Maranatha ſunt duo verba, ſeu eſt vox Hebræo-ſyriaca, ſignificans Dominus noſter venit: & per hoc dat intelligere Apoſtolus, quod cum venerit Dominus Jeſus in humilitate ad ſalvandum homines, & ad conciliandum amorem noſtrum in ipſum; ille qui non amat Chriſtum, anathemate dignus eſt, ſicut & omnis peccans mortaliter. *Ser.1.ſer.2.Pentec.& hic eſt finis Expoſit. Epiſtol. ad Corinth.*

EXPO

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM SECUNDAM PAULI APOSTOLI, AD CORINTHIOS.

PROLOGUS.

NOTA, quod in hac Epistola Apostolus consolatur Corinthios, in priori epistola objurgatos; cum jam absoluisset fornicarium excommunicatum, jam pœnitentem: Et ideo agit de pœnitentiâ vera; de dignitate ministrorum Evangelii: de infidelium societate cavenda: de patientiâ, & eleemosynâ in pauperes: de fuga Pseudo Apostolorum; qui Pauli æmulii psum deprimebant; contra quos apologiam, se laudando, texit.

CAPUT PRIMUM.

In hoc capite ostendit Apostolus ex quantis in Asiâ tribulationibus eripuerit eum Dominus, ut ipse alios consolaretur: deinde declarat cordis sui, & suæ doctrinæ sinceritatem.

260. *Cur Deus vocatur Pater misericordiarum, & totius consolationis: & non pater judiciorum, & ultionum.*

PAULUS *Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis Gratia vobis, & pax à Deo, &c. Benedictus Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos, &c.* Appellat Apostolus Timotheum fratrem, ideſt coapostolum, eo modo quo Papa Episcopos, Episcopus Canonicos, Abbas Monachos fratres appellat. &c. Deinde dicit Deum Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis. Cur dicit Pater misericordiarum, & non judiciorum, vel vindictæ? Hoc dicit, ut intelligamus, quod ejus proprium est misereri, non ulcisci, & punire: eo quod ex seipso totam causam assumit miserendi; ulcisci verò ex nobis; quia radix, & ratio, & causa punitionis ex ipso peccatore oritur. *L.1.d.47.dub.1. in sap. cap.12.*

261. *Dei misericordia habet pro objecto indulgentiam, & miseriam hominis, non meritum,* ideo verè dicitur, Pater misericordiarum, ut ad ipsum toto corde, & confidentiâ confugiamus nos miseri indigentes, & in extrema necessitate positi. *L.4.d.18. p.1.a.2.q.2.ad 6. & d.6.p.2.a.1.q.1.ad ult.ep. expos. missæ, c.4.*

262. *A Deo solo omnis vera consolatio redundat: à Mundo vana.*

Et Deus totius consolationis. Nota, ly, totius, ideſt non unius, non partis sed totius consolationis, ut intelligamus quid sit vera consolatio, & unde proveniat, vera consolatio est quædam gratia devotionis, procedens de spe veniæ, & gustus boni, quo benignus Deus afflictam recreat animam; & per quam ad Deum requirendum invitatur, ut veniam peccatorum, & gratiam, & gloriam obtineat, & sic ad amorem Dei vehementer accenditur: & quia ista consolatio etiam sæpe redundat in corpus, hinc dicitur Deus fons totius consolationis: ergo consolationes, quæ aliunde habentur, non sunt veræ, sed vana somnia. *Op. spir. c.2. de prof. religios. l.2. c.1. & 76. Phar. l. 2. cap.19.*

263. *Consolationem divinam aut præcedit, aut consequitur tribulatio.*

Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Vide ex hoc, quod divinæ consolationes, sunt semper sociæ tribulationum,

quæ aut præcedunt, aut conſequuntur conſolationem divinam. Uult enim Deus in hac vitâ nos conſolatos, ſed ita quod tribulationes ad profectum noſtrum ſemper ſint connexæ. *Op. medit. cap.12. in Luc.c.15. v.28. ſerm. 2. de S. Marco in addit.*

264. *Paſſiones noſtræ dicuntur paſſiones Chriſti: & quare.*

Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra. Quomodo paſſiones Chriſti in nobis abundare dicuntur, ſi in ipſo Chriſto terminatæ fuere in cruce? Et iterum quomodo dicuntur in nobis abundare, ideſt plures in nobis ſunt? ergone noſtræ excedunt Chriſti paſſiones? Reſpond. quod dicuntur Chriſti paſſiones primò, quas pro Chriſto patimur. Secundò, Chriſti, quales ipſe paſſus eſt. Tertiò, Chriſti, quas ut ſuas reputat Chriſtus; ideo dicitur, Chriſtus pati in membris ſuis. Dicitur autem abundant, quia Chriſtus plura in membris, quam in ipſo paſſus eſt, ſcilicet extenſivè non intenſivè: ideo in Laurentio paſſus eſt ignem Chriſtus; in Stephano lapides. Ita Chryſoſtom. Ambroſ. Theophil. *Vide l.5 d.16.a.1.q.2.op.Brevil. p.4.c.9.de profect.religioſ.l.2.c.36.*

265. *Chriſtus paſſiones ſuas dividit in membra ſua.*

Sicut abundant Chriſti paſſiones in nobis. Quomodo dicuntur abundare in nobis Chriſti paſſiones, ac ſi tranſirent de ſubjecto in ſubjectum? bene dicit Chriſti paſſiones abundare in nobis; quia Chriſtus facit ſicut ille, qui onere aliquo laſſatur in via, rogat, quibus plus confidit, ut partem oneris ſui pro ſe ad horam ferat: ut hoc quaſi indicium ſit majoris confidentiæ in illum: ſic Dominus, qui nobiſcum eſt omnibus diebus in viâ hac, qua ambulamus, laſſatus uſque ad mortem labore ſuæ paſſionis. quærit quis noſtrum velit ei compati, & onus tribulationum ſuarum, quod adhuc in corpore ſuo myſtico, quod eſt Eccleſia ſuſtinet, ſecum portare: quia hanc paſſionem, quam caput in ſe pro nobis inſtituit, & ſuſtinuit in carne, diviſit per omnia membra fidelium ſuorum; ut ſicut oportebat pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam, ita & membra ejus, ſi capiti fideliter compatiuntur, & conglorificabuntur: qui enim plus compaſſus fuerit Chriſto, etiam cum eo propius regnabit: Et hinc qui tribulatur gaudeat, quod Chriſtus ipſum ſibi ſocium aſſumere dignatur, eique participare partem de ſuis laboribus. *Op. de prof. religioſ. l.2.c.36.*

266. *Supra menſuram paſſionum, quas pro Chriſto patitur homo etiam conſolatur: & ad menſuram quis patitur pro Mundo, etiam creſcunt deſolationes.*

Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio, &c. & ſicut ſocii paſſionum eritis, ſic eritis & conſolationis. Ecce quod Apoſtolus tradit originem conſolationum, quas Deus immittit in ſuos: hæc eſt tolerantia paſſionum pro Chriſto; nam ad menſuram eorum, quæ pro ipſo ſubit, & ſuſtinet ad eandem menſuram etiam donat conſolationes; ut qui ſocii paſſionum ſunt Chriſti, ſint & conſolationum. Sed attendendum eſt illud verbum, abundant paſſiones, abundant & conſolationes, non dicit æquantur conſolationes, ſed abundant, & exuberant, quia longè major eſt conſolatio ipſis afflictionibus; ut qui affligitur, eas patienter, & libenter, & hilariter ferat, ut gaudeat, & dominetur; ita ut pro earum menſura det Chriſtus & menſuram conſolationum. ut quantum creſcit paſſio, tantum creſcat & conſolatio. E contra paſſiones mundi ſunt fel ſine melle, & quantum illæ creſcunt, tantum creſcunt & deſolationes, & mœrores, & angores; ergo non fugienda, ſed ambienda eſt crux, & paſſio Chriſti. *Op. medit. c.92. de prof. religioſ. l.2.c.36. in Luc.c.5.v.10. in Ioan.c.12.v.26.c.18. verſ.11. ſer.2. de S. Agnete ſer.1. de dedicat.*

267. *Tædium hujus vitæ ſæpe occupat ſanctos, & juſtos.*

Non enim volumus vos ignorare de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut taderet nos etiam vivere. Vide hîc, quod tædium ſæpe occupat ſanctos. itaut natura mallet mori quàm vivere, tædium autem hoc ſanctorum evenit vel propter peccatorum occaſiones; vel propter imminentem tentationem; vel propter imminentis mortis horrorem; vel propter vitæ beatæ dilationem; vel propter labores, & tribulationes, quibus ſubjacent juſti: quod tædium tamen in juſtis nihil præjudicat ſanctitati, nec charitati; & amori in Deum, cum tale tædium adveniat naturæ ſecundum ſe conſideratæ, & ipſi ſint abſolutè totaliter conformes divinæ voluntati, & gratiæ divinæ. Vnde ſubdit Apoſtolus. *Sed ipſi in nobis reſponſum mortis habuimus.* Scilicet ita ut nihil aliud expectare poſſimus, niſi mortem, adſpiciendo ad vires naturæ, ne ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo, qui nos de tantis periculis eripuit, & eruit, in quem ſperamus. *In eccleſ.c.2.*

268. *Gratia Dei in animâ qualem paritatem, & ſimul lætitiam ipſi afferat.*

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis, & ſinceritate Dei, & non in ſapientiâ carnali; ſed in gratiâ Dei converſati ſumus in hoc mundo, &c. Ecce quid operatur gratia Dei exiſtens in animâ, dum eam vivificat, & à culpa expurgat: ſicut enim lux purgat à tenebris aërem, & ipſum ſubtilizat, dum vapores in ipſo conſumit, ſic & gratia purgat mentem, dum vapores peccatorum in ea conſumendo repellit. Gratia enim eſt ſimilis igni, cujus virtus eſt purgativa, & à metallo rubiginis expulſiva, unde quod ignis auro, quod lima ferro, quod tribula grano, hoc facit gratia viro juſto, dum cum purgat ab omni peccato; & hinc adfert lætitiam ineffabilem animæ: dum verè poteſt dicere juſtus per gratiam expurgatus, & intus in conſcientia factus totus luminoſus: gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quoniam in Dei gratiâ converſati ſumus in hoc mundo. *Ser.5. de nna Virg.*

269. *Conſitu*

Digitized by Google

269. *Conſcientia pura teſtis eſt animæ, diſponens ad lætificationem ipſius.*

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, &c. Quomodo dicit Apoſtolus, quod ex conſcientiâ purâ ei provenit gloria, ſcilicet lætitia, & gaudium ineffabile, cum conſcientia ſtet in potentia cognitiva, & lætitia in affectu, & voluntate? Sed optimè hoc dicit: quia enim conſcientia eſt rectus teſtis teſtificans de eo, quod eſt bonum, vel malum; hinc diſponit, & dictat voluntati talem bonitatem, & rectificando generatur ex hoc gaudium in ipſa. *L. 2. d. 39. a. 1. q. 1. ad ult. & l. 4. d. 17. p. 2. a. 1. q. 1. op. Dist. tit. 3. c. 2. & 2. c. 5. tit. 4. c. 4. & tit. 7. c. 1. medit. c. 61.*

270. *Juſtorum lætitia reſidet in corde, triſtitia extra ſe. impiorum lætitia eſt extra ſe, triſtitia reſidet intra.*

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Ecce quomodo hîc Apoſtolus aſſignat diſcrimen lætitiæ, & triſtitiæ bonorum, & malorum; nam boni dum habent teſtimonium conſcientiæ bonum, etiam ſentiunt redundari in corde plenitudinem lætitiæ, & gaudii cœleſtis in Deo, ejuſque gratia fundati, licèt ad extra circundentur tribulationibus, & paſſionibus. Mali è contra habent ad extra lætitiam, dum in terrenis voluptatibus exhauriunt; ſed tamen teſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum de malis factis, intus torquentur, triſtantur, & tribulationibus, pœniſque repleti inveniuntur. *L. 2. d. 39. cit. Pſal. 41. & 111. & 149. op. Confeſſion. c. 1. p. 5. In Ioan. c. 5. v. 44. ſer. 1. de nno Mart.*

271. *Idem argumentum de bona, & mala conſcientia.*

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei. Norunt hæc homines, qui tantum lætantur de gloria mundana, intus autem pleni ſunt immunditia, quam ſint decepti: nam perhibet homo ſibi teſtimonium per propriam conſcientiam, quomodo verè ſit coram Deo: nam ſicut facies pulchra, & ornata eſt gloria ſponſæ apud ſponſum; ſic facies fugata eſt ignominia: rugæ autem animæ ipſam reddentes ignominioſam, fœtidam, deformem, triſtem ſunt duplices, nempe bonum oſtendere, & malum intendere: bonum exterius ad modum hypocritarum oſtendere, & malum interius habere. Item profiteri tales quales verè non ſunt, & maximè in illis, qui dati ſunt in exemplum aliis, uti ſunt ſacerdotes, Prælati, &c. & contraria huic operari: iſti namque rejiciuntur à deſponſatione Chriſti, nec lætitiam, ſed triſtitiam, & torturam in corde fovent. E contra gloriâ, & gaudium, lætitiaque inenarrabilis eſt quando conſcientia perhibet teſtimonium apud Deum in cogitatione, & puritate, & intentione pura: apud ſacerdotem in confeſſione, pandendo exterius peccata ſua, & habendo interius contritionem: iſtique liberè, & lætanter ad judicium Dei ſe præſentabunt. *Ser. 2. Dom. Inf. oct. Aſcenſ. ſer. 1. de S. Andrea. ſerm. 1. de nno Mart.*

272. *Prælati & Principes boni mutant propoſitum jam factum, ſic exigente communi neceſſitate, & utilitate.*

Volui prius venire ad vos, ut ſecundam gratiam haberetis. Cum ergo hoc voluiſſem, numquid levitate uſus ſum? ſcilicet non veniendo ſicut promiſeram. Vide quod Paulus poſtquam gratiam converſionis attulerat Corinthiis, jam promiſerat ſecundò ad eos ire viſitaturus omnia, & ad ipſos confirmandos in gratia Dei: Sed tamen exigente neceſſitate, non abiit; ſeque excuſat id non feciſſe ob levitatem animi: Per quod edocentur Prælati, quod licet debeant maxima diligentia vitare, & cavere levitatem, & inconſtantiam in conſilio, ut quod eis placet, mox diſpliceat, modo velint unum, modò contrarium, veluti pulli equorum, ſaltantes huc, illucque ubi rationabilis cauſa non apparet; hoc enim eſt amittere æſtimationem ſui apud ſubditos, & captare ab eis irreverentiam, & inobedientiam; tamen ubi cauſa rationabilis ſubeſt juſtæ neceſſitatis, vel piæ utilitatis, ut aliter, & aliter aliquid fieri expediat, non eſt hoc levitatis, ſed maturitatis: quia ſicut ſtultum eſſet melius mutare in deterius, ſic etiam ſtolida eſt obſtinatio tam pertinaciter inhærere conceptis, ut pro majori, & aperto ab eis flecti non poſſit. *Op. de ſex alis Seraph. c. 6.* Hoc audiant, & hinc addiſcant Prælati, & Principes, ſi cupiunt regere ſuos ſubditos juſtè, & ſanctè; ne ſe oppignerent, & obſtinati ſint in ſuis propoſitis determinationibus, cum talis oppignerario ſit fovea, quæ præcipitet eos in infinita mala, & hoc ſub ſpecie conſervandi ſuum vanum honorem; & tandem plurimos præcipitat in inferno.

273. *Pignus, & arrha cœleſtis gloriæ qualis in hac vita datur juſtis.*

Unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Quæritur hîc qualis ſit iſta ſignatio, & ſignaculum, quod dicitur pignus ſpiritus? Calvinus impiiſſimo ſuo more dicit hoc ſignaculum eſſe fidem Chriſti, quâ quiſque ſcit certò, & credit ſe eſſe prædeſtinatum: ſed tamen decipitur, cum hoc ſuum ſignaculum ſit incertum, & fallax, & hæc ſua fides mendax eſt, & ſtulta præſumptio. Cum & Apoſtolus haberet maximam fidem, & tamen reprobari timebat, 1. *Cor. c. 9. v. 27.* & alibi docet cum metu, & tremore noſtram ſalutem operandam, tum etiam quia nemo certus eſt ſe talem fidem habere, & ſemper habiturum, cum multi deficiant ab hac fide. Senſus ergo genuinus Apoſtoli eſt, quod Deus infundendo ſuam gratiam, & cum gratia lætitiam ſpiritualem, eis tribuit pignus, & arrham, ſcilicet præguſtationem æternæ beatitudinis imperfectam, quæ in vita ſpirituali modicum præguſtatur; ſed in futuro pleno calice bibitur; in cujus virtute ſanctis, quicquid hîc patiuntur, non ſolum leve, ſed dulce videtur: & hæc eſt ſanctorum conſolatio, quam non novit, niſi qui accipit. Et hinc eſt (ait S. Bern.) quod multi pœnitentiam fugiunt, qui crucem vident, ſed non unctionem. Si igitur abhorres crucem, reſpice unctionem, conſidera præmium; nam conſideratio præmii minuit vim flagelli. *Ser. 1. in dedicat. in Ioan. c. 5. v. 24. c. 14. 27.*

274. *Diſcri-*

274. *Diſcrimen amoris ſpiritualium, & temporalium aſſignatur.*

Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit, & dedit pignus ſpiritus in cordibus, &c. In his verbis innuitur diſcrimen inter amorem ſpiritualium, & carnalium: nam amanti Deum, & ſpiritualia, Deus infundit pignus Spiritus Sancti; ſcilicet eum lætificando, potificando, & juſtitiam, gratiamque infundendo, tamquam pignus, & arrham beatitudinis cœleſtis. Non evenit ſic amanti terrena, nec etiam in terrena poſſeſſione: non enim qui novit aurum, & amat, habet aurum, ſed potius eſt torquere animam: ſed velle juſtitiam eſt eam habere, & ſimul habere vitam æternam in re, & ſic erit poſt hanc vitam, quando videbitur Deus facie ad faciem. *In Ioan. capit. 5. v. 24.*

275. *Baptiſmi, & confirmationis effectus expenduntur.*

Qui autem confirmat nos, &c. qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris. Nota, quod plures Patres exponunt hunc textum de Sacramento Baptiſmi, & confirmationis, & meritò, nam in baptiſmo ungit Deus oleo gratiæ ſuæ: dat pignus Spiritus Sancti teſtimonium bonæ conſcientiæ, & ſignat animam charactere baptiſmali. In confirmatione verò ſignat, & firmat fide animam, & ſimul charitate, & gratiâ; & per hanc datur arrha gloriæ, & character ſacramenti, quo ſuos milites obſignat. De his effectibus vid. *D. Bon. l. 4. d. 4. per totam, & d. 7. per totam. ep. Comp. Theol. l. 6. c. 9. & 11.*

276. Prælati non importune ſemper carpere, & increpare ſuorum vitia debent, ne ſubditi obſurdeſcant, & callum faciant: ſed aliquando dulciter admonere, & patientiâ, & diſſimulatione uti; exemplo Apoſtoli, qui hîc dicit; *parcens vobis non veni ultra Corinthum*, & hoc ne eos ſeverâ correctione carperet, ſperans ſic dulciter eos poſſe emendare. *Op. de ſex alis Seraph. c. 3. & 4. & 5.*

CAPVT 11.

In hoc capite aſſerit ſe ad Corinthios non veniſſe, ne tam ſibi, quam illis eſſet occaſio triſtitiæ. Deinde hortatur; ut excommunicatum fornicarium jam pœnitentem in gratiam recipiant. Et tandem docet ſe ubique bonum Chriſti odorem ſpargere: eumque bonis ad vitam, malis ſquead mortèm eſſe.

277. *Prælati boni ad correctionem ſubditorum efficacem, lachrymas, & gemitus emittunt, ut eos ad deflendum peccata attrahant.*

EX multa tribulatione, & angustia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas, non ut contriſtemini; ſed ut ſciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis; &c. Vide charitatem maximam Pauli in ſuos ſubditos: nam quot ſyllabas eis ſcripſit, tot lachrymas emiſit; non ut eos contriſtaret, ſed ut eos ad deflenda peccata ſua attraheret. Sic, ſic debent facere Prælati, qui in corrigendo ſubditos, ad eos benignitatem, zelum & deſiderium ipſorum ſalutis debent oſtendere. *Ioan. c. 11. v. 38.*

278. *Prælati, & Miniſtri Eccleſiæ ſubditis nomine Chriſti ipſius divitias donant, & pretioſa munera.*

Cui autem aliquid donaſtis, & ego, nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in Perſona Chriſti Vide hîc, quod miniſtri Eccleſiæ ſacramenta adminiſtrantes, abſolventes à peccatis, conferentes alia bona ſpiritualia, id faciunt gerendo perſonam Chriſti, qui per ipſos omnia hæc operatur, & donat ſuas gemmas, & divitias ſpirituales. Hinc patet quali honore afficiendi ſint Sacerdotes, qui ſunt fidelibus diſpenſatores theſaurorum, & gemmarum cœleſtium Chriſti Jeſu. *In Luc. c. 10. v. 16. l. 4. d. 20. p. 1. a. 1. q. 2.*

279. *Felix Eccleſia, quando ex vitâ exemplari Prælatorum repletur fragrantia bonæ famæ. Infelix, quando fœtore malæ vitæ inficitur.*

Deo gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto: ideſt triumphare facit in victoria tot perfectionum: *Et odorem notitiæ ſuæ manifeſtat. Chriſti bonus odor ſumus, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* Ecce quod in his verbis Apoſtolus oſtendit quam neceſſaria ſit exemplaritas vitæ, & veræ devotionis in Prælatis exemplo ſuæ Perſonæ; quia ab iſta dependet bona fama Eccleſiæ, & ſalus ſubditorum; & maximè illorum, qui ex bonis exemplis animum, & vim ſuſcipiunt proficiendi de bono in melius; iſtis enim eſt odor ad vitam: illis autem, qui non proficiunt, imo in deteriorem partem omninò accipiunt, odor bonus eſt mortis in mortem; ideſt mortiferam mortem afferens. Primi quidem proficientes, odorem Spiritus Dei ſuſcipiunt per experimentalem cognitionem divinarum. *Op. de ſex alis Seraph. c. 8. ad 7. lin. ater. itin. 7. d 7. & itin. 6. d. 1. & 6. in Luc. cap. 2. v. 34. c. 7. v. 19. in Ioan. collat. 86. ſer. 6. in Epiph. ſer. 5. Pentec. Pſal. 10. & 44. Eccles. c. 3.*

280. *Prædicatores quales legitimi, & veri, & quales falſi, & adulterantes verbum Dei.*

Non enim ſumus, ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur Nota, quod Apoſtolus concludit hoc caput, aſſignando diſcrimen inter Prædicatores apoſtolicos, & falſos, & adulterantes verbum Dei. Sed quid eſt adulterare verbum Dei; quomodo

quomodo adulterari transferitur ad verbum Dei? Adulterat qui se uxori non suæ conjungit: adulterat ergo verbum Dei, qui veritati falsitatem conjungit scilicet qui verbum Dei prædicat non eo modo quo Paulus faciebat; idest ex sinceritate, sicut ex Deo; coram Deo, & in Christo: ex Deo contra falsitatem: coram Deo per maturitatem; & in Christo per puritatis intentionem. Vel non prædicat ex sinceritate sine personarum acceptione, sicut ex Deo sine ambitione: coram Deo sine ostentatione! in Christo sine adulatione: Et hæ sunt conditiones, quas Seraphicus P. S. Franciscus exigit in suis prædicatoribus; monens eos, ut in sua prædicatione sint examinata, & casta eorum eloquia ad utilitatem, & ædificationem Populi, annuhciando eis vitia, & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate sermonis sint examinata, idest non temere, ac sine deliberatione prolata, non sint nova, ac suspecta, sed casta eloquia: casta contra adulterium: castitas enim hæc excludit corruptionem falsitatis, & immistionem enormitatis, imò etiam vanitatis, seu verbi risum provocantis, seu factum, aut impetum prætendentis excludit item corruptionem intentionis; sed ad utilitatem in malo vitando in ædificationem in bono faciendo: annunciando eis vitia, & virtutes, quantum ad vitam præsentem; & pœnam, & gloriam quantum ad vitam futuram. Ne scilicet prædicent seipsos; ut suam philosophiam ostendant, & fimbrias magnificent: & hoc item brevitate sermonis, per quod excludit verborum ambages, & sententias involutas, & verba etiam ardua super capacitatem audientium. O attendide ô Prædicatores verbi Dei hæc sancta documenta. *Op. expos. regul. c. 9. In Luc. c. 3. ad finem.*

CAPUT III.

In hoc tertio capite Apostolus prosequitur ostendendo in sua persona quanam vitari debeant à prædicatoribus: & deinde ostendit velamen, quod habent Iudæi in intelligentia S. Scripturæ quod auferetur in fine mundi.

281. *Epistola qualis est conscientia bona, qualis mala.*

Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur, & legitur ab omnibus hominibus, manifestati quod epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. In his verbis Apostolus ostendere intendit se non indigere epistolis commendatitiis: eo quod ipsi Corinthii erant ipsius epistola satis eum commendans. Sed quomodo dicuntur epistolæ Pauli? Hoc est; quia jam in eorum corde fidem, & spiritum Christi inscripserat; tum quia ipsi insculpti erant per curam, & amorem in corde Pauli: tum etiam quia Christus insculptus erat in cordibus suis spiritu Christi: quia eorum conscientia carnea erat, idest mollis, docilis, & habilis ad recipiendum ejus verba, & prædicationem. *Sic SS. Ambros. Anselm. aliique PP.* Ex quibus infertur, quod conscientia bona est epistola Christi sigillo charitatis signata: mala est epistola diaboli, sigillo obstinationis signata: & utraque examinabitur in morte. *Ser. 8. in Pentec.* Nota etiam, quod hîc reprehenduntur Prædicatores, qui totum suum robur collocant in procurandis epistolis commendatitiis, quando ad locum prædicationis accedunt, hoc enim est mera vanitas: nam exemplo Pauli litteræ commendatitiæ Prædicatorum debent esse bona exempla, sanctaque vita, conversio peccatorum, zelus salutis omnium, prædicatio cum virtute Spiritus Sancti, ut auditores fiant sua ipsorum epistola, in qua remaneat insculptus Christus per amorem, & charitatem.

282. *Sine concursu gratiæ Dei nullum bonum spirituale possumus facere.*

Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. In hac sententia Paulus exprimit veritatem catholicam contra semipelagianos, qui asserebant credendi, & omne fidei, salutisque initium, ac desiderium esse ex libero nostro arbitrio, quod postea adjuvante Deo in actum secundum exibat. Hoc autem dogma hæreticum probatur ex isto textu: nam si non sumus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, sed tanto divino auxilio, multò minus nec inchoare nostram salutem. Nota etiam, quod Calvinus super aliam particulam textus, scilicet; *sed sufficientia nostra ex Deo est*; putat nullas esse vires, quas exerat in operibus gratiæ, sed totum esse à Deo operante, non cooperante. Sed hîc non est sensus Apostoli, qui dicit liberum arbitrium ex se esse insufficiens, non autem nullas habere vires: sicut enim infirmus debiles habet vires, sed insufficientes ad ambulandum; sufficientes autem, si quis eas erigat, vivet & sustentet, sicque motui, & ambulationi det initium, & adjumentum; ita & liberum arbitrium ad bona opera ex se debile, & infirmum, sed sufficiens, si à gratia præveniente excitetur, roboretur, & adjuvetur. *l. 2. d. 28. a. 2. per tot.* Hinc moraliter discamus & nos in omni opere bono agnoscere infirmitatem nostram, omnem illius bonitatem, & dignitatem tribuere gratiæ Christi; & ideo ipsum Deum orare debemus, ut nostras cogitationes dirigat, piasque & sanctas immittat: scientes, quod sicut luna sine lumine solis tota obscura est, sic & anima sine lumine solis æterni nil lucis bonæ cogitationis potest immittere. *Op. Dict. append. ad Dom. 12. Pentecost. de 7. itiner. æternit. itin. 2. d. 3. in Ioan. cap. 14. vers. 12. & collat. 72. in Gen. c. 19.*

285. *Christus vocans aliquem ad suum ministe-*

rium confert etiam omnes conditiones ad id exequendum neceſſarias: & ideo nemo excuſationem aliquam apud Deum poteſt habere, ſi non miniſtraverit ſicut decet: Unde Paulus dicebat: *Deus nos idoneos miniſtros fecit in Ioan.coll.57.*

284. *Quomodo littera in ſacra ſcriptura dicitur occidere, & ſpiritus vivificare.*

Littera occidit: ſpiritus autem vivificat. Si hîc loquitur de ſacra ſcriptura teſtamenti veteris, quomodo dicitur quod occidit, cum ſancta opera ordinet? tum etiam quia dicitur lex ſancta. *Rom.7.* tum etiam quia ſervata ad ſalutem conducit. Sed Reſpondetur, quod ſi lex vetus conſideratur ſecundum intellectum ſpiritualem, quo figurabat evangelium, & evangelio prægnans erat, ſic faciebat homines viros evangelicos: ſi ſecundum intellectum litteralem purum; quia in lege veteri erant promiſſa temporalia; præcepta exterius regulantia, & ſacramenta figuralia; ratione promiſſorum, non excitabatur homo ad amorem ſpiritualem: ratione præceptorum non dirigebatur ad juſtitiam interiorem: & ratione ſacramentorum non adjuvabatur, ut poſſet faciliter legem implere; & ideo deerat ſibi juſtificatio, quæ omnia ſunt perfectiſſimè in lege evangelica: nempe promiſſa æterna excitantia ad amorem æternorum: præcepta ſpiritualia dirigentia ſufficienter in viâ morum: & ſacramenta ſanctificantia, & ſanantia animam à vulneribus peccatorum: ſicque lex evangelica, & ſpiritualis formaliter ſanctificat ratione gratiæ ſacramentalis, & in effectu, ratione amoris ſpiritualis; & in exercitio ratione multiplicis boni operis, ad quod dirigitur homo per conſilia, & præcepta: quæ tria non erant in lege veteri litteraliter intellecta. Et quia in hac erat oſtenſio culpæ, & non aderat adjutorium gratiæ, dabatur per conſequens occaſio ipſi concupiſcentiæ, ut traheret ad mortem: Nam ex prohibitione ubi charitas deficit, deſiderium mali creſcit, quo aucto, dulcior fit quod prohibetur. Hinc fit quod licèt lex de ſe ſancta eſſet, tamen ex accidenti, & per occaſionem, quia non obſervata, oppoſitum, ſcilicet mortem inducebat: per occaſionem inquam quatenus lex vetus per ſe, culpam manifeſtabat, nec gratiam adjuvantem de ſe portabat; hinc ad mortem multos trahebat. Et ſi quæras cur Deus, cupiens ſemper noſtram ſalutem, dedit Populo ſuo talem legem oneroſam. Reſpond. quod Deus principaliter dedit hanc legem ſpiritualibus, & ſpiritualiter eam intelligentibus, per quod & conformis erat Evangelio, ut dictum eſt, & gratiam promerebant, & ſalutem obtinebant. Aliis autem, ſcilicet carnalibus dedit ad conſtringendam eorum duritiam; ut ſic manuduceretur ad gratiam, recognoſcendo infirmitatem ſuam. *L. 3. d.40 a.1.qu.2.Pſal.36.& 118.v.57.ap.Comp.Theol. l.5.c.69.in Luc.c.20. v.33.in Ioan.c.5. v.39.& c.6. v.63. & collat.58.* Ex dictis patet, quod ſumere ſacram ſcripturam ſecundum nuda verba, neglecto vero ſcripturæ ſenſu; ad errores inducere abutendo; uti faciunt hæretici, & Judæi, ideſt mortem ſubire; & æternam damnationem. Et hinc proſequitur Apoſtolus oſtendere velamen, in quo vivunt perfidi Judæi; & permanſuri ſunt uſque ad finem mundi, ſic exigente eorum obſtinatione.

285. *Peccator captivus eſt diaboli. Juſtus liber libertate ſpiritus.*

Dominus autem ſpiritus eſt: & ubi ſpiritus ibi libertas. Poſtquam Paulus expreſſit captivitatem legis moſaycæ, per quam figuratur homo in peccato exiſtens captivus factus diaboli; oſtendit, quod obſervantibus legem evangelicam ſpiritualiter ſecundum intentum Spiritus Sancti, datur vera libertas: & hoc maximè fit in lege evangelica: nam Chriſtus confert peccatori pœnitenti gratiam ſanctificantem, & expiantem culpam; & immittendo Spiritum Sanctum, ei confert veram libertatem, & hæc habet plures gradus, libertas enim prima eſt ablatio criminum: ſecunda eſt liberatio à dominio concupiſcentiarum, & à timore ſervili: & tandem erit plena libertas in alia vita, quando inimica mors deſtruetur, & abſopta erit mors in victoria. *Op. Diet.tit.8.c.1. in Ioan.c.8. v.38.c.11.v.43.& collat.43.ſer.4.Dom.16.Pentec.*

286. *Fidei effectus in mente expenduntur in exercitio contemplationis.*

Nos verò revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu. Ecce expreſſio libertatis, in quam transfert animam ſpiritus Dei: nam habitâ clarâ notitiâ myſteriorum Sanctiſſimæ Trinitatis, incarnationis, aliorumque, & revelatâ facie Chriſti incarnati per lumen fidei, anima gloriam Domini ſpeculando veluti in ſpeculo, in eandem imaginem transformatur Chriſti; non quidem eſſentialiter quaſi eſſentia noſtra in eſſentiam Chriſti, vel in eſſe ideale divinum tranſeat, ut falſo dixerunt fanatici; ſed accidentaliter; ut ſcilicet quaſi per reflexionem radiorum lucis Chriſti, quaſi ſpeculi in nos, fiat lucida fidei, ſpei, & gratiæ Chriſti conſors facta divinæ naturæ: & ſic de claritate, ſcilicet de gradu contemplationis inferiori in altiorem, & altiorem gradum uſque ad claritatem viſionis beatæ aſcendit. O felix anima, quæ ad tam altum ſtatum à Deo feliciter ſublimatur, nam in terris degens, vivit vita cæleſti. *Op.de 7.itin.ætern. itin.2.d.7.& itin.3. d.3.& itin. 5.d.4. & de 7.grad. contemplat. medit. c.53. ſer.10.11.& 12. Hexam in ſap.c.4.l.3. d.14.a.1. qu.3.in Luc. c.3.in fin. v.31.ſerm.4. Dom.22.Pent. ſer.2.de S.Clara in addit.*

CAPUT IV.

In hoc capite Apoſtolus ex ſui exemplo tradit modum, quo prædicandum eſt Evangelium, & deinde multa patiens, proteſtatur ſe ſemper mortificationem Ieſu circumferre in corpore propter ſpem melioris vitæ; eo quod omnis iſta tribulatio momentanea eſt & levis in compa-ratione æternæ gloriæ.

187. *Impii ſponte ſibi eligunt pro Deo diabolum, qui eos poſtea torquet, & excæcat.*

DEus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti. Quis Deus hujus ſæculi? nonne unus Deus Dominus omnium creaturarum, & ſæculorum? Vnus quidem Deus eſt verus: ſed diabolus dicitur Deus alienando, ſcilicet Deus ſæcularium, qui temporalia, & caduca præferunt cœleſtibus, & æternis: hunc enim ſectantur, huic obtemperant impii tamquam Deo ſuo, qui poſtea eos torquet, & excæcat, & infatuat ne videant ſuum ipſorum peſſimum ſtatum. *L. 2. d. 1. p. 1. a. 2. qu. 1. l. 3. d. 19. art. 1. q. 3. in Luc. c. 8. verſ. 35 ſerm. 3. Dom. quinq.*

188. *Qualis zelus, & vita exigatur à Chriſto in Prælatis, & Prædicatoribus, & quid ſit Chriſtum prædicare.*

Non nos metipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum: nos autem ſervos veſtros per Ieſum. Ecce quali modo, & ſpiritu Paulus prædicabat Evangelium, nempe eo modo, quo à Chriſto didicerat; oſtendens quale debeat eſſe miniſterium Prælatorum, & Prædicatorum, qui veluti ſervi à Deo mittuntur ad ſalvandas animas, nempe ut ſervi Chriſti ab ipſo inſtructi, & ſervi auditorum, & ſubditorum in Chriſto; non ſolùm verbo docendo, ſed & exemplo ad exemplar Chriſti. Vicarius enim Chriſti vicem debet gerere Chriſti, in beneplaciti ejus promotione; in poteſtatis ejus auctoritate, & in ſimilitudinis ejus repræſentatione, ſcilicet ut ea, quæ vult promoveat in ſubditis, & ejus auctoritate illa poſſit quæ eis expediunt, & cùm ſe imitabilem illis moribus, & vitâ demonſtret. E contra ille non Chriſtum prædicat, ſed ſeipſum, qui vel ſine debita auctoritate prædicat, vel gloriam propriam quærit, dicendo, & qui malis ſe potius quam Chriſtum ingerit ſubditis imitandum. *Op. de ſex al. Seraph. c. 6. in Luc. c. 9. v. 2.*

189. *Per Chriſtum facta eſt in tenebris lux nos illuminans, & docens abdita Sacræ Scripturæ.*

Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, (id eſt quando in principio mundi dixit fiat lux) ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu. Ecce nova creatio, vel recreatio Mundi facta eſt ad adventum Chriſti in cárnem, nam ſicut in principio Mundi ante omnia creata eſt lux, ut per illam omnia illuceſcerẽt, quæ poſt creata ſunt; ſic & in recreatione Mundi lucem præcedere fecit, ſcilicet Chriſtum, qui eſt lux vera, per quem fidei lux; & notitia myſteriorum Sacræ Scripturæ, quæ prius abſcondita erant, data eſt fidelibus; & per quem Miniſtri Eccleſiæ illuminant Mundum. *Pſal. 118. c. 5. v. 2. & S. Auguſt. Gloſſa. & Patres.*

190. *Evangelica doctrina theſaurus eſt pretioſiſſimus à Chriſto incluſus in vaſis fictilibus, ut facilius effundatur ad homines.*

Unde dicit Apoſtolus, loquens de hac doctrinâ à Chriſto in Mundum expoſita, quod ipſam veluti theſaurum pretioſiſſimum incluſit in vaſis fictilibus; ſcilicet non in Angelis, ſed in hominibus ad prædicationem deſtinatis, qui ſunt vaſa infirma, lutea, & contemptibilia: tum etiam quia eorum prædicatio erat in ſermonibus rudibus, & impolitis, & hoc ut magis eluceſceret virtus Dei: ideo ſubdit Apoſtolus; ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis; tum ut facilius ad homines effunderetur, & ipſam exciperent ad ſalutem ſuam. *In Luc. c. 22. v. 22. Chryſoſt. aliique PP.*

191. *Charitas, & caſtitas virtus angelica, eſt theſaurus pretioſiſſimus incluſus in vaſe fictili.*

Habemus theſaurum in vaſis fictilibus. &c. Quis iſte theſaurus? jam expoſitum eſt litteraliter; ſed myſticè iſte theſaurus eſt charitas, divinaque gratia, & caſtitas, quæ ſunt virtutes angelicæ, & proprię angelorum, quas Chriſtus in ſuis ſervis includit, ut in vaſis fictilibus; & hoc ad mignificandam ſuam divinam virtutem, & magnificentiam; & ut cautiores redderet homines pro cuſtoditione tanti theſauri: ne iſta fragilia vaſa per vitia frangantur. Attendant ad hæc, qui per votum ſe obligarunt ad ſervandam perpetuo caſtitatem. *Op. Diui 111. 4. c. 4.*

192. *Chriſtus theſaurus infinitus intrà nos incluſus, qui noſtra vaſa lutea reddit aurea, & impenetrabilia, & pretioſiſſima.*

Habemus theſaurum in vaſis fictilibus. Nota dictum Apoſtoli: primò dicit quod nos ſumus vaſa fictilia, lutea, fragiliaque: deinde proteſtatur ſe nunquam fractum tribulationibus, perſecutionibus, &c. quomodo ergo potuit reſiſtere tam fragile vas tot fortiſſimis ictibus? Sed attende quid continebat in ſuo vaſe: ſcilicet theſaurum pretioſiſſimum: quis iſte theſaurus? Hic eſt primò doctrina chriſtiana, ſed

magis Chriſtus, qui theſaurus pretioſiſſimus eſt, & rutiſſimus: ergo meritò ſubjungit, ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis, q. d. non miramini, quod iſtud meum vas redditum ſit ſolidum, ſtabile, aureum, & impenetrabile quibuſcumque ictibus adverſariorum, quia hoc factum eſt ex virtute Dei, & non ex nobis, vos igitur ex fictili, virtute hujus theſauri redditur aureum propter refulgentiam charitatis; ſolidum propter conſtantiam imitatis, nulli afflictioni cedens: omni lapide pretioſo ornatum propter reſplendentiam honeſtatis, mundo mirabiliter fulgendo. Unde licèt in omnibus tribulationem patiamur, tamen non anguſtiamur, & ſuffocamur: aporiamur redditi inopes, & debiles, non tamen deſtituimur, &c. *Ser. 2. in Converſ. S. Pauli. ſer. 5. in Nativ.*

293. *Habens Chriſtum in corde & ſibi præſentem, invincibilis diabolo, mundo, & carni redditur.*

Habemus theſaurum in vaſis fictilibus, ut ſublimitas ſit virtutis Dei, &c. in omnibus tribulationem patimur, &c. Ecce effectus theſauri in vaſe cordis incluſi, habemus theſaurum, ait Apoſtolus, ideſt Chriſtum: quid hinc ſequitur? ut ſublimitas ſit virtutis Dei. Ecce vaſa iſta ſublimata, & munita virtute Dei: unde invincibiles facti ſumus: licet enim tribulationem in omnibus patiamur, aporiemur, depauperemur, perſecutiones patiamur, dejiciamur tamquam vaſa fictilia; tamen ſublevati hac virtute divinâ Chriſti, ejuſque præſentiâ, & igne charitatis decocti, & ſolidati à Deo, invincibiles reddimur. O quam verum, & ex tot munetibus experientia patet. *Serm. 1. in converſ. S. Paul. Op. de Paup. Chriſti q. 1.* Notat autem hinc altiſſimè S. Greg. Niſſen. illud verbum perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur. Quid eſt perſecutionem pati? hoc nomen eſt currentium, & præcurrentium. Vide hîc duos ſimul currentes, ſcilicet virum pium, & tribulationem: ſed cum ille vir tribulationi non cedat, quaſi victor antecedit, & præcurrit, tribulationem à tergo habens ſubſequentem, & poſt eum currentem; & ideo appellatur perſecutio, non conſecutio, quia perſequitur virum pium, ſed eum non aſſequitur: ſicque Sancti per patientiam velociſſimè currunt ad bravium gloriæ; & in perſecutione maxime elucet ſanctorum in currendo vigor, & fortitudo, ſic perbellè, & veriſſimè S. Greg. Niſſ. *In lib. de beatitud. & ad ſenſum S. Bonavent. citat.*

294. *Relinquenti pro Chriſto omnia, nihil ei deeſſe poteſt.*

Habemus theſaurum in vaſis fictilibus, &c. in omnibus aporiamur, ſed non deſtituimur. Quid eſt aporiamur? ideſt pauperes ſumus facti, omnibus rebus deſtituti: ſed non deſtituimur, ideſt non opprimimur; non enim aliquid nobis deeſt neceſſarium? Sed quomodo iſta poſſunt ſimul ſubſiſtere, carere omnibus, & omnibus potiri? ô prodigium virtutis Domini Jeſu Chriſti, & altiſſimæ paupertatis voluntariæ, quæ eſt theſaurus indeficiens: quia Deus pauperibus talibus eſt loco theſauri, & proviſor paſcens, eoſque providens omnibus neceſſariis, ut diſcamus, quod egeſtas in animo patienti, ſapienti, tranquillo, & Chriſtum ſolum loco omnium theſaurorum terrenorum habenti, quietem, ſufficientiam, imo & copiam parit, quia exterior inopia cum interiori ſufficientia non debet reputari pro inopia, ſed opulentia. *In Luc. c. 12. v. 35. op. de paup. Chriſti q. 1.*

295. *Diſcipulatus Chriſti requirit neceſſariò imitationem Chriſti crucifixi, ejuſque perpetuam memoriam.*

Semper mortificationem Jeſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Ecce cauſa, cur in tribulatione Paulus non anguſtiabatur: Hæc eſt, quia mortificationem Jeſu in corpore ſuo circumferebat, ut ſimilis Chriſto crucifixo eſſet. Sed quomodo mortificationem Jeſu, ideſt paſſionem Chriſti circumferebat? Circumferebat primò memoriâ perpetuâ paſſionis Chriſti, quam in corde inſculptam gerebat, & ſimul in brachio per imitationem. Dicitur autem talis paſſio, & mortificatio Jeſu, quia illius exemplo toleratur, & quia pro ejus fide, & Evangelio ſubitur, & quia ipſius Chriſti paſſionem per repræſentationem, & imitationem, ut inſigne, & ſtigmata Domini geſtabat, ut verus Chriſti diſcipulus, quod dicitur ad confuſionem noſtram, qui non modo fracturam, mutilationem membrorum, diruptionem oſſium, ſuffoſſionem coſtarum nolumus pati pro Chriſto, ſed nec modicum verbum, imo nec ſignum nobis contrarium. O grandis miſeria, & deflenda chriſtianorum. *Ser. 2. de plur. mart. in Luc. c. 14. 27.*

296. *Per baptiſmum, & pœnitentiam homo traditur per Jeſum in mortem, ut ad vitam reſurgat.*

Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur, ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Quomodo in mortem tradimur etiam viventes, & vivendo? & quomodo vita Jeſu manif. ſtatur in noſtra carne mortali? & non potius in hiſtoriâ Evangelicâ, in qua tota enarratur? Sed attende ad ſublimiſſimum ſenſum Apoſtoli. Primò enim quilibet homo ad baptiſmum, vel ad ſacramentum pœnitentiæ accedens in mortem traditur per Jeſum: quia in his ſacramentis virtute Paſſionis Chriſti ita tradimur in morte originalis peccati, & actualis iniquitatis, ut novitas vitæ Jeſu per partem baptiſmalem, vel pœnitentialem manifeſtetur in carne noſtra mortali. Secundò, quia ſicut in corpore noſtro tribulato, & mortificato repræſentatur mors Chriſti, ita in eodem liberato, ſalvato, & roborato repræſentatur vita, & reſurrectio Chriſti. *Ser. 1. Dom. 2. poſt oct. Epiphan.* Hoc manifeſtiſſimè patet in tot, & tot martyribus, qui moribus, leonibus, feris, cruciibus objecti, toties à Chriſto liberati fuere: ſic & continuâ experientiâ patet in Dei ſervis, qui aliquando in ſtatum veluti deſperatum, & deſtitutum omni auxilio humano, à Deo erepti ſunt. Hoc & voluit dicere David hîc ab Apoſtolo cit. *Pſal. 115. Credidi propter quod locutus ſum.* Credidi ſcilicet Deo, qui mihi promiſerat ſua auxilia, quæ & recepi, *Sic ex S. Doct.*

297. *Hominis exterioris, & interioris deformatio, & renovatio qualiter fiat.*

Sed licèt is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Quid est in homine homo exterior, & interior? Ergone duplex homo omnis homo, cum sit unus, & unicum individuum? Huic textui duplicem responsionem dant sancti Doctores. Prima est, quod pro homine exteriori intelligatur corpus, quod est subjectum morti, corruptioni, & incinerationi; pro interiori ipsa anima, quæ est immortalis, & incorruptibilis; & hæc capax est renovationis. Secunda responsio est magis apposita litteræ, quod exterior homo dicitur hîc non ipsum corpus præcisè, sed corpus cum viribus animæ, per quas habet his sensibus intendere, & in eis inhærere; & ideo secundum, quod homo habet converti ad hæc sensualia, sic habet suas potentias sensibiles, motivas, & appetitivas, secundum quas etiam convertitur liberum arbitrium ad ista sensualia, & brutalia: hinc est, quod operando secundum inclinationem sensualitatis, similis fit homo jumentis insipientibus. Et hinc inferunt multi Philosophi, & Theologi, & est sententia etiàm Seraph. Doct. quod cum anima rationalis sit etiam simul sensitiva, etiam habet in se radium sensus, & sensationis. v.g. tactus, ut calorem, ignem, ustionem ejusque dolorem sentiat: quam sensationem exercere naturaliter tantum potest in corpore, & per corpus: sed tamen supernaturaliter Deus potest in animâ separatâ hunc sensum & sensationem exercere, ob radicem, & inchoationem ipsius, quam habet in se anima: & hoc quia potest Deus in ipsa imprimere istas sensationes per potentiam obedientialem: Et hinc faciliter explicatur quomodo ignis materialis potest agere in animam spiritualem; & quomodo oculo corporeo concessum fuerit aliquando videre valde remota, vel per murum ea quæ in cubiculo clauso geruntur, ut evenit multis sanctis: tunc enim Deus supplevit præsentiam, & approximationem objecti: & hæc dicta sunt quasi per transennam, & incidenter. Interior verò homo est ipse spiritus rationalis occupatus circa cælestia: cum enim potentias animæ convertit ad spiritualia, tunc insimul collectæ, unum posse perfectum animæ constituunt, & quædam potestas resultat interioris hominis regitiva, quæ vocatur liberi arbitrii libertas, in qua consistit meritum, & laus & vituperium; & hæc est renovatio, de qua loquitur hîc Apostolus. *L.* 2. *d.* 24. *p.* 2. *dub.* 3. *& op. de profec. religios. l.* 1. *c.* 4.

298. *Quænam sit vetustas, & renovatio hominis: ubi de effectibus peccati, & gratiæ divinæ.*

Sed licèt is qui foris est noster homo corrumpatur; tamen is qui intus est renovatur de die in diem. In his verbis exprimit Apostolus statum hominis in peccato, & per peccatum deformati, & statum ipsius jam per gratiam reformati, & renovati; modumque talis renovationis. Dicit autem, quod is qui foris est homo noster corrumpitur. Quid est quod corrumpitur? corrumpitur corpus, non anima: sed tamen appellat hîc corruptionem non solius corporis, sed totius hominis, vetustatem & infirmitatem, quam incurrit homo per peccatum. Cum enim homo formatus fuisset integer à Deo, perfectus, & totus ordinatus in suis potentiis in ordine ad Deum, peccando totus deordinatus remansit, & cum animæ potentiis, quæ datæ ei fuerant ad summum bonum agnoscendum, appetendum, & fruendum, deordinatæ sunt, & quasi subversæ non autem subtractæ, sed fœdatæ, & perverso modo se habentes, & homo veluti organum confractum remansit: Et cum idem eveniat ex peccato actuali: hinc & oritur difficultas ad bonum, quæ dicitur vetustas. qua anima jam à Deo separata, jam inveterata est, & tota deordinata: oritur & pronitas ad malum, quæ dicitur infirmitas spiritualis; & ob id omne peccatum injustitia ob deordinationem, dicitur mors ob separationem à Deo verâ vitâ: dicitur & vetustas, & simul infirmitas; & totum hoc in textu dicitur homo qui foris est subjectus corruptioni, morti, & omni malo. Renovatur intus tali pacto: Anima enim in adventu gratiæ, & ex susceptione virtutum, quæ in ea infunduntur, ordinantium universas potentias, justificatur, & ulterius sanatur per gratiam sacramentorum, & renovatur per bonum exercitium, & fit semper ad bonum habilior; sicque de die in diem fit ista renovatio. *L.* 4. *d.* 17. *p.* 1. *dub.* 4. *op. de prof. religios. l.* 2. *c.* 4. *seq. ad c.* 8. *Psal.* 40.

299. *Renovationis supradictæ modus traditur: ubi de perfectione gradatim acquirenda.*

Et renovatur de die in diem. Ut autem intelligatur in quo consistat hæc renovatio; sciendum, quod animæ datæ sunt tres potentiæ, ratio, memoria, & voluntas: ratio ut Deum agnosceret: voluntas, ut eum amaret: memoria ut in eo quiesceret: sed per peccatum ratio cæca facta est, voluntas curva, & fœda, memoria instabilis, & vaga. Ratio sæpius recipit falsum pro vero: voluntas eligit deterius pro bono; memoria se occupat in illis, quibus semper inquietatur, quia unum, & summum bonum deseruit, in quo omnia poterat habere. Conversa verò ad Deum, incipit quærere quod perdidit, & videns se deformatam ab eo, quod facta fuerat à Deo, laborat ut ad pristinum statum reparetur, & ad decorem, quem amiserat reformetur: quia non est ei accessus ad Deum propter dissimilitudinem in se factam: sed quia non potest repente ad summum pervenire, studet paulatim acquirere renovationem de die in diem, & hoc accedendo de infirmo gradu ad medium, & de medio ad summum. Reformationis autem rationis, tres gradus assignantur. Primo initium, & consistit in credendo, quæ dictat nobis fides à Deo infusa in intellectu, ut ab omni errore purgaretur: medium sui profectus est intelligentia rationum fidei ex illuminatione divina: videt enim anima nihil rationabilius esse, quam fides christiana, cui omnis natura attestatur, & omnis sapientia famulatur: summum verò, & perfectio rationis in hac vita est per mentis excessum, relictis omnibus creatis supra se rapi, & in contemplatione purissimâ

mentis intelligentiâ Deum videre. Renovationis verò voluntatis initium eſt, cum prius curva, & diſtorta eſſet, adverſa à Deo, nunc converſa cogat ſe concordare cum Deo, & ex bonæ voluntatis aſſenſu, vitiis reſiſtere, & motus rebelles per ſtudium boni operis ad rectitudinem reflectere, divinæ voluntatis medium, ſeu profectus eſt omnes affectiones benè ordinatas habere & in virtutes formatas ſine rebellione, ſeu coactione ſe exercere; ut jam non libeat, niſi quod eſt ſecundum voluntatem Dei: ſummum, ſeu perfectio voluntatis eſt unum cum Deo eſſe in ſpiritu per amorem. Renovationis verò memoriæ initium eſt mentem ab evagatione ſuâ ad memoriam Dei cum labore reducere, orando, legendo, recolendo, & ſancte cogitando, medium & profectus eſt bonis meditationibus ſine importuna evagatione poſſe intentum eſſe & in latitudine cordis ſecum deambulare: ſummum & perfectio ejus eſt abſorptum ita eſſe in Deum per mentis exceſſum, ut etiam ſui ipſius, & omnium quæ ſunt obliviſcatur homo; & in ſolo Deo abſque omni ſtrepitu volubilium cogitationum & imaginationum ſuavior quieſcat, iſti igitur ſunt fines humanæ perfectionis, & profectus, & initia, ad quæ omne ſpirituale ſtudium debet ordinari & ideo qui in iſta viâ non ambulat eſt ſicut qui neſcit quo vadit, vagus & errabundus ad intentum finem accedens. *Op. de prof. religioſ. l.1. c.4.ad 7.*

300. *Religioſi novitii quali ordine reformandi.*

Sed licèt is qui foris eſt noſter homo corrumpatur: tamen is qui intus eſt renovatur de die in diem. Hoc attendant magiſtri religioſi in educatione novitiorum. Ita enim debent incumbere in inſtructione ipſorum circa corporales, & exteriores actus, quod prius curare debeant renovationem, & reformationem interiorem hominis in intellectu per actus fidei, in voluntate per amorem, & in memoriâ per quietem in Deum; & hac reformatione inchoatâ, poſtea ordinent actus, & cetemonias exteriores, ut rectè, & ritè fiant; ſed tamen, ut pro fine præfigant ſemper renovationem hominis interioris, ad quam omnia externa in religione ordinata ſunt à Spiritu Sancto. Hinc patet quam inordinatè procedant qui prius & principaliter ad ceremonias exteriores ſe applicant interioribus poſtpoſitis. *Op. de profect. religioſ. l.1. c.4.ad 7.in Luc.c.5.in fin.& op. regul.novit. præfat.*

301. *Juſti Deum amantes deſpiciunt decorem extrinſecum, & æſtimant intrinſecum: mundani è contra.*

Sed licèt is qui foris eſt noſter homo corrumpatur: tamen qui intus eſt &c. Ecce diſcrimen inter mundanos, & ſpirituales: nam mundani ſuper omnia æſtimant decorem extrinſecum, vanum & fallacem: Deum amantes è contra æſtimant interiorem, ex quo ſequitur, quod id quod videtur deforis contemptibile, eis fiat decorum, & honorabile. *L.4.d.4.p.1.a.1.qu.1.*

302. *Pretium immenſum gloriæ mereri poteſt homo levi, & parvo pretio: & cur dicantur iſta tribulationes leves.*

Id enim, quod in præſenti momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Nota verba, ſigna myſteria verborum Apoſtoli; dicit enim quod tribulationes noſtræ hujus vitæ ſunt leves: Et quomodo leves, cum ſint aſperrimæ, & ſæpe longiſſimæ, & graviſſimæ? Non dicuntur leves in ſe ſed tantum in comparatione: primò inquam leves ſunt ſanctis eas patientibus in comparatione ſuæ æſtimationis; quia non amanti graves ſunt, amanti leves: Secundò in comparatione paſſionis Chriſti, qui tot, & talia pro nobis paſſus eſt. Tertiò in comparatione æternæ afflictionis. Quartò in comparatione debiti, & obligationis; ideſt pœnæ debitæ propter dimiſſa peccata, & obligationis propter commiſſa. Quintò in comparatione futuræ mercedis: imo ſunt leves etiam in ſe, eo quod ſunt tranſitoriæ, affligentes modico tempore: ſunt breves, quia ad modicum durabiles, ideoque incommenſurabiles æternæ gloriæ: ergo parvo pretio poſſumus mereari pondus maximum æternæ gloriæ. Notâ autem quod perbellè Apoſtolus facit pulchram antitheſim, opponens momentaneo æternum, levi pondus, in præſenti ſublimitatem, tribulationi quietem, & gloriam; & ut oſtenderet hanc gloriam per ſpem poſſe haberi in hac vitâ, dixit æternum gloriæ pondus operatur; non dixit remunerabitur, vel operabitur, ſed operatur in nobis de præſenti; quia latet gloria & abſcondita eſt in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus ſublime; & ſupramodum, ſicut meſſis latet in ſemine, *In ſap. c.3. in Luc.c.18.v.30.op.medit c.36. Comp. Theol.l.6.c 21. ſer.3.in Purific.& 1.decoll. S.Joan. Bap.in addit. ſer.1. Dom.4. Paſchæ ſer.18. Hexam.ſerm.4.in die Cinerum.*

303. *Intuitio in Deum opera noſtra de ſe levia ſublevat ad pondus gloriæ proportionatum.*

Quod in præſenti momentaneum eſt, & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Quid eſt ſupra modum in ſublimitate? ad qualem ſublimitatem tam excedentem elevantur tribulationes noſtræ; & quomodo æternum gloriæ pondus operantur in nobis etiam in hac vitâ degentibus? O attende chriſtiane gratiæ divinæ effectus mirabiles, & virtutem rectæ intentionis in Deum! dat per hoc intelligere, quod licet noſtræ actiones, & paſſiones, & opera noſtra conſiderata ſecundum eſſe naturæ, & ſecundùm ſe ſint leviſſima, & improportionata ad gloriam, ſunt terrena, caduca, & veluti nihilum: tamen ſi eleventur per gratiam, & ordinentur in Deum, tunc virtute gratiæ, & hujus directionis in ultimum finem æternum gloriæ pondus operantur in nobis, & meritoria fiunt, & proportionata, & condigna æternæ gloriæ; quodque verificatur non ſolùm de operibus bonis ſecundum ſe, ſed & de operibus indifferentibus capacibus directione, & ordinatione in Deum. Sicut enim vas

plenum

plenum aquâ exiſtens in ipſa aquâ non gravitat, quia elementa in proprio centro non gravitant; elevatum tamen in aërem tunc gravitat: ſic iſta opera terrena, & indifferentia ſi per ſe ut talia conſiderantur levia ſunt, & veluti nihilum æſtimanda; ſed elevata, & ordinata in Deum, facta ex imperio charitatis, & gratiæ, tunc ponderoſa fiunt, & condigna gloriâ cæleſti. *Sic ex S. Bon. loc.ſeq.cit.vide l.2.d.40. per tot.op. de ſex alis Cherub.in Luc.c.11.v.31.& c.14.v.13.*

304. *Mundani in his viſibilibus veluti in theſauro cor affigunt: Juſti Deum amantes in inviſibilibus bonis.*

Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna ſunt. Nota, quod Apoſtolus poſtquam expreſſit mirabiles effectus gratiæ, & charitatis exiſtentis in animâ, & elevantis omnia opera ad pondus gloriæ: nunc oſtendit in quibuſnam id fiat: ſcilicet hoc prodigium fit in iis, qui contemptis hiſce temporalibus, & bonis viſibilibus, per fidem, & ſpem elevantur ad contemplationem inviſibilium bonorum, in quibus veluti in theſauro pretioſiſſimo cor ſuum affigunt; & ad ipſum totam ſuam cordis intentionem convertunt. Non ſic verò illi, qui ad iſta temporalia veluti bruta ſe convertunt, & corde in ipſis defixo vivunt: & cum omnia iſta ſint caduca, vana tranſitoria, ideo nec ſatiare poſſunt animam, imo inquietudinem, anxietates, & dolores perpetuò afferunt. Ad Cœlum igitur adſpiciamus: levemus capita noſtra ad bona inviſibilia, & expectemus redemptionem noſtram; reſpicite, & levate capita veſtra, ait Chriſtus, quoniam appropinquat redemptio veſtra. *In Eccleſ.proœm.in Luc.c.10.v.43. c.12.v.15.& 34.c.21.v.5.& 28.*

CAPUT V.

In hoc capite Apoſtolus proſequitur eandem ferè materiam; ſcilicet in ordine ad futuram gloriam; ad quam & nos ejus exemplo ſuſpirare debemus ex hoc exilio; & ordinare omnia opera noſtra ad Chriſti beneplatitum, & amorem.

305. *Domus animæ in hac vitâ eſt corpus: in aliâ vel Cœlum, vel infernus.*

Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis. Ecce quomodo Apoſtolus excitare nos quærit ad adſpirandum ad poſſeſſionem patriæ noſtræ, dans intelligere, quod licèt in hac vitâ animæ domus ſit hoc corpus noſtrum, tamen cum ſit corruptibile, ipſa veluti veſte lacerâ debemus neceſſario exui, & ob id non affigere cor noſtrum in his terrenis rebus, ne ſimus in numero eorum, de quibus Job dicebat, quod habitant domos luteas: & quia alia domus in æternum à nobis inhabitanda ſupereſt, ſcilicet vel Cœlum, vel infernus; ideo abjiciamus opera tenebrarum, & iſta terrena, & induamur arma lucis, ut ad illam opulentiſſimam domum cæleſtem pervenire mereamur: ex quo ſequitur, quod mors aliud non eſt, niſi migratio de una domo in aliam. *Ser.1.Omn.Sanct.l.4.d.45.a.1.q.2.ſer.13. Hexam.Pſal.118.c.1.v.1.*

306. *Receptacula animæ pro aliâ vitâ expenduntur.*

Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra &c. Ex hoc textu inſurgit quæſtio an adſint in aliâ vitâ receptacula pro animabus: Cum enim hîc mentionem faciat Apoſtolus ſolùm de dono cæleſti, quæritur, an adſit alia domus pro aliis animabus? Reſpondetur autem, quod opinio, ſeu potius hæreſis fuit Tertul. Græcorum, Armenorum, Lutheri, & Calvini aſſerentium animas poſt ſeparationem à corpore non tranſire ad Cœlum, vel ad infernum, ſed veluti dormire ſub Altari, vel in cadavere uſque ad reſurrectionem. Hoc quidem falſum evincitur ex hoc ipſo textu, & aliis infra adductis ab Apoſtolo: Unde ſecundum omnes Theologos (& ſenſus eſt Eccleſiæ) animæ receptacula poſt hanc vitam, aut ſunt ſecundum merita bona, & ſic eſt Paradiſus & domus cæleſtis: aut propter peccata; & ſic diſtinguitur triplex locus, ſecundum triplex peccati genus: ſcilicet Purgatorius pro peccatis venialibus, vel pro pœna debita mortalibus jam remiſſis quoad culpam, ſed nondum ſoluta. Secundus eſt Lymbus propter originale peccatum purum, & ſolùm. Tertius eſt infernus pro peccato mortali: ſicque triplex domus, locus deputatus, aſſignata eſt peccatis, prima autem in die judicii finem habebit. *l.4.d.45.a.1.qu.2.*

307. *Status hujus vitæ eſt gementium, ſimulque intermiſcentium gaudium, & triſtitiam.*

Quamdiu ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati, eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Vide ex hoc ſenſu, & textu Apoſtoli, quam verum ſit hanc vitam eſſe locum gementium, & triſtitiæ etiam in juſtis. Nota autem, quod dicit nos exiſtere in hoc tabernaculo: quale eſt hoc tabernaculum, niſi vel hæc vita mortalis ad litteram, vel allegoricè Eccleſia, & ſicut tabernaculum, eſt locus militantium, peregrinantium, & vigilantium. Unde in tabernaculis habitant milites viatores & Paſtores: Sic Eccleſia militat in ſæcularibus, peregrinatur in bonis clericis, & religioſis; & vigilat in bonis Prælatis, & Paſtoribus; & in omnibus his ſtatibus adſunt gemitus, & turbationes: nam ſæculares etiam boni, & juſti gemunt ex una parte ſub onere, & ſollicitudine circa res mundanas, & proſpera, & adverſa, ſicut ex alia cupiunt ſuperveſtiri gloriâ in aliâ vitâ. Clerici & religioſi boni gemunt ex incommodis vitæ, ex dilatione patriæ veluti peregrini; gemunt inquam ſub onere hujus carnis

trahentis deorſum, & ſimul ſpiritu levantur ſurſum ex deſiderio cæleſtis patriæ: ſicque ex motibus contrariis gementes vivunt: gemunt & Prælati ſub onere ſollicitudinis circa ſubditorum profectum, & ſimul ſuſpirant ad patriam. Ex quibus patet cauſa, cur videntur etiam ſancti in tempore mortis, vel ex recordatione mortis timere, expaveſcere, gemere, & veluti abhorrere, & pro poſſe fugere mortem: Cum enim puncto mortis ſe appropinquare conſpiciunt. & naturæ ſuæ infirmitate concutiuntur, & ſpei ſuæ ſoliditate roborantur, & de vicina morte trepidant, etiamſi ex alia parte ex ſpe vicinæ gloriæ ſimul exultant. Ad regnum quippe non poteſt homo niſi interpoſita morte tranſire: & idcirco confidendo quaſi ambigi & quaſi ambigendo confidit, & gaudens metuit, & metuens gaudet. Sic cum *S. Gregor. 2 p. diſcurrit S. Bona. ſer. 3. de dedicat. l. 3. d. 17. dub. 1.*

308. *Meritum juſtorum non tollitur ex trepidatione, & voluntatis adverſione ad mortem ſubeundam.*

Ingemiſcimus gravati in hoc tabernaculo: eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt à vita. &c. Nota, quod bis repetit Apoſtolus hoc: nempe hanc averſionem, & metum mortis, qui occupat etiam ſanctos; ut doceat, quod metus iſte non tollit, imo potius auget meritum; eo quod in carne noſtra eſt duo reperire, ſcilicet ipſam naturam, & infirmitatem agravantem animam, & ſimul rationem, & portionem ſuperiorem animæ: vult enim juſtos fugere mortem voluntate conditionali reſpiciente naturam mortem abhorrentem, ſed voluntate abſolutâ cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: & ſic talibus motibus veluti contrariis non tollitur meritum, ſed potius augetur. *L. 3. d. 17. dub. 1. In Luc. c. 12. v. 4.*

309. *Juſtis datur Spiritus ſanctus in pignus hæreditatis cæleſtis.*

Qui ſumus in hoc tabernaculo ingemiſcimus gravati: eo quod nolumus expoliari; ſed ſuperveſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt à vitâ qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus: qui dedit nobis pignus ſpiritus. Ecce quanta, & qualis eſt pietas Dei noſtri in nos degentes, & viventes in hac vitâ miſerabili, onerati pondere corporis corruptibilis, ob quod gravati, naturaliter abhorremus mortem: nam ad tollendas iſtas anxietates, effecit nos ad hoc, ut ad beatitudinem tandem perveniamus; & ut ad ipſam ſolam adſpiceremus; & hanc vitam corruptibilem contemnamus, & ut corpus noſtrum mortificemus: ipſumque & morti, & tormentis, & omnibus pœnis exponamus pro adipiſcenda beata vitâ, dedit nobis pignus cæleſtis gloriæ: Et quale eſt hoc pignus? Pignus hoc eſt Spiritus ſanctus, quem communicat animæ cum gratiâ, & charitate, aliiſque virtutibus ad ipſam ſanctificandam, & excitandam ad ſpem æternæ gloriæ, quaſi nos hoc pignore certos faciens de ipſa; ſi pergamus ut filii Dei morigeri ipſum Deum Patrem invocare eique obedire. *Op. Comp. Theol. l. 1. c. 9. in Luc. c. 12. v. 4 op. de prof. religioſ. l. 2. c. 61. medit. c. 98.*

310. *Peregrinatio noſtra huius vitæ tendentia ad patriam expenditur.*

Scientes quoniam dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino, (per fidem enim ambulamus, & non per ſpem) audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Et ideo contendimus, ſive abſentes, ſive præſentes placere ei. In his verbis Apoſtolus nos in hac vitâ peregrinos declarat: ſcilicet peregrinos dum vitam degimus in domo terreſtri corporis, & dum anima à corpore ſeparatur, quæ veluti peregrina in aliam regionem, & orbem peregrè vadit ad Deum. Hanc igitur peregrinationem noſtram nobis inculcans Apoſtolus, intendit nos excitare ad deſiderium patriæ cæleſtis. En hoc quod dum peregrinamur in hoc corpore, ſemper in periculo ſumus expoſiti, ut cadamus; quia & ſi voluntatis intentio utcumque Deo adhæreat, affectus tamen ſæpius hinc inde diſtrahitur, memoria multis aliis occupatur; & intelligentia cæcutiens ipſam veritatis lucem non intuetur & ex his fit, quod aliquando in inferioribus iſtis impellimur, ut cadamus, niſi à Deo ſuſtentemur: nihil enim averti à Deo, non eſt peregrinantium, ſed pervenientium: ideo anima hæc cognoſcens orat inceſſanter ad Deum: adveniat regnum tuum; ac ſi dicat: pondere peccati, & corpore peregrinari non valemus ad illud citius volare: adveniat igitur regnum tuum, & nos celeriter hinc aſſumas, ut ab iſtâ miſeria liberemur: interim in nobis operare tibi regnum per pignus ſpiritus, ſcilicet in juſtitiâ, pace, & gaudia Spiritus ſancti. O felix deſiderium, & adſpiratio Deum diligentium. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 61. medit. c. 98. in Luc. c. 24. v. 18. in Eccleſ. cap. 7. in princip.*

311. *Viſio Dei qualis nobis in hac vita detur; & qualis in patria: ubi de effectibus fidei.*

Scientes quoniam dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem. Nota, quod in his verbis Apoſtolus duplicem viſionem Dei aſſignat animæ, alteram propriam hujus vitæ, alteram propriam alterius beatæ. In hac vitâ enim dum peregrinamur à Domino, ideſt abſentes ſumus à viſione clara Dei, videmus non per ſpeciem; ſed per fidem, hæc enim eſt omnium illuminationum ſupernaturalium fundamentum ſtabiliens, & lucerna dirigens, & janua introducens: ſecundùm cujus menſuram etiam neceſſe eſt menſurari ſapientiam de Deo, & Domino Jeſu Chriſto nobis divinitus datam. In aliâ vitâ verò videtur Deus per ſpeciem (nota quod hîc per ſpeciem non intelligit intentionalem, uti eſt illa, quæ v.g. impreſſa in oculo videmus colorem in pariete) ſed ipſam naturam, & pulchritudinem Dei in ſe à beato viſam, & contemplatam facie ad faciem. *Op. Brevil. in proœm. l. 9. d. 3. p. 1. a. 1. per tot. l. 3. d. 35. a. 1. q. 1. ad 5. & l. 2. d. 10. a. 3. q. 2.*

312. *Exercitium præsentiæ Dei in hac vitâ aliqualem beatitudinem nobis confert.*

Et ideo contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi. Contendimus inquit Apostolus, dum sumus in hac vitâ placere Deo, sive absentes, sive præsentes. Quomodo absentes, si Deus semper nobis est præsens? sed attende, quod hîc exprimit duplicem statum nostrum, scilicet viatorum, & comprehensorum; isti sunt Deo præsentes, videntes facie ad faciem Deum, simulque absentes à corpore: illi sunt præsentes corpori, sed absentes à Deo, quoad visionem claram, non tamen quoad visionem per fidem; hocque fit per exercitium divinæ præsentiæ, per continuum studium Deo placendi in omni actione, vel locutione, ut semper quasi in ejus præsentiâ caveat homo fidelis unde ei displiceat, si fortè fecerit, & studeat in quo, & qualiter ei possit magis placere & hæc est beatitudo propria viatorum, ad quam debet homo tendere semper ferens præsentiam Dei, vel actualem, vel habitualem. *Op. de sex alis Seraph. c. 8. de prof. religios. l. 2. c. 62.*

313. *Ad Christi tribunal omnia nostra opera manifestanda: ideo in hac vitâ studere debemus ipsi placere, ipsumque præsentem in omnibus habere.*

Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque opera corporis pro ut gessit sive bonum, sive malum. Ecce ratio quare Deo placere contendere debemus, quare ipsum præsentem per cognitionem, & amorem habere debemus: quia omnia nostra videt, quæ facimus: & quia omnia & bona, & mala præsentanda sunt in judicio coram Christo: Et ideo debet homo se gerere quasi in proximo sit tribunali summi judicis præsentandus: & cum omnia videat, & non obliviscatur bonorum operum ad præmiandum ex diuturnitate temporis, sic nec malorum ad puniendum, nisi per pœnitentiam diluantur. Nota autem, quod dicit propria, & propria corporis: propria idest non aliena, & aliorum merita, vel demerita: quia nihil aliud potest nos liberare à damnatione, nisi opera nostra: dicit propria corporis; scilicet quæ gessit anima in corpore, & per corpus: frustra ergo sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore parare neglexit: & ideo oportet non solùm animam, sed & corpus recipere quæ gessit. *Op. de sex alis Seraph. c. 8. Comp. Theol. l. 7. cap. 17. Diat. tit. 10. c. 6. l. 4. d. 47. a. 1. qu. 3. in Luc. c. 19. v. 15. in Ioan. c. 5. v. 24. ser. 1. in decol. S. Ioan. in addit.*

314. *Insania amoris divini sanctæ expenditur: & ad Prædicatores, & Pastores applicatur.*

Sive enim mente excedimus Deo; sive sobrii sumus vobis. Charitas enim Christi urget nos. Ecce qualis insaniæ excessus rapuit Paulum; nempe zelus charitatis, & amoris in Deum; ob quem sui oblitus, solum ad salutem animarum propter Deum attendebat, & omnia sua; omnes suos sermones, omnes correctiones, omniaque ad hoc dirigebat. Et hæc est insania sancta, quam adfert secum excessus amoris Dei, ob quem etiam animarum salutem zelantes, totum suum conatum, etiam ad inimicorum, & persequentium salutem inhiant. Talis esse debet zelus prædicatorum, & Pastorum. *Psalm. 77. opusc. apol. paup. p. 1. c. 3. mystic. Theol. cap. 3. p. 4. in Luc. cap. 9. vers. 55.*

315. *Christi humanitatis contemplatio ad divinitatem conducere debet.*

Christus pro omnibus mortuus est &c. & resurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem, & si cognovimus secundum carnem Christum: sed nunc jam non novimus. Ex hoc textu hæretici vel negant Christum habuisse veram carnem; vel rejiciunt adorationem imaginum Christi repræsentantem ipsum in carnem: At pessimè hoc inferunt, mens enim Apostoli est indicare cognitionem quam habebat de morte, & humanitate Christi, esse illi veluti scalam ascendendi ad contemplationem divinitatis. Visio enim, & cognitio operum Christi, ut hominis debent nobis inservire non ut finem nostrum præfigamus in eo, sed ut ad cognitionem, & amorem divinitatis transeamus. Mysticè autem dat intelligere, quod nemo poterit ascendere ad unionem mysticam cum Deo, nisi relinquat omnem carnalitatem, & omnia creata, ut per ipsa, & post ipsa transeat ad Deum. *In Luc. c. 24. v. 3. in Ioan. c. 1. v. 19.*

316. *Per Christum omnia vetera transierunt; & omnis homo ad innovationem, & novitatem vocatur.* Unde dicit Apostolus: *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova.* Nam adveniente Christo in Mundum per conceptionem in utero Mariæ: per prædicationem evangelii, per operationem miraculorum: & tandem per resurrectionem omnia innovata sunt: Unde cum ista mysteria proponantur, & celebrantur in Ecclesia, tunc repetitur eadem renovatio ex parte Christi, ut excitentur fideles ad deponendam vetustatem peccati, & ad renovandam animam per gratiæ vestem auream, & per bona opera. *Psal. 32. in sap. c. 7.*

317. *Christus in hac vitâ, & maximè in patibulo crucis, ut Summus Sacerdos, & mediator interpellabat pro nobis; quod & incessanter facit nunc in Cælo & per se, & per sacerdotes.*

Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis. Restringit Apostolus in his verbis totum mysterium reparationis nostræ factæ per Christum: & primò dicit, quod ista fuit tota ex Deo, scilicet ex divinâ donatione, & gratiâ: in cujus intuitu misit filium in Mundum tamquam mediatorem inter Deum, & hominem: medium enim fuit primò inter hominem, & divinam naturam, in quantum est una persona in utraque Secundò medium est inter Deum & homines secundum humanitatem, unitam tamen divinitati; in quantum assumpsit mortalitatem simul & beatitudi-

nem : mortalitatem in quantum communicat cum hominibus, beatitudinem in quantum communicat cum Deo : ſicque ſecundùm humanam naturam habentem diverſas proprietates, per quas communicabat cum Deo, & cum homine, reconcilians hominem cum Deo : habebat enim juſtitiam, & innocentiam cum Deo communicantem & mortalitatem communicantem cum homine : ſicque dum mors conjuncta eſt juſtitiæ, in eodem confœderatur homo peccator, & mortalis Deo juſto, & immortali : & cum natura humana in Chriſto non indigeret reconciliatione, quia Deo ſemper unita : hinc eſt, quod idem officium nunc exercet in Cœlo, & ut efficacius obtineat homo hanc reconciliationem ; miniſtros ſuos in Eccleſia deſtinavit, ut nomine Chriſti exerceant idem munus mediante prædicatione, & confeſſione, & ſacramentorum miniſtratione. Et hinc patet quanta, & qualis ſit pietas Domini Jeſu in nos numquam ceſſans, & per ſe, & per ſuos ab hoc divino munere mediatoris. *L.d.19.a.1.qu.2.In Ioan.c.15.v.18.ſer.2. de Annunciat.in addit.*

318. *Chriſtus mittit legatos in Mundum, ut peccatores reconcilient Deo, & pacem ſtabiliant.*

Poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo. Ecce ad qualem exceſſum pietatis pervenit dulciſſimus Dominus Jeſus Chriſtus : qui non contentus, quod ſe expoſuerit in patibulo crucis mediator noſter ; in Mundum miſit Apoſtolos, & continuè mittit legatos ſuos miniſtros ad hoc, ut pro ipſo offerrent peccatoribus verbum reconciliationis, & pacis : & ut ipſam admitterent, peccatores pro Chriſto rogarent, & humiliter, efficaciterque obſecrarent, ne rejiciant tantam pietatem : Unde cum prædicatores mittuntur ad prædicandum, tunc Chriſtus eſt, qui ipſos veluti ſuos legatos mittit ad hoc, ut totam vim, & efficaciam adhibeant pro ſtabilienda pace inter peccatores, & Deum. Sed tamen advertant iſti legati Chriſti, quod ad hoc miniſterium Chriſti ritè, & perfectè exequendum ; & ut tales acceptentur à Populis, debent muniri ſuas patentes litteras ſigillo Chriſti ſummi Pontificis : ſigilli autem impreſſio eſt paupertas, ſitis, fames, nuditas, crucis ignominia, rerum temporalium abdicatio, amor ardens Dei, zelus animarum, doctrina ſana, vita exemplaris, & charitas. Hujus ſigilli litteræ ſunt, Jeſus Nazarenus Rex Iudæorum. Vide igitur ô Prædicator, ô Paſtor ovium ſi iſta in te ſunt. *Ser 3.Dom.4. Pentec.ſer.3.Dom.8. Pentec. in Ioan. c.10 v.2 ſer.1.Dom.1.poſt oct.Paſchæ ſer.4. Dom.3. quadrag.*

CAPUT VI.

In hoc capite Apoſtolus hortatur ne oblatam gratiam reconciliationis negligant. Secundò docet quales eſſe debeant miniſtri, & præcones Evangelii. Tertiò pandit ſuam charitatem, & amorem in Corinthios. Quartò ſuadet ne commercia habeant cum infidelibus.

319. *Quid ſit gratiam Dei in vacuum recipere.*

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ecce quid exigit Apoſtolus à peccatoribus, imo ab omnibus chriſtianis ſcilicet, ut primo loco curent ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Sed quid eſt in vacuum gratiam Dei recipere ? vacuum, & vanum eſt quod non confert ad plenitudinem continendi : & quod ad finem non pervenit, nec finem includit ad quem eſt. *l.3.d.37. dub.2. in Eccleſ.Proem.op.princip.S.Script.* Igitur in vacuum gratiam Dei recipit, qui cum ea non laborat, nec ei ſuum ſtudium adjungit, quique per deſidiam facit ut, in ſe gratia ſit otioſa, dum eam bonis operibus non ſatagit. Unde ad omnes in quolibet ſtatu diriguntur iſta verba ſive ſæculares, ſive religioſos : & ratio, ob quam gratia Dei in vacuum non eſt recipienda, quia ſolum hoc tempus hujus vitæ acceptabile Deo eſt. *Sic locis cit. ſupra, & infra.ſer.22. Hexam Pſal. 118.c.6.v.11. & Pſal.18.*

320. *Chriſtus ſuo adventu nobis coiſtituit tempus acceptabile, & diem ſalutis.*

Ait enim (ideſt Deus Iſa. 49.) tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Quid, & quale eſt hoc tempus acceptabile, vel placabile, & dies ſalutis ? Hic ad litteram loquitur Apoſtolus de tempore poſt adventum Chriſti in carnem, quod propriè dicitur tempus reconciliationis, & pacis, & appellatus dies ſalutis : quia ſicut dies eſt latio ſolis ſuper terram : ſol autem æternus ſuper terram latus eſt Chriſtus quando in mundum natus eſt, & in crucem expoſitus eſt veluti ſol illuminans mundum, quem diem lucidum reliquit & Mundum, quando aſcendit in Cœlum poſt ſuum occaſum. Hinc ad hoc tempus, & diem gratiæ aſpiciens Apoſtolus, omnibus inſinuat : Ecce nunc, ideſt præſens vita, tempus acceptabile, tempus pœnitentiæ, nunc dies gratiæ in quo pacem cum Deo & cum Angelis, & medelam animabus noſtris poſſumus, ſi volumus invenire. Cave ergo ô Chriſtiane ne invacuum gratiam Dei, & hoc tempus acceptabile recipias. O quam infeſtus eſt diabolus homini in hoc tempore, & tantò vitæ infeſtior, quantò tempus infeſtandi ſuſpicatur brevius. *Ser. 1. Dom. 1. quadrag. ſer.5. Dom.1.Adv.ſer.3.in die Ciner.*

321. *Scandalum omne quam ſollicitè vitandum à miniſtris Eccleſiæ.*

Nemini damus ullam offenſionem (ullum ſcandalum) ut non vituperetur miniſterium noſtrum. Ecce quali cautela debent miniſtri publici Eccleſiæ

eccleſiæ vivere in exemplaritate vitæ : ſcilicet ne vituperetur miniſterium ipſorum, & ne retrahantur homines à viâ ſalutis : quia eorum vita eſt vel ſalus, vel ruina reipublicæ, & animarum. *Op. Confeſſ. c. 3. p. 57.*

322. *Miniſtri Eccleſiaſtici, & maxime Evangelii quales eſſe debeant.*

Exhibeamus nos metipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia &c. Nota, quòd hîc Paulus proponit vivam veri, & genuini Apoſtoli, & doctoris evangelici imaginem, quam omnes Doctores, & Paſtores animarum imitentur, quæ exigitur in hoc, quod ſunt Miniſtri Chriſti : Sicut Dei miniſtros. Iſti enim debent eſſe ordinati, primò in ſeipſis interius per puritatem, & munditiam cordis : ad Deum per intelligentiam in agendis, & per patientiam in adverſis : & in ordine ad proximum per benevolentiam voluntatis, ne ex propoſito aliquem lædat, & beneficium charitatis, ut omnibus pro poſſe ſubveniat. Unde ſubjungit Apoſtolus : in multâ patientiâ, in tribulationibus &c. Et ſic docet, quod Miniſter Chriſti debet eſſe in verbis cautus, in converſatione honeſtus, in charitate purus, in fide firmus, in caſtitate mundus. *Ser. 2. de S. Marco. ſer de S. Elizab. ſer. 2. de Virg. in addit. in Luc. c. 21. v. 36. op. ſpecul. B. V. lect. 11.*

323. *Patientia quam neceſſaria miniſtris, & Prælatis Eccleſiæ.*

In omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros. In quibuſnam exhibendi ſunt miniſtri? Primò dicit in multâ patientiâ. Cur primo loco ponit multam patientiam? cur non potius charitatem, quæ eſt virtus cæteras informans? ſed attende, quod dicit in multa, non unica, nec in una re, ſed in multa; quænam ſunt iſta multa? In omnibus ait : & quæ ſunt iſta omnia? in tribulationibus, ait, in neceſſitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientiâ &c. & per hoc dat intelligere quàm neceſſaria ſit patientia Prælatis Paſtoribus & Prædicatoribus; ut ſicut tectum tabernaculi, ut interiora munda manerent, & nitida, excipiebat pulveres, & imbres, & ventorum impulſus; ita ſuperiores, qui fideliter ſuos ſubditos defendunt à turbine peccati, neceſſe eſt ſæpe diverſarum excipere tempeſtates adverſitatum : ſicut gallina pro pullis ſe objicit milvo, ut eos defendat. Patientiâ igitur eſt ipſis neceſſaria. Primò propter multiplices labores, & curas, & occupationes diverſimodè erumpentes : Secundò pro tardo profectu illorum, in quibus continuè fatigatur. Tertiò pro ingratitudine illorum pro quibus tantâ ſollicitudine laborat : ideo modeſtè, & maturè, & benignè ad ſingula adverſa, & adverſantes reſpondere debet, & impetum fervoris reprimere; ne in voce, aut vultu, ſeu motibus impatientiam oſtendat : quia magis per patientiam proficit, & tandem devincit quos impetuosè agendo amplius provocaret : vix enim commotio commotione ſedatur, & vitium vitio ſanatur : Impatientia enim Prælati confundit quæ promovere poterat bona : alios ſcandalizat; reddit eum aliis & ſubditis contemptibilem; & exoſum, & horrendum : provocat alios ad impatientiam; non audent ei ſubditi aperire neceſſitatem ſuam; replet domum murmure, & rancore : teneros mente fugat, & puſillanimes facit. O quot mala ex impatientia Prælatorum. *V. Op. de ſex alis Seraph. c. 3. ſal. 118. v. 81.*

324. *Caſtitas, & virginitas pura propria eſt Scholæ Jeſu Chriſti, & catholicorum.*

Exhibeamus nos ſicut Dei Miniſtros in multa &c. in caſtitate. Hic Apoſtolus ponit caſtitatem abſolutè, ideſt plenam, & puram : ut ſcilicet miniſtri Eccleſiæ, & veri diſcipuli ſcholæ Chriſti ab omni libidinis uſu abſtineant, & caſtitatem colant, ut fecit Paulus, & Apoſtoli; quia hanc virtutem angelicam magiſter noſter Chriſtus Jeſus de cæleſti ſcholâ ad terras publicè docendo attulit, & matrem ſuam glorioſam Virginem perfectam, & poſt ſe hujus diſciplinæ magiſtram in cathedrâ virginalis munditiæ cæteris ſuis Apoſtolis, & Diſcipulis, religioſiſque mirandam, & imitandam præfecit. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 52.* Hinc patet, quod cum hæretici exiſtiment hanc eſſe impoſſibilem : & per conſequens ſolis catholicis fide verâ, Deique gratiâ præditis eſſe poſſibilem. Et ob id mirum non eſt ſi apud hæreticos non inveniuntur Virgines, & virginum contubernia, nec Monachi, nec monaſteria; imo nec Sacerdotes, nec cælibes Miniſtri à Paulo, & Apoſtolis quaſi ducibus, & magiſtris, imo à Chriſto didicit, & habuit omni ætate Eccleſia Catholica Romana.

325. *Juſtis Deum diligentibus bona, & mala cooperantur in bonum.*

Exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multâ patientiâ per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris, per gloriam, & ignobilitatem &c. Ecce quàm mirabiles effectus gignit in juſtis Dei gratia, & adventus Spiritus Sancti. Vult enim ut ſint veluti mercatores induſtrioſi, qui non in uno foro, vel apotheca omnia ſimul inveniunt, quæ deſiderant, ſed in diverſis diverſa : Ita & Servi Dei non tantum in quiete devotionis, & dulcedine conſolationis ſpiritualis; ſed etiam in labore certaminis, & exercitio bonæ actionis debent quærere ſtudium perfectionis, & merendi occaſionem; & ideo per arma juſtitiæ à dextris per proſperâ, & à ſiniſtris per adverſa pugnant contra hoſtes, ut ſic agiliores, & promptiores fiant ad opera juſtitiæ, & virtutum exercitia : & ſic bona, & mala, mala ſcilicet pœnæ, eis ſemper cooperantur ad profectum, & meritum : & ſic verificatur quod dicitur. *Rom. c. 8. diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 1.*

326. *Scala humilitatis, ejus gradus, latera, ſpatiaque ſervis Dei proponitur.*

Exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multâ patientiâ (ſcilicet fundata in humilitate) in neceſſitatibus &c. Ecce quomodo hic proponitur ſcala

nobiliſſima ſervis, & miniſtris Chriſti, per quam ſecuriſſimè ad ſummum perfectionis poſſunt aſcendere. Hæc ſcala habet duo extrema, imum, vel pedem; eſtque timor Dei; & ſummum, eſtque amor Dei: Duo latera, ſcilicet dextrum & ſiniſtrum: ideſt temperantia in proſperis, & patientia in adverſis habet & ſua ſpatia, ſive gradus, qui hic enumerantur ab Apoſtolo, in neceſſitatibus, in anguſtiis &c. in Spiritu ſancto, in verbo veritatis &c. qui omnes ad tria capita reducuntur: nempe ad contemptum mundi, ad abjectionem humilem ſui, & ad amorem Dei. *Op. Dict. tit. 7. c. 1.*

327. *Bona, & mala, quæ ſunt in hoc mundo, & juſtis offeruntur, decorant Univerſum.*

Per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris: per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam; ut ſeductores, & veraces &c. Vide, quod hic antitheſim bonorum, & malorum proponit Apoſtolus: ut hinc pateat, quod omnia cooperantur in bonum juſtis, ut dictum eſt; & quod decor univerſi ex tali antitheſi magis gluceſcit: mala enim faciunt ad hunc decorem, non ratione ſui, ſed ratione ſubjecti, quod ordinatur in pœnam ad divinæ juſtitiæ manifeſtationem: tum etiam ratione oppoſiti, quia magis eluceſcunt bona, & virtutes ſervorum Dei: tum ratione boni elicitis: multa enim bona Deus fecit, & facta ſunt quæ non eſſent facta, niſi peccatum præceſſiſſet: ſcilicet niſi præſtitiſſet occaſionem, ut patet in peccato Adæ, ob quod Chriſti redemptio per ipſum facta eſt: unde dicit Eccleſia, ô felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit redemptorem: patet & hoc in Apoſtolis, & tot ſanctis martyribus &c. *L. 1. d. 46. qu. ult.*

328. *Chriſtus habet ſuos ſeductores in bonum: diabolus ſuos in malum.*

Ut ſeductores, & veraces. Quomodo ſimul connectit ſeductores, & veraces? ut diſcamus, quod Chriſtus habet ſuos ſeductores, ſed veraces: ideſt ſuos Miniſtros, qui veraci doctrinâ, vitâ ſanctâ, & verbo veritatis ſeducunt, & abſtrahunt à malo ad bonum, & ſalutem homines: ſicut è contra habet ſuos ſeductores & diabolus, ſcilicet falſarios, ſcandaloſos, hæreticos, qui falſitatibus trahunt homines à bono ad malum, & ad perditionem. *Luc. c. 7. v. 13.*

329. *Filius & ſervus Dei caſtigandus, ſed non mortificandus, ideſt morti tradendus oſtenditur.*

Ut caſtigati, & non mortificati: Græcus legit ut correpti, & non occiſi: per hocque dat intelligere Apoſtolus, quod ſicut cum filius peccat, caſtigandus eſt à Patre, & non occidendus: ſic homo peccator à Deo caſtigatur, & à ſeipſo flagello pœnitentiæ, & tentationis; ſed non ad mortem, imo ad vitam, ut amplius mortem peccati eviter. *Op. Dict. append. ad Dom. 1. quadrag. op. de prof. relig. l. 2. c. 1.*

330. *Flagella à Deo ſuis ſervis immiſſa ſunt vel breviſſima, & modica, vel tantùm apparentia.*

Quaſi morientes, & ecce vivimus; ſicut egentes multos autem locupletantes. Nota illam particulam quaſi: cur dicitur quaſi morientes: hoc dicitur, quia flagella Dei ſuis ſervis immiſſa ſunt veluti quaſi, ideſt apparentia, quia brevia, quia modica, quia ad vitam conducunt. *Ioan. Gallat. 73. in ſap. c. 3.*

331. *Divitiæ incomparabiles paupertatis voluntariæ pro Chriſto expenduntur.*

Sicut egentes; multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes: Quomodo poſſunt ſimul ſubſiſtere iſta? egere, & locupletare alios? nihil habere, & omnia poſſidere? ſed in hoc exprimitur fælicitas pauperum Chriſti; qui licèt apparenter ſint pauperes, & nihil terreni habentes; verè tamen ſunt divites, & omnia poſſidentes. Vide quam vera ſit iſta propoſitio. Dives opulentiſſimus verè eſt, qui habet tantum quantum habet Deus: ſed pauper Chriſti omnia relinquens, Deum poſſidet, ergo & omnia ei ſubjecta ſunt. Vide iterum quàm ſit hoc verum: Paupertas voluntaria diſponit ad juſtitiam perfectam, quia mentem facit ad omne bonum diſpoſitam, vel idoneam: ſicut è contra radix omnium malorum eſt avaritia: confer iſta duo oppoſita: ſi volueris videre amantis aurum animam, quemadmodum veſtimentum à decem millibus corrotum vermibus, & nihil habens ſanum, ita invenies perforatam eam undique à ſollicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & erugine plenam; ſed non anima inopis voluntarii eſt talis: quia fulget velut aurum, ſplendet ſicut pretioſa margarita, floreſcit velut roſa vernans: non & illi tinea, non ſollicitudo vitæ hujus negotiorum; ſed ſicut Angelus converſatur; non ſubjacet dæmonibus imò iſti ſubjacent illi, non aſſiſtit regi, ſed Deo, non militat cum hominibus, ſed cum Angelis, non habet pro theſauro terram, ſed Cœlum, non indiget ſervis, magis autem habet ſervos, poſſeſſiones, & cogitationes, quæ rebus omnibus dominantur: quid igitur paupere hoc melius unquam? Non habet pavimentum in terra, ſed Cœlum: ſi autem pavimentum tale eſt, excogita tectum; ſed non habet equos, & currus: quid autem ei opus eſt, qui ſuper nubes vehi debet, & eſſe cum Chriſto? Ergo verum eſt, quod in paupertate voluntaria magna ſufficientia eſt, magna eſt nobilitas, quæ facit tranſcendere cuncta terrena: & hoc mirum non eſt, dum ipſe filius Dei egenus factus fuerit propter nos, ut ad divitias paupertatis nos attraheret. *Op. de paup. Chriſt. qu. 1. a. 1. apolog. paup. reſp. 3. c. 1. ſer. 2. de Cated. Luc. c. 2. v. 8. c. 9. v. 58. c. 11. v. 21. & 32. & c. 18. v. 30.*

332. *Charitatis mirabiles effectus in ordine ad Deum, & proximum expenduntur.*

Os noſtrum patet ad vos ô Corinthii. Cor noſtrum dilatatum eſt non anguſtiamini in nobis: anguſtiamini autem in viſceribus veſtris, &c. tamquam filiis dico dilatamini & vos. Ecce quales mirabiles effectus charitatis Apoſtoli ad Deum, & ad proximum

proximum : Dum enim Corinthiis aperit cor ſuum oſtendens amorem, & charitatem ſuam ardentiſſimam in eos ; prætendit tali diffuſione eos veluti arctare, & trahere ad ſe, & ad Dei amorem : Charitas enim coarctat per violentiam attractivam ; cum poterit attrahere Deum in terram : dilatat & cor ad proximum per benevolentiam diffuſivam ; elevat per adhærentiam exceſſivam : & inclinat per condeſcentiam dignativam. *In Luc.c.*12.*v.*51. Nota etiam, quod dum Paulus dicit cor ſuum dilatatum, invitans iſtos ad eandem dilatationem, dat intelligere, quod per fidem, ſpem, & charitatem fit dilatatio Eccleſiæ non numero, ſed merito. *Pſal.*79.

333. *Chriſti, & diaboli contrarietas expenditur & an diabolus ſemper peccet ?*

Nolite jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate : quæ convenio Chriſti ad Belial. Hic Apoſtolus ſuadere contendit Corinthios ut non cum infidelibus commercium habeant ; eo quod diabolus & Chriſtus ſimul commorare non poſſunt : & ob id nec infidelitas cum fide vera : nec mali cum bonis : nec juſtitia cum iniquitate. Ratio autem cur diabolus, & Chriſtus ſimul convenire non poſſunt, eſt, quia Chriſtus omnia benè, ſanctè, & optimè facit : diabolus omnia malè, & mala intentione : unde diabolus ſemper Chriſti præſentiam abhotret. Hinc etiam infertur, quod quærens auxilium, vel conſilium, vel commercium cum diabolo ſemper graviter peccat ; cum ſit reciſus ab Eccleſiâ, & à Chriſto : nec in hoc datur vel paucitas materiæ, nec excuſatio, niſi forſan in caſu, quo Chriſti miniſter ipſum ſuæ poteſtati ſubjicit ad ipſius confuſionem, & ad majorem magnificentiam fidei, & gloriæ Chriſti : ſed voluntario commercio numquam licet. *L.*2.*d.*7. *p.*1.*a.*2 *qu.*3. *In Luc.c.*4.*v.*34.*c.*8.*v* 18.*c.*9. *v.*42. Hic vero diſquiritur an diabolus ſemper in ſuis actibus peccet ? Reſpondetur, quod diabolus ſemper in iis actibus peccat, qui ſuæ voluntati ſubſunt : ejus enim voluntas quantum ad deformitatem, quantum ad pronitatem, & quantum ad actualitatem ſemper converſa eſt ad malum ; & licet quoad actualitatem interveniat variatio ; tamen iſta eſt in ordine ad multiplicationem plurium generum peccati : modo enim peccat ſuperbiâ, modo invidiâ, modo aliis modis, & voluntas ejus numquam requieſcit, quia numquam laſſatur, & ſemper in ea regnat perverſitas, & ſemper omnem actum deformat, & depravat : & ſi aliquando videtur dolere de damnatione ſuâ æternâ, id eſt non in ordine ad culpam, in qua ſemper ſtat, & vult ſtare, ſed in ordine ad pœnam : Et ſi dum ab obſeſſione hominum ceſſant, vel ab hominibus ejiciantur, tamen nec iſte exitus eſt in ordine ad voluntatem diaboli, ut bonus, ſed contra ſuam voluntatem, & coactus. *L.*2.*d.*7.*a.*1.*per tot.*

334. *Chriſti amor, & Mundi non poſſunt ſimul cohabitare.*

Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate : quæ ſocietas luci ad tenebras ? Ecce quod hic aperit Apoſtolus arcanum ſcitu neceſſarium à volentibus Deo ſervire, & placere, nempe non poſſe ſimul in eodē templo cordis ſubſiſtere Chriſtū, & diabolum, mundum & carnem, nec amorem Dei cum amore carnali : Nam Chriſtus in cordis templo pingit puritatem, munditiam, ſanctitatem, amorem ſuum : carnalis amor pingit ſuperbiam, invidiam, &c. ergo ſervus Dei totum ſtudium collocet in abſtrahendo à corde quemlibet affectum, & quodlibet peccatum, ſi vult ut in ipſo regnet Chriſtus. *Op. de Prof. religioſ. l.*2. *c.*15. & *c.* 27. *in Luc.c.*11.*v.*23.*c.*15.*v.*13. *ſer.*1. *de Evang.*

335. *Alii templum, & Eccleſiam conſtituunt Dei habitationem ; alii receptaculum idolorum.*

Quis conſenſus templo Dei cum idolis : Ad quid hæc dicit Apoſtolus iſtis fidelibus ? cum iſti Dominum Jeſum Chriſtum vere colerent, rejeciſſentque adorationem idolorum ? ſed attende, quod hic exprimit diſcrimen vere, & ſanctè adorantium Deum in templo, & prophanantium ipſum templum. Templum enim, & Eccleſia ad hoc inſtituta ſunt, ut ibi Deus rectè, & perfectè colatur, ut mancipetur ſanctis operibus, videlicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis decantationi, & dedicationi, & veri ſacrificii oblationi. Sed heu multis dici poteſt illud *Matth.cap.*21. *vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum*, imò idolorum ; quia Eccleſiam malis uſibus, & malis operibus, & prophanationibus deturpant : de quibus Deus conqueritur Hier.*c.*11. quid eſt, quod dilectus meus (ſcilicet chriſtianus) in domo mea fecit ſcelera multa replens eam luxuriâ, comeſſationibus, ſcortationibus, & converſationibus mundanis. O nimis verum & frequens malum inter chriſtianos. *Ser.*1. *dedicat.*

336. *Homo templum eſt vel Dei, vel diaboli, & quid propriè ſit templum.*

Vos enim eſtis templum Dei vivi. Nota hic ; quod templum in hebræo dicit j-chal, ideſt potuit, vel prævaluit : & hechal, ideſt baſilica regia, palatium, in quo Dominus præporentem regem ſe oſtendit, quodque illius majeſtatem, & potentiam oſtentat, tum ædificii apparatu, tum auri copia, tum inſtrumentorum ſuppellectile, numero, pretio, tum miniſtrorum dignitate : unde ſicut Deus ordinaverat Judæis templum magnificentiſſimum, ut ſic fideles his corporalibus magis attraherentur, & allicerentur ad concipiendam, agnoſcendam, & honorandam divinam majeſtatem : ſic Chriſtus ordinavit templa, & Eccleſias cum tantâ magnificentiâ, ut in ipſas, & per ipſas honorarent ipſum Chriſtum, ut in ipſis Deum ; & maximè corpus Chriſti adorarent, & in eis ſe exercerent in laudibus Dei, & oratione. Hinc tropologice Apoſtolus tranſit ab his templis materialibus ad ſpiritualia, quæ ſunt ipſi fideles : ut ipſa ſanctificata per pœnitentiam, puritatem, & ſanctitatem, in ipſis habitaret Deus per gratiam, & oſtenderentur in eis magnifica gratia, magnifica, & honorifica virtutum opera, magnifica ſacramenta, magnifica gloria Dei. Hinc nobis dicit, Vos eſtis templum : q. d. cavete ne templum diaboli evadatis, dando locum peccatis, & ipſi diabolo. *Ser.*1. & 3. *de dedicat.*

337. *Societas malorum quam ſollicitè vitanda.*

Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus (Iſai. 51.) & immundam ne tetigeritis. & ego recipiam vos; & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias. Hic Apoſtolus ſententiâ Iſaiæ Prophetæ, vel ipſius Dei ſuadere nititur Corinthios, ut curent vitare converſationem infidelium. quod ſi hoc facèrent promittit eis divinam peculiarem præſentiam. Tropologice ad nos loquitur, ut quiſquè fidelis curet toto ſtudio malorum ſocietatem evitare, eorumque tactum, ſcilicet converſationem fugere; ne ſibi ipſorum vitia, & improbitates afficeni, & contrahant. Per quod oſtenditur quam periculoſa ſit converſatio cum malis, & quam vitanda ſollicite à bonis: quia fere impoſſibile eſt non infici eorum vitiis. Et è contra quam faciliter puritas conſervetur à bonis ex tali fuga. *Luc.c.12.v.52.c.17.v.3. & v.29. Op. Pharet l.4.c.21.*

CAPUT VII.

In hoc capite Apoſtolus oſtendit amorem, & confidentiam, & ſinceritatem erga Corinthios: item & gaudium de eorum pœnitentiâ & emendatione: deinde dat ſigna vera pœnitentiæ.

338. *Peccatum aliud ſpirituale, aliud carnale.*

HAs igitur habentes promiſſiones (ſcilicet (chriſtianos fore templa Dei, ejuſque filios, & habituros in ſe habitantem Deum) *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Cur hic dicit nos mundandos eſſe ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, ut ſimus filii Dei; ſi omne peccatum oritur ex corde, & voluntate tamquam ex ſuo fonte, & non à carne, vel corpore, quia non eſt peccatum niſi voluntarium: ex corde enim exeunt omnia peccata, ſed tamen optime dicit dans intelligere diviſionem peccati penes objectum: nam aliud verſatur circa objectum carnale, aliud circa ſpirituale; primi generis eſt peccatum gulæ, libidinis, ebrietatis, & ſimilium, quæ tota verſantur circa bonum commutabile inferius. & quæ transformant hominem in beſtiam. Secundi generis ſunt quæ verſantur circa bonum commutabile interius, ſcilicet excellentiam, ubi eſt ira, ſuperbia, invidia, & avaritia, quæ tamen medium tenent inter utraque, quia verſatur circa bonum exterius: & iſta, quæ ſunt peccata ſpiritualia transformant hominem in dæmonem: Diabolus enim his ſpiritualibus peccavit; & ex Angelo in dæmonem transformatus eſt. *l. 2. d.5. a.1. qu.1. op. Brevil p.3.c.9 ſer.1.Dom.3.poſt octa.Epiphan.*

339. *Perfecta ſanctificatio à peccatis carnalibus, & ſpiritualibus à timore Dei inchoanda.*

Perficientes ſanctificationem (ſanctimoniam legit Græcus) *in timore Dei mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus.* Nota hic tria: primum eſt emundatio carnis; ſecundum eſt emundatio ſpiritus; tertium eſt timor Dei: ut videas, quod perfecta ſanctimonia conſiſtit in oblatione duorum minorum, in mortificatione carnis, & ſpiritus, in emundatione à peccatis carnalibus, & ſpiritualibus à ſuperbia, ab iræ ab invidiâ, ab avaritiâ, à luxuria, à gula, & ebrietate: & hæc debet inchoari, & perfici à timore Dei: timor enim Dei præcedit, comitatur, & conſequitur omnem noſtram ſanctificationem: ideo timor Dei filialis reverentiæ ad Deum expurgat à peccatis ſpiritualibus, & mortificationem carnis inducit ad obtinendum decorem caſtitatis, & pudicitiæ. *Ser.1.Dom.3.poſt oct. Epiph.ſer 10.Pentec.Luc.c.21.v.4.Ioan.c.5.v.37. op. Eccleſ.Hier.p.3.c.2.*

340. *Miniſtri Chriſti fideles caveant ab omni circumventione proximi, læſione, & corruptione.*

Capite nos: neminem læſimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. Ecce quid agendum à Miniſtris Evangelii, & à juſtis: quia enim ardent charitate in proximum, deſiderantes & ipſi capi, & recipi, & amplexari, & auditi eadem charitate ab auditoribus ſuis, dicentes, capite nos, ideſt amplexamini nos latis viſceribus; ſicut nos vos toto animo complectemur; & ut id libere faciatis, neminem læſimus facto, neminem corrupimus exemplo pravo, neminem circumvenimus, ſcilicet verbo. *In ſap.c.2.*

341. *Prælati regulares caveant ab omni ſuſpicione diffidentiæ erga ſubditos.*

Capite nos: neminem læſimus &c. multa fiducia eſt apud vos. Vide quali prudentiâ Apoſtolus ne Corinthii crederent ſupradicta verba, neminem læſimus &c. dixiſſe ex diffidentiâ, quam in ipſos haberet, ſubdit multa mihi fiducia eſt apud vos. q.d. ego libentiſſimè me apud vos effundo, admoneo, & tracto, quia intimè vos amo; & ideo hac confidentia vobiſcum me habeo. Ut hinc diſcant ſuperiores cavere ne ſubditi ſibi diffidant, putantes ſuperiorem ſibi non credere, non fidere, vel non eos amare: caveant inquam ab hoc extremo; quia hæc eſt fovea, ex qua proveniunt multa incommoda in regimine. & in ſubditis: ſed ſic tractent ſubditos, ut credant prælatum eos amare, fidere, & bonam opinionem habere. *Op. de ſex alis Seraph. ſparſim & c.4.& c.6.*

342. *Martyres interius majorem conſolationem habebant, quo acerbiora tormenta foris ſuſtinebant.*

Repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra: nam cum veniſſemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus. foris pugnæ,

intus

intus timores. Sed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus &c. Nota hæc verba, & ſigna myſteria. Dicit Paulus, quod repletus fuerat conſolatione, imo in corde ſuperabundabat gaudio in omni tribulatione: & poſtea dicit, quod omnem tribulationem paſſus fuerat intus, & foris. Quomodo hæc poſſunt ſubſiſtere? omnem tribulationem pati intus, & foris, & omni conſolatione, & gaudio repletum ſimul eſſe? O mirabilis pietas Dei noſtri! mirabilis item virtus patientiæ, & charitatis, amoriſque in Deum: amor enim eſt vis unitiva valens ſimul connectere oppoſita extrema: quod & mirabiliter factum eſt in Apoſtolis, & in omnibus martyribus: ſi enim quæras à martyre quoliber, quomodo poteſt tot mala portare? reſpondebit illud 2. Cor. c. 1. quod ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra: & iſtud idem Apoſtoli, *repletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione: ſecundum enim multitudinem in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Pſal.* 93. Vnde licet tormenta ſentiant, quia iſta recipiebantur in corde, veluti in vaſe pleno igne, & amore charitatis, hinc ea conficiebantur, & dulcia fiebant. Et ſi quæras quomodo id potuit fieri? reſpondetur, quod ſecundum rectam philoſophiam omne contrarium ad præſentiam ſui contrarii concitatur, & fortius operatur: ſic aqua ſuperfuſa calce, ſtatim inardeſcit, & ignem fervere facit: ſed ex ſuperfuſo oleo non ferveſcit; quia oleum non eſt igni contrarium. Sic aqua calida in frigido loco fuſa citius coagulatur, quam frigida: quia ad præſentiam caloris frigus fortius agit: & ignis aſperſus aquâ fortius incaleſcit: ſic & in juſtis patientia, & amor Dei, cum in corde perfectum gradum, & opus habet, per flagella exterius appoſita fortius excitatur, & excitata anima conſolatur, & pati pro Domino delectatur; quia dum ſupplicia contraria ſibi adeſſe præſentit, & contra ea fortius invaleſcit, & ſuperaddito auxilio, & aſſiſtentia divinæ gratiæ, tunc omnia amara dulcia reddit. Ecce quomodo ſancti tam æquanimiter, & fortiter tormenta ſuſtinent, quomodo ridebant, & deſidebant Tyrannos, eorumque ſupplicia, oſtendentes ſe ſuper eos ſuperiores, quod mirabiliter in S. Laurentio oſtenſum eſt. *Ser.* 3. *de plur. mart. op. incend. amor. c.* 3. *de profec. religioſ. l.* 2. *c.* 76.

343. *Servorum Dei vita eſt in continuâ pugnâ, & bello.*

Nam cum veniſſemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro noſtra: foris pugnæ, intus timores. Ecce qualis vita hujus grandis Chriſti militis: foris pugnæ, intus timores: quia volenti ſervire Deo, ſemper pugnandum eſt. Permittit autem iſta bella, & contrarietates Deus in mundo, maxime contra juſtos, & ſervos ſuos ad ſubverſiones malorum, & exercitationem bonorum, ut omnibus innoteſcat, quod militia eſt vita hominis ſuper terram. *In Luc. c.* 21. *9.*

344. *Triſtitia juſtorum qualem pœnitentiam, & qualia bona in corde producat.*

Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam, & ſecundum Deum, &c. Ecce quales fructus triſtitiæ bonorum, quibus dixit Chriſtus *Ioan. c.* 16. *vos contriſtabimini.* q. d. vita veſtra in Dei ſervitio erit continua triſtitia: ſed advertite, quod hæc triſtitia eſt tantum apparens; quia hæc generat pœnitentiam; quia oritur tum ex lachrymoſa contritione in recordatione peccatorum: tum ex meditatione dominicæ paſſionis: tum ex privatione beatæ viſionis: & ideo gaudeo quod contriſtati eſtis, ſcilicet ad pœnitentiam, quia per hanc deſtruitur culpa, recuperatur juſtitia, confutatur dæmonum ſuperbia, reparatur Eccleſia, placatur ira divina, reintegratur cæleſtis Jeruſalem, & gaudium redundat Deo, & Angelis, & ſanctis. *Ser.* 3. *Dom.* 2. *poſt oct. paſcha ſer.* 3. *de plur. mart. in addit. in Luc. c.* 15. *v.* 10. *c.* 18. *verſ* 21. *c.* 24. *v.* 21. *in Ioan. c.* 16. *v.* 6. *collat.* 73. *op. de prof. relig. l.* 2. *c.* 15.

345. *Triſtitia malorum peſſimi effectus enarrantur.*

Seculi autem triſtitia mortem operatur. Quid eſt ſæculi triſtitia? hæc eſt, quæ amiſſionem bonorum temporalium timet: hæc eſt fructus accidiæ; quæ nihil lætum, vel ſalubre habet, tædia patitur, faſtidit hominum conſortium; hæc mortem operatur: quia proclivis eſt in deſperationem, & diffidentiam, prona ad ſuſpiriones; & patientem aliquando inſtigat ad mortem, vel necem ſui ipſius, luctu irrationabili oppreſſa: hæc aliquando naſcitur ex præcedenti impatientiâ, aliquando ex retardato, & impedito deſiderio concupitæ rei: aliquando ex prædominantibus melancholicis humoribus; & tunc medicorum eſt adhibendum remedium potius quam religioſorum, & Theologorum. Remedium autem potiſſimum talis triſtitiæ eſt oratio, & recurſus ad Deum, excitatioque ad fiduciam habendam in Deo. Item frequens converſatio cum bonis, & devotis, & occupatio in aliquo labore materiali. *Op. de prof. religioſ. l.* 2. *c.* 31 *ſeqq. in Ioan. collat.* 73. Notat tandem S. Anſelmus, quod in ſupradictis exhortationibus, & in ſequentibus verbis, in quibus Apoſtolus oſtendit ſuam conſolationem maximam ex pœnitentiâ Corinthiorum, & in hoc prudentiam exercet periti medici, qui jam pœne ſanata vulnera leviſſimis medicamentis conſolationis, & gaudii, & laudis cutat, ut prioris increpationis uſtura ſanetur. Hoc attendant Prælati maximè religioſi, & diſcant qualiter curare debeant vulnera ſuorum ſubditorum, quod & fusè docet S. Bon. *in op. de ſex alis Seraph.*

CAPUT VIII.

In hoc capite totus eſt Apoſtolus ad ſuadendam eleemoſynam pro pauperibus Ieroſolymitanis: & hac occaſione agit de effectibus ipſius mirabilibus.

346. *Paupertas voluntaria qualis alta, altior & altiſſima.*

NOtam autem facimus gratiam Dei, quæ data eſt mihi in Eccleſiis Macedoniæ, &c. *altiſſima paupertas eorum, &c.* Paulus in hac Epiſtolâ oſtendit eleemoſynas abundantes factas à Chriſtianis Macedoniæ pro pauperibus Ieroſolymæ, etiam ſi eorum paupertas eſſet altiſſima. Myſticè autem quæritur quæ fuerit hæc paupertas altiſſima: ſi enim erat altiſſima, & ſuprema, quomodo potuerunt tam copioſas eleemoſynas facere? Ad litteram reſpondetur quod dederunt ſupra id quod poterant, non habito reſpectu ad propriam neceſſitatem; & quia addit quod altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum, dat intelligere, quod omnia illa dederunt non ſolum cum alacri, & liberali diſtributione, ſed cum ardentiſſima voluntate dandi etiam pluſquam poſſent: cum Deus reſpiciat non ſolum quantum, ſed ex quanto. Nota autem, quod dicit, quod eorum paupertas erat altiſſima cum divitiis ſimplicitatis, ad differentiam paupertatis voluntariæ altæ, & altioris. Altus enim gradus paupertatis eſt relinquere res temporales: item & pro temporalibus non ſollicitari: item & nolle habere certum hoſpitium cum Chriſto: item & nihil habere proprium in ſpeciali. Altior gradus eſt relinquere amicos hujus mundi: item & tranſitoria non appetere: item non habere certum victum, & veſtitum tempore ſanitatis: item & nihil habere proprium in communi ad longum tempus. Altiſſimus gradus eſt relinquere ſeipſum ideſt proprium ſenſum, amorem, & voluntatem propriam: item & oblata reſpuere: item & nolle habere certum victum, & veſtitum etiam tempore infirmitatis: item & nihil habere proprium nec in communi, nec ad ſeptimanam. Alta igitur paupertas eſt quæ tollit ſuperflua, ſed retinet ſibi neceſſaria, ut fecit Abraham. *Gen. c.14.* Altior quæ diſtribuit & licita, & permiſſa, ſicut David, qui abſtinuit ab aqua quando torquebatur ſiti maxima 2. *Reg. c.13.* ſed altiſſimæ ſibi ſubtrahit etiam neceſſaria, ut fecit illa vidua, quæ miſit duo minuta, quæ ſibi erant neceſſaria. *Matth. c.12.* quia cum terrenis nihil commune poſſidere vult & talis fuit paupertas primorum Sanctorum in Eccleſia, qui omnia reliquerunt propter Deum; & hæc eſt, quæ præcipit Seraph. P.S. Franciſcus in regulâ ſuis fratribus; ideo eſt omnium aliorum ordinum altior, ſublimior, & perfectior, quia eſt paupertas, quam profeſſi ſunt, vel fuerunt Chriſtus, & Apoſtoli. *Op. de grad. virt. c.8. de Eccleſ. Hierar. p.1. c.4. & de profec. religioſ. l.2. c.45.*

347. *Idem argumentum de paupertate: ubi de perfectione ipſius.*

Altiſſima paupertas eorum &c. Hæc altiſſima paupertas eſt abrenunciare omnibus, & privatim & in communi, non ſolum quoad ſufficientiam, ſed etiam quoad abundantem perfectionem Evangelicam: & ad hanc ſuadet natura: ſacra ſcriptura, & gratia evangelica: & ideo eſt conſilium principale, & principium fundamentale, & fundamentum ſublime totius perfectionis evangelicæ, quia viam præbet ad omnem perfectionem, cum diſponat ad carnis mortificationem, & ad voluntatis propriæ perfectam abnegationem, cum nihil ſibi derineat, nec domum nec tectum, nec aliquam rem: ad ipſam autem ſuadet ipſa natura ſive inſtituta, ſive lapſa, homo enim nudus formatus eſt: & ſi in illo ſtatu ſteriſſet nihil ſibi prorſus appropriaſſet. Homo item lapſus nudus naſcitur & nudus moritur; & ideo hæc rectiſſima via eſt, ut ab extremis non declinans, quantum natura poteſt pati pauper, & nudus incedat. Unde 1. Timot. c.6. nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus: & ex hoc concludit Apoſtolus: habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus: hoc autem nihil arctius, vel pauperius, quam ſimplici victu, & operimento eſſe contentum, quod ex naturæ documento perſuadet Apoſtolus tamquam bonum & perfectum: ideo eſt principium fundamentale perfectionis; quia docet contemnere temporalia, & excludere cupiditatem, quæ venenum eſt charitatis, quæ eſt fundamentum perfectionis; eſt etiam fundamentum ſublime, ſuper quod erigitur fabrica contemplationis, & amoris Dei, relictis omnibus creatis: & ideo hanc altiſſimam paupertatem perſuadet Dominus Jeſus Chriſtus inſtruendo, convertendo, & inſpirando. *Op. de pæn. Chriſti qu.1. a.1.*

348. *Paupertas Chriſti, & Sanctorum diſcrimen expenditur.*

Altiſſima paupertas eorum. Cur hoc? quia omnibus terrenis abrenunciaverant exemplo Chriſti. Nota tamen, quod licet nunc in Eccleſiâ plures ſint, qui hanc paupertatem altiſſimam Chriſti profiteantur, ut eſt quam præcipit regula S.P. Franciſci: tamen magnum diſcrimen eſt inter hanc, & illam, quam profeſſi ſunt Chriſtus, & Apoſtoli: Nam Chriſtus Jeſus cum eſſet ditiſſimus, & Dominus omnium, tamen non ſolum altiſſimam paupertatem, & penuriam aſſumpſit, ſed etiam ejus opprobrium: Cum enim eſſet abſque domo, & poſſeſſionibus, & omni hujuſmodi ſubſtantiâ ſcientibus univerſis: magis habebatur contemptui: nam enim cognoſcebatur, quod voluntariè pauper eſſet, & quia pauperes neceſſarii ab omnibus conculcantur, &, ſi ſapientes ſunt, eis non creditur, & ſi nobiles nihilomi

nihilominus deridentur, & contemnuntur, quia omnis honorabilitas in eis videtur extincta: dejiciuntur ab omnibus, ut nec amicitiæ antiquæ, nec ſanguinis vincula eis proſint. Chriſtus autem aſſumpſit talia opprobria paupertatis, ſicut & ipſius Diſcipuli. Nos vero, & noſtra paupertas voluntaria, & pro amore Dei aſſumpta, non opprobrioſa, ſed honorifica reputatur etiam apud malos: igitur nec ejus paupertati poſſumus æquiparari, nec eum imitari in tam profundæ paupertatis, & humilitatis abjectione: ergo ad altiorem ſtatum inhiare debemus, ut Chriſtum imitemur. Hinc etiam eruitur dignum documentum, nempe quia cum religioſi repræſentent Chriſti voluntariam paupertatem, ſed non abjectionem, & pauperes neceſſarii hujus mundi repræſentent Chriſti paupertatem ſimulque abjectionem, ideo non ſunt contemnendi, imo ex hac parte honorandi. *Op. medit. c. 44.*

349. *Paupertas altiſſima mons altiſſimus eſt prope Deum.*

Altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum. In quas divitias ſimplicitatis? Hoc eſt quia iſta paupertas eſt altiſſima, ideſt mons altiſſimus ſuper omnes montes, & res creatas; ideo uſque ad Deum appropinquare facit relictis omnibus creatis: quia huic multæ virtutes, & plurima gratiarum dona ſunt ei annexa, quæ tamen à paucis capiuntur: quia licet multi ſint, qui quaſi nihil habeant in Mundo, tamen admodum rari ſunt in religione, qui non plus habere cupiant, vel pro ſe vel pro aliis, & per alios: qui autem propter ſe ſollicitus eſt in temporalibus, relinquitur ſuæ proviſioni: & qui alios habet proviſores, relinquitur illis: qui vero omnem ſollicitudinem ſuam in Deum jactat, & omnem cogitatum, habet ipſum Deum proviſorem. *Op. de prof. religioſ. l. 2. c. 45. ſer. 3. Epiph. in Luc. c. 18. v. 30. c. 11. v. 4. c. 6. v. 20.* Audiant & attendant hæc religioſi pauperes.

350. *Eleemoſynæ conditiones.*

Semetipſos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei. Ecce quales ſunt conditiones potiſſimæ eleemoſynæ Deo gratæ: quia enim eleemoſyna principalem habet virtutem à voluntate, à manu vero exteriori, tamquam ſigno: hinc iſti eleemoſynarii primo ſeipſos dederunt Domino; ſcilicet cor ſuum, & voluntatem ardentem Deo placendi. Et hinc ſequitur, quod Eleemoſyna debet procedere ex charitate recta in Deum, & proximum habentem neceſſitatem; & ſic dans quod habet, & poteſt tunc profitetur ſe jam cor ſuum reſignare Deo, idque velle hac eleemoſynâ, quam in honorem Dei facit, quaſi tributo quodam reſtari. *l. 3. d. 33. a. 1. q. 5. ad 3. l. 4. d. 15. p. 2. d. 7. ſer. 2. de uno mart. in addit.*

351. *Paupertas Chriſti pro nobis aſſumpta expenditur.*

Chriſtus cum eſſet dives, propter nos egenus factus eſt, ut illius inopiâ divites nos eſſemus. Hic Apoſtolus exemplo Chriſti ſuadet eleemoſynam; qui cum eſſet dives depauperatus eſt, ut eleemoſinam nobis ſuarum divitiarum tribueret. Unde primo loco nobis objicitur Chriſti paupertas conſideranda; qui pro nobis egenus factus eſt: hanc enim amplexatus eſt in ingreſſu in mundum, in progreſſu in hac vitâ, & in egreſſu ab ipſa: Unde fratres chariſſimi ſtatuamus oculos cordis noſtri ad videndum, & conſiderandum hanc altiſſimam paupertatem Chriſti. O Deus æterne quid fuit videre filium tuum unigenitum regem, & factorem cœlorum, & cæleſtium omnium Angelorum in una Civitate non inveniſſe domum; ſed pro domo elegiſſe ſtabulum jumentorum? quid etiam fuit regem regum, & omnium Dominum in ſtabulo non habere locum, niſi breve, vileque præſepium? quid deinde fuit videre regem ſummum, cujus erat ſtellarum ſolium, ſic viliter ſuper fœnum poſitum? Quid videre Deum continentem in pugno univerſum mundum, ſtricta faſciola eſſe cinctum, & panniculis vilibus involutum: & pro equitatu bovem, & aſinum: pro procerum, & nobilium parentum turba Joſeph, & Mariam, & viles paſtores: elegit & Matrem paupertimam, quæ vix pannos habebat ad involuendum. Vide & in progreſſu hujus vitæ qualem paupertatem Chriſti, dum nec domum, nec tectum, nec cibum, nec aliud proprium habebat; ſed omnia neceſſaria pro ſuſtentatione vitæ vel petendo, vel mendicando recepit & tandem in egreſſu non habuit ubi reclinaret caput ſuum. *Ser. 5. de Apoſt. ſer. 3. Dom. 4. Adv. Luc. c. 1. v. 8. & c. 11. v. 38. op. de paup. Chriſti qu. 1. & 2. Apolog. paup. reſp. 3. c. 1. collat. oct. de perfec. vita c. 3.*

352. *Chriſtus ſua paupertate nos ditavit in hac vitâ, ut ſuis divitiis magis ditaret in aliâ.*

Propter nos egenus factus eſt, cum eſſet dives: ut illius inopiâ vos divites eſſetis. Vide quanta fuit bonitas, pietas, & charitas Domini noſtri Jeſu Chriſti: qui cum eſſet Dominus omnium ditiſſimus, ſe omnibus expoliavit, ut nos in hac vitâ divites efficeret: ſcilicet doctrinâ, pietate, juſtitia, ſanctimoniâ, aliiſque virtutibus: Et ſi hoc, ergo pauperes Chriſti ſunt veri divites, quia perfruuntur divitiis ſpiritualibus ipſius Chriſti. Et è contra divites Mundi ſunt miſerrimi pauperes, quia carent veris divitiis Chriſti. Et ſi nos ditavit ſuâ inopiâ in hac vitâ, quid putamus faciet in alia, cum de ſuis divitiis gloriæ ditabit in Cœlo? *Ser. 4. Dom. 4. Adv. ſer. 4. nativ. ſer. 4. Cœna ſer. 4. Dom. 1. Paſchæ. ſer. 2. de mart. in addit. Luc. c. 7. v. 22. c. 9. v. 58. c. 12. v. 21. c. 16. v. 3. c. 14. v. 3.*

353. *Chriſtus ſe pauperem fecit pro nobis: ſed peccator ipſum pauperiorem efficit ſuâ malitiâ.*

Chriſtus cum eſſet dives, propter nos egenus factus eſt ut illius inopiâ ditaremur. Hoc verum eſt: nam finis adventus Chriſti fuit ut ſe expoliando omnibus rebus hujus mundi, nos divites virtutibus faceret. Sed vide malignitatem peccatoris quia cum Chriſtus tot paſſus fuerit, ut noſtras animas lavaret, & ipſas acquirendo ſeipſum veluti direſceret, ab ipſo peccatore expoliatur, & privatur animâ ſuâ, & aliis animabus, ut divitem faciat diabolum. *Ser. 1. de uno mart. in addit*

354. *Bona voluntas ſine executione operis qualis meritoria, & qualis non.*

Nunc verò & facto perficite: ut quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ita ſit & perficiendi ex eo quod habetis, ſi enim voluntas prompta eſt ſecundum id, quod habet, accepta eſt non ſecundum id quod non habet. Nota ſciens Apoſtolus Corinthios divites eſſe boni deſiderii ſubveniendi pauperibus, eos exhortatur, ut factis exequantur, quod intus per bonam voluntatem fovebant: ſanctum vere conſilium: ſed tamen reddit difficultatem quod ſubdit: nempe voluntas ſi prompta eſt, Deo eſt chara, ſecundum id quod habet, & exequitur non ſecundum id quod non habet: ergo videtur, quod bona voluntas ſine opere exteriori parum juvet, nec ſit meritoria? quod tamen eſt falſum, cum pax, & gratia intimetur hominibus bonæ voluntatis. Sed tamen optima, ſana, & ſancta doctrina eſt hæc Apoſtoli; quia per hanc dat intelligere, quod Deus menſurat meritum ſecundum promptitudinem, & bonitatem voluntatis in ordine ad opus; ſed tamen ad hoc ut adſit hoc meritum, requiritur ut plena ſit voluntas, non ſemiplena, & velleitas: ſcilicet ut reſpondeat opus externum, & executio, cum adeſt facultas. ſi enim hæc deficit. tunc non eſt plena voluntas, ſed velleitas: cum autem non adeſt facultas. tunc apud Deum reputatur pro facto. *L.2.d.40.a.1.qu.3.*

355. *Eleemoſyna qualis, & quanta danda pauperibus.*

Non ut aliis remiſſio, vobis autem tribulatio. Nota, quod Apoſtolus conſulens eleemoſynam, dicit quod eleemoſynarius non debet dare tantam eleemoſynam, quâ pauperes lautius, & relaxatè vivant, & ipſe in extremam neceſſitatem, & ſua familia collocetur: & hæc cum vera ſint: quæritur, an qui omnibus renunciat; & privat ſe omnibus neceſſariis pro Chriſto malefaciat, & videatur Deum tentare? Reſpondetur quod licet aliqui impii dixerint hoc non licere; contra quos ſcripſit doctiſſimè fuſo calamo Seraph. Doct. firmiſſimè tamen tenendum eſt hoc non ſolùm licere, ſed & eſſe meritorium, & medium imitandi altiſſimam Chriſti paupertatem, nec hoc eſſe tentare Deum, tum propter divina promiſſa, tum propter plurima remedia, quæ haberi poſſunt, tum propter exempla, quibus manifeſtè videmus, quod tales pauperes ſuſtentantur: ſic enim & illa vidua, quæ vivebat labore quotidiano, totum lucrum dabat templo; ut ipſa cum Chriſto pauper fieret, & paupertatis incommoda forti animo ſubiret: ſic & tot ſancti fecerunt: unde præceptum eleemoſynæ cadit ſub præcepto circa ſuperflua: circa verò neceſſaria eſt actus ſupererogationis, & Deo ſummè charus. *Op. de paup. Chriſti. Et apolog. pauper. Luc. c. 11. v. 41*

356. *Quam ſtulti ſunt qui cum præjudicio propriæ ſalutis, alienam curant.*

Non ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate. Hæc admonitio Apoſtoli currit non ſolùm pro eleemoſina corporali; ut ſcilicet fiat abſque præjudicio ſubventionis propriæ neceſſitatis, & etiam pauperum, ut dictum eſt: ſed & pro ſpirituali: Unde ſermo eſt ad eos, qui incumbunt ſaluti animarum, quibus conſulitur cauta, & vigil charitas: nempe ut diligant proximum ſicut ſeipſos, hoc eſt ex æqualitate: non vero ſupra ſeipſos, & cum præjudicio propriæ ſalutis; hæc enim eſt maxima dementia. *Op. medit. cap. 47.*

CAPUT IX.

Proſequitur materiam ſupra propoſitam in ſuadendo Corinthios ad Eleemoſynam exemplo fidelium Macedoniæ.

357. MOderata proviſio, & ſollicitudo in parandis neceſſariis ad victum, & veſtitum propria eſt Apoſtolorum & profeſſorum altiſſimæ paupertatis: quod patet in antecedente, & in hoc capite, ubi enarratur proviſio facta ex eleemoſynis collectis à Paulo, & ſollicitudo ipſius pro pauperibus. *Op. determin. qu. 7.*

358. *Qui parce ſeminat eleemoſynam parce & metet: qui largè & liberaliter ſeminat, & abundanter metet: ubi de S. Laurentii beneficentia in pauperes.*

Nota, quod S. Eccleſia legit hanc epiſtolam in miſſa S. Laurentii Martyris; & meritò, quia ipſe ſeminavit in benedictionibus; quoniam theſauros Eccleſiæ diſperſit, deditque pauperibus: ideſt largiter, & liberaliter, juxta legem, & regulam à Chriſto factam; quod qui ſeminat in benedictionibus; ſcilicet liberaliter beneficentias quaſi ſemina in pauperes effundit: hic eadem metet: Deus enim qui ſibi factum putat, quod pauperibus fit, non ſinit ſe liberalitate noſtra vinci; ſed iù liberales longè liberalior eſt; redditque eis majori copia bona tum corporis, tum animæ; hinc etiam S. Laurentius largas benedictiones à Deo reportavit: nempe gratiæ plenitudinem, divinam charitatem, quaſi ignem ipſius cor animam imo & carnem exæſtuantem, gloriam martyrii: & finaliter coronam beatitudinis copioſiſſimam in Cœlo. *Ser. 2. de S. Laur. in addit.*

359. *Eleemoſynæ, & miſericordiæ in pauperes fructus in hac, & in aliâ vitâ expenduntur.*

Qui parce ſeminat &c. qui ſeminat in benedictionibus &c. Loquendo Apoſtolus de eleemoſinâ, vocat eam nomine benedictionis, & ſimiliter quod ex ea reportatur. Cur non dicit, qui ſeminat in beneficentiâ ſed in benedictionibus. Reſpondent DD. quod dicitur eleemoſynarum largitio benedictio; quia hæc eſt imitatio divinæ benedictionis

nedictionis : Dei enim benedicere est benefacere, ait *S Bonav. Psal.* 27. Quia solo dicto, & jussu suo nobis cuncta bona largitur : tum etiam, quia dans eleemosynam dat benedictionem, scilicet non tam pauperi, quam sibi; opera igitur misericordiæ semina sunt ? si igitur seminas in agro pauperum Domini pecuniam, panem, vestem, hospitium, non solùm centuplum, imò fructum millesimum recipies : *quia pietas ad omnia utilis promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futuræ* 1. *Timot.* c. 4. Considera ergo ô homo quanta sit ista benedictio, & beatitudo pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, & habere Dominum debitorem. *Ser.* 3 *Dom. sexag. & ser.* 1. *de SS. Phil. & Iacob.*

360. *Eleemosyna est semen quod in Cœlo seminatur, & fructum plurimum cæleste producit.*

Qui seminat in benedictionibus &c. Quid est in benedictionibus ? ubi sunt istæ benedictiones, nisi in Cœlo, ex quo Deus confert nobis suas benedictiones ? ergo eleemosynæ semen jacitur in Cœlo, ab Eleemosynario ut tempore suo ibi metat. Et cum hoc sit verissimum, quis est tam stultus, qui recuset seminare in Cœlo ? O si quis Potens vellet dare nobis de bona terra, quam uno die seminare possemus ; unam horam unius diei nollemus negligere : & ecce de regno cœlorum tantum nunc habemus, tantum metemus, quantum nunc seminamus : quare ergo stulti tempus perdimus, & seminare bona opera negligimus ; non enim perditur quod seminatur, imo ad magnas usuras committimus. Eleemosynas dare, non est perdere datum, sed ad usuras maximas dare : imo non tantum reddentur, sed uno denario regnum Cœlorum datur ; non terrenum, sed cæleste ; non parvum, sed magnum, non perituri, sed perpetuo possidendum ; ob quam causam sancti, relictis omnibus, datisque pauperibus pauperem Dominum pauperes sunt secuti. *Ser.* 4. *Dom. sexag. ser.* 1. *de SS. Phil. & Iacobo.*

361. *Qualia opera seminabit homo, talem fructum & metet : ubi de conditionibus bonæ, & fructuosæ seminationis.*

Qui parce seminat &c. & qui seminat in benedictionibus &c. Ista seminatio adaptatur non solùm largitioni eleemosynæ, sed & aliis piis operibus. Sed attende, quod in bona seminatione hæc quatuor consideranda. Primò quid seminandum : secundò quantum : tertiò ubi : quartò quando : attenditur enim seminis bonitas, seminantis liberalitas, telluris fœcunditas, & temporis opportunitas qui vult ergo abundanter metere, debet in hac vitâ bonum semen seminare : scilicet bona, & sancta opera, docendo & operando : nam stultitia maxima est urticam, & zizania seminare, & postea triticum expectare : qualia igitur erunt opera, vel bona, vel mala, talis erit fructus vel pro æternâ vita, vel pro gehenna : & hæc seminanda sunt in terrâ bonâ, scilicet in corde bono, & gratiâ Dei impinguato ; non enim inter spinas, & petras malitiæ : & hoc dum tempus habemus : quia ista vita nobis conceditur ad seminandum : altera enim est tempus metendi & colligendi. *Ser.* 2. & 3. *Dom. sexag. ser.* 5. *Cinerum Luc. c.* 19. *v.* 26.

362. *Eleemosynæ Deo charæ conditiones expenduntur, & fructus etiam in hac vitâ.*

Qui seminat in benedictionibus &c. hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. Nota ly in benedictionibus, idest Dei : & ly hilarem datorem ; per quæ exprimuntur conditiones eleemosynæ Deo charæ, in qua debet esse modus justus, gratus & pius : modus justus est quando vir misericors dat suum non alienum : sic enim est aqua munda & sine peccato usuræ, vel rapinæ, quæ dantem mundat, & pauperem lavat, & Deum placat : modus gratus est, ut detur hilari vultu, & dulci verbo, & prompta manu : modus pius est ut detur sine præsumptione, & superbiâ, laudem non quærendo, pauperem non despiciendo : & de tali eleemosynâ subdit Apostolus potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis : idest Deus potens est facere : scilicet Deus Eleemosynarium ditabit suggerendo & tribuendo, ut habeat semper quod eroget : sicque in beneficentia abundabit. *Diar. tit.* 2. *c.* 2. *ser.* 2. 3 & 4 *sexag. & ser.* 1. *Dom. septuag.*

363. *In oblationibus nostris Deo factis requiritur concursus spontaneus voluntatis.*

Hilarem enim datorem diligit Deus &c. & non ex tristitia, aut ex necessitate. Ecce quid requirit Deus à nobis in oblationibus nostris : nempe ne fiant ex tristitia, quam parit avarus animus, aut ex necessitate scilicet ut consulatur famæ, & pudori, sed hilari animo, non tristi, non tepido, non tardo ; imitando Deum, qui hilariter sua bona nobis communicat, & effundit : ergo quod Deo offerimus, id faciamus corde devoto, & prompta voluntate ad obediendum Domino. *Op. Eccles. Hier. p.* 1. *c* 4. *Comp. Theol. l* 5. *c.* 13. *Luc. c.* 16. *v.* 19. *c.* 19. *v.* 5. *& ser. de plur. mart. in addit.*

364. *Divinæ gratiæ opus est inchoatio nostræ justificationis, sed complementum exigit nostram cooperationem.*

Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum sicut scriptum est, dispersit dedit pauperibus justitia ejus &c. Ut Apostolus suadeat exercitia eleemosynarum, & aliorum bonorum operum multiplicationem, docet quod potens est Deus abundare facere in nobis omnem gratiam : nota ly potens abundare facere, quod non tantum potentiam Dei, sed actum significat : idest Deus potens est facere, & faciet. Dat igitur intelligere, quod Deus promptus est oblatione suæ gratiæ inchoare in nobis justitiam ; sicque exhibens omnem sufficientiam, vult postea nostram cooperationem ; ut sic voluntas nostra elevata, & corroborata, opus suum perficiat, & justificationem acquisitam paret in S. Laurentio, de quo dicitur dispersit dedit pauperibus, correspondens divinæ vocationi, & ideo justitia ejus manet in sæculum sæculi : manet inquam in Dei memoria & æterna mercede. *Ser.* 1. *Dom. septuag.*

365. *Eleemoſyna pro Chriſto pauperibus oblata multiplicat bona temporalia, & ſpiritualia.*

Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti & panem ad manducandum præſtabit: multiplicabit ſemen veſtrum & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ. Ecce inter alia duos effectus eleemoſynæ: *multiplicabit ſemen veſtrum*: ideſt veſtram eleemoſynam, & bona temporalia, *& augebit incrementa*, &c. ideſt bona ſpiritualia gratiam, & virtutes: per quæ patet eleemoſynam numquam aliquem depauperaſſe, ſed opes opibus adaugere, & multiplicare ad modum ſeminis quod ſeminatum multiplicatur ad utilitatem ſeminantis, ut ex ipſo habeat, quod vivat, & iterum ſeminet. De hac re plenæ ſunt hiſtoriæ pluribus exemplis. *In Eccleſ.c.11.in Luc.c.2.v.38. ſer.2. in vigil Nat. ſer.1. Dom.ſeptuag. & ſerm.2. 3. & 4. in ſexag.*

CAPVT X.

In hoc capite, & in duobus ſequentibus apologiam texit contra pſeudo-Apoſtolos, qui de ipſo murmurabant, dicens quod arma quibus ſe defendit à ſuis hoſtibus ſunt ſpiritualia, non carnalia, eaque potentiſſima: & ipſis ſe defendit ab ictu adverſariorum.

366. *Juſtorum potentia, eorumque arma quàm valida contra potentiam, & arma Mundi.*

IN carne ambulantes non ſecundùm carnem militamus: nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, &c. Hic innuit Apoſtolus duplicem militiam, & duplex genus armorum: nam alii militant Mundo, & diabolo: alii Chriſto; & conſequenter diverſa arma habent: primi enim utuntur armis carnalibus, ut ſunt honores, voluptates, potentia ſæculi hujus; eorumque munitiones ſunt rationes mundanæ, ſophiſmata, eloquentia vana. Secundi ſunt Chriſti Apoſtoli, eorumque imitatores iſti utuntur armis potentibus Deo, ſcilicet per Deum validis, & efficacibus, ſuntque oratio, fides, prædicatio, humilitas, charitas, caſtitas, patientia, zelus honoris Dei: hiſque armati invincibiles redduntur mundo, carni, & diabolo; ſemperque triumpharunt glorioſe de eis: quod patet in Apoſtolis, & in cæteris ſanctis, & continue in prædicatoribus zelantibus Dei ſervitium, ſalutemque animarum. *In Luc.c.16.v.15.ſer.2.de S.Anton.ſer.2. in decollat.S.Joan.Bap.in addit.*

367. *Fidei mirabiles effectus in intellectu humano expenduntur.*

Arma militiæ noſtræ potentia Deo, &c. deſtruentes omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Inter arma ſpiritualia juſtorum collocat Apoſtolus etiam fidem, quæ mirabilia operatur contra Mundum, carnem, & diabolum, & animum elevat ſupra naturam, ſupra ſenſum, & ſupra omnem intellectum, ſeu intelligentiam naturalem; & Deo reddit conformem; ideo ablegat ab animâ omnem præſumptionem, intellectum captivando in obſequium Chriſti; ex quo mirabiles illuſtrationes mæretur accipere, & ſemper ulterius progredi in cognitione, & amore Dei. Et hinc fit, quod omnes aliæ ſcientiæ, & facultates famulantur Sacræ Scripturæ, & Theologiæ. *Op.Comp. Theol.prooem & l.6.c.15.de reductione artium. Eccleſ Hierar.p.1.c.1 Dist.tit.5 c.3.In Luc.præfat.*

368. *Poteſtas Prælatis à Deo collata eſt non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem fidelium.* Sic advertit hic Apoſtolus: quod & advertere maximè debent prælati Eccleſiarum; quod eſt contra illos, qui ad ſervandum nimis ſubtiliter lus Eccleſiaſticum, ſæpe in extrema incidunt, ex quibus ſalutis animarum præjudicium advenit: tenentur enim remittere ſuum jus prætenſum ubi impeditur ſalus animarum. Et hinc ſanctiſſimè Concil. Tridentin. *ſeſſ.13.c.3.* monet gladium excommunicationis ſobriè, & cautè ad ædificationem eſſe exercendum: aliàs videmus eum magis contemni, quàm formidari; & perniciem potiùs parere, quàm ſalutem, & ipſius excommunicati, & etiam aliorum: ſic & medicina (ait S. Bonav.) ægro porrecta non ſicut expedit potiùs lædit quàm ſanet. *Op.quare FF.min.prædicent.* O quàm ſalubre documentum eſt hoc Dominis Prælatis, Epiſcopis, & ordinariis locorum ut caveant incidere in hanc foveam, ne propter punctum honoris, præeminentiæ, ob litigia frivola, & temporalia, ob aliquem defectum debitæ recognitionis provenientem ſæpe ex inſcitiâ, & inadvertentiâ ſubditorum, permittunt loca ſine miniſtratione verbi Dei, ſine proviſione confeſſariorum, & miniſtrorum neceſſariorum ſaluti animarum: nam ſæpe accidit quod inter duos litigantes tertius gaudet: ſcilicet diabolus rapit animas ſanguine Chriſti redemptas: ſic ad aures Seraph. Doct. diſcant hanc doctrinam ex geſtis S Caroli, S. Ambroſii, aliorumque ſanctorum Epiſcoporum: quorum ipſi non ſint meliores.

369. *Juſti gloriantur in Domino: impii in ſe ipſis: ubi de vanitate gloriæ mundanæ.*

Qui autem gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui ſe ipſum commendat ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Nota, quod Apoſtolus ſe confert cum pſeudo-apoſtolis, qui ſe gloriabantur, & jactabant ſuas proprias laudes, ad hoc ut æſtimarentur; & ideo aſſignat diſcrimen inter gloriantes ſe ſanctè, & male. Juſti enim gloriantur quidem ſed in Domino: ſcilicet quia totum à Deo recognoſcunt, & totum in Dei gloriam referunt; quia à Domino commendantur, ideſt commendabiles à Dei gratiâ redduntur. Impii verò in ſeipſis gloriantur, oſtentantes ſua dona tamquam ſibi propria, vel ſuis meritis debita. Hinc concluditur, quod gloriatio in Domino

eſt

eſt gaudium cordis, conſiſtens in amando Deum cum lætitia mentis: gaudium oris in Deum laudando ore, & operis, quod eſt gaudendo Deo ſervire. *In Luc. c.* 18. *v.* 12. *& in Joan. c.* 5. *verſ.* 44. *& c.* 15. *v.* 8. Nota etiam, quod hic textus legitur ab Eccleſia in feſto SS. Virginum; eo quod ipſæ relicto gaudio mundano, totaliter cor ſuum fixerunt in Deo, eorumque gaudium & corde, & ore, & opere abundabit in Domino. *Ser.* 3. *de una Virg.*

CAPUT XI.

In hoc capite proſequitur Apoſtolus conferens ſuos labores, vitam, prædicationem, & perſecutiones toleratas propter Chriſtum cum vita pſeudoapoſtolorum, ut ſemper magis confirmet Corinthios in doctrinâ Evangelica eis prædicata, & eos abhorrere faciat doctrinam illorum impiorum: & hinc volens ſe gloriari in Domino, ſuaque opera & mirabilia in ipſo à Chriſto operata, præmittit in principio capitis excuſationem, dicens, utinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me; æmulor enim vos Dei æmulatione, &c.

370. *Qui in ſchola Chriſti ſe reputat inſipientem, ſapiens fit: & qui ſe ſapientem, ſtultus fit.*

Utinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ: ſed & ſupportate me. Ecce quanta, & qualis humilitas Apoſtoli; volens enim maxima myſteria Eccleſiæ aperire, & multa magnalia à Chriſto in ipſo operata, & cum ſe indignum, & omnium minimum reputaret, vocat ſe inſipientem: ſciens quod in ſchola Chriſti ſe reputans inſipientem, & miſerabilem, fit per gratiam Chriſti ſapiens: & è contra, qui ſe ſapientem exiſtimat, & de ſua ſapientia ſuper alios gloriatur, ſtultus fit, & in apertas inſanias prorumpit: quod evidenter patefit in hæreticis. *Op. apolog. paup. reſp* 4. *c.* 2.

371. *Æmulatio, & zelus boni Prælati qualis: mali item.*

Æmulor enim vos Dei æmulatione. Nota zelum Apoſtoli: *æmulor enim Dei æmulatione.* Quænam eſt Dei æmulatio? Æmulatio Dei eſt veluti coccus bis tinctus duplici charitatis colore rutilans amoris nempe Dei, & proximi: amor Dei non tantum deſiderat ejus dulcedine frui, & ei adhærere, ſed etiam diligit ejus beneplacitum impleri, ejus cultum ampliari, & honorem ſublimari, ab omnibus agnoſci, ab omnibus amari, ab omnibus honorari. Amor proximi deſiderat non tantùm ejus corporalem ſoſpitatem, & temporalem proſperitatem, ſed magis ejus æternam ſalutem: ubi ergo eſt iſta charitas perfectior, ibi ferventius deſiderium iſta promovendi; & inſtantius ſtudium, & purius gaudium, ubi iſta invenit. Et è contra major dolor de offenſa Dei, & de perditione proximi; & hæc eſt æmulatio, quæ urgebat viſcera Apoſtoli: Contra æmulatores perverſos, qui livore in ipſum ferebantur, & ſeipſos, & ſua propria, non quæ Jeſu Chriſti quærentes. *Pſal.* 36. *op. de ſex alis Seraph. c.* 1.

372. *Deſponſatio mirabilis Chriſti, & Eccleſiæ expenditur.*

Deſponſi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Legit Græcus *ætavi*: S. Auguſt. *paravi, agglutinavi connubio junxi*: ideſt quaſi paranymphus vos deſponſi exhibere in matrimonio tamquam virginem caſtam uni viro Chriſto. Quæritur hic quomodo Corinthios appellaverit virginem caſtam? Et ſi loquitur de Congregatione fidelium, ut verè loquitur, quomodo poteſt dici virgo caſta, cum conſtet, & ex virginibus, & viduis, & uxoratis, & religioſis, & ſæcularibus? ſed optimè hanc congregationem fidelium ſicut & animam virginem caſtam vocat: quia Chriſtus deſponſando ſibi animam, & Eccleſiam, ipſam virginem conſtituit: & in hoc elucet mirabilis virtus Chriſti ſponſi. Nam in connubiis Mundi, quæ virgo ad ſponſum accedit virginitatem amittit: in hoc autem cum Chriſto, quas à virginitate extorres invenit, virgines facit: & per hunc modum tota Eccleſia virgo eſt: Et anima Deo deſponſata, quod & ad omnes & conjugatos, & non conjugatos loquitur Apoſtolus: & cum Eccleſia virgo ſit, hinc nomen generis in omnem derivat ſtirpem. O qualis felicitas Eccleſiæ; qualis vis deſponſationis Chriſti cum Eccleſia, & anima. *Ser.* 1. *&* 2. *de una Virg. in addit. in Luc. c.* 15. *v.* 22. *in Joan. c.* 3. *v.* 29. *& collat.* 11.

373. *Deſponſatio Chriſti cum Eccleſia, & anima fideli iterum expenditur.*

Deſponſi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Quomodo hoc matrimonium ſpirituale contractum eſt à Chriſto cum Eccleſia, & quomodo contrahitur cum anima? quænam ſunt ſigna, & bona hujus ſacri connubii? Nota, quod primo hæc deſponſatio fit per fidem, ſpem, & charitatem tamquam per annulum Spiritus ſancti: ſecundo facit omnia bona utriuſque conjugis communia: Chriſtus enim ſua bona omnia communicat Eccleſiæ, & animæ. Et cum ipſe ſit rex ditiſſimus ſponſam reginam conſtituit, ſive fuerit prius ſerva, ſive vilis. Tertiò hæc deſponſatio eſt in cauſa cur pulcherrimæ concipiuntur, & naſcuntur proles: Et hinc peculiaribus Eccleſiis aſſignatur Epiſcopus, ut loco Chriſti ſponſus ſit ipſarum, & generet prolem Chriſto. Quarto hæc deſponſatio completur maxime per charitatem per quam anima rapitur in Deum, & unus ſpiritus ſimul fiunt: Item & per vota religioſa, per quæ perfectè religioſus ſeipſum totaliter tradit Deo: Et hinc agnoſcant religioſi, & maxime virgines Deo ſacratæ ſuam altiſſimam dignitatem; maximoque ſtudio curent ſe conſervare & virgines, & caſtas, ut ait,

Apoſtolus : ſcilicet non ſolum corpore, ſed & mente. *Joan. collat. 11. l. 4 d. 10. p. 2. dub. 6. ſer. 1. de una virgine & aliis locis ſ. pracit.*

374. Senſualitas venenum eſt, quod ſerpens inſtillare conatur in animam, & rationem, ut corrumpantur ſenſus, potentiæ, & actus ipſius & totum depravetur : hoc enim ſicut & accidit Evæ, ſic & accidit animæ, quando ſe dominari ſinit à ſenſualitate : Unde hic dicit ſponſæ Chriſti, & omnibus fidelibus : *timeo ne forte ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutiâ ſuâ, ita corrumpantur ſenſus veſtri. Pſal. 118. c. 8. v. 8 ſap. c. 4. Luc. c. 4. v. 39. Op. Comp. Theol. l. 2. c. 66.*

375. *Prædicatores inſtruuntur exemplo Pauli, maximeque fratres minores.*

Alias Eccleſias expoliavi, accipiens ſtipendium ad miniſterium veſtrum. Et cum eſſem apud vos & egerem : nulli oneroſus fui : nam quod deerat ſuppleverunt fratres de Macedonia : & in omnibus ſine onere me vobis ſervavi, & ſervabo. Vide quanta cum prudentiâ ſe gerebat Apoſtolus in diſcurrendo per varias Provincias ; nam in aliquibus ſumebat neceſſaria pro victu, & veſtitu debita prædicationi, in aliis nihil, ut fecit Corinthi, quia videbat, quod Corinthii, qui naturaliter, ut mercatores erant avari ; ſi iſta ab eis ſuſcepiſſet, exiſtimaſſent, ipſum potiùs ſua quærere, non quæ Jeſu Chriſti : Unde ſecundum qualitates, & diſpoſitiones locorum varias variè etiam ſe gerebat cum eis, ut fructuoſius prædicaret. Per hocque docuit Prædicatores, quod ipſorum obligatio debet eſſe ſolùm circa ſalutem animarum, rejecta omni ſollicitudine terrenorum. Et hinc eſt, quod Seraphicus Pater, S. Franciſcus ſuis fratribus inhibuit contrectationem pecuniarum, ut ſic liberiùs, & efficaciùs munus prædicationis exercerent, & ut ſecuriùs imprimerent in corda fidelium fiduciam in divinâ providentiâ, extirparionem omnis amoris mundani ; & ut indivitam cordis intentionem haberent circa prædicationem verbi Dei, eos veluti Angelos ex hominibus conſtituens, abſolutos ab omni hujus vitæ ſollicitudine. *Op. expoſit. regulæ c. 4. & 6.*

376. *Prædicatores alii ſunt verè Apoſtoli, alii ficti.*

Nam ejuſmodi Pſeudoapoſtoli ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Hic Apoſtolus ſe objicit, & ſuam vitam, & prædicationem Pſeudoapoſtolis, qui ad ſimilitudinem diaboli transfigurabant ſe in Apoſtolos Chriſti, quos appellat operatios ſubdolos : ut diſcamus, quod prædicatorum duplex eſt genus, aliud eſt eorum, qui veri ſunt operarii in vinea Domini, facientes opere, quod ore dicunt, qui veritati prædicationi addunt altitudinem vitæ ſpiritualis. Subdoli autem ſunt malitioſi, deſidioſi, qui dicunt, & non faciunt qui ſolâ vanitate, & lucri gratiâ prædicant. *Luc. c. 10. v. 2. ſer. 1. Dom. 4. Adv.* Tales ſunt moderni hæretici, ut Calviniſtæ, qui omnia ſacra, ritus, ſacramenta, templa, monaſteria, ſacerdotia, altaria, picturam, Dei cultum, & & religionem deformant, & prophanant ; & tamen volunt dici, & haberi reformatores, & Evangelici.

377. *Qualiter diabolus ſe transfiguret in Angelum lucis ubi de multiplici tentatione.*

Ipſe ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis. Nota, quod dicit in Angelum lucis, ſcilicet in Angelum bonũ: Nam Angeli boni, lucidos ſe oſtendunt hominibus, quibus apparent: diabolus autem ut decipiat homines, & maxime ſpirituales, aſſumit apparentiam Angeli lucis, & boni: ut autem id intelligatur, ſciendum quod tentationum quatuor ſunt ſpecies contra viros ſpirituales à diabolo motas. Prima eſt aſpera qua tentat incipientes de laboribus inconſuetis, & indiſcretis. Secundâ vana de proſperitatibus ſpiritualibus. Tertia eſt dubia, quando imprimit dubium circa gerenda in Dei ſervitio ; ob quam dubitationem homo redditur lentus ad bonum, & pronior ad malum. Quarta eſt fraudulenta, & comprehendit omnes alias, eſtque quando ſe transfigurat in Angelum lucis, ſub ſpecie virtutum inducendo vitium : hæcque fit, quando ſuadendo honeſtatem inducit ſuperbiam : vel diſſuadendo diſcretum obſequium, inducit nimium carnis commodum : vel ſuadendo juſtum judicium, inducit crudelitatem : vel ſuadendo miſericordiam, inducit remiſſionem, relaxationem, & negligentiam : vel ſuadendo liberalitatem, inducit prodigalitatem ; & ſic de aliis hoc facit gradatim: primo enim ſola bona proponit, poſtea mixta malis, & tandem falſa bona, ſed vera mala : Et cum illaqueaverit eos inſolubiliter, tunc caput venenatum erigit, & in aperta peccata eos dejicit ; ſicut ſerpens, & ſcorpio, qui blandam faciem habet, ſed caudam venenatam, qua occidit. Unde maxime cauti eſſe debent ſpirituales, ad orationem frequentes, & auxilium magiſtrorum quærentes. *Op. de prof. religioſ. l. 1. c. 2. l. 2. cap. 5 Comp. Theol. l. 2. c. 66. ſtimp. 3. c. 6. medit. cap. 44. 25 memor.*

378. *Laus propria qualis virtuoſa, qualis peccaminoſa.*

Iterum dico, (ne quis me putet inſipientem eſſe: alioquin velut inſipientem accipite me, ut & ego modicum quid glorier) quod loquor, non loquor ſecundùm Deum, ſed quaſi in inſipientiâ, in hac ſubſtantiâ gloriæ. Quoniam multi gloriantur ſecundùm carnem : & ego gloriabor. Notanda diligenter iſta verba Apoſtoli, ad hoc ut dignoſcatur quandonam homo peccet, vel mereatur in gloriatione ſui. Apoſtolus autem iſta ad ſui laudes præmittit, ut oſtendat quam invitus, & non niſi coactus, deſcendat ad laudes ſuas : has dicit eſſe non ſecundum Deum, ideſt ſi ſecundum ſe ſpectentur : ſed tamen ſunt ſecundum Deum, ſi ſpectetur charitas, & neceſſitas, ne videlicet Corinthii ipſo contempto pſeudoapoſtolos audiant, & recipiant eorum doctrinam ; ſe etiam dicit ſtultum ; quia proprium eſt ſtultorum ſe inaniter glotiari, ſed tamen vere ſapiens fuit in hoc : dicit etiam, quod multi gloriantur ſecundum carnem ; ſcilicet in nobilitate, divitiis, ſapientia, circumciſione, parentibus hebræis : quia hæc erat gloriatio pſeudoapoſtolorum ; & has aſſumit ipſe ad Dei gloriam, & ſalutem Corinthiorum : ut autem hoc dignoſcatur, ſciendum

eſt,

eſt, quod vana gloria poteſt eſſe peccatum mortale, vel veniale ſecundùm qualitatem finis mali: gloriatio item poteſt eſſe bona, & meritoria ratione finis boni, & neceſſitatis pro ſalute proximi. Laus autem appeti poteſt quadruplici fine. Primò ad vitandum malum infamiæ, ſicut coram populo Samuël ſe laudavit 1. *Reg.* c. 12. & hic eſt actus providentiæ virtuoſæ: ſecundò propter aliquam utilitatem ſpiritualem, ut eſt gloria Dei, vel ædificatio proximi, ſicut Paulus hic ſe commendavit; & hic eſt actus charitatis rectæ, & veræ. Tertiò propter lucrum avaritiæ ſicut Phariſæi, qui devorabant domos viduarum longas orationes ſimulantes: & hoc eſt peccatum mortale. Quartò propter aliquam delectationem in ſui laude venialem, & hoc eſt peccatum veniale. Unde patet, quod Paulus veluti coactus ſe reduxit ad ſui laudationem propter charitatem, & utilitatem proximi. *Op. Comp. Theol. l. 3. c. 21. Pſal.* 144.

379. *Serviens peccato, & impiis ſe ſubjiciens quam miſerabilis.*

Libenter ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes: ſuſtinetis enim ſi quis vos in ſervitutem redigit, ſi quis devorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit. Ad litteram Apoſtolus ſeverè arguit Corinthios eo quod cum eſſent ſapientes, nobiles, liberi ſe ſubjecerint voluntariè pſeudoapoſtolis verè inſipientibus, quia malignis, eos ſuſtinendo, qui ipſis utebantur, ut mancipiis, qui eorum bona devorabant, & extorquebant, qui ſuper ipſos ſe imperioſè extollebant, ſeipſos laudantes, & ſua magnificantes, & deprædicantes, eos etiam alapis; ideſt contumeliis in faciem cædentes, ſicque auferentes, & opes, & libertatem, & honorem, & quaſi ſervos conviciis onerantes: hæc ad litteram. Myſticè aut hic inſinuat Apoſtolus miſerabilem captivitatem, & ſervitutem peccati, & peccatoris ſe voluntariè ſubjicientis impiis, & dæmoni. & peccato: nihil enim vilius eſt quam ſervire vilitati peccati, & vitiorum, & ſub jugo dæmonis: tot enim dominis, & Tyrannis ſervire cogitur homo, quot vitiis ſe ſubjicit, & dæmoni, qui numquam concedit peccatori requiem; & pro ſtipendio infert calamitates in hac vita, & tandem æternos cruciatus in inferno. O quot peccatoribus miſeris poſſunt aptari hæc verba Apoſtoli: ſuſtinetis enim ô miſeri, ſi quis vobis opes, libertatem, honorem aufert, & in omnem miſeriam inducit. *In Ioan. collat.* 41 *ſer.* 2. *Dom.* 21. *Pent. ſer.* 2. *de S. Nicol.*

380. *Quàm neceſſaria Prælatis zelantibus ſalutem animarum patientia, & tolerantia contra ingratos ſubditos.*

Suſtinetis enim ſi quis vos in ſervitutem redigit, &c. Objicit hic Apoſtolus Corinthiis ingratitudinem ipſorum, eo quòd reliquerint ſuam doctrinam ſanam & ſanctam, & ſe converterint ad doctrinam impiam pſeudoapoſtolorum: Per quod dat exemplum Prælatis patientiæ, & longanimitatis quando eis evenit regere ſubditos ingratos pro quibus tanta ſollicitudine laborant, cum vix unquam eis ſatisfaciunt, quin ſemper conquæruntur; & invertunt eis plurima quæ faciunt, & interpretantur in deterius, & ſuper his murmurant, & acculant & detrahunt eis & ſumunt inde materiam ſcandali; unde putabant ipſi ſe Deo, & ipſis obſequium præſtiriſſe, & quod plus eſt, eis ſæpe in faciem reſiſtunt, vel litteris arguunt, & deſpiciunt & concitant alios ut ſe eis opponant, vel actu impediunt, ne poſſint perficere quæ deberent: nec mirum, hoc cum paulo idem contigerit. & tot aliis. *Op. de ſex alis Seraph. c.* 5.

381. *Sanctus Paulus fuit vas electionis divinæ: ſed in hac vitâ plenum aceto adverſitatum.*

In laboribus plurimis, in carceribus, &c. uſque ad v. 28. *præter illa quæ extrinſecus, &c.* Notat hic Paulus adverſitates, pœnas, flagella, carceres, & infinita mala, quibus pro exercendo apoſtolatu Chriſti ſubjectus fuit, oſtendens ſe fuiſſe verè vas electionis: vas ſcilicet in hac vita plenum aceto tribulationum; & poſtea gloria in alia vita. *Ser.* 2. *in converſ. S. Pauli in addit. vatic. ſer.* 1. *in Converſ. S. Pauli ſer.* 1. *de SS. Petro, & Paulo in addit. in Luc. c.* 5. *v.* 7.

382. *Mundus mare eſt, in quo piſces magni comedunt minores: in quo impii proſperâ fortunâ tranſeunt: juſti adverſâ.*

In laboribus plurimis, &c. in itineribus ſæpe: periculis fluminum. &c. in mari, &c. Nota, quod pluries exprimit Apoſtolus pericula, & perſecutiones, in quas incidit in fluminibus, & in mari: ut diſcamus, quod hic mundus mare eſt, in quo piſces majores comedunt minores: & in quo divites, potentes, & impii tranſeunt proſperâ fortunâ: juſti verò adverſa, & in magna amaritudine ut evenit eidem Paulo, qui innumera mala, & adverſa, quæ à Mundo à diabolo, à carne, à potentibus paſſus eſt toto tempore ſuæ peregrinationis apoſtolicæ in quibus ſe oſtendit vas ſolidum, non confractum. *Ser.* 1. *in rogat. ſer.* 2. *in Conv.*

383. *In religionibus cur falſi, & iniqui fratres, & perſecutores bonorum permittuntur à Deo.*

Periculis in mari, in ſolitudine, in civitate, ex gentibus, &c. & in falſis fratribus. Vide, quod inter cætera virtutum ſuarum merita, quibus ſe miniſtrum Chriſti excellenter gloriatur, enumerat pericula in falſis fratribus, eaque comparat cum periculis mortis, ſubmerſionis, flagellationum, perſecutionum plurimarum quas à Tyrannis perpeſſus eſt: cur hoc? ergo ne pericula ex falſis fratribus comparanda cum morte, flagellis, martyrio? maximè, & nimis verè: nam in congregationibus, & religionibus ſacris, & maximè in illis, in quibus nec vitia caſtigantur, nec merita recognoſcuntur, ob idque deformatæ, & remiſſæ à primæva inſtitutione unum ex majoribus periculis, & damnis eſt falſorum fratrum relaxatorum vita ſcandaloſa, & inimica obſervantiæ regularis. Sed Cur Deus hoc permittit? cur eos non eliminat ab aliorum bonorum contubernio? ſed attende ad Dei mirabilem

provi

providentiam, quæ ex malis ſcit eruere bona, & bona maxima. Hos iniquos permittit Deus eo quod aliis, ſicut evenit Paulo, multiplex ſint occaſio virtutis: Et primò eorum prava exempla ſunt bonis tentationis materia, & ſic victoriæ cauſa. Secundò, quia boni zelo juſtitiæ circa eorum vitia accenduntur, & uruntur ſcandalis infirmorum. Tertiò quia eorum miſeriis compatiuntur ſicut mater filio ad perditionem properanti. Quartò quia magis laborant boni exemplis eos corrigere, & monitis, & orationibus, & beneficiis. Quintò, diſtortos mores patienter tolerant, & injurias, quas eis pro juſtitia infetunt. Sextò, ex eorum contubernio deſpectiones ſuſtinent ab extraneis, quaſi ipſi ſint tales. Septimò, timidiores, ac per hoc humiliores fiunt & ne cadant, ſollicitiores ſunt. Octavò, Deo referunt gratias magis, quod eos, ne tales eſſent, benignè defenderit. Nonò ex malis juxta ſe poſitis virtus bonorum clarius elucet, & pulchrius ſplendet. Decimò, quia ad lucrum ſuum aliorum detrimenta, & omnes vias alieni defectus ad profectum ſuum ex Dei gratia retorquent. Ecce qualis deformitas iniquorum in Eccleſia quod amodo decorat rectitudinem juſtorum diſponente hoc divina, & ſuperna ſapientia, quæ nihil inordinatum in omni regno dmittit. *Op. determinat. qu. 19.*

384. *Paupertas extrema Pauli & Apoſtolorum qualis.*

In fame, & ſiti, in jejuniis multis, infrigore & nuditate, &c. Notat hic Apoſtolus inter tot adverſitates etiam penuriam extremam etiam neceſſariorum, in qua vivebat ipſe cum cæteris Apoſtolis; de qua tamen ſupra gloriatur, quod omnia poſſidebat, & alios ditare poterat: ſcilicet non quoad affluentiam temporalium rerum; ſed quantum ad ſufficientiam mentis: imò & quoad ſufficientiam corporalem, quia laborabat pro pauperibus, eis inſerviebat, viſitabat eos, fovebat, & miniſtrabat in omnibus, in quibus poterat: dans per hoc exemplum Prælatis, Epiſcopis, Parochis quid illis ſit faciendum. *Op. apolog. paup. reſp. 3. c. 1. Luc. c. 4. v. 2. & c. 6. v. 1.*

385. *Charitas chriſtiana juſtorum facit ſibi propria omnia adverſa proximi & corporalia, & ſpiritualia.*

In labore, & ærumna, &c. præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum. quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? O quis non ſtupeat videns zelum, ardorem, charitatem Apoſtoli Pauli: nam ad tot cruciatus enumeratos addit ſollicitudinem, quam habebat de ſalute, non unius hominis, vel unius provinciæ, ſed pro omni congregatione fidelium, omnium Eccleſiarum: Et quia membrum vivum, & efficax, & unitum Chriſto capiti non videtur, quod dolores commembrorum ſuorum, & eorum vulnera inſanabilia non præſentit: ideo ſubdit, quis infirmatur, & ego non infirmor? quis non ſcandalizatur; & cadit in peccatum, & ego non uror, & ardeo tum dolore, quaſi meum eſſet malum, quod ſubit proximus, tum zelo, ut illum curem, & malum tollam? Ecce quid facit vera charitas, & pietas juſtorum, qui omnia mala proximi tamquam propria æſtimant; nec ullum lapidem relinquunt, quin curent ipſum adjuvare, curare, & ſubſidiis temporalibus, & ſpiritualibus. *Op. myſtic. Theol. cap. 3 p. 3. de prof. relig. l. 2. c. 28. Diæt. tit. 2 c. 7 tit. 7. c. 4. medit. c. 47. Pſal. 52. & 118. v. 145. Eccleſ. c. 7. in Luc. c. 15. in fin. in Ioan. cap. 20. v. 13. ſerm. 3. de S. Andr. & ſerm. 6. Apoſtol.*

386. *Fugere perſecutiones aliquando licitum, & neceſſarium.*

Damaſci præpoſitus voluit, &c. & per feneſtram demiſſus ſum in ſporta, & ſic evaſi manus ejus in nomine Domini. Nota quod dicit Apoſtolus ſe evaſiſſe in nomine Domini. Quomodo in nomine Domini, ſi paulo ante dicebat: quæ infirmitatis meæ ſunt gloriabor; ſed attende, quod ambo poſſunt ſimul ſtare, ſcilicet deſiderium patiendi pro Chriſto, & ſimul fuga perſecutionum aliquando, ſcilicet cum id exigit Dei ſervitium, & utilitas publica. *Op. apolog paup. reſp. 2. c. 2.*

CAPUT XII.

In hoc capite proſequitur Apoſtolus narrans ad gloriam Dei ſuum raptum ad Cœlum; & ne extollatur, ſtimulum carnis ſibi datum: & deinde eos monet, ut à diſſentionibus caveant ne veniens Corinthum eos cogatur caſtigare.

387. *Apoſtoli Pauli raptus ad tertium cœlum expenditur: & ſolvuntur plures difficultates.*

Si gloriari oportet (nõ expedit mihi:) ideſt quoad meam perſonam, non eſt expediens. licet ob veſtram utilitatem ſit expediens; & ideo de ſe loquitur, tamquam de alio dicens: *ſcio hominem in Eccleſ. c. 1. veniam autem ad viſiones, & revelationes: ſcio hominem ante annos quatuordecim, &c. raptum, &c.* ſuper hunc raptum Apoſtoli proponuntur aliqua dubia: primò circa tempus talis raptus: aliqui enim ut *D. Bon. in 4. de quinq. feſtiv. ſol. 1. & D. Thom.* aliique exiſtimant cumgiſſe novem circiter annis ab ejus converſione: ratio eſt; quia ipſe ſcripſit hanc epiſtolam anno Chriſti, 8. à quibus ſi detrahantur 14. anni ab ejus converſione, remanent novem anni poſt ſuam converſionem quo tempore ordinatus eſt cum Barnaba Apoſtolus gentium. Quæritur ſecundò an hic raptus factus fuerit per ſeparationem animæ à corpore cum dicat, *ſive in corpore, ſive extra corpus neſcio. Deus ſcit!* aliqui affirmant animam ſeparatam fuiſſe & raptam ad Dei viſionem in Cœlum: ſed verius eſt, quod non fuerit ſeparata anima à corpore: dicit autem ipſe, *ſive in corpore, ſive extra, neſcio*, tum ad explicandam immenſitatem, & ſublimitatem talis raptus, & viſionis:

Google

viſionis : tum ad deſignandum quod in tali raptu fuit collocatus velut in diluvio, & in mari dulciſſimo, in quo nihil terrenum aſpexit, ſed ſolum Cœlum, & Deum. *ſic S. Bon. in Pſal. 28.* Quæritur tertiò an ad claram viſionem propriam beatorum elevatus fuerit? & ad quod Cœlum; dum dicit, uſque ad tertium cœlum? Reſpondetur hoc tertium cœlum; ad litteram eſſe Empyreum: primum enim eſt aëreum: ſecundum ſydereum: tertium Empyreum: vel ſumendum Cœlum propriè: primum eſt firmamentum; ideſt ſydereum: ſecundum chryſtallinum; tertium eſt Empyreum. *Op. Centil. p. 3. ſec. 11. Comp. Theol. l. 2. c. 1. ſeq. Brevil. p. 2 c. 3.* & hinc quæritur an verè elevatus fuerit in Empyreum corporaliter, & phiſicè; an ſolùm intellectualiter: & an videret divinam eſſentiam clarè ad modum beatorum: Reſpond. aliquos PP. affirmare ipſum vidiſſe Deum clarè: alios verò vidiſſe non clarè, ſed medio modo inter viatores, & comprehenſores: & in hoc problematicus eſt Seraph. Doct. modo enim dicit elevatum fuiſſe Paulum ad viſionem propriam beatorum, aliquando medio modo ſicut in ſtatu innocentiæ. *Vid. l. 2. d. 23. a. 2. qu. 4. in 3. l. 3. d. 14. a. 2. qu. 1. ad ult. & d. 16. a. 2. qu. 2. ad primum & ſer. 3. & 9 & 23. Hexam. op. de 7. grad. contempl. itiner. ment. prafat. & itin. 4. d. 5. a. 3 de profeſſ. l. 2. c. 75. & ſer. 2. de rector. in addit.* Quæritur quartò, cur dicit & audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui; & non potius vidi Deum, & arcana &c. Reſpondetur primò, quod in ſacra ſcriptura in textu hebræo audire idem eſt ac videre ſicut & in Prophetia idem eſt auditio, & viſio. Reſpond. ſecundò, & aptius quod iſte raptus fuit omnium, qui in hac vitâ haberi poſſunt ſublimior, tranſcendens vim apprehenſivam, ſenſitivam, imaginativam, æſtimativam, & intellectivam: ſolumque materialiter fuiſſe in intellectiva, & conſumative in acie amoris in affectiva: in quo raptu ſola affectiva viguit. Et ſilentium cæteris omnibus impoſuit: & tunc homo audit arcana verba quæ non licet homini loqui, quia ſunt tantùm in affectiva, exprimi non poteſt niſi quod concipitur, & concipi ſolùm id quod intelligitur. Igitur quod eſt ſupra intellectum exprimi non poteſt. *Vid. ſer. 2. Hexam. ubi explicat mirabiliter S. Bonav. hanc veritatem. Op. de dono intellect. c. 4. de profec. religiſ. l. 2. c. 75.*

388. *Tentatio, & maximè carnis permittitur à Deo in juſtis ad ipſorum ſalutem.*

Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus ſatanæ qui me colaphizet. Quæritur hic quis ſit iſte ſtimulus carnis? & ſi ſtimulus carnis, quomodo colaphizat, & colaphizari poteſt? quomodo eſt Angelus ſatanæ. Aliqui reſpondent fuiſſe continuum dolorem capitis, alii podagram, alii alium malum corporale: ſed cum certum ſit fuiſſe dæmonis vexationem, & aliquid inſtar aculei carni ejus infixum, quod Paulum aſſidue pungeret, & cruciaret, probabilius eſt fuiſſe concupiſcentiam ſuſcitatam à dæmone: Dæmon enim humores commovendo, ſanguinem accendendo, ſpiritus generationi ſubſervientes excitando, & inflammando, Pauli phantaſiæ turpes imagines objiciebat, ſuſcitabatque concupiſcentiam, quaſi ſopitam tot laboribus, inediis &c. & ad turpes libidinis motus commovebat, & accendebat, & totum hoc à Deo permiſſum fuit ad ipſum humiliandum: hæc enim tentatio eſt potior ad humiliandum Dei ſervos, & ad cognoſcendam propriam infirmitatem: Et hæc dicunt aliqui, ſuſcitata fuit ob aſpectum Teclæ virginis, licet hoc ſit apocryphum, licet aſſertum ab aliquibus PP. &c. quod S. Bonav. innuit. Sed cur permiſit Deus talem, ac tantam tentationem, & tam vehementem in ſuo dilecto Apoſtolo? at ſapientiſſime id permiſit; quia hoc vulnere ſanare voluit vulnus concupiſcentiæ; quia hoc fuit medicamentum præſervativum in Paulo ne in infirmitatem ſuperbiæ incideret: quia hæc tentatio fuit veluti monitor ei datus ad præmendam ſuperbiam, ut in curru triumphali triumphanti datur monitor ſuggerens: hominem te eſſe memento. *L. 3. d. 3. dub. 1. l. 1. d. 6. a 2. qu. 1. Op. Comp. Theol. l. 2. c. 13. Pſal. 65. & 118. v. 41. & v. 161. & ſer. 3. Dom. 20. Pentec.*

389. *Oratio omni tempore neceſſaria, ſed maximè tempore tentationis.*

Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me. Ecce quid nos docet Apoſtolus ſuo exemplo: nempe ſicut ille in tempore tentationis ad unicum remedium, & ad medicum verum, medicinamque efficacem recurrit, ſcilicet ad Deum, & ad orationem; ſic & nobis inſinuat idem facere; eo quod oratione homo ſecurè triumphat de diabolo, mundo, & carne: & ideo in tempore neceſſitatis, & angustiæ legatio mittenda eſt ad Cœlum per orationem & obſecrationem, & humiliationem. *Luc. c. 14. v. 32. ſer. 3. Dom. 20. Pent.*

390. *Oratio rectè facta ſemper exauditur: & cur aliquando non exauditur.*

Ter Dominum rogavi: ideſt ſæpè & pluries; *& dicit mihi, ſufficit tibi Paule gratia mea:* ergo non fuit exauditus? ſed cur anima tam Deo chara, & oratio tam fervens non exaudita fuit? imò exaudita fuit pleniſſimè; nam ſæpe in oratione negatur id quod petitur, & conceditur aliud utilius & convenientius. Tria enim ſunt quæ impediunt exauditionem orationis: Primum eſt peccatum, quod velut nubes, & murus interponitur inter Deum, & animam. Secundum eſt ignorantia qualitatis rei quæ petitur: ut dixit Chriſtus Apoſtolis: neſcitis quid petatis. Tertium eſt gratia, ſcilicet majus meritum, & major profectus; ſic accidit Paulo, cui non fuit tunc ablatus ſtimulus carnis ad majus ſuum meritum, & profectum ſed poſtea & alio tempore opportuniori. *Op. de profec. religioſ. l. 2. c. 71. Ioan. c. 9. v. 30. Pſal. 102. & 118. v. 41. & 161.*

391. *Tentationis permiſſæ à Deo utilitates expenduntur.*

Nam virtus in infirmitate perficitur: libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti: propter quod placeo mihi in infirmitatibus, cum infirmor tunc potens ſum. Ecce quid operatur gratia Dei in animâ juſtorum: nam hæc inſtillat fortitudinem, & virtutem, & eo majorem, quo fortius & acrius in carne patiuntur. Et hic vide fluxum, & refluxum in anima juſti;

nam gratia Dei influit in animam ſuam virtutem, & fortitudinem: & hinc in eadem reſluit deſiderium, & amor tribulationis: hinc & exercitium humilitatis, & ſimul charitatis in Deum: ergo mirum non eſt, quod Deum diligentes tam ferventer æſtiment tribulationes hujus vitæ eaſque recipiunt veluti gemmas pretioſiſſimas è cœlo cadentes: & hinc inde gloriantur, & glorioſi incedunt, & potentes contra diabolum, mundum, & carnem ſe oſtendunt, æſtimantes ſolum illam vocem: ſufficit tibi gratia mea. *L.1. d.1.a.1.qu.1. Op.apol. paup. reſp.2.c.2.& 3 de 7. itin.æter. itin.4. d.5.v.2. & itin.7.ad 6 de profect. religioſ.l.2.d.37.de dono Conſil. c.7. itiner.men.c.7. ſer.18.Hexam.Pſal.67.& 91.Diæt.append.ad Dom. ſexag.ſer.2.de S.Agnete.*

391. *Pater dilectione naturali magis diligit filium quam filius Patrem*: dilectione gratuita magis filius diligit Patrem, quàm è contra: unde dicit Apoſtolus: *nec enim debent filis parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis*: hoc ſcilicet verum eſt de dilectione naturali, ex hoc quod natura appetit conſervari in ſuo ſimili, & magis diligit illud, in quo habet principaliter ſalvari, ſicut patet in filio: & talis amor deſcendit, non aſcendit, ſed amor gratuitus reſpicit beneficiorum collationem, ſicut & facit amor charitatis. Et hinc eſt, quod filius magis tenetur diligere patrem, quam quemcumque alium. *L.3.d.29.a.1. qu.4. ad primum.*

393. *Verus Zelator animarum non quærit temporalia, ſed ſpiritualia, & ſolam ſalutem animarum*: Unde dicebat Paulus: *non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos*, ſcilicet vos lucrari Chriſto, veſtram ſalutem operari, vos ad Chriſtum ducere, & tandem ad Cœlum. *Op. de ſex alis Seraph. c.3. Luc. c.5.v.10.c.9.v.3.c.19.v.13.*

394. *Charitas imperfecta dat ſua, vel de ſuo pro Deo: perfecta dat totum ſeipſum.*

Ego autem libentiſſime impendam, ſed ſuperimpendar. Ecce gradus charitatis in proximum: primus impendit de ſuis: ſecundus dat ſua: tertius dat totum, & ſeipſum: ſicque ad talem gradum aſcenderat Apoſtolus. *Pſal.39.* Nota, quod dicit: & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. q.d. videte quid operatur in me gratia, & charitas Dei, quod non ſolùm paratus ſum exhibere vitam meam, & ſanguinem pro Chriſto, ſed & pro animabus veſtris, ut vos reducam ad ſalutem & ad Paradiſum. *Op. incend. c.2. apolog. pauper. reſp.2.c.1.*

395. *Verus zelator animarum in profectu ſuorum exultat: Et è contra in defectu triſtatur.*

Timeo ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos: & ego inveniar à vobis, qualem non vultis: ne forte contentiones &c. ſint inter vos ne humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam. Ecce quid operatur zelus, & charitas in pectore Prælatorum Deum diligentium: nam ſicut maximè exultant in ſuorum profectu, ita è contra dejiciuntur, & mœrent in ſuorum defectu, & in vitiorum prolapſu, cum exhortationum ſuarum fructum vident deperire, & in vanum laboraſſe: & ideo cum coguntur deſcendere ad vindictam, & caſtigationem, tunc lugent, animo torquentur, & valde contriſtantur. *Pſal.118. c.5.v.7.op.de ſex alis Seraph.c.3.v.5.*

CAPUT XIII.

In hoc ultimo capite Apoſtolus reprehendit eos qui deliquerunt, nec fecerunt pœnitentiam: & comminatur eis debitas pœnas: & tandem eos hortatur ad bona opera.

396. *Prælatus in ſubditos ſit ut mare fovens bonos: & ut Pater corrigens malos filios.*

Ecce tertiò hoc venio ad vos: ideſt venire ad vos proprio. In ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum, ſcilicet omnis quæſtio, cauſa & crimen peccantium inter vos probatum per teſtes dictos concludetur contra ipſos. Prædixi enim & prædico, ut præſens, & nunc abſens iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus; quoniam ſi venero iterum, non parcam: ideſt prædixi præſens, nunc abſens prædico. Ex quibus patet, quod Apoſtolus tamquam Prælatus Eccleſiæ Corinthiorum à Chriſto deſtinatus, qui alias in ſuperioribus tamquam matrem amantem ſe oſtenderat: nunc patrem corrigentem ſe malis exhibet; ut ſic normam daret Prælatis, ut correctionem ſubditis & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina: & inter hæc ſollicita circumſpectione provideant, ne aut diſtrictio ſit rigida, aut pietas remiſſa. *Luc.c.22.v.16.*

397. *Obedientia ſubditorum exhibenda Prælatis veluti Deo, & Domino Jeſu Chriſto. Idem de auditione Prædicatorum Chriſti.*

An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus, qui in vobis non infirmatur; ſed potens eſt in vobis. Quaſi dicat: vultisne præcepta mea negligere, ut experiamini an audeam, & poſſim inobedientes punire per poteſtatem mihi à Chriſto datam, cujus poteſtatem alias experti eſtis per me? ſed dum dicit, quod Chriſtus in ipſo loquitur, dum exercet prælaturam in eos, dum eis præcipit, dum eos minatur velle punire; dat nobis intelligere obligationem ſubditorum erga ſuos prælatos: nempe non ſolùm exequendo imperata, non ſolum eis reverentiam debitam exhibendo; ſed in ejs humiliter divinam poteſtatem recognoſcendo: quia Prælati ſunt organum, per quod Deus loquitur, ordinat & præcipit: ob idque ordinationi ſuperiorum reſiſtens, Dei ordinationi reſiſtit.

Et

Et hoc eſt, quod à ſubditis maxime religioſis debet diligentiſſime obſervari, & attendi: ſcilicet recognoſcere debent in ſuo ſuperiore perſonam Dei, & Domini Jeſu Chriſti; & in ejus imperatis vocem Dei: & hæc potiſſima cauſa, quare multi ſubditi in proceſſu plurium annorum ſeriè obedientes prælatis, non attingunt conſecutionem habitus perfectæ obedientiæ; quia exequendo juſſa prælatorum, eiſque exhibendo debitam reverentiam, non in eis recognoſcunt perſonam Domini Jeſu, & diſpoſitionem divinam, ſed ut humanam tantum ipſam acceptant: Et hoc eſt, quod intimavit Apoſtolis Chriſtus, quando eos miſit ad Prælaturas Eccleſiarum. & ad miniſterium prædicationis: qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit: quia in ipſis, & per ipſos ſuperiores auditur, obtemperatur, vel ſpernitur Chriſtus Jeſus, cujus perſonam ipſi gerunt. *Op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 1. Luc. c. 10. v. 16. & c. 12. v. 12. Ioan. c. 3 in fin. & c. 13. v. 14.*

398. *Aſſumptionis noſtrorum defectuum in Chriſto convenientia expenditur.*

An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus? nam & ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei: nam & nos infirmi ſumus in illo, ſed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis. Ad litteram ut oſtendat Paulus ſe imitatorem Chriſti, qui voluit prius humiliari, infirmari, noſtros defectus aſſumere; poſtea per reſurrectionis gloriam oſtendere ſuam virtutem: ſic & in Prælatis hoc duplex munus exercendum: nempe humiliatio, pietas, charitas; ſed tamen cum proteſtis virtus, poteſtas, & rigor. Moraliter tamen, & myſticè nobis proponit ſolutionem illius quæſtionis, an congruum fuerit in Chriſto reperiri noſtram infirmitatem, & defectus noſtros? ex hoc quod videntur omnino contrarii, & præjudicantes ſuæ divinæ omnipotentiæ: tamen convenientiſſime voluit crucifigi ex infirmitate, ſcilicet aſſumere naturam noſtram cum defectibus, & paſſibilitatibus noſtris; & hoc triplici ex ratione. primò propter pretium noſtræ ſalutis; ut ſcilicet nos redimeret non corruptibilibus auro, & argento, ſed pretioſo ſuo ſanguine, & traditione animæ ſuæ, ad quod neceſſaria fuit paſſibilitas. Secundò propter exemplum virtutis, præcipuèque humilitatis, patientiæ, & pietatis, quibus mediantibus pervenitur ad Cœlum. Tertiò propter fulcimentum noſtræ fragilitatis: ut ſcilicet aſſumendo in ſe noſtram infirmitatem, nobis participet ſuam virtutem: & ut doceret nos modum quo pervenire poſſimus ad triumphum: ſcilicet primò exponendo nos humilitatis, infirmitatis, & patientiæ actibus, & ita in gloriam Chriſti intrare. *L. 3. d. 15. a. 1. qu. 1. Ioan. c. 12. v. 34. & collat. 50. 79. & 87.*

399. *Felix eſt qui vitam terminat in gratia, & charitate Dei.*

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus vobis Amen. Hæc eſt concluſio Epiſtolæ apoſtolicæ ſcriptæ ad Corinthios, in qua precatur ſuis fidelibus gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, & charitatem Dei, & communicationem ſancti ſpiritus, ideſt paſſivam, & activam: paſſivam, ut ſcilicet communicetur eis charitas increata Patris, Filii, & Spiritu Sancti; & activam ſcilicet per quam omnes mutuam communionem, ſocietatem, conſortium, conjunctionem, & unitatem ad invicem ſervent, hæc enim complementum eſt vitæ chriſtianæ: ad hanc totis vitibus, actibus, & deſideriis ſemper debemus aſpirare: hæc eſt quæ participationem Paradiſi in hac vitâ nobis confert: hæc eſt quæ perficit felicitatem in gloriâ cæleſti: hæc eſt quæ nos unum cum Deo conſervat. *Pſal. 79.* O dulcis Jeſu da nobis, & conſerva hanc jugem gratiam, & charitatem; ut in tempore hoc, & in futuro Deum Patrem, te Deum Filium & Deum Spiritum Sanctum amemus & glorificemus. Amen.

Explicit expoſitio Seraphica in epiſtolam Secundam ad Corinthios.

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM DIVI PAULI AD GALATAS.

PROLOGUS.

NOTA quod Galatæ, ad quos ſcripſit Apoſtolus, populi erant gentiles Græci, talesque dicti, quia eorum origo fuit ex militibus, qui ex Gallia in Græciam tranſierunt; unde duplicem linguam habebant, ſcilicet Græcam communem omnibus Græcis, & propriam, ſcilicet vel Gallicam, vel potiùs Germanam: Apoſtolus autem ipſis ſcribit eo quod aliqui ex Judæis ad Chriſtum converſi eos commoverant ad Iudaiſmum una cum Evangelio ſuſcipiendum, allegando hoc exemplum Petri, aliorumque Apoſtolorum, qui legem Moyſis ſervabant; Contrà hoc dogma ſcribit Apoſtolus, eoſque gravi objurgatione revocat, docens Chriſtianos liberos eſſe à ſervitute legis veteris, nec Gentiles ad Chriſtum converſi poſſe tutâ conſcientiâ ei ſubjici, etiamſi Iudæi ad tempus illam ſervare poſſent, ut eam cum honore ſepelirent: Unde ad idem argumentum ſpectat Apoſtolus in hac epiſtola, ad quod in epiſtola ad Romanos, obitque eſt veluti epitome illius; ſolùm differt in hoc, quòd epiſtola ad Romanos communis eſt Iudæis, & Gentilibus, hæc autem propria tantùm Gentilibus.

CAPUT PRIMUM.

1. *In hoc capite primò increpat Galatas, quod ab Evangelio à ſe prædicato ad Iudaiſmum abduci ſe ſinerent à novantibus, quibus dicit anathema: ſecundò certitudinem ſui Evangelii oſtendit ex eo, quod à Chriſto illud immediatè acceperit: tertio narrat quomodo à Iudaiſmo converſus fuerit ad Chriſtum in actu, quo contra Chriſtum pugnabat, ſeque miſſum ad prædicandum gentibus.*

2. *Vocatio, & electio alia à Deo alia ab homine, alia à diabolo.*

PAULUS *Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitavit eum à mortuis, &c.* Nota Iy, non ab hominibus, ſed per Ieſum, &c. per quod ſignificatur multiplex miſſio, vocatio, & electio; nam alia à Deo eſt immediatè, ut fuit iſta Pauli, alia à Deo per hominem, ut Joſuë per Moyſen: alia ab hominibus, & hæc vel eſt bona, & ſancta, quia fit ſecundùm beneplacitum divinum: alia eſt mala, ſcilicet diabolo inſtigante, & eſt quando ob fines terrenos, & ſæpè malos fit promotio ad Prælaturas; non ſic Paulus electus fuit, ſed à Deo. *Ser.4.Dom.19.Pent.*

3. *Ex Incarnatione, & morte Chriſti Ieſu nobis redundat gratia, & pax: & Deo gloria, & manifeſtatio ſuæ bonitatis.*

Gratia vobis (Eccleſiis Galatiæ) & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos de præſenti ſæculo nequam, ſecundùm voluntatem Dei, & Patris noſtri, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum: Amen. Ecce qualis finis fuerit Chriſto in ſua Incarnatione, & morte aſſumpta, nempè ut redundaret totum in gloriam Dei, ut ejus gloria ſublimis, potentia, ſapientia, bonitas, & juſtitia manifeſtaretur, & nobis gratia, & pax, & per conſequens liberatio à carnali vita ſæculi nequam. *Luc.c.2.v.14.*

4. *Apoſtaſia*

4. *Apoſtaſia ſpiritualis peccatorum expenditur.*

Miror, quod ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium, &c. Hoc dixit Apoſtolus, quia diſceſſerant Galatæ à doctrina Evangelica, quam ipſis tradidit, ad ritum Judaicum ſervandum; undè eos veluti Apoſtatas tractat per hanc tranſlationem à liberatione Evangelii in ſervitutem legalem: Myſticè hæc dicuntur non ſolùm Apoſtatis apoſtatantibus à fide Chriſti, vel à Religioſo ſtatu, ad quem quis votorum emiſſione eſt obligatus; ſed etiam peccatoribus omnibus, qui poſt pœnitentiam inchoatam, & promiſſionem factam Chriſto perſeverandi in eodem ſtatu, ſtatim ad primum impulſum tentationis, vel occaſionis oblatæ recedunt à præceptis Eccleſiæ, & Chriſti obedientia. *Op. Centil. p. 1. ſect. 26. op. Phar. lib. 2. c. 34* O ad quot, & quantos Chriſtianos poſſunt dirigi à Chriſto hæc verba, qui poſt pœnitentiam inchoatam, & promiſſam ad pedes Confeſſarii in Paſchate, ſtatim ad vomitum priſtinum redeunt.

5. *Diſcedens ab Evangelica veritate ſtatim ipſo jure excommunicatus eſt: Ubi de certitudine fidei.*

Sed licet nos, aut Angelus de Cœlo Evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis anathema ſit: Intellige ſi nos, aut Angelus, &c. Si poſſibile eſſet, nam de facto impoſſibile eſt, cum Angeli ſint confirmati in beatitudine, & veritate quacumque; per quod patet, quod diſcedentes à doctrina Evangelica, quam profitetur, & docet ſancta Apoſtolica Romana Eccleſia, ipſo jure divino excommunicati ſunt: patet ſecundo qualis ſit certitudo fidei ſanctæ Eccleſiæ ab Apoſtolis traditæ, tot ſignis, tot miraculis à Deo confirmatæ, & ad nos per continuam tot jam ſæculorum tranſmiſſæ, & quàm in illa firmi, & conſtantes eſſe debeamus, ut ſcilicet id potius negemus, quod ſenſus, quod ratio, quod demonſtratio, quòd auctoritas omnium hominum, & Angelorum (etiamſi facerent miracula ad id probandum, quod tamen eſt impoſſibile) ſuggerit, quam id negemus, quod fides docet. *Vide lib. 3. d. 24. a. 1. qu. 1. & ſeq. per totam: lib. 1. d. 11. dub. 2. op. Apol. Paup. Reſp. 4. c. 3. in fine: Joan. prooem. & c. 17. v. 23.*

6. *Vana gloria effectus peſſimi expenditur.*

Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem. Nota, quod hic Apoſtolus non reprehendit eos, qui placent hominibus, & placere curant ad magis glorificandum Deum, & ut Dei ſervitium magis dilatetur; ſed eos, qui totum ſuum ſtudium collocant in hac vana gloria; hæc enim eſt peſtis inficiens Dei ſervitium; hoc enim eſt potiùs idololatrare, & quod Dei proprium eſt ſibi attribuere. *Op. Centil. p. 1. ſect. 13. op. de pugna ſpir. c. 18. op. de Inſtit. Novit. p. 1. c. 16. Luc. cap. 5. v. 16. 6. 6. v. 26. c. 23. v. 25.*

7. *Zelus, & æmulatio non ſecundùm ſcientiam quàm perniciosa.*

Supra modum perſequebar Eccleſiam, & expugnabam illam, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum. Ecce in quot ſcelera præcipitat æmulatio, & zelus etiam divini obſequii, qui non eſt regulatus ſecundùm ſcientiam, ideſt proveniens ex præſumptione nimis ſibi credendo, hæc enim parit æmulationem, æmulatio indignationem, & indignatio divinæ, legis tranſgreſſionem: undè ſtultus legis zelator eſt ipſius legis deſtructor. *Luc. c. 13. v. 14. op. de ſex Alis Seraph. c. 3.*

8. *Pauli electio facta à Deo expenditur ad bonum commune totius Eccleſiæ.*

Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam, ut revelaret Filium ſuum in me, & evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni, & ſanguini. Nota quod in his verbis exponit electionem, & prædeſtinationem ſui factam à Deo abſquè præcedentibus ſuis meritis, & ad hoc ſegregatus eſt, ideſt electus vel ex utero matris ſuæ veræ, vel myſticæ, ideſt ex utero Synagogæ, & in mundo expoſitus eſt, ut eſſet ſpeculum, per quod videri poſſet, & cognoſci Chriſtus Jeſus ab omnibus, ſed præcipuè à Gentilibus per ſuam prædicationem: Nota autem, quod dicit, *ut revelaret Filium ſuum in me*, non dicit mihi, ſed in me, ut ſignificet ſe non nudam auribus, vel oculis revelationem excepiſſe, ſed Chriſtum, & Chriſti doctrinam & ſpiritum intimo, totoque corde imbibiſſe, ita ut Chriſtus in eo eſſet, & per eum loqueretur. *Ser. 1. & 2. in Converſ. S. Pauli in impreſſ. Vatic. & in addit.*

9. *Gratiæ divinæ uſus qualis exigatur à Deo.*

Cum autem placuit ei, qui me ſegregavit, &c. vocavit per gratiam ſuam, &c. non acquievi carni, & ſanguini. Vide, quod licet vocatio Pauli fuerit abſque præcedentibus meritis, tamen poſt receptionem gratiæ perfectè reſpondit Deo vocanti, & ejus gratiæ; cum enim bonus uſus gratiæ conſiſtat in profectu bonorum operum, requirit fidelitatem in ordine ad Deum vocantem, & virilitatem in ordine ad refrænandam propriam voluntatem, & liberalitatem in proximum; unde dixit non acquievi carni, & ſanguini, ideſt non quæſivi humanam gloriam, ſed divinam, ſed Deo reddidi gratiam, & gloriam in omnibus à quo mihi omne, & tantum bonum provenit, & hinc viriliter evangelizavi, & gratis pro ſalute omnium laboravi, & laboro. *Ser. 2. Hexaem.* Et hinc edocentur qui vocati ſunt ad ſuum ſervitium, quid agere debeant ſcilicèt parentibus, carni, ſanguini, humanæ gloriæ, ſæculi voluptatibus renunciare. *Luc. c. 9. v. 6. ſer. 5. de una S. Virgine.*

10. *In converſione peccatorum clarificatur Deus mirabiliter.*

Eram autem ignotus facie Eccleſiis Judeæ quæ erant in Chriſto, tantùm autem auditum habebant, quoniam qui perſequebatur nos aliquando, nunc

Digitized by Google

evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat, & in me clarificabant Deum. Quid eſt clarificabant Deum : cur non potiùs dicit in me laudabant Dominum ? ergone poteſt clarificari Deus à nobis ? maximè quoad manifeſtationem noſtram. & hoc præcipuè evenit in converſione maximorum peccatorum, ſicut fuit converſio Pauli verè miraculoſa, & inſignis; in ſimilibus enim maximè elucet potentia, ſapientia, & miſericordia Dei quando quis de peccatore fit juſtus, de ſtulto ſapiens, de errante fidelis, & de impio virtuoſus de perſecutore Apoſtolus ; ut diſcamus & nos Deum glorificare, quando videmus converſiones peccatorum, nec ceſſemus magnificare ejus potentiam, ſapientiam, & bonitatem, eique maximas gratias agere. *Luc. c.18.v.43. Ioan.c.17.v.5.*

CAPUT II.

In hoc capite Apoſtolus docet ſe contuliſſe ſuum Evangelium cum Petro, Iacobo, & Ioanne, illudque per omnia ab eis approbatum fuiſſe; & poſteà ſe ab eis dexteras ſocietatis accepiſſe, ut ipſi Iudæis, Paulus verò gentibus evangelizaret: poſteà reprehendiſſe Petrum, quod Iudaiſmum ſimularet, & incitaret gentes ad judaizandum; & hinc probat nos juſtificari non ex operibus legis, ſed ex fide Chriſti.

11. *Prælati, & illuminati à Deo proprio cerebro non operentur, ſed ab aliis etiam inferioribus conſilium petant.*

POſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba, & Tito; deſcendi autem ſecundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus; ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem. Mirum eſt hoc, quod fecit Paulus: aſcendit enim Ieruſalem, & contulit ſuum Evangelium cum Petro, & Apoſtolis, qui erant columnæ Eccleſiæ : cur contulit ſuum Evangelium ? forſan dubitavit de ipſius veritate, cum illud acceperit per revelationem immediatè à Chriſto ? minimè : non enim dubitabat de ipſius veritate; ſed hoc feci (ait) ne in vacuum currerem, aut cucurriſſem, ſcilicet ut ora hoſtium clauderem, & pſeudoapoſtolorum jactantium doctrinam meam ab Apoſtolis reprobari, & ne fideles meam fidem in dubium revocarent, & ſic omnis meus labor caſſus redderetur; quo exemplo inſtruit Prælatos, Doctores, Prædicatores, ne ſibi ipſis nimis credant, proprioque ſenſui innitantur; cum enim nemo reperiatur ita perſpicacis intelligentiæ, quin poſſit falli in aliquibus, qui hoc totum, & ſolum reputat juſtum, quod ipſe ſenſerit, aſtuto adverſario ad varias ſeductiones ſub ſpecie boni liberum aditum pandit, undè cautum eſt ſemper rectori conſilia libenter audire, & humiliter quærere; in quo triplex humilitas conſiſtit, & redundat triplex bonum : primò ſi alii idem ſentiunt, quod ipſe, ſecurior redditur, quod non decipiatur : ſecundò quicquid fecerit cum prudentium conſilio, ſi aliquid inde evenerit contrarii, minus ei poterit imputari, quàm ſe de ſuo ſenſu tantùm id feciſſet : tertiò quod ſæpè in merito talis humiliatis, Deus dat ei agnoſcere per ſe, vel alium, quod ante non intellexit : hinc Apoſtolus Spiritu ſancto repletus Evangelium, quod per revelationem Ieſu Chriſti didicerat, cum Petro, Ioanne, & Iacobo coapoſtolis ſuis contulit, ut eſſet ſecurior in prædicando, cum ab eis non diſcordaret; & exemplum per hoc daret fidelibus Prælatis conſilium requirendi, dicente Domino *Eccl.c.32. omnia cum conſilio fac, & non pœnitebit.*

ad officium regiminis aſſumptos, qui ſe ità continuò ſpiritu ſcientiæ repletos reputant, ut omnia Anteceſſorum ſuorum facta ſtulta judicent, & perverſa, & aliorum ſenſus debiles ſine fundamento, & contemptibiles æſtiment. *Op. de ſex Alis Seraph.c.7. Luc.c.1.v.51. Ioan. c.17. verſ.23.* Notent hæc, ſibique applicent moderni Hæretici, qui Calvino poſt 1500. annos venienti, & dogmata nova afferenti potiùs, quàm Eccleſiæ, totque ſæculorum conſenſioni, credere malunt. Nota etiam hoc teſtimonium circa res fidei, & ſacras pertinere non ad Laicos magiſtratus, ſed ad Petrum, & Apoſtolos, ideſt ad Romanum Pontificem, & Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores.

12. *Alii inter ſacras & Religioſas Congregationes ſe immiſcent, ut diſcant.*

Alii, ut callidè explorent, & detrahant. Sic ait Apoſtolus, quod in conſortio fidelium ſubintroierunt falſi fratres ad explorandum opera, & decreta ipſius, ut invenirent, ſi quid eſſet, in quo poſſent detrahere : ſic evenit ſæpè in Congregationibus ſacris, in quas alii intrant, ut diſcant, & proficiant, alii, ut explorent doloſè, & inveniant, quid detrahant, maxime contra Prælatos, vel ut rixas inter alios excitent. *Pſ.47. Luc.c.5.v.33.*

13. *Cur in Bullis ſummorum Pontificum fiat tantùm mentio Apoſtolorum Petri, & Pauli, & non aliorum? & cur Paulus ad dexteram, & Petrus ad ſiniſtram pingatur.*

Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis; operatus eſt & mihi inter gentes. Cur hic in medium Apoſtolus ponit Petrum in compatatione ſui Apoſtolatus, & non etiam Ioannem, Iacobum, alioſque coapoſtolos ? nonne Petrus conſtitutus fuerat caput totius Eccleſiæ ? cur ergo cum ſummo omnium capite ſe intermiſcet Paulus ? ſed transfer mentem ad Parabolam à Chriſto deſcriptam *Luc.cap.19.* de illo viro nobili, qui vocavit decem ſuos ſervos, quibus diſpenſavit ſuas minas, & talenta, ut negotiarentur [illegible] de lucro ; ſed in reddi-

tione hac rationis ſolùm introducuntur tres iſtorum ſervorum, unus malus, qui otioſam mnam retinuerat, & alii duo, qui diligenter pecuniam, & negotium exercuerant, quos abundanter remuneravit; ſic datur intelligi, quod in his duobus bipartita oſtenditur prædicatio ordinata à Chriſto ſecundùm duplicem differentiam ovium paſcendarum, ſcilicet populi Iudaici, & Gentilis, ad quos deſtinavit duos Principes Apoſtolorum, ſcilicet duos præcipuos Prædicatores, & duces prædicantium, ideſt Petrum in ordine maximè ad Judæos, & Paulum ad Gentiles; dans Petro præcipuam poteſtatem faciendi mirabilia, & Paulo profundiſſimam ſapientiam, quia ſicut alibi dicitur, 1. *Cor. c.* 1. Judæi ſigna petunt, Græci ſapientiam quærunt: Et quia Eccleſia in unum collecta eſt maximè miniſterio horum duorum Principum Prædicatorum, qui dati ſunt, ut ab omnibus aliis imitarentur, ut adducerent ad præſepe Domini vel bovem, vel aſinum; hinc ſimul collocantur, ut dictum eſt: Et quia Paulus deſtinatus fuit ad hoc miniſterium à Chriſto jam in Cœlo glorioſo exiſtente, Petrus verò à Chriſto inter mortales vivente: hinc ad dexteram collocatur Paulus, ut Prædicator præcipuus Gentilitatis, & ad ſiniſtram Petrus Prædicator Iudæorum: *Luc c.* 9. *v.* 17. *Pſ.* 67. Et licet poſteà Petrus prædicaverit etiam Gentibus, & ſuam ſedem tranſtulerit ad gentes, ſcilicet Romæ; Paulus item prædicaverit Iudæis, tamen in illo tempore, ſcilicet initio Eccleſiæ, quo Judæi Gentiles abhorrebant, & magis Paulum; Petrus, & Paulus non poteſtatem, ſed opetas partiti ſunt, ut ſimul uterque converſionem facilius & Iudæorum, & gentium lucraretur. *Sic Bellarm. aliique Doctores.*

14. *Prælati Eccleſiaſtici incumbere debent in ſubditos providentiâ non ſolùm diſciplinæ morum, ſed & corporalis ſubſidii.*

Iacobus, & Cephas, & Ioannes dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem, ſcilicet Evangelii prædicationem extenderemus, tantum ut pauperum memores eſſemus, quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere. Ecce expreſſa hic obligatio duplex Prælatorum Eccleſiaſticorum; curâ enim continua urgere eos debet tam de ſpirituali providentia diſciplinæ, quam de corporalis ſubſidii proviſione; ſic enim & Apoſtoli non ſolum de ſpiritualibus, ſed & de temporalibus fidelium neceſſitatibus maximè pauperum ſoliciti erant. *Op. de ſex Alis Seraph. c.* 5.

15. *Mendicitas pauperum Chriſti diſponit non retrahit à Deo.*

Dexteras mihi dederunt ſocietatis, &c. tantum ut pauperum memores eſſemus: nempè Petrus, Ioannes, & Iacobus dexteras dederunt ſociales in ſocietatis ſymbolum, & unitatis fidei, & officii ſignum, ſed cum hac conditione, ut pro pauperibus Ieroſolymitanis, qui à Iudæis ſpoliati erant omnibus bonis propter fidem Chriſti, mendicaremus, & collectas faceremus, ut ex hoc pateat, quod mendicitas pro pauperibus Chriſti eſt licita, & ſancta, & quod non à Chriſto retrahit, ſed ad ipſum conducit. *Op. de Paup. Chriſti qu.* 2.

16. *Reprehenſio Petri facta à Paulo expenditur, & trahitur ad mores pro ſcandalo vitando à Prælatis, & correctione Prælatorum aliquando facienda à ſubditis.*

Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem reſtiti ei, quia reprehenſibilis erat, &c. cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui ex circumciſione erant, & ſimulationi ejus conſenſerunt cæteri Iudæi, ità ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Nota, quod circa hoc factum hic expreſſum maxima lis fuit inter D. Auguſtinum, & Hieronymum, an Petrus in hoc facto peccaret, ſcilicet dum diſcernebat inter cibos Gentilium, & Iudæorum, & licet ſciret legem Moſaycam abolitam fuiſſe, tamen ne Iudæos ſcandalizaret, ſimulabat ſe nolle idolothita manducare, ſed tantùm ea, quæ præcipiebantur in lege Moyſis: Contrà Petrum inſurrexit acriter Paulus ipſum reprehendendo, oſtendens, quod nec iſta ſimulatio erat licita nec ipſe Petrus debebat cogere Gentiles converſos judaizare, cum abolita eſſet omnino lex Iudaica; in quo conveniunt Doctores Petrum peccaſſe venialiter ex defectu ſcilicet conſiderationis, quia putabat ſe offenſionem Iudæorum debere cavere, quorum præcipuè hactenus fuerat Doctor, eo quod Prælati debent omnino cavere ne ſcandalum pariant in ſubditos; ſed in hoc erravit Petrus timens ubi non erat timendum; quia dum agitur dè præjudicio veritatis vitæ, vel doctrinæ, vel juſtitiæ nihil eſt omittendum, etiamſi ex hoc ſequatur ſcandalum in aliquibus ſciolis, vel pertinacibus: Notant etiam hic Doctores, quod in aliquibus caſibus corrigi debent ſuperiores ab inferioribus cum humili charitate pro veritate tuenda; ut fecit hîc Paulus cum Petro licet Prælato totius Eccleſiæ. *Op. Apol. Paup. reſp. c.* 2. *Centil. p.* 1. *ſect.* 31.

17. *Ædificia curioſa ſuperflua, pretioſa, & ſumptuoſa quam dedeceant Chriſti pauperes Religioſos.*

Si enim quæ deſtruxi, iterùm hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo: Ad litteram Paulus incuſat ſimulationem ſupradictam q. d. *Si enim ſimulo me judaizare in delectu ciborum, cum jam publicè prædicaverim talem delectum abolitum eſſe per fidem Chriſti, ergo contra veritatem prædicatam me conſtituo reum; ergo per legem ſcilicet Chriſti legi, ſcilicet cæremonialibus mortuus ſum.* Nota autem, quod ex hoc textu impiè Lutetus, & Calvinus docent, habenti fidem Chriſti omnem legem divinam ceſſare. impiſſimum dictum; ceſſavit quidem lex Moſayca, non Decalogi, quæ eſt lex naturalis, æterna, & immutabilis.

18. Nota ſecundò, quod hîc textus facit contrà Religioſos profitentes altiſſimam paupertatem, qui renunciarunt hujus voti vi ſuperfluitatibus ædificiorum; vanitatibus, & ſumptuoſitatibus:

Digitized by Google

Si igitur ædificia ſuperflua, curioſa & irreligioſa ædificent, cùm pompis renunciaverint ſæculi, in paupertate, & humilitate vera promiſerint Domino famulari, iterum ad eadem ſæcularia, & vana redeunt, ſic ſcandalizant alios, & aliis pauperibus Religioſis malum exemplum, & anſam & ſucceſſoribus, & aliis dant contra ſtatum, & profeſſionem paupertatis promiſſæ idem faciendi. *Op. determinat. qu. 6.* Nota iterùm, quod hîc textus eſt contra Prælatos, & Prædicatores ædificantes verbo, & deſtruentes exemplo, &c.

19. *Chriſti crucifixi diſcipuli configurari debent crucifixo, & quomodo.*

Chriſto confixus ſum cruci; vivo autem jam non ego, &c. Ecce quid eſt, quod fecit Paulus, & quid exigat Chriſtus à ſuis veris diſcipulis: qui enim per baptiſmum cum Chriſto crucifixus eſt, & legi veteri, & mundanæ, & mundo mortuus, & refectus ab arbore veteri, debet arbori novæ crucis Chriſti novus quaſi ramus inſeri, & ab ea vitam, & ſuccum gratiæ ſugere, ita ut non tàm ipſe, quàm vivat in eo Chriſtus; ad hoc, ut id perficiat, debet toto mentis conatu intendere, ut Chriſti Ieſu crucem circumferat jugiter tam mente, quàm carne; hujuſmodi autem affectum, & ſenſum apud ſe veraciter experiri merebitur, ſi dominicæ Paſſionis non immemor, nec ingratus laborem, & dolorem, & amorem crucifixi Ieſu tantâ memoriæ vivacitate, tanto intellectus acumine, tantâ voluntatis charitate conſiderabit, ut veraciter illud ſponſæ proferre poterit eloquium. *Cant. 1. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur: op. Lignum vitæ in præfat. op. de inſtitut. ſacerd. Luc. cap. 9. verſ. 23. cap. 17. verſ. 33. Joan. cap. 19. verſ. 23.*

20. *Idem argumentum: Chriſto confixus ſum cruci, &c.* Ubi de meditatione Paſſionis Chriſti. Ecce iterùm exemplar in Apoſtolo propoſitum omnibus ardenter diligentibus Chriſtum crucifixum, & ſuæ Paſſionis devotis; cum enim devotionis fervor per frequentem Paſſionis Chriſti memoriam nutriatur, & conſervetur in homine: ideò hîc ſuo exemplo ſuadet Apoſtolus, ut ſemper oculis cordis ſui videant Chriſtum in cruce tamquam morientem: accede ergo ô anima, quæ deſideras aquas gratiarum, & lachrymarum haurire de fontibus Salvatoris, accede inquam tu pedibus affectionum tuarum ad Ieſum vulneratum, ſpinis coronatum, patibulo crucis affixum, & intuere cum Beato Thoma non ſolùm in manibus ejus fixuras clavorum, non ſolùm mitte manum tuam in latus ejus, ſed totaliter per oſtium lateris ejus ingredere uſque ad cor ipſius Ieſu, ibique ardentiſſimo amore crucifixi in Chriſtum transformata, clavis divini amoris affixa, lancea præcordialis dilectionis transfixa, intimæ compaſſionis tranſverberata, nihil aliud quæras, nihil aliud deſideres, in nullo alio velis conſolari, quàm ut cum Chriſto poſſis mori in cruce, ut poſſis cum Apoſtolo exclamare Chriſto confixa ſum cruci, vivo jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. *Op. de Perfect. vitæ: cap. 6.*

21. *Alii crucifiguntur cum Chriſto ad gloriam, & vitam ſpiritualem: Alii cum damnato latrone ad pœnam.*

Chriſto confixus ſum cruci, ait Apoſtolus, dans intelligere, quod crucem cum Chriſto portabat, & in cruce ſemper affixus manebat; non ſicut mundani; qui crucem coguntur quidem portare, & in cruce, & pœnis manere, & vivere non cum Chriſto, ſed cum peſſimo Latrone, non enim pœna, ſed cauſa facit Chriſti Martyrem: ſed quæritur quomodo dicitur Apoſtolus affixus cum Chriſto in cruce, cum non in cruce obierit? Reſp. quod in cruce ſpirituali vivebat affixus; cujus imum, & profundum erat humilitas, altum erat ſumma paupertas, latitudo erat charitas, longitudo perſeverantia; ſicque tota vita ſua in crucifixi ſequela fuit in perpetua cruce pœnitentiæ, & charitatis; & hæc eſt [illegible] ſpiritualis, in qua anima devota debet aſſi[illegible], & continuè ſuſpendi. *Ser. 2. & 3. de S. Andrea.*

22. *Transformatio diſcipulorum in Chriſtum crucifixum ardenter diligentium expenditur.*

Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Quomodo dicis ô B. Paule quod vivis, & poſtea quod non vivis? & quomodo vivit in te Chriſtus, & non potiùs tu in te, & Chriſtus in ſeipſo? ô virtutis amoris vis, & dilectionis crucifixi! quales metamorphoſes gignis in corde amantium! inenarrabilis eſt virtus tua ô amor, qui lutum in Deum transfiguras; quid te potentiùs, quid te dulcius, quid jucundius, quid & nobilius obſecro? bone amor, qui terrena ponis in Cœlum; o felix amor, qui nos facis languidos ſponſi noſtri amplexibus ſuſtentari! Nota autem, quod jam Paulus ſe affixum, & confixum cum Chriſto cruci declaraverat, & ut ramum cruci incertum, ita ut ab ea ſuccum, & vitam novam ſugeret, unde non ampliùs lex, non concupiſcentia, non natura, non voluntas propria, ſed Chriſtus ipſe ſuæ gratiæ, quaſi animæ, & virtutum quaſi potentiarum motibus ipſum ita ageret ad omne bonum, & ad vitales virtutum actiones, ut Chriſti humilitas, fortitudo, ſapientia, gaudium, pax, aliæque virtutes in eo viverent, & vigerent; hinc benè dicebat. *vivo autem jam non ego, &c.* Hoc & dicit verus amator vivens Deo, & non ſibi; Vivo ego vita naturali, jam non ego, per imitationem exceſſivam ad æternitatis immenſitatem abſorpta, & ſuo officio ſuſpenſa dirigor, moveor, doceor, & regor vitâ ſuperſubſtantiali cui unior, qua repleor; vivit autem in me Chriſtus, ideſt ſicut anima ſobria me regit naturaliter, & diſponit ad omnem actum interiorem, ſic virtus Chriſti, cui unior gratuitè, me vivificat, & ad omnia me diſponit, ſicque Chriſtus in me docet, concionatur, orat, laborat, patitur, omniaque opera mea in me operatur, ita ut Paulus non tàm Paulus, quàm Chriſtus. & Paulus in Chriſtum, ac viciſſim Chriſtus in Paulum transformatus videatur, ſic & quilibet perfectus amator Chriſti quia amor, transformat amantem in objectum amatum. *Op. de ſeptem itin. æternit. itin. 4. d. 4. a. 4. op. itiner. ment. præfat.*

preſur.op.ſtim.div.am.p.2. c.8. op. de ſex Alis Seraph.c.6.op.de Inſtit.Sacerd.op.de dono itin. cap. 4. Ioan.c.5.v.30.

23. *Transformatio in Chriſtum qualiter fiat.*

Chriſto confixus ſum cruci, vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Nota verba, ſigna myſteria; & aſcende ad Calvariæ locum, & vide ibi tres crucifixos, duos Latrones, & in medio Chriſtum Jeſum patientem crucifixum; ut diſcas, quod priùs Latrones debes crucifigere, ſi vis in cruce Chriſti affixus cum Chriſto vendere, & vivere vitâ ejuſdem Chriſti Jeſu: Duo Latrones crucifigendi ſunt caro, & mundus: crucifigenda eſt caro ſicut dexter Latro, qui enim ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis *Gal. c.5.* mundus ut Latro ſiniſter, ut dicas mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo *Gal. ult.* & tunc in medio ſpiritus crucifigitur cum Chriſto: Crux carnis eſt rigor diſciplinæ, cujus quatuor ſunt brachia, ſcilicet vigilia, abſtinentia, aſperitas veſtium, & diſciplina verberum: Crux mundi eſt paupertas ſpiritus, cujus quatuor ſunt brachia, ſcilicet contemptus gloriæ, pecuniæ, patriæ, & parentelæ: Crux ſpiritus eſt fervor devotionis, cujus quatuor ſunt brachia, ſcilicet amor, ſpes, timor, & dolor, ſpes ſurſum, timor deorſum, amor à dextris, & dolor à ſiniſtris. *Luc. c.23.v.33.*

24. *Idem argumentum de transformatione animæ in Chriſtum.*

Chriſto confixus ſum cruci; vivo autem jam non ego, &c. Nota, quod Apoſtolus Paulus ruminans verba Chriſti dicta ſuis diſcipulis. *Ioan. cap.13. Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis*: & in *Exod. c. 25. Inſpice, & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Et videns quod dicit Chriſtus exemplum dedi vobis, ut faciatis, ſcilicet non ſolùm audiatis, vel dicatis, vel inſpiciatis, ſed unitim mecum faciatis ad exemplar meum: videns Chriſtum exemplar noſtrum poſitum, ſcilicet laborioſæ operationis per totam ſuam vitam, patientiæ, & longanimitatis in ſufferendis contumeliis, exemplar ſcilicet ſuſtinendæ mortis, & mortis crucis, & ob id exemplar fuit majeſtate authenticum, inenarrabili veritate rectum & integritate perfectum; ſic vitam ſuam vitæ Chriſti conformavit vias ejus tenendo, & veſtigia ipſius ſequendo; & per hoc docuit nos, ut aſpicientes ad tale exemplar debemus vitam noſtram formare, corrigere, & rectificare, vivendo ut ille vixit, prout poſſibile eſt, agendo, quæ ipſe fecit, ſuſtinendo quæ ipſe ſuſtinuit, deteſtando, quæ prohibuit, ut poſſimus cum Apoſtolo dicere Chriſto confixus ſum cruci, vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. & hæc eſt mors vitalis contemplativorum, & diligentium ardenter Chriſtum. *Ioan. collat.57. & 61.ſerm.1. in invent. S.Crucis: ſer.5. de plur. mart. Pſal.58. & 118. cap.8. verſ. 4. Luc. c.12.v.50.*

25. *Gradus aſcendendi ad Chriſti crucem, & vitam ſpiritualem ejuſdem per transformationem expenduntur.*

Chriſto confixus ſum cruci; vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. Si Paulus confixus eſt cum Chriſto in cruce, ergo ad crucem aſcendit; ſed quibus gradibus, vel qua ſcalâ? ſed quia hæc proponit Apoſtolus omnibus volentibus ſequi Chriſtum, tam incipientibus, quàm proficientibus, & perfectis: hinc diverſi gradus unicuique proponuntur: Pro incipientibus primus gradus charitatis infuſæ eſt dolor de culpa præterita tamquam oppoſita ipſi charitati: 2. gradus eſt propoſitum firmum cavendi futura peccata cum effectu: 3. gradus eſt delectatio in auditu divini ſermonis, amans enim libenter audit ſermones amati: 4. eſt promptitudo boni operis, charitas enim eſt maximè operativa: 5. gradus eſt triſtari de defectu ſpirituali alterius, & gaudere de profectu, quia charitas nititur omnia liqueſcere, & in unum conflare, ut ipſa uniantur: Pro proficientibus primus gradus eſt frequens, & jugis examinatio conſcientiæ de omnibus peccatis, & mortalibus, & venialibus, fervor enim charitatis opponitur cuicumque defectui etiam minimo, & aurea vaſa dominicæ domus meliorat, & fœnum, ſtipulamque conſumit: 2. gradus eſt concupiſcentiæ diminutio, quia charitas quo magis augetur, tanto magis concupiſcentia minuitur: 3. gradus eſt ſenſuum interiorum, & ſpiritualium exercitatio vitalis; ſicut enim exercitatio ſenſuum corporalium ſignum eſt vitæ corporalis, ſic ſpiritualium ſignum vitæ ſpiritualis: 4. gradus eſt ſtudioſa mandatorum Dei obſervantia, quia qui diligit me, ait Chriſtus, ſermonem meum ſervabit: 5. gradus eſt divinarum veritatum manifeſtatio, quia Deum diligens omnia, quæ ſunt objecti amati, quærit aliis communicare: Pro perfectis, gradus & ſigna quinque exteriora, & quinque interiora proponuntur: Exteriorum primum ſignum eſt, ſi quis pro ſalute proximi morti paratus eſt: 2. eſt diligere propter Chriſtum etiam inimicos: 3. eſt omnia adverſantia gaudenter ſuſcipere, & patienter ſuſtinere: 4. eſt eſſe paratum omnibus renuntiare creatis pro Chriſto ſequendo: 5. eſt nihil aliud quàm ſolùm Deum timere: Interiores verò gradus ſunt ſequentes, primus eſt continere in corde profunda & intima ſuſpiria mentis, & hic eſt effectus continuæ memoriæ dulcis Jeſu: 2. ſunt alta deſideria, quibus anima continuè ſurſum tendit: 3. ſunt cogitationes languidæ, quia ubi eſt fervens amor, ibi cogitatio faſtidit omne aliud ab amato: 4. ſunt expectationes tædioſæ, quia amor perfectus velociſſimè, & acutiſſime tendens in amatum, & omne id, quod ab hoc curſu impedit, tædio animam afficit: 5. ſunt affectiones ecſtaticæ, per quas anima ſui oblita relictis omnibus creatis tendit in Chriſtum, & vitâ ſolius Chriſti vivit. *Op. de ſeptem itiner. æternit. itin. 4. d. 4. per totam: & d. 5. per totam.*

26. *Transformationis perfectæ in Chriſtum aſſignantur alii gradus.*

Chriſto confixus ſum cruci, vivo autem iam non ego, vivit verò in me Chriſtus: Nota, quod in his verbis aſſignat Apoſtolus perfectiſſimam transformationem animæ in Chriſtum: cujus primus gradus eſt vulneratio animæ jam unitæ per amorem Chriſto Jeſu, quando enim igneos amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque tranſverberat in tantum, ut æſtum cohibere animo non valeat, deſiderio ardet, affectu ferver, æſtuat, anhelat profundè ingemiſcere faciens, & longe ſuſpiria extrahens. 2. gradus eſt ligatio animæ faciens omnium oblivi ſci, ut aliud meditari non valeat, quia quicquid agat, quicquid dicat, ſemper dilectum mente revoluit 3. eſt mutua inhæſio, qua ſe mutuo amant, & redamant Deus, & homo, ſibique viciſſim bona volunt, & procurant: 4. eſt transformatio amoroſa in Chriſtum, omnium oblivionem, & ſui ipſius etiam afferens: 5. eſt cogitare aſſiduè, & in oculis mentis habere Chriſtum, & Deum: 6. eſt ecſtaſis, & raptus animæ in Deum. *op. de ſeptem itin. ætern. itin. 4. d. 3 ſeq.*

27. *Transformatio ſancti Patris Franciſci in Chriſtum expenditur.*

Chriſto confixus ſum cruci, &c. vivo, &c. Nota, quod licet ſancti ad imitationem Apoſt. per amorem transformati fuerint ſpiritualiter in Chriſtū crucifixum; de qua multiplici transformatione *Vide op. de ſeptem itin. æternit. itin. 4. d. 5. a. 1.* Tamen ſuper omnes ſanctos Seraph. Sanctus P. Franciſcus transformationem mirabilem contraxit, quando à Chriſto in effigie Seraphini ſibi in monte apparentis, mirabilem in mente ardorem recepit; & in carne non minus mirabilem admiſit effigiem, ut jam non tam terreſtris homo, quàm cæleſtis Seraph, & imago crucifixi videretur; cum quinque Salvatoris vulnera, quaſi totus in Chriſtum transformatus, & ignis charitatis Chriſti uſſiones de monte detulit, toti mundo prodigium, & portentum factus. *Op. Itiner. ment. in præfat. & c. 7. op. legenda S. Franc. c. 13. op. medit. in præfat.*

28. *Sine gratia nobis per Chriſtum adveniente non poteſt homo ſalvari.*

Non abijcio gratiam Dei. Cur hoc ô Apoſtole? quia cum Chriſtus tradiderit ſemetipſum pro me, mihi promeruit gratiam Dei, quam ſuper omnia æſtimo; quia per ipſam ſolam ſalus mihi in promptu eſt; ſi enim aliundè ſalutem poſſem habere, fruſtrà Chriſtus mortuus eſſet, quod eſt impoſſibile. *Ser. 2. Hexam. lib. 2. d. 28. a. 1. q. 1.*

CAPUT III.

In hoc capite totus eſt Apoſtolus in probando quod juſtificatio noſtra eſt non per legem, & opera legis, ſed per fidem Chriſti, quod probat multis rationibus.

29. *Concupiſcentia faſcinat, & excæcat oculos noſtros, & ſtultos reddit homines.*

O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus proſcriptus eſt, & in vobis crucifixus eſt? Nota, quod in his verbis Apoſtolus hoc convivio charitativo reprehendit Galatas, eo quod veluti ſtolidi faſcinati ab infidelibus, vel Hæreticis, reliquerant dogmata catholicæ doctrinæ de Chriſto crucifixo ab ipſo eis prædicata: myſticè repræſentat faſcinationem, quam ingerit nobis noſtra concupiſcentia, & mundi vanitas, quæ veluti præſtigiatrix ſenſuum tegens miſeriam noſtram, & fragilitatem oſtentat ante oculos noſtros corporis juventutem, ſtabilitatem, ſanitatem, pulchritudinem, & fortitudinem, & ſic deludens ſenſus ſpirituales, & oculum rationis obſcurat, & tegit animæ bona ſpiritualia, & hæc eſt facinoroſa concupiſcentia, quæ nos inducit veritati non obedire, & hinc eſt, quod plurimi velut farni, & faſcinati vivunt toto tempore vitæ Deo inobedientes ſolùm temporalia ſectantes, & ſpiritualia abhorrentes. *Ser. de animabus.*

30. *Maxima diaboli faſcinatio relinquere ſcientiam, & maximas Chriſti pro maximis mundi.*

O inſenſati Galatæ quis vos faſcinavit non obedire veritati ante quorum oculos Jeſus Chriſtus proſcriptus eſt, & in vobis crucifixus? O quam rationabiliter Apoſtolus dicit Galatas eſſe veluti faſcinatos, & incantatos, & ſtultos, ſeu cæcos, dum relictâ ſcientiâ Chriſtianâ, quam ipſe eis prædicaverat, & oſtenderat in Chriſto crucifixo, ad mundanas ſcientias, & ad falſitates mundi, & impiorum ſe converterant: Hæc continuè dirigentur contra Chriſtianos plurimos, quibus cum ſit præſcriptus, & propoſitus veluti liber apertus Chriſtus crucifixus, & in ipſo doctrina cæleſtis ſequenda; hac relictâ ad maximas mundi, carnis, & diaboli ſe convertunt; & hæc eſt faſcinatio, incantatio, & ſtultitia, vel cæcitas, quam diabolus imprimit in vecordes, & malos Chriſtianos, quibus meritò dici poteſt ô inſenſati Chriſtiani, quis vos, &c. *Ser. 2. in conver. S. Pauli.*

31. *Chriſtus crucifixus nobis expoſitus medium ſufficiens ad cognoſcenda myſteria noſtræ fidei.*

O inſenſati Galatæ &c. ante quorum oculos Chriſtus Jeſus proſcriptus eſt &c. Ecce quomodo indicat Apoſtolus neminem excuſationem legitimam poſſe

Digitized by Google

poſſe habere de ſalute perdita, de operibus virtuoſis omiſſis, de cognitione myſteriorum fidei; dum nobis propoſitus eſt Chriſtus crucifixus, in quo poſſumus legere omnia myſteria fidei, eaque perfectè agnoſcere; in quo habemus ſubſtantiam omnium miraculorum, quæ à fide dictantur; in quo exercitia omnium virtutum poſſumus apprehendere; & tamen cum talis ſcriptura, vel liber ſit tam clarus, omnibuſque cujuſcumque conditionis expoſitus, à multis proſcribitur, & rejicitur ad diaboli partes ſe convertentibus: ô inſenſati Chriſtiani aſpicite quid vobis ante oculos exhibetur, aſpicite ad Chriſtum crucifixum; & diſcite quid vobis agendum ſit. *Luc.c.11.v.33. & cum Seraph.Doctore SS.Patres.*

32. *Infelicitas Chriſtianorum, maximèque Religioſorum benè incipientium in via ſpiritus, poſtea retrò recedentium per viam carnis expenditur.*

Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu caperitis, nunc carne conſummemini? tanta paſſi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa. Nota, quòd ad litteram Apoſtolus reprehendit Galatas, qui prius apprehenſâ viâ ſpiritus Evangelici per Sacramenta, poſtcà ad obſervantiam legalium cæremoniarum ſe converterant; ſed tamen myſticè iſta benè quadrant contra illos Chriſtianos, & maximè Religioſos, qui viam perfectionis calcare incipiunt aſcendendo de virtute in virtutem ad montem perfectionis, ſpiritus regulas arripiunt, ſed poſtea vel tædio affecti, vel timore laboris redeunt retrò, in carne conſumuntur ſe immergentes in mundanis, & carnalibus voluptatibus, iſtique deridentur à diabolo, & ab hominibus pro temeritate in præſumendo, pro inſtabilitate in proſequendo, pro puſillanimitate in deſiſtendo: ô quot, quot inveniuntur ex his ſtultis in Eccleſia Dei? quibus poteſt verè dici, ô ſtulti tanta paſſi eſtis ſine cauſa, ideſt ſine fructu, ſi tamen ſine cauſa. quod erit ſi reſipiſcatis. *Luc.c.14. verſ.29.& 30 ſerm.2. Dom.16.Pentec.*

33. *Fides in Chriſtum reddit homines filios Abrahæ & benedictos in Chriſto.*

Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam &c. Igitur qui ex fide ſunt benedicentur cum fideli Abraham. Nota, quòd ad excitandos Galatas Apoſtolus affert fidem Abrahæ, qui credidit Deo, ſcilicet ex ipſo naſcituram fore Chriſtum, & in cujus fide juſtus factus eſt, & benedictus à Deo; per quod datur nobis intelligi primò, quòd credentes in Chriſtum filii Abrahæ verè dicuntur, ſecundò quòd fides fundamentum, & origo eſt totius ſanctitatis, & juſtitiæ; afferrque benedictionem divinam animæ. *Op. Dict. tit.5. cap.3.*

34. *Tranſgreſſio præceptorum Dei maledictionem divinam affert animæ.*

Scriptum eſt; maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis. Nota, quòd hic textus deſumptus eſt ex *Deut. c.27.* in quo à Deo fulminatur maledictio contra omnes tranſgreſſores legis Decalogi, quam maledictionem nunc confirmat Apoſtolus; quia major maledictio non poteſt incurri ab homine, quàm Dei gratia privari, & igni æterno deſtinari; maledictio autem iſta meritò eſt pronunciata contra tranſgreſſores legis divinæ, ob idque eſt veluti quædam excommunicatio ſeparans animam à Deo, & in poteſtatem ſatanæ inducens. *Ser.3.Dom.2. Adv. Pſal.59.lib.4.d.25.q.1. qu.2.ad 1.ſap.c.1.& 14.op.ſpec. B. Virg. lect.15.op. Phar.l.3.c.3.*

35. *Chriſtus Jeſus in ſe ſuſcepit noſtram maledictionem moriendo in cruce, ut ipſam deſtrueret; & benedictionem omnem afferret.*

Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Ecce quanta, & qualis Chriſti Jeſu pietas, charitas, & humilitas, qui ut maledictionem contra nos fulminatam deſtrueret, voluit veluti maledictus in ligno ſuſpendi, & in ſeipſo ſuſcipere omnia maledicta legis, ignominias, paſſiones, & pœnas, ut nos ab omni maledictione liberaret, & benedictionem pararet. *In Thren.c.2. ſer.1.de S. Nicolao lib.4.d.3.p.2. qu.1. Luc.c.2.v.34.& c.23.v.21.*

36. *Ex ſemine in utero Virginali Mariæ nobis provenit omnis benedictio.*

Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus; non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno; & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus: Nota autem hic, quòd Chriſtus proponitur ſub ratione ſeminis, non ſolùm, quia derivatus eſt ex Abraham, ſed quia in utero Virginis Mariæ ſeminatus eſt, ex qua ſeminatione nobis provenit omnis benedictio. *Pſal.72. Ioan.c.3. v.16.& c.8. v.40 ſer.4.Dom.ſexag.*

37. *Legis divinæ beneficia nobis à Deo proventientia expenduntur.*

Quid igitur lex? ideſt ad quid poſt promiſſiones factas de Chriſto ſubintroducta eſt? Propter transgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per Angelos: Vide ad quid lex à Deo data eſt homini; ſicut Principis equus indiget fræno, ſic proniras ad malum, & interitum proveniens ex concupiſcentia indiguit fræno præceptorum juſtitiæ, ideoque dedit hominibus legem, tum ut tranſgreſſiones punirentur, tum ut ex cognitione legis agnoſceret homo peccata ſua, quæ contra legem committit, ſibique Chriſti gratiam opus eſſe ad eam implendam, & per hoc lex tacitè homines ad Chriſtum tranſmittebat. *Op.Dict.Append.ad Dom.13.Pentec.*

38. *Lex Decalogi, quam benè ordinata, quàm firma, & quam connexa cum lege Evangelica.*

Quid igitur lex? ideſt ad quid data eſt populo Judaico? Propter tranſgreſſiones poſita ordinata per Angelos in manu mediatoris. Nota, quòd in his verbis exprimit Apoſtolus excellentias legis Decalogi datæ à Deo populo Iſraëlitico, & conſequenter & nobis; cum enim ſit lex æterna, dictata à jure naturali omnes homines ligat: hæc igitur poſita eſt à Deo, ideſt ut legit Græcus diſpo

diſpoſita apto ordine, ſcilicet medians inter legem naturæ, & Evangelicam, & ad iſtam diſponens homines: apto tempore, & modo, quia ad Deum colendum, ad proximum non lædendum, & ad hominem in ſeipſo componendum per leges morales diſponebant: Nota autem, quod dicit, *ordinata per Angelos*, quia Deus non per ſe, ſed per Angelum locutus eſt Moyſi, qui dicitur mediator repræſentans ipſum Chriſtum venturum ad uniendam ſimul legem Decalogi cum Evangelica. *Pſal.*118. *v.*33. *ſer.*2. *&* 9. *Hexam. ep. Itiner. ment. c.*4. *op. Eccleſ. Hier. p.*4. *c.*1. *ſer. de S. Michaele: ſer.*1. *de Angelis.*

39. *Baptiſmi ſacramenti effectus mirabiles expenduntur.*

Quicumque in Chriſto baptizati eſtis Chriſtum induiſtis. Quid eſt Chriſtum induiſtis? quomodo Chriſtus dicitur veſtis induens hominem? ſed tamen per hoc explicantur mirabiles effectus ſacramenti Baptiſmi; nam cum homo priùs eſſet filius iræ, & diaboli per culpam, purgatus poſteà per aquam ſacramentalem deponit omnem veſtem veterem, & induit animam gratiâ ſanctificante, ornatur omnibus virtutibus infuſis, & ipſum Chriſtum veluti veſtem recipit, & unum cum ipſo ſpiritualiter fit: *Ser.*1. *de S. Ioan. Evangel. Vide op. Comp. Theol. lib.*6. *c.*9. ubi plures effectus expenduntur: Vide etiam quæ dicebat S. Agnes loquens de ornatu multiplici animæ ſuæ ſupperaddito ex unione cum Chriſto in baptiſmo, ornavit me (dicebat) dextrocherio, dexteram meam, & collum meum, &c. ut eſt apud *S. Ambr. ſer.*90. *& in ejus officio.*

40. *Mirabiles effectus, & nobilitas Chriſtianiſmi expenduntur ex baptiſmo.*

Non eſt Judæus, neque Græcus, non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus neque fœmina; omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Ieſu; ſi autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis ſecundum repromiſſionem hæredes. Ecce mirabilia magna, quæ affert ſecum fides Chriſti, & ſacramentum Baptiſmi, quia in Chriſtianiſmo, in baptiſmo, & fide Chriſti nulla apud Deum eſt differentia generis, conditionis, aut ſexus, ſed omnes quicumque illi ſunt, unum ſunt corpus Chriſti myſticum, ſcilicet Eccleſia, cujus caput eſt Chriſtus, quia omnes unam formam, unam vitam, & animam quaſi veſtem, unam, eamdemque figuram Chriſti induti ſunt, ità ut videantur omnes eſſe unus homo, unuſque Chriſtus, & ob id hæredes benedictionis Abrahæ promiſſæ: nam licet ſit ordo, & diſcrimen in Eccleſia quantum ad dona gratis data, & quantum ad dona naturæ; non tamen quantùm ad ſacramenta, & unionem charitatis. *Lib* 4. *d.*14. *p.*1 *a.*2. *q.*1. *ad* 1. *& dub.* 36. *a.*1. *qu.*1. *Luc. c.*3. *v.*8.

CAPUT IV.

41 *In hoc capite Apoſtolus proſequitur oſtendens nobilitatem filiorum Evangelii ſuperiorem ſuper ſtatum legis Hebraicæ.*

42. *Deus ab inferioribus gradibus, & imperfectis paulatim trahit ſuos ad ſuperiora, & perfecta.*

Quanto tempore hæres parvulus eſt, nihil differt à ſervo, &c. Nota, quòd ex modo, quo Deus conduxit Judæos veluti parvulos ad cognitionem altiorem myſteriorum Incarnationis Dominicæ, edocemur qualiter Deus ſuos fideles à minimis, & imperfectioribus paulatim trahit ad maxima, &c. Primò enim Judæos diſpoſuit ut parvulos, rudes & imperfectos tum in cognitione, tum in amore Dei; & juſtitiæ, & ſalutis; eis enim dedit legem imperfectam cum cæremoniis imperfectis, quarum ſignificationem non intelligebant, ut ſic per Judæos in omnibus gentibus totius mundi homines docerentur fidei, & pietatis rudimenta, ut paulatim ſe diſponerent ad apprehendenda maxima myſteria fidei adveniente plenitudine temporum, ſcilicet Incarnationis dominicæ; Talis enim eſt mos Dei ab imperfectioribus gradibus trahere ſuos ad perfectiores, & ad ſublimiorem cognitionem myſteriorum fidei. *Ser.*22. *Hexam. Luc. c.*7. *v.*10. *ep. Brevil. p.*4. *c.*4.

43. *Solum qui priùs fit parvulus ad regnum introducitur.*

Quantò tempore hæres parvulus eſt nihil differt à ſervo, &c. Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius. Nota, quòd iſte eſt ordo præfinitus à Deo ſuis ſervis, ut priùs ſint parvuli, & ſervi obedientes, ut ſic paulatim ad poſſeſſionem regni perducantur: Exigit enim in ſuis parvitatem, ſubjectionem, humilitatem, obedientiam tamquam fundamentum totius vitæ ſpiritualis ſuper quod ædificat fabricam perfectionis, & erigit ſuos ad poſſeſſionem regni. *Ser.*2. *de S. Antonio. Ioan. collat.*44.

44. *Peccator ſervus eſt omnium creaturarum; ad Deum ſe convertens fit liber, & Dominus omnium.*

Cum eſſemus parvuli ſub elementis hujus mundi eramus ſervientes: At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, &c. ut adoptionem filiorum reciperemus. Nota, quòd ex miſerabili ſtatu gentilitatis antè Incarnationem, in quo ſerviebant homines captivi diabolo, infertur miſera calamitas peccatoris à Deo averſi, in quo ſtatu ſervus & captivus diaboli & omnium creaturarum vitam miſerabilem degit, ſicut è contrà ad Deum ſe convertens, depoſita vetuſtate ſervitutis ad filiationem Dei erigitur, & ad poſſeſſionem regni tamquam hæres, & cohæres Chriſti. *Luc c.*7. *v.*20. *& c.*10. *v.*13. *Ioan collat.*44.

45. *Plenitudo temporis cur dicitur tempus Incarnationis Dominicæ.*

At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, &c. Quæritur hic cur tempus Incarnationis

Digitized by Google

nationis appelletur plenitudo temporis ? & cur Incarnatio non fuit facta ſtatim poſt peccatum, ut tunc eſſet plenitudo iſta temporis? Reſpond. quod ſi Incarnatio facta fuiſſet in principio, non fuiſſet facta in plenitudine temporis ; ratio eſt, quia Incarnatio eſt opus primi principii reparantis, ſecundùm quod decet . & convenit ſecundùm libertatem arbitrii , ſecundùm ſublimitatem remedii , & ſecundùm integritatem univerſi. Libertas autem arbitrii hoc requirit, ut ad nihil trahatur invita , ideò debuit Deus genus humanum reparare , ut ſalutem inveniret . qui vellet quærere ſalvatorem & qui nolleт quærere, eam non inveniret ; nullus autem quærit medicum , niſi recognoſcat morbum ; & quia homo in principio ſui lapſus ſuperbiebat de ſcientia , & virtute , ideò præmiſit Deus tempus legis naturæ , in quo convinceretur de ignorantia ; & poſt cognitâ ignorantiâ , ſed permanente ſuperbiâ de virtute, qua dicebat , non deeſt qui faciat , ſed deeſt qui jubeat , addidit legem præceptis moralibus erudientem , & cæremonialibus aggravantem , ut habitâ ſcientiâ , & cognitâ impotentiâ , confugeret homo ad divinam miſericordiam , & gratiam poſtulandam , quæ data eſt nobis in adventu Chriſti, ideò poſt legem naturæ , & ſcriptæ ſubſequi debuit Incarnatio Verbi? Rurſus ſublimitas remedii requirit , ut credatur fide firmiſſimâ & ametur charitate ardentiſſimâ tamquam remedium ſecuriſſimum , & ſaluberrimum , ideò congruum fuit , ut ante Chriſti adventum præirent multa teſtimonia Propheтarum tùm explicita verbis , quàm implicita in figuris, ut multis, & firmis teſtimoniis quod erat ſecretum fieret certum , & indubitabile ad credendum : præirent etiam multiplicia promiſſa , & ardentiſſima deſideria , ut promiſſum beneficium expectaretur, expectatum differretur . dilatum amplius deſideraretur , & deſideratum fervenтius amaretur, & amatum gratioſiùs ſuſciperetur, & ſuſceptum ſollicitiùs ſervaretur : Poſtremò quia integritas , & perfectio univerſi requirit , ut univerſa ſint ordinata quantùm ad loca , & tempora ; & cum hoc opus Incarnationis eſſet perfectiſſimum inter omnia opera ; & proceſſus ſit ab imperfecto ad perfectum ; hinc eſt , quod opus illud debuit fieri in fine temporum ; ut ſicut primus homo ſexto die factus eſt ad totius mundi ornamentum ; ſic ſecundus homo eſſet totius mundi complementum , in quo primum principium conjungitur cum ultimo, & in ſexta mundi ætate, quæ eſt ætas apta ad exercitium ſapientiæ ad enervationem concupiſcentiæ, & ad tranſitum à ſtatu turbinis ad quietem ; quæ omnia competunt ſextæ ætati decurſus mundi propter Incarnationem Filii Dei , & hæc omnia dicunt plenitudinem temporis , ſcilicet in qua Adventus Filii Dei fuit in tempore legis gratiæ , quæ implet legem ſcriptam , & ſolutio promiſſi implet promiſſionem , & ob id dicitur plenitudo temporis ſcilicet adimpletio omnium myſteriorum. *Op. Brevil. p. 4. c. 4. lib. 3 d. 1. dub. 1. & a. 2. qu. 2. & d. 10. a. 2. qu. 2. & lib. 1. d. 15. qu. 1 Centil. p. 3. c. 22. op. Comp. Theol. lib. 4. c. 5. & 6. op. medit c. 4. op. ſpec. B. Virg. lect 16. op. lignum vitæ : Luc. c. 1. v. 26. & 57. ex. v. 6. Ioan. c. 7. v. 6. & 30.*

46. *Mariæ virginitas , concurſus ipſius cum Patre æterno , & tota Trinitate ad opus Incarnationis expenditur.*

Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere , factum ſub lege. Cur dicitur ex muliere , cum iſta vox videatur inferre præjudicium puritati Mariæ ? cur non dicit factum ex Virgine ? ſed reſp. ex communi conſenſu SS. PP. cum Seraph. Doctore , quod Apoſtolus mulierem non pro corruptela integritatis , ſed pro ſexus indicio nominavit ; ideoque non dixit natum ex muliere (licèt Græcus legat natum , & hoc non male) ſed melius dicitur factum.ſic enim ipſo ſtylo viri concurſum ad hoc opus abfuiſſe explicuit , quia vir ex muliere non dicitur facere filium , ſed ex ſe gignere ; undè Paulus dicens factum ex muliere oſtendit , quod qui à Patre genitus , non factus erat , genitus à Matre jam factus aſſerendus ex majori obſervatione , quoniam jam habebat eſſe genitum ab æterno , denuóque eſſe factum incæpit ; & hoc ſtylo altiſſimè expreſſit proceſſionem Filii à Patre , veritatem corporis humani è muliere geniti abſque ope viri , & totius Trinitatis opus , cui indiviſè quicquid ad extra ſit adſcribitur , licet hypoſtaſis Filii , qua geniti ad ſolum divinum Patrem referatur . & Mariæ ſimul ſtatum explicat , ſcilicet quod Filius Dei genitus fuerit, factus , & natus ex Virgine muliere , ſcilicet deſponſatâ viro , ſeu uxore quam nulla maritalis officii inquinavit conventio : Hæc ex *Seraph. Doct. ſparſim in ſpec. ex S. Ambroſ. Auguſt. aliiſque ſanctis Patribus.*

47. *Ex Maria , & per Mariam Virginem manifeſtatus eſt Chriſtus Dei Filius.*

Miſit Deus filium ſuum factum ex muliere. Nota, quod inter Patrem generantem filium , & Matrem gignentem eumdem non ſine myſterio interpoſuit,ly,ſuum , miſit Deus filium ſuum ; ad quid addit , ſuum , ſi jam præmiſerat miſit Deus filium ? ſed hoc factum eſt , ait *Ambroſ. & Anſelm.* ut generationis paternæ , & æternæ in illo manere proprietatem oſtenderet,ut qui ſuus tantùm erat , ideſt Patris Filius , jam Matris eſſet, & ex ſitu communis utriuſque oſtenderetur ; ſicque Patris eſſe Filius appareat , quando humanum ex Matre habitum portat , & figuram. *Ita ſancti PP. ſupracit.*

48. *Ex Maria Chriſtus homo prodiit ſub lege , & præcepto moriendi pro homine.*

Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere , factum ſub lege. Nota , quod ſtatim ac oſtenditur Chriſtus factus ex Maria , etiam declaratur ſub lege : ſub qua lege ? ſub lege(ait Athan.)& præcepto à Patre impoſito moriendi pro Redemptione mundi ; ut videas , quod ex humanitate hauſta à Maria exhibuit tantam pietatem , ut ſe exhibuerit morti pro ſalute hominum ſtatim ac carnem ab ipſa ſuſcepit. *Sic Athanaſ. Bern. aliique PP. & S. Bon. op. lignum vitæ, & op. ſpecul. B. Virg.*

49. *Per adventum Verbi in carnem ex Maria exhibita eſt homini filiatio divina.*

At ubi venit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Nota ordinem verborum; in plenitudine temporum, miſit Deus Filium, quem ab æterno generabat, ipſumque homini univit, ut ſic per illum homo fieret Deus, & per illum mentes noſtræ reducerentur in Deum, quæ illam ſimilitudinem Patris per fidem in corde ſuſcipiunt, & ſic filii Dei nominamur, & ſumus; undè ſubdit *quoniam eſtis filii Dei, miſit Deus ſpiritum filii ſui in corda clamantem, Abba Pater.ep.de reduct. artium Luc.c.11.v.1.lib.1.d.11.dub.3.& qu.1.*

50. *Ingratitudo hominis poſt acceptam filiationem Dei ad peccatum revertentis expenditur.*

Itaque jam non eſt ſervus, ſed liber (ideſt qui accepit gratiam filiationis divinæ) *quod ſi filius, & hæres per Deum.* Ecce quid operatur in anima gratia Dei, reddit enim hominem filium Dei, hæredem, & cohæredem Chriſti: Nota ſequentia verba ô peccator: Nunc autem cum cognoveritis Deum, imò cogniti ſitis à Deo, ſcilicet ut filii chariſſimi; quomodo convertimini iterum ad infirma, & egena elementa, ideſt ad vanitates priſtinas, & ad peccata? hinc in his verbis exprimit miſerandam ingratitudinem illorum, qui cum miſericorditer ad pœnitentiam, & amicitiam collecti fuerint à Deo, rejicientes denuò gratiam tam pretioſam, ſe præcipitant in priſtina vitia, in hoc enim culpabiliores fiunt, quo priùs erant Deo acceptiores, & hinc merentur perdere omnia dona Dei. *Op. Phar. lib. 3. c.21.* Nota autem, quod iſta mundana vocat meritò elementa egena, & mendica, ut legit *Tertull.* quia iſta creata ſunt vana, mendica, nullius valoris, inefficacia, nec valentia ſatiare, vel replere vacuitatem animæ noſtræ. *Eccles. proœm. & cap.1.*

51. *Obſervantia dierum, & temporum, & motuum ſtellarum, & feſtorum qualis licita, & qualis illicita.*

Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos; timeo vos, ne forte ſine cauſa laboraverim in vobis. Super hæc verba quæritur de qua obſervatione hîc tractat Apoſtolus, & an rejecerit obſervantiam dierum feſtorum, vel ſtellarum? Reſp.S. Auguſtinus, quòd cum ſupra per elementa egena acceperit Solem, Lunam, & Idola, quæ à Gentilibus colebantur, nunc per hos dies conſequenter accipit dies fauſtos, vel infauſtos juxta Aſtrologiam judiciariam, vel Gentilium ſuperſtitionem: S. Joannes Chryſoſtomus; S. Hieronymus, aliique reſpondent intelligere obſervantias Judaïcas per dies, ſcilicet Sabbata: per menſes, Neomenias, ſivè Novilunia, & menſem ſeptimum, qui totus pœnè ſacer erat & feſtus in lege veteri: per tempora, feſta quatuor temporum anni, ſcilicet Paſcha feſtum veris: Pentecoſtes feſtum æſtatis; feſtum expiationis in Autumno; & Encænia, feſtum hyemis: per annos, ſcilicet ſeptimum remiſſionis, & quinquageſimum Jubilæi; de quibus *S.Bon.in Præfat. ad Pſalm.* Intelligit item Apoſtolus per obſervantias dierum, menſium, & annorum omnes cæremonias legis veteris per ſinecdochen, quas abolitas per fidem Chriſti ij ſis oſtenderat: His poſitis: quæritur qualis obſervantia tùm feſtorum, tum ſtellarum ſit licita, & qualis illicita? Reſp. primò quoad feſta, hic ſolùm damnari feſta non tantùm Gentilium, ſed & Judæorum ſecundùm cæremonias; & obſervantias legis ſcriptæ; non verò feſta Chriſtianorum, quæ à nobis celebrantur in memoriam Chriſti Jeſu, ſcilicet Nativitatis, mortis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Chriſti, & miſſionis Spiritus ſancti; feſta item ſanctorum, de quibus agit Cardinalis Bellarminus. Reſpondetur ſecundò quoad obſervationem temporum, quod tempora & conſtellationum motus ſi obſerventur quantùm ad naturam in his quæ ſubſunt naturæ, ut quantùm ad actum ſeminandi, navigandi, Eclipſes, ad novilunium, plenilunium, & ſimilia, & hoc eſt licitum, quia naturaliter iſta poſſunt cognoſci, & ſunt purè naturales iſti effectus, aut quoad obſervantiam feſtorum, & cultum divinum, ſicut inſtitutum eſt ab Eccleſia, ſicut & in contractione matrimonii, & hoc licitum eſt, & ſanctum ob myſteria, quæ in his intendit Eccleſia: aut in iis obſervatio ſit, quæ ſunt ſuprà naturam, ut ea, quæ ſunt vel gratiæ, vel liberi arbitrii, & hæc non eſt licita, ſed prohibita, & maledicta, & ad hanc obſervantiam ſpectat Aſtrologia judiciaria: Vide quæ tradit fusè, & doctiſſimè Seraph. Doct. *lib.2.d.14.p.2.a.2.qu.2.lib.4.d.32.a.4. qu.ad 1.*

52. *Quale teſtimonium exigatur in Prælatis, Prædicatoribus, & aſſumendis ad curam animarum.*

Ubi eſt ergo beatitudo veſtra? teſtimonium enim perhibeo vobis, quia ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi; ergo inimicus vobis factus ſum verum dicens vobis? Nota ad litteram, quod Paulus objicit Galatis promptitudinem ipſorum, & conſolationem, quam oſtenderant priùs in recipiendo ipſum Paulum ad prædicationem, beatos ſe exiſtimantes, quod vir tam boni teſtimonii, & veridici, & tantæ ſanctitatis Prædicator ipſis miſſus fuerit, quibus non obſtantibus ſe decipi permiſerunt à Pſeudo-Apoſtolis, oppoſitam, & falſam doctrinam prædicantibus: myſticè hic dat intelligere quale teſtimonium honeſtæ vitæ, & bonæ famæ debeat ineſſe in Prælatis, Prædicatoribus, & aſſumptis ad curam animarum, qui enim non habent tale bonum teſtimonium debent ab his gradibus excludi. *Ser.2.Dom.infrà oct.Aſcenſ.*

53. *Æmulatio bona, & mala qualis.*

Æmulantur vos non benè; ſed excludere vos volunt, ut illos æmulemini; bonum autem æmulamini in bono ſemper, & non tantum cum præſens ſum apud vos. Proſequitur hîc Apoſtolus in ſuadendo Galatis, ne aures, & cor intendant pſeudo-Apoſtolis, qui mali, & peſſimi æmulabantur Paulo docentes contraria doctrinæ eis prædicatæ; *cavete*, ait, *ab iſtis æmulatoribus iniquis, qui vos excludere intendunt à ſtatu gratiæ fidei Chriſtianæ;*

ſtiana ; ſed æmulamini ſemper bonum , & quod honeſtum, & quod vos docui, ex quo patet, quòd æmulatio, quæ eſt livoris , vel concupiſcentiæ , & quæ lædit charitatem Dei , & proximi , & præjudicat Dei ſervitio , debet à Chriſtianis vitari, etiam in eo, quod primâ facie apparet bonum; ſed æmulatio , quæ amorem , charitatem , Dei cultum, & ſervitium procurat ſectanda , & amplexanda : in prima enim non quæruntur à talibus , quæ ſunt Dei , ſed quæ ſua ; in ſecunda quæritur tantùm quod Dei eſt : Undè de malis æmulatoribus dicit Apoſtolus ; æmulantur vos non benè , ſed excludere vos volunt , ut illos æmulemini , hoc eſt non bono zelo præſunt vobis, qui per ſua prava exempla excludunt vos ab imitatione Chriſti , ut mores eorum diſcatis, & exempla ſequamini. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 6. Pſal. 36. & 118. c. 8. v. 5.* & audiant hæc Religioſi, Prædicatores ; congregationes ſacræ , quæ ad ſe, & ad ſuas Eccleſias frequentias populorum attrahere curant malis artibus, & cum præjudicio charitatis &c.

54. *Prælatus, Prædicator , & Curatus animarum ſit Pater, Mater, & nutrix ſubditorum.*

Filioli mei , quos iterum parturio , donec formetur Chriſtus in vobis ; vellem autem eſſe apud vos modo , & mutare vocem meam , quoniam confundor in vobis ; ideſt perplexus ſum , neſciens quomodo debeam ſcribere appoſitè vobis , ut vos permoveam. Ecce qualem æmulationem fovebat Apoſtolus in pectore ; & hoc eſt , quod debent Prælati , Prædicatores, & Curati animarum habere; eorum enim affectus debet eſſe ad ſubditos conſimilis affectui Patris ad Filium , matris ad prolem, nutricis ad infantem exemplo Apoſtoli , qui fideles per ipſum converſos modò ſe dicit in Chriſto genuiſſe , modo ut filios parturire , modò ſicut parvulos in Chriſto lactare, quemadmodum filium pauperculum ſuſtentari , invalidam prolem foveri , & gementem infantem lactari nequaquam eſt Patri, vel Matri , vel nutrici moleſtum , ſed deſiderabile , charum & placitum : ſic etiam omnibus Sacerdotibus ſanctis , & piis magnum debet eſſe ſolatium , quoties ſalus procuratur plebium ſubjectarum , ut quilibet formetur , & Chriſti formula fiat. *Op. Apol. Paup. Reſp. 4. c. 3. Thren. c. 2. op. de ſex Alis Seraph. cap. 6. Luc. c. 8. v. 21. & 51.*

55. *Status Chriſtianiſmi ſublimiſſimus expenditur ad differentiam ſtatus legis ſcriptæ.*

Scriptum eſt, quod Abraham duos filios habuit unum de ancilla ſecundum carnem &c. Nota, quòd allegoricè Apoſtolus afferens in medium duos filios Abrahæ, alterum de Agar famula, alterum de Sara libera , & uxore, & proſequens hanc hiſtoriam , quæ habetur in *Gen. c. 25.* & allegoricè ipſam explanans tradit, quòd ſtatus populi Judaici figuratus fuerat in Agar, quia lex ſcripta in ſervitutem , & timorem vivere faciebat eos ; & ſtatus populi Chriſtiani in Sara , & Iſaac , qui eſt ſtatus libertatis, quia in hoc ſtatu lex Evangelica excludit ſervitutem vitiorum, & inducit libertatem amoris , & charitatis , & aſcenſum proponit menti per ſpem ad cæleſtem Jeruſalem , quæ repromiſſa eſt viventi perfectè in ſequela Chriſti. *Ser. 2. Hexam. ſer. 16. & 22. ibid. ſap. c. 9. Pſal. 67. & 72. op. de ſex Alis Seraph. c. 8. op. Itiner. ment. c. 4 ſer. 3. Vigil. Nativ. ſer. 2. Dom. 12. Penter.*

56. *Qui non ejicit è domo ſua ancillam, ejicietur de domo cæleſti in æternum.*

Nos autem fratres ſecundum Iſaac promiſſionis filii ſumus , ſed quomodo tunc is. qui ſecundum carnem fuerat natus , perſequebatur eum , qui ſecundum ſpiritum , ita & nunc ; ſed quid dicit Scriptura, Ejice ancillam, & filium ejus &c. Nota, quod Apoſtolus ſiſtens in allegoria dicta , docet quod ſicut filius ancillæ perſequebatur filium liberæ, ita & nunc , ideſt caro , & ſenſualitas ſemper contraria eſt , & inimica ſpiritui ; & ſicut Abraham ejecit ancillam , & filium ejus è domo , ſic & qui vult aſſumi ad hæreditatem cæleſtem, debet ejicere, & mortificare carnem , & ſenſualitatem , & vitia abhorrere per pœnitentiam , & mortificationem ; non enim hæres eſt filius ancillæ, ſcilicet, opus carnis ſed ſpiritus , & qui vivit ſpiritualiter. *Ser. 4. Dom. 2. poſt Epiph. Ioan. collat. 43. op. Diet. append. ad Dom. 4. quadrageſima. ſer. 2. de Rector. in addit.*

CAPUT V.

Proſequitur Apoſtolus in hoc capite ſuadere ejectionem ancillæ , & ſervitutis Judaicæ, ut ad libertatem Chriſti perveniant fideles.

57. *Converſis per pœnitentiam ſuadetur perſeverantia in ſtatu gratiæ & libertatis* ; unde dicitur *ſtate, & nolite iterum jugo ſervitutis contineri* , quia abſque perſeverantia converſio ad nihil valet. *Luc. c. 11. v. 6.*

58. *Fides ſola ſine charitate non juſtificat* ; propter quod dicit Apoſtolus ; *nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet , neque præputium , ſed fides ; quæ per charitatem operatur :* quo argumento evidenter convincuntur Hæretici moderni, ſuſtinentes ſolam fidem juſtificare hominem ; nam ex hoc textu patet requiri charitatem cum fide , tamquam illam , quæ omnem vim , valorem , & rationem meriti tribuit omnibus virtutibus. *Pſal. 118. v. 57. & c. 6. v. 14. lib. 2. d. 16. dub. 3.* Et ſi quæras quid addat charitas fidei ? reſp. quòd charitas fidei , & cæteris virtutibus dat primò ſtatum virtutis , quia ubi eſt charitas , ibi exulat vitium , regnat virtus , ſuumque habet ſtatum, & regnum , & ob id facit hominem juſtum , & ſanctum : ſecundò charitas tribuit fidei, & virtutibus vim , & efficaciam merendi , quia facit Deo amicum, & filium , ejuſque opera ſancta , digna Deoque grata efficit : tertiò tribuit eiſdem ordinem ad ultimum finem , quia dirigit hominem, omniaque in eo exiſtentia ad Deum, Deique amorem,

Digitized by Google

rem, & laudem. *Lib.3. d.27. qu.1.ad arg.& d.29. a.1. qu.1.& lib.1. d.17.a.1. qu.2. Brevil.p.5. cap.4. & 8.*

59. *Religioſi Novitii benè incipientes, poſtea non perſeverantes reprehendantur.*

Currebatis benè quis vos impedivit? quis vos faſcinavit, *ut legunt S. Anſelm. & alii.* Hoc dixit Paulus Galatis, qui prius in vita, & doctrina Chriſtiana, quaſi in via & ſtadio ad æternæ gloriæ conſequendum bravium benè currebant; ſcilicet ex charitate, & cum amore Dei: ô quot Chriſtianis hæc diriguntur, qui bene incipiunt curſum Chriſtianæ vitæ, poſtea deſiſtunt; qui in juventute oſtendunt viram Angelicam, ſed poſtea veluti faſcinati à ſibilo ſerpentis, & à voluptatibus ſtadium bonæ vitæ deſerunt; quot etiam & quot Religioſis Novitiis hæc dicuntur, qui in principio, in primis annis ferventiſſimos ſe oſtendunt in via perfectionis, poſtea remiſſi fiunt retrocedentes, ex hoc quod veluti faſcinati à diabolo ſe in opera, & mores ſæculares immergunt: Vide ſuprà *cap.3.n.5.ſic & S.Anſelmum, Ugo, aliique PP.*

60. *Peccatum mortale corrumpit totam maſſam vitæ ſpiritualis: Ubi etiam de effectibus peſſimis venialium.*

Modicum fermentum totam maſſam corrumpit; totam conſperſionem farinæ, ſeu paſtam *legit S.Hieron.* Nota, quòd hoc adagium in multis uſurpatur, & præcipuè in peccato mortali, unicum enim ſufficit ad tollendum meritum omnium bonorum operum præcedentium, & ſequentium: Poteſt etiam tamen aliqualiter adaptari peccato veniali, nam licet non corrumpat, ideſt tollat vitam gratiæ, & mortem non afferat, inficit tamen multipliciter; portat namque obligationem ad pœnam, maculat animam, minuit fervorem, laſſat animam in bonis operibus, retardat à gloria, diminuit bona gloriæ, diſponit ad mortale, inficit etiam ipſa bona opera, quia diminuit & meritum, & fructum ipſorum. *Op. Comp.Theol.lib.3 c.3.*

61. *Scandali peccatum à Deo ſeverè punitur etiam in hac vita.*

Qui autem conturbat vos (ſcilicet inducendo ad Judaicas ſuperſtitiones) portabit judicium. Ecce terribilem ſententiam, quam Apoſtolus fulminat contra ſcandaloſos: *qui conturbat vos*, ait, qui vos verbis, & factis à bono incæpto diſtrahit, iſte portabit judicium, & meritò; nam peccatum ſcandali eſt tam Deo exoſum, ut attrahat, è Cœlo fulmina flagellorum etiam in hac vita, ut patet (*ait Theodoret.*) in David, qui nec etiam per pœnitentiam patrocinantem potuit evadere flagella divina in hac vita, eo quod cauſam blaſphemandi gentibus dedit ob adulterium: ô quàm grave, quàm Deo exoſum, quàm Reipublicæ pernicioſum eſt peccatum ſcandali. *Op.Phar.l.4.c.59. ſerm.1. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ & Dom.1. poſt oct. Epiph. Luc.c.17.v.1.ſer.3.Dom.ſexag.*

62. *E ſacris Congregationibus ſcandaloſi, & incorrigibiles eliminandi, & ejiciendi.*

Utinam abſcindantur, qui vos conturbant. Quæritur hic quomodo Apoſtolus mala imprecatur iſtis Judaizantibus, cum ſit hoc contra charitatem, ac judicium animi impatientis, & vindictæ cupidi? ſed quid eſt hoc, quod prætendit in hoc optativo verbo, *utinam abſcindantur?* Reſpondent aliqui Patres, quod cupiebat iſtos Judaizantes privari non ſolùm præputio, ſed & abſcindi membro genitali: Reſpond. tamen *S. Hieron.* hoc dixiſſe Paulum non ex odio, ſed partim ex zelo juſtitiæ, & partim ex amore, ut tali ignominiâ corrigantur, & emendentur? Hoc monitum etiam dirigitur ad Prælatos Eccleſiæ, & maximè Religionum, & ſimul etiam ad Principes ſæculares; ut ſcilicet è Religione abſcindantur, & ejiciantur illi, qui putitatem ordinis, pacem, bonam famam, & obſervantiam in aliis perturbant, ubicumque adſunt qui graviter, & apertè peccant, & non eſt ſpes correctionis, ſed inveterata mali conſuetudo; & aliorum infectio per malum exemplum, quotieſcumque talia tolerarentur, undè nil aliud reſtat, niſi ut ovis morbida abjiciatur, & membrum putridum præcindatur, ne ſana inde inficiantur, & corrumpantur; ſic etiam Principes tenentur malos punire, ut fures, qui pauperes ſpoliant, alioſque ſceleſtos. *Op. de ſex Alis Seraph.c.7.op.Determin q.14.*

63. *Libertas Evangelica qualis ſit expendituri.*

Vos enim in libertatem vocati eſtis, fratres; tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis. Nota, quòd Hæretici torquentes ſenſum Apoſtoli in hoc textu, aſſerunt Chriſtianos liberos eſſe ab omni lege poſitiva, nec debere obedire Prælatis, ac magiſtratibus, & conſequenter nec Parentibus, nec obligari in conſcientia, ſed tantùm ad pœnam in foro exteriori luendam, & ideò ſine conſcientiæ offenſa poſſe ſecretò, vel impunè violare omnes leges humanas; ſed talis ſenſus eſt falſus, & impius, & ſubvertens omnem politiam, omnem rempublicam, & omnem ordinem Hierarchicum, omnemque ſocietatem, & convictum humanum, & contrarius lumini rationis, & naturæ, cum nulla unquam fuerit gens quantumvis barbara, quæ non habuerit ſuos magiſtratus, quorum legibus, & directioni ſe ſubjiceret: undè Chriſtus Paulus, & Apoſtoli paſſim jubent Chriſtianis, ut obediant Cæſari, & magiſtratibus etiam infidelibùs, non modò propter eorum iram, & vindictam, ſed etiam propter conſcientiam, ut dictum eſt ſupra ad Rom. c.13. Sed qualis eſt hæc libertas, quam affert Evangelica lex? Reſp. libertatem iſtam non excludere ſubjectionem, alioquin Apoſtolus ſibi contradiceret, dum ad Hebr. *c.ult.* & alibi præcipiat, obedite præpoſitis veſtris; ſed excludere & ſervitutem ignominiæ, quam affert peccatum, & ſervitutem legalium præceptorum, quæ eſt ſervitus timoris, non ſervitutem amoris, quæ exulare facit dominium concupiſcentiæ, & carnis, & peccati; & propter Deum ſuperioribus obedire docet, & talis obedientia Reges conſtituit, & omnibus creaturis ſuperiores reddit, cum ſit medium

medium reducendi hominem ad statum similem statui innocentiæ. *Lib.4.d.2.p.1.q.1.& d.14. p.1. a.2.qu.1.op.stim.p.3.c.11.Ioan.c.8.v 35.*

64. *Libertas Evangelica servos, simulque liberos reddit fideles proximi per exercitium charitatis.*

Sed per charitatem spiritus servite invicem; omnis lex in uno sermone impletur; Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Ecce metamorphosim libertatis Evangelicæ; nam ista non solùm servat ordinem rectum Hierarchicum; sed cum libertate spiritus copulat fælicem servitutem, nam servum, & ministrum charitatis proximi reddit hominem; licèt enim ordo adsit in Ecclesia admittens gradus superiores super inferiores quantum ad officium Prælationis, non tamen excludit in aliquo inferioritatem, & subjectionem, quantùm ad reputationem, quilibet enim se debet reputare alio inferiorem quantùm ad vitæ meritum, & hinc Apostolus omnibus præcipit, ut sibi invicem serviant per charitatem, & amorem, hæc enim est complementum legis Evangelicæ, quia serviens proximo pro Christo, servit ipsi Deo, & lex charitatis proximi indicat, includit, & præsupponit charitatem Dei, cum propter Deum amandus sit proximus. *Op. spec. disciplp.1.c.4. Luc.c.4.v.8.& c.10.v.40. Vid. lib.3. d.25. a.1. qu.3. ad 4.& d.27.a.1.qu.2.& a.2. qu.3. & 4. & d.28.& 29. per totam.*

65. *Invidiæ pessimi effectus expenduntur.*

Si invicem mordetis, & comeditis videte ne invicem consummamini: Vide hic effectus pessimos invidiæ: facit enim, ut homines sint, & vivant veluti canes rixantes invicem mordentes, & se se lacerantes; & hinc est, quod homo sit penitus immisericors, & crudelis, & prorumpere faciens in detractiones, odia, & calumnias, omniaque & bona, & mala ei cooperantur in malum, undè mirum non est, quod in congregationibus, in quibus adsunt tales canes mordentes, & lacerantes, ad invicem consummantur homines & tota congregatio dilabatur, & deterioretur in existimatione hominum, & in observantia legis divinæ. *Op.Diat.tit.1. c.4. Eccles. cap.10.*

66. *Bellum intestinum perpetuum est inter carnem, & spiritum.*

Dico vobis spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis: caro enim concupiscit adversus Spiritum, spiritus autem adversus carnem, hæc enim sibi invicem adversantur; ut non quæcumque vultis illa faciatis. Nota, quod in his verbis Apostolus ostendit miserias, in quas præcipitavit peccatum primi hominis nostram humanitatem, in ipsa efformans bellum crudelissimum inter carnem, & spiritum; & deinde proponit remedium, cum enim corpus, & caro, & concupiscentia in statu innocentiæ esset veluti equus infrænatus, qui ducebatur secundùm voluntatem sessoris, scilicet spiritus, & rationis: homine peccante Deus frænum deposuit, & subtraxit, & hinc ortum est bellum inter carnem, & spiritum, & in homine omnia reddita sunt inordinata; quia concupiscentia armatur contra animam involuens se in delectationibus, & inclinans ad omnem malitiam; irascibilis suscitat appetitum iræ, invidiæ, & rixæ, & rationalis appetitum excellentiæ, curiositatis, & vanæ scientiæ; & sic homo in se ipso bellum gerit, & seipsum dissipat, nisi spiritus bene armetur, & in apice dominii collocet rationem, & spiritum: *Op. de tribus Ternar. cap. 3. sap. cap. 9. op. Centil. p. 2. f. 1. op. Comp. Theol. lib.2. cap.60. Luc. cap.16. verf.15. lib.4.d.15.p.2.a.2. qu.2.Psal.106.* Vide quale bellum est hoc (ait Cassian. *collat.4. cap. 11. & Augst. lib.8.de Confess.* Caro luxuriis delectatur, spiritus ne ipsis quidem naturalibus desideriis acquiescit: illa concupiscit satiari somno, repleri cibo: hic vigiliis, & jejuniis ita saginatur, ut ne ad ipsum quidem necessarium vitæ usum, somnum, cibumque velit admittere: illa cupit exuberare copiis universis; hic ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiam habere contentus est: lavacris illa nite cere, & quotidianis adulantium cuneis appetit constipari; hic squalore sordium, & inaccessibilis eremi vastitate congaudet: honoribus illa, & laudibus confovetur; hic irrogatis sibi persecutionibus, injuriisque lætatur. *Hac ad mentem Seraph. Doct.cit.& Brevil.p.3.c.8.op. Diat.tit.3. c.8. & tit.7.c.6.ser.17.Hexam. Luc. c.21. n.9. op. Phar. lib.2.c.15.*

67. *Quale bellum exercendum est à nobis per spiritum contra concupiscentiam.*

Caro concupiscit adversum Spiritum, spiritus adversus carnem, &c. Ne caro triumphet adversus spiritum in hac vita à nobis debet armari, & quibus armis? sed transfer mentem ad illud Exodi *cap.21. verf.* 18. Quod si virgati fuerint duo, quorum alter percussit lapide proximum, vel pugno, si mortuus non fuerit, sed super baculum ambulaverit, percussor expensas in medicos solvat: Rixantes isti sunt corpus, & spiritus, sed heù corpus concutit spiritum per peccatum pugno malæ operationis, vel lapide obdurationis: Baculus quo percussus innititur Christus est vel spes divinæ misericordiæ quibus peccator sustentatur, ne moriatur, si ergo spiritus fuerit percussus peccato, & non fuerit morte æternâ præventus, sed baculo crucis, vel divinæ misericordiæ fuerit innixus, tunc medicinâ pœnitentiæ est sanandus: sed adhuc requiritur repensio expensarum de instauratione virium, & membrorum, quas percussor medico solvere debet in lachrymis, & pœnitentiis, in abstinentiis, in disciplinis in eleemosynis, istisque veluti baculis repercutitur percussor, id est caro, & sensualitas, & per quæ carnis hostilitas domatur, & spiritus virtutibus armatur. *Ser.1.de S.Luca in addit. op. Diat. in append. ad Dom.14.Pent.*

68. *Ex fructibus cognoſcitur qualis arbor caro, & ſpiritus.*

Manifeſta ſunt opera carnis, fornicatio, immunditia, &c. fructus autem ſpiritus charitas, gaudium, &c. Vide, quod Apoſtolus ex fructibus expoſitis dat nobis intelligere qualis arbor ſit caro, & qualis ſpiritus: Ex carne enim, ideſt ex affectu carnali producitur fornicatio, immunditia ideſt mollities, impudicitia, ideſt tactus, oſcula, & geſtus impudici: luxuria, ſcilicet quævis alia libido petulantior, idolorum ſervitus, vel cultus Idolorum, vel avaritia; ira, ideſt appetitus vindictæ, ſectæ contrà doctrinam catholicam; comeſſationes, ideſt ingluvies, &c. quæ omnia, & his ſimilia à regno Dei excluduntur: Ex arbore autem ſpiritus proveniunt fructus divinæ gratiæ; gaudium, quod oritur ex conſcientia munda, pax, patientia, &c. *Lib. 2. prol. dub. 3. Luc. cap. 6. verſ. 44. Ioan. cap. 6. verſ. 64. Pſal. 113. ſap. cap. 3. & 7. op. ſpec. animæ c. 1. & 2. op. Centil. p. 3. ſect. 46. op. ſpecul. B. Virgin. lect. 16. ſeq. op. Brevil. p. 5. c. 6. op. Diæt. tit. 8. cap. 1. tit. 10. cap. 3. lib. 3. d. 27. a. 2. qu. 1. & d. 36. qu. 6. ſerm. 18. Hexam. op. ſtim. p. 1. cap. 9. ſermon. 10. Pentec.*

69. *Fructus Spiritus ſancti enumerantur, & expenduntur.*

Fructus autem ſpiritus eſt charitas, &c. Nota, quod iſti dicuntur fructus, ſcilicet quædam delectationes, quæ ex operibus ſanctis derivant in animam: hîc autem enumerantur non omnes, ſed præcipui; & primo loco ponitur charitas, quæ eſt habitus ſimul, & actus, & delectatio omnium aliorum parens, & cæteris dans vitam: 2. gaudium, ſcilicet quod oritur ex conſcientia ſerena, ſancta, purgata à vitiis, & peccatis, & animi perturbationibus: 3. Pax ſcilicet tranquilla mens nullis perturbationibus, & paſſionibus turbata oriens ex gratia, & amicitia Dei: 4. Patientia in adverſis, quæ ex aliis proveniunt: 5. Benignitas cum proximo in loquendo, & benefaciendo: 6. Bonitas, ideſt beneficentia ad proximum: 7. Manſuetudo contra iram, & vindictam: 8. Fides, ideſt veracitas in promiſſis: 9. modeſtia, qua moderantur omnes actiones exteriores: 10. Continentia, ideſt temperantia à cibo, potu, & carnalitatibus: 11. Longanimitas, ideſt perſeverantia in bono: & 12. caſtitas, & coincidit ferè cum continentia: De his fructibus. *Vide op. Brevil. p. 5. c. 6. Centil. p. 3. ſect. 46. Diæt. tit. 5. c. 1. & tit. 8. cap. 1. Comp. Theol. lib. 5. c. 57.*

70. *Solùm carnem ſuam crucifigentes, conformantes, & affigentes ſeipſos cruci fructus Spiritus ſancti poſſunt recipere.*

Fructus autem ſpiritus ſunt charitas, gaudium, &c. Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, &c. Nota, quod ex hoc patet, quod ſolùm fructus Spiritus ſancti poſſunt habere, qui ſe conformant cruci Chriſti, ſeipſos affigentes ei, cum pendeant ex hac arbore. *Op. ſtim. p. 1. cap. 9.*

71. *Chriſti diſcipuli in triplici cruce debent crucifigi.*

Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis. Quid eſt carnem crucifigere cum vitiis, & concupiſcentiis? ergone omnes diſcipuli Chriſti neceſſariò debent crucifigere carnem? & tamen pauciſſimi ſunt, qui in cruce moriantur? ſed nota myſterium; nota inquam hic tria in medium poſita, carnem, vitia, & concupiſcentias & per hoc etiam triplicem crucifixionem, nempè carnis tamquam dextri Latronis, vitiorum, & concupiſcentiarum tamquam ſiniſtri Latronis, & hinc in medio collocanda eſt anima ut in cruce Chriſti, per quod datur intelligi, quòd veri Chriſti diſcipuli debent ſe crucifigere cum Chriſto & interius, & exterius, & ſic moti multiplici morte: prima mors eſt non ſubſtantiæ conſumptio, ſed unitorum diſcretio, ſic in hac crucifixione diſcipulus Chriſti moritur vitæ peccantium, ſeparando ſe ab iniquitatibus; ſecunda mors eſt carnalis concupiſcentiæ mortificatio, & crucifixio in cruce pœnitentiæ: tertia mors eſt mundialis cupiditatis abdicatio, & ſic Chriſti diſcipulus fit totus Chriſti, ſcilicet moritur in contemplatione divina, & dilectione Dei ſuper omnia, elevando ſe ſuſpendio ſpirituali ſuper omnia creata: O felix mors, beata, & deſiderabilis crucifixio! Utinam & nos cum Chriſto mereamur ſic crucifigi: ſic & Seraph. P. S. Franciſcus tamquam perfectiſſimus diſcipulus Chriſti carnem, vitia, ſeipſum cum Chriſto crucifixit, & ad mortem ſpiritualem contemplationis altiſſimæ cucurrit. *Luc. c. 1. verſ. 15. cap. 9. v. 23. cap. 14. verſ. 27. cap. 17. v. 33. c. 23. v. 33. Ioan. collat. 57. ſer. 2. Dom. infrà oct. Epiphan. ſer. 3. Dom. in Albis: ſer. 1. ſer. 3. Pentec. ſer. 4. Dom. 4. Pentec. ſer. 3. de S. Andr. ſer. 2. de Dedicat.*

72. *Qui ſpiritu ambulat currit cum Chriſto ad montem perfectionis: qui carne retrò redit cum diabolo.*

Si ſpiritu vivimus, ſpiritu, & ambulemus. Quid eſt ſpiritu vivere & ſpiritu ambulare? nota, quod non dicit, ſi animâ vivimus, & animâ ambulemus, ſed ſpiritu: cur hoc? quia anima dicitur per ordinem ad corpus, & ad ſenſibilia, quæ animat, & quantùm eſt vita: ſpiritus dicitur ſupremum animæ, prout ordinatur in Deum; undè duplex vita, & duplex ambulatio inſinuatur, ſcilicet vita corporalis, & vita ſpiritualis: ambulatio ſecundùm carnem, & ambulatio ſecundùm ſpiritum: prima vita, & ambulatio eſt carnalium, qui dediti ad carnalitates non ante, ſed retrò, non ad Cœlum, ſed ad Infernum ambulant: ſecunda vita eſt ſpiritualium, quorum opera omnia ad Deum directa ſunt, & iſti ambulant ſecundùm ſpiritum, ſcilicet procedentes de virtute in virtutem, de perfectione in perfectionem, relinquentes retrò ſe omnia, quæ ſunt carnis, mundi, & diaboli, & Deum in omnibus præ oculis habentes: ſic nobis omnibus dicit Apoſtolus; ſi ſpiritu vivimus, ſpiritu ambulemus, ſcilicet lege, & normâ ſpiritus Chriſtianiſmi. *Luc. c. 12. v. 32. Ioan. c. 21. v. 37. lib. 3. d. 2. a. 3. q. 1. op. de 7. ſim. ætern. d. 3.*

74. Pugna cum vana gloria quàm difficilis, quàm periculoſa, quàm neceſſaria.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi invicem provocantes, invicem invidentes. Mirum eſt, quare Apoſtolus poſtquam propoſuerat carnis, & ſpiritus pugnam, crucifixionem carnis cum vitiis amplexandam, curſum, & iter perfectionis ſpirituale arripiendum à diſcipulis Chriſti, concludit capitulum cum iſta ſententia; *Non efficiamur inanis gloria, cupidi*; cui concludit in ſuadendo fugam ab hoc vitio, quod inter alia viderut minus æſtimándum, & periculoſum, & non potiùs ab aliis majoribus ſceleribus? ſed optimè, & optimo ordine procedit vir à Deo lumine cæleſti illuſtratus: nam ſi omnia alia vilia prædicta viceris te crucifigendo cum Chriſto (quod ſine maximis laboribus, & multis doloribus non aſſequeris) ſi tamen ſit; ecce ſtatim in medium comparet vana gloria, à qua ampliùs cavere debes; hæc enim occultè virtutibus ſe ingerit, ita ut à ſpiritualibus vix ſemper valeat comprehendi; hæc eſt multiformiter vana ſemper & in omnibus vanitatem ingerens in veſtitu ſive pretioſo, ſive humili, in apparatu, ſcilicet in iis, in quibus laus, & honor conſequitur; in loquela ad eſt, in taciturnitate concurrit, in pœnitentiis, in prædicatione, in gradibus, imo in ipſa humilitatis exercitatione; undè non poſſunt varietates hujus beſtiæ explicari. ſed ubicumque eam projeceris, ſemper ſtat aculeo recto, ſicut tribulus, & ideò aſſimilatur allio, in quo quoties unum tegumen removeris, aliud adhuc intus habet, ubi autem ipſa intraverit, matrem doloſam ſequuntur filiæ perverſæ, quæ ſunt inobedientia, jactantia, hypocriſis, pertinacia, diſcordia, novorum præſumptio & inventio, ſed ſuper omnia contentio, rixa, diſcordia, provocatio ad rixas, ad lites, jurgia, & pugnas, quæ excitantur à cupidine gloriæ, & excellentiæ, undè verè currit adagium, Pompeius non patitur parem, Cæſar non patitur ſuperiorem. *Op. de pugna ſpirituali op. Centil. p. 1. cap. 8 ſect. 18. op. Comp. Theol. lib. 3. cap. 15.*

CAPUT VI.

In hoc capite Apoſtolus hortatur ad bona opera, præſertim miſericordiæ, & beneficentiæ in Chriſtianos, maximè in Doctores, & Cathechiſtas; item ut fugiant vanam gloriam, & deindè concludit gloriationem veram Chriſtianorum debere eſſe in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti.

75. Diſcretio qualis à Prælatis exercenda in correctione delinquentium.

Fratres & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Videant, & notent Prælati cautelam Apoſtoli in correctione malorum; nam cum ſupra acriter eos redarguiſſet, tandem jubet eos inſtrui, & corripi in ſpiritu lenitatis, & dulcedinis: Nota autem, quod hæc admonitio dirigitur ad ſpirituales, ſcilicet ad perfectiores in doctrina, & vita, quales debent eſſe Prælati; Nota item, quod correctio, & admonitio vult, ut fiat cum his, qui præoccupati fuerint in aliquo delicto: quid eſt præoccupati in aliquo delicto? nempè non cum obſtinatis, non cum publicis peccatoribus incorrigibilibus, ſed cum his, qui vel aliquâ paſſione, vel infirmitate ſpirituali, vel ignorantiâ peccabunt, qui cum deliquerunt, mox aut intus mœſti à ſpiritu, aut foris correpti ab homine ad pœnitentiæ remedium confugiunt, his cum clementiæ fomentis medicus ſpiritualis remedia ſatisfactionis ſic temperata debet adhibere, quibus & ſatisfaciant Deo de offenſis, & proximo de ſcandalo, ut cæteri peccare magis timeant, & tamen propter lenitatem remedii ipſos non pœniteat ſe pœnitentiæ ſubmiſiſſe; ſic admonet Apoſtolus in his verbis; *ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto vos qui ſpirituales eſtis*, ſcilicet medici ſpirituales *hujuſmodi inſtruite*, ideſt inſtaurate, redintegrate, reſtituite, exigite (ut legit Syrus, & Vatablus) *in ſpiritu lenitatis*, & dulcedinis, conſiderans teipſum ô Prælate, &c. ideſt talem ſatisfactionem ei imponite, per quam cognoſcat pondus reatus ſui, ita tamen clementer, ſicut ſibimet vellent alium compati, ſi tali peccato delinquerent; & hæc diſcretio eſt gemma pretioſiſſima, quæ valdè ornat Prælatos, & totam Eccleſiam: *Op. de ſex alis Seraph. c. 7. Eccleſ. c. 4. Luc. c. 17. v. 3. Ioan c. 8. v. 9. ſer. 4. de S. Ioan. Bapt. in addit.*

76. Qui de alterius caſu videt, vel durius ſe habet, quàm par ſit, Deo permittente de proprio plangere cogitur.

Inſtruite illum, &c. conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Quid eſt, ne & tu tenteris? ad quid hæc admonitio ad Prælatos, ne & ipſi tententur; (per anallagen enim tranſit à plurali, ad ſingularem, quia pluralis diſtribuit, & ſupponit pro ſingulis:) ſed tamen efficacem hîc rationem intendit adducere in perſuadendo miſericordiam, & lenem correptionem volens docere Prælatos, & ipſos ſubjectos eſſe ſimilibus, & majoribus tentationibus. & quod nemo ſtat, niſi Deo tenente, & nemo cadit, niſi Deo permittente; & ob id infertur, quod continuâ experientiâ patet Deum ſolere permittere tentari, & cadere eos in eadem, & majora peccata, qui in lapſos duri nimis ſunt, & inclementes; Undè ſancti Deum verè diligentes dolebant multum, quando quis cadentibus inſultabat, ſive ſpiritualiter, ſive corporaliter caderent; ſic legitur de S. Ambroſio, qui dum ſemel per civitatem incederet, & quidam in via graviter corruiſſet, aliuſque ejus caſum riſiſſet, gravitèr tulit, & ad ridentem ait; qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat; ſtatimque ille, qui riſerat cecidit, & coactus flere caſum proprium, qui riſerat alienum: ſic & legitur in vitis Patrum de quodam ſene, qui juvenem valdè tentatum exaſperaverat, Deo permittente in eamdem, & majorem tentationem cecidit: & S. Macharius dicebat; tribus in rebus judicavi fratres meos, & in eaſdem prolapſus ſum; ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt. *Ser. 1. de S. Ambr.*

77. *Communio ſanctorum, & fidelium in Eccleſia qualis.*

Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Sic jubet Apoſtolus hîc: qui textus licèt ad litteram dirigatur ad ea, quæ ſuprà dixit de relevando proximum peccantem per lenitatem, & dulcem correctionem, tamen proprie adaptatur ad omnia munera charitatis exercendæ in proximum; & ad ſtabiliendum articulum fidei, quod habemus in ſymbolo Apoſtolico de communione ſanctorum, per quam conſtituitur Eccleſia unum corpus ſimul cum capite Chriſto; ſimulque communi ſocietate quilibet partem habet in omnibus bonis Eccleſiæ & exercetur ſocietas per mutuam ſupportationem, qua unus debet ſupportare onus alterius, ſcilicet malæ per patientiam, & bona communicare per eleemoſynarum largitionem: Hinc igitur Apoſtolus primò docet infirmitatum mutuarum pondera nos debere ferre, ea viciſſim tolerando, eiſque compatiendo: v. g. tu feras proximi choleram, & verba cholerica, & rigidam naturam, ille ferat tuam melancholiam, & phlegmaticos mores, vel aliam tuam imperfectionem naturalem: ſecundò mutuas infirmitates tùm corporales, tum ſpirituales: tertiò peccata mutua, orando, hortando, pœnitentiam pro proximo faciendo, ſic enim adimpletur lex Chriſti, qui enim ſervaverit hanc charitatem proximi, legem adimplebit, & tali pactò quiſque de malis aliorum ditabitur, meliorabitur, & Deus ſibi ſuas gratias largiùs tribuet: Et nota, quod dicit, alter alterius onera, quaſi dicat onus tui proximi tuum exiſtima, veluti tui membri, &c. *Op. Diet tit. 7. c. 4. op. Append. ad Dom. 15. Pentec. op. ſpec. Diſcipl. p. 1. c. 4. op. de regim. anima in fine: lib. 4. d. 20. p. 2. qu. 1. Luc. c. 5. v. 18. c. 10. v. 37 & 40. c. 16. v. 6. ſer. 1. in Vigil. Nat. ſer. 2. de Apoſtol. in addit.*

78. *Præſumptio ſui quàm Deo exoſa, & homini perniciosa.*

Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit: ipſe ſe ſeducit: opus autem ſuum probet, &c. Proſequitur Apoſtolus materiam ſupradictam; nempè contrà eos, qui ſuperbè corrigunt alios credentes ſe ſanctos, & magnos; qui enim de ſe vanè præſumit, credens magna de ſeipſo, & ſuis operibus, cum nihil ſit à ſe, ſed totum à Deo, ipſe ſe ſeducit, & decipit, quia ſic Deo ſit exoſus, à Deo humiliatur; undè ſanum remedium eſt, ut quis videns lapſus proximi ad ſeipſum reflectat, ſe humiliet coram Deo, & caveat à ſimilibus, vel cognoſcat ſe pejorem, vel magis ingratum. *Op. ſpec. Diſcipl. p. 1. c. 5. op. medit. c. 15. Luc. c. 14. v. 9. Eccleſ. c. 2. ſer. 1. Dom. infra oct. Epiphan. ſer. 1. Hexam.*

79. *Unuſquiſque ad judicium Chriſti ſarcinâ propriâ comparebit.*

Opus ſuum probet unuſquiſque, &c. unuſquiſque enim onus ſuum portabit. Ecce ratio efficaciſſima, quare homo ad ſe attendere debet, & ad judicandum, & examinandum opera propria, non verò facta, & intentiones proximi; quia cum ſtatutum ſit omnibus hominibus mori, & ſtare ad tribunal Chriſti, ad ipſum accedet bonus, & malus, & unuſquiſque onus ſuum, & ſarcinam portabit; bonus quidem portat ſecum p ia lachrymas, eleemoſynas, orationes, abſtinentias, Miſſas auditas, & hujuſmodi; & hæc ſarcina erit levis, quia bona opera ſunt veluti pennæ Aquilæ, quæ ſimul portantur, & portant: Mali autem portant ſecum ſarcinam ponderoſiſſimam, ſuperbias, invidias, luxurias, & hujuſmodi; portant confuſionem, non honores, non res, non voluptates, in quibus, & per quas peccarunt; undè homo cum ex hac vita, & mundo diſcedit nihil ſecum affert, niſi opera ſua, & hæc ſarcina ad tribunal Chriſti exhibebitur, ut ibi illa denudetur, examinetur, & ferentem vel Cœlo, vel Inferno dignum oſtendat; qualis enim erit ſarcina, talis cenſebitur eſſe & ejus bajulus, & opifex talis ſarcinæ. *Sermon. 2. de mortuis in addit. op. Diet. tit. 2. cap. 2.*

80. *Cathechiſmus fidelium, & maxime puerorum circa myſteria fidei, & doctrinam Chriſtianam expenditur.*

Communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui ſe catechizat in omnibus bonis. Nota pro intelligentia textus Apoſtolici, quod in primitiva Eccleſia, & in temporè perſecutionum myſteria fidei Chriſtianæ à Doctoribus, & Prælatis, & Prædicatoribus tradebantur vivâ voce, ex ſcriptis commendabantur, ne in infidelium manus, ac notitiam devenirent, propalarentur, & prophanarentur, ac riderentur, & de hac catechizatione loquitur Apoſtolus: catechizare enim eſt idem in Græco, ac voce ſonare; hinc eſt, quod catechiſta dicatur, qui hæc myſteria docet, catecumenus, qui ea audit, & dicit: catechiſmus eſt ipſa doctrina, & inſtructio; & hinc Eccleſia baptizandis ordinavit catechiſmum; dicit autem Paulus, quòd catechizatus debet communicare ſua bona catechizanti, ſcilicet victum neceſſarium: Et ex his patet catechiſmi, & catechizationis antiquitas, tempore enim Apoſtolorum fiebat; & nunc ex decreto *Concilii Tridentini ſeſſ. 24. c. 4. & 7.* præcipitur Epiſcopis, & Parochis, qui ſub mortali ad hoc officium tenentur vel per ſe, vel per alios aptos docere doctrinam Chriſtianam ſimplices, & maximè pueros, & juvenes, quia ſi iſti ſimplices ob ignorantiam peccent, & damnantur, multò certè magis damnabuntur Parochi negligentes; & hinc quia hoc eſt opus maximæ charitatis, humilitatis, & meriti, Deoque ſummè charum, multi viri Religioſi, etiam aliàs doctiſſimi huic muneri incumbunt. *Vide S. Bon. Luc. c. 10. v. 7. lib. 4. d. 6. p. 2. dub. 7. & d. 3. qu. 1. & 2. op. Comp. Theol. lib. 6. c. 10. op. Brevil. lib. 6. c. 1.* De hac materia fusè ſcripſit Gerſon Canceli. Pariſ. tractatum de pueris ad Chriſtum trahendis: Hinc noſtra Cappuccinorum Religio à principio ſui ortus ſuos Religioſos occupatos voluit in hoc ſanctiſſimo exercitio diſcurrendo per pagos, villas, caſtella, & civitates, inſtruendo pueros, & omnes in doctrina Chriſtiana, quod officium poſtèa aſſumptum eſt cum maximo fructu fidelium, & Eccleſiæ à ſacra ſocietate Ieſu, & in ipſo utraque Religio adhuc perſeverat ad gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti.

81. *Inſti-*

by Google

81. *Iuſti in Cœlo ſeminant cum fructu abundanti, impii in terra ſine fructu.*

Nolite errare: Deus irridetur; quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet; qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem, ideſt mortem, qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Ecce ſententia irrefragabilis doctrinæ Chriſti, perpetuò ruminanda à nobis, & nunquam oblivioni tradenda: cum autem ſupra Apoſtolus docuerit, quòd opus ſuum debet quiſque probare, & examinare, ſubjungit hæc, ne eſſemus credentes nos poſſe Deum irridere, quia licèt fructum hominibus poſſit facere quiſque, Deus tamen illudere non poteſt, qui optimè cognoſcit, qualia ſint uniuſcujuſque opera; & hinc ſubdit; quæ ſeminaverit in hac vitæ agricultura, ſcilicet, & tempore ſeminandi pro futura vita, hæc & metet; ſi ſeminaverit in terra, ſcilicet in carne, ipſam paſcendo, oblectando, iſte metet corruptionem, & mortem tùm præſentem, tum æternam; ſi ſeminaverit in ſpiritu, ideſt in cœlo & iſte metet vitam æternam, & ideò quiſque ſibi & pro ſe laborat operando vel in malum, pœnamque æternam, vel in bonum, vitamque æternam. *Ser. 2. & 3. & 4. Dom. Sexageſ. ſer. 2. Hexam. Eccleſ. c. 11. op. de ſex Alis Seraph. c. 3. Luc. c. 20. v. 32.*

82. *Deus à nobis exigit omni tempore bona opera.*

Bonum autem facientes, non deficiamus (ideſt non fatigemur, non laſſemur, non ſegneſcamus) *tempore enim ſuo metemus non deficientes, ideſt perſeverantes.* Ecce quòd Chriſtus exigit à nobis omni tempore bona opera ne nobis accidat, quod arbori, cui Chriſtus maledixit, eo quòd non habebat fructus, licèt non eſſet tunc tempus ficorum: Ergo ſi vis ô homo multum fructum colligere in futuro, multa debet bonorum operum ſemina ſpargere in præſenti; licet enim multa opera ſint gravia, & ſenſualitati lachrymoſa, tamen tempore meſſis triſtitia ſeminantis verteretur in gaudium merentis; nequaquam enim retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hîc priùs prævia tribulatione ſeminatur; nonnè libenter dares multos denarios ei, qui tibi ſine peccato pro unoquoque poſt annum, centum daret? ſed tamen Deus centuplum tibi reddet pro ſingulis bonis. *Luc. c. 3. v. 9. c. 6. v. 31. ſer. 2. Dom ſexag. lib. 2. d 40. a. 2. qu. 3.*

83. *Tempus breviſſimum hujus vitæ nobis conceſſum à Deo ad benè operandum expenditur.*

Ergo dum tempus habemus operemur bonum: Necte hæc verba cum aliis Apoſtoli 2. *Cor. c. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*; ut diſcamus, quòd tempus nobis à Deo conceſſum conſiſtit in hoc, nunc, ſcilicet quod eſt breviſſimum, & ideò ſicut operarii ab aurora incipiunt opera ſua, ſic & nos hoc breve tempus agonis, & curſus noſtri, quod volat, impendere debemus, nec negligere, quia numquam ipſum recuperare poterimus; ô quanta cæcitas, quanta inſania noſtra, dum tempus medelæ corporis non negligimus vel uno die, & tamen tempus medelæ animæ negligimus multis annis; ſi enim fortè in corpore parvi aliquid morbi pulſaverit, ſtatim medicos adhibemus, pecuniam profundimus, anima verò quotidiè cum vulneretur, cum per ſingula lanietur, uratur, præcipitetur, & modis omnibus patiatur, ne parva quidem pro ea nos cura ſollicitat: meritò igitur tantam temporis negligentiam Deus à nobis requiret. *Ser. 1. Dom. 1. Quadrag. ſer. de anim. op ſpec. B. Virg. lect. 11. Eccleſ. c. 3. 7. 8. & 9. Ioan. c. 9. v. 5. & collat. 28.*

84. *Quid & quale ſit hoc bonum, quod operandum eſt.*

Dum tempus habemus, operemur bonum. Quid eſt hoc bonum? & in quonam conſiſtit? Nota, quòd ad hoc, ut aliquis actus, vel opus ſit bonum, in Cœlo præmiandum, quatuor ſunt neceſſaria; primum eſt agentium bonitas, non enim poteſt arbor mala bonos fructus facere, ideò requiritur charitatis habitus in operante, alioquin opus eſt mortuum: ſecundum eſt rei operatæ æquitas, ſcilicet quòd actus de ſe ſit bonus ex genere ſuo, vel capax bonitatis: tertium eſt perſeverantiæ indefectibilitas, quia ſine hac bonum non præmiabitur in Cœlo: quartum eſt intentionis ordinabilitas, affectus enim intentionis omni operi nomen imponit, ſcilicet ut propter Deum fiat, & ad Deum ordinetur. *Ioan. collat. 28.*

85. *Temporis opportunitas ad bonum faciendum qualis.*

Ergo dum tempus habemus operemur bonum. Ecce quomodo correſpondet iſta ſententia cum alia *Eccleſ. c. 8.* omni negotio tempus eſt & opportunitas: oſtendit autem Apoſtolus, qualis ſit opportunitas ad operandum bonum, nempè nunc, & tempus præſens, non verò tempus futurum, cum ſit incertum; & ideò dum tempus habemus, & veluti in eo mercatum nobis propoſitum, in quo omnes opes, ſcilicet virtutes comparare poſſumus, operemur bonum. *In Eccleſ. cap. 2. 7. 8. & 9.*

86. *Charitas quomodo ordinatè exercenda.*

Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Nota, ly ad omnes, ſcilicet homines tam fideles, quàm infideles, ſed poſtea ſe reſtringit dicens, *maximè autem ad domeſticos fidei*, ideſt ad Chriſtianos qui in domo Dei, quaſi domeſtici nobiſcum verſantur: Cur ſe reſtringit ad Chriſtianos? nonnè charitas proximi omnes homines reſpicit? reſpicit quidem ſed ordinatè: Charitas enim ſi conſideretur ſecundum ſe ſic reſpicit bonum, & magis bonum, & maximè bonum, ſicque de ſe magis movet ad amandum ſpiritum, quam corpus, & Deum ſummum, quàm ſpiritum creatum; ſi conſideretur ratione naturæ ſubſtratæ, ſic ordo attenditur ſecundum differentias has, quæ ſunt proprium, & alienum, propinquum, & extraneum; affectus enim charitatis ſubſternit tibi affectum naturæ, non illum deſtruit, ſed perficit, & regit ſecundum illud, quod habet in ſe rectificabile; undè primò reſpicit propinquum, conſanguineum, poſtea extraneum, primò fide-

lem, ſecundò infidelem ; & hoc eſt, quod dicit Apoſtolus, maximè autem ad domeſticos fidei. quod tamen intelligendum eſt cæteris paribus, nam aliquando aliqua ratio, vel neceſſitas occurrit, ob quam non eſt ſectandus iſte ordo ; v. g. ſalus vel periculum damnationis &c. *Lib.3. d.29. a.1.qu.5.& 6.*

87. *Charitas proximi maximè exercenda in bonos, & charos Deo, & præcipuè in animas Purgatorii.*

Operemur bonum maximè ad domeſticos fidei. Quid eſt ad domeſticos fidei ? hoc eſt ad noſtros familiares in fide, perfectione, & juſtitiâ ; & cum animæ exiſtentes in Purgatorio ſint Deo charæ maximè indigentes, ideò & noſtra ſollicitudo maximè ad ipſarum levamen eſt ordinanda. *Ser. de anim.*

88. *Gloriatio tota Chriſtianorum eſt in ſola cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti ; Ubi de gloria mundana.*

Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ecce qualis debet eſſe gloriatio Apoſtolorum, & Chriſtianorum, non in mundo, non in carne, non in divitiis, non in honoribus, non in dignitatibus, non in ſapientia mundana, hæc enim omnia ſunt vaniſſima ; ſed tantum in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti ; quid eſt in cruce ? ſcilicet in fide, grata memoria, meditatione, deprædicatione beneficii crucis, per quam redempti ſumus, & à qua gratiam pie, & ſanctè vivendi, & ad beatitudinem aſpitandi accepimus : hinc perpendere debemus ad noſtrum profectum hæc aurea verba Apoſtoli, *Mihi abſit gloriari*, abſit ut glorier niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti ; quaſi dicat : Eſt mihi mi Domine Jeſu magna gloriatio, quòd pro me Cœlum, & ſidera, & alias inferiores creaturas feciſti, ſed multo ſine comparatione major mihi gloriatio, quòd pro me dignatus es mortalis fieri : magna item mihi gloriatio, quòd me feciſti ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, ſed ſine comparatione major mihi gloriatio, quòd pro me formam ſervi accipiens, factus es ſimilis mihi : magna mihi item gloriatio, quòd tot beneficiis me gubernas, & nutris, ſed ſine comparatione major mihi gloriatio ; quòd pro me eſuriſti, ſitiſti fatigatus ſuper fontem lediſti, & multa incommoda ſuſtinuiſti, magna mihi gloriatio, quòd cunctis animalibus me præpoſuiſti, ſed ſine comparatione major, quòd pro me te Dominum omnium Dominorum uni puellæ, & fabro ſubdidiſti : magna item gloriatio, quòd me, ſi amicus tuus fuero, honorificaturus es in Cœlo tuo, ſed ſine comparatione major mihi gloriatio, quod pro me adhuc peſſimo inimico tuo convitiatus, conſputus, & multipliciter illuſus es in medio terræ : magna mihi gloriatio, quòd me, ſi juſtus fuero, ditaturus es in regno, ſed multò magis eſt mihi magna gloriatio, quòd pro me peccatore in extrema paupertate fuiſti in ligno, quia quantum ad guſtum, cum ſitires fel habuiſti, & acetum ; quantum ad reclinatorium, non habuiſti ubi reclinares caput tuum, imò corona ſpinea fuit pulvinar tuum : magna mihi gloriatio, quòd ſi gratiam uſque ad finem habuero, & ſi Angelicè vixero delectatione es me impleturus univerſarum deliciarum Paradiſi, Angelis es me ſociaturus in Cœlis ; ſed multò mihi major gloriatio, quod pro me contemptore tuo, & pleno omni abominabili ſanie, impletus es inæſtimabilibus angoſtiis, & doloribus, morte turpiſſimâ condemnatus in Calvariæ loco, quòd pro me diabolicam vitam ducente cum Latronibus es crucifixus, in tertis cum impiis, & iniquis aſſociatus, & deputatus : mihi ergo abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti : In quo enim debeo gloriari, niſi in ſummo Dei honore, ſummâ Dei mei erga me gratiâ, ſive dilectione, & dignatione, hæc autem plenè ſunt in cruce. *Op. ſtim. p.1.c.15 ſer.1. & 4.de uno Mart. ſer.2. Invent. S. Cruc. in addit. op. medit. c.85. Pſal.118.c.81. Pſal.118.c.5.v.15. Ioan. c.5.v.45.c.12.v.49.& collat.19.*

89. *Idem argumentum de gloriatione ſolâ habenda à nobis in cruce Ieſu Chriſti.*

Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vide metamorphoſim Paſſionis Chriſti, & dilectionis Apoſtoli ad ipſam : Poterat Apoſtolus gloriari in ſapientia Chriſti, & verum dicere poterat in majeſtate, poterat in poteſtate, & verum dicere, ſed dixit in cruce, ubi mundi Philoſophus erubuit, ibi Apoſtolus theſaurum invenit, ut qui gloriatur in Domino crucifixo glorietur, ubi humilitas, ibi majeſtas, ubi infirmitas, ibi poteſtas, ubi mors, ibi vita, ſi vis ad illam venire, noli iſta contemnere, noli erubeſcere : maxima enim gloria eſt nobis, quòd Rex gloriæ pro nobis eſt crucifixus, tantique nos æſtimavit ; & cur gloriandum in cruce ? quia in cruce, & per crucem Chriſtus clarificatus eſt, cui omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum : In cruce item gloriandum, quia in ipſa Angelos homini reconciliavit pacificans quæ in terris, & quæ in Cœlis ſunt : In cruce item gloriandum, quia per ipſam, & in ipſa hominem ſalvavit, & in ea virtutem noſtræ ſalutis collocavit : In cruce item gloriandum, quia per ipſam diabolum ſuperavit : ergo per crucem ſuper cæleſtia glorificantur, cæleſtia reformantur, terreſtria vivificantur, infera expugnantur. *Ser. 2. in Invent. S. Cruc. in addit. op. ſtim. cit. ſer.1. Dom. infra oct. Epiph. Ioan. c.21.v.19.*

90. *Perfecta Chriſtiani gloriatio in cruce Domini Ieſu requirit imitationem.*

Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Verè quidem magna eſt hæc gloriatio, quòd Rex gloriæ crucifixus eſt pro nobis : quid enim glorioſius nobis, quàm quòd tanti æſtimaverit nos Deus ? hoc verum eſt, ſed attende ad complementum noſtræ gloriationis ; *per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*, ait Apoſtolus ; quid eſt mihi per crucifixum, mundus crucifixus eſt, & ego mundo ? hoc eſt abjicere mundum, & à mundo abjici ; hoc eſt relinquere omnia, quæ ſunt in mundo, & ad ſolùm crucifixum imirandum ſe toto corde convertere ; hoc eſt ſi dolores crucifixi penetrent intima noſtra, & corda noſtra iſtis doloribus

Chriſti

Christi gladientur; hoc est si accedamus ad latus ejus, & sanguinem ejus sugamus; hoc est si nos faciamus non ipsum talia frustra passum esse; hoc est si corda nostra fiant receptacula sanguinis Domini nostri Jesu Christi, & inebrientur ejus doloribus, tunc autem meritò dicere poterimus; Nobis absit gloriari nisi in cruce Domini nostri &c. *Opstim.p.1.c.13.Psal.48.op. Regula Novit.c.4.*

91. *Perfectus Christi discipulus est, qui mundum abjicit, & mundo moritur, & à mundo abjicitur.*

Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nota hanc mutuam crucifixionem, abjectionem, & mortem; quid est hoc, mihi mundus crucifixus est, idest mortuus, abjectus & vilipensus, & ego mundo? ô nota ô servè Dei, ô tu qui profiteris discipulatum Christi; dat intelligere, quòd utrumque requiritur ad perfectum discipulatum, & imitationem Christi; multi enim abjiciunt mundum, multi ipsum relinquunt, multi ipsum vilipendunt; sed tamen ipsi non sunt mundo crucifixi, scilicet abjecti, relicti, vilipensi, contempti, sed potiùs honorati, & exaltati, ideo non ad totalem perfectionem sunt adhuc reducti; Veri & perfecti Christi sequaces similes sunt Paulo, cui mundus crucifixus fuerat quia omnia mundana ei crux amara erant, & quia hunc cordi suo jam mortuum non amabat; & ultra hoc seipsum mundo crucifixerat, quia talem se exhibere studuit, ut ab eo quasi mortuus, vel abjectus, & vilissimus concupiri non posset, & in hoc stat perfectio fortitudinis doni Spiritus Sancti; hæc enim quatenus est virtus Cardinalis arripit omne laboriosum, & arduum pro amore virtutis; sed quatenus est donum Spiritus Sancti inducit perfectam imitationem Christi crucifixi, cui mundus crucifixus erat, & ipse mundo; mundus namque crucifigitur homini, cum abrenunciat totaliter mundo, omnibus relictis; & homo crucifigitur mundo, cum à mundo persequitur, cum post omnium renunciationem vilipenditur à mundo, cum certat adversus concupiscentias, voluptates, & omnia vitia, & ad hunc statum invitantur omnes Christiani, sed maximè Sacerdotes in Missa dum in crucem extendunt toties brachia, *Op. de septem hist. æternit istin.3. d.6.lib.3. d.35.a.1.qu.5.op. Expos. Missæ c.4.Luc.c.18.v.24.* In quo sensu S.Hieron. ep. ad Ascellam dixit in hæc verba; *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Proverbium est, quòd in hoc mundo stulti invicem sumus; tu ô munde tales miseros arbitraris, qui se cum Christo crucifigunt, nos te miserabiliorem putamus, par pari refertur, & sic invicem videntur insanire. *Sic & S. Ben. Apol. Paup. Resp.3.c.1.*

92. *Paupertas altissima est propria tantùm sequacium crucifixi.*

Mihi absit gloriari &c. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nota quòd hæc crucifixio spiritualis, quam hîc profitetur Apostolus, consistit in abdicatione totali omnium rerum creatarum, & ob id in altissima paupertate, quia tales nec habent, nec amant mundum, nec à mundo amantur; & ideò abdicant omnia propter Christum, solumque ipsum Christum amantes, & desiderantes nudum, & crucifixum. *Ser.2. de S. Andrea op. Apol. Paup. Resp.3.c.1. Luc.c.18. vers.24.*

93. *Circumcisio spiritualis in sequela Christi, non carnalis necessaria.*

In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Quid est nova creatura? idest animæ renouatio per gratiam, & circumcisionem spiritualem omnium rerum terrenarum, hoc est enim, quod in sequela crucifixi æstimari debet: Ex hoc textu etiam admonentur magistri spirituales Ecclesiæ, quòd Novitiis in via Dei non sunt imponendæ observantiæ nimis rigidæ in principio. sed præcipuum studium debet collocari in renovatione interiori cordis per cognitionem, & amorem in Deum, & exercitium orationis; & hinc postea paulatim ad exteriores pœnitentias transite. *Luc.c.5. in fine v.38.*

94. *Regula S.P.Francisci tota est de cruce Domini nostri Iesu Christi.*

Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei: De cætero nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto: Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu vestro fratres Amen. Nota: hæc est conclusio hujus epistolæ Pauli ad Galatas, in qua docet, quòd omnes, qui sequuntur regulam traditam in superioribus de amplexanda vita, sequela, & imitatione crucifixi Iesu, tranquillitatem conscientiæ obtinebunt, misericordiam Dei, & ad Dei visionem per fidem in hac vita, & claram in alia vita pervenient; & deinde seipsum proponit exemplar imitandum pro Christo: Mysticè tamen alludunt ad regulam, quam professus est Seraph. P.S Franciscus, qui totam ordinavit conformem vitæ, & cruci Domini Jesu Christi: ipse enim semper crucem prædicabat, ostendebat & verbo & exemplo; ita ut verè dicere poterat cum Apostolo; *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*: & post traditam regulam de crucis mortificatione amplexanda, in fine verè potuit dicere, *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, ita ut sui filii imitantes ejus vitam, & observantes regulam mereantur audire. *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum Spiritu vestro fratres: Amen. Op.Legenda S. P. Franc.in fine op. Expos. Regulæ in Præfat ser.3.de Translat. S. Franc.ser.2. de S.Franc.in addit.*

95. *Qualia stigmata Christi Iesu portaverit Apostolus.*

Nemo mihi molestus sit; scilicet nemo à me quærat professionem meam; *ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*: sed quænam hæc stigmata? non enim legitur, quòd stigmatizatus fuerit in pedibus, manibus, & pectore cum Christo? hoc enim solùm legitur de Beato P.Francisco: Ad litteram vocat plagas, & cicatrices ex verberibus, vulneribus, & afflictionibus propter Christum susceptas, & corpori

Digitized by Google

pori ſuo impreſſas, quibus ut miles Chriſti glorabundus quaſi glorioſis vexillis incedebat in ſignum fortitudinis,& gloriæ bellicæ, ſeu triumphi: myſticè & moraliter dat intelligere, quòd ipſe, & Apoſtoli, & omnes veri Chriſti ſequaces debent portare crucem, & ſtigmata Domini Ieſu in corpore, ſcilicet in carne per crucis, & pœnitentiæ mortificationem continuam, in ore per prædicationem, in corde per dilectionem. *Ser.4.Dom.3.Quadrag.ſer.1.dedicat.*

96. *Crucis, & ſtigmatum Chriſti portatio per compaſſionem expenditur: Ubi de Seraphico Patre Franciſco ſtigmatizato.*

Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto &c. Quomodo ſtigmata Chriſti, & non propria potius portabat? ſed attende ad myſterium, & transfer mentem ad illud *Pſal.41. Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum, omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt:* Quid eſt abyſſus abyſſum invocat? Abyſſus compaſſionis Chriſti invocat abyſſum compaſſionis Chriſtiani, quia non alium habitum prætendere debet Chriſtianus, niſi qualem veritas profeſſionis exprimit à Chriſto; in voce cataractarum tuarum, ideſt plagarum omnia excelſa tua, & fluctus tui, ideſt opprobria, dolores, & tormenta indicibili compaſſione in propriam perſonam retorquens, ſentiendo quod & in ipſo Jeſu, ſuper me tranſierunt: Iſtam triſtitiam, & compaſſionem continuè habebat Paulus cum dicebat: *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto*, ſic & omnes Apoſtoli, nam præ nimia triſtitia, & compaſſione doloroſæ compaſſionis de Domini Paſſione transformati erant in crucifixi effigie per conformitatem. *Serm.3. Dom.2.poſt oct.Paſcha.* Hoc itidem verificatum fuit in perſona S.P.Franciſci, qui in monte Alvernæ orans,& meditando Paſſionem Jeſu crucifixi, invenit duplicem abyſſum; nam abyſſus Paſſionis Chriſti, abyſſum compaſſionis in Franciſco invocavit, ſicque & in corde, & in manibus, & in pedibus, & in pectore tranſierunt impreſſa à Jeſu ſua vulnera, ita ut veluti alter crucifixus appareret in mundo ad inflammandum corda hominum. & ideò mirum non eſt, quòd cruc's myſteria altiſſima ei aperta fuerint, & quod non niſi crucis, & crucifixi veſtigia ſequeretur, non niſi crucis dulcedinem ſaperet, non niſi crucis, & crucifixi gloriam prædicaret. *Ser.cit.de S.Franc.op. Legenda ſupra cit.* Gloriare igitur jam ſecure cum Paulo in crucis gloria Chriſti ſignifer glorioſe, quoniam à cruce incipiens ſequelam Chriſti ſecundum crucis regulam proceſſiſti, & tandem in cruce perficiens, per crucis teſtimonium quantæ ſis gloriæ in Cœlo cunctis fidelibus innoteſcis: ſecurè jam te ſequantur, qui ex Ægypto exeunt, quia per baculum crucis Chriſti mari diviſo deſerta tranſibunt in repromiſſam terram viventium, Jordane mortalitatis tranſmiſſo per ipſius crucis mirandam potentiam ingreſſuri, quo nos introducat verus populi ductor, & ſalvator Chriſtus Jeſus crucifixus per merita ſui Apoſtoli Pauli, & ſervi ſui Franciſci, ad laudem, & gloriam unius Dei & trini, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit expoſitio Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ in Epiſtolam ad Galatas.

EXPO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM DIVI PAULI AD EPHESIOS.

PROLOGUS.

NOTA primò hanc epistolam duas partes habere, alteram dogmaticam, alteram ethicam: in prima disputat profundissimè de arcano divinæ prædestinationis, illiusque arcanum admiratur: in secunda præscribit modum Christianè vivendi cuique hominum ætati, & conditioni: Nota secundò hanc epistolam Romæ è carcere per Tychicum Diaconum scriptam, & missam fuisse; & occasio fuit, quia Ephesi morabantur plures, qui post susceptam Christi fidem Apostatæ, & Hæretici facti sunt & hostes infensissimi Apostoli, ejusque doctrinæ: timens ergo, ne fideles ab his lupis seducerentur, ad eos scribit, ut in fide vera stabiles perseverent. Nota tertiò, quod in hac, & cæteris epistolis scriptis à Paulo concluso in carcere, qualis est hæc, & alia ad Coloss. ad Philipp. & ad Tim. plus sapientiæ, & spiritus elucet, quàm in aliis, ex hoc quòd anhelans ad martyrium, ejusque desideriis æstuans quasi cygnus suas ultimas cantiones ignem divinum spirantes eructavit.

CAPUT PRIMUM.

1. *In hoc capite Apostolus benedicit primò Deum, quod per Christum nos prædestinaverit, & omni gratiâ cumulaverit, & instauraverit omnia cælestia, & terrestria: secundò excitat Ephesios ad laudem Dei ob istam gratiam prædestinationis; agens simul gratiam Deo ob fidem, & charitatem Ephesiorum, orans pro ipsis, ut perfectam sapientiam in Christo adipiscantur.*

2. *Deus multipliciter noster Pater in scriptura declaratus, ut nos veluti filii ipsum diligamus.*

GRATIA *vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Nota, hoc est initium epistolæ Pauli, in quo proponit primo loco ante oculos nostros Deum Patrem, & auspicatur nobis ab ipso gratiam, & pacem; & per hoc, & per sequentia; Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus, in Christo; nobis ante oculos objicit Deum sub titulo Patris, ut considerando effectus paternos in nos exhibitos, ipsum ut charissimi filii diligamus: Pater enim dicitur, & est, primò æternâ generatione; 2. prædestinatione, qua nos in adoptivos filios prædestinavit: 3. creatione: 4. redemptione: 5. sacramentali regeneratione: 6. gratiæ adoptione, & tandem gloriæ collatione: quæ omnia nos invitant ad Deum, ut nostrum Patrem amandum, ipsique toto corde serviendum, & obtemperandum: *Op. Comp. Theol. lib. 1. c. 4. op. in Pater.*

3. *Per gratiam, & benedictionem Christi in terris degentes homines cælestes, & veluti in Paradiso habitantes fiunt.*

Qui (scilicet Pater) *benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo.* Quid est in omni benedictione in cælestibus? ergone degentes in terris per hanc plenam benedictionem evadimus cælestes? Ad litteram vult dicere, quod Deus Pater nos benedixit, & quia benedicere Dei est benefacere, ipse nos benedixit per Christum in donis cælestibus, imo in locis cælestibus nos collocando veluti in Paradiso,

Digitized by Google

dum gratiam ſuam ſanctificantem nobis communicat, quæ facit animam Paradiſum Domini & ex hoc Paradiſo ad alium Empyrei ſecutè transibimus. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 11. & 14. ſer. 3. Dom. 19. Pentec.*

4. *Benedictio multiplex Paradiſi in nos derivat per Mariam Virginem.*

Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto. Cur addit in Chriſto? Nota hîc, quòd dat nobis intelligere, quòd per Chriſtum factum hominem in utero Virginis Mariæ, in nos derivat omnis benedictio, & ſi in nos talis benedictio Paradiſi derivat, multò magis primò, & ante & ſuper omnes derivavit in Mariam, in qua facta eſt Incarnatio, & per Mariam in cæteros omnes; ergo Maria Paradiſus Dei verè fuit, non ſolum in anima, ſed & in carne. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 11. & 14.*

5. *Propoſitum, electio, & prædeſtinatio quid ſint & unde fundentur.*

Sicut elegit nos in ipſo (ſcilicet in Chriſto, & per Chriſtum) ante mundi conſtitutionem ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate, qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo. Nota, quòd in his verbis Apoſtolus tangit præcipuas difficultates de prædeſtinatione; & primò an idem ſint in Deo propoſitum, electio, & prædeſtinatio; ſecundò an noſtra electio, & prædeſtinatio fundetur ſuper merita aliqua vel ex parte Chriſti, vel noſtri: Cui reſpondetur primò, quod in Deo ſunt idem ſecundum rem propoſitum, ſeu conſilium voluntatis ſuæ, electio, & prædeſtinatio, ſed differunt ſecundum rationem intelligendi; nam propoſitum ſimpliciter dicit voluntatem faciendi aliquid, ille enim dicitur proponere, qui firmiter vult facere aliquid: Electio, & prædeſtinatio addunt ſuprà voluntatis conceptionem aliquid; nempè, prædeſtinatio addit ordinem, & directionem in finem; electio diſcretionem, ſive ſeparationem à ſuo oppoſito: hinc propoſitum eſt priùs ſecundum rationem intelligendi, & deinde electio, ſeu ſeparatio bonorum à malis, & indè prædeſtinatio, & ordinatio bonorum in finem, ſcilicet in gloriam æternam: Et hinc infertur, quod in mente Dei ab æterno eſt propoſitum ſalvandi omnes; ſcilicet voluntate antecedenti: Electio verò ſe extendit tantùm ad bonos prævisos, & prædeſtinatio addit ordinationem ipſorum cum ſuis mediis in finem: Ad ſecundum reſpondetur quòd propoſitum, electio, & prædeſtinatio ratione principalis ſignificati nullam cauſam creatam habent in Deo, ſed omnia ſunt à Deo, ut à principio effective principali; ſed ratione connotati, ſcilicet prout dicunt rationem diſpoſitivam, per rationem meriti, & excitativam ſecundum efficaciam exempli, prædeſtinatio, & electio noſtra fundatur in meritis Chriſti. *Lib. 1. d. 11. a. 1. qu. 3 lib. 1. d. 40. per totam & d. 45. dub. 3. & qu. 1. & lib. 2. d. 26. qu. 1.*

6. *Eccleſia fabrica inchoata ab æterno, & in tempore completa per Chriſtum.*

Elegit nos ante mundi conſtitutionem, & prædeſtinavit nos &c. Quid eſt elegit nos? quoſnam elegit? Elegit ſcilicet omnes fideles, ut per ipſos conſtitueret Eccleſiam: Vide igitur ordinem, quo ædificata eſt Eccleſia; ſicut enim ad conſtruendum ædificium homo priùs debet in mente diſponere, & prævidere, poſt lapides eligere, tertiò fundamentum ponere, quartò unum parietem erigere, quintò alium, & ſextò tectum apponere; ſic Deus faciendo domum, ſcilicet Eccleſiam primò diſpoſuit, & prævidit ante mundi conſtitutionem, ſcilicet ab æterno, ſicut eſt voluntas artificis ſuprà opus: ſecundò lapides poſuit in tempore Patriarcharum: tertiò fundamentum poſuit in morte Chriſti ſtabile, & perpetuum: quartò parietem erexit in die Pentecoſtes in vocatione Judæorum: quintò alium parietem erexit de gentibus, quando duo parietes ad unum lapidem angularem convenerant: ſextò tectum appoſuit, & apponit ſingulis diebus, quando homines juſtificat complendo numerum prædeſtinatorum, & fabricam Eccleſiæ triumphantis; & hæc eſt domus Domini firmiter ædificata, benè fundata ſuprà firmam petram. *Pſal. 5.*

7. *Omnes homines electi ſunt ad gratiam, & gloriam voluntate antecedenti Dei, ſed non omnes voluntate conſequenti.*

Elegit nos ante mundi conſtitutionem in ipſo ſcilicet in Chriſto, *ut eſſemus ſancti, & immaculati.* Elegit nos; quos nos? Nos ſcilicet omnes homines, qui voluntate antecedenti Dei dicuntur & electi, & prædeſtinati ſecundum propoſitum voluntatis divinæ, quia hac voluntate antecedenti omnes ordinavit ad gloriam; & ideò omnes vocavit, & vocat, ut ſint mundi, & immaculati; ſed quia non omnes obediunt; multi enim cum ſint vocati ad gratiam convertunt ſe ad voluptates, & mundi vanitates, ideò voluntate conſequenti non omnes temporaliter ſunt electi, & prædeſtinati, & hoc ex voluntate mala hominum. *Ser. 2. de converſione S. Pauli. ſer. 22 de S. Matthia in addit. Ioan. c. 15. v. 16. & collat. 20. Pſal. 118. c. 1. v. 1. & c. 3. v. 16. op. Comp. Theol. lib. 1. cap. 30.*

8. *Per Chriſtum nos liberati ſumus à peccato, & grati Deo ſumus.*

Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum Chriſtum in ipſum &c. in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo; in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus. Ecce fundamentum totius noſtræ ſalutis, ſcilicet in Chriſto, qui cum eſſet dilectus filius Patris, in ipſo, & per ipſum omnes odioſos dilectos facit, primò liberando à peccatis, & deinde conferendo gratiam ſuam. *Luc. c. 3. v. 22.*

9. *Ex Chriſto capite influunt omnes ſpiritus, & gratia in omnes creaturas rationales.*

Propoſuit in eo (ſcilicet in Chriſto) *in diſpenſatione*, ideſt in plenitudine temporum inſtaurare omnia in Chriſto, *quæ in Cœlis, & quæ*

in

in terra ſunt, in ipſo: & infrà in fine addit: *& ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. & plenitudo ejus* &c. Nota, ly, *inſtaurare in Chriſto:* ergonè inſtauravit, & redemit etiam Angelos? & quali redemptione erant ipſi indigentes? ſed attende ad dignifſimum myſterium, & Chriſto glorioſum; inſtaurare legit Græcus recapitulare in Chriſto decrevit Deus, & diſiunctos unite ad unum caput Chriſtum, & homines, & Angelos eoſque collocate ſub uno, & eodem capite: meritò igitur dicitur Chriſtus caput omnium creaturarum rationalium, imò & irrationalium; nam ſicut in capite materiali hæc tria reperiuntur, ſcilicet quòd eſt membris conforme, eſt membrorum principium, eſt & influxivum ſenſus. & motus, & ideo in capite reperiuntur omnes ſenſus perfectiori modo, quàm in aliis membris: ſic Chriſtus ut homo conformis eſt noſtræ humanæ naturæ, ut Deus Angelicæ, ut Deus eſt principium effectivum; ut Deus, & homo eſt principium influxivum; effectivum ut Deus; diſpoſitivum, & meritorium ut homo; ex Chriſto enim reconciliatio hominis facta eſt per fidem, & gratiam. & Angelis multiplex illuminatio provenit, & repletio ſedium Angelicarum: hinc eſt, quòd meritò Chriſtus dicitur caput Eccleſiæ militantis, & triumphantis, per quem inſtauravit omnia Deus. *Lib.* 3. *d.*13. *per totam & d.*1.*a.*1. *qu.*1. *Luc. c.*4. *v.* 21. *Ioan. collat.* 6. Nota etiam, quòd plures inſignes Theologi docent etiam ut caput Angelorum eis meruiſſe gratiam, gloriam, & confirmationem in ea. *Vide Suar.* 3.*p. d.*41.*ſ.*1.

10. *Fides ſpes, & charitas Spiritus Sancti ſunt pignus hæreditatis æternæ ſignatum ſigillo Spiritus Sancti.*

Cum audiſſetis verbum veritatis (Evangelium ſalutis veſtræ) in quo & credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius. Ecce effectus adventus Chriſti in carnem, & ipſius Paſſionis; nam per ipſum, & prædicationem Evangelii data eſt fides, & poſt fidem ſignaculum certum per communicationem Spiritus ſancti, veluti pignus, vel ut legit Græcus arrha, hæreditatis noſtræ; & per hoc dat intelligere, quòd non ſolùm per fidem, & ſpem ſignantur fideles de certitudine præmii æterni, ſed & magis per charitatem, quæ cum Spiritu ſancto communicatur tamquam pignus & arrha noſtræ hæreditatis futuræ in Cœlo; per fidem enim tamquam per ſignum diſcernuntur fideles ab infidelibus; per ſpem certificamur de futura beatitudine obtinenda, & per charitatem ſignamur veluti litteræ ſigillo Spiritus ſancti. quia per ipſum omnia opera bona noſtra, verba, & deſideria ſcripta ſunt in libro vitæ. *Ser.*1. & 8. *in Pentec. op de grad. virtut. c.*27. *op. Diæt. tit.*5. *c.*1. *Luc. c.*15. *v.*10. *c.*19. *v.*26.

11. *Chriſtus obcæcando illuminat noſtros oculos ut videant Dei inviſibilia.*

Non ceſſo &c. ſcilicet orare, *ut Deus det vobis ſpiritum ſapientiæ* &c. *illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in ſanctis.* Nota, quòd Paulus orabat pro Epheſiis, ut Deus daret eorum oculis lumen, ut poſſent videre cæleſtia, & inviſibilia Dei; ſed cur hoc? erant forſan cæci? erant quidem cæci, ſcilicet quoad cognitionem ſupernaturalium; & ideo orabat, ut cæcos oculos haberent ad terrena, & aperirent oculos per fidem, ſpem, & charitatem ad videnda myſteria fidei, & cognoſcendas divitias gloriæ à Deo ſanctis ſuis præparatæ, quæ non poſſunt videri ab oculis carneis, & ſolùm ad terrena defixis. *Ser.*1. *Dom.*11. *Pentec. Pſal.*118. *c.*6. *v.*2. *lib.*2. *d.*40. *a.*2. *qu.*1.

12. *Nomen Ieſu ſuper omne nomen continens, & exprimens divinam & humanam naturam.*

Credimus ſecundum operationem potentiæ Dei, quam operatus eſt in Chriſto &c. *conſtituens illum ad dexteram ſuam in cæleſtibus ſupra omnem principatum* &c. *& omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo ſed etiam in futuro; & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus.* Vide quomodo inter omnes excellentias Chriſto collatas à Patre, adnumeratur etiam collatio, ſeu manifeſtatio nominis Jeſu, quod eſt ſuper omne nomen, & cui ſubjecit omnia, per quod ſignificatur, quòd hoc nomen eſt ſuper omne nomen exprimens humanam, & divinam naturam Chriſti, & continens omnem virtutem contra hoſtes, & omnem gratiam, & benedictionem nobis ipſum invocantibus provenientem. *Lib.*3. *d.*1. *a.*2. *qu.*1. *ad arg. & d.*18. *dub.*2. *&* 3. *op. medit. c.*100.

CAPUT II.

In hoc capite docet Apoſtolus Gentiles priùs mortuos vivificatos eſſe per fidem Dei gratis, qui in Chriſto nos creavit ad opera bona peragenda; & ideò qui priùs alieni erant à Deo facti ſunt propè & ob id omnes ſumus concives ſanctorum in Chriſto.

13. *Peccati effectus miſerabiles in anima, & præcipuè originalis expenduntur.*

Et vos cum eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis, &c. *in quibus & nos omnes aliquando converſati ſumus,* &c. *& eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri.* Nota, quod hic alludit ad duo genera peccatorum, quæ miſeram reddunt hanc humanitatem: primò ad peccatum mortale actuale: ſecundò ad peccatum originale, propter quod naſcimur natura filii iræ conſequenter etiam innuit miſerias, in quibus jacet homo; quia enim culpa dicit receſſum à bono incommutabili, & acceſſum ad commutabile; & cum recedere à primo ſit recedere à ſumma virtute, veritate, & bonitate;

accedere autem ad bonum commutabile eſt plus debito in illud per amorem tendere; hinc eſt, quod perdens juſtitiam, & gratiam originalem incurrit in infirmitatem, ignorantiam, & malitiam & concupiſcentiam? rursùs quia deſerens bonum incommutabile propter commutabile bonum efficitur indignus utroque, hinc oritur; quod homo perdit quietem temporalem in corpore per multiplicem corruptionem, & mortem, & tandem ſeparatur à viſione lucis æternæ amittendo fælicitatem gloriæ tàm in anima, quàm in corpore; & quia carentia juſtitiæ in naſcentibus non eſt per motum voluntatis propriæ nec per actualem delectationem, hinc eſt quod pueris morientibus ſine baptiſmo non debetur pœna ſenſus in gehenna, quæ tamen debetur adultis ob peccatum actuale: ecce in quot præcipitia pertrahat peccatum. *Op. Brevil. p.3. c.5. & 7. op de tribus ternar. pecc. c.1. op. ſpec. B. Virg. lect.2. & 18. ſup. c.1. Luc. c.1. v.35. & c.9. v.60. Ioan. c.3. v.35. lib.2. d.18 a.2. qu.3.*

14. *Solus Chriſtus, & B. Virgo Maria excepti fuere inter homines ab hac infectione peccati.*

Et eramus omnes naturâ filii iræ. Nota, quod dicitur homo filius non hominis, ſed iræ; quid eſt filius iræ? ideſt addictus, & dignus, & obnoxius iræ, ac vindictæ Dei, ergo mater hominis ipſum progignens in hoc mundo eſt ira, ſcilicet vitium, peccatum, & mors; ſed tamen cum hæc audis, cave, ne involuas inter hos filios mortis Chriſtum, & B. Virginem Mariam: Chriſtus enim, quia venit deſtruere mortem, & peccatum, ideò filius fuit non mortis, ſed vitæ, & gratiæ, quia in eo fuit plenitudo gratiæ capitis, à quo in omnia membra effluere debebat omne principium vitæ; & quia Maria Virgo concepit eum, qui erat expiatio omnis culpæ, ideò data fuit ſibi gratia ſingularis, quia extincta fuit in ea radicitus omnis concupiſcentia, & radix peccati ad concipiendum Dei Filium abſque omnis peccati labe, & corruptela. *Op. Brevil. p. 3. cap.7.*

15. *Dæmones ſunt principes tenebrarum, & malorum, quorum locus eſt aër uſque ad diem judicii.*

Et vos cum eſſetis mortui delictis, & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis, ſecundùm ſæculum hujus mundi, ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus, ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. Nota, quod in his verbis duo explicat Apoſtolus apprimè neceſſaria ſcitu; alterum eſt, quòd peccatum mortale affert mortem animæ, alterum eſt, quòd peccatum ſubjicit hominem poteſtati Dæmonum, qui ob id dicuntur principes tenebrarum, & hic dicuntur principes ambulantium ſecundùm ſæculum mundi hujus, ideſt ſecundùm conſuetudinem ſæcularium ſæculariter, & mundanè viventium in hoc mundo. Nota etiam, quòd dicuntur principes ſpiritus aeris hujus; ergonè dominantur aeri? minimè, ſed dicuntur ſpiritus aeris, quia eorum locus uſque ad diem judicii eſt iſte aer infimus, & caliginoſus, & hoc permittit Deus ad exercitium, & coronam electorum; Verum quidem eſt, quod inter iſtos ſunt plures, qui deſcendunt ad infernum ad torquendas animas, ſecundùm quòd habent inter ſe deputata maledictionis officia. *Lib.2 d.1.p.1.a.2.qu.1. & d.6.a.2.qu.1.*

16. *Reparationis humanæ opus quale, ejuſque conditiones expenduntur.*

Deus, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto, cujus gratia eſtis ſalvati. Ecce quomodo totum reparationis noſtræ myſterium inſinuatur in his verbis Apoſtoli: primò enim inſinuat auctorem reparationis, qui eſt Deus dives in miſericordia non aliunde motus, quàm ex charitate ſua nimia ideſt infinita; nimia non ſecundùm ſe, ſed in ordine ad noſtra demerita; ſecundò inſinuatur lapſus miſerabilis cum dicitur, cum eſſemus mortui peccatis, ſcilicet per peccatum primi hominis nos omnes infecti, & mortui ſumus: tertiò inſinuatur perſona reparatoris cum dicitur, convivificavit nos Chriſto; nam Chriſtus fuit, in quo facta fuit hæc reconciliatio: quartò inſinuatur ſalus hominis reparati cum dicitur cujus gratia ſalvati eſtis; cum enim merito Paſſionis Chriſti collata eſt efficacia Sacramentis, ut per ea infirmis detur gratia ſanativa; hinc dicitur, quod convivificavit nos in Chriſto, quia in perſona ejus mortalitatem noſtram vitæ ſociavit, noſque immortali vitæ ſociavit, ac per hoc in ſemetipſo convivificavit, & nos per mortem ipſius à morte eripuit. *Lib.3. in prom. & d.1. a.2.q.2. ad 6. & d.2. a.1. q.2. & d.30. qu. ultim. corp.*

17. *Divitiæ divinæ miſericordiæ in liberatione hominis à morte peccati iterum expenduntur.*

Deus qui dives eſt in miſericordia propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos, &c. O quàm verè dives, & ſuperabundans fuit Deus Pater in miſericordia, quando nullis præcedentibus meritis noſtris, imo præcedentibus demeritis immenſis, ad omnimodam charitatem, & dilectionem, quam erga nos habuit, voluit mortuos in peccatis vivificare, & ſalvare à morte quorumlibet peccatorum infundendo nobis vitam gratiæ merito Paſſionis Filii ſui Unigeniti: ſalvavit item nos ab obligatione reatus pœnæ per tolerantiam mortis ſatisfactoriæ, & effuſionem ſui pretioſiſſimi ſanguinis, qui fluxit de manibus, & pedibus in crucifixione, de capite in coronatione, de toto corpore in flagellatione, & de corde in lateris apertione: ô quàm dives Deus in miſericordia? ô quam nimia ejus charitas! Certè ſi torrens tantæ dulcedinis attingit Chriſtianas animas, non eſt locus ingratitudinis; imò præ nimia devotione dilectionis continuæ redderet gratiarum actionem multifariam. *Ser.1. in Paſcha: ſer. 3. Dom.2. poſt oct. Paſchæ Luc. c.1. v.50. c.9. v.31. c.11. v.50. c.22. v.12. ſer.2. Hexaem. op. medii. c.4. Pſal.87. op. Comp. Theol. lib.4. cap.20.*

18. *Exiſtens in gratia etiam in pœnis confeſſor eſt cum Senatoribus Cœli coram Deo.*

Convivificavit nos & conſedere nos fecit in cœleſtibus. Quomodo hoc potes dicere ô Paule, dum ſcribens iſta in carcere incluſus inter compedes exiſtis? ô Nota ô fidelis anima effectus divinæ gratiæ: Chriſtus conferens ſuam gratiam animæ, ipſam reſuſcitat à morte, & collocat eam in ſocietate electorum, & ideò etiam exiſtens inter miſerias hujus vitæ confeſſor fit homo per ſpem cum Senatoribus Cœli, quia gratia animam Paradiſum facit. *Op. ſpec. B. Virg. lect. 14. ſer. 4. Dom. Trin. Diat. iii. 5. c. 1.*

19. *Qui in peccato vivit alienigena eſt, & exul à Paradiſo: Qui in gratia eſt patritius Cœli fit.*

Memores eſtote, quod aliquando vos eratis gentes in carne qui dicebamini præputium, &c. qui eratis ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſrael, &c. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longe facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Ecce quid facit peccatum & gratia in anima: vos ô peccatores, ait Apoſtolus, in peccato exiſtentes, longè eſtis veluti alienigenæ, & exules à Paradiſo, & civibus cœleſtibus, ſed tranſacti ad ſtatum gratiæ per ſanguinem Chriſti facti eſtis propè, ideſt patritii cœleſtis patriæ. *Luc. c. 17. v. 18. c. 8. v. 16.*

20. *Chriſtus mediator fuit tollens inimicitias inter Deum, & homines, & uniens in unum populum Gentilem, & Judaicum.*

Ipſe eſt pax noſtra qui fecit utraque unum, & medium parietem materia ſolvens in carne ſua, legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in ſemetipſo in unum novum hominem faciens pacem, & c. interficiens inimicitias in ſemetipſo. Ecce fundamentum unionis populi Judaici, & Gentilis, & pacis contractæ inter Deum, & hominem per Chriſtum, qui venit mediator gratioſiſſimus ad exhibenda remedia pacis; & concordiæ; veniens enim aſſumendo humanam naturam in unitate perſonæ fecit utraque unum, ſuſtinendo voluntariè tormentum crucis, & mortis, ad quam non tenebatur, eò quòd immunis erat ab omni peccato, evacuavit decretum divinæ ſententiæ de clauſione januæ Paradiſi, ſolvens medium parietem inimicitiæ, & diſcordiæ, quæ erat inter nos, & Deum, per ſeipſum, & non per alium, quia non congruebat; Non enim Angelus, quia non debebat, nec etiam per hoc divinæ juſtitiæ eſſet ſatisfactum: non homo, quia non poterat reſtituere ablatum: Non Deus ſine carnis aſſumptione, quia non debet, & etiam ab homine poſſet haberi ſuſpectus; ſed Chriſtus Deus, & homo, qui in quantum Deus valet, & in quantum homo debet, ideò ab aliquo non poteſt haberi ſuſpectus; quia frater noſter, & caro noſtra eſt. *Ser. 2. Dom. 1. Adv. ſer. 2. Dom 2. Adv. ſer. 1. Dom. 3. Adv. ſer. 1. Dom. Palm op. Princip. S. Scriptura ad finem: Pſal. 45. op. ſpec. B. Virg. lect. 18. op. ſtim. p. 1. c. 8. Luc. c. 2 v. 3. & 14. c. 7. v. 1. cap. 10. v. 5. c. 13. v. 10. & 17. c. 17. v. 26. c. 19. v. 18. ſeq. & v. 38. c. 20. v. 17. c. 24. v. 36 Ioan. collat. 54. & 66.*

21. *Chriſtiani ſunt domeſtici Dei, & cives civitatis Ieruſalem: Infideles ſunt extranei.*

Iam non eſtis hoſpites, & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu; Ecce qualis ſublimitas Chriſtianiſmi: Chriſtianus enim eſt Chriſti domeſticus, & adnumeratus inter cives civitatis Jeruſalem; ejus enim fides fundata eſt in Chriſto ſummo lapide angulari. *Ser. 3. Dom. 19. Pentec. ſer. 9. & 22. Hexam. Pſal. 118. Luc. c. 6. v. 13. Ioan. c. 4. v. 37. op. Apol. Paup. Reſp. 4. c. 3.*

CAPUT III.

In hoc capite Apoſtolus tractat de mirabili vocatione Gentilium ad fidem Chriſti; ſeque ſanctè gloriatur fuiſſe miniſtrum huius vocationis, oratque Deum pro perſeverantia ipſorum in fide, & Charitate Chriſti.

22. *Gloria, & honor, & inſignia ſervorum Dei eſt pati pro Chriſto.*

Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu, pro vobis gentibus. Nota, quod in hac propoſitione deeſt verbum, quod ſententiam expleat, ideò ſupplendum; hinc ſancti Patres addunt vel legatione fungor, vel vinctus ſum, *Ego Paulus vinctus Ieſu Chriſti, &c.* ubi notandum, quod dum ſe appellat vinctum Jeſu Chriſti, epitherum apponit non ſervilis conditionis, ſed gloriæ, & honoris, quia ſicuti in Act. dicitur; Ibant Apoſtoli gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro Chriſto contumeliam pati; ſic & gloriatur Apoſtolus de vinculis ſuis pro Chriſto ſuſceptis, quaſi de inſignibus ſui Apoſtolatus, & martyrii, ſicut Rex gloriatur ſuo torque, aut diademate; unde cum ſe non appellet Apoſtolum, vel Doctorem, vel vas electionis, vel Evangeliſtam, ſed vinctum Chriſti Jeſu, & propter Chriſtum, vult oſtendere, quod apud ſe, & Dei ſervos illuſtrius hoc eſt, quàm quælibet alia dignitas; & meritò, nam ſumma gloriatio eſt, & patientiæ gradus ſummus gaudere in tribulationibus, & gloriari cum adſunt, & deſiderare cum deſunt, ſicut famoſus, & nobilis Tiro gloriatur, cum debet tirocinium contrà alium nobilem exercere; & hinc ſuprà 2. *Cor. c. 12. dicebat placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in perſecutionibus, in vinculis pro Chriſto: op. de prof. Religioſ. lib. 2. c. 37.*

Digitized by Google

23. *Communio ſanctorum, quæ continetur in ſymbolo, expenditur.*

Nunc revelatum eſt, &c. gentes eſſe coharedes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis ejus in Chriſto Ieſu per Evangelium. Nota quod in his verbis patenter exprimitur nonus articulus fidei poſitus in ſymbolo Apoſtolorum, nempè communionis Sanctorum: hæc enim eſt triplex, quia ſcilicet faciunt unum corpus omnes ſimul cum Chriſto capite, & ideò omnes Chriſtiani dicuntur concorporales: ſecundò comparticipationem omnium bonorum ſpiritualium mutuam, ideò dicuntur comparticipes: tertiò quia omnes ſunt deſtinati ad eamdem beatitudinem, quæ eſt cohæreditas gratiæ, & gloriæ cum Chriſto, & per Chriſtum; & hinc ſequitur obligatio mutuæ ſupportationis omnium onerum ſecundùm illud Gal.6. Alter alterius, &c. *Op. Dict. tit. 5. c. 3. Luc. c. 10. v. 27.*

24. *Secundùm proportionem vacuitatis, & humilitatis in anima à Deo etiam communicatur largitas gratiæ, & donorum.*

Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus evangelizare inveſtigabiles divitias Chriſti, & illuminare omnes, &c. Nota, quòd oſtendens gratias à Deo ſibi collatas premittit vas receptivum earumdem gratiarum, nempè ſui cordis vacuitatem, & nihillitatem, dicens mihi omnium minimo, quia ſciebat Deum non replere noſtra corda ſuis donis, niſi ſint vacua, quia cor plenum immundiciis terrenis capax non eſt gratiæ divinæ: fuit autem Paulus minimus, & ſe minimum oſtendit, ſicut & quælibet anima fidelis debet eſſe: primò in confeſſione ſuæ culpæ in converſione: ſecundò per ſimplicitatem vitæ, in cujus virtute inveſtigavit arcana myſteriorum Dei: tertiò per contemptum mundi, & pecuniæ, & omnis temporalis ſubſtantiæ: & quartò per abnegationem ſui ipſius per odium, & contemptum proprium; hinc mirum non eſt, quòd tot gratiis repletus fuerit à Deo: *Ser. 1. de S. Marco ſer. 2. Hexam. Luc. c. 9. v. 48. & c. 14. v. 10.*

25. *Apoſtoli fuerunt magiſtri Angelorum.*

Ut innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Quomodo id aſſeritur ab Apoſtolo? nonnè Angelorum proprium eſt illuminare Eccleſiam, non ab Eccleſia illuminari? veriſſimum eſt utrumque Angelorum proprium eſt illuminare Eccleſiam, & fideles; ſed tamen voluit ſponſus Eccleſiæ ipſam ſublimare ad tam altum ſtatum, ut poſſet & ipſa aliquo modo illuminare Angelos, qui quidem ſciebant à principio mundi redemptionem futuram, & fiendam in mundo per Incarnationem Verbi, & hoc tantùm in communi; non tamen omnia myſteria in particulari eis nota fuerunt, quorum multa didicerunt per Apoſtolos, & præcipuè per Paulum, ut v.g. inſtitutio Sacramenti Euchariſtiæ, & Sacramentorum, aliaque multa, ut hinc videas ſublimitatem, & eminentiam, ad quam evecta eſt à Chriſto Eccleſia. *Lib. 2. d. 3. p. 2. a. 2. qu. 1. & lib. 3. d. 13. a. 2. qu. 3. & lib. 3. d. 25. a. 1. qu. 2. & a. 2. qu. 1.*

26. *Prælati zelantes ſalutem animarum plus ad profectum ſpiritualem ſuorum adſpiciunt, quàm ad proprium commodum.*

Pro quo deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Ecce qualis zelus ardebat in corde Pauli circa ſalutem animarum ſibi commiſſarum, timebat enim puſillos defecturos in fide, videntes ipſum magiſtrum tribulari, in carcerem detrudi, & paſſioni ſubjici, ideò eos monet, ne deficiant à ſervitio Dei, plus aſpiciens ad ipſorum ſalutem, quàm ad proprium commodum exemplo Chriſti, eoſque monens, quòd videndo ſuum magiſtrum pro fide tribulari, debebant de hoc gloriari, & gratias Deo agere, quòd ipſe dignus fuerit iſta pati pro nomine Jeſu. *Pſal. 118. c. 6. v. 1. Luc. c. 22. v. 41.*

27. *A Deo Patre per Filium Ieſum Chriſtum omnis cognitio ſupernaturalis fidei myſteriorum, & omnis ſcientia ſpiritualis deſcendit, & innotuit hominibus*: Unde Apoſtolus dicit; *flecto genua ad Patrem, ex quo omnis paternitas, &c. nominatur, ut det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ, &c.* Ex quibus patet, quod viribus naturæ, nec Theologia ſcholaſtica, nec myſtica haberi poteſt, niſi per lumen fidei inditum in anima: Nota autem, quod præcipuè per Filium manifeſtatum eſt ſacramentum anteà ſæculis abſconditum, ſcilicet Incarnationis Dominicæ, per quod mundo pateſacta eſt mirabilis virtus, & fortitudo Dei, ejuſque ſapientia. *Lib. 1. in proem. op. brevil. proœm. Luc. c. 17. v. 5.*

28. *A Deo Patre quomodo deſcendit omnis paternitas*; ut hic aſſerit Apoſtolus: *Ex quo omnis paternitas in Cœlis, & in terra nominatur.* Nota, quòd ad litteram dicitur à Deo Patre deſcendiſſe in terram omnem paternitatem, & in Cœlis, quia analogicè loquendo, ſicut Deus Pater eſt Pater generatione per naturam, ſic eſt Pater creatione, adoptione, & glorificatione, dicitur Pater Angelorum, & hominum: ſecundò quia omnis paternitas, quæ eſt in hominibus eſt à Deo dante ipſis vim generativam, licet annexam pluribus imperfectionibus, quibus caret paternitas increata. *Op. Brevil. proœm. Luc. c. 11. v. 1. lib. 1. d. 9. qu. 1.* tertiò etiam hoc aliqualiter poteſt applicari B. Virgini Mariæ; nam licèt ipſi non fuerit communicata à Patre ſua paternitas cum ſit incommunicabilis, tamen ei donum maternitatis, & fœcunditatis ſublimiſſimæ Patris æterni communicatum eſt aliqualiter.

29. *Charitas radix, à qua generatur fructus omnis boni operis, & fundamentum, in quo ſtat omnis ſtructura veritatis, & omne ædificium ſpirituale.*

Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti; ideſt ore toto corde, & cordis reverentia, & affectu, ut det vobis, &c. Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati, & fundati. Vide, quod Apoſtolus ad fidem ſuper addit charitatem; & meritò, quia hæc eſt radix omnis boni, eſt & fundamentum totius ædificii ſpiritualis,

Digitized by Google

piritualis, ex quo anima uſque ad Cœlum ſe elevat, & elevatur à Chriſto; undè amor eſt fundamentum poſt fidem, quo elevatur anima ad cognitionem myſteriorum cæleſtium, & eo-rum Theologicæ veritatis; licet enim primò ſtabiliri debeat fides tamquam prima radix, tamen ſolùm per charitatem operatur meritoriè, & facit aſcendere animam ad Deum, & hæc totaliter deſtruit cupiditatem, quæ eſt radix omnium malorum. *Op. Diet. tit. 5 c. 2. & tit. 10. c. 5. & appendix ad Dom. 17. Pent. ſer. 2. Hex. Rſ. 5. 1. Apol. Paup. Reſp. 3. c. 1. Luc. c. 6. v. 48. c. 9. in fine.*

30. *Ubi Chriſtus habitat, ibi & charitas viget, & ubi hæc adeſt, ibi omne bonum, & ubi abeſt, ibi omne malum.*

Ut det vobis Chriſtum per fidem in cordibus veſtris: Si hoc orat Paulus, ergo ſola fides ſufficit ad attrahendum Chriſtum in animam? ſed attende, quod ad fidem ſuperaddit charitatem, in charitate radicati, & fundati; quaſi dicat; vera fides perfecta operatur per charitatem, & ideò virtute charitatis attrahit Chriſtum in animam; undè ubi hæc viget, ibi omnia præcepta habent ſuum vigorem, & obſervantiam; ibi omnes virtutes habent ſuum valorem, & efficaciam; ibi omnia opera ſuum meritum, & præmium in Cœlo reſpondens; ibi per conſequens eſt extirpatio omnium vitiorum; ibi habitat Chriſtus per cognitionem, & dilectionem, ibique omne bonum: ô virtus deifica, quæ tot mirabilia operatur. *Ser 4. Dom. 17. Pentec. ſer. de SS. Sim. & Iuda: op. de Prof. Religioſ. 1. c. 13. Luc. c. 6. v. 48. l. 3. d. 13. a. 2. q. 1.*

31. *Per Chriſti fidem patefacta eſt nobis ſacra Scriptura longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum.*

Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, & longitudo, &c. ſed cujuſnè iſta longitudo, latitudo, &c. an charitatis? an Dei? an Chriſti? ſed nihil exprimit in particulari, ſed tantùm in communi dicit, quæ ſit latitudo, longitudo, &c. per hoc que indicans fœcunditatem mirabilem ſactæ Scripturæ, eo quod vere etiam ad litteram admittat plures ſenſus ſimul, & ſemel, quodque mirabiliter verificatur de hac dimenſione multiplici; undè primò hoc dicitur de ſacra Scriptura, & conſequenter de fide, quæ habet ducere nos in notitiam, & amorem Chriſti Jeſu, & Sanctiſſimæ Trinitatis, ad quam tendunt ſanctorum deſideria, & in qua eſt ſtatus, & comprehenſio omnis recti, & boni: ſactæ ergo Scripturæ latitudo eſt multitudo ſuarum partium, quarum prima diviſio eſt in vetus, & novum teſtamentum, & quælibet iſtarum continet multiplices partes, ut fusè dictum eſt in Prologo hujus Gloſſæ: Longitudo conſiſtit in deſcriptione temporum, & ætatum, temporis ſcilicet legis naturæ, legis ſcriptæ, & legis gratiæ, quod in ſeptem ætates diſtinguitur ſecundùm ſeptem dies, quibus completus eſt mundus: ſublimitas conſiſtit, in deſcriptione hierarchiarum gradatim ordinatarum, quæ ſunt Eccleſiaſtica, Angelica, & Divina: Profunditas conſiſtit in multiplicitate myſticarum intelligentiarum, quia ultrà litteralem ſenſum exponitur allegoricè, moraliter, & anagogicè, quæ multiplicitas competit ſubjecto Sacræ ſcripturæ, quia ipſa eſt doctrina, quæ eſt de Deo, de Chriſto, de operibus reparationis, & de omni credibili per fidem; item competit ipſius auditori, & diſcipulo, ut de veritate multiplici informetur; competit & ipſius origini, à qua eſt, ſc. licet à Deo per Chriſtum, & Spiritum ſanctum loquentem per verba, & facta ipſius Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti; competit & fini, cum Scriptura ſit data, ut per ipſam dirigatur homo in cognoſcendis, & agendis, ut tandem perveniat ad optatum finem gloriæ, quæ omnia aptantur mirabiliter altitudini, latitudini, longitudini, ſublimitati, & profunditati fidei noſtræ. *Op. Brevil. in præm. ſer. 8. Hexam. ad 12.*

32. *Dimenſiones divinitatis in Chriſto aliqualiter tradantur à nobis amplexandæ.*

Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit latitudo, longitudo, &c. Nota, quod cum de Chriſto loquatur, qui eſt Deus, & homo, intendit tradere aliquam notitiam de dimenſionibus divinitatis, quæ licet ſit immenſurabilis, tamen per analogiam, & ſimilitudinem ad creaturas, nempè prout in creaturis adſunt iſtæ dimenſiones etiam in Deo diſtinguuntur, ideò ejus longitudo eſt æternitas, latitudo eſt charitas, & benevolentia, ſublimitas eſt majeſtas, & omnipotentia, & profundum eſt ſapientiæ & judiciorum Dei abyſſus, & hanc quadrigam comprehendere debemus duobus brachiis timoris, & amoris; timor ſublimi, & profundo; amor longo, latoque reſpondet, vel etiam quatuor virtutibus; longitudinem enim tenemus, & comprehendimus perſeverantiâ, & longanimitate; latitudinem charitate, majeſtatem veneratione, reverentiâ, & adoratione, ſapientiam, & abyſſum judiciorum Dei timore, & humilitate; his etiam quatuor ſpecies contemplationis reſpondent, nempè longitudini meditatio promiſſorum; latitudini recordatio beneficiorum, ſublimitati contemplatio majeſtatis; profundo inſpectio judiciorum. *Ser. 16. Hexam. lib. 1. d. 37. p. 2. dub. 1. op. ſolil. præam. Luc. c. 6. v. 19.*

33. *Charitatis divinæ crux lucidiſſima nobis meditanda exponitur.*

In charitate radicati, & fundati. In qua charitate? noſtra? an Dei? In charitate Dei; & quid ſequitur? ut poſſitis comprehendere conſiderando & meditando crucem fulgentiſſimam relucentem in hac infinita charitate Dei, ſcilicet, *quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profunditas*, in Deo, per Deum, & apud Deum; nempè indiſſolubile vinculum charitatis divinæ in prædeſtinationis ratione, qua diligit ſemper, & ſemper dilexit prædeſtinatos æterna charitate, & ecce longitudo: item divinæ charitatis incoarctabile donum in univerſarum rerum conditione, quas libere condidit, & ornavit, & cuilibet dedit modum, ſpeciem, & ordinem, & omnia neceſſaria conditioni cujuſque, & ecce latitudo. Item divinæ charitatis inſuperabile incendium in filii traditione, & hoc eſt myſterium profundiſſimum abſconditum à ſæculis, nobiſq; in plenitudine temporum manifeſtatum; item incomprehenſibile ſolatium in animarum remuneratione, quando Deus glorificabit in ſublimitate gloriæ corpus, & animam, ut abſorbeantur, & inebrientur à rore Cœli:

Ad

Ad hæc quatuor invitatur anima, ut in ſi reſpondeat nova cruce charitatis; nempè ut ad longitudinem charitatis divinæ reſpondeat vinculum indiſſolubile, ità ut à dilecto Deo non poſſit ſeparari, ſivè à tribulatione, ſivè ab angustia, ſivè à perſecutione, ſive fame, & quacumque alia adverſitate, ità ut numquàm in ea regnet peccatum; ad latitudinem reſpondeat incoarctabile donum, ut diligat omnia, quæ diligit Deus, ſcilicet amicos, inimicos, & extraneos propter Deum unum, & ſolùm bonum: ad profunditatem reſpondeat inſuperabile incendium, ſic diligendo, ut in ſummè deſiderabile feratur totaliter, & quod pro nihilo proſpera, pro nihilo adverſa habeat, ut ſint omnia quaſi feſtuca una in fornace: ad ſublimitatem reſpondeat incomprehenſibile ſolatium, ſcilicet quod taliter delectetur in ſe, ut nec ipſa poſſit comprehendere, nec aliis explicare, ſicque inebriata anima ad apicem contemplationis aſcendat, ut poſſit dicere, Introduxit me Rex in cellaria ſua, & veluti ebria neſciat quid dicat, quid faciat: ò charitatis virtus quanta operaris in anima! per quam acquirit in ſe veluti in civitate ſuperna divinum cultum, divinum Dei nexum, divinum Dei zelum, & divinum Dei ſenſum: cultus Dei eſt in oriente, nexus in meridie, zelus in ſeptentrione, & ſenſus in occidente. *Ser.* 23. *Hexam. ep. ſolit. in proem. lib.* 3. *d.* 30. *a.* 1. *qu.* 4.

34. *Crux myſtica charitatis Chriſti expenditur.*

Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit longitudo, &c. Et undè poterimus iſta comprehendere? hæc omnia in Chriſto Jeſu, & in ejus charitate, meditando aſſumptæ humanitatis mirabilem exortum, occaſum in crucifixione, aſcenſum in Reſurrectione, & Aſcenſione, & regreſſum in judicio; longitudo in Incarnatione, & Nativitate, ſcilicet in unione divinitatis ad humanitatem, quæ magis diſtabant, quam ens creatum à nihilo, & à non eſſe: latitudo charitatis fuit in morte; ſublimitas potentiæ, in reſurgendo à mortuis, & aſcendendo in Cœlum; & mira profunditas ſapientiæ erit in judicio. *Ser.* 23. *Hexam.*

35. *Crucis & Paſſionis Chriſti longitudo, latitudo &c. ad imitationem ipſius nos invitat.*

Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit longitudo &c. Et qualis iſta longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum niſi Chriſti Crux, & Paſſio: longitudo, ſcilicet quæ per triginta quatuor annos, quibus vixit, hanc crucem, hos dolores, vel in corpore, vel in animo, vel in ſpiritu eos ſibi imminere prævidens paſſus eſt: latitudo, qua ſcilicet omnibus membris, & animæ potentiis ab omni hominum genere, imò à Deo, & Angelis, à quibus fuit derelictus, & omnia pœnarum genera paſſus eſt Chriſtus, omnibus bonis fortunæ, & famæ, & honoris, & vitæ eſt ſpoliatus: Sublimitas, qua Chriſtus crucifixus ſublimi conſideratione, & perfectiſſima cognitione tum Dei offenſi, tum gravitatis offenſæ noſtræ, tùm crucis, & pœnarum ſibi, ſuæque perſonæ vel illatarum, vel inferendarum, tùm plurimorum damnandorum, quibus omnes ſui dolores inutiles futuri erant, non ſolùm in cruce, ſed & in tota vita graviſſimè doluit, & diſcruciavit ſe: profundum ideſt intenſionem dolorum & ignominiarum ipſius crucifixi: his ſuppoſitis dixit Apoſtolus ad omnes flecto genua mea ad Patrem, &c. ideſt oro Deum, ut in veſtra cruce, & tribulatione det vobis cogitare, & mente comprehendere iſtas pœnas, & iſta quatuor cornua crucis Chriſti, ut & ſimilem crucem in vobis portetis, ut crucifixi carni tigore diſciplinæ nempe vigiliâ, abſtinentiâ, aſperitate veſtium, & diſciplinâ verborum; & crucifixi item mundo cruce paupertatis per contemptum gloriæ, pecuniæ, patriæ, & parentelæ, ſpiritus crucifigatur in cruce fervoris devotionis amore, timore, ſpe, & dolore, ſicque Chriſti crucifixi imitatores perfecti ſitis. *Luc. c.* 23. *v.* 33. *ep. Comp. Theol. lib.* 4 *cap.* 21. *de Perfect. vitæ c.* 6. *ſer.* 5. *&* 6. *Paraſceve.*

36. *Crux glorioſa quatuor brachiorum præmittitur meritis juſtorum.*

Ut poſſitis comprehendere, quæ ſit longitudo, &c. Nota, quod per hæc quatuor enumerata veluti cornua, & latera proponit in medium Apoſtolus crucem glorioſam, quæ juſtis in hac vita crucem Chriſti portantibus in præmium æternum parata eſt: hæc autem conſiſtit in quatuor beatitudinibus à S. Luca enumeratis, per quas quatuor genera meritorum exprimuntur; nam longitudo æternitatis promittitur contemnentibus bona temporalia, cujuſmodi ſunt pauperes: latitudo bonitatis, & abundantiæ deſiderantibus ſpiritualia; & hi ſunt eſurientes; profunditas ſapientiæ, & contemplatio divinæ veritatis promittitur flentibus, & ſublimitas poteſtatis promittitur ſuſtinentibus mala. *Luc. c.* 6. *v.* 19. *&* 38.

37. *Charitas donum omnium donorum nobiliſſimum.*

Scire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti. Nota ly, ſupereminentem charitatem ſcientiæ &c. ut demonſtret charitatis donum eſſe omnium nobiliſſimum, & ſupereminere dono ſcientiæ vel prophetiæ, vel cæteris aliis. *Lib.* 3. *d.* 4. *qu. ult. ad ult.*

38. *Solus Spiritus poteſt replere capacitatem totalem animæ.* Unde otat Apoſtolus, ut fideles acquirant charitatem, & impleantur omnimodè Spiritu Sancto, quia ſolus ipſe poteſt replere capacitatem animæ noſtræ. *Luc. c.* 1. *v.* 15.

39. *Deus cum plus poſſit, quàm nos poſſimus cogitare, etiam plus dat, quàm in oratione petatur;* Unde dicit Apoſtolus; *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus, aut intelligimus ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis ipſi gloria &c.* Per hoc patet primò quàm magnificus, & liberalis ſit Deus in nos: ſecundò quàm ipſi chara ſit oratio, & quam efficax pro nobis: tertiò quòd cum poſſit Deus pluſquam poſſit attingere noſter intellectus, hinc à divina omnipotentia cavere debemus, ne auferamus, aut negemus poſſibilia eſſe multa licèt noſtro intellectui videantur impoſſibilia, & oppoſita, & contradictoria. *Lib.* 1 *d.* 1. *qu.* 1. *&* *d.* 41. *qu* 3. *Luc. c.* 2. *v.* 14. *ſer.* 3. *&* 4. *Rogat.*

CAP

CAPUT IV.

Apoſtolus in hoc capite totus eſt ad dirigendos mores Chriſtianorum, ſuadendo eos ad unionem, & concordiam Chriſtianam, & hoc pluribus rationibus efficaciſſimis, tùm & ad exuendum veterem hominem, & Chriſtum induendum.

40. *Chriſtus excitat continuè nos ad ambulandum de perfectione in perfectionem in via ſua.*

Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia ſupportantes invicem in charitate. Nota, quod hæc ſcribebat Epheſiis Paulus, dum Romæ detinebatur ligatus in carcere, ſed tamen hæc dirigit in perſona Chriſti ad omnes Chriſtianos, & maxime ad Religioſos, excitans, ſuadens, imò obſecrans eos, ut digne ambulent vocatione, qua vocati ſunt; ſed quid eſt dignè ambulare? ſed nota, quòd omnes viatores mundi ambulant, ſed tamen alii dignè, alii indignè: dignè ambulant illi, qui in bonis actibus proficiunt, & progrediuntur de virtute in virtutem, de perfectione, in perfectionem, de ſtatu inferiori ad ſuperiorem; ſundè addit dignè ambuletis vocatione; quia vocati eſtis cum omni humilitate, & manſuetudine, & patientia, ideſt ambulate in humilitate in via actionis; & bonæ vitæ corde, ore, & opere; & hoc eſt digne ambulare in via Domini, ad quod tamen requiritur in ambulante circumſpectio ſui, ut videat an dignè ambuleet, & ideò ut hoc perficiat Chriſtianus, & Religioſus reflectat ſuper ſuam vocationem, & interroget cum Bernardo, ad quid vocatus es? Vocatus ad Chriſtianiſmum; ut Chriſtum imiteris; vocatus es ad ſtatum Religionis, ergo vocatus ad humilitatem, ad ſobrietatem, ad manſuetudinem ad ſanctimoniam; vive ut Chriſtus vixit, patere quæ paſſus eſt, ergo noli indignè ambulare, noli ſuperbire, inebriari, fornicari: Vocatus es ad colendam vineam noli vacare otio; vocatus es ad opus fuge otium; ô felix qui ſic digne ambulat in vocatione ſua! infelix qui indignè ambulat, imò qui retrocedit non ſic ambulando, ſed deficiendo ab itinere arrepto perfectionis. *Ser. 5. Dom. 16. Pent.*

41. *Charitatis fraternæ neceſſitas in Chriſtianis qualis, ejuſque effectus.*

Dignè ambulate, &c. ſupportantes invicem in charitate, ſolicite ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Ecce quid neceſſarium eſt ad hoc ut quis ad perfectionem vel Chriſtianam, vel Religioſam ambulet, & tendat; non ſolùm enim ambulandum eſt in cultu Dei, in Dei ſervitio, ſed & in exercitio charitatis fraternæ; hæc enim eſt gluten Spiritus ſancti fortiter conjungens inter ſe fideles, vinculumque ligans animam ſuam cum anima proximi, ita ut ex pluribus fiant unum veluti compoſitum indiſſolubile, & ſimul componens unum corpus, & unum ſpiritum in Chriſto Jeſu, & ut magis excitet nos ad hanc charitatem ſubdit; Unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ; unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis; In quibus ſolvit tacitè illam quæſtionem; Cur Deus voluit, ut omnes homines ex uno Patre naſcerentur, & non ex diverſis? cur eodem ſanguine omnes tàm prædeſtinari, quàm præſciti redimerentur per Chriſtum? cur eodem præmio præmiarentur in Cœlo, hoc enim fecit, ut omnes homines eſſent, & viverent, ut unus homo, & ſicut fratres deſcendentes ex eodem Patre ſecundùm naturam, & ut colligati in Chriſto, ejuſque ſanguine redempti æqualiter, & ut omnes concives futuri ſint cæleſti Jeruſalem, ad eundem fontem beatitudinis glorificandi in Cœlo; & ideò cum habeamus unum Deum, unam fidem, unum baptiſma, per quæ ad unitatem, & concordiam excitamur, hinc patet, quod ſuper omnia in hac virtute zelare debemus, ut ipſam exerceamus, ô beata charitas, unitas fidelium quàm ſancta, quàm alta, quàm efficax, quàm Deo chara. *Luc. c. 10. v. 27. Pſal. 113.*

42. *Charitas fraterna iterum ſuadetur ex diverſitate donorum ſpiritualium à Chriſto collatorum hominibus.*

Unicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti: Ecce alia ratio excitans nos ad charitatem fraternam, cum enim omnes vivamus ſub uno Deo, ſub una fide, ſub uno baptiſmate, tamen non ad omnes eamdem menſuram gratiarum ſervat Chriſtus in ipſarum diſtributione, alius enim ſic, alius ſic; & ideò in ſua gratia quiſque conquieſcere debet, nec alteri invidere, ſed Deo gratias agere, divinamque pietatem laudare tam in ſuis, quàm in aliorum donis. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 3.*

43. *Chriſti gratia, & virtutes ſunt menſura, & metrum, & regula omnium Chriſtianorum.*

Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Qualis eſt hæc menſura? Nota, quod non dicit ſecundùm menſuram Chriſti, ſed ſecundùm menſuram donationis nobis factæ à Chriſto, quia plenitudo gratiarum, & donorum fuit menſura abſque termino, ut ex hac ad nos derivarent veluti ex fonte rivuli gratiarum, & hinc poſitus eſt Chriſtus, ejuſque vita, & mores propoſiti ſunt, ut ſint metrum, & menſura omnium noſtrorum actuum, & virtutum, ne excederent in extrema; Et hinc oritur pulchritudo Eccleſiæ catholicæ in qua unus fidelis imitatur Chriſtum in uno dono, alius in alio donec occurramus omnes in virum perfectum, & menſuram ætatis

plenitudinis Chriſti, ubi quiſque lætabitur in cæleſti manſione ſecundùm meritum ſuum, & ſtudium, quo hic vitam ſuam vita Chriſti menſuratus eſt. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 3. ſer. 3: Dom. 1. poſt oct. Pentec.*

46. *Chriſtus de vita noſtra, & diabolo aſcendit in Cælum cum plenitudine omnium donorum.* Ut hinc ſecundùm diſpoſitionem ſuæ providentiæ mirabilis diſtribueret in Eccleſia, & inter fideles ſua dona, miniſteria, poteſtatem, & omnem aliam gratiam, quod totum deſcribitur hic ab Apoſtolo à v. 8. & deinceps: de qua materia. *Vide S. Bon. lib. 3. d. 11. a. 1. qu. 3. & d. 13. a. 1. qu. 3. Luc. proœm. & c. 11. v. 22. c. 17. v. 26. & 19. v. 13 c. 24 in fin. 1. op. Lignum vitæ: op. de Paup. Chriſti.*

47. *Reſurrectio generalis erit omnium hominum in proprio ſexu ſecundùm ætatem plenitudinis Chriſti, ſcilicet triginta annorum.*

Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Nota quòd diverſitatem graduum Apoſtolus priùs expoſuit in Eccleſia militante à Chriſto ordinata, ſed talis diverſitas tolletur in Reſurrectione generali, in qua omnes convenient ab omnibus partibus mundi: Hic autem diſputant Doctores an etiam fœminæ reſurgent in ſexu virili, cum hic Apoſtolus dicat omnes reſurgent in virum perfectum; nec defuerunt Doctores id aſſerentes; ſic & Scotus *lib. 4. d. 20.* idem docet; ſed tamen vel hic eſt error, vel ſaltem contra communem ſenſum Theologorum, & SS. PP. Nam nomine viri (in virum perfectum) etiam intelligitur mulier ſecundùm ſuum ſexum: vir autem dicitur non à ſexu ſed à virtute non corporis, ſed mentis; & in hoc ſenſu in Sacra ſcriptura in pluribus locis venit ſub nomine viri; nec eſt verum fundamentum contrariè opinantium, ex eo quod mulier à Philoſopho dicitur Mas occaſionatus, ob idque non intenius à natura; nam poteſt iſta propoſitio Ariſtotelis aliqualiter verificari de intentione particulari agentis, non tamen verificatur de intentione univerſali Dei, & naturæ quia mulier in regimine, & diſpoſitione mundi eſt neceſſaria, facitque ad decorem peculiarem univerſi: de hac materia. *Vide S. Bon. lib. 4. d. 44 p. 1. dub. 2. op. Diæt. tit. 10. c. 4. Brevil. p. 7. c. 5. Cenſil. p. 4. f. 2. Pſ. 85.*

48. *Chriſti diſcipulorum proprium eſt ſtabiles eſſe in diſciplina, & doctrina ſacræ; dæmonis ſequacium propria eſt inſtabilitas.*

Iam non ſimus fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris. Ecce diſcrimen inter ſequaces Chriſti, & diaboli; nam illi ſtabiles perſiſtunt & fide, & verbis, & operibus bonis in veritate doctrinæ Chriſti: iſti verò veluti parvuli inſtabiles vivunt ſinentes ſe ferri ab omni vento doctrinæ erroris, ad omnem ventum, & impulſum ſuggeſtionum diaboli, & malorum hominum; undè promptitudo acceptandi quicquid mali offertur menti, ſignum eſt reprobationis. *Luc. c. 21. v. 8. c. 9. v. 19. c. 18. v. 16. Pſal. 17. & 136. op. Confeſſion. c. 3. p. 34.*

49. *Omnes Chriſtiani unum corpus cum Chriſto componant, & charitatem, & unitatem ſervare tenentur ad invicem, & cum Chriſto.*

Veritatem autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput, Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam, &c. Vide, quod Apoſtolus expreſſius ſignum dat ad dignoſcendum quænam ſint membra Chriſti, & quænam disjuncta à Chriſto, & membra diaboli; cum enim fideles, & Chriſti ſequaces conveniant in doctrina, & operibus veritatis Chriſtianæ, & per ipſa uniti permaneant cum Chriſto capite, ſic conſtituunt unum corpus integrum, & perfectum in Eccleſia, ideò talis unitas inter fideles, & conformitas cum capite ſignum eſt patens prædeſtinationis, & prædeſtinatorum; è contrà qui diviſiones, & ſciſſuras in congregatione fidelium amant, quæritantque, ſignum eſt iſtos eſſe membra putrida reſciſſa à capite Chriſto, & ipſi diabolo unita, & ob id de numero reproborum; ergo charitas ſignum eſt certum diſtinctivum diſcipulorum Chriſti. *Op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 4. & p. 4. c. 4. ſer. 2. Hexam. op. Compend. principium.*

50. *In Chriſti ſequela lux doctrinæ Chriſtianæ eſt dux fidelium: in diaboli ſequela tenebræ.*

Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis, ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, &c. Ecce aliud diſcrimen inter ſequaces fideles Chriſti, & diaboli, & mundi; nam primi ambulant ad lumen fidei, & doctrinæ Chriſti, & ob id per viam rectam, & tutam; ſecundi tamquam cæci per viam ignorantiæ, & perditionis. *Iſal. 1181. 3. v. 2. & c. 11. v. 9.*

51. *Depoſitio veteris hominis, & renovatio ipſius ſuadetur hic, & qualiter facienda.*

A Chriſto edocti eſtis, &c. deponere vos ſecundùm priſtinam converſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris: renovamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis. Ecce quomodo Paulus in his verbis, & in ſequentibus deſcribit totam vitam ſequacium diaboli, & mundi, quæ eſt ſecundùm vetuſtatem peccati, & prævaricationis primi hominis, & ideò ſuadet depoſitionem talis vetuſtatis, & renovationem arripiendam à nobis tali ordine; primò enim dicit deponite veterem hominem; & quomodo hoc? hoc eſt ad modum ſerpentis ſe ponentis in arcto foramine, ubi depoſita veteri pelle renovatur; ſic ſancti in arcto pœnitentiæ ſeipſos incarcerant, ut veterem converſationem deponant; vel ut cervus ad fontem cornua, & pilos, & venenum deponit, & ſic renovatur homo revertens ad Dominum ad fontem divinæ miſericordiæ venenum vitiorum, & pilos mali habitus, cornuaque ſuperbiæ deponit, & ſic reviviſcit factus novus homo, vel

Digitized by Google

vel ut præcipitur Deut. c.21. radit anima crines ſuperfluarum cogitationum de capite mentis, ne ibi increſcant vermes conſcientiæ, circumcidit ungues, ſcilicet operum ſordes, & malas cupiditates, veſtemque priſtinæ converſationis deponit, ut poſteà induat novum hominem ſcilicet Chriſtum, & hoc conformando ſe Chriſto interiùs per charitatem, & gratiam, & exteriùs per honeſtam converſationem. *Op. Diat. tit. 5. c. 5. ſer. 3. de circumciſ. ſer. 1. ſer. 4. Pentec. Luc. c. 5. verſ. 36. c. 14. verſ. 26. Ioan. cap. 13. verſ. 3. lib. 4. d. 4. p. 1. dub. 4.*

§2. *Ex menſura ſui habet homo menſurare, & tractare proximum ſuum.*

Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem, &c. quoniam ſumus invicem membra, &c. qui furabatur, &c. Vide quomodo Apoſtolus regulam ſecùtam tradit, & modum, quo tractare debet quiſque ſuum proximum, dicens ſumus invicem membra, volens quod quiſque ex ſeipſo ſumat regulam menſurandi proximum; undè ſicut unum membrum nec mentitur alteri, nec decipit alterum, imò coadjuvat; ſic & nos invicem cum ſumus omnes membra corporis Chriſti, & ideò ad proximum quiſque ſe habeat, ſicut præcipit Deus in ſecunda tabula præceptorum Decalogi, Honora Patrem, &c. Non occides, &c. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 28. ſer. 21. Hexam. lib. 3. d. 39. a. 1. qu. 1.*

§3. *Omne peccatum, ſed maximè ira locum in corde dat diabolo.*

Nolite locum dare diabolo. Nota, quod hic Apoſtolus tractat de malis iracundiæ, & ut ipſam à corde avertat, dicit. *Nolite locum dare diabolo.* ubi ex Græco legitur, *nolite locum dare iræ*; per quod ſignificatur; quod cum omne peccàtum paret locum, & ſedem diabolo in corde, hoc maximè facit ira in proximum, ob quam peculiarem poſſeſſionem ſumit in homine: *Ioan. c. 8. v. 59* Hinc multi obſidentur corporaliter ob iræ exceſſus, quod miniſtris Eccleſiæ continua experientia patens eſt.

54. *Diaboli locus eſt luxurioſus.*

Nolite locum dare Diabolo. Quomodo hoc dicitur ab Apoſtolo? ergonè diabolus eſt ſine loco? nonnè omnia creata ſunt localia, & habent proprium locum? præterea nonnè infernus eſt locus proprius diaboli? eſt quidem ſed poſt diem judicii. nam in hoc tempore locus dæmonum eſt iſte aër tenebroſus, ut aliàs dictum eſt, & hinc eſt in ſuo arbitrio mutare locum, & ideò quærit locum maximè in hominibus, & inter hos in monumentis, & in porcis ut habetur *Luc. c. 8. v. 27. & c. 15. v. 15.* & quia in eſſe morali iſti ſunt luxurioſi, ideò in his ſedem propriam, & fixam habet diabolus. *Luc. ibid. ſer. 1. Dom. 3. poſt Epiph.*

55. *Mercatura lucroſa proponitur.*

Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti. Nota, quod Apoſtolus volens ſuadere mercaturam lucroſiſſimam ſuis fidelibus, eos monet à quibus cavendum, nempè à furtis, & rapinis; & in quibus homo ſe exercere debeat, nempè in laborando quod bonum eſt, ideſt in operibus bonis, & ſanctis, & etiam in manualibus, ut indè habeat undè vivere de ſuo, & ſubvenire proximo in neceſſitate queat: hoc enim eſt lucroſiſſimum negotium, & inde maxima felicitas hominis, dum tuta conſcientia poteſt dicere Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; panem noſtrum non alienum, non ex furto acquiſitum. *Op. Diat. in append. ad Dom. 19. Pentec. op. de Paup. qu. 2. op. Apolog. Paup. Reſp. 4. cap. 3. ſermon. 21. Hexam.*

56. *Os fons vitæ, vel mortis tibi, & aliis.*

Omnis ſermo malus (putris, & corruptus legit Græcus) *de ore veſtro non procedat; ſed ſi quis bonus eſt ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Ecce duplex fructus ex lingua, ſcilicet vel putris, & corruptus in malis, vel ſanctus, & ædificans ad ædificationem, & ſalutem; unde ad illud ſapientis vult Apoſtolus alludere, Mors, & vita in manibus linguæ; & quia immediate ſubdit, Nolite contriſtare Spiritum ſanctum; dat per hoc intelligere, quod verba bona, quæ exeunt ex ore pudico, & ſancto prodeunt Spiritu ſancto inſpirante: Verba mala, ſcilicet Hæreticorum, detractorum, mendacium, malorum conſiliatiorum, & hujuſmodi exeunt ex ore putrido, & infecto à dæmone habitante in corde, & lingua impiorum. *Ser. 1. Dom. 11. Pentec. ſer. 1. Dom. 13. Pent. ſer. 2. in Circumciſ. Pſal. 118. c. 1. v. 9. ſer. 1. de SS. Innocent. in Addit.*

§7. *Væ eis, qui contriſtant Spiritum ſanctum.* Unde Apoſtolus dicit: *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum.* Sed quomodo Spiritus ſanctus poteſt contriſtari? eſtne ſubjectus iræ, & triſtitiæ, aut paſſioni? Nota, quod hoc dicitur per Anthropopatos; nempe quatenus offenditur, & ſic ab anima ejicitur; præcipue autem offenditur infidelitate, ingratitudine, carnalitate, & cupiditate. *Ser. 3. in Pentec.*

58 *Spiritus ſancti ſignacula ab ipſo impreſſa in anima expenduntur.*

Nolite contriſtare Spiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis in die redemptionis. Quænam ſunt iſta ſignacula, quæ imprimuntur à Spiritu ſancto in die redemptionis? quis iſte dies redemptionis? Reſpond. hic loqui de Baptiſmo, & aliis Sacramentis, per quæ redditur efficax redemptio facta per Chriſtum: tunc autem imprimit primò ſignaculum fidei cum charactere baptiſmali, per quod diſcernuntur fideles ab infidelibus: ſecundò ſigno honeſtatis morum, & ſanctorum operum, quæ debent conſequi ad fidem, quia fides ſine operibus mortua eſt; & hoc ſignum debet oſtendi non ſolùm in operibus, ſed & in verbis exterioribus: tertium ſignum eſt paupertatis ſpiritus, quo abjiciuntur omnia terrena, & creata: quartum ſignum eſt charitas ad proximum, quo ſecure, & perfectè diſcernuntur diſcipuli Chriſti à diſcipulis diaboli, qui ſuos ſignat charactere infidelitatis, carnalitatis, cupiditatis, & doloſitatis. *Ser. 1. & 2. & 3. in Pentec. op. Diat. tit. 5. c. 1.* Nota etiam, quod hæc propriè diri-

guntur ad Clericos, & miniſtros Eccleſiaſticos; *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum, in quo ſignati eſtis*, ſcilicet charactere ordinis, per quem vos agniti eſtis eſſe de familia Chriſti : *Luc.* c.10.

59. *Qui injurias pro Chriſto condonat, debitorem ſibi reddit Deum: qui ſe vindicat reum ſe conſtituit coram Deo omnium aliorum peccatorum.*

Eſtote invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis. Ecce qualis concluſio infertur ab Apoſtolo ex tot monitis præmiſſis in ſuperioribus, nempe condonatio injuriarum proximi, & ut hoc ſuadeat affert pro exemplo excitativo id. quod fecit Deus in Chriſto, & per Chriſtum condonando tot injurias, & offenſas nobis ſuis inimicis; & hinc infertur ab oppoſito, quod qui non condonat injurias pro Chriſto, nec ipſe miſericordiam à Chriſto recipiet. *Ser.*1. *Dom.*1. *Pent. ſer.*4. *Dom.*21. *Pent.*

CAPUT V.

In hoc capite pergit Apoſtolus hortari Epheſios, ut Chriſtum veluti filii imitentur fugiantque libidinem, aliaque opera tenebrarum, & tempus impendant in laudibus divinis; deinde conſilia opportuna dat uxoribus, & conjugatis circa ſuum ipſorum munus, &c.

60. *Imitatio Dei qualis ſectanda à ſuis fidelibus.*

Estote ergo imitatores Dei ſicut filii chariſſimi, & ambulate in dilectione ſicut & Chriſtus dilexit nos, &c. Nota illam particulam illationis (ergo) ex quibuſnam antecedentibus infert hanc concluſionem, eſtote ergo imitatores Dei? videtur ergo incongruus ordo? ſed tamen optimè, & ordinatiſſimè procedit; nam in fine præcedentis capitis hortatus fuerat ſuos fideles ad ſervandum mutuam charitatem inter ſe, ad condonandas injurias proximi exemplo Dei, hinc infert hanc digniſſimam concluſionem. Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi, ut oſtenderet quòd cum perfectio Chriſtianorum conſiſtat in filiatione adoptiva Dei, & cum hæc habeat plures gradus, docet quòd qui vult hanc filiationem digniſſimam obtinere, debet ut filius Patrem Deum imitari, & conformis eſſe; ſed in quibuſnam virtutibus, & actibus debemus Deum imitari? forſan in creatione? in potentia, in magnificentia, & attributis ſimilibus, cum hoc ſit creaturæ impoſſibile? minimè; ſed in dilectione & charitate ad Deum, & ad proximum: In hac igitur virtute charitatis ſtat perfecta imitatio Dei à nobis ſuſcipienda, & quò altius erit ipſius exercitium, eo perfectior erit imitatio, & ſublimior, & chariot filiatio Dei. *Op. ſpec. B. Vir. lect.*17. *op. de decem prac. ſer.*4. *Joan. c.*5. *v.*21.

61. *Prælatus ſe exhibeat ſubditis exemplar perfectum imitandum ab ipſis.*

Eſtote ergo imitatores Dei, filii chariſſimi. Ecce quomodo excitare ſtudet Apoſtolus fideles, ſcilicet exponendo eis exemplar in Deo imitandũ. & per hoc etiam proponit Prælatis Deum repræſentantibus ipſorum imitationem; & meritò, quia Prælatus debet eſſe forma ſubditorum in doctrina veritatis, ne ipſe ſit veluti cæcus ducens in foveam alios cæcos; item in munditia caſtitatis, & ſanctæ converſationis; in excellentia humilitatis, ut ſic per primam formam informet ſubditos ex parte rationalis, per ſecundam ex parte concupiſcibilis; per tertiam ex parte iraſcibilis; ſed ne aliquid in ſubditis relinquatur non formatum, ſubdit & ambulate in dilectione, ideò informandi ſunt ſubditi à ſuis ſuperioribus ultimâ formâ, ſcilicet perfectiſſimæ charitatis, ut poſſit dici ſubdito; *Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt*, *Exod.* c. 25. quia opera Prælatorum velut quædam exemplaria cæleſtia objicienda ſunt oculis ſubditorum: Rector igitur debet ſtudere ad hoc, ut ſibi commiſſos faciat Chriſti formes, ideſt ut vitæ formam ad doctrinam Chriſti eis imprimat, ut non ſolùm mente eum attendant, ſed & moribus imitentur; quia doctrina verborum ſine exemplis operum eſt ſicut cementum ſine calce aridum, & invalidum; & de correctis exemplaribus correcta ſcribuntur volumina, de corruptis corrupta, quia tenaciùs inhæret doctrina operum, quàm verborum. *Op. de ſex Alit Seraph. cap.*6. *op. Eccleſ. Hier. p.*4. *cap.*3. *Joan. cap.*5. *verſ.*21.

62. *Iter perfectionis qualem terminum habeat.*

Ambulate in dilectione. Nota hæc verba, ambulate: ergo Chriſti fideles & ſequaces non debent ſtare, ſed ambulare; ſed per quam viam, & ad qualem terminum? ambulate ait imitatores Dei; ambulate imitando Chriſtum per viam perfectionis, ſcilicet per exercitium virtutum humilitatis, manſuetudinis, ſed ad qualem terminum? ambulate ait in dilectione, id eſt ad domum charitatis, quia hæc eſt terminus, & complementum totius perfectionis; ſed attende, quòd in hac domo, in hoc termino occurrit triplex gradus aſcendendi: primus gradus dilectionis proximi eſt nullum odiſſe, nulli malum cupere, nullius bonum impedire, in neceſſitate proximo ſubventionis auxilium non ſubtrahere, eique optare, & facere, ſicut quiſque vellet fieri, ſi indigeret: ſecundus gradus eſt profectus dilectionis, ſcilicet ſic alterius profectui congaudere, & bonum alterius diligere quaſi proprium, & ſic ejus adverſitati compati, ſicut propriæ, vel aliena lucra ſua deputare ex affectione pietatis: tertius gradus eſt ſummus, eſtque ut diligantur inimici ex affectu, & ea dulcedine erga odientes, & perſequentes ſe affici, ſicut erga ſingulariter dilectos, & non ſolùm res temporales, ſed etiam corpus pro fratribus ponere paratum eſſe, non tantùm pro ſpe præmii martyrii, ſed magis pro affectu fraternæ ſalutis; & ideò

ideò dicit ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, quia Chriſtus hanc dilectionem docuit, qui pro peccatoribus inimicis ſuis mori dignatus eſt, ut illa peccata, quibus ipſum offendimus, & contempſimus, expiaret: hanc dilectionem didicerunt ab ipſo ſancti, qui ſe morti pro fratribus obtulerunt, qui ſe in aliorum ſervos pro aliorum redemptione vendiderunt, qui ut aliorum fami conſulerent, ipſi fame cruciabantur, qui pro interfectoribus ſuis devotè orabant & ſua benignitate inimicorum ſævitiam lenire, & malum in bono vincere ſtuduerunt. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 18. Luc. cap. 5. verſ. 27. cap. 6. verſ. 27. op. Diet. append. ad Dom. 3. Quadr.*

63. *Traditio Chriſti in mortem expenditur.*

Sicut Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Quomodo tradidit ſemetipſum, ſi à Juda proditore traditus eſt? ſed attende ad multiplicem traditionem Chriſti: Chriſtus traditus eſt quidem à Juda proditore per ſceleſtiſſimam cupiditatem; traditus eſt etiam à Patre per ardentiſſimam pietatem, *qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Rom. c. 8.* Sed etiam ipſe tradidit ſeipſum per ardentiſſimam charitatem: Nota autem, quòd dicit tradidit; quid? ſcilicet non ovem, vel bovem ſicut in lege; non aurum vel argentum; non Joannem Baptiſtam, vel alium amicum; vel Michaëlem, vel Angelum aliquem, non Matrem ſuam (quod maximum fuiſſet) ſed ſeipſum, & hoc quod ſubdit ſtupendum quidem eſt, ſcilicet pro nobis immenſiſſimus pro viliſſimis; ô inſignis charitas, & amor Domini noſtri Jeſu Chriſti! ô quàm ſtupenda dulcedo! quàm invicta manſuetudo Regem gloriæ pro deſpectiſſimo vermiculo crucifigi! *Ser. 1. in Cœna Dom. Luc. c. 22. v. 6.*

64. *Oblatio Chriſti fuit pigmentum ſuavitatis, & ſanitatis.*

Et tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Quid eſt oblationem & hoſtiam? & quid in odorem ſuavitatis? ſcilicet non ſolùm hæc oblatio fuit odoroſa, & fragrans Deo, & nobis, ſed & hoſtia: transfer mentem ad illa verba *Eccli. c. 38. Unguentarius faciet*, ſcilicet Chriſtus in tempore legis gratiæ, *pigmenta ſuavitatis, & ſanitatis*; quaſi dicat: Sacrificia legis veteris erant quidem Deo redolentia, non tamen ſanantia, & Deum placantia; imò nec erant plenè redolentia Deo, quia ad hoc, ut oblatio eſſet Deo plenè redolens, oportebat, ut in offerente nulla eſſet immunditia, & ut eſſet veri odoris plenus fragrantia; ſed nullus talis poterat inveniri, nec ab homine generari propter immunditiam generantis; & ideò neceſſe fuit, ut Dominus ipſe virtute ſua corpus ei aptaret in utero Virginis immaculatæ, & fragrantis tali puritate, qua major ſub Deo nequit intelligi, ut tale corpus ſic aptatum eſſet vas munditiæ, & contentivum omnis fragrantiæ, ut ſic non aliundè mendicaret odorem, ſed ipſe in ſe ita redolens, & plenus eſſet, ut fracto alabaſtro corporis in cruce ad alios derivaret, & domus Eccleſiæ repleretur ex odore unguenti; & hinc tradidit ſemetipſum Chriſtus oblationem, & hoſtiam, qua Deus plenè placaretur, ut eſſet pigmentum ſuavitatis, & ſanitatis: *Lib. 4. in Prol. lib. 3. d. 20. qu. 5.* Vide igitur ô anima pretioſa redempta ſanguine Chriſti agni immaculati; attende quantum vales; quid pro te datum ſit cogita; membra agni veri in cruce diſtenſa ſunt; ejus ſanguis ſuper altare crucis per circuitum de latere, de manibus, de pedibus fuſus eſt, & diffuſus eſt odor ejus per totum. *Serm. 3. Dom. 5. Advent.*

65. *Chriſtianorum profeſſio quoad vitia vitanda qualis eſſe debeat.*

Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitudo &c. Ecce quid exigit Chriſtus ex traditione ſui pro nobis facta in hoſtiam pro peccatis noſtris; & quid requirit dilectio, & charitas in Deum, & proximum in Chriſtianos; nempè fugam ab omni immunditia carnali, ab omni avaritia; ab omni obſcœnitate & actuum, & verborum; imò nec iſta nominari debent inter Chriſtianos; cum hoc nomen Chriſtiani exigat ſanctitatem, & omnem munditiam: hoc attendant omnes luxurioſi, & illi qui continuè in obſcœna verba prorumpunt; hoc enim eſt vitium maximè Chriſto abominabile, & fideli Chriſtiano indigniſſimum, quo profeſſio fidei Chriſtianæ deturpatur, ex quo videre licet quàm pauci Chriſtiani reperiantur in Eccleſia, cum ferè omnes ſint involuti in obſcœnitatibus tum verborum, tum operum: ô mores, ô tempora! *Op. ſpec. an. c. 3. op. Comp. Theol. lib. 3. c. 18. ſerm. 1. Dom. 2. Pentec.*

66. *Eutrapelia, & urbanitas qualis in ſervis Dei: Ubi de recreatione Religioſa.*

Aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet nec nominetur in vobis. Quid eſt ſcurrilitas? Græcus legit, *aut urbanitas*: ſed quomodo hoc? eſtne urbanitas inimica, & indigna Chriſtiano? nonnè hæc eſt virtus moralis à Theologis admiſſa? ſed attende ad id, quod ſequitur, quæ ad rem non pertinet, ideſt quæ eſt indecens, ut legit Græcus: Nota igitur, quòd urbanitas, ſeu Eutrapelia alia eſt immoderata, alia moderata: moderata eſt quæ ſeria, animique rigorem, & vigorem (ne ſcilicet animus nimis ſeriis occupationibus intendat, ſeque & corpus debilitet, & exhauriat) moderatur, & temperat per locos, & ludos decentes; & hoc fit primò ſi ludi & joci ſint honeſti: ſecundò ut ſint decentes, & congruentes perſonæ, loco, & tempori: tertiò ut ſint moderati, & abſque diſſolutione; undè hæc ſit regula generalis, ut Chriſtianus, maxime Religioſus præveniat trina conſideratione ſuos actus; ſcilicet an quod poſſit liceat; deinde an deceat, poſtremo an expediat; contra hanc virtutem eſt nimia ruſticitas, nimia diſſolutio, & immoderata; & hinc ſemper hac virtute uſi fuerunt ſancti, & maximè Fundatores Religionum, ſed tamen ſancta intentione, ut ſcilicet homo alacrior fiat vegetior, aptior ad ſuas functiones,

Deique obſequium. *Vide S. Bon. op. ſpec. diſcipl. p.1.c.18.& deinceps & D.Thom.v.2.qu.168.*

67. *Idololatria Chriſtianorum qualis.*

Hoc autem ſciunt intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod eſt Idolorum ſervitus) non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei. Nota illud verbum ſuperadditum (quod eſt Idolorum ſervitus) quid appellat an ſolam avaritiam, vel etiam fornicationem, & immunditiam? aliqui exiſtimant tribui talem titulum ſolùm avaritiæ ſed veriùs tribuitur omnibus iſtis vitiis, in quibus committitur idololatria ſpiritualis, nam hæc eſt perverſa appretiatio creaturæ ſuprà Deum, & procedit vel ratione ſublimitatis, vel ratione ſufficientiæ, vel ratione delectationis; prima reſpicit immunditiam ſuperbiæ; ſecunda avaritiam; tertia luxuriam, ſed inter hæc tamen maximè talis titulus convenit avaritiæ & hæc eſt Idololatria communis Chriſtianorum, quæ non habet hæreditatem in regno Dei. *Op.de decem præc. ſer.2.op. Centil. p.1.ſect.22.op.Diet.tit.1.c.6.op. Comp.Theol lib.1. c.2.& lib.3.c.19.& 26,Luc.c.16.v.13 ſer.3. Dom.3. Adv.ſer.3.ſexageſ.ſerm.3. Dom.2. Paſcha ſerm.10. Pentec.ſer.2.ſer 2.Pentec.*

68. *Vita juſtorum dies eſt; peccatorum nox & tenebræ.*

Eratis aliquando tenebræ nunc autem lux in Domino. Ecce diſcrimen inter juſtos, & impios; nam vita juſtorum eſt in die, & perpetua dies, & hoc mediante fide, & lumine divinæ gratiæ; Vita peccatorum nox & tenebræ. *Ser.7. Hexam. Pſal.138.op.Regula Novit.in Præfat.ſer.2. Aſcenſ. op.Eccleſ.Hier.p.2.c.22*

69. *Proprium Chriſtianorum maximè Religioſorum eſt ambulare in luce fidei, & doctrinæ in exercitio virtutum.*

Ut filii lucis ambulate. Et quo? ambulate ait ut filii lucis: quid eſt ut filii lucis? ſcilicet filii lucis fidei, & doctrinæ Chriſtianæ: ambulate de virtute in virtutem ad Deum, ambulate in omni bonitate, ſcilicet beneficentia, & benignitate in omni juſtitia contra fraudes, & veritate contra mendacia, & doloſitates; hoc enim eſt proprium munus, & obligatio Chriſtianorum, ſed maximè Religioſorum; ſunt enim arbores poſitæ in vinea Eccleſiæ, à quibus Chriſtus expectat fructus iſtos in die, non in nocte. *Luc.c.11.v.35.& 37. Ioan.cap.12.v.36. & collat.2. ſer.2.Dom.7.Pentec.op.Regula Novit. in Præfat.*

70. *Tota perfectio Chriſtiani eſt in conformitate voluntatis ſuæ cum divina.*

Fructus lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate, probantes quid ſit beneplacitum Deo: probantes legit Græcus, *explorantes.* Ecce in quo ſita ſit perfectio tota Chriſtiani: ecce qualiter homo arborem ſe poteſt conſtituere in Eccleſia producentem fructus in omni bonitate, & juſtitia, & veritate; nempe in explorando quid ſit beneplacitum Deo, ſcilicet quid à ſe exigat Deus, qua in re Deo maximè placere poſſit, qualiter ſanctam ejus voluntatem, & beneplacitum agnoſcere, & adimplere poſſit; hæc eſt ſumma, hic apex perfectionis Chriſtianæ: Nota autem, quòd hæc voluntas beneplaciti alia eſt ſigni, alia propriè dicitur beneplaciti: voluntas autem Dei ſignificatur per quinque differentias ſignorum, quæ ſunt præceptio, prohibitio, conſilium, impletio, permiſſio; & ſecundum hæc diſponuntur à voluntate beneplaciti quæcumque in univerſo fiunt & quia hæc voluntas Dei & efficaciſſima eſt & rectiſſima, ideò nihil poteſt effici à nobis ſine illius concurſu, & nullus poteſt eſſe rectus, niſi conformetur divinæ voluntati; & ad hoc debet homo dirigere omnes ſuos actus, omnia opera, omnes cogitationes, omnia ſua deſideria. *Op. Brevil.p.1.c.9.op.ſtim.p.3 c.17.*

71. *Juſtorum vita tota eſt lux alios illuminans, & tenebras peccatorum fugans: Ubi de confeſſione vocali peccatorum.*

Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite; quæ enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere: omnia autem quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur. Ecce quale diſcrimen inter juſtos & impios; illi toti lucidi, ita ut ſua ipſorum vita aliorum tenebras & arguant, & expellant; iſti toti tenebroſi per tenebras incedunt perpetuò: hinc etiam oritur, quòd meritò poſtquam Verbum caro factum eſt, ut intelligibile factum eſt ſenſibile; & manifeſtum, ideò in lege gratiæ opera, quæ in lege veteri erant tenebroſa facta ſunt lucida, & ideò inſtituta eſt confeſſio vocalis peccatorum, ut verba cordis formam vocis induerent; & ſic per lucem veritatis ſacramentalis opera tenebroſa, & peccata manifeſtantur, & redarguuntur; hinc etiam & ſancti luce bonorum operum veritatem manifeſtant, & malorum vitam redarguunt. *Lib.4.d.17.p.2.a.1.qu.2.ſer.1.de S.Ambroſ. Luc. cap.8. verſ.17.c.12.v.53.c.23.v.40.ſap. cap.17.*

72. *Somnus dormientium in peccato expenditur.*

Surge qui dormis. Ecce quomodo Apoſtolus excitare contendit omnes dormientes in peccato; peccatum enim eſt ſomnus, & torpor in Dei ſervitio, & valdè periculoſus; nam in ſomno eſt ſenſuum ligatio, ſcilicet obſcuritas in intellectu; eſt operum vigiliæ privatio, ſcilicet operum meritoriorum, hominis immobilitatio, quia de ſe ſine excitante gratia non poteſt ſurgere; & alia mala occupant dormientem, quia in peccato exiſtens periculo æternæ damnationis ſubjacet. *Ioan.collat.31.*

73. *Mors infeliciſſima peccati mortalis expenditur.*

Et exurge à mortuis. Vide quòd peccatum mortale non eſt ſolum dormitio, ſed quod pejus eſt, mors horrenda, & terribilis auferens vitam animæ, motum vitalem operibus, quia opera in peccato mortali ſunt mortua, & ſine merito retributionis æternæ; & ſenſum intelligentiæ, ſcilicet affert cæcitatem intellectui; ô qualis infælicitas iſtorum mortuorum! Nota autem

quòd

Digitized by Google

quòd exponendo in medium & dormientes, & mortuos; dat intelligere, quòd dormientes sunt, qui torpescunt in Dei servitio, & isti facilè excitantur per gratiæ oblationem: mortui verò, ut sunt consuetudinarii sine voce peculiari Christi, nullo strepitu ad bonum sublevantur. *Ser.3. Dom.Pass.fer.3.Dom.20.Pentec.*

74. *Pœnitentiæ effectus mirabiles in resuscitatione mortuorum expenduntur.*

Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Hæc sunt verba, quæ à Deo continuè diriguntur ad peccatorem dormientem, & mortuum in peccato: surge à mortuis, notat gratiam excitantem, & prævenientem, in cujus virtute homo disponitur per detestationem culpæ: exurge à mortuis per gratiam concomitantem, per quam homo adjuvatur ad desertionem culpæ, & hinc sequitur illuminatio Christi per gratiæ infusionem, per quam cognoscitur distantia boni, & mali, & ideò subdit, & illuminabit te, dans tibi cognitionem supernam de effectibus pessimis peccati, & de bonis gratiæ: surge igitur dicit tibi Christus ô anima existens in morte peccati, quia vita tibi offertur & cavè ne hanc vitam recuses, quia quibus in hoc sæculo vita offertur, & nolunt eam recipere, in Inferno quærent mortem, & non invenient: Surge igitur ô anima à peccato voluntatis, à peccato actionis, & à peccato consuetudinis, & illuminabit te vera lux Christus Jesus. *Ser.3.Dom.Pass.fer.3.Dom.20.Pent.fer.2.Dom.23. Pentec.fer.1. de conversione S. Pauli. Luc.c.5.v.27. seq.c.7. v.15. c.15. v.20.& 34.c.17.v.19. Ioan.c.5. v.25.c.11.v.10.*

75. *Fidelis viator quomodo ambulare debeat in hac vita.*

Videte fratres quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes. Quid est, quod prætendit Apostolus in his verbis? ait autem videte, idest aperite oculos; sed ad quid? ut ambuletis, & hoc cautè, & ut sapientes: quid igitur est hoc? sed attende ad mysterium verborum, dicit primò: Videte vos, qui ambulatis in via hujus vitæ mortalis; ideò loquitur ad omnes viatores, ut aperiant oculos ad Solem Evangelii; ut dignè ambulent per devotionem, item cautè per discretionem & ut sapientes, scilicet honestè per circumspectionem; q. d. ambulate, operibus, & virtutibus, sed cavendo à malo; & ut caveatis à malo circumspicite veluti illa quatuor animalia plena oculis ante, & retrò, ut plenam circumspectionem ante ad proficiendum in bono, & retrò ad præcavendum in malo; & hæc est scientia sanctorum; qui ergo vult ambulare ad montem perfectionis habeat hanc cautelam, & circumspectionem. *Psal.118. c.3.v.15. fer.1.Dom.12.Pent.Luc.c.12.v.15.c.14.v.31.*

76. *Quomodo redimi à nobis possit tempus.*

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Ecce qualis sit cautela, & circumspectio, quam exigit à nobis Deus, videte quomodo cautè ambuleris non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus; sed quomodo redimi potest tempus præteritum, cum sit irrevocabile? sed tamen immensa Dei misericordia nobis januam aperuit redimendi tempus, scilicet præteritum in tempore præsenti; redimentes inquam tempus præteritum malè expensum, quoniam dies mali sunt, scilicet expensum in peccatis: hoc tempus jam transactum per pœnitentiam, lachrymas, & bona opera de præsenti faciendo, sic enim potest redimi tempus præteritum; & sic hoc tempus præsens auferendo à negotiis sæcularibus, & à tali captivitate liberando illud insumendo in bona, & sancta vita; & in hoc patefit felicitas hominum viatorum, qui possunt recuperare totum tempus perditum; & id, quod non possunt vel Cælites, vel damnati, quos si tali pacto interrogare possemus: Quid daretis vos ô damnati, si vobis vel unum momentum resipiscendi, pœnitendi, & veniam impetrandi à Deo concederetur? quanti tale tempus emeretis? ô responderent se paratos esse ad dandum mille mundos, omnes opes, omnia bona terrena, vitam, corpus, & seipsos subjiciendo omnibus pœnitentiis damnatorum usque ad diem judicii; & vos ô animæ sanctæ Purgatorii quid daretis? ô sic; sic est, quòd exhiberent se mille mortibus &c. & vos ô Beati quid; si vobis demùm concederetur aliquale tempus merendi? Certum est, quòd exponerent se omnibus pœnis &c. ô Viatores quid facitis, consumendo tempus vobis concessum à divina pietate ad agendam pœnitentiam? quomodo redimetis tot dies, mentes, annos vacuos, imò plenos peccatis à vobis transactos? ô attendite ad redimendum tempus malè impensum pœnitentiâ lachrymis &c. *Op.de Prof. Religios.lib.1.cap.32. Luc.c.11.v.13.*

77. *Dies expensi in Dei offensa maledicti: Dies in operibus bonis benedicti.*

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Quomodo dies mali? nonne ipsis Deus benedixit cum suis operibus in actu creationis? benedixit quidem Deus omnibus diebus, ut nos invitaret ad participandam ipsius benedictionem imitando ipsum in operibus bonis, & sanctis, & ideo tempus & dies ducti in divinis laudibus, in operibus bonis dicuntur benedicti: è contrà dies in iniquitatibus ducti dicuntur mali, & maledicti, & maledictionem in peccatores afferentes. *Lib.2.d.15.dub.5.Luc.c.4.v.13.& c.11. v.13.Psal.118.v.106.*

78. *Dietam à vino suis Christus ordinat, ut eos à febre, præcipuèque luxuria sanet.*

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Ecce quomodo Christus, & post ipsum Apostolus tractat nos ut medicus, tamquam infirmos prohibens vinum nimium, prædicitque febrem imminentem illis, qui se inebriant vino nempè febrem luxuriæ. *Op. Diæt. tit.2. c.4. & append. ad Dom.20.Pentec.serm.1. de SS. Philipp. & Iac. op. medit.cap.44. Psal.118. vers.9. op. Regula Novit. cap.5.*

79. *Diaboli ſequaces implentur cibis, & vino: juſti plenitudine gratiarum, & Spiritu ſancto.*

Nolite inebriari vino.&c. ſed implemini Spiritu ſancto loquentes vobismetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris. Ecce diſcrimen morum juſtorum, & impiorum; impii enim in tripudiis, in comeſſationibus, in ebrietatibus ducunt vitam, & ſe immergentes in his vitiis ſimul implentur vino, & cibis, & luxuriis: Juſti è contrà vacuum corpus à nimio cibo, & jejuniis dediti implentur Spiritu ſancto, & gratiarum actione, & laudibus Dei. *Luc. cap. 1. v. 20. cap. 1. verſ. 68. cap. 21. verſ. 34.*

80. *Cantus in Eccleſia Dei quàm ipſi charus & dignus.*

Loquentes vobismetipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, &c. Vide quale officium eſt Chriſtianorum, & miniſtrorum Eccleſiæ, ſcilicet pſallere Domino, canere in Eccleſia Dei laudes: Cantus enim, & Pſalmodia ſanctè eſt introducta, ut homines ad ſimilitudinem Angelorum laudes Dei publicè canerent; ſed tamen ad hoc, ut tale officium ſit Deo acceptum, oportet, ut in corde priùs reſonet pſalmus, deinde in ore ut ad alios perveniat. *Lib. 4. d. 24. p. 2. a. 2. qu. 2. ſer. 1. Dom. 3. Epiph.*

81. *Chriſti diſcipulus propter Chriſtum ſe ſubjicit omnibus: ſubjecti invicem in timore Chriſti.* Nota ly invicem, ut videas, quod diſcipuli Chriſti voluntarios ſe ſervos certatim impendunt: *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 4.*

82. *Mulieres ſint ſubditæ viro ſicut Domino.* quod eſt intelligendum quoad diſtinctionem ſexuum, & in his quæ reſpiciunt gubernationem familiæ; nam quoad actus matrimoniales ſunt pares, ſique diligere debent mutuo ſicut unum corpus, & una caro. *Lib. 4 d. 33. a. 2. qu. 2. & d. 32. dub. 1. Luc. c. 18. v. 29.*

83 *Chriſtus Eccleſiam ſibi deſponſando ipſam ſuo ſanguine purificavit, & Virginem ipſam conſtituit,* ſic dicit hic Apoſtolus: *Ioan. c. 3. v. 29. c. 4. verſ. 3. ſer. 1. Dom. 2 Epiph. ſer. 1. de dedicat. Luc. cap. 21. verſ. 3.*

84. *Corpus, & caro ab homine quomodo odienda ſimul & amanda.*

Nemo unquam carnem ſuam odio habuit. Et ſi hoc? quomodo poſtea præcipit Chriſtus, ut homo ſeipſum odio habeat? imò & animam ſuam? ſed attende ad myſterium: præcipit Chriſtus, ut homo ſuam carnem & amet, & oderit: caro enim, & corpus noſtrum, ut natura eſt, debet ſuſtentari; ſed quia in ſe continet corruptionis noſtræ ſpiritualis radicem, & concupiſcentiam, ob idque cauſa eſt, ſeu occaſio iniquitatis inter ipſam, & ſpiritum, & Deum, hinc & hac parte debet puniri, flagellari, & tot-

queri, ut ſpiritus ſalvus ſit, & ſanctificatio animæ acquiratur, vel conſervetur; ideò hæc tria debet ſibi homo, ſcilicet ſuſtentationem corporis, ne in via deficiat, punitionem, & diſciplinam, ne recalcitret, & ſanctificationem, ut in via Dei currat ad Cœlum. *Lib. 4. d. 15. p. 2. a. 2. qu. 2. Pſal. 118. v. 16. Ioan. c. 13. v. 38. op. de ſeptem in. atem iſin. 4. d. 3. Luc. c. 8. v. 20.*

85. *Caro noſtra in Chriſto diligenda.*

Nemo unquam carnem ſuam odio habuit. Nota, quòd dicit unquam odio habuit; ergo non datur caſus, in quo non diligenda ſit? ſed reſp. quòd hoc dicitur de carne pro ut natura eſt, ut dictum eſt; ſed myſticè id intelligendum eſt de Chriſto, de quo dicitur, & Verbum caro factum eſt, ſcilicet factum eſt caro noſtra, & de carne noſtra; ergo diligenda eſt caro Chriſti tamquam caro noſtra, & caro capitis noſtri; quis enim carnem capitis ſui non diligeret plusquam aurum, & argentum? ergo Chriſtum amare debemus noſtrum caput, & pro ipſius amore omnia relinquere. *Ser. 8. in Nativ. ſer. 3. Dom. 1. poſt oct. Epiph.*

86. *Conjugati unum corpus conſtituunt; ideò ſe indiviſibiliter mutuo debent amare in Chriſto, & ſpiritualizare omnes actus carnales.*

Viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Ecce ratio, cur uxorati debent ſe inſeparabiliter mutuo diligere, quia unam carnem, & unum corpus conſtituunt, & quia ſunt membra Chriſti, ideò in ordine ad amorem inter Chriſtum, & Eccleſiam debent ordinate ſuum mutuum amorem; & hinc etiam actus carnales inter ipſos ordinati ad gratiam Sacramenti fiunt ſpirituales, & conducentes ad meritum vitæ æternæ. *Luc. c. 18. v. 29. lib. 2. d. 20. a. 1. qu. 1. ad ult.*

87. *Sacramentum Matrimonii quare dicitur magnum ab Apoſtolo.*

Nota, quòd hic titulus meritò datur huic Sacramento verè enim magnum eſt primò inſtitutione, quia inſtitutum fuit non à vili perſona, non ab homine vel Angelo, ſed à Deo; non in vili loco, ſed in Paradiſo, non poſt lapſum, ſed ante lapſum, magnum item ſignificatione; in Paradiſo enim ſignificabat conjunctionem Dei cum anima ſpiritualem, & ſecundùm multos etiam futuram inter Verbum incarnandum, etiam non peccante Adamo: poſt lapſum verò in ſignificationem unionis Chriſti cum Eccleſia, ideò verè magnum eſt hoc ſacramentum, & maximè in lege Evangelica, in qua conſtitutum eſt à Chriſto unum de ſeptem Sacramentis: ergo ſi hoc Sacramentum magnum eſt & à conjugatis ſancta vita tenenda eſt. *Serm. 1. Dom. 1. poſt oct. Epiph. lib. 3. d. 1. a. 1. qu. 2. & lib. 2. d. 20. dub. 2. & lib. 4. Prol.*

CAP.

Digitized by Google

CAPUT VI.

In hoc ultimo capite Apostolus docet modum, quo filii parentibus, servi Dominis, & isti vicissim filiis, & servis se habere debeant: deinde ad luctam cum Dæmonibus, & ad frequentiam orationis suadet.

88. *Honor parentibus debitus à filiis expenditur cum suis circumstantiis.*

Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est: honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione, ut benè sit tibi, & sis longævus super terram. Ex quibus verbis patet zelus Apostoli circa salutem omnium cujusque conditionis; & hinc suam prædicationem à filiis familias incæpit, quia ex ipsorum institutione, & bona vita dependet ut plurimum salus Reipublicæ: Notandum autem, quòd dicens filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est, ly in Domino multiplicem sensum admittit; nam primò potest referri honor debitus parentibus in Domino, idest spiritualibus, qui nos generarunt in Christo: secundò in Domino, idest secundum Domini præceptum, & legem, nempè præcipientibus justa, & non contra legem Dei: tertiò in Domino, in Domini præcipientis observantiam hujus præcepti amore, & reverentia, recognoscendo in Patre corporali Patrem cælestem, cujus imaginem nobis repræsentat: Honorandi igitur sunt Parentes à filiis, hoc enim justum est, ratio autem hujus justitiæ est, quia Pater nominat personam generantis, personam instruentis, & personam educantis; sicque habet rationem originis, regiminis & benefactoris, ob id ratione primi ei debetur honor reverentiæ; ratione secundi honor obedientiæ, & ratione tertii honor beneficentiæ; & hinc subdit, quòd hoc præceptum est in promissione, scilicet quòd adjunctam habet promissionem: sed qualis est ista promissio? ecce qualis, ut sis longævus super terram; quæ promissio est quidem justa, & æqua: æquum enim est, ut illi filii, qui vitam à parentibus acceperunt veluti maximum feudum, eisque tributum debitum obedientiæ præstant, ut conserventur in possessione talis vitæ: & è contra qui rebelles sunt, & inobedientes merentur privari tali vita; præterea talis possessio æqua: & congrua adolescentium genio, præ cæteris vitam longam, & fælicem desiderantium; & si dicas multos filios probos, & obedientes brevis vitæ esse? resp. quòd isti boni, & justi consummati in brevi expleverunt tempora multa: tum quia ut in aliis locis Scripturæ dum Deus promittit bona temporalia observantibus ejus præcepta, sæpe pro eis dat meliora, & majora bona, scilicet spiritualia, & cælestia. *Op. de decem præcept. ser. 5. op. Dist. 11. c. 5.*

89. *Parentum obligatio in filios expenditur.*

Et vos Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini. Vide ordinem mirabilem ver-

borum Apostoli: postquam proposuerat filiis honorem debitum parentibus, quia hoc præceptum correlativum est, ideò subdit obligationem parentum in filios: & primo loco eos avertere conatur ab iracundia scilicet excedente omnem modum, & hoc ne nimia ductilis, asperitate, verberibus, & laboribus irritentur ad transgressionem præcepti, & deinde vult, ut ipsos filios educent in disciplina, & correptione Domini, scilicet verbo, & exemplo, & correptione debita; & hoc competit non solùm Parentibus corporalibus, sed magis spiritualibus magistris, qui debent suos filios spirituales excitare ad virtutes, monere verbis, & corrigere factis. *Op. de sex Alis Seraph. c. 1.* Notent autem Patres, quòd Apostolus non sine lumine cælesti primum monitum ipsis dirigit super cavenda iracundia, quia sciebat, quòd ira viri justitiam non operatur Jac. 1. reddiqué hominem stultum, rabidum sine usu rationis, & humanitatis, quod continua experientia patens est ex pessimis effectibus ex nimia ira provenientibus. *Op. Dist. 11. c. 5.*

90. *Servorum ad Dominos obligatio, & Dominorum ad servos qualis.*

Servi obedite Dominis carnalibus in simplicitate cordis vestri sicut Christo non ad oculum servientes &c. Ecce tertia admonitio ad servos; vult enim Apostolus ut servi obediant Dominis suis, ac si obedirent Christo in omnibus quærentes Domini voluntatem, & ipsam exequentes, eo ferè modo, quo servi Dei cautè, sollicitè, & simpliciter procurant voluntatem Dei exequi. *Ser. 3 Dom. 8, Pentec. Psal. 118. c. 8. v. 13. Eccles. c. 8.* Not autem, quòd subdit in hac correlatione obligationem Dominorum ad servos: Et vos Domini eadem facite illis remittentes minas, scientes quia & illorum, & vester Dominus est in Cœlis, & personarum acceptio non est apud eum; volens scilicet ut Domini exhibeant servis humanitatem, benignitatem, amorem, sinceritatem, fidelitatem, qualem servi ipsis exhibent.

91. *Armatura Christianorum contra hostes qualis.*

De cætero fratres confortamini in Domino &c. propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Ecce quomodo Apostolus Paulus tamquam zelator animarum, & procurator exercitus Christi, ut finem epistolæ assignet, & in ipso compleat summam omnium admonitionum supra traditarum, & relinquat suos fideles auditores benè armatos, eis assignat arma necessaria ad triumphandum de diabolo, mundo, & carne, & ad expugnandum, & possidendum regnum Cœlorum: Unde

primò eos conſulit ad ſe providendum conſtantiâ, & fortitudine ex virtute Chriſti nobis perpetuò aſſiſtentis; deindè ad induendum ſe arma juſtitiæ, ſcilicet virtutum pœnitentiæ, humilitatis, patientiæ, fidei, ſpei, & charitatis, quibus ſolis poteſt pugnari cum diabolo, mundo, & carne, & cum impiis, qui ſunt miniſtri diaboli, & ipſo diabolo pejores, & pernicioſiores: ſic enim non ſolùm ſecuri poſſumus ſtare in mundo in die malo, ſcilicet in tempore hujus vitæ, in qua ubique parati ſunt laquei diaboli; ſed & perfecti currere per viam perfectionis ad Deum. *Ser. 1. fer. 4. Paſchæ ſer. 2. Dom. 3. poſt Paſchæ ſer. 3. Dom. 1. Quadrag. ſer. 1, Dom. 10. Pent. ſer. 4. Dom. 13. Pent. ſer. 1. Dom. 16. Pent. ſer. de S. Cæcil. ſer. de S. Michaële ſ. 1. de Angel. Pſ. 143. ſer. 2. de S. Ant. Patav.*

92. *Servorum Dei eſt ſtare: impiorum jacere.*

Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare: & infrà repetit. *& in omnibus perfecti ſtare: ſtate ergo ſuccincti lumbos veſtros.* Nota hoc verbum ſtate: ſtate perfecti &c. quid eſt hoc, quod prætendit Apoſtolus? cur non potiùs dicit, ut poſſitis genua flectere, vel vos in faciem proſtrate coram Deo, ſed ſemper ſtate? cur vult ſervos Dei ſtantes? ſed optimè dicit ſtate, ſcilicet ad ſimilitudinem magiſtri Jeſu ſtantis, & pugnantis, & ſe elevantis ſuper omnia creata, noſque è Cœlo adjuvantis: Vult ergo Deus ſuos ſervos elevatos à terra, & converſos ad Cœlum; vult & eos ſtantes, & conſtantes in juſtitia, & exercitio virtutum ad ſerviendum Deo retribuenti, ad acquieſcendum Angelo cuſtodienti; ad ſubveniendum proximo indigenti; & reſiſtendum diabolo invidenti; & ſic armati debent ſtare manſuetudine contra iram, continentiâ contra luxuriam, humilitate contra ſuperbiam, patientiâ contra perſecutiones, & ſic de aliis. *Ser. 1. Dom. 10. Pent. Ioan. c. 20. v. 14. collat. 88.*

93. *Meditatio fervens Paſſionis Chriſti armatura validiſſima contrà vitia, & dæmones: Ubi de præcinctione lumborum.*

Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli & infrà ſubdit, *accipite armaturam Dei:* Græcus legit: *Induite vos plenam & omnem armaturam*, ideſt armaturam, qua poſſitis à capite ad talos vos armare, & communiri: ſed qualis eſt hæc armatura ſumenda à ſervis Dei? hæc eſt armatura Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſcilicet ejus paſſio, crucifixio, & mors, qua triumphavit de hoſtibus: Ergo ſervi Dei ſe armare debent paſſione Chriſti per meditationem ferventem; hac enim homo facile effugare poterit diabolica tentamenta, & omnes dæmones, hæc adjuvat hominem in exercitio virtutum, & facit, ut facile induere valeat loricam juſtitiæ per impletionem divinorum præceptorum, præcingere lumbos in charitate, per refrænationem carnalium deſideriorum, & caſtitatem, & bonam operationem. *Ser. 4. Dom. 13. Pentecoſt. op. Regula Novit. cap. 10. Luc. cap. 22. num: 37.*

94. *Lorica juſtitiæ quàm neceſſaria Deo ſervientibus.*

Induti Loricam juſtitiæ. Cur juſtitiam appellat nomine loricæ? cur non aliam virtutem? ſed optimè eſt hæc metaphora; lorica eſt armatura, quæ munit militem ante, & retro, à dextris, & à ſiniſtris; ſic eſt juſtitia virtus generalis, quæ unicuique quod ſuum eſt reddit in ordine ad Deum, ad proximum, & ad ſeipſum; habemus enim ante nos ſuperiores docentes, & ducentes, poſt nos juniores, à dextris amicos, à ſiniſtris inimicos; reddamus ergo unicuique quod ſuum eſt; ſuperioribus obedientiam, & reverentiam, junioribus doctrinam, & bonum exemplum; amicis lætitiam, & benevolentiam, & inimicis patientiam, & condonationem: ſicque indutus homo undequaque hac lorica, obſervantia mandatorum, exercitio bonorum operum, & virtutum, ſecurus vivit ab inſidiis inimicorum. *Pſal. 118. v. 99. ſer. 4. Dom. 13. Pent.*

95. *Scutum impiorum, & ſcutum bonorum qualia.*

In omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Nota, quod hic ponit ſcutum militibus Chriſti contra ſcutum militum diaboli; ſcutum enim militum Chriſti eſt fides, eo quia ſcutum proponitur ipſi militi, ut ipſum à telis inimicorum defendat, ſic fides eſt prima omnium virtutum, per quam ab omnibus telis hoſtium poteſt ſe defendere homo. Impiorum autem ſcutum eſt obduratio, & pertinacia, quæ impedit, ne ſagittæ Chriſti, ſcilicet fides, ſpes, charitas, & amor Dei poſſint ad cor ipſorum penetrare. *In Thren. cap. 3. in fine Pſal. 75. Luc. cap. 4. v. 4. c. 17. v. 6. op. Diet. tit. 5. c. 3. & tit. 8. c. 5.*

96. *Verbum Dei prædicatum galea ſalutis, & gladius acutus dividens in anima amorem terrenum, & imprimens amorem cæleſtium.*

Aſſumite galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei: Ecce ad complementum armaturæ ſpiritualis quænam ſunt neceſſaria, ſcilicet galea ſalutis, nempè ſpes æternæ beatitudinis; ſed ad iſtam habendam, & ad hoc, ut anima non ſolùm ſe eximat ab omni tentamento diaboli, & exuat omnem terrenam affectionem, debet aſſumere gladium ſpiritualem, qui eſt Verbum Dei prædicatum: & rectè dicitur gladius, quia per hunc Prædicator percutit & diabolum, & omnes iniquos, ſuperbos, iracundos, luxurioſos, & alios conſimiles, ſed & vulnerat animam plagâ amoris Dei, ipſamque armat contrà omnes ſagittas diaboli: ſic etiam Chriſtus tali gladio ſe defendit à tribus ictibus diabolicæ tentationis, docens nos quali virtute ſit præditum Verbum Dei prædicatum, & receptum devotè in anima. *Pſal. 88. Eccleſ. cap. 12. Luc. c. 2. v. 35. Ioan. c. 18. v. 11. ſer. 1. de uno Doct. in Addit.*

97. *Orationis bonæ conditiones expendun-tur.*

Per omnem orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu. & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis. Nota, quod iſta verba non indigent explicatione, cum de ſe ſint clariſſima, in quibus omnes conditiones Apoſtolus enumerat bonæ orationis, & docet orationem eſſe complementum militiæ Chriſtianæ: primò enim requirit in oratione aſſiduitatem, diligentiam, & frequentiam, dicens per omnem orationem jugem, & aſſiduam: ſecundò dicit & obſecrationem, ſcilicet in omni inſtantia, & obſecratione, ſitque oratio cum fletu, genuflexione, tunſione pectoris, & obteſtatione divinæ miſericordiæ per omnia ſacra, & ſancta, ut per mortem, Paſſionem, ſanguinem Chriſti: tertiò omni tempore, ideſt tempore, & loco deſtinato, & ordinando in Deum omnia opera; quartò in ſpiritu, ſcilicet conſcientia munda, & affectu, & deſiderio interiori; quintò vigilando, & perſeverando (& in ipſo vigilantes:) ſextò non ſolùm orandum eſt pro ſe, ſed & pro omnibus fidelibus, & præcipuè pro Prædicatoribus. undè dicit pro omnibus ſanctis, & pro me ut detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Evangelii: *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 67. & deinceps per totum:* Et tandem concludit, *Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto: Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*; quod nobis concedat: Ergò diligamus Dominum Jeſum Chriſtum, cui ſit honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit expoſitio Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ in Epiſtolam ad Epheſios D. Pauli Apoſtoli.

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

PROLOGUS.

EPISTOLA hæc ſcripta fuit à Paulo, dum Romæ in carcere, & in vinculis detinebatur juſſu Neronis anno quarto ſui regiminis: in qua conſolatur Philippenſes à ſe converſos, qui valdè triſtitia affecti erant ob carceratio-nem Pauli eoſque hortatur, ut in fide Chriſti perſtent, & perſiſtant in exercitio virtutum ſicuti jam ferventiſſimè incæperant.

CAPUT PRIMUM.

1. *In hoc capite Paulus orationem fundit ad Deum pro ſuis Philippenſibus, ut perſeverantiam in bonis operibus eis donare dignetur, deindè verbis & exemplis eos excitat ad perſecutiones ſuſtinendas pro Chriſto.*

2. *Non ſufficit bonum inchoare ſine conſummatione, & perſeverantia uſquè ad finem.*

GRATIA *vobis, & pax à Deo, &c. confidens hoc ipſum, quia qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu.* Duo ſunt in his verbis maximè notanda: primum eſt in illo verbo perficiet qui cæpit in vobis; per quod dat intelligere, quod donum bonæ operationis, & perſeverantiæ eſt à Deo originaliter nos vocante, ad quod poſteà concomitanter exigitur noſtra cooperatio: ſecundum eſt quod per hoc etiam oſtenditur, quod Deus exigit à nobis opus conſummatum & perfectum; non enim ſufficit bonum inchoare, niſi etiam detur ultimum complementum uſque ad diem Chriſti, ſcilicet mortis. *Luc. c. 1. v. 45.*

3. *Juſtorum gaudium in tribulatione maxima eſt gratia, & ſummus patientiæ gradus.*

Juſtum eſt mihi hoc ſentire pro omnibus vobis, eo quod habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & confirmatione Evangelii ſocios gaudii mei omnes vos eſſe. Vide hic metamorphoſim amoris ardentiſſimi Apoſtoli in Chriſtum; nam lætatur, quod Philippenſes ſocii gaudii ſui facti ſint; ſed undè tale gaudium inſolitum, ſi tunc in vinculis detinebatur? ſi tunc de periculo vitæ agebatur? ſed attende ad myſterium: Græcus legit ſocios vos gratiæ meæ; nam hic vocat gratiam & gaudium beneficium illud, quod ei datum erat pati, & vinciri pro Chriſto: unde eadem vincula ipſa vocat gaudium ſuum; ſic Chryſoſtomus: & hinc patet, quod Apoſtolus ad apicem patientiæ Domini Jeſu pervenerat; nempè dum non ſolùm patienter tolerabat tot pœnas, & perſecutiones, ſed & gaudebat, & lætabatur, ac ſi eſſet particeps illius beatitudinis, quam poſt hanc vitam miſeram expectabat. *Op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 37. ſerm. 3. de Apoſtol.*

4. *Summa perfectio, & fælicitas Chriſtiani eſt intrare, & habitare in vulneribus Chriſti Jeſu.*

Teſtis eſt mihi Deus, quomodo omnes vos cupiam in viſceribus Jeſu Chriſti. Quid eſt hoc, quod cupiebat Apoſtolus, vos cupio: ad quid hoc deſiderium? cupio vos, ſcilicet eſſe (ait Anſelm.) exiſtere, & intrare, & habitare in viſceribus, ideſt in intimo corde Jeſu Chriſti: Ecce quid præcudebat, quid deſiderabat, & quale bonum ſuis fidelibus, nempè ut intrarent in vulnera crucifixi, & præcipuè in latus ejus, ibique penetrarent per amorem uſquè ad intima cordis Jeſu Chriſti, ut ibi ipſe effunderet in eos ſuam miſericordiam, & pietatem; ò quàm benè; ò quàm felix qui puro corde, & ſincero amore intrat, & habitat perpetuò in vulneribus crucifixi, quia indè extrahere poteſt liberationem ab omni malo, communicationem omnium gratiarum, & beatitudinis: ô intrare chariſſimi in hæc viſcera Salvatoris, & guſtabitis quàm dulcis, quàm ſuavis ſit Dominus. *Op. ſtim. p. 1. c. 1. & ſeq.*

Digitized by Google

5. *Charitatis augmentum qualiter procurandum.*

Et hoc oro, ut charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu. Nota, quod Apoſtolus totus erat in procuranda perfectione in ſuis filiis dilectis, quam recognoſcebat in augmento charitatis, quam in ipſis experiebat; & à Deo; & per hoc nobis oſtendit, quod charitas à nobis procuranda eſt, totoque conatu ejus augmentum, quod augmentum ſecundùm ſubſtantiam à ſolo Deo poteſt quidem haberi, ſed mediante noſtra operatione, ad quod conſequitur & fervor, & amor in Deum, & diminutio noſtræ concupiſcentiæ, quæ omninò contrariatur ipſi charitati; & hinc ab iſta dependet omne noſtrum bonum, & perfectio ſpiritualis. *Lib.1. d.17. p.2. per totam: lib.4. d.16. p.1. a.4. qu.1.*

6. *Mercatura lucroſiſſima inter Deum, & hominem tamquam in ſocietatem negotiantes.*

Oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet. Sed quomodo augmentum hoc poterit haberi? ecce quali modo; ut ſitis repleti fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum in gloriam, & laudem Dei: Nota iſta duo: primum eſt repleti fructu juſtitiæ, ſcilicet virtutis, gratiæ, & bonorum operum: ſecundùm in laudem, & gloriam Dei: primum reſpicit ſocietatem mercaturæ inter Deum, & hominem; Nam Deus dat ſubſtantiam capitalem, ſcilicet charitatem, qua homo poſſit negotiari; & ſic lucrando per exercitium virtutum ad Dei laudem, & gloriam unam partem ſibi præparat, alteram Deo; ideſt ſibi fructus juſtitiæ, & meritorum, Deo laudem, gloriam, & honorem; quia in omni opere bono ſunt ſocii Deus, & homo; honor, & laus eſt portio Dei; fructus eſt portio hominis, qui operatur bonum. *Op. Diat. append. ad Dom. 22. Pent.*

7. *Tempus hujus vitæ à Deo datum propreparationem ad judicium mortis, & univerſale.*

Qui capit bonum perficiet uſque in diem Chriſti: ſic v.6. & v 10. & 11. addit, ut ſitis ſinceri ſine offenſa in diem Chriſti. Quis iſte dies Chriſti? nonne omne tempus eſt Chriſti? dies Chriſti propriè eſt tempus judicii particularis, & univerſalis; hunc diem præcedit tempus hujus vitæ, quod dies noſter, ſimulque Chriſti, in quo Chriſtus à nobis expectat opera pœnitentiæ, quæ dicuntur fructus juſtitiæ, quia in ipſis ſe exercet homo in juſtitia, & veritate; dans nobis intelligere, quàm ſolliciti eſſe debemus ad perficiendam præparationem ad adventum Chriſti in morte. *Luc.c.13.v 9.*

8. *Prædicatores Evangelii alii ſolùm Chriſtum prædicant, alii cum Chriſto etiam ſeipſos; omnes tamen ſunt audiendi dummodo prædicent veritatem:*

ſic notat hic Apoſtolus, quidam propter invidiam, quidam propter bonam voluntatem &c. quid enim? dum omni modo per occaſionem ſive per veritatem Chriſtus annunciatur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Luc.c.7.v.18.c.4.v.41.c.8.v.34. & 39.

9. *Conformitas ad Dei voluntatem, Chriſtum, & vitam animæ confert.*

Mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Nota, quod iſta verba Pauli multiplicem ſenſum altiſſimum continent ſecundùm varias expoſitione; ſanctorum Patrum, inter quas hæc eſt notabiliſſima in hoc, quod Paulus tam addictus erat in exequendo divinam voluntatem; quod ipſe vivere volebat tantùm ad nutum Dei: q. d. Vivo libenter, quia Chriſtus vult; ideò ſi amo hanc vitam, hac unica ratione eam volo, & amo, quia ità placet Chriſto; hæc ejus voluntas eſt, alias nullo modo libenter victurus, ideò cum ipſi placuerit mihi vitam abrumpere, maximum percipiam lucrum: ergo ſanctis vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum quaſi enim ſervi non refugiunt vitæ obſequium, & quaſi ſapientes lucrum mortis amplectuntur, ſic Ambroſ. & merito hæc dicebat Apoſtolus, & quilibet juſtus, cum in hoc famulatu Chriſti & conformitate, & configuratione cum Chriſto ſtet ſumma totius perfectionis Chriſtianæ. *Pſ.118.c.5.v.15.*

10. *Chriſtus vivit apud eum, & in eo, qui ſibi non vivit.*

Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Cur mori; lucrum appellat Paulus, cum vivere ipſius in Chriſto ſit habere lucrum, & vitam & omne bonum? & ſi vivere eſt ei tantum bonum, quomodo mori erit ei lucrum? ſed optime iſta ſimul ſtant; vult enim dicere quod ſuprà ad Galat. c. 6. dixit vivit in me Chriſtus, mihi mundus crucifixus eſt, &c. ſcilicet ad alia quidem omnia mortuus ſum; ad alia non aſcendo, non curo, ſi qua verò ſunt Chriſti, hæc me vivum inveniunt & paratum, & tales ſunt ſequaces Chriſti Jeſu ejuſque crucis, qui rebus omnibus nudi, fame, & ſiti confecti, vulneribus attriti, carceribus macerati, injuriis plurimis provocati, ad crucem, & mortem deſtinati, & judicati, & ad omnia iſta mundana mortui in ſolo Chriſto vitam inveniunt: ô felix, qui verè hæc poteſt dicere Chriſto, &c. *Ser. de SS. Petro, & Paulo.*

11. *Chriſtus in aliquibus vivit, in aliquibus defunctus eſt.*

Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quid eſt hoc? vivere mihi Chriſtus eſt, niſi Chriſtus in me vivit? & cur vivit? vivit, quia in me ſolùm eſt vita, nulla mors, id eſt in me ſolùm vita, & gratia Chriſti vivit, non affectio humana, non voluptas, non ira, non ſuperbia, nec aliud vitium hacque de cauſa vivit in me Chriſtus, & in tali vita, & cum tali vita mori mihi lucrum eſt; ſic ex Nazianz. Et hoc eſt, quod æſtimant, quod cogitant, quod volunt ſancti, & juſti: ſicut è contrà multi ſunt, in quibus Chriſtus defunctus eſt, quia in ipſis regnat mors, vitium, & peccatum; undè rectè dicebat Paulus quis me ſeparabit à charitate Chriſti? neque mors, neque vita, &c. ſic enim eligunt magis Deo dilecto mori, quàm offenſo vivere; & hinc pretioſa dicitur mors juſtorum, quia eis Chriſtus mortis eſt pretium. *Ser. 2. de uno Mart. in addit. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 25.*

12. *Mors lucrum eſt, & felicitas illi, qui omnia contemnunt pro Chriſto.*

Et mori lucrum. Cur mori lucrum eſt? quia contemptis omnibus ſolùm Chriſtum elegerat; ſic. ſic dat nobis intelligere, quòd ad obeundam fælicem mortem, & lucroſam, optima diſpoſitio eſt, cum procul ab animo terrena omnia pulſa,& repulſa ſunt. *Ser.1.de nne Mart. in addit.*

13. *Mors juſtis lucrum eſt, & vitæ principium.*

Et mori lucrum. Quomodo lucrum, ſi mors eſt amiſſio, non lucrum vitæ? hoc verum eſt impiis, quibus mori non lucrum eſt, ſed perditio vitæ, & tranſitus de morte, ad mortem; ſed tamen juſtis eſt principium vitæ æternæ, & ideò maximum lucrum; & hinc prædicatur mors juſtorum pretioſa, quia eſt tranſitus de morte ad vitam, de labore ad requiem, eſt exitus de carcere,finis exilii, laboris conſummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, oneris depoſitio, reditus in patriam, & ingreſſus in gloriam. *Ser.1. de nne Mart. in addit. ep.de dono ſap.c.8.*

14. *Juſti Deum amantes poſtponunt pro ſalute procuranda hominum fruitionem vitæ beatæ ad tempus.*

Quod ſi vivere in carne hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro, coarctor autem è duobus. Vide in qua perplexitate ſtabat Paulus ſcilicet an deberet deſiderare mortem, an vivere, ut laboraret in ſalute procuranda hominum; ſic ſic evenit Sanctis Deum amantibus, qui licèt beatam gloriam deſiderent ardenter, tamen quando agitur de ſalute proximi, diſpoſiti ſunt differre ſalutem, & gloriam propriam ad tempus, ut animas Chriſto lucrentur; hanc enim vitam ductam in laboribus, in prædicatione, in operibus miſericordiæ æſtimant veluti participationem gloriæ Paradiſi. *Op.de Prof. Religioſ. lib.2.c.25.op.de grad.virt.c.18.*

15. *Idem argumentum.*

Quid eligam ignoro; coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis melius; permanere autem in carne neceſſarium propter vos Vide hic metamorphoſim ſummæ dilectionis Pauli, & juſtorum in Chriſtum: cognoſcebat Paulus ex una parte, quòd ſibi melius erat mori, & per mortem tranſire ad beatam gloriam, & unionem perpetuam cum Chriſto; ſed ex alia neceſſitatem ſui miniſterii, & prædicationis pro Eccleſiæ, & fidelium profectu, hinc & coarctabatur veluti inter duos ſcopulos; nec tamen hoc mirum eſt, hoc enim eſt proprium juſtorum, & hic ſummus gradus amoris Dei; ſic enim tanto affectu æſtuant ſancti ad Deum, ut ipſo quaſi vivere non poſſint coarctati deſiderio diſſolvendi, & eſſe cum Chriſto; talibus eſt vivere in patientia, vel potius in faſtidio,& mori in ardenti deſiderio etiam per dura tormenta; hoc deſiderium fecit Andream amplecti crucem: Stephanum orare pro lapidantibus, qui ei Cœlum patefaciebant, quo anhelabat ingredi: Laurentium deridere carnifices: Vincentium provocare tortores: Agathan lætiſſimè, & glorianter ire ad ſupplicia, quaſi ad epulas invitatam; & cæteros glorioſos Martyres gaudere in tribulationibus, & inimicos diligere perſequentes, à quibus ad deſiderata gaudia velocius adipiſcenda promovebantur: Et cum nihil ſit, quod talium valeat æſtum extinguere deſiderii, quamdiu non datur eis copia de fonte vitæ pro libitu potari, cujus ſiti mirabiliter cruciantur; ecce ars ſuper artem & induſtria induſtriæ ſuperaddita; Tribus interim utcumque refocillantur guſtis conſolationum ſpiritualium, ſcilicet internæ ſuavitatis recreatione; ſacramentali corporis Chriſti perceptione; & tertiò ſpiritualis fructus multiplicatione, in quo & animarum profectum, & Dei honorem ſentientes, exilii ſui moleſtias tolerabiliùs ſuſtinent ſpe lucrorum Dei: ſicque conſolantur converſione peccatorum, & profectu bonorum, ſicuti evenit Paulo. *Op.de Prof.Relig.lib.2.c.25.*

16. *Sanctorum amici in hac vita deſiderant eis vitam longam ad profectum proprium, & Eccleſiæ; ipſorum inimici deſiderant eis mortem ad ſui excidium, & ipſorum ſanctorum majus bonum.*

Coarctor autem è duobus. Ecce quòd Paulus conſtrictus erat inter duos parietes, ex una parte deſiderabat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ex alia procurare in hac vita ſalutem aliorum; ut hinc videas deſideria oppoſita amicorum, & inimicorum Sanctorum; nam inimici ipſorum dolent Sanctos aliquo tempore ſecum in mundo morari; cum autem eis mortem procurant, ſic ipſorum Sanctorum deſiderium promovent,quod eſt diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, licet ipſorum hoſtium talis non ſit intentio: Amici è contra, & fideles ipſos Sanctos diligentes, & proprium profectum deſiderant eos ſecum hic diu detinere; & hinc patet quòd Sancti in præſenti prodeſſe nobis poſſunt dupliciter, dum vivunt, ſcilicet merendo, & orando; & ideò dicit Apoſtolus multò magis melius eſt mihi diſſolvi, & eſſe cum Chriſto; permanere autem in carne neceſſarium eſt propter vos; neceſſarium quidem, & nobis magis utile.*Op.de Prof.Relig.lib.2.c.25.*

17. *Mors ſpiritualis qualis deſideranda, & qualis vitanda.*

Et mori lucrum; cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Nota, quòd Apoſtolus ante mortem ultimatam ſæpiùs mortuus eſt ſpiritualiter, morte tamen fælicisſima, & pretioſiſſima; & qualis eſt iſta mors!mors eſt mundo, pompis & concupiſcentiis ejus;& ad hoc neceſſaria eſt ſeparatio animæ à corpore,ſcilicet à corporeis rebus, quod fit per abſtractionem corde forti, & perſeveranti ab his rebus caducis,& à miſeris,& brevibus conſolationibus harum viſibilium rerum,quæ inficiunt, & vulnerant animas impiorum, qui abſorpti in his terrenis mortui vivunt Deo, & gratiæ ſuæ;ex qua morte ſpirituali fælici juſtorum ſequitur aſcenſus mentis cum Domino, vel potius ad Dominum, & cum ipſo in Cœlis converſatio; ſic autem facientes non ex toto ſunt peregrini, & advenæ. *Op.medit.c.58.*

18. *Sancti*

d by Google

18. *Sancti habent mortem in deſiderio, vitam in patientia, & afflictione : Impii è contra vitam in deſiderio, & felicitate, mortem in afflictione, & patientia.*

Mori lucrum.&c.cupio diſſolvi,& eſſe cum Chriſto. Quomodo deſiderabat Paulus mortem tamquam rem, & donum pretioſum ? mors enim eſt privatio vitæ, vita eſt habitus, ſed habitus ſemper plus de entitate,& bonitate habet,quam privatio: ſed reſp. quòd aliquid præfertur alteri aliquando ratione ſui, ut eſt de eo, quod de ſe dicit plus de bono, ſicut homo melior eſt equo : aliquando ratione conſequentis, & ſic mors præfertur vitæ, & diſſolutio illa, ſcilicet mors, ad quam conſequitur quies, & eſſe cum Chriſto,& hæc eſt, quam deſiderant Sancti, quia in hac vita mortali homo eſt in periculo, in labore, in dolore, poſt mortem juſtus eſt in gaudio, ſecuritate, & tranquillitate ; hinc eſt, quòd Sancti habent mortem in deſiderio, & vitam in patientia; & hoc eſt, quia triplex deſiderium eis ineſt, ſcilicet ut fruantur Deo, ut uniantur Chriſto, ut liberentur à triplici malo,ſcilicet à peccato,à diabolo,& ab Inferno : & è contra mali habent vitam in deſiderio,& mortem in patientia, quia eis eſt dolor in exitu,horror in tranſitu, & pudor in Dei conſpectu. *Pſal.9.& 30.& 115. Eccleſ.cap.7. & cap.3.* Vide igitur quàm verum ſit,quod quidam ſunt, ſcilicet imperfecti, qui cum patientia moriuntur, ſed deſiderant vitam hanc ; & quidam ſunt, qui cum patientia vivunt, ſcilicet perfecti; ſed delectabiliter moriuntur. *Opuſc. Apol. Paup. Reſp.2.c.1.*

19. *Corporis diſſolutionem cur Sancti exoptant.*

Cupio diſſolvi,& eſſe cum Chriſto. Quid eſt hoc, quod deſiderare faciebat Paulum diſſolutionem corporis ? nonnè naturale eſt hominibus abhorrere talem ſeparationem ? eſt quidem hoc deſiderium innatum in nobis à natura deſiderandi permanentiam unionis animæ cum corpore, ſed tamen lumen ſupernaturale excitat ad oppoſitum, imò ad abhorrendum, & odiendum iſtud corpus, non ut natura eſt, ſed quatenus in ſe continet originem concupiſcentiæ ; corpus datum eſt homini, ut per ipſum, & contra ipſum pugnando majus meritum habeat ; tum ut haberet ex tot defectibus corporis materiam humiliationis propter incommoda multa, quæ occurrunt ex unione cum corpore, qualia ſunt iſta, ſcilicet contractio peccati originalis, inclinatio ad peccatum, difficultas ad benè operandum ; intellectus hebetudo, continua impugnatio, & pugna; curarum ſollicitudo multiplex ; multiplicitas paſſionum, & ſuper omnes defectus, gloriæ retardatio,quam gloriam impedit hæc mortalitas corporis, ideò meritò Paulus dicebat, cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. *Opuſc. Compen. Theolog. l.2. cap.60.*

20. *Prælatorum anguſtia exprimitur in Paulo, quando zelantes Dei gloriam impediuntur.*

Quid eligam ignoro : coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.&c. Nota, quòd Paulus figurabat ſtatum Prælatorum, qui ex una parte maxima ſollicitudine laborant pro ſalute ſubditorum, pro reformatione Eccleſiarum, pro Dei ſervitio, & tamen ingratiſſimi ſubditi ſe eis opponunt detractionibus, injuriis, contumeliis, nunquam valentes eis ſatisfacere, quin ſemper de ipſis conquerantur ; undè ſæpè perplexi coacti ſunt dicere, quid eligam ignoro, coarctor ex duobus,an ſcilicet debeant eorum importunitatibus cedere, & acquieſcere in omnibus, quæ cupiunt,an rigidè tenere quod credunt magis eſſe expediens; ita ut ſæpè deſiderent diſſolvi potiùs, & eſſe cum Chriſto, quàm in tot anguſtiis vivere.*Op.de ſex Alis Seraph.c.5.*

21. *Charitas unit ſibi contraria ad profectum animæ.*

Quid eligam ignoro;coarctor autem è duobus,&c: cupio diſſolvi,& eſſe cum Chriſto ; ſed melius permanere in carne. Vide Apoſtolum in tortura duplicis voluntatis,& deſiderii, ex una parte deſiderabat mori, & eſſe cum Chriſto, tamquam melius ; ex alia non mori, & permanere cum Chriſto in carne : ſed quomodo duæ voluntates oppoſitæ poterant habitare, & vigere ſimul. & ſemel & quod mirabile eſt cum maximo merito ? quomodo ſimul volebat, & nolebat ? ſed vide ex hoc vim prodigioſam charitatis valentis ſimul in unum cunire duas voluntates contrarias in anima : Volebat enim Paulus permanere in carne voluntate abſoluta propter utilitatem fratrum ; volebat nihilominus diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ſed hoc non abſolutè, ſed quantum in ſe, & ſic charitas in Deum,& proximum auferebat omnem repugnantiam, licèt adeſſet ex hoc duplici deſiderio quædam mentis anguſtia ; unde dicebat coarctor ex duobus, &c. *Lib.3,d.17.dub.2. op. Determinat.q.20.*

22. *Charitas facit, quòd cum merito homò poſſit quærere quæ ſua ſunt,& ſimul quæ Ieſu Chriſti.*

Coarctor è duobus deſiderium habens diſſolvi. & eſſe cum Chriſto, multò magis melius permanere autem in carne neceſſarium propter vos. Vide, quòd Paulus quærebat quæ ſua ſunt, dum deſiderabat diſſolvi & eſſe cum Chriſto ? & quomodo hoc in hoc ſancto Apoſtolo,cum alibi dixerit charitatem non quærere quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti; ergo charitas Apoſtoli mercenaria erat ? Aliud etiam dubium inſurgit : cum certum ſit ſalutem propriam debere præferri amori ſalutis proximi,& tamen ſaluti ſuæ prætulit ſalutem proximi, dum elegit potius permanere in carne propter utilitatem fidelium ? ſed in hoc patefit mirabilis vis charitatis ; nam charitas excludit meritedem temporalem, & dum ad Deum unicum ſuum objectum amabile reſpicit, involuit ſimul amorem amicitiæ, & concupiſcentiæ, & dum Deo frui deſiderat,etiam bonum ſuum ſimul involuit, non quatenus

Digitized by Google

quatenus ſibi proprium, ſed quatenùs commune omnium hominum;& cum ſit tale abſque præjudicio ſalutis propriæ, etiam inhiat ad ſalutem proximi; & hinc patet quàm bonus ſit Deus noſter, qui cum vult à nobis noſtrum amorem, & ſuper omnia, & ſuper omne noſtrum commodum, & utilitatem æſtimari, quæri, & amari, ſimul in hoc amore Dei ſuper omnia involuit & noſtrum commodum,& utilitatem *Lib.3.d.27.a.2. q.2.& d.29.a.1.q.3.*

23. *Juſti Deum amantes copulant adinvitem vitam contemplativam; & activam.*

Coarctor è duobus, deſiderium habens, &c. Ecce quomodo medius torquebatur Apoſtolus inter duo deſideria contraria, & tamen neutrum reliquit, ſed ambo amplexus eſt. Ex una parte anima ejus mundo, & omnibus creatis mortua rapta ab igne charitatis in Deum, hoc ſolùm deſiderabat,cupio diſſolvi,& eſſe cum Chriſto;& dum in has aſpirationes exibat ſimul fruebatur Deo, veluti particeps beatitudinis: Ex alia parte amor Dei ipſum trahebat ad exercitium vitæ activæ pro ſalute proximi, cui toto conatu ſpiritus incumbebat,ſicque hac ſancta negotiatione in utroque ſe exercebat: ô charitas virtus divina, quæ reddit juſtos factos omnia omnibus. *Op. de dono ſap.c.8.op.Dict.tit.5.c.2.in fine.op.medit.c.98.op. de Prof.Religioſ.lib.1.c.12.*

24. *Tribulationes etiam in hac vita participationem gloriæ, & fruitionem Dei aſſerunt.*

Coarctor autem è duobus: cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto,&c. permanere autem in carne,&c. Nota, quòd hæc dictitabat Apoſtolus, dum erat in carcere. & in vinculis detentus, ſubjectus pœnis, tormentis,tortoribus, & paſſionibus, &c. Ut videas quid operatur in anima Deum diligente tribulatio pro Chriſto aſſumpta; excitat enim animam ad deſiderium cœleſtis patriæ, & unionis perfectæ cum Deo; tribulatio enim facit, quod mundus iſte magis deſpicitur, quod ſpes æternorum fortiùs concipitur, quòd ignis amoris divini vehementiùs inflammatur. *Luc. c.17. v.22.*

25 *Anima in actu ſeparationis ab omni culpa,& pœna purgata ſtatim evolat ad Cœlum.*

Cupio diſſolvi,& eſſe cum Chriſto. Nota iſta doo connexa ab Apoſtolo, diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ut diſcamus quàm decipiantur aliqui Græci Doctores,& Calvinus,qui dixerunt animam etiam omnimodè purgatam non evolare in Cœlum,ſed expectare diem judicii, vel aliquod tempus, vel tranſire per Purgatorium;hinc enim eſt error,cum Paulus cuperet mori, & ſtatim eſſe in Cœlo cum Chriſto; fruſtratoria enim eſſet hæc expectatio, cum non poſſet amplius mereri,& cum nihil impedimenti adſit in anima, quin ſublimari poſſit ad Cœlum. *Lib.4.d.21.a.3.q.2.*

26. *An optabilius ſit vivere, an mori, & eſſe cum Chriſto.*

Permanere autem in carne neceſſarium propter vos,&c.manebo, & permanebo omnibus vobis. Ecce ab Apoſtolo ſoluta illa quæſtio. an ſit optabilius mori, & evolare ad Cœlum, an verò vivere, & incumbere ſaluti animarum? nam ipſe poſt perplexitatem hujus dubitationis, in his verbis reſoluit, judicans præſtare vivere ad inſtitutionem, & ſalutem proximorum, quàm mori, & eſſe cum Chriſto; Unde S. Auguſtinus comparans Paulum columbæ gementi; & in Cœlum ſuſpiranti, ait Columba delicata, religata affectu, non cupiditate volare non poterat propter faciendum officium, & prædicationem verbi Dei; & ad rem notat Seraph.Doct.*Op.de gradibus virt.* c.18.Altus gradus eſt conſolationem tranſitoriam non admittere in omnibus viſibilibus propter Deum: Altior eſt fugere conſolationem tranſitoriam in Angelis, & in inviſibilibus propter Deum, ſicut Magdalena dixit, non quæro Angelos,ſed eum,qui fecit me, & Angelos: Altiſſimus eſt vitare ad tempus conſolationem, quæ poteſt haberi in ipſo Creatore propter ſalutem proximorum,ſicut fecit altiſſimè Apoſtolus, imò ſalutem proximi præferêdam eſſe martyrio, dicunt Chryſoſtomus, & Auguſtinus, quia inquiunt, ſi parturienti Eccleſiæ ſubminiſtrare noluerint, qui poſſunt, quomodo filii naſcentur, multò magis Epiſcopum apud ſubditos ſuos ſæviente perſecutione manere, omniaque adverſa pati,etiam mortem,ſi opus ſit pati debere hac de cauſa,quia ipſorum munus eſt filios generare Chriſto: Sic & Sanctus Bonaventura.

27. *Prædicatorum fructus præcipuus eſt unitatem,& concordiam ingerere in animis auditorum.*

Tantum dignè Evangelio Chriſti converſamini; ut ſive cum venero,& videro vos,ſive abſens audiam de vobis, quia ſtatis in uno ſpiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii. Ecce quid prætendebat Paulus à ſuis Philippenſibus ex ſuis concionibus & Epiſtolis, & admonitionibus, nempè unanimem concordiam ſpiritus; datque per hoc intelligere, quòd hic eſt ſcopus principalis, in quem collimare debent artes, induſtriæ, prædicatio, & ſtudia Prædicatorum, ut auditores in unitatem animi, & ſpiritus; & perfectam concordiam Evangelicam amplectantur,& meritò, quia hæc virtus cœleſtis eſt, facitque ut infidelibus nulla ſit contrarietas in affectu, nulla diſparitas in actibus, ſed ſumma concordia tam in virtutibus, quam in moribus conſervetur; hæc enim eſt principium omnium bonorum; & cauſa ſalutis. *Opuſcul. Eccleſ. Hierar. p.4. cap.4. Luc. cap. 11.verſ.17.ſermon.2.ſer.4. Penteceſt. ſerm.2.de Apoſtol..*

28. *Perſequutores ſervorum Dei ſibimet ipſis interitum,& ruinam fabricant, juſtis autem coronam.*

Et in nullo terreamini ab adverſariis, quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo. Nota, quòd Apoſtolus admonet fideles, ne

Digitized by Google

ne expaveſcant perſecutiones Gentilium, & hoſtium Chriſti, ſed ipſas contemnant, veluti inania terriculamenta, hæc enim ſolùm poſſunt terrere pueros, ſed non viros conſtantes in fide, ait Chryſoſtomus: Addit poſtea quæ illis eſt cauſa perditionis, ſc. hæc perſecutio hoſtium eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis, & hoc à Deo, ideſt perſecutio iſtorum ipſoſmet perdet, & ducet in gehennam, vos autem ducet ad ſalutem, & gloriam ad eam hac via dirigente vos, ac ducente Deo: Et in hoc mirabilis elucet ſapientia divina, quæ facit perſecutores ſervire iis, quos perſequuntur; mirabilis item ſapientia Sanctorum, qui non ſolùm noverunt adverſariorum inſidias declinare, non ſolùm adverſarios expugnare, ſed etiam per ipſas hoſtium manus de hoſtibus triumphare: quis enim fabricavit coronam Stephano, niſi manus lapidantium? quis Laurentio, niſi manus aſſantium? quis Andreæ, & Petro, niſi manus crucifigentium? quis Bartholomæo, niſi manus excoriantium? Nobile quidam genus vincendi eſt per patientiam vincere. *Ser. 2. de S. Anto. Pſal. 134. & 118. c. 6. v. 15.*

29. *Pati pro Chriſto donum excellentiſſimum Dei.*

Quia vobis donatum eſt pro Chriſto (ideſt per gratiam Chriſti) non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini. Vide quomodo Paulus cum dono fidei quod à Deo habemus comparat pati pro illo, hocque majus ipſa fide prædicat, & meritò, quia per hoc conformes reddimur Chriſto pro nobis paſſo, & mercamur abundantiſſimam gloriam in Cœlo. *Ser. 4. plur. de Martyr.*

CAPUT II.

In hoc ſecundo capite Apoſtolus Philippenſes invitat ad ablegandam ambitionem, & ſchiſmata, ad amplexandam humilitatem, & charitatem exemplo Chriſti; & hortatur eos, ut veluti luminaria virtutibus, & bono exemplo præluceant.

30. *Concordiæ virtus quàm excellens, & utilis quàm pernicioſa diſcordia.*

Si qua ergo conſolatio in Chriſto, &c. impletè gaudium meum. Hæc ſcribit Apoſtolus: ſed in quo ſtat hæc impletio gaudii? implete gaudium meum, ait, ſcilicet quo me credendo cœpiſtis afficere, complete, & cumulate; in quo? ſubdit, ut idem ſapiatis eamdem charitatem habentes, unanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſcilicet facientes: Vide ex hoc quàm impensè Apoſtolus Chriſtianis commendet concordiam, & meritò; ea enim eſt omni muro firmius, & inexpugnabilius munimentum; hæc enim virtus concives, & compatriotas in eodem jure, & cohabitatione, & ſpontaneos conſervat, & metitur, cum ſit pars juſtitiæ ſuum unicuique tribuens, & conſiſtit præcipuè in conformitate voluntatum, & actionum, ob id eſt cauſa omnium bonorum temporalium, & ſpiritualium; eſt veluti ſymphonia, & chorus, quo fideles canunt laudes Deo, Angelis, & hominibus charas, ſicut è contra diſcordia fons omnium malorum, & cauſa omnis ruinæ. *Op. Cent. p. 3. ſect. 44 op. declarat. termin. Luc. c. 11. v. 17. c. 15. v. 26. ſer. 1. & 2. in Epiph.*

31. *Humilitas vera qualis.*

Sed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. Ecce quomodo charitas poteſt, & debet foveri, nempè humilitate, hæc enim eſt fundamentum omnium virtutum; ut autem intelligatur quomodo humilitas ſit tale fundamentum, ſciendum eſt, quòd perfecta beatitudo conſiſtit in cognitione ſummæ veritatis, in dilectione ſummæ bonitatis, & in fruitione æternæ jucunditatis, & ad hæc tria ordinant nos omnes virtutes, & ideò quantò quiſque magis fuerit, ordinatus in virtutibus, tantò magis capax erit ſupernæ beatitudinis; ſicut ergo charitas ordinat nos ad bonitatem, ita humilitas habet nos ordinare ad veritatem, quia eſt virtus, qua homo veriſſima cognitione ſui ſibimetipſi vileſcit: duo autem ſunt, quæ admonent nos, ut humiles ſimus, ſcilicet quod ſumus, & quod non ſumus: quod ſumus non habemus à nobis, nec ex meritis noſtris, & ideò non oportet nos extolli, quia alienæ poteſtatis eſt, & bonitatis quicquid boni ſumus, & habemus & inde ſolus ille extollendus eſt, cujus gratia ſumus id, quod ſumus; & hæc eſt humilitas ſanctorum, & magnorum, qui quantò majores ſe vident, tantò magis humiliant ſe in omnibus, quæ habent, totum reddentes illi, à quo totum habuerunt; ideò furti reus eſt, qui ſibi aliquid retinet de his, quæ ſibi commodata ſunt, invito Domino, qui profectum nobis libenter communicat in donis ſuis, ſed gloriam ſibi ſervat, dicens. *Iſa. 42. Gloriam meam alteri non dabo.* Quod autem non ſumus, ſimiliter nos docet humiliari, quia vana, & inanis gloria eſt extolli de eo, quod non eſt, veluti ſi lutum ſe glorietur eſſe aurum, & nanus jactet ſe eſſe gigantem, & mendicus credat ſe eſſe Regem & Æthiops nive candidiorem, hæc humilitas eſt pauperum, & imperfectorum, qui in comparatione ſublimitatis aliorum reſiliunt in ſe, & ex judicio veritatis ſibimetipſis vileſcunt; ſic Dominus nos cæcos natos, per noſtri ignorantiam illuminat, lutum undè facti ſumus, liniendo ſuper oculos noſtros, ut primò incipiamus nos ipſos agnoſcere, deinde ipſum illuminatorem noſtrum credendo proni adorare, *Opuſc. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 29.*

32. *Humilis verus proximum ſibi ſuperiorem agnoſcit, etiamſi ipſe ſit ſuperior dignitate conſtitutus.*

Sed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. Optimum quidem eſt hoc conſilium; ſed tamen videtur non poſſe amplecti à ſuperioribus, qui cum in dignitate ſint poſiti, non poſſunt ſubditos ſibi ſuperiores æſtimare; tum etiam, quia poteſt quis videre ſeipſum in donis, & gratiis alio ſuperiorem, vel proximum eſſe peſſimum, ſeque deteriorem; ſed attende ad hanc pulchertimam doctrinam, quia enim humilitas habet nos ordinare ad veritatem, ideò exercenda & reſpectu noſtri, & reſpectu proximi, & reſpectu Dei: reſpectu noſtri exercetur modo ſupradicto interius, & etiam exterius quoad mores, & geſtus, & verba, & obſequia, & officia; quoad proximum verò (quod eſt intentum principale Apoſtoli) primò meliores, & digniores proximos nobis reputando, non eos deſpiciendo, vel temerè judicando: ſecundo honore exteriori invicem prævenientes: tertiò patienter eorum infirma opera tolerare, & læſiones ſuſtinere, & bonum pro malo reddere; & hinc reſpond dubium primum circa ſuperiorum humilitatem, quòd quiſque debet ſe reputare inferiorem, & ſuperior ſubditum non quantùm ad officium, quod debet ſuſtinere cum vigore animi, ſed quantùm ad vitæ meritum, quia enim nemo ſcit quanti ſit meriti apud Deum, ideò debet in hoc ſe reputare inferiorem, nec cæteris ſanctiorem, vel digniorem, vel ſapientiorem, ſed viliorem; & obligatiorem in reddendo rationem pro ſe, & pro aliis; ex qua humilitate fit, ut ſuperior inter ſubditos debet eſſe quaſi unus ex illis communis in victu, in veſtitu, in labore, & in aliis exterioribus, & veluti miniſtrans in medio eorum, infirma eorum portando, & curando, & exemplo præeundo; & hinc etiam ad aliud dubium reſp. quòd quiſque ſuperiorem debet æſtimare proximum, etiamſi ſibi videatur deterior, & peccator; & hoc, quia nemo eſt, in quo Deus aliquod donum non impreſſerit, quo alios præcellit, & nobis ſuperior eſt, etiamſi bonum noſtrum eſſet, quo illo judicemur ſuperiores, occultum non ſit. *Lib.4. d.24.a.2. q.1. ad arg. op. de Prof. Religioſ.lib.2. cap. 30. ſequent. ſermon.4. Dom.10. Pentec. Luc. c 6.verſ.40.c.7.v.7.c. 9. v.48. op ſtim. p.3.c.8.& 10.*

33. *Humilitas in ordine ad Deum expenditur practicè.*

Sed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, &c. hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu. Si humilitatem in ordine ad proximum ſervare debemus, hoc totum debet ordinari ad Deum, cujus reſpectu præcipuè debet elucere noſtra humilitas; quod exequemur primò ſi ipſum eſſe Dominum, Deum, & Judicem noſtrum humiliter cognoſcamus, & ei in omnibus obediamus, ſicut ſervi Domino ſuo, & opus factori ſuo; & ſi peccaverimus, ut citò, & dignè pœniteamus, & ſatisfaciamus, & emendemus: ſecundò ut flagella ejus humiliter toleremus, & non murmuremus correpti, ſed juſtum judicium ejus commendemus, & nos dignos correptione agnoſcamus, & dicamus illud Mich. c.7. Iram Domini portabo, quoniam ipſi peccavi: tertiò ut de beneficiis ejus non extollamur, ſed agnoſcamus, quòd non pro merito noſtro, ſed potè pro ſua bonitate dilexit nos, & elegit nos, & vocavit nos, & juſtificat, & magnificavit nos; unde debemus ei gratias potè, & humiliter referre; & nihil nobis de bonis ejus aſcribere arrogando. *Op. de Prof. Relig. lib.2. cap.32.*

34. *Gradus humilitatis expenduntur.*

Sed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes. Nota, quòd tota ferè ſacra ſcriptura aliud non videtur reſonare auribus noſtris, niſi ut humiliemus animas noſtras coram Deo, & hominibus; cum enim ipſa ſit mater, & cuſtos virtutum, hinc oritur, quod ex defectu tantæ virtutis inopes gratiarum, & virtutum relinquimur à Deo; hujus autem gradus tres aſſignantur; primus eſt, ut homo ſe, quod eſt, vilem, infirmum, inopem, boni, vitioſum; peccatorem, & ſi quos alios defectus habeat, cognoſcat, & ſciat, & non mentiatur ſibi, eſſe ſe majorem, quacumque dignitate fulgeat, & non elevet ſe ſuprà ſe quaſi in ventum, vel ſuper alios inſolenter, nec vanas laudes hominum, vel honores quærat. & ſi aliquando delectat eum aliquod iſtorum, ſemetipſum redarguat, & caſtiget quaſi deceptum, & in quo veritas non ſit; ſecundus gradus eſt patienter tolerare contemptus aliorum, deſiderans pro veritate vilem agnoſci, vilipendens honores &c. tertius gradus eſt quando in magnis virtutibus & donis, & honoribus nihil extollitur, nihil ſibi ex hoc blanditur totum illi refundens, & in integrum reſtituens, à quo fluit omne bonum, & hæc eſt humilitas Chriſti, Beatæ Virginis Mariæ, Angelorum, Sanctorum, & Beatorum, virorumque perfectorum; talis eſt humilis non cogente neceſſitate (ut poteſt evenire in paupere, in ruſtico, ſi non magnus, ſed pauper agnoſcitur) ſed veritatis charitate. *Op. de Prof. Religioſ. lib.2.c 35.*

35. *Chriſtus exemplar humilitatis expoſitum.*

Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu. Quid ſibi vult hoc ſentire in Chriſto Jeſu? cur non dicit hoc videre, hoc facite, ſed ſentite? dicit non intelligite, ſed ſentite; ſcilicet in vobis diligite experimini, probate practicè, quod in Chriſto Jeſu, ſcilicet ſenſum, factum eſt, q.d. Inſpicite ad exemplar totius humilitatis Chriſtum Jeſum, & facite, quod ipſe fecit, q.d. Deus ſe humiliavit, & tu, qui miſerabilis homuncio es te exaltas? fugis humilitatem quaſi indecoram, & vilem? erras humilitas honorata eſt à Chriſto; inſigne Chriſti eſt, ergo te honorabit, quia hæc reddit hominem ſimilem Chriſto, unde non eſt verus diſcipulus Chriſti, qui ipſum non imitatur, nec vera imago, quæ non eſt ſimilis alteri. *Op. de Prof. Relig. lib.2.c.33. op. de perfect. vitæ c.6. Luc. cap.22. v.25.*

36. *Fortum*

by Google

36. *Furtum ſuperborum, & vanagloriosorum expenditur.*

Hoc ſentite, &c. quod & in Chriſto Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum, &c. Quid eſt non rapinam arbitratus eſt, &c. Nota, quòd rapina hæc eſt arrogantia, vel arrogantiæ effectus; rapere enim alterius gloriam, eſt eam ſibi arrogare; hinc dicitur, quod Chriſtus Jeſus cum eſſet in forma, & ſubſtantia Deus Patri æqualis, non rapinam arbitratus eſt, ſe arbitrando, & declarando Deum, non rapuit, non uſurpavit, quod ſuum non erat, ſcilicet æqualitatem Dei, ſicut faciunt ſuperbi, & vanagloriosi, qui ſibi uſurpantes gloriam Deo debitam fures ſiunt, & latrones, raptoreſque divinæ gloriæ invito Domino: talis raptor fuit Lucifer, talis Eva, & Adam, talis omnis ſe extollens de donis à Deo receptis. *Lib. 2. d. 12. a. 1. qu. 2. op. de Prof. Religioſ. lib. 2 c. 19. Luc. c. 23. v. 32.*

37. *Exinanitio Chriſti expenditur.*

Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Exinanivit ſemetipſum; quid eſt exinanivit ſeipſum? ergo evacuavit ſuæ magnitudinem divinitatis? reliquit ſuam magnificentiam? ſed optimè dicitur exinanitus ſcilicet evacuatus, qui erat plenus majeſtate, gloria, robore, atque adeò plenitudo totius entis, & ſe evacuavit, non quidem deponens ſuam altitudinem, plenitudinem, & majeſtatem, ſed induens formam ſervi, & ex omni quaſi ad nihilum ſe redegit factus ex Domino ſervus, ex Deo homo, & Creatore creatura, & cum nomen Creatoris ſit, Ego ſum, qui ſum, ſcilicet ens, & omnis entitatis oceanus, ſic è contrà creaturæ nomen eſt, Non ſum, quia ex ſe nihil eſt, & quod eſt, & habet, eſt à Deo, & in Deo; hinc factus ſervus, & homo exinanivit ſemetipſum, ex qua exinanitione patefacta eſt Dei potentia, ſapientia, & bonitas; quid enim potentius, quam conjungere extrema ſummè diſtantia in unam perſonam? quid ſapientiùs, & congruentius, quàm quod ad perfectionem univerſi fieret conjunctio primi, & ultimi ſcilicet Verbi Dei, quod eſt omnium principium, & humanæ naturæ, quæ fuit ultima omnium creaturarum? quid benevolentius, & melius, quàm quod Dominus propter ſervi ſalutem ſuſciperet ſervi formam? imò hoc tantæ benignitatis eſt, ut nihil clementius, nihil amicabilius, nihil benignius cogitari poſſit. *Op. Brevil. p. 4. c. 1.*

38. *Humanitas vera aſſumpta à Verbo, & quomodo.*

In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Si tantùm habuit ſimilitudinem hominum, ergo non veram ſubſtantiam? tum quia ſi habitu inventus eſt ut homo, cum habitus ſit ſchema, & ſpecies externa, ergo non verus; ſed apparens homo? ſed caveat nos Deus ab iſta blaſphemia, quæ fuit hæreſis Marcionis; | dicit igitur Apoſtolus Chriſtum apparuiſſe in ſimilitudinem hominum, ideſt non accidentalem, non apparentem, & phantaſticam, ut voluerunt Manichæi; ſed ſubſtantialem, qua omnes homines dicuntur ſimiles ſpecie, ſeu natura humana, quia ut homo fuit ejuſdem ſpeciei cum cæteris hominibus: dicitur autem habitu inventus ut homo: non ſumendo habitum hic pro habitu qualitativo accidentali, ſed ſubſtantiali; ſumitur autem meritò hic metaphora habitus, ex eo quòd Verbum non tranſiit, vel ſe transfiguravit in hominem, ut dixerunt Eutichiani; ſed habitu factus, cum indutus eſt hominem, quem ſibi uniens quodammodo, atque conformans immortalitati, æternitati, & divinitati ſociaret; ſicque veluti indutus veſte humanitatis apparuit ut homo, ideſt ſimilis cæteris hominibus verè, & ſubſtantialiter; &, in hoc apparet Dei bonitas, qui ſe hominem fecit ut nos homines filios Dei faceret, & nos exaltaret ad participationem divinitatis. *Lib. 3. d. 5. qu. ultim. & d. 6. a. 1. q. 3. & d. 2. a. 2. qu. 2. & d. 15. dub. 2. op. Brevil. p. 4. cap. 1. & ſeq. Pſal. 71.* Nota tamen, quod cum audis Verbum aſſumpſiſſe hominem, ne intelligas aſſumpſiſſe perſonam hominis, ſed tantùm animam, & corpus unita in individuo, non in, vel cum ſuppoſito proprio, quia loco ſuppoſiti proprii, adjunxit ſuppoſitum, & perſonalitatem Verbi, in qua unio hipoſtatica facta eſt. *Lib. 3. loc. cit.*

39. *Exinanitio Verbi iterum expenditur.*

Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, &c. Nota quod cum audis Verbum exinanitum fuiſſe ſe uniendo humanitati, ne credas terminatam fuiſſe exinanitionem hanc ſummam in prima unione, & conceptione facta in utero Virginis Mariæ; quia tum quidem fuit inchoata, ſimulque redacta ad ſummum apicem, ſed tamen ſemper in augmento fuit, & per totum tempus vitæ mortalis duravit: Rex enim Regum humani generis amore incitatus, cum ſuapte natura non eſſet capax, ſervili forma ſuſcepta ſemetipſum exinanivit, dejecitque, qui carnis commercium ignorabat, noſtri cauſa induitur, Verbum caro factum; qui dives in diverſorio gignitur, qui Cœlum nubibus tegit, faſciis involuitur, qui Rex erat in præſepè deponitur, ut ab homine, qui caro erat, & cognoſci poſſet, & amari, & imitari: qui immortalis erat, morti ſubjicitur; vita deguſtat mortem; omnium cæleſtium Rex, carnificum manus experiri non gravatur, & tandem hominis Filius eſſe voluit, ut nos filios Dei faceret; humiliavit ſe, ut nos erigeret, vulneratus eſt, ut nos ſanaret; ſervi formam induit, ut ad libertatem ſervientes extraheret, morti ſuſtinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet: ô qualis exinanitio! qualis bonitas, & charitas, quæ ab extremo altitudinis ad extremum dejectionis, humiliationis, & vilitatis Deum tranſtulit! *Op. medit. c. 15. Luc. cap. 9. v. 31. c. 13. v. 11. ſer. 1. Dom. infrà oct. Epiph. op. Diet. 17. c. 1. ſerm. 3. Dom. 4. Quadrag.*

40. *Exinanitio Chriſti nobis exemplar, & librum legendum, & imitandum exhibet.*

Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum, &c. & habitu, &c. Nota, ly *formam ſervi:* quid eſt forma ſervi? forma, & habitus, ideſt ſchema legit Græcus figura, & exemplar: & hic nota mirabilem ſapientiam Dei: Homo per peccatum receſſerat à principio potentiſſimo, ſapientiſſimo, & clementiſſimo, ideò corruerat in infirmitatem, ignorantiam, & malignitatem, factus de ſpirituali carnalis, animalis, & ſenſualis, ideóque ineptus ad divinam virtutem imitandam, ad lucem cognoſcendam, ad bonitatem diligendam; hinc ut ab iſto ſtatu repararetur, Verbum divinum ſe reddidit in carne, ut per carnem noſſibile, amabile, & imitabile; & hinc ſeipſum exemplar, & librum expoſuit in exercitiis virtutum, humilitatis, patientiæ, juſtitiæ, obedientiæ, ut ſic nos invitaret, & informaret ad culmen virtutum: Et hinc Apoſtolus in his verbis proponit pro libro exemplum vitæ Chriſti ad tranſcribendum & corrigendum librum cordis noſtri: proponit autem quatuor capitula hujus libri, in cordis noſtri codice tranſcribenda: primum eſt humilitatis inclinantis (humiliavit ſemetipſum:) ſecundum eſt obedientiæ ſubjugantis (factus obediens) tertium eſt perſeverantiæ coronantis (uſque ad mortem;) quartum pœnitentiæ crucifigentis (mortem autem crucis:) Et in hoc apparet mirabilis ſapientia Dei, & bonitas: cum enim homo eſſet animalis, & ſenſualis ideò non noverat, nec amabat, nec ſequebatur niſi proportionalia, & conſimilia; ideò ad ipſum eripiendum de hoc miſerabili ſtatu Verbum caro factum eſt, & ſubjectum tot paſſionibus exercitio virtutum ſublimiſſimarum, ut ſic ab homine, qui caro erat cognoſci, amari, & imitari poſſet; ac per hoc homo Deum cognoſcens, & amans, & imitans remediaretur à morbo peccati, & ad culmen virtutum imitatione talis exempli accenderet. *Op. Brevil. p. 4. c. 1. & 9. Pſal. 83. ep. Diet. append. ad Dom. Palm. lib. 3. d. 20. q. 3. Luc. c. 24 v. 26.*

41. *Exinanitio iterùm Chriſti expenditur ad exemplum noſtrum.*

Exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum, &c. Nota hoc verbum exinanivit: quid eſt exinanire, niſi ſeipſum veluti annihilare, ut nos vacuos repleret ſuis divitiis: exinanivit ſe per abſtinentiam ad ſuppeditandum vitium gulæ; exinanivit ſe omni gloria mundana ad ſuppeditandum vitium ſæcularis ambitionis; exinanivit ſe divitiis per paupertatem ſummam ad ſuppeditandam avaritiam mundanam: Chriſtus enim hæc omnia ſua exinanitione evaneſcere fecit, & in vanum à ſe ablata ejecit. *Ser. 2. Dom. 8. Quadrag.*

42. *Exinanitio mirabilis Chriſti facta in inſtitutione Euchariſtiæ expenditur.*

Exinanivit ſemetipſum. Nota, quod ex Græco legitur, *exhauſit ſe.* ſcilicet veluti effuſus, & diſtillatus tamquam aqua, ut dicitur *Pſal. 21.* Quænam eſt hæc exhauſtio, effuſio, ſeu diſtillatio facta à Chriſto de ſemetipſo? reſpondens S. Dioniſ. Alex. cum aliis SS. PP. quod hæc exinanitio facta eſt in inſtitutione Sacramenti Euchariſtici: Cum enim eſſet immenſus, infinitus, & à nobis incomprehenſibilis, ipſe ſe minoravit, exinanivit, ut poſſet à nobis parvulis capi, & ſumi ſecundum illud accipite, & dividite inter vos: ſed cur exinationis, exhauſtionis, effuſionis nomine exprimitur exhibitio ſacræ Euchariſtiæ? ut intelligamus Dei Filium hoc Sacramentum ità inſtituiſſe, ut in ipſo eſſet unio corporis, & animæ, & divinitatis, & ob id nobis parata confectio dulciſſima, per quam non tantùm in ſalutem, & utilitatem noſtram exinanitus eſſet, ſed etiam in delicias diſtillatus, ut quidquid in ſe dulce, ſuave, atque jucundum eſt, totum id humano guſtui, atque palato inſerviret. & hinc ſicut dicitur Chriſtus exinanitus in ſua Incarnatione, ſic etiam in inſtitutione hujus Sacramenti, quod eſt ſignificatio, & veluti renovatio Incarnationis, & in qua mirabiliter elucet ejus infinita charitas, & humilitas nos attrahens ad ipſum amandum, & imitandum. *Luc. c. 22. v. 19. lib. 4. d. 10. p. 1. a. 1. qu. ad 3. lib. 4. in Prol.*

43. *In exinanitione Verbi, Maria officina totam exhibit plenitudinem divinitatis, & ipſa tota repleta.*

Exinanivit ſemetipſum, id eſt, *evacuavit, exhauſit*, legit Græcus: ſi ſemetipſum exinanivit, in quale vas effuſa eſt tantæ majeſtatis plenitudo? Nota, quod hic ad litteram agit de Incarnatione Verbi; in qua evacuavit ſeipſum forma ſervi aſſumpta, non plenitudo imminuta eſt, ſed ut oſtenderet (ait S. Epiph.) à Cælo tranſevacuatam in humanam naturam, hoc eſt in officinam Mariæ, ita ut tota plenitudo divinitatis proderit in ſinum Mariæ; & ad hoc alludit illud verbum Dominus tecum; tecum ſcilicet non ſolùm ventrem, ſed & mentem Mariæ divina ſapientia cæpit, & integram domum tantus Dominus obtinuit, & replevit. *Op. ſpeculat. B. Virg. lect. 9. & 10.*

44. *Chriſtus ſe exinanivit factus omnibus communis.*

Exinanivit ſemetipſum; & ad quid? *formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo:* Nota ordinem verborum; formam ſervi accepit in hac exinanitione; ſimilitudinem hominum, non dicit unius hominis, ſed omnium hominum aſſumpſit; & deindè habitu inventus ut homo: à quo inventus: In quibus verbis ſumma Chriſti exinanitio, ſimulque charitas, & dignatio exprimitur; venit enim in mundũ cum eſſet Dominus omniũ, & ſeipſum ſervum ſuorum ſervorum, imò ſervorũ diaboli & abjectiſſimum, & deſpectiſſimum fecit,

fecit; & ideò dicitur in ſimilitudinem omnium hominum factus, ut omnium ſe Redemptorem, & Salvatorem exhiberet: & deindè dicitur inventus ut homo: Nota, quòd in ſcriptura legitur inventus in utero, ſcilicet à Joſeph, ab Elizabeth, & à Joanne Baptiſta; ergo cum omnes homines, vel ſint viri vel mulieres, vel pueri, & ab his tribus inventus ſit, patet quòd omnibus eſt communis, omnibus ſe exhibet ab omnibus poteſt inveniri. *Ser.6. in Nativit. ſer.1.de S.Nicol.op.medit.c.15.*

45. *Humilitas mater obedientiæ, & obedientia mater humilitatis.*

Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem. Nota hanc connexionem humilitatis, & obedientiæ: habent enim inter ſe ſtrictiſſimum fœdus parentelæ, mutuoque ſe ſe cauſant, contra id, quod dicunt Philoſophi, quòd cauſæ non poſſunt eſſe inter ſe invicem ſibi cauſæ: nam vera humilitas gignit tamquam propriam filiam obedientiam; & è contra obedientia gignit humilitatem; ſola enim humilitas eſt, quæ reddit vividam obedientiam, & hujus exercitium fovet ipſam humilitatem. *Op.Diat.tit.4.c.2.tit.7. c.1.op.de Prof. Religioſ. lib.2.c.41. de perfect. vitæ c12.Luc.c.18.n.10.*

46. *Chriſti inſignia humilitas, obedientia, paupertas, & pœnalitas.*

Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Nota iterum verborum vim: dicit Apoſtolus poſt enarratam exinanitionem, quam demonſtravit in Incarnatione, & deinceps, quòd humiliavit ſemetipſum; ad quid ſuperaddit explicans humiliationem Chriſti, ſi jam incluſa fuerat in enarrata exinanitione? ſed tamen optimo ordine proſequitur hanc narrationem de exinanitione Chriſti facta in Incarnatione, ad quam ſuperaddit demonſtrationem exteriorem dicens humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem; ut oſtenderet qualia ſint inſignia, quibus vixit Chriſtus, & ſe oſtendit Salvatorem, & Redemptorem hominum; & ad hoc etiam voluerunt alludere Angeli annunciantes Nativitatem Chriſti Paſtoribus; Hoc vobis ſignum; Invenietis infantem poſitum in præſepio pannis involutum. q.d. Inſignia regalia Chriſti Jeſu ſunt humilitas, paupertas, obedientia, pœnalitas, patientia, crux, vulnera, quibus proceſſit à puncto ſuæ Nativitatis uſque ad mortem, mortem autem crucis; & ideò rectè dicitur humiliavit ſemetipſum uſque ad Incarnationem, uſque ad diaboli tentationem, uſque ad populi deriſionem, uſque ad ſputa, ad vincula, & alapas, & flagella, uſque ad mortem, mortem autem crucis: addit autem hanc particulam, mortem autem crucis, ut indiceret, quòd in cruce facta fuit conſummatio omnium virtutum, quia in cruce aſcendit cum Chriſto ſumma humilitas, ſumma paupertas, ſumma auſteritas, ſumma bonitas, admiranda charitas, & ſtupenda æquitas; & dum in medium adducit mortem crucis, dat etiam intelligere, quòd ejus mors ignominioſitate fuit turpiſſima judicio crucifigentium, diuturnitate prolixa, & acerbitate amariſſima, ut nullus homo verecundetur crucem, ut Chriſtianus quilibet circumferat eam, ut coronam; & inſigne nobiliſſimum. *Ser.1.in dedicat.Luc.c.14.v.27.Ioan. collat.54.op. Brevil. p.4.c.9. Diat. tit.7. c.1.op.de Prof.Relig.lib.2.c.41.op. de perfect. vitæ c.2. ſer.2. de S.Cruce in addit.*

47. *Chriſti obedientia ſublimiſſima expenditur.*

Factus obediens uſque ad mortem &c. crucis &c. Ecce fructus humilitatis Chriſti, qui ipſum reduxit ad obediendum; factus obediens, ait Apoſtolus, ſcilicet à momento primo ſuæ conceptionis uſque ad mortem, mortem autem crucis; ut videas, quòd nihil fecit à ſeipſo, ſed omnia tamquam miſſus, ut juſſus, ut vocatus, & ductus: miſſus venit in mundum, ductus in deſertum, juſſus Paſſionem ſubiit; nihil ſibi retinens de iis, quæ propria voluntas in omnibus appetere conſuevit; ſe enim exinanivit ad plenum, obediens non ſolùm ad præcepta, ſed & ad omnia bona, & poſſibilia: & nota, quòd obedientia Chriſti fuit in ſupremo gradu; non enim contentus fuit obedire ex timore ſupplicii, & ad præcepta: (hic enim eſt infimus gradus obedientiæ eorum, qui in neceſſariis, & præceptis verè obediunt, in aliis verò tepidi ſunt:) nec ſolùm obediunt ſpe premii ad quæcumque minuta (hic enim eſt ſecundus gradus) ſed ejus obedientia fuit ex ſola dilectione Dei; quam executus eſt non ſolùm voluntariè, ſed cum gaudio, non ſolùm ad facilia, ſed & ad difficilia, & dura uſque ad mortem, mortem autem crucis, undè potiùs voluit perdere vitam, quàm obedientiam! ô confundantur Dei ſervi qui profitentes ſe viros ſpirituales, tamen multi ſunt, qui volunt Prælatos non ad præcipiendum, ſed potiùs ad ſerviendum, cum in multis Prælatis neceſſe ſit perquirere voluntatem, & inclinationes ſubditorum, ut ſe ipſis conforment in præcipiendo, & dicere convenit, quid vis, ut faciam tibi; iſti ſunt ſepulchra dealbata hypocritæ, plena oſſibus mortuorum hominibus exteriùs mortui, & boni Religioſi apparentes, & interiùs tumore ſuperbiæ inflati: ô fælices veri obedientes! qui verè Reges conſtituti ſunt etiam in hac vita, nam Deo ſervire regnare eſt, & omnibus creaturis dominari; & ideò obedientia ad ſtatum reducit innocentiæ, & nihil contrarium, niſi ad profectum animæ fuerit, moleſtare permittit; adverſa facit proſpera, & hominem adhuc in mortali corpore facit Angelice ſe habere; ô virtus mirabilis, quæ ſui facit hominem obliviſci, & in ſuum ſemper tendere Redemptorem, & in terris ambulantem facit in cæleſtibus habitare. *Pſal.147.op. Expoſ. Regulæ c.1.op.ſtim. p.3.c.11.op.Expoſ.Miſſæ c.1.op. Regula Novit.c.11. op ſpec.Diſcipl.p.1.c.4.op.de perfect. vitæ c.2. Luc. c.21.v.12.Ioan.collat.83.& 87.*

48. *Humilitas brevis via aſcendendi ad ſublimitatem cæleſtem.*

Propter quod & Deus exaltavit illum. Nota quid ſequitur ad humiliavit ſemetipſum factus obediens; propter quod ideſt propter hanc humiliationem, & humilem obedientiam Deus exaltavit illum: Dat per hoc nobis intelligere

Spiritus Sanctus, quòd humilitas eſt brevis via, qua humilis petit centrum directè, & à centro ad Cœlum; cum enim humilitas ad centrum petat, per conſequens vetat circulum, & ſpecialem circuitum, facit diametrum, & diametraliter pertranſit ſpatium, & ita rectiſſimè venit ad terminum, ſcilicet ad centrum, & à centro ad Cœlum; undè verum eſt, quòd verus humilis deſcendendo aſcendit, & Deo magis appropinquat, quia magis ad ipſum convertitur, ſicut ſuperbus magis aſcendendo avertitur à Deo; hinc eſt quòd cum Chriſtus ſuper omnes ſe humiliaverit, etiam ſuper omnes exaltatus eſt. *Op. Dist. tit. 7. c. 1. Luc. c. 14. v. 11. ſer. 3. Aſcenſ. ſer. 3. de uno Confeſſ. lib. 3. d. 21. a. 1. qu. 4. ad ult.*

49. *Humilitas annihilando bona opera, ipſa ſublimia, & maxima reddit.*

Propter quod & Deus exaltavit illum. Nota, quòd hic textus coincidit cum alia Chriſti ſententia. *Luc. c. 14 qui ſe humiliat exaltabitur*, ideſt qui ſe in omnibus, & per omnia humiliat, & annihilat, ſimulque etiam ſua opera; & iſte ad ſublimia exaltabitur; ſed hic occurrit dubium: dicitur communiter à SS. PP. quòd quis quantum intendit tantum facit, ergo quis quantò eſt humilior, tantò minus boni credit ſe habere, ſed intentio ſequitur credulitatem, quia fides dirigit intentionem; ergo quantò quis erit humilior, tantò minus bonum intendit facere; ergo ſi bonitas operis menſuratur penes quantitatem intentionis, ergo ejus opus erit minus bonum, quo quis eſt humilior? cur ergo tam laudatur humilitas, & prædicatur, & ſuadetur? ſed tamen in hoc patefit mirabilis virtus humilitatis, quæ deſtruendo ædificat, deſcendendo exaltat; verum quidem eſt, quod verus humilis parum ſe credit facere operando bonum, aſpiciens ad ſuam nihilitatem, & nihil ſe, & ſua æſtimans; ſed tamen ſe ſubjiciendo totaliter virtuti Dei ex majori virtute meretur ad operandum bonum, & cum hinc maximæ bonitatis ſit ejus intentio, etiam ad maximum meritum exaltatur. *Lib. 2. d. 40. a. 1. qu. 2. ad ult.*

50. *Chriſti exaltatio expenditur: Ubi de merito Chriſti.*

Propter quod & Deus exaltavit illum. Nota ly propter quod: indicat enim rationem cauſalem, & videtur dicere, quòd Chriſtus per humiliatem & obedientiam meruit ſibi exaltationem; & tamen contra id eſt, quod communiter aſſeritur à Theologis, quòd Chriſtus ſibi non meruit, ſed nobis, non enim meruit habitum gratiæ ſanctificantis, nec unionis, nec glorificationis, quia anima creata fuit cum omnibus iſtis habitibus, & quia ratione unionis omnia iſta gratuita illi debebantur: quomodo ergo dicitur propter quod ſcilicet ob ejus opera pœnas, & Paſſionem Deus exaltavit illum? Reſp. quod mereri aliquid, vel eſt de indebito facere debitum, ut eſt in nobis, non in Chriſto reſpectu ſui cui omnia dona debita fuerunt, fuit tamen reſpectu noſtri: vel eſt de debito facere magis debitum alio modo, ut contingit in profectu bonorum operum: tertiò de debito uno modo facere debitum alio modo, ut de debito per habitum facere debitum per uſum, vel de debito per unum actum facere debitum per alium æquè bonum: Chriſtus autem omnibus his modis nobis meruit, ſed ſibi tantum tertio modo, hocque fuit quoad corporis glorificationem, & ſui nominis exaltationem, dum enim nobis merebatur faciebat opus Deo placentiſſimum, & ità remunerabile ſecundùm aliquam partem gloriæ, & cum remunerari non poſſet quantùm ad ſtolam primam; ſed quantum ad ſtolam ſecundam ſcilicet corporis, merebatur utique ſui corporis glorificationem; v.g. quantùm ad acceleracionem, & ſui nominis exaltationem: *lib. 3. d. 18. dub. 3.* & per totam diſt. ſed præcipuè *qu. 2. ep. Comp. Theol. lib. 4. c. 16.* Nota, quod hic diſquirunt Theologi quomodo poſſet mereri Chriſtus, cum eſſet ejus potentia determinata ad opus bonum, & hoc ei à Patre præceptum? Reſp. S. Bon. quod fuit quidem determinata potentia non per neceſſitatem naturæ, ſed per confirmationem gratiæ, & plenitudinem charitatis; & à Patre præceptum fuit opus Redemptionis noſtræ, ſed cum optione eligendi ſibi modum talis Redemptionis: Chriſtus verò ad perfectiorem obedientiam, & oſtenſionem charitatis, elegit eam non ſolùm in carne paſſibili, ſed & per mortem ignominioſiſſimam crucis. *S. Bon. ſic.*

51. *Quomodo dicitur Chriſto datum nomen divinum, quod prius habebat.*

Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Quomodo dicitur datum illi nomen divinum cum illud haberet? etſi dicitur quoad humanitatem, quomodo poteſt hoc ſubſiſtere, cum nomen Dei, vel divinum ſit incommunicabile? ſed reſp. quod Chriſtus ut Deus non recepit novum nomen, ſed ut homo, cui communicatum eſt nomen Dei, vel nomen Jeſu ratione unionis hipoſtaticæ; datum eſt illi in natura humana, quod prius habebat in divina, & hoc ulterius datum dicitur, quia exaltatum, ſcilicet manifeſtatum toti mundo. *Sap. c. 14.*

52. *Ad proportionem laborum, & humiliationis Chriſtus exaltatus eſt ad inſtructionem noſtram.*

Propter quod & Deus exaltavit illum, &c. Nota illam cauſalem, *propter quod*, ſcilicet propter laborem humiliationem, exinanitionem, & obedientiam Chriſti uſque ad mortem crucis Deus exaltavit illum, ſcilicet quia de Cœlo ſupremo deſcendit, & exinanitus eſt infrà omnes creaturas, ideò Deus exaltavit illum ſuper omnes; per quod oſtendit quale meritum ſibi Chriſtus acquiſivit, nempè Reſurrectionem corporis, dotes glorioſas ejuſdem corporis, evehi ſuper omnes ſanctos, & Angelos; & ſeſſionem ad dexteram, poteſtatem judiciariam, & dominium ſuper omnes creaturas: ut nobis exhiberet exemplum, quod ſine meritis non poteſt evehi homo ad Cœli exaltationem, & quod qualis erit aſſumptio noſtra humiliationis, laborum, & pœnitentiæ, talis erit exaltatio, quam expectare debemus in alia vita. *Ser. 2. Dom. 3. Adv. ſer. 2. in Nativ. Luc. c. 21. v. 29.*

3. *Nomen*

Digitized by Google

53. *Nomen Ieſus datum eſt Chriſto in præmium ſuorum laborum, ejuſque virtus qualis.*

Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen Quale eſt hoc nomen ſuper omne nomen? ecce quale; ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, &c. Ergo nomen Jeſus titulus eſt ſalvatoris, & Redemptoris, quem per humilitatem, & obedientiam uſque ad mortem meruit, & recepit, quia per mortem crucis factus eſt ſalvator mundi: licet enim in circumciſione nomen Ieſu ſit illi impoſitum, non tamen tunc actu proprio, & perfecto fuit ſalvator, ſed tantùm deſtinatione, & inchoatione, tunc enim deſtinatum, & declaratum fuit illum fore ſalvatorem mundi, quando nimirum pretium ſanguinis pro ſalute mundi in cruce perſolveret; ideò prætendebat in eo rem futuram; in cruce ergo conſummavit Chriſtus ſalutem, ac per hoc in cruce factus eſt ſalvator actu perfecto, indeque nomen, & titulum Ieſu accepit, ut omnes eum celebrent, nominent, invocent tamquam Ieſum, ideſt ſalvatorem, & conſequenter tamquam verum Deum, Deique Filium, ac Meſſiam Patribus promiſſum, quæ omnia includit nomen Ieſu, ac per hoc non eſt nomen putum, ſed & rem ſignificatam, & connotatam ſignificat, & conſequenter eſt ſuper omne nomen, cætera omnia virtute continens, & ob id adorabile eadem adoratione, qua ipſe Chriſtus; undè ſubdit. *Ut in nomine Ieſu omne genu flectatur. opuſc. Expoſ. Miſſæ c. 3. Luc. c. 2. v. 21. c. 4. v. 29. c. 8. v. 28. c. 9. v. 49 ſer. 2. de decem præcep. lib. 3. d. 10. a. 2. q. 1. in fund. Ioan. collat. 65. op. medit. c. 100.*

54. *Virtus ſanctiſſimi nominis Ieſu demonſtrat imperium univerſale Chriſti ſuper totum mundum, & creaturas.*

Dedit illi nomen, &c. ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus, &c. Ad quid ſubdit Apoſtolus, quòd in nomine Ieſu omne genu flectitur? hoc eſt, ut agnoſcatur ex virtute hujus nominis imperium Chriſti ſuper omnes creaturas; & ideò quando miſit Apoſtolos per totum mundum dedit eis poteſtatem, ut in nomine Jeſu imperarent omnibus creaturis, & morbis, & per hoc conſtat ipſius dominium univerſale, ad quod fuit exaltatum. *Op. lignum vitæ tit. Ieſus orbis Prælatus.*

55. *Tota vita Chriſti, & maximè Paſſio eſt exemplar nos excitans ad ipſius imitationem.*

Itaque chariſſimi mei, &c. cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini. Nota illam vocem (*itaque*) connectit enim hæc cum præcedentibus. q. d. hortatus ſum vos ad fugam diſcordiæ, & contentionis, ad humilitatem, & obedientiam, & concordiam; propoſui vobis humilitatem, obedientiam, labores, paſſiones, & mortem Chriſti in cruce, ejuſque finalem exaltationem, ut hoc ſit vobis exemplar, & hinc addiſcatis, quid agere debeatis, & quod cum metu, & tremore veſtram ſalutem operari debetis, ſcilicet humiliter, obedienter, & ſollicitè. *Op. Brevil. p. 4. c. 9. Pſ. 83. ſerm. 1. Dom. 1. Quadrag. ſer. 3. Dom. 16. Pent.*

55. *Opera bona libera nobis ſunt neceſſaria ad ſalutem.*

Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini. Ecce, quòd Apoſtolus contra Calvinum ſtabilit hanc maximam Chriſtianam, non ſolam fidem ſalvare hominem, ſed neceſſaria eſſe bona opera; & hæc ſita eſſe in libertate noſtra, ſuppoſito auxilio Dei ſupernaturali; ſed quid eſt cum metu, & tremore, & non potiùs cum amore, & gaudio? hoc dicit, quia initium ſapientiæ eſt timor Domini, tum ob incertitudinem gratiæ, nemo enim eſt certus, an ſit in gratia, non enim videmus fundum animæ, an in eo ſit peccatum, vel gratia: tum quia alia ſunt judicia Dei, alia hominum; tum quia in homine eſt peccandi perpetuum periculum, & tandem incertitudo noſtræ perſeverantiæ. *Lib. 3. d. 40. a. 1. q. 1. Luc. c. 8. v. 47. c. 13. v. 23. ſerm. 9. Hexam. Pſ. 118. c. 7. v. 11.*

56. *Quomodo dicitur Deus operari in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.*

Deus eſt, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate. Nota ſupra tradita, *Operamini veſtram ſalutem.* & connecte cum iſtis. *Deus eſt, qui operatur in vobis velle, & perficere*, & cogita quomodo ſimul ſubſiſtere poſſint: quomodo inquàm poteſt homo operari ſalutem ſuam, ſi hoc ſpectat ad Deum, ſcilicet immittere, & veluti in nobis imprimere actus bonos? & ſic ſtantibus, quomodo ſubſiſtit in nobis liberum arbitrium? Calvinus ut ſe extricaret ab omni difficultate, & remorſu conſcientiæ, & ut ablegaret omnem pietatem Chriſtianam, incidit in ſcopulum maledictum dicens quod Deus aufert liberum arbitrium: & quòd ipſe eſt, qui in nobis facit totum vel bonum, vel malum, noſque in hoc tantùm merè paſſivè habere; impiiſſimum, & diabolicum aſſertum: Prædeterminantes Theologi dicunt Deum phiſicè prædeterminare voluntatem ad actum volendi, ita tamen prædeterminando infailibiliter movet ad operandum, liberè tamen; & hoc inferunt ex verbo Græco, *operatur, inoperatur*, legit Græcus, ideſt per interiorem ſuam vim, & efficaciam: primum aſſertum Hæreticorum eſt impiiſſimum; ſecundum dictum eſt plenum ſcopulis, & difficultatibus inextricabilibus, ut patet apud Theologos in materia de prædeſtinatione, ex eo maximè, quia ſemper homo eſt in vera, & reali facultate eligendi, & faciendi bonum, & malum. Unde dicendum cum Seraph. Doct. quod dicitur Deus in nobis operari velle, & perficere in ordine ad ſalutem quatenùs nos ſua gratia prævenit, & excitat, & hinc concomitatione concurrit, & comitatur noſtrum velle, & adjuvat, ut liberè voluntas velit, & perficiat opera ſuæ ſalutis; & hinc Apoſtolus intendit nos ſuadere ad actus humilitatis, ut Deus nobis conferat ſuam gratiam, & perficiat uſque ad finem noſtram ſalutem in nobis operantibus. *Lib. 1. d. 18. a. 1. q. 1. op. de ſex Alis Seraph. c. 8. Pſ. 118. c. 1. v. 5. Pſ. 139. Eccleſ. c. 12. Luc. c. 14. v. 8. c. 17. v. 9. c. 19. v. 26.*

§ 7. *Chriſti*

vete: ſed quid eſt, quod obſervandum, & cavendum à Dei ſervis? Videte vos, qui Deo ſervitis, qui ad Dei aſpectum perpetuum ambulatis: Videte primò intra vos, deinde extra vos; videte, & cavete ab hoſtibus, qui intra vos manent, ne vos impugnent; & extra vos videte proximum veſtrum peccantem, ut pro eorum ſalute Deum oretis, ſed tamen cavete ab eorum converſatione, cavete à ſocietate malorum operariorum ſcandalizantium proximum, à concisione, à rixantibus, & pacem, & concordiam lacerantibus, ne cum iſtis commiſceámini. *Ser. 6. de Apoſtol.*

64. *Mundani confidunt in ſe ipſis, juſti ſolùm in Deo.*

Nos ſumus circumciſio, qui ſpiritu, ſervimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne fiduciam habentes. Nota 1y nos ſumus circumciſio, &c. ut oſtendat, quòd ſoli juſti verè circumciſi ſunt, qui Deo in ſpiritu ſerviunt totam fiduciam in Chriſto Ieſu habentes; non in carne, non in mundo, non in divitiis; ſicut è contra mundani in ſe ipſis, in divitiis, in dignitatibus, in poteſtatibus terrenis totam ſuam ſpem retinent, & ideò decepti remanent. *Ioan. ſollat. 74.*

65. *Perfectio legis Evangelicæ ſuper Moſaycam expenditur.*

Quæ mihi fuerunt lucra hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta, verumtamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei. Nota quòd Apoſtolus Paulus poſtquam profeſſionem ſuam Phariſæorum in Judaiſmo oſtendit, & eam laudavit ſtatim ſubdit, quòd iſta; licet ipſi lucrum attulerint, tamen omnia non lucrum, ſed detrimenta reputavit. q. d. quòd ſim circumciſus, quòd ſim ex genere Iſrael, quòd de tribu Benjamin, quòd Phariſæus, quòd legis Zelotes, quòd juſtitiam in dies ex legis obſervatione aucupans veluti mercator in pretio omnia iſta haberem; tamen poſtquam Chriſti Evangelii veritatem, & dignitatem agnovi, jam præ Chriſto, & propter Chriſtum habeo ut nullius pretii; imò ut damna, & detrimenta, & impedimenta veritatis, & ſalutis à Chriſto peteipiendæ. Per quæ oſtendit quàm præcellat lex Evangelica legem Moſaycam; licèt enim hæc ordinaret ad lucrum ſalutis animas, tamen erat lex timoris, & inferioris conditionis: & poſt publicationem Evangelii nullius valoris; & hoc tum ratione præceptorum quoad numerum, & onera, & difficultates, tum ratione affectionum moventium, quia lex Moſayca erat timoris, lex Evangelica amoris allevianti: tùm ratione Sacramentorum quia illa ſacramenta habebant multum ponderis, & parum de efficacia virtutis: iſta verò parvam difficultatem, & maximam efficaciam. *Lib. 3. d. 40. a. 1. pr. ſecund.*

66. *Mundana bona ſunt ſtercora putridâ, & quiſquilia nullius valoris.*

Hæc arbitratus ſum ut ſtercora. Græcus legit, *excrementa, quiſquilias.* Ad litteram loquitur de legalibus cæremoniis, appellatque ſtercora, contaminantia, & conſpurcantia; móraliter hoc dicit de bonis terrenis; & meritò, quia omnia reducuntur ad iſta tria, ad laſciviam carnis, ad divitias mundanas, ad excellentiam honoris, ſecundùm illud 1. Ioan. c. 2. omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, ſcilicet faciens lubricos, & luxuriosos, aut concupiſcentia oculorum, ſcilicet faciens avaros, & pecunioſos, & divites; aut ſuperbia vitæ, ſcilicet faciens magnificos, & ambitioſos, ex quibus pullulant omnia genera peccatorum, in quâ conſtitit totum gaudium mundanum, ſed omnia iſta ſunt ſtercora, quia delectationes carnales depravant, & contaminant naturam propriam, & brutis animalibus reddunt ſimiles homines, quibus non eſt intellectus, eo quòd in eis pervertitur ordo naturalis, quando cogunt ſpiritum ancillari, & carnem dominari. & ad ſimilitudinem porci non intendunt niſi ad paſcendam carnem: ſecundò divitiæ terrenæ pervertunt animum à cœleſtibus, & in terra affigere cor faciunt obligando ad pœnam æternam, præponendo creaturam temporalem æterno Creatori; tertiò honores, & excellentiæ mundanæ habent delectationem momentaneam, & earum finis eſt interitus perpetuus, & ideò meritò appellantur omnia iſta bona ſtercora, & quiſquiliæ nullius valoris. *Ser. 3. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ. Pſ. 112. Luc. c. 19. v. 36. ſer. 3. Dom. Quinquag. ſer. 4. Dom. 3 poſt oct. Epiph.*

67. *Alii à veris deliciis tranſeunt ad ſtercora, & in eis ſepeliuntur. Alii à ſtercore ſublevant ſe ad cœleſtia.*

Omnia detrimentum feci & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Ecce diſcrimen inter ſervientes Deo, & Mundo; qui Deo ſerviunt, ut Apoſtolus à ſtercoribus mundanis ſublevant ſe ad delicias Chriſti amplexandas; qui mundo ſerviunt à deliciis cœleſtibus ſe præcipitant in ſtercora mundana, in delicias carnis, in vanitates ſæculi, ibique ſe ſepeliunt torquendi in æternum. *Thren. c. 4. ſer. 1. de una Dolt.*

68. *Terrena renuntians ſit Dominus totius mundi: terrena deſiderans ſervus, & captivus ſit omnium creaturarum.*

Et arbitror omnia ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Cur ô beate Apoſtole iſta omnia, cum ſint à Deo ad noſtrum uſum creata, & creaturæ Dei, arbitraris ut ſtercora? nonnè ut bona è manu Dei deſcendentia ab ipſo declarata ſunt? ſunt quidem bona bonis, mala malis: & quomodo bona, ſimul & mala poſſunt dici iſta creata bona? ſunt mala malis propter hoc, quod qui vult in his creaturis oblectari Deo relicto, & ab eis quietem, vel beatitudinem, vel perfectionem, quam non habent de ſe, obtinere appetit, ipſis ſubjicitur, & ſervus, captivuſque miſerabilis fit omnium creaturarum: ſunt bona bonis, ſcilicet illi, qui ſic omnia vilipendit, ut nihil terrenum per amorem inquietum contingat; tunc omnia ſub pedibus ſibi ſubjicit, ſicque Dominus omnium fit; ergo optimè Paulus dixit omnia arbitror ut ſtercora propter Chriſtum, propter ejus amorem, & immediatam ſubjectionem, & tali pacto ipſe; & cæteri Apoſtoli Principes terræ vocati ſunt. *Op. myſt. Theol. c. 3. p. 1.*

69. *Amor, & dilectio Chriſti abjicit à ſe omnem cupiditatem, & amorem terrenorum.*

Et arbitror omnia ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Quid eſt ut Chriſtum lucrifaciam? quomodo poteſt lucrifieri Chriſtus? hoc poteſt ſolùm dilectione, & perfecta charitate; & hæc ſolùm impeditur per cupiditatem terrenorum, quæ eſt ipſius venenum, & nutrimentum ipſius eſt imminutio cupiditatis, undè ejus perfectio eſt ablatio omnis cupiditatis; hinc meritò Apoſtolus abjiciens omnia terrena, eaque vilipendens ut ſtercora ſe diſpoſuit ad perfectam charitatem, per quam Chriſtum lucrifecit; hinc & patet, quod pro poſſidendo Chriſtum omnia perdenda ſunt, eo quod renunciatio talis eſt effectus, & ſignum perfectæ charitatis. *Op. de ſeptem itin. ætern. itin. 4. d. 4. a. 3. ſer. 3. Dom. 17. Pentec. op. Diæt. tit. 5. c. 5.*

70. *Configuratio ad ſimilitudinem Chriſti crucifixi neceſſaria ad beatitudinem conſequendam.*

Ut Chriſtum lucrifaciam, & inveniar in illo, ſcilicet in Chriſto, *ideſt fide & gratia: configuratus morti ejus, ideſt Chriſto patienti, crucifixo, & morienti ſi quo modo occurram ad reſurrectionem, &c.* Vide qualiter Apoſtolus ſe præparabat ad occurrendum Chriſto, & abipſo obtinendum divitias gloriæ ſuæ nempè configurando ſe Chriſto patienti, morienti, & crucifixo: ſed quæritur in quo ſtat iſta configuratio? ſed audi ſponſam Canticorum dicentem; Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus, caput ejus aureum optimum, comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi corvus. *Cant. c. 5.* ubi vides hic triplicem colorem Chriſti, ſcilicet candoris, rubedinis, & nigredinis; quia Chriſtus candidus eſt puritate, rubicundus charitate, & niger humilitate, & Paſſione; debet ergo anima conformari ſe Chriſto in hoc triplici colore, ut ſit imago Chriſti, candida per puritatem in converſatione; rubicunda per charitatem, prompta etiam ad effuſionem ſanguinis pro Chriſto, & nigra per humilitatem, & contemptum ſui, per mortificationem tum propriam, tum ab aliis illatam; & ideò quanto apud nos ſumus nigri, tantò apud Deum erimus formoſi, & tantò prétioſiores erimus apud Deum, quantò ante oculos noſtros erimus deſpectiores; ſic & Seraph. Pater Franciſcus Chriſto perfectè in tota ſua vita crucifixo configuratus, & conformis fuit, vivens enim Chriſto viventi, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta imitatione conformis, & expreſſa ſimilitudine promeruit decorari. *Ser. 4. Dom. 22. Pent. op. Incend. c. 3. ubi de imitationis, & configurationis ad Chriſtum gradibus. op. legenda S. Franciſci c. 14.*

71. *Qui à Chriſto comprehenditur debet currere poſt ipſum, ut eumdem comprehendat.*

Sequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Jeſu. Quid eſt, quòd dicit Apoſtolus de ſeipſo? quomodo cum comprehenſus, vel apprehenſus fuerit à Chriſto omnem ſuum conatum, & ſtudium adhibuit, ut & ipſe Chriſtum ipſum ſimili modo comprehendat? ſed nota verba, & ſigna myſteria. Notent hæc verba pœnitentes, & converſi, & ponderent hoc Dei beneficium, quo eos peccatis, & ſordibus deditos, à ſe averſos, ſeque fugientes inſecutus eſt per vias perditionis, per quas præcipitanter currebant, & apprehendit, ad ſe retrahens & in viam gratiæ, & ſalutis reducens, atque cum Paulo, & Magdalena, & ſponſa in Canticis errante ſponſum ita ſe diligentem agnoſcant, cum per vias, & plateas requirant, inſectentur, ut tantum eum jam diligant, quantum antea oderant; Ecce quid nobis à Chriſto vocatis ad fidem, ad pœnitentiam, ad Religionem faciendum eſt; non enim ſufficit, ut comprehenſi ſimus à Chriſto per vias perditionis jam errantes, niſi & nos ipſum ſequamur, & exonerati peccatis, & curis hujus ſæculi cum Apoſtolo poſt odorem ipſius curramus, ut ipſum, ſcilicet ejus gratiam, perfectionem, amorem, & charitatem comprehendamus; undè Apoſtolus ſubdit, quæ retrò ſunt obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, ideſt à fronte, extendens meipſum, id deſtinatum perſequor bravium ſupernæ vocationis: ô felices tales currentes à Chriſto comprehenſi, & Chriſtum comprehendentes. *Luc. c. 18. v. 28. c. 9. ad finem. lib. 3 d. 14. a. 1. q. 2. ad 6. ſer. 2. Henam.*

72. *In Dei ſervitio nullus in hac vita eſt perfectionis terminus.*

Ego me non arbitror comprehendiſſe; unum autem quæ quidem retro ſum, obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens me ipſum. Notent hæc verba Apoſtoli omnes, qui perfectionis ſtadium profitentur, nam cum ſublimatus eſſet ad altiſſimam perfectionem, tamen ſe proteſtatur non perveniſſe ad meram perfectionis, ſed totum conatum ſuum collocaſſe in proſequendo curſum ipſius: & meritò, nam in hac vita mortali perfectionis nullus eſt terminus, ſed ſemper facto quocumque curſu ulteriora remanent conſequenda per exercitia virtutum, donec perveniatur ad ſtatum gloriæ, in quo ſolo anima invenit requiem: *Op. ſtim. p. 3. c. 4. op. de ſeptem donis. c. 6. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 73. ſer. 1. de S. Matthæo in addit.*

73. *In Dei ſervitio alii indigent impellente ad interiora, alii nequaquam.*

Quæ quidem retrò ſunt obliviſcens; ad ea verò, quæ ſunt priora extendens meipſum. Nota illam particulam (meipſum) ſcilicet meipſo impoſitum mihi faciens curro per viam perfectionis; per hoc que datur intelligi, quod in Dei ſervitio alii indigent magiſtro docente, dirigente, & impellente ad anteriora, & hoc per varias occupationes, exercitia, & correctiones; Alii verò non indigent tali magiſtro, & hi ſunt, qui in ſcientia myſtica ſunt illuminati, quod nihil errent in his, quæ ſcire eos neceſſariò oportet, & qui decipi non poſſint à Dæmone, ſimulque cum ſcientia devotionis fervore ita ſunt repleti, quod ſine alterius impulſu, noverint ſeipſos ad omne virtutis exercitium fideliter extendere, prout fuerit ſemper optimum. *Op. de Sex Alis Seraph. c. 1. & 2.*

74. *Juſti ad anteriora ſe extendunt, Impii, & reprobi ad ea, quæ ſunt retrò.*

Quæ quidem ſunt retrò obliviſcens, &c. Vide quale diſcrimen reproborum, & Dei amicorum; reprobi ad ea, quæ retrò reſpiciunt, qui recidivi redeunt ad priſtinam converſationem, quibus melius erat (ait S.Petr.) non agnoviſſe viam veritatis, iſti abeunt in ſuas voluptates, ob idque indigni regno Dei; Juſti, & prædeſtinati cum Paulo Apoſtolo, quæ retro ſunt obliti ad ulteriora, & anteriora procedunt progredientes de virtute in virtutem, donec perveniant ad Cœlum. *Luc.c.9. ad finem.c.17.v.13. Joan.c.6.v.67. op ſtim.p.3.c.4.*

75. *Currens in ſtadio perfectionis obliviſci debet præterita, & ad anteriora inhiare.*

Quæ retrò ſunt obliviſcens. Quomodo quæ retrò ſunt oblitus erat Apoſtolus; nonnè ſæpè refricabat ſua peccata, & perſecutiones moras contra Eccleſiam? ſed attende, quod loquitur hic de curſu, & itinere perfectionis, & ob id de operibus bonis, hæc autem jam facta non conſiderabat, ſed veluti oblitus ad ulteriora cogitabat, ſicuti qui in ſtadio currunt, non reſpectant quantum ſtadii tranſierint, ſed quantum ſuperſit ad metam, eoque toto conatu, impetu, ac curſu recto feruntur. Et hoc eſt, quod dicebat Seraph.P.S.Franc. in fine vitæ: nunc incipio benefacere, fratres incipiamus, & perficiamus, quia nunc uſque parum profecimus; & hoc eſt, quod dixit Chriſtus, qui vult me ſequi tollat crucem ſuam quotidiè, quia quæ retrò ſunt oportet obliviſci, & pœnitentia crucis quotidie debet eſſe nova, & recens; & dicat ſemper, Et dixi nunc cœpi. *Luc.c.9.v.23.*

76. *Chriſtus Jeſus meta, & bravium eſt juſtorum vocationis.*

Ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſuperne vocationis Dei in Chriſto Jeſu. Quale eſt hoc bravium vocationis ſupernæ, ad quod tam ſollicitè currebat Apoſtolus? ecce quale; in Chriſto Jeſu; Chriſtus enim venerat ad currendam hanc viam mortalem, ut nos præcederet, & ſuo curſu nos invitaret ad ſimilem curſum, & ſeipſum propoſuit pro bravio, & præmio, ut ad ipſius poſſeſſionem inhiaret homo, in quo ſtat ſumma præmii æterni. *Op.Brevil.p.4.c.4.*

77. *Quis inter Chriſtianos ſit perfectus curſor in hoc ſtadio perfectionis.*

Quicumque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus, & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit, verumtamen ad quod pervenimus ut idem ſapiamus, in eadem permaneamus regula. Ecce quomodo Apoſtolus omnes, ideſt tendentes ad perfectionem invitat ad curſum in ſtadio ipſius, ſcilicet ut idem ſapiant, idem faciant, quod ipſe Paulus, & ante Paulum Chriſtus Jeſus; & ad hoc faciendum ait hoc ſentiamus, ſcilicet cogitemus quàm perfecti ſimus. & perquiramus ut curſores de via mandatorum, & ſemita conſiliorum, quomodo in ipſa via currimus, qualem præparationem habeamus, an ſcilicet curſoris perfecti conditiones neceſſarias poſſideamus; perfectus autem Dei curſor levis, velox, & cautus eſſe debet; levis temporalia relinquendo, quia oneratus non poteſt ſequi Chriſtum currentem. & ideò paupertas levem facit hominem; cui humilitas modicitatem, ut lateat, & patientia fortitudinem, ut reſiſtat, addit; velox inſtanter proficiendo, cautus lapſus cavendo. *Serm. 3. de S.Anton.in addit.*

78. *Prælati ſint forma ſubditorum.*

Imitatores mei eſtote, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Legit Græcus: *coimitatores mei eſtote*, ideſt cum aliis; qui me imitantur, & vos ô fideles me imitamini, habetis enim formam noſtram, ideſt, ut legit Græcus, *Typum, & exemplar nos; vel nos habetis pro forma, & exemplari, ut ſic & vos efformamini.* Dat per hoc intelligere Apoſtolus ex ſeipſo obligationes Prælatorum, qui ſunt veluti Cœli, ſcilicet informativi inferiorum, & contentivi virtualiter ipſorum; quia ſecundùm varias corporum impreſſiones figurantur, & formantur ſpecies inferiores: Prælati ergo debent eſſe forma informantes ipſos primò in doctrina veritatis, ne ſint cæci, & ut cæci duces cæcorum omnes in præcipitium incedentes: ſecundò in munditia caſtitatis: tertiò in excellentia humilitatis: quartò forma perfectæ charitatis, quæ ut perfectiſſima alias virtutes informat. *Op.Eccleſ.Hiet.p.4.c.3.*

79. *Inimici crucis Chriſti adorant pro Deo ventrem, & carnem.*

Multi enim ambulant, quos ſæpè dicebam vobis, ſcilicet eſſe, *(nunc autem & flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis, interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum.* Nota, quòd Apoſtolus exprimit infelicitatem inimicorum crucis Chriſti; nam ipſorum Deus venter eſt, & ipſorum finis interitus, ſcilicet qui vitam degunt in otio, in deliciis, mollem, & laſcivam, & Epicuream: ſunt autem iſti inimici crucis homines ventri, & veneri dediti, currentes per viam perditionis ad interitum æternum; nam eorum vita, ſtudia, cogitationes, & opes quaſi ad ſummum, & ultimum bonum referunt. *Op.de tribus ternar.c.3.ſer.2. Hexam.lib.2.d.2.a.2.q.1.*

80. *Idololatria Chriſtianorum iterum expenditur.*

Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Nota, quòd in his verbis Apoſtolus idololatriam Chriſtianorum oſtendit, nempè guloſorum, ſuperborum, & avarorum, quæ ſunt tria capita, & radices omnium vitiorum, ob quæ homo relicto ultimo fine ad iſtas vanitates convertitur. *Opuſc. de tribus ternar. c.4. op.Diat.tit.3. c.2. append. ad Dom. 23. Pentec. Pſal.85. & 113. ſer.3. S.Andreæ ſer.2. S.Nicol. ſer.1. & 4. de nno Mart. op.Regula Novit.c.5.*

81. *Stultitia peccatorum propria voluntate ad interitum, & infernum ambulantium expenditur.*

Multi ambulant quos ſæpè dicebam vobis (& nunc flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus. Nota ſeriem, & ſenſum horum verborum multi ambulant, quo ad qualem locum reſpondet quorum finis interitus, ſcilicet ita ambulant in hac via, quòd eorum finis quoad intentionem, & executionem eſt interitus, perditio, damnatio, infernus, pœna æterna; ſed quomodo id poteſt credi cum nemo ad malum aſpiciens, malum operetur? verum quidem eſt, quòd primaria, & ſuperficiali intentione peccatores non ſibi directè præfigunt damnationem, ſed tantùm expletionem concupiſcentiarum, ſed tamen in tali intentione ſcienter, & voluntariè involuitur alia peſſima intentio, ſcilicet ambulandi per vias tortuoſas inferni, & tandem perveniendi ad infernum, ſimiles illi, qui dicebat; *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Ex hoc vide quàm miſeri, imò quàm ſtulti ſunt peccatores, quia ſuæ damnationis ſunt auctores, & artifices voluntatis, ita ut ſcientes, & volentes quaſi per proprios pedes ad interitum currant; nam dum tanta aviditate in carnis voluptatibus explendis, & terrenis bonis aucupandis vitam, & actiones omnes inſumunt, quid aliud agunt, quàm ſibi æternæ viam, & carcerem perpetuum præparare in inferno? ſuntque veluti boves inſipientes currentes ad mactationem, & gladium. *Sic ad ſenſum Seraph. Doct. Pſal. 118. c. 1. ſer. 2. de S. Anton. op. de ſeptem itiner. ætern. in Prol.*

82. *Crucis Chriſti inimicorum, & amicorum diſcrimen expenditur: ubi de obligatione Chriſtianorum.*

Multi ambulant quos ſæpè dicebam, &c. inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt. Ecce quale diſcrimen inter inimicos, & amicos crucis Chriſti. nam inimici crucis Chriſti vitam degunt inter delicias carnis, inter ſæculi pompas, inter mundi vanitates, quæ omnia ex diametro pugnant cum cruce Chriſti: E contra vita propria Chriſtianorum, eorumque gloria ad crucis Chriſti leges ſe componit, & in ea gloriatur; undè benè dicebat S. Paulinus; ſibi habeant litteras ſuas oratores, ſibi ſapientiam ſuam Philoſophi, ſibi divitias ſuas divites, ſibi regna ſua Reges, nobis Chriſtianis gloria, & poſſeſſio, & regnum Chriſtus eſt; nobis ſapientia in ſtultitia prædicationis; nobis virtus in infirmitate; nobis gloria in crucis ſcandalo, quo mihi mundus occiditur, & ego mundo; Igitur inimici crucis Chriſti ſunt qui contra crucem Chriſti faciunt: cum enim crux Chriſti in electis carnem affligat, & crimina mortificet; illi è contrario carnem voluptatibus fovent, & vitia nutriunt; ideò meritò per crucem diſcernuntur filii Dei, & diaboli, electi, & reprobi, bonus latro, & peſſimus, crucifixus cum Chriſto & cum diabolo. *Ser. 4. de uno Mart. ſer. 1. dedicat. cr. 1. Dom. 4. Quadrageſimæ ſer. 1. ſer. 3. Pentec. Luc. 23. n. 33.*

83. *Crux Chriſti dirigit electos per viam Cœli: ipſum relinquens per viam perditionis incedit.*

Multi ambulant quos ſæpè dicebam inimicos crucis Chriſti, &c. quorum finis interitus. Vide quomodo ſolùm inimici crucis Chriſti per vias tortuoſas inferni ad perditionem incedunt; ergo has evitare tantùm poſſunt amici crucis Chriſti; & hoc eſt, quia crux eſt ſignum reclamatorium, quo falcones revocantur ad manum, in qua Chriſtus poſuit carnem non alienam, ſed propriam proprio ſanguine rubicundam, ut ad ſe revocet errantes in via perditionis, eſt & ſignum ambulantibus & proficientibus directivum, quia nobis itet Cœli demonſtrat, & hæc S. P. Franciſco oſtenſa fuit, quam uſque ad finem ſecutus eſt. *Ser. in exalt. S. Crucis.*

84. *Crucis Chriſti, einſque imaginum adoratio in Eccleſia hoſtes fidei impugnat, & expugnat.*

Multi ambulant quos ſæpè dicebam (& nunc flens dico) inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus. Vide, quòd etiam tempore Apoſtolorum Hæretici inſurrexerunt contra adorationem, & veneratiouem crucis Chriſti, quæ hæreſis ſuſcitata eſt à Luthero, & Calvino. qui à ſua ſynagoga rejecerunt adorationem crucis Chriſti, & uſum ſigni ipſius: contra quos piiſſimè ſancta Eccleſia ordinavit, ut imago crucis repræſentans ipſum crucifixum fidelium adoratioui exponeretur, & præcepit uſum ſigni S. crucis, ut oſtenderetur ejus virtus mirabilis ad expugnandum diabolum, ad excitandum ad pœnitentiam homines, ad acquirendam gratiam Chriſti: & hinc eſt, quod in confectione Sacramentorum, in benedictione fidelium, & aliarum rerum intervenit ſignum crucis; hinc eſt, quòd in domibus, in viis, in januis, in frontibus, in parietibus, in mente ſcribendum eſt victoriſſimum ſignum crucis; hinc eſt, quod Chriſtus proteſtatur, quòd qui volunt cum ipſo regnare in Cœlo, debent portare crucem ſuam. *Ser. de exalt. S. crucis. Luc. c. 19. v. 27. lib. 3. d. 9. a. 1. q. 4. ſer. 1. 2. & 3. S. Andreæ.*

85. *In Eccleſia, alii ſunt habitatores terræ, alii Cœli.*

Noſtra autem converſatio in Cœlis eſt. Ecce quid ſubjungit ad ſupra tradita, de iis, quorum Deus venter eſt, & qui terrena ſapiunt; noſtra autem converſatio in Cœlis eſt; per quod diſcrimen aſſignat Apoſtolus inter ſtatum reproborum, & prædeſtinatorum, nam præſciti ſolùm terrena ſapiunt, ſcil. non niſi cor terræ affixum, nonniſi terreſtres habent affectus, nonniſi terreſtria bona amant, deſiderant, curant, cogitant; & proſequuntur; iſtique ſunt, de quibus dicitur in Apoc. c. 8. væ, væ, væ habitantibus in terra; nam carnales, & mali terrenis vitiis, voluntate, opere, & conſuetudine dicuntur terræ habitatores, quibus intimatur væ pro voluntate, væ pro opere, væ pro conſuetudine, væ inquam, quia in tempore mortis non eſt pax egrediendi, ſed væ, nec ingrediendi, ſed væ, quia ſine pace ingrediuntur in infernum: Viri autem ſpirituales, & electi ſunt habitatores Cœli, quibus non væ, ſed gaudium pro bona voluntate, & corde converſante

conversante in Cœlis per fidem, spem, & charitatem in vita, in egressu è mundo, & in ingressu in Cœlum. *Ser. 3. fer. 3. Paschæ ser. 2. Dom. in Albis.*

86. *Qualiter homo in terris degens dicitur conversari in Cœlis.*

Nostra conversatio in Cœlis est. Quomodo hoc vere dicitur de homine mortali degente in terra? potestnè in pluribus locis tam extremis simul habitare? sed attende ad mirabiles effectus divinæ gratiæ: Anima cum sit una, & de se essentialiter indivisibilis, tamen per gratiam fit divisibilis: habet enim in se rationem animæ, & rationem spiritus; ut anima corpus informat, & in terra habitat, ut spiritus evolat ad Cœlum per fidem, spem, & charitatem, scilicet per cognitionem supernaturalem Dei, & per amorem, & quia amans est plus ubi amat, quàm ubi animat, hinc vere dicitur suam conversationem habere in Cœlo; sicque habens cor sursum, cogitando de Sanctis, Angelis, Deo, vita beata, rebusque cælestibus, magis conversatur in Cœlo, quàm in terra; ideoque fælix ista vita: Igitur dilectissimi cum Apostolo Paulo moriamur mundo, pompis, & concupiscentiis ejus: Abstrahamus nos corde forti, & perseveranti ab his rebus caducis: Ascendamus mente ad Dominum, & cum ipso in Cœlis sit conversatio nostra; & sic facientes, non ex toto erimus peregrini, & advenæ & in tempore visitationis nos ad se dignetur assumere Dominus Jesus. *Op. solil. c. 2. op. de septem itin. ætern. itin. 2. d. 6. itin. 5. d. 4. op. myst. Theol. c. 2. p. 2. op. medit. c. 98. Ioan. collat. 70. ser. de SS. Sim. & Iuda ser. 2. Dom. in Albis. Psal. 83.*

87. *Vita contemplativa privilegia expendantur.*

Nostra conversatio in Cœlis est. Quomodo poterat dicere Apostolus in carcere detentus habere suam conversationem in Cœlis? sed optimè & verè hæc dicebat; nam ista sunt privilegia vitæ contemplativæ; dum enim dicit in Cœlis, per hoc ostendit, quòd vita contemplativa abundat omnibus bonis, nempè mira devotione, ardenti charitate, singulari securitate, fælici tranquillitate, dulcissima suavitate, & miraculosa agilitate, dum à terra ad Cœlum in momento potest evolare; ô vita verè fælix, excellentissima, & desideranda super omnia. *Luc. c. 9. v. 28.*

88. *Religiosa vita est cælestis, & Angelica.*

Nostra conversatio in Cœlis est. In quibusnam Cœlis? plures sunt Cœli; ergone in omnibus Cœlis conversabatur? sed attende, quòd degebat, & vitam ducebat Apostolus in terra, in collegio Apostolorum adscitus, & tamen dicit, quòd ejus conversatio erat in Cœlis? & quomodo in Cœlis? hoc est in Cœlo, quod rectè vocari poterat Cœlum Cœlorum, & hæc est vita eminentior, quæ possit in Ecclesia exerceri, nempe status Religiosus, qui nomine Cœli in scriptura exprimitur; Cœlum enim est corpus nobile, sublime, & altissimum, nec recipit impressiones terrestres, & peregrinas; talis est Religio sacra spiritualiter, nobilitate ingenua, elevata, læta, ornata, sublimis; hujus Cœli Angeli sunt viri Religiosi, vita, Angelica prædicti, Angelus enim dicitur nuncius, & isti regnum Cœlorum, & divina documenta, ac Dei voluntatem vita, & doctrina nunciant; istorum est ascendere in Deum per contemplationem divinitatis, & descendere ad salutem proximorum procurandam: ô beata, & fælix vita. *Ioan. collat. 10.*

89. *Tendens ad perfectionem conversationem habet in Cœlo.*

Nostra conversatio in Cœlis est: nempè quia se exercebat in profectu virtutum cælestium; & ideò in Cœlum volat, qui cælesti perfectione ambulat, scilicet ascendendo de virtute in virtutem, & instanter in oratione vitam suam ducendo, quia oratio est volatus in Cœlum. *Ser. 2. de S. Ioan. Evang. in addit. op. Regula Novit. c. 2.*

90. *Felix qui vivit expectando Christum ad judicium.*

Unde & salvatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit, &c. Eccè quid consequitur ex conversatione, quam habent viri spirituales in Cœlis per vitam cælestem, & exercitium virtutum? nempè expectatio Christi Jesu, scilicet venturi ad judicium particulare, & universale, & hoc est idem, quod *Luc. c. 12.* dixit Christus suis fidelibus; *sint lumbi vestri præcincti, & lucerna ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertetur à nuptiis*; ascendit autem ad nuptias Cœli, sed in tempore mortis, & in fine mundi venturus est ad judicium particulare, & universale, sed tamen à bonis, & justis, quorum vita est in præcinctione lumborum, & mortificatione omnis carnalitatis, expectatur fidenter, gaudenter, & vigilanter, & perpetuò, quæ expectatio non est vana, nec somnolenta, quia facit, ut semper vivat paratus ad mortem: ô beatus ille, quem cum venerit Dominus Jesus invenerit vigilantem! infælix è contra, quem invenerit somnolentum, & dormitantem. *Luc. c. 12. v. 36. seq.*

91. *Ad Christi Judicis adventum alii in corpore deformabuntur, alii reformabuntur.*

Salvatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformavit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Quæritur hic qualis erit hæc reformatio à Christo facienda in die judicii? & an futura sit in omnibus corporibus indifferenter omnium hominum? sed resp. quòd cum Paulus loquatur de se, & viris justis, hæc reformatio erit tantùm prædestinatorum; nam reprobi resurgent cum deformitatibus omnibus immundissimis, & pœnosissimis: reformatio autem ista erit transformatio, transfiguratio in aliam figuram non essentialem, sed accidentalem, nam ex corruptibili faciet incorruptibile, ex passibili impassibile, ex terrestri cæleste, ex obscuro, & gravi clarum, & agile: Nota autem, quòd dicit configuratum corpori

Digitized by Google

claritatis ſuæ, ſcilicet corpus humilitatis noſtræ; corpus inquam, quod in hac vita fuit vile, abjectum, deſpectum, ſubjectum paſſionibus ad imitationem crucifixi ut hinc ediſcamus, quòd qui vult reformari, & configurari corpori Chriſti in gloria debet in hac vita ejus exempli corpus deprimere jejuniis, humiliare afflictionibus, ſubjicere pœnis, & doloribus pro Chriſto; quia ad proportionem vilis humiliationis reform abitur etiam in alia vita. *Ser.1. Dom infrà oct.Epiph. ſer.1.Dom.4. paſ oct. Epiph. ſer. 2. in Paſcha ſer. 1. in Aſcenſ. ſer. 3. Dom.6.Pœnit.ſer.4.Dom.13.Pœn.op.Diet.ſimil.10. cap.4.Ioan.collat.28.*

CAPUT IV.

In hoc capite Apoſtolus hortatur Philippenſes ad concordiam, gaudium, & virtutes Chriſtianas; agit eis gratias pro cura. & muneribus ab eis ad ipſum miſſis; ſeque proteſtatur paratum eſſe æquanimiter tam in penuria, quàm in abundantia.

92. *Gaudium & corona Patrum Prædicatorum, & prælatorum eſt bonitas, probitas, & exercitium virtutum ſubditorum, & perſeverantia in vita ſpirituali.*

ITaque fratres mei chariſſimi, & deſideratiſſimi, gaudium meum, & corona mea, ſic ſtate in Domino chariſſimi, &c. Vide quomodo Paulus oſtendit quale gaudium redundaret in ſuo corde ex bono profectu Philippenſium, appellans eos gaudium ſuum, & coronam ſuam, ſcilicet quia erat cauſa, & objectum ſui gaudii, & coronæ, gaudium ſcilicet ob bonum jam factum, & coronam ob aliud, quod ſperabat adhuc majus in eis; & hoc eſt, quod debet eſſe in Prælatis, in Prædicatoribus, in Parentibus, nempè exultatio, & gaudium ex profectu ſuorum ſubditorum, quia in hoc ſtat, quod filii, & ſubditi reddant ſe imitatores virtutum ſuorum majorum, quod maximè verificatur in fundatoribus Religionum, quorum gaudium, & corona eſt obſervantia regularis, & profectus, & perſeverantia in tali bono ſuorum filiorum. *Ioan. cap.3. v.10.c.8.v.39.*

93. *Alii ſcribuntur in libro vitæ, alii in libro mortis.*

Evodiam rogo, & ſyntichen deprecor idipſum ſapere in Domino: etiam rogo, & te germane compar adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio &c. quorum nomina ſunt in libro vitæ: Nota ad litteram, quod Paulus commendat Philippenſibus ſuos coadjutores, inter quos duæ mulieres erant ferventiſſimæ in Dei ſervitio; item & S.Clementem Romanum, & alium expreſſum illo nomine, & te germane compar; iſte autem erat non conjux Pauli, ſicut dixerunt Zuinglius, Calvinus, & alii infenſiſſimi hoſtes caſtitatis, qui legunt, & te germana conjux, ſed malè, & falsè; ſic enim prætendunt juſtificare ſuam peſſimam conſuetudinem ablegandi omnem caſtitatem, & continentiam à miniſtris, & ſacerdotibus Eccleſiæ: ſubdit, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ: per quod oſtendit, quod in libro præſcientiæ divinæ ſcripta ſunt nomina prædeſtinatorũ, ſed inter hos ſunt illi, qui juſti ſunt tantùm ſecundum præſentem juſtitiam, ſed quia non perſeverabunt, ideò non ſunt ſcripti indelebiliter, ſed tantum perſeverantes uſque ad finem: mali autem ſcripti ſunt in libro reprobationis æternæ, & hoc eſt ex præcedentibus meritis, vel demeritis, quæ ſtant in noſtra voluntate, ſuppoſito auxilio Dei. *Lib.4.d.43.a.2.per totum: ſer.3.Dom.1.Adv.*

94. *Alii gaudent in Domino Ieſu, alii in diabolo.*

Gaudete in Domino ſemper, iterùm dico gaudete. Nota illam particulam in Domino; ut oſtendatur, quòd non omne gaudium eſt bonum; bonum eſt illud gaudium, quod eſt in Domino, & quale eſt iſtud? Nota, quod Apoſtolus dicit bis gaudete, quia bonorum duplex eſt gaudium, aliud generale, aliud ſpeciale: generale conſiſtit in quadam mentis hilaritate proveniente ex bona confidentia in Deum, & bonæ conſcientiæ teſtimonio, reddens hominem benevolum, & devotum ad omnia agenda, & ſufferenda pro Deo, & omnia, quæ Dei ſunt diligendo, & promovenda: ſpeciale eſt quidam motus ſpiritualis ſpecialis gaudii in Spiritu ſancto ex intuitu beneficiorum Dei, & futuræ gloriæ, & bonitatis divinæ & hoc gaudium verum eſt, & perfectum, quia facit animam dilatatam, & reddit eam ſe diffundentem in Deum, & de ipſius gloria, & lætitia participantem: Gaudium verò mundanorum eſt in diabolo, in mundo, & carne, quod animam reſtringit, turbat, & affligit, & ideò vanum fugax, & pernicioſum. *Op. de Prof. Religioſ. lib.2.cap.73. Eccleſ.cap.4. Ioan.coll.73.*

95. *Diſcrimen inter gaudium divinum, & mundanum.*

Gaudete in Domino: Nota non dicit abſolutè gaudete, ſed gaudete in Domino: quid eſt gaudete in Domino? hoc eſt ad differentiam gaudii mundani; nam primò gaudium in Domino eſt ſpirituale, ob idque puriſſimum, ſicut vinum purum, fortius ad inebriandum, & diligendum Deum, & hoc vinum ſit botro Cypri. *Cant.1.* ideſt de ſanguine Chriſti expreſſo in crucis torculari: gaudium mundanum eſt mixtum amaritudinibus hujus vitæ, remorſu conſcientiæ, & ſollicitudine cruciante; undè divitiæ cum labore acquiruntur, cum timore poſſidentur, & cum dolore amittuntur: ſecundum diſcrimen eſt continuitas, & diſcontinuitas; ſpirituale gaudium eſt continuum, & ſecurum; undè dicit Apoſtolus gaudete in Domino ſemper, quia ejus objectum eſt perpetuum, & perenne ſcilicet Deus ſummum bonum: gaudium mundanum eſt breve, & tranſitorium: tertium diſcrimen eſt, quod gaudium ſpirituale eſt de rebus valdè dignis, quia eſt de Deo, & rebus divinis: mundanum

eſt

eſt de rebus fœdis, indignis, & carnalibus: quartum diſcrimen eſt, quod gaudium ſpirituale eſt ſalubre, & ſtudioſum faciens carnem deſpicere, mundum contemnere, & diabolum vincere; non ſic mundanum, quia captivat animam ſub tyrannide carnis, mundi, & diaboli; ergo nobis meritò intonat Apoſtolus, gaudete in Domino, &c. ſcilicet non quia divites eſtis, nobiles, ſapientes, ſed quia eſtis Chriſtiani, quia Dominum habetis Chriſtum, qui vos à morte redemit, ſua gratia cumulavit, ad cæleſtem gloriam vocavit; gaudete inquam ſemper tàm tempore adverſitatis, quàm proſperitatis, tàm perſecutionis, quàm pacis. *Op. Diet. tit. 8. c. 1.*

96. *Gaudii in Domino qualitates mirabiles expenduntur.*

Gaudete in Domino. Verè maximam energiam continent iſta duo Apoſtoli verba; gaudete; & quomodo? gaudere ait in Domino; quid eſt in Domino? ſcilicet in obſequio, in protectione, & promiſſis tanti Domini, qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium; q.d. gaudete, gaudio proveniente à Deo, & derivante à donis cæleſtibus, boniſque ſupernis; tale enim gaudium præcipuè derivat, & emanat à ſpirituali puritate, in cujus virtute anima perfectè quieſcit in lecto conſcientiæ, emanat, & à ſpirituali ſanitate tribuente mirabilem vim contrà ictus mundi; emanat & à ſpirituali libertate ſolvente hominem à captivitate mundi, & diaboli: emanat & à ſpirituali tranquillitate quietante, & liberante animam à tumultu cogitationum mundanarum, & affectionum cruciatu: emanat & à ſpirituali conformitate cum divina voluntate, in cujus virtute nihil ei repugnat, ſed ſemper adimpletur ejus voluntas; per quod participat gaudium beatorum: Nota etiam, quòd dicit in Domino Jeſu, ſcilicet à Chriſto Jeſu expoſitum eſt hoc gaudium ab ipſo pigmentatum ad inſtar nectaris ſpeciebus cæleſtibus, & gariophilis: Vide ò anima quale eſt nectar afferens animæ gaudium in Domino: Nectar eſt primò dominicæ paſſionis, in quo quatuor appoſita ſunt ingredientia: vinum, ſcilicet illud myrrhatum quo Chriſtus fuit potatus; gariophili, ſcilicet clavi, quibus eſt confoſſus in cruce; ſaccharum ſcilicet ejus dulciſſima charitas, & miſericordia; & cinnamomum, ſcilicet lignum crucis, in quo eſt ſuſpenſus pro nobis: Nectar ſecundò virtuoſæ operationis, in quo vinum charitatis Dei, & proximi; gariophili clavi pœnitentiæ; cinnamomum planctus pro peccatis; & ſaccharum dulcedo pietatis, & boni operis appoſita ſunt: Nectar tertiò eſt æternæ fruitionis, & ſuavitatis, quod in ſpe proponitur in hoc gaudio ſpirituali. *Op. Diet. tit. 8. c. 1.*

97. *Modeſtia Chriſtianorum, & maximè Religioſorum, & ſervorum Dei qualis eſſe debeat, & exhauriendæ ex Dei præſentia.*

Modeſtia veſtra nota ſit omnibus; Dominus enim propè eſt: Nota ordinem verborum Apoſtoli poſtquam exhortatus eſt fideles ad gaudendum in Domino; ut Deus videret gaudium mentis ipſorum, ſubdit modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, ut ſcilicet homines videant modeſtiam veſtræ converſationis: quid eſt modeſtia? modeſtia dicitur à modo, & à temperie, vel temperantia; ergo ubi modus eſt, atque temperies, nec pluseſt quidquam, nec minus ſecundùm verâ ſapientiam omnem actionem librantem: undè talis præcipuè conſiſtit in manſuetudine principaliter, & mititate, & quia hæc avocat ad animam Dei præſentiam, exigit ſanctam converſationem, & exercitium pietatis, caſtitatis, & orationis: Exigit igitur modeſtia Chriſtianorum, & maximè Religioſorum, ſervorumque Dei, ut ſit modeſtia parſimoniæ, diſciplinæ, & honeſtatis: modeſtia parſimoniæ exerceatur in victu, & veſtitu; in ſomno, & vigilia, in otio, & laboribus, ut in nullo excedant: modeſtia diſciplinæ exerceatur per moderamen ſilentii, & loquelæ, mœroris, & gaudii, manſuetudinis, & rigoris, juxtà quod opportunitas exigit, & recta ratio dictat: modeſtia honeſtatis exerceatur per glorificationem, ordinationem, compoſitionem, ſcilicet actuum, motuum, geſtuum, veſtimentorum; membrorum, & ſenſuum, juxtà quod moralis honeſtas, & regularis obſervantia id expoſcit; & hæc modeſtia mirabilem virtutem habet invitandi omnes ad Dei amorem, & vitæ puritatem; & hanc obtinendam conſiderat homo, quod Dominus propè eſt, ſcilicet divinam præſentiam omnia in nobis obſervantem. *Op. Diet. append. ad Dom. 3. Adv. op. de regimine animæ ſap. c. 7.*

98. *Sollicitudo qualis vitioſa, & qualis virtuoſa.*

Nihil ſolliciti ſitis. Nota ly. nihil, ideſt in nihilo, ergo omnis ſollicitudo ableganda à ſervis Dei, etiam in bonis operibus? minimè: nam eſt ſollicitudo virtuoſa, quæ eſt moderata; hæc enim habenda eſt tum in addiſcendo ea, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, tùm & in exercendo ſe in operibus virtuoſis, & de reliquo projicere omnem curam in Deum: Alia eſt vitioſa, curioſa, & nimia, quæ venit ex nimia cura rerum terrenarum, vel ex diffidentia de Deo, quaſi non habeat curam de nobis, & de noſtris rebus; hæc autem cauſat in anima turbationem; & tumultus affectionum noxiarum, & diviſionem, & ſeparationem à Deo. *Luc. c. 10. v. 41. c. 12. v. 11. & 22.*

99. *Per obſecrationem, & orationem intrat anima ad Dei tribunal.*

Sed in omni oratione, & obſecratione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Quid eſt obſecratio, & oratio: Nota, quod licet pro uno, & eodem ambo termini ſæpè ſumantur, tamen vi locutionis obſecratio eſt, quando aliquis non audet loqui immediatè ad Deum, confugit ad ſanctos interceſſores; ſic enim clamamus ſancte Petre ora pro nobis; per crucem, & paſſionem tuam libera nos Domine: oratio verò eſt quaſi otis ratio & eſt quando anima jam confidens in Deo audet loqui ad Dominum, & cum Domino, eſtque perfectorum intrantium ad tribunal Dei, ei innoteſcere faciens, vel exprimens ſua deſideria, petitiones, & neceſſitates, & ad hanc præcipuè nos excitat Apoſtolus, ut in Deum confidentes ad ipſum intremus. *Luc. c. 11. & 9 Pſal. 141.*

100. *Ad pacem Dei invitatur anima amplexandam; ad pacem mundi vitandam.*

Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. Quænam eſt iſta pax Dei, quam nobis precatur Apoſtolus? pax iſta ait Chryſoſtomus eſt reconciliatio, quam fecit Deus cum hominibus per Chriſtum: pax Dei ait Anſelmus, eſt, quam habet Deus in ſe, quam & participat hominibus; pax (dicunt alii) eſt condonatio injuriarum: Ad litteram pax Dei, de qua hic loquitur, eſt tranquillitas conſcientiæ, quæ oritur ex munditia ipſius, & exercitio virtutum, & amoris in Deum; hanc autem opponit Apoſtolus paci mundi, quæ non eſt vera pax, conſiſtit enim in dominio concupiſcentiæ ſuprà rationem, & iſta eſt pax maledicta, & diaboli, bellum perniciosiſſimum ingerens animæ: Pax verò Dei eſt, quæ dominari facit rationem concupiſcentiæ, qua anima ſe exercet in operibus juſtitiæ tenens mundatam animam, & fervenſer diligentem Deum, & iſta pax affert interius ſecuritatem animæ, exterius unitatem cum proximo, & ſuperiùs hæreditatem Cœli; ideò exuperat omnem intelligentiam, & cuſtodit animam ab omni incurſione hoſtium, & omnem conſolationem affert. *Luc.c.12. v.51.ſer.1. Dom. in Albis. ſer. 2. Dom.3. quadrageſima. ep. Brevil. p.5 c.6.Pſal.84.& 130.Luc.c.2.v.14.c.8.v.48.*

101. *Chriſtiani veri mores expenduntur.*

De cætero fratres quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate. Vide quomodo Apoſtolus inſtituit verum profeſſorem fidei Chriſtianæ, ut ſcilicet quæcumque vera amplectatur, ideſt veritate vitæ, & conformia Chriſtianæ legi, & profeſſioni: vera (ait Theophil.) ideſt virtutibus prædita, quia omne vitium mendacium eſt; ad quam veritatem vitæ ſequitur pudicitia, honeſtas, gravitas, verecundia, caſtitas, ſanctitas in ordine ad Deum; amabilitas, ideſt concordia ad proximum, & exemplaritas vitæ, ita ut ſemper adſpicere debet ad laudabilia opera, non quidem ad laudem hominum captandam; & ad hæc promovenda maximè juvat contemptus mundi, divitiarum, & auſteritas vitæ. *Ser. de S.Elizab. & Chryſoſt.hic.*

102. *Paupertas altiſſima ſimilitudinem cum Dei opulentia affert.*

Ego didici, in quibus ſum ſufficiens eſſe; ſcio & humiliari, ſcio & abundare (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Vide quomodo Paulus coacervat ſimul tam oppoſita? primò dicit ſibi eſſe ſufficiens, ſcilicet omnibus abundans: ſecundò dicit ſe ſcire practicè humiliari, abundare, ſatiari, & eſurire, & penuriam pati, & omnia poſſe in Chriſto: ſed tamen notandum eſt, quòd inter omnes ſuas virtutes, quibus à Deo ditatus eſt, extollit ſuper omnia ſufficientiam ſuam, abundantiam ſcilicet omnium divitiarum; quod verè eſt mirum, cum ipſe profiteretur altiſſimam paupertatem, & penuriam continuam pateretur, cum indigeret ſuſtentari ex miſericordia, & eleemoſynis piorum; & iterum novam admirationem ingerit, dum dicit, ſibi eſſe ſufficientem; ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe; quid eſt ſufficiens eſſe? Deus appellatur Saddai, ideſt cui eſt omnis ſufficientia; & qui habet omnem ſufficientiam, nec ullo indiget & hoc eſt proprium ſolius Dei, quia omnis creatura indigens eſt, nec ſibi ſufficiens, cum de ſe ſine Deo nihil poſſit, & habeat; quomodo ergo Paulus audet dicere ſibi eſſe ſufficientem? ſed attende ad mirabilem virtutem paupertatis voluntariæ quæ homines reddit ſimiles Deo; qui enim omnibus renuntiavit, qui nihil in mundo deſiderat præter Deum, qui ſua ſorte perfectè contentus eſt, qui nihilo indiget habens Deum; iſte in Chriſto ſibi ſufficiens eſt; iſte æquanimiter ſe habet & in divitiis, & in paupertate, & in abundantia, & in penuria, & in opulentia, & in carentia omnium rerum, iſte nihil habet, & omnia habet; iſte ditiſſimus, & pauperrimus, iſte fæliciſſimus in infælicitatibus, iſte miſer, & in miſeria beatus! ô beata paupertas, fælix pauper Chriſti, quæ ad ſtatum Angelicum, imò & divinum erigis degentes in hac valle lachrymarum; & hoc eſt, quod reddit alacres, lætantes, fælices homines in terrâ; de quo tantum Apoſtolus fæliciter, & ſanctè gloriabatur; & hinc ſequitur, quòd quo magis quis eſt abundans divitiis terrenis, & fælicitatibus mundi, eo minus eſt ſibi ſufficiens, & magis indigens & miſer. *Ioan. c.14.v.12. Luc.c.12. v.10.c.21. v.3.epiſt Apol Paup.Reſp.2.c.2.ep.ſpec. Diſcip.p.2.c.6.ep.de Prof.Religioſ.lib.2.c.1.*

103. *Magiſtri, & directores animarum in omnibus debent eſſe inſtituti.*

Ubique, & in omnibus inſtitutus ſum; Sic de ſe ſanctè dicebat Apoſtolus deſtinatus à Spiritu Sancto ad directionem animarum, & circa hanc materiam edoctus in Cœlo; dicit autem, ubique, & in omnibus ſe inſtitutum, ut oſtenderet quales debeant eſſe magiſtri, & directores animarum; ubique, ait Apoſtolus, ſcilicet in omni loco, ſive Romæ, ſive alibi, ſive liber, ſive in carcere ſim detentus, & in omnibus, ideſt in omnibus negotiis, ſtatibus, & conditionibus, in proſperitate, in adverſitate, & in omni genere rerum ſcis inflectere omnia, ut ad Dei legem, & ad ſpiritus, & perfectionis apicem ducat, atque aptet, quin ad utriuſque partis ſcopulos impingat: Ad hoc autem obtinendum requiritur, ut magiſter aliorum non indigeat alio magiſtro, ob idque debet eſſe ita illuminatus, ut nihil ſit in his, quæ neceſſario eum oportet ſcire, & qui decipi non poſſit, vel à Dæmone, vel à proprio ſenſu ſub ſpecie boni, donum diſcretionis ſpirituum divinitus adeptus: Ad hæc requiritur, ut fervore devotionis ita ſit repletus, quòd ſine alterius impulſu noverit ſe ipſum ad omne virtutis exercitium fideliter extendere, prout ſemper fuerit optimum: item & ita ſit affectus amore boni, ut quaſi naturaliter omne malum horreat, & omne ſcandalum ſtud osè declinet, & ſine offenſa quiete cum omnibus converſetur:

Digitized by Google

ita sit humilis in omnibus, ut nec de bonis habitis extollatur, nec malis omninò carere præsumat. & hoc ut omnes excessus cogitationis, locutionis, & omissionis in se subtiliter dijudicet, & districtè castigando emendet, & in his omnibus sit ita stabilis, ut nec levitate, nec distractione aliqua, nec difficultate, vel metu exemplo Apostoli, à statu suo valeat immutari; sic enim in se erit perfectus, & ad alios utilis, & exemplaris; Et cum hæc sint vera; quis ad tam altum statum pervenit? Audiant hæc, qui adspirant ad obtinendum regimen aliorum, ad curam habendam animarum & videbunt, quòd pauciſſimi talibus gradibus sunt digni. *Op. de sex Alis Seraph. c. 2.*

104. *Isti sunt perfecti mercatores lucrum reportantes in prosperis, & adversis.*

Ubique, & in omnibus institutus sum. Institutus in qua arte? Institutus sum respondet S. Bon. in arte mercaturæ spiritualis; nempè lucrum reportare in omnibus, tùm in abundantia, tum in divitiis, tum in paupertate, tum in amissione rerum, tum in carcere, tum in libertate, tum in prosperis, tum in adversis; sic, sic facit, qui Deum diligit super omnia, nempè sicut mercator non in uno foro, sed in diversis quærit, quæ sibi lucrosa videntur; sic vir justus non tantùm in quiete devotionis, sed & in labore, in distractione, in adversis, in prosperis quærit studium devotionis, & in omnibus invenit rationes, & occasiones lucrandi spiritualiter. *Op. de Prof. Religios. lib. 2. c. 1.*

105. *Gratia Dei ad participationem aliqualem divinæ omnipotentiæ exaltat hominem, sine qua nihil potest.*

Omnia possum in eo, qui me confortat. Ecce quòd Apostolus cum suprà id, quod de se dixerat, videretur redolere magniloquentiam, nunc totum corrigit, dicens omnia possum in eo, scilicet in Christo, qui me confortat, nempè non hoc benefactum meum, sed ejus, qui vires dat; & per hoc ostendit, quòd sine Dei gratia nihil possumus boni agere; cum adjutorio divinæ gratiæ omnia possumus; quod patet in sanctis Martyribus, qui tot, tantaque passi sunt, quasi insensibiles essent; hoc totum fuit opus divinæ gratiæ. ideò hanc petere, hanc exprimere, hanc desiderare debemus. *Ser. 2. Hexam. Luc. c. 1. v. 80. Ioan. c. 3. ad finem, & collat. 6.*

106. *Spei, & confidentiæ in Deum effectus mirabiles expenduntur.*

Omnia possum in eo, qui me confortat. Sed per quid te confortat, & vigorem auget? Nota, quod hoc discrimen est inter fidem, spem, & charitatem. quod fides elevat mentem ad ea, quæ sunt suprà naturam; charitas accendit animam ad Dei amorem super omnia; spes autem vigorat potentiam animæ ad opera, quæ sunt supra naturam; undè confidentiam in Dei gratiam involuit, & ad opera supernaturalia impellit, ut quod homini de se esset impossibile reddit possibile, & hinc est, quòd in justis tot mirabilia opera videntur. & hoc virtute spei, & confidentiæ firmissimæ, quam habent in Deum. *Ioan. collat. 74.*

107. *Fiducia in Deum effectus expenduntur; & qualis hæc sit.*

Omnia possum in eo, qui me confortat. Quomodo omnia potes ô Apostole? ergo omnipotentiam tibi Deus communicat? hoc autem impossibile est, cum sit incommunicabilis creaturæ: Nota, quod hic expressit virtutem mirabilem fiduciæ, confidentiæ, & spei in Deum; spes autem respicit Dei bonitatem, ejusque omnipotentiam, qua omnia bona nobis salutaria potest conferre, ac fidelitatem ejus in promissis; ideò involuit, tamquam quid sibi subordinatum, confidentiam in Deo, per quam addit ad spem firmitatem, ac robur mirabile animæ, per quod certissimus sit ipse homo sperans de futuro auxilio sibi à Deo promisso; undè innititur in Dei omnipotentia, in ejus promissis, & fidelitatè promissorum Dei, & in ejus bonitate, per quam dat fideliter ea, quæ promittit sperantibus firmiter in se; & in hoc sensu, & virtute talis spei, fiduciæ, & confidentiæ in Deum, dicit anima cum Apostolo: omnia possum in eo, qui me confortat, scilicet per suam gratiam, auxilium, & concursum peculiarem. *Lib. 3. d. 26. dub. 1. & per totam dist. op. Diaz. tit. 5. c. 4. op. Comp. Theol. lib. 5. c. 22.*

108. *Spei, fiducia, & confidentiæ, effectus in Deum expenduntur.*

Omnia possum in eo, qui me confortat. Notà ly in eo; & qui me confortat, scilicet quia armatus sum spe firmissima in Deum; & quia hæc vigorem supernum animæ tribuit; ideò omnia possum, scilicet à Deo virtute hujus confidentiæ in Deum obtinere; & quæniam sunt ista? hæc sunt: primò præservat à peccatis quia non delinquent omnes, qui sperant in eo; ait David *Psal. 33* Secundo liberat ab obsessione spirituali; & corporali Dæmonum, & ab hostibus visibilibus, si consistant adversum me castra, dicebat David hac fiducia armatus. *Psal. 26.* non timebit cor meum, ideò dicitur galeâ, scutum, anchora justorum. liberat à morsu, & veneno brutorum, quia facit ambulare super aspidem, & basiliscum; quod experientia multiplici experti sunt plurimi Sancti: liberat à peste, servat illæsos in bello; dat escam esurientibus; infirmitates curat, defendit à terræmotu, fulmine, aquarum submersione, grandine, aliisque periculis inopinatis; & facit homines velut omnipotentes; ad quod alludit Christus in illis verbis *Marc. ult. in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur &c.* cum aliis, quæ ibi subjungit Christus; *sic in loc. cit. S. Bon.* Quæ omnia maximè redundant in gloriam Dei, ejusque fidelitatem, & omnipotentiam.

109. *Alii eleemosynam petunt ad propriam utilitatem; alii ad salutem dantium.*

Non quæro datum sed requiro fructum abundantem in ratione vestra: Gratus legit, in rationem vestram, idest in computum vestrum: Nota hæc verba Apostoli, quæ singularem doctrinam con-

tinent : nam cum accepiſſet eleemoſynas à Philipenſibus largas, eis gratias referens dicit non quæro datum, ideſt non ad meam utilitatem recipio iſtas eleemoſynas, ſed ad veſtram rationem, ſcilicet ad veſtrum lucrum, ſed requiro, ut ex iſtis eleemoſynis fiat liber, in quo in Dei memoria ſcribantur ex una parte beneficia à Deo nobis collata, & ex alia eleemoſynæ pro Chriſto mihi, & cæteris Chriſti pauperibus erogatæ ut tanquam credita veſtra computentur : Hic verò oſtenditur, quod petentium eleemoſynam alii ſunt, qui petunt ad ſuam utilitatem propriam, & iſti mendici mundani, & paupetes neceſſarii : alii verò petunt eleemoſinam à divitibus non tantùm ad ſubveniendam propriam indigentiam, ſed magis ad ſalutem, & propter deſiderium ſalutis ipſorum erogantium ; & hoc eſt, quod dicit Apoſtolus gratias agens Philipenſibus de beneficio collato, non quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra, ut intelligamus, quod datum quærit, qui delectatur præcipuè in re accepta ; fructum requirit, qui delectatur in ſalute aliena : Hoc attendant mendicantes Religioſi, & maximè filii ſeraph. Franciſci, qualem finem debeant ſibi præfigere in quæſtuatione eleemoſynarum, & debent conſidere in Deo, quod pro eleemoſyna recepta à benefactoribus Deus illis centuplum dabit. *Op. de Paup. Chriſti qu. 1. a. 2.*

110. *Beneficia divina recolenda, & Deo compenſanda.*

Non quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. Hæc ſunt verba Apoſtoli, per quæ intendit nos excitare ad excogitandum frequenter inter datum, & acceptum ; ſcilicet inter bona à Deo à nobis accepta, & compenſationem ipſi debitam, & factam, in hoc autem cum innumera ſint beneficia, quæ à Deo inceſſanter recipimus, bona inquam naturæ, fortunæ, gratiæ & gloriæ ; ſuper hæc dicit nobis Chriſtus non quæro datum. ſed quæro acceptum idem & debet homo dicere ; non quæro datum, ſed quæro fructum, ſcilicet quo plura recipit à Deo ſemper invenit homo ſe debitorem, Deum vero creditorem, ideò debet homo multiplicare grariarum actiones, opera bona, & maximè miſericordiæ, quæ in codice rationum ſuarum cum Deo incundarum ſcribere poſſit tanquam propter Deum expenſa, quæque Deo ipſi in ratione ipſius quaſi credita ſua computet, ut ipſe Deus homini rependat, & ſolvat æterna mercede. *Op. Incendium c. 2. ſer. 4. Rogat. ſer. 3. Dom. 5. Pentec.*

111. *Prædicator zelans ſalutem animarum dicit, non quæro datum, ſed requiro fructum*, ideſt non aſpicit ad labores, quos in ſalute animarum aſſumit, ſed ad fructum, ad lucrum animarum, nec aſpicit ad emolumenta temporalia, ſed ad ſpiritualia ; ſic enim piſcator fit non piſcium, ſed hominum, ſed animarum. *Luc. 5. v. 10.*

112. *Eleemoſyna quàm Deo chara, & homini fructuoſa.*

Habeo omnia, & abundo ; repletus ſum, acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, placentem Deo : Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum ſecundùm divitias ſuas in gloria in Chriſto Jeſu. Nota, quod Paulus loquitur ad litteram de eleemoſynis ad ipſum miſſis à Philippenſibus, quas appellat hoſtiam acceptam Deo, placentem, & odorem ſuavitatis ; & pro quibus orat Deum, ut impleat omne deſiderium ipſorum ſecundùm divitias Chriſti in gloria : Per quæ dat intelligere, quod eleemoſyna facta pauperibus, & maximè Chriſti eſt ſacrificium Deo odorem optimè fragrans, & in cujus virtute homo citò locupletatur, & repletur divitiis ſpiritualibus, & ſæpè etiam temporalibus, & etiam levatur in ſublimem locum gloriæ ; dicente Domino. *Prov. c. 21 : Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur ; de panibus ſuis dedit pauperi eſurienti, ideò acquiret victoriam, & honorem : ſer. 1. Dom. 1. Pentec Luc. c. 21. v. 4.* O dignetur Deus benedictus nobis conferre hanc ſuam benedictionem, ut hic in ſua gratia perſeverantes poſſimus tandem pervenire ad illam æternam benedictionem poſſidendam in Cœlo cum Angelis, & Beatis.

Et hic eſt finis expoſitionis Seraphici Doctoris in Epiſtolam ad Philippenſes ad gloriam Dei ſempiternam.

EXPO

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM DIVI PAULI AD COLOSSENSES.

PROLOGUS.

NOTA, quòd in hac epistola Apostolus insectatur errores, & hæreses, quas Simon Magus disseminabat in hac civitate, & alibi contrà Christum, variaque documenta pro reformatione morum omnibus tribuit: scripsit autem hanc epistolam; dum Romæ detinebatur in carcere, &c. Nota etiam, quòd ut observant sacri Expositores hæc epistola valdè affinis est quoad materiam epistolæ suprà ad Ephesios scriptæ; imò eadem penè ad verbum cum illa subindè habet sententias; undè in expositione hæc multa transmittemus ad eamdem, ne actum agamus.

CAPUT PRIMUM.

1: In hoc capite Apostolus gratulatur Colossensibus de eorum fide, & vita Christiana, oratque ut in ea crescant Deo servientes cum patientia, latitia, & gratiarum actione: docet posteà contrà simonis Magi hæresim, non Angelos, sed Christum esse opificem, & Creatorem omnium rerum, etiam ipsorum Angelorum, ob idque caput, & Redemptorem hominum.

2. *Proprium justorum est ad similitudinem arborum fructificare, & fructificando crescere.*

GRATIAS *Agimus Deo, & Patri Domini nostri Jesu Christi semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem, quam habetis in sanctos omnes, &c. in verbo veritatis Evangelii, quod fructificat, & crescit, &c. ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei; in omni virtute, &c.* Nota, quòd in hoc capite Paulus proponit fructum auditionis Evangelii, quem reportarunt Colossenses, quem explicat Apostolus exemplo novellæ arboris, quæ crescendo fructificat, & fructificando crescere non cessat; darque intelligere obligationem, quam habent servi Deo dicati, & fideles Christiani, nempè arripiendi operum bonorum multiplicationem, & profectum in exercitio perfectionis de virtute in virtutem; sic enim se ostendunt veræ plantationes vineæ Ecclesiæ dignas. *Op. Dist. append. ad Dom. 24. Pent. Psal. 118. v. 4. & 1. Luc. c. 13. v. 19. fer. 2. fer. 2. Pasche.*

3. *Sors Christianissimi qualis.*

Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. O audiant hæc Christiani, qualis fuerit sors, quæ ex baptismo, & sacramentis eis contigit: In hac vita enim virtute sanguinis Christi, fidei, & sacramentorum adnumerati sunt inter Sanctos participando sortem, & benedictionem sanctorum, quæ posteà in alia vita complementum recipiet per lumen visionis claræ Dei. *Sap. c. 5.*

4. *Regnum Filii Dei est amor Dei, in quod reducit suos per fidem, & opera bona.*

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum. Nota, quòd Apostolus prosequitur declarando fœlicitatem Christianorum, qui virtute fidei, & baptismi vocati sunt in partem sortis sanctorum, quia Christus, qui dicitur filius dilectionis Patris, non quòd sit genitus per voluntatem, & ob id idem

Digitized by Google

cum ſpiritu ſancto, ut voluit ſabellius, ſed dicitur filius dilectionis, ideſt filius dilectus, & chariſſimus Patris ex ſua ſubſtantia genitus, hinc iſte filius Deus, & homo tranſtulit ſuos fideles credentes per gratiam in ſuum regnum; & quale eſt hoc regnum Chriſti? in regnum, ſcilicet dilectionis, & amoris; quia in ſolis illis regnat Chriſtus, qui illum diligunt, tribuēs eis fructum redemptionis ſuæ: undè non ſufficit Chriſtiano habere fidem ad hoc, ut adnumeretur in ſorte ſanctorum, ſed requiritur ulterius dilectio, charitas, & amor. *Luc. c.13.v.20.c.1.v.71.c.2.v.7.c.3.v.24.c.10. v.9.c.15. v.21. Joan. collat.52. lib.1.d.5. dub.8.*

5. *Chriſtus primogenitus, & imago Patris, & Mariæ quomodo dicatur.*

Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ, in ipſo condita ſunt univerſa, &c. Nota, quòd Filius Dei dicitur imago Patris, & primogenitus Patris, quia genitus ex ſubſtantia Patris ab æterno, imago eſt ipſum naturaliter repræſentans expreſsè, ſimulque primogenitus, ſcilicet non per ordinem ad poſterius, ſed ad prius, quia nullum habuit ante illum; per quod eliditur error Eluidii, & Arii, qui voluerunt ex hoc inferre Chriſtum eſſe creaturam primogenitam inter cæteras: dicitur etiam ut homo imago Matris, ejuſque primogenitus, ideſt unigenitus, quia ut homo ſimilis Matri, & primogenitus, ſcilicet unigenitus Matris. *Luc.c.2.v.7.ſer.11. Hexam. op. de inviſibilitate Dei. op. Comp. Tucol. lib.1.c.6. lib.4. c.13. lib.3. d.3. a.1. q.2.*

6. *Chriſtus etiam quoad humanam naturam caput, & Rex omnium creaturarum.*

Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit omnibus ipſe primatum tenens. Nota, quòd ex his verbis dicitur ſolutio quæſtionis Theologicæ, an Chriſtus ſecundùm humanam naturam ſit caput Eccleſiæ, & omnium hominum, & an de jure ei debeatur dominium temporale omnium creaturarum, infertur inquam ſolutio hujus quæſtionis tribuens Chriſto etiam quoad humanam naturam rationem capitis influentis in omnes omnia dona gratiarum & regnorum, ſed tamen altioris ordinis, quàm in cæteris Regibus, ex eo quod ejus poteſtas eſt perpetua, ſtabilis, accretioni, vel decretioni minimè obnoxia; & univerſalis quoad homines, Angelos, & cæteras creaturas; & hinc meritò hic dicitur à Paulo caput omnis principatus, & poteſtatis; hoc enim ei debetur dominium tum ratione unionis, tùm ratione meritorum, in quorum virtute exaltavit illum Deus, &c. *Lib.3.d.13.a.2.q.1. Vide Suar. 3. p.d.48. alioſque Theologos.*

7. *Chriſtus in utero Mariæ repletus fuit à Patre omnibus donis tum ſapientiæ,* Tùm gloriæ, tum gratiæ, tum poteſtatis, tùm divinitatis, non ſolùm ſecundùm operationem, & virtutem, ſed & per ſeipſam, ſuamque eſſentiam. Undè dicit Apoſtolus, *quia in Chriſto complacuit,* ſcilicet Patri, *omnem plenitudinem inhabitare.* Nempè quando in utero Mariæ Verbum caro factum eſt; & hoc eſt, ut homines per hominem deprecantes audiat, & eorum poſtulationibus condeſcendat, & propter hoc omnes collectæ, & orationes Eccleſiæ per Chriſtum Dominum noſtrum finiuntur. *Opuſc. Eccleſ Hier. p.4.c.6.*

8. *Per Chriſtum ejuſque ſanguinis effuſionem in cruce pax reddita eſt hominibus, Angelis, & toti mundo.*

Complacuit, Scilicet Patri, *omnia per Chriſtum reconciliare in ipſum pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt.* Ecce effectus mirabiles Paſſionis Chriſti in cruce, nam per ejus ſanguinem effuſum Pater ſibi reconciliavit omnia quæ in terris, & in Cœlis ſunt, ſcilicet pacificavit homines, & Angelos cœleſtia, & terreſtria in homine, inimicitiæ enim erant inter homines, & Angelos, ſed per crucem omnes pacificati ſunt; & ideò in cruce ſancta Angeli gaudia ſua accumulata conſpiciunt; per crucis ſignum in frontibus impreſſum homines à ſanctis Angelis cuſtodiuntur, & reverentur, & liberantur à malis, & hinc aperta eſt janua Paradiſi omnibus viatoribus per Sacramenta, in quibus applicatio fit virtute ſanguinis Chriſti. *Ser.2 in Invent. S. crucis in addit. ſer.2. f.r.3. Paſchæ. ſerm.1. Dom. in Albis. lib.4.d.3.p.1. dub.6.*

9. *Qualis pax reddita eſt mundo per ſanguinem Chriſti.*

Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt. Ecce quales fructus producti fuerunt per ſanguinem à Chriſto effuſum in cruce; nempè pax, ſcilicet hominis ad Angelum, pax hominis ad Deum, & pax hominis ad homines, ut ſic qui longè erat à Deo per peccatum fieret propè per gratiam; felix igitur, qui hanc pacem ſectatur, qui hanc pacem fovet, qui eam conſervat, permanens in fide ipſius. *Op. ſpec. B. Virg. lect.18. ſer.4. Dom.5. Pent. ſer.8. in Nativit. Luc.c.2.v.14. c.10.v.5.c.19 v.38. c.22. v.20.c.24.v.36.*

10. *Pati cum Chriſto gaudenter ſignum eſt prædeſtinatorum.*

Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis. Nota hoc verbum gaudeo in paſſionibus, ut videas quale ſit ſignum prædeſtinatorum, ſcilicet gaudenter Deo ſervire, & pro Chriſto perſecutiones, & tribulationes pati, non enim ſufficit, ut gaudium foveatur in corde, ſed requiritur, ut in opere exterius demonſtretur, & hoc maximè in patiendo; unde de Apoſtolis dicitur. Ibant gaudentes à conſpectu concilii, ſcilicet exteriùs, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati; in hoc enim juſti ſe demonſtrant vera membra Chriſti, qui voluntariè tot pœnas ſubeunt. *Serm.2. de plur. mart. ſer.3. de una Virgine.*

11. *Paſſiones juſtorum, quomodo dicuntur complementum Paſſionis Chriſti.*

Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Sed quomodo dicit Paulus ſe adimplere ſuis paſſionibus ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti? ergo ne

Chriſti

Chriſti paſſio fuit deficiens, diminuta, & inſufficiens? reſp. negando conſequentiam; communiter autem reſpondent Theologi, quod Chriſti Paſſio fuit ſufficientiſſima pro toto mundo, & infinitis hominibus, ſed non pro omnibus efficax, ſed tantùm pro electis; quia ad hoc, ut ſit efficax ad ſalutem requiritur communicatio meritorum ejus, quæ fit per imitationem noſtram, & per bona opera, & maximè patiendo pro Chriſto; undè rectè dicitur, quòd Chriſtus communicat ſuas paſſiones ſuis electis per quas dicitur pati in membris à principio uſque ad finem mundi, in quo tempore erit conſummatio Paſſionum Chriſti, quia in cruce conſummatio paſſionum facta eſt in capite, ſed non in membris, hæc autem perficietur in fine, & tunc ſequetur glorificatio, & retributio plena. *Luc. c. 17. v. 25. lib. 3. d. 19. a. 1. q. 2. ad primum.*

CAPUT II.

Apoſtolus in hoc capite hortatur fideles, ut in fide, & charitate Chriſti firmentur, quia per ipſum circumciſi ſumus ſpiritualiter, & conſepulti ei in baptiſmo; qui & delevit chirographum peccat, illudque affixiſſe cruci, ibique triumphaſſe de peccatis, & Dæmonibus, & cæremonias Judaicas abrogaſſe docet.

12. *Chriſtus ut Deus, & homo domus, in qua omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri continentur, & manifeſtantur.*

IN *Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Nota, quòd Apoſtolus totus erat in deducendo ſuos fideles in cognitionem myſteriorum fidei comprehendentium omnem ſapientiam, & ſcientiam, & ideo eis inſinuat ſcholam, in qua poſſunt iſta penetrare, & addiſcere; hæc autem eſt ipſe Chriſtus Jeſus, in quo ſunt abſconditi, & continentur omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ, undè qui ad lumen fidei in iſtam domum non intrat, nunquam poteſt pervenire ad veram ſapientiam, & ſcientiam percipiendam: Intremus igitur ô dilectiſſimi in hanc domum, intremus in ejus vulnera, ut ibi perciplamus & omnem veritatem, & omnem ſaporem, & dulcedinem. *Ser. 1. & 2. & 14. Hexam. op. de dono piet. c. 3. op. de dono intell. c. 4. op. de dono ſap. c. 11. ſerm. 1. Dom. 4. poſt oct. Epiph Luc. c. 2. v. 40. c. 4. v. 5. cap. 9. v. 31. Joan. collat. 6. & 60 ſer. 5. de plur. mart. ſerm. Dom. 4. Adv.*

13. *Animarum Curati, & Prædicatores ſemper ſint præſentes ſuis ſubditis ad ipſorum profectum procurandum.* Sic Apoſtolus dicebat Coloſſenſibus. *Et ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum.* Videant, & audiant hæc Curati animarum, qui non debent eſſe contenti eis miniſtrare in præſentia omnia auxilia ſpiritualia neceſſaria ad eorum ſalutem, ſed etiam abſentes corporaliter, debent eis eſſe præſentes ſpiritualiter pro eis orando, eis ſpiritualia providendo, ſuper ipſorum profectum aſſiſtendo, & ad cœleſtem gloriam dirigendo. *Luc. c. 9. v. 19.*

14. *Ordo in agendis in Eccleſia quam ſit neceſſarius, & utilis.*

Spiritu vobiſcum ſum, gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum fidei veſtræ. Quis iſte ordo Coloſſenſium, de quo tantùm gaudebat Apoſtolus? gaudens, & videns ordinem veſtrum? Nota quòd Apoſtolus ſæpè inculcabat ordinem ſuis fidelibus, nempè quo benè, & ordinatè omnia fiebant in Hierarchia Eccleſiaſtica; & hoc eſt maximum bonum, ut patet in omni republica, quæ ſine ordine non poteſt conſiſtere, & hoc maximè in Eccleſia: ſicut enim Deus facit omnia in menſura, & numero, & pondere, ſic & Religioſi, & Eccleſiaſtici debent in omnibus ſervare ordinem conſtitutum in Eccleſia, & omninò cavere à confuſione, quæ oritur ex inobſervantia debiti ordinis; qui ordo ſervandus eſt etiam à quolibet in ſeipſo; ſicut enim unuſquiſque ſenſus ſe exercet circa proprium objectum, refugit ſibi nocivum, & non uſurpat alienum; ſic & anima Deo ſerviens ordinata in ſe debet eſſe, ſeipſam exercendo in eo, quod eſt contra negligentiam, refugiendo ſibi nocivum contra concupiſcentiam, & non uſurpando ſibi alienum contra ſuperbiam; omnis enim inordinatio aut venit ex negligentia, aut ex concupiſcentia, aut ex ſuperbia; ille autem vivit ordinatè, qui vivit prudenter, temperanter, & obtemperanter, ut refugiat negligentiam in operabilibus, concupiſcentiam in appetibilibus, ſuperbiam in excellentibus, ſivè ſublimibus. *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. cap. 6. op. de reductione artium ad Theologiam.*

15. *In Chriſto quomodo dicitur inhabitare corporaliter omnis plenitudo divinitatis.*

In Chriſto inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Vult dicere, quòd nos tenemur ſequi Chriſtum noſtrum Doctorem, & ductorem, non inanem Philoſophiam plenam erroribus, ex hoc quod in Chriſto inhabitat corporaliter omnis plenitudo divinitatis, ſcilicet tota unita eſt divinitas non ſolùm animæ, ſed & corpori in unitate hypoſtaſis; undè ſicut corpus habet tres dimenſiones longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ſic tota divinitas eſt in Chriſto; primò ad modum lineæ, & longitudinis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſicut eſt in aliis hominibus; ſecundò ad modum ſuperficiei; & latitudinis per gratiam gratum facientem, ſicut in aliis juſtis: tertiò ad modum profunditatis per unionem hypoſtaticam in anima, & corpore, ſed tamen omnes alias excedit aliarum creaturarum, quia ex unione hypoſtatica habet omnem plenitudinem gratiarum per ſuperabundantiam, ut de ipſa omnes creaturæ rationales participarent omnem cognitionem ſupernam, & omnem gratiam; & hinc ſubdit Apoſtolus. *Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis. Op. Eccl. Hier. c. 4. & 6. Io c. 1. v. 16 li. 1.*

d.17.p.1.a.3.q.2.& lib.3.prol.& d.1. dub.1. & d.14. a.1.q.2. Luc.c.4.v.1.ſer.4 Dom.5. Penit.

16. *Chirographum noſtræ damnationis qualiter per Paſſionem Chriſti deletum dicitur.*

Chriſtus donans nobis delicta. & delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Nota, quod in his verbis Apoſtolus nobis inſinuat maximum beneficium nobis proveniens ex Paſſione Chriſti, in cujus virtute deletum fuit chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: quodnam eſt chirographum? chirographum dicitur à chiros, quod eſt manus, & graphia, quod eſt ſcriptura, quaſi manu facta ſcriptura hoc autem chirographum dicitur & culpæ, & decreti, ſcilicet memoriale, quo anima tenetur aſtricta, & obligata alicui pœnæ & hoc ex merito culpæ noſtræ, & ex divina ſententia tamquam ex decreto; & hinc tale chirographum dicitur memoriale, quo peccatum manet quantùm ad reatum, cujus ratione juſtitia divina habet nos punire; diabolica malitia poteſt accuſare, & detinere ob poteſtatem, quam habet in peccatorem ratione peccati, & ſimul cujus ratione conſcientia noſtra poteſt contra nos remurmurare, & hoc chirographum principaliter eſt propter peccatum primi hominis, & minus principaliter ratione peccati noſtri actualis; & quia Chriſtus meruit nobis non ſolùm remiſſionem culpæ quantùm ad maculam, ſed etiam quantùm ad reatum, ideò dicitur deleviſſe nobis chirographum, quod intelligendum quoad ſufficientiam, nam quoad efficaciam alia media ſuperaddit Chriſtus, ad executionem noſtræ totalis, & actualis ſalvationis. *Lib.3. d.19. a.1.q.2.*

17. *Chriſtus per crucem qualia beneficia nobis contulit.*

Et ipſum, ſcilicet chirographum, tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſemetipſo. Nota hic, quod exprimitur charitas infinita Chriſti Jeſu, quam per crucifixionem, & mortem oſtendit: nam primò chirographum diabolicæ juriſdictionis Chriſtus per crucem rapuit, illud deſtruxit, & caſſavit, & expoliavit Dæmones, auferens eis animas per potentiam de inferno, & per pœnitentiam noſtram in mundo, & ad Cœlum illas traduxit, & ſic in ſemetipſo de diabolica poteſtate triumphavit, nobis aperiens viam ſalutis. *Ser.2.de inventione S.crucis lib.4.d.20.p.1.a.1. q.6. op.lignum vitæ.Sap.c.14. Luc. proem. & c. 24. v.52. Ioan.c.3.v.21.c.8.v.29.c.12.v.13.& 53.col.32. & 83.*

CAPUT III.

In hoc capite Apoſtolus totus eſt in inſtruendo fideles in moribus; primo generaliter ſuadens ad ſapiendum æterna, & cæleſtia: ſecundò ſpecialiter tradens unicuique ſtatui documenta neceſſaria.

18. *Reſurrectio Chriſti ſit exemplar reſurrectionis noſtræ.*

Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Quid eſt conſurrexiſtis cum Chriſto? qualis eſt hæc reſurrectio à nobis cum Chriſto facienda, ſi ipſe tantùm reſurrexit corporaliter? ſed tamen reſurgendo nobis præbuit exemplar ad imitandum ipſius reſurrectionem, ut ſit verax, non ficta, accelerata, non lenta, & perpetua. *Ioan. collat.87.*

19. *Sapientia de ſurſum qualis, & qualis de deorſum.*

Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Quid eſt ſapere quæ ſurſum ſunt? ſapere ſcilicet media ſapientia cœleſti, non terrena; nam alii ſapiunt quæ de Cœlo ſunt, alii quæ de terra, quæ de Cœlo ſunt ſapiunt, qui ad Deum ordinant omnes ſuas cogitationes, & intentiones, per quod in eis deſcendit lux illuminans intellectum, & inflammans affectum, & corroborans virtutem operativam, ſicque toti totaliter in Deum feruntur: qui verò ſapiunt tantùm terrena incidunt in omnes iniquitates. *Ser.2.Hexam.op. de duno ſap.c.1. op. de ſex alis Seraph.c.8 ſer.1.Dom.1.Adv. ſer.1. Dom. infra oct.Epiph ſer.4.Dom.14.Penit.*

20. *Contemplatis mors ſuaviſſima animæ.*

Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Ecce quid facit ſapientia cœleſtis, ad quam ſuaſerat Apoſtolus ſuos; inducit enim ad contemplationem ſublimem, per quam anima mundo, & omnibus exterioribus moritur, & ad vitam cœleſtem cum Chriſto in Deo introducitur, felix quidem mors eſt iſta, & beata, ad quam omnes Dei ſervi aſpirare debent. quia hæc eſt participatio quædam beatitudinis cœleſtis. *Op.med. c.49. op.de ſeptem itin.æter.itin.3.d.6. & itin.4. d.4. a.3. op.Eccleſ.Hier.p.4.c.1 ſer.2. Dom.15. Penit.* Nota hic, quod ex iſto loco explicatur, quod vita ſervorum Dei dicitur abſcondita cum Chriſto in Deo, tum quia eorum vita continuè ducitur per contemplationem intra vulnera Chriſti; de quo *Vide op.ſtim.p.1.c.1.& ſeq.* tum quia totum ſtudium ſervorum Dei eſt vivere veluti abſcoditos, exules, ignotos mundo, & ſolùm à Deo cognitos, ut patet in vitis ſanctorum Anachoretarum, qui in abditis locis, in ſpeluncis vitam ducebant Angelicâ potiùs quàm terreſtrem; in qua cum Deo perpetuò negotiabantur. *Sic ad ſenſum Seraph. D.Ioan.coll.19.*

21. *Iuſtorum vita eſt continuus circulus à Deo ad Deum.*

Cum autem apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc apparebitis cum ipſo in gloria. Quid eſt, quod hic exprimit

exprimit Apoſtolus? ergonè ſolùm in gloria ſocii fiunt Chriſti? tunc ait apparebitis cum ipſo in gloria? ſed attende ad perbellum myſterium. Nota illud verbum, *Chriſtus vita veſtra*: quid eſt vita veſtra? vita eſt actus vitalis continuus, non interpellatus; ergo ſi Chriſtus eſt vita juſtorum, numquam ab ipſo ſeparati vivunt; & ſi hoc, quomodo dicit, quod tunc denuò apparebunt in gloria? ô bone: *In Eccleſ. cap.* 12. dicitur *revertetur pulvis in terram*, ſcilicet in morte hominis, & tunc ſpiritus redit ad Deum, qui dedit illum: Iſte ſpiritus eſt homo ſpiritualis, qui Deo eſt conjunctus per gratiam, & dicitur redire ad Deum, non quia prius fuerit cum eo, & poſt recurrit, cum venit ad corpus, & in morte iterùm revertitur, ſed ideò redire dicitur, quia ab illo, ſcilicet à Deo eſt, & per illum eſt, & ad illum finaliter ordinatur, & hoc completè erit in gloria poſt judicium: Undè vita juſtorum eſt veluti perfectus circulus à Deo incipiens, per Deum tranſiens, & in Deum terminans; ſicque vita ipſorum eſt perpetua, & continua, & verè Felicisſima. *In Eccleſ. c.* 12.

22. *Qui pro Chriſto vitam in hoc mundo abſconditam à gloria ducunt, in alia gloriam immarceſſibilem univerſo patentem acquirent.*

Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Ecce quomodo proponitur ab Apoſtolo nobis viatoribus tranſitus ſubitus ab extremo in extremum; loquitur autem ad illos fideles, qui pro Chriſto omnem gloriam mundanam abjicientes abſconditi vivunt, & veluti mundo ignoti ſoli Deo noti ſerviunt; ô vos ità vitam abſconditam contemptibilem viventes, ne timeatis, ait Apoſtolus, quia cum Chriſtus toti mundo glorioſus Judex apparebit, tunc hæc vita veſtra glorioſa toti mundo apparebit, ibi ſimiles Chriſto quoad cognitionem apparebitis, vitam novam in dilectione obtinebitis, & ſatietatem in fruitione: ô felix vita; ô quando videbo gaudium meum magnum, quod deſidero! ô quando inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam ſuſpiro. *Ser. 1. in circumciſ. ſer. 2. Dom. 3. Paſchæ: ſerm. 5. de plur. mart. Luc. c. 16. v. 12. Ioan. collat. 75.*

23. *Ad vitam gloriæ non poteſt homo pervenire, niſi priùs in ſe occidat vitam veterem.*

Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Nota concluſionem, quam ex promiſſione novæ vitæ in gloria promiſit Apoſtolus, infert, q. d. ſi vultis in gloria vitam novam perficere, priùs in hac vita mortali mortificate membra veſtra; & qualia ſunt iſta membra? brachianè, oculos, manus? membra veſtra, ait, quæ ſunt ſuper terram, ideſt terrestria, membra ſcilicet hominis veteris, quæ ſunt fornicatio, avaritia, &c. ideſt opera carnalia, mundialia, quæ conſtituunt corpus veteris hominis, iſta mortificate, & occidite, & diſſipate, ut novum hominem induentes per exercitium virtutum ad illam beatam vitam poſſitis tandem pervenire in Chriſto obtinendam. *Ser. 1. Dom. 3. poſt eſt. Epiphan. ſer. 3. Dom. 2. Paſchæ: op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 19. op. de ſex alis Cherub. Ioan. cap. 11. v. 16. collat. 19. & 57. Luc. c. 5. v. 36. op. Dict. tit. 6. cap. 1. Turon. cap. 3.*

24. *Ad perfectionis montem gradatim aſcendendum, & numquam quieſcendum.*

Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, qui renovatur de die in diem ſecundùm imaginem ejus, qui creavit illum. Nota vim verborum, in quibus prima facie apparet contradictio, optat Apoſtolus, ut nos induamus novum hominem; & poſteà dicit, quod iſte novus homo renovatur de die, in diem, ſi jam ſupponitur novus iſte homo aſſumptus à ſervis Dei, quomodo denuò renovandus? ſed tamen optimè id dicit, & optimo ordine, novus iſte homo conſtituitur poſt expoliationem veteris, ſcilicet malorum actuum per exercitium virtutum humilitatis, patientiæ, charitatis, &c. ſed tamen ne credat homo ſupervenisſe ad metam, dicit qui renovatur de die in diem, quaſi dicat, dum per iter perfectionis ambulas, ne credas ſtatim ad metam ipſius perveniſſe, ſed aſpice ad Chriſtum, qui eſt imago, menſura, & regula totius perfectionis; & diſce, quod ſicut ipſius perfectio eſt ſine menſura, & limitatione, ſic tibi ſemper ſurſum eſt aſcendendum de perfectione in perfectionem, de ſtatu in ſtatum, ut ſic ſemper novam veſtem acquirendo renoveris de die in diem, numquam in hoc itinere quieſcendo. *Op. 51. in. p. 3. c. 4.*

25. *Chriſtus ſine acceptione perſonarum omnes ad ſalutem vocat.*

Ubi non eſt Gentilis, & Judæus, circumciſio, & præputium, Barbarus, & Scytha, ſervus, & liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Ecce qualiter exprimitur charitas, & amor Chriſti Jeſu in omnes homines, quos, quantùm eſt in ſe, omnes vult ſalvos, cum enim ſit omnia in omnibus, ſcilicet Creator, ſalvator, Dominus, ductor, motor, Deus, caput, Pontifex, ſol omnibus communis, ideò omnes quantum eſt in ſe vocat, illuminat, pulſat, & trahit, ideóque in omni ſexu, & ætate, & conditione poteſt quiſque per Chriſtum ad ſalutem pervenire. *Lib. 3. d. 19. a. 1. q. 3. ad 1.*

26. *Veſtes, & ornamenta juſtorum expenduntur.*

Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti. Ecce quali arte induendus eſt novus homo; ſcilicet ſicut electi, ad modum, quo ſancti, & dilecti Dei induuntur, & qualibus veſtibus? ecce veſtes! viſcera miſericordiæ, benignitatem, modeſtiam, patientiam, & conſimilium virtutum, quæ veluti veſtes induunt, cooperiunt, & ornant novum hominem in Chriſto; ſed tamen ad hoc, ut animam reddant ornatam, pulcram, & dignam, ut poſſit in conſpectu Dei & hominum cum honore, & decore apparere, requiritur vinculum, & cingulum nobile, quo iſtæ veſtes colligantur, & ſuis locis aptentur, & contineantur, ſine quo dives pauper eſt, & cum quo pauper dives, & pulcher eſt, & decorus: hoc cingulum eſt charitas, quæ totam perfectionem,

ctionem, & pulchritudinem confert cæteris veſtibus, & animæ. *Ser.3.Dom.3. Adv.ſer.2. Dom. 16.Pentec.ſer.2.in omn. ſanct. Luc.c.1. v.78. cap.6. v.30.c.7.v.47.Ioan.c.19 v.24.collat.77. Pſal.118. c.4.v.2.lib.1.d.10.dub.2.lib.3.d.17.a.1. qu.2. d.29. a.1.qu.1.& d.36.qu.6.op.de ſeptem itin.æterni.itin.4. d.6.ſer.2.de Apoſt.in addit.*

27. *Cordis tranquillitas grande.*

Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore. Ecce quid conſequitur ad veſtimentum novum ſuprà poſitum ab Apoſtolo; nempè pax cordis in Chriſto Jeſu; hoc enim eſt maximum bonum, & ſummè deſiderabile in hac vita; hæc enim adjuvat animam ad exercitium virtutum, hæc omnia portat bona, hæc reddit homines imperturbabiles ad quemcumque ictum adverſæ fortunæ; hæc eſt veluti præmium ſummum procedens ex gratia Dei, quod poteſt haberi in hac vita. *Op. Diat. tit.7.c.6.& append.ad Dom.4.Epiph.*

28. *Pſalmodia in Eccleſia quàm Deo chara.*

Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes, & commonentes vosmetipſos, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Nota, quod inter maxima bona Eccleſiæ poſt poſſeſſionem doctrinæ Evangelicæ, de qua hic agit Apoſtolus dicens, Verbum Chriſti habitet in vobis, &c. unum ex præcipuis eſt Pſalmodia, quæ in Eccleſia celebratur, in qua homines ſimul cum Angelis laudes, & gratiarum actiones proferunt Deo. *Ser.2.S.Laur.in addit.*

29 *Omnia in Chriſtum tamquam in ultimum finem ejuſque gloriam debet homo referre*; hoc enim eſt facere opera in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Vide lib.2. d.41. a.1. qu.3. & quæ dicta ſunt in prima ad Corint.cap.10.*

30. *Omnes in ſuo ſtatu poſſunt ſalutem acquirere in Chriſto, etiamſi non ſequantur Chriſtum in abrenuntiatione actuali omnium rerum*: Undè Apoſtolus poſtquam ſuaſit perfectioribus viam perfectionis ſectandam, ſe convertit ad inſtruendum mulieres, qualiter ſe habere debeant ad viros ſuos, & ad viros è converſo; item ad Patres in regendo familiam, & educando filios; item ad ſervos in ordine ad ſuos Dominos; *de quo in epiſt. ad Corinth. actum eſt: Vide op. Apol. Paup.Reſp.4.c.1.lib.2.dub.6. qu.ult.d.44. a.3. qu.2. lib.4.d.19.qu.3.Pſ.118. c.2. v.12. op. de ſex Alis Seraph.c.4.op.Eccleſ.Hier.p.2.c.1.& 2.*

CAPUT IV.

In hoc ultimo capite Apoſtolus inſtruit Dominos in ordine ad regimen ſervorum; deindè hortatur omnes ad orationis frequentiam, & ſapientiam Chriſtianam, & ad prudentiam ſervandam in loquendo; deindè ſpecialiter ſalutat ſuos.

31. *Acceptio perſonarum diligenter caveatur à ſuperioribus, & Parentibus cum ſubditis.*

Domini, quod juſtum eſt, & æquum, ſervis præſtate: Græcus legit, *Domini æqualitatem ſervate cum ſervis.* Et hoc eſt unum ex præcipuis monitis, quod Dominis, Prælatis, Parentibus pro bono ſubditorum regimine aſſignat Apoſtolus, nempè ut caveant ab acceptione perſonarum unum delicatè, alium durè tractando ſine urgenti cauſa. nam talis acceptio perſonarum pacem turbat, invidiam aliorum concitat, & ſuperiores in odium illorum, qui negliguntur, & poſtponuntur adducit, ut factum eſt inter fratres Joſeph; talis autem acceptio perſonarum peccatum eſt injuſtitiæ, ideò cavendum *Op.ſpec.an.c.3. Cent.p.1.ſect.10.op.Phar.li.3.c.38.*

32. *Orationis frequentia cum gratiarum actione ſuadetur.*

Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione. Vide, quod in ſuadendo orationis inſtantiam, & perſeverantiam, addit Apoſtolus gratiarum actionem pro beneficiis à Deo acceptis, talis enim oratio Deo ſummopere placet, & valdè conducens ad perfectionem. *Luc. 6.9.v.1 7.c.11.v.9.*

33. *Prædicator, & Religioſus inſtruitur circa diſciplinam ſervandam cum extraneis.*

In ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt, tempus redimentes; ſermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, &c. Ecce quomodo Apoſtolus omnia genera perſonarum inſtruit, & quoad exercitium virtutum, & quoad bonos mores; hic autem monet quali cautela debent converſari cum infidelibus, & ſæcularibus, tùm quoad actiones, tùm quoad ſermones, ne cum ipſis tempus malè inſumant, ſed exemplariter vivant, eos ædificando in omnibus, hæcque cautela maximè habenda à Religioſis morantibus cum ſæcularibus. *Op.ſpec. diſcipl. p.1.cap.30. Luc.cap.5. verſ.7.*

34. *Quid ſit ambulare in ſapientia: Ubi de cautela in ſermonibus, & verbis.*

Ambulate in ſapientia, &c. ſermo veſter ſemper in gratia ſit ſale conditus, ut ſciatis quomodo vos oporteat unicuique reſpondere. Quid eſt in ſapientia ambulare? quid exigit Chriſtus in ſuis ſervis? hoc eſt pudicitiam in carne ſervare; hoc eſt innocentiam ſimplicem in mente cuſtodire; hoc eſt modeſtiam in ſermone oſtendere, ut ſcilicet ſit cum ſale, ideſt ſapientia conditus, & in gratia, ideſt gratioſus concilians gratiam audientium, ne ſit inſulſus, & diſſolutus, ſimulque efficax ſit ad ſuadendum bonum; hoc eſt item liberalitatem, & miſericordiam in affectu oſtendere maturitatem in judicio, & ſimplicitatem in intentione. *Ser.1.Hexam.*

35. *Sermo Religioſus qualis.*

Sermo veſter ſit ſemper in gratia ſale conditus. Nota illa duo verba, *ſale*, & *gratia*: hoc attendant verbi Dei præcones; hoc & Religioſi, & Prælati, qui maximam curam adhibere debent tum in ſermonibus promendis cum aliis, tum etiam in actionibus, ut ſcilicet devotionem, & diſcretionem oſtendant: ſicut enim Deus juſſit in lege, ut in omni oblatione offerretur ſal. *Levit.c.2.* ſic dat intelligere, quòd & vota, & facta, & ſermones rejicit, quæ ſunt inſulſa, ſcilicet in quibus nec tempus, nec cauſam, nec modum, nec alias conditiones debitas ſervant undè talia Deo, & Angelis, & hominibus, & ſanctis, in quorum veneratione quandoque offeruntur, inſipida ſunt, quia corrupta non poſſunt à vitiorum vermibus conſervari; igitur quicquid boni ſine diſcretione geſſeris vitium eſt, indiſcreta enim virtus pro vitio reputatur; & hoc evenit, quando Chriſti diſcipulus efficitur indevotus in contemplatione, & indiſcretus in actione, & prædicatione. *Ser.2. Hexam. Eccleſ.c.8. Pſal.118.c.3.v.10. Luc.c.14.v.30.ſer.1. in converſione S. Pauli in addit.*

36. *Suffragia pro animabus Purgatorii ſuadentur.*

Memores eſtote vinculorum meorum. Nota, quòd hæc eſt concluſio hujus epiſtolæ, in qua Apoſtolus ſuadet Philippenſes, ut pro ipſo orent jam Romæ in vinculis alligato, tum ut tali exemplo robocentur in fide, & conſtantia: ſed tamen myſticè hæc dicuntur in perſona animarum Purgatorii, quæ dicuntur in illis pœnis detineri in vinculis, & quia pro ſeipſis non poſſunt mereri, & obtinere liberationem ab illis vinculis, ſed quia cum ſint membra mortua, ſiccaque, ſed viva, licet vincta poſſunt recipere influentiam ſuffragiorum, ſic miſericordia divina eis indulgente, quia deceſſerunt in gratia: hinc ad aures noſtras inceſſanter clamant cum Apoſtolo mementote vinculorum meorum, ſcilicet orate pro noſtra liberatione, nec fruſtrabitur intentio, & devotio veſtra: *ergo ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis*, ſcilicet à reatu pœnæ, *ſolvantur. ſer. de animabus &c.* Utinam & nos à vinculis peccatorum ſolvamur dum vivimus, dum dies eſt, & tempus benè operandi, ne in illas flammas poſt mortem projiciamur.

Et hic explicit expoſitio in Epiſtolam ad Coloſſenſes

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM PRIMAM DIVI PAULI AD THESSALONICENSES.

PROLOGUS.

NOTA, quod Apoſtolus ex civitate Athenarum ſcripſit hanc epiſtolam ad Theſſalonicenſes (eſtque civitas Macedoniæ) qua conſtantiæ eorum in fide congratulatur, eoſque in fide confirmat, & ſuadet eis fugam vitiorum.

CAPUT PRIMUM.

1. *Prælati ſunt forma informans ſubditos ad ſui exemplar.*

PAULUS, & Silvanus & Timotheus, *Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto: gratia vobis, & pax &c. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini &c. ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus &c.* Vide quomodo in via Dei datur forma formæ; Paulus ſuo exemplo informavit in via Dei Theſſalonicenſes; iſtique ſanctè operantes forma facti ſunt, & exemplar ſanctitatis cæteris credentibus; Utitur autem tali metaphora formæ, quia per hoc dat intelligere, quòd Prælati debent eſſe veluti Cœli immittentes ſuas influentias in ſubditos, ad ſui ſimilitudinem etiam proprias formas imprimunt, ſcilicet in doctrina veritatis, in munditia caſtitatis, & in excellentia humilitatis; ſicque primâ formâ informant animam ex parte rationalis; ſecunda ex parte concupiſcibilis; & tertia ex parte iraſcibilis, & totam animam per exercitium, & exemplum charitatis: ô fælix Prælatus ſic factus forma ſubditorum. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 3.*

2. *Vocatio ad Dei ſervitium quale bonum, & quid exigat.*

Ipſi nobis annunciant (ſcilicet mei miniſtri, & ſocii) *quomodo converſi eſtis ad Deum à ſimulachris, ſervire Deo vivo, & vero. & expectare Filium ejus de Cœlis Ieſum, qui eripuit nos ab ira ventura.* Hæc eſt congratulatio Pauli, ex hoc quòd audierat fervorem, in quo Theſſalonicenſes Deo ſerviebant poſt converſionem à Gentilitio, & poſtquam in numero ſervorum Dei cooptati fuerunt, quia cognoſcentes gratiam ſpecialiſſimam ipſis à Deo oblatam, qui dignatus fuerat eos vocare ad ſui obſequium, etiam tantæ gratiæ toto corde reſpondebant ſanctis operibus: Et hoc eſt, quod unuſquiſque noſtrum debet excitare ad gratitudinem Deo habendam qui ad tantam ſublimitatem nos vocavit; quæ enim major perfectio creaturæ poteſt advenire, quàm Creatori ſuo ſervire? hæc enim eſt ſpecialiſſima gratia, quæ à nobis exigit omnem gratitudinem. *Pſal. 118. c. 6. v. 11.*

CAP. II.

3. *Chriſtiana Religionis veritas ex quibuſnam dignoſcitur differens à cæteris ſectis.*

Scitis fratres introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit (*ſcilicet prædicatio mea ad vos non fuit otioſa, & evanida*) *ſed ante paſſi, & contumeliis affecti &c.* ſcilicet ante prædicationem ſubjectus fuit perſecutionibus ærumnis, à Dæmone, Judæis, Principibus, aliiſque iniquis illatis, quibus, ſubjiciuntur ut plurimum verbi Dei præcones: (ſubdit Apoſtolus) *Exhortatio enim noſtra non de errore fuit, neque de immunditia, neque in dolo. ſed ſicut probati ſumus à Deo, ut crederetur nobis Evangelium.* Ecce ſignum patens diſcernere faciens Chriſtianæ Religionis veritatem à cæteris ſectis; nam Chriſtiana Religio, & Evangelium eſt non de errore, immunditia, aut dolo, ſed dirigens in bonum, nempè in puritatem, in veritatem, in caſtitatem, in continentiam, in virginitatem, per quæ dignoſcitur à Deo profecta. *Luc. c. 3. v. 18.* Ex hoc in quam pater quomodo aliæ ſectæ ſunt falſæ, & iniquæ, quia ſuadent vitia, ablegant continentiam, virginitatem, aliaſque virtutes; quærentes quæ ſua

Digitized by Google

ſua ſunt. non proximi ſalutem. *Luc.c.4. v.43. c.9.v.3.op.Libell.Apolleg.qu.22.*

4. *Prælati, & Prædicatores, ut ſpiritualiter fructificent in ſuis ſubditis quales eſſe debeant.*

Cum poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli; ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos. Ecce quomodo in Paulo exhibetur Prælatis, & Prædicatoribus exemplar imitandum ad hoc, ut fructum plurimum afferant in ſubditis: debent eſſe veluti parvuli inter ipſos, & veluti matres fovere illos: Prælatus enim debet eſſe quaſi unus ex ſubditis communis in omnibus, ut ex hoc, quòd præeſt eis, non putet ſe ſanctiorem, vel aliis ſapientiorem, vel digniorem, ſed viliorem, & obligatiorem in reddendo rationem pro ſe, & pro illis, & ſit veluti nutrix miniſtrans in medio eorum, infirma eorum portando, & exemplo præeundo; ita humiliter & piè eis blandiendo condeſcendens eorum teneritudini, & imperfectioni, ne contra eum dicatur, quod de duris, & non compatientibus paſtoribus conqueritur Dominus *Ezech.c.34. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, & quod fractum non alligaſtis*: ô Prælati Eccleſiarum audite, ut quid gravatis jugum veſtrum, cum cernitis diſcipulorum teneritudinem, & imperfectionem, quorum vos potiùs jugum portare debetis? ponite onera, producite ubera, pecora lactate, ut quieſcant, & ſi interdum ſeveritate opus ſit, paterna ſit, non tyrannica. *Op.de Prof. Religioſ.lib.2.c.31.op.de ſex Alis Seraph.c.4 Luc.c.9.v.48.c.22.v.26.*

5. *Prælati amor in ſubditos qualis eſſe debeat.*

Imò *deſiderantes vos* (ideſt ut legit Vatablus) *propenſi in vos; cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras.* Ideſt ut nutrix, & mater amo vos, ut non ſolùm lac, & ubera mea, ſed & animam meam, ſi poſſem, vobis tradere cuperem; amor enim ſummus totum ſe in amatum transformat: Ecce qualis eſt amor Prælati zelantis ſalutem ſubditorum; qui non ſolùm deſiderat ſubditorum corporalem ſoſpitatem, & proſperitatem temporalem, ſed magis vult eis æternam ſalutem; nam ad exemplum Chriſti totum ſe offert ad eorum ſalutem. *Op. de ſex Alis Seraph. c.3. ſer. 2. fer.2. Pentec.*

6. *Prædicator quantum fieri poteſt, vitet gravamen auditorum, & locorum.*

Cum poſſimus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli, facti ſumus parvuli in medio veſtrum. &c. nocte, & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei: vos teſtes eſtis, &c. Nota, quod Apoſtolus aliquando ſubſidium temporale exigebat ab auditoribus, ſed ſæpè, ut vitaret gravamen ſubditorum, ſuis manibus laborando vivebat: per quod admonentur prædicatores, ut quantum fieri poteſt, evitent gravamen auditorum, & locorum, in quibus evangelizant; ſic enim ſecurius, & efficacius procurabunt ſalutem ipſorum. *Op. expoſ. Regulæ cap.4.*

7. *Auditores verbi Dei quinam fructum percipiunt, & quinam minimè: Ubi de certitudine fidei.*

Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei. Nota verba, ſigna myſteria: ecce hic expreſſa ratio, quare in aliquibus verbum Dei prædicatum fructificat, in aliis nequaquam, nam qui illud audiunt ut verbum Dei, ſicut verè eſt, (objectum enim formale fidei eſt ſolum revelatio facta à Deo) ideo ſic in eis mirabiliter fructificat: in illis verò, qui illud percipiunt ut verbum hominum, vel parum, vel nihil operatur: Et hinc etiam elucet rectitudo fidei, quæ potius id, quod ſenſu percipitur, negat, quàm quod à Deo revelatum eſt. *Luc. c.1. v.41. c.10.v.6. Joan.c.17.v.24.*

8. *Perſequutores Prædicatorum perſecutores ſunt Chriſti, & hoſtes orbis terrarum.*

Imitatores mei facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, &c. quia eadem paſſi eſtis & vos à confratribus veſtris, ſicut & ipſi à Judæis, qui Dominum occiderunt, &c. Nota, quod hic Apoſtolus exprimit perſecutiones Judæorum in Apoſtolos Chriſti ejus doctrinam ſeminantes, hoſque comparat crucifixoribus Chriſti, nam qui perſequuntur Prædicatores verbi Dei, eos contumeliis afficientes, vel odio, vel factis impedientes verbum Dei, iſti ſunt perſecutores ipſius Chriſti. *Pſalm. 118. c.6.v.6. ſap.c.6. Luc.c.19.v.14.*

9. *Aureola Prædicatorum qualis.*

Quæ eſt enim noſtra ſpes, an gaudium, aut corona gloriæ? nonnè vos ante Dominum? vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium. Nota hic, quod Apoſtolus duplex objectum proponit ſuæ prædicationi aliud objectivum, & materiale, aliud formale: materiale ſunt ipſi auditores, qui ſunt veluti materia, & objectum ſpei gaudii, & coronæ ſuæ: formale eſt ipſa corona gloriæ, quam in adventu Chriſti expectabat ex ſua prædicatione. hæc autem corona alia eſt eſſentialis, ſcilicet viſio & fruitio Dei, alia eſt aureola, & corona, gloriave accidentalis, quam reportat Prædicator de incorruptione doctrinæ ad alios prolatæ verbo, & mente, & exemplo: Audiant hæc Prædicatores, ut ferventiores ſemper ſint in ſuo miniſterio, ad hoc enim debet eſſe ipſorum lætitia, ſcilicet in conſcientiæ puritate, in prædicatione, & converſione fratrum. *Op. Cenſil. p.4. ſect.1. Luc.c.19.v.17. Pſal.111.*

Digitized by Google

CAPUT III.

In hoc capite repetit Apoſtolus gaudium, quod habuit ex relatione Timothei de eorum conſtantia in fide, & ſanctis operibus, eoſque benedicit.

CAPUT IV.

In hoc capite Apoſtolus proſequitur hortari eos ad bona opera, agit tandem de reſurrectione mortuorum, & de iudicio finali.

10. *Prælati aliquando rogare debent ſubditos ad exercitium humilitatis, & profectum ipſorum.*

De cætero ergo fratres rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu, &c. Nota modum loquendi Apoſtoli, qui cum eſſet Theſſalonicenſium Prælatus, tamen non in dominationis virga, ſed in omni humilitate rogando & obſectando eos excitat ad bona opera: ſic & legitur de Chriſto, rogaſſe Petrum, à terra reducere puſillum navim: dans in hoc exemplum Prælatis, ut & ipſi humilitatem ſervent in actibus ſuis, & aliquando etiam rogando, non in virga imperando. *Luc.c.5.v.3.*

10. *Iuſti in via Dei ſemper ulterius ambulant ad patriam.*

Quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis. Ecce quale munus Chriſtianorum, & præcipuè Religioſorum, nempè in itinere perfectionis ſemper ambulare in virtutibus; id enim eſt verè ambulare ad patriam. *Serm.1. in decollat.S.Ioan.Bapt.in addit.*

12. *Dei voluntas ad quæ circa nos extendatur.*

Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra; ut abſtineatis vos à fornicatione, &c. Nota, quòd duplex eſt voluntas Dei, alia beneplaciti, qua Deus creat, & facit abſolutè quod illi placet, & de hac non eſt hic ſermo: alia eſt ſigni, qua ſcilicet ſignificat quod velit, & jubeat nos facere; & de iſta eſt ſermo, quam nobis exponit Apoſtolus, ut intelligamus quid eſt, quod vult à nobis; nempè ſanctificatio noſtra, & mundatio à peccatis; & ad hoc obtinendum ſacramenta inſtituit, & ordinavit, ut ad ipſa accedentes & ablutionem à peccatis acquiramus, & ſanctificationem per gratiam; nec hic terminat divina voluntas, nam ultra iſta vult, ut in bono excitemur, ſcilicet ut cavemus iniquitates, & ſcelera nos exerceamus in bonis operibus, & ſanctis, ſed tamen perſeveranter uſque in finem, ut tandem in Cœlo glorificemur: qui ergo vult Dei voluntatem facere, debet omnia iſta peragere, alioquin mutila erit executio divinæ voluntatis, & ſine fructu intento à Deo. *Ser. 1.Dom.2. Quadrag. lib.1.d.45.a.3. q.1. ſer.12. in Pentec.ſer.3.Dom.8.Pentec. ſer.2. Dom.11. Pent. ep.in Pater.Luc.c.19.v.31.Ioan. collat.47.*

13. *Regni Chriſti ſtabilitas tota fundatur in voluntate Dei.*

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, &c. Nota, quòd per hæc verba Apoſtolus exprimit in quonam conſiſtit ſtabilitas tota regni Chriſti: tunc enim Regnum benè regitur, quando populus voluntatem Regis facit, & obſervat, & quando Rex plebis utilitatem procurat, hoc ſecundum exprimitur in his verbis, Deus enim totus eſt in ordinando omnia ad noſtram utilitatem; ſed ut hæc obtineamus requiritur, ut nos faciamus Dei voluntatem abjiciendo à nobis ea, quæ ipſe Deus odit, ſcilicet ſcelera, & iniquitates, & obſervando ejus divina mandata. *Opuſc. Diæt. append. ad Dom.2. Quadrag.*

14. *Homo per gratiam ſanctificatus amplius ad prophanos uſus non convertatur.*

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos ab omni fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore. Quæritur hic quodnam ſit hoc vas, quod vult Apoſtolus, ut ſciamus poſſidere, & conſervate in ſanctificatione, & honore? Nota, quòd per vas alii intelligunt propriam uxorem, ut ſcilicet homo evitet fornicationes, & adulteria; alii proprium corpus, quod eſt inſtrumentum nobis datum ad ſerviendum animæ in his, quæ ad ſalutem animæ ſpectant. Seraph. Doct. dicit, quòd hoc vas eſt totus homo per gratiam, & ſacramenta ſanctificatus in corpore, & anima, qua ſanctificatione obtenta præcipit, ut conſervetur, & perſeveret in ſanctificatione veluti templum ſpirituale Deo dedicatum, & conſecratum, ne amplius in uſus prophanos, & in Dei offenſam convertatur; hocque monitum dirigitur primò ad Laicos, & ſeculares, ut viventes in obſervantia mandatorum Dei, ſanctificati perſeverent in gratia Dei: ſed tamen maximè dirigitur ad Clericos, & Religioſos, & Sacerdotes, qui cum ſpeciali privilegio ſint Deo in ordine ſacro, & per vota religioſa dedicati, & ſanctificati caveant ab omni malo, ne ipſorum vas prophanetur. *Ser.3.de dedic.*

15. *In ſchola Chriſti triplex lectio addiſcenda à ſuis diſcipulis.*

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos ab omni fornicatione, &c. de charitate autem fraternitatis, &c. ipſi à Deo didiciſtis, ut diligatis invicem. Nota, quòd in his verbis proponit ſcholam Chriſti, ejuſque lectiones, quæ ſuis diſcipulis addiſcendæ proponuntur, & ad tria capita reducuntur. Prima, autem lectio eſt de juſtitia amplexanda, & timore Dei: ſecunda eſt dilectionis: tertia eſt complacentiæ divinæ: prima eſt juſtitiæ initiativa, ſecunda provectiva, tertia eſt perfectiva, quæ eſt in exequendo ſemper in omnibus divinam

Digitized by Google

divinam voluntatem. *Pſal.* 118. *c.* 1. *v.* 7. *form.* 2. *de nuo Dell. ad finem.*

16. *Quiſque ad res proprias attendat, & curioſitatem vitet.*

Etenim illud facitis in omnes fratres, &c. & operam detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis. Notent omnes iſta verba Apoſtoli, ob quorum inobſervantiam infinita mala prodeunt; quærit, enim elidere à fidelibus curioſitatem, & otioſitatem. & ſuadet eos ad id, quod ſui muneris incumbendum; *ut veſtrum negotium agatis*, ait Paulus, ſcilicet ut agatis res proprias, ut attendatis vobis ipſis, & ad veſtram obligationem ut otioſitatem; evitetis, ſimulque curioſitatem: hæc enim eſt intellectus humani libidinoſa proſtitutio paſſim, quamlibet veritatem amplexantis, & cum ea adulterantis, facitque in malum convertere, & in ſui damnum, quod videtur; unde rectè quidam Philoſophus, aliquibus exquirentibus; an mundus eſſet animatus, an globoſus, & imperfectus, dixit vos de mundo eſtis ſolliciti & veſtram ipſorum immunditiam non curatis, ſic & Thales totus in contemplando Cœlum in barathrum incidit; undè rectè dicitur his curioſis, & otioſis, quid ad te, tu me ſequere ait Chriſtus; & hæc in totalem ruinam præcipitavit Evam. *Eccleſ. c.* 1. *op. Phar. lib.* 3. *c.* 7. *lib.* 2. *d.* 5. *A.* 1. *q.* 1. *ad arg.*

17. *Mendicitas qualis virtuoſa, qualis vitioſa.*

Et ut honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis. Nota, quòd in his verbis Apoſtolus inſimulat illos, qui otioſè viventes mendicabant victum, per quod redundabat opprobrium Eccleſiæ, eo quod Gentiles videntes eos ſanos, & valentes ſibi proprio labore poſſe providere neceſſaria; veluti otioſi quærirabant iſta à divitibus: Ex quo videtur Apoſtolus prohibere mendicitatem, quæ tamen tamquam virtuoſa, & meritoria exercetur; ſed tamen reſp. quòd mendicitas alia eſt vitioſa, alia virtuoſa. Vitioſa eſt, quam parit cupiditas, vel pigritia; mendicitas cupiditatis eſt in paupertibus ſimulatis, habens annexum cruciatum culpabilem. quo torquentur omnes avari, & cupidi non tam fame corporalis inediæ, quàm ſpiritualis nequitiæ per inſatiabilem avaritiæ voracitatem, & hanc prohibet hic Apoſtolus dicens, *nullius aliquid deſideretis*; ideſt nec dum rogetis, vel tollatis, ſed nec deſideretis: mendicitas ex pigritia eſt pauperum validorum. & otioſorum habens cum cruciatu annexum ſolatium, vitioſum tamen, atque phantaſticum, ſtudioſum enim refugientes laborem, & otioſam apperentes vacationem, fructuoſam quietem perdunt, & pernicioſam fatigationem incurrunt, hæcque & lege divina & civili prohibetur, & de hac loquitur Apoſtolus infra 2. *ad Theſſal. c.* 3. Virtuoſa mendicitas eſt illa, quam parit calamitas, & hæc eſt in perſonis miſerabilibus, & egenis habens annexum pœnalem cruciatum cum merito, cum ſit cum patientiæ, ut in Lazaro mendico: magis virtuoſa etiam eſt in paupertibus voluntariis immunibus ab amore temporalis lucri, & corpore temporalis quietis, habens annexum cum cruciatu ſolatium, virtuoſum, & verum, & meritorium, quia habet pro objecto culmen perfectionis Chriſti. *Op. Apol. Paup. Reſp.* 4. *c.* 3. *op. de Paup. Chriſti. q.* 1. *&* 2.

18. *Status Religioſorum expenditur.*

Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, &c. de charitate fraternitatis, &c. & ut honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt, &c. Nota, quod in hoc capite maximè inſtruitur Religioſus in omnibus actibus ſuis, quod explicatur metaphora parvuli, qui indiget duabus obſtetricibus ipſum conſervantibus; & in Religioſo iſtæ ſunt obedientia ligans eum in manibus, & pedibus; & paupertas, & humilitas, quæ involuit eum in panniculo, & inclinat cum Chriſto in præſepio, & cunabulo claustrali cum fræno temperantiæ, & capiſtro cilicii: debet etiam habere duas nutrices in progreſſu, ſcilicet veritatem, quæ doceat eum loqui ſermones Dei; & honeſtatem, quæ doceat eum ambulare, de qua hic loquitur Apoſtolus; debet & habere duas conſiliatrices in perfectione, & ſtatu, ſcilicet charitatem ad Deum, & proximum, & auſteritatem ad ſeipſum; de qua ſupra pariter loquitur Apoſtolus, & hæc eſt ambulatio, & progreſſus, quem conſulit Apoſtolus. *Op. Diat. tit.* 4. *c.* 1.

19. *Iter Religioſorum quale eſſe debeat.*

Et ut honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis. Ecce qualis obligatio Religioſorum, qui à Deo ſunt vocati in partem ſortis ſanctorum: debent enim ambulare. & quomodo? ambulare honeſtè; quid eſt ambulare honeſtè? hoc eſt dignè per devotionem, ut hæc virtus iter incipiat, & proſequatur totum iter noſtrum; item cautè per diſcretionem, & propriè honeſtè per circumſpectionem attendendo, & ſibi ipſi, & proximo, & extraneis, & Deo. *Pſal.* 118. *c.* 3. *v.* 13.

20. *Mortuorum funera qualem triſtitiam in Chriſtianis admittant: Ubi de dormitione mortis.*

Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent, ſi enim credimus, quod Jeſus &c. Nota, quod videtur Apoſtolus prohibere luctum, & triſtitiam in morte noſtrorum charorum, qui tamen in ſacra ſcriptura admittitur, imò præcipimur flere ſuper mortuos; cur igitur Apoſtolus oppoſitum præcipit? ſed tamen iſta non opponuntur, non enim prohibet omnem triſtitiam in morte defunctorum amicorum, hæc enim naturalis eſt, ſed eam tantùm quam habent Gentiles, & impii, qui ſpem veram non habent, ſicut nos Chriſtiani, qui ſperamus præmium in alia vita. & reſurrectionem futuram; undè noſtra triſtitia mixta eſt conſolatione, & dolore; dolor eſt ex morte præſenti, conſolatio ex præmio, quod expectamus; & hinc etiam virtute hujus ſpei ſuffragia pro eis offerimus. *Luc. c.* 8. *v.* 52. *c.* 23. *v.* 28. *c.* 24. *v.* 21. *ſer. de animabus. ſer.* 1. *in Paſcha.*

100. *Ad pacem Dei invitatur anima amplexandam; ad pacem mundi vitandam.*

Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. Quænam eſt iſta pax Dei, quam nobis precatur Apoſtolus? pax iſta ait Chryſoſtomus eſt reconciliatio, quam fecit Deus cum hominibus per Chriſtum: pax Dei ait Anſelmus, eſt, quam habet Deus in ſe, quam & participat hominibus; pax (dicunt alii) eſt condonatio injuriarum: Ad litteram pax Dei, de qua hic loquitur, eſt tranquillitas conſcientiæ, quæ oritur ex munditia ipſius, & exercitio virtutum, & amoris in Deum; hanc autem opponit Apoſtolus paci mundi, quæ non eſt vera pax, conſiſtit enim in dominio concupiſcentiæ ſuprà rationem, & iſta eſt pax maledicta, & diaboli, bellum perniciosiſſimum ingerens animæ: Pax verò Dei eſt, quæ dominari facit rationem concupiſcentiæ, qua anima ſe exercet in operibus juſtitiæ tenens mundatam animam, & fervenſter diligentem Deum, & iſta pax affert interius ſecuritatem animæ, exterius unitatem cum proximo, & ſuperiùs hæreditatem Cœli; ideò exuperat omnem intelligentiam, & cuſtodit animam ab omni incurſione hoſtium, & omnem conſolationem affert. *Luc.c.12. v.51.ſer.1. Dom. in Albis. ſer. 2. Dom.3. quadrageſimæ. op. Brevil. p.3 c.6.Pſal.84.& 130.Luc.c.2.v.14.c.8.v.48.*

101. *Chriſtiani veri mores expenduntur.*

De cætero fratres quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate. Vide quomodo Apoſtolus inſtituit verum profeſſorem fidei Chriſtianæ, ut ſcilicet quæcumque vera amplectatur, ideſt veritate vitæ, & conformia Chriſtianæ legi, & profeſſioni: vera (ait Theophil.) ideſt virtutibus prædita, quia omne vitium mendacium eſt; ad quam veritatem vitæ ſequitur pudicitia, honeſtas, gravitas, verecundia, caſtitas, ſanctitas in ordine ad Deum; amabilitas, ideſt concordia ad proximum, & exemplaritas vitæ, ita ut ſemper reſpicere debet ad laudabilia opera, non quidem ad laudem hominum captandam; & ad hæc promovenda maximè juvat contemptus mundi, divitiarum, & auſteritas vitæ. *Ser. de S.Elizab. & Chryſoſt.hic.*

102. *Paupertas altiſſima ſimilitudinem cum Dei opulentia affert.*

Ego didici, in quibus ſum ſufficiens eſſe; ſcio & humiliari, ſcio & abundare (ubique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari & eſurire, & abundare, & penuriam pati. Vide quomodo Paulus coacervat ſimul tam oppoſita; primò dicit ſibi eſſe ſufficiens, ſcilicet omnibus abundans: ſecundò dicit ſe ſcire practicè humiliati, abundare, ſatiari, & eſurire, & penuriam pati, & omnia poſſe in Chriſto: ſed tamen notandum eſt, quòd inter omnes ſuas virtutes, quibus à Deo ditatus eſt, extollit ſuper omnia ſufficientiam ſuam, abundantiam ſcilicet omnium divitiarum; quod verè eſt mirum, cum ipſe profiteretur altiſſimam paupertatem, & penuriam continuam pateretur, cum indigeret ſuſtentari ex miſericordia, & eleemoſynis piorum; & iterum novam admirationem ingerit, dum dicit, ſibi eſſe ſufficientem; ego enim didici, in quibus ſum, ſufficiens eſſe; quid eſt ſufficiens eſſet Deus appellatur Saddai, ideſt cui nil eſt omnis ſufficientia; & qui habet omnem ſufficientiam, nec ullo indiget & hoc eſt proprium ſolius Dei, quia omnis creatura indigens eſt, nec ſibi ſufficiens, cum de ſe ſine Deo nihil poſſit, & habeat; quomodo ergo Paulus audet dicere ſibi eſſe ſufficientem? ſed attende ad mirabilem virtutem paupertatis voluntariæ quæ homines reddit ſimiles Deo; qui enim omnibus renuntiavit, qui nihil in mundo deſiderat præter Deum, qui ſua ſorte perfectè contentus eſt, qui nihilo indiget habens Deum; iſte in Chriſto ſibi ſufficiens eſt; iſte æquanimiter ſe habet & in divitiis, & in paupertate, & in abundantia, & in penuria, & in opulentia, & in carentia omnium rerum, iſte nihil habet, & omnia habet; iſte ditiſſimus, & pauperrimus, iſte fæliciſſimus in infælicitatibus, iſte miſer, & in miſeria beatus: ô beata paupertas, fælix pauper Chriſti, quæ ad ſtatum Angelicum, imò & divinum erigis degentes in hac valle lachrymarum; & hoc eſt, quod reddit alacres, lætantes, fælices homines in terrâ; de quo tantum Apoſtolus fæliciter, & ſanctè gloriabatur; & hinc ſequitur, quòd quo magis quis eſt abundans divitiis terrenis, & fælicitatibus mundi, eo minus eſt ſibi ſufficiens, & magis indigens & miſer. *Joan. c.14.v.12. Luc.c.12. v.10.c.21. v.3.opt. Apol Paup.Reſp.2.c.2.op.ſpec. Diſcip.p.2.c.6.op.de Prof.Religioſ.lib.2.c.1.*

103. *Magiſtri, & directores animarum in omnibus debent eſſe inſtituti.*

Ubique, & in omnibus inſtitutus ſum; Sic de ſe ſanctè dicebat Apoſtolus deſtinatus à Spiritu Sancto ad directionem animarum, & circa hanc materiam edoctus in Cœlo; dicit autem, ubique, & in omnibus ſe inſtitutum, ut oſtenderet quales debeant eſſe magiſtri, & directores animarum; ubique, ait Apoſtolus, ſcilicet in omni loco, ſive Romæ, ſive alibi, ſive liber, ſive in carcere ſim detentus, & in omnibus, ideſt in omnibus negotiis, ſtatibus, & conditionibus, in proſperitate, in adverſitate, & in omni genere rerum ſcis inflectere omnia, ut ad Dei legem, & ad ſpiritus, & perfectionis apicem ducat, atque aptet, quin ad utriuſque partis ſcopulos impingat: Ad hoc autem obtinendum requiritur, ut magiſter aliorum non indigeat alio magiſtro, ob idque debet eſſe ita illuminatus, ut nihil ſit in his, quæ neceſſario eum oportet ſcire, & qui decipi non poſſit, vel à Dæmone, vel à proprio ſenſu ſub ſpecie boni, donum diſcretionis ſpirituum divinitus adeptus: Ad hæc requiritur, ut fervore devotionis ita ſit repletus, quòd ſine alterius impulſu noverit ſe ipſum ad omne virtutis exercitium fideliter extendere, prout ſemper fuerit optimum: item & ita ſit affectus amore boni, ut quaſi naturaliter omne malum horreat, & omne ſcandalum ſtud osè declinet, & ſine offenſa quiete cum omnibus converſetur: ita

Digitized by Google

ita sit humilis in omnibus, ut nec de bonis habitis extollatur, nec malis omninò carere præsumat, & hoc ut omnes excessus cogitationis, locutionis, & omissionis in se subtiliter dijudicet, & districtè castigando emendet, & in his omnibus sit ita stabilis, ut nec levitate, nec distractione aliqua, nec difficultate, vel metu exemplo Apostoli, à statu suo valeat immutari; sic enim in se erit perfectus, & ad alios utilis, & exemplaris; Et cum hæc sint vera; quis ad tam altum statum pervenit? Audiant hæc, qui adspirant ad obtinendum regimen aliorum, ad curam habendam animatum & videbunt, quòd paucissimi talibus gradibus sunt digni. *Op. de sex Alis Seraph. c.* 2.

104. *Iusti sunt perfecti mercatores lucrum reportantes in prosperis, & adversis.*

Ubique, & in omnibus instructus sum. Instructus in qua arte? Instructus sum respondet S. Bon. in arte mercaturæ spiritualis; nempè lucrum reportare in omnibus, tùm in abundantia, tum in divitiis, tum in paupertate, tum in amissione rerum, tum in carcere, tum in libertate, tum in prosperis, tum in adversis; sic, sic facit, qui Deum diligit super omnia, nempè sicut mercator non in uno foro, sed in diversis quærit, quæ sibi lucrosa videntur; sic vir justus non tantùm in quiete devotionis, sed & in labore, in distractione, in adversis, in prosperis quærit studium devotionis, & in omnibus invenit rationes, & occasiones lucrandi spiritualiter. *Op. de Prof. Religios. lib.* 2. *c.* 1.

105. *Gratia Dei ad participationem alia qualem divinæ omnipotentiæ exaltat hominem, sine qua nihil potest.*

Omnia possum in eo, qui me confortat. Ecce quòd Apostolus cum suprà id, quod de se dixerat, videretur redolere magniloquentiam, nunc totum corrigit, dicens omnia possum in eo, scilicet in Christo, qui me confortat, nempè non hoc benefactum meum, sed ejus, qui vires dat; & per hoc ostendit, quòd sine Dei gratia nihil possumus boni agere; cum adjutorio divinæ gratiæ omnia possumus; quod patet in sanctis Martyribus, qui tot, tantaque passi sunt, quasi insensibiles essent; hoc totum fuit opus divinæ gratiæ. ideò hanc petere, hanc exprimere, hanc desiderare debemus. *Ser. 2. Hexam. Luc. c.* 1. *v.* 80. *Ioan. c.* 3. *ad finem, & collat.* 6.

106. *Spei, & confidentiæ in Deum effectus mirabiles expenduntur.*

Omnia possum in eo, qui me confortat. Sed per quid te confortat, & vigorem auget? Nota, quod hoc discrimen est inter fidem, spem, & charitatem. quod fides elevat mentem ad ea, quæ sunt suprà naturam; charitas accendit animam ad Dei amorem super omnia; spes autem vigorat potentiam animæ ad opera, quæ sunt supra naturam; undè confidentiam in Dei gratiam involuit, & ad opera supernaturalia impellit, ut quod homini de se esset impossibile reddit possibile, & hinc est, quòd in justis tot mirabilia opera videntur. & hoc virtute spei, & confidentiæ firmissimæ, quam habent in Deum. *Ioan. collat.* 24.

107. *Fiducia in Deum effectus expenduntur; & qualis hæc sit.*

Omnia possum in eo, qui me confortat. Quomodo omnia potes ô Apostole? ergo omnipotentiam tibi Deus communicat? hoc autem impossibile est, cum sit incommunicabilis creaturæ: Nota, quod hic expressit virtutem mirabilem fiduciæ, confidentiæ, & spei in Deum; spes autem respicit Dei bonitatem, ejusque omnipotentiam, qua omnia bona nobis salutaria potest conferre, ac fidelitatem ejus in promissis; ideò involuit, tamquam quid sibi subordinatum, confidentiam in Deo, per quam addit ad spem firmitatem, ac robur mirabile animæ, per quod certissimus sit ipse homo sperans de futuro auxilio sibi à Deo promisso; undè innititur in Dei omnipotentia, in ejus promissis, & fidelitatè promissorum Dei, & in ejus bonitate, per quam dat fideliter ea, quæ promittit sperantibus firmiter in se; & in hoc sensu, & virtute talis spei, fiduciæ, & confidentiæ in Deum, dicit anima cum Apostolo: omnia possum in eo, qui mè confortat, scilicet per suam gratiam, auxilium, & concursum peculiarem. *Lib.* 3. *d.* 26. *dub.* 1. *& per totam dist. op. Dial. sit.* 3. *c.* 4. *op. Comp. Theol. lib.* 5. *c.* 22.

108. *Spei, fiducia, & confidentiæ, effectus in Deum expenduntur.*

Omnia possum in eo, qui me confortat. Notà ly in eo; & qui me confortat, scilicet quia armatus sum spe firmissima in Deum; & quia hæc vigorem supernum animæ tribuit; ideò omnia possum, scilicet à Deo virtute hujus confidentiæ in Deum obtinere; & quænam sunt istæ hæc sunt: primò præservat à peccatis quia non delinquent omnes, qui sperant in eo, ait David *Psal.* 33. Secundo liberat ab obsessione spirituali, & corporali Dæmonum, & ab hostibus visibilibus, si consistant adversum me castra, dicebat David hac fiducia armatus. *Psal.* 26. non timebit cor meum, ideò dicitur galea, scutum, anchora justorum. liberat à motsu, & veneno brutorum, quia facit ambulare super aspidem, & basiliscum; quod experientia multiplici experti sunt plurimi Sancti: liberat à peste, servat illæsos in bello; dat escam esurientibus; infirmitates curat, defendit à terræmotu, fulminibus aquarum submersione, grandine, aliisque periculis inopinatis; & facit homines velut omnipotentes; ad quod alludit Christus in illis verbis *Marc. ult. in nomine meo Dæmonia ejicient. linguis loquentur &c.* cum aliis; quæ ibi subjungit Christus; *sic in loc. cit. S. Bon.* Quæ omnia maximè redundant in gloriam Dei, ejusque fidelitatem, & omnipotentiam.

109. *Alii eleemosynam petunt ad propriam utilitatem; alii ad salutem dantium.*

Non quæro datum sed requiro fructum abundantem in ratione vestra: Græcus legit, in rationem vestram, idest in computum vestrum: Nota hæc verba Apostoli, quæ singularem doctrinam con-

tinent : nam cum accepiſſet eleemoſynas à Philipenſibus largas , eis gratias referens dicit non quæro datum , ideſt non ad meam utilitatem recipio iſtas eleemoſynas , ſed ad veſtram rationem , ſcilicet ad veſtrum lucrum , ſed requiro, ut ex iſtis eleemoſynis fiat liber , in quo in Dei memoria ſcribantur ex una parte beneficia à Deo nobis collata , & ex alia eleemoſynæ pro Chriſto mihi , & cæteris Chriſti pauperibus erogatæ ut tanquam credita veſtra computentur : Hic verò oſtenditur , quod petentium eleemoſynam alii ſunt , qui petunt ad ſuam utilitatem propriam ,& iſti mendici mundani , & pauperes neceſſarii : alii verò petunt eleemoſinam à divitibus non tantùm ad ſubveniendam propriam indigentiam , ſed magis ad ſalutem , & propter deſiderium ſalutis ipſorum erogantium ; & hoc eſt , quod dicit Apoſtolus gratias agens Philipenſibus de beneficio collato, non quæro datum , ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra , ut intelligamus , quod datum quærit , qui delectatur præcipuè in re accepta ; fructum requirit , qui delectatur in ſalute aliena : Hoc attendant mendicantes Religioſi, & maximè filii ſeraph.Franciſci , qualem finem debeant ſibi præfigere in quæſtuatione eleemoſynarum , & debent confidere in Deo, quod pro eleemoſyna recepta à benefactoribus Deus illis centuplum dabit. *Op. de Panp.Chriſti q.* 1.*a.*2.

110. *Beneficia divina recolenda, & Deo compenſanda.*

Non quæro datum , ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra. Hæc ſunt verba Apoſtoli , per quæ intendit nos excitare ad excogitandum frequenter inter datum . & acceptum ; ſcilicet inter bona à Deo à nobis accepta , & compenſationem ipſi debitam , & factam, in hoc autem cum innumera ſint beneficia . quæ à Deo ineeſſanter recipimus , bona inquam naturæ,fortunæ , gratiæ & gloriæ ; ſuper hæc dicit nobis Chriſtus non quæro datum. ſed quæro acceptum idem & debet homo dicere ; non quæro datum, ſed quæro fructum , ſcilicet quo plura recipit à Deo ſemper invenit homo ſe debitorem , Deum verò creditorem , ideò debet homo multiplicare gratiarum actiones , opera bona , & maximè miſericordiæ , quæ in codice rationum ſuarum cum Deo ineundarum ſcribere poſſit tanquam propter Deum expenſa , quæque Deo ipſi in ratione ipſius quaſi credita ſua computet . ut ipſe Deus homini rependat , & ſolvat æterna mercede. *Op. Incendium c.* 1. *ſer.*4. *Rogat. ſer.* 3. *Dom.*3. *Pentec.*

111. *Prædicator zelans ſalutem animarum dicit, non quæro datum , ſed requiro fructum* , ideſt non aſpicit ad labores . quos in ſalute animarum aſſumit , ſed ad fructum,ad lucrum animarum, nec aſpicit ad emolumenta temporalia, ſed ad ſpiritualia ; ſic enim piſcator ſit non piſcium , ſed hominum , ſed animarum. *Luc.c.*5.*v.*10.

112. *Eleemoſyna quàm Deo chara, & homini fructuoſa.*

Habeo omnia,& abundo ; repletus ſum , acceptis ab Epaphrodito, quæ miſiſtis , odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam , placentem Deo : Deus autem meus impleat omne deſiderium veſtrum ſecundùm divitias ſuas in gloria in Chriſto Ieſu. Nota, quod Paulus loquitur ad litteram de eleemoſynis ad ipſum miſſis à Philippenſibus , quas appellat hoſtiam acceptam Deo , placentem , & odorem ſuavitatis ; & pro quibus orat Deum . ut impleat omne deſiderium ipſorum ſecundùm divitias Chriſti in gloria : Per quæ dat intelligere,quod eleemoſyna facta pauperibus, & maximè Chriſti eſt ſacrificium Deo odorem optimè fragrans,& in cujus virtute homo citò locupletatur, & repletur divitiis ſpiritualibus , & ſæpè etiam temporalibus , & etiam levatur in ſublimem locum gloriæ ; dicente Domino.*Prov.c.*21: *Qui pronus eſt ad miſericordiam , benedicetur ; de panibus ſuis dedit pauperi eſurienti . ideò acquiret victoriam , & honorem : ſer.* 1. *Dom.*1. *Pentec Luc.c.*21.*v.*4. O dignetur Deus benedictus nobis conferre hanc ſuam benedictionem , ut hic in ſua gratia perſeverantes poſſimus tandem pervenire ad illam æternam benedictionem poſſidendam in Cœlo cum Angelis , & Beatis.

Et hic eſt finis expoſitionis Seraphici Doctoris in Epiſtolam ad Philippenſes ad gloriam Dei ſempiternam.

EXPO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM DIVI PAULI AD COLOSSENSES.

PROLOGUS.

NOTA, quòd in hac epiſtola Apoſtolus inſectatur errores, & hæreſes, quas Simon Magus diſſeminabat in hac civitate, & alibi contra Chriſtum, variaque documenta pro reformatione morum omnibus tribuit: ſcripſit autem hanc epiſtolam; dum Romæ detinebatur in carcere, &c. Nota etiam, quòd ut obſervant ſacri Expoſitores hæc epiſtola valdè affinis eſt quoad materiam epiſtolæ ſuprà ad Epheſios ſcriptæ; imò eadem penè ad verbum cum illa ſubindè habet ſententias; undè in expoſitione hac multa tranſmittemus ad eamdem, ne actum agamus.

CAPUT PRIMUM.

1. *In hoc capite Apoſtolus gratulatur Coloſſenſibus de eorum fide, & vita Chriſtiana, oratque ut in ea creſcant Deo ſervientes cum patientia, latitia, & gratiarum actione: docet poſteà contrà ſimonis Magi hæreſim, non Angelos, ſed Chriſtum eſſe opificem, & Creatorem omnium rerum, etiam ipſorum Angelorum, ob idque caput, & Redemptorem hominum.*

1. *Proprium juſtorum eſt ad ſimilitudinem arborum fructificare, & fructificando creſcere.*

GRATIAS Agimus Deo, & Patri Domini noſtri Jeſu Chriſti ſemper pro vobis orantes, audientes fidem veſtram in Chriſto Jeſu, & dilectionem, quam habetis in ſanctos omnes, &c. in verbo veritatis Evangelii, quod fructificat, & creſcit, &c. ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei; in omni virtute, &c. Nota, quòd in hoc capite Paulus proponit fructum auditionis Evangelii, quem reportarunt Coloſſenſes, quem explicat Apoſtolus exemplo novellæ arboris, quæ creſcendo fructificat, & fructificando creſcere non ceſſat; darque intelligere obligationem, quam habent ſervi Deo dicati, & fideles Chriſtiani, nempè arripiendi operum bonorum multiplicationem, & profectum in exercitio perfectionis de virtute in virtutem; ſic enim ſe oſtendunt veræ plantationes vineæ Eccleſiæ dignas. *Op. Dier. append. ad Dom. 24. Pent. Pſal. 118. v. 4. v. 1. Luc. c. 13. v. 19. ſer. 2. fer. 2. Paſchæ*

3. *Sors Chriſtianiſmi qualis.*

Cum gaudio gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. O audiant hæc Chriſtiani, qualis fuerit ſors, quæ ex baptiſmo, & ſacramentis eis contigit: In hac vita enim virtute ſanguinis Chriſti, fidei, & ſacramentorum admumerati ſunt inter Sanctos participando ſortem. & benedictionem ſanctorum, quæ poſteà in alia vita complementum recipiet per lumen viſionis claræ Dei. *Sap. c. 5.*

4. *Regnum Filii Dei eſt amor Dei, in quod reducit ſuos per fidem, & opera bona.*

Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, remiſſionem peccatorum. Nota, quòd Apoſtolus proſequitur declarando fœlicitatem Chriſtianorum, qui virtute fidei, & baptiſmi vocati ſunt in partem ſortis ſanctorum, quia Chriſtus, qui dicitur filius dilectionis Patris, non quòd ſit genitus per voluntatem, & ob id idem

cum ſpiritu ſancto, ut voluit ſabellius, ſed dicitur filius dilectionis, ideſt filius dilectus, & chariſſimus Patris ex ſua ſubſtantia genitus, hinc iſte filius Deus, & homo tranſtulit ſuos fideles credentes per gratiam in ſuum regnum; & quale eſt hoc regnum Chriſti in regnum, ſcilicet dilectionis, & amoris, quia in ſolis illis regnat Chriſtus, qui illum diligunt, tribuēs eis fructum redemptionis ſuæ: undè non ſufficit Chriſtiano habere fidem ad hoc, ut adnumeretur in ſorte ſanctorum, ſed requiritur ulterius dilectio, charitas, & amor. *Luc. c.14.v.20.c.1.v.71.c.2.v.7.c.3.v.24.c.10. v.9.c.15. v.21. Joan.collat.52.lib.1.d.5. dub.8.*

5. *Chriſtus primogenitus, & imago Patris, & Maria quomodo dicatur.*

Qui eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ, in ipſo condita ſunt univerſa, &c. Nota, quòd Filius Dei dicitur imago Patris, & primogenitus Patris, quia genitus ex ſubſtantia Patris ab æterno, imago eſt ipſum naturaliter repræſentans expreſſe, ſimulque primogenitus, ſcilicet non per ordinem ad poſterius, ſed ad prius, quia nullum habuit ante illum; per quod eliditur error Eluidii, & Arii, qui voluerunt ex hoc inferre Chriſtum eſſe creaturam primogenitam inter cæteras: dicitur etiam ut homo imago Matris, ejuſque primogenitus, ideſt unigenitus, quia ut homo ſimilis Matri, & primogenitus, ſcilicet unigenitus Matris. *Luc.c.2.v.7.ſer.11. Hexam. op. de inviſibilitate Dei. op. Comp. Tucal. lib.1.c.6. lib.4. c.13. lib.3. d.3. a.1. q.2.*

6. *Chriſtus etiam quoad humanam naturam caput, & Rex omnium creaturarum.*

Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit omnibus ipſe primatum tenens. Nota, quòd ex his verbis dicitur ſolutio quæſtionis Theologicæ, an Chriſtus ſecundùm humanam naturam ſit caput Eccleſiæ, & omnium hominum, & an de jure ei debeatur dominium temporale omnium creaturarum, inferitur inquam ſolutio hujus quæſtionis tribuens Chriſto etiam quoad humanam naturam rationem capitis influentis in omnes omnia dona gratiarum & regnorum, ſed tamen altioris ordinis, quàm in cæteris Regibus, ex eo quod ejus poteſtas eſt perpetua, ſtabilis, accretioni, vel decretioni minimè obnoxia; & univerſalis quoad homines, Angelos, & cæteras creaturas; & hinc meritò hic dicitur à Paulo caput omnis principatus, & poteſtatis; hoc enim ei debetur dominium tum ratione unionis, tùm ratione meritorum, in quorum virtute exaltavit illum Deus, &c. *Lib.3.d.13.a.1.q.1. Vide Suar.3. p.d.48. alioſque Theologos.*

7. *Chriſtus in utero Mariæ repletus fuit à Patre omnibus donis tum ſapientiæ,* Tùm gloriæ, tum gratiæ, tum poteſtatis, tùm divinitatis, non ſolùm ſecundùm operationem, & virtutem, ſed & per ſeipſam, ſuamque eſſentiam. Undè dicit Apoſtolus, *quia in Chriſto complacuit,* ſcilicet Patri, *omnem plenitudinem inhabitare.* Nempè quando in utero Mariæ Verbum caro factum eſt; & hoc eſt, ut homines per hominem deprecantes audiat, & eorum poſtulationibus condeſcendat, & propter hoc omnes collectæ, & orationes Eccleſiæ per Chriſtum Dominum noſtrum finiuntur. *Opuſc. Eccleſ. Hier.p.4.c.6.*

8. *Per Chriſtum ejuſque ſanguinis effuſionem in cruce pax reddita eſt hominibus, Angelis, & toti mundo.*

Complacuit, Scilicet Patri, *omnia per Chriſtum reconciliare in ipſum pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt.* Ecce effectus mirabiles Paſſionis Chriſti in cruce, nam per ejus ſanguinem effuſum Pater ſibi reconciliavit omnia quæ in terris, & in Cœlis ſunt. ſcilicet pacificavit homines, & Angelos. cœleſtia, & terreſtria in homine, inimicitiæ enim erant inter homines, & Angelos, ſed per crucem omnes pacificati ſunt; & ideò in cruce ſancta Angeli gaudia ſua accumulata conſpiciunt; per crucis ſignum in frontibus impreſſum homines à ſanctis Angelis cuſtodiuntur, & reverentur, & liberantur à malis, & hinc aperta eſt janua Paradiſi omnibus viatoribus per Sacramenta, in quibus applicatio fit virtute ſanguinis Chriſti. *Ser.2 in Invent. S.crucis in addit.ſer.2.f.r.3.Paſchæ.ſerm.1. Dom. in Albis.lib.4.d.3.p.2. dub.6.*

9. *Qualis pax reddita eſt mundo per ſanguinem Chriſti.*

Pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt. Ecce quales fructus producti fuerunt per ſanguinem à Chriſto effuſum in cruce; nempè pax, ſcilicet hominis ad Angelum, pax hominis ad Deum, & pax hominis ad homines, ut ſic qui longè erat à Deo per peccatum fieret propè per gratiam; felix igitur, qui hanc pacem ſectatur, qui hanc pacem fovet, qui eam conſervat, permanens in fide ipſius. *Op.ſpec.B.Virg.lect.18.ſer.4.Dom.5.Pent.ſer.8. in Nativit.Luc.c.2.v.14.c.10.v.5.c.19 v.38.c.22. v.20.c.24.v.36.*

10. *Pati cum Chriſto gaudenter ſignum eſt prædeſtinatorum.*

Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis. Nota hoc verbum gaudeo in paſſionibus, ut videas quale ſit ſignum prædeſtinatorum, ſcilicet gaudenter Deo ſervire; & pro Chriſto perſecutiones, & tribulationes pati, non enim ſufficit, ut gaudium foveatur in corde, ſed requiritur, ut in opere exterius demonſtretur; & hoc maximè in patiendo; unde de Apoſtolis dicitur. Ibant gaudentes à conſpectu concilii, ſcilicet exteriùs, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati; in hoc enim juſti ſe demonſtrant vera membra Chriſti, qui voluntariè tot pœnas ſubeunt. *Serm.2.de plur.mart. ſer.3. de una Virgine.*

11. *Paſſiones juſtorum, quomodo dicuntur complementum Paſſionis Chriſti.*

Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Sed quomodo dicit Paulus ſe adimplere ſuis paſſionibus ea, quæ deſunt paſſioni Chriſti? ergo ne

Chriſti

Chriſti paſſio fuit deficiens, diminuta, & inſufficiens? reſp. negando conſequentiam; communiter autem reſpondent Theologi, quod Chriſti Paſſio fuit ſufficientiſſima pro toto mundo, & infinitis hominibus, ſed non pro omnibus efficax, ſed tantùm pro electis; quia ad hoc, ut ſit efficax ad ſalutem requiritur communicatio meritorum ejus, quæ fit per imitationem noſtram, & per bona opera, & maximè patiendo pro Chriſto; undè rectè dicitur, quòd Chriſtus communicat ſuas paſſiones ſuis electis per quas dicitur pati in membris à principio uſque ad finem mundi, in quo tempore erit conſummatio Paſſionum Chriſti, quia in cruce conſummatio paſſionum facta eſt in capite, ſed non in membris, hæc autem perficietur in fine, & tunc ſequetur glorificatio, & retributio plena. *Luc. c. 17. v. 25. lib. 3. d. 19. a. 1. q. 2. ad primum.*

CAPUT II.

Apoſtolus in hoc capite hortatur fideles, ut in fide, & charitate Chriſti firmentur, quia per ipſum circumciſi ſumus ſpiritualiter, & conſepulti ei in baptiſmo; qui & delevit chirographum peccat, illudque affixiſſe cruci, ibique triumphaſſe de peccatis, & Dæmonibus, & cæremonias Judaicas abrogaſſe docet.

12. *Chriſtus ut Deus, & homo domus, in qua omnes ſapientiæ, & ſcientiæ theſauri continentur, & manifeſtantur.*

IN Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Nota, quòd Apoſtolus totus erat in deducendo ſuos fideles in cognitionem myſteriorum fidei comprehendentium omnem ſapientiam, & ſcientiam, & ideo eis inſinuat ſcholam, in qua poſſunt iſta penetrare, & addiſcere; hæc autem eſt ipſe Chriſtus Ieſus, in quo ſunt abſconditi, & continentur omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ, undè qui ad lumen fidei in iſtam domum non intrat, nunquam poteſt pervenire ad veram ſapientiam, & ſcientiam percipiendam: Intremus igitur ô dilectiſſimi in hanc domum, intremus in ejus vulnera, ut ibi percipiamus & omnem veritatem, & omnem ſaporem, & dulcedinem. *Ser. 1. & 2. & 14. Hexam. op. de dono piet. c. 3. ep. de dono intell. c. 4. op. de dono ſap. c. 11. ſerm. 1. Dom. 4. poſt oct. Epiph Luc. c. 2. v. 40. c. 4. v. 5. cap. 9. v. 31. Ioan. collat. 6. & 60 ſer. 5. de pur. mar. ſerm. Dom. 4. Adv.*

13. *Animarum Curati, & Prædicatores ſemper ſint præſentes ſuis ſubditis ad ipſorum profectum procurandum.*

Sic Apoſtolus dicebat Coloſſenſibus. *Et ſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu vobiſcum ſum.* Videant, & audiant hæc Curati animarum, qui non debent eſſe contenti eis miniſtrare in præſentia omnia auxilia ſpiritualia neceſſaria ad eorum ſalutem, ſed etiam abſentes corporaliter, debent eis eſſe præſentes ſpiritualiter pro eis orando, eis ſpiritualia providendo, ſuper ipſorum profectum aſſiſtendo, & ad cœleſtem gloriam dirigendo. *Luc. c. 9. v. 19.*

14. *Ordo in agendis in Eccleſia quam ſit neceſſarius, & utilis.*

Spiritu vobiſcum ſum, gaudens, & videns ordinem veſtrum, & firmamentum fidei veſtræ. Quis iſte ordo Coloſſenſium, de quo tantùm gaudebat Apoſtolus? gaudens, & videns ordinem veſtrum? Nota quòd Apoſtolus ſæpè inculcabat ordinem ſuis fidelibus, nempè quo benè, & ordinatè omnia fiebant in Hierarchia Eccleſiaſtica; & hoc eſt maximum bonum, ut patet in omni republica, quæ ſine ordine non poteſt conſiſtere, & hoc maximè in Eccleſia: ſicut enim Deus facit omnia in menſura, & numero, & pondere, ſic & Religioſi, & Eccleſiaſtici debent in omnibus ſervare ordinem conſtitutum in Eccleſia, & omninò cavere à confuſione, quæ oritur ex inobſervantia debiti ordinis; qui ordo ſervandus eſt etiam à quolibet in ſeipſo; ſicut enim unuſquiſque ſenſus ſe exercet circa proprium objectum, refugit ſibi nocivum, & non uſurpat alienum; ſic & anima Deo ſerviens ordinata in ſe debet eſſe, ſeipſam exercendo in eo, quod eſt contra negligentiam, refugiendo ſibi nocivum contra concupiſcentiam, & non uſurpando ſibi alienum contra ſuperbiam; omnis enim inordinatio aut venit ex negligentia, aut ex concupiſcentia, aut ex ſuperbia; ille autem vivit ordinatè, qui vivit prudenter, temperanter, & obtemperanter, ut refugiat negligentiam in operabilibus, concupiſcentiam in appetibilibus, ſuperbiam in excellentibus, ſivè ſublimibus. *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. cap. 6. op. de reductione artium ad Theologiam.*

15. *In Chriſto quomodo dicitur inhabitare corporaliter omnis plenitudo divinitatis.*

In Chriſto inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Vult dicere, quòd nos tenemur ſequi Chriſtum noſtrum Doctorem, & ductorem, non inanem Philoſophiam plenam erroribus. ex hoc quod in Chriſto inhabitat corporaliter omnis plenitudo divinitatis, ſcilicet tota unita eſt divinitas non ſolùm animæ, ſed & corpori in unitate hypoſtaſis; undè ſicut corpus habet tres dimenſiones longitudinem, latitudinem, & profunditatem; ſic tota divinitas eſt in Chriſto; primò ad modum lineæ, & longitudinis per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſicut eſt in aliis hominibus; ſecundò ad modum ſuperficiei; & latitudinis per gratiam gratum facientem, ſicut in aliis juſtis: tertiò ad modum profunditatis per unionem hypoſtaticam in animâ, & corpore, ſed tamen omnes alias excedit aliarum creaturarum, quia ex unione hypoſtatica habet omnem plenitudinem gratiarum per ſuperabundantiam, ut de ipſa omnes creaturæ rationales participarent omnem cognitionem ſupernam, & omnem gratiam; & hinc ſubdit Apoſtolus. *Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis. op. Eccl. Hier. c. 4. c. 6. Io c. 1. v. 16 li. 1.*

exprimit Apoſtolus? ergonè ſolùm in gloria ſocii ſiunt Chriſti? tunc ait apparebitis cum ipſo in gloria? ſed attende ad perbellum myſterium Nota illud verbum, *Chriſtus vita veſtra*: quid eſt vita veſtra? vita eſt actus vitalis continuus, non interpellatus; ergo ſi Chriſtus eſt vita juſtorum, numquam ab ipſo ſeparati vivunt; & ſi hoc, quomodo dicit, quod tunc denuò apparebunt in gloria? ô bone: *In Eccles. cap.* 12. dicitur *revertetur pulvis in terram*, ſcilicet in morte hominis, & tunc ſpiritus redit ad Deum, qui dedit illum: Iſte ſpiritus eſt homo ſpiritualis, qui Deo eſt conjunctus per gratiam, & dicitur redire ad Deum, non quia prius fuerit cum eo, & poſt recurrit, cum venit ad corpus, & in morte iterùm revertitur, ſed ideò redire dicitur, quia ab illo, ſcilicet à Deo eſt, & per illum eſt, & ad illum finaliter ordinatur, & hoc completè erit in gloria poſt judicium: Undè vita juſtorum eſt veluti perfectus circulus à Deo incipiens, per Deum tranſiens, & in Deum terminans; ſicque vita ipſorum eſt perpetua, & continua, & verè felicisſima. *In Eccles. c.* 12.

22. *Qui pro Chriſto vitam in hoc mundo abſconditam à gloria ducunt, in alia gloriam immarceſſibilem univerſo patentem acquirent.*

Vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. Ecce quomodo proponitur ab Apoſtolo nobis viatoribus tranſitus ſubitus ab extremo in extremum; loquitur autem ad illos fideles, qui pro Chriſto omnem gloriam mundanam abjicientes abſconditi vivunt, & veluti mundo ignoti ſoli Deo noti ſerviunt; ò vos ità vitam abſconditam, contemptibilem viventes, ne timeatis, ait Apoſtolus, quia cum Chriſtus toti mundo glorioſus Judex apparebit, tunc hæc vita veſtra glorioſa toti mundo apparebit, ibi ſimiles Chriſto quoad cognitionem apparebitis, vitam novam in dilectione obtinebitis, & ſatietatem in fruitione: ô felix vita; ô quando videbo gaudium meum magnum, quod deſidero! ô quando inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam ſuſpiro. *Ser. 1. in circumciſ. ſer. 2. Dom. 3. Paſcha: ſerm. 5. de plur. mart. Luc. c. 16. v. 12. Ioan. collat. 75.*

23. *Ad vitam gloriæ non poteſt homo pervenire, niſi priùs in ſe occidat vitam veterem.*

Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. Nota concluſionem, quam ex promiſſione novæ vitæ in gloria promiſit Apoſtolus, infert, q. d. ſi vultis in gloria vitam novam perficere, priùs in hac vita mortali mortificate membra veſtra; & qualia ſunt iſta membra? brachianè, oculos, manus? membra veſtra, ait, quæ ſunt ſuper terram, ideſt terreſtria, membra ſcilicet hominis veteris, quæ ſunt fornicatio, avaritia, &c. ideſt opera carnalia; mundialia, quæ conſtituunt corpus veteris hominis, iſta mortificate, & occidite, & diſſipate, ut novum hominem induentes per exercitium virtutum ad illam beatam vitam poſſitis tandem pervenire in Chriſto obtinendam. *Ser. 1. Dom. 3. poſt eſt. Epiphan. ſer. 3. Dom. 2. Paſcha: op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 19. ep. de ſex alis Cherub. Ioan. cap. 11. v. 16. collat. 19. & 57. Luc. c. 5. v. 36. op. Dict. tit. 6. cap. 1. Turon. cap. 3.*

24. *Ad perfectionis montem gradatim aſcendendum, & numquam quieſcendum.*

Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, qui renovatur de die in diem ſecundùm imaginem ejus, qui creavit illum. Nota vim verborum, in quibus prima facie apparet contradictio, optat Apoſtolus, ut nos induamus novum hominem; & poſteà dicit, quod iſte novus homo renovatur de die, in diem, ſi jam ſupponitur novus iſte homo aſſumptus à ſervis Dei, quomodo denuò renovandus? ſed tamen optimè id dicit, & optimo ordine, novus iſte homo conſtituitur poſt expoliationem veteris, ſcilicet malorum actuum per exercitium virtutum humilitatis, patientiæ, charitatis, &c. ſed tamen ne credat homo ſupervenisſe ad metam, dicit qui renovatur de die in diem, quaſi dicat, dum per iter perfectionis ambulas, ne credas ſtatim ad metam ipſius perveniſſe, ſed aſpice ad Chriſtum, qui eſt imago, menſura, & regula totius perfectionis, & diſce, quod ſicut ipſius perfectio eſt ſine menſura, & limitatione, ſic tibi ſemper ſurſum eſt aſcendendum de perfectione in perfectionem, de ſtatu in ſtatum, ut ſic ſemper novam veſtem acquirendo renoveris de die in diem, numquam in hoc itinere quieſcendo. *Op. Stim. p. 3. c. 4.*

25. *Chriſtus ſine acceptione perſonarum omnes ad ſalutem vocat.*

Ubi non eſt Gentilis, & Judæus, circumciſio, & præputium, Barbarus, & Scytha, ſervus, & liber, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus. Ecce qualiter exprimitur charitas, & amor Chriſti Jeſu in omnes homines, quos, quantùm eſt in ſe, omnes vult ſalvos, cum enim ſit omnia in omnibus, ſcilicet Creator, ſalvator, Dominus, ductor, motor, Deus, caput, Pontifex, ſol omnibus communis, ideò omnes quantum eſt in ſe vocat, illuminat, pulſat, & trahit, ideóque in omni ſexu, & ætate, & conditione poteſt quiſque per Chriſtum ad ſalutem pervenire. *Lib. 3. d. 19. a. 1. q. 5. ad 1.*

26. *Veſtes, & ornamenta juſtorum expenduntur.*

Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti. Ecce quali arte induendus eſt novus homo, ſcilicet ſicut electi, ad modum, quo ſancti, & dilecti Dei induuntur, & qualibus veſtibus? ecce veſtes: viſcera miſericordiæ, benignitatem, modeſtiam, patientiam, & conſimilium virtutum, quæ veluti veſtes induunt, cooperiunt, & ornant novum hominem in Chriſto; ſed tamen ad hoc, ut animam reddant ornatam, pulcram, & dignam, ut poſſit in conſpectu Dei & hominum cum honore, & decore apparere, requiritur vinculum, & cingulum nobile, quo iſtæ veſtes colligantur, & ſuis locis aptentur, & contineantur, ſine quo dives pauper eſt, & cum quo pauper dives, & pulcher eſt, & decorus: hoc cingulum eſt charitas, quæ totam perfectionem,

ctionem, & pulchritudinem confert cæteris veſtibus, & animæ. *Ser.3.Dom.3. Adv.ſer.2. Dom. 16.Pentec.ſer.2.in omn. ſanct. Luc.c.1. v.78. cap.6. v.30.c.7.v.47.Ioan.c.19 v.14.collat.77. Pſal.118. c.4.v.2.lib.1.d.10.dub.2.lib.3.d.17.a.1. qu.1. d.29. a.1.qu.1.& d.36.qu.6.op.de ſeptem itin.æter.itin.4. d.6.ſer.2.de Apoſt.in addit.*

27. *Cordis tranquillitas grande.*

Et pax Chriſti exultet in cordibus veſtris, in qua & vocati eſtis in uno corpore. Ecce quid conſequitur ad veſtimentum novum ſuprà poſitum ab Apoſtolo; nempè pax cordis in Chriſto Jeſu; hoc enim eſt maximum bonum, & ſummè deſiderabile in hac vita; hæc enim adjuvat animam ad exercitium virtutum, hæc omnia portat bona, hæc reddit homines imperturbabiles ad quemcumque ictum adverſæ fortunæ; hæc eſt veluti præmium ſummum procedens ex gratia Dei, quod poteſt haberi in hac vita. *Op. Diet. tit.7.c.6.& append.ad Dom.4.Epiph.*

28. *Pſalmodia in Eccleſia quàm Deo charа.*

Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes, & commonentes vosmetipſos, in gratia cantantes in cordibus veſtris Deo. Nota, quod inter maxima bona Eccleſiæ poſt poſſeſſionem doctrinæ Evangelicæ, de qua hic agit Apoſtolus dicens. Verbum Chriſti habitet in vobis, &c. unum ex præcipuis eſt Pſalmodia, quæ in Eccleſia celebratur, in qua homines ſimul cum Angelis laudes, & gratiarum actiones proferunt Deo. *Ser.2.S.Laur.in addit.*

29 *Omnia in Chriſtum tamquam in ultimum finem ejuſque gloriam debet homo referre*; hoc enim eſt facere opera in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Vide lib.2. d.41. a.1. qu.3. & quæ dicta ſunt in prima ad Corint.cap.10.*

30. *Omnes in ſuo ſtatu poſſunt ſalutem acquirere in Chriſto, etiamſi non ſequantur Chriſtum in abrenuntiatione actuali omnium rerum*: Undè Apoſtolus poſtquam ſuaſit perfectioribus viam perfectionis ſectandam, ſe convertit ad inſtruendum mulieres, qualiter ſe habere debeant ad viros ſuos, & ad viros è converſo; item ad Patres in regendo familiam, & educando filios; item ad ſervos in ordine ad ſuos Dominos; *de quo in epiſt. ad Corinth. actum eſt: Vide op. Apol. Paup.Reſp.4.c.1.lib.1.dub.6. qu.ult.d.44. a.3. qu.2. lib.4.d.29.qu.3.Pſ.118. c.2. v.12. op. de ſex Alis Seraph.c.4.op.Eccleſ.Hier.p.2.c.1.& 2.*

CAPUT IV.

In hoc ultimo capite Apoſtolus inſtruit Domines in ordine ad regimen ſervorum: deindè hortatur omnes ad orationis frequentiam, & ſapientiam Chriſtianam, & ad prudentiam ſervandam in loquendo; deindè ſpecialiter ſalutat ſuos.

31. *Acceptio perſonarum diligenter caveatur à ſuperioribus, & Parentibus cum ſubditis.*

Domini, quod juſtum eſt, & æquum, ſervis præſtate: Græcos legit, *Domini æqualitatem ſervate cum ſervis.* Et hoc eſt unum ex præcipuis monitis, quod Dominis, Prælatis, Parentibus pro bono ſubditorum regimine aſſignat Apoſtolus, nempè ut caveant ab acceptione perſonarum unum delicatè, alium durè tractando ſine urgenti cauſa. nam talis acceptio perſonarum pacem turbat, invidiam aliorum concitat, & ſuperiores in odium illorum, qui negliguntur, & poſtponuntur adducit, ut factum eſt inter fratres Joſeph; talis autem acceptio perſonarum peccatum eſt injuſtitiæ, ideò cavendum *Op.ſpec.an.c.3. Cent.p.1.ſect.10.op.Phar.li.3.c.38.*

32. *Orationis frequentia cum gratiarum actione ſuadetur.*

Orationi inſtate, vigilantes in ea in gratiarum actione. Vide, quod in ſuadendo orationis inſtantiam, & perſeverantiam, addit Apoſtolus gratiarum actionem pro beneficiis à Deo receptis, talis enim oratio Deo ſummopere placet. & valdè conducens ad perfectionem. *Luc. c.9.v.1. 7.c.11.v.9.*

33. *Prædicator, & Religioſus inſtruitur circa diſciplinam ſervandam cum extraneis.*

In ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt, tempus redimentes; *ſermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, &c.* Ecce quomodo Apoſtolus omnia genera perſonarum inſtruit, & quoad exercitium virtutum, & quoad bonos mores; hic autem monet quali cautela debent converſari cum infidelibus, & ſæcularibus, tùm quoad actiones, tùm quoad ſermones, ne cum ipſis tempus malè conſumant, ſed exemplariter vivant, eos ædificando in omnibus, hæcque cautela maximè habenda à Religioſis morantibus cum ſæcularibus. *Op.ſpec. diſcipl. p.1.cap.30. Luc.cap.5. verſ.7.*

34. *Quid ſit ambulare in ſapientia: Ubi de cautela in ſermonibus, & verbis.*

Ambulate in ſapientia, &c. ſermo veſter ſemper in gratia ſit ſale conditus, ut ſciatis quomodo vos oporteat unicuique reſpondere. Quid eſt in ſapientia ambulare? quid exigit Chriſtus in ſuis ſervis? hoc eſt pudicitiam in carne ſervare; hoc eſt innocentiam ſimplicem in mente cuſtodire, hoc eſt modeſtiam in ſermone oſtendere, ut ſcilicet ſit cum ſale, ideſt ſapientia conditus, & in gratia. ideſt gratioſus concilians gratiam audientium, ne ſit inſulſus, & diſſolutus, ſimulque efficax ſit ad ſuadendum bonum; hoc eſt item liberalitatem, & miſericordiam in affectu oſtendere maturitatem in judicio, & ſimplicitatem in intentione. *Ser.1.Hieron.*

Digitized by Google

35. *Sermo Religioſus qualis.*

Sermo veſter ſit ſemper in gratia ſale conditus. Nota illa duo verba, *ſale*, & *gratia*: hoc attendant verbi Dei prædicatores; hoc & Religioſi, & Prælati, qui maximam curam adhibere debent tum in ſermonibus promendis cum aliis, tum etiam in actionibus, ut ſcilicet devotionem, & diſcretionem oſtendant: ſicut enim Deus juſſit in lege, ut in omni oblatione offerretur ſal. *Levit.c.2.* ſic dat intelligere, quòd & vota, & facta, & ſermones rejicit, quæ ſunt inſulſa, ſcilicet in quibus nec tempus, nec cauſam, nec modum, nec alias conditiones debitas ſervant undè talia Deo, & Angelis, & hominibus, & ſanctis, in quorum veneratione quandoque offeruntur, inſipida ſunt, quia corrupta non poſſunt à vitiorum vermibus conſervari; igitur quicquid boni ſine diſcretione geſſeris vitium eſt, indiſcreta enim virtus pro vitio reputatur; & hoc evenit, quando Chriſti diſcipulus efficitur indevotus in contemplatione, & indiſcretus in actione, & prædicatione. *Ser.2. Hexam. Eccleſ.c.8. Pſal.118.c.3.v.10. Luc.c.14.v.30.ſer.1. in converſione S. Pauli in addit.*

36. *Suffragia pro animabus Purgatorii ſuadentur.*

Memores eſtote vinculorum meorum. Nota, quòd hæc eſt concluſio hujus epiſtolæ, in qua Apoſtolus ſuadet Philippenſes, ut pro ipſo orent jam Romæ in vinculis alligato, tum ut tali exemplo roborentur in fide, & conſtantia: ſed tamen myſticè hæc dicuntur in perſona animarum Purgatorii, quæ dicuntur in illis pœnis detineri in vinculis, & quia pro ſeipſis non poſſunt mereri, & obtinere liberationem ab illis vinculis, ſed quia cum ſint membra mortua, ſiccaque, ſed viva, licet vincta poſſunt recipere influentiam ſuffragiorum, ſic miſericordia divina eis indulgente, quia deceſſerunt in gratia: hinc ad aures noſtras inceſſanter clamant cum Apoſtolo mementote vinculorum meorum, ſcilicet orate pro noſtra liberatione, nec fruſtrabitur intentio, & devotio veſtra: *ergo ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis*, ſcilicet à reatu pœnæ, *ſolvantur. ſer. de animabus &c.* ô utinam & nos à vinculis peccatorum ſolvamur dum vivimus, dum dies eſt, & tempus benè operandi, ne in illas flammas poſt mortem projiciamur,

Et hic explicit expoſitio in Epiſtolam ad Coloſſenſes

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM PRIMAM DIVI PAULI AD THESSALONICENSES.

PROLOGUS.

NOTA, quod Apoſtolus ex civitate Athenarum ſcripſit hanc epiſtolam ad Theſſalonicenſes (eſtque civitas Macedoniæ) qua conſtantiæ eorum in fide congratulatur, eoſque in fide confirmat, & ſuadet eis fugam vitiorum.

CAPUT PRIMUM.

1. *Prælati ſunt forma informans ſubditos ad ſui exemplar.*

PAULUS, & Silvanus & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre, & Domino Jeſu Chriſto: gratia vobis, & pax &c. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini &c. ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus &c. Vide quomodo in via Dei datur forma formæ; Paulus ſuo exemplo informavit in via Dei Theſſalonicenſes; iſtique ſanctè operantes forma facti ſunt, & exemplar ſanctitatis cæteris credentibus; Utitur autem tali metaphora formæ, quia per hoc dat intelligere, quòd Prælati debent eſſe veluti Cœli immittentes ſuas influentias in ſubditos, ad ſui ſimilitudinem etiam proprias formas imprimunt, ſcilicet in doctrina veritatis, in munditia caſtitatis, & in excellentia humilitatis; ſicque primâ formâ informant animam ex parte rationalis; ſecunda ex parte concupiſcibilis; & tertia ex parte iraſcibilis, & totam animam per exercitium, & exemplum charitatis: ô fælix Prælatus ſic factus forma ſubditorum. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 3.*

2. *Vocatio ad Dei ſervitium quale bonum, & quid exigat.*

Ipſi nobis annunciant (ſcilicet mei miniſtri, & ſocii) *quomodo converſi eſtis ad Deum à ſimulachris, ſervire Deo vivo, & vero. & expectare Filium ejus de Cœlis Jeſum, qui eripuit nos ab ira ventura.* Hæc eſt congratulatio Pauli, ex hoc quòd audierat fervorem, in quo Theſſalonicenſes Deo ſerviebant poſt converſionem à Gentiliſmo, & poſtquam in numero ſervorum Dei adoptati fuerunt, quia cognoſcentes gratiam ſpecialiſſimam ipſis à Deo oblatam, qui dignatus fuerat eos vocare ad ſui obſequium, etiam tantæ gratiæ toto corde reſpondebant ſanctis operibus: Et hoc eſt, quod unuſquiſque noſtrum debet excitare ad gratitudinem Deo habendam qui ad tantam ſublimitatem nos vocavit; quæ enim major perfectio creaturæ poteſt advenire, quàm Creatori ſuo ſervire? hæc enim eſt ſpecialiſſima gratia, quæ à nobis exigit omnem gratitudinem. *Pſal. 118. c. 6. v. 11.*

CAP. II.

3. *Chriſtianæ Religionis veritas ex quibuſnam dignoſcitur differens à cæteris ſectis.*

Scitis fratres introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit (ſcilicet prædicatio mea ad vos *non fuit otioſa, & evanida*) *ſed ante paſſi, & contumeliis affecti &c.* ſcilicet ante prædicationem ſubjectus fuit perſecutionibus ærumnis, à Dæmone, Judæis, Principibus, aliiſque iniquis illatis, quibus, ſubjiciuntur ut plurimùm verbi Dei præcones: (ſubdit Apoſtolus) *Exhortatio enim noſtra non de errore fuit, neque de immunditia, neque in dolo, ſed ſicut probati ſumus à Deo, ut crederetur nobis Evangelium.* Ecce ſignum patens diſcernere faciens Chriſtianæ Religionis veritatem à cæteris ſectis; nam Chriſtiana Religio, & Evangelium eſt non de errore, immunditia, aut dolo, ſed dirigens in bonum, nempè in putitatem, in veritatem, in caſtitatem, in continentiam, in virginitatem, per quæ dignoſcitur à Deo profecta. *Luc. c. 3. v. 18.* Ex hoc in quam patet quomodo aliæ ſectæ ſunt falſæ, & iniquæ, quia ſuadent vitia, ablegant continentiam, virginitatem, aliaſque virtutes; quærentes quæ ſua

Digitized by Google

ſua ſunt, non proximi ſalutem. *Luc.c.4. v.43. c.9.v.3.op.Libell.Apolog.qu.22.*

4. *Prælati, & Prædicatores, ut ſpiritualiter fructificent in ſuis ſubditis quales eſſe debeant.*

Cum poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli; ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos. Ecce quomodo in Paulo exhibetur Prælatis, & Prædicatoribus exemplar imitandum ad hoc, ut fructum plurimum afferant in ſubditis: debent eſſe veluti parvuli inter ipſos, & veluti matres fovere illos: Prælatus enim debet eſſe quaſi unus ex ſubditis communis in omnibus, ut ex hoc, quòd præeſt eis, non putet ſe ſanctiorem, vel aliis ſapientiorem, vel digniorem, ſed viliorem, & obligatiorem in reddendo rationem pro ſe, & pro illis, & ſit veluti nutrix miniſtrans in medio eorum, infirma eorum portando, & exemplo præeundo; ita humiliter & piè eis blandiendo condeſcendens eorum teneritudini, & imperfectioni, ne contra eum dicatur, quod de duris, & non compatientibus paſtoribus conqueritur Dominus *Ezech.c.34. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, & quod fractum non alligaſtis*: ô Prælati Eccleſiarum audite, ut quid gravatis jugum veſtrum, cum cernitis diſcipulorum teneritudinem, & imperfectionem, quorum vos potiùs jugum portare debetis? ponite onera, producite ubera, pecora lactate, ut quieſcant, & ſi interdum ſeveritate opus ſit, paterna ſit, non tyrannica. *Op.de Prof. Religioſ.lib.2.c.31.op.de ſex Alis Seraph.c.4.Luc.c.9.v.48.c.22.v.26.*

5. *Prælati amor in ſubditos qualis eſſe debeat.*

Ità *deſiderantes vos* (ideſt ut legit Vatablus) *propenſi in vos; cupidè volebamus tradere vobis non ſolùm Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras.* Ideſt ut nutrix, & mater amo vos, ut non ſolùm lac, & ubera mea, ſed & animam meam, ſi poſſem, vobis tradere cuperem; amor enim ſummus totum ſe in amatum transformat: Ecce qualis eſt amor Prælati zelantis ſalutem ſubditorum, qui non ſolùm deſiderat ſubditorum corporalem ſoſpitatem, & proſperitatem temporalem, ſed magis vult eis æternam ſalutem; nam ad exemplum Chriſti totum ſe offert ad eorum ſalutem. *Op. de ſex Alis Seraph. c.3. ſer. 1.ſer.2. Penitc.*

6. *Prædicator quantum fieri poteſt, vitet gravamen auditorum, & locorum.*

Cum poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli, facti ſumus parvuli in medio veſtrum, &c. nocte, & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei: vos teſtes eſtis, &c. Nota, quod Apoſtolus aliquando ſubſidium temporale exigebat ab auditoribus, ſed ſæpè, ut vitaret gravamen ſubditorum, ſuis manibus laborando vivebat: per quod admonentur prædicatores, ut quantum fieri poteſt, evitent gravamen auditorum, & locorum, in quibus evangelizant; ſic enim ſecurius, & efficacius procurabunt ſalutem ipſorum. *Op. expoſ. Regulæ cap.4.*

7. *Auditores verbi Dei quinam fructum percipiunt, & quinam minimè: Ubi de certitudine fidei.*

Cum accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed (ſicut eſt verè) verbum Dei. Nota verba, ſigna myſteria: ecce hic expreſſa ratio, quare in aliquibus verbum Dei prædicatum fructificat, in aliis nequaquam, nam qui illud audiunt ut verbum Dei, ſicut verè eſt, (objectum enim formale fidei eſt ſolum revelatio facta à Deo) ideo ſic in eis mirabiliter fructificat: in illis verò, qui illud percipiunt ut verbum hominum, vel parum, vel nihil operatur: Et hinc etiam elucet rectitudo fidei, quæ potius id, quod ſenſu percipitur, negat, quàm quod à Deo revelatum eſt. *Luc. c.1. v.41. c.10.v.6.Joan.c.17.v.24.*

8. *Perſequutores Prædicatorum perſecutores ſunt Chriſti, & hoſtes orbis terrarum.*

Imitatores mei facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, &c. quia eadem paſſi eſtis & vos à confratribus veſtris, ſicut & ipſi à Judæis, qui Dominum occiderunt, &c. Nota, quod hic Apoſtolus exprimit perſecutiones Judæorum in Apoſtolos Chriſti ejus doctrinam ſeminantes, hoſque comparat crucifixoribus Chriſti, nam qui perſequuntur Prædicatores verbi Dei, eos contumeliis afficientes, vel odio, vel factis impedientes verbum Dei, iſti ſunt perſecutores ipſius Chriſti. *Pſalm. 118. c.6.v.6.ſap.c.6.Luc.c.19.v.14.*

9. *Aureola Prædicatorum qualis.*

Qua eſt enim noſtra ſpes, an gaudium, aut corona gloriæ? nonnè vos ante Dominum? vos enim eſtis gloria noſtra, & gaudium. Nota hic, quod Apoſtolus duplex objectum proponit ſuæ prædicationi aliud objectivum, & materiale, aliud formale: matériale ſunt ipſi auditores, qui ſunt veluti materia, & objectum ſpei gaudii, & coronæ ſuæ: formale eſt ipſa corona gloriæ, quam in adventu Chriſti expectabat ex ſua prædicatione, hæc autem corona alia eſt eſſentialis, ſcilicet viſio & fruitio Dei, alia eſt aureola, & corona, gloriave accidèntalis, quam reportat Prædicator de incorruptione doctrinæ ad alios prolatæ verbo, & mente, & exemplo: Audiant hæc Prædicatores, ut ferventiores ſemper ſint in ſuo miniſterio, ad hoc enim debet eſſe ipſorum lætitia, ſcilicet in conſcientiæ puritate, in prædicatione, & converſione fratrum. *Op. Cenſil. p.4. ſect.1.Luc.c.19.v.17.Pſal.111.*

CAPUT III.

In hoc capite repetit Apoſtolus gaudium, quod habuit ex relatione Timothei de eorum conſtantia in fide, & ſanctis operibus, eoſque benedicit.

CAPUT IV.

In hoc capite Apoſtolus proſequitur hortari eos ad bona opera, agit tandem de reſurrectione mortuorum, & de iudicio finali.

10. *Prælati aliquando rogare debent ſubditos ad exercitium humilitatis, & profectum ipſorum.*

DE cætero ergo fratres rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu, &c. Nota modum loquendi Apoſtoli, qui cum eſſet Theſſalonicenſium Prælatus, tamen non in dominationis virga, ſed in omni humilitate rogando & obſecrando eos excitat ad bona opera: ſic & legitur de Chriſto, rogaſſe Petrum, à terra reducere puſillum navim: dans in hoc exemplum Prælatis, ut & ipſi humilitatem ſervent in actibus ſuis, & aliquando etiam rogando, non in virga imperando. *Luc. c. 5. v. 3.*

11. *Iuſti in via Dei ſemper ulterius ambulant ad patriam.*

Quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis. Ecce quale munus Chriſtianorum, & præcipuè Religioſorum, nempè in itinere perfectionis ſemper ambulare in virtutibus; id enim eſt verè ambulare ad patriam. *Serm. 1. in deſcellat. S. Ioan. Bapt. in addit.*

12. *Dei voluntas ad quæ eirca nos extendatur.*

Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra; ut abſtineatis vos à fornicatione, &c. Nota, quòd duplex eſt voluntas Dei, alia beneplaciti, qua Deus creat, & facit abſolutè quod illi placet, & de hac non eſt hic ſermo: alia eſt ſigni, qua ſcilicet ſignificat quod velit, & jubeat nos facere; & de iſta eſt ſermo, quam nobis exponit Apoſtolus, ut intelligamus quid eſt, quod vult à nobis; nempè ſanctificatio noſtra, & mundatio à peccatis; & ad hoc obtinendum ſacramenta inſtituit, & ordinavit, ut ad ipſa accedentes & ablutionem à peccatis acquiramus, & ſanctificationem per gratiam; nec hic terminat divina voluntas, nam ultra iſta vult, ut in bono excitemur, ſcilicet ut caventes iniquitates, & ſcelera nos exerceamus in bonis operibus, & ſanctis, ſed tamen perſeveranter uſque in finem, ut tandem in Cœlo glorificemur: qui ergo vult Dei voluntatem facere, debet omnia iſta peragere, alioquin mutila erit executio divinæ voluntatis, & fine fructu intento à Deo. *Ser. 1. Dom. 2. Quadrag. lib. 1. d. 45. a. 3. q. 1. ſer. 12. in Pentec. ſer. 3. Dom. 8. Pentec. ſer. 2. Dom. 21. Pent. ep. in Pater. Luc. c. 19. v. 31. Ioan. collat. 47.*

13. *Regni Chriſti ſtabilitas tota fundatur in voluntate Dei.*

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, &c. Nota, quòd per hæc verba Apoſtolus exprimit in quonam conſiſtit ſtabilitas tota regni Chriſti: tunc enim Regnum benè regitur, quando populus voluntatem Regis facit, & obſervat, & quando Rex plebis utilitatem procurat, hoc ſecundum exprimitur in his verbis, Deus enim totus eſt in ordinando omnia ad noſtram utilitatem; ſed ut hæc obtineamus requiritur, ut nos faciamus Dei voluntatem abjiciendo à nobis ea, quæ ipſe Deus odit, ſcilicet ſcelera, & iniquitates, & obſervando ejus divina mandata. *Opuſc. Diæt. append. ad Dom. 2. Quadrag.*

14. *Homo per gratiam ſanctificatus amplius ad prophanos uſus nos convertatur.*

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos ab omni fornicatione, ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore. Quæritur hic quodnam ſit hoc vas, quod vult Apoſtolus, ut ſciamus poſſidere, & conſervare in ſanctificatione, & honore? Nota, quòd per vas alii intelligunt propriam uxorem, ut ſcilicet homo evitet fornicationes, & adulteria; alii proprium corpus, quod eſt inſtrumentum nobis datum ad ſerviendum animæ in his, quæ ad ſalutem animæ ſpectant. Seraph. Doct. dicit, quòd hoc vas eſt totus homo per gratiam, & ſacramenta ſanctificatus in corpore, & anima, qua ſanctificatione obtenta præcipit, ut conſervetur, & perſeveret in ſanctificatione veluti templum ſpirituale Deo dedicatum, & conſecratum, ne amplius in uſus prophanos, & in Dei offenſam convertatur; hocque monitum dirigitur primò ad Laicos, & ſæculares, ut viventes in obſervantia mandatorum Dei, ſanctificati perſeverent in gratia Dei: ſed tamen maximè dirigitur ad Clericos, & Religioſos, & Sacerdotes, qui cum ſpeciali privilegio ſint Deo in ordine ſacro, & per vota religioſa dedicati, & ſanctificati caveant ab omni malo, ne ipſorum vas prophanetur. *Ser. 3. de dedic.*

15. *In ſchola Chriſti triplex lectio addiſcenda à ſuis diſcipulis.*

Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis vos ab omni fornicatione, &c. *de charitate autem fraternitatis,* &c. *ipſi à Deo didiciſtis, ut diligatis invicem.* Nota, quòd in his verbis proponit ſcholam Chriſti, ejuſque lectiones, quæ ſuis diſcipulis addiſcendæ proponuntur, & ad tria capita reducuntur. Prima, autem lectio eſt de juſtitia amplexanda, & timore Dei: ſecunda eſt dilectionis: tertia eſt complacentiæ divinæ: prima eſt juſtitiæ initiativa, ſecunda provectiva, tertia eſt perfectiva, quæ eſt in exequendo ſemper in omnibus divinam

Digitized by Google

divinam voluntatem. *Pſal.* 118. *c.* 1. *v.* 7. *ſerm.* 1. *de anno Doct. ad finem.*

16. *Quiſque ad res proprias attendat, & curioſitatem vitet.*

Etenim illud facitis in omnes fratres, &c. & operam detis, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis. Notent omnes iſta verba Apoſtoli, ob quorum inobſervantiam infinita mala prodeunt; quærit, enim elidere à fidelibus curioſitatem, & otioſitatem, & ſuadet eos ad id, quod ſui muneris incumbendum; *ut veſtrum negotium agatis.* ait Paulus, ſcilicet ut agatis res proprias, ut attendatis vobis ipſis, & ad veſtram obligationem ut otioſitatem evitetis. ſimulque curioſitatem: hæc enim eſt intellectus humani libidinoſa proſtitutio paſſim, quamlibet veritatem amplexantis, & cum ea adulterantis, facitque in malum convertere, & in ſui damnum, quod videtur; unde rectè quidam Philoſophus, aliquibus exquirentibus; an mundus eſſet animatus, an globoſus, & imperfectus, dixit vos de mundo eſtis ſolliciti & veſtram ipſorum immunditiam non curatis; ſic & Thales totus in contemplando Cœlum in barathrum incidit; undè rectè dicitur his curioſis, & otioſis, quid ad te, tu me ſequere ait Chriſtus; & hæc in totalem ruinam præcipitavit Evam. *Eccleſ. c.* 1. *op. Phar. lib.* 3. *c.* 7. *lib.* 2. *d.* 5. *a.* 1. *q.* 1. *ad arg.*

17. *Mendicitas qualis virtuoſa, qualis vitioſa.*

Et ut honeſte ambuletis ad eos, qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis. Nota, quòd in his verbis Apoſtolus inſimulat illos, qui otioſè viventes mendicabant victum, per quod redundabat opprobrium Eccleſiæ, eo quod Gentiles videntes eos ſanos, & valentes ſibi proprio labore poſſe providere neceſſaria; veluti otioſi quæritabant iſta à divitibus: Ex quo videtur Apoſtolus prohibere mendicitatem, quæ tamen tamquam virtuoſa, & meritoria exercetur; ſed tamen reſp. quòd mendicitas alia eſt vitioſa, alia virtuoſa. Vitioſa eſt, quam parit cupiditas, vel pigritia, mendicitas cupiditatis eſt in paupertibus ſimulatis, habens annexum cruciatum culpabilem, quo torquentur omnes avari, & cupidi non tam fame corporalis inediæ, quam ſpiritualis nequitiæ per inſatiabilem avaritiæ voracitatem, & hanc prohibet hic Apoſtolus dicens, *nullius aliquid deſideretis*; ideſt nec dum rogetis, vel tollatis, ſed nec deſideretis: mendicitas ex pigritia eſt pauperum validorum, & otioſorum habens cum cruciatu annexum ſolatium, vitioſum tamen, atque phantaſticum, ſtudioſum enim refugientes laborem, & otioſam apperentes vacationem, fructuoſam quietem perdunt, & pernicioſam fatigationem incurrunt, hæcque & lege divina & civili prohibetur, & de hac loquitur Apoſtolus infra 2. *ad Theſſal. c.* 3. Virtuoſa mendicitas eſt illa, quam parit calamitas, & hæc eſt in perſonis miſerabilibus, & egenis habens annexum pœnalem cruciatum cum merito, cum ſit cum patientiæ, ut in Lazaro mendico: magis virtuoſa etiam eſt in pauperibus voluntariis immunibus ab amore temporalis lucri, & torpore temporalis quietis, habens annexum cum cruciatu ſolatium, virtuoſum, & verum, & meritorium, quia habet pro objecto culmen perfectionis Chriſti. *Op. Apol. Paup. Reſp.* 4. *c.* 3. *op. de Paup. Chriſti. q.* 1. & 2.

18. *Status Religioſorum expenditur.*

Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, &c. de charitate fraternitatis, &c. & ut honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt, &c. Nota, quod in hoc capite maximè inſtruitur Religioſus in omnibus actibus ſuis, quod explicatur metaphora parvuli, qui indiget duabus obſtetricibus ipſum conſervantibus; & in Religioſo iſtæ ſunt obedientia ligans eum in manibus, & pedibus; & paupertas, & humilitas, quæ involuit eum in panniculo, & inclinat cum Chriſto in præſepio, & cunabulo clauſtrali cum fræno temperantiæ, & capiſtro cilicii: debet etiam habere duas nutrices in progreſſu, ſcilicet veritatem, quæ doceat eum loqui ſermones Dei; & honeſtatem, quæ doceat eum ambulare, de qua hic loquitur Apoſtolus; debet & habere duas conſiliatrices in perfectione, & ſtatu, ſcilicet charitatem ad Deum, & proximum, & auſteritatem ad ſeipſum; de qua ſupra pariter loquitur Apoſtolus, & hæc eſt ambulatio, & progreſſus, quem conſulit Apoſtolus. *Op. Diat. tit.* 4. *c.* 1.

19. *Iter Religioſorum quale eſſe debeat.*

Et ut honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis. Ecce qualis obligatio Religioſorum, qui à Deo ſunt vocati in partem ſortis ſanctorum: debent enim ambulare, & quomodo? ambulare honeſtè; quid eſt ambulare honeſtè? hoc eſt dignè per devotionem, ut hæc virtus iter incipiat, & proſequatur totum iter noſtrum; item cautè per diſcretionem, & propriè honeſtè per circumſpectionem attendendo, & ſibi ipſi, & proximo, & extraneis, & Deo. *Pſal.* 118. *c.* 3. *v.* 13.

20. *Mortuorum funera qualem triſtitiam in Chriſtianis admittant: Ubi de dormitione mortis.*

Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent, ſi enim credimus, quod Ieſus &c. Nota, quod videtur Apoſtolus prohibere luctum, & triſtitiam in morte noſtrorum charorum, qui tamen in ſacra ſcriptura admittitur; imò præcipimur flere ſuper mortuos: cur igitur Apoſtolus oppoſitum præcipit? ſed tamen iſta non opponuntur, non enim prohibet omnem triſtitiam in morte defunctorum amicorum, hæc enim naturalis eſt, ſed eam tantùm quam habent Gentiles, & impii, qui ſpem veram non habent, ſicut nos Chriſtiani, qui ſperamus præmium in alia vita, & reſurrectionem futuram; undè noſtra triſtitia mixta eſt conſolatione, & dolore; dolor eſt ex morte præſenti, conſolatio ex præmio, quod expectamus; & hinc etiam virtute hujus ſpei ſuffragia pro eis offerimus. *Luc. c.* 8. *v.* 52. *c.* 23. *v.* 28. *c.* 24. *v.* 21. *ſer. de animabus. ſer.* 1. *in Paſcha.*

21. *Reſurrectio mortuorum qualiter contingat ex juſſu Chriſti Ieſu.*

Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de Cœlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Nota, quòd eſt quæſtio, quid ille juſſus, quid iſta vox, quid tuba, in cujus virtute omnes mortui reſurgent, & vocabuntur, ad judicium? item quomodo juſti dicuntur primi, & primò reſurrecturi? Reſpondent aliqui Theologi, quòd verè juſſu Dei, & vera voce Arcangeli vocabuntur ſono tubæ materialis omnes ad reſurrectionem, & judicium: & ad aliud dubium reſpondent juſtos reſurrecturos eſſe primos, ſcilicet antequam rapiantur ad gloriam, ſic & conſequenter impios antequam ad gehennam præcipitentur: Attamen probabilius dicendum, quòd omnia iſta fient immediatè à Chriſto, cujus virtus dicitur juſſus, & vox Arcangeli, & tuba ob diverſos reſpectus, & proprietates, quæ in iſtis tribus vocabulis reperiuntur. Nam vox Chriſti in die judicii erit virtuoſa poteſtate, ideò dicitur *juſſus*, quaſi præceptum; dicet tibi, & incontinenti fiet: eadem vox erit authentica auctoritate, & ideò dicitur, *vox Archangeli*, ideſt Principis: eadem vox erit ſonora horribilitate, & ideò turba nuncupatur. *Lib. 4. d. 43. in dub. litter. ep. Comp. Theol. lib. 7. c. 16 ſer. 2. Dom. 20. Pent. Luc. c. 8. v. 54. c. 17. v. 30. c. 19. v. 15.* Nota etiam, quòd vox iſta erit veluti tuba intimans bellum terribile impiis; & æternam ſolemnitatem juſtis; tuba enim utimur in bellis, & in feſtis. *Ser. 2. in Aſcenſ.*

22. *Verbi Dei prædicatio facit reſurgere mortuos.*

Tuba Dei deſcendet de Cœlo, & mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Nota, quòd etiam myſticè iſta verba interpretari poſſunt de virtute vocis, & verbi Dei prædicati: ſicut enim verbum, & vox ex ore Chriſti exiens, & ſe diffundens per totum mundum virtutem habebit revocandi omnes mortuos ad vitam; ita continuè in Eccleſia hoc idem verbum Dei, quod exprimitur nomine tubæ de Cœlo deſcendentis, quia vox Prædicatorum eſt iſta tuba de ſecretis ſcripturæ cœleſtia exprimens, reſonans, & exponens, ad cujus ſonitum mortui de ſepulchris peccatorum reſurgent. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4.*

23. *Occurſus Beatorum Chriſto è Cœlo venienti ad judicium expenditur.*

Deindè nos, qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus; itaque conſolamini invicem in verbis iſtis. Ecce quid conſequetur ad vocationem, & citationem factam à Chriſto vel immediatè, vel miniſterio Angelorum ad reſurrectionem, & judicium; nam omnes juſtè poſt reſurrectionem corporis glorioſi, per dotem agilitatis rapientur in occurſum Chriſti deſcendentis cum Angelis è Cœlo, & ibi in nube ſplendidiſſima quaſi throno confidenti ad judicium peragendum omnes ſancti obviam rapientur Chriſto, in proprio loco ſecundum graduationem meritorum conſidebunt in aëra ad dexteram, impiis ſtantibus in terra ad ſiniſtram; Ex quo meditari licet quale ſpectaculum erit & glorioſum, & ſimul terribile iſtud; quàm glorioſum erit videre innumeros ſanctos veluti in amphiteatro ordinatè conſidentes ſecundùm ordinem proprtiorum meritorum ad præſentiam Chriſti Judicis; ſtatimque cum tranſierit gemitus, & judicium, una in voce, uno in populo, in una patria erimus millia hominum conjuncta in pſallentibus Angelorum choris cœleſtium perpetuò in una civitate viventium; ſimul inſuper erunt Beati in corporum immortalitate, & ſic ſemper cum Domino erimus, ſed rapti corpore ſemper cum ipſo erimus, ergo immortales erimus; quod dignetur Dominus nobis concedere, &c. *Sermon. 2. ſer. 4. Paſchæ. ſerm. 2. in die Aſcenſ. Ioan. c. 12. v. 16. & collat. 58. & 78.*

CAPUT V.

In hoc capite excitat nos Apoſtolus ad vitæ ſanctitatem ex hoc, quòd dies judicii veniet ex improviſo, &c.

14. *Curioſitas circa tempus, & diem judicii univerſalis à cordibus noſtris eliminanda.*

De temporibus autem, & momentis fratres, non indigetis, ut ſcribamus vobis; ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet. Vide quomodo Apoſtolus eliminare conatur à cordibus fidelium curioſitatem perſcrutandi tempus, annum, & diem, & horam judicii univerſalis, hæc enim eſt vana, & periculoſa curioſitas; quia ſoli Deo notum eſt hoc tempus. *Luc. c. 21. v. 7.* Et hinc patet, quàm vanè aliqui, etiam Theologi conati ſunt oſtendere tempus præciſum judicii univerſalis; de quo tractant Doctores.

25. *Dies judicii particularis, & univerſalis cur nobis voluit Deus eſſet incertus, & an futurus ſit in die, an in nocte.*

Ipſi enim diligenter (ideſt exactè, plenè & certò) *ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet*; Ideſt dies judicii ſubitaneus, & improviſus, nullo ſciente, aut ſperante clanculum ſurripiet, & obruet homines incautos, & ſecuros, ſicut fur nocte cum dormiunt omnes, domum invadit, & expilat: hic autem diſquirunt Doctores an judicium univerſale fiet in nocte, an de die; multi dicunt futurum eſſe in nocte ſecundùm illud. *Matth. cap. 25. media nocte clamor factus eſt.* Alii probabiliùs in manè, quia Chriſtus ſol, & lux eſt veniens ad proferendum

in

in lucem omnia opera bona, & mala; diſquirunt ſecundò cur voluit Deus, ut nobis incertus eſſet dies judicii, & mortis reſp. quòd ultimam horam ignorari voluit Dominus, ut ſemper ſit ſuſpecta, & ad eam ſemper præparemur; tùm quia major pars hominum ſe precipitaret in infinita ſcelera, vanè confidentes ſe poſſe à tempore determinato præparare. *Luc. c. 12. v. 39. ſeq. Pſal. 9. op. Comp. Theol. lib. 7. c. 18. Eccleſ. c. 9.*

26. *Qui in hac vita cum ſecuritate, & ſine timore vivunt, in morte eis repentinus ſuperveniet interitus; qui cum timore vivunt eis eſt ſecuritas ſalutis.*

Cum enim dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habenti. Nota hæc verba, & confer cum aliis ſalvatoris *Luc. c. 21. Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus:* datque per hæc intelligere, quod cum dies mortis & judicii ventura ſit inopinatò, illis qui ſine timore & pavore vitam hanc mortalem degunt abſorpti in concipiendo per peccati concupiſcentiam, & pariendo per operationem perverſam, experientur id. quod mulieri prægnanti accidit, quæ ſubitis doloribus incipit urgeri, ut pariet; ſic & iſtis repentinus ſuperveniet interitus: unde beati illi, qui ſemper cum timore, & pavore vivunt, ſemper ſe præparantes per bona opera ad comparendum coram Judice. *Ser. 5. Dom. 2. Adv. ſer. 2. Dom. 1. poſt oct. Epiph. ſer. 1. de una Virgine. op. Diet. tit. 6. c. 1. Luc. c. 4. v. 19. c. 12. v. 20. & 51. c. 17. v. 27. c. 21. v. 23. & 26.*

27. *Juſti, ut veri Chriſtiani ambulant tantùm de die; impii de nocte.*

Vos autem fratres non eſtis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat; omnes enim vos filii lucis eſtis, & filii diei; non ſumus noctis, neque tenebrarum. Ecce patens diſcrimen inter juſtos, & impios, inter veros Chriſtianos, & fictos; & fundamentum, quare juſtis non ſupervenit dies judicii tanquam fur, ſicut impiis; quia juſti ſunt filii lucis; filii ſcilicet Evangelii filii gratiæ per ſacramenta, filii Chriſti qui eſt vera lux, quia enim vivunt in gratia, ideò ſemper cum eis eſſet Chriſtus lux vera, ideò & ſemper ambulant de die: E contra impii vitam degentes in peccatis ſine Chriſto ſunt, ſemperque abſorpti in tenebris, & cum iſtæ ſint de ſe horridæ, & contriſtativæ, hinc mirum non eſt, ſi eis repentinus ſupervenit interitus. *Sap. cap. 6. & 6. 18. Ioan. c. 1. v. 39. c. 12. verſ. 38. cap. 13. v. 30. & collat. 2.*

28. *Juſti Deo ſerviunt vigilando; impii diabolo dormiendo.*

Igitur non dormiamus, ſed vigilemus. Quid eſt non dormiamus? ergonè vetatur ſervis Dei dormitio? maximè: dormitio ſcilicet negligentia, torpor, ſegnities in Dei ſervitio; dormitio ſcilicet permanentia in peccati nocte; hoc enim eſt diſcrimen inter ſervientes Deo, & diabolo; nam ſervientes Deo vigilant die, ac nocte in cuſtodia ſenſuum, & potentiarum contrà pugnam, & inſidias diaboli; vigilant & ſemper in die cuſtodientes gratiam in corde. ut filii lucis, & ambulantes de virtute, in virtutem: impii vivunt in nocte peccati, & ſerviunt diabolo dormiendo in negligentia contra Deum. *Ser. 1. Dom. 14. Penter.*

29. *Obdormitio peccatoris quàm perniciosa, vigilantia juſtorum quam neceſſaria.*

Igitur non dormiamus, ſed vigilemus, & ſobrii ſimus; qui enim dormiunt nocte dormiunt, & qui ebrii ſunt nocte ebrii ſunt. Proſequitur Apoſtolus ſuam metaphoram in ſuadendo fidelibus vigilantiam, & ſobrietatem, & diſſuadendo dormitionem; dans per hoc intelligere diſcrimen inter juſtos, & impios; quia enim dies fit ex præſentia ſolis, luciſque & nox ex ipſius abſentia. hinc & in juſtis dies eſt ex præſentia filii Dei, ejuſque gratiæ, ob idque ab ipſis longè eſt dormitio, & ſomnolentia in peccato: in impiis, & peccatoribus verò eſt perpetua nox, & quia iſta eſt obſcura, horrida, triſtativa, infrigidativa, timoris inductiva, periculorum abſconſiva, & incedentium offenſiva, & ad perveniendum, & ad inveniendum quod quæritur impeditiva, quæ omnia mala incurrit peccator incedendo per vias obſcuras peccati. *Ioan. c. 11 v. 10. c. 13. v. 30. Luc. c. 8. v. 23.*

30. *Ad vigilantiam ſuperaddant armaturam contrà latrones.*

Nos qui dieì ſumus, ſobrii ſimus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis. Vide, quod non ſatis eſt juſtis vigilare, ac ſobrios eſſe, ſed etiam opus eſt armari, quia etſi quis vigilans ſit, & non habeat arma facilè poteſt à latronibus aggredi, & occidi: Arma autem iſta ſunt fides, charitas, & ſpes: fides, & charitas eſt lorica, qua pectus armatur, ſcilicet fides, & bona vita; galea ſit ſpes ſalutis, qua armatur caput, ſcilicet ordinatur intentio in omnibus ad Dei gloriam. *Op. Diet. tit. 5. c. 2. 3. & 4.*

31. *Charitas vitam juſto cum Chriſto unitam confert.*

Qui mortuus eſt pro nobis, ut ſivè vigilemus, ideſt vivamus, ſive dormiamus, ideſt moriamur, ſimul cum illo vivamus. Nota, quòd Apoſtolus hic accipit vigilare, & dormire aliter ac ſupra, ſed ludit his vocibus multa, & diverſa ſignificando; hic enim loquitur de vita charitatis, quam confert animæ, & per unionem cum Chriſto facit animam vivere fideliter fiducialiter, & patienter, & ſimul etiam tali modo ſecuro mori. *Pſal. 118. c. 5. v. 13.*

32. *Vis boni exempli expenditur.*

Ædificate alterutrum. Nota, quod Apoſtolus ad vitam ſpiritualem, quam affert charitas Dei, addit ædificationem faciendam, ædificare alterutrum: quid eſt ædificare alterutrum? ergone quiſque debet ſuum proximum erigere in domum, vel templum? maximè; nempè ut proximus ædificetur in templum ſanctum, & perfectum Domino. requiritur bonum exemplum; ſicut enim malum exemplum ædificat proximum in templum diaboli, ſic bonum exemplum

exemplum trahit ipſum ad Deum, & efformat ipſum in templum Spiritus Sancti. *Ser.1. de dedicat. ſer.2 ſer.4. Penitent. ſer.3. Dom.19. Pentec. ap. Phar. lib.4.c.46.*

33. *Pauperes Chriſti ſublevandi à divitibus; Ubi de paupertate bona, & mala.*

Rogamus autem vos fratres, ut noveritis (ideſt noretis, & rationem eorum habeatis) *eos qui laborant* (ſcilicet *in prædicando Evangelium, & re Chriſtiana procuranda*) *inter vos, & præſunt vobis in Domino, ut habeatis illos abundantius in charitate.* Vide, quòd Apoſtolus diſcernit inter pauperes Chriſti, & mundi: pauperes Chriſti ſunt, qui pro Chriſto omnia reliquerunt, & laborant in ſalute animarum, & hæc paupertas conſervat hominem in juſtitia: pauperes mundi, qui ad divitias inhiant; primi ſunt fovendi, & adjuvandi ſollicitudine peculiari à divitum pietate. *Opuſ. de Paupertate Chriſti quæſt.1. a.2. ad 8.*

34. *Prælati habeant diſpertitas linguas in ſuo munere.*

Rogamus vos corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Nota, quòd Apoſtolus hic inſtituit Prælatos in ſuo ipſorum munere exercendo: ſicut enim Spiritus ſanctus in Linguis diſpertitis apparuit ſuper Apoſtolos, ſic dat eis intelligere, quòd non ad omnes uno modo ſe habere debent tum in prædicando, tum in ſubditos regendo: in prædicando enim nunc de pœna, nunc de gloria, nunc de vitiis, nunc de virtutibus, & aliter perfectis, aliter infirmis loquendum eſt: in regendo verò contra inquietos exerceant rigorem, cum infirmis, & debilibus pietatem, ſic enim omnes trahent ad Chriſtum. *Ser.3. in Penitent. ap. de Eccleſ. Hier. p.4.c.3. Eccleſ. c.4. ap. de ſex Alis Seraph. c.3. & 4.*

35. *Prælatorum pietas in infirmos, & puſillanimes qualis eſſe debeat.*

Conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos: Ecce quid Prælatis faciendum cum puſillis, cum infirmis, cum debilibus; tenentur enim ſecundum legem charitatis fovere infirmos, conſolari puſillanimes; & propter hoc Deus diſpoſuit apoſtolorum caput cadere, ut ſuo caſu diſceret qualiter aliis miſereri poſſet, & deberet. *Luc. c.17. v.14. ap. de ſex Alis ſeraph. cit.*

36. *Patientia qualis in Prælatis exigatur.*

Patientes eſtote ad omnes. Nota ordinem verborum; præcipit Apoſtolus Prælatis, ut corripiant inquietos, ut puſillanimes conſolentur, & infirmos ſuſcipiant, & foveant. & poſtea concludit, quòd ad omnes ſint patientes: quomodo patientes erunt, ſi eos in virga correptionis puniant? ô quàm benè dicit ad omnes patientes eſtote, etiam ad inquietos, & incorrigibiles, quia Prælatis patientia eſt in omnibus neceſſaria, non ſolùm propter multiplices curas, labores, & ſollicitudines diverſimodè emergentes in regimine; ſed magis pro tardo profectu illorum, in quibus continuè fatigantur, & ſuper omnia pro ingratitudine illorum, pro quibus tanta ſollicitudine laborant, ita ut vix, aut numquam eis ſatisfaciat, quin ſemper conquerantur, vel quia eis in facie audent reſiſtere, etiam concitando alios, ut ſe eis opponant: Ad omnes, & ad omnia iſta patientes eſtote ô Prælati, ait Apoſtolus, & hoc præcipuè triplici ſcuto; primò ut modeſtè, & benignè ad ſingula reſpondeatis, & impetum furoris reprimatis, ne in voce, aut in vultu, aut moribus impatientiam oſtendatis: ſecundò nec vos vindicando de illatis injuriis, nec in corde oderitis illos; nec curam ſegnius agatis, nec quætatis eos à vobis removere ſine evidenti neceſſitate, ſic enim inſtantiam conſervetis in regendo, & patientiam in ſufferendo; & tali pacto Deus vobis aſſiſter. *Op. de ſex Alis Seraph. c.5.*

37. *Lex charitatis Dei reddit bonum pro bono, & pro malo; lex diaboli malum; lex mundi malum pro malo, & bonum pro bono:* Undè hic dicit Apoſtolus: *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini invicem, & in omnes.* Ecce quid præcipit charitas Chriſti ſcilicet reddere bonum pro quocumque malo; nam lex diaboli reddit ex oppoſito malum pro bono; lex mundi bonum pro bono; malum pro malo. *Pſal.118.c.10.v.10.*

38. *Oratio ſine intermiſſione quomodo poteſt fieri.*

Sine intermiſſione orate, gratias in omnibus agite. Nota hanc particulam (ſine intermiſſione) quomodo id poteſt fieri? videtur præcipere impoſſibile; cum neceſſario in multis aliis actibus debeamus nos exercere? ſed tamen id ſano modo eſt intelligendum; ſicut & aliud dictum *Luc.c.18. oportet ſemper orare, & non deficere:* & 1. *Timoth.c.2. volo vos ſemper orare:* ly, enim *ſemper*, & *ſine intermiſſione*, non ſumitur diſtributivè pro omni parte temporis, ſed pro horis ſtatutis ſecundum morem Eccleſiæ: vel etiam dicitur *ſemper*, & *ſine intermiſſione*, ita ut oratio ſemper vel ſit in ore per poſtulationem, vel in corde per deſiderium; vel in opere per præparationem; qui enim bona agit, ad hoc ſe diſponit, ut ejus oratio debeat exaudiri; tum etiam quia ſemper orat, qui ſemper bona agit, nec deſinit orare, niſi cum deſinit juſtus eſſe: vel intelligitur, ly, *ſine intermiſſione*, de opportunitate congruitatis, ſcilicet nulla hora debita prætermiſſa; vel etiam frequenter, & inſtanter, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit; inſtans oratio impetrat veniam de peccatis; vel etiam ſine intermiſſione, ideſt ſpiritum devotionis ſemper inviolabiliter obſervare, & hæc conſiſtit in continuo exercitio præſentiæ Dei vel actuali, vel habituali; quæ habita inter quaſcumque occupationes ſoler gemitibus, & ſuſpiriis inenarrabilibus Chriſti clementiam implorare: *quod & præcipit Seraph. P.S. Franc. ſuis fratribus in Regula c.10. Luc.c.11. v.1. c.18. v.1. c.20. in fine. ap. Diet. tit.2. c.5. lib.4. d.32. dub.5. Pſal.118. v.163. Thren.c.2. ap. expoſ. Regulæ c.10. ap. de Prof. Religioſ. lib.2. c.69. ſer.5. de ano Confeſſ.*

39. *Cum*

Digitized by Google

39. *Continua oratio sine intermissione qualiter faciendo.*

Sine intermissione orate. Quomodo potest id fieri ? numquid non necesse est manducare, dormire, laborare ? Et si dicas id posse fieri semper benefaciendo, id etiam videtur impossibile, cum multa opera indifferentia debeamus facere ? sed resp. quòd semper orat, qui semper benefacit ; semper orat, qui omnia opera sua etiam indifferentia ad Dei voluntatem & gloriam dirigit ; manducare, dormire, laborare &c. *Ser. 5 de uno Confess. Toren. c. 2.*

40. *Ad gratiarum actionē invitatur anima.*

Sine intermissione orate ; in omnibus gratias agite. Nota, ly, in omnibus, idest tam in morbo quàm in sanitate, tam in adversis, quam in prosperis ; quia quidquid à Deo nobis provenit : totum est ordinatum in nostrum emolumentum, & beneficium : connectit igitur Apostolus cum ratione gratiarum actionem, quia etiam illa est perfecta oratio Deo summè placens, & à nobis Deo debita ; & hoc est, quando bona à Deo data non nostris meritis adscribimus, sed ejus bonitatem extollimus : ad gratiarum autem actionem pertinet, beneficia divina diligenter recolere, subtiliter intelligere, fideliter confiteri, studiosè servare, benefactorem diligere, ejus offensam cavere, & gratiam acceptam non otiosè negligere, sed ad id, quòd datus, eam exercere, & inde non insolescere, vel extolli. *Op. de Prof. Religios. lib. 2. c. 62. seq.*

41. *Spiritus extinctio qualiter fiat : Ubi de inspirationibus de divino verbo acceptandis.*

Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite spernere. Quid est extinguere spiritum ? quis spiritus iste capax extinctionis ? hic non potest dici anima, vel animæ portio superior, quæ est immortalis, & inextinguibilis ? ideò dicendum, quòd pro spiritu & nomine prophetiæ hic veniunt inspirationes divinæ, dona, gratiæ, lumina, afflatus, impulsus, verbum Dei prædicatum, quæ sunt veluti lampades præfulgentes in nocte hujus sæculi, ista autem extinguuntur desidiâ, terrenis curis, desideriis carnalibus, contemptu verbi Dei, & Prædicatorum : Caveant ergo fideles ne in se, vel in aliis extinguant hunc spiritum, quia ira Dei cadet super istos. *Luc. c. 10. v. 16. c. 13. v. 9.* Norent ista verba illi Parentes, qui in filiis habentibus spiritum devotionis, religionis, castitatis extinguunt ipsum, habenas ad luxum, & ornatum corporis, ad voluptates eis laxando, ne intrent in Religionem infœlices (ait S. Hieron.) quia Deus semper solet punire maximis infortuniis & calamitatibus.

42. *In Dei servitio maxima prudentia exercenda.*

Omnia probate (vel ut alii legunt, *tenete*) *quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos.* Nota, quòd Apostolus in his verbis dicit, quòd viri tendentes ad perfectionem debent cum maxima cautela experimentum sumere in bonis, non in malis, examinando bonum, & malum, & pericula, & qualis sit via secura ex doctrina Ecclesiæ, & Sanctorum, rejicere partem periculosam, & amplecti securam ; sic & in actibus moralibus conscientiæ cavendo ab omni periculo Deum offendendi. *Ps. 60. Eccl. c. 7. op. de sex Alis Seraph. c. 6. ser. 1. Dom. 2. Quadr. 43. Prælati, & personæ publicæ caveant diligentissimè non solùm à malis veris, sed & ab omni specie, & apparentia mali, ne aliis sint in scandalum, & ruinam* : sæpè enim quod in aliis liberum est, & licitum, seu indifferens, in ipsis ratione gradus, & officii est illicitum, & prohibitum. *Op. Confession. c. 2. p. 1. op. de grad. viri c. 11.*

44. *Justus integer, & unus est ; impius discessus, & multiplex.*

Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur. Quid est integer spiritus servetur ? ergone potest dividi spiritus noster, cum sit indivisibilis ? sed alium sensum continent hæc verba : dat Apostolus intelligere discrimen inter viros spirituales, & carnales : nam spiritualis homo integer est, & unus sic ordinatus in unum ab amore, gratia, & influentia Spiritus Sancti, cum enim corpus sit subjectum spiritui, & utrumque Deo, sic omnia in unum coalescunt, & conservantur : E contra impii, & mundani sunt in varias partes distracti, & velut dissecti, ob idque semper perturbationibus subjecti. *Ser. 3. dedicat. Luc. c. 1. v. 47. c. 13. v. 11. lib. 1. d. 10. a. 2. q. 3.* Undè sequitur, quòd justi integri sunt conservantes corpus, animam & seipsos integrè sanctos, & perfectos, qualis receperunt in baptismo : E contra manci, & mutili sunt vel in fide credentes aliquem articulum, & negantes alium ; vel in charitate, qui amicos diligunt, non inimicos ; vel in moribus, qui unam partem custodiunt à peccato, non aliam. *Sic & S. Hieron.*

45. *Non fluctuandum in bono proposito, sed totam spem debemus collocare in fidelitate Dei.*

Fidelis est Deus, qui vocavit vos, qui etiam faciet. Audiant hæc verba Apostoli illi, qui Deo serviunt, & qui se exercent in sanctis propositis, quia diabolus ista conatur evertere, & destruere per fluctuationem mentis, ob quam collocantur sæpe in quodam deliberationis incertæ bivio, ficque sequitur diversitas voluntatum. In quo casu meminerint ea, quæ ab Apostolo hic pronunciantur ; fidelis est Deus, qui vocavit vos, qui etiã faciet ob id se perseveraturos, in suscepti laboris propositi non sua possibilitate, sed Domini misericordiæ confidant, cogitent quot sancti potuerunt, & possunt quod se posse desperant, & inde illi potuerunt, indè se posse firmiter credant, qui enim speraut in Domino mutabunt fortitudinem. *(Isa. c. 40.) surrent & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient* ; & præcipuè principiis resistant, ut sic perseverantes ad victoriam, & tandem ad æternam salutem perveniant : quod concedat nobis D. Jesus fidelissimus in suis promissis.

Explicit expositio seraph. Doct. in Epistolam primam ad Thessalonicenses.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM SECUNDAM DIVI PAULI AD THESSALONICENSES.

PROLOGUS.

NOTA, quòd in hac epiſtola ſecunda Apoſtolus totus eſt in ſuadendo conſtantiam in fide, & bonis operibus, & ut rejiciant prophetias vanas illorum qui dicebant diem judicii eſſe proximum, & quod ante ipſum oporteat venire Antichriſtum.

CAPUT PRIMUM.

In hoc capite Apoſtolus laudat conſtantiam Theſſalonicenſium in perſecutionibus, eoſque hortatur, ut in eadem perſeverent, & proponit eàm pœnas horrendas perſecutoribus paratas, quàm præmium admirandum gloriæ, quod ipſi, omneſque ſancti accepturi ſunt in die judicii ad cujus executionem miniſterio Angelorum omnes reſurgent, & congregabuntur ſimul, ad quæ præcurſor erit ignis conflagrationis: de quibus vide S. Bon. in Luc. c. 19. v. 15. & lib. 4. d. 47. a. 2. qu. 3.

CAPUT II.

In hoc capite Apoſtolus docet tunc temporis non inſtare diem judicii, ſicut aliqui Pſeudo-prophetæ prædicabant; & poſtea deſcendit deſcribendum tempus infeliciſſimum adventus Antichriſti, ex quibus infert neceſſitatem ſanctorum operum, & exercitiis virtutum.

46. *Conſtantia in bono propoſito ſuadetur.*

ROgamus vos fratres, &c. ut non citò moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, &c. Vide quomodo iterum tefricat Apoſtolus perſeverantiam in bonis operibus, ut pateat quàm ſit noxia fluctuatio in Dei ſervitio; & ideò docet, quod ad ablegandam tàm malam peſtem ab anima, ſola confidencia firma in Dei auxilio ſufficit, qui eum gratiam nobis conferat bene incipiendi, etiam promptus eſt ad coadjuvandum uſque ad finem, non permittens nos turbari, vel commoveri vel à perverſis hominibus, vel à diaboli tentamentis. *Luc. c. 7. v. 24. c. 21. v. 8.*

47. *Adventus Antichriſti, ante judicium expenditur.*

Niſi revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. Hic loquitur de Antichriſto, qui ante judicium veniet, & infinitas ſtrages in Eccleſia faciet; de quo actum eſt in expoſitione ſuper Evangelium. *Vide in Eccleſ. c. 10. ap. Comp. Theol. lib. 2. c. 7. & 8. Luc. c. 21. v. 8. c. 22 Joan. cap. 5. v. 44. ſer. 3. Dom. 15 Pentec. lib. 2. d. 1. p. 2. a. 2. qu. 2. lib. 3. d. 19. a. 1. qu. 3.*

48. *Solùm ſanctificati in ſpiritu ſalvi fiunt.*

Elegit nos Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus, & fide veritatis. Ecce quales ſunt electi ad ſalutem, nempè ſanctificati in ſpiritu; ſpiritus autem ſanctificatio reformat memoriam, intellectum, & voluntatem: reformatio in memoria fit per recordationem beneficiorum Dei, & maximè acerbitatis dolorum, & Paſſionis Chriſti; in intellectu per conſervationem fidei ſanæ, & ſinceræ, & in voluntate per charitatis donum, & exercitium bonorum operum prodeuntium ex puro amore Dei. *Ser. 3. de dedicat.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

49. *Qualis labor exercendus à servis Dei.*

Si quis non vult operari non manducet. Nota, quod Apostolus præcipit omnibus laborem: sed quia duplex est labor, alius materialis, alius spiritualis; vult ut quisque secundùm gratiam sibi à Deo datam laboret; sed tamen labor spiritualis in studio Sacræ scripturæ, & in prædicatione, & salute animarum est nobilior, sanctior, & Deo charior, ideò potissimum hunc suadet. *Op. de tribus quæst. op. de Paup. Christi qu. 1. & 2. op. medit. c. 46. op. de septem itin. æter. itin. 7. d. 6. op. Apol. Paup. Resp. 4. c. 3. op. Expos. Regulæ c. 5. op. spec. discipl. p. 2. c. 6.*

Explicit expositio Seraph. Doct. in Epistolam secundam ad Thessal.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM PRIMAM AD TIMOTHEUM.

PROLOGUS.

NOTA, quòd Timotheus fuit discipulus Apostoli, ab ipso licet juvenis ob suas egregias dotes creatus Archiepiscopus Ephesi, ipsumque instruit in suo munere Episcopali.

CAPUT PRIMUM.

1. *Fabulæ rejiciantur à Prædicatoribus.*

ROGAVI te ut denunciares quibusdam, ne intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, &c. Hoc attendant Prædicatores verbi Dei, qui summo studio cavere debent ab intermiscendo in suis concionibus fabulas, aliaque inutilia dicteria, & quæstiones interminatas, & vanas, quia auferunt spiritum Dei, & impediunt fructum animarum. *Psal. 118. v. 85. & c. 6. v. 5.*

2. *Charitas nobilissimam Trinitatem perfectionum constituit in anima.*

Finis præcepti (scilicet legis Evangelicæ) *est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Nota, quod meritò charitas appellatur finis, scilicet complementum omnium præceptorum, & virtutum, quæ in lege Evangelica proponuntur, & ob id habet Trinitatem perfectionum nobilissimarum, scilicet de corde puro, quia est sine ulla impuritate terrenorum, est enim sicut ignis auferens omnem rubiginem, & ad suam sphæram ascendens portat animam ad Deum: secundò dicit de conscientia bona per fructuosissimam bonitatem operantem bona, & numquàm otiosam existentem: tertiò & fide non ficta per radiosissimam veritatem auferentem omnem simulationem per exemplum sanctæ conversationis. *Op. Dist. iv. 10. c. 5.*

3. *Idem argumentum de charitate regina virtutum.*

Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Ecce mirabilia hic expressa charitatis: est enim de corde puro quia de se gignit puritatem, & sanctitatem in anima, de conscientia bona, per quam parit spem, & fide non ficta, quia sua puritate purificat fidem: dicitur etiam finis præcepti, quia regina est omnium virtutum, & quies, & complementum omnium perfectionum animæ: *lib. 3. d. 38. a. 1. qu. 2. ad 4. & d. 19. a. 1. qu. 1. & lib. 3. d. 27. dub. 1. op. Brevil. p. 6. c. 8. op. Centil. p. 4. sect. 40. op. de dono sap. c. 11. op. Dist. tit. 3. c. 1. & tit. 5. cap. 3. ser. 2. & 10. Hexam. op. Itiner. ment. c. 1. & 4. ser. 1. de S. Clara.*

4. *Justi non sunt sub lege, sed suprà.*

Justo lex non est posita, sed injustis, & subditis, impiis, & peccatoribus, &c. Quomodo dicitur, quod lex non est imposita justo? nonne justi etiam subjecti sunt, & tenentur observare legem Dei? sed notandum, quod esse sub lege tripliciter dicitur, vel quantùm ad causam, vel quantùm ad observantiam, vel quantum ad motivum: primo modo omnes homines, excepto Christo, & Maria, nati sunt sub lege, scilicet sub peccato: secundo modo sunt omnes, qui illam observant: tertiò quantum ad motivum, scilicet timoris, ob quem aliqui ipsam observant; & hoc tertio modo assignat discrimen inter justos, & peccatores; nam justi suprà legem sunt nec ipsam observant ob timorem pœnarum inferni, vel ob minas, & pœnas, ut peccato-

res,ſed voluntariè ex charitate,& amore, & ideò dicantur liberi, non ſervi. *Lib.3. d.1. dub.3. & in Pſal.Prafat.*

5. *Ignorantia ſimplex extuſat aliqualiter à peccato, ut factum eſt in Paulo, qui perſequebatur Eccleſiam ex ignorantia, & ideò miſericordiam invenit à Deo.* Sic dicit hic;*qui prius blaſphemus fui,&c.Eccleſ.c.5. Luc.c.12.v.10.& 47. ſer.14 Dom. in Albis,ſer.1. in cathedra.*

6. *Domini Ieſu pietas in peccatores excitat ad laudem ipſius juſtos.*

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere. O quàm verum hoc ? nam ſermo jucundiſſimus eſt,in quo enarratur immenſa pietas Domini Jeſu, qui venit in hunc mundum ſalvos facere peccatores,eos illuminando,& attrahendo à ſtatu miſerabili peccati ad gratiam, & ſalutem : hic ſermo excitare nos debet ad laudandam ejus pietatem, & bonitatem. *Sermon. 4. Dom.13.Penter ſer.1. Dom. 2. poſt oct. Epiph. Luc. c.15.v.4.*

7. *Explicatur verſus : Regi ſeculorum immortali, inviſibili ſoli Deo honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

Vide, quod Paulus poſt commemoratum redemptionis Chriſti beneficium, aſſurgit à Chriſto homine,& erumpit in laudem Dei Patris, & totius ſanctiſſimæ Trinitatis, quæ per Chriſtum hoc donum hominibus contulit, ac omnibus ſæculis conferri, & conferet: dicitur igitur primò; Regi ſæculorum enuntians; quod Deus eſt primum ens,ac conſequenter Rex, auctor,ordinator, diſtributor, moderator, & Dominus omnium ſæculorum, ideſt & æternitatis ſuæ, & æternitatis Angelorum, & temporum noſtrorum, hæc enim omnia manant ab æternitate Dei : ſecundò dicit immortali, quia ſolus eſt indeficiens, & immutabilis : tertiò inviſibili, quia naturaliter à nemine poteſt videri : quartò dicit ſoli Deo, ſcilicet eſt talis per ſuam eſſentiam : quintò honor, & gloria, quia ipſi ſoli debetur laitia, & gloria, ad quam omnia ordinantur : & quia hæc attributa omnia ordinantur ad recognitionem redemptionis operatæ per Chriſtum ; hinc Eccleſia in officio canit hunc verſiculum, & poteſt ordinari ad ipſum Chriſtum tali modo : Regi ſæculorum, &c. q. d. Tibi Domine, qui es Rex omnium ſæculorum pro nobis tantum humiliatus : Tu immortalis, qui pro nobis in cruce es mortuus: Tu inviſibilis, qui tamen nobis viſibilis factus es. Tu ſolus Sanctus in majeſtate, nobis tamen miſericorditer aſſociatus. Tu es omnipotens, qui pro nobis autem factus es homo. Tibi inquam honor ex creatione, tibi gloria ex Redemptione, in ſæcula ſæculorum ex æterna ſalvatione, Amen, ex promiſſorum tuorum certiſſima adimpletione.*Opuſc. Dom.tit.10.c.6.Pſ.* 118.*v.*73. *op.de Prof.Relig.lib.1. c.23. op. Comp. Theol. lib.1. c.14. Luc.c.12.v.10.op.de dono ſap.c.9.*

8. *Militia lucroſa Chriſtianorum qualis.*

Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee,&c. ut milites in illis bonam militiam (in illis ſcilicet in ptophetiis, & doctrina Chriſti) *habens fidem, & bonam conſcientiam.* Nota illud verbum bonam militiam, quam ponit contra malam militiam; duplex enim militia alia bona, alia mala ; hæc mala eſt, in qua homo exhibet membra ſua arma peccato, & diabolo, militans ſub vexillo ipſius in ſuperbia, invidia, &c. militia bona eſt, quæ ſub vexillo Crucifixi exercetur contra vitia, & hæc competit omnibus Chriſtianis jam in baptiſmo adſcriptis. Undè ſicut milites habitant in tabernaculis, ſemper in labore ſunt, ſemper in lucta, & ſemper expectant ſtipendia ; ſic & Chriſtianus non habens hic manentem civitatem, habitat in tabernaculo Eccleſiæ,ſemper debet eſſe in labore, in lucta, inhians ad illud cæleſte ſtipendium gloriæ : hocque maximè competit Prælatis Eccleſiæ, quibus ſpectat ſemper pugnare contra diabolum,mundum, & carnem, & defendere populum ſibi commiſſum : arma verò,quibus nobis militandum eſt, ſunt (ait Apoſtolus) fides, & bona conſcientia ; fides inquam vera, ſincera, & pura cum ſpe,& charitate,boniſque operibus ; hæc enim bonus miles militat circa Deum bona divina expoſita petendo,& exigendo, & veluti per orationem ſanctè rapiendo : ſecundò contra hoſtem, carnem, & mundum eos debellando,conculcando, & de eis triumphando : Eia igitur milites Chriſti bellum ſpirituale ingreſſuri, induite vos armaturam Dei, arripite gladium, & ſcutum ; gladium virilitatis, & ſtrenuitatis, ſcutum patientiæ,ut ſitis patientes, & fortes in ſuſtinendo eorum impetus, & dolores. *Pſal.* 118.*c.*8. *v.*5. *ſeq.op.de pugna ſpirituali c.1.ſer.3.in dedic.*

CAPUT II.

In hoc capite Apoſtolus toto conatu ſuadet orationem, qua oretur pro omnibus, quia vult Deus omnes ſalvos fieri : deinde inſtituit mulieres tum in ſubiectione ſuis viris, tum in educatione filiorum.

9. *Orationis varia genera expenduntur, ſicut & ejus efficacia.*

OBſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Nota, quòd Apoſtolus docet in his verbis, quod primum opus, quod aggreditur homo ſummo mane debet eſſe oratio,quam diſtinguit in obſecrationem, orationem,poſtulationem,& gratiarum actionem, de quarum differentia in *Ep.1.ad Cor.c.12.* Actum eſt : quæ tamen ſimul in unum conveniunt, ſimul enim aſcendit anima in Deum per orationem,recolit beneficia divina, poſtulat dona, & interponit

Digitized by Google

interponit ad impetrationem merita Chriſti, & Sanctorum; & hoc peculiariſſimo modo fit in Miſſa in qua Sacerdos modò orat, modò poſtulat, modo gratias agit, modo obſecrat, & hoc pro omnibus, ſed præcipuè pro Prælatis, & ſuperioribus, ex quorum bono regimine dependet pax, & tranquillitas totius reipublicæ, *Pſal.* 141. *Expoſ. Miſſa c.* 4. *Luc. c* 18. *v.* 1. *lib.* 2. *d.* 44. *a.* 3. *q.* 1. *ad arg.* Nota etiam, quòd ex hoc loco infertur qualis ſit pietas fidei Chriſtianæ, quæ orationes Eccleſiæ extendit non ſolùm ad fideles Chriſtianos, ſed & ad Principes etiam infideles, ut ſæpiſſimè faciebant ſancti tempore perſecutionum, & Tyrannorum, pro quibus preces aſſiduas offerebant Deo, & hoc munus proprium maximè eſt ſacerdotum, qui conſtituti ſunt mediatores inter Deum, & homines, quaſi Patres totius Orbis. *Vide lib.* 4. *d.* 17. *p.* 2. *a.* 1. *q* 2. & *d.* 19. *a.* 2. *q.* 1. & *d.* 23. *a.* 2. *q.* 1. *op. Brevil. p.* 6. *c.* 10. *Luc. c* 19. *v.* 45.

10. *Pax vera eſt ex pietate coniuncta cum caſtitate.*

Ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate, hoc enim bonum eſt, & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo. Ecce catena aurea ab Apoſtolo expoſita omnibus Chriſtianis: primò loco ponit anulum orationis, obſecrationis &c. poſteà pacem, & tranquillitatem vitæ, & tàndem pietatem, & caſtitatem; ſicque iſta conſtituunt ſacrificium ad Deum perveniens, ipſique acceptum; & valdè charum. Nota autem, quòd ad pacem cordis obtinendam præcedere debet oratio & conſequi pietas, ſimul & caſtitas, ut ſic perfecta reddatur anima Deo dilecta: Pietas autem, quæ importat cultum Dei, & exercitium virtutum fidei, ſpei, & charitatis connectitur cum caſtitate, quia ſine caſtitate non poteſt Deo placere; & vice verſa caſtitas exigit exercitium bonorum operum, per quæ duo anima fit arbor vitidis cum fructibus. *Ser.* 2. *de Virgin. in addit.*

11. *Charitas Dei volentis ex ſe omnes ſalvos, Impietas hominis nolentis ſalutem à Deo ordinatam expenditur.*

Hoc eſt acceptum coram ſalvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire Nota primò hanc ſententiam connecti cum antecedentibus, in quibus præcipit, ut in Eccleſia fundantur orationes Deo pro Principibus & omnibus hominibus, & oſtendit talem orationem Deo eſſe ſummè charam, & etiam efficacem ad ſalutem obtinendam peccatorum ex hoc, quòd Deus vult omnes ſalvos fieri; ſuper quem textum movent Theologi quæſtionem quomodo verificetur; cùm pateat talem voluntatem Dei fruſtrari in multis, qui damnantur: Cui reſpondent varii variè ſed tamen communiori, & verior eſt, quòd verificetur de voluntate antecedente Dei, hæc enim eſt reſpectu eius, propter quod hominem fecit, eſtque conditionalis; qua Deus quantum eſt in re ordinat omnes homines ad ſalutem, & ab ipſis ab æterno diſponit, & in tempore offert omnia auxilia neceſſaria ſufficientia ad obtinendam ſalutem, dummodo acceptentur liberè, & efficaciter ab ipſis peccatoribus; ſed quia non omnes admittunt & acceptant talia auxilia, imò ipſa reſpuunt, rejiciunt, & voluntariè contemnunt, hinc eſt; quod voluntate conſequente eos Deus non vult ſalvos abſolutè; quæ voluntas reſpicit merita hominis voluntaria, & libera: & hinc patet, quàm ardens, & immenſa ſit Dei charitas, omnibuſque communis, & è contra quam indigna ſit ingratitudo hominis pugnantis; ex oppoſito contra divinam liberalitatem, & reſpuentis theſauros gratiarum ſuarum, quæ continuè offeruntur. *Lib.* 1. *d.* 46. *a.* 1. *q.* 1. & *d.* 47. *q.* 1. *lib.* 3. *d.* 31. *dub.* 3. *op. Comp. Theol. lib.* 1. *c.* 30. *Luc. c.* 19. *v.* 41. *op. de Prof. Relig. lib.* 1. *c.* 2. *Brevil. p.* 5. *c.* 3. & *p.* 6. *c.* 11.

12. *Solus Chriſtus ut Deus, & homo propriè mediator inter homines, & Deum.*

Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, cujus teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt. Ecce ratio quare Deus vult omnes homines ſalvos fieri, ſcilicet quia unus eſt omnium hominum tam fidelium, quàm infidelium Deus, ideſt Creator, proviſor, & Pater, qui eſt ſummè bonus omnes cupiens ſalvos; ideò dedit Chriſtum mediatorem, ut ſcilicet unus; & idem Chriſtus ut Deus, & homo omnium hominum eſſet Redemptor, & ut per Chriſtum omnes ſibi homines jungeret, ac ſalvaret, ergo patet, quòd quantum eſt in ſe vult omnes ſalvos fieri: ſolus igitur Chriſtus, qui fuit principium creativum, eſt & principium recreativum, & reparativum: undè cæteri ſancti licèt dicantur mediatores, tamen id habent per Chriſtum, à quo originem trahit omnis mediatio, & ob id ſolus Chriſtus teſtimonium fuit divinæ charitatis, & fidelitatis, promiſſionis factæ talis redemptionis, confirmatum ſui ſanguinis effuſione, & Sacramentorum inſtitutione. *Opuſcul. Brevil. p.* 5. *c.* 3. & *p.* 6. *c.* 11. *Pſ.* 118. *c.* 3. *v.* 14. & *c.* 11 *verſ.* 8.

13. *Nomen, & officium Doctoris, Magiſtri, Prædicatoris, & Prælati aſſumendum, ſed pompa rejicienda in Eccleſiaſticis gradibus.*

In quo (ideſt ad quod teſtimonium, & Chriſti redemptionem promulgandam) *poſitus ſum ego Prædicator, & Apoſtolus* (*veritatem dico, non mentior*) *Doctor gentium in fide, & veritate.* Nota, quòd Apoſtolus ſeipſum nominat Prædicatorem, præconem Evangelii, Magiſtrum, & Doctorem, non ut pompam oſtenderet talium nominum, hæc enim à Chriſto prohibita fuit, quando dixit; *nolite magiſtri vocari Matth. cap.* 23. Sed tamen voluit, ut talia officia exercerentur in Eccleſia; & ob id etiam exprimerentur proprio nomine, & hoc ut oſtenderet quale ſit proprium munus miniſtrorum Eccleſiæ, & Evangelii. *Opuſc. de tribus quæſt.*

14. *Omnis locus Chriſtianis ſit oratorium ad fundendam orationem.*

Volo viros orare in omni loco,levantes puras manus ſine ira,& diſceptatione. Nota,quod iterum redit Apoſtolus ad orationem, ad quam hoc caput præcipuè eſt inſtituendum,ubique utile in omni loco fundatur oratio; ſed quomodo in omni loco, & non potiùs in Eccleſia, vel in domo privata, & à converſatione hominum ſemota? ſed tamen hoc dicit Apoſtolus, ut ſe opponat credulitati Judæorum,qui credebant ſolùm ſuam orationem à Deo acceptari fuſam in templo Jeroſolymitano; per quod aſſignat Chriſtianis quale ſit munus ipſorum,nempè conſtituendi ſibi oratorium in omni loco, ſcilicet non tantùm in Eccleſiis, ſed & in agris,ſylvis,officina,itinere,navi, menſa, lecto,& quovis loco, qui uſus ſemper viguit apud ſervos Dei illuminatos,qui utebantur orationibus brevibus,ſed crebris, & ardentibus, quas jaculatorias vocabant, hæ vel vocales,vel mentales; undè per Chriſtum omnis locus factus eſt Chriſtianis oratorium. *De hac materia Vide S.Bon.op. de ſex Alis Seraph.c.8.op.de quinque feſtiv.op. lignum vitæ in fine.op.ſpec.diſcipl.p.1.c.12.op. Expoſ. Regulæ cap.10. ſer.5.de nno Conſeſſ.op.de Prof.Relig.l.2. c.69.*

15. *Oratio in Eccleſia quàm Deo chara.*

Volo viros orare in omni loco. Nota,quòd plures SS.PP.pro omni loco,licèt admittant Deum velle à nobis orationem in omnibus locis, tamen cum hæc dicantur ab Apoſtolo contra Judæos,qui credebant ſe poſſe tantùm orare dignè in templo Jeroſolymitano, ejus præcipuam intentionem eſſe volunt, quod in omni Eccleſia,ubi fiunt publicæ orationes, debemus orare, eo quòd oratio in Eccleſia cæteris paribus charior eſt Deo, & efficacior, tum quia ibi magis Deus aſſiſtit orantibus, tum quia locus ad id eſt ſolùm ordinatus, tùm ob aſſiſtentiam Angelorum, & Sanctorum. *Ser.1. & ſeq.ad ſer.3.de dedicat. Luc.c.18.v.10.c.19.v.46. Pſ.117.*

16. *In oratione levanda ſunt manus puræ ſine ira,& diſceptatione.*

Sic præcipit Apoſtolus. *Volo viros orare in omni loco,levantes manus puras ſine ira, & diſceptatione.* Quid eſt levare manus pùras? ergo levandæ manus ad Cœlum ſunt,ut oratio Deo ſit accepta; & tamen tot,& tot Sancti in ſeipſis reſtricti abſque tali elevatione manuum feliciter orantium: quid eſt ſine ira, & diſceptatione? ſed tamen Apoſtolus in his verbis aſſignat conditiones perfectæ orationis: & primò dicit, levantes manus puras,ut oſtenderet, quòd etiam habitus corporis valdè juvat ad fervorem orationem; aliquando enim legitur ſanctos oraſſe facie verſa ad terram ad oſtendendam humilitatem, & indignitatem propriam, aliquando corpore erecto ad Cœlum, ſed frequentiùs manibus & oculis ad Cœlum verſis,quia talis diſpoſitio facit eorum ad erectionem mentis in Deum: ſecundò myſticè levatio iſta intelligitur ſpiritualiter, ſcilicet ut oratio ſit elevata ab omnibus rebus terrenis, & totaliter in Deum rapta. *Op. Myſt. Theol. cap.3. p.3. Pſ.118.c.3.v.16.Luc.c.6.v.2.* Addit Apoſtolus, *ſine ira, & diſceptatione,ſine ira, & haſitatione.* Legit Græcus: dat per hoc intelligere,quòd in tempore orationis nulla debet occurrere iræ paſſio, nulla phantaſmatum illuſio,ſed ſit anima tota accenſa in Dei amore,& proximi. *Ser.4.Dom.9.Pentec: ſer.1.de nno Confeſſ.In Thren.c.2.*

17. *Mulierum habitus, ornatus, & opera qualia exigantur à Deo.*

Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia,& ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, &c. ſed quod decet mulieres promittentes, pietatem per opera bona. Nota illam particulam, ſimiliter & mulieres, quæ refertur ad antecedentia, ſcilicet orent in omni loco levantes manus puras æquè ac viri. Addit poſtea qualibus ornamentis vult mulieres in publicum prodire, dicens, *In habitu ornato.* Quid eſt hoc? ergone præcipit mulieribus, ut ſe ornent? nonnè hoc eſt potiùs eas excitare ad id,quod eſt eis innatum naturaliter, ad ornamentorum vanitatem? ſed attende ad id, quod ſequitur, *cum verecundia,& ſobrietate ornantes ſe*, dans per hoc intelligere,quòd dignius ornamentum mulieris eſt honeſtas, verecundia, ſobrietas,moderatio,& modeſtia, iſtaque ſunt, quæ laudem dignam ipſam reddunt: E contra ſignum peſſimum eſt, & nota maximæ vanitatis reſidentis in corde eſt exterior ſuperfluitas ornamentorum, nam ornatus vanus non Chriſtiani, nec Chriſtianæ animæ ſed Antichriſti, & diaboli eſt velamen. *Op.Phar.lib.3.c.20. ſer.1. de S.Gregor: ſer.2.de S. Marco.*

18. *Mulieribus vitium eſt docere,& dominari in Eccleſia: de hac materia vide quæ dicta ſunt in epiſtola 1.ad Cor.c.14.& lib.4.d.25.a.2.q.1. Luc.c.2. v.38.*

19. *Peccatum Adæ, & Evæ expenditur.*

Adam primus formatus eſt, deinde Eva; & Adam non eſt ſeductus,ſed mulier, &c. Quæritur hic quomodo Adam non dicitur ſeductus cum ab Eva foerit deceptus? ſed reſp. quod cum vir, & mulier fuerint conformes in tranſgreſſione mandati divini, fuerunt tamen diſſimiles in principali motivo: non enim vir pomum comedit propter appetitum excellentiæ in ſui aſſimilatione ad Deum, nec propter appetitum ſufficientiæ in multorum cognitione, nec propter appetitum ſuavitatis in cibi deguſtatione, ſicut fecit mulier; fuit tamen in viro poſtquam conſenſit, quædam ſuperbia, avaritia, & laſcivia per quas duxit ſe in complementum peccati, & inobedientiæ; ſuperbia fuit, dum ſe nimis tanti æſtimavit apud Deum, quod propter comeſtionem non incurreret gravitatem alicujus ſupplicii, ſed de facili conſequeretur veniam de offenſa: Avaritia, dum curioſè ſcire voluit quid ex comeſtione ſibi eveniret: laſcivia item non carnalis delectationis, ſed cujuſdam amicabilis affectionis, qua frequenter fit, ut offendatur Deus, ne contriſtetur proximus, & ipſe ne contriſtaretur delicias ſuas, ſcilicet mulierem. *Lib.2.d.22.a.1.q.1.*

20. *Mulierum conjugatarum labores expenduntur in ordine ad salutem.*

Mulier salvabitur per filiorum generationem: si permanserit in fide & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate. Nota quod dicit per filiorum generationem, quo termino includit, etiam educationem quæ est veluti completa generatio, simulque & labores, quos assumit mulier in hoc statu; unde matrimonium dicitur matris munium, & officium, pro eo quod prolis enutritio spectat maximè ad mulierem, in concipiendo, in portando, in pariendo, in nutriendo, & in compariendo: *lib.* 4. *d.* 27. *a.* 1. *qu.* 2. sic autem dat Apostolus intelligere, quod esto quod mulier non doceat, non deerit illi occupatio pia, adeóque salvabitur non per generationem liberorum, sed per liberorum piam educationem permanendo in fide, scilicet educando illos in iis, quæ spectant ad salutem animæ. *Vide Chrysost. Hom.* 9. *in morali, &c.*

CAPUT III.

In hoc capite describit Apostolus mores, & virtutes requisitas in Episcopis & diaconis.

21. *Episcopatus quomodo dicitur bonum opus.*

Si quis Episcopatum desiderat bonum opus desiderat. Quid est bonum opus? nota non dicit dignitatem, sed opus, & opus bonum; quid est opus bonum? legit Græcus opus præclarum, arduum, & difficile; dat igitur hic intelligere, quod episcopatum desiderat intendens opus arduum, imò & martyrium, ait S. Hieron. iste benè desiderat, & sanctè, non verò qui aspicit ad dignitatem, & præsidentiam super alios, ad proventus amplos: undè Episcopus debet esse unius uxoris; scilicet Ecclesiæ vir, & omnibus virtutibus ornatus, ut latè patet ex textu epistolæ. *Eccles. c.* 8. *op. de sex Alis Seraph. c.* 5. *op. Eccles. Hier. p.* 4. *c.* 5 *lib.* 4. *d.* 25. *a.* 2. *qu.* 3.

22. *Prælatorum, Religiosorum, & Clericorum exemplaritas debet elucere etiam apud eos, qui foris sunt.*

Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli: Diaconos similiter, &c. Nota, quod Apostolus commendat gravissimè bonum exemplum, vitam, & conversationem honestam coram omnibus in Episcopis, Diaconis, & omnibus ministris Ecclesiasticis; & hoc ait Apostolus; ut non in opprobrium hominum, & laqueum diaboli incidant, scilicet ne hostes Ecclesiæ, & fidei, & mali homines possint ipsis exprobrare sua pristina vitia, & ob id propter malam vitam ipsorum averti à fide, & à Christiana perfectione. *Luc. cap.* 5. *vers.* 15. *cap.* 8. *vers.* 51. *cap.* 16. *vers.* 8. *sic & Chrysostomus, aliique Patres.* Et hinc subdit Apostolus: *qui benè ministraverint gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu:* q. d. qui in sancta, & honestâ conversatione vixerint in Ecclesia exercentes se in suo munere isti bonam gratiam acquirent, & coram Deo, & coram hominibus, & in hac, aliaque vita. *Luc. c.* 19. *v.* 17. & hoc est, quod ex decreto Conc. Trid. præstetur in Ecclesia in promovendo ad ulteriores gradus, & ordines solum illos, qui in inferioribus piè & fideliter se gerunt.

23. *Idem Argumentum: Hæc tibi scribo, ut scias quomodo oporteas te in domo Dei conversari.* Nota illud verbum, *conversari*, nam cum Apostolus instruxisset Timotheum in his, quæ spectant ad perfectionem propriam personalem; postmodum ipsum constitutum Episcopum Ephesi instruit, quomodo debeat conversari cum aliis, scilicet ut esset exemplar prælucens & sibi, & aliis mediantibus operibus sanctis. *Op. de sex Alis seraph. c.* 1.

24. *Ecclesia Catholica domus Dei, & columna, & firmamentum mundi.*

Quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est columna, & firmamentum veritatis. Nota hæc tria dicta de Ecclesia; *domus Dei, columna, & firmamentum veritatis.* q. d. cum totus mundus sit Dei, ejus tamen domus est Ecclesia verè domus Dei sancta, sanctificata, quia mancipata est sanctis operibus, scilicet orationum frequentationi, lectionum recitationi, divinæ laudis decantationi, & veri sacrificii oblationi: ideò summo cum honore, est reverentia à fidelibus frequentanda, & habitanda; est & columna, & firmamentum, scilicet activè, & passivè: passivè enim firmatur continuè in fide, & veritate per infallibilem assistentiam Spiritus sancti à Christo promissam, est & activè, quia in ipsam intrantes illustrantur per fidem & stabiliuntur per virtutis constantiam, & observantiam legis divinæ. *Ser.* 1. *Hexam. ser.* 1. *in dedicat. Luc. c.* 15. *vs.* 5. *c.* 19. *v.* 7.

25. *Mysterium incarnationis Dominicæ quàm magnum, & quàm sanctum: Tibi de sacramento Eucharistiæ.*

Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne; justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Nota, quòd hic Apostolus compendiosè restringit mirabilia incarnationis Dominicæ; est enim magnum sacramentum mundo manifestatum, & simul sanctum; quia Deus manifestatus est in carne, justificatus est in spiritu, Angelis apparuit, prædicatus est gentibus, creditus est in mundo, assumptus est in gloria: dicitur autem magnum ratione divinitatis, sanctum, & pium ratione humanitatis, per quod satisfactum est justitiæ Dei, & manifestata infinita bonitas Domini Dei: & nota, quod ista mirabilia maximè elucent in institutione sacramenti Eucharistiæ. *Luc. c.* 1. *v.* 49. *c.* 22. *v.* 19

CAP.

CAPUT IV.

Apoſtolus in hoc capite prædicit inſtare hæreſes, quæ damnabunt nuptias & certos cibos quaſi in ſe malos; præfert exercitium pietatis corporali exercitationi, & tandem monet Epiſcopum, ut ſit exemplar ſanctitatis omnibus.

16. *Benedictio menſæ, & ciborum ante comeſtionem conſulitur.*

Deus creavit cibos ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, &c. ſanctificantur per verbum Dei, & orationem. Nota, quod Apoſtolus poſt confutationem hæreſum, per quas hæretici damnant abſtinentiam à cibis, & nuptiarum celebrationem: oſtendit fidelibus omnem creaturam de ſe bonam à Deo factam, & ſpecialiter omnes cibos eſſe à Deo creatos ad uſum moderatum hominum, maximèque fidelium, & deindè addit ipſos ſumendos eſſe cum gratiarum actione, ſcilicet cum benedictione præcedente, & gratiarum actione conſequente, quia ſanctificantur per verbum Dei, & orationem, taliſque erat mos Chriſti, ut ſemper benedictionem præmitteret ante manducationem, & talis mos ordinatus eſt ab Eccleſia Clericis, & Religioſis. *Luc.c.24.v.30.ep.Apol.Paup. Reſp. 2. cap.2. & reſp. 3. cap. 2. Luc. cap. 10. verſ.2.*

17. *Nota, quod hic adſeruntur 58. Decl. plures rationes, ob quas Eccleſia præmiſit præcipit benedictionem ad menſam ciborum.* Prima eſt quia talis benedictione (quam indiſcriminatim Evangeliſtæ vocant, & benedictionem, & gratiarum actionem) profitemur nos à Deo recognoſcere omnes cibos, & beneficia corporalia, & tacitè conſequenter Deo gratias agere pro ipſis: ſecundò oſtendimus nos ipſos velle veſci ad Dei honorem, eaque tacitè Deo offerimus: tertiò oramus, ne inſtar pecorum, aut infidelium in cibos irruamus ſine ulla pia cogitatione: quartò petimus, ut uſus cibi ſit utilis valetudini animæ, & corporis: quintò hac benedictione petimus, ut inter veſcendum mens aliqua pia cogitatione, vel lectione paſcatur, ut ſic non tantùm paſcatur corpus, ſed magis anima; ideoque Religioſi interniſcent ſacram lectionem: ſextò ut auferatur omne robur, & virtus diabolo, ne ſcilicet inficiatur cibus magica poteſtate, vel nos inducat concupiſcentia in intemperantiam, &c. Unde Chryſoſtomus contra hæc diaboli venefficia remedium aſſignat ſignum crucis, & benedictionem; Medicamentum inquit in promptu eſt contra omnem poteſtatem diaboli, ſignum crucis illi cibo, vel rei, qua uti vis, imprime, gratias age, Deo gloriam refer, & protinus omnis immunditia abſceſſit: Et hinc piiſſimus uſus practicatur in Eccleſia benedicendi in Paſcha, & alitiſque ſolemnitatibus cibos, animalia, res, ſegetes, herbas, plantas, veſtes, aliaque ad miniſterium noſtrum ordinata.

18. *Explicatur propoſitio: Exerce autem te ipſum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia utilis eſt: Ubi de pœnitentia exteriori.*

Quæritur hic quid intelligit Apoſtolus per corporalem exercitationem, & per pietatem? Ad litteram intelligit Apoſtolus exercitationem corporis in curſu, luctu, pugna, aliiſque modis, quibus exerceatur corpus ad ſanitatem tuendam; per pietatem autem cultum Dei: Myſticè autem etiam ſancti Patres intelligunt per exercitationem corporalem omnia opera pœnitentialia exteriora, jejunia, caſtigationes corporis, & quæ ad obſervantiam exteriorem Religionis fiunt, quæ ſi in ſe conſiderantur ſunt quidem bona, ſed ad modicum, quia non propter ſe, ſed propter pietatem, ſcilicet ad cultum Dei, & ad reformationem interioris hominis appetenda ſunt, quæ pietas obtinetur per eam, ſi ordinatè exerceatur; ſicut Artifex per inſtrumentum artis ſuæ operatur, ita virtus per corporalis exercitia adipiſcitur, & in habitum vertitur, & quantò plus appetit inſtrumenta aptiora, & dum ipſe ea habuerit, ſi benè eis utitur, tantò citiùs, & melius perficit opus, quod deſiderat conſummare: omnia autem, quæ ad Religionis obſervantiam exterius practicantur, & videmus ad interioris hominis reformationem Spiritus ſancti inſpiratione ordinata ſunt, hæc autem conſiſtit in ſpiritu mentis, exterior eſt corpus, & circa corpus; interior per pietatem reformatur, quæ eſt cultus Dei, quo ſtudemus Deum agnoſcere, & amare, & habere, & ipſi placere; & hinc tres gradus ad talem pietatem adſunt: primus eſt animalis, quaſi rudis, & circa corporis compoſitionem maximè occupat, & neceſſarium habet, ut illud domet, & caſtiget ne rebellet ſpiritui, ſicut prius in peccato, quando caro ſpiritui dominabatur, & hæc eſt corporalis exercitatio, de qua loquitur Apoſtolus: ſecundus eſt rationalis, in quo ratio dominans ſpiritui ſeipſam ſtudet agnoſcere, purgare, & reformare in priſtinam dignitatem, & pulchritudinem, quam per peccatum amiſerat, & hoc eſt initium exercitii pietatis, ut perveniat ad tertium gradum, qui eſt ſpiritualis, ubi ſpiritus ad imaginem Dei conditus, gratia Spiritus ſancti adjutus ſupra ſe aſcendit, & intendit in eum, cujus eſt imago, ut ei imprimatur, & conformetur per cognitionem intellectus, per affectum amoris, & fruitionis jucunditatem; per primum pervenitur ad ſecundum, & per iſtum ad tertium. *Op. de Præf. Religioſ. lib.1.c.4.ep.de Paup. Chriſti qu.2. ep. medit. c.44.lib.3.d.35.a.1.q.6.*

19. *Pietatis*

29. *Pietatis præeminentia ad corporalem exercitationem pœnitentialem iterùm expenditur.*

Corporalis exercitatio , &c. pietas autem ad omnia utilis. Nota ly ad omnia ; dat per hoc intelligere , quod pietas , quæ eſt cultus Dei , & miſericordia ad proximum cæteras virtutes ſuperat , & præcipuè pœnitentiam , quæ immolat corpus, pietas verò animam , item & charitatem,quia charitas eſt fluvius divinæ pietatis, & currit cum alveis ſuis,& non exit extrà ripas,quia ſolum bonum diligit , & ſua communicat ; pietas verò extrà ripas inundat , & ſua bonis , & malis communicat ; & ideò non ſolùm bona proximorum,ſed etiam mala libentiſſimè portat; Item & ſuperat juſtitiam , quia pietas de curia juſtitiæ,ſi eſt à peccatore ſuſpecta , ad conciſtorium pietatis,& miſericordiæ appellat. *Op. Diat. tit.7.c.4. op.de ſex Alis Seraph.c.3.*

30. *Pietatis exercitia expenduntur.*

Pietas ad omnia utilis eſt. Quid eſt hæc pietas, de qua loquitur Apoſtolus ? & quomodo dicitur ad omnia utilis ? Pietas hæc eſt donum Spiritus ſancti infuſum in anima , proprieque eſt cultus; qui Deum primò , & principaliter reſpicit , & propter Deum proximum : Cultus autem Dei eſt interior , & exterior ; interior eſt , quo Deo ſe offert tamquam principio ſuæ creationis , & fini ſuæ beatificationis , & hoc quantum poteſt ſecundùm omnia,quæ ab ipſo recepit , quod recta ratio dictat , & natura ad hoc inclinat ; ratio enim dictat , quod inferior debet ſuperiori ſubeſſe , à quo dependet , & à quo multipliciter deficit,ideò ejus influentia , quàm conſequitur natura rationalis ſuum ſuperius colendo : ſimiliter natura ad hoc inclinat , cujus deſiderium non quieſcit plenè niſi in ſuo ſuperiori : Cultus exterior conſiſtit in oblationibus,ſacrificiis, adorationibus , & ſimilibus , unde impenditur Deo corde per fidem , ſpem , & charitatem ; ore per adorationem, laudationem , benedictionem, & gratiarum actionem: opere per oblationem , thurificationem, & geniculationem : hujus primum officium eſt perpetrati ſceleris pœnitere : ſecundum eſt tempolium mutabilitatem parvipendere: tertium vitam noſtram ex toto Deo committere : quartum eſt veritatem ſervare : Pietas autem his non contenta extrà ripas animæ ſe extendit : primò ad venerationem, & adorationem ſanctarum imaginum, & reliquiarum,ordinatam tamen ad Dei cultum : ſecundò ad ſalvationem animarum adjuvando per orationum frequentiam,per ſermonum informationem,& per exemplorum incitamenta,ut qui audit dicat: veni:tertiò ad relevationem corporalium neceſſitatum proximi in ſupportando patienter , conſolando amicabiliter, & ſubminiſtrando humiliter,hilariter,& miſericorditer, & ſic divina impletur lex: & ideo promiſſionem habet hæc pietas vitæ , quæ nunc eſt,ſcilicet gratiæ , & futuræ ſcilicet gloriæ ; ad quæ omnia mirabiliter valet memoria,& meditatio crucifixi Jeſu , qui hæc omnia mirabiliter exercuit pro nobis. *Op. de dono piet. c.1.& 2.op. de regimine animæ:op Centil.p.3 ſect.44 Diat tit.2.c.7.* Et talis pietas mirabiliter eluxit in B.P.Franciſco. *op.Legendæ c.8.*

31. *Religio,& Regula ſancti Franciſci cæteris ſtrictior.*

Corporalis exercitatio ad modicum utilis ; pietas ad omnia utilis. Nota , quod cum donum pietatis reſpiciat cultum Religionis , qui exercetur fide,ſpe,& charitate,& ad hoc maximè aptus eſt ſtatus Religioſus per tria vota Religioſa paupertatis , obedientiæ & caſtitatis , hinc elicitur, quod illa Religio,quæ ſtrictiora vota habet , & obſervat , maximè præeminet ſuper alios ordines , & hæc eſt Regula Seraph. Franciſci , quæ ad apicem omnis arctitudinis ſublevat obſervatores ; undè licet in aliquibus ordinibus ſit corporalis exercitatio ſtrictior in aliqua parte , ut in abſtinentia carnium,in ſilentio , & officio Eccleſiaſtico , & ſimilibus , quæ ex ſublimiorum votorum obedientiæ , paupertatis , & caſtitatis virtute facilè recompenſantur , ſicut modicum pondus auri in pretio prævalet magno ponderi argenti , vel alterius metalli ; corporalis enim exercitatio ad modicum utilis eſt. *Op.determinat. qu.12.*

32. *Pietatis, & miſericordiæ præmium expenditur : Vbi de operibus miſericordiæ.*

Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt; pietas autem ad omnia utilis eſt promiſſionem habens vitæ,quæ nunc eſt , & futuræ. Nota primò , quod corporalis exercitatio licet dicatur ad modicum utilis , tamen cum hic ſumatur per comparationem ad pietatem, conſiderata in ordine ad pietatem , cui ſubordinatur , eſt valdè utilis ; undè in via Dei hanc oportet facere , & illam non omittere : Nota ſecundò , quod pietati proponitur duplex præmium , ſcilicet vitam præſentem , & futuram ; quia exercenti opera pietatis , & maximè ſpiritualia in auxilium proximi, Deus immittit præmium , & in tempore hoc, & in futuro. *Lib.3.d.37.dub.4.d.15.p.1. a.1. qu.2 & p.2.a.1.qu 4.& a.2. qu. 2. & lib.4. d.38. a.2. qu.3.. Luc.cap.9.verſ.60.c.11.v.41.c.14. v.12. ſerm. 3. in ſexageſ.*

33. *Præcellentia Prælatorum ſuprà ſubditos qualis eſſe debeat.*

Præcipe hæc,& doce; nemo adoleſcentiam tuam contemnat , ſed exemplum eſto fidelium in verbo,& in converſatione , in charitate, in fide , in caſtitate. Ecce quales ſunt prærogativæ Prælatorum, quibus debent excellere ſuper ſubditos , ſcilicet doctrina , vita,& exemplo, & converſatione : Præcipe;& doce; ecce doctrina : nemo adoleſcentiam tuam contemnat ; ecce vita q.d.licet ſis juvenis, ita tamen te graviter gere,ut non contemnaris quaſi levis , ſed potiùs , ut ſuſpiciant Patrem amantiſſimum ; & in iis , quæ pertinent ad perſonam tuam patiens ſis , ſed in iis , quæ reſpiciunt dignitatem muneris tui , & ſalutem animarum,conſtans,& gravis ſis : tertium quod requiritur eſt exemplum , & converſario honeſta , undè ſubdit , ſed exemplum eſto fidelium in verbo ſcilicet tali , qualis decet Epiſcopum , & ſacerdotem ; & in converſatione , id eſt in vita, & vivendi conſuetudine ; in charitate,ſcilicet in zelo amoris Dei ; & in fide , ſcilicet fidei rectitudine , & conſtantia & in caſtitate , ideſt in

vitæ puritate, in verbis cautus, in converſatione honeſtus, in charitate pius, in fide fixus, in caſtitate mundus. *Luc.c.6. v.14.op. Eccleſ. Hier. p.1.a.2.& p.2.c.2.pluries ſer.2.de uno S.Doct.ſer.2. de una Virgine in addit.*

34. *Prædicator, & Prælatus ſibi priùs prædicet, poſteà aliis.*

Attende tibi, & doctrinæ: hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt. Hæc eſt concluſio hujus capitis, in qua Apoſtolus reſtringit quicquid dici poteſt circa obligationes Prælatorum, & Prædicatorum, & ordinem charitatis eis inſtillat, quæ exigit, ut primò ſibi intendant poſteà aliis; *qui enim ſibi nequam eſt*, ait Spiritus Sanctus *Eccli. c.14. cui alii bonus erit?* nempè qui ſeipſos negligunt, & totos ſe in proximorum curam effundunt, evanido ſpiritu laborant, nec ſibi, nec aliis proſunt: è contra qui ſibi priùs attendit, & poſteà aliis, hic & ſe & alios ſalvos facit. *Luc.c.6. v.42.c.17. verſ.3.*

CAP. V.

31. IN hoc capite Apoſtolus inſtruit Timotheum; primò quomodo ſe gerere debeat cum ſenioribus, nempè eos tractando cum reverentia, eos non affligendo, vel dure corripiendo, quod tamen cum grano ſalis obſervandum eſt, nempe dummodo culpa ſenioris non ſit in interitum juvenum, tunc enim diſtrictà correctione feriendus eſt exemplo Chriſti, quod notavit S. Gregorius: ſecundò eamdem benignitatem præcipit exercendam cum juvenibus juvenculis, viduis: Tertiò docet quod inter viduas aliæ ſunt veræ viduæ, aliæ fictæ; veræ viduæ, quæ ſperant in Deo quæ inſtant obſecrationibus die, ac nocte, quæ ſtudium præcipuum adhibent in regenda familia in educatione filiorum, in exemplaritate viduæ: E contrà vidua falſa, Deoque exoſa eſt, quæ vivere vult in deliciis carnis, quæ verboſa, curioſa, ſtudet circuire domos. *Luc.c.2.v.37.c.4.v.23.& 39.c.1.v.59.c.7. v.25.c.10.v.7.c.16.v.23. Ioan.collat.60.op. Centil. p.4.ſect.1.itin.4.d.3. Apol.Paup. Reſp.3.c.3. Comp. Theol.lib.3.c.18.lib.3.ſent.d.29.qu.3.* Quartò tranſit ad Paſtores animarum docens quòd qui fere præſunt, ſcilicet vita, & doctrina, & regimine, duplici honore debent tractari, ſcilicet honore reverentiali, & alimonia neceſſaria. *Ser.1.de Rectore in addit. op.ſpec. diſcipl. lib.2.c.3. Luc.c.19. v.13.Pſ.21.* Quintò præcipit Epiſcopo, & prælato, quod peccantes publicè irrimiſſibiliter corrigat, & puniat, ne ſuo malo exemplo alios inficiant. *Luc.c.3.v.19.c.17.v.3.c.20.v.45.* Sextò monet Apoſtolus Timotheum, ne citò, ideſt temerè, & ſine conſideratione, & maturitate miniſtret ſacramenta, & maximè ordinem ſacrum. *lib.4.d.25.qu.2.* Septimò, ei permittit vini uſum moderatum propter debilitatem ſtomachi: de quo uſu *Vide op.medit. c.44.op. Regul. Novit. cap.5.*

CAP. VI.

36. IN hoc capite Apoſtolus à regimine, & gubernatione liberorum tranſit ad mancipia, & primò docet Timotheum, ut ipſis inculcet obedientiam Dominis ſuis, ne credant ſe ob baptiſmum factos eſſe liberos à captivitate, in qua priùs erant: de qua obedientia. *Vide lib.2.d.44. a.3.qu.1.& 2.*

Secundò docet quæſtum magnum eſſe pietatem cum ſufficientia, ſcilicet cultus Dei, ſi conjunctus ſit cum ſufficientia, & animo ſufficienti ſuæ ſorte contento.

Tertiò ad contemptum omnium rerum terrenarum excitat ex eo, quòd cum nudi nati ſimus, ob id nihil intulimus in hunc mundum, nec item ab eo aliquid auferre poſſumus, quia etiam nudi in ſepulchro remanebimus: *de quo Vide in Eccleſ.c.5.op.de Paup. Chriſti qu.1.op. Expoſ.Reg. c.1. Luc.c.9.v.3.c.10.v.11.c.12.v.20.c.16.v.12. ſer.2.de S.Martino:* quæ omnia nobis inculcant & prædicant amorem Paupertatis.

4. Ad ablegandam cupiditatem omnium terrenorum conſequenter infert quemque fidelem, maximèque Religioſum debere contentum eſſe victu, & veſtitu moderato, utendo tantùm iis, quæ ſunt neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ exemplo Chriſti, qui nobis præceſſit in expoliatione omnium rerum: de qua materia. *Vide op. Diat. tit.5.c.2.medit.c.8.& 15.op. de Paup. Chriſti qu.1. & Apol.Paup.Reſp.3.c.1.op.de Prof. Religioſ.lib.2. c.17.Luc.c.2.v.7.c.7.v.25.c.9.v.3.c.20.v.46.ſer.2. Dom.1.Quadrag ſer.1.de S.Martino.in addit.*

5. Ad contemptum divitiarum omnes excitat eò quòd cupiens, tales divitias incidit in laqueos diaboli, ſcilicet in ſuperbiam, avaritiam, in captivitatem cupiditatis, quæ eſt radix omnium malorum; de qua materia fusè agit. *Op.determinat. qu.4.op.de Prof. Relig.lib.2.c.4. Brevil.p.5. c.6.op. de tribus ternar.c.6. Diat.tit.1.c.6. tit.4.c.1.ſer.21. Hexam.op. ſpec.in prafat.& c.4.Apol.Paup.Reſp.3. c.1. Comp. Theol.lib.3.c.15. ſer.4. Dom.3. Epiph. ſer.1.in oct. Paſchæ. ſer.4. Dom.4. Pentec. ſerm.1. Dom.22.Pentec. Luc.c.6.v.30.c.8. v.14.c.12.v.29. c.13.v.3.c.16.v.19.c.18.v.24.c.22.v.22.lib.2.d.22. a.1.qu.2.& d.44.dub.4.*

6. Ad obſervantiam mandatorum Dei ſuadet Timotheum, & quemcumque fidelem ad hoc, ut in pugna hujus vitæ victor exiſtat, & ad præmium paratum obſervantibus perveniat, & ut ſecutè victoriam obtineat proponit, quòd coram Chriſto Jeſu decertandum eſt, qui teſtimonium ſuæ Paſſione reddidit de hac veritate, ut nos ad ſui imitationem provocaret. *Op. de dec. præc.ſer.1.S.Cyprian.*

7. Ut magis inflammet ad pugnandum in hac vita pro Chriſto oſtendit, quòd præmium promiſſum, & paratum victoribus fideliter eſt poſſeſſio Dei, qui ſolus potens eſt, & lucem habitat inacceſſibilem &c. *Lib.3.d.14.qu.3.op. de Inviſibilitate op. Comp. Theol. lib.1.c.16.& 18.op. Myſt.Theol.c.3.p.2.ſer.7.Hexam.*

8. Advertit Timotheum, ut diligenter conetur avertere à divitibus ſuperbiam, & avaritiam, & omnem ſuam ſpem in Deum collocare. *Op. Diat.tit.2.c.7.ſer.1.de Rect.*

9. Tandem

9. Tandem hortatur, ut depositum custodiat bonum; nempè doctrinam, fidem, auxilia à Deo recepta; quæ omnia ad nos diriguntur, qui tot bona naturæ, fortunæ, gratiæ, donorum, auxiliorum à Deo recepimus, veluti depositum ditissimum, de quo in morte rationem reddituri sumus, ô felix, qui in morte hoc depositum bonum ostendet. cui Dominus ostendet bonum præmium, & regnum; quod nobis concedat Deus omnipotens.

Explicit expositio Seraphici Doctoris in Epistolam primam ad Timotheum.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM SECUNDAM AD TIMOTHEUM.

PROLOGUS.

NOTA hæc epistola scripta ab Apostolo ad discipulum suum Timotheum est in docendo, quæ sunt Pastoris, & Episcopi munera, ipsumque excitare intendit ad virtutes Apostolicas amplexandas.

CAPUT PRIMUM.

NOTA, quòd Apostolus in hoc capite primò se protestatur missum legatum à Christo ad promissionem vitæ, scilicet ut promittat vitam æternam credentibus Christo; Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei secundùm promissionem vitæ, quæ est in Christo Iesu: dans intelligere, quòd munus Apostolicum exigit, ut prædicet pœnitentiam, & promittat vitam non temporalem, sed illam, quæ est in Christo Jesu, quæ est vera vita à gratia promanans, & ad gloriam conducens.

2. Gratias agit Deo non solùm, quia ei à nativitate dedit gratiam ipsum semper colendi, licet enim aliquando Christum persecutus fuerit, hoc non ex odio fecit; sed ex nimio zelo, quem habebat in ordine ad cultum unius Dei, sed etiam, quia sicut pauperum, peccatorum, indigentium & temporaliter, & spiritualiter semper recordabatur, fundendo pro eorum salute orationes Deo, hoc multò magis faciebat pro ipso Timotheo; hic enim est actus ardentissimæ charitatis, scilicet subvenire proximo posito in necessitate, & corporali, & spirituali. *Ser. 3. Dom. 5. Pent.*

3. Laudat Timotheum ex eo, quod ejus fides, & probitas ex parentibus, & præcipuè ex Loide ejus avia, & Eunice, quæ latinè idem est ac Victoria, seu Vincentia, in ipsum descenderit: dans intelligere, quod magnum Dei beneficium est prosapiam nanciscì Parentes, ac præsertim Matrem, à qua pene tota filiorum educatio pendet; ex quo ostenditur, quòd propter merita bona Parentum filiis multa, & magna beneficia corporis, & animæ impenduntur: Et è contra propter peccata Parentum filios, & nepotes usque in tertiam, & quartam generationem, & forsitan ultrà diversis in hac vita tribulationibus flagellantur: & ea perdunt bona in corpore, & anima, quæ forsitan consequerentur, si justi fuissent. *Lib. 2. d. 33. a. 1 quæst. 1.*

4. Admonet eum, ut resuscitet gratiam, quam receperat in ordinatione ad sacerdotium, & Episcopatum, & in profectum proprium, & aliorum, dans intelligere, quod negligentibus in Dei servitio sæpè gratia velut dormitat, ne producat fructus proportionatos; quæ resuscitatio fit per desideria erga opera salutaria; & per hoc ostendit, quàm periculosus sit torpor, & dormitatio in Dei servitio, & ideò excitari debet sæpè anima ad bona opera. *Ioan. collat. 51. & c. 11. v. 11. opusc. spec. an. c. 3.*

5. Iubet, ut Timotheus collaboret Evangelio secundùm virtutem Dei, eo quia electus fuerat à Deo ad prædicationis munus, & consequenter ad subeundum labores, persecutiones, & afflictiones, quas Christus, & idem Paulus cum cæteris Apostolis in hoc ministerio passi sunt, & de ipsis per virtutem non propriam, sed Dei assistentem triumpharunt; dans per hoc intelligere, quòd Prædicatores evangelizantes sincerè verbum Dei sunt socii Christi, & Apostolorum collaborantes cum eis, & Christo gignentes filios, si tamen constili in Dei virtute patienter sustineant ictus diaboli, & malorum, qui ut plurimum in hoc ministerio occurrunt. *Luc. c. 9. v. 3. c. 10. v. 2. ep. libel. Apol. q. 1. & 4.*

6. Dicit Apostolus se scire cui credidit; nempè

non tantùm obſcuram fidem, ſed & claram ſcientiam habuiſſe articulorum: v. g. quòd Deus ſit fidelis, potens, juſtus, Iudex, & bonorum remunerator: datque per hoc intelligere, quòd ſicut Paulus, ſic & quælibet anima perveniens ad ſapientiam unitivam Dei, quæ eſt Dei cognitio altiſſima per ignorantiam cognita ſecundùm unionem, quæ eſt ſupra mentem, quando mens ab omnibus aliis recedens, poſteà ſe ipſam dimittens unita eſt ſuper ſplendentibus radiis, inſcrutabili, & profundo ſapientiæ ſplendore illuminata? per quam mens amantium cœleſti rore perfuſa non aliquod emolumentum temporale, non aliqua dona divina, ſed ipſius Dei immediatam unionem quærit, & deſiderat; tunc anima in hoc ſtatu certificatur in fide magis, quàm per rationes, & inveſtigationes, & hoc per amoris unionem, habens in corde infallibile firmamentum, ſic & corroboratur ſpes ita, ut jam de obtinenda gloria futura non timeat; undè ſubdit Apoſtolus, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem; depoſitum meum paſſivè, & activè: paſſivè quod apud me depoſuit Deus: activè, & quod ego depoſui apud Deum, & ibi illud abſconditè reconditum teneo. *Opuſc. Myſt. Theol. c.3.p.1. opuſc. Comp. Theol. lib.3.c.22 ſer.4. Dom.4. Paſch.4.*

CAP. II.

7. IN hoc capite Apoſtolus primò hortatur Timotheum, ut laboret ſicut bonus, & egregius, fortiſque miles; per quod oſtendit quale ſit munus Prælatorum Eccleſiæ, qui veluti milites, & exercitus Chriſti duces ſub vexillo crucis debent laborare, ideſt multa acerba pati, & multa fortia agere tractando negotia militiæ Chriſtianæ. *Luc.c.23.v.51.*

8. Docet Prælatos Eccleſiaſticos; Sacerdotes, Clericos, & Religioſos in militia Chriſti non debere miſcere negotia ſæcularia, & temporalia, ſed totos totaliter vacare Deo, & templo, & animarum ſaluti; & hoc eſt, quod dixit Chriſtus, nemo mittens manum ad aratrum, ideſt ad divinæ perfectionis, & prædicationis exercitium, & ad regimen animarum, quod rectè per aratrum deſignatur propter culturam, & fructum, & reſpiciens retrò ad mundum, eſt aptus regno Dei, ideſt ad regnum poſſidendum; & ſi quæras cur hoc? reſp. quod multiplex rerum labentium varietas plus debito ruminata, non ſolùm animum diſtrahendo pacatæ mentis gratam interrumpit quietem, verumetiam in animo gignendo phantaſias, turbulentæ quaſſationis moleſtia importunè impellit eumdem; ergo circa res creatas cor noſtrum ſolicitum eſſe permittamus, niſi in quantum excitet divini amoris, & dilectionis affectum, ut ſic affectionis omnium terrenorum ſarcina onerosa depoſita, abſque retardationis gravedine curramus ad illum, qui nos ſalubriter invitat, in quo eſt animarum opulenta refectio, & pax ſumma, quæ exuperat omnem ſenſum. *Opuſc.25. memor. Luc. capit.9. ad finem, & cap.12. verſ.14.*

9. Deindè excitat ad pugnandum ex motivo victoriæ, & præmii promiſſi legitimè certantibus, hocque certamen debet eſſe in perfecto contemptu mundi, in reſiſtendo diabolo, & in domando carnem, ipſam ſpiritui ſubjiciendo; cui certamini ſuccedit corona pretioſiſſima, ſpecioſiſſima in æternum duratura, & ad majorem excitationem affert exemplum agricolæ, qui fructus non poteſt percipere; niſi priùs laboraverit; & addit, quòd laborantem agricolam oportet priùs edere de fructibus, ut doceat, quòd Prædicator debet priùs ſibi attendere, ut in ſe ſit priùs imbutus refectione gratiæ, & fructibus ſacræ ſcripturæ, ut poſteà aliis propinare poſſit: de hac materia vide. *Op. de Prof. Relig. lib.2. c.1. opuſc. inſtit. Novit. p.2. c.11. opuſc. Comp. Theol. lib.7. c. 30. op. de Paup. Chriſti q.1. op. de quinq. feſtiv. ſolemn 4. ſer.17. Hexam. Luc. cap.17. verſ.35. ſermon.3. Dom. 1. Quadrag. ſer.4. Dom. Palm. ſerm.3. de uno Mart. ſerm.2. de plur. Mart. ſer.1. de Angelis: lib.2.d.23.a.1.q.2.& d.29. a.3. quæſt.2. ſerm.1. S. Matthiæ. ſermon. de S. Paulo in addit.*

10. Quartò affert ad excitandum nos ad pugnam exemplum Chriſti, qui cum perſecutionibus, injuriis, doloribus, pœnis, & morti ſe ſubjecerit, ideò à Patre coronatus eſt in gloria; ergo ait, & nos ſi commortui ſumus cum Chriſto, & convivemus, ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. *Opuſc. Diat. tit.10. cap. 6. Luc. cap.22. verſ.29.*

11. Quintò oſtendit, quòd quales erimus cum Chriſto, talis erit, & talem ſe oſtendet nobis; ſi negaverimus eum, ipſe negabit nos in judicio, & cum hoc tamen ſtat, quòd ipſe eſt immutabilis, & fidelis, cum ipſe negare ſeipſum non poſſit; ſcilicet cùm ſit ſummè juſtus, numquam à juſtitia ad injuſtitiam deflectit; & cum ſit ſummè miſericors, tamen ſemper etiam in juſtitia, & in punitione miſcet cum ipſa ſuam miſericordiam. *Lib.4.d.46.q.ult.*

12. Sextò ſuadet Timotheum; ne contendat verbis; hoc autem fit in diſputationibus, quando non veritas quæritur, ſed oſtentatio ſcientiæ, & victoria, & prævalentia, quod debet evitari à ſervis Dei; hoc enim eſt proprium juvenum, & ſuperborum. *Eccleſ.c.2.*

13. Septimò tractat materiam prædeſtinationis, in qua primo loco ponit Dei præſcientiam, & præparationem gratiæ à Deo provenientem, & ſecundo loco noſtram cooperationem dicens, ſed firmum fundamentum Dei ſtat, ſcilicet Dei conſilium, decretum, & prædeſtinatio, qua ſtatuit vocare fideles primò ad fidem, poſteà ad gratiam, perſeverantiam, & gloriam, ſicque dicitur, quòd Deus cognovit, qui ſunt ejus, ſcilicet ſcientiâ approbationis: ſubdit & diſcedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini, & hæc eſt cooperatio liberi arbitrii per fugam ab iniquitate, & arreptionem bonorum operum, ut diſcamus, quòd ſignaculum, per quod dignoſcuntur electi à reprobis, ſtat in duobus, nempè in vocatione ex parte Dei, & in cooperatione libera noſtræ voluntatis ex parte noſtri; undè per hanc doctrinam poteſt homo faciliter cognoſcere an ſit prædeſtinatus, ſcilicet ex cooperatione voluntatis, quæ ortum, & fundamentum habet in gratiæ Dei vocatione. *Ser.17.& 23. Hexam. opuſc. Diat. tit.10.c.6.*

14. Octavò Affert ex conſequenti rationem cur

alii

alii sint prædestinati, alii reprobi, per similitudinem magnæ domus, in qua sunt vasa aurea, & argentea, & honorabilia, & alia lignea, & fictilia, & contemptibilia, sic & in domo Ecclesiæ sunt vasa aurea, suntque illi, qui invocant nomen Domini, & cooperantur divinæ vocationi: & vasa contumeliæ, suntque illi, qui sectantur iniquitatem. *Ps. 30 sap. c. 10. ser. 1. Dom. 5. Epiph. serm. 2. Dom. 4. Epiph. ser. 3. Dom. 14. Pentec. lib. 4. d. 16. p. 1. a. 1, q. 1. ser. 1. de S. Matthæo. serm. 1. de Rector. in addit. Eccles. c. 2.*

15. Ultimò affert aliud signum, quo discernuntur prædestinati servi Dei, & reprobi, dicens; servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati, mansuetudo enim, & benignitas est nota propria servorum Dei, & maximè Prælatorum bonorum. *Luc. c. 9. v. 56. ser. 3. de Confessor. in addit.*

CAP. III.

16. IN hoc capite Apostolus primò describit mores hæreticorum, & impiorum hominum, contra quos servi Dei debent exercere constantiam, & patientiam, dicens; Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: & cur periculosa? quia abundabunt in mundo homines seipsos amantes (amor enim sui est radix omnium malorum) cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelestique habentes quidem speciem pietatis veritatem autem abnegantes. hos devita, quia illi hypocritæ sunt magis periculosi, eorumque conversatio diligenter cavenda. *Lib. 1. d. 19. q. 3. op. determinat. q. 2. op. Quare Fratres Minores, &c. Luc. c. 6. v. 16. c. 10. v. 7. c. 13. v. 14. c. 17. v. 33. c. 23. v. 10. sap. c. 8. ser. 1. de S. Iacobo Ps. 118. c. 5. v. 2. Eccles. c. 6. l. 2 d. 44 q. ult.*

17. Secundo, Exemplo suo Apostolus suadet Timotheum, ut libenter, & patienter ferat persecutiones impiorum, ex hoc, quod qui pie volunt vivere in Christo, necessario persecutionibus, tentationibus, tribulationibus, certaminibus à diabolo, mundo, carne, & à sensualitate propria provenientibus subjici debent; Undè Abel recusat esse, quem Cain malitia non exercet; aut enim patimur, & filii sumus, aut si non patimur, cum adulteris deputabimur. *Op. Expos. Regulæ præfat. & cap. 16. ser. 4. de plur. Mart. Psalm. 118. cap. 5. vers. 13. Luc. cap. 6. v. 31. c. 21. vers. 12. serm. 1. de S. Stephano.*

18. Tertio, Hortatur Timotheum, ut permaneat stabiliter in doctrina scilicet sacræ scripturæ, ex eo quod verba sacræ scripturæ sunt litteræ, quæ nobis exulibus hujus mundi à patria nostra cœlesti missæ sunt à spiritu sancto; & ideo sacra scriptura utilis est ad docendum, scilicet apprehendendam veritatem & sanam doctrinam, ad arguendum impios, ad corripiendum obstinatos, & ad erudiendum in justitia, scilicet ad omnem honestatem morum sanctimoniam, & perfectionem. *Eccles. c. 2. ser. 3. Dom. 2. Adv. ser. 1. Dom. 3. Pasch. Luc. mag. & c. 4. v. 8. ser. 2. Hexam. serm. 2. de uno Doct.*

CAP. IV.

19. IN hoc capite Apostolus primò obtestatur Timotheum, ut instanter prædicet, moneat, & arguat suos; & hoc facit gravissimis verbis, ut jam cito moriturus quasi ultimis verbis quasi testamentum conderet, ipsi imprimeret primum, & maximum munus Episcopi, Parochi, & Concionatoris, ut isti expergefiant, & horream sub tali testificatione; ait igitur prædica verbum, & hoc primo loco, ut ostendat hoc esse præcipuum munus Episcoporum, & Parochorum: insta opportunè, & importunè, idest prædica verbum Dei assiduè, & instanter; subdit argue; obsecra, increpa in omni patientia; & doctrina: in quibus verbis tradit modum, & conditiones prædicationis faciendæ, & intermiscens cum arguitione, & increpatione obsecrationem, & patientiam dat intelligere, quod increpationes non debent prodire ex ira, sed ex clementia, non ex libidine vindictæ, sed ex amore justitiæ, ut sicut Angeli sunt liberales, & severi, quia benignitatem habent, & severitatem in liberalitate, sic & Prælati sint liberales cum humilibus, duri, necè circa reprobos, & rebelles, ita ut severitas sit cum benignitate, & benignitas sit cum severitate. *Luc. c. 11. v. 5. c. 6. v. 56 cap. 22. v. 61. op. Eccles. Hier. p. 2. c. 1. ser. 1. Dom. 3. post Pascha. sermon. 2. de uno Doct.*

20. Secundo, Docet discrimen inter bonos Christianos, & malos, & simul rationem affert, quare prædicatio debeat fieri cum correptione, simul & benignitate, quia per hoc discernuntur boni auditores, qui proficiunt ad talem modum prædicandi; & mali, qui cum ament audire nova, curiosa, mollia, voluptuaria, hinc quærunt sibi magistros, non qui verbo mordeant, & abradant vitia, sed qui sibi, & vitiis suis ablandiantur, quique aures scalpant, & mellita, & vulgo applausibilia prædicent: ô nimis verum! & talium plenus est his temporibus mundus: verè grande malum, & pernicioſum tum in prædicatoribus, tum in auditoribus; hinc exhortatur Timotheum, ut incumbat lectioni sacræ scripturæ, ut suum munus perfectè adimpleat. *Ser. 2. de uno Doct. op. determinat. 43.*

21. Tertiò Distinctiùs exprimit munera, & qualitates veri Episcopi, & Prælati dicens; Tu vero vigila, per quod commendat sagacitatem in circumspectione, & vigilantia contra fraudulentiam diaboli; in omnibus labora, per quod commendat strenuitatem, & constantiam in operatione contra carnis lasciviam: opus fac Evangelistæ, per quod commendat prædicationem ad manifestandam veritatem in instructione: ministerium tuum imple, per auctoritatem in correptione: sobrius esto, commendans sobrietatem in victu, vestitu, & conversatione de quo vide. *Ser. 2. de Rector. in addit. ser. 2. de S. Marco, ser. 1. Dom. septuag. Luc. c. 2. v. 9. c. 17. v. 5 c. 21. v. 17.*

22. Quartò, Apostolus sancte in Domino lætatur se appropinquasse ad finem vitæ in quo expectabat à divina misericordia coronam, & præmium suorum laborum, dicens: *bonum certa-*

men. &c. in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, &c. concluditque his verbis, *non ſolùm mihi, ſed & iis, qui diligùnt adventum ejus.* Et per hoc excitare intendit nos ad pugnandum, ad ſtrenuè operandum in obſervantia mandatorum Dei, & multiplicandum bona opera, ex hoc, quòd corona, & præmium à Domino Jeſu paratum eſt, quod dicitur corona juſtitiæ, quia ſolum datur pro meritis, & cooperationibus divinæ gratiæ: dicitur ergo corona juſtitiæ, ſcilicet Dei, non ſua, quia ex juſtitia eſt certanti à Deo promiſſa, & quia ex juſtis laboribus acquiſita. Nota etiam quod dicit. *quam reddet mihi Dominus.* Scilicet non Petrus, non Paulus, non Michaël, non Regina Cœli, ſed ipſe ille, qui viſus eſt à Ioanne habens diademata multa, ſcilicet ſecundùm proportionem meritorum Dominus Ieſus Chriſtus, qui ad majorem decorem, & glotiam ſuorum ſervorum ipſe dignatur eſſe corona, & præmium ipſorum: O concedat nobis ipſe pius, & juſtus Iudex, ut in morte verè poſſimus dicere cum Apoſtolo; *bonum certamen certavi, curſum conſummavi, &c.* Regulam, quam novi obſervavi, obedientiam, pœnitentiam, præcepta Dei, totum conſummavi; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, &c. *Op. Diet. tit. 5. cap. 5. Pſ. 118. v. 8. op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 4. op. Apol. Paup. Reſp. 2. c. 1. Ioan. cap. 1. v. 17. & collat. 85. ſermon. 2. de uno Mart. ſermon. 2. Dom. 4. Paſcha. ſermon. 4. Dom. Palm. lib. 2. d. 27. art. 2. queſt. 3. ſermon. 2. de S. Ioan. Bapt. ſer. de S. Paulo ſer. 1. de omnibus ſanctis in addit.*

Explicit Paraphraſis ſuper epiſtolam ſecundam ad Timotheum.

EXPO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM DIVI PAULI AD TITUM

PROLOGUS.

NOTA, quòd Titus fuit Græcus, & discipulus fidelissimus Apostoli, & ab ipso ordinatus Episcopus Cretæ, aliarumque vicinarum Insularum; & hinc ipsum instruit in omnibus, quæ sunt propria Episcopi; & qualiter se habere debeat apud subditos.

CAPUT PRIMUM.

1. IN hoc capite Apostolus primò docet, qualiter Episcopus se gerere debeat, tum respectu sui, tum subditorum, tum ad Deum dicens oportet Episcopum sine crimine esse, unius uxoris ideſt Ecclesiæ virum: *Luc. cap.23. v.5. in Ecclen.proem.*

2. Docet Paulus, quod omnia sunt munda mundis; non in sensu Lutheri, qui ex hoc textu infert fornicationem esse licitam mundis per fidem; sed loquendo de delectis ciborum contrà Judaizantes, qui aliqua genera ciborum existimabant immunda; sed fidelibus licet comedere omnia genera ciborum, nec per hoc ansa datur Hæreticis, qui deridenr prohibitionem Ecclesiæ, ne comedantur cibi vetiti tempore jejuniorum, sed intendit docere, quod licet fidelibus uti omni cibo pro loco, & tempore dummodo ab Ecclesia non sint vetiti: Intendit etiam docere, quod immunditiæ exteriores non inficiunt cor mundum, & purum, ut evenit pluribus virginibus, quæ à Tyrannis tractæ fuerunt ad lupanaria, sed tamen veluti lux transierunt sine immunditia. *Op. Apol. Paup. resp.2. c.1. ser.1. de una Virg. Luc, c.11. v.41.*

3. Invehit contra hypocritas, & impios, qui profitentes se Christianos, tamen factis, si non voce negant Christum, & inter infideles collocandi. *Op. Dial. sit. 5. c.4. ser.1. Cathedr. ser.3. Dom.1. post oct. Paschæ: ser.1. Dom.9. Pentec. Luc. c.6. v.46. c.12. v.8. v.13. v.26. c.4 v.41.*

CAP. II.

4. IN hoc capite Apostolus primò docet, qualis debeat esse Episcopus: Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam: Nota ly sanam doctrinam, & posteà subdit in omnibus, teipsum præbe exemplum, &c. nempè non solùm in verbis, sed & in vitæ exemplaritate & conversatione, ut sibi & suis subditis sit utilis; undè proprium munus est Episcoporum, & Parochorum dirigere in via salutis juvenes, & senes mulieres, & omnes cujuscumque conditionis. *Luc. cap.6. vers.44. op. de sex Alis Seraph. c.6.*

5. Secundò infert talem obligationem in Episcopis, & Prælatis ex hoc, quod apparuit, gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, scilicet quia Christus pro vilissimis servis natus est, & Doctorem se præbuit omnibus, & ductorem, ad consummationem Rédemptionis omnium hominum. *Op. Comp. Theol. lib.4. c.11. serm.1. circumcis.*

6. Tertiò docet Christum suo exemplo, & verbis ostendisse, quid nobis faciendum, scilicet abnegando impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & piè, & justè vivamus expectantes beatitudinem per veram spem. *Lib.1. d.26 q.1. & d.35. qu.6. lib.4. d.15. p.2. qu.2 ser.21. Hexam. ser.2. omn. sanct. op. de regimine animæ.*

7. Quartò admonet Titum, qui benignioris erat naturæ, ut cum imperio, & rigore tractet obstinatos, & duros; docens Prælatum se debere gerere vel benignè, vel rigide secundum qualitatem subditorum. *Luc. c.3. v 19. c.12. v.36. op. de sex Alis Seraph. c.4. & 5. & 6.*

CAP.

by Google

CAP. III.

8. IN hoc capite Apoſtolus primò tradit Tito modum, quo ſubditos admonere debeat, & dirigere quemque in ſuo proprio ſtatu & hoc ſine injuria, & contemptu, ſed in manſuetudine, & dulcedine verborum, ſic enim facilius eos trahet ad obedientiam debitam, & ſubdit ad majus excitamentum, quod talem humanitatem, & amorem exercuit Chriſtus in nos *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. cap. 20. op. medit. cap. 7. op. Comp. Theol. lib. 4. cap. 4. & 12. Luc. cap. 3. verſ. 21. cap. 6. verſ. 35.*

9. Docet Chriſtum Jeſum tot bona nobis præparaſſe, & contuliſſe non ex operibus juſtitiæ noſtræ, cum nulla talia præceſſerint fidem, & juſtitiam, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam, & propter ſuam meram liberalitatem. *Lib. 2. d. 18. qu. 1. lib. 3. prol. & d. 11. qu. 3 lib. 4. d. 41. qu. 1. op. de reſurrect. à peccatis: ſer. 2. Hexam. Pſal. 35. op. Comp. Theol. lib. 4. cap. 7. Luc. cap. 14. verſ. 14. ſer. 1. Dom. infra oct. Epiph. ſer. 18. Hexam.* Concedat nobis igitur Dominus Jeſus ſuam juſtitiam quam nobis promeroit, ut cooperantes vocationi, digni ſimus poſt vitam præmio, quod expectamus, & ſperamus perfrui, in ſæcula ſæculorum.

Explicit poſtilla ſuper Epiſtolam ad Titum.

Sequitur hic epiſtola Pauli ad Philemonem brevis quidem, ſed continens multa valdè utilia, & neceſſaria: Philemon autem erat civis nobilis Coloſſenſis, in cujus domo ceducebantur fideles ad ſynaxes, & ad celebranda ſacra; In qua Epiſtola docet Chriſtum acceptatorem perſonarum non eſſe, ſed omnes cujuſcumque conditionis admittere ad ſalutem, & ideò Prælatos exemplo Chriſti neminem etiam viliſſimum debere ſpernere, ſed ſingularem curam de eis habere, ex hoc quod ſæpè charieres iſti ſunt Deo, & humiliores, &c.

EXPO

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ

IN EPISTOLAM

DIVI PAULI

AD HEBRÆOS.

PROLOGUS.

NOTA, quòd hæc æpistola verè fuit à Paulo scripta ad Hebræos, estque de fide, licet aliqui Hæretici id negarint: Argumentum hujus epistolæ est totum in probando adventum Messiæ, ejusque munera, quæ in Redemptione mundi exercuit.

CAPUT PRIMUM.

1. APostolus Paulus in hoc capite primò refert Evangelium, & doctrinam Christi doctrinæ Moysis, & Prophetarum per tres antitheses: prima est quod doctrina Prophetarum tradita sit multifariam, multisque modis, scilicet per varias figuras, visiones, oracula, vices, & tempora; illa verò Christi est tota simul, & semel per unum Christum tradita, & hæc non uni genti, ut Propheræ populo Judæorum: & tertiò quia ut homines locuti sunt; Christus verò omnibus hominibus hanc doctrinam indifferenter tradidit, ut Filius Dei, undè in Christo omnes figuræ, prophetiæ, & oracula completa sunt, quæ in Evangelio omnia expressè continentur. *Ser.9. Hexam. Luc. c.10.v 24.c.20.2.38.*

2. Exprimit perfectiones Christi Jesu ad nos missi dicens, *loquutus est nobis in filio quem constituit hæredem &c.* dans in his, & sequentibus verbis intelligere sublimitatem gratiæ mundo factæ à Patre, qui non per Angelos, vel homines, vel servos, sed per Filium nobis loquutus est, & manifestavit doctrinam cælestem, & abdita mysteria hucusque abscondita; deindè exprimit divitias, & potentiam ipsius, quem constituit hæredem universorum, scilicet hæredem Patris, ut ostenderet neminem posse participare divitias divinas, nisi adoptetur per Christum in Filium: deindè speciositatem Christi pandit dicens, *qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*, scilicet lumen de lumine, & Filius consubstantialis Patris, exprimens perfectiones infinitas Patris: deinde fortitudinem Christi dicens, *portans omnia verbo virtutis suæ*, quia cum Patre omnia creat, omnia fovet, omnia sustentat ut Deus, & ideò ei debetur honor infinitus; *sedet*, sit, *ad dexteram majestatis in excelsis*, & meritò, quia optimus super omnia, & super Angelos; ut hinc addiscamus, quàm diligendus sit iste sponsus Filius Dei, quàm dignum sit; ut ad ipsum curramus, ut ipsi adhæreamus, ut ipsum amemus super omnia &c. *Serm.1. Dom.19. Pentec.op. medit.c.7. Luc.c.2.v.13.lib.4. d.48.a.2.qu.1.ep.lignum vitæ. Vide lib.1.d.9.dub.3. lib.4.d.6 qu.1.ep. Comp. Theol.lib.1.c.5.& 6.* Ubi de perfectionibus Christi Jesu; de effectibus Verbi divini, quo dicitur portare omnia. *Vide ser.4.Dom.3. Quadrag. Luc.c.4.v.32.c.5.v.17.c.8. v.46 c.12.v.3.c.20.v.45. Joan.collat 5.& 6.*

3. Ut præeminentiam Christi super omnes creaturas ostendat, simulque & beneficium nobis impertitum per ministerium Angelorum, notat, quòd tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit: nomen scilicet Filii Dei, & Jesus, & Salvatoris mundi; undè sequitur, quòd Angeli sunt ipsius administri, famuli, & servi; ipsorum famulatus stat in adoratione, reverentia, & obedientia præstita Filio Dei, qui ipsos mittit ad custodiam hominum, ut veluti coadjutores ipsos tandem reducant ad salutem æternam: Nota autem, quòd dicit *missos Angelos propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, non quòd non mittantur etiam ad custodiam reproborum, sed quia hæc solùm in electis habet efficaciam. *Lib.2. d.11.p.2.a.2. qu.2. & d.6. qu.1.ep. Eccles. Hier.p.1. c.1.ser.1.de SS. Angelis ser.2.de S. Ancon.ser.3.de Angelis.*

CAPUT II.

1. IN hoc ſecundo capite Apoſtolus primò monet fideles, quòd cognitâ dignitate, & majeſtate Chriſti maximam curam debent omnes habere, ne doctrinam, & monita ab ipſo tradita mundo ſinant ſupereffluere, & deperdere veluti vaſa rimarum plena, & hoc intendendo aliis negotiis, & cupiditatibus; ſubdit quòd cum nulla ſit excuſatio in cognitione doctrinæ Evangelicæ iis, qui adimpletionem, & obſervantiam neglexerint, imminet graviſſima, & ſæviſſima vindicta à Deo; undè cum metu, & tremore debent fideles vivere, quàm infideles carentes tali cognitione, cum in ipſis nulla poſſit dari excuſatio; hîcque arguit à minori ad majus, ſi Deus ſeveriſſimè punivit tranſgreſſores admonitionum factarum per Angelos, ergo magis ſeverè puniet contemptores Filii Dei, ejuſque Verbi. *Op. medit. c. 47. op. Expoſ. Regulæ c. 12: Luc. c. 2. in fine c. 1. v. 20. c. 10. v. 12. c. 16. v. 29 ſer. 4. de una Virgine. ſer. 1. de S. Matthia.*

2. Docet, quòd Chriſtus licet in nativitate, & paſſionibus ſit minoratus, hocque non ex neceſſitate, vel merito hominum, ſed ex pura miſericordia Dei, ut homines redimeret, tamen hoc modo tanquam congruentiori conſummavit, & Redemptionem & inſtitutionem ſacramentorum. & ipſe talibus paſſionibus conſecratus, & immolatus eſt Deo Patri pro nobis; ut hinc addiſceremus nõ fugere, ſed amplecti pro Chriſto paſſiones, tanquam media aptiſſima, quibus nos ipſos veluti victimas Deo chariſſimas offerimus. *Luc. c. 4. v. 13. c. 9. v. 31. c. 13. v. 32. c. 18. v. 31. Ioan. Zollar. 85. lib. 3. d. 12. a. 1. qu. 1.* Et hinc ſubdit; *qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur; ex uno omnes*; ubi ex Græco *S. Dion. S. Cirill. S. Bon.* Legunt, qui ſanctificat, & qui ſanctificatur; per quam ſententiam datur intelligi, quòd Chriſtus paſſionibus, pœnis, cruce, & morte conſecratus fuit in victimam Patri chariſſimam, ut per ipſum omnes ſanctificarentur mediâ imitatione vitæ Chriſti, ex quo ſequitur ſanctificatio, & honor ipſi Deo. *Locis cit. ut ſuprà. & S. Dionyſ. & Cirillus.*

3. Intendit Apoſtolus excitare in nobis dilectionem in Dominum Jeſum Chriſtum, ex eo maximè, quòd nobis ſimilis factus eſt frater, & ſocius, ſic autem dicit Apoſtolus; *propter quam cauſam* (ſcilicet ut nos ſanctificaret, & conſectaret in victimam Deo charam) *non confunditur fratres eos vocare dicens; nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te:* & iterum, *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus; quia ergo pueri communicaverunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eadem, ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium*, ideſt diabolum, *& liberaret eos &c.* In quibus verbis primò dignationem Filii Dei exprimit, qui cum eſſet Deus voluit fieri nobis ſimilis, veluti frater noſter, & hoc non aſſumendo carnem glorioſam, vel ſimilem ſtatui innocentiæ impaſſibilem, ſed paſſibilem, mortalem in-putus carne, & ſanguine noſtro, ut nos attraheret ad ſui dilectionem, & mortem ſubvertendo deſtrueret, & auctorem mortis, ſcilicet triumpharet de diabolo, deſtruendo ipſius regnum, & dominium, ut ſic eriperemur à ſervitute peccati: Nota autem, quòd nos appellat puéros, ut intelligamus & confidenter ad Chriſtum puerum ut pueri confugere, & puer fieri, ſcilicet immunes à peccatis, ſicque ut pueri puerum Jeſum toto. & puro corde diligamus. *Ser. 8. in Nativ. ſer. 3. Dom. 4. Adv. ſerm. 2. Dom. 2. Advent.*

4. Memorat beneficium immenſum nobis factum ſuper Angelos, quia dignatus eſt aſſumere non naturam Angelicam, ſed noſtram: nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit: undè debuit per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, ut propitiaret delicta populi; *in eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus potens eſt, & eis qui tentantur, auxiliari*: In quibus verbis ſoluit primò quæſtionem illam Theologicam, quare magis aſſumpſerit naturam humanam, quàm Angelicam, magiſque voluerit ſeparare hominem, non Angelum; hoc enim fecit, quia homo magis indigebat, quia totus lapſus fuerat, non tota natura Angelica; tum quia homo minus indignus erat, quia per alium corruerat, & quia plus homini proderat, quia adhuc in malo obſtinatus non erat, ſicut Angelus malus: ſecundò ſolvitur alia quæſtio; an magis dilexerit Deus hominem, quam Angelum: nam ſecundùm ſtatum primæ conditionis licet videatur magis dilexiſſe Angelos, eo quia eos ditavit donis naturalibus, tamen quantùm ad effectum reparationis magis dilexit nos homines, quia in reparatione magis manifeſtatur ejus infinita miſericordia, & in conſummatione gloriæ de pluribus habebit homo undè gratus, & devotus exiſtat Deo, quàm Angelicus ordo, tùm propter beneficium Incarnationis, tùm propter beneficium Redemptionis, tùm propter beneficium eminentis glorificationis, quæ non tantùm manifeſtant erga nos divinæ charitatis magnitudinem, ſed etiam ejus nimietatem, & immenſitatem: Et major dilectio Dei in nos manifeſtatur etiam per quod dicit Apoſtolus, quòd Deus nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ: Nota, ly, apprehendit, quod eſt idem ac inſequi, & inſequendo apprehendere, quaſi dicat, Angeli mali receſſerunt à Deo, homo item, ſed tamen Angelos non eſt inſecutus, ſed benè nos homines fugientes inſecutus eſt, & apprehendit, ut nos ad ſe attraheret, & ad ſalutem perduceret: ô qualis miſericordia Dei noſtri! *Lib. 3. d. 1. a. 2. qu. 1. & d. 2. qu. 2. & d. 32. qu. 4. Luc. c. 15. v 4. op ſim. p. 2. c. 2.*

5. Sed ex his verbis aliud perbellum myſterium nobis patefit: dicit autem, quòd non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit; cur dicit ſemen Abrahæ, & non potius ſemen Adæ, ſemen hominis? Ad litteram dicit ſemen Abrahæ, quia ſcribit Hebræis, qui expectabant Meſſiam Abrahæ promiſſum, & ut ſignificaret, quòd tantum apprehendit, & ſalvat eos, qui ſunt ſemen Abrahæ, non ſecundum carnem, ſed ſpiritum, ideſt fideles, & obedientes imitatores fidelis Abrahæ; ſed inter iſtos quis fuit primò apprehenſus?

henſus? ecce myſterium ſublime: Chriſtus inter omnem creaturam elegit rationabilem, inter rationabilem elegit humanam, inter humanam elegit Iſraëliticam, inter Iſraëliticam elegit Davidicam, inter Davidicam elegit Mariam, & inter omnes particulas corporis Mariæ elegit carnem pretioſiſſimam; ô dives Maria in omnes, & ſuper omnes, de cujus ſubſtantia modica pars aſſumpta totius mundi ſuffecit reddere debitaſó dives Maria, per quam Chriſtus frater noſter factus eſt, ſimilis per omnia nobis in iis, quæ ad noſtram ſalutem, & eruditionem ordinata ſunt; per quam pro nobis paſſibilis factus eſt, ut nos ad ejus imitationem attraheret, & nos confidenter ad ipſum ut ad fratrem amantiſſimum confugeremus; ne igitur trepides ô homo accedere ad Chriſtum, frater tuus eſt, & caro tua, per omnia tentatus abſque peccato, ut miſericors fieret. *Ser. 5. Dom. 1. Quadrag. ſer. 4 Dom. 5. Pent ſer. 3. Dom. 8. Pentec. ſer. 3. de plur. Mart. lib. 1. d 3. p. 2. a. 3. q. 2. & d. 12. a. 3. quæſt. 2. & d. 15. q. 1. Luc. capit. 1. verſ. 21.*

CAP. III.

1. IN hoc capite Apoſtolus primo totus eſt in præferendo Chriſtum Moyſi, & in probando, quòd Chriſtus ut homo, & Deus ipſe fundavit duplicem domum ſpiritualem, ſcilicet Eccleſiam militantem, cui ſemper præeſt tamquam fidelis Pontifex eam gubernando, regendo, dirigendo, & auxiliando; ſubdit & aliam domum ſpiritualem, quæ domus ſumus nos (ait Apoſtolus) eſtque anima noſtra, in qua ipſe deſiderat habitare; & ut id obtinere poſſimus, debet iſta domus ſanctificari, & dedicari Deo pœnitentia, humilitate, devotione, & oratione. *Ser. 1. in dedicat.*

2. Excitat nos ad collocandam omnem noſtram fiduciam in Chriſto Ieſu, ex hoc quòd nobis perpetuus ſalvator aſſiſtit, unde ſubdit ſi fiduciam, & gloriam ſpei, ideſt glorioſam, vegetam, & firmam ſpem uſque ad finem obtineamus.

3. Minatur æternam damnationem iis, qui incredoli, & obdurati in malitia fuerint non obtemperando mandatis Dei, ſicut evenit Iudæis incredulis in deſerto.

CAP. IV.

1. IN hoc capite Apoſtolus hortatur Hebræos ad conſtantiam in fide Chriſti, ut per Chriſtum poſt obſervantiam ſpiritualem ſabbati in requiem æternam admittantur, hic autem memorat ſabbatum, quod à principio mundi pro die feſto inſtitutum eſt à Deo. & deindè requiem, quam habuerunt Judæi in terra Chanaan; iſtaque ſabbata, & requies proponit tamquam figuras requiei æternæ, quam expectare debent homines per Chriſtum in Cœlo: ſed nobis Chriſtianis proponitur multiplex Sabbathum, & quies; prima eſt corporalis Chriſti poſt ſuam mortem, per quam facta eſt liberatio animarum in limbo: ſecunda eſt ceſſatio à perpetratione peccati: tertii eſt ſtatus Religioſus, in quo animæ Dei obſequio vacant inceſſanter: quarta eſt ſtatus contemplationis; & quinta eſt requies æterna, quam obtemperantes Deo, & obſervantes Dei mandata expectant poſt hanc vitam; & hic eſt ſabbatiſmus populo Dei à Chriſto relictus, & præparatus de quo hic loquitur Apoſtolus. *Luc. c. 2. v. 54. c. 6. v. 1. op. Diet. tit. 4. c. 3.*

2. Exhortatur nos degentes inſtar Hebræorum in hujus vitæ deſerto veluti peregrinos tendentes ad patriam, ut feſtinemus curſum noſtrum, nec conſiſtamus, non reſpectemus, non laſſemur, non cadamus animo ob labores, & hoſtium incurſus, ac perſecutiones, ſed forti, & conſtanti animo pergamus, imò feſtinemus ingredi in illam requiem; & per hoc dat intelligere, quòd volenti invenire in Chriſto requiem ſecuram, & æternam, debet tranſire à creaturis ad Deum per contemplationem, & feſtinare de virtute in virtutem in itinere perfectionis, quia in hac via curſu opus eſt, & vehementi curſu; & ut ait Chryſoſtomus, qui currit, non ad prata adjacentia, non ad amicos, non ad ſpectatores, ſed ad palmam attendit, non conſiſtit, metæ vicinus non languet, ſed curſum intendit; ſic, ſic & nos quo ſeniores, & Cœlo vicinjores ſumus, eo magis, & concitatiùs currere debemus; feſtinemus igitur in hac peregrinatione, quia via longa eſt, vita brevis, vocatio Dei urget, & in mora eſt periculum, & præmium datur ſolis feſtinantibus. *Luc. c. 1. v. 39. c. 2. v. 16. c. 24. v. 13 ſer. 1. in Sab. S.*

3. Nota etiam, quod loquens de iſta requie, ad quam invitat nos ſubdit, *vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax*; ubi patenter loquitur de Verbo incarnato, & ideò invitat nos ad feſtinandum, & currendum in via præceptorum Dei, ut Chriſtum inveniamus qui eſt perfecta requies, & centrum animæ noſtræ, de quo dicebat Propheta. *Pſal. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo*, ſcilicet in Chriſto? & reſp. *qui ingreditur ſine macula. &c.* quaſi dicat; ille perveniet ad hanc beatam requiem Chriſti, qui erit immaculatus in cogitatione, juſtus in operatione, ſincerus in locutione, innocuus in converſatione, victorioſus in tentatione, fidelis in promiſſione, vacuus ab inuſta temporalium collectione, ſicque per hos ſeptem gradus ad montem pervenitur. *Serm. 1. in Sab. S.*

4. Cauſam affert cur feſtinandum eſt per viam perfectionis, nec retardandum in hoc itinere, vel retrocedendum per viam perditionis, dicens *quia vivus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, &c. diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis ejus.* In quibus verbis primò agit de verbo Dei incarnato, quod dicitur ſermo, ſeu verbum mentis Patris, ſecundò de ejus verbis; quaſi dicat, quia igitur Chriſtus nos invitat ad montem perfectionis attendens omnia noſtra opera, actus, & intentiones, ut ejus oculis patentes, ut ipſas præmiet, vel puniat, & ut feſtinanter ipſi obediamus penetrat etiam ad cor noſtrum ſuis verbis divinis, ut viam perditionis deſerentes ad ipſum curramus, & feſtinemus; væ igitur non obtemperantibus, incredulis, & obſtinatis.

Luc.c.12.v.3.& 54.c.5.v.22.c.2.v.35. Ioan.coll.76. ſerm.2.Dom.Paſſ.op.de dono intell.c.6.op.itin.2.d.4. ſer.1.Dom 4.Adv ſer.2. Dom.2.Paſcha.ſer.1.in Aſcenſ.ſer.4.Dom.11.Pentec.

5. Ut nos excitet ad confidentiam, & confugiendum fiducialiter ad Chriſtum in noſtris neceſſitatibus, nobis proponit Chriſtum ſummum Paſtorem, & Salvatorem, qui omnes noſtras pœnalitates in ſe ſumpſit. *Non enim habemus*, ait, *Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Dat igitur intelligere, quod Chriſtus aſſumpſit in ſe defectus, & paſſiones noſtras; & hoc congruum fuit tum propter pretium noſtræ ſalutis, ut ſcilicet nos redimeret non auro, vel argento, ſed ſua Paſſione, & morte; tum propter exemplum humilitatis, patientiæ, tolerantiæ nobis exhibendum; tum propter fulcimentum noſtræ infirmitatis, ut ſcilicet nos fulciret, & ſublimaret noſtram fragilitatem ad fidem, ſpem, & charitatem: nota autem, quòd aſſumpſit in ſe defectus naturales, non perſonales, ſed pœnales, non vitioſos, quales ſunt, quæ reſpiciunt puram naturam; non illos, qui ſunt ex culpa, vel via ad culpam, ſic etiam non ægritudines, quæ ſunt defectus perſonales; hæc autem aſſumptio non fuit ex neceſſitate propagationis, ut in nobis ſunt defectus omnes contracti, videlicet ex concurſu duorum tractu videlicet propagationis naturæ, & corruptionis concupiſcentiæ, & quia iſta duo defuerunt, in Chriſto, cum fuerit productus non ſecundùm propagationem legis naturæ, nec ſecundùm corruptionem libidinis quia Spiritus Sanctus in Maria omnem fœditatem abſtulit, ſeu potiùs præſervavit eam relinquendo tamen poſſibilitatem, ſicque Chriſtus iſta aſſumpſit voluntariè, ut ſic altius ſuum amorem in nos oſtenderet, & nos ad totalem ſpem, & confidentiam in ipſum excitaret. *Lib.3.d.15.a.1. per totum.op.medit.c.17. op. lignum vitæ.op.de ſex Alis ſeraph.c.4.Luc.c.4.v.1. cap.19. verſ.40.*

6. Et tandem concludit hoc caput his dulciſſimis verbis omnia corda ad Chriſtum attrahentibus. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Quaſi dicat, cum habeamus Chriſtum ſummum Paſtorem nobis condolentem, nobis compatientem, nos vocantem, & attrahentem, ne igitur confidentiam amittamus magnam remunerationem habentem, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, fructum noſtræ fidei reportantes, ſalutem ſcilicet noſtrarum animarum; nulla nobis inſit cunctatio; jam enim vita nos vocat, ſalus expectat, tribulatio compellit intrare; quid ergo facimus? quid pigritamus? quid moras contrahimus? feſtinemus ingredi in illam requiem jucunditatis æternæ, aſcendat quæſo Ieruſalem cor noſtrum; ſuſpiremus ad patriam noſtram, tendamus ſurſum ad matrem noſtram; adeamus ad thronum gratiæ, quia occurrit nobis Pater miſericordiarum cum gratia; Mater miſericordiarum, ſcilicet Maria cum gratia; Filius qui eſt lux miſericordiarum cum gratia: ô infelices qui ignorant verbum, & ignorant gratiam; Benedictus Pater, benedicta Mater, benedictus Filius; benedicti qui hoc cognoſcunt; benedicta gratia, quæ eſt datum optimum, & donum perfectum. *Op. 25. memor. ſermon.2.Hexam.ſermon.5. de una Virgine. ſerm.7. Rogat.*

CAP. V.

1. IN hoc capite Apoſtolus reddit rationem, cur ad Chriſti thronum adire debemus, nempè quia ipſe eſt Pontifex conſtitutus à Patre, habens ſuper omnes alios ſacerdotes omnes dotes ad hoc munus neceſſarias, quæ præcipuè ad tria capita reducuntur: prima eſt, quod Pontifex aſſumatur ex hominibus, ſcilicet ſeligatur inter homines aptior, dignior, ſanctior eminentior prudentiâ & virtute præſtantior, qui aliis hominibus tamquam ſuæ naturæ conſortibus, ſuiſque fratribus compati, condolere, & ſuccurrere poſſit, eoque promptius, & ardentius, quo magis eorum naturæ & miſeriæ particeps, & conſcius eſt: ſecunda eſt ut pro hominibus conſtituatur in iis, quæ ſunt ad Deum, ideſt ut hominum cauſam agat apud Deum tamquam eorum mediator, & pro eis oret, & ea, quæ ad cultum Dei ſpectant, adminiſtret: tertia eſt, ut offerat dona, & ſacrificia ad Deum pro peccatis populi, ſicque ejus munus eſt agere cauſas hominum apud Deum, & agere debet etiam cauſam Dei apud populum ſibi commiſſum, in quibus omnibus Chriſtus omnes alios Sacerdotes, & Pontifices præcelluit, nam cæteri omnes non ſolùm debent interpellare pro aliis, ſed etiam pro ſeipſis, cum omnes fuerint peccatores; ſolus ergo Chriſtus cum omnibus dictis conditionibus caruit peccato, & ideò aptior ad exercendum munus Pontificale pro nobis. *Lib.3. d.17.a.2.quæſt.1.lib.4.d.13. art.1.q 2.& d.19. art.3. quæſt.2. ſermon. 22. Hexam. opuſcul. libell. Apolog. quæſt.4. opuſc. Apol. Panp. Reſp.4.c.3. Luc.c.7. verſ.10.*

2. Aſſignat diſcrimen inter verum Pontificem, & falſum; nam verus Pontifex, & ſacerdos à Deo, ejuſque cultus, & honoris ſolâ intentione vocatur, & aſſumitur; falſus à diabolo, ab ambitione, à deſiderio lucri temporalis; undè de bonis dicit, *nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*; & melius dicitur tamquam Chriſtus à Patre deſtinatus. *Lib.4.d.19.q.1. ſer.1. in cathedr. in addit. Luc.c.1.v.9.c.4.v.42. c.10. v.1. c.12.v.42.c.14.v.8.c.19.v.13.*

3. Redit ad Chriſtum, vel potius proſequitur oſtendendo, quod Chriſtus munus mediatoris exercuit perfectiſſimè pro nobis apud Patrem; dum veſtitus carne mortali, & vehementiſſimis doloribus ſubjectus, tamen in carne degens cum clamore valido, & lachrymis pro nobis orabat, in qua oratione oblata efficaci ſua voluntate exauditus eſt à Patre: de hac materia vide. *Lib.3. d.17. a.2. q.2.op. lignum vitæ. op. Diæt. tit.4.c.3. Pſ.118. c.8.v.1. Luc.c.1.v.10.c.3.v.21.c.11. v.1. c.13. v.34. c.19.v.1 c.23.v.34.& 46.Ioan. collat.7.ſermon. 1. Dom.3.Pent.ſer.5. de uno Confeſſore.*

4. Exponit in medium ſcholam, ad quam Chriſtus miſſus eſt à Patre, & lectiones, in quibus ſe exercuit. *Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex.* Nota, ly, *didicit*; quid didicit? nonnè plenus fuit omni ſapientia

ab

ab inſtanti conceptionis? ô quàm] benè, didicit quæ ſciebat notitia ſimplici in actualiter patiendo, & exercendo obedientiam, & alias virtutes ſcientia experimentali, ſicque conſummatus factus conſtitutus à Patre Pontifex, & mediator, & Magiſter Eccleſiæ; dans per hoc nobis intelligere, quod ſi volumus fieri Doctores in ſchola Chriſti debemus patiendo, obediendo, & practicando exempla Chriſti, exerceri continuè in tali ſtudio. *Lib.*13. *d.*14. *a.*3. *q.*2. *op. Centil. p.*4. *c.*6. *op. Centil. p.*3. *ſect.*29. *Pſ.*118. *c.*3. *v.*9. *op. Comp. Theol. c.*15. *Ioan. lib.*4. *collat.*85. *ſer.*4. *Dom.*1. *Adv. ſer.*2. *de uno Doct. art.*2.

5. Deindè exſtimulat Hebræos eos carpendo, quòd cùm deberent eſſe alienorum magiſtri ob longum tempus expenſum in ſtudio legis divinæ, adhuc erant incipientes, ſic & tali pacto carpuntur illi Religioſi, qui cum benè, & ferventer in ſchola perfectionis iter arripuerint, poſtmodum ſegnes, & ignavi facti malè expendentes tempus à Deo in Religione illis conceſſum, uſque ad ſenectam perveniunt veluti pueri, & ignari in ſtudio perfectionis, & ab ipſis tyronibus ſuperati, & ipſis inferiores facti; ô quot adſunt in Religionibus ex iſtis miſerabilibus. *Op. de Prof. Religioſ. lib.*1. *c.*1. *op. de ſex Alis Seraph. c.*1. *op. Apol. Paup. Reſp.*1. *cap.*1.

CAP. VI.

1. IN hoc capite Apoſtolus primò proponit ea, quæ de recenti converſis, ut ſunt cathecumeni, & parvuli, ſunt ſcitu neceſſaria (ſuntque ea, quæ nunc edocentur in doctrina Chriſtiana, & Catechiſmo Parochorum, ſuntque ſequentia: primò pœnitentia, & converſio à peccatis, quibus anima gratia privatur Deoque moritur, & hæc appellatur fundamentum totius fabricæ ſpiritualis quia per eam removetur omne prohibere valens in profectu, & ſalute animæ: ſecundum caput eſt fides in Deum (quæ exprimitur, & continetur in ſymbolo:) tertium caput eſt baptiſmus: quartum eſt impoſitio manuum, ſcilicet confirmatio: quintum eſt myſterium Reſurrectionis, & judicii divini, iſtaque ſunt, quæ neceſſaria addiſcenda ſunt ab omnibus fidelibus, & à Parochis edocenda de hac materia Vide. *Lib.*4. *d.*6. *p.*2. *dub.* 7. & *a.*3. *q.*1. *d.*22. *a.*3. *q.*1.

2. Dicit Apoſtolus, quod *impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, &c. rurſus renovari ad pœnitentiam.* Quæ ſententia anſam aliquando dedit Hæreticis malè intelligentibus negandi pœnitentiam lapſis; ſed tamen in hac ſententia non negat Apoſtolus poſſibilitatem reſurgendi à peccato per pœnitentiam, ſed dicitur impoſſibile vel ſecundùm vires naturæ, vel idem ac difficile maximè imperfectis; & male habituatis, vel comparat renovationem pœnitentiæ cum renovatione baptiſmi, dicens impoſſibile eſſe renovationem fieri per pœnitentiam ſimilem illi, quæ fit in baptiſmo in quo tota dependet à Paſſione Chriſti, ideo totum delet & culpam, & pœnam, ideò baptiſmus non iteratur, uti prætendebant converſi à Judaiſmo ad fidem Chriſti; ſed renovatio pœnitentiæ dependet principaliter ex Chriſti Paſſione, & etiam ab actu noſtro, & cooperatione, hinc fit, quod qui obſtinatus vivit, in peccato ei non poteſt ſuffragari pœnitentia. *Lib.*4. *d.*14. *p.*2. *artic.*1. *q.*2.

3. Dicit, quòd iſti improbi, & obſtinati rurſus in ſe crucifigunt Chriſtum, & oſtentui habent; In quo textu ad litteram inſimulat Judæos converſos ad fidem, qui repetere volebant baptiſmum, dum enim credebant primum baptiſmum non ſufficere ad omnia peccata delenda, ſymbolicè denuò crucifigere in ſe Chriſtum dicebantur, quaſi eſſet neceſſarium inſtituere ſecundum baptiſma, vel ipſum repetendo repræſentare novam Chriſti crucifixionem, hoc ad litteram: myſticè autem hæc dicuntur contra omnes revertentes poſt pœnitentiam ad vomitum peccatorum qui ideò dicuntur in ſe crucifigere, Chriſtum, quia novo peccato novam dant cauſam crucis, & mortis Chriſti, quantum eſt in ſe, & oſtentui habent Chriſtum, ideſt in cauſa ſunt, quod vilipendatur Chriſtus, ejuſque Paſſio, undè in ſe Filium Dei crucifigunt, qui gratiam ejus vilipendentes in peccatis jacent; undè Chriſtus e cruce iſtis impiis dicit, nonnè ſatis pro te ſum vulneratus? nonne ſatis afflictus? noli me plus affligere, me enim plus affligit compaſſio vulneris tui, quam lateris mei; Væ igitur, & iterum, væ iis, qui ſuis peccatis rurſum Chriſtum in ſeipſis crucifigentes ſuper dolorem vulnerum ipſius dolorem adjiciunt, *Serm.*4. *Dom. Paſſ. ſer.*2. *ſer.*3. *Pent. op. de perfectione vitæ. c.*6. *Luc. c.*4. *v.*3. *Ioan. collat.*26.

4. Hinc infert Apoſtolus, quòd ſecundum qualitatem noſtrorum operum Deus nobiſcum ſe habet, & hoc metaphorâ terræ benè, vel malè exultæ, ſi benè fructus dulces produxit, ſi malè, ſpinas, & tribulos; ſic anima noſtra ſi dimittatur inculta, diſcretionis aratro non ſæpè contrita, aquis lachrymarum non ſæpius balneata, cœleſti incendio non excocta generat ſpinas maledictionis divinæ; è contra ſi benè exulta eſt, benedictionem à Deo, ejuſque multiplicem gratiam recipit, fructuſque ſaluti ſuaviſſimos, producit. *Ser.*2. *caibed. ſer.*5. *de una Virgine. ſer.*3. *ſer.*2. *Pent. Luc. c.*8. *v.*7. *c.*24. *v.*51.

5. Tandem Apoſtolus poſtquam enunciavit juramento ſuo (hoc enim eſt omnis controverſiæ finis) Chriſtum promiſiſſe præmium benè operantibus, intimaſſe pœnam æternam impiis, ad ſpem in ipſum nos excitat, ut ad ipſam veluti anchoram tutam in mari procelloſo hujus vitæ confugiamus, quia virtute ipſius felix vita tranſigitur, & tandem ad terminum ſuum, qui eſt gloria æterna, conducit homines. *Ser.*2. *Dom. Paſſ. ſer.*1. *Regat. ſer.*1. *Dom.*2. *Adv. ſer.*1. *Dom.*4. *Pent. op. Diæt. tit.*5. *c.*4. *op. de dono intell. c.*5. *lib.*3. *d.*25. *a.*1. *q.*1. & 3.

CAP. VII.

1. IN hoc capite Apoſtolus primò intendit demonſtrare veritatem ſacerdotii Chriſti per figuram expreſſam in Melchiſedech, qui Chriſtum præfiguravit quantùm ad originem, quantùm ad dignitatem, & quantum ad ritum: quantùm ad originem, quia dicitur Melchiſedech ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, non quia fuerit ſine his, ſed quia non nominantur in ſcriptura, ut ſignificaretur ſacerdotium ei contigiſſe non jure hæreditario, ſed electione divinâ; ſic Chriſtus dicitur natus homo ſine Patre, natus ab æterno Deus

ſine Matre, quantùm ad dignitatem, quia fuit Rex Jeruſalem, & ſacerdos, ſic Chriſtus, quantùm ad ritum, quia obtulit panem, & vinum ſicut Chriſtus. *Lib.4.d.8.p.1.a.1.per totum.d.24.p.1.a.1. q.3.& a.1.q.3. Luc.c.1.v.5.*

2. Probat tranſlatum fuiſſe ſacerdotium per Chriſtum, ſcilicet legale cum ipſa lege Moſayca, eo quia ad mutationem ſacerdotii neceſſariò mutanda erat lex, non quidem Decalogi, ſed legalis, quia hæc ad perfectionem, & ſalutem non poterat ducere, cum tota in exterioribus cæremoniis exiſteret; ideò ſucceſſit cum ſacerdotio novo lex Evangelica, quæ ſecum gratiam, & ſalutem portat; quia hoc ſacerdotium eſt in Chriſtò æternum, & perpetuum, & ipſe innocens impollutus, & ſegregatus à peccatoribus, & excelſior Cœlis factus *Lib.4.d.17.p.3.a.2.q.3. Luc.c.3.v.2. c.9.v.35.op.Apol.Paup.Reſp.3.c.2.op.de dono ſcientia c.4 op.lignum vitæ In Pſal. Præfat. & 34. & 70. ſer.2.de annunt.in addit.*

CAP. VIII.

IN hoc capite Apoſtolus proſequitur oſtendendo ſacerdotium, & omnia legalia Moſayca conſummata fuiſſe in ſacerdotio Chriſti, & in lege Evangelica, ſicque verificata eſt prophetia facta in *Exodo c.25.* Conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda teſtamentum novum: & hoc teſtamentum conſummatum eſt in ſanguine Chriſti; conſummata enim ſunt præcepta propter nimiam charitatem; conſummata ſunt judicia propter nimiam ſeveritatem; conſummata ſunt myſteria, & figuræ omnes; conſummata ſunt exempla, & ſacrificia, & ſacramenta. *Luc. cap.18. verſ.31.c.1.v.72.ſer.12.Hexam.ſer.3. Dom.2. Adv.*

CAP. IX.

IN hoc capite Apoſtolus idem oſtendit probans fabricam tabernaculi, Moſayci, & ſacrificiorum fuiſſe figuram, & Eccleſiæ, & ſacerdotis Evangelici; & propriè ſignificabat, corpus Chriſti tum verum, tumque myſticum; & quia in hoc tabernaculo erat arca fœderis, in qua erant tabulæ legis, virga Aaron, & Manna; hinc myſticè figuratur, partem potiſſimam hujus tabernaculi Eccleſiæ poſt Chriſtum eſſe Beatiſſimam Virginem, cujus miſericordia figuratur in Manna, cujus dignitas per tabulas legis, & cujus virtus per virgam. *Luc.c.1.v.28.c.2.v.19.c.10.v.42.lib.3. d.3.p.1. quæſt.2.* Deinde deſcendit ex his figuris ad oſtendendam veritatem ſacerdotii Chriſti, Sacramentorum, & præcipuè Miſſæ ab ipſo inſtitutorum; item & virtutem ſanguinis ejus ad delenda peccata, & ad ſanctificandam animam; de quibus ſparſim vide. *Lib.4.Prol.op.Expoſ.Miſſæ.1.ſeq.Luc.c.1. v.72.c.12.v.10 c.15.v.4.c.18. v.31.c.22. v.20. Ioan. collat.54.op.Diat.tit.7.c.5.& Append.ad Dom.Paſſ. op.Comp.Theol.lib.6.c.12. ſer.1.Dom. Paſſ. lib.3. d.19.q.1.*

CAP. X.

1. IN hoc capite Apoſtolus docet hoſtias Aaronicas, licet permultas, non potuiſſe expiare peccata, ſed tantùm unicam Chriſti hoſtiam in cruce oblatam; & ratio eſt, quia morbus erat lethalis, & unctiones, & hoſtiæ erant tantùm umbraticæ & ſuperficiales, & non penetrabant ex opere operato ad morbum, & ad mentem, in qua erant vulnera, & morbi, ideoque clamabat *Iſaias c.1. Vulnus, & livor. & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Ubi per vulnus intelligebat peccatum originale; per livorem veniale, per plagam tumentem mortale; ideò neceſſe fuit, ut adveniret medicus ſpiritualis Chriſtus Ieſus, qui mortalitatem noſtram uniens vitæ, & qui vita exiſtens ſubjiciens ſe morti fecit in ſeipſo, & ex ſeipſo confectionem ſpiritualem, & vitalem per ſacramentorum inſtitutionem, per quam, & in qua mortuus reviviſcit; tribuendo ſanitatem, & vitam per gratiam, & diſponendo ad aliam gloriæ; ſicque omnes umbræ, & figuræ ceſſaverunt adveniente luce, & oblationes fuerunt conſummata in unica Chriſti Ieſu. *Lib.4. in Prol.op.Apol.Paup.reſp.3.c.2. Luc.c.22. v.16.*

2. Affert textum deſumptum ex *Pſalmo* 39. ſed ſecundùm lectionem ſeptuaginta: Ideò ingrediens mundum, ſcilicet Chriſtus dicit: *Hoſtiam, & oblationem noluiſti*, ideſt non reconciliatus fuiſt per hoſtias veteres, & legales; *corpus autem aptaſti mihi*: nota quòd in textu vulgato Pſalmi dicitur, *aures autem perfeciſti mihi*, ubi per aures obedientia intelligitur, & per ſynecdochen ſignificatur totum corpus in Incarnatione aptatum, ideſt aptum factum, ut oblatum poſſet redimere mundum, hominemque Deo reconciliare: ſed quomodo aptatum? aptatum nempè, quatenus mundus Dominus mundificans Virginem ea puritate, qua major ſub Deo nequit intelligi, ſic potuit gignere corpus Chriſto tam mundum ut eſſet omnis munditiæ plenum vas, & contentivum omnis fragrantiæ, ut ſic ex ſemetipſo non aliundè redoleret, & Patrem reconciliaret, & odorem hunc ad omnes derivaret; unde aptato corpore Chriſti, *ecce venio* dixit Chriſtus ô Pater, ſcilicet ex quo holocauſta Judæorum tibi non placent, venio ego ad me offerendum, ut Agnus, ut Deus, ut hoſtia, ut ſacrificium, ad placandam tuam majeſtatem, ad offerendum pretium redemptionis in ſanguine meo: ex quibus patet, quòd ab initio adventus Chriſti in carnem (*ecce venio*) tota vita Chriſti Ieſu fuit continua ſui ipſius oblatio Patri, & in cruce tandem conſummata. *Lib.4.Prol.ſerm.6. Dom.1. Adv.* Unde ſubdit; *In capite libri*; ſcilicet vitæ meæ, *ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam.* Scilicet acceptando voluntariè decretum de Incarnatione, & Redemptione, hancque legem, & ſtatutum in medio cordis mei impreſſi.

3. Cóparat omnia ſacrificia legis naturæ, & ſcriptæ cũ hac unica oblatione Chriſti in cruce, iſtamque ut omnia alia excedentem, & præeminentem, declarat, eò quod illa non poterant expiare peccata, & quia non expiabant peccata præterita, nec futura, ſed tantùm diſponebant de congruo ad præſentium expiationem, & non ex opere operato; ſed

oblatio

oblatio Chriſti licet una, & unica, ad omnia peccata præterita, præſentia, & futura ſe extendit, cum fuerit valoris infiniti, & ideò in ipſa omnia conſummata fuerunt; & hæc eſt ratio, quare illa repetebantur, non autem Paſſio, & oblatio Chriſti in cruce, cum ſit ſufficientiſſima pro omnibus; hinc etiam ratio, quare ſacrificium Miſſæ reperitur, non verò crucis oblatio, & mors, quæ eſt ſacrificium commemoratorium, & applicatorium ſacrificii crucis, non verò redemptorium; & quia repetitio continua ſit peccatorum actualium, hinc & repetitio multiplex talis applicationis. *Lib. 3. d. 21. a. 1. qu. 1. op. Apol. Paup. reſp. 4. c. 3. ſer. 3. dedicat. Luc. c. 18. v. 31. c. 22. v. 16. Ioan. collat. 85.*

4. Ex omnibus Chriſti actis infert Apoſtolus, quid nos agere debemus dicens; *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu ſanctorum in ſanguine Chriſti; quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, ideſt carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, &c. teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem, &c.* In quibus verbis nos primò excitat ad fiduciam accedendi ad Deum, & intrandi in ſancta ſanctorum, & ut hoc obtineatur dicit ſecundò, quod Chriſtus initiavit nobis viam novam, & viventem, ſcilicet primus calcavit, confecit, & dedicavit complanando nobis ſuo exemplo, & operibus viam novam à nemine hactenus calcatam; & viventem, ideſt perpetuæ efficaciæ, per velamen carnis ſuæ, per quam patefactum eſt Cœlum; & ne hinc timeamus, ſubdit, quod habemus Chriſtum Pontificem nos ducentem, & nobis propitium Patrem reddentem; ad hoc enim venit Chriſtus in mundum. *ſer. 8. in Nativ. & S. Ambroſ.*

5. Advertit, quod licet Chriſtus in tali redemptione tot, & tanta opera fecerit ad expiationem peccatorum, tamen voluntariè peccantibus, ideſt in voluntate peccandi permanentibus non ſuffragatur virtus Paſſionis Chriſti, quia ad efficacium ipſius requiritur contritio, & pœnitentia, & non ſolùm non ſuffragatur Chriſti Paſſio pro remiſſione peccatorum obtinenda, ſed etiam iſtis parata eſt à Deo vindicta; & punitio ſeveriſſima, &c. voluntariè enim peccantibus, &c. *Luc. cap. 12. verſ. 21. c. 6. verſ. 2. cap. 10. verſ. 37. op. Confeſſion. capite 4. p. 3. Sermon. 1. de S. Matthia: op. Comp. Theolog. lib. 3. cap. 37.*

6. Sciens Apoſtolus, quod cum proprium ſit hominum magis timere homines, quàm Deum, & cum timor datus ſit homini, ut Deum timeat, & maximè ab eo ſeparari, & puniri, ut ad Deum timendum excitet, notat, quod *horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*; nota, ly. viventis, habet enim maximam vim, & emphaſim; q. d. dicitur Deus non eſt Idolum, vel ſaxum, ut ſunt Dii gentium, ſed eſt vivens, immortalis, æternus, in perpetuum vivens, & vigens qui tangitur, & ſentit injurias contrà ſe illatas, nec ejus manus, memoriam, & oculos effugere quis poteſt, quod patet, cum non pepercerit Angelo priùs chariſſimo, & ſuper omnes nobiliſſimo, peccanti, & quos ſibi priùs chariſſimos, peccantes à ſe abjicit, & ſeveriſſimè punit; ſic & propter peccatum unius hominis omnes homines punivit, & mortalitati, & multiplici pœnalitati ſubjecit; ex his efficaciſſimum argumentum relinquitur, quod horrendum eſt incidere in manus Dei viventis; ergo Deum timeamus, ejus offenſas vitemus. *Lib. 2. d. 6. a. 2. qu. 1. ad ultim. ſap. cap. 5. & 17. op. de præparat. ad Miſſam c. 4.*

7. Excitat fideles ad perſeverandum in ſuſtinentia paſſionum pro Chriſto uſque ad finem hoc motivo, quod cum multa priùs ſuſtinuerint tormenta, expoliationes, & injurias, ſi non perſeverabunt, omnia ante acta, & paſſa irrita erunt; *rememoramini*, ait, *priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum, &c.* ô quantis Chriſtianis hæc dici poſſunt, qui poſt labores multos, pœnas, certamina, pœnitentiam in Dei ſervitio actam, redeuntes ad vomitum totum perdunt. *ſerm. 2. de plur. Mart. in ſap. c. 5.*

8. Cum proponat fidelibus converſis inter alia opera bona ab ipſis facta, compaſſionem, & beneficentiam, qua facultatibus ſuis ſubventionem præſtaverant ſanctis detentis in carcere pro Chriſto (hic enim erat mos fidelium) nobis myſticè proponit neceſſitatem, in qua detinentur animæ vinctæ, in igne Purgatorii, & ſimul obligationem eis ſubveniendi, ut nobis poſſit dici à Chriſto in morte, vinctis compaſſi eſtis, rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam, ſcilicet per talia ſubventionis opera, divitias vobis in Cœlis perpetuas paraſtis. *Ser. de animabus.*

9. Cum fideles laudaverit ex miſericordia, quam in ſanctos Chriſti Martyres exercuerunt, ſubdit aliam virtutem eis neceſſariam dicens *Patientia vobis neceſſaria eſt*; dat per hoc intelligere, quod juſti bona ſua Deo offerunt non ſolùm per miſericordiam, ſed & per patientiam, non ſolùm per manus pauperum, ſed & per manus perſecutorum; per manus pauperum offerunt bona externa, per manus perſecutorum ſeipſos, animam, corpus, & vitam, ſed cum patientia; hæc autem exercetur cũ à proximo quis ſuſtinet perſecutiones, damna, contumelias ab adverſario tentamenta, à Domino flagella, ſicque ſine ferro martyres eſſe poſſumus; quia patientia eſt quæ ad fructum perducit. *Luc. c. 5. v. 7. c. 8. v. 15. cap. 21. verſ. 19. ſerm. 1. de plur. Mart. in addit.*

CAP. XI.

1. IN hoc capite Apoſtolus, ut Hebræos in fide Chriſti corroboret ad perſecutionum tolerantiam, deſcribit quid ſit fides, ejuſque magnalia: primò igitur dicit, quod *fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum argumentum non apparentium*; quæ definitio eſt ſufficiens, & perfecta, quia enim poteſt conſiderari in ordine ad ſuum finem, & in ordine ad objectum; ſic enim explicatur finis fidei, qui conſiſtit in rebus ſperandis, & ejus objectum, quod conſiſtit in rebus non apparentibus, ſicque per ſubſtantiam rerum ſperandarum diſtinguitur à fide informi

informi. & per argumentum rerum non apparentium diſtinguitur ab aliis habitibus virtutum: dicitur autem ſubſtantia non quidem phiſica, ſed tranſumptivè, ſcilicet fundamentum ad modum materiæ totius fabricæ ſpiritualis; dicitur etiam argumentum, quia mentem arguit, & acuit, & illuminat ad videndum aliquid occultum faciens intellectum rebus non apparentibus aſſentire, ſicut argumentum rerum facit aſſentire concluſioni jam probatæ: ex quibus patet, quod fides & videt, & non videt; videt ſcilicet credendo, quia eſt lumen inducens mentem ad viſionem rerum non apparentium; non videt, quia videt obſcurè, & res non apparentes, & evidentes, in quo conſiſtit meritum fidei. *Lib.3.d.1.a.1.qu.5.ſer.8.Hexam.op.Diat. tit.8.c.5. tit.10.c.5.op.de Paup.Chriſti qu.1. ſerm.1. de plur. mart.*

2. Probat, quod ſine fide impoſſibile eſt Deo placere, &c. de quo vide *lib.3.d.24.a.1.qu.3.& d.25. a.1.qu.2.& d.27.a.2.qu.2.& d.31.a.2.qu.1. ſerm.3. Dom.1 5 Pentec.ſer.1.Dom.2. Epiph.ſer.1. Dom.7. Pentec.ſer.1. S.Thoma: op. de dono piet. cap.3. op. Itin.ment.a.1.Luc.c.8.v.43.cap.9. verſ. 42. cap.15. verſ.22.*

3. Probat, quod ſancti virtute fidei operati ſunt omnia miracula, & opera egregia fecerunt. *Ser.1.de plur.mart.ſer.3.Dom.2. Epiph.ſer.7.Rogat. ſerm. de SS. Sim. & Iuda; & plurimis aliis locis, &c.*

CAP. XII.

1. IN hoc capite Apoſtolus cum propoſuerit egregia facinora ſanctorum operata per fidem, excitat tali exemplo ad currendum in via perfectionis cum patientia, conſtantia, & perſeverantia; ſed ad hoc peragendum neceſſe eſt adſpicere in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum tamquam certaminis metam, terminum, & præmium, ſimulque ad perfectiſſimum exemplar certaminis, & curſus noſtri, de qua materia fusè. *Op.Diat.tit.2.c.7.op.Eccleſ.Hier.p.4.c.5. op. Apol.Paup.Reſp.2.c.1.ſer.2.& 3.de S.Andr.ſer.5. de S.Lucia: ſer.4.de uno Mart. Luc. c.2. verſ.3. cap.12.v.65. cap.5. verſ.29. cap.24. v.48. cap.19. verſ.10.cap.9.v.27.c.18.verſ.28.cap.19.v.36.Ioan. collat.61.*

2. In his autem verbis Apoſtoli, aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, tria notantur mirabilia; primum eſt, quod Chriſtus dicitur auctor fidei, & conſummator, non quod in ipſo fuerit fides, habuit enim ſemper ut comprehenſor viſionem apertam, & ut viator ſcientiam infuſam: prima dirigebat omnes Chriſti actiones beatificas, ſecunda actiones naturales, & ſupernaturales meritorias; ſed dicitur auctor fidei, & conſummator tùm in ſe, tùm in nobis; in ſe quia per ſcientiam infuſam, veluti fidem credidit futura bona, certoque ſibi perſuaſit res ſperandas, easque ipſe primus docuit tum verbo, tũ exemplo ſuo, & ob id dicitur conſũmator fidei, quia primus curſum fidei feliciter conſummavit, & adeptus eſt res ſperatas: ſecundò dicitur auctor fidei, & conſummator in nobis, quia primus nos docuit ea, quæ reſpicit fides & nobis meruit habitum fidei, & tribuit opportunitatem ad perfectam executionem eorum, quæ ſunt fidei: tertium eſt quod in Chriſtum adſpicere debemus, ut in exemplar omnium, quæ credere debemus, in ipſo enim eſt conſummatio omnium myſteriorum fidei, & eorum, quæ agere debemus, quia in ipſo elucet exemplar omnium virtutum. *S.Bon. locis cit.* præcipuè *in Ioan.collat.61.*

3. Apoſtolus loquens de Chriſto dicit, quod *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ*: quæ verba à SS. PP. admittunt duplicem ſenſum; primus eſt, quod Chriſtus propoſito ſibi gaudio ſcilicet pro optione ſibi à Patre data eligendi duplicem viam, & modum redimendi mundum, ſcilicet vel gaudenter delicianꝺo, & triumphando; vel per viam ſpineam tribulationum, pœnarum, crucis, & mortis ignominioſiſſimæ relicta via delicioſa, & confuſione contempta amplexatus eſt viam crucis; *ſic Rupertus Chryſoſtomus, aliique plures SS. PP. etiam cum Seraph. Doct.* Nota tamen, quod hæc expoſitio poteſt ſubſiſtere cum decreto Dei abſoluto de redemptione exequenda per paſſionem, crucem, & mortem; ſed tamen præſupoſita libera Chriſti electione prævia à Deo non abſolutè, ſed conditionatè, ideſt prævidit Deus, quod ſi Chriſto daretur talis optio in inſtanti ſuæ Incarnationis, potiùs eligeret crucem, quam gaudium; vel dicendum, quod totum fuit factum in unico inſtanti temporis, ſed in primo inſtanti naturæ talis optio exhibita, & electio facta à Chriſto, & in ſecundo, vel pro ſecundo inſtanti naturæ decretum abſolutum firmatum à Deo; per quod maximè extollitur charitas Domini Jeſu: ſecunda expoſitio planior, & ſimplicior eſt, quod pro gaudio Chriſto propoſito intelligitur præmium crucis, & paſſionis, ideoque propter hoc præmium grande Chriſtus amplexus eſt crucem, & mortẽ, ut ſic ſuo exemplo excitaret omnes ſequaces, & diſcipulos ad ſubeundum tormenta pro Chriſto ob ſpem præmii, quod & fusè expendit *S. Bon. locis cit. præcipuè in ſer.2.& 3. S.And.ſer.4.de uno martin.*

4. Subdit: *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſus ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes; nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, adverſus peccatum repugnantes.* In quibus verbis duo præcipuè proponit Apoſtolus: alterum eſt, ut ſuadeat omnes fideles Chriſtianos pro objecto ſuarum actionum debere ſibi proponere ut exemplar Chriſti Paſſionem, & contradictiones, quas pro nobis ſuſtinuit, hoc enim eſt efficaciſſimum excitamentum ad imitandum Chriſtum: quis enim videns Chriſtum noſtrum potentiſſimum Creatorem, piiſſimum Redemptorem, Patrem benigniſſimum, benefactorem præcipuum, magiſtrum doctiſſimum tot, & talia paſſum eſſe, qui tantum nos amavit, quod tam impiiſſimo genere mortis cum ſceleratis mori non refugit, ſed ſemetipſum obtulit; quis inquam hæc recogitans amplius mori pro tanto duce paveſcet? fidelis enim miles vulnera ſua non ſentit, dum benigni ducis vulnera intuetur; ô recogitate, adſpicite ô fideles ad tale exemplum, & exemplar, ſic enim non fatigabimini, ait Apoſtolus, ſcilicet vobis non deficiet vigor, & fortitudo progrediendi ſemper ulterius in tali imitatione uſque ad ſanguinis effuſionem: Alterum, quod proponit

Apoſtolus

Apoſtolus eſt contradictio, quam & ſuſtinuit, & ſuſtinet continuè à peccatoribus; per hoc enim cognoſcitur qualis miles fidelis, & qualis infidelis Chriſto, nam filius mortis eſt ille, qui videns Regem gladiis vulneratum, mucrone confoſſum, ſanguine cruentatum, ex bello ſe ſubtrahit, imò qui & verbis, & factis contra Chriſtum armatur. *Ser.2. de S. Andrea Luc. c.1.v.34. c.22.v.20 & v.65.*

5. Docet quales ſint mores Chriſti, qui cum tot, & talia pro nobis paſſus ſit, ut nos excitet ad ipſius imitationem, hinc & flagella, & pœnas & tribulationes in ſuos dilectos filios immittit; ideò monet Apoſtolus, ut correptiones, dolores advenientes amplectamur libenti animo, ut filii imitantes Patrem noſtrum amantiſſimum, qui ſicut talis flagellat filium, non ut cruciet, ejuſque cruciatu ſe paſcat, ſed ut erudiat, & laſcivos mores ipſius caſtiget, & emendet; Et hinc addit, *in diſciplina perſeverate; tamquam filiis ſe vobis offert Deus*; ô fælices tales diſcipuli patientes, & perſeverantes, & libenter diſciplinam tanti Patris admittentes. *Serm. 1. Dom.3.poſt oct.Paſcha ſer.4.de plur.Mart. ſer.1.de uno Confeſſ.op.de Prof.Religioſ.lib.2.c.2. op.medit. c.36.ſer.10. Hexam.op.ſpec. diſcipl.p.1.c.10. Luc. c.10.v.28.c.21.v.13.*

6. Deindè ſubjungit rem terribilem Apoſtolus dicens, *quòd ſi extra diſciplinam eſtis*, ideſt abſque cogitatione, *cujus participes facti ſunt omnes*, ſcilicet filii ejus dilecti, *ergo adulteri, non filii eſtis*; ergo adulterini legit Græcus: datque per hoc intelligere, quòd qui exceptus à paſſione flagellorum, exceptus eſt à numero filiorum; hoc enim eſt, quod diſcernit filios Dei à ſpuriis. *Ser.1.Dom.4.poſt oct.Paſcha op.medit.c.36.*

7. Ne autem Chriſtianus timeat audiens, quòd neceſſario filii Chriſti ſubjici debent tribulationibus in hac vita, ſubdit hæc verba digniſſima: *Omnis autem diſciplina in præſenti vita videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris; poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.* Nota, quòd dicitur omnis diſciplina in præſenti videtur, non dicit eſt, ſed videtur eſſe mœroris, non gaudii; ideſt eſt veluti nux recens, quæ exterius oſtendit corticem amarum, ſed intus habet nucleum dulciſſimum; ſic tribulatio, & diſciplina videtur quidem amara, ſed tamen fructum pacatiſſimum, ſcilicet pacem internam & dulcedinem divinæ gratiæ in præſenti ſecum affert, & in futuro dulcedinem gloriæ; igitur ad hanc pacem, ad hanc dulcedinem aſpicientes amplectamur diſciplinam Domini Jeſu. *Op. Diaſt.1.c.1.Luc.c.8.v.15.c.9.v.23.c.14.v.18.c.21. v.30.op.ſpec.B Virg.lect.11.& 17.*

8. Deinde docet, quòd radix omnis amaritudinis eſt peccatum, quod probat variis exemplis; de quibus vide *ſerm. 7. de decem præc. Luc.c.13. v.25.ſer.1.de dedicat.in addit.*

9. Affert hîc etiam exemplum pœnitentiæ Eſau, quæ non habuit locum, & vim apud Deum ex eo, quòd pœnitentia fuit ficta, & humana, ſolumquè habens pro objecto rem temporalem, non Dei offenſam. *Luc.c.13.v.25.*

10. Et tandem proponit virtutem ſanguinis Chriſti, qui in Eccleſia permanet, & fidelibus exhiberor, ut ad ipſum confugiamus, in ipſo immergamur, eo quòd melius clamat pro nobis, quàm jam ſanguis Abel; nam iſte clamabat vindictam, ſanguis Chriſti continuè pro nobis clamat, & invocat miſericordiam apud Patrem, ut ſic hoc ſanguine intincti, & armati, Deo ſervientes illi placeamus, & tandem ad ipſum perveniamus, qui eſt ignis diſſipans peccata, & illuminans mentem, & inflammans affectum, & gloriam æternam tribuens. *Op. Diaſt.tit.10.c 3.ſect.1. Dom.Paſſ.ſer.3 Dom.15.Pentec.ſer.5. de una Virgine. Luc.c.16. v.19.c 22. v.44.op. Eccleſ. Hier.p 4. c.6. op. myſt. Tucol. c.5. p.1.* de virtute ſanguinis Chriſti, *vide ſer.1.Dom.Paſſ.*

CAP. XIII.

IN hoc ultimo capite multa, & eſſentialia documenta dat Apoſtolus & Hebræis, & omnibus fidelibus, ex quibus ſalus, & profectus ſpiritualis maximè dependet: Primò autem commendat eis charitatem fraternitatis, ſcilicet fraternam, ut ſcilicet cum jam in eis eſſet, etiam permaneret inter ipſos, ne intepeſcerent charitatis officia ob perſecutiones, exilia, & expilationes; hæc autem fraternitas neceſſario debet vigere in fidelibus, & diſcipulis Chriſti, ut ſicut fratres carnales convenientiam habent in origine, ſic & omnes trahunt originem à Chriſto in ſanguine ejus; item in ſimilitudine, ſcilicet in fide credendorum in gratia Sacramentorum, in obſervantia mandatorum, & in bonis moribus, & converſationibus, item in affectione ſinceræ dilectionis, & in hæreditate gloriæ, hæc autem exigit primò, ut fratri non noceas verbo, vel facto; ſecundò quòd fratri te offendenti indulgeas: tertiò quòd de malo fratris non gaudeas, ſed doleas, & è contra de bono gaudeas: quartò quòd ejus ſcandalum caveas; quintò quòd fratri ſubvenias: ſextò quòd cum fratre te habeas, ſicut velles tu tractari. *Ser.1. de Apoſtol.in addit.*

2. Charitati fraternitatis addit hoſpitalitatem; hæc enim ſummè placet Deo; & ideò multi meruerunt recipere Angelos in domum, imò & ipſum Dominum Jeſum; & per ipſam homo evadit multa mala. & Dei protectionem & in ſpiritualibus, & temporalibus meretur. *Ser. 1. de S.Michaël in addit.ſer.5. Dom.8. Pent. Luc.c.19. v.5.c.24.v.29.*

3. Viſitationem exiſtentium in carceribus, & vinculis commendat tranſiens ab hoſpitibus ad confeſſores ob fidem Chriſti in vinculis conjectos; Et quia inter iſtos primum locum obtinent ſanctæ animæ, quæ in vinculis Purgatorii detinentur, ideò ſpiritualiter ſuadet ſubventionem ipſarum dicens, *mementote vinctorum, tamquam ſimul vincti; & laborantium, tamquam & ipſi in corpori morantes*; In quibus verbis primò diſſuadet ingratitudinem oblivionis dicens mementote, ſcilicet recolentes peregrinationis vinctorum; per quod inculcat nobis, quòd recordari debemus quales fuerunt ipſi mortui, quid pro nobis fecerunt, obligationis, quam erga ipſos exigit charitas fraternitatis: ſecundò addit vinctorum, per quod nobis in memoriam reducit ſtatum miſerabilem ipſorum exiſtentium in Purgatorio, ut ſicut vincula duriſſimi carceris

auferunt facultatem operandi, libertatem ambulandi, poteſtatem liberè agendi, & inferunt neceſſitatem patiendi, & tolerandi; ſic animabus purgandis carcer Purgatorii reddit meritum impoſſibile (ſunt enim extra ſtatum amplius merendi) jugum ineſſugabile; ſunt enim omnes aſtrictæ ex decreto divinæ juſtitiæ donec reddiderint noviſſimum quadrantem; debitum inſolubile, nato manente reatu peccati, & deficiente moneta meriti, non poſſunt ſolvere, quod ab eis exigitur, niſi violentiâ ſupplicii, mendici autem ſunt, & tamen eis mendicare non licet; item & ſupplicium incomparabile, gravius enim eſt quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita: tertiò addit, memenſote vinctorum tamquam & ipſi vincti, ſcilicet expectantes adventum paris conditionis; q. d. exhibete eis quod vobis ab aliis exhiberi cuperetis, qui enim alienam miſeriam experitur, aut illam ſibi vivaciter in ſeipſo repræſentat, hic facilè alteri, non quaſi alteri, ſed quaſi ſibi ipſi compatitur, & ſuccurrit; ſic enim cum vos & ſitis vincti in corpore, quaſi in carcere Deus ob hanc charitatem liberabit ab hac ſimili miſeria, & miſericordiam conſequemini à Deo; ſancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur. *Ser. de Animabus.*

4. Conjugatis ſuadet continentiam à fornicatione, & adulterio, declarans Sacramentum matrimonii honorabile in omnibus, ſcilicet in omnibus ſuis partibus, dummodo ſit cum honeſtate, ſobrietate, & decentia Chriſtiana; undè addit *fornicatores enim & adulteros indicabit Dominus*, ſcilicet quia in remedium inſtituit Dominus ſacramentum matrimonii. *Pſal.* 72.

5. Avaritiam eliminare contendit à fidelibus dicens, *ſint mores ſine avaritia contenti præſentibus*, ideſt avaritia non gubernet veſtras actiones, ſed contenti ſitis iis, quæ vobis dedit Dominus; ſubdit; *ipſe enim dixit* (*Joſue c.* 1.) *non te deſeram, neque derelinquam*, per quod excitat fideles, & maximè eos, qui omnibus propter Chriſtum renuntiaverunt, ut confidant in Dei providentia; ipſe enim eſt ſuorum proviſor, nec finit aliquem fame perire: *Op. de Paup. Chriſt. qu.* 1. Et ut talis confidentia in Deo habeatur ſubdit; *optimum eſt enim gratiâ ſtabilire cor, non eſcis, qua non profuerunt ambulantibus in eis*; nam talis confidentia mediante Dei gratia liberat cor ab omni agitatione, ipſum ſtabilit & confirmat in Deo. *Op. Spec. diſcipl p.* 1. *c.* 1. *op. ſpec. B. Virg. lect.* 4. *Luc. c.* 1. *v.* 38. *c.* 21. *v.* 34.

6. Effert Apoſtolus gratiam eminentiſſimam nobis Chriſtianis collatam ſuper omnes nationes, & Judæos, dum nobis exhibuit Altare, & ſacrificium Euchariſtiæ, quod in Altari offertur, & in cibum nobis exponitur dicens, *habemus Altare*; Nota metonymiâ continens pro cõtento, ſcilicet Altare pro cibo, & ſacrificio Altaris in ipſo contento, & oblato; dicit autem Altare, ut inferat, quod in Eccleſia, ſi eſt Altare, neceſſe eſt, ut ſit ibi ſacerdos patiter & ſacrificium: proponit autem fidelibus hoc Altare Euchariſtiæ, ut in via hujus mundi, & in perſecutionibus, & tribulationibus hac eſca cor ſuum ſtabiliant, paſcant, & confortent tamquam Leones ignem ſpirantes facti diabolo terribiles (ait Chryſoſtom.) & ſubdit *de quo non edere habent qui tabernaculo deſervium*, id eſt Judæi: *Pſal.* 14. & 25. Deinde proſequitur Apoſtolus nos excitans ad offerendum hoc ſacrificium Miſſæ, & in eo, & cum eo hoſtiam laudis, ſcilicet hymnos, Pſalmos, gratiarum actiones, quibus celebremus Dei bonitatem, ſapientiam, & alia attributa; & deindè addit *beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus*, per quæ intendit, ut reſpondeamus tanto beneficio per opera miſericordiæ, & communionem noſtrorum ſuffragiorum proximo, vel etiam per communionem frequentatam ſacramenti concilemus nobis Deum benedictum, &c. *Sic communiter SS. Patres cum Seraph. Doct. ibm in lib.* 4. *tbm in op. expoſ. Miſſæ, &c. tbm in Comp. Theol. lib.* 6. *c.* 12. & *deinceps.*

7. Ut autem nos excitet ad iſta opera ſancta in memoriam reducit noſtrum ſtatum in hac vita, qui eſt peregrinorum tendentium ad patriam cæleſtem dicens, *non habemus hic manentem civitatem*, ſcilicet velut peregrini itinerantes in hoc mundo, & ut tales adſpirare debemus ad noſtram patriam: de quo vide *ſer.* 2. *Dom.* 3. *Epiph. ſer.* 1. *Dom* 4 *Quadrag. Pſal.* 114. & 118. *v.* 81.

8. Et deindè ad fundamentum omnium noſtrorum bonorum actuum tranſit, ſuadens obedientiam noſtris Prælatis dicens; *obedite præpoſitis veſtris*, de qua vide *ſerm.* 5. *de decem præc. op. de ſex Alis Seraph. cap.* 7. *op. Eccleſ. Hier. p.* 1. *c.* 1. *p.* 3. *c.* 1. *p.* 4. *c.* 3. *op. libell. Apol. qu.* 22. *op. de Prof. Relig. lib.* 1. *c.* 31. *Luc. c.* 2. *v.* 9. *c.* 12. *v.* 48. *ſerm.* 2. *Dom.* 8. *Pentec.*

Et tandem in fine optat eis pacem à Deo, rogat, ut acceptent ſuas admonitiones, & cum ſalutatione omnium fratrum terminat epiſtolam hanc myſteriis plenam; ſic & nobis concedat Deus omnipotens ſalutem, quam exoptabat Paulus omnibus ſanctis, ut cum ipſo regnare in Cœlo mereamur cum Deo in ſecula ſeculorum, Amen.

Explicit expoſitio Seraph. Doct. in Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos.

EXPO

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAS CANONICAS.

ARGUMENTUM.

POST epistolas Pauli Apostoli in ordine Biblico sequuntur septem epistolæ, una S. Iacobi, duæ Divi Petri, tres S. Ioannis, & una S. Iudæ: Dicuntur autem communi vocabulo Catholicæ, & Canonicæ: Catholicæ non prout hoc nomen opponitur erroneo, vel hæretico, sed opponitur privato, & particulari: cum enim epistolæ Pauli directæ fuerint primario provinciis, vel locis, & nationi peculiari; istæ omnibus fidelibus Christianis ubivis locorum, & temporum commendant fidem, legem, & Ecclesiam, & ob id etiam vocantur Canonicæ, quia fidelibus Apostolicum canonem, regulam, normam, & formam rectè credendi, & Christianè vivendi præscribunt, & quia canonicam sacræ scripturæ, veritatisque à Deo revelatæ auctoritatem, atque dignitatem obtinent; & idcò continent veluti medullam Evangelii, quia S. Iacobus in sua epistola totus est in suadendo orationem, & patientiam. S. Petrus sanctitatem Christianorum propriam. S. Ioannes charitatem in Deum, & proximum; & S. Iudas fidem orthodoxam.

ARGUMENTUM IN EPISTOLAM S. JACOBI.

Inter has septem epistolas catholicas primo loco ponitur epistola Sancti Iacobi, eo quòd prius fuit scripta, & inter canonicas scripturas, post mortem ejus relata: scopus, & argumentum hujus epistolæ est primò animare fideles ad constantiam in persecutionibus; secundò commendare opera bona, & exercitium virtutum, præsertim pietatis, & charitatis, & in hoc præcipuè insistit, ut se opponeret hæresi Simonis Magi qui asserebat solam fidem sufficere ad salutem, quam hæresim his temporibus etiam suscitarunt Lutherus, & Calvinus; ex quo patet quàm sit utilis, & necessaria doctrina catholica hujus Sancti Apostoli: Fuit autem iste Iacobus frater Iudæ, & Simonis Apostolorum, filius Alphæi, qui est idem ac Cleophas, & Mariæ cognatus Christi, similimus Christo moribus forma, & vultu, Episcopus Ierosolymæ; de cujus sanctitate, altisque quæ ad prolegomena hujus epistolæ spectant, videantur sacri Expositores, Glossa, Liranus, Paez, Cornel. &c.

CAPUT PRIMUM.

1. IN hoc capite primo loco Apostolus sibi titulum honorabiliorem præfigit; deindè his, ad quos dirigitur epistola, salutem optat dicens, *Iacobus Dei, & Domini nostri Iesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem*; Scilicet Iudæis duodecim tribuum ad fidem Christi conversis, & propter persecutionem contra ipsos post necem S. Stephani dispersis in varias partes, per quæ duo notabilia præcipuè nobis insinuantur, primum est quod titulus servi Dei est super omnes alios honorabilior, & desiderabilior: secundum est, quòd salus animæ sola est desiderabilis anteponenda omnibus aliis bonis *Lib. 3. d. 9. a. 2. q. 1. ad 1. & q. 3. Luc. c. 16. v. 13. Ioan. collat. 69.*

2. Docet in quo consistat Christiana Philosophia, quæ naturas rerum immutare valet convertendo amaritudinem in dulcedinem, tribulationes in gaudium, & ob id dicit, *Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis,*

ſumit hic tentationes omnes probationes, quas Chriſtus ſuis immittit,non eas,per quas diabolus inducit in malum,tentationes varias. ait, ſcilicet omne genus calamitatum,quæ pro fide,& pietate;& propter Chriſtum adveniunt,in quibus dignoſcitur qualis ſit perfectio Chriſti ſervorum, qui non ſolùm patienter, ſed cum gaudio ipſas expectant,ſubeunt, & tolerant, & ideò recognoſcitur ut apex totius perfectionis Chriſtianæ; & quia per omne gaudium explicatur plenitudo cœleſtis gloriæ, hinc etiam exigit,ut juſti in centro tribulationum recognoſcant veluti in pignore adeptionem beatitudinis æternæ, ſunt enim verè pignus, quod pro illa nobis confert in hac vita Chriſtus Ieſus. *Vide lib.*2. *d.*25. *a.*1. *q.*3. *& lib.*4. *d.*15. *p.*1. *dub.* 2. *ſer.*18. *Hexam. Pſalm.*60. *op. Comp. Theol. lib.*2. *c.*55. *op. Apol. Paup. Reſp.*1. *cap.*3. *ſer.*2. *omn. ſanct. ſer.*2. *de plur. Mart. ſer.*3. *de una Virgine. ſerm.*2. *S. Marti in addit.*

3. Nota, quòd dicit *omne gaudium exiſtimate*; ideſt (ut ex Græco) putate,credite vos habere,& recepiſſe: cum in tentationes, & tribulationes incideritis, ſed quomodo hoc poteſt credi cum ſenſui tunc pateat oppoſitum? ſed optimè hoc dicit ſciens,quòd cum Deus immittit, vel immitti permittit in ſuos varias tribulationes, tunc & ipſe ſe comitem juſti præbet,tunc & cum tribulatione miſcet ſuas conſolationes, & dulcedinem ſuæ dilectionis, qua omnia amara dulcia reddit, aſpera levia,& deſiderabilia,hinc igitur meritò gaudendum Chriſtiano in tribulatione,non taliter,qualiter, ſed omni ſummoque gaudio; tum quia ipſa avellit nos ab hoc ſæculo, eiuſque amore, illecebris, & blandimentis: tùm quia ſignum eſt filiationis, electionis, & prædeſtinationis Dei, tum quia nos Chriſto crucifixo aſſimilat, ejuſque opem acciſit; tùm quia tollit duo ſumma mala, ſcilicet peccatum,& concupiſcentiam, tum quia gaudium in tribulatione ipſam minuit,& tollit, ſicut triſtitia eam auget;tum quia Deus effundit divitias ſuæ gloriæ in patientes pro ipſo, ergo fratres omne gaudium exiſtimate vos percipere cum in tentationes varias incideritis. *S. Bon. loc. cit. & lib.*4. *d.*15. *dub.*1. *op. Phar. lib.*4. *c.*48. *ſeq. op. Diet. tit.*7. *c.*5. *ſer.*18. *Hexam.*

4. Ut magis excitet ad tolerantiam tentationum addit, quòd *iſta ſunt probatio fidei*, ſcilicet Deus nobis iſtas immittit ad probationem noſtræ fidelitatis, ex quo oritur patientia, non quidem tamquam effectus tentationum. ſed tamquam excitamentum ad perſeverandum in tolerantia, & patientia,& ob id dicitur perfectum opus habere, patientia autem perfectum opus habet,ſcilicet eſt conſummatio omnium virtutum, ſcilicet humilitatis, fidelitatis,ſpei, charitatis, & omnium aliarum,quas ſuâ tolerantiâ, & perſeverantia uſque ad coronam, & præmium reducit, & ob id ad complementum perfectionis conducit animam. *Luc.c.*8 *v.*15. *c.*18. *v.*12. *c.*21. *v.*19. *lib.*3. *d.*18. *art.*1. *quæſt.*3.

5. Nobis aperit viam ſapientiam Chriſtianam adipiſcendi, per quam dicta myſteria, & veritates poſſumus obtinere dicens. *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia(* non philoſophica,& mundana,ſed cœleſti)*poſtulet à Deo,qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei*; *poſtulet autem in fide,nihil hæſitans,&c.* Quatuor autem arcana ſublimiſſima hic notantur, quæ debent eſſe in orante, & poſtulante; primò indigentia, & hæc eſt in omnibus hominibus, quia talis ſapientia ſolùm in ſchola Chriſti obtinetur: ſecundò impetrandi confidentia filialis, poſtulare enim eſt filiorum: tertio poſtulati largitas,dat enim Deus affluenter ex ſua largitate, & benignitate;quartò eſt poſtulantis ſtabilitas in fide, & nihil hæſitantis;ergo ſolùm à Deo eſt poſtulanda,quærenda,& obtinenda. *Op. de dono ſap. c.*3. *op. Diet. tit.*6. *c.*4. *op. Centil. p.*1 *ſect.*41. *Luc.c.*8. *v.*10. Nota autem,quòd in his verbis adnotantur conditiones perfectæ orationis, quæ infallibiliter exaudiuntur. *Vide ſer.*4. *Rogat. ſerm.*2. *de S. Antonio. ſer.*5. *de una Confeſſ.*

6. Hæſitationem in oratione; & duplicitatem in Dei ſervitio conatur auferre à corde fidelium, dicens;*qui enim hæſitat,ſimilis eſt fluctui maris, &c. Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis* per quod dat intelligere, primò quòd hæſitatio in fide,vel fiducia obtinendi quod petitur in oratione,peſtis eſt ipſam inficiens,& impediens exaudítionem: ſecundò, quod duplicitas animi Deo ſummè diſplicet, nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire. *Luc.c.*16. *v.*13. *c.*19. *v.*32.

7. Docet gloriandum nobis eſſe in humiliatione,quia hanc conſequitur infallibiliter exaltatio, & gloriatio,non autem in divitiis, & ſæculi dignitatibus,uti ſolent divites, quia iſtæ velut flos fæni arefcunt,nec durant, & confuſionem potiùs pariunt. glorietur autem humilis in exaltatione,&c. *Ser.*13. *Hexam. Luc.c.*6. *v.*11.

8. Concluſionem ex ſupra traditis de ſufferendis tentationibus patienter infert his verbis. *Beatus vir,qui ſuffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit,accipiet coronam vitæ,quam repromiſit diligentibus.* In quibus verbis continentur altiſſima, & digniſſima arcana fidei noſtræ: & primò proponendo coronam vitæ dat intelligere, quod vita Chriſtianorum nihil aliud eſt, niſi perpetua pugna cum hoſtibus, & hæc neceſſaria eſt ad obtinendam coronam vitæ: ſecundò dum dicit beatus vir dat intelligere, quod ſolùm proprium eſt virorum pugnare, ſeque præparare ad pugnam, & victoriam; vir autem dicitur à virtute, per quam perfectè vivit ordinatè ad Deum, ad ſeipſum, & ad proximum: Ad Deum per humilem reverentiam, per devoram obedientiam, & per veram amicitiam, & confidentiam: Ad ſeipſum per veram innocentiam, continentiam, & ſpiritualem lætitiam: Ad proximum per veram compaſſionem,& ſubventionem temporalem, & ſpiritualem: tertiò iſte vir beatus dici verè poteſt, quia ſuffert tentationem; quid eſt ſuffert? ideſt qui ſuſtinet,perfert,durat, moram tolerat, præſtolatur,perſeverat, ſic ſuffert ſurſum fert ad Cœlum ſuam ſpem, in qua beatè vivit; quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe; ſcilicet pro Dei amore pugnans in hac vita, accipiet poſt ipſam coronam vitæ: age igitur ô Chriſtiane, ô pugil, ô athleta Dei,qui cum Chriſto,& pro Chriſto dura pateris;attolle animum,pectus obfirma ſperans firmiter, quòd tandem accipies coronam vitæ. *Ser.*1. *de una Confeſſ. ſer.*2. *Dom. Paſſ. ſer.*3. *Dom.*21. *Pentec Luc.c.*16. *v.*2.

9. Deindè tranſit Apoſtolus ad diſſipandam peſſimam hæreſim Simonis Magi, aliorumque peſſimorum hæreticorum, qui jam tempore Apoſtolorum docebant tentationes inducentes ad

peccatum

peccatum esse à Deo, quæ hæresis à Luthero, Calvino, aliisque modernis hæreticis insipientius & impientiùs suscitata est dicentibus non hominem, sed Deum unum, & verum esse auctorem peccati; contrà quos arguit Apostolus, *nemo cum tentatur*, (nota quòd hic sumit tentationem inducentem ad peccatum, quæ ab infectione nostræ naturæ, & concupiscentia provenit) *dicat quod à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat; unusquisque enim tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*, scilicet usque ad consensum, quæ cum conceperit, parit peccatum tamquam suam prolem, & peccatum generat mortem. *Op. Brevil. p.5. c.8. lib. 2. d.21. dub 3. & d 42. q.1. Luc.c.15.v.14. c.21. v.23. op. de modo confit.c.5.* Quod Deus non sit auctor peccati. *Vide lib.2.d.37.a.2.*

10. Deindè postquam ostendit Deum non esse auctorem peccati, idque ut magis inculcaret, ostendit Deum fontem, & principium omnium bonorum, tenebrasque peccati longè à Patre luminum abigendas, cum in eo nulla varietas, vel obscuritas possit adesse; sic igitur dicit; *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Scilicet ut est in hoc sole materiali; undè cum omne donum, omnis gratia, omne lumen à Deo solo proveniat, ad ipsum etiam omnia bona referenda, & ab ipso recognoscenda, & ipsi gratiæ referendæ. *Op. Brevil. prolm. & p.5. c. 1. op. de septem donis c.1. & c.6. op. de dono sap.c.11. op. medit. c.37. op. lignum vitæ. ser.2. Hexam. op. de reductione artium. op. solil. præfat. op. Comp. Theol. lib.1. cap.9. & 25. op. Eccles. Hier.p.4 c 6. Ioan. collat.1 ser.1. de plur. Mart. lib.1.d.18.q.3. lib.2.d.26.q.4. lib.3. d.34. q.1. & d.33.q.5. & lib.1.d.39. a. 2. quæst.2. & d.8. dub.9.*

11. Ut autem probet suprædicta subdit, quòd *voluntariè nos genuit verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*, ideſt ut legit Syrus, ut simus primitiæ rerum; & Græcus, ut obtineamus principatum inter creaturas ejus: per quod datur intelligi, quòd verbum Dei est semen cœleste, per quod homo nascitur primò creatione, secundò recreatione per baptismum, & gratiam adoptionis, ut patet verbum Dei esse Patrem, & Matrem nos regenerantem, ad statum sublimissimum super omnes alias creaturas. undè per Verbum Incarnatum, & prædicatum homo sublimatus est super omnes creaturas, & etiam aliqualiter super Angelos. *Luc.c.8.v.12.*

12. Quia supra proposuerat sapientiam addiscendam per orationem, & patientiam in sufferendo, nunc ad eamdem redit proponendo tres alios modos eam comparandi, eaque perfectè utendi dicens; *sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram*; q. d. qui vult adipisci sapientiam cœlestem sit velox, & promptus ad audiendum Doctores, & magistros: Nota autem, quòd in auditione perfecta subintelligitur etiam executio; & obedientia: sit item tardus ad loquendum, quia loquacitas est maximum in hoc impedimentum, quia maximè etiam cavenda est in Prædicatoribus ipsis: tardus item ad iram, quia hæc turbat mentem, ut rem quietè, & sedatè considerare nequeat, sed impetu facit ferre in cogitationes indignabundas, & vindicativas, ac proindè sapientiæ, quæ quietem mentis requirit, incapacem efficit; sic enim dicebat Christus per Isaiam; *Ad annuntiandum mansuetis me misit Dominus.* Doctrina enim Evangelica docet hominem esse discipulum Christi, qui dicit Discite à me, quia mitis sum; litigium verò, & altercatio non convenit discipulis Evangelicis, sed Aristotelicis. *Luc. prolm. & capit.1. vers.29. capit. 6. vers. 47. serm. 3. de una Virgin: epusc. Diet. append. ad Dom. 4. post Pascha. In Esclen.c.7.*

Et hinc subdit: *Ira enim viri justitiam Dei non operatur.* Loquitur autem de ira vitiosa, quæ prævenit, & trahit impetu secum rationem (nam quæ consequitur est virtuosa) hæc autem ira omnia confundit; non operatur quod justum est, & rationi consonum, sed multa perpetrat contra mansuetudinem, charitatem, patientiam, prudentiam, æquitatem, cæteraſque virtutes, quas exigit, & complectitur justitia Christiana, & hoc maximè in Prælatis, quorum ira innumera mala efficit, & eos omnibus exosos reddit. *Op. Diet.tit.1. c.3. Luc.cap.9. vers.56. op. de fin Alis Seraph.c.5.*

13. Hinc ut hanc sapientiam cœlestem possimus adipisci, & fructuosè conservare subdit modum, quo debet suscipi dicens, *propter quod abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.* Super quem textum primò quæritur quid intelligat Apostolus per immunditiam, & abundantiam malitiæ; & respondent Sancti Patres, intelligere per immunditiam, spurcitiam animæ, quæ propriè est luxuria, & magis propriè avaritia: prima enim reddit mentem tenebris obscuratam, & incapacem; secunda reddit hominem illiberalem, & sordidum, suscitatque lites, iras, & jurgia: per abundantiam malitiæ intelligit versutiam, duplicitatem, superbiam, prodigalitatem; quia ista impediunt fructum verbi Dei. secundo quæritur quid intelligat per verbum insitum; an Verbum increatum, an verbum creatum? sed tamen potest aptari verbo increato, verbo Incarnato, verbo inspirato, & verbo prædicato. quia sicut ramus arboris fructiferæ inseritur, & implantatur arbori infructuosæ, fit tota frugifera; sic verbum divinum unitum, & veluti insitum est in humana nostra natura facta per talem unionem fructifera, & divina: & itidem verbum increatum, inspiratum, & prædicatum cum recipitur, & inseritur in nostra voluntate, quasi surculus, & ramus divinus, valet producere opera supernaturalia, & obtinere salutem, gratiam, & gloriam: suscipite igitur in mansuetudine, ait Apostolus, ô fideles Verbum Dei, verbum verbi Incarnati, verbum veritatis, & sapientiæ; verbum virtutis, & potentiæ, verbum vitæ, & verbum gratiæ, si vultis salutem. *Op. Princip. S. Scriptura epusc. Diet. tit.8. cap.4. Luc.prolm. & c.1.v.41. c.10. v.8. lib.3. d.6.a.2.q.1.*

14. Repetit, & melius declarat in quonam consistat perfecta auditio verbi Dei, dicens, *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos; quia si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum.*

nativitatis ſuæ (ideſt nativum, & genuinum) *conſideravit enim ſe, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Ex quibus verbis dat intelligere, quòd verbum Dei prædicatum eſt veluti ſpeculum, in quo, & per quod homo videre poteſt quis, & qualis ſit, ſuam pulchritudinem, ſuam deformitatem, ſua vitia, & quantum à perfectione virtutis diſtet: Ut autem talis cognitio ſalutem, & effectus proprios producat exigit executionem; qui enim ſuam imaginem veluti in tranſitu aſpicit, hic nullum fructum affert, eſtque veluti aſpiciens ſeipſum in ſpeculo, quia enim ſui ſpecies reflectens in ſpeculum, & rediens ad oculum refrangitur, ideò debiliot eſt, & debilius ferit oculum, & mentem, ideò ſtatim tranſit abſque impreſſione in mente; ſimili modo, qui obiter verbum Dei audit, & illico ad terrena animum transfert, ſtatim obliviſcitur & ſui, & ſpeculi, ideſt legis divinæ, & mandatorum, & morum ſuorum, ut eos corrigat ad exemplar ipſius legis divinæ. *Luc. c.6.v.40.c.8.v.21.c.10.v.28 Pſal.118.c.1.v.14.ſer.1. de decem prac ſer.2. de uno Doct. op. de ſeptem trin. aeterni.in.3.d.3.ſer.1.de Innoc.in addit.* Hic autem SS. Doctores applicant hunc textum lecturæ librorum ſpiritualium, & Sacræ Scripturæ, ſunt enim ſpeculum, per quod homo conſpicit ſe, & ſua, ſummque ſtatum. *Vide lib.4.d.43.a.2.q.1. ſer.21 de Invent.S.Crucis Luc.c.14.v.11.ſer.6.in Nativ.op. de Prof.Religioſ.lib.2.c.58. op. de informat. Novit. p.2.c.4.op.Itin.2.d.5.*

15. Addit poſteà, quòd qui audierit verbum Dei & fecerit quæ audivit, iſte aſſequetur legem libertatis, & beatitudinem; *ſi quis perſpexerit* (in hoc ſpeculo) *in legem perfectam libertatis, nec auditor obliviosus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit*; Vbi docet, quòd lex Evangelica eſt lex libertatis, eo quod eſt lex gratiæ, & liberum facit obſervantem à ſpiritu ſervitutis diaboli, à ſervitute mundi, & à ſervitute corporis proprii, & perducit ad libertatem regni, ubi non erimus ſicut ſervi, ſed ſicut intimi amici, ſicut chariſſimi filii, & ſicut Reges inclyti regali diademate coronati ſecundùm illud. *Joan.c.* 8. Si filius vos liberabit, vos liberi eritis. *Ser. de S.Luca. lil.2. d.44. a.3.q.1.Joan.coll.a.43.*

16. Hic autem, ut oſtendat factorem operum eſſe beatum, ut ſupra dixit, opponit loquacem, & loquacitatem; dicens. *Si quis autem putat ſe Religioſum eſſe*, vel ut Syrus legit, Deo ſervire, *non refrenans linguam ſuam, hujus vana eſt Religio.* Ubi nota nomine Religioſi hic propriè venire fidelem, & Chriſtianum, & Religionis ſtatum Chriſtianiſmi, cujus munus eſt Deo cultum debitum deferre: applicatur etiam à SS. ſtatui Religioſo; datque intelligere, quòd per ſilentii obſervantiam, & per immoderantiam linguæ dignoſcitur diſcrimen boni, & falſi Chriſtiani, boni, & falſi Religioſi; & ratio in promptu eſt, quia ex loquacitate, & immoderantia linguæ omnia mala pullulant: de quibus. *Vide Luc.c.1. in fine. c.16. v.24. op. de inſtit. Novit. p.1.c.16.op. de perfect. vitæ c.4. op. Dict. tit.3.c.7.*

17. Tandem in fine capitis Apoſtolus depingit veluti in tabula picturam, & imaginem ſtatus veri Chriſtiani, & fidelis dicens. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc eſt; Viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo*; ideo ſtatus perfectus Chriſtiani ad tria capita reducitur; primum eſt cultus Dei cum decore honeſtæ converſationis, ibi Religio munda, & immaculata: ſecundum eſt commiſeratio ad pauperes, & miſeros; ibi viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum: tertium fuga peccatorum, & deteſtatio omnis inquinamenti; ibi & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo. *Opuſcul. Dict. append. ad Dom. 5. poſt Paſcha. Luc. cap.1. v.78.ſeq.*

CAP. II.

1. IN hoc capite tranſit Apoſtolus à Religione ad fidem, de qua tria docet: primum quòd iſta non admittit acceptionem perſonarum, ut ſit in ſæculo, & mundo; ſecundum qui violat unum legis præceptum ſit omnium reus: tertium fides non valet ſine operibus. Dicit igitur *fratres mei nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ*; per quod dat intelligere, quòd fides Chriſti rejicit omnem acceptionem perſonarum, qua cum offenſa juſtitiæ diſtributivæ indignus præfertur digno, dives pauperi, nobilis ignobili. *Op.Centil.p.1.ſect.10. op. ſpec.animæ cap.3. Luc.cap.7. verſ.6.* Nota tamen, quòd non per hoc vetat honorari plus divites, quàm pauperes, dummodo fiat ſine præjudicio charitatis; hoc enim exigit à nobis Deus, maximè pauperibus, & Religioſis mendicantibus. tum quia Deus ipſe eos pauperibus prætulit tum ob infirmitatem ipſorum, ne ſcilicet deteriores contra nos fiant; tum quia ex converſatione ipſorum major utilitas provenit; tum quia cum à divitibus plus ſubſidii recipiamus, juſtum eſt, ut eis vicem rependamus, & orationibus noſtris, & honore eis præſtito, aliiſque actibus externis gratitudinis. *Opuſcul. Determinat. queſt.23.*

2. Ut eliminet à corde fidelium acceptionem perſonarum exaltat pauperes, qui in mundo contemnuntur dicens, quòd *iſtos elegit pauperes quidem, ſed fecit eos divites in fide, & hæredes regni.* Dat etiam intelligere quàm Deus ſemper æſtimaverit paupertatem & pauperes, quos ipſe elegit ad Apoſtolatum, & ad regnum, ut ſic ejus potentia, & magnificentia in victoria de diabolo, mundoque reportata magis eluceſceret. *Ser.2. de S. Matth. ſer.2.de omn.ſanct. Luc.c.5. v.3.c.6. v.20. c.7. v.73. c.16.v.9.c.22.v.12 ſer.2.de Apoſtol.in addit.* Et hinc ſubdit contra divites malos, quod *ipſi exhonerant pauperes, & blaſphemant bonum nomen, quod invocatum eſt ſuper pauperes*; quale eſt hoc bonum nomen, quod divites blaſphemant? nomen ſcilicet Chriſtiani, & Chriſti, & Chriſtianiſmi, dicentes bonum malum, & malum, ſc. non æſtimantes divitias ſpirituales, ſed tantùm terrenas. *Luc.c.6.v.22.*

3. Docet, quòd *qui in uno offendit Deum* (ſcilicet mortaliter) *fit omnium reus*; quæ propoſitio reddit maximam difficultatem, cum multi inveniantur, qui obſervant multa præcepta, & unicum tantùm violant; ergone punientur ac ſi omnia violaſſent? hoc videtur contrà juſtitiam, & æquitatem? ſed reſpon. ad litteram, quod S. Iacobus ſcribit contra Phariſæos, qui docebant tranſgreſſionem legis in una parte non

non auferre gratiam Dei, ſed tantum tranſgreſſionem omnium; dicit autem Apoſtolus, quòd qui in uno Deum offendit mortaliter, ſit omnium reus, non quoad reatum omnium, ſed reſpectu gratiæ, & gloriæ, tam enim perdit gratiam Dei ob unum peccatum mortale, quàm ob multa, ſic & gloriam, quia non poſſunt ſimul ſtare peccatum mortale, & gratia Dei: myſticè autem dat intelligere, quòd violatio unius legis ſenſim allicit, & trahit ad violationem alterius, & alterius, tandemque omnium, niſi ſtatim deleatur per pœnitentiam. *Op. Confeſſion. c. 1. p. 5. c. 4. p. 1. Eccles. c. 9. lib. 4. d. 15. p. 1. a. 1. qu. 3. & lib. 3. d. 25. a. 1. qu. 3. & d. 36. qu. 4. Luc. c. 1. v. 6. c. 17. verſ. 10.*

4. Proponit judicium particulare, & univerſale meditandum à nobis tamquam vicinum, ut tali ſtimulo excitati in opus redigamus ea, quæ docet nos lex Evangelica, maximè de dilectione Dei, & proximi; *Sic loquimini*, ait Apoſtolus, *& ſic facite, ſicut per legem libertatis* (ideſt Evangelicam) *incipientes judicari*, ideſt quæ vos docui de acceptione perſonarum vitandâ, & de dilectione proximi exercenda, ſicut per legem Evangelicam vobis tradita à Chriſto; ad quem ſtimulum vobis ſuggero, & ingero memoriam divini judicii, in quo exactam à vobis rationem tam de dictis, quam de factis repoſcet, eoque majorem, quo vobis dedit legem Evangelicam; ſicque per hoc dat intelligere, quòd memoria, & recordatio frequens judicii divini ſtimulus maximus ad opera bona; & hoc eſt, quare voluit nos latere tempus, diem, & horam judicii particularis, & univerſalis, ut ſemper parati ad ipſum ſtemus. *Lib. 4. d. 48. a. 1. qu. 3. ad arg.*

5. Reddit rationem Apoſtolus quare exercere debemus charitatem erga proximum, quaſi nos judicandi à Deo juxta charitatis legem, quia in extremo miſericordia à Deo dabitur ad proportionem miſericordiæ exhibitæ in hac vita in fratres à nobis dicens, *Judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam*; ſuperexaltat autem miſericordia judicium; In quibus verbis primò dat intelligere, quòd tota judicialis ſententia erit ſecundum opera miſericordiæ exhibita, vel non exhibita; cum autem audis, quòd judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam, ne exiſtimes, quòd in Dei operibus etiam judicialibus in nos excludatur miſericordia, quia ſemper ſunt iſtæ comites, ſed hoc eſt in judicio erga miſericordes hujus vitæ miſericordia ſuperexaltabit juſtitiam, erga crudeles, & immiſericordes juſtitia ſuperexaltabit miſericordiam, quia tunc eſt tempus proprium juſtitiæ, ſicut in hac vita tempus eſt miſericordiæ. *Lib. 4. d. 46. a. 2. per totum lib. 4. d. 44. p. 2. a. 1. qu. 1. Pſal. 134. ſer. de animabus op. Dias. tit. 7. c. 4. tit. 8. c. 3. Luc. c. 6. v. 36. c. 14. v. 14. c. 16. in fine ſer. 1. & 2. Dom. 1. poſt oct. Pentec. ſer. 4. de uno Mart.*

Ex quibus patet primò, quòd miſericordia hominis provocat miſericordiam Dei, eamque ſibi advocatam, & patronam adſciſcit; utraque autem eſt tam potens, & efficax apud Deum, ut ejus judicio, & juſtitiæ reſiſtat, eamque vincat, & elidat; de hoc certamine in judicio miſericordiæ, & juſtitiæ *vide op. medit. c. 1. hoc ſupra tit.* Secundò patet, quòd Dei miſericordia ſuperexaltat juſtitiam ex eo, quòd licèt in Deo attributa omnia ſint æqualia, tamen in ordine ad nos major dicitur miſericordia, quia Dei proprium eſt miſereri, & in miſerendo deſumit totum motivum ex ſeipſo, ſed in puniendo deſumit ex nobis, ſcilicet ex noſtris peccatis. *Lib. 1. d. 47. dub. 1.* Et hinc ex hoc textu excitant Doctores illam quæſtionem moleſtam an plures ſint electi, quàm reprobi; & reſpondent aliqui ex hoc textu apparere multò plures eſſe electos; ſed tamen hoc non rectè infertur, cum enim puniat, Deus deſumens motivum ex noſtris demeritis, & peccatis, & cum patentiſſimum ſit inter adultos multos plures eſſe malos (non ſolùm ſumendo totam congeriem hominum, ſed etiam catholicorum tantùm) quod figuratum fuit in tranſitu filiorum Iſraël ex Ægypto in terram promiſſionis, in quam ex tot millibus ſolùm duo ipſam ingreſſi ſunt: ratio autem hoc dictat, non ſolùm quia multi moriuntur ſine ſacramentis, & inter morientes armatos iſtis plurimi vel malè ea ſuſcipiunt, & maximâ incuriâ non parati, & conſimili, qua accedunt in Paſchate ad Euchariſtiam, poſt enim ſtatim redeunt ad priſtina peccata, ſed etiam quia multi onerati ſunt malis habitibus, undè facilè poſt receptionem Sacramentorum aſſentiuntur peccatis; tum etiam quia videmus ferè omnes uſque ad mortem vivere ſine emendatione, ſed ſemper immerſos in iiſdem habitibus, undè hac animadverſione percutiuntur, ut qui vivendo obliti ſunt Dei, morientes obliviſcantur ſui, ut *ait S. Auguſtinus*, tùm quia etiam Concionatores ut plurimùm ad iſtam totalem converſionem non conferunt, communem, & tritum tramitem ſequentes, in explicando Evangelia, ſcilicet commendantes Paſſionem Chriſti, miſericordiam Dei, largitionem eleemoſynarum, & cultum beatæ Virginis, nec deſcendentes ad vitia huic, vel illi loco, & perſonis propria, contra ea non tonantes, & fulminantes, eaque extirpantes; undè Vrbes, & populi maneant in eiſdem legibus malis, conſuetudinibus propoſitis, vitiis nec ullum, vel exiguum ex concionibus omnibus fructum referunt: ô nimis verum; ò tempora, ò mores! ò Prædicatores, ò Prælati, & curati animarum, audite, & intendite ad ſtrages tot animarum, quia à vobis exiget Deus rationem damnationis ipſarum; *De hac materia jam alias ſuper Evangelia ex Seraph. Doct. actum eſt.*

6. Tranſit ad extirpationem hæreſis Simonis Magi, aliorumque hæreticorum, qui docent per ſolam fidem ſine operibus poſſe hominem ſalvari, dicens, *quid proderit fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides ſalvare eum?* (poſt pauca) *ſic & fides ſi non habet opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Pro intelligentia autem hujus textus advertendum, quod fides ſumpta præcisè ſecundùm ſe, eſt habitus ſupernaturalis virtuoſus, infuſus in animam, quo rectificatur intellectus humanus, dum captivatur in obſequium Chriſti ad aſſentiendum primæ veritati propter ſe, & ſuper omnia; vigoratur item ut credat vera non apparentia, ut veret erronea, & phantaſtica; & hæc etiam reperitur in malis Chriſtianis; ſed quia iſte habitus ad hoc, ut ſit virtus viva, & perfecta, debet perducere per amorem in ultimum finem animam credentem, ſcilicet ut ſit principium

operis

operis meritorii gloriæ ad hoc requiritur vitæ charitatis, hinc eſt, quod fides ſine operibus licet quoad primum effectum habitus ſit viva etiam in peccatore, non tamen quoad ſtatum, & affectum completum; ideò dicitur hoc reſpectu fides mortua, & hoc eſt, quod dicit Apoſtolus hic, idq; probat ſex argumentis: primum eſt; ſicut pauper non veſtitur, nec ſaturatur verbo, ſed eleemoſyna panis, & vini, ſic & animæ nuditas, & inopia meritorum non veſtitur, nec ſaturatur fide, ſed bonorum operum exercitio: ſecundum, fides ſine charitate, & opere eſt ſicut corpus ſine anima, puta mortua, ſic & veluti cadaver: tertium, fides non niſi per opera ſe oſtendere, & communicare poteſt, & per conſequens demptis operibus inviſibilis, inſenſibilis, & nulli utilis eſt: quartum, fides ſine operibus dæmoniaca eſt, nam & dæmones credunt, & contremiſcunt (Nota tamen hîc circa hanc fidem dæmonum) quod propriè fides ſupernaturalis non eſt in Dæmonibus, cum non ſint apti ad ſuſceptionem talium habituum, & etiam quia voluntas eorum magis eſt prona ad impugnandam veritatem, & pietatem, quàm ad aſſentiendum ei, ſed tantùm habent quamdam credulitatem naturalem, quæ eis ineſt partim per cognitionem innatam, quam habuerunt aliquali modo de Trinitate, & partim per acquiſitionem experimentalem virtute Chriſti, ejuſque humanitate; undè talis fides eſt coacta non voluntaria, ob idque dicitur & contremiſcunt; & cum hoc ſit probabilius apud Theologos (non enim deſunt Theologi recognoſcentes in dæmonibus aliqualem habitum fidei informis infuſum, de quo Dur. & Cathar.) ſequitur, quod Apoſtolus comparat fidem malorum Chriſtianorum cum fide dæmonum, non quoad entitatem habitus, ſed quoad infructuoſitatem; quintum & 6. Abraham fuit juſtificatus non ex fide ſola, ſed ex operibus, & oblatione filii ideoque dicitur Pater credentium; ſic & Rachab meretrix; ergo ut fides ſalvet, exigit opera correſpondentia. *Vide lib.2.d.40.qu.3.lib.3.d.23.dub.2. & a.2. q.1. & 3. ep.medit.c.18. Luc.c.17.verſ.6.ſer.2. Dom.Paſſ. & Dom.Trinit. & Dom.17. Penit. & ſer. 1. in Penit.ſer.1.Cathedr.ſer.de S.Cæſil. ſer.1. de Angelis lib.2.d.7.qu.2. ſer.3. ſer.2. Paſchæ: ſermon. 2. de plur. Confeſſ. Luc.cap.8. verſ.28. Joan. collat. 39. & 69.*

CAP. III.

1. IN hoc capite Apoſtolus tranſit à fide ad doctrinam, & magiſterium; & primò reprehendit eos, qui ambiunt primas cathedras, & magiſteria ſuper alios, dicens *nolite plures magiſtri fieri fratres mei ſcientes quoniam majus judicium ſumitis, in multis enim offendimus omnes:* Nota, ly, plures magiſtri fieri, ideſt vel plures Prælati in una civitate, vel unus ad plures Eccleſias; vel in concurrentia plurium nolite ambire vos præponi aliis, eo quia ſic majus judicium ſumitis, ideſt majus periculum, & majorem damnationis occaſionem; cum enim omnes in multis offendamus, quis non timeat ſuprema locum, ubi quicumque lapſus periculoſior eſt, majorèſque pœnas luet: arguitur ergo hîc non gradus, ſed ambitio honoris, & maximè in imperitis, & ineptis, & in iis, qui ſe aptos ſuperbè æſtimant, & tamen currunt ad dignitates ſine ullo fræno. *Op. Apol. Paup. reſp.3.c.3. Luc. c.11. v.43.c.10.v.46. ep. de ſex Alis Seraph. c.5. ſer.2.de S. Agnete ſer.4.de plur.Mart.*

2. Quia dixerat, quod in multis offendimus omnes, & neminem ſine crimine vivere, hinc tranſit ad diſſerendum commoda, & incommoda linguæ, eo quia nullus fere eſt, qui vitio linguæ non labatur, dicens; *ſi quis in verbo non offendit hic perfectus eſt vir, potens etiam frano circumducere totum corpus, &c. lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat, ideſt magnificè ſe jactat, &c.* & per iſta, & ſequentia dat intelligere, quod cum in multis offendamus omnes, tamen lingua in cauſa eſt. & fons ferè omnium iniquitatum, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad proximum, tùm in ordine ad ſeipſum; undè rectè appellatur ignis omnia bona incendens, item & univerſitas iniquitatum quaſi magiſtra, & cathedra ex qua edocentur omnia ſcelera; & hinc rectè infertur, quod refrænans linguam ſuam perfectus verè eſt vir, Deoque ſummè charus; de lingua in bonum, & in malum *Vide S.Bon. lib.2.d.41.a 1.qu.3.ep. Eccleſ. Hier.p.3.cap.3. Luc. c.16.v.24.ſer.2.de S.Laur.ſer.1.Dom.4.Pent.ſer.1. de SS.Innoc.ſerm.1.de S.Laur.in addit. ſerm.2. de S. Agnete.*

3. Ut oſtendat quales debeant eſſe Prælati, & magiſtri regentes animas, & quali ſapientiâ præditi, proponit interrogationem, quæ vim increpandi habet ambientes primas cathedras; quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos? oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ; quæ verba Apoſtoli graviſſima ſunt & continent mirabilia documenta neceſſaria Prælatis, & etiam omnibus Chriſtianis: In medium autem ponit nomen ſapientis, & diſciplinati; quid eſt ſapientem eſſe, & diſciplinatum? hoc eſt, ſapientia (*ait Seraph. Doct.*) eſt cognitio Dei, deteſtatio peccati, & dilectio virtutum, & propriè eſt in interiori mentem delectabiliter afficiens; undè poteſt dici ſapientia ſpeculativa, diſciplina verò ſtat in exteriori, ordinat operationes exteriores, undè dicitur ſapientia practica, quæ praxis conſiſtit in manſuetudine ſanctæ converſationis, & ſanctorum operum; quæ oſtenditur in auditu, ſcilicet in deſiderio audiendi verba Dei, conſilia bonorum, & vitandi vana, curioſa, & noxia; in aſpectu, ut per exteriora cognoſcatur probitas interior; in affatu, ſcilicet verborum, quæ proveniant ex theſauro cordis, ſanctitate, & pietate repleti; in operatione, quia ex qualitate fructus dignoſcitur qualis ſit arbor; ô felices Prælati, qui tali ſapientia, & diſciplina ſunt præditi & in hac mirabiliter excelluit ſeraphicus Doctor. *Ser. 1. de S Gregor.ſer.2.Dom.22. Penit. Luc.c.6.v.45. Sap. c.6.ep.Centil.p.3.fol.44.*

4. Deinde deſcribit ſpecialiter in quonam conſiſtit ſapientia, quæ de deorſum, ſcilicet de Inferno, & diabolo venit, quæ prævenitur ſemper ab invidia; dicit igitur *quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem: ſapientia iſta terrena eſt & animalis, & diabolica.*

Nota

Nota autem, quod hic in medium ponit zelum amarum contrà zelum dulcem; quid iſte zelus amarus? zelus iſte amatus opponitur contra dulcem, qui eſt fervens charitas, ergo eſt vitium oppoſitum charitati, nempè amarulenta æmulatio, & invidia, quæ natá eſt ex ſuperbia, & amore excellentiæ, parit contentiones, & ſchiſmata, & ideò abit in errores, & hæreſes, & mendacia, ex quibus glorioſum, ſed vanum nomen quis aucupatur, videlicet ob novam ſcholam, novos diſcipulos; ò quàm amara eſt iſta maledicta radix invidiæ & æmulationis ambitioſæ, amara inquam & tis, quibus invidet, & magis ſibi, cum magis invidus ſeipſum excrucier in bono alterius, fitque tum plenus amaritudine, & dolo, & omni malo, ut exeat ejus malitia etiam per oculos, aures, & os, & innumera mala efficiat, & hoc patet continua experientia, in contentionibus maximis, quæ hinc excitantur inter Chriſtianos, imò & inter Eccleſiaſticos, & Religioſos; in everſione rerum quæ cauſantur ex invidia in urbibus, in bellis, & in congregationibus etiam bonorum; ò Chriſtiani, ait Apoſtolus, nolite in hoc gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem; comprimite hunc ardorem æmulationis amaræ humilitate, modeſtia, & gloriæ contemptu, tamquam Chriſti ſequaces; zelus enim dulcis eſt Chriſti, & ejus ſequacium inter quos Simon vocatus eſt zelotes, ideſt æmulator, talis enim zelus eſt æmulatio ſanctæ procedens ex humilitate, & ordinata charitate in Deum, & proximum. *Op. Diat. tit. 1. c. 4. op. Centil. p. 1. ſect. 5. & 19. op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 17. op. de perfect. vitæ c. 1. Luc. c. 1. v. 16.*

5. Deindè diſcrimen aſſignat inter ſapientiam mundanam, & Chriſtianam dicens: *Non iſta ſapientia* (ſcilicet zelum habentis amarum) *deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, & diabolica, &c.* quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, pacifica, modeſta ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ, & fructibus bonis: Eccè duo fontes hic expoſiti, & oppoſiti, ex quibus iſtæ duæ ſapientiæ trahunt originem, alter eſt in corde inferni, & diaboli, & ob id plenus amaritudine, alter eſt in Cœlo in corde Dei plenus lumine, gratia, & ſuavitate, ſapientia enim mundana eſt terrena ob avaritiam qua quærit opes terrenas, animalis ob gulam, & luxuriam, qua concupiſcit voluptates ſenſibiles ventris, & veneris, & diabolica ob ſuperbiam, qua quærit præ cæteris excellere, & honorari, atque ad id ſubtiles modos, dolos, & artes adinvenit, quarum auctor, & antеſignanus eſt diabolus: E contrà ſapientia Chriſtiana à Dei corde deſcendit ſeptem antitheſes continens falſæ ſapientiæ: prima eſt pudica, ſcilicet caſta, intemerata eſt adinſtar agni à libidine, & à quavis imputitate pravæ doctrinæ ſceleris, & vitii, quia habet comitem veram humilitatem contrà ſapientiam animalem: (Nota autem hic, quod hæc puritas caſtitatis, & doctrinæ, eſt una è notis veræ fidei, Religionis, & Eccleſiæ; undè mirum non eſt, ſi ab ea aberrarunt, & aberrant omnes ſectæ contrariæ, ut patet in Mahomeranis, Gentilibus & Hæreticis, qui primariò ablegarunt à ſuis ſcholis;) ſecunda eſt pacifica contrà contentioſam, per quam reverenter ſe ſubjicit ſuperiori; æquanimiter ſe habet ad pacem, diſcretè regit inferiorem, hæc pax diſſipat omnem malum, cavet omne diſſidium: tertia eſt modeſta contrà falſam, petulantem, & ſuperbam; modeſta inquam, vel ut legit Græcus, moderata, ſedata, & laudabilis, quæ naſcitur ex humilitate, gignit verecundiam, & comitem habet patientiam: quarta ſuadibilis, ideſt perſuaſu facilis contrà intractabilem cerebroſam, duram, cervicoſam, pertinacem, obſtinatam in ſua ſententia, & errore; ſapientis ergo eſt rationi cedere, veritati cor pandere, errorem agnoſcere ſententiam mutare: ò Principes, Prælati, Doctores apprehendite hanc Chriſtianam diſciplinam; huic ad majorem expreſſionem additur bonis conſentiens contrà bonis invidentem, adverſantem, & rixoſam; & ferè coincidit cum ſupradicta, ſcilicet plena miſericordia contrà immiſericordem, crudelem, & impiam additurque plena fructibus, & operibus, contrà plenam malis operibus: ſexta judicans ſine ſimulatione contrà falſam judicium præcipitantem, omniaque cenſurantem, & carpentem, hæcque dirigit Judices in cauſis humanis, & quemlibet cavendo ab omni judicio temerario in proximum: ſeptima ſimpliciter in intentione contrà ſimulatam, & hypocriticam, quia in Chriſtum dirigit oculos mentis, & ad ipſum omnia ordinat; ò felix ille, qui in ſchola Chriſti intrat & hanc ſapientiam addiſcit, nam feliciter obtinebit, quod ultimò ſubdit Apoſtolus; fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem: nempè obtinebit cum juſtitia pacem cum Deo, cum proximo, & cum ſeipſo. *Ser. 2. Hexam. op. de donoſap. c. 1. & 2. Luc. c. 9. v. 54. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 3. op. itinere 3. d. 4. a. 3. ſer. 3. de S. Much. ſer. 1. de S. Cathar. in addit.*

CAP. IV.

1. IN hoc capite Apoſtolus poſtquam contentiones, & æmulationes declaravit omnium malorum radicem, perſtringit radicem tanti mali ſcilicet concupiſcentias; docet amicitiam mundi inimicam eſſe Deo, ſuadet humilitatem, diſſuadet ſuperbiam, & detractiones: Primò igitur dicit; *Unde bella, & lites in vobis? vonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, &c.* datque intelligere, quod bella, & lites in mundo æquè ubique abundant, naſcuntur tamquam pulli ex ovo ex concupiſcentia, quæ cum non poſſit obtinere, quod dictat ei ſuperbia, & amor terrenorum excitat iraſcibilem & hæc excitat lites, & bella, undè mirum non eſt, ſi vita hominis appelletur militia ſuper terram, quia cum iſtos inimicos foveamus intrà nos; hinc & bella, &c. Et ex hoc patefit miſera hominis conditio, ex eo quòd cauſam diſcordiarum ac bellorum doceat oriri ex eo quod penè vitare poſſumus, cum quidquid eſt in mundo concupiſcentia ſit, quæ ſola morte finitur; & hæc eſt maledictio Adæ, ut in terra laboris noſtri, & in agro corporis, vel cordis noxiæ, & inutiles cupiditates ultrò, & ubique proveniant excitantes in nobis bella & lites, &c. cum autem intrà nos ſint iſti hoſtes contra nos pugnantes, hinc admonemur quali cuſtodia nobis vigilandum ſit contrà ea, quæ in ſinu portamus, & qua ſollicitudine calcandæ ſint paſſiones noſtræ, ut per ipſas aſcendere poſſimus ad Chri-

ſum, *Luc.c.21.v.9. c.22. v. 24. & Chryſoſtomus, Bernardus, & Auguſtinus.*

2. Aſſignat rationem quare peccator in oratione non exauditur, nec ſurgit à cœno peccati, dicens *petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Nota, ly eo quòd malè petatis; ſed quid eſt malè petere in oratione? dum enim quis ad Deum toto corde recurrit, nonnè benè petit? ſed attende ad conditiones bonæ, & malæ orationis: malè petit à Deo primò, qui juſſa Domini contemnens, à Domino beneficia ſuperna deſiderat: ſecundò quiomiſſis cæleſtibus terrena ſolùm petit: tertiò & hæc non ad ſuſtentationem neceſſariam, ſed ad voluptatem ex concupiſcentia deſiderat: Benè petit primò qui ſinceriter cum rectitudine conſcientiæ petit à Deo declinationem mali; ſecundò prudenter in eligendo bona, & hoc præponendo ſpiritualia terrenis: tertiò fiducialiter cum certitudine confidentiæ, & hæc eſt præcipua conditio orationis. *Ser. 1. Dom. 4. poſt oct. Paſcha ſer. 2. de S. Lucia Virgine.*

3. Oſtendit, quòd qui ſe totos mundi deliciis, & propriis concupiſcentiis tradunt & ſunt adulteri coram Deo, eo quia conſtuprant Sacram ſcripturam, & perverſo ordine ipſa utuntur ad ſuam voluntatem malam adimplendam, & ob id inimici Dei conſtituentur, & hac occaſione docet, quòd amicitia Chriſti, & amicitia mundi non poſſunt ſimul ſtare, eo quia amicitia Dei inflammat ad amorem cæleſtium, amicitia mundi inflammat ad amorem terrenorum. *Ser. 3. Pentec. ſer. 1. de S. Barthol. Luc.c. 6. verſ. 23. c. 19. v. 27. c. 21. v. 17.* Ut autem inculcet hanc veritatem ſubdit Apoſtolus; *an putatis. quia inaniter ſcriptura dicat, ad invidiam concupiſcit ſpiritus, qui habitat in vobis?* ideſt ut explicat S. Auguſtinus, an putatis fruſtra ſcriptum eſſe in divinis litteris, quòd Spiritus ſanctus concupiſcit veſtram amicitiam, & amorem, uſque ad invidiam (nota, ly, invidia hic ſtat pro zelo, & zelotypia, ut alibi etiam in Sacra Scriptura confunduntur hæc nomina) ideſt uſque ad zeloypiam, cum tamen ipſe multò majoribus donis, ac bonis alliciat, & obliget quàm mundus, quem vos adulteri libenter diligitis, ut videas certamen eſſe inter Deum, & mundum in ordine ad noſtrum amorem; nam Deus nobis benefaciendo zelat noſtrum amorem, hunc exoptat, hunc petit, hunc anhelat, ex quo invidet, & zelat ſuper iſtum amorem, videns quòd licet mundus det pauca, & illa vana, tamen magis à nobis amatur, & ipſe è contra cum infinita bona donet, parum, & vix à nobis amatur. *Ser. 3. & 4. Dom. 17. Pentec. ſer. 3. Dom. 18. Pentec. ſer. 4. Rogat.*

4. Ut autem magis, ac magis nos excitet ad Dei amorem ſubdit; *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*; illis quidem reſiſtit deprimens, & conterens eos, ſed humilibus confert gratiam ſuam, & dona. & ideò maxima veriſſima eſt in Dei ſervitio, quòd exaltationem ſequitur neceſſario ruina, & humiliationem ſequitur exaltatio, & qualis? exaltatio ſcilicet obtentio virtutum; humilitas enim fert ſecum omnes virtutes, eaſque conſervat uſque ad conſummationem. *Op. medit. c. 15. & 16. ep. Comp. Theol. lib. 3. c. 16. Luc. c. 1. v. 3 c. 7. v. 10. c. 10. v. 21. c. 15. v. 30. c. 18. v. 17. ep. Myſtic. Theol. c. 3. p. 2. ſer. 4. Rogat. ſer. 2. de uno Confeſſ. ſer. 5. de una Virgine.*

5. Ex dictis infert hanc admonitionem, *ſubditi ergo eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis*; quaſi dicat: ſi Deus humilibus dat gratiam, ergo & vos humiles, & ſubditi eſtote Deo, ut ejus gratiam, & amicitiam obtineatis, & ad hoc neceſſe eſt diabolo reſiſtere; per quod oſtendit, quòd cum auxilio Dei poſſumus reſiſtere diabolo, & de ipſo triumphare; & ſi hoc, quid ſequitur? & fugiet à vobis, quaſi dicat ſi fortiter, & conſtanter repellatur non tam facilè, & citò redit ad tentandum nos, ſaltem eodem tentationis genere, ne iterum vincatur, & pudefiat. *Luc. c. 4. v. 13. ſer. 3. de uno Mart. ep. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1.* Addit autem, *appropinquate Deo* (ſcilicet humiliando vos ſub *Deo*) *& appropinquabit vobis*, quaſi dicat, hoc totum reportabitis confidentes in Dei auxilio: *ſer. 3. de uno mart.* quod & clariùs in ſequentibus probat Apoſtolus.

6. Et hinc ſubdit *miſeri eſtote*, ideſt veſtram miſeriam, & indigentiam recognoſcite, *lugete, & plorate, riſus veſter in luctum convertatur*, ſcilicet riſus, & gaudium veſtrum in peccando ſumptum convertatur in luctum, & planctum, ut ſcilicet veſter planctus convertatur in gaudium æternum. *Eccleſ. c. 2.*

7. Suadet fugam detractionis, ex hoc quòd eſt contra legem Dei prohibentem offenſam proximi, & præcipientem dilectionem proximi; *nolite* ait *detrahere fratres alteruum*; & ſubdit, *unus eſt enim legis lator, & judex, qui poteſt perdere, & ſalvare*; legifer enim eſt in mundo, & judex in morte, & perdet non reddentes fructum legis ſuæ per bona opera, & liberat reddentes. *Ser. 2. ſer. 1. Pentec.*

8. Deindè invertit ſermonem ad eos, qui inordinatè hanc vitam mortalem æſtimant, dicens; *qua eſt vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur, pro eo ut dicatis; ſi Dominus voluerit, & ſi vixerimus, faciemus hoc, aut, illud:* Vapor quidem eſt, qui quidem aſcendit in altum &c. veluti fumus, magnum quiddam apparens, ſed in momento per unam febrem, vel aliud accidens tranſit & exterminatur, ut videas breviratem, inſtabilitatem, vilitatem, & miſeriam vitæ noſtræ, ut hinc deſpicientes omnia temporalia, ſolùm ad cæleſtia aſpiremus. *Serm. 1. in Invent. S. Crucis ep. Comp. Theol. lib 2. c. 10. Luc. c. 12. v. 20.* Et tandem concludit *ſcienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*; ut oſtendat, quòd maxima confuſio reſtat Chriſtianis non benè operantibus, cum omnia neceſſaria ad ſalutem ſciant, & multò magis malum facientibus. *Op. de ſeptem donis c. 6. Luc. c. 12. v. 47.*

CAP. V.

1. IN hoc ultimo capite Apoſtolus perſtringit divites crudeles in pauperes, & ſuadet pauperibus patientiam; vetat jurare, triſtes jubet orare, lætos pſallere, ægros ungi oleo, peccatores peccata ſua confiteri, & concludit commendando ſtudium orationis, & ſalutis proximorum: Primò igitur ut pauperes patientiores reddat

reddat in ſua inopia, & ut divites ad pœnitentiam pro peccato avaritiæ inducat, aſſignat pœnas,& miſerias eis obventuras,dicens. *Agite nunc divites,ploratè ululantes in miſeriis veſtris. quæ advenient vobis.* q.d. Agite, ideſt veſtras voluntates adimplete,quia ſi non egeritis pœnitentiam,plorabitis, & ululabitis præ angustia cordis veſtræ enim felicitates præſentis vitæ ſunt veræ infelicitates,calamitates. & miſeriæ, quas hic inchoatis numquam finiendas in altera vita; divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt.aurum,& argentum veſtrum æruginavit, & ærugo, eorum in teſtimonium vobis erit. & manducabit carnes veſtras,&c.Ex quibus clarè,& experientia,patet, quòd divitiarum amatores ſunt infeliciſſimi.*Ser.4.de dedicat.Luc.c.6 v.24. cap.9. v.25.c.12.v.19.c.14.v.12.c.16.v.1. & 19.ſerm.1. Dom.19.Pent.*

2. Suadet ad laborandum in hac vita pro bonis æternis, & ad ſuſtinendum omnia adverſa patienter exemplo agricolæ.*Patientes igitur eſtote,&c. ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, &c.* Sicut enim agricolæ multos. & magnos labores arandi,ſerendi,&c. ob ſpem meſſis,ita & vos ô fideles ſuſtinete fortiter,& patienter omnia adverſa, &c. ſpe cœleſtis præmii. *Luc. c.13.v.9.c.23.v.51.*

3. Ad imprimendam patientiam in animis pauperum,qui à divitibus opprimuntur, & pœnitentiam in divitibus,proponit exemplum ſanctorum. *Exemplum accipite fratres exitus mali laboris, ideſt adverſitatum,quibus ſubjecti in hac vita fuerunt ſancti,& patientia,Prophetas(ſcilicet ſanctos,) &c.ecce beatificamus illos,qui ſuſtinuerunt: ſufferentiam Iob audiſtis,& finem Domini audiſtis, quoniam miſericors Dominus, & miſerator.* Per hoc patet, quòd meditatio patientiæ ſanctorum, & glorificatio, quam reportarunt à Domino, maximam efficaciam habet ad imitationem virtutis, & patientiæ ipſorum,& maximam fiduciam in Domino nobis in hac vita degentibus inter tot tribulationes ingerit, & hoc maximè conſideratione patientiæ Chriſti.*Ser.18.Hexam.*

4. Tranſit poſteà Apoſtolus ad juramentum. & hoc quòd in ærumnis plerumque reperiuntur imprecationes,& juramenta,in quæ afflictus animus ſtatim ſolet prorumpere; igitur ut perfectior ſit patientia etiam in his ſilentium indicit:Nota autem, quod juramentum abſolutè non prohibetur; undè dixit Chriſtus *Matth.c 5.* nolite jurare omninò.& Apoſtolus;Ante omnia fratres mei nolite jurare, ideſt omnibus modis;nam non ſemper eſt licitum juramentum, & ideò extra neceſſitatem nolite jurare,& maximè poſtèa malum hoc eſt in iis. qui ob minimam quamcumque cauſam aſſueti ſunt jurare, à quo tenetur Chriſtianus cavere. *Lib.3.d.39.a.1.q.1.& 2.*

5. Apoſtolus omnibus conſulens,neminèmque deſerens,docet quidnam fideles agere debeant tũ in adverſis,tum in proſperis.*Triſtatur*, ait, *aliquis veſtrum;oret;æquo animo eſt?pſallat.*dat per hoc intelligere, quod efficaciſſimum remedium contra acidiam, mœrorem, triſtitiam. & adverſitates eſt oratio;& ad vivendum in proſperitatibus ſine Dei offenſa eſt gratiarum actio.& pſalmodia, & ratio eſt,quia ſolùm in Deo vera conſolatio reperitur, & Deus ipſe ubique & præſto eſt ipſum invocantibus,ſuaſque gratias multiplicat iis,qui Deo ipſi gratl exiſtunt *Op.de Prof.Religioſ.lib.1.c.25.& 39. & lib.2.c.6.& 69.ſer.2.& 3.Dom.2. Quadrag ſer.5. Dom.10.Pent.ſer.2.de S.Ambr.ſer.4.in Rogat.ſer.4. Dom.8.Pent.*

6. Remedium efficax poſtea affert,& exhibet pro infirmis.*Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ,& orent ſuper eum,ungentes eum oleo in nomine Domini,& oratio fidei ſalvabit infirmum,& alleviabit eum Dominus.& ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* In quibus verbis agit Apoſtolus de Sacramento Extremæ - Unctionis, quod eſt inſtitutum pro infirmis graviter,& periculosè, unde dicit,infirmatur quis in vobis; infirmatur ſcilicet ita graviter,ut probabiliter exiſtimetur citò moriturus;nam hoc verbum infirmatur in textu Græco habet,periculosè laborat,viribus; & robore deſtitutus;undè ſolum datur infirmis periculoſis quod etiam innuitur in textu vulgato;per ly infirmatur denotatur infirmitas;per ly;quis denotatur diſcretio ab infirmis exteris,notabilis, & gravis; talis inducat,vocet ad ſe Presbyteros Eccleſiæ qui adminiſtrent ſuper ipſum hoc Sacramentum oratione,& unctione ſacra.Nota autem,quod ſolùm hoc Sacramentum pro forma habet orationem,dicitur indulgeat tibi Deus, &c. & hoc eſt tum ratione ſuſcipientis, qui propter infirmitatem eſt deſtitutus, ideò oratione eſt relevandus, tùm ex parte modi curandi,qui eſt per devotionem,& elevationem animæ ad ſpiritualia, ad quam ſuper omnia valet oratio;tum ex parte morbi, quia hic fit remiſſio peccati interveniente miniſterio ſacerdotis, ad quod ipſe ſolum ſe habet per modum deprecantis.*Lib.4.d.23. a.2. per totum. op. Compen. Theol.lib.5.c.35.Luc.a.1.v.16.c.4.v.38.*

7. Deindè tangit effectus extremæ unctionis dicens,*& oratio fidei,&c.* Per quæ verba denotatur; quod ſanitas animæ per hoc Sacramentum principaliter intenditur, quæ infirma eſt per peccata venialia. quæ gravant ipſam deprimendo deorſum. ut non intendat in Deum per devotionem, & amorem,ſicque delendo peccata venialia elevatur anima per devotionem in Dei amorem,fortificatur mirabiliter contra inſultus, & tentationes diaboli, per quam vigorationem etiam juvatur corpus in ordine ad ſanitatem corporalem vel recipiendam, vel alleviandam. ſicque ad tria capita reducuntur effectus ultra collationem; vel augmentum gratiæ ſanctificantis, primus eſt delectio venialium, ſecundus excitatio animæ ad devotionem, & amorem in Deum, tertius eſt armatio, & vigoratio contra d abolum, & ad ſufferendam facilius infirmitatem corporalem, & per accidens etiam, quando eſt ſaluti animæ expediens acquiritur per ipſum ſanitas corporalis: Alii verò Patres ad ſeptem capita reducunt iſtos effectus quos omnes innuit *Seraph.Doct.* primus eſt ſanatio ſpiritualis animæ: ſecundus nitor conſcientiæ: tertius robur facultatum animæ: quartus pax, & quies in miſericordia Dei: quintus conſecratio quædam, quaſi pugilis, & athletæ Chriſti: ſextus gaudium, & lætitia: ſeptimus eſt ſanitas corporis. ſic expedit animæ ſaluti: Nota autem, quod dicitur oratio fidei, ſcilicet non ipſius mungentis, ſed Eccleſiæ. in cujus fide adminiſtrantur ſacramenta;undè requiritur expreſſio vocalis per formam. *Lib.4.d.23.a.2. per totum,aliis loc.cit. Luc. cap.18. verſ.1.*

Et ſi quæras cur inungitur infirmus in quinque ſenſibus,& non per totum corpus:Reſp.quòd cum ordinetur ad deletionem venialium, quæ contahit anima per unionem ad corpus,& ob id per potentias, per quas unitur corpori ut organico; hinc eſt, quòd medicamentum hoc exterius adhibetur ſecundùm id, quod habet ſenſibile circa organa potentiarum. Potentia autem organica regens corpus,etudiens,& nutriens eſt triplex, ſcilicet ſenſitiva,generativa,& progreſſiva, ideò inunguntur os,oculi, nares, & manus deſervientes potentiæ interpretativæ,ſeu eruditivæ,& lumbi deſervientes generativæ;pedes virtuti progreſſivæ; ſicque patet quare non in toto corpore, ſed in partibus determinatis fiat inunctio. *Lib.4. d.23.a.2.q.3.op.Brev.p.6.c.11.*

8. Deindè proponit confeſſionem dicens.*Confitemini alterutrum peccata veſtra*, & hoc ordinatè dicit,cum enim ſuprà propoſuerit extremam unctionem delentem peccata venialia,ne quis ſuſpicaretet etiam poſſe delere mortalia (niſi ea quorum conſcientiam non habemus,v.g.ſi ignoranter efficeret aliquis ſacramentum pœnitentiæ informe) hinc proponit remedium proprium pro omnibus peccatis mortalibus, & venialibus, ſcilicet pœnitentiæ, & confeſſionis. Notant autem hic SS. Doct. quod duplex confeſſio hic innuitur, alia non ſacramentalis, qua alter alteri per humilitatem fatetur ſuas culpas ſe ipſius orationibus commendando, quæ eſt valdè laudabilis, & à ſanctis commendata, ut à Patre S. Franciſco in prima Regula c.20. Alia eſt ſacramentalis,de qua idem *S.Pater.ibid.* ſicque & fieri poteſt ſolùm ſacerdotibus habentibus claves ordinis, & juriſdictionis; de qua videantur Theologi, præcipuè. *S.Bon.lib.4.d.17.p.2.q.3. & p. 3. in dubiis Lister. & queſt.ſeq.*& de conditionibus,& utilitatibus confeſſionis.*Ser.2.& S.Rogat.*

9. Poſteà excitat ad mutuam orationem dicens. *orate pro invicem ut ſalvemini*,ex hoc quòd oratio facta pro proximo ex charitate, eſt valdè efficax apud Deum,ſed tamen addit, *multum valet deprecatio juſti aſſidua*; nota ly juſti,quia exigit ad hoc, ut ſit efficax, & meritoria, ſit facta ab anima juſta, & cum perſeverantia. *Ser.2.Dom.10. Pentec. ſer.1.de uno Confeſſ.ſer.4.in dedicat.*

10. Tandem concludit Apoſtolus in exponendo maximum meritum illius, qui vel oratione, vel prædicatione, vel aliis modis converteric proximum ſuum à via mala, & à peccatis,dicens. *Sciat debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Ideſt, qui hoc fecerit ſalvabit proximum à morte æterna; operiet etiam ab aſpectu Iudicis, apud quem diſcooperientur omnia peccata in judicio; & peccata proximi, & ſua quæ non amplius diſcooperientur ad ignominiam, ex quo loco patet quàm ſublime ſit exercitium prædicationis, & aliorum miniſteriorum, quibus homo incumbit ſaluti animarum; nam iſti poſſunt appellari ſalvatores hominum: ô igitur Prædicatores laboremus in hoc ſancto miniſterio, ut poſſimus Deo offerre tributum noſtrorum laborum, ſcilicet animas ad pœnitentiam converſas, ut ſic & nobis ſalutem, & gloriam lucrari poſſimus; quod concedat nobis Deus omnipotens.

Explicit expoſitio Seraphici Doctoris in Epiſtolam S.Iacobi.

EXPO

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM PRIMAM DIVI PETRI APOSTOLI.

ARGUMENTUM.

EPISTOLA hæc fuit ſcripta à Divo Petro Apoſtolo, & Principe Eccleſiæ Romæ primario ad Chriſtianos è Iudæis ad Chriſtum converſos, qui diſperſi erant per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam & Bithiniam, in qua primò tractat de fide, ut eos in ipſa confirmet; ſecundò tranſit ad mores efformandos ad Chriſti normam, & diſciplinam: qui vult prolegomena hujus Epiſtolæ, & ſequentis adeat ſacros Expoſitores, præcipuè Gloſſam, Liranum, Cornelium, alioſque, &c.

CAPUT PRIMUM.

1. PETRUS *Apoſtolus Ieſu Chriſti; electis advenis diſperſionis Ponti, &c. ſecundùm præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem ſpiritus in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti.* Nota primò, quòd hic iſtos fideles appellat ſuos diſcipulos, electos advenas; quia vult, ut ſe recognoſcant advenas, & peregrinos in hoc mundo; dicit electos ſecundùm præſcientiam æternam Dei, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ eos conditionatè elegit, & poſt prævisionem unionis abſolutè elegit, addit in ſanctificationem ſpiritus, ut denotet electos fuiſſe tùm ad ſanctificationem activam ſpiritus ſancti, ſcilicet ut eos ſpiritus ſanctus ſanctificet ſua gratia, tum ad paſſivam, ut ſcilicet ſanctificentur in corpore, & anima per receptionem gratiæ, & charitatis; & hinc addit in obedientiam, ut ſcilicet adjuti gratia ſpiritus Sancti obediant Deo in omnibus, & commemorando in dies redemptionem factam ſuo ſanguine, ipſius fructum percipiant: de hac præſcientia divina vide. *Lib.1. d.38.dub.2.& q.1.& d.35.dub.1.*

2. Proponit Apoſtolus Chriſti fidelibus ſanguinem Chriſti, quaſi balneum quoddam pretioſiſſimum ad ſanctificationem, hoc eſt ad ſanandos animi morbos, omneſque virtutes conciliandas, & augendas efficaciſſimum, quod proindè crebrò, omnique die, & hora uſurpare debemus: *electis*, ait, *in ſanctificationem ſpiritus, in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: gratia vobis; & pax multiplicetur.* Nota, quòd poſitâ electione ad ſanctificationem, & obedientiam, ſubdit aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, & hinc dicit gratia, & pax multipliciter; Ut hinc intelligamus omnia bona noſtra provenire ex aſperſione, & applicatione ſanguinis Ieſu Chriſti; quæ applicatio primò fit per baptiſmum, aliaque ſacramenta, præſertim per Euchariſtiam; ſecundò per fidem, & orationem obſecrando ſcilicet, ut Deus nobis remittat peccata, conferat gratiam, &c. tertiò per rememorationem, & meditationem Paſſionis Chriſti, hac enim nos exhibemus gratos Chriſto, ejuſque pretioſam Redemptionem celebramus, ac per eam beneficia ſperamus, poſcimus, & impetramus; quodque potiſſimè fit in Miſſa: quartò uniendo noſtras operationes, & paſſiones, actionibus, & paſſionibus Chriſti; hoc enim Chriſto eſt perhonorificum, Patri gratiſſimum, nobiſque utiliſſimum. *Ser.3.in dedicat ſer.3.Dom.1.Adv.ſer.2.Dom.2.Epiph.ſerm.1. Dom.Paſſ. lib.1.Prol.*

3. Orditur Apoſtolus epiſtolam à benedictione, gratiarum actione, & laude Dei, qua celebrat ingens beneficium redemptionis Chriſti, noſtræque vocationis ad gratiam, & gloriam æternam. *Benedictus Deus; & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundùm ſuam magnam miſericordiam regeneravit nos in ſpem vivam, &c. in hereditatem, &c.* Ut intelligamus corda, & ora ſanctorum eſſe veluti altare thymiamatis, quod jugiter thymiama divinæ laudis exhalat, & quaſi apiarium, imò favos perenniter mella ſtillantes; ut hinc diſcamus quale exercitium debeat eſſe in nobis, & qualis obligatio inſumendi tempus debitum in gratia-

rum actione, & laudibus divinis *Op. de Prof. Religioſ.lib.2.c.62.op.Phar.lib.2. c.3. ſerm.3. de una Virgine ſer.1.de S.Agatha.* Nota etiam,quòd præcipuè ſuperexaltat Dei miſericordiam magnam, ideſt maximam,& immenſam; verè magnam, & immenſam; tum quia à magno Deo emanat, tum quia per magnum Chriſtum datur, quam nobis donavit,tum quia magnam levat miſeriam in nobis, tum quia magna nobis dona dat, ô quot, ô quot beneficia!&c. tum quia magna eſt loco, & tempore, ubique & ad omnia, & ad omnes ſe extendens,tum quia magno nos beat Cœlo,& Deo. *Op.Comp.Theol.lib.1.c.34.*

4. Proponit regenerationis noſtræ per Chriſtum factæ magnalia, dicens: *Regeneravit nos in ſpem vivam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis,in hæreditatem,&c.* Nota,ly,regeneravit, ſcilicet poſtquam genuerat Deus primos parentes, creavitque in gratia, & deindè cum fuerint lapſi in mortem, revocati ſumus per Chriſtum ad primævam gratiam, quam antè lapſum habuimus in Adam; ideò reſuſcitati ſumus primò in ſpem vivam; dicitur autem ſpes Chriſtianorum, ſpes viva, quia habet pro objecto vitam æternam, & ſemper eſt vegeta & vivens,& vitalis excitans ad operationes heroicas, & vivas, per quas adipiſcimur vitam æternam, & quia hæc fundatur in Reſurrectione Ieſu Chriſti, per quam mortem in ſe,& nobis devicit, & hoc ad differentiam ſpei mundanæ,quæ eſt fallax, & veluti mortua,& defectui ſubjecta:de qua vide *Op.Diet.tit.5. c.4. op. Comp.Theol.lib.5.c.22.lib.3.d.26.per totum.*

5. Regenerationis qualitatem, & objectum deſignat,addens:*in hæreditatem*, quia enim parentes filios generant, ut eos habeant hæredes,ſic Deus nos regeneravit in baptiſmo, ſuoſque filios effecit ut hæreditatis ſuæ faceret participes; & qualis hæreditatis? *in hæreditatem incorruptibilem*, ſcilicet natura, & ſubſtantia non corruptibilem, ut erat illa promiſſa Iudæis; *incontaminatam* ſcilicet puram ab omni fœditate, ſorde vitio, & culpa, contra illam, quam promittit Mahometes ſuis; *immarceſcibilem*, ſcilicet non ſubjectam defectioni, ſed Angelicam, puram, & divinam, & in æternum duraturam; addit *conſervatam in Cœlis in vobis*, ſcilicet pro vobis; ideſt abſconditam, & paratam vobis in Deo: Hîc nota explicari hanc hæreditatem per quatuor prædicamenta, ſubſtantiam,qualitatem, quando,& ubi:ſubſtantia incorruptibilem;qualitate incontaminatam; tempore immarceſſibilem;& loco cœleſtem; ut hinc excitentur fideles ad theſaurizandum non in terra,ſed in Cœlo, ut ad talem hæreditatem pervenire poſſint.*Luc.c.12.v.21.ſer.18 Hexam.op.de dono piet.c.3.& de dono fortitud.c.3.*

6. Nota etiam, quòd dicit hanc hæreditatem conſervatam eſſe in Cœlis in nobis: quomodo ſi abſcondita ſervatur in Cœlis, ſimul poteſt dici eſſe in nobis: quomodo ſimul in locis tam diſſitis,& diſtantibus? ſed ſoluitur hoc dubium per doctrinam *à Seraph. Doctore* traditam in quæſtione, an gratia ſanctificans, & gloria eſſentialiter differant? gratia,& gloria nominant divinam influentiam, per quam anima habet Deum,& Deus habitat in anima; & quia in hac vita homo habet Deum per gratiam in ratione tendentis in Deum; in gloria habet in ratione quieſcentis; ideò primum eſt meriti, ſecundum eſt præmii, ad quam poſſeſſionem ſequitur, etiam habitatio duplex Dei in anima grata; prima, qua Deus deſcendit in animam ipſam ſibi acceptando, & confœderando; ſecunda, qua ipſam exaltat, ei excellentiſſimè participando quæ Dei ſunt, ſcilicet claram cognitionem, & amorem perfectiſſimum; primum importat gratia, ſecundum gloria; cum igitur ſecundùm eſſentiam idem ſint gratia, & gloria, licet ſecundum ſtatum ſint diverſæ;hinc meritò dicitur hæc hæreditas conſervari in Cœlis, & ſimul in juſtis, per quod patefit excellentia, & ſublimitas juſtorum etiam in hac vita. *Lib.2.d.27.a.1. q.3.* Et hinc ſubdit. *In vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem, paratam revelari in tempore noviſſimo; in quo exultabitis.* Quaſi dicat; & licet talis felicitas in præſenti ſit obſcura per fidem, tamen in Cœlo revelabitur,& manifeſtabitur poſtèà apertè, & maximè in die judicii. *Luc.c.17.v.30.*

7. Hinc præjacto tanto fundamento tranſit Apoſtolus ad excitandum nos ad ſufferendum lætantet paſſiones hujus vitæ,dicens. *Modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus,ut probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro,quod per ignem probatur,inveniatur in laudem & honorem,in revelationem Ieſu Chriſti,&c.* Nota,ly,*modicum*; modicum enim appellat tribulationes quaſcumque hujus vitæ, & meritò tum in ordine ad immenſam gloriam, & coronam, quam eis in Cœlo adornat Chriſtus;tùm in ordine ad æternitatem gloriæ, ideò breves, & veluti momentaneæ; tum in ordine ad peccata noſtra; & cum ſint modicæ, tamen per has Deus intendit probare nos ſicut aurum in igne, ut in Cœlo coronare nos poſſit corona cœleſtis gloriæ. *Ser. 4. de plur. Mart. Ioan. coll.73. ſer.1.de S.Ioan.Bapt. in addit.*

8. Ut autem magis, magiſque excitet ad tolerantiam paſſionum hujus vitæ pro Chriſto,extollit mirabiliter fidem in Chriſtum, dicens: *quem cum non videritis* (ſcilicet Chriſtum) *diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis,credentes autem exultatis lætitia inenarrabili,& glorificata, reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum*; per quæ dat intelligere, quòd fides fert animam in Chriſtum per cognitionem, & inde per amorem,& hinc redundat per ſpem in Chriſtum lætitia inenatrabilis,& participatio aliqualis illius beatitudinis, quam in altera vita ſperamus. *Ser.2.de Angelis.lib.3.d.24.a.2.q.3.& d.26. dub.3. op.Diet.tit.5.c.3.& tit.8.c.5.*

9. Proponit poſteà ad confirmationem dictorum paſſiones à Chriſto toleratas,& præviſas, & prænuntiatas à ſanctis Prophetis,& gloriam,ad quam propter eas ſublimatus eſt,& talis prænuntiatio, & oſtenſio facta, eſt in Eccleſia ad ſalutem noſtram, ſcilicet ut ad ipſius imitationem incederemus in hac vita, excitando nos ad deſiderium perveniendi ad participationem ejuſdem gloriæ. & ad viſionem claram Chriſti Jeſu,*in quem* (ait) *deſiderant Angeli proſpicere*,quia mirè delectantur de viſione humanitatis Chriſti, ejuſque plagarum,ac gloriæ corporis ejus, & animæ; ſic enim proſpicientes deſiderando ſatiantur, & ſatiando deſiderant,deſiderant ſine labore, quia tale deſiderium ſatietas comitatur, & ſatiantur ſine faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur. *Pſal.28. & 118. cap.4.verſ.8.& cap.9.verſ.1. opuſc. Brevil. p.5.cap.6. op.medit. c.7. op. Solil.c.1. opuſc.octo collat.1. op.Myſt.Theol. cap.3.p.3. lib.3. d.18.dub.5.*

10. Poſt

10. Poſt partem dogmaticam ſuperius tradiram tranſit Apoſtolus ad Ethicam, & ad mores, quaſi inferens concluſionem moralem ex antecedentibus; *cum enim hæreditas in Cœlo ſit vobis parata* (ait Apoſtolus) *hinc juſtum eſt, ut ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii perfectè ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam*, &c. & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis, propter quod nihil reſtat, niſi ut terrenis cogitationibus calcatis, quaſi ſuccincti lumbos mentis totis animi affectibus, quaſi plenis paſſibus tendatis ad Cœlum ſectentur avari opes, ſuperbi honores, guloſi quaſi ſues voluptates; vos verò cives Cœli à Deo ſcripti, & deſtinati longè ardentiori ſtudio quærite, & accincti, & expediti contendite ad regnum æternum. *Luc. c. 1. v. 75. c. 12. v. 36. c. 16. v. 15. c. 17. v. 18. ſer. 5. de una Virgine.*

11. Hinc ad amplexandam novam, & ſanctam vitam ſtimulum apponit Apoſtolus fidelibus efficaciſſimum, dicens: *ſcientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paterna traditionis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti, & inconaminati*, &c. ſtimulus autem propoſitus eſt, quia nos qui eramus ſub peccato, & diabolo venundati, modo redempti ſanguine Chriſti agni immaculati facti ſumus ſervi, & mancipia ipſius, & quidquid habemus, & poſſumus totum eſt ipſius; ut hinc diſcamus, quod ſi Chriſtus ſe totum nobis dedit, & nos totos dare ipſi debemus; hinc etiam patet quàm preciosa ſit anima noſtra, & qualiter reſpondere debeat Chriſto, cui ob tot titulos eſt tota obſtricta *Ser. 1. Dom. 1. Adv. ſer. 5. Nativ. ſerm. 1. & 2. Cœna: ſer. 2. Paſchæ: ſerm. 3. Dom. 1. Paſchæ: op. medit. c. 73. lib. 3. d. 31. a. 1. qu. 2. ad 2. ſer. 6. Paraſc. Luc. c. 1. v. 16. c. 17. v. 10. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. op. Expoſ. Regulæ c. 1. Luc. c. 8. v. 5. Ioan. collat. 8.*

CAP. II.

1. PRoſequitur Apoſtolus ſuum ſermonem moralem, quo ſuadere nititur fideles ex eo, quod ſpecioſo ſanguine agni immaculati ſunt redempti, & in baptiſmo renati, cum per ipſum depoſuerint omnem culpam, ut etiam deponant veterem converſationem propriam Gentiliſmi, *deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & omnes detractiones*; ſcilicet omnem malitiam interiorem, & exteriorem è corde, è ſenſibus, è lingua: deponentes (*ait Seraph. Doct.*) ad modum aquilæ decuſſemis ad petram curvitatem roſtri, qua impediebatur ſumere cibum, tunc juveneſcentis; ſic ad petram pœnitentiæ deponite curvitatem roſtri, ideſt detractiones, perjuria, mendacia, & alia peccata oris, & operis; ſubdit 2 *Sicut modò geniti infantes, rationabile* (Græcus habet rationabiles) *ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem*: exigit igitur, ut renati in Chriſto depoſita omni malitia imitentur infantium innocentiam, puritatem, humilitatem, obedientiam, docilitatem, facilitatem, ſimplicitatem, & ſinceritatem; quia ſic cum fructu lac ſumere poſſunt, ſcilicet & doctrinam Chriſti, & ſacram Euchariſtiam. *Ser. 1. in Aſcenſ. Pſal. 118. c. 3. v. 8. c. 11. v. 14. ſup. c. 5. op. de ſeptem itiner. ætern. itin. 2. d. 2 ſer. 1. S. Magdal.*

2. Tranſit ad aliam metaphoram, qua excitat fideles ad ſanctam converſationem, dicens, quod Chriſtus lapis eſt angularis duos populos Gentilem, & Judaicum ſimul uniens, & duas Eccleſias militantem, & triumphantem; poſitus eſt ergo in caput anguli, ut fiat conſummatio domus ſuæ; ut ſic quilibet fidelis ſe aptet ad hoc ædificium tamquam lapidem vivum, quamdiu tempus eſt ædificandi. nam peracto ædificio, non erit tempus amplius intrandi in ipſum. *Ser. 2. de S. Petro ad vincula in addit. ſer. 9. Hexam. Luc. c. 19. v. 7. c. 20. v. 17. & 18. c. 22. v. 19.*

3. Et hinc converſus ad Chriſtianiſſimum, & ad omnes Chriſtianos explicat ſummam ipſorum felicitatem, & eminentiam dicens; *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis; ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum, qui aliquando non populus*, &c. Vos ait loquens ad totam congregationem Eccleſiæ, & ad ſingulos fideles eſtis genus electum per prædeſtinationem, ſcilicet quos Deus ſibi elegit in ſuum populum, & Eccleſiam, & vos viciſſim Deum elegiſtis, electioni, & vocationi ejus conſentiendo, & cooperando: regale ſacerdotium: legit Syrus vos eſtis ſacerdotium ad regnum: Hebr. regnum ſacerdotum. Nota, quod *in Exodo c. 29.* dicitur regnum ſacerdotale; hic invertitur ordo ſacerdotium regale, & hoc quia antiquitùs nobilius erat regnum, & ipſi adiacens erat ſacerdotium; nunc in lege Evangelica ſacerdotium eſt principalius, regno vero quid adiacens, & ſubjectum ſacerdotio: hinc Eccleſiæ Chriſtianorum dicitur ſacerdotium regale, ſcilicet non temporale, non laicum, & prophanum, ſed cæleſte, regale, magnificum, & divinum; & hoc tum quia Chriſtus fuit ſummus Pontifex, & Rex, tum quia ejus victima eſt regalis, ſcilicet non boum, & animalium, ſed Chriſti Jeſu oblati in cruce; undè quilibet fidelis in baptiſmo inungitur in ſacerdotem, & regem, quia ſeipſum offert, & ſuas potentias, & ſenſus regendo ſub dictamine gratiæ: addit gens ſancta nempè per virtutum perfectionem, in hoc enim incumbere debet Religio Chriſtiana: item populus acquiſitionis, ſcilicet acquiſitus, & redemptus, & emptus à Chriſto ſibi per ſuum Sanguinem, ut virtutes annuncietis ejus, qui vos vocavit, &c. & per exemplorum ædificationem, ſancta enim vita ex implaris exprimit qualis ſit ſublimitas Chriſtianiſſimi. Nota autem, quod iſta aptiſſimè conveniunt ſacerdotibus ratione ſui altiſſimi ſtatus, & dignitatis, quia ſunt genus electum, & ſejunctum à populo, & collocatum in ſublimiori ſtatu ſuper alios: regale ſacerdotium per ſubditorum protectionem, gens ſancta per virtutum perfectionem; populus acquiſitionis per diligentiam paſtoralem. *Op. Diæt. tit. 10. c. 6. lib. 4. d. 24. p. 1. dub. 3. & d. 13. a. 1. qu. 2. adult. ſer. 7. Hexam ſer. 1. Dom. 14 Pent.*

4. Ut autem magis excitet fideles ad virtutum exercitium, & ad laborandum in via Dei, eos obſecrat, appellans advenas, & peregrinos, ut abſtineant à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam; rectèque nos dicit peregrinos, quia advena alibi natus, & alibi edu-

catus

catus, peregrinus, qui extra patriam incedens, ad patriam recedens; & per hoc primò oſtendit gratiam à Deo nobis factam, qui nati in regione diaboli, ſub captivitate peccati, per fidem tranſlati ſumus in regnum fidei, & Eccleſiæ, ſecundò docet nos eſſe peregrinos tendentes continuè ad mortem, ut in patriam intremus: tertiò nos debere non inhærere inescatos mundanis deliciis, ſed domando carnem militare contra diabolum, mundum & carnem, & ſic propetare ad patriam. *Op. de tribus quæſt. op. Dict. append. ad Dom. 3. poſt Paſcha. Luc. c. 17. verſ. 18. c. 24. v. 18.*

5. Ut magis ſemper inculcet obligationem, quam ſecum affert profeſſio Chriſtianiſmi non ſolùm in ordine ad propriam conſcientiam, ſed etiam in ordine ad converſationem cum aliis, ſubdit: converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent Deum in die viſitationis; ideſt ut ad exemplaritatem veſtram correcti, & converſi glorificent Deum in die judicii; vel quando vos viſitant, perſequuntur, proceſſus formant veſtri inimici, & fidei, glorificent Deum vos innocentes inveniendo: Hic autem Apoſtolus oſtendit quàm cauti debeant eſſe Chriſtiani in ſua converſatione cum aliis, & præcipuè cum Infidelibus, ne ipſis ob ſuas iniquitates in cauſa ſint, quòd magis ſe confirment in propria infidelitate, & in contemptu noſtræ ſanctæ fidei; & hoc facient, ſi erunt nulli detrahentes, neminem ore lædentes, opere nullum offendentes, & virtutes Chriſtianas practicantes. ô quam verùm quod Judæi ad noſtram fidem converterentur, ſi inſpicerent mores in Chriſtianis diverſos ab iis, qui ut plurimum oſtenduntur in converſatione. *Ser. 1. de S. Anton.*

6. Ex hac bona, & virtuoſa converſatione, quam præcipit Chriſtianis Apoſtolus, infert duo; alterum eſt, quòd Deus in mundo ordinavit Reges, Principes, Præſides, Prælatos ut populos regerent, ad vindictam, ſcilicet ad puniendos malefactores, & bonos fovendos; & hinc alterum præcipit, ut omnes ſint ſubjecti omni humanæ creaturæ; Nota quòd pro humana creatura ex textu Græco intelligit Principes, & Prælatos, quaſi creatos, & electos ab hominibus, & deſtinatos à Deo ad regimen ſubditorum; in hoc enim, præcellit Religio Chriſtiana. ſcilicet in hoc, quod ſemper fuit ſubjecta, & obediens Principibus in iis, quæ reſpiciunt politicam temporalem, & quæ non ſunt contra fidem, & Deum; quod & proportionaliter dicendum eſt de ſervis in ordine ad Dominos. *Lib. 2. d. 44. a. 2. qu. 1. ſer. 5. de una Virgine ſer. 1. Dom. 1. Quadr. op. Eccleſ. Hier. p. 2. c. 3. Luc. c. 2. v. 5. & 51.*

7. Apoſtolus procedit ulterius aſſignans apicem perfectionis Chriſtianiſmi dicens: *Si propter Dei conſcientiam*, ſcilicet ſecundum Deum, *ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſtè: hæc eſt gratia apud Deum; in hoc enim vocati eſtis*; quaſi dicat, hæc eſt perfecta vocatio Chriſtianorum, ſcilicet ad crucem, ad tormenta, ad perſecutiones patienter, pro Chriſto toleratas; verus Chriſtianus debet eſſe veluti ſignum poſitum in ſcopum ſagittariorum, in quem omnes maledicentiæ, & maleficentiæ tela colliment, & jaculentur: Audiat hæc quilibet fidelis, & examinet ſeipſum, & videat an patiatur ſolùm nomine, an etiam veritate Chriſtianitatis. *Ser. de S. Agatha ſer. 5. de una Virgine.*

8. Ne autem aliquis miretur audiens Chriſtianos vocatos ad crucem ante oculos noſtros Apoſtolus exhibet exemplar, & librum, in quo legendo poſſumus hanc veritatem clariſſimè percipere: *Chriſtus*, ait, *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus; qui peccatum non fecit &c.* Per quæ oſtendit Chriſtum expoſitum eſſe in pulpito crucis veluti librum, ut in ipſo addiſcant ejus diſcipuli humilitatem, obedientiam, patientiam, charitatem &c. oſtendit & ipſum ducem noſtrum, ut nos ſui milites ipſum ſequamur imitando: Chriſtus enim tribus de cauſis venit in mundum: primò ut ſua morte nos redimeret; ſecundò ut ſua prædicatione doceret; tertiò ut ſua vita ſanctæ vitæ darer exemplum, & exemplar perfectiſſimum; ſed nota ordinem verborum Apoſtoli; Chriſtus paſſus eſt pro nobis; ecce plenum pretium redemptionis ſolutum à Chriſto pro nobis: vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus: ecce aliud, quod à nobis exigit Chriſtus, nempè vult Chriſtus ut ſecum & nos patiamur; & hoc eſt, tum quia vult Deus nos Chriſtum à ſe nobis datum, noſtrum ducem ſequi; tum quia non decet ſub capite ſpinis coronato membra eſſe delicata, ſed vult ea ſibi configurata; tum quia ipſe ſanxit, ut Paſſionis Chriſti pretium per paſſiones noſtras nobis applicemus, non enim otioſis, & deſidibus, ſed laborioſis, & ſtudioſis hoc offert: de hoc exemplari, de obligatione noſtræ imitationis vide *Lib. 3. d. 11. qu 2. & d. 19. qu. 1. op. Dict. append. ad Dom. 2. Paſcha op. expoſ. Miſſæ c. 1. & 4. op. de Paup. Chriſti c. 1. op. Comp. Theol. lib. 4. c. 20. op. de perfect. vitæ c. 6 ſer. 4. Dom. 4. Pentec. ſer. 2. de plur. mart. ſer. 5. Paraſc. ſer. 4. vigil. Nativ. Luc. c. 19. v. 18. c. 24 v. 26. c. 23. v. 39. ſer 3. de S. Andr. ſer. 1. exalt. ſer. 2. de S. Franc. Joan. collat. 61.*

9. Ex quibus rectè infertur, quòd cum Chriſtus poſitus in cruce, & expoſitus paſſionibus ſit fidelium exemplar, & veluti liber legendus à nobis; hinc ad meditationem ejus Paſſionis invitatur quælibet anima, & ad imprimendam in mente talem imaginem crucifixi, ut ſemper in ore, in opere, in corde, & mente nobiſcum ipſum portemus; de quibus agit *S. Bon. locis proximè citat.*

10. Et ut magis hæc imprimat ſubdit: *Erratis enim oves errantes*, ſcilicet expoſitas rabidæ crudelitati luporum, *ſed converſi eſtis ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum*; in quibus verbis proponit primò gratiam maximam noſtræ vocationis factæ per Chriſtum ad ſequelam fidei: ſecundò quòd Chriſtus eſt verus Paſtor, & Epiſcopus animarum noſtrarum; Paſtor verus, quia verè paſcit, fovet, nutrit, & protegit ſuas oves; Epiſcopus ſuperintendendo, & cuſtodiendo eas: Hæc attendant Paſtores, & Epiſcopi &c. *Joan. collat. 49. ſer. 1. Dom. 18. Pentec.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

1. APoſtolus in hoc capite primò monet uxores, ut ſint ſubjectæ, & obedientes viris ſuis.

2. Secundò quòd & earum ſtudioſitas non ſit in compoſitione, & ornatu capillorum, ut ſolent vanæ fœminæ, ſed in ornatu virtutum interiori. *Op. ſpec. diſcipl. p. 1. c. 25. Luc. c. 7. verſ. 25. & 38. ſer. 2. de Apoſtol. in addit.*

3. Tertiò monet viros, ut cohabitent cum uxore cum dilectione, eique tamquam infirmiori vaſculo compatiendo, impertientes honorem: ex quibus datur inſtructio, quòd mulieres tum ſexu, & complexione, tùm animo, & judicio, tum arte, induſtria, & ſapientiâ ad res gerendas non ſunt vocatæ; undè viri eſt externa mulieris domeſtica curare; & hinc eſt, quòd cum infirmitas hæc muliebris faciat eam pronam, ut facilè æſtimet ſe deſpici, & contemni, jubet Apoſtolus ei occurrere, eamque ſublevare per honorem collatum à viro, mitem & placabilem ſe exhibendo, ut ſic pacificè vivant quaſi una caro, & unùl cohæredes cæleſtis gloriæ fiant. *Luc. c. 13. v. 16. Ioan. c. 11. v. 20. lib. 2 d. 20. a. 1. qu. 3. ad 1.*

4. Iterum ſuadet virtutem fraternitatis inter ipſos; miſericordiam, modeſtiam, humilitatem; ut non reddant malum pro malo, ſed è contrario bonum pro malo exemplo Chriſti, quia ad iſtas virtutes exteriores, & interiores extenditur vocatio Chriſtianorum, & qui eas non exercet, non meretur nomen Chriſtiani. *Serm. 1. de Apoſtol. in addit. ſer. 4. Dom. Trinit. Luc. c. 4. v. 35. c. 21. v. 18.*

5. Tranſit poſtea Apoſtolus à virtutibus ſuprà expreſſis ad complementum omnium dicens; *ſi quid patimini propter juſtitiam beati:* In quibus verbis primo loco collocat virtutem, laborem, & pœnam ſuſtinentem, ibi ſi quid patimini; ſecundo loco juſtitiam pœnam decorantem, ibi propter juſtitiam: tertiò fructum, & præmium labori, & pœnæ reſpondens, ibi beati: Beati inquam non ſolùm pro vitâ futurâ, ſed & pro præſente, beati beatitudine tùm rei, tum ſpei: Rei quia poſſident bonum patientiæ, quod opus perfectum habet, ideoque beat, & beatum facit, beatitudo enim hujus vitæ conſiſtit in patientiâ, & charitate: ſpei, quia certò ſperant regnum Cœlorum patientibus promiſſum; ſubdit *Apoſtolus, timorem autem eorum, ſcilicet perſecutorum, ne timueritis*, ideſt per metonymiam ne timueritis objectum timoris, ſcilicet minas, cruces &c. veluti beati, uti mirabiliter in hoc excelluerunt Sancti Martyres. *Op. Diet. append. ad Dom. 1. poſt Pentec ſer. 4. Dom. Trinit. ſer. 2. de plur. mart. in addit.*

6. Docet fideles paratos eſſe debere rationem reddere de myſteriis fidei: Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe: legit Syrus, de ſpe fidei: ſed quomodo hoc poteſt practicari ab omnibus Chriſtianis? tenenturne eſſe omnes Theologi, ut rationem reddere poſſint de myſteriis fidei? minimè hoc exigit, Petrus; ſed ſecundum proportionem reſpondent Sancti Patres, & Expoſitores; Prælati, & Doctores tenentur fundamentaliter ſcire ea, quæ requiruntur ad perfectam explicationem myſteriorum fidei; cæteri verò idiotæ tenentur reddere hanc rationem de ſua ipſorum fide, quod ſic credit Sancta Romana Eccleſia, jubetque ſanctiſſimè id credere. *Op. Centil. p. 1. ſect. 7. ſer. 4. de decem prac. op. determinat. in præfat. Luc. c. 1. v. 21.*

7. Nota autem quæ ſubdit Apoſtolus: *ſed cum modeſtia, & timore conſcientiam habentes bonam; ut in eo, quòd detrahunt vobis confundantur: melius eſt enim ut benefacientes (ſi voluntas Dei velit) pati, quàm malefacientes:* Aurea verè verba Sancti Apoſtoli; vult enim ut rationem reddamus de eo, quod credimus, ſed modeſtè, ac reverenter, & humiliter, ut magis confundantur hoſtes fidei ex bona, & ſancta converſatione, & bonis exemplis, quàm ex verbis, & maximè detractoriis, injurioſis, & ſuperbis; ſic enim fit perfectè voluntas Dei. S. *Bon. loc. cit. & ſer. 3. Dom. 8. Pentec.* Ultimò probat Apoſtolus fideles licet innocentes debere pati exemplo Chriſti, qui innocens, & juſtus paſſus eſt pro peccatoribus totius mundi, & reſurgendo ad vitam, & gloriam duxit exiſtentes in limbo nobiſque vitam promeruit, & vivificavit nos mortuos? dum ad ejus exemplum per viam vitæ direxit, eaſque nobis notificavit, dum nobis fidem, ſpem, charitatem, & dona gratiarum diſtribuit, & mandata adjunxit, in quibus ipſe Chriſtus ambulavit, & in quibus conſiſtit via vitæ; per quam Chriſtus nos docuit ambulare: Deindè ad ſupradicta ſuadet exemplo paucorum, qui tempore diluvii ſalvi facti ſunt, à quo octo animæ ſolùm liberatæ fuerunt: in quo tamen advertendum, quòd etiam plurimi ſalvi facti ſunt de iis, qui ſubmerſi ſunt, ſic Sacri Expoſitores; ſed tantùm in medium ponuntur iſti de familia Noë, quia ſoli ipſi à principio crediderunt; licet poſtea alii videntes principium diluvii, credibile eſt, quòd multi pœnitentiam egiſſent: eſt tamen opinio etiam multorum, qui dicunt ſolos iſtos juſtos repertos fuiſſe de familia Noë &c. *Vide lib. 3. Prol. op. Expoſ. Miſſæ cap. 2. op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 5. ſer. 15. Hexam. ſer. 16. ibid. Luc. c. 3. v. 22. c. 7. v. 30. lib. 4. d. 4. p. 2. a. 1. qu. 3.*

CAP. IV.

1. IN hoc capite Apoſtolus ex hoc, quod ſuprà dixit Chriſtum paſſum, & mortuum eſſe pro nobis, infert primò omnes Chriſtianos teneri ad ipſius imitationem: *Chriſto igitur paſſo* (ait) *in carne, & vos eadem cogitatione;* Græcus legit eadem converſatione; ideſt juxtà eamdem cogitationem, & modum armamini; quia qui paſſus eſt in carne, ideſt Chriſtianus ſe Chriſto crucifixo conformans, deſiit à peccatis, ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt, in carne vivat temporis: In quibus verbis, ut dictum eſt, docet verum Chriſtianum debere imitari Chriſtum crucifixum crucifigendo ſe mundo, & deſideriis carnalibus: Secundò ſuadet meditationem Paſſionis Chriſti, docetque ipſam eſſe armaturam potentiſſimam

contra hoſtes, & conſequenter ſignum crucis frequenter adhibete veluti aliâ armaturâ potentiſſimam: tertiò docet fructus, qui inde proveniunt, nempè liberationem à peccatis, depreſſionem vitiorum, & hoſtium, & indè Dei gratiam, & Chriſti aſſiſtentiam. *Op. Diet. tit. 7. c. 7. op. reg. Novit. c. 10. op. Myſt. Theol. c. 3. p. 3. Luc c. 16. verſ. 2. c. 22. v. 37. ſer. 8. Nat. ſer. 2. Dom. 2. Pentec. ſer. 2. de SS. Phil. & Iac. ſer 2. de plur. Mart.*

2. Exhortatur ad charitatem amplexandam tamquàm virtutem potiſſimam, quæ demonſtratur, & elucet in Chriſti Paſſione. ex eo quod charitas operit multitudinem peccatorum. operit inquam peccata propria impetrando veniam, & aliena etiâ per remiſſionẽ injuriarum; de qua in Epiſtola S. Jac. actum eſt. *Vide tamen lib. 4 d. 22. a. 1. qu. 1. op. medit. c. 18. op. Confeſſ. c. 3. p. 52. op. de ſeptem itin. æternit. in 4. d. 4. q. 3. Luc. c. 5. v. 20. cap. 7. verſ. 47. cap. 19. verſ. 3. Ioan. collat. 59. ſerm. 3. Dom. 21. Pentec.*

3. Ut autem quilibet fidelis intelligat obligationem, quam habet, exercendi charitatem in proximum, ſubdit: *Hoſpitales invicem ſine murmuratione, unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrũ illã adminiſtrantes ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* In quibus duo potiſſima Apoſtolus intendit; primùm quod talenta varia etiam naturalia, quæ dedit Deus variis hominibus dicuntur dona & naturalia, quia ex natura, & varietate complexionis procedunt, & dicuntur etiam gratuita, quia ſunt gratiæ gratis datæ à Deo, licet intra ordinem naturæ: ſecundum eſt, quod unuſquiſque ex lege charitatis teneatur ipſis uti ad beneficium, & utilitatem proximi, ſivè ſint bona fortunæ, ſivè naturæ, ſivè gratiæ; ſunt enim nobis data tamquam diſpenſatoribus Domini Dei: Hæc autem dona poſtea ad duo capita principalia, & capitalia reducit dicens: *Si quis loquitur quaſi ſermones Dei, ſi quis miniſtrat tamquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus, &c.* primum eſt locutio, ſcilicet prædicatio, & doctrina: ſecundum eſt miniſterium, uti eſt diſtribuere eleemoſynas, ſervire ægris, recipere hoſpites, & omnia ordinata ad honorificentiam Dei, ejuſque complendam voluntatem. *Lib. 2. d. 34. dub. 6. ſer. 2. Hexam. ſer. 2. de S. Marco: ſer. 5. de una Virgine: op. Diet. append. ad Dom. infrà oct. Aſcenſ. op. ſpec. diſcipl. p. 1. cap. 31. Luc. c. 9. v. 11. cap. 10. verſ. 9. c. 12. v. 43. cap. 14. verſ. 12. cap. 21. verſ. 3. c. 24. v. 14. Ioan. collat. 64.*

4. Et quia iſta exercitia charitatis habent comites labores, pœnas, perſecutiones, injurias, impenſas, ne Chriſtianus ob iſta adverſa impediatur, ſubdit: *Chariſſimi nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat, ſed communicantes Chriſti paſſionibus, gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes:* Nota autem, quod priora verba hujus textus extorquentur ab hæreticis contrà ſanctam peregrinationem piorum ad loca ſacra, ad limina Apoſtolorum, ad Jeroſolymam, ædem lauretanam, quaſi ſanctus Petrus hæc prohibeat ſed eſt ſenſus extortus, & inſulſus; germanus enim eſt ex Græco, & talis: Nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit; nolite æſtimare rem peregrinam, quod vobis, ut Dei ſervis, multa adverſa in Dei ſervitio contingant, & ingruant in fervore, Græcè, in uſtione, & probatione quæ vobis à Deo exhibetur, ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete; q. d. ſic enim patiendo patienter paſſioni Chriſti communicabimini, quaſi Chriſti, & veſtra paſſio in unum coniantur. & ob id gaudete, quia ſi ſocii eritis Paſſionum Chriſti, eritis & conſolationum. *Ser. 3. Dom. 2. poſt oct. Paſchæ.*

5. Subdit ad magis ſuadendam tolerantiam. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit.* Dat intelligere pretioſitatem crucis, pœnarum, & adverſitatum pro Chriſto toleratarum; iſta enim afferunt beatitudinis participationem, & benedictionem divinam quia in eo, qui patitur, requieſcit Dei honor, gloria, virtus, & Spiritus ſanctus; ô felices, qui cum Chriſto patienter portant crucem, &c. *Ser. 4. Dom. Trinit. Luc. c. 6 v. 22.*

6. Et hinc aſſignat diſcrimen inter martyres Chriſti, & diaboli. *Nemo veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Ecce ſtatus patientium pro vitio, pro peccato, pro diabolo; ſi autem ut Chriſtianus. non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine: Ecce ſtatus veri Chriſtiani, qui eſt pati pro Chriſto, portare crucem poſt Chriſtum, eſſe martyrem Chriſti; hoc enim glorioſiſſimum eſt Chriſtiano nomini, hic eſt apex ſummæ nobilitatis noſtræ. *Ioan. c. 13. v. 37. ſerm. 2. in feſto omn. ſanct. op Phar. lib. 4. c. 49.*

7. Poſtea aſſignat rationem cur juſti tam dirè tribulantur à Deo: *quoniam tempus eſt, ut judicium incipiat à domo Dei; ſi autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Et ſi juſtus vix ſalvabitur, impius, & peccator ubi parebunt?* Nota autem, quod hic exponit in medium judicium Dei, per quod ad duo alluſio fit; primò ad judicium, quo tractat Deus ſuos dilectos, eos ſubjiciendo pœnis, & afflictionibus, & hoc ut ipſi apud Deum merentes ſe opponant veluti murum coram Deo pro impiis: ſecundò ad judicium univerſale, in quo examen primò fiet ſuper domum ſuam, quàm ſuper alienam; & hinc infert ſi Deus exactè examinabit ſuos juſtos, quid eſt, quod faciet cum impiis. *Pſal. 34. op. lignum vitæ: Luc. c. 13. v. 30. c. 18. v. 14. c. 21. v. 13. c. 23. v. 31.*

CAP. V.

1. IN hoc capite Apoſtolus primò tranſit ad Paſtores Eccleſiæ eiſque commendat gregem Chriſti. *ſeniores ergo (ait) qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior, & teſtis Chriſti Paſſionum, &c. paſcite qui in vobis eſt gregem Dei. &c. ſed forma facti gregis, &c.* Ecce quale munus Paſtorum, ſcilicet paſcere gregem verbo, & doctrina Chriſti; & exemplo, ut ſint forma informans ſuos ſubditos in vita Chriſtiana, & hoc eſt ut adſpicientes ſubditi ad vitam Paſtoris diſcant quid agendum. *Op. Apol. Paup. Reſp. 4. c. 3. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1 ſer. 3. de ano Mart. ſer. 2. de SS. Petro, & Paulo in addit. Luc. c. 9. v. 13. c. 10. v. 35. cap. 12 verſ. 43.*

verſ. 43. *cap.* 19. *v.* 13. *cap.* 22. *v.* 26. *Ioan. coll.* 49.

2. Subdit ad magis excitandum Prælatos: *Et cum apparuerit princeps Paſtorum percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam*; quia ultra coronam, & gloriam eſſentialem communem omnibus Beatis, dabitur bonis Paſtoribus, & Prædicatoribus aureola gloriæ accidentalis. *Ser.* 2. *Dom* 3. *Paſchæ. ſer.* 1. *Dom.* 16. *Pent op. Comp. Theol. lib.* 7. *c.* 29. & 30.

3. Deindè humilitatem ſuadet & interiorem, & exteriorem, eo quòd per iſtam anima transfertur ad exaltationem in Cœlum. *Omnes autem invicem* (ait) *humilitatem inſinuate, &c. humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis.* Ut videas, quod in tempore viſitationis dominicæ ſolùm humiles exaltabuntur; ſicut è contra ſuperbi humiliabuntur. *Op. Eccleſ. Hier. p.* 1. *c.* 1. *op. Diat. append. ad Dom.* 3. *Pent. op. medit. c.* 61. *op. Myſt. Theol. c.* 3. *p.* 2. *Luc. c* 14. *v.* 11. *c.* 18. *v.* 14. *ſer.* 4. *Dom.* 10. *Pent. ſer.* 3. *Dom.* 16. *Pent. ſer.* 4. *de unò Confeſſ. op. Diat. tit.* 7. *c.* 1.

4. Ab humilitate poſtea tránſit ad confidentiam habendam in Deo dicens. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Verè aurea verba ſunt iſta, & alta mente ſemper à quolibet fideli perpendenda, quia quilibet fidelis Deo ſerviens totam ſuam in Deum confidentiam debet collocare non ſolùm in ſpiritualibus, ſed & in temporalibus. & hoc, quia ipſi cura eſt de nobis; cum enim ſit creator noſter, ideò etiam eſt conſervator, & curator ſuarum creaturarum præſertim fidelium, & juſtorum, & ob id illius eſt eorum res, onera, moleſtias, paupertatem, curas agere, curare, moderari iiſque providere, & talis confidentia ineffabilem pacem animæ affert. *Op. de perfect. vitæ c.* 1. *ſer.* 1. *Rogat. Luc. c.* 9. *v.* 1. *c.* 10. *v.* 41. *c.* 12. *v.* 7. & 22.

5. Nota autem, quod iterum loquendo de iſta confidentia habenda in Deo ad hoc, ut non ſit vana requiritur, ut ſit benè ordinata in Deum; ſcilicet abſtracta ab his temporalibus, & non innixa terrenis. debet per fidem elevari oratione, jejuniis, & clamoribus, & ſic certò ſperare divinum auxilium, hoc autem ſpecialiter dirigitur ad Religioſos, qui pro Chriſto renuntiaverunt, qui Chriſtum proviſorem habent. *Ser.* 1. *in Rogat. op. de perfect. vita c.* 3.

6. Ad humilitatem, & confidentiam in Deum, ut fidelis perfectè Deo ſerviat, & ſecurè, addit armá neceſſaria ad triumphandum de diabolo, dicens: *Fratres ſobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret.* Duo autem ſimul jungit, ſobrietatem, & vigilantiam; ſed primo loco ponit ſobrietatem, quæ eſt virtus gulam refrænans, & per conſequens eſt repreſſiva malorum deſideriorum, & motuum corporis malorum, ad quam ſequitur vigilantia, quia ſobrietas mater eſt ſanitatis, ſapientiæ & ſanctitatis, præſertim caſtitatis, mentemque vigilem facit ad orandum, ideoque Deo, & Angelis eſt amica; ſicut è contra crapula mater eſt infirmitatis, inſipientiæ, libidinis. & cæterorum vitiorum, mentemque ſopit, & ineptam facit ad meditandum, ideo amica diabolo. *Op. Centil. p.* 3. *ſect.* 23. & 42. *op. de Prof. Relig. lib.* 2. *c.* 46. *ſeq. opuſc. ſpec. diſcipl. p.* 2. *c.* 6. *Luc. c.* 21. *v.* 34. *op. Diat. tit.* 1. *c.* 8. *op. de contemptu ſæculi.*

7. Hinc eſt, quod Eccleſia inchoat Completorium ab hiſce verbis Sancti Petri, iiſque monet fideles, ut ſobrii ſint, atque vigiles ad orandum, & reſiſtendum diabolo. ut ſic oculi ſomnum capiant, ut cor ad Deum ſemper vigilet, ideoque muti cubitum Angelo Cuſtodi, Beatæ Virgini, ſanctiſque Tutelaribus ſeriò ſe commendent, ac ſanctis cogitationibus indormiant. Hinc Eccleſia olim uſurpavit nocturnas vigilias ad orandum in pervigiliis ſanctorum, & eàdem etiamnum uſurpant Religioſi, & Cœnobitæ in Pſalmodia nocturna, qui imitantur Angelorum ſemper vigilantium, Deumque laudantium officia, & merito, quia diabolus ſolet ſub veſperam excitare homines ad gulam, indeque ad dormitionem, ut noctu ſemiſomnes, torpidos, & penè ſopitos tentet per libidinē, alioſque pravos motus, eoſque varios, & multiplices velut apum examen, ut notat S. Baſil. ideò advertit nos Apoſtolus, ſobrii eſtote, & vigilate contra diabolum, & carnem. *Luc. c.* 8. *v.* 25. *c.* 9. *v.* 32. *c.* 12. *v.* 39. *c.* 21. *v.* 36.

8. Ad hoc autem, ut efficaciter nos excitet ad dictam ſobrietatem, & vigilantiam ſubdit. *Quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Ubi dat intelligere, quod diabolus eſt cóntra nos verè diabolus, dicitur enim à dia, & bolus, quod eſt duo, & mordens, quia quándo apprehendit aliquem, tunc mordet corpus, & animam: corpus per crapulam; & carnalitatem, animam; corpus per crapulam, & carnalitatem, animā per mortem peccati mortalis; ideò leo crudeliſſimus contra hominem, contra quem clamandum eſt in oratione, ne nos in lacum peccati, & inferni præcipitet. *Ser.* 2. *Dom.* 2. *Quadrag op. Comp. Theol. lib.* 2. *c.* 26. *ſer.* 5. *Dom.* 4. *Quadrag. ſerm.* 4. *in Paſchá ſer.* 2. *Dom.* 1. *poſt oct. Paſchæ. ſer.* 10. *in Pentec.*

9. Nota, quod diabolus tamquam leo circuit: Quid eſt circuire? circuit ut impius circulator, & præſtigiator, ut illudat errantibus in cognoſcendis ligans oculos intellectus per velamen ignorantiæ; illudat etiam in agendis per hypocriſim faciens apparere pulchrum, quod eſt ſordidum, & album, quod eſt nigrum; ut & illudat in apetendis, dum eos excitat ad poſtponenda æterna temporalibus, ſcilicet eis oſtendens excellentias, delicias, & divitias: vide hunc circuitum diaboli; nam modo impugnat per violentiam tribulationum, modo per blanditias tentationum, modo per aſtutias, & fraudulentias illuſionum. & deceptionum, modò per curioſitates. *Ser.* 2. *Dom. Quinqua. Pſ.* 90. & 139.

10. Addit. quod circuitus diaboli ordinatus eſt ad devorandum, nam ut venator ponit inſidias, & laqueos in via hujus vitæ, ut hominem capiat, ſed quomodo devorat hominem? devorat hominem, dum ipſum in peccatum inducit; peccatores enim, & peccata ſunt cibus electus diaboli. *Luc. c.* 15 *v.* 15. *ſer.* 2. *in die cinerum. ſer.* 3. *Dom. Palm ſer.* 10. *in Pent. ſer.* 1. *ſer.* 3. *Pent.*

Ex his traditis dat Apoſtolus intelligere, quod proprium eſt diabolis non recta incedere, ſed ſemper tortuosè, & in circuitum, & hoc quia vagus, & inſtabilis eſt propter peccatum. ſicut omnis peccator, quia eſt veluti duellator antagoniſtam circum circa obſervans, & circuens ut dejiciat, idque aſſiduè. & jugiter, quia eſt ſerpens gyrans, & regyrans, ut per verſutiam, fraudes, & dolos intricet, circumveniat, implicet; irretiat, decipiat, & capiat; quia eſt impius venator, ut ſuo circuitu capiat homines velut feras, & piſces, &c. quia ſuo circuitu intendit homines in circulum agere (velut turbo paleas) in mentis

vertiginem,ut quaſi dementati, ac cerebro & ratione deſtituti raptentur in orbem ſuarum machinationum, tentationum, concupiſcentiarum, tuantque de peccato in peccatum uſque ad totale præcipitium;ſicque eos devoret non deglutiendo, ſed dentibus validis prædam comminuendo, ſcilicet eos lacerando in conſcientia,& perdendo, & cruciando. *Hæc omnia Seraph. Doct. loc. cit.*

10. Cum autem tam validum,& fortem hoſtem habeamus,non tamen nobis eſt deſperandum,nam S.Petrus nobis arma oſtendit ad vincendum, dicens,*cui reſiſtite fortes in fide.* Nota hæc tria reſiſtite,fortes;in fide, triaque arma ſic nobis exhibet, Reſiſtite (ait) diabolus enim non vi cogendo extorquet, ſed tantùm ſuadendo, & blandiendo, cum enim ſit inermis, & de ſe miſerabilis, viliſſimuſque, quia Chriſtus ei abſtulit arma, tantùm poteſt à nobis exquirere noſtra arma,ſcilicet cor, voluntatem, & conſenſum, quæ ſi illi negamus, tunc reſiſtimus,& vincimus: ſubdit; fortes;quomodo fortes? fortes in fide; ut fortitudine ipſum ſubjugamus, & fide enervemus; fides enim reddit Chriſtum nobis præſentem,& pro nobis certantem; fides nobis præmia, & pœnas menti ad vivum repræſentans excitat hominem,ut pro iis generosè decertet, urque Dei opem ad fortiter præliandum imploret; ſit igitur in nobis fides, non qualis qualis,exilis,& languida, ſed viva, firma fortis, & generoſa, ſic enim de diabolo triumphabimus. *Ser. 3. de uno Mart. ſer. 1. de plur. Mart ſer. 1. de S. Lucia ep. Regula Novit. c. 10. ep. Diat. tit. 3. c. 3. & tit. 10. c. 6.*

11. Concludit Apoſtolus hanc pugnam his digniſſimis verbis, *reſiſtite fortes in fide, ſcientes eamdem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri.* q. d. ſcientes talem pugnam eſſe communem omnibus Chriſto ſervientibus,illos ergo habete fratres, & ſocios in pugnando.

15. Supradictis addit: *Deus autem omnis gratia, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque, Ipſi gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.* Ideſt ſcientes, & ſecuri vivite, dum pro Chriſto bellatis,quòd ab ipſo quantùm neceſſe eſt, adjuvabimini; & cum ſit ipſe noſter adjutor, non timendum eſt, ſed ad ſecuram victoriam adſpirandum; ſi enim conſiſtunt adverſum me caſtra non timebo. *Sermon. 3. de plur. Mart. Luc. cap. 14. verſ. 16. cap. 22. verſ. 32.*

EXPO

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ

IN EPISTOLAM SECUNDAM DIVI PETRI APOSTOLI

ARGUMENTUM.

HÆC epiſtola ſcripta fuit à D. Petro ſub finem vitæ ſuæ, quaſi valedicens Eccleſiæ, & mundo, fidemque & doctrinam ſuam in ea conteſtatam relinquens, & futuris omnibus ſæculis quaſi pignus paſtoralis amoris, & curæ reſignans, puta ſub annum Chriſti 69. quo & martyrio laureatus eſt: Argumentum hujus epiſtolæ eſt triplex, patebit in tribus ſequentibus capitulis: Cætera, quæ ad prolegomena ſpectant, videantur apud Gloſſam, Liranum, Cornelium, alioſque Expoſitores.

CAPUT PRIMUM.

1. IN hoc capite Apoſtolus admirans Chriſti gratiam, & œconomiam docet Deum per eum nobis maxima, & pretioſa promiſſa donaſſe, ut per hoc efficiamur divinæ conſortes naturæ, idcò par eſſe, ut nos non carnalem, ſed cœleſtem, & divinam vitam vivamus in conſtanti fide, virtute, ſcientia, abſtinentia, patientia, pietate, & fraternitatis amore: Intendit igitur primò nos allicere ad Dei ſervitium proponendo maxima beneficia, & promiſſa nobis facta, ſcilicet gratiam in præſenti, pacemque & tranquillitatem, & gloriam in futuro, ut ſic qui nolunt venire ad ipſum precibus, facilius trahantur muneribus; vocat enim nos Deus cum muneribus prævenit, reſpondemus verò voci vocationis, cum juxta percepta munera deſervimus. *Ser. 1. Dom. 2. poſt Pent.*

2. Explicat effectus mirabiles divinæ gratiæ, dicens, *ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Hic autem quæritur quomodo homo poſſit fieri conſors divinitatis, cum hæc ſit incommunicabilis creaturæ? ſed attende, dicitur homo per gratiam factus conſors divinæ naturæ, non quòd humanitas annihiletur in divinitate, ut impiè dixerunt aliqui; ſed quatenus infunditur in anima iſta qualitas ſupernaturalis à divinitate deſcendens, per quam homo recreatur, renovatur, vivificatur, illuminatur, aſſimilatur, Deoque unitur, & elevatur in Deum, & quia ad adventum gratiæ etiam communicatur perſona Spiritus Sancti, & per conſequens tota divinitas Patris, Filii, & Spiritus Sancti, hinc dicitur anima conſors divinæ naturæ. *Lib. 2. d. 26. a. 1. per totum, opuſc. Brevil. p. 5. c. 1. ſeq.*

3. Et quia Spiritus Sanctus intrans in animam cum gratia ſanctificante, eſt operativus, idcò Apoſtolus poſt communicationem gratiæ docet, quod talis gratia exigit fugam à diabolo, mundo, & carne: *Fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentia corruptionem: vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute ſcientiam, in ſcientia abſtinentiam, in abſtinentia patientiam, in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem; Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent, non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione.* Ecce ad quænam tenetur, qui recipit gratiam, & cum gratia Spiritum Sanctum, primo fuga à concupiſcentiis mundi, nempè à diabolo, mundo, & carne, iſti enim ſunt hoſtes ſæviſſimi inhiantes ad corruptionem corporis, & animæ, ſcilicet ad deſtructionem donorum, & divitiarum ſpiritualium, quas Spiritus Sanctus donat, cum gratiam affert animæ: ſecundò ex gratia ſubinfertur, & ſubſequitur omnis cura voluntatis, quaſi pediſſequa, & ancilla gratiæ per cooperationem gratiæ, in Fide, in notitia myſteriorum Dei, & exercitio omnium virtutum Chriſtianorum; unde ex hoc infertur, quod gratia Dei non poteſt in fidelibus ſtare otioſa, ſed exigit cooperationem noſtram, alioquin ſicut à Deo gratuitò deſcendit, ad ſuum principium etiam redibit. *Ser. 2. Dom. 3. poſt oct. Epiph. ſer. de S. Cæcilia ſer. 5. de una Virgine. ſer. 2. Hevam.*

Digitized by Google

4. Soluit Apoſtolus nodum alias difficillimum de prædeſtinatione, dicens. *Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis; hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Dat per hoc intelligere, quòd Deus voluntate antecedente vocat homines, & eligit, & prædeſtinat ad gratiam, & gloriam, ſed quia talis electio involuit ſecum exhibitionem mediorum neceſſariorum ad executionem, & completionem, & quia dependet à noſtro libero arbitrio vel ipſa media acceptante, vel reſpuente, hinc ait ſatagite fratres, ò chriſtiani, ut electionem veſtram ad gratiam, & Chriſtianiſmum per bona opera ſtabiliatis, ne ab ea excidatis, ſed in ea conſtanter perſeveretis; ſic enim pariter ſtabilietis, & certam facietis electionem veſtram ad gloriam, omnes enim ad gloriam electi, & deſtinati eſtis hoc ipſo, quòd baptizati eſtis, factique fideles, & juſti, non abſolutè, ſed conditionatè, ſi videlicet in gratia accepta uſque ad finem vitæ perſiſtatis. *Luc. cap. 10. v. 40. lib. 1. d. 40. a. 2. q. 1. ad 2. & q. 2. ad ult. & d. 46. a. 1. q. 1.*

5. Poſtcà Apoſtolus monet fideles, quòd citò moriturus erat, ſed tamen eis promittit ſe poſt ſuam mortem memoriam crebam, & orationem ad Deum habiturum. *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ideſt brevi moriar, & crucifigar, ac è cruce, & morte evolabo in Cœlum ad Ieſum meum, dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Per quod patet ſanctos vita functos curare res mortalium, ideóque eſſe invocandos, ut autem perſiſtant in fide eis prædicata docet hoſtium fidei prædicationem eſſe totam vanarum fabularum. *Lib. 3. d. 9. Luc. c. 9. v. 35. Pſal 118. c. 6. v. 5.*

6. Poſtremò Petrus conatur ſtabilire in fide Chriſtianos eis prædicata de Chriſto, ex hoc quòd ſancta Chriſti fides non conſiſtit in fabulationibus vanis, ſed in veritate certa, eique revelata à Chriſto cujus virtutem, & gloriam vidit, & expertus eſt; Vnde fides Chriſtiana eſt certa, firma, & magis clara, quàm eſſet in tempore legis ſcriptæ; undè eos hortatur ad hanc fidem retinendam, & augendam per bona opera, & per lectionem Prophetarum. *Lib. 1. d. 6. q. 1 ſer. 9. Hexam. Luc. c. 9. v. 34. Lib. 3. d. 23. a. 2. q. 2 op. Princ. op. Expoſ. Miſſa. c. 2.*

CAP. II.

1. IN hoc capite Apoſtolus monet fideles ad cavendum à doctrina Hæreticorum, qui tunc erant in Eccleſia, & futurrerant in omni tempore, & ad perſiſtendum in veritate fidei Chriſtianæ incorruptæ.

2. Ut caveant à doctrina peſſimorũ hoſtium fidei, & Chriſti, & à via errorum & peccatorum, eis proponit ſupplicia, quæ Deus intulit primò Angelis peccatoribus, ſecundò aliis peccatoribus tẽpore diluvii; & tertiò ſodomitis, ut hinc & ipſi, & nos efficaciſſimum argumentum eruamus ſuper juſtitiam Dei, quam ſervat abſque eo quod unquam ordinem inſtitutum confringat, ſi enim non pepercit Angelo nobiliſſimo peccanti, & ſi ob peccata ſubmerſit ferè totum mundum ſub diluvio, nec pepercit integræ provinciæ ſodomorũ, & ſi pro uno eſu pomi Adam, & totam poſteritatem uſque ad finem mundi mortali, & multiplici pœnalitati ſubjecit; quid erit de nobis viliſſimis cineribus, & abjectiſſimis in altum nos extollentibus contra Deum? ergo fugiamus peccata; gratiam Dei conſervemus; vivamus cum metu, & tremore, &c. *Lib. 2. d. 6. a. 1. q. 1. & 2. Luc. c. 17. v. 28.*

3. Deindè afferens ſcelera falſorum Chriſtianorum, & Hæreticorum, & eorum, qui poſt carnis concupiſcentias abeunt, docet eſſe peiores diabolo dicens: *Angeli fortitudine, & virtute cum ſint majores, non portant adverſum ſe execrabile judicium.* Quaſi dicat cum Dæmones ſint longè potentiores etiamſi ſemper habeant peſſimam voluntatem contra Deum, tamen ſcientes ſe ob ſchiſma, & rebellionem eſſe punitos, non audent contra Deum amplius inſurgere, imò credunt, & contremiſcunt; ergo peiores ſunt ſchiſmatici, Hæretici, & impii homines iſta ſcientes, qui audent contra Deum inſurgere bella, & ſchiſmata excitare, & blaſphemare. *Lib 2. d. 7. a. 1. q. 1. Luc. c. 10. v. 18.*

4. Deindè impios aſſimilat irrationabilibus pecoribus, & beſtiis, qui in volutabro, & cœno peccati jacentes, non ratione, ſed ferinæ naturæ ardore, & furore aguntur, ideò incidunt, imò ruunt, alioſque ſecum trahunt in laqueos venatorum, ut rapiantur, & occidantur, ſerpentes ſunt, quia deceptores, leones ad iram concitati, ſuis voluptatibus dediti, lupi quia rapaces. *Op. Dict. tit. 1. cap. 8. ſer. 1. de uno Doct. Luc. c. 15. v. 15. & 24. c. 20. ad finem. Ioan. coll. 26. ſer. 1. Dom. 3. poſt oct. Paſchæ. ſer. 3. Dom. 15. Pentec ſer. de S. Eliſab.*

5. His vero jam in communi enarratis de pſeudoprophetis diaboli, proſequitur abominationes, in quibus ſe immergunt ſuperbi, luxurioſi, avari voluptuoſi, iracundi, eos appellando filios maledictionis, & diaboli ab ipſo poſſeſſos, ut clarè videri poteſt in textu. &c. *Op. ſpec. B. V. lect. 25. Luc. c. 9. v. 3. Ioan coll. 43. ſer. 1. ſer. 3. Paſchæ. aliiſque locis ſupracit.* Vide textum, ubi clariſſimè depingit miſerabilem ſtatum modernorum Hæreticorum, Lutheranorum, & Calviniſtarum.

6. Ex quibus infert miſerabilem captivitatem in quam incidit peccator ſe ſubdens peccato, & diabolo, dicens. *Qui in errore converſantur, libertatem illis promittentes: cum ipſi ſervi ſint corruptionis, ſcilicet libidinis, & voluptatis corrumpentis corpus, & animam; à quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt,* mancipium legit Græcus: qua ſententia oſtendit, quod peccato, & tentationi diaboli ſe ſubdens, fit mancipium peccati, & diaboli, ideoque miſerabiliſſimus eſt ejus ſtatus. *Ser. 1. de S. Bartbol. ſerm. 2. de S. Nicolao. Luc. c. 4. v. 7. Ioan. coll. 42.*

7. Poſtremò exprimit infeliciſſimum ſtatum recidivantiũ, proferens hæc graviſſima verba. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & ſalvatoris Ieſu Chriſti* (loquitur hic de converſis ad fidem Ieſu Chriſti, & conſequenter de converſis per pœnitentiam à ſtatu peccati ad gratiam) *his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.* Vide hîc ſtatum recidivi; facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus; nempè ſicut ægri convaleſcentis relapſus in morbum gravior, & periculoſior eſt priore morbo, ita eſt & relapſus juſtificati in peccatũ; gravius quidem malum, quia magis, & profundiùs le vitiis priſtinis immergit, habitumque validiorè in malo induit, tùm etiã quia ingratus gratiæ Dei, ab ea deſeritur; undè de ipſo verificatur illud Chriſti. *Mat. 12. Luc. 11. Fiunt noviſſima hominis peiora prioribus.*

8. Et

8. Et hinc infert concluſionem horrendam: *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem, retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Nota ô Lector verba; ſigna myſteria; melius erat, ſcilicet non poſitivè, ſed negativè, ideſt minus malum eſt infidelis ignorantis, quàm fidelis cognoſcentis culpam; ideoque minor erit pœna; ubi notandum, quod licet ratione boni facti à pœnitente dum erat in gratia, minor erit pœna in recidivo, quia illa bona minuunt tempus peccandi; tamen ex alia parte recidivans, & rediens ad vomitum peccati auget contemptum, ob idque occaſionaliter auget peccatum, ſicque bona hac ratione ei convertuntur in mala, in majorem pœnam, & damnationem; ſunt enim ait Apoſtolus ſicut canes revertentes ad vomitum, & ſues lotæ in volutabro luti: ô homo noli peccare poſt veniam, noli vulnerari poſt curam, noli ſordidari poſt gratiam: cogita ô homo graviorem eſſe culpam poſt veniam, renovatum vulnus pejus dolere poſt curam, moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam; quare indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat, ſanitate indignus eſt qui ſemetipſum, poſtquam curatus eſt, vulnerat, nec mundari meretur, qui ſemetipſum poſt gratiam ſordidat: verè ſordidi, & fœtentes canes ſunt iſti, qui poſtquam evomuerunt peccata in confeſſione, deteſtabiliores fiunt, qui poſtmodum ad peccata redeuntes, ea reſorbent. *Lib. 4. d. 47. dub. 1. d. 15. p. 2. dub. 8. Pſ. 36. Luc. c. 11. v. 26. c. 12. v. 47. c. 15. v. 15. & 24. c. 17. v. 32. Joan. collat. 26.*

CAP. III.

IN hoc tertio capite Apoſtolus totus eſt in diſſolvendis erroribus Hæreticorum, qui negabant judicium extremum; undè tractat de ipſo, de conflagratione ignis, de aliis circumſtantiis judicii extremi; de metu, & timore, quem debent habere omnes fideles, & concludit, quod iſte timor debet excitare homines ad exercitium bonorum operum, & fugam peccatorum: De qua materia fusè actum eſt in expoſ. ſuper Evangelia: Interim ſuper textum hujus capituli poſſunt videri, quæ ſparſim tradit *S. Bon. in Luc. cap. 12. v. 45. c. 8. v. 24. c. 10. v. 9. c. 21. v. 6. lib. 4. d. 41. a. 2. qu. 1. d. 44. a. 1. qu. 4. d. 47. a. 2. qu. 3. d. 48. a. 2. qu. 3. Pſ. 118. c. 5. v. 16.*

Explicit expoſitio Seraph. Doct. ſuper Epiſtolas Divi Petri: Ad gloriam Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, &c.

EXPOSITIO

Digitized by Google

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM PRIMAM B. JOANNIS APOSTOLI.

PROLOGUS.

EPISTOLA hæc ex conſenſu omnium Catholicorum Canonica eſt, & ſcripta omnibus fidelibus ubivis degentibus, ſcriptaque fuit ab ipſo jam ad ſenectutem redacto, & ideò mirum non eſt, ſi ipſe ardens charitate ferventiſſima in Deum, & proximum, non aliud penè quàm charitatem inculcet: Alia quæ ſpectant ad prolegomena ipſius, videantur apud Gloſſam, Liranum, Cornelium, alioſque Expoſitores, &c.

CAPUT PRIMUM.

IN hoc capite ſanctus Joannes principaliter inculcat, & exagerat tot verbis Incarnationem Verbi, & apparitionem in carne. *Quod fuit ab initio* (ſcilicet ſicut in principio Evangelii dixit *In principio erat Verbum, &c. quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis, &c. ut & vos ſocietatem habeatis, &c.* Hanc igitur Incarnationem Verbi annuntiat, tum ut diſſipet errorem Hæreticorum, qui dicebant Verbum aſſumpſiſſe carnem phantaſticam; tùm ut fideles confirmet in fide hujus myſterii petito argumento à tribus ſenſibus, qui fideliſſimi, & perſpicaciſſimi habentur, tales enim ſunt auditus, viſus, & tactus; quod vidimus (ait primo loco) quia ſenſus eſt diſciplinæ & fidei, viſus, dicit ut ad majora, & certiora aſcendat; & manus noſtræ contrectaverunt, &c. quia tactus eſt utroque certior; ex quo patet, quod Chriſtus permiſit Apoſtolis, & præcipuè dilecto Joanni, & non ſolùm Thomæ contrectationem ſui corporis, & vulnerum; hoc autem dicit, ut oſtendat Verbi dignationem, Apoſtolorum dignitatem, & obligationem omnium fidelium credendi, amandi, & toto corde adorandi tam pium Dominum; ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra (ait) ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto; intendit igitur ſecum habere in ſocios omnes fideles in Dei ſervitio, & ſocietate cum Domino Jeſu Chriſto, quæ conſiſtit in amicitia, ſervitute, cognitione, & amore Dei, ut ſcilicet cum Apoſtolis Chriſtum reſurgentem audiamus verbo ejus obediendo; videamus per fidem cognoſcendo; tangamus, operibus attingendo; ſentiamus corde diligendo. *Lib. 3. Prol. ſer. 9. Hexam. Luc. Proœm. c. 8. v. 36. c. 24. verſ. 19. Ioan. collat. 1. 2. & 5.*

2. Ut autem dignoſcatur quis ſit, qui ſocietatem habet cum Domino Jeſu & quis cum diabolo; ſubdit: *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ; ſi dixerimus ſocietatem habere cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus* ideſt factis oſtendimus iſtud mendacium) *ſi autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt lux, ſocietatem habemus ad invicem.* Per quæ oſtendit, quod gratia Dei eſt participatio lucis divinæ, & ideò qui in gratia ambulat, in luce ambulat; & ſocietatem habet ad Chriſtum; & hoc virtute ſanguinis Chriſti, qui emundat nos ab omni inquinamento: E contra peccatum tenebra eſt, & in tenebras ducit, & ſocium diaboli facit. *Lib. 2. d. 40. a. 3. qu. 2. in corp. op. itiner. 2. d. 4. Luc. c. 15. verſ. 13. Ser. 5. in Paſcha.*

3. Docet neminem (dempto Chriſto, & Beatâ Virgine) poſſe gloriari ſe non habuiſſe peccatum, quoniam omnis homo contrahit peccatum originale, omnis homo etiam de ſe vivendo committit vel peccatum mortale, vel veniale; non enim poſſibile eſt homini vitare in communi omnia peccata venialia, & hoc eſt tùm propter adhærentiam carnis ad terrena, tum propter ignorantiam, & inconſiderationem, tùm propter frequentiam ſtrepitus vitiorum nos pulſantium, & hinc ſubdit remedium, ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate: Ubi proponit remedium obtinendi veniam, & remiſſionem peccatorum noſtrorum, ſcilicet confeſſionem à Chriſto inſtitutam, quæ applicatione ſanguinis ejus habet hanc vim emundandi animam ab omni ſorde peccatorum. *Op. de tribus ternar. cap. 5. & 7. op. Diæt. proœm. op. de Prof. Religioſ. lib. 2. c. 62. Luc. cap. 11. verſ. 13. c. 18. v. 11. lib. 4. d. 16. p. 2. dub. 3. d. 17. p. 2. a. 2. qu. 1. ad mit. lib. 2. d. 42. a. 2 qu. 1. ſap. c. 15. ſer. 2. Dom. 2. Epiphan. ſer 4 Dom. 4. Epiph. ſer. 1. & 6. in Rogat. ſer. 8. de B. Virgine.*

CAP.

CAP. II.

1. IN hoc capite Apoſtolus cum ſuprà dixerit omnes peccatores eſſe, nec poſſe homines vitare peccata omnia collectim, quia tamen vitare ſingula diſtributivè eſt poſſibile præſertim ea, quæ non ex ſubreptione, ſed ex præcita deliberatione committuntur, nunc exhortatur ad ipſa vitanda quantum poſſibile eſt; & multò magis ad mortalia ſuppoſito auxilio Dei ſemper parato: De qua materia ſuprà ex S. Bon. dictum eſt.

2. Removet deſperationem à peccatoribus, qui labuntur in peccata, *ſed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, quaſi dicat ſi quis lapſus ſit, non ideireò deſperet, nec animum abijciat, quia apud Deum, qui eſt pater noſter amantiſſimus, advocatum habemus Chriſtum Jeſum, qui ſuum ſanguinem, crucem, & mortem pro nobis obitam Patri repræſentans, facilè nobis, ſi verè nos pœnitear, veniam impetrabit; Deus enim clementiſſimus, & Chriſti merita ſunt maxima, ideoque ipſe eſt propitiatio pro peccatis non ſolùm noſtris, ſed & totius mundi: Nota autem, quod appellat Chriſtum noſtrum Paraclitum, & advocatum, & meritò: nam eſt talis primò oratione interpretativa ſcilicet exhibendo ſe, & ſua vulnera, & allegando ſua merita divino conſpectui: ſecundo interpellando, & orando pro nobis, ut homo, quod maximè fecit, dum in carne mortali vivebat, & nunc in Cœlis, non quidem merendo, ſed exigendo jus in hac vita promeritum, ſibique promiſſum, ideoque debitum, ſcilicet gratiam, & ſalutem noſtram. *Lib. 4. d. 11. p. 1. dub. 4. lib. 3. d. 17. a. 2. qu. 1. ad 4. Pſ. 2. ſer. 3. Dom. 4. poſt oct. Paſchæ: ſer. 2. Dom. 10. Pentec. ſer. 3. Dom. 15. Pentec. ſer. 2. Dom. 2. Epiph. ſer. 4. Dom. 4. Epiph. op. medit. c. 36. op. Eccleſ. Hier. p. 1. c. 1. ſer. 3. Dom. 4. Paſchæ.*

3. Nota etiam hic, quod ex hoc textu Hæretici intendunt ſolùm Chriſtum, non autem ſanctos orare in Cœlis pro nobis, cum hoc ſit munus ſolius Chriſti; ſed decipiuntur patentiſſimè. nam licet ſolus Chriſtus ſit propitiatio pro peccatis, quia ipſe ſolus ſua morte, & Paſſione placavit Patrem, & ſuo pretio pro nobis ſatisfecit, non per hoc tamen excluduntur Beata Virgo, & ſancti, ut deprecatores, & interceſſores noſtri per merita Chriſti; quis igitur dubitet omnes ſanctos cum Chriſto pro nobis orare advocando. *Ser. 2. Dom. 10. Pentec. lib. 4. d. 45. a. 3. per totum: op. Brevil. p. 7. c. 3. op. Myſt. Theol. c. 3. p. 3.*

4. Notat, quinam ſint, qui cognitione practica, quæ importat cognitionem per fidem, & dilectionem per charitatem, ipſum Chriſtum ignorant, vel ſciunt: *Et in hoc ſcimus, quia cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus, qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt, qui autem ſervat verbum ejus verè in hoc charitas Dei perfecta eſt, &c. quoniam in ipſo ſumus.* Et dat per hoc intelligere, quod non obſervans mandata Dei, fidem mutilam habet, nec cognoſcit Chriſtum cognitione propria Chriſtianorum ſalvandorum, quæ coexigit ſimul opera; nempè charitatis exercitium, & dilectionis perfectæ; hæc autem charitas, de qua loquitur Apoſtolus habet plures gradus: primus eſt ità diligere Deum, ut numquàm offendatur mortaliter, ſecundus, ut nec offendat venialiter deliberatè, etiamſi poſſet totum mundum lucrari: tertius eſt, ſe totum Deo, ejuſque ſervitio, & omnia ſua mancipare: quartus eſt, nihil aliud cogitando propter Deum, quod maximè proprium eſt Beatorum cum totali perfectione, & continuatione, in hac vitâ cum aliquali imperfectione, & interpolatione, & hoc eſt perfectè eſſe, & manere in Deo, ut dicit *hic S. Joannes: op. Comp. Theol. lib. 5. cap. 25. & deinceps ad 32.*

5. Poſteà ſe reſtringit ad mandatum de dilectione Dei ſuper omnia quod appellat mandatum vetus (*non mandatum novum ſcribo vobis, ſed vetus*) appellat ipſum etiam novum (iterum mandatum novum ſcribo vobis) dicitur mandatum vetus, quia datum fuit Judæis in veteri teſtamento, & dictatum eſt à ratione, à lege æterna, & a natura: dicitur & novum, quia cum eſſet antiquatum ex vitio corruptæ naturæ, Chriſtus innovavit, dicitur autem propriè novum, tùm ratione novi legiſlatoris, ſcilicet Chriſti, quia arctius, & quaſi novum illud nobis tradidit, & ratione novæ originis, ſcilicet gratiæ Spiritus ſancti in die Pentecoſtes renovatum eſt, tum ratione cauſæ materialis, puta novum Chriſtianorum ab infidelitate ad fidem vocatorum, tum ratione cauſæ formalis, & objecti, ſcilicet Incarnationis Chriſti, & fidelium unionis cum Chriſto, & cum tota Sanctiſſima Trinitate, tum ratione cauſæ exemplaris, quia in Chriſto habemus novum exemplar hujus dilectionis: tùm ratione cauſæ finalis, quia per hanc Chriſtus nos novos homines facere intendit, illudque voluit renovare quotidiè per crebras ſynaxes, conciones, meditationes, &c. tum quia hoc eſt ſuper omnia excellentiſſimum, & poſtremum, quod Chriſtus in fine vitæ nobis commendavit: tum ratione effectuum, quia novos edit effectus, nova, & heroica opera, & à ſæculo inaudita, & quia maximè pertinet ad novum teſtamentum, & talis fuit dilectio primorum Chriſtianorum: Et tandem concludit, quod verum eſt, & in ipſo, & in vobis: Ecce aliud mirabile charitatis divinæ: hoc mandatum (ait) locum habet in Chriſto, & in vobis, ideſt ſicut Chriſtus ut caput Eccleſiæ ſummè amat Chriſtianos quaſi membra ſua, ità ipſi ſe invicem ut commembra amare debent in hoc imitando Chriſtum, & hinc virtute talis charitatis homo in luce vivit gratiæ, & numquàm offendit, qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt: ò grandis, & miraculoſa virtus charitas tot mirabilia operans in anima Chriſtiana! Cur ergo ò fideles hanc virtutem non amplexamini? in hoc enim cognoſcitur, quis diſcipulus Chriſti, & quis diaboli: Nota autem, quod Hæretici ex eo, quod dicit Joannes, qui diligit fratrem ſuum, manet in lumine, inferunt nos poſſe certitudinaliter ſcire nos eſſe in charitate, quod tamen eſt falſum, non enim poteſt ſciri, niſi per revelationem, & propriè ſolùm ex conjecturis. *Lib. 1. d. 17. p. 1. a. 1. qu. 5. op. de dono pietatis c. 2. op. Diet. tit. 10. cap. 5. Luc. c. 5. in fine: c. 16. v. 4. Joan. collat. 2. & 41. ſer. 1. Dom. 3. Adv. ſer. 5. in Nativ. ſer. 4. Dom. 17. Pent.*

6. Tranſit ad explicandas qualitates peſſimas vi-

tui charitati oppoſiti, quod eſt odium fraternum, *qui dicit ſe eſſe in luce* (ſcilicet fidei, Evangelii, gratiæ, & charitatis Chriſti) *& fratrem ſuum odit in tenebris adhuc eſt, in tenebris ambulat, & neſcit quo eat &c.* Dat per hoc intelligere, quòd omnium vitiorum peſſimum eſt odium fraternum, ira, & invidia, quia aufert lumen rationis, fidei, & affert ſummam cæcitatem in anima, ob quam præcipitat de vitio, in vitium uſque ad profundum inferni. *Ser.5.in Nativ.op.Comp.Theol.lib.1. c.16.Luc.c.12.v.53.*

7. Deindè Apoſtolus ſua ferventi charitate in omnes, convertit ſermonem ad tres gradus hominum juxta tres ætates eorum, ſcilicet ad pueros, ad juvenes, ad ſenes: pueros vocat filiolos, & infantes; juvenes vocat adoleſcentes, & ſenes vocat patres: *Scribo vobis filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus &c.* & proſequitur ad cæteros, & in his tribus impliciè appellat incipientes, proficientes, & perfectos in Dei ſervitio, iiſque inculcat Dei ſervitium, gratitudinem Deo debitam, fugam vitiorum, Dei amorem, ut ſic Eccleſia compareat circumdata varietate veſtium in omnibus ſtatibus, & odium mundi eis inſinuat, quia in eadem ſede non poſſunt ſimul morari amor Dei, & amor mundi. *Op.de dono timor.c.1.de dono ſap. c.5.Pſal.1.In Eccles.proem.op.de contemptu ſæculi. Luc.c.19.v.27.*

8. Reddit rationem de malignitate mundi; dicens; *omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ*; ſicque catervam omnium vitiorum malorum, & peccatorum reducit ad hæc tria capita, nempè ad luxuriam, & concupiſcentiam voluptatum; ad avaritiam, & curioſitatem habentem pro objecto aurum, argentum, opes, & divitias; & ad ſuperbiam vitæ, ſcilicet ad excellentiam, gloriam, & faſtum mundanum: concupiſcentia oculorum opponitur Patri, qui eſt liberaliſſimus; concupiſcentia carnis opponitur Filio, cujus generatio non eſt carnalis, ſed ſpiritualis; & ſuperbia vitæ Spiritui Sancto, qui eſt ſpiritus humilitatis: concupiſcentia item carnis opponitur caſtitati, & ſobrietati; concupiſcentia oculorum charitati; ſuperbia vitæ humilitati; quæ vitia ſunt vaniſſima, deceptoria, & proditoria; ſicut è contrario, qui facit voluntatem Dei manet in æternum. *Ser.3.de uno Mart.lib.2. d.5.a.1.qu.1. lib.3.d.37.a.2. qu.1.op. Brevil.p.3.c.9. & p.5.c.9.op. Centil.p.1.ſect.4.& 17.op. de ſeptem donis c.5 ſer.2. Dom.3. Adv.op. Diat.tit.1.c.2.op. ſpec.animæ præfat.op. itiner.4. d.5.a.1.op. de Prof. Religioſ. lib.1.c.10.op. Reg. Novit.c.14.op. Comp. Theol.lib.3.c.6. Luc.c.14.v.13.& 42.c.18. verſ 11. ſer.2.in Nat.ſer.2.Dom.3. Epiph.ſer.3.ſer.2. Paſchæ ſer.3.Dom.2.Paſchæ ſerm.2. Dom.14. Pentec.ſer.2. de dedicat.*

9. Ut autem excitet fideles ad evellendum amorem à mundo, & ejus concupiſcentiis, advertit hanc ætatem eſſe ultimam mundi (*noviſſima hora eſt*) ideò periculoſior, quia in hac ætate inſurgendi erant plures Antichriſti, ſcilicet Hæretici, & impii contra fidem docentes impia, & pervertentes multos; ideò cum maxima cautela docet vivendum, & inſiſtendum magis, & magis ſanctis operibus: ſubdit; *Ex nobis prodierunt* (ideſt Hæretici, & peſſimi homines) *ſed non erant ex nobis*: ut oſtendat, quòd Chriſtiani, impii ſceleſti, non ſunt veri Chriſtiani, ſed falſi, ſubditi & veluti Apoſtatæ; ſicut in Religionibus plures ſunt ex ipſis prodeuntes, ſed ſunt ficti; & falſi, & Apoſtatæ; nam veri Chriſtiani (ait Apoſtolus) unctionem habent à Sancto, ſcilicet à Chriſto &c. nempè non ſolùm baptiſma, & alia Sacramenta, ſed unctionem gratiæ Chriſtianiſmi, quam præparavit Chriſtus ſuis ſequacibus; unctionem inquam Spiritus Sancti juſtis aſſiſtentis, eoſque illuminantis in iis, quæ ſunt neceſſaria ſaluti, & progreſſui ſpirituali, & emollientis omnia dura in eadem via ſpirituali. *Luc.c.12.v.12.c.14.v.17. c.21.v.8.c.22.v.3. Joan.collat.6.ſer.4. Dom.3.Paſchæ.lib.1. d.17. p.1. dub.3.& d.40. a.2. qu.2. op.de ſeptem grad. contemplat.op.itiner.2.d.5.& itin.5. d.4.in Luc.proem.*

10. Poſtquam autem expreſſit Apoſtolus ſcelera, mendacia Hæreticorum, tandem concludit: *Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit Chriſtus, & non confundamur ab eo in adventu ejus &c.* intendens incolcare eis perſeverantiam in fide, in exercitio bonorum operum, ut in adventu Chriſti ad judicium confuſionem vitent, & gloriam fidelibus promiſſam percipiant &c. *Ser.,.Dom.3.Paſchæ.*

CAP. III.

1. IN hoc capite Apoſtolus primò oſtendit quàm præſtans ſit nova ex Deo nativitas, & filiatio ex fine, & mercede, quæ eſt gloria æterna, ſimiles ei erimus: *Videte*, ait, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus &c. chariſſimi nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, ſcimus quòd cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt &c.* In quibus verbis primò extollit Dei charitatem in nos oſtenſam, nos vocando ad ipſius filiationem, ſcilicet ad Chriſtianiſmum.

2. Quòd non ſufficit nobis nominari Chriſtianos, ſed requiritur, ut etiam de facto ſimus, ſi geniti per gratiam, & aſſumpti ad filiationem adoptionis, undè talis filiatio exigit gratiam inhærentem in anima, & per conſequens deitatem ipſi communicatam, per quam deſtinati ſumus ad hæreditatem cæleſtem: tertiò explicat in quonam conſiſtit perfectio hujus filiationis habenda in patria: ſimiles ei erimus (ait) ſimiles non natura, ſed qualitate, fælicitate, gloria æterna, per viſionem, & amorem; nam per viſionem intellectus mediante lumine gloriæ ſpectes Dei efformatur, ſcilicet verbum mentis, quod planè Deo ſimile eſt, Deumque refert, & repræſentat, & per amorem Dei perfectè viſi reſultat in voluntate perfecta unio cum Deo, per quam anima abſorbetur in immenſitate dulcedinis divinæ, ſicque anima Deum clarè cognoſcens attrahit ad ſe Deum, & anima cognita à Deo attrahitur in Deum, ſicque inter Deum, & animam perfecta ſimilitudo in genere cognoſcibilis; ut anima perfectè amans fertur in Deum, ipſique unitur perfectè; ut amata à Deo attrahit ad ſe Deum, ſicque tali modo perfecta unio

Dei

Digitized by Google

Dei cum anima; & animæ cum Deo; & hinc bene dicit similes ei erimus; hoc est erimus quasi Dii; sicut sol in nube transluces efficit lucidam, ut videatur esse novus, secundusque sol; ita Deitas in Beatorum anima, & per consequens in corpore ei imprimens impassibilitatem, claritatem, subtilitatem, & agilitatem, efficiat tot quasi Deos, quot erunt Beati: ô qualis, & quanta felicitas videre tot Angelos, tot quasi Deos? quoniam videbimus eum sicuti est.

3. Suggerit modum assequendi visionem, & similitudinem Dei suprapositam, dicens. *Et omnis qui habet hanc spem in eo: sanctificat se, sicut & ille sanctus est:* ostendensque per hoc, quòd per spem in Deum debet se erigere; & hinc in terra similitudinem divinam quærere, & hoc nobilitate morum, exercitatione virtutum, & dignitate meritorum, per quæ homo sanctificat se, scilicet offert, & consecrat se Deo per labores, flagella, cruces, & mortificationes reddentes hominem Christo conformem; & addens, sicut ille sanctus est, dat intelligere, quod sicut sanctitatis Christi nullus est terminus, sic donec moratur in hac vita homo semper debet procedere de virtute in virtutem, donec perveniat ad summitatem montis gloriæ ad videndum Deum sicuti est. *Op. de dono intell. c. 3. Ioan. coll. 47.*

4. Probat sanctitatem à nobis procurandam ad similitudinem Christi à contrario, nempè quia peccatum nihil aliud est nisi iniquitas *omnis, qui facit peccatum, iniquitatem facit, quia peccatum iniquitas est*, ideſt recessus ab æquitate; & lege divina, subdit. *Et scitis, quia apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum non est in eo:* per quod ostendit quam grave malum sit peccatum, utpote ad quod tollendum Christus è Cœlo in terram; & carnem descenderit, passus, & crucifixus sit; & quia carebat omni peccato, imò & potestate peccandi, potens; & idoneus fuit ad tollendum peccatum. *Luc. c. 4. v. 34.*

5. Prosequitur ostendendo infelicitatem status existentis in peccato: & primò ex oppositio advertit, quòd qui peccata vitat, manet in Christo per gratiam, sicut è contrario, qui peccat non videt, nec novit Christum, scilicet cognitione practica, quæ conjuncta est cum amore, & charitate, & sic extraneus Christi, & ab ipso separatus; & hæc duo probat ex hoc, quod *qui justitiam facit justus est, qui facit peccatum ex diabolo est*; nota, quod dicit *qui facit justitiam*, ideſt qui justitiam in se continet justus est, non dicit qui facit opera justa, sed justitiam, quia justitia est qualitas influens in actum, undè ad hoc, ut opus sit justum, meritorium, & Deo charum, exigitur in anima justitia, & charitas, quæ influat in actus, reddens eos justos, bonos, sanctos, & meritorios. E contra; qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio, diabolus peccat; q. d. qui facit justitiam justus est, & ex Deo natus; qui facit peccatum injustus est, & natus ex diabolo, quoniam ab initio diabolus peccat, quia licet non in primo instanti suæ creationis fuerit malus, sed post actum suæ deliberationis, tamen intercessit parvula mora, ideò dicitur ab initio peccasse, & dicit peccat in præsenti, quia semper ab initio perseveravit in suo peccato & ab ipso traxit originem omne peccatum; & hinc est, quod cum homo servans justitiam, & Dei gratiam dicitur natus ex Deo; sic & homo peccans dicitur natus ex diabolo per imitationem: Ut autem Christus dissolveret funes peccatorum, quibus diabolus constrinxerat homines, venit in carnem, assumendo lutum nostræ mortalitatis in unione divinæ personæ, ut inquam superbà opera diaboli dissolveret per suam humilitatem; & hinc etiam patet quàm verecundum sit, ex quo Rex Regum Christus humilis factus est, ut homo cinis, & vermis superbiat, habemus igitur humilitatis exemplum superbiæ medicamentum; & si hoc, quid intumescis ô homo, ô pellis morticina? quid extenderis ô sanies fœtida, quid inflaris? Princeps tuus humilis, & tù superbis, caput humile & membrum superbum. *Ser. 4. Dom. 3. Pentec. Luc. c. 4. v. 6. & 34. lib. 2. d. 5. p. 2. a. 1. q. 2. Ioan. collat. 15. ep. 61. coll. in coll. 1. ser. 1. Dom. 2. Quadrag. lib. 4. d. 46. a. 2. q. 1. ad argum.*

6. Prosequitur felicitatem filiorum Dei, dicens. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est: In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli.* Nota, quod ex textu impiè dixerunt Hæretici; & nuper Lutherus, & Calvinus fideles non posse excidere à fide, gratia, & justitia, & esse certos de sua perseverantia, & salute; estque error damnatus à sacra scriptura, & ab Ecclesia; nam in his verbis intendit Apostolus ostendere pretiositatem gratiæ Dei, quæ regenerat peccatores ex filiis diaboli in filios Dei, in quo statu si usum proprium habet divina gratia, non potest stare cum peccato, & homo si à se ipsam non expellit; non potest peccare, cum sint simul incompossibilia, ergò verus fidelis, & filius Dei intendere debet jugiter semini Christi, hoc est sanctis inspirationibus, & dictaminibus fidei; & gratiæ; cum enim illis mentem affigimus, excludimus omne semen diaboli, quales sint suggestiones, concupiscentiæ, & peccata, sicque peccare non possumus; qui enim peccat, necesse est, ut attendat, & intendat malo: & si ei non attendat peccare nequit: De hac nativitate spirituali norat plura *S. Ben. coll. 14.* affertque exemplum de Cain filio diaboli, & Abel filio Dei, &c. *Ser. 1. Dom. Quinquag.* signa autem hujus filiationis, quæ affert S. Joannes hìc, sunt tria, primum odium peccati, secundum mortificatio carnis; & omnium malarum cupiditatum; tertium zelus salutis proximi ex amore Dei proveniens. *Ser. 2. de S. Ioan. Bapt. in addit.*

7. Et hinc transit ad dilectionem, & odium proximi. *Nos scimus quoniam diligimus fratres, qui non diligit manet in morte; omnis qui odit fratrem suum homicida est; & talis non habet vitam æternam in semetipso manentem.* Dat per hæc intelligere, quod qui charitatem ad proximum habet, manet in Christi corpore; & hinc est, quod Ecclesia in Missa ante communionem offert pacem, precaturque in tertio Agnus Dei pacem (dona nobis pacem) quia qui discordat à fratre in Christi corpore non potest manere: E contra qui odit fratrem suum, ille homicida est; non enim solum homicida est, qui ictu gladii interficit hominem, sed & qui parat potiones venenti, quod est odium proximi, & ob id homicidii pœnas subit,

exul enim ſit à gratia, & patria, & condemnatur ad patibulum Inferni: Et cum hoc ſit veriſſimum;dic ô Chriſtiane quid perdis, ſi proximum odiſti? numquid non à ſummo bono decideris,& à conſortio Beatorum ſeparaberis perpetuò? quid hoc damnoſius? quid animæ gravius? Attende ergo, & cerne crimen,& nunc proximum diliger ſi vis mortem æternam fugere,& vitam ſempiternam acquirere. *Op. Diæt. tit. 3. cap.4. & tituł.5. c.2.& append.ad Dom. 2.Pentec.opuſc. Expoſ.Miſſa,cap.4.op. Compen.Theol.lib.5.c.64 ſer.9.de Apoſtol.ſer.2. fer.3. Pentec.ſer.2. Dom.24. Pentec. Luc. c.18.v.20.*

8. Ut autem magis excitet fideles ad charitatem proximi, Apoſtolus exemplar proponit Chriſtum,ejuſque charitatem, ob quam animam ſuam poſuit pro nobis ſuis inimicis, ut hinc ediſcamus,& nos pro fratribus animas ponere, ſcilicet vitam temporalem perdere pro ſalute ſpirituali proximi. *Lib.3.d.30.a.1.q.1.Luc.c.12.v.50.Io.collat.49.ſerm.1.& 3. Dom.1.poſt oct.Paſcha: ſerm.4. Dom.4.Pent.ſer.2.Dom.9.Pent.*

9. Hinc ex traditis quaſi conſequentiam Apoſtolus educit per argumentum à minori veroſimili ad majus. *Qui habuerit ſubſtantiam* (ait) *hujus mundi,& viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? q. d. ſi datum vobis eſt dare vitam pro proximo, date ſaltem eleemoſynam proximo, quod vobis eſt facile,* per quæ repetit obligationem dividium faciendi eleemoſynam de ſuperfluis; & ſubdit; *Filioli non diligamus verbo,& lingua, ſed opere,& veritate,* ſcilicet noſtra charitas non ſit verbalis,ſed realis, non otioſa, ſed operoſa,non linguax,ſed veracx. *Lib.1.d.6.q.1.lib.3.d.29.a.1.q.6. op. Diæt.tit.10 c.1 ſer.1. fer.2.Paſcha: ſer. 3. Dom.15 Pent.ſer.2.de plur.Confeſſ.Luc.c.6.v.30.& 35. c.12. v.8.c.16.v.9.10.& 20.Ioan.collat.22.& 68.*

10. Deinde aliud efficaciſſimum motivum affert ad ſuadendum exercitium charitatis, dicens. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum,& quidquid petierimus, accipiemus ab eo; quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus.* Ecce qualis eſt oratio, quæ efficaciter exauditur, quando enim cor noſtrum nos non reprehendit, quando cor noſtrum purgatum eſt ab omni ſorde peccati, & præcipuè ab omni defectu charitatis proximi, tunc fiduciam habemus perfectam in Deum, quia quidquid petierimus, obtinebimus: hinc eſt,quòd orationis efficacia eſt ex fiducia in Deum, fiducia verò oritur, ex obſervantia mandatorum, ſicque oratione fulcitur operatio, & operatione fulcitur oratio; & hoc exigit omnis congruitas, ut qui perfectè facit voluntatem Dei, viciſſim Deus faciat ipſius voluntatem. *Serm.1. Dom.4. Paſcha. ſerm.3. Rogat.Ioan.collat.47.op. de ſex alis Seraph. cap.8.*

11. Concludit autem Apoſtolus explicans quænam ſint mandata, ob quorum obſervantiam, & fiducia ingeritur in corde noſtro, & impetratur quidquid petitur in oratione ſuntque duo; primum eſt ut credamus in nomine filii ejus Jeſu Chriſti; ſecundùm ut diligamus alterutrum. Nota ly credamus, ſcilicet non ſolùm credamus Deum ut ſummam veritatem objectivam; credamus Deo ut motivum, ſed in Jeſum Chriſtum, ſcilicet credendo ipſum amare, in eum ire, ei adhærere, & ejus membris incorporari; & hoc in Jeſum Filium Patris, & in Spiritum Sanctum;ſecundum, ut diligamus alterutrum, quia præceptum dilectionis proximi involuitur in primo præcepto, *qui igitur ſervat mandata ejus* (ait Apoſtolus) *in illo manet, & ipſe in eo.* Ecce aliud prodigium & miraculum procedens ex obſervantia mandatorum Dei; nam ipſa obſervans manet in Deo per cognitionem,& amorem,& viciſſim Deus manet in illo per patrocinium, directionem, & regimen.quaſi illius tutor,cuſtos, Pater tamquam locatum in loco, & hoc per ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam, ſit enim conſors divinæ naturæ. *Op.Centil.p.3.ſect.37.lib.2.d.29.a.1.q.1.& a. 2. q.2 in arg.& d.35.art.2. q.1. in argum. op. Brevil. p.5 cap.1.*

CAP. IV.

1. IN hoc capite Apoſtolus pergit inculcare Chriſti fidem, & charitatem tam Dei,quàm proximi; & primò docet diſcernendos eſſe ſpiritus an ſint veritatis,an erroris hoc ſigno, quod ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe ex Deo ſit, qui verò ſolvit Chriſtum ſit ex mundo, & diabolo: *Nolite* (ait) *omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus,ſi ex Deo ſint, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* Dat igitur intelligere quemlibet fidelem non debere credere omnibus ſuis internis motibus, impulſibus, inſpirationibus, deſideriis, rationibus in ſpecie bonis, ſed ſolerter examinandam eſſe ejus originem, & auctorem,ut ſi is bonus, & amicus ſit acceptetur,ſi malus & hoſtis refutetur, ſic melancholicus ſæpè rationem ſpiritus boni tribuit motibus triſtitiæ,acediæ,puſilanimitatis; cholericus agitur æſtibus,væ, vindictæ, indignationis, & ſæpè ſub ſpecie zeli,&c.& ſic de aliis paſſionibus animi; undè in iſtis paſſionibus ſuſpendendum eſt judicium, donec ſedatis iis, mens conquieſcens poſſit diſcernere, videre, & judicare quid à quo ſpiritu ſit, quid bonum, quid malum, & ad hoc maximè invocandus eſt Spiritus Sanctus, ut det nobis donum diſcretionis ſpirituum; & in hoc præcipuè curent Prælati inſiſtere,ne ſub ſpecie boni ducantur à ſuis paſſionibus: Regula autem potiſſima diſcernendi iſtos ſpiritus eſt ſpiritus Chriſti: In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei, qui ſcilicet confitetur Jeſum Chriſtum, &c. ſcilicet non credendo ſolùm; ſed operando, & imitando ipſum per ſpiritum charitatis, ablegando ſpiritum diſſentionis,& diviſionis. *Op.medit. c.44. op.de dono conſil.c.5.Luc.c.9.v.55.Ioan.c.3.v.8. c.4. verſ. 41.*

2. Docet quis ſpiritum diaboli habet, ſcilicet (ait Apoſtolus) *qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus,de quo audiſtis,quoniam venit,& nunc in mundo eſt.* Soluit autem Jeſum,qui ſchiſma, & diſcordias ſeminat, qui gratiam ab anima fideli per ſcandala tollit;& iſti ſunt Hæretici,& peſſimi homines.qui ſpiritum Antichriſti inſpirant,ſcilicet maximas,& dogmata diaboli,carnis,& mundi inſerunt in animis fidelium. *Ser. 1. Dom.24. Pent. ſer.3.Dom.15. Pent.*

3. Promittit fidelibus victoriam de diabolo, mundo,

mundo, & carne, dummodo ſpiritum Chriſti in corde retineant. *Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eum, quia major eſt, qui in vobis eſt, quam qui in mundo.* q.d. In vobis habitat ſpiritus humilitatis Chriſti, ideò tali ſpiritu, qui eſt ſuperior omni potentatu mundano, mundum, & diabolum ſuperabitis. *Luc c.12, v.11. ſer.1. omn. SS. in addit.*

Addit hîc *S. Ambroſ.* Nolite timere ô fideles, vel formidare quamlibet copioſam hoſtium multitudinem, quoniam, ſicut ait Apoſtolus. *Major eſt, qui in vobis eſt, quàm qui in mundo*; hoc eſt potentior eſt ad protegendos famulos ſuos Chriſtus, quàm diabolus ad inſtigandos inimicos; quamvis enim idem diabolus colligat ſibi turbas, & crudeli eas armet inſania, tamen facilè deſtruuntur, quia melioribus populum ſuum ſalvator circumdat auxiliis, armatque potentioribus armis, qualia ſunt præcepta divina, jejunia, eleemoſynæ, orationes, fides, ſpes, charitas, aliæque virtutes.

4. Aliud etiam ſignum aſſignat dignoſcendi ſpiritum Chriſti, & ſpiritum diaboli. *Ipſi de mundo ſunt* (ait Apoſtolus) *ideò de mundo loquuntur, & mundus eos audit: nos ex Deo ſumus, qui novit Deum audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos. chariſſimi diligamus nos invicem, qui non diligit, non novit Deum.* Primò enim dicit, quòd qui eſt de mundo, ſcilicet qui ſpiritum mundi habet, & per conſequens diaboli, de mundo loquitur; & ex conſequenti qui ſpiritum Dei habet, de Deo loquitur, & libenter audit verba ejus; undè peſſimum ſignum eſt videre hominem, ex cujus ore non niſi inundana, detractoria, ſpurca, inſulſa, ridicula, fatua, & vana exeunt. E contra optimum ſignum eſt illius, qui & libenter audit, & loquitur verba utilia, ædificatoria, ſpirantia charitatem, pacem, & concordiam: *Ser.2. de Evangeliſt. ſer.1. de uno S. Doct.*

5. Rursùs redit ad virtutem charitatis explicando ejus magnalia. *Diligamus invicem chariſſimi, quia charitas ex Deo eſt, qui non diligit non novit Deum; quoniam Deus charitas eſt*; & infrà ad v.16. idem repetit *Deus charitas eſt*, & addit, *& qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo.* In qua ſententia quot verba ſunt, tot theſauri cœleſtes panduntur. q.d. Diligamus nos invicem; ſcilicet hoc eſt ſignum, & teſſera dignoſcendi ſpiritum veritatis à ſpiritu erroris, & hoc eſt, quia charitas ex Deo eſt; ſcilicet charitas increata promanat ex ipſa eſſentia divina, ſicut & Spiritus Sanctus; charitas creata eſt ex Deo, quia eſt donum ſummum, & nobiliſſimum Dei, quo anima illuminatur, & accenditur igne cœleſti; & per conſequens qui non diligit practicè Deum, & proximum, ſpiritu Dei caret; quia Deus charitas eſt, & infrà ſubdit, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo; nempe quia Deus charitas eſt increata, & ob id finis eſt, in quo quieſcitur; & quia ex Deo deſcendit in animam charitas creata, ideò hæc eſt finis, quo ipſa anima quieſcit in Deo, & hæc eſt conſummata in patria, & in via eſt inchoata; undè ſicut locatum non quieſcit in loco, niſi mediante pondere, ſic anima in Deo non habet quietari, qui eſt ejus locus, & finis ultimus, niſi mediante pondere charitatis, & amoris: ergo ſi Deus charitas eſt, nihil melius charitate; & ſi quis manet in charitate, & per conſequens in Deo manet, nihil charitate ſecurius: ſi verò Deus in eo manet nihil charitate jucundius, ex quibus reſultat inter Deum, & animam mirabilis quædam unio, & in unione mirabilis delectatio; ô benedicta, & beata, & diligenda charitas. *Lib.1. d.38. a.1. q.2. op. de reduct. artium. op. de dono conſil. c.4. op. de dono intell. c.1. ſer. 2. Hexam. op. de ſeptem itin. ætern. d.6. op. ſtim. p.2. c.12. op. Comp. Theol. lib.5. c.25. & 41. Luc. cap.2. v.16. c.6. v.27. c.18. v.13. Joan. collat.77. ſerm. 2. de plur. Confeſſ.*

6. Proſequitur declarando infinitam charitatem Dei in nos, dicens; *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum; in hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos; & miſit filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Dat nobis intelligere in his verbis Apoſtolus, quòd ſumma dilectio, quam nobis oſtendit mittendo filium ſuum, ex ipſo fonte charitatis divinæ primò derivavit abſque ordine ullo ad noſtra merita, & dilectionem noſtram, nam ex parte noſtri ſolùm peccatum, & demeritum apparebat; ergo merito dicitur quòd Prior ipſe dilexit nos; quia dilexit nos antequam eſſemus, & ideò verè Prior ordinis charitatis eſt: ergo (concludit Apoſtolus) ſi ſic dilexit nos Deus, & nos debemus alterutrum diligere, q. d. ergo qui vult eſſe, & vivere ſub iſto Priore, debet ordinem charitatis initiare, ſcilicet amando Deum, & pro Deo proximum: hoc enim eſt; quod pro gratitudine à nobis exigit Deus pro tanta charitate; nempè ſi pro nobis animam ſuam poſuit, & nos multò magis debemus pro ſalute proximi animam ponere. *Lib.3. in prol. Luc. c.6. verſ.* 32. *c.* 8. *v.* 51. *c.*20. *v.*13 *Joan. collat.*68. *ſer.*1. *ſer.*2. *Pentec. Pſal.*118. *c.*9. *v.*12. *c.*11. *v.*7 *op. de Prof. Relig. lib.*2. *c.*13.

7. Hinc probat ſublimiſſimo modo, cur ex dilectione Dei in nos, ex qua prima facie videbatur debere inferri, ſi Deus tantum dilexit nos, ergo & ipſum nos debemus diligere? intulit tamen, ergo & nos debemus alterutrum diligere: ratio eſt, quia Deum nemo vidit unquam; q. d. quia ſcilicet Deum videre, & benefaciendo diligere non poſſumus, hinc vice Dei benefaciendo proximo, quem videmus, teſtamur amorem noſtrum in Deum, quia hanc dilectionem proximi ſibi factam reputat Deus; ergo videndo proximum, ipſum diligendo, Deum in ipſo videre poſſumus: Nota, quod dicit, *nemo vidit Deum unquam*; quod pluribus modis exponi poteſt: primo nemo vidit Deum, ſcilicet viribus propriis naturalibus: ſecundo nemo vidit facie ad faciem in via, undè nec Moyſes, nec Paulus, nec alius (dempto Chriſto, & Maria) tertiò nemo vidit, ſcilicet comprehenſivè, ſolus enim Deus ſeipſum comprehendere poteſt: quartò nemo vidit Deum oculo corporeo; & hinc elicitur myſterium *ex D. Aug.* Si non poteſt Deus videri oculo corporeo, nec viribus noſtris nec dum ſumus in via, ergo à nobis quærendus, ut in cor intret ſpiritualiter; unde ſubdit, *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta eſt; In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis.* Ex quibus firma ſtat prerioſitas charitatis proximi apud Deum, unde ſequitur, quod ſi Deum dili-

gis, Deus tecum manet, ſic etiam ſi diligis proximum omne odium relinquendo, neque factis, neque verbis proximo nocendo, ipſique benefaciendo, Deus tecum manet: Chriſtus enim cum Maria, & Martha libenter manſit: In Maria erat charitas, qua Deo inhæretur, in Martha charitas, qua proximo miniſtratur. *Luc. c.*10. Unde benè dicitur, qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo: igitur ſicut ibi nullus manere poſſet, ubi ſedenti nullus locus daretur, ſic nec Chriſtus ſine charitate in nobis manet; charitas enim & ſedem, & locum ſedendi in anima præparat Deo, per quam dicitur, quòd de ſpiritu ſuo dedit, & dat nobis, quia charitas attrahit Spiritum Sanctum ad animam, cor pacificat, mentem in tentationibus roborat, & ut ſedes ſapientiæ ſit in anima juſti, quietem tribuit, & locum præparat. *Lib.*3.*d.*14.*a.*1.*q.*3.*corp. Luc. cap.*16. *v.*10.*lib.*1.*d.*17.*p.*1.*dub.*4 *ſer.*1.*ſer.*2 *Paſchæ.op.ſtim.* p.2.*c.*16.

8. Nota, iterùm hæc verba de charitate. *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Nota inquam mirabilia de charitate: Deus charitas increata manet in amante quaſi in charitate ſacra, ſed creata manet inquam non tantùm per charitatem, ſed & per ſuam eſſentiam, & ſubſtantiam novo quodam modo: hinc & amans manet in Deo tamquam objecto cognito, & dilecto, quod amans diligit dilectione ſupernaturali; amor enim eſt occupatio amantis circa amatum ipſius amati cauſa, manet igitur ſicut anulus in anulo reciprocè; charitas enim eſt vis unitiva, & reciproca, quæ amantem transformat in amatum, & amatum in amantem: ô amor quid facis? quid hoc amore nobilius? quid utilius? quid ſuavius? & tamen omnes, aut quaſi omnes negligunt hunc amorem: Hinc eſt, quòd Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, ut ipſe maneret in nobis, & nos in eo; ut hoc Sacramentum eſſet fomes, & follis charitatis, & ut in id, quod ſumimus tranſeamus. *Op. de ſeptem itin. ætern. d.*6. *op. ſtim.p.*2. *c.*12. *Ioan. collat.* 77. *lib.*4.*d.*10.*a.*1. *q.*1. *ad* 2. *&* 4. *& d.*12.*p.*2.*a.*1.*q.*3.*ſer* 4.*in Cœna Domini; op.Brev. p.*6.*c.*9 *op. legenda S. Franc. c.*9. *Vbi hos effectus enarrat operatos in B. Franciſco.*

9. Addit alium effectum mirabilem charitatis, dicens. *In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii, &c.* charitas foras mittit timorem. q.d. cum charitate non ſtat timor, ſcilicet ſervilis, vanus, mundanus, ſed è contra fiduciam mirabilem præſtat, ita ut anima amans cum ſecuritate, & fiducia libenter ſe offerat coram Iudice. *Pſ.*118. *v.*9. *v.*4. *lib.*3. *d.*15. *dub.*3. *& d.*30.*q.*3. *& d.*34.*p.*1. *dub.*3.*& p.*2.*a.*2.*q.*2.*& d.*43. *dub.*4.*op. Diæt. tit.*10.*c.*5. *op. legenda S. Franc. c.*9. *op. de Prof. Religioſ. lib.*2.*c.*72. *op. Apol. Paup. reſp.*2. *c.*3. *op. Comp. Theol. lib.*5.*c.*42. *ſerm.*2. *de S. Anton. in addit.*

10. Repetit aliud motivum ad charitatem proximi. *Qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Videtur hoc inordinatum; nam ad amorem Dei excitat nos fides exiſtens in anima, per quam Deus ſummè diligendus cognoſcitur; & hinc eſt, quòd hoc præceptum ordinatur in Deum, nam amoris ad proximum adſunt multa ſenſibilia; ſed tamen optimum eſt argumentum, & optimè ordinatum; charitas enim licèt primariò feratur in Deum, tamen quia ejus exercitium ordinatum ad perfectionem eſt primò in vita activa, & ob id ad proximum, poſteà ad contemplativam in Deum; hinc eſt, quòd ſecundùm hunc reſpectum prior eſt dilectio proximi, quàm dilectio Dei; qui enim vult eſſe perfectus amator Dei prius debet ſe exercere in amore proximi, ſicut qui vult eſſe bonus contemplativus, prius debet eſſe bonus activus; Et in hujus rei ſignum bis datus eſt Spiritus Sanctus: primò in Terra *Ioan. capit.* 20. ſecundò de Cœlo *Act.*2. quia priùs amorem charitatis oportet exercere in his, quæ videmus, ut per amorem viſibilium in amorem inviſibilium rapiamur, & hinc optimè dicit Apoſtolus, *qui enim non diligit fratrem, &c. lib.*3.*d.*27.*a.*2. *q.*4.*ſerm.*3. *Dom.*17. *Pentec.*

11. Et hinc rectè concludit Apoſtolus. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*, ſic enim oſtendit hæc duo præcepta colligata in unum præceptum charitatis, ſcilicet in Deum, & proximum. *Op. Diæt. append. ad Dom.*1. *Pentec.*

CAPUT V.

1. IN hoc capite Apoſtolus pergit commendare fidem, & amorem erga Deum, & Chriſtum incarnatum, & proximum, & fructus aſſignat & motiva dilectionis: & primum eſt Nativitas divina: *Omnis qui credit* (ait) *quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt, & omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit & eum, qui natus eſt ex eo; In hoc cognoſcimus, quoniam diligimus natos Dei, &c.* Vide hic catenam auream propoſitam ab Apoſtolo: omnis, qui credit, ſcilicet fide viva, quæ dilectionem, & opera comitatur, ex Deo natus eſt, ſcilicet nativitate ſpirituali, & divina, quæ fit per fidem, charitatem, & gratiam, qua fit non ſolùm amicus, ſed filius; hæreſque Dei, & conſors divinæ naturæ; & iſte verè diligit & Patrem, & filium ex Patre natum, & per conſequens diligit & cæteros filios Dei, quaſi illius membra, & fratres, hinc confirmat ſemper arctius præceptum charitatis in Deum, & præcipuè in proximum, in quo primum locum obtinent Chriſtiani, qui propriè filii adoptivi ſunt, ſecundariò cæteri, qui ſunt tantùm creatione. *Sermon. ſecundo. Dom. duodecimæ, Penteceſt. libro tertio d.* 29. *articul. prima quæſt.*5.

2. Confirmat propoſitionem traditam, & addit, quòd hæc dilectio Dei & proximi nos impellit, & excitat ad obſervantiam mandatorum Dei ex hoc, quod mandata ejus non ſunt gravia, cur non gravia? non gravia, quia cum lex Evangelica ſit lex amoris; amanti nihil grave, ſed leve, nam amor homini eſt veluti avis cum pennis ipſam facile elevantibus in altum, unde ſequitur, quod non amanti gravia ſunt. *Lib* 3. *d.*40.*art.*1.*q.*3.*Pſal.*118.*cap.*3. *v.*3.*& cap.*7. *verſ.*8. *ſer.*1.

ſer. 1. de dec. prac. Et ad hanc rem dicit Deus *Deut. c. 30.* Mandatum, quod ego præcipio tibi, non ſuper te eſt, non procul poſitum, nec in Cœlo ſitum, ut poſſis dicere, quis noſtrum valet ad Cœlum aſcendere? quis ex nobis poteſt mare tranſfretare? ſed juxta te eſt &c. quia poteſt quidem homo dicere, non poſſum jejunare, non poſſum ire ad S. Jacobum, non poſſum res meas pauperibus dare, & in monaſterio Deo ſervire, non poſſum à carnibus, à vino abſtinere; ſed numquam poteſt dicere non poſſum amare; quid facilius? quid dulcius? quid amabilius, quàm amare, & maximè ſummum bonum tibi tam beneficum. *Ser. 1. de Evangeliſt.*

3. Probat quod dixerat Apoſtolus mandata non eſſe gravia dicens: *quoniam omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum; & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra:* q.d. qui natus eſt ex Deo, ſcilicet fidelis fide, & charitate iſte triumphat de mundo, ejuſque cupiditatibus, quibus devictis, nihil difficultatis remanet in Dei ſervitio, dummodo anima armata fide operetur. *Op. Dict. tit. 5. cap. 3. & append. ad Dom. 1. Paſchæ Ioan. collat. 15. & 74.*

4. Confirmat facilitatem talis victoriæ obtinendæ ex hoc, quod Chriſtus venit in mundum in aqua, & ſanguine, ſcilicet ad delendam culpam per baptiſmum, & ſanguinem effuſum in cruce, quæ ex latere Chriſti effluxerunt. *Ser. 2. Dom. 4. Adv.*

5. Hunc autem adventum Chriſti in mundum confirmant tres perſonæ divinæ in Cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, ut patet ex tota ſerie Sacræ Scripturæ; & tria teſtimonia in terra; Spiritus, aqua, & ſanguis, vel corpus, anima, & divinitas; vel Spiritus ſanctificationis, aqua regenerationis, & ſanguis redemptionis. *Lib. 3. d. 40. dub. 3: ſer. 8. & 9. Hexam. Luc. c. 3. v. 22. c. 22. v. 12. Ioan. c. 6. v. 66. op. Comp. Theol. lib. 1. c. 11. ſer. 2. & 3. Dom. Trinit. ſer. 3. de Rector. in addit.*

6. Ex adventu Chriſti in carnem, ex præparatione facta per Sacramenta, & gratiam ad noſtram redemptionem, elicit Apoſtolus qualem fiduciam habere debemus in ipſum, & cum hac fiducia, quænam petere debeamus: ut nobis concedat Dominus quæcumque petierimus: *Hæc ſcribo vobis* (ait Apoſtolus) *ut ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filii Dei*; ſcilicet quia vita æterna nobis præparata eſt per ſanguinem, aquam, & ſpiritum, & hoc eſt fiducia, ideſt fructus fidei in Chriſtum, eſt fiducia obtinendi quidquid petierimus ſecundum voluntatem ejus; nota hanc particulam (ſecundum voluntatem ejus) ſcilicet ut petens ſit dignus per fidem ſociatam charitati; qui digna petat, & congrua, quæ ſcilicet vel ſint ſpiritualia, vel temporalia, ordinata ſint ad ſalutem animæ; & hoc dignè petendum eſt, ſcilicet attente, fiducialiter, & talibus modis Deus veluti cogitur, & quadam importunitate vincitur, ut exaudiat preces noſtras. *Op. de ſex Alis Seraph. c. 8. ſer. 1. Dom. 4 poſt oct. Paſchæ ſer. 3. in Regul.*

7. Redit iterum ad exercitium charitatis proximi præſtandum in oratione dicens: *Qui ſcit fratrem ſuum peccare, peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem; eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico ut roget quis: omnis iniquitas, peccatum eſt, & eſt peccatum ad mortem.* In quibus verbis primò aſſignat duplex genus peccati, aliud ad mortem, aliud non ad mortem; pro peccatore ſecundi generis, jubet ut fundatur oratio, quia ſi eſt cum debita fiducia exaudietur, & ſalvabitur: pro peccatore primi modi, ſcilicet habente peccatum, mutat tenorem dicens, non pro illo dico, ut roget quis; ſed quodnam eſt hoc peccatum ad mortem? Varii variè reſpondent, certius eſt, quòd duplex eſt peccatum ad mortem, aliud irremiſſibile, eſtque illud quod perducit ad mortem, nempè deſperatio, & impœnitentia; pro tali peccatore prohibet Apoſtolus orationem; eſt enim fruſtratoria; undè ſenſus eſt; non pro illo dico, ut quis roget, ſcilicet nemo ſive magnus, ſive parvus pro illo oret: aliud peccatum ad mortem, quod diſponit ad mortem, ut eſt blaſphemia, ſcandalum, ira, aliudque enorme, quod cum difficultate remittitur; pro iſto non dico, ut quis roget, ſcilicet quævis perſona, quia difficile eſt pro tali peccatore exaudiri, eo quòd omnes iſti veluti incorrigibiles tractandi ſunt: Nota tamen, quòd de his omnibus, dum ſunt in via Apoſtolus non prohibet abſolutè ut fiat oratio Deo, ſed ſolùm poſt terminum hujus vitæ; ſed tantùm intendit oſtendere, quòd monitio, qua dixerat orandum eſſe pro proximo, non ſe extendit generaliter reſpectu omnium, ſed reſpectu eorum, de quibus probabiliter ſperare poſſumus, quòd noſtris orationibus emendentur. *Lib. 2. d. 43. dub. 1.*

8. Deindè notat Apoſtolus totum mundum in maligno poſitum eſſe, ideſt in malo igne veluti in clibano ignito, & replero omnibus iniquitatibus, quæ ibi abundant: In hunc clibanum venit filius Dei, ſed tamen ipſum non tetigit talis ignis; ſicut nec illum, qui natus eſt ex Deo, qui ſcilicet filiationem Dei in ſe conſervat; ergo & nos ſtemus in filio Dei per fidem & gratiam, quam ab eo ſugimus, ſi nolumus uti ab hoc igne, qui totum mundum combuſſit: Quod nobis dignetur concedere Dominus Jeſus Chriſtus filius Dei.

Explicit expoſitio Seraphica in Epiſtolam primam S. Joannis.

EPIST

EPISTOLA II. S. JOANNIS.

IN hac ſecunda epiſtola Apoſtolus laudat Electam, quæ erat ſancta mulier, de fide & charitate, quam exercebat in ſanctos; & iterum refricat obſervantiam hujus præcepti charitatis, ut per eam non deperdantur merita acquiſita, & conſervetur gratia Dei. Vide op. de ſex Alis Seraph. c.7. Pſal.118.c.9.v.15.

EPISTOLA III. S. JOANNIS.

HÆC epiſtola eſt ad Cajum ſuum chariſſimum diſcipulum: ipſumque exhortatur, ſimulque laudat de hoſpitalitate ſua in fideles peregrinos, hancque virtutem exaltat; ſicut ex adverſo accuſat inhoſpitalitatem Diotrephis; & ſic cum ſolita precatione ſalutis, & ſalutatione terminat epiſtolam: Vide op. Eccleſ. Hier. p.1.c.1. Luc. cap.14. v.12. op. de Paup. Chriſti q.1.a.2.

EXPOSITIO

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS

S. BONAVENTURÆ IN EPISTOLAM S. JUDÆ APOSTOLI.

PROLOGUS.

HÆC epistola scripta fuit à S. Iuda Apostolo fratre S. Iacobi minoris, qui frater Domini cognominatus fuit; quia fuit filius Cleophæ, seu Alphæi, & Mariæ Iacobi sororis (ideſt cognatæ, seu concubinæ Mariæ Virginis) quæ quatuor filios habuit, Iacobum, Iudam, Simonem, & Ioseph qui electione S. Matthiæ fuit competitor: In hac epistola intendit maximè confutare hæreses tunc temporis enascentes in Ecclesia, & ob id hæreticorum mores graphicè depingit, sicut & invehit contra blasphemos, luxuriosos, ideo similis est epistolæ secundæ S. Petri: qui vult alia ad prolegomena hujus epistolæ adeat *Glossam, Lyranum, Cornelium, &c.*

CAPUT UNICUM.

1. SANCTUS Judas postquam ad modum oratoris perfecti conciliavit benevolentiam in exordio, vocando eos, ad quos scribit, dilectos, & charissimos, & ostendendo omnem erga eos amorem, & sollicitudinem, & ob id etiam se appellat fratrem Jacobi, tùm ut à Juda Iscariothe se distinguat tum ut auctoritatem, & benevolentiam simul sibi conciliet à fratre tàm sancto, ac celebri; item & attentionem, dum ait se scribere de communi omnium salute; item & docilitatem, dum ait se non aliud, quàm semel traditam fidem eis inculcare, & propugnare, hocque esse totius epistolæ argumentum; postquam etiam eis precatus est misericordiam, & pacem, & charitatem, descendit ad explicandos pravos mores hæreticorum, ut simul fideles admoneat, ut maximâ diligentiâ caveant, & etiam evitent pœnas ipsis à Dei justitia paratas; sicut in Israëlitis salvavit credentes, & perdidit incredulos; simulque proponit gratiam nobis per Christum factam per fidem, & charitatem: de quo argumento *Vide serm. 1. Dom. 2. post oct. Epiph. ser. 2. Do. 19 Pent. Luc. c. 10. v. 12. c. 17. v. 30.*

2. Ne fideles imitentur mores impiorum, & hæreticorum, qui impudentissimè audent blasphemare majestatem Dei, & Domini nostri Iesu Christi, Mariæ Virginis, Angelorum, & sanctorum, & fidelium Ecclesiæ Catholicæ, affert exemplum de altercatione, quæ fuit inter S. Michaëlem, & Luciferum circa corpus Moysis (hæc autem fuit, ut fert communis opinio Patrum) quia diabolus volebat corpus Moysis populo Judæorum propalare, ut hinc erueret occasionem incidendi in idololatriam; Michaël verò ei obstitit, ad majus beneficium ipsius populi; in altercatione verò Michaël non est ausus diabolo inferre contumeliam, & maledictionem, sed tantùm usus est potestate Dei dicens, imperet tibi Deus; & hoc fuit quia talis maledictio ad nihil inserviebat, ut potestatem diaboli contunderet, sed per hoc ministris Ecclesiæ dedit instructionem, ut in altercatione & exorcismis contrà diabolum recognoscant ex parte sua propriam imbecillitatẽ se humiliantes coram Deo, & utantur fidentes potestate Christi eis, & Ecclesiæ collata: notatur etiam hoc, ut instruat Ecclesiam, ne maledictione, & excommunicatione utatur contrà impios, nisi ad correctionem, & profectum ipsius contumacis, & aliorum fidelium Ecclesiæ. *Lib. 4. d. 18. p. 2. a. 1. qu. 2. Luc c. 4. v. 16.*

3. Proponit pessimos errores Cain; Balaam, & Core, ut fideles ab ipsorum imitatione caveant: Cain enim peccavit invidia, & fratricidio: Balaam avaritia, magia, impietate, & obscœnitate: Core seditione, rebellione, & schismate: *Va* (ait) *illis, qui in via iste rum pessimorum abierunt. &c.* de quo argumento: *Vide ser. 3. in Pent ser. 2. Dom. 24. Pent. op. spec. B. Virg. lect. 2. Luc. c. 6. v. 43. c. 13. v. 8. op. Eccles. Hier. p. 4. c. 3. ser. de SS. Sim. & Iuda.*

4. Ut autem ferventius fideles evitent similes errores proponit judicium, & sententiam, quam Christus Iudex supremus daturus est contra eos: de quo *Vide ser. 4. Dom. 2. Adv. ser. 1. Dom. 3. Paschæ Ser. 2. in Ascens.*

5. Et tandem admonet Prælatos, ne in Ecclesia sinant eos liberè evagari eosque vult, ut corrigant, puniant ad ipsorum, & aliorum profectum de quo vide *Op. de sex Alis Seraph. c. 1.*

Et tandem explicit epistola tribuens Deo honorem, & gloriam, &c.

EXPOSITIO SERAPHICI DOCTORIS S. BONAVENTURÆ IN APOCALYPSIM SANCTI JOANNIS.

PROLOGUS.

APOCALYPSIS liber ſcriptus eſt à S. Ioanne Evangeliſta, in quo ſe Prophetam trad t Eccleſiæ novi teſtamenti, ſtatuſque varios Eccleſiæ, & præcipuè futuros in fine mundi deſcribit: plurimaque & maxima myſteria in ipſo involuit, quæ ſecundùm ſenſum omnium ſanctorum ſunt difficillima, & ſine lumine peculiari Dei non poſſunt agnoſci: De hoc libro aliquas expoſitiones trademus ex Seraphico Doctore, in cæteris remittentes lectores ad ſacros Expoſitores.

CAPUT PRIMUM.

1. IN hoc primo capite Apoſtolus aſſignat titulum & elogium hujus libri Apocalypſis, ſcilicet revelationis, dicens, Chriſto Jeſu palam, & apertè revelata fuiſſe à Patre in ſua conceptione omnia, quæ competebant illi ut Redemptori, & quæ tempore, & loco ipſe revelare debebat ſponſæ Eccleſiæ ſignificatæ in ſeptem Eccleſiis, quibus dirigitur iſte liber, in quo continentur plura myſteria Ioanni revelata magis profutura, & neceſſaria ſcitu Eccleſiæ, ſed tamen ex his multa ſunt ſub ænigmatibus tradita, alia verò apertè tradita, videlicet præcepta vitæ, exhortationes ad perſeverantiam, & patientiam tempore perſecutionis, judicium futurum univerſale, gloriam bonis, & pœnam malis præparatam, & ſimilia & de iſtis primo loco præcipuè dicitur.

2. *Quæ oportet fieri citò, loquens per Angelum ſervo ſuo Ioanni:* Ad litteram, ly, *quæ oportet fieri citò*, vult dicere, quæ citò incipient, ſcilicet variæ perſecutiones Eccleſiæ, quæ in principio ipſius inceperunt duraturæ uſque ad finem mundi: myſticè alludit ad præcepta, & exhortationes ad patientiam, & bona opera cum aſſidua diligentia præſtanda ante mortem, & judicium: hæc enim oportet fieri citò, ſcilicet vitando acediam, ſed diligenter, & ſollicitè dum tempus habemus; & hoc quia magnum iter à terra ad Cœlum nobis faciendum, tempuſque eſt breve; tùm quia expectamur ab Angelis, & ſanctis; tùm quia vocamur ad magna, ſcilicet ad acquiſitionem regni Cœlorum; tum quia multa ſunt impedimenta nobis occurrentia, à nobis vitanda: tùm quia poſt hanc vitam non poteſt redimi quod amiſſum eſt; tùm quia maximum donum, ſcilicet gratia Dei nobis offertur: tum quia hoc tempus breve nobis conceſſum eſt; tempus plantandi per charitatis radicationem, putandi per peccatorum confeſſionem, ſerendi per eleemoſynarum largitionem, metendi per bonorum operum accumulationem, domandi animalia per carnis mortificationem, curandi vulnera per pœnitentiæ medicationem, lavandi veſtes per lachrymarum effuſionem; ſaliendi carnes per continentiæ ſatisfactionem: hæc omnia oportet fieri citò, dum tempus, & vitam habemus. *Op. Diæt. tit. 1. c. 7.* Et hinc ad omnia illa citò exequenda ſubdit: *Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ hujus, & ſervat ea, quæ in ea ſcripta ſunt; tempus enim prope eſt*; vel ut legit Græcus opportunitas uberrimum fructum ex iſtis capiendi; ſcilicet non ſolùm audiendo, & percipiendo ea, ſed & exequendo. *Luc. 8. 17. v. 31.*

3 Subditur epiſtola, ſeu dedicatio libri, nempè ſeptem Eccleſiis, quibus prædicaverat, eiſque gratiam & pacem precatur. Nota, quod ad litteram fuerunt quidem ſeptem Eccleſiæ, quibus prædicavit Joannes, ſed myſticè hoc numero amplectitur omnes Eccleſias, imò totam Eccleſiam continentem ſub ſe omnes particulares Eccleſias: Precatur autem gratiam, & pacem omnibus fidelibus ab eo, qui eſt & qui erat, & qui venturus eſt; & à ſeptem ſpiritibus, &c. & à Ieſu Chriſto, &c. alludens primò ad Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, de quibus prædicatur æternitas complectens præteritum, præſens, & futurum tempus, à quo Eccleſia initium habuit, habet progreſſum, & habebit conſummationem: Nota autem quod gratia, & pax connectitur cum tribus perſonis divinis, quia cum in anima adſit imago SS. Trinitatis per gratiã, & pacem divinam reformatur, ſublevatur, & pax Patris & Filii, & S. ſancti in ea collocatur cum ſeptem ſpiritibus, ſcilicet donis Spiritus ſancti, & à Jeſu Chriſto, ſcilicet cum participatione ſanguinis ejus. *Ser. 2. fer. 3. Paſcha. ſer. 3. Dom. in Albis op. Eccleſ.*

Eccleſ. Hier. p.1.c.1. Nota autem, quòd ad litteram hîc innuuntur ſeptem ſpiritus in conſpectu Dei aſtantes: eſt enim communis opinio, quòd ſeptem Angeli, quaſi ſtipatores, ac primores Regis cæleſtis aſſiſtunt ei parati ad omne imperium Dei vel per ſe, vel per alios Angelos inferiores exequendum, præſertim in cura, & adminiſtratione hominum, de quibus v. de plura apud Cornelium hîc; iſtos autem præponit Chriſto, licet ipſorum Principio, quia de Chriſto homine deinceps continuandus erat ſermo.

4. Proſequitur poſtea de Chriſto varia attributa dicens: *qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis in ſanguine &c.* Dicitur autem primogenitus mortuorum, quia primus reſurrexit à mortuis, ut per ſuam reſurrectionem nobis mereretur noſtram: dicitur Princeps Regum terræ, quia Princeps eſt conſtitutus totius Eccleſiæ, qui ſanguine ſuo lavit nos à peccatis omnibus. *Ser.2 fer.3. Paſchæ. fer 4. in ſeptuag. lib.4. d.3. p.2. qu.1. ſer.1. & 2. in Cœna Domini op. Diet. tit.10. c.3. Luc. c.5. v.24. c.12. v.50. c.22. v.20. Ioan. collat.60 ſer 8. de Apoſtol.*

5. Et cum Chriſtus ſit Princeps Regum terræ; ideò voluit tantùm ſub ſe Reges, & ſacerdotes qui dilexit nos, & fecit nos regnum, & ſacerdotes, ſcilicet ut veluti Rex Regum haberet regnum, in quo regnaret, & Reges, ſuper quos dominium exerceret, fecit nos ſuum regnum per gratiam in præſenti, & per gloriam in futuro, & ſic nos Reges regentes noſmetipſos, & ſibi ſubjectos viventes conſtituit, ſimulque fecit nos Sacerdotes, ſcilicet myſticos offerentes Deo ſpirituales hoſtias, ſcilicet orationes, eleemoſynas, jejunia, aliaque pia opera: vel ut exponunt alii fecit in populo Chriſtiano nos ſacerdotes veros. *Op. Diet tit.10. c.2. Luc. c.11. v.2. c.14. v.31. Idem & repetit infrà c.5. v.10.* Ex quo redundat ipſi Chriſto gloria, & imperium, quia ex Chriſti gloria, & imperio derivat, quod Eccleſia Chriſti de ſuis hoſtibus triumphat.

6. Subdit judicium futurum Chriſti: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.* q.d. Citò veniet Chriſtus ad judicium, & jam ſpiritu prophetico eminus video illum venientem, quia mihi in ſpiritu ad Deum elevato omne hoc tempus, quod ſub eo fluit uſque ad diem judicii, breve videtur, & breve eſt reſpectu æternitatis: Veniet igitur in eadem natura judicaturus, in qua venit judicandus; & videbit eum omnis oculus &c. ſcilicet videbitur univerſaliter corporaliter, & terribiliter: univerſaliter, quia videbit eum tam bonus quàm malus, ſed bonus videbit eum glorioſum, ejuſque divinitatem, malus autem ſolùm corporaliter, ſed terribiliter: undè addit, *& qui eum pupugerunt*; oſtendet enim in judicio non ſolùm vulnera, & cicatrices, ſed ipſam crucem, & mortem exprobratiſſimam; ait & qui eum pupugerunt, pungitur autem Chriſtus non ſolùm à crucifixoribus, ſed quotidiè à tortoribus fidelium: item videbitur terribiliter, undè addit, *& plangent ſuper eum omnes tribus terræ*, ſcilicet quia Chriſto non obedierunt, ideoque plurimi damnabuntur; ſi ergo non vis tunc plangere propter ſententiam, nunc plange per pœnitentiam; plange paululum in mundo, ne plangas plurimum in Inferno. *Ser.4. Dom.2. Adv. ſer.1. Dom.2. poſt oct. Paſchæ. Luc. c.12. in fine c.17. v.24. c.19. v.38.* Subdit, *Etiam Amen*: Græcè: Amen, ideſt autem, nempè ita erit & fiet fideliter ſicut dictum eſt. *Op. in Pater.*

7. Ut autem oſtenderet Deum quaſi principium & finem, Orbi, Eccleſiæ; omnibuſque quæ in ea geruntur principium, & finem dare: Rurſum Deum, ſicut Eccleſiam Chriſti oriri fecit; eique dedit principium, ita pariter eam provecturum, & promoturum in finem, & perfectionem ultimam; ac perindè fideles non debere timere Domitianos, & Decios, quia Deus ipſis definiet tam principium, quàm finem, eamque ita moderabitur, ut non patiatur ſuos tentari ſuprà vires, ideò ſubdit: *Ego ſum Alpha, & Omega principium & finis*: ideſt primò ego ſum principium, & finis, ſcilicet ſine principio, & fine, ideo æternus, & ob id eſt antequam nihil eſſet, & per quem factum eſt quidquid eſt, & finis etiamſi omnia intereant ſuperſtes: ſecundò principium effectivum omnium, & cauſa finalis, & conſummator omnium: tertiò ego ſcilicet Chriſtus ſum Alpha per divinitatem, & Omega per humanitatem. *Luc. c.1. v.55. c.18. v.19. Ioan. collat.1. lib.1. d.29. qu.1 in fine lib. 2. in Prol. & d.41. a.1. qu.3.* Dat hîc intelligere, quòd in Chriſto facta eſt recapitulatio omnium, quæ ſunt in Cœlo, & in terra creata, & increata; & hinc meritò Beata Virgo, in qua facta eſt unio divinitatis, & humanitatis, Cœli terræque myſterium dicitur.

8. Ut oſtenderet Apoſtolus, quòd qui cum Chriſto ſunt ſocii tribulationum, fiant & conſolationum, & regni ſubdit: *Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto Ieſu fui in inſula Patmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu; fui in ſpiritu &c. Vide in Luc. c.5. v.10. v.22 v.29.*

9. Ut autem oſtendat ex quo fonte emanarunt myſteria in hoc libro ſubdit: *Ego fui in ſpiritu in dominica die.* (Nota, ly, *dominica die*, ergo à tempore Apoſtolorum cultus Sabbathi tranſlatus fuit in dominicam diem ob honorem Reſurrectionis Chriſti.) Quid eſt fui in ſpiritu? ergone ſeparatus fuit ſpiritus à carne? minimè hoc; ſed fui in ſpiritu ait, nempè in memetipſum intravi, & intra memetipſum totum me collegi, non quidem per ſeparationem animæ à carne, ſed ſpiritui æternitatis, & ſancto ita adhæſit mens mea, & à Spiritu ſancto docente aſſumptus fuit ſpiritus docendus, ut tam profunda, & alta, & tam mirabilia viderem, & audirem. *Op. de ſeptem ultim. æter. d.3. Luc. c.12. v.12.* Addunt hîc alii Patres: fui in ſpiritu ſcilicet ſancto, quaſi mediante Spiritu ſancto ex Maria per amorem genitus, ut ſic alio ſpiraculo novæ vitæ nequiret animari.

10. Hinc poſt ſuprà tradita tranſit Apoſtolus ad prologum, primamque actionis perſonam, deſcribens ſpeciem glorioſam Chriſti viſam in medio ſeptem candelabrorum, per quam viſionem repræſentatur præcipua myſteria noſtræ fidei: *Et converſus vidi* (ait) *ſeptem candelabra aurea. & in medio ſimilē filio hominis veſtitū podere &c. caput ejus &c. pedes ejus &c. & habebat in dextera ſua ſtellas ſeptē, &c.* Nota autē, quod Chriſtus in me-

dio ſeptem candélabrorum ſignificantium ſeptem Eccleſias, quibus ſcribebat,& in his ratione ſeptenarii totam Eccleſiam militantem, & triumphantem, per hoc oſtendit ipſum ſemper præſentem eſſe, & aſſiſtere ſuæ Eccleſiæ, omnibuſque fidelibus eſſe communem,ſicut etiam eſt ſummus Pontifex caput totius Eccleſiæ : Iſta autem ſeptem candelabra ad litteram ſignificant Eccleſiam militantem, tum ratione viſibilitatis; tum ratione Chriſtianæ doctrinæ, quæ in ea præbetur, & docetur; tum quia evecta eſt ad res divinas : myſticè autem plura alia myſteria enodantur;nam primò per ſeptem candelabra aurea, quæ ſunt de terrena materia, optima tamen, & deputata, intelliguntur ſeptem articuli fidei reſpicientes humanitatem Chriſti : per ſeptem ſtellas luminoſas, quæ ſunt de natura cœleſti intelliguntur ſeptem articuli de divinitate, qui omnes continentur in ſymbolo Apoſtolico : divina enim eſſentia exprimitur per, Iy,Credo,in Deum ; perſona Patris per. Iy,Patrem omnipotentem;perſona filii & in Ieſum,&c.perſona Spiritus Sancti,& in Spiritum Sanctum ; per,Iy, Creatorem,&c.exprimitur Deus factor creaturæ : per, Iy, ſanctam Eccleſiam Catholicam Sanctorum Communionem,remiſſionem peccatorum, Deus collator gratiæ, & ſanctificationis: per, Iy, vitam æternam, Deus collator gloriæ : Articuli de Chriſti humanitate ſunt Incarnatio,Nativitas, Paſſio, deſcenſus ad Inferos, reſurrectio, aſcenſio ad Cœlum,adventus ad judicium. *Lib.3.d.25.a.1. q.1. op. Brevil.p.5.c.7.ſer.14.& 20.Hexam.op. Comp. Theol. lib.5.c.21.Luc.24.v.36.*

11. Nota item, quòd per ſeptem candelabra ſignificantur ſeptem opera miſericordiæ corporalia; per ſeptem ſtellas ſpiritualia; in quorum medio habitat Chriſtus, & vir miſericors filio hominis ſimilis.*Op. Diæt.tit.7.c.4.* Item per ſeptem candelabra ſignificantur ſeptem ſtatus Eccleſiæ, ſcilicet parvulorum baptizatorum,conjugatorum, viduarum,Virginum, Clericorum minorum, Prælatorum,& Religioſorum, qui omnes à Chriſto illuminantur, & alios illuminant per ſanctam vitam,& doctrinam.*Ser.1.ſer.3.Paſchæ.*

12. Vidit autem Chriſtum, quem appellat ſimilem filio hominis, ideſt factum in ſimilitudinem hominum;& etiam ſimilem filio hominis, myſticè Chriſtianum Chriſti imitatorem veſtitum podere (ideſt tunica talari hyacintina propria ſummi Pontificis) & præcinctum ad mamillas zona aurea quæ erat faſcia pontificalis, per quam ſignificatur ejus clementia in corde reſidens. *Caput ejus,& capilli erant candidi ſicut lana alba, & tamquam nix, & oculi ejus tanquam flamma ignis, & pedes ſimiles aurichalco, &c. & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat, & facies ejus ſicut ſol lucet in virtute ſua.* Per quæ ornamenta ſignificantur Chriſti varia attributa tum clementiæ, tùm charitatis, tum ſapientiæ, tum juſtitiæ, ſed moraliter datur hic intelligi, quod imitator Chriſti; ut ipſi ſit ſimilis, debet eſſe præcinctus cingulo aureo charitatis, & caſtitatis, & ad omnia exercenda officia pietatis paratus. *Op. Eccleſ. Hier.p.1.c.3.Joan.cellar.91.ſer.3.Epiph.ſer.2.Dom.2. Paſchæ.ſer.2.& 3.de S.Magdalena in addit.Luc.c.2. v 35.c.19.v.47.c.21.v.25.ſer.5.Dom.2. Adv. ſer.4. Nativ.ſer.2.Circumc.ſer.10.Rogat.ſer.1. de S.Marcello in addit.ſer.1.de SS.Doct.in addit.* In quibus locis etiam explicatur qualitas verbi Dei ſub nomine gladii utraque parte acuti exientis de ore Chriſti.

CAP. II.

IN hoc capite Joannes juſſu Chriſti ſcribit quatuor Epiſcopis Epheſi,Smyrnæ Pergami,Thyatiræ,eiſque aperit varia myſteria.

13. Et primò *Angelo Epheſi Eccleſiæ,&c.*Nota autem, quod dicit Angelo Epheſi ſcilicet Epiſcopo illius Eccleſiæ, quem appellat Angelum,ut intelligant Epiſcopi, quod ſicut cuilibet Eccleſiæ Cathedrali deputatus eſt Angelus à Deo ad ipſius cuſtodiam,qui eſt inviſibilis,ſic & Epiſcopi tamquam Angeli viſibiles ſunt deputati à Deo ad cuſtodiam ſuarum Eccleſiarum,& fidelium ſibi commiſſorum,*Op.Eccleſ.Hier.p.1.c.1. op. Comp. Theol. lib.2.c.16.*

14. Subdit : *Hæc dicit,qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua,qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum,*ut intelligamus,quòd Chriſtus tantùm ſuſcipit in manu ſua ad gloriam tamquam ſtellas clariſſimas animas eorum, qui tamquam candelabra lucentia per juſtitiam, opera bona, & exercitium virtutum ambulant in hac vita. *ſer.3. Dom.4.Paſchæ.*

15. Dicit in perſona Chriſti.*Scio opera tua,& laborem,& patientiam tuam,&c.* docens, quod Chriſtus obſervat omnia noſtra opera bona, & mala, ut ea vel præmiet,vel puniat, ut hinc addiſcamus nos debere vivere ſemper ad Chriſti præſentiam, tamquam nos in omnibus obſervantis. *Serm.4. Dom.4. Paſchæ.*

16. Reprehendit hunc Epiſcopum(qui erat S.Thimoteus)quòd primum fervorem,quo Deo ſervire cepit,amiſerat,ut denuò reaſſumeret.*Habeo adverſum te,quod charitatem tuam primam reliquiſti, memor itaque eſto,unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac;ſin autem venio tibi,&c.* Per hoc datur moraliter intelligi,quod ſæpè multis præcipuè Religioſis accidit,qui à primo fervore Noviciatus,quo ad Religionem venerant,excidunt, tepidi effecti,& deſides, tradentes ſe levitatibus; & vitia,quæ expugnare venerant,permittunt ſibi dominari,ſervientes Deo pro ſuo libitu,non pro beneplacito voluntatis;& hæc eſt tentatio periculoſa;undè iſtis dicit Spiritus Sanctus,memento unde excideris, &c.ſc.memento illius bonæ voluntatis, qua veniſti ad Dei ſervitium,& primum fervorem reaſſume, alioquin in præcipitium totale rues. *Op.de Prof.Religioſ.lib.1.c.1. & lib.2. c.12.*

Sic etiam in vitis Patrum dicebat cuidam Novitio Abbas Agatho,fervorem,reverentiam,& verecundiam Noviciatus toto tempore Religionis conſerva, ac cave,ne ſucceſſu temporis fias liber, & audax in loquendo, carpendo, murmurando, otiando,&c.

Nota etiam, quòd dicit ; *Charitatem tuam primam reliquiſti.* Hinc dicunt aliqui Doctores hunc Epiſcopum charitatem amiſiſſe propter peccatum mortale,per quod patet contra hæreticos charitatem poſſe deperdi dum ſumus in hac vita. *Lib.3. d.31.a.1. q.1.*

17. Deindè remedium affert, modumque aſſignat, quo per pœnitentiam poſſit recuperari gratia.

gratia deperdita. *Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* In quibus verbis primò offert Dominus contra peccatum quasi ægroto medicinam saluti spiritualiter necessariam per modum disponentis,& præparantis rememorationem culpæ,& ruinæ, cum dicit,*memor, &c. memento unde excideris.* Scilicet à statu sublimi gratiæ,in quo prius eras,excidisti in tam profundam foveam peccati ; sicque talis recordatio inducat ad humilitatem,simulque se humiliando ad pœnitentiam : undè subdit , & age pœnitentiam , & prima opera fac : Nota , quod pœnitentiæ opera dicuntur prima.scilicet nobilia fundamenta humilitatis,super quæ erigitur ædificium spirituale salutis , & ad pristinum statum reducitur , recuperando pristinam , imò majorem gratiam.*Ser.4.Dom.3.post Pentec.Luc.cap.15. vers.10.*

Nota autem quod subdit. *Sin autem venio tibi* (ideſt illico, & subito, ut legit Syrus) *& movebo candelabrum tuum de loco suo.*ad litteram candelabrum , ideſt gradum Episcopalem à te amovebo: mysticè te privabo , & puniam , inducendo te in illa mala, quæ tu putabas per vitam remissam effugere.*Sic Sancti Patres.*

18. Hinc transit ad præmium verè pœnitentium,dicens. *Qui habet aurem audiat , quid spiritus dicat Ecclesiis.*Nota,quòd habere aurem, & audire quid spiritus dicat , est non solùm intelligere, quæ dictat Deus, sed & gustu percipere per dilectionem. *Op.itin.6.d.2.& 6. op.de septem donis c.3. de dono consil.c.3.op.itin.2. d.3.*

Subdit. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ , quod est in Paradiso Dei mei.* Vincenti , scilicet suam remissionem , & torporem per veram pœnitentiam , ac seriam deliberationem resumendi pristina opera , & pristinum charitatis fervorem : Vincenti item mundum , carnem & diabolum, quomodo vincunt Martyres Doctores, Virgines, & Religiosi dabo edere de ligno vitæ , quod est in Paradiso Dei mei:& quodnam est hoc lignum vitæ ? hoc lignum vitæ est Christus , qui residet in Ecclesia velut in Paradiso, & præcipuè in Eucharistia,item est notitia mysteriorum Dei , quia talis cibus datur talibus victoribus.*Lib.1.d.17.d 4. Psal.1.op.lignum vitæ.lib.2.d.19.dub.4.ser.17.& 110. Hexam.*

19. Hinc transit ad secundam epistolam scriptam Episcopo Smyrnæ. qui erat Sanctus Policarpus , qui cum pauperrimus factus esset pro Christo. ditatus fuit à Deo donis, & gratiis supernis; ipsumque exhortatur ad sufferendas tribulationes, & persecutiones impiorum , eique promittit coronam vitæ : *Esto fidelis usque ad mortem* (ait Christus) *& dabo tibi coronam vitæ.*quæ verba diriguntur unicuique fideli,ut intelligat , quod solùm fideliter , & perseveranter Deo servientibus datur corona vitæ.*Luc.c.16.v.10.sermon.2. de una Mart.ser.3.de plur.Mart.ser.2.de Apostol. in addit. op.Comp.Theol.lib.2.c.26.*

20. Indè transit ad tertiam epistolam scriptam Episcopo Pergami : Pergamus erat Troia civitas amplissima Asiæ, in qua natus est Galenus medicorum Princeps.& in qua inventæ fuerunt membranæ dictæ Pergamenæ , quibus olim utebantur pro charta: Admonet igitur Apostolus hunc Episcopum ; ut caveat à doctrina Nicolaitarum , qua impii scandalum parabant fidelibus eos trahendo ad comessationes & luxurias , & præcipuè Sacerdotes;dicens *quod illa civitas propter hoc facta erat sedes Satanæ;*darque nobis intelligere , quòd ubi regnat peccatum,ibi regnat & sedet diabolus, & præcipuè ubi degunt scandalosi. *Luc. cap.17. v.1. ser.2.fer.2.Pentec.ser.1.in festo omn. sanct.serm.1. de Innocent.in addit.*

21. Vincenti talès doctrinas,luxurias , & concupiscentias carnis iterum repromittit maximum præmium.*Vincenti dabo manna absconditum,& dabo illi calculum candidum , & in calculo nomen novum scriptum,quod nemo scit, nisi qui accipit.* Nota hic mirabilem liberalitatem Dei nostri:Vincenti iſta dabo manna absconditum, quale hoc manna? manna,scilicet multiplex bonum cœleste:manna, ideſt arcana divinitatis , & humanitatis Christi? manna,scilicet Eucharistiam;manna, scilicet consolationes spirituales,quæ ad victoriam sui consequentur;talesque consolationes nemo scit, nisi qui acceperit, scilicet solùm per experientiam possunt sciri.*Op.itin.mentis c.7.& de septem itin.æter.itin.2. d.3. & itin.4. d.5.a.1.& itin.5.d.5.Luc.c.24.v.31.*

21. Addit,*& dabo illi calculum candidum,*scilicet carbunculum : Ad litteram hæc est promissio felicitatis æternæ : mysticè est sublimitas vitæ spiritualis, &,cum ea nomen novum , scilicet possessio virtutis nominis Iesu est, enim nomen novum innovans animam.*Ser.4.Circumcis. Luc. cap.1. v.63. v.24.v.31.*

23. Hinc transit ad quartam epistolam scriptam ad Episcopum Thyatiræ, quæ erat colonia Macedonum,ubi reprehendit ipsum de negligentia in hoc , quòd permittebat nimiam familiaritatem inter Christianos , & Judæos significatos per Jezabel,&c.Ubi ostendit , quod Christus istos judaizantes , & omnes peccatores expectabat ad pœnitentiam,cum hoc tamen,quod abstinentes tali beneficio singulari,maximas pœnas ob ipsorum ingratitudinem erant subituri. *Ser.3. Dom. 3. post Pent.op.de Prof.Relig.lib.1. c.5.*

Nota autem,quod vincenti,ideſt ut legit Græcus , observanti mandata ejus , promittit inter alia præmia stellam matutinam : Ad litteram dabo illi stellam matutinam , ideſt Christum : stella matutina est stella veneris,dicta & Lucifer : hic est Christus expellens tenebras infidelitatis , & peccatorum,& afferens lucem gratiæ,& gloriæ : mysticè dabo illi Mariam Virginem.ideſt fruitionem visionis gloriæ Mariæ , quia post Deum major gloria,& majus gaudium ex Maria est,& quidquid post Deum pulchrius,quidquid dulcius, & jucundius in gloria est,hoc Maria , hoc in Maria , hoc per Mariam est : sanctis igitur in gloria datur stella hæc matutina,quia omnes sancti in patria de plenitudine felicitatis Virginis participant ; & dicitur stella matutina, quia expellit tenebras errorum peccatorum,& Dæmonum, & lucem gloriæ secum affert. *Op. spec.B.Virg.lect.6.op.in salve:op. Psalt.Min.*

CAP. III.

24. IN hoc capite transit Apostolus ad quintam epistolam, quam scribit ad Episcopum sardicensem (sardis autem urbs est Lydiæ valdè celebris) contra quem dicit in persona Christi :

Scio opera tua , quia nomen habes, quod vivas , & mortuus es.&c.& hoc quia opera ejus plena non erant coram Deo : Dat hic intelligere , quòd licet videretur bonus coram hominibus,tamen quia erat in peccato mortali , vel quia licet videretur bonus ſecundùm ſe benignus , gratioſus, inſignis in externo cultu, tamen negligens erat in munere Epiſcopali,puta in docendo, monendo, corrigendo,in debilibus confirmandis, in ſcandalis avertendis , in hæreſibus reprimendis (Audiant hæc Epiſcopi, & Curati animarum) ob id coram Deo mortuus erat ; ut hinc apprehendamus,quod vita ſpiritualis in actu primo eſt à charitate exiſtente in anima , in actu ſecundo manifeſtatur operibus pœnitentialibus,& ſanctis; & ſine hac apud Deum anima mortua eſt. *Lib.4.d.14.p.1. dub 3. lib.3. d.27. a.1.q.3.ad 3.ſer.de S. Agnete.Pſ.118.c.8.v.4. Pſ 89. & 117.*

25. Et hinc ſubdit,*quod opera ejus plena non erant, quia vacua* ; datque intelligere, quòd opera facta ſine charitate , vel admixta vitioſitatibus ſunt apud Deum inania , & vacua. *Op. de ſeptem itin. ætern.in.7.d.7.ſer.1.Dom.4.Quadrag.*

26. Subdit , quod in illa civitate erant pauca nomina, ideſt pauci fideles , qui non inquinaverunt veſtimenta ſua,ſcilicet conſcientiam,& converſationem per luxurias,& voluptates ; ut oſtendat, quòd puri , & mundi corde apud Deum ſunt noti , & eorum nomina ſcripta in libro vitæ : è contra immundi Deo eroſi . & de ejus libro vitæ deleti. *Serm.1.in vigil.Nat.ſerm.4. Circumc. ſer.10. Hexam.Luc.cap 9.v.29.c.15.verſ.22.lib.3.d.31. d.2.*

27. Tranſit ad ſextam epiſtolam ſcriptam Epiſcopo Philadelphiæ, in perſona Chriſti , de quo dicitur,quòd habet clavem David ; *qui aperit , & nemo claudit,claudit,& nemo aperit:* hæc clavis David eſt ejus Paſſio,& ſancta crux,per quam fit ingreſſus in Chriſtum, & in Deum , & ſine qua non poteſt obtineri talis aditus *Op. ſtim. p.1.c.11. op. Comp. Theol.lib.6.c.5.Joan.col.18.*

28. Nota , quòd inter alia beneficia huic Epiſcopo collata , ſcilicet fidei , prædicationis , ad quam aſſumptus fuerat , converſionis multorum infidelium,ut ibi dicitur, *Ecce oſtium apertum,&c. faciam ut veniant* (ſcilicet impii) *& adorent ante pedes tuos* ultra iſta ſubdit,*quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ,& ego ſervabo te ab hora tentationis, quæ ventura eſt,&c.* Per quæ dat intelligere, quòd quales ſumus cum Deo (ſuppoſito ejus auxilio) talis eſt nobiſcum ipſe Deus: dicit autem quia ſervaſti verbum patientiæ meæ:ille autem obſervat verbum patientiæ Chriſti , qui exemplo patientiæ ejus nullis ſuppliciis,nullis damnis, nullis contumeliis illatis ab obſervatione divini ſermonis ceſſat,& tali dicit Chriſtus;ſervabo te ab hora tentationis, & maximè in morte , in qua hora maximè nititur diabolus hominem tentare , ut eum finaliter poſſit ſubvertere:niſi enim Deus miſericors humanis viribus tentamenta modificet, nullus eſt,qui malorum inſidias evitare poſſit, fidelis enim Deus , qui non patitur nos tentari ſupra id, quod poſſumus ; audiant hæc homines, & intelligent qualiter poſſint eſſe ſecuri à tentationibus diaboli,maximè in hora mortis. *Ser.3.Dom.1. Quadrag.ſer.3.Dom.Paſſ.*

29. Deinde aliud abditum divinæ prædeſtinationis elucidat,dicens:*Tene quod habes,ut nemo accipiat coronam tuam.* ideſt tu in humilitate firmò pede conſiſte , ne mora pede corruas , corruendo coronam tibi præparatam amittas , & alius tibi ſuccedens eam accipiat : per quod patet primò viros juſtos,dum in hac vita degunt , poſſe à gratia excidere, ac neminem eſſe certum de ſua perſeverantia : ſecundò etiam prædeſtinatos poſſe à gratia excidere, licèt in ſenſu compoſito non poſſint tertiò Deum ſolere uno cadente alium , vel alios ejus loco ſubſtituere. & hinc ſequitur certum eſſe numerum prædeſtinatorum , prout includit præſcientiam futuræ perſeverantiæ ; de ſubſtitutione alterius in locum cadentis plenæ ſunt hiſtoriæ ſacræ , & id revelavit Chriſtus Seraphico Franciſco , ut patet in ejus legenda ex Seraph. Doct.quartò patet, quod Deus non eligit efficaciter ad gloriam ullî poſt præviſa merita ; de hac multiplici veritate vide. *Lib.1.d.40. a.1. q.1. & 2. & d.41.a.1. per totum,& d.46.q.1. lib.4. d.14. p.2. q.ult. Luc.c.19.v.21.ſer.2. Dom.ſeptuag.ſer.2.de uno Mart.* Et in confirmatione prædeſtinationis ex præviſis meritis,ſubdit. *Qui vicerit , faciam illum columnam in templo Dei mei , & foras non egredietur amplius,& ſcribam ſuper eum nomen Dei mei,& nomen civitatis,&c.*ut pateat,quod tantum vincenti ſeipſum,mundum,carnem, & diabolum præparata ſunt iſta bona in hac.& futura vita. *Luc.c.12. v.63 ſer.23.Hexam ſer.1.de S. Jacobo in addit. & l.1.d.30. cit.*

30. Tranſit poſtea ad ſeptimam , & ultimam epiſtolam directam ad Epiſcopum Laodiceæ in nomine Chriſti , qui in principio appellatur, *Amen, teſtis fidelis*,ſcilicet verus, conſtans in ſuis promiſſis,& dictis;Amen autem ſtat nominativè, non adverbialiter *Op.in Pater in fine.*in qua hunc Epiſcopum reprehendit,quod neque frigidus, neque calidus eſſet , ideſt quia erat fluctuans inter virtutes,& vitia , quia velleitatem habebat vitandi peccata,ſed certamen cum vitiis, & virtutis laborem refugebat , & ideò ob iſtum teporem in peccata mortalia inciderat ; unde concludit ; *Utinam frigidus eſſes,aut calidus, ſed quia tepidus es incipiam te evomere ex ore meo* : ſuper quæ verba quæritur , quid intelligatur per frigidum, & calidum , & cur dicatur ille , qui tepidus eſt , in peiori ſtatu eſſe , frigido , & calido ? & qualis ſit iſta evomitio Dei ex ore ſuo ? Reſp. quod per frigidum intelligitur peccator exiſtens in peccato mortali manifeſto ; per calidum qui fervet charitate in Deum ; & cum id ſit , quomodo , qui medium tenet inter peccatorem , & Dei amicum, dicitur eſſe in peiori ſtatu: reſp. quod tepidus eſt, qui vellet quidem vitare peccata , ſed tamen ob teporem & maximè occulta non vitat ; & licèt manifeſtè dicatur peior ille , qui manifeſtè eſt peccator,tamen periculoſior eſt ſtatus tepidi , tum ob majorem oblivionem , & ſoccordiam , ex qua non advertit ſuum periculum , ſed ſecurus in eo vivit, & obdormit , tum ob periculum derelictionis à Deo ; peccatum enim tepidi levius eſt, ſed periculoſius ex hoc , quod talis torpor ex diſplicentia boni videtur procedere , quæ tanta poterit eſſe , quod erit cum peccato mortali, ut ut cum quis palatum animæ ſic corruptum habet, in nullo bono ſpirituali complacentiam inveniat, & propter hoc quicquid boni facit,tepidè, & indevotè facit : undè ex hac tepiditate ſupponi-

tur, quod omittantur neceſſaria ad ſalutem ; & ſi fiant, cum contemptu, vel formali, vel virtuali fiunt; ex quo oritur vomitus Dei, ſcilicet execratio talis tepidi, & ſuorum operum : Ex quibus patet quantum malum ſit tepor, & acedia in Dei ſervitio, & maxime in Religioſis. *Op. ſpec. animæ c. 3. op ſpec. diſcipl p. 2. c. . ſer. 4. Dom. 4. Paſcha : ſer. 4. Dom. 5. Quadrag. De malis acedia vide op. Diet. tit. 1 c. 7.*

31. Deindè aſſignat Apoſtolus cauſam hujus tepiditatis in hoc Epiſcopo; *quia dicis, quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus* : quæ verba poſſunt intelligi vel ad litteram; cum verè iſte Epiſcopus eſſet valdè divitus, & opibus temporalibus abundans, & de illis valdè, nimiſque gloriabatur, quaſi nullius indigeret : vel ſpiritualiter, quia ſe credebat divitem virtutibus, & in ipſis confidebat, hincque in earum exercitio intepuerat : ſolent enim tepidi videntes ſe evitare peccata graviora, in quæ publici, & maximi peccatores ruunt, ſolent gloriari de ſua innocentia, & ſanctitate, ideòque intepeſcere : Hinc reprehenditur hoc primò avaritia ; notantur quinque infortunia avari ; eſt enim miſer, quia divitias cum labore acquirit ſemper inquietus, ſemper laborans, ſemper laſſus : eſt miſerabilis, quia cum timore eas perdendi vivit, unde nec mandducat, nec dormit niſi inquietè, & cum timore : eſt pauper, quia juſto Dei judicio ſæpè ipſis à Deo privatur, & cum maximo dolore cordis ſui : eſt cæcus, quia ad nihil aliud aſpicit, niſi ad terrena : eſt nudus, quia nullum aliud bonum facit, cum ſit obliviosus ſuæ propriæ ſalutis. *Op. Diet. tit. 1: cap. 6.*

32. Notatur item ſuperbia hujus divitis, ob quam miſer eſt in corpore, miſerabilis in anima, pauper carens charitate, cæcus, & imprudens in rebus agendis, & nudus carens bonis operibus, in ſeipſo tantùm confidens, & ſua bona à Deo non recognoſcens; undè peſſimum ſignum eſt non recognoſcere propriam infirmitatem *Op. de Prof. Religioſ. lib. 1. c. 29. ſer. 1. de S Barthol. in addit. ſer. 2. de S. Ioan. Bapt. in addit. Luc. c 6. v. 39. cap 7. v. 23. c. 18. v. 35 ſer. 3. Dom. Quinq.*

33. Et quia Chriſtus medicus eſt, qui vulnerat, & medetur, ideò poſt correctionem factam huic Epiſcopo, & in ipſo omnibus tepidis, remedium porrigit dicens; *ſuadeo tibi emere à me amorem ignitum, & probatum, ut locuples fias : tu cum divitem te exiſtimaveris, ſed falsè, cum ſis pauper, & miſerabilis ob tuam tepiditatem, ut verè locuples fias, accede ad me, & ad fornacem, in qua ardet aurum, & ex ea eme, & extrahe aurum purum ; ſcilicet charitatem inflammatam per devotam meditationem ; eaque quaſi pretio oblato poſtula ut illius auri ignei particulam aliquam tibi elargiatur.* Nota autem quod dicit ſuadeo, non jubeo, quia hoc relinquit libertati noſtræ dicit emere à me proponens factam mercaturam, quia oratione, lachrymis, meditatione, & bonis operibus acquiritur, in qua tamen à nobis exhibetur pretium non noſtrum, ſed Chriſti, quia meritum fundatur in gratia Chriſti; & quia ſubdit & veſtimentis albis induaris ; quia tali mercatura induitur anima innocentia, vitæ puritate, & gratia. *Op. Diet. tit. 5 c. 2. ſer. 3. de plur. Mart. in addit.*

34. Subdit & aliud remedium. *Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.* Quid eſt hoc collyrium? collyrium eſt pharmacum oculorum præſertim lippitudinis, reprimit enim pituitam, & noxium humorem, qui ad oculum fluens viſum impedit: fitque ex ſaccharo, & aqua roſacea, ac tutia quæ eſt ſpuma ſubnigra argenti, & invenitur in fodinis argenti, & mordicat, & pungit inſtar argenti, & arenæ quaſi dicat : quia cor tuum cæcum eſt, nec te ob tuam ſuperbiam ſinit videre tuam paupertatem, & miſeriam; fac tibi collyrium humilitate, pœnitentia, meditatione Paſſionis Chriſti, & tui cum noviſſimorum, quæ initio pungunt animam, ſed ipſam purificant: Ex quibus ſequitur tepiditatis remedium efficax eſſe primò ferventem Dei amorem ; ſecundò ſtudium bonarum operationum ; tertiò meditationem Paſſionis Chriſti mortis, &c. quartò acceptationem correptionis divinæ. *Op. Diet. tit. 7. c. 5 op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 2. Ioan. collat. 46. ſerm. 4. Dom. Quinq.*

35. Undè ſubdit : *Ego quos amo arguo, & caſtigo ; æmulare ergo, & pœnitentiam age* : ut intelligamus, quod correptio, correctio, & tribulationes ſunt maximum ſignum dilectionis divinæ, & quod in numero filiorum non adnumeratur qui tribulationem non tolerat : Chriſtus ergo quos amat, caſtigat, & hoc tùm ut augeat eorum merita, tùm ut conſervet eos in humilitate, tùm ut eorum peccata expiet, tùm ad majorem Dei gloriæ manifeſtationem. *Op. de ſeptem itiner. ætern. itin. 2 d 3. op ſpec. diſcipl. p. 1 c. 10. op. de Prof. Relig. lib. 2. c. 2. & 27. ſer. 1. Dom 3. poſt oct. Paſcha: ſer. 3. de plur. martyr.*

36. Ut autem pateat immenſa clementia Chriſti in nos miſeros peccatores, ſubjungit : *Ego ſto ad oſtium, & pulſo ; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo & ipſe mecum.* Ego ſcilicet Chriſtus ſto ad oſtium cordis clauſi per peccatum, & peccati delectationem, & pulſo per internam vocationis inſpirationem, quam loquor ad uniuſcujuſque peccatoris cor; ſi quis audierit vocem meam, ſcilicet per auditus inclinationem, & operis executionem, & aperuerit mihi per peccati confeſſionem, & deſertionem intrabo ad illum per juſtificantis gratiæ inhabitationem, & cœnabo ſecum per ſpiritualium ciborum ſuavium refectionem. *Ser. 1. Dom. 3. Adv. ſer. 3. Dom. 4. Adv. ſer. 3. Dom 23. Pentec. ſer. 4. de Virgin. ſer. 2. in decollat. S. Ioan. Bapt. in addit* Ex quibus conſequuntur plura corollaria digniſſima.

37. Primò, quod Deus ſua immenſa clementia, & gratia nos prævenit, & pulſat ad oſtium cordis, & mentis noſtræ, ut nos à ſomno deſidiæ, & peccati excitet : ſecundò, cor noſtrum per peccatum Deo eſt clauſum : tertiò in hominis eſſe arbitrio Deo aperire, ideſt ejus inſpirationem, & gratiam, qua mentem pulſat, admittere, vel reſpuere, gratiæ conſentire, & cooperari, vel diſſentire, & nolle cooperari. *Sic loc. cit. & ſer. 9. Rogat. lib 1. d. 40. a. 4. qu. 2. op. Centil. p. 3. ſect. 35. lib. 2. d. 2. dub. 1.* Quartò, quale, & quam ardens ſit deſiderium Chriſti intrandi in animam noſtram, dum ſemper ad oſtium cordis noſtri pulſare non ceſſat : *Luc. c. 5. verſ. 29. c. 7. v. 37. c. 10. v. 38. Ioan. collat. 23.* Quintò, quod Deus multipliciter pulſat ad cor noſtrum, ſcilicet

per

per illuminationem intellectus, & impulſum voluntatis, immittendo ei & terrores gehennæ, & ſpem,& deſiderium cæleſtium gaudiorum ; tùm per ſacram Scripturam, & prædicationem ; tùm per exempla ; tùm per inſpirationes Angelorum, tùm per caſtigationes,& tribulationes : *Luc.c.15. v.16. Ioan. collat.51. ſer.9. Rogat.* Sextò : quod Deus non derelinquit nos.niſi priùs, à nobis repellatur,quia potiùs ipſe ſe ingerit in nos. *Luc. c.8.v.37.& 42.c.10.v.38.* Septimò : quod Chriſto aperitur janua cordis, cum ipſum charitate, & amore dilatatur,ſtabilitate firmatur, & puritate mundatur. *Ioan.collat.64.& 77.* Octavò : Proponitur mutua cæna inter Chriſtum,& animam; & cænabo cum illo, & ipſe mecum : Chriſtus enim intrans in animam ſeipſum miniſtrat, cum ipſe ſit cibus, & conviva, & diſpenſator ; & anima à converſo ei triplicem cibum offert gratiſſimum, ſcilicet ipſam converſionem, operis perfectionem, contemplationis dulcorem, & ſic Chriſtus cibatur, & anima mirabiliter reficitur: ô qualis charitas,& dignatio Domini noſtri Jeſu Chriſti : *Luc.c.15.v.23.c.17. v.8. Ioan. collat* 23. O infelix peccator, & peccatoris obſtinatio! ſtatim aperis oſtium amico, & non vis aperire Deo tuo ſtanti ad oſtium, intromittis adulterum turpiſſimum, ſcilicet diabolum, & non pulſantem ſponſum ſpecioſiſſimum : ô grandis miſeria! pulſat Dominus voluntatem, & invenit eam mortuam, veneno delectationis ſæcularis ſuffocatam; pulſat ſenſualitatem, & invenit inſanam; quæcunque igitur anima ſic pulſantem Dominum non audit,mortua eſt.*Ser.9.rogat.*

38. Tandem ſicut ſuprà in epiſtolis ſcriptis aliis Epiſcopis, ſic pro coronide in hac concludit præmium paratum ei, qui vicerit : *Qui vicerit (ait) dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut ego vici,& ſedi cum Patre meo in throno ejus, qui habet aurem audiat.* Qui vicerit, ſcilicet ſe,ſuaſque cupiditates,metus,torporem aliaſque paſſiones, dabo ei ſedere mecum in throno meo cum corona gloriæ, ſecundum merita victoriæ, dabo ſcilicet ei & lignum vitæ,& manna abſconditum, & calculum candidum,& nomen novum, & candidas veſtes, & ſtellam matutinam, & columnam, & thronum Dei : age ergo ô athleta Chriſti, virtiliter certa bonum certamen, apprende vitam æternam;nullus tibi labor longus, nullus dolor durus videatur,cui Cælum,cui æternitas cui corona divina promittitur,hanc tibi plecte, & prætexe continuis heroicarum virtutum facinoribus. *Luc.c.22.v.30.ſer.3.Dom.infr. oct. Aſcenſ.ſer.3. de dedicat.in addit.*

CAP. IV.

POſt ſeptem epiſtolas Chriſti ad ſeptem Aſiæ Eccleſias incipit S. Ioannes ſuam Apocalypſim,ſuaſque viſiones, & prophetias, cum huc uſque fuerit potiùs hiſtoria,quàm prophetia ; & ideò in hoc capite oſtendit ſe vidiſſe oſtium apertum in Cælo,& Chriſtum habitu jaſpideo, & ſardinio in throno ſmaragdino reſidentem, & circumſedentes viginti quatuor ſeniores, & quatuor animalia,&c.

39. Igitur S.Joannes cum vidiſſet oſtium apertum in Cælo, & invitatus ab Angelo (*Aſcende huc*) intravit, & introductus fuit ad notitiam myſteriorum futurorum Eccleſiæ, tum militantis, tum triumphantis : De quibus videantur Sacri Expoſitores ad litteram expendentes : myſticè autem dat intelligere, quòd ſicut Joannes invitatus ad Cælum, aſcende huc, & ſtatim ſubdit ; fuit in ſpiritu, ideſt aſcendi non corpore, ſed ſpiritu in Cælum, ſic nemo poteſt aſcendere ad contemplationem divinam, qui non deſerit carnalia, & creata : debes ergo non in carne, ſed in ſpiritu, non cum aſino, ſed cum puero montem viſionis aſcendere ; & hinc dicere : Intentiones, affectiones, cogitationes, voluntates, & omnia interiora mea aſcendamus in Domini montem, ubi Dominus videt, & videtur quia ſolùm aſcendentibus apertum eſt oſtium in Cælo, deſcendentibus autem oſtium inferni apertum. *Ser.2.Dom.16.Pentec. Ioan.collat.48.*

40. Nota, quòd Chriſtus viſus eſt ſedens ſupra thronum ſmaragdinum, *& ipſe erat ſimilis aſpectui lapidis jaſpidis* : myſticè datur intelligi,quòd cum ſapphirus ſit ſolidus lapis cæleſtis, & aërei coloris, ſignificat, quòd juſti imitatores Chriſti in ſuſtinendis rebus, & tribulationibus pro Chriſto ſunt throni Chriſti, in quibus ipſe reſidet, & regnat per ordinatiſſimam voluntatis conformitatem. *Op.Eccleſ.Hier.p.1.c.4.*

41. Nota, quòd myſticè per has ſedes intelligitur Beata Virgo Maria, multipliciter privilegiata ; verè thronus ſapphireus ſummi Regis, ſuper quam poſt tumultus Angelorum, & hominum requievit : de hoc throno (ſubdit infrà Apoſtolos) *procedebant fulgura & voces, & tonitrua*, ubi per fulgura intelliguntur miracula B. Virginis ; per voces blandas cohortationes, & inſpirationes, quibus ad Chriſtum trahit homines ; per tonitrua increpationes, minæ gehennæ, ultiones, & ſupplicia hoſtibus ſuis, & impiis, & Dæmonibus ab ea inflicta. *Sic S.Bon.ſpec. B.Virg. lect.1.& 13.& Laus B. Virg.fig.12.& S.Bernardus, alii.PP.*

42. Nota, quòd in circuitu ſedis erat Iris ſimilis viſioni ſmaragdinæ : Ad litteram per Iridem ſignificatur miſericordia Dei,quæ undique thronum Dei circumdat:myſticè innuuntur magnalia uteri beatæ Virginis Mariæ : dicitur autem Iris in circuitu, quia virgineus uterus, dum virginea fæcunditate prolem divinam circuit, Iris eſt, de quo ſic canit *S. Bon.* Eſt in arcu cæruleus | color, qui virginitatis | typum gerit, & rubens | etiam, qui charitatis | formam notat, puritatis | tuæ demonſtrat aqueus | notam, & humilitatis | quam elegit in te Deus : Nota hic Seraphicum Doctorem diſſidere in hoc ultimo colore Iridis à cæteris, dum viridem in eo recognoſcunt, & Seraph.Doctor aqueum, ut ſignificaret in hoc mixto aquei, & rubei, & cærulei, & virginitatem, & fæcunditatem ſimul in unum coadunatas. *Op.Laus B.Virg.fig.5.*

43. Deindè vidit in circuitu ſedis viginti quatuor ſedilia, & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes, circumamicti veſtibus albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ : Per quod ſignificatur ſtatus Prælatorum, & Epiſcoporum, qui in ſua Eccleſia habent cathedram ſuam ; ſic & Cardinales, qui cingunt cathedram ſupremam ſummi Pontificis ; demonſtratur autem

qualis

quales isti debeant esse : primò seniores, ideſt moribus maturi ; & vestimentis albis candidi scilicet vestibus justitiæ ; & virtutum ; & auro sapientiæ coronati ; & sic coronati ut Reges, & victores generosè certando ; & vincendo. *Ser.1. in cathedr. in addit. op. de sex Alis Seraph. cap.2.* Undè addit, quòd de throno procedebant fulgura, & voces, scilicet miraculorum, & prædicationis, & tonitrua comminationis &c.

44. Vidit & quatuor animalia plena oculis ante, & retrò &c. Ista animalia figurabant quatuor Evangelistas ; & in his omnes Prælatos, qui senis alis debent esse prædíti, ut scilicet duas in ordine ad Deum per devotionem ; & amorem Dei : duas ad seipsos ; quibus irreprehensibiliter vivant ; & duas ad subditos ; ut meritoriè eos regant ; & ad meliora promoveant. *Op. de sex alis Seraph. c.1 ser.13. & 15. Hexam. ser.1. & 2. de S. Ioan. Evangelist. in addit. Luc. c.17. v.10.*

45. Ut autem exprimat qualitates boni Prælati, dicit quòd ista animalia erant unum simile Leoni, aliud Vitulo, aliud homini, aliud Aquilæ, & erant plena oculis : Prælatus enim debet esse ut homo rationalis, & sanctus in conversatione, quasi leo insuperabilis in tentatione, quasi vitulus immolabilis in passione, & carnis mortificatione, quasi Aquila irreverberabilis in contemplatione, ut videant quasi solem in rota, ideſt Jesum in gloria : debent etiam Prælati esse pleni oculis cognitionis, & circumspectionis, scilicet ante ad ea, quæ sunt suprà se ; retrò ad ea, quæ sunt infrà se ; intus ad ea, quæ intrà se sunt ; in circuitu ad ea, quæ sunt circa ; scilicet ad Aquilonem, ideſt ad transgressionem culpæ ; ad meridiem, ideſt ad fervorem justitiæ ; ad Orientem, ideſt ad charitatem gloriæ ; & ad Occasum, ideſt ad mortalitatem vitæ, ut sic à seipsis consideratio inchoetur, & cum fructu ad alia extendatur. *Ser. 2. de S. Stephano in addit. Ioan collat.46.* Nota etiam, quòd per sex alas, quæ faciunt viginti quatuor, significantur viginti quatuor libri veteris Testamenti, quibus volat per totum orbem fides, & prædicatio novi testamenti, quia jàm sunt conversi in alas, scilicet in intelligentiam claram, quam nobis tribuit fides Evangelica. *Ser.13. & 15. Hexam.* Ubi assignat discrimen inter ista animalia visa ab Ezechiele, & ista visa à Ioanne.

46. Pro complemento visionis S. Joannes dicit, quòd vidit istos Cæli cives Deum laudantes absque eo quòd unquam cessent à divina laude dicentes incessanter Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est : In qua laude prædicant sanctitatem Patris, Filii, & Spiritus Sancti, tamquam fontem totius sanctitatis Beatorum, & justorum, & omnium beneficiorum, undè dicunt, qui erat, scilicet à principio Creator, qui est in medio Redemptor, & qui venturus est Judex, & remunerator justus omnis sanctitatis. *Ser.1. Dom. Trinit.* Ex quibus patet ; primò quòd proprium Angelorum, & Beatorum est semper laudare Deum : secundò quòd ab Angelis, & cælitibus Ecclesia sumpsit modum incessanter Deum laudandi : tertiò quòd in Cœlo post diem judicii erit laus vocalis corporum : quartò quòd trisagium hoc est propria laus Angelorum, & justorum, summèque Deo chara, & nobis proficua ; & quia in sua laude habent pro objecto sanctitatem Dei, quam ipsi participant, hinc in hoc exercitio caput ipsorum est Beata Virgo ; immò & ad Dei laudem proclamant de Maria Sancta, Sancta, Sancta : quintò quòd isti Beati procidebant ante sedentem in throno, & adorabant, & hunc Ecclesia didicit usum procidendi faciem suam in terram quasi humum osculando ; simulque adorandi, ipsique Deo offerendi suas preces. *Ser.1. Dom. Trin. op. spec. B. Virg. lect.13. lib.2. d.2. p.2. dub.1. op. de expos. Missæ c.3. op. Diar. tit.10. c.6. op. Te Dei Matrem &c.*

CAP. V.

47. IN hoc capite docet Joannes se vidisse librum signatum, solùmque potuisse aperiri ab Agno occiso, ideoque ab omnibus cælitibus glorificatus fuit : Primò igitur vidit librum scriptum intus, & foris sed obsignatum sigillis septem : Hic liber ad litteram, aliud non est, nisi consilium, & præfinitio divinæ providentiæ, qua apud se decrevit facere, vel permittere ea, quæ tempore Antichristi futura sunt : septem sigilla sunt septem persecutiones Ecclesiæ, & Sanctorum, quæ futuræ erunt ante adventum Antichristi, quasi præviæ, & viam sternentes ultimæ extremæ Antichristi ; & istæ apertæ fuerunt, & revelatæ Beato Joanni ; de quibus solus Christus triumphavit, & triumphabit. *Ser.20. Hexam.*

48. Mysticè autem per hunc librum intelligitur ; primò liber Sacræ Script. scriptus intus quoad novum testamentum, foris quoad vetus, quia fuit velamentum novi ; itè foris quoad sensũ litteralẽ, intus quoad spiritualem, & mysticum : sigilla autem septem sunt plurima mysteria, arcana, & obscura, quæ in hoc libro continentur, quæ per Christum fuerunt aperta : Secundo hic liber est Christus continens divinitatem, & humanitatem, ob id dicitur scriptus intus, & foris, & in quo, & per quem aperta sunt septem signacula : primum signaculum fuit Deus admirabilis, qui per crucem manifestatus est summa sapientia in eo, quòd diabolum decepit : summa justitia in quantum quæsivit redemptionis præmium ; summa misericordia, quia tradidit pro nobis Filium : secundum signaculum fuit spiritus intelligibilis qui manifestatus est per Passionem, quantæ sit benignitatis quantum ad Angelos, qui permiserunt Christum crucifigi ; quantæ dignitatis, quantùm ad homines, nam propter eos Christus est crucifixus : quantæ crudelitatis, quoad dæmones, qui ejus crucifixionem procuraverunt : tertium signaculum est mundus sensibilis, qui in morte Christi probatur esse locus tenebrarum ; in quo regnat cæcitas, quia lucem veram non cognovit ; in quo regnat scurrilitas, quia Christum infructuosum reputavit, impietas, quia innocentem condemnavit : quartum signaculum fuit Paradisus, qui per crucem apparet locus esse gloriæ, lætitiæ, & opulentiæ, in eo quod Christus propter ejus restitutionem, & apertionem factus est vilis, pauper, & miser : quintum signaculum fuit, quod per mortem Christi Infernus manifestatus est esse plenus omni egestate, vilitate, & paupertate, quia si hæc passus est propter peccati deletionem, multò magis damnati hæc

patientur propter juſtam operum retributionem: ſextum ſignaculum fuit virtus laudabilis, quæ per crucem Chriſti probatur eſſe pretioſa, & fructuoſa: pretioſa, quia Chriſtus voluit potiùs vitam corporalem perdere, quàm contrariari virtuti: ſpecioſa, quia in contumeliis relucebat: fructuoſa, quia unus perfectus actus Chriſti virtutis Infernum ſpoliavit. Cœlum aperuit, perditum reſtauravit: ſeptimum ſignaculum per crucem eſt apertum, in eo quod apparuit reatus culpabilis quàm deteſtabilis ſit, cum ad ſui remiſſionem indigeat tam magno pretio, tàm grandi piaculo, tam difficili medicamento. Ideò in hoc libro, ſcilicet in Chriſto aperta ſunt attributa divinitatis, & opera humanitatis; nam in ejus Nativitate apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris de triplici latibulo, ſcilicet de ſinu Patris, in quo cælabatur; de umbra legis, in qua figurabatur, & de ventre Matris, in quo formabatur; & per ipſum aperta ſunt ſeptem ſacramenta, quæ in figuris prius erant obvoluta. *Op. Paſſio Chriſti: op. Brevil. p.2.c.11. op. Comp. Theol. lio 2.c.60. lib 4.c.11. lib.6.c.5. Pſ.68. ſer.3. Dom.2. Adv. ſirm.1. Hexam.* Nota etiam, quod dicitur aperuiſſe nobis ſeptem ſignacula ſuæ vitæ: ſcilicet de Virgine carnem aſſumendo; de Virgine naſcendo, in cruce pro nobis moriendo, ad Infernum deſcendendo, à mortuis reſurgendo, & ad Cœlum aſcendendo, & ad judicium veniendo. *Op. Diat. tit. 10.c.6.*

49. Cum autem poſt fletum Apoſtoli apertus fuerit liber priùs clauſus, & obſignatus, per Chriſtum Agnum occiſum, datur per hoc intelligi, quod ad intelligendum myſteria Sacræ ſcripturæ duo requiruntur, primum eſt humilitas, & fletus, quo pulſatur ad fores divinæ miſericordiæ: ſecundum eſt Chriſti auxilium; cum enim omnes ſcripturæ ſint de Chriſto, hinc ſolùm per ipſum crucifixum, & ſuſcitatum, & gentibus per Spiritum ſanctum divulgatum poſſunt intelligi *Luc. cap. 11. v. 9. cap. 24. v. 45.*

50. Docet, quod Chriſtus ut Agnus crucifixus aperuit ſeptem ſignacula libri; ut Leo triumphavit de diabolo; *Vicit Leo de tribu Juda, &c.* quia debellavit eum, & abſtulit ei poteſtatem, quam exercebat prius in genus humanum, ſimulque ſpolia ejus diripuit. *Lib. 3. d. 19. a. 1. qu. 3. Pſalm. 9. Joan. collat. 74 ſermon. 3. in Nativit. ſer. 5. Paſcha*: Et hinc dicitur Agnus habuiſſe cornua ſeptem, & oculos ſeptem, ſcilicet ſeptem Spiritus ſancti dona, quibus à mundo ejecit, & deſtruxit poteſtatem diaboli; & dicuntur etiam oculi, quia nos faciunt videre abſcondita, & arcana, &c. *Ser. 1. Dom. 3. Quadrag ſer. 1. Dom. Paſſ. ſer. 7. in Pent.*

51. Vidit Joannes viginti quatuor ſeniores, qui ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum: Per quod myſticè ſignificatur, quod citharæ, & phialæ Dei ſunt mentes devotæ reddentes diſcretos, & diſtinctos ſuos: undè apud Deum, & apud Angelos benè citharizant, qui diſcretè, & diſtinctè orant, benè quoque de phialis fragrant, qui cum odore ſuaviſſimæ devotionis orant. odoramentum autem de phiala aurea redoler, quando oratio fit de mente charitatis. *Ser. 1. de S. Stephano in addit. Pſ. 44. & 140.*

52. Deindè vidit Beatos illos ſeniores proſtratos coram Domino Jeſu Chriſto, ipſum laudantes, & gratias ei agentes non ſolùm, propter redemptionem operatam, ſed quia eos fecit regnum, & ſacerdotes: Nota quod non dicit Reges, ſed regnum; in regno eſt Rex, & regnum, ut oſtendatur, quod juſti ſunt regnum Chriſti in ipſis regnantis, ſimulque eos conſtituentis Reges, & ſacerdotes, quia omnes ſancti in Cœlo erunt Reges omnipotentes ſuæ voluntatis, & regnabunt in regno Chriſti, & ſimul ſacerdotes offerentes Deo ſemper ſacrificium laudis. *Op. Diat. tit. 10.c.2. Luc.c.11.v.2.c.14. v.31. op. determinat. 10.c.6.*

53. Vidit item Joannes familiam Chriſti, quæ in Cœlo ei laudes promit, & ſimul aſſiſtit ad convivium cæleſte: Et erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna dignus eſt Agnus, &c. Nota hic, quod non ponit numerum certum, quia numerus Angelorum militum Chriſti, & Beatorum licet Deo ſit numerabilis, nobis autem eſt innumerabilis; omneſque iſti laudant Deum ſine intermiſſione. *Op. de dono ſapientiæ. c. 10.*

54. Exprimit poſteà qualitatem cantici, in quod prorumpunt Beati: *Benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Benedictio ei convenit propter poteſtatem, quam habet juſtificandi nos in terra, per quam nos benedicit: honor propter poteſtatem judicandi: gloria propter poteſtatem regnandi in Cœlo, & poteſtas ſcilicet cruciandi malos in Inferno: ſicque omnis creatura, quæ in Cœlo eſt, & quæ ſuper terram, & ſubtus terra, & mare, & quæ in eo ſunt Deo laudem offerunt, quia omnia iſta, ad manifeſtationem divinæ gloriæ redundant. *ſer. 2. Dom. 18. Pent.*

CAP. VI.

IN hoc capite apertio ſeptem ſigillorum expenditur, & oſtenduntur, quæ vidit Joannes.

55. In apertione primi ſigilli vidit æquum album, & ſedentem ſuper illum habentem arcum, & coronam, quæ data eſt ei ob victoriam & exivit vincens, ut vinceret: Ad litteram, quia per ſeptem ſigilla, & arcana ſignificantur tempora à Deo ſignata, quibus res ſignatæ per ipſa ordine quæque ſuo, ſuoque ſæculo ſucceſſivè antè, & uſque ad adventum Antichriſti, ſineque mundi (nam futura ſub Antichriſto deſcripta continentur in libro) manifeſtabuntur, & reipſa evenient, ita ut uno diſjunctè tranſacto mox ordine ſuo ſuccedat alterum, quod proximè ſequitur: Hinc primò ſigillo inducitur Chriſtus quaſi equus albatus, qui cum tribus ſequentibus equis, & equitibus, puta rufo, nigro, & pallido ſucceſſivè certabit, & quaſi duellum inibit, ſinguloſque tandem proſternet, & debellabit: nam hoc ſymbolo equi, & equitis ſignificatur bellicoſiſſimum, & victorioſiſſimum primitivæ Eccleſiæ ſtatum, in quo Chriſtus per ſe, & per Apoſtolos, & per arcum, quem habebat, ſcilicet per Sacram ſcripturam, & verbum Dei, de qua tot ſagittæ

procedunt,

Digitized by Google

procedunt, quot verba, & ſententiæ triumphavit de Gentilibus Imperatoribus Nerone, Diocletiano, Decio, & Tartarorum, Mahometarumque Rege: & hinc infrà in *cap.19.verſ.14.* Et exercitus, qui ſunt in Cœlo ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & ſplendenti: iſti equi albi ſignificant lætum, & feſtivum fore hoc prælium, ut pote finem habiturum certam victoriam; ideò dicitur, & exivit vincens, ut vinceret, ut ſcilicet confligendo cum tribus ſequentibus equis, ut pote hoſtilibus eos vinceret per ſe, & per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores ſenſim vinceret, & ſubjugaret ſuæ fidei, & obedientiæ totum orbem: hæc enim phraſis exivit vincens ut vinceret, ſignificat ſenſim à victoria unius gentis ad debellationem, & victoriam alterius progreſſum, idque continuo victoriarum progreſſu, & incremento; quodque experimento continuo patuit, & patet in Eccleſia: Et hinc forſan ſummus Pontifex, dum deducitur ad Lateranum ſumptuoſa poſſeſſionem Pontificatus, in communi urbis, & orbis applauſu, in equo albo ſedens ſimul cum Cardinalibus in equis albis procedit. *Ser.2. Dom. Paſſ.ſer.5. Dom.infrà oct. Nativ Luc.cap.2. v.13.Pſal.19.*

56. Apertum eſt poſtea ſecundum ſigillum, & ſtatim apparuit alius equus rufus, & qui ſedebat ſuper eum, & datum eſt ei (ideſt permiſſum à Deo) ut ſumeret, ideſt auferret pacem de terra, & ut invicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus: poſt tertium ſigillum apparuit equus niger &c. poſt quartum ſigillum equus pallidus, qui tres equi, & equites oppoſiti ſunt equo albo primo, ſignificantque perſecutiones varias Eccleſiæ permiſſas à Chriſto contra Eccleſiam per Neronem, Diocletianum, Decium, Regem Tartarorum, & Turcharum, & Hæreticorum, de quibus Chriſtus triumphavit, & Eccleſia Sancta, & futuris temporibus triumphabit. *Ser.3.Dom.infra oct.Nativ.*

57. Apertum eſt poſteà quintum ſigillum, & vidit ſubtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei &c. *& clamabant voce magna, uſquequo Domine non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum &c. & datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ &c.* In hac viſione primò alluditur ad Martyres, qui pro Chriſti fide vitam morti expoſuerunt, quorum corpora reponuntur ſubtus Altaria: iſtique jam in Cœlo coronati gloriâ optant, & precantur vindictam ſanctam, ſcilicet liberationem Eccleſiæ à perſecutionibus, & converſionem totius orbis. *Luc.c.18. v.7. c.21. v.11.* Undè dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum &c. nempè cum jam candidati ſunt in gloria in anima. Chriſtus promittit eis glorificationem corporum, quando completus erit numerus prædeſtinatorum. *Lib 3. d.1. dub.1. & d.26.dub.5.lib.4. d.21.a.3.qu.2. Luc.c.17.v.21. ſer.2.Dom.2.Pentec.ſer.1.S.Clara in addit.*

58. Apertum eſt poſtea ſigillum ſextum, *& ecce terræmotus factus eſt magnus, & Sol factus eſt niger, & Luna ſicut ſanguis, & ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram &c.* Hic igitur tranſit Joannes ad tempora noviſſima, & ad finem mundi, in quo innuuntur ſigna præcedentia judicium univerſale; de quibus agitur fusè *in Luc.c.21, ſer.20.Hexam.ad finem.* Dicitur autem Sol factus niger, quia in Antichriſti perſecutione fides Chriſti videbitur obſcura, quia multi ab ea recedent. *Ser.13.Hexam. Thren.c.4.op.Eccleſ.Hier. p.4.c.4. ad finem. ſer.1.de Evangeliſt. Luc.cap.21. v.25.ſer.1.de dedicat.in addit.* Myſticè autem applicatur hic textus primò Chriſto, qui cum eſſet ſol lucidiſſimus induit noſtram carnem, tamquam ſaccum cilicinum, eamque ſubjecit paſſionibus, cruci & morti: ſecundò applicatur Religioſis, & Sacerdotibus, qui cum deberent eſſe ſoles illuminantes Eccleſiam, & fideles; ſuis malis actibus diſcenſionibus, & exemplis tamquam nigri apparent mundo. *Op. Eccleſ. Hier. p.4.c.4. ſer.7. Nativ. ſer.2. omn. ſanct. ſer.1.de uno Doct.op.octo.collationum.collat.1.*

CAP. VII.

IN hoc capite notantur ſignati ab Angelis, ne tangantur plagis impiorum, & damnatorum, ex quibus enumerantur plurimi ex gentibus amicti ſtolis albis, & palmis; unde iſtud caput, & plagæ in eo notatæ ſpectant ad ſextam plagam ſuprà enarratam, eſtque proſecutio præcedentis capitis, vel potiùs continuatio. *Ser.16. & 23.Hexam.*

59. Primo igitur Joannes vidit quatuor Angelos tenentes, & comprimentes quatuor ventos principales, ſcilicet Aquilonem à ſeptentrione; Auſtrum à meridie, Eurum ab Oriente, Zephirum, & Favonium ab Occidente, ne flarent antequam ſervi Dei ſignarentur: Ex quo inferunt Sacri Expoſitores, quòd Deus, qui per Angelos regit, & moderatur Orbem, ſicut Dominus per aurigam regit, & moderatur equos, & currum, deſtinavit quatuor Angelos, qui præſiderent quatuor ventis principalibus, & conſequenter aliis ipſis ſubordinatis; unde diſcimus, quòd venti, eorumque motus, & gyri non tam à vapore, aliave cauſa naturali (quam difficillimum eſt reddere, aut mente capere, undè in ea tam laborant Phiſici) quàm ab Angelis concitantur, aguntur, ac diriguntur; & hinc etiam ratio, quare actus fulminum, ventorum, grandinum, & aliarum procellarum, hunc tangunt, non illum, hunc agrum, non illum, hanc regionem, non illam. & præſertim ut impios, eorumque agros & bona, non pios affligant, ut hic juberi, & fieri videmus; undè *Pſal.148.* dicitur, Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.

60. *Vidit alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei vivi, & clamavit quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, dicens nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus quoadusque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.* Ad litteram dat intelligere, quòd Angelus iſte ſigno Thau ſignabit electos ſigno crucis, & maximè tempore perſecutionis Antichriſti, ut ipſi ſecernantur ab infidelibus, & hoc per Sacerdotes in Sacramento baptiſmi, & confirmationis, & prædicatione Evangelii, ut ſervent publicam, & conſtantem profeſſionem

nem fidei, crucisque Chriſti coram Antichriſto, aliiſque hoſtibus fidei uſque ad mortem.

61. Myſticè dat nobis intelligere virtutem ſigni crucis contra Dæmones, hoſtes ſpirituales, & temporales; quo ſigno armati fideles omnes ictus, & inſultus diabolicos evitare poſſunt, & ideò in judicio comparebunt electi ſignati in frontibus hoc mirifico ſigno. *Luc. cap.14. v.27. cap.17 verſ.23. ſerm.1. in dedicat. ſerm.16. & 25. Hexam.* Nota autem, quòd homines diverſæ conditionis explicat per terram, ſcilicet ſubditos, per mare regentes; per arbores homines miſericordes activos, & contemplativos. *Opuſc. Diat.tit.1. cap.1.*

62. Per iſtum Angelum ſignificabatur, & figurabatur S. Pater Franciſcus, qui verò Dei nuncius amabilis Chriſto, imitabilis nobis, & admirabilis mundo ſervus Dei immutabili fide vaticinatus fuit à S. Ioanne Evangeliſta, nam ipſe ſignum Dei vivi, puta crucis prætulit, cum Chriſti crucifixi ſacra ſtigmata corpori ſuo cœlitus impreſſa ſenſit: Idem & præferunt Franciſcani, puta ſignum pœnitentialis crucis, & habitum cruci conformem, ut omnes ad pœnitentiam, & crucis amplexum excitent; hocque fuit revelatum S.Bonaventuræ ſcribit S.Bernardinus: & idem dicit Leo decimus, & alii. *Vide op.1.leg. S. Franciſc. in Prolog. & capit.13. Vide ſedulium in elogiis S. Franciſc. & Daza in lib.ſtigmat.*

63. Notat ex omni tribu vidiſſe 144. millia ſignatos, ex omni tribu duodecim millia ſigno crucis: quo numero definito ſignificante univerſitatem ſignantur omnes electi ex omnibus tribubus Iſraëliticis. *Serm.3. in oct. Paſcha. ſermon.in exalt. Vide ſer.23. Hexam.* Ubi exprimuntur myſteria ſingularum tribuum. Nota etiam, quòd inter iſtas tribus non ſignatur Tribus Dan, licet enim ex ipſa multi fuerint ſalvi, probabiliter aſſerendum, quod reticetur hæc tribus, eo quòd de ipſa naſciturus ſit Antichriſtus. *Ser.13. Hexam. quod & docent S.Hieron. S.Aug. S.Ambroſ. aliique plurimi Patres apud Cornel. &c.*

64. Tandem vidit turbam magnam Beatorum, & prædeſtinatorum numerabilem quidem Deo, ſed nobis innumerabilem: Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum: Ubi per ordinem notantur quinque laudes, & privilegia Beatorum, ſcilicet prædeſtinatio ab æterno; juſtificatio à peccato, contemplatio devota, converſatio honeſta, & operatio fructuoſa: prædeſtinatio involuitur in numero infinito, qui nobis eſt ignotus, ſoli Deo notus; novit enim Dominus, qui ſunt ejus 2. *Thim.* c.2. Iuſtificatio interna à peccato notatur in illis quatuor gentibus, de quibus ſunt electi, ſcilicet de gentibus, in quibus præcipuè regnabat luxuria; in tribubus, in quibus regnabat avaritia; in populis peccatum ſuperbiæ; in linguis peccata linguæ: Contemplatio notatur in hoc, quòd ſtant antè thronum Dei; converſatio honeſta notatur in veſtibus albis; operatio fructuoſa per palmas in manibus. *Vide op. Diat.tit.10. cap.6. opuſc. de dono ſap. cap.10. Luc. cap.9. verſ.29. cap.14. verſ.23. cap.24. verſic.4. ſerm.4. Dom.Palm. ſerm.3. in oct. Paſcha. ſerm.2. Dom.23. Pentec. ſerm.in exalt. S.Crucis opuſc. Solil.cap.4.*

65. Ad noſtram inſtructionem affert exemplum Angelorum adſtantium in circuitu throni, qui ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt Deum dicentes. *Amen: Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.* Dum enim audimus Angelos adſtantes ante agnum in circuitu throni, & cecidentes in facies ſuas, Deumque laudantes, edocemur, quòd ſicut Angeli ſtant, & ſimul exercentur in laude divina: ſtant fixi in contemplatione divina, volant, & moventur ad executionem mandatorum Dei, & ideò dicitur ſtabant in circuitu, ſcilicet per unitatem voluntatis, ſe humiliantes coram divina ſublimitate, & poteſtate, & adorantes in jubilo divinæ laudis; ut hinc diſcamus, quid agere debeamus, ſcilicet recognoſcere divinam majeſtatem, ipſam laudare, eique gratias agere pro infinitis beneficiis nobis collatis; & hinc intonant perpetuò hoc divinum epitalamium verè digniſſimum: Benedictio & claritas ideſt gloria tribuatur Deo ab Angelis, & hominibus, item gratiarum actio, & pro beneficiis creaturis exhibitis, & pro omnibus proſperis, & adverſis; item honor immenſus, virtus, & fortitudo Deo noſtro, ſcilicet honor pro ejus potentia, & fortitudine in ſæcula, ſæculorum. Amen. *Opuſc. Eccleſ. Hier. p.4. cap.1. Luc.cap.17.verſ.16.ſerm. unic.de Angelis. ſermon.3. de Angelis. opuſc.myſt. Theol. cap.1.p.2.* Nota autem, quòd hoc epitalamium, Benedictio, & claritas, &c. habet efficaciſſimam vim ad reprimendas vires diaboli ſuper obſeſſos, & id continua experientia patet.

66. Et ulteriùs ad noſtram inſtructionem majorem notat Sanctus Ioannes, quod uni ex ſenioribus interroganti; qui ſunt iſti, amicti ſtolis albis, & unde venerunt? fuit illi reſponſum. *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, &c.* Venerunt inquam de tribulatione, qui crucem poſt crucem portaverunt patienter, & fortiter, qui ſuſtinuerunt libenter perſecutiones, martyria, mortem, & omnia mala in vita temporali, qui laverunt ſtolas, ideſt veſtimenta, corpora, & animas per ſanguinem Chriſti; ideò ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die, ac nocte, &c. non eſurient, neque ſitient amplius, &c. quia perpetuò ad menſam gloriæ reficientur: Ex quibus diſcamus, quàm nobile, & glorioſum ſit pati pro Chriſto, crucem Chriſti portare. *Vide lib.4. d.4. p.1. quæſt.2. opuſc. Diat. titul.10 cap.5. & 6. opuſc.expoſ. Miſſa cap.4. in fine. opuſc.ſtim.p.3.cap.20. Luc. cap.6. verſ.20. capit.12. verſ.37. & 50. capit.17. verſ.33. cap.22. verſ.36. c.12.v.20. Ioan.collat.21. & 38. ſer.3. Dom.8. Pentec. ſer.de SS.Sim.& Iuda: ſer.in exalt. S.crucis: ſer.3. in oct.Paſcha.ſer.1. Hexam.ad finem. Pſal.70.*

CAP.

Digitized by

CAP. VIII.

67. IN hoc capite aperit Chriſtus ſeptimum ſigillum, & prodeunt ſeptem Angeli cum tubis, & antè hæc notat, quòd *factum eſt ſilentium in Cœlo quaſi media hora*, per quod ad litteram ſignificatur tacita expectatio, & conſideratio ſeptem tubarum, & plagarum, tamquam rerum magnarum cauſantium admirationem magnam etiam in cœlitibus; dicit autem media hora ob brevitatem temporis, & calamitatum hujus vitæ, quia in alia vita eſt tota, & plena hora.

68. Myſticè autem per Cœlum intelligitur Eccleſia, vel Religio, in qua dulcis muſica, & concentus generatur, quando Eccleſiaſtici, & Religioſi ordinatè vivunt, ſcilicet tranſeundo de contemplatione ad actionem, & è converſo in Dei ſervitio; & talis dulcis muſica reſonat ad aures Dei, quando ſuperiores juſtè, & benignè præſunt, & inferiores manſuetè ſubſunt ſine murmure, & contradictione; quando verò talis concentus & ordo prævertitur, ſcilicet quando inſurgunt ſubditi contra Prælatos, & Prælati contra ſubditos graſſantur, tunc talis concentus ſilet, vel plurimum impeditur; & tunc poteſt dici factum eſt ſilentium in Cœlo myſtico, ſilentium vere periculoſum, & nocivum, quia eſt veluti prodromus ad varias plagas, & calamitates imminentes in Eccleſia, & in Religione: ò caveat Deus à nobis tale ſilentium maledictum. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4.*

69. *Vidit Ioannes ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, quibus data ſunt ſeptem tuba.* Iſti ſeptem Angeli ad litteram ſunt primones aulæ cœleſtis, quorum caput eſt S. Michael, qui evocabunt, & citabunt mortuos ad judicium: myſticè per ipſos ſignificantur Prædicatores, qui à Deo per Orbem mittuntur ad excitandum peccatores ad pœnitentiam, & hoc maximè eveniet in fine mundi, ut ab hominibus avertatur furor iræ Dei. *Ser. 20. Hexam. S. Ambroſius aliique Patres.*

70. Quia Deus nunquam deſerit Eccleſiam ſuam, ejuſque miſericordia ſuperexaltat judicium, oſtendit S. Ioanni antè adventum plagarum mundi, quas immiſſurus erat mundo, alium Angelum ſtantem ante Altare cum thuribulo aureo; cui & data ſunt incenſa multa, ſcilicet orationes ſanctorum, ut eas ad placandum Deum offerret: Myſticè hic nobis multa arcana utiliſſima enodantur; & primò quòd thus placans Deum eſt oratio fervens, nec enim aliqua alia re tam delectatur Deus, quàm thymiamate orationis: ſecundò oſtendit, quod Angeli nobis inceſſanter aſſiſtunt expectantes, ut impleamus eorum thuribula orationibus, ut ipſas Deo offerant; mox enim ut de ore, vel corde proceſſerit tua oratio, ſtatim ſuſcipiunt eam Angeli in manibus ſuis, & offerunt ante Deum; cave ergo ne Angelus tuus inter alios Angelos vacuo thuribulo appareat: tertiò quòd cum omni tempore expectent à nobis Angeli thus orationis, hoc maximè faciunt ſtantes ante Altare, nempè cum Eccleſiam, vel lectionibus ſacris autem accommodamus; pſalmodiæ operam damus, vel orationibus incumbimus vel Miſſarum ſolemnia celebramus: non enim dubitare licèt; ubi dominici corporis, & ſanguinis myſteria geruntur ſupernorum civium adeſſe conventus; de quibus dicitur *Pſ. 67.* Prævenerunt Principes conjuncti pſallentibus in medio juvenculatarum tympanistriarum, ſcilicet Angeli in medio animarum ſanctarum in choro, & tympano laudes decantantium, & ſacrificia, & orationes offerentium: quocirca ſacerdos dum celebrat Miſſam, meminerit ſibi aſtare Angelos, eoſque veneretur, & invocet, ut ſe dirigant, illuminent, & accendant ad dignè ſacrificandum: ſic & Chriſtiani volentes orare; & maximè dum adſtant coram Deo in Eccleſia. *Serm. 1. de dedicat. ſerm. 4 Epiph. ſer. 1. Dom. 10. Pentec. ſermon. 1. de Angelis. ſermon. 2. de plur. Martyr.*

71. Notat Apoſtolus, quod aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo: per quod primò ſignificatur qualis oratio pervenit ad thronum Dei, ſcilicet fumus; & exhalatio puriſſima orationis, nempè quando purgatur ſecretum cordis, clauſo oſtio ora Patrem tuum, ait Chriſtus Matth. c. 6.) & claudantur ſenſus corporis, ut mens tractatis ſenſibus humanis, & ſimilitudinibus imaginariis, non ſono vocis, & linguæ motu, nulla ſyllabarum disjunctione, ſed conglobatis deſideriorum affectibus in Dei amorem, & laudem, reſolvatur, quia tunc adimpletur, quod hic dicitur aſcendit fumus incenſorum, &c. ſecundo ſignificatur, cum poſt aſcenſum talis orationis, ſubſequuntur plagæ, tubæ, & tonitrua, quod oratio ſanctorum pœnitentibus quidem impetrat veniam, gratiam, & bona cœleſtia, qui ſcilicet ſignati ſunt ſigno crucis, ſic è contra obſtinatis impetrant flagella, & excidia; ſic ſacri expoſitores, &c. Audiant hæc qui in interceſſione ſanctorum vanè ſine cooperatione propria confidunt, &c. *Lib. 4. d. 45. a. 3. ſer. 4. Dom. 9. Pentec. ſer. 3. de S. Michaele in addit.*

72. Vidit Apoſtolus primum Angelum accepiſſe tubam ſuam, & ad ejus ſonitum facta eſt grando, & ignis miſta in ſanguine, & iſta miſſa in terra concremarunt tertiam partem arborum, & omne fœnum viride; & ſic ſucceſſivè ad ſonitum tubarum aliorum Angelorum miſſæ ſunt plurimæ, & graviſſimæ calamitates in terram, per quas denotantur illæ, quæ præcedent judicium univerſale; de quibus loquitur Chriſtus. *In Luc. c. 21.* & eas ibidem explicat *Seraph. Doct.* Myſticè autem per arbores, & fœnum intelligit voluptuoſos, ſuper quos primò cadent calamitates. *Pſ. 36.* Dicit etiam, quòd ad ſonitum tertii Angeli cecidit de Cœlo ſtella magna ardens tamquam facula, per quam ſignificantur docti, qui ſuperbè ſibi ipſis fidentes à Deo diſceſſerunt, quales ſunt Hæretici, & impii Doctores, quorum doctrina eis reſultat in excidium. *Ser. 4. Dom. 1. poſt oct. Paſchæ.*

73. *Ad ſonitum tubæ quarti Angeli audivit vocem unius Aquilæ volantis per medium Cœli, dicentis voce magna; Væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Myſticè per Aquilam iſtam intelliguntur Prædicatores, qui in perſona Chriſti excurrentes terram intonant peccatoribus væ, væ, væ, habitantibus in terra, nempè væ pro voluntate, væ pro operè, væ pro conſuetudine

habitantibus in terra, ſcilicet carnalibus, & malis terrenis vitiis infectis. *Ser.3.ſer.3.Paſchæ. ſer.4. Dom.1.poſt oct.Paſchæ ſer.1. in Aſcenſione. ſerm.3. Dom.Trinit.op.ſpec. B. Virg. lect.2. Luc.c.6. v.24. c.16.v.23.*

CAP. IX.

IN hoc capite exprimit Joannes calamitates advenientes ad ſonitum tubæ, quinti, & ſexti Angeli.

74. Et primò vidit puteum abyſſi apertum, ex quo exiit fumus veluti fornacis magnæ, & tunc obſcuratus eſt ſol, & exierunt locuſtæ monſtruoſæ ſimiles equis paratis in prælium: per quæ ad litteram inſinuantur bella, proditiones, deſolationes ante judicium eventuræ in mundum: myſticè notat ſuperbos, qui immittunt fumum ex ore, ſcilicet verba, & actus ſuperbos ſuper alios; ex quibus prodeunt infinita mala. *Luc. c.24.v.38.ſer.4.dedicat.Ioan.c.6.v.14* Notat ſecundo, quod tantæ erunt calamitates tunc temporis, quod homines quærent mori, & non invenient mortem: quæ ſententia magis verificatur de damnatis, qui potiùs vellent non eſſe; & quibus proprium eſſe, quod unicuique eſt tam charum, erit in maximam pœnam. *Lib.4. d.50.p.1. q.2. opuſc. Comp. Theol.lib.7.c.22. op. Diæt.tit.9.c.1. Pſal.118. c.4.v.5.*

Addit & aliam maximam calamitatem malorum tum in hac vita, & magis in Inferno. *Et habebunt ſuper ſe Regem Angelum abyſſi, cui nomen latinè exterminans.* Ecce qualis eſt Rex impiorum, ſcilicet diabolus, cui voluntariè ſe ſubjiciunt in hac vita, & ideò in Inferno habebunt ipſam æternaliter tortorem, & exterminatorem: *Serm.2. in Cathed.in addit.*

CAP. X.

75. IN hoc capite Joannes vidit alium Angelum fortem deſcendentem de Cœlo, qui poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum ſuper terram, & habebat in manu ſua libellum apertum: Ad litteram innuitur poteſtas Chriſti, & ſuorum nunciorum ſuper totam terram, & mare, nec poſſe eſſe aliquem, qui ejus judicium effugiat: myſticè dat intelligere vindictam, quam immiſſurus eſt ſuper mare, in quo porci ſubmerguntur, ſcilicet ſuper carnales; & ſuper terram, ſuper cupidos, & concupiſcentiis deditos: Per Angelum autem habentem libellum apertum in manu nos docet, & excitat ad calcandum terram, & aquam concupiſcentiarum, ſi volumus effugere iram Dei. *Ser.4.Dom.22.Pent ſer.3.de S.Michaele in addit.*

76. Audivit Angelum jurantem, quia tempus non erit amplius: per quod ſignificatur, quòd Angeli & Joanni, & nobis proponunt meditationem æternitatis, quæ poſt hanc vitam tempori ſuccedet: tunc enim erit conſummatio omnium myſteriorum, quæ fuerunt de Chriſto, & Eccleſia prædicta per Prophetas, & ſanctos; ad hanc æternitatem meditandam invitamur continuè ab Angelis. *Lib.2. d.2. p.1.a.2.q.2.ſerm.16. Hexam.*

77. Tandem jubetur Joannes accipere librum de manu Angeli, ipſumque devorare, qui dulcis fuit palato, orique ejus, ſed amarus ventri. Et poſt hoc juſſus eſt prædicare contenta myſteria illius libri: Ad litteram iſte liber eſt Apocalypſis, ſcilicet revelatio futurorum tempore Antichriſti, quæ quia continebat mira, & nova prima facie, talis cognitio dulcis palato Ioannis viſa fuit, ſed poſteà ob ſtrages obventuras ex perſecutione Antichriſti amaricatus eſt ejus venter, ſcilicet mens ejus: myſticè ſignificatur, quod libet ſacræ ſcripturæ, & verbi Dei dulcis eſt rationi, amarus ſenſualitati; facitque amaricare ventrem animæ, quia ad compunctionem peccatorum excitat; & dum dicitur cuicumque noſtrum; accipe librum de manu Angeli, præcipimur, ut inſpirationes, & illuminationes ab Angelis provenientes prompto corde recipiamus, & exequamur. *Ser.20. Hexam.in fine.op.de ſex Alis Seraph.c.8. Luc. cap.4. v.17.ſer.1.de Angelis.*

CAP. XI.

78. IN hoc capite Ioannes incipit enarrare contenta in ſupradicto libro jam aperto, & lecto, nempè conculcationem Eccleſiæ, quam faciet Antichriſtus, cui ſtatim ſe opponent Elias, & Enoch, quaſi duo fidelium, & belli ſacri Capitanei; & hac occaſione ipſorum opera, miracula, martyrium, reſurrectio, & aſcenſio in Cœlum ab ipſo enarrantur.

Primò igitur jubetur Ioannes metiri templum interius, ſed exteriorem partem templi nequaquam, ſed ejiciendam eſſe, & ſeparandam ab illa: myſticè exprimuntur opera egregia ſanctorum, qui ſignificantur per templum interius, reſiſtentque fortiter tyrannidi Antichriſti, à quorum numero ejicientur imperfecti ſignificati per atrium exterius, qui credent Antichriſto, ejuſque aſſeclis. *Luc.c.21.v.24.*

79. Legit ſecundo loco Ioannes in hoc libro adventum futurum Eliæ, & Enoch tempore, quo graſſabitur perſecutio Antichriſti; iſtique prædicabunt contra ipſius doctrinam, & amicti ſaccis prodibunt inſtar Capuccinorum, & Heremitarum (ait Cornelius hîc) & eorum prædicatio durabit diebus 1260. hoc eſt tribus annis, qua ſimulque maximis miraculis convertent & Chriſtianos, & Iudæos, ut videas providentiam Dei mirabilem; qui ſicut ubi abundant venena, natura providit etiam antidota, ſic ſemper ubi orta eſt perſecutio in Eccleſia, excitavit, & providit Sanctos & Doctores, qui Hæreticis, & perſecutoribus ſe opponerent. ideò contra Antichriſtum opponet Eliam, & Enoch. quos appellat teſtes; *& dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt, &c.* dicit eos duos teſtes, ut myſticè ſignificetur duplex genus ordinũ, qui confirmati ab his duobus Prophetis Chriſtum cõtra Antichriſtum tuebuntur oratione prædicatione, vita exemplari, & miraculis. ſc. Sacerdotes, & Monachi; inter quos (ut dixit prophetando Sancta Thereſia) erunt Religioſi ordinis S. Dominici, & Societatis Ieſu, & ut revelavit Chriſtus S.P. Franciſco (ut patet in conformitatibus Piſani)

conſurget

conſurget reſuſcitatus idem S. Franciſcus, qui mirabili modo, ſimul cum ſuo ordine in ſpiritu Eliæ, & Enoch ſe opponèt perſecutionibus ipſius Antichriſti, & aſſeclarum ejus; & tandem iſti duo Prophetæ martyrio coronabuntur, eorumque corpora jacebunt inſepulta in platea Jeruſalem, & ſtatim poſt tres dies reſurgent, & videntibus omnibus aſcendent in Cœlum in nube, & poſteà Antichriſtus quindecim diebus poſt mortem illorum regnabit, & tunc à S. Michaële occidetur. *Op. Comp. Theol. lib. 7. cap. 10. & 12. & 13. ſerman. 2. dedicat. ſer. 15. Hexam. in fine.*

80. Notanter hos duos Prophetas vocat duas olivas, & duo candelabra, &c. qui titulus meritò datur ab Eccleſia non ſolùm iſtis duobus ſanctis, ſed & Apoſtolis, aliiſque ſanctis, qui charitatis pinguedine, & ſcientia totam Eccleſiam colluſtrant: taleſque appellati ſunt à Sixto quinto S. Bonaventura, & D. Thomas Aquinas. *Ser. de SS. Sim. & Jud. : ſer. 2. de SS. Phil. & Jac. in addit. in Bulla Canon. S. Bon.*

81. Poſt mortem Antichriſti præviſſam, oſtenſum eſt Cœlum apertum Joanni, & vidit converſionem hominum, regnumque Eccleſiæ pacatum, & in Cœli templo arcam teſtamenti, ſcilicet corpus Chriſti, tùm verum, tum myſticum, & Beatam Virginem eminere ſuper alios Beatos, & juſtos utriuſque Eccleſiæ; & hinc facta ſunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna ſignificantia iram Dei venientem ſuper iniquos viventes, & ſuperventuram in inferno. *Luc. cap. 11. verſ. 3. & 10. op. Eccleſ. Hier. p. 4. cap. 4.*

CAP. XII.

82. IN hoc capite Joannes deſcribit bellum multiplex in fine mundi, & victoriam Eccleſiæ, & fidelium contrà Antichriſtum ſub ſchemate mulieris, & draconis concertantium; & tandem dejectionem draconis factam per Michaëlem, &c. Et quia ſenſus litteralis hujus viſionis eſt etiam ſimul myſticus, cum loquatur de Eccleſia, & de Maria Virgine; hinc ad elucidandum hunc ſenſum multiplicem, myſticum facimus tranſitum: Primò igitur loquens de Eccleſia ſub typo mulieris ipſam appellat ſignum magnum, & hoc tum quia miraculoſa, & prodigioſa fuit Eccleſiæ à Chriſto inſtitutio, ejuſque inter tot hoſtes per Apoſtolos, & ſanctos propagatio, & incrementum; tùm quia ſignum, & vexillum Eccleſiæ eſt ſancta crux Chriſti; tum quia ſignum, & ſcopus eſt Eccleſia in quam, quaſi in ſcopum omnes Tyranni, & Hæretici ſua tela collimarunt, ut dicitur *Thren. c. 3. v. 12.*

83. Dicitur hæc Eccleſia viſa in Cœlo, non empyreo, ſed aëreo; dicitur in Cœlo, quia de Cœlo deſcendit, & ejus vita, mores, doctrina, auctor, lingua, affectus, ſpes, finis, & terminus cæleſtia ſunt, tum etiam quia ejus potior pars eſt in Cœlo, ſcilicet ſancti, & Beati; tum quia alludit ad primum prælium initum inter Michaëlem, & Luciferum, quod factum eſt in Cœlo, fuitque figura hujus belli inter Eccleſiam, & Antichriſtum, & Luciferum: Dicitur autem mulier amicta ſole, ideſt circumdata Chriſto ſuo ſponſo, ejuſque divinitate, & cum Luna ſub pedibus, ideſt humanitate Chriſti quaſi baſi, & fundamento ejus; vel etiam quia Beata Virgo luminare minus eſt lucina Eccleſiæ.

84. In capite verò oſtenſa eſt habere duodecim ſtellas, ſcilicet Apoſtolorum, qui ipſam Eccleſiam ornant, & coronant promulgatione duodecim articulorum fidei.

85. Dicitur in utero habens, & cruciabatur ut pareret; cruciatur enim in Apoſtolis, & ſanctis, & Prælatis in perſecutionibus, ut filios pariat Chriſto, & idcò exponitur pugnans contrà draconem, ideſt catervam dæmonum, qui ſemper perſecutiones moverunt contrà ipſam, & hoc maximè erit tempore Antichriſti: *Vide S. Bon. ſer. 22. Hexam ſermon. 3 ſer. 3. Pentec. ſer. 4. Dom. 24. Pentecoſt. ſermon. 3. Pentecoſt. ſerm. 2. S. Barthol. ſerm. 1. 2. & 3. de Apoſtol. Joan. c. 6. in fine: c. 11. v. 9 ſer. 1. omn. ſanct. in addit. op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4.*

86. Quæ omnia adaptantur animæ fideli tum exiſtenti in hac vita, tum in gloria. *Op. ſoliloq. op. de ſeptem itin. ætern. itin. 7. d. 7. op. de dono ſap. cap. 11. op. Diæt. titul. 10. ca. 2. & tit. 5. c. 3. ſer. 2. de una Virgine: ſermon. 22. Hexam. ſer. 4. Dom. 22. Pentec.*

87. In hac viſione etiam alludit ad Mariam Virginem, quæ primo loco dicitur ſignum magnum, ſcilicet prodigium, & miraculum grande; & hoc non ſolùm in genere naturæ, quia poſt Chriſtum excedit perfectionem naturalem omnium creaturarum, ſed in genere gratiæ etiam, tum in intentione gratiæ, quia fuit in ſummo, & quaſi infinita; tùm in perfectione ſpecifica, quia fuit altioris ordinis, & ſpeciei à gratia aliorum ſanctorum, tum quia vel diſponens ad infinitam dignitatem maternitatis Dei, vel effectus ipſius doni maternitatis, ob idque ſuprà communem ordinem gratiæ, & pertinens ad ordinem unionis hypoſtaticæ: Nota etiam, quod ſignum magnum, ſcilicet Sacramentum omnium maximum, & veluti fons omnium Sacramentorum, cum enim Sacramentum ſit ſenſibile ſignum inſenſibilis gratiæ, & Maria continens in utero Chriſtum, apparuit ſignum, & ſacramentum inſenſibilis gratiæ ſcilicet Chriſti Jeſu, ex quo omnia ſacramenta prodierunt: De his & aliis myſteriis hujus viſionis ad gloriam Mariæ canit velut Cygnus cæleſtis Seraphic. Doctor. Vidit Ioannes myſticum | ſignum quoddam mirabile | quod in Cœlo propheticum | apparuit notabile | numquam fuerat ſimile | Prophetis ænigmaticum | ſignum datum, quod utile, | præcedens ut mirificum. | Erat patens cæleſtibus | amicta ſolis lumine | mulier. Lunam pedibus | ſupponens, cujus culmine | capitis pro tegmine, | duodecim ſideribus, | ſertum fulgebat numine, | ſuis plenis viſceribus. | Nihil te magis propriè | per iſtam intelligitur | mulierem, quæ ſeriè | Propheræ nobis panditur. | In te namque concipitur, | & oritur juſtitiæ | verus ſol, undè oritur | regnum cæleſtis curiæ. | Tuis Luna ſupponitur | pedibus, & militia | Cœli tota per te regitur, | caput duodenaria, | Patriarcharum gloria. | quæ per te benedicitur, |

&

& biſſena victoria | Apoſtolorum texitur. | Repleris plenitudine | generis omnis gratiæ, | toraque multitudine | virtutum, & potentiæ, | tu decus excellentiæ, | tu Lux carens fuligine | culpæ; ſplendor gloriæ | mundum decorans lumine. | In te totum perficitur, | quidquid verbis prophæticis, | de te Virgo prædicitur. | & legis epigmaticis; | ſivè quidquid Angelicis | tibi verbis exprimitur, | finitis verbis typicis | res manifeſta cernitur. | Salve ſolamen hominum. | ſalve munda ſtella maris, | ſalve purgatrix criminum, | ſalve Virgo ſingularis; | conſortio carens maris, | concipis, paris Dominum; | tu lapis es angularis, | quæ das figuris terminum, | Tu ſupra Cœli ſolium, | ad dexteram Dei reſides, | juxta proprium Filium | Cœli Regina præſides, | confirmans mentes deſides, | præſtans eis auxilium, | & tuis ſervis provides | impetrando ſubſidium. | Ubi namque ſanctiſſima | caro, quam Dei Filius | ſumpſit ex te mundiſſima. | Inchronizatur celſius, | creatis glorioſius, | ratio vult certiſſima. | Eſſe te non inferius, | vel ſede magis infima. | Ibi mater cum Filio | gaudes Cœli patria, | Trinitatis conſortio, | creata ſuper omnia. | Tua benigna gratia | fælicitatis gaudio | Nos coronat, & gloria, | Beatorumque præmio: Amen. *Op. Laus B. Virg. fig. 19. op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 6. lib. 4. d. 13. a. 2. qu. 3. lib. 1. d. 17. p. 2. a. 1. qu. 4. corp. & d. 44. dub. 3. lib. 3. d. 12. a. 2. qu. 1. & d. 13. a. 1. qu. 2.*

88. Mariam vidit Joannes non ſolùm amictam lumine, ſed ſtellis duodecim coronatam; cur duodecim ſtellis, & non pluribus? & quales iſtæ ſtellæ coronantes Mariam? ſtellæ iſtæ ſunt privilegia, & dignitates ſingulares Mariæ. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 6.* Corona item glorioſa eſt illa; quæ ei promittitur. *Cant. c. 4.* Veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum; nam ut ait *Ric. à S. Laur.* Feræ per gratiam, & orationem Mariæ, ideſt peccatores maximi, converſæ ſunt in ſtellas, quibus procedit coronata Beata Virgo.

89. Et hinc viſa eſt in utero habens, & crucians ut pareret; quomodo cruciabatur illa, quæ peperit filium ſine dolore? cruciabatur ut pareret, ſcilicet peccatores Chriſto; & hoc præcipuè ad pedes crucis, ubi facta eſt mater omnium peccatorum: *ſic & Ric. à S. Laur.*

90. Vidit ſtatim poſt hæc Draconem habentem capita ſeptem, & cornua decem, & in capite ejus diademata ſeptem. & cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum Cœli, & miſit eas in terram. & Draco ſtetit ante mulierem &c. ut cum peperiſſet devoraret filium ejus: Per quod ſignificatur, quòd diabolus à principio cœpit perſequi Eccleſiam. & non ceſſabit uſque ad finem, ſed majores perſecutiones erunt in fine tempore Antichriſti, qui etiam ſub nomine Draconis exprimitur habens ſeptem capita, ſcilicet Reges varios, qui ſibi obſequentur, & ſubjicient, & decem cornua, ſcilicet alios Principes ſibi ſubjectos. per quorum miniſterium trahet ad infidelitatem tertiam partem ſtellarum Cœli, ſcilicet plurimos fideles: & hoc eſt idem, quod ſubditur. ſcilicet Draco ſtetit ante mulierem, ut devoraret filium ejus. ſcilicet populum fidelem: & dum dicitur, quòd filius natus ex muliere raptus eſt ad Deum, ſignificatur, quòd filii Eccleſiæ fideles, & conſtantes rapientur ad gloriam per mortem, vel martyrium; hæc ad litteram: Myſticè dat intelligere, quòd diabolus ſemper perſequitur bonos, & adhibet ſeptem capita, & cornua decem, nempè vel ſeptem vitia capitalia, vel varios modos tentandi, ut per ſe, & per ſuos miniſtros ruere faciat fideles in peccatum, & perditionem *Op. de Præf. Relig. lib. 1. c. 11. ſer. 15. Hexam. Luc. c. 21. v. 25. op. Comp. Theol. lib. 7. c. 10. ſer. 2 ſer. 4. Pemet.* Dat etiam intelligere, quòd anima dum parit maſculum, & perfectum opus jam in matrice conceptum, ſtudet diabolus devorare, & deſtruere, quando non poteſt ipſum ſuffocare ante partum. *Ioan. c. 16 v. 21.*

91. Et quia ejus cauda trahebat tertiam partem ſtellarum, per hoc oſtendit, quòd peccatum Luciferi fuit occaſio aliis Angelis inferioribus ex hoc malo exemplo recedendi à Deo: ex quo patet quàm periculoſum ſit malum exemplum; ſi tale fuit in Cœlo quid in terra? hinc eſt, quòd Draco maledictus utitur hominibus malis, tamquam cauda venenata ad pervertendos bonos. *Lib. 2. d. 5. a. 2. qu. 2. ſer. 3. Dom. 3. poſt oct. Epiph. ſer. 1. in feſto omn. ſanct. in addit.* Et hinc ſubditur mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo &c. Ad litteram denotat fugam fidelium ad deſerta tempore perſecutionis Antichriſti: myſticè dat intelligere, quòd ad evitanda pericula ſcandaloſorum, remedium potiſſimum eſt ſolitudo, & fuga à converſatione ipſorum. *Ser. 3. Dom. 4. Epiph.*

92. Tranſit poſtea Joannes ad prælium initum, inter Michaelem, alioſque bonos Angelos, & Luciferum cum ſuis aſſeclis: Ad litteram alludit ad illud prælium, quod factum eſt in Cœlo propter peccatum Luciferi, ut ad figuram prælii, quod erit inter Eccleſiam, ſuoſque fideles contra Antichriſtum, in quo concurrent Sanctus Michaël, & Angeli in auxilium Eccleſiæ; ex quo inferunt SS. PP. quòd S. Michaël Princeps eſt omnium Angelorum, & protector, & Eccleſiæ defenſor, & fidelium in hac vita, & in morte; & hæc eſt ratio, quare duplex feſtum in ipſius honorem celebratur, ſcilicet apparitionis pro defenſione noſtra in hac vita, & hinc etiam Antichriſtus ab ipſo occidetur. & dedicationis pro tempore mortis. *Op. Centil. p. 3. ſect. 18. ep. Comp. Theol. lib. 2. c. 20. ſer. 1. de Angelis ſer. 17. Hexam.*

93. Qualis autem fuerit iſta pugna voluntatum explicatur à pluribus Doct. *apud Suarez 3. p. ſ. 2. d. 31. ſect. 4. S. Bernardinum alioſque.* Putant enim, quòd ambitio Luciferi, & aſſeclarum fuerit in hoc, quòd accepta revelatione de futura unione hypoſtatica Verbi cum humanitate, ipſe invideret humanæ naturæ hanc dignitatem, volebat enim vel ipſam, vel ipſum præponi, idcirco recuſans ipſum Chriſtum ut caput, & conſequenter Matrem adorare, ipſos inſecutus eſt volens neci tradere; hinc initum eſt prælium inter bonos, & malos Angelos; Boni autem vicerunt propter ſanguinem Agni (ait Joannes infra n. 11.) & propter verbum teſtimonii ſui; ideſt (*explicat S. Bernardinus*) per virtutem ſanguinis Chriſti, & per invocationem nominis Jeſu, quem humiliter adoraverunt, reſonantes

in

in ore Vivat Ieſus, Vivat Ieſus; ſic ad ſonitum hujus ſanctiſſimi nominis percuſſi præcipitaverunt è Cœlo in abyſſum: *Sic S. Bernardinus, & ad ſenſum Seraph. Doctor. ſerm. 1. de Angelis: op. Comp. Theol. lib. 2. cap. 20. Luc. cap. 21. v. 15. c. 22. verſ. 20.* Aliud myſterium etiam hæc patefit; cum enim per Chriſtum, ejuſque Paſſionem ablata fuerit poteſtas diabolo, qua priùs graſſabatur in genus humanum, mirum eſt quomodo tanta ei inerit poteſtas in fine mundi; in quo non ſolùm reſumet priſtinam, ſed & majorem poteſtatem, & crudelitatem tunc exercebit per ſe, & per Antichriſtum? Cui difficultati reſponderur, quod licet Chriſtus abſtulerit, & compreſſerit poteſtatem diaboli, tamen in nobis eſt vires dare hoſti, & nos ſubjicere poteſtati diaboli; & quia in noviſſimis diebus abundabit ſuper omnia tempora antecedentia hominum perverſitas, & refrigeſcet charitas; hinc ex culpa hominum juſto Dei judicio vires ſumet diabolus, & permittetur ampliùs ad malum impellere, quàm permiſſus fuerit tempore præcedenti: Ex quo diſcere debemus, quod à nobis pendet incrementum, vel decrementum poteſtatis diabolicæ. *Lib. 3. d. 19. a. 1. qu. 3. ad 2.*

95. Aliud etiam documentum morale ex hac viſione elicitur: cum enim & Virgo Maria, & draco oſtenſa fuerint Ioanni pugnantes ad invicem, poteſt fieri alluſio ad doctrinam aſtronomicam, quæ docet quando ſignum Virginis, & cauda draconis contrariè ſe aſpiciunt, tunc Cœlum perturbatur, & frequenter oriuntur tempeſtates, & eclipſis nunc ſolis, nunc Lunæ in capite, vel cauda draconis, ex mutua conjunctione, vel oppoſitione procreatur; ſic etiam quando ſtellæ myſticè erraticæ, & evagantes, ſcilicet perverſi Religioſi à rectitudine regularis diſciplinæ per campos licentiæ deviantes, qui nunc conveniunt in dracone per fraudulentam conſpirationem, & mutuò ſe opponunt per mutuam defenſionem, ex quorum lite, & contentione turbationes non modicæ, & ſcandala plurima ſæpè oriuntur, & ipſi Religioſi, qui per famam veluti Cœli relucere deberent famæ ſuæ jacturam per talium inſolentiam patiuntur: ô nimis verum hoc! ô ſignum magnum tunc in Cœlo apparet, ſed funeſtum, & pernicioſum. *Op. Eccleſ. Hier. p. 4. c. 4.*

96. Et tandem victo diabolo projectus eſt in profundum abyſſi, & hinc Angeli laudes Deo decantarunt. *Et projectus eſt draco ille magnus, qui vocatur diabolus, & Sathanas, qui ſeducit univerſum orbem, & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum eo, &c. nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, &c.* In quibus verbis notandum, quod hoſtis noſter appellatur draco magnus ob dolos, & ſævitiam, ſerpens, quia ſeduxit hominem; diabolus, ſcilicet criminator: Sathan, ideſt adverſarius, ſeductor, & accuſator, quia ſolùm intuitur ad damnationem procurandam hominum, ad quam aſſumit ſuos aſſeclas tum Angelos, tùm homines malos. *Lib. 2. d. 8. n. 2. qu. 6. Luc. cap. 8. verſ. 12. cap. 13. verſ. 10. ſermon. 1. Dom. 3. Paſchæ: ſer. 4. Dom. 5. Penteceſt. ſerm. 2. Dom. 18. Pentec.*

97. Subdit ad finem cantici Angelorum ſuper victoriam de diabolo reportatam. *Væ terræ, & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, ſcilicet habitantes in terra, & in inſulis maris, habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet, ſcilicet tentandi.* Nota, quod ad litteram alludit ad furorem diaboli in tempore Antichriſti, ſcientis, quod ſolùm illud tempus ei remanet tentandi, tunc enim ut Leo ſe habebit cum hominibus: Myſticè dat intelligere, quod homines ad terrena inhiantes, & in voluptatibus immerſos, primò ut ſerpens eos tentat blanditiis, poſteà ut Leo manifeſtè oſtendens iram ſuam, & hoc maximè facit in tempore infirmitatis mortalis: *Luc. c. 4. verſ. 13. & 35. ſer. 1. Dom. 1. Quadr.*

98. Subdit poſteà, quod tota ira dæmonis eſt, & erit contrà mulierem, ideſt Eccleſiam, ut eam proſternat, ſed tamen ſicut numquàm fuit derelicta, ſic nec in tempore noviſſimo derelinquetur; ideò dicitur, quod mulieri datæ ſunt alæ duæ Aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum & tunc miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine: Alæ iſtæ exhibebuntur Eccleſiæ tunc temporis, ſcilicet doctrina prædicationis, & amor Dei, in quarum virtute ſe defendet Eccleſia à tyrannide Antichriſti, & ſecedent fideles in deſerta, & ſpeluncas, donec tranſeat perſecutio tam fæda; mittet autem Antichriſtus aquam tamquam flumen, ſcilicet extendet perſecutores aſſeclas ſuos ad ſpeluncas, & deſerta, ut fideles capiant, & occidant, alioſque torquebunt, qui conſtantiores ſe demonſtrabunt eſſe de ſemine Chriſti non aufugientes, ſed apertè reſiſtentes: Myſticè dat nobis intelligere, quod ad evandendas aſtutias; & dolos diaboli, debet anima è Cœlo ſibi providere duas alas, quæ ſunt charitas Dei, & proximi; his enim defenditur à diabolo, & velociter volat in Deum, tamquam in locum ſuum; & in Religioſis alæ ſunt duo vota caſtitatis, & paupertatis conjuncta obedientiæ, & obedienti, qui ſic ſecurè volat ad Cœlum. *Op. Dict. tit. 4. cap. 2. op. Eccleſ. tier. p. 1. cap. 2. & p. 3. cap. 3. ſer. 3. Dom. 4. poſt eſt. Epiph. ſer. 1. Aſcenſ. ſer. 2. Dom. 1. Pent. ſerm. 1. de S. Ioan. Evang. in addit.* Datur etiam intelligi alia ars diaboli; nam cum non potuiſſet lædere mulierem, nec parvulum natum, miſit poſt ipſam tamquam flumen, ut faceret eam trahi à flumine, ſcilicet quando anima peperit bonum opus incipiens benè, & ſancte vivere, tunc ſerpens immittit tentationes carnis, & aquam deliciarum carnalium, reducendo ad memoriam præteritas delicias, ut ſic trahatur à bono inchoato, & involvatur iterùm in flumine voluptatum. *Ser. 1. de dedicat.*

CAP. XIII.

IN hoc capite deſignat Antichriſtum ſub imagine beſtiæ monſtruoſæ, ejuſque vitam, & mores; de quibus videatur *S. Bon. op. Comp. Theol lib. 7. c. 7.* & deinceps; ubi iſta omnia deſcribit: *ſer. 15. Hexam.* De ipſius fictis miraculis, ejuſque aſſeclis. *Vide ibid. ſer. 4. Dom. 24 Pent.*

CAP. IV.

99. IN hoc capite Joannes ad conſolationem fidelium affert numerum centum quadraginta quatuor millium, qui in tam immani perſecutione, & tàm ſummâ morum licentiâ reſiſtent Antichriſto, & linguâ, & factis, & moribus, & ſervabunt ſuam virginitatem : deindè introducit tres Angelos, quorum primus edicit inſtans judicium, ut homines timeant Deum; ſecundus Babylonis ruinam : tertius minatur gehennam aſſeclis Antichriſti; & deindè audit vocem de Cœlo *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, &c.* & iterum duo Angeli edicunt ruinam iniquis, &c. Primò igitur oſtenſus eſt Joanni Chriſtus Jeſus ſub ſpecie Agni ſtantis ſuprà montem Sion, ideſt Eccleſiæ præſidentis, quem ſequebatur proceſſio centum quadraginta quatuor millium Virginum, qui contrà Antichriſtum pugnaverunt, & pro defendenda, & ſervanda virginitate vitam morti ſubdiderunt: Nota hic in hoc numero non collocari infantes, & pueros quia in his virginitas non eſt virtus, ſed conditio ætatis, ſed tantùm adulti : an verò ponatur numerus definitus pro indefinito eſt in quæſtione; nam multi Patres aſſerunt hunc numerum fore majorem talium Virginum alii ſumunt ad litteram hunc numerum.

100. Myſticè, imò ad litteram dat nobis intelligere qualis virtus ſit caſtitas, & virginitas, nempè quia ſuprà montem Sion eſt elevata, ſcilicet ſuper omnia terrena, & corporea, quia propria eſt Angelorum, eorumque vox, eſt veluti citharœdorum, ſcilicet dulciſſima, muſica auribus Dei, & Angelorum, & ideò ſpeciali privilegio à Chriſto donantur : *Op. Eccleſ. Hier. p. 3. c. 2. & p. 4. c. 4. ſer. 4. Dom. infrà oct. Nativ. ſerm. 1. de Virgin. in addit. op. Diæt. tit. 4. c. 3. & tit. 10. c. 6. op. myſt. Theol. c. 2. p. 3. ſer. 15. & 23. Hexam. ſermon. 5. Dom. 2. Adv. Ioan. c. 21. v. 20.*

101. Deindè audivit vocem Angeli dicentem; *Timete Dominum, &c.* & alium Angelum dicentem, *cecidit Babylon, &c.* & tertium Angelum dicentem, *ſi quis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte, aut in manu, hic bibet de vino iræ Dei, &c.* Datur intelligi qua diligentiâ expectandum eſt judicium Dei, quod nobis ſemper propè eſt; & è contrà qualem fructum, & pœnam peccatores expectare debeant, qui acceperint imaginem beſtiæ, ſcilicet diaboli; peccatum enim mortale eſt character diaboli, qui imprimitur in corde, & anima, & manu peccatoris. *Serm. 1. de uno mart. in addit. Luc. c. 16. v. 13 c. 17. v. 30. op. Brevil. p. 7. c. 6. op. lignum vitæ : ſer. 17. Hexam. op. Comp. Theol. lib. 1. c. 33.*

102. Audivit poſtea vocem de Cœlo dicentem; *ſcribe; Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modo jam dicit ſpiritus*, ſcilicet ſanctus, *ut requieſcant à laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos.* Et hic eſt terminus ſanctæ, & Chriſtianæ vitæ eorum; qui mundo in hac vita moriuntur, quia in morte in Domino moriuntur, ſcilicet in Dei commemoratione, invocatione, amore, & in actu charitatis; ſic enim transferuntur ad beatam gloriam, ut requieſcant à laboribus ſuis, quia opera eorum, & merita ſequuntur illos : ò felices illi, qui in hac vita cumulant operum merita, ut ſecùm ipſa adferant ad Cœlum. *Lib. 4. d. 20. q. 1. op. expoſ. Miſſæ c. 4. Pſ. 10. Eccleſ. proœm. op. 1. in. 7. in princ. Luc. c. 23. v. 54. ſer. 3. de uno mart. ſer. 2. de S. Thoma in addit. ſer. 2. de uno mart. in addit. ſer. 2. de mortuis.*

CAP. XV.

IN hoc capite Joannes poſt aliqualem digreſſionem *cap. 14.* de die judicii, & damnatione impiorum *ad cap. 11.* hic incipit producere ſeptem Angelos effundentes ſeptem phialas iræ Dei : primò autem in hoc capite videt ſanctos, qui vicerunt beſtiam, ſtantes ſuper mare vitreum cantantes laudes Dei : Nota autem, quod iſti in vita hac tranſierunt mare vitreum, ſcilicet mundum, & peccatum per baptiſmum, & pœnitentiam, & ſic in gloria ſtant Deum laudantes. *Vide ſer. 8. Pent. Ioan. c. 21. verſ. 19. Luc. cap. 21. v. 22.*

CAP. XVI.

IN hoc capite Joannes vidit ſeptem Angelos habentes ſeptem phialas in manu plenas iræ Dei, qui eas effuderunt in varias partes, nempè varia flagella; per quæ figuratur miniſterium Angelorum, qui in fine mundi velut Dei miniſtri punient malos, ut reſipiſcant à peccatis : Ex iſtis autem ſeptem phialis exierunt multa flagella contrà vitioſos, & omnes figuratæ fuerunt in plagis, quibus Deus percuſſit Ægyptum; de quibus aliàs actum eſt, & tractat. *S. Bon. ſer. uls. in op. de decem præcept.*

103. In ſexta plaga *ver. 12. ad 14.* vidit de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore Pſeudoprophetæ tres ſpiritus immundos in modum ranarum, ſcilicet ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna, & procedentes ad Reges totius terræ congregare illos in prælium, &c. Ad litteram per hoc ſignificatur, quod Antichriſtus ſimul cum diabolo, & Pſeudophopheta ſcilicet ſuo intimo miniſtro miſſurus eſt ſuos alios miniſtros ad varias partes terræ ad excitandum bellum contrà Chriſtum ejuſque fideles.

104. Myſticè autem dat intelligere bellum, quod excitat diabolus contrà Chriſtum per tria vitia communia, ſcilicet ſuperbiæ, luxuriæ, & avaritiæ; & hoc præcipuè intentat per homines ſcandaloſos, & impios, qui idcircò comparantur ranis volutantibus ſe in cœno, & ſtercore voluptatum, & ſuo pertinaci clamore, verbiſque immundis infinita mala inferentibus in fideles Chriſti. *Luc. c. 4 v. 33 c. 11. v. 14 c. 21. v. 20. ſer. 1. de S. Marco in addit.*

CAP.

CAP. XVII.

105. IN hoc capite vidit Joannes purpuratam meretricem, cui nomen *Babylon*, insidentem bestiæ habenti capita septem, & cornua decem, singulorumque explicationem audivit, & didicit ab Angelo: Quæ autem ad litteram sit ista Babylon sub typo meretricis varii varia dicunt; alii enim dicunt esse sectam Mahometis: alii Constantinopolim, quæ est Turcarum Metropolis: alii esse veram Babyloniam Metropolim Chaldæorum; sed probabilius est esse Romam Ethnicam, & Idololatram; talis enim fuit tempore S. Joannis, & talis erit in fine tempore Antichristi, sic Cornel. id probat doctissimè: nec per hoc inferri potest cum Hæreticis, quod tunc sit peritura Ecclesia Romana, & Vicarius Christi, quia numquam usque ad finem mundi deficiet ejus fides intacta; imo sicut in principio maximè in ea floruit in Martyribus fides Christi, sic & erit in tempore Antichristi: Mysticè autem per hanc mulierem significatur vanitas mundana, quæ sedet super septem colles, vel montes, scilicet vitia capitalia, & exhibet suis amatoribus poculum aureum plenum abominatione, & immunditia fornicationis, scilicet delectationes, & voluptates, quæ primâ facie videntur aureæ, & dulces, sed verè continent immunditiam, venenum, mortem, & faciunt fornicari, & recedere à verò sponso Christo, ideò simul cum ipsa vanitate tandem perduntur, & exterminantur. *Sermon. 1. Dom. 3. post Pentecost. sermon. 2. Dom. 12. Pentec. serm. 1. Dom. 1. post oct. Epiph. serm. 1. in dedicat. ser. 1. de S. Barthol. in addit. ser. 16. Hexam.*

106. Nota etiam, quòd hæc mulier visa est insidens in bestia habente capita septem, & cornua decem: ista autem decem cornua, dicit sacer textus, esse decem Reges, scilicet diversos à septem capitibus, idest Regibus, quia isti septem Reges ante Antichristum dominabuntur, & se subjicient Antichristo, tempore autem Antichristi erunt decem Reges, qui simul cum ipso; & ipsi Antichristo colligati, & subjecti dominabuntur Imperio Romano, qui cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos: Vide explicationem litteralem apud Cornelium Mysticè; Decem Reges pugnantes contra Christum sunt Dæmones dominantes singuli super singula mandata Dei, ut ipsa impugnent per vitia eis contraria; quos Christus vincit in electis suis. *Ser. 2. de Apost. in addit. Psal. 31. & 76.*

CAP. XVIII.

IN hoc capite describitur excidium, & incendium Babylonis, indeque luctus, & planctus Regum, & mercatorum, deindè Sanctorum exultatio.

107. Vidit ergo Joannes primò alium Angelum descendentem de Cœlo habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria ejus. Nota: hic est Christus, qui dicitur Angelus magni consilii, qui in mundum descendit per Incarnationem; & sicut in principio venit per lumen doctrinæ, miraculorum, & gratiarum illuminare terram, & in terra primò Mariam Virginem suam Matrem, & sic destruere Idololatriam, per quod facta est mystica desolatio in bonum Babylonis, scilicet Romæ; sic in fine mundi sua potestate eadem civitas everteretur, & destruetur ob scelera, & Idololatrias, in quibus tunc inundabit; & hinc canitur ab ipso, & à sanctis exultantibus, Cecidit, cecidit Babylon magna, &c. *Op. spec. B. Virg. lect. 3. op. Eccles. Hist. p. 1. c. 1. & p. 4. c. 4.*

108. Prorumpit Christus in sententiam finalem contra Babylonem & consequenter contra omnem animam impiam: Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundùm opera ejus; in poculo, quo miscuit miscete illi duplum, quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum; quia in corde dicit; sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo: In quibus terribilibus verbis primò datur intelligi, quod Sancti & Angeli in puniendo peccatores erunt Christi administri, ipsique duplo magis punient eos, quàm ipsi afflicti fuerunt in hac vita ab impiis, & meritò dicitur duplum, quia talibus persecutionibus non tantùm proximum, & sanctos, sed & Deum offenderunt.

109. Hinc subdit *quantum glorificavit se in deliciis tantum date illi tormentum.* Nota. ly; quantum, & tantùm; scilicet non arithmeticè, sed geometricè, idest non æquali, sed proportionali mensura. *q.d.* Tantum date illi pœnarum, quantum commeruit suis deliciis illicitis, quæ fuerunt maximæ: pœna enim inferni longè major est deliciis hujus vitæ, proportionaliter tamen illis respondet: Retribuit autem Dominus in mensura æquali, pensato reatu, sed in majori pensata duratione, quia citò transit delectatio, sed sempiterna manet punitio; in minori autem mensura pensata offensa, quia punit Deus citra condignum; qui enim contra omne bonum peccat, omni bono meretur privari, & qui peccat contra bonum infinitum intensivè, & extensivè, deberet utroque modo puniri infinitè, & quia creatura non potest habere infinitatem intensionis, suscipit alteram durationis cum acerbitatis firmitate, undè licèt pœna sit major voluptate, & minor quàm offensa, attamen æquatur reatui obligationis necessario: hinc etiam infertur corpora damnatorum in singulis sensibus crucianda esse, quia in singulis suas habuerunt lethiferas delicias; Itaque visus patietur à terribilibus spectaculis, & spectris Dæmonum, auditus ab ejulatibus, odoratus à sulphure, & pessimis fœtoribus qui existent etiam in ipsis eorum putridis corporibus; gustus ab aliquo fœtido oris humore, tactus ab igne, unde vetus adagium verificabitur contra jactantiam, ob quam dicebat ista meretrix, sedeo Regina, &c. Ubi uber, ibi tuber; ubi mel, ibi fel; ubi montes, ibi valles, ubi aurum, ibi erago, & scoria; idest ubi libido, ibi lues; ubi voluptas, ibi dolor, ubi fastus, ibi contemptus, ubi avaritia, ibi sordes, ubi stultitas, ibi fames, ubi crapula, ibi mors, ubi gloria, ibi ignominiâ, ô vanitas

vanitatum ! ô ſumma ſtultitia, & inſania hominum dare pro viliſſimo plumbo argentum, pro aurichalco aurum ! ô qualis miſeria, quando gloria in ſummam ignominiam ; potentia in impotentiam, ſapientia in ſtultitiam; & delectatio omnis in maximam pœnam tranſibit ! *Luc.c.6. v.38. ſer.1.S. Andreæ,ſerm.2.de S Iacobo: ſerm.2. de una Virgine.ſer.3 de Rector.in addit.ap.Comp.Theol. lib. 7.cap 22. ſerm.2. Dom. 9. Pentec. ſermon. 2. de dedicatione.*

110. Hinc etiam inferunt à contrario ſenſu SS. PP.quòd ſicut quantò quis plus aſcendit in hac vita per ſuperbiam, luxuriam, &c. tantô plus in alia punietur : ſic & quò quis plus deſcendit ſe humiliando, pœnitendo,mortificando. &c. tantò plus in alia aſcender,& glorificabitur, cum Deus ſit pronior ad remunerandum, quàm ad puniendum.*Ser.2.de una Virgine.*

111. Inferunt etiam ex hoc loco ſancti, quòd infantes damnati, quia non peccaverunt actibus propriis.& delectationibus,&c. nec etiam in ſenſu ponientur.*Lib.2.d.33.a.3.q.1.*

112. Applicatur etiam ingredienti in vitam ſpiritualem;quantum ſe glorificavit peccando,tantò debet ſe punire in via purgativa pœnitendo, &c. *Op.myſt.Theol c.1.p.2.*

113. Tandem exemplo lapidis molaris miſſi in mare explicat Angelus impetum, quo peccator ſtatim ac moritur mittitur in infernum : Hoc impetu,ait, mittetur Babylon,&c. & per hoc datur intelligi quàm grave pondus ſit peccatum mortale ; cum enim anima ſit de ſe fortis, & leviſſima,quia immunis à corporeitate, tamen ſi uno ſolo peccato mortali inficiatur, ſit ponderoſiſſima, & ideò ſtatim ac ſeparatur à corpore, velut lapis molaris præcipitat in infernum. *Sermon.3. Dom.1. poſt oct. Epiph. epiſc. Compen. Theol. lib.3.c.7.*

CAP. XIX.

114. IN hoc capite deſcribitur gaudium Cœlitum, tùm ob damnationem malorum; tum ob approximationem nuptiarum cœleſtium ; tum ob victoriam de Antichriſto, ejuſque aſſeclis.

Primò igitur audit Joannes vocem turbarum multarum in Cœlo dicentium. *Alleluia ; laus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt : & iterum dixerunt Alleluia, & iterum viginti quatuor ſeniores dicentes, Alleluia. & iterum audivit vocem ſicut tonitruorum dicentium. Alleluia*; hinc quater in Dei laudibus reſonat, Alleluia, quæ eſt laus Angelorum,interpretatur autem laudate Dominum, ſcilicet acclamatio cum exultatione, & excitatione ad Deum laudandum : quater autem reſonat Alleluia, quia laus Dei debet reſonare primò in intellectu, ſecundò cum concurſu affectus ; tertiò & vocis, quartò & operum ; In his enim conſiſtit vera, & perfecta laus Dei, ad cujus gloriam omnia noſtra ordinanda ſunt ; & hinc Eccleſia ſumpſit Alleluia, & utitur ipſo in lætioribus feſtis, ut laudes Beatorum imitetur. *Pſal.118.in 2.expoſitione titüli.op. de perfect.vitæ.c.8.*

115. Deindè audivit Sanctos cantantes, *Alleluia ; gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe, & datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido ; byſſinum juſtificationes ſunt ſanctorum.* In quibus verbis ad litteram omnes Cœlites lætabundi jubilant, & acclamant, quod jam venerit dies judicii, & perfectæ Chriſti nuptiæ cum Eccleſia in Cœleſti beatitudine celebrandæ, unde Eccleſia præparata procedet ad thalamum, ſcilicet omni virtute, omnique electorum numero, & ſanctorum varietate adornata deducetur in thalamum ſponſi Chriſti in Cœlis : Nota autem, quod iſtæ nuptiæ inceperunt in hac vita in Incarnatione Verbi ; nuptiæ quidem nobiles, & commendabiles tum propter ſponſi magnitudinem, qui eſt Verbum Patris Incarnatum ; tum propter ſponſæ pulchritudinem, quia datum eſt ei, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido, undè pulchra eſt Eccleſia tota & in ſe ſplendens, & candida decore membrorum : Pulchra eſt ſicut ſponſus pulcher, tùm propter filiorum multitudinem, & nobilitatem, quia omnes Principes, & Reges ſunt, tùm propter convivarum plenitudinem : Nota etiam, quod iſtæ nuptiæ decantantur non ſolùm de Eccleſia in communi, ſed etiam de qualibet anima in particulari, quæ ad ipſas ſe præparat ; & hoc per cordis munditiam, per condignam pœnitentiam, & macerationem carnis, per malorum tolerantiam, ipſis reſiſtendo : & beati, qui ad cœnam nuptiarum vocati ſunt. *Ser.1. Dom.19. Pentec.ſerm.1. & 2. de S. Agnete. ſerm.1. Dom.1. poſt oct.Epiph.ſerm.1. & 2.Dom.2. Pentec.ſerm.1. de una Virgine Luc. cap.10. verſ. 24. can.15.verſ.6.cap.20. verſ.28. cap.22. verſ.8. Ioan. collat.11.13. & 89. In Eccleſ. præam.Pſ.118. cap.1. verſ.3.*

116. Vidit poſtèà Joannes Cœlum apertum, *& ecce*, ait, *equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax, & cum juſtitia judicat, & pugnat ; oculi ejus ſicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi ipſe, & veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei, & exercitus, qui ſunt in Cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo.* Vide hîc quot mirabilia in hac viſione ſublimi. Vidit Joannes Chriſtum Jeſum ſedentem ſuper equum album : Nota, quòd nomine equi albi eſt quilibet prædeſtinatus, ſuper quem regnat, & dominatur Chriſtus ; albus propter munditiam, fidelis propter audaciam in bellis contra diabolum, mundum, & carnem, & propter fortitudinem in ſuſtinendis malis, & velocitatem in curſu ad perfectionem, & Cœlum ; habebat autem Chriſtus diademata multa ; ſcilicet primò vidit ipſum aſperſum ſanguine in Paſſione, & habentem diademata multa, ſcilicet coronam ſpineam, & alia deformia diademata opprobrioſæ contemptibilitatis, & ſecundò coronatum corona gloriæ, & cum multis diadematibus ad coronandum ; electos ſuos ; habebat in ore gladium ex utraque parte acutum ad feriendum, & repellendum reprobos, & omnes electi ſequebantur eum in equis albis, ſcilicet corporibus glorioſis. *Serm. 1. Dom. Paſſ. ſerm.1. & 3. in Dom. Palm. ſerm. 4. in Aſcenſ. ſermon.1.fer. 3. Pentecoſt.* Nomen autem ejus eſt Verbum

Verbum Dei, quod nemo perfectè novit, niſi ipſemet Deus, cum ſit ens infinitum, eſtque Rex Regum, & Dominus dominantium. *Ioan. collat. prima opuſcul. de dono ſapien. cap. 9. opuſc. Princip.*

117. Vidit deindè Joannes Angelum ſtantem in ſole clamantem voce magna. *venite, & congregamini, &c.* Hic Angelus in ſole eſt qui advocabit & electos ad præmium, & judicium, & præcitos ad ultionem; dicitur in ſole, ſcilicet expoſitus oculis totius mundi. *Venite congregamini.* (dicit electis) *ad cœnam magnam gloriæ, &c.* Myſticè: Angelus in ſole Chriſtus in Euchariſtia, velut in ſole omnibus expoſitus tum in bonum, tum in malum; in bonum bonis, in malum iniquis; ibi invitat omnes ad cœnam deliciarum cœleſtium: Item eſt homo ſpiritualis in lucida converſatione per exercitium virtutum: vel eſt Prædicator gyrans per orbem ad convocandum ad pœnitentiam homines. *Ser. 3. Pentec. ſerm. 1. Dom. 2. Pentec. ſerm. 4. Dom. 6 Pentec.* Nota etiam, quod dicit omnes aves ſcilicet Beati, ſaturatæ ſunt de carnibus iniquorum, quia Beati delectantur de punitione malorum ad magnificentiam divinæ juſtitiæ. *ibid. Dom. 6.*

CAP. XX.

IN hoc capite videt Joannes Angelum deſcendentem è Cœlo, & habentem clavem abyſſi, ut Sathanam ligaret, ſicuti de facto ligavit per mille annos, poſt quos ſolvendus erat ad modicum tempus; & tunc congregabit gentes Gog, & Magog ad ſequelam Antichriſti, ut pro eo pugnent contra Chriſtum, ſed poſteà perdet eos igne miſſo è Cœlo; Sathanam verò, & Antichriſtum deturbabit in tartara; & deindè Chriſtus veniet ad judicium, reſurgent omnes, & congregabuntur, ut judicio adſtent.

117. Vidit ergo Angelum deſcendentem de Cœlo habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua: vidit ſcilicet Chriſtum Angelum magni conſilii miſſum à Patre cum clave ideſt poteſtate ligandi diabolum, ſicuti de facto ligavit Luciferum, & abſtulit, vel repreſſit ipſi ſuam poteſtatem, & detruſit eum in infernum per annos mille. *Luc. c. 8. v. 31. op. Comp. Theol. lib. 2. c. 28. & lib. 7. c. 22.* Quæritur hîc quibus catenis ligari poſſit diabolus? Reſp. eos certo loco ligari, cum in illo per decretum, & poteſtatem divinam, vel Angelicam detinentur, ut ſe loco movere, eoque egredi nequeant; & hoc fieri poteſt, vel ſi Deus eis ſubtrahit ſuum concurſum neceſſarium ad motum; vel minando eis acriores pœnas, ſi egrediantur, & compellendo eos regredi; ſic Raphaël certum locum deſtinavit in deſerto Aſmodæo; vel phiſicè imprimendo eis virtutem detentivam, vel unitivam loco, ligantur etiam ipſi Dæmones à Magis, ſed voluntariè ſe ſinunt ligari v. g. in anulis, vel corporibus, vel à ſuperiore Dæmone coactis; ex quibus patet Dæmonum tum infirmitas, tum vilitas. hæc autem ligatio maximè Luciferi facta eſt in inferno à Chriſto poſt Paſſionem ſuam in deceſſu ad inferos, ne indè poſſit egredi uſque ad tempus Antichriſti, & hoc, ne ipſe per ſe, & ſuos Angelos, qui inter nos verſantur, totam ſuam vim exerceat contra Eccleſiam. *Sic S. Aug. S. Hier. aliique Patres; ſic & S. Bon. lib. 3. d. 19. a. 1. q. 3. Luc. c. 8. v. 32.*

119. Nota ſecundò, quod dicit ligatum eſſe Dæmonem per mille annos: quæritur ideo unde incipiant iſti mille anni? & an ſumendi ſint ad litteram, quod non videtur, cum à Paſſione Chriſti tranſierint adhuc mille, & ſexcenti anni, & plures etiam? Circa quam quæſtionem adferuntur à Cornelio varia Doctorum placita; ſed communior Patrum eſt, quod ſumatur tempus determinatum pro indeterminato, ſcilicet pro longo tempore, vel pro plenitudine temporis determinati à Deo.

120. Nota etiam, quod S. Joannes ponit mille annos pro ligatione diaboli, dicitque ſolvendum eſſe tempore Antichriſti, ſed poſteà v. 5. repetit alios mille annos pro alio tempore poſt Antichriſtum, in quo ſervi Dei vivent vita ſanctâ, & beatâ cum Chriſto; Ex quo textu eliciunt plures Patres, & Doctores, quod cum finierint primi mille anni in initio regni Antichriſti, alii mille anni aſſignantur pro juſtis, qui in reſurrectione prima regnabunt cum Chriſto, antequam veniat reſurrectio 2. generalis: & hoc aiunt eventurum tempore perſecutionis ultimæ duraturæ per mille annos; & hanc dicunt eſſe Mahometis, & Ottomani Imperatoris, qui per mille annos adhuc durat; incœpit enim ab anno 1530. & hinc cum leges juſtitiæ, & alia opera bona moralia deſierint in regimine Turcarum, multi viri docti, & ſanctitate conſpicui ſolerter conjectant finem talis imperii proximum eſſe; & hinc Doctores conjectant per duos millenarios poſt Chriſti Paſſionem debere durare mundum, & inter ſecundum, & tertium millenarium futurum eſſe judiciam univerſale: Addantque Prophetiam S. Malachiæ, qui per varia ſymbola omnes ſummos Pontifices deſcribit uſque ad ultimum, qui erit Petrus Romanus, & ex his patet adhuc ſupereſſe tantùm viginti quatuor Pontifices circum circa, &c. undè inferunt finem mundi eſſe vicinum. Vide ſuper hoc Cornelium in hoc capite fusè, & doctiſſimè hæc differentem, &c. *Vide ſer. 16. Hexam. ad finem.*

121. Affert duplicem Reſurrectionem; ſcilicet primam, & ſecundam: *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in reſurrectione prima; in his ſecunda mors non habet poteſtatem, ſed erunt ſacerdotes Dei, & Chriſti.* Reſurrectio prima eſt à peccato per pœnitentiam, per quam quilibet veluti ſacerdos ſe offert Deo in victimam: qui ſic in hac vita reſurget, etiam reſurget ad gloriam æternam in corpore, & anima; qui à morte peccati non reſurget, ſubjicietur morti ſecundæ. *Luc. c. 14. v. 14. ſer. 1. Dom. 3. Pentec.*

122. Deindè deſcribit judicium univerſale in quo coram Chriſto Judice afferentur libri conſcientiarum. *Et vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum, &c.* & infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis; hæc eſt mors ſecunda, &c. Ecce quod in judicio aperientur libri conſcientia-

rum, in quibus quaſi in libris deſcripta ſunt opera bona, & mala: ſtatim enim ac peccator peccat, macula peccati in anima indelebiliter reſultat, niſi per gratiam deleatur. & qui non concordabunt cum libro vitæ Jeſu Chriſti, mittentur æternaliter in infernum: dicit autem mors, & infernus miſſi ſunt in ſtagnum: mors enim adimit vitam peccatoribus, & infernus deglutit ipſos peccatores, & qui inventus erit in libro vitæ aſſumetur ad gloriam beatam. *Luc c.10. v.20 c.13.v.30.c.16.v.12. opuſc. Brevil. p.7. cap.1. op. Dixit.tit.9. c.1. op. lignum vitæ. ſerm. 12. Hexam.ſer.3.Dom.1. Adv. ſerm.6. in Paſcha. ſerm.1. Dom.3. Pentec.ſerm.1. Dom.5. Pentec.ſerm.3. dedicat. in addit.*

CAP. XXI.

113. IN hoc capite Joannes deſcribit cœleſtem Jeruſalem, ejuſque opes, ſplendorem, gloriam, aliaſque conditiones mirabiles hujus ſuperne civitatis.

Primò igitur vidit Joannes Cœlum novum, & terram novam; primum enim Cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt, *& dixit qui ſedebat in throno, ecce nova facio omnia.* Dat per hoc intelligere, quod omnia elementa deputabuntur, innovabuntur, & reducentur ad ſuam innatam puritatem, ſic & Cœlum quoad qualitates, & conditiones præſentes peribit, novaſque, & meliores acquiret. *Luc.c.21.v.6.& 27. ſerm.14. Hexam.ſer.3.dedic.*

114. Vidit *civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de Cœlo à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*; & inſtà repetit. *v.10. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum, & altum, & oſtendit mihi civitatem ſanctam Jeruſalem deſcendentem de Cœlo à Deo.* Ad litteram deſcribit deſcenſum Beatorum ad judicium, ut in terra aſſumant in ſui ſocietatem juſtos: myſticè; Eccleſia etiam militans dicitur deſcendiſſe è Cœlo, quia formata eſt ad ſimilitudinem triumphantis; eſtque civitas firma, quia fundata eſt in duodecim Apoſtolis, ſcilicet in fide prædicata per Apoſtolos; pulchra per gratiam, jucunda per Sacramenta. *Ser. 9. 10. & 16 Hexam.ſer.3.Dom.2.Pent.Luc.c.6. v.13. Joan. c. 6. in fine ſerm. 1. ſer.2. Pent.* Myſticè etiam eſt anima pura, in quam per gratiam deſcendit jucunditas cœleſtis, ut purè vivens ſiat ſponſa Chriſti. *Opuſc. Itiner. mentis cap. 4. Joan. collat.70.*

115. Subdit Joannes. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* In quibus verbis primò alludit ad cœleſtem Jeruſalem, quæ eſt unicum tabernaculum Beatorum, in quo omnia communia omnibus erunt; in quo Deus in æternum cum eis erit, & ipſi cum eo convivent: Myſticè agitur de Eccleſia, militante, & anima juſta, quæ per gratiam ſit tabernaculum Chriſti, in quo habitat cum ea tum in Euchariſtia, tum in gratia. *Luc. cap 9. verſ. 33. ſerm. 4. Vigil. Nat. opuſc. Itiner. mentis c. 4. ſubdit. Et abſterget Deus omnem lachrymam, &c.* Quia ibi nulla erit miſeria, vel culpæ, vel pœnæ. *opuſc. ſolil. cap.4.op. Itiner.7.d.3. op.ſtim.p.3.c.20. ſerm.3. Dom. 3. Pent. poſt. ſerm. 1. dedicat. ſerm. 2. de plur. Mart. in addit.*

116. Deſcribit poſtèà hanc civitatem quoad muros, fundamenta, portas, aliaque ornamenta: De quibus vide. *Lib.3.d.15.dub.4. & d.36. queſt.3. op. Diat. titul. 10. cap.5. ſermon.6. Hexam. & ſermon. 7. & 11.& 15.& 23. Luc.capit.20.v.36. ſermon. 1. Aſcen.ſermon. de anim. ſermon.1. de Innoc. in addit. Joan. capit. 8. in fine, & collat.41. & 75.*

CAP. XXII.

117. IN hoc ultimo capite proſequens Apoſtolus, & Propheta ſingularia privilegia civitatis ſupernæ Jeruſalem dicit ſe vidiſſe fluvium aquæ vivæ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni, irrigantem totam civitatem. & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum; & folia ligni ad ſanitatem: Ad litteram igitur hic loquitur de viſione beata, qua ſanctos beatificat, exprimitque ſub metaphora fluminis aquæ vivæ, & vitalis, ſemper currentis, & numquam arefcentis, & deficientis, per quam Deus ſe, ſuaque omnia bona ſanctis communicat, ſuaque gaudia in eos effundit adeò copioſè, ut de iis dicitur. *Pſ.35. Inebriabuntur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*; diciturque iſte fluvius aquæ vivæ ſplendens tamquam cryſtallum, ut denoteur puritas, & ſanctitas voluptatis, quam hauriunt Beati ex ſapientia ſpirituali, & viſione beatifica. unde tali gloriæ comites ſunt lux, & vita ſpiritualis ubertimes dantes clariſſimarum virtutum fructus: hoc ad litteram.

118. Sed myſticè ſignificatur primò manifeſtatio Sacræ Scripturæ, ejuſque ſublimitas: in hoc textu utitur ſenario numero ad inſinuandam ejus perfectionem, comparando eam rebus eminentiſſimis, quia procedit de throno, & ſede Dei, & Chriſti; affluentiſſimis propter plenitudinem bonitatis, quia procedit ad modum fluvii: perſpicuiſſimis propter certitudinem veritatis, quia procedit ad modum aquæ vivæ, & veluti cryſtalli ſplendidi: efficaciſſimis propter magnitudinem virtutis, vel poteſtatis, quia procedit ad modum ligni vitæ: ſpecioſiſſimis propter pulchritudinem claritatis, undè procedit veluti ſplendor, & lux eminentiſſima; communiſſimis propter amplitudinem charitatis, quia exhibetur in medio plateæ; taliſque eſt Sacra Scriptura procedens de ſede Dei, & Agni. *Op. Princip. Sacra Scriptura.*

119. Oſtenditur ex hoc textu, & viſione diſpenſatio Sacramentorum in Eccleſia, in qua expoſitum eſt lignum vitæ ſcilicet fons vitæ Chriſtus Jeſus; talis autem diſpenſatio dicitur fluvius procedens de ſede Dei, & Agni, ſcilicet à Deo tamquam ab auctore, & efficiente, ſed à Chriſto tamquam à mediatore, & promovente. procedit autem tamquam fluvius ſplendidus propter claritatem, & nitorem, quem

relinqui[t]

Digitized by Google

relinquit in animabus, quæ in hoc flumine baptizantur; dicitur autem fluvius aquæ vivæ propter efficaciam gratiæ, quæ vivificat animam. *Ser.* 1. *Dom.* 1. *Adv. Ioan. collat.* 39. *lib.* 1. *ſent. in prol. op. Brevil. p.* 5. *c.* 1. *Luc. c.* 13. *v.* 9. *c.* 24. *v.* 1.

130. Vidit quoque lignum vitæ ex utraque parte fluminis; non unum lignum exiſtens in utraque ſed lignum, ideſt ligna vitæ, quia in cæleſti gloria omnes arborum ſpecies ſunt vitæ, ideſt vitam, & immortalitatem jucundam, & beatam afferentes: Myſticè hoc lignum vitæ eſt Chriſtus expoſitum in medio Eccleſiæ; ſicut & Sancta crux, ex quo ligno prodit vita gratiæ, & in Cœlo gloriæ: dicitur autem gignere duodecim fructus per ſingulos menſes, quia licet hic fructus, & hoc lignum ſit unum in ſe, quia tamen ſecundum multiplices ſtatus ejus vitæ, dignitates, & virtutes & opera multiformibus conſolationibus devotas animas cibat, ſub duodecim ſaporibus, de quibus fusè agit *Seraph. Doct. in op. lignum vitæ.* Et quia in Virginali utero traxit originem, & in ligno crucis ad maturitatem ſaporoſam per æterni ſolis calorem meridianum, Chriſti videlicet charitatem pervenit; in horto Paradiſi, ſcilicet Eccleſiæ Dei deſideratibus ipſum, proponitur deguſtandus: Hoc lignum pulchrum eſt in foliis, ſcilicet in verbis, quibus è cruce ſanitatem attulit mundo, & in Cœlo Beatos omnes conſolatur; pulchrius in floribus virtutum, pulcherrimum in fructu; fructus quidem optimus, ſed neceſſarius primò ad expiandam culpam mortalem; ſecundò ad pacificandam inimicitiam capitalem; tertiò ad ſanandam culpam originalem; quartò ad relevandam inediam mentalem; quintò ad vitandam iram judicialem: ſextò ad declinandam pœnam gehennalem: ſeptimò ad contemnendam ſubſtantiam temporalem: octavò ad locupletandam animam rationalem: nonò ad conſummandam vitam ſpiritualem: decimò ad multiplicandam Eccleſiam univerſalem: undecimò ad reparandam ruinam Angelicam: duodecimò ad conſervandam gloriam æternam; de quibus omnibus vide *Op. ſpec. B. Virg. lect.* 18. Fructus autem duodecim in Cœlo enumerantur tali ordine: primus ſanitas ſine infirmitate: 2. juventus ſine ſenectute: 3. ſatietas ſine faſtidio: 4. libertas ſine ſervitute: 5. pulchritudo ſine deformitate: 6. impaſſibilitas, & immortalitas: 7. abundantia ſine indigentia: 8. pax ſine perturbatione: 9. ſecuritas ſine timore: 10. cognitio abſque ignorantia: 11. gloria ſine ignominia: 12. gaudium ſine triſtitia, ob loci amœnitatem, ob jucundam ſocietatem, & ob corporis glorificationem: De fructibus autem crucis, & crucifixi jam alias dictum eſt ſuper Geneſim. *Vide loc. cit. & op. Diet. tit.* 10. *c.* 4. *op. lignum vitæ: & op. ſpec. B. Virg. lect.* 16. *&* 18. *Luc. c.* 13. *v.* 9. *c.* 23. *v.* 31. *ſer* 1. *de Inventione S. Crucis; & ibidem in add.*

131. His viſis Joannes voluit adorare Angelum ſibi tam mirabilia oſtendentem, ſed prohibitus eſt ab ipſo dicente; *Vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum &c.* per quod patet quali reverentia ſe habeant Angeli ad homines poſt Incarnationem Verbi, & præcipuè in Virgines, qualis erat puriſſimus Joannes. *Ser.* 3. *de plur. Adv. in addit. ſer.* 2. *Confeſſ. ſer.* 1. *de Virgin. in addit. ſer.* 1. *de S. Michaele ibid.*

132. Deindè Angelus innuit, quòd viſionis iſtius executio tunc temporis non erat facienda, quia adhuc tempus, & ſpatium ſupererat; & hoc ait, *qui nocet, noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc, & qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc*; quæ omnia intelliguntur quoad malum permiſſive à Deo; datque intelligere, quòd cum ſit in noſtro arbitrio agere bonum ex gratia Dei, & patrare malum: qui ad malum ſe applicat juſto Dei judicio patietur pœnam juſtam, ſcilicet ut ex uno peccato præcipitet in aliud, & qui ad bonum ſe convertit, debet ſemper proficere de bono in bonum uſque ad finem. *Lib.* 1. *d.* 46. *a.* 1. *qu.* 3. *lib.* 2. *d.* 36. *a.* 1. *q.* 1. *Luc. c.* 7. *v.* 37 *ſer.* 3. *de dedicat. ſer.* 2. *Dom.* 4. *Epiph. Ioan. collat.* 59.

133. Deindè Chriſtus ei dixit: *Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, dare unicuique ſecundùm opera ſua*; per quæ verba intendit Chriſtus excitare nos ad ſollicitam pœnitentiam, quia tempus hujus vitæ breve eſt, & quia qua horâ non putamus, filius hominis veniet ad reddendum vel præmium, vel pœnam ſecundum opera. *Luc. c.* 6. *v.* 23. *c.* 14. *v.* 10. *ſer.* 3. *Dom. ſeptuag. ſer.* 2. *de plur. mart. in addit.* Unde ſubdit: *Ego ſum Alpha, & Omega principium, & finis*, ſcilicet finale principium, & finis principalis; principium perfectum ſine fine; finis infinitus propter juge principium; quia enim ubi incipit, ubi finit, ſemper incipit, quia nec perfecto eatero, nec defectum incurrere poteſt, & ita carens defectu perfectus eſt, quia Alpha, & Omega, quia ſicut per Verbum æternaliter dictum omnia producuntur, ſic per Verbum carni unitum reparantur, promoventur, & finiuntur. *Op. lignum vitæ in fine. Pſal.* 77. *lib.* 2. *Prol. & d.* 13. *qu.* 3 *d.* 41. *qu.* 3. *Luc. c.* 20. *v.* 23. *Pſal.* 118 *v* 154. *op. itin.* 1. *d.* 6.

134. Deindè expreſſit Angelus Joanni quinam ſint, qui intrabunt in Cœlum, & quinam excludentur: *Beati, qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem; foris canes, venefici &c.* Ecce quales intrabunt in Cœlum, nempè qui lignum vitæ guſtaverunt in hac vita, qui lavant per pœnitentiam animas ſuas, iſti intrabunt per portas in civitatem, ſcilicet per virtutum exercitium; ideò foris remanebunt impii &c. *Ser.* 22. *&* 23. *Hexam. ſer.* 1. *Dom. Paſſ. ſer.* 2. *Dom.* 18. *Pent. ſer.* 2. *de una Virg ſer.* 3. *Dom. Quinquag. Luc. c.* 13. *v.* 28. *c.* 16. *v.* 26. *c.* 18. *v.* 17. Subdit: *Ego ſtella matutina*: Chriſtus eſt talis ſtella irradians Eccleſiam; & ſtellæ ſunt ejus imitatores, & præcipuè Apoſtoli, & Sancti, & ob id ingreſſum obtinent in Cœlo. *Ser.* 2. *de Apoſtol.*

135. Et tandem his omnibus expoſitis de cæleſti Ieruſalem, Chriſtus intimat Eccleſiæ, *etiam venio citò, Amen*: & Eccleſia reſpondet Veni Domine Ieſu: Veni Domine Ieſu ſcilicet ad obitum meum (ait fidelis anima) in quo cum tua ſponſa Eccleſia matre noſtra in thalamum cæleſtem me inducas; & in hoc deſiderio animæ videndi Ieſum, ſibique copulandi terminat hic liber Apocalypſis. *Pſal.* 9. *&* 118. *v.* 121. Ut pateat, quòd finis omnium deſideriorum eſt beatitudo, & unio perfecta cum Chriſto, quæ eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus; ad quem quidem ſtatum nullus pervenit, niſi per ultimam reſolutionem in eum, qui eſt fons

fons, & origo omnium bonorum tam naturalium, quàm gratuitorum, tam corporalium, quàm ſpiritualium, tam temporalium, quàm æternorum; Et hic eſt, qui de ſeipſo ſuprà dicit, *Ego ſum Alpha, & Omega, principium & finis*, quia ſicut per Verbum æternaliter dictum omnia producuntur, ſic per Verbum carni unitum reparantur, promoventur, & finiuntur; ac per hoc verè, & propriè dictus eſt Ieſus, quia non eſt aliud nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo quis poſſit obtinere ſalutem: Veni igitur ad me Domine Ieſu ut ad te ſecurè poſſim venire, ut fiducialiter poſſim dicere; Ecce Domine Ieſu venio ad te: In te igitur ut finem omnium credens, ſperans & amans ex toto corde, & tota mente, ex tota anima, & ex omni virtute ferar deſiderate Ieſu, quia tu ſolus ſufficis, tu ſolus ſalvas, tu ſolus bonus, & ſuavis es requirentibus, & diligentibus nomen tuum: Tu enim mi bone Ieſu Redemptor es perditorum, Salvator redemptorum, ſpes exulum, fortitudo laborantium, auxiliator oppreſſorum, anxiatorum ſpirituum dulce ſolatium, triumphantium corona, & imperiale faſtigium, unica merces, & lætitia omnium ſupernorum civium, inclyta proles ſummi Dei, & fructus ſublimis uteri Virginalis, uberrimus quoque fons gratiarum omnium, de cujus plenitudine nos omnes accepimus: Oramus igitur clementiſſimum Patrem per te Unigenitum ejus pro nobis hominem factum, crucifixum, & glorificatum, ut de theſauris ſuis mittat in nos liquorem ſacrum ſeptem phialarum Angelorum, ſcilicet ſpiritum gratiæ ſeptiformis, qui ſuper te in omni plenitudine requievit; Spiritum inquam ſapientiæ, quo fructum ligni vitæ, quod verè tu es, videlicet ſapores vivificos deguſtemus: donum etiam intellectus, quo mentis noſtræ contuitus illuſtrentur; donum conſilii, quo poſt tuorum veſtigia greſſuum, rectarum ſemitarum itineribus incedamus: donum fortitudinis, quo impugnantium hoſtium violentias euervare poſſimus: donum ſcientiæ, quo ſacræ doctrinæ tuæ repleamur fulgoribus ad diſcretionem boni, & mali: donum pietatis, quo induamur miſericordiæ viſcera: donum timoris, quo recedentes ab omni malo, æternæ majeſtatis tuæ reverentiali pondere tranquillemur: Hæc enim nos in illa ſacra tua, quam nos docuiſti, oratione petere voluiſti, hæc & nunc per Crucem tuam petimus obtinere ad laudem ſanctiſſimi nominis tui cui cum Patre, & Spiritu Sancto omnis ſit honor, & gloria, & gratiarum actio, decus & imperium per infinita ſæcula ſæculorum: Amen.

Explicit poſtilla ſuper Apocalypſim die 12. *Septembris* 1684. *Et ſic in Chriſto curſus expoſitionum totius ſacræ ſcripturæ Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ, & labor continuus ſex annorum, ad laudem ipſiuſmet Domini Jeſu Chriſti.*

INDEX

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

CONCEPTUUM, ET RERUM MAGIS notabilium quæ in expoſitione ſuper Teſtamentum novum reperiuntur.

Nota, quod lit. c. indicat caput: num. indicat numerum marginalem ejuſdem capitis.

A

Abnegatio.

ABNEGATIO ſui principium vitæ ſpiritualis. Mat. c. 16. n. 24. ad 31. à Chriſto Chriſtianis omnibus præcepta. Marc. c. 8. n. 34. & ſeq.

Abominatio deſolationis, expenditur ad literam, & myſticè. Mat. c. 24. n. 12.

Abraham.

Abraha filii quinam dicuntur. Mat. c. 8. n. 30.

Abrenuntiatio omnium pro Chriſto ipſum facit invenire. Mat. c. 19. n. 32.

Abſtinentia.

Abſtinentia, & mortificatio carnis ſuadetur. Luc. c. 4. n. 3. c. 6. n. 12.

Acceptio.

Acceptio perſonarum in Prælatis, & congregationibus ſacris quàm peſtilens, Deoque exoſa. Act. n. 89. 144. 182. Ep. Jacobi. n. 1. ſeq. Joan. c. 4. n. 37.

Accidia.

Accidia quale vitium, ejuſque effectus peſſimi. Mat. c. 9. n. 8.

Actio.

Actio, actuſque indifferentes dantur, & quomodo. Ad Cor. n. 166. ſeq.

Activæ vitæ conditiones expenduntur. Mat. c. 17. n. 6. V. Vita.

Adam.

Ada felicitas in ſtatu innocentiæ, infelicitas poſt peccatum Luc. c. 10. n. 32. Ejus, & uxoris peccatum quale. Ad Tim. n. 19

Adoratio.

Adoratio perfecta Dei quænam exigat. Mat. c. 8. n. 18. Joan. c. 4. n. 19. 22. 33

Adventus V. Chriſti Incarnatio.

Adverbium.

Adverbium. In adverbiis, non in verbis ſtat meritum. Luc. c. 21. n. 2

Adverſitas. Vide tribulatio.

Ædificium.

Ædificium quàm enorme peccatum. Act. n. 94. Ad Hebr. c. 13. n. 4.

Adulterium.

Adulterium ſpirituale incipit à culmine, ſcilicet à Domino Jeſu. Mat. c. 7. n. 48. ad 51. Aliud fit auro; aliud luto, & ligno. ad Cor. n. 50 non fundatum in Chriſto corruit. Mat. cap. 22. n. 76. Curioſa ædificia dedecent Religioſos. ad Gal. n. 17. ſeq.

Æmulatio.

Æmulatio inordinata qualis, & qualis bona ad Gal. n. 7. 53. Cor. n. 582

Æternitas.

Æternitas finis, & conſummatio omnium verborum Sacræ ſcripturæ, actionum Chriſti, & noſtrarum. Matt. c. 11. n. 2. c. 19. n. 2. 26. meditanda. Apocal. n. 76

Affabilitas.

Affabilitas neceſſaria inter Chriſtianos, & maximè Religioſos. Act. n. 208 Act. n. 224

Affectiones.

Affectiones excæcant animam.

Afflictio. V. caro V. tribulatio.

Agape.

Agapè quid ſit tempore Apoſtolorum. Ad Cor. n. 182.

Ager.

Ager multiplex. in quo Chriſtus ſeminat ſuum ſemen. Mat. c. 13. n. 29. ſeq.

Ager ſanguinis eſt Eccleſia. Mat. c. 27. n. 7. Eſt anima ubi Chriſtus eſt agricola. ad Corinth. num. 46

Agonia.

Agonia peccatoris miſeriæ expenduntur. Luc. c. 19. n. 20

Alleluia.

Alleluia laus Angelorum, & Beatorum. Apoc. n. 114. ſeq.

Ambitio.

Ambitio grande, & peſſimum malum. Mat. c. 20 n. 37. ſeq. V. ſuperbia. V. Vana gloria.

Index Generalis.

Amen.

Amen quid ſignificet. Mat. c. 5. n. 69

Amicitia mundi, & malorum maledicta. Luc. c. 13. n. 2. Cum Chriſto quàm felix. Luc. c. 14. n. 10. ſeq. Ioan. c. 15. n. 9

Amicus.

Amicorum. & inimicorum amicitia, & amor à Deo præcipitur. Mat. c. 5. n. 111

Amor.

Amor Dei eſt ſubſtantivum: amor terrenorum eſt adjectivum. Mat. c. 6. n. 111. c. 10. num. 62. Amor proximi, ſivè amici, ſive inimici à Deo præcipitur. Mat. c. 5. n. 111. Amor Dei noſcitur ex corde, & ore, & opere. Mat. c. 12. n. 49. Luc c. 1. num. 157. Menſura eſt odii ad peccatum. Luc. c. 7. num. 55. Excludit omnem timorem vanum, & erubeſcentiam. Luc. c. 7. n. 28 omnia bona, & mala in lucrum convertit. Luc. c. 7. n. 54. quàm Deo charus, & homini utilis, & neceſſarius. Luc. c. 10. n. 29. præferendus cuicumque alteri rei, etiam Patriæ. Luc. cap. 14. nu. 26. Ejus effectus mirabiles in corde amantis expenduntur Luc. c. 24. n. 21. ad 25. Ioan. cap. 14. n. 8. Act. n. 159. 168 ad Cor. num. 218. 314. quales conditiones exigat. Ioan. cap. 3. num. 11. qualiter differat ab amore temporalium ad Cor. n. 284. eſt regnum Dei. ad Coloſ. num 4. Amor naturalis deſcendit, gratuitus aſcendit. Cor. n. 603. Amoris, & odii certamen in Chriſto. Mat. c. 26. n. 145

Ancilla.

Ancilla exemplo Abrahæ ejicienda è domo à ſervis Dei. ad Gal. n. 56

Angelus.

Angelorum amor, cuſtodia, & miniſterium in homines expenditur multipliciter. Mat. cap. 18. num. 12. 15. Puerorum ſunt defenſores, & protectores. Mat. c. 1. n. 45. c. 18. num. 12. ipſorum animas collocant in ſinu Dei. Luc. c. 16. num. 34. & præcipua cura triumphantium de diabolo. Mat. cap. 4. n. 48. pulſant continuè velut noſtri piſſimi adverſarii. Mat. cap. 5. n. 86. eorum proprium eſt congregare nos in unum: diaboli diſperdere. Mat. c. 13. n. 43

Angelorum vindicta in ſcandalizantes proximum. Mat. c. 18. n. 11. Per Angelos à Deo immittuntur ad nos cæleſtia dona. Luc. c. 2. n. 24. eorum cuſtodia ad Mariam qualis. Luc. cap. 1. n. 120. ſeq. Accurrunt ad exequias juſtorum. Luc. c. 16. num 33. Aſſiſtunt orantibus in Eccleſia. Apoc. num. 70. ſeq. deferunt orationes Chriſtianorum ad Dei thronum Apoc. n. 70. ſeq. nos excitant ad fugam peccatorum. Act. n. 162. Aſſiſtunt patientibus pro Chriſto. Act. n. 161. 169. frequentant Eccleſias. Marc. c. 16. num. 4. & maximè ubi aſſervatur Euchariſtia. Mat. c. 24. n. 2. Marc. c. 16. n. 4. ſunt Reges, & muri Eccleſiæ Mat. c. 21. n. 63.

Angelorum propria virtus eſt caſtitas, & virginitas. Act. n. 18. Luc. c. 1. n. 13. didicerunt multa myſteria ab Apoſtolis. ad Epheſ. n. 25. quatuor Angeli deputati ſunt ſuper quatuor elementa, & ſuper ventos. Apoc. n. 59. eorum prælium in Cœlo cum Lucifero expenditur. Apoc. n. 92. ſeq. triumpharunt de ipſo virtute nominis Jeſu. Apoc. n. 91. per adorationem imaginis Chriſti Jeſu, & Mariæ Virginis confirmati fuerunt in gratia. Apoc. n. 93. eorum tremor qualis erit in judicio. Mat. c. 24 n. 29. quale miniſterium eorum in judicio. Mat. c. 24. n. 32. Angelica conformatio Chriſti in horto qualis. Mat. c. 26. n. 135. Angelica annuntiatio expeditur. Luc. c. 21. n. 15. 22. ſeq. Angeli diſceſſus à Maria. Luc. c. 1. num. 118. Angelorum præſentia ad ortum Redemptoris. Luc. c. 2. n. 31. eorum canticum gloria in excelſis. Luc. capit. 2. num. 32. Angeli boni ad nos à Deo miſſi, ſunt inſpirationes divinæ. Act. n. 163.

Anima.

Animæ nobilitas, & ſingularitas expenditur. Mat. c. 9. n. 40. & 11. n. 33. ſeq. Marc. c. 8. n. 40. ſeq. eſt denarius inſculptus imagine Trinitatis, & Chriſti Jeſu. Mat. c. 22. n. 31. ſi eſt in peccato inſculpta eſt imagine diaboli. Mat. c. 22. n. 31. Cor. n. 56. ſeq. deſponſatio ipſius cum Chriſto expenditur. Cor. num. 583. ſeq. Vinea eſt à Chriſto plantata, & irrigata. Mat. c. 20. n. 8. c. 21. n. 69. ſeq. & 72. Navis eſt onuſta vel mercibus Cœli, vel inferni. Luc. c. 5. n. 15. Marc. c. 6. n. 53. eſt ager Dei agricolæ. Cor. n. 46. eſt domus Dei, vel Diaboli. Cor. n. 215. Templum Chriſti, vel diaboli. Cor. n. 56. ſeq. ejus capacitas à ſolo Deo poteſt repleri ad Epheſ. n. 38. qualiter repleri poteſt Spiritu Sancto. Act. n. 41. ad 45. Anima in gratia eſt mulier amicta Sole. Apoc. n. 86. eſt templum Spiritus ſancti, domus & habitaculum SS. Trinitatis. Cor. n. 53. ſeq. 215. Mat. c. 12. n. 65. ejus regnum quale in gratia. Act. n. 204. ejus deſponſatio cum Chriſto expenditur. Mat. c. 22. n. 4. Ioan. c. 2. n. 7. Animam perdere pro Chriſto in hac vita quam neceſſarium, & utile. Mat. c. 10. n. 69. c. 16. n. 30. ad 32. Marc. c. 8. n. 38. quàm bonum ipſam tradere Chriſto. Mat. c. 16. n. 35. Act. n. 214. Anima in peccato quàm miſera, licet immortalis moritur per peccatum mortale. Mat. c. 9. n. 42. Ioan. c. 5. n. 18. characterem habet diaboli. Mat. c. 22. n. 31. fit templum diaboli, & quomodo reædificatur à Chriſto. Joan. c. 2. n. 28. traditur in poſſeſſionem diaboli. Mat. c. 12. n. 39. c. 16. n. 35

Animam perdere propter temporalia quam ſtultum. Marc. c. 8. n. 39. etiam pro ſalute aliorum. Mat. c. 16. n. 31. Anima per peccatum excæcatur. Luc. c. 18. n. 30. Ioan. c. 9. n. 9. ejus curatio qualiter fiat. Luc. c. 8. n. 23. Ioan. c. 9. n. 16. c. 2. n. 28. Apoc. n. 34. Anima orans eſt Cœlum myſticum, ad Cœlum & in Deum volans. Mat. c. 6. n. 16. 41. ſeq. debet ſuperferri omnibus creaturis. Mat. c. 8. n. 26. ejus alæ quales. Apoc. n. 98. qualiter invenire Chriſtum poteſt. Mat c. 2. n. 34. ſit vidua, & paupercula. Marc. c. 12. n. 14. 15. Animæ ſalus cæteris omnibus præferenda. Mat. c. 9. n. 40. Marc. c. 2. n. 8. c. 2. n. 18. c. 3. n. 21. recipiens Euchariſtiam ſit cænaculum, & refectorium magnum ſtratum cum amphora aquæ. Mat. c. 24. num. 30. ad 43. In morte efferetur vel ad ſepulchrum Cœli per Angelos, vel inferni per dæmones.

Luc.

Digitized by Google

Index Generalis.

Luc.c.7.n.142. ejus receptacula post mortem qualia. Cor.n.316. ejus introductio in Cœlum qualem lætitiam Cœlitibus afferat; exclusio qualem amaritudinem, & etiam sibi ipsi. Mat.c.25.n.17.seq. Animæ in gratia sitis qualis. Joan c.4.n.17.c.7.n.16.

Animarum Cutati quales esse debeant. Luc.c.10. n.3.Cor.n.45.

Animalis.

Animalis homo quis, & spiritualis item. Cor n.34.ad 36.& 40.

Anna.

Anna Prophetissæ sanctitas, & propheria expenditur. Luc.c.2.n.115.seq

De Antichristo plura differuntur. Mat.c.24.n.12. seq. & 21.Apoc. n.79. & deinceps. ad Thessal.n.47.

S. Antonius.

S. Antonius Patav. parvulus fuit Christo charus. Mat.c.11. n.38. c.18.n.3. fuit mercator Christi. Mat.c.19.n.26.

Apocalipsis

Apocalipsis liber est revelationum factarum S. Ioanni. Apoc.præfat.

Apostasis.

Apostasis spiritualis peccatorum qualis ad Gal. num.4.

Apostolus.

Apostolorum vocationis, & electionis mirabilia expenduntur; magnificentia item Christi Mat.c.4.n.62.& 86.c.9.n.10.seq. Marc.c.3.n.9. ad 13.Luc.c.5.n.25. cur duodecim. Mat. c.10. n.7. Marc. c.3. n.10. eorum nomina mystice exponuntur. Marc. c.3. n. 11: cur inter ipsos electus Judas. ibid. c. 10. n. 9. eorum missio ad conversionem mundi expenditur. Mat. c. 10. n. 2. eorum potestas super Dæmones quanta Mat.c.10.n.2.seq.fundati in charitate, & pauperrate. Mat. c.10. n.8.17. & 19. Ioan. c.4.discalceati ibant sicut & Christus tempore prædicationis; sic & Sanctus Franciscus. Mat.c.10.n.19. eis prænuntiavit Christus persecutiones futuras. Mat.c.10.n.42.

Apostoli an essent uxorati.Marc.c.1.n.27. baptizati fuerunt ante mortem Christi. Ioan. c. 13. nu.8. fuerunt magistri Angelorum ad Ephes. num.25. Apostolicæ vitæ regulæ quales Cor. nu. 75. eorum dormitio in horto expenditur. Mat.c.16.n.112. erunt assessores Christi in judicio Cor.num.92. Apostolis succedunt Apostoli. Luc.c.10.n.2.seq.

Aquila.

Aquila sic homo accedens ad Eucharistiam. Mat.c.24.n.25.& 27

Aquilæ inferni congregantur in morte peccatoris. Mat.c.24.n.26.

Arbor.

Arbor bona, vel mala est homo, ejusque fructus quales, radix, rami, &c. Mat.c.7.n.28.seq. & 32. ad 37. cap.3.n.23.c.12.n.45. c.21. n.48.ad 52.

Ars.

Ars quæ Deo placeat. Mat.c.6.n.74.

Asperitas.

Asperitas animæ qualis infirmitas pessima. Mat. c.12.n.10.Marc c.3.n.2

Arma.

Arma præbet peccator diabolo ad sui necem. Mat.c.12. num.39. Armatura Christianorum qualis à Christo parata. Ephes. nu.91. Arma justorum, & impiorum qualiter differant. Cor.n.575

Ascensus.

Ascensus animæ in altum fit descendendo. Luc. cap.14.n.12.V. Perfectio quàm Christo charus,& qualiter faciendus. Luc. c.14. num. 11. Gal.n.25.

Astrologia.

Astrologia prædictiones quàm fallaces. Mat.c.16. num.5

Avaritia.

Avaritia quale vitium, quam Christo exosa, ejusque pessimi effectus expenduntur.Mat.c.6. num.84.seq.c.2.n.51.c.4.n.44.c.6.num.80.seq. c.8.n.7.& 57.cap. 12.n.11.& 24.c.15.num.54. c.18.n.40.c.19.n.13.seq. c.25. num.51.cap.26. num.10.& 141.c.27.n.6.Marc. c.3. n.4. cap. 6. n.8.Luc.c.8.n.16.c.12. n.10. ad 17. c.13.n.15. ad Hebr.c.13.n.5

Ave.

Ave in salutatione Angelica explicatur. Luc. cap.1. num.22. ad 28. Ab hac salutatione inchoata est nostra redemptio ibid. n. 28. significat immunitatem à peccato in Maria. ibid. num.27. Ad Ave additum est ab Ecclesia nomen Mariæ.ibid.n.29

Auris.

Auris amputatio in Malcho expeditur moraliter. Mat.c.26.n.148.seq. Dextera est justorum, sinistra reproborum;& Judæorum. ibid.n.149

Austeritas.

Austeritas vitæ quàm Deo chara.Mat.c.3. nu.14. quàm necessaria Prædicatori. ibid.n.15.

Auxilium.

Auxilia necessaria ad salutem à Deo semper exhibentur.Mat.c.11.n.37.cap.20. num.3.10. & seq.Adveniunt cum deficiunt humana. Mat. c.15.num.43

B.

Baptismus.

Baptismus institutus fuit materialiter in Jordane per baptismum Christi; formaliter post resurrectionem.Mat.c.3.num.29.seq.c.28. n.32.ad 39.

Baptismi efficacia,utilitates,& effectus. Mat.c.3. n.32 c.28.n.32.ad 39.Marc.cap.16.num.12. ad Rom.165.Cor.n.14.285.& 306.Gal.nu.39. seq. Luc.c.3.n.42.in ipso infunditur Spiritus sanctus

Index Generalis.

ctus. Act. n. 6. fundamentum noſtræ ſalutis. Luc. c. 3. n. 37. 39. & 50.

Baptiſmi Chriſti, & Joannis Baptiſtæ diſcrimen Mat. c. 3. n. 33

Baptizati fuerunt Apoſtoli à S. Petro; Petrus à Chriſto ante mortem ſuam Ioan. c. 13. num. 8. Baptiſmi ſacramentum ab Apoſtolis adminiſtratum tempore prædicationis Chriſti. Ioan. c. 4. n. 2. Baptizati obligationes quales. Mat. c. 3. n. 34

Barrabas.

Barrabas quis; & quid ſignificet hoc nomen. Mat c. 27. n. 12

Beatitudo.

Beatitudo alia æternæ vitæ, alia in hac vita; beatitudo cæleſtis datur & ut debitum, & ut gratia ad Rom. num. 56. Beatitudinis felicitas in Cœlo qualis. Mat. c. 13. n. 57. qualis ex unione, & concordia Mat. c. 13. num. 45. Beatitudo corporum in Cœlo qualis. Mat. c. 13. n. 58. ſeq. Unius Beati corpus poteſt illuminare ſeptem orbes. ibid. n. 59

Beatitudo iſtius vitæ reducitur ad octo capita. Mat. c. 5. n. 5. & deinceps. Beatitudinum ordo, numerus, effectus expenduntur. Mat. c. 5. n. 5. ad 58. Luc. cap. 6. n. 10. ſeq. Beatitudo qualis promittitur audientibus verbum Dei. Luc. c. 11. num. 52. qualis parentibus benè educantibus filios. Luc. c. 11. n. 50. Beatius eſt magis dare quàm accipere; explicatur hæc propoſitio. Act. num. 218.

Bellum.

Bellum ſervorum Dei contrà carnem, mundum, & diabolum quale. Mat. c. 10. n. 58. ad 61. c. 8. n. 56. Gal. n. 66. ſeq. Luc. c. 14. n. 32

Benedictio.

Benedicere Dei eſt benefacere; ſic & eleemoſynarii. Cor. n. 569

Benedictio omnis à Chriſto; maledictio a diabolo. Mat. c. 25. n. 88. qualis promiſſa à Chriſto juſtis in judicio. Mat. c. 25. n. 61. ad 67

Benedictio cur appellatur diſtributio eleemoſynarum. Cor. n. 569

Benedictio omnis à Chriſto per Mariam ad Epheſ. n. 4. Benedictio menſæ à Chriſto præſticata, & nobis exhibita. Mat. c. 14. num. 15. Luc. c. 10. n. 10

Beneficium.

Beneficiorum Dei conſideratio exponitur; gratitudo à nobis debita Mat. c. 14. n. 33. c. 18. n. 38. c. 25. num. 35. ad 38. Marc. c. 5. num. 21. ad Philip. n. 110

Bethania.

Bethania, & Bethphage quid ſignificent. Mat. c. 21. n. 3. ſeq.

Bethleem.

Bethleem domus panis eſt Eccleſia. Mat. c. 2. n. 3. c. 26. num. 94

Blaſphemia.

Blaſphemia grande ſcelus, & quid ſit. Marc. cap. 2. n. 10. Mat. c. 12. n. 25. ſeq.

S. Bonaventura.

S. Bonaventura fuit lucerna lucens, & ardens. Luc. c. 24. n. 10

S. Bonaventura & S. Thomas duæ olivæ, & duo candelabra. Apoc. n. 80

Bonum.

Bonum ſpirituale per gratiam eſt & à Deo; malum ab homine. Rom. n. 37. ſeq.

Bona terrena ſtercora, & quiſquiliæ. Philip. n. 66. quàm infelix in iis ſe immergens ibid. n. 67. abjicienda propter Chriſtum. ibid. 69. ipſis renuntians ſit Dominus omnium, ipſa amplexans ſit ſervus, & captivus. ibid. num. 68.

Bonos ſimul, & malos cur Deus permittit vivere in Religionibus, & in Eccleſia. Cor. n. 594.

C

Cadere.

Cadere ante faciem eſt prædeſtinatorum, poſt tergum reproborum. Luc. c. 5. n. 18.

Cæcitas.

Cæcitas animæ ſpiritualis oritur ex peccato, maximèque luxuriæ. Mat. c. 15. n. 13. c. 20. n. 52. ad 54. c. 21. n. 73. Joan. c. 9. n. 10. quale malum, & quomodo curetur. Mat. c. 9. n. 74. Luc c. 18. n. 30. Act. n. 172. in Prælatis, & Religioſis perniciosiſſima. Mat. c. 15. n. 11. ſeq.

Cæremonia.

Cæremonia Eccleſiaſticæ quàm æſtimandæ & exercendæ. Mat. c. 15. n. 2.

Calceamentum.

Calceamenta & ſandalia quid; & an Chriſtus, & Apoſtoli uſi fuerint. *Mat. c. 3. num. 27. Act. n. 165.*

Calix.

Calix Chriſti bibendus pro æterno præmio; ejus qualitates. Mat c. 20. n. 41. 43. ad 45. c. 26. n. 15. diſponit ad receptionem dignam Euchariſtiæ. ibid. n. 45. Calix benedictionis cur dicitur Euchariſtia. Cor. n. 162

Calvaria.

Calvaria mons quis, cur ſic dictus. Mat. c. 27. n. 48.

Canaan.

Canaan oratio, fides, virtutes, aliaque expenduntur. Mat. c. 15. num. 20. ad 39. Marc. c. 7. num. 9

Candelabrum.

Candelabrum benedictionis myſteria in die Purificationis expenduntur. Luc. c. 2. n. 92.

Candelabra ſeptem, in quorum medio Chriſtus quid ſignificent. Apoc. n. 10. ſeq

Canis.

Canis, & catellus quid myſticè; illis negatur, non iſtis panis. Mat. c. 15. n. 34. ſeq

Cæna

Digitized by Google

Index Generalis.

Cana.

Cana Galileæ nuptiæ expenduntur. Joan. c. 2. n. 1. 2. ſeq

Cantus.

Cantus in Eccleſia Deo charus. Epheſ. n. 80. V. Officium. Pſallere Apoc. n. 68.

Canticum.

Canticum Magnificat explicatur fusè; ejus excellentia. Luc. c. 1. n. 156. & deinceps

Canticum Benedictus explicatur. Luc. c. 1. n. 191. & deinceps

Canticum Angelorum Gloria in excelſis expenditur; & cur in Miſſa dicitur. Luc. c. 2. n. 52. ſeq. Canticum Kyrie Eleiſon explicatur. Luc. c. 2. n. 33.

Canticum Nunc dimittis compendium totius Evangelii eſt, & cur in Completorio canitur, explicantur ejus myſteria. Luc. c. 2. n. 95. & deinceps

Cantus Pſalmorum in Eccleſia quàm Deo charus. Coloſ. n. 28. Apoc. n. 70. ſeq

Caput.

Caput quale, tales ſubditi. Mat. c. 22. num. 26. V. Prælatus.

Capuccini.

Capuccinorum Religio introduxit in Eccleſia orationem quadraginta horarum. Mat. c. 21. n. 15. renovavit item uſum jam ferè deperditum cathechiſmi doctrinæ Chriſtianæ puerorum. Gal. n. 80.

Caro.

Caro, & ſpiritus quales arbores in homine, & quales fructus ex eis. Gal. n. 68. inter ipſa qualis pugna perpetua. Gal. n. 66. ſeq. Caro ancilla eſt, væ quando ipſa dominatur. Mat. c. 26. n. 173. fœda meretrix eſt. Marc. c. 6. n. 26. Carnis mortificatio exterior ſuadetur Mat. c. 3. n. 14. ad Rom. n. 101. 107. 170. ad 175. Cor. n. 147. Epheſ. n. 84. ſeq. Carnales tentationes ſuper alias fugiendæ, & cur. Mat. c. 4. n. 10. Carnalitatis lectus abjiciendus; charitatis ſumendus. Mat. c. 9. n. 11. ſeq. Caro clamat cum mundo, & diabolo, venite ad me; Chriſtus item. Mat. c. 11. n. 47. Carnalibus exponit Chriſtus propriam carnem in cibum, ut eos alliciat. Mat. c. 10. n. 63. Carnis nimia cura quàm pernicioſa. Rom. n. 195. Carnales habent pro Deo ventrem. Rom. n. 220. Carnis tentatio aprior omnibus eſt ad inducendam humilitatem, & cognitionem propriæ fragilitatis. Cor. n. 599.

Caſtellum.

Caſtellum Chriſti, eſt domus obedientiæ, & orationis. Luc. c. 10. n. 40.

Caſtellum Chriſto, vitæque Apoſtolicæ contrarium eſt mundus. Mat. c. 21. n. 8.

Caſtitas.

Caſtitas eſt virtus Angelica. Act. n. 18. ejus laudes, & effectus. Mat. c. 19. n. 8. c. 21. num. 44. Cor. n. 119. Propria eſt Chriſti diſcipulorum. Cor. n. 334. ejus fructus cur dicitur centeſimus. Mat. c. 13. n. 13. ſeq. ad 17. theſaurus pretioſiſſimus in terra corporis noſtri reconditus. Mat. c. 13. n. 67.

Catellus.

Catellus. Vide Canis.

Cathechiſmus puerorum quale exercitium, quàm Deo charum. Gal. n. 80.

Centuriò.

Centurionis fides, reverentia Deo, pœnitentiæ exemplaritas expenditur. Mat. c. 8. num. 18. & 24.

Centuplum.

Centuplum promiſſum à Chriſto renuntiantibus omnia expenditur. Mat. c. 19. n. 33

Certamen.

Certamen inter bonitatem Chriſti, & malignitatem Judæ, & peccatorum quale. Mat. c. 26. num. 40. ad Thn. n. 11. quale in ſervis Dei. Cor. num. 353

Charitas.

Charitas habitus, & gratia dat in actu primo vitam animæ; in actu ſecundo exercet opera Chriſtiana, & virtutes omnes. Apoc. n. 24. eſt complementum fœlicitatis noſtræ in hac, & alia vita. Cor. n. 14. ſeq. 610. Mat. c. 7. n. 46. ad Epheſ. n. 19. & 37. Efformat in anima Trinitatem perfectiſſimam. Mat. c. 22. n. 48. Joan. c. 17. n. 5. regina omnium virtutum. ad Tim. n. 2. ſeq. Cor. n. 216. Calefacit corpus; & animam, & omnia opera Mat. c. 6. n. 94 Luc. c. 12. n. 32. ſeq. Ubi eſt, ibi Deus eſt, & habitat. Mat. c. 4 n. 60. Epheſ. n. 30. pro hac margarita emenda fundenda ſunt omnia. Mat. c. 13. n. 71. theſaurus pretioſiſſimus in vaſis fictilibus. Cor. n. 201. eſt fermentum cœleſte fœcundans animam. Mat. c. 13. n. 50. reddit meritoria omnia opera. ad Rom. n. 110. ad 138. eſt veſtis nuptialis; ejus qualitates expenduntur. Mat. c. 22. n. 13. ſeq. Rom. n. 194. Charitas, & fides tollunt impedimenta ſalutis. Marc. c. 2. n. 7. ejus vis contra peccata expenditur. Luc. c. 7. n. 60. ſeq. ejus augmentum ſuper omnia procurandum. Philip. n. 5. Charitatis effectus mirabiles. Act. n. 220. Cor. n. 342. Rom. n. 67. ad 71. Theſſal. n. 31.

Charitas diligit Deum ex toto corde, anima &c. & proximum ſicut ſeipſum. Mat. c. 22. n. 53. ad 59. Cor. n. 382. Charitatis præceptum eſt omnium maximum. Mat. c. 22. n. 47. ad 50. Rom. n. 189. ſeq. Trinitatem perfectiſſimam in anima gignit. Mat. c. 22. n. 48. ejus ordo qualis. Mat. c. 22. n. 54. ſeq. c. 5. n. 80. ad 84. 101. & deinceps & 115. Gal. n. 86. ſeq. Epheſ. n. 51. ejus laudes, mirabilia, & effectus enarrantur. Mat. c. 22. n. 13. ſeq. & 47. ad 60. Charitas in proximum exprimit qualitatem amoris in Deum. Mat. c. 22. n. 54. ad 59. eſt ſumma Chriſti imitatio. Joan. c. 15. n. 8. Rom. n. 149. qualiter exercenda, ejuſque ſigna. Mat. c. 22. n. 51. c. 16. n. 38. Rom. n. 178. ad 184. Gal. n. 76. facit in

Digitized by Google

Index Generalis.

Sanctis propria proximi mala, & bona, ideo mercatura lucrosissima. Cor. n. 596. Signum distinctivum filiorum Dei, & diaboli. Ioan. c.13. n.18. Cor. n.12.ad 14. Ephes.n.41.seq. Petr.1.c.4. n.1.seq. Imperfecta dat sua, & de suis proximo. Perfecta dat totum seipsum. Cor.n.605.qualis debeat esse in Prædicatoribus. Mat.c.4. n.61. Philip. n.17. Præceptum ejus vetus, & novum. Ioan.c.13. n.17.1.Ioan. c.2.n.5.

Charitas in proximum mensura est misericordiæ divinæ in nos. Mat.c.18.n.48.Rom.n.179. Charitatis in proximum mirabilia, & mirabiles effectus panduntur. Mat. c.26. n.164. Marc c.12.n.8. Luc c.7. n.55.& 60. seq.c.10. n.31. Ioan. c.5.n.9. Rom. num.67.ad 71.Cor. n.341.1. Ioan c.2. n.7.ad 10. c.4.n.5. & deinceps c.5,& deinceps. Philip.n 21.seq. Charitatis exercitium qualis mercatura. Philip. n.5 seq.

Charitas, & amor Dei est objectum actionum justorum. Cor. n.211. seq. est prima lectio in schola Christi. Cor.n.213. Charitas sortitur nomina omnium aliarum virtutum. Cor. n.216. Varia encomia de ipsa expenduntur. Cor.n.114.seq.Philip.n.30.In patria non evacuabitur. Cor.n.217.& 221. ejus gradus summus est pro Christo mori, & pro salute proximi. Cor.n.243. Ad hanc imprimendam in cordibus fidelium sit tota cura Prædicatorum. Philip.n.27.ipsius lex reddit bonum pro malo. Thesal. n.37. ejus gradus quales. Marc. c.4.num.5.

Chyrie.

Chyrie,vel Kyrie eleison explicatur.Luc.c.2.n.33.

Chirographum.

Chirographum nostræ damnationis deletum sanguine Christi. Col.n.16.

Chorea.

Chorearum, & saltationum mali effectus expenduntur. Mat.c.14. n.8. c.21.n.32. sunt triumphus diaboli.Marc.c.6.n.24.V.Saltus.

Chorus.

Chorum frequentantes, & psallentes quàm Deo chari. Apoc.n.70.seq.

Christianus.

Christianissimi status sublimitas expenditur.Ioan. c.3 n.4. Rom.n.142.& 152. Ephes.n.48.50.68. ad 71.Cor.n.106.& 610. Gal.n.55. Colos.n.3. ad Hebr.c.13.n.6.1. Petr.c.1.n.4.ad 6.c.2.n.3. ad 6.1. Ioan.c.4.n.3. Mat.c.8.n.82. Constituit societatem Christi Jesu.Cor.n.21.Ephes.n.21. 49.& 65.Apoc.n.11.Rom.n.154.

Christiani vita contraria est vitæ mundanorum Mat.c.21.n.8.ejus nomen ex Christo crucifixo; ideò ejus vita debet duci in cruce. Mat. c.27.n.68. Cor.n.11. Gal.n.88.ad 92. Ephes. n.21.Philip.n.4.& 70 ejus vita sit veluti feriæ sextæ pœnosæ, & imitatio crucifixi. Luc.c.2. n.40.Mat.c.10.n.66.

Christianorum propria est sanctitas. Cor.n.1. Christianorum conversatio qualis.Cor.n.219. Philip.n.57.& 101.sit de ultimo, non de primo loco. Cor.n.229.& 232. Circumcisio differens à Judaica. Gal. n.93. Christianorum, obligationes expenduntur. Philip. n.81.71. 63.& 58.Colos.n.2.& 23. Thessal.n.27.& 44. Hebr. c.12.n.6. seq. c.13. per totum Iac.c.1. n.17.1.Petr.c.3.n.1.seq. Mat.c.18.n.31.c.16.n.7. seq.Luc.c.7.n.15.Rom.n.152.& 154.Cor.n.143. Ephes.n.70.75. & 81.Christiana Religio, in quo dignoscatur differens à cæteris sectis. Thessal.n.3. Christiani veri uni Domino serviunt, mali pluribus Tyrannis.Mat. c.21.n.9. multi sunt numero, pauci merito. Luc. cap.8. num.29. Iac.c.2 num.5. Christianorum bonorum vestis qualis.item & malorum.Mat. c.22. num.17.eorum militia qualis,& armatura.Cor. num.143.Ephes.n.91. Tim num.8.& 40.seq.

Christiani mali meri ò dicuntur, generatio prava, & adultera.Mat.c.2.num.55. c.16. num.6. Christianis desidia otiositas, & ingratitudo quàm dedecens Mat.c.20.n.12.seq.c.22. n.10. Christianus qualis amicus simul & inimicus. Mat.c.22.n.15.c.26.num.34. caveat ne autem dexteram amittat.Mat.c.26.n.149.Christianorum idololatria.Rom.n.24.Ephes.n.67.Philip. num.79.seq. Christiani similes Judæ quinam. Mat.c.16.n.24. Joa.c.13.n.16.Rom. n.42. Cor. n.205. 1. Joan.c.3.n.2.seq.Alii quærunt Christum ad salutem,alii ad perditionem. Philip. n.60.& 82.Christiana doctrina, & sapientia qualis.Iac.c.3.n.3.ad 5.Marc.c.1.n.15.Mat. c.5. n.4.c.7.n.21.& 56

Christus.

Christus principium, & finis omnium creaturarum,& præcipuè rationalium.Mat.c.1.num.1. Apoc.n.135 Luc c.3.n.49.Cor.n.61. Mat.c.21. n.19. Christus describitur variis nominibus, dicitur enim Christus,idest unctus;Jesus. Rex; dux;puer;Emanuel,aliisque nominibus ad indicanda varia ejus attributa.Mat.c.2.n.4.& 341 Jesus nominis attributa,virtutes,& perfectiones multiplices.Mat.c.1.n.31.& 33. c.9. n.48. c.12.n.18.c.21.n.14.c.17.n.73.Marc.c.10.n.18. Ephes.n.11.Apoc.n.23.& 93.Luc.c.1.n.76.c.2. n.63,ad 72.c.9.n.25.c.11.n.24.seq. Ioan. c. 14. n.11.Act.n.16.63.70.85.104. 134. 146. Rom. n.155.Philip.n.51.ad 54. cur dicitur sanctum indefinitè ab Angelo.Luc.c.1.n.96

Christi generatio complementum est omnium generationum,& universi.Mat.c.1. nu.1. & 3. Luc.c.1.n.79.Christi generatio cur differenter describitur à Matthæo,& Luca. Mat.c.1. n.3. Cur primò ab Abraham. Mat.c.1. nu.4. Luc. c.3.n.41

Christi adventus in mundum, & Incarnationis dignatio maxima expenditur. Mat.c.1.nu.14. c.17.n.19.cur à bonis,& malis descendit. Mat. c.1.n.3 auxit fidem in mundo.Luc. c.1. n.153. cum passione conjuncta.Luc.c.1.n.10.finis talis adventus fuit liberatio nostra à peccato. Rom.n.112.Hebr.c.1.n.4.Cor. n.609 Ab omnibus creaturis testificatus est ejus adventus. Mat.c.2.n.2.Luc c.1.n.178.seq.c.2. n. 115. ejus Incarnationis mysteria expenduntur. Ioa.c.1. n.19.& deinceps.Mat.c.1.per totum.Luc. c.1. per totum sparsim. Philipp. n.57. seq. ad 47. Adventus in mundum, in animam, ad Lymbum,& ad judicium expenduntur.Mat. ca.11. n.9.c.25.n.55.Ioan.c.3.n 14

Christi nativitas testificata ab omnibus creaturis. Mat. c.2.n.2.& 11.varia mysteria in ipsa expenduntur.Luc.c.2. n.1. & deinceps ex ipsa quale gaudium mundo.Mat.c.2.n.10.Luc.c.1. n.116.c.2.n.21.

Christi

Index Generalis.

Christi nativitas cur concelebratur triplici festivitate sanctorum Stephani, Joannis, & Innocentium. Mat.c.2.n.59

Cur Christus voluit se exponere circumcisioni legali; ubi varia mysteria expenduntur. Luc. c.2.n.56.ad 72.& 117

Christi adoratio Magorum, ejusque mysteria. Mat.c.2.n.11.& deinceps.

Christi oblatio in die Purificationis, ejusque mysteria expenduntur. Luc.c.2. n.89. & deinceps.

Christi remansio in Jerusalem; amissio Matriæ, ejus inventio, aliaque mysteria expenduntur in hoc facto. Luc.c.2.n.125.& deinceps.

Christi regressus cum Maria in Nazareth; ejus obedientia Matri, & Joseph; aliaque mysteria. Luc.c.2.n.137.& deinceps ad 154. Mat.c.2. n.56.seq.

Christi fuga in Ægyptum, aliaque mysteria, & reditus in Iudæam expenduntur. Mat. cap. 2. n.46.55.& seq.

Christi baptismus in Iordane cum suis mysteriis expenditur. Mat.c.3.n.29.& seq. n.40. & seq. Luc.c.3.n.41.& deinceps.

Christi incessus in desertum; jejunium, tentationes, aliaque mysteria enodantur. Mat. c.4. & deinceps. Luc.c.4.n.2.& seq. Marc. c.1.n.5. & deinceps.

Christi prædicatio. Vocatio Apostolorum, varia miracula, aliaque mysteria, &c. Mat.c.4.n.50. & deinceps.c.5.& seq. Luc. c.4. & deinceps. Marc. Ioan. &c.

Christi transfigurationis mysteria panduntur. Mat.c.17.n.2.& seq. Marc.c.9.n.3. ad 8. transfiguratus in Maria Mat.c.17.n.29

Christi ingressus in Ierusalem sedentis super asinam, ejusque mysteria. Mat. c.21. n.2. & deinceps. Marc.c.11.n.16.ad 8

Christi ultima cœna, institutio Eucharistiæ aliaque mysteria expenduntur. Mat.c.26. per totū.

Christi ingressus in hortum oratio, sudor sanguineus, captura, aliaque suæ Passionis mysteria. Mat.c.26.n.106. & deinceps; c.27. ubi expenduntur mysteria suæ Passionis per totum, & in Marc.c.12. Luc.c.23

Christi sepultura; Resurrectio, apparitiones, aliaque mysteria. Mat.c.26. n.15.c.27. n.138. seq. c.28. Marc.c.16. Luc.c.24. Act.n.4.& 17. Rom. n.71.ad 84

Christi ascensio in Cœlum, &c. Marc.c.16.n.15. Act.n.9.ad 17

Christi prædestinatio causa, & exemplar nostræ. Rom.n.135

Christus liber scriptus intus, & foris expositus, ut à nobis legatur. Mat.c.1.n.2.c.11. num.49. Rom.n.19. Apoc.n.48.ad 51

Christi quæsitio,& inventio qualiter facienda, & in quo loco,& à quibus Mat.c.1. n.10. & 21. c.2.n.5.7.8.23.seq.ad 34.& 47. Luc. c.2.nu.30. 41.ad 45.127.seq.133.seq.c.5. n.4. Ioan.cap.3. n.2.c.6.n.15

Christus fons omnium bonorum,& gratiarum,& virtutum ostenditur. Mat.c.1.n.4 c.2.n.16. 18. & 21. c.5.n.11.c.9 num.34.& 59. c.14.nu.45. c.15.n.49.c.17.n.17.cap.19 n.32.c.25. num.83. Marc.c.1.n.10.c.19.n.16. Joan.c.1.n.8.ad 10.26. ad 28.& 31.c.8.n.3. 31.& 15. Cor.n.173. seq. Ephes.n.8.seq.& 45.1. Petr c.1.n.4.ad 6

Christus est stella polaris nos ducens ad portum Cœli. Mat.c.2.n.21.c.4.n.56.seq.

Christus panis suavissimus; nobis providens panibus dulcissimis; diaboli, panes amarissimi. Mat.c.4.n.23.seq.c.14.n.28.34.c.15. nu.34.44. & 47.

Christus ductor fidelissimus securè ducens per mare mundi. Mat.c.4.n.56.seq.

Christus medicus,& chirurgus ad salutem. Mat. c.4.n.7.77.ad 79.c.5.n.107.c.8.n.12.seq.23.32. 34.seq.c.9.n.25.ad 28.43.& 68.c.11.n.24.ad 27. c.12.n.10.c.15.n.41.c.17.n.42. Marc. c.2. n.31. c.15.n.5.c.16.n.14. Luc.c.1.n.196. c.10.nu.16. c.14.n.5.seq. Ioan.c.6.n.7.seq.c.1.n.20.c.7. n.9. & 14.c.9.n.12.c.11.n.7.ad 9. Act. num.63.70. & 146. Apoc.n.33.ad 35

Christus sol omnibus communis; sol, & oculus mundi; ubi de ejus communitate,& indifferentia ad omnes homines. Mat.c.5.n.3.63. & 111. c.8.n.12.ad 14.20.32.40.c.9.n.43.c.11.n.42.ad 45.c.22.n.5.seq. Marc.c.4.n.6. c.6. n.7.c.9.n.11. Luc.c.2.n.103.seq.c.3.n.11.c.8.n.2.& 11. c.9. n.27.c.16.n.6.c.23.n.4.ad 7.25. seq. Ioan. c.1. n.22.seq.35.c.6.n.3.20.& 25.c.8.n.6.c.9.n.17. c.16.n.7. Colos.n.25. Apoc.n.117

Christus thesaurus ditissimus. Mat.c.5.n.111.c.13. n.63. Cor.n.302

Christus sponsus Ecclesiæ, animæ, & Virginum; & socius fidelis. Mat.c.2.n.41. c.6.n.111. c.17. n.22.c.22.n.2.ad 4.c.25.n.19.seq.22. Ioan. c.2. n.8.c.3.n.19. Cor.n.11.583.seq. Luc.c.9. n.16

Christus ductor, Prædicator, magister, ejusque schola, doctrina,& prædicatio qualis. Mat.c.4. n.78.c.5.n.4.c.7.n.21.& 56.c.9.n.60.c.11.n.48. c.12.n.52.c.13.n.1.2.& 19.c.20.n.50.c.22.n.29. c.23.n.11.c.27.n.74.& 114. Marc.c.1. num.1. & 15.c.2.n.22. Luc.c.2.n.135.c.3.n.10.c.4.n.5. & 14.c.22.n.4.seq.c.24.n.24. Ioan.c.4.num.24. c.13.n.14. Rom.n.14. 22. Cor. n.211. ad 213. 334. Thessal. n.15. Hebr.c.5.n.4. Marc.c.4.n.2

Christus via, veritas, vita, & porta angusta. Mat. c.7.n.23.seq. Ioan.c.8 n.11.27.c.10.n.4.ad 11

Christus fundamentum Ecclesiæ, & fabricæ spiritualis unicum Mat.c.7.n.48.ad 51.c.16.n.22. n.76. Rom.n.47

Christus est suorum fidejussor & provisor potentissimus,& maximè relinquentium omnia Mat. c.6.n.104.107.113.c.7.n.50.seq.c.24.n.37

Christus Rex Regum. Mat.c.2.n.9.& 17.c.8.n.76 c.9.n.10.c.20 n.32.c.21.n.6. Ejus imperio omnia subjecta. Mat.c.8.n.65. regit misericordia; & justitia. Mat.c.18.n.33.c.21.n.9

Christus Judex vivorum,& mortuorum. Mat.c.3. n.28.c.20.n.32.c.21.n.6.& 25. veniet ad judicium cum cruce; & vulneribus, & societate sanctorum. Mat.c.24.n.11.22.30.seq.c.25.n.55. ubi alia spectantia ad judicium. n.58.ad 64.80. ad 85. Luc.c.3.n.33.seq.

Cur toties prædixit eam Apostolis. Mat.cap.20. n.31.& 33. cur in Ierusalem n. 32. copulatur cum ascensu. ibid. n.34. consummatio operum Christi. ib.n 35. alia mysteria de Passione. Mat c.25.n.71.seq.c.26 per totum.c.27. per totum. Luc.c.17.n.6. Ioan.c.10.n.18. Ephes.n.98. Mar. c.17.n.48

De Christi morte concilium celebratum in Cœlo à tribus personis divinis in terra à Pharisæis cum præsidentia diaboli. Mat.c.26. n.46. Qui vult cum Christo regnare debet cum eo pati. Mat.c.10.n.40.seq. ejus mors,& passio quotidiè renovatur à malis Christianis. Luc.c. 4.n.25

Index Generalis.

Christi passionis meditatio quàm efficax ad acquisitionem virtutum. Mat. c.5. n.52. Luc. c.10.n 27. c.24. n.21. Est sufficiens pro omnibus, sed non efficax. Mat.c.20. n.51. Ad vulnera sua invitatur homo. Mat.c.8.n.14. cap.9. n.27.c.14. n.27. c.17. n.28. c.27. n.10. 116. & deinceps Luc.c.16.n.10. Joan.c.10.n.9.ad 11. c.14.n.3. Philip.n.4.

Christi præsentiæ,& absentiæ effectus. Mat.c.2. n.53.c.8.n.61.c.9.n.34. & 59. c.14. n.39. 40. & 45.c.15. n.52.seq.& 58.c.23.n.27. sequen. Marc.c.8.n.4.c.13.n 3.c.14.n.6. Luc.c.5. n.23. c.7. n 11. c.19. n.16. Ioan. c.11.n.10. c.20. n.3. c.2 n.6.seq. cap.12. n.16. c.14. n.5. seq.cap.3. num.7. Marc. c.4. n.10. Luc.cap.2. num.100. Cor.n.103.

Christi sequela , & discipulatus , & perfecta quæsitio , & inventio quænam exigit. Mat. c.4.n.70 & 74.c.8.n.41.seq.49. seq. c.9. n.20. seq.& 64. c.10. n 5. seq. 30.ad 32. 36. & 47. c.11. n. 8. 41. seq. & 46. c.12. n.4. & 5. c.14. n.42.c.15.n.23. & 40.c.16. n.25. c.17. num 9. c.25.n.40. seq. & 75. c. 26. n.105. Marc.c.1. n.13.c.8. n.33 c.10. n.2. & 30.c.16. n.5. Luc. c.2. n.125. & deinceps. c.9. n. 12. Joan. c.4. n 7.c.6.n 6. Act.n.108. Gal.n.19.seq.71. & 91. Corr.n.104.

Christus conceptus, & coronatus Rex à Maria. Mat.c.2.n 9 Ejus potestas communicata Mariæ. Mat, c.8. n. 76. Ad exaltationem majorem Mariæ dictus filius hominis. Mat. cap.8. n.48. dicitur Sanctum ex Maria. Luc cap.1. n. 97. ex Maria quot mirabilia manifestata. Luc.c.1.n.99 111. seq.& 127.c.2.n.6 46. seq.49. & 119.c.11.n.49. Joa.c.2. n.8.c.8. n.4.13. c.12. n.4. c.13. n.8. Colos. n. 7. Invenitur per Mariam, & Joseph. Mat.c.2.n.15. Luc. c.2. n.43. ad 46. signatus sigillo virginitatis Mariæ. Joa. c.6.n.18. Primogenitus. & imago Mariæ. Colos n.5.

Christi obedientia excellentissima expenditur. Mat.c.4.n.4. seq.c.18. n.52. c.26. n.114. in domo obedientiæ libenter habitat. Mat.c.26.n.7. c.21.n.4 Marc. c.11.n.10.& 13. Luc.c.10.n.40. bibit calicem obedientiæ. Mat. capit. 26. n. 153. Act. n.12. Rom.num.78. Philip.n.46. sequent.

Christi paupertas. Mat.c.3. n.27. c.8. n. 44. seq. 48.& 53.c.10. n.17. ad 20. c.18. n.53. cap.21. n.45 c 26 n.29. Marc.c 2 n.28.c.12. n.6. Luc. c.1.n.7.c 7.n.46.c.9. n.31.c.14. n.2. c.19. n.6. seq. Ioa.c.6.n.4.seq c.14.n.14. Cor. num.558. 561 ad 563

Christi humilitas qualis , ejusque mirabilis in Christo. Mat.c.8. n.44. c.11.n.50. seq. cap.18. n.52.c.20. num.32. c.21. n.6. & 13. cap. 25. n.74. Marc. c.11. num.12. Luc. cap. 2. per totum sparsim. c. 3. num. 41. seq. c.14. num.2. Ioa c.1. num.21. 30. Philip. num.35. 37. 44. ad 46.

Christus cur elegit Ierusalem ad patiendum. Luc. c. 13. n.24. ejus locus est crux. Mat.c.2. n.24.c.10.n.64.seq.ad 69. Marc.c.8. n.35.seq. Luc. c.8.n.11. Ioa.c.3.n.9. ad 11.c 5. num 4. Cor. num. 6 ad 19. qualiter exemplo Christi portanda. Marc.c.27. num.42. seq. Petr.c.4. n.1. E cruce trahit omnes ad se. Ioa. cap. 12. num.8.

Christi crux sola gloriatio Christianorum. Gal.n.88. seq. Sanguinis ejus efficacia. Hebr. c.12.n.10. Petr. c.1. n.2. & 9. seq. Transformatio in crucifixum suadetur. Gal. n.22. ad 27. 31. & 71. Ephes. num. 34. seq.55. 70. 82. seq. 84. ejus meditatio suadetur. Ephes.n.95. Petr. c.4. n.1. Apoc. n. 34. Verba Christi in cruce fusè expenduntur. Mat.c 27.num.75. & deinceps. Luc.c.23. num.5. Act. n.60. In cruce celebravit solemne Pascha. Mat.c.27.n.64. Luc.c.12.n.34. expendit suos thesauros. ibid. n.58. Passio ejus clavis Cœli. Apoc.n.27. videtur ab ascendentibus in crucem. Luc.c.19. num.4.

Christus aliis est in salutem , aliis in damnationem. Mat.c.2.n 16.c.9.n.76.c.12. n.17. cap.16. n.2.c.21.n.23. & 44. Marc. c.2. n.26. de ejus amore.& charitate. Mat.c.4.n.59. & 75. totus semper in salute nostra occupatus. Mat. c.8. n.11. & 77.c.9.n 21.29.& 32.34. 64.66. 69.71. & 79.c.10. n.10. seq.63.c 11 n.41.ad 47.& 52. c.12.n.20.& 41.c.13.n.26 seq. 32. 69. seq.ad 71.c.14.n.17.seq 20.& deinceps.24. 31. 44.48. 49.& 54.c.15.n.21.48.56.ad 58 c.16. num.34. seq.c 17.n.35.45.48. c.18. n.15. seq.30. ad 33. c.20.n.4.7.seq.55.c.21. n.5 47. seq. c.22. n.15. 52.c.23.n.3.24.ad 26.c.26.num.8. 36. 40.134. 145.147. Marc c.1.n.23.28.c.2.n.21. 27. 30. 43. c.3.n.5.c.4.n.3.c.6.n.2. 4 34. ad 47. c.7. n.14. c.8.n.5.ad 12.c.10.n.3.30.c.16. n.14. Luc.c.1. n.192.seq.196.c.2.n.119.c.3.n.1 . c.5.n.25.33. 37.c.7. n.7. ad 15.22.ad 28.35.38.c.9.num.10. c.10.n.35 41.seq.Ioa.c.1. n.14. & 21.36. ad 39. c.2.n.15.ad 17.24.c.3.n.8 c 4.n.5. seq. ad 13. 31 seq.46.c.5.n.10.c 6.n.9.10.ad 23. c.7. n.14. c 8 n.2.c.9 n.12.17.c.10.n.20. ad 21. c.11. n.40 ad 8.11.17 seq.30.seq. c.13.n.2.5. & deinceps. & 15.c.14.n.4.c.15.n.7.c.16.n.4.15.c.20. n.4. Luc.c.13.n.7.c.19.n.2. Act. n.2. 5.11. 145. & 173. Rom.n.54.61.seq.73.76.seq.106. 117. 119. 194. Cor. n.8.10.88.107 ad 110.151. 173. seq. 237.seq.262.267.294. 299. 327. seq. Gal. n.3. 35.Ephes.n.4.11.16.20. 27.37.63. Colos. n.8. 16 17.seq. Tim.n.6.seq.12. Hebr.c.5. n.1. seq. c.10.n.2.c.12. n.3.1. Joa. c.3. n.1. seq. Apoc. n.31.seq.129.seq.

Christus in Eucharistia nobis omnia bona paravit. Mat.c 21.n.6.ad 9.13. seq.c.26. n.48. ejus deliciæ expenduntur. Marc. c.8. n.17.ad 19. Cor. n.151.220. exigit cœnaculum , & quale in nobis. Mat.c.26. n 3. ad 35. in Eucharistia est captivus amoris. Mat. c.26. n.99. à multis recipitur ad modum Judæorum. Mat. cap.21. n.21. qualiter recipiendus. Marc. c.4. num 9. Ubi est Eucharistia , ibi frequentia Angelorum. Marc. cap.10.n.4 Ioa. c.3. n.22. in Bethleem panis expositus. Luc. c.2. numer. 8. exinanitio in Eucharistia qualis. Philip. num.42.

Christo obsequuntur omnes creaturæ dempto homine. Mat.c.2.n. 11.& 17.

Christus solùm acceptat oblationes Regum. Mat.c.2.n.29. Christus assumpsit in se prospera, & adversa,ut sic tractaret suos. Mat.cap 2. n.38. Marc.c.14.n.12.c.15. n.2. Christo qualis via sternenda. Mat. c.3. n. 13. Nullum habuit Angelum custodem. Mat.c.4.num.8. Contemptum mundi nos incessanter docuit suis exemplis.

Digitized by Google

exemplis. Mat. c.4. n.6. ſeq. Marc. c.3. num. 17. Noluit facere miracula ad ſui utilitatem, ſed tantùm ad noſtram. Mat.c.4. n.53. Chriſto, & mundo ſimul ſervire impoſſibile. Mat.c.6. n.95. ſeq. Chriſtus attrahitur in domum noſtram fide, humilitate exemplo Cananææ. Mat. c. 8. num 21. ad 24. cap.9. numer.19.54. Chriſti dormitio in noſtris neceſſitatibus expenditur. Mat.c.8. num.57. ad 64. Marc.c.4.n.14.& 16. Chriſti humanitatis virtus qualis ad patranda miracula, & ex ejus tactu. Mat.c 9. num.36. 49. ad 53. Marc.c.1. n.33. Luc.cap. 6. n.8. qualis eris cum Chriſto, talis erit tibi. Mat. c. 10. n.57. cap.25. n. 65. Luc. c.24. n. 7. Chriſtus perdendo vitam triumphavit de diabolo. Mat. c.12.n.37. qui non eſt cum Chriſto contra Chriſtum eſt. Mat. cap. 12 num. 40. Chriſtus granum ſinapis parvum, & maximum. Mat. capit.13. num.46. Negotiator margaritarum, & animarum. Mat. cap. 13. num.69. ad 71. cap.16. numer.34. ſeq.

Chriſtus faber, & fabri filius. Mat. c.13. n. 81. Marc.c.6. n.4. Chriſti corpus quam ſplendidum. Mat.c.13. n.60. Chriſti vincula liberum faciunt hominem. Mat.c.14. n. 4. c.21. n.10. Marc.c.15.n.2. Luc. c.12. n.18. de ejus captura, & vinculis expenſiones myſticæ. Mat. cap.26. n.156. ad 161. ſolus in mundo liber; totus mundus vinctus. Mat.c. 26.n.157. Chriſtus in pauperibus moratur, & recipitur. Mat.c.14.n.23.c.15.n.70.ad 73.& 76.ſeq. Luc. c.19. num.12. ſuos fratres appellat pauperes. Mat. c. 25. n.76. Chriſti panes nobis oblati quales Mat.c.14.n.27. ad 35.c.15.n.44. quales Chriſtus, & quales mundus. Mat. c.15. n.58. Chriſti panum fragmenta, & duodecim cophini quid Mat.c.14. n.34. Chriſti, & mundi, & diaboli contrarietas expenditur. Mat. c.14. n.41.c.21.n.9. ſeq. Luc.c.12. n.35. Act. n.180. Cor. n.338.343. ſeq. Chriſtus experit in nobis confidentiam in ipſum. Mat. c 14. n.49. ſeq. extendit ad nos manus, ut noſtras ad ipſum extendamus. Mat.c.14.num.54. & ut exhibeat veniam; Luc. c.23. n.4. extendit manus; ut nos ſolvat à vinculis diaboli. Luc. c.13.n.18. In oratione aliquando ſe ſurdum oſtendit ad noſtrum profectum. Mat.c.15. n. 22. Marc. c.2. num. 11. ligatur oratione noſtra. Mat. c. 15. n. 39. qualem orationem exigit à nobis. Mat. c.15. n.40. cap.17. n.36. Vult à nobis rogari. Marc. c.1. n.25. Negat ſuum panem canibus, non catellis. Mat.c.15. num.34. ſeq.

Chriſtus paſtor quærens ovès perditas. Mat. c.18. num.16. Ioan.cap.10.n.15. ad 17. nos quærit, ut ipſum quæramus. Marc. capit. 10. numer.30.

Chriſtus medium eſt Eccleſiæ; & in medio ſemper ſtans. Mat.c.18. n.30. c.20. num.4. ipſius perpetua aſſiſtentia Eccleſiæ expenditur. Mat. c.28. num. 40. Marc. cap.16. nu.16. ejus zelus circà venerationem Eccleſiarum fusè expenditur. Mat. capit. 21. numer. 26. ad 38.

Chriſti dicere eſt facere, & benedicere; & benefacere. Mat.c.19. n.3. Expenditur prandium, & cœna ſuis parata. Luc.c.14. n.21. quàm ipſi dilecta caſtitas. Mat.c.19. n.8. Chriſto dilecti, & chari ſunt parvuli. Mat.c.19.num.9. ad 12. Marc. c. 10. n.6. Chriſti vinea qualis, & diaboli. Mat. c.10. n. 8. Cum Chriſto velle regnare; & non pati impoſſibile eſt; & uſura. Mat. c.20. n. 40. ſeq. Chriſti calix bibendus à volente intrare in Cœlum. Mat.cap.20. num.41. ejus fames, & ſitis qualis. Mat.cap. 21.num. 47. Luc. cap.7. n. 24. & 27. Apoc. numer. 37. omni tempore expetit à nobis fervorem pœnitentiæ. Mat. cap.21.num.48. Chriſtus lapis angularis. Mat. cap.21. n.75. aliquando utitur miniſtris etiam indignis ad ſalutem hominum. Mat.cap.23. numer.3. Chriſti lapidatores quinam. Mat. cap. 23. n.23.

Chriſtus fideliſſimus in promiſſis. Mat. cap.24. n. 37. Marc.c.10.n.19. Luc c. 5.num.19. quomodo velut peregrinus abiit in Cœlum. Mat. c.25.n. 18. 30. Abiit in Cœlum; & ſimul cum omnibus ſuis bonis remanſit in terra Mat.c.25.n.19.& 31 Ipſe eſt Rex, & regnum ſuis ſervis. Mat. cap.25. num. 68. exigit pro gratitudine ſuorum beneficiorum miſericordiam noſtram in paupetes. Mat.c.25. num.77. exigit à nobis unctionem Magdalenæ. Mat. cap.26. num.8. & 18. Chriſtus cum diſcipulis pſallebat Deo laudes. Mat. cap. 26. numer.101. Chriſti conformitas ad divinam voluntatem expenditur. Mat.c.26.num.111.118. ſeq.

Chriſtus poſitus eſt in ſignum ad ſagittam. Mat.c.26.n.164. Luc.c.2.n.106.ad 109. Chriſti martyres, & diaboli. Mat.c.27. n.89. Chriſtus quomodo nobiſcum eſſe dicitur. Mat. c.28. n.41. Chriſti retia, & diaboli qualia. Marc.c. 1 n.17. Chriſti miracula, & promiſſa nobis fiduciam, & ſalutem præſtant. Mat.c.1.num.18. Luc.c.5.n.19. exigunt noſtram fidem. Mat.c.6. n. 5. plura miracula fecit per ſuos ſervos, quàm per ſeipſam. Act.n.79.

Chriſtus abſtulit poteſtatem diabolo. Marc. c.1.n.19. Ioan.c.12. n.7. Apoc. n.120. Ejicitur à corde noſtro peccato, ſed maximè elongatur ingratitudine. Marc. c.5. num.2. Chriſtus aperit nobis aures diabolus claudit. Marc.c.7. n.13. Chriſti menſæ deliciæ expenduntur. Marc. c.8. n.17. ad 19. ſolus eſt quies cordis noſtri. Marc. c.9. n.7. ejus virtus invocata quam efficax contra diabolum. Marc.c.11. n.10. ejus excellentiæ ab Angelo nuntiatæ Mariæ expreſſæ. Luc.c.1.n.77.c.2. num.2. ejus conceptio ſpiritualis in anima qualiter fiat. Luc.c.1. n.117. Chriſtus debet eſſe objectum noſtræ mentis. Luc.c.2. n.40. quomodo recipiendus in ulnis exemplo Simeonis. Luc. c.2. n.88.ſeq.119. perditur à recedentibus ab Jeruſalem invenitur ab intrantibus. Luc. cap.2. n.126.& hoc poſt triduum. n.128. ſeq. & inter flores. ibid.n.141. non invenitur inter cognatos. & notos à Religioſis. Luc.c.2.n.127. quomodo proficiebat coram Deo, & hominibus. Luc.c.2. n.114. Venit in mundum ad humiliandum colles, & replendum valles. Luc. c.3. num.8. ejus ſanctitas videtur obſcurare ſanctitatem aliorum. Luc cap.3. num.31. ejus

cutialitas, & urbanitas cum omnibus expendiur. Luc. c. 7. n. 22. ſeq.

Chriſtus diſcalceatus ibat. Luc. cap. 7. n. 46 ejus munus potiſſimum eſt unire diviſos; diaboli dividere unitos. Luc. c. 12. n. 8. c. 15. n. 5. venit in terram novos Angelos fabricare. Luc. cap. 12. n. 31. ejus amici quales. Luc. c. 14. n. 10. ſeq. ejus aſpectus quàm efficax. Luc. c. 15. n. 26. c. 19. n. 5. onerat, ut elevet in altum. Luc. c. 15. n. 27. non poteſt poſſideri in turbis. Luc. c. 19. n. 3. videtur ab aſcendentibus in arborem crucis. Luc. c. 19. num. 4. ejus domus multiplex. Luc. c. 19. num. 10. quærit hoſpitium à nobis, unde ei dicendum mane nobiſcum. Luc. cap. 24. n. 11. ad 14. Chriſti curia, & mundi qualis Luc. c. 22. n. 3. Cor. n. 62. de cruce injuriarum condonationem prædicat. Luc. c. 23. n. 5. cur in forma peregrini apparuit diſcipulis. Luc. c. 24. n. 6. ſeq. Chriſtus lux hominum, non beſtiarum, Joa. c. 1. n. 10. omnibus omnia factus, ut nos ad ſe attraheret. Ioa. c. 1. n. 12. ſeq. Chriſti gratiarum, & meritorum plenitudo multipliciter expenditur. Ioan. c. 1. n. 16. ad 18 Act. n. 105. Epheſ. n. 45. Philip. n. 50. 52. Chriſtus agnus cur dicitur. Ioa. c. 1. n. 36. ad 39. Chriſto obſequebantur Angeli. Ioa. c. 1. num. 42. Chriſti vinum quale, & quale mundi. Ioa. c. 2. n. 9. ſeq. ejus ſanguinis efficacia. Joa. c. 9. n. 12. 1. Petr. c. 1. num. 2.

Chriſti aquæ mirabiles effectus expenduntur. Ioa. c. 4. n. 13. ad 16. Hebr. c. 12. n. 10. Chriſtum deſerens apoſtatat ab eo. Ioa. c. 6. n. 43. Apoc. n. 93. ejus ovium, & diaboli diſcrimen. Ioa. c. 10. n. 3. Chriſtus lignum vitæ in medio Paradiſi Eccleſiæ. Ioa. c. 7. n. 14. Apoc. n. 129. ſeq. oſtium vitæ. Ioa. c. 10. n. 5. ad 11. qualem familiam elegit. Ioa. c. 11. n. 3. Apoc. n. 53. ſuis paravit locum in Cœlo. Ioa. c. 14. n. 4. ejus teſtamentum, & legatum eſt totum pacis. Ioa. c. 14. n. 13. Chriſtus vitis, & cur dicitur. Ioan. c. 15. n. 1. Princeps fidelium. Ioan. c. 16. num. 6. Chriſti potentia, & ſapientia manifeſtata ex converſione mundi per ſimplices, & idiotas. Act. n. 69. Apoc. n. 55. Chriſtum perſequitur perſequens proximum. Act. n. 116. ad 118. Cor. n. 174. dividit paſſiones ſuas inter homines. Cor. n. 175. In Chriſto expreſſæ dimenſiones divinitatis. Epheſ. n. 32. Chriſto non vivit, qui ſibi non vivit. Philip. n. 10. Chriſtus in aliis vivit, in aliis mortuus eſt. Philip. n. 11. Chriſti ſacerdotium, & pontificatus expenditur, aliaque attributa. Hebr. c. 1. n. 2. ſeq. c. 2. n. 2. ſeq. c. 5. n. 1. ſeq c. 7. 8. 9. 10. ſparſim. Apoc. n. 4. ſeq. & 116. Chriſtus ſit meta noſtrorum operum, & perfectionis. Philip. n. 76. Hebr. c. 12. n. 2. ſeq. ad 6. Chriſti ſimilitudo quomodo in nobis imprimenda. 1. Ioan. c. 3. n. 2. ad 4. in eo exemplar charitatis habemus. 1. Ioan. c. 3. n. 8. Chriſtus habet ſuos miniſtros in bonum hominum; diabolus in malum. Cor. n. 538. Chriſti calix eſt obedientia. Mat. c. 26. n. 153. ſua dona immittit non in cloacam diaboli, ſed in templum ſacratum cordis. Mat. c. 26. n. 155.

Cibus.

Ciborum aviditas gulæ quàm ſolicitè à Chriſtianis viranda. Luc. c. 11. n. 5. Rom. n. 197. pro cibo acquirendo qualis labor aſſumendus. Ioan. c. 6. n. 16. cibus corporalis non fœdat animam, ſed voluntas. Mat. c. 15. n. 8. & 14. cibus verus, animæ eſt voluntas Dei, pœnitentia, obedientia, oratio, &c. Ioa. c. 4. n. 32. ad 34. Mat. c. 15. n. 14.

Circuitus.

Circuitus diaboli circulatoris expenduntur. 1. Petri. c. 5. n. 9.

Circulus juſtorum eſt à Deo ad Deum. Coloſ. n. 11.

Circumciſio.

Circumciſionis corporalis præceptum à Chriſto ablatum, & relictum ſuis ſequacibus aliud de circumciſione ſpirituali. Ioan. c. 7. n. 7. Rom n. 50. Gal. n. 93.

Civitas.

Civitas duplex ſcilicet Cœlum, & mundus: prima pro juſtis; ſecunda pro mundanis. Luc. c. 10. n. 36.

Clavis.

Claves regni Cœlorum datæ Petro, ſucceſſoribus, & ſacerdotibus quales. Mat. c. 16. n. 17. ad 21.

Clerici.

Clericorum obligationes expenduntur. Rom. num. 163.

Cœlum.

Cœli porta, & via arcta, & anguſta expenditur. Mat. c. 7. n. 13. ad 15. quomodo aperienda. Mat. c. 3. n. 37. c. 25. n. 24. quibuſnam aperitur. Mat. c. 25. n. 24. Luc. cap. 14. n. 24. cur dicantur aperiri in Miſſa; in miſſione Spiritus Sancti, & in baptiſmo Chriſti. Mat. c. 3. n. 33. ſeq. Cœlorum regnum alii furantur, alii rapiunt, alii emunt. ad ipſum alii compelluntur. Mat. c. 11. n. 32. In ipſum introductio qualem lætitiam, excluſio qualem amaritudinem generet. Mat. c. 25. n. 17. ſeq. datur ſolùm pauperibus, claudis, cæcis. Luc. cap. 14. n. 14. iſtique omnes ſunt viri ſpirituales. Ioan. c. 1. n. 45. ad ipſum ſemper aſpirandum. Hebr. c. 4. n. 6. quibus Deus addit poſteà terrena. Mat. c. 6. n. 109. ad 112. cœleſtia ſunt ſubſtantiva, terrena adjectiva. Mat. c. 6. n. 112. habet varias manſiones. Ioan. c. 14. n. 1. Cœlum myſticè eſt Religio, & ſtatus religioſus. Ioan. cap. 1. num. 44. Ad Cœlum aſpiciens toto corde contemnit, omnia terrena. Rom. n. 122.

Cœna.

Cœnam exhibet Chriſtus in alia vita, prandium in hac. Mat. c. 22. n. 6. Luc. c. 14. n. 11. Cœna ſpiritualis præmittenda receptioni Euchariſtiæ exemplo Chriſti, & Apoſtolorum. Mat. capit. 26. numer. 49. In cœnaculo magno, ſtrato, & alto ſolùm Chriſtus celebrat

celebrat Paſcha. Mat. cap.16. numer. 31. ſequent.

Cæſar.

Cæſari priùs ſua reddenda, poſteà Chriſto. Mat. c.12.n.3.

Cognitio.

Cognitio ſui eſt primus gradus in via ſpirituali. Marc c.2. n. 14. c.10.n.8. ſine lumine cœleſti obſcuriſſima eſt. Ioan.c.3.n.5.

Cognitio de Deo ſuper omnia quærenda.& quo major, eo major obligatio ſerviendi Deo; & etiam major ingratitudo non proficientis de ea. Rom. n.25. cognitio veritatum ſpiritualium quàm utilis; ignorantia quàm pernitioſa. Cor.n.205.

Colloquium.

Colloquia mala, & immunda quàm pernitioſa. Cor.n.246.

Columba.

Columba apparitionis in Chriſti baptiſmo myſteria expenduntur. Mat. c.3. n.38. Columbæ porræ à Spiritu Sancto dilectæ. Mat. c.5.n.39. c.10.n.32.ſeq.

Collyrium.

Collyrium ſpirituale oculis animæ à Chriſto factum ſuo ſanguine, & meditatione Paſſionis, humilitate,&c. Apoc.n.34.

Comedere.

Comedere in Eccleſiis Deo exoſum. Cor. numer.182.

Communio.

Communio. V. Euchariſtia digna præparatio qualis.Iſa.c.13.n.4.

Communio ſpiritualis ſuadetur. Mat. capit.26. n.67.

Communio ſanctorum quid ſit. Gal.n.77.Epheſ. n.13.

Communitas.

Communitas vitæ in Religionibus quàm neceſſaria, & utilis. Mat. capit. 6. numer. 104. cap. 18.num.19. Luc. c.2.num.79. Act. n.36. 73.76.ſeq.

Compaſſio.

Compaſſio erga fratrem, & proximum ſignum inhabitantis ſpiritus, ſancti. Cor. numer. 208.

Completorium.

Completorium cur incheatur lectione; fratres ſobrii eſtote.1.Petr.c.5.n.5.

Conſilium.

Conſiliorum congregatio inſtituta ab Apoſtolis dictante ſpiritu ſancto. Act.n.181.Conſilium aliud.in quo præſidet Chriſtus, aliud, in quo diabolus. Mat. c.26. n.4. ad 6. Conſilio reus quis,& quid ſit. Mat.c.5.n.74.

Concordia.

Concordia bonum ſemen à Chriſto ſeminatum in Eccleſia; diſcordia à diabolo. Mat. cap.13 n.33. ſeq. c.12. n.41. Luc. c.24. n.3. Signum diſtinctivum verorum Chriſtianorum. Ioan. c.10. n.21. melodiam efformat auribus Dei. Act.n.74. Concordiâ res paruæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur. Mat. cap 12. numer.30.c.23. num.26. Ioan.c.20.n.2. Concordia malorum eſt peſſima, diſcordia quàm exitialis. Mat.c.12. n.31. c.26. n.26. Concordia multos in unum cogit, diſcordia unum in plura diſcindit. Act. n. 73. & 76. Concordia fraterna quàm Eccleſiæ, & maximè in congregationibus neceſſaria, & Chriſto chara. Mat.c.18.n.26. ſeq. Act. n.56. ſeq.attrahit ſpiritum ſanctum. Act. num. 55. & 72. Concordia eſt propriâ Beatorum. Mat.c.13. num.45.

Concupiſcentia.

Concupiſcentia faſcinat oculos hominum. Gal. n.49.ſeq. fons omnium malorum. Iac. cap.4. n.1.

Confeſſio.

Confeſſio peccatorum auricularis à Chriſto inſtituta, & præcepta Mat.c.8. n.17. eſt margarita pretioſiſſima, quam Chriſtus à nobis expetit. Mat.capit. 13, num. 69. ejus conditiones quales, & effectus. Mat. cap. 18. numer.51. Luc. c.18. n.24. c.17. num. 13. Ioan. c.3. n. 17. cap.5. numer. 6. facit hominem ex alienigena patritium Cœli, Luc. c.17. n.12. Confeſſarius inſtruitur in ſuo munere. Mat. cap. 10. num.29.cap.18. num.50. Ioan. cap.8. n.8.ſeq.

Confeſſorum ſanctorum laus potiſſima qualis. Luc.c.12 n.11.

Confitens Chriſtum ore, factis negans ſimilis diabolo.Marc.c.1.n.32.

Confidentia.

Confidentia in Deo ſuadetur multipliciter, non in mundo habenda. Mat. c.6. num. 101. ſeq. 108.c.9.num.55.c.14.n.49.ad 51.& 55.Marc. c.6.n.41.ſeq. Luc.c.5.n.19.c.11. n.9. 21. c.12. n.7 Ioan.c.16. n.17. Rom. num.136. ad 138. Phil.n.64.106. ad 108. 1. Petr. cap.5. num.4. ad 6.1. Ioan.c.3.n.10.ſeq.c.5.n.6.Hebr.4. n.5 c.10.n.4.

Confirmatio.

Confirmationis Sacramenti virtus; & effectus. Act. n.109. Cor. num. 185. A ſolo Epiſcopo datur. Rom.num.7.ejus obligationes.Act. n.154.

Conformitas.

Conformitas cum divina voluntate ſuadetur exemplo Chriſti. Mat. cap. 26. num.118. ſequent.Marc. cap. 4. num. 8. compendium eſt totius perfectionis. Marc. capit.10. num.11. Luc. cap.9. num.10. Ioan.c.9. num.13. Phil. num.9.

Digitized by Google

Index Generalis.

Confraternitas.

Confraternitas, & unio inter Christianos à Christo præcepta. Mat. c. 5. n. 84.

Confraternitatum, & congregationum sacrarum Ecclesiæ, munera, exercitia, & obligationes expendontur. Act. n. 21. In congregatione bonorum cur Deus promittit malos vivere. Ioan. c. 13. n. 10.

Confusio.

Confusionem causat multitudo. Act. n. 88.

Conjux.

Conjuges supportent se invicem. Mat. c. 5. n. 95. ipsorum unio, & amor qualis esse debeat. Ephes. numer. 86. Conjugalis vitæ fructus trigesimus expenditur. Mat. capit. 13. numer. 15.

Conscientia.

Conscientia lex qualis. Rom. n. 41. seq. liber ipsius in judicio apertitur. Rom. n. 44. seq. Conscientiæ remorsus expenditur. Rom. num. 43. puræ lætitia qualis. Cor. n. 178. ad 181. Conscientia bona epistola est, & testimonium bonum veritatis; mala è contrà testimonium falsitatis. Cor. n. 291. contra conscientiam operans, operatur contra fidem. Rom. n. 205.

Consilium.

Consilium petere à personis piis, & expertis quàm bonum, & necessarium maximè à ministris publicis, & à negotiatoribus in rebus arduis. Mat. c. 3. n. 26. Gal. n. 11. Ignorantes quærant consilia à doctis, Luc. c. 3. num. 28. Consiliarius malus venator diaboli. Mat. c. 14. num. 13.

Consiliarii, & Decuriones publici, & Principum viriliter se opponant vitiis, & vitiosis consiliis. Mat. c. 17. n. 135. Consilia Evangelica sunt propria Religiosorum. Mat. c. 19. num. 19. & deincepa.

Consolatio.

Consolationem divinam aut præcepit aut consequitur tribulatio à Deo immissa. Cor. n. 273. Consolatio vera à solo Christo est; vana à mundo. Cor. n. 272.

Constantia.

Constantia in Dei servitio, & perseverantia servanda. Thesal. n. 45. seq.

Contemplativa vita.

Contemplativa vita status, qualitates, felicitas, fructus expenduntur. Mat. cap. 17. n. 11. ad 14. 24. c. 16. n. 44. Cor. n. 241. Colos. num. 20. ad ipsum vocat Christus suos sequaces. Mat. c. 17. n. 2. seq. Apoc. num. 39. Contemplativi veri transeunt à tali statu ad activam, & laborem, & è converso secundùm exigentiam divini obsequii. Mat. c. 17. n. 14. Cor. n. 196. Apoc. n. 39.

Contentio.

Contentio inter servos Dei est de infimo loco. Luc. c. 14. n. 9. Cor. n. 232.

Contentiones etiam inter justos sine culpa accidunt. Act. n. 87. & 188.

Contentiones quàm solicitè vitandæ inter Christianos etiam sub specie scientiarum Tim. n. 42.

Contritio.

Contritio, baptismus est animæ. Joan. c. 9. n. 11. attrahit Christum ad animam. Mat. cap. 9. n. 64. & 166.

Conversatio.

Conversatio qualis debet esse inter servos Dei. Luc. c. 1. n. 199.

Conversio.

Conversio peccatorum opus est solius Dei. Mat. c. 4. num. 66. Conversionis peccatoris perfectæ conditiones quales, ejusque exemplar datur in conversione S. Matthæi. Mat. c. 9. num. 17. seq. 67. Joan. c. 9. n. 8. Luc. c. 5. n. 35. exigit solicitam obedientiam. Mat. c. 9. n. 19. 42. c. 4. num. 66. seq. ad 74. Thessal. n. 14. quàm solicitè procuranda à Prælatis, & Prædicatoribus. Mat. c. 14. n. 5. quàm meritoria talis procuratio. Jac. c. 5. numer. 10. qualis facilis, & qualis difficilis. Luc. cap. 8. numer. 13. Conversi ad Christum debent surgere, ambulare, & manducare. Luc. cap. 8. n. 25. Conversio habentis scelum indiscretum quàm difficilis. Act. n. 122.

Convivium.

Convivium à Matthæo Christo paratum exponitur ad litteram, & mysticè. Mat. cap. 9. num. 12. Convivium cœleste confertur solum transeuntibus mare. Mat. c. 14. num. 24. Convivium Christi saturitatem, & delicias, convivium mundi famem, & tormentum generat. Mat. c. 15. n. 58. c. 22. n. 5. ad 10. Convivia malorum incentivum omnium vitiorum sunt. Marc. c. 6. n. 19. 22.

Cophini.

Cophini fragmentorum duodecim quid significent. Mat. c. 14. n. 32.

Cor.

Cor nostrum exoptat Christus, ideò ipsi incessanter pulsat, ut ei aperiamus. Apocal. numer. 36. seq. Mat. c. 2. n. 28. c. 6. num. 100. c. 21. num. 40. Cordis munditia qualis beatitudo. Mat. c. 5. n. 40. ad 45. Cor quomodo fiat templum, cubiculum, & altare Dei. Mat. cap. 6. num. 12. seq. c. 9. n. 63. est lectus angustissimus non valens simul capere Deum, & diabolum Mat. cap. 6. numer. 95. & 99. Luc. c. 3. num. 13. c. 10. n. 30. Cor est officina vel omnium bonorum, vel malorum, vel Christi, vel diaboli. Mat. c. 12. n. 46. c. 15. num. 18. seq. cap. 13. num. 77. 64. & 66. c. 23. numer. 16.

Rom.

Digitized by Google

Rom.n.159.eſt ſedes vel Dei.vel diaboli.Mat. c.21. n.40.23. & 26. Cordis duplicitas quàm Deo exoſa. Mat.c.12. n.53. Luc.c.3.n.13.ejus abdita ſoli Deo nota Cor. n. 33. Cordis terra qualiter colenda. Luc.c.8.n.8. ejus tranquilitas grande bonum. Coloſ.n.17.eſt locus orationis, & aquarum cæleſtium. Ioan.c.4.n8

Corona.

Corona gloriæ margarita pretioſiſſima. Mat. c.13.n.73.alio cadente præparatur, & exhibetur à Deo altari. Apoc.n.19

Corpus.

Corpus ad quid datum, & unitum animæ. Cor. n.323.Corporis afflictiones quàm animæ proficux. Mat.c.4.n.2.ſeq. ipſius mortificationes qualiter arripiendæ. Rom. n.170. ad 173.101. 107. Corporis major cura utplurimum habetur, quàm animæ. Mat. c 8. n.;6. Corpus mortale, & glorioſum qualiter differant. Rom. num. 100. Corpus noſtrum membrum Chriſti, ideò cruce onerandum. Cor.n.110. Corporum reſurrectio expenditur multipliciter. Cor.n.247.ad 253. Corporalis exercitatio quomodo dicitur ad modicum utilis, pietas autem ad omnia; fusè explicatur. Tim. n.19.ad 31.

Correctio.

Correctio qualiter facienda à Prælatis, & à ſubditis recipienda. Luc.c.1. n.136.138. Ioan.c.7. n.8.Mat.c.18.n.21.ad 25.

Corrigens alios, priùs corrigat ſeipſum. Mat. c.7.n.9.

Crapula.

Crapula peſſimi effectus expenduntur. Luc.c.21. n.12.V.Gula.

Creatio.

Creatura omnes ducunt in notitiam Creatoris. Mat.c.2.n.18. Marc.c.10.n.27. Cor.n.219 confitentur omnes reverentiam debitam Chriſto. Luc.c.2.n.17. omnes obſequuntur Deo dempto homine. ibid. n. 11. Creaturis omnibus Chriſti nativitas materiam gaudii contulit. Mat.c.2.n.10. In Deo ſunt vita, & Lux. Joan. c.1.n.5.ſeq. Creatura de ſe ſubjecta vanitati. Rom.num.124.creaturæ,& mundus ſunt liber Deum ceptæſentans.Rom.n.17.ad 22.168

Credere.

Credere in Ieſum toto corde quid ſit. Act. num.114

Crudelitas.

Crudelitas filia avaritiæ.Mat.c.18 n.19

Crux.

Crux eſt domus,ſedes,& habitaculum Chriſti,in quo ſecretè invenitur.Mat.cap.2.num.24.Crux navis mercium Chriſti.Mat.c.8.n.62.Luc.c.5. num.13. Crucis Chriſti magnalia, & attributa expenduntur. Cor. num. 16. ad 19. Crux ſpiritualis Chriſti fuit miſericordia, & compaſſio.Mat.c.9.num.30. qualis, & qualiter à nobis portanda.Mat.c.10.num.64.ad 68.c.16. n.27.ad 29.cap.27.num.42.Marc.c.8. num.32. 57.cap.10.num.14.Luc.c.9.num.10.Act.n.101 Gal.num.95.ſeq.Crucem portantes cum Chriſto quàm ipſi chari. Mat.c.27. num. 41. Crucem alii portant pro Chriſto, alii pro diabolo, & mundo item alii crucifixi cum Chriſto, alii cum diabolo. Mat.c.27. num. 43. ſeq. 89. Luc.c.6.num.15; Gal. num.21. ſeq. crucifigere ſe debet homo cum Chriſto inter duos latrones. Mat.c.27.nu.66. & 68. Crucem alii tollunt, alii è cruce tolluntur.Marc.c.8.num.37. quis portat crucem in angaria. Marc. cap.15. num.6.Crux à Chriſto exaltata ſexaltavit ipſum. Ioan.c.3.n.10.ſeq. Crucis ſignum quàm efficax,& virtuoſum. Ioan. c.3. num. 10. ſeq. Apoc.num.60.ſeq. Crucifixio veteris hominis quàm Chriſtiano neceſſaria, & utilis. Rom. num.83. Gal. num. 70. Epheſ. num.36. Crux ſtella polaris dirigens ad portum Cœli. Phil. num.83. quali adoratione; & quomodo adoranda. Phil. num.84. Crucis Chriſti inimici quinam. Phil. num. 82. Cruciata ſpiritualis diſcipulis Chriſti proponitur.Mat.cap.10. num.67

Cultus.

Cultus Dei alius interior, alius exterior, & quid ſit. Ioan.cap.4.num.21. Luc. cap.2. num.118. Act.n.195. quàm neceſſarius, & utilis Chriſtianis, & Eccleſiæ. Ioan. cap.9.num.13.Cultum exteriorem magis quàm interiorem curantes quàm decepti. Mat.c.12. num.65. Act. num.195.Cultus Dei fuit conſummatio, & terminus operum Chriſti.Marc.c.13.n.16.ſeq. ſine cultu Dei Regna non poſſunt ſubſiſtere. Marc.c.13.n.4

Cupiditas.

Cupiditas terrenorum radix omnium malorum, Deóque ſummè exoſa. Mat.c.19. num.25. ſeq. c.20.n.37.Act.n.110.ſeq.Ioan.c.4.n.29

Cura.

Cura ſpiritualium ſuper temporalia à Chriſtiano habenda.Luc.c.12.n.7

Curati.

Curati animarum quales eſſe debeant, Luc.c.10. num.3.& 4

Curia.

Curia Chriſti, & mundi diſcrimen quale. Luc. c.12.n.3.Cor.n.62

Curioſitas.

Curioſitas vana peſtis animæ.Act.n.194.Ioan.c.4. n.29.Theſſal.n.16. in veſtibus quàm indigna ſervis Dei.& omnibus Chriſtianis.Mat.cap.6. n.105.Curioſitas circa prædeſtinationem, & futuros eventus quàm noxia.Act.n.7. Theſſal. num.24

Currere.

Currere cum Chriſto ad percipiendum bravium quàm neceſſarium.Cor.n.144 Gal.n.72. Hebr. c.12.ſeq.

Index Generalis.

D

Damnati.

Dam naturam infelicitates, & pœnæ expenduntur. Mat.c.13. n.57. eorum confusio, & pœna in judicio qualis. Mat.c.24.n.31. Ab hyeme ad hyemem transeunt. Mat.c.24.n.34. In eo membro, quo plus peccarunt, magis puniuntur. Luc. c. 16. n.42. Damnati secum portant ad Infernum suas pessimas inclinationes, & omnia vitia exercita in hac vita, quibus torquentur intensissime. Luc. c.16.n.43. 55. eis omnia cooperantur in pœnam. Luc. c.16.n.51. toti absorbentur in pœnis. n.47. elevant oculos ad Cœlum ad majorem pœnam, quos hic defixos in terra habebant. ibid.n.46. clamant perpetuo, & flent desperati in inferno, quia non clamaverunt hic ad Deum. Luc.c.16.n.48. nullam stillam refrigerii habent, quia ad fontem misericordiæ hic non confugerunt. Luc.c.16.n.49

Debitum.

Debitum summum cum Deo est peccatum. Mat. c.6.n.63.c.18.n.34. Luc.c.7.n.49. solvitur per pœnitentiam. Mat. c.18.n.40. Debitorum dimissio in oratione quid. Mat.c.6.n.62

Debitum.

Debitum gratitudinis cum Deo quale. Luc. num.10.

Decuria.

Decurionum, & Senatorum obligatio expenditur. Mat.c.27.n.135.

Delectari.

Delectari in hac, & alia vita est impossi . Mat.c.17.n.24.seq.

Denarius.

Denarius promissus à Christo laborantibus in sua vinea est merces vitæ æternæ. Mat.c.20. n.9. Denarius inculptus imagine Sanctissimæ Trinitatis, in morte examinandus, est anima nostra. Mat.c.22.n.3.ad 37.

Desertum.

Deserti habitatio, & solitudo grandia bona animæ affert, & probatur exemplo Christi, qui summè dilexit ipsum. Mat.c.4.n.7. Marc. c.1.n.11. ad 13. Desertum mysticè dicitur ex multiplici ratione mundus; Ecclesia; anima, Cœlum. Mat.c.15.n.45.

Desolatio.

Desolatio abominationis expenditur ad litteram, & mysticè. Mat.c.24.n.12.

Desperatio.

Desperatio quàm grave peccatum. Mat. c. 27. num.5.

Detractor.

Detractoris lingua serpentis vulnerans. Mat.c.23. n.23.c.9.n.24. Detractor in corde, & linguâ portat diabolum. Mat. c. 10. n.4. Detractoris proprium omnia, etiam sancta in malum convertere. Mat. c.9. n.33. Detractionis, & detractoris malignitas expenditur. Mat. c.12. n.28.c.13.n.35.79. Marc.c.7.n.7. Luc.c.4.n.10. seq Ioan.c.5.n.11. Detractio venenum est inficiens totum hominem, scilicet ipsum detractorem, & alios. Mat.c.15. n.16. seq. Detractores sunt ranæ, & spiritus diaboli. Apoc. num.104.

Devotio.

Devotionis oleum. V. *oleum*

Deus.

Dei nominis sanctificatio in oratione dominicâ explicatur. Mat c.6. n.46. ad 49. Deus quomodo dicitur Pater noster, & nos filii, etiam in peccato. Mat.c.6. n.41. seq. Marc.c.2.n.16. cur dicitur Deus patientiæ. Rom.n.209. Deus pacis. Cor.n.126.

Dei esse expenditur multipliciter. Est lux; & vita. Ioan.c.2. n.5.ad 7.c.16. n.16. Act.n.199. est omnia in omnibus Beatis. Cor.n.240. Est causa universalis, & immediata omnium rerum. Act.n.198. seq. In eo nulla causa creata est Prædestinationis. Rom. n.143. de Deo sentiendum verissimè, piissimè, & altissimè. Rom. n.140. Ejus judicia incomprehensibilia. Rom.n.166. Cor. n.7. Ejus sola gloria, & voluntas objectum servorum suorum. Mat. c.19 n.28. Luc.c.1.n.19.c 9. n.26.c.15.n.6. In Cœlo est speculum creaturarum, in mundo creaturæ sunt speculum Dei unius, & Trini. Rom. n.20. Solus ipse immutabilis, cætera mutabilia. Ioan c.8.n.32.

Dei sapientia infinita manifestatur in eruendo bonum ex malo. Luc. c.15. n.13 Act. n.107. Quomodo dicet in judicio non novi vos. Luc.c.13.n.27. eam solùm communicat parvulis. Mat.c.11.n.38.

Dei potentia manifestatur per hoc, quòd ejus dicere, est facere. Marc.c.1. n.34. Mat.c.11. n.11. maximè patefit in Maria, & per Mariam. Luc.c.1.n.173.seq.

Dei bonitas, & misericordia in bonos, & malos expenditur. Mat.c.5. n.106. seq. Luc. c.8. n.15. Ipse solus verè bonus. Mat.c.19. n.14. quanta in traditione filii. Ioan. c.3. n.11.seq. Succurrit cum humana auxilia deficiunt. Mat. c.15.n.41. Marc. c.5. n.14. ejus misericordia in expectando ad pœnitentiam maximè manifestatur. Mat.c.18. n.36.40. c.21.n.67. Rom. n.3. Luc.c.13. n.11. c 15.n.33. Dei odium ad peccatum quale. Mat.c.25.n.86. Ioan.c.2.n.3. seq. Rom.n.161. Iac.c.1.n 9.seq.1. Petr.c.2.n.2. seq. Dei amor expenditur in traditione filii. Ioan.c.3.n.11.seq. sola clementia salvat peccatorem. Ioan.c 5.n.13 Regeneratio facta per Christum in nobis expenditur. 1. Petr.c.1.n.4. seq. ejus misericordia est porta salutis, ideò ad ipsam pulset homo. Act. n.60. ejus proprium quomodo dicitur misereri, non verò punire. Rom.n.37.seq. Cor.n.270.seq. Ephes. n.2. Iac.c.2. n.5.1. Petr. c.1.n.3. omnibus eam offert. Rom. n.15. & 162. qualis misericordia

Digitized by Google

dis in juſtificatione noſtra. Rom. n.53. in ea exigit cooperationem noſtram. Rom. n.144. Philip.num.56. Joan.c.6.num.25 ad 27. quam dives in miſericordia. Epheſ.n.17. manifeſtata eſt ejus charitas per crucem. Epheſ.n.53.1. Ioa. cap.4.num.6. ſemper in hac vita aperiæ ſunt fores miſericordiæ, quæ in alia claudentur Luc.c.11. num.18.c.13. num.21. ejus miſericordia convertitur à malitia in theſaurum iræ. Rom.num.31. ad 34. Mat. cap.11. num. 36. ejus filiatio adoptiva quale bonum. Mat.c.5. num.42

Dei providentia in omnes, ſed præcipuè in pauperes expenditur. Mat.c.5.num.12. c.21. n.39. c.15. num.37. Luc.c.1.num.180.c.11. nu.8.14. 18.& 22. confert ſua auxilia omnibus neceſſaria ad ſalutem. Mat.c.11.num.37.c.20. n.36. 10. ſeq. undè in ſolo Deo tota noſtra fiducia collocanda. Mat.c.6.num.108.ſeq.c.7. num.52. c.10.num.55. Luc. c.11. num.75.& 21. c. 21. num 7.c.22. n.8. non eſt acceptator perſonarum. Mat.c.20.num.24.ſeq. Act.num.144. 182. fideliſſimus eſt in ſuis promiſſis. Luc. cap.1. num.181. vult omnes ſalvos fieri quantum eſt ex ſe. Mat.c.23.num.25. ejus protectio in nos. Marc.c.5.num.14. nos non deſerit, niſi priùs nos ipſum deſeramus. Marc.c.5.num.19. Cor. num.10. ejus providentia quanta in miſcendo pauperes cum divitibus. Marc.c.14.num.7. vocat omnes ad cœnam Cœli & ad ſalutem ardentiſſimo deſiderio. Luc. c.14. num. 24. ſeq. Joan.cap.3.num.13.c.6. num.28. Non tractat nos ſecundùm juſtitiam commutativam, ſed diſtributivam. Ioan c.3.num.13. Cor num.44. non deſerit nos in tentationibus. Cor. n.158. Apoc.num.18. ſolus ipſe poteſt replere capacitatem animæ. Rom.n.125. Epheſ. nu.38. Dei panis, & diaboli diſcrimen. Mat.c. 6.num.61. à Deo panem petere debemus de die; non de nocte. ibid.n.60

Dei cultus, & adoratio ſuadetur multipliciter, & quid ſit. Ioan.c.4.num.19.12.33.c.9.n.13. Luc. c.12. n.118. exigit concurſum hominis exteriorem, ſed magis interiorem. Luc.c.4.num.33. Act. num.195. oblationes noſtræ quales circumſtantias exigant apud Deum. Mat. cap.4. num.45.c.5.n.81. ſeq.cap.8.n.8. ejus cultus, & ſervitium quam dulce, & facile. Mat.c.11.n.41. ad 45. Deum laudant alii ore tantum, alii ore, & corde. Mat.c.15.n.7. Luc. cap.4. n.33. Deo reddendum eſt tributum, & Cæſari, & quomodo. Mat.c.22.n.39.ſeq. c.25. num.35. dominio in Dei cultu, & ſervitio quale malum. Mat. c.25.num.10.ſeq. Dei cultus, & ſervitium habet ſuos gradus. Marc.c.4.n.5. In Dei cultu; & ſervitio à Deo ad Deum incedendum. Luc.c.1. num.119. Dei cultus præferendus pietati parentum. Luc.c.2. num.139. Dei laus propria, perpetuaque Angelorum Apoc. num. 46. In Dei ſervitio tepor, & negligentia quàm perniciosa. Apoc.n.30. ſimul Deo, & mundo ſervire impoſſibile. Mat.c.6.n.95.ſeq.

Deus nobis aperit ſuos theſauros, ut noſtros ei aperiamus. Mat.c.2. num.27. libenter moratur in corde manſuetorum Mat.c.5.num.10. Deus immittit ſæpè flagella generalia in juſtos, & impios ad utrorumque profectum. Mat.cap.5. num.10. Dei regnum, quod petimus in oratione, quid. Mat. cap. 6. num. 50. ſeq. Rom. num.103

Dei voluntas qualiter fiet; ubi de conformitate ad divinam voluntatem Mat.c.6.num.51. ſeq. c.12.num.77. Theſſal. num.12. Deus in dimittendo nobis debita aſpicit ad noſtram remiſſionem injuriarum. Mat. c.6. num.64.ad 68. Dei munificentia in præmiando bona opera expenditur. Mat.c.7.num.4.ad.6.cap.15.nu.51. Dei electio ad gratiam, & gloriam expenditur multipliciter. Act.n.22.& deinceps.

Deus expetit nobis dare ſua dona; ſed vult à nobis priùs rogari. Mat.c.7.num.13.ad 15. Ioa. c.16. nu.14. plus confert quàm petatur. Luc. c.15.num.32. Epheſ. n.19. Dei ſervi ſolùm in bonis, externis poſſunt à potentibus pati. Mat. c.10.num.54. cur varia dona miraculoſa variis dedit. Cor.num.210. eorum felicitas expenditur. Marc.c.5.n.12. ſpectaculum ſunt Angelis, & hominibus. Cor.n.73

Deus ſuos ſervos quo ſanctiores ſunt: eo magis tribulat ad ipſorum profectum. Mat. c.11. n.6. Cor.num.72.74. eos corrigit, non occidit. Cor. num.339. iram ſuam oſtendit, ut confugiamus ad tribunal miſericordiæ. Mat.c.18. n.35. Marc.c.9. num.14. Dei donis cooperantibus dantur nova, negligentibus auferuntur omnia. Mat.c.13.num.23. Dei dona, & correctiones aliis ſunt in ſalutem, aliis in perditionem. Mat. c.13.num.24.c.22. num.18. ab ipſo ſolo conſolatio. Cor. n.272. Deus hominem facit bonum, diabolus malum. Mat.c.13. num. 28. 33. cur permittit inter bonos, malos. Mat. c.13. num.37. Dei præſentia qualiter exercenda, & quale, & quantum bonum. Mat.c.17. num.14. c.18.n.13.47. Luc.c.1.num.194. Cor. nu.312. ſeq. talis exercitii omiſſio quàm noxia. Mat. c.18.n.47.c.21.n.68. Dei ſervi in tribulationibus, & martyriis exterius pariebantur; intus dulcedine Parad. ſi fruebantur. Cor. num.352. ad 354. Dei locus eſt charitas proximi. 1. Ioan. c.5.num.7. ſeq. Deus pugnat cum peccatore telis tribulationum. Mat.c.18.n.46. Dei flagella quàm levia, & proficua. Cor.num.359. ſeq. De amoris præceptum novum, & vetus. 1. Ioan. c.2. num.5. ejus amor diſſipat omnes difficultates in ſuo ſervitio Mat.c.20. nu. 46. qualiter exercendus. ibid. c.22. num.53. præferendus eſt amori parentum. Luc.c.14.num.26. amor proximi eſt tributum Deo debitum pro ejus amore in nos. 1. Ioan.c.4.num.7. ad 11. c.5. num.1. ejus lex indelebiliter ſcripta in corde hominis. Mat. cap.24. num. 36. Ad ejus gloriam omnia referre quale bonum. Cor. num.165. ad 168

Deus non attendit ad futura demerita in conferendo dona ſua, ſed ad præſentia merita. Marc. c.3. num. 14. Dei cognitio ſalutaris debet eſſe practica 1. Ioan.c.2. n.4. Deum habens nulla re indiget, quia habet omnia. Luc.c.1.num.111. Deum amans non poteſt non laudare Mariam. Luc.c.1.num.139. Deum derelinquere, vel ab eo derelinqui ſumma miſeria. Luc.c.15. nu.16. ſeq. ſine Deo omnis locus plenus penuria. Luc. c.15.n.16.ſeq. ejus viæ contrariæ viis mundi. Luc. c.16. num. 20. Deus quales peccatores exaudit Ioan. c. 9 num. 14. Dei adventus in animam effectus. Ioan. c.14. num.8. ſeq. Deus agricola

agricola principalis vinea alios agricolas deſtinat. Ioan. c. 15. num. 3. quomodo poſſit à nobis videri in hac vita. Ioan. c. 16. nu. 10. ſeq. Act. num. 124. ſeq. Cor. nu. 321. Dei adjutores ſunt Curati animarum. Cor. n. 45. Dei imitatio qualiter à nobis practicanda. Epheſ. num. 50. Deus quærit ſalutem noſtram, nos damnationem. Tim. n. 11. Deo qualis eris tibi erit Deus. Tim. n. 42. Hebr. c. 6. n. 5. Apoc. n. 28.

Dextera.

Dextera hujus vitæ convertitur in alia in ſiniſtram. Luc. c. 14. n. 15

Diabolus.

Diabolus aut dicitur Beelzebub. Luc. c. 11. n. 19. fur, & latro crudeliſſimus. Ioan. c. 10. num. 12. ejus caſus cauſa qualis. Apoc. n. 43. & 96. diabolus ſerpens gignit ſerpentes peccatores. Mat. c. 3. n. 19. Joan. c. 8. n. 25. diabolus ſuam malitiam, & machinamenta maximè exercet in pueros, & juvenes. Mat. c. 2. n. 48. item & virôs magis ſpirituales, & Religioſos. Mat. cap. 4. n. 15. 31. c. 12. n. 61. gravius pulſat converſos & proximè convertendos. Marc. c. 9. n. 15. Luc. c. 9. n. 20. in tentando à minimis incipit pergens ad maxima ſcelera. Mat. c. 4. nu. 19. c. 26. n. 21. ejus proprium eſt vertere lapides in panes, Chriſti autem panem in lapides. Mat. c. 4. num. 21

Diaboli panes duriſſimi, & amariſſimi, Chriſti candidiſſimi, & dulciſſimi. Mat. c. 4. n. 23. c. 6. n. 61. cap. 15. num 47. inaltum ducit ſuos, ut miſerius eos præcipitet. Mat. c. 4. n. 29. 34. 38. diaboli plurimi imitatores aſſumentes Chriſtum ad præcipitium. Mat. c. 4. num. 30 Ad ejus ſuaſionem nihil unquàm faciendum, etiamſi videatur optimum. Mat. c. 4. n. 26. ejus logica, doctrina vitanda, item & collocutio. Mat. c. 27. n. 74. Marc. c. 1. n. 20. Luc. cap. 4. num. 28. Act. n. 190. Cor. num. 343. diabolus inermis, nihilque valens contrà nos ſine noſtris armis. Mat. c. 4. num. 33. c. 8. n. 78. c. 12. num. 38. ſeq. Marc. c. 3. num. 18. c. 5. n. 17. Luc. c. 11. num. 33. Ioan. c. 12. n. 7. c. 13. n. 3. Rom. n. 86. Cor. n. 159. ubique nos tentat, nec ullus locus ſecurus. Mat. c. 4. n. 34. diabolus utitur Sacra ſcriptura, ſed obtruncata ad nos decipiendum ad modum Hæreticorum. ibid. n. 35. ſemper ad nos clamat; mitte deorſum. Mat. c. 4. n 34. diaboli tentationes præcipuè ſiunt in deſerto, in templo, & in monte. ibid. n. 38. Apoc. n. 98. magna promittit, ſed nihil exequitur. ibid. n. 39

Diabolum adorat, qui facit ejus voluntatem. ibid. n. 4. Luc. c 4. num. 9. diabolus aliquando ceſſat à tentatione, ut ex improviſo crudelius inſurgat. ibid. num. 47. diaboli piſcatores ſcandaloſi. Mat. c. 4. num. 63. diabolo ſuperato adveniunt Angeli adjutores. ibid. n. 48. cum diabolo qualis pax à nobis ſervanda. Mat. c. 4. num. 85. diabolo fit renuntiatio omnium vanitatum in baptiſmo. Mat. cap. 5. num. 86. diaboli præcipua mercatura eſt luxuria, diſcordia, mendacium, & homicidium. Mat. c. 5. num. 91. cap. 12. n. 21. c. 13. n. 32. 36. cap. 16. n. 57. c. 23. n. 26. Ioan. c. 8. n. 26. Marc. c. 5. n. 16. Luc. c. 8. n. 16. c. 14. n. 15

Diaboli filiæ traduntur ab ipſo in uxores peccatoribus, & quali dote. Mat. c. 5. n. 91. c. 12. n. 70. diaboli regnum eſt peccatum, & peccator. Mat. c. 6. n. 51. ejus dominium tyrannicum. ibid. c. 21. n. 9. Ioan. c. 16. n. 6. Act. n. 210. Epheſ. n. 15. ejus locus eſt aër caliginoſus, & cur ei aſſignatus uſque ad diem judicii. Marc. c. 5. n. 5. Luc. c. 11. n. 38. Epheſ. n. 15. diaboli paſtus eſt jejunium ob vanam gloriam. Mat. c. 6. n. 77. diaboli crudelitas in ſibi ſervientes, & in omnes homines qualis. Mat. c. 6. n. 42. c. 8. n. 68. c. 8. n. 73. c. 12. n. 21. c. 15. n. 25. c. 17. n. 40. Marc. c. 1. n. 21. c. 5. n. 3. c. 6. n. 4. c. 9. n. 13. Act. n. 210. ejus tormentum eſt non poſſe pro libito torquere hominem; item præſentia Chriſti. Mat. c. 8. n. 67. 74. Marc. c. 5. n. 8. ſeq. totus ad perditionem hominum. Marc. c. 5. n. 6. ſpoliatus poteſtate à Chriſto. Marc. c. 3. n. 18. nihil poteſt in creaturas, niſi permiſſus à Deo. Marc. c. 5. n. 17. Luc. c. 4. n. 8. ſeq. Rom. n. 86. Cor. n. 150. Apoc. n. 94. 97. Dæmonis porci ſunt uxorati ab ipſo poſſeſſi. Mat. c. 8. n. 71. 80. Ioan. c. 14. n. 16. diabolus poſſidet exiſtentem in peccato mortali tamquam propriam domum, & caſtrum. Mat. c. 8. n. 69. ſeq. c. 12. n. 22. 62. ſeq. 69. c. 17. n. 41. Marc c 5. n. 12. Luc. c. 8. n. 15. c. 11. n. 32. 39. ſeq. Ioan. c. 14. n. 16. Epheſ. n. 13.

Diaboli oratio qualis. Mat. c. 8. n. 74 diaboli obſeſſio qualiter fiat in homine. Mat. c. 8. n. 79. c. 15. n. 45. c. 26. n. 10. 22. cauſat infirmitates apparentes naturales. Mat. c. 17. n. 40. cur tam facilè poteſt necare, & poſſidere uxoratos, eorumque filios. Mat. c. 8. n. 80. diabolus nobis inclamat cras, cras; Chriſtus hodiè. Mat. c. 9. n. 15. diabolus medicaſtet aggravans, non curans infirmitates. Mat. c. 9. n. 26. diabolus ubi intrat portat cæcitatem, & omnia mala, & reddit mutum. ibid. n. 66. 74. ſeq. c. 12. n. 24. Luc. c. 11. n. 28. diaboli ſervitii, & Dei contrarietas qualis. Mat. c. 11. n 41. 47. c. 21. n. 9. Cor. n. 343. ejus muſica qualis. ibid. n. 50. ejus pax qualis. ibid. c. 12. n. 56. diabolus pejor Dæmone eſt peccatum. Mat. c. 12. n. 19. multipliciter ejici poteſt ibid. n. 20. 24. 33. ad 35. 39. & 43. traditur inſtructio Exorciſtis. Luc. c. 4. n. 28. ad. 50. Diaboli proprium eſt diſcordiam ſeminare. Mat. c. 12. n. 21. c. 13. n. 32. 36. c. 16. n. 17. c. 23. n. 26. cur dicitur immundus ſpiritus ibid. c. 12. n. 60. ejus vinea qualis. ibid. c. 20. n. 8. Dæmones diverſi ſuper diverſa vitia peculiariter applicati. Mat. c. 17. n. 47

Diaboli, & Chriſti dominii diſcrimen in homines. Mat. c. 21. n. 9. ſeq. perdit vires in templo cum bonis, cum malis auget. ibid. c. 21. n. 28. Dæmones accurrunt ad cadaver, & exequias peccatoris. Mat. c. 24. n. 26. Luc. c. 16. n. 13. diabolus ſub ſpecie pietatis decipit incautos. Mat. c. 26. n. 144. Cor. n. 588. diaboli logica, & doctrina qualis. Mat. c. 27. n. 74. Ioan. c. 8. n. 26. ejus retia qualia. Marc. c. 1. n. 17. diaboli martyres quinam. Mat. c. 27. n. 89. ſolvit ſibi ſervientes, ut eos magis liget. Marc. c. 5. num. 7. Luc. c. 11. n. 34. Dæmonum pœna in præſenti ante diem judicii qualis. Marc. c. 5. n. 10. contremiſcunt ad memoriam inferni. ibid. n. 11. pavet imaginem Chriſti relucentem in Chriſtiano

Christiano. marc. c.5. num.15. nihil potest in creaturas, nisi à Deo permissus. marc. c.5.n.17. Luc.c. 8. n.17. diaboli proprium est claudere hominis aures. Christi aperire. Marc. cap.7. num.14.

Diabolus è Cœlo ejectus virtute nominis Iesu. Luc.c.11.n.14. devictus à Christo, & redditus inferior viribus homine. Luc. c.11. n.33. vincitur, & ejicitur pœnitentia, & renuntiatione omnium rerum & humilitate. Luc. c. 11. n.37.c.14.n.33. Iac. c.4. num. 5. & sobrietate. 1. Petr.c.5.n.6.ad 8.& 11.seq. inter ipsum, & hominem est bellum perpetuum. Luc.cap. 14.num.32. An semper peccet. Cor. n.343. totus ejus conatus est in Prælatos. Act.n.157. totus occupatus in formando circulos. 1. Petr. c.5.n.9. diaboli nomen non frequenter usurpandum etiam ad invectionem; vel in communi locutione maximè à Religiosis, & superioribus. Cor. n. 164. potestatem plenam reassumet tempore Antichristi. Apoc. n. 94. & 97. Unde Lucifer nunc in inferno ligatus, tunc solvetur. Apoc. num. 118. ad 120. Contra diabolum efficacia quanta sit in versiculo, Benedictio, & claritas, &c. Apoc. n.65.

Dici de omni, & dici de nullo sunt principia philosophiæ fundata in duobus principiis dilectionis proximi. Mat. cap.7. numer. 21.

Dies.

De *die* ad Deum recurrendum pro pane, non de nocte. Mat.cap. 6. numer. 60. Diei malitia sibi sufficiens quid. Mat. capit. 6. numer. 116

Diæta.

Diætam à vino Christus medicus suis ordinat. Ephes.n.78.

Diffidentia.

Diffidentia in Deum grande malum. Mat. c. 14 n.15.c.6.n.101.seq. 118.seq.

Diffidentia inter Prælatos, & subditos quàm noxia. Cor.n.351.

In dignitatibus Ecclesiasticis ordo servandus. Luc.c.14.n.7.& 8.

Dilectio.

Dilectionis proximi præceptum, & ejus gradus expenduntur. Mat.c.5. n. 101. seq. c.7. numer. 11. sequent. Dilectio amicorum, & inimicorum qualiter exercenda. Mat. cap.5. n.101. & 111.

Dilectio vera, & ficta qualis. Rom. num. 179. & 181.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & quomodo. Rom.n.130.

Discalceatus.

Discalceati erat Christus, & Apostolis incedebant, & S. Franciscus Luc.c.7.n.46. c.10.n.7.

Discipulatus.

Discipulatus Christi quid sit, & quid exigat. Mat. c.10.n.47.64. ad 67.c.16.n.34.c.17.n.177. Luc. c.6.n.4. Act.n.92. Gal.n.88. ad 91. Discipuli veri Christi sine timore, & respectu veritatem prædicant. Mat. c. 27. n.134. Discipulorum fuga tempore Passionis expenditur. Mat. c.26.n.160. Disciplinæ Christianæ regulæ, & mores expenduntur. Hebr. c.12. n.8. seq. Iac. c.3.n.3.ad 5.

Discensio.

Discensio aliquando oritur inter justos, & bonos sine culpa. Act.n.87. 188. Discordiæ, & concordiæ effectus expenduntur. Mat. cap. 12. n.30. seq.c.22.n 46. c.17. n.69. Luc.c.11.n.18. Joan.c.20. n.2. Discordiæ radix, & seminator est diabolus. Mat.c.13. num. 32. 36. Discordia pessimum vitium punitur severissimè in inferno: Mat. cap.5. num. 88. Discordes sunt extrà Ecclesiam, estque discordia hæresis contra charitatem: Cor.n.12. sequent.183. & 226.

Dives.

Dives in Deum, & dives in diabolum quis. Mat. c.6.num.87. Luc.c.12. n.18.c.16. n.53. à Deo dantur, ut ordinentur ad Cœlum acquirendum, & ad bonum proximi. Marc. c.8.n.26. c.12. n.2. Divitiæ aspernendæ; & cur. Mat. c.6. n.98. alii possident divitias, alii à divitiis possidentur. marc.c.10.n.16. Luc cap.16. n. 16. 14. Dives divitiis renuntians sit verè dives. mat.cap. 6.n.89. Cor. num.4. sequent. 341. Divites instruuntur in elargitione eleemosynarum. Luc. cap.16. n.15. Divitias habere absque cupiditate difficillimum. Marc. cap.10.numer.17. non ipsæ divitiæ, sed ipsarum malus usus damnatur. Luc.c.16. numer. 50. Divitum pericula qualia. Luc. cap.6. n.16.cap.12.num.9.12.seq. Divites boni à pauperibus recipiuntur in Cœlo. Luc. c. 16. numer.16. Divitum crudelium in pauperes sors miseranda in morte, aliâque vita expenditur. Luc.cap.16. num. 40. & deinceps. & 54. Divitiæ temporales quàm vanæ, & falsæ. Cor. num.6. Iac. c.5. num. 1. sunt spinæ acutæ. Mat. cap.13. num. 10. Dives pauper miserabilis est, pauper dives quis. Apoc. numer.31.seq. Cor. n.341. Divitis domus sit receptaculum Christi. Luc. capit. 19. numer.7. ad 13.

Divortium.

Divortium inter conjuges quando licitum. Mat. c.5.n.95.c.19.n.5.

Doctor.

Doctores Ecclesiæ sint sal, & lux orbis. mat. c.5. num.61. seq. Doctrina Christiana regnum est Dei. Matc.c.1.n.15. Thesaurus inæstimabilis. Cor. numer.7. ipsam docebant Apostoli in domibus privatis, & locis publicis. Act n.86. hoc exercitium quàm Deo charum. Gal. numer.80.

Doctrina.

Doctrina perversorum pernicie sior quàm

Digitized by Google

perſecutiones Tyrannorum. Marc.cap.9 n.10. Docens alios priùs ſe doceat. Rom. numer. 47.

Dominica.

Dominica dies ex Sabbato expenditur. Mat.c.27. n.145.ſeq.

S.Dominicus.

S.Dominicus, & S. P. Franciſcus ante judicium tempore Antichriſti prædicabunt fidem. Mat. c.25.n.37.

Dominium.

Dominium rationis in anima qualiter exercendum. Mat.c.8.n.26.

Dominis duobus Chriſto, mundo, & diabolo ſimul ſervire impoſſibile. Mat. c.6. n.95. ſeq. Dominus abſolutus rerum non eſt homo, ſed villicus Dei. Marc. cap. 5. num.18. Dominorum obligatio ad ſervos expenditur. Epheſ. num.90.

Domus.

Domus orationis eſt Eccleſia. Mat.c.21.n.39. Domus Dei cor noſtrum. ibid.n.40. Domus divitum qualiter ſit receptaculum Chriſti. Luc. c.19.n.7.ad 13.

Dormire.

Dormire, & dormitare in Dei ſervitio quàm exitiale. Mat.c.25.n.9. c.26. nu.124. Dormitio diſcipulorum in horto ad litteram, & myſticè expenditur. Mat.c.26.n.122. Dormitio noſtræ fidei quàm periculoſa. Marc.c.4. n.14. item in Prælatis Eccleſiaſticis. ibid. n.15. Dormitio in peccatis quàm perniciosa. Theſſal.num. 28. ſeq. Mat.c.13.n.58.

Duplicitas.

Duplicitas cordis quàm Deo exoſa. Luc. cap.3. n.23.

E

Ebrietas.

Ebrietas ſpiritualis inſaniam ſanctam inducit. Act.n.84

Eccleſia.

Eccleſia eſt una, & multiplex, congregatio in unum omnium fidelium. Mat. cap.13. num. 2. Cor.n.209. Apoc.num.10. Diviſa ab Apoſtolis in Epiſcopatus, & Parochias varias, undè habet plures manſiones. Act. n.180. Joan. c.14. n.22. Eccleſia fundata ex nihilo ſuper ſe, & ſuum ſanguinem, & fidem per Apoſtolos prædicatam. Cor. nu.21.47. ſeq. Inchoata eſt in Cœlo, & conſummata in terra. Epheſ. n.6. fundata item in vilibus piſcatoribus, & Apoſtolis. Mat.c.4. nu.67. Luc.c.5. n.25. ejus natale eſt dies Pentecoſtes. Act. n.30. Domus eſt panis ipſum exhibens in præſepio Altaris. Mat.c.2.n.3. Navis eſt expoſita pro piſcatoribus, bellatoribus, mercatoribus, & viatoribus. Mat.c.8.n.56. Luc.c.5.n.12. & 16. In hac navi Chriſtus congregat in unum omnes nationes, & docet Evangelium. Mat.c.13.n.2. quaſſatur fluctibus, ſed Chriſto præſente ſecura. Mat.c.14.n.40.

Eccleſia eſt ager, in quo Chriſtus ſeminavit bonum ſemen. Mat.c.13.n.27.c.27. n.7. Sagena eſt, in qua boni, & mali piſces congregantur. Mat.c.13.n.75. c.22.n.12. c.25. numer.3. Marc. c.3. num.13. Hortus eſt conſitus plantis plantatis aliis à Chriſto, aliis à diabolo. Mat. c.15. n.10. Veſtis alba eſt Chriſti. Mat. c.17.n.15.ſeq. Vinea eſt Chriſti. Mat. c.20.n. 2.ad 8.c.21. n.6. ad 65. Paradiſus eſt Chriſti, & juſtorum. Mat.c. 21. n. 30. & 33. ſeq. Domus eſt Dei, & Clericorum, & orationis. Mat.c.21.n.32.35. 39. Marc.c.11.num.20. Luc. c.18.n.10.c.19. n.10. ſeq. Tim. n.24. Regnum Cœlorum eſt, & cur. Mat.c.25. n.2. habet diverſas manſiones. Joan. c.14. num.3. ſignum magnum in Cœlo viſum à Joanne. Apoc. n. 82. ſeq. eſt ſancta civitas ob Chriſti præſentiam, & aſſiſtentiam. Mat. c.4. nu 31. Eccleſiæ Hierarchia exigit ordinem. Mat.c.14.n.34.36. Luc.c.14.n.8. Coloſ.n.14. in ea majores minoribus miniſtrant. Mat.c.14. n.44. Cor.n.62. Varia miniſteria à ſpiritu ſancto ordinata in Eccleſia. Cor. num.206. qualiter exercenda. Rom.n.215.

Eccleſiæ cultus, & reverentia Deo in ipſa debita multipliciter expenditur. Mat. c.17 nu. 36. Luc.c.24.n.2.Joan.cap.2. num. 26. Cor. numer. 346. ſolùm ad cultum Dei, & ad orationem deſtinata. Mat.c.21.n.35. Tim.num.15. In ea Angeli aſſiſtunt orantibus. Apoc. n.70. ſeq. Eccleſiæ pſalmodia quàm Deo grata. Apoc. n. 68. aliorum rituum, & cæremoniarum ordo, & myſteria expenduntur. Cor.num. 215. 225. Eccleſiarum prophanatio, & Eccleſiaſticorum ſcandala ruina ſunt Eccleſiæ, & locorum. Mat.c.21.n.26. & deinceps, quàm ſeverè à Deo puniantur. Mat.ibid. Marc. c.11.n. 19. quomodo fiat ſpelunca latronum. Mat.c. 21.n.36.38. Cor. n.345. Eccleſiæ deſponſatio cum Chriſto qualis Mat.c.19.n.7.c.2.num.41. c.6.n.111.c.21.n.2.ad 4. Joan.c.2. n.7. 8. c.3. n.19. Cor.n.383.ſeq.

Eccleſiam ſuam ſponſam nunquàm Deus deſervit. Apoc. nu. 98. In Eccleſia Deus collocavit plures ſeminantes & plura ſemina. Luc. cap.8.num.10. Eccleſia ex inſtitutione Chriſti inſtituit quadrageſimale jejunium ante Paſcha, & cur. Mat. c.4. n.1. Cur in quatuor temporibus fiunt ordinationes. Mat.c.15.n.12. Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum redditus temporales admittuntur, & cur. Mat.c.4.n.73. Cur in Eccleſiæ proceſſionibus ultimo loco incedunt Prælati. Mat.c.14.n.14. Eccleſiæ tribulationes tempore Antichriſti quales. Mat. c.24. n. 21. Eccleſiæ miniſtri imperfecti tolerandi ob profectum animarum. Marc. c.9. nu. 20. In Eccleſia cur exhibetur Miſſale apertum ſacerdoti in Miſſa; ubi etiam de cantu Evangelii. Luc.c.4. n.13. 18. Eccleſiarum dedicationis myſteria expenduntur. Luc. ca.19. n. 15. Eccleſiæ filii ſunt confratres omnes. Joan c.8.n.12. Eccleſiarum frequentatio ſuadetur. Act.n.59.

Index Generalis.

Eccleſiaſtici.

Eccleſiaſtici miniſtri quales eſſe debeant. Cor. n. 62. ad 65. 332. ſeq. Ex quorum ſancta vita pendet felicitas Eccleſiæ. Cor. n. 289. Tim. numer. 12. Eccleſiam Chriſtus commiſit Præſatis, ut ſibi filios generent. Cor. n. 77. Eccleſia habet poteſtatem excommunicandi. Cor. numer. 81. Ab Eccleſia longe ſint colloquia, & conventiones. Cor. num. 182. ſeq. recipit tantùm concordes. Cor. n. 12. ad 14. Eccleſiæ victoria de omnibus Tyrannis expenditur. Apoc. n. 56. ſeq. Eccleſiaſticorum avaritia ruinam Eccleſiæ parit. Mat. c. 8 n. 57. Eccleſiaſticæ immunitas à jure divino provenit. Cor. n. 57.

Electio.

Electio divina non reſpicit ad futura, ſed ad præſentia merita, vel demerita. Marc. c. 3. nu. 14. alia eſt temporalis, alia æterna. Joan. c. 6. n. 44. Act. n. 22. ad 29. Electio ſtatus, & Religionis qua maturitate facienda. Luc. c. 16. num. 11. Electio ad Prælaturam qualis debet eſſe, ejuſque conditiones. Act. n. 22. ad 24. 93. ad 98. Marc. c. 3. n. 7. ſeq. Electio fiat de juſto non de Barabba. Mat. c. 27. n. 13.

Eleemoſynâ.

Eleemoſyna alia eſt ſub conſilio, alia ſub præcepto. Luc. c. 3. n. 11. alia item ſpiritualis, alia corporalis, & quotoplex. Luc. c. 11. n. 58. c. 19. n. 133. Mat. c. 5. n. 80. ſeq. c. 6. n. 5. ſeq. c. 25. numer. 55. Cor. num. 556. Eleemoſyna eſt primus gradus converſionis peccatoris ad Deum. Luc. ibid. Mat. c. 12. n. 11. Eleemoſynæ conditiones propoſuntur. Luc. c. 3. n. 11. c. 19. n. 11. Mat. c. 14 n. 13. c. 15. n. 27. Cor. n. 560. 565. 571. quo ordine diſtribuenda. Mat. c. 5. n. 109. Luc. c. 16. n. 15. ſeq. qualem eleemoſynam dabis proximo talem recipies in gloria à Deo. Mat. c. 7. n. 5. c. 10. n. 75. Eleemoſynam dans recipit ipſe. Mat c. 10. n. 25. ſeq. ab eleemoſynæ diſtributione Deus neminem excipit. Mat. c. 10. n. 73. Eleemoſynam negantium infelicitas. In hac, & alia vita expenduntur. Luc. cap. 16. n. 40. & deinceps. Eleemoſyna locupletat ſpiritualiter, & temporaliter. Mat. c. 15. n. 59. Luc. c. 19. n. 18. c. 11. n. 59. ſuadetur multiplicifer. Theſſal. n. 53. Phil. n. 112. Jac. c. 2. num. 54. Col. n. 568. ad 572. Eleemoſynam alii petunt ad utilitatem propriam; alii ad utilitatem dabtis. Phil. n. 109. Eleemoſynam omnis homo debet petere ad portam divinæ miſericordiæ, & Mariæ Virginis, & ſanctorum. Act. n. 66. ſeq.

Elias.

Elias, & Enoch prædicatio, martyrium, evolatio in Cœlum tempore Antichriſti expenditur. Apoc. n. 79. ſeq. Mat. c. 17. n. 58.

Eliſabeth.

Eliſabeth ſterilitas ablata, ejus viſitatio facta à Maria, aliaque myſteria in hoc facto expenduntur. Luc. c. 1. n. 100. 123. 147.

Epiphania.

Epiphania ſolemnitatis myſteria plura expenduntur. Joan. c. 2. n. 1.

Epiſcopus.

Epiſcopus in Eccleſia ſuccedit loco Apoſtolorum. Luc. c. 10. n. 1. ſeq. exprimitur nomine Angelorum. Apoc. n. 13. Epiſcoporum, & Parochorum munera, & obligationes expenduntur. Cor. n. 14. 577. Tim. n. 50. ad 52. Tit. n. 4. ſeq. Apoc. num. 24. Epiſcopatus cur dicitur bonum opus. Tim. num. 21. Epiſcopi admonentur circa proviſionem Exorciſtarum, & exercitii hujus ordinis. Luc. cap. 4. numer. 30. Item & in viſitatione Dioceſium. Act. n. 203.

Erubeſcentia.

Erubeſcentia in actibus pœnitentialibus externis quàm perniciosa. Luc. c. 9. num. 44. Rom. num. 10.

Eva.

Eva converſio, & reformatio facta in Ave per Mariam. Luc. c. 1. n. 26.

Evangelium.

Evangelium eſt bonum vinum ſervatum in fine temporum, nobiſque à Chriſto paratum. Joan. c. 2. n. 10. Variæ prærogativæ expenduntur. Marc. c. 1. n. 1. ad 5. Eſt medicamentum contra omnem morbum. Rom. n. 11. ſeq. Theſaurus exhibitus Eccleſiæ. Cor. n. 300. Cur non dicitur Evangelium Chriſti, ſed matthæi, Lucæ, &c. Mar. c. 1. n. 2. ejus eminentia ſuper Moſaycam qualis. Phil. n. 65. Evangeliſtæ figurati in quatuor animalibus Ezechielis. Mat. prol. Apoc. n. 44. Evangelium cur dicitur, & auditur ſtando. Luc. c. 4. n. 18. Evangelica doctrina eſt rota continens in ſe totam veteris Teſtamenti. Mat. prol. Evangelica lex eſt benignitatis. Moſayca rigoris. Mar. c. 9. num 34. Evangelii capita ſunt micæ collectæ à S. Franciſco in ſua Regula. Mat. c. 15. n. 60. ejus prædicatio ordinata ad converſionem mundi. Marc. c. 16. nu. 9. Evangelii S. Joannis in principio paraphraſis ponitur. Joan. cap. 1. num. 29. ſequent. Compendium eſt omnium myſteriorum fidei, & efficaciſſimum contra omnia mala. Joan. cap. 1. numer. 15.

Euchariſtia.

Euchariſtia inſtitutio facta à Chriſto expenditur cum ſuis circumſtantiis. Mat. c. 26. num. 47. Joan. cap 6. num. 34. Cor. num. 184. fuit meta deſideriorum Chriſti; ut ſe nobiſcum uniret. Mat. c. 26. n. 48. Cur in pane azimo, & vino. ibid. n. 50. ejus forma ad litteram, & myſticè exponitur. ibid. n. 52. ejus unitas qualis. num. 54. quomodo contineatur ibi Chriſtus, & qualiter dicatur deſcendere de Cœlo. numer. 55. ſeq. ad 58. Joan c. 3. n. 12. multiplicatio hujus Sacramenti maximum miraculum. Mat. c. 14. num. 26. Cur dividitur in miſſa

in tres partes. Mat. c. 26. n. 56. nubes eſt continens totam gloriam Dei. ibid. nu. 59. dicitur myſterium fidei, columna, & turris Eccleſiæ ibid. n. 58. ad 60. & c. 21. n. 65. Cur iteratur, & non baptiſmus. Mat. c. 26. n. 84. torcular Paſſionis Chriſti. Mat. c. 26. n. 63. ad 65. Ad ejus cultum omnes ritus, & cæremoniæ ordinatæ in Eccleſia. Mat. c 8. n. 35. c. 26. n. 60. 90. de cultu, & reverentia debita Euchariſtiæ, & de fructu talis cultus. Mat. c. 3. n. 27. cap. 8. n. 18. c. 26. ſupracit. qualis honor redundat Mariæ, ibid. n. 64. Poteſtas ipſius confectionis tradita omnibus ſacerdotibus expenditur. Mat. c. 26. n. 74. & deinceps, eſt ſacrificium, & Sacramentum; memoriale Paſſionis Chriſti vivum, & mirabilium Chriſti. Mat. c. 26. n. 81. ad 88. Cor. n. 185. Tim. n. 15. eſt convivium continens omnia bona. Mat. c. 22. n. 6. ſequen. quale beneficium Eccleſiæ. Hebr. c. 13. nu. 6. Ad ipſam accurrunt exercitus Angelorum. Mat. c. 24. n. 25. Marc. c. 16. n. 4. In ipſa captivus amoris eſt Chriſtus. Mat. c. 26. n 99. Panis beatitudinem conferens. Luc. c. 14. nu. 18. ſeq. Mat. c. 6. n. 54. ad 61. Manna cœleſte. Ioan. c. 6. n. 19. Cor. num. 151. Calix benedictionis. Cor. n. 162. Ejus eminens dignitas expenditur. Ioan. c. 6. n. 30.

Euchariſtia qualem præparationem exigat. Mat. c. 3. n. 27. c. 18. n. 9. ad 25. c. 9. n. 51. ſeq. c. 14. n. 14. c. 21. n. 21. c. 22. n. 13. c. 26. n. 28. 30. ad 36. 49. 62. ſeq. 65. 69. ad 74. Marc. c. 4. nu. 9. Luc. cap. 11. n. 10. c. 12. n. 25. Joan. c. 5. n. 32. ad 35. Cor. numer. 186. ad 200. Euchariſtiæ ſumptio an debeat eſſe frequens. Mat. c. 8. n. 19. 22. ſumenda cum maxima reverentia. Mat. c. 3. n. 27. cap. 8. n. 19. in Chriſti; ſuorumque operum commemorationem ſumenda. Luc. c. 22. n. 1. Datur diſcipulis tantùm; & catellis, non canibus. Mat c. 7. n. 12. c. 15. n. 35. c 26. n. 68. 71. Communis cur dicitur. Cor. n. 162. Communis ſacramentalis, & ſpiritualis expenditur. Mat. c. 26. n. 61. 65. 67. ſumenda caro Chriſti non cruda, ſed cocta, & quomodo. Mat. c. 26. n. 60. Cur corpore jejuno. ibid. n. 66. in unica ſpecie exhibita à Chriſto diſcipulis Emaus. Luc. c. 24. n. 16. Dignæ communionis effectus expenduntur. Mat. c. 9. n. 28. c. 26. n. 61. 67. 100. Luc. c. 24. n. 18. Ioan. c. 6. n. 36. ad 40. Præcedat ad actiones publicas magni momenti. Ioan. c. 2. n. 23. 25. Indignæ communionis effectus expenduntur multipliciter, ubi de irreverentia exhibita Euchariſtiæ. Mat. c. 25. n. 15. 55. c. 26. n. 40. ſumens indignè peior Iuda, & diabolo. Mat. c. 4. n. 30. Non datur canibus, ſed catellis. Mat. c. 7. n. 12. c. 15. n. 35. c. 26. num. 68. 71. 73. Cor. n. 163. 199. ad 201. ſtans irreverenter coram ſacramento hoc; ſignum infidelitatis. Mat. c. 8. n. 18.

Euge.

Euge quid ſignificet. Mat. c. 25. n. 39.

Extrapelia.

Extrapelia in Religioſis qualis admittitur. Epheſ. n. 66.

Excommunicatio.

Excommunicatio cenſura horribilis promanans ab auctoritate Eccleſiæ à Chriſto tradita, qua ad medicamentum uti debet, & qua traditur baptizatus in poſſeſſionem diaboli. Cor. n. 81. ad 83. tantùm ad aures pertingat. Mat. c. 26. n. 150.

Excuſatio.

Excuſatio ulla in judicio in peccato non admittetur. & cur hoc Rom. n. 39.

Exemplum.

Exempla plus movent, quàm verba. Mat. cap 4. n. 72. Theſſal. n. 42. Exemplum bonum quàm neceſſarium Prælatis, & præcipuè Eccleſiæ miniſtris. Marc. c. 9. n. 24. Rom. n. 48. ſeq. 212. Theſſal. n. 32. & maximè neceſſarium in Religionibus. Cor. n. 169. Exempla mala quàm pernicioſa Eccleſiæ & fidelibus. Marc. cap. 9. n. 25. Rom. 212.

Exequiæ.

Exequiæ celebrantur pro juſtis ab Angelis, pro impiis à Dæmonibus. Luc. capit. 16. numer. 33.

Exerciſtatus.

Exerciſtatus miniſterium quid exigat. Act. num. 209. Exorciſta inſtruitur in ejectione Dæmonum. Luc. c. 4. n. 28. ad 30. Caveat à ſermocinatione. & colloquiis cum Dæmone. Marc. c. 1. n. 2.

Extrema-unctio.

Extrema unctionis Sacramentum à Chriſto inſtitutum. Marc. cap. 6. num. 18. ipſius efficacia. & effectus expenduntur. Iac. cap. 5. num. 6. ſequen.

F.

Faber.

Faber ædificans in cœleſtibus Chriſtus, in inferno diabolus, Marc. c. 6. n. 4.

Fabrica.

Fabrica ſpiritualis ſine fundamento Chriſto non poteſt erigi, nec durare. Mat. cap. 7. numer. 47. ad 54. à culmine debet incipere, ſcilicet à Cœlo, & Chriſto. Cor. n. 49. ad 51. Fabricans cum Dei, & proximi offenſa fabricat ad ſui ruinam. Mat. c. 23. n. 9. Joan. c. 11. n. 28.

Fabulæ.

Fabulæ abſint à concionibus Evangelicis. Tim. n. 1.

Factioſus.

Factioſorum volubilitas, & inanitas in ſolis cogitationibus expenditur. Mat. capit. 22. num. 46.

Fama.

Famam proximi lacerare proprium eſt iniquorum

quorum.Mat.c.9.n.14.quam ſolicitè ſervanda. Mat.c.26.n.38

Faſcinatio.

Faſcinatio advenit ex concupiſcentia ; & à dæmone.Gal.n.29.ſeq.

Febris.

Febris maligna eſt quodlibet vitium capitale. Mat.c.8.n.35

Fermentum.

Fermenti parabola explicatur.Mat.c.13. num.50. ſeq.

Feſtinantia.

Feſtinentia in Dei ſervitio quàm neceſſaria. Luc. c.19.num.8

Feſtum.

Feſtum verum ſolùm juſti celebrant fatigando in hac vita.Mat.c.12.num.5. Feſtum in Cœlo ſolùm celebratur poſt vigiliam in hac vita.Mat. c.17.n.10.Feſtivitas natalis Principum ab Herode,& diabolo inchoata. Mat.c.14.n.6.10

Feſta.

Feſta alia ſunt Dei, alia diaboli. Marc. c.14.n.2. Ioan.c.6.n.3.ſeq.

Feſtorum Eccleſiæ celebratio qualiter facienda. Luc.c.2.n.122.c.4.n.10.26.& præcipuè à Prælatis, & Parochis. Ioan.c.6.n.5

Fictio.

Fictio qualis licita, qualis vitioſa. Luc.c.24. num.10.

Ficus.

Ficus infructuoſa in vinea Dei qualis; maledictio divina ſuper ipſam, & qualem fructum expectat Chriſtus ab ea. Luc.c.13.n.6. ad.9. Mat.c.21.n.48.ad 52.

Fides.

Fides ſancta quid ſit, quàm neceſſaria ſaluti. Hebr.c.11.& 12. per totum ubi ejus magnalia &c. Fides in Deum origo omnium bonorum in Eccleſia, Marc. c.2.n.12. Cor. n.48. fundamentum eſt totius ædificii ſpiritualis, & converſionis ad Deum. Luc. c.7. nu.55.Mat.c.17. n.43.Fides alia informis, alia formata charitate, & operibus bonis. Mat.c.7.n.47.Marc. c.8.n.31. Luc.c.2.n.99. Item alia Theologica, alia fides miraculorum. Mat. c.17.n.46. Eſt ſtella ducens ad Dei cognitionem. Mat.c.2. n.20. c.13.n.25. Marc. c.10.n.21. eſt granum ſinapis; ubi ejus magnalia expenduntur. Mat. c.13.n.48.c.17.n.46.Marc.c.9.n.16.Act.n.106. eſt nubes continens Deum; & ad ipſum ducens. Act.n.14.eſt ſcutum defendens juſtos ab omni malo. Epheſ. n.95. Fidei formatæ neceſſitas ad ſalutem, ejuſque effectus expenduntur. Mat.c.8. n.18. c.15. n.36. ad 39. c.16. n.13.c.17.num.41.Marc.c.2. n.7. c.4.num.24. c.16.n.12.Luc.c.1.num.154.c.2.n.99. Ioan.c.1. num.15. Rom. num. 14. & 63. Cor. num. 30. ſeq. 321. 576. Gal. num.33. 58. Jac. cap. 2 num.6

Fides Theologica purificat mentem ab omni errore; & ignorantia de rebus divinis. Act. num.14.183.ſeq.facit nos videre Deum. Cor. n.321. dat vitam ſpiritualem;& novam. Rom. num.14.ſine ipſa totum eſt ignorantia. Act. n.196. ejus certitudo qualis. Gal. nu.5. Hebr. cap.11.& 12. per totum quomodo dicitur eſſe ex auditu Rom. n.157. quale diſcrimen inter fidem Chriſtianam, & dæmonum. Jac. c.2. num.6. excitat mirabiliter, ad opera bona. I. Petr.c.1.num.8.Ioan. c.6.n.6. eſt fundamentum ædificii ſpiritualis charitas complementum. Luc.c.7.num.55. Fides etiam ſine charitate poteſt impetrare miracula de hac materia fuse Vide Joan. c.9.num.7.& 25.c.8.num.22. Mat.c.7. num.46.c.9.n.6.c.17. num.44. ad 46. c.21.num.54.Marc.c.1.num.33.c.2. n.13. c.6. num.5.c.9.n.19.c.10.n.32 Fides aliena valdè juvat ad impetrationem gratiarum.Mat. c.9.n.6. Marc.c.2. num.13. Fidei exercitium in orane maximam efficaciam ipſi præbet.Mat.c.13. num.36.ad 39.Cor.n.196 Fidei, & myſteriorum divinorum cognitio ſine lumine cæleſti non poteſt haberi,Mat.c.20.num.33.36. Fides ex Chriſti adventu quomodo dicitur augmentata.Luc.c.1. n.154. quomodo evacuabitur in gloria,ſic & ſpes.Cor.n.317.

Fidelitas.

Fidelitas ſervorum Dei quale bonum, infidelitas quale malum.Mat.c.25. num. 42. ſeq. fiducia in oratione qualis habenda.Mat.c.21.num.54. Vide confidentia fundamentum eſt totius perfectionis.Mat.c.7. n.52. fidelis qui eſt in modico,etiam eſt in majori ; & quomodo. Luc. c.16.num.17

Filiatio.

Filiatio divina nobis per Mariam advenit. Gal. num.40. qualem gratitudinem exigat. Gal. num. 50. Phil. num.38. Filiatio adoptiva Dei quale bonum. Mar. c.3. num.41. c.6. n.4. ſeq. ſtat in continuo effici. Ioan. c.1. num.17. alia divina,alia diabolica. Joan.c.1.num.16. cap.8. num.25. Divina fundata in Incarnatione Ioa. c.1. n.18. qualem felicitatem afferat. I. Joan. c.3.num.6

Filius.

Filiorum educatio,& juventutis quàm Deo accepta.Mat.c.9.n.15. quàm proficua ipſis parentibus.Luc.c.2.num.101.121.123.Filiorum obligationes in parentes expenduntur. Mat. c.15. num.5.Eheſ.n.88. Non poſſunt recipi in Religione Patribus exiſtentibus in gravi neceſſitate. Mat. capit. 9. num.5. Filii mali implent menſuram peccatorum parentum.Mat.cap.23. num.19. puniuntur aliquandò ob peccata parentum. Joan. c.9.num.3. Filii ob parentum amorem non deſerant Deum. Luc. c.2.nu.114. Filios an plus diligatur à Patre, an è converſo; utrumque verum ; & quomodo Cor. num.603

Finis.

Finis qualis præfigendus eſt actibus noſtris.Mat.

cap.6.num.6. an plures fines eidem actui meritorii poſſint præfigi, & quomodo ibid.n.7

Flagellum.

Flagella Dei brevia, levia, & apparentia. Cor. num. 340. Flagella publica à Deo immittuntur, ut ad pœnitentiam nos reducant. Luc. cap. 13. num. 3. Vide Tribulatio. Flagellum divinum qui abjicit ſignum reprobationis. Rom.n.33

Fluctuatio.

Fluctuatio in Dei ſervitio cavenda. Theſſal. num.45

Fodere.

Fodere debet homo villicus Dei in hac vita.Luc. c.16.n.9.ſeq.

Felicitas.

Felicitas ſervorum Dei infælicitas ſervorum diaboli expenditur.Luc.c.15.n.13

Formica.

Formicarum providentia qualiter imitanda.Mat. c.6.n.104

Fornicatio.

Fornicationis qualitates peſſimæ expendantur. Cor.n.98.ad 105

S.Franciſcus.

S.Franciſcus figuratus in altero Angelo viſo à Joanne aſcendente ab ortu ſolis.Apoc.num.61. Fuit alter Elias. Mat.c.17. n.39. figuratus in S.Petro Ioan.c.21.num.8. Item in Joanne Baptiſta.Mat.c.3. num.42. quare tria quadrageſimalia jejunia ſuis ordinavit.Mat.c.4. num.12. Concepit ſpiritum paupertatis Chriſti ex Maria Virgine.Mat.c.5.n.17. ejus paupertas propria Chriſti, & Apoſtolorum fuse oſtenditur. Mat.c.5.n.13.ſeq.c.10.n.17.ad 19.c.19. n.27. Luc.c.7.n 46. Act. n.63. 75. qualem ſolicitudinem vetat in ſua Regula.Mat.c.6. num.118. & 114. ſeq. Compendium totius vitæ Apoſtolicæ & Evangelicæ in ſua Regula poſuit Mat.cap.15. num.60.Franciſco dedit Chriſtus pro quinque talentis quinque ſua vulnera. Mat.c.25.num.37.Gal.n.96. fuit exemplar totius perfectionis. Luc, c.6. num.30. Tempore Antichriſti prædicabit cum ſuis fratribus. Mat.capit.25. numer. 37. transformatus fuit ſpeciali modo in Chriſtum crucifixum. Gal. num.27

Franciſcani cur à S.Franciſco appellati Fratres minores Mat.c.11.n.27.ſùt fratres Chriſti ſpeciales. Mat.c.25.n.76.tempore quadrageſimæ benedictæ debent viſitare quotidiè Chriſtum jejunantem in deſerto Mat.c.4. num. 12. propriè dicuntur aves Cæli. Mat. c.6. num. 114. ſeq.eorum paupertas expenditur ſimilis paupertati Chriſti, & Apoſtolorum. Mat. cap.19. num.27.totam fiduciam in Deo abſque ſolicitudine curarum temporalium debent habere. Mat. c.6. num.114. ſeq. 118. c.8. num.47. eorum Regula, & vita eſt tota Evangelica, & compendium Evangelii, & tota de cruce. Mat.c.11.num.27.c.15. num.60. Gal. num. 94. Affabilitatem inter ſe ſe veluti fratrum præcepit eis S.Franciſcus. Rom. num.208. Franciſcana Religio cæteris omnibus ſtrictior probatur.Tim.n.31

Frater. Vide. Franciſcanus.

Frigus.

Frigus peſſimum eſt peccatum. Mat. capit. 24. num.8.

Fructus.

Fructus arboris bonæ,& malæ in homine expendantur. Mat.c.7.n.28.ſeq.37.

Frumentum.

Frumenti granum eſt Chriſtus. Joan. c.12. n.3. ſeqn.

Fuga.

Fuga perſecutionum ſequentibus Chriſtum aliquando licita. Mat.c.10.n.46.c.24.n.15. Cor. num.397.

G

Gabriel.

Gabriel. V. Mariæ annunciatio.

Galea.

Galea ſalutis eſt verbum Dei. Epheſ.num.96.

Gallina.

Gallina ſimilitudine exprimitur protectio Chriſti in ſuos. Mat.c.23. n.24. Gallus eſt Prædicator excitans peccatorem à ſomno peccati. Mat.c.26.n.172.

Gazophilatium.

Gazophilatium quid. Marc.c.12.n.10.

Gaudium.

Gaudium verum ſolùm in Chriſto invenitur, non in creatis, & terrenis. Mat. c.2. n.32. Gaudii juſtorum, & impiorum diſcrimen quale.Luc. c.2.n.20.c.16.n.12. ſeq. Phil.n.94.ad 96. Juſtorum in tribulatione expenditur. Phil.n.3.

Gaudium Beatorum. V. Beatitudo. V. Gloria & in Mat.c.25.n.44.

Gehenna.

Gehenna nomine cur dicatur Infernus. Mat.c.5. num.79.

Generatio.

Generatio Chriſti. Vide. Chriſti adventus.

Generatio prava, & adultera Chriſtianus iniquus dicitur. Mat.c.12.n.55.

Gladius

Gladio qui ferit gladio perit, quomodo verificatur. Mat.c.26.n.152

Gladius qualis pertranſivit animam Mariæ.Luc. c.2.n.110.ad 113.

Gladius

Index Generalis.

Gladius multiplex pertranſiens animam noſtram expenditur. Luc.c.2.n.13

Gloria.

Gloria cæleſtis magnitudo parata patientibus pro Chriſto expenditur multipliciter. Mat. c.5.n.37.ad 40.c.17.n.26.c.25.n.44.ad 47.Ioan. c.17.n.3.c.20.n.18. ſeq. Gloriæ corona margarita eſt pretioſiſſima pro quâ renuntiandâ ſunt omnia. Mat. c.13. n. 73. ejus retributio qualiter correſpondeat operi, & gratiæ hujus vitæ.Mat. c.7. n.4. c.25. num. 47. Gloriæ immenſitas terminus eſt ſapientiæ Chriſtianæ, ubi de ejus magnitudine. Cor. num.28. eſt ad proportionem amoris Dei in hac vitâ habiti. Cor. num.29. quali pretio comparanda. Cor. num.312. menſuratur ex pretio Paſſionum Cor. num. 110. item & per crucem: Epheſ. num.36. in ea ſunt variæ manſiones pro varietate meritorum. Joan. c.14. num. 2. Gloriæ viſio qualiter differat à viſione Dei in hac vita. Cor. num.219. Gloriæ pignus in hac vita datum juſtis quale. Cor. num. 185. In gloria quænam virtutes evacuantur. Cor. num.216.ſeq.221. Gloria cæleſtis in hac vitâ participatur à juſtis per fidem, & inſpirationes cæleſtes.Cor.num.30. ſeq. ejus meditatio excitat ad pœnitentiam. Joan. c.20. num.13. Gloriæ conſecutionem aliquando juſti poſtponunt ad tempus pro lucro animarum. Phil. num.14.ſeq.Gloriantur alii in Deo, alii in ſe; & in mundo.Cor.n.578.ſeq.

Gloriatio de virtute majorum & divitiarum quàm vana.Ioan.c.8.n.23

Grabatus.

Grabatus carnalitatis quàm fœtidus, & gravis. Joan.c.5.n.5

Gratia:

Gratia Dei alia præveniens, vel concomitans; vel conſequens, vel ſanctificans, vel gratis data. Luc. cap. 15. num.16. ad 29.cap. 10. num.25. cap.19. num.5. Rom. nu. 155. Cor. num.206.210.234. Gratiæ actualis Dei neceſſitas qualis.Mat.c.26. num.174. Ioan. cap.15. num.6. A Chriſto fonte omnium gratiarum deſcendit. Ioan.cap.1.n.9.ſeq.

Gratia Dei eſt ſtella ducens ad Chriſtum. Mat. c.2.nu.19.elevat hominem ad Cœlum. Epheſ num.5. 18. eſt theſaurus margarita pretioſiſſima pro qua vendenda ſunt omnia.Mat.c.13 num.71.Cor.n.301. Eſt ſubſtantivum, temporalia ſunt adjectivum in ſchola Chriſti. Mat.c.6. num.112. facit hominem filium Dei. Mat.c.6.num.41. ſeq. Marc. c.2. num.15. fert in anima Spiritum ſanctum.Luc.c.2. num.85. Ignis eſt.& lux. Luc.c.12.num.32.Ioan.cap.1. num.8. fert poſſeſſionem regni cæleſtis. Luc. c.17.n.25. & quietem cæleſtem.Cor.num.178. ad 281. ſanctificans pluris æſtimanda, quàm omnes gratiæ gratis datæ. Luc. c.10. num.23. c.15.num.29. Gratiæ tactus efficacia expenditur. Luc.c.8.num.24. per ipſam veluti per funem nos attrahit Chriſtus. Ioan.c.6.num.26. ſeq. Electio ad gratiam alia finalis, alia temporalis. Ioan.c.6. num.44. de ſe inviſibilis eſt, quomodo reddatur viſibilis. Act.num.98. Gratiarum flumina quomodo intrent in animam. Ioan. c.7. num. 17. ſola gratia juſtis ſufficit. Cor. num.602. 610. qualem vim animæ præbeat. Ioan.c.15. num.6. omnia facit cooperare ad ſalutem Rom.n.130.ſeq.fundamentum eſt totius meriti, & omnium bonorum Ro n. n.93. Cor.num.253. 292.573. 610. arbor vi æ. ejuſque fructus quales. Rom. num. 92. exigit diſpoſitionem in anima. Act. num.5. Epheſ. num.24.& cooperationem. Cor.235. ſeq. 292. Gal.num.9

Gratiæ plenitudo in Chriſto expenditur.V.Chriſtus fons omnium gratiarum gratiæ plenitudo in Stephano qualis. Act. num.95. ſeq. gratiæ divinæ multiplices effectus expenduntur.Rom. n.92.ſeq.130. ſeq. Cor.num.233. 278.ad 281. 292.378.575. 610. Epheſ. num.3. & 18. Phil. n.105.2.Petr.cap.1.num.1. ad 3. gratiam ſuam nobis ſemper Chriſtus offert ordinatam ad tempus mortis noſtræ. Cor. num.8. gratiam Dei teneat homo, ne alius accipiat coronam. Act. num.174. V. ca.3. Apoc. Nemo ſcit an odio, an amore dignus ſit. Cor. num.66.Gratiam Dei in vacuum recipere quid ſit. Cor. num.325.Mat.c.25.num.52.Gratiam Dei quærens, ipſam apud Deum, & homines invenit, quærenda apud Deum, non mundum. Luc. c.1.num.70

Gratiarum actio, & gratitudo ad Dei beneficia reddenda expenditur multipliciter. Mat. c.18. n.38.ad 41.c.25.n.53.Marc.c.5. n.15. Luc.c.2. n.54.Ioan.c.9.n.18. c.11.n.23. Act. n.65. Cor. n.3.Theſſal.n.40

Gula.

Gula vitium incentivum omnium vitiorum, & malorum.Marc.c.6.n.25.Ioan.c.6. n.13. Gulæ mortificatio quàm neceſſaria Deo ſervienti, & multipliciter ſuadetur.Mat.c.4.nu.28. c.12. n.4.1.Petr.c.5.n.6.ad 8,

H

Hebdomada.

Hebdomade majoris, & pœnoſæ myſteria expenduntur.Mat.c.21.n.14

Hæreditas.

Hæreditatis qualitates, ad quam regenerati ſumus, expenduntur. 1.Petr. cap.1. num. 4. ad 6

Herodes.

Herodes ex inſtigatione diaboli feſtivitatem natalis ſui celebravit.Mat.c.14.n.6.& 10

Hierarchia.

Hierarchia Eccleſiaſtica qualem ordinem exigit: Mat.c.14.n.34.36

Hieruſalem.

Hieruſalem. Vide Jeruſalem.

Homicidium.

Homicidium corporale,& ſpirituale quale malum Mat.c.22.n.11. quale licitum, & illicitum. Mat.c.16.n.132.quam Deo exoſus homicida. Mat.c.26.n.27

Homo

Digitized by Google

Index Generalis.

Homo.

Homo arbor eſt vel bona, vel mala. Mat. c.3. n.13.c.7.n.18.ſeq.c.24.n.33. habens folia tantùm à Deo maledictus. Mat.c.21.n.49.51.vel eſt jumentum Chriſti vel diaboli. Mat. c.21. n.11.numiſma eſt habens imaginem Trinitatis cum ſuperſcriptione vel Chriſti, vel diaboli Mat.c.22.n.31. ſeq. Corr. n.258. In hoc nomine, homo, eſt epilogus totius perfectionis Mariæ. ibid. c.8.n.48. malus licet ſit, tamen à Deo ut filius tractatur. ibid.c.7.n.10. mendicus eſt, ideò panem petere debet à Deo quotidiè Mat.c.6.n.59.

Humanitatis noſtræ miſeriæ ex peccato originali provenientes expenduntur. Mat.c.11.n.4. vivit in perpetuo bello. Mat.c.24. n.6.c.26. n.125.ſeq. Homo totus ex mala voluntate inficitur. Mat.c.7.n.33. Homo in peccato crudelior ſerpentibus, & feris. ibid.c.10. n.35. mitiorque eſt beſtiis, quàm homini. Luc. c.16. n.30. plus deditus ad bona corporis, quàm animæ ibid. c.8. n.36. relinquens convivium Dei ob vanitates quàm ſtultus. Mat. c.22.n.10.In peccato jumentum eſt diaboli. Mat c.21. n.11. inter creaturas omnes ſolus Deo inobediens. Mat. c.2. n.11. Pro mundo aſſumit quemcumque laborem, & nihil pro Chriſto. Mat.c.26.n.125.ſeq. Vivens ſæpè cadendo, ſæpè reſurgendo hoſpes vivit diaboli. Luc. c.8.n.9. Infælicitates hominis viventis in peccato expenduntur. Luc. c.10. n.32. ad 34. Rom. n.52. & neſcientis fodere. Luc. c.16. n.9. ejus cæcitas, & mendicitas qualis Marc.c.10.n.26 Humanum genus hydropicum erat, Chriſtus venit ipſum ſanare. Luc. c.14.n.5. Hominis infirmitates ſpirituales in ſeptem vitiis capitalibus continentur. Ioan. c.4.n.38. ſubjacet morti continuæ. Ioan.c.4. n.19.Rom.n.110.Cor.n.244.qualiter deformetur. Cor. n.307. quid portat in ſe, quod eſt diaboli. Ioan. c.14.n.15. ex peccato fit templum diaboli. Cor. n.146. ſibi ipſi eſt hoſtis. Rom.n.103.ſua malitia convertit ſanctitatem legis divinæ in venenum. Cor.n.266.

Homo licet peccator tractatur à Deo ut filius. Mat.c.7. n.20. liberatus fuit à Chriſto, cum eſſet tributarius diaboli. Mat.c.17. n.30. Homo in gratia jumentum eſt Chriſti. Mat.c.21. n.11. plenuſque fuit omni bono. Marc. c.2. n.15.Homo Dei villicus, & tributarius. Mat. c.25.n.35. Marc.c.5.n.18. ejus indigentia extrema attrahit ad ſe Dei auxilium. Marc. c.8. n.6.ſeq. In homine per gratiam, & gloriam beatificatur omnis creatura. Marc.c.16.n.10. Rom.n.113.ſit contentus talentis à Deo receptis. Mat.c.25.n.33.Cor.n.148. Reddet rationem Deo de talentis, & gratiis otiosè receptis. Mat.c.25. n.51. fælicitates exiſtentis in gratia expenduntur. Luc.c.10.n.32.ad 34.ejus obligationes ad Deum ſuper omnes creaturas expenduntur. Ioan.c.1.n.6.ſine Deo nihil poteſt niſi peccare. Ioan.c.16.n.16. ſubjectus vivit continuæ computationi Dei. Ioan.cap.4. n.41. Ejus nativitas multiplex bona & mala expenditur.Ioan.c.3.n.3.

Homo quomodo dicitur de genere Dei, & conſanguineus Chriſti. Act.n.201. ſeq. ſecundùm conformitatem ad vitam Chriſti præmiabitur in Cœlo. Rom. n.111. per gratiam fit templum Dei Cor.n.346. Homo per imaginem & conformitatem Chriſti fit cæleſtis; per peccatum, & conformitatem ad diabolum, vel mundum fit animalis, terreſtris, & diabolicus. Cor.n.34.ad 36.40.155.ad 159.ejus reformatio qualiter fiat. Cor.n.307. Epheſ.n. 51. Homo debet crucifigere veteſtatem ſuam in cruce, & crucifixo, ut renovetur. Rom.n.83. Homo tenetur fructificare omni tempore in via Dei, & hoc in via, non extra viam. Mat. c.21. n. 50. 69. quiſque portat ſuam ſarcinam ad mortem, & tribunal Chriſti. Gal.n.79. Homo in terra degens, vel terræ, vel Cœli eſt habitator. Phil.n.83.ſeq.& 89

Honor.

Honoris ſublimitas ſine congruis actibus quàm indigna, & perniciosa. Mat.c.26.n.14.

Hora Canonica.

Horarum canonicarum perſolutio quàm fructuoſa, Deoque chara. Mat.c.6.n.32.ad 34

Hora tertia, ſexta, nona & ultima in vineæ cultura expenditur. Mat.c.20.n.5

Hoſanna.

Hoſanna quid ſignificet. Mat.c.21.n.22

Hoſpitalitas.

Hoſpitalitas erga omnes, ſed præcipuè Dei ſervos quàm Deo chara. Mat. c.10. n.71. Luc. c.24.n.11

Humilitas.

Humilitas brevis ſchola, & ſumma eſt ſanctitatis. Mat. c.3. n.31. granum eſt ſinapis. ibid. c.13.n.47.Phil.n.48.ſeq.minimum eſt in terra, maximum reddet in Cœlo. Mat. c.18.n.8. Sola vincit diabolum. Mat.c.3. n.36. Humilibus ſolis Deus confert ſua dona. Mat.c.11. n.38. ſeq.c.18.n.4. Marc.c.9. n.18. Ioan.c.13. n.13. Epheſ.n.24. Iac.c.4. n.5. Sola intrat in Cœlum Mat. c. 19. n. 25. ipſamque Chriſtus ibi introduxit. ibid.c.25.n.74. Humilitatis, & ſuperbiæ, certamen exponitur. Mat. c.13. n.7. Humiles ſoli ſunt veri diſcipuli Chriſti. Mat.c.25.n.75. fundamentum eſt totius ædificii ſpiritualis, & unica regula ſanctitatis. Luc.c.1.n.167.c.3.n.29. Humilitas ſemper eſt cum exaltatione, & exaltatio cum depreſſione. Luc.c.14.n.13.c.18.n.25. Iac.c.1.n.7. Humilitas multis rationibus ſuaderur, ubi de variis ejus effectibus. Luc. c.14.n.12. ad 16. Ioan.c.3. n.20 c.13.n.13.Cor.n.233.Phil.n.31. ad.25.45.48 ſeq 1.Petr.c.5.n.3. Humilitas via, & ſcala Cœli, ejus gradus, latera, ſpatiaque expendumtur. Cor.n.336 Phil.n.48. Humilitas annihilando hominem maximum facit, & bonum annihilando ipſum gignit, & auget. Phil.n.49.Mar.c.18.n.8.

Hyems.

Hyems tempus eſt peccatoris. Mat. c.24. nu.10. & 30.

Hypocrita

Index Generalis.

Hypocrita.

Hypocrita ſerpens, & vipera eſt. Mat.c.3.num.20. Luc.c.3.n.13

Hypocritæ perſecutores peculiares ſunt Chriſti ſub ſpecie ſanctitatis. Mat.c.12. num.14. quàm Deo exoſi. Mat.c.12. num.68. cap. 23. nu. 18. Marc.c.7.num.6. doloſitatibus utuntur. Mat. c.7.n.16. Exteriora curant, relicto interiori. Dei ſervitio. Mat.c.23.n.8

I

S. *Iacobi* Apoſtoli majoris virtutes; & martyrium expenditur. Act.n.155

Iactantia.

Iactantia vitium quàm Deo exoſum. Luc.cap.18 num.15

Idololatria.

Idololatria Chriſtianorum qualis: Rom. num.24. Epheſ.n.67. Phil.74.ſeq.

Idolum.

Idolum quomodo nihil eſt. Cor.n.135

Ieiunium.

Ieiunium quotuplex; ejus laudes, effectus, & conditiones expenduntur. Mat. c. 4. num.3. 13. ſeq.c.6. num.79. c. 17. num.47. c. 15. num.8. Luc.c.4.num.3. Act. num.228. Ieiunium feriæ quartæ undè ortum. Mat. cap.16. nu.4. Quadrageſimale cur ordinatum ab Eccleſia. Mat. c.4.num.12. c.15.num.8. Ieiunantes adoritur diabolus, ut priventur tanto bono. Mat. c.4. n.15. Ieiunium ala una eſt orationis, altera eſt eleemoſyna. Mat.c.6. num.76. c.17. n.47. Ieiunans ob vanam gloriam paſcit diabolum. Mat.c.6. n.77

Ieruſalem.

Ieruſalem cur elegit Chriſtus Paſſioni, Bethleem nativitati. Mat.c.20.n.31

Ieruſalem deſerens perdit Chriſtum, in ipſam intrans invenit. Luc.c.2.n.116

Ieruſalem cæleſtem quomodo vidit Ioannes deſcendentem è Cœlo. Apoc. num. 114. & deinceps

Ieſus.

Ieſus nomen. Vide Chriſtus.

Ignis.

Ignis divinus eſt charitas, ejuſque effectus expenduntur. Luc.c.12.n.32.ſeq.

Ignis mundi in anima extinguit ignem cæleſtem Mat.c.26.n.168

Ignis conflagrationis. V. Iudicium.

Ignorantia.

Ignorantia qualis à peccato excuſat, & qualis non Act.n.66. Cor.num.128. Ignorantia in neceſſariis ad ſalutem in Chriſtianis quàm damnabilis. Act.n.157

Imago.

Imago terreſtris, & cæleſtis qualis. Cor. n.158. Imago SS. Trinitatis in anima inſculpta, ſuper quam eſt ſuperſcriptio vel Chriſti, vel diaboli. Mat. c.22. n.31. ad 37. Imago & ſuperſcriptio animæ in morte examinabitur. Mat.ibid. Imaginum ſacrarum, & idolorum adorationis diſcrimen. Cor.n.135

Imperium.

Imperium humanum famulatur divino. Luc.c.2. num.4

Impius.

Impii divina dona vertuntur in venenum ſuppliciorum. Mat.c.11.n.36. Impii otiando feſta frangunt; juſti laborando obſervant. Mat. c.12.n.5. Inter impios, & juſtos ſemper contrarietas viget. Mat.c.10.n.44. Impii ab hyeme ad hyemem tranſeunt in morte; juſti à vere ad æſtatem. Mat. c.24. n.34. Impiis à palatiis mundi in morte tranſeunt ad carcerem; juſti è contrà. Luc.c.16. n.31. & 36. In hac vita ſunt primi, in alia ultimi. Juſti è contra. Luc.ibid.n.37. Impii in hac vita oculos fixos in terram portant, in alia elevatos ad Cœlum ad pœnam majorem. Luc.ibid. n.46. Impiorum exequiæ per Dæmones fiunt. Luc.c.16.n.33. Impii captivi vivunt. Juſti liberi. Joan.c.8. n.19.21. Cor. nu. 295. Impii ſunt de hoc mundo, juſti ſunt de regione Cœli. Ioan.c.8. n.14. Impii eligunt pro ſuo Deo diabolum. Cor.n.197

Incarnatio.

Incarnatio. Vide. Chriſti adventus.

Incarnationis myſterium ineffabile etiam Angelis. Luc.c.1. n.91. tempus ipſius quale. ibid. n.107.114. Gal.n.45. ejus convenientiæ. Luc. c.1.n.113.ad 115. quale feſtum terræ, & Cœlo. ibid. n.116.178. ſeq. varia ejus attributa &c. Tim.n.25. Incarnationis mirabilia ex parte Matris expenduntur. Luc.c.1.n.115

Indulgentia.

Indulgentia plenaria peccatorum promiſſa condonantibus injurias inimicorum. Mat.cap.6. num.74

Infernus.

Infernus cur appellatur gehenna. Mat. c.5. n.79. Inferni ſal quale. Marc.c.9. n.23. Infernus locus proprius, & debitus peccato, & peccatori. Luc.c.16.n.36.& 37. Mat.c.22. num.22. c.25.n.54.& 90

Inferni ignis pœnæ multiplices expenduntur; earum æternitas, aliaque. Mat. c.5. n.82.c.7. n.30. ſeq.c.13.n.52.c.22. n.23. c.25. n.91. ad 94. In inferno maxima ſylva arborum ſubjecta igni. Mat. c.7.n.10. ſeq. Inferni via lata, & à multis calcata. ibid.n.25

Infidelitas.

Infidelitas, & fidei debilitas impedit converſionem à peccato. Mat.c.17.n.43

Digitized by Google

Index Generalis

Infirmitas.

Infirmitatum corporalis curatio à Chriſto ſemper ordinabatur ad ſpiritualem. Mat.c.4.n.77. 79.c.9. n.7. c.15. n.41. Infirmitatum non ſolùm ſpiritualium, ſed & corporalium curationis vis relicta eſt à Chriſto in Eccleſia. Luc.c.10. n.16. Infirmitates ſæpè ex peccato proveniunt, ideò in curatione priùs cauſa tollenda eſt. Mat.c.9 n.5. Marc.c.2. n.19. Infirmitas graviſſima eſt peccatum, & indiget medico cæleſti. Mat. c.9. n.25. Marc.c.2. n.32. Ioan. c.4.n.38. Infirmorum viſitatio, & obſequium multipliciter ſuadetur. Mat.c.8. n.34. c.9.n.3.c.25.n.73. Infirmitas corporalis eſt viſitatio Chriſti medici per ipſam curantis animam à majori morbo. Mat. c.8.n.37.

Ingratitudo.

Ingratitudo quale vitium, & quotuplex, & ſuper omnia Deo exoſum. Mat. c.25. nu.50.53. c.26.n.140. Marc.c.12.n.3. Luc.c.17.n.11. Ioan. c.1.n.13.c.9.n.18. Cor. num.71. ejicit à nobis Chriſtum, ejuſque dona. Marc.c.5.n.2. advocat flagella grandia à Deo. Luc.c.3. n.18.c.4. n.25. maximaque eſt inter Chriſtianos. Rom. n.25.& 28. Gal.n.50.

Inimici.

Inimicorum reconciliatio, & dilectio præcipitur à Chriſto efficaciſſimè. Mat.c.5.n.80.ſeq.101. ad 105.c.6.n.64.ad 68.74. Epheſ.n.59. ejus gradus quales. Mat. num.80. Ex inimicorum reconciliatione dependet reconciliatio cum Deo. Mat.c.5.n.81.c.6.n.74.ſeq. Pro ipſis orare eſt maxima, & inuſitata vindicta. Mat. c.5. n.105. Inimicorum dilectio eſt completio charitatis. ibid.c.5.n.101. qualia bona afferat animæ ibid.c.5. n.102. ad 105. Inimicis nolens dimittere an turè poſſit dicere orationem dominicam. Mat. c.6.n.64. ſeq. Inimicis remittens poteſt abſolutè petere à Deo remiſſionem peccatorum. Mat.c.6. n.64. Inimicis nolens remittere per orationem dominicam Deo mentitur, ipſumque contra ſe imprecatur. ibid.n.65.ad 68.

Innocens.

Innocentes infantes quomodo ſunt verè martyres. Mat.c.2.n.50.

Innocentum oppreſſores habent contra ſe omnes creaturas clamantes vindictam. Mat.c.27. num.95.

Inobedientia.

Inobedientia ruina eſt Eccleſiæ, & Religionum. Mat c.8.n.59. V. Obedientia.

Inobedientia, invidia, & luxuria irritant maximè iram Dei. Luc.c.16.n.7.

Inſpiratio.

Inſpirationes divinæ ſemper amplexandæ, & quàm periculoſum eas aſpernari. Mat. cap.2. n.54.c.10. n.71. c.14.n.3. Inſpirationum Dei, & diaboli diſcrimen. Luc.c.2.n.19

Intentio.

Intentio qualis exigatur à Deo in actibus noſtris. Mat.c.6.n.7. Intentio in Deum quàm utilis, & qualificans omnes actus noſtros; malæ quàm noxia. Mat.c.6.n.93. Luc.c.11. num.56. c.21.n.3. Rom.n.55.ad 57. Cor.n.313. Ad intentionem magis aſpicit Deus, quàm ad opus externum. Mat.c.19. n.29.c.20.n.22. c.26.n.17

Invidia.

Invidia grande malum, & paraliſis eſt animæ. Mat.c.9.n.8. reddit hominem ſtultum. Mat. c.12.n.15.c.20.n.27.c.21.n.55. Invidus bonum in malum vertit. Mat.c.11.n.34.c.12.n.6. ſeq.c.13. n.79. Marc.c.2. n.34.c.3.n.5. Ioan. c.5.n.11. omnia ei in malum cooperantur. Rom. n.132. Invidia certat cum bonitate divina, ejuſque effectus quales. Mat.c.22. n.25. eſt tinea rodens omnem miſericordiam. Mat. c.27. n.14. Ioan.c.11.n.27. Gal.n.65. Invidia propria eſt Iudæ & proditorum Chriſti. Mat. capit. 26. num.10

Ioannes Baptiſta.

Ioannis Baptiſtæ conceptio, auſteritas, pœnitentia, prædicatio, & laudes expenduntur. Mat. c.3. n.4.ad 5.15. c.11. n.18. ad 26. Marc.c.6. n.22. Luc.c.1.n.101. 189.197. Ioan.c.1. nu.11. 39.ſeq. Fuit pluſquàm Propheta; vox Chriſti, Angelus Domini. Martyr. magnus, major, maximus. Mat.c.11.n.21. ad 26. Marc.c.6. n.26. Joannis Baptiſtæ, & Chriſti baptiſmi diſcrimen. Mat.c.3.n.7. qualem dubitationem de Chriſto habuit. Mat.c 11.n.3. Joannes Baptiſta quia magnus coram Domino, ideò magnis tribulationibus probatus. Mat.c. 11. n.8. ejus conſtantia qualis. ibid. n.19. quomodo dicitur, quòd à diebus ſuis regnum Cœlorum vim patitur. ibid. num. 18. Ad ſalutationem Mariæ uſum rationis, ſanctificationem, aliaque dona recepit. Luc. c.1. nu.134. 136.151.187.

Ioannes Evangeliſta.

Ioannes Evangeliſta quomodo dicitur fuiſſe in ſpiritu. Apoc.n.8.

Ionas.

Iona prædicatio facta Ninivitis quàm funeſta erit Chriſtianis in judicio, & Iudæis. Mat. c.12.n.56.

Joſeph.

Joſeph matrimonium cum Maria Virgine fuit verum, tempuſque talis matrimonii expenditur. Mat.c.1.n.20. ſeq. Fuit figura deſponſationis Chriſti, & Eccleſiæ. ibid. n. 20. Ex hoc conjugio cum Maria quales laudes ei debentur. ibid.n.23. Floridior ejus virginitas apparuit. ibid.n.24. qualis ſimilitudo inter ipſum, & ſponſam. ibid. n.25. ejus virga floruit, & in ſummitate columba apparuit. ibid. n.25. in Trinitate terreſtri tertia perſona fuit. ibid.n.26. Ferculú fuit Chriſti. ibid.n.27. Salvator Salvatoris quomodo poteſt dici. ibid.n.28. non poterat figere aſpectum in Mariam. ibid. n.35.

Digitized by Google

n.35. Joſeph, & Mariæ obedientia expenditur. mat.c.2.n.42. Ioſeph faber lignarius quàm ſolicitus in parando victum Chriſto, & Mariæ. Mat.c.13.n.80.ſeq. quale jus acquiſivit in corpus Chriſti. Mat.c.27. num.133. Ejus dignitates, & privilegia recenſentur. Luc. c.2. n.144. quomodo appellatur Pater Chriſti. Luc.cap.3. n.47. Cur à Matthæo dicitur filius Jacob; à Luca filius Levi. Luc.c.3. num.48. Per Joſeph, & Mariam invenitur Chriſtus. Luc. cap.2. n.43. ſeq.

Ira.

Ira peſſimum vitium, ejuſque gradus, & pœnæ à Deo ipſi comminatæ, & effectus expenduntur. Mat.c.5 n.26.ad 29. 74.ad 78.

Ira virtuoſa qualis. Joan. c.11. n. 15. Ira reddit hominem ſtultum. Mat.c.11.n.15. tradit in poſſeſſionem diaboli non ſolùm quoad animam, ſed etiam quoad corpus. Mat. c.8. nu.72. Luc. c.9.n.19. Epheſ.n.53.

Itinerans.

Itinerantes quàm facilè in multiloquia vana, & contentiones labuntur. Marc. capit. 9. numer.17.

Judas.

Judam cur Chriſtus admumeravit inter Apoſtolos. Marc.c.3.n.13. Mat.c.13. n.42. Judæ proditoris malitia, & Chriſti bonitas certabant. Mat. c.26. n.36. & deinceps. 145. Judas dux impiorum contra Chriſtum. Mat. c. 26. n. 138. ejus ſcelus imitatur à pluribus Chriſtianis. Mat.c.26.n.24. ſeq.145. Ioan. c.13. nu.16. Judæ pœnitentia falſa expenditur. Mat. c.27. num.4.

Judæi.

Judæorum reprobatio, Gentilium vocatio expenditur. Mat.c.9. num.45. c.24. num.3. Rom. num. 164. Judæi quomodo peccaverunt occidendo Chriſtum ex ignorantia. Act. numer.66.

Judex.

Judex in judicando inſtruitur. Mat.c.27. num.9. Luc.c.16. num. 3. Ioan c.7.n.10.c.8.n.8. Judices mali in judicando peccata peccatis accumulant. Mat. c.26. n.154. ſunt ſimiles Pilato. Mat.c.27. n.13. A Deo ſeveriſſimè puniuntur. Rom.n.30.

Judicium temerarium quale peccatum. Mat.c.7. n.2. ejus malignitas qualis, quàm ſolicitè vitandum. Mat.c.7.n.7.ſeq. c.9. n.16. c.12. n. 6. Marc.c.2.n.21. Luc.c.18.n.16. Rom.n.198. ad 201. Cor.n.67.ſeq.

Judicans ſeipſum in hac vita, non judicabitur in altera. Cor.n.202. Luc.c.3.n.35.

Judicium univerſale cum omnibus ſuis circumſtantiis deſcribitur. Mat. c. 24. n. 4. & deinceps. c.25.n.11. n.53. & deinceps. 80. cap. 13. n.55. Rom.n.44. ſeq. 202. Cor. n.239. Philip. n.91. Theſſal.n.25. Iac.cap.2.num.4. Judicium univerſale principaliter fiet ad punienda, & detegenda ſcandala. Mat.cap.13. num.56. capit.19.n.30. In Judicio major erit confuſio, & pœna Chriſtianorum reproborum, quam Infidelium, & inter Chriſtianos major erit Religioſorum. Luc.c.12.n.30. Mat.c.12. nu.57. ſeq. Judicii particularis examen expenditur. Theſ. n. 25. Iac. c.2. n.4. Judicii extremi meditatio ſuadetur. Cor.n.67.ſeq. Phil. n.90. Jac. cap.2. num.4.

Jumentum.

Jumentum Chriſti, vel diaboli eſt omnis homo. Mat.c.21.n.11.

Juramentum.

Juramentum quale licitum, & quale illicitum. Mat.c.5. n.95. ſeq. Marc. c.6. n.24. Iac. c.5. num.4. Jurandi modi varii expenduntur. Rom. n.6.

Juſtificatio.

Juſtificatio nobis à Chriſto exhibita in ſuo ſanguine exigit à nobis noſtrum ſanguinem. Rom. num.72. quid exigat ex parte Dei, & noſtri. Cor.n.234.ad 236.& 573.

Juſtitia.

Juſtitia perfecta qualis ſit. Rom. num. 180. ejus fames, & ſitis qualis beatitudo, ejuſque effectus. Mat. cap. 5. numer. 26. ad 29. quærenda cum regno Dei ſuper omnia. Mat. capit.6.n.110. eſt lorica Chriſtianorum. Epheſ. n.94. Juſtus dicitur homo ex juſtitia, & gratia reſidente in eo. Rom. n.180. Cor.numer.278. ad 281.578.

Juſtorum, & impiorum contrarietas; qualis. Mat. c.10.n.44. Ioan.c.14. n.12. Juſti nihil ſiniſtrum habent, ſed totum eſt ad dexteram. Mat. cap.5. num.100. ſunt medium, per quod Deus pluit ſuper injuſtos, & propter iſtos ſæpè etiam juſti flagellantur. Mat.cap.5.nu.100. Ipſorum vincula qualia, & quàm felices in vinculis. Mat. cap.11.num.4.ad 6.8. laborando obſervant feſta, impii otiando tranſgrediuntur. Mat. cap. 12. num. 5. Juſti non ſunt ſubjecti morti, nec vinculis, nec captivitati, ſed tantùm impii. Mat. cap.11.num.6. c.22. n.45. in tribulationibus triumphant, impii in proſperitatibus torquentur. Marc. c.6.nu.22. Cor. num.295. ſunt templum Dei, impii templum diaboli. Mat.c.23.n.18. Cor.num.55.ſequen. In morte tranſeunt à vere ad æſtatem, à regno ad regnum; à benedictione ad benedictionem; Impii ab hyeme ad hyemem, à captivitate, & maledictione, ad captivitatem, & maledictionem. Mat. cap.24. num.34. cap. 25. n.66. 68. Luc. cap.16.n.32. ad 37. Ioan. c.8.n. 19.& 21.

Juſti ſunt ſervi ſervorum diaboli; impii ſervi ſervorum Dei. Mat. cap.27. num. 8. Juſti quærunt ſigna in terra, impii in Cœlo. Luc. cap. 11. numer. 30. juſti non ſunt de hoc mundo. Ioan. cap. 8. num.14. Juſtorum exequiæ celebrantur concurſu Angelorum, impiorum concurſu Dæmonum. Luc. capit. 16. numer. 33. Juſtus ſi ſibi juſtus eſt, ſit impius; ſi ſibi eſt impius ſit juſtus. Luc. capit. 18. num.9. Juſti trahunt piſces,

Index Generalis.

ad dexteram Impii ad ſiniſtram. Joan. cap.10. num. 3. Juſtorum gloria, & felicitas in hac vita qualis. Rom. num. 64. 90. eorum lætitia eſt intrà, triſtitia extrà; impii è contra. Cor. n.280.ſeq.278. & hinc juſti ad reformationem interiorem magis intendunt, impii tantùm ad exteriorem. Cor.num.311.Coloſ.n.13. Juſti ad inviſibilia, impii ad viſibilia aſpiciunt. Cor. numer. 314. Illi gloriantur in Domino, impii in ſeipſis. Cor. numer.578

Juſtorum vita eſt circulus perpetuus à Deo ad Deum. Coloſ. num.21. Non ſunt ſub lege, ſed ſupra legem. Tim. num.4. eorum vita mundo abſcondita, ſed Deo patens. Coloſ.n.12. eorum veſtes quales. Coloſ. n.16. Tribulationes ſunt margaritæ juſtorum.1. Petr.c.4.n.7. Juſti Deo noti, impii ignoti. Apoc. n.26. Juſti laudem Deo gratam decantant verbis, & factis Apoc.n 51. ſeq. Juſti coram Deo veluti Seraphim ſtant volantes, & volant ſtantes. Apoc. num.65.

Juſtorum orationum ſuffragium quærendum. Rom. n. 214. fovcantur à Prælatis. Rom. numer.216.

Juvenis.

Juvenes quinam captivi Chriſti, quinam diaboli. Mat.c.19.n.18.

Juventus Deo oblata ſacrificium Deo chariſſimum. Luc.c.2.n.120.

Juventutis educatio in Dei timore ſolicitè curanda à Parentibus, & Prælatis animarum. Luc. cap. 1. num. 198. Ioan. capit. 21. numer.6.

L

Laborare.

Laborandum eſt in hac vita à volente requieſcere in alia. Jac. c.5. n.2. Labor pro temporalibus qualis licitus, & qualis illicitus. Joan.cap.6. n.17. Labor maximus à pluribus aſſumitur pro mundo, & pro Chriſto minimus recuſatur. Mat. cap. 16. numer. 125. ſequent.

Lachryma.

Lachrymarum virtus in fletu Petri expenditur. Mat.c.26. num.177. ſeq. ſunt baptiſmus, in quo lavatur anima, & ſubmergitur peccatum, & diabolus. Luc. cap.7.n.42. ſequent. Martyrem faciunt. Luc. cap. 7. num.41. ſunt unguentum ſanativum. ibid. num. 44. triumphant de Deo. ibid. num. 45. Ipſarum effuſio affert beatitudinem in hac vita, unde luctus ponitur tertio loco inter beatitudines, & cur; earum obrectum, qualitates, excitamenta, & effectus. mat. cap.5. numer.21. ad 25. lachrymæ ſolùm hujus vitæ valent extinguere ignem Inferni. Luc. capit. 16. numer.45.

Lapis.

Lapides in panem vertere proprium eſt diaboli, panem in lapides eſt Chriſti. Mat. c.4 nu.21. Lapidant Chriſtum ſcandaloſi,& ingrati.Mat. c.23.n.23.

Laro.

Latronis converſio in cruce expenditur. Mat. c.27.n.78.

Lavatio.

Lavatio pedum facta à Chriſto expenditur ad litteram, & moraliter. Joan.cap.13.num.5.& deinceps.

Laudare.

Laudant Deum alii ore tantùm, alii etiam corde. & hæc laus eſt, quæ Deo placet. Mat. c.15. num. 7. Laudes divinæ qualiter decantandæ exemplo Mariæ. Luc. c.1.n.164. cap.2. num. 98. Ad laudes divinas promptitudo ſignum eſt inhabitantis gratiæ. Luc.cap.1. num. 190. Laudans Deum exterius, & intus fovens peccatum ſimilis diabolo. Luc. c.4. numer. 33. Laudum divinarum perſolutio Religioſorum maximè de nocte, incepit tempore Apoſtolorum in Eccleſia. Act.num.191.1.Petr. num.5.

S. Laurentius.

S.Laurentii liberalitas in pauperes quàm largè à Chriſto remunerata.Cor.n.568.

In Lauretana æde facta eſt annuntiatio Incarnationis Luc.1.n.18.

Lazarus.

Lazari reſuſcitatio expenditur ad litteram, & myſticè. Ioan.c.11.n.10.& deinceps.

Lazarus reſuſcitatus iterum moriturus, non fit Chriſtus. Joan.ibid.n.25.

Lectio.

Lectio ſactorum librorum quàm proficua. mat. c.4. n.17. c.14.n.31. ſanctè introducta ad menſam Religioſorum. Mat. ibid. num. 25. & hoc ex inſtitutione Chriſti. Luc.c.10. n.47. Lectio librorum prophanorum quàm noxia.Mat.c.13. num.31.

Lectus.

Lectus carnalitatis quàm infectivus. Mat. cap.9. n.11. Lectus conſcientiæ qualis. Mat. cap.9. num.12.

Lepra.

Lepra natura expenditur, applicaturque vitiis, & peccatis, & qualiter curanda. Mat. cap.8. num. 4. ad 9. & 12. Luc. cap. 17. numer. 9. ſequent.

Lex.

Lex alia Evangelica, alia lex ſcripta. hæcque ceſſavit in multis à tempore Ioannis Baptiſtæ. Luc.c.1.n.1. Lex Dei, & naturæ indelebiliter ſcripta in cordibus hominum. Mat. capit.24. n.36.

Lex naturæ comprehenditur in præcepto dilectionis proximi. Mat. cap. 7. numer. 21. Lex Chriſti eſt reddere bonum pro malo; lex diaboli

Digitized by Google

diaboli malum pro bono ; mundi bonum pro bono ; malum pro malo. Mat.c.26.n.15. Luc.cap.6.n.22. Act.num.106. Cor.n.76. Theſ. num. 37.

Lex à Chriſto relicta diſcipulis ; ut fiat tranſitus à tribulatione ad gloriam , & è contra. Luc. c. 6. n. 18. Lex Evangelica comparatur cum Moſayca. Act. n. 185. Rom. num. 115. Cor. n. 294. Lex omnis à lege æterna Dei procedit. Rom.n.95. ſeq. legis divinæ præcepta expenduntur. Rom. n. 46. ejuſque fructus. Gal. n.37.ſeq.

Lex ſpiritus.& carnis quales in homine , & quomodo differunt. Rom. num.98.105. 108. Juſti non vivunt ſub lege,ſed ſuprà legem. Timot. num.4.

Libellus.

Libellum repudii quid, nec unquam fuit licitum. Mat.c.5.num.95.

Liber vitæ , & mortis quid ſit. Luc. capit. 10. num.23. Phil.n.94. Liber multiplex nobis expoſitus ad ſalutem ; ſcilicet liber Sacræ Scripturæ;creaturarum; Chriſti crucifixi ; & conſcientiæ. Rom.num.17.ad 21.44.ſequen.Apoc. num.48.

Libertas.

Libertatem ſuam Chriſto donans ex captivo fit liber ; ipſam retinens fit captivus. Mat. capit. 16. num. 25. Luc.cap.8. num.18. Gal.numer.63.ſeq.

Licitum.

Licitum quod eſt non ſemper expedit. Cor. numer.96.

Lignum.

Lignum vitæ V. Chriſtus V. Euchariſtia.

Lingua.

Lingua inſtrumentum eſt vel Spiritus Sancti, vel diaboli. Mat.c.10. n.41. Act.num. 45. 47. Jac.c.3.n. 2. 1. Joan. c.4. n.4. Lingua demonſtrat an in corde reſideat Chriſtus , an diabolus. Mat.c.10.n.41. Lingua mala peior diabolo Mat.cap.12.n.71. ejus peſſimi effectus.Luc. cap.16. num.44. Cor. num.146. Linguæ ignæ Spiritus Sancti , earumque effectus expenduntur. Act.nu. 38. 44. ad 47. Loquelam homini conatur diabolus auferre , ne Deum laudet. Mat.cap.12. numer. 24. Loquacitas longè ſit à ſervis Dei. Luc. c.1. num.199. cap.2. num.52. Loquacitas inimica orationis. Luc. c.2. num.52. Loqui de Deo quàm fructuoſum, Deoque charum. Luc. cap. 24. num.3. 5. Ex locutione cognoſcitur qualis ſit homo an Dei an diaboli. Joan.cap.3.num.21.Mat.c.10. num.41.

Lis.

Litium conteſtatio qualis licita ; & qualis non maximè in Religionibus. Cor. numer. 93. ſequen.

Littera.

Littera occidit , ſpiritus vivificat , quomodo intelligendum. Cor. numer. 194.

Lixivium.

Lixivium ſpirituale à Chriſto nobis expoſitum ad noſtram emundationem. Joan. cap.9. num.9.

Locus.

Locus non facit hominem Sanctum , ſed potiùs è converſo. Mat. cap.26. n. 39. Locus ultimus quæritur à veris ſervis Dei. Luc. cap.14. num.7.

Loqui. V. *Lingua.*

Logica.

Logica Chriſti,& diaboli qualis. Mat.c.21. n.73. c.27.n.74.

Lorica.

Lorica juſtitiæ qualis.Epheſ.n.94.

Lucas.

Lucas fuit Evangeliſta, pictor, medicus, & Chriſti diſcipulus. Luc. c. 1. Prol. ſcripſit librum actuum. Act. num. 1. Ejus Evangelium quale. Luc. cap. 1. Prol. ipſi multa de infantia Chriſti revelavit B. Virgo. Luc. capit. 1. Prol.

Ludus.

Ludi pueriles ſunt opera mundanorum. Mat.c.11. num.3.

Lumbus.

Lumbos præcingere quid. Luc.c.12.n.23.

Lumen.

Lumen;lux;lucerna ſunt Prædicatores,& Prælati Mat.c.5.n.65.

Lucerna.

Lucerna corporis eſt intentio vel recta , vel prava.Mat.c.6.n.93.

Lunaticus.

Lunaticus quis, eſtque myſticè peccator. Mat.capit.17.n.42.

Luna.

Luna quo magis verſa ad terram,eò minus lucet; & è contra quo magis verſa ad Cœlum eo magis lucet plena , ſic homo in ordine ad Deum.Mat.c.6.n.89.

Luxuria.

Luxuria quale vitium.Mat.c.5.n.91.c.12.n.24.Luc. c.17.n.19. cur inter omnia periculoſior. Mat. c.4.n.20. omnis ejus actus externus , & internus cum conſenſu. peccaminoſus mortaliter. Mat.c.5. n.90. eſt præcipua mercatura diaboli. ibid.n.91. Ejus filiæ quales.ibid.num.91.Lepra eſt abominabilis. Mat. c.8. n.6. Luxurioſi porci, in quibus libenter habitat diabolus. Mat. c.8.n.71. 80. Marc.c.5. n.16. Luxurioſus beſtia ligata, quæ à diabolo ducitur ad mortem. Mat.

c.10. n.6. ejus cæcitas qualis. Mat. c.20. n.55. Luxuria præcipitat in omnia alia ſcelera. mat. c.14.n.11. ejus lectus centrum eſt omnium ſoeditatum. Matt.c.2.n.9. Vitium eſt infame, quia tradit corpus, & animam in poſſeſſionem diaboli. Luc.c.7.n.35.c.8.n.16. Cor. n.84. 100. ad 105. Hebr.c.13.n.4. Luc.c.15.n.15. 20. ad 22. c.16.n.7.

M

Magiſter.

Magiſtri nomen in quo ſenſu ſuis diſcipulis Chriſtus interdixit. mat. cap.23.numer.12.

magiſtrorum, & Parentum in diſcipulorum, & filiorum educatione, & inſtructione cura, & obligatio qualis. mat.c.11.n.3.

Magnificat.

Magnificat canticum mariæ explicatur fusè, ejuſque excellentia. Luc.c.1. num.157. & deinceps ad 182.

Malchus.

Malchi auris amputatio in horto expenditur ad litteram, & myſticè. Mat. capit. 26. numer.148.

Maledictio.

Maledictio eſt ex malitia peccatoris, benedictio à Deo. mat. c.25. num. 88. Gal. numer.54. ſequent.

Maleficium.

Maleficia in homines diabolus verè facit. mat. c.8.n.81. qualia contra uſum matrimonii, & cur tam frequentia, ibid.n.80. an perpetua dentur. ibid.n. 81.

Malignitas.

Malignare in proximum proprium eſt invidorum. Mat. cap. 11. n. 34. maligna conſilia in aula diaboli tractantur. mat. c. 22. num.26. Malignitas qualis ex medicina ſpirituali facere venenum. Luc. c.2.n.105. Malitia humana ſibi ipſi mentitur. mat. c. 21. n. 56. ſemper certat cum bonitate divina. mat.c.22.n.25. Malum triplex, culpæ, pœnæ æternæ, & miſeriæ temporalis. mat. c.6. n.71. Mala ſocietas ruina bonorum quàm ſedulò vitanda. Mat. cap.8. n.57. c.9. n.62. cap.10. numer.35. cap.26. numer. 167. Mali unius ſocietas ruina totius congregationis. Mat. cap. 26. num.11. qualiter tolerandi mali à Prælatis. ibid. num. 45. Malos inter bonos cur Deus in Eccleſia permittit. Mat.c.14. num.37. Luc.cap.17.num.21. Inter malos eſſe bonum maxima eſt laus. mat. cap. 13. num. 40. Malorum dux contra Chriſtum Judas. mat.c.26. num.138. mala ſpiritualia, non corporalia timenda. Luc.cap.12. num.4.

Mandatum.

Mandatorum Dei cognitio, & obſervantia quàm neceſſaria ad ſalutem. Mat.cap.19. numer. 13. ad 19. ipſorum obſervantia ſignum certum amoris in Deum. Ioan. cap. 14. numer.7.

Manna.

Manna figura Euchariſtiæ. Cor. n. 158. Manna abſconditum paratum vincentibus mundum, carnem, & diabolum quid Apoc. numer. 22. ſequent.

Manſio.

Manſiones variæ ſunt in gloria. Joan. cap. 12. num.2. in Eccleſia. n.3. in Chriſti vulneribus. num.3.

Manſuetudo.

Manſuetudo cum proximo præcipitur à Chriſto, & qualis. mat. capit. 5. numer. 98. V. Mites.

Manus.

Manuum extenſio in Deo, & in nobis quid ſignificet. Mat.c.8.n.14.

Manus extendendæ ſunt ad manus ipſius extenſas. Mat.c.14.n.54.

manum dexteram aridam habere, quàm periculoſa infirmitas. Mat.c.12.n.14. Manuum impoſitio proprium Chriſti, & ſacerdotum. Mat. c.19.n.11.

Marcus.

Marcus fuit Evangeliſta, & unus ex ſeptuaginta diſcipulis Chriſti; ejus Evangelii auctoritas qualis. Marc. Prol.

Mare.

Mare eſt mundus, & pertranſeundus ne ſubmergamur. mat. c.4. num. 56. cap.14. n.42. & ut ad convivium Chriſti admittamur. Mat. c.14. num.14. Act. num. 179. Alii ipſum tranſeunt feliciter, alii ſubmerguntur. mat.cap.14. numer.46.ſeq.

Margarita.

Margarita emenda eſt Chriſtus Ieſus, item pœnitentia, item gratia Dei, item paupertas voluntaria. mat.c.13.n.69. ad 72.

B. Margarita.

B. Margarita cor repletum tribus lapidibus pretioſis depictis imagine Mariæ, Infantuli, & Joſeph. Mat.c.1.n.25.

Maria Magdalena.

Maria Magdalena introducitur ad pedes Chriſti, ejuſque converſio, pœnitentia, nativitas, ſtatus, peccata, obſequia Chriſto ab ipſa præſtita, & alia myſteria expendantur. Luc.c.7. num.21. & deinceps. ad 61. mat. c.26. num.7. marc.c.14.num.8. Mariæ Magdalenæ, & Marthæ domus quàm à Chriſto dilecta, & frequentata, aliaque myſteria. Luc.c.10.n.40. Ioan. c.11.n.3.ſeq.

Digitized by Google

Index Generalis.

Maria.

1. Mariæ nomen in Ave correctio fuit & nominis, & ruinæ Evæ Luc. cap. 1. num. 26. Mat. c.1.n.12. Mariæ nominis varia ſignificata indicant immenſa privilegia Mariæ. ibid. n.30. ſeq. de theſauro divinitatis extractum. nu.32. totius Incarnationis compendium num. 33. Mare indicat gratiarum Mariam nu. 35. Mare amarum contra dæmones, & ratione dolorum ipſius in Paſſione. num. 36. ſtellam polarem.n.37. illuminationem animæ Mariæ, & noſtram. num.38. ejus dominium.n.39. Deum ex genere Mariæ num. 40. Princeps facietum dicitur; nomen Maria quadrilitterum. num.40.Mat.cap.9.num.48. connectitur cum nomine Jeſu, & cum gratia plena. Luc.n.40. 76. hujus nominis virtus ſacramentalis ex opere operato. Luc. ca.1. num.40. explicatur talis virtus. num.64.Mat.num.31. connectitur cum nomine gratia plena num. 41. nobis ſuggerit cognitionem plenitudinis gratiarum ejus num.43

2. Mariæ prædeſtinatio differt à prædeſtinatione aliorum hominum.Mat.c.25.num.23.ejus prædefinitio in Matrem Dei facta expenditur.Luc c.1.num.15. ejus creatio miraculoſa expenditur. Mat.ca 1. num.9. non eſſet nata Chriſto non præfinito.Mat.c.1.num.10. ejus redemptio præfinita antè omnes alios. Marc.c.6. nu.38. cæteræ creaturæ ejus comparatione ſunt veluti nihil Luc. cap.1. num. 11. Mariæ merita ad Incarnationem expenduntur. Luc. capite 1. num.25.69

3. Mariæ conceptio immaculata oſtenditur in genealogia Chriſti. Mat. cap.1. num.8. verè Matet Dei in inſtanti conceptionis ſuæ ibid. num.8. ſeq. ſecundùm ſe totum ab ipſo primo inſtanti tota fuit Dei, & ad Deum. Mat. c.1. num.10. ejus immunitas à peccato patet ex hoc, quod dicitur Chriſtus ex ea natus. ibid.num.11.15.ſeq.Luc.c.1.num.111. ejus immunitas à peccato in Ave exponitur. Luc. c.1. num.17. item ex dono maternitatis.Luc. c.1.num.46.ad 49.Maria lux vera ſine admixtione tenebrarum.Ioan.cap.8.num.12. In Mariam tranſiit caro, non peccatum Adæ Rom. n.75.Epheſ.n.14

4. Mariæ annuntiatio facta per Gabrielem, cum ſuis circumſtantiis, & myſteriis explicatur. Luc.c.1.num.13.& deinceps cur facta per Angelum. Luc.c.1.num.13. & hoc in ſpecie humana.num.18.quo loco, quo tempore, quo modo ſcilicet an ſtante Angelo; cur incæpta per Ave. Luc.c.1.num.17. ad 23. ejus merita ad Incarnationem Verbi qualia. Luc.c.1.n.25. 69. ejus maternitas incæpit ab inſtanti conceptionis ſuæ;Mat.c.1.num.8. ſeq. maternitas ſpiritualis,& corporalis quale donum eminentiſſimum. Mat.c.12. num.51.Luc.c.1.n.46. ad 49.c.10.num.58.c.11. num.51. Maria genuit Deum ex amore concomitante. Luc. c.1. num.50. ejus unio cum Deo ex illis verbis Dominus tecum.Luc.c.1. num.51. ad 54. ejus turbatio in Annuntiatione expenditur. Luc. c.1. num.59. qualem revelationem habuit de Incarnatione Luc. c.1. num.61. Annuntiationis dies quàm ſolemnis toti mundo.Mat.c.21. num.2. Maria quaſi Mater æterna ante omnem creaturam. Luc. cap.1. num. 67. ſpecialis ſponſa Verbi & Spiritus ſancti. Ioan.ca. nu.8. ejus fœcundatio mirabilis exponitur. Luc. ibid. num.73. 174. communicata à Patre fuit ejus veluti paternitas. Epheſ. num. 28. Generatio humana Chriſti æmulatrix æternæ in utero Mariæ.Luc.ibid.num.79.Mat. c.1. n.18. ſeq. Ad Mariæ exaltationem dicitur Verbum caro factum,& filius hominis. Ioan.c.1. n. 19. Mat.c.8.num.,8. concepit ex contemplatione totius Trinitatis.Luc.ibid.num.83. concipiendo Chriſtum correxit errorem primorum Parentum.ibid. num.80. ejus uterus præparatus concurſu totius Trinitatis. ibid. num. 84. & factus officina proceſſionum SS.Trinitatis, & triclinium ipſius. ibid. num.85. ad 88. Mat. c.1.num. 30. ex ejus utero omnis benedictio provenit. Gal. num.36. in ejus utero nuptiæ celebratæ inter divinam, & humanam naturam. ibid.num.92.Mat. cap.22. num. 1. ejus uterus cur dicitur beatus. & thronus beatitudinis.Luc.cap.11.num.45.ad 48.Mariæ obumbratio facta à Spiritu ſancto expenditur. ibid. num.93.ad 95. Mariæ conſenſus in verbis Ecce ancilla Domini, &c. ejuſque myſteria maxima explicantur. ibid. num.102. ad 111. 115. 118. rapuit de ſinu Patris vi amoris Verbum Dei. Luc.c.1.n.75

Mariæ concurſus ad Incarnationem expenditur.Gal.num.46. Maria ſine gravedine gravida. Luc. c.1. num. 121. quanta beatitudo Mariæ ex dono maternitatis, & Incarnatione. Luc. c.1. num. 161. ſeq. 170. ejus virginitas floridior evaſit ex conjugio, & partu Chriſti. Mat. c.1. num.24. 29. ejus uterus Nazareth floridus. Mat.c.2. num.57. in ipſo ſeminatum granum frumenti. Ioan.cap.12. num.1.ſeq. ex Maria qualis lux Chriſto orta. Ioan.c.8. n. 12. per ipſam manifeſtatus eſt Chriſtus.Gal.n.47. prodiitque ſub lege. ibid. num. 48. divinitate repleta fuit ad exinanitionem Chriſti. Phil. num 45

Ad gloriam Mariæ conceptio Eliſabeth ſterilis notatur.Luc.c.1.n.109

Mariæ iter ad viſitandam Eliſabeth, & Joannem in utero expenditur. Luc. c.1. num. 123. ſeq. ſtatim ac concepit Verbum, iruit in peccatum originale per ſanctificationem Joannis. ibid.num.126. concurrit inſtrumentaliter ad ſanctificationem Joannis, uſumque rationis. ibid.num.134.ad 136. alia myſteria in hac viſitatione, & cantico Magnificat expenduntur.ibid.num.143. ad 186. Mariam Verbo fœtam lumine cæleſti agnovit Eliſabeth. Luc. cap.1.num.47. inter ſalutationem Mariæ, & Eliſabeth factum eſt Echo mirabile. Luc. c.1. num.148

5. Chriſti nativitas ex Maria Virgine in ſpelunca Bethlem fuſè deſcribitur cum ſuis circumſtantiis,& myſteriis Luc.c.2.num.9. & deinceps. Ager fuit, in quo abſconditus eſt theſaurus pretioſiſſimus. Mat.cap.13. num.65. eſt concha, in qua genita eſt, & edita margarita pretioſiſſima. Mat. c.13. num.74. Maria arbor bona qualem fructum nobis edidit.Mat. c.13.num.24.c.7.n.18.ad 44.c.13.n.14. ad 16. Ex Mariæ pulchritudine cognoverunt Paſtores parvu

Index Generalis.

patvulum Jeſum. Luc. cap. 1. num. 46. ſeq. Mariæ influxus quales in Chriſtum,& Chriſti in Mariam.Mat.c.7.num.42. Navis, in quam Chriſtus intravit.Mat.c.9. num. 2. Mariæ purificationis myſterium expenditur. Luc.cap.1. num.73. ad 75.77. per Mariam Chriſtus appellatur ſanctum. Luc.cap.1. num. 97. per ipſam manifeſtata filiatio Dei.ibid.n.99

Mariæ, & Jeſu, & Joſeph mora in Bethleem uſque ad purificationem expenditur. Luc.c.2. num.74. Mat. c.2. num. 37. Circumciſio deſcribitur Luc.c. .num.58.ſeq.Mariæ & Jeſu,& Joſeph iter in Ægyptum deſcribitur, eorum paupertas,& exercitia,& reditus de Ægypto. Mat.c.2.num.43. ad 55. Amiſſio parvuli Jeſu facta à Maria mons fuit, in quo Chriſtus ſe transfiguravit.Mat.c.17.n.19

Mariæ, & Ioſeph matrimonium verum. Mat. c 1.nu.20.ſeq. ſimilitudo qualis inter Mariam, & Ioſeph.Mat. c.1. num.25. Maria Virgo baptizata fuit à Chriſto. Mat. c.3. num.44. Ioa. c.13.num.8

6. Mariæ concurſus ad Euchariſtiam expenditur. Luc.c.1. num.149. meritò dicitur myſtica Bethleem, & domus panis cæleſtis. Mat. c.2. num.13. fuit Euchariſtia fructus ventris Mariæ ejuſque delitioſitas. Luc. c.1. num. 142. ad 149. Mat.c.1.num.52. cap.2.num.54. Tota cæleſtis,ex qua caro cæleſtis formata eſt pro nobis. Mat.c.9. num.59. qualis honor in Mariam ex inſtitutione Euchariſtiæ.Mat. cap.26. num.64.recepit Euchariſtiam in ultima cœna. Mat. cap.26. num.68. ejus poteſtas confertur cum poteſtate conſecrandi ſacerdotis. ibid. num 76. quotidiè ſumebat Euchariſtiam. Act. num.54

7. In Maria continentur ut in compendio eminentiſſimè omnes perfectiones omnium creaturarum.Mat. c.1. num.17. Mariæ privilegia, & gratiæ ſoli Deo perfectè nota. Mat. cap.1. num. 35. privilegiata ſuper omnes creaturas. Hebr.c.2. num.5. Maria theſaurus gratiarum eſt,ex quo Chriſtus ſolvit tributum pro nobis. Mat.c.17. num.51.Maria vas plenum unguento Spiritus ſancti effuſo ſuper Chriſtum. Mat.c.26. num.9. Mariæ plenitudo gratiarum expenditur.Luc.c.1. num.44.ſeq. Ioan. cap.7. num.18. Maria invenit gratiam apud Deum, & homines,& cur. Luc.c.1.num.65.ad 71.168. In Mariam plenitudine gratiarum intrarunt tres perſonæ,divinæ,quaſi certando. Luc. c.1. n.88.92. In Maria exornanda gratiis potentia Dei veluti exhauſta. Luc. c.1. num.172. ejus potentia confertur cum potentia Dei. Luc. c.1.num.173. In Maria inſculptum, & communicatum eſt nomen Jeſus. Luc. c.1. n.175. ſeq. Ex Maria quales gratiæ redundarunt in Ioannem Baptiſtam. Luc.c.1.num.187. Mariæ beatitudo in hac vita quoad animam, & corpus qualis. Luc.c.11. num.43. ſeq. ex Mariæ plenitudine gratiarum poſt Chriſtum derivant omnes gratiæ in membra Eccleſiæ. Ioa. c 1. num.42.Maria mare myſticum. gratiarum. Cor.num.150

Maria exemplar fuit omnium virtutum. Act. num.20.Mat.c.5. num.116. Maria Virgo virginum, ejuſque virginitas floridior, & purior ex conjugio, & partu. Mat. c. 1. num.24. 29. Luc.c.10. num.57.c. 23. num. 8. undè omnia eriam apparenter contraria virginitati cedunt in laudem ipſius.Luc.c.1. num.13. ſeq. votum virginitatis ejus expenditur.Luc.c.1. num.81. fuit ſigillum literarum noſtræ liberationis. ibid. num.82. ejus munditia expenditur. mat. c.5. num.19

Mariæ manſuetudo ſumma expenditur. Mat.c.5. n.20.Luc.c.1. n.130. ſeq. reddidit Deum mitem. Luc.c.2.n.97. Mons oliveti, & pietatis eſt, Ioan.c 8.n.4. ſeq. Mariæ paupertas altiſſima expenditur. Mat. c.5. n. 16. Inſpiravit S. Franciſco ſpiritum altiſſimæ paupertatis.Mat. c.5. n.17. ejus paupertas, & exercitia propria pauperum in Ægypto, & toto tempore vitæ. Mat.c.2.n.43.ſeq.

Mariæ pietas, & miſericordia expenditur. Mat. c 5.n.39.Luc.c.11.n.65.ſeq. Vide Mariæ protectio. Ubi adeſt Maria, ibi adeſt omnis miſericordia Dei, ejuſque furor abeſt. Marc. c.3.n.10. Luc.c.1. n. 185. Mater eſt omnium fidelium. Luc.c.1.n.6. Mariæ humilitas profundiſſima eam reddidit ſuper omnes Deo chatam. Mat.c.18. num.4. Luc.c.1. num. 165. ipſam reddidit Deo in omnibus conformem. Mat.c.26.num.119. metuebat audire ſuas laudes. Luc.c.1. num.60. perlucet mirabiliter in his verbis,Ecce ancilla,&c. Luc.c.1. num.105. 165. ipſam reddidit Deo capacem, & fuit fundamentum omnium gratiarum.Luc.c.1.n.165. ad 168. ſuo exemplo invitat omnes ad exercitia humilitatis. Mat. cap.11. num.41. Mariæ obedientia, & conformitas cum voluntate divina quàm ſublimis. mat. cap.26. num.119. cap.27. num.127. Luc. cap.1. num.105.cap.2. num.141.147

Mariæ economia in gubernatione domus expenditur.Mat.c.13.num.52. Ioan.c.2. num.11. Mariæ vita religioſa, ut monialis expenditur. Act.num.75. Mariæ ſolitudo, ſilentium contemplatio, & oratio in ſummo apice virtutis expenditur. Luc.c.1. num.61.160. 184. cap.2. num.50.ſeq. ejus vita activa, & contemplativa qualis. Luc.cap.11. num.56. Mariæ fides qualem beatitudinem ei contulit. Luc. cap.1. num.45.in ipſa ſola tempore Paſſionis Chriſti remanſit fides Eccleſiæ. Mat. cap.26. num.163

8. Mariæ dolores ex amiſſione filii, ejuſque Paſſione expenduntur. Luc. cap.2. num. 110. ad 113. ejus occurſus Chriſto in itinere ad montem Calvariæ. Mat. cap.27.num.40. ejus dolor in vulnere lateris Chriſti expenditur. Mat.c.27. num.116. ad pedes crucis pluſquàm martyr. ibid. num. 126. 128. ejus concurſus voluntatis ad Chriſti Paſſionem. Mat. cap.26. num.119.cap 27.num.127. mare amarum, & quinta eſſentia doloris, & pœnalitatum. Mat. cap.27. num. 129. Ad pedes crucis fuit ipſa Chriſti crux, & concrucifixa Chriſto. ibid. num. 130. Ejus anima ſpeculum vivum crucifixi, & dolorum ipſius. ibid. num. 131. ſeq. Mariæ dolores in depoſitione corporis Chriſti è cruce expenduntur, aliaque circumſtantiæ.Mat.c.27.n.138

9. Cur in hoc feſto legitur Evangelium de receptione Chriſti in domo Marthæ, & Magdalenæ. Luc.c.10 num.49. Mariæ animæ & corporis aſſumptio in Cœlum, triumphus, & glorificatio expenditur. Luc.c.10. num. 53. 63.

ejus

ejus glorificatio veluti novi Incarnatio. ibid. num.51. ejus gloriæ magnitudo; & immensitas mensuranda ex dono maternitatis. ibid. num.49.50. ejus thronus qualis in Cœlo. ibid. num.62. 67. Maria castellum Christi nobilissimum. ibid. num.54. Mariæ vita activa, & contemplativa in terra; & in Cœlo in Martha, & Magdalena significata. ibid.n.55. seq. In terra, & in Cœlo Maria optimam partem elegit perpetuò duraturam, scilicet fœcunditatem virginalem.donum, & meritum maternitatis, excellentiam naturæ,gratiæ;& gloriæ in natura, in gratia, & gloria advocationem pro nobis. ibid. num.57. ad 61. 65. seq. Maria gloriosa objectum est beatificum Angelis, & beatis, & quale. ibid. num.64. Mat. c.13.num.60. seq. è Cœlo videt nostras indigentias, audirque nostras preces, & quomodo. Luc. ibid.num.67.Mat.c.13. num.61. ejus commiseratio, & advocatio in nos. Luc. c.11. nu 65. seq. ejus corpus in Cœlo quàm splendidum. Mat.c.13. num. 60. Clara Dei visione toto tempore hujus vitæ potita est. Luc. c.1. n.161.seq.

10. Maria Mater est omnium fidelium. Luc.c.21. num.6. Maria abstulit mala mundo illata ab Eva.Mat.cap.1. num. 12. renovavit mundum. Mat.c.13. num.53. ejus intercessionis utilitates, & fructus quales. Mat.c.15.num.16. sola ducit homines ad Cœlum. Mat.cap.1. nu.13. c.2. num.21. Per Mariam, & Joseph, & in ejus brachiis invenitur Christus. Mat. cap 2. num.13. Luc. ca.2. num.43. ad 47. per ipsam præparata est medicina salutis mundo. Luc. c.1.num.74. Mat. c.1. num.14. sine Maria ductrice nemo negotium arripiat.Mat.ibid.n.40. Mariæ dominium super dæmones quale.Mat. c.4. num.16.c.8.num.76. Mariæ auxilium sæpè velocius, quàm invocato nomine Christi. Mat. c.21. num. 26. dominium in Angelos. Mat.c.4.num.58. & in totum mundum. Mat. c.8. num. 76. ipsam custodiebant exercitus Angelorum,ut servi ipsius. Luc. c.1. num.110. ad 121. ipsam circumstant Angeli in Cœlo laudantes eam, & ei obtempetantes. Apoc. num.43. 46. Maria est mare, in quod fideles se projicere debent ad evitando scopulos maris mundi. Mat. c 4. num. 58. Maria intercedente Christus sanabat multos infirmos. Mat. c.8. num.39

11. Maria benedictio electis pronunciando à Christo in judicio. Mat.c.25. num.67. & non participantes benedictionem Mariæ, maledicentur à Christo. Mat. cap.15. num.89 Mariæ protectionem habens habet omnia bona. Marc.c.6. num.14. Ubi est Maria, ibi adest Christus, & omne bonum, & benedictio. Luc.c.1.num.185.152.c.2.num.49. Ephes.n.4. hinc abest furor, & ira Dei. Marc.c.3. nu.20. per ipsam filiatio Christi patefacta, & nobis communicata. Luc. cap. 1. num. 99. Gal. num.49

12. Mariæ laudes redundant maximè in Dei laudem, undè Deo valdè placent. Luc. cap.1. num.171.cap.11.num.42.49. Maria diligenda, & colenda super omnes creaturas ex præcepto Christi. Mat.cap.25. num.55.ad ejus laudem, & honorem facta est descriptio totius mundi. Luc.cap.2. num.2. invocanda semper in initio nostrarum actionum. Luc. cap.1. num.16. Invocatio nominis Mariæ quàm salubris. V. mariæ nomen. Ad Mariæ laudes quàm sedulò concurrit Ecclesia. Luc. cap.1. num.41

Maria benedicta in mulieribus cur dicitur; benedicitur ab Ecclesia militante, & triumphante.Luc.cap.1. num.56. ad 58. Mariam laudant incessanter in Cœlo Beati,& Angeli.& maximè per trisagium Sancta,Sancta, Sancta. Luc. c.1.num.98. Maria salutanda frequenter, & maximè salutatione Angelica, hæcque fusè explicatur. Luc.cap.1. nu.130. seq.146.& 150. ex fructu ventris digna omni laude. Luc. c.2. num.140 Rom. num.217. Deum amans non potest cessare à laudibus Mariæ Luc. cap. 1. n.139. ejus laudes maximo affectu decantandæ Luc. c.1. num.138. ad 140. Mariæ canticum Magnificat fusè explicatur. Luc. cap.1. num.156. & deinceps ad ejus imitationem invitantur omnes ad laudandum Deum, & Ipsam Mariam. Luc.c.1.num.163. seq.quomodo Mariam prædicant omnes generationes. Luc.c.1. num. 169. ut Mater Dei post ipsum invocanda. Mat. c. 6. num.45. Mariæ Rosarium, & corona, ejusque mysteria expenduntur. Mat.c.13.num.22.Mariæ urbanitas qualis in salutantes eam. Luc. cap. 1. num. 130. seq. Maria protegit miro modo sibi obedientes. Luc.c.2.n.147

13. Maria ager, in quo absconditus est thesaurus cælestis, scilicet Christus; & plenitudo gratiarum.Mat.c.13. n.85. Arbor bona, pulchra, alta, & fructuosa, cujus fructus satiant fideles,& Beatos. Mat. c.., num.14. c.7 num.38. ad 44. Aula Dei ab ipso tota possessa. Luc.c 1.num.55. Bethleem, in quo fabricatus est panis vitæ, parva, & maxima. Mat. c.2.n.13.Castellum Christi nobilissimum.Luc. c.10.num.55.Concha in qua genita est margarita cælestis.Mat.c.13.num.74.Civitas nobilissima,in quam intravit Christus. Mat.c.9.n.2. Columba Spiritus sancti dilecta. Mat.c.3. n.59. Domus Dei & locus orationis.Mat. c.21.n.41. Homo,de qua filius hominis. Mat. c 8.n.48. Liber continens omnia mysteria fidei.Mat.c.1. num.7. liber purissimus, & candidus conscriptus verbo Dei. Mat. c.1. num.15. Locus orationis,& domus Dei. Mat.c.21.num.41. Luna, lucerna,& lux mundi. Ioan. c.8. num.12. seq. Apoc.num.83. Mare gratiarum, in quo salvatur homo à procellis maris mundi. Mat.c.3. num.58.Cot. num.150. Mater æterna æmula generationis æternæ. Luc.cap.1. num.66. Mat. c.1.n.18.seq.Medica, & medicina generis humani.mat.c.1.num.14.Luc.cap.1.num.74.Mysterium Cœli, & terræ, & omnium perfectionum creatarum. mat.c.1. n.16. seq. Mons, in quo Christus est transfiguratus.mat. cap.17. num.29. mons oliveti, & pietatis. Ioan. c.8. num.4.seq. Navis Christi. mat.cap.9. num.2. Nazareth florida. Mat. cap.2. num. 57. officina SS. Trinitatis, in qua processiones divinæ producebantur. mat.c.1. n.30. Luc. cap.1. n.85. Petra deserti.mat.cap.12. num. 61. Porta speciosa Cœli, ad quam pulsare debemus pro eleemosyna.Act.nn.61 Regina SS.Rosarii

Index Generalis.

Mat.c.13. n.12. Sancta Sanctorum. Luc.c.1. n.98. ſeq. Sigillum virginitatis, & litterarum noſtræ liberationis. Luc.c.1.n.82. Signum magnum in Cœlo ornatum Sole, Luna, & ſtellis. Apoc. n.87. ad 89. Speculum vivum crucifixi, & ejus dolorum. Mat.c.27. n.131. ſeq. ſponſa Spiritus ſancti. & Verbi. Ioan.cap.2. n.8. Stella polaris ducens nos ad portum ſalutis. Mat.c.1.n.13.c.2.n.21.25.40. Stella matutina. Apoc. n. 23. Templum divinum, & ſacratum. Ioan.c.8.n.5. Terra benedicta, numquam maledicta, optima cujus fructus optimi. Mat.c.13.n.14.16. Theſaurus pretioſiſſimus, quia continet Chriſtum. Mat.c.13.n 65. Thronus beatitudinis, & filii Dei. Luc.c.11. n.47. Apoc.n.41.ad 43. Triclinium SS.Trinitatis. Luc.c.1.n.87. Turris fortiſſima Eccleſiæ. Mat.c.21.num.66. Vas plenum unguento Cœli effuſum ſuper Chriſtum. Mat. capit.26. num.9.

Mariæ creatio miraculoſa expenditur. Mat.c.1. n.9. in ea incluſæ fuerunt perfectiones omnium creaturarum ſine imperfectione, ideò myſterium Cœli, & terræ. Mat.c.1. n.16.ſeq. Maria Jeſu appellabatur ab Apoſtolis; expellens omnem timorem. Mat. c.1. n.31. Maria præſente, & invocata diabolus amittit vires. Mat.c.4.n.16. Maria miſit per Angelos cibos paratos Chriſto poſt jejunium in deſerto. Mat.c.4.n.53.

Ex Mariæ paupertate S Franciſcus concepit ſpiritum paupertatis. Mat. c. 5. n. 17. Ex Mariæ fructibus cognoſcuntur in Cœlo ejus filij. Mat. c.7. nu.43. Maria comitabatur Chriſtum ſæpè in ſuis peregrinationibus cum aliis mulieribus. Mat. c.8. n.39. & Chriſtus ſæpè ad Inſtantiam piiſſimæ Mariæ ſanabat ægrotos. ibid.n.39. Dum Chriſtus ſæpè appellatur filius hominis, hoc redundat in maximam gloriam Mariæ. Mat.c 8. n.48. Major dicitur Joanne Baptiſta. Mat.c.11.n.24. Maria ut terra optima recipiebat ſemen divinum, afferens fructum centeſimum. Mat. c. 13. n. 14. ad 16. Mariæ Roſarium, & corona continet myſteria Regni Cœlorum, aliaque de ipſa expenduntur. Mat. c.13. num.22. Mariæ œconomia qualis in gubernatione familiæ. Mat.cap.13. n.52. per Mariam Deus dicitur homo Pater familias. Mat.c.21.n.61. Mariæ auxilium velocius ſæpè quàm invocato nomine Chriſti. Mat.c.25. n.16. Maria voluntate rationabili volebat Chriſti Paſſionem. Mat. c.27. n.127. Ubi adeſt Maria, ibi abeſt poteſtas diaboli furor Dei, & adeſt omne bonum. Mat.c.4. n.16. Marc.c.3. n.20.c.6.n.14. Luc.c.1. n.152. 185. Maria multa revelavit Sancto Lucæ de Chriſti infantia. Luc. Prol. Mariæ nominis, & aliarum Mariarum diſcrimen. Luc. c.1. n.86. Mariæ urbanitas qualis in terra, & qualis nunc in Cœlo cum ipſam ſalutantibus, & obſequentibus. Luc.c.1. n.130.ſeq. explicatur ſalutatio Angelica, ſcilicet Ave Maria. Luc. c.1. nu.22. & deinceps. Mariæ interrogatio; quomodo fiet iſtud &c. explicatur. Luc.c.1. n.78. Deſcriptio hominum juſſu Imperatoris à Deo ordinata ad ſalvandum honorem, & famam Mariæ. Luc.c.2. num.2. Maria cognita cognoſcitur Chriſtus Deus, & homo. Luc. c.2.n.46. Mariæ quàm exoſum vitium ſingularitatis. Luc. c. 2. n.76. Nulla ignorantia vitioſa fuit in Maria. Luc. c.2. n.142. Mariæ optima pars, quam elegit ſibi qualis. Luc.c.11. n.57.ſeq. Chriſti reſponſio in nuptiis, quid mihi, & tibi mulier, expenditur ad gloriam majorem Mariæ; Joan. c.2. num.13. Maria in corde Chriſti legebat myſteria ſacra. Ioan. c.1.n.16. Maria in corde Chriſti legebat myſteria ſacra. Ioan.c.2.n.16. Maria exercuit munera perfectæ monialis. Act.n.75. Mariæ imaginum veneratio à Spiritu ſancto provenit. Luc.c.1.n.95. Miracula per Mariam expenduntur. Apoc. n.41. ad 43. Angeli rebelles damnati, quia noluerunt adorare imagines Chriſti, & Mariæ. Apoc.n.93

Martha.

Martha domus chara Chriſto Jeſu. Luc.c.10. num.40. V. Magdalena. Ubi Martha conqueritur de Maria. ibi eſt felicitas ſpiritualis. Luc.c.10.n.48.

Martyr.

Martyrium triplex celebratur poſt natale Domini. Mat.c.2.n.50

Martyres nominis Jeſu Apoſtoli. Act. num.95. Martyrium SS.Innocentum expenditur. Mat. c.2.n.50. Martyres diaboli quinam, & quinam Chriſti. Mat.c.6.n.77.c.27. n.89.1. Petr. c.4.n.6. martyrum mors celebratur in Eccleſia cum lætitia, Chriſti autem mors cum fletu, & cur. Mat.c.27. n.46. Martyres quo atrocius torquebantur exterius, eo intus fruebantur conſolationibus. Cor.n.152.

Mater.

Mater vera qualis. & quæ Noverca. Marc.c.7 n.11. V.Pater. V.Parens.

Matthæus.

Matthæus principaliter tractat in Evangelio de Chriſti humanitate. Mat. Prol. ejus vocatio, & converſio fusè expenditur. Mat.c.9. n.17. quale convivium ſpirituale Chriſto præparavit. Mat. c.9. n.22. vocatus à telonio diaboli ad telonium Chriſti.ibid.n.23.

Matrimonium.

Matrimonii inſtitutio, aliaque ad ipſum, & conjuges ſpectantia expenduntur. Mat. c.19. n.4. ſeq. Ioan.c.2.n.3.ad 5.Rom.n.94. Cor.n.113. ad 124. Epheſ.n.86.ſeq. Matrimonium verum intervenit inter Mariam, & Ioſeph. Mat.c.1. n.20.ſeq. Aliud eſt, ad quod vocatur Chriſtus, aliud diabolus. Ioan.c.2.n.6.

Matrimonii multa incommoda expendantur. Cor. num.128. ſeq. Datur inſtructio ad uxoratos. Cor. n.130. Epheſ. n.86. matrimonium præfefert mortem, virginitas vitam. Marc. c.12.n.7. Matrimonium ſpirituale inter Chriſtum, & Eccleſiam, & animam expenditur. Ioan.c.2.num.7. Cor.n.99. Mat.c.19.num.6. c.21.n.1. inter Chriſtum, & Virgines. Mat. c.25.n.19.ſeq.

Maxilla

Digitized by Google

Index Generalis.

Maxilla.

Maxillam alteram percutienti exhibere quid ſit. Mat. c. 5. n. 98. & 200.

Mediator.

Mediator; medium. V. Chriſtus mediator. Medium eſt locus Chriſti. Luc. cap. 22. numer. 4: ad 6.

Medicus.

Medicus Chriſtus, medicaſter diabolus. Mat. c. 9. n. 26. Medicina ſacramentorum qualis. ibid. n. 26. Pœnitentia item. n. 25. qualis in meditatione Paſſionis Chriſti, & exercitiis virtutum. Apoc. num. 33. ad 35. Medicorum error magis confidentium in arte; quàm in divino auxilio expenditur. Mat. c. 9. n. 46. de ipſis non murmurandum, quando non attingunt curationem morborum. c. 9. ibid. Medica Maria, ejus medicamenta. V. M. figuræ.

Meditatio.

Meditatio myſteriorum Chriſti feratur in ipſum ut Deum, & hominem. Mat. c. 13. n. 16. V. oratio. V. Chriſti Paſſionis meditatio. V. Contemplatio.

Mendacium.

Mendacium in factis eſt iniquorum, qui benè dicunt, & malè faciunt. Mat. c. 7. n. 44. ſeq.

Mendicitas.

Mendicitas alia virtuoſa, alia vitioſa. Theſ. nu. 17. Mendicantium Religioſorum pauperum proviſio alia licita, alia illicita. Cor. n. 168.

Menſa.

Menſa Religioſorum exigit benedictionem, & lectionem ſacram. Luc. c. 10. n. 47. c. 24. nu. 15. Tim. n. 16. ſeq. Cur menſa, & cibi benedicuntur ab Eccleſia, ubi varia documenta circa hoc dantur. Tim. n. 26 ſeq Mat. c. 14. n. 25.

Menſura.

Menſura mundanorum falſa in æſtimatione temporalium. Mat. c. 24. n. 2.

Menſuram peccatorum Patrum implent filii eorum imitatores. Mat. c. 23. n. 19.

Mercatura.

Mercatura cœleſtis, & infernalis qualiter differant. Mat. c. 6. n. 91. c. 8. n. 56. c. 9. n. 23. c. 13. n. 68. ſeq. c. 16. n. 35. c. 19. n. 26. c. 20. n. 15. c. 25. nu. 34. Marc. c. 14. n. 10. Cor. n. 550. Phil. nu. 104. Mercatura ſpiritualis quam lucroſa. locis cit. fiat in tempore opportuno. Mat. c. 25. n. 15. ſeq. 27. 33. 36. c. 26. n. 44. Luc. c. 19. n. 17. Epheſ. nu. 55. Phil. n. 104. Apoc. n. 33. Mercatura, & latrocinium ſunt affinia. Mat. c. 21. n. 37.

Mercenarii boni, & mali quales, eorumque præmium. Luc. c. 10. n. 12. ad 14. c. 15. n. 13. Mercenarius Paſtor quis ſit. Ioan. c. 10. n. 16. 19.

Merces parata à Chriſto proportionata meritis, vel demeritis expenditur. Mat. c. 16. n. 36. c. 20. n. 18. ſeq. Mercedis æternæ, & paſſionum toleratarum in hoc mundo pro Chriſto ſit collatio. Mat. c. 5. n. 57. ad 60.

Merces glotiæ non ſit objectum principale noſtrorum operum, ſed pura gloria Dei, ejuſque voluntas. Mat. c. 19. n. 28.

Meretrix.

Meretrices, & publicani in quo ſenſu dicuntur præcedere in regno Dei ſacerdotibus, & Religioſis. Mat. c. 21. n. 57. ſeq.

Meritum.

Meritum aliud eſt præambulum ad gloriam; aliud ad ſupplicium æternum. Mat. c. 6. nu. 4. Meritum penſatur non ex qualitate gratiæ, ſed ex aliis conditionibus operum. Mat. c. 25. n. 48. Merita propria, non aliena ſalutem afferunt. Mat. c. 25. n. 12. Meritum ſtat non in verbis, ſed in advertiis. Luc. c. 21. n. 2. Meritum proprium eſt ex charitate exiſtente in anima. Rom. n. 130. ſeq. Cor. num. 312. Meritum poteſt haberi tam in bono, quàm in malo, & quomodo. Cor. n. 335.

Michael.

Michael Archangelus Chriſtum confortavit in horto. Mat. c. 26. n. 135.

Militia.

Militia perpetua exercenda in mundo ab homine. Mat. c. 24. n. 6.

Militia Chriſtiana qualis. Cor. n. 143. Tim. n. 8. milites inſtruuntur in ſuo munere Luc. c. 3. n. 25. ſeq. c. 4. n. 32.

Miniſter.

Miniſtri Chriſti honorandi ſunt. Mat. cap. 25 num. 79.

Miraculum.

Miraculorum patratio non oſtendit ſanctitatem, ſed opus bonum; illa enim ſunt ex fide, iſtud ex charitate. Mat. c. 7. n. 46. Miracula patrantur ad menſuram fidei. Mar. c. 6. n. 5. Miraculis efficacior eſt prædicatio verbi Dei ad converſionem peccatorum. Mat. c. 10. n. 37.

Miraculum multiplicationis panum expenditur ad litteram, & myſticè. Mat. c. 13. nu. 20. ſeq. 30.

Miſeria.

Miſeria exiſtentis in peccato expenduntur. Mat. c. 8. n. 54. V. Peccati effectus.

Miſericordia.

Miſericordia cur inter beatitudines à Chriſto ponitur quinto loco. Mat. c. 5. n. 5. ejus circumſtantiæ, qualitates, & effectus expenduntur. ibid. n. 30. ad 39. Miſericordia hominis ad Dominem attrahit Dei miſericordiam. Mat. c. 6. n. 75. hanc exigit Chriſtus à nobis, & non ſacrificium in quo ſenſu. Mat. c. 9. n. 29. c. 18. n. 50. c. 25. n. 70. ad 73. Miſericordiæ opera ſpiritualia, & corporalia conferuntur. Mat. c. 8. nu. 52. eorum effectus mirabiles expenduntur. Mat. c. 15. n. 59. c. 25. nu. 14. Luc. c. 6. n. 13. ad 27. Hebr. c. 13. n. 1. ſeq. Jac. c. 2. n. 5. ſeq.

Miſericordia eſt potiſſima crux, quam Chriſtus in hoc mundo portavit, & prima lectio ſuis tradita. Mat. c. 9. n. 30. ſeq. c. 25. n. 78. Miſericordiæ opera ſuper alia in judicio patefient. Mat. c. 25.

Index Generalis.

c.25.n.69. ſeq.eorum omiſſio potiſſima cauſa damnationis in judicio. Mat.c.25.n.95. maximè diſponunt ad Chriſti convivium, & convictum. Mat.c.12.num.9. 11. proximo propter Chriſtum exhibita ipſi Chriſto attribuuntur facta.Mat.c.25.n.70 ad 75. Miſericordiæ divinæ divitiæ expenduntur. Epheſ.n.17. quomodo convertitur in iram.Rom.n.33.ſeq.

Miſſa.

Miſſa quid ſit,& cur ſic appellatur. Mat. c.26. n. 87. De miſſa fusè agitur de ejus præparatione, celebratione, valore, effectibus, aliiſque myſteriis. Mat.c.26.n.74.& deinceps. Act. n.178. Cur in ea dicatur. Gloria in excelſis. Luc.c.2. n. 32. ſeq. Cur Chriſtus in ea ter appellatur Agnus Dei. Joan.c.1.num.37. Evangelium in fine Miſſæ in principio explicatur.Ioan.cap.1. n.29.ſeq.

Miſterium.

Miſteria divina plus percipiuntur operando, quàm ſtudendo. Luc.c.24.n.17.

Mitis.

Mitium beatitudo cur ſecundo loco ponitur;mititatis natura, conditiones, & effectus expenduntur. mat.c.5.n.18.ad 20.

Moniales.

Moniales inſtruuntur ex parabola decem Virginum. Mat.c.25. n.3. ad 7. Ipſarum ſtatus ſublimitas qualis.Cor. n.584. maximè commendabiles ex ſilentio. Joan.c.11.n.13.

Mons.

Ad *montem* ſolitudinis, orationis, & contemplationis continuè nos invitat Chriſtus & exemplo,& verbis. Mat.c.5.n.1.c.14.n.15.c.13.n.40. c.24.n.14.Act.n.13.

Mortificatio.

Mortificatio carnis quàm Deo placita etiam exterior.Mat.c.5.n.14.

Mors.

Mors alia corporalis,alia ſpiritualis, hæcque eſt in anima ex peccato mortali, Mat.cap.9.n.41. corporalis minus malum ſpirituali. Mat.c.26. n.103 quadruplex ab homine incurritur vel in bonum,vel in malum.Luc.c.7.num.15. Ubi Chriſtus adeſt, ibi mors abeſt. Mat. c.9. n.59. In mortuorum officio cur canitur Invitatorium. Regem,cui omnia vivunt, &c. Mat. c.9. n.59. Ubi mortuus plangitur, ibi advenit Chriſtus. mat.c.9.n.64.ſeq. In mortuorum funere pompa vitanda. Mat. c.8. n.53. Mortuorum funeris curatio opus valdè pium Luc.c.7. n.10. Theſſal.n.20.Mortui obliti à vivis,Ioan. cap.11.n.11. Meditatio mortis ſuadetur. Mat. c.9.n.64.Luc.c.11.n.6.c.12.num.24. mortem in vita, & vitam in morte invenire quid. mat. c.10.n.69.Phil. n.18. Mortem à longe aſpicere quàm exitiale. Mat c.24. n.50. Mortis hora, & tempus cur voluit Chriſtus, ut nobis eſſet ignotum. Mat.c.24.n.39. 46. Mors venit ſicut fur occultus. Mat.c.24. n.47. Mors ſemper expectanda. mat. c.24. n. 51. Ad mortem ſemper portatur homo.Luc.c.7.n.9.Ioan.c.4.n.39.Cor. n.244.

Mortuorum trium ſuſcitatio facta à Chriſto expenditur ad litteram,& myſticè. mat.c.9. n.71. Luc.c.7.n.7.Mors peccati peſſima.Epheſ n.75. Phil.n.17.Luc.c.7.n.15. Joan.c.11.num.11.mat. c.8.n.51. quomodo ab hac morte fiat ſuſcitatio. Luc. c.7. n.16. poſt reſurrectionem quid agendum. mat. c.9. n.72. Mortis, & agonis peccatorum anguſtiæ ob tempus amiſſum, ob peccata commiſſa,ob examen Judicis,ob alias circumſtantias multipliciter expenduntur.mat. c.21.n.49.c.22.n.35.c.25.n.13. ad 15.25. Luc. c.16.n.8.32.ad 42.c.19.n.20. c.21. n.13. Impiis advenit improviſa.Luc. c.21.n.13. acceleratur per peccata.Cor.n.165.

Mors juſtorum miſera ſolùm apparenter,ſed felix, & dulcis verè, & realiter.Mat.c.21.n.45.Abſorpta eſt rigiditas ejus pro juſtis morte Chriſti,& amore dulcorata.Cor.num 262. ad 264. Mat.c.9.n.58. Mors juſtorum unica,impiorum multiplex. Luc.c.16. n.32. ad 42. à juſtis deſideratur. Phil.n.18. ſeq. 26. In morte fit tranſitus à contrario ad contrarium. Luc. c.16. n.52. Mortis timor non tollit meritum juſtis. Cor. n.38. Phil.n.12.ſeq.28.ſeq.25. ſeq. Mortuorum reſurrectio in die judicii expenditur. Mat. c.22.n.41. Theſ. n.21. ſeq. Mors ſpiritualis in vita ſpirituali qualis. Phil. n. 17. Coloſ. numer.20.

Mulier.

Mulierum genealogia cur in ſcriptura non deſcribitur. Mat. c.1. n.6. An mulier ſit creata ad imaginem SS. Trinitatis. Cor. n.176. Mulieris proprium eſt cuſtodire domum, viri incumbere negotiis.Mat.c.13.n.51. Mulier mala grande malum. Mat.c.14.n.12.

Mulier pudica exemplo Mariæ domi moratur, impudica foris vagatur. Luc. c.1. nu.133.184. Mulieres maximè commendabiles ex ſilentio. Joan. c.11. n.13. Mulier velato capite incedat maximè in Eccleſia. Cor. nu.176.ſeq.180. Inſtructio datur mulieribus in orationis, & aliorum actuum exercitio. Tim. n. 17. ad 20. Mulierum conſortium,aſpectus,tactus quàm periculoſus.Cor. n.112. Mat. c.5. n.92. Mulieribus prohibetur prædicatio, & locutio publica in Eccleſia,non tamen inſtructio doctrinæ Chriſtianæ.Cor.n.277.

Multitudo.

Multitudo cauſat confuſionem.Act.n.88.

Munditia.

Munditia cordis eſt ſexta beatitudo; exponitur ejus qualitas cum circumſtantiis,& effectibus Mat.c.5.n.40.

Mundus.

Mundus moraliter ſumptus à triplici concupiſcentia regitur, carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ,cuique præſidet diabolus.1. Ioan. c.2.n.8. Ideò totus in maligno poſitus.1. Ioan.c.5. n.8. mundus clamat ad omnes venite ad me, &

ego decipiam vos Chriſtus è contrà, & ego vos reficiam. Mat.c.11.n.47. Plenus eſt foveis, in quas cadunt omnes à Chriſto recedentes. Mat.c.12.n.12. Mundi vincula vera, & aſpera, Chriſti verò dulcia,& libera.Mat.c.14.num.4. Mundi panis famem, Chriſti verò ſaturitatem cauſat.Mat.c.14.n.35. ſeq. A mundo vana; à Chriſto vera conſolatio. Cor.n.172. Dei ſervi non ſunt de hoc mundo. Joan. c.8. n.14. c.15. n.11. Cor. n.131. qualiter innovabitur in fine. Cor. n. 131. Mundana ſapientia vera ſtultitia eſt, ſapientia Chriſti ficta, & apparens ſtultitia. Mat.c.9.n.60. Luc.c.2.num.188. Mundani ſunt veluti ſtolidi pueri, eorumque opera puerilis ludi. mat. c.11. n. 33. Mundi delectationes in luctum,& ſepulchrum. & fœtorem terminantur. Mat.c.9.n.61. Mundus eſt forum,in quo omnia venialia, daturque indignis. Mat. c.20.n.15. Mundi turba, ſcilicet cogitationum vanarum,ableganda à ſervis Dei.Mat.c.9.n.63. c.15. n.23. Mundus retrahit à Chriſto. marc. c.10.num.22. Mundus non poteſt niſi in bona externa, non interna ſervorum Dei. mat. c.10. n.54. Mundana cum mundo tranſitoria, caduca,& inania. Mat.c.4.n.40.c.12.n.2. c.21. n.10. Marc. c.6. n.3. cum mundo ſunt liberaliſſimi.cum Chriſto avari. Mat. c.14.n.9.c.26. n.125. ſeq. Mundus proditor eſt, & totus ad perdendum hominem.mat. c.26. n.145. Marc. c.2.n.6.Act.n.128. Mundani primum bibunt in hac vita mel delectationum,poſteà in inferno fel amariſſimum. Ioan. c.2. n.18. Mundus hoſpitale plenum infirmis. Ioan. c.5.n.3.

Mundani ſunt falſi caupones miſcentes cum vino aquam delectationum carnalium intendentes poſſe ſervire ſimul Deo, & mundo.Ioan. c.2. n.21. Mundi honores fugiendi exemplo Chriſti.Ioan.c.6.n.14. mundum relinquens, & à mundo derelictus recipitur à Chriſto. Ioan. c.9.n.17. Mundus eſt mare, in quo piſces majores comedunt minores. Cor.n.593. iſtud mare eſt pertimeſcendum,ne in eo ſubmergamur. Mat.c.4 n.56. Mundi decor major ex bonis, & malis. Cor.n.337. Mundana bona ſunt ſtercora, & nullius valoris. Phil. num 66.alii ipſa à Deo,alii à diabolo accipiunt. Mat.c.4. nu.41. Mundi amor ablegandus à ſervis Dei. 1. Ioan. c.2.n.9. Mundus,& mundani munditiam exteriorem,ſervi Dei interiorem æſtimant.mat.c 5. n. 40. ad 45. Mundi converſio facta à Chriſto per piſcatores expenditur. mat. cap. 21. numer.7.

Murmuratio.

Murmurationis vitium quale ejuſque origo. Luc. c.15.n.4.V.Detractio.

Muſica.

Muſica auribus Dei, & Angelorum dulcis, eſt Pſalmodia,& oratio.Apoc.n.68. V. Pſalmodia. V. oratio.

Mutus.

Mutum conatur reddere hominem diabolus. Mat.c.9.n.75.c.12.n.24.

N

Nativitas.

Nativitas Chriſti cum ſuis circumſtantiis,& myſteriis deſcribitur.Luc.c.2.n.1.& deinceps. Nativitas juſtorum, & impiorum qualiter differant. Mat.c.14.num.6. 10. Nativitatem ſuam primus in ſacra ſcriptura celebravit Herodes, quia nativitatem celebrant impii; juſti diem mortis.Mat. cap.14.num.6. Marc.c.6. num.20.

Navis.

Navis Chriſti eſt Eccleſia onuſta piſcatoribus, negotiatoribus, bellatoribus, & viatoribus. Mat.c.8.num.56.c.14.num.56.c.13.num.2. Luc. c.5. num. 9. ad 12. quaſſatur fluctibus; ſed Chriſto præſente ſecura eſt. Mat. cap. 14. numer.40. Item eſt Religio, pœnitentia, crux. Mat.c.8. num. 56. cap.14. num. 56. Luc. cap.5. num.13.ad 15.Item eſt anima; quot modis periclitari poteſt. Marc.cap.6. n.35. Luc. capit. 5. n.14.

Negatio.

Negatio Petri cum ſuis myſteriis expenditur.Mat c.26.n.166.ad 172.

Negligentia.

Negligentia in Dei ſervitio quàm perniciosa, & Deo exoſa.Apoc.n.30.

Negotiatio.

Negotiatio lucroſiſſima in Eccleſia proponitur. mat.c.8.n.56. c.13.n.68. ſeq.V.mercatura.exercetur exercitio operum miſericordiæ. Mat.c.5. n.34. item per patientiam. Mat. c.5. nu.51.53. Negotiatio mala qualis. mat.cap.13. num.68. ſequent.

Ninivitæ.

Ninivitæ quomodo ſurgent in judicio contra Judæos, & Chriſtianos. Mat. c.12. numer.56. ad 58.

Nobilitas.

Nobilitas vera deſcendit ex virtute, & propinquitate ad Deum.Luc.c.3.n.46.

Nomen.

Nomen ex virtutibus, & operibus egregiis deſtimendum.Marc.c.3. num.12.

Nominis Dei ſanctificatio, quæ petitur in oratione Dominica expenditur. Mat.cap.5. n.46. ad 49.

Noviſſimus.

Noviſſimi quomodo erunt primi; & primi noviſſimi. Mat. capit. 20. numer. 28. ſequentib.

Novitius.

Novitii Religioſi novellæ plantationes quomo-

do plantandæ, & colendæ. Mat.c.7. num.16. Novitii Religioſi qualiter tractandi à magiſtris. Marc.cap.2. num.35. compatiendi ſunt in principio, nec eis onera provectorum imponenda. Mat.cap.9.num.35.eis non ſunt conferendi gradus proprii probatorum. Mat.ibid. Niſi in principio, & Novitiatu ſtulti fiant, parum proficiunt. Cor. num.58. perdentes primum fervorem ad ruinam totalem currunt. Apoc. num. 16. Novitiorum nimia receptio cavenda à Prælatis.Rom. num.88. Novitiorum obligationes expenduntur. Rom. num.163. eorum reformatio qualiter dirigenda à Magiſtris,& Prælatis. Rom. n.175. Cor. num.311

Nox.

Nox eſt peccatorum, in qua homines laborant ſine fructu.Luc.c.5.n.18

Numiſma.

Numiſma cenſus eſt anima inſculpta ſimilitudine vel Dei,vel diaboli. Mat.c.22.num.31. ad 37. Nummus,& moneta eſt anima. ibid.

Numerus.

Numerus quadragenarius ante purificationem Mariæ expenditur myſticè. Luc.c.2.n.78

Nuptiæ.

Nuptiæ inſtitutæ à Chriſto, ad quas alii vocant Chriſtum, alii diabolum. Joan.cap.3. num.6. Vide matrimonium Nuptiarum in Cana Galileæ hiſtoria, & myſteria expenduntur. Joan. cap.2. num. 2. ad 5. Nuptiæ ſpirituales inter Chriſtum, & Eccleſiam, & animam expenduntur. Ioan.cap.2. num.7. Mat. c.22. num.2. ad 9. Luc.cap.1. num.89. Vide Matrimonium. Delitiæ quales adveniunt animæ in nuptiis cum Chriſto. Apoc. num. 115. Ad iſtas nuptias veſtis qualis eſt neceſſaria Mat. cap.22. num.13.ſeq.

O

Obduratio.

Obduratio in peccato unde : ejus effectus Rom.n.33.ad 36

Obedientia.

Obedientia forma eſt virtutum, & actuum noſtrorum : Mat. c.4. num.68. Obedientiæ omnia cooperantur in meritum.Rom.num.154. Luc. c.9.num.11. ſeq. Per ipſam recuperantur bona amiſſa ſtatus innocentiæ. Mat.c.8. num.28. & cap.26. nu.114. eſt gratiſſimum ſacrificium Deo.Luc.cap.2.nu.145.ad 151. Neceſſaria profitenti fidem, & diſcipulatum Chriſti. Mat. cap.16. num.28. eſt virtus, quæ traxit Chriſtum è Cœlo in terram,& è terra ad Cœlum. Act.10.11. Ipſam exercuit Chriſtus toto tempore ſuæ vitæ, & ſuper quam fundavit Eccleſiam : ſicut inobedientia deſtruxit in Paradiſo primo Eccleſiam. Mat. cap. 4. num.4. ſeq. & 67. obedientiæ conditiones expenduntur. Act.num.120.123.Cor. n 608. Prælatis exhibita exigit Deum præcipientem pro objecto. Rom.num.186.Hebr.cap.13.n.8.Mat.c.8. n.2 Exigit ſollicitudinem, & promptitudinem. Mat.cap.4.num.69.c.9.n.19.28.ſeq. Deo magis obediendum quam hominibus. Act. num.81. Cor.nu.608. obedientia ſimul eſt mater & filia humilitatis. Phil. num. 45. attrahit Chriſtum eſtque ipſius domus dilecta.Mat. cap.21. n.4.c.26.n.7. Marc.c.11.n.2.4. 10. & 13. Luc c.3.num.40. c.10. num.40. Elevat animam in Deum. Mat. c.17. num.9. Ducit hominem à Deo ad Deum Mat.c.26.n.43.Luc.c.2. nu.140. c.7.num.4.31.Act.n.12.Obedientia oratio dulcis eſt animæ,& Deo Joan.c.4.num.34. Obedientiæ vincula diſſipant mundi vincula.Act. num.160.eſt navis ſecure ducens ad portum ſalutis.Luc.c.5.num.17. Act. n.217. Obedientes habent aurem dexteram ad audiendum:inobedientes tantum ſiniſtram.Mat.c.26. n.149. omnia etiam de ſe viliſſima reddit pretioſiſſima Luc.cap.11.num.12. Obedientiæ vincula rumpens incidit in vincula diaboli.Luc. cap.8. num.13. Obedientiæ calix omnibus fidelibus à Chriſto bibendus proponitur. Mat. cap.26. n.153.Marc.c.7.n.13. Obedientia quam prompta Joſeph,& Mariæ, nobiſque imitanda proponitur.Mat.c.2.n.42

Oblatio.

Oblationes ſolæ regum Deo ſunt acceptæ. Mat. c.2.num.29. Oblationum Deo factarum conditiones & circumſtantiæ expenduntur. Mat. c.5.num.82.ſeq.Luc.c.2. num.80. quales religioſorum, & contemplativorum. Mat. cap.2. num. 30. ſeq. In Eccleſia qualiter faciendæ. Marc. cap.11. ad 16. in oblationibus noſtris Deus non reſpicit quantum, ſed ex quanto. Marc.ibid.

Obſtinatio.

Obſtinatio character eſt diaboli. Marc. cap.8. num.23.& 25

Occaſio.

Occaſiones peccandi, & ſcandali quam ſollicitè vitandæ.Mat.c.18.n.10.ſeq. V.ſocietas.

Occultus.

Occultum nihil eſt, quod non reveletur. Mat. c.10.num.48

Oculus.

Oculorum cuſtodia multipliciter ſuaderur. Mat. capit. 5.num.93.oculi animæ aperiantur ſputo,& luto.Ioan.c.9.n.16

Odium.

Odium proximi in nullo caſu licitum.Mat. cap.5. n.101.odii & amoris certamen in Chriſto,& Iuda. Mat. c.26. n.145. quam deteſtabile vitium.Ioan.c.2.n.6.c.3.n.7

Officium.

Officium divinum. V. Horæ Canonicæ.

Oleum.

Oleum devotionis reponendum in lampadibus. Mat.c.25.n.6

Opus

Digitized by Google

Index Generalis.

Opus.

Opera V. meritum.

Operum bonitas,& meritum eſt ex charitate, & gratia ſanctificante, ſimulque ex voluntate Cor.n.168. 573.Rom.num.130. ad 134. Opera non verba à nobis exigit Chriſtus.Mat.cap.7. n.44. ſeq.c.12.num.13.Marc.cap.1. nu.14. ſeq. Opera bona,non miracula præcipuè merentur gloriam. Mat.c.7. num.46. qualia occultanda: Mat.c.5. num.67. Ipſorum remuneratio expenditur. Mat.c.7.num.4.ſeq.ad 6.n.16. c.10. num.74.c.25.n.12. Marc. c.10. n.19.c.9. n.21. Luc.c.10.num.11. ad 14. Joan.cap.4. num.35. Rom.n.131.ad 134. Opera aliis ſunt ad vitam,aliis ad mortem.Joan.c.4.n.35.Opera miſericordiæ ſuadentur multipliciter. Mat.c.8. num.52.c.25.n.69.73. Tim. n.28. ad 31.Hebr. cap.13.per totum.Chriſtus ſibi reputat facta opera miſericordiæ proximo exhibita. Mat. c.25.num.70.73. magis reſpicit ad intentionem,quam ad ipſum opus. Mat.c.20. num.22. Propria, non aliena remunerat. Mat. cap.25. num.12. Et illa ſolum quæ in æſtate fiunt, non in hyeme. Luc. c.21. num. 10. & etiam indifferentia regulata à gratia Rom.num.131. ad 134.Cor.n.166. ad 168. qualia facies, tale erit præmium.Mat.c.20.num.21. & Cor.n.568. ad 571. Apoc. nu.109. ſeq. Opera noſtra bona reddunt efficacem Chriſti paſſionem Cor. num.109. Iſta in omni tempore exigit Deus. Ubi de ipſorum neceſſitate. Phil.num. 55. Gal. num.81.ad 85. Jac.c.2.num.6.Apoc. n.2. Opera plena apud Deum qualia.Apoc.nu.24. ſeq.opera noſtra ſunt quæ nos ſequuntur ad mortem, & judicium. Apoc.num.102. & 109. Luc. cap.17. num.4. operarios quales exigit Chriſtus in vinea ſua. Mar. cap.20.n.16.& 20.

Opportunitas.

Opportunitas pœnitentiæ veræ qualis. Marc.c.2. num.5

Opprimere.

Opprimentes proximum, & maxime tribulatos excitant contra ſe iram Dei, & creaturarum. Mat.cap.27. num.95. Luc.cap.21.num.5. Cor. num.350

Oratio.

Oratio eſt aſcenſus,& volatus animæ in cœlum; & ad Deum.Mat.c.15.n.40. Alia eſt vocalis & externa,alia mentalis: & qualis ſit utraque. Mat.cap.6.n.28.ad 31.35. ad 37. Ioan. cap.11. num.13. De utraque varia genera orationum expenduntur. Tim.n.9. Cur à Deo conſtituta. Mat.c.6.num.24.c.7.n.13.ad 15.oratio vocalis alia efficax alia non.Mat.c.6.nu.28. ſeq. multiplex modus talis orationis traditur, ubi de Pſalmodia.Mat c.6.num.31.ad 34. qualis attentio in ea exigitur. Mat. ibid. num. 30. ſine intentioni Deo non placet.Mat.c.15.num.7.orationis mentalis natura qualitates, & fructus expenduntur.Mat.c.6.n.35.ad 37. Luc.cap.19. n.2.Ioan.c.4.n.10. Alia eſt quietis, & paſſiva, alia per diſcurſum,& meditationem,& activa. Cor.num.16

Oratio cum humilitate quam Deo chara Mat. c.6.num.22. ad 27.38.c.8. num.63. Marc.c.10. num.25

Oratio communis in Eccleſia ſummè Deo grata Mat.c.18.n.28.marc.c.6. num.31. ordinata eſt à Deo, ut ſuppleat vices præſentiæ Chriſti; tanquam ejus Vicaria .Joan. c.16. n.14. trahit Deum ad nos & ad exequendam noſtram voluntatem: ſimulque trahit nos ad Dei viſionem. Mat.c.9. num.44. 52. ad 58. Marc.c.10. num.21. Luc.c.11.num.13.ſeq.c.18.n.20. Act. num.42.52.Rom.n.127.ſeq. Apoc. n. 70. ſeq. Phil. num.99. Deus vult conferre gratias, ſed prius vult rogari.Luc.c.11.n.8.13. ad 15. Plus oratio impetrat, quam petat. Luc. c.15.n.32. Cogit Deum. Luc. cap.18.num.6.Mat. ca.15. num.29

Orationis conditiones expenduntur. Mat. c.4. n.25. ſeq.& c.6.n.16. ſeq. & n.20. & deinceps & c.7.n.19.& c.15.n.20.ad 23.& c.26. n.104. & deinceps.Marc.c.3.n.6.& c.9.n.12.& Epheſ. n.97. Jac.c.1.n.5.& ſeq. qualem præparationem exigat. Mat.c.6. n.20.ſeq. Luc.c.7.nu.4. qualia exercitia virtutum exigit. Mat. c.4. n.25.ſeq. Socianda cum jejunio, & eleemoſyna. Mat.c.6. n.8.& 10.76. c.17. n.47. Luc. c.16.n.56. Sit cum intentione pura Deo placendi. Mat.c.6.n.9.& c.8.n.10.& 66. Sit cum fiducia, & humilitate, & conformitate. Mat. c.6.n.11.& 14. c.21. n.54.c.15. n.28.& 32.36. ad 39.Marc.c.11.n.21. Luc.c.18.n.10.1. Ioan. c.3.n.10.ſeq.fiat in ſolitudine, & in templo cordis. Mat.c.6. num.11. ad 14.& 16. ad 18.& c.14.n.38.& c.17.n.12.& c.26. nu.104. ad 112. Luc.c.4. n.36. ſit pie importuna. Mat.c.15. n.32. Luc. c.11.n.13.& 17.c.18.n.5. Marc.c.10. n.23. Sit trina exemplo Chriſti. Marc.c.14. n.15. Sit cum vigilantia. Mat. c.26. n.116. ad 130. Marc.c.14.n.14. Sit ſine oſtentatione, & præſumptione. Mat.c.6. n.11. Luc. c.18. n.2. & 12. & 20. Cultus interior & exterior, & diſpoſitio corporis quales. Mat.c.26. n.131. & c.8.n.8. Luc.c.7.n.38. Ioan.c.4.n.21. Sit cum perſeverantia. Act.n.19. Theſ.n.38.ſeq. Tempus orandi eſt omne tempus; & maxime nocturnum & omnis locus. Mat.c.6. n.15.& 19. Marc.c.6.n.31.& c.9.n.3. Luc.c.7.n.29.& c.11. n.2.& c.18.n.1.c.16.n.55.Ioan.c.3.n.2.

Oratio ſuadetur multis rationibus, ejuſque utilitates expenduntur. Luc. c.6. n.3. c.11. n.19. & c.18.n.3.& 11. Col.n.32. Mat.c.6.num.27.& c.7.n.18.ſeq. Ioan.c.6.n.21. & c.9. nu.14. Act. n.34. eſt clavis aperiens Cœlum.Mat.c.3.n.37. introducit animam in Cœlum. Luc.c.9.n.17. medium exercendi actus aliarum virtutum. Mat.c.6.n.24.& 27. eſt optimus nuncius ad Deum. Mat. c.15.n.30. ſequ. transfigurat animam ad ſimilitudinem Dei. Mat. c.17. n.16. A periculis liberat, maximè in tempore tribulationis. Mat.c.14.n.46.52.58.c.24.num.14. & 19. Marc.c.4.n.17. Obtinet veniam peccatorum. Mat.c. 18.n.52. Act. n.112. Apoc.n.70. ſeq. Oratione juſti portant peccatorem ad Chriſtum, ut ſanetur. Marc. c.2.n.8. Illuminat mentem. Marc.c.10.n.51. Luc.c.11.num.3. c.15.n.8. præmittenda actionibus noſtris.Luc. c.3.n.38.c.18.n.4. Ioan c.2. n.25. diſponit ad receptionem gratiarum. Ioan.c.4. n.15.& 18. Oportet ſemper orare, maxime in tempore tribulationum. Luc.c.18.n.1.c.21.n.14. Rom.

n.154. Cor. n.600. Jac.c 5. n.5.& 9. Cur aliquando exauditur aliquando non mat. c.6. n.25.ſeq.c.7.n.16.Marc.c.6.n.6.Act.n.61.& 68. Cor.n.601. Jac.c.4.n.1. Ejus efficacia quanta. Mat.c.8.n.10.66.c.7.n.14. oratio pro neceſſitatibus proximi quam Deo chara, & maximè pro perſecutoribus. Mat.c.5.n.105.c.9. num.4. Luc.c.5.n.34.Rom.n.138.

Oratio publica quam Deo chara. Act.n.58.ſeq. & 1.158.Mat.c.18 n.28. Tim.n.15.

Orationis dominicæ partes expéduntur, ejus efficacia & utilitates expenduntur. Marc.c.5.n.6. ſeq.c.6. n.38. deinceps. Orationis 40. horarum inſtitutio & utilitates. Mat. capit. 21. num.15

Oratio dæmonis, & impiorum qualis, aliquandoque exauditur in damnum orantis. Mat. c.8.n.75. c.10. n.39. oratio ante electionem Prælatorum quàm neceſſaria. Mat. c.3. nu.7. Oratio hæc, Deus propitius eſto mihi peccatori: & alia. mane nobiſcum quoniam advеſperaſcit, ſæpè repetenda. Luc. c.18. n 12. c.24 n.14.Orationis ſonus ut organorũ. Prædicationis ſonus tubæ. Act. n.34. oratio à viris facienda diſcooperto capite: à mulieribus velato. Cor.n.179.Tim.n.17. Orationem noſtram offerunt Deo Angeli. Apoc.n.70. Orationis ſuffragium à juſtis quærendum. Rom. n.214. oratio in hac vita corrigit defectum obſcuritatis fidei. Cor.n.230. In oratione levandæ manus ad Deum, & quomodo. Tim. n.16. orationum varia genera traduntur. Tim. n.9. Oratorii vices Chriſtianis agit omnis locus, ſed præcipuus eſt Eccleſia. Tim. n.14. ſeq.

Ordo.

Ordo in Eccleſia, & Eccleſiaſticis functionibus & Religionibus quam neceſſarius. Mat. c.14. n.34.36. Luc.c.14.nu.8. Coloſ.numer.14.Cor. num.230.

Os.

Os & Cor promptum ad Dei laudes ſignum eſt inhabitantis gratiæ. Luc. cap.1. n.190. c.18. n.15.Os fons eſt vitæ, & mortis. Eph.n.56.V. lingua.V. Detractio.

Oſculum.

Oſculum quale eſt ad ſalutem. & quale ad damnationem.Mat.c.26.n.142.

Oſtium.

Oſtium vitæ Chriſtus. V. Chriſtus. Oſtium cordis Deo aperiendum. Apoc.n.36.ſeq.

Otium.

Otium peſſimum vitium, ejuſque effectus expenduntur.Mat.c.21.n.78.c.20.n.11.ad 14.In Prælatis ruina ſubditorum eſt Mat. c.15. nu.34. Otioſus occupatur à pluribus dæmonibus. Mat.c.4.n.66. Otioſus apud Chriſtum eſt non laborans pro vita æterna. Mat.c.20. num.13. Otioſum verbum. & opus quale ſit: ubi de indifferentia actionum. Cor.n.166. ſeq. Mat. c.12.n.50.

Ovis.

Ovis Chriſti, & Diaboli quales. Ioan. capit.10 numer.3.

P

Panis.

Panis domus eſt Eccleſia. Mat.c.2.n.3. Panis Chriſti, & diaboli quales. Mat.c 4. n.23. c 6.n.61.c.14.n.10.c.15.n.45.Panis Chriſti reficit panis mundi famem, & dolorem affert. Mat.cap.14.n.35. Panem qualem petimus in oratione Dominica, & cur dicitur ſuperſubſtantialis. Mat.c.6. num.54. Panis petendus à Deo de die,non in nocte.Mat.c.6.num.60.negatur canibus,non catellis.Mat.c.15. num.34. ſeq. Panem in lapides vertit Chriſtus, lapides in panem vertit diabolus. Mat. c. 4. num.11. Panum multiplicatio facta à Chriſto aliaque miſteria expenduntur.Mat.c.14.n.10. & deinceps. Panis naturæ, pœnitentiæ,doctrinæ, & gratiæ datur nobis à Chriſto.Mat. c.14. n.18. Luc.c.14.n.18.ſeq. micæ panis in menſa religioſorum colligendæ Mat.c.15.nu.61. Panis micæ ſunt ſuffragia ſanctorum.Mat.c.15. n.33. Panes hordeacei à Chriſto nobis exhibentur. Joan.c.6.n.9

Papa.

Papa ſummus totius Eccleſiæ Pontifex:ejus fides fundamentum Eccleſiæ & ſalutis.Mat. cap.16. n.14.ad 21

Parabola.

Parabola à Chriſto propoſitæ qua moderatione ſumendæ.Mat.c.18.n.57

Paradiſus.

Paradiſus mundanorum gehenna eſt,& infernus. Mat.c.5.n.79

Paralyſis.

Paralyſis ſpiritualis eſt invidia, & accidia. Mat. c.9.num.8.ſeq.

Parentes.

Parentum obligatio in educatione filiorum expenditur.Luc c.1.num.198.c.2. n.121. ad 124. V. Pater. V. filius.Mala educatio quam ſevere puniatur à Deo.Mat.c.7.nu.32. loco Chriſti ſuccedunt in educatione.Mat.c.11.n.3.cap.12. num.73. Parentibus benedictio Dei provenit bona educatione. Luc.c.2.num.101. c.9. n.50. Phil.n.91.Parentibus qualis honor debetur à filiis Epheſ.num.66.Mat.c.15.n.5.Parentes relinquendi à filiis pro Chriſti loquela. Mat. c.8.num.50

Parochus.

Parochorum obligationes expenduntur. Apoc. n.24. V.Paſtor.V.Prælatus. Parochiani Chriſti, & diaboli quinam: eorumque ſepultura. Luc.c.16.n.36

Paſcha

Digitized by Google

Index Generalis.

Paſcha.

Paſcha ſolemne Chriſto fuit ſui in Cruce immolatio. Mat.c.26.n.3

Paſſio.

Paſſio. pati : patiens. V. pœna. V. *Patientia.*

Patiens.

Patientibus pro Chriſto merces qualis parata. Mat.ca.5.n.57.ad 60.quam glorioſum pati pro Chriſto 1. Petr.c.3.num.5. Apoc.num.66. Patienti pro Chriſto omnia cooperantur in bonum etiam aliis noxia. Mat.cap.5. num.53. in auxilium ejus accurrunt Angeli. Act. nu.161. Pati libenter pro Chriſto ſignum eſt prædeſtinationis. Col.n.15. Paſſiones hujus vitæ non ſunt condignæ ad gloriam paratam. Rom. n.118.ad 121. Paſſiones aut præcedunt, aut conſequuntur conſolationes divinas. Cor. n.173.& 276. Paſſiones quomodo noſtræ dicuntur eſſe Chriſti. Cor. n.274. quomodo dicuntur complementum paſſionum Chriſti. Col.num.11. Paſſiones ſuas tamquam particulas varias diſtribuit Chriſtus & dividit inter juſtos. Cor.n.275. Per paſſiones ſolum pervenitur ad gloriam. Mat. c.17. n.21. 23. ſecundum menſuram ipſarum dat Deus conſolationes ſuas. Cor.n.276

Paſtor.

Paſtores fuerunt primi prædicatores nativitatis Chriſti. Luc.c.2.n.17

Paſtorum animarum obligationes variæ expenduntur. Luc.c.2.num.15. ſeq.39.42. 84. Joan. cap.10.num.6. ſeq. Cor.num.242.Phil. n.103. quis verus Paſtor, quis mercenarius. Ioan.c.10. n.2.16.19

Paterfamilias.

Paterfamilias cauſa omnis boni vel mali totius familiæ. V. Parens. Luc.c.19.n.14. Patrum peccata quomodo tranſeunt quoad pœnam ad filios. & cur. Joan.c.9.num.3. Pater dilectione naturali plus diligit filium, quam è converſo dilectione gratuita filius plus diligit patrem. Cor.n.603

Patientia.

Patientia virtus eroïca, lucroſiſſima negotiatio eſt : ejuſque laudes. Mat. c.5. num.49. ad 58. Luc.c.6.n.13.ſeq.Hebr. c.10. n.9. Ejus gradus quales. Mat.c.5.num.50. Act. num.82. octava benedictio, & complementum eſt totius perfectionis qualitatis talis benedictionis. Mat. c.5.n.49.ad 58. Navis eſt Chriſti. Luc. cap.5. num.17. Patientia reddit meritorias pœnas etiam naturales & quomodo Mat.c.5.num.49. ad 58. Per memoriam paſſionis Chriſti dulceſcere facit omnia amara. Mat.c.5.nn.52.ad 55. Phil.n.3. Reddit hominem liberum : Impatientia captivum. Luc.c.21.n.8. Patientes pro Chriſto quam privilegiati. Luc. c.22. num.7. qualis neceſſaria miniſtris & Prælatis Eccleſiæ hem & Pauperibus. Cor.n.533. Iac.c.5.n.3

Paulus.

Pauli perſecutiones in Eccleſiam expenduntur. Act.n.116.ad 119. Ejus converſio, laudes, virtutes, & mutatio nominis ex Saulo expenduntur. Act.n.120.128.& deinceps Rom. n.2. Cor. n.117.592.595.598. ſed quomodo nihil videbat, & ſimul vidit mariam. Act. n.118. Cur in Bullis apponitur ad dexteram, & Petrus ad ſiniſtram. Gal.n.13. Ipſius diſſenſio cum Petro circa circumciſionem. Gal.n.16. Pauli ſtimulus carnis qualis. Cor.n.599. Ejus ſtigmata qualia; Gal.n 95

Paupertas.

Paupertas alia eſt neceſſitatis, alia voluntaria, & qualiter differant. mat.c.5.n.8. Theſ.n.13

Paupertatis voluntariæ gradus expenduntur. Mat.c.5.n.14. eſt prima benedictio, primumque elementum eſt fundamentum perfectionis Evangelicæ. Mat.c.5.n.7.ad 9.c.11.nn.13. c.19. n.22.15. Marc c.10.n.12. Luc. c.5. n.27.c.6. n.9. c.7.num.21. Gal.n.92. Paupertas Chriſti omnium perfectiſſima, & quale diſcrimen cum paupertate ſanctorum. Mat.c.21. num.45. Joan. c.6.num.4.ſeq. c.14.num.14. Cor.nu.558. Paupertas communis Chriſtianorum. & religioſa qualiter differant. Mat.c.5. n.8. Act. n.63.75. Paupertatis voluntariæ laudes, & privilegia recenſentur. Mat.c.5.n.10.ad 15.c.11. num.13. c.19.num.31. Marc. c.1.n.24. Cor. n.4. ſeq.341. 556.ad 563. Gal.n.15. Phil.n.101

Paupertas fratrum min. S. Franciſci qualis. Mat. c.5.n.15.ſeq. ſimilis paupertati Chriſti, & Apoſtolorum. Mat.c.10.num.17.ſeq.c.19. num.27. Pauperes in judicio à divitibus repetent, quæ ipſis fuerunt indebite negata. Mat.c.5. nu.99. Per paupertatem theſaurus indeficiens in cœlo congregatur. Mat. cap.6. num. 86. ad 89. Theſaurus pretioſiſſimus pro quo vendenda ſunt omnia : & margarita pretioſiſſima. Mat. cap.13.num.62. 71. moneta eſt qua emitur regnum cœlorum. Marc.cap.10.num.15. Paupertas ſequacium Chriſti qualis, & quam mundo deſpecta : Mat. c.11. num 3. ſeq. inter ipſam & cupiditatem quale certamen. Marc. c.10 num.15. qualis requiritur in Prædicatoribus Luc.c.10 nu.6.9. Paupertas, & neceſſitas felix, quæ ad Chriſtum ducit. Ioan. cap.4. n.8. Pauperes ſoli, & cæci, & claudi, & debiles intrant in cœlum. Luc c.14. nu.24. ſub veſtibus pauperum adſpiciendus eſt Chriſtus. mat. c.14. num.13. Luc.c.19. num.11. convertere in uſus prophanos res pauperibus debitas, quale nefas. Mat.c.17.n.54. Pauperes voluntarii nunquam à Deo derelicti. Mat.c.6.num.113. Paupertatis religioſæ tranſgreſſio quale malum. Act.num.78. Paupetum oppreſſores à Deo ſevere puniuntur. Luc.c.18.n.7. ſublevandi à divitibus. Theſ.num.53. mat.cap.14.n.14.18

Pax.

Pax Pacificus. Concordia. V. unitas.

Pax alia vera eſt Dei, alia falſa, & mundi. mat. cap.5. num.47. ſeq. cap. 26. num. 143. Luc. cap.2.num.34. Phil. num.100. Pax impiorum eſt pax diaboli. Mat. cap. 26. num. 26. & à Chriſto aliena. Mat. cap.10. num. 58. ad 61. Pax pacificorum ſeptima benedictio eſt filiorum Dei, ejus mirabilia expenduntur. Mat. capite 5. numero 44. ad 49. Tim. num. 10.

Index Generalis.

Pax & concordia eſt bonum ſemen à Chriſto in Eccleſiæ agro ſeminatum : Diſcordia à diabolo. Mat.c.13.n.31. Luc.c.24. n.25.ſeq. Pax in terra, & gloria in cœlo ſibi reſpondent. Luc.c.2. num.35. Pax Chriſti bellatrix : pax mundi pacifica. Mat.c.10.n.58. ſeq. Pacis annuntiatio facta à Chriſti miniſtris quale bonum. Mat. c.10. n.27. Eſt hæreditas nobis à Chriſto relicta. Ioan. c.14. n.13. Col. n.8. ſeq. Pax cum diabolo qualis à nobis quærenda. Mat.c.5.n 83. Pax cum omnibus ſervanda. Rom.n.184

Peccator.

Peccans primo, aliiſque ſcandalum præbens à Chriſti genealogia deletur. Mat. c.1. num.6. Ejus pœnæ ſimiles pœnis diaboli. Mat. c.7. n.33. In ipſum ſuper alios peccatores poteſtatem majorem habet diabolus. Mat.cap.8. n.70. Luc.c.3. n.19. Peccatoris infælicitas in ſequela diaboli expenditur. Mat.c.6. num.97. Peccator vere mortuus in anima. Mat.cap.8. n.54.c.22. n.45. Providetur à diabolo exiſtens in peccato mortali. Mat.c.8. num.69.73.c.12. n.34.69.c.17. n 41 ſeq. Luc. c.11. n.37. ad 40. Ioan.c.14.n.15. ſeq. Domus & ſpelunca, & regnum diaboli eſt. Mat.c.6. n.51. c.21. n.43. Peccator non poteſt cum veritate dicere, Pater noſter. Mat.c.6.n.42. Ejus vita, & via laborioſiſſima. Mat. c.11. n.41. Ei conatur diabolus tollere loquelam. Mat.c.12. n.24. Peccatoris conſuetudinarii, & recidivi miſerrimus ſtatus expenditur. Mat.c.12. n.67. Ioan. c.5.n.15. c.11. n.7.26. Hebr. c.6. n.3.2. Petr. c.2.n.7.ſeq. Peccatores ſubmerguntur in mari vitiorum. Mat.c.14. n.47. Peccator lunaticus eſt ſic à diabolo factus. Mat.c.17.n.41.ejus miſeriæ exiſtentis in peccato mortali multipliciter expenduntur. Mat. c.18.n.37.51.ſeq. c.23.n.17. Marc.c.5.n.4 Luc.c.7.n.6.c.13.n.15. c.15.n.14.ad 22. Ioan.c.11.n.19.2.Petr.c.2.n.3. ad 8.1.Ioan.c.3.n.5.

Peccator crudeliſſimus in ſeipſum, pluſquam diabolus. Mat. c.18. n.53.c.21. n.73.ſeq.c 22. n.11.20.c.23.n.10. cap.21.num.88.96. Luc.c.3. num.12.cap.7.num.56. ſeq. cap.10. numer.36. Ejus cæcitas qualis. Mat. cap.21.nu.73. Marc. cap.8.num.27. Ioan.cap.3.num.18. Ejus vincula duriſſima qualia. Mat. cap. 11. num.6. ſeq.cap.22.num.20. Marc. cap.7. num.15. Luc. cap.7.num.56. Ioan.cap.8.nu.19. Act.nu.164. Cor.num. 295. Porcus eſt diaboli. Marc.c.5. num.12.ejus locus proprius, & centrum eſt Infernus. Mat.cap.12. num.22. cap.25. nu.90. Apoc. num.113. Peccator moritur ſine filiis, non juſtus.Mat.cap.22.num.43.Concipit peccando viperam ſibi mortem inferentem. Mat. cap.23.num.20.cap.24. num.17.eſt ſepulcrum dealbatum, & cadaver fœtidum locusque Aquilarum Inferni.Mat.cap.23. n.17. cap.24. num 26. Ioan. cap. 11. num.20. propriis pedibus voluntarie incedit ad infernum ſibique efformat maledictionem Mat. capit. 25. numer. 88. ad 96. Marc. cap.11. num.9. Luc. cap.15. num. 13. Phil. numer. 81. factis negat Chriſtum. Mat.cap.26. num.177. Unius ſocietas inficit totam congregationem. Mat. cap. 16. num.11. Dei odium quale in peccatum, & in peccatorem. Mat. c.24. n.86. Rom. n.161.& 2.Petr.c.2.n.2.ſeq.

Peccator tentat occidere Chriſtum. Luc. cap 4. n.25. Crudelior in Chriſtum ipſo diabolo. Luc.c.4. ibid.ſeq. Ioan.c.3.num.16. Ipſi Deus ex magna miſericordia obtruncat vitam. Luc. c.4. nu.34. Peccator laborat de nocte in vanum : juſtus de die cum fructu. Luc.c.5.n.18. Theſ.n.27.ad 29. Peccatori omnia cooperantur in malum. Rom. n. 133. Continue portatur ad ſepulcrum. Luc.c.7. num.12. ex theriaca facit ſibi venenum : funemque ſibi fabricat, ut durius ligetur. Luc. c.7. n.56.ſeq. Longe diſcedit à Deo, & in omnia mala incidit. Luc.c.13.n.23. c.15.n 16. ad 22. hidropicus fit.Luc,c.14 n.15. & filius ſerpentis diaboli. Mat.c.3. num 19. ſtolidior omni beſtia ſe onerat onere importabili. Luc. c. 24. n.23. In eo membro magis cruciabitur in quo magis Deum offendit. Luc.c.16. n.42. Totus eſt in fovendo corpus : nihil ad animam. Luc.c.16. num. 43. Peccatores quales non audit Deus. Ioan. c.8. n.14. In majoribus ſolemnitatibus pejores fiunt. Ioan.c.11. n.13. Per tres portas tran cunt ad Infernum. Juſti per alias tres oppoſitas ad Cœlum. Act. n.165.167. Peccatoris obduratio qualiter fiat. Rom. n.39. Quo ingratior : eo, eo gravios punitur. Luc.c.3. n.18. In eo nulla excuſatio damnationis datur. Rom. nu.39. ejus ſervitus in peccato ignominioſiſſima. Rom. n.85. ad 88. Gal.nu.44. Cor.n 590. Theſ. n.27. ad 29. Ejus infirmitates quales. Mat.c.9.n.25. Alienigena eſt cœli, patritius Inferni. Eph.n.19. ſtatim ac peccat, incipit ejus damnatio, & pœna Infernalis. Ioan c.3. num. 15. Ejus ſomnus qualis. Eph. n.72. Quomodo excitandus. Rom. n.191. Inimicus eſt crucis Chriſti. Phil. num. 82. Ioan. c.3.n.16. Hebr.c.6. num.3. Depauperat Deum quantum in ſe eſt. Cor.n.153.

Peccatoris converſio,& juſtificatio maxime Manifeſtat Dei potentiam,miſericordiam,& gloriam.Gal.n.10.Mat.c.4.n.66.converſionis ordo expenditur.Mat.c 9.n.17.ſeq.67.Marc.c.2.n.17. Invitatur inceſſanter à Deo ad pœnitentiam. Luc.c.15.n.24.c.18.n.36. Modus ſuſcitationis ejus qualis. Mat.c.9. n.67.71. Marc.c.2. n.17. Converſio quænam facilis, quænam difficilis. Luc. c.8. n. 23. Peccator in converſione offerat Patri Chriſtum agnum in ſatisfactionem. Mat.c.18. n.39. Peccator à Deo irato ad ipſum placandum per pœnitentiam tranſeat. Luc.c 3. n.14. Per pœnitentiam ex alienigena fit patritius cœli. Luc.c.17. num.12. Eph. n.19. Volens ſurgere à luto peccati, tollat grabatum ſuum.Ioan.c.5.n.7.ſepultus in cæno peccati tollat lapidem.Ioa.c.11.n.12.Non diffidat de Dei miſericordia habens Chriſtum advocatum.1. Ioan.c.2.n.1 Luc.c.7.n.52. Solutio à vinculis peccati qualiter fiat. Mat. c.18. n.25.ſeq Item & curatio à læpra. Luc.c.5.n.31. c.8.n.12.ejectio diaboli exorciſmo pœnitentiæ fit. Luc.c.11.n.37.ad 40 Confeſſio peccatoris quis exigatur. Luc. c.17. n. 13. Velleitas peccatoris parum juvat. Mat.c.14.n.18.

Digitized by Google

Index Generalis.

Peccatum.

Peccatum aliud originale aliud actuale, item aliud ſpirituale, aliud carnale, originale quàlia damna mundo attulit. Mat. cap. 11. numer. 4. Luc. c. 10. num. 12. ſeq. 1. Joan. c. 1. n. 3. curatum morte, & ſanguine Chriſti. Mat. c. 2. num. 24.

Peccatum in ſe, & in ordine ad Deum.

Peccatum omne actuale provenit ex radice voluntatis. Mat. c. 15. 2. 8. contrahere facit maximum debitum cum Deo, onuſque importabile. Mat. c. 6. n. 60. c. 7. n. 3. c. 18. n. 34. c. 14. n. 46. Marc. c. 4. n. 13. Luc. c. 7. n. 49. Ioan. c. 5. n. 13. & 16. c. 8. n. 18. Act. n. 225. peccare eſt facere diaboli voluntatem. Mat. c. 4. num. 42. Peius cum morte. Mat. c. 26. n. 104. Tria mala continet, maculam, offenſam, & reatum. Luc. c. 7. n. 39. Character eſt diaboli, quo conſignatur anima. Apoc. n. 101. eſt contemptus Dei, & apoſtaſia à Dei gratia. Luc. cap. 15. n. 28. Gal. n. 4. ſeq. eſt nihil tam validum quod annihilat peccantem. Ioan. cap. 1. num. 3. ſeq. Mat. c. 25. num. 87. eſt excommunicatio major. Ioan. c. 8. n. 20. Act. n. 225. Gal. num. 5. Non ut obſcuriſſima. Ioan. cap. 9. num. 6. Dei odium in peccatum expenditur. Mat. c. 24. n. 86. Rom. n. 16. & 2. Petr. c. 2. n. 2. ſeq. cur peccatum hominis fuit reparabile, Angeli non. Rom. 274. & 2. Petr. c. 2. n. 2. ſeq. ejus malignitas qualis. Gal. n. 34. & 60. Luc. c. 7. nu. 39. eſt pœna ſui. Luc. c. 13. num. 22. Ioan. c. 3. n. 15. reddit hominem ſemi Chriſtianum. Rom. n. 13. menſura peccatorum expenditur. Rom. num. 35. Peccatorum in Spiritum Sanctum gravitas mat. c. 12. n. 42. ſeq.

Peccati mortalis effectus.

Peccatum mortale ſeparat à Deo. Mat. c. 25. n. 87. ſtrages quales cauſat in anima. Luc. cap. 15. n. 14. ſeq. ad 22. Ioa. c. 9. n. 14. c. 15. nu. 5. Cor. n. 208. & 355. Eph. num. 13. occidit animam Mat. c. 3. n. 19. & c. 9. n. 41. & c. 24. nu. 26. Ioan. c. 5. n. 18. Eph. n. 73. Cauſa eſt omnium adverſitatum, & infirmitatum ſpiritualium, & corporalium. Mat. c. 4. n. 79. c. 9. n. 5. & cap. 24. n. 41. Marc. c. 2. n. 4. 19. & 32. Ioan. c. 5. n. 16. & c. 9. n. 2. Rom. n. 126. Luc. c. 7. n. 6. Eſt fur, & latro rapiens omnia bona. Ioan. c. 10. n. 12. læpra eſt abominabilis. Mat. c. 8. n. 4. Luc. c. 5. n. 30. & c. 17. n. 9. Ejus vincula horribilia expenduntur. Mat. c. 11. n. 6. ſeq. c. 22. n. 20. Marc. c. 7. n. 15. Mat. n. 164. claudit cœlum, & prohiber pluviam gratiarum. Luc. c. 4. n. 24. Affert ariditatem animæ & aufert uſum bonum omnium potentiarum. Mat c. 12. n. 10. Cœcitatem inducit ſpiritualem. Mat. c. 15. n. 11. 13. & c. 23. n. 73. Marc. c. 8. n. 27. reddit hominem latvatum. Mat. c. 6 n. 78. frigus, & ignem ſecum portat Inferni. Mat. c. 24. n 10. & c. 26. n. 175. affert maledictionem Dei. Rom. n. 89. & 91. Gal n. 34. trahit ad aliud peccatum. Marc. c. 5. n. 13. incurvat animam ad terram & Infernum. Luc. c. 13. n. 15. ſomnus eſt læthalis. Joan. c. 11. n. 6. Epiph. n. 72. Rom. n. 191. Pondus ut ſubmergere facions in infernum. Act. n. 225. Servitus viliſſima. Rom. 2. 85. ad 88. ejicit è corde Chriſtum, datque locum diabolo. Eph. n. 53. traditque hominem in poſſeſſionem diaboli Mat. c. 8. n. 69. Peccatum dæmon eſt peius diabolo, reddens mutum, ſurdum, & cæcum. Mat. c. 12. n. 19. Pondus faciens ingemiſcere omnes creaturas. Rom. n. 126. Peccatum nullum apud Deum impunitum. Mat. c. 5. nu. 98. merito punitur pœna æterna. Mat. c. 7. num. 3. Peccati occaſiones quam ſollicitè reſcindendæ. Mat. cap. 5. numer. 98. In peccato permanſio, & permiſſio grande flagellum. Rom. num. 26.

Peccata venialia quam ſollicitè vitanda; eorum pericula, & effectus. Mat. c. 4. num. 19. & c. 12. n. 64. Joan. c. 15. n. 5. Cor. num. 53. ipſorum ablutio frequentanda. Joan. c. 12. n. 9. minima ſpernens in maxima ruit. Mat. c. 26. nu. 169. & c. 4. n. 19. eorum remiſſio qualiter fiat per ſacramentalia. Luc. cap. 18. num. 21. qualiter puniuntur in Inferno. Mat. c. 5. n. 89. An quoad culpam remittantur in Purgatorio. Mat. c. 12. n. 44.

Peccatorum remiſſio obtinetur per confeſſionem & orationem. Mat. c. 18. nu. 51. ſeq. Luc. c. 7. n. 23. Item per condonationem injuriarum, & hoc diſpoſitive. Mat. c. 6. n. 64. ad 74 qualem miſericordiam impendes proximo, talem obtinebis à Chriſto. Mat. c. 18. n. 54. ſeq. Peccatum jam remiſſum non poteſt redire in priſtinum ſtatum. Mat. c. 18. n. 57. ſeq. In peccatum Chriſtus à principio, ſuæ vitæ irrupit. Luc. c. 1. n. 126. quomodo ſit verum: qui in uno offendit, factus eſt omnium reus. Jac. cap. 2. num. 3. Peccata quomodo diligentibus Deum cooperentur in bonum, & meritum. Rom. numer. 130. ad 133. quam ſeverus Chriſtus in peccata Principum, & Curialium. Luc. cap. 14. num. 4.

Pectus.

Pectoris tunſio eſt Sacramentale ab Eccleſia inſtitutum ad deletionem peccatorum. Luc. c. 18. n. 21.

Pecunia.

Pecunia peſtis eſt inficiens maximè clericos, & religioſos. Act. n. 110. Pecuniæ cupiditas cauſa omnium malorum. Mat. c. 26. n. 91. Pecuniæ alienæ contrectatio quam periculoſa exemplo Judæ. Mat. c. 26. n. 12.

Pentecoſtes.

Pentecoſtes feſtum dies Natalis Eccleſiæ: cur in eo miſſus Spiritus Sanctus: aliaque miſteria enodantur. Act. n. 3. ſeq.

Perdere.

Perdere animam ad ipſam ſalvandam quid ſit. Mat. c. 10. n. 69. & c. 16. n. 30. ſeq. & c. 18. nu. 18. Marc. c. 8. n. 38.

Peregrinus.

Peregrini colligendi ad hoſpitium à fidelibus. Luc. c. 24. n. 11. Peregrini ſumus omnes in hac vita. Luc. c. 24. n. 6 Cor. n. 320. Hæbr. c. 13. n. 7. & 1. Petr. c. 1. n. 1. & c. 2. n. 4.

Index Generalis.

Perfectio.

Perfectionis aſcenſum de virtute in virtutem exigit Chriſtus à ſuis diſcipulis, & à religioſis. Mat.c.5.n.73. & 112.ad 114. & c.6. n.106. & c 9.n.72.c.19.n.19. & deinceps & c.24. n.44. Luc.c.6.n. 29. Hebr. c.4. n.2.ad 5. Marc. cap. 2.n.25.29. & c.5. n. 25. In perfectionis nimere non poteſt quis Stare,ſed vel ultra, vel retro incedere neceſſarium eſt. Mat.c.17.n.27.Luc. c.1. n.128. & c.18. n.17. Epheſ. n. 40 & 61. Phil.n.72. ad 77. Theſ.n.11.Perfectio communis Chriſtianorum & peculiaris religioſorum qualiter differant. Mat.c.19. n.19.& deinceps. Perfectionis primus gradus eſt cognitio ſui. Marc.c.10. n.8. Bene incipiens, & poſtea retro rediens deridetur à diabolo.Marc.c.9.n.26. Luc.c.14.n. 29.& 31. & c.17. n.18. Perfectionis iter in hac vita eſt ſine termino. Luc. c.15.n.25.mat.c.5.n.112.ad 114. Phil.num.72. & 76.eſt tranſitus de Iudæa in Galileam Ioan. c.4. num.3. Paulatim acquirenda. Luc. c.10. n.21. Col.n.14. Cor.n.309. Gal. n.42. Perfectionis fabrica in altum erigitur deſtruendo,& deſcendendo.Luc.c.14.n.28.

Perſecutio.

Perſecutio: perſecutor. V. Patientia. V. Paſſio. V. tribulatio.

Perſecutores juſtis tanquam regibus fabricant coronas aureas Mat.c.5.num. 55. ſeq. Eas pati quam neceſſarium pie viventibus. Tim. n.48. Iuſtis ſunt pignus regni cœleſtis. Marc. ca.10. n.20. tolerantes eas patienter ſunt beati etiam in hac vita. Mat. c.1.à n.49. ad 60. Luc. c.6. n.100. quam glorioſum eas pati pro Chriſto. 1.Petr.c.3. n.5. Apoc. n. 66. Currunt poſt juſtos, non antecedunt. Cor. n. 203. earum fuga aliquando licita juſtis. Cor. num.397. Mat. c.110. n.46. Perſecutor eſt Chriſti, qui ejus ſervos proſequitur. Act. num.116. Perſecutio Pauli in Eccleſiam expenditur. Act. n. 116. ad 119.

Perſeverantia.

Perſeverantia donum eſt Dei, & Patientia mutuo ſibi invicem ſunt cauſæ. Mat. c. 24. num. 11. qualis perſeverantia exigitur in Dei ſervitio. Mat.c.8.n.9. & 42. Luc.c.14.n.29.ad 31. Ioan. c.8.n.17. Act.num.211. Apoc. n. 29. Inter virtutes ſola coronatur. Mat. c.7.n.50. & cap.10. n.45.& c.15.n.50. & c.20.n.17. & c.21.nu.18. ſeq. Cor.n.9. & 41. Gal. n.57.& 59. Phil.n.1. Hebr.c.10.n.7. Luc.c.9.n.35.

Perſona.

Perſonarum acceptio quale vitium, & vitandum à Prælatis. Col. num. 31. Mat. capit. 20. numer.47.

Pes.

Pedum diſcipulorum Chriſti lotio, ejuſque miſteria expenduntur. Ioan.cap.12. n.5. & deinceps.

S. Petrus.

S. Petrus fuit quadrinomius. Mat.c.16.n.14. Ejus vocatio expenditur. Mat. c.4. num. 66. Matc. c.1. n.16. quam privilegiatus à Chriſto, ejuſque laudes recenſentur. Mat.c.16.n.10.& deinceps ejus confeſſio de Chriſti diverſitate expenditur. Mat.c.16. n.20. eſt poſitus ut fundamentum Eccleſiæ,& fidei. Mat. c.16. n.14. ad 21. Marc.c.8. n.30. quomodo neſciebat, quid diceret in illis verbis: Domine bonum eſt &c. Mat. c. 17. num.23. ſeq. Petri negatio prima, ejuſque excitatio ad Galli cantum expenditur Mat. c.26.n. 166. ad 171. ubi multa miſteria panduntur. Petri pœnitentia ſollicita expenditur. Mat.c.26.n.176.

Pietas: V.opera: V.miſericordia.

Pietatis opus quam neceſſaria fidelibus in indigentes. Hebr. c. 10. n.8. Pietatis mons eſt in quo Chriſtus invenitur. Act.n.13.fit comparatio inter pietatis opera corporalia,& ſpiritualia. Tim. n. 28. ad 31. Pietas ad Deum præferenda pietati Parentum. Luc. c.2. n. 139. ſeq. Pie viventibus neceſſarium & perſecutiones pati.Tim.n.48.

Pignus.

Pignus æternæ gloriæ quale à Chriſto juſtis datur. Cor.n.283.

Piſcator.

Piſcatorum vocatio ad Apoſtolatum oſtendit Chriſti potentiam, & ſapientiam. Mat.c.4.numer.66.

Piſcatores alii ſunt Chriſti trahentes ad dexteram, alii diaboli ad ſiniſtram. Mat. c.4. nu.63. Luc. c.5.n.16.

Piſces.

Piſces majores in hoc mundo comedunt minores. Cor.n.553.

Plenitudo.

Plenitudo temporis fuit Incarnatio.Gal. num.45.

Pœna.

Pœna. Pœnitentia V. *Paſſi* V. *Patientia.* V. *Tribulatio.*

Pœnitentia eſt primum elementum prædicatorum,ſicut fuit Chriſti,& Baptiſtæ.Mat.c.3.n.2. & c. 4. n. 30. Ejus partes ſunt quinque panes Evangelici.mat.c.14.n.9.Luc. c.6. num.10. ſequentib. exigit contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. Luc.c.7.n.39. Apoc. nu.17. ſequent.

Pœnitere, & pœnitentiam facere qualiter differant.Mat.c.3.n.6. Pœnitentia eſt maxima eleemoſyna, quam homo ſuæ animæ facit. Luc. c.11.n.58. Pœnitentia alia vera, alia falſa: & quid utraque ſit.Mat.c.4.n.2. 6.20. & c. 18. n. 45.& c.27.n.4.& Luc.c.18.n.19.Ioan. c.5. n.8. & c.8.n.10. ejus neceſſitas qualis. Mat. c.4. n. 54. Luc.c.1.n.199. Act. n. 101. ſeq. Ad ipſam omnes excitari debent. Mat. cap. 3. num. 11. ſeq. Luc. c.7.n.35. c.17.num.7.ſeq. Eſt ſecundum baptiſma, & piſcina ad curandum morbos ſpirituales. mat. cap.3. num.10. cap. 4. numer.51. Luc.c.3.n.4. Ioan. c. 5. n.2. c.9. nu.11. Pœnitentiæ fructus digni quales. Mat.c.3.n.5. & 21. Luc.c.3. n.15. Ejus miſerabiles effectus

expendun

Digitized by Google

expenduntur. Marc. c.1. n.6. ad 9. Act. n.142. ad 149. Rom.n.79. Cor. n.148. Epheſ. nu.74. aperit cœlum, noſque elevat ad ipſum. Mat.c. 3.n.6.8. & c.4.n.55. & c.11.n.18. ad 30. Luc. c.16. n.42. Ejus clamor fugat dæmones. Mat. c.3. n. 9. Pœnitentiæ externæ conjunctæ cum exteriori quam proficuæ, & Deo charæ. Mat. c.4.n.3.& c 5.n.72.Marc.c.1.n.9.Luc.c.9.n.14. Rom.num.170. ad 173. Pœnitentiam rejiciens Dei hoſtis declaratur.Mat.c.4. n.52. & c.7. n. 31.Pœnitentiæ triduum præmittendum ad refectionem ſpiritualem animæ. Mat.c.15.n.42. Extrahit peccatorem ex cloaca diaboli, & transfert in Deum.Mat.c.18.n.47.c.21.num.3. Luc.c.7.n.40. Ejicit diabolum tamquam perfectus exorciſmus. Marc. c.6. n.17. quam chara Deo,& Angelis. Mat.c.18.n.19.ſeq. Marc.c.2. n.36. Luc.c 15.n.9. Act.n 67. Non differenda. Mat.c.18.n.19. ſeq. Marc.c.2.n.36. Luc. cap.7. n.34. Ioan.c.5.n.6. Ipſam exigit à nobis Deus quocumque tempore. Luc.c.5. n.20. Ejus opportunitas æſtimanda. Marc.c.2. num.5. Parat viam Domino,ipſumque attrahit. Mat.cap.21. n.3. Luc.c.3.n.6.& 16.c.15.n.3.& 30. qualem pacem afferat animæ. Luc.c.7. n.58. Eſt veſtis nova Deo placens. Luc. c.15.n.31. c.16. n.26. & 1. Petr.c.2. n.1. Pœnitentia Magdalenæ expenditur. Luc.c.7.n.22.& deinceps: Pœnitentiæ ſacramentalis effectus. Luc.c.18. nu.23.ſeq. Jac.c.5.n.8.

Porta.

Porta cordis Chriſto pulſanti continuè aperienda.Apoc. n.36. ſeq. ad portam divinæ miſericordiæ peccator pulſando quærat eleemoſynam. Act.n.60. Idem ad portam mariæ. Act. n.61. Portæ tres in Dei ſervitio exemplo petri exeuntis è carcere tranſeundæ. Act. numer.166.

Prandium.

Prandium ſuis Chriſtus apponit in hac vita, & in alia cœnam.Mat.c.23.n.6.

Præceptum.

Præceptorum Dei obſervantiæ fructus exponuntur. 1. Ioan.c.3.n.10.ſeq.V. mandatum.

Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio, electio, & propoſitum quid, eâ qualiter differunt. Eph. n.5. prædeſtinationis ordo expenditur.Tim.n.44.ſit ex præviſis meritis. Apoc. n. 29. Solum cadit in conformes filio Dei. Rom.n.135.prædeſtinationis, & reprobationis arcana nimis curiosè non inveſtiganda.Rom.n.146. prædeſtinatio & voluntate antecedenti eſt omnium hominum & conſequenti, & efficaci eſt tantum cooperantium.vocationibus Dei. Eph.n.7.& 2. Petr.c.1. n.4. In Deo nullam habet cauſam creatam, ſed tantum terminativè & in nobis.Rom.num. 143.prædeſtinatorum ſors expenditur. Act. n. 29.prædeſtinationis ſigna qualia. Mat. c.10. n. 43.& c.4.n.42. Marc.c.16.n.13. Ioan.c.8. n.30. an in ipſa involuatur Dei prædordinatio Act. n.176. Prædeſtinati pauci, licet multi vocati ad fidem. Mat.c.20.n.33. Marc.c.10.n.18.Luc c.13. n.20.& c.5. n. 20. Jac.c.2.n.5. numerus prædeſtinatorum maximus. Apoc. n.63. ſeq. Prædeſtinatis ferenda ſententia à Chriſto in judicio expenditur fusè cum multis aliis miſeſtetiis.Mat.c.25. n.62. ad 64. In ordine prædeſtinationis ſi unus cadit, alter à Deo ſubrogatur. Act. n. 174. Prædeſtinatis in quo ſenſu omnia cooperantur in bonum. Rom.n.130. ad 133.V.Præſcitus. V. Reprobatio.

*Prædicatio.*Prædicator.V.*Verba Dei.*

Prædicationis verbi Dei in Eccleſia neceſſitas patet ex eo; quod ſemper in mundo viguit. mat.c.8.n.52.& c.9.n.88 c.10.n.57.c.15.n.4. & 75.c.21.n.77.c.27.n.30 ſeq. Luc c.3.n.3. Rom. n.211. Prædicationis, & Prædicatorum hoſtes ſevere à Deo puniuntur.Mat.c.1.n.3.Theſ.n.8. Prædicatoris munus, obligationes, meritum expenduntur. Mat.c.1. n.49. c 3. n. 3. ad 5. 15. & 18. cap.4. num.4.ſequent.& 61. 65. 72. 76. & ſic ſparſim fere in omnibus capitulis Evangeliorum, & epiſtolarum ſparſim hæc materia tractatur. Prædicatores ſunt Angeli Dei Apoc. num.69. ſeq. Aſſumant hoc officium ſitum ex obedientia.Mat. cap.4. n.64.c.10.nu.4. ſeq. & 11.Marc. c.5.num.14.Ioan.c 15.num.10. ſunt piſcatores Chriſti. Mat. cap.8. num.56. V. Piſcator: quærens loca nobilia & lucroſa, & ditiora Deo exoſus. Mat.c.6. num. 6. Luc.c. 10.n.15.

Prælatus V. Princeps. V. Superior.

Prælatia in Eccleſia, & in mundo quare à Deo inſtituta: ejuſque ſublimitas. Mat. c. 16. numer. & 4. 5. Prælatorum digna proviſio ut Chriſti potiſſima cura. Mat.c.20. num.7. qualeſque exigit Chriſtus, ut ſint.Mat. c.23.n.32. c.26.n.45. Mat.c.3. n.7. ad 12. Ioan.c. 7.nu.11. Act.n.21.ad 28.Eorum proviſio eſt alia à Chriſto, alia à diabolo. Ioan.cap.15.num.10. Ipſorum electio qualiter facienda. Act.num.22.ad 28. Ioan.cap.1. num. 41. Ipſorum poteſtas excommunicandi expenditur. Got. n.81. Prælatorum munera expenduntur. mat.cap.16.nu.5. cap.14.n.19.& 22. c.24.n.48. ſeq. c.27. nu.116. Rom.n.168.Phil.n.59.ſeq.& 78. Thel.n.16. & 34. ad 36. Tim. n.53. Apoc. n.24. & 45. Eorum obligationes circa viſitationem Diœceſum & ſubditorum qualis. Mat. c.4. n.75. Act. n 205. Tim.n.53. Prælati mali quam pernicioſi reipublicæ.mat.c.2.n.14.c.7.n.26 c.15. n.11.c. 22.n.16.c.23.n.21. c.24. n. 51. Eſuries juſtitiæ ſit in eis. Mat.c.5. num.29. Non ſint acceptatores perſonarum, ſed medium locum occupent. Mat.c.8.n.20. Luc.c.21.n.3. Ioan. cap.4. num. 37. Prælatura humilitate foveatur Mat. cap.8. num.27.cap.20.n.49.Phil.num.32.Tim. numer. 15. Prius ipſi Deo ſint obedientes, ſi volunt exactam obedientiam à ſubditis.Mat. cap.8. num.18. ſint imbuti fide, charitate, & zelo ſalutis cum benignitate, & æmore. Mat. c.9.n.17.ſeq.c.25.n.123. Act. n.215. ſeq. Cor. n.80.191.& 604.ad 607.& 609.Gal.n.53. Phil. numer. 20. ſint refugium ſuavè ſubditorum in eorum tribulationibus. Mat.c.11.numer.44. circa correctionem ſubditorum quales eſſe debeant. Mat.cap.12. numer.16.cap.15. n.6. c. 26.n.150.Marc.c.8.n.29.Luc.cap.2.numer.136.

c.10.n.37. Joan.c.5.n.17. Act. n.171. Rom.n. 167. & 206. Cor.num.170.& 286. ſeq. & 577. Theſ. n.34.ad 36.Portent & ipſi cum ſubditis onera propria Mat. c.26.n.6.Epiph. n.26. ſunt coloni vineæ Eccleſiaſticæ. Mat.c.21. num.60. ſeq.

Prælati Eccleſiarum plus æſtiment in ſubditis cultum Dei interiorem quam exteriorem. Mat. c.12.n.65.c.23. n.15. Luc.c.9. n.60.ſint negotiatores Chriſti. Mat. c.25. n.27. generant ut Patres filios ſpirituales Chriſto non diabolo. Mat.c.22.n.42.Cor.n.77. Prælatorum ambitio ruina Eccleſiæ. Mat.c.23.n.13. Jac.c.3.n.1. ſe ſubjicient aliquando Conſilio, & correctioni ſubditorum. Gal. n. 16. nec operentur ſine conſilio etiam inferiorum. Gal. n. 11. Eorum vigilantia, providentia,& ſollicitudo etiam in temporalibus quam neceſſaria : dormitatio quam pernicioſa.Marc.c.4.n.15.c.6.n.29.cap.8. n.3. Luc. c.2.n.42. prius curent propriam ſalutem. Act. n.215. ſeq. Tranſeunt ab actione ad contemplationem, & è converſo ſecundum opportunitatem. Luc.c.2. nu.48. Confugiant ſæpe ad orationem. Luc.c 6. nu.4. ſunt affabiles cum ſubditis. Luc.c.5. n.6. & exemplar virtutis. Joan.c.13. n.12. Rom.n.48. ſeq. Cor.n.78.ſeq.& 189. & 298. Gal. n.52. & 75. Epiph.n.61.Theſ.n.1.ad 6. & 43. liberent obſeſſos corporaliter, & ſpiritualiter à diabolo. Luc.c.9. n.21. maxime incumbant curæ ſpirituali aliis relinquant temporalem. Act. nu.90. Caveant à conſanguineis. Joan.c.7. n 2. Prælati regulares caveant à nimia receptione Novitiorum.Act.num.88. Prælati boni extendunt manus ad ſubſidium : mali ad ruinam ſubditorum.Act.n.156. ſint medici, Patres matreſque ſubditorum. Rom. n. 196. Cor.n.38. Gal. n.54. Phil. n. 103. Ipſorum vox eſt vox Dei. Cor. n. 123. & 608. Caveant ab impatientia tamquam à Peſte. Cor. n.333. Item à diffidentia, & oſtenſione malæ æſtimationis in ſubditis.Cor.n.351.

Præmium.

Præmium cœleſte reſpondet meritis hujus vitæ. Matc.c.8.n.22.V.Corona.V.gloria.

Præſciti.

Præſciti plures quàm prædeſtinati.Luc.c.13.n.20. V. prædeſtinatio. Præſcitis melius fuiſſet non natos & conceptos fuiſſe, quam æternaliter eſſe miſeros. Mat. c.26. num. 46. ipſorum fatuitas qualis.Mat.c.25. n.24.

Præſentia.

Præſentia Dei exercitium quale bonum, ejus omiſſio quale malum. Mat. c.18. n.13. & 47. c.21.n.68. Cor.n.228.& 322. ſeq.

Præſepe.

Præſepe myſticum eſt Altare. Mat.c.2.n.3.V. Eccleſia.V. Altare.

Præſumptio.

Præſumptionis vitium quale malum.Mat. c. 26.n. 101.Rom.n.160. Cor.n.78.

Pretium.

Pretium gloriæ æternæ expenditur. Cor. numer.212.

Primus.

Primi erunt noviſſimi,& è contra quomodo intelligendum. Mat.c.20 n.28.ſeq.

Princeps,V. Prælatus,V.Superior.

Principes felices & confelices quinam ſint.Mat. c.20. n.49. Principibus tributa juſta debentur. Mat.c.22. n.21. Principis locus eſt medium,ut ſit omnibus communis. Marc. c.2. n.10. Principum munera,& obligationes expenduntur. Joan.c.16.n.6. Rom. n.187. ſeq. non ſe intromittant in rebus ſpiritualibus. Act.n 205. mutent proprias determinationes ſecundum opportunitates, & neceſſitates. Cor. n.281. Non ablegent actus humilitatis, & pietatis ſecundum opportunitates. Mat c.8.nu.17. Non poſſunt lædere Dei ſervos niſi in bonis externis. Mat. c.10. n. 54. Ipſorum familiares exemplo Apoſtolorum intercedant pro pauperibus, & derelictis. Ioan.c.12.n.2.

Proceſſio.

Proceſſio facta à Maria,Ioſeph, Simeone, & Anna cum aliis in die Purificationis aliaque miſteria hujus die expenduntur. Luc. capit. 2. numer 87. & 91. ſeq. Cur in proceſſionibus alia via ſit reverſio ad Eccleſiam. Mat. cap.2. n.35.

Proficere.

Proficere apud Deum, & homines in Chriſto quid ſit. Luc. c.2. n.154. in nobis quid. ibid n.156.

Propheta.

Propheta cur non acceptus in patria ſua. Luc.c.4. n.22.

Proſperitas.

Proſperitates temporales ſunt propriæ impiorum. Tribulationes juſtorum. Marc. capit. 6. numer.21.

Providentia.

Providentia Dei frequenter à nobis conſideranda. Mat.c.10. num.55. Providentia in temporalibus qualis licita, & qualis non maxime ſequentibus Chriſtum. Mat.cap.6. num.101. ad 104.& 118.

Proximus.

Proximi dilectio multipliciter ſuadetur. Mat.c.7. num.21.ſeq. c.27. numer.95.Luc. c.10. n. 38.c. 21.n.5.

Pſalmodia.

Pſalmodia in Eccleſia cur inſtituta : quam Deo, & Angelis chara : quam fructuoſa : modusque ipſam exercendi traditur. Mat.c.6. nu.32. ad 34.c.26.num.101. Col.n.28. Apoc.num.68. & 70.

Prudentia

Prudentia.

Prudentia ſerpentis qualiter imitanda. Mat.c. 10. num.32.ſeq.

Puer.

Pueri educandi,Deoque à parentibus offerendi Mat.c.9. num.15. Puerorum nomine veniunt homines & in bonum, & in malum quoad mores. Cor. num 224. Pueri capaciores diſciplinis ſunt ipſis viris. Mat. cap.11. num.38. Pueri quam Chriſto chari. Mat. cap. 11. num.38

Pugna.

Pugna ſervorum Dei expenditur. Cor.num.350. V.certamen.V.Bellum.

Pulſare.

Pulſandum eſt ad oſtium divinæ miſericordiæ in hac vita ne in alia fruſtra pulſetur. Luc.c.13. num.21

Pulvis.

Pulvirem excutere quid ſit.Mat.c.10. n.29.Marc. c.6.num.16

Purgatorium.

Purgatorii animarum ſuffragium multipliciter ſuadetur.Mat.c.14.n.19.28.Luc.c.12. num. 24. Cor.n.54.Col.n.36

Puſillanimitas.

Puſillanimitas in Dei ſervitio quale malum.Mat c.25.n.49.Luc.c.5.n.24

Q

Quadrageſima.

Quadrageſimalis jejunii inſtitutio, utilitas, aliaque miſteria expenduntur. Act. n.3. Mat.c.4.n.12

Quadrageſimas tres quare inſtituit in ſua regula S. P. Franciſcus : ubi de illa quæ dicitur Benedicta : Mat. capit.4. num.12. In quadrageſima pœnitentiam agentes, & poſt Paſcha ad peccata remittentes in quale periculum damnationis ſe exponunt. Mat. cap.7. num.30

Quadraginta.

Quadraginta horarum oratio inſtituta à Religione Capuccinorum.Mat.c.15.n.21

Qualis.

Qualis fueris cum Deo, talis erit tibi Deus.Mat. cap.1.num.16.cap.7.num.3. ſeq.6. 8. num.43. cap.21.num.17.cap.13.num.24. cap.21. nu.46. c.10. n.57.cap.25.n.25. Marc.c.6. nu.39. Luc. cap.24.n.7. Qualis fueris cum proximo, talis erit tibi Deus.Mat.c.68.67.75.c.18. n.54. ſeq. cap.7. num.3. 5. qualis vita, finis talis Ioan. c.5.n.21

Quantum.

Quantum non reſpicit Deus,ſed ex quanto.Mat. c.26.n.17.V.Intentio.

Quærere.

Quærere primum regnum Dei, & juſtitiam ejus quid.Mat.c.6.n.109.ſeq. Quærunt alii Chriſti regnum,alii diaboli.Mat. ibid.n.111. quærendo Chriſtum alii perdunt, alii inveniunt. Luc. c.2.n.135.Ioan.c.6.n 15. quærendus eſt Chriſtus, & quomodo.Luc.c.2. n.128.& deinceps. Ioan.c.3.n.2

Quidquid.

Quidquid recipitur per modum recipientis recipitur.Mat.c.12.n.27.c.26.n.42

Quod.

Quod tibi vis fieri, fac tu proximo. Mat. cap. 7. num.21

R

Raca.

Raca qualis vox. Mat. c.5.n.74

Rana.

Ranæ Diabolicæ ſunt detractores. Apoc.n.104

Ratio.

Ratio reddenda de omnibus debitis Chriſto reddenda in morte expenditur.Mat.c.25. n.35

Recidivans.

Recidivantium pericula terribilia expenduntur. Mat.c.7.num.51.c.12.num.67.72. Luc. cap.10. num.33. Joan.c.3.n.11.cap.11.num.25. Hebr.6. num.2.ſeq.

Reddere.

Reddere debemus debitum prius Cæſari, poſtea Deo,& quomodo.Marc.c.12.n.3

Reformatio.

Reformatio animæ qualiter facienda. Rom.n.142. V. Novitius.

Regeneratio.

Regeneratio ſpiritualis quale bonum. Rom. num.142

Regnum V. Rex.

Religio, Religioſus.

Religio eſt vinea Chriſti:ejus munera, & fructus: Mat.c.20.num.8.c.21. num.78. ſeq. Domus eſt obedientiæ.Mat.c.21.n.3. ſeq. Palæſtra virtutum. Cor. nu.145. eſt cœlum cæleſtiſque vita, & angelica. Phil.num.88. Ioan. ca.1. num.44. eſt navis bellica Eccleſiæ Mat. c. 8. num.56. Eſt crux Chriſti in qua porrigitur fel cum aceto.Marc.c.15. num. 9. Eſt ager ſanguinis Mat.c.27.n.7. magis, vel minus arcta qualis. Mat.cap.5. numer.66. Ipſius ſtatus perfectior ſolitariorum Luc.c.5. num.22.

Religioſa vota tria à Chriſto ordinata, & ab Apoſtolis emiſſa.Mat.c.16. num.29. ſunt triæ munera regum Mat.c.2 num.30.ſeq. ad montem Thabor elevant. Mat. cap.17. num.9. Induunt religioſum quatuor dotibus glorioſis.

Cor.

Index Generalis.

Cor.num.256. In Ioanne Baptiſta præfigurata Mat.cap.3.num.16. votum obedientiæ quale. Mat.c.16.num.28.Paupertatis eſt primum elementum ſcholæ religioſæ : fundamentumque fabricæ ſpiritualis.Mat.c.5 num.8.c.4.num.71. Act.n.63. 75. Religionum inſtitutio , ſtatus, operum ſublimitas expenditur.Marc.c.8.n.33. Theſ.n.18.ſeq.Rom.n.131.ad 134

Religioſi Chriſtum invenire non poſſunt inter cognatos,& hoſtes.Mat.c.2.n.5.c.12. num.76. Luc.c.2. num.127. ſolum per triduum inveniunt.Luc.c 2.n.129.ſeq. Bene loquentes , & male operantes ſunt veluti ſacerdotes Judæi. Mat.c.2.n.12.Luc.c.9.num.28. Multi ipſorum ſuperantur in fervore à ſæcularibus. Mat. c.2. nu.6.c.14.num.2. c.21. n.57. ſeq. qualis ipſorum perfectio debeat eſſe ſuper ſæculares.Mat. c.5.num.73. Caveant à ſingularitate.Mat.c.12. num.37. Luc.c.2. n.76. ſe gloriantes de ſtatus ſublimitate, ſed tepide viventes , hypocritæ: Mat.c.3.num.22. Incorrigibiles ejicientur de aliorum conſortio.Mat. cap.3. num. 25. Luc. 13.n.8.Cor.n.125.Gal.n.62. Aliquando mali ſecreti tolerandi.Mat.c 13.num.42. Cur Deus permittit malos inter bonos. Ioan.c.13. n.10. Cor.num.594 magis quam ſæculares tentantur à diabolo.Mat.c.4. n.52. adſpirare debent ad ſolitudinem mat.c.4.n.3.7.Religioſorum cæcitas ſpiritualis grande malum. Mat. c.15.n.12. ſint ſal, ſoles, & lucernæ mundi. Mat. cap.5. n.61. ad 66. ſint volucres cœli.Mat.c.6.n.114. ſeq.eorum vita perpetuo ſit in Cruce. Mat. c.10.nu.67.Eorum veſtes quales ad litteram, & miſticè.Mat.c.9.n.49. c.22. num. 17. eorum diſciplina in itineratione traditur. Luc.c.24. n.5.Act.n.113.Eorum avaritia ruina Eccleſiæ. Mat.c.8.n.57. eorum ſcandala quam pernitioſa. Apoc. n.95. ſepeliant mortuos ſuos. Mat. c.12.n.76.Luc.c.9.n.32

Religioſi Prælati & magiſtri in receptione , & educatione Novitiorum inſtruuntur Mat. c.7. num.36.c.8.nu.46.c.15.n.2.Marc.c.5. num.20. c.10.n.5.Act. n.88. Novitiorum reformatio qualiter facienda Rom.n. 176. Cor. num.310. ſunt novellæ plantationes , & quomodo colendæ. Mat.cap.7. num.36. Marc. cap.4. n.35. Rom. n. 175. Ipſorum obligationes quales. Rom. num. 163. 175. Cur annus probationis eis aſſignatur. Luc.cap.13. num. 12. Novitius intrans in Religionem vadit ad Patrem ſuum. Luc.cap.15. nu.24. Caveat religioſus ne ad ſe redeat quoad mores. Mat. c.24. num. 16. fugiat malorum conſortia mat. c.26. num. 167. vitet confabulationes otioſas nocturnas ad prunas, & ignem. Mat. cap.26.num. 167. per triduum ſuſtineant Chriſtum , ut ipſum attrahant. Marc. cap. 8. num. 11. In ſequela Chriſti religioſi ſuccedunt Apoſtolis. Marc. cap 8.num.33. omnes ordines ſimul unicam conſtituunt familiam. Cor. num. 13. Caveant ab acceptione perſonarum. Act. num.89

Religioni vita communis quam neceſſaria , & utilis, Chriſtoque chara.Mat.cap 18. num. 29. Luc.cap.2.n.79. Act. num.56.ſeq. Cor.n.140. Apoc.num.68. Concordia quam ſollicite ſervanda.Mat.cap.18. num.26. ſeq. Act.num.56. ſeq.In menſa habeatur lectio ſacra , & unde talis uſus. Mat. cap.4. num.25. Marc.cap.16. num.11.Luc.cap.10.num.47. cap.24. num.15. Theſ.num.16.ſeq. Collectio micarum ſuadetur.Mat. cap. 15. num.62. ordo ſervandus in omnibus actionibus.Mat.cap.14.num.36. c.23. num.8.Luc.cap.14.num.8.Cor.num.232. Religio exercens utramque vitam activam , & contemplativam perfectior. Luc.cap.10.n.44. fælix illa in qua Martha conquæritur de Maria. Luc.cap.10.num.48. Religio S. Franciſci cæteris arctior, & quomodo. Thim. num.31. Religionum ſollicitudo circa temporalia qualis licita , & qualis non. Luc.cap.10. num.46. Cor. num.268. Religiones mendicantes inſtitutæ ad coadjuvandum Epiſcopis , & Parochis in cura animarum. Luc. cap.5. num.21. Religionis electio qualiter facienda Luc. cap.16. num.11. Religionum uſus pius ante actionem quamcumque fundere aliquam orationem ſuadetur Cor. num.168. Caveant ab ædificiis ſumptuoſis. Gal. num.18. major cura ſit circa compoſitionem hominis interioris. Mat. capit. 23. numer. 8. Act. num. 91. In Religioſa perfectione nullus eſt terminus. Luc.cap.15.num.25. In perfectionis ſtatu deficientes fiunt peſſimi derideturque ab hominibus & à dæmonibus.Marc.c.3.n.19.Luc. cap.14.num.29.31.cap.17.num.18.cap.18. n.17. Gal.n.3.59.Apoc.num.16. Religioſi qualem retributionem tribuere debent ſuis hoſpitibus.Luc. cap.14. num.17. An lites conteſtari eis liceat.Cor. num.93.ſeq. Concertatio ipſorum ſit de ultimo loco. Cor.num. 232. Eorum recreationes corporales , & urbanitas quales eſſe debeant Epheſ. num.66. Eorum converſatio in ordine ad ſeipſos , & ad extraneos qualis eſſe debeat. Phil num.63. 97.Col.n.33. ad 35. Tempus male expendentes , & numquam ad virtutis notitiam pervenientes incuſantur.Hebr.cap.5.num.5. Caveant in ſermonibus & converſationibus nominare frequenter diabolum.Cor.n.164.

Relinquere. V. Renunciare.

Reliquiæ.

Reliquiarum **Sanctarum virtutes, dignitas.cultus, & miracula expenduntur. Mat.c.10. n.56.70. c.9.n.49.Act.n.207.ſeq.**

Remuneratio. V.Retributio.V.Gloria.

Reformatio.

Reformatio**, & deformatio hominis qualiter fiat. Eph.n.51. Cor.num.207.ad 209. Novitiorum. Rom.n.176.Cor.n.310.**

Renunciatio.

Renunciatio **omnium rerum quam Chriſto chara.Marc.c.10.n.10.Cor.n.205.V.Res**

Repetere.

Repetere **ſua litigando in judicio quibus liceat. Mat.c.5.n.98**

Reprobatio. **V. Prædeſtinatio. V. Præſcitus : reprobationis ſignum ſæpè cadere , & ſæpè reſurge**

resurgere absque emendatione. Luc. c.8. n.9. In nobis reprobatio habet causam. Rom. num.142

Repudium.

Repudium in uxoratis numquam fuit licitum. Mat. c.19.n.5

Res.

Rerum omnium renuntiatio facit perfecte triumphare de diabolo. Luc.c.14.n.33. reddit hominem Dominum totius mundi. Luc. cap.22. numer. 8. V. Renuntiatio. Rerum dissipatio temporalium qualis licita, & qualis non. Luc. c.16.n.4

Resurrectio.

Resurrectio corporum omnia integra & perfecta secum afferet. Mat.c.10.n.70. Duplex est scil. corporū, & animarum: & spiritualis. Apoc. n.122. figurata in Christi resurrectione, ubi multa habes de hac materia. Mat. c.25. n.61. c.27.n.8. ad 25. Cor.n.249. ad 252. & 260. seq. Ephes. n.47. Resurrectio spiritualis sit similis resurrectioni Christi. Marc. c.16.n.3. Cor. n.247. Apoc.n.122.

Rete.

Retia Christi, & diaboli qualia. Marc.c.1.n.17. Mat.c.4.n.70.seq.

Retributio.

Retributio centupla renunciantibus omnia expenditur. Marc.c.10.n.19

Revelatio.

Revelationes divinæ quomodo occultandæ. Luc. c.1.n.8.seq. Mat.c.17.n.37

Ritus.

Ritus Ecclesiasticus circa diem Palmarum expenditur. Mat. cap.21. nu.10. V. Ecclesiasticus ritus.

Rex, Regnum.

Regum magorum oblationis in die Epiphaniæ mysteria expenduntur. Mat.c.2.n.33. seq.

Regum oblationes solæ Deo placent. Mat.c.2. num.29

Regni Dei adventus petitus in oratione dominica qualis. Mat. c.6. n.50. seq. Regnum cœlorum tantum valet, quantum habes. Mat. c.6.n.88. seq. Regnum Dei, & justitiam ejus quærere quid. Mat. c.6. nu.109. ad 112. Regnum cœlorum à diebus Joannis vim pati quid sit. Mat.c.11. n.18. Regnum cœlorum alii furantur, alii violenter rapiunt: alii ad ipsum rapiuntur, alii emunt. Mat.c.11.n.30. Regnum Dei quale in hac vita, & quale in alia justis datur. Mat.c.25. n.66.68. c.26. num.49. Rom. num.204

S

Sabbatum.

Sabbatum cur mutatum in diem dominicam. Mat.c.27. num.144. V. festum: sabbatum soli Christi discipuli servant. Mat. capit.12 num.5

Sacerdos. Sacerdotium.

Sacerdotii veteris, & novæ legis discrimen. Luc. c.1.num.3. Sacerdotalis dignitas eminet super omnia creata. Mat.cap.8.num.16.seq. cap.18. n.25.c.26.n.73. seq. Sacerdotum munera, & obligationes qualia. Mat.c.26.n.77. Ipsorum potestas qualis. Mat.c.18.n.24. seq. Succedunt in Ecclesia loco discipulorum Christi. Luc. cap. 10. num. 2. Sunt medici curantes à lepra peccatorum. Mat.cap.8. num.17. Marc.cap.1. num.36. Luc. cap.17. num.79. seq. Sacerdotum bonorum, & malorum missæ discrimen quale. Mat. cap. 26. num. 93. Ipsorum digna provisio est Christi, & Ecclesiæ præcipua cura. Mat. cap.20. num.7. Eorum publica peccata quam Ecclesiæ perniciosa: Mat. cap.23. num.21. capit.26. num.78.seq. Marc. capit.11. num.18.capit.14.numer.3. Bene loquentes, & male operantes sunt veluti Caiphas. Ioan. capit.11. numer.29. Omittentes celebrare sine necessitate qualibus bonis privantur. Mat. cap.26. numer. 100. Cur in utraque specie, & laici in unica communicant. Mat. c. 26. n.80. Consecrantes generant exemplo Mariæ Christum in Bethleem, pannisque involuunt. Mat. cap. 26.num.94. Sacerdotium cum subjicitur potestati sæculari signum imminentis ruinæ Reipublicæ. Luc. cap.3. num.1. Sacerdotum scientia qualis. Cor.n.27.

Sacerdotium Christi, & Evangelicum figuratum in melchisedech. Hebr. c.7. n.1. cap.8. num. 9.seq. Quam venerabile. Luc. capit.5. num.29. Ad ipsum alii vocantur à Christo, alii à diabolo. Hebr.cap.5.num.1. Sacerdotibus Sacrificantibus astitere Angeli. Apoc. n.70.seq. Sacerdotalium vestium mysteria expenduntur. Mat.c.26.n.95.

Sacramentum: Sacramentale.

Sacramentorum legis mosaycæ, & Evangelicæ discrimen quale. Luc. c.10. n.34. seq. Sacramenta sunt medicamenta omnium nostratum infirmitatum. Mat. cap.9. numer.26. Ipsorum dignam receptionem qualis præparatio. Rom. num.151. Sacramentalium virtus qualis. Luc. c.28.n.21

Sacrificium.

Sacrificium sine misericordiæ exhibitione Deo non placet. Mat.c.12.n.9. V. missa.

Sal.

Salis qualitates applicantur Prælatis, Prædicatoribus, & sacerdotibus, religiosisque. Mat. c.5.n.61. seq. sal quale sit in Inferno. Marc. c.9.n.23

Index Generalis.

Saltationum in choreis peſſimi effectus expenduntur. Mat.c.14.n.8. Marc.c.6. n.23. Saltant alii verſus cœlum alii verſus Infernum. Mat. c.14.n.7. Saltus concupiſcentiæ eſt ad infernum.Mat.c.11.n.31

Salus: Salvare.

Salus hominum finis eſt omnium Chriſti deſideriorum. mat.c.31.n.47. Salus propria præferenda cuicumque alteri bono. Rom. n.141. Salutem aliorum curans cum ſuæ præjudicio quam ſtultus.Mat.c.16.n.32. Luc.c.9.n.13.Cor. n.566. Ad ſalutem primus gradus & cognitio ſui. Mat.c.19. num.13.& 15. Salus aliorum quo ordine curanda. Rom.n.141.

Salus noſtra principaliter eſt à Deo, ſed cum cooperatione noſtra: & tali ordine eſt in cujuſque poteſtate. Ioan. c.6. n.25. Rom.n.144. Col.n.30.

Salutatio proximi in via in quo ſenſu à Chriſto vetita. Mat.c.10.n.26. Luc c.10. num 8.& cur exercetur inter Chriſtianos. Rom. n.5. Salutatio in oſculo ſancto quid. Rom. n.218. Salutatio angelica Mariæ explicatur. Luc. c.1. n.21.ad 28.

Samaritana.

Samaritana converſio expenditur. Ioan. capit.4. num.36.

Sanctus.

Sanctus: Sanctitas. Sanctificatio. V. Servi Dei; V. Juſtus

Sanctificatio nominis Dei qualis petitur in oratione dominica. Mat.c.6. n.46.ad 49. Sanctificatio perfecta incipit à timore Dei. Cor. n. 349. Sanctorum communio quid ſit. Gal. n. 77. Sancti ſunt veſtimenta Chriſti alba. Mat.c.17.n.18. Sunt reges in cœlo. Mat.c.17. n.20. in comparatione ſanctitatis Chriſti nihil ſunt. Luc. c.1. n. 31. Sanctitatis menſura eſt humilitas. Luc.c.3. n.19. Sancti ſubjacent flagellis debitis peccatoribus. Rom. n.167. habent tædium hujus vitæ: & mortem in deſiderio, vitamque in patientia. Col.num.177. Phil.n.18.ſeq. Copulant ſimul vitam activam. & contemplativam ſecundum exiſtentiam ſervitii Dei. Phil.n.23. Sanctis vitam longam deſiderare amici: mortem inimici. Phil. nu.16. Sanctis perſecutores fabricant coronas. & ſibi ruinas. Phil n.28. Sanctis variis varia dona miraculorũ. ad noſtram utilitatẽ tribuit Deus. Cor.n.210. Ipſorum vita circulus eſt à Deo ad Deum. Col.n.21

Sanctorum invocatio, interceſſio quam neceſſaria pia, & utilis: ſubordinataque advocationi Chriſti. Mat.c.8. num.38. cap.9. num.57.c.15. num.16.33.c.21. num.63.c.25.n.13. Ioan.c.12. n.21.Ioan.c.2.n.3.

Sanctorum ſuffragia ſunt miſſæ cadentes è menſa Chriſti. Mat.c.15.n.33. Sunt ſepes. & muri Eccleſiæ, & locorum. Mat. c.21. n.63. Ipſorum laudes celebrandæ. mat.c.26.n.19.

Sanctorum reliquiarum cultus virtus,& alia myſteria.mat.c.9.n.49.c.10.n.56.70.Act.n.207.ſeq

Sandalia.

Sandalia Chriſti, Apoſtolorum, & fratrum minorum S.Francilci qualia. Mat. c.6. n.12. Act. num.164.

Sanguis.

Sanguinis prerium contra proximum quam exitiale. mat.c.26.n.27.

Sanitas.

Sanitas per Chriſtum obtenta qualem gratitudinem exigat. marc.c.9.n.33

Sanitas ſpiritualis animæ in quonam conſiſtit, & quale bonum. Ioan c.5.n.14

Sapientia Chriſtiana arbor fructifera: qualis ejus fructus: mundana quam per nicioſa. Mat c.7.n.15 55.c.9.n.60. Sapientes mundi Deus apprehendit in aſtutia ſua. Cor.n.59. Sapiens apud Deum, inſipiens eſt apud mundum: è contra ſapiens apud mundum inſipiens apud Deum. Cor. numer. 581. & 589. Sapientiæ Chriſtianæ, & mundanæ diſcrimen quale. Cor. numer.14.ſeq.20. Col.n.15. Iac.c.3.n.3. uſque ad finem. Sapiens fiat ſtultus, ut verè ſapiens ſit.Rom.n.24.Sapiens utraque manu erigit fundamentum ſpirituale ſtultus una manu ædificat, altera deſtruit. Mat. c.7.n.48. ad 52.c.9.n.60. Sapientis ſilentium, & locutio qualia. Luc. c.2.nu.155. Sapiens eſt verè vir. ſtultus nequaquam. Mat.c.7. nu.53. Sapere pluſquam oportet quale malum. Rom. n.177.

Scala.

Scala aſcendendi ad perfectionem multiplex expenditur.Cor.n.219.ſeq

Scandalum.

Scandalum eſt dictum,vel factum minus rectum præbens alteri occaſionem peccandi: eſtque vel activum,vel paſſivum.Mat.c.15.n.3.9.c.17. n.49.c.11.n.14.ſeq,c.13.n.8. Theſ.n.43. Quale malum, ejuſq; effectus peſſimi,qui non finiuntur morte. Mat.c.13.n.56. c.9.n 16.c.18.n.9.ad 11. Ob ſcandalum patiendum fiet judicium univerſale. Mat,c.15.n.56. Scandalum ſeveriſſime à Deo punitur. Mat.c.7.n.21. c.11.n.16. Luc.c.3.n.19.Gal.n.61.Quam Deo,& Angelis exoſum. Mat.c.18.n.21. Scandala religioſorum quam Eccleſiæ exitialia .Apoc.n.95. Scandaloſi directe ſe opponunt contra Chriſti paſſionem,& redemptionem. Mat.c.18.n.14.V. Piſcator.Lapidant Chriſtum, eumque ejiciunt è templo animæ proximi. Mat.c.23. n.13.Ioan. c.8.n.33. Act.n.117.ſeq. In ſepulcrum mortis, & Inferni projicient Dei amicos. Ioan. c.11. n.16.eorum ſocietas quam ſollicitè cavenda: & quam à fidelibus cavendum. Cor.n.86.89. 133. 164.& 332.Ejiciantur è conſortio aliorum. Gal. n.63.

Schola.

Schola in qua in hoc mundo didicit fuit humilitatis,& obedientiæ.Hebr.c.5.n.4 Schola Chriſti quales lectiones docet.Mat.c.11.n.48.marc. c.10.n.9.Cor.n.211.ad.214. Theſ. num.15. Ad Scholam Judæorum & deſperatorum nos invitat Chriſtus,ut ex ipſorum gladiis diſcamus Dei diſciplinam. Cor.n.153.

Index Generalis.

Scientia.

Scientiarum ſtudium aliis eſt in ſalutem, aliis in damnationem. Cor. numer. 135. ſequentib. ſcientiam mundanam ſectans relictis divinis, quam decipiatur. Mat. cap. 16. numer. 3. & capit. 21. numer. 52. Luc. capit. 24. numer. 19. Scientiæ mundanæ ſunt folia virtuoſa: ſcientiæ divinæ ſunt fructus Matth. capit. 21. numer. 32. Luc. capit. 24. numer. 20. Scientia ſine charitate nihil valet. Cor. numer. 214.

Scriptura.

Scriptura ſacra quid ſit: ejuſque infallibilitas expenditur. Mat. cap. 5. numer. 69. eſt liber ſcriptus intus, & foris. Apoc. numer. 48. Ejus verba ſunt miſteria regni cælorum, & litteræ nobis è cœlo emiſſæ. Mat. cap. 13. numer. 21. ſeq. & 27. & Rom. num. 207. ſcripturæ ſacræ verba ſunt fructus dulcis, & amarus. Apoc. num 77. Eſt theſaurus, ad quem non intrandum niſi ductore Chriſto, & fide cruce is. Mat. cap. 14. num. 53. ejus miſteria non omnibus aperienda, præcipue carnalibus. Mat. cap. 7. num. 10. ſequent. Ejus longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum qualia. Eph. numer. 31. ejus miſteria qualiter exponenda: daturque inſtructio ejus interpretibus. Luc. cap. 24. numer. 20. Apoc. numer. 49.

Scutum.

Scutum bonum ut fides: impiorum ut obſtinatio. Eph. n. 95.

Saecularis.

Seculares ſæpe ſunt in Dei ſervitio ferventiores religioſis. Mat. cap. 2. num. 6. & cap. 22. num. 57. ſeq.

Securitas.

Securitas. nullibi, niſi in cœlo. Mat. cap. 16. numer. 39.

Semen.

Semen bonum multiplex ſeminatum à Chriſto in Eccleſia. Mat. cap. 13. numer. 27. 30. 32. & Luc. cap. 8. numer. 10. ſemen, & ſeminatores varii in Eccleſia. Luc. cap. 7. num. 10. Semen quale jacies in hac vita, talis erit fructus. Luc. ibid. & Cor. num. 570. ſequent. mat. c. 13. num. 6. ſeminant alii in cœlo, alii in terra. Gal. n. 81.

Senes.

Seniorum malum conſilium ruina Reipublicæ Mat. c. 16. n. 5.

Senſualitas.

Senſualitas venenum eſt inficiens totum hominem. Cor. n. 585.

Sententia.

Sententia Chriſti ad electos, & reprobos expenditur. Mat. capit. 25. numer. 55. & deinceps.

Sepes.

Sepes locorum ſunt ſancti. V. Sanctus.

Septenarium.

Septenarium Spiritum Sancti, & diaboli qualia. Mat. c. 12. n. 5.

Sepulchrum.

Sepulchrum dealbatum eſt peccator. Mat. cap. 23. numer. 17. Animæ quale. Luc. capit. 7. numer. 14.

Sequela.

Sequela perfecti Chriſti conditiones expenduntur. Mat. cap. 4. numer. 74. & cap. 8. num. 42. & 49. ſequent. & c. 9. num. 20. ſequent. Ioan. cap. 6. num. 6. ſequuntur alii Chriſtum puro, alii duplici corde. Mat. c. 8. n. 41. & 43. In Chriſti ſequela quæcumque vitia fiunt pretioſa. Luc. cap. 9. n. 12.

Serpens.

Serpens eſt diabolus, & peccatum mortale. Matth. capit. 3. numer. 19. ſequent. Serpentis prudentia qualis imitanda. Matth. capit. 10. numer. 32.

Servus, Servitium. Servire.

Servitii divini gradus aſſignantur. Marc. cap. 12. numer. 5. ſervitii Dei, & diaboli diſcrimen. Mat. capit. 6. numer. 95. ſequentib. Servorum Dei ſublimitas, & nobilitas & felicitas multiplex expenditur Mat. capit. 4. numer. 49. Luc. c. 2. n. 84. Iac. c. 1. n. 1. Marc. cap. 5. num. 22.

Servi Dei videntur aliquando à Deo derelicti ad ipſorum profectum. Luc. cap. 2. numer. 132. Pauci ſunt Deo verè ſervientes. Luc. capit. 8. num. 16. ſunt domini totius mundi. Cor. numer. 60. ſervi veri Dei gaudent æqualiter pro bonis à ſe, & ab aliis receptis à Deo. Mat. capit. 2. numer. 39. ipſorum veſtimenta externa, & interna qualia. Mat. capit. 7. numer. 17. Caveant à multiloquio, maxime itinerando. Mat. capit. 10. numer. 16. Ipſorum vindicta pia de perſecutoribus qualis. Rom. numer. 185. Aſcendant cum Chriſto ad montem. Mat. cap. 14. numer. 15. eorum obligatio circa perfectionem expenditur. Mat. cap. 17. numer. 6. Luc. cap. 1. numer. 119. ſequent. Ipſos recipiens recipit Chriſtum. Mat. capit. 18. numer. 7. ſeſe mutuo animent in Dei ſervitio. Luc. capit. 2. num. 38. eorum bona fama qualis æſtimanda. Luc. capit. 2. numer. 81. ſequent. Expectant in tribulationibus patienter Dei viſitationem. Ioan. cap. 4. numer. 25. Dei ſervitium exigit ſollicitudinem, & patientiam. Luc. capit. 2. num. 42. Act. numer. 80. ſervi Chriſti ſtant: mundi jacent. Eph. numer. 92. Iuſti ſunt ſervi ſervorum diaboli: Impii ſunt ſervi Servorum Dei: Mat. cap. 27. numer. 8. Servitus peccati miſerabilis expenditur. Rom. n. 85.

Digitized by Google

numer. 85. & 87. ſequent. ſervorum ad Dominos obligationes, & Dominorum ad ſervos expenduntur. Eph.n.90.

Signum.

Signa alii quærunt in cœlo : alii in terra. Luc. c.11.n.30.

Simeon.

Simeonis Sancti teſtificatio de Chriſto : canticum, ejus miſteria expenduntur. Luc. cap. 2. 81.ad 96.

Simonia.

Simonia quale peccatum. Cor. n.63.

Simulatio.

mulatio Sanctitatis grande malum. Mat. capit. 12. num.68. Luc. cap.3. num. 23. V. Hipocriſis,

Sinapis.

Sinapis parabola exponitur : comparatur Chriſto, humilitati, & fidei. Mat. capit. 13. numer. 47. ſequentibus, & capit. 17. numer. 46.

Singularitas.

Singularitatis vitium longe ſit à religioſis. Luc. c.2.n.76.

Sitis

Sitis Spiritualis animæ qualis ſoan. cap.7. n.16. Sitis juſtitiæ. V. Beatitudo.

Sobrietas.

Sobrietas quam efficax contra diabolum. 1. Petr. c.5.n.6.ad 8.

Societas.

Societas Chriſti quanta bona afferat animæ. Luc. cap. 9. num. 16. Mat. capit. 2. num. 52. Exigit concordiam. Cor. numer. 12. Societas Chriſti eſt cœtus Chriſtianorum. Cor. num.12. 1.Ioan. c. 2. num.12. Societas bonorum quam utilis : malorum quam perniciosa. Mat. capit.2. num. 52. & capit. 8. numer.51. & 58. & cap. 9. num. 62. & capit.10. num.34. & cap.13. num. 41.& cap.26.num.12. & 167. Rom. numer. 219.1. Ioan. capit.1. numer.1. Socii mali ſimul in Inferno in faſces alligabuntur. Matth. capit. 13. numer.41. Societas unius impii ſufficit ad infectionem totius congregationis. Mat. capit.16. numer.11. Marc. cap. 4 numer. 12. Societatis Jeſu privilegia, utilitateſque in Eccleſia ex ipſa prodeuntes expenduntur. Cor. numer.12.& Gal. num.80.

Socrus.

Socrus Simonis Curatio,ejuſque miſteria panduntur.Mat.c.8.n.34.ſeq.

Sodomia.

Sodomia peccatum infame.Rom.n.27.

Sol.

Solis, & ſtellarum obſcuratio in die judicii, & ante ad litteram, & myſticè expenditur. mat. c.24.n.28.

Sol ſpiritualis gratiæ oritur ſupet juſtos : & per iſtos ſuper injuſtos. Matth. cap. 5. numer.107.

Soles mundi ſunt Prælati, & prædicatores. Mat.c.5.n.63.

Solicitudo.

Solicitudinem in Dei ſervitio qualem habere debeat Dei ſervus. Luc. cap.11.num.12.Joan. cap. 9. num.4. Rom. numer. 182. & qualem Prælati habere debeant. Marc. cap.8 num.3. In temporalibus qualis ableganda, & qualis permittitur in Dei ſervis. Mat. cap.6. numer. 101. ad 110.& 114. ſequent. & cap.21.numer. 53. Marc. cap. 8. num. 11. ſequent.Luc.cap. 10 num.146. & cap.11. num 5.& cap. 12. numer.20. 22.& c.19.n.8.Cor.numer.567. Phil. n.98.

Solitudo.

Solitudo quam proficua orationi, & Dei ſervitio. Mat. cap.4. num. 31 & 7. Marc.cap.1. numer.11.& cap. 6. num.31.& cap. 9. numer. 3. & qualis bona, & qualis mala. Marc. c. 8. n.14.

Somnus.

Somnus peccati quam pernitioſus. Joan. c.11.n.8. Eph.n.72. Rom.n.191.

Spes.

Spes in Deum quale bonum : ejuſque effectus mirabiles expenduntur. Rom.nu.59.ſeq.& 65. ſeq.& 110. phil.num.106.ad 108. Hebr.cap.6. num.5. Spes in gloria evacuabitur. Cor. numer.217.

Spiritus Sanctus.

Spiritus Sancti nomen perſonale primum inſonuit in auribus mariæ. Luc. cap.1. num.86. ejus appatitio in ſpecie columbæ ignis & nubis expenditur. Mat. capit. 3. numer.38. Luc. cap.3. num.41. eſt digitus Dei nos conſignans ſigillo ſuo.Luc. cap. 11. numer. 31. Diligit columbas. Mat. cap. 3. num. 39. Ipſe eſt qui per prædicatores loquitur. Mat.cap. 10.num.40. Ejus ſeptenarium gratiarum, donorum & fructuum expenditur. Mat. cap.12. num.67. Ioan. cap.4.num. 14. & cap.7. num. 17. & cap. 14. num. 10. ſequentib. & cap.16. num.2. ſequent. & 9. Gal. numer. 70. Ductor eſt juſtorum, quos ſeipſo cum gratia replet. Luc. capit.2. numer. 85. ſequent. Ioan. capit. 14. numer. 12. & hoc præcipuè in Baptiſmo. Act. numer.6. & 2. Petr. cap.1. numer.3. Sponſus ſpecialis eſt Mariæ. Joan. cap. 1. numer.8. Spiritus Sancti adventus in mundum, Chriſtique aſcenſio commercium ſacrum fecerunt inter cœlum, & terram. Ioan. capit. 16. numer. 4. quomodo dicitur arguere mundum

mondum de peccato, &c. Ioan. capit. 16. numer. 5. Zeloripus animæ eſt Jac. capit. 4. numer. 3.

Spiritus Sancti promiſſio facta à Chriſto expenditur. Joan. cap. 16. numer. 8. Ejus adventus in Penteceſte effectus, & alia myſteria expenduntur. Act. num. 18. & 30. ad 55. & 72. Intrans in animam ſpiritualizat carnem etiam, datque teſtimonium filiationis divinæ. Rom. numer. 109. & 116. Eph. num. 58. eſt ſigillum libri S. Scripturæ. Rom. num. 221. Pignus hæreditatis Chriſti. Cor. numer. 319. Pignus fidei, ſpei, & charitatis. Eph. num. 10. Quomodo dicitur contriſtari ob peccata noſtra. Epheſ. numer. 57. In Spiritum Sanctum peccatorum gravitas qualis. Mat. cap. 12. n. 41. ſequent.

Spiritus pro anima, & Dei amore.

Spiritus, & carnis pugna expenditur. Gal. numer. 66. ſequentib. qualis arbor, & fructus in utriſque Gal. numer. 68. Spiritus extinctio. & inſpirationum divinarum cavenda. Theſ. num. 41. Spirituum examen an ſint ex Deo faciendum. 1. Ioan. cap. 4. numer. 1. ad 4. In ſpiritu eſſe, & vivere quid Apocal. numer. 8. Spiritualis vita in actu primo eſt à charitate: in actu 2. ex operibus bonis Apocal. num. 24.

Sponſus.

Sponſus Mariæ Spiritus Sanctus. Ioan. c. 1. num. 8. Item S. Joſeph. V. Ioſeph.

Sponſatio.

Sponſatio Chriſti cum Eccleſia in utero Mariæ expenditur. Matth. capit. 22. numer. 2. ad 4.

Stare.

Stare videat, ne cadat. Cor. n. 154.

Stather.

Stather ſolutus à Chriſto expenditur ad litteram, & myſtice. Mat. capit. 17. numer. 48. ad 50.

Statuta.

Statuta Dei contemnere propter ſtatuta hominum quale malum. Matth. capit. 15. numer. 4.

Stella.

Stella ducens ad Chriſtum eſt fides, & charitas. Matth. capit. 2. numer. 19. ſequentibus Stella matutina à Chriſto promiſſa vincenti ſeipſum quid ſit. Apocal. numero 23.

S. Stephani.

S. Stephani prærogativæ variæ expenduntur. Actor. numer. 94. ad 96. & 136. Mat. capit. 5. numer. 105.

Stigmata.

Stigmata Chriſti in corde Pauli, & in corpore S. Franciſci, & in juſtis qualia. Gal. numer. 95. & ſequent.

Stultus.

Stultus maximè eſt qui bene incipit, ſed in curſu defecit. Matth. cap. 7. num. 51. Item qui non collocat pro fundamento ſuæ fabricæ Chriſtum. Matth. capit. 7. numer. 51. Stultitia Crucis vera ſapientia. Act. numer. 84. Cor. num. 18. ad 20. & 58.

Subditus.

Subditi. Caveant à judicando temerariè ſuperiores. Joan. c. 4. n. 28.

Superbia.

Superbia lepra abominabilis Deo, & hominibus: ejus effectus peſſimi expenduntur. Mat. cap. 8. num. 5. & 72. & cap. 12. numer. 24. & 51. & cap. 20. numer. 54. Phil. numer. 36. Iac. cap. 4. numer. 4. Apocal. numer. 31. ſequentibus ſuboritur aliquando inter Chriſti ſequaces. Matth. cap. 18. numer. 2. Superbiæ, & humilitatis certamen quale Mat. capit. 23. numer. 7. Luc. cap. 14. num. 14. ad 16. & 22.

Superior.

Superiores Deo obedientes captant à ſubditis obedientiam perfectam. Matth. capit. 8. numer. 28.

Suſpicio.

Suſpicio mala de proximo qualis peccaminoſa Mat. c. 7. n. 2.

T

Talentum.

Talenta à Deo data negotianda ſecundum propriam capacitatem. Matth. capit. 25. num. 33.

Tactus.

Tactus Chriſti multiplex expenditur. Matth. cap. 9. num. 53. obtinetur fide, aliiſque virtutibus. Mat. ibid. numer. 54. Tangunt multi Chriſtum, ſed ſine fructu. Matth. cap. 9. numer. 52. Tactus continentia ſanctus. Cor. n. 112.

Tedium.

Tedium hujus vitæ habent Deum amantes. Cor. n. 273

Telonium.

Telonium ſuum habet Chriſtus, & aliud habet diabolus. Mat. c. 9. n. 23.

Temperantia. V. Abſtinentia.

Digitized by Google

Templum.

Templorum Sanctorum reverentia multipliciter ſuadetur: & ipſorum violatio quam accurate cavenda. Rom. numer. 57. Cor. numer. 347. V. Eccleſia : Templum ſpirituale eſt anima vel Chriſto, vel diabolo dicatum. Rom. numer. 55. ad 57. Cor. numer. 347.

Tempus.

Temporalia bona alii à Deo, alii à diabolo recipiunt. Matth. cap. 4. numer. 41. V. Terrenus: ipſorum cupiditas maxima diaboli tentatio. Mat. cap. 4. num. 38. Ipſorum fugacitas, & vanitas qualis. Mat. cap. 6. numer. 80. c. 24. n. 38.

Temporalium menſura apud mundanos falſa. Matt. capit. 23. numer. 2. Contemnenda eſſe docuit Chriſtus: diabolus ea ſectanda. Luc. capit. 4. numer. 7. poſterganda pro bonis ſpiritualibus. Luc. capit. 12. numer. 20. ipſorum abundantia abbreviat vitam. Luc. capit. 12. numer. 9. cur Eccleſiis, & Eccleſiaſticis conceſſa. Mat. cap. 4. numer. 73. Ipſorum inopia pro Chriſto tolerata quam Deo chara & ab ipſo ſubventa. Mat. cap. 6. numer. 113. ipſorum prodigalitas, & diſſipatio qualis illicita Luc. capit. 16. numer. 4. In ipſis ſollicitudo qualis bona, qualis mala. Luc. cap. 10. num. 46. & cap. 11. num. 5. Ioan. cap. 6. num. 17. Ipſorum abdicatio omnimoda propria Apoſtolorum. & S. Franciſci. Act. n. 63. & 75.

Temporis plenitudo eſt Incarnationis tempus. Gal. n. 45. Tempus hujus vitæ ſerenitatis eſt, alterius eſt tempeſtatis, vel fruitionis. Mat. c. 16. n. 4. Ioan. cap. 9. num. 5. Cor. num. 330. Temporis hujus brevitas exigit ſollicitudinem operandi. Gal. num. 83. ad 85. Apoc. num. 1. ſequentib. Nobis datum eſt ad præparationem mortis. Phil. numer. 7. quomodo perditum poſſit recuperari. Epheſ. numer. 76. male expenſum maledictum: bene expenſum benedictum. Epheſ. num. 76. ſeq. Temporum, & dierum obſervatio qualis licita, & qualis non. Gal. n. 51.

Tenebræ.

Tenebræ in morte Chriſti expenduntur. Mat. c. 27. num. 90.

Tentatio. V. Tribulatio.

Tentationes Chriſti expenduntur. Mat. cap. 4. numer. 8. de ſe non ſunt malæ, ſed bonæ. Mat. cap. 6. num. 70. A Deo ſunt in bonum, à diabolo in malum. Mat. cap. 4. num. 22. quare nos Deus ſubjecit tentationibus: ejuſque utilitates expenduntur. Mat. cap. 4. numer. 9. ad 11. & 22. Cor. num. 160. & 602. nemo ſe ipſis exponat niſi ductore Spiritu Sancto. Matth. capit. 4. numer. 10. Cum diabolus ad nos eas immittit, tunc clamat, mitte te deorſum. Mat. cap. 4. numer. 34. omnes ad tres concupiſcentias reducuntur. Mat. cap. 4. numer. 18. Cor. numer. 155. ad 157. Tentationes diaboli à minimis incipiunt & ad maxima ſcelera terminant. Mat. cap. 4. numer. 19. & capit. 26. numer. 21. Tentationis tempore tenemur ad orationem confugere. Matth. cap. 6. numer. 70. Cor. num. 162. & 600. præſente maria, ejuſque ſubſidio vires perdunt tentationes, & Dæmones. Mat. cap. 4. numer. 16. fortius inſurgunt in juſtos Matth. cap. 4 numer. 15. Luc. cap. 9. num 10. tunc temporis Deus peculiariter aſſiſtit. Cor. num. 158. Tentationes carnis nobis ſuper omnia notam reddunt noſtram fragilitatem. Cor. n. 599.

Tepiditas.

Tepiditas in Dei ſervitio quam pernitioſa Apocal. numer. 30. V. negligentia. V. Somnus V. Dormitio.

Terra V. Temporalia.

Terra recipiens ſemen Chriſti qualis. Matth. cap. 13. numer. 14. Terrena ſunt adjectiva ideo nihili facienda: cœleſtia ſunt ſubſtantiva, ideo ſuper omnia æſtimanda. Mat. capit. 6. numer. 109. ad 12. Thimoth. numer. 36.

Teſtamentum.

Teſtamentum vetus ſtrota eſt in medio rotæ ſcilicet Evangelici. Mat. in prol.

Theſaurizare.

Theſaurizare an ſit licitum. Mat. cap. 6. num. 84. Theſaurizat in cœlo, qui in terra theſauros terrenos in pauperes diſpergit. Mat. cap. 6. numer. 86. ſequentib. ſic & qui omnibus renuntiat pro Chriſto. ibid. numer. 88. ſequentib. theſaurus Chriſti, & diaboli qualis. Mat. cap. 6. numer. 90. & capit. 13. numer. 77. Theſaurus gratiarum recondendus in theſauro cordis. Mat. cap. 2. numer. 27. Theſaurus cordis mundo claudendus, Chriſto aperiendus. Mat. cap. 2. num. 28. & 32. Theſaurus pretioſiſſimus eſt paupertas voluntaria. Mat. cap. 13. numer. 61. Chriſti divinitas abſcondita in humanitatis agro. ibid. num. 68. & 70. ſeq. Cor. num. 202. ſeq. item Chriſti doctrina. Cor. n. 100.

Theſaurus item pretioſiſſimus eſt opulentia virtutum in agro cordis. Mat. capit. 13. numer. 64. Cor. num. 201. Ubi theſaurus tuus, ibi & cor tuum explicatur. Mat. capit. 6. numer. 83.

S. Thomas.

S. Thomas, & S. Bonaventura ſunt duæ olivæ, & duo candelabra Eccleſiæ. Apocal. numer. 80.

Timor.

Timoris Dei effectus mirabiles expenduntur. Mat. c. 10. num. 53. Timoris mundani effectus peſſimi quales. Mat. c. 10. numer. 52. Timor mundanus

danus abjiciendus : divinus amplexandus. Mat.c.10. num.51. sequent. Timor vitiosus,& pusillanimitas in Dei servitio quale malum. Mat.c.26. nu.49. Timor servilis non intrat in cœlum, sed filialis tantum. Rom. numer.114. Timent semper justi,ne morte improvisa præripiantur.Thes.n.26.Timendus Deus,non homo.Hebr.c.10.n.6.

Traditio.

Traditiones apostolicæ expenduntur. Cor.n. 171. Antiquæ quales abjiciendæ, & quales observandæ.Mat.c.15.n.21

Transfiguratio.

Transfigurationis mysterium cum suis arcanis expenditur. Mat.cap. 17. à numer. 1. & deinceps Transfiguratio spiritualis ad Christi imitationem facienda. Mat. cap. 17. num. 6. & 8. Transfiguratio spiritualis in Christum multiplex. Gal.n.21.ad 27.

Tribulatio.

Tribulatio est tactus Christi medici, qua vulnerat & medetur. Mat. cap.8. num. 13. Tribulationum utilitates expenduntur. Mat. cap.8. num.63.& c.9.num.39. & c.10. num.41. seq. & c.11.num.8.& c.14. num.46. & 52. & c.15. num.24.& c.24.num. 7. Marc. c.4. num.11. & c.6.num.35.40. & 44. & c.8. num.8. & c.10. num.25. Luc. c.3. num. 34. & c.6. num.13. & c.24. num.9. Act.numer. 100. ad 102. & 179. Phil.num. 24. & 29. Jac. c. 1. num. 2. seq. & num.8.& 1. Petr.cap.1.num.7. Apoc. num.35. In tribulatione oratio fervens quam Deo placita. Mat.c.14.num.58.& c.15.num.32. Marc. c. 4. num. 17. & c. 10. num. 25. Tribulationum gravitas à nostra diffidentia venit. Mat. c.6. num. 116. ad 118. Tribulationes sunt arma quibus Deus pugnat cum peccatore. Mat. cap. 18. numer. 46. Tribulationes sunt propriæ justorum : prosperitates sunt impiorum. Marc.cap.4. num.21. sequent.11. Petr.c.4. num. 7. Tribulationes aut præcedunt ; aut consequuntur consolationes divinas. Cor. numer.273. & 276. Tribulationes nostræ sunt tribulationes Christi. Cor. numer. 274. sequentib.

Tributum.

Tributum justum debetur Principibus. Mat. c.22. num. 38. prius solvendum Cæsari postea Deo. ibid.n.59.seq.

Triduum.

Triduum quale ad inveniendum Christum. Luc. cap.2. numer. 128. ad 130. Mat. cap.15. numer.42.

Trinitas.

Trinitatis mysterium expenditur.Ioan. cap.1.numer.2.

Tristitia.

Tristitia bonorum, & malorum qualiter differat. Luc. capit. 24. numer. 8. Cor.n.352. ad 355.

Turba.

Turbarum conversatio quam periculosa Dei servis.Marc.c.7. n.12.

Turris.

Turris vineæ Ecclesiasticæ est Christus, Eucharistia, & Maria Virgo Mat.cap.21. numer.65. ad 67.

V

Vana gloria.

V*Ana gloria* tinea & pestis nascens in corde virtutum, inficiens omnia bona. Mat. cap. 6.numer. 2. sequent. Gal. numer.6. Ejus vanitas, & stultitia qualis Cor. num. 70. sequent. furtum est apud Deum. Phil. numer. 36. ejus pugna quam ardua. Gal. numer. 73. quomodo cavenda. Mat. capit. 6. numer. 3. cap. 8. numer.15. cap. 10.num.39. Cor.n.578 : sequent.

Vas V. Paulus.

Vectigal.

Vectigalia. V. Tributum : ipsorum exactores instruuntur.Luc.c.3.n.24.

Vendere.

Vendenda sunt omnia pro acquirendo thesauro cœlesti.Mat.c.13.n.62.seq.

Venialis.

Venialium ablutio frequentanda. Ioan. c.13.nu.9. V. peccatum veniale.

Ventilabrum.

Ventilabrum in manu Christi quid sit. Mat.c.3. num.28.

Verbum Dei increatum.

Verbi Dei unio cum humanitate expenditur. Joan. cap. 1. numer. 24. V. Incarnatio. V. Christi adventus. Verbum Dei est per quod omnia facta sunt. Joan.cap.1. num.3. cur dicitur lux hominum, non aliarum creaturarum. Joan. cap. 1. numer.6. Cur dicitur factum caro, non homo, vel anima. Joan. capit. 1. numer. 19. ad 25. ejus desponsatio cum Ecclesia expenditur. Mat.cap.22. numer.2. sequentib.

Verbum Dei creatum : V. Scriptura : V. Prædicatio.

Verbum Dei exit ex ore Prædicatoris concurrente Spiritu Sancto. Mat. capit. 10. numer. 40. Luc. capit.4. numer. 16. Act. numer. 150. & 153.

Verbi Dei prædicationis magnalia, & fructus. Mat. cap.10.numer.40.& 37. seq.& c. 4. n.17. cap.13. num.13. Luc. cap.4. numer.6. & 16.

Index Generalis.

Theſſ.num.22. Jac.cap.1.num.21. Ipſius prædicatio eſt veluti renovatio redemptionis Luc. cap.3.num.3.cap.4. nom.37. ſeq. Panis eſt vitæ & omne bonum.Mat. cap.4. num. 23. ſeq. lux & lucerna animæ Mat.cap.5.num.65.Luc. cap.15.num.7.cap.24.num.19. medicamentum omnium morborum, Mat.cap.8. num.23. Luc. cap.4 num.31. Joan.cap.15.num.4.ſemen multipliciter fructificans. Mat. cap.13. num.8.12. ad 14. medium eſt ſalutis ad nos è cœlo miſſum. Luc. c.2.n.135. c.4.n.37.ſeq.Hamus capiens peccatores capientes. Joan c.8.n.24.Galea ſalutis. Epheſ. num.96.ut Adverſarius noſter in via.Mat.cap.5.num. 87. non omni loco nec omnibus exponendum.Mat.cap.9. num.9. Ad ipſum aures audiendi habere debemus. Mat. cap. 11. num.31. cap. 13. num. 17. ipſum devote audiens ſit Mater,frater, ſoror Chriſti. Mat.cap.12.num.74. Audientium ipſum quatuor genera. Mat.cap.13. num.7. ipſum contemnens vere à Deo ponitur. Mat. cap.1.n.5. cap.14.num.3. Ipſius auditio diſpoſitio eſt ad converſionem. Marc. cap. 2. num.2. qualem intentionem exigat. Luc. cap. 6. num.6. Iac. cap. 1. num. 12. ad 16. Theſ. num.7. qualem beatitudinem afferat animæ Luc. c.11.n.52. cap.15.n.3.c.24.num.19. Ioan. c.5. n. 20. c.6. n.41.ſeq.c.15.n.3

Verbum.

Verba bona non oſtendunt, ſed opera bona quis ſit ex Deo.Mat.c.7.n 41.ſeq.non in verbis, ſed in advebis ſtat meritum. Luc.cap.21. num.2. Verba detractorum vulnerant:Verba Dei ſanant Mat.cap.8.num.23. Verba exteriora indicant quid ſit intus homo. Joan. cap.3.num.21. Mat.cap.26.num.171

Verba mala proferuntur diabolo cooperante: fructus ipſorum venenati: Act. num.15. 153. & Mat.cap.12.num.48.Verba multa habens, & nulla opera eſt arbor infructuoſa. Luc.c.13. num.6

Verecundia.

Verecundia alia vitioſa, alia virtuoſa.Marc.c.10. num.24

Veſtis.

Veſtium ſuperfluitas,& curioſitas in ſuis Chriſto exoſa,maxime religioſis.Mat. cap.6 num.105. Marc.cap.6.num.15.Luc.c.16. num.25. Mat. cap.11.num.10. Veſtis claritatis neceſſaria ad Euchariſtiam ſuſcipiendam, & ad ingreſſum in regnum cœlorum.Mat.cap.22.num.13.ſeq. Veſtis prædeſtinatorum, & reproborum qualis. Mat.cap 22.num.17.21. Luc.cap.16.n.29. Col.num.16.Veſtium ſacerdotalium myſteria. Mat.c.26.n.95

Via.

Viam Domini parare quid. Mat. cap.3. num.13. Luc.c.3.num.6.ſeq. cap. 8. num. 18. Via peccati quam laborioſa.Mat.cap.2.n.35. Luc.c.3. n.9.c.8.n.18

Viſio.

Viſio Dei qualis in hac vita juſtis datur. Act. n.124.ſeq.Cor.n.219

Vidua.

Vidua oblatio duorum minutorum expenditur. Marc.cap.12. num.11. ad 16. Viduarum tria genera.Luc.cap.4. num.21. Tim. num.35. earum obligationes quales. Luc.cap.2.num.116. earum fructus ſexageſimus qualis.Mat. ca.13. num.15

Vigilia.

Vigilantia in oratione, & Dei ſervitio qualis habenda:dormitantia quam perniciosa.Mat.c.25. num.9.ſeq.cap.26.num.126. ad 130. Luc.ca.21. num.16.ſeq.cap.12.num.25.Theſſ.num.30. in Paſtoribus cura animarum qualis. Luc. c.21. num. 15. vigiliæ quatuor ſervandæ in Dei ſervitio. Mat. cap.14. num. 43. vigilia qualis præmittenda in hac vita feſtivitati gloriæ. Mat. cap.17. num.10. Luc. cap. 12. num. 26. ad 29

Villicus.

Villicus Dei eſt quilibet homo redditurus rationem de omnibus bonis. Mat. cap.25. num.35. Marc. cap.5. num. 18. Luc. cap. 16. numero 2. 8.

Vincere.

Vincenti diabolum, mundum, & ſeipſum qualia bona à Deo promiſſa.Apoc. num.21.23.38

Vinculum.

Vincula alia Chriſti, alia mundi, alia diaboli & peccati: Dei ſunt aurea: alia ferrea, & duriſſima Mat. cap.14. num.4. cap.8.num.75. c.11.n.4.ad 7.c.22.n.19

Vindicta.

Vindicta Maxima & pia pro inimicis orare. Mat. c.5.n.105.Rom.n.185

Vinea.

Vinea parabola myſtice exponitur. Mat. cap.20. num.5.ſeq. cap. 21. num.59. ad 72. qualis ſit vinea Chriſti,& qualis diaboli, utriuſque operarii.Mat.c.20.n.8.16

Vinum.

Vini temperantia ſuadetur. Mat.cap.15.num.62. Epheſ. num.78. Vinum nuptiarum Chriſti,& mundi quale.Ioan.c.2.num.9. ſeq.20.22. Eph. num.78

Vir.

Vir quomodo dicitur caput mulieris. Cor. numer. 172. Ejus eſt incumbere negotiis. Mulieris cuſtodire domum. Mat. cap.13. num.51

Virginitas.

Virginitas theſaurus pretioſiſſimus in agro carnis abſconditus.Mat.cap.13. num.67. Ejus, & caſtitatis

Digitized by

castitatis laudes, & privilegia expenduntur. Mat.cap.19.num.8.Luc.cap.1. num.15. Cor. num.117. seq. 132. Virgines prudentes, & fatuæ quales: olei præparatio & defectus: aliaque misteria hujus parabolæ Mat. cap. 25. num.4.ad 7. Cor. num.127. ad 132. 544. 579. Apoc. num. 102. virginum Deo sacratarum obligationes expenduntur.Mat.cap.25.num.7. 19. ad 22. Cor.num.178. virgines omnes unicam sponsam Christi efformant: eorum matrimonium spirituale quale: ad ipsum præparatio qualis:corona ipsis à Christo præparata expenditur. Mat. c.25. num.19. ad 22. Marc. c.12.n.7

Virtus.

Virtutis pretium est inæstimabile, ideo sibi est præmium Mat. cap.10. num.13. Ioan. cap.12. num.6. virtutes sunt thesaurus pretiosissimus. Mat.cap.13. num.64. 66. virtutis habitus, & usus in quibusnam consistit. Luc.cap.2.nu.82. seq. virtutes omnes currunt ad bravium, sed sola perseverantia pervenit.Cor.num.141. seq. virtutis velamine diabolus servos Dei decipit. Mat.cap 26. num.144. virtutum omnium meritum fundatur in obedientia. Luc. cap. 10. num.11. virtutum Theologicarum, & Cardinalium qualitates, & effectus expenduntur. Marc.cap.8.num.16. Act.num.219. Cor. n.126. seq.

Vis.

Vim patitur regnum cœlorum à diebus Ioannis & quomodo.Mat.c.11.n.28

Visitatio.

Visitationis Mariæ ad Elisabeth misteria expenduntur. V. Mariæ Visitatio. Visitatio infirmorum multipliciter suadetur, & quale bonum sit.Mat.c.8.n.54

Vita.

Vita activa, & contemplativa quid, de utraque fiunt multæ expensiones. Mat. cap.17.num.2. ad 7. Marc. cap.6. num.30. Luc. cap.10.n.40. ad 45. Phil. num. 23. 87. V. activa. V. contemplativa.

Vitam in morte, & mortem in vita invenite quid. Mat.cap.10.num.69 cap.16.num.20.Vitæ hujus mortalis fugacitas, vanitas, & brevitas expenditur. Mat.cap.12.num.2. cap.19. n. 17. cap.24.num.50. Luc. cap.12. num. 15. Ioan. cap.16. num.11.Rom.num.102. 99. Iac. cap.4. n.8.Apoc.n.2 est in continua morte immersa. Rom.n.99.102.Cor.n.244.vita æterna sola est vera vita.Mat.cap.19. n.17.vitam longam sibi promittere quam stultum, & exitiale: vita hæc est gementium: alia est gaudentium vel patientium.Cor.num.317

Vita hæc est tempus operandi: altera est vel gaudendi, vel patiendi. Ioan. cap. 9. num.5. vita justorum, & impiorum qualiter differant in hac,& alia vita. Ioan. cap.16. num.12. vita hæc nobis data est à Deo ad præparationem pro morte Phil n.7.vita qualis,talis finis. Ioan.c.5.num.21

Vita vetus deponenda à servis Dei. Colos. n.13. vita justorum abscondita est mundo. Col. num.12. qui vult vivere in Christo, debet prius mori. Rom. num.80. vita otiosa quam abominabilis. Mat.cap.12. num. 5. vita communis in religionibus, quam necessaria, & utilis Mat.cap.6.num.104.Cor.n.140. vita religiosa per tria vota affert quatuor dotes corporum glorioforum.Cor.n.256

Vitium.

Vitium qualiter possit esse schola virtutum. Mat. cap.11.num.55

Unctio.

Unctio Spiritus sancti. Vide Spiritus sanctus.

Unguentum.

Unguentum pretiosum est devotio; & pietas. Mat.c.26.n.8.

Unitas.

Unitas. Vide Concordia: Vide Pax. Vide charitas.

Unitas propria est Scholæ Christi, ejusque discipulorum: discordia propria est Diaboli, & Inferni.Mat.cap.13. num.16.Luc. cap.15.nu 5. Ioan. cap. 10. num. 11.seq. sola pervenit ad cœlum, discordiæ terminus est Infernus. Cor. num. 142. Thessal. num. 44. Mat. c.17. num.14

Vocatio.

Vocatio gentium, & reprobatio Iudæorum expenditur. Mat. cap.8. num.31. vocatio alia à Deo,alia à diabolo. Gal.num.2. Dei vocatio multiplex. Mat. cap. 22. num. 5. Rom. 155. seq. vocatio ad Dei servitium grandis gratia. Thessal. num. 2. exigit obedientiam. Mat. cap.9. num. 19. Cor. num. 126. vocationis peccatoris ordo qualis.Marc. cap.10. num.29. Mat. cap.4. num.62. Rom. num. 135. seq. vocat nos Deus omni tempore. Mat. cap. 20. num.6. vocatio Dei contempta severe punitur. Luc.c.3.n.18. vocati multi,pauci electi: Mat.c.13.num.11.c.20.n.30.& c.22. n.34. Luc. c.5.n 21

Volucres.

Volucres cœli in bonum sunt religiosi: in malum sunt à dæmone. Mat. cap. 6. num. 114. c.13.n.7.9

Voluntas.

Voluntas arbor est vel bona, vel mala, radix omnis boni, vel mali: Mat. cap.7. num.33. seq. cap.12.num.45. Luc.cap.2. num.36. c.21. num.5

Voluntas bona quandonam pro facto à Deo reputatur, & quomodo non:Mat. cap.12. n.13. cap.24.num.18. Cor.num. 145.564. Voluntatem Dei faciens quam Deo charus. Mat. cap.12. num.75.Ioan.cap.9.num.15. Phil. n.9. V. Conformitas;Voluntas propria pestis inficiens omnia l'n... Mat.cap.12.n.54. Luc. c.15. n.12.c.18.n.14.Act.n.119

Votum

Digitized by Google

Index Generalis.

Votum.

Vota religioſorum qualia eorumque effectus. Mar. cap. 2. num. 30. cap. 16. num. 29. cap. 17. num. 9. Cor. num. 156. Vide obedientia. V. paupertas. V. caſtitas. V. Religio.

Vſurarius.

Vſurarius apud Deum eſt, qui vult cum Chriſto frui, non vero pati. Mar. c. 20. n. 40. 43

Vulpes.

Vulpinum cor quam Deo exoſum. mar. cap. 8. num. 41

Z

Zelus.

Zelus alius ſanctus, alius malus. Cor. nu. 582. Bonus mixtus eſt dulcedine, & amore. Cor. num. 80. quærit bonum ſpirituale, non corporale, & gaudet indifferenter in omnibus de profectu animarum. Cor. numer. 604. ad 606. in Prælatis qualis. Cor. num. 198. & 382

Zelus indiſcreti peſſimi effectus expenduntur. Luc. c. 13. n. 16. Act. n. 115. 122. Rom. 148. ſeq Gal. n. 7

F I N I S.

SUMMA PRIVILEGII REGIS.

AUctoritate regia ſanctum eſt, ne quis *Gloſſam in S. Scripturam à R. P. Bartholomæo à Caſtro-Veiro* intra ſex annos imprimat, aut alibi impreſſam in hoc regno divendat præter.... Aniſſon Bibliopolam Lugdunenſem, aut eos quibus jus ſuum conceſſerit. Qui ſecus fecerit Librorum confiſcatione, aliiſque pœnis regio diplomate declaratis mulctabitur. &c. Datum Verſaliis die 11. Menſis Januarii 1683. De mandato Regis, ſignatum IUNQUIERES. Quod quidem diploma inacta Typographorum Pariſienſium relatum eſt die 15. Februarii 1683. à C. ANGOT Syndico.

Digitized by Google

1092

Digitized by Google

Digitized by Google

NOV. 1909

Digitized by Google

Digitized by Google